Theodore Besterman

391

# VNIVERSALIS
# Plantarum
# HISTORIAE
# Tomus II.


SOL AD ASPECTUM NUNCIAT DE GLORIOSO DEO,
INSTRUMENTUM EST ADMI=RABILE, OPUS ALTISSIMI. Eccl. XLIII.
HISTORIÆ
PLANTARUM
UNIVERSALIS
Tomus II.
Auctoribus
JOHANNE BAUHINO,
Archiatro.
JOH. HENRICO CHERLERO,
Doctore:
Baſilienſibus
Quam recenſuit et auxit
DOMINICUS CHABRÆUS,
D. Genevenſis
Juris verò publici fecit,
FR. LUD. A GRAFFENRIED.
Dñs in Gertzenſee etc.
EBRODUNI.
MDCLI.
Dominus creavit è terra pharmaca, vir prudens non gravabitur illis. Eccle. XXXIIX. 4.
Neocomum.
Conr: Meyer fecit.

HISTORIA

# PLANTARVM VNIVERSALIS, NOVA ET ABSOLVTISSIMA CVM CONSENSV ET DISSENSV CIRCA EAS.

*Auctoribus*

IOH. BAVHINO ILL. CELS. VVIRT. ARCHIATRO

ET

IOH. HEN. CHERLERO PHILOS. ET MED. DOCT. BASILIENSIBVS.

*Quam recenſuit & auxit*

DOMINICVS CHABRÆVS MED. DOCT. GENEVENSIS.

*Iuris verò publici fecit*

FRANCISCVS LVD. A GRAFFENRIED. Dominus in Gertzenſee &c.

*Continens*

DESCRIPTIONES STIRPIVM EXACTAS, FIGVRAS NOVAS, EX IPSO Prototypo maxima ex parte depictas: earumdem Satum, Cultum, Mangonia: item Vires omnigenas: Præparationes, Extractiones, ac Diſtillationes præcipuas: Exoticarum Orientis atque Occidentis, aliarumque ante noſtrum ſeculum incognitarum, ſupra mille Hiſtorias nouas: Synonyma: Æquiuoca: Succedanea: & præcipuarum Linguarum appellationes.

*Inprimis verò*

*PLACITA VETERVM GRAECORVM, ARABVM, LATINORVM. & poſterioris ſeculi Scriptorum:*

INTERPRETATIONES AC CORRECTIONES SENTENTIARVM obſcurarum & deprauatarum.

Notantur ERRORES eorum qui de Plantis ſcripſerunt: Ac continentur plæraque omnia, quæ

*THEOLOGI, IVRISCONSVLTI, MEDICI, PHILOSOPHI, HISTORICI, POETAE Grammatici, Geoponici, Architecti, aliique de Plantis promulgarunt.*

Vt meritò omnium Herbariorum vicem ſupplere queat.

## TOMVS II.

EBRODVNI.

CIↃ. IↃ. CLI.

A MAGNIFIQVE ET PVISSANT SEIGNEVR

# FRANCOIS LOVYS DE GRAFFENRIED

## SEIGNEVR DE GERTZENZEE, DV GRAND ET SOVVERAIN

Senat de la ville de Berne, Baillif d'Yuerdon, Sur l'Impreſſion de ſon Herbier.

# QVATRAINS

CEt Agent infiny, ce Puiſſant Oeconome
Qui a baſty d'vn riẽ tout ce grand Vniuers,
Aux herbes a donné des offices diuers,
Et des Proprietez pour la ſanté de l'homme.
Le ſçauant Æſculape a eſté le premier,
La Princeſſe Circé a eſté la ſeconde,
Et Hermes le troiſieſme qui ont laiſſé au monde
Les Vertus des herboges ia au ſiecle premier.
Dés lors les plus grands Rois ont reputé à gloire
De s'attirer du nom de quelqu'herbe nouuelle
Gentin de Gentiane, & Prunel de Prunelle,
Artemiſe d'Armoyſe, Eupator d'Eupatoire.
Alors on appelloit les enfans du Soleil
Les Doctes qui auoyent des herbes la notice.
Comment nommera-on cil qui d'vn artifice
Admirable produit, cet Herbier nompareil
Si d'vne ſeule plante adioute au Catalogue
Des autres, ils ont fait tant d'eſtime & de cas,
Qu'eſt-ce que nous dirons? Ains ne dirons nous pas
Que nous deuons chanter de GRAFENRIED l'Eloge?
De GRAFENRIED qui eſt vn Seigneur Magnifique,
Vn Baillif debonnaire, amateur de Iuſtice,
Fauteur de l'Innocence, & puniſſeur du vice
Grand Pilier au Canton de BERNE l'Heroïque.
Qui non pour ſon eſgard, ou profit, ou trafic,
Eſtale en ce Volume mille plantes incognues,
Au grand Dioſcoride, les raiſons qui l'ont meues
A ce noble deſſein, C'eſt le bien du public.
Tu me diras que Cherler, que Chabrey, que Bauhin,
Y ont contribué de leur peine beaucoup,
Il eſt vray, mais c'eſt luy qui à fait ce beau coup
D'auoir heureuſement mis cet œuure a ſa fin.
Oeuure qui prendra fin, ſeulement quand ce tout
Sera reduit en feu. Mais tandis que la fleur
Verdira au printemps, la memoire & l'honneur
De ce DE GRAFENRIED ne verra point de bout.
De tous vous Medecins, commencés les premiers
A louer ce Chef d'œuure, qui vous fournit la ſource
De pouuoir à l'honneur bien remplir voſtre bourſe.
Et couronner vos chefs de verdoyans lauriers.
Vous humains qui auez icy vn repertoire,
De remedes certains pour ſoulager vos maux
Exaltez ce Seigneur, beniſſez ſes trauaux
Et en rendez à DIEV loüange, honneur, & gloire.

G. BVLET Sieur de Granc

# DOMINVS A GRAFFENRIED

# ANAGRAMMA:

## DIGNVS ODE FERRI MANA

### EVOLVTIO.

SINT Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones,
Ritè Poëta canit, quiſquis & ille ſiet.
Hoc, liber iſte docet, cuius monumenta laboris
Magnorum erexit dextera gnara Virûm.
Quid ſit Amaltheæ cornu qui nôſſe laborat
Huius præſtabit lectio lecta libri.
Quid Chiron, Pæon, Podalyrius, atque Machaon,
Quid medicus Lucas, præſtiteritque Philon.
Cluſius, atque Tragus, Geſnerus, quid Lonicerus
Geſſeri, hoc præſens continet omne Liber.
Plantigraphorum alii ſtipata volumina voluant,
Sed tibi præ reliquis hic liber vnus erit.
Acriter heic dum tres deſudauêre Marones,
En! nec Mecœnas defuit aſtes ope.
His grauis aſtes erat mox Grafenriedius Heros,
Gentis qui & mentis nobilitate valet.
Promouet hic operas, argenti & prodigus auri,
Inuitâ perâ nec remoratur opus.
Eius magnifico ſumptu bene feruuit incus,
Conſuleret magnis vt liber iſte Viris.
Non ſiet hic *dignus* Mecœnas *ferrier ode*?
Staret inoblitus non ſibi ſemper honos?
Veſpaſiane vale qui ſpurca lucella matellis
Exigis, hinc putet ſordida fama tibi.
Sed Grafenriedi, ſaluéque, vigéque, viréque,
Lilia dum violam & florea rura dabunt.
Non lucra putida amas, ſed commoda totius orbis,
Publica priuatis anteferendo lucris.
DIGNVS es ergo vehi noſtra Venerabilis ODE,
MANA fama Viro huic inclyta, viua mane.
Claudam oden voto: Grafenriedi, viue Galeni
Luſtra ſenex, à te cætera námque petes.

---

*Eteoſtichon per phalæcin.*

eſt IeſVs MeDICVs IVVans probat Vs
ægrIs Vera panaX, & VnIſanans.

Obſeruantiæ E.F.
L. M. Q.

Hen. Ernius H.F. Tigur.
Eccleſiæ Capellanæ D.

## CLARISSIMO D^n. DOCTORI CHABRAEO, MEDICO PERITISSIMO, HISTORIÆ PLANTARVM inſtauratori diligentiſſimo.

ARTIS Apollineæ quamuis cernantur in arte,
Cenſores multi, Medicas qui ſpernere Muſas
Conuitiis tentant, illas & dente maligno
Rodere non ceſſant: Medici non tollere poſſunt
Nodoſos morbos, dicentes,& mala triſtis
Dira lepræ, tum vaſtantis contagia peſtis:
Inſuper in campis creſcit non herbula contra
Vim mortis rigidæ. Tua ſed mens dedita Phœbo,
Scommata committit furioſis flatibus iſta.
Nam ſapiens clarum parcit contemnere Phœbum.
Hinc bene, gentis Apollineæ Propagator & Auctor,
Herbarum virtutes, radiceſque potentes,
Et folia, & flores, caules, & ſemina, fructus
Diuerſos, piſces varios, mineralia plura,
Narciſſos, ceras flauas imitantia pruna,
Ac pyra cum ceraſis, Thiſbæi mora cruoris,
Caſtaneaſque, nuces. & meſpila, dulcia poma,
Tum dulces Bacchi ſuccos, ratione propoints.
Hic liber iſte tuus ſe nobilitate tuetur:
Nam ſenſus dubios, pugnantia ſcripta virorum
Doctrinâ Medicâ clarorum, ſoluere præſtat.
Succurrit ſanis, illis bona fercula præbet,
Omnibus inſeruire ſolet mortalibus ægris
Nam morbus cerebrum magnus ſi corripit ipſum,
Actio ſi cordis vitalis læſa veneno,
Actio ſi jecoris turbatur bile funeſtâ,
Actio ſi ſtomachi læſa eſt, ſi tuſſis acerbat
Pulmones molles, renes quando dolor vrget,
Si lacerat dentes, oculos, & membra fatigat.
Tum truculenta tabes corpus cùm conficit omne,
Si rabie canis, & ſi læſit aranea valde,
Si nocuit ſerpens, ſi vipera dente momordit,
Tunc adfert Medicas herbas, & vincere morbos,
Corporis ac vires direptas reddere, tentat.
Singula quis numeret: reſtant perplura canendi,
Sed, peto, cognoſcas animo mea ſcripta benigno,
Neſtoris ac ſuperes Muſis comitantibus annos.

Obſeruantiæ & amicitiæ E. F. L. M. Q.
*Fridericus Stiberus Medicinæ Doctor.*

*SERENISSSIMO*

## *PRINCIPI AC DOMINO,*

*DOMINO*

# HENRICO D'ORLEANS

LONGOVILLÆ NEC NON ESTOVTEVILLÆ DVCI:
GALLIÆ PARI:
Nouicaſtri & Vallangini SVPREMO PRINCIPI:
COMITI in Dunois, S. Paul, Chaumont, Gournay, & Tancaruille:
DYNASTÆ in Columniers en Brie:
BARONI in Vouuant, Veruant, Monſtreuilbellay, Humbic, Bricquebec &c.
Nortmanniæ CONNESTABILI HÆREDITARIO:
Ejuſdémque Prouinciæ, Chriſtianiſſimæ Majeſtatis nomine ADMINISTRATORI & PROREGI:
Regiorúmque Galliæ Ordinum EQVITI.

QVEM nuper SERENISSIME PRINCEPS, obviis excepit vlnis Medicorum turba, denuò prodit Naturæ Genius. Et qui duodecim antehac promulgatis Libris Arborum & Fruticum Hiſtoriam abſoluit: totidem jam ad aliorum, non minùs cognitu neceſſariorum, graphicam Enarrationem accingitur.

Hic enim Suffrutices: hic Roſæ:hic ſcandentes Plantæ:hic Dionyſo ſacræ: hic Legumina:hic Cereales Fruges:hic Gramina:hic Iunci:hic Arundines:hic Flores hortorum decus:hic Rapunculi & Campanulæ: hic Naſturtia: hic Culinariæ herbæ: hic Mollientes & Oleraceæ: hic Lactucæ & reliquæ Pappoſæ recenſentur, delineantur, pinguntur.

Hic tandem Veterum & Recentiorum circa eas Placita obſcura reteguntur, alia illuſtrantur, Nodi ſoluuntur, Diſſidia componuntur, notantur Lapſus.

Nec deerit in quo miretur Mundus ſe tot cęcutiuiſſe ſęculis: atque adeò Poëtæ factus ſit locus Epiphonemati

Lucretius *O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca!*
Val. Flaccus. *Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis*
*Degitur hoc æui quodcunque eſt?*

Et vt ΕΝ ΟΛΙΓΟΙΣ ΠΟΛΛΑ, hic non Aegypti ΑΒΑΣΕΙΣ, ſed bifera Alcinoi Viridaria: Horti Adonidis: Inſula Tilos, palmarum, vinearum & margaritarum ferax: atque quicquid in phyſicarum rerum adytis & penetralibus aperiendis potuerunt celeberrimorum Philoſophorum ac Medicorum ſolertia, ſedulitas, & candor.

Prodit igitur alius noſtri Ioh. Bavhini foetus: nec redimere volentibus longiores trahere datum moras. Diphilo in ſuis producendis ſint alii tardiores: Aceſſæi expectent alii Lunam: Nobis humano generi prodeſſe animus.

Qui autem Primogenito Præpotentes inuénimus Patronos, à quibus ſcilicet inter alia & Cunas habuerat: Eandem & huic optamus ſortem, ſub cuius auſpiciis cum nomine & ſplendore publici fiat juris. Minimè enim nos latet quibus hæc ſine ridica vitis & Cœli & animalium exponatur iniuriis: Quàm faſtidioſa ſit hujus æui peruerſitas: Quàm magnus ſit labor cani lectum ſternere: Quàm creſcere aliquid ægrè ferat Inuidia: Quàm graues ſint Zoilorum morſus: Præſertim verò quam aduerſus ejuſmodi malè feriatos homines pręſtet tutelam Principum virorum patrocinium.

Nec diu deliberandum fuit, PRINCEPS SERENISSIME, cujus clientelæ hoc committeretur OPVS. Ad te enim trahebant ejus cum tuis harum regionum amplis Ditionibus loci natalitij vicinitas, ac SERENISSIMAE CELSITVDINIS TVAE erga omnes humanitas, in literas & literatos pronus animus: maximè verò innatum Graffenriedani Generis illi quam facimus parti de Svpremis Nouicaſtrenſium Dynastis bene merendi ſtudium. Cujus ſicut & fœlicia & grata ab Auo & à Parente piæ memoriæ edita fuère ſpecimina; ſic & NOBIS in eàdem humili deuotione pergendi animus, & ejuſdem ſpes gratiæ quæ à CEL-

SISSI-

SISSIMIS PRINCIPIBVS Majorum noſtrorum acceſſit rebus.

Ecquem porrò Noſtris hiſce & incomparabilis illius BAVHINI lucubrationibus præcellentiorem fautorem Mæcenatémve præfeciſſemus, quàm Principem cujus Stemma veneratur Gallia: cujus in Rempublicam Chriſtianam merita celebrat Orbis? Principem pace bellóque, ſago togáque, Arte & Marte, apud omnes Gentes celeberrimum. Principem præpotentem, clementisſimum, munificentisſimum. Principem cui labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, & conſilium in prouidendo, tanta in vno ſunt, quanta in multis aliis etiam inſignibus vix reperiantur. Principem quem numeroſisſimos exercitus cum ſummo imperio fœlicisſimè ducentem vidit Germania, vidit Italia, viderunt Iberia, Burgundia, & Lotharingia, ſemper & vbique vincentẽ. Principem Monaſterienſis PACIS inter CAESAREAM, CHRISTIANISSIMAM, & SVECICAM MAIEST. aliáſque nonnullas Europæi Orbis primarias POTESTATES, nuper initæ præcipuum ARBITRVM. Atque adeò Principem quem meritò dixeris omnibus reddidiſſe omnia, ſingula ſingulis: proſtratoſque reſtituiſſe Magiſtratus & ſiccas effeciſſe ſicas. Principem tandem, vt in his encomiorum ſuffitibus parci ſimus, quem vnum rerum Natura videtur edidiſſe, vt oſtenderet quid in ſumma Fortuna ſumma poſſet Virtus.

Talem nos eligimus Patronum, PRINCEPS SERENISSIME, Vniuerſalis Plantarum Hiſtorię SECVNDAM hanc PARTEM, quâ par eſt humili ſubmisſione, SERENISSIMAE CELSITVDINI TVAE offerentes & conſecrantes.

Auiculæ, cùm nihil poſſent opulentiùs, plumas ad magnificentisſimum Delphici Apollinis templum vltrò feruntur detuliſſe: Apes ceras. Sic nos ad tuas aras quod opis eſt noſtræ: nec dedignaberis Munus quod ſtudio ſuo dignum plurimi cenſuêre Reges, quodq; Mauſoleis prætulit Cariæ regina, quæ poſt tot annorum myriades adhuc per Artemiſiam viuit. GLORIAM ſic TVAM tradent Poſteris, & in huius Vniuerſi extremis claram conſeruabunt, omnia ea quæ in hominis & pecudum eſcam, in

aruo-

aruorum & hortorum decus cedunt,quibus hic, quanta quanta noſtra ſunt, eminentisſimo LONGOVILLAEO NOMINI litamus.

Supereſt, PRINCEPS SERENISSIME, vt obſequij hoc anathema, humillimæ obſeruantiæ monumentum,et qualecunque beneficiorum redhoſtimentum, quod Sacrario tuo appendere annitimur, quo ſoles omnia, benigno & ſereno ſuſcipias vultu. Supereſt tandem, vt ab illuſtrisſimo & Splendidisſimo Nomine Tuo huic abiturienti tuarum laudum Præconi nitorem & commendationem accedere lubens patiare: nóſque tibi in omnem ſeruitutem deditisſimos ſemper in poſterum ſtudio & fauore tuo proſequi digneris.

Sic, ô Nate in exemplum virorum Principum, Neſtoreos quàm fœlicisſimè viue annos. Sic impleat Iehoua petitiones tuas. In his deſinunt votis

PRINCEPS SERENISSIME,

SERENISSIMÆ TVÆ CELSITVDINIS

*Clientes Humillimi,*

FRANCISCVS LVDOVICVS à GRAFFENRIED D. in Gertzenzee, Ebrodunenſis Bernenſium Ditionis pro tempore Præfectus:

*&*

DOMINICVS CHABRÆVS M. D. Illuſtriſſ. Celſit. Vvirtemb. à Conſiliis Medicis, Vrbisq; Ebrodunenſis Medicus ordinarius.

*Ebroduni Heluetiorum Calendis Iun.*
*Anno ſalutis M. DC. LI.*

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XIII.

## FRVTICES ET SVFFRVTICES FLORE ROSEO HISQVE AFFINES.

*PROXIMVM nunc locum dabimus iis fruticibus ac ſuffruticibus, quos roſeo quodam flore, veluti ornamento præcipuo natura donavit: contentioni fortè ſit locus, ſi ſeparemus, quæ ſimilitudinibus & amicitiæ illa quaſi teſſera ab eadem ſunt unita.*

### DE CISTO VETERVM SENTENTIÆ.

### CAP. I.

*Theophr.* SVNT, authore Theophraſto, eorum [*quibus aculeus deeſt*] genera complura, ſummiſque differentiis diſcreta, *Error multorum.* ut κιστοῦ [*Gaza, κισσοῦ Hederæ vertit, ut in Theophr. legitur, quem Plinius, Ruellius & olim etiam Cluſius ſequutus eſt, ſed malè: legendum enim κιστοῦ, Ciſti, ut poſt etiam Cluſ.*] *Ciſti duo genera.* cujus duo genera traduntur, mas & fœmina. Quoniam altera majus, durius, pingiúſque folium [*vox φύλλον in quibusdam Theophr. codicibus male deſideratur*] habeat, florémque ad purpuram inclinatum: ambabus tamen flores Roſis [*in Aldino codice malè omittitur vox ῥόδοις*] ſylveſtribus proximi, verùm minores & ſine odore.

*Plin.* Plinius non animadvertens diſtinctionem inter κίσσον & κιστον, Theophr inemendatam lectionem ſequitur, ita ſcribens: Hederæ [*legendum Ciſti*] duo genera prima, mas & fœmina: major traditur mas, corpore & folio duriore etiam ac pinguiore & flore ad purpuram accedente. Vtriuſque autem flos ſimilis Roſæ ſylveſtri, niſi quòd careat odore. Vtuntur [*ad coronas*] & Hederæ [*leg. Ciſti*] flore purpureo. Eſt & in alio genere, earum ſylveſtribus Roſis ſimilis. Et in iis quoque color tantùm delectat, odor autem abeſt. Græci vicino vocabulo Ciſthon appellant fruticem majorem Thymo, foliis Ocimi. Duo ejus genera. *Ciſtus mas & fœmina.* Flos maſculo roſaceus fœminę albus. Plinium autem de Dioſcoridis Ciſto dicere, ambiguum non eſt, teſte Cornario, etiamſi ex toto non omnia ita reſpondeant, & hoc ſanè loco Hederæ nomen [*Ciſſon*] Ciſto vicinum dicit. Theophraſti porrò Græcum exemplar multis hinc ſæculis mendoſum fuiſſe teſtatur Cluſius & alij. κιστοῦ igitur pro κισσοῦ, locis citatis apud Plinium legendum eſſe conſtat. *Dioſc. Ciſtharos & Ciſſaros.* Ciſtus [*κίστος*] quem aliqui Ciſtharon aut Ciſſaron [*κισθαρον ἢ κισσαρον*] vocant, frutex eſt iuxta Dioſcoridem in petroſis locis naſcens, multis ramis præditus, folioſus, non altus, folia habens rotunda, acerba, hirſuta: flores velut Mali punicæ [*ῥοιᾶς*] ſed in fœmina albi.

Aſt quòd Plinius rectiùs, quàm Dioſcorides, marem deſcripſerit, roſeum florem habere dicens, res ipſa, inquit Marantha, oſtendit: nam ſive hanc floris ſimilitudinem ad colorem referat Dioſcorides, ſive ad figuram (quamvis ad figuram potiùs referre videatur, quod oſtendit ex hoc, quod de fœmina ſubdit, ei florem albeſcere) minùs apta comparatio eſt. *Marantha notat Dioſcoridem.* Etenim Punicorum floribus phœniceus color ineſt, quem vix in alio reperias, ſi Theophraſto credimus, lib. 1. c. 21. quanquam hoc de arboribus ſolis intelligere voluiſſe credendum ſit. Eſt & alterum, pergit Dioſcorides, Ciſti genus, quod ab aliquibus Ledon appellatur. Ex his itaque conſtat Ciſti duo prima genera facere Veteres, Marem & fœminam: Dioſcoridem verò tertium addere, Ledon dictum. *Ciſti tria genera Dioſc.* Verùm de hoc & alio nos plura trademus, ſed potiſſimùm de iis, quorum icones exhibemus.

Frutex κίστος, κίσθαρον aut κισσαρον Græcis dictus, Latinis ut Scribon. Largo, quoque Ciſtus appellatur, & Roſa ſilvatica, ſeu canina. *Nomina linguar.* Arab. *Kamet*, *Altheu*, ſive *Lhaie althu*, inquit Matth. Germ. Ciſtenröſzlin. Gall. *Roſe canine*. Ital. *Ciſto*. Caſt. & Cat. *Eſtepa*. Portug. *Cerguacos*, *Cergacos*. Angl. Liſtus/ Ciſt buſche/ oder/ Ciſt ſage/ With ſage.

*Vires & uſus.* Ciſtus, inquit Dioſcorides, vim habet adſtringentem, unde flores triti in vino auſtero, bis in die poti, *Dyſenteria.* dyſenteriis commodant: ipſi verò per ſe illiti, nomas depaſcentes cohibent. *Nomæ.* Cum cerato verò, ambuſta & vetera ulcera ſanant. *Ambuſta. Vlcera.*

Hæc paulò aliter ita Plinius. Ciſti genera ambo proſunt dyſentericis & ſolutionibus ventris, in vino auſtero ternis digitis flore capto, & ſimiliter bis die poto. *Solutio ventris.* Vlceribus veteribus & ambuſtis cum cera: & per ſe oris ulceribus.

Ciſthus aut Ciſthanus, autore Galeno frutex eſt guſtu adſtringens, omnibúſque particulatim operibus. Attamen folia & parva germina trita adeò de-

ſiccant,adſtringuntque,ut [τραύματα] ulcera glutinate valeant. At flores magis ſunt efficaces, adeò, ut *Imbecillitates.* cum vino poti dyſenterias, ventris imbecillitates, *Humiditates.* fluxúſque ac humiditates ſanent. Cataplaſmatis ritu illita ulcerum putredinoſa juvant. Eſt enim facultas eorum non inſtrenuè deſiccans, feréque ſecundi ex- *Temperamentum.* ceſsûs à temperatis abſoluti. Adeò verò frutex hic frigidus eſt, ut tepidi caloris ſit particeps.

## CISTVS MAS, MAIOR, FOLIO rotundiore. CAP. II.

*Generatria ſumma.* IN Ciſti tractatione Dioſcoridis veſtigiis inſiſtendum, tria ſumma genera conſtituenda, deinde ſinguia in eas ſpecies, quas tum nos, tum alij obſervarunt, dividenda, initium à mare facturis. *Mas cur dictus.* Marem verò cum Cluſio appellamus, qui flore quidem ut reliqua Ciſti genera ſylveſtrem Roſam æmulatur, ſed colorem rubrum, nunc ſaturatiorem, nunc dilutiorem habet: *Maris ſpecies quinque.* cujus quinque ſpecies foliorum forma, aut colore inter ſe differentes numerantur.



*Ciſtus mas Bononienſis.* Apud clariſſ. virum igitur, Vlyſſem AldroandumBononiæ primò vidimus Ciſtum mare, Monſpeſſulano multò majorem, foliis rugoſis, rotundioribus & nigrioribus, non tamen exactè rotundis, ut olim pingebat Matthiolus. Ramum obſervavi inter plantas, Domini Theodori Zvvingeri, qui delatus dicebatur ex *Apuleenſis.* Apuleia, cujus folia erant minùs nigra, & pluribus pilis albis, longioribúſque abundabant.

*Deſcr. Cluſ.* Cluſius ſic deſcribit: Humanâ altitudine plerumque attollitur, ut reliqui Ciſti, fruticoſus: *Ramuli.* ramulis aliquantulum incanis: *Folia.* folia reliquis majora & quaſi orbiculata, hirſuta nonnihil & rugoſa: *Flos.* flos reliquis forma ſimilis paulò major & colore ſaturatiùs rubente: *Capitula.* capitula hirſuta, dura, pentagona, dicendis majora, *Semen.* in quibus ſemen rufum, majus, quàm aliorum continetur.

*An Anguil. Roſa marina.* An Anguill Ciſtus mas, Roſa marina & Roſole in Lanzana quam ait Hypociſtidem & Ladanum ferre? An Cordo in ſylv. Obſ. Ciſtus frutex ex folio oblongo & tamen ſubrotundo Salvię aliquo modo ſimili, majori, hirſuto cavoque, ſemine in pericarpiis minuto, Papaveri ſimili?

*Matth. notatur.* Matthiolus olim Ciſtum marem pinxit folio admodum rotundo, & floribus integris, Campanulam exprimentibus (quum tamen Roſarum inſtar folia ſeparata habeat) qualem plantam nunquam vidimus, eam igitur iconem in poſtr. commen. meritò, ut falſam rejecit, in com. Lat. & Ital. cum mag. fig. & in hiſt. Germ. aliam reponens meliorem.

*Turn. lapſus.* Turnerus malam Matthioli figuram habet nomine Ciſti maris, quem dicit ſe vidiſſe in Italia.

Dodonæi Ciſtum exiſtimaſſem lib. de flor. cap. 29. niſi aliò videretur reduci ſimilis figura à Cluſio: unicam enim Ciſti figuram ponit, relicta priore, quæ Ciſti fœminæ erat, ut arbitror.

*Synon.* Lacunæ dicitur Ciſtus Mas Matthioli. Ciſtus maſculus Lonic. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Ciſtus quartus mas ſine figura. Lob. Obſ. Ciſtus mas quartus Cluſij.

Hiſt. Lugd. præter meliorem figuram Ciſti maris Matthioli, habet etiam duas priores falſas ſub his titulis: Ciſtus mas ſolio rotundiore Matthioli, & Ciſtus cum Hipociſtide Matthioli. *Hiſt. Lugd. notatur.* Ponit præterea deſcriptionem ex Cluſio Ciſti quarti.

Camer. in Matth. Hiſt. germ. ponit figuram cui inſcriptio, Ciſtus fœmina cum Hypociſtide. *Ciſtus fœmina, Cam.* Eandem etiam ponit in ejuſdem Epit. ſub hoc titulo Hypociſtis. *Hypociſtis.* Videtur autem mibi facta eius icon ad ramum quendam à me Bononiæ collectum anno 1563. & Geſnero miſſum. Erat tamen ſine Hypociſtide, & ſine floribus. Geſnerus autem ad meam plantam quam adhuc habeo, annotarat, eſſe Ladanum foliis rotundis, Hypociſtidem Matthioli.

*C. Bauh.* C. Bauh. apud Matth. exhibet pro Ciſto mare, figuram malam. Eſt enim eadem cum priore falſa Hiſt. Lugdunenſis. Falſam autem eam eſſe ipſemet fatetur, ita enim ſcribit: Matthiolus in ſuis editionibus diverſas proponit icones: inter magnas enim figuras habet Ciſtum, cuius folia ex rotunditate oblonga ſunt: inter minores verò eam proponit foliis rotundis, proculdubio imitari volens Dioſcoridis deſcriptionem, qui talia in Ciſto requirit folia. Cùm verò talibus foliis marem hactenus non viderimus, ſed oblongis, adpoſuimus figuram talem ſub Hypociſtide. Ait præterea C. Bauh. in animadv. in Hiſt. Lug. Hiſtoriæ Ciſtum marem Matthioli, & Ciſtum marem primum Cluſij: eſſe duas figuras unius Ciſti. Sed & hoc imaginarium. Sunt enim diuerſarum plantarum figuræ, ut notum eſt utramque noſcentibus. Eſt Ciſtus mas 1. Cluſij, Ciſtus mas Monſpelienſis, folio oblongo albido. Sed cur hoc loco tam ſicco pede tranſit impudentiſſimum illud Matthioli figmentum, Ciſtum marem folio rotundiore cum Campanę effigie floribus, ex mera deſcriptione excogitatis (nihil enim tale unquam viſum in natura) quem bis depingit, non ſine fœda, ambitioniſque plena impoſtura. C. Bauh. pin. Ciſtus mas 1. ſive folio rotundo hirſutiſſimo.

*Locus.* Cluſij Ciſtus quartus mas invenitur in regno Valentino & Aragonum: in Italia etiam frequens eſt.

## CISTVS MAS II. FOLIO longiore.



*Deſc.* EAdem altitudine, qua primus Cluſij [*Ciſtus mas Monſp. folio oblongo, albido*] aſſurgit, interdum etiam majore, non minùs fruticoſo ſtipite, neque minore ramorum frequentia: minùs tamen candicat. Folia præterea eodem ordine diſpoſita, molliora, longiora, anguſtiora, & magis acuminata ſunt: Flos ſuperiori ſimilis, incarnatus: capitulis etiam & ſemine parum differt. Dubium non eſt, quin Hypociſtis ſub hoc genere creſcat, nullam tamen obſervavit Cluſius, qui Ciſtum marem ſecundum nominat.

*Synonyma cum nominib. ling.* Lob. Obſ. & Ic. & Ger. Ciſtus mas anguſtifolia. Tab. Icon. & Hiſt. Ciſtus mas anguſti folius Ciſtenröſzlein

rößlein. Lugd. Ciſtus mas 2.Cluſij. C.Bauh.pin.Ciſtus mas 3.ſive anguſtifolius. Belg. Ciſtus mannekẽn met ſmalle bladers. Angl. The male holly Roſe.

*Locus & tempus* Naſcitur in Hiſpania,& diutiùs reliquis maris generibus floret:illius item ramuli teneriores ſub Autumno, rorulentum quiddam pingue & odorum contrahunt.

## CISTVS MAS III. FOLIIS dilutiùs virentibus.

*Deſcr. Folia.* PRiori brevior eſt,non minùs tamen fruticoſus, ſed tenuioribus ramis:folia ejus jam dicto breviora & dilutiore virore prædita, magis rugoſa,pinguia, & odorata: *Flos.* flos aliis ſimilis, dilutè rubens & aliquartulum odoratus, quam notam in reliquis Ciſti maris generibus non deprehendit Cluſius;hujus *Capitula.* capitula ſuperioribus paullò minora ſunt, & ſuis involucris, quæ florum calycis ſunt,diutiùs *Semen.* occultantur,ſemen in capitulis æquale.

*Locus.* Hunc Ciſtum marem tertium (cujus autor nullam ponit figuram) in Luſitania ſolùm ſpontè naſcentem ſupra Vlyſſiponem itinere Conimbricenſi, atque etiam in maritimis obſervabat. Nos Patavij *Ciſtus fœmina Pat.* vidimus Ciſtum, quam fœminam vocabant, diverſam nonnihil à Monſpeſſulana, folio multò majore,rugoſiore,denſiore,hirſuto,formæ ferè ejuſdem: ramis nigris, & minimùm tomentoſis, quales etiam ſunt Monſpeſſulanæ,fortaſſis id fecit cultura. Si flore fuerit rubente,conſiderandum,an ſit eadem cum Ciſto Cluſij mare tertio. Lob.Obſer. Ciſtus mas tertius Cluſ.j. C.Bauh.pin.Ciſtus mas 4.ſive folio breviore.

## CISTVS MAS IV. MONSP. FOLIO oblongo, albido.



*Deſcr.* FRutex eſt,quàm fœmina robuſtior,albidior, bicubitalis, hirſutus, Cluſio autore, humana altitudine, plerumq; fruticans, *Lignum. Cortex.* ligno ſatis fragili, & candicante cortice tecto, frequentibus *Rami. Folia.* ramis alternatim ſemper ex adverſo reſpondentib. Folia ſibi invicem oppoſita, & teſte Cluſio, molliora & longiora in novellis plantis, in adultis verò, contractiora,duriora & aſpera,adſtringentis guſtûs:utrinque incana, hirſuta, longiora, quàm latiora, infernè rugoſa, anguſtiora, ſpiſſioraque, quàm fœminæ,non rotunda, ut in Ci- *Matthiolus notatur.* ſto à Matthiolo olim exhibito. *Flos.* Flos coloris roſæ incarnatæ apices luteos in medio contentos ambit, magnus, in folia quinque diviſus,non,ut in Cytino & Campanula, integer, ut pingebat Matthiolus,deciduus, nec ſingularis, hinc inde per ramos ſparſus, ut ipſius icon habebat,ſed conſertus,agminatim ſtipatus, numeroſior in ramulorum extremis,ex brevibus,robuſtis pediculis,non debilibus oblongis & ſingularibus, ut in Ciſto fœmina, quibus deciden- *Capitula.* tibus, ſuccedunt capitula longè etiam majora & duriora,hirſuta,trifariam ſecta,perennia,foliolis tribus mucronatis, hirſutis obſepta; pentagona, ut refert Cluſius, in quibus exiguum ſemen, ex ruſo nigri- *Semen.* cans, ſeminis Hyoſciami,aut Papaveris magnitudine. Ad huius radices, quæ ſummis ceſpitibus diffunduntur & cohærent,Hypociſtidem ille obſerva- *Hypociſtis.* vit copioſè naſcentem, elegantiſſimam omnium, quas unquam viderit, primo vere, cùm Ciſtus jam ad florendum ſe parat: Etenim quando primùm ex terra emergit,purpureum ſive kermeſinum ſericum eſſe diceres, deinde paulatim aſſurgens, & ſeſe explicans, multum de priſtini coloris elegantia remittit,cum Cytinos ſuos profert,qui candicantes ſunt, turgidique, & lento ſucco pleni: qui à peritis pharmacopœis in Hypociſtidis ſuccum denſatur.

Cluſ.Hiſp.& Hiſt.poſt.Ciſtus mas primus,ab Hiſpanis,ceu & 2.& 3.& quartus Eſtepa vocatus.

*Synonyma.* Lob. Adv. Ciſtus mas. Obſ.& Ic.Ciſtus mas cum Hypociſtide.Luſitanis Cergacos,Italis Ciſto.

An Rauvvolf. Ciſtus flore purpureo? An Cæſalp. huncintelligit his verbis: Alterum genus Ciſti, in arenoſis maritimis naſcitur; folio majuſculo & candidiore, flores puniceos fert, latiores:fructum ſimilem,[*Ciſto fœminæ*]ſed conceptaculis quatuor diſtinctum: ſub hoc nunquam Hypociſtidem repertam ſcio:Dioſc.hunc marem vocat,ut & Plinius flore roſaceo;foliis Ocimi.

Caſtori, Tabern.Eicon.& Hiſt. Ciſtus mas latifolius. Cam.apud Matth.Germ. relicta Matthioli figura,aliam poſuit ſub titulo Ciſti maris. Figura autem ea facta eſt ad plantam Monſpeſſulanam,quàm Geſnero miſeram, quamque adhuc habeo. Eandem figuram ponit etiam in eiuſdem Epit. nomine Ciſti. An præterea eidem in horto,dicitur Ciſtus mas?

Hiſt.Lugdun.Ciſtus mas primus Cluſij. Animadvertit & hic C.Bauh.Hiſt. Lugdunenſem duas figuras ponere. quod eſt falſum, ut abſolutioribus Botanicis notum eſt.Eſt enim Ciſtus cum Hypociſtide Matthioli à Ciſto mare primo Cluſij diverſiſſimus, & non alius, quàm Ciſtus mas folio rotundiore Matthioli cum falſis floribus Campanulam exprimentibus. Sed poſterior figura Cluſij ſufficiebat, inquit. Vnde miror quomodo vir integer ſubticere potuerit figuram Matthioli eſſe falſam, fictam & imaginariam.

Ger.Ang. The male holly Roſe with his. C.Bauh. *C.Bauh.* apud Matth.Ciſtus 3.cui Hypociſtis id dicitur, quod ex ipſius Ciſti & Ledi radicis medio pullulat:Limodori genus vocat Dodonęus.Reperitur rubra flaua, pallida. Eid.in pin.Ciſtus mas 2.ſive folio oblongo incano. *Locus & tempus.* Provenit in itinere verſus Frontignanum inter ſaxa, ſeſquimiliari Gallico à Monſpelio.item in monte Setho,florens menſe Aprili & Maio. Cluſio frequens eſt hic Ciſtus cùm in Hiſpania, præſertim Bœtica,tum Luſitania & Gallia Narbonenſi.

## CISTVS MAS V. FOLIIS CRISPIS & quodammodo ſinuoſis.

*Deſcr. Folia.* HVmilis eſt, & ſupinus ut plurimum, pedalibus ramis, aut paulò amplioribus,multis ex eadem radice prodeuntibus: folia criſpa ſunt & quodammodo ſinuoſa,candicantia & hirſuta, guſtûs acerbi & adſtringentis: *Flores.* flores ramulorum ſummitatibus æquali altitudine & quaſi umbellatim naſcuntur, ſuperioribus paulò minores,ſed elegantis ex rubro purpuraſcentis coloris intenſioris, quàm in quarto, *Capitula.* capitula reliquis minora,ſuis involucris plerũq; cõtecta, ſemẽ cõtinet reliquis ſimile, ſed magis atrum.

C.Bauh.pin.Ciſtus mas 5.ſive,foliis Chamędrys Ciſtus mas 5. Cluſij,Lob.Ic.& Lug. Ciſtus mas ſupinus fimbriatis & ſinuatis foliis Lob. Ciſtus mas 3.Taber.

*Locus, & tempus.* Ciſtum marem quintum Cluſius, in Luſitania tantùm naſcentem videbat, ſolo admodùm arenoſo, nec uſquam frequentiorem, quàm apud Mona-



ſterium Peralongas dictum, quinto ſupra Viyſſiponem miliari, ſemine maturo onuſtum, in nonnullis plantis, flore etiam Novembri conſpecto. Semen in Belgium reverſus, aliquot amicis communicabat: ſed nemini natus eſt hic frutex, preterquam uni Petro Coudebourgo pharmacopœo doctiſſimo, quem tamen diu conſervare non potuit: nam ſubſequens hiems ſatis rigida abſtulit. Florent prędicti Ciſti menſe Aprili, aliquando etiam maturiùs, nonnunquam ſeriùs, pro regionum & locorum natura & temperamento: ſemen Auguſto, Septembri, & Octobri matureſcit: Ciſti hoc genus peculiariter Luſitanis Roſella vocatur.

*Nomina.* Ger. Ciſtus mas dentatus: Belg. Ciſtus manneken platter aerden ligghende. Angl. Tedthedor ſnept male Ciſius.

## CISTVS FOEMINA MONSPELIAna flore albo, & Hiſpanica luteo.

### Cap. III.



*Ciſti fœminæ varietas.* Ciſtus fœmina etiam in ſuas ſpecies diſtribuenda. Nam aut elatior eſt, & rectis virgis fruticãs, ſicut mas: aut ſupinus & humi ſparſus, ut Erica vulgaris. Deinde utrumque genus, teſte Cluſio, in colore variat, qui maxima ex parte candidus eſt, & quandoque luteus. *Deſcr.* Ciſtus igitur fœmina Monſpeliana flore albo, & Hiſpanica luteo, frutex eſt, *Folia.* cui folia circinatæ ferè rotunditatis vix cedunt ejus foliis, quem Bononiæ ſupra obſervaſſe nos retulimus, magis viridia, molliora & latiora, quàm in mare Monſpelienſi: *Flores.* flores in longis pediculis, ut Roſæ, ſed albi, luteos apices in medio continent, non minores, quàm maris, multò majores, quàm Ledi, inodori, guſtu grato ut Ledi, qui exſiccati lutei funt non minùs quàm maris.

*Deſcr. Cluſii. Rami. Folium.* Cluſius ſic deſcribit: Eſt Ciſtus fœmina, frutex ramoſus, cubitum interdum altus, nonnunquam humi ſtratus, gracilibus, nigricantibúſque ramis, folio non minore, quàm in maris quarto genere, circinatæ ferè rotunditatis, rudi & aſpero, viridi tamen: *Flos.* ſaporis adſtringentis & acerbi: Florem habet paulò minorem, quàm mas, quinti generis flori penè ſimilem, album, nonnunquam etiam flauum, luteis filis, ut in Roſa ſylveſtri, medium florem occupantibus: capitula minora ſunt maris capitulis, nigriora, non mucronata, ſed nonnihil compreſſa ſuperiore parte, ſemen paulò nigrius & ſatis magnum continentia. *Capitula.*

Matth. in Dioſc. Ciſtum fœminam proponit ſine deſcriptione, floribus & fructu, quæ accedit ad hanc noſtram: in poſt. com. Ital. & hiſt. Germ. addidit flores, qui an benè appicti ſint, aliorum eſto judiciorum: eam ait vocari à ruſticis patavinis Salviam ſalvaticam. Anguill. Ciſto fœminæ, ruſticis Salvia ſalbega vocatæ, ſubnaſci refert Hypociſtidem & Ladanum. Turn. Ciſtum fœminam à Matthiolo depictam habet, quam ait ſe vidiſſe in Anglia in horto à Sion denominato. *Synonima cum nominib. Matth. notatur. Salvia ſalvatica. Salvia ſalbega. Hypociſtis Ladanum.*

An Bellon. Obſ. lib. 1. c. 7. de hac ait: Ladanum non fit in Creta ex Ledo, ſed ex Ciſto, cujus Ciſti ſpecies provenit ſimilis in ea parte Galliæ, quæ dicitur Laude d'Oiſe in Ducatu Mainio, præcipuè verò ad Caſtrum Fouletourte, juxta Soulletiere. *Ladanum.*

Cord. Hiſt. Lob. Camer. hort. & Caſt. dicitur Ciſtus fœmina. Dodon. in fol. Ciſtum fœminam videtur appellare, eadem repetens, quę in flor. hiſt. dixerat: in hiſt. Gall. pingit pro Ciſto non Ladanifera, ubi marem & fœminam colore florum tantùm diſtinguit. Cluſ. Hiſpan. & poſt. Hiſt. ait Ciſtum fœminam Hiſpanis Xara-eſtepa: & à Narbonenſibus Galliæ incolis, qui circa Monſpelium viciniſque locis habitant, Mouges vernacula lingua dici. Rauvvolf. eſt Ciſtus flore albo: Cæſalp. Ciſtus flore candido, alicubi Hypociſtidem gignens, & Ciſtus fœmina Dioſcoridis. *Ciſtus non Ladanifera. Xara-eſtepa. Hypociſtis.*

Camer. apud Matth. Germ. & Epit. mutavit figuram, aliamq; repoſuit, quam Geſnerus curarat pingendam ad ramum Monſpelij collectum, quem ei miſeram, quemque adhuc habeo: in qua figura pili non placent. Lugd. cum Tabern. & hunc imitato Gerardo, pro Ciſto fœmina, præter bonam Cluſij figuram, fruſtra ponunt Matthioli malam. Et hanc quoque C. Bauh. apud Matth. exhibet pro Ciſto fœmina. Ipſe tamen non veritus fuit Lugdunenſem ideò carpere. Ciſtus fœmina Matthioli (inquit in ſuis animadv. in Lugd.) & Ciſtus fœmina Cluſij: poſterior figura ſervanda erat. Ergo altera rejicienda. Sed quare? cur ſilentio involuit? quia patrocinium ejus aſſumpſit. Eid. pin. Ciſtus fœmina 1. ſive folio Salviæ: Ciſtus fœmina, Geſn. hort. Lac. Eſt elatior & rectis virgis: eſt & ſupinus humi ſparſus: in utroq; flos candidus, quandoq; tamen luteus. *Error plurium. C. Bauh.*

Florentem vidimus Aprili & Maio in ſylva Ægremont propè Monſpelium & in monte Sethi, in Italia juxta Florentiam: in Sabaudia penes Rodanum. Patavij obſervatur in montibus Euganeis inter Balneum Aponenſe & Arqua, ibi aiunt naſci Hypociſtim. Bononiæ ſponte à Florentia al jugo florebat Aprili. Ejus qui albo eſt flore, cùm recti, tum ſupini magna eſt copia in Hiſpaniis, Luſitania, Gallia, Narbonenſi & Aquitanica: qui verò luteum profert, nonnullis duntaxat Hiſpaniæ locis, & extrema Aquitania Cantabris finitima circa Bayonam ſe vidiſſe meminit Cluſius. *Locus & tempus. Hypociſtis. Flore luteo.*

## CISTI SPECIES QVÆDAM HIſpanica flore albo.

Aliquot præterea Ciſti genera obſervantur, quæ ad fœminam veluti ad primarium genus, Cluſij judicio, potiùs referenda, quàm ad marem, aut Ledon: quando quidem nullo pingui, lentoque liquore ſunt obſita, nec roſeum, ſive purpureum florem habent. Lugduni demonſtrabat nobis Baro quidam Germanus ex Hiſpaniis reverſus Ciſti aliam quandam ſpeciem, fruticem, ut ex plantæ portione conji- *Ciſti fœminæ claſſis ſecunda. Ciſti ſpecies nova.*



*Folia.* conjicere licebat, parvum, foliolis multis ſtipatum, non parùm minoribus, quàm in Ciſto fœmina Monſpelienſium, oblongis, hirſutis, minùs rugoſis, guſtu adſtringentibus. *Flores.* Flores non ſinguli ex ramulis, ſed plures ſimul, ut in Ledo Monſpelienſi, pediculis ſatis longis, hirſutis, incanis inſidebant, albidi, Ledi Monſpelienſis floribus penè ſimiles, quos nondum explicatos alabaſtriculi mucronati, lanugine alba, denſaque hirſuti ambiebant totos. An à quoquam ſit deſcripta hæc planta, non potuimus animadvertere.

## CISTVS FOLIO HALIMI flore luteo.



*Deſc.* Ciſtus folio Halimi prior (ſic etenim appellãdus videtur, inquit Cluſius, propter foliorũ ſimilitudinem) *Rami.* cubitales aut ampliores profert ramos, graciles, ſatis fruticoſos, in qui- *Folia.* bus folia Portulacæ marinæ ſimilia, ſed omninò incana, ut Halimi, mucrone obtuſiore, ſubacidi & adſtringentis guſtûs: *Flos.* ſummis ramis multi inhærent flores, quinque foliis conſtantes flavi coloris: minores, quã in ſuperioribus, illi Ciſti generi, quod nonnulli Helianthemon vocant, ſimiles, ſuas fibras in medio continentes: his ſucce- *Capitula.* dunt longiuſcula & triangula capitula, exiguum ſubruſum ſemen continentia. Ad hujus radicem *Hypociſtis.* Hypociſtin naſcentem obſervavam luteam omninò, ſive ochræ colore, ipſius plantæ florem colore referentem, quam pueros & paſtores manducare intellexi.

*Locus.* Ciſtus hic frequens eſt in Luſitania ſolo arenoſo, & aura marina afflato, inter Ericas, non procul Olyſſippone, nec uſquam alibi Cluſio conſpectus.

*Synon.* Lobel. Obſerv. & Icon. plant. Ciſtus fœmina folio Portulacæ marinæ, Ciſtus primus folio Halimi Cluſij. Tabern. Icon. & Hiſt. Ciſtus ſolio Halimi [*primus Cluſii, addit Hiſt. Lugd.*] ſicut & Ger. qui Angl. Ciſtus with leaues like ſea purſiane vocat. Belg. Ciſtus wyſken met de bladers van zee Porceleyne.



## CISTVS FOLIO HALIMI longiore incano.



Ciſtus folio Halimi alter Cluſ. Hiſp. & poſt. hiſt. procerior eſt præcedente, ramis firmioribus, incanis *Deſcr.* ut præcedens: Folia etiam habet Halimi, paulò tamen longiora, anguſtiora, magis mucronata, & dorſo elatiore, incana tamen tota & ſicca, ſubacidi etiam & adſtringẽtis ſaporis. *Folia.* Iſtius neque florem, neque ſemen viſum.

*Locus.* Provenit ubi præcedens.

*Synon.* Lobel. Obſer. & Icon. pl. ut & Lugd. Ciſtus folio Halimi ſecundus Cluſij: Taber. Icon. & Hiſt. Ciſtus folio Halimi ſecundus. Gerard. Ciſtus folio Lavendulæ, Angl. Lauander leafed Ciſtus. Belg. Ciſtus met bladers van Lavender.

## CISTVS FOLIO LAVENDVLÆ Cluſio, fortè idem cum Helianthemo recto.



*Deſcr.* Ciſtus folio Lavendulæ (eundem vel ſimilem fruticem denominavimus Helianthen ſive Helianthemum rectum, repertum à ſocio noſtro) plerumque cubitali eſt altitudine, admodum ramoſus, ſed brevibus ramis & foliis confertim naſcentibus, anguſtis, incanis, ſapore adſtringente: *Folia.* *Flores.* flores parvi, non multùm à ſuperiore differentes, albo colore: ſemen non obſervavit Cluſius. *Lavendula.* Eſt hic frutex adeò Lavendulæ ſimilis, ut niſi odor & ſapor prohiberent, pro Lavendula ſumi poſſet: & certè quas plantas ſine flore primùm conſpexit, pro Lavendula habuir, ideoq́ue negligebat, donec floribus, quos in plantis aliis conſpiciebat, admonitus, diligentiùs obſervaret.

*Locus.* *Tempus.* Solummodò Valentino regno invenit aridis & petroſis locis, quarto à Valentia miliari, menſis Aprilis initio. *Helianthemum rectum.* Repertus à ſocio fideliſſimo Domino Leonhardo Rauvvolff. in provinciæ montibus, qui unicaulis erat, rectus, cubitalis: *Deſcr.* *Flores.* flores in cacumine ſimiles forma Helianthemi lutei & vulgaris coloris: *Folia.* folia autem per caulem multa, longa, ſimilia foliis Lavendulæ. Florebat autem menſe Maio.

*Synon.* Lobel. Obſ. & Icon. plan. Ciſtus folio Lavendulæ Cluſij & Valerandi. Tabern. icon. & Hiſt. Ciſtus Ci-

ſten=Rößlein/ cujus titulus hic ſimplex non placet. Lugd. Ciſtus Lavendulæ folio Cluſij. Gerard. Ciſtus mas tenuifolius. Ang. Thin loafed Ciſtus. Belg. Ciſtus met bladers van Lavender.

## CISTVS FOLIO SAMPSVCI CLVS. cui macula in flore.



*Deſcr. Rami.* CIſtus, inquit Cluſius Hiſp. & Hiſt. poſt. folio Sampſuchi, planta fruticoſa eſt, multos graciles ramulos proferens, in quibus *Folia* folia parva, quaſi circinata, incana, Sampſucho ſimilia, paulò minora, & dorſo eminēte, contrariis inter ſe pediculis, ut in cæteris Ciſti generibus, naſcuntur, & adſtrictionem habēt cum quadam aciditate & ſalſedine conjunctam. *Flos.* Flos in ſummis ramis copioſus, quinis albis foliis conſtat, quorum meditullium macula ex purpura nigricans inficit, villis & ſtaminibus luteis, medium florem occupantibus. *Capitula.* Capitula deinde Lini ferè exigua, trigona, in quibus ſemen minutum Hyoſciami, ex nigro candicans, ſive cinereum continetur: totus verò oblongus ille ramulus, qui florem & capitula ſuſtinet, ſemine maturo areſcit, ut in ſingulis Ciſti generibus.

*Locus.* Primùm bic inventus in Caſtella veteri, ſupra S. Martin del Caſtannal: deinde copioſius in caſtella nova, circa Caraiçejo, & toto Bætico agro inter Tagum & Anam flumina.

Hiſpani Quituēla aut Quirivela appellant, communi fermè cum Ericæ minoris vulgatioris vocabulo, quia fortaſſis inter Ericas numerant.

*Synon.* Lobelio, qui inſcribit in Obſ. & Ico. pl. Ciſtum folio Sampſuci Cluſij, videtur eadem, quæ Helianthes Allobrogum & Gallorum Delphinatis flore albo. Cluſij autem figuram habet, verùm Ciſtus Cluſij maculas habet ex purpura nigricantes, ergo diverſa. Hiſt. Lugd. Ciſtus folio Sampſuci Cluſij.

*Tabern. notatur.* Tabern. Icon. & Hiſt. Sonnenblum/ Helianthemum Sabaudicum vocat, & tamen ſibi ait incognitum. Quare non placet nonnihil mutata figura & titulus in planta incognita. Gerard. Helianthemum Sabaudicum: Ang. the dwarffe Ciſtus of Savoie. Belg. Ciſtus met bladers van Mariolleyne/ ende ſchynt te weſen Helianthon van Savoye/ ende Delfine/ met witte bloemen.

## CISTVS FOLIO THYMI CLVSII, cum maculis in flore.

*Deſcr. Ramuli.* CIſtus folio Thymi, ut annotat Cluſius ſæpè dicto loco, pedali fruticat altitudine, ramulis ex *Folia.* purpura nigricantibus, duris, lignoſis, qui magna ex parte ſine foliis conſpiciuntur; præterquam circa eorum ſummitates, in quibus confertim naſcuntur, exilia admodum, viridia, Thymi æmula, guſtu adſtringente. *Flos.* Florem fert ſummis ramis, Ciſto folio Sampſuci ſimilem, minorem, neque maculis inſignitum. Semen non obſervavit.



Solùm autem eſt conſpectus in extrema Bæticę parte, qua Caſtellam & Luſitaniam ſpectat.

*Synon.* Lobel. Obſer. & Icon. Lugd. Ciſtus folio Thymi Cluſij. Taber. Icon. & hiſt. ſicut & Gerardo Ciſtus folio Thymi.

Angl. Ciſtus with the leaves of Thime. Belg. Ciſtus met de bladers van Thymmes. Hiſpan. *Perdigueta.*

## DE LEDO ET LADANO. Cap. IV.

EST & alterum Ciſti genus, inquit Dioſcorides, quod ab aliquibus Ledon appellatur, frutex ſimili modo, ut Ciſtus, naſcens, ſed longiora & nigriora folia habet, quæ in vere pinguetudines quaſdam contrahunt. *Ledon. Dio.* Hujus foliorum vis adſtringens eſt, faciens ad quæ etiam Ciſtus. *Foliorum vis.* Fit autem ex ipſo id, quod Ladanum appellatur. Nam capræ & hirci, folia ipſius depaſcentes, pinguetudinem palam barbis excipiunt, quæ etiam fœmoribus adhæret, eo quòd ſit viſcoſa: hanc oblatam excolant, & in maſſas efformatam reponunt. Quidam etiam funiculos per frutices trahunt & adhærentem ipſis pinguetudinem ita deraſam, efformant. *Delectus.* Optimum eſt Ladanum, quòd odoratum eſt, ſubviride, facilè molleſcens, pingue, non particeps arenæ, nec friabile, ſed reſinoſum. *Ladanum è Cypro. Arabicum. Lybicum.* Tale autem eſt id quod in Cypro naſcitur. Nam & Arabicum & Libycum vilius eſt.

Arabia etiamnum Ladano gloriatur, ut habetur apud Plinium: forte caſúque hoc, & injuria fieri odoris, plures tradidêre. Capras maleficum aliàs frondibus animal, odoratorum verò fruticum appetentius, tanquam intelligant precia, carpere germinum caules prædulci liquore turgentes, diſtillantémque ab his caſu mixturæ ſuccum improbo barbarum villo abſtergere. Hunc glomerari pulvere, incoqui ſole. Et ideò in Ladano caprarum pilos eſſe. Sed hoc non alibi fieri, quàm in Nabathæis, qui ſunt ex Arabia contermini Syriæ. *Strobus.* Recentiores ex Autoribus Strobon hoc vocant, tradúntque ſilvas Arabum paſtu caprarum infringi, atque ita ſuccum villis inhæreſcere: verum autem Ladanum Cypri inſulæ eſſe: ut obiter quoque genera odorum dicantur, quamvis non terrarum ordine. Similiter hoc & ibi fieri tradunt, & eſſe Oeſypum hircorum barbis genibúſque villoſis inhærens, ſed Ederæ [*Ciſti debebat ſcribere*] flore deroſo, paſtibus matutinis, cùm eſt rotulenta Cypros. *Plinij locus reſtitutus.* Deinde nebula Sole diſcuſſa, pulverem madentibus villis adhæreſcere, atque ita Ladanum depecti. *Leda herba.* Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, Ledam appellent: etenim illi Ledanum vocant. *Ledanum.* hujus pingue inſidere: itaque attractis funiculis herbam eam convolui, atque ita offas fieri. *Ledani duo genera.* Ergo in utraque gente bina genera, terrenum & factitium. Id, quod terrenum, eſt friabile: factitium, lentum. *In Carmania & ſuper Aegyptum.* Necnon & fruticem eſſe dicunt in Carmania, & ſuper Ægyptum per Ptolomæos tranſlatis plantis: aut ut alij generante [*vet. generari & id in iu, ut Thu-*

*Colligendi ratio. Adulterium.*

*ut Thuris arborem. Dal. generatis & ibidem cum Thuris arboribus*]&id Thuris arbore:colligiq; ut gummi,inciſo cortice, & caprinis pellibus excipi. Pretia ſunt laudatiſſimo in libra aſſes xl.[*xxx.aliàs.*]Adulteratur Myrti baccis, & aliis animalium ſordibus. Synceri odor debet eſſe ferus,& quodammodo ſolitudinem redolens : ipſum viſu aridum, tactu ſtatim molleſcere, accenſum fulgere, odore jucundo gratum. Myrtata deprehenduntur,crepitantque in igne. Præterea à ſyncero calculi potiùs è rupibus inhærent, quàm pulvis.

*Ladan. ſegetum. Lada herba. Toxicon. Delectus.*

Et Ladano (inquit alibi Plin.) ſiſtitur alvus, utroque, quod in ſegetibus naſcitur, contuſo & cribrato : bibitur ex aqua mulſa: item nobili è vino. Lada appellatur herba,ex qua Ladanum fit in Cypro , barbis caprarum adhæreſcens , nobilius in Arabia. Fit jam & in Syria,atque Africa, quod Toxicon vocant. Nervos enim in arcu circumdatos lanis trahunt,adhæreſcente roſcida lanugine. Hoc graviſſimum odore eſt,duriſſimúmque tactu. Plurimum enim terrę colligit,cum probetur maximè purum,odoratum,molle,viride,reſinoſum.

*Ladanum recentiorum & officinarum.*

Ladanum Officinarum laudabile , viſcidus eſt ſuccus ,in magnas offas coactus,easque graves , ex purpura fuſcas, odore valido, ſed ſuavi, præſertim ſi calorem ſenſerit , cujus etiam beneficio molleſcit, veluti & manſum , ſaporem imprimens adſtringentem : hoc Ladanum exiſtimamus eſſe idem,cum veterum Ladano.

*Colligendi modus. Tempus. Locus. Ladanum in Hiſpaniis copioſum.*

Hujus autem colligendi rationem miram quandam Bellonius deſcribit , quam ipſe in Creta obſervavit : Græci, inquit , colligendo Ladano peculiare inſtrumentum parant , vernaculo ſermone illis Ergaſtiri dictum. Eſt verò id inſtrumentum raſtro dentium experti ſimile : huic affixæ ſunt multæ ligulæ ſive Zonæ,è corio rudi, nec præparato confectæ. Eas leniter adfricant Ladaniferis fruticibus,ut inhæreat liquidus ille humor circa folia,concretus,qui deinde à ligulis per ſummos ardores Solis cultris eſt abradendus. Itaque Ladanum colligendi ſummus , imò intolerabilis eſt labor,cùm totos dies ardentiſſimo caniculæ ęſtu in montibus hęrere neceſſe fit : neque facilè quiſquam alius ad id colligendum operam ſumit præter Calohieros, hoc eſt,Monachos Græcos. Nuſquam autem majore copia per totam inſulam cogitur,quàm ad montis Idæ radices , pago Cigalunus nuncupato,& apud Milopotamo. Hactenus Bellonius. Siquis tamen in Hiſpaniis huic colligendo operam navare vellet , multò minore (ut Cluſio videtur) negotio , magnam ejus longè puriſſimi, reſinoſi, & odorati copiam colligere poſſet , cum integræ aliquando ſilvæ inveniantur omnium pinguiſſimi illius Ledi , quod Ciſtus Ledon flore macula nigricante notato inſcribitur : neque illo ex Africa invecto , magna ex parte impuro,opus eſſet.

*Vires & uſus. Capilli. Cicatrices. Aures. Secundæ. Vterus. Tuſſis. Alvi fluor. Vrinam ciet.*

Ladanum,autore Dioſcoride , vim habet adſtringentem , calefacientem , mollientem , aperientem. Siſtit defluos capillos, ammixtum vino, Myrrhæ, & oleo myrteo. Cicatrices decentiores efficit cum vino illitum. Aurium doloribus, cum aqua mulſa,aut roſaceo infuſum medetur. Suffitu etiam ſecundas ejicit. Et duritias in utero peſſis ammixtum curat: compoſitionibus item, quæ dolorem & tuſſim, eximunt , & malagmatis utiliter ammiſcetur. Alvum quoque ſiſtit cum vino veteri potum , ciet etiam urinam.

*Ciſtus Galeno. Temperamentum.*

Ciſtus, aut Ladanum in calidioribus regionibus proveniens,tametſi haud alius ſit genere,quàm qui apud nos naſcitur, inquit Galenus, eximiam tamen à regione , ac peculiarem digerentémque caliditatem nactus eſt:atque utroque à noſtrate differt:tum quia frigiditatem depoſuit,tum quia calorem aſſumpſit. Itaque cætera quidem hujus Ciſthi,illis quæ in noſtrate viſuntur, ſimilia ſunt. E vero Ladano,quod vocant, provenit medicamentum , primo. exceſſu jam quodammodo completè calidum , ut vi & ſecundum attingat , habens etiam adſtrictionis paululum.

*Subſtantia. Vſus. Vterus. Capillorum fluxus. Ophthalmiam non ſanat.*

Ad hæc ſubſtantia tenui ac proinde emolliens , ſive malacticum moderatè paritérque digerens , ac videlicet etiam συμπεπτικὸν , hoc eſt , concoquens. Itaque mirandum non eſt, ſi peculiariter ad uteri vitia conveniat,quandoquidem ad dicta paulum quidem adſtrictionis obtinet. Quocirca defluentes capillos retinet. Nam quicquid , ad radices eorum,pravi humoris ſederit, id omne abſumit: tum meatus quibus infixi ſunt contrahit , & conſtringit adſtrictione.Cęterùm,alopecias & ophthalmias ſive lippitudines ſanare non poteſt , utpote magis diſcuſſorias vires, quam quæ Ladano inſunt, poſcentes.

*Somnus. Furfures. Tuſſis. Cicatrices.*

Plin.de facultate Ladani ſparſim ita ſcribit. Natura ei , molliendi, ſiccandi, concoquendi,ſomnum alliciendi. Capillum fluentem cohibet, nigritiamq; cuſtodit: auribus cum hydromelite, aut roſaceo infunditur. Furfures cutis & manantia ulcera ſale addito ſanat. Tuſſim veterem cum Styrace ſumptum. Efficaciſſimum ad ructus. Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit : ſuffitu corrigit vulvas ; dolori earum exulceratiſque imponitur. Denique,ſi fiſtulæ in quacunque parte ſerpant , Medicorum vitio malè ſectis corporibus , auxilio eſt Ladanum cum caſtorio. Lad.Cyprum potum interaneorum vitiis occurrit. Ladanum verò ſegetum contuſum febres tertianas leviores facit. Hæc ille, qui confusè ſatis & ignoranter,ut de aliis, indiſtinctè hîc recitata collegit.

---

## DE HYPOCISTIDE.
### Cap. V.

*Hypociſtis. Robethrum. Orobethrũ. Cytinus. Ciſſos Erythranos. Plinius notatur.*

CISTI radicibus adnaſcitur quoddam Mali punicæ Cytino ſimile,quod Hypociſtis [ὑποκιστὶς] dicitur:à nonnullis verò Robethrum [ῥόβηθρον, Sarr. ῥόβιθρον, Ald. ὀρόβηθρον, Orobethrum Pal.] aut Cytinus [κύτινος] appellatur. Eſt ex ipſo quoddam fulvum, quoddam viride , quoddam album : ex quo ſuccus exprimitur, velut ex Acacia. Quidam verò reſiccatum ipſum & contuſum madefaciunt ac coquunt , & reliqua velut in Lycio faciunt, teſte Dioſcoride. Sub his [*Ciſtis*] maximè naſcitur Hypociſtis , quam inter Hederas diximus, inquit Plinius: Cyſſos erythranos ab iiſdem appellatur,ſimilis Hederæ. Manifeſtus hîc fit Plinij lapſus confundentis Ciſtum cum Ciſſo Hedera , de quo errore plura ante.

*Orobathion. Oborothron. Hypociſtis officin.*

Quia verò (Cornario) Mali punici flori ſimilis eſt , ideò etiam ipſa Hypociſtis appellatur Cytinus: Plinius Orobathion habet,ſed in manuſcripto exemplari Oborothron legitur , omnibus ex æquo obſcuris appellationibus : idem Malo granato immaturo ſimilem dicit , & ſub Ciſto naſci , unde habeat nomen , noſtris officinis ut Ciſtus , ita etiam Hypociſtis ignota eſt : Hypociſtidis tamen ſuccum aliunde importatum habent , & re, & uſu omnibus notum: an verò genuinus ſit, & ex vera Hypociſtide,non temerè ambigi putat Cornarius.

*Vires. Alvi fluores. Sanguinis ſputum. Fluxus muliebres.*

Hipp. de nat. mul. Hypociſtin ex vino bibitam, ſecundas & menſes detrahere poſſe ait , cui non aſſentior hoc medicamento purgari uterum ; ſed ſuſpicor multa confusè ſcripta per tranſcriptores. Vim enim ut Dioſc.prodidit , habet eandem quam Acacia, ſed magis adſtringentem & ſiccantem, quæ facit ad cœliacos, dyſentericos,ſanguinem per ſputum rejicientes,fluxum muliebrem,ſive bibatur,ſive per clyſterem infundatur.

*Plinij error,*

Plinio autore. Cyſſos erythranos coxendicibus utilis eſt è vino potus ; item lumbis , tantamq; vim

accipiunt, ut ſanguinem urina detrahant. Plinius confundens Hederam cum Ciſto malè tribuit Hypociſtidi vires ex eo nunc dictas.

*Hypociſtis.* Hypociſtis, quam vocant apud Gal.7.ſimpl.multò eſt magis adſtrictoria, quàm folia [*Ciſti.*] Admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, puta ſanguinis rejectiones, profluvia muliebria, cœliacos, dyſentericoſque affectus. *Roborat.* Quin ſi quam partem roborare conſilium ſit, quæ videlicet pluſculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitatem illi non inſtrenuè addit. Sic ſanè ſtomachicis Epithematis,hepaticiſque commiſcetur, & ex viperis confecto Antidoto inditur,nimirum quò corpora conſirmet ac roboret.

*Hypociſtidis plantæ. Ciſtus mas Monſp. flore rubente carneo.* Cæterum Hypociſtis in variis provenire plantis creditur, ut in Ciſto mare Monſpel. flore rubente carneo,uti ex Cluſio annotavimus antehac, & ejus deſcriptionem poſuimus.

*Cæſalpinus notatur.* Cæſalpinus meminit Ciſti puniceo flore, ſub qua ait nunquam Hypociſtidem repertam ſe ſcire: an eundem Ciſtum intelligat neſcimus. Nobis tamen nimium ſecurè affirmare videtur Hypociſtidem non ferre, ille non potuit ubique fuiſſe. In Gallia Narbonenſi quidem nos non obſervamus in hac planta Hypociſtin rubram: Cluſius autem obſervavit & ex eo ſuccum denſari ait.

*Ciſtus mas major folio rotundiore.* Conſiderandum etiam an Ciſtus mas major folio rotundiore à nobis dictus,idem ſit,cum Ciſto mare, quem ait Cæſalpinus vocari Roſam marinam & ferre Hypociſtidem.

*Ciſtus fœm. Monſp. flore albo.* Ciſtus quidem fœmina Monſpeſſulana, flore albo,fertur ferre Hypociſtidem.

*Ciſtus folio Halimi flore luteo.* Sub Ciſto folio Halimi, flore Luteo, Cluſius obſervavit Hypociſtidem.

*Ciſtus Ledum latifolium.* Vtrum prætererea Ciſtus Ledum latifolium idem ſit cum Ciſto mare Anguillari, quod Ladanum in Cypro & Italia profert, & Hypociſtidem, quoque perperdendum.

*Ciſtus Ladanifera.* Nos in Ciſto ladanifera anguſtifolio Monſpelienſi Hypociſtidem obſervavimus, ut ſuo oſtenditur loco.

*Ciſtus Ledon Thymi folius.* Ciſtus porrò Ledon Thymi foliis Cluſij, fert ipſomet illo autore Tubera, quæ Hiſpanis Turmæ appellantur,vel potiùs ut exiſtimat Hypociſtis.

## HYPOCISTIS OFFICINARVM & ejus ſubſtituta.

*Deſcr.* SVccum ex Hypociſtide excoctum, qualis ad nos adfertur, & à nobis obſervatur, in orbiculatos panes concretus, ſplendido nitore Aſphalti nigricans,ſed conſiſtentia cerea,ductili, molli: Sapore acidulo cum adſtrictione, eo ferè, qui in Myrobalanis Indis obſervatur, non negaverimus eundem cum veterum Hypociſtide.

*Vires & ejus in fluxu muliebris.* Inſignis Medicus Friſimelica in ſuis in Dioſc. lectionibus meminit,ſe in calidis fluxionibus,præſertim fœminarum, non ſine magna utilitate & efficacia Hypociſtide uſum, ex viro,ſi nihil vetet, propinato.Monet etiam uſurpandam Hypociſtidem,quæ ad Orientem ſit nata. Cæterùm cùm ex Italia non ſit difficilè ſuccum hunc germanum nanciſci, imprudenter faciunt, qui ei ſuccum prunorum ſilveſtrium,præſertim verò in theriaca ſubſtituunt.

*Succus prunorum ſ.l. non ſubſtituendus. Adulteriũ Hypocyſt. Error multorum detectus.* Cæterùm Hypociſtin, qua paſſim utuntur officinæ,ex hirci barbæ radicibus impoſtores conficiunt, ſuccum inde exprimentes, ac ut concreſcat,inſolantes. Errardi ac ſimul impoſturam faciendi cauſam dederunt Arabes, quòd Ciſtum Hirci barbulam appellent. Quo factum, ut ij omninò aberraverint, qui officinis Hypociſtidem parant, ſibi perſuadentes Hirci barbam, quam Græci τραγοπώγωνα vocant, illam eſſe ſtirpem, de qua Arabes intelligunt. Quo errore ducti non modò ſeipſos decipiunt, ſed etiam alios, qui paſſim adulterina Hypociſtide utuntur. Poteſt, ſi deſit Hypociſtis,aſſumi ejus loco floris agreſtis Punicæ ſuccus, quippe qui eadem præſtet, quæ Hypociſtis,autore Dioſcoride. *Subſtitutum, Punicæ ſuccus.*

## CISTVS LEDON LATIORE folio. CAP. VI.

LEdum 1.latifolium (inquit Cluſius,& ex eo Lob. Obſ.) ſuperata Calpe,littore marino, qua Malacam iter eſt,latiore naſcitur folio,quaſi ad Lauri anguſti-foliæ foliorum formam & amplitudinem accedente: non minùs tamen pingui, lentoque illo humore abundat, quàm id,quod anguſtiore eſt folio. Ladanum latifolium primum, ſive Ciſti Ledi primi ſpecies altera, Hiſpanis quoque Xara dicitur. *Locus. Folium.*

## CISTVS LEDON FLORE MACVLA nigricante notato.



LEdi genus, cujus exhibita Ic. in hiſt. Lug. ſiccum nobis Lugduni demonſtrabat Germanus quidam Baro, ex Hiſpaniis reverſus: ex cujus ramo apparebat fruticem eſſe ſatis inſignem, ramuli rubentes, multis abundabant foliis, ſibi invicem, oppoſitis, palmaribus,Ledi Monſpeſſulani multò longioribus, craſſioribus, nigrioribus, minùs rugoſis: Latitudine tamen pari, ſupernè virentibus, infernè incanis, guſtu admodum adſtringente: in ramulorum extremitate folia longa, cæteris ſimilia, non ita tamen crebra, ut habet icon Lugdunenſis, à pictore minùs accuratè repræſentata. Nec non flores ſingulares, magni, Roſis ſilveſtribus albis ſimiles, in quorum ſingulis foliolis eſt macula pulchra, nigra, ſatis magna: totius floris medium obtinent apices lutei, ut in Roſis: ad floris exortum foliola oblonga, utrinque hirſuta. *Deſcri. Ramus. Folia. Flores.*

*Lugd. notatur.* Lugd. non poſuit noſtram deſcriptionem, ideò porit florem luteum,nec meminit maculæ inſignis, quæ in Icone apparet. Sed animus eſt hoc in loco integram hiſtoriam ex Cluſio recenſere Ciſtus Ledon 1.anguſtifolium omnium vulgatiſſimum & pinguiſſimum, per Hiſpaniam naſcens, fruticat ad hominis altitudinem, quam etiam interdum ſuperat, ramis frequentibus, lignoſis, duris, nigris: folia, quemadmodum & rami, ex adverſo ſita ſunt, oblonga, tranſverſum digitum quandoque lata, nonnunquam etiam latiora, ſupernè ex viridi nigricantia, infernè candicantia, quæ cum tenellis ramulis pingui quodam odorato, calido & tranſparente liquore adeò copioſo aſperſa ſunt,ut procul etiam ex ſplendore conſpici & agnoſci poſſit, odor autem octava miliarij germanici parte naribus percipi: flore eſt inter reliqua Ciſti genera & pulcherrimo & ampliſſimo, magnæ Roſæ inſtar, ſimplici quinque foliorum textura, omninò interdum albo, ſed cujus ſingula *Deſcr. Cluſi. Rami. Folia. Liquor. Odor. Flos.*

ſingula folia circa unguem ex purpura nigricante macula, rhomboide nunc majore, modò minore, & anguſtiore, ut plurimùm infecta ſunt, floris umbilico multis croceis fibris pleno, ut in aliis Ciſti generibus: *Capitula.* Capitula in longis pediculis, foliiſque ſuis denudatis, omnium maxima, rotunda ferè & plana, non mucronata, & ſæpenumerò decagona, dura, *Semen.* interiùs flaveſcentia, quibus dehiſcentibus, ſemen decidit copioſum, ſubrufum, omnium minutiſſimum.

*Duratio.* Tota planta dum reſiccata eſt, quendam candorem contrahit, pinguem attamen illum ſuum lentorem & ſuavem odorem non amittit, ſed eum retinet ad multos etiam annos.

*Locus.* Creſcit multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis frequentiſſimè, nuſquam tamen magis copioſè, quàm in collibus declivis inter Tagum & Anam flumina & toto ferè monte Sierra morena nuncupato. Hiſpani Xara, Luſitani Eſtepa vocant.

*Synon.* Lobel. Obſ. & Gerard. dicitur Ciſtus Ledon primus. Dodonæus in fol. figuram habet Cluſij, & *Ledum & Ladum.* deſcribit ſub Ciſto Ledo, & Λήδον κ̀ Λάδον ipſum fruticem dicit & Ciſti ſpurium affirmat. Tabern. vocat Ledum Cluſij primum: Lugd. Ledi ſpeciem Bauhini, in Gallia Narbonenſi. Sed non eſt Galliæ Narbonenſis. Figura etiam mala: meliorem habet nomine Ciſti ledi 1. Cluſij. C. Bauh. pin. Ciſtus ledon 2. ſive Ciſtus ladanifera Hiſpanica incana. Belg. Eerſte Ciſtus ledon van Cluſius. Angl. The firſt Ciſtus bringing.

## CISTUS LEDON, POPULI NIGRÆ foliis Cluſij, major & minor.





*Maius.* Ledi alterum genus, ſive Ledum 2. Latifolium majus, ubi ſponte naſcitur, brevius eſt, ſed bicubitalibus duntaxat aſſurgit *Stolones. Rami. Folia.* ſtolonibus, ramoſis: rami ſunt fragiles: folia omnium inter Ciſti genera, quæ obſervabat Cluſius, maxima, ſupernè viridia, infernè nonnihil candicantia, Hederæ foliorum formam interdum, & Populi nigræ plerumque æmulantia, ſitis rudia & carnoſa, Hyeme rubedinem aliquam contrahentia, ſubacidi & adſtringentis ſaporis. *Flos.* Flos candidus, Ciſti fœminę magnitudine par: *Capitula.* capitula pentagona, acuminata, *Semen.* ſemine exili & nigricante referta. Tenellæ plantæ neque pingues, neque odoratæ ſunt, ſed annotinę duntaxat, & vetuſtiores Autumno præſertim, quo tempore omnes Ciſti, qui pingues ſunt, abũdantiore ſucco, craſſiore ſaltèm & magis tenaci prægnantes eſſe viſæ ſunt.

Hujus generis alia ſpecies invenitur, per omnia ferè ſimilis, ſed humilior, neque cubitum excedens; *Minor.* cujus folia etiam minora ſunt: aliàs neque facie, neque flore, neque ſemine, neque ſapore diſſimilis.

Utrumque naſci in Mariano monte (vulgò Sierra morena) qui ſuperandus eſt iis, qui Ulyſſipone *Locus.* Hiſpalim faciunt iter. Invenitur etiam collibus quibuſdam Granatæ vicinis. Primam ſpeciem incolæ *Nomina.* Xara-xarguna & Xaron-vocabant. Granatenſes Xara-eſtepa, eodem, quo Caſtellani Ciſtum fœminam, nomine. Altera ſpecies incolis Xaguarco dicitur.

Lobel. Obſerv. & Ic. cum Lugd. Tabern. (qui non benè capitibus ſeparat.) & Gerard. dicitur Ledon ſecundus, & Ciſtus Ledon populeâ fronde alter, cultu fortè duntaxat, differens. C. Bauh. pin. Ciſtus ledon 4. ſive folijs Populi nigræ major: Ledon 2. Cluſ. hiſp, Lugd. Tab. Ledon latifolium 2. majus, Cluſ. hiſt. Ciſtus ledon Cluſij, Lob. Ger. Et Ciſtus ledon 5. ſive Populi nigræ minor: Ciſti ledi 2. altera ſpecies, Cluſ. hiſp. & Lugd. Ledon 2. latifolium minus, Cluſ. hiſt. Ciſtus ledon populneâ fronde alter, Lob. Ciſtus ledon 3. populneâ fronde Lugd. Tab. & Ger.

## CISTUS LEDON LATIFOLIUM creticum.



Ledi genus viſcidum, folio *Deſcr. Folium.* majore, quàm Ciſti fœminæ Monſpeſſulanæ, minùs rotundo, mucronato, infernè candicante, tribus ſecundùm longitudinem decurrentibus nervis plantagineis, ſupernè nigriore, minùs rugoſo, quàm Ciſti maris majoris: folia verò juniora & extremorum ramorum longa, anguſta, latiora tamen multò quàm Monſpeſſulani Ledi. In extremis ramorum *Flores.* veluti ex longo pediculo, aliquot flores ſunt [tres *obſervavimus*] ex pediculis unciam circiter longis: calyces hirſuti cum brevibus pilis.

Hujus fructus Ledi Ladaniferi nomine miſſus ſic ſe habet: *Capitula.* Capitula vel vaſcula ſunt Ciceris circiter magnitudine, Olivæ ferè, ſive oblongâ figurâ, hirſuta cum quinque angulis, membranis diſtincta, plena *Semen.* ſeminibus minutis, papaverinis, fuſcis, angulofis.

*Ledi Cypri Cluſii deſcriptio.* Cluſius ſic deſcribit: Ledon tertium, ſemine ex Italia miſſo, Cyprij Ledi nomine, nobis & pleriſque natum eſt, cubitali, interdum majori altitudine, fruticoſum, nigricantibus ramis, carnoſis foliis, & præ ſaturatâ viriditate nigricantibus, mediæ inter primi & ſecundi generis [*Ledi anguſtifolij & latifolij*] folia magnitudinis, brevioribus tamen, & rhomboidis quodammodo figuræ, quæ cum novellis ramis lento & roſcido humore obſita ſunt, non adeò tamen abundanti & denſo, neque etiam adeò odorato, ut *Flos.* in primo genere: Flos albus eſt, ſecundo generi ſimilis, ſemen etiam exile, nigricans in rotundis capitulis. *Deſcr.* Lugd. etiam eundem, vel valdè ſimilem ſic delineat: A floris ſpecie dicitur Ciſtus frutex hic, *Ciſtus cur.* in maritimis proveniens, cubitalis, nonnunquam *Radix, Cortex. Folia.* altior, denſis, numeroſiſque radicibus, caulibus multis, ſurculoſis, cortice ex rufo rubente, foliis longis,

longis,in ambitu laciniatis,acuminatis,ſupernè obſcuriùs virentibus,infernè candicantibus,& par ìm lanuginoſis, flore Ciſti, Roſæve ſilveſtris, albo , vel ex albo purpuraſcente.

*Ladanum.* *Hypociſtis.* An Anguill. Ciſtus mas, producens liquorem dictum Ladanum in Cypro & Italia &c. proferénsq; etiamHypociſtidem? An Bel.Obſ Ciſtus,ex quo Ladanum fit in Creta,de quo ſub Ciſto fœmina ante.

*Lob.error.* Lobel.& Penæ Adv.eſt Ciſtus Ledon latifolium: rarior ſpecies quædam Ladanifera,foliis multò craſſioribus , longioribus , Sumachi j Plinij , aut Ruſci modo fruticans , &c. apud quos tamen figura peſſima & inepta: próque Ruſci legendum Rhois. Icon. plan. Ciſtus Ledon Ruſci aut Myrti folio.Sed & hîc figura Adverſariorum mala : Titulus falſus & deterior factus ad figuram malam. Melior icon ex Cluſio in obſ.Lobelij ante,hac inſcriptione: Ciſtus Ledon tertius, Ledon Cyprium in Italia. Tab. Icon. & hiſt.Ciſtus Ledon myrtifolium. Malam figuram aſſumpſit Taber. cum falſo titulo , & falſam proponit deſcriptionem.

*Error in icon plant.* *Ledon Cyprium* *Tab notatur*

An Cæſalp. Ciſti Ledi ſive Ladani ſpecies quædam latiore folio?

Camer.ad hiſt. Germ. Mattb. ejuſdémque Epit. ponit ramum ſub Ladano,quem ex meis plantis depinxerat Geſnerus notatum litera O.

*Ladanum.* An Alpin. de hac ait. plantam , ex qua Ladanum Cretenſes colligunt , planè differentem ab ea, quam hactenus ferè omnes prodidêre,inſpexi : hæc ſiquidem Ciſto fœminæ perſimilis eſt , foliis tamen Ciſti longioribus prædita,Salviæque proximis : floréſque fert ſilveſtribus Roſis omninò ſimiles , qui roſeo etiam colore, quippe communium Roſarum, ſuffuſi ſpectantur : quæ planta à Ciſto fœmina florum tantùm magnitudine differre videtur : deceptúſque fuit Matthiolus , Dioſc. dicente , Ladanum eſſe Ciſti genus longioribus foliis nigrioribúſq; refertum : quæ notæ in Ciſto, ex quo Cretenſes Ladanum colligunt , omnes obſervantur , quando hæc planta omninò Ciſto fœminæ ſit ſimilis,cum iiſdem foliis,floribúſque,etſi majoribus.

*Matth error.*

Lugd. Ciſtus Ledon aliud latifolium Penæ: Item, Ciſtus marinus. Hunc ſuſpicamur pictum ad plantam ſiccam, ac etiam deſcriptum. Non additur præterea locus particularis ubi proveniat : eo loci perquiri poſſet,ſi annotatus fuiſſet. Florum etiam diſpoſitio alia eſt , quam ſoleat eſſe in Ciſtis Ledis, non ex extremitate ramulorum,ſed ex alis. In ſiccis præterea plantis ſolia quædam apparent laciniata, ubi ambitus eorum ſe contrahit. Nos portionem ejus figuræ proponimus ex planta noſtra ſicca.

*Gerard notatur.* Gerardus, cui Ciſtus Ledon myrtifolium , imitatur Compilatorem,Taber.figuram non bonam proponens,cum falſo titulo,& falſa deſcriptione.

C.Bauh.pin.Ciſtus Ledum 4.ſive Cretenſe: An Ciſtus mas Matth. in mag.fig. & Lugd. Ledon 3. Cluſ. Hiſp.Lob.Lugd.Ledon 3.Cyprium,Cluſ.hiſt.

## CISTVS LEDON IV. CLVS. flore candido.

*Deſcr. Rami. Folia.* MVltis ramis fruticat,cubito longioribus, lentis & flexibilibus,hirſutis,albicantibus: folia reliquis Ledi generibus molliora , ad Ciſti fœminæ folia accedunt,verùm paulò longiora,anguſtiora,hirſuta , nigriora & lentâ pinguedine conſperſa , non modò verno tempore,ſed etiam per totam æſtatem conſpiciuntur: flos albus eſt,Ciſti fœminæ flore non minor, nec ei abſimilis: capitula exigua membranaceis quibuſdam & laxis involucris tecta:ſemen continent omnium inter Ciſti genera maximum , nigrum. In ſola Caſtella veteri hoc genus obſervabat

*Flos. Capitula. Semen.* *Locus.*



autor , vicinis pago S.Martini del Caſtannal locis , ubi ab incolis Ardivieja nuncupatur, adeò frequens , ut vulgare ſit iſtic proverbium.

*Ardivieja Hiſp.*

Quien al monte va , y mas non puede , Alomenos ardiveieja coge: hoc eſt, quicunque montem accedit, potiùs quàm inanis redeat , vel Ardivieia ( plantam viliſſimam ) colligat. Apud noſtros Belgas ſatum feliciter provenit.

*Adagium.*

An Dod. de flor. hunc pinxerit pro Ciſto,dubito:ſive tamen exhibeat ſuã figurã pro mare aut fœmina , olim aliam habuit.

*Synon.* Lob. Obſ. & Icon. eandem cum Cluſio figuram habet, Ledi quarti nomine.Taber.Ic.& Hiſt.eſt Ledum Cluſij : Gerar.& Lugd. Ciſtus Ledon quartum Cluſij. C.Bauh.pin.Ciſtus Ledum 8. ſive hirſutum.

## CISTVS LADANIFERA, SIVE LEdum Monſp. anguſto folio,nigricans.



*Deſcr.* LEdum hoc Mõſpeſſulanũ , cujus figuram dedit Matthiolus , & ex eo Lonicerus , frutex eſt bicubitalis, odoratus,in ramos, plures brachiatus, cortice nigro obductus , ſoliis ſeſquiunciam longis, anguſtis, nigris, rugoſis , ex brevibus intervallis mutuò oppoſitis,anguſtioribus, quàm præferat Matthioli figura , quam fortè ex ſativa depinxit: flores albi, parvis Roſis ſylveſtribus aſſimiles , majores, quàm exprimat Matthioli figura, in quorum medio apices lutei:ſuccedunt pericarpia hiſpida,& ſemina minora,quàm in Ciſto mare Monſpeſſ.

*Rami.* *Folia.* *Flores.* *Pericarpia.*

*Hypociſtis ſive Hypoledon.* Ad hæc obſervavi Hypociſtin ſeu rectiùs Hypoledon,copioſè proveniens Maio. Naſcitur autem ad Ledi radicem cui adhæret ut Fungi , & Agaricus arboribus,neque verò eſt de ſubſtantia ipſius fruticis propriè. Itaque non videtur niſi reprehenſione dignus Fuchſius,qui tam quam Fungum eſſe dixerit. Sed ut redeam, ad unius plantæ radicem multa ſubnaſcũtur Hypoleda,palmari longitudine,ex ſquammis multis imbricatim compacta, quibus ſui ſunt in ſummo Cytini , luteoli , ſub quibus capitula rotunda,mediocriter magna,ſucco viſcido & lento plena.

*Fuchſ. reprehen.*

Dourez annotat ſe Monſpelij verno tempore,ex aqua calida , in qua Ledum hoc eluerat, ad ſpiſſitudinem decocta,optimum Ladanum confeciſſe.

*Ledum 5. Cluſ.* Nos exiſtimamus idem eſſe Ledon quintum à Cluſio his verbis traditum; eadem,quâ quartum aſ-

ſurgit

ſurgit altitudine, verùm ramis duris, lignoſis, nigricantibus, oblongis, Oleę foliis anguſtioribus, fuſcis, pinguibus, lento humore conſperſis, quemadmodum & novelli ramuli; flos albus, omnium ferè minimus; longa & anguloſa capitula, in quibus ſemen ex ruffo nigricans, exiguum. Ad hujus radices genus illud αἱμοδώρυ, ſive Cynomorij, Hypociſtis nuncupatum, adnatum inveniebat Cluſius, multis veluti ſquamis, ut quod in aliorum Ciſti generum radicibus creſcit compactum, palleſcentis coloris, quibuſdam tamen lineis purpuraſcentibus & nonnihil vireſcentibus diſtincti, Cytinos ſuos in ſummo proferens, lentóq; & glutinoſo ſucco totum prægnans.

*Rami. Folia. Flos. Capitula. Semen. Hæmodorum. Coloris. Cytini.*

*Plinij error.* Matthiolus in Dioſc. notat Plinium, aitque vocabulorum vicinitate eum deceptum, ex Ciſſo [Hedera] Ladanum colligi dicentem, non autem ex Ciſto, arbuſcula: Græc. Λῆδον, Lat. *Ledum*, Arab. *Chaſu* vocari: In poſt. comm. Ital. ait Rob. Conſtantinum conniverein annot. ad enarrat. Amati, excuſantem Plinium. *Chaſus. Rob. Conſt. notatur.* Habet autem is Ledi figuram cum foliis latioribus, quàm ſint in noſtro, fortè ad cultas plantas factam: vidi ſanè Ledum valde ſimile noſtro, ſi non ſit idem, folio longiore & triplo latiote: in cæteris neſcimus an ſit diſcrimen, nec etiam ullius diſcriminis ejus video mentionem factam à Cluſio. *Icon Matt.*

*Tur. icon mala.* Turn. pro Cyſto ladaniſera, figuram habet quæ non placet. Lob. in Adv. Ciſtus Ledon, cui frequenter Hypociſtis adnaſcitur: Eid. Obſ. Ledon 5. Icon. Ledum Narbonenſe cum Hypociſto, Ledum 5. Cluſij.

*Limodorum. Icon Cluſii.* Cluſ. Ledum quintum, ſub quo ait ſe inveniſſe Limodori, ſive Orobanches ſpeciem, quod Hypociſta appellent. Notandum apud Cluſium figuram anguſtiſſimis ſoliis eſſe poſitam in Hiſpanicis ſub titulo quinti: pertinere autem ad ſextum: folia enim tenuiora, in poſtrema hiſt. meritò mutatum eſſe titulum, & poſitam pro ſexto: quinti autem loco, novam iconem introductam quæ reſpondet Monſpelienſi.

Cæſalp. & Camer. ad Matth, germ. Ladanum vulgò appellatum frutex, odoramentum ferens eodem nomine. Eid. in Epit. Ledum.

*Ledon unde dictum.* Lugd. Ciſti Ladaniſeri genus, Λῆδον, ſic fortè dictum, quia ſolia ejus neque levia, neque nitida ſunt, ſed ſcabra & pannoſa: Λῆδος enim eſt veſtis ex panno raro & detrito: Ledum Matthioli, item Ledum 5. Cluſij.

*Tabern. ignorantia.* Tabern. Icon. & hiſt. Ciſtus Ledon Narbonenſe cum Hypociſtide: item Ledum Cluſij nonum. Mira Tabern. circa rem herbariam ignorantia manifeſtatur, ut à quo paſſim in ſuis eiconibus ultra centum & quinquaginta ſuperfluæ proponantur, quemadmodum videre eſt hoc in loco, ubi eandem Ledi plantam, duobus diverſis & titulis & figuris exprimendam curavit.

*Ger. notatur.* Ger. Ciſtus Ledon quintus Cluſij, Ciſtus octavus Ledon, cum Hypociſtide Lobelij: Ciſtus decimus tertius, Ledum Matthioli. Gerardus ſeparat jungendas figuras. Anguill. dicitur Ladanum ferens Hypociſtidem. C. Bau. pin. Ciſtus Ledon · . ſive ſoliis Oleę, ſed anguſtioribus: Ciſtus Ledon Lobelij, Ger. Ciſtus flore albo. Eyſt. Hunc ſimilem ſub Ciſto adulterino pingunt, Tab. & Ger.

*Locus & Tempus.* Ledum abundat Monſpelij in ſilva Ægremont, ubi quis diceret datâ operâ ſatum, florens Aprili & Maio: ferens Hypociſtida, ſed parum liquoris ſive Ladani continens conſpicitur in monte S. Iuliani in Abbruzzo in Apuleia & Provincia: nihil iſto Ledi genere vulgatius toto regno Valentino, & Gallia Narbonenſi, ubi aliud Leon non obſervatum à Cluſio, ſed in pleriſque aliis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis etiam invenitur.

## CISTUS LEDON VI. MINORIBUS anguſtioribúſque foliis Cluſij.



*Deſcr.* Ferè ſimile eſt quinto, ſive Monſpel. brevius paulò, minoribus anguſtioribúſq; foliis, lento humore aſperſis, quemadmodum illius folia: *Folia.* flos major eſt, albus item, quinque foliis conſtans: *Flos.* ſemen etiam non reſpondet.

*Synon.* Cluſ. hiſp. & hiſt. Lob. Obſ. ſine icone ac H. Lugd. Ledi genus 6. Item, Lug. & Gerar. Ledum 5. Cluſij: Tab. Ledon Cluſij 9. C. B. pin. Ciſtus ledon 10. ſive anguſtis foliis.

*Locus.* Valentino quoque regno obſervatum à Cluſio circa Xativa, ubi ab incolis Xaguarco dicitur.

## CISTUS LEDON FOLIIS colore cinereo.



*Deſcr.* Cubitalis eſt, multis & frequētibus ramis fruticans, colore cinereo præditis, *Rami.* frequentiſſimis foliis, eos ſepientibus, Roriſmarini coronariæ, ſed omninò caneſcentibus & hiſpidis: *Folia.* non tamen minùs pinguibus, lento ſucco perfuſis, cum ſuis tenellis ramulis, quā quintū genus [Monſp. Flos ſummis ramis copioſus, candidus, præcedenti ſimilis, *Flos.* ſemen etiam non diſſimile.

*Locus, cum Synon.* Valentino regno, Ciſti Ledi genus ſeptimum Cluſio Hiſpan. & Hiſt. duntaxat obſervatum, circa Xativa, ubi ab incolis quoque Xaguarco dicitur. Lob. Obſ. & Icon. Ledi genus ſeptimum. Tab. Lugd. ac Ger. Ledon Cluſij ſeptimum. C. Bauh. pin. Ciſtus Ledon 11. ſive foliis Roriſmarini hiſpidis.

## CISTUS LEDON FOLIIS ROSMArini coronariæ Cluſij, flore luteo.

*Deſcr. Rami. Folia.* Eâdem, quâ ſuperius magnitudine creſcit, rami tamen magis expanſi ſunt, folia tenuiora, ſupernâ parte ex fuſco viridia, infernâ verò candicantia, ut Roriſmarini coronariæ folia videantur, guſtu tamen adſtringentia, *Guſtu.* licèt lento quodam & pingui humore ſint, cum tenellis ramis obſita: flores numeroſi ſecundùm ramorum longitudinem, *Flores.* quinque foliis conſtantes, exigui, lutei: ſemen in exiguis capitellis ex cinereo nigricans. *Semen.*

Inve-



*Synon.* Invenitur Ciſti Ledi genus octavum Cluſij frequẽs in nonnullis locis *Locus.* intra Tagum ſupra Vlyſſiponem & nonnullis Bæticæ, ubi ab incolis Romero appellatur, *Roſmarinus.* id eſt Roſmarinus.

Rauvv. Ladanũm Cluſij folio Roſmarini, flore luteo. Lob. Obſ. & Ic. ut & Lugd. Ledi 8. genus. Tab. Ledum *Taber. & Ger lapſus.* Cluſij quintum ꝓ octavo. Ger. Ciſtus Ledon ſextus Cluſij. Cur ſextum facit, cùm ſit octavus. C.Bauh. pin. Ciſtus Ledon 12. ſive foliis Roriſmarini ſubtus incanis.

## CISTVS LEDON IX. CLVSIO.



*Deſcr. Folia.* Minus eſt ſuperiore, folia paulò majora, neque ſubtùs incana, ut in octavo, ſed rariora & magis glutinoſa ſunt: *Ramuli.* ramulos, quibus flos inhæſit, tenues, & exſuccos planéque retorridos: aliquot *Capitula.* capitula inania, omninò hiantia, jam excuſſo ſemine, ſuſtinere deprehendebat Cluſius.

*Synon. Locus.* Naſcitur Ledi nonum genus Cluſij in extremâ Bæticæ parte, qua Caſtellam novam ſpectat, ab incolis Xarguaco nuncupatum.

Lob. Obſ. & Ico. ut & Lugd. Ledi nonum genus. *Tab aberrat.* Tab. Ledum Cluſij ſextum pro nono. C.Bauh. pin. Ciſtus Ledon 13. ſive foliis Roriſmarini, ſed non incanis.

## CISTVS LEDON THYMI foliis Cluſij.

*Deſcr. Ramuli.* Pedali duntaxat eſt altitudine, ramulis exilibus, lignoſis, ſatis tamen fragilibus, nigricantibus, pinguioribus, & lento quodam humore madentibus: *Folia.* folia longè minora, quàm in nono, non multùm à Thymi foliis diſſidentia: flores non obſervavit Cluſius, quemadmodum nec in ſuperiore, ſed in oblongis ramulis quaſi umbellatim procedentia *Capitula.* capitula, exigua, & ſuperiore parte aperta, jam inania & cum ſuis ramulis arida.

*Locus.* Naſcitùr Ciſti Ledi decimum genus Cluſij in extremâ Bæticæ parte, qua Caſtellam novam ſpectat, ab incolis Xaguarco nuncupatum: quidam etiam *Tumeruela Hiſp.* Tumeruela appellant, quòd ſub eo fortè tubera,



vel potiùs, ut exiſtimabat autor, Hypociſtis, quæ illis tuberis fortaſſe loco obſervata eſt, naſcantur: Tubera enim Hiſpani Turmas vocant.

*Synon.* Lob. Obſ. & Ic. Ledi decimum genus. Tab. Ledum Cluſij octavum pro decimo. Lugd. Ledum decimum Cluſij. In icone noſtra obſervatâ proportione ad figuram Cluſij, oportebat minora eſſe folia. Ger. Ciſtus Ledon decimus Cluſij. C.Bauh. pin. Ciſtus Ledon 14. ſive foliis Thymi.

## TVBERARIA NOSTRAS.
### CAP. VII.



*Deſcr.* Caulis pede altior, teres, alioqui glaber imâ dũtaxat parte candicante tomento obſitus, interlucente leviculâ quâdam rubedine, *Folia.* folia circa infimum caulis crebra, plantaginea, ex rotundo oblonga, latitudine ſemunciali, longitudine ferè unciali, ſupra, ſubtúſq; incanâ lanugine, pubeſcentia, nervis tribus, Plantaginis in mórem diſpoſitis, diſtincta. Per reliquum caulem ex longis intervallis bina folia adverſo ſitu veluti ex geniculo naſcuntur, (aut alterum altero paulò inferius) anguſtiora, longiora, acutioráque, quàm infima, glabra, nervoſa, ſupremum caulis faſtigium in binos longiuſculos pediculos dividitur, quorum unus in tres alios breviores faceſſit. *Capitulum.* Singulis autem inhæret capitulum turbinatum, plurium foliolorum voluminibus contextum, cujus baſim fulciunt foliola perpuſilla acuminata: *Flores.* flores interdum longè plures. Duodecim ſiquidem gerebat ea, quam ſiccam apud D. Rentzium vidi. *Tuberaria maior Myconi.* Ego eandem cum Tuberaria majore Myconi ſuſpicor, de qua mox.

*Locus.* Raram hanc nec uſpiam nobis viſam alibi plantam communicavit D. Rentzius collectam in monte Divi Iohannis propè Piſas, inter plantas Stæchadis arabicæ.

## TVBERARIA MAIOR MYCONI.

*Etymon.* Tuberaria major Myconi, à Mycono dicta, ut refert. Lugd. *Deſcr.* quòd foliorum & florum figurâ, hirſutie & facultate minori jam dicendæ ſit ſimilis, *Folia.* magnitudine tantùm diſtans, foliis multis, Plantagini



tagini ſimilihus, minoribus tamen hirſutis, humi jacentibus, & vix à terra ſeſe attollentibus: hæc caules multos fundit, ſubhirſutos, rotundos, in quibus folia ſunt per intervalla, caulem amplectentia, minora iis, quæ humi repunt. In caulium ſummitate flores viſuntur lutei: deinde ſemen folliculo incluſum. Radix lignoſa per ſumma ceſpitum ſpargitur. Tota herba aliquantulum piloſa eſt, ejúſque ſapor adſtringens, majoris, quàm minor efficaciæ. Naſcitur in locis ſiccis.

*Caules.* *Flores.* *Radix.* *Sapor.* *Locus.*

Hanc cum ſequenti C. Bauh, refert ad Ciſtum fœminam vocatque ſecundum, ſive folio Plantaginis.

## TVBERARIA MINOR MYCONI.



*Deſcr.* Tvberaria minor Myconi, formâ & facultate cum ſuperiore, affinis eſt Piloſellæ, *Folia.* folia habet Plantagini ſimilia, ſed multò minora, humi repentia, villoſa: *Caules.* caules dodrantales, rotundos, inanes, hirſutos, in quibus per intervalla folia ſunt bina, exigua, caulemambientia, minora iis, quæ circa radices humi jacẽt: *Flores.* in caulium vertice flores luteos, in quorũ medio purpureum quiddam eſt, in nigrum vergens, *Semen.* ſemen in exiguo ſolliculo, (dilapſo flore) ſtatim conſpicitur: *Radix.* radix admodum parva eſt, tenuis, nonnihil fibrata. Tota herba hirſuta eſt: *Sapor.* totius etiam ſapor adſtringens eſt cum ſiccitate.

*YervaTurmera.* Caſtellani eam *Yerva Turmera* vocant, id eſt, Herbam Tuberariam: quoniam ubi illa creſcit, tubera frequentiſſimè reperiantur. Hanc, ſi veteres cognoverunt, eam eſſe ſuſpicatur Myconus, *Hydnophillum.* quam apud Athenæum Pamphilus Hydnophillum vocat, quia ſæpiſſimè tubera demonſtrat: unde nomen Tuberariæ ei, à Caſtellanis inditum.

*Locus.* Paſſim in pratis reperitur, locis pinguibus, terrenis. Ambas has plantas Myconus ex Hiſpania miſit.

## CISTVS ANNVVS I. CLVSIO, folio rotundiore. Cap. VIII.

*Deſcr. Radix. Cauliculi.* In horto meo Genevenſi ad cubiti altitudinem ac etiam majorem excrevit: ab una radice lignoſâ & nigrâ, modò coliculo uno, modò pluribus, quinque



ac etiam ſex, medio erectiori, omnibus hirſutis, teretibus: *Folia.* foliis veluti per genicula binis, Majoranæ ſimilibus, longioribus, potiſſimùm circa medios caules: inferiora enim rotũdiora ſunt, ſuperiora anguſtiora verò, piloſa: ad latera ſingulorum, geniculorum, ad unum quodque folium, duo parva foliola: in extremis ramis duo, tres, quatuórve flores, *Flores.* unuſquiſque in ſuo geniculo ex brevi pediculo, hirſuto uno folio longo & duobus parvis conſtans. Floribus ſuccedunt vaſcula, *Vaſcula.* triquetra, brevia, magna, Ciceri ferè ęqualia, *Semina.* quæ matura in tres dehiſcunt veluti cotylas latas, corticoſas, ruffas, quas cingunt foliola tria, hirſuta, coſtas habentia: intus membranula tenuis, lucida, cui adhærent multa ſemina, minus ruffa, papaverinis minora, inæqualia, matura Auguſto.

*Icon.* Icon noſtra ex Cluſio potuiſſet fortè meliùs exprimi, quod ſolia attinet ſuperiora, & capſulas, niſi abfuiſſemus, cùm pingeretur.

*Deſcr. Cluſii.* Cluſ. ſuam ſic deſcribit: longiuſculis, hirſutis, rectis & raris eſt virgulis, *Virgulæ.* *Folia.* ſoliis autem amplioribus, quàm in Chamæciſto primo, magíſque viridibus, adſtringentis guſtûs: *Flos.* flos Chamæciſti primi flori ſimilis, pallidus aut albicans eſt, *Semen.* ſemen minutum rubeſcens in trigonis capitulis, duplo quàm Chamæciſti primi majoribus continetur.

*Turmera Hiſp.* Caſtellani, Ciſtum annuum hunc Cluſij primum *Turmera* vocant, quia forſitan, ubi hæc naſcitur, tubera, quæ illis *turmas* dicuntur, creſcant, Granatenſes *yerva del quadrillo.* *An Hydnophillum.* An Hydnophillum herba eſt, ait Cluſius, quam Pamphilus in gloſſis, teſte Athenæo l. 2. Deipnoſoph. tradit ſupernaſcentem tuberihus, cujus judicio ſubeſſe tuhera cognoſcunt? *Chamaciſtus.* Meo judicio quidem Chamæciſto eſt congener.

*Ciſti annui ſpecies altera.* Ejus alia ſpecies invenitur longioribus aliquantulum virgis, non tamen minus hirſutis, anguſtioribus etiam foliis, cujus flos minor, pallidus, valde caducus: capitula & ſemen ſimilia.

Lob. Obſ. Ciſtus humilis annuus, folio Salicis humilis: item (ut & Lugd.) Ciſtus annuus primus Cluſij. Ic. Ciſtus annuus ſolio Salicis. Cam. hort. Ciſtus annuus flore luteo Cluſij in Hiſp. Tab. & Ger. Ciſtus annuus. C. Bauh. pin. Ciſtus fœmina 10. ſive Ciſtus ſolio Salicis.

Belg. Jaerlickſche cleyne leeshe Ciſtus met bladers van cleyne wilshe.

*Locus & tempus.* Genevæ habui ſemine maturo, Auguſto. Argentinæ vidi cum vaſculis, ſive capſulis triquetris Iulio menſe, in horto D. Obrecht. In vinetorum apud Salmanticenſes marginibus, & Granatenſi regno a Cluſio obſervatus.

*Vſus ad Nephreſin.* Ciſti annui ſemen, annotante eodem, maximè commendatur ad nephriticos dolores, præter alios uſus, à doctiſſimo viro Simone de Tovar, Hiſpalenſi Medico.

## CISTVS ANNVVS II. CLVSIO, FLOre pallido, maculâ punicante inſignito.

*Locus.* Ciſtum annuum ſecundum Cluſius inveniebat in ſylva Madritiana, ſecundo ab urbe Lutetiâ

miliari, ad Ciſti genus referendum, pedali altitudine, *Cauliculi.* exilibus cauliculis, rectis, tenellis, non admodùm ramoſis, *Folia.* foliis oblongis, anguſtis, hirſutis, vireſcentibus, quæ cum ramulis per Caniculæ æſtus humore quodam pingui, & lento ſunt obſita: *Flos.* flos puſillus, quinque foliis conſtans, ut Helianthemi, pallido colore, & maculà punicante inſignitis: *Capitula.* capitula tenella admodùm, triquetra, *Semen.* ſemen puſillum & cinereum continentia. *Tempus.* Maio menſe floret.

C.Bauh.pin. hunc Ciſtum cum ſequenti eundem facit, ſtatuens varietatem eſſe in flore maculoſo, & non maculoſo. Vocat autem Ciſtum fœminam 11. Ciſtum flore pallido punicante maculà inſignito: Ciſtum annuum 2. Cluſ. hiſp. & hiſt. Lugd. Ciſtum annuum guttato flore, Ponæ: Helianthemum flore maculoſo, Colum.

Variat: eſt enim flore maculoſo, macula ex nigro rufeſcente, ſive puniceo: vel non maculoſo. Cæterum, mirati ſubit C.Bauhinum, quomodo in phyt. Ciſtum ſilentio prætereierit, nec ejus mentionem aliquam fecerit.

## CISTVS ANNVVS FLORE guttato.



*Deſcr.* ASſurgit (atteſtante Pona) *Surculus.* recto ſurculo, tripalmari, quadrato, hirſuto, vireſcenti; cui prope terram *Folia.* folia multa Oleæ effigiæ, deinde per intervalla ad oppoſita latera alternato ſitu bina, ad medium uſque, deinde per aliquos ordines terna ſpectantur, duobus tamen ex his anguſtioribus, è quibus *Flores.* flores multi, colore & formà Helianthemi. Sed hoc amplius in ſingulis foliis guttulam ſanguineà ſortiti, ad inſtar Pyropi, auro ſumma arte excepti, tum ſummitati, tum pediculo longiuſculo & capillari calycibus affixi hærent, horum tamen aliqui ſine foliis unicum florem in ſuprema parte obtinentes plantam finiunt. *Radix.* quæ radice unicà, exili, lignoſà, ac partim fibratà alitur. *Locus & tempus.* Floret initio Iulij: ſapor & ſemina, ut in aliis Chamæciſtis. Provenit in plano Agro altero, ſed frequenter in oppido Ciani.

Si quis conſideret, quæ ſcribuntur de Tuberaria Myconi, de Ciſto Cluſij annuo ſecundo, & de Ciſto hoc annuo Ponæ, judicabit forte de una eademque planta ſcribi. Verùm quum quotidie experientia nos doceat, multas plantas ex deſcriptionibus videri eaſdem, quæ tamen non parùm differant, maluimus nos hîc omnes tres proponere, quàm temerè aſſerere, eandem plantam cum reliquis duabus unam eſſe. Hoc autem ideò potiſſimùm, quòd collatis deſcriptionibus & iconibus non raro notæ quædam obſervantur, quæ differentias manifeſtò facere videntur. Qui igitur fuerunt iis in locis aut ibunt, ubi illæ proveniunt, ſtatuant quid ſentiendum, & nos moneant, libenter ſententiam mutabimus, utpote qui veritatis ſimus ſtudioſi.

## CISTVS ANNVVS FOLIO LEDI, flore luteo.



*Locus.* NArbonenſis Ledi annui rara ſpecies, viâ, quæ ducit Monſpelio ad Rondeletij prædium vulgò Tertal, inter Sterro-cavallo & Criſtas gallinaceas herbulas fruticat, *Folia.* foliis Ledi anguſtifolij, hirtis, juxta ſummum pedalem & ſeſquipedalem *Caulis.* caulem: *Semen.* ſemen exile anguloſum, rubrum, pulchellum in pericarpio nitido triquetro Selaginis Plinianæ dictæ, læuore glandis Ilicis & magnitudine ferè pari: *Flos.* flos luteus. Lob. in icone, quàm hîc poſuimus, caules ſunt craſſiores, quàm proportionaliter eſſe oporteat.

Lob.Obſ. & Ic. Ciſtus annuus-folio Ledi. Tab. *Ciſtus annuus.* Ciſtus annuus Ledi folio Lobelij. Lugd. Ciſtus annuus alter Lobelij, quæ eundem facit cum Cluſij annuo ſecundo, contra ſententiam Lobelij ſeparantis. Conſiderandum an ejuſdem plantæ figura & deſcriptio à Lugd. non ponatur pro *Alyſſum trigonum.* Alyſſo trigono Dalechampij: perpendendum etiam an *Tuberaria maior.* Tuberaria Myconi aliquid commune habeat cum hoc Ciſto.

Ger. Ciſtus annuus longifolius Lobelij. Belg. Ciſtus met bladers van Ledum: Ang. Lang leafed yeerely Ciſtus. C.Bau.pin. Ciſtus fœmina 12. ſive Ciſtus Ledi folio: Ciſtus annuus alter Lobelij, &, Alyſſum trigonum, Lugd.

*Locus.* Pona annotat in monte Baldo provenire Ciſtum annuum alterum Lobelij.

## CISTVS MINIMVS FOLIO ſubrotundo.



EXhibuit Heidelbergæ anno 1595. Sprengerus *Ciſtus tenuifolius Candiæ.* Ciſti tenui folio Candiæ nomine *Deſcr.* plantulam ſemipalmarem, *Radix.* radice tenui, lignoſà, reliquâ plantà longiore; *Folia.* foliis parvis, ſubrotundis, latiuſculis, binis ex adverſo reſpondentibus, cinereis, in coliculo ſingulari, tenui, tereti, cujus ſummum occupant capſellæ Helianthemi canâ lanugine pubeſcentes. Colebatur in fictili Iunio menſe; *Perennis.* perennem dictitabat, de quo tamen dubitamus.

## CISTI SPECIES ANNVA, anguſtifolia.



*Locus & tempus.* CIſti nomine attulit frater C. Bauh. plantam à ſe Monſpelij inventã, florentem menſe Maio, in via Perou verſus, annuã meo judicio. *Deſcr.* Eſt dodrantalis, vel etiam major ac cubitalis: *Radix.* radix unica leviter fibroſa, ſatis tenuis, recta: *Caulis.* caulis unicus, teres, hirſutus, gracilis, quatuor aut quinque geniculis diſtinctus, ad quorum unumquodq; *Folia.* folia bina duabus unciis longiora, anguſta, hirſuta, ad Ledi Monſpeſſulani accedentia, ad radicem breviora: ſubdividitur is in *Rami.* aliquot ramulos inæqualiter non ex adverſo ſitos, quod obſervaverimus, quatuor aut quinque uncias *Capitula.* longos, capitulis multis (ad quindecim enim numeravimus) parvis, triquetris, Ledi Monſpeſſulani ſimilibus, minoribus tamen, ex pediculis ferè uncialibus, in unam partem, inſtar jubæ, vergentibus, *Flos.* quaterna foliola hirſuta circumplectuntur. Florem quidem non vidimus, verùm Gener Cherlerus attulit Monſpelio, adſcriptis his verbis: circulum in medio nigrum habet, cujus interiora alba, punctulis nigris aſperſa, aliquando etiam ſtriis intercurſantibus nigris, folia flava. *Sapor.* In planta ſicca nullum animadvertimus ſaporem manifeſtum, præter adſtrictionem aliquam. Conſiderandum an aliquid commune habeat, cum Ciſti annui prioris, alia ſpecie Cluſij. Quod ad vaſcula & folia ſibi mutuò oppoſita, affine quid habet, cum Ledo nono ejuſdem.

## HELIANTHEMVM VVLGARE, flore luteo. CAP. IX.



*Deſcr. Radix. Ramuli.* LIgnoſâ, albâ, lentâque radice nititur: ramulos emittens rubentes, lignoſos, hirſutos: *Folia.* in quibus folia oppoſita, Hyſſopi latiora multò, unciam longa, modicè in acumẽ deſinentia, hirſuta, *Sapor.* ſapore præter ſiccitatem nullo excellẽte, glutinoſo: *Flores.* flores longo thyrſo diſpoſiti, qui cum apicibus lutei, quinque foliis conſtant, Ciſti poſitu, hirſutis, tripartitis folliculis circumſepti, *Pericarpia.* quibus pericarpia ſuccedunt lini, longiora, trifida, in quibus ſemen.

*Icon.* Figura ex Plantino nobis abſentibus deſumpta & pro vulgari poſita, non multùm placet, licèt eandem aſſumpſerit Cluſius.



Tragus, Hyſſopum ſylveſtrem ſeu campeſtrem nominat: Cord. in hiſt. Helianthemum. Ibidem ait Geſnerus: eſt hæc, ni fallor, immeritò Hyſſopus ſylveſtris dicta à Trago: & additur poſt; Conſolidam auream quibuſdam dici Chirurgis. Anguill. autore, Panaces Chironium folio Sampſuchi appellant quidam plantam, quam Plinius dixit Helianthemon, id eſt, *Flos Solis.*

Non deſunt qui pro Chironio Panace oſtendunt plantam, quæ folium habet oblongum, Hyſſopi ferè modo, ſed non video, inquit Matth. quomodo ingenuè poſſim eorum ſententiæ ſubſcribere. Idem in poſt. com. Ital. dicit, Panaces Chironium nondum potui invenire, quamvis non deſint Neoterici, qui pro Panace Chironio demonſtrent, quam quidam Florem Solis vocant, ego tamen Panaces eſſe credere non poſſim: mihi potiùs Symphiti ſpecies videtur. *Flos Solis.* Item hiſt. Germ. Sonnenblum, Pſeudo-Panax Chironium, ſive Flos Solis latioribus foliis. *Pſeudo Panax.* Apud Geſner. hort. dicitur Gratia Dei Coldenbergio, quæ ſi libeat, Vulneraria Hyſſopoides vocari poſſit. *Gratia DEI. Vulneraria Hyſſopoides.*

Videtur Dodonæo gall. Selago Plinij. *Selago Plinij.* At de flor. & hiſt. Lat. in fol. Florem Solis appellat, Ciſto ac Ledo ſimilem, ſed minorem ſtirpem, de qua ait: Pleríque latinè Gratiam Dei vocant: eſt tamen & alia herba Gratiola à recentioribus dicta: Plinius Helianthen tradit Heliocalliden nominari: *Helianthe Heliocallis.* Quę an eadem cum iſto Solis flore ſit, an diverſa, nemo facilè in tanta Plinij brevitate explicaverit: Matth. Helianthemum ſive Solis florem, à quibuſdam Panaces Chironium exiſtimare refert: verùm cum eo ſimilitudinis habet nihil. *Panaces chironium non eſt.*

Lob. Adv. Helianthos ſive Flos Solis, an Panax Chironium & Helenium 2. Dioſcoridis. *Helenium 2. Dioſc.* Monſpelienſes Ciſti parvi ſpeciem faciebant: ſed creſcit hîc in Anglia & aliis locis paſſim, ubi nulla Ciſtus: Adſtringendi ſiccandique vi pollet: acrimoniam nullam prodit: eóque minùs Chironij opinionem facit: *Ciſti ſpecies non eſt. Chironium non eſt.* ſed faciet fortaſſe magis Centaureum luteum [*perfoliata lutea, de qua ſuo loco*] effigie cum ſit & viribus haud procul recedentibus. *Centaureum luteum.* Idem Obſ. Helianthes, ſive Flos Solis. Ciſti ſpecies Monſpelienſium, an Helianthe Plinij: Helianthes Fuchſij. In Ic. ſub titulo Helianthemi Panacis Chironij poſuit Lob. Cluſij figuram, quamvis Cluſius ſeparet à vulgari, quã ait, quòd inter Ericas naſcatur, & foliis Hyſſopum æmuletur, Heyden Hiſſop, & ob flores aureos Conſolidam auream Herbariorum Germaniæ vulgus nuncupare: *Hyſſopus cur.* Eſſe, qui Plinij Helianthen eſſe velint: alios, qui Panacem Chironium Dioſcoridis, cui folium Amaraco ſimile, florem aureum, radicem parvam, nec altè demiſſam, tribuat. Is interea ad Ciſti fœminæ tertiam claſſem reducendam eſſe cenſet.

Lonic. Hyſſopus montanus, ſive ſylv. Heyden oder Berg Iſop / odoris peregrini; pingit Helianthemum in quo odorem non animadvertimus.

*Synon.* Lugd. Helianthemum, ſive Flos Solis: Hyſſopus nemorenſis Dodonæi. Cam. hort. Flos Solis, aliis Panax Chironium, quamvis radix ſit expers odoris & ſaporis. Thal. Helianthemum Cordi. Tab. Helianthemum germanicum Sonnengüntzel. Ger. Helianthemum Anglicum album; cur mutarit titulum Tabernomontani, neſcio. Vocat enim Helianthemum Germanicum Tabernom. quamvis non ſine inſigni lapſu, meo quidem judicio. C.B. pin. Chamæciſtus 1. ſive vulgaris flore luteo: Flos Solis Dod. (cui & Ciſti & Ledi quædam ſpecies) Caſt. Cam. Helianthemũ vulgo dictum, Cluſ. hiſp. Helianthemum Plinij, Eid. pan. In hiſt. verò (ubi ad Ciſti fœminę tertiam claſſem reducit) Chamæciſtus 1. Chironia, Cæſ.

Subnectam hic, quæ aliquando de Helianthemo flore luteo ſcripſi ad Geſnerum: Vir quidam doctus exiſtimat eſſe Helianthen, de qua Plin. li. 24. c. 17. ait. *Helianthe Plinij.*

Helianthen vocant in Themiſcyra regione & Ciliciæ montibus maritimis, folio Myrti: hæc cum adipe leonino decocta, addito croco & palmeo vino, perungi Magos & Perſarum Reges, ut fiat corpus aſpectu jucundum, ideò Heliocallidem eandem nominari &c. *Heliocallis.* Hæc ſanè conveniunt prædictæ herbæ, tum nominis etymologia, tum figuræ deſcriptio, quamvis brevis, tum effectus: cùm enim viſcoſa ſit planta, non abſurdè in fucos recipi poteſt, tum etiam natales, qui ſunt in montibus. Quamvis nihil repugnet, non auſim tamen aſſerere eam eſſe. Alius quidam doctus aſſerit eſſe Helenium Ægyptium Cratevæ, *Helenium Aegypt.* cui an aſſentiendum, dubito, licèt non malè conveniat deſcriptioni. Veruntamen liceat mihi dicere cum Cordo, quandoquidem ipſi Dioſcoridi ignotum fuit, difficilè quis judicare poterit, tanquam nobis peregrinum & calidis maritimiſque Ægypti locis familiare. Eſt, quòd mirer Plinium idem Helenium deſcribere, quod Cratevas, & tribuere (lib. 21. cap. 10.) folio, quæ Dioſcorides ramulis. Rob. Conſtan. in Lexico exiſtimat eſſe Chryſocomen, *Chryſocome.* quod quidem non refuto: Sed ῥαβδίον σπιθαμιαῖον, requiro: item ῥίζαν δασεῖαν, λεπτὴν, ὡς ἐλλεβόρου μέλανος, γευσαμένῳ οὐκ ἀηδῆ, κυπέρῳ ἐοικυῖαν, ἐν τῷ γλυκεῖ ὑπαυστηρόν. Item Δύναμιν θερμαντικήν: *Hoc eſt*, requiro fruticem exiguum, radicem denſam, tenuem, ut Ellebori nigri, guſtu haud aſpero Cypero ſimili, ſed ex dulci ſubauſtero. Item vim calefacientem: Acrem præterea qualitatem, quam habere dicit Galenus. Poſtremò, ut habeat quod requiritur à Plinio lib. 21. c. 8. comantes fulgore auri corymbos.

Helianthemum Lugduni abundat florens Maio, ac etiam Monſpeſſuli, Tiguri, Tubingę & Montbelgardi. *Locus & Tempus.* Baſileæ vicinis locis floret menſe Septembri & Octobri, itinere verſus Moutez & Krentzack. Genevæ viret menſis Februarij principio, ubi aiunt ſagas vocare *Herbe d'or*: *Herbe d'or.* Galli tamen *Hyſope des garriques* appellant.

*Vires & uſus.* In uſum utiliter, Tab. aſſerente, vocari poteſt in ſanguinis ſputo *Sanguinis ſputum.* cum plantagine & ſymphyto in vino rubro bibendo, decoctum. Poteſt etiam uſurpari in alvi profluvio, dyſenteria etiam hepatica. *Alvi profluia.* Vulneraria habetur planta: recenti enim vulneri ſi imponatur, labra conſtringit, ſanguinem manantem ſiſtit: *Sanguinem ſiſtit.* quo nomine Chirurgis vehementer expetitur: in vino rubro cum pauxillo alumine coctum, prodeſt ad oris & pudendorum tumores, *Tumores.* ſi decocto partes affectæ colluantur. Sagminibus ſuis Hyſſopum Sylveſtrem mulierculæ adjungere ſolent, apud Tragum, credúntque tumoribus ac paralyſi membrorum, *Paralyſis.* ſi in balneis quis utatur, vel imponat, utiliſſimum: Nobis non placet. Si quis penitiùs contempletur (inquit Cam.) in Symphytorum ſeu Conſolidarum claſſem accenſenda eſt Helianthe: experientia enim docet, vulnera impoſitu Helianthes coaleſcere. *Vulnera.* eadem ſanguinem ſiſtit. ad uvulam quoque prodeſt; *Vvula.* ad ulcera oris, & genitalium, *Vlcera.* ſi herba in vino decoquatur rubro, addito momento aluminis, decoctionéque os colluatur, aut ulcera partium jam dictarum: ut numero dicam, auxilio eſt omnibus affectibus quibus fluor nimius conjunctus eſt, omninòque Symphiti magni aliarúmque Conſolidarum more uſurpari poteſt. *Symphiti viribus.*

## HELIANTHEMVM FOLIIS majoribus flore albo.

*Locus & Tempus. Deſcr. Folia.*

APud Fridericum Meier Argentinæ Octobri menſe Helianthen vidi florentem albo flore in hypogæo, cui folia unciis duabus longiora, ſatis lata: ſimilem poſtea obſervavi Spiræ in horto D. Tengnagl, florentem Iunio: huic reſpondet figura



Plantini. Videndum utrùm culturâ non mutetur anguſtifolia ſata in hanc foliis longioribus & latioribus, quamvis etiam ſpontanea talis reperiatur.

*Synon.* Lob. ic. & Eyſt. Helianthemon albis floribus. Tab. Helianthemum album germanicum weyß Soñen guntzel. Ait tantùm colore differre à luteo, *Tab. notatur.* quare non erat neceſſe propter colorem ſolùm ponere duas figuras.

Cam. hort. Flos Solis Matthioli, *Flos Solis.* Helianthemum Plinij, flore albo: Chamæciſti ſpecies, *Chamæciſtus.* folio latiore, quàm vulgò naſcentis ex Italia miſſa, & poſtea circa Bapebergam inventa. Ger. Helianthemum luteum germanicum. Cur mutat titulum Tabernomontani? Is enim figuram poſuerat pro Helianthemo albo germanico: ſed parum intereſt, quum dicat Tabern. ſolo colore differre à luteo de quo ante. C. Bau. pin. Chamæciſtus 2. ſive vulgaris flore albo majore: Chironia flore candido, Cæſ. Heleniū minus Dioſcoridis, Lug. A priore differt floris colore albo, ejúſque magnitudine, Ladani-ſpecie.

## CISTVS HVMILIS CLVSIO, SIVE Helianthemum omninò candicams, flore nunc albo, nunc pallido.



*Deſcr.* EXigua eſt planta, tenuibus virgulis, *Virgulæ.* lignoſis, & humi ſparſis prædita, *Folia.* foliis Helianthemo vulgò dicto ſimilibus, minoribus tamē, omninò candicantibus, guſtu adſtringētibus: *Guſtus. Flores.* flores extremis ramis inſident, quinque foliis conſtantes, coloris interdum albi, ut plurimùm pallidi, ſtaminibus medium florem occupantibus. Semen in capitulis triangulis lino paribus ineſt exiguū, ruſum. *Semen.* Radix lignoſa & fibroſa. *Radix.*

Frequens eſt hic Chamæciſtus, ſive Ciſtus humilis Cluſij primus, hiſp. aſt quartus in hiſt. quoad deſcriptionem: quintus verò quoad iconem) Salmanticenſi agro, ubi *Perdiguera* ab incolis appellatur, *Perdiguera.* quia perdices circa eam frequenter ſe volutant & pulverant.

*Locus.* Lob. Obſ. ponit figuram Cluſij ſub titulo Helianthemi Cordi & Tragi: vocando Ciſtum humilem primum Cluſij: item Helianthon ſive florem Solis deſcriptum in Adv. p. 135. Cluſius tamen Helianthen ab hac ſeparat. *Helianthes.* Quare meliùs vocat in Icon. Ciſtum parvum Cluſij.

Tab.

*Tab notatur.* Tab. Helianthemum 1. ſativum, zam Sonnenblumlein. Compilator in hiſt. malè ponit figuram, quæ iterum ponitur pro Helianthemo peregrino anguſtifolio. Ger. Helianthemum Anglicum luteum, Engliſch yellow dwarffe Ciſtus. C.B.pin. Chamæciſtus 4. ſive foliis minoribus & incanis: Flos ſolis, Lob. Dod. utrique quoad iconem. Chironiæ aliud genus, Cæſ.

*Locus.* Monſpelij ſpontaneam vidi, & quidem florentem in monte propè Caſtelneuf, & montibus propè Gigan, quà itur Narbonam, menſe Martio & Aprili; Lugduni prope ædes, quæ erant Darutiorum ad ripam Rhodani, inter Lugdunum & Montuel, florentem Maio.

## HELIANTHEMVM FLORE ALBO, folio anguſto, hirſuto.



*Deſcr.* PLantula ſeſqui-palmaribus, dodrantalibusve ramis donata, *Rami.* interdum paulò minoribus, Monſpelij verò & Lugduni nũquam ferè cubitalibus, partim erectis, partim repandis: *Folia.* folia mediocriter magna, ſemũciam longa, anguſta, piloſa, incana, ut Lavendulæ, inſipida, nonnihil viſcoſa: *Flores.* flores ex longa ſerie plures, quales Helianthes vulgaris, niſi quòd albi, fibris luteis medium occupantibus, calyces hirſuti, vaſcula quoque conſimilia, in quibus ſemen. Quæ Monſpelij provenit, *Radix.* radicem habet craſſiuſculam, lignoſam, & in frequentes abit propagines.

*Deſcr. Cluſii.* Hanc fortè Cluſius in Hiſp. pro Ciſto humili ſecundo: & Hiſt. pro Chamæciſto quinto ſic deſcribit. Non differt magnitudine & ramulorum tenuitate: *Folia.* flores item ſimiles, ſemina ſimilia: ſed folia anguſta omninò & tenuia, Ciſto foliis Thymi reſpondentia, *Radix.* incana etiam, & ejuſdem temperamenti. Radix perinde dura, & fibroſa, atque præcedens, flores aperit Maio, frequens plantula Salmanticenſi agro, ubi Perdiguera appellatur. Apud Cluſium verò in hiſt. *Icon.* icon hujus poſita eſt ſub titulo quarti Chamæciſti, incuriâ Typographi.

*Ciſtus humilis Lob. notatur.* Lob. Obſ. dicitur Ciſtus humilis anguſtifolius, Coris Monſpelienſis foliis, Selago Monſpel. Ciſtus 5. Aſſatij & Erica Chryſanthemis minima Adv. Ego contra Ericam Chryſanthemin diverſam puto à Ciſto humili ſecundo Cluſij, (ut in Icon. inſcribitur) quam ob cauſam, quæ Lobel. dixit de Erica Chryſantemi ad aliam plantam refero.

*Tab. notatur.* Tab. Helianthemum peregrinum, anguſtifolium, Klein frembd Sonnenguntzel: item Helianthemum germanicum tertium, Sonnenguntzel. Quæ qua in re à peregrino differat nondum animadverto: Compilator nulla utitur diligẽtia in diſtinguendis Ciſtis. *Ger. notatur.* Ger. Helianthemum album germanicum: item Helianthemum anguſtifolium. Diximus qua in re differant hæ duæ figuræ, nos nondum videre, unam plantam tantùm exprimere videntur.

C.B.pin. Chamæciſtus 5. ſive foliis Thymi incanis: Panax chironium minus, Cam.ep.

## CHAMÆCISTVS SERPILLI FOlio, nigricante & hirſuto, flore aureo odorato.



*Deſcr. Ramuli.* MVltos promit ex eadem radice ramulos, tenues, oblongos, ſummâ tellure ſparſos, ſubrubentes, in quibus exigua folia, *Folia.* ordine quodam & duplice ſerie, quémadmodum in reliquis Ciſti generibus diſpoſita, Serpillo ferè ſimilia, nigricantia, & hirſuta craſſaque: ſub florum autem partum, in novellis ramis longiora & candidiora: *Flores.* flores in extremis ramulis iiſdem novellis terni, aut quaterni, oblongis & hirſutis pedicellis inhærentes, quinis foliis, ut ſuperiores flores conſtantes, illiſque magnitudine pares, ſed aurei planè coloris, & odorati: *Color.* ſemen obſervare non licuit: *Radix.* Radix multifida, aliquot fibris latè ſparſis capillata:

*Locus & tempus.* Nuſquam niſi in ſummis Auſtriæ & Stiriæ alpibus invenit Cluſius Chamæciſtum hunc 3. pann. 2. Hiſt. ſemel menſe Auguſto florentem. In hortum verò tranſlatus, Maio ipſi floruit; ſed flores cum ſuis pedicellis nimium caduci, omnem obſervandi ſeminis occaſionem planè ademerunt.

Tab. & Ger. Ciſtus humilis, Serpilli folio.

C.B.pin. Chamæciſtus 11. ſive repens Serpillifolia lutea. Germ. Klein Ciſtenrößlein: Ang. Low Ciſtus with leaues like wilde Thyme.

## CISTVS HELIANTHEMOS, flore parvo, luteo.

*Deſcr.* PAlmo longiores fundit virgulas, molli lanugine *Virgulæ.* incanas, foliis per genicula binis mollicellis, ſe- *Folia.* munciaiibus, piloſis, ex quorum alis ramuli propagantur. *Flores.* Flores virgularum extremis multi, ſaturatè crocei, triplo minores, quàm noſtratis Helianthemi. Calyces eorum hirſuti. *Locus.* Gener Cherlerus collegit Nemauſi, & Ciſtum Helianthemum flore parvo, luteo denominavit. Conſiderandum an conveniat cum Chamæciſto Cluſij Serpilli folio. *An Chamæciſtus 3. Cluſii.*

## CHAMÆCISTVS ANGVSTIFOlius, flore luteo Cluſij.

*Deſcr. Ramuli.* RAmulos habet humi fuſos, dodrantales, aut majores, multis, oblongis, anguſtiſque foliis, *Folia.* nullo ut plurimùm certo, ſed confuſo ordine diſpoſitis ſeptos, præter vulgarem in omnibus Ciſti generibus foliorum ſitum, *Sapor.* ſaporis primùm veluti gummoſi, deinde amaricantis: extremos ramulos bini aut terni occupant flores, *Flores.* quinque foliolis conſtantes, lutei cum ſuis in medio ſtaminibus coloris: quibus ſuccedunt trigona capitula, *Capitula.* ſatis magna, majuſculum & inæquale ſemen continentia: *Semen.* Radix lignoſa, dura, vivax, foris nigro cortice obducta, & in *Radix.* aliquot ramos ſparſa.

*Locus & tempus.*



Rarior eſt Chamæciſtus 1. anguſtifolius Cluſij in pan. 6. in hiſt. nec niſi in monte Badenſibus Thermis imminenti, quarto à Vienna Auſtriæ miliari; atq; in Hamburgenſi duobus à Poſonio Vngariæ urbe miliarihus, pauculas plantas, inveniebat autor, florentes Iunio, quo tempor, aut paulò poſt ſemen etiam perficit.

*Ciſtus humilis.* Tab. & Ger. Ciſtus humilis anguſtifolius. C. Bauh. pin. Chamæciſtus 8. ſive anguſtifolia.

Ang. Low Ciſtus with narrowe leaues.

## CHAMÆCISTVS FOLIIS MYRTI Tarentinæ, canis vel cinereis.



*Deſcr. Ramuli.* DOdrantalibus eſt ramulis, humi diffuſis, quos bina, ſemper contrario inter ſe ſitu ſepiũt foliola, *Folia.* Myrti Tarentinæ foliis æqualia, aut anguſtiora, supernè cinereà quadam lanugine obducta, infernè verò omninò incana, *Guſtus.* guſtu adſtringente, & nonnihil deinde amaro prædita: pedicillos poſtea exerit duas aut tres uncias longos: quibus inſident quini, aut ſeni *Flores.* flores, Chamæciſto Serpilli-folio ſimiles, *Icon.* quos pictor malè expreſſit, & ſculptor corrupit, lutei coloris: his ſuccedunt trigona parva *Capitula. Semen. Radix.* capitula, ſemine inæquali, minuto, rufo, plena: radix lignoſa, dura, vivax. Ramuli, flores ſuſtinentes, maturo & deciduo ſemine exſiccari & confringi plerumque ſolent.

*Locus.* Maxima abundantia naſcitur Chamæciſtus 2. Cluſij pann. 3. hiſt. in omnibus illis montibus, qui à Calenberg Danubio imminenti, ad Alpes Auſtriacas continuà quadam ſerie procurrunt, tum etiam in Hamburgenſi, Pannoniæ monte aliiſque ejuſdem provinciæ locis, ſublimioribus præſertim, ſicciſque, gramine tamen tectis agris. *Tempus.* Floret Maio, ſemen maturum eſt Iunio. *Heyl aller welt Kraut.* Auſtriacis Heyl aller welt Kraut vocatur à præſenti videlicet juvandorum vulnerum facultate. *Icon Tab.* Tabern. qui mutavit flores, qui non reſpondent deſcriptioni Cluſij, quia, ut ait, à ſculptore corrupti, & Gerard. Ciſtus humilis latifolius. C.Bauh. pin. Chamæciſtus 7. ſive foliis Myrti minoris incanis.

Germ. Klein Ciſten Rößlein: Ang. Low Ciſtus with broad Leaues.

## HELIANTHEMVM TENVIfolium glabrum luteo flore.



*Deſcr. Radix.* EX radice craſſâ, lignoſa, cortice nigricãte contectâ, *Ramuli.* ramuli plures exſurgunt, lignoſi, dodrantales, nonnunquam erecti, interdum per humum ſparſi, *Folia.* foliis donati valdè tenuibus & anguſtis, ut in Cori Monſpeſſulana, vel Erica arboreſcente, viridantibus & ſubrubentibus, glabris, nec ſibi oppoſitis, ut in vulgari, ſed alternatim ramos conſcẽdentibus, & ſingularibus: Ramoſius videtur, quàm Thymi-folium ſequens. *Flores.* Flores multò minores, quàm in vulgari, aurei, caduci, quibus ſuccedunt *Vaſcula.* vaſcula, majuſcula, lucida, quæ ſemine maturo, in tres veluti ſcutellas triquetras dehiſcunt, ea autem vaſcula ambiunt tres tunicæ. *Semen.* Semen copioſum, ferrugineum, triquetrum.

*Erica Chryſanthemos.* Lugd. Erica quinta Chryſanthemos. Lob. Adv. Ciſtus quintus opinatus Aſſatio: item, Chryſanthemis Erica minima foliis Tamariſci, floſcellis luteis. Dalechampius vocabat Ericam Chryſanthemin: Reb. Conſt. Chryſocomen faciebat: *Coris.* Frater C.Bauh. attulit ex Italia nomine Coris Dioſcoridis, Guillan.

*Lobelio opiniones noſtræ & Dalech. circa plantas cõmunicata.* Per Ericam minimam Chryſanthemin Lobelium intellexiſſe eandem, quam Dalechampium, non dubitamus, id indicante ipſo nomine: is enim Dalechampij & noſtras opiniones pleraſque habuit, licèt rarò meminerit, idque operâ Valerandi Dourez affinis noſtri, qui ei omnia noſtra communicabat, cum Lugduni Lugdunenſem incepiſſem Hiſtoriam conſcribere generalem, in qua multùm laborabat Dalechampius. Quæ tandem ob tumultus bellicos interrupta, conſarcinata eſt per ſtirpium ignarum, qui confudit ac miſcuit noſtras & Dalechampij doctas obſervationes cum aliis. Vidit etiam Lobelius noſtras ſtirpes cum ſuis nominibus, deſcriptiones etiam plantarum habuit. C.B. pin. Chamæciſtus 12. ſive Ericæ folio luteus: Cori ſimilimus frutex in maritimis, Cæſ. *Species 2.* Hujus duæ ſpecies, altera brevioribus foliis & humilior, altera quadruplo longioribus & elatior. *Locus & tempus.* Genevæ obſervavi locis ſiccis circa Champe & Monſpelij. Cherlerus attulit collectum Nemauſi. Vidi Baſileæ in hortis, ſemine maturo Septembri. Deguſtata nobis nullum manifeſtum ſaporem præbuit. Chryſanthemis, Erica minima, inquit Lobelius, nacta eſt natales ſabuleta maritima Veneta: eandem ſtudioſiores videbant Monſpelij ſecus patibulum Caſtri novi. Ericá Chryſanthemon in ſabuloſis æditorum collium locis apricis & perflatis gigni, florere Iulio obſervavit Dalechampius.

## HELIANTHEMVM ALPINVM FOlio Piloſellæ minoris Fuchſij.

*Helianthemum alpinum Geneva.* HErba hæc collecta in montium locis ſiccis circa Genevam, ut Saleve, & in hortum tranſlata floruit Iunio. Eam ſic deſcripſi ante triginta annos:

Fruticoſa



*Folia.* Fruticoſa herba, cui folia oblonga, Piloſellę minoris Fuchſij ſimilia, inferiori parte magis candicantia, ſuperiori viridia & piloſa; ſed minùs, quàm in inferiore: *Flos.* flos luteus, qualis Heliánthemo vulgari, unde hác vocaveram Helianthemũ alpinum. Eſt mihi ſicca (an verò una ſit ex iis, quæ Genevæ erant collectæ, dubito:) non tamen integra, foliis quibuſdam uncialibus ferè, aut minoribus, oblongis, in acumen deſinentibus, ad Polium montanum vulgare accedentibus, cinereis & ferè albis: radice craſsâ, lignoſâ, cum capitulis multis onuſta.

## CISTVS HELIANTHEMOS folio Polij montani.



*Ciſt. Helianthemos.* Eadem, aut planè ſimilis, nobis data eſt Argentinæ ex plantis D. Agerij, cui nomen feceram, Ciſtum Heliãthemum folio Polij montani vulgaris. Albicantes in ea erant cauliculi, unciarum quatuor, vel quinque, ramoſi, qui deſinebant in tenues pediculos, parvos flores proferentes, luteos, tres vel quatuor: Folia albicantia Polij vulgaris montani.

*Varietas forte.* Nec diſſimilem ab hac Cherlerus attulit ſtirpem, collectam in ruperis prope Agdes Galliæ Narbonenſis, quæ folio eſt candidiore, quantum judicare poſſum ex reliquiis quibuſdam: allatæ ſanè fuerant plures plantæ integræ, ſed redditæ ſunt nobis inviſibiles, remanente tantùm portiunculâ.

## CISTVS PVSILLVS FOLIO candido, flore luteo.

*Deſcr.* Ciſtus puſillus folio candido, flore luteo, palmum longiorem, duram, lignoſam, foris rubentem, intus albam, gracilem demittit radicem, quæ terram verſus craſſeſcit, inque numeroſa capita dividitur: è quorum ſingulis *Ramuli.* ramuli prodeunt, alij unciales, alij duplo longiores, hirſuti, foliis numeroſis, infernâ parte candicante denſâ lanugine obſitis, ſupernè viridantibus, pilorum non expertibus, acuminatis, ſemũcialibus, culmis latis onuſti: extremis ramulis bini ſuis ſinguli pedicellis inſident floſculi



perpuſilli, luteì, luteoque capillamẽto donati, *Floſculi.* quorum exteriore parte foliola extima, pilis obſita caneſcũt, interiore parte lutea.

Cęterum, fieri poteſt, ut vel natura ob Soli tantùm natalis varietatem in tribus pręcedẽtibus plantis ludat: *An hæc ẽ duabus præcedentibus eadem?* Vel, ſi non, ut eædem, aut earum aliquę à Cluſio in hiſt. c. de Chamæciſto, & potiſſimùm ſub Ciſto humili altero tradantur. *An Chamæciſtus 2. Cluſij?* Hæc diligentiùs poſteri examinent.

## HELIANTHEMVM FOLIO Thymi incano.



*Deſcr. Virgulæ.* Virgulæ plures, tenues, incanæ, quæ in alios repandos mox dividuntur ramulos: *Folia.* foliola Thymi durioris, minuta, brevia, hirſuta, cinerea, terna, quaterna, interdum plura ex eodem geniculo enata. *Flos.* Flos & Capſellæ in tres carinas dehiſcentes, cum involucris hirſutis, ut in Helianthemo vulgari. *Radix.* Radix craſſiuſcula, contorta, lignoſa, multifida, multorũ capitum.

*Helianthemũ tenuifolium.* Fortè hanc miſcet & intelligit Lobel. cum Helianthemo tenuifolio glabro: ſimiles ſunt plantæ, differentes tamen, diligentiùs conſideranti.

*Locus & tempus.* Monſpelij obſervavi florens adhuc menſe Septembri & in montibus propè Caſtelneuf & juxta patibulum Maio. Menſe quoque Aprili, in monte Seti: Cherlerus attulit collectum in vinetis & collibus Nemauſo vicinis.

## CISTVS PVMILVS MONTIS Baldi, fortè Auſtriacus myrtifolius.

*Deſcr.* Compluſculis, ſeſcuncialibus & quadrantalibus, lignoſis adoleſcit virgulis, tenuibus & hirſutis: *Folia.* folia virentia, crebra ſatis, ſimilia Myrto Tarentinæ, vel Lentis foliis paria, nec ita diſſimili circumſcriptione, ortu & poſitu diverſiſſimo, quippe bina, incondita tamen, fortuitis pilis, ſupra ſubtúſque donata, per margines copioſioribus, ut in Nerio alpino: *Flores.* flores extremis ramulis unici, ſatis magni, cum multis ſtaminibus. Siccam hanc accepimus à Iacobo Zvvingero, & fratre C. Bauhino, delatam è Monte Baldo. Eadem fortè eſt, cum Chamæciſto 8. in hiſt. ſeu 4. in pann. Cluſij, proveniente in Auſtria, quam

*Deſcr Cluſ. Ramuli.* ſic deſcripſit. Palmaris aut paulò amplior eſt, ſuperioribus Chamæciſtis tamen firmior, multiſque ramulis, lignoſis, rectis & nigricantibus præditus, quos numeroſa & adeò conferta ambiunt *Folia.* folia, ut quaternis verſibus digeſta videantur, Myrti minoris foliis nõ diſſimilia, minora quidem & hirſuta, licèt atra viriditate supernè ſplẽdeant, *Guſtus.* quorum guſtus adſtrictionis particeps eſt: *Flos.* flos unicus, interdum & alter extremis ramulis exit, ſatis craſſo pediculo ſubnixus, unico conſtans folio, quinque profundis crenis, iiſdémque veluti circinatis, diviſo, ita ut quinque folia habère videatur, ejuſdem cum primo genere penè magnitudinis, *Color.* coloris ex albo purpuraſcentis, & quaſi carnei dilutioris, decem ſtaminibus extrema parte nigris, & ſtylo oblongo purpuraſcente, medium florem occupantibus. *Capitula.* Floribus excuſſis apparent pentagona capitula, qualia in nõnullis Ciſti generibus videre eſt, obtusè mucronata, quæ maturitate aperta, *Semen.* ſemen continere deprehenduntur exile admodum, flavi coloris.



*Locus.* Rariſſimum ſuum fruticem duntaxat in Snealben iugi ſcopulis naſcentem obſeruabat Cluſius, unde florentem ſub menſis Iunij finem eruit; ſemine verò prægnantem Auguſto: in Veytzalben ſummo ſupercilio, duobus ſupra Neuburg miliaribus. Eam cicurare voluit in horto ſuo ſemel atque iterum ex iis iugis cum ſuo ceſpite deſumptum, ſed miteſcere noluit.

Si Cluſij Chamæciſtus hic eadem eſt, cum noſtra, ſanè in Icone, quam proponimus, caules nimis craſſè picti, & folia ſunt, eiuſdem magnitudinis cum figura: Idem mihi euenire videtur ipſi Cluſij figuræ, quod animaduertere poterit Lector conſerens deſcriptionem cum icone.

Tab. & Ger. Ciſtus humilis Auſtriaca Klein Ciſtenröſzlein. C.Bau.pin. Chamæciſtus 10. ſive hirſuta.

## HELIANTHEMVM, SIVE CISTVS humilis, folio Sampſuchi, capitulis valdè hirſutis.



*Deſcr. Radix.* Dodrãtales circiter, eóſque creberrimos, aliquando à radice lignosâ, craſſiuſculâ, longiuſculâ, fundit *Caules.* caules, eóſque rigidos, perquam hirſutos, per quos veluti ad nodos *Folia.* folia adverſa, Maioranæ foliis paria, alia oblonga & latiuſcula, alia anguſtiora: *Flores.* flores in ramulorum extremis multi, ſemuncialibus circiter pediculis hirſutiſſimis nixi, lutei, folioſo calyce, ſtriato, villoſo obvallati. Hanc Cherlerus attulit Monſpelio ac nominavit Ciſtum folio Sampſuchi. *Ciſtus folio Sampſuchi.*

## HELIANTHEMVM AD NVMVlariam accedens.



Perplacet nobis planta à D. Richnero Baſileæ anno 1598. data, nomine Ciſti, foliis Sampſuchi, dolemus non integram fuiſſe, ſed tantùm ramos cubitales, quos putamus ſupra terram excluſos fuiſſe. Rami magnis pilis hirſuti, *Rami.* folia bina in ordine *Folia.* diſpoſita, ad Numulariam accedentia, minora tamen & cum pediculis longiuſculis, quales Alſine vulgari, tales pediculos in conſimilibus Helianthemis, vel Ciſtis minoribus non obſervavi: folia breves habent pilos, minùs conſpicuos: ad alas foliorum ſunt tenuia ſobola.

## HELIANTHES SPECIES RARA, coma inflexa, ut in Heliotropio.



*Deſcr. Radix.* Radix craſſitudine digitali, longitudine ſeſquipalmari, lignoſa, fibris paucis, ſed validis donata, foris buxea, intùs alba, *Rami.* ramos ſex, octo, aut plures per terram ſpargit palmares & ſpithamæos, teretes, tenues, quibus *Folia.* folia nullo inſigni ſapore prædita, crebra, alterno ſitu utrinque adnaſcuntur Majoranæ, glabra, & ex viridi luteola, unico nervo per longitudinem decurrente, at priora folia, & quæ proximè terram, non parum ab iis, quæ per ramos viſuntur, differunt, utpote longiuſcula: *Flores.* flores in extremis ramulis perquam conſerti & Scorpioidis reflexi, quinis foliis albis conſtant, apicibus luteolis, quinque viridantibus extrinſecùs obvallati: *Capitula.* capitula ſequuntur triquetra, fuſca, *Semen.* ſemine exiguo, papaverino pari, atro, cavitatem impreſſam altera parte habenti, altera gibbo referta amaro.

*Lob notatur.* Lob. Adv. tribuit huic flores aureos, cùm ſint albi: verùm eam deſcribit ex ſicca planta, non ex virente, in quibus non raró mutantur colores. Vocat autem *Helianthes* Helianthes ſpeciem rarã, figurà leguminosâ, floribus aureis: In Ic. Ciſtum folio Majoranæ, deflexis floribus: ejus autem icon non placet, ideò aliam curavimus pingendam. Aliquando miſit nobis Hortu-

Hortulanus Ducis Florentiæ cum hac inſcriptione, *Telephium.* an Telephium Candiæ? Cherlerus attulit cum ſequentibus nominibus, Telephium quorundam & *Helenium Crateuæ.* Helenium Crateuæ, dictum à Pona. Imper. Telephium Dioſcoridis quibuſdam, Helenium Crateuæ.

*Telephium.* Cam.hort. ait calorem, quem in Telephio Imperati requirant veteres, à radicem potiſſimùm guſtantibus deprehendi.

*C.Bauh.* C.Bau.phyt.meminit hujus Telephij: ſed præter mentem Camerarij, ut ſuo capite di[illegible]um, idem faciens cum Aizoo peregrino ejuſdem Ca[illegible]rarij: *Aizoum peregrinum. Telephium Dioſc non eſt contra Camerarium.* Ego Telephium Dioſcoridis non exiſtimarim, deſcriptio ſiquidem non convenit, ut apparet conferenti. Eid.pin. Ciſtus fœmina 8. ſive folio Majoranæ: Helianthes ſpecies Penæ, Lugd.

*Locus & Tempus.* Ex Gallo-provincia bis miſit Iacobus Reynaudet, primùm nomine plantæ repentis, ut Numularia ſecundò ſtirpis Veronicæ modo repentis. Ex ſemine mihi miſſo provenit floruítque Iunio & Iulio: etiam non repoſita duravit aliquot annis: Baſileæ obſervavi in hortis, & Lutetiæ Auguſto cum ſuis capitulis. Camerario periit hyeme poſtquam plurimos annos duravit, ſemine tamen ſponte excidente, plurimum rurſus propagavit. Lob. miſit Raymundo è jugis arduis montis D. Bonaventuræ non procul Aquiſextiis erutum.

## CISTI FOLIO ARBOR EXOTICA, capitulis lanoſis Platani.



*Deſcr. Virgulta.* Ciſti folio arboris extrema virgulta lignoſa ſunt, Ciſto concoloria & ſimilia: *Folia.* folia item rugoſa, oblonga, Salviç aut Menthç, ſed in ſummis ramulis villoſos, exactè ſphæricos *Flocci.* floccos oſtentant, ſive lanoſa capitula Platani.

*Synon.* Lob. Adv. & Ic. Arbor exotica Ciſti folio. Tab. Ciſti folio exotica arbor.

Lugd. Ciſti, vel Ledi Arbor peregrina Penç. Ger. Ciſtus exotica Lobelij. C.B.pin. Ciſtus fœmina 13. ſive Ciſti folio arbor exotica. Belg. Welanſchen boom met bladers van Ciſtus: Ang. ſtrange Ciſtus.

## MYRTO CISTVS PENNÆI, FLOribus luteis oblongis.

*Deſc. Cortex.* Myrto-Ciſtus tricubitalis interdum frutex eſt, ſcabro admodum cortice, & velut quibuſdam tuberculis obſito, qui in vetuſtis ramulis facilè abſcedit & ſponte decidit: *Folia.* foliis Myrti ferè, dorſo non minùs ſcabro, quàm ramuli, supernè autem læuibus, conjugatim ut reliquis Ciſti generibus circa ramulos naſcentibus: *Flores.* flores ſummis virgis inſident, luteis quinque oblongis foliis conſtantes, & multis intus longiuſculis ſtaminulis præditi: *Capitulum* his ſuccedit oblongiuſculum & pentagonum capitulum, ſemine plenum. Tota ſtirps odorata eſt, & gummi ſive reſinam (lentorem potiùs & pinguem quendam



ſuccum, quali Ledi genera madent) effundere videtur. Cluſio hæc planta revocat in memoriam fruticem Gagel, qui etiam frutex odoratus, de quo nos ſuo loco. *Conſidera Gagel.*

*Synon.* Cluſ. Pan. & hiſt. Myrto-Ciſtus Balearica, &, (ut Ger. & C.Bau.pin. cui etiam Ciſtus ledum 17.) Myrto-Ciſtus Pennæi. Tab. Myrto-Ciſtus Cluſij.

Londini in Anglia ſiccam oſtendit Cluſio, Pennæus Londinenſis Medicus, quam ille ex Balearium inſularum majore, vulgò Majorica nuncupata erutam, Μυρτοκίστον appellavit.

## NERIVM ALPINVM QVIBVSDAM, aliis Ledum glabrum, & hirſutum.

### Cap. X.



A



Vtrumq; Nerium Alpinũ, tum facies, tum natales conjunxêre. *Glabri deſcriptio.* Frutex eſt prius cubitalis, ramis contortis ac lignoſis, digitali craſſitie, cortice veſtitis, extimo quidem cineraceo, interiore autem nigricante, at minimi ramuli ſubinde etiam rubente cortice teguntur, per quos *Folia.* folia, circa faſtigium conferta, glabra, brevibus hærent pediculis Lẽtiſci foliis paria, nec forma diſſimili, niſi quòd craſſiora, nervoſiora, Cluſio autore, minimè in ambitu hirſuta: ſuperiore parte virent, inferiore ferruginei sũt coloris, *Sapor.* ſaporis adſtringentis, & quodammodo reſinoſi: Inter quæ in extremis ramulorũ *Flores.* flores multi coacervantur coccinei, Cluſio, dilutiores, quàm ſequẽtis, oblõgi, ſuperiùs quinque partiti, atque argenteis punctulis conſperſi, in quibus pluſcula ſtaminula, capitulis totidem,

dem, medium piſtillum ſtipant, quibus decedentibus relinquuntur *Capitula.* capitula rubentia, in quinq; carinulas dehiſcentia, in quibus pulviſculus, veluti ſemen ferrugineum. *Radix.* Radix oblonga, lignoſa, dura, ſubnigro cortice tecta. Hujus porrò ſurculorum ſummitatibus capitula quædam increſcunt, ſquammis foliaceis congeſta, oblonga, & gemmæ majoris ſpeciem exhibentia. Colore ſubruſo foris, intus flaveſcente. Foliis verò (Cluſio referente) ramiſque adnata aliquando reperiuntur *Tubercula.* Tubercula, nunc Nucis ponticæ, modò Piſi magnitudine, inæqualia, foris rutilante aut palleſcente nonnunquam colore, intus fungoſâ, albâ, guſtúque adſtringente, pulpâ plena, quæ gallarum vicem præſtare poſſint.

*Nerium II. ſive hirſutum.* Alterum Nerij Alpini genus, multis etiam ſtolonibus, duris, ac lignoſis, cubitalibus, aut paulò longioribus, vix unquam ſurrectis fruticat. *Folia.* Folia potiſſimùm per ramorum extrema conſpiciuntur, & illic quidem conferta, breviora, quàm præcedentis, & obtuſiora, utrinque virentia, ſed virore ſaturato, per ambitum pilis ſeu per ciliorum tarſus, longis & conſpicuis obſita, *Sapor.* ſaporis non ingrati, aromatici, & nonnihil reſinoſi, cum aſtrictione quadam. *Flores.* Flores præcedenti conſimiliter acervatim in ramorum extremis naſcuntur, ſed pediculis hirſutis inhærentes, nec adeò diluti, & in capitula, quinque cellulis conſtantia, deſinentia. Cluſio capitula viridia, ſuo odore capitis gravedinem quodammodo inducunt. *Radix.* Radix dura, lignoſa, oblonga; ſed & rami per terram ſparſi, interdum fibras agunt.

Geſn. in epiſt. ad Aretium, ſcribit ſe Berg=Roſen/ in multis montibus inveniſſe, & Sabaudica, Italicáque nomina diverſa audiviſſe, quorum nullum Latinam, Græcámve originem præ ſe ferat. Idem de Lunariis agens (intellige de Arthritica) ait eam vocari Flüblümle/ & fruticem eſſe odoratum, cujus ligno pro Xylobalſamo, & ſemine pro Carpobalſamo Bergomenſis quidam perperam utatur. *Xylobalſamum falsò.* Ad hæc eodem libro in deſcr. Montis fracti, inquit: *Roſa alpina.* Roſam alpinam, paſtores nominare; Aldroandum verò *Nerium Alpinum.* Nerion Alpinum: ſed potiùs, *Ledum Alpinum* Ledon Alpinum eſſe denominandum. Item in fine hiſt. Cordi. refert, virum quendam Italum ceu *Chamænerium.* Chamænerium quoddam, Nerium Alpinum vocare, naturâ tamen totâ diſcrepare: Demum in epiſt. ad me I. Bauhinum: in monte Gotthardo *Laurus Alpina.* Laurum Alpinam virentem (ut ſcribis) inveniſti aſcendendo, quo nomine Balſamum ab aliis dictum [*aliis* Alp=Roſen / Berg=Roſen] accipere te conjecto.

Lob. Adv. Montana Allobrogum Lentiſci-folia, Chamęleæfolia, vel Oleaſtrifolia, minùs odora, *Chamærhododẽdrum.* Chamęrhododẽdrum. *Chamædaphnes.* Chamędaphnes, ſive puſilla Laurus, an Germanicum Mezereum, an num potiùs noſtrũ Chamærhododẽdrum? Et paulò ante: Alpigena Chamęrhododendros, odora; Alpinis Italo-Germanis, Alp=Roſen/ bacculas Aſparagi, vel Taxi pares & concolores, Septembri edens. Hæc ille. *Lob. locus ſuſpectus.* Ego facilè equidem crederem, eam duarum iſtarum ſpecierum, quæ latiora & rotundiora habet folia, eſſe Nerij noſtri Alpini ſpeciem, ſi baccas non ferret, noſtrum enim Nerium his deſtituitur. Videndum itaque an inter ſcribendum illa verba baccularum, non ſint tranſpoſita apud Lobelium in Adv. & fortè pertineant, ad alteram plantam, quam paulò poſt deſcribit. *Balſamum alpinum.* In Obſ. habet figuram ſub titulo Balſami alpini, de quo ait; Alpigenę Chamærhododẽdri odorę varietas. Balſamum Alpinum Geſneri & Roſa alpina, vel *Evonymos Theophr.* Evonymos Theophraſti, Dalechampij & Herbariorum. Idem ponit aliam figuram cum Baccis, cui hæc adſcribit. Alpigena Chamærhododendros odora Adv. 154. *Balſamum Ital. vulgare* Balſamũ Italicum vulgare, ſive Rhododaphne parva ruſtica, Terionarcha Plinij putata ex Guilandino. Eidem alibi, *Uva Vrſi* Genuina uva Vrſi Galeni apud Cluſium, eadem videtur cum Alpigena Chamærhododẽdro exhibita Obſ. p. 199. & Adv. 145. *Lob. notatur.* Videtur autem Lob. in Obſ. uti etiam in Adv. minùs benè agnoviſſe Nerium Alpinum, ſed miſerè cum eo Vitium Idæam ſecundam miſcuiſſe. Aliquando fortè habuit ramulum Ledi, ſive Nerij Alpini ſine floribus & fructu, cum nominibus prædictis, qualia inveni inter chartas Valerandi adſcripta: inde putavit baccas ferre.

Cluſ. in Pann. & hiſt. Ciſto ledo non ineptè ſubjungit Ledum Alpinum, de quo ait, Nerion alpinum Aldroandus appellat: Alpini paſtores Alp=roſen & Bergroſen/ quidam etiam Bärenblüſt [*Vrſi florem dixeris*] nonnullos Hünnerlaub/ [*Folium gallinaceum*] vocant. Primum genus intelligi exiſtimarem à Lobelio in Adv. ſub Alpigenę Chamærhododendri odoræ nomine, niſi bacculas Aſparagi vel Taxi pares illi tribueret; quas in noſtro non reperias; ſed pentagona tantùm capitula, ut ex ejus deſcriptione liquet. Alterum plurimùm convenit, cum ejus Montana Chamæleæfolia, ſive Lentiſci folia, Chamęrhododendro minùs odorata: in Obſ. prioris iconem exhibet Lobelius, Balſami alpini nomine: *Figura Lob. falſa;* pictor tamen flores non fideliter expreſſit, quos in quinque crenas, non in quatuor diviſos eſſe comperiſſet, ſi ramos ſuis floribus onuſtos à me anno 1574. amicis Machliniam miſſos (è quibus illam iconem expreſſit) diligentiùs conſideraſſet: licèt non negem interdum fieri poſſe, ut quatuor tantùm crenis dividantur, ſic nonnunquam ludente in floribus naturâ: at omnes in eodem ramo tales natos eſſe, credibile non eſt. Et hic eſt frutex qui à nonnullis Evonymos dicitur, neſcio qua ratione ductis: Nam in hoc ubi fructus Seſamo proximus, in quo acinus in quaternos verſus digeſtus, qualem Theophraſtus; ſive granum quadrangulâ figurâ, quod Plinius, illi tribuunt. Sed ex ipſa ſanè hiſtoria ſatis liquet ne minimâ quidem notâ ad Evonymum Theophraſti & Plinij referri poſſe. Itaque cum Geſnero Ledi potiùs eſſe genus, quam Nerion aut Evonymum arbitror, *Evonymos non eſt. Nerium non eſt.* multum me impellente, ut ita cenſeam, hujus ſtirpis odore & temperamento. Ruſtici & paſtores eorum montium, in quibus obſervavi, utrumque genus Rauſch appellant.

Myrtus Alpina dicitur Rob. Conſtant. In Rhætia *Porcellana* Dourez annotarat ad ramum plantæ noſtræ eſſe Evonymum Theophr. veram Dalęchampio, Laurum tinum Plinij, *Rhododaphne.* Rhododaphnen ruſticam Geſnero & *Chamæpeuce.* Chamæpeucen Bellonio. Geſnerus autem ſubjunxerat nihil habere commune cum Lauro.

Tab. (ubi decimum facit) Ledum Alpinum: Item Balſamum Apinum Alp=Balſam: Adhæc, Chamærhododendros alpina latifolia, Balſamum Italicum, Alp=Roſen. Demũ, Chamærhododẽdros alpina anguſtifolia, Alp=Roſen/ montana Allobrogum, Lentiſcifolia, Chamæleæfolia, aut Oleaſtrifolia. Cæterum, quam Tabern. ponit ſub titulo Alp=Roſen/ Chamerhododẽdros alpinę latifoliæ, cui baccas tribuit, videtur mihi *Vitis Idææ ſpecies.* Vitis Ideæ ſpecies, quam confundit cum Ledo Alpino. Cui verò titulus eſt, Alp=Roſen/ Chamærhododendros Alpina anguſtifolia, eſt Ledum ſive Nerium Alpinum glabrum, ſed figura non placet. Illa autem quæ inſcripta eſt, Alp-Balſam / Balſamum Alpinum, eſt Ledum Alpinum hirſutum. Tandem cui nomen Ledi decimi Alpini eſt in hiſt. eadem eſt cum Balſamo Alpino Tabern. vel Ledo alpino, hirſuto.

*Evonymus Theophr.* Lugd. Evonymus Theophr. l. 3. c. 18. qui, eo authore tum alibi, tum in Ordynno, Leſbi monte naſcitur (ſic enim ex Plinio legendum, non [illegible], *Plinius corrigitur.* ut Theophraſti exemplaria habent) magnitudine folioq; Punicæ, pariter molli, majore, quàm

Chamæ-

*Tempus.* Chamædaphnes. Circa Septembrem germinare incipit, floret vere, floris color, qualis Leucoio, odore gravi, & qualis ſentitur trucidaro cadavere in totum putreſcente, ut quaſi cæſum animal referat (ſic enim *Plinij error.* vertenda videntur, ὄζει ᾗ δ᾽ ὀδὸν ὥσ ἂν ζώου, Plinius tranſtulit, ſtatim peſtem denuntians, ſed non rectè) fructu cum ſuo putamine loculóve Seſami ſiliquis non abſimili, intùs ſolido, ſed in quatuor verſus diſtin- *Eſu lethalis* cto. Eſu lethalis eſt arbor, tam fructu, quàm foliis pecori, & ovium gregibus, ſed præcipuè capris, niſi purgentur. Purgantur autem inedia & cibi abſtinentia. Quæ poſtrema ſic fideliùs opinor, traducta ſunt, *Gaza lectio deprauata.* quàm à Theodoro. Nuſquam legi quid ſit ἄνοχον. Quare ἀνοχῇ legi poteſt. Alij ἄνοχον interpretantur vomitionem, ut Dodonæus. Matth. in Dioſc. Cneoron vocat: Hanc & capras & oves refugere opiliones aſſerunt. Dalechampius quidem cùm attentiùs contemplaretur caprarum greges, vicina fruteta depaſcentes, nullam vidit, quæ hanc attingeret, atque adeò cum decerptam objiceret, averſari deprehendit. Allobroges vocant *des ourles* Quo loco Theoph. Chamædaphnes legitur, mendum ſubeſſe Aſteriſcus indicat, & Gaza Clematidem legiſſe videtur, qui Vincam pervincam vertenit: non λευκῷ ἴῳ, ſimile in lego, ſed λευκοΐῳ, præſertim puniceo. Floris tam gravem & deteſtandum odorem non poteſt ſignificare ὀ- *Hiſt. Lugd. notatur.* νος. Hæc Lugd. quæ jungit & deſcribit glabram plantam, quæ non eſt, ut vult, Cneorum Matthioli. *Evonymus Theophr. non eſt.* An ſit Evonymus Theophr. hæremus. Non enim audivimus quenquam vidiſſe hanc in arborem excreviſſe, folia non ſunt mollia, fructus non eſt ſolidus, loculus ἢ τὰ κελύφη non ſunt in quatuor verſus diſtincta, ſed in quinque. Odor, nec ſapor nobis ingratus & fœtidus, ſed aromaticus & reſinoſus.

C.B.pin. Ledum alpinum 1. ſive hirſutum: Alpigenæ Chamærhododendri varietas, Lob. Balſamum alpinum Geſneri, Lob.ic. Tab. & Cam. Ledum alpinum, Cluſ.pan. & hiſt. Tab. Ciſtus Ledon alpinum, Ger. Eid.pin. Ledum alpinum 2. ſive foliis ferreâ rubigine nigricantibus: Ledi alpini genus alterum, Cluſ.pan. & hiſt. Rhododendros alpina quibuſdam, Cæſ. Chamærhododendros alpigena, Ger. Hoc floris colore variat, communiter dilutè rubentis: at in Pyrenæis, flore tantùm albo reperitur.

*Locus* In Allobrogum ſaxoſis & aſperis montibus naſci, propè Muram oppidum, decem à Gratianopoli milliaribus diſtans, Punicâ non altiorem, ſæpiùs breviorem, legitur apud Lugdunenſem. Ledi Alpini genus 1. inventum à Cluſio in ſummis Sneberg/ Snealpen/ Wechſeln/ Dürrenſtein, aliarúmque vicinarum Alpium jugis inter ſaxa, ad devexa plerumque eorum latera, & ſupra Gamingam, Chartuſianorum Cœnobium, in montis aſcenſu lapidibus ſtrato, qui ſubeundus eſt iis, qui ad Schef & vicinas Alpes proficiſcuntur. Aliud ejus genus invenitur *Tempus.* in Snealpen ſupra Neuberg. Floret utrumque Iunio & Iulio: ſemen ſub Auguſti finem, aut paulò ſeriùs matureſcit. Ledum alp. minus, hirſutum, in priori tabella litera A. denotatum provenit in montibus Genevenſibus, ut Thuiri. Vtrumque vidi in montibus Rhæticis, ut Burnio florens menſe Iunio; Patavij virens Martio, eſt enim perpetui folio: In monte Gorthardo Maio cum anguſtioribus foliis & quadripartito fructu, unde etiam attulit Cherlerus. Vtrumque Ledi genus obſervavit Gargillus in monte Pilati Lucernatium menſe Iunio, glabrum quidem adhuc florens, hirſutum verò jam defloruerat.

*Vſus.* Vtroque Ledo Alpino tinctores, qui montium Sneberg/ & aliorum vicina inhabitant, ubi provenit, utuntur ad lineas penulas nigro colore inficiendas, autore Cluſio.

## ROSMARINVS SYLVESTRIS quorundam. CAP XI.

*Deſcr. Virgæ.* CVbitalibus interdum eſt virgis, firmis, lignoſis, cortice cinereo obductis, quarum extremæ in plures alias tenuiores & quodammodo purpuraſcentes, eàsque etiam nudas dividuntur; illæ viciſſim in alios dodrantales ramulos, virentes quidem, ſed tomento quodam rubiginei coloris obſitos,



quos nullà ſerie digeſta, ſed confuſa ambiunt folia, Libanotidis corona- *Folia.* riæ foliis, ferè ſimilia, ſed longiora, ſupinâ parte viridia, adeóque in pronam partem reflexa & convoluta, ut ejus nihil conſpici poſſit, præter nervum, ſecundùm folij longitudinem, excurrentem ſimili tomento cum pediculo, cui inhæret, pubeſcentem, grati & ſuavis odoris, acriuſculi tamen ſaporis: ſummis iſtis *Capita.* ramis inſident capita, ex multis, brevibus quaſi ſquamis ferrugineis compacta, è quibus deinde ſeſe *Flores.* explicat, corymbacea quædam multorum florum coma, oblongis, tenellis atque virentibus, nonnihil tamen lanuginoſis pedicellis inhærentium, grato odore nares ferientium, quinis foliolis albis conſtantium, nò ſubluteorum (ut temerè quidam [*Lob.*] qui ſiccum cum flore ramum duntaxat conſpexit, aſſerere non eſt veritus) decem candidis ſtaminulis cum ſtylo medium florem occupantibus: his demum *Capitula.* ſuccedunt, oblongiuſcula capitula, pentagona, oſſiculis fructûs Corni, aliquando magnitudine non cedentia, quæ, dum adhuc viridia ſunt, argenteis punctis diſtincta eſſe videntur, ſed maturitatem *Semen.* adepta, rubiginei ſunt coloris, ſemenque continent oblongum, flaveſcens, adeóque exile, ut ſcobis, è ligno à vermibus eroſo ſponte decidentis, inſtar ſit. Verùm peculiare eſt in iſtis capitulis, ut matura deorſum inflectantur, terramq; mucrone ſpectent, magnâ Naturæ providentia, ne ſemen temerè effluat; nam præter reliquorum conſuetudinem, à pediculo, non ab extrema cuſpide, aperiri & dehiſcere ſolent: maturo ſemine, terni aut quaterni, alij ramuli, rubigineo tomento obducti cum ſuis foliis, in comæ lateribus naſcuntur, ſpem florum in ſe- *Radix* quentem annum pollicentes: radix lignoſa eſt, & *Odor plantæ.* brevibus fibris donata. Tota planta odorata, præſertim cum floribus onuſta eſt, & aromaticum quiddam ſpirat.

*Varietas.* Monuit Cluſium Achilles Cromerus, ad montium radices, ſe aliquas plantas inveniſſe, quæ flores ſex foliis conſtantes, duodeniſque ſtaminibus præditos proferrent: inſuper addidit, qui illi dux viæ fuiſſet, Venatorem adfirmare ſimilem plantam, in ſummis montium jugis conſpexiſſe, jam ſuis floribus ornatam, quæ digitalem longitudinem non excederet; nominatam autem ab eo Heydniſch bin- *Apiaria peregrina.* kraut/ hoc eſt peregrinam Apiariam, quod apes ejus videlicet floribus delectentur.

*Chamæpeuce Chamæpitys.* Cord. in Dioſc. Chamæpeuce, à Germanis Zeitheyde appellata, quam ait quoſdam pharmacopolas Chamæpytin vocare, ſed errare: quædam exemplaria pro

ria pro χαμαιπεύκην, χαμαικέδρυν, habere, ſed malè. Chamæpeucen Dioſcoridi & Plinio, Germanis Sewtannen / Gichttannen & Zeitheyde appellari. Hæc ille, qui in hiſt. eam copioſè deſcribit.

*Erica.* Falli eos ait Matth. qui velint eſſe Ericam Dioſcoridis: is vocat Wilden Roßmarin, Roſmarinum ſylveſtrem. Bohem. Royowruck. Lob. Obſ. & Ic. Ledum foliis Roſmarini alterum. *Roſmarinus ſylv.*

Videtur Cluſio pann. & hiſt. Ciſti Ledi generibus adnumerari poſſe hunc fruticem, Roſmarinum ſylveſtre, vocatum à Matthiolo & Caſtore, ideóque Ledum Sileſiacum nuncupavit. *Ledum Sileſiacum.*

Cam. hort. Chamæpeuce Cordi: Eid. ad Germ. Matth. ejuſdémque Epit. Roſmarinum ſylveſtre.

*Tab. & Gerar. notantur.* Taber. Ledum Roſmarini folio: Item Ledum Sileſiacum. Si compilator intellexiſſet, vel diligenter conſideraſſet, quæ ſcriberet, non ſeparaſſet à capite Roſmarini ſilveſtris Matthioli Ciſtum adulterinam: nec ejus imitator Gerardus, cui dicitur Ciſtus Ledum Sileſiacum, the Polonian Ciſtus: item, Ciſtus Ledon Roſmarini folio.

H. Lugd. p. 967. Roſmarinum ſylveſtre ſive Bohemicum Matthioli. Schvvenckſ. Ledum Sileſiacum majus: Meliſſa ſolitudinum: Schabenkraut / Heyden Bienkraut / Hart Heyde / Grantze / Sewgrantze Monticolis, quaſi dicatur ſuum grando, per metathesin literarum. C.B. pin. Ciſtus ledon 15. ſive foliis Roriſmarini ferrugineis: Roſmarinus ſylveſt. Dod. belg.

*Locus & Tempus.* Floret ſub finem Iunij, & Iulio plurimis udis & deſertis montium locis: ſemen Auguſto & Septembri eſt maturum: inhæréntque interdum in ſequentem uſque annum capitula, ſic ut recenti flore, & fructu ſuperioris anni vacuo, nonnunquam & tertij anni fructus pedicellis, onuſti rami conſpici poſſint.

*Vires & uſus.* Excalefacit, attenuat, aperit, roborat, concoquit, reſolvit, incidit, & digerit. Quin ad ea omnia efficax eſt, ad quæ Coronarius Roſmarinus, præterquam ad ciborum condimenta. Non dubium eſt tamen, quin ſi quis periculum faceret, ad pleraq; magni uſus futurus ſit hic frutex. *Articulorum contractio.* Sileſij, teſte Cromero, adverſus articulorum contractiones feliciſſimum ejus uſum compererunt, totius plantæ decocto in ſolium infuſo, cui ægri inſideant & ſubinde id repetant. *Oleum.* Hujus Oleum ſtillatitium vitreis organis extractum quod cum fragrans admodum ſit, & ſtirpis florúmque nativum odorem retineat, magnas procul dubio facultates etiam obtinebit. Nondum tamen quiſquam periculum fecit, ſed non defuturos arbitramur, qui aliquando experientur. Tota planta odorata eſt, & aſpectu jucundo (inquit Schvvenckſ.) præſertim cum floribus onuſta eſt. *Sciatica.* Articulos roborat: prodeſt ſciaticæ, & aquoſis pedum tumoribus. *Vteri morbi.* Additur inſeſſibus ad menſes mulierum eliciendos, alióſque uteri morbos. *Capitis morbi.* Lixivio ad inveteratos capitis dolores. *Scabies.* Cum Scrofularia in balneis ſcabiem ſanat. *Cereviſiæ incoquitur.* Cymas cereviſiæ nonnulli incoquunt ad inebriandum. *Tineas fugat.* Totam plantam in ciſtas, veſtimenta à tineis & blattis ut vindicet, reponit vulgus. *Pecorum ſcabies.* Ruſtici in ſtabulis ſubſternunt jumentis & porcis, adverſus eorum ſcabiem & grandinem. *Apib. grata.* Foliis apiarij alvearia perfricare ſolent ob odorem apibus gratum & amicum.

## ROSMARINVS SYLVESTRIS, ἄοσμος Cluſio. CAP. XII.



*Deſcr. Virgæ.* FRutex quidam, inquit Cluſius, pedalis altitudinis rarò amplior, tenuibus, ſubrubentibus, virgis præditus, quæ deinde in tenuiores candicantéſque ramulos, dividuntur, anguſtis, oblongiſque foliis, temerè & confuſo ordine eos veſtientibus onuſtos, supernè virētibus, infernè verò caneſcentibus, & Salicis pumilæ anguſtifoliæ foliis admodum ſimilibus, guſtu valdè exſiccante, & nullo grato odore: *Folia.* ſummis etiam ramis inſident capitula, ex multis, brevibus ſquamis cōpacta, cachryos modo, è quibus ſeſe explicát aliquot floſculi, tenuibus, oblongiſque pedicellis inhærentes, quinq; foliolis cōſtantes, ut ſuperioris, ſed diverſi coloris, nimirum rubri dilutioris, ſive quodammodo carnei, quibus excuſſis pentagona conſpiciuntur capitula, brevia & obtuſo mucrone, exili & palleſcente ſemine plena. *Floſculi. Capitula. Semen.* E Sileſia ad Cluſium mittebat Frid. Sebitzius, inſcriptione Roſmarini ſylveſtris ἀοσμοῦ. *Roſmar. ἄοσμος.* Tab. Ciſtus adulterina mihi incognita. *Tab. notatur.* Compilator poterat conſiderare eſſe effigiem, Cluſij figuræ valdè ſimilem, & ponere propè Roſmarinum ſylveſtrem Matthioli. *Ger. notatur.* Ger. Ciſtus adulterina, Contrefecht Ciſtus: item, Roſmarinus ſylveſtris, Wilder Roßmarin. Cur Gerardus duas facit Ciſtum adulterinam ex Tab. & Roſmarinum ſylveſtrem ex Cluſio, diverſas plantas? Cur non ponit c. 5. juxta Ciſtum Ledum Roſmarini folio?

C.B. pin. Ciſtus ledon 16. ſive foliis Salicis anguſtifoliæ. Chamærhododendros montana Allobrogum lentiſcifolia, Lob. Adv. & Ic. Chamærhododendros alpina anguſtifolia, Tab. Chamærhododendros montana, Ger. Roſmarinum ſylv. minus, Cam. ep. *Autoris opinio.* Hîc doctiores judicent, an ego fratre C. Bauhino meliùs Chamærhododendron hanc montanam, Lob. Tab. & Gerardi, ad Nerium alpinum; Vel ille me rectiùs, ad Ciſtum Sileſiacum Cluſij, ſive Roriſmarinum ἄοσμον, referat?

Hoc tamen moneo, me ſuſpicari Cluſij Roſmarini iconem factam ad plantam in horto cultam, & fortè non differre niſi culturà, à ſequenti Camerarij Roſmarino ſylveſtri minore, ut ſtatuere etiam videtur Schvvenckſeldius.

## ROSMARINVS SYLVESTRIS minor Camerarij.

*Deſcri.* MVltò minor, & tenerior eſt priore, lignoſis atque tenuibus virgis, ultra palmi altitudinem paululum aſſurgens: vel ad plurimum dodrantem æquans: *Folia.* folia acuminatiora ſunt, & inferiore parte cæſia. *Floſculi.* In ſurculorum ſummitatibus floſculi prodeunt rubelli, è quibus ſemen, prioris plantæ [*Roſmarini ſylv. quorundam*] ſemini ſimile. *Odor.* Odor ipſius vix percipi poteſt.

*Locus.* Naſcitur Roſmarinum ſylv. minus, Cam. in Epit. ſive (ut in hiſt. Germ.) Roſmarinus ſylveſt. minor, Wilder kleiner Roßmarin / in Boruſſia, in ſilvis umbroſis, uliginoſo ſolo propè priorem, quæ ibi humanam ſtaturam pænè ſuperat.

*Synon.* Roſmarinum hoc Camerarij mihi perſuadeo idem cum Cluſiano inodorato, antè tradito, quamvis icones multùm differre videntur: fortè à Cluſio

cultu



culta depicta.

Schvvenckf. Ledũ Sileſiacum minus: Roſmarinum ſilveſtre minus Matthioli: Roſmar. ſilv. ἄσπυλος Cluſij: Flein Grantze.

*Tempus.* Rariùs occurrit iiſdem natalitiis, flore Maio & Iunio conſpicuus, concavo, quo ab altero diverſus, ſuaviter rubente.

*Vires.* Folia Roſmarini latiora, pulchrè virentia, inodora, exſiccantis & adſtringentis facultatis. Neglecti usûs.

## LIBANOTIDIS SPECIES RONdeletij. CAP. XIII.



*Deſcr.* Lignoſus eſt frutex, bipalmaris (à Cherlero bicubitalis obſervatus) *Radix.* radice ſubrufa, robuſta: *Stolones.* ſtolonibus rigidis Roriſ-marini textura, alioqui glabris, ſed minoribus ramis, hirſutis, per *Folia.* quos folia, Hyſſopi Arabum foliis paria, alia Thymi Cretici capituli foliorum modo, latiora, hirſuta, aſpera, dura, ex eodem puncto ſæpenumerò plura, quorum unum reliquis longius multò, uncialem tamen longitudinem non aſſequitur, nervo unico, per ſingula ſecundùm longitudinem decurrente: nullo ſeu odore, ſeu ſapore: *Flores.* flores extremis hærent ramulis, ex oblongo tubulo in calathiſcum quinquepartitum, ad Primulę veris imitationem, explicati, colore pur- *Semina.* pureo, ſemina cum Echij ſeminibus nonnihil habent commune, aut potiùs Buglosſi, ſatis magna, colore cinereo.

*Synon.* Lugd. figuram & deſcriptionem habet ſub titulo, *Tragoriganum nothũ* Tragorigani nothi Dalechampij. C.B. phyt. Tragoriganum anguſtifolium 3. ſive, Tragoriganum nothum Dalech. Eid. in Animadv. in Hiſt. Lugd. Tragoriganum nothum Dalechampij: Anchuſa li- *C. Bauh.* gnoſior Penæ. Vtrobique deſcribitur. Non poſſum ego cum fratre Tragoriganum Dalech. & Anchuſam Lobelij eandem facere plantam, quamvis adhuc in pin. ejuſdem ſit opinionis. Vna enim frutex eſt: altera non item. Vni flores ſpinoſi, purpurei: alteri puſilli, cærulei.

*Locus cum tempore.* Menſibus Martio, Aprili & Maio floret Monſpelij in monte Caſtelneuf.

## ROSMARINVS CORONARIVS fruticoſus. CAP. XIV.

*Deſcr.* Roſmarinus frutex jucundiſſimi odoris Thus redolentis (unde & nomen ipſi λιβανώτιδος inditum) vel imprimis utilitatis commendatione notiſſimus, & quia corollis petitus, Coronarij nomen adeptus, bicubitalis eſt, & altior, virgultis tenuibus, *Virgulta.* cinereo colore præditis, in quibus fo- *Folia.* lia aliquot ſimul, ex intervallis oriuntur, rigidula, Lavendulæ anguſtioribus, brevioribus, pronâ parte candidis, ſupinâ ſemper virentibus: *Flores.* flores ex foliorum alis, ex cæruleo albicantes, Salviæ florum effigie, minores, labello cotylæ inſtar concavo, guttato: fibræ incurvæ, longæ, ex rictu ſub ſupremo folio promicant.



Duplicem agnoſcimus Roſmarinum vulgarem, ſeu Coronariam Libanotin, cujuſ- *Libanotis duplex.* modi etiam meminit Cordus & ex eo Geſ. de hortis. Vnam nobiliorem anguſtiore folio, quam Cordus *Minor tenuifolius.* in Hiſt. Roſmarinum minorem ſeu tenuifolium appellat, quique apud nos in hortis colitur, quem quidam putant veram Libanotidem Dioſc. & veterum Medicorum, ſed apud nos degenerare: verùm hi toto cælo aberrant; diverſiſſimæ ſunt plantæ. Alteram *Maior ſilveſtris.* ignobiliorem à Cordo ſilveſtrem ſeu majorem vocatam, cui Plinium falsò ſemen negare tradit, quàm- *Plinij lapſus.* que naſci in Narbonenſi Gallia ſcribit.

*Munſter. cum Creſc. notatur.* Munſterus. Coſm. lib. 2. de Narbona, Roſmarini ineptam figuram proponit. Quin & Creſcentius pro Roſmarino aliquid Myrti ſimile pingit.

*Mizaldi error.* Mizald. ait rura & officinas Rorem marinum appellare quod aliis Libanotis dici ſoleat. Sed Mizaldus non diſtinguens inter Libanotidem, quæ Cachry fert herbam: & Libanotidem coronariam fruticem, huic tribuit, quæ ei conveniunt, ut infra licebit videre de viribus ex eo recitàtis. Eundem planè errorem ac plures alios Car. Steph. in hort. committit, talia dicens: Roſmarinum, ſive, ut quibuſdam placet Roſmarinus, adhuc hodie vulgus appellat *du R. ſmarin:* Eum autem fruticem Plinius Libanotida *Libanotis Plinij, Stephano.* vocat l. 19. c. 12. &c. Sunt autem, ne quis fallatur, multæ Libanotidis ſpecies, quarum una tantùm mihi eſt cognita. Eſt enim Libanotis ferax, quæ duplex, *Libanotis ferax.* mas & fœmina: folia habet Roſmarino ſimilia, ſed umbellam gerit, quemadmodum Anethum, in qua eſt Cachry, cujuſmodi in canina Roſa apparere ſolet, atque in ipſo Cachry ſemen complexum eſt. Cæterùm hæ duæ Libanotidis ſpecies mihi ſunt ignotiſſimæ. Eſt & alia Libanotis, quæ ſterilis appellatur, *Libanotis ſterilis.* eáque ſimplex eſt, ramos ſeſſiles habens, ac folia noſtro Roſmarino ſimilia, ſed neque florem, neque ſemina gerit, paſſimque audio reperiri apud Monſpeſſulanum: item etiam in quibuſdam Hiſpaniæ agris, quos eâ herbâ ſpontè naſcenti plenos ac refertos audivi. Eſt inſuper alia Libanotis ſpecies nobis cognitiſſima, atque hæc à Gal. l. 7. ſimpl. Coronaria *Liban. Galeni.* vocatur. Quæ hactenus ſcribit Steph. de Libanotide coronaria, ſcatent erroribus. In primis malè Roſmarinum coronarium, eandem facit cum Libanotide Plinij. Quis dixit Stephano Libanotidem fera- *Car. Steph. errores plures.* cem habere folia Roſmarini? Dioſc. dixit Marathri. Quid ſibi vult cum Cachry in roſa canina? Quænam eſt Monſpeſſulana & Hiſpanica? Cur non dicit Galeni eandem cum Roſmarino, primo loco ab eo tra-

ditam? Cur non ſtatim eam ſubjunxit? Verba quæ de viribus adducit radicis, nullo modo competunt *Fr. Venetus notatur.* noſtro Roriſmarino. Sed & Franciſc. Venetus in ſua Harmon. mundi confundit cum Libanotide, ſive Roſmarino coronaria, umbelliferâ ſive ſerulaceâ.

*Zea. Dendrolibanus.* Trago Libanotis dicitur etiam Zea, itē Dendrolibanus & Campſanema, ab Italis Corona montana. In Serapione hæc leguntur nomina Xaieralmerien, *Arbor Mariæ.* Arbor Mariæ, Alpinalphach, Cachola. Avic. facit Buchormarien, quod negat Serapio. Orpheus vocat Solis Thymiama teſte Agrippa occult. philoſoph. *Ang. error.* Anguillaræ eſt Roſmarinus coronaria Cneorum nigrum Theophr. Caſia Hygini & Virgilij. Sed errat Anguillara, ceu & alij recentiores quidam, exiſtimantes Roſmarinum coronarium eſſe Cneorum Theophraſti.

*Synon. C.B.* 1. C.B. pin. Roſmarinus 1. ſive hortenſis anguſtiore folio. Roſmarinus, Brunſelſ. Trag. Fuch. Turn. & Lon. Roſmarinum coronarium, Matth. Ang. (cui & Cneorum Theoph. & Caſia Latinorum) Dod. gall. Lac. Lob. Lugd. Cam. & Eyſt. Libanotis coronaria, Cord. in Dioſc. & Geſn. hor. cui & Roſmarinus minor ſive tenuifolius. Caſia nigra Theophraſti, Dal. in Plin. Hyſſopus Hebræorum quibuſdam. Floribus eſt communiter ſubcæruleis, rariùs albis.

2. Eid. pin. Roſmarinus 2. ſive ſpontaneus latiore folio: Roſmarinus ſilv. ſeu major, Cord. hiſt. Roſmarinus alter ignobilior, Geſn. hort. Roſmarinum ſilv. Cæſ.

*Coronar. cur dictus.* Cæterùm, Coronariam hanc, & Libanotidem & Roriſmarinum cognominamus ad differentiam aliarum Libanotidum & Roriſmarinorum, partim ſcilicet hoc libro dictorum, partim verò dicendorum lib. 27. inter Vmbelliferas.

*Nomina linguar.* λιβανωτὶς Dioſc. λιβανωτὶς στεφανωματικὴ recentioribus, Roſmarinus aut Libanotis coronaria, Arab. *Elkialgeber*: Germ. Roßmarin: Belg. Roſemaryn: Gall. *Roſmarin*: It. *Roſmarino, Roſmarino coronario*: Hiſp. *Romero*; Ang. Roſemari/ & Garden Roßmarien: Boh. Roßmaryn.

*Locus cum tempore.* Qui ſeminatur, & latiora & rugoſiora habet folia, non facilè fert hyemem. Alter folio anguſtiori, vulgatior, ſurculis facilè propagatur: Ex ſemine an hic proveniat ignoro. Roſmarinum ſpontè provenientem obſervavi in Gallia Narbonenſi, ubi tantus ejus proventus, ut haud temerè aliud incolæ lignum urant, eóq; Monſpelij & locis vicinis pro ignis vomite utantur. Floret menſe Martio, Aprili, Autumno ac toto ferè anno. VVatvvillæ in Alſatia me docuit Sacerdos, Rorimarino ut citiùs proveniat decerpendos eſſe ſummos ramulos, ídque ſæpiùs, ut lignum durius evadat ac frigori magis reſiſtat: adhæc ſi in tranſplantatione, fimus addatur, corrum-*Cultura.* pi. Seritur, inquit Plinius, quoniam illi ſemen non eſt [*falsò illi negat ſemen*] propagine & avulſione. Tradunt fæce vini, aut è parietibus latere tuſo, mirè ali. Roſmarinus certò tempore in novella Iunipero inſita, ut Cam. obſervavit, eò faciliùs hiemem non reconditus perfert.

*Vires & uſus. Icterus.* Dioſc. Roſmarino vim tribuit calefacientem: ſanare morbum regium, ſi quis ipſam in aqua coctam ante exercitationem exhibeat bibendam: deinde exercitatum lavet, & vinum ipſi hibendum det: miſceri etiam acopis & unguentis de glaucino. Vſus ejus ſi Plinio credimus, ſtomacho poſt annum ſaluberrimus. Datur contra ſerpentes ex vino, vel aceto. Pulices etiam contrita, & cum aqua ſparſa necat. Roſmarinus coronaria, ut Serapio teſtatur, calefacit, exſiccárque: & ex autoritate Abin Meſue, con-*Coriza.* fert, ait idem, Corizæ frigidæ cerebri. Mizaldus varias ei adſcribit vires, de quibus ager dum. Roſmarinus inquit, frutex eſt topiarius, nec non coronarius, cujus odor, reſinam aut Thus, utcunque præ ſe fert: tam ſuavi ac jucundo ſpiraculo, ut quos animus de-*Syncope.* fecerit, ilicò recreare poſſit. Suffitu deſtillationes ac *Catharrus.* tuſſim continet, regiúmque morbum ſuo curat decocto. Et quod illi de multis nobile eſt ac inſigne, ſolo nidore in peſtilentia tutam reddit domum, di-*Peſtis.* luendo & expurgando improbam aëris perniciem ſuffitu ac vapore ſalutari. Flores caput ac cerebrum maximè roborant; ex quo illorum uſus admodum efficax eſſe ſolet contra capitis affectiones. Sunt qui *Conditura.* Saccharo eos condiant, & ſibi ac amicis eam in rem diligenter cuſtodiant. Totus frutex utilis eſt, omni-*Morbi frigidi.* bus frigidis ægritudinibus, membra ac nervos egregiè roborans & calefaciens. Sed paulò particulariùs hîc nobis eſt medicè philoſophandum in expertis & probatis Roriſmarini auxiliis. Itaque ſuccus radi-*Succus radicum & foliorum.* cum & foliorum ejus defæcatus, & cum melle deſpumato in modum collyrij concinnatus, plurimùm valet ad defluxiones pituitæ in oculos. Quæ ſi calidæ fuerint, licebit addere ovi albumen, cum ſucco Pomi generoſi, & aqua roſacea confuſum ac diu agitatum. Semen cum Pipere & vino hauſtum ſingulare adfert præſidium contra icterum, hepatis obſtru-*Hepatis obſtructio.* ctiones & inflationes. Radix ſiccata, pulverata, & cum vino bibita, ventris dolores, etiamſi colici fue-*Ventris dolor.* rint, perbellè caſtigat & demulcet. Quis non exſibi-*Mizaldi lapſus.* let Mizaldum? Quis unquam obſervata Roriſmarini radice præſcribet ex ea ſuccum defæcatum, vel credet lignoſam & inſipidam radicem efficere poſſe perbelle, quæ ille pollicetur? ſi medicè philoſophatus fuiſſet, & expertus, quod jactat, animadvertiſſet ſe confundere ineptè admodum Libanotim umbelliferam, Cachryn ferentem, quæ herba eſt, cum Libanotide coronaria, quæ frutex arboreus eſt. Credant lectores iſtis Medicis non Botanicis, fabulas ſcribentibus pro veris. Dodonæo calidum & ſic-*Temperamentum.* cum Coronarium Roſmarinum ſecundo eſt ordine, & ſimul adſtringentis facultatis particeps; utpote ex terreſtri quadam eſſentia copioſiùs admixta, compoſitum. Proinde & omnes uteri diuturnos *Vterus.* fluxus ſiſtit & ſanguinis profluvia ſupprimit. Convenit etiam, & præſertim flores, omnibus capitis ac cerebri ex frigida humidáq; cauſa malis; cerebrum etenim deſiccant, ſenſus & memoriam acuunt, nervoſas partes confortant. Matth. Roſmarinus non tantùm ad corollas expetitur, ſed & culinas & phar-*Ad culinas.* macopœorum officinas: obſoniis enim quibuſlibet & potibus gratiam conciliat, & ad multos morbos vim ſalutarem habet. Ejus decoctum ſuperfluos humores cōſumit, veneno reſiſtit, hepatis & lienis obſtructiones aperit roborátque. Roſmarinus cerebro *Cerebri morbi.* robur addit & ſenſibus omnibus, frigidis defluxionibus quibuſcunque utilis, epilepſiæ, lethargo, paralyſi, caro, contractionibus, tremori, ſtupori: albos fluores mulierum potu & inſeſſu curat. Siccati pulvis cum toſto pane, aut ex vino Cretico aſſumptus ventriculo cibum non retinenti confert. Roriſmari-*Ventriculus.* ni cum Ruta in vino decoctum addito Piperis momento bibitum, auxilio eſt epilepticis. Conſerva *Conſerva.* florum Roriſmarini idem præſtat. Quibus anima fœtet, aut viſus imbecillior, ꝓdeſt comediſſe omni matutino tenella folia & flores cum pane & pauxillo ſale. Suffitus naribus & ore hiante exceptus valet ad tuſſim & catarrhū. Collutio oris ex Roremarino in aceto & vino acido decocto dentibus & gingivis ſalutaris. Ex aqua decoctus vulnera putrida & ulcera exterget inſperſo ſimul pulvere. In lixivio capita-*Lixivium.* li utiliter maceratur. Stillatitius liquor efficax eſt ad epilepſiam manè bibitus: cōfert ventriculo & cordi: prodeſt capiti vertiginoſo & anhelitui fœtido. Oleū ad prędicta efficacius. artus atrophiâ laborátes reficit. cervix & tēpora eo inuncta apoplexiam p̄cavet.

*FINIS LIBRI XIII.*

HISTO.

# HISTORIÆ UNIVERSALIS PLANTARUM LIBER XIV.

## QUI EST ROSARUM, ET HIS AFFINIUM SPINOSARUM NONNULLARUM, UT RUBORUM, CAPPARUM.

*NUNC amœnam illam Roſam celebremus, florum reginam, ſed quæ undique rigidis ſpinarum telis armata ſit: unde Roſa Plinio naſcitur ſpinâ veriùs, quàm frutice. Quanquam & nos abſque ſpinis naſcentes obſervavermus, uti conſtabit in progreſſu. Sed quid vel ſpinarum minas metuamus, tàm roſeo colore, tàm pulchrâ floris facie, tàm ſuave ſpirante odore illecti? Adeamus & florum venuſtiſſimam decerpentes contemplemur.*

### DE ROSA. CAP. I.

*Duo ſumma faſtigia.* NOTISSIMA Roſarum ſtirps tam hortenſis, quàm ſilveſtris, tametſi fruticoſa & ſpinoſa ſit, conſentaneum tamen & decens magis eſt, eam ſeorſim hîc tradere, quàm aliis ſpinoſis fruticibus jungere. *Deſcr. univerſalis.* Eſt igitur in genere frutex infirmus, Cæſ. & citò ſeneſcens, niſi recidatur, ut cùm ſuffruticibus ambigere videatur: *Virgæ.* ramis aut potiùs virgis ductis, lignoſis, &, ut plurimùm, hiſpidis, mordacibúſque aculeis horrentibus, non rectis, ſed modicè recurvis, frequentibus: *Folia.* foliis ſubrotundis, aſperis, per ambitum ſerratis, quinque & ſeptem ex uno nervo, ſive pediculo cohærentibus, ſibi invicem oppoſitis, ſupremo ſingulari: *Flores.* floribus (quibus Roſæ nomen ſui fruticis, quíque proprie ῥόδον Græcis, ob odoris ſuavitatem dicti) primùm herbaceo incluſis calyce, *Alabaſtri.* qui tumeſcentes in virides alabaſtros faſtigiantur, quibus dehiſcentibus flores panduntur, vel ſimplices, vel multiplices, *Stamina.* in calycis ſui medio ſtamina quædam capillacea, luteis apicibus donata, complexi: *Semen.* ſemine in oblongis capitulis, quæ calycibus & floribus ſubſunt, Dod. per maturitatem rubentibus, duro, lanugine involuto: radicibus duris, lignoſis, in diverſa tendentibus.

*Roſæ partes.* Porrò, Roſæ partes Medici numerant octo, quas ob medicam materiam noviſſe proderit, viribus ſiquidem differunt. Pediculus igitur, qui florem ſuſtinet terminatur in caput ſolidum, lanugine quadam refertum, foliis & floribus ſubſtratum, ceu baſis totam roſam ſuſtinens, *Calix.* calyx [*quo nomine tamen globulum totis foliis nondum apertum cognominant*] vocatus. *Cortex.* Hunc ambit cortex apertâ roſâ in quinque pinnulas ſeu lacinias diviſus. Tertia pars eſt, floris medium illud croceum, quod capillamentis inſidet, à recentioribus & Officinis Anthera vocata, deductum ab eo, quod eſt ἄνθος ῥόδου, id eſt, flos roſæ. *Anthera.* Quarta, ipſum capillamentum ſubtile, veluti filum floris, ſeu crocei illius fulcrum & ſuſtentaculum. *Capillamentum.* Quinta folium, cujus ima pars candida, unguis appellatus, ſextam conſtituit. *Folium. Unguis.* His addunt ſeptimam, quæ eſt lana in capite contenta. *Lana.* Semen, quod eſt octava pars Roſæ, ne putes inquit Palladius, medios floſculos eſſe, aurei coloris, ſed baccas Pyri breviſſimi ſimilitudine, ſeminibus plenas, poſt vindemiam maturas, quarum quidem maturitas tum ex colore rufo, tum ex mollitie æſtimatur. *Semen.* Et hæc ferè ſunt, quæ omnibus Roſis ſunt communia: de his pluribus agetur infra.

*Theoph. deſ.* Theophraſtus Roſam modò inter frutices, modò inter ſuffrutices numerat, ejuſque differentias his verbis aſſignat. Roſarum differentiæ multæ, foliorum multitudine, paucitate, aſperitate, lævitate, colore, odore. *A foliis.* Quippe plurimis quina [in flore] folia ſunt, quibuſdam duodena, vicenáque, aliis longè plura: *Centifoliæ.* ſunt enim quas Centifolias vocant, quæ circa Philippos plurimę proveniunt, quas incolę ex Pangæo transferentes ſerunt: illic enim multæ ejuſmodi ſunt. Sed folia interna [*in harum flore*] parva admodùm ſunt, ita enim oriuntur, ut alia intus, alia extra emicent, non tamen jucundi odoris, nec amplæ magnitudinis ſunt. *Ab odore.* Odoratiores inter amplas, quibus pars ima ſcabra. Ad ſummam (ut dictum eſt) *A colore.* & odoris & coloris præſtantia, loci ratione contingit: & quæ eædem in diverſa tellure proveniunt, à ſe differunt, quod jucundum vel nullum ſpirent odorem. *Et hunc locum Gaza ſic eſt malè interpretatus: nam & quæ in eadem tellure proveniunt, diverſitatem bonæ exiliſve olentiæ, nullam oſtendunt.* *Gazæ lectio mala.* Odoratiſſimæ quæ apud Cyrenam gignuntur. *Cyrenaica.* Sylveſtris aſperioribus tum virgis, tum foliis conſtat, & florem minùs odoratum, minúſque coloratum, nec tam magnum fert.

*Genera Plinio.* Paulò curioſiùs de his Plinius prodidit. Genera ejus noſtri fecère celeberrima, *Preneſtina. Campana. Mileſia.* Preneſtinam & Campanam: addidère alij Mileſiam, cujus ſit ardentiſſimus colos, non excedentis [*excedens*] duodena folia. *Trachinia.* Proximam & Trachiniam minùs rubentem: mox *Alabandica.* Alabandicam, viliorem, albicantibus foliis. Vtiliſſimam [*alij viliſſimam*] verò plurimis, ſed minutiſſimis *Spineola.* Spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, aſperitate, lævore, colore, odore. Pauciſſima quina folia ac deinde numeroſiora, cùm ſit genus ejus *Centifolia.* quam Centifoliam vocant, quę eſt in Campania Italiæ, Græciæ verò circa Philippos, ſed ibi non ſuæ terræ proventu. Pangæus mons in vicinio ferr, numeroſis foliis ac parvis, unde accolę transferentes conſerunt, ipſaque plantatione proferunt. Non autem talis odoratiſſima eſt, nec cui latiſſimum maximúmque folium. *Indicium odoris.* Brevitérque indicium eſt odoris, ſcabritia corticis. Cepio Tiberij Cæſaris principatu, negavit Centifoliam in coronas addi, præterquam extremos velut ad cardines utpote nec odore, nec ſpecie probabilem. Eſt & quæ Græca appellatur à noſtris, à Græcis Lychnis, nonniſi in humidis locis *Græca, Lychnis.* provenìens, nec unquam excedens quinque folia, *Græcula.* Violæ magnitudine, odore nullo. Eſt & alia Græcula appellata, convolutis foliorum panniculis, nec dehiſcens niſi manu coacta, ſempérque naſcenti ſimilis, latiſſimis foliis. Alia funditur è caule malva- *Moſcheuton* ceo, folia Oleæ habente, Moſceuton vocant. Atque *Autumnalis, ſive Coroneola.* inter has media magnitudine Autumnalis, quam Coroneolam vocant. Omnes ſine odore præter Coroneolam, & in Rubo natam: tot modis adulterantur. Hactenus Plinius, qui & Pallidæ & Quinquefoliæ meminit, de quibus infra, ubi de loco & tempore ſermo habetur, agetur.

*Roſæ colores* In Roſis communiter color quadruplex invenitur: eſt enim aliis rubeus, candidus aliis, aliis candor ineſt rubore aſperſus, qui color propriè roſeus & carneus dicitur, & hoc genus vulgò incarnatum vocant: aliis pallidus.

*Fabulæ de Roſæ colore mutato.* Roſam verò nonniſi candidam per initia fuiſſe, comminiſcuntur, & Turcę & Poëtæ. Illi non ut Poëtæ Roſam ex ſanguine Deæ alicuius tinctam eſſe credunt, ſed (id referente Generoſo D. Augerio Buſbekio) ex ſudore Mahumetis rubedinem illam ortam eſſe ſibi perſuadent: ac propterea hujus folia humi jacere non patiuntur. Græci econtra ſangui- *Cupidinis ſanguis.* ne Cupidinis, ut Auſonius, admirandam illam colorum pulchritudinem odoriſque ſuauitatem à Vene- *Veneris ſanguis.* re contributam fingunt. Alij vulnerato Veneris pede eam adrubuiſſe fabulantur hoc modo. Deam Venerem Adonidis amore captam Mars Zelotypus deperire laborans, Adonidis morte initam conſuetudinem ſolutum iri ſperat, Adonium interficit. Venus reſciens geſtum facinus, omni ſtudio diligentiáque properè ſubſidium ferre volens, in Roſæ frutices irruit, pedem nullo munitum Sandalio ejus ſpinis transfigit: unde Roſæ priſtinum candorem, in profuſi cruoris memoriam, in ruborem convertit. Quare Claudianus:

*——Sic fata cruoris Carpit ſigna ſui.*

Alij aliter: Ferunt enim Cupidinem cum in Deorum convivio laſcivis ſaltationibus indulgeret pate- *Nectar Deor.* ram nectaris plenam, alæ concurſu ſubvertiſſe, nectar inde fuſum florem Roſæ rubicundum reddidiſ- *Cupidini ſacra.* ſe. Philoſtratus Roſæ fruticem Cupidini dicat, quem tota facie videtur æmulari. Semper illa recens juveniſque, nec non mollis ut Cupido. Aureis comatur capillis, ſpinas pro jaculis geſtans, pro faci- *Encomia Roſæ.* bus fulgorem. Folia pro alis Roſæ data ſunt: neque Cupido, neque Roſa tempus norunt. Idem lumina terræ, veris comas, amoris igniculos, terræ fulgur appellat. Quod vero Philoſtratus Roſis hæc aſſignet attributa, nemini mirum videbitur, ſi Anacreontem Tejum Poëtam græcum vetuſtiſſimum quem Henricus Stephanus perquam eleganti carmine latino reddidit, canentem audiverit:

*Roſa honos decúſque florum,*
*Roſa cura, amórque Veris,*
*Roſa cœlitus eſt voluptas,*
*Roſcis puer Cytheres*
*Caput implicat coronis,*
*Charitum choros frequentans.*

Apud Achillem Tatium l. 2. de Leucippe & Clitophonte, invenitur ſequens encomium Roſæ. Si floribus vellet Iupiter imponere Regem, Roſa inter *Florum regina.* flores regnum obtineret. Terræ eſt ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruſcans. Amorem ſpirat, Veneris eſt conciliatrix, formoſis foliis comata eſt, nobilibus frondibus luxuriat: Calix Zephiro ridet.

Roſa etiam Veneri ſacra eſt. Virgilius in Roſa: *Veneri dicata.*
*Sideris & floris eſt domina una Venus.*

Hac autem ratione Veneri Roſam dicarunt anti- *Brevi tempore durat.* qui, ut quemadmodum brevi hæc tempore duret, & ocyſſimè marceſcat, ſic forma & voluptas venerea citò pereant. Quod Hieronymus Angeriamus apud Curtium feſtivo hoc diſticho notavit:

*Pulchra brevi duras Roſa tempore, forma brevíque*
*Tempore: ſic formæ par Roſa tempus habes.*

Roſam porrò brevi temporis ſpatio durare, inſinuit elegantiſſimus hic Theocriti verſus:

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
*Et Roſa formoſa eſt, ſed tempore marcet & arcet.*

In quam ſententiam elegantiſ. diſtichon extat Ioan. Majoris Poëtæ celebris.

*Vt Roſa manè viget, tamen & mox veſpere languet,*
*Sic modò qui fuimus, cras levis umbra ſumus.*

Et alterum ejuſdem:

*Vidi ego mane Roſam Solis cum lumine naſci,*
*Et vidi rurſum Sole cadente mori.*

Huc facit & illud:

Ῥόδον παρελθὼν, μηκέτι ζήτει πάλιν. *Adagia. 1.*
*Ne quære rurſum præteritam ſemel roſam.* i.e.

Ne te maceres deſiderio rerum, quæ revocari reſtituíque non queunt, velut exactæ juventæ, formæ, virium, fortunæ. Nam ut nihil eſt Roſa gratius, ita nihil minùs diuturnum. In eundem ſenſum dixit in Odis Horatius,

*Mitte ſectari Roſam, quo locorum Sera moretur.* 2.

Habent enim Roſæ ſuum tempus, ſed perbreve. at exquiſitius delicati etiam alieno tempore Roſam quærunt. Vnde quadrabit & in eos qui jam ἔξωρα voluptates ſectantur: veluti ſi Nucibus ludat vir, aut amet, potitétve ſenex. Rubet præterea, pungítque. Nam & libido ipſa verecundiæ opprobrio erubeſcit, pererratíque aculeo ſtimulatur. Græcorum *Palladi adſcripta.* tamen nonnulli Palladi Roſam attribuunt, propter Myrſinem Athenienſem puellam. Huc etiam refertur diſtichon hoc Virgilij:

*Collige virgo Roſas, dum flos novus, & nova pubes:*
*Et memor eſto ævum ſic properare tuum.*

Ovidij illud de arte amandi:

*Forma bonum fragile eſt, quantúmque accedit ad annos,*
*Fit minor & ſpacio carpitur ipſa ſuo.*
*Nec ſemper Violæ, nec ſemper Lilia florent:*
*Et riget amiſſa ſpina relicta Roſa.*

Olympij Nemeſiani in Bucolico ludicro:

*Non hæc ſemper erunt, perdunt & gramina flores:*
*Perdit ſpina Roſas, nec ſemper Lilia candent.*
*Nec longum tenet Vva comas, nec Populus umbras.*
*Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annis.*

Priſcis, ſicut & recentioribus, Roſam in honore maximo fuiſſe, ſatis ſupérque compertum eſt, eorum etiam monumentis. Quod vel imprimis hoc a- *Adagia.* dagio Græco comprobatum: ῥόδον ἀνίμων τυγχάνεις, id eſt,

*Roſam cum Anemona confers*

id eſt, *Roſam cum Anemona confers.* Vbi quis impatia inter ſe componit. Eſt autem Anemone, Papaveris genus, cujus flos, ſpecie Roſam imitatur, cæterùm nulla odoris gratia. Eſt & aliud, *Roſas loqui*,
2\. *Roſas loqui,* id eſt, verba gratiſſima, & Roſarum inſtar amabilia. Et Perſius ait:
3\. *Quicquid calcaverit hic, Roſa fiat.*
Quod adhuc vulgus in homines glorioſos profert.
4\. Adde & hoc quod Crateti philoſopho adſcribitur, *Sus per Rocas* [ὗς διὰ ῥόδων.] Eſt autem Roſæ odor huic animali naturâ contrarius. Conſule hac de re Camerarij cent. 2. p. 58.

*Virtutis indicium.*

Inter Philologica, quæ de Roſa ſeſe offerunt, imprimis placet illud quod apud Claudianum legitur: *Armat ſpina Roſas*: id eſt, nihil abſque labore jucundum. Lege Camerarij cent. 1. p. 58. Roſæ itaq; indicant allegoricè animum heroica virtute præditum, conſilia & facta ſingularia, non à quovis præſtita.

*Veterum Roſæ noſtris accommodantur.*

Sed relictis Poëtis, miſſis Græcorum fabulis, recitatis Adagiis, inveſtigemus quænam ſint illa Plinij Roſarum genera, & utrum eorum quædam ad nos uſque pervenerint. Cæſalp. ſua veteribus accommodare ſtudet, ſic: *Roſa vulgo incarnata.* Quæ roſeo colore eſt, naſcitur in frutice valdè hiſpido, quaterna cubita excedente, primò floret inter cæteras: Campanam videtur appellare Plinius, quæ præcox eſt, & Trachiniam minùs rubentem. *Rubra valde plena.* Apud nos [ *in Italia* ] præter Carneam Roſam, quædam rubens eſt multifolia, odore jucundo, ſed exili: hanc Plinius Mileſiam vocat, colore ardentiſſimo, non excedentem duodecim folia. *Acanthos plena, rubella.* Alia apud nos huic ſimilis inter peregrinas viſitur, colore magis diluto, accedente ad carneam, latiſſimis foliis, pluribúſque in ſe convolutis, ut explicari nequeat, odoratior rubente: Ejus frutex parvus eſt, & ſolus ſpinis caret: hanc Græculam videtur Plinius appellaſſe. *Lacteola.* Quarta candida, maximè omnium numeroſo folio conſtat, ſed parva, odore valdè exili. Plinius hanc Alabandicam vocat, viliorem albicantibus foliis: & Spermoniam plurimis foliis, ſed minutiſſimis, utiliſſimam, non multò odoratam. *An moſchata maior?* Quæ ex tranſlatione in Campania, & circa Philippos adeò profecit, ut latiſſima, & maxima folia provenerint, non tamen odoratiſſima quam Centifoliam vocant, Muſcatula apud nos appellatur, ob odoris excellentiam, ſed quæ opere Topiario colitur: caudice cæteris craſſiore: ramis longiſſimis: aculeis tarioribus. *Candida plena & ſemiplena.* Roſa parva ex quinque foliis conſtans candidis, multis intus floccis, pulviſculum luteum fundentibus, amarior hæc & majorem vim purgandi habet: tardiſſimè floret, & perdurat uſque in autumnum: In hoc genere quædam reperitur multifolia, fortè Præneſtina apud Plinium, quæ celebratiſſima, noviſſimè deſinit. *Syl. duplex.* Sylveſtris in ſepibus ſpontè naſcitur, virgis prælongis, Rubo ſimilibus; in quibus ſæpè ſpongiolæ villoſæ viſuntur: fert parvam Roſam, non excedentem quinque folia, colore albo, aut ſubrubente, exili odore: *Alba & ſubrubens.* altiores virgæ, & ſpinoſiores ſunt, quibus ſubrubentes Roſæ, humiliores quibus albæ: Dioſcorides eandem Cynoſbaton appellat, quaſi Rubum caninum: Theophraſtus inter Rubos tertium genus deſcribit: Theodorus aliquãdo Caninam ſentem vertit: Plinius modo Cynorodon, modo Cynoſbaton vocat, videtúrque diverſas intelligere; nam Cynorodon, radicem ſylveſtris Roſæ facit; Cynoſbaton verò Rubi genus, Roſæ ſimilitudine. Quin & Capparis quoque Cynoſbatus vocari traditur ab eodem. *Roſæ luteæ* Sunt & Roſę luteæ quinq; foliis conſtantes, ut ſylveſtres, latioribus tamen: odore ingrato: frutex, & folia ſimilia ſylveſtri. Plinius alteram Gręculam vocat, Pallidam, Spinoſam, longiſſimis virgis quinque-foliam. Addit autem Plinius alia genera, ut Græcam, quæ Lychnis vocatur à Græcis & Moſceuton, ſed ex æquivocè potiùs Roſæ appellatæ ſunt; alio loco explicandæ.

*Athenæi diff.*

Athenæus Roſarum differentias ex Theophr. ponit, nec plures. Ex recentioribus Hermolaus præter ea, quæ ex Plinio tranſcripſit ipſo innominato, de ſuo nihil adjecit, quàm quòd apud Plinium mavult legi Spermoniam, quàm Spinolam aut Spinoſam: ita enim, ſive quòd minutiſſimo folio, ſive quòd viliſſima ſit omnium, rectiſſimè ipſi videtur appellata, ait tamen eſſe quoſdam qui Sycioniam legendum putent. Nec probat quod nonnulli Muſceton legant, quandoquidem Aceton & Moſcheuton meliùs reddatur à propagine, viviradicéve, quam Græci Moſcheuma dicant. Cæterùm, ambigit Coroneola ſítne Cynoſbati, an Cynorrhodi flos: quanquam Cynoſbati magis putet. Cynorhoda porrò ſilveſtres eſſe Roſas dicit, licèt Ariſtoteles eam videatur appellaſſe Cynacanthen, hoc eſt, Caninam ſenticem.

*Plin. corrigitur, ab Hermol. Spermonia. Sycionia. Aceton & Moſcheuton unde.*

*Curtij diff. Paſtana.*

Curtius particulatim ex ſua obſervatione Pæſtanam celebrat, à Pæſto Calabriæ oppido, paſſim apud autores commendabilem, quotannis bis germinantem. *An Damaſcena?* An autem ea ſit, quæ nunc Damaſcena dicitur, ignorat. Parva enim hæc, inquit, candidi & rubei coloris, egregij odoris. Plures autem ab uno geniculo exeunt. Vltima autem hæc germinatu eſt, verùm continuè & hieme etiam tepidioribus locis floret. *Provincialis.* Eſt & Provincialis in Gallia ab oppido ſic cognominata, colore inter album & rubrum medio, quem incarnatum vulgus vocat. *Anconitana.* Ethruria has Anconitanas vocat. *Odoratiſſima quæ.* Odoratiſſimæ non ſunt quibus folium maximum & latiſſimum. Odoratiorés, quo rubicundiores. Indicium autem odoris corticis ſcabritia. *Quæſtio.* Quærit in probl. Ariſt. Cur ſuaviùs Roſæ oleant, quibus aſper, quàm lævis umbilicus ſit? Quod magis ſecundùm ſuam naturam conſtitutæ ſint. Naturâ enim ſuâ, Roſa ſpinoſa eſt.

*Ruellius notatur.*

Differentiæ Roſarum quas Ruellius in longum recenſet, aliæ non ſunt, quàm Theophraſti & Plinij, quamvis pro ſuis venditet.

*Tragi diff.*

Tragus Roſæ hortenſis hanc ponit differentiam, ut alia candida ſit, alia ex purpura albicans, quædam rubra. Et rurſus in hoc genere una ſimplici: altera multiplici ſoliorum ordine. Roſæ verò ſylveſtris quatuor faſtigia conſtituit. *Cynorrhodon Barbari.* Cujus primum genus, ejus quidem judicio, Cynorrhodon Barbari fuerit, nobis Roſa ſilv. folio glabro: ſecundum, Spina Mariæ nominatum, eſt nobis Roſa Eglentina, ſive foliis odoratis: tertium, Roſam cinnamominam flore ſubrubente conjectamur; ceu ultimum, cum priori *Roſa campeſtris.* Roſa campeſtri dicta, Roſam ſylveſt. folio glabro, flore planè albo. Et ita Tragus diſtinguit, ſatis oſcitanter.

*Matth. differentia.*

Matthiolus de Roſis Italicis, pauca hæc habet. Multa quidem ſunt Roſarum genera, quæ in uſum medicum veniunt. At vulgatiſſimæ in Italia ſunt, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufeſcunt, quas vulgò appellant incarnatas. Quædam etiam aureo colore fulgent, odore admodum ingrato ac inſuavi.

*Geſn. diff.*

Roſæ hortenſes albæ (inquit Geſn.) multiplici folio, paſſim apud Tigurenſes in hortis abundant, frutice proceriore, quàm rubrarum, quæ tum ſimplici, tum multiplici folio conſtant. Vidi & Roſam dimidiâ parte candidiſſimam, alterâ purpuream. *Incarnata.* Roſæ Alexandrinæ, vel Perſicæ, vel Damaſcenæ, vulgò Incarnatæ dictæ nunc nobis ſatis frequentes. Damaſcenas autem vocant, quoniam ex Damaſco Syriæ urbe advectæ creduntur. *Citrina.* Roſæ citrinæ, ſeu luteæ. *Moſc. lutea.* Roſæ moſchum fragrantes luteæ. *Vulpina.* Roſa lutea inodora, vulpina cognominata. *Muſc. alia.* Roſa muſcata alia à præcedenti ſimplex & multiplex. Roſæ muſcatæ vel Damaſcenæ parvæ, ſimplices, albæ, florentes in Italia toto ferè anno. *Nobilis purpur.* Aliæ nobiles, denſi folio, flore parvo, purpurei coloris diluti. Adhæc

*Albo-citrina.* Roſæ aliæ albæ ad citrinum tendentes, parvæ, tria, quatuórve folia habentes (quales hæ Roſæ ſint, nos latet) per totum annum in arhore ferè vidēdæ, Muſcatæ ah odore, vel Alexandrinæ vulgò appellatę, ab aliquibus Damaſcenæ. Hæ verò odore caput tentant: & potentiſſimè alvum ſubducunt, non minùs autore Manardo, ac Scammonium: ita ut ſi ſex, vel octo folia acetario miſcueris, totum purgatorium reddas, qua de cauſa ab illis tanquam pernicioſo medicamento, naturæ vim inferenti, abſtinendum cenſeo. *Incarnata.* In Hiſpania raro videntur & ab aliquibus cum incarnatis confunduntur. *Marina.* Audio eaſdem Marinas à nonnullis vocari.

Monachi Roſam Damaſcenam *Moſchette* vulgò *Sylveſtris.* dictam, è ſilveſtrium genere eſſe putant, ſicut & incarnatam, vel trentaphyllam, à foliis triginta, & albam Centifoliam dictam. *Cynosbatos.* Roſæ ſylv. Cynoſbati, vel Cynorhodi veteribus dictæ, paſſim ſepes vivas replent. Roſa ſylv. alia humilior in collibus ſiccis & apricis toto frutice ſuaviſſimè odorato. Roſa ſylv. à Maio menſe denominata Meyenrößle/ſpontanea *Campeſtris Tragi.* in Albio monte, fuerit Roſa campeſtris Tragi, roſâ colore magis rubro tinctâ. Hujus altera ſpecies, roſâ prorſus candidâ.

*Cluſii diff.* Inſignis Botanicus Cluſius prodidit nobis Roſas Batavicas, Auſtriacáſque, ita ſcribens: an, quæ apud *Centifolia Batavica, I* Batavos Centifoliæ nomine dicitur Roſa, nonnunquam etiam centenis vicenis foliis, ea ſit, cujus Theophr. & Plin. mentionem faciunt, hæreo. Iſtius ſtirps altera, alho flore, mediæ inter illam & proxi- *Mater Provincialis.* mè ſequentem magnitudinis, alba major Provincialis appellata, ut ſuperior major Præneſtina. Sed & rarius Centifoliæ genus, priore aliquanto minus, colore alioqui, odore & formâ conveniens. *Præneſtina alba.* Non deſunt, qui Præneſtinam alhi coloris inveniri aſſerant, quæ mihi nondum videre contigit, niſi ea ſit, quam VVilh. Oſterra. Francofurt. unicam in horto ſuo alit, flore multò dilutiore Præneſtinâ, & ferè al- *Verſicolor.* bicante. Illi congener eſſe videtur Roſa verſicolor, Ioannis Reſteau Colonienſis. *Flava plena.* Accipio etiam Roſas flavas multiplici foliorum ſerie præditas exſtare. Cæterùm, ad eas, quæ pręter vulgares à me obſervatæ ſunt, redeam. Illarum autem variæ ſunt ſpecies. Prior Præneſtinæ, Provincialis vocatæ, valdè ſimilis, flore ſaturatiùs nonnihil rubente, & eadem al- *Centifol. alba* bo, Centiſolia alha vocata Batavis. *Roſa 2. ſine ſpinis.* Roſa 2. ſive ſine ſpinis, ejuſque varietas flore albo. Roſa ſine ſpinis altera. Roſa cinnamomea pleno ſore. *Humilis.* Roſa humilis flore albo, Græcula Plinij fortè. *Campeſtris* Roſa campeſtris odora. Roſa pumila ſive Chamærhodon. Herodotus in Vrania, ſive l. b. 8. Roſas in Midæ Gordio ge- *Foliorū 60.* niti hortis ſua ſpontè naſci refert ſexagenum foliorum, fragrantiore odore, quàm cæteras.

*Tab. diff.* Tabern. has agnoſcit differentias. 1. Roſam al- *Mileſia.* bam. 2. Roſam rubram, quam vocari ait Mileſiam, purpuream & puniceam. 3. Roſam provincialem *Perſica* majorem, Perſicam, incarnatam & purpuream di- *Sine ſpinis.* ctam. ut 4. Provincialem minorem. 5. Roſam ſine ſpi- *Muſcata.* nis. 6. Roſam muſcatam albam. 7. Muſcatam al- *Ægyptia.* bam multiplicem. 8. Roſam luteam Ægyptiam & *Eglenteria* Vulpinam dictam. 9. Roſam Eglenterianam, Du- *Sylveſtris.* nenſem & Pampinulam cognominatam. 10. Roſam ſilveſtrem. 11. Roſam arvinam.

*Lacun. diff.* Lacuna Roſam domeſticam triplicem facit, al- *Domeſtica triplex.* bam, rubram, & incarnatam, additque quartam vulgariter Moſquetam, vel Damaſcenam dictam. Ro- *Hermol. & Plin. notat.* ſam ſilveſtrem ait Cynorhodon Græcis vocari, Pliniúmque ac Hermolaum eam cum Cynoſbato confundere, quàm verè judicent alij.

*Lob. differ.* Lob. in Adv. Roſas Angliæ, Belgij, & Northma- *Rubra.* niæ tradit: Triplex eſt vulgatioris è colore differen- *Candida.* tia: nam aut purpura ſanguinea ſaturatè puniçant: vel aſpectu niveo micant: aut candore & rubore confuſis, flammeo rutilant, virgineis genis concolores, quas plebecula pallidas vocat. *Pallida.* Silveſtris na- *Cinnamomea* tivæ varietates notatu dignæ: Cinnamomeæ præſertim florum foliis minimis. *Moſchatæ.* Moſchatæ ſilveſtrem exuerunt animum & hortenſes duplæ factæ. *Lutea.* Pares & illis luteæ Galliæ inquilinæ factæ. *Carulea.* Eſt & jamdiu cæruleas videre. *Eſglentine.* Eſt ſpecies vulgo *Eſglentine, ou Eſglentier* dicta foliis odoratis. *Pomifera.* Eſt alia pomifera, morifera, aut baccifera Hunen Roſen dicta.

*Dodon. diff.* In tradendis Roſarum differentiis diligentior paululùm Lobelio Dodonæus eſt. In ſativarum *Alba.* Roſarum numero prima, inquit is, Roſa alba, Plinij Spineola eſſe poteſt, ſi modo Campana non ſit. Al- *Incarnata.* tera, quam Incarnatam Italia nuncupat, Alahandicæ ſimilis eſt. *Provincialis.* Tertia, Provincialis Gallis dicitur: hãc Mileſiam eſſe, non temerè ſuſpicari licet. Quar- *Roſa Francha.* tam Roſas Franchas Gallia, Plinius Trachiniam fortè, aut Præneſtinam dixerit. *Moſchata.* Quinta Moſchata ab odore dicitur: Damaſcenam autem & hanc nonnulli appellant. *Sylv.* Sexta Roſa ſylv. propriiſſimè, hirſutis pilulis, ſpongiolis dictis. *Cinnam.* Septima Cinnamomina appellatur. *Lutea.* Octava à colore nomen accepit, Lutea dicta. *Dunenſis.* Nonam, Dunenſem nominant, ab ipſis in marino littore arenoſis tumulis, quos vulgò Duynen nominant: Sunt qui Pampinulam nuncupant. *Cynorhodon odorata.* Decima Cynorhodon, ſive canina Roſa odorata, Gallis Englenterium, teſte Ruellio, nominata, qui & hanc Cynoſbaton, ſive Canirubum eſſe ſuſpicatur.

*Lugd diff.* Lugd. vult Campanas Plinij, eſſe Roſas no- *Roſa alba.* ſtras albas: *Damaſcen.* Damaſcenas foliis denſiſſimis, Alahandicas, Spineolas & Centifolias: Roſas verò Præneſtinas, rubras, & in iis Mileſias, quas Galli *Roſes de provins* appellent. *Roſes de provins.* Trachinias minùs ruhentes, quas *Roſes incarnates.* *Roſes incarnates.* Græca rubra etiam eſt, ut ille equidem ſentit, quamvis Plinius colorem non expreſſerit, eáque multorum ſententiâ, quæ Damaſcena rubra nominatur, *Roſe de Damas rouge.* *Roſe de Damas rouge.* Græcula etiam multorum judicio, Roſæ Damaſcenæ genus eſt, flore ex albo ad puniceum nonnihil vergente, *Roſe de Damas incarnate*: *Incarnate.* Moſcheutos Roſa Plinio quæ ſit ambigitur. Sunt qui inter Damaſcenas numerent, alij inter Roſas ſylveſtres paſſim naſcentes in dumis. Damaſcenarum cortex malvacei corticis modo lætiùs quidē viret, quàm cœterarum, ſed quę foliis ſit Oleæ nullam adhuc comperit Dalechampius, quanquam in quibuſdam exemplarihus folia lævia legantur, non Oleæ. *Moſcheuton unde. Dodon. notatur.* Cæterùm, Moſcheuton Roſam dictam putat, non quòd Moſchum oleat (ut vult Dodon.) antiquis incognitum, ſed quòd μόσχοις, id eſt, ſtolonibus multis fruticet, vel quòd μόσχοις, id eſt, malleolis feliciter pangatur Vitis modo, non ſolùm vivi-radice. *Coroneola.* Coroneolam à coronis nominatam, ſive ſeram, ſive Autumnalem, *Damaſcen.* Damaſcenam eſſe ferè omnes autumant, tum quod Autumno proveniat, tum quod odore ſuavi prędita ſit, *Roſe muſquee & Muſcadelle.* Galli *Roſe Muſquee* & *Muſcadelle* vocant. Ea duplex eſt, Quinque folia una, & altera denſa. *Lutea.* His addenda Lutea veteribus indicta. *Cynorrhodon vulg.* Cynorrhodon universè quidem Roſam omnem ſilveſtrem Plinius appellat. Hujus autem genera duo obſervarunt Herbarij; ſilv. Roſam vulgarem, & *Polyacanthon.* Cynorthodon Polyacanthon, forma Roſæ ſativæ.

*Cam. diff.* Camer. in horto memorat primò albam ſimplicem & plenam, quam Campanam præcocem Plinij dicit. 2. Lactcolam, Centifoliam eandem putat. *Rubicunda.* 3. Rubricundam non omninò dehiſcentem, ut Plinij Græcula. *Incarnata.* 4. Incarnatam, Norimbergæ Vlmenſem à loco vocatam, veterum Præneſtinam exiſtimat. *Intensè rubens, ſive Fina.* 5. Intensè rubentem ſimplicem, vel plenam à pharmacopœis Finam appellatam, Plinij Mileſiam facit. *Purpurea.* 6. Roſa purpurea, à priore parùm diſcrepans, videtur ipſi Trachinia Plinij. *Damaſcena ſive Muſchata.* 7. Damaſcenam ſive Muſchatam nominat, eámque ſimplicem facit & plenam,

plenam, quam Coroneolæ Plinij accommodat: ſimplicem verò Neſrin, vel Nefrin Serap. & Avic. vocat.

*Cinnamomea ſimplex.* 8. Roſam cinnamomeam ſimplicem, pro Lychnide Plinij Geſnerum habere tradit. 9. Venetam, quam alij Provincialem vocant, Spermoniam Plinij credit. *Abſque ſpinis.* Idem celebrat Roſam abſque ſpinis, campeſtrem odoratam Cluſij, ſive Pomiferam, ut exiſtimat Lob. quamvis hic ſine ſpinis pingat, cùm tamen ſit ſpinoſiſſima: *Lutea.* Luteam Apennini in Italia inquilinam; & herbacei coloris Roſam. Ait tandem Roſam caninam, *Cynorrhodon plenum* κυνόρροδον, etiam duplicato inveniri flore, quæ pro Alabandica Plinij haberi queat.

*C.B. differ.* C.B. apud Matth. dividit Roſam in ſativam & ſilveſtrem. *Purpurea.* Sativam purpuream, Incarnatam Italorum, Trachiniam Plinij credit. *Alba.* Albam mavult ejuſdem Campanam dicere, quàm Spineolam cum Dodonæo, niſi ſit Alabandica. *Rubra ſaturata* Rubra ſaturati coloris, videtur ipſi Mileſia: flore ſimplici & multiplici: *Non ita ſaturata* flore non ita ſaturatè rubente, fortè Præneſtina Plinij: & hæc vel ſimplici, vel multiplici flore. *Moſchata.* Moſchata ab odore, Neſrin Serapioni: alia ſimplici, & quidem vel majore, vel minore flore: alia pleno flore. *Carens ſpinis.* Spinis carens major & minor. *Syl duplex.* Sylveſtris vulg. cui Bedeguar adnaſcitur, flore ſimplici & pleno, ut & illa, quæ Cinnamomea dicitur. *Lutea.* Lutea veteribus indicta, flore ſimplici, rariſſimè pleno. *Pimpinula.* Pimpinula, à ſimilitudine ſoliorum Pimpinellæ. *Eſglanteria.* Odoratis ſoliis, Eſglanterium vulgò & Spina Mariæ. Campeſtris humilis, vel avenacea flore albo & rubello. *Pomifera.* Pomiſera. *Rotundifolia.* Rotundiſolia.

Idem in pin. ſequentes aſſignat Roſarum differentias: ſativam, & 1. rubram Mileſiam Plinij, ſimplicem & multiplicem, colore magis minúſque rubro: ad hanc refert Mileſiam rubram plenam vulgo Roſam finam; Mileſiam ſimplicem; Roſam ex rubro nigricantem plenam; & rubicundam Saccharinam dictam, Græculam Plinij, Camerario. 2. Rubram pallidiorem. 3. Saturatiùs rubentem. 4. Purpuream, Trachyniam Plinij. 5. Verſicolorem. 6. Maximam multiplicem. 7. Mediam multiplicem. 8. Majorem Præneſtinam. 9. Albam vulgarem majorem, Campanam Plinij. 10. Albam minorem. 11. Moſchatam ſimplici flore. 12. Moſchatam flore pleno, Coroneolam Plinij. 13. Moſchatam ſemper virentem. 14. Spinis carentem flore majore. 15. Spinis carentem flore minore. 16. Subviridem. 17. Roſam folio ſubrotundo & criſpo. Sylveſtrem, & 1. Vulgarem flore odorato incarnato. 2. Sylv. flore majore & rubente. 3. Sylv. flore pleno. 4. Sylv. ſoliis odoratis. 5. Sylv. odoratiſſimo rubro flore. 6. Sylv. odoratam albo flore. 7. Roſam odore Cinnamomi ſimplicem. 8. Roſam odore Cinnamomi flore pleno. 9. Rubram præcocem ſimplicem. 10. Minorem rubellam, vulgo Majalem. 11. Luteam ſimplicem. 12. Luteam multiplicem. 13. Campeſtrem ſpinoſiſſimam, albam, odoram. 14. Sylv. pumilam rubentem. 15. Sylv. pomiferam majorem. 16. Sylv. pomiferam minorem. 17. Arvenſem candidam. 18. Campeſtrem repentem albam. 19. Campeſtrem ſpinis carentem, bifloram.

Et hæc ferè ſunt Roſarum propriè dictarum differentiæ, quas ordine paulò poſt recenſcentes deſcribemus: hîc verò breviter annotabimus alias plantarum ſpecies, quæ Roſæ nomen obtinuerunt.

*Aequivoca.* Non igitur eſt inſtitutum noſtrum agere hoc in loco de Roſa illa, quam apud Io. Agricolam Io. Pollio Oenipontanus quidam Medicus ſibi in Suevorum Briſgoia monſtratam prædicat quam incolæ Roſam & Lilium inter ſpinas appellant. *Periclymenum.* Ea enim noſtro judicio Periclymenum fuerit, de quo lib. 15.

*Sambucus roſea.* Nec agimus de Roſa menapia, Sambuci aquatilis ſpecie Dodon. quæ Sambucus roſea eſt, de qua lib. 5.

Nihil dicimus de Roſa canina, ex qua Luminare majus hypociſtidem fieri ſcribit. Ea enim Ciſtus eſt: de hac lege lib. 13. *Ciſtus.*

Nec hîc nobis ſermo eſt de Roſa marina & Roſolein Lanzana, quę dicitur Ciſtus mas major lib. 13. *Ciſtus mas maior.*

Tacemus Roſam Perſicam Avicennæ in Ieneliabin, quæ Amat. adſtipulante, non eſt genus aliquod Roſarum, ſed flores Perſeæ. *Perſea arbor.* Hæc tamen opinio refellitur à Matthiolo. Separamus à Roſis propriè dictis Roſam mõtanam ſive alpinam, Berg Roſen Aretij, quam quidam Nerium alpinum vocant li. 13. *Nerium alpinum quorundam.*

Silemus Roſæ Alpinæ ſpeciem alteram foliolis minimis Geſneri, quæ fortè Anonymos 2. Cluſij fuerit, de qua lib. 5. ſub Ericæ bacciſeræ affini. *Anonymos 2. Cluſii.*

Præterimus Roſam Hiericonteam de qua lib. 15. *Roſ hierico.*

Miſſam facimus Roſam Hiericontis Fragoſi, quæ nobis Herba maxima l. 25. *Herba maxima.*

Omittimus Roſam tranſmarinam vulgi Ruellio. Hæc enim Malva roſea eſt, lib. 23. *Malva Roſea.*

Non tradimus Roſam Zaveni, quæ Althea eſt, tradenda lib. 23. *Althea.*

Non ſtatuimus dicere de Roſa Græca, quam quidam Baptiſeculam volunt, malè. Cyanus eſt. lib. 26. *Cyanus.*

De Roſa Indica Geſneri hort. hîc non loquimur, ſed lib. 25. ſub Tageti Indico. *Tages Indica.*

Sic & de Roſa mariana ſexta Tragi, ſub Pſeudomelanthio. *Pſeudomelanthium.*

Et de Roſa mariana quinta, ſub Been albo. *Been album*

De Roſa mariana ſylv. flore rubro, ſub Ocymoide rubro. *Ocymoides rubrum.*

De Roſa mariana ſylv. flore albo, ſub Ocymoide albo. *Ocymoides album.*

De Roſa Iunonis vel Iunonia, quod Lilium eſt, ſcribimus lib. 19. *Lilium.*

Roſam Solis, vide Rorem ſolis lib. 37. *Ros Solis.*

Roſæ nomen attribuitur Rhodiæ radici, quam tradimus lib. 35. *Rhodia radix.*

Roſea arbor eſt Nerium, de quo l. b. 15. *Nerium.*

Roſa marina Cæſalpini deſcribitur lib. 39. cap. de Eſchara. *Eſchara.*

Roſa de qua hîc agimus, Græcis ῥόδον dicitur quaſi ὄδον pro ὄζον, Etymologico: At ex mente Plutarchi 3. ſymp. ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, quòd largum odoris effluvium emittat. *Nomina linguarum.* Ab Arab. vocatur *Nard*, *Naron* ſeu *Vard*: It. *Roſa*. Germ. Roſen: & Angl. Belg. Rooſe: Hiſp. *Roſas*: Gall. *Roſe*: Boh. *Ruſe*. Stirps ipſa, quæ græcè ῥοδωνιά dicitur, apud Latinos cum flore nomen idem retinet: Germ Roſenſtauden: Gall. *Roſier*: *Rhodoniæ de frutice.* Virgas ſtirpis Roſarum, Strabus poëta Gallus Viburna nominat *Viburna.*

*Debueram Viburna Roſa prætenſa metallo.*

Notandum apud Galenum per ῥόδον, Roſam, intelligi totum florem; per φύλλον, verò ſolium, floris partem, & non ipſius ſtirpis. *Roſarum folia.* Eadem enim eſt phraſis Germanica cum Græcis, quando dicunt Roſenbletter de flore. Sed & hîc obſervandum, an quod Gal. dicit in Philoxeni remedio ad fluxum & dolorem; Item in Diarhodo, ῥόδων ἁπαλῶν φύλλων, quod vertit Cornarius recentium, ſit legendum mollium aut tenerorum, ut intelligat quod idem dicit in Diarhodo ῥόδων ὠνυχισμένων. *Cornarius notatur.* Ipſemet præterea Cornarius apud Dioſc. τὰ ἁπαλὰ vertit tenera: ita ut eæ ſint teneræ partes, quæ ſeparantur ab unguibus, qui duriores ſunt. Manardus ait, Partes eas candidas, quæ capiti de proximo hærent, præcidi à Seplaſiariis, Rhodomeli vel Rhodoſaccharum reliquo paraturis. Et hinc Roſas tales exungulatas appellari: *Roſa exungulata.* unguem verò, qui calycibus inſeritur & græcè ὄνυχα dicitur, à Galeno tum alibi, tum lib. 4. τῶν κατὰ τόπους, λοβὸν vocari, id eſt, extremitatem. Ἄνθος verò τῶν ῥόδων, quod (ut Dioſc. dicit) in medio Roſarum reperitur, flos Plinio dicitur, id luteum ſcil. quod foliis circumquaque ambitur, ſeparatum in capillum, id eſt, in tenuia quædam fila, & in ſemen quod ſub his filis *Flos.* *Semen.*

lanugine quadam opertum cortice continetur: in Officinis tamen, ut dicit Dodonæus, & ab Arabibus Medicis, Anthera nominatur. Manardus contra flores, Antheræ nomine recentiores ſignificaſſe contendit. Quod & nomen ipſum manifeſtat, cùm ab eo, quod eſt ἄνθος ῥόδου, id eſt, flos Roſæ deductum videatur, voce tamen (ut fieri vulgò ſolet) pauliſper decurtatâ. Eſt & Anthera compoſitionum nomen, quarum Plinius 24. Celſ. 6. Dioſc. 1. Gal. 5. de compoſ. med. ſecundùm genera, Paulus & plerique in ſuis libris meminere. Cæterùm, Dodon. & Manardus non diſtinguunt ἄνθος à capillamentis, id quod facit Tragus: qui Anthos vocat puncta lutea in Roſis. Capillamenta autem vocat fila illa quibus inſident puncta. Nunc Κεφαλαὶ ἢ κεφάλια τῶν ῥόδων, Dioſc. dicta, id eſt, Capita Roſarum Plinio, in quibus ſemen gignitur, dicit Manardus eſſe ſolidum illud, quod foliis & floribus, ceu baſis ſubſternitur: cujus ſuperior pars, ex qua flos & ſolia prodeunt propriè caput, reliquum calyx nominetur. Tragus calicem ait eſſe ſuperiorem partem Roſæ nondum expanſæ. Dodonæo Calix vocatur, qui ſtamina & floris foliola complectitur & continet. Alabaſtri etiam ſunt calycis partes lacinioſæ, conum floris priuſquam panditur, complectentes: quæ quinque ſunt, duæ barbutulæ, duæ imberbes, & quinta partim barbata, partim minimè, quæ cortices Roſarum à pleriſque appellantur. Per nodum Roſarum non intelligit autbor apud Monachos (ſcilicet Meſues) pomellum, ſive pyrulum in quo ſemina Roſarum concreſcunt & ſervantur ad maturitatem, quódque defluxis foliis reſtat in planta & tempore maturationis fit rubrum: ſed Calycem, ſolia florum Roſarum continentem, qui vulgariter Bolto dicitur. Fructum autem, ut inquit Tragus, Roſæ maturum & rubrum, Germani Büttel/Bütten/Arßkützeln nominant. Semina denique ſunt lapilli illi duri, qui in capite Roſæ includuntur, ex quo novæ plantulæ proveniunt, ſed tardè. Qui itaque Roſarum ſemen Antheram vocant, decipiuntur. Lanæ tandem ſunt capilli, in quibus lapidea ſemina continentur.

*Antheræ unde dicta. Capillamenta. Capita. Calix. Alabaſtri. Cortices Roſarum. Nodi Roſarum. Pomellum. Calyx. Bolto. Error de Anthera. Lana.*

Naſcitur, autore Theophr. Roſa etiam ex ſemine, quod ſub flore in malo incluſum habet, lanugine Cnici modo, aut Echini Carduorum obductum, omnia ſemina proximè ambiente: κνικώδους ἢ ἀκανώδους ἔχον γνητνά χνοῦν, ὥστε ἐγγὺς εἶναι τῶν πάντων σπερμάτων. Sic enim emendari debet falſa hæc Gazæ lectio, ἔχει δ' ὑπὸ τὸ ἄνθος ἐν τῷ μήλῳ κνικῶδες, ἢ ἀκανῶδες, ἔχον δὲ τινὰ χνοῦν, ὥστε ἐγγὺς εἶναι τῶν σπέρμων σπερμάτων: quod flori ſubditum ſuo in malo contentum cneceum, vel acanaceum, lanugine quâdam obductum gerit, ut primis ſeminibus proximum ſit. Cæterùm, quoniam tardè perficitur ſemine ſata, caule conciſo vel toto purgato ſeritur: uſta reciſave florem meliùs profert: relicta namq; excreſcit, ſilveſcitque: ſæpiùs transferre eam ſatius eſt: ſic enim pulchriorem effundi Roſam affirmant. Tempus hoc generationis notatur. Roſa ſerior hiſce [*Hyacintho, Gladiolo, Viola nigra, &c.*] eſt, & noviſſima quidem erumpit: prima autem inter vernos deſinit flores, parum enim temporis durat ejus proventus. Vita Roſæ quinquenniũ ad vigorem ſcilicet, non aduſtæ, nec reciſæ. Sed ejus quoque flores ſeneſcentis deteriores redduntur. Ad jucundam autem olentiam, Solum, cælúmque accommodatum plurimùm confert: montibus autem Roſæ longè deteriores emergunt.

*Gaza emendatur. Satus Cultus. Tempus. Vita.*

Naſcitur, inquit Plinius, Roſa ſpina veriùs, quàm frutice. Germinat omnis primò incluſa granoſo cortice. Quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros [*papillatos corymbos Hier.*] faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit, in calicis medio ſui ſtantis complexa luteos apices. Et aliàs verò quoque plurimùm ſolo prævalet. Cyrenis odoratiſſima eſt, ideóque ibi unguentum pulcherrimum. Carthagine Hiſpaniæ hyeme tota præcox. Refert & cæli temperies. Quibuſdam enim annis minùs odorata provenit. Præterea locis omnis ſiccis, quàm humidis odoratior. Seri nec pinguibus vult, nec argilloſis locis, nec riguis, contenta raris: propriéque ruderatum agrum amat. Præcox Campana, ſera Mileſia. Noviſſimè tamen deſinit Præneſtina. Fodiuntur altiùs, quàm fruges, leviùs, quàm Vites. Tardiſſimè proveniunt ſemine, quod in ipſo cortice eſt ſub ipſo flore opertum lanugine, ob id potiùs caule conciſo inſeruntur. Et ocellis radicis, ut Harundo, unum genus inſeritur pallidæ ſpinoſæ, longiſſimis virgis Quinquefoliæ, quæ è Græcis altera eſt. Omnis autem reciſione atque uſtione proficit: tranſlatione quoque ut Vitis optimè ocyſſiméque provenit, ſurculis quaternum digitorum longitudine, aut ampliore, poſt Vergiliarum occaſum ſata: dein per Favonium tranſlata pedalibus intervallis, crebróque circumfoſſa. Qui præcocem faciunt pedali circa radicem ſcrobe aquam calidam infundunt, germinare incipiente calyce. Roſa & quinquennium profert, nec reciſa, nec aduſta. Illo enim modo juveneſcit. Diximus & terram referre plurimum. Nam & in Ægypto ſine odore hæc omnia: tantúmque Myrtis odor præcipuus. Alicubi etiam binis menſibus antecedit germinatio omnium. Roſaria à Favonio foſſa oportet eſſe, iterúmque ſolſtitio. Et id agendum, ut intra id tempus purgata ac pura ſint. Roſa recens à longinquo olet, ſicca propius. Omnis autem verno tempore acrior, & matutinis: quicquid ad meridianas horas diei vergit, hebetatur. Novella quoque vetuſtis minùs odorata. Acerrimus tamen odor omnium æſtate media. Roſa & Crocum odoratiora, cum ſerenis diebus leguntur: & omnia in calidis, quàm in frigidis.

*Plinio ſpina veriùs, quam frutex. Cortex. Alabaſtri. Cyrenaica. Locus. Satio. Tempus. Cultus. Inſertio. Præcox ut facienda. Duratio. In Aegypto inodora. Roſaria quo tempore colenda. Roſa ubi & quando odoratior.*

Februario menſe Roſaria conſerenda, inquit Palladius, ſulco breviſſimo, aut ſcrobibus ponenda ſunt vel virgultis, vel etiam ſemine. Si qua etiam ſunt antiqua roſaria, hoc tempore circumfodiuntur ſarculis, vel dolabris, & ariditas univerſa reciditur. Nunc & quæ rara ſunt, poſſunt ductâ virgarum propagine reparari. Si Roſam tempeiiùs habere volueris, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, & aqua calidâ bis rigabis in die. Roſas nondum patefactas Maio menſe ſervabis, ſi in canna viridi ſtante iſſa, recludas ita, ut fiſſuram coire patiaris, & eo tempore cannam recidas, quo Roſas virides habere volueris. Aliqui olla rudi conditas, ac benè munitas ſub dio obruunt, ac reſervant. Odoratiores fieri Roſas Didymus affirmat, quibus Allia propè fuerint conſita. Si velis ſine temporis intercapedine roſis frui, ſingulis menſibus loco ſtercorato pangis, ſemper Roſas habiturus. Serendi ratio variat. Aliqui integras plantas cum ſuis radicibus transferunt: alij in palmares taleolas cum ſuis radicibus in ſobolis modum cubitali intervallo deponunt, & crebris irrigationibus & ſtercore juvant. Nonnulli ut majorem odoris fragrantiam adſciſcant, intertextas iis coronas ſimul adobruunt. Majorem odoris gratiam babent quæ ſiccaneis enaſcuntur. Vita, vigórque manet Roſis, quæ in amurca, ſi merg antur ut humor extet. Alij ut diu ſerventur, hordeum dum in herba eſt, cum radicibus evulſum, in fictile non picatum demitti, Roſámque priùs quàm dehiſcens ſe pandat, operiri præcipiunt. Alij virentem hordei ſegetem pavito loco ſternunt, & roſas ipſas recondunt. Democritus fruticem bis die rigatum, Ianuario menſe Roſas ædere promittit. Florentinus eſt author, florem Roſæ inoculationis modo cortici mali inſitam, eodem quo malum tempore partus ſuos excludere. Sunt qui recentes hac ratione cuſtodiant: Alabaſtros turgentéſque calyces in ventre adoleſcentis

*Roſariorum cultura. Ut præcox fiat. Ut in canna inſerenda. Ut odoratior fiat. Serendi ratio. Roſis amurca vita. Recentium aſſervatio.*

ſcentis arundinis facta rima claudunt, & papyro vel charta, molliter fiſſuram obſtringunt, qua poſſit aura vel vapor expirari. Roſa protinus candorem contrahit, quæ ſulfuris nidore ſuffiatur, cum dehiſcens in folia cœpit evolvi. *Propagatio.* Si plantarum indigus volueris ex paucis virgultis habere copioſa, quaternûm digitorum paulóve longiorum gemmantes ſurculos cum ſuis ſarmentulis debebis excidere, & in modum propaginis ſternere, ſtercoratu rigationibúſq; tueri: ubi anniculam ætatem compleverint, pedis ſpatio inter ſe disjunctos transferre, luxuriantem materiam omnem adimere, crebris deſoſſionibus exbilarare. Nicander apud Athenæum:

*Præterea Roſæ ſpinis armatæ excisſa germina*
*Terræ tumulis infige, ad duos palmos aperta via:*
*Operiſque principio precibus Themidem Oleniam venerare:*
*Alendas deinde Roſas cæleſtibus dimitte pluviis:*
*Semper illæ augeſcent foliis circumcirca comantibus.*

*In Anglia bifera, & triflora.* Orbis deliciæ, inquit Lobel. florum princeps & honos Roſa, Angliæ florentiſſimi Sceptri, perinde auſpicatiſſima, ac meritiſſima teſſera, ut in quo regno hunc fruticem, non modò ipſa bruma virentem, & interdum penè perpetuifolium, ſed etiam mirè feracem, biſerum ſæpè, quandoque triflorum videas. Florent Roſæ, quædam citiùs, aliæ ſeriùs; omnes *Tempus.* Maio aut initio Iunij menſis. Præcoces Cinnamominę, & aliæ quædam ſylveſtres: ſeriores ſativæ ſunt. Moſchettæ menſe Auguſto & Septembri florent. Theophraſtus, ſi Autumnus prolixior fuerit, Roſas etiam denuò erumpere poſſe teſtatur.

## CYNORRHODON VETERIBVS.

Videtur Plinius per Cynorrbodon aliam quam Cynoſbatum intelligere: nam de Cynorrhodo inquit l.8.c.41. A morſu [*ad morſum alij*] unicum remedium oraculo quodam nuper repertũ [*nuper invento repertũ Tol.*] radix ſilveſtris Roſæ, quæ Cynorrhodos appellatur. *Roſa ſilv. Cynorrhodos.* Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ, potúſq; omnis afferens odium. Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtris Roſę, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in frutecto, mitteret filio bibendam: in Lacetania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſúque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, superveniret epiſtola orantis ut parêret religioni, ſervatúſq; eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit. *Hiſtoria de invento remedio ad canis morſum.* Aliàs apud autores Cynorrhodi una medicina erat, ſpongiolæ, quæ in mediis ejus ſpinis naſcitur, cinere cum melle alopecias capitis expleri. *Cynorrhodi ſpongiola.* Et hæc de Cynorrhodo Plinius.

*Cynorhodon de Roſa ſil.* Cynorrhodon universè quidem de Roſa ſylveſtri dici non negamus.

*Roſa rubella ſimplex, minor non ſpinoſa.* Sed eſt & Cynorrhodon lęve Dalechampio, quod de Roſa rubella ſimplici, minore, non ſpinoſa intelligimus.

*Roſa ſpinoſa rubens.* Alterum verò Cynorrhodon de Roſa ſpinoſiſſima flore rubro, quod Polyacanthon nominavit Dalechampius.

*Lilium.* Tandem Cynorrhodon de Lilij quoque habetur genere.

## CYNOSBATVS VETERIBVS.

Ne verò eorum aliqua omittantur, quæ ad perfectiorem Roſarum cognitionem facere videtur, de Cynoſbato in præſenti laconicam inſtituemus hiſtoriam. *Cynosbatus Theophr.* Hujus itaque apud Theophraſtum talis extat deſcriptio. Cynoſbatos [*τὸ κυνόσβατον. Cani Rubum Gaza vertit*] fructum edit ſubrubrũ, Roſæ [*τῆς ῥόδας lege, non τῆς ῥόας Malo punico, ut paſſim exemplaria habent*] fructui ſimilem: eſt inter fruticem atque arborem Roſæ [*ταῖς ῥόαις mendoſum eſt, legendum enim Roſæ τῷ ῥόδῳ*] ſimilis, folióque æmulatur veſtigium hominis [*Exemplar noſtrum ἀγνῶδες habet: verùm Athenæus ex Theophraſto rectiùs ἀγλαῶδες, ſplendens: Hermol. γλοιῶδες: Miletus ἀγκυῶδες: Plinium rectè legiſſe ἰχνῶδες putat Dalech.*] & ita Gaza ex Plinio. *Theophr. vestituitur.* *Theophr. diverſa lectio.* Fructum flatu averſo colligendum cenſent, alioqui periculum oculis imminere. Aliàs noctu accipere jubent.

Plinius de Cynosbato ſibi minus conſtat. *Rubus Plinio.* Rubi aliud genus eſt (inquit l.16.c.37.) Roſæ ſimilitudine, qui vocatur Cynosbatos. Et l.21.c.4. inter Roſas ait, Roſa naſcitur ſpina veriùs, quàm frutice in Rubo [*Cynosbato Dal.*] quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis anguſti [*late ſe non ſpargentis, Dalech.*] Item l.24.c.14. Cynoſbaton, alij Cynoſpaſton, alij Neuroſpaſton vocant, folium habet veſtigio hominis ſimile. *Cynosbatos Cynoſpaſtos Neuroſpaſtos.* Fert [*adde inquit Dalech. Chamæbatos*] & uvam nigram, in cujus acino nervum habet, [*nervus habetur. alij*] unde Neuroſpaſtos dicitur. *Plin. illuſtratur* Alia eſt à Cappari, quam Medici Cynoſbaton [*quoque*] appellaverunt. *Cappar. non eſt.* Hujus Thyrſus ad remedia ſplenis & inflationes conditus ex aceto manditur. Nervus ejus cum maſtiche & Chia commanducatus, os purgat. *Ruborum Roſa.* Ruborum Roſa Alopecias cum axungia emendat. *Plin. reprch.* Et ita Plinius qui Cynoſbati hiſtoriam, cui fructus ſubruber eſt, foliúmque ἰχνῶδες, miſcet ac confundit cum Chamæbato, quod uvam nigram fert, ſive Morum Vvę ſimile, ejus Rubi modò, quem erectum, ac procerum ὀρθοφυῆ vocat Theophraſtus. *Plin. error.* Plinio ergo parit uvam nigram Cynosbatus, quod nemo præter eum, quod Ruellius ſciat, confirmat. Error autem inde natus eſt, quoniam Smilax aſpera Labruſcæ modo ferens Vvas, Cynoſbatos à quibuſdam teſte Dioſc. vocari ſoleat. *Smilax aſpera.* Rubus certè qui ſimilitudinem Roſæ fert, Cynosbatos à Plinio dicta eſt. Hoc Rubo nata multis creditur Coroneola jucundo odore, ſed exili. *Cynorrhodi à Cynosbato differ.* Aliqui Cynorrhodon à Cynosbato non flore roſeo, quem fert utrumque, ſed ſpongiolis diſtinguunt, quas Cynorrhodon habet, Cynosbatos non habet.

*Rubus canis Dioſc.* Dioſcorides Cynosbaton bis verbis deſcripſit: Rubus caninus [*τὸ κυνόσβατον*] quem & ipſum aliqui Oxyacantham vocant, frutex eſt Rubo [*βάτου*] longè major, juſta arboris magnitudine [*δενδρώδης.*] *Oxyacantha.* Folia fert multò latiora, quàm Myrtus: ſpinas circum ramos robuſtas: florem album: fructum oblongum, Olivæ nucleo ſimilem [*εἰκότα*] dum matureſcit fulvum, internâ parte lanuginoſum. Fructus ſiccatus ſiſtit alvum, abſque interno illo lanuginoſo: hoc ęnim arteriam lædit, ſi in vino fervefactus bibatur. *Ruell. notatur.* Sic quondam vertit Cornarius meliùs, inquit Lug. quàm Ruellius, mendoſos codices ſecutus: fructus exemptis interioribus floccis areſactus, alvum ſiſtit: *Vires.* fervefacti enim ij in vino, mox poti arteriam infeſtant. Integer codex teſte Lacuna habet: *ἵστησι δὲ κοιλίαν ὁ καρπὸς ξηρός, δίχα τοῦ ἐν αὐτῷ ἐριώδους (κακωτικὸν γὰρ τῆς ἀρτηρίας τοῦτο) ἀποζεννύμενος ἐν οἴνῳ, καὶ πινόμενος.*

Serapio hiſtoriæ Dioſc. quam tranſcripſit, adjicit radicem fructu calidiorem eſſe, tuſam & in emplaſtro admotam, ſpinas & infixa corpori extrahere: Folia quoque trita & impoſita phlegmonas impedire ac prohibere: quæ cum in noſtris Dioſcoridis exemplaribus deſiderentur, non ſine ratione, ea manca hîc eſſe ſuſpicari licèt.

*Cynosbatus Galeno.* Galeno Cynosbati fruticis fructus non ſegniter adſtrictorius eſt, folia verò mediocriter. Itaque particularis uſus haud ignotus eſt. *A lana abſtinendum.* Cavendum ab eo, quod in fructu ejus lanæ ſpeciem habet, ceu arteriam vitians,

Nunc

*Aequivoca.* Nunc verò, Cynosbati, ſive Rubi canini æquivocationem paucis proſequemur. Ac primùm quidem *Roſa foliis odoratis.* Cynosbatos ſive Cynoſpaſtos, pro Roſa foliis odoratis Eglentina dicta, à quibuſdam acc[illegible]itur.

*Capparis.* A Medicis quoque Cynosbatos, ut vel ipſi novimus, Capparis non raro dicitur.

*Smilax aſpera.* Smilacem etiam aſperam nonnulli vocant Cynosbaton.

*Chamæbatos.* Plinius verò, autore Dalecbampio, confundit *Veterum Cynosbatus varius.* Cynosbati hiſtoriam, cum Chamæbato. Cynosbatus adhæc, vel ut alij Cynoſpaſtos, quem Plinius deſcribit, alius eſt à Theophraſti, & à Dioſc. Cynosbato differt.

*Spina alba.* Vltimò ſpinam albam voluerunt aliqui eſſe Dioſcoridis Cynosbaton, ut facit Cornarius.

## ROSA RVBRA, FLORE VALDE pleno, & ſemi-pleno, & ſimplici ferè.



*Deſcri.* ROſę rubrę frutex minor eſt quàm albæ aut rubellæ: *Virgæ.* virgæ non ita craſſæ: *Spinæ.* ſpinæ multò rariores, nec ita mordaces, aliqui rami etiam ſine ſpinis: *Folia.* folia ex lõgiuſculo pediculo, cui in principio veluti auriculæ foliola sũt terna, vel quina, utrinque glabra, ſupernè magis virentia, ſubrotunda: *Flores.* flores ſive Roſæ, rubræ, magnæ, quædam plenæ admodùm, coloris intensè rubri, ſive purpurei: quædã paucifoliæ: odoratæ omnes, & potiſſimùm ſiccæ: flores *Fructus.* ſequuntur fructus ſive capita ſublonga, rubra ubi matura.

*Dod. deſcr.* Dod. ſic deſcribit: Tertia, ſimilis incarnatis ramis
1. & foliis eſt, ſed ſubindè brevior, flore verò odoratiſſimo, pulcherrimóque, ſaturato, & quodammodo puniceo rubore nitente. Roſarum omnium prętantiſſima, & ad medicamenta omnis ferè generis uti-
2. liſſima. Quarta, modò dictâ brevior eſt, virgis cubitalibus, aut altioribus, flore eleganter rubente, ſed minùs, quàm jam dicta, & quandoque ſimplici, quinque tantummodo foliorum, aliàs plurium: aliquando etiam multiplici, odore grato & perquam jucundo.

*Synon.* De Roſis rubris ſcripſiſſe Dioſcoridem, inde colligere licet, quia meminit unguis, quod eſt in folio album. Sed & Cord. in Dioſc. hunc de Roſis rubentibus, quæ à Medicis receptæ ſint, agere ſcribit.

1. Cam. h. Roſa intensè rubens, ſimplex, vel plena, *Roſa fina Cam.* vulgò Pharmacopæis Fina vocata, cujus foliis exſiccatis, quoniam colorem & odorem diutiùs ſer- *Mileſia.* vant, utuntur: Hanc Mileſiam fuiſſe olim dictam,
2. ex Plinio conjicitur. Roſa purpurea ſive in rubro nigricans, & ceu violacei aliquid diluti admixtum habens, priore major, ab aliquibus Kolroſen appel- *Trachinia* lata, videtur Trachinia Plinij. Roſa rubicunda, non
3. omninò dehiſcens, ut Plinij Græcula, folio quoque, quàm in cæteris, latiore, odorata tamen. Ex quibus *Roſa Saccharina.* Saccharum Roſaceum conficitur, unde apud nos Zuckher roſen dicuntur.

*Synon.* Dod. gall. Roſa altera culta, Roſa purpurea, & Roſa rubra. Sub hoc genere continentur Roſæ Trachiniæ Plinio, cui in rubro magis nigricantes, ſunt Roſæ Mileſiæ: Roſæ ſativæ quartum genus, Roſa Mileſia Plinij. Eidem de flor. & hiſt. Roſa ſativa tertia, Provincialis Gallis dicta: hanc Mileſiam eſſe non temerè ſuſpicari licet. Roſa ſativa quarta, Roſa Francha Gallis: Plinio Trachinia fortè aut Præneſtina dicta. *Trachinia. Mileſia. Provincialis. Mileſia. Trachinia Præneſtina.*

Lob. Adv. Roſa purpurea ſanguinea: Ic. Roſa holoſerica. Tab. Roſa rubra: item ſimplices & flore pleno, Roſæ Mileſiæ, Roſæ purpureæ & Puniceæ. Cur hanc ita ſpinoſam pinxit, an figura tranſpoſita per Compilatorem aut Typographum? Lugd. Roſas Præneſtinas exiſtimat rubras & in iis Mileſias, quas Galli *Roſes de provins* appellent: item, Græca Plinij [ *à Græcis Lychnis* ] rubra etiam eſt, ut Lugd. equidem ſentit, quamvis Plinius colorem non expreſſerit, eáque, multorum ſententia, quę Damaſcena rubra nominatur, *Roſe de Damas rouge.* Figura fortè Roſæ rubræ convenit, cui in Hiſt. Lugd. titulus ſimpliciter Roſa. Conſiderandum an Græca Plinij, ſive Lychnis, non ſit potiùs herba? An porrò benè ad rubras Roſas referat Lugdun. Damaſcenam rubram, dubitamus. *Holoſerica. Præneſtinæ; Mileſia Græca. Damaſcena rubra.*

Geſn. Roſæ rubræ urbanæ ſimplices vulgares, quarum pręſtantiſſimę, quę puniceo colore rubent. Eid. coll. & Cardano de rer. var. Roſæ rubræ. Cæſ. Roſa rubens multifolia in brevi frutice, vix cubitum excedente, aculeis firmioribus, calyce ſcabro, odore jucundo, ſed exili: Mileſia Plinij. Ger. Roſa 2. rubra, The red Roſen. Figuram Tabern. habet ſpinoſis virgultis, cur non mutauit, ejúſque loco eam ponit, quæ eſt nomine Provincialis. Eid. Roſa 3. ſive Holoſerica, The velnet Roſe. Germ. Rot Roſen/ Blůtrot Roſen: Gall. *Roſe rouge, Roſe de Damas rouge:* Belg. Prouinſch Roſen.

C. B. pin. Roſa ſativa 1. ſive rubra, Mileſia Plinij: *Roſa ſativa 1.* Roſa ſativa multiplex, Brunſ. Domeſtica punicea, Matth. Hortenſis rubra multiplex, Tragi. Roſa hortenſis, Fuchſ. Roſa, Tur. Lac. Lon. rubra, Cord. in Dioſc. Lugd. Adv. Tab. Ger. Roſa rubra urbana, Geſn. h. Sativa rubra, Ang. Caſt. Sativa 3. quæ Provincialis, Dod. Roſa Damaſcena, Lob. Roſa rubens multifolia, Cæſ. Roſa intensè rubens, Cam. Eſt ſimplex & multiplex, colore magis minúſq; rubro: huc refertur, 1. Roſa Mileſia fl. rubro pleno, vulgo Roſa fina. 2. Mileſia fl. ſimplici rubro. 3. Roſa ex rubro nigricante fl. pleno. 4. Roſa rubicunda Saccharina dicta, Græcula Plinij, Camer. Eid. Bau. 2.
Roſa ſativa 2. ſive rubra pallidior: Sativa 4. ſive Francha Gallorum, Dod. Roſa holoſerica, Lob. ic. Roſa rubicunda, Cam. Roſa 3. Cæſ. Roſa Damaſcena rubra, Lug. Aliis Trachinia, Præneſtina aliis, aliis Græcula Plinij: hæc priore minùs rubet, & flore ſimplici plerumque eſt, & foliis latiſſimis, cujus frutex ſpinis communiter caret. Eid. B. Roſa ſativa 3. ſive ſa- 3.
turatiùs rubens: Roſa 1. Præneſtinæ ſimilis, Cluſ. hiſt. Roſa purpurea, ſive in rubro nigricans, Cam. Foliis eſt quadragenis amplioribus, ſaturatiùs rubentibus, ad nigredinem vergentibus, & alabaſtro craſſiore.

Genevæ, Lugduni, Montbelgardi, & Baſileæ flore obſervavi intensè rubente; in urbe *Provins* Galliæ vidi Roſam valdè plenam & rubram, quæ in varias Galliæ partes exſiccata diſtribuitur, quia valdè odorata. Ex hac Conſerva ſicca ubique paratur. Et hæc eſt, ni fallor, quam obſervavi anno 1609. medio Maij menſis, in horto D. Ioh. Heitzmanni, cui flos denſiſſimis farctus foliis, multò minoribus, quàm in vulgari rubra, odoratior etiam, quàm illi: calyx ſpinulis horret: folia duûm ordinum, duo ſemper ſibi ex adverſo oppoſita ſunt, quintum verò in ſummitate, medium inter ordines locum occupat: omnia *Locus & Tempus. Valdè plena & odorata.*

in cir-

in circuitu ſerrata, glabra, ſupernè virentia, infernè caneſcentia.

## ROSA ACANTHOS, FLORE pleno, coloris rubelli.



*Deſcr.* IN plurimis hæc variat à reliquis Roſarum ſpeciebus. Eſt quidem ea *Rami* ramis & frondibus Roſæ intensè rubeſcentis vulgaris altitudine, figurâ & effigie, lævibus & ſine ſpinis, viridantibus magis atq; flexuoſis: quarum tamen ſummi propter floris calycem & *Folia.* folia ſurculi horridiuſculi ſunt, ex denſiſſima apicularum nigrarum & aſperiuſcularum congerie: foliola, quæ ſumma occupant ramorũ, communiter quina ſunt, rariùs terna, interdum ſena, lata, oppoſita, impari ſeriem claudente: ſupernè quidem atrovirentia, infernè ſubcinerea, tria nonnunquam unciarum longa: roſa ſpecioſa, nec minore foliorum ſtipatu, quàm pallidæ ſive incarnatæ, ſuavis odoris, coloris rubelli ſaturatiore tinctura, quam ornat varia vagàque venularum purpuraſcentium delineatio: ſubtùs verò folia ex incarnato candicant *Fructus.* omnia. Huic ſuccedit fructus orbicularis, majoris Avellanæ, colore obſcurè rubente, denſiſſimo la- *Radix.* pillorum villoſorum agmine farcto. Radix repens, lignoſa, duràque.

*Deſcr Cluſii* Cluſ. ſic deſcribit: Multis ſtatim à radice aſſurgit *Virgæ.* virgis, humanam altitudinem interdum æquantibus, ſi fertili ſolo & umbroſo loco pangatur, ut plurimùm verò longè infra eam magnitudinem, & cubitalibus duntaxat, vel ſeſquicubitalibus, lævibus & ſine ſpinis, viridibus, in varios ramos deductis: fo- *Folia.* lia habet alata, hoc eſt ternis aut quinis uni coſtæ (quæ ſubaſpera eſt) inhærentibus, binis ſemper inter ſe oppoſitis, extremo impari ſatis amplo, conſtantia, fuſcâ viriditate ſupernè nitentia, infernè ca- *Flores.* neſcentia: extremis ramis inſident flores, oblongis hirſutiſque pediculis inhærentes, multiplici foliorum numero conſtantes, Prænestinis majores, mediíque inter illas & rubras coloris, jucundi odoris: *Fructus.* fructus brevis, craſſus, penè orbicularis, maturitate *Semen.* rubens, inæquale ſemen, &, ut rectè Theophraſtus notat, κνηκῶδες, ut omnia Roſarum genera, lanugine *Radix.* involutum continet: radix dura, lignoſa plerumque, aliarum inſtar, ſub terra propagines in lateribus ſpargit.

*Synon.* Cluſ. pann. Roſa Auſtriæ 1, ſive ſine ſpinis. Eid. hiſt. Roſa non vulgaris 2. ſive ſine ſpinis. Cam. h. Roſa abſque ſpinis purpuraſcens, plenis majoribus floribus. Cæſ. Roſa rubens multifolia colore magis diluto, Græcula Plinij. Tab. Roſa ſine ſpinis. Ger. Roſa 5. ſive ſine ſpinis. Ang. The Roſe without Prickles. C.B. pin. Roſa ſativa 14. ſive ſpinis carens, flore majore.

*Locus & Tempus.* Friderici Meier munere provenit mihi in horto Ill. E. C. Montbelgardi florens Iunio: Octobri cum fructu in prædicti horto Argentinæ obſervata, cui ex Cluſij horto Viennæ primò delata. Cluſius autem hujus cognitionem acceptam fert C. V. D. Ioanni Schrötero ſeniori, Ienenſis Academiæ in Thuringia Medico. Non deſunt qui flore albo ſe conſpe- *Flore albo.* xiſſe affirment.

## ROSA SINE SPINIS, COLORE penè fecum vini rubri.

ALiud genus Roſæ ſine ſpinis invenitur, non valdè diſſimilibus virgis, Viennæ Auſtriæ e- *Locus.* tiam ante Cluſij in eam urbem adventum, in quibuſdam hortis cultum, quod minores & rariore foliorum textura conſtantes flores profert, colore penè fæcum vini rubri.

Cluſ. pann. & hiſt. Roſa ſine ſpinis altera. C.B. pin. Roſa ſativa 15. ſive ſine ſpinis flore minore. *Synon.*

## ROSA PUMILA PANNONICA, flore rubello.

PEdales, inquit Cluſius, atque aliquando cubitales etiam ex eadem radice profert virgas, virides, lentas, infernè paucis, ſupernè multis ſpinis rigentes: foliorum alas rubræ ſimillimas, quinque *Deſcr.* aut ſeptem foliis ſupernè viridibus, infernè candi- *Virgæ.* cantibus conſtantes. ſummis virgis & ramulis innaſcuntur ſatis magni calyces ſive alabaſtri, hirti, *Folia.* barbatiq;, quales in Roſis rubris ſimplici foliorum ordine conſtantibus, ex quibus deinde ſeſe explicant magnæ, non omninò odoris expertes Roſæ, *Calyces.* quinque foliis præditæ, initio rubræ, deindè paulatim remittente & quaſi evaneſcente rubedine, car- *Roſæ.* nei ferè coloris, multis luteis ſtaminibus, floris umbilicum, quemadmodum in aliis Roſis, occupantibus: fructus ruber, rotundus, omnium maximus & Pyri in modum turbinatus, fulveſcente pulpa, inæqualia alba ſemina continet.

Non ineptè meo quidem judicio χαμαιρόδον græ- *Fructus.* cè dicetur hoc 4. Roſæ genus, Latinis Roſa pumila: Auſtriaci Erdtroſen vnd Heydroſen / Vngari verò *Parragi Roſa* appellant. C.B. pin. Roſa ſylu. 14. ſive pumila rubens: Roſa 4. Cluſ. pann. at in hiſt. 6. & pumila.

Naſcitur paſſim in cæduis ſylvis, aliarum ſilvarum marginibus, ſublimioribus & deſertis agris per Auſtriam inferiorem & univerſam Pannoniam. Floret Iunio: fructus matureſcit Auguſto, & plerumque tota Hieme ipſi ſtirpi inhæret.

## ROSA SYLVESTRIS RUBELLA, parvo, frutice.

ROſæ rubellæ ſylveſtris frutex parvus eſt, cubi- *Deſcr.* talis ut plurimum, formâ ſimilis Roſæ intensè rubræ, curvis nonnunquam ſpinis, ſed raris: foliis *Spinæ.* ut in illa quinquepartitis, rariùs in ſeptem foliola *Folia.* diſtributis, ſerratis, glabris, ſupernâ parte obſcuriùs virentibus: denique ejuſdem ferè & coloris & formæ, ſed rotundioribus & minoribus: flore non par- *Flos.* vo, coloris rubelli, ſive incarnati, ut vocant, quinquefolio, jucundiſſimi odoris, cui ſuccedit capitu- *Capitulum* lum cum pediculo hiſpido.

An Trago tertium ſilveſtris Roſæ genus, magni- *An ſylv. Roſæ genus Trago.* tudine foliorum, eam, quæ odorato folio antecedens, tamen ſpinas gerens, non perinde minaces, & frondem prorſus inodoram: Roſâ quoque aliquanto majore, colore magis rubro, & elegantiore tinctâ, odoris, ejus quidem judicio, ante omnia ſuaviſſimi, tactu pinguiore & magis lentâ, luxurians plerumque in humectis, ac minimè fertilibus avenaceis agris, aliiſque nonnullis dumetis, rarò ſupra altitudinem trium cubitorum, ſeſe attollens, & intra humum hinc inde ſerpentibus radicibus ſubinde iuveneſcens. Hæc Roſa campeſtris facile & nullo negotio plantari poteſt.

An Tra-



An Tragus hanc ſuam Roſam noverit nondum nobis certò conſtat. Multa communia habere videtur cũ Roſa pumila Pannonica Cluſij, eandem tamen aſſerere non audemus, de qua ante. *Roſa pumila Pann.*

Ad Roſæ ſylv. 3. genus Tragi refert C.B. in pin. Roſam ſylv. Geſn.h. dubitátque an ſit Cynoſbatos 4. Cordi in Dioſc. Vocat autem Roſam ſylv. 5. ſive odoratiſſimo rubro flore.

*Locus & Tempus.* Primùm obſervavi Genevæ circa Caſtellum *l'Abbatie* florentem Iunio, poſtea inter Genevam & Trenei; deinde in Ducatu VVirtembergico non longè à Stutgardia ſecus viam cùm contenderem Pfaingen, florentem Iunio, & in ſylva non longè ab urbe Marbach.

---

## ROSA RVBELLO FLORE MAIORE multiplicato ſive pleno, incarnata vulgo.



*Deſcr.* ROſæ hæ fruticis ſunt præalti, ut albæ, ſpinoſioris tamen iis multò. *Rami. Spina.* Ejus rami abundant ſpinis aduncis, & mordacibus: *Folia.* folia non virent, ut in rubra, nec polita ſunt, ut in alba, terna, quina ac etiam ſeptena, penè rotunda: *Flores.* flores multi ſimul ex longis pediculis hiſpidis, calice etiam hiſpido, magni, pleni, rubelli, ſive incarnati, odoratiores, dum virent, rubris & albis.

Dod.gall. Roſæ ſativæ 3. genus in Belgio Provinſch Roſen: Germ. Leibfarb Roſen/ quæ fortè Plinio Alabandicæ. *Alabandica Plinio.*

Eidem de flor.& hiſt. Roſa altera ſativa dilutè & pallidè rubens, Incarnata ab Italis vocata, Alabandicæ ſimilis. Videtur Dod. hujus figuram in hiſt. exhibere ſub titulo Roſæ ſativæ.

Geſn.h. Roſæ ex purpureo albicantes, folio multiplici. *Alexandrina. Perſica. Damaſcena.* Roſæ Alexandrinæ, vel Perſicæ, vel Damaſcenæ, vulgò Incarnatæ dictæ. Harum Roſaria (inquit Morard.) noſtris majora & viridiora ſunt, foliis amplioribus: aculeis plurimis & acutioribus: florum numeroſam copiam fundunt, quæ foliis quinis, aut ſenis conſtant, medio inter album & rubrum colore. Ruderatum amant locum. Seruntur, inciduntur, cremantur, transferuntur, ſicuti noſtra. Harum Roſarum apud Italos, Gallos, Germanos, diverſaſque gentes nunc frequens eſt uſus, quas Damaſcenas vocant, quoniam ex Damaſco Syriæ Vrbe creduntur advectæ. Apud nos verò triginta ſunt anni, ex quo earum notitiam attigimus; ex his Roſis medicamentum (ſyrupum ex multiplici *Syrupus.* earum infuſione) vel mel Roſaceum ſoliatum parare ſolent: hæc ille. Sed videt Geſnerus Damaſcenas, vel Alexandrinas Roſas diverſas eſſe, ut differentiæ cauſa has Perſicas tantùm nominare cenſuerit. *Perſica.* Proxima laus à Puniceis, iis quæ in rubrum candicant, Incarnatæ vulgò dictæ: Monachis in Meſuem incarnata vel trentaphilla. *Incarnata.* Item de coll. Roſæ purpureæ vel incarnatæ. Ego Roſas has nunquam vidi ſolùm cum quinis aut ſenis foliis, ut apud Geſn. hoc loco Monardo placet ſed ſemper multò pluribus.

Ryff. Roſa flore incarnato Gallorum; Et, Roſeo colore inſignes Incarnatæ dictæ. Matth. Roſæ ex albo ruffeſcentes, vulgò incarnatæ vocatæ. Lob. Adv. Roſæ pallidæ plebeculæ. Obſ.& Ic. Roſa Daſcena. Et Roſam Damaſcenam ſive Provincialem vulgi odoratiſſ. niveis omninò floribus, vel tantillo *Roſa alba.* candore & rubore confuſis, maximo proventu alebat Gardani D. Adrianus van der Gracht. Quantum judicare poſſum ex figura Lobelij, cui ſtolones ſunt ſpinoſi, Roſam rubello flore intelligit: Roſas alioqui minùs diligenter tradidiſſe videtur.

H. Lugd. Roſæ Plinio Trachiniæ minùs rubentes, *Roſæ incarnatæ* vocatæ. *Trachinia Plinio.* Tab. groß Provinſch Roſen/ Roſa Provincialis major: Item, Roſarum 3. *Provincialis maior.* genus, Roſæ majores, & 4. genus minorum dictæ Roſæ provinciales, Roſæ Perſicæ, incarnatæ, purpureæ. *Perſica.* Pingit Tab. fruticem ſine ſpinis, cùm ſoleat eſſe valdè ſpinoſus: errat fortè Compilator, vel Typographus, qui tranſpoſuit. Gerard. Roſa 3. Provincialis ſive Damaſcena, Angl. The Provinſhe & Damaſke Roſe. Miror ſequutum Tabern. poſuiſſe fig. fruticis roſei, non ſpinoſi, cùm maximè ſit ſpinoſus.

Cam. h. Roſam incarnatam, vel leviter purpuraſcentem Norimbergæ Vlmenſem nominatam, *Vlmenſis.* veterum eſſe præneſtinam exiſtimat: *Præneſtina.* Incarnatam tamen Lugd. Trachiniam eſſe putat. Nos ſuſpicamur Theophraſto eſſe Roſas, quas recenſet inter amplas, quibus pars inferior ſcabra. Cæſ. Roſa roſeo colore, naſcens in frutice valde hiſpido, quaterna cubita excedente, primo florens inter cęteras: Campana fortè Plinij, & Trachinia minùs rubens.

C.B.pin. Roſa ſativa 4. ſive purpurea; Trachynia *Synon. B. pin.* Plinij: Roſa hortenſis ex purpura albicans, Tragi, Geſn.h. Roſa domeſtica carnis colorem referens, Matth. Roſa incarnata, Ang. Cam. Roſa rubra, ſive carnei coloris, Bellon. Roſa pallida, Adv. Roſa ſativa purpurea, Cam. Roſa minus rubens, Lugd. Roſa provincialis fl. incarnato pleno, Eyſt. Roſa Zebedera Pharmacopæorum, Ioannij in tract. de pilulis. *Zebedena.*

De Roſa hac, Cluſio Præneſtina dicta, aliàs vulgò Provincialis, puto loquutum Thomam Morum *Præneſt. Cluſ.* in Epigr. ubi, quomodo utraque in una coaluerit, oſtendit his verbis:

*Purpurea vicina fuit Roſa candida, utramque*
*Utraque dum certat, ſit prior utra, premit.*
*Vtraque ſed florem Roſa iam coalevit in unum,*
*Quoque poteſt una, lis cadit illa modo.*
*Nunc Roſa conſurgit, in qua pulchrè latet una. Sed omneis*
*Vna habet hæc dotes, quas habuere duæ.*
*Scilicet hæc uni ſpecies decor atque venuſtas,*
*Et color & virtus eſt utriuſque Roſæ.*
*Alterutram ergo Roſam vel ſolam quiſquis amavit,*
*Hanc unicam nunc eſt, quicquid amavit amet.*
*At qui temperies eſt, non amet, ille timebit.*
*Nempe etiam ſpinas flos habet iſte ſuas.*

*Locus & Tempus.* Tenerior hæc ad frigus quàm alba & rubra: Paſſeæ florentem vidi Maio & Iunio; Monſpelij Martio, Aprili & Iunio; Genevæ copioſè Octobri & Novembri ac etiam Decembri: quæ tardè florent,

jucundiſſimi ſunt odoris, nec ita citò flaceſcunt. Et licèt nimio frigore impatiens ſatis, niſi ab eo muniatur, quandoque pereat, tamen altero anno à radice rurſum repullulat.

ROSA FOLIO CRISPO, FLORE rubello ſive incarnato.



PFortzhemię anno 1595. idibus Iulij obſervavi in horto D. Grienningeri Roſæ fruticem folio ſubrotundo & criſpo, flore rubello ſive incarnato, à præcedenti in cæteris nō differentem. Plantata in horto Montbelg. fœliciter provenit.

C.B.pin. Roſa ſativa 17. ſive Roſa folio ſubrotundo & criſpo.

*Icon.* Iconi noſtræ appinximus ſeparatim Roſā domeſticam, ſed minori proportione.

ROSÆ RVBELLÆ SIVE INCARNatæ ſimilis.

*Deſcr.* PRæneſtinæ, quam vulgus Provincialem vocat, *Flos.* valdè ſimilis eſt [*Roſa prior vel prima Cluſii præ. et vulgares*] nec illā minùs altè aſſurgit: in ſolo flore diſcrimen eſt, qui circiter quadragenis aut pluribus foliis, paulò amplioribus, & ſaturatiùs nonnihil rubentibus conſtat, multis ſtaminibus flavis umbilicum occupantibus, alabaſtróque multo craſſiore & breviore, quam ob cauſam Tuppel Roofe vulgò appellatur: odor minùs ſuavis, & albæ ferè proximus. Hujus genus album florem ferens, apud Batavos *Cētif. alba.* invenitur, Centifoliaq; alba illis dicitur, de qua mox.

C.B.pin. Roſa ſativa 8. ſive Roſa major Præneſtina Cluſ. hiſt. Roſa Præneſtina variegata, Eyſt.

*Locus.* Valdè frequens Viennenſibus eſt hortis, & tota Auſtria, nullius tamen apud illos uſus, quam ad eliciendam ſtillatitiam aquam. Francofurti ad Mænum *Tempus.* quædam ejus ſtirpes Præneſtinis miſtæ aluntur. Floret cum cæteris Iunio, interdum etiam Maio.

ROSA PRÆNESTINA ALBA & verſicolor.

NOn deſunt, inquit Cluſius, qui Præneſtinam albi coloris inveniri aſſerant: mihi certè nondum videre contigit, niſi fortè ea ſit quam *Locus.* honeſtus vir VVilhelmus Oſterrat Francofurtenſis civis unicam in culto ſuo horto alit. Illius flos multò dilutior Præneſtinā, & ferè albicans, perinde tamen magnus & plenus, in quo nonnulla etiam folia obſervavi, media ex parte candicantia, alterā purpuraſcentia, vel ſimilis coloris venis aſperſa. Anno etiam 1593. florem mihi protulit ea, quam ad me Hoghelandus miſerat planta.

*Verſicolor.* Illi congener eſſe videtur elegans illa Roſa, de qua honeſtus vir Ioannes Reſteau, civis Colonienſis, ſuperioribus Autumnalibus nundinis apud me verba fecit: ſe videlicet Coloniæ in ſuo horto alere Roſam Præneſtinæ ſimilem formā & magnitudine, quæ ut plurimùm dimidia ex parte folia candida haberet, reliquā rubra, aut tertia duntaxat ex parte alba, vel nunc integra alba, modò integra rubra inter ſe commixta conſpiciantur. *Folia.* Ejus prolem ſequente Octobri ad me mittebat, quæ prævaluit quidem, ſed nondum florem ullum dederat, quum Francofurto exceſſi.

C.B.pin. Roſa ſativa 5. ſive verſicolor: Roſa præneſtina verſicolor, Cluſij hiſt.

ROSA HOLLANDICA RVBELLA plena, quibuſdam Centifolia ſpinoſo frutice.



*Synon.* GErardo eſt Roſa 6. ſive Hollandica, aut Batava, Angl. The great Holland Roſe/vulgò The great Province Roſe / dicta, *Locus.* quæ Pfortzhemiæ anno 1595. Iulij 5. mihi adhuc florens demonſtrata eſt, in horto D. Grienningeri, quam D. Höchſtetter denominavit Roſam Hollandicam, quámque di- *Roſa Hollandica.* cebat ex urbe Delphis allatam & magno pretio emptā. Cæterùm, folia ejus videntur majora quàm in rubella ſive incarnata, cui ſimilis frutex ſpinoſus: flos etiam ſimilis, major, plenior, florum folia minora paulò.

De hac Cluſ. Roſa centifolia Batavica prima an *An Centifolia antiquorum?* ea ſit, cujus Theophr. Plinius & Athenæus mentionem faciunt, hæreo. Nam illi Centifoliam, inodoram eſſe, & puſilla habere folia, ſcribunt. Quæ autem apud Batavos alitur, non modò referente N.V. Io. ab Hoghelande (qui binas ejus plantas ſub anni 1598. initium mihi miſit, quas cùm prævaluiſſe putarem, corruptas eſſe deprehendi, præter unius radiculæ fragmentum) præneſtinis majorem, & perinde ferè odoratam intellexi: ſed etiam Francofurti ad Mænum apud Balthaſarem & Carolum Hoycke Belgas fratréſque germanos illo ipſo anno conſpexi: ſequente verò, ex neglecto illo, & veluti abjecto fragmento nata eſt mihi ſtirps, quæ altero anno nempe 9 . circiter quadragenos flores tulit, non omnes tamen ejuſdem amplitudinis, ſed in nonnullis numeravi centena vicena folia, extrinſecus ma- *Foliorum cxx.* jora, intrinſecus puſilla, ſtaminum locum explentia, & in ipſum calycem reflexa, odorem autem deprehendi præneſtinæ, ad albam nonnihil accedentem, colorem Præneſtinæ non diſſimilem.

Iſtius etiam ſtirpem unam quæ album florem fe- *Centif. Batavica alba* rat, habere ſe ait idem Hoghelandus, mediæ inter illam & proximè ſequentem magnitudinis, quam albam majorem Provincialem appellari ait, ut ſuperiorem, majorem Præneſtinam.

C. B. pin. Roſa ſativa 6. ſive maxima multiplex: Centifolia Batavica rubra, Cluſ. hiſt. Eyſt. Habetur & alba, quæ, Roſa alba major provincialis, &, Centifolia Batavica alba, Cluſ. hiſt. Roſa provincialis flore albo, Eyſt.

## ROSA CENTIFOLIA BATAVICA altera.

*Centif. Batavica 2. Cluſ.*

SEd & rarius Centifoliæ genus apud Batavos inveniri ad Cluſium ſcripſit ille ipſe Hoghelandus, priore aliquanto minus, hoc eſt, mediæ inter Centifoliam & Præneſtinam vulgarem magnitudinis, alioqui colore, odore, & formâ convenire: quod verum eſſe ex ejus plânta ab illo miſſa, ſequenti anno deprehendit Cluſius.

C.B.pin. Roſa ſativa 7. ſive multiplex media.

## ROSA POMO SPINOSO, folio hirſuto.

*Locus. Deſcr.*



CHerlerus attulit Roſę genus ex monte Calcari, & horti Dei declivibus, *Folium.* foliis palmū ferè longis, quinquepartitis, ad rubellam plenam penè accedentibus, minùs rotūdis, longioribus, ſerratis, ſubtꝰ hirſutie quadam lenibus tactu, & penè cinereis: *Caput.* capitibus ſive fructibus ſpinoſis, magnitudinis Avellanæ rotundæ, ex pediculis brevib. *Spina.* ſpinoſis: per ramulos ſunt ſpinę rariores.

Hanc exiſtimamus eſſe Roſam ſylveſtrem 15. C.Bauh. in pin. ſive Roſam ſylv. pomiferam majorem, Roſâ ſylv. pomiferâ Lobelij altiorem, ramoſiorem, pauciſſimis aculeis, foliis majoribus, pallidè virentibus, Baſileæ locis humidis in Alnetis provenientem. *Synon. C.B.*

*An Cynorrhodos? Spongiola.* An Thal. Cynorrhodos ſeu Roſa canina, virgis, fructu ac foliis auleatis, ſpongiolas proferens, weyß Dorn/vel Riechende Dorn.

## ROSA POMIFERA VENETIIS Sprengeri folio hirſuto.

*Locus. Deſcr.*

COllegi Heidelbergæ 1595. in horto Sprengeri Roſæ genus, alibi non obſervatum, foliis accedentibus Roſæ noſtræ pomo ſpinoſo, ſubtùs lenibus ad tactum, & albicantibus, hirſutiſque: differt autem quòd tres conjugationes foliorum minorum habeat, & poſtremò unicum ut cæteræ Roſæ: *Folia.* in extremis ramis raræ ſpinæ: florem non vidi, ex ramo ſicco deſcribo.

Anno 1609. Maio vidi, ni fallor, hoc idem genus Roſæ, Baſileæ in horto Heitzmanni, foliis ſimilibus, trium conjugationum: ſpinis ramorum juxta folia aduncis, firmis: flore rubello ſimplici: capitulo ſpinoſo ut in præcedenti. *Flos.*

## ROSA SPINOSISSIMA HIRSVTA.

*Spina. Folia*

EST & mihi Roſæ ramus, abundans ſpinis aduncis, cujus folia ſunt hirſuta, ſubtùs ad tactum lenia, conjugationū trium, poſtremo ſolo: ea autē majora ſūt ungue parvi digiti: quales ferat flores & ubi ramus, ex quo deſcribo, fuerit collectus, me latet.

## ROSA MINOR RVBELLO MVLtiplicato flore, aſperis ſpinis armata.



FRutex eſt aſperis duris ſpinis armatus, in altitudinem ſatis magnam multis virgis rubentibus valdè excreſcens: Roſę huic parvæ ex brevibus pediculis plenæ, admodum odoratæ.

De hoc frutice Cluſius: Roſā Cinnamomeam flore pleno rarò duorum cubitorum altitudinem ſuperantē Viēnæ obſervavi, frequentibus & brevibus ramis donatam, purpuraſcentibus, qui raris & brevibus ſpinis armati ſunt: foliorum alæ illis ſimiles quæ in Roſa, vulgo Canellæ nomen adepta, ſunt, h.e. ex quinis aut ſeptenis foliis æquali inter ſe ſpatio diſtantibus conſtant, uno hinc, altero inde, geniculatim conjugatímque ſemper adhærente, unóque in cacumen exeunte, coloris ſupernâ parte viridis, infernâ candicantis: flores vulgari Cinnamomeæ ſimiles, ſed majores & multiplici puſillorum foliorum glomeratione conſtante, quemadmodum alba & pręneſtina: odor ferè qualis in alba vulgari plena: fructum nondum videre licuit, tametſi multis annis aluerim. ejus. Radix latè admodum ſerpit, & vivax eſt, novas virgas ſubinde producens. *Deſcr. Cluſ. Rami. Spina. Folia. Flores. Odor. Radix.*

Cam.h. Roſa Cinnamomea altera, vulgò Veneta, aliis Provincialis; Spermonia Plinij, Barbari, & non Spineola, aut Spinoſa; Sycionia quorundam. *Synon. Spermonia. Sycionia.*

Geſ.h. Roſæ nobiles denſi-folio flore, parvo, purpurei coloris diluti. An Lugd. Græcula, quæ multorum etiam judicio Roſæ Damaſcenæ genus eſt, flore ex albo ad puniceum nonnihil vergente, *Roſe de Damas incarnate?* An Eid. Græcula Roſa flore ſuaviter olente, quem ſub æſtatis initium paulò ſeriùs quàm Damaſcena candida promit & per æſtatem ferè totam perſeverat, foliis Damaſcenæ albæ latioribus ſeſe non explicātibus, niſi quis manu deducat, ſed veluti conglobatis & convolutis, ut Plin. ſcribit: Cinnamomum olere hanc vulgus ait. Intimiùs perquirendum, & ad trutinam veræ contemplationis revocandum, an Plin. ſcribens de Roſa Græcula, non miſcuerit herbas: præcedens enim, quæ Græcis Lychnis, herba videtur, uti & ſequens, quæ Moſcheuton & quamvis veræ Roſæ genus traderet tamen non videtur competere noſtræ minori rubellæ, quæ foliis non eſt latiſſimis. Proponimus etiam examinandum an noſtra non poſſit eſſe Theophraſti Roſa ex Pangæo, de qua etiam Plinius. Sed & hoc obſervandum quod ſcribitur à Lugd. ſuam videlicet Gręculam ſub ęſtatis initium florere, quando quidem noſtra Roſa, de qua hîc agimus, primo Vere floret. *An Græcula? Plin. confuſus. An Roſa ex Pangao.*

Tab. Roſa Provincialis minor: Item, Roſarum 3. genus, Provinciales magnæ & parvę, coloris aurei, jucundi odoris: Roſæ perſicæ, incarnate, purpureæ. Figura Tabern. poſita pro Roſa provinciali minore, commodè ſatis exprimit Roſam, de qua hîc agimus.

Ger-

Ger.Roſa 4. ſive Provincialis minor, Angl. The leſſer Damaſke Roſe: item, Roſa Cinnamomea pleno flore, The double Cinnamome Roſe. Peccat in exceſſu Ger. duas proponendo figuras, quæ videntur eandem plantam denotare, prior eſt Tab. altera verò Cluſij in Pannon. *Ger. repreh.*

C.B.pin. Roſa ſilv.8. ſive Roſa odore Cinamomi flore pleno: Roſa cinamomea pleno flore, Cluſ.pan. & hiſt.Eyſtett.

*Locus & Tempus.* In horto E. C. tempeſtivè primo vere floret, ex Burgundia delata. Vnde primùm Viennam allata ſit plerique dubitant, nonnulli tamen ex Tyrolenſi Comitatu originem ducere exiſtimant, alij è Gallia Moſchatæ pleno rubro flore, nomine miſſam. Tunc in omnibus Cæſareis hortis, & aliorum qui herbariæ rei ſtudio oblectantur, alebatur: ſed omnium frequentiſſimam Caſſellis in cultiſſimo Ill. Principis VVilhelmi Landtgravij Haſſiæ horto, ſupra humanam altitudinem ſeſe attollentem, interdum etiam Autumno rurſus florentem, quæ tamen florem minùs plenũ ſuperiore, quæ Viennæ eſt, habere Cluſio viſa eſt, & ſtolones atque ramos minùs rubentes.

## ROSA CINNAMOMEA FLORIBVS ſubrubentibus, ſpinoſa.

*Synon. cum deſcr.*



DOd.gall. Roſæ ſativæ 5. genus, flore ſimplici, fortè Roſa Præneſtina Plinij, foliis minoribus, quàm albarum, rubrarum & rubellarum, ramis tenuibus, ſpinoſis, ſubrubentibus: floribus parvis, ſimplicibus, odoratis, rubellis. Eid.de flor. & hiſt. Roſa 7. ſive ſylveſtris 2 à quibuſdam Cinnamomina dicta, id eſt, Cannel Rooſkene, Roſæ caninæ vulgò dictę ſimilis, veruntamen aliquantulum minor, cujus virgæ ſubrubente cortice veſtiuntur; flores pallidè rubent, non in totum abſque odore: plerique in hortis habent, præcox eſt.

*Dod. notat.* Notandum Dodon. olim ſcripſiſſe ſpinoſam, quod nunc non repetit: In poſtremis etiam ſpinarum nullam facit mentionem, quanquam ante dixerit omnes has Roſas mordacibus aculeis horrere.

*Lob. & Lug. notantur.* Lob.Adv. Roſa ſilv. quam Boreales Canel rooſe/ ſive Cinnamomeam appellant: Hę foliolis ſunt omnium florum minimæ: Franciæ, Belgio, Angliæ, ruri ſpontè crebræ, ipſo odore notiſſimæ. Eid.Ic. *Roſe de Canelle.* Miror autem Lobelium (& ex eo Lugdunenſem, qui eadem recitat) Roſam hanc non deſcribere, nec in Obſ. ſe explicare: coloris florum non meminit, nec etiam tradit an ſpinoſa, vel non ſpinoſa: is quidem titulo *Roſe de Canelle* ponit figuram Roſæ ſimplici flore cum ſpinoſis virgis: ſed conſiderandum an intelligat rubellam flore pleno.

Cluſ.in pan.& hiſt. Canellæ roſæ vulgaris nec colorem tradit, nec eam deſcribit, neque docet an ſit ſpinoſa aut non ſpinoſa. Thal. Cynorrhodon ſive Roſa ſylv. ſuaviter fragrantibus foliolis, videtur eſſe Cinnamomina Dodonæi, quam etiam flore candido, non ita frequentem tamen inveniri ait. Sed an hæc eadem ſit cum Cinnamomina, vel cum aliqua *Flore albo.* earum, quas tradimus, non eſt quod adhuc affirmemus. C.B.pin. Roſa ſilv. 7. ſive Roſa odore Cinamomi ſimplex: Cynamomea ſimplex, Cam. Pro Lychnide Plinij Geſnerus habet: & in Albio monte, majorem & minorem naſci tradit: illam fœminam, hanc marem faciens.

## ROSA RVBELLO FLORE, PARVO, ſimplici, non ſpinoſa.



*Deſcr.* MItior hæc, nullis horret ſpinis, pediculo duntaxat floris nonnihil aſpero: *Fol.* foliorum autem glabrorum conjugationes præter extremum impar, tres ſunt, vel quatuor, ſerratorum; ſuperiùs virentium, inferiùs albicantium, glabrorum: *Flos* roſæ ſunt parvæ quinquefoliæ, odoratæ, coloris rubelli: *Fructus.* fructus rotundus, parvo Meſpilo paullò minor, per maturitatem rubẽs, *Semen.* grana tomento involuta continet: in hortis ſæpè altitudinem hominis excedit.

*Roſa Maij.* Geſ. h. Roſa ſilv. vulgò Tigurinis Meyenröſzle/ ubi à quibuſdam colitur in hortis; creſcit verò ſpontè ad radicem Albij montis, & eſt minor, odoratior & pretioſior Cynorrhodo, ínque hortis facillimè durat. Hæc eadem fuerit Roſa campeſtris Tragi, quam Germ. vocat Hanroſen/ Feldroſen/ Haberroſen: Item coll. Roſa à Maio denominata Meyenröſzle/ Roſa Maij ſine ſpina, montis Albij prope Tigurum. *Campeſtris Tragi.* An Roſa Maij Geſneri eadem ſit cum Tragi Roſa campeſtri 3. vel 4. nobis dubium eſt, quia ei prior ſpinas gerit; ſecunda autem flore prorſus eſt candido. *Geſn. notat.*

*Græca five Lychnis.* Lugd. Roſa Græca [Plinio] à Græcis λύχνις dicta, naſcens ſpontè in ſepibus, valdè humilis, ſpinis carens, (quod huic tantùm generi Roſarum proprium eſt) flore languidiùs rubro, Vere & Autumno prodeunte: quod etiam huic Roſæ cum Coroneola & Grecula commune eſt, quę in hortis noſtris colitur, & in quibuſdam montibus luxuriat, odoris eſt expers: At humi jacentem & valdè humilem foliis tam exiguis, ut vix Roſa eſſe videretur, flore ſuaviſſimi odoris in Cemeneorum montium jugo altiſſimo Lugduno propinquo, quod montem Pilati vocant, Dalechampius collegit: Contra in Carthuſianorum Cœnobio primario, Gratianopoli vicino prorſus inodora eſt, ut veriſſimum eſſe comperiatur quod ſcripſit Theophr. de his ipſis Roſis tractans odoris præſtantiam loci ratione contingere, & quæ eadem in tellure proveniunt à ſeſe differre, quod jucundum, vel nullum odorem ſpirent. *Inodora 1. Odorata 2.* Eum locum Gaza (ut id obiter etiam hîc dicatur) non rectè eſt interpretatus: Hanc ſi quis Roſam Græcam eſſe Plinij negaverit, Roſæ genus, Cynorrhodon leve eſſe Dalech. jurè conceſſerit: Sunt Cinnamomeæ foliolis omnium florum minimæ. *Gaza cr.* *Cynorrhodon leve.* Inter ſilveſtres etiam non poſtremæ venuſtatis, inquit Pena, ſed inodoro pomo donatæ. Hæc Lugd. ſeparans Cinnamomeam à pomifera Lobeliũ imitatus, nec indicat an ambe diverſæ ſint ab ea, quã Lychnidẽ vocat: figura ſanè ex Lobelio quã ponit titulo Roſæ ſilveſtris Pomiferæ, *Lugd. notatur.*

convenit cum ejus Lychnide deſcripta: lectores hæc perpendant.

*Cinnamomea. Lychnis Plinij.* Cam.h. Roſa Cinnamomea ſimplex, pro Lychnide habita à Geſnero, & in Albio monte major & minor naſci tradita. Quaternas in coſtis ſingulis foliorum ſyzygias habet plerumque major, præter ſummum ſingulare, quod domeſticæ nullæ, niſi rariſſ. ſilveſtres quædam, ſed non omnes ſolent: Minor, quam pro mare habet, ut priorem pro fœmina, minutiores gerens ſpinas; floris pericarpium gerit ſpinoſum modicè, ſuperioris leve. Diſtinctionem hanc *Cam. error.* à Camer. aſſignatam nondum inveni in libris impreſſis Geſneri: fortè Camer. inter manuſcriptas annotationes reperit, & non ſeparat Roſam non ſpinoſam à Cinnamomea, de qua ante, quæ Dodon. & Lob. ſpinoſa eſt. rem ulterius conſideraſſe debebat.

*Syn. C.B.* C. B. pin. Roſa ſylv. 10. ſive minor rubello flore, vulgò à menſe Maio, Majalis dicta: Cinnamomea altera, Cam. Provincialis minor, Tab. Ger. Malè *C.B. lapſus* quoque frater Roſam hanc Majalem, quæ ſine ſpinis eſt, eandem facit cum ſpinoſa & Provinciali minore Taber. & Ger. ad quam etiam Cinnamomeam 2. Camer. referimus.

*Locus & Tempus.* In hortis nonnullis florentem obſervavi menſe Iulio: Genevæ ubi vocant *petits Damas rouge*, Maij principio. Reperi ſpontaneam in monte Thuiri copioſè, ceu etiam in pago Colonge: in monte Balon Lotharingiam attingente: item, in montibus Burgundiæ propè Maſcon cum flore Maij principio.

---

## ROSA SYLVESTRIS POMIFERA Lobelio, flore rubello, ſine ſpinis, pumila, eadem fortè cum præcedenti.



*Locus. Deſcr.* INter ſilveſtres Roſas (inquit Lob. in Adv. Dunen Roſen / pomifera, morifera, baccifera, non poſtremæ venuſtatis, Angliæ perquam familiaris, & Eglentinę cognatior, fruticat pumila, bicubito non altior, ſed inodora: *Folium.* folio minore, & pereleganti: Meſpilo Aroniæ non diſpari *Pomum.* pomo donata, minore multò, colore viridiore, rubello, ſubpuniceo, per Auguſtum maturo: flos Roſæ ſilveſtris eſt. Eid. Obſ. & Ic. Roſa ſilueſtris pomifera.

*Lob. repreh.* Miror Lobelium non tradere qua in re hæc differat à Cinnamomea, nec coloris meminiſſe, nec indicaſſe an ſit ſpinoſa: figura ſpinis deſtituta non malè convenit noſtræ Roſæ parvo flore rubello, quæ ſpontè provenit, quam an intellexerit Lobelius dubito. Camerarius aliam intelligit nempe Roſam campeſtrem odoratam Cluſij, quamvis illa ſit ſpi- *Cam notatur.* noſiſſima ut ipſemet Camer. fatetur, & flos albus qui Lobel. rubellus: nos igitur Camer. non aſſentimur, eandem Lobel. & Cluſij eſſe hac in parte plantam. Lugd. Roſam ſylveſtrem pomiferam Penæ ſeparat à noſtra præcedenti Roſa, non ſpinoſa: nos ſanè ſuſpicamur hanc eandem eſſe cum noſtra, ſed ſpontaneam, id quod ſtirpium periti inveſtigent.

C.B.pin. Roſa ſilv. 16. ſive pomifera minor: Roſa ſilv. pomifera, Lob. & Lugdun. Cynorrhodi ſpecies, Thal. Roſa arvina, Tab. Roſa pimpinella, Ger. Hanc Lob. ſpinis carentem, at Tab. ſpinoſam pingit. *Syn. C.B.* Ego contra fratrem Cynorrhodi ſpeciem Thalij, *C.B. cenſura.* non puto referendam ad hanc ſilveſtrem pomiferam Lobelij, ſed ad pumilam ſpinoſiſſimam folio Pimpinellæ. Præterea Roſam arvinam Taber. aliam exiſtimo, ob rationes paullò pòſt dicendas.

---

## ROSA PVMILA SPINOSISSIMA, foliis Pimpinellæ, glabris, flore albo.



*Deſcr.* HAud impunè ullâ ſui parte contrectari ſe patitur pumila hæc ſeſquicubitalis Roſa, tam denſo horret minacium ſpinarum *Spinæ.* urdiq; agmine, tam per caudicem quàm ramu- *Ramuli.* los, quos inconditos multos habet, per quos folia con- *Folia.* jugationum quatuor, alata, glabra, vix quadrantem ęquant unguis digiti minimi, circumcirca crenata, ſubrotunda: floſcu- *Floſculi.* li ſimplici conſtant foliorum texturà, candidi, crebri, luteis capillamentis medium obſidentibus, alabaſtriculis parvis: radix repit & pluri- *Radix.* mas virgas emittit.

Conſiderandum an eadem ſit, quam Cluſius in pann. pro Roſa 3. in Hiſt. pro 5. ſic deſcribit: Roſa *An campeſtris odorata Cluſii?* campeſtris odorata, cubitalibus aliquot, aut ad ſummum, ſed rariſſimè, bicubitalibus aſſurgit virgis, firmis, duris, lignoſis, rubeſcentibus, denſiſſimo ſpinarum vallo munitis, ex quibus frequentes confuſo ordine oriuntur ſpinoſi ramuli, virides, ſinguli ſuum florem ſuſtinentes, album odoratum, quinque foliis conſtantem, Luteæ, aut Canellæ Roſæ vulgaris [*qualis hæc ſit Cluſ. non oſtendit*] æqualem, capillaceis quibuſdam ſtaminibus cum ſuis apicibus luteis medium floris umbilicum occupantibus: fructus rotundus, brevis, initio viridis, deinde plenam maturitatem adeptus niger, craſſa, anguloſa, candida, dura ſemina continet: folia ſunt inter eam quæ luteos ſimplices fert flores, & illam quæ ab aggeribus, in quibus ſpontè provenit, quæque à Pimpinellæ foliorum ſimilitudine nomen apud Belgas accepit (Dunnen Rooſen & Pimpernelle Rooſen enim appellant) ferè media, per ambitum ſerrata, & nullius ſplendoris: radix dura, lignoſa, in diverſa tendit. Invenitur multis circa Viennam locis, præ- *Locus.* ſertim editioribus & montoſis. Floret Maio, quo *Tempus.* tempore ruſticæ mulieres plurimos ejus faſciculos, ob odoris gratiam, venales in forum deferunt. Fructus Auguſto maureſcit.

*Roſa ſilv.* Dodon. gall. Roſarum ſilveſtrium genus, cujus virgæ ſpinis acutis abundant: flores parvi, ſimplices, albi, ſuaviſſimi odoris: humilis Roſa, inter Roſas domeſticas & ſylveſtres minor: Videtur Græcorum κυνόσβατον, Latinorum Canirubus, & Plinio Roſa ſpineola. *Cynosbatos. Spineola Plin.* Eidem. de ſt. & in hiſtor. Roſa 9. parva humillima, virgis ſpino-

ſpinoſiſſimis, foliis minimis, roſis perquam exiguis, candidis, & ſuaviter odoratis: frutex hujus niger, aliorum ruber. Roſa minima à noſtris Duyn rooſkens. h. e. Dunenſis Roſa dicta in marino littore, arenoſis tumulis, quos vulgò Duynen nominant: ſunt tamen qui Pimpernelle Roſkens nuncupant. Roſam Pampinulam dixeris à ſimilitudine nempe hujus fruticis foliorum, cum foliis minoris Pampinulæ quæ alio nomine Sanguiſorba & Pimpinella vocatur. Minima ſpinoſiſſima & aſpertima, locis gignitur maritimis, frequens in Morinorum finibus, juxta Icium portum, in arenoſis juxta mare tumulis. Obſervandum hoc in loco Dodonæum in hiſtor. Dunenſis Roſæ fructum nigrum dicere, Cluſium autem id tribuere ſuæ Campeſtri, quam videtur ſeparare à Dunēſi ſive ea, quæ Pimpinellæ folio.

*Dunenſis. Pampinula. Varietas. Dod. notatur.*

Thal. Cynorrhodi ſpecies in Broccenbergo naſcens, tarior inventu, fructu nigro, non oblongo, ſed rotundo, Ceraſi magnitudine, continente ſemina pauciora quàm reliquæ ſpecies, duplo tamen grandiora, ac formę quodammodo granorum Vitis. Camer. apud Thalium & in horto ait Roſam pomiferam Lobelij, vel campeſtrem odoratam in pann. Cluſij, Belgis à foliorum figura Pimpernellen Róſzlin: vocari; quamvis ille ſine ſpinis depingat, cùm revera ſit ſpinoſiſſima. Ego non adſtipulor Camerario: Roſa ſiquidem Cluſij, albo flore eſt; Lohelij autem Rubella: Hoc præterea obſervandum, videri Cluſium Roſam Campeſtrem diſtinguere ab ea, quæ folio Pimpinellæ, ut jam dictum.

*Cynorrhodon Broccenbergenſe. Pomifera Lob. Cam. notatur.*

Tabernam. Roſarum 9. genus, Roſa Eglenteria dicta, frutice humili, virgulis ſpinoſis, foliis parvis, floribus ſive roſis puſillis, albis odoratis: fructu nigro: Roſa Dunenſis, aut Pampinula. Sed apud Tabern. confunduntur Roſarum genera duo: Icon repræſentat quidem Eglenteriam, ſed non deſcriptio, ut apparet ex ea & nomenclaturis.

*Tab. error.*

C.B. pin. Roſa ſylv. 13. ſive Roſa campeſtris ſpinoſiſſima fl. albo odoro: Roſa campeſtris odora & 5. Cluſ. pan. & hiſt. & Cam. Cynorrhodon polyacanthos, Lugd. Roſa Dunenſis, Dod. Roſa præcox ſpinoſa fl. albo, Eyſt. Hæc opinio non placet: patet verò noſtra ex dictis, & mox ſubdendis.

*Syn. C.B. C.B. opinio non placet.*

In hortis non parùm ſe multiplicat ſerpendo, ideòque haud multùm in altum ſeſe attollit. In caſtello Betmont, unde mihi miſſa, copioſè provenit in rupibus.

*Locus.*

## ROSA SPINOSISSIMA PUMILA flore rubro.

Lvgd. Icon eſt ſub titulo Cynorrhodi Polyacanthi, quæ non malè exprimit noſtram Roſam ſpinoſiſſimam flore albo jam dictam. Cynorrhodi autem hoc genus à ſpinarum denſiſſima multitudine quibus caulis, ſurculi, tamuli, folia rigent, Polyacanthon nominavit Dalechampius. Id pedis altitudinem nunquam excedit. Flore eſt rubro exiguo: Reperitur in Gramuntio nemore propè Monſpelium: hæc Lugd. Ego inter Roſæ ſiccas plantas invenio ramulum ſpinoſiſſimum foliis minimis, præcedenti ſimilibus, ſed minoribus multò, cui titulum fecit Dourez Cynosbati odorati. Geſnerus, qui hunc habuit, aſcripſerat eſſe fortè vel Roſæ Damaſcenæ cognatam, vel Nerſin Serapionis.

*Cynorrh. Polyacanthon Dal. Cynosb. odoratum. An Damaſcena vel Nerſin Serapionis.*

Hanc nos ſuſpicamur eſſe collectam Monſpelij: feciſſemus eandem cum præcedenti, niſi inveniſſemus Dalechampium tradere Cynorrhodon Polyacanthon flore eſſe rubro, circa Monſpelium. Cherlerus retulit ramis ſpinoſiſſ. cum minimis foliis, modò dictis ſimilibus, paſſim provenire in rupetis & frutetis collium Narbonenſis Galliæ, ac ibi florere Maio: verùm quo colore non indicabat.

C. Bauh. hanc ſpinoſiſſimam eandem ſtatuit cùm pumila ſpinoſiſſima, foliis Pimpinellæ. Sed huic flos albus, illi ruber. Hæc pedis altitudinem nunquam excedit, illa verò ſeſquicubitalis eſt.

*C. Bauh.*

## ROSA ARVINA TABERN. SPINOSA



Apud Taber. in Ic. & hiſt. hujus Roſæ 11. ſive Arvinæ, Feldt Roſe/ nihil præter iconem & nomen extat, quia ut ait, adeò vulgaris ſit omnibus locis, ut non egeat deſcriptione. Sed Compilator ſatis demonſtrat ſe parùm verſatum in Roſarum diſcriminibus: Icon quam proponit, accedit ad Iconē Roſæ pomiferæ Lobelij. Quare ejuſdem plantæ exiſtimarem niſi ſpinoſa pingeretur, tarioribus tamen ſpinis & non crebris, quales ſunt in Roſa noſtra ſpinoſiſſima: Conſiderandum an ſit Roſa Maij minor Geſneri Camerario, cujus deſcriptionem poſuimus antea, ſub Roſa rubello flore non ſpinoſa.

*Tab. reprehen. Roſa Maij Geſn.*

A me aliquando reperta eſt Roſa ſylv. in monte S. Hippoliti, urbi Burgundiæ vicino, frutice parvo ſpinis robuſtis, rarioribus, ut in icone Tabern, foliolis novem ac etiam undecim, glabris, qualia in Roſa ſpinoſiſſima alba. Ger. qui figuram Tab. exhibet, Roſa pimpinellā, Angl. The pampernel Roſe/ & Roſa pomifera.

*Locus.*

C. Bauh. eandem facit Roſam arvinam Tab. cum ſilv. pomifera Lob. & Cynorrhodi ſpecie Thalij: ſed ei adhuc aſſentiri non poſſum.

*C. Bauh.*

## ROSA MINIMA.



Roſam vix triū unciarum, collectā in horto Dei detulit gener, cui folia unciam circiter longa, quinquepartita, glabra: flos pro proportione plātulæ magnus, quinqueſolius, albus, in ea ſpinas non animadverto: conſiderandum an ſit tantùm variatio aliqua alicujus præcedentis generis: nolimus nos ut videamur plures plantas cæteris noſſe multiplicare ſpecies: ſtudemus quidē opera Dei in Botanicis demonſtrare quātum pro noſtro captu fieri poterit.

*Deſcr. Folia. Flos.*

## ROSA FOLIIS ODORATIS Eglentina dicta.

Roſis ſilveſtrib. ante dictis ſimilis, aculeatis virgis, Trago magis exiguā Roſā ſilveſtri vulgari,

*Deſcr.*



ſed ſpinis & foliis aſperioribus Dod. proceritate ſylveſtres omnes ſæpè ſuperans, *Virga.* virgas habet duras, craſſas,& lignoſas: nos plerumque obſervavimus minorem & virgis minùs craſſis: *Folia.* foliolis ſubrotundis, quibuſdam pænè rotundis, plerumque ſeptenis, Dod. ſplendentibus & pulchrè virentibus, Trago cineraceis, nobis potiùs virētibus odore gratiſſimo ac ſuaviſſimo, maximè vento flante, teſte eodem Trago: *Flores,* flores exigui, quinquefolij, albi,& valdè odorati,(vidimus & rubentes,) Trago ex purpura ſaturatè candicantes & odore jucundiore ac vehementiore præditi; *Alba & rubens.* Dodonæo verò, frequentiſſimè albicantes, rarò purpuraſcentes, exigui aut nullius odoris: *Fructus.* fructus oblongus, coloris ſubrubentis. *Spongia.* Reperiuntur etiam circa hujus tenues virgas ſpongiolæ hirſutæ, quales circa Caninæ Roſæ ſpinas naſcuntur.

*Cynosbatos. Cynorrhodos. Englandina.* Cord. in Dioſc. κυνόσβατος ſive Cynorrhodos altera, hirſutioribus foliis, cujus frutex totus ſuaviſſimum odorem ſpirat, Englandira vulgo appellata. Trago Roſæ ſilv. genus 2. German. nonnullorum Weinroſen/ Frawen Dorn/ Marien Dorn.

*Sylv. humilior. Cynosbati genus.* Geſh. Roſa ſylv. humilior, Tigurenſibus Weinröſzlein denominata à vino. Eid. cat. Cynoſbati genus odoratum, Weindorn/ Weinhag.

*Rubus canis. Cynorrhodos.* Turn. Rubus canis, Κυνόῤῥοδος, Angl. *Eglentine.* In hac communiter ſpongia naſcitur, ut ſcribit Plinius. Ego hanc nihil aliud quàm ſuaveolentem Cynoſbati ſpeciem exiſtimo. Idem habet de Cynoſbato. *Græca.* Dod. Gall. Roſæ 9. genus, Plinio Græcè λύχνις, Lat. Roſa Græca, Gal.& Bel. *Eſglentier.* Idem de flo.& hiſt. Roſa 10. ſive ſylv. quædam, foliis odoratioribus: *Caninæ ſpecies.* Cynorrhodi ſive Caninæ Roſæ odorata ſpecies, quam Galli Englenterium Ruellio teſte nominant, qui & hanc ſylveſtrem Roſam Cynoſbatum ſive *Cynosbatos. Oxyacantha.* Caninum Rubum ſuſpicatur, de quo Dioſc. κυνόσβατον οἱ δὲ ὀξυάκανθαν: Extat & Cynoſbati apud Theophr. deſcriptio, quam habet correctiorem Athenæus: Cùm harum deſcriptionum utraque non malè canina Roſa odorata convenire videtur: Eſt verò & alius Cynosbatus, quem Plin. l. 24. deſcribit: *Cynosbatus Plinij non eſt.* ſed huic Cynosbato, ſilveſtris odorata (ſi modo legitima & nō corrupta eſt deſcriptio) nec quicquam ſimilis eſt, veluti neque Cappari, neq; Smilaci aſperæ, quarum utraque etiam Cynosbatos à nonnullis appellatur..

Lob. Adv. Roſæ ſpecies altera, vulgò *Eſglentine* *Bedeguar.* aut *Eſglentier*: in hujus potiſſimùm ramis Bedegar vocatum provenit. Idem Obſ.& Ic. Sylv. Roſa & Canina Roſa odorata, Angl. Brerbuſche or Heptree/ ſive Brere tree. Germ. Wildtroſen & Heckroſen. Bel. Wilde Roſe. Gall. *Eglentine.* Hiſp. *Roſa ſalvage.* *Lob. notatur.* It. *Roſa canina, Roſe ſalvatice & canine.* An Lob. benè diſtinxerit Roſas ſylveſtres examinent lectores.

*Rubi Roſa Plinio Cynosbatos* Lugd. Rubi genus aliud in quo Roſa naſcitur, inquit Plinius, Dioſcoridis κυνόσβατος, qui in ſepibus cum aliis Rubis gignitur. Latinè Rubus caninus is appellatur, aut Canirubus, Arabicè Sent. Fruticem eum eſſe putant nonnulli, quem Galli *Englantier* & *Eglantier* vocant, id quod notæ à Dioſc. poſitæ teſtantur. Et licèt in Dioſcoridis hiſtoria nihil ſit quod non ſententiæ Herbariorum de hac planta adſtipuletur, dubitant tamen adhuc de ea re quidam, alij apertè refragantur, in primis verò Matthiolus: cui reſpondent alterius ſententiæ authores. Hoc primum, *Matth. refutatur.* quod Matthiolus vehementer probat, & adverſus Marcellum contendit; *Cynosbatos differt à Cynorrhodo.* Cynoſbaton à Cynorrhodo ſive Roſa ſylveſtri differre caulium robore, proceritate, craſſitudine, aculeorum multitudine & rigiditate, folio jucundi odoris, ut inquit Plinius, ſed anguſti, nec latè ſe diffundentis (quod in Roſa ſylveſtri prorſus odoris eſt expers) in acutum deſinente, cùm Roſæ ſylveſtris folium ſummâ parte latiuſculum ſit & majoribus inciſuris diviſum, quæ cum tantoperè inter ſe diſſideant, Cynoſbaton neque cum Roſa ſylveſtri, neque cum ſativa à Dioſcoride conferri oportuit. Nullo verò pacto adverſatur Plinij authoritas, Roſam ſylveſtrem Cynorrhodon non Cynoſbaton appellantis: qui præterea non ſcribit, veteribus Cynorrhodon nihil aliud fuiſſe, quàm ſpongiolam illam, quæ mediis ſylveſtrium Roſarum ramis oboritur, ut citra illius mentem ait Matthiolus. *Matth. reprehenditur.* Perſpicere verò ex hac hiſtoria licet Cynoſbati folium Myrto præſertim ſylveſtri ſimillimum eſſe, verùm latiùs in ambitu ſerratum, paullò minùs acuminatum. Ejuſdem fructum nucleo Olivæ, ἐοικότα ut ſcribit Dioſc. id eſt, ſimilem, non ἴσον id eſt, magnitudine parem: quanquam nec ejus magnitudo ea ſit ut Olivas ſuperet Hiſpanicas aut Narbonenſes. Quod in Theophr. legitur de Cynosbato παρόμοιον τῆς ῥόας mendoſum eſt, ſcribendum τῇ ῥόᾳ, Et poſtea pro τῆς ῥόας ſcribendum τῆς ῥόδου & pro ἀγνῶδες, legendum ἰχνῶδες: nam & Plinius folium hominis veſtigio ſimile eſt interpretatus. Hominis veſtigium ſi conſideres, principio nonnihil latum, medio latius, in anguſtum & acutum, ſummo cacumine deſinit, quale à calceatis arenæ, lutóve imprimitur, tali præſertim calceo, qualem veteribus in uſu fuiſſe ex antiquis ſtatuis apparet. Ea figura imaginem foliorum Cynosbati repræſentat. At quod ſcribit Plinius Cynosbaton uvam nigram ferre, Cynosbaton ſanè cum Chamæbaro confundit. Tam in Cynosbato quàm in Cynorrhodo excrementum quoddam gignitur, globoſum, hirſutum, tactu aſperum, quod in Cynosbato pilulam Caſtaneæ ſimilem Plinius appellat, in Cynorrhodo ſpongiolam. Et hæc Lugd. quæ cap. ſequenti Roſam ſylv. alteram appellat vulgò *Eglantier.* Nos quidem non negamus Roſam Eglentinam eſſe Cynosbaton, non invenimus tamen *Lugd. notatur.* quod Lugd. ſcribit Plinium dicere folium jucundi odoris eſſe Cynosbato: nec diſcrimina quæ ponit multùm facimus, nec demonſtrat qua in re tantoperè diſſideant, ut Dioſc. Cynosbaton, neque cum Roſa ſylveſtri, neque cum ſativa oportuerit conferre: An non Eglantina Roſa verè Roſæ genus eſt? *Eglentina. Cynorrh. Veterum.* Turn. Eglentinam diverſam exiſtimat à Cynosbato, cenſuítque eſſe veterum Cynorrhodon ſeu Roſam caninam.

Compilator Tabern. confundit in hiſt. cum nona Roſa, quæ eſt Eglenteria, Roſam Dunenſem ſive Pampinulam. *Gerardi lapſus.* Cur Ger. pro Roſa ſilv. odora, Angl. the Eglantine or Schweete Brier dicta, figuram Tabern. Roſæ ſylveſtris poſuerit, rationem non video? An Cam. h. Roſa canina κυνόῤῥοδον vivis ſepibus idonea?

*Synon. C.B.* C.B. pin. Roſa ſylv. 4. ſive foliis odoratis: Englanteria, Ruell. Roſa ſilv. altera, Trag. Geſn. h. Rubus canis, Eſglanterium, Turn. Cynosbatos, Lac. Roſa 10. Cynorrhodi, vel caninæ Roſæ odorata ſpecies, Dod. Roſæ ſylv. ſpecies altera, Lugd. Roſa Eglenteria, Lob. Adv. Tab.& Eyſt. Roſa canina, Ger.

*Locus & Tempus.* Provenit ſponte Montbelgardi ad collem, quem vocant Condemeine & alibi, ut Baſileæ, Genevæ & Lugduni,

Lugduni, menſe Iunio, nunc Auguſto, nunc Septembri, etiam cum ſpongia. Dodonæo hortenſis eſt, nec uſquam in Gallia aut Belgio ſponté vivit. Angliæ & Flandriæ hortis ad odoris gratiam colitur, ſpontè oritur in Bathonia Angliæ, proximis collibus non procul ab ædibus D. Laurentij Huyde, Lob. Hanc cùm aliquando Geſnerus in hortuli ſui loco umbroſo plantaſſet, odorem amiſit: tamen civis quidam alius partim in ipſo muro hortuli ſui, partim juxta, loco aprico, valdè proceram, & ſuaviſſimi odoris, quem nectareum dixeris, annis quamplurimis illic vivam habuit.

## ROSA EGLENTINA FLORE pleno.



*Locus.* VEſuntij in ſtirpium cultiſſimo horto Dom. à Belloſontaine vidi fruticem cum foliis odoratis, ſed majoribus quàm in ſpõtanea. Et hinc Lob. in Obſ. ait Roſam *Eglentina.* Eglentinam flore multiplici in hortis variare: hanc in Ic. inſcribit, Roſã ſylveſtrem odoratam, *Sylv. flore multiplici.* flore multiplici.

*Cynorrh. duplex.* Cam. h. κυνόρροδον duplicato flore, quę pro Alabandica Plinij haberi queat. Hanc ego cum Camerario Alabandicam non cenſuerim: ea ſiquidem vilior Plinio albicantibus foliis.

C.B.pin. Roſa ſylv.3. ſive flore pleno: Roſa canina duplicato flore, Cam.

## ROSA SYLVESTRIS, FOLIO Eglantinæ virente, albo flore & rubello.

*Alba.* IN Alſatia & circa Montbelgardum, in ſepibus cum reliquis Roſis ſylveſtribus, genus quoddam provenit magnum, foliis quinis plerumque, ex virore nigricantibus, ſimilibus Eglentinis rugis & colore, non tamen ut illarum odoratis, præterea majoribus: roſæ ſunt albæ: ſpinæ hinc inde per ramos aduncæ. Hujus aliam obſervavimus florentem Maio in Ducatu VVirtembergico inter Stutgardiam & *Rubella.* Eſlingam, flore rubello.

## ROSA SYLVESTRIS ALBA CVM rubore, folio glabro.

*Deſcr. Folia.* ROſa noſtra ſylveſtris, folio glabro, in magnos excreſcit frutices, magnis armatos ſpinis: folia *Flores.* ſunt ſatis magna, utrinque glabra: flores ſimplices, quinquefolij, albi, cum aliquo rubore, in medio ſta- *Capita.* mina lutea: ſuccedunt capita longa, primùm viridia, deinde Coralli modo rubra, quæ ubi planè matura, mollia redduntur, ſapidi guſtûs, cum aliqua aciditatè: à pilis, quibus ſemina involuta ſunt, inter edendum, cavendum.

*Roſa canina vulgo Dod.* Dodon. ſic deſcribit: Ea quæ canina Roſa vulgò dicitur, Belgio familiaris, aculeatis virgis, & aſperis



foliis, ſativis ſimilis eſt; ſingulis tamen minoribus: flos ſimplex, quinque folia non excedens, albicans, aut ex albido colore purpuraſcẽs. Adnaſcitur hujus virgis aliquãdo pilula quædam hirſuta, echino Caſteneæ quaſi ſimilis, at mollis, quam ſpongiolam Roſæ nuncupant. *Spongiola de pila Roſæ ſylv.*

Lugd. ſic, Roſa ſylv quam Cynorrhodon Plinius appellat, foliis eſt aſperis, aculeatis: rami ſurculique, ut in ſativa ſpinis horrent, ſed graciliores ſunt, foliaque multò minora: roſæ ipſæ ſimplices, albæ, aut in albo purpureæ, inodoræ, quibus tandem ſuccedunt capita rotunda, ut in ſativa, rubra cùm matura ſunt, in quibus ſemen lanâ opertum. In mediis ramis naſcitur pila quędam, hirſuta, à Plinio ſpongiola nominata. Hanc Seplaſiarij quidam Bedeguar appellant, non ſine errore, cum Bedeguar Cardui genus ſit. Sed nec Dodonæus, nec Compilator Lugd. videntur cognoviſſe diſcrimina Roſarum ſylveſtrium. Icon noſtra ex Camer. valde placet. *Cynorrh. Plinij.* *Bedeguar de pila Roſæ perperam offic.* *Dod & Lugd. notantur.*

Eſt hæc illa planta quam Theophr. & Dioſc. κυνόσβατον vocant, & alij apud eundem Oxyacantham, malè meo quidem judicio: Meliùs alij apud Plinium Cynoſbaton, Cynoſpaſton: alij autem Neuroſpaſton cognominant: exiſtimo tamen eum duas plantas miſcere. *Cynosbatos. Oxyacantha male. Plin. notat.*

Cord. in Dioſc. ait κυνόσβατον Canirubum Gazam apud Theophr. reddere, ſed eundem fruticem alio nomine Cynorrhodon, Canis roſam, vocari: Eſſe autem nihil aliud, quàm ſyl. & aculeatam hamatis ſpinis Rubum: eſſéque tres, aut quatuor ejus differentias, & ex omnibus hanc eſſe proceriorem. Plinium Cynosbatum cum vulgari Rubo confundere, quoſdam etiam hunc fruticem Arbutum eſſe credere, ſed malè. *Cani rubus. Cynorrhodon. Rubus ſilv. Plin. error. Arbutus malè.*

Tragi judicio Roſa ſyl. prior ex purpura dilutè albicans, ſive vulgare ſilveſtris Roſæ 1. genus, quod Germani Wildthecktroſen/ Hanbüttel/ & Büttelroſen/ & ſpongiolas quę huic adnaſcũtur, Schlaffkuntz appellant, Cynorrhodon Barbari fuerit. *Cynorrhod. Barbari.*

Dodon. g. Roſa 7. κυνόρροδον, Roſa canina & Roſa ſylv. Eid. hiſt. & de flor. Roſa 6. ſilv. canina vulgò vocata, nonnullis etiam Canina ſentis, flore albicante, aut ex albido colore purpuraſcente, olim inodoro. *Canina ſentis.*

Holler. morb. int. Cynoſbaton: Eid. de compoſ. medic. Cynoſbati fructus detracta interiori lanugine Senella vocata. At Senella ſolet dici de Oxyacantha Matthioli, quæ commendatur ad calculum: quare videndum an ne ab Hollerio duæ confundantur plantæ? *Senella. Holler. notatur.*

Neſcio, inquit Lob. in Adv. quà fiduciâ invitum me nihil ſcire docere vult Matth. qui jam diu non novit, ne quidem poſtremò monitus agnovit Cynoſbaton, cujus duo frutices, ut nomenclaturæ ſic effigiaturæ ex antiqua deſcriptione perſimiles, certum me faciunt, aut ſaltèm ea non carere nos hodie: Eſt autem frequentiſſimus Cynoſbatos Rubi perſimilis, promens florem & fruticem Roſæ ſylveſtris. An autem Roſæ ſylveſt. fuerint ritè perſpectæ Lo- *Matth. repreh.*

belio, valdè ambigimus, videant lectores.

*Rubus caninus. Cynomorō. Heliodoron. Cynorrh de ſpongia.* Anguill. vocat Rubum caninum. Roſas albas ſylveſtres Galeni lib. 1. comp. med. ſec. loc. Cynomoron, & Oribaſii Heliodoron: Plinium ait tradere in hac inveniri planta ſpongiolam, vocatam Cynorrhodon. Hanc Lob. ſpongiam Bedegnaris vocat. Tab. Roſam ſilv. Heckroſe/ non deſcribit, ita ut neſciā an hanc vel ſequentē intelligat. Geſ.h. Roſa ſylveſtris Cynosbati vel Cynorrhodi nomine veteribus dicta. Eid. cat. Cynorrhodon, Roſa canina. *Cynorrhodo à Cynosbato differentia.* Hanc aliquos à Cynosbato diſtinguere ſcribit non flore roſeo, quem fert utraque, ſed ſpongiolis quas Cynorrhodo attribuit, & Cynosbato negat. Turn. eos errare ſcribit, qui Rubum canis & Canirubum, Rubum eſſe putent. *Rubus non eſt.* Ger. vocat Roſam caninam inodoram, ejuſque figuram aſſumpſit ex Tab. quæ poſita fuerat pro Roſa Eglenteria, cur mutarit neſcio. Hæc tandem eſt cujus turpis figura extat apud Lonic. nomine Hagenbutten & Hanroſen/ & Cynosbati Dioſcoridis.

*C.B. Synon.* C.B. pin. Roſa ſylv. 1. ſive flore odorato, incarnato; Cynorrhodos Plinij & Barbari: Sentis canis & Cynosbatos, Brunſ. Roſa ſylv. Matth. Dod. odora, Ger. Cynorrhodos [*an non hæc Roſa pomo ſpinoſo, folio hirſuto?*] ſeu Roſa canina, Thal. Roſa ſylv. vulgaris, Lugd. Cam. ep. Roſa canina odorata & ſylv. Lob. Roſa ſylv. altior & ſpinoſior, Cæſ. Roſa canina, Camer. Cynosbatos & Rubi tertium genus, Lugd. Roſa ſylv. odorata incarnato flore, Eyſt. Huic, ut & tertiæ [*Roſa Eglentina plena*] ſpongiola adnaſcitur, quam Plinius in Cynosbato, pilulam Caſtaneæ ſimilem: in Cynorrhodo ſpongiolam vocat.

*Locus, cum tempore.* Paſſim circa ſcrobes, foſſas & margines agrorum & pratorum locis humidis provenire tradit Dodonæus. Ego diverſis in locis diverſo tempore florere obſervavi, ut Iunio, Iulio, Auguſto, Septembri, Octobri & Novembri, ac etiam Spongiam ferentem.

## ROSA SYLVESTRIS, FOLIO glabro, flore planè albo.



*Deſcr.* ROſæ fruticem inveni in Burgundia inter Courchaton & Grange caſtellum & oppidum Ill. E. C. floribus multis ſimul junctis, Roſæ moſchatæ in modum, majoribus, omninò albis, odoratiſſimis; calycibus, eorumq́; pediculis rubentibus: *Folia.* foliis ſeptenis, planè glabris, Roſæ ſilv. albæ ſimilibus. Et hæc illa eſt quæ in dumetis provenit, nō ita in altum excreſcens, nec ita robuſtos proferens ramos, ut Roſa ſilv. alba cum rubore, folio glabro, ſed multùm ſerpens, ramis quibuſdam parùm ſpinoſis: Eadem paſſim in ſilvoſis & frutetis provenit & circa itinera inter *Locus.* Montbelgardum, & Borongne, aliiſque in locis plerumque cum ſingularibus floribus, modò cum pluribus ut ante diximus: floret Iunio & Iulio, tardiùs paulò quàm cæteræ ſylveſtres. Hæ demum fortè ſunt Roſæ albæ odoratiſſimæ quas reperi florentes menſe Septembri inter VVallenburg & Liechſtal *Tempus.* Baſilienſium.

An Cordo in Dioſc. Cynoſbatos ſive Cynorrhodos, aut Roſa ſylv. 3. omnium minima, nec multùm à terra elata, ac propterea Erdtroſen, quaſi Chamærhodos appellata. Cum noſtra hac Roſa ſilveſtri non malè videtur convenire Roſæ ſylveſtris Tragi 4. ſpecies, Roſæ 4. genus, Eyanroſen / Haberroſen/ Feldtroſen/ ſive Roſa campeſtris, de qua ait: Roſas profert prorſus candidas, odoris non tam jucundi ut tertij generis, ſilveſtrium omnium Roſarum viliſſima. In ſiccaneis agrorumq́ue limitibus juxtáque itinera Iunio & Iulio menſibus in flore ſuo apparet. An Geſn.h. Roſæ campeſtris Tragi ſpecies altera, roſas prorſus candidas proferens. An Lugd. Cynorrhodon, ſive ſilv. vulgaris Roſa paſſim in dumetis reperta ab Herbariis?

C.B. in pin. Roſæ ſylv. 4. ſpeciem Tragi, facit Roſam ſilv. 17. ſive arvenſem candidam: Cynosbaton verò tertiam Cordi, Roſam ſilv. 18. ſive campeſtrem repentem.

## ROSA SYLVESTRIS ALBA, CVM aliquo rubore, folio hirſuto.




*Deſcr.* ROſæ ſilveſtris genus hoc magnū ramoſum, ſpinis hincinde aduncis, robuſtis, cui foliola quina, vel ſeptena, ſubrotunda, rugoſa, albicantia, hirſuta, nonnihil odorata, minùs tamen quàm Eglentinæ; flores quinquefolij, albi, cum aliquo rubore quorum pediculi ſpinulis aſperi, circa Mōtbelgardum in ſepibus & dumetis cum cæteris frequēs eſt.

*Varietas.* Hujus alia ſpecies quædam à me reperta eſt menſe Septembri in monte VVirtemberg. ubi ſita arx Teck. ſpinis non curvis, ſed rectis: foliola huic quidem etiam hirſuta, ſed tenuiora, minùs rugoſa, anguſtiora, ſeptena; in pediculi dorſo raræ quædam ſpinæ.

*Cynosbatos quarta Cordo.* Cord. in Dioſc. Roſa canis, Cynosbatos quarta, majora, quàm tertia omnium minima, & lanuginoſiora [*forte longiora & lanuginoſa ut in margine ſcriptum*] & incana habens folia, & roſas in candido ſuaviter rubeſcentes. An Thal. Harcyn. Cynorrhodos alia flore paulò minore ex candido tenuiter rubeſcente.

## ROSA CANDIDA PLENA ET ſemiplena.

*Deſcr.* ROſa alba aſſurgit virgis longis, lignoſis, fungoſis, in quibus ſpinæ acutæ, aduncæ, raræ; cortex alioqui politus & levis: foliola quinque vel ſeptena, crenata, glabra, ſublonga, quædam pænè rotunda, pediculi dorſo ſpinoſo interdum: extremis ramis calices plures, ex pediculis ſpinulis non minacibus inhærent, quibus apertis apparent roſæ pulchræ, odoriferæ, albæ, multorum foliorum (interdum cum negliguntur pauca producunt folia, niſi aliud genus ſit) quorum interiora minora, exteriora verò majora & ampliora, in medio apices luteos includentia:

*Fructus.* *Cultura.* *Icon.* *Damaſcena.* *Campana Plinij.*



dentia: ſuccedunt fructus rotundi, rubri, ubi maturi, in quibus grana dura, lanâ involuta. Hic frutex quia procerior, ideò meliùs frigus tolerat, quàm rubellæ: ei putandi quotannis ramuli qui flores tulêre. Noſtra Icon ex emptitiis non placet.

Dod. g. Roſæ 1. genus, Roſa Damaſcena Italiæ, Roſa alba Galliæ, Campana Plinij. Eid. fl. & hiſt. Roſa ſativa 1. vulgò Roſa alba, Roſa ſpineola Plinij, ſi modo ejus Campana non ſit.

Lob. Ad. Roſa ſativa cãdida. Geſ. h. Roſæ albæ hortenſes multiplici ſolio: Roſæ viliſſimæ, albicantes: Monachorum alba Roſa, quę & Centiſolia. Eid. coll. Matth. & Apollinari Roſæ albæ. Trago, Roſa hortenſis multiplex alba. Tab. Ger. Anguill. & Lugd. Roſa alba. Cam. h. Roſa alba, candida ſimplex & plena. Ryff. in Dioſc. Roſa flore albo. Cæſ. Roſa parva quinque foliis conſtans candidis: & eadem multifolia, fortè Præneſtina Plinij, quæ celebratiſſima, noviſſimè deſinit.

Roſas albas Campanas eſſe exiſtimat Lugd. eáſque omnium viliſſimas tradit, demptis Damaſcenis. Addit quaſdam eſſe foliis denſiſſimis, ut antiquorum Alabandica: has Spineolas fuiſſe arbitratur & Centifolias.

*Syn. C.B.* C.B. pin. Roſa ſativa 9. ſive alba vulgaris major, Campana Plinij: ſativa alba, Brunf. Roſa domeſtica alba, Matth. Roſa 4. candida, Cæſ. [*hæc nobis eſt lacteola, de qua mox.*] Hujus flores foliorum numero variant: hinc Roſa flore albo pleno & ſimplici, Eyſtett.

*Ling. nomina.* Germ. Weiſe Roſen / Weiß garten Roſen. Belg. Witte Rooſen. Gall. *Roſes blanches.* It. *Roſa bianche.* Ang. The withe Roſe.

*Locus & Tempus.* In variis locis vario tempore floret, ut Maio & Iunio, Octobri & Novembri. Cæſ. tardiſſimè floret, & perdurat uſque in Autumnum. Amarior hæc & majorem vim purgandi habet.

## ROSA LACTEOLA.

ROſa lacteola, elegans, non magna, foliis multis, denſè ſtipatis: quæ ſingula, ſi evelluntur, candida ſunt, cùm verò ſimul calyci inhærent, in flore integro videtur quidã dilutus rubor emicare.

*Locus.* Vratiſlaviæ copioſè in hortis coli dicitur, unde etiam ad nos proveniunt. Hæc Centifolia Plinij videtur, numeroſis foliis & parvis. Nec tamen eſt talis odoratiſſima, quamvis reliquis odoris præſtantiâ parùm cedat. *Uſus.* Extremos veluti margines in coronis aptè ornat, quod exigua ſit, Cam.

C.B. pin. Roſa ſativa 10. ſive alba minor.

*Candida numeroſiſſimo folio.* Et hæc, me judice, illa eſt, quam Cæſalpinus quarto loco tradit, maximè omnium numeroſo folio conſtantem, ſed parvo, odore valdè exili, quam Plinium Alabandicam vocare ſcribit, viliorem albicantibus foliis: *Alabandica.* & Spermoniam plurimis foliis ſed minutiſſimis, viliſſimam, non multò odoratam. *Spermonia.*

## ROSA HUMILIS, FLORE albo Cluſij.

ROſa 4. Cluſij humilis eſt & fruticoſa, foliis illi quæ album florem fert, perſimilis: ſed ejus flores, licèt albi, longè minores, neque unquam planè ſeſe explicantes, ejuſdem cum alba vulgari odoris & coloris, qui tamen plus carnei admiſtum habet. Paulò ſerius illa floret. *Deſcr.* *Locus & Tempus.* Hanc primùm obſervabat autor in cultiſſ. D. Ioan. Aicholtzij horto, unde illam adquiſiviſſet, ignorantis: Deinde Francofurti ad Mænum, in quorundam Patriciorum hortis. Plurimùm autem accedere videtur, ad Græculam Plinij. *Græcula Plinij.*

C.B. pin. Roſa ſylv. 6. ſive odorata albo flore: Roſa ſylv. humilior, Cæſ.

## ROSA MOSCHATA MAIOR.



*Deſcr.* *Flos.* ROſa Moſchata floribus maioribus, albis, frutex eſt robuſtus, rectus, ſpinoſus, ut Moſchata minor: in ramorum ſummitatibus, ex pediculo raris aliquibus ſpinis aculeato Roſę enaſcuntur, plerumque quinque aut ſeptem foliis conſtantes, magnæ, albæ cum aliquo rubore, qui potiſſimũ detegitur cùm exſiccantur: *Odor.* Odore ſuaviſſimo floret Iunio. *Locus.* Genevæ in hortis, non facilè læditur à frigore. Hanc florentem Maio obſervavi, etiam Clarevallæ in oppido Burgundiæ, unde tranſtuli Montbelgardum in hortum, ubi quotannis ferè partes ſuperiores gelu abſumuntur.

Lob. Ic. Roſæ moſchatæ major ſpecies. An de hac loquitur Cæſ. Roſa candida, quæ ex tranſlatione in Campania & circa Philippos adeò profecit, ut latiſſima & maxima folia provenerint, non tamen odoratiſſima, quam Centiſoliam vocant; Muſcatula apud nos appellatur ob odoris excellentiam: ſed quæ opere topiario colitur; caudice cæteris craſſiore: ramis longiſſimis: aculeis rarioribus.

## ROSA MOSCHATA MINOR flore ſimplici.

*Deſcr.* *Stolones.* *Spinæ.* HÆc jam olim à me ſic deſcripta: Roſa Moſchata magnos habet ſtolones, rectos, craſſos, ſtatim à radice prodeuntes, in quibus ſpinæ raræ, interdum à trunco rubræ ac robuſtæ: rami tactu eſſent læves, niſi interdum ſpinæ intervenirent, in quo quiddam habent commune cum Roſis albis ſativis, ac differunt ab Incarnatis vulgò dictis, quorum rami undique valdè ſpinoſi. *Folia.* Folia ſatis rara quæ non multùm differunt à Roſis albis & incarnatis, niſi quòd minùs rugoſa, & magis acuta, glabra ſupernè cum viriditate, infernè albidiora cum pilis vix apparentibus, in circuitu ſerrata, quæ ut plurimum habent ſeptem foliola, interdum novem, majori ex parte ſibi invicem oppoſita, in foliorum pediculis parte inferna

ſpinæ



*Rami.* ſpinæ valdè aduncæ. Rami extremi diviſi in alios minores, qui quadam quaſi lanugine obducũtur & rubent, pauca habent ſolia, abundántque multis floribus ſimul cohærentibus qui priuſquam ſe expandant longa apparẽt capitula, mollia & hirſuta. Apertæ roſæ vix diem durant, & mediocris ſunt magnitudinis, albæ, babent nonnunquam *Vngues.* ungues rubentes, qui lutei ſunt priuſquam expandun- *Apices:* tur, conſtantes ſingulæ quinque foliolis: apices lutei ſoliolis decidentibus nigreſcunt: relicto in medio uno magno, hirſuto, clavam aliquatenus expri- *Odor.* mente. Odor cum ſuavitate inſignis, moſchum ut benè ait Dodon. proximè referens, ſapor amarus, aſtrictionis non magnæ particeps, aliquam acrimoniam in faucibus relinquens.

*Neſrim Avicennæ.* Auctores ſunt Monachi in Meſ. ipſum Avicennam cap. de Neſrin, vel Netrin, ſive Neſerin, loqui de Roſa hac parva ſylveſtri alba, vulgò dicta Dama- *Muſcatella* ſcena, ſeu Damaſchina, & à nonnullis Roſa muſca- *Neſrin.* tella. Ang. Netſin ſerapionis, *M ſchette* Roſæ ſimplices. Sylv. & Ryff. Roſa moſchata. Matth. Roſæ *Damaſcena.* Hetruſcorum Damaſcenæ, *Moſchette* vulgò dictæ, de quibus ut ipſe credit, non eſt intelligendus Meſue, quòd eas illi facilè incognitas fuiſſe exiſtimet. Has enim veteribus cognitas fuiſſe (quod ſciat) memoriæ prodit nemo: ni fortè eſſe eas credamus, quæ *Spineola Plinio.* Plinio Spineolæ appellantur, quæ cæteras excellunt odore. Lob. Adv. & Obſ. Roſæ Moſchatæ. Eid. Ic. Roſa Moſchata flore ſimplici. Dod. g. Roſę ſativæ 6. genus, Plinio Roſa Coroneola, Neotericis Roſa ſera & Roſa Autumnalis, Belgis Muſket rooſkens. Eid. de flor. & hiſt. Roſa ſativa 5. Hetruſcorum Roſæ *Moſchette*, ubi Coroneolam Plinij eſſe poſſe tradit, eámque Damaſcenam nonnullos appellare, flore ut plurimùm ſimplici. Geſ. h. Roſa moſchum fragrans: Roſa muſcata ſimplex: Moſchata vel Ale- *Alexandrina.* xandrina vulgo, & ab aliquibus Damaſcena appellata. Is ſe audiviſſe ſcribit eaſdem marinas à nonnullis vocari, colíque jam in hortis circa Verbanum lacum, ſed fortè genus diverſum eſſe: Monachos interpretes Meſuci Neſrin vel Nerſin Arabicè hunc fruticem vocare, aliàs Roſam putare. Item in app. ex Anguill. Roſam Moſchatam, vel Damaſcenam, Alexandrinámve Neſrin Serapionis vocat. Idem tamen lib. de Quadrup. Roſam Moſchatam eſſe Neſ- *Damaſcena.* rin Avicennæ negat, his verbis. Roſa Damaſcena ſeu Muſcatella vulgò dicta inter ſilveſtres annumerari poteſt: quam Avicenna Canone 2. c. 514. Neſrin *Neſrin Bellun.* vel Neſiin, vel Neſerin nominat, ut Bellunenſis interpretatur, cujus hæc ſunt verba: Neſrin eſt Roſa odoris acuti, quę vulgò in Hiſpania & Barbaria Roſa Muſcata dicitur. Damaſci eſt Roſa Neſrin vel Neſrin, & eſt ſpecies Roſæ ſilveſtris. Simon Ianuenſis *Neſrin Alhavi Ianuenſis & pandect. Nerſin Ser. Monachis.* etiam & Pandectarius, Neſerin vel Neſrim, autoritate Alhavi dicunt eſſe Roſam ſylveſtrem & albam, quæ in frutice ſpinoſo ut ſativa naſcatur. Serapio Nerſin vocat, & ab aliquibus Roſam ſylveſtrem & Roſa n Seni nominari ſcribit. Monachi in Meſuem alibi etiam Neſrin Roſam parvam, ſylveſtrem albam interpretantur: cui Avicenna & Serapio eandem facultatem attribuant, quà præditum eſt Zam- *Zambacum Ieſeminum.* bacum vel Ieſeminum, ſed infirmiorem. ut in penuria Olei Zambacini, oleo de Neſrin, id eſt, Roſis Damaſcenis uti liceat. Nerſin, inquit Avicenna, calidus *Neſrin Avicenna duplex.* & ſiccus eſt ordine tertio. Omnis ſpecies (pars) ejus vim habet abſtergendi & attenuandi, ſed flos præci- *Vires.* puè. Nervis frigidis prodeſt. Vermes aurium occidit: & tinnitum earum tollit. Dentium dolorem mitigat. Sylveſtris in hoc genere fronti in capitis dolore illinitur. Prodeſt gutturis & tonſillarum abſceſſibus. Drachmæ quatuor inde potæ, de ſylveſtri pręcipuè, vomitum & ſingultum ſiſtunt. Hęc Avicenna de Neſrin. Sed cùm planta ſit calida & ſicca in tertio, & eadem ferè quæ Zambacum efficiat, Roſis eam adnumerare non poſſumus: neque enim ulla *Non eſt Roſæ ſpecies.* nobis Roſarum ſpecies ſive ſativa, ſive ſilveſtris cognita eſt, quæ tertio gradu calfaciat, & illa præſtet, quæ plantam Nerſin præſtare ex Avicenna nunc recitavi. Quamobrem aliam eſſe oportet Roſam Da- *Damaſcena. Matth.* maſcenam ſive muſcatam vulgò in Italia dictam: cujus Matthiolus etiam meminit, perquám odoriferam eſſe ſcribens, colore albo, & ventri movendo cæteris efficaciorem. Ego loco Nerſin Ieſeminum *Leucoia.* vulgò dictum, aut Leucoia potiùs quàm ullum Ro- *Zambacum ſilv. Raſi.* ſarum genus uſurpare malim. Neſrim, id eſt Zambacum ſylveſtre calidum eſt & ſiccum: & calidi temperamenti, caput lædit (& vel ſanguinem é naribus aliquando ſuo odore elicit) Raſis. Idem apud Serapionem, vidi, inquit, in Coraſcem qui dabant foliorum ejus duas aut tres ad ſummum drachmas unde *Nerſin eſt ſicut Narciſſus.* venter admodum movebatur. Nerſin eſt ſicut Narciſſus, Avicenna & Aben Meſuai: ego Narciſſum hîc falsò legi video, ſive authorum, ſive interpretum aut librariorum hæc culpa ſit: nam neque forma, cùm ſit frutex Roſæ ſimilis, aut ſaltèm magnitudine par: neque vires cum Narciſſo conveniunt. Fieri quidem poteſt ut ea vox corrupta ſit pro Ieſemino. Quanquam rurſus in Narciſſo etiam apud Se- *Narces.* rapionem ſcribitur, Narciſſum ea efficere quæ Ieſeminum. Sed legendum eſt Nerſin, non Narces (ſic enim Narciſſum vocant) ea præſtare quæ Ieſeminum, ut Avicenna & Meſarugie docent. Serapio quidem, vel citatus ab eo author vocum affinitate facilè falli potuit. Eſt autem Zambacum ſive Ieſeminum frutex floribus odoratis, quem Galli & Itali etiamnum Ieſeminum appellant, docti quidam Iaſminum, & Vnguentum ejuſdem nominis, Dioſcoridi deſcriptum, ex floribus ejus confici arbitrantur. Ego eundem fruticem Vergilij Caſſiam eſſe puto, apibus gratam, ut pluribus in apium hiſtoria docebo. Quod ſi Neſrim Ieſeminum ſilveſtre eſt, ut Raſis ſcribit, non rectè Auicenna hujus plantæ genus ſilveſtre privatim nominaret, ſativum etiam genus ejus alterum eſſe intelligendum relinquens. Cum de Sambaco, id eſt Iaſmin (ſic enim Bellunenſis hæc vocabula ſcribit) ſeorſim agat. Scribit autem Sambacum calidum & ſiccum eſſe ordine tertio, & oleum ejus prodeſſe nervis frigidis, in ſenibus præſertim, ſed odore ſuo, caput lædere, quod Dioſcorides etiam de Iaſmino tradidit unguento. Sed ſive Sambacum ſilveſtre hæc planta eſt, ſive ſimilis ei, ſat fuerit intelligere eandem utriuſque facultatem eſſe: Sambaci tamen efficaciorem paulò: & nullum pro eo Roſarum genus ſubſtituendum. Roſæ quidem nomen (vocant enim Nerſin aliqui Roſam agreſtem, & Roſam ſeni, ut apud Serapionem legimus) non ſatis eſt ad probandum propriè dictæ Roſæ hanc ſpeciem eſſe: ut neque Violæ proprie dictę genera ſunt, quæ vocantur Leucoia Dioſcoridis, & Leucoion Theophraſti. Oleum de Nerſin utile eſt adverſus pleureſin ex atra bile, & uteri dolores, Aben Meſuai. Hæc Geſn. cujus argumentum mihi *Geſ. notat.* non

non ſatisfacit, quo negat Roſam moſchatam eſſe Neſrin Avicennæ, quod deſumptum eſt à viribus. Roſæ enim muſchatæ ſunt calidæ, & præſtare poſſe videntur quæ Avicenna attribuit Neſrin. Sylvio Roſarum calidiſſimæ ſunt, ex odoris gravitate inſigni: ſapore quoque amaro, cum acrimonia & adſtrictione non pauca. Sylveſtre etiam Neſrin ſi eſt Roſa noſtra ſylueſtris, optimè reſpondet viribus ei attributis ab Avicenna, quæ contrariæ in quibuſdam facultatibus & viribus Roſæ Moſchatæ. Ieſeminum quod Geſnerus loco Neſrin ſumere mavult, nobis non videtur calidius Roſa Moſchata: vires à Rhaſi adſcriptæ non repugnant: odor ejus non minor quàm Ieſemini, cerebrum valenter feriens, & caput tentans, Amato. Quod Serapio ſcribit de purgandi vi, optimè convenit Roſæ Moſchatæ, quæ violenter purgat: annotavit enim Amatus purgare non minùs quàm Scammonium, ac ideò abſtinendum ab eis ſuadet: hiſtoriam recitat mulieris, quæ ex guſtato condito harum roſarum, faucium & linguæ excoriationem cum ſtomachi roſione contraxerit. De Ieſemino id non conſtat. roſa moſch. ſimplex flore eſt ſatis ſimili Narciſſi flori, qui roſeus. Odor etiam vehemens, nec vires tantùm differre putamus, quantum putat Geſnerus: perpendantur vires Narciſſi à Dioſc. traditæ.

*Synon. cum nominib. linguar.* Cam.h. Roſæ Damaſcenæ quaſi de Sæni apud Arabas, ſive Muſcatæ ſimplici flore & præcoci, ex albo florem ad puniceum nonnihil vergentem habentes. A quonam quæſo præterquam à Cam. obſervatus eſt talis color in Roſa Moſchata. Tab. Roſa muſcata alba, **Weiß Mußkaten Roſen / Damaſceen Roſen / Bieſem Rößlin.** Lugd. Roſam Coroneolam ſive feram, ſive autumnalem, Damaſcenam eſſe cum pluribus autumat, tùm quòd autumno proveniat, tùm quòd odore ſuavi prædita ſit: Gallic. *Roſe Muſquee*, & *Muſcadelle*. Ital. *Roſa Moſchetta*: Tradit præterea ex Damaſcenis unam quinque
*Damaſcena biflora.* tantùm foliis eſſe, eam florere Maio, ac iterum Septembri. Et hoc nemini mirum videri debere ait, quòd ſint etiam peſtanæ Roſæ biferæ. Ger. Roſa muſcata ſimplici flore, Angl. **The ſimple muſcat Roſe.** Belg. **Ghemeyn enckel muſcus Rooſe.**

C.B.pin. Roſa ſativa 11. ſive moſchata ſimplici flore, Neſrim, vel Neſrim Serapionis, Ang. Roſa muſcatula, Cæſal. Roſa alba Damaſcena fl. ſimplici, Caſt. Roſa Damaſcena (quaſi de Sceni apud Arabes) ſimplici flore, Eyſt. Hæc minor eſt & major. Roſæ muſcatæ cùm ſilv. tum domeſticæ, rubræ, albæ & viridis, Bellon. lib. de cult. meminit.

Montbelgardi copioſè floruit etiam Autumno, ſed tandem gelu confecta eſt frigoris rigidioris impatiens. Monſpelij floruit qualis deſcripta eſt, Autumno & menſe Maio: Lugduni ubi frequens, vidi florentem Auguſto, Septembri & Octobri; Geneve etiam Novembri. Floret in Italia ut audit Geſnerus toto ferè anno: Auguſto vix ante Autumnum.

## ROSA MOSCHATA MINOR, flore pleno.

*Deſcr.* ROſa Moſchata flore pleno ſimilis eſt ſimplici, habens in flore folìola exteriora majora, interiora minora: Videtur Lobelio ſylveſtrem exuiſſe animum olitorum arte & mangonio, & hortenſis dupla facta.

*Synon. Damaſcena ſive Autumnalis.* Lugd. Roſa Damaſcena, ſive Autumnalis altera, denſa foliorum congerie, & eximià odoris ſuavitate delectans. Geſn.h. & Ger. Roſa muſcata multiplex. Dod. Roſæ ſativæ 5. ſpecies rarior multiplex.
*Muſcata multiplex.* Lob. Adv. & Ic. Roſa moſcata. Tab. Roſa muſcata alba multiplex. Cam.h. Roſæ Damaſcenæ flore pleno,



no, Coroneola Plinij quorūdam, quòd inde coronæ odoratiſſimæ nectantur & autumno naſcantur. Quamvis forſitan poſterioribus ſæculis primùm Italiæ innotuerint. Quid enim mirū, quamvis multa Theoph. & Plinio Roſarum genera numerétur, alia etiam extitiſſe noſtra ætate. Tantopere enim diverſis locis per ſe & humano opere coacta variat natura ſuas opes.

C. B. pin. Roſa ſativa 12. ſive moſchata fl. pleno, *Synon. C.B.* Coroneola Plinij: Roſa muſcatula multifolia, Cæſ. Roſa alba Damaſcena fl. pleno, Caſt. Eyſt. Roſa Coroneola altera, Lugd. Præneſtina Plinij, aliorum.

Germ. **Weiſſe gefült Muſcat Roſen** Belg. **Dobbel Muſcus Rooſe.** Ang. **The double Muſke Roſe.** *Ling. nomina.*

Roſæ Moſchatæ duplæ condiuntur & eſitantur *Vires. Alvus.* paſſim in Italia, Venetiis præſertim: alvum jucundius, Lob. ſed vehementiùs cient, & animi deliquia, ſtomachi cordiſque lancinationes accerſunt. Sed quàm jucundè cient alvum, ſi tam prava ſymptomata excitant evacuando, videant lectores. *Lob taxatur.*

## ROSA SVCCHARINA PLENA.

*Deſcr.* ANno 1608. Maio menſe in horto fontis & balnei admirabilis, occurrit Roſa hæc alibi non viſa, ſpinis multis, ut Incarnata, horrida, cui & folia ferè ſimilia, utrinque piloſa, quinque vel ſex foliolis conſtantia, ad pediculi originem lata, veluti duæ auriculæ, criſpiora, quàm Incarnatæ: capitula hiſpida, brevia, craſſa: floris color ruber. Aiebat hortulanus vix in totum explicari eam Roſam Idibus Iunij.

## ROSA LVTEA.



*Deſcr.* RArior & ſpecioſa eſt Roſa lutea, ſpinoſis virgis, foliolis glabris quinis vel ſeptenis, vix tantillum horridis: floribus luteis ſimplicibus, cum gravitate odoratis: pomo breviore, ventriſcoſiore: repit & multùm ſe propagat. Hanc ita delineat Lugd. Roſa lutea veteribus in- *Roſa aurea veteribus indicta.* dicta, aurea dicta, quòd luteo aureóve colore fulgeat, à cæteris Roſarum generibus foliis, flore, odore diſcrepans: Nam parva ejus folia ſunt, rotunda, obſcuræ viridita-

viriditatis, valdè infecta, inciſurarum crenis propemodum rigentibus, caulibus valdè ſpinoſis, flore aureo ſive luteo, cætera aliis ſimili, ſed ſimplici & quinque tantùm foliis conſtante, odore gravi atque ingrato: accuſanda natura quæ flori egregio ſuavem odorem, id eſt, roſeum inviderit, quo ſi non careret, haud poſtremum locum inter flores excellentes obtineret; delapſo flore poma ſuccedunt adeò Sorbis ſimilia colore, figurâ, & interdū magnitudine, ut imperitus ac inexercitatus, ea vix a Sorbis diſcernat.

*Synon.* *Roſa crocea* *Vulpina.* Bellon. Roſæ Alexandriæ, & totius Ægypti, flore luteo ſine odore. Card. ter. var. Roſa crocea malè olens. Geſn. h. Roſæ citrinæ ſeu luteæ, quam Auguſtæ ali inodoram audio ( & vulpinas cognominari ) frutice tamen odorato: Eid. Roſæ Indicæ magnæ, coloris aurei, VVeiſſelæ. Sed quid ſi fortè VVeſſelus intelligebat florem majorem Affricanum? Lob. Adv. & Ic. Angl. Cam. h. Tab. Ger. Caſt. *Roſa lutea* & Cæſ. Roſa lutea. Dod. fl. & hiſt. Roſa 8. ſive Roſa ſylv. 3. lutea dicta. Matth. Roſa quædam Italiæ aureo colote fulgens, ſed odote admodum ingrato atque inſuavi.

C B. pin. Roſa ſylv. 11. ſive lutea ſimplex: Roſa lutea, fl. ſimplici, Eyſt.

*Locus.* Luteam Roſam Ægypti & Africæ plerique in hortis nunc habent, florentem Maio & Iunio. Roſas luteas cùm aliàs ſæpè vidi, inquit Lob. Argiera Affricæ, ex Numidia Galliæ inquilinas factas: tam in Anglia conſimiles, ſolerti manu in Geniſtæ ſcapum inſitas, unde colorem viréſque mutuantur novas. Si *Lob notat.* Lobel. vidit cur non demonſtrat diſcrimen inter naturales & inſitione mutatas: certum eſt Roſas luteas omnes, quas hactenus conſpexi non ſolùm colore, ſed etiam formâ florum, ſoliorum & ſtolonum, poſſe diſtingui; ſi vires expertus cur non indicat ubi & quomodo. Scribunt aliqui Roſæ albæ ſurculum facto ſotamine per Geniſtæ ſcapum ttaductum, luteos flores producere.

## ROSA LVTEA FLORE PLENO.

*Locus.* IAmdudū Cluſius flavas Roſas, multiplici foliorum ſerie præditas, extare accepit: Viēna enim Auſtriæ ad ipsū ſcribebat nobilis Matrona, ejus ipſi factam eſſe ſpem. Et certè paucis poſt annis intelligebat non modò Matronam illam ſimilem plātam adquiſiviſſe, ſed etiam Pragæ in Cæſareo horto alitum in quibuſdam Germaniæ locis reperiti apud eos qui in colendis peregrinis & elegantibus plantis operam collocant. Inter illos Frid. Majerus Argentinenſis, anno 1601. digitalis longitudinis ramulum binis foliis præditum & florem ſuſtinentem flavum multiplici foliorum ſetie conſtantem, ad eum mittebat, ſed prorſus aridum: ſed & anno inſequente ab eodem accipiebat ſimilis Roſæ ſurculum ſine radice, ſpinis armatum, perinde ac hi qui florem flavum ſimplici quinque foliorum texturâ conſtantem ferunt, atque ſoliis illius prorſus ſimilibus.

*Syn. C. B.* C.B. pin. Roſa ſylv. 12. ſive lutea multiplex: Roſa flava plena, Cluſ. hiſt. & ap. 2. & cur. poſt. Roſa lutea maxima flore pleno, Eyſt. Hæc duplex, altera florem totum expandit: altera verò ſemiclauſo flore permanet. Germ. Geel Roſen. Gall. *Roſes iaunes.* Angl. The yellow Roſe.

## ROSA SVBVIRIDIS ET cærulea.

SI in teneras Agriſolij arbuſculas Roſæ inſerantur, virides flores producere ſcribunt aliqui apud Camerarium. Quamvis interdum anni conſtitutione frigidiore & humidiore, herbacei coloris roſæ, ſine calyce proveniant, cuius cauſam Coſtæus de natur. ſtirp. explicat.

Hæc eſt Roſa ſativa 16. ſive Roſa ſubviridis, C. Bauh. pin.

Eſt & jam diu videre, ut refert Lob. & ex hoc Lug. Cæruleas Roſas in hortis Italicis. Sed optarim ego ſcire hortos, ſi extent, ubi proveniant, & qua in re differant à cæteris Roſis. *Roſa Cærulea.*

## ROSA SEMPER VIRENS, Cluſio.

MIttebat ad me, inquit Cluſ. Patavio Ioachimus Iungermannus anno Chriſti 1592. cujuſdam Roſæ ſemen, cujus ſchedæ inſcriptum *Roſa ſemper virens*: ex eo Francoſurti terræ commiſſo natæ ſunt plantæ, quæ mirificè quidem luxuriarunt, ſed nulla florem protulit, præter eam quæ tranſlata in Academico Lugduni Batavorum horto alebatur, cujus flos demum anno 1605. conſpectus eſt Iulio menſe, magnâ ſanè meâ lætitiâ: valde enim metuebam ne adeò adulta nullum florem proferens, ſoli mutatione ſterilis evaſiſſet. Multis porrò hæc Roſa ſtatim à radice luxuriat ſarmentis flexibilibus & caducis, niſi quis palo ſuſtineat, aut ad parietem applicet: nam non valde craſſa ſunt, ſed lenta, viridia, ſpinis rubeſcentibus, hami inſtar aduncis & mucrone verſus terram converſo obſita, ut pleraq; ferè omnia Roſarum genera, eáque alternatim ambiuntur à foliorum alis, ſeptem interdum, ſed quinque ut plurimùm, ſoliis præditis, ex adverſo ſeſe ſpectantibus: horum duo quæ latiori alæ ſedi, quâ ramum amplectitur, proxima, minora ſunt, bina alia quæ ſuccedunt illis duplo pænè majora, quintum extremam alam occupans, & imparem numerum faciens, omnium maximum: ſingula autem à nervo medium folium occupante aliquot venas habent ad ſolij oras excurrentes, in ambitu ſunt ſerrata, & præ viriditate ſplendent; nec defluunt ut in aliis Roſis, ſed etiam hieme permanent: eam ob cauſam Roſæ ſemper virentis nomen illi inditum. Novo verè ex flagellis illis ſive ſarmentis è foliorum alis multi oriuntur novelli rami, initio quidem cum ſoliis nonnihil purpuraſcentes, deinde verò colorem viridem contrahentes: quorum nonnulli ſummo faſtigio ternos aut quaternos gerunt flores uncialibus gracilibus petiolis ſubnixos, quinque ſoliis penè uncialibus conſtantes prorſus nivei candoris, è quorum medio plura ſtaminula prodeunt candida, flavis apicibus inſignita, & inter illa capitellum hirſutum albicans. Floris odor ſuavis eſt, & ad Roſæ moſchatæ ſimplicem quinque ſoliorum ſeriem habentis odorem valde accedit; ſed nec ipſius floris ſorma valde diſſimilis. *Locus.* *Tempus.* *Deſcr.* *Nominis ratio.*

C.B. pin. Roſa ſativa 13. ſive Roſa moſchata ſemper vitens fl albo, Cluſ. hiſt. app. alt. auct.

## DE ROSARVM COLLECTIONE, delectu, repoſitione, & ſubſtitutione.

DEbent igitur Roſæ tempeſtivè colligi, antequam penitùs apetiantur, & cum adhuc clauſæ, coni figuram imitantur & in umbra ſiccatæ; ſæpiúſque, ne ſitum contrahant, verſæ ad ſuos uſus reponi. Hæc Cordus eadem ferè Fuchſ. de compoſ. medicam. Sunt, inquit Sylvius, præſtantiſſimæ quæ longè omnium ſuaviſſimæ ſunt, & aliis rubicundiores, quales ex montanis, non autem convallibus leguntur: ſiccandæ loco ſublimi meridiano, quo ſolis radij penetrent, roſas tamen non tangant. Nam albæ, incat- *Colligendi tempus.* *Delectus.* *Vbi & quomodo ſiccandæ.*

bæ,incat-

bæ, incarnatæ, moſchatæ, quamvis recentes odoratiſſimæ ſint, tamen ſiccatæ ſunt inodoræ: rubræ contra recentes parùm odoris reddunt, ſiccatæ jucundiſſimum & diuturniſſimum jaculantur. Ex agro montoſo petroſo Pruini urbis, unius diei itinere à Paraſiis diſſitæ in univerſam propè Galliam omnium præſtantiſſimæ convehuntur, in territorio tamen Pariſino non inſuaves præſertim vico cui Fons Najadum nomen etiam vulgò eſt, larga manu luxuriant ſabuloſis vinetis, quæ urbi toti ſatis eſſe poſſint, ut Peſtanas & alias priſcis celebratas roſas, non deſideremus. Rubras admodum foliis paucis & planis præditas præfert Meſues. *Collectio.* Roſæ tardiùs collectæ parùm diu ſervantur, & citò nigreſcunt, tempeſtivè lectæ biennio ſervantur: cùm igitur mediocriter ſunt apertæ, mox integræ inſolentur, ſæpè movendæ, deinde folia avulſa, vaſe terreo claudantur, *Repoſitio.* ne odor aut color pereat. Si quo die ſunt lectæ ſol non luceat, raræ diſponuntur, ne ſe corrumpant denſatæ. Roſæ igitur mediocriter apertæ ſereno cælo manè lectæ eodem die ut ſunt, ſiccentur ſole, ſi potes, ſæpè vertendo. Nam vix umbra ſiccaverit quanquam id eſſet optatius, ſiccatas avelle, & reconde, ut dictum. Meliores montanæ campeſtribus, & minùs minuuntur ſiccando, cum ex harum libris decem ſiccatis libr. unica ſuperſit quibuſdam, idem de Violis. Hæc Sylvius, qui de roſarum trituratione & ſiccatione pluribus agit, quæ ſi cupidus ſcire deſideras, ipſum leges. *Roſæ abſolutè rubræ.* Roſæ cum abſolutè ſcribuntur, rubræ ſemper & veræ rubedinis ex Monachis intelliguntur. Vbicunque autem petuntur *Roſæ recentes.* roſæ recentes, ſi non habentur, faciendum eſt potiùs ſine eis quàm cum ſiccis. Et è contra ſcilicet in *De ſubſtit.* defectu ſiccarum non ſunt apponendæ recentes. Quamvis hoc rariſſimè in aliqua urgenti neceſſitate poſſit accidere. Quia faciliùs poſſumus ſiccare Roſas tempore ſuo, quàm extra tempus congruum invenire recentes. Iidem autem Monachi (ſalvo ſemper meliori judicio) in defectu Roſarum recentium, ponendum ſuccum ipſarum putant. Et pro- *Succus pro Roſis virentibus.* priè drachmam pro uncia, ſcilicet quòd pro qualibet uncia roſarum recentium, ponatur drachma vel circa, ex ipſarum ſucco. *Delectus ex Matth.* Præſtantiſſimæ, quæ puniceo colore rubent: proxima laus iis, quæ in ruſum candicant: viliſſimæ albicantes in quarum tamen genere, ex odoratiſſimæ excipiuntur, quæ Hetruſcis Damaſcenæ, & aliis *Moſcherte* vulgò dicuntur. Siquidem non modo cæteras excellunt, quòd odore admodùm ſuavi fragrent, ſed quòd etiam magis alvum ſubducant, id quod indicat *Matth. notatur.* earum jucundiſſimus odor. Hæc Matth. An jucundiſſimus odor indicet magis alvum ſubducere judicent alij. Idem, ſunt Roſæ rubræ minùs odoratæ albis, quæ verò purpureæ, ſunt omnibus odoratiores: croceæ autem etiam malè olent. Hujus *Cardani cauſæ diverſitatis odorum.* quidem rei reddit rationem Cardanus: Rubeæ, inquit, nimis ſiccæ ſunt: accidit autem, ut in tenui ſubſtantia, citò ſiccum exhalet, velut & in ſylveſtribus: albæ autem, quoniam nimis humidæ ſunt, non tam benè olent, retinent tamen magis odorem: purpureæ cum temperatæ ſint, optimè olent, & diu retinent odorem. Croceus colos in plantis fit, evaneſcente calore nativo: ſed non croceus qualis croci, ſed qualis competit roſis, & qualis paleæ & foliorum areſcentium, unde odorem potiùs tetrum efficit. Si Roſas toto anno habere velis, flores ſemi-apertos ſub veſpera proinde ferro, manui ne tangas: nocte ſere- *Repoſitio Card.* na ſub divo habeto, manè fictili vitreato reconde, vas obtura, ſepelito in arena ſicca. Alius modus: ſiccatas roſas madeſacito aqua roſacea, inde per quinque dies in vaſe figulino ſepelias. Aliter, præciſos botros circumliga filo, in arundine pone, claude os cera & ſepeli. Sed longè melius Palladij experimentum, decerptos enim botros arundini virenti & plantatæ diſciſſo nodo impones, & nodi partes coire patieris, abſciſſa arundine cum opus ſuerit botros excipe & aqua tepida fove. Nos accipimus folia Vitis, & modico ſale aſpergimus, roſarúmque boltones interponimus ad modum ſtrati ſuperſtrati, ac ſimul omnia ad vſum cum aceto in vaſe vitreo foliis Vitis ſuperpoſitis benè obturato natantia conſervamus.

## ROSARVM VIRES ET uſus.

Dioſcoridem potiſſimùm de roſis rubris ſcribere, ex ſequentibus ejus verbis ſatis conſtare arbitror. *Vires.* Roſa, inquit, frigefacit & adſtringit. Sed ſicca [*ξηρὰ, Marcell. νεαρὰ recens*] magis adſtringit. Succum autem exprimere oportet è teneris, forfice deſecto eo quod unguem vocant: reliquum autem exprimere, & in mortario terere in umbra, ita ut aſſiduè vertantur, ne ſitu corrumpantur. Facit id quod aridis roſis in vino coctis exprimitur, ad dolorem capitis, oculorum, aurium, gingivarum, ſedis [*δακτυλίου, vulg. exempl. δακτύλων*] inteſtini recti, & uteri, penna illitum & affuſum. Ipſæ verò citra expreſſionem contuſæ & impoſitæ, *Virentium.* ad præcordiorum inflammationes faciunt, & ad ignes ſacros. Siccæ verò tritæ femora [*μυρεψοῖς unguentis, femina vertit Ruell. & Sarracenus: in quibuſdam exemplaribus errore fortè Typographi legitur, è ſiccis fœminæ conſperguntur*] aſperguntur, & compoſi- *Siccarum.* tionibus antheris dictis, & vulnerariis antidotis ammiſcentur. Vtuntur etiam ad medicamenta ornandis palpebris commoda. At qui in mediis Roſis reperitur flos, is ſiccus aſperſus ad gingivarum fluxiones facit. Capita verò pota, alvum *Alvus ſoluta.* fluentem, & ſanguinis rejectionem cohibent. De Roſis ita paſſim Galenus: In Roſæ natura aliud guſtantibus acerbum eſt, quod terreum ut *Temper. ex Galeno.* ſit & craſſum frigidúmque neceſſe eſt: aliud verò amarum, quod tenue eſt & calidum, & tertium in his aqueum, neceſſario quidem frigidum, ſed in tenuitatis craſſitudiniſque oppoſitione quadantenus ſummorum medium, cujus miſtura neque ipſum illud acerbum, neque ipſum amarum ſummè eſt tale, quale dicitur: qualitates enim omnes exoluit aquei admiſtio. Ipſum itaque hoc aqueum elaboratum, extenuatúmque, atque excalfactum quodammodo videtur, ac perinde facilè in vaporem ſolvi, & hac ratione roſam tum odoratam eſſe, tum celerrimè reſiccari. Atque hæc omnia de eo ex guſtu conjicias. Roſarum flos magis etiam ipſis roſis adſtringit, ac proinde ſanè etiam exiccatorius eſt. Quin roſas experiri cuidam ſuaſi, ſenſitque in nocturnis venereis imaginationibus ex his ſubſtratis le- *Imaginationes Venereæ.* vamen citra ullam renum noxam. Liceat repetiantur Medicorum plerique qui experientia poſthabita, an rubra ſit roſa, an benè olens, conſiderant, negligentes ubi caput ipſis exæſtuat, coronis ex Roſa contextis, capitique impoſitis, aut ſucco ejus, aut oleo roſaceo, ſic vel ipsâ experientiâ, id quod res eſt, diſcere. Nam ſi excalfant, magis etiam calida fuerit: ſin refrigerentur, frigida: quod perinde eſt, atque refrigerandæ humanæ naturæ facultate pollere, &c. Et profecto experientiæ quidem ratio tam facilis eſt, cùm in roſis, tum in cæteris medicamentis omnibus. Nam Roſis aut coronari liceat, aut eis contritis hominis æſtuantis os ventriculi illinere, aut ſuccum earum expreſſum objicere aut oleo aquæve miſtis aliquam corporis partem conſricare. Sed quid

hæc multis commemoro, cum nonnulli miſtum Opobalſamo, roſarum ſuccum ſub canis ardoribus refrigerij cauſa corporibus inungant, uſu videlicet ipſo docti, cùm hoc fecerint abundè refrigerare, &c. Verùm roſa illis nequaquam his in rebus propinqua eſt: tametſi quod ad caloris tepiditatem & eſſentiæ tenuitatem attinet, perquam ſanè & ipſa

*Inflammationes.* inflammationibus in hypochondriis conſiſtentibus utilis eſſe poſſit, niſi adſtrictio (quæ una quoque illi ineſt) multifariam læderet, quæ maximè iis obeſt, in quibus Chamæmelum præcellit, nempe condenſata corpora rarefaciens, indurata molliens, tenſa relaxans. Nam iis omnibus inimica adſtrictio eſt. Attamen ad aſcenſus augmentaque inflammationum, ac potiſſimùm earum quæ in exterioribus membris extant, Chamæmelo roſaceum præfertur: quippe cum hæ tepidâ caliditate cum leni adſtrictione indigeant. Eadémque ratione idem caput ab odore roſarum juvari conſentaneum eſt,

*Vires ex Plinio.* cum à ſolis exuſtione laborat. Apud Plinium de roſis ſequentia comperimus. Excalfactoria & ro-

*Plin. corrigitur.* ſa [*Corn. Iun. ns cum reſina imponitur excalfactoria. At roſa adſtringit &c. primum vocabulum ad ſuperiora refert*] uteros aſtringit, refrigerat. Vſus ejus dividitur in folia & flores. Folium ſiccatur, aut tribus modis exprimitur. Per ſe, cum ungues non detrahuntur: ibi enim humoris plurimum. Aut cùm detractis unguibus reliqua pars aut oleo, aut vino maceratur, in ſole vaſis vitreis. Quidam & ſalem admiſcent & Anchuſam nonnulli, aut Aſpalathum, aut Iuncum odoratum, quia talis maximè prodeſt vulvæ ac dyſentericis. Exprimuntur eadem folia detractis unguibus, trita, per linteum ſpiſſum in æreum vas, lenique igni ſuccus coquitur, donec fiat craſſitudo mellis. Ad hoc eligi oportet odoratiſſi-

*Succi uſus.* ma quæque folia. Vſus ſucci ad aures, oris ulcera, gingivas, tonſillas, gargarizatus, ſtomachum, vulvas, ſedis vitia, capitis dolores. In febre per ſe, vel cum aceto ad ſomnos, nauſeas. Folia uruntur ad

*Pulvis.* calliblepharum. Et ficcis fœmina [*fœmora forte melius*] aſperguntur. Epiphoras quoque arida leniunt. Flos ſomnum facit. Inhibet fluxiones mulierum, maximè albas, in poſca potus, & ſanguinis excreationes. Stomachi quoque dolores, quantum [*tantum vet.*] in vini cyathis tribus.

*Seminis uſus.* Semen his optimum crocinum, nec aniculo vetuſtius: & in umbra ſiccatur. Nigrum inutile. Dentium dolori illinitur. V-

*Vrinam ciet.* rinam ciet. *Stomacho imponitur.* Item igni ſacro *non* veteri. Naribus ſubductum caput purgat. Ca-

*Caput purgat.* pita pota ſanguinem & ventrem ſiſtunt. Vngues roſæ epiphoris ſalubres ſunt. Hulcera enim oculorum roſa ſordeſcunt, præterquam initiis epiphoræ, ita ut arida cum pane imponatur. Folia quidem initiis ſtomachi rolionibus & vitiis ventris, & inteſti-

*In cibos condiuntur.* norum & præcordiis utiliſſima vel illita. Cibo quoque lapathi modo condiuntur. Cavendus in his ſitus celeriter inſidens. Et aridis & expreſſis aliquis

*Diapaſma.* uſus. Diapaſmata inde fiunt ad ſudores coërcendos, ut à balneis inareſcant, corpori, dein frigida abluantur. Sylveſtris cum adipe urſino alopecias mirificè emendat. Vſus roſæ in coronis propè minimus eſt [*putamus legendum, ut videtur ex vet. legiſſe Ruellius, nimius*] Oleo maceratur, ídque jam à Troianis temporibus, Homero teſte. Emplaſtris atque collyriis inſeritur mordaci ſubtilitate. Menſarum etiam delitiis inungendis minimè noxia.

*Temperamentum Meſues.* Roſa ut complicet Meſue, eſt frigida primo gradu, ſicca ſecundo, ex ſubſtantiis diverſis etiam ſeparabilibus compoſita: aquea quidem mediocri & terrea adſtringente, materiam ei multam præbente: aëra verò dulci & aromatica: ignea denique tenui à qua eſt amaritudo, robur, perfectio & forma. Igneæ tamen ſubſtantiæ vis, quæ ruborem & ſpeciem impreſſit, valentior fuit quàm quæ amaritudinem. Ob id hæc ſola ſiccatione perditur, illis adhuc permanentibus: quæ ſi perierint, non magis roſa fuerit, quàm homo mortuus eſt homo: recentes tamen ſunt amaræ magis: quàm adſtringentes. Ob eámque ama-

*Purgant recentes.* ritudinem roſæ recentes, ſucco præſertim purgant: ſiccatæ verò reſoluta caliditate amaritudinem excitante, ſubſtantiam ſtypticam & conſtipantem oſtendunt.

*Succus calidus.* Succus autem roſarum calidus eſt, propè ad primum gradum, quia eſt à ſubſtantia terreſtri & frigida ſecretus: purgat, reſolvit, aperit, terget.

*Quæ roſarum frigidior.* Sicca verò roſa eſt frigidior, & magis ſtyptica & ea magis, quæ non fuit perfecta, & alba magis, quàm rubra. roſa præterea reſolvit, intemperies calidas extinguit: partes cogendo & conſtipando roborat: id autem ſemine & pilis in calycis medio inventis ma-

*Quæ præſtantior.* ximè. Cùm autem Roſæ ſint rubræ, & albæ, & ambæ foliorum multorum, vel paucorum: criſporum, vel planorum: in utroque genere eſt præſtantior, cui color genuinus eſt perfectior, & folia adſunt pauca & plana.

*Infuſio ſive ἀπόβρεγμα purgat.* Albæ nihil aut minimum purgant, potentius tamen adſtringunt & roborant quàm rubræ. Succus completarum eſt melior, idémque & aqua, in qua recentes & perfectę ſunt maceratæ: purgat bile flava ſanguinem venarum & arteriarum: Confert utero, quia obſtructiones ventriculi & he-

*Roborat.* patis aperit & expurgat. Cor, ventriculum, hepar roborat, cordis tremorem ſanat, vacuata ejus cauſa.

*Oleum roſatum.* Febribus bilioſis confert. Eaſdem partes roborat oleum roſatum & aqua ſublimando ex roſis educta. Corrigendo ſubſtantiam ipſarum laxam, facultatem

*Inflammatio.* retentricem roborant, inflammationem omnem extinguunt, & ab ea dolorem ſedant, ſomnum conci-

*Noxæ.* liant: coryzam tamen & ſternutationem excitant, catarrhis obſunt: uvam aſtringunt, & guttur, & roborant ea, crapulam auferunt.

*Crapula. Roſæ infuſio.* Roſa cùm ſit medicamentum benignum, ſed ad purgandum imbecillum, adminiculis quibuſdam eget, ut ſero lactis, melle: ſucci enim roſarum uncia una cum ſeri lactis unciis duabus, aut tribus, & pauca Spica, commodè vacuat: ſoliorum quoque in ſero lactis infuſorum, cum pauco melle expreſſum ſine moleſtia purgat. Syrupus quoque ex ſucco roſarum, & roſis ipſis eſt clementer purgatorius.

*Oleum.* Oleum verò Roſatum, valentium medicamentorum, ut Scammonij, Euphorbij, acrimoniam potu obtundit, & noxam à ſiccitate Myrobalanorum corrigit: ut oleum violarum, Amygdalarum dulcium, Seſaminum, Omphacium. *Roſæ* melle conditæ tergent, purgant, robo-

*Mel roſaceum.* rant: ſaccharo autem minùs tergent, magis roborant, & adſtringunt.

*Aqua ex infuſione & ſublimatione.* Aqua cui infuſæ ſunt roſæ, mundum facit, terget, purgat; per ſublimationem verò facta, multùm roborat, non purgat: quia ſubtilis ejus caliditas igni eſt diſſoluta.

*Acetum.* Acetum Roſatum inflammationes omnes ſedat, incidit, purgat [illegible].

*Roſæ coctionem non ſuſtinent.* Roſæ præſertim recentes, coctionem nullam ſuſtinent, facultas enim earum tergens & purgatoria, mox igni reſolvitur, remanet adſtringens jam manifeſtior.

*Succus coctus.* Succus autem earum mediocriter coquendo fit tenuior, & potentius terget.

*Omphacium.* Oleum præſertim Omphacium cum roſis imperfectis inſolatum, valentiùs refrigerat & adſtringit. Oleum verò dulce, ex maturis olivis expreſſum, vel Seſaminum cum roſis perfectis inſolatum, potentiùs reſolvit.

*Succi, ſyrupique doſis.* Datur Roſarum ſuccus ab uncia una ad uncias duas: ſyrupus autem cum ſucco earum factus, ab unciis duabus, ad uncias quinque.

Non video (inquit Monardus) à Græcis, neque ab Averrh. inter purgatoria medicamenta reponi roſam, experientia tamen ipſa, collocari inter ea

*Roſa purgat.* debere oſtendit: cui etiam Dioſc. conſentire videtur, Roſaceum unguentum vires habere dicens, ad

*Meſues notatur.* ſolvendam alvum conducentes. Quod dicit Meſues,

Roſam

Roſam deperditâ rubedine non plus eſſe Roſam, quàm homo mortuus. Hoc dictum valdè eſt ambiguum: neque ex rubore ſpeciem habet roſa: alioquin alba roſa, roſa non eſſet: colore etiam deperdito, ſervari odorem adhuc viſum eſt & adſtringendi vim. Sed reſpondetur Manardo Meſuem non habere rationem coloris quatenus ruber, ſed quatenus, ut Sylv. dicit, Rubor ſignum inſeparabile eſt formæ manentis in roſa. Addit Manardus in doctrina Meſues (quòd dixerit, per albas non fieri ſolutionem aliquam) apertum errorem deprehendi; albas enim de Seni vocatas, & vulgò Damaſcenas, cùm albiſſimæ ſint cæteras in purgando excellere. Ei autem reſpondet Matthiolus, ut infra apparebit. De ſucci præterea temperamento adverſus eundem hæc ſcribit. In arabica ſcientia unum pro cæteris maximum, graviterque vitandum inveni. Meſues namque, cui univerſa Medicorum caterva Evangeliſtæ nomen imponit, roſarum ſuccum calidum eſſe ſcribit, quod ita animis quorundam inſidet, ac ſi una raraque in arte ſit veritas. Atque frigidum potiùs eſſe ex Græcorum voluminibus excepi, quod quidem ratione, atque complurium Medicorum auctoritatibus ita comprobo. Fiunt ex Roſis Oleum, quod virtutem habet refrigerandi ac medendi calidis morbis: Unguentum, quod inflammationes placat: Syrupus, qui calorem febrium arcet: Saccharum roſaceum, quod ſtomachum & cor calidum firmat: Aqua, quæ per ſublimatorium extrahitur, mirum in modum frigefacit, & inflammationes repellit: Diverſa antidota, quibus roſæ ſunt baſis & fundamentum totius compoſiti, velut Diarhodon, utrumque Aromaticum, Roſata novella, & Paſtilli, quæ etiam Roſarum ſibi vendicant nomen: aut quia majorem partem conſtituunt compoſiti, aut quia ipſis vigorantur, vel ad temperamentum & correctionem commiſcentur. Velut Meſues pro rectificatione Scamonij ſucco Roſarum utitur, in quamplurimis locis. Quod factitavit Avicenna lib. 3. quo ſyrupum roſaceum laxativum ex Scamonio & ſucco roſarum, cum ſaccharo condidit. Et hæc omnia medicamenta, quæ ex roſis fiunt (ſi attentè proſpicias) tam apud Græcos, quàm Arabes ad nihil aliud videntur prodeſſe, quàm ad inflammationes & calidos morbos expellendos. De aliis roſæ partibus, quas Plinius dividit, non memini me legiſſe illas ad aliud prodeſſe, quàm ad refrigerandum, comprimendúmque. Et nullam earum partem calefacere adhuc in
2. monumentis Medicorum invenio. Porrò, quòd Roſarum ſuccus gradum caliditatis attingat, nec guſtus, nec experimentum hoc mihi demonſtrant, nec ratio hoc convincit: maximè cum roſa ipſa, ut vel Meſues teſtatur, infrigidet in primo ordine, & omnes ejus partes hunc ordinem ſervent. Succus verò, qui per expreſſionem ſubducitur, manifeſtiſſimè virtute frigida pollere videtur: cùm partes aqueę ſint, quæ per expreſſionem ſubtrahuntur, ex unguibus & foliis ipſius Roſę. Quoniam Ariſtotele teſte, Omne quod divitur ſimile eſt illi à quo derivatur. Et licèt in parte ſuperiore Roſæ inhæreat aliqua caliditas, adeò tamen exigua eſt, ut in extractione ſucci fermè tota evaneſcat: & ſi quæ permaneat, ob magnam aquoſitatem deperdatur. Unde ſi roſa ſit in primo ordine infrigidantium, hâc ratione ſuccus remanet in ſecundo, quoniam illæ partes calidę, quæ erant in roſa, deperditæ fuerunt in ſucci expreſſione, quod ex guſtu, naturæ medicinarum judice cognoſces: ſi enim vel pauxillum ex eo biberis, ſa-
3. porem acerbum atque auſterum in eo ſenties, qui conſtrictivam virtutem manifeſtè demonſtrat. Non eſt tandem quod per odorem dijudices calidam temperaturam roſam habere: nam ut Gal. affirmat, ex odore ſenſibilium temperatura non cognoſci-

*Manardus notatur & Meſues defenditur.*

*Roſarum ſuccus frigidus, contra Meſuem.*

*Ratio 1.*

*Medicamenta è roſis facta, frigida videntur.*

*Roſa & ejus partiū temperamentum frigidum.*

*Ex odore Roſæ temperatura non inveſtiganda.*

tur, ut ex guſtu. Quòd ſi cavillator arguat, quòd partes rubeæ ſuperiores Roſæ, ſunt eæ, quæ calorem miniſtrant ipſi ſucco, hoc potiùs eſſet attribuendum infuſioni roſarum, in quam permeant partes illæ ſubtiles rubeæ, quæ dant ei amaritudinem & ruborem. Quapropter potiùs dijudicarem infuſionem habere vim ſolutivam, quàm ſuccum. Meſues autem non ad aliud infuſionem ſaccharo confectam comprobat, quàm ad morbos calidos, febrium adustiones, pectoriſque calorem. Sed nec ex colore ſuc- 4.
cum roſarum, quoniam rubeus ſit, calidam temperiem poſſidere dixeris. Neque enim calcem (inquit Gal. lib. de Ther. ad Piſonem) quòd candida ſit, viſu duntaxat frigidam judicare, ſatis eſſe cenſemus: neque roſam quod rubea ſit, ideò illam calefacere, ſtatim pro certo habemus: ſed unà cum viſu ſenſum quoque tactus adhibentes, calidam quidem illam, adeò ut urat, certò invenimus: Hanc verò quod frigiditatem econtrario in ea tactu percipiamus, ex refrigerantium numero eſſe, firmiter habemus perſuaſum. Patet enim ex eodem Galeno lib. ſimpl. per colorem temperaturam medicinarum non eſſe dijudicandam. Aëtius quoque ſub primo 5.
infrigidandi ordine, Oleum roſaceum, ipſamq; adeò roſam collocat; & ſub ſecundo ejuſdem roſæ ſuccum. Præterea Galenus 5. & 10. m. m. ſuccum roſarum 6.
eſſe intenſæ frigiditatis nos docet. Quibus clarius ſole demonſtratur, Meſuem hallucinari in cognoſcenda temperatura ſucci roſarum. Sed & ipſemet ſibi repugnat, multis in locis (ut in lib. ſuo de rectificatione medicinarum acutarum, præſertim ubi de roſa, & ſcammonio loquitur) demonſtrans, ſuccum roſarum frigidam potiùs temperaturam quàm calidam poſſidere: quoniam tum ad medicinas valde calidas, tanquam frigidum rectificans adhibet: & tum ad morbos calidos bilioſoſque, ut febres cholericas, & inflammationes extinguendas medicinis commiſcet: & ad repellendum, comprimendúmque veluti in angina, pro ultima infrigidatione, ſucco roſarum utitur. Et hæ potiſſimum ſunt rationes, propter quas nullam aliam in ſucco roſarum conſtituo temperaturam, quàm frigidam. Neque omninò in hoc eſt culpandus Meſues, ſed interpres, qui hunc locum vitiavit, qui pro frigido, calidum eſſe ſuccum interpretatus eſt. Hactenus Manardus, qui complures alias rationes de temperatura ſucci roſarum frigida in medium adducit, quas brevitatis gratia miſſas facimus, quas ſi ulteriùs cognoſcere cupis, leges ejuſdem tractatum de Roſa, ejuſque ſucci temperamento.

Sylvio roſa omnis amara eſt atq; aſtringens, præcipuè rubra, à qua ſubſtantia refrigerat, ſiccat; flos autem ejus aſtringit magis, proinde etiam ſiccat valentiùs: præſtantiſſima eſt, quæ longè omninò ſuaviſſima, & aliis rubicundior. Succus eſſentiæ eſt tenuiſſimæ, nam celeriter aceſcit, & lentore caret, & unguentorum omnium odores exolvit & obſcurat. Ex roſis calidiſſimæ videntur Moſchatæ, poſt has roſeo colore inſignes, Incarnatæ dictæ, quæ & cerebrum valenter feriunt, paulò minus albæ. Folia decem recentia, alvum cuidam decies duxerunt, ut apud Tagaultium, refert Razis. Sicca autem folia, quia ab eis receſſit amaror, laxativa non ſunt, ſed ſtyptica, & adſtringentia. Decoquit Tragus, manipulum foliorum roſæ aridorum, in dimidia menſura vini albi & exhibet his, qui fluxionibus alvi laborant, aliquoties per diem bibendum. Quod ſi morbo producto, calor conjunctus fuerit, cum aqua roſæ confectionem inſtituit. Semina dura, quæ capitibus Roſarum inſunt in pulverem redacta, ac è vino pota, calculum apud eundem pellere traduntur. Eaſdem facultates nonnulli ſpongiolis (germ. Schlaffkunzen vocatis) quæ ſilveſtribus adna-

*Temperatura roſæ ex colore non dijudicanda.*

*Meſues ſibi repugnat.*

*Meſues excuſatur.*

*Temperamē. Sylvio.*

*Flos.*

*Calidiſſ. moſchatæ.*

*Folia 10. purgant.*

*Sicca, ad fluorem alvi.*

ſcuntur roſis, ſi in pulverem redactæ aut in vino decoctæ calidæ ſumantur, tribuunt. Succus è fructu rubeo, maturo, totaq; ſua ſubſtantia tuſo expreſſus, poſteáque ſiccatus, demúmque in pulverem redactus,

*Gonorrhaa.*

gonorrhææ, & tam rubris quàm albis mulierum menſibus ſingulari experimento medetur. Rubra illa capita, antequam maturitate molleſcant, integra conſervantur & ſiccantur, & ad prædictas affectiones vino decoquuntur & potantur,

*Dyſenteria.*

quod etiam medicamentũ & dyſenteriæ & cruentis excreationibus unicè prodeſſe experientia non ſemel docuit.

*Temper. Trago.*

Omnia roſarum tam ſylveſtrium quàm domeſticarum genera refrigerantis ſunt & adſtringentis naturæ, præſertim verò roſæ ſylveſtres aridæ.

*Roſa ſylv.*

Sylveſtrium roſarum maximè earum quæ Haberroſen appellantur aquam diſtillatam nonnulli

*Aqua ſtillatitia.*

majoris faciunt, & efficaciorem credunt, quàm domeſticarum. Ea namque quibuſvis calidis affectionibus prodeſt, refrigerat namque & reprimit omnes cholericas & acres exhalationes, & cor in deliquio animi confortat. Ad confectiones quas vocant, Manus Chriſti, & Zulapium roſatum, primo loco eas quas vocant Haberroſen: ſecundo quas Frawenroſen/ tertio rubras domeſticas eligit Tragus. Aqua ex roſis nunc commemoratis diſtillata,

*Dolores capitis.*

doloribus capitis in linteolis impoſita, neque non fronti pari ritu applicata epiphoris oculorum unicè prodeſt.

*Langius.*

Virtus, inquit Langius, roſarum laxativa, & odorifera, in ſupernis ejus partibus conſiſtit: at aſtrictoria & roboris altrix in internis deliteſcit.

*Fuchſius.*

Fuchſius ex Simeone Sethi has adſcribit roſis facultates. Odorata calidis capitibus prodeſt, humida verò offendit, eáque deſtillationi obnoxia reddit. Sumpta verò febres ex flava bile procreatas juvat, & roborat ſtomachum & jecur. Proprietate autem

*Teſtes lædit. Fuchſii opinio de fructus facultate.*

quadam teſtes lædit, prohibétque acres exhalationes ne in caput ferantur. Spongiolæ ac fructus Cynorrhodi mirificè valent contra calculum, & Vrinæ difficultates ſi lævigatæ in pulverem exhibeantur. Nos contra Fuchſium nihil facimus ad calculum & urinæ difficultatem nec ſemina, nec ſpongiolas, ob eorum aſtrictionem & ſiccitatem, niſi fortè proſint per accidens eo modo quo ſcribit Dodonæus, cujus verba poſtea ponemus.

*Delectus roſæ pro compoſitionibus.*

Succus ut placet Matthiolo, medicamentis componendis expetitus, præſtantior è puniceis elicitur, item ex ſubrutilis, verùm huic infirmior facultas. Dilutum Græcis ἀπόβρεγμα, è quo rhodopharmacum alvum innoxiè dejiciens conficiunt, plerumque ex ſubrubeſcentium maceratis aqua foliis paratur: etſi hac in re iis Damaſcenæ Hetruſcis vocatæ longè præſtent: quippe ex earum vicenis devoratis foliis facilè quidem, & citra noxam ſubducitur alvus. Albicantes deinde roſæ (Damaſcenas tamen exceptas vult Matth.) non alium ſibi in Medicina vendicant uſum, quàm ut ex ſe aquam ſtillent: ſiquidem iis dejectoria vis, qua pollent puniceæ, ac ſubrutilæ, multò infirmior ineſt. Quamobrem videtur Manardus immeritò id Meſui vitio

*Manardus repreh.*

vertiſſe. Nam albæ, quas Damaſcenas appellant, etſi majore dejiciendi vi cæteris præſtent: credendum tamen eſt de iis non intellexiſſe Meſuem, quòd eas illi facilè incognitas fuiſſe exiſtimet: verùm de iis albis tantùm, quibus paſſim roſeta florent, cujus rei illud maximo argumento eſſe poteſt, quod Damaſcenæ Hetruſcis vocatæ nuper in Italia florere cœperunt, quódque eas veteribus cognitas fuiſſe (quod ſciat) memoriæ prodiderit nemo: ni fortaſſe eas credamus eſſe, quæ Plinio ſpineolæ appellantur.

*Sylveſtres magis adſtringentes.*

Sylveſtres majore adſtringendi facultate ſunt præditæ quàm ſativæ, ſed minori fragrantia redolent, atque dejiciendæ alvi ne tantillum quidem facultatis retinent. Idem in Iuſt. Germ. Pueris excalfactis & excoriatis ab urina circa pudenda aſpergendus pulvis Roſarum.

*Excoriatio infantum ab urina.*

Ex calicibus diſtillatur optima aqua adverſus omnia profluvia, utilis illachrimantibus oculis. Vermes in ſpongiolis dicuntur potentiores eſſe ad calculum, ipſis ſpongiolis.

*Calculus.*

In apolog. adverſus Amathum, nihil, inquit, ad me attinet de illa, quam adducit, muliercula Amathus: Primùm ſæpiùs ipſemet id ſumpſi medicamentum aliiſque frequenter dedi ſine ullo prorſus incom-

*Roſæ Damaſcenæ non inſalubres contra Amatum.*

modo, adeò ut quandoque pueris feliciſſimè propinaverim. Præterea manſa hæc roſa nullam penitùs guſtui relinquit acredinem, ſed tantùm ſe oſtendit tum adſtringentem, tum etiam ſubamaram. Id quod manifeſtè indicat, ut nulla faucium, aut linguæ eroſio, inflammatiove hinc deguſtantibus accedere poſſit. Mihi enim haſce roſas ſæpè mandenti, ut quandoque adſtrictam excitarem aluum, nihil eroſionis, inflammationíſque acceſſit. Quò fit ut quis rectè opinari poſſit deluſum eſſe Luſitanum, utpote qui hujuſce medicamenti facultatis penitùs ignarus, ſymptomatis illius cauſam in illud perperam rejecerit. Cùm potiùs credendum ſit id ab acrium ſalſorúmq; ſuccorum defluxu proveniſſe, qui fortè fortuna eo tempore, quo roſaceum illud ſaccharum mulier illa ſumpſit, à capite in eas partes labi cæpit. Atque magis ſanè demiror, quòd tam acriter damnaverit has Damaſcenas roſas odore perquam ſuavi fragrantes, è quibus clementiſſimum illud paratur medicamentum nullo penitùs incommodo alvum ducens. Præter id, eo ignorantiæ perveniſſe conſtat, ut certò ſibi perſuaſerit Ieneliabin è Perſicis

*Perſicæ Roſæ non ſunt flores Perſicæ ut vult Amatus.*

roſis paratum, de quo pluries in febrium curatione & ventriculi dolore meminit Avicenna, ex Perſici arboris floribus parari debere: ſed quã falsâ teneatur opinione, ipſa oſtendit medicamenti nomenclatio, quippe Ieneliabin Mauritanis omnium præclariſſimorum Medicorũ conſenſu nihil aliud deſignat quàm Mel roſaceum. Conſtat enim per roſas Perſicas nihil aliud voluiſſe Avicennam, quàm Puni-

*Perſicæ Roſæ Avicen. ſunt Puniceæ. Ieneliabin è roſis rubris.*

ceas. Siquidem lib. 5. ubi is de medic. compoſ. omnium égit, de quibus in univerſo meminit volumine, Ieneliabin ad febres, & ventriculi dolores parari jubet è rubeis roſis, non autem ex Perſici arboris floribus. Id quod manifeſtè indicat, nil aliud Perſicas roſas Avicennæ deſignare, quàm Puniceas, Perſicas illi fortaſſe vocatas, quòd à Perſis in ſuas venerint regiones. Nam & nos Damaſcenas vocamus eas, de quibus diximus, quod è Damaſco Syriæ primò ad nos pervenerint. Et hactenus Matth. qui videtur cauſam rubedinis in roſis tribuere calori: ſtatuéq; è roſis rubras ſubrubẽtibus eſſe calidiores: *dicit enim, ab aero verò & ſubdulcem, & odoratum ſaporem aſſumunt: Ex his demum, quæ ignis naturam ſequuntur amarorem concipiunt, ac etiam coloris rubedinem, quæ ſcilicet rubicundæ ſpectantur. Quo fit, ut plus inſit caloris puniceis quàm ſubrubentibus.*

*Matth. opinio exploſa.*

Sed hoc Matthioli argumentum infirmum eſſe, conſtat ſuperiùs ex Manardo. Quàm porrò utiliter lotionibus, & clyſteribus, ad inhibendas fluxiones ungues, qui ab autoribus nullam propriam receperunt dotem, inſerantur, judicent alij. Plinius dicit ungues epiphoris ſalubres eſſe.

*Amato ex quib roſis Zuccharum roſaceum fiat. Syrupus.*

Sunt Amato in Dioſc. quædam Roſæ rubræ, craſſæ, ſtypticæ, ex quibus Zuccarum roſaceum parari debet, nam ſtypticæ ſunt & conſtringentes: proinde rectè quoque ſyrupus roſaceus, pro fluxu ſiſtendo, ex ipſis ſiccis conficitur, quæ quoque ſiccatæ pro lavacris ſervantur. Sunt quoque aliæ albæ, ex quibus cætera parantur, quarum tamen loco Ferrariæ incarnatis, id eſt, colorem inter album & rubrum habentibus, utuntur: quæ dubio procul, Ferrariæ velut Anconæ & Neapoli, aliíſve variæ Italiæ è locis, ſolutivæ ſunt, & maximè purgant, præci-

præcipuè ſi ex illis mel roſaceum foliatum fiat: nam uncia hujus mellis roſacei, cum ſtrepitu, & alvi turbatione levi, purgare in corpore mediocri, ter & quater facit, ut millies expertus eſt Amatus, illud pro laxante medicamento ægrotantibus propinans. Nec enim dicendum vult, ut multi medicamenti hujus vires ignorantes contendunt, conditum hoc mellis ratione tantùm purgare, quum mel coctum parum aut nihil purget; imò mel crudum ciendi vim habeat, quam in coctione amittit, ut Hippocrates teſtatur lib. de morbis qui extra, & Galenus lib.3. de alimentis cap.38. non minùs Paulus Ægineta lib.1. ſuæ medicinæ cap. 96. hoc ut ſolet approbat, inquiens; mel coctum valentiùs nutrit quàm ſubducit alvum, non coctum è contrario. cui adſtipulatur Alex. Aphrodiſeus ſect.2. problem.66. dicens, mel incoctum tergit & purgat, coctum alere tantùm poteſt. Ex quibus liquidò conſtat, roſis iis vim laxandi & ſubducendi inſitam & naturalem eſſe; non verò ex melle acquiſitam.

*Mel coctū parum purgat.*

*Syrupus roſatus ſolutivus.*

Ex iis igitur roſis, ſyrupus roſatus ſolutivus multarum infuſionum dictus nobile & ſecurum purgatorium medicamentum parari debet, prout in univerſa Italia magno ægrotantium juvamento paratur, qui Amati ſententia efficacior & nobilior evadet ſi aquæ loco, cum rore è cœlo ſuper ipſis cadente paretur, vel ſaltèm ſuper caulibus ex quibus roris vel pruinæ magna copia haberi poteſt. Sunt præterea, inquit, aliæ roſæ albæ ad citrinum tendentes, parvæ, pauca folia habentes, quæ ferè per totum annum in arbore videntur, quas Moſchatas, quia Moſchi odorem referunt, vel Alexandrinas vulgus appellat. Hæ verò, odore caput tentant, & potentiſſimè alvum ſubducunt, non minùs ac Scamonium, ita ut ſi ſex vel octo acetario folia miſcueris, totum acetarium purgatorium reddas, & ea de cauſa ab illis, tanquam pernicioſo medicamento, naturæ vim inferente, abſtinendum ſuadeo. Nam non ita pridem Venetiis nobiliſſima Beatrix à Lima, mulier opulentiſſima, in morbum quendam incidit pro quo juvando, Medicus quidam Venetus, ex prædictis roſis & ſaccharo conditum parare fecit, ut eo tanquam præſtantiſſimo, & ſecuto purgatorio medicamento interdum uteretur: at quum primùm præclara illa domina, conditum guſtare cœpit, ſaucium & linguæ excoriationem cum ſtomachi roſione contraxit: ſed illa dubitans, num ſymptomata ea ex morbo, aut condito orta eſſent, nullam in medicamentum culpam rejecit. Ego verò noſcens medicamentum potentiſſimum & ferè venenum eſſe, eam monui, ut ab illo abſtineret, nec eo amplius uteretur, putaverat enim hæc domina conditum illud ex roſis incarnatis à nobis dictis paratum eſſe, quo alias Antuerpiæ ſæpè uſa erat. Hæ verò roſæ moſchatæ in Hiſpania raro videntur: ſunt enim albæ, ſubcitrinæ, ſimiles, ut paucis dicam, roſis caninis inter ſpinas naſcentibus, quæ ad ſummum tria quatuórve folia habent. Non mirum igitur eſt ſi Hiſpani iis Roſis moſchatis carentes, dubitent, num incarnatæ à nobis dictæ, quæ ut ſolutivæ ſunt, & apud ipſos reperiuntur, Moſchatæ vel Alexandrinæ dicantur. Sunt enim longè differentes: roſa autem hæc moſchata, Alexandrina ſive Damaſcena dicta, alba ad citrinum inclinans, eſt omninò fugienda: Incarnata verò roſa, quæ inter rubram & albam media eſt, rubricàtque, longè alia eſt, quâ ut præſtantiſſima & nobili ſolvente medicamento uti ſuaderem: Quia enim in maxima copia habetur per univerſam Italiam Roſa hæc, ideo ex ea ſyrupus roſatus ſolutivus, ſive novem infuſionum, mirus paratur, adeò ut illius unicæ tres

*A moſchatis abſtinendum.*

*Sex folia purgant.*

*Faucium excoriatio à condito ex Roſis Moſc.*

*Ferè venenum.*

*Roſæ moſchatæ in Hiſp rare.*

*Damaſcena fugienda*

*Incarnata uſurpanda.*

*Syrupus novem infuſionum.*

abſque noxa ulla malos è corpore humores pellant. An verò Iencliabin de roſis Perſicis, apud Avicennam multis in locis citatum ex aliqua roſarum dictarum paratur? Reſpondeo quod non, quia Avicenna ex floribus Perſeæ arboris, mel roſatum, ſive Iencliabin, confici ſuadet: vocat enim flores iſtos interpres Roſas: proinde ornatæ nonnullæ officinæ, ex illis ſyrupum paratum habent, morbis pituitoſis admodùm convenientem. Sunt enim flores iſti, naturâ purgatorij, pituitam & lentes humores, ac craſſam bilem depellentes.

*Ieneliabin Avicennæ ex Perſeæ floribus*

Roſarum foliola, inquit Dodon. quia ex diverſis partibus conſtant, diſſimiles etiam facultates obtinent; quę tamen in ſingulis non ſimiliter ſe habent. In uno ſiquidem genere: terreſtres & adſtringentes: in alio humidæ & aqueæ: & in alio ſpirituoſæ & aëreæ partes excellunt. Prædominantem autem omnes frigidam habent temperiem, proximam tamen temperiei mediæ, ex primo videlicet ordine refrigerantium. Superant quidem humidæ, aëreæ & ſpirituoſæ partes in candidis, dilutè rubentibus, nec non in Damaſcenis ſive Moſchatis. Ex tribus his liquor, ea de cauſa, elicitur gratiſſimi ac ſuaviſſimi odoris, qui ferè ex aliis roſis inodorus eſt. Vtilis autem Roſarum hæc ſtillatitia aqua, cùm ad cordis roborationem & ſpirituum reparationem, tum etiam ad omnia quæ clementer refrigerari poſtulant: tragematis, placentis, condimentis & aliis, quæ voluptatis excitandæ gratia conficiuntur multis, eadem admixta, ſaporis gratiam conciliat: oculorum calidos dolores mitigat: ſomnum inducit, quem & ipſæ virentes roſæ odore ſuo ſuavi provocant. Succus harum roſarum etiam candidarum, alvum lenit & ſubducit: efficaciſſimus earum quas Damaſcenas vocant: proximus dilutè rubentium, quarum frequentior uſus. Idem præſtat earundem dilutum, & quod ex eo coquitur Droſatum ſive Serapium; Officinæ ſyrupum roſatum ſolutivum nuncupant, quod ex infuſo ſive diluto apparari debet, in quo pluries roſarum virentium folia multa macerata ſunt. Ad leniendam autem ſive ſubducendam alvum utile, quando expurgatione aliâ potentiori, aut opus non eſt, aut uti non expedit. Nam præter ea quæ in inteſtinis hærent excrementa, aut in proximis & primis venis cruda, pituitoſa & ſubinde bilioſa, alia non educit; ſi non aliis quibuſdam potentioribus medicamentis permiſceatur. Humectat porrò & refrigerat Serapium iſtud, ideò etiam febrium ardentium calores nimios ſedat, & viſcerum inflammationes mitigat; ſitim extinguit: debili autem & humido ventriculo parùm utile, nam cum laxiorem debiliorémque relinquit. Simile poſſunt & folia harum roſarum ſacharo condita, præſertim ſi manibus tantummodo contrita, ac diligenter cum ſacharo permixta, igni admota incaleſcant, potiùs quàm decoquantur. In rubentibus, quæ paſſim ſunt vulgares, & aliis ſaturatæ purpuræ, quas Provinciales appellant, plus eſt terreæ ſubſtantiæ, & reſiccantis adſtringentíſque facultatis, non tamen abſque humido quodam permixto; quod quidem ipſis adhuc virentibus ineſt: in reſiccatis verò deperditum eſt. Succus hac de cauſa, & dilutum earum, ad alvum ſubducendam quoque facit, minùs tamen quàm aliarum prædictarum. Reſiccatæ autem hæ Roſæ humiditate jam abſumptâ, adſtringunt & reſiccant: refrigerant quoque, ſed minùs quàm virentes: robur cordi conciliant, ac tremori & palpitationi ejus ſuccurrunt: hepar, renes, & alia viſcera debilia confirmant: ventriculum flaccidum, debilem & humidum ſiccant & corroborant: fluorem muliebrem & ſuperfluam menſtruorum purgationem compeſcunt;

*Candidæ, dilute rubentes, & moſchatæ.*

*Aqua.*

*Succus.*

*Droſatum. Serapium ex pluribus infuſ.*

*Rubẽs vulg. & Provincialis.*

*Virentes*

*Siccatæ.*

ſanguinis undequaque eruptiones ſiſtunt: ſudores reprimunt: alvum nimio fluore laxam conſtringunt: antidotis omnibus utiliter admiſcentur, & aliis quoque medicamentis, ſive foris adhibendis, ſive intra corpus aſſumendis, quibus ut adſtringẽs ac corroborans aliquod vtiliter accedit. Quod ex ipſis fit Rhodomeli, vulneribus, ulceribus, eruptionibus, ac in univerſum omnibus, quæ abſtergi & reficcari poſtulant, longè utiliſſimum eſt. Oleum calores omnes ſedat, & inflammationes prohibet, aut jam incipientes mitigat. Flores roſarum, lutea videlicet ſtamina & apices, reficcant ſimiliter & adſtringunt, & potentiùs quidem, quàm ipſarum roſarum foliola. Idem poſſunt calyces & alabaſtri: ſed cum his omnibus odor deſit, minùs utilia ſunt, humanæque naturæ minùs amica. Fuchſius, ſpongiolas & capitula ſylveſtris Roſæ contra calculum & urinæ difficultates valere affirmat: ſi in pulverem trita exhibeantur. Prodeſſe autem poſſunt non ut diuretica, aut calculum atterentia: ſed veluti aliæ quædam adſtringentia, debiles renes confirmantia: quæ calculoſis non rarò utiliora ſunt, quàm multa, præſertim potenter diuretica. Nam talium diureticorum frequentiori aut nimio uſu, & renes multùm debilitari, & ſæpè ſupercalefieri contingit; & calculos non modò non comminui, atteri, aut expelli, ſed copioſiores & duriores frequenter generari. Quod etenim in ſanguine tenue, aqueum & ſeroſum eſt, ſegregant: quod verò craſſius, cogunt, ac indurari diuretica fortiora faciunt: & ſimiliter etiam alia minùs potentia, frequentiore uſu: ut Gal. 5. ſimpl. ſcribit. Hæc Dodonæus. Cur autem roſarum ſyrupus, ut ipſe vult, debili & humido ventriculo parum ſit utilis, & laxiorem & debiliorem relinquat, animadvertere non poſſum: quandoquidem roſæ præter vim purgandi etiam adſtrictionem habent, ut Rhabarb. & Myrobolani: quæ occaſio ut in dyſenteria & aliis alvi fluoribus lubenter eo utamur cum Myrobolanis & Rhabarbaro ac Rhapontico vero, ſi haberi poſſit. Excipimus tamen ſyrupum è roſis moſchatis, ſicubi præparetur.

*Rhodomeli. Oleum. Roſæ partium uſus. Spongiolæ qui conveniant calculoſis & urinæ difficult. Contra Dodon. ſyrup roſ. debili & humido ventriculo utilem.*

Saccharum roſ. purgans vide (inquit Cam. hort.) apud Card. de tuenda valet. quod non contemnendum. Interior roſæ rubeæ flos pulverizatus, cum aqua Cydoniorum deſtillata datur utiliter in nimio menſium fluxu. Ad dentes à corruptione ſervandos & gingivas roborandas ſumitur aceti Scyll. & aquæ è calycibus roſarum deſtillatæ æqua portio & eo ſæpè os colluitur, annotante Monardo Hiſpalenſi de rebus Indicis. In ſpongiolæ Cynorrhodi cavitate interiore tineæ interdum occluduntur, quibus pulverizatis ad expellendos vermes inteſtinorum multi feliciter utuntur. Ferculum ut ipſe dicit ſuaviſſimum docet parare Athenæus ex roſis lib. 9.

*Saccharum purgans Cardani. Menſes. Ad dentes, et gingivas. Ferculum Athenæum.*

Ex Roſa carnea, autore Cæſalpino, colligitur aqua per diſtillationem odoratiſſima: Medici quoque oleo infundentes roſaceum componunt: ſuccus ex iiſdem, & infuſio ad purgationes paratur. Rubens multifolia minimè amara, ideò ſine vi purgandi: conditur ſaccharo ad adſtringendum, roborandúmque. Parva quinquefoliis candidis amarior, majorem vim purgandi habet. E roſis rubeis ſuccus perfectè rubens extrahitur, ubi paululum ex calefactâ in ſartagine roſâ, expreſſeris ſuccum leviter, relinquitur roſæ ſubſtantia alba. Ergo ſi exquiſitè expreſſeris ac diligentiùs, color corrumpetur: atque ita de aliis. Profuit interdum ut in exhibendis medicamentis etiam deliciæ locum habeant præſertim apud moroſos & delicatos. Ad alvum igitur ducendam parabitur Saccharum roſeum tale. Libram unam Sacchari cum libra una roris diſſolve: purga, ut ſolet, cum ovi candido: inde unciam unam roſarum Perſicarum immitte, cùm jam fervet Saccharum, & ubi paululum coxeris extrahe, aliamque unciam ſimili modo indito atque ita uſque ad duodecimam unciam. Præſtat autem roſas cùm rore eſſe collectas. demum coquito ad perfectam rationem: additóque uncias quatuor roſarum rubearum, & in ſole exponito. Hoc non differt ab alio Saccharo, & jucundè purgat & cum voluptate devoratur. In ulceribus penis & pudendorum in quibus alia remedia fruſtra adhibita, Cento-Empiricus pilos ſpongiolæ roſæ ſilv. in tenuiſſimum pulverem reducit, inſpergit, & probatum remedium extollit.

*Ex Cæſalp.*

Inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur, ut aliquas Roſarum compoſitiones, quarum hodiè in medicina factitanda magnus eſt uſus, in medium proferamus. Ecquis enim ignorat vel ſolas has tum intus ſumptas, tum extra admotas in maximis depellẽdis contra naturam affectibus; vim obtinere ſummam? Exorditur idcirco Matthiolus, nobíſque de diſtillandi ratione opinionem ſuam recludit. Ex roſis, vi ignis fit aqua pluribus ac diverſis inſtrumentis: veruntamen ea cæteris præſtantior, ac odore fragrantior habetur, quæ per balneum calentis aquæ vitreis organis elicitur, cujuſmodi & aliæ ſunt, quæ eodem modo ad univerſum medicinæ uſum confici ſolent. Quandoquidem inter has quæ plumbeis inſtrumentis, lignorum, vel carbonum igne extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter plumbum & argentum deprehendi poteſt. Quippe quæ fiunt in balneo calentis aquæ vitreis roſtratis organis, ab herbis & floribus, à quibus manant, nec ſapore, nec odore diſſentiunt, adeò ut non ſolùm proprias plantarum qualitates ſecum referant, ſed ne etiam tantillum quidem tum fumi, tum rei aduſtæ reſipiant. Quod quidem in iis non invenias, quæ vulgò plumbeis, & æreis inſtrumentis eliciuntur: has enim nunquam, vel rariſſimè guſtaveris, quin tibi fumidum virus, nidorémq; non reddant. Quę res non modo ægris ingentem moleſtiam afferunt, & nauſeam plerumque movent, ſed & plurimum noxę pectori, ventriculo, jecinori, viſceribúſque omnibus inferunt: quòd à metallicis organis, à quibus diſtillant, malam eorum qualitatem ſibi vendicent. Quâ re hac ætate perſpectâ, doctiſſimi, ac peritiſſ. medici veteres ſecuti, decoctis, ac dilutis tantùm uti cœperunt. Quæ tametſi viribus aquas qualeſcunque ſublimatas (ita enim ſtillatitias vocant) præcellant: eæ tamen, quę calentis aquæ fervore (ut ſuprà diximus) fiunt, cùm proprios tum odores tum ſapores herbarum ac florum, à quibus extrahũtur, ſecum trahant, jure quidem decoctis non modò ipſas æquipollere, ſed etiam preſtare crediderim, non tamen, quòd viribus precellere dixerim, ſed quòd guſtu ſuaviores, & viſui jucundiores habeantur: quod non parum ſolatij ęgrotantibus affert. Nos quidem aliis aquis non utimur, quàm his, ad quas eliciendas nobis organum affabrè parari fecimus, cujus ope haſce diſtillatitias, ac preſtantiſſimas aquas ſuo tempore conficimus. Quarum aliæ ſapore conſtant amaro, aliæ verò acri, aliæ auſtero, aliæ acido, aliæ denique inſipido pro variis ſimplicium medicamentorum qualitatibus, à quibus eliciuntur. Quapropter Seplaſiarij, & Medici, quos magis decet humanam charitatem colere, quàm aurum & argentum, dent operam, ut jam plumbea, & ærea organa aboleantur, & balnea, de quibus diximus, in eorum locum ſuccedant, quippe in hoc etiam (quamvis plus laboris, minùs verò emolumenti ſuſcipiant) & Deo, & hominibus ſimul rem gratam facere poterunt. Cæterùm Fuchſius in lib. de compoſ. medic. unicè cavendum præcipit in ſuccis ſtillatitiis eliciendis, ne ejus vaſculi fundum, in quo ſtirpes continentur, aquam in cacabo bullientem attingat, ſed ſolo vapore ab ea elevato incaleſcat. Qua in re ſecutus potius videtur fuiſſe

*Aqua Roſarum ſtillatitia. Balneum Mariæ. Plumbea vaſa reprobantur. Aquæ ſublimata. Admonitio. Fuchſii cautio nimis religioſa.*

turfuiſſe Manardum, quàm rei experimentum. Verùm non poſſum ipſe omninò eorum ſententię ſubſcribere, ut qui judicem non eſſe ſemper eâ exquiſitâ ratione procedẽdum in herbis diſtillandis, quòd certò ſciam nihil referre, quando etiam vaſculum herbas recipiens in aquam in majore vaſe bullientem immergatur. Nam etſi aquæ, quas illi volunt ex herbis vapore tantùm ab aqua bulliente elevato extrahi, cæteris præſtantiores habeantur: ta nen quę ex herbis eliciuntur vaſculo impoſitis, quod aqua bulliens circumluat, parum certè, aut ferè nihil illis bonitate cedunt, quod mihi compertum eſt in iis aquis, quas ſæpiſſimè libuit utroque modo elicere & *Obiectio.* experiri. Attamen aliquis illud diſcrimen eſſe dicet, quòd illo modo aquæ ex herbis extrahantur, quæ tenuiores partes retinent, quod vaporis illius caliditas imbecillior fit, quàm ut poſſit totam herbæ ſubſtantiam conficere: hoc autem modo aquæ eliciantur, quæ omnes herbarum partes ſecum refe- *Solutio.* rant. Hęc ſanè differentia quę facilè concedi poteſt, non eſt (meo judicio) tanti momenti, ut illa regula perpetuò ſit obſervanda, hæc verò evitanda: quin potiùs, ut hæc mihi videatur probanda, illa verò re- *Modi aliquot aquas diſtillandi.* jicienda tanquam cautio nimis religioſa. Sed quandoquidem in Aquarum diſtillandarum mentionem incidimus, non gravabimur illarum aliquot modos adſcribere, quos quidem in præſentia licuit, mul- 1. tùm celebratos invenire. Alij itaque ſumunt roſarum quantum volunt, idque triduum, in balneo di- 2. geſtum, vapore aquæ calidæ diſtillant. Alij abſque digeſtione præcedanea, aquam ex roſis in alembi- 3. cum conjectis, eliciunt. Alij per cineres diſtillant: ubi tamen maximâ opus eſt cautione & circumſpectione, ne empyreumate liquor ſtillatitius inficia- 4. tur. Alij lucro magis, quàm valetudini hominum intenti, eas integras, ut decerptæ ſunt: cum magna aquæ copia, per veſicam æneam diſtillant, ac ex triginta roſarum libris centum odoratæ aquæ vena- 5. lis extrahunt. Alij flores tuſos, abſque menſtruo, aut eo ſaltèm tam pauco, ut ad irrigationem ſufficiat, modico balnei calore diſtillant: & ad vim refrigerantem, tanto expeditiùs evocandam una diſtillatione, quam præcedit irrigatio, ex aqua communi, vel roſacea veteri, aut ad virtutem confortantem & fragrantem proleċtandam, pluribus in diſtillata aqua infuſionibus utuntur. Io. Beguinus in Tyrocinio chymico, ita eam parandam ducit: diſtinguen- *Variat modus variantibus Roſis.* do inter roſas albas & incarnatas. Ex illis enim ut plurimùm vis refrigerans petitur, ac propterea paucâ aquâ pluviali irroratæ in mortario marmoreo contundendæ ſunt: inde torculari ſuccus exprimendus & diſtillandus. Incarnatæ abſque irrigatione contuſæ, reponuntur in magno vaſe vitreo, in cellam: poſt triduum ſuccus exprimitur, qui per balneum diſtillatur. Hæc aqua eſt fragrantiſſima, quæque vel multos annos, odoris ſui fragrantiam conſervat. Nonnulli recrementis ejus aquam puram ſuperfundunt, & ita per oċtiduum maceratam, vel balneo, vel veſica diſtillant, quæ communi venali viri- *Aqua vitæ cujuscunque plantæ.* bus & efficacia non cedit. Sed & ultra progredi, ac certam facilémque, aquas vitæ ex plantis, floribus, ſeminibúſque, cujuſcunque generis ſint, concinnâ brevitate, veram & legitimam extrahendi methodum tradere eſt animus, & quidem per digeſtionis, fermentationíſque viam, ut quarum ope ſolâ, ex omnibus rebus, ac iis potiſſimùm, quæ in alimentum veniunt; imò etiam & ex roſis quæ frigidæ exiſtimantur, aquæ vitæ odoratiſſima elici poteſt, quæ de natura cœleſti ætherea participet, flammámque, non ſecus ac ea, quæ ex vino elicitur, concipiat. Ro- *Modus.* ſas igitur ſume cœlo ſereno, cum rorido madore deſtituuntur, collectas: eas tere accuratiſſimè, & in cucurbitam vitream, quæ poſtea benè clauſa, in cellam reponatur, ut ibi fiat earum fermentatio, immitte: Cùm jam acidum quiddam redolere videntur: ſume de floribus tritis, quantum vis, & per balneum diſtilla: aquam inde extraċtam ſuperaffunde parti roſarum reſtanti, & rurſus diſtilla, ſimilem in modum pergendo, donec omnis roſarum fermentatarum quantitas per alembicum tranſierit: fecibus, quæ in fundo remanere ſolent, ſemper ſegregatis. Tandem omnem aquam ex roſis elicitam, per balneum diſtilla, & duodecimam ſaltèm partem aut circiter abſtrahe, eámque ſi vis, reċtifica. Sic aquam habebis gratiſſimam, adeóque excellentem, ut unica ejus gutta, ingenti ſatis aquæ copiæ odorem ſuum communicare, eámque utiliſſimam & jucundiſſimam reddere poſſit. Non abs re viſum fuit paucula hæc abſolutioris doċtrinæ ergò proponere, quo modi quidam, diſtillandi aquas, non infimi ſicut & hujus aquæ roſarum, ut & ſimplicium cæterorum omnium, leċtori manifeſtentur.

Non erit hic reticenda tinċtura roſarum, ob ſum- *Tinctura Roſarum vino rubello ſimillima.* mum levamen quod percipiunt ægri, in ſummo febriũ vigore, in ſiti inexhauſta, in inquietudinibus, dyſentericis paſſionibus, aliisque affeċtibus ab humore bilioſo, acri & mordaci genitis, pro potu ordinario, ubi ptiſana palato ægrotantium non ſapit: talis igitur eſto modus breviſſimus. ℞. pro ℔.j. aquæ fontanæ, limpidiſſimæ, gelidiſſimæ, Roſarum rubrarum, exſiccatarum m.ß. hordei p.j. decoquantur leviter, addendo ℥.j. ſacch. filtra vel cola, addendo ſp. vitriol. gutt. vi. poſtquam refrigerata erit, æger hanc ſumet cum voluptate, liberaliùs bibet, ſedabitúrque ſitis. Ne autem ſtateram tranſgredi videamur, omittendo eorum aliqua, quæ ad hanc roſarum traċtationem ſpeċtare videntur, Syrupus quoque enume- *Syrupus Roſarum ſimplex.* randus venit. Eſt autem ſimplex, qui ex ſolo roſarum decoċto vel ſucco fit, & ℞. Roſarum rubrarum recentium, partes ſex, quæ infunduntur in vaſe terreo vitrato, ſtriċtioris benè operculato, horis oċto in prædiċtis quæ recalefaċtę partibus: tandem addũtur ad ſingulas 5. partes infuſi colati partes 4. ſacchari, per albumen ovorum clarificati, & f. ſyr. Com- *Compoſitus* poſitus qui ex infuſionibus & aliarum rerum deco- *Syr. Roſarum ſolutivus.* ċtionibus conficitur: ℞. Roris vernalis partes ſex: ſerveſiant, & indantur roſarum completarum recentium rubrarum partes tres, ac horis oċto immorentur: Deinde renovatio & reinfuſio florum fiat uſque ſepties incluſivè abſque fraude, & ſingulis vicibus diligenter exprimantur: poſt adde ſacchari albi partem mediam, & ad ſyr. formam coquito. Fit quoque ſyr. è roſis ſiccis, qui ℞. ſeſquiunciam roſarum rubrarum ſiccarum (nam libra una menſuralis referta roſis ſiccis, & moderatè coaċta ponderat, *Syr. è roſis ſiccis.* drachmas 12. plus minus) quæ infunditur horis oċto in aquæ libris tribus; térque reiterantur roſæ, & infuſiones atque expreſſiones. Aqua quoque itidem calefiat, antequam roſæ indantur. Poſtea accipitur liquoris infuſi & expreſſi quantum libuerit, & cum media parte ſacchari coquitur ad formam ſyrupi: Verbi gratia, ſi liquoris infuſi habeas tres libras, tunc illis adde ſeſquilibram ſacchari, & hæc Diſpenſat. Colonienſ. Paratur tandem ſyr. vel potiùs Iu- *Iulep. Roſatum.* lepum ſuaviſſimum ex aquæ roſarum partibus tribus, ſacchari partibus duabus, quod præcedente longè clarius eſt, uſúque frequentiſſimum. A quibuſdam verò ſacchari partibus 12. in aqua communi clarificatis adduntur aquæ roſarum partes duæ, ut ſit ex aqua roſarum pauca, & multa communi compoſitum, ſed id ineffiacius. Sunt etiam qui roſarum folia integra condiunt. Sed paratur conſerva *Conſerva Roſarum.* roſarum, tundendo roſarum exungium partem unam cum duplo ſacchari ſolidi in mortario marmoreo piſtillo ligneo: flores & ſaccharum ſimul contunduntur & non priùs flores ſeorſum (ſicut fieri

conſuevit) & deinde ſaccharum ſeorſum, & demum ambo ſimul. Poſt contuſionem autem & commixtionem ſacchari cum floribus roſarum, conſerva aliquoties ſoli exponatur, moveatúrque ſubinde ſurſum & deorſum. Relinquatur autem ſpatium vaſis inane propter fermentationem.

*Mel Roſatum conficiendi modus triplex.*

Triplicem modum parandi mel roſatum docet nos Meſue, quorum primus eſt, ex foliis roſarum & melle. Secundus verò, ſine foliis, ex ſucco ipſorum foliorum tantum & melle. Et hic ſecundus modus poteſt connumerari inter ſyrupos ſimplices. Tertius autem ex foliis & ſucco ſimul & melle, qui tertius modus recipit foliorum partem unam, ſucci partem unam ſemis, mellis partes tres. Accipitur mel optimum, fervefit, & inde tepere ſinitur, ſpumáque auſertur: deinde adduntur roſæ contuſæ cum ſucco, & ad inſolationem ponuntur diebus viginti, vaſe diligenter operculato. Poſtmodum ſupra ignem duplo vaſe incaleſcunt, & effervent: mox fit fortiſſima expreſſio & colatura. Rurſus coquuntur leniter ad conſiſtentiam melleam, id eſt, mellis fluxilis.

*Paſtillorum roſeorum conficiendi ratio.*

Paſtillos roſeos, Rhodides appellatos hoc modo præparari auctor eſt Dioſcorides. Roſarum viridium non madentium ſiccatarum ʒ.xl. Nardi Indicæ ʒ.x. myrrhæ ʒ.vj. Trita hæc efformantur in paſtillos triobolares, & in umbra ſiccantur, & reponuntur in vaſe fictili non picato probè obturato. Quidam adjiciunt etiam Coſti ʒ.ij. Iridis Illyricæ tantundem, ammiſcentes etiam vinum Chium cum melle.

*Vſus.* *Etymon.*

Cæterùm, paſtilli roſei è roſis quas recipiunt nomen habent. Præparabantur autem graveolentiæ à ſudoribus oborientis gratia, & à fœminis collo circumdati monilis vice geſtabantur, ut exhalantem de corpore ſudoris graveolentiam ſuo odore retunderent, ex aromatum illorum ammixtione. Officinæ præſcriptas habent aliquot paſtillorum ſive trochiſcorum ex roſis compoſitiones, ſed nulla ex his ad hunc uſum ſpectat. Alter etiam horum paſtillorum uſus erat in diapaſmatis quæ corpori inſperguntur, & in unguentis poſt balneum, ad coërcendos videlicet ſudores, & jucundum corpori odorem inducendum.

*Subſtitutum.*

Sed Plinius etiam ſolas roſas aridas & expreſſas in hunc uſum commendat. Sic enim lib.21. cap.19. ait: Et aridis & expreſſis aliquis uſus: diapaſmata inde fiunt ad ſudores coërcendos, ita ut à balneis inareſcant corpori, deinde frigida abluantur. Ex quo loco ferè cognoſcẽdum datur, de quibus Roſis accipiendum ſit, quod Dioſc. ῥόδων χλωρῶν ἀβρέχων μεμαρασμένων dixit, nimirum de his quæ virides quidem & recentes adhuc ſunt, non tamen humidæ & madentes, ſed ſiccatæ, id quod ipſis una die contingere poteſt, ut humor omnis ab eis deſiccetur, velut Galen. lib.1. cap.5. in fine τῶν κατὰ τόπους docet.

*Diapaſma.*

Quid autem ſint diapaſmata, idem Plin. 13. cap.2. exponit. Siccis, inquit, odoribus conſtant quæ diapaſmata vocantur. Nam feces unguenti magmata appellant.

*Aromaticum Roſatum. Vires. Viſcera. Appetitus. Virtutes naturales.*

Aromaticum roſatum eſt confectio ſuavis & ſaluberrima, in qua miſcetur utile dulci, & ob ejus bonitatem & excellentiam cæteris præponenda eſt, conſortat ſtomachum, cor, cerebrum, & epar, lætos & claros ſpiritus gignit, excitat appetitivam, munit digeſtivam, nutritivam, & virtutes omnes naturales corroborat, reſolvit aquoſam humiditatem ſtomachi, & emendat malas qualitates, quæ generant malos humores & putredinem, & convaleſcentibus & debilibus integras vires, & priſtinam ſanitatem reſtituit. ℞ Roſ. ℥.j. ʒ.vij. Liquiritiæ raſæ ℥.vij. Cinnamomi ʒ.v. Ligni aloës, Santali citrini, an̄. ʒ.iij. Gummi Arabici, Draganti an̄. ʒ.ij. ℈.ij. Macis, Garyoph. an. ʒij. ß. Spicæ ʒ.ij. Nucis muſc. Cardamomi, Galangæ an. ʒ.i. Ambræ ℈.ij. Muſci ℈.j Sacchar. ℔.vj. fiat confectio cum aqua Roſ.

*Confectio aromat.*

Confectio ex roſis aromatica calefacit & confortat ſtomachum, jecur & præcordia omnia, frigiditatem repellit, phlegma prohibet & ejus ægritudines, ventoſitates & inflationes diſcutit, nauſeam, acidos ructus tollit, & omnem ſtomachi cruditatem emendat, guſtum revocat, renes calefacit, coitum excitat, & facit pulchrum colorem, & odorem anhelitus & ſudoris. ℞. Roſarum, ligni aloës an. ʒ.iij. Calami aromatici ʒ.j. ℈.j. Galliæ muſ. macis, piperis longi, Nucis muſcatæ, Mentæ ſiccæ, Caſſiæ ligneæ, maſtichis, Aſari, Cinnamomi, Garyophillorum, an̄. ʒ.j. Croci, Cardamomi, trium Santalorum, Rheubarbari, Spicæ, Coſti, Cubebæ, Zingiberis, Feniculi, Aniſi, Libiſtici an̄. ℈.ij. Sacchari ℔.iij. fac confectionem cum aqua roſata.

*Electuariũ de ſucco Roſarum.*

Electuarium ſucci roſarum exploratum eſt contra guttam calidam, & malos tumores calidos & furioſos, fortiter purgat, ſanat tertianas ſimplices & duplas, & reliquas malorum humorum, in convaleſcentibus exquiſitè evacuat, potenter ſolvit, & eſt calcar aliarum medicinarum. ℞. Succi roſarum, Sacchari an̄. ℔.j. ℥.iiij. fiat ſyrupus, cui adde diagridij ℥.j. ß. Santalorum omnium an̄. ʒ.vj. Spodij ʒiij. Camphoræ ℈.j. fiat electuarium. Æquum eſt ut vini etiam, liquorum omnium poſt aquas communiſſimi, quod humanæ in primis inſervit nutritioni, *ſymphytumque* corporis noſtri calorem inſtaurat roboratque, tractationem aggrediamur brevem.

*Roſatum vinum.*

Quinque libras igitur infundito (inquit Pallad. li.6. quem inſcribit Maium c.13. roſæ pridie purgatæ, in vini veteris x. ſextarios, & poſt 30. dies, x. deſpumati mellis libras adjicies, & uteris.

*Sine Roſa.*

Et Roſatum ſine Roſa facies ſic. Folia citri viridia ſporta palmea miſſa in muſti nondum ferventis vaſe depones, & claudes, & exemptis quadraginta diebus melle addito, ad modum Roſati, cum placebit, uteris.

*Acetum Roſaceum.*

Meritò vinum ſubſequitur acetum, quod ℞. Roſarum rubrarum mediæ maturitatis, præſectis & abjectis unguibus, in umbra extra ſolem ad triduum aut quatriduum expanſarum & reſiccatarum, ℔. j. aceti ſextarios octo, hoc eſt, quartas Colonienſes quatuor. Inſolentur diebus quadraginta: Deinde reponantur, vel (quod meliùs eſt) abjectis foliis corruptis, acetum coletur ac reponatur. Quidam ſæpiùs mutant folia roſarum, nec ita diu ſtare in ſole ſinunt (verbi gratia ad dies triginta vel pauciores) ut elegantius colore aſpectúque, & ſapore odoréque validius fiat acetum.

*Vires.*

Singulariter prodeſt animi deliquiis, ſi olfaciatur aut nares oblinantur, prodeſt etiam membris calidis hocce oblinitis: ſi duplicatum linteolum in aceto roſaceo humectetur, ſtomachóve applicetur, maximè prodeſt optiméque calorem attemperat.

*Oleum roſatum.*

Oleum roſatum quamvis pluribus fiat modis, melius tamen, teſte Clem. de materia medica cap.10. ſic fit. Collige Roſas priuſquam complicita folia penitùs expandantur, & ponantur in umbra ſex vel octo dies, quouſque fiant modicum paſſæ, & evellantur folia roſarum à ſuis tirſis, & contundantur, poſtea habeas oleum ex Olivis immaturis quod dicitur Omphacinum, quod cum aqua fontium frigida ſæpiùs lavetur & in qualibet ejus libra pone Roſarum ʒ.viij. in vaſe vitreo obtuſo ore, & ſoli quotidie in hebdomada exponatur, deinde in balneo Mariæ tres horas bulliat ad ſummum. Prædictas ergo roſas ſic coctas exprime, & expreſſas abjice, & cum oleo alias roſas commiſce, & ſoli ſeptem aliis diebus expone, & poſtea iterum coque in balneo Mariæ, & permuta iterum Roſas, & adde infuſionis Roſarum ℥.iij. & quàm benè cooperiatur orificium vaſis, & exponatur ſoli quadraginta diebus. Deinde oleum extractis roſis quotidie ad ſolis radios ponatur. Plerique ſic faciunt in qualibet libra olei ſæpiùs loti ponunt roſarum recentium contuſarum ℥.viiij. & coquunt in balneo Mariæ ad conſumptionem duarum partium & cum torculari exprimi-

*Vires.* primitur. Conſortat membra debilia, digeſtivam facultatem & calorem naturalem, & refrigerat calorem accidentalem, febrilem & acuitatem choleræ: ſtipticat lubrica inteſtina, & corroborat retentivam, & in principio repellit malos humores, qui concurrunt ad apoſtemandum, & mitigat dolores capitis, & prohibet phreneſin. Plura de Oleo roſato tradere ſupervacaneum ducimus, quod ea paſſim apud autores videre liceat.

*Diarhodon deſcriptione communi.* Reſtat ut Diarhodon deſcribamus duplex. Commune quod ℞. foliorum roſarum rubrarum ʒ. xx. Trochiſcorum diarhodon. & de ſpodio, liquiritiæ ana ʒ iiij Cinamomi [*quædam exempl. non haben*] Garyophyllorũ, Galliæ muſcatæ añ. ʒ.iij. Spodij, Croci, Maſticis, Berberis [*quidam omittit*] ligni aloës añ. ʒ.ij. Trium ſantalorum, an. ʒ.iij. Aſari, Spicæ Indæ, Macis, Cardamomi, ſeminis Portulacæ, Lactucę, Scariolæ, Citrulli, Melonis, Cucumeris, Cucurbitæ, albarum margaritarum, Ocymi Garyophyllati [*Alſ-lengemiſch*] raſuræ eboris, Tragacanthi, gummi Arabici, an. ʒ. j. Camphoræ ʒ. ß. Muſci ℈. ß. Confice cum ſyrupo de roſis, ex aqua roſarum. *Doſis.* Doſis eſt ℥. ß. *Vires.* Ventriculum & hepar roborat, coctionem ob id juvat, & dolorem horum à calenti & acri, ac mordente bile mitigat. *Diarhodon Abbatis.* Diarhodon Abbatis ℞. Santalorum alborum & rubrorum, an. ʒ.ij.ß. Tragacanthæ, Gummi Arabici, Spodij an. ℈.ij. Aſari, Spicæ, Nardi, Maſtiches, Cardamomi, Croci, Xylaloes, Garyophyllorum, Galliæ Moſchatæ, Aniſi, Fœniculi, Cinamomi, Succi liquiritiæ, Rhabarbari, ſeminum baſilicon. Berberorum, i.e. acinorum ejus; ſem. Scariolæ, Portulacæ, Papaveris albi, Citrulli, Melonum, Cucumeris, & Cucurbitæ, an. ℈. j. Oſſis ex corde cervi, Margaritarum, an. ℈. ß. Sacchari candi, roſarum an. ℥. j. ʒ.iij. Fiat omnium pulvis. Camphoram & Moſchum ſtudioſè omittimus, quæ, ut & ambra, in aliis etiam compoſitionibus omitti debent, niſi ſpecialiter exprimãtur, aut Medicus jubeat. *Trochiſci.* Trochiſci à Meſue ſic deſcribuntur. ℞. Foliorum roſarum rubrarum exungulatarum modicè ſiccarum, aureos 6. Spicæ aromaticę, ligni aloës, an. aureos 2. Glycirrhizę aureos 3. Spodij aureum 1. Croci aureum dimidium, Maſtiches ʒ.ij. Cum vino albo fac trochiſcos drachmæ unius pondere. *Roſata novella.* Roſata novella, autore Nicolao Alexandrino, recipit roſarum, Glycyrrh. ſacch. ana. ℥.iij. Cinnam. ℥.vj. Garyoph. Nardi, Galangæ, Zingib. Nuc. moſch. Zedoar. Styrac. Cardam. veri, Apij ana. ℥. j. Mellis deſp. q. ſ. Si in pulvere quis aſſervare voluerit, Zaccharum omittat, donec in formam ſolidam redigere velit. *Vnguẽtum Roſaceum.* Vnguentum Roſaceum, Clemens Clement. hoc modo deſcribit; ℞. Roſarum rub. recentium ℔.1. & tantundem axungiæ porcinæ recentis cum aqua calida novies, & toties cum aqua frigida optimè lotæ, & ſimul cõtundantur, & ſeptem alios dies dimittãtur: poſtea adde ſucci roſ. ℔. ß. olei amygd. dulciũ ℥. ij. ß. coquantur ad ſucci cõſumptionẽ, & conſervetur. *Vires.* Plurimum valet in principio apoſtematum, *Apoſtema.* repercutit enim materiam, ſedat dolores eorum, & capitis febricitantis, & inquietudinem, refrigerat febres ardentes, *Febris ardens.* epar & ſtomachum calefactum. Si verò addatur Opij cum aqua roſata diſſoluti ℥. ß. *Opium.* Croci ʒ.ij. ſedabit quoſcunque acerrimos dolores, & provocabit ſomnum. *Somnum.* *Vnguẽtum ſeminis roſarum.* Vnguentum ſeminis, ℞. ſeminis roſarum, cupularum glandium añ. ʒ.vj. ſumac. acatiæ an. ʒ. ß. Carabæ, ſeminis plantaginis, maſtichis, balauſtiarum, corticum Granatorum, Gallarum, nucis Cypreſſi, roſ. rub. gummi arab. Myrrhæ, Myrti, Draganti, terræ ſigillatæ, Coriandrorum præparatorum, boli armeni, ſantalorum rub. an. ℥. ß. ſanguinis draconis, thuris, hypociſtidos an. ʒ. ß. bdellij, ſpodij, coral. rub. an. ʒ.ij. camphoræ ʒ. j. olei roſat. ℔. j. olei citoniorum, myrtini, maſtichini, an. ℔. ß. ceræ quod ſufficit, Fiat unguentum. Sed hæc de Roſis tractatio, hucuſque ſufficiat: Temporis nunc ratio poſtulat, ut vela contrahamus, ne fortè longiori mora in vertices inextricabiles abrepti, benigno lectori moleſtiam creare videamur.

---

## RVBVS MAIOR, FRVCTV nigro. CAP. II.



NIhil vulgatius norunt dumeta Rubo, qui ex radice nodoſa, *Deſcr.* *Radix.* importunâ feracitate ſe propagans, longè latéque ſenticoſis & mordacibus ſarmentis, angulosis, *Sarmenta.* rubentibus vagatur. Si vicinis fulciatur, in altũ craſſiores emittit virgas, quæ tamen & *Virgæ.* ipſæ gracilitate & proceritate nimia in terram retractæ, ac curvatæ defixis in eam capitibus radicantur. Virgæ ſpinis aduncis & pungentibus aculeis veſtiuntur. *Spinæ.* quibus prætereuntium veſtibus ſeſe affigunt, eóſque remorantur. Folia terna, ſerrata, aſpera, dorſo aculeato, inferiore parte candicantia, *Folia.* ſuperiore nigricantia, ſicco adſtringentique ſapore prædita: *Sapor.* hyeme vix decidentia, niſi altera ſuccreſcant: flores albi, vel ex candido roſci, roſulæ inſtar, *Flores.* apicibus concoloribus: mora rubra per maturitatem nigreſcunt, *Mora.* ariſtis quibuſdam aſperiuſcula, acinis parvis, guſtu quibuſdam, ut nobis, grato, dulci; paululum amaro, Trago.

Theophraſto Rubi genera tria ſunt, maximè inter ſe diſtantia. Quoddam enim erectum excelſúmque quod βάτος, qui Rubus hic major eſt, fructu nigro. Quoddam propè à terra protinùs deorſum vergẽs, terręque conjunctum, rurſum radicem agens, quem χαμαίβατον, Humi-Rubum quidam appellant, nos Rubum minorẽ, fructu cæruleo. Nec eſt quòd Humirubum cum Cæſalpino inter plantas humilioris naturæ recenſeamus, & Fragariam appellemus. *Humirub. non eſt Fragaria.* Tertium κυνόσβατος dicitur, de quo in Roſa loquuti ſumus. Cæterùm Theophr. in hiſt. Rubum fruticem ſpinoſum tradit non ſolùm caule & ramis, ſed & foliis cunctis, qui in extremo & lateribus ſinuata concidant.

Dioſcorides duo genera tradit, Rubum hunc vulgaris notitiæ, qui βάτος ſimpliciter ipſi dicitur, & ab aliis eodem annotante; Cynoſbatos, ab aliis Selinoritiou, *Appellationes nothæ.* ab aliis Aſyntrophos, ab aliis Titani ſanguis [*hæc appellatio à Dioſcoride Lactucæ agriæ attribuitur, & poteſt fieri ut Rubo propterea communicata fuerit, quod mora illius ſanguineum compreſſa ſuccum reddant.*] ab aliis Ibidis ſanguis, à Romanis Rubus, ab aliis Sentes, à quibuſdam Mora baticana, à Dacis Mantia, Ægyptiis Hæmos, aliis Ametros appellatur: Serapionem autẽ Tragus Buleich ſive Haleich nominare tradit, & Hebræos *Sene*. Alterum, Ideum cognominat. de quo paullo poſt. Plinio lib. 16. cap. 37. Rubi mora ferunt: & alio genere ſimilitudinem roſæ, qui vocatur Cynoſbatos: tertium genus Idæum vocant Græci à loco. Sic l. 24. c. 13. duorum priorum meminit. & cap. ſeq. Cynoſbati, Rubi Idæi, & Rhamnum inter Rubi genera recenſuit.

An

An Rubum majorem fructu nigro intellligunt ſacræ paginæ Exod. cap.3. Aparuitque ei Dominus [*Angelus Domini, Tigur.*] in flamma ignis de medio Rubi, & videbat, quòd Rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moſes: vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur Rubus.

Anguill. Morus aut Rubus. Trag. Rubus grandis & ſecundus. Thal. & Geſn.h. Rubus vulgaris: Eid. coll. Rubus major. Turn. Rubus ſentis, baccâ ſemper nigrâ ubi maturuerit. Lob. Adv. Rubus, Batis vulgatiſſimus, cujus mora ad diamorum confectionem officinis uſitatiſſima.

Lugd. Rubus, Rubus magnus & Sentis. Dod. Rubus & Rubus vulgaris fructu nigro, Vepres dictus apud Ovid. metamorph. 5.

*Vepres Ovidij.*

*Aut Lepori, quæ Vepre latens hoſtilia cernit*
*Ora canum.*

Cord. in Dioſc. & Tabern. (quoad deſcriptionem) Rubus Arvenſis. figura autem quam habet ſub dicto titulo cõpetit potiùs Rubo minori, fructu cæruleo, cujus non meminit compilator. C. Bau. apud Matth. & Ger. pro Rubo non benè ponunt figuram Taber. quæ eſt Rubi Idæi. Ille tamen pro Rubo Idæo meliorem quoque habet. Schvv. Rubus batus, & Rubus ſentis. Corn. Brunſ. Fuch. Matth. Ryff. (cujus figura minùs placet) Creſc. Cam. apud Matth. germ. & Epit. Lac. Lon. Lob. Obſ. & Ic. Caſt. & Cæſ. Rubus. Dorſth. qui ineptam Ryffij figuram habet, Mora baccæ: Rubi genus grandius fungoſum. C.B. pin. Rubus 1. ſive vulgaris, Rubus fructu nigro.

*C. Bauh. & Gerardus notantur.*

*Nomina linguarum.* Βάτος Græcis dicitur. Rubus & Sentis, Lat. Germ. Brombeer Stauden/ Bremen/ & ut Cornario placet, Cratzbeer/ ab ipſius Rubi pungentibus aculeis, Belg. Braemen & Breemen/ Braembeſyen haghe: Gall. *Ronce*, à runcatione, quæ dumorum tantùm eſt. Ital. *Rovo*: Anguill. *More campagnole*: Hiſpan. *Carça*: Anglic. Bramblebuſche / aut Blackberrybuſche: Hung. *Clyphe ſa, & fódy Szedor.* Boh. Woſtruzina. Fructum Græci μόρον τῆς βάτου, μόρον βάτινον, & βάτινον quemadmodum & Mora & Sycamina appellant, Galeno teſte. Morum Rubi & Vaticanum Schvv. nominant, ac ut Fuchſius ſentit Vacinium vel Vaccinium, quod tamen nec nobis, nec aliis probatur: Offic. Mora Bati, & quæ barbariores ſunt, inquit Dodon. Mora Baſſi, Germ. Brombeer. Belg. Braembeſyen/ & Haghebeſyen: It. *More di Rovo*: Hiſp. *Carça moras*: Boh. Woſtruziny.

*Locus.* Per dumos repit & in ſylvis inter cæteras ſentes, neque non ad ſepes & agrorum limites reperitur. Plantatur autem plantulis ſuis, ubi capita in terram demittunt, quia ibi ſtatim radices agunt. Rubi namque (tradente Plinio) curvati gracilitate & ſimul proceritate nimia, defigunt rurſus in terram capita, iterúmque naſcuntur ex ſeſe, repleturi omnia, niſi reſiſtat cultura. Plantatur & ſeminibus maturè collectis & ſiccatis, uſque ad initium Veris ſervatis & tunc ſeminatis: *Tempus.* Majo menſe & interdum etiam Iulio & Auguſto, itémque Octobri flores conſpicui ſunt: fructus Auguſto & circa Autumnum maturitatem aſſequitur. Rubi folia Vere; flores æſtatis initio colliguntur: fructus cùm maturuit per meſſes & extrema æſtate decerpitur.

*Vires.* Rubus, autore Dioſcoride, adſtringit & ſiccat, capillóſque tingit. Summorum autem ipſius ramorum decoctum potu alvum ſiſtit, *Fluxus.* fluorémque muliebrem cohibet, nec non & contra preſteris morſum valet. *Ulcera.* Firmant & gingivas, oríſque ulcera ſanant, commanducata folia. Impoſita verò herpetas cohibent, ulceribuſque in capite manantibus, oculis procidentibus, condylomatis, item & hæmorrhoidibus remedio ſunt. Eadem cardiacis quoque & ſtomachicis trita convenienter imponuntur. Cæterùm contuſis caulibus ac foliis expreſſis ſuccus ſole coactus, ad antedicta vitia efficacior eſt. At fructûs perfectam maturitatem aſſecuti ſuccus, ſtomaticis, h.e. oris medicamentis accommodatur. Siſtit & alvum ſubcrudus fructus in cibo ſumptus, æquè ac flos in vino potus. *Ex Galeno.* Galeno Rubi ſolia, germina, flos, fructus, & radix qualitate adſtringente participant, eàque non obſcura. Sed hoc inter ſe differunt, quod folia ac præcipuè mollia & recens nata plurimùm in ſe habeant ſubſtantiæ aqueæ, parum verò adſtrictionis: eadem ratione & germina, itaque ſi mandantur, aphthas, & alia oris ulcera ſanant. *Aphthæ.* Quin & alia vulnera glutinare valent. *Vulnera.* Eſt enim eorum temperies & ex terrea frigida eſſentia, & aquea tepida. At fructus, ſi quidem maturus fuerit, non parùm habet ſucci calidi temperati, qui dulcis eſt. Itaque ob hoc, & ob modicam aſtrictionem eſui non inſuavis eſt. At immaturus à frigida ſubſtantia terrea vincitur, ac proinde acerbus eſt & valdè exiccatorius. Et ſanè uterque ſiccatus reconditur, validiùs quàm recens deſiccans. Sed & flos eandem vim fructui immaturo poſſidet: utraque ad dyſenterias, & ventris profluvium, & atonias, i.e. imbecillitates [*robur exolutum*] & ſanguinis expuitionem ſunt idonea remedia. Porrò radix præter adſtrictionem, non paucam habet ſubſtantiam in ſeſe tenuem, per quam & lapides renum comminuit. Idem Aliment. 2. Ruborum fructum βάτινον appellant. Sunt autem βάτινα, *Batina.* quàm Mora, magis adſtringentia: & ſi quis largiùs iis veſcatur, capitis dolorem ſentiet: alij ſtomacho angentur. Proindè fructum hunc abluamus, oportet, priùs quàm mandere ipſum aggrediamur: quod maximè in Sycaminis quoque eſt faciendum. *Noxa. Correctio.* Non tamen ventrem ſubducunt, ſed potiùs cohibent: & ſi quis immatura ipſa priùs ſiccata repoſuerit, multò etiam magis cohibebunt: Omnia tamen medicamenta, quæ ex Mororum ſucco parantur, ſi facta ex iis quoque fuerint, facultatem habebunt efficaciorem. Idem de comp. med. ſec. loc. Innocuum eſt pharmacum Rubi mororum ſuccus voratus, veluti & ipſorum Mororum: ſed ſuccus Rubi Mororum habet quid quod ſtomachum roborat: quod ipſum Mororum cremor non habet: Rubi mororum ſuccus poſt nucum ſuccum plurimo melle opus habet.

Eraſiſtratus Rubi cremore ad oris inflammationes uſus, ſe ipſum curavit. *Ex Plinio.* Nec Rubos, inquit Plinius, ad maleficia tantùm genuit natura: ideóque ex eis mora vel hominibus cibos dedit. Vim habent ſiccandi, adſtringendíque, gingivis, tonſillis, genitalibus accommodatiſſimam. *Venenum.* Adverſantur ſerpentium ſceleratiſſimis hæmorrhoidi & preſteri, flos aut mora. Scorpiorum vulnera ſine collectionum periculo inungunt: urinam cient. *Urina.* Caules eorum tunduntur teneri, exprimitúrque ſuccus, qui ſole *Succus.* cogitur in craſſitudinem mellis, ſingulari remedio contra mala oris, oculorúmque, ſanguinem excreantes, *Os. Oculi.* anginas, vulvas, ſedes, cæliacos potus aut illitus *Angina.* [*intelligitur ſuccus*] Oris quidem vitiis etiam folia commanducata proſunt: & ulceribus manantibus, *Ulcera.* aut quibuſcunque in capite illinuntur. Cardiacis vel ſic per ſe imponuntur à mamma ſiniſtra: item ſtomachi dolotibus, *Stomachus.* oculíſque procidentibus. Inſtillatur ſuccus eorum & auribus. *Aures.* Sanat condylomata cum roſaceo cerato. Cauliculorum ex vino decoctum, vel præſertarum remedium eſt. Iidem per ſe in cibo ſumpti cymæ modo, aut decocti in vino auſtero, labantes dentes firmant. Alvum ſiſtunt & *Alvus.* profluvia ſanguinis: dyſentericis proſunt. Siccantur in umbra, ut ciris crematorum uvam reprimat. Folia quoque arefacta & contuſa, jumentorum ulceribus utilia traduntur. Mora, quæ in his naſcuntur, vel cùm eſſicaciorem ſtomaticen præbuerint, quàm ſativa Morus. Eadémque compoſitione vel cum hy-

pocisti-

*Cholera.* pociſtide tantùm & melle bibuntur in cholera, & à cardiacis, & contra araneos. Inter medicamenta, quæ ſtyptica vocant, nihil efficacius Rubi mora ferentis radice decocta in vino ad tertias partes, ut colluantur eo oris ulcera, & ſedis foveantur: tantáque vis eſt, ut ſpongiæ ipſæ lapideſcant. Tragus addit à merulis avibúſque cæteris expeti fructus, & in cibos quoque venire pauperum: Galenum ſcribere frequentem fructûs Rubi uſum dolorem capitis inducere, ſe autem id necdum expertum eſſe: Verùm ſe teſtari poſſe, quod mora illa vehementer refrigerent, ita quidem ut ſi quis aquam ſuperbibat, eum horrores febriles continuò obruere poſſe. Si verum *Tragus taxatur.* eſt quod Tragus ſcribit, dehortari pauperes debebat ab eorum eſu, qui nil niſi aquam ſuperbibunt. Ego Ruborum mora ſæpiùs comedi copiosè, nec nocumentum ſenſi, quamvis frigidum & humidum ac pituitoſum habeam ventriculum.

## RVBVS MINOR, FRVCTV cæruleo.



*Deſcr.* Contractior hic Rubus proximè jam dicto minor paràm, aut nihil, interdum humo ſe tollit, reptatu gaudens, *Sarmenta.* ſarmentis longè latéque diffuſis, Trago, humi ſerpentibus tenuiſſimis & aculeatis flagellis nunquam ſeſe attollens, ſed protinus deorſum vergês: & *Folia.* foliis minoribus minúſque ſenticoſis, & Trago authore, Lupulo penè reſpondentibus, niſi quòd magis nigricant, ſpiníſque aſperioribus horrent; *Flores.* flores ſimiles, Trago ex candido roſei, ſtellati: at *Fructus* fructus, qui minor, primo exortu viridis, paulò poſt rubro, per maturitatem cæſio vel cæruleo colore tingitur, piloſus ut Rubi præcedentis mora, guſtu pari, non injucunda, qualia arboris *Radix.* Mori: radice nodoſa.

Eſt hic Chamæbatus Theophraſti, Humirubus *Turn notatur.* Gazæ, Rubus humilis & 1. Tragi. Turn. Rubi ſpecies 2. baccis rubris: Is fortè maturum non obſervavit, ſed immaturum duntaxat: mihi enim tantùm baccis aut cæſiis, vel cæruleis, aut nigris notus Chamæbatos. Quare meritò ſcripſit Matth. in errore *Monach. error.* verſari Monachos, quum Rhamnum exiſtimarint Rubum quendam, qui mora cæruleo colore proferat. Geſn. h. alia Rubi ſpecies: In cat. Rubi genus humile: de coll. Rubus humilis, Chamæbatus. Lobel. Adv. Rubus alter reptans. Dod. Rubus minor & 2. ſive tenerior.

*Rubus humilis Belgicus, Cluſ.* Cluſ. par. & hiſt. Rubus humilis proximè ad Chamæbaton accedens, qui pleriſque Belgiæ locis naſcitur, acinis modo nigris, modo cæruleis, palato ad*Locus.* modum gratis. Occupat etiam ille multos Auſtriæ & Pannoniæ agros, Hungaris Szedöry dicitur.

Lugd. Rubi genus alterum, βάτος ἴνδος aut χάμυνδος Theophraſti. An Tab. Rubus arvenſis, Brombeeren. Figura enim Tabern. & titulus videntur convenire Rubo minori cæruleo, quamvis Compilator non diſtinguat à majori & pro eo ponat: verùm ei non novum omnia confundere. Ger. malè ponit pro Rubo Idæo figuram Tab. quæ nobis potiùs Rubi minoris fructu cæruleo videtur. Schvv. Rubus arvenſis, & Humi-Rubus. Cæſ. Rubi differentia altera, Rubus humilior. C.B. pin. Rubus 2. ſive repens fructu cæſio.

*Locus & Tempus.* Ripis fluviorum gaudet nec non humectis nonnullis & macris & incultis agris. Flores Maio menſe erumpunt: Mora flore excuſſo ſubſequuntur.

## RVBVS IDÆVS SPINOSVS FRVctu rubro & albo. CAP. III.



*Deſcr.* Rubus Idæus vulgari illo ſenticoſo minor & nitior, brevibus & ferè innoxiis ſpinulis horridus, interdum iis omninò carens, potiſſimùm inquit Tragus in virgis primo anno proſilientibus, ſarmentis tenuioribus, teretibus & plerumque rectis, tricubitalibus & altioribus, folia terna aut quina in alæ modum diſpoſita, pediculo ſeſcunciam aut uncias duas longo, lævi, annexa, Rubi vulgaris foliis ſimilia, ſed tenera & mollia, ſuperiùs atrovirentia: inferiùs incana, ut farina aſperſa videantur inquit Tragus, ſapore auſtero: flores albidos excipiunt mora per maturitatem cana, rubentia ſunt & alba, inter acinos pilis donata, dulci, viroſóque carnei coloris ſucco ebria: Tragus ait, odorem uti ferè Violam Martiam ſpirare. Radix eſt longa, per terram latè ſe ſpargens, quotannis ſurculos producens, qui ſecundo anno flores fructúſque proferunt.

*Βάτος ἰδαία Dioſc. Rub. Idæus, Plin.* Eſt Dioſc. βάτος ἰδαία, copiosè in Ida proveniens, multò tenerior Rubo, exiguis ſpinis præditus. Plinio, Rubi 3. genus, Idæum Græcis vocatum, tenuius, quàm Rubus & Cynoſbatus, minoribúſque ſpinis minùs aduncis. Et rurſum: Idæus Rubus appellatus, quoniam in Ida non aliàs naſcitur. Eſt autem tenerior ac minor, rarioribus calamis [*hamis Dalech.*] innocentioribúſque, ſub arborum umbra naſcens.

Galenus, & Paulus, & Aëtius Rubi Idæi non meminerunt, velut ſub Rubo comprehenſi, cui viribus reſpondet. Non aliàs Plinius naſci dixit quàm *Plin. notatur.* in Ida: Dioſcorides tamen non negat etiam alibi provenire. Et certè communi ferè peritorum conſenſu, multus etiam paſſim per Germaniæ ſylvas naſcitur, & is eſſe judicatur, cuius fructum Hindbeer, i.e. Vvam cervæ appellant. Et profectò non *Vva cervæ.* alius fructus eſſe mihi videtur (inquit Corn.) quem lib. 7. cap. 4. τῶν κατὰ τόπους Aſclepiades in pharmaco Arrhabiani Vvam urſi appellavit. De qua Galenus ſic ait. Quæ Vrſi uva appellatur & in Ponto naſcitur, *Vva urſi.* planta eſt humilis & fruticoſa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum, & rotundum, guſtu auſterum, quem Vrſi Vvam appellant. Huc accedit, quòd ab urſis hunc fructum expeti, hodiéque notum eſt.

Rubi tertium genus hoc licèt recentiores vocent Cynosbàton, vel Tragi tamen judicio rectè Dioſcoridis

ſcoridis βάτος Ἰδαία hoc eſt, Rubus Idęus nuncupatur, ceu Nicandri Rubus Polybatea, à copia mororum ſic nominata. Hanc ille deſcribi· .ejuſque figuram ni fallor capite ſequenti exhibet pro Chamębato. *Non eſt Fragaria Rubus Idæus.* Porrò monet Tragus quoſdam Fraga per Rubum Idæum intelligere, ſed arroganter nimis. *Locus.* Sunt è recentioribus (inquit Matth.) qui Rubi quoddam genus, quod in montibus Tridentinis, præſertimque Ananienſibus naſcitur, quodque rubra mora, Fragis non diſſimilia, nullis intus oſſiculis, quæ ab incolis vulgò vocantur *Ampomele*, guſtui non injucunda profert, pro certo credant Rubum Idæum eſſe. *Non Rubus Idæus, Matth.* Sed equidem non video quomodo illorum ſententia prorſus rectè probari poſſit, &c. Nam in Ida provenit. Idem poſtr.com.lat.& ital. Idæus Rubus etſi ab Ida monte denominari cœperit, quòd ibi copioſiſſimus fortaſſe habeatur, naſcitur tamen in aliis etiam montibus. Nam in Boëmia non ſolùm habetur in montibus, ubi ſpontè copioſiſſimus, ſed & in hortos transfertur.

Meminit ergo Matthiolus, ut ait Turn. Rubi cujuſdam baccis rubris ſuavibus, ſine acinis, quam Neotericorum aliqui Rubum Idæum nominarint, ait autem ſe non videre, qua ratione hæc ſententia probari poſſit. *Matth refutatur.* Cùm enim dicat Dioſc. Rubum Idæum ab Ida nomen adeptum, inde colligi poſſe putat, non alibi Rubum Idæum, quàm in Ida creſcere, &c. Sed hoc argumenti genus, quo frequenter utitur Matthiolus, in veritate evertenda nihil planè concludit, non magis quàm hoc, Stoechas in Stoechadibus inſulis naſcitur Dioſcoridi, Ergo quæ in Arabia, Hiſpania & Italia naſcitur, Stæchas non eſt. Non enim ait Dioſc. Rubum Idæum ſolummodò in Ida provenire, ſed ibi copioſiſſimam eſſe: interim non negat quin alibi poſſit naſci. *In Ida non provenit.* Et ſanè Bellon. in Ida monte Rubum Idæum invenire non potuit.

*Tab. not.* Tab. Rubus hircinus Bockßbeer / quem Compilator non rectè deſcribit & diſtinguit à Rubis: titulus etiam non convenit figuræ, quæ eſt Rubi Idæi. *Ger. lapſus.* Nec meliùs Ger. ponit figuram Tabet. Rubi Arvenſis, quæ mihi potiùs videtur Rubi minoris fructu cæruleo.

*Synon.* Rubus Idæus Cord. in Dioſc. Ryff. Lon. (horum duorum figura non commendanda. Lon. quidem meliorem poſuit pro Bockßbeer:) Cam. Ep. & hiſt. Lac. (qui Fragariam exhibet) Lob. Adv. Obſ. & Ic. Ang. Dod. Geſn. h. coll. & cat. Caſt. & Schvvenckf. cui etiam Rubus cervinus & Cervirubus. Cæſ. Rubus 3. montibus proprius, fructu in maturitate ſolùm rubeſcente, non nigreſcente, ſapore acido, guſtui grato, quem in Alpibus Ampomelas vocant. *Ampomelas.* Lugdun. Rubus Idæus ſpinoſus. Cluſ. hiſt. Rubus Idæus Placæ, quoad iconem, Rubus Idæus vulgaris, quoad deſcr. rubro & albo fructu. *Rub. Idæus duplex.* Vtrorumque meminit Thalius: rubicundo fructu communem paſſim tradit; candido rariorem.

C.B. apud Matth. ambos conjungit, eos tamen in pin. ſeparat: & hinc Rubus 3. ſive Idæus ſpinoſus: & Rubus 5. ſive Idæus fructu albo. Hic eſt Camer. h. Rubus Idæus leucocarpos, i.e. fructu albicante, odoratiſſimo.

*Nomina linguar.* βάτος Ἰδαία Græcis, Lat. Rubus Ideus: Ger. Hymbeer / Horbeer / & Himberſtauden: Tragus ait & Hundtbeer vocari, ſed hæc vox magis propriè Cynoſbaton denotat. Belg. Hinnebeſien & Hinnebramen. Gall. *Framb iſier* [*Frambositam*] quaſi Fragariam ligneam aut ſilvoſam. Ital. *Rubo & Rovo Ide.*; in Baldo *Ampomele*: Hiſp. *Carça Idea*: Angl. Raſpis buſch / & Framboiſe buſch. Fructus ſive mora Idęi Rubi nominãtur propriè, Ger. Hinbeer: Gal. *Framboiſes* Allob. *Ampes* Angl. Framboiſe / & Hindbery.

*Tempus.* Flores Maio, Iunio & Iulio menſibus abeunt in mora, quæ diu ſubſiſtere nequeunt: intra paucos enim dies vermiculi in iis naſcuntur, & tùm protinus pereunt. *Locus.* Vliginoſis & umbroſis ſilvis, locisque minimè apricis, neq; non rorulentis & arenoſis ſaxis gaudet. Porentrui, ubi *Ambre* vocant, ſicut & Montbelgardi, ex eo ſuccum condiunt more Citoniati jucundiſſimi ſaporis.

*Vires.* Eadem præſtat, autore Dioſc. quæ Rubus. Cæterùm flos cum melle oculorum collectionibus commodiſſimè illinitur, & ignem ſacrum extinguit: *Ignis ſacer.* ſtomachicisque ex aqua bibendus datur. Eadem Plin. duobus in locis repetit. *Aqua ad febres.* Ad quaſvis non ſolùm ardentes febres aqua è Rubi Idæi moris diſtillata utilis eſt, ſed & jucunda & grata ægris cùm propter manifeſtam refrigerandi facultatem, tum propter ſuaviſſimum quem exhalat odorem violaceum. *Inflammationes.* Decoctio tenellarum frondium foris, inque inflammationibus convenienter in linteolis imponetur, nam ſedandi illas, & reſtinguendi vi pollere id medicamentum certa experientia docuit. *Vomitus.* Qui cibos in ventriculo continere nequeunt, & frequentibus vomitionibus infeſtantur, iis fructus devoratus, & folia recentia tuſa, ac foris ſtomacho impoſita, mirè proſunt. *Syncope.* Folia Rubi lixivio decocta, ſi illo caput aliquoties abluas, capillos denigrant. Recentia trita & inflammationibus epatis & ſtomachi foris impoſita, calorem removent, deliquiúmque animi & vires ægrotis addunt, quæ omnia aqua diſtillata efficacius præſtat, potu & illitu, quemadmodum ſupra quoque Tragus meminit. Ictibus ſerpentium illita folia addito oleo & vino veneno adverſantur. *Syrupus.* Ex Rubi Idæi fructûs ſucco expreſſo, Geſn. ſyrupum parare ſolet, quem vel Sapphicis & Smaragdinis ad cor roborandum, anteferre nõ dubitarit. Is enim ſummopere oblectat, tum aſpectu floridiſſimi & pellucidi ruboris, tum odore gratiſſimo tum ſapore inter dulcem & acidum ſuaviſſimo, ídque expertus in ſeipſo & aliis. *Vinum.* Ex moris Rubi Idæi exprimi poſſet vinum in uſus multos, ad ventriculum imbecillum, alvi fluxus, varióſque gingivarum, dentium, uvulæ, palati, aliarúmque partium affectus. *Aq. è floribus.* Calculoſis utile eſt Aquæ ſtillatitiæ florum Rubi cochlear. 1. mane & veſpera aſſumptum cum quatuor cochlearibus vini.

## RVBVS IDÆVS NON SPINOSVS.

*Locus.* Gignitur frequens (inquit Lugdun.) in Allobrogum monte Gratianopoli vicino, quem vocant la Motte, caulibus multis ſeſquipedalibus, ut Idæus Chamæbatus jure nominari poſſit, folioſis, ſine ſpinis ullis, folio Rubo Idæo ſimili, averſa parte candido & lanugin oſo: fructu rubro, ſed non ut in ſuperiore rotundo & dulci, verùm ex granis ſic coagmentato, ut in metæ modum faſtigietur, acido ſapore etiam cùm maturuit, fragi magnitudine. Incolæ vocant *des Aſnes*, & ab Idæi Rubi fructu probè diſtinguunt quem vocant *des Ampes*. *Chamæbatus Tragi.* Tragus Chamæbati ſpeciem eſſe exiſtimat, nec malè Rubo Idæo conjungi & in hortum tranſlatum in Rubum Idæum mutari, omniáque quæ de Rubo dicta ſunt, huic frutici rectè attribui poſſe ſcribit. Hæc Lugd. cujus deſcriptio multum videtur differre à deſcriptione Tragi, quæ paulò poſt proponenda ad hiſtoriam Rubi alpini humilis. Non placet præterea ex Trago deſumpta icon, quæ non alia videtur, quàm Rubi Idæi ſpinoſi: ſunt enim in ipſa icone ſpinæ, & fructus minime faſtigiatus in metæ modum, ſed ternis, aut quaternis acinis ſolùm conſtans.

C.B. apud Matth. Rubus Idæus non ſpinoſus. Eid. pin. Rubus 4. ſive Rubus Idæus lævis: Chamæbatus ſive Rubus Idæus alter, Trag. Rubus 3. Cord. in Dioſc. Rubi alia ſpecies, Geſn. h. Bockßbeere / i.e. baccæ hircinæ, Lon. Rubus hircinus, Tab.

ynon. Rubus Idæus non ſpinoſus, Lugd. Rubus Idæus Placæ, Cluſ. hiſt. deſ. Rubus, Ger. ic. C. Bauhini ſententia de hoc Rubo aliena eſt à noſtra opinione. Et præſertim Rubi alia ſpecies Geſn. h. eſt nobis Rubus minor, &c. Rubus, Ger. ic. & Bocksbeer Lon. itémque Rubus hircinus Tab. ic. eſt Rubus Idæus ſpinoſus. An porrò Rubus Placæ, de quo mox agendum, idem ſit cum præſenti, judicent alij. Demùm, Chamæbatus Tragi, quoad deſcriptionem videtur Rubus alpinus humilis; quoad iconem verò Rubus Idæus.

## RVBVS SINE SPINIS Valentinus.

IDæi Rubi genus Cluſio oſtendebat Io. Placa in monaſterio D. Virginis, cui cognomen de IESV, primo ab urbe Valentia miliari, ſine ſpinis, foliis Rubi mollioribus, longis ſarmentis per terram ſparſis, cujus fructum dicebat Rubo vulgari minorem, aliàs illi admodum ſimilem. Cæterùm Placa hanc plantam Rubum Idæum cenſuit, fortè quòd Dioſcoridis latinus codex cap. de Rubo Idæo, hæc verba, *quanquam & ſine ſpinis inveniatur*, addita haberet, præter græci codicis fidem. C. B. pin. cum præcedenti Rubo eundem facit.

## RVBVS ALPINVS HVmilis.

### CAP. IV.



Deſcri. Rubi genus hoc, quod *des Chevrottes* vocant Burgundi, planta eſt admodum humilis, palmaris ut plurimum, aut paullò major, mollis, ſine ſpinis: folia terna ut in Rubo Idæo vulgari, mollia, viridia, non ut illa ſubtus alba: mora punicea ex longo pediculo in ramorum extremitate plura, capitulo ceu Ruborum, ſæpè uno acino vel duobus conſtant, interdum tribus, rariùs quatuor, ſapore grato, acido: granum unum ſingulis acinis mediocriter durum, ſublongum, rugoſum, majus, quàm femina Rubi Idæi.

Rubus pomum, Cluſ. Cluſius ſic fuſiùs deſcribit: Pedalem non ſuperat altitudinem, teretibus, ſubrubentibus, & hirſutis viticulis, in quibus bina aut terna folia, Rubo Idæo à pleriſque nuncupati penè ſimilia, h. e. terna ſimul ex eodem pediculo naſcentia, rugoſa, non hirſuta tamen, nulliſque ſpinis horrentia, valdè exſiccantis & adſtringentis guſtûs, deinde amariuſculi: in ſummis viticulis & ſupremis earum alis flores quidem fert (ſed cujus formæ aut coloris, ignoro, veriſimile eſt Rubo Idæo aut humili pares) deinde fructum Rubo vulgari aut Idæo minorem, h. e. minore acinorum numero conſtantem: etenim binos tantùm, ternos, quaternos, aut ad ſummum quinos acinos habet, longè tamen majores quàm in ullo alio Rubi genere, omninò rubentes, & adeò ſucci plenos, ut quodammodo tranſpareant, acidi & palato gratiſſimi ſaporis: continent ſinguli iſti acini ſingula grana alba rugoſa & inæqualia, adſtringentis guſtu., radix longè, latéque ſerpit, & longas interdum viticulas humi ſpargit, quæ ſubinde radices agunt.

Chamæbatus, ſeu Rubus Idæus alter, inquit Tragus, non ubique locorum in umbroſis arbuſtis provenit, virgis tenuiſſimis humi ſparſis, quæ non aliter atque Fragariæ, aut Rubi vulgaris coliculi, ſeſe ipſæ propagant; folia gerit Rubo adſimilia, ſed magis exigua nullis ſpinis horrentia; fructum edit Auguſto menſe, ſed non copioſum: Atque is nihil aliud eſt quàm Morum rubrum magnitudine fraga non excedens, ternis aut quaternis acinis conſtans, fructui Rubi exiguo ſimilis, guſtu vinum referente, ſed pergrato præditus; radix guſtum obtinet aſperum & ad amaritudinem quandam vergentem. Ea quotannis novos emittit & teneros coliculos. Hæc Mora in VVaſgoia noſtra & apud Mediomatrices Bocksbeer vocant. Ego exiſtimo Chamæbati ſpeciem eſſe, aut certè non malè Rubo Idæo conjungi poſſe. Nam in altiſſimis montibus gignitur, nec alibi unquam illum me reperiiſſe fruticem memini. Cæterùm cùm in hortulos meos illum tranſtuliſſem in Rubum Idæum mutatus eſt. Quæcunque de Rubo dixi ea puto huic quoque frutici attribui rectè poſſe. Hactenus ille. Ego jam antea monui me diſſentire à Lugdunenſi exiſtimante ſuum Rubum Idæum non ſpinoſum eandem plantam cum hac Tragi, quæ occaſio ut hîc integram deſcriptionem ex eo poſuerim, licèt eandem plantam exiſtimem cum hac quam hic propono, cujuſque deſcriptionem ex Cluſio pono: nihil enim invenio quod reclamet præter iconem, quæ eſt potiùs Rubi Idæi, ut in qua appareant ſpinæ & mora multorum acinorum: reſpondet etiam tota deſcriptio Tragi. Quare nullus mihi perſuadebit eam mutari in Rubum Idæum ut ipſe ait ſe obſervaſſe: quanta eſſet in fructu, foliis & caulibus differentia à Rubo Idæo ab ipſemet deſcripto? ſuſpicor deceptum Tragum in ſua mutatione quam ſe perhibet obſervaſſe: Quandoquidem Rubus Idæus & Chamærubus in iiſdem montibus proveniunt, nempe VVaſgoviæ ut ipſe teſtatur: faciliùs fuit Trago unam radicem pro altera abſumpſiſſe, quam tantam metaphoram quaſi poëticam eveniſſe.

*Morum rubrum.* *Chamæbatus.* *Rubus Idæus.*

Notus Geſnero haud dubiè fuit humilis hic Rubus, eúmque de Lunar. Rubum Idæum; de hort. verò Rubum alpinum humilem appellavit. *Rub. Idæus Geſn.*

Cluſ. pann. & hiſt. Rubus ſaxatilis, ſive petræus alpinus, quia ſolis ſaxoſis & petroſis locis invenitur. Adq; eum modum ruſtici montani Steinbeer [*petræas baccas*] quoque vocant. Chamæbatos Theophraſti non ineptè ejus judicio etiam dici poteſt, quem Gaza Humi-Rubum interpretatus eſt. Rubus ſaxatilis alpinus, Simlero. Cam. h. Rubus parvus ſaxatilis Cluſij. *Rubus ſaxatilis ſive petræus Cluſii. Baccæ petræ.*

Lugd. meminit Rubi Idæi non ſpinoſi Allobrogum, quem ait vocari *de Aſnes*, putátque eundem cum Chamæbato Tragi. Præterea ejuſdem iconem aſſumit, quæ eſt Rubi Idæi vulgaris, non Chamæbati, ut antea dictum. Conferenti deſcriptionem Rubi Idæi non ſpinoſi Allobrogum cum Tragi Chamæbato facilè apparebit inſignis differentia. Tabern. Rubus hircinus; Bocksbeer. Nomina, quæ Compilator ex Trago mutuatus eſt, conveniunt Rubo alpino humili, ſed non icon, quam hoc titulo exhibet, eſt enim Rubi Idæi vulgaris. Sed conſueta excuſat *Rubus hircinus Tab. taxatur.*

eum ignorantia: diſcrimina Ruborum non novit. Gerard. Rubus Saxatilis, Steneblacke/ Berrye tree. *Rubus alpinus.* Schvv. Rubus alpinus: Item Rubus hercinus. Eccur uni plantæ duplicem fecit inſcriptionem? Thal. *Rubus minimus.* Rubus minimus. C.B. pin. Chamærubus ſpinis carens 1. ſive ſaxatilis.

*Locus.* Abundè provenit in ſaxoſis collibus Neuberg monaſterio imminentibus, ſub celſiſſimo ejuſdem nominis monte, cujus ſummum jugum perpetua nive obſitum. Creſcit & in aliis ſcopulis qui circa celſiſſimorum montium radices ſunt, non in ipſis montium jugis. Auguſto menſe colligebat Cluſius maturo ſuo fructu onuſtum. Ego provenientem obſervavi in Burgundiæ montanis prope Marhe, ubi comedunt. Vidi aliàs in Sabaudiæ montibus.

## RVBO IDÆO MINORI AFfinis Chamæmorus.

### Cap. V.



*Deſcr.* Inter mites Rubos etiam cenſenda eſt hæc elegans planta cujus iconem & hiſtoriam Cluſio communicabat Thomas Pēnæus, Londinenſis Medicus. Dodrantalibus autem prædita eſt viticulis, in quibus alternatim tria, quatuor, rariùs quinque folia, ſcabra, Malvę, vel potiùs Mori [*novellæ videlicet & primùm natæ. mavult tamen Cluſ. cum Ribes vulgaris foliis conferre*], foliis non valdè diſſimilia, in quinque præcipuas partes diviſa, & per ambitum ſerrata, longis pediculis innixa, qui ex binis alis ſive apophyſibus cauliculum amplectentibus exeunt. Summum caulem exornat flos unicus quinque ſoliolis ex nigro purpuraſcentibus conſtans. Fructus mori fructui [*Rubi vulgaris veriùs*] ſimilimus (unde nomen) ſed paulò minor, primùm albicans, & acerbus, poſtea ruber, ex acerbo dulcis: radix utcunque nodoſa, ex ſingulis nodis paucas fibras ſpargens, mirè ſe propagans, & quàm longiſſimè ſerpens, adeò ut brevi tempore maximum ſpatium occupet.

Angli Knotberries appellant, h. e. nodoſam baccam, à fructu nodis ſimili. Cluſ. pan. & hiſt. itemq; Ger. Chamæmorus dicitur. C.B. pin. Chamærubus ſpinis carens 3. ſive foliis Ribes Anglica.

*Locus & Tempus.* Nivoſa & aperta loca amat, ſummóſque montes, & magnâ copiâ inter Ericas provenit monte Englebarovv totius Angliæ celſiſſimo, duodecim miliaribus à Lancaſtria. Floret Iunio & Iulij initio: fructus Auguſto maturus eſt.

## CHAMÆMORVS NORVVAgica.

*Chamæmorus Norvegica, Cluſ.* Chamæmoro ſuperiori valdè affinem in Norvvagia & finitimis regionibus naſci ex Henrici Hoieri epiſtolà intelligebam, ait Cluſius, qui & ejus fructum conditum ſub extremum annum 1593. mittebat, & inſequentis anni Iunio virgulas, cum foliis & flore inter chartulas repoſitas. *Deſcr.* Erant autem hæ virgæ tenues, digitalis longitudinis, fuſci coloris cortice obductæ, quibus inhærebant uncialibus petiolis folia, vulgaris Ribes foliis non valdè diſſimilia, ſed paullò magis orbiculata, in breves aliquot lacinias diviſa, tribúſque eminentioribus nervis aversâ parte prædita, è quibus multæ venæ ad circumſerentiam ſparguntur, in ambitu dentata: è ſummis virgis exeunt oblongiores tenuioréſque petioli ſuſtinentes ſingularem caliculum, è quo flos emergit candidus, nunc quaternis, modò quinis foliolis conſtans, umbilicum occupantibus multis exilibus ſtaminibus albis cum flavis apicibus: flori fructus ſuccedit, fragi magnitudine, rubens aut pallidus, cujus interior pulpa mollis, humida, mucilaginoſa exilium acinulorum plena, guſtu non inſuavis.

*Natales.* Paludoſis & humidis locis gaudet, & maturitatem adquirit fructus, menſibus Iunio, Quintili, Sextili: ab incolis verò Moltebeeren appellatur.

C.B. pin. Chamærubus ſpinis carens 2. ſive foliis Ribes.

Cæterùm, quæ conſervandi hujus fructus ratio, quàm admirabiles ejus facultates, cùm ex ipſius Hoieri epiſtolà, tum ex iis quæ ipſe anno 1595. præſens mihi Lugduni confirmabat, ſubjicere libuit. *Conditura fructus.* Ex ipſo fructu, inquit, Electuarium rudi minervâ conficiunt quotannis Norvvagij, atque Finmarchij, in hunc fermè modum. Baccas in fictili aut aheno per ſe ad mediocrem conſiſtentiam coquunt, nullo alio addito liquore: cùm enim ſucci plenæ ſint & molles alieno humore irrigati non expetunt. Quanquam in delicatioribus ſunt nonnulli, qui melicrati Fionenſis (quo ſummè delectantur Septentrionales iſti) aliquid affundant. Hanc confectionem idoneis vaſis exceptam, &, ne corrumpatur ab ambiente aëre, butyro diſſoluto obductam uſui ſtudioſiſſimè reſervant: nobile ſanè, & probatiſſimum illis adverſus ſcorbutum remedium. *Facultates.* Etenim non facilè credas, quæ miracula iſta gens, ſolà hac medicinà faciat quotidie: ut omninò fatendum ſit, nihil ad hanc eſſe vel Cochleariam illam tot encomiis hacterus celebratam, vel Becabungiam, vel Siſymbrium Cardaminem, & id genus alia, quibus Germani ſeſe efferunt. Et meritò admiranda ſingularis Dei benignitas, quod Nordlandiæ longiùs ad Septentrionem remotæ, & fœdiſſimis morbi ob cæli, ſolíque inclementiam miſerabiliter ſcatenti, indigenis remediis proſpicere voluerit: enim verò morborum crudorum, putridorum, melancholicorum, mira hìc ubique ſeges. Idcirco neceſſitas miſeros ruſticanos varia auxilia edocuit, ut nunc vel in graviſſimis caſibus pauperculus aliquis accommodatè ſibi ſuiſque mederi ſciat. Ita nonnulli ſcorbuticos, quamvis ridiculè, tamen benè atque utiliter hunc in modùm curant. In vicinam aliquam inſulam moris abundantem exponunt, ibidémque ſolos relictos, domum non transferunt, priuſquam ſanitati ſint reſtituti. Tum enim illi, quaſi ab omni humanitate excluſi, vitæ tamen (quod credibile eſt) cupidi, moris iſtis veſci coguntur, ſive ut extremo remedio promiſſam ſanitatem recuperare tentent, ſive ut ſitim, quâ ut plurimùm torquentur, extinguant. Dumque hoc ad ſatietatem agunt, ſine dubio intra paucos dies oppidò convaleſcunt. Hieme verò quando id non licèt, electuario ſuo non minùs feliciter utuntur, ſine certâ doſi, aut cuſtodiâ. Aliqui toto curationis tempore, nullo alio alimento utuntur. Hactenus Hoierus.

CHAMÆ-

## CHAMÆMORVS ALTERA Norvagica.

*Chamæmorus baccifera.* IDEM Hoierus, aliam quandam Chamæmorum bacciferam, ſimilibus penè prædictæ foliis obſervavit, cujus hiſtoriolam Cluſio anno 1576. communicavit. Fruticoſa autem quædam ſtirps erat, quæ Ribeſium foliolis & fructu pro ſua proportione adeò æmulabatur, ut non dubitàrit Cluſius tertiam Ribeſij ſpeciem appellare. *Deſcr.* Dodrantalis porrò erat, cortice petiolorum nigricante, foliis latis, *Folia.* diſſectis, Vitis foliorum modo: *Baccæ* baccis in cujuſque pediculi apice quamplurimis conjunctis tanquam in umbella, non, ut in vulgari Ribeſio è multis oblongis racemulis pendentibus, rubentibus, acidulis; ſaporis valdè ingrati; Incolis Tetiebeeren nuncupatis. *Tetiebeeren.*

C. B. pin. Chamærubus ſpinis carens 4. ſive foliis Vitis. Chamæmorus altera Norvegica Cluſij.

## RVBI FACIE SENTICOSA PLANTA Lobelio. CAP. VI.



*Deſcr.* ALterius illic (in India) natæ arboris truncum aut bacillum exprimendum curavimus, qualem cum aliis accepimus. Carpi craſſitie eſt, longam haſtam æquans, & cortice nigro, denſo veſtitus: tuberculis craſſis, ſenticoſis, creberrimis, in clavæ modum muricato, ſolido & gravi prę duro ligno.

Lob. Adv. & Ic. Rubi facie ſenticoſa planta.

C.B. pin. Rubus 6. ſive exoticus: Arboris truncus ſpinoſus, Lugd. deſcr. at figura ſub titulo Nerij facie ſecundo loco habetur.

## CAPPARIS SPINOSA ET NON ſpinoſa. CAP. VII.

IMportunius nihil Capparum luxuriantibus longè, latéque radicibus veteres prodidêre. *Deſcr.* Ipſe autem frutex multis etiam ſtolonibus præditus eſt, quos aduncæ ſpinæ deorſum ſpectantes Ruborum in morem armant, quanquam & ſpinarum expers mitiſque inveniatur: folia alterno poſitu naſcuntur, circinatæ rotunditatis, aliàs modicè acuminata, uncias duas circiter lata, paulùm variante longitudine, ſaporis perquam amari: ex horum ſinu pediculi ſingulares exeunt longi, quibus capitula inſident viridantia, quæ explicata florem exhibent candidum, Roſæ parvulæ æmulum, medium obtinentibus infinitis fibrarum cirris: ſemen pericarpio oblongo clauditur, multum, parvum.

Cortices autem, quę in officinis proſtant, parietes habent craſſos, duros, ſolidos, albicantes, nec fractu faciles, acerbo ſapore, quem obveſtit alius rugoſus & rimoſus. Tales reperiũtur interdum qui



CAPPARIS OFFICINARVM cortex.



duos pollices craſſitudine æquent, quòd ſi è radice detractæ ſint, ſimplices exiſtunt, coloremque habẽt obſoletum.

*Theoph. & Dioſc. aculeatam deſcribunt.* Theoph. non ſolùm caule & ramis aculeatis conſtat Capparis, ſed & folio hiſpido, quæ culturâ deterior redditur, ut naturâ ſylveſtrem dixeris.

Dioſc. Capparis frutex eſt aculeatus [ἀκανθώδης] per terram in orbem ſtratus, ſpinas ut Rubus [βάτος] habens in hami modum aduncas: folia Mali Cotoneæ [μηλέα κυδωνία] rotunda: fructum verò Olivæ [ἐλαίας] inſtar: qui cùm dehiſcẽs panditur florem promit candidum. Hoc autem delapſo nõnihil glandis oblongæ figura invenitur, quod apertum grana tãquam Punici mali [*Balauſtiæ Serap.*] exigua rubentiáque intra ſe oſtendit. Radices lignoſæ ſunt, grandes ac numeroſæ. Cæterùm, Capparis inter ejuſdem Notha aliis Cynoſbatus dicitur, aliis Capria, aliis Malum corvi. *Appellationes notha.* Alij Ophioſcorodon vocant, alij Phylloſtaphylon, alij Thallian, alij Petræam, alij Holophyton, alij Ionitem, alij Oligochloron. Sunt qui Aconiton [*Acontion Trag.*] qui Hippomanes, qui Trichomanes. Prophetæ Poteram, alij Peuteron [*Pentheron Trag.*] alij Cor lupi, alij Haloſcorodon [*Alſkorodon Trag.*] alij Lilium [*Crinon Trag.*] alij Thlaſpin: Romani Sinapi Perſicum, alij Inturim, Aphri Herbiæathũ, cognominant. *Genera Dioſc.* Differre autẽ tradit Lybicam quæ apud Marmaridas naſcitur, ab ea quæ in Apulia provenit, ceu & ea, quæ de Rubro mari & Lybia affertur. Qua de re fuſiùs inter Vires. *Cynosbatus* Quod autem Capparin Cynoſbatum, quidam dixerint, factum eſſe ſcribit Cornarius, quod quædam cõmunia cum Cynoſbato habeat. Aſt quæ illa ſint, non demonſtrat. *Plin genera.* Eſt Opheoſtaphyles appellatio apud Plinium, i.e. Vvæ viperinæ: pro qua in ſuppoſititiis Phylloſtaphylon habetur. In Ægypto, inquit is, & Capparis firmioris ligni frutex ſeminiſque & cibi vulgati, caule quoque unà plerumque decerpto. *Delectus.* Cavenda ejus genera peregrina. Siquidem Arabicum peſtilens, Africum gingivis inimicum, Marmaricum vulvis & omnium inflationibus, Apulum vomitus facit, ſtomachum & alvum movet. Quidam eum Cynoſbatum vocant, alij Opheoſtaphylen. Et poſtea: Innocentius Italicum eſt. Marmaricum itaque dixit Plinius, id quod apud Marmaridas naſcitur,

ut Dioſcorides ait. Palladius Cappar vocat; Serapio Capparus.

*Cynoſbatos. Phylloſtaphylon. Petræa herba. Sinapi Perſicum.* M. Virg. herba Capparis, Cynoſbatos [*Caninus rubus*] ob hamatos quos habet aculeos dicta. Phylloſtaphylon, quod inter folia fructum quaſi uvam habeat: Petræa herba à natalibus. Cur Sinapi Perſicum à Romanis appelletur, incertum.

Dod. hiſt. iconem exhibet priorem Plantini: deſcriptio verò convenit Cappari retuſo folio; ait enim folia habere rotundiora, quàm Malus Cotonea. Turn. in plurali numero Cappares vocat, & tamen tradit tantùm ſpinoſam. Gazæ, H. Iun. & Geſn. *Matth. notatur.* cat. Inturis. Matth. ſuæ iconi addit ſpinas, an ex ipſa planta, vel ex lectione Dioſcoridis, ambigo: eo modo diſpoſitas. ut ipſe pingit, non vidi. Cam. Epit. & hiſt. aliam poſuit figuram, in qua vix ſpinæ apparent *Capparis non ſpinoſa Lon notat.* & folia rotunda ut erant Matthiolo, qui ait ſe vidiſſe Cappares frutice non ſpinoſo hortenſes, Ferrariæ. Lonic. figuram habet Capparis non ſpinoſæ, licèt in deſcriptione ſpinoſam tradat, nec faciat mentionem non ſpinoſæ. *Ryff.* Ryff. Dioſcoridis deſcriptioni addit Capparis figuram non ſpinoſam, cùm tamen Dioſc. aculeatam tradat.

Loh. Adv. Cappares: Obſ. & Ic. ſicut & Tab. Capparis folio acuto, & Capparis retuſo folio: figuræ *Lugd.* duæ. Eaſdem etiam exhibet Lugdun: dicítque folio tantùm differre. Et hinc cum Lob. & Compilatore pingit utramque ſpinoſam. Certè ſi nulla differentia alia eſt, folium non meretur alteram figuram.

*Synon. C. B.* C. Bauh. apud Matth. eaſdem proponit, dicens. Quæ rotundo folio eſt, Matthiolus expreſſit. I. Capparis, Tragi, Matth. Cord. in Dioſc. Dod. Gall. Geſn. h. Lon. Lac. Caſt. Lugd. Capparis retuſo folio, Lob. Capparis Italica, Cæſalp. Capparis 2. Tabern. II. Capparis Dod. hiſt. Capparis folio acuto, Lob. Lugd. Ger. Capparis aliud genus, Cæſ. Capparis prima Tab. Idem pin. Capparis 1. ſive ſpinoſa fructu minore, folio rotundo· Capparis, Tragi, &c. Ang. Lugd. & Rauvv. qui & ſylveſtrium meminit. Capparis ſpinoſa, Bellon. Capparis rotundiore folio, Ger. Item, Capparis 2. ſive folio acuto. Et, Capparis 3. ſive non ſpinoſa fructu majore: Capparis non ſpinoſa, Bellon. In Arabia arboreſcit & hyeme folia retinet, Cappares Alexandriæ majores eſſe, quàm alibi, quos Cappar appellant, Alpinus author *C. Bauh.* eſt. Hæc ille, cujus multiplex error, ſtudioſum tedio conſumere poſſet. Pingit plantam folio retuſo. ſcribens interim eſſe rotundo. quaſi inter rotundum & retuſum nihil interſit. Matthiolus eam non expreſſit. Spinæ malè pictæ ſunt, quod ſeverus cenſor Lugd. non animadvertit. Surſum enim ſpectant, & plures ſimul conjunguntur, cùm deorſum inclinent, hamatæ ſint, & ſimplices. Nec folia retuſa ſunt, ſed ex rotundo acuminata. Nec prima ejus Capparis, Tragi eſt, ſicut nec Dod. gall. Lacunæ, aut H. Lugdunenſis, quæ eandem cum Matthiolo exhibent, excepto Trago, cujus figura neque ad plantam viridem, neque ad ſiccam picta videtur. Cordus etiam in Dioſc. & Geſn. h. (cui Capparis & Rurpedus dicitur) non concludunt, quam intelligant, imò nec folij acuti aut rotundi ibidem meminerunt. Mirum ergo unde colligat, eſſe ejus primam Capparin. Loniceri quoque figura eſſe non poteſt, ſpinis enim caret. Cæſalpini tandem Capparis Italica eſſe nequit, quæ virgas ſimplices profert, ſine ſpinis. Quod idem comprobant ſequentia ejus verba. Aliud genus ſpinoſis ramis conſtat peregrinum. Dioſcorides deſcribit illud genus, quod aculeis conſtat. Cam. h. Capparis vera. Schvven. Capparis major & minor.

*Nomina lingua.* Nomen apud Græcos idem, quod apud Latinos tum ipſa planta, tum fructus obtinet: *κάππαρις* ſiquidem dicitur; nonnullis tamen Lat. Inturis: Arab. *Cappar* & *Kappar*. Barb. *Caparus*. Germ. Cappern: Belgis Cappers: Gall. *Capres*: Ital. *Capparo*: Hiſp. Caſtil. & Portug. *Alcaparras*: Catal. *Taperes*: Angl. Capper: Boh. Kappary.

Inter interpretes non convenit, quomodo illud Eccleſiaſtis cap. 12. Et diſſipabitur Capparis, ſit propriè explicandum. Aliis enim appetitus eſt deciſa voce. Alij ſunt qui exponunt de libidine, & rei venereæ appetitu, qui expiret ac emoriatur in ſenibus. *Capparis ſacrarum paginarum*

Monſpelij vidi Cappares florentes Autumno, Septembri ſine ſpinis: Patavij fruticem ſiccum cum ſpinis certo ordine diſpoſitis, ac aliter quàm pingat Matthiolus: nec animadverti ſpinas alias ſurſum vergentes, alias deorſum tendentes: Lugduni ſpinoſas Cappares florẽtes Novembri, unde etiam plantas habui: quas plantavi in horto Montbelgardi: Proſtant in officinis venales aceto conditæ parvæ & mediocres, aſſervatæ cum ſale marino grumoſo, quæ ante uſum in aqua calida macerantur. Seritur (autore Plinio lib. 19. cap. 8.) Capparis ſiccis maximè, area in defoſſu cavata, ripiſque undique circumſtructis lapide: aliàs evagatur per agros, & cogit ſolum ſterileſcere: floret Æſtate: viret uſque ad Vergiliarum occaſum: ſabuloſis familiariſſima. Præſtantiſſimas Cappares ex Alexandria Ægypti Venetias advehi perhibet Matth. Eſſe & in Apulia Capparum proventus, unde etiam plurimæ deferantur, verùm longè deteriores his quæ ex Ægypto importantur; provenire etiam Romæ in collapſis ædificiorum parietibus, ruderibúſque præſertim circa Pacis templum: itémque Senis, quæ quidem Apulis ſaporis præſtantia minimè cedant: In cultis naſci Cappares negare Theophr. lib. 6. cap. 5. de plant. hiſt. Seri tamen hac ætate, colíque perinde ac ſegetes & legumina, quemadmodum & Plinij tempore, qui ſerendi rationem jam ſupra explicarit. Cùm ergo in cultis locis ſatæ excreſcant Cappares, id Theophraſto repugnare putat Matthiolus, quia gaudere locis arenaceis atque tenuibus, cultis haudquaquam exire ſcripſerit: at oppidò quàm ingenioſus ſit Matth. quo vultu, quo aſpectu talia pronunciare audeat, quàm feliciter authorum animos aſſequatur, hinc apertiſſimè dignoſcitur, cum Theophraſt. rem dubitativè propoſuerit hoc modo: Inturis peculiare habet, quod & folium & caulem gerit ſubhiſpidum, nec Phleum, & Lappaginem æmulatur, quæ foliis mitibus conſtant: Vniſtirps humilis humicaulis eſt: germinat florétque Æſtate & folium uſque Vergilias perdurat: gaudet locis arenaceis atq; tenuibus: cultis haudquaquá exire dicitur. Sed cum apud oppida & loca plana proveniat, non Laſerpitij modo apud montuoſa: hoc minùs verè putarunt. Cultis ergo exit, ſed cultu leviſſimo contenta eſt, ut docet Columella his verbis. Capparis plurimis provinciis ſua ſponte novalibus naſcitur: ſed quibus locis ejus inopia eſt, ſi ſerenda fuerit, ſiccum locum deſiderabit. Iſque debebit ante circumdari foſſula, quæ repleatur lapidibus, & calce, vel punico luto, ut ſit quaſi quædam lorica, ne poſſint eam perrumpere prædicti ſeminis frutices, qui ferè per totum agrum vagantur, niſi munimento aliquo prohibiti ſint. Quod tamen non tantùm incommodum eſt (ſubinde enim poſſunt extirpari) quantum quod noxium virus habent, ſuccóque ſuo ſterile ſolum reddunt. Cultu aut nullo, aut leviſſimo contenta eſt. Quippe quæ res etiam in deſertis agris citra ruſtici operam convaleſcit. Seritur quoque æquinoctio. Fruticat ruti in ora Tyrrhenici maris, Narbonenſi, & Hiſpanica. Eadem hortis jamdiu innotuit. *Locus & Tempus. Satio. Cappares Alexan. Apulæ. Matth. lapſus.*

*Vires & Temperamentum.* Capparis, ut videre eſt apud Dioſcoridem, caulis & fructus ad cibi uſum ſale conditur. Turbat autem alvum, ſtomachóque incommodus eſt, & ſitim in-

tim inducit. At cocta Capparis in cibo accepta, commoda magis eſt ſtomacho quàm cruda. Fructus *Ad ſplenem* itaque ejus ſplenem liquat, ſi duarum drachmarum pondere cum vino bibatur ad dies quadraginta. Ducit etiam urinam & alvi excrementum cruen- *Purgat. Iſchias.* tum. Coxendicum quoque morbo & reſolutioni opitulatur fructus ſi bibatur, ruptis item ac convulſis. Ducit & menſes, & pituitam de capite detrahit. Dentium item dolorem ſedat fructus cum aceto coctus & collutus. Cæterùm radicis cortex aridus, tum ad prædicta commodus eſt, tum omne *Vlcus.* diuturnum & ſordidum ac calloſum ulcus repurgat. Imponitur etiam in ſplenicis, cum cruda hordeacea *Dentium dolor.* farina: ſi verò radix manducetur, dolenti denti auxiliatur. Vitiligines etiam albas exterit cum aceto trita. At verò folia & radix trita, duritias & ſtrumas *Aurium vermes.* diſcutiunt. Succus autem auribus infuſus, vermes *Capp. Lybica.* in ipſis occidit. Porrò Lybica Capparis, quæ apud Marmaridas appellatos naſcitur, vehementer in- *Apulia.* flat, quæ in Apulia provenit, vomitus concitat, quæ verò de Rubro mari & Lybia affertur, acerrima eſt, puſtulas in ore excitans, & gingivas ambedens uſque ad denudationem. Vnde ad eſum inepta eſt. Ferunt eos, inquit Plinius, qui quotidie Capparim Italicam edunt, paralyſi non periclitari, nec lienis doloribus. Radix ejus vitiligines albas tollit, ſi trita in ſole fricentur. Spleneticis prodeſt in vino potus radicis cortex ʒ.ij. dempto balinearum uſu. Ferúntque 35. diebus per urinam & alvum totum lienem emitti. Bibitur in lumborum doloribus, ac paralyſi. Dentium dolores ſedat tritum ſemen, ex aceto decoctum, vel manducata radix: infunditur & aurium dolori decoctum ſemẽ in oleo. Phagadænas folia & radix recens cum melle ſanant: Sic & ſtrumas diſcutit radix: parotidas vermiculóſque cocta in aqua. Iocinoris quoque malis medetur. Dant & ad tineas in aceto & melle. Oris exulcerationes in aceto decocta tollit. Stomacho inutilẽ eſſe inter auctores convenit. Capparis facultas, ut prodit Gal. lib. de alim. eſt ſatis tenuium partium, & ideò minimum alimentũ exhibet corporibus ac veſcentibus. Fructu verò ejus magis ut medicamẽto, quàm ut alimento utimur. Idem 7. ſimpl. Capparis radicis cortex vincentem habet qualitatem amaram, proximam acrem, deinde acerbam. Ex quo liquet, quod diverſis pugnantibus conſtet facultatibus: quibus abſtergere, purgare, incidere poteſt amaritudine: excalfacere, incidere, digerere acrimonia: porrò contrahere, denſare, conſtringere acerbitate. Itaque *Lien induratus.* lienes induratos ſi quid aliud hoc medicamentum juvare valet, tum foris idoneis, illinendis remediis admiſtum, tum intra corpus aſſumptum, ſive decoctum in aceto aut oxymelite, & id genus ſive aridum contuſum illíſque permiſtum: quippe cum apertè craſſos, lentóſque humores hoc pacto ſumptum evacuet, nec eos tantum per urinas, ſed & per ventrem, ſæpè etiam ſanguinolentos deferat, unde & lienes adjuti ſunt, & coxarum dolores. *Ad menſes* Quin etiam menſes promovet, & ex capite purgat, detrahítque, quod ἀποφλεγματίζειν vocant, auxiliatúrq; ruptis atque convulſis. Porrò radicis ejus *Ad ulcera.* cortex ulceribus malignis cataplaſmatis modo impoſitus, non malum eſt remedium: ut qui illa ex- *Ad dentes.* tergere valeat, nec ſegniter deſiccare. Præterea dentium labores prædictarum qualitatum ratione adjuvat, interim cum aceto coctus, interim cum vino, ſæpè etiam ſolus dentibus manſus ac morſus. Ex dictis ergo clarum eſt, incidendi quandam ei facultatem ineſſe itémque extergendi, digerendi, contrahendi. Vitiligines ſiquidem cum aceto detrahit, & *Ad Choeradas.* chœradas & duros tumores digerit, idoneis ad ea medicamentis miſtus. Radicis cortici, fructus proportione virium reſpondet, niſi quod ad omnia imbecillior. Imò & folia & caules ejus ſimilem vim obtinent, meminíque me foliis quandoque paucis diebus duritiem choeradis naturam referentem diſcuſſiſſe. Sed admiſcemus ſcilicet illis quippiam, quod eorum vehementiam obtundit. Nec mirum eſt, quòd aurium vermes amaritate occidant ſua. Porrò capparis quæ in admodum calidis ferventibus regionibus provenit, ut quam fert Arabia, multò eſt noſtrate acrior, adeò ut plurimum etiam habeat facultatis adurentis. Serapio Clyſteres ad ſciaticam (ut loquuntur barbari) è ſucco Capparorum, Raſim magna olim experientia ſactitaſſe ſcribit. Capparin aſſerit Simeon Sethi calidam & ſiccam eſ- *Temper. Sethi.* ſe gradu ſecundo. Contra Fern. m.m. Capparin, cujus florem ac radicis corticem uſurpant, calidam ſiccámque eſſe tertio receſſu ſtatuit. Capparis af- *Sale condita.* fertur ad nos, inquit Corn. ſale conſperſa, eò quod ſola recondita putreſcat. Sale itaque condita etiam hodie in muria ad nos affertur. Ex qua exempta & leniter fervefacta, aceto ac oleo affuſo, in cibi uſum venit, intinctus ferè loco ad carnes & piſces aſſatos adhibita. Majores & minores Cappa- *Cappar. maior & minor.* res aiunt Adverſ. Emporiis variis væneunt, ſed minores in prima ſunt commendatione, ſexiéſque pluris emuntur quàm majores: vulgò námque habentur meliores parvæ. Sic palati ſtudium fallit ingenium, valetudinis diſpendio: nam qui ſapor illis percipitur, aſcititius eſt à muria, vel ab aceto: alioqui utraque acerrimi ac teterrimi guſtus eſt, ſeu viridis, ſeu matura. proindéque minor perpaucæ carnis & ſucci, faciliùs & penitiùs imbuitur conditura, quàm major, quæ melioris ſucci & aptioris alendæ carni eſt. Culinæ proinde error eſt, minores majòribus præferre. Sed hic conſuetus inolevit mos. nam, ut ſcité dicebat Philoſophus, nihil magis adverſatur valetudini aut Medico, quàm bonus coquus. Itaque voluptati coquus emat minores magno precio: frugi œconomus emet (ſi nos audiat) majores minoris multò, bonæ tuendæ valetudini. Radices eſſe adulterinas quidam imperiti Medici ridiculè quiritantur: nam hac radice nihil vulgatiùs aut viliùs etiam in Hiſpania. Vomitiones Cappares haudquaquam ciere, ut inquit Dioſc. exiſtimat Matth. Niſi fortaſſe hac facultate ſint præditæ, dum recentes ac virides comeduntur, antequam muriam experiantur, & inde elixentur. Sed infirmat Matth. opinionem, quod fortè non eandem Capparin, ſc. Apuleam, cum Dioſc. intelligat. Capparis *Radices in officin non ſunt adult.* virides ac teneros ſurculos apud Amatum, nõ aliter quàm Terebinthi mandunt in aceto ſimul & muria, *Surculi in cibo* aut ſolo aceto condientes. In ſuis conſultationibus tradit Montanus radicem Capparum maſticatam *Maſticat.* multam pituitam trahere. Cappares menſæ adhibet contra lumbricos Geſnerus. Bayrus, recipit *Crines denigrans.* radices Capparorum & illas coquit in lacte aſinæ uſque ad tertiam partem & ungit capillos dimittendo per noctem, hos enim pectendo nigrificat.

## CAPPARES ARBOREſcentes

CAppares in Arabia invenimus, pumilarum ficuum altitudinem æquantes, ut nobis conſcendendæ fuerint, ad earum fructus colligendos, ovi gallinacei magnitudine, & ſemina intus continentes, piperis inſtar calida: ipſæ Cappares Iuglandibus magnitudine non cedunt. Vt verò album ſinapi in vinum vernachiam injiciunt, ne ferveat, ſed diutius ſuam dulcedinem retineat: ſic Arabes iſtarum Capparum ſemina in ſuis Vinis commiſcere ſolent, ut dulcia ea conſervent, quod etiam Avicenna annotavit: Bellon. Obſ. l. 2. c. 60.

*Synon.* C.B.pin. Capparis 4. ſive arboreſcens fructu Iuglandis magnitudine: Capparis Arabica fructu ovi magnitudine, ſemine piperis inſtar acri, Bellon. Capparum arbor, Rauvv. qui fructus magnitudinem non expreſſit. Cappares plurimum ab his quæ in arbores adoleſcunt, & quę in Gręcia proveniunt, differentes in Tauri montis ſaxorum fiſſuris, Bellon. notavit.

## CAPPARIS FABAGINEA SIVE Peplios Lutetianorum.

### Cap. VIII.

*Deſcr.*



LOngis lentíſque caulibus eſt prædita, glabris, ſtriatis, ramoſis, ad quorum genicula naſcuntur duo ex adverſo ſiti pediculi unciales & ſeſcunciales, bina folia in ſummo cacumine gerẽtes, modicè diſtantia, poſitu ferè ſoliorum Viſci, pinguia, ex rotundo oblonga, Portulacæ ſoliis quodammodo ſimilia, nervo medium percurrente, à quo venulæ obliquæ in margines exporriguntur, amara, ex eorundem ſinu pediculi ſemunciales prodeuntes, florem unum ſuſtinent ſinguli miniatum, extra quem prominent longa rubentia ſtamina, apicibus donata concoloribus: florem extrinſecus ambiunt foliola oblonga, viridantia: ſiliqua auctore Rauvvolffio, Seſamo ſimilis: addit frater C. Bauhinus oblonga, anguloſa, quatuor veluti ex thecis compoſita, in qua ſemina continentur plura, lata, compreſſa, ex rotunditate in acumen deſinentia. Vniverſa planta guſtu amaro Salicis aut Capparis.

*Synon. Fabago. Peplios.* Lob.Obſ. & Ic. Capparis leguminoſa, ſive Fabago Belgarum: Peplios Petri Quithe & Pariſiorum. Rauvvolff. Halepi Morgeſani, Avicennæ Ardiſrigi, & Andiria Rhaſis. *Morgeſani. Ardiſrigi. Andiria.*

Dod.hiſt. annotat à recentioribus Capparin Fabaginem & pleriſque Capparin leguminoſam dici: veteribus notam fuiſſe non conſtare: Cepæam Dioſcoridis eſſe, non eſſe facilè affirmare, brevi ac ſuccincta admodùm apud Dioſcoridem extante deſcriptione: deſcribi verò ab Avicenna capite 28. herbam quandam Ardiſrigi nomine: cum qua reſponderet, ſi tam gravi eſſet odore, quàm ſapore amaricante. Si nihil aliud impedit, quàm gravis odor, quominùs ſit Ardiſrigi, nos illud recipiemus ex autoritate Rauvvolffij, qui ait Halepi ingratiſſimi eſſe odoris, ac eam ob occaſionem incolas crebrò uti ad expellendos vermes. *Cepæa. Dod.notat.*

Cam. apud Matth. ejuſdémque Epit. Capparis ſilveſtris ſive ſabaginea, vel leguminoſa: Avicennæ Ardiſugi, aut Ardiſrigi, Rhaſis Andiria. Eid.h. Capparis, Fabago. Tabern. Capparis leguminoſa, Geſchlecht der Capperen.

C.B.in Lugd. Fabago Belgarum: repetitur in append. Morgſani Rauvvolffij nomine: duæ deſcriptiones; ex utraque una ſacienda erat, ſiquidem in prima fructus reperiantur: aliàs figura poſterior magis probatur. Fallitur C.Bauh. nam fructus aliquoties pingitur in ipſa planta, & ſeparatim juxtà eam. Eid.pin. Capparis 5. ſive Portulacæ folio: Telephium Dioſcoridis & Plinij, Colum. *C.Bauh.*

*Locus & Tempus.* Obſervavi florentem Auguſto, Lutetiæ in horto regio: Romæ inter rudera ſpontè naſci perhibetur apud Camer.

## CAPPARI FERE SIMILIS Alhaut.

### Cap. IX.

*Locus.* THevetus auctor eſt, in Inſula Suachem Æthiopico littori adjacente, naſci herbam quandam Alhaut nomine, in rupibus, latè ſeſe diffundentem, foliis ferè Capparis, cujus fructus germina ſunt, ſive capitula rotunda. *Vires.* Folia, radices, fructus, guſtu ſuaviſſimi ſunt, & cordi ſalubres, quibus indigenæ ad colicos & ſtomachi dolores quoſvis, præterea ad hepatis & pulmonum affectus utuntur, decocto ex tota herba parato, cum Corallij albi pulvere.

*Syn.* C.B.pin. Capparis 6. ſive Capparibus ſimiles baccæ in Virginea. Sacquenummener baccæ plantæ, quę in ſtagnantibus aquis reperitur, par.1. Ind.occid.

*FINIS LIBRI XIIII.*

HISTO-

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM
## LIBER XV.

### FRVTICES SCANDENTES ENARRAT, VT VITES, CONVOLVVLOS, ET HIS ALIQVA RATIONE SIMILES PEREGRINOS, ET AROmata quædam.

*PLANTARVM genus quoddam eſt, quod non niſi alterius ope, ac fulcro ſuſtinere ſe commodè poteſt, quas ob id ἀναδενδράδας & ϖεσσιλλοκαύλας Græci dixere, ut Vites, Convolvuli & his ſimiles. Quanquam Theophr. quem & Plinius ſequutus Vitem inter arbores recenſeat: quod ſanè & de aliis quibusdam mox dicendis quis aſſerat. Columella tamen diligentiſſimus ſtirpium cultor arborem eſſe negat, ſed medium quoddam inter arborem & fruticem eſſe vult, ut fuſiùs infra patebit. Vtut ſit, ſcandentium luſtratio reſtat, triplici ordine producenda. Primus prædictarum & ſimilium hoc libro; alter ſcandentium pomiferarum; tertius ſcandentium ſiliquoſarum & leguminoſarum, ſubſequentibus libris dicendarum.*

## VITIS VINIFERA. CAP. I.

*Deſcriptio Vitis univerſalis.*

NOTIOR eſt Vitis vinifera, quàm ut deſcribi debeat, ſed gratificemur frigido ſubjectis Septentrioni, ut vel lectione noviſſe diſcant notiſſimi etiam ipſis nectarei liquoris parentem, quâ nihil abjectiùs intuenti videri poſſit, alienæ opis indiga ridicarum & pedamentorum adminiculo innitens tortuoſo ſtipite, fuſco, rimoſóque cortice hiulca;

*Stipes. Cortex.*



quæ ubi tepidiorem benignioris cœli auram ſenſit, gemmas protrudit, in pampinos poſtmodum, ut familiari illis comparatione utar, Lupi ſalictarij abituros, minimè tamen inamœna illa aſpredine horridos, ſed læto virore ſplendentes: ita uti diximus humo ſublata capreolorū beneficio adminicula ſua complexa à contemptu vindicatum ſeſe it, floſculorum ſuaveolentium, quinque fibrillis herbidis luteolos apices ſuſtinentibus compactilium racemis divitem colono ſpem excitat uvarum, quas aliàs ne colori putes obligatam generoſitatem, ochrâ: tanta talíque ſaporum viriúmque varietate, quantam qualémque tam adversâ quàm ſecunda valetudine quotidie experimur. Vitis (addit Cæſalp.) quæ ambigit inter arbores & frutices, florem non in ſummo fructus, ſed in ſede habet, ac plura ſemina in communi conceptaculo, brevi tempore ad magnam altitudinem creſcit, ita ut niſi crebra amputatione coërceatur, multitudine viticularum luxurians ſilveſcat: folia fert ampla, variè laciniata, ut Ficus, quos pampinos vocant: floſculos parvos & candidos, ut Olea: racemos ingentes, onuſtos ſuis granis, quæ uva appellatur.

*Gemmæ. Pampini. Capreoli. Floſculi. Racemi. Folia. Vva.*

Vitem arborem dicere videtur Theophr. ſic enim ſcribit. Arbor eſt, quod ab radice caudice ſimplici ramoſum, nodoſum, ſurculoſum, haud facilè diſſolubile aſſurgit, ceu Olea, Ficus, Vitis. Et inter oſtenta in arboribus ait, Nigrum racemum ædere candidum fructum; candidum verò nigrum tanquam prodigia, & præter naturæ normam accidere arbitrantur aruſpices, oſtenta eſſe æſtimantes; ſolitum verò in Vite Capneia nullo pacto mirantur, nec interpretantur, quaſi quæ ratione regionis mutari ſoleant. Sed hoc ita fieri mirum, quoniam una tantùm, aut duæ, & hæc rarò per univerſum tempus mutantur. Et ſi aliquando ita fit, in fructibus potiùs diſcrimen, quàm in totis arboribus percipitur. Nam talis rei temeritas, fructibus quoque nonnunquam contingit, ut Vitis caudice ſuo averſo fruticet, fructúmq; abſque foliis producat. Meminit porrò circa agrum Elephantium (ubi eam inter arbores quoque refert)

*Theophr. Vitium differentia. Vitis arbor. Vitis capneia. Vites ratione regionis mutantur. Vitis elephantia.*

Vitibus folia non decidere. Tandem de ſatu arborum agens, eam inibi his verbis etiam recenſet.

*Vitium differentiæ a ſolo.*

Vitium ſolo differentia maximè numeroſa eſt. Quot enim genera telluris, totidem & vitium eſſe quidam affirmant. Verùm inter eas, quæ minùs fructificant, gemmis crebrioribus conſtant, ſolidioréſque ſunt. Ex eodem Theophr. hæc habentur. Vitis corticem ſpeciem radicis habere, nervoſum, macilentum, tunicis multiplicem, quem auferunt cultores: medullam carnoſam: materiem lentam: radices tenues, ſobolem furſum verſus procreantes, ideo evellendas, quæ in ſumma tellure ſunt: folia ampla, aliquatenus fiſſa, longo pediculo propendentia, & tremula ex nervulo, & cortice, & carne conſtantia: frutificare ex novellis ſurculis: florem lanugineum amplectentem fructum: nam decidunt perforati: fructum congeſtum: ſuccum vinoſum. Ex ſemine natam degenerare, ut pro nobili ignobilis, & ſæpè ſilveſtris oriatur, adeò ut quædam fructum non maturet, quædam eundem non compleat, ſed ad florem uſque perducat.

*Varronis differentia.*

Marcum Varronem quoque Vitem arborem facere colligitur ex ſequentibus. Præterea quæ arbores in ordine ſatæ ſunt, eas æquabiliter ex omnibus Sol & Luna coquunt. quo fit ut uvæ plures naſcantur, & ut celeriùs coquantur, quas res duas ſequuntur altera hæc duo, ut plus reddant muſti & precij pluris.

*Columella.*

Columella, ut ſuo loco conſtabit, nec arborem, nec fruticem, Vitem propriè dixerit. Ejus autem genera hæc tradit. Vitis, inquit, vel ad eſcam, vel ad

*Vitis ad eſcam.*

effuſionem deponitur. Ad eſcam non expetit inſtituere vineta, niſi cùm tam ſuburbanus eſt ager, ut ratio poſtulet inconditum fructum mercantibus velut pomum vendere, quę cum talis eſt conditio, maximè præcoques, & duracinæ, tum denique purpureæ, & bumaſti, dactylique & rhodiæ, libycæ quoque & cerauniæ, nec ſolùm quæ jucunditate ſaporis, verùm etiam quæ ſpecie commendari poſſint, conſeri debent, ut ſtephanitæ, ut tripedaneæ, ut unciariæ, ut cydonitæ. Item quarum uvæ temporibus hyemis durabiles vaſis conduntur, ut venuculæ, ut nuper in hos uſus exploratæ, numiſianæ. At ubi vi-

*Vitis ad effuſionem.*

no conſulimus, Vitis eligitur, quæ & in fructu valet, & in materia, quod alterum ad reditus coloni, alterum ad diuturnitatem ſtirpis plurimùm confert. Sed ea tum præcipua eſt, ſi nec nimis celeriter ſpondet, & primo quoque tempore defloreſcit, nec nimis tardè miteſcit, quin etiam pruinas, & caliginem, & carbunculum facilè propulſat, eadémque nec imbribus putreſcit, nec ſiccitatibus aboleſcit, talis nobis eligatur vel mediocriter fœcunda, ſi modo is locus habetur, in quo guſtus nobilis, pretioſúſq; fluit: nam ſi ſordidus, aut vilis eſt, feraciſſimam quamque ſerere conducit, ut multiplicatione frugum reditus augeatur. Ferè autem omni ſtatu locorum campeſtria largiùs vinum, ſed jucundius afferunt collina, quæ tamen ipſa modico ſtatu cœli magis exuberant aquiloni prona, ſed ſunt generoſiora ſub auſtro, nec dubium quin ſit ea nonnullarum vitium natura, ut pro locorum ſitu bonitate vini modo vincat, modo ſuperetur. Solæ traduntur

*Amineæ Vites duæ.*

Amineæ excepto cœli ſtatu nimis frigido, ubicunque ſint etiam ſi degenerent, ſibi comparatæ, magis aut minus probi guſtûs vina præbere, & cæteras omnes ſapore præcedere. Eæ, cum ſint unius nominis, non unam ſpeciem gerunt.

*Germana minor & major.*

Duas germanas cognovimus, quarum minor ocyùs & meliùs defloreſcit habilis arbori, nec non jugo: illa pinguem terram, hæc mediocrem deſiderat, longéque præcedit majorem, quia & imbres, & ventos fortiùs patitur, nam major celeriter in flore corrumpitur, & magis jugis, quàm in arboribus, ideóque non eſt vineis apta, vix etiam arbúſto, niſi præpingui, & uvida terra, nam nec mediocri valet, multóque minus in exili, prolixarum frequentia materiarúmque, foliorúmque & uvarum, & acinorum magnitudine dignoſcitur. Internodiis quoque rarior, largis fructibus à minore ſuperatur, guſtu non vincitur, & hæ quidem utræque Amineæ. Verùm & aliæ duæ geminæ,

*Geminæ, ſive gemellæ minor & major.*

quæ ab eo quod duplices uvas exigunt, gemellæ vocantur, auſterioris vini, ſed æquè perennis. Earum minor vulgò notiſſima. quippe Campaniæ celeberrimos Veſuvii colles, Surrentinóſque veſtit. Hilaris inter æſtivos favonij flatus, auſtris affligitur. Cæteris itaque partibus Italiæ non tam vineis, quàm arbuſto eſt idonea, cùm prædictis regionibus commodiſſimè jugum ſuſtineat, materiam, fructúmque, niſi quod duplicem non abſimilem minorem germanæ egerit, ſicut major gemina minori germanæ, quæ tamen minor hoc melior eſt, quod fœcundior etiam mediocri ſolo, nam illi niſi præpingui non reſpondere dictum eſt.

*Aminea lanata.*

Lanatam quoque amineam quidem maximè probant, quæ hoc vocabulum non ideò uſurpat, quòd ſola ex omnibus Amineis, verùm quòd præcipuè caneſcit lanugine. Sanè boni vini, ſed levioris, quàm ſuperioris, crebram quoque materiam fundit, atque ideò propter pampini denſitatem ſæpè parùm rectè defloreſcit, eadémque maturo fructu celeriter putreſcit, ſuper hunc numerum, quem retulimus, ſingularis habe-

*Aminea ſingularis.*

tur Aminea, majori geminæ non diſſimilis, primùm ſpecie pampini, & trunci, ſed vini ſapore aliquanto inferior, quamvis generoſiſſimus ſit, proximè præferenda etiam propriis virtutibus, nam & feracior eſt, & flore meliùs exuitur, ſpiſſáque, & albidas uvas, ac tumidioris acini gerit, gracili arvo non deſciſcit. Atque ideò inter uberrimas uvas numeratur.

*Nomentanæ.*

Nomentanæ vini nobilitate ſubſequuntur Amineas, fœcunditate verò etiam præveniunt, quippe

*Rubellianæ & Fecinia.*

cùm ſe frequenter impleant. Sed earum quoque feracior eſt minor, cujus & folium parciùs ſcinditur, & materia non ita rubet, ut Amineis, à quo colore Rubellianę nuncupantur, eædémque Fecinię, quòd plus quàm cæteræ fecis afferunt. Id tamen incommodum repenſant uvarum multitudine, quas & in jugo, ſed & in arbore meliùs exhibent. Ventos, & imbres valenter ſufferunt, & celeriter defloreſcunt, & ideò citiùs miteſcunt, omnis incommodi patientes, præter caloris, nam quia minuti acini, & duræ cutis uvas habent, æſtibus contrahuntur. Pingui arvo maximè gaudent, quod ubertatem aliquam natura gracilibus, & exilibus uvis præbere valeat, frigidum, ac roſidum ſolum & cœlum commodiſſimè

*Eugenia.*

ſuſtinent Eugeniæ, dum ſunt in Albano colle. nam mutato loco vix nomini reſpondent ſuo, nec minùs

*Allobrogica.*

Allobrogicæ, quarum vini jucunditas cum regione mutatur.

*Apianæ tres, una foliis, & duæ lanata.*

Magnis etiam dotibus tres Apianæ commendantur, omnes feraces, jugóque, & arboribus ſatis idoneæ, generoſior tamen uva, quæ nudis ſolis eſt, nam duæ Lanatæ quamvis frondibus, & palmitum pari facie flexere, qualitate ſunt diſpariles, cum tardiùs altera recipiat cariem vetuſtatis. Pingui ſolo feraciſſimæ, mediocri quoque fœcundæ, præcoquis fructus. Ideóque frigidis locis aptiſſimæ vini dulcis, ſed capiti, nervis, veníſque non aptæ, niſi maturè lectæ, pluviis, ventíſque & apibus afferunt prædam, quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominantur. Atque hæ pretioſi guſtûs celeberrimæ. Poſſunt tamen etiam ſecundæ notæ vites proventu, & ubertate commendari, qua-

*Biturica. Baſilica. Cocolubis.*

lis eſt Biturica, qualis eſt Baſilica, quarum minorem Cocolubem vocant Hiſpani, longe omnium primis utræque proximæ. Nam & vetuſtatem vinum earum patitur, & ad bonitatem aliquam per annos venit. Iam verò ipſæ fœcunditate præſtant omnibus,

quas

quas ante retuli, tum etiam patientia, quippe turbines, imbréſque fortiſſimè ſuſtinent, & commodè fluũt, nec deficient macro ſolo. frigora meliùs quàm humores ſuſtinent; humores commodiùs quàm ſiccitates, nec caloribus tamen contriſtantur. *Viſulæ. Argitis minor.* Viſulæ deinde ab his & minor Argitis terræ mediocritate lætantur. nam in pingui nimiis viribus luxuriant, in macra tenues & vacuæ fructu veniunt. Amiciores jugo quàm arboribus, ſed Argiris etiam in ſublimibus fertilis vaſtis materiis, & uvis exuberat, humillimis tabulatis aptior. Viſula brevem materiam & latum folium exigit, cujus amplitudine fructus ſuos optimè adverſus grandinem tuetur, qui tamen niſi primo quoq; tempore maturi legantur, ad terram decidunt, humoribus etiam priuſquam defluat putreſcunt. *Helvolæ, ſive Variæ.* Sunt & Helvolæ, quas nonnulli Varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo (niſi fallor) colore vocitatę, melior eſt nigrior abundantiâ vini, ſed hæc ſapore pretioſior. color acinorum in neutra conſpicitur æqualis, utraque candidi muſti alternâ vice annorum plus, aut minus afferũt, meliùs arborem, ſed & jugum commodè veſtiunt, mediocri quoque ſolo fœcundæ, ſicut Pretia minor & major, ſed eæ generoſitate vini magis commendantur, & frequentibus materiis frondent, & citò matureſcunt. *Albuelis.* Albuelis utilior, ut ait Celſus, in colle quàm in campo, in arbore quàm in jugo, in ſumma arbore quàm in ima, ferax & materiæ frequentis, & uvę, nam quæ Grecule vites ſunt, ut Mareoticę, Thaſiæ, Pſythiæ, Sophortiæ, ſicut habẽt probabilem guſtum, ita noſtris regionibus & raritate uvarũ & acinorum exiguitate minùs fluunt, Inerticula tamen nigra, *Amethyſton* quam quidam Græci Amethyſion appellant, poteſt in ſecunda quaſi tribu eſſe, quòd & boni vini eſt, & innoxia, unde & nomen traxit, quòd iners habetur in tentandis nervis, quamvis guſtu nõ ſit hebes. Tertium gradum facit earum Celſus, quæ fœcunditate ſolâ commendantur, *Helvenatiæ tres.* ut tres Helvenatiæ, quarum duæ majores nequaquam minori bonitate, & abundantiâ muſti pares habentur, earum altera, *Emarcum.* quam Galliarum incolæ Emarcum vocant, mediocris vini, & altera quam Longam appellant, *Longa. Avara.* eandemque Avaram ſordidi, nec tam largi quàm ex numero uvarum, quas prima ſpes promittit. Minima & optima è tribus faciliimè folio dignoſcitur, nam rotundiſſimum omnium id gerit, atque eſt laudabilis, quòd ſiccitates maximè perfert, quòd frigora ſuſtinet, dum tamen ſine imbribus ſit, quòd nonnullis locis etiam vinum ejus in vetuſtatem diffunditur, quòd pcipuè ſola acerrimum quoq; ſolum fertilitate ſua commendat. *Vites dapſiles muſto.* At Spionia dapſilis muſto, & amplitudine magis uvarum, quàm numero fertilis, ut Oleaginea, ut Murgentina, eademqua Pompeiana, ut Numiſiana, ut Venucula eadémque Scirpula, atque Sticula, ut nigra Fregellana, ut Merica, ut Retica, ut omnium, quas cognovimus copioſiſſima Arcelaca major, à multis Argitis falsò exiſtimata. *Pergulana.* Nam has nuper mihi cognitas, Pergulanam dico, *Irtiola Ferreola.* & Irtiolam, Ferreolámque non facilè aſſeverem quo gradu habendæ ſint, quod & ſi ſatis fœcundas ſcio, nondum tamen de bonitate vini, quod afferunt, judicare ſcio, ut nam etiam præcoquem Vitem ante hoc tempus incognitam græcâ conſuetudine Dracontion vocitari comperimus, *Dracontion* quæ fœcunditate jucunditatéve Arcelatæ Baſiliceçue & Bithuricæ comparari poſſit, generoſitate vini Amineæ. *Vitium numerus & appellationes incertæ.* Multa prætcrea ſunt genera Vitium, quarum nec numerum, nec appellationes cum certa fide referre poſſumus. Neque enim ut ait Poëta, numero comprehendere refert,

*Quem qui ſcire velit Libyci velit æquoris idem*
*Diſcere quàm multæ Zephyro verſentur harenæ.*

Quippe univerſę regiones, regionúmque penè ſingulæ partes habent propria Vitium genera, quæ conſuetudine ſua nominant, quædam etiam ſtirpes cum locis vocabula mutaverunt, quædam propter mutationes locorum etiam à qualitate ſua diſceſſerunt, ita ut dignoſci non poſſint. Quare prudentis magiſtri eſt, ſtudioſos ejuſmodi nomenclationis aucupio, quo potiri nequeant, non demorari.

*Genera ex Plinio.* Plinium igitur conſulamus naturæ miraculum, de Vitium natura & quibus modis ferant. Vites jure apud priſcos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. *Arbor. Lignu Vitis diuturnitas.* Iovis ſimulacrum in urbe Populonia ex una [*Vite*] conſpicimus, tot ęvis incorruptum. Item Maſſiliæ pateram; Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur [*ex*] Vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec eſt ligno ulli æternior natura [*materia vet.*] Verùm iſta ex ſilveſtribus facta crediderim, *Vitis ſylv.* quando hæ Vites tonſurâ annuâ coërcentur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, ſuccique rantum gratia his pluribus modis ad cœli mores, ſolique ingenia. *Populis nubuntur.* In Campano agro populis [forte legendum Opulis] nubunt: maritáſque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandentes, cacumina æquant, in tantum ſublimes, ut *Sublimitas.* vindemiator autoratus rogum ac tumulum excipiat [*dum ad putandum vineam conducitur, paciſcitur, ſi fortè caſu pereat, rogum ac ſepulchrum ſibi fieri impendio autorantis.*] Nullo fine creſcunt, dividíque aut potiùs avelli nequeunt. *Ampliſſimæ Vites.* Villas & domos ambiri ſingularum palmitibus, ac ſequacibus loris quoque, memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius exiſtimavit. *Romanæ Vitis.* Vna Vitis Romæ in Liviæ portibus ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis [*operculis*] opacat, eadem duodenis muſti amphoris fœcunda. *Vlmos exuperant.* Vlmos quidem ubique exſuperant. Miratúmque altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam facetè luſiſſe in auſteriorem guſtum vini, *Luſus.* meritò matrem ejus pendere in tam alta cruce. Rumbotinus vocatur, & alio nomine Populus [*opulus Dalech.*] arbor Italiæ Padum tranſgreſſis, cujus tabulata in orbem patula replent, puróque producto [*emerito palmite, multis annis durato. Sic vocant à ſquam ſo cortice & aſpero qualis eſt Draconum cutis, vel à longitudine anguinea, Scal.*] Dracone in palmam ejus, inde in ſubrectos ramorum digitos flagella diſpergunt. *Draco.* Eædem modicè hominis altitudine adminiculatè ſudibus horrent [*hærent alij*] vineámque faciunt: & aliæ improbo reptatu, pampinorúmque ſuperfluitate peritia [*ſuperfl a petulantia*] domini amplo diſcurſu atria media complentes [*hæ ſunt iugatæ & compluviatæ Vites*] *Aeriæ compluviatæ.* Tot differentias vel ſola Italia recipit. *Vitis ſine pedamento.* Stant provinciarum aliquarum per ſe Vites ſine ullo pedamento, artus ſuos in ſe colligentes, & brevitate craſſitudinem paſcentes [*brevitatem craſſitudine penſantes, Dalech.*] Vetant hoc alibi venti, ut in Africa & in Narbonenſis provinciæ partibus. Excreſcere ultra ſuos [*ſenos*] pollices prohibitæ, ſempérque paſtinatis [*putatis Dal.*] ſimiles [*nam cum vinea paſtinatur, ſolutæ ſi iis adminiculis ſarmenta vinitores humi iacere patiuntur, quoad putata ſuis rurſum pedamentis alligent*] herbarum modo vagantur per arva, ac ſuccum terra paſſim uvis bibunt, quæ ob id magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exuperant. *Vvæ magnitudine infantium.* Vva non aliubi gratior [*craſſiore Turn.*] collo, ut inde poſſit inveniſſe nomen [*a duris acinis*] duracina. Namque genera magnitudine, colore, ſaporibus, acinis, innumera, etiamnum multiplicantur vino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roſeo, niténtque viridi. Candicans enim nigerque vulgares. Tument verò mammarum modo Bumaſti. *Bumaſti.* Prælongis Dactyli porrigunt.

guntur acinis. Eſt & illa naturæ laſcivia, ut prægrandibus adhæreant parvi, mites, & ſuavitate certantes: *Leptiraga.* Leptoragas has vocant. *Durantes per hiemem.* Durant aliæ per hiemem, penſili concameratæ nodo [*penſiles, congeminatæ nodis, Dal. penſili conglomeratæ nodo, vet.*] Aliæ in ſua tantùm continentur anima [*horum conditura generum meminit Cato & Varro*] ollis fictilibus, & inſuper doliis incluſæ, ſtipatæ vinaceis circumſudantibus. *Fabriles.* Aliis gratiam, qui & vinis, fumus affert [*Fabriles vocat Aurelianus*] fabrilis, iiſque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ Tiberij Cæſaris autoritas fecit. *Rhætica.* Ante eum Rhæticis prior menſa erat, & uvis *Veronenſes.* Veronenſium agro. *Paſſa.* Quin & patientia nomen acinis datur paſſis [*fallitur Plin. Paſſas vocamus, quòd ad ſolem expandantur*] Conduntur & muſto uvæ, ipſæque vino ſuo inebriantur. Aliæ decoctæ in muſto dulceſcunt: aliæ verò ſobolem novam in matre ipſa exſpectant tranſlucidæ vitro, additque acinis eandem, quam in doliis, amphoriſve duratricem illam firmitatem auſteritas picis infuſa pediculo: *Allobrogica, picem redolens.* jam inventa Vitis [*Allobrogica*] per ſe in vino picem reſipiens, Viennenſem agrum nobilitans, Arverno, Sequanóque & Helvico generibus non pridem illuſtrata. Atque hæc Virgilij Vatis ætate incognita, à cujus obitu xc. aguntur anni. Quid, quòd inſertæ caſtris ſummam rerum imperiímque continent? Centurionum in manu Vitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat. Nec non vineæ oppugnationum dedêre rationem. Nam in medicaminibus adeò magnum obtinent locum, ut per ſe vino ipſo remedia ſint. *Numerus Vitium infinitus contra Democritum.* Genera Vitium numero comprehendi poſſe unus exiſtimavit Democritus, cuncta ſibi Græcia cognita profeſſus. Cæteri innumera atque infinita eſſe prodiderunt, quod verius apparebit eſſe ex vinis. Nec omnia dicentur, ſed maximè inſignia: quippe quæ totidem penè ſunt, quot agri. Quamobrem celeberrimas Vitium, aut quibus eſt aliqua proprietate miraculum, oſtendiſſe ſatis erit. *Aminea quinque.* Principatus datur Amineis propter firmitatem, ſenióque proficientem vini ejus ubique vitam. Quinque earum genera: ex iis *Germana minor & maior.* Germana minor acino melior defloreſcit, imbres, tempeſtatéſque tolerat; non item major, ſed in arbore, quàm in jugo, minùs obnoxia. *Gemella minor & maior.* Gemellarum, quibus hoc nomen uvæ ſemper geminæ dedêre, aſperrimus ſapor, ſed vires præcipuæ. Ex iis minor Auſtro læditur, cæteris ventis alitur, ut in Veſuvio monte, Surrentiníſque collibus. In reliquis Italiæ partibus non niſi arbori accommodata. *Aminea lanata.* Quintum genus Lanatæ, ne Seres miremur, aut Indos, adeò lanugo eam veſtit. Prima ex Ammineis matureſcit, ocyſſiméque putreſcit. *Nomentana.* Proxima dignitas Nomentanis rubente materia: quapropter quidam Rubellas [*Rubellinas Colum.*] appellavêre vineas. Eæ minùs fertiles vino, acinis & fæce nimiæ, contra pruinas fortiſſimæ, ſiccitate magis, quàm imbre, æſtu quàm algore vexantur. Quamobrem in frigidis humidíſque principatum obtinent. Fertilior, quæ minor acino, & folio ſciſſa minùs. *Apianæ duæ.* Apianis apes dedêre cognomen, præcipuè earum avidæ. Ex his duo genera [*maior & minor, vel candicans & nigra*] lanugine & ipſæ pubeſcunt. Diſtant, quod altera celeriùs matureſcit, quanquam & alterâ properante. Situs frigidos non reſpuunt, & tamen nullæ celeriùs imbre putreſcunt [*nulla celeriùs matureſcit imbre vina M.*] Vina primo dulcia, auſteritatem annis accipiunt, & rubra fiunt. Nulla magis vitæ gaudet. Et hactenus potiſſima nobilitas datur peculiaribus atque vernaculis Italiæ. Cæteræ advenêre Chio, Thaſóve. *Græcula.* Græcula non inferior Ammineis bonitate, prætenera acino: & uva tam parva, ut niſi pinguiſſimo ſolo colere non proſit [*coalere non poſſit M. coaleſcere non poſſit, vet. colere, I. Bauh.*] *Eugenia.* Eugeniam Taurominitani colles cum generoſitatis cognomine, miſêre Albano tantùm agro: quoniam tranſlata ſtatim mutatur. Namque eſt aliquibus tantus locorum amor, ut omnem in his gloriam ſuam relinquant, nec uſpiam tranſeant. *Rhætica. Allobrogica. Picata.* Quod & in Rhætica, Allobrogicaque, quàm ſupra Picatam appellavimus, evenit, domi nobilibus, nec agnoſcendis alibi. Fœcundæ tamen, bonitatis vice copiam præſtant. Eugenia ferventibus locis, Rhætica temperatis, Allobrogica frigidis, gelu matureſcens, & colore nigra. Ex his, quas adhuc diximus, ſed etiam è nigris vina vetuſtate in album colorem tranſeunt. Reliquæ ignobiles. *Fecenia, ſeu Rubella.* Aliquando tamen cœli aut ſoli opera non fallunt vetuſtatem, ſicuti Fecenia [*ſupra Rubella ſic dicta, quòd fecis plus afferat, quàm cætera*] *Biturica florens.* & cum ea florens Bitutica, acino rarior, nunquam floris obnoxij [*tempeſtatibus obnoxia, quoniam folia antecedunt, Dal.*] quoniam antecedunt, ventíſque & imbribus reſiſtunt, meliores tamen algentibus locis, quàm calidis; humidis, quàm ſitientibus. Vix ulla magis tam denſo uvarum partu, impatiens variantis cœli, ſed contra tenorem unum algoris æſtúſve conſtans. *Biturica minor.* Quæ minor eſt ex eo genere, melior. In eligendo ſolo moroſa, pingui putreſcit, gracili omninò non provenit. Mediam temperiem delicatè quærit, ob hoc Sabinis collibus ſamiliaris. Vva ejus indecora viſu, ſapore jucunda, niſi matura protinus rapiatur, etiam non putreſcens cadit. Contra grandines eam tuetur ſoliorum amplitudo atque duritia. *Helvola. Variana.* Inſignes jam colore inter purpureas nigráſque medio Helvole, ſæpiùs varianti, & ob id Varianæ à quibuſdam appellatæ. Præfertur in his nigrior: utraque alternis annis fertilis: ſed melior vino, cùm parcior. *Precia duæ.* Et Preciæ duo genera magnitudine acini diſcernuntur, quibus materies plurima, uvaque ollis utiliſſima, *Folio Apij.* folium Apio ſimile. *Baſilica. Cocolobis.* Baſilicam [*Balicham CH.*] Dyrrhachini celebrant, Hiſpani Cocolobin [*Cocolubem Colum*] vocant. Rarior uva, æſtus auſtróſque tolerat: capiti inimica, copia larga. Hiſpani duo genera ejus faciunt: unum oblongo acino, alterum rotundo: noviſſimas vindemiant. Quo dulcior Cocolibis [*Cocabolis CH.*] hoc melior. Sed & auſtera tranſit in dulcem vetuſtate: & quæ dulcis fuit, in auſteritatem: túncque Albano vino æmulantur. Tradunt veſicæ vitiis utiliſſimum ex his potum. *Albuelis.* Albuelis ſummis arboribus fertilior eſt, *Viſula.* Viſula imis. Quamobrem circa eaſdem ſatæ diverſitate naturæ locupletant. *Inerticula. Sobria.* Inerticulam è nigris appellavêre, juſtiùs Sobriam [*Latini ſic vocant, quòd innoxia ſit & iners tentandis nervis Colum*] dicturi, inveterato præcipuè commendabilem vino, ſed viribus innoxiam. Siquidem temulentiam ſola non facit [*ideo Græci Amethyſton vocant. Colum.*] Fertilitas commendat cæteras, principémque Helvenacam. *Helvenaca duplex, longa & Arca.* Duo ejus genera: major, quam quidam Longam: minor quam Arcam [*Arcum M. Emarcum Colum.*] appellant, non tam fœcundam, ſed gratiorem hauſtu. Diſcernitur folio circinato. Verùm utraque gracilis. Furcas ſubdere his neceſſarium: alioqui ubertatem ſuam non tolerant. Maritimo afflatu gaudent, roſcido odore [*roſcida odore, Dal.*] Nulla Vitium minùs Italiam amat: uva rara parva putreſcens in ea: vino quoque, quod geruit, æſtatem non exuperans. Nec alia macro ſolo familiarior. *Græcinus notatur.* Græcinus, qui alioqui Cornelium Celſum tranſcripſit, arbitratur non naturam ejus repugnare Italiæ, ſed culturam, avidè palmites evocantium. Ob id fertilitatem ſuam abſumi, ſi non præpinguis ſoli ubertas laceſcentem ſuſtineat. Carbunculari negatur, magna dote, ſi verum eſt, aliqua in Vite cœlo non eſſe jus. Æſtum fert Spionia, quam quidam Spineam vocant, autumníſque & imbribus pingueſcit. Quinimò nebulis una alitur, ob id Ravennati agro peculiaris. *Venicula.* Veniculam [*Venuculam Colum*] inter optimè defloreſcentes, &

ollis

*Sircula. Stacula. Numiſiana.* ollis aptiſſimam, Campani malunt Sirculam vocare, alij Staculā, Tarracina Numiſianā, nullas vires proprias habentem, ſed totam perinde ac ſolum valeat. Surrentinis tamen efficaciſſima teſtis Veſuvio tenus. *Murgentina.* Ibi enim Murgentina è Sicilia potiſſima, quam *Pompeiana* Pompeianam aliqui vocant, Latio demum feracem: ſicut Horconia [ *fortaſsis quam Arelacam maiorem Colum. vocat* ] in Campania, tantum vilitatis cibariæ, ſed ubertate præcipua. *Mœrica.* Tolerat & annos Mœrica, contra omne ſidus firmiſſima, nigro acino, vinis vetuſtate rubeſcentibus. *Vitium genera ſecundum locos, & regiones.* Et hactenus publica ſunt genera: cætera regionum, locorúmque, aut ex his inter ſe inſitu miſta. *Tudernis.* Siquidem Tuſcis peculiaris eſt Tudernis, atque etiam ejus nominis Florentia. *Talpana. Eteſiaca. Conſeminia.* Eſt opima Aretio Talpana & Eteſiaca & Conſeminia Talpana nigra candidū facit muſtum [*Talpana dicitur à colore Talpæ.*] Eteſiaca fallax [ *quæ Eteſiis variat* ] quæ quò plus tulit, eò laudabilius fundit: mirúmque fœcunditate ceſſat [ *miráque fœcunditate non ceſſat, Dal.* ] Conſeminia [ *Conſeminia cognomen hic proprium eſt. alioquin Conſeminalis Vitis Colum. diverſis Vitium generibus conſita* ] nigra, vino minimè durante, uva maximè; poſt xv. dies, quàm ulla alia metitur, fertilis, ſed cibaria. Hujus folia, ſicut Labruſcæ, priùs quàm decidant, ſanguineo colore mutantur. Evenit hoc etiam quibuſdam aliis, peſſimi generis argumento. *Irtiola. Pumula. Bannanica.* Irtiola Vmbriæ, Mevanatique & Piceno agro peculiaris eſt, Amiternino pumula. Iiſdem Bannanica fallax eſt: amant tamen eam. Municipij uvam Pompeij nomine [ *Oppidum Neapoli vicinum* ] appellant, quamvis Cluſinis copioſiorem. Municipij & Tiburtes appellavere, *Oleagina.* quamvis Oleaginam nuper invenerint à ſimilitudine Olivæ. Noviſſima hæc *Vinaciola.* uvarum ad hoc tempus reperta eſt. Vinaciolam ſoli novêre Sabini & Laurenti. *Gaurana. Falernæ.* Nam Gauranas ſcio à Falerno agro tranſlatas vocari Falernas, celerrimè ubique degenerantes. Nec non *Tarentina.* Tarentinum genus aliqui fecêre, prædulci uva. *Thurinæ.* Capnias & Bucconiatis, & Tartupia, in Thurinis collibus non ante demetuntur, quàm gelaverit. Pharia gaudent Piſæ, Mutina Pruſinia, nigro acino, intra quadriennium albeſcente vino. *Streptos.* Mirum ubique cum ſole circumagi uvam, quæ ob id Streptos vocatur. Et in Italia Gallicam placere, trans alpes verò Picenam. Dixit Virgilius Thaſias & Mareotidas, & Lageas, compluréſque externas, quæ non reperiuntur in Italia. *Ambroſiaca. Duracina. Orthampelos.* Sed ſunt etiamnum inſignes uva, non vino, Ambroſiaca, Duracina, ſine ullis vaſis in vite ſervabilis, tanta eſt contra frigora, æſtus, tempeſtatéſque firmitas. Nec Orthampelos indiget arbore, aut palis, ipſa ſe ſuſtinens; non item *Dactylites. Columbinæ. Bimammia.* Dactylites digitali gracilitate. Columbinæ acinoſiſſimæ [ *racem ſiſsimæ Turn.* ] & magis purpureæ, cognomine Bimammiæ, quando non racemos, ſed uvas alias gerunt. *Tripedanea. Rhætica.* Item Tripedanea, cui nomen à menſura eſt. Item Sarpula paſſo acino. Et Rhætica in maritimis Alpibus appellata, diſſimilis laudatæ illi. Namque hæc brevis, conferta acino, degener vino, ſed cute omnium tenuiſſima, nucleo, quem Chium [ *quod gygartum Turnerus vocat* ] vocant, uno ac minimo, acinum prægrandem unum alterúmve habens. *Amminea nigra.* Eſt & nigra Amminea, cui Syriacæ nomen imponunt. Item Hiſpana ignobilium *Eſcaria.* probatiſſima. In pergulis verò ſeruntur Eſcariæ appellatæ, Ederæ acinis [ *è duracinis M. & CH.* ] albæ nigræque. *Bumaſti.* Et Bumaſti totidem coloribus. At nondum dictæ Ægra & Rhodia, & Vncialis, velut à pondere acini. Item Pucina [ *picina à piceis colore* ] omnium nigerrima: & coronario naturæ luſu Stephanitis, acinos foliis intercurſantibus: & quæ *Forenſes.* forenſes vocantur, celeres proventu, vendibiles aſpectu, portatu faciles. Contra damnantur etiam viſu cinerea & rabuſcula. & aſiniſca: minùs tamen, caudas vulpium imitata, Alopecis. *Alexandrina.* Alexandrina [ *Idæa Theophr.* ] appellatur Vitis circa Phalacram brevis, ramis cubitalibus, acino nigro Fabæ magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis prædulcibus, folio parvo & rotundo, ſine diviſuris. Septem his annis in Narbonenſis provinciæ [ *arvo* ] Alba Elvia inventa eſt, Vitis uno die deflorefcens: ob id tutiſſima. Narbonicam vocant, quam *Narbonica* nunc tota Provincia conſerit.

*Veterum Vites noſtris accommodantur.* Doctiſſ. Dalechampius apud Plinium vult Rumbotinum Columellæ non eſſe arboris genus, ſed arbuſti gallici, vulgò *de Hautins* appellati, arboribus ſc. humilioribus & minimè frondoſis conſiti, eáque re ab arbuſto Italico differentis: *Duracina Vitis.* Duracinam Vitem, cujus uvæ magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exuperant, vulgò *Piquepoulle*; *Piquepoulle* Monſpeſſulanis verò *Marroquin*, à Marroch Africa *Marroquin.* civitate denominatam. An hanc intelligit Lugd. cum ait. Sunt in regno Menin oppidi Syriæ nobiliſſimæ magnitudinis tum acini, tum racemi, quos ipſi lingua patria privatim vocant Alzibib: nam generi commune eſt nomen Haneb, nos à ſucco uvam. Illius vocis imitatione ſuas grandiores uvas corrupto vocabulo Provinciales dicunt *Augibim*. *Augibim.* Helvicam, per ſe in vino picem reſipientem, ab Helvis, Galliæ Narbonenſis populis, hodie *Vivarez*; *Vivarez.* Ammineam, *Gros plant*. *Gros plant.* Quidam, inquit, ſcribunt cum duplici m, ſyllaba penultima correpta. Auſonius,

*Solus qui Chium miſcet & Ammineum*

Alij cum ſimplici m, penultima producta. Serenus.

*Succus Amineæ Vitis cum pane medetur.* Virg.

*Sunt & Amineæ Viti fortiſſima Vina.*

*Lanata Vitis.* Vitis Amineæ quintum genus, cujus folia lanugine veſtiuntur, ait Marcellum Caniculatam vocare, veluti lanugine caneſcentem & hirtam: Apianam autem tradit eſſe *Muſcat*, *Muſcat.* cujus uvæ è vinea longè ſuaviores ſint, quàm pergulis, arbuſto, jugo. Nos Moſchatelinam obſervavimus duplicem in Burgundia, rubram & albam, & hanc rurſus Stutgardiæ; Græculam non inferiorem Amineis bonitate, *Raiſins de Corinthe*; *Raiſins de Corinthe.* Rheticam, *di la Valtolina*; *Di la Valtolina.* Allobrogicam, quam Picatam Plin. quoque nominat, Viennenſem, *qui ſent la violette*; Bituricam, *le plant d'Orleans*; *Plant d'Orleans.* Bituricam minorem, Sabinis collibus familiarem, *des Gametz*. *Des Gametz.* Lugdunenſibus vocatam; Viſulam eam dictam fuiſſe oſtendit Columella. Helvolam, ſive ut ipſe uocat Elveolam, olim fuiſſe dictam, Oleram & Eleram, & inde cognominari Elvelam, Oleram minutam, & Elveolam Vitim herbacei coloris, Titinnium appellare, *Lenti calido*, *Lenti calido.* Elvelam, Rapulam, & Rumices Scaligerum: Cocolibin eſſe eam Vitim ex qua vinum Monſpeſſulanis *Piquardant*, aliis *Muſcat de Languedoc*, *Piquardant ou Muſcat de Languedoc.* dictum exprimatur. Forenſem celerem proventu, uvà aſpectu vendibilem, ac portatu facilem, ruſticis Lugdunenſibus ſervato nomine *des Foirars*: *Des foirars.* Rabuſculam, eandem facit cum Ravuſcula, colore ad ravum inclinante: Aſiniſcam ab aſini colore denominat: Quæ Plinio Alopecis dicitur, is eam vulgò *Raiſins barbus* nuncupari tradit: *Raiſins barbus.* ceu Albam Elviam in Narbonenſis provinciæ arvo inventam, *Aubenas de Vivarez*. *Aubenas de Vivarez.*

*Vitium genera à Trago.* Tragus ne nihil feciſſe videatur, paucis vulgatiſſima Vitium genera ipſi quidem cognita obiter ita recenſet. In tractu Rheni plerumque eæ Vites plantantur, maximè calidioribus locis, quas Muſcateller & Traminner [ *Muſcatellinas dixeris & Traminas* ] *Muſcatellina & Traminia.* à loco Traminij dicto, vulgò vocant, licèt poſterius genus Rhetiæ ſuperiori & Alſatiæ familiare quoque ſit. Præterea & eas quoque, quas vocant Germani Groß vnd klein Frenckiſch [Francicas] oder Edel vnd lauter Trauben; h. e. Vitem nobilem. Ad Moſellam, Rhenum, & in agro Vormatienſi Vites procreātur Rißling appellatæ. Quæ verò uvas Hynſch-

trauben

trauben vocatas proferunt Vites, eæ in omnibus propè regionibus vulgatiſſimæ habentur. Eſt & aliud Vitis genus quod uvas facit, Deutſch vnd Albiſch trauben nominatas, & in mõtanis Lãdoiæ oppido imperialis naſcitur. Iã & in agro qui & Neapoli oppido Palatinatus celebri adjacet, Vitis genus habetur, quod Genßfüſſel incolæ dicunt. Aliud deinde Vitis genus Harthinſch vocatũ propè Turckeimium & VVachenheimium provenit. Prope VVeiſſenburgum denique (quis enim reliquarum provinciarum, Auſtriæ inquam & Franconiæ &c. Vitium innumera penè genera perſequi queat?) Vites plantantur, quæ uvas Früſchwartz/oder Kleber appellatas, neque non quæ Grünfranckiſch dictas, & quæ Schwartzlemperßtrauben nominatas procreant. Atque hæc Tragus.

*Hynſchtrauben. Deutſch vnd Albiſch trauben. Genßfüſſel Harthinſch. Früſchwartz. Grunfrankiſch. Schwartzlemperßtrauben.*

Bellon. obſervavit in Thraciæ Callipoli in Auguſtinianorum monaſterio Vitem fructu ſuo ſemper onuſtam, quam ipſi Monachi affirmabant ſepties in anno fructum, eumque maturum præbere.

*Vitis ſepties in anno fructum ferens*

Tab. ut plus quàm cæteri ſipiviſſe ducatur, præter Vitem vulgarem, alias duas nominetenus duntaxat icone exprimit, eas non deſcribens, nec demõſtrans ubi terrarum obſervarit. Ipſimet incognitas fuiſſe ſatis indicant quæ ſcribit. Folium & uva, inquit, vulgari non multùm diſſimilia: ſapor autem ei conſtabit, qui has uvas noverit. Quia igitur ſapor ei nõ cõſtitit, certè eas non novit. Si ſapor conſtitit, cur non paucis eum expreſſit? Si folium & uvam vidit, cur differentiam non annotavit? quid opus erat inania pro neceſſariis & proficuis effundere verba. Inſcribitur autem prima, Vitis duracina major? altera, Vitis chenopodia. Addit & tertiam, Vvam barbatam.

*Tab. not. et.*

C.B.pin. Vitem dividit in ſativã & ſylveſtrem. Sativa alia major eſt, inquit, cujus plurimæ ſpecies; alia minor. Majoris uvæ & colore & magnitudine differunt; alterius námque acini, aut virides albicantéſve, aut fulvi, aut ſaturato rubore nigricant, aut cærulei, aut ſubrubentis coloris; aliæ acinis oblongis magnitudine & forma prunorum, quæ Pergulana dici poteſt; aliæ rotundis, iiſque vel magnis, vel parvis; aliæ acinis ſunt frequentioribus; aliæ rarioribus. Sunt quæ granis aut vinaceis carent, interdum unicum vel alterum granum habent: Rariùs uva barbata reperitur. Minor verò eſt acinis nigris, rariſſimè albidis, aut fulvis, nucleo minimo ac molli. Sapore etiam differunt, ut dulci, acerbo, muſcato, quæ Vitis Apiana Plinio.

*C.B. diff.*

In foliis quoque differentia, alia majora profundiùs inciſa, ut Italica foliis ad pediculum uſque in lacinias acutas diviſis: alia minora ſunt: Sic alia tenuiora, alia craſſiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata: alia ad tactum duriora, molliora, alia lævia, alia denique ſubhirſuta.

In Indiæ inſula Baly, Vites bis in anno uvas promunt: Linſc. par.3. Ind. or. cap.40. & in inſulis Azores, ſuper meras rupes creſcunt, quæ radices in medios hiatus ſeu ſaxorum rimas immittunt, quibus ſuccum ſibi neceſſarium proliciunt. Et in iſtis petræis receſſibus, Vites multò lætiùs ſe proferunt, quàm quæ in planitie ſunt, quæ ad frugem pervenire nequeunt. Idem cap.6. Sed in Hiſpaniola plantatæ exiguas uvas fundunt, nec admodum jucundi ſaporis & ferè Februario & Martio vindemiari ſolent, authore Benzone, ſive Americæ lib.4.c.ult. & ut Ioſephus Acoſta l.3.c.22. & l.4.c.32. nec in inſulis, nec in firma terra uvæ aut vinum naſcitur. In nova Hiſpania, vineæ uvas proferunt, ſed nunquam probè mature ſcunt, ut vinum confici poſſit, niſi in Peru & Chile approbum vinum naſcitur: nam jam vites colere didicere, & vineæ plerumque in convallibus Peruanis naſcuntur, juxta quas foſſas ad aquam colligendam excavant, quâ vites ſubinde irrigant.

## VITIS CORYNTHIACA SIVE Apyrina.

Vitium genera pluribus perſequi, licèt plerique ſupervacaneum ducant, contenti Vitem in cultivam & ſilveſtrem diſtinxiſſe, attamen Dodonæus cultivarum plures eſſe meritò affirmat. Eas autem in majores & minorem dividit. Minor, ſive parva, inquit, Idæa modò cognominatur, de qua Theophr. lib.3. hæc ſcribit. Naſcitur Vitis in ea parte Ide, quam Phalacras vocant. Eſt autem fruticoſa [*fructuoſa alibi*] virgulis parvis, & ramulis cubitalibus penè exporrigitur, quibus acini laterales, nigri adhærent, magnitudine Fabę, dulces, qui vinaceis ſimile quid [γιγαρτῶδές τι] continet. Palladio dicitur vva ſine granis. Plinius hanc Alexandrinam facit, iiſdem quibus Theophr. verbis ipſam deſcribens. Dioſcorides ſilveſtris Vitis alteram ſtatuit ſpeciem. Nos maluimus eam inter cultivas retinere. In officinis hujus exigui paſſi acini, Paſſularum de Corintho nomine veneunt. Idem Dod. frum, Paſſulas Corinthiacas vocat. Cap. verò de Vacciniis ait: Naſcitur Vitis quam modo Idæam cognominant, non in altiſſimis ac nivoſis Idæ tractibus (ut Geſn. interpretari ſtuduit) ſed circa Idam provenit: Idam quidem montem non Cretæ, ſed Troadis in Aſia minore, quæ à Ptolomæo Geographiæ libro, Alexandri Troas appellatur, unde & non temerè à Plinio Vitis Alexandrina dicta eſt; non ſecùs quàm illic enata Alexandrina Laurus, à Theophr. nominatur. Huic autem Viti ſimiles apparent, quas Philoſtratus in vita Apollonij apud Mæones & Lydos (haud procul à Troade ſitos) naſci refert, cum iis Vitibus illas comparans, quæ apud Indos ultra Caucaſum gignuntur. Vites autem, ait, parvæ admodum, quales apud Mæones Lydóſque ibi naſcuntur: vinum tamen ex illis expreſſum guſtatu ac ore jucundiſſimum. Traditur autem hæc Vitis, juxta Idam nata, fruticis [θαμνώδης] inſtar eſſe virgulis [ῥαβδίοις μικροῖς] parvis; ramulis verò ad cubitum extenſis, circa quos acini obliqui [ῥᾶγες ἐκπλαγίας] nigri, magnitudine Fabæ, dulces, intus habentes vinaceum quoddam [γιγαρτῶδές τι] molle: folium autem hujus rotundum, indiviſum, ac parvum. Deſcribitur hæc à Plinio lib.14.cap.3. iiſdem ferè verbis, Alexandrina appellatur, inquit, Vitis juxta Phalacram brevis, ramis cubitalibus, acino nigro, Fabæ magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis prædulcibus, folio parvo ac rotundo ſine diviſuris. In quibus verbis, pro eo quod Theophr. babet, ῥᾶγες εἰσὶν ἐκ πλαγίας, Plinius non acinos', ſed racemos obliquos legit: quod Viti magis convenit. Cum deſcriptione autem hac fruticulum Germaniæ Officinis Myrtillum dictum, haudquaquam convenire ſatis manifeſtum.

*Vitiũ ſunt genera duo. Vitis Idæa Theoph. Vva ſine granis. Alexandrina. Paſſulæ de Corintho. Theoph. Variè illuſtratur.*

De hac etiam Lob. agit Corinthia ſive Ἀπυρῆνα uva quæ vocatur, nomen patrium teſtata, effigie nihil planè differt à communi: Sed algidioris cœli impatiens, gracilitate tantùm racemorum, & exilitate acinorum ſuperatur, qui gigartis carent, ſurtóque ἀπύρηνα, ut quædam mala Granata arillis vacua. Botri enim, ſive racemuli ipſi, conflantur acinulis, piperina aut ſambucina grana æquantibus. Ad topiariorum pergulas & fornices deducuntur hodie in Italicis & Pedemontanis hortis vites hujus.

*Vitis Corinthia. Apyrina.*

Dalechampio apud Plinium, qui ejuſdem Græculam eſſe autumat, dicitur *Raiſins de Corinthe.* Lugd. Vvæ ἀπύρενοι, Corinthiæ vulgò vocatæ. An eidem uvæ Maderenſes ſine granis?

*Gracula Plinij. Vvæ Maderenſes ſine granis.*

C.B.pin. Vitis 3. ſive Vvæ paſſæ Indicæ gigartis carentes: Vva ſine vinaceis ſeu apyrenos, ad Cluſ. cur. poſt. Eidem. Vitis 4. ſive Vvæ paſſæ minores, vel Paſſulæ Corinthiacæ. Paſſulæ, Trag. Vvæ paſſæ mi-

læ,ſed minores, acinis ſine arillis, Montbelgardi etiam habentur in horto E.C.VV. Vite Bizuntio ex horto Dominorum de Granuelle illuc tranſlatâ.

Eidem C.Bauhino Phyt. Vua paſſa maior *Βύμασ*, & Vitis 2. dicitur.

## VITIS FOLIO APII.



PEculiaris folii forma hanc vitem facilè ab aliis diſpeſcit, quippe non tantùm plerumque minùs vitigineis vulgatibus,ſed & profundè diſſectum, ex pluribus quodammodò foliis apparatum videri poſſit, ſingulis ſegmentis in Apii foliorum formam ſubdiuiſis, ita tenuiter, vt plurimis etiam vinitoribus, quibus obtuli,non agnoſcerentur pro foliis vitium, rarâ ſanè diuiſura. *Botros* fert albos, donatos *acinis* ſatis magnis, non multùm compactis, ſed paulò rarioribus,valde dulcibus & ſapidis: ſimiles ſunt vuæ hæ Botris vuæ, quam Burgundi *Raiſin filant* aut *fendant*, Germ. wirtemb. Gut Edel Reben vocant, citò matureſcunt, & vt illæ cibo expetuntur.

Hoc pulchrum vitis genus obſeruaui Veſuntii & nuſquam alibi, in horto inſignis Medici Turnonii, quod delatum dicebant ex Hungaria. Surculi inde delati apud nos feliciter prouenere.

*Vitis Pretia Plinio. Guil. & Lobel. notantur.*

Quo referendum hoc genus vitis nondum animaduerto,niſi comprehendatur ſub Vitibus à Plinio dictis Pretiæ, quibus folium Apio ſimile. Scio Guill. Penam & Lobelium pro ea exhibere Vuam criſpam, quam Groſſulariam vocant: verùm non mihi fit veriſimile Plinium fruticem ſpinoſum, cui nihil ſimile cum vitibus, cui non eſt vua, nec materies plurima,repoſuiſſe inter vites: fortaſſis quod Plinius dixit duo genera & ollis vtiliſſima, perſuaſit illis hunc fruticem Plinium intelligere: verùm ille poſtea dicit. Veniculam [Vitim] inter optimè defloreſcentes & ollis aptiſſimam.

*Vuæ albæ dulces, dictæ Montb. & Burg.* Raiſins fendans,ou de l'hoſpital.

LOngi his ſunt Botri,plærumque rariores acini, valdè dulces, citò maturi, albi, folia profundè diuiſa,vtrinque viridia, & pellucida. Germani in Ducatu Vvirt. has Gut Edel trauben vocant,eaſque ab aliis ſeparant, quia vinum bonum ex iis fit, ſed non durabile. In Burgundia integras ex eis plantant vineas.

*Vitis Verè nobilis.*

*Vuæ nobiles albæ.*

VVæ, quas Germani & Alſati vocant Edel Trauben/ appellant Vvirtemb. vinitores weiß freuſchen. Hæ vuæ ferunt acinos cute dura,non magnos,dulces,ſi bene maturi. Ex his fit vinum illud dulce, in Alſatia celebre, Rangenwein dictum. In Than aliquando diligenter perquiſiui,an ex particulari genere vitis hoc fieret vinum? Verùm comperi locum eſſe particularem, montem glareoſum, qui vites illas fert, quæ nulla ratione differunt in figura, ſed tantùm variant vuarũ ratione: eæ enim ſunt multò dulciores, & ad tactum viſcidæ, bene & citò matureſcentes, quæ in ſuperiore montis parte proueniunt. Eę autem quę in vicinis & potiſſimùm inferiori loco producuntur,tardiùs matureſcunt, minùs dulces ſunt, & ad tactum non glutinoſæ. Cæterùm, quoniam ex his nobilius vinum parari exiſtimant, nolunt quibuſdam in locis alias plantare, quamuis minùs vini,quàm multæ aliæ reddant: apud nos Montbelgardi parum vtiles, quia tardiùs maturantur.

*Tom. II.*

*weiß freuſchen Rangenwein.*

Veſontii vocant Vites *Blanc gentil*,quibus vuæ acinis rotundis dictis ſimiles: Lignum ferè ſimile, niſi quòd paulò craſſius vbi maturuit & ruſſum. Huius vuę eſui meliores, ex quibus etiam melius fit vinum album,vt Arboſiacum. Veſontii in colle *Ragot* dum putantur, triones relinquuntur palmites. Audio in Ducatu Vvirtemb. abũdare,pręſertim circa Maulbrun. Prope Eſlingam referunt eſſe montem eâ vite conſitum, cuius vinum vocant Streuberwein. Vuæ ſuſpenſę diu durant.

*Vitis Blanc gentil.*

*Locus.*

*Vuæ germanicæ dictæ* des Alemans,*albæ.*

NOſtri vinitores has Vites noſtro ſolo commodas dicunt. *Botris* ſat magnis, farctis, acinis etiam maiuſculis, tunicâ duriuſculâ; mediocriter dulcibus: foliis ſubrotundis,angulosis, in tres partes diuiſis. Vinitores noſtri Germ. aiunt in Ducatu frequenter excoli,ac dici Elbe & Gut Elbe: in Alſatia autem Rhein Elbe, eſſe duo genera, vnum iam denominatum, alterum Rauch Elbe/ cui facilè decidant folia, quod in noſtris Vitibus tollitur & extirpatur.

*Elbe. Duplex genus.*

*Vuæ Lauſannenſes albæ.*

VVæ Montbelgardi dictæ *Lauſanois* probantur pro noſtra regione. Vitis eius profert *folia* rotunda ferè, parum profundè partita, vtrinque viridia, vuas dulces, *acinos* mediocres: Audio vocari in Ducatu Vvirtemb. Fiderling. Solet eſſe fructifera, vt aiunt, & ex vuis eius fieri vinum laudabile.

*Fiderling.*

*Vuæ albæ dictæ* Melons.

VIti dictæ folia ſunt rotunda, anguloſa, ſubtus tomentoſa,non profundè laciniata: vuis Lauſannenſibus ſimiles vuæ: acini non magni, dulces, & iis gratiores: ſunt enim Lauſannenſibus paulò acidiores, vt indicarit Vinitores, vinumque aiunt minùs durabile, neſciunt nomen Germanicum. Ex quo Ill. E. C. Montbelgardi excolendas curauit Vites, multa millia ſurculorum ex Vitibus ad eiuſdem E.C. vrbem Grangianam, & arcem ſuam Hohenweil in monte ſitam, ſunt plantata.

*Locus.*

*Vuæ albæ dictæ* Guaches.

MAgnæ vuæ, acini craſſi; minùs dulces,ex quibus multùm vini, ſed minùs laudabile: folia magna,in acutos angulos deſinentia,ſubtus hirſuta. Suſpicor dictas à Trago hinſch trauben & nonnullis Scheiß trauben. Vineæ circa Epa-

*Hinſch trauben. Scheiß trauben.*

manduodurum abundant his vuis in montibus dictis Champuermot. In hoc genere, vt aſſerunt vinitores, quædam malæ, ex ſcil. quibus vuæ decidunt priuſquam matureſcant, vnde etiam vinum earum auſterum.

*Vuæ albæ*, Raiſins Brulans, *dictæ*.

Hoc genus vuarum albarum ſimile eſt vuis *melons*, minùs dulce, facilè putreſcens, ac vredine corruptibile: quippe facillimè ſiccatur: multas alioqui hoc Vitium genus fert vuas, & fructiſerum eſt: folium eius quinquepartitum, ſubtus hirſutum. Hoc Vinitores, ſi viciniores aliquæ Vites occurrant ex meliore genere, extirpant.

*Vuæ albæ acinis minimis.*

*Böſe hintſchen*

Præſentes vuæ Montbelgardenſibus *chenois* quemadmodum Burgundis quoque dicuntur, vinitoribus VVirtemb. Böſe hintſchen. Vitis genus hoc minimos plærumque acinos profert, ita vt vel degeneraſſe, vel particularis generis eſſe videri alicui poſſit. Vtrumvis, aſſere, mihi nondum planè conſtat. Noſtri paulatim id extirpant, & meliores ſenſim in locum propagant.

*Vuæ albæ* enfarins *nuncupatæ*. Ger. weyß Flemmer.

Folia Vitis huius quaſi farinâ aſperſa conſpiciuntur, alba, albi racemi, dulces. Ex Burgundia bonum hoc genus Vitis defertur, ac in *Willaſſan* abundat.

*Vuæ acinis ſe findentibus.*

*VValmer*

Eſt in vineis Montbel. potiſſimùm Ill. E. C. genus Vitis, delatum, [ni vinitores fallant] Stutgardiâ, copioſæ ferens vuas, cui nomen walmer: vuis viridis penè coloris, dulcibus, quibus acini magni, facilè putreſcentes. Abundant ad Nicarum circa Canſtat & Turques. Frigore facilè corrumpuntur, acideò in Ducatu VVirtembergico ante hyemem eas terrâ obruunt. Nos Montbelgardi neque has, neque alias humi ſepelimus.

*Vuæ maximæ albæ.*

*Groß läpen*

Hoc Vitis genus Baſileâ curaui deferendum pro horto Ill. E. C. vuis donatum longiſſimis, acinis etiam magnis, albis, carne firmâ, difficulter putreſcente, ſuſpenſis diu conſeruabilibus. Audio vocari in Ducatu VVirtemb. groß lampen traûben, vbi tamen non frequentes.

*Groß lein*

De his hæc fortè ſcribuntur: Genus Vitium, quod vulgò vocant *groß lein*: omnium maximis vuis, & acinis maximis, quarum vſus tantùm pro culina ad omphacium: vnica ſiquidem vua interdum reddit Omphacii ſemi-menſuram, ita vt ſeps vnicus quandoque reddat Omphacii pluſquam 30. menſuras. In pergulis hortorum coli deſiderat. An ex his vuis parentur vuæ paſſæ maiores, conſiderandum.

*Vuæ rubellæ.*

*Klemmer*

Vites ex Alſatia & Richenvilla oriundæ, Germ. Bra wlemmer nuncupatæ, Montbelg. *des griſes*, vuas ferunt eſui valdè gratas & dulces, quibus color rubellus. Sunt maiores & minores. Non copioſè plantantur.

*Vuæ Rheticæ.*

*Veltliner*

Vites Rhæticas, ſiue Veltolinas [Veltliner] vocant Vinitores noſtri delatas ex Stutgardia, vuas gignentes ſatis magnas, ex albo rubentes, cute tenui. Vineam ex eiuſmodi Vitibus circa Hohenwill conſeri iuſſit Ill. Comes Wirtembergicus.

*Vuæ rubræ*, Gamé.

*Gamé.*

EX Burgundia habetur genus Vitis, quod vocant *Gamé rovge*: vuas mittens, ſicut & acinos non paruos, ex quibus excipitur copia vini, quà de re eas Burgundiæ quibuſdam in locis colere multùm laborant. Verùm Veſuntii non excoluntur, nec permittitur vt vinum ex iis in vrbem inferatur, quia non durabile.

*Vuæ nigræ dictæ.*

*Schuuartz Klemmer*

VItis hæc ſolio ornatur pænè rotundo quàdripartito, ſed non profundè, inferna parte nonnihil hirſuto. Vinitores vocant in Ducacatu Wirtemb. Schwartz Flemmer/ Äugſt Flemmer. Vuæ huius, quas Montbelgardi vocant *Noirins*, ſunt purpureæ, ſiue rubræ, mediæ cum acinis magnitudinis, dulces. Ex his bona vina parantur, ſi muſtum ſubitò ſeparetur à fracibu. Veſuntii putando ramos, breues relinquuntur, loco potiſſimùm macro & petroſo.

*Vuæ atræ Tramineæ cognominatæ.*

*Rothfreſchen*

INter vites rubras non vltimum obtinet locum Traminea, Rotfreuſchen Wirtemb. ſiue Traminer, ceu & Alſatis Schwartz Flemer dicta, Montbelg. verò *fourmentans rouges*. Eius vua valdè dulcis eſt, ex qua in Ducatu VVirt. Ill. E. C. vinum curat parandum, Falckner dictum.

*Vuæ dictæ Veſuntinis* Grappenans.

*Grappenans*

EXtollendæ hæ Vites loco decliui & petroſo quò Solis orientis radii eò perueniant. Cæterùm vuis modò dictis ſunt acini maiores, quàm in *Noirins* dictis, difficiliùs matureſcunt, lignum quoque craſſius. Vuæ eſui non commodæ, ſed ſi maturæ ſint, optimæ ſunt pro vino rubro faciendo, quod diu conſeruari poteſt. Satis copioſæ Veſuntii. His vuæ dictę *Torpot* ſimiles, ſed minores, lignum magis rubet.

*Vuæ Veſuntinæ.*

*Veſuntinæ*

HArum Vites ſunt fertiles, cùm coluntur locis calidis & petroſis, vbi tamen non deſit terra, nec peruenire poſſit ventus orientalis. Iniurias cœli primo Vere & Æſtate meliùs fert, quàm reliquæ Vites. Vuas profert magnas, & acinos magnos, rotundos, nigros. Eſui minùs commodæ, quàm aliæ, niſi ſuſpenſæ & reſeruatæ vſque ad Natalitia Chriſti. Ex his habetur vinum, craſſum, rubrum, quod diu reſeruari poteſt, licèt minùs bonum, verùm copioſum.

*Vuæ* Creſſans.

*Creſſans*

VEſuntinis forma & colore Bræginæ ſimiles, niſi quod carne firmiori & duoriore edendo ſentiuntur.

Montbelgardi vocant *Gris* vuas rubellas minores, à colore mixto ex rubro & albo, dulces valde, facileque matureſcentes. Germ. vocant Traminer. Sũt huius generis & maiores, quæ an

à mi-

à minoribus differant, præterquàm magnitudine, me latet adhuc.

*Vuæ Arboſiacæ rubræ ſiue nigræ.*

SPectandæ pulchritudinis ſunt vuæ, quas Montbelgardi *Arbois* vocant, à loco in Burgundia, vbi vocantur à quibuſdam *teſte d'oiſelot*, Vinitores in Ducatu Vvirtemb. dictaiunt Rotwelſch trauben. Hę rubræ vuæ non conueniunt noſtro ſolo, quia difficulter matureſcunt, acini ſunt magni, ſublongi, ouales, carne firma, dulces tamen. Vinitor meus extirpat has Vites, vt aliis locum det, magis fructiferis & meliùs matureſcentibus. Veſuntii vocant etiam *Arbois* colore minùs rubro vuas, vel, vt dicere ſolent, minùs nigro, parte acinorum pediculo hærente, ligno craſſo. Ex hoc genere vuarum ſcribunt fieri vinum rubellum, quod *Clairet* vocant, admixtis vuis *Blanc gentil*. Sunt etiam, vt tradunt, *Arbois blanc* eiuſdem naturæ & formæ cum nigris.

Rotwelſch trauben

## VVA MONSTROSA BARBATA.



IVuabit fortè inter tot naturæ creata legitima, eiuſdē quoque peccata detegere. Si modò peccatū ſit, à conſueto curſu deflectere, & partûs legitimi vice monſtrū oculis noſtris ſubiicere. Res ſanè rara, nec vulgi modò rumore ſparſa, ſed principum curâ cognita, & ad prototypum depicta. Racemus vuarum eſt geminus, ſuo quiſque pediculo communi ramo hærens. Hoc naturale. At vterque comâ obſeptus erat crinita, flaueſcēte, ad duos ferè cubitos longa, infernè in vnum iuncta & confuſa: Hoc verò nouum eſt, atque monſtroſum.

*Coma.*

Locus. Picturam cum deſcriptione ex authentico ad me miſit Cl. D. Rentzius Fontis admirabilis Medicus Bollenſis ordinarius. Dicitur ab Illuſtriſſ. Principe Erneſto Marchione Badenſi repertus prope Fridelsheim in Palatinatu anno 1599. & Dorlacum miſſus, vt noui ſpectaculi eicone tenus ad poſteritatem quoque rediret. Huius etiam rei fidem nobis fecit Laurentius Zyſar, qui & vidiſſe & diligentiùs conſideratos manibus palpaſſe ad eundem D. Rentzium ſcripſit.

*Tab. repreh.* Tabern. ic. & Hiſt. vocatur Vua barbata, Vuæ tertium genus, quod ab aliis nonnihil variare ſcribit, oblongo filamento, multo ex vua dependente, ac barbam exprimente. Figura ſanè poſita à Comp. Taber. placet, ſed diſplicet quod genus tradatur: nec tradatur nec, aſcribatur locus, vbi id proueniat

Nomina. Linguarum. Ἄμπελος οἰνόφορος ἢ ἥμερος, Vitis vinifera ſiue cultiua appellatur. Vitis quidem dicitur, quòd inuitatur ad vuas pariendas auctore Varrone. Hebr. *Gephen*, Trago, Arab. *Harin* ſeu *Karit*, ſiue etiam *Karin*, Germ. Räben/weinräben/wein ſtock/ oder Räbſtock / Belg. Wingaert. oft Wynſtock/ Gall. *Vigne*, It. *Vite & Vigna, Vite vinifera*. Vite domeſtica Hiſp. Caſt. *Vid*. Port. *Vide*, Angl. Wynde oft Weintree / or Grape tree/ Boh. Rywy wine. Hung. Ten zolo

*Vitis arbuſtiua.* Vitis porrò arbuſtiua, quæ maritata eſt arboribus, vt atteſtatur Had. Iun. dicitur Græcè ἄμπελος ἀναδενδράς, Ger. Räben an bäumen gerzogen, Belg. wyngeert an Een boom gheſlochten / Gall. *vigne mariée aux arbres, ou qui rampe en arbre*, It. *vite che rampega ſopra li arbori*, Hiſp. *vid abraçada con arbol*

*Vitis Vidua* Vitis viduæ, non aſſociatæ, nec maritatæ arbori meminit Catul. in carm. nupt.

*Vitis compluuiata* Vitis compluuiata Plin. tecti in modum longè lateque fornicata, germ. Räbſtock weit vnnd breit Zerlegt. Belg. wyngaert galerye wyſs euerdeckt oft gheleyt. Gall. *vigne liée au long du rayon*, It. *vite ligata & condotta à guiſa d'arco, di volto, ò di ſogna*, Hiſp. *vid parrada de patio, en arco ò boueda*

*Vitis pergulana* Vitis pergulana Colum. Germ. Räbgläuder/ Belg. Wyngaert lûnif oûerleyde wyngaert, Gall. *vigne qui eſt faite en treille*, It. *vite fatta in guiſe di pergolo*. Hiſp. *vid ſobre percha*.

*Vitis iugata* Vitis iugata, canteriata Colum. quę pedamentis canteriiſque tranſuerſa iugatur, Germ. weinräb an einem ghad nit dwerckſtangen aufgericht. Belg. Wyn gaaert met latten ofut retken dweers geleyt. Gall. *vigne eſchalaſſee, ſoubſtenue de perches trauerſes*: It. *vite ſoſtenuta da pertiche trauerſate*: Hiſp. *vid ſoſtentada de pertigas attrauerſadas*.

*Vitis pedata* Vitis pedata, ſtatuminata Plin. palis perticiſque firmata: Germ. guſtützet Räben. Belg. wyngaert aen ſtocken oft ſtaecken gheſet: Gall. *vigne eſchalaſſée, ou munie d'eſchalas*. It. *vite ſoſtenta & appogiata ſopra pertiche & pali*, Hiſp. *vid pueſta en eſtado, y ſoſtentada de ſus rodrigones*.

*Vitis ordinaria* Vitis ordinaria Colum. in quincuncem ferè diſpoſita: Germ. Räben nach ordnūng gepflantzet: Belg. wyngaert der reye / oft Verûolgens gheſet Gall. *vigne Plantée par ordre*. It. *vite poſta ò plantanta per ordine*: Hiſp. *vid pueſta y plantada en orden*.

*Vitis luxurians* Vitis luxurians, ἄμπελος ὑλομανής: Germ. Vberflüſſig ſchieſſend: Belg. weeldige wyngaert/ Gall. *vigne croiſſant trop abondamment, qui iette trop de branches*: It. *vite ſuprabōdante, che creſſe troppo*: Hiſp. *vid ſuperflua demaſiada, que crece mucho*.

*Vitis lachrymans* Vitis lachrymans, δακρυῤῥοοῦσα, δακρύουσα Sotioni: germ. Ein Trieffende räb: Belg. Een Druyſende wyngeert: Gall. *vigne qui pleure ou degoute vne ſorte d'eau*: It. *vite che lagrima*: Hiſp. *vid quellora*.

*Vitis ſiderata.* Vitis ſiderata Plinio ἀστρόβλης ἄμπελος Baſſiano, Ger. verdorret wein räb: Belg. werbrãt doort onweder, Gall. *Vigne niellée & gaſtée du temps*, Ital. *Vita pruſciata & guaſta par la tempeſta*, Hiſp. *Vid paſmada*.

*Viuiradix.* Viuiradix Plin. Vitis quæ cum radice pangitur μόσχευμα, Germ. Sezling/ Belg. wyngaert mit den wortel gheſet/ Gall. *vigne plantée auec la racine*, Ital. *vite piantata con la radice*, Hiſp. *vid. baruada con rayzes*.

*Propago.* Propago Virg. vetula vitis humi depreſſa, quo ex vna plures emergant, ἀπῶυξ, κληματὶς Anatolio, Germ. ein alter Räbſtock wider eingelegt/ Belg. Oûde wyngaert Stock weder in gheleyt. Gall. *Prouin de vigne*, Ital. *prouana della vite*, Hiſp. *prouena del ſarmiento de la vid*.

*Tradux* Tradux Varr. Rumpus eidem propago vitis ab arbore in arborem traducta, Germ. Vberſchůtzling, Belg. der oůerſchůete / die haer in de hoochdent in breede wt Streckt, Gall. *l'auantin, ou longue branche de vigne*, Ital. *rampollo*, Hiſp. *Sarmiento para prouena, mugron de la vid.*

Vitis partes. Generum Vitium appellationibus ita appoſitis, partium vitis Nomenclatura exponenda.

*Palmes.* Palmes igitur ſiue ſarmentum Colum. prælonga luxuriantis vitis virga eſt, κλῆμα, κλημαπὶς, ἀγκαλὶς, German. die ubrige gerten an den beſchnittnen weinråben. Belg. wyngaert ranck, welcke blyftant nieů hoůt te ſchieten, Gall. *le viel bois de la vigne*, Ital. *palmite, ò tralcio*, Hiſpan. *el ſarmiento de la vid, el pampano.*

*Palmes focaneus* Palmes focaneus Colum. qui in bifurco medius proſilit, Germ. ein ſchőſſlin in achſſlin/ hürling / beygerten. Belg. een rieffen oft byſcheůte, Gall. *le reietton qui croiſt entre la fourchure de la vigne*, Hiſp. *ſarmiento ſoperon.*

*palmes fructuarius* Palmes fructuarius, racemarius, flagellum Vitis fructuarium, Germ. ein frůchtbar ſchoß. Belg. Vrůchtbare ſcheůt/ Gall. *reietton fruitier.*

*palmes orbus* Palmes orbus Colum. qui nihil parit, Germ. Blinde råben ohne råbaůgen/ Belg. Blinde ſcheute daer niet aen en combt.

*palmes pampinarius* Palmes pampinarius Colum. Pampinarium Plin. colis, qui primo anno frondem ſine fructu fundit, Germ. Råbſchoß ohne traůben/ Belg. de ranck die niet dan bladeren voortbrengt, Gall. *Sarment qui porte fueilles ſeulement ſans fruict*, Ital. *Tralcio del primo anno, f. glioſo.* Hiſp. *Sarmiento que no lleua fruta.*

*Reſex.* Reſex Colum. alimes ſubſidiarius eidem Sarmentum ant otinum quod putatur ad fructificádum: præſidiarius palmes Colum. palmes vinarius & cuſtos Varroni, Germ. Ein gerten am råb gelaſſen/ein geſchnittne gerten. Belg. de ranck die ghecort iß/de ranck die geſchneden wort. Hiſp *Sarmiento del cuerpo de la vid.*

*Malleolus.* Malleolus, nouellus palmes plantationi idoneus, malleolaris virga Colum. Germ. Jünge råbſchoß, gürling/knebel, Belg. Joot, Joůghe ranck, Gall. *prouin*, Ital & Hiſp. *pampano.*

*Flagellum.* Flagellum, ſumma palmitis pars & cyma, Germ. gerten, Belg. der boůenſte ranck, Gall. *ſi.n, ou menu bout de la vigne.*

*Capreolus.* Capreolus Varr. Clauicula Cic. Colum. Viticula Plin. Crinis eid. Coliculus viteus cincinni in modum contortus, quo locum ſerpendo capit, Annulus vitis Aureliano ἕλιξ, Germ. Gablen an weinråben, Belg. Claůwerken. Gall. *Fleaux ou vuilles de la vigne*, Ital. *viticcio. ò tralcio che lega & ſe & la vite alli pali*, Hiſp. *ſiſereta, ò carçillo de la vid.*

*Pampinus.* Pampinus Cic. Folium vitis quò veſtitur, οἴναρον. Germ. Råbblat, Belg. wyngaertblat, Gall. *pampre, fueille de la vigne*, Ital. *pampano*, Hiſp. *pampana, hoia de la vid.* Et hinc eſt pampinare, cacumina defringere Colum. coles enatos è ſarmento tollere Catoni, frondium luxuriem tollere.

*Gemma.* Gemma [quod omiſit Hadr.] ea dicitur, à qua ineunte Vere oriens vua ſeſe oſtendit, quæ & ſucco terræ & colore Solis augeſcens, primo eſt peracerba guſtatu, deinde matura dulceſcit, veſtitaque pampinis, nimios Solis defendit ardores.

*Caput Vitis Sagitta.* Quemadmodum autem flagellum illud Vitis vltimum & producťiſſimum, caput quidam appellant, ita ſurculi nouiſſimam partem Sagittam vocant, ſiue quia longiùs à matre receſſerit, & quaſi emicuerit, atque proſilierit: ſeu quia cacumine attenuata, prædicti teli ſpeciem gerat.

Surculos autem qui nihil attulerint, Spadones apud Ruellium appellant. *Spado.*

Virgas tandem, quæ è radicibus aut caudicis lateribus produnt, quaſi nepotum partu grauidis, Sobolem dicunt, ruſtici tamen malunt Suffraginem appellare. *Suffrago.*

Nunc, quod ſupereſt, palmites appellantur, quòd in modum palmarum humanarum, virgulas quaſi digitos edunt, Capreolus à capiendo dictus eſt, à quo & Veteribus Caprea vitis cognominabatur. Malleolus à ſimilitudine rei nomen habet, quòd in ea parte, quâ deciditur ex vetere ſarmento, prominens vtrinque malleoli ſpeciem præbet: vel quod capitulatus vtrinque & ſurculatus ſolebat ſeri: differt enim à Sarmento, ſicut pars à toto, verùm roſtratam oſtendit imaginem. *Palmitis etymon. Capreoli. Malleoli.*

Sed iam ad Vitis partum veniamus. Vua conſtans ſcapo (ſcopo Ruell.) & acinis, ab vuido fonte, qui latex eſt, nomen traxit, vocaturque Græcè σταφυλὴ, Germ. trauben: weintraůben, Belg. drůyne/wyndrůyne, Gall. *raiſin*, Ital. & Hiſp. *vua.* *Scapus* Varr. *Scopus* Ruell. *Scopium* Trago, *racemus* Virg. propriè ramulus vnde acini dependent, βότρυς, βοτρύχιον, Botrus, Botryo Mart. Germ. der rapp oder drapp am traůben/ der Cham/ Belg. een drůyne, Gall. *la grappe*, It. *racemo, grappolo*, Hiſp. *cencerron de las vuas.* *Vua. Scapus. Botrus.*

Acinus, & Acinum, Acinus vinaceus Cic. Græcè ῥὰξ & κόκκος, Lat. etiam granum. ῥὰξ τοῦτ' ἐστὶ κόκκος τοῦ βότρυος, inquit Democritus, Acinus ſiue ῥὰξ granum eſt vuæ. Germ. traůbenbeer. Belg. wynbeſye, Gall. *grain de raiſin*, Ital. *acino, grano d'vua*, Hiſp. *granillo de razimo.* *Acinus.*

Compoſita eſt autem acinorum ſubſtantia, ex membrana, ſiue folliculo, aut corio acini (ὑμένα Græci appellant) carne, humore (τῆς σαρκὸς καὶ ὑγρότητος) per carnem diſperſo, & ſemine, eiuſdem acini, quod Vinaceus Varroni, Vinaceum Colum. nucleus Trago, γίγαρτον & πυρὴν Græcis dicitur, Hebr. vt aliorum fructuum nuclei *gareinim*, Germ der Kern/ Belg. de keeren, oft karle/ oft ſteen wan een drůyne, Gall. *le marc de raiſins*, Ital. *vinacciuolo*, Hiſp. *granillo de la vua*, Offic. *arilli*, quaſi ariduli, quòd ſicci, & ſuccum nullum præbeant: ſunt tamen & vinacea Colum. quæ ab vuis expreſſis ac prælo ſubiectis reliqua ſunt. Recrementa tamen hæc propriè στέμφυλα dicuntur, membranoſi videlicet acinorum folliculi, & vinacea cum ſcapis. Sed Attici, inquit Galenus, quæ ex muſto expreſſo ſuperſunt βρύτια appellant: στέμφυλα verò, quæ ab Oliuis relinquuntur. *Corium acini. Arilli.*

Vinearum genera quod attinet: aliæ ſunt humiles, vt quæ appellantur iugatæ, vt pleræque in Italia: quibus ſtat recta vinea dicuntur pedamenta, quæ tranſuerſa iunguntur, iuga, ab eoq; Vineæ iugatæ. *Vinearum genera. Pedamenta. Vinea iugata.*

Iugorum genera quatuor, pertica, arundo, reſtes & vites. Pertica, vt in Falerno: Arundo, vt in Arpino: Reſtes, vt in Brunduſino: Vites, vt in Mediolanenſi agro, Iugationis ſpecies duæ, vna directa, vt in agro Canuſino, altera compluuiata in longitudinem & latitudinem, iugata vt in Italia pleræque. Hæc vbi domo naſcuntur, vineæ non metuunt ſumptum, vbi multa ex propinqua villa, non valdè. Primum genus, quod dixi, maximè quærit Salicta, ſecundum Arundineta, tertium iunceta, aut eius generis rem aliquam, quartum Arbuſta, vbi traduces poſſunt *Pertica. Arundo Reſtes Vites. Iugatio duplex.*

*Tradux. Opulus. Pedamentum.* poſſint fieri Vitium, vt Mediolanenſes faciunt in arboribus, quas Opulos vocant: Canuſini in harundulatione in Ficis.

Pedamentum item ferè quatuor generum. Vnum robuſtum, quod optimum, ſolet afferri in vineam è Quercu ac Iunipero, & vocatur Ridica. *Ridica, Palus.* Alterum Palus è pertica, meliorque è dura, quòd diuturnior. Tertium quod in horum inopia ſubſidio ſit, Arundinetum. *Arundinetum.* Quartum pedamentum eſt, vbi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit, quos traduces, quidam Rumpos appellant.

*Vinea forma.* Vineæ altitudinis modus, longitudo hominis. Interualla pedamentorum, quà boues iuncti arare poſſint.

*Locus Vitibus aptus.* De loco Vitibus apto ita Virg. in Geor. canit,

*Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara*
*Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando,*
*Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat.*

Aptum, ait Florentinus, Vitibus ſolum, eſt omnis terrra nigra, non valde denſa, neque glutinoſa, humiditatem habens.

Ex Colu. Virem (inquit Colum.) nos cæteris ſtipitibus iure præponimus, non tantùm fructûs dulcedine, ſed etiam facilitate, per quam omni pænè regione & omni declinatione Mundi, niſi tamen glaciali, vel præferuida, curæ mortalium reſpondet. Tamque felix campis, quàm collibus prouenit, & in denſa non minùs, quàm in reſoluta, ſæpe etiam gracili, atque pingui terra, ſiccaque, & vliginoſa. Tum ſola maximè vtramque patitur intemperiem cœli, vel ſub axe frigido, æſtiuo, procelloſoque. Refert tamen cuius generis, aut quo habitu vitem pro regionis ſtatu colere cenſeas, neque enim omni cælo, ſolòue cultus idem, neque eſt idem ſtirpis eius genus, quodque præcipuum eſt ex omnibus non facilè dictu eſt, cùm ſuum cuique regioni magis, aut minùs aptum eſſe doceat vſus. Exploratum tamen habebit prudens agricola genus Vitis habile campo, quod nebulas pruinamque ſine noxa perfert, cælique ſiccitatem, ventoſque patitur: pingui, & vberi dabit agro gracilem Vitem, nec natura nimis fœcundam, macro feracem, terræ denſæ vehementem, multaque materia frondentem, reſoluto & læto ſolo rari ſarmenti, humido loco ſciet non rectè mandari fructus teneri, & amplioris acini, ſed calloſi, & anguſti, frequentiſque vinacei, ſicco rectè contribui diuerſæ quoque naturæ ſemina. Sed & poſt hæc non ignorabit dominus loci plus poſſe qualitatem cœli frigidam vel calidam, ſiccam vel roſcidam: grandinoſam, ventoſamque, vel placidam: ſerenam, vel nebuloſam. Frigidæque aut nebuloſæ duorum generum Vites aptabit, ſeu præcoques, quarum maturitas frugum præcurrit Hiemem, ſeu firmi, durique acini, quarum inter caligines vuæ defloreſcunt, & mox gelicidiis, ac pruinis, vt aliæ, caloribus miteſcunt, ventoſo quoque, & tumultuoſo ſtatu cæli fidentes eaſdem tenaces, ac duri acini cõmittet: rurſus calido vberiores atque teneriores concredet: ſicco deſtinabit eas, quæ pluuiis, aut continuis roribus putreſcunt: roſcido, quæ ſiccitatibus laborant: grandinoſo, quæ foliis duris, latiſque ſunt, quò meliùs protegant fructum: nam placida, & ſerena regio nullam non recipit, commodiſſimè tamen eam, cuius vel vuæ, vel acini celeriter decidunt.

At ſi voto eſt eligendus vineis locus, & ſtatus cœli, ſicut cenſet veriſſimè Celſus, optimum eſt Solum, nec denſum nimis, nec reſolutum, ſoluto tamen propius: nec exile, nec lætiſſimum, proximum tamen vberi: nec præceps, ſimile tamen edito campo: nec ſiccum, nec vliginoſum, modicè tamen roſcidum, quod fontibus non in profundo terræ ſcaturiat, ſed vt vicinum radicibus humorem ſubminiſtret, eumque nec amarum, nec ſalſum, ne ſaporem vini corrumpat, & incrementa virentium veluti quadam ſcabra rubigine coërceat. *Cælum* porrò neque glaciale vinea, nec prorſus æſtuoſum deſiderat, calido tamẽ potiùs, quàm frigido lætatur, imbribus magis quàm ſerenitatibus offenditur, & ſolo ſicco, quàm nimis pluuio eſt amicior, perflatu modico lenique gaudet, procellis obnoxia eſt. Atque hæc ſecundùm Colum. maximè probabiles eſt cœli & ſoli qualitas.

Cælo porrò calido, ait Dod. Vitis lætatur: æſtuoſiſſimum tamen non deſiderat: frigidum verò ac glaciale non ſuſtinet: In calidis idcircò regionibus vber eſt potentis vini prouentus, vt in Hungaria, Auſtria, Italia, Hiſpania, Gallia, & aliis locis calidioribus: in frigidioribus tenuius eſt, & oligophorum, ac exiguam aquam admittens, vel etiam omnino ἀμέθυσον, quale eſt quod Louanii & alibi apud Brabantos, tum quod & apud Bohemos ac Saxones, ac circa horum fines, naſcitur. *Dodon.* Validiores ſiquidem & potentiores vuas Sol efficit, ſed & dulciores, ſi multùm calefeceris: vt in Geoponicis Quintilii affirmant, qui & Lunam ad maturitatem, ad dulcedinem verò noctes cõferre aiunt. Monſpelii Vites abundant: verùm longè aliter coluntur, quàm noſtræ: ſtipites enim vix excedunt cubitum: quoannis omnes ferè rami abſcinduntur, relictis paruis ſtolonibus, nec vtuntur pedamentis. Verùm quibuſdam locis Narbonenſis Galliæ permittunt vt conſcendant arbores ordine conſitas, inter Vites creſcente gramine. In Italia vulgate eſt, vt agri tria ferant, triticum, ligna & vinum: ſolent enim Itali ordine in agris conſerere Salices, Populos, Iuglandes, quas conſcendunt Vites, inter arbores ſerunt triticum. Geneuæ aliquas ita colunt & vocant *des Hutins*.

Iam [ne quid omittatur] cui vineta facere cordi eſt, præcipue caueat, ne alienæ potiùs curæ, quàm ſuæ credere velit, néue mercetur viuiradicem. *Obſeruationes de inſtituendis Vineis.* Sed genus ſurculi probatiſſimum domi conſerat, faciatque vitiarium, ex quo poſſit agrum vineis veſtire: nam quæ peregrina ex diuerſa regione ſemina transferuntur, minùs ſunt familiaria noſtro ſolo, quàm vernacula, eóque velut alienigena reformidant mutatam cæli, locique poſitionem. Sed nec certam generoſitatis fidem pollicentur, cùm ſit incertum an is, qui conſeruerit ea, diligenter exploratum, probatumque genus ſurculi depoſuerit, quamobrem biennij ſpatium longum eſſe minimè exiſtimandum eſt, intra quod vtique tempeſtiuitas ſeminum reſpondet, cùm ſemper prurimùm retulerit, exquiſiti generis ſtirpem depoſuiſſe. Poſthæc deinde meminerit accuratè locum vineis eligere, de quo cùm iudicauerit, maximam diligentiam ſciat adhibendam paſtinationi, quam cùm peregerit, non minore curâ Vitem conſerat, & cùm ſeruerit, ſumma ſedulitate culturæ ſeruiat, id enim quaſi caput & columen eſt impenſarum.

Vt autem ea quæ propoſita fuêre ſuo quæque ordine proſequamur. Vitiarium neque ieiuna terra; neque vliginoſa faciendum eſt, ſuc-

*Vitiarii locus & compoſitio.* coſâ tamen & mediocri potiùs, quàm pingui, tametſi ferè omnes Autores huic rei lætiſſimum ſolum deſtinauerunt, quod ego minimè reor eſſe pro agricola. Nam depoſitæ ſtirpes valido ſolo, quamuis celeriter comprehendant, atque proſiliant, tamē cùm ſint viuiradices factæ, priuſquam transferantur, retorreſcunt, nec adoleſcere queūt. Prudentis autem coloni eſt ex deteriori terra potiùs in meliorem, quàm ex meliore in deteriorem transferre. Propter quod mediocritas in electione loci maximè probatur, quoniam in confinio boni, malique poſita eſt. Siue enim poſtmodum neceſſitas poſtulauerit tempeſtiua ſemina ieiuno ſolo committere, non magnam ſentient differentiam, cùm ex mediocri terra in exilem tranſlata ſunt, ſiue lætior ager conſerendus eſt, longè celerius in vbertate coaleſcunt. Rurſus tenuiſſimo ſolo vitiarium facere minimè rationis eſt, quoniam malleolorum pars maior deperit, & quæ ſupereſt tardè fit idonea tranſlationi. Ergo mediocris & modicè ſiccus ager vitiatio eſt aptiſſimus, iſque bipalio priùs ſubigi debet, quæ eſt altitudo paſtinationis, cùm in duos pedes & ſemiſſem conuertitur humus, ac deinde tripedaneis relictis ſpatiis, per quæ ſemina excolūtur, in ſingulis ordinibus, qui ducenos quadragenos pedes obtinent ſexcenteni malleoli pangendi ſunt: is numerus conſumat per totum iugerum, ſeminum millia quatuor & viginti.

Verùm hanc curam preuenit inquiſitio, & electio malleolorum nam, vt ſæpe iam retuli, quaſi fundamentum eſt prædictæ rei, probatiſſimum genus ſtirpis deponere. *Delectus malleoli.* Sed electio dupliciter facienda eſt, non enim ſolùm fœcundam eſſe matrem ſatis eſt, ex qua ſemina petuntur, ſed adhibenda eſt ratio ſubtilior, vt ex his partibus trunci ſumantur, quæ & genitales ſunt & maximè fertiles. Vitis autem fœcunda, non tantùm debet ea æſtimari, quòd vuas complures exigit: poteſt enim trunci vaſtitate id accidere, & frequentia palmitum, nec etiam eam feracem dixerim, cuius ſingulæ vuæ in ſingulis ſarmentis conſpiciuntur, ſed ſi per vnumquemque pampinum maior numerus vuarum dependet, ſi ex ſingulis gemmis compluribus materiis cum fructu germinat, ſi denique etiam è duro virgam cum aliquibus racemis citat, ſi etiam nepotum fructu grauida eſt, ea ſine dubitatione ferax deſtinari debet legendo malleolo. Malleolus autem nouellus eſt palmes innatus prioris anni flagello, cognominatuſque à ſimilitudine rei, quòd in ea parte, quæ deciditur ex vetere ſarmento prominens vtrinque malleoli ſpeciem præbet. Hunc ex fœcundiſſima ſtirpe legendum cenſemus omni tempore, quo vineæ putantur, ac ſuper terram gemmis tribus vel quatuor extantibus diligenter obruendum loco modicè humido non vliginoſo, dum tamen antiquiſſimum ſit conſiderare, ne vitis, ex qua is ſumitur, ancipitem floris habeat euentum, ne difficulter acinus ingrandeſcat, ne aut præcoquem, aut ſeræ maturitatis fructum afferat, nam illa volucribus, hæc etiam tempeſtatibus hyemis infeſtatur.

*Vites & feraces facienda.* Cæterùm fœcunditas Vitis adiuuari poteſt cultoris induſtria, celerrimèque inſitionibus ad maximum numerum perducitur. Refert vt in transferendis ſeminibus ſimilem ſtatum cœli, locique, & ipſius Vitis habitum obſeruemus, quoniam plerumque degenerat ſurculus, ſi aut ſitus agri, aut aëris qualitas repugnent, aut etiam ſi ex arbore in iugum defertur. Itaque de frigidis in frigida, de calidis in ſimilia, de vineis in vineas transferemus, magis tamen ex frigido ſtatu, ſtirps poteſt calidum ſuſtinere, quoniam lætatur tepore potiùs quàm frigore. Sed & qualitas Soli plurimùm iuuat, vt ex macro aut mediocri tranſducatur in melius, nam quod aſſuetum eſt pingui, nullo modo maciem terræ patitur, niſi ſæpiùs ſtercores.

Cuſtodiemus autem, vt à prædictis locis, *Præceptum de legendo ſemine.* quos humeroſos ruſtici vocant, ſemina legamus, tamen quæ attuliſſe fructum antea animaduertimus: nam ſi fœtu vacua ſint, quamuis à laudabili parte, nihil cenſemus ad feracitatem conferre malleolo.

Quare magnopere in eligendis ſeminibus adhibenda cura, vti fructuoſâ parte Vitis palmites legantur ei, qui futuram fœcunditatem iam toto fructu promittunt. Nec tamen contenti ſimus ſingulis vuis, maximeque probandi ii, qui numeroſiſſimis fœtibus conſpiciuntur. An non opilionem laudabimus ex ea matre ſobolem propagantem, quæ geminos enixa ſit, & caprarium ſummittentem fœtus earum pecudum, quæ trigemino partu commendantur? videlicet quaſi ſemper ſit parentum fœcunditati proles reſponſura, & nos ſequamur in Vitibus hanc ipſam rationem, tantò quidem magis, quòd compertum habeamus naturali quadam malignitate deſciſcere interdum, quamuis diligenter probata ſemina, idque nobis poëta velut ſurdis veritati indulget dicendo.

*Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore*
*Degenerare tamen, ni vis humana quotannis*
*Maxima quæque manu legeret, ſic omnia fatis*
*In peius ruere, ac retrò ſublapſa referri.*

Quod non tantum de ſeminibus leguminum, ſed in totam agricolationis rationis dictum eſſe intelligendum eſt.

Sequitur hanc eligendi malleoli curam, paſtinationis officium, ſi tamen antè de qualitate ſoli conſtiterit, nam id quoque plurimùm & bonitati, & largitati frugum conferre nihil dubium eſt. Ac priùs quàm ipſum perſpiciamus, illud antiquiſſimum cenſemus, rudem potiùs eligendum agrum, ſi ſit facultas, quàm vbi fuerit ſeges, aut arbuſtum: Si tamen rudis terra non ſit, proximum eſt vacuum arboribus aruum. Si nec hoc eſt, rariſſimum arbuſtum, vel oliuetum quod non fuerit maritatum vineis, deſtinatur. Vltima eſt conditio reſtibilis vineæ: nam ſi neceſſitas facere cogit, priùs quicquid eſt reſiduæ Vitis extirpari debet, deinde totum ſolum ſicco fimo, aut, ſi id non ſit, alterius generis quàm recentiſſimo, ſtercorari, atque ita conuerti, & diligentiſſimè refoſſas omnes radices in ſummum regeri ac comburi. Tunc rurſus vel ſtercore vetuſto, quia non gignit herbas, vel de vepribus egeſta humo paſtinatum largè contegi. Sed hoc in totum ad illud, quod vineis præcipuè eſt idoneum, propriè conſiderandum, ſi facilis eſt humus & modicè reſoluta, quam pullam vocitant, nec quia ſola ea, ſed quia ſit habilis maximè vineis. Quis enim vel mediocris agricola neſciat etiam duriſſimum tophum vel carbunculum, ſimul atque ſunt confracti, & in ſummo regeſti, tempeſtatibus, gelúve, nec minùs æſtinis putreſcere caloribus ac reſolui, eoſque pulcherrimè radices vitium per æſtatem refrigerare, ſuccumque retinere: quæ res alendo ſurculo ſunt accommodatiſſimæ: ſimili quoque de cauſa probari ſolutam glaream, calculoſumque agrum & mobilem lapidem, ſi tamen hæc pingui glebæ

glebæ permiſta ſunt, nam eadem ieiuna maximè culpantur. Eſt autem [ vt mea fert opinio] vineis amicus etiam Silex, cui ſuperpoſitum eſt modicum terrenum, quia frigidus, & tenax humoris per ortum caniculæ non patitur ſitire radices. Higinus quidem ſecutus Tremellium, præcipuè montium ima, quæ à uerticibus defluentem humum receperint, vel etiam valles, quæ fluminum alluuie, & inundationibus concreuerint, aptas eſſe vineis aſſeuerat me non diſſentiente. Vitibus contrà inimica Croroſa humus quam argillam vocant. Nec minùs ieiunus ſabulo, & quicquid, vt ait Iulius Atticus, retorridum ſurculum facit. Id autem ſolum vel vliginoſum eſt, vel ſalſum, vel amarum, vel ſiticuloſum, vel peraridum. Nigrum tamen, & rutilum ſabulonem, qui ſit humidæ terræ permiſtus, probauerunt Antiqui. Granis eſt rubrica, vt idem Atticus ait, & ad comprehendendum radicibus iniqua. Sed alit eadem vitem, cùm tenuit, verùm eſt in opere difficilior, quòd neque humentem fodere poſſis, quòd ſit glutinoſiſſima, nec nimiùm ſiccam, quia vltra modum prædura.

*Iul. Græcinus de terra vineali.*

Sed ne nunc per infinitas terreni ſpecies euagemur, non intempeſtiuè commemorabimus Iulii Græcini conſcriptam velut formulam ad quam poſita eſt limitatio terræ vinealis. Idem enim Græcinus ſic ait. Eſſe aliquam terram calidam vel frigidam, humidam vel ſiccam, raram vel denſam, leuem aut grauem: pinguem: aut macram: Sed neque nimiùm calidum ſolum poſſe tolerare vitem, quia inurat, neque prægelidum quoniam velut ſtupentes, & congelatas radices, nimio frigore moueri non ſinat, neque humidũ, quoniam cùm ſe promunt vites, modico tempore euocant humorem terræ iuſto maiorem qui putrefacit depoſita ſemina. Rurſus nimiam ſiccitatem deſtituere plantas dicit naturali alimento, aut in totum necare, aut ſcabras & retorridas facere. Perdenſam humum celeſteis aquas non ſorbere, nec facilè perflari, facillimè perrumpi, & præbere rimas, quibus ſol ad radices ſtirpium penetret. Eademque velut conclauſa & coarctata ſemina comprimere atque ſtrangulare. Raram ſupra modum velut per infundibulum tranſmittere imbres, & Sole ac vento penitus ſiccari, atque exateſcere. Grauem terram vix vlla cultura vincibilem, leuem vix vlla ſuſtineri, pinguiſſimam & lætiſſimam luxuria: macrem, ac tenuem ieiunio laborare. Opus eſt, inquit, inter has tam diuerſas inæqualitates, magno temperamento, quod in corporibus quoque noſtris deſideratur, quorum bona valetudo calidi & frigidi, humidi & aridi, denſi & rari, certo & quaſi examinato modo continetur. Nec tamen hoc temperamentum in terra quæ uineis deſtinetur, pari momento libratum eſſe debere ait, ſed in alteram partem propeſius, vt calidior terra ſit quàm frigidior, ſiccior quàm humidior, rarior quàm denſior, & ſi quæ ſunt his ſimilia, ad quæ contemplationem ſuam dirigat, qui vineas inſtituet.

Quæ cuncta [ſicut ego reor] magis proſunt, cùm ſuffragatur etiam ſtatus cæli: cuius regionem, quam ſpectare debeant vineæ, vetus eſt diſſentio. Saſernâ maximè probante Solis ortum mox deinde meridiem, tum occaſum, Tremellio Scropha præcipuam poſitionem meridianam cenſente, Virgilio de induſtria occaſum ſic repudiante

*Neue tibi ad Solem vergant vineta cadentem.*

Democrito, & Magone laudantibus cæli plagam Septentrionalem: quia exiſtiment ei ſubiectas feraciſſimas fieri vineas, quæ tamen bonitate vini ſuperentur. Nobis in vniuerſum præcipere optimum viſum eſt, vt in locis frigidis meridiano vineta ſubiiciantur, tepidis orienti aduertantur, ſi tamen non infeſtabuntur Auſtris, Euriſq; velut oræ maritimæ in Bætica. Sin autem regiones prædictis ventis fuerint obnoxiæ, meliùs Aquiloni, vel Fauonio committentur, nam feruentibus prouinciis, vt Ægypto & Numidia, vni Septentrioni rectiùs opponentur, quibus omnibus diligenter exploratis tum demum paſtinationem ſuſcipiemus.

Et hæc pleraque ex Columella: cætera verò quæ tum ex ſua tum ex aliorum ſententia de *vitis Paſtinatione, Poſitione, Pampinatione, Ablaquatione: Putatione, reliquaque eius cultura* prolixè proſequitur, ex ipſo fonte haud grauatim petet Lector.

*Natura Vitis omne cælum & solum ſuſtinet.*

Natura vitis, inquit Palladius, cœlum omne, ſolumque ſuſtentat, ſi genera conuenienter aptentur. Plano igitur loco ſtatues vitem, cuius genus nebulas ſuſtinet, & pruinas: collibus, quod ſiccitatem durat & ventos. Pingui agro graciles, atque infœcundas, macro feraces & ſolidas: denſo, validas atque frondoſas, frigido & nebuloſo, quæ hyemem celeri maturitate præueniunt, aut quæ duris acinis inter caligines ſecuriùs florent: ventoſo, ſtabiles, & tenaces: calido grani tenerioris, & humidi: ſicco, eas, quæ pluuias ferre non poſſunt: & ne multa dicamus, eligenda ſunt genera quæ profeſſione vitiorum ſuorum contraria loca diligunt iis, in quibus durare non poterant. Placidæ ſanè regio, & ſerena tutò genus omne ſuſcipiet. Vitium genera numerare non attinet, ſed notum eſt maiores Vuas pulchræ ſpeciei, grani calloſi, & ſiccioris ad menſam: feraciſſimas verò, & cutis tenerioris, & ſapore nobiles, & maximè quę citiùs defloreſcunt, vindemiis eſſe ſeruandas.

*Amminea.*

Loca naturam pleriſque vitibus mutant. Solæ Ammineæ vbicunque ſint, vinum pulcherrimum reddunt. Calidum ſtatum potiùs quàm frigidum ſuſtinebunt. De macro ad pingue tranſire non poſſunt, niſi ſtercus adiuuerit. Harum duo genera ſunt, maior & minor. Sed minor meliùs defloreſcit, & citiùs internodiis minoribus, & grano breuiore. Si arbori applicetur, pinguem terram: ſi colatur in ordines, mediocrem deſiderat. Imbres contemnit, & ventos, nam maior ſæpe vitiatur in flore. Sunt & Apianæ præcipuæ: Satis eſt genera iſta dixiſſe. Induſtrius vir probata deligat, & terris talibus mandet, quæ imitari eas poſſint vnde ſumuntur: ſic merita ſua quæque ſeruabit. Sed vitem vel arborem, melius erit de exili ad pinguem transferre: nam ſi à pingui terra ad ſolum exile tranſierint, vtiles eſſe non poterunt.

*Electio ſarmentorum.*

Eligenda ſunt ſarmenta quæ pangimus de Vite media, neque de ſumma, neque de infima, quinque vel ſex gemmarum ſpatio à veteri procedentia, quia non facilè degenerant, quæ de locis talibus transferuntur. Sumantur autem de Vite fœcunda, neque putemus brachia eſſe fertilia, quæ Vuas ſingulas, aut binas producunt, ſed quæ multâ vbertate curuantur: nam poteſt ſerax vitis feraciores in ſe habere materias. Erit & hoc ſignum fertilitatis, ſi de duro aliquo loco fructum citabit, ſi fœtu impleuerit ramulos ex ima parte ſurgentes. Sed hoc ſignis poſitis per vindemias eſt notandum. Ad pangendum, nouellus palmes eligi debet, duri in ſe nihil habens, & veteris ſarmenti, quia hoc putreſcente ſæpè

*Fertilitatis ſignum.*

corrumpitur. Summa flagella repudiemus, ac ſurculos, qui licet bono loco nati ſint, tamen feracitate caruerunt. Pampinarius, qui de duro naſcitur etiam ſi attulerit fructus, pro frugifero non eſt ponendus, in ſuo enim loco fœcundatur à matre, tranſlatus verò tenet ſterilitatis vitium, quod renaſcendi conditione ſuſcepit. Caput ſarmenti, cùm deponitur, torquendum non eſt, nec aliquo modo vexandum, ne demerſa penitùs fœcundiore parte, quod ſterili proximum eſt ſupra terram relinquatur: deinde quoniam ipſa tortura vexatio eſt, & pars ea, de qua radix futura præſumitur, iniuriæ nulli ſubiicienda eſt, cum qua contendere cogatur, antequàm teneat.

*Poſitionis tempus.*

Ponendæ ſunt vites placidis diebus ac tepidis. Curandumque ne ſarmenta Sole vrantur, aut vento, ſed vel ſtatim ponantur, vel obruta reſeruentur. Martio menſe, ac deinceps toto Vere vinea ponenda eſt regionibus frigidis, pruinoſis, pinguibus campis, & humidis prouinciis.

*Menſura ſarmenti.*

Sit autem menſura ſarmenti cubitus vnus. Vbi pinguis eſt natura terrarum, maiora inter Vites ſpatia relinquemus, vbi exilis, anguſta. Nonnulli itaque in iis vitibus, quas toto ſolo paſtinato diſponunt, ternos pedes inter ſingulas vites quoquouerſus dimittunt. Sed hoc genere diuiſionis in iugerali tabula pangentur tria millia tricēta vicena ſarmēta. Quod ſi duos & ſemis pedes inter vites relinqui placuerit, in eadē tabula ponentur vites quatuor mille ſeptingentæ quinquaginta tres.

*Poſitionis ordo.*

Sed ad ponendum vtemur hoc ordine. Lineam ſeruatis iis ſpatiis, quæ placuerit cuſtodire, candidis ſignis, vel quibuſcunque notabimus: tunc tenſa per tabulam linea, in eis locis ſurculos, vel calamos figemus, vbi vnaquæque vitis ventura eſt. Spatium totius tabulæ ſurculis complebitur ad numerum Vitium ponendarum, atque is qui pancturus eſt, proiecta circa ſurculos ſarmenta ſine vllo errore deponet: Præterea nō eſt vno genere vitium omne paſtinum conſerendum, ne annus iniquus generi ſpem vindemiæ totius extinguat. Et ideò quatuor, aut quinque eximij generis ſarmenta pangemus: ſed maximè expediet genera tabulatim diſponi, & decimanis diuidi, niſi deterreat operis difficultas, quod ſi eſt vetus vinea, ſingulorum generum ſurculis tabulatim poterimus inſerere, & facilè hoc genus colendi, quod eſt pulchrum, atque vtile, conſequemur.

*Maturitatis & floris tempora in Vite diuerſa.*

Ita & maturitatis & floris tempora, quæ in vite diuerſa ſunt, ſuis temporibus opportuniùs obtinere poterimus. Nec paruo conſtabit, ſi legatur maturitas cum acerbitate: diſpendium, cùm vnius tempeſtiuam vindemiam ſequi, ſit permiſta cruditate vitioſum, & alterius ſeras maturitates exſpectare, damnificum. Huic commodo adiicitur, quòd pro generum diuerſitate per gradus accedente vindemia, minor operarum numerus eam poterit expedire, & generatim condere, ac meliùs puros ſapores, ſine luctamine alterius generis, vnaquæque vina ſeruare. Hoc ſi difficile videbitur, non alias ſimul conſeras, quàm quæ & ſapore, & flore, & maturitate conueniunt. Sed hæc in paſtinis, vel ſulcis ratio erit, in ſcrobibus verò per angulos 4. ſarmenta depones: Sed [vt aſſerit Columella] vinaceam ſtercori miſtam ſimul ſparges, & ſi exile ſolum fuerit, pinguem terram ſcrobi inferes, vel aliunde portatam. Cùm verò plantā, vel malleolum diſponimus, modicè humido ſolo, ſed potiùs arido, quàm lutoſo, duabus gemmis ſupra terram relictis, ſarmenta ponemus obliqua, & ſic faciliùs comprehendent.

*Arbuſtiua Vites.*

Quod ſi arbuſtū te habere, delectat plātā generoſæ vitis priùs in ſeminario nutrire debebis, vt inde radicata transferatur ad ſcrobem, cui arbor iniuncta eſt. Seminarium verò dicimus æquè foſſam tabulam pedum duorum ſemis altitudine. In hac, quam pro numero ponendarum vitium, vel qualiumcunque plantarū protendis, aut contrahis breuiſſimo ſpatio inter ſe ſarmenta depones, ſi vallis aut humectus eſt campus, trium gēmarum, exceptis minutis, quas habebit inferius, & vbi conualuerint, hinc poſt biennium radicatas vites, vel arbuſculas transferas, quas cùm depones in ſcrobe, ad ſingulas materias rediges, putatis omnibus, quæ ſcabra ſunt, curtatis etiam radicibus, ſi quas potueris inuenire vexatas. In ſcrobe autem ad arbuſtum faciendum duas radicatas vites deponis, hoc ſeruans, ne ſe in radice contingant: ſed lapides quinum propè librarum medios in vtramque conſtitues, & ipſas vites ad ſcrobis latera diſcreta coniunges.

*Mago dè ponenda ſcrobe.*

Mago aſſerit, ſcrobem non primo anno eſſe complendam: ſed ſubinde coæquandam, quæ res vitem faciet altiùs fundare radices: ſed hoc aridis prouinciis fortè conueniet, humidis autem ſata putreſient recepto humore niſi ſtatim terra cumuletur. Sed arbuſta, qui faciet plantas arborum de his generibus ponat, ſi agro ſuppetit abundantia, Opulo, Vulnio, Fraxino in montanis & aſperis, In quibus, Vlmus minùs læta eſt. Has etiam Columella dicit ſeminario debere nutriri. Mihi videtur, quod nulla prouincia ſit, quæ non ex his quamcúnque ſpontè producat. Sed ſi ager frumentarius fuerit, vbi arbuſta diſponis, quadragenos pedes inter arbores relinque, vt ſeri poſſit, in exili autem vicenos. In ſcrobe verò vitis ab arbore ſua ſeſquipedis ſpatio diſtare debebit. Nam vitis multùm ſubiecta arbori, incremento arboris opprimetur. Caueis etiam munienda eſt aduerſum pecoris appetentis iniurias, & arbori ſuæ protinus alliganda.

*Compendium de transferenda Vite ex arbuſto.*

Eſt & aliud de transferenda ex arbuſtò vite compendium. Fit ex vimine parua corbicula, quę menſura pedis, vel aliquantò minùs circini ſpatio poſſit amplecti. Hæc ad arborem, cui vitis inhæret, fertur. Et in ſundi media parte pertunditur, quò ſarmenti virgam poſſet admittere. Inducto itaque ſarmento vitis eius, de qua transferre diſponis, cornicula ipſa ex aliqua arboris parte ſuſpenditur, & viua terra repletur, vt ſarmentum terra poſſit includi, quod ſarmentum priùs intorquetur. Ita exacto annui temporis ſpatio, ſarmentum quod clauſum eſt, radices creabit intra prædictam corbiculam. Tunc ſub fundo corbis inciſum radicatum ſarmentum cum ipſa corbe portabitur ad locum quem vitibus arbuſtiuis deſtinabis implere, ibiq; obruetur circa arboris maritandæ radices. Hoc genere quantum volueris numerum vitium transferes ſine ambiguitate prehendendi.

*Vineæ prouinciales.*

Vineæ in prouinciis multis generibus fiunt: ſed optimum genus eſt, vbi Vitis velut arbuſcula ſtat breui crure fundata. Hæc primò calamo iuuatur, donec ſolidetur: ſed altior ſeſquipede eſſe non debet, vbi robuſta ſic erit, ſola conſiſtet. Aliud genus eſt, in quo cannis pluribus circà diſpoſitis, ipſa vitis per cannas ſarmentis ligatis in orbiculos flectitur ſe ſequentes. Vltimæ poſitionis vitis eſt, quæ per terram proiecta diſcumbit. Hæ omnes & ſcrobibus ponuntur & ſulcis.

Hoc

*Putatio vinearum communiũ altarum, vel humilium.*

Hoc menſe (Martio) locis frigidis aliquatenus, & temperatis vitium iuſta putatio eſt. Sed vbi ſunt multæ vineæ diuidantur, & pars earum, quæ Septentrionem reſpiciet, Vere putetur, alia pars aduerſa clementioribus plagis, recidatur Autumno: Sed in putatione ſemper nitamur, vt vitis fiat in crure robuſtior, neue debili viticulæ duo duramenta ſeruemus. Auferenda ſunt lata, intorta, debilia, malis locis nata ſarmenta. Focaneus etiam, qui inter duo brachia medius naſcitur, debet abradi, qui ſi pinguitudine ſua brachium quodcunque proximum debilitauerit, illi deciſo ipſe ſuccedat. Erat tamen optimi putatoris, inferius ſarmentum, quod bono loco natum fuerit, reparandæ vitis cauſa ſemper rueri, & ad vnam, vel duas gemmas relinquere.

*Focaneus abradendus*

*Loci conſiderandi*

In locis clementioribus altiùs vitem licebit expandere, in exilibus aut æſtuoſis, aut decliuibus, aut procelloſis, humilior eſt habenda. Locis pinguibus, ſingulis brachiis vitium bina flagella dimitte. Sed erit ſapientis æſtimare vim uitis. Nam quæ altiùs tollitur, & fœcũda eſt, plus quàm octo palmites habere non debet, ita vt conſeruemus ſemper in inferiore parte cuſtodem. Circa crus quicquid naſcitur amputandum eſt, ſi non deſideret vinea reuocari. Quod ſi truncus vitis Sole, aut pluuiis, aut noxiis animalibus eſt cauatus, purgamus quicquid eſt mortuum, plagaſque eas amurcâ linimus, & tetrâ aduerſum prædicta.

Cortex etiam reciſus & pendens à vite tollatur, quę res minorem fæcem reddit in vino. Muſcus radatur vbicunque repertus. Sed plagæ, quas in duro vitis accipiet, obliquæ & rotundæ eſſe debebunt. Deciſis ſicut ſuprà dixi, malè natis omnibus & veteribus nouellos, & fructuarios ſerua. Vngues etiam cuſtodum ſiccos, & annotinos recide, & omnia quæ vetera, vel ſcabra reperies.

Illæ, quæ altiùs coluntur, vt in iugo, vel pergula, vbi quatuor pedibus ſupra terram leuatæ ſteterint, quaterna brachia habeant. Si macra Vitis erit, in ſingulis brachiis ſingula flagella dimittimus, ſi pinguis, bina. Sed prouidendum, ne in ima parte ſint ſarmenta, quæ ſeruas. Quòd cùm fit, vitis tanquam ſi fulgure tangatur, areſcit. Relinquenda ſunt ſarmenta, neque circa durum, neque in ſummo, quia hæc velut pampinaria minùs affetunt, illa vitem nimietate fœtus onerant, & longiùs ducunt. Quare in medio loco ſeruanda ſunt, quæ tuemur. Plaga non iuxta gemmam, ſed aliquantò ſuperiùs fiat, & auertatur à gemma propter lachrymam defluentem.

*Putatio arbuſti*

Vitis, quæ in arbore collocatur, prima eius materia ad ſecundam vel tertiam gemmam præcidatur. Deinde omnibus annis aliquid per ramos creſcere, ſubinde patiamur, vnam materiam ſemper ad cacumen arboris dirigentes. Sed qui fructum volunt maximum, materias plures per ramos ſubmittunt qui vinum melius, ſarmenta in cacumen extendunt. Fortioribus ramis arborum plures materiæ, debilioribus imponendæ ſunt pauciores. Putandi autem ratio tatio talis eſt, vt & vetera ſarmenta, quibus primi anni fructus pependit, omnia recidantur, & noua circumciſis capreolis, & ramulis inutilibus dimittantur. Sed prouidendum eſt, omnibus annis vitem reſolui, ac religari, quia refrigeratur. Ita formandi ſunt rami arborum vitiferarum, ne alter ſub alterius linea dirigatur: ſed loco pingui vlmus à terra octo pedibus, gracili verò ſeptem ſine ramo relinquenda eſt. In ſolo roſcido & nebuloſo rami arboris vitiferæ in Orientem, & Occidentem putatione dirigantur, vt latera vacua Solis radiis membra totius vitis oſtendant. Agendum eſt autem, vt Vitis ſpiſſa non ſit in arbore, & deficientibus primis arboribus ſubſtituendæ ſunt aliæ. In loco cliuoſo humiliùs rami arborum ſeruandi ſunt, in plano & vliginoſo altiùs. Palmites ad arborem non duro vimine ligentur, ne eos vinculum recidat, aut attetat. Hoc autem noueris quia palma quod extra ligaturam pendens habuerit, fructum induet, quod infra ligaturam, materiæ ſequentis anni deputabit.

*Cauẽo*

Vites quas Prouinciali more velut arbuſculas ſtare dixi, ſi inſtituere velis, ramos à quatuor partibus his relinques, & in eis brachiis ſarmenta pro vitis poſſibilitate ſeruabis. Vites autem, quæ cannis in orbem cinguntur ſic putentur, quemadmodum eæ, quæ nituntur ridicis, aut palis. Illæ verò quæ ſine adminiculis iacent, quod pro ſola indigentia faciendum eſt, vel neceſſitate prouinciæ, primo anno duas gemmas: deinde plures habebunt. Sed huius generis vineæ ſtrictiùs eſt putanda.

*De Nouellæ Vitis putatione*

Nouellam vitem dicit Columella à primo anno ad vnam materiam eſſe formandam, nec recidendam totam, ſicut Italiæ conſuetudo eſt. Anno ſecundo expleto, quia vel intereant vites in totum reciſæ, vel infœcunda ſarmenta producant, quæ amputato capite velut pampinaria de duro coguntur exire: quare iuxta ipſam veteris ſarmenti, vnam vel duas gemmas cenſemus relinquendas, quod eſt meritò in viticula fortiore ſeruandum, & ſanè excipiendam calamis nouellam, vel exiguis palis, vt tertio anno robuſtiores poſſit accipere. Nam quadrina nouella, vbi lætum ſolum eſt, tres materias meritò nutrire cogetur. Statim poſt putationem ſarmenta deciſa à vineis, & Rubi & impedimentum foſſoris omne tollatur.

*Propagatio vitium*

Hoc etiam menſe [Martio] propagandæ ſunt vites: ſed vetus, & exeſa vinea cuius duramenta longè proceſſerunt, vt Columella dicit, mergis meliùs reparabitur, quàm ſi in foſſione totius corporis obruatur, quod agricolis certum eſt diſplicere. Mergum dicimus, quoties velut arcus ſupra terram relinquitur alia parte vitis in foſſa. Nam (vt ait Columella) cùm totæ ſtratæ ſunt, plurimis radicibus totius corporis fatigantur. Mergi verò poſt biennium reciduntur in ea parte, quæ ſuprà eſt, & in loco iuſtas vites relinquunt. Sed [vt agricolæ aſſerunt) poſt biennium ſi recidas, plerumque infirmas habent radices, & repente ſimul pereunt.

*Inſitio triplex*

Hoc Menſe calidis & apricis locis optimè celebratur inſitio, quæ fit tribus generibus. Sed ex his duo nunc fieri poſſunt, tertium reſeruatur æſtati. Sunt autem genera inſerendi hęc, aut ſub cortice, aut in trunco, aut emplaſtro. Inſeremus ergo ſic. Arborem vel ramum, in loco qui nitidus eſt, & ſine cicatrice, ſerrâ recidemus non lęſo cortice. Poſt ſerraturam plagam ferramentis acutis nitidamus. Inde quaſi cuneum tenuem ferreum, vel oſſeum, maximè leoninum, inter corticem & lignum tribus prope digitis conſideranter deponimus, ne corticis faſcia diſſepetut, & in eum modum ſubducto cuneo, ſtatim ſurculum mergimus una parte deciſum ſalua medulla, & cortice partis alterius, qui ſupra arborem ſex, vel octo digitis emineat, Duos vel tres, vel plures ſurculos pro trunci qualitate conſtituimus, qua-

ternis digitis, vel ampliùs inter eos ſpatium relinquimus, tunc Iunco, aut Vlmo, aut vimine ſtringimus, & ſupra lutum muſco teſtum ponemus, ac ligabimus, vt quatuor digitis ſuper lutum poſſit ſurculus eminere. Pleroſque delectat ſtrictum primo lectæ arboris truncum vinculis arctioribus in medio findere, & ibi ſurculos ex vtraque parte raſos in modum cunei, vt integra ſit medulla demergere, præmiſſo antè cuneolo, quo ſubducto, depoſitus ſurculus redeunte in plagam materia, poſſit aſtringi. Sed hoc vtrumque genus vernum eſt, & fit creſcente luna, vbi incipit gemma arborum turgeſcere. Surculi autem, qui inſerendi ſunt, ſint nouelli, fertiles, nodoſi, de nouo nati, ab orientali arboris parte deciſi, craſſitudine digiti minoris, bifurci, gemmis pluribus vbertati. Si arborem minorem deſiderabis inſerere, in qua ſine dubio meliora incrementa proueniunt, circa terram ſecato, &, quod melius eſt, ſurculos inter lignum, corticemque depone, tunc ſtringe. Quidam raſum ex vtraque parte ſurculum conuenientem ſoliditati arboris inſerendæ ſic in medio deponunt, vt cortex ſurculi vndique cortici arboris reddatur æqualis. Sed in nouella arbore terra mota vſque ad ipſum inſitum colligatur, quæ res eam à vento, & calore defendet. Mihi aſſeruit diligens agricola, omne inſitum ſine dubio comprehendere, ſi depoſitis ſurculis viſcum non temperatum in ipſa plaga pariter mergamus, quaſi glutino quodam ſuccos materiæ vtriuſque miſturum. De emplaſtratione ſuo menſe dicemus.

*Inſitionis quartum genus*

Quartum genus Columella ſic retulit: Gallica terebra vſque ad medullam arborem perforandam, plaga interiùs leuiter inclinata. Ibi educto omni ſcobe, vitem vel ramum admodum foraminis impreſſi delibratum, ſuccidum tamen, & humentem ſtrictè imprimi, vnâ aut duabus gemmis foris relictis, tunc argilla, & muſco locum diligenter operiri, ita & vites in Vlmo inſeri poſſe commiſſas. Hiſpanus quidam mihi hoc genus nouæ inſitionis oſtendit, quod ex Perſico ſe aſſetebat expertum. Salicis ramum brachii craſſitudine ſolidum, longum cubitis duobus aut ampliùs terebrari iuſſit in medio & plantam Perſici in eodem loco, in quo conſiſtit, ſpoliatam ramis omnibus, Solo capite relicto, per ipſum ſaligni manubrii foramen induci, tunc eundem ſalicis ramum terræ capite vtroque demerſo, in arcus ſimilitudinem debere curuari, foramen luto, muſco, vinculis ſtringi: anno deinde exempto, vbi infra medullam ſalicis caput plantæ ſic cohæſerit, vt vnitas ſit ex duobus miſta corporibus, plantam ſubterincidi, atque transferri, & aggerari terram, quæ arcum ſalicis cum Perſici cacumine poſſit operire, hinc Perſici poma ſine oſſibus naſci, ſed hoc locis humidis conuenire, vel riguis, & ſalices aquationibus adiuuandas, vt & natura ligni vigeat, quæ delectatur humore, & ſuperfluentem copiam ſucci germinibus miniſtret alienis.

*De fodiendis, palandis, & ligandis Vitibus.*

V Nunc locis maritimis, & calidis fodiendæ ſunt vites: vel [ſi hæc prouinciæ conſuetudo eſt] exarandæ, & in eiſdem locis palandæ, aut ligandæ ſunt vineæ priùs, quàm gemma procedat, cuius concuſſione, vel attritu incurritur grande diſpendium.

*Vitis theriaca Vt facienda.*

Theriacam vitem, cuius iſte profectus eſt, vt vinum eius, vel acetum, vel vua, vel ſarmentorum cinis proficiat, contra morſus omnium beſtiarum: ſic facies. Sarmentum, quod pangendum eſt, trium digitorum ſpatio in ima parte findatur, & ſublata medulla ad eius vitem Thyriacæ medicamen addatur. Tunc terræ mandetur vinculo diligenter aſtrictum. Aliqui eadem ſarmenta iam medicamine ſatiata, intra ſquillæ bulbum recondunt, & terris prædicta ratione committunt. Aliqui antidoti eius affuſione radices vitis infundunt. Sanè ſarmentum, ſi de hac vite ſumatur ad transferendam, potentiam materni medicaminis non tenebit, oportebit autem thyriacæ infuſione aſſidua, vim ſucci ſeneſcentis iterare.

*Vua ſine granis.*

Eſt pulchra ſpecies Vuæ, quæ granis interioribus caret. Hinc efficitur, vt ſumma iucunditate ſine impedimento ſorberi poſſit, velut vnum omnium corpus Vuarum. Fit autem Græcis Authoribus hac ratione, per artem ſuccedente natura. Sarmentum, quod obruendum eſt, quantùm latebit in terra tantùm findere debebimus, & medullâ omni ſublatâ, ac diligenter excalpta, membra iterum diuiſæ partis adunare, & vinculo conſtricta deponere, Vinculum tamen papyro aſſerunt eſſe faciendum, & ſic in humida terra eſſe ponendum. Diligentiùs quidam ſarmentum reiunctum quantum exciſum eſt, intra ſquillæ bulbum demergunt, cuius beneficio aſſerunt ſata omnia comprehendere faciliùs. Alii tempore, quo Vites putant, ſarmentum fructiferum putatæ Vitis in ipſa vite, quàm poſſint de alto ſublata medulla excauant, non diuiſum, & calamo affixo alligant, ne poſſit inuerti. Tunc ὀπὸν κυρηναϊκὸν, quod Græci ſic appellant, in excauata parte ſuffundunt, ex aqua priùs ad ſapæ pinguedinem reſolutum, & hoc tranſactis octonis diebus ſemper renouant, donec Vitis germina nouella procedant. Et in granatis malis fieri hoc poſſe affirmatur à Græcis, & in ceraſis opus eſt experiri.

*Vites lachrymoſæ.*

Vites quæ lachrymarum nimietate tabeſcunt, & deplorando vim roboris ſui auertunt à fructu, trunco earum lacerato Græci ſinum fieri iubent. Si hoc minùs proderit, radicum robur pingue reſcindi, vt afferat medicinam vulnus impreſſum: tum infulsâ amurcâ ad medietatem decoctâ, & refrigerata plagæ exciſio perlinetur, & ſub hac acetum acre fundetur.

*Vt propomata ſpontè naſcātur.*

Conditum vel abſynthiatum, vel roſatum, vel violatum procedere ſpontè fertur ex vitibus [vt natura ſuſcipiat, quod procurare ſueuit induſtria,] ſi ſarmenta in vas aliquod ſemiplenum ſupradictis potionibus merſa ſeruentur, & viuam terram ſimul reſoluas ad lixiuii modum, donec oculi ſarmentorum nitantur exire: tunc eadem ſarmenta gemmantia in quo volueris loco, vitium cæterarum more deponas.

*Vt botryones Variȷ naſcantur.*

Vt Vitis botryones & albos afferre poſſit, & nigros. Græci ſic fieri debere iuſſerunt. Si vicinæ ſunt vites nigra & alba, cùm putantur, ſarmenta vtriuſque inter ſe diuiſa ſic iunges, vt medios vtriuſque generis oculos æquādo reddere poſſint vnitati. Tunc papyro ligabis ſtricto & molli, atque humida terra curabis adlinire, & interiectis ternis diebus adaquare, donec germen nouæ frondis erumpat. Hinc exempto tempore, ſi libuerit, genus efficies per plura ſarmenta.

*Putationis tempus.*

Martio menſe locis frigidis putatio vineatum celebratur, de qua abundè Februario menſe locuti ſumus, vſque quò incipit gemma eſſe ſuſpecta. Vbi calor temporis cœperit, ligaturæ ipſi pinnicillo circa veſperam tenuis debet frequenter humor affundi, vt hoc alimento contrarium cœli torrentis animetur, Cùm ergo germen eruperit, & aliquod cœperit incrementum, calami adiutorio debet annecti, ne motus aliquis fragilem

lem procedentis ſarmenti quaſſet ætatem. Vbi ſolidiùs quantumcunque proceſſerit, vincula oportet abſcindi, ne adoleſcentia molliſſimi germinis nodo duræ conſtrictionis angatur. Aliqui infra terram ſemipedali ſpatio effoſſæ viti ſurculos inſerunt, & beneficio congeſtionis accumulant, vt hoc quoque nouis ſarmentis præter nutricis alimenta ſubueniat. Nonnulli circa terras meliùs aſſerunt inſerendum, quia in altiori difficiliùs comprehendunt. Vſque ad Idus, vel æquinoctium vites locis frigidis pangendæ ſunt, ſeu paſtinato, ſeu ſulco, ſeu ſcrobibus, more, quo dictum eſt.

*De nouellis puluerandis & fodiendis vitibus.*

Hoc menſe nouella vinea incipit puluerari, quod nunc ac deinceps per omnes Calendas vſque ad Octobres faciendum eſt, non ſolùm propter herbas, ſed ne tenera adhuc ſemina, ſolidata terra conſtringat. Graminum radices, quæ plurimùm vitibus nocent, extirpandæ ſunt. Nunc locis frigidis vinearum foſſio celebranda eſt: & palandæ, atque ligandæ ſunt vites: ſed nouellam mollibus vinculis alligemus, quia eam teneram vincula duriora præcidunt, Palus maioribus vitibus ſolidus, minoribus ponatur exilis: propter vmbræ moleſtiam ſtatuatur ab Aquilone, & plaga frigida, ſpatio quatuor digitorum, vel ſemipedis, motus à Vite, vt poſſit ex omni parte circumfodi.

*Vt vetus vinea reparetur*

Vineas veteres nunc aliqui è terra altiùs truncant, ſtudentes reparationi, ſed vitioſum eſt. Nam plerunque vaſtior plaga Sole putreſcit, & roribus: quare hoc genere reparetur. Priùs ablaqueabitur altiùs, donec eius nodus appareat: deinde infra terram ſupra nodum recidatur, vt operta, de frigore & Sole nil timeat. Hoc faciendum eſt, ſi optimi generis vitis ſit, & altè poſita, Omnia ſuprà dicta locis calidis primo menſe, frigidis verò, poſt Idus ipſius exequemur.

*Vt ægræ vites refocillandæ*

Ægras vites, vel quibus fructus areſcit, circumfodies, & vrinam veterem ſuffundes. Item cinerem ſarmenti, vel querci aceto mixtum ſubiice, aut inciſas circa terram lętamine refoueto, & quæ germinant, fortiora dimitte.

Cùm Vitis bidente læditur aut ferro, plagam ſi terræ iuncta eſt, adline ſtercore ouillo, vel caprino: tunc terra miſta circumfoſſa ligare curato: ſi in radice læſa eſt, operiens liquidum lætamen admiſce.

*De nouella vitis ſarmentis relinquendis & pampinandis.*

Maio menſe conſideremus nouellæ vitis ſarmenta, quæ protulit. & ei pauca & ſolida relinquamus, & adminiculis firmemus, donec brachia prolata dureſcant. Non enim ampliùs reſectæ, & pullulanti viticulæ, quàm duæ vel tres materiæ relinquantur, & alligentur propter iniuriam venti. Ideò autem tres materias dixi debere dimitti, ne diſſipantibus ventis nulla remaneat, ſi in primordio reliqueris pauciores. Hoc menſe pampinari conueniet: ſed tunc eſt opportuna pampinatio, cùm teneri rami digitis ſtringentibus crepabunt ſine difficultate carpentis: hæc res Vuas efficit pinguiores, & maturitati conſulit Solis admiſſu.

*De occandis vitibus.*

Hoc menſe Vites quæ ablaqueatæ fuerant occare, hoc eſt, operire iam conuenit. Auguſto maritimis locis vindemiæ apparatus vrgetur. Locis verò frigidiſſimis occatio vinearum fit. Hoc etiam tempore, ſi terra exilis in vinea eſt, & vinea ipſa inferior, tres, vel quatuor lupini modios in iugero ſpargis, atque ita occabis. Quod vbi fruticauerit, euertitur, & optimum ſtercus præbet in vineis, quia lætamen propter vini vitium non conuenit inferre vineis.

*Extirpationis carectorum tempus*

Nunc locis frigidis pampinatur, locis verò feruentibus, ac ſiccis obumbratur potiùs Vua, ne vi Solis areſcat: ſi aut vineæ breuitas aut facultas operarum permittit. Hoc etiam menſe extirpare poſſumus carecta, atque filiceta.

*Maturitas Vuæ vt cognoſcenda.*

Septembri locis tepidis maritimiſque celebranda vindemia eſt, frigidis apparanda. Sed maturitatem vindemiæ cognoſcimus hoc genere. Si expreſſa vua, vinacea quæ in acinis celantur ſint fuſca & nonnulla propemodum nigra, quam rem naturalis maturitas facit. Vuas quas ſeruare volumus, legamus illæſas, neque acerbitate rigidas, neque maturitate defluentes, ſed quibus eſt & granum luce penetrabili, ſplendidum, & tactus cū molli iucunditate calloſus. Si qua ſunt corrupta, vel vitioſa reſecemus, nec patiamur intereſſe, quibus inexpugnabilis acerbitas contra blandimenta æſtiui caloris induruit. Tunc inciſos botryonum tenaces calida pice oportet ambiri, atque ita in loco ſicco, frigido, & obſcuro ſine luminis irruptione ſuſpendi. Vitis cuius fructus humore putreſcit, per latera pampinanda eſt, ante trigeſimum vindemiæ diem, & ſola frons illa ſeruanda eſt, quæ in ſummitate poſita Solem nimium defendit à vertice. Octobri vbi calidi, ac ſicci aëris qualitas eſt, vbi exilis, & aridus eſt campus, vbi collis præruptus, aut macer, vites vtiliſſimè ponuntur, de quibus ſatis menſe Februario diſputaui. Nunc locis ſiccis, calidis, exilibus, macris, arenoſis, aridis, quæcunque de paſtinis, de vitibus ponendis, putandis, propagandis, reparandis, vel arbuſto faciendo, antè dicta ſunt, rectiùs fiunt vt contra exilitatem glebæ hybernis imbribus adiuuentur. Sic & humorem ſitientibus conſerunt, & reciſa, vel merſa glacie non adurunt, quia talibus locis pruinarum vis, & natura neſcitur.

*Ablaqueatio vineæ nouellæ.*

Poſt Idus Octobris ablaqueanda eſt omnis nouella vinea, ſeu in paſtino, ſeu in ſcrobibus, aut ſulcis, vt amputentur radices ſuperuacuæ, quas produxit æſtate, quæ ſi conualuerint, inferiores radices faciunt interire, & ita remanebit vitis in ſummitate ſuſpenſa, quæ res eam frigori obnoxiam faciet & calori. Sed hæ radiculæ non ad ſiccum debent recidi, ne aut plures inde naſcantur, aut noua plaga corpori vitis impreſſa, vi ſecuturi algoris vratur. Recidemus autem relicto digiti ſpatio. Et ſi placida ibi hyems eſt, apertas relinquemus vites, ſi violenta, ante Decembres Idus operiemus, ſi perfrigida, aliquantùm columbini ſtercoris ſub ipſa hyeme circa viticularum veſtigia largiemur, quod contra frigus nimium Columella dicit toto faciendum eſſe quinquennio. Hoc tempore idcircò locis quibus dixi, propagatio melior eſt, quia firmandis radicibus vitis incumbit, cùm proferendi palmites eam cura non permouet. Græci iubent ſi Vuam nimius imber infuderit, poſtea quàm muſtum eius primo ardore feruebit, vt ad alia vaſcula transferatur. Ita propter naturæ grauitatem remanens aqua ſubſidet, & tranſlatum vinum purè ſeruabitur, relicto quicquid ſe illi ex imbri miſcuerat.

Nouembri toto menſe locis calidis, & ſiccis, vel apricis, erit vitium celebranda poſitio. Nunc & propago iure dicetur, & locis frigidis nouellas vites, & arborum plantas circumfodere, atque operire conueniet, & ante Idus. Nunc mergis;

hoc eſt propaginis curuatura poſt triennium, quàm preſſa fuerat, recidetur à vite.

Nunc ac deinceps vinea vetus, quæ in iugo eſt vel pergula, ſi robuſto & integro trunco ſit, ablaqueata fimo ſatietur, & anguſtiùs putata inter quartum, & tertium pedem à terra viridiſſima parte corticis, acuto ferramenti mucrone feriatur, ac foſſa frequentiùs incitetur. Nam (ſicut aſſerit Columella ex eo loco germen plerumque producit, & veniente Vere fundit materiam qua vitis reparetur antiqua. Nunc putatio Autumnalis celebratur in vitibus, maximè vbi inuitamur tepore prouinciæ.

*Remedium vitium ſine fruge luxuriantium*

Locis calidis, & apricis vites quæ fructu carent, fronde luxuriant & pauperiem fœtuum compenſant vbertate foliorum: nunc putare preſſiùs conueniet: frigidis verò menſe Februario. Si permanebit hoc vitium, circum foſſas arena fluuiali, vel cinere debebimus aggerare. Quidam lapides inſerunt inter flexuoſa radicum.

*Remedium ſterilis vitis*

Iiſdem temporibus, & locis vitem quę ſterilis, fuerit Græci ita præcipiunt eſſe curandam. Trunco eius fiſſo lapidem aſſerunt includendum, & ibi vrinæ veteris humanæ quatuor cotulas circa truncum debere ſuffundi, vt ad radices inſtillatia ipſa deſcendat. Tunc adiicienda eſt terra admiſta lætamini, & circa radices ſolum omne vertendũ.

*Vt vua vſque in ver in vite reſeruanda*

Græcis aſſerentibus, vt Vuam ſerues in vite vſque ad Veris initia, circa ipſam vitem, quæ fructu plena eſt, loco vmbroſo ſcrobem fodies trium pedum latitudine, altitudine duorum, & mittis ſabulonem, & ibi calamos figis, in quibus retorques aſſiduè ſarmenta fructibus plena, & illæſis boryonibus alligabis, vt ſolum non contingant, & cooperies, vt imber eò penetrare non poſſit: Item Græcis docentibus Vuas in vite, aut poma in arbore ſi diu ſeruare volueris, vaſculis clauſa fictilibus ab ima parte pertuſis diligenter à ſummo tecta ſuſpende, quamuis poma & gypſo cooperta in longam ſeruentur ætatem. *Et hæc ſunt Palladii verba formalia.*

*Vindemia vt inſtituenda. Præcox Miſella quæ nigra*

Vuâ tandem maturâ vindemiam ita fieri oportet, vt videas à quo genere Vuarum, & à quo loco vineti incipias legere: nam & præcox, & miſella, quam vocant nigram, multò antè coquitur, vnde prior legenda, & quæ pars arbuſti, ac vineæ magis aprica priùs debet deſcendere de Vite. In vindemiam diligentiùs Vua non ſolùm legitur ad bibendum, ſed eligitur ad edendum.

*Repoſitio vuarum*

Itaque lectæ ius defertur in forum vinarium, vnde in dolium inane veniat, electa in ſecretam corbulam, vnde in ollulas addatur, & in dolia plena vinaceorum contrudatur: alia, quæ in piſcinam ſeu Amphoram picatam deſcendat: alia, quæ in aram, vt in carnarium aſcendat. Quæ calcatæ vuæ erunt, earum ſcopi cum folliculis *(Scopi)* ſubiiciendi ſub prælum, vt ſi quid reliqui habeant muſti, exprimatur in eumdem lacum. Cùm deſiit ſub prælo fluere quidam circumcidunt extrema, & rurſus premunt, & rurſus, cùm expreſſum, circumciſum appellant *(Circumciſum.)*, ac ſeorſum, quod expreſſum eſt, ſeruant, quod reſipit ferrum: expreſſi acinorum folliculi in dolia coniiciuntur, eoque aqua additur, ea vocatur *lora* *(Lora.)*, quòd lota acina, ac pro vino operariis datur Hyeme.

Vuarum conſeruandarum & recondendarum meminit Cato de re ruſtica, & Plinius cuius verba antè recitauimus.

Vires uitis viniferæ. *Capitis dolor.*

Vitis viniferæ folia cum clauiculis (ἕλικες, capreoli) trita & impoſita, capitis dolores mitigant, itemque ſtomachi inflammationem & ardorem cum polenta. Idipſum etiam folia per ſe impoſita præſtant: quippe quæ refrigerandi adſtringendique vim habeant. *(Stomachi ardor.)* Potus eorumdem ſuccus iuuat dyſentericos, ſanguinem excreantes, ſtomachicos, ac mulieres malaciâ laborantes. *(dyſenteria Malacia)* Eadem efficiunt macerati in aqua capreoli & poti. Lachryma vitium, quæ veluti gummi eſt, quæque circa illarum caudices concreſcit, ex vino pota, calculos pellit: inuncta lichenas, pſoras, lepraſque nitro affricto præparatas ſanat. Eadem cum oleo ſæpiùs pilis illitis pſylothri effectum habet, maximéque liquor quem accenſa ſarmenta vitium viridia exudarunt, quo & perunctæ myrmeciæ tolluntur. *(Calculus Lichen. Pſora Lepra. pſylothrum)* Cinis autem ſarmentorum & vinaceorum detractis circa ſedem condylomatis & thymis illitus ex aceto medetur. Prodeſt & luxatis ac viperarum morſibus: quin & contra lienis inflammationes proficit, cum roſaceo, Ruta, & aceto impoſitus. *(thymus Luxata Viperarũ morſus.)*

## DE OMPHACIO.

*Omphaciũ Veteribus. Dioſc: notatur]*

Omphacium, ſuccus acerbæ atque nondum maturæ Vuæ, Sole deſiccatus ac reſiccatus, poteſt ex cuiuſuis vitis cruda ac immatura Vua confici, licèt Dioſc. ex Thaſiæ ſolùm aut Amineæ vitis Vua fieri referat, qui modum etiam reſiccandi docet his verbis. Omphacium ſuccus eſt acerbæ Vuæ, ſeu Thaſiæ, ſeu Aminææ nondum variantis. Oportet autem ante Canis ortum expreſſum ſuccum in aheno ex ęre rubro, quod linteo ſit coopertum in ſolare, vſque dum in denſitatem coëat, intereaque ſemper totum id quod ipſi vaſi concretum adhæſerit liquido reliquo permiſcere, atque noctu ipſum à locis ſubdialibus ſub tectum referre: quandoquidem obſtant nocturni rores, quominùs ſpiſſeſcat cogaturve. *(Delectus.)* Eligendum eſt flauum, friabile, perquàm aſtringens & & linguam mordens. Sunt qui coctione ſuccum condenſent. *(Vires & vſus)* Prodeſt contra tonſillas, Vuam oris, vlcera, gingiuas humore flaccidas, purulentaſque aures, cum melle aut paſſo: item ad fiſtulas, vetera vlcera, nomaſque ex aceto. Dyſentericis & mulieribus fluxione vuluæ laborantibus clyſtere infunditur *(Fluxus.)* Oculorum quoque claritati confert, eorundemque ſcabritiæ anguliſque arroſis conuenit. Bibitur & ad recentem ſanguinis excreationem etiam ex ruptis vaſis obortam. Sed eo admodum diluto & pauco vtendum: ſiquidem potenter exurit.

*Vires ex Galeno.*

Omphacium [ vt Galenus prodidit ſimpl. 4.] calidis morbis omnibus magno iuuamento adhiberi poteſt, quippe cùm id omninò acidum ſit, perfectè etiam refrigerat, vnicéque ardoribus prodeſt, ſiue ori ventris impoſitum, ſiue totis hypochondriis, ſiue cuilibet alii, quòd refrigerare velimus, Omphaciumquod in æreo vaſe inaruit, adſtringendi ac inſigniter reſiccandi potentia pollet, particeps eſt & abſterſionis ab æreo vaſe contractæ.

*Omphacium liquidum recentiorum.*

Recentiores hodie Omphacium appellant, haud aridum Vuæ immaturæ ſuccum, ſed liquidum & conſiſtentia vino ſimilem, ex collectis ante maturitatem Vuis, præloque ſubditis expreſſum, qui deinde in vaſa reconditus. inſolatur, vel tepenti loco reponitur, vſque dum efferueſcens & ſordes quaſdam à ſe abiecerit, & fæculenta reſederint, & tunc quidem ſale addito (vti acerbum permaneat) in vſum ſeruatur. Galli & Belgæ *du verius* paſſim, Latini *agreſtam*: Nomina linguarum

Ital. *agreſto*: Hiſpani *agraz* appellitant. Et hoc Omphacium liquidum, ſiue agreſta, refrigerationem, reſiccationem, & egregiè adſtringentem facultatem habet, ori ventriculi gratum, nauſeam, ac cibi faſtidium tollit, appetentiam excitat, alui fluores reprimit; ardores viſcerum mitigat, non modò ſumptum, ſed & foris admotum, ſed tamen & iecinori lienibuſque obſtructis parum vtile: ſunt qui maiorem Omphacio adſtrictionem comparent, è ſilueſtrium vitium vuis [imò etiam ſilu. pyris & pomis] illud exprimentes, non ad medicamenta tantùm, ſed etiam ad ciborum condimenta.

*Vinum omphacites.* Omphacio liquido non abſimile eſt Vinum Omphacites, imò reuera ſpecie haudquaquam differens. Hoc Dioſcorides refert peculiariter fieri in Leſbo. Vuâ nondum planè maturâ, ſed adhuc acerba, ad tres quatuórue dies in cratibus ſiccatâ Sole, donec racemi in rugas contrahantur: ex his poſtquam expreſſum ſit vinum, cadis inſolari [Sole inueterari Plinius,] vim habere adſtringendo ſtomacho amicam, & malacia laborantibus, ileoſis, ægrè concoquentibus & ſtomachi diſſolutione vexatis, vtilem. Credi & abſorptum peſtilentibus affectibus auxiliari. Cæterùm huiuſmodi vina non niſi poſt annos complures potui apta ſunt.

Quælibet Vua recens aluum turbat, & ſtomachum inflat: quæ verò decerpta aliquandiu pependit, propterea quòd ea ventilatione magna humiditatis portio deceſſit, innocentior eſt, ac tum ſtomacho vtilis eſt, tum & appetentiam ciborum reſtituit, atque adeò ægris languentibúſve idonea eſt. In vinaceis & ollis ſeruatæ, ori ſtomachoque gratæ ſunt: aluum ſiſtunt [ſed veſicam & caput tentant] & ſanguinem excreātibus conueniunt. Similes porrò ſunt & quæ in muſtum coniectæ fuêre. At quæ in ſapa aut paſſo conditæ ſunt, ſtomachum magis infeſtant. Seruantur & in aqua cœleſti quæ priùs Solem paſſæ fuerint: ſed eæ parùm vinoſæ: ſunt ſiticuloſis tamen, ardentibus ac diuturnis febribus vtiles. Reconditi vinacei, inflammatis, præduris lacteque turgentibus mammis cum ſale imponuntur. Eorundem decoctum infuſumve dyſentericos iuuat, & cœliacos, itémque fœminas fluxione vuluæ laborantes, ſed & ad deſeſſiones ac fotus vſurpatur. *Decoctum infuſum.* Cæterùm acinorum nuclei adſtringendi vim obtinent, ſtomachóque ſunt vtiles: iidem toſti tritique ac polentæ vice inſperſi, dyſentericis proſunt, itémque cœliacis ac ſtomachi diſſolutione vexatis.

Vuæ [vt Galen. lib. 2. de alim. fac. memoriæ prodidit] quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent: ita fugacibus omnibus magis nutriūt: minimumque praui ſucci habent, præſertim cùm exactam maturitatem fuerint adeptæ: porrò quòd ipſæ nutriant, maximo argumento ſunt ii qui vinearum fructum cuſtodiunt, quippe qui tunc temporis Vuarum eſu admodum pingueſcant. Cæterùm non omnes vno quidem modo nutriunt, quoniam quæ dulces exiſtunt, cæteris ſuccum habent calidiorem, ob id ſunt ſiticuloſæ, ac ventriculum inflant, & aluum ſubducunt. *Auſteræ. Acerbæ.* Contrarium efficiunt auſteræ: ſiquidem & ventrem cohibent, parùm nutriunt, ægréque concoquuntur. Acerbæ autem vitari prorſus debent vtpote quæ ventriculo aduerſatur. *Dulces.* Vuæ eò laudabiliores, quò carnoſiores fuerint, præſertim cùm probè maturæ à vite decerpuntur. At penſiles, ſi priùs maturæ ſint, & dulces, cæteris minùs ventriculum inflant & aluum conuenienter emolliunt.

*Grana ad capillos color.* Capillos denigrare grana Vuæ aſſata in teſta infuſa in oleo, & ſepulta in fimo per menſem, ſi eo oleo, vnguantur, teſtis Bayrus.

*Ad pedum imbecill.* Vuarum grana repoſita in ſacculos qui hieme calefiant in foraminibus fornacum ac pedalibus noctu apponantur magni facio ad eos non ſolùm calefaciendos, ſed etiam ad roborandos, vt minùs fluxiones arthriticas recepiant.

## VVA PASSA.

*Vires ex Dioſc.* Vva paſſa alba, inquit Dioſc. adſtringentior eſt. Prodeſt eſitata earum caro arteriæ, tuſſi, renibus, ac veſicæ. Eſtur & cum nucleis per ſe contra dyſenteriam, itemque admiſta milij ac hordei farina & ouo, in ſartagine cum melle fricta ſumitur. Sed & eadem ad eliciendam è capite pituitam tum per ſe, tum etiam cum pipere commanducata proficit. Teſtium quoque inflammationes ſedat impoſita cum lomento fabarum & cumini farina. Epinyctidas verò, carbunculos, fauos, putreſcentiaque articulorum vlcera, atque gangrænas ſine nucleis trita & cum ruta illita ſanat. Conuenit & podagræ cum panacis ſucco adhibita: denique & mobiles vngues illita celeriùs extrahit.

*Vires ex Galeno.* De Vua paſſa. Gal. 2. de Alim. hæc prodidit: Vuæ paſſæ cum aliis Vuis eandem habent rationem, quam caricæ cum ficubus. Multæ enim fiunt dulces, acerbæ autem omninò paucæ: plurimæ verò ex dulci & auſtera qualitate ſunt miſtæ: quanquam dulces nonnihil quoque auſteræ qualitatis habent: & auſteræ dulcedinis. Cæterùm vt dulces temperamento ſint calidiore, ita auſteræ frigidiore. Ad hoc auſteræ ſtomachum roborant, & ventrem conſtipant, & his multò magis acerbæ: mediam autem quodammodò inter ipſas conſtitutionem dulces obtinent vt quæ nec aluum ſubducant. Dulcibus tamen, vt vis quædam ſemper ineſt contemperandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus facultatibus exiguas mordicationes, quæ os ventriculi infeſtant, obtundunt. Et libro 8. cap. 7. de compoſ. pharm. ſec. locos, idem Galenus ſic inquit. Vua paſſa contemptibilis videri poſſit, ob familiarem eius vſum. At verò hoc ipſū eam facit vtiliorem: nam cùm familiaris ſit nobis, in tantum adſtringens eſt, quantùm opus habet viſcus affectum. Habet autem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coercendi maligna, fitque ipſa haud facilè putredini obnoxia: & vltra hæc ſecundum totam ſubſtantiam, viſceri ipſi, hoc eſt iecinori, familiaris, & propria eſt. Item libro de attenuante victus ratione, ſic habet. Vuæ paſſæ ſi non ſint adſtringentes, lieni quidem, & hepati tumentibus non conducunt, thoracis tamen, & pulmonis affectibus conducunt. De Vuis autem paſſis, vt cibus ſunt, locutus eſt ipſe Galenus lib. 2. de alim. fac. his verbis. Alimentum ex paſſis vuis tali qualitate in corpus diſtribuitur, qualis ipſarum natura fuerit, dulce ex dulcibus, auſterum ex auſteris, miſtum ex iis, quæ vtriuſque qualitatis ſunt participes. Quantitate verò copioſius ex pinguibus, ac dulcibus, parcius ex auſteris, & macris. Quod ſi paſſarum pinguium, ac dulcium, à quibus ſemina fuerint exempta, parem molem, cum pari Vuarum mole contuleris, paſſas valentiùs nutrire deprehēdes. Huiuſmodi ſanè, vt minùs quàm caricæ ſubdu-

cant, abſtergeantque, magis tamen quàm illæ ſtomachum iuuant.

*Sententia multorum reprobatur.*

Cæterùm *Vuas paſſas*, quarum vbique vulgaris & frequens eſt vſus, omnibus notiſſimas eſſe arbitror, inquit Matthiolus. Verumtamen non eſt, meo quidem iudicio, credendum, quod cùm de Vuis paſſis mentionem faciunt Galenus, & Veteres alii, paruulas illas tantùm intelligant, quæ hoc tempore ex quibuſdam Aegæi inſulis, ac Peloponneſo, Venetias conuehuntur, & in quibuſdam etiam Italiæ locis inſolantur. Siquidem Galenus nulla magnitudinis, vel paruitatis habita ratione, omnes in vniuerſum vuas Solis calore ſiccatas, paſſas appellat. Id quod ipſe Galenus libro ſecundo de alim.fac.iis verbis declarat. Porrò quemadmodum paſſarum differentia, quæ à colore ſumitur, nihil ad paſſarum facultatem conſert, ita nec magnitudo: ſola autem qualitatis, quæ guſtui ineſt, differentia, poteſt omnia. Ex his nimirum Galeni verbis ſatis colligi poteſt, ipſum omnis generis Vuas, quę Solis feruore flaceſcunt, nullo prorſus diſcrimine paſſas appellaſſe, nempe Damaſcenas cæteris grandiores [Zibibum officinæ vocant] ac pariter his congeneres, quæ è Smyrnis (vt aiunt) Cypro, & Creta comportantur. Præterea loco citato idem Galenus ita ſcribit: Nonnulli autem, & rectè ſanè, è dulcibus, grandibuſque, quales ſunt Scybelitides, priuſquàm mandant, ſemina eximunt: quæ & ipſæ inueteratæ, cutim duram, craſſamque habent, eaſque priùs in aqua coguntur macerare: nam & ſemen ipſum faciliùs ſic eximitur. Aliæ quædam ſunt his contrariæ, ſolidæ, & craſſæ, quæ nullum prorſus ſemen habent. Creſcũt hæ in Cilicia, colore ſubflauo. In Pamphylia autem Scybeliticæ, & colore nigræ: quæ, vt dixi, ſunt maximæ, hæc ille. Cæterùm ſciendum eſt, non omnes Vuas paſſas eiuſdem eſſe facultatis: alia namque facultas ineſt dulcibus, alia auſteris, alia vinaceos habentibus, alia non habentibus. Quæ itaque vinaceis carent, vel quòd ita naturâ producantur, vel quòd ii arte fuerint exempti, ſi dulces ſint, adſtringente facultate vſque adeò priuantur, vt etiam mirificè leniant: quamobrem pectoris anguſtiæ, tuſſi, exaſperatis faucibus, & renum, veſicæque vitiis maximè conueniunt. Id quod planè confirmat Galenus lib.7.& 8.de comp.medic.ſec. loc. vbi Vuas paſſas ſine vinaceis leniendo pectori, ac iecinoroſis plurimùm commendat. Contrà verò, facultate omninò adſtringente cenſentur, quæ cum ſuis vinaceis manduntur. Quòd cùm non ignoraret Dioſcorides, Vuam paſſam cum nucleis in dyſenteria edendam eſſe tradidit.

*Medicorum error.*

Hinc itaque fit, vt maximo in errore verſari exiſtimem Medicos alioqui ætatis noſtræ celebres, qui alui deiiciendæ gratia, Vuam paſſam paruam vulgatem, quæ ex locis ſuprà dictis in Italiam defertur, ſimul cum vinaceis deuorandam exhibent, quippe cùm aluum fluidam facere in animo ſit, eam potiùs cohibent, quàm leniant: idque potiſſimùm, vbi Vuæ paſſæ temporis tractu ſucci partem amiſerint. Quâ re perſpectâ in hanc ſententiam deducor, vt ad aluum emolliendam aptiores cenſeam Damaſcenas, Cyprias, ac Creticas [quibus tamen priùs nuclei exempti ſint, vel eæ ſumantur, quę ſine nucleis naſcuntur] quàm quę minutæ paſſim in Officinis inueniuntur, quandoquidem hæ ſucci longè minus. quàm corticis, & vinaceorum continent, niſi ſint omninò recentes, & diligenter aſſeruatæ. Quapropter ſi hoc tenui Vuarum paſſarum genere vti quandoque cogimur ad emolliandam aluum, eas eligi præſtat, quæ ſine vinaceis proueniunt: vel ſi hæ deſint: ſuppleant illæ, quæ à nucleis fuerint expurgatę, tametſi Damaſcenis, & Creticis longè bonitate cedant: de quibus ſanè intellexiſſe Galenum, eaſque ad pectoris vitia laudaſſe, planè ſuſpicamur. In quorum genere hac etiam tempeſtate ſunt, quæ ſemine carent, quemadmodum quæ Galeni ætate ex Cilicia conuehebantur. Illud porrò animaduertendum eſt, quòd vbi quis aluum bonam facere contendit, non debet paſſis vti, quæ guſtui acerbitatem, vel auſteritatem relinquunt: ſunt enim tales frigidæ, ac terreſtres, quibus vtique facultatibus cohibent, adſtringunt, & roborant, præſertim ſi cum vinaceis nucleis comedantur.

*Ratio Vuarum paſſarum faciendarum Columella.*

Vuarum paſſarum faciendarum rationem hanc tradit Columella. Vuas, inquit, dulciſſimi ſaporis albas maximis acinis, nec ſpiſſis, Luna decreſcente: ſereno, & ſicco cœlo poſt horam quintam legi oportet, & in tabulas pauliſper porrigi, ne inter ſe pondere ſuo preſſæ collidantur: deinde aheno, vel in olla noua fictili ampla, pręparatam lixiuiam cineris ſarmenti calefieri conuenit, quæ cùm feruebit exiguum olei quàm optimi adiici, & ita permiſceri: deinde Vuas pro magnitudine binas vel ternas inter ſe colligatas in ahenum feruens demitti, & exiguum pati, dum decolorentur, nec rurſus committere, vt excoquantur, nam quadam moderatione temperamentoque opus eſt. Cùm deinde exemeris, in crate diſponito rariùs quàm vt altera alteram contingat. Poſt tres deinde horas vnamquamque Vuam conuertito, nec in eodem veſtigio reponito, ne in humore, qui defluxerit, corrumpantur: noctibus autem contegi debent quemadmodum fici, vt à rore, vel pluuia tutæ ſint: cùm deinde modicè aruerint, in vaſa noua ſine pice operculata & gypſata, ſicco loco reponito. Quidam Vuam paſſam foliis ficulneis inuoluunt, & aſſiccant: alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis ſemiuietas Vuas contegunt, & ita in amphoras recondunt. Sunt qui culmos fabę exurant, & ex eo, quod cremauerint, cinere, lixiuiam faciant: deinde in lixiuiæ ſextarios decem ſalis tres cyathos, & olei cyathum adiiciant: tum adhibito igne calefaciant, & cætera eodem modo adminiſtrent. Quòd ſi videbitur in aheno parùm ineſſe olei, ſubinde quantùm ſatis erit adiiciatur, quò ſit pinguior & nitidior Vua paſſa.

Vuam autem paſſam præceptore Palladio, ſic facies. Meliores acini, & dulcis, & lucidi botryones in ipſa vmbra ſuſpendis, & Vuam conſtrictam cùm ponis in vaſculis ſubſternis pampinos ſicco algore frigentes, & manu comprimis, & vbi vas impleueris, item pampinos addis nihilominus non calentes, & operculabis, ac ſtatues in loco frigido, quem nullus fumus infeſtet.

Monſpeſſulani Vuam dum parant, racemos binos hinc illinc filo ligatos vitioſis acinis forfice dettactis, feruenti lixinio addito olei paululò immergunt, quoad flaceſcant tantùm & corrugentur: deinde perticis imponunt, vt ſicceſcant, ac poſt triduum quatriduúmue inſolant, vt & Columella docet.

Paſſas Græci vocant πατηθείσας, quaſi conculcatas, non quidem quòd conculcentur, ſed quòd ob reſiccationem calcatis ſimiles videantur.

## MVSTVM.

*Genera muſti Plinij.* GEnera muſti hęc recenſet Plinius l.14. c.19. Ciſibilites muſti genus in Galatia naſcens, & Halyntium in Sicilia. Medium inter dulcia vinumque eſt quod Græci Aigleuces vocant, hoc eſt, ſemper muſtum. Id euenit cura, quoniam feruere prohibetur. Et l.23.c.1. Muſta differentias habent naturales has, quòd ſunt candida, aut nigra, aut inter vtrumque: aliáque ex quibus paſſum: cura differentias innumerabiles facit. In plenum ergo hæc dixiſſe conueniat.

*Nomina: Linguarũ.* Muſtum, liquor videlicet recens ab vuis calcatis, aut torculari ſubditis effluẽs. Gręci γλεῦκος, δῦκος Tarrhæo, χδιον πότον Epigram. Al. Moſt/ weinmoſt. Belg. Moſt. Gall. *Mouſt*. It. *Muſto*. Hiſp. *Moſto*.

*Muſtum lixiuum.* Muſtum lixiuum Colum. protropium Plin. quod in lacum fluxit priuſquam prælo preſſum ſit. νέος πρότροπος Polluci, ἐκρυεὶς πρὶν ἀποθλίβεσθαι. Al. Vorſchutzwein/trunſſwein. Belg. Leeck-weyn / moſt van ſelß gheleeckt. Gall. *La mere goutte*. It. *Vino moſto de giocoia*, Hiſp. *Moſto ò vino del tintin.*

*Muſtum tortiuum.* Muſtum tortiuum Colum. quod poſt primam preſſuram vinaceorum exprimitur, Al. wein dem nachdruck. B. Moſt laeſt wirgepreſt. Gall. *Vin ou mouſt de preſſurage.* Ital. *Moſto dultimo torchio*, Hiſp. *Vino de moſto torcido, e quò ſale del huſillo.*

*Muſtum vt toto duret anno.* Muſtum ſi voles totum annum habere, M.Catone tradente, in amphoram muſtum indito, & corticem oppicato, demittito in piſcinam, poſt trigeſimum diem eximito, totum annum muſtum erit.

*Vt dulce permaneat.* Muſtum vt ſemper dulce, tanquam recens permaneat ſic facito, inquit Columella, antè quàm prælo vinacea ſubiiciantur, de lacu quàm recentiſſimum addito muſtum in amphoram nouam, eamque oblinito, & impicato diligenter, ne quicquam aquæ introire poſſit: tunc in piſcinam frigidæ & dulcis aquæ totam amphoram mergito, ita ne qua pars extet: deinde poſt dies 40. eximito, ſic vſque in annum dulce permanebit.

*Muſti vires & vſus.* Muſtum recens flatu ventriculum & inteſtina implet: difficilè concoquitur: craſſi eſt ſucci: & niſi celeriter deſcendat, nocentius etiam efficitur. Hoc autem vnum illi tantummodò bonum, vt Galenus ait, adeſt, quod ventrem deiiciat. Citiſſimè autem ſecedit dulciſſimum, ac ex maturis Vuis expreſſum. Quod verò ab acidis & auſteris redditum, ad omnia peſſimum eſt: magis inflat, difficiliùs concoquitur, crudiores ingenerat humores. Et tametſi aluo perturbatâ etiam deſcendat, colicos tamen ſæpenumerò ſimul ingenerat humores, & calculi moleſtias adfert. Quod ſi vetò aluus etiam non commoueatur, grauiora ac moleſtiora omnia ſunt: frequenter verò & lienteriam & dyſenteriam efficit: tale ſucco Vuarum reſpondet, & citò quoque deſcendit. Poſterius vinaceorum, folliculorum, ac ſcaporum naturæ particeps, deterius eſt. Muſtum omne, *autore Plinio*, ſtomacho inutile, venis iucundum, A balneis raptum & ſine interſpiratione potum, necat. Cantharidum naturæ aduerſatur. Item ſerpentibus, maximè hæmorrhoidi & ſalamandræ. Capitis dolores facit, & gutturi inutile. Prodeſt renibus, iocinori, & interaneis veſicæ: colleuat enim ea. Priuatim contra bupreſtin valet: Contra meconium, lactis coagulationem, cicutam, toxica, dorycnium, ex oleo potum, redditumque vomitionibus. Ad omnia infirmius album, iucundius paſſi muſtum, & quòd minorem capitis dolorem afferat: Si quod animal, ait Columella, in muſtum ceciderit, & interierit, vti ſerpens, aut mus, ſoréxue, ne mali odoris vinum faciat, ita vt repertum corpus fuerit, id igne aduratur, ciniſque eius in vas, in quod ciderat, frigidus infundatur, atque rutabulo ligneo permiſceatur, ea res erit remedio.

## SAPA SIVE HEPSEMA.

*Confectio ſapæ.* EX muſto ingenii non naturæ operâ conficitur quod Græci ἕψημα καὶ σιραῖον vocant, Latini Sapam & defrutum: cùm videlicet muſtum dulciſſimi ſaporis ad tertias decoquitur, vt Columella ait. Plinius Sapam & Defrutum decoctionis modo differre aſſerit: & ſapam quidem fieri muſto ad tertiam partem reducto: defrutum ad dimidiam. Siræum, inquit lib.14.cap.9. quod alii ἕψημα, noſtri Sapam appellant, ingenii non naturæ opus, muſto ad tertiam partem menſuræ decocto: quod vbi factum ad dimidium, defrutum vocamus. Palladius his Caroenum adiicit quod ait fieri cùm tertia perdita, duæ partes remanſerint. Leontius in Geoponicis hepſema ex muſti partibus octo, & vini centum, ad tertias decoctis conficiendum refert. Galenus tamen ἕψημα eſſe muſtum plurimùm decoctum teſtatur: Recentiores hepſema ſiue ſapam, vinum coctum appellant. Muſtum quamdulciſſimi ſaporis decoquatur ad tertias, & decoctum, ſicut ſuprà dixi, Defrutum vocatur: quod cùm defrixit, transfertur in vaſa, & reponitur: vt poſt annum ſit in vſu, inquit Columella, qui in huius coquendi ratione multus ac prolixus eſt.

*Vires & Vſus.* Vim habet Sapa calfaciendi, non tamen æquè vt vinum, hoc autem craſſior eſt, minùs facilè diſtribuitur, tardiúſque per vrinas deſcendit, per ventrem verò ſubinde citiùs, nam hunc modicè ſeducit. *Alimentum.* Nutrit autem valenter, & corpus citò implet, in ventriculo tamen propter craſſitiem aliquantiſper hæret, ac iocinori aut lieni minùs idonea: concoquit etiam ſapa crudos humores, pectori ac pulmoni inhærentes, eorumque citam expurgationem procurat. *Tuſsis.* Tuſſi idcircò ac reſpirandi difficultati auxiliatur. Galen. lib.3. de med. ſec. loca, Sapâ aurium etiam dolores leniri tradit. Refert autem non parum, ex cuiuſmodi muſto ſapa confecta fuerit. Nam ex optimi ac generoſi vini muſto procul dubio præſtantior eſt, atque ad omnia ſuprascripta efficacior: ex tenuis verò ac oligophori vini muſto, imbecillior & minùs efficax. Carenum Sapam Marcell. appellat, vulgò *Vin cuit*, at defrutum *Reſinée*. Plinius Sapam in adulterium mellis excogitatam ait.

## DE DEVTERIIS ET SECVNDARIIS vini generibus tribus.

*Deuteriorũ tria genera.* NOn poſſunt, inquit Plinius lib.14. cap.10. iure dici vina, quę Græci Deuteria appellãt, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis: ſed tamen inter Vina operaria numerantur. Tria eorum genera. *Primum.* [Leg. Decimæ parti muſti quod expreſſum ſit, pari aquæ addita, & ita nocte &c. Dal. ex Colum. & Dioſc.] Decima parte aquæ addita, quæ muſti expreſſa ſit, & ita nocte ac die madefactis vinaceis, rurſuſque prælo ſubiectis. *Secundum*

Alterum; quomodo Græci factitauere, tertia parte eius quod expreſſum ſit, addita aquæ, expreſſoque decocto ad tertias partes. Tertium eſt, *Tertium* fæcibus vini expreſſum, quod fæcatum Cato appellat. Nulli ex his plus, quàm anno, vſus.

Prioris Loræ compoſitionem Columella etiam docet, ex tanta nempe aquæ qualitate, quanta eſt muſti expreſſa decima, vinaceis ſuperfuſa, ſed adiici ait præterea ſpumam defruti ſiue ſapæ: & fæcem ex lacu: quorum Plinius non meminit. Quantùm, inquit, vini vno die feceris, eius partem decimam, quot metretas efficiat, conſiderato, & totidem metretas aquæ dulcis, in vinacea, ſed quibus vnius diei vinum expreſſum ſit, addito. Eodem & ſpumas defruti, ſiue ſapæ, & fæcem ex lacu confundito, & permiſceto, eamque tritam macerari vnâ nocte ſinito, poſtero die pedibus proculcato, & ſic permiſtam prælo ſubiicito: quod deinde fluxerit aut doliis aut amphoris condito, & cùm deferbuerit, obturato. Commodiùs autem ſeruatur in amphoris. Hanc ipſam loram M. Columella ex aqua vetere faciebat, & nonnunquam plùs biennio innoxiam ſeruabat.

*Loram vt faciat Dioſcorides* Dioſcorides ſimilem aquæ ad muſtum, modum ac proportionem retinet, ſed à vinaceis loram expreſſam ad tertias recoquit, additque ad ſingulas metretas, ſalis ſextarios duos, & huiuſcemodi Loram non modò δευτερίαν, ſed & πότιμον nuncupari refert his verbis. *Deuteria. Potimos* Lora, quam Græci Deuterian, alii potimon appellant, paratur hunc in modum. In vinacea, è quibus vini triginta metretæ expreſſæ fuerint, tres aquæ metretas adiicito: ac vbi vinacea ipſa verſaueris calcaueriſque, exprimito: expreſſum decoque ad tertias partes, & in ſingulos reſidui congios ſalis binos ſextarios addito, ac poſt hyemem in cados diffundito. *Tempus. Vires.* Eo poſt annum vtitor: celeriter enim exoleſcit. *Vini ſubſtitutum* Conuenit porrò ægris, quibus vinum propinare dubitamus, & cogimur tamen ipſorum deſideriis obtemperare: itémq; à longa valetudine ſeſe recolligentibus.

*Compoſitio Loræ differens duplex Gal.* Galenus verò 2. de alim. facul. multò differentes huiuſcemodi Loræ compoſitiones, & quidem duas habet: Vinaceis, inquit, in parua dolia coniectis, tantùm aquæ ſuperfunditur, quoad omnia permadeant, quod vbi ſatis viſum factum fuerit, in dolii fundo foramen aperitur, vt dilutum effluat, idque pro vino bibunt. Deinde rurſus, ait, aliam aquam, parciorem tamen priori, vinaceis affundunt: ſic vt hoc quoque potioni fit attemperatum: *Prior, ſtemphylites vn. de dicta. Altera, deuteria Atticorum.* Priorem στεμφυλίτην appellari refert, ab ipſis nempe vinaceis, quæ Græcis στέμφυλα: Alteram verò Atticæ proprietatis curioſos propriè δευτερίαν dici velle.

*Vinum adynamon* Secundam Plinii Loram Dioſcorides quoque videtur deſcripſiſſe, ſed tamen non tertiam ad muſtum aquæ, vti Plinius, partem accipit, ſed muſti & aquæ æquales: Fit & vinum, ait is, quod vocant adynamon, viribus iiſdem quibus Lora præditum. Pares aquæ & muſti menſuræ leniter ac lento igne feruefiunt, dum excoquatur aqua, reliquum vbi refrixerit, in vas picatum transfunditur. Alii aquæ marinæ & pluuiæ, mellis atque muſti pares miſcent portiones, elutriant, & in Sole quadraginta diebus torrent. Huiuſmodi potu ad eadem illa omnia poſt annum vtuntur.

*Tertia loræ compoſitio* Tertiæ verò Loræ compoſitionem, Dionyſius Vticenſis in Geoponicis Conſtantino Imperatori dicatis haud abſimilem habet: στέμφυλα, inquit, hoc eſt, γίγαρτα, poſt muſti defluxum mox eiicienda ſunt, & in dolia reponenda ac conculcanda. Etenim τρύξ, id eſt, fæx ex his, quam patria lingua σίραιον vocant, haud iniucundus fit ruſticis potus. Conficitur autem hæc lora, ex vinaceis prælo antè non ſubiectis, ſed à quibus muſtum tantummodò, citra preſſuram defluxit ac percolatum eſt: Quid enim ab ipſis exprimi vlteriùs poterit citra liquoris affuſionem, vbi ſemel prælo ſubditæ fuerint.

### *Vini genera.*

*Vini genera Plinio.* NVnc genera vini proſequamur, quorum alia aliis gratiora eſſe quis dubitet, inquit Plinius lib. 14. c. 6. aut non ex eodem lacu aliud præſtantius altero germanitatem præcedere, ſiue teſta [natura] ſiue fortuito euentu? [arte.] *Vinum naturale & artificiale.* Quamobrem de principatu ſe quiſque iudicem ſtatuat. Iulia Auguſta, octoginta duos annos vitæ Pucino [Pizzino de Iſtria] vino retulit acceptos, non alio vſu. *Pucinum: Locus* Gignitur in ſinu Adriatici maris, non procul à Timano fonte, ſaxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras. Nec aliud aptius medicamentis iudicatur. *Aptum medicamentis.* Hoc eſſe crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus pyctanon appellauerunt, ex Adriatico ſinu. *Pictanon Græcorum.* Diuus Auguſtus Setinum [Setia oppidum in colle, à Tarracinæ paludibus quinque millia diſtitum: hodie Sezza] prætulit cunctis, & ferè ſecuti principes, confeſſa propter experimenta, non temerè cruditatibus noxiis [in ea ſalebra Dal.] *Setinum Auguſti* ab ea ſaliua. Naſcitur ſupra forum Apii. Antea Cæcubo erat generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano: quod iam intercidit & incuria coloni locique anguſtia, magis tamen foſſa Neronis, quam à Baiano lacu Oſtiam vſque nauigabilem inchoauerat. *Cæcubum.* Secunda nobilitas, Falerno ægro erat, & ex eo maximè Fauſtiano. Cura cultuque id collegerat. Exoleſcit quoque hoc, copiæ potiùs, quàm bonitati, ſtudentium. Falernus ager à ponte Campano læua petentibus vrbanam coloniam Syllanam nuper Capuæ contributam incipit. Fauſtianus autem circiter quatuor milliaria à vico propè Cedias, qui vicus à Sinueſſa 6. millibus abeſt. Nec vlli in vino maior autoritas: ſolo vinorum flamma accenditur. Tria eius genera auſterum, dulce, tenue. *Fauſtiani tria genera. Gauranum Fauſtianum Falernum.* Quidam ita diſtinguunt, ſummis collibus Gauranum [Caucinum CH.] gigni, mediis Fauſtianum, imis Falernum. Non omittendum autem nulli eorum, quæ celebrentur, iucundum ſaporem Vuæ eſſe. Ad tertiam palmam variè venêre Albana vrbi vicina, prædulcia [γλυκάζειν ſubdulce eſſe, non prædulce. Athenæus lib. 1. ex Haleno aſſerit,] ac rara in Auſtero. *Albana.* Item Surrentina in vineis tantùm naſcentia: conualeſcentibus maximè probata, propter tenuitatem ſalubritatemque. *Surrentina* Tiberius Cæſar dicebat conſenſiſſe medicos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum. C. Cæſar, qui ſucceſſit illi, nobilem vappam. Certant Maſſica, *Maſſica.*

[-*nec veteris pocula Maßici.*
Horat.]

æquè, ex monte Gaurano [Gaulo CH. in emend. Gauro] puteolos Baiaſque protectantia. Nam Falerno contermina Statana ad principatus venêre non dubiè: *Statana.* palamque fecere ſua quibuſque terris tempora eſſe ſicut rerum prouentus, ocaſuſque. Iuncta his præponi ſolebant Calena, & quæ in vineis arbuſtiſq; naſcuntur, Fundana. *Calena, Fundana Veliternina. Priuernatia.* Ex (vt) alia vicina vrbis Velitetnina, Priuernatiéque. Nam quod Signiæ naſcitur, auſteritate nimi

mia continendæ vtile aluo, inter medicamina numeratur. Quartum [autoritatis & nobilitatis gradum. Sumpta metaphora ab aurigis, qui curru in Circo certabant:] curriculum publicis epulis obtinuere à Diuo Iulio [is enim primus autoritatem his tribuit, vt in epiſtolis (epulis) eius apparet] *Mamertina. Potulana. Taurominitana* Mamertina circa Meſſanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana, ab autore dicta, in loco proximo Italiæ laudantur præcipuè. Eſt in eadem Sicilia & Taurominitanis honos, lagenis pro Mamertino plerunque ſubditis. Ex reliquis autem à ſupero mari *Prætutia. Palmeſia. Ceſenatia. Mecœnatiana.* Prætutia, atque Anconę naſcentia, & quæ à palma vna fortè enata, Palmeſia, appellantur. In mediterraneo verò Ceſenatia ac Mecœnatiana [A Mecœnate, Auguſti familiari & fido amico, regio ſanguine orto, quod Horatius palàm facit.] *Rhætica.* In Veronenſi item Rhætica, Falernis tantùm poſthabita à Virgilio 2. Georg.--- *& quo te carmine dicam Rhætica?* (Admirantis hoc eſſe Plinius exiſtimat: Seneca verò, incerti laudaturuſne, an vituperaturus ſit. Turn. cap. 26. lib. 29. Magis placet Plinii expoſitio: Nam & ipſe ea hauriens egregiè mirabar terrenæ & conuallium ſanguinis bonitatem.) *Adriana. Latinienſia Grauiſcana Statonienſia.* Mox ab intimo ſinu maris, Adriana. Ab infero autem Latinienſia, Grauiſcana, Statonienſia. Hetruriæ palmam Luna habet, Liguriæ Genua: Inter pyrenæum Alpeſque Maſſilia gemino ſapore, quando & condiendis aliis pinguius, [Nigrius & craſſius] gignit, quod vocant ſuccoſum. *Beterrarum. Fallica.* Beterrarum (Bliterarum Dal.) intra Gallias conſiſtit autoritas. De reliquis in Narbonenſi genitis aſſeuerare non eſt: quoniam officinam eius rei fecere tingentes fumo [vinum id Plato Comicus apud Athenæum καπνίαν vocat: Martialis fumos Maſſilitanos] vtinamque non & herbis ac medicaminibus noxiis. Quippe etiam aloën mercantur, quâ ſaporem colorémque adulterant. *Italica Tarentina Seruitiana Conſentia. Tempſa Babia Lucana. Thurina* Verùm & longinquiora Italiæ ab Auſonio mari, non carent gloria, Tarentina, & Seruitiana, & Conſentiæ genita, & Tempſæ ac Babiæ (Balbiæ, Hermol. in Dioſc. Balbina vina eadem eſſe putat, quæ Athenæus Barbarina vocat.) Lucanaque antecedentibus Thurinis. Omnium verò eorum maximè illuſtrata Meſſalæ potu & ſalute *Lagarina* Lagarina, non procul Grumento naſcentia. Campania nuper excitauit nouis nominibus autoritatem, ſiue cura, ſiue caſu, ad quartum à Neapoli lapidem *Trebellica. Caulina. Trebulana. Trifolina. Pompeiana.* Trebellicis, iuxta Capuam Caulinis, & in ſuo agro Trebulanis [Italorum vulgò Trebiano] alioqui ſemper inter plebeia & Triſolinis gloriata. Nam Pompeianis ſummum 10. annorum incrementum eſt, nihil ſenectâ conferente. Dolore etiam capitum in ſextam horam diei ſequentis infeſta deprehenduntur. Quibus exemplis, niſi fallor, manifeſtum eſt, patriam terramque referre, non Vuam: & ſuperuacuam generum confectationem in numerum, cùm eadem vitis aliud aliis in locis polleat. *Laletana. Tarraconēſia Lauronenſia Balearica.* Hiſpaniarum Laletana (Luſitana M. Laſitana CH.) copia nobilitantur, elegantia verò Tarraconenſia, atque Lauronenſia, & Balearica ex inſulis, conferuntur Italiæ primis. Nec ignoro, multa prætermiſſa pleroſque exiſtimaturos, quando ſuum cuique placet, & quocúnque eatur, fabula eadem reperitur: Diui Auguſti iudiciorum ac palati peritiſſimum è libertis, cenſuram vini in epulas eius facientem, dixiſſe hoſpiti de indigena vino, nouum quidem ſibi guſtum eſſe eum, atque non ex nobilibus, ſed Cæſarem non aliud poturum. Nec negauerim & alia digna eſſe fama; ſed de quibus conſenſus æui iudicauerint, hęc ſunt.

Et eiuſdem l. c. 7. Nunc ſimili modo tranſmarina dicemus: in ſumma gloria poſt Homerica illa, quæ diximus, fuere Thaſium Chiumque. Ex Chio quod Aruiſium vocant (ab agro aſpero & importuoſo inſulæ Chii: Strabo 14. Verg. *Vina, nouum fundā calathis Aruiſia nectar*: quamuis aliqui legāt Arethuſia.) *Leſbium* His addidit Leſbiū Eraſiſtrati maximi Medici autoritas, circiter dc. annum vrbis Romæ. *Clazomenium.* Nunc gratia ante omnia eſt Clazomenio, poſtquàm *parcius* mari condiunt. Leſbium ſponte naturæ ſuæ mare ſapit. *Tmolitos* Nec Tmoliti per ſe gratia, vt vino; ſed cuius dulcia admiſto, reliquorum duritia ſuauitatem accipiat, ſimul & ætatem quoniam vetuſtiora protinus videntur. *Sicyonium. Cyprium Telmiſcum Tripoliticum. Berytium Sebenniticum* Ab his dignatio Sicyonio, Cyprio, Telmeſico, Tripolitico, Berytio, Tyrio, Sebennytico. In Ægypto hoc naſcitur tribus generibus vuarum ibi nobile, *Myſticum Gnidium. Myconium Meſogites.* Thaſia, æthalo, peuce [Æthalo, quaſi fuliginoſa: Peuce quaſi picea.] Poſthæc autoritas hippodamantio, mylico, cantharitæ. (A cantharorum doliis. De canthatea vite Theophr. c. 20. lib. 2. de Cauſſis) protropo Gnidio, Catacecaumenitæ (quaſi retorrido, κατακεκαυμένη regio 500. ſtad. longitudinis 400. latitudinis Myciæ vicina exuſtæ ſimilis, vino generoſo celebris, de qua Strabo lib. 13. & 14.) petritæ, Myconio. Nam meſogiten capitis dolores facere compertum eſt: *Epheſium.* nec Epheſium ſalubre eſſe, quoniam mari & defruto condiatur. *Apamenum* Apamenum mulſo præcipuè conuenire dicitur, ſicut prætutium in Italia. Eſt enim & hęc proprietas generum, vt dulcia vtique inter ſe non congruant. *Protagion* Exoleuit & Protagion, quod Italicis proximum fecerant Aſclepiadis ſcholæ. Apollodorus Medicus in volumine, quo ſuaſit Ptolomæo regi quæ vina biberet, Italicis etiam tum ignotis, *Naſpercenites Oræticum Oeneates* laudauit in Ponto Naſpercenitem, mox Oroeticum, Oeneaten, Leucadium, Ambracioten & quod cunctis prætulit Præparentium: [Præparethium Turr. & nobis] ſed minoris famæ eſſe dixit, quoniam poſt ſex annos non placeret.

*Vina dulcia Diachyton* Et eiuſdem lib. c. 14. Vinum omne dulce minùs odoratum: quò tenuius, eò odoratius. Eſt vini genus quod vocat dulce Narbonenſis prouincia & in ea maximè Vocontii. Aſſeruatur eius gratia Vua diutiùs in Vite, pediculo intorto. Ab aliis ipſe palmes inciditur in medullam, ab aliis vua torretur in tegulis; omnia ex Heluenaca vite. His adiiciunt aliqui, quod vocant diachyton, Vuis in Sole ſiccatis loco clauſo per dies ſeptem, in cratibus, totidem pedes à terra altè, noctibus à rore defenſis, octauo die calcatis. Ita fieri optimi odoris ſaporiſque.

*Vina prodigioſa. Achaium* Sunt & in vino prodigia, id perhibente Theophraſto, Athenæo & Plinio. Dicitur enim in Arcadia fieri quod fœcunditatem [ſterilitatem Theophr. ἀτεκνώτας ποιεῖ] fœminis importet, viris rabiem. At in Achaia maximè circa Caryniam [Charmiam CH. Cabyniam Theophr. Ceryniam Athenæo. *Trœzenium Thaſium duplex.* Addidit Theophraſtus, canibus, ſi Vuas guſtauerint, etiam caculos elidi.] abigi partum vino, atque etiam ſi Vuam edant grauidæ, cùm differentia in guſtatu non ſit. Trœzenium vinum qui bibunt, negantur generare. Thaſios duo genera vini diuerſa facere proditur: *Theriace.* vnum quo ſomnus concilietur, alterum verò quo fugetur. Apud eoſdem vitis theriace vocatur, cuius & vinum & Vua contra ſerpentiū ictus medetur. *Libanium* Libanios thuris odore, ex qua Diis

prolibant. E diuerſo Aſpendios [ Quidam ſic dictam intetpretantur ab Aſpando vrbe Pamphyliæ. Lego Aſpendos, vel Aſpendios, à particula priuationis Græca & verbo σπένδειν libare, vt Vua ſit, cuius vino Diis libare nefas eſt.] damnata aris. Ferunt eam nec ab alite vlla attingi, Thaſiam Vuam Ægyptus vocat apud ſe prædulcem, quæ ſoluit aluum. Eſt contra in Lycia, quæ ſolutam firmat. Ægyptus & Ecbolada habet, abortus facientem. Vina in apothecis Canis ortu mutantur quædam, poſteaque reſtituuntur ſibi. Sic & mari nauigato cuius iactatus his quæ durauerint tantùm vetuſtatis adiicere ſentitur, quantùm habuerint.

*Aſpendium Vnde dictũ.* *Lycium Ægyptium. Ecboladum.*

*Setinum Martiali.* Vini Setini, quod Plinius D. Auguſtum cunctis præferre ſcripſit, recordatur etiam Martialis.

*Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia campos*
*Exigua vetulos miſit ab vrbe cados.*

Idem

*Setinum dominæque niues, denſique clientes:*
*Quando ego te medico non prohibente bibam.*

Iuuenali.

*——& lato Setinum ardebit in auro*

*Iuuenali. Cæcubum Galeno vnde dictum.* Vicinum & Setiæ oppidum Signia, vino Signino clarum.

Galenus porrò lib. 7. ſecund. loc. in Arteriacorum expoſitione Cæcubum vinum à loco dictum minimè putat, ſed ita vocatum fuiſſe quoduis vetuſtiſſimum, & ob vetuſtatem fuluum πυῤῥὸν, quod etiam 12. Meth. rurſus confirmat, & lib. 1. de Antidotis.

*Trifolina Dalech.* Trifolina verò uina quorum ſuprà meminit Plinius, illa ſunt, vt notat Dalechampius, quæ tertio foliorum exortu, nempe tertio anno ad bibendum tempeſtiua forent: vulgò, *vin de trois fueilles.* Martial.

*Non ſum de primo fateor Trifolina Lyæo.*

Iuxta illud Eſt, eſt, eſt. Propter eſt, eſt, eſt, Dominus meus mortuus eſt. Tranſmarina vt vocat Plinius, Plautus in Pœnulo hæc memorat.

*Vbi Leucadio, Leſbio, Thaſio, Coo,*
*Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges.*

*Vini nomina in genere.* Vuarum ſuccus defæcatus, iamque purus nitidusque apparens abſoluta ſcilicet feruefactione, ſordibusque reſidentibus. Græcè οἶνος dicitur, Al. Wein. B. Wyn. Gall. *Vin.* It. & Hiſp. *Vino*: & quidem propriè, Nam alii quidam ſucci ac liquores, vti malorum Punicorum, Cotoneorum, Pyrorum, Meſpilorum, Sorborúmue, vel qui aliunde veluti ex hordeo ac frugibus conficiunt, haudquaquam ſimpliciter, ſed addito nomine eius ex quo conficiuntur vina dicuntur. Ita vinum Rhoites ex Punicorum malorum acinis expreſſum: Cydonites ex malis Cotoneis: Apytes ex pyris: οἶνος κρίθινος ſiue vinum hordeaceum, quod & Zythum, ex hordeo compoſitum. Cognomina tamen & alia quædam. & quidem à ſtirpibus in iis maceratis vina accepêre, quæ ex vite tamen vina ſunt: vt Abſynthites, Myrſinites, Hyſſopites: factitia autem hæc dicuntur.

*Vinum ſimpliciter.* Propriè verò ac ſimpliciter vinum appellatur, quod ex vitis vuis expreſſum eſt, ac nullius alterius miſturam admiſit. *Vinum merum, meracum* Cicer. *purũ, putum*: ἄκρατος, ἀμιγὴς ἔυζωρος, ζωρὸν μέθυ. Eurip. Al. Lauter vnd vnghemengter wein. B. Louter pûre ſuyûere / ein ongemende wyn. Gall. *Vin pur, clair, point mixtionné*, Ital. *Vino ſchietto, puro.* Hiſp. *Vino puro y ſin aqua.*

*Vinum dilutum* Vinum dilutum, lymphatum, ὑδαρὴς. Al. Gewäſſerter wein / vermiſchter wein / mit der waſſerſtangen geſchlagen / Ghewaterde Wyn Gal. *Vin trempé*, Ital. *vino con aqua, acquato.* Hiſp. *vino aguado.*

Villum Terent. οἰνάριον. Al. Weinle. B. Wynken / kleine oft ſlechte Wyn. Gal. *vinet, vinet, petit vin.* It. *vinaccio.*

*Vinum generoſum* Vinum generoſum, nobile Horat. ἐπιζυγός. Al. Heblicher wein. B. Schachter wyn / Gall. *vin delicat & friant*, Ital. *vino delicato & piaceuole*, H. *vino delicado.*

*Vinum ignobile* Vinum ignobile, cibarium Varroni φαῦλος οἶνος: Al. ringher wein / tiſch wein / B. Schlechte Wyn tafel wyn, Gal. *vin ordinaire, vin de table*, It. *vino picolo, de tauola, ordinario*, Hiſp. *vino ordinario y de meſa.*

*Vinum conſiſtens* Vinum conſiſtens, ferens ætatem, firmum Plin. & Virg. αὐτόκρας, πράμνειος οἶνος, ὁ πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειος. Al. Beſtendiger wein. B. Duerachtige Wyn. Gall. *vin durable.* Ital. *vino di lunga dura.* H. *vino que ſe puede detener.*

*Vinum fugiens.* Vinum fugiens Cic. exoleſcens, dubium, in vitium inclinans, ætatem non ferens, ἐξιστάμενος, τρεπτικός, Al. wein der abfalt, vmbfalt / abſticht. B. Afgeends wyn / ende die niet dûeren enmach / Gall. *Vin alteré, & point durable*, Ital. *vin cotto, che ſe guaſta, che non puol durare*, Hiſp. *vino que no ſe puede detener mucho.*

*Vinum aceſcens.* Vinum aceſcens, vappa Horat. marcidum Statio, ὀξίνης, ὀξυτεϲίας, ἐξεστηκὼς, quod odorem, saporemque genuinum exuit. Al. verrochner vndt verdorbner wein. Boh. verſchaelde / ſûere / verdornen wyn. Gall. *vin pouſſé & corrompu.* Ital. *Vino ſuanito & guaſto.* Hiſp. *vino reborado, deſuanecido.*

*Vinum pendulum.* Vinum pendulum, quod lenteſcit. Al. Zager wein. Belg. Langhe wyn. Gall. *vin relant.* Ital. *vino che fila*, Hiſp. *vino liento, lo que hila.*

*Vinum hornum.* Vinum hornum, hornotinum, οἶνος αὐτετὴς. Al. Heûriger / oder lauriger wein. Belg. Jarighe wein / oft wyn von dieſem iare. Gall. *vin de ceſte année, ou vin d'vne année*, Ital. *vino di queſto anno, vino d'vn anno.* Hiſp. *vino de vn anno, ò que eſta cogido eſte anno.*

*Vinum bimum.* Vinum bimum Horatio, διετὴς οἶνος. Al. Zweyiarige wein. Bel. Tzweyiarige wyn. Gall. *vin de deux feuilles*, Ital. *vino di duoi anni.* Hiſp. *vino de dos annos.*

*Vinum annoſum ſiue edentulum.* Vinum annoſum, edentulum Plaut. vetuſtum: πολυετὴς οἶνος. Al. Alter wein. Belg. Oûde wyn. Gall. *vin viel.* Ital. *vino vecchio.* Hiſp. *vino vicio.*

Vinum atrum Plauto, rubeum. Al. Sicker roter wein. Belg. Roode wyn, wyn tint / wyn van Alicanten. Gal. *teinture.* Ital. *vino roſſo ò negro.* Hiſp. *vino tinto.*

*Vinum heluolum* Vinum heluolum Colum. & Cat. Medium inter album & ruffum. κιῤῥὸς οἶνος, Galeno etiam ξανθὸς, quod tamen vir doctus annotat eſſe rubei coloris, ſed erroris non vacuus, hoc eſt, ruffum pallens. Al. Schiller oder ſchillerter wein. Belg. pilger, vel piſter, voce à Gallica detortâ, quæ eſt *pailler*, wyn claret. Gall. *vin clairet.* Ital. *chiarello.* Hiſp. *vino claro.*

*Fragrans odoratum.* Vinum fragrans odoratum, flos Liberi Plauto & Ennio, ἀνθοσμίας, εὐώδης, νεκταροσταγής. Al. wol riechende we n. Beh. wyn von goeden rûecker / welriechende wyn. Gall. *vin de bonne odeur, ſentant bon.* Ital. *vin. de buon odore.* Hiſp. *vino che ole, echando de ſi odor.*

*Aromatites.* Vinum aromatites Plin. ἀρωματίτης οἶνος, ϑύοσκον πότον Herodoto, velut aromatica potio. Al. gewurtzer wein / hippocras / oder claret. Belg. Hippocras / claret wyn. Gall. *hippocras.*

Vinum

*Vinum ſaccatum* Vinum ſaccatum Plin. σακκίας Poll. σακτὸς Eupol. Al. dürch ein ſack abgeʒiegener wein/ hippocras. Belg. door eenen ſack gedaen oft ghegotin wyn.

*Vini latex.* Vinum igne eliquatum, vini latex. Al. brantwein. Belg. Ghebrande wein. Gall. *eau de vie, eau ardente.* Ital. *acqua vita, aqua di vita.* Hiſp. *agua ardente.*

*Patrium* Vinum patrium, vinum indigena Plin. ἰθαγενὴς οἶνος Hipp. αὐθιγενὴς Athenæo. Al. & Belg. Landtwein. Gall. *vin du pays.* Ital. *vino della patria.* H. *vino di ſu tierra.*

*Honorariũ* Vinum honorarium Cic. γεράσμιος οἶνος, γερόσιος Hom. Al. Schenckwein/verehrung wein/ Belg. Preſentarie wein/ ſtadtpotten wyn. Gall. *vin d'honneur.* Ital. *vino da preſentar, ò far preſente.* H. *vino di honra, y que ſe da,* quale principibus aut exteris Legatis offerri ſolet honoris ergò.

*Pracium.* Vinum præcium Virg. Præliganeum Catoni, ſiue quod præ omnibus legitur & vindemiatur, ſiue quod in vſum familiæ operariúmque ex vuis ante iuſtam maturitatem collectis fit. Al. Der erſt wein im herbſt. B. d'eerſtie wyn, vroechwyn. voorwyn/G. *Vin premier vendangé.* It. *Vino della prima vindemia.* It. *Vino de la premiera vindemia.*

*Operariũ* Vinum operarium Plin. quod operariis exprimitur. Al. Botten oder knechten wein. B. Dranck voor de botten eun verleden/ G. *Vin de manouuriers ou de famille.* It. *Vino di famiglia.* It. *Vino de obteros.*

*Tortiuum.* Vinum tortiuum, βοστρυχίτης οἶνος. Al. Preſſwein. B. Perſſe oft gheperſte wyn. G. *le preſſoirage.* H. *vino de moſto torcido.*

*Factum.* Vinum factum Varr. in dolia conditum, nec turbulentum ampliùs: doliare vinum Vlpiano, nouum necdum veteranum, ac proinde vilius. Al. Führ wein/ ghefaſter wein. B. Voeder wyn ghevaette wein. G. *vin paré.*

*Molle.* Vinum molle Virgil. lene. ἡμερίδης οἶνος Plutarch. Al. Milder wein. B. Milde mondelücke oft Lieflycke wein. G. *vin ſauoureux & aimable.* It. *vin guſtoſo, ſaporoſo, di buon guſto.*

*Aſperum* Vinum aſperum, ἄγριος. Al. Harter wein/ der rauch/ onlieblich vnd harb iſt. B. Straffe oft harde wyn. G. *vin rude degouteux.*

*Mucidum.* Vinũ mucidum Mart. Al. Konachtiger/nuchtlender Wein/ wein der nach dem faß ſchmacht. Boh. Kaenachſtige. Kiemachtige/oft waetſche eun na t'uat ſchmackende wyn. G. *vin chanſi, moiſi.* It. *vino moffo.* H. *vino mohoſo.*

*Saccharum.* Vinum ſacco caſtrare Plin. ſacco frangere, ſacellare Nebriſſenſis ponit, vini vires emedullare: σακκελίζειν Plutarch. εὐνουχίζειν οἶνον Eidem. Al. wein durch ein ſack abziehen/ auf daß ihme die ſteercke wergehe. B. wein lecken.

*Tranſuaſatum.* Vinum elutriare Plinio. Vinum de vaſe in vas transferre, quod & tranſuaſare minùs vſitatè dicitur. μεταγγίζειν τὸν οἶνον κατεράσαι, καταναμίζειν Poll. Al. Wien ablaſſen oder abziehen. B. Wyn verlaten van de monder trecken. G. *Fralater du vin.* It. *Tramutare il vino d'vn vaſo al l'altro.* Hiſp. *Traſſegar vino.*

*Crucium Vinum.* Vinum atrum & aſperum[auſterioris guſtus Plin.]Crucium vocat Feſtus, Gallam Lucilius: De hoc vino Plinii auſterioris guſtus, vt etiam de vino Rhetico & Allobrogico, aliiſque pluribus, videnda plura antè de viribus.

*Vinum Creticum ſiue Maluaticum, aut Aruiſiũ* Commendantur hodie vinum Creticum, ſiue Maluaticum, Virgilio, Aruiſium dictum, teſte Hadr. Iunio, Chium & Monembaſites dicitur Athen. κρητικὸς, μονεμβασίτης. Al. Maluaſey. Boh. Maluegie. G. *maluoiſie.* Ital. *vino maluatico, maluaſia & maruiſia.* Eſt autem Aruiſium, vnde nomen habet vinum, promontorium in inſula Chio, vulgò dictum Maluaſia, vel Maruiſia. Belgii, inquit Dodonæus, & præſertim Zelandiæ œnopolæ ex ſapa & vino vtriſque Hiſpanienſibus certa proportione permixtis vinum componunt miſcellaneum, quod pro Cretico, vulgò Maluatico nuncupato, ſubſtituunt ac venum exponunt. Alii accipiunt Galangæ, Garyophyllorum, Zingiberis, Macis ana drach. i. puluerem conficientes groſſum, quem macerant ſpiritu vini in in vaſe ligneo bene obturato per 24. horas. Quibus peractis in ſacculo vino per tres dies imponunt, ac ita vinum Maluaticum mentiuntur. Aut accipiunt muſtum ferueſactum cum quo triticum ad conſumptionem tertię partis deſpumando decoquunt, colant, vaſis imponunt. Hîc ſubiungeremus rationem componendi vini Maluatici artificialis ex aqua & melle, niſi paſſim apud Authores eius deſcriptio occurreret. *Vini maluatici adulterium* *Maluatici compoſitio* *Alia.*

Vinum Apianum [ vide antè; apud Plin. vitem apianam] ſiue Moſcatellinum, Falernum, φαλέρινος Athenæo vocatum, Germ. Moſcateller: Belg. Moſcatelle wyn. Gall. *vin moſcatel,* Ital. *vino moſcatello, moſcatella. De vino Phalerno* ſcribit Gal. ad Piſon. dicens, Vinum autem illud ſit optimum, quale Falernum, quod Fauſtinianum appellant. Idem de Antidot. lib. I. cap. 3. Eligenda ſunt in conficiendis antidotis vina ſuapte natura, inter quæ Falernum non hac re ſolùm excellit, verùm & omnibus aliis dotibus antiſtat, eligendumque ex Falerno id quod nondum eſt vetuſtate amarum, vt aliqui faciunt; hac in re ab iis qui theriacam rectè conficiunt, aberrantes: Cùm enim audierint, id quod ſemper ab omnibus ſolet dici, ſeneſcere cætera temporis diuturnitate præter vina, ſummè vetuſtum vinum admiſcent. *Apianum, Moſchatellinum, ſiue Falernum.* *Delectus*

Vinum moſcatellinum ita adulterabis. Collige flores Sambuci, abiectis petiolis in aëre exſicca, in dolium, dum muſtum feruere incipit, ſacculum iis plenum ſuſpendito, ac bis in die, quamdiu feruet muſtum, ſacculum in dolium exprimito, tandemque flores abiicito, & ſic ſaporem & odorem vini muſcatellini conficito. Aut recipe Glycyrrhizæ: Polypodii, Aniſi ana Drach. ii. Nucis myriſticæ Drach. iii. pulueriza groſſo modo, & in vinum immittito: Aut muſto feruenti Ocymum ſiccatum, aut Gallitricum ſatiuum imponito. Muſcatellinum rubrum conficies hoc modo. Collige flores Sambuci nondum planè explicatos, horum recipe vnc. iiii. Cinnamomi Drach. ii. coq. cum muſto rubro. *Adulterium Moſcatellini*

Vina Maluatica, Muſcatellina, Corſica, & alia ex Græcia, Hiſpania, Italia, & Languedoc nobis ſunt valdè pernitioſa in communi potu, licèt optima ad cruditates ventriculi, ad colicum dolorem, & alios morbos à cauſa frigida: ac licet vina peregrina ex calidis regionibus aduecta videantur guſtui grata, non temerè ea bibenda: nam nõ ſolùm nocent qualitatibus manifeſtis, ſed etiam aliis occultis, antipathiâ quadam nobis contrariis, quia regiones noſtræ diuerſæ: cùm tamen ſint familiaria & amica per ſympathiam incolis, vbi illa creſcunt. *Vina calidarum regionum.* *Antipathia*

Vina Gallica enumerat Nicol. Abrah. à Framboiſiere in regimine ſanitatis. Vina Francica, inquit, quæ circa Lutetiam proueniunt, & in tota Franciæ inſula, maxima ex parte alba & rubella, calida & ſicca primo gradu aut principio ſec. oligophora: vbi benè matura, grati ſaporis, ſtudioſis apta, vrbium incolis, qui tranquilla & ſeden- *Vinorum differentia Framboiſiere.*

taria vita vtuntur : vaporibus acribus non replent caput vt Aureliaca, interna non vrunt vt Gaſconica, Hiſpanica, & aliarum regionum valdè calidarum : non replent corpus ſtercoris excrementis, vt vina cruda & acerba : non coaceruant humores melancholicos qui pariunt obſtructiones, vt vina craſſa & nigra. Inter omnia Franciæ vina præſtantiſſima exiſtimantur vina ex *Couſſi* : ideò dicata & reſeruata Regio potui: plærumque ſunt rubra aut rubella generoſa, conſiſtentiâ mediocri, grati ſaporis & potui iucunda: optima ſummè imbecillibus à Venere, & iis qui magnam paſſi euacuationem. Inter Campaniæ vina primum obtinent locum bonitatis & perfectionis quæ in *Ay* proueniunt : rubella, ſubtilia, delicata, palatui admodum grata, ad Rubum Idæum accedentia, expetita Magnatibus: prouocant tamen defluxiones & caput lædunt iis qui raram corporis texturam habent, bibenda ante dies caniculares, poſtea enim minuitur eorum bonitas. Inter vina Bungundica primum locum obtinent *Beaunenſia*, conſiſtentia mediocri, coloris oculorum perdicum, ſaporis grati : generoſa, minùs vaporoſa Aurelianenſibus, vnde vulgare prouerbium,

*Vina Couſſi.* *Vina Burgundica Beaunenſia*

*Vinum Belnenſe ſuper omnia recenſe.*

Vina Aureliana magnifiunt in Francia ob generoſitatem & bonitatem : plærumque rubra ſunt, mediocri ſubſtantiâ, boni ſaporis, ad Rubi Idæi ſaporem accedentis, generoſa, ventriculo commoda: magis calfaciunt & nutriunt quàm Francica : verùm præ cæteris caput grauant & cerebrum lædunt : nocua ſunt obnoxiis Hemicraniæ & defluxionibus, & iis quibus viſcera calida & ſicca: meliora ſunt ſec. anno. Diu cõſeruantur vina ex Anjou. Vina ex Bar-ſur-Aube, accedunt proximè colore, ſapore, & bonitate ad vina ex Anjou. Vina Gaſconica licèt calidiora & ſicciora vinis Aurelianis, nihilominus non ſunt ita vaporoſa, nec ita citò offendunt caput, vt experientia cognoui, quia craſſiora, nec ita ſubtilia.

*Vina ex Bar ſur-Aube.* *Vina Gaſconica.*

*De vino languente, vapeſcente, aſpero, turbido, aceſcente &c. vt & de vinorum adulteriis peculiaris inſtituetur tractatio.* Omne autem vinum vtplurimùm aceſcit, & in vappam tranſit circa Pleiadum occaſum, & circa Solſtitium hybernum, aut efflореſcente iam Vite, & circa Solſtitium ęſtiuũ & ſub Caniculæ æſtum, & in ſumma circa omnes acceſſiones & frigoris & caloris, aut largórum imbrium. Idem contingit & propter violentos ventos, aut vehemens tonitru, aut etiam iuxta tempus quo Roſæ florent, aut à fulgure violento. Plura qui volet, videat Conſtantinum Mizaldum, & Colerum.

*Aceſcat quando, & cur.*

## *De vini natura & facultate.*

*Aetas Vini variat naturam.* *Vina Vetuſta, Senſuũ inſtrumenta lædunt.* *Noua inflant.* *Vrinæ.* *Aetate medium, optimum.* *Color album.* *Nigrum.*

Vini naturam pro ætatis ratione differre nemo ſanus dubitat. Vina vetuſta neruos reliquaque ſenſuum inſtrumenta, lædunt, attamen guſtu ſuauiore, iucundioréque ſunt : quare vitanda iis qui internè alicuius partis imbecillitatem ſentiunt. Nihilominus in ſecunda valetudine vinum eiuſmodi paucum & aqua dilutum innoxiè ſumitur. At nouum inflationes parit, ægrè coquitur, grauia facit inſomnia, vrinaſque ciet. Quod verò ætate medium eſt, vtroque illo vitio caret, proindéque ad vſum ſanorum, ægrorumque deligendum. Inſuper album [ variat enim vinum pro ratione coloris ] eſt tenue ac ſtomacho vtile, faciléque in membra diuiditur. Nigrum verò craſſum eſt, & ad concoquendum difficile, temulentiam facit & corpus auget. Fuluum, vtpote quod medium eſt, medias etiam inter vtrunque vires obtinet. Album tamen tum in ſecunda, tum & in aduerſa valetudine laudabilius. Sed & vina ſapore diſtant.

*Fuluum.* *Delectus.*

Sapor enim atque quæ vino admiſcentur, ea differre faciunt. Siquidem dulce craſſis partibus conſtat & ægrè de corpore expirat, ſtomachum inflat, aluum & inteſtina, vti & muſtum, turbat : ſed minùs inebriat, veſicæ ac renibus aptum. Auſterum vrinas magis expellit, ſed capitis dolorem facit, ac temulentiam gignit. Acerbum ad ciborum per membra digeſtionem accommodatiſſimum : aluum cæteraſque fluxiones cohibet. At vinum molle & ſapore languidum neruos minùs tentat, minuſque vrinas pellit. Paſſum & hepſema nigra quidem ſi fuerint, craſſa ſunt & corpora multùm alunt : at candida, tenuiora: quæ verò medio inter hæc colore ſunt, medias quoque vires ſortiuntur. Omnia tamen aſtringunt, languidos pulſus excitant, & faciunt aduerſus venena quæcunque exulcerando necant, ex oleo pota & vomitionibus reddita, itemque contra meconium, pharicum, toxicum, cicutam, & lactis in ventriculo coagulationem: necnon & contra renum ac veſicæ roſiones & exulcerationes: nihilominus inflationes pariunt, & ſtomacho aduerſantur. Priuatim confert Melampſithium iis qui alui fluxione laborant. Album magis cæteris emollit aluum. Gypſo conditum neruos offendit, capitis grauitatem infert, viſcera calore accendit, & veſicæ aduerſatur: ſed contra venena cæteris aptius. Picata aut reſinata excalfaciunt, & concoctionem adiuuant, languinem excreantibus inimica. Quæ verò aparachyta, hoc eſt, maris expertia dicuntur, & ſapam tamen admiſtam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt, de corpore difficulter expirant, & ſtomachum malè habent.

*Sapor.* *Dulce, craſſum.* *Auſterum caput tentat.* *Acerbum fluxiones cohibet.* *Molle* *Paſſi vires.* *Hepſema.* *Venena.* *Lactis coagulatio.* *Exulcerationes.* *Melampſithium.* *Gypſo conditum.* *Picatum.* *Maris expertia.*

In vniuerſum vinum omne meracum & ſyncerum, ac ſua natura auſterum excalfacit, facilè in membra diſtribuitur, ſtomacho conuenit, appetentiam ciborum inuitat, corpus alit, ſomnum conciliat, robur auget, & colorem commendat. Potum liberaliùs, auxilio eſt contra aſſumptam Cicutam, Coriandrum, Pharicum, Ixiam, Meconium, argenti ſpumam, Taxum, Aconita, Fungóſve : nec minùs contra ſerpentium morſus, & omnium ictus morſúſve, quæ refrigerando necant, aut ſtomachum in vomitiones effundunt. Facit & ad diuturnam hypochondrii inflationem, roſionem, atque diſtentionem, itémque ſingultum, ac ſtomachi, inteſtinorum, & ventris rheumatiſmos. Vina conueniunt ſudatoribus, & quibus corpus immodico ſudore digeritur, maximè quæ ſunt alba, vetera, & odorata. At quę ſunt vetuſta ſimul & dulcia, renum ac veſicæ vitiis ſunt accommodatiora : nec non vulneribus inflammationibúſque in ſuccida lana commodè imponuntur. Quin & iiſdem fera, phagedænica, & affluentibus humoribus irrigua vlcera vtiliter fouentur. Porrò vina quibus aquæ marinę nihil additum eſt, auſtera, & alba, ad ſanorum victus commodè vſurpantur. In his præſtant Italica : vti Falernum ( quod inter Italica principem locum obtinet,) Surrentinum, Cæcubum, & permulta alia è Campano agro, itémque Prætutianum, Adrianum & Siculum, quod Mamertinum appellatur. Ex Græcis, Chium, Leſbium, & Phygilites, quod in Epheſo gignitur, Craſſa verò & nigra ſtomacho aliena ſunt, flatuſque pariunt

*Vini facultas in genere.* *Meracum, ſincerum, ac natura auſterum* *Alba vetera, odorata.* *Vetuſta dulcia* *Auſtera & alba*

ſtunt: attamen corpus augent: tenuia autem & auſtera, ſtomacho quidem proſunt, ſed carnes alunt. At quæ ſunt valdè vetera, tenuia & candida, vehementiùs vrinas ciunt, & dolores capitis inferunt, neruoſúmque genus largiùs pota tentant. In media ætate, vt à ſeptimo anno, potui ſaluberrima ſunt.

*Modus bibendi vnde deſumendus.*

Modus autem pro ętate, anni tempeſtate, conſuetudine, & qualitate vini decernatur. Optimè verò præcipitur, vt ne ſitis immodica toleretur, & tantùm potionis adhibeatur, quantùm proluendis cibis ſat ſit. Siquidem ebrietas omnis, maximéq; iugis, frequentióruе pernitioſa. Enimverò largior perpotatio neruos obſeſſos in dies remittere, morborúmque acutorum initia quotidie introducere, conſueuit. Attamen moderatè aliquot diebus vino indulgêre, maximéque poſt aquæ potum vtile. Ita namque modo quodam, quæ ſub ſenſum deinde cadunt recrementa ex alto euocantur, & per cæca corporis ſpiracula repurgantur. Sed illi perpotationi aquam ſuperbibere par eſt: ſiquidem medicationis alicuius gratiâ factę ex compoſito temulentiæ, remedium affert. Et hæc hactenus de vini natura Dioſcorides.

*De Vino Alexandrinus.*

Miror, inquit Alexandrinus, fuiſſe Galeni tempeſtate inuentos, qui Vinum, ex præſtantia quadam potus maximè nomine dignandum, alere quidem dixerint, at alimentum, quod illis τροφὴ erat, dicendum non eſſe contenderent, nimia animi peruicacia, & litigandi ſtudio, idque verbo tenus: quoniam rem concederent, verbum negarent. τρέφει ὁ οἶνος, ἀλλ᾽ οὐ δεῖ τροφὴν αὐτὸν ὀνομάζειν. Alere & nutrire dicis, & nutrimentum non dices? Quis hoc vnquam Sophiſta euincet? Illud potiùs dicerent, quum non deeſſent copioſiſſimę dialecto voces, τροφὴ, σιτίον, ἔδεσμα, τροφὴν vtrunque eſſe, διότι τρέφουσιν: alterum verò σιτίον, καὶ ἔδεσμα: alterum ποτὸν, καὶ πόμα.

Plutima alia, nec illa leuis momenti, de nobilis huius vitis Fructus, Vini, inquam, ſimpliciter ſic dicti, Natura, differentiis, qualitatibus variis, duratione, conſeruatione, adulteratione, temperamento, vſu, viribus & noxis, hîc, cùm ex Veterum tum ex Neotericorū, noſtráque ipſamet obſeruatione adiicere erat animus: vetùm ne in immenſam excreſcat noſter Codex molem, reliqua quæ huius Loci eſſe poſſent, in peculiatem reſeruamus tractatum, breui prælis ſubmittendum, in quo, ni nos ſpes fallit, Lectori beneuolo abundè ſatisfiet. Ac ſic illis dimiſſis ad factitia vina, & factitios aliquot ex vino liquores properanter pergimus.

## *Vina Factitia.*

*Vina factitia.*

Fictitiorum vinorum, aut ſi qui malunt, factitiorum, tot generum à Dioſcoride deſcriptorum, nec pauciorum à Plinio, traditorum, quædam, tantùm in præſenti adſcribemus (cætera enim ſibi quiſque petere legenda de ſuo ſimplici poteſt: ne actum agendum toties ſit) ea ſcilicet, quibus aptiorem locum adinuenire haud potuimus. Et hæc ſunt vinum Melitites, Mulſum, Paſſum, vina marina ſiue ſalſa, & vina quædam dulcia.

## *Vinum melitites.*

*Vires & vſus*

Vinum igitur Melitites, autore Dioſcoride, datur in longis febribus, iis qui Stomacho ſunt imbecilli: leuiter enim aluum emollit, vrinas ciet ac ſtomachum expurgat. Prodeſt & articulario morbo obnoxiis, nephriticis & capitis infirmitate laborantibus: vtile quoque mulieribus aquã potantibus: ſiquidem odoratum eſt: corporáque alit. Diſtat à mulſo, quoniam fit illud è vino auſtero ac vetere, & melle exiguo: Melitites autem adiecto ad quinque congios auſteri mellis congio, & ſalis cyatho. Porrò in magno vaſe fieri ipſum oportet, quò locus amplior ad vehementer efferueſcendum pateat, antedicto ſale ſenſim aſperſo, quandiu efferbuerit: ac vbi feruere deſierit, in cados alios transfunditur.

*Febres. Aluus. Vrinæ. Arthritis. Nephritis. Differt à mulſo. Melitis compoſitio.*

## *Mulſum.*

*Delectus mulſi.*

Mulſum præfertur, quod ex vetere vino auſteroque & bono melle factum eſt. Tale ſiquidem minùs inflat, & celeriter in vſum venit. Ac vetus quidem corpus alit: quod mediæ eſt ætatis, aluo vtile eſt, vrinamque pellit. Sed à ſummo cibo ſumptum, nocet: inter initia verò potum, ſtomachum implet, deindéque tamen appetendi auiditatem reuocat. Fit mulſum vt plutimùm, duabus vini metretis admixtâ vnâ mellis. Aliqui quò promptiùs perfici exhiberique poſſit, mel cum vino coquunt, atque ita transfundunt. Alii impenſæ parcentes ad muſti feruentis ſextarios ſex vnum mellis adiiciunt, ac vbi ferbuerit, elutriant: dulce autem permanet.

*Vetus.*

*Mulſi compoſitio.*

## *Vina marina ſiue ſalſa.*

*Vina marina variè factitantur.*

Marina vina variè factitari, auctor eſt Dioſcorides. Aliqui enim protenus vt decerptæ calcatæque ſunt vuæ, aquam maris admiſcent: nonnulli priùs in cratibus vuas Sole ſiccant, iiſque deinde calcatis marinam adiiciunt. Alii paſſas priùs vuas in doliis aquâ marinâ macerant, moxque calcatas exprimunt. Et eiuſmodi quidem vinum dulce euadit. Quę tamen auſteriore guſtu temperantur, etiam in febribus ſubſidio ſunt, ſiquidem meliora deſuetint. Valent & ad aluum ſubducendam, proſuntque purulenta excreantibus, iiſque qui aluo ſunt dura, quique facilè ex vinorum Aminæorum vſu capite tentantur: attamen & huiuſmodi vina ſtomacho aduerſantur, flatuſque patiunt. Sitim porrò facit, neruos infeſtat, & à valetudine ſeſe recolligentibus haudquaquam idoneum eſt.

*Vires & vſus Febres. Aluus. Pus.*

*Sitis.*

*Vini ſalſi genera ſeptem Plinio: Bion. Vſus. Compoſitio:*

Vini ſalſi genera ſeptem enumerat Plinius his verbis. Apud Græcos iure clariſſimum nomen accepit, quod appellauerunt bion [abion Turnet. biæon Vet.] ad plurimos valetudinum vſus excogitatum. Fit autem hoc modo: Vuæ paulùm ante maturitatem decerptæ, ſiccantur acri Sole, ter die verſatæ per triduum, quarto exprimuntur, deinde cadis Sole inueterantur. Cui marinam aquam largiorem miſcent, à ſerui furtò origine orta, ſic menſuram explentis, idq; translatum in album muſtum, leucochrun appellatur. In aliis autem Gentibus ſimili modo factum tethalaſſomenon vocant. Thalaſſiten autem vaſis muſti deiectis in mare, quo genere præcox fit vetuſtas. Necnon apud nos quoque Coum vinum ex Italico faciendi rationem Cato demonſtrauit, ſuper cætera in Sole quadriennio maturandum [coquendam Vuam] præcipiens. Rhodium Coo ſimile eſt, Phormeum [Phorineum CH. fortè, Phormium, vel Formium] ſalſius Coo. Omnia tranſmarina ſeptem aut ſex annis ad vetuſtatem mediam peruenire exiſtimantur. *Idem alibi ait.* Fictitium non poteſt videri, quod Bion

*Leucochrum. Tethalaſſomenon. Thalaſſites. Coum.*

*Rhodium Phorineum.*

*Bii vires*

appellauimus, cùm ſit in eo ſola pro arte feſtinatio. Prodeſt ſtomacho diſſoluto, aut cibos non perficienti, prægnantibus, defectis, paralyticis, tremulis, vertigini, torminibus, iſchiadicis. In peſtilentia quoque ac peregrinationibus, vim magnam auxiliandi habere dicitur.

*Vnde dictũ*

Βίαιον, vt teſtatur Rhod. lib. 26. cap. 8. dicitur, quòd ad vetuſtatem accelerandam affuſo mari cogeretur. Marinam enim Veteres vinis miſcebant, tum vt gratior ſapor eſſet, tum vt celerior & præcocior vetuſtas contingeret. Maris expers vinum Gal. 12. Method. ἀθάλαττον vocat. *Aparathytō.* Hermol. in Dioſc. à feſtinatione nomen impoſitum, quaſi violenter fiat. Plaut. in Rud.

*Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis affudit mare.*
*Itaque aluum prodiſparauit nobis ſalſis poculis.*

Vini Græci faciendi rationem Cato docet.
Vini verò dulcis & Græco ſimilis conficiendi modum Columella: tradens ſal vino additum id incorruptum ſeruare.

### *Stillatitius ex vino liquor, vulgò Aqua vitæ.*

*Aqua Vitæ ſiue ardens*

Elicitur ex vino liquor quem *Aquam vitæ*, & *aquam ardentem* vulgò appellant, quòd veluti ex herbis aut aliis ſtillatitij liquores, eodem ac ſimili modo è generoſo vino extrahatur, per organa videlicet ad hoc comparata, quæ Alembica paſſim appellitant. Eſt autem eiuſmodi liquor colore & conſiſtentia cùm ex herbis diſtillatis aquis, tum & ſimplici puræ aquæ, colore ſimilis, ſed facultate longè diuerſus. *Vitæ* cognomen accepit, quòd ad hominis vitam & conſeruandam & prorogandam faciat. *Ardens* verò dicitur, quia facilè flammam concipit. Cùm enim vix aliud ſit, quàm generoſiſſima ac tenuiſſima vini pars, citò admotâ ignis flammâ accenditur ac ardet. *(Aqua Vitæ cur dicta. Aqua ardens.)*

*Temperamentum.*

Calidiſſimus hic liquor eſt, & ſubtiliſſimarum ac tenuiſſimarum partium, tertio ordine calidus ac ſiccus, & quidem intenſo, præſertim qui purior, quò enim purior, hoc & calidior, ſiccior, ac tenuiorum partium: puriorem efficiunt aliquoties repetitæ per organum diſtillationes.

*Vires & Vſus. Color naturalis. Senſus*

Prodeſt verò hæc ex vino ſtillatitia aqua omnibus vel per longiorem morbum, vel per ætatem grauiorem refrigeratis, vti ſenibus ac decrepitis. Calorem naturalem & fouet & auget: vires tuetur, reparat ac intendit: vitam producit, ſenſus omnes vegetat, memoriã nõ modò cõſeruat, verùm & redintegrat: viſum acuit: vtilis catalepticis ac caro, ſi febris abſit, occupatis, aliiſque frigidis cerebri ac capitis malis laborantibus: *(Caros)* facit ad cordis debilitatem, tremorem, ac palpitationem: ventriculum languidum excitat ac excalfacit: flatus tum in hoc, tum in hypochondriis, vel etiam in inteſtinis hærentes diſcutit: cibi concoctionem promouet, frigidis venenis potenter reſiſtit. Tanta in corroborando corde, ac ſenſuum organis excitandis huius vis ac potentia eſt, vt non modò intrò exigui cochlearis, vel etiam medii menſura ſumpta, verùm & foris admota efficax reperiatur: *(Homo moriens)* naribus videlicet applicata, vel temporibus, brachiorum item carpis illita. Subinde hoc modo vſurpata etiam morientibus atque animam agentibus vitam ad aliquot horas producit, vel etiam reſtituit: quæ puriſſima ac exquiſitiſſima eſt. *(Dentes)* Dentium dolores in ore detenta ſopit: lenit & neruoſarum partium ex frigido contractos, illita. Sunt qui in quartanis ante acceſſionem, præſertim poſt morbi ſtatum exhibere audeant. Exhibenda autem hæc aqua ex vino, cum magno in morbis eſt iudicio ac delectu: cùm enim impensè calida ſit, & partium tenuiſſimarum, ac nec aliud, quàm ſpiritus ipſe vini, citiſſimè permeat, ac cerebrum facillimè petit ac ferit. Apoplexia idcircò occupatis, Comitiali morbo obnoxiis, Hemicraniâ, Cephaleâ, aut vertigine ex frigida licèt cauſa laborantibus, *(Morbi capitis.)* non tamen tutò ſemper dari poteſt: niſi enim materia morbi effectrix omninò ſit exigua: & temperamento ipſe ægrotus, perquàm frigido, citra periculum exhiberi nequit: fuſis ſiquidem humoribus caput ampliùs impletur, & morbi vis intenditur. Quòd ſi verò & calidi adſint humores, veluti ſanguis, inflammationes quoque non parum augentur.

*Noxa.*

Nocet verò hęc aqua omnibus naturâ ac temperamento calidis, ſummè bilioſis. Iecur etiam offendit: renibus quoque haud vtilis eſt, ſæpiùs aut copioſiùs ſumpta

*Tria in hoc perficiendo notanda.*

Chimiſtæ quidam vini fortiſſimi non adulterati lib. xii. ampullæ indunt, & per vas refrigeratorium, vulgari modo deſtillant, vſque dum vini efficacia imminuatur: tunc amoto vaſe quod excipit vinum diſtillatum vitro amplo recondunt diligentiſſimè, ne quid expiret, & in aquam calidam ponunt, ſinuntque ebullire per dies octo: poſtea in vapore balnei ſpiritum vini ſubtiliſſimum extillant. In hoc autem opere tria notari debent: primò ne vas in quo vinum digeritur altiùs aquæ calidæ imponatur quàm vinum appareat: ſecundò, vt commiſſuræ luto optimè circumlinantur: tertiò vt ſpiritus inter deſtillandum rectè ſeparentur à vino, caloreque moderato euocentur.

Porrò iidem Vinum Alcalizatum, vt vocant, parant, dum aquoſam materiam ex deſtillatione vini relictam, exhalare ſinũt ad ſuccum fæculentum vſque: hunc deinde probè exiccant, conteruntque, & igne vehementi in calcem albam redigũt, quam ſal vini appellant: Poſtea ſpiritus vini vncias duas, ſalis eius ſemunciam miſcent, induntque ampullæ: hanc diligenter occluſam per dies 24. in cineribus ſinunt. Mox ex iiſdem primùm lento, deinde fortiſſimo igne educunt: poſtea ſalem relictum iterùm exurunt, conterúntque, & ſpiritu vini imbuũt, digerunt, euocantque vt priùs, atque hunc laborem toties reiterant, donec ſal per operculum extillarit: ſic nobiliſſimùm vini ſpiritum alcalizatum prouenire aiunt, ad rerum colores extrahendos.

*Vinum Alcalizatum*

Vel Vini rubri valentiſſimi, vt Hiſpanici, aut Alſatici, aut alterius ſimilis, libræ octo pellicano, aut ampullæ vitreæ ſatis amplæ infunduntur, & vaſe diligenter obturato, macerantur in fimo equino, vel aquâ moderatè calidâ diebus triginta: tunc oleoſus liquor phlegmati innatare videbitur: qui igne lento in ampulla frigidiuſculè tandiu ſeparatur, donec oleoſum illud tenue vel ſpiritus vini vegetabilis à ſummitate operculi emanare deſierit. *(Sal Vini.)* Hic poſtea rurſus in aqua calida digeritur per dies viginti quatuor: atque ſic è libra vini emergit eſſentiæ ſcrupulus, verum ad vitam producendam præſidium. Ex hoc vini liquore ſubtiliſſimo eſſentiæ ſiue tincturę rerum, & aquæ vitæ parantur, dum ſtirpium plantæ & odoramenta, nec non metalla, aliaque terræ foſſilia præparata in illo macerantur, liquantur, extrahuntur, deſtillanturque. Experientia conſtare ſcribit Ringelberg. ſi vino exuſto Linum immergatur concipere quidem flammam poſſe, ſed non aduri.

*Fæx vini.*

*…æx Vini.*

SVpereſt vt de Fæce Vini pauca dicamus. Hæc cruſtæ inſtar concreta vaſorum ac cadorum vinariorum lateribus adhæreſcens, adeò ſicca & ſolida euadit, vt in puluerem atteri poſſit.

*…artarum. …omina …nguarum.* Hanc officinæ *Tartarum* appellant, Græci τὴν τρύγα: Germ. Weinſtein. Belg. weinſteen. Gall. la *grouhe*: It. *Feccia*, Hiſp. *raſura de Vino*. Laudatur verò à Dioſc. è vino veteri Italico: ſin minùs ab alio conſimili. Noſtra ætas eam commendat, quæ è vino albo colligitur, & Tartarum vini albi nuncupat.

*…electus.*

*…ires & …us …e Dioſcori…e.* Vſus huius fæcis ad multa. Habet enim vim, iuxta Dioſcoridem, ſupra modum vrendi, detergendi, cicatricem inducendi, aſtringendi, & vehementer exedendi, ſiccandique. Et hinc œdemata per ſe & cum Myrto cohibet: ventris ſtomachique rheumatiſmos in cataplaſmate adhibita ſiſtit: muliebre profluuium abdomini & verendis impoſita mitigat: panos nondum exulceratos, itemque tubercula diſcutit. Turgentes mammas ſuique lactis impatientes cum aceto peruncta extinguit. *…edema …heumatiſ. …us. Pani* Abundè vt Æginetaait, deſiccat ac diſcutit. Adſtrictoria ei ſubinde facultas ex vini ſpecie, vnde colligitur, accedit. Facit ad humidas corporis affectiones, prodeſt cachexiæ ac hydropiſi, præſertim Leucophlegmonia laborantibus. Vtilis & Argentariis. Argentum enim hac poliunt ac purificant. Sed & tinctores pannorum ad ſuos eam conuertunt vſus.

*…ires ex Ægineta. …achexia. …ydrops. …rgentum …ac politur …anni tin…untur.*

Vritur hæc fæx non rarò, vt Alcyonium, antè diligenter exſiccata. Sunt qui teſtæ nouæ inditam igni largo crement, vſque dum tota inalbeſcat, & linguam tactu vrere videatur, quod ſignum legitimæ ac perfectæ vſtionis eſt. Alii ignitis carbonibus fæcis glebam obruunt, & ſimiliter faciunt. Sic vſtam Græcis σφέκλην appellari Ægineta ait: Officinis Tartarum vſtum & calcinatum. *…ritur hæc …æx.* Vehementer cauſticam ſiue vrentem, abſtergentem, ad cicatricem perducentem, adſtringentem, exedentem & valdè reſiccantem vim, Dioſcoride autore, habet: vngues ſcabros cum reſina eiicit: medicamentis, quæ adurunt, Paulus ait, admiſcetur. Vtendum eâ, inquit Dioſcorides, recenti quoniam celeriter euaneſcit: vſta ſiquidem vini fæx, citò humida fit, ac in liquorem reſoluitur. Idcircò qui ea vti volet, vitreo aut vitreato vaſe diligenter obſtructo, in calido ſiccoque loco, repoſitam habeat oportet. Colliqueſcit verò hæc & in liquorem reſoluitur, ſi ſacculo ex lino alicubi in cella ſubterranea frigida ſuſpendatur. Lepras, ſcabies, impetigines, aliaſque cutis & faciei fœditates citiſſimè tollit: addita æquali menſurâ ex roſis ſtillatitia aqua, & tanto quãto ad linimenti conſiſtentiam ſatis ſit, quo veſperi affectæ partes illinẽdæ ſunt. Fit & liquor tartari aliis modis.

*Vngues ſcabri. Delectus. Repoſitio. Oleum tartari. Vires & vſus.*

*Cinis Vitium & fæcum vini. Vſus.* Cinere Vitium & fæcum vini, teſte Trago, exuſtarum, quidam victum ſuum quæritant. Nam cùm fæces deſtillatæ fuerint, quod reliquum eſt ſiccatur, & poſt in cinerem redigitur, quo ad colores, & ad ſaponem conficiendum vtuntur. Vterque cinis Chirurgicis quoque magno vſui eſſe poteſt, in ſedis condylomatibus & thymis.

*Acetum.*

*Aceti materia ex qua. Acetum naturale* Ex liquoribus, quicunque potûs vini vices exhibent, penè omnibus fit acetum, natura & arte. Natura, cùm vinum aut cereuiſia in loco nimis calido detinentur, vel eùm eadẽ nimis diu reſeruantur. Arte, cùm vinum aut cereuiſia coquitur, refrigeratiſque fermentum, aut panis calidus hordeaceus [qui vnus omnium præualet] aut piſa, aut hordeum toſtum imponitur. Alii panem toſtum in aceto aliquoties reiteratis vicibus macerant & ſiccant, vinóque aut cereuiſię imponunt. *Acetum artificiale.*

In tempore ſic acetum parant aliqui. Sal, piper, fermentum, aut (quod citiùs & minori ſumptu fit) lapides, lateres, aut chalybem candentem in vino extinguunt. Vide hac de re Colerum lib. 2. ſuæ Oeconomiæ. Si vaſa mellaria (μελιτηρὰ Gal. vocat) aut faui lauentur aqua, eáque decoquatur, fieri ſaluberrimum acetum, apud Plinium præcipitur. Rondeletio probabile non videtur, acetum ex melle fieri, ſed potiùs ex propoli, quæ acidum oleat. Aſt contra experientiam: Fit ſiquidem ex melle cocto cum aqua. *Rondeletius not.*

Acetum, quod ſecum quilibet deportari valeat, ſic efficies. Accipe tartarum, macera nouem aut decem diebus in aceto forti, exſicca in Sole, idque repete ſecunda aut tertia vice, ad vſum: Si neceſſitas adſit, pulueriſa, in vitrum vini parum impone de puluere, & habebis acetum.

Dicitur à Græcis ὄξος, German. Eſſig. Belg. Azyn/Edick & Eeck: Gall. *vinaigre*: Ital. *Aceto*: Hiſp. *vinagro*. Boh. Ocet. *Nomina linguarum*

Cæterùm acetum, authore Dioſcoride, refrigerat & adſtringit, ſtomacho eſt vtile, & appetentiam cibi excitat: erumpentem vndecunque ſanguinem potu inſeſſúve ſiſtit: prodeſt alui fluxionibus, cum cibariis coctum, cruentis vulneribus idoneum eſt, ac inflammationes arcet, in ſuccidis lanis aut ſpongiis impoſitum. Reprimit & procidentiam ſedis vuluæq;: item gingiuas abſcedẽtes & ſanguine manantes. Eſt etiam efficax ad nomas, eryſipelata, herpetas, lepras, lichenas & pterygia, ſi cum aliquo conuenienti miſceatur: phagedænas vlcerum, nomaſque fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu, cum ſulphure auxiliatur: ſugillata tollit, cum melle inunctum. Contra capitis ardores, cum roſaceo in ſuccidis velleribus aut ſpongia imponitur. Ad hydropem, auditum difficilem, auriumque ſonitus ac ſibilos, feruentis vapor proficit: earundem quoque vermes inſtillatum necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut ſi imbuta eo ſpongiá admoueatur: & pruritus permulcet. Contra venenatorum morſus, quæ refrigerando nocent, calidi fotus prodeſt: vti frigidi, contra eorum ictus quæ exurens virus eiaculantur. Calidum potum atque vomitionibus redditum, aduerſus omnia venena efficax eſt, ac præſertim contra hauſtum meconium cicutámve, ſanguinem in ventriculo conglobatum, lac ibidem coagulatum, fungos, ixiam, taxúmque, cùm ſale. Hauſtu voratas hirudines, ſi ſorbeatur, eiicit: tuſſim veterem mitigat, & recentem laceſſit. In Orthopnœa, calidum commodè ſorbetur. Sed & gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis & laxatæ columellæ conuenit: nec non & calidum contra dentium dolorem colluitur. *Aceti vires & vſus Dioſc. Stomachus. Sanguinis fluxus Inflammationes Eryſipelas Podagrâ Sugillatâ Hydrops Venenâ Hirudines Orthopnœâ Dentes* Aceti nequitiæ ineſt virtus magnos ad vſus, inquit Plinius, ſine quibus vita mitior degi non poſſit. Summa ei vis in refrigerando, non tamen minor in diſcutiendo: ita fit vt infuſum terræ ſpumet. Dictum eſt ſæpius, diceturque quoties cum aliis proſit. Per ſe hauſtum faſtidia diſcutit, ſingultus cohibet, ſternutamenta olfactu, &c. Idem alibi aceto facilè gummi elui, margaritas reſolui, murænaſque guſtu eius in rabiem agi ſcripſit. Metallis viridem colorem induci, ſi humectentur aceto ſalſo, annotat Ringelbergius. *Aceti vires Plinio Faſtidia Margaritas reſoluit*

*Temper.* Sunt referendi nobis hoc loco, ſicuti etiam in aliis fecimus, quicunque tractationem hanc ingrediuntur, præcipui Aceti in Medicina & culina vſus. Frigidum igitur naturâ omnium iudicio Acetum ſtatuitur, longè autem magis ſiccans: *penetrat.* Reuera namque exiccantiſſimum. Ceterùm in Aceto penetrandi, atque ad profundum ſe per omnia indendi vis, ambas haſce efficaces magis adiicit, vt his particulæ omnes imbutæ nihil putrefactionis cauſis obnoxium expoſitumve relinquant, ipſæ primò ſicciores factæ, ne peregrinum humorem facilè excipiant, frigiditate autem cùm externum calorem arceant, tum internum inuentum priùs incluſumque coerceant. Iam ex calidis Aceti particulis, quamuis non multis, acrimonia ſæpe tamen multa, quod acria omnia faciunt, ipſa quoque partem ſuam excludendis putrefactionis cauſis conferet, atq; hac conditurâ res nõ minùs quàm ex ſale cuſtodiuntur. Condiendi cibaria, & opſonii præparandi ratio, ab incidendi diſſecandique facultate, potiſſimùm illi, quâ rerum conſtitutionis plerunque durities, & humorum craſſities tollitur, attenuatúrque glutinoſitas, acrimonia abſtergitur, calidæ paulò magis partes frigiditatis potentia ad temperamentum deducuntur, ac ſi quę frigidæ inſunt, calorificam eæ quoque vim *Facultates aceti Variæ.* ſentient temperatiores factæ. Quapropter, quæ multa condire alia non poterunt: Acetum condierit, diuerſarum atque etiam contrariarum facultatum viribus pollens. Quibus nominibus *In condimenta Obſoniorum Venit.* in condimenta opſoniorum penè omnia iure meritoque venire poteſt. Intinctus autem parantur ex eo cuiuſcunque generis, modò ſinapi, *Intinctus ex co parantur* modò oleo, modò ſaccharo additis, modò odoratarum herbarum ſeminibus, & aut aromate aliquo gratiam intinctibus addente, aut roſarum odore conciliato, maceratione earum. Sæpiùs ipſummet appoſitum per ſe dapibus multis Em- *Embamma* bamma fecit, quarum præſertim glutinoſior craſſiórque ſubſtantia, humórque extenuari poſtulent, tum ex quibus timetur bilis, cuius humoris vim reprimere Acetũ aptiſſimũ iudicatur.

*Noxa* At idem in temperamento melancholico, affectibúſque, peculiariter damnatum, neruis neruoſiſque partibus inimicum: vtero, inteſtinis, ventriculo, niſi bilioſo, aduerſum, mulieribus inſuper noxium, & iocinoris virtutes debilitare exiſtimatum: nempe nimio ſæpè vſu, & intempeſtiuo, refrigerato viſcere, quemadmodum neruoſis quoque partibus qualitatis eiuſdem efficacia, ſed & penetrabilitate officere maximè poteſt, acrimoniæ non minùs ſæpè violentia læſis. Ventriculum quidem, eiúſque præſertim os, quò maior in hoc ſenſus, ita quandoque vehementer ingruens, afficit, vt manifeſtò veluti percuſſionis eiuſdem læſionem ſentiat: os quidem nonnunquam ipſum, linguáque, ac palatum, non ſatis acrimoniam ferunt: ſæpè etiam antequàm admoueatur ori, perhorreſcunt. Hoc quidem acerrimum facit, quod *Acrimonia eius Vt retundatur* facilè aquâ retundi, aut vino, aut mitioris alterius alicuius ſucci additione, poterit. Saccharo alii, alii paſſulis, mitigant: ſicuti è diuerſo, paulò magis fatuo ex aromate acrimoniam, pipere pręcipuè, & gingibere quærunt.

Acetum porrò mulſum, quod Oxymel vocant hoc modo à Dioſcoride temperatur. Aceti heminas quinque, ſalis marini minam vnam, mellis minas decem, & aquæ ſextarios quinque, pariter coquit, dum decies efferbuerint: mox vbi refrixerint, diffundit. Conſtat porrò ſumptum craſſos humores extrahere, atque iſchiadicis, arthriticis & comitialibus opitulari. Eſt & auxilio contra *Vires & vſus* morſum viperæ & lacertæ quam Sepa vocant: *Humores craſſi* itemque contra hauſtum meconium, ixiámue, *Venena.* anginis denique vtiliter gargarizatur. De aceti natura & vribus, plura tract. part. quem de vite eiuſque præcipuo fructu breui publici iuris fa- *Angina.* cturi ſumus.

### *Vitis vinifera ſilv. ſiue Labruſca.*

*Deſcriptio* Cultiuam hæc refert caudicibus, ramis, articulatis ſarmentis, foliis, clauiculis, floſculis & fructu, *Fructus* quem tamen non perficit, ſed immaturum, durum, ac auſterum relinquit.

In ſarmentoſam, ait Lobelius, arboreamque penè ſobolem luxuriat, prolixitate anfractuum, vnde ſterileſcit, aut minores, minuſque ſapidas & maturas vuas fert, eaſque raras & perpaucas. Virg. in Bucol.

*------aſpice vt antrum*
*Syluestris raris ſparſit Labruſca racemis.*

*Dioſc.not:* Oenanthen à Labruſca ſeparat Dioſcorides, Labruſcam duum ſtatuens generum. Nos autem Oenanthen non vnius Labruſcę modò florẽ eſſe, ſed vtriuſque aſſerere non dubitamus cum Mat- *Oenanthe duplex.* thiolo: cùm non aliud Veteribus ſignificet Oenanthe, quàm Vitis florẽ, id quod ipſe Dioſc. in proprio capite manifeſtè declarat: quippe qui tradat Oenanthen vocari Vitis ſilu. fructum, cùm floret, nullius facta generis diſtinctione. Quin & idem alibi confirmat, vbi vini Oenanthini meminit, è feracis ſylu. Vitis floribus fieri ſcribens. Ex his itaque abundè conſtat, non tantùm infructiferæ, ſed etiam fructiferæ Labruſcæ florem Oenanthen vocari. His adde autoritatem Galeni qui lib. 8. de comp. med. cap. 1. Oenanthen appellat Vitium ſilu. germen vnà cum floribus, ex quo ſuccedentibus diebus Vua fiat.

Plinius lib. 12 cap. 28. Oenanthen vuam, non florem eſſe cenſet, Eodem, inquit, & Oenanthe *Plin. corrigitur.* pertinet, Vitis Labruſæ vua: colligitur cum flore cùm optimè olet. Sed in his Plinii verbis rectè ſuſpicatur Matth. mendũ ſubeſſe, rectiuſq; legendum eſſe cum Dioſcoride cùm floret, non cum flore. Quomodo enim quis vnquam vuam cum flore collegit? Ceterùm ad Vitis ſilueſtris genus pertinere ſcribit Dodon. quas Plinius Triferas & inſanas vocari refert lib. 16. cap. 27.

*Æquiuoca.* Ab hac Vite ſilueſtri ea eſt diuerſa, quam Gly- *Glycypicros.* cypicron, ſeu Amaram dulcem, poſtea vocabimus. Differt & ab illa Vite ſilu. Dalechampii, *Clematis altera latifolia. Bryonia.* quam Clematin alteram latifoliam hoc loco inſcribimus. Nec eſt Bryonia, quæ eandem appellationem apud nonnullos cum Oenanthe ſortita eſt.

*Nomina linguarum* Noſtra, quam hîc tradimus, ſilu. Vitis Græcis ἄμπελος ἄγριος, Latinis Vitis ſpontanea, Oenanthe, & Labruſca dicitur. Germ. Wild räben: Belg. Wilde Weinſtock: Gall. *vigne ſauuage*. Angl. wilde wine. Fructus eius Græcè οἰνάνθη, Hebr. *Roſar* & *Reuſchim*, Germ. Hertling trauben dicitur. Illud ſilentio haud diſſimulandum eſt quod etiam domeſticæ vitis flos Oenanthe dicitur. Verùm quia ſilueſtris Vitis vi multò magis adſtrictoriâ pollet, is per excellentiam Oenanthe appellatur.

*Locus.* In ſqualidis agrorum marginibus variis in locis occurrit ac Prouinciæ & Narbonæ mariti- *Tempus.* mis, altas plærumque ſcandens arbores. Nonnullæ ex hoc genere Iunio menſe, vt ſatiua Vitis, florem oſtendunt.

Labruſcæ folia, caules, & clauiculæ, quibus repunt, vim habent cultiuæ viti ſimilem.

Ribes

## RIBES VULGARIS ACIDUS ruber.

### Cap. II.



Ribes vulgò dictus frutex, multis ſtolonibus parùm craſſis, bicubitalibus & tricubitalibus exurgit, cortice ſpadiceo aut cinereo, materie infirmâ, virente, cum ampla matrice ſeu medulla; folia Vvæ criſpæ foliis ſimilia, ſed multò latiora, ſinuata, mollia, ſupernè virentia, glabra, infernè molli lanugine caneſcentia, ſapore ſubaſtringente, acido & nonnihil acerbo; flores racematim cohærent plurimi ex pediculo tenui unciali & ſeſquiunciali, aciduli, quinque foliis pallidè virentibus, oris extrorſum reflexis conſtantes, ſtaminulis ſex ſeſſilibus exiguis albis umbilicum medium, qui colore obſoleto eſt, ſtilo virenti minuto bifido lacunam aperit, ambientibus.

*Veteribus incognita. Ribes Mauritanorum, non eſt.* Veteribus, quantum reor, incognita, & ſilentio involuta, quam plures id eſſe contendunt, teſte Bened. Curt. quod à Mauritanis Ribes dicitur, ut nonnulli etiam recentium Medici, ſub hac appellatione illo in Medicina utantur. *Amati & Dod. lapſus.* Aſt adſtipulantibus Fuchſio, Matthiolo, Lugd. & aliis, Ribes Mauritanorum à noſtro diverſum eſt: nec enim reſpondet deſcriptioni Serapionis, licèt Amat. & Dodon. id aſſerant; ejuſdemq́; Ribes eſſe credant, vel ob ſaporem acidum cum quadam permixtum dulcedine. *Amatus de Ribe.* Verba Amati hæc ſunt: Poſt Berberorum fruticem proximum erit citare, Ribes ferentem, quum de illo quoque antiqui nullam fecerint mentionem. Antiquos quum dico, velim intelligatis Hippocratem, Theophraſtum, Dioſcoridem, Galenum, Oribaſium, Paulum, Aëtium, Catonem, Varronem, Plinium, Palladium, & Columellam. Ineſt huic fructui ſapor acidus, cum quadam permixtus dulcedine, unde firmiter crederem, hunc ipſum fructum, quem nos Ribes appellamus, eundem apud Serapionem Ribes *Ribes Serapionis. Ribes officinarum.* eſſe, quum eundem ſaporem Serapio ſuo tribuat, quem in hoc Officinarum guſtamus, nec enim in cæteris notis Serapio ab hoc communi quicquam deviat, proinde noſtros Ribes, Serapionis quoque *Amat. refutatur.* eſſe crediderim. Aſt Amatum cæteróſque, qui putant hunc fruticem eſſe Arabum Ribem (de quo poſtea) hallucinari abundè conſtat. Siquidem, ut poſteritatis memoriæ prodidit Serapio, Ribes eſt arbor proferens capreolos colore viridi rubeſcente, & folia lata, magna, & rotunda. Quas ſanè notas huic non reſpondere ſatis notum eſt; neque enim fert hæc capreolos, neque ejuſmodi foliis viret: tametſi fructu Ribem admodùm referat, quòd is guſtui ſit acidus ſimul & dulcis, qualem eſſe Ribis baccam auctor eſt Serapio. Sunt quoque nonnulli, qui *Poterium non eſt.* eſſe exiſtiment Poterium, de quo apud Dioſcor. Plin. & Galenum. Sed errant & hi toto cælo. Deſcriptiones conferant & videbunt diſcrimen. Totum Ribis fruticem circumveſtit lanugo ſubtilis velut pubeſcens; ſpinis Poterium horret. Nec deſunt, qui hanc plantam eſſe arbitrentur, quam Gal. lib. 7. de comp. med ſec. loc. Urſi uvam appellat. *Urſi Uva Galeni non eſt.* Quorum error ab ipſomet Galen. ſatis refellitur eodem loco: quandoquidem aſſerit hujuſce Uvæ plantam Memæcyli folio vireſcere.

*Matth. redarguitur. Halimus non eſt.* Matthiolus ſcribit Lonicerum hallucinatum, Ribem vulgò dictum, Halimum dixiſſe, id tamen non competio apud Lonicerum: meminit quidem alterius plantæ pro Halimo. Idem Matth. in poſt. comm. Lat. & Ital. & hiſt. germ. ſilveſtre genus in collibus *Genus Ribis ſilveſtre Matthioli.* & montibus naſci tradit, hortenſi ſimile, ſapore tamen minùs grato, acerbiore, vehementiore. Genus quidem ſilveſtre dulce mihi notum: nullum autem hortenſi acerbius. Monachi aiunt hujus arbuſti fructu omnes pharmacopœos falsò pro vero Ribes uti: quid autem ſit eos adhuc latere. *Ribes falſ.* Talia & Cardanus, Ribes loco, inquit, utimur frutice incerto, fructum in umbella [*debebat dicere in racemo*] ferente.

*Synon.* Ribes vulgaris acidus ruber vocatur Groſſularia rubra, a Lugd. (à qua & Vva tranſmarina) Tab. Dod. gall. & lat. cui etiam Groſſularia tranſmarina dicitur. Cam. ad Matth. Groſſularium rubrum & tranſmarinum. Vulgo gallico apud Ruell. rubra Groſſula, & tranſmarina. Geſn. coll. Ribes vulgò dictum, Acinos divi Ioannis; Itémque h. Ceanothus levis. Trago Ribes 1. & hortenſe. Cam. h. Ribes vulgare baccis rubris Matth. Ribes officinarum, in Ep. & hiſt. Ribes vulgaris. Cluſ. Ribes vulg. rubro fructu dulci. Ribes Fuchſ. Lac. Cronemburg. Lon. Apoll. Tab. Cæſ. qui & fruticem ſine ſpinis nominat. Lob. Adv. Ribes rubra: Obſ. & Ic. Ribes Arabum; Ribeſium Dodonæi.

*Syn. C.B.* C.B. pin. Groſſularia 5. multiplici acino ſive non ſpinoſa hortenſis rubra, ſive Ribes officinarum: Ribes hortenſe, Trag. vulgaris fructu rubro; Eyſt. Ribes vulgaris domeſtica, Matth. Caſt. Ribes vulgo, Ang. Bellon. Cæſ. Vva urſi, Dod. gall. Ribeſium fructu rubro, Dod.

*Nomina linguar.* Germani noſtri appellant Ribem Sant Johans Treübel/ S. Johans Beerlin/ quod ſc. circa divi Iohannis Baptiſtæ diem ad maturitatem fructus pertingant, Belg. Beſickens ouer zee: Gall. *Groiſelets, Groiſelles d'outre mer*: Ital. *Vuetta roſſa*: Hiſpan. *Ribes*: Boh. Jahodi So. Jana: Hung. *Apro tengöri zölo*, h. e minor marina Vva.

*Locus & Tempus.* Paſſim in hortis naſcitur, eorundem pulvinos & areas ſepiens, florens Aprili ac Maio, ſub finem verò Iulij quandoque; ſæpiùs verò Iulio menſe baccas maturans.

*Vires.* Quæ de fructu Oxyacanthæ dicuntur, ea de acinis Ribis quoque ferè intelligi debent. *Febres ardentes.* Exhibendi ſunt illi, Tragi conſilio, ægris, qui ardentibus laborant febribus, neque non his qui calidas alvi fluxiones patiuntur. *Sitis. Roh Ribis. Vomitiones ſiſtunt.* Námque hi acini ſicut & Serapia & eclegmata, atque Rob (ut vocant) de Ribes, ſitim immenſam reſtinguunt, vomitiones ſiſtunt, cibi appetentiam invitant. *Variolæ.* Quidam Saccharo has baccas condiunt ſicut & Ceraſa, quo pacto pueri variolis, aliiſque alvi calidis profluviis laborantibus *Profluvia calida.* apprimè conducunt. *Baccæ ſiccatæ.* Baccæ Ribis in ſole ſiccatæ, ad eaſdem affectiones aſſervari poterunt. Reliquas cum Oxyacantha eaſdem vires obtinet Ribes. *Succus.* Succus è baccis Ribes expreſſus, cum aqua Cichorij aut Acetoſæ confert ad febres ardentes & bilioſa alvi profluvia, autore Matthiolo, conſtringendo roborat ventriculum, & iis qui cholera morbo afficiuntur ſubvenit. *Cholera. Hæmoptyſis.* Idem facit contra hæmoptyſin, cum aqua Portulacæ aut Plantaginis bibitus. *Uvula.* Vvulæ tumorem gargariſatus cum aqua roſacea curat. *Oculi.* Fronti illitus, lachrymantes oculos adjuvat. *Dentes.* Dentes quoque vacillantes & gingivas corroborat. *Folia.* Folia vehementer adſtringere teſtis eſt Fuch-

ſius, Ribeſij noſtratis, ait Dodonæus, rubentes baccæ, quarum uſus & non aliarum eſt, frigidæ & ſiccæ temperamento ſunt, ordine ſecundo ſatis intenſo, & cum partium tenuitate nonnibil quoque adſtrictionis obtinent. Ardores febriles reſtinguunt ac mitigant: bilem reprimunt, ſanguinem contemperant; *Putredines.* puttredinibus adverſantur; ſitim vehementer ſedant; ventriculi ſubverſiones, & choleram morbum ſiſtunt; *Dyſenteria ex calida cauſa.* dyſentericis ex calida cauſa laborantibus utiles. *Syrupus.* Syrupus de Ribes conficitur, ut de Granatis, acidus, cui etiam facultate omninò reſpondet. A vulgo Monſpeſſul. pluris fit, quòd ibi rarior ſit Ribes, quàm Malum Granatum. Ribeſium ad ſepimenta utile, tum & ad topiarias ſcenas, quas non difficili opere conveſtit ac ornat.

## RIBES VVLGARIS ACIdus, albas baccas ferens.

*Deſcr.* VVlgari ſimilis foret, niſi cortice eſſet candidiore, floréſque facilè diffluerent, ita ut ſæpè remaneant pauciſſimæ baccæ, ac etiam ſingulares. Sed & alia differentia eſt; baccæ enim quamvis acidæ ſint, albæ tamen manent, pellucidæ, uniones penè referentes, ejuſdem tamen cum vulgaribus magnitudinis. *Synon.* Hujus meminit Cluſ. hiſt. nomine Ribes vulgaris albo fructu, quem ait Hungaris incognitum. C.Bauh. apud Matth. dicitur Ribes baccis inſtar unionum candidis. Eid. pin. Groſſularia 8. hortenſis fructu margaritis ſimili: Ribes fructu albo, Eyſt.

*Locus.* Montbelgardum Stutgardia ex horto Ill. Ducis VVirtemb. tranſlata, ubi primùm obſervata eſt, floret & fructum fert eodem tempore quo vulgaris.

## RIBES FLORE RVbente.

*Deſcr.* FIrmior bujus frutex eſt vulgari, ac robuſtior, cortice rubeſcente veſtitus; foliis hirſutis, ad tactum lævibus, angulosis ut vulgaris, ſipore tantillum acido; longis florum racemis, quos Maio in horto Ill. C. VVirt. Montbelgardenſi profert, ferè palmaribus, figura ferè Vvæ criſpæ floribus ſimilibus, obſoleto rubore præditis, quorum fimbria quinque partita albeſcit, ſapore ſubacido.

*An Cluſ. Ribes vulg. 2 genus.* An Cluſ. eſt Ribes vulgaris ſecundum genus amplioribus foliis & majore fructu, licèt acidi ſaporis ut vulgaris: hujus enim flos variat, quia qui in vulgari berbacei coloris eſt, in hoc eleganter rubet & puniceus eſt. An buic ſimilis quam Ioannes Boiſot in borto Bruxellis alebat? Hæc Cluſius.

*Synon. C.B.* C.B.pin. Groſſularia 6. hortenſis majore fructu rubro: Ribes rubto flore, foliis & fructu majoribus, Cluſ. pan. & hiſt. Ribes baccis majoribus, Cam. major fructu rubro, Eyſt.

## RIBES MONOCARpos.

*Vva criſpa rubro fructu.* MIttebat anno 1598 aliud Ribes genus ex Anglia acceptum ad Cluſium Carolus de Taſſis, quod Vvæ criſpæ rubro fructu appellatione inſcriptum erat. Poſtea tamen è Iac. Gareti epiſtolâ Londino miſsâ fructum ferre intelligebat vulgari ſimilem, paullò majorem, *Fructus ſingularis.* confertim tamen in eodem pediculo non naſcentem, ſed ſingularem ut in Vva criſpa.

C.B.pin. Groſſularia 7. diſtinctis baccis.

## RIBES ALPINVS dulcis.



*Deſcr.* RIbes Alpinus dulcis fruticat ut præcedens, tenui vimine, cinereo cortice contecto; *Folia.* folia ex alternis tuberculis, exeunt ſimul aliquot, cùm floret, pluſquam dimidio minora vulgaris Ribis foliis, Vvæ criſpæ æqualia, in tres acutos angulos exeuntia, in ambitu ſerrata, leviſſimè hirſuta, ſupernè atrovirentia, infernè læto virore ſplendentia, excurrente in angulos ſingulos nervo ſatis elato, *Guſtus.* guſtu ſubdulci, ex pediculis ſemuncialibus, hirſutis; *Flores.* flores ex tuberculis iiſdem racematim cohærent numeroſi ut in vulgari, herbacei, ſed floribus Ribis vulgaris magnitudini multùm cedentes, foliis tamen quinis perinde & apicibus conſtantes, odore gratiſſimo; ſingularibus floſculis ad pediculum adnaſcitur foliolum concolor tenue & oblongum. *Vva.* Vvæ breviores quàm vulgari; acini minùs rubri, ſubdulces, ferè inſipidi.

*Synon. Ceanothus.* Geſn.b. eſt Ceanothi lævis genus ſylv. Ruſticis Red-beer. Eidem in app. Ribes ſylvaticus. Lob. Obſ. Ribes candidioribus foliis, acinis dulcibus. Lugd. *Groſſularia rub.* Groſſulariæ rubræ, ſive Ceanothi lævis genus circa ſylvas Geſneri. Cluſ. Ribes genus quoddam, *Locus.* quod Auſtriacæ & Stiriacæ Alpes alunt, nihil vel minimùm à vulgari differens, fructu tamen non acido, ſed dulci. *Icon Cluſii.* Cluſius, quod non ſilendum, iconem habet, qualem Lobelius pro Ribe Arabum exhibet, cum inſcriptione, *Ribes vulgaris fructu dulci.* C.B. apud Matth. *Ribes ſilv.* Ribes ſilveſtris fructu dulci, aliàs à vulgari nil differens. Eid. pin. Groſſularia 9. vulgaris fructu dulci: *Locus.* Ribes vulgaris fructu dulci, Cluſ. pan. & hiſt. Ribes minor fructu rubro, Eyſt. Item, Groſſularia 10. ſive ſilv. rubra: Ribes ſilv. Matth. Geſ. app. Lon. Caſt. Cam.

Vidi Genevæ in monte Saleve, deinde in Thuiri, ac etiam in montibus circa Baſileam.

## RIBES NIGRVM VVLGO dictum ſolio olente.

*Deſcr.* FRuticat Ribes nigrum ceu vulgare, ſolia vitiginea, lata, aversà parte leviter piloſa, odore fœtido; flores ex eodem tuberculo plures, aut racematim digeſti, Vvæ criſpæ floribus perſimiles, concavi; quinque foliolis rubentibus extrorſum reflexis, totidem ſurrectis pallidè virentibus, alternarte cum quinis fibris concoloribus ſitu; ſtilus in medio viridis; odor, qui & foliis, gravis; *Baccæ.* baccæ oblongæ colore nigro, quæ ſive maturæ, ſive immaturæ acidæ ſunt, cum ſapore partim grato, partim ingrato.

*Ruell. not.* Ruellium de hac loqui exiſtimo quamvis deſcriptio ejus non placeat, quæ ſic habet: Non eſt omittendum arboreum fruticem apud nos eſſe,

quo

quo velut vivâ ſepe latiores hortorum areas, venuſtatis potiùs causâ, quàm munimenti, cingunt. Is altitudine ternûm cubitorum inoleſcit, & vitigineâ fronde viret, ſupra modum aſperâ, utriſque lateribus acuminatâ, medio in mucronem deſinente, ambitu leviter fimbriato, ſatis ad Lupi ſalictarij, vel albæ Vitis folium accedente; ramos fundit breves, in quibus excuſſo flore primùm bacculæ pendent virides, ut in Liguſtro racematim coactę, quæ maturitatem adipiſcentes nigreſcunt, guſtu & ſapore piperis, ſed mitiuſculo. Eæ prorsùs rotundi Piperis faciem exprimunt: verùm deſideratur in eis retorrida illa rugosáque maturitas; abeſt etiam illa validior amaritudo; guſtum Piperis ſapore complent; & os, quibus anima fœtet, odoris jucũditate commendant. Piper olitores noſtri nominãt, quòd atrum Piper colore & ſapore forſitan æmuletur. Sit ergo noſtris Piperaſtrum, quoad melius vocabulum invenerimus. Vides itaque quàm cæca ſit harum rerum effigies.



*Piper olitorum.* *Piperaſtrum Ruel.*

*Arbuſcula piperifera.* Matth. in Dioſc. eſt Arbuſcula piper racematim proferens, Venetiis viſa, faciémque illius plantæ prorſus exprimens, quam vulgus Ribem appellat. Et hinc meritò appellatur Ribes nigrum. In epiſt. ad Cortuſum ſcribit, ſe audire quoſdam Dioſcoridis Amomum eſſe recenſere. *Amomum Dioſc.* Sed quantas nectit nugas, qui ut videatur ſingulare aliquid conſpexiſſe, Piperis plantam Venetiis in horto Maphæi vigere fabulatur. Atqui ſi frutex ille Piper eſt, vel etiam Amomum, ut alij ſentiunt, parùm aberit, quin vulgare Ribes, vel Piper, vel Amomum (teſte Guilandino eſſe poſſit.

*Ribes nigra.* Cùm Amomum (ait Lobel. in Adv.) doctos diu exercuiſſet, & eos peregrina planta defeciſſet, noſtram Ribes nigram opinati ſunt, quæ vera non eſt. Eſſe ſcribit Apollo quoſdam [*eſt Anguill.*] qui Piper ſilveſtre Syrium, *Pimento del Rabo* Luſitanis vocatum, cujus plantæ, tum Venetiis, tum Patavij in hortis quibuſdam viſuntur, Amomum exiſtiment. *Syrium piper. Apollo not.* Sed conſiderent docti, an Pimento del Rabo non ſalsò exiſtimetur fructus Ribis nigri, viſi Venetiis & Patavij, non autem plantæ Pimento del Rabo, ſive Piperis caudati. Lon. Ribes ſilv. ingrati odoris. Hadr. Amomum, Piper hortenſe ab holitorum gente dictum. *Piper hortenſe.* Tigurenſium quidam apud Geſ. quadrup. vocant Palmenſtauden nimis communi vocabulo. *Pſeudamomum.* Is Pſeudamomum eſſe conjicit, cujus folia & ramuli Sabinam herbam aut felis urinam quodammodo redoleant. Vocatur autem à Geſnero de coll. Ribes ſilv. aquaticum, Sabinæ ferè odore: *Ribes ſilv. aquaticum* de hort. Ceanothus Ribes acinis nigris: Item Amomum Anguillaræ, Amomum falſum, Pſeudamomum, Piper quorundam. Eid. cat. Amomum, in hortis præſertim Galliç Piperis vocabulo olitoribus nominatum; Pfeffer mit bletter wie Schmârwurtz: *Piper obteres.* Piper obteres aliquibus Gallis vocatum. Cam. h. Ribes baccis nigris, minoribus & majoribus. Eid. ad Matth. germ. Ribis ſilveſtris quædam acinis nigris. Dod. gal. Ribes nigrum, *Groiſelles noirs*. Bel. Schwertz Johans beer. Lob. Obſ. & Ic. ut & Tab. (cujus icon non in omnibus placet) Ribes nigra, ſchwartz Johans beer. *Tab. notat.* Lugd. Iſos ſive Oeſos niger Theophr. *Iſos ſive Oſcos.* Groſſularia nigra & aliis Pipirella, Officinis Ribes niger, *Pipirella.* Gallis *Poivrier & Groiſelier noir*; fructus *Groiſelles noires*. Cluſ. Ribes vulgaris nigro fructu, Vngaris ignota. C. B. apud Matth. Ribes fructu nigro. Eid. pin. Groſſularia II. non ſpinoſa, fructu nigro: Ribes ſilveſtre Trag. Thal. Ribeſium fructu nigro, Eyſt. Frutex Ribi ſimilis fructu nigro, Cæſ.



*Locus & Tempus.* Copiosè ſe multiplicat in hortis: Februarij principio prorumpere incipit. Frutex Geſneri foliis Groſſulariæ hortenſis in multis Galliæ, Italiæque locis in hortis colitur. Tiguri ſpontè naſcitur, circa rivorum quorundam ripas, ubi facilè comprehendit tranſlatus in hortos, quem acinos nigros piperi ſimiles in calidioribus locis proferre aiunt, ſed Tiguri, ni fallitur Geſnerus, ſterilis eſt. *Tiguri ſterilis.* Creſcit abundè, ſi Camer. hort. rectè meminit, in montanis Miſniæ circa Annæbergam, atque ibi venenati quid iſtis baccis ineſſe aſſerunt, cum aliis in locis eſui eſſe ſoleant. Sunt qui foliis cibos condiant.

---

## RIBES VERVM Arabum.



*Deſcr.* Ribes herba Spicæ Celticæ naſcendi modo aliquo pacto naturam refert: ſiquidem ea ſub nive ferè perpetuò degit, folio Lapathi acuti prædita, ni grandius eſſet & rotundius, & ad Papyrum accedẽs. Baccas fert ex ſinu medio foliorum rubras, ut in Lauro Alexandrina, Hippogloſſo & Ruſco conſpicimus; ſeptena ut plurimùm à radice aſſurgunt folia, in quorũ medio fructus veluti racematim dependet, ex quo is ſuccus qui exprimitur, turbidus eſt lactiſque albedinem habet: ideò aliquantiſper ſini & inſolari decet, donec clareſcat & depuretur. Hactenus Bellonius, cui lucem addent quæ ex Rauvvolfio paullò diverſa (etſi eandem videantur plantam ambo intelligere) ſubjicimus: nolumus enim in planta non viſa, alterutrum corrigendi provinciam ſumere. *Deſcr. Rauvolff.* De Ribe ergo Arabum ſparſim Rauvvolfius; Vera Ribes Arabum, caules habet aſperos, longitudine ferè cubitali, craſſitudine pollicari, colore viridi, infernè (ut etiam meminit Serapio) rubeſcente vel purpuraſcente. Autumno inveni Septembri menſe, ſine flore & ſemine, duobus tantùm foliis præditum, tanquam primùm prorumpentibus, rugoſis, rotundis, Petaſitidis foliis æqualibus, ex pediculis craſſis, brevibus, quæ etiam grato illo acido ſucco, ſicut & caulis, plena ſunt.

*Synon.* Sunt apud Serap. qui putârint Ribem eſſe, quam Acetoſam nominamus, & Lapatium: alij Granum acetoſum quod affertur ex Coraſcem. Illam Rhazes inter fructus recenſuit. Bellonius vult (ait Matth. in poſt. comm. Ital.) Ribem Serapionis eſſe plantam repertam in monte Libano. *Planta Libani.*

Verùm neſcio quomodo poſſit convenire cum Serapionis deſcriptione cùm notas non habeat, quas tribuit ei Serapio, rotunda folia, capreolos,& arborem eſſe. Hæc ille, In meo quidem Serapione, arboris nulla fit mentio. Fructus eſt racemoſus, ut ſcribit Bellonius: capreolos verò habere maniſeſtè ſcribit Rauvolff. ad iconem, qui folia rotunda;& ipſe Bellonius, rotundius Lapatho dicit. Card. var. lect. *Ribes Libani.* Ribes verum Bellonij in Libano. Rauvolff. Camer. ad Matth. Germ. & Lugd. in app. Ribes Arabum. Cluſ. hiſt. (qui libenter acquieſcit ſententiæ Rauvvolffij) *Ribes legitimum.* Ribes legitimum. C.B. pin. Groſſularia 12. Ribes Arabum foliis Petaſitidis: Ribes Serapionis, Cam. h. An idem cum hac, Ribes Serapionis foliis Oxylapathi, Bellon. de coniferis, Dod. & Lug.

*Locus.* In Libano naſcitur, ſi à Cedris paulò altius uſque ad præcipitium montis ſcanderis. Halepum reverſus Rauvvol. agnovit in Offic. Rob de Ribes ex veteri nomine & acido ſapore. Non parva ejus ibi quantitas apparatur, aliò etiam mittenda, inprimis verò ad Turcicum Imperatorem.

*Vires, & temperamentum.* Ribes Serapionis frigida & ſicca eſt ordine 2. Ex capreolis contritis exprimitur ſuccus, qui coctione inſpiſſatur. Ventriculum refrigerat, roborátque, cor fert cardiacis; ſitim reſtinguit; fluxum ventris bilioſum,& vomitum compeſcit, appetentiam excitat; *Morbilli.* utilis in morbillis & variolis; adverſus hæmorrhoïdas & ebrietatem. Sapa de Ribes ſtomachum calidum confortat, autore Meſue, vomitum colericum ſedat, ſitim extinguit, cordis ebullitionem mitigat,& ipſum confortat, bilioſam vomitionem, ſeu fluxum colericum ſedat,& alterat.

## AN RIBES RAVVVOLFII, AVT illi congener planta?



INter plantas, quæ in ſportulis Doctoris Colij, ſive Coolmans repertæ, unam etiam conſpiciebam (Cluſij verba ſunt Exot. lib. 4. cap 21.) quæ licèt mutila, nec integra, mihi in memoriam revocabat ea, quæ in Cl. V. Leonard Rauvvolfij Itin. Germanico ſermone conſcripto ante aliquot annos legeram Is enim lib. 2. cap. 11. mentionem facit ejus plantæ quam Arabes appellant Ribes, ex qua Rob *Ribes planta congener* de Ribes conficiunt, cujus magnam copiam è monte Libano delatam in Iudicis Halepani horto videbat, ad Rob illud conficiendum, quod deinde Conſtantinopolim eſſet ablegandum. Et cap. ſequente ejuſdem libri, Ribes plantam numerat inter eas quæ ab ipſo in monte Libano fuerunt obſervatæ. Libro autem quarto, qui ſeorſim poſtea fuit editus, *Icon Rauv.* & Plantarum figuras additis nominibus dumtaxat continet, ejuſdem Ribes primùm è terra emergentis iconem exhibet, binis ſolummodò foliis præditam. Cogitabam itaque apud me, an illa, quæ inter chartas conſpiciebam folia cum ſuprema caulis parte, ad Ribes Arabum plantam referri poſſent (veriſimile enim eſt, pluribus quàm in monte Libano locis naſci, quandoquidem apud Medicos Arabes frequens eſt ejus mentio) aliquot enim notas habere mihi videbantur non valdè diſſimiles iis, quas ſuo Ribes Rauvvolffius tribuit, veluti foliorũ formam, *Folio Petaſitidis.* tametſi Petaſitis, quibus Ribes folia comparat, foliis longè inferiorum, nec adeò orbiculatotum, ut ille Ribes folia pingit, ſed mucronatorum, deinde extimam caulis abrupti partem quibuſdam folliculis præditam, iis ferè ſimilibus capreolis, ſeu veriùs veſiculis quas Ribes plantæ adpingit. Quùm verò & folia, & caulis illa extima pars valde ſicca eſſent, nihil mirum, ſi aciditatem, quam fortè habuerit, in illis deprehendere non potuerim: nihil tamen aſſerere volo, ſed meam opinionem dumtaxat dubius profero.

Qua porrò in regione eam plantam obſervaſſet & legiſſet Colius, nihil in chartâ quâ folia involuta, erat adſcriptum, nec quidem an aliquo in uſu apud incolas eſſe comperiſſet. Operæ pretium tamen me facturum exiſtimabam, ſi mutilam plantam qualem conſpiciebam, in tabellâ exprimendam curarem, *Icon Cluſij & deſcr.* quæ hîc adponeretur. Cæterùm, illorum foliorum quorum picturam hîc damus, nonnulla orbicularis pænè erant formæ, hoc eſt, quinque uncias longa, totidem lata, præſertim infimâ parte, pediculo cui videlicet inhærebant, proxima, ſummâ verò & aliquantulum mucronata; alia, tametſi ejuſdem longitudinis & circa pediculum latitudinis, ſenſim tamen in mucronem deſinebant, nec adeò ſphæricæ formę erant, ſed Hederæ folium angulorum expers, aut *Folio Hederæ.* Cõvolvuli majoris quodammodo referebant, ejuſdémque formæ unum inter reliqua conſpiciebam, cujus longitudo & latitudo ſex unciarum erat. Porrò non valde denſa ſive craſſa erant ea folia (neſcio an ſiccitate id acciderit) & ſupinâ parte quendam viridem colorem retinebant, pronâ autem, ex albo palleſcebant, & pediculis binas uncias longis nitebantur, à quibus nervus prodiens per medium folium ſecundùm longitudinem protendebatur,& ab illo deinde alij minùs tumentes nervi inæquali ſitu oriebantur, ex utroque latere quini aut ſeni, qui ad folij oras uſq; excurrentes, intermixtis multis obliquis venulis, magnam gratiam folio conciliabant: ſummi caulis abrupta pars, teretes quoſdam & oblongos folliculos inter folia proferebat, ſed eos, ut mihi quidem videbatur, novellos & recenter natos, eóſque inanes & ſiccos, ut facillimè confringerẽtur.

## DE SAMBACH SEV ZAMBACH, & Iaſmino quædam in genere.

### Cap. III.

ZAmbach multis (& veriùs meâ quidem opinione) dicitur de Gelſemino, ut Ang. Dod. gal. Lob. *Aequivoca.* Adv. Matth. Cam. h. Cluſ. & Bellunenſi, qui ſcribit Zambach abſolutè ſumptum, eſſe Lilium album. *Lilium album.* Geſnerus tamen in cat. credit Arabes per Zambachum intelligere Violam [*Leucoium*] quod non placet. *Leucoium.* Præterea hiſt. quadrup. Virgilij Caſſiam eſſe putat, apibus gratam. *Caſſia Virgilij.* At conſideratis iis, quæ de Caſſia ſcripſit Virgilius, non video quomodo conveniat cum ea. Verba autem Virgilij poſita ſunt capite de Caſſia poëtica. Idem tandem loco proximè citato *Geſn notat. Nerſin.* pro Nerſin Ieſeminum vulgò dictum, aut Leucoia potiùs, quam ullum Roſarum genus uſurpare mavult. Nos tamen dicimus Roſam moſchatam meliùs convenire cum Nerſin quàm Ieſeminum.

Sunt qui pro certo ſibi perſuadent Iaſminum unguentum Dioſcoridis ex floribus fieri, quos in Italia Gelſemini vulgò appellamus, inquit Matthiolus. *Gelſeminũ differt a Leucoio.* Quorum opinioni non parum ſuffragantur tum Hermolaus, tum Marcellus, qui inter Leucoij genera noſtratem Gelſeminum comprehendiſſe videtur, cujus ſententia nõ probanda. Gelſeminum differre

à Leu-

*[Ge]lſeminũ [dive]rſũ à [Leu]coio.* à Leucoio abundè oſtendit Serapio, qui alterum ab altero diverſis capitibus diſtinguit. Nec de Gelſemino agens cap. 17. ullam Dioſc. aut Galeni authoritatem adſert. Credimus ergo Dioſc. cæteríſque veteribus incognitum. *[Ieſe]min. [Zam]bach.* Cæterùm Arabes Ieſemin appellarunt, tametſi vernacula eorum lingua Zambach ſive Sambach, vocitetur. Addit idem in com. Ital. cap. 63. Gualterum Germanum Argent. manifeſtè erraſſe qui exiſtimarit Dioſc. intellexiſſe de vulgari Gelſemino. Matthiolum in Dioſc. meminit ex Serapione, Gelſeminum floribus albis, cum luteis, tum cæruleis reperiri, quale etiam ſe vidiſſe ait. Modo autem in poſt. com. dicta de diverſis coloribus Gelſemini omittit, quaſi ante ſcripſerit non viſa.

*[Iaſ]me Dioſ. [non] eſt Gelſeminum.* Iaſme porrò Dioſcoridis non eſſe Gelſeminum comprobat Lob. in Adv. dicens. Concinniorem quàm certiorem aſcivit ſibi Gelſeminum vulgatius flore albo appellationem de ſententia doctiorum, quibus Iame dictum putatur, quaſi Viola odora, quia ſolitum eſſet iſtius floribus oleum apud Perſas imbui, quod tamen graviùs ſpirat, eóque arguit, non eſſe noſtrum Gelſeminum. Et Violæ latior ſignificatio multò eſt, quàm ut certam quampiam plantam deſignare valeat, nedum hanc quam Mauritani Zambach & Gelſeminum dicunt. Gelſiminum vulgare Cæſalpino videtur Dioſc. Smilax lævis eſſe: quamvis Dioſc. odorem floris ſubticuerit.

*[Sm]ilax læ[vis].* Iaſminum [Ἰάσμινον] quaſi violaceum, à Violis quas *Ἴα* vocant; vel Ioſine quaſi Violæ odor; aut Iaſme quaſi medicatus odor: Sambach & Zambach Arab. *[N]omina [Ar]guar.* quibuſdam Apiaria, quòd apes ejus floribus plurimùm delectentur. Germ. **Deyelräben**: Gall. *Ieſſemin*: Ital. *Gelſimin*. Amat amœnos & calidos tractus habetúrque in viridariis & hortis.

Avicennæ lib. 2. Canon. tract. 2. cap. 619. de Sambaco, Iaſmin alba eſt calidior citrinâ, & citrina purpureâ; & eſt univerſaliter calida ſicca in ſecundo. *[T]emper. [O]leum.* Eſt ſubtiliativa humiditatum, & confert ſenibus ejus oleum. Delet panum quod ex ea humidum, & quod ſiccum, & facit poſſidere citrinitatem multitudo odoramenti ejus. Ejus oleum confert ægritudinibus frigidis in nervis, & ſenibus. Ejus odor facit ſoda: *[S]ovet [la]uorem.* verumtamen cùm hoc reſolvit ſoda factum à phlegmate, quando odoratur: & purum oleum ejus facit fluere, ſanguinem ex naribus calefacti, cùm ipſum odoratur. Scrapio de temper. ſimpl. cap. 176. de Ieſemin quod eſt Zambach tradit ex Iſaac eben amram, eſſe quoddam ex eo album, habens florem, & quoddam citrinum, & citrinum eſſe minus in operatione ſua, & citrinum reperiri in Babylonia. Quum teratur humidum aut ſiccum, & ponatur ſuper impetiginem aut panum, expelli eos, & reſolvi *[I]mpetigo.* omnem ſuperfluitatem frigidam, & conferre habentibus catharrum, & inducere dolorem capitis il- *[C]atarrhus.* lis, qui ſint calidæ complexionis, & oleum ejus eſſe juvativum in hyeme. Sed ſi calidus aliquis in complexione odoret ipſum nimis, timendum eſſe ne faciat fluere ſanguinem ex naribus ejus. Eſſe etiam ſpeciem aliam ex ea, cujus flos ſit cæleſtis coloris. *[T]emper.* Idem ex Aben meſuai ait eſſe calidum in principio ſecundi gradus, conferre humiditatibus & phlegmati ſalſo, & ſenibus frigidæ complexionis, & conferre doloribus quæ fiant à phlegmate viſcoſo. Ex Meſarugia folia Ieſemin humida aut ſicca poni docet ſuper impetiginem aut panum, & auferre eos.

## IASMINUM SIVE GELSEMINUM flore albo.

*Deſcr.* Longiſſimis & lentis, licèt tenuibus viminibus, & niſi ſuſtententur appoſitis pedamentis, pro-



cidtuis donatum eſt, cortice viridante intectis; folia ſeptem ad nervum alligantur, acuminata, Viciæ foliis ferè paria, glabra, atrovirentia; flores veluti in umbella ſuaviſſimi odoris ex oblongo gracili tubulo in calathũ quinquepartitum explicantur, colore cãdido. Matthiolo è feminibus ſemen rariſſimum oritur, in aliquibus tamẽ locis edit Lupino ſimile. Cæſ. Craſſeſcit vetuſtate ferè ſpecie arborea coëuntibus viticulis inſtar caudicis.

Sunt apud Lugd. docti, qui Pothon album à *Synon.* Theophr. lib. 6. hiſt. cap. 7. memoratum, Iaſminum album putant; Deſiderium vertit Gaza. Plinius ſic interpretatus eſt: Sed maximè ſpectabilis Pothos, alterum candidius. Avicen. Zambac, Sambach, vel Iaſmin alba. Iſaac eben amram apud Serap. Ieſemin ſive Zambach album. Hermol. Ieſeminum flore candido, & Viola Perſica, Parthica & peregrina. *Viola Perſica.* Ieſeminum Marcello. Geſn. h. Iaſine floribus albis. Lob. Adv. Gelſeminum vulgatius flore albo: Obſ. & Ic. Gelſeminum vulgatius. Cæſ. Gelſiminum floribus candidis. Cam. h. & epit. Gelſiminum ſive Iaſminum, Zambach Arabum flore albo. Tab. Ger. *Zambach Arabum.* Lugd. & C.B. Iaſminum album; Miror Tabern. & aſ- *Tab & Gerar. error.* ſeclam ejus Gerardum pro Iaſmino cæruleo ponere eandem figuram, quæ albi, ac etiam pro Iaſmino luteo, cùm luteum differat formâ. Cæruleum nullum vidi, nec invenio, qui intuitus ſit, quamvis ejus mentio fiat apud Matthiolum & poſt illum apud alios. Iaſminum primum Anguill. Iaſminum Cord. in Dioſc. Dod. Cluſ. Cam. apud Matth. C.B. pin. Iaſminum 1. ſive vulgatius flore albo: Apiaria. Dod. Iaſminum fl. albo Eyſt.

Lobel. ubivis in hortorum angulis apricis & pro *Locus & Tempus.* prædiorum cavædiis ſurculo pangitur, ádque ornamenta pergularum, pedamentis erigitur ad fornices. Cæſalp. floret poſt Roſam diutiùs è ſingulis foliorum alis. Fructum apud nos nequaquam perficit. Hyeme amittit folia.

Iaſminum album ſicut odore flagrat, ita & viri- *Vires.* bus multis pollet. Oleum ex hujus floribus confe- *Oleum.* ctum crudos diſcutit humores; frigidis ac catharroſis confert, & hyberno utile tempore. Quibus au- *Temperatura calidiori inimicum.* tem temperatura contigit calidior, his dolorem excitat capitis, & ſi diutiùs odoretur, periculum adſert ſanguinis & narium profluvij. Præcipua olei è floribus utilitas ad contractos, induratóſque artus, articulos, tendones, nervóſque: calefacit, emollit, ape- *Calefacit artus.* rit. Vteri morbos arcet, non ſolùm hypogaſtrio & *Morbi uterini.* locis muliebribus illitum, ſed etiam potu aut enemate uſurpatum. Simili modò prodeſt & doloribus colicis quos frigidus & viſcidus humor concitavit. *Colica.*

## IASMINUM HISPANICUM FLORE majore externè rubente.

*Deſcr.* Conſimiles progreſſus & incrementa habet cum Iaſmino vulgato, ſed omnibus modis concinnius eſt; foliorum conjugationes tres quatuórve cum extremo impari alam complent, at ſingularia folia ex oblongo rotundantur non in mucronem

vulgati more deſinunt, iiſque latiora, propiùs plerumque ſe mutuò contingunt, extremumque adeò folium impar, contractius ac brevius, quàm in vulgato exiſtit. Porrò autem & flores longè ſunt majores ſpecioſioreſque ac fragrantiores, foliis obtuſis (cùm vulgato ſint acuta) intus lacteo candore, foris punicantibus.



*Synon.* Lugd. dicitur Iaſminum puniceum Dalechampij. Gallis *Iaſmin rouge*, & *Iaſmin large*. Tab. Iaſminum candiflorum. Ang. Geſmini [*Zambach*] ſpecies tertia. Lob Obſ. Chamægelſeminum grandiflorum peramænum, humile Gelſeminum. Cæſ. Gelſeminum humilius, flore grandiore, ſupernè candido, infernè ſubrubente. *Gelſim Catalonicum.* Cam. apud Matth. & Epit. Gelſiminum Catalonicum, Germ. Frembd Beyelräben/oder Jaßminen mit groſſen blůmen. Ger. Iaſminum candiflorum majus, Great white Geſemine. C.Bauh. apud Matth. *Iaſ. Hiſpanicum.* Iaſminum Hiſpanicum grandiflorum. Eid. pin. Iaſminum 3. humilius magno flore: Gelſeminum humilius 1.Cluſ.

*Locus & Tempus.* E Chio inſula Genua primùm advecta, inde Lugdunum. Qui Byzantium profecti ſunt, affirmant plantam hanc in eo tractu & multis Peloponenſi locis, à Græcis & Turcis ſtudioſiſſimè coli, & ubivis in hortis ſpectari. Vt autem propagetur in vulgari inſeritur. Floret Autumno & ferè per totam hyemem Patavij, Lugduni, Baſileæ & alibi in urceis penſilibus culta.

## IASMINVM SIVE SAMBACH Arabum, Alpino.



*Deſcr.* Sambac, ſive Gelſiminũ, aut Ieſmin Arabicũ, ut autor eſt Alpinus, frutex eſt Cayri in Ægypto, ſarmentoſus, qui ſarmentis ſerpendo altiùs ſe extollit, *Folia.* foliis Mali aurancij proximis, *Flores.* flores albi, octonis foliis præditi, omnino ſimiles vulgaribus foliis, magnitudine odoréque prævalidiori, ac ſuaviori.

*Vires & uſus.* Vſus florum eſt magis ad ornatum corporis, quàm ad ſanitatem: nihilominùs parant *Oleum.* oleum, quo utuntur mulieres in balneis ad uterum calefaciendum & laxandum, ejus enim ſcirrhoſis tumoribu *Tumores uteri.* maximè conferre expertæ ſunt, ut partum etiam *Partum iuvat.* facilio- rem reddant, oleum hoc & bibunt cal.d.m, & ip.o liniunt extrinſecas uteri partes. Vtuntur quoque eo exteriùs inurgentes thoracis regionem, tum per os ipſum calidum bibentes, ad tuſſim, anhelitúſque *Tuſſi.* difficultatem, & ad pleuritim lethalem, *Pleuriti.* in qua ſputum maxima cum difficultate educitur, & ad peripneumoniam, atque ad dolores vehementes ſto- *Stomach.* machi, inteſtinorum, *Inteſtin.* atque uteri. *Vterus.* Parant hoc noſtri unguentarij ex dulcibus amygdalis atque ſe a- mi ſeminibus, ex quibus odore florum Ieſmini imbutis oleum exprimunt valdè odoratum.

## IASMINVM SIVE GELSEMINVM luteum, & cæruleum.



*Deſcr.* Iaſmini vulgati ritu fruticat, virgultis viridantibus, anguloſis, ſtriatis, in quibus folia, aliàs terna Polemonij Monſpelienſium ritu, ſed acutiora, firmiora quàm in albo, interdum duodecuplo majora, ad Trifolij bituminoſi culti folia magnitudine accedentia, aliàs verò pinnata ex una duabúſve conjugationibus coſtæ annexis, impari ſemper uno alam claudente: flores eo ordine & ſitu quo in Iaſmino ſive vulgato, ſive Hiſpanico, foliis obtuſis, luteis. Fructus mediocris magnitudinis, niger, oblongus, bina continet ſemina magna, nigra, oblonga, quà ſe mutuò ſpectant plana, alterâ parte modicè gibboſa.

*Synon.* Lob. Adv. Gelſeminum luteum. Eid. ic. & Tab. Iaſminum luteum, Geel Beyel Räben. Quem quis quæſo cum ejus imitatore Gerardo excuſabit qui *Tab & Gerardi lapſus.* pro non viſo Iaſmino luteo ex ſola phantaſia ponit albi iconem. Ang. Geſminum flore luteo. Geſn.h. Iaſme, Iaſminum luteo flore, quo nomine Eyſt. & C. Bauh. id apud Matth. nominat, qui ſeorſim Ieſeminum vel Gelſeminum luteis floribus inſcribit. Eid. pin. Iaſminum 2. humilius luteum: Gelſeminum humilius alterum fl. luteo, Cæſ.

*Locus & Tempus.* Pfortzheimiæ in horto Grienningeri, qui hieme tegit, adhuc viret Novembri: Argentinæ floret Iulio & fructum maturat Octobri. Patavina & quædam Gallica vireta habent florens in æſtate.

*Iaſ. cæruleum.* Iaſminum cæruleum nondum vidimus: An Arabes Liguſtrum orientale, quod aliàs Syringa cærulea dicitur, intellexerint, Cæſ. dubitat: alij Clematidem cæruleam eſſe volunt.

Iaſminum cæruleum, Tab. Ger. Iaſminum 4. cæruleum Serapioni, C.B. pin.

## PAVATE ARBOR FOLIIS MALI aureæ. CAP. IV.

*Deſcr.* Frutex eſt non admodum ramoſus octo aut novem pedum altitudinis, cui rara ſunt folia, Mali aureæ minoribus foliis ſimilia, exceptâ appendice quâ carent, utrimque eleganti virore prædita: flos exiguus, candidus, quatuor foliis præditus, è cujus medio exit alba fibra cuſpide viridi inſignis, odore floris Periclymeni, cui procul aſpicientibus perſimilis

milis videtur; rotundum ſemen, lentiſcini magnitudine, ex viridi nigricans, & ubi maturuerit, nigrum. Caudex & rami cinerei ſunt coloris; radix alba & inſipida, cum nonnulla tamen amaritudine, odoris propemodum expers.

*Pavate. Vaſaveli. Arbor eryſipelas curans.*

Acoſt. de arom. autor eſt dici, vulgò in Malabar *Pavate*, à Brachmenis & Canarinis *Vaſaveli*; Luſitanis *Arbol contra los criſipelas*, h.e. Arbor eryſipelas curans. Lugd. Pavate Acoſtæ. C.B.pin. Arbor Malabarẽſium fructu Lentiſci.



*Vires.*

Tametſi utilis ſit hæc planta adverſus alvi profluvia, queadmodum Macet & Coru, cum illis tamen minimè comparari poteſt, quãdoquidem imbecillior eſt: itaque qui jam dictas novit, ea haudquaquam utetur in alvi profluviis, at in curando omnis generis duntaxat eryſipelate, & eo præſertim quod è mera bile ortum eſt. etenim inſigni virtute adverſus hunc morbum pollere deprehenſum eſt. Teritur & maceratur hujus plantæ truncus ſive radix orizæ decocto (Canaie uocant) aliquot horis quieſcere ſinitur ut aceſcat hæc aqua, eryſipelas deinde ea inurgitur bibendaque propinatur ſufficiente quantitate bis in die purgato priùs ventriculo. Eadem ratione præbetur radix orizæ decocto macerata iis qui jecoris inflammatione laborant & ſebrium ardoribus, addito autem ſucci foliorum Tamarindi momento vulnerum labia circumquaque inungi ſolent ad inflammationes prohibendas, & humorum defluxus cohibendos. Quoniam verò iis in provinciis multò majore quantitate Pavate quàm Coru creſcit, incolæ eo utuntur.

*Eryſipelas. Radix. Inflamm. jecoris.*

## CLYMENVM VETERIBVS.
### CAP. V.

*Clymenum Dioſc.*

DE hoc ita Dioſcorides diſſerit. Clymenon caulem profert quadrangulum, ceu Fabæ, folia Plantagini ſimilia; folliculos verò habet ſupra caulem ita diſpoſitos, ut alter in alterum propendeat, velut in Iride ac polyporum citris. Hoc alij inter notha Dioſcoridis Calycanthemon vocant, alij Periclymenon, alij Heliophyes, quaſi ſolis plantam. Nonnulli Hepatitin, alij Smilacem, alij Anatolicon, alij Pyticon, alij Merginem, Latini Volucrum, ſeu Volucrum majus. Ægyptij Oxivi, Clymenon, alij Clymenium, & Agonon (quod ſterilitatem inducat quanquam id Periclymeno magis convenit) nuncupant.

*Clymenos Plinio. Similis Plantagini. Succus. Plinij lapſus.*

Plinio Clymenos herba à rege appellata eſt, Ederæ foliis, ramoſa, caule inani, articulis præcincta, odore gravi, & ſemine Ederæ, ſylveſtribus & montoſis naſcens. Græci plantagini ſimilem eſſe dixerunt, caule quadrato, folliculis cum ſemine inter ſe implexis, velut in polyporum cirris. Succus in uſu vi ſumma in reſrigerando. Et alibi. Præcordiis & ilibus utiliſſimum Clymeni ſemen potum diebus 30. pondere denarij in vino albo. Hoc in loco Plinius Clymeno perperam illa omnia reddidit, quæ Dioſc & Gal. (qui hujus nuſquam meminit ſicut nec poſt ipſum Paulus) Periclymeno aſſignarunt. Quam re quidem Theophraſtum ſecutus eſt, ſcribentem: Impotentes facere poſſe creditur, qui fructum [τὸν καρπὸν, *ſemen Gaza*] Clymeni [τοῦ Κλυμένου, *Volucri Gaza*] collectum modo ſextarij triginta aſſiduè diebus, portionibus æquis biberit ex vino albo. Sic enim penitùs ſterileſcere hominem aiunt, ſi potionem abſolverit. Gaza æquivoco vocabulo uſus eſt, Volucrum interpretans, eo tamen nomine Periclymenum Dioſcoridis ſe intelligere demonſtrat. Is Theophraſti Ἀσπλευ lib.2. de cauſ. cap.25. etiam Volucrum interpretatur.

*Theoph reſtituitur. Gaza lapſus. Volucrum. Periclymenum.*

Clymenon deſcribi aliter à noſtris (ait Hermol. coroll. 622.) quàm à Græcis Plinius affirmet. Nam quod is de Clymeno prodidit, Dioſc. Periclymeno vocatæ tribuit, & deſcriptio noſtrorum de Clymeno, Periclymeno ferè convenit. Cur quæſo Hermol. deſcriptionẽ noſtrorum vocat, quam hoc in loco ſe prætexiſſe ſcribit. Plinij ea eſt, nec ullam aliam prætexit. Si quis præterea conſideret, quæ cap. ſeq. adfert, apparebit eum nullum tradere diſcrimen, inter Clymenum primum Plinij & Periclymenum Dioſcoridis. Ruellius quæ recitat partim ex Plinio, partim ex Hermolao tranſcribit, licèt more ſuo eos ſilentio præterire non erubeſcat.

*Hermol. reprehen. Error alius Herm. Ruell notatur.*

Ex hactenus dictis igitur conſtat Clymenum dici à Plinio de Periclymeno Dioſcoridis, id quod Hermol. & Matth. atteſtantur. Clymenum Cortuſi [*Lathyrus ſativus latifolius* 1. ſeu *Clymenum Matthioli*, Lugd.] bellè ſatis Clymenum Dioſcoridis imitari videtur Matthiolo: de hoc hiſt. noſt. lib.17. de Lathyro majore flore tractabimus. Clymenum Ruellij, Scrophularia ſecunda Dod. Ocimaſtrum Tragi, ſeu Betonica aquatica Septentrionalium, perperam quibuſdam Clymenum Dioſcoridis creditur. Ad Scrophulariam majorem (de qua lib.28.) Clymenum Ruellij referendum exiſtimo, vereor tamen ne ei attribuat quædam, quæ ad Saponariam pertineant. Clymenum (inquit Matth.) non eſt Saponaria vulgò dicta, ut voluit Ruellius. Sed fallitur Matthiolus. Ruell. per Clymenum ſuum non intellexit Saponariam, de qua ipſe ſcribit.

*Æquivoca. Periclymenum. Lathyrus fl. maiore. Scrophularia maior. Ruel chaos. Matth. refutatur.*

Clematitin alteram minorem longiſoliam Lobelij, quidam apud Lugd. Clymenum eſſe arbitrantur. de hac poſtea agemus, ſub titulo Clematitis flore cæruleo, ſurrecto.

*Clematis flore cæruleo ſurrecta.*

Cæterò, probatiſſimum Clymenon eſt, autore Dioſcoride montanum. E frutice toto cum radice ſuccus exprimitur, qui ad ſanguinis rejectionem in potu efficax eſt, itémque ad cœliacorum profluvia, rubentémque fluorem muliebrem: quippe qui aſtringat ſimul atque refrigeret. Sanguinem quoque naribus erumpentem ſupprimit. Folia trita aut folliculi, ſi vulneribus recentibus imponantur, ea ita efficaciter ſanant, ut etiam ad cicatricem perducant.

*Delectus. Vires. Succus. Profluvia ſanguin. Folia. Vulnera.*

## PERICLYMENVM VETERIBVS.
### CAP. VI.

*Periclymen. Dioſc.*

PEriclymenon, ex Dioſcoridis ſententia, frutex eſt exiguus ac ſimplex, habens ex intervallis foliola caulem amplectentia, ſubcandida, hederacea, ac inter ea naſcentia germina, in quibus ſemen Hederæ; florem candidum ceu Fabæ [*κυάμῳ, κοινῷ in medio vet.*] aliquantulum rotundum [*ὑπὸς ἐγγυλον, quæ vox in ald. deeſt*] & quaſi [*περιφερὲς in orbem addit vet.*] in ſolium procumbentem; ſemen durum & quod difficile evellatur: radicem craſſam [ *παχεῖαν μακρὰν Orib. παχεῖαν καὶ μακρὰν, alij ex Crat.*] ac rotundam. Hæc ſic paullò aliter Plinius. Periclymenos fruticat & ipſa, ex intervallo duo ſolia habens, ſubcandida, mollia. In cacumine autem ſemen inter folia du-

*Dioſc. illuſtratur. Ex Plinio.*

rum, & quod difficile evellatut. Conſiderans, quæ Hermo. præcedenti cap. de Clymeno ſcripſit, obſervabit facilè cum Clymenum primum Plinij idem facere cum Periclymeno Dioſcoridis. Dicit enim in Clymeno de Periclymeno actum eſt, quod nunc Caprifolium [*perperam teſte Con.*] & Materſylva vulgò [*Officinis*] appellatur. Cæterùm id maximè Matthiolum ad credendum impellit, vulgatam Matriſylvam eſſe Periclymenon, quòd non ſolùm omnes hujuſce ætatis rei herbariæ peritiſſimos in hanc ſententiam deveniſſe compererit, ſed quòd etiam ex notis, quas illi reddidit Dioſcorides, ita eſſe cognoverit. Periclymenon, inter Dioſc. notha, aliqui Æginen [*nomenclaturâ à capris facta*] alij Clymenon, alij Carpathum, alij Splenium, alij Hepatitin, alij Helxinen majorem, alij Clematitin, alij Myrſinen, alij Calycanthemon, Prophetæ Pileum Veneris, Ægyptij Turcum, Romani Volucrum majus, Aphri Lanath appellant.

*Hermolai chaos.* *Caprifolium.* *Matriſilva recentiorum.*

*Locus.* Naſcitur in arvis ac ſepibus autore Dioſc. convolvens ſe propinquis fruticibus, adminiculis quibuſcunque, Plin.

*Vires & uſus.* *Lien.* Semen poſtquam ematutuit collectum & in umbra ſiccatum, ſi drachmæ pondere ex vino bibatur quadragenis diebus, lienem abſumit, laſſitudinem diſcutit, & orthopnœæ atque ſingultui prodeſt: ſed urinas ciet ſtatim è ſexto die cruentas. Idem partum quoque accelerat. Sed & folia iiſdem ſunt prædita viribus, ac tricenis ſeptenis diebus epota ſterilitatem in viris facere produntur. Eadem, ſi ex oleo perungantur, febrium circuitibus redeuntium horrores abigunt.

*Sterilitas.* *Febres.*

*Ex Galeno temperamentum.* Periclymeni ex mente Galeni, utile eſt & ſemen & folia, ſiccandi ſimúlque calefaciendi vim habentia, adeò ut etiam urinam cruentam efficiant, ſi diutiùs bibantur. In principio tamen ſolùm urinam cient. Si verò foris cum oleo illinantur, calefaciunt. Semen autem etiam ſiccat. Et quidam tradunt ſi amplius bibatur, omninò effici ut bibentes non gignant. Quidam etiam certum dierum tempus præfiniunt tali potioni: quemadmodum & Dioſc. ſeptem & triginta dies. Hic etiam urinam cruentam reddi dicit à ſexto die. *Ex Plinio.* Semen Periclymeni, ait Plinius, in umbra ſiccatum tunditur & in paſtillos digeritur. Hi reſoluti dantur in vini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienem, eúmque urina cruenta, aut per alvum abſumit: quod intelligitur à decimo ſtatim die. Vrinam cient & folia decocta, quæ & orthopnoicis proſunt. Partum quoque adjuvant, ſecundáſque pellunt pota ſimili modo. *Error Plin.* Dictum antea eſt, Plinium apertè Clymenum cum Periclymeno confundere. Nam quæ de Clymeno tradit, ad Periclymenum pertinent: quæ verò ex Græcorum ſententia ſcribit, ad Clymenum Dioſcoridis ſpectant. Et in hoc ſequutus eſt Theophraſtum, qui & ipſe Clymeno adſcripſit, quæ Dioſc. de Periclymeno prodidit. *Marcelli error.* Illius ſententiam ſequutus quoque Marcellus à vero aberrat. Etenim magnum eſt utriuſque herbæ diſcrimen.

## PERICLYMENON PLVRIMIS, SIVE Caprifolium duplex, perfoliatum, & non perfoliatum.

*Deſcr. non perfoliati.* HVjus radix lignoſa, reptatrix, tenuis, cum ſuis adnatis; flagella plura, alienæ opis indiga, tenuia, longa, lignoſa & in ramulos partita, ſurſum repentia, cauliculis & geniculis intercepta, leviter piloſa; folia ad genicula ex intervallis bina longiuſcula & acuta, mollia, dilutè virentia, inferiore tamen parte magis incaneſcentia; flores in ſummis ramulis complures pariter emicant, oblongi, amœniſſimi, ſuavi odore, lubæ bellicæ directæ aut promuſcidi ſimiles ex corniculato anguſto principio in latius orificium ſatiſcentes, laciniatæ fimbriæ ligularúmque pulchritudine ſpectabiles, intus cavi, ſtaminibus aliquot è medio exeuntibus; color albus ac interdũ flaveſcens. Fructus acinis Sãbuci ſimilis cõglomeratus, per maturitatem rubens, in quo ſemen duriuſculum; ſucco abundant acini ſaporis ingrati.

PERICLYMENVM NON PERfoliatum.



*Perfoliatum.* Alterum genus (perſoliatum) Narbonenſe quale in horto habemus à præcedenti vulgari in Germania differt foliis penè glaucis rotundioribus & pediculis breviſſimis, quorum quædam ſunt ſępè continua & à viticulis trajecta pertuſave, ſuprema autem acetabuli inſtar modicè concava, ſapore ſubacri; ex quorum cotyla flores prodeunt præcedentibus ſimiles amœniſſimi, ſuavi etiam odore, colore ex purpura albeſcente aut in luteum langueſcente, ſuperioris ſimiles, breviores tamen ac paulò minores Dodon. ex tubulo eminẽt ſtamina albida. Semen glomeratim naſcitur acinorum Sambuci magnitudine colore rubro, dilutiore, ut ait Dodon.

PERICLYM. PERFOLIATVM.



Meminit Periclymeni Pandectarius. qui quidem nullum ejus diſcrimen tradit, ſed in genere delineat his verbis. Matriſilvia latinè, græcè Splenion, vel Splenaria, vel Lienalis, vel Periclymenos. Herba eſt cujus folia ex altero laterum ſubalbida, & ex altero ſubviridia; ſe involvens & adhærens ſæpiùs; cujus fructus eſt magnitudinis Cubebarum in principio viridis, & cùm maturuerit citrini coloris tendentis ad rubedinem poſiti ordinariè, & concluſi in duobus foliis ſimul conjectis, exiſtentibus in capitibus ſtipitum juxta eum. *Periclymen. Pandect. Matriſilva Splenion Splenaria. Lienalis.*

Matris ſylvę nomine (inquit Cron. in comp. Marciati) inſignivit Periclymenon Græcorum Scrib. Largus, quam luculenter ex veteribus Dioſcorides & Plinius aperuerunt, & Gal. 8. ſimpl. Volucrum majus quoque appellat, Pandectariúſque Caprifolium noſtrum declarat: nam notæ cum Periclymeno veterum ſatis conveniunt: unde doctiſſimis idem ſonant, ſi Matthiolum & Amatum excipiamus: nam ij Caprifolium Pyxacantham aſſerunt. Meſue inter Volubiles tertiæ ſpeciei oſtendit. *Matriſilva Scrib. Largo. Volucrum majus.* *Pyxacantha.*

*Clymenos Plinij 1. Periclymenum Romanorum.*

Hermol. in Dioſc. vocatur Clymenos Plinij prima, Peryclymenum Dioſcoridis. Ruell.Car.Steph. in coll.& Fuchſ.Periclymenum Romanorum, Volucrum majus, Periclymenos Plinij: Sylvæ mater Scrib. Largi: Caprifolium & Matriſylva vulgi, licèt Caprifolium ei, quam Matriſylvam vocant, teſte Cornario parùm reſpondeat.

*Caprifolium nō eſt Matth.*

Sunt (inquit Matth.) qui Periclymenum perperam Caprifolium appellent; Officinæ Matriſylvam vocant: Italis quia in ſepibus & frutetis naſcitur, adeò ut ſæpè tam pertinaciter inhæreat ligétque adminicula, ut in ea imprimat veſtigium, meritò *Vincibuſco* dicitur. *Vincibuſco.* *Error multorum.* Planè hallucinantur ij, qui Caprifolium, & Matriſylvam ſeu Periclymenum idem eſſe exiſtimant, in quorum numero eſſe deprehenduntur Ruell.& Fuchſius [*in poſt.c mm.non Fuchſium, ſed Manlium accuſat.*]In hunc autem lapſum hos fortaſſe deduxit Matthæus ſylvaticus Pandectarum autor. Siquidem is ſuum Caprifolium Matriſylvam nominat, cùm tamen, ut ſubinde legitur, nil aliud Sylvatico Caprifolium fuerit, quàm Dioſcoridis Pyxacantha, ſeu Lycium, *Lycium.* non autem Periclymenum, de quo ſeorſum ſub titulo Matriſylvæ Sylvaticus ipſe diſſeruit. Quod fortè non animadvertentes ij, Caprifolium & Periclymenum idem eſſe putarunt. *Matth refutatur.* Ruellium autem, ſimul ac Fuchſium lapſos, falsò concludit Matthiolus, quum vulgò atque recentioribus herbariis Caprifolium vocatam aſſerant, nec propriâ ſententiâ id ſtatuant: ipſe autem affirmat Matriſylvam (repetens verba Dioſcoridis ſicuti & cætera in ſua ejus deſcriptione) *Matth.Verba Dioſcoridis recitat.* ſemen prædurum & quod difficilè evellatur habere, caule & radice ſimplici, quæ an manifeſta ſint in Matriſylva aliis dijudicandum relinquimus. Matthiolus ſua icone exhibet Periclymenum perfoliatum. *Icon Matt.*

Dod.gall.Periclymenum: In hiſt. duo ejus genera tradit. Vnum Caprifolium germanicum, alterum Caprifolium Italicum; utrumque fruticem amplexicaulem, vicinis adminiculis ſeſe circumligantem. *Pandect.repreh.* Porrò Sylvaticum reprehendit qui dixerit Lycium vocari Caprifolium & Matriſyluam. Ejus verba hæc ſunt: Matthæus Sylvaticus Caprifolium & Sylvarum matrem cap.137. rectè quidem Periclymenon, ſed perperam Lycium & Pyxacantham interpretatur, *Lycium perperam, ut & Pyxacantha. Error alius* Periclymenum cum Pyxacantha ineptè cõfundens, pejus uerò etiam facit Caprifolio vires Pyxacanthæ aſcribens. Sed cap.131. Matriſyluam Periclymenon & Caprifolium rectè aſſerit ac legitimas ei ex Dioſc. vires refert.

*Dioſc.not.*

Dioſc. bis videtur Vinciboſcum plantam deſcribere, (ait Cæſ.) Periclymenum, modò Cyclaminum alteram vocans. Periclymeni deſcriptio in cæteris quidem congruit exceptâ radice, quam dicit craſſam & rotundam. At Plinius radicis non meminit cùm in cæteris cum Dioſc. conſentiat. De altera autem Cyclamino inquit Dioſc. folia fert Hederæ minora, &c. Vbi eædem prorſus facultates leguntur, quæ in Periclymeno. Affert quoque Plinius alterius Cyclamini deſcripti nequaquam diverſam à Dioſc. enarrationem. Ex quibus patet prædictam plantam magis convenire cum altero Cyclamino ob fructus mollitiem & radicem ſupervacuam. Si igitur eidem accommodari poſſit Periclymenum, & fructus durities de ſemine intelligatur, auferatúrque conditio radicis rotundæ, & craſſæ, error erit in repetitione ejuſdem diverſis nominibus. Probabilius igitur dicendum videtur legitimum Periclymenum adhuc non compertum eſſe, non tamen à prædicta planta multùm differre. Plinius alibi Clymenum vocat.

*Pericl.duplex.Cluſ.*

Cluſ.hiſp.& hiſt.Periclymenum vulgare, duplici genere conſtat. Illud quod in Septentrionalibus naſcitur, extremis ramis multos flores, odoratos admodum & rubrum fructum in unum caput coactum profert; alterum quod in calidioribus regionibus, veluti Italia, Hiſpania, & Narbonenſi Gallia creſcit, eſt latioribus foliis & binis aut ternis acetabulis extremos ramulos ambientibus, in quorum ſingulis ſeni plerumque flores exoriuntur præcociores & minùs odorati quàm in priore, quibus ſuccedunt baccæ ferè puniceæ.

Cam. ad Matth. Periclymenum perfoliatum: de hort. ait, Periclymeni, Matrisſylvæ vulgò, ſive Caprifolij radix etiamſi Dioſcoridis deſcriptioni repugnet, nihilominus tamen ex Crateva & Oribaſio affirmatur convenire, qui dicunt radicem eſſe denſam & longam. Hujus generis habui elegantiſſimam ſtirpem ex horto Ill.Princ. Landgravij Haſſiæ VVilhel. Periclymenum perfoliatum ſive Italicum flore odorato vocatum.

Periclymenum Hermol. Ruell Carol. Stepb. in Coll.Cord.in Dioſc.Fuchſ.Corn. Matth.Dod.gall.& lat.Trago, Ryffo, Cronemb.Geſn.hort. & de coll. ſtirp.Had.Iunio, Turnero & pleriſque. Dorſth.ſub titulo Caprifolij ineptè ponit iconem Hepaticæ ſtellariæ. *Dorſth. not.*

Lob.Adv.Periclymeni Periplocas hodiernis Græcis vocati, duplicem obſervari varietatem teſtatur ex folio. Italicæ ſc. & Narbonenſi vulgatiori folium unum & continuum. Septentrionali, non perfoliatum. Idem Obſ.duas habet figuras, unam hoc titulo, Periclymenon perfoliatum calidarum regionum; alteram hoc, Periclymenon non perſoliatum; In Ic. Periclymenum perfoliatum calidarum regionum officinarum, Periclymenum non perfoliatum; Septentrionalium. Apollinaris nomine Geißblatt figuram ineptam exhibet, alia verò impreſſione penitùs omittit. *Apollinaris inepta icon.* Tab.Periclymenum: Item, Periclymenum perfoliatum durſichtige Speck Lilgen. *Tab. imperitia.* Compilator Tabern. ſatis demonſtrat ſuam imperitiam ſtirpium in nomenclatura Germ. tribuens Periclymeno perfoliato quod tribuitur Hyperico. C.Bauh. phyt.Periclymenum. 1.ſive perſoliatum, ex purpura niveo colore nitens: aliquando & luteo aſperſo. Item Periclymenum 2.ſive Germanicum vulgare. Eid. pin. Periclymenum 1. non perfoliatum germanicum: Caprifolium, Brunf. Geſ.h.& Lon. Germanicum, Dod. Periclymenum, Trag.Fuchſ.Dod.gall. *Syn.C.B.* Turn. Cord. in Dioſc. Geſn.h. Cam.Thal. Tab. Ger. Germanicum, Eyſt. Periclymenum Septentrionalium, Lob.Cluſ. Item, Periclymenum 2.perſoliatum: Periclymenum, Matth.Ang.Lac.Lob. Adv.& Caſt. alterum Dod.gal. Periclymeni ſpecies foliis unitis, Geſn.h. Pericl.perfoliatum, Lob.Lugd. (& grandius) Tab.Ger.Eyſt. Pericl.vulgare alterum, Cluſ. hiſt. Vinciboſcum vulgo, Cæſ.

Περικλύμενον Græc.Periclymenum Lat.Officinis & herbariis qui tamen partim Caprifolium, partim Matriſilvam vocant. alij Lilium ſilveſtre, vulgus Lilium inter ſpinas, Lilium convallium, Narciſſum & Volucrum majus appellitant, Trag. *Nomina linguarum* Germ. Geißblat/ Speck: aut Waldlilgen/ Fuchſio Gilgenconfort/ Geſn.quadr. Waldwinde/Zeünling: Vienne, Norimbergæ, Feldkirchij Rhætorum & alibi, Roſen von Jericho: in Miſnia Je lenger je lieber, Camer.apud Matth. Belg. Gheytenbladt & Mammekens cruyt: Gall.*Chevrefeuille*: It.*Matreſelva Vincibosco* & *Caprifoglio*: Hiſp.*Madreſelva.* Angl.Wod binde/aut Honyſuckle: Brabant. Wewen.

Naſcitur in ſilvis & in ſenticetis, & fruticibus, nonnulliſque arbuſtis. Vere folia exeunt, flores quandoque Aprili, crebriùs Maio ac Iunio conſpiciuntur; fructus ſub Autumni tempus. *Locus & Tempus.* Vtrumque genus Belgicis & Germanicis hortis valdè familiare, pergulas interdum veſtit. Neutrum ſponte naſcitur quod ſciat Cluſius, in Vngaria, Auſtria & Bohemia. Frequens tamen eſt in Harcynia Saxonothuringiaca cir-

ca circa Oſterodum oppidum Ducum Grubenhagiorum ubi dicitur Wildrancken. Montbelgardi paſſim in dumetis, ſepibus & ſylvis provenit; ſponte folio non perfoliato, Baſileæ etiam variis in locis in ſepibus: floret Maio, Iunio, Iulio, Auguſto, Septembri & Novembri Montbelgardi: In Alſatia copioſè occurrit non perfoliatum: Monſpelij perfoliatum florens Aprili & Maio in ſepibus.

*Vires. Temperamentum.*

Vehementer calefacit & deſiccat, id quod guſtu etiam ipſo deprehenditur. Folia ſiquidem, atteſtante Fuchſio, acrimoniam quandam præ ſe ferunt guſtata. Ex facultatibus autem ſuperiùs à Dioſc. Galeno, & Plinio commemoratis, nemo non intelligit, fruticem hunc eſſe Periclymenon: cùm enim guſtu *Guſtu.* acrimoniam præ ſe ferat, neceſſe eſt omnia hæc quæ veteres Periclymeno tribuunt, poſſit. Quibus accedit, quòd recentiores etiam herbarij ſuo Caprifolio eaſdem vires aſſignent. Exiccare enim ipſum tradunt ulcera humida & ſordida, ſanare impetigines, *Vlcera.* & alias cutis fœditates, lienem abſumere, difficultati ſpirandi conferre, partus celeritatem facere, calculos pellere, faciei maculas abſtergere, & alia poſſe quæ non attinet referre. Cæterùm Matriſilva in eorum unguentorum uſum venit, quæ ad capitis vulnera *Ad unguenta.* parantur. Namque hac in re efficaciſſimum eſt medicamentum, quamvis è veteribus neminem hactenus invenerit Matthiolus, qui Periclymenon ea vi pollere, memoriæ prodiderit. Hanc etiam herbam commendavit Ioannes de Vigo, ad crurum ulcera, quod eam ad hoc (ut ipſe inquit) utilem eſſe tradiderit Gal. lib. 8. ſimpl. Veruntamen id non legit Matthiolus in ſuo Galeno! Præbuiſſe graviſſimi erroris pharmacopœis occaſionem videtur Dodonæo Sylvaticus, qui ſucco foliorum & fructuum Periclymeni denſato, pro Lycio, maximo cum periculo utuntur. Natus hinc & alius error, quòd videlicet foliorum Periclymeni decoctum, aut aquam ſtillatitiam ex foliis & floribus, non ſine errore ad oris fauciúmque inflammationes incipientes, veluti adſtringentia ac refrigerantia vulgus medicantium prodeſſe temerè exiſtimet. Periclymeni enim haud quaquam frigida & adſtringens, ſed calida & attenuans eſt facultas. Et hinc meritò in Savoria ubi ſua ſpontè copioſè provenit, aqua è floribus ſtillatitia in frequenti eſt uſu, ad faucium tumores, ubi à frigidis humoribus nati fuerint. Liquorem Periclymeni ſtillatitium cum ſemine Laverdulæ ſolitus eſt ad partum facilitandum ad ℥. ij. vel iij. propinare Rondeletius.

*Io. de Vigo not. Error pharmacop. circa huius ſuccum. Error alius Decoctum. Aqua. Partus.*

## PERICLYMENVM RECTVM FRVctu rubro & nigro.

*Deſcr.*



SVo caudice nullius fulcri indigum ſurgit hoc Periclymenon, fruticibus annumerandum: cui folia Corni fœminæ vulgò dictæ, molliora, minùs nervoſa, utrinque hirſuta, bina oppoſita: quo numero quoque flores uni eidémque pediculo inſidentes ex foliorum alis erumpunt, ex luteo palleſcentes, Periclymeni vulgaris formâ, minores tamen ſuperiore folio ſurſum reflexo, fimbriato; inferiore demiſſo, anguſtiore, integro, odore grato, quibus decidentibus baccæ gemellæ ſubnaſcuntur eidem pediculo teſtium inſtar appenſi, per maturitatem rubentes, Sambuci aquaticæ, ſapore nauſeoſo.

*Synon. Caprifoliū.*

Dod. gall. Caprifolij 3. ſpecies, exiſtimata Periclymenum & Caprifolium, cujus flores, fortè Dioſcorides floribus Fabæ veræ compararit; fructus Helvetis Hundſkhirſen nuncupatur: Item, Periclymeni ſpecies, Ceraſum caninum. Eid. hiſt. Xyloſteum, quod plerique Periclymenum ſtans appellant: Germani alicubi Hunds Kirſen / & Honds Kerſen: unde Xyloſteo nomen datum. Sunt qui Clymenon eſſe ſuſpicentur, quibus Periclymenon, ab hujus ſimilitudine, veluti convoluens ſe Clymenon dictum videtur. Sed Clymenon aliud omninò ſtirpis genus, caule Fabæ, & folio Plantaginis: ut quidem Dioſcorides ait.

*Xyloſteum. Pericl ſtans*

Geſn. h. Periclymeno cognatus frutex, Xyloſteon, Beinholtz à Tigurenſibus vocatus: Eid. in fin. hiſt. Cordi, Periclymenum erectum, vel mas: de coll. Periclymenus minor gemellis acinis.

*Periclymenum erectum ſive mas*

Cluſ. hiſp. primi generis erecti Periclymeni repetendam deſcriptionem non ducit, lectorem tamen admonitum vult (in hiſt. ubi ſecundi generis Periclymenum rectum 1. vocat:) inæquales baccas non ferre, quemadmodum nonnulli exiſtiment, ſed geminas ſemper, eáſque perpetuò æqualis ferè magnitudinis, cùm in Pannonia, Auſtria, Moravia, Bohemia, ubi plurimùm, tum in Allobrogum, Helvetiorúmque alpibus & aliis locis, in quibus ſpontè creſcit. In Belgicis autem hortis cultum, vix unquam æquales ad maturitatem perducere deprehenſum eſſe; at cum una [*bacca*] excreſcat & turgida fiat, alteram ſemper exilem, plenam tamen remanere, lagenulámque geſtatoriam, aut Cucurbitulam referre quodammodo videri. Hoc porrò Periclymenum rectum 1. Cluſ. pann. ubi eadem ſcribit, duplex tradit fructu ſc. rubro & nigro, æqualibus perpetuò baccis variis in montibus Hiſpaniæ ſatis copioſè repertum. Lob. Adv. Periclymenum alterum Allobrogum, Cornûs fœminæ effigie: Obſ. & Ic. Allobrogum Periclymenum. Trag. Halimum (ſeu ut alij legunt Alimum) à Dioſcoride deſcriptum eſſe exiſtimat. Sic & Lonic. Halymum Dioſc. cum Trago eſſe finit, donec aliud quod meliùs conveniat producatur. Sed uterque fallitur, nec enim convenit cum Halimo hæc planta. Folia ſiquidem foliis Oleæ, ut Halimi, proxima non ſunt, ſed multò latiora.

*Admonitio Cluſii. Locus. Periclym. rect. duplex. Halimus Trago & Lonic. Trag. & Lonic. reprobantur.*

An Cæſ. frutex quidam in Alpibus ſine nomine, ſimilis Corno, brevior: fructu ſimilis parvis Ceraſis, qui geminus in uno longo pediculo eſt rubens in maturitate, coëuntibus aliquando ex toto granis, in ſingulis duo, aut tria ſemina continentur ſine oſſe, bipartito conceptaculo, ipſa ſemina oblonga, ut etiam grana, ut Corni, ſapore amaro. Hæc Cæſalpini judicio, quoque Cornus fœmina dici poſſit apud Theophraſtum. Contra Dalechampius vocabat Vitem Idæam Theophraſti.

*An Cæſ. frutex ſine nomine ſimilis Corno? Cornus fœmina. Vitis idæa Theophr. Dalech.*

Tab. Periclymenum rectum. Ger. Periclymenum rectum fructu nigro, Blacke berried woodbinde. Cam. h. Periclymenum 2. ſic & Lugd. rectum, dictum Xyloſteon Dod. Thal. B. pin. Chamæceraſus ſpuria 4. ſive Chamæceraſus dumetorum fructu gemino rubro Xyloſtium flo. albis vulgatius, Eyſt.

*Xyloſteon.*

Abundat paſſim in ſepibus, fructu maturo Iulio, qui cum amarus dicitur dulcis eſt. Trago, naſcitur inter cæteras ſentes in dumetis & frutetis, Alſatiæ admodum familiaris, qua regione ſecus itinera & vivis ſepibus occurrit. Apud Helvetios & pleroſque alios Germaniæ populos, in ſylvis locis ſaxoſis reperiri teſtis eſt Dodonæus: Aprili aut Maio flores, ſed fructus Autumno appetente demùm perfici.

*Locus & Tempus.*

Tragus

*Vires: Tragi opinio exploditur.*

Tragus eaſdem vires quas Halimo tribuit quod Halimum exiſtimarit. Aſt riſu dignum quod poſtquam in deſcriptione dixiſſet baccas guſtatas nauſeam & vomitus ciere, ex Solini ſententia Halimum famem compeſcere ſcribat, quod equidem facilè crediderit, ſiquidem ubi baccas illius vel ſemel deguſtaſſet, quamprimum ſatiatus fuit, nec ab eo tempore unquam tanta illum invaſit fames, ut prædictum deinceps appeteret fructum. Aſt ſi cum Trago, quicquid famem compeſcit & guſtu ingratum eſt Halimum eſſe dicendum ſit, multæ tales plantæ reperirentur. De viribus hujus fruticis nihil compertum habet Dodonæus.

## PERICLYMENO SIMILIS.

*Vitis ſilv. unde.*

VItis ſilveſtris (inquit Cord. in Dioſc. l. 4. c. 183.) aliquam cum Vite ſimilitudinem habet. Idemque hoc nomen invenit, impropriè tamen. Non enim idem genus cum Vite ſativa habet, ut ſativa culturâ tantùm ab hac diſtinguatur, ſed ſuum genus à Vite diverſum habet. Germanis hæc ſylveſtris Vitis Speckräben appellatur & flores ejus Specklilien/ Periclymeno valdè ſimilis eſt. Videndum ergo erit ne cum eo confundatur. Hæc ille. Quam verò plantam intelligat Cordus nondum intelligo: Specklilien dicitur de Periclymeno.

## PERICLYMENVM RECTVM folio ſerrato.

*Deſcr.*



PERICLYMENO recto vulgari multò humilius eſt, humanamq; altitudinem rariſſimè attingit: multò graciliores & rariores habet ramos albicante cortice tectos: folia priore teneriora, longiora, in ambitu nonnihil ſerrata, supernè virentia, infernè minùs incana, quàm primi: tenellis germinibus enaſcuntur inter folia graciles pediculi: unum interdum, ſed binos ut plurimum flores ſuſtinentes, ſuperiore minores & teneriores, non palleſcentes ut illi, ſed purpuraſcentes, quibus ſuccedunt gemelli fructus æque magni ac in priore, etiam æquales, nigri tamen, non rubri, ſucculenti, guſtu ingrato. Radix dura eſt & lignoſa.

*Synon.*

Cluſ. hiſp. & hiſt. Periclymenum rectum 2. (ut & Lugd.) germ. Auſtriacis & Styriacis Hundßbeer. Tab. ic. Periclymenum rectum 2. Sabaudicum, Auffrecht Waldwind: hoc ei quintum in hiſt. Ger. Periclymenum rectum Sabaudicum, Savoy Hoinſuckles. C.B. pin. Chamæceraſus ſpuria 2. ſive alpina fructu nigro gemino.

*Locus & Tempus.*

Rarum eſt inventu, & unicum fruticem in Pyrenæis montibus; binos aut tres apud Allohrogos in Sabaudicis; deinde frequentiores variis montibus Auſtriæ & Styriæ inveniebat Cluſius; floret cum aliis Periclymeni generibus; ſemen Iulio matureſcit.

## CHAMÆCERASVS GESNERI, VEL Chamæpericlymenon quoddam Alpinum.



PERICLYMENI HVIVS ET ſequentis flores.





*Deſcr.*

FRutex ligni medullà alba, facie tota ad Xyloſteum aliquatenus accedit; brevis ille quidem, licèt ſit ubi quatuor cubitos æquet, ramis adverſis, fragilibus, cineraceo cortice obductis, folia Xyloſtei jam dicti, ſed majora multò, acuminata, hirſuta, potiſſimùm ſubtus, nec uſquam ſerrata, bina oppoſita; flores longiuſculi, ad florem Periclymeni recti, ſeu Xyloſtei, accedentes, rictu patulo hiantes, rubentes, ex adverſo ſitis pediculis, longis, ex alis foliorũ exortis inſidentes; fructus ruber interdum geminus, tanquam ocellis notatus, ex longo pediculo, Ceraſo ſimilis, ſucco inſuavi & amaro plenus, in ſe continet grana ferè ſex ſeptenáve aut plura, alba, lata.

*Periclymeno cognati. Chamæceraſum.*

Frutex hic ſi Periclymeno recto cognatus videtur, Chamæpericlymenũ appellabimus (inquit Geſn. in hiſt. Cordi) interea Chamæceraſũ nũcupemus: nam & montium noſtrorum incolæ Bergkrieſe appellant, h.e. Ceraſa montana. In literis quidem quod ſciam, nulla hactenus ejus memoria extitit; Ceraſa rubra ſunt veris ſimillima, paulò minora, ſucco ſubamaro, croceo per maturitatem; ſemina ſex ſeptémve aut plura; fructus quidam gemelli viſuntur, guſtu ingrato; ſinguli tanquam ocellis aut pupillis notantur; folia Ceraſi vel Arbuti, ſapore ingrato; medulla ligni alba. Vocat de hort. cum Simlero de alp. Chamæceraſum montanam veteribus indictam.

*Ceraſus humilis. Chamæceraſ. alpigena. Periclymenum.*

Lob. Adv. Chamæceraſus ſive alpigena humilis Ceraſus; floribus albidis, pallentibus aut luteolis; fructu bino; gigartis quinis aut ſenis; Obſ. Chamæceraſus alpigena, (ita & ic. & hiſt. Belg.) Xyloſteum alterum quorundam, Chamæceraſus Cordi: Cluſ. hiſp. Periclymenum rectum 3. Eid. hiſt. Periclymenum rectum 4. floribus gemellis nunc ex purpura candicantibus, modò purpureis, fructu plerumque unico, rubro, ſucculento, tranſparente, duplici in ſummo, ubi flores inhæreſcunt, ſtigmate notato, ſed unicum granum [*plura ego ſemper obſervavi*] continente

nente. Cui non probatur eorum ſententia, qui Plinianam Chamæceraſum eſſe exiſtimant: cum ejus fructus nullâ ſaporis gratiâ commendetur, nullamque habeat tota ſtirps cum Ceraſo affinitatem. Sed magis veriſimile judicat (imò veriſſimum noſtro judicio) *Chamæcer. Plinij eſt noſtra Ceraſus pumila.* Plinij Chamæceraſum non eſſe diverſam ab ea, quæ plurimis Pannoniæ & vicinarum quarundam provinciarum locis ſpontè provenit, cujus hiſtoriam lib.2. h.n.g. titulo Ceraſi pumilæ proſequuti ſumus: *Ficus Idæa Theoph. non eſt.* Nec ipſi ſatisfaciunt qui Ficum Idæam Theophr. lib.3. hiſt.c.17. eſſe volunt: nam hæc planta nullam notam habet cum ipſius, nec cum Pliniana Ficu Idæa convenientem. *Icones.* Hæc Cluſius, cujus iconem exhibemus ſculptam ſine floribus, quos in ſecunda tabella 1. loco depingimus: ſicuti 2. loco ſequentis flores exprimimus:

*Xyloſteum.* Dod. in fol. figuram habet Plantini, & deſcribit ſub titulo Xyloſtei alterius, dicens, omninò humilem eſſe fruticem, cui nomen idem, quod Xyloſteo poſteritas dederit, cujus minor ac humilis ſpecies habeatur ac dicatur: falli qui Chamæceraſum appellant, cum non parùm differant.

*Tab. notat.* Tab.Ic. Periclymenum rectum 3. ut & in hiſt. ubi ſexti titulum ei præponit, ac temerè flores appingit. *Ficus Idæa. Frangula Chamæmeſpilus.* Hæc planta apud Lugd. Ideæ Ficus, vulgò Frangulę, nomine exhibetur, ac pro Halimo Tragi & Loniceri depingitur, aliorúmque Chamæmeſpilus eſſe dicitur. Sed eorum ſententiam magis probat Dalechampius, qui Idæam Ficum hunc fruticem eſſe putant, quòd ejus hiſtoria à Theophr. deſcripta lib.3. hiſt. cap.17. huic ſententiæ adſtipulari videatur: de qua Plinius lib.15. cap.18. ubi Alexandrinam vocat. *Repetitio H. Lugd.* Eandem rurſus Lugd. Chamæceraſi Alpinæ titulo à Lobelio pictæ tradit, itémque Chamæceraſi Cordi, Xyloſteíque alterius quorundam, aítque, quæ Pena tanquam de rara planta ſcripſerit, Idæam Ficum oſtendere videri. *Confuſio H. Lugd.* Hæc Lugd. qui confundit Periclymenum tertium Dodonæi ſive Halimum Tragi & Loniceri cum Ficu Idæa Dalechampij. Neſcio quis vocarit Chamæmeſpilum. Miſcet etiam cum Alno nigra quæ Frangula Matthioli, duáſque habet figuras ejuſdem plantæ.

*Synon. C.B.* C.B.pin. Chamæceraſus ſpuria 1. ſive alpina fructu aliquando gemino in uno pediculo, rubente, aliquando ex toto coëuntibus ſeminibus in bipartito conceptaculo, in quolibet duo aut tria ſine oſſe. Periclymenum rectum vel mas Geſn.h. Chamęceraſus, Caſt. Xyloſtium aliis, quaſi lignum oſſeum, ob ligni duritiem dicitur. An Corno ſimilis frutex in alpibus, Cæſ.

*Locus & Tempus.* Reperitur propè Genevam in monte Salevæ & in Thuiti cum fructu Iulio. In Waſſenburg ditione Baſileenſium, & in montibus Waſſerfal cum fructu maturo Auguſto. Plantata in horto feliciter provenit. Glaronæ circa Fabarias thermas alibíque & Tiguri etiam in Albio monte naſcitur, matura in fine Septembris; locis frigidioribus Auguſto. Floret una cum Periclymenis, ait Dodon. fructus Auguſto perficitur. Ex Germania in Belgium illatus frutex eſt. Frequens eſt Cluſio in montibus Pyrenæis & Allobrogicis ſed omnium abundantiſſimum in Pannonicis, Auſtriacis & Stiriacis, præſertim ſupra monaſterium Neuberg, ubi, & in reliquis viciris Alpibus plurimum provenit, florens Aprili & Maio, fructúmque Iulio & Auguſto plerumque perficiens.

*Vires.* Chamæceraſi montani nullum eſſe uſum putat Geſn. audivit quidem quatuor aut quinque ceraſa devorata *Vomitus. Alvum.* vomitum ciere: aliquando etiam alvum.

## PERICLYMENVM RECTVM fructu cæruleo.

*Deſcr.* Eiuſdem cum Periclymeno ferrato ſolio altitudinis, ſed craſſiuſculo eſt ſtipite, multos in ramo-



diviſo; nigricante cortice obductos, qui ſcaber eſt, & plerumque multis locis hiat: interdum ſtatim à radice in multos ramos ſeſe dividit: tenelli ramuli purpuraſcunt, & incanâ lanugine pubeſcunt: folia contrario ſitu inter ſe diſpoſita, ut in reliquis Periclymeni generibus, illi quòd rubras baccas fert non ſimilia, exſiccantis & amariuſculi guſtûs: flos non fuerat Cluſio cōſpectus cùm hujus hiſtoriam primùm evulgaret; quandoquidem ſub finem Iulij ſolummodò obſervatus frutex ſuo maturo fructu onuſtus: at aliquot deinde annis elapſis, ſemine natæ ſtirpes, tertio à ſatu anno, flores è tenellorum ramorum alis pediculo inhærentes, protulerunt geminos [*hos cum præcedentis floribus 2. loco depictos dedimus*] rudimento fructus, ut cæterorum, innixos, puſillos, palleſcentes, cavos & in quinque lacinias diviſos: ut reliquorum Periclymeni ſurrecti generum flores, è quorum umbilico prodeunt quinque ſtaminula flava appendice inſignita, fructus ſingularibus baccis, utrimque inter folia brevi pediculo dependentibus, conſtat, Chamæmeſpilo Geſneri magnitudine æqualibus, ſed longioribus paulò, coloris cærulei, quæ vinoſo & acidiuſculo ſucco plenæ, manus rubro colore inficiunt, & multa plana grana continent: radix lignoſa latè diffunditur, & multis fibris prædita eſt.

*Synon.* Videtur nobis habere multa communia cum Chamæceraſo Geſneri. Cluſ. pan. Periclymenum rectum 1. fructu cæruleo: Eid. hiſt. Periclymenum rectum.3. *Tab. taxatur.* Tab.ic. Periclymenum rectum 4. In hiſt. Periclymenum 7. Proponit autem deſcriptionem Cluſij, & figuram à Lobelio exhibitam pro Chamæceraſo, cui appinxit flores ad deſcriptionem effictos. Ger. (qui figuram Tab. fictam proponit) Periclymenum rectum germanicum Germany Honyſuckles. C.B.pin. Chamæceraſus ſpuria 3. montana, fructu ſingulari cæruleo.

*Locus & tempus.* Creſcit ſponte ad radices cujuſdam montis pago Malitz vocato contigui, ad ſiniſtram, via quæ ad Taurum, ſuperioris Stiriæ Salzburgenſem ditionem pertingentis præcelſum montem, ducit: nunc autem ſemine natum in quibuſdam hortis alitur. *Vſus tinctorius.* In pannonia fructum diligenter colligunt, atque in tinctorium uſum reponunt.

## PERICLYMENVM PARVVM PRVtenicum Cluſij.

*Deſcr.* AD Periclymeni etiam genera procul dubio referenda eſt elegans hæc planta, quæ cauliculis dodrantalibus eſt, quibus quatuor, ſex, rariùs octo adhærent folia ex adverſo per intervalla ſita, Phillyreæ Narbonenſis, ſive mediæ foliis ſimilia, ſed paulò majora, magíſque nervoſa, in mucronem deſinentia, quinque coſtis ab ipſo pediculo ad mucronem excurrentibus. E ſupremorum foliorum cavis duo veluti ramuli exeunt binis foliis eodem modo quo in caule, diſpoſitis præditi, qui cacumine quaterna



ternaalia folia geſtant. Ex iſtorũ ramulorũ medio pediculus nudus & ſine ſoliis exit, in cuius sũmo rubræ baccæ (flores non fuêre obſervati) racematim cohęrentes. naſcũtur, Prutenis ruſticis circa Gedanũ vulgò Dãtiſcum appellatum expetitæ, atque etiam in Norvvegia & Suecia, ubi in maritimis copiosè naſcitur, tenui radice ſe propagans, & vicina loca occupans, hinc inde fibras ſpargit.

*[Ch]amæpe[ric]lymenũ [Prut]ennat. [ali]ud Cha[mæ]pericl. [Hoi]erus, [H]oiers.*

Thomas Pennæus qui hujus iconem cum deſcriptione Cluſio cõmunicavit, Chamęperiіclymeni nomẽ, nec immeritò, indidit. Conſiderandũ verò proponit Cluſius an eadem nõ ſit (aut certè perſimilis) cujus brevi hiſtoriâ ipsũ participẽ fecit Henr. Hoier. anno 1596. inquiens: herbula inter bacciferas ſtirpes in Norvvegia à me obſervata foliis Hypeticõ humile mentitur: florẽ unicũ profert, Nigellæ flori quodãmodo ſimilem, ex quo baccæ per maturitatem rubentes, non ſecus ac vaccinia rubra, ejuſdẽ quoque magnitudinis propendent, intus albæ, ſucculentæ, ſapore admodum dulci: quæ mãducatæ ſcabiẽ pruritúmque generare vulgò creduntur, atque hinc illis nomen inditum Schrubbebeeren. Hæc ille.

*[H]oieri de[sc]riptio im[per]fecta [su]pletur [à] Cluſio.*

Plantulam autem, quã Cluſio ſiccã relinquebat, valdè tenella erat, ex quibus is obſervabat (q Hoierus brevitati ſtudens omiſerat) ſingulis ſurculis ſive cauliculis ſena plerunq;, interdum octona inhærere folia, ex adverſo, ſive contrario ſitu sẽper naſcentia, in imis cauliculis minora, in extimis ampliora, Aſcyri foliis valdè ſimilia, è quorum ſinu ad latus pediculi florẽ ſuſtinentis, aliquãdo unicus, ut plurimum bini, utrinque ſcilicet unus, exſurgunt ramuli binis aut quaternis foliis ſimili ſerie diſpoſitis præditi; florem porrò ſummis cauliculis nitentẽ, quatuor ſoliis candicantibus conſtantẽ, in cujus medio multarum baccularũ ſuis petiolis inhærentiũ rudimenta nigricantia, quæ magnam gratiam flori addere debent.

*[C]hamæpe[ri]clym. Prutenicum.*

Cluſ. pan. Chamæpericlymenum Prutenicũ; Periclymenũ 2. hiſt. Chamęperiіclymenũ: Et, Periclymenum aliud tenerius. Tab. Periclymenum minus, Waldwinde/Zeünling. Ger. Chamępericlymenum, Dwarffe Honiſuckle. C.B. Periclymenum 3. humile: Itẽ pin. Periclymenum 4. humile Norvegicum.

---

## GLYCYPICROS SIVE AMARA-dulcis. Cap. VII.

*Deſcr.*

SArmẽta lignoſa pedes duos aut tres longa & ferè niſi ſuſtineantur procũbentia emittit, viridantia, & nonnihil purpuraſcẽtia, anguloſa, guſtu primùm amaro, poſtmodum dulceſcente, ex quibus alternatim enaſcuntur folia Solani hortenſis atrovirentia, duabus pinnis nonnunquã imâ parte aurita, pediculo circiter unciali: flores fœtidi, ſed colore purpuraſcente, pulchelli [*cœruleo purpurei, quandoque candidi, Geſn.*] in quinque folia extrorſum reflexa partiti, in quorum medio apices lutei; hiſce ſuccedunt baccæ per maturitatem coccinei coloris, ſublongæ formæ, molles, lenti & ingrati ſaporis, parvis granulis plenæ: radix fibroſa.

*Solani folio.* *Baccis coccineis.*

*Amarus dulcis Cord.*

Multùm aberrat Cordus tradẽs, Amarum dulcem



Solano sõnifico [στρύχνῳ ὑπνωτικῷ] valdè cognatã eſſe, quòd foliis ſcil. florũ formâ, fructu & viribus (quas in ſeipſo expertũ eſſe ait) Solanum referat. Quæ enim affinitas tanta eſt foliorũ? Sunt ſomniſero Solano folia pinguia, denſa, Cotoneæ mali ſoliis ſimilia, aſt majora: huic verò ſolia Solani hortenſis, Ocymi aſſimilia. Præterea non ſtatim dicendũ eſt, Amara dulcis formâ ſuâ externa Solanum hortenſe refert, ergo Solano ſomnifico cognata eſt.

*Solanum ſomnificum*

Dorſth. iconem Glycypicridis exprimens, eã ineptè Chamæpityn & Ajugã vocat, id quod Tragus etiam monet. Nomen germanicũ, Vergiß mein nit/ dũ Matthiolus à Germano Pharmacopœo pro Chamæpity adductũ erroris incuſat Braſſavolam, immeritò facit: & imperitiùs multò labitur, cũ vocatã Je lenger je lieber (quo diutiùs eò amantiùs aut gratiùs, quod Amaræ dulci ſive Circeæ quadrat) inſcitè in Chamepityn transfert. Is autem Hederam Ciliciam aut Milacẽ Theophraſti eſſe ſibi falsò imaginatur, ut & Smilacem lęvem [σμίλακα λείαν Dioſc.] magno errore eſſe contendit, & Smilacẽ tertiam non aculeatã antiquorũ. Sunt porrò qui Vitem ſilveſtrem Dioſcoridis eſſe exiſtiment, inter quos eſt Matthiolus. Sed hanc opinionẽ non recipiunt Ang. & Dod. quibus & nos ultrò ſubſcribimus. Herbarũ ſtudioſi Lutetiæ, & Monſpelij præſertim, Solani ſpeciem faciunt, Solanũ lignoſum aut fruticosũ appellãtes; Solano autẽ ſimile nihil habet. Sed, ut & Dodonęo placet, plus fortè ſimilitudinis cũ Cyclamino altera habet, quæ Dioſc. teſte, κισσόφυλλον & κισσάνθεμον dicitur.

*Dorſt. not. Chamæpitys non eſt. Matth. not.* *Hedera Cilicia non eſt.* *Smilax læ[vi]s non eſt.* *Vitis ſilv. non eſt.* *Solanum non eſt.*

Geſn. coll. Solanum perpetuum vulgi, dictum Malacociſſus. Eid. h. Solanum fruticoſum, Solatrum mortale quorundam, ſed mihi minimè noxium; aliis rectiùs perpetuum, quoniam caules in eo perennent: nam folia amittit hyeme. Aliqui Amarodulcem: quòd ſiquis ramulum aut corticem mandat, primò quidem ingratus videatur guſtu, ſed quò diutiùs manditur, eò inſignior ejus dulcedo ſe prodat, unde nomen ei factum Je lenger je lieber.

*Solanum perpetuum Malacociſſus* *Solatrum mortale* *Amarodulcis.*

Ex quibus patet Eckardum Chemnicenſem in ſerto nuptiali hanc falsò Chamępityn vocare, dum ait,

*Eckardi lapſus.*

*Namque Chamæpitys Amar[um]-d[u]lce vocatur,*
*Quod magis atq[u]e magis grata ſap[o]re f[o]ret.*

Chamepitys enim non eſt grata ſapore, ut ipſe ait.

Amara dulcis dicitur Corn. Trago (cui & Picriglycya) Lon. Hieron. herb. in apodixi, Anguil. Gèſh. Matth. germ. Lob. ic. Tab. Ger. & pleriſque. Amarum dulce Euchar. & Dorſth. Dulcamara Dod. & Lugd. Circæa, Lob. Adv. Eid. Obſ. Circæa, Monſp. Cyclaminos altera, Dod. Siliquaſtrum Plinij, Guil. the. An Melothron Theophraſti? Putat autem Lob. alibi aſſeri non poſſe Dulcamaram eſſe Cyclaminum ſecundam, cujus ſententiæ ſumus cum Dodonæo.

*Picriglycya Amara dulcis Amarum dulce Dulcamara Circæa Siliquaſt. Plin.*

Matth. non bene eſt Vitis ſilveſtris, ut & Lac. Caſt. Cam. h. & ep. cui & Amarum dulce & Solanũ arboreſcẽs quorundam. Nam Dioſc. τῇ ἀμπέλῳ ἀγρίᾳ muſcoſum florem tribuit. Lugd. Dulciamara, ſive Vitis ſilv. Matthioli, & Melothron Theophraſti. Cæſ. Salicaſtrum Plinij videtur, quod Dioſ. intellexerit cum de Vite ſylveſtri dixerit: folia habere Solano ſimilia.

*Vitis ſilv. Solanum arboreſcens* *Salicaſtrum Plinij*

*Solanum ſcandens. Solanum rubrum.*

C.B.Solanum ſcandens,ſeu Dulcamara,à corticis ſapore: Schvv.Solanũ rubrũ,Solanum γλυκύπικρον(ut & Thalio) flore ſæpiùs violaceo,rariùs cãdido. Dulcis amara flore pleno, & fl.cæruleo vulgatior, Eyſt. 1.2.

*Nomin.e linguar.*

Γλυκύπικρος & γλυκύπικρον, ſicut & γλυκυπικρίδα nominatur Græcè: Lat. Amara dulcis, Amarum dulce, Amarus dulcis & Amaro-dulcis, & Dulcamara, ſeu Dulci-amara: Ger. Je lenger je lieber/Hynſchkraut: Belg. Alfrancke: Gall. *Doulce amere:* Angl. Suut bitter & fellin Woord: Boh. Schladka Horka.

*Locus.* *Satio.* *Tempus.*

Glycypicris aquã plerumq; ſubeſſe indicat. Aquoſa enim & rigua amat, & hinc circa ſcrobes & foſſas frequenter reperitur, ſepibus aut fruticibus aliis innitens. Ramulus in aquam impoſitus, brevi radiculas emittit, inſtar Salicis. In terra etiam putarit Geſn. ſurculum defixũ facilè creſcere. Folia Vere erũpunt: flores Iulio exeunt: Auguſto baccæ maturæ fiunt. Monſpelij, Patavij & Genevæ floret Aprili & Maio; Baſileæ Iulio & Auguſto. Alui in horto flore albo.

*Vires.* *Hydrops.* *Ligni uſus.* *Morbus regius.* *Pecori ſuſpenditur è collo contra morbum Hynſch.* *Temperamentum.* *Sanguis concretus.* *Tem. Schv.*

Morbum, quẽ patrio nomine (inquit VVeierus) Warm vocant VVeſtphali, feliciter potiunculâ curant ex Je lenger je lieber radicibus aliquot diebus exhibitã, ex qua manè ſudor gratus ſequitur: nec abs re. interna enim obſtructione liberat, & ex ea ortos morbos ſolvit; urinã ciet; quare & contra hydropem cum fructu exhibetur. Accipe, præceptore Trago, lignũ de hac planta libræ pondere, ac minutim in fruſtula tali ludicri inſtar concide, dein cũ menſura vini albi in novã ollam eamq; operculo (per quod tamẽ foramen in medio exiguũ transfigito) probè contectã, ita quidẽ ut cũ farina ex aqua undiq; oblinatur, reponas, ſupérq; carbones lento igne decoquito ſupra tertias, demúmq; his utare. hæc potio manè hora una priuſquã ſurgas, & veſperi cùm lecto te cõmittere velis, cyathi vulgaris menſura ſumpta, morbum regium, præſertim inveteratũ leniter per alvũ & urinã exigit. Quidã hoc decoctũ adverſus putridas vẽtriculi febres, ex quibus morbus regius oritur, exhibent. Nota eſt hęc planta paſtoribus: nã ſolent illam pecori è collo ſuſpendere adverſus morbũ quẽ vocant die Hynſch/ unde Germanicũ herbæ nomẽ natum eſt, ut Hynſchkraut vocetur. Facultate, autore Dodonæo, foliis, fructu calida, reſiccans, abſtergens & digerens eſt. Fertur ruptis & ex albo præcipitatis, aut cæſis etiam ſuccum utiliter bibi. Creditur ſiquidem concretũ alicubi in viſceribus ſanguinẽ diſſolvere, & partiũ læſarũ ſanitatem procurare. Calefacit, ſiccat (ait Schvv.) tertio ordine, abſtergit, digerit. Guſtanti primùm nonnihil amaroris exhibet calore & acrimonia linguã feriens, quæ tamen ilicò abeunt, perſtante dulciculo & imbecillo quopiã ſapore Glycyrrhizæ ingratiore faſtidiũ pariente, magis magisq; dulcorem oſtendendo. Potũ moderatè, citra virium diſpendiũ viſcerúmve incẽdium, egerit per ſudores urináſq; aquas; atque obſtructiones demolitur, quę ſunt icteri prępviæ atq; alumnæ. Eadem facultate lac mãmis ſuggerere fructus potis eſt. Baccę ex vino 40. diebus ſplenem liquant, & per urinã & alvum abſumunt. Bibũtur ad Orthopnœam, reliquias à partu purgant. Folia foris utiliter cõtra inflammationes & pruriginoſos pedum tumores admoventur, plebis vulgato experimento. Attegiis & topiario operi conveniret, niſi gravior eſſet fruticis odor.

*Lac.* *Splen.* *Inflammatio.* *Vſus topiarius.*

## HEDERA VETERIBVS ET IN genere. CAP. VIII.

*Dioſc. ſummæ differ. tres.*

VEteres de Hedera conſulamus. Ea multas in ſpecie differentias ſortitur apud Dioſcoridem: ſummas autem genere tres: candida enim quædam eſt, nigta altera, tertiaque vocata Helix: Candida quidem fructum fert candidum; nigra, quam vulgus Dionyſiam vocat, nigrum, aut Croci æmulum; at Helix fructum non gignit, tenues autem habet viticulas, folia verò parva, anguloſa & rubra.

*Theophr.* *Humilis.* *Excelſæ plures.* *Candida.*

Theophraſto quoq; Hedera multiplex eſt. Quædam enim humi repit, alia in altum attollitur. Atque excelſarũ genera plura, maximè verò tria pateſcunt, candida, nigra, tertiaq; Helix [ἕλιξ, *Clavicula Gaza, ſed male.*] Harum itẽ ſpecies plures. Alia enim fructu ſolo, alia etiam foliis candida eſt. Rurſus fructũ tantùm cãdidum ferentiũ, quædam grandiorẽ, denſum, & veluti in orbem circũactum fructũ producit, quam nonnulli Corymbian vocant, Athenienſes Acharnicã, quæ in riguis naſcitur; quædam minorẽ, ſparſiorem, nigræ modo. Habet & nigra differẽtias, ſed non ita perſpicuas. At Helix [*Clavicula Gaza*] maximis differẽtiis diſtinguitur. Etenim foliis plurimùm differt, tum quòd minora, tũ quòd anguloſa & concinniora ſint [*Sic Plinius & Gaza interpretati ſunt γωνιοειδῆ καὶ ἐρυθρότερα. Quare Cornarij non placet emendatio, qui in hac foliorũ Helicis delineatione apud Dioſcoridem, ἔχει τὰ φύλλα λεπτὰ, γωνιώδη καὶ ἐρυθρά. i.e. folia habet tenuia, anguloſa, & rubra. vocem ἐρυθρὰ falsò legi cum perſpiceret*, quòd nullus in foliis Helicis rubor conſpiciatur, *æquè falsò in vulgatis Theophraſti codicibus ῥυθμότερα, quæ concinniora Plinius reddidit, hic ἁδρομερέστερα, id eſt ſucculentiora legit, in Dioſcoride verò ἁδρά eadem ſignificatione. id eſt. craſſa*] Hederis autem reliquis rotundiora, & ſimplicia. Differt etiam flagellorum [*internodiorum, Gaz.*] longitudine, longiùs enim porriguntur [*hæc Gaz. omiſit.*] Præterea quòd ſterilis ſit. Quidam Helicem aiunt Hederæ naturam adipiſci, mutaríque in eam, cùm perfecta jam adoleverit. At ſi in eo genere omnes in Hederam adoleſcant (*hederaſcere Gaza vertit*) ut nonnulli volunt, ætate ſanè & affectu, non genere conſtabit hæc differentia, qualis eſt Piri à Piraſtro. Tamen ejus Helicis folium ab Hederæ folio plurimũ diſtat. Rarò autẽ & in paucis evenit, ut vetuſtate cõmutentur, velut in Populo alba, & Ricino (*Quæ ſic expreſſiſſe videtur Plinius. Maximè foliorum unitas in ſuo cuique genere permanet, præterquam Populo, Hederæ, Crotoni. quam & Cici vocari diximus.*] Sunt igitur Helicis [*Claviculæ, Gaz.*] genera multa, maximè verò nota & ſumma tria. Prima eſt virens ſive herbacea, quæ plurima eſt, ſecunda candida, tertia verſicolor, quam Thraciam quidam nominant. Et ſingularum differentiæ quædam ſunt. Nam virentis alia tenuiore eſt & longiore folio [*Plinius habet, in ordinem digeſto*] denſioréque. Alia minus hæc omnia habet. Et verſicoloris alia majus, alia minus folium habet, & colorum varietatem in eo diſſimilem. Similiter & magnitudine & colore diſtant candidæ folia. Facillimè augetur herbacea, & altiſſimè aſſurgit. Manifeſtum eſſe aiunt Helicen in Hederam tranſituram, non ſolùm foliis quæ majora latioráque gerit, ſed etiam germinibus: protinus enim recta gerit, non inflexa vel inclinata, tum ob tenuitatem, tum ob lõgitudinem. Nam aliis Hederis [*Gaza legit ποώδεις, id eſt, herbaceæ pro κιττώδεις*] breviora craſſioráque ſunt germina. Nam Hedera cum ſemen parit, ſublime & rectum germen edit. Eſt quidem Hedera omnis, radice numeroſa, denſa, intorta, lignoſa, craſſa, nec valdè in profundum acta, ſed maximè nigra, & inter candidas quæ aſperrima, maximéque ſilveſtris. Quare non ſine damno arboribus adnaſcitur: omnes enim necat & arefacit ſublato ipſis alimento. Craſſeſcit hæc maximè & arboreſcit in tantum, ut per ſe arbor fiat. Majore autem ex parte ſuper aliud vivere ſolet, caulibus ſuis vicinas arbores velut amplexando, tale quid ſtatim habens ſua natura. Etenim è germinibus aſſiduè radices per media folia emittit, quibus quaſi de induſtria à natura datis, muros & arbores ſubit, & iis pertinaciùs hæret. Atque ita ſublato humore, atque exhauſto, ipſas tabefacit. Quod ſi inferiùs ſuccidatur, durat, nec emoritur.

*Nigra.* *Helicis diff.* *Corn. lectio reprobatur.* *Helicis 3. genera.* *Verſicolor.* *Candida.* *In Hederã tranſit Helix.* *Deſcr. univerſalis Theophr.*

*[Di]fferentia [fr]uctu.* tur. Eſt & hujus non parva differentia à fructu ſumpta. Nam alius dulcis eſt, & alius valdè amarus, tam candidæ, quàm nigræ. Id demonſtrant aves, quæ alio veſcuntur, alio minimè. *[Ge]nera [ge]mino. [M]as.* Duo genera Hederæ prima, inquit Plinius, ut reliquarum, mas, & fœmina. Major traditur mas, corpore & folio duriore etiam ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. Vtriuſque autem flos ſimilis eſt Roſæ ſylveſtri, niſi quòd caret odore. *[Pl]inij la[pſ]us.* [*Turpiſſimè lapſus hic Plinius, quæ de Ciſto audienda ſunt, τῷ κισῷ, id Hederæ, τῷ κισσῷ tribuit. Nec apud Theophr. nec apud Dioſc. ulla Hederæ differentia ſtatuitur è ſexu petita.*] *[Sp]ecies 3.* Species horum generum tres. Eſt enim candida & nigra Edera, tertiáque quæ vocatur Helix. *[Su]bdiviſio [ho]rum ſpe[cie]rum.* Etiamnum hæ ſpecies dividuntur in alias: quoniam eſt aliqua fructu tantùm candida, alia & folio: fructum quoque candidum ferentium aliis denſus acinus, & grandior, racemis in orbem circumactis, qui vocantur corymbi. Item Selinitium cujus eſt minor acinus, ſparſior racemus. *[Pl]inij lectio [à] græco co[di]ce variat.* [*Hæc aliter legiſſe videtur Plinius quàm in græcis exemplaribus exaratum ſit, in quibus Selenitium vox deeſt & Hederam Corymbiam vocari legimus.*] Similì modo in nigra. Alicui & ſemen nigrum, alij crocatum: cujus *[H]edera [po]etarum. [N]yſia. [Ba]cchica.* coronis Poëtæ utuntur, foliis minùs nigris, quàm quidam Nyſiam, alij Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis. *[Ge]nera 2. [...]acorum.* Quidam apud Græcos etiamnum duo genera hujus faciũt, à colore acinorũ Erythranum [*erythrocarpon, Dal.*] & chryſocarpum. *[H]elicis diff[ere]ntiæ.* Plurimas autem habet differentias Helix, quoniã folio maximè diſtat. Parva sũt & anguloſa concinnioráq́;, cùm reliquorũ generũ ſimplicia ſint. Diſtat & longitudine internodiorum, præcipuè tamen ſterilitate, quoniam fructũ non gignit. Quidam hoc ætatis eſſe non generis exiſtimant: primóq́; Helicem eſſe; fieri *[E]rror mul[to]rum.* deinde Ederã vetuſtate. Horũ error manifeſtus intelligitur, quoniam Helicis plura genera reperiuntur, ſed tria maximè inſignia: herbacea ac virens quę plurima eſt: altera cãdido folio: tertia verſicolor, quę Thracia vocatur. Etiamnum herbaceæ tenuiora folia, in ordinem digeſta, denſioráq́;. In alio genere diverſa omnia. Et in verſicolori alia tenuioribus foliis, & ſimiliter ordinatis denſioribusq́; eſt: alteri generi neglecta hæc omnia. Majora quoque aut minora ſunt folia, macularúmq́; habitu diſtant: Et in candidis alia ſunt candidiora. Adoleſcit in longitudinem maximè herbacea. Arbores autem necat candida: omnemq́; ſuccum auferẽdo tanta craſſitudine augetur, ut ipſa arbor fiat. Signa ejus folia maxima atque latiſſima, mãmas [*non mammas μασὺς, ſed ramos κλασὺς*] erigentis, quę ſunt cæteris inflexæ: racemi ſtantes, ac ſubrecti. Et quanquã omnium Ederarum generi radicoſa brachia, huic tamen maximè ramoſa ac robuſta: ab ea nigræ. Sed proprium albæ, quòd inter media folia emittit brachia utrinq́; ſemper amplectens: hoc & in muris, quamvis ambire non poſſit. Itaque etiam pluribus locis interciſa, vivit tamen durátque: & totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis & ſolida arbores ſugit ac ſtrangulat. Eſt & in fructu differentia albæ nigræq́; Ederæ: quoniam aliis tanta amaritudo acini, ut aves non attingant. *Diff. fructu.* Eſt & rigens Edera, quæ ſine adminiculo ſtat, ſola omnium generum ob id vocata ciſſos. E diverſo nunquam niſi humi repens Chamæciſſos.

Κίσσος & Κιττός Græcis, Hedera Lat. Hebr. teſte Aruch *Kaſſus*, Serap. *Cuſſus* appellatur: Germ. Ephew: Belg. Veyl/ & Clyf: Had. Iun. Gall. *Lierre*: It. *Hedera*: Hiſp. *Yedra*, & *Edera*: Angl. Ivi: Brab. oft Eerdſuel: Boh. Brectom: Hung. *Folyo borostyan*: quoniam videlicet ſerpit. *Nomina linguar.* Κίσσον autem dictam putãt à Ciſſo, quem puſionem Liberi patris fuiſſe Gręci fabulantur, & in nominis ſui fruticem converſum: dum miniſter cum eo Deo ſaliens, alliſus terræ periit. Athenienſes Citton Bacchum ipſum vocant, & apud ſe Acharnis vico, Hederam primò natam volũt. Quin & Hederam Dionyſiam, à Baccho Bacchicam appellavit antiquitas, hoc honore Liberũ patrem dignata, qui primus ex India in Græciam Hederam aſportavit: itaque in tutela Liberi patris putabatur eſſe. Nam ut ille juvenis ſemper, ita hæc perpetuò viret. Nec ſecus omnia, quã ille mentes hominum illigat. Mavult Lobelius κίσον [*κίσσον leg.*] dictum à textura poroſa & ſpiraculis innumeris ferè pervia, quæ vinũ tranſmittit, *Ciſſon Lob.* quale Catoni & Varroni Ciſſymbion poculum eſt: quàm à puſionis Citti ſaltantis in Hederam poëticã deformatione à Baccho verſi, ut fingunt Græci: *Fabula Poetarum.* & κίσσηρις pumex poroſus lapis ob fiſtuloſas cavitates ita dictus ſit. Vel potiùs Κισσὸς Hedera dicta eſt ἀπὸ τοῦ κιός, i.e. à verme ſeu curculione, in Hordeo & Tritico naſcẽte, qui cuſpĩdula, aut acu, potiùs quàm ore triticum hordeumq́; terebrat. Latini ab edendo Hederã dixerunt: *Hed. unde dicta.* Etenim arborum importuna amaſia, & veluti aſſentatrix, cortice rimoſo impacta, maceries vetuſtiores demolitur, & radicatis propagationibus arbores amplexa, enecat & exedit: præſertim illa ſpecies quæ major & arborea vocatur. Põpeius verò dictam cenſet Hederã quòd hæreat, vel potiùs quòd edita petat. Hederam poëtæ cognominant *Epitheta.* etiam laſcivã (propter amplexus arctiſſimos, & hinc circumfertur illud, Laſcivis Hederis ambitioſior) & *Proverbiũ.* comantẽ, quòd olim in Anthiſteriorũ, i.e. floralium feſtorũ (videntur autem illa fuiſſe, quæ Latini vocãt Bacchanalia) ludis antiqui hâc coronarentur. Hinc natum habetur adagium: Hedera poſt Anthiſteria. *Adagium.* Quùm ſerò quippiam adhibetur.





HEDERA COMMVNIS,
major & minor.

Prior icon ex noſtris emptitiis majorem Hederã exhibet, & altera minorem. *Icones.*

In cenſu earum quæ adminiculis ſuſtinentur, Hedera etiam communis occurrit referenda, licèt tamen & per ſe nonnunquã conſiſtat. *Deſcr.* Et quidem ſarmẽtis tenuibus longo & errabundo reptatu proximis arboribus aut maceribus innixa, *Sarmenta.* alta petit iis quæ ſemel apprehendit pro ridicis uſa, barbitio fibrarum propagato radices in alieno ſolo agens, cortice magnâ parte rugoſo, cinereo, in novellis ramis viridi, materie albâ, firmâ: *Cortex.* folia nullo ordine pediculis ſemipalmaribus & palmaribus appenſa, magna, nervoſa, rigida, craſſa, ſupernè ex atro-virentia & ſplendentia, infernè ad *Folia.*

luteum tantillum ex virore declinantia, ſinuoſa, triquetra, aliàs rotundata in mucronem exacuuntur, ſapore ſiccante & acri; flores in ſarmentorum extremiratibus, ſex radiatis foliis herbido colore præditis conſtanr. totidemq; luteis apicibus in orbem circumacti ſimul multi umbellę inſtar: *Corymbi.* corymbi ſuccedunt per maturitatem nigri: *Acini.* acini ſinguli ſemunciâ longioribus pediculis inſident baccis juniperilis æquales, ſeſſiles & quaſi vtrinque compreſſi, circulo vmbilicato, cui abeſt ille reliqui acini nitor, inſcripti veluti opercula impoſito urceolo, cuius centrum deſignat prominulus niger ſtilus: intus diſtinctis ſepimento membraneo, nonnihilque pulpoſo, *Semina.* loculis continentur ſemina, unum, duo, tria, quatuor, quinque, oblonga, gibba, turgidula, curculioni convoluto ſimilia cuticula tenui contecta, intùs pulpoſa confractæ orizæ cum gluma ſua, aut pulticulæ è pane ſyncomiſto non abſimilia.

*Trag ſpecies 2.* Tragus licèt proponat unam tantùm figuram & unam deſcriptionem, duas tamen ejus ſpecies naſci tradit. Quarum priorem Hederam minimam, χαμαίκισσον, Hederam terreſtrem, ἕλικα, Claviculam, Hederulam, germ. Klein Ephew nuncupat; Alteram vulgarem, gemein Ephew/ Dioſcoridis κισσὸν, κισσαρον χρυσόκαρπον, & (quoniam olim hâc Hederâ Bacchus coronatus fuerit) *Bacchica* Hederam Bacchicam, Myſicam & Dionyſiam cognominat. Dicitur hæc quibuſdam *Aſplinos.* ἄσπληνος, quòd ad ſplen faciat, nec non, ποιητικὴ *Poetica.* quòd hâc Poëtæ olim coronarentur:

*Paſtores Hederâ creſcentem ornate Poëtam*

Hederam vulgarem porrò, acinos ferentem, Theophraſti κορυμβίαν, & ἀχαρνικὸν ἀρδανόμενον; Exiguam verò, quæ appetente Autumno colorem varium acquirit, Helicem & Thraciam cognominat. Recenſet autem Tragus quàm pauciſſimis omnem Hederæ hiſtoriam, quòd nullum ferè diſcrimen obſeruari poſſe credat, niſi ab ætate ipſa. *Diſcrimen Hederarũ eſt ætas ipſa.* Omnem namque Hederam, dum in tenera ſua ætate aſſiduo reptatu per terram vagatur, triangularis figuræ folijs ſpectandam ſe præbere; quamprimum verò arbores muróſque invaſerit, ilicò foliorum figuram uariare ait, quòd vel Theopraſtus dixerit maximam Hederarum differentiam in ętate ipſarum poſitam eſſe. *Cur autores non ſeparent Hederas.* Nos quoque non ſeparamus Hederas noſtras, ſequuti ſententiam Tragi, exiſtimantes unum tantùm genus reperiri, ratione loci, vbi creſcit, & ætatis, formam mutans.

*Cæſalp.* Hedera, ait Cæſalpinus, frutex eſt peculiariſſimam ſortitus naturam: non enim ſolùm radicibus in terram dimiſſis vivit, ſed & germinibus alimentum exſugit & arborum caudicibus, quas ſcandit; nam præciſa iuxta terram, non emoritur tamen, niſi à totis caudicibus avellatur; frequentiſſimas enim, eaſque breves per tota germina radiculas, centipedis animalis modo edit, quibus pertinaciſſimè hęrés arbores ſuffocat, & ædificia (quamvis robuſta) tandem demolitur; expetitur tamen viridariis; nam ſponte nullo adminiculo totos parietes circumveſtit, fronde perpetuâ exornans; *Ex cultu arboreſcit.* ex cultu arboreſcit, caudice ſatis craſſo, & ad magnam altitudinem latitudinémque diſtenditur, niſi deſit quod amplexetur, cum ad eam ætatem acceſſerit, in qua fructum ferre poſſit, totá mutat faciem, naturamq;; nam per ſe erigitur, & quidem in tantum aliquando, ut nullum relinquatur conjunctionis veſtigium cum repente Hedera. Quamdiu enim affixa eſt, folia fert in plures angulos deſinentia, ad ſummum quinos, quorum duo utrinqne prominent, unus in ſummo folio: *Folia mutat.* quo autem magis adoleſcit, folia & pauciores edunt angulos obtuſioréſque, & ipſa majora fiunt, ac virentiora, & unicolora, cùm ab initio eadem puſilla ſint, nigra, & maculis albis diſtincta, aliquando infernè ſubrubentia; cùm autem erigitur, folia rotundantur obliteratis ex toto utrinque angulis omnibus, ſolo eo, qui in ſummo eſt, relicto. differentias alias non ætatis, ſed generis adhuc non vidi, quamvis Dioſcorides tria afferat genera: *Theophr. ambigit an Hedera helix diverſa ſit ab arborea.* Theophraſtus quoque & Plinius eadem tria in alias plures differentias diſtribuant, pro fructus magnitudine, ſapore, & colore foliorum: ſed de Helice, ambigit Theophraſtus, utrum generis, an ætatis ſit differentia, ut multi putant, primò fieri Helicem, deinde vetuſtate in Hederam tranſire: appellant autem hederaſcere, & in Hederam tranſire, cùm erigitur nullis affixa, quando, & ſimpliciora ſunt folia rotundioráque, cum in Helice ſint parva, angulata, & concinnè diſpoſita ac ſine fructu: *Plinio genere diverſa.* contendit Plinius eaſdem genere differre maximè ob foliorum varietatem in Helice. Quandam enim herbaceo folio virentíque, aliam candido, tertiam verſicolori conſtare, quæ Thracia vocetur. *Plinij opinio reprobatur.* eandem Dioſcorides tradit rubro folio, quod nemo alius notavit; ſed non cogimur ob hæc Helicem genus diverſum ponere cum in ea, quæ manifeſtè hederaſcit, variam foliorum & germinum naturam contemplemur, quod in paucis aliis reperitur, ut notavit Theophraſtus: fit verò alicubi, ut Helix nunquam hedereſcat ob imperfectionem quandam, non ſpeciei, ſed individui, ut in arboribus pleriſque accidit. Patet ergo quàm quidam ſine rationibus nos non habere Hederam contendant.

*Dod gall. icones 2.* Dod. gal. duas habet figuras dicens ex tribus Dioſcoridis Hederæ generibus priorem albam, Hederam fœminam Plinij, nobis eſſe incognitam; ſecundam ſpeciem Hederam nigram & Διονυσίαν Plinij, Hederam marem eſſe, Neotericorum Hederam arboream, Hederam muralem, Gallis *Liaire noir.* German. Schwartzer Eppich & Maur Ephew aut Baum Ephew. Belg. Veyl. & Boonen wyl. Tertiam verò ſpeciem ἕλικα, Claviculam & Hederulam dici; Gall. *Petit Liaire*; Germ. Klein Ephew: Belg. Cleyne Veyl. Dod. lat. autore Theophraſto Hederam in majorem & minorem diſtinguit: majorem rurſus in candidam, nigram, & Helicem, cujus plures ſpecies Theophraſtus tradat. *Hedera maior Dodones.* Cæterum, majorem ſeſe in altitudinem attollentem aut aſſurgentem, Theophr. κισσὸν ὀρθὸν, Gazam excelſam, Plinium rigentem Hederam, dicere ſcribit; *Hedera arborea.* recentiores verò Hederam arboream, quòd arbores complectatur: *Muralis.* muralem, quòd ſecundùm parietes naſcatur: Eſſe tamen qui velint omnem aſſurgentem arboream cognominari, quibuſcunque tandem illa conſcendens adhæreat, ad differentiam nempe alterius Hederæ terreſtris per humum repentis. *Hedera minor.* Minor deníque, ait Dod. nigræ ſimilis eſt, ac ἐπίγειος κίσσος vocatur; germanic. Klein Ephew. Dicitur & χαμαίκισσος; differens tamen multùm ab Hedera terreſtri alibi deſcribenda. *Hedera Helix.* Helicen ſive Claviculam latinè nuncupatam non pauci latini hanc exiſtimant, ſed Theophraſtus ἕλικα ab ἐπιγείῳ κίσσῳ differentem oſtendit. Tertiam enim inter aſſurgentes facit.

*Differ. Lob.* Nec plures duabus (Hedera majore ſeu arborea & Helice ſive minore) novit noſtra ætas, ait Lobelius, differentias genericas: tametſi quamlibet multas dixerit ſpecies Dioſcorides. Majoris multæ decernuntur varietates, quæ antiquis perſuadere potuerunt, ut plures differentias, ſive ſpecies ſtatuerint. Hujus quædam arboreſcit, ſuapréque ſtat ſtipite, nulli innixa pedamento, qualem in ſylvoſis quibuſdam Angliæ meminimus, Orthociſſum antiqui dicunt. Interdum etiam quibuſdam locis xerampelino colore folia nitent. Piſis nobis oſtendebant Herbarij corymbos cæſij & albicantis coloris. Melinos ſubfuſcos corymbos pleræque plantæ ſatæ in Italicis & Germanicis ex Campania & Apulia, hodie maturãt. Humilis planè minor & infrequẽtior cõcinnè voca-

exerat claviculas, capreolóſve viticeos, qui humi panguntur: & propagatione quadam quaſi in ſpieas & anfractus provolvuntur: interdum etiam ſerpendo muſcidis truncis & caudicibus advolvitur gracilioribus ſarmentis. Hæc Lob.

Prior vocatur à Matth. Caſt. Lugd. Brunſ. Geſn. h. (qui hujus ſpeciem tradit luteis baccis) & Tab. Hedera ſcandens, major, & arborea; à Trag. Ang. Cord. in Dioſc. Dod. & Cam. ep. Hedera; à Lon. (qui quamvis ſolùm unius iconem exprimat, attamen tres ejus ſpecies nominat) Fuchſ. Dod. gall. & Lac. Hedera nigra; à Lob. Hedera corymboſa communis; à Tab. ic. Hedera corymboſa major arborea; à Schvv. Hedera baccifera. Altera autem Hedera minor ſive humilis à Matth. Fuchſ. Brunſ. Dod. Lac. Cam. h. ep. & hiſt. Lugd. Lon. Cæſ. Tab. & Ger. Hedera helix; ab Ang. Hedera ſterilis; à Lob. Helix ſive provoluta ſterilis Hedera; à Geſn. h. Hederæ arboreæ ſilv. genus ſemper repens; à Thal. Hederæ ſpecies 3. Helix vocata; à Caſt. Hedera minor; à Schv. Hedera minor reptans; à C.B. Hedera 3. major ſterilis: Eid. Hedera 4. humi repens; Hederula Tragi; Hedera minor, ὄργυιος κισσὸς, Dod.

Hedera paſſim naſcitur ad arbores, in ſilvis, campis, & hortis, & ad ædificiorum muros. Sylvarum opaca arida & ſaxoſa perreptat. Plutarch. in Alexandr. memoriæ prodidit Babylonicam regionem non ferre Hederam, rationémque reddit, quòd nimis ſit calida, cùm loca frigida amet. Edera jam dicitur apud Plinium in Aſia naſci. Negaverat Theophraſtus, nec in India, niſi in monte Mero. Quin & Harpalum omni modo laboraſſe, ut ſereret eam in Medis, fruſtra. Alexandrum verò ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediiſſe, exemplo Liberis patris: cujus Dei & nunc adornat thyrſos, galeáſque etiam & ſcuta, in Thraciæ populis in ſolennibus ſacris. Inimica arbori ſatíſque omnibus, ſepulchráque ac muros rumpens: ſerpentium frigori gratiſſima, ut mirum ſit ullum honorem habitum ei. Hederam vidi in monte Saleve trunco crus æquante & ſæpè craſſiorem in plurimis Helvetiæ locis. In Caſtello l'Abbatie reperi ferentem reſinam rubram, odoratam, pellucidam, guſtu acrem, chartam imbuentem olei inſtar, igni admotam, flammam concipientem, ut cæteræ reſinæ.

## HEDERA DIONYSIAS, Dalechampij.



Ex congeneribus nigris folium habet minùs atrum, minimè angulosum, craſſum, carnoſū, venoſum, in acumen faſtigiatum, nec admodum denſum: in corymbis acinos luteos aureo nitore fulgentes, ex congeneribus aſpectu maximè pulchros. Hæc radicoſis brachiis reliquarum modo vicinas arbores enecat, ſucco earum exhauſto. Raró in Gallia provenit.

B. pin. Hedera 2. poëtica: Hedera Dionyſias, & Chryſocarpos Dalechampij, Lugd. Dionyſias, aut Bacchica, quòd ex ea Poëtarum coronæ conſuerentur: Chryſocarpos, à fructûs colore aueo.



### HEDERÆ ÆQUIVOCA.

*Aequivoca.* Præter Hederam communem & Dionyſiam Dalechampij, plutes aliæ occurrunt plantæ Hederæ nomine donatæ, de quibus ſuo loco agemus, ut de Hedera Cilicia Theophraſti, ſub Smilace aſpera boc libro. *Smilax aſpera.* Æquivocè quoque, ob græci nominis ſimilitudinem Hederæ nomen tranſit in Ciſtum marem *Ciſtus.* & fœminam, quibus flos Roſæ ſylveſtris inodorus, ut Plinius ſcribit ex Theophraſto, ubi in verſione Gazæ, pravâ tamen lectione Κίσσος legitur non Κίστος: de Ciſto lib. 13. Sed & Chamæciſſus herba *Chamæciſſus.* Hederæ humilis, ſeu terreſtris nomen ſibi vendicat, ut videre eſt lib. 28. Per Hederam arboream ſunt qui intelligant Apocynon Dioſcoridis, minùs *Apocynon.* rectè, in remediis ad gangrænam Theodorico, de quo paulò poſt, ut & de Smilace lævi, ſive Convolvulo majore, *Convolvulus maior.* quem Hederam arboream cognominat Dalechampius. Hederam terreſtrem ſuſpicatur Dodon. Volubilem minorem, ſive Helxinen *Volubilis minor.* Ciſſampelon, ut infra dicemus. Ἑλξίνη etiam κισσάμπελος Conſtantino μαλακοκίσσος, h.e. Hedera mollis dicitur. eſt hæc nobis Helxine Ciſſampelos, ſemine *Helx. Ciſſampelos.* triangulo. Hederula [κίσσιον] ſeu Hederæ folium [κισσόφυλλον] de Aſclepiade dicitur apud Dioſcoridem. *Aſclepias.* Tandem præter dicta genera eſſe & rigentem Hederam, per ſe ſtantem, & ob id ſolam omnium generum vocatam eſſe Hederam, tradit Plinius: hanc Cæſalpinus Agriſolium eſſe cenſet: ſed *Agrifolium.* in Theophraſto non aliam intelligit, quàm ætatis perſectæ Hederam. Tandem quæ Hederula aquatica & paluſtris à Lob. ic. Tab. & Bauh. phyt. vocatur, à nobis Lenticula aquatica triſulca inſcribitur. *Lenticula aquatica triſulca.* Quam demum Hederam ſaxatilem C.B. cum Lobelio cognominat, eſt Aſarina ſterilis Sevenæ *Aſarina ſterilis.* Narbonenſis agri.

### VIRES ET TEMPERAMENTVM.

*Ex Dioſc.* Omnis Hedera, autore Dioſcoride, acris eſt, adſtringit, nervos lædit. Flores ipſius quantum ipſorum tribus digitis capi poteſt, accepti & in vino poti, faciunt ad dyſentericos, ſed bis per diem bibere *Dyſenteria.* oportet. Faciunt & ad ambuſta cum cerato triti. At tenera ſolia cum Aceto cocta, aut cruda eum pane trita, ſpleni medentur. *Splen.* Succus foliorum & corymborum cum irino oleo, aut melle, aut nitro, naribus infunditur, & ad veteres capitis dolores commodus *Capitis dolores.* eſt. Irrigatur & ex eo caput, cum aceto & roſaceo. Aurium dolores & purulentas aures, cum oleo ſanat. Cæterùm nigræ hederæ ſuccus & corymbi poti, debilitatem corpori inducunt, & amplior uſus mentem turbat. *Mentem turbat.* Acini verò corymborum quinque triti, & cum roſaceo in malicorio calſacti, & in oppoſitam aurem inſtillati, dentium dolores mitigant. *Dentes.* Denigrant item capillos corymbi. At verò folia cum vino cocta ad omne ulcus imponuntur. Eadem impoſita velut dictum eſt cocta, ambuſta, ulcera maligna, & maculas ſolares curant. Movent & menſes *Menſes.* corymbi triti ſubditi, & poſt purgationem drachmæ pondere poti, conceptionem impediunt. Sed & foliorum pediculus melle tinctus & utero appoſitus, menſes & fœtus educit. Succus autem naribus inſtillatus, graveolentias & putredines expurgat. Lacryma verò Hederæ illita, pilos abolet, & pediculos *Pediculi.* occidit. At radicum ſuccus cum aceto potus, commorſis à phalangiis opitulatur. *Ex Galeno.* Hedera (inquit Gal. 7. ſimpl.) ex cōtrariis compoſita eſt facultatibus: habet enim quiddam adſtringentis ſubſtantiæ, quam terrenam & frigidam eſſe oſtendimus, habétque etiam nonnihil acris, quam calidam eſſe vel guſtus comprobat: nec deeſt tertia, aqueam n̄amque ſubſtantiam quandam tepidam obtinet, certè ſi viridis ſit,

Siquidem dũ areſcit, hæc prima exhalet neceſſe eſt, manétq; quæ terrea eſt & frigida adſtringénſque, & ea quæ calida eſt & acris. Viridis autem, foliis ejus *Vlcera.* in vino decoctis, ulcera grandia conglutinat, quæque maligna ſunt ſanat, tum igne ſactas exulcerationes cicatrice includit. Porrò cum aceto decocta folia lienoſis proſunt. Flotes autem ejus qaodammodo validiores ſunt, & ad lævorem redacti cum cerato ambuſtis conveniunt. Præterea ſuccus medicamentum eſt errhinum, h. e. in nares fuſum, capiti purgando idoneum, tum vetuſtas aurium fluxiones ſanat, adhæc vetera ulcera tum in auribus tum in natibus. Porrò ſi acrior appareat, aut roſaceo *Pediculi.* aut dulci oleo miſcetur. Lachryma ejus pediculos necat, pilis nudat, uſque adeò calidæ poteſtatis, ut obſcurè adurat, eſt enim veluti aqueus quidam li- *Ex Plinio.* quor, ſicut omnes aliæ lachrymæ. Hederæ mira natura traditur à Plinio ad experienda vina, ſi vas fiet *Vas ligneũ ad experiẽda vina.* ex ligno ejus, vina transfluere, ac remanere aquam, ſi qua mixta ſuerit. Theophraſtus igniaria ex ea materia fieri teſtatut, quoniam calida. *Igniaria.* Plutatchus autor eſt, Hederæ ſuffitum in Venerem trahere, & e- *Venerem excitat Hederæ ſuffitus.* brietatem, ut vinum, inducere, furorémque efficere animi. Inſignis vis ſeminis Hederæ nigræ, ſi vera quæm Bayrus illi adſcribit. Semen ait Hederæ nigræ facit cadere pilos & enaſci non ſinit. Acini Hederæ *Calculus.* tuſi ac pondere drachmæ in vino ſumpti, calculum ex pellunt, experientià Tragi id atteſtante. Folia Hederæ cum aceto decocta ac lieni impoſita, dolo- *Pulvis Hederæ* res ejus ſedant. Hederæ flotum ſiccatorum pulveris quantum ttium digitorum apicibus comprehen- *Dyſenteria.* das, ex vino bibitum, fluxum dyſentericum ſiſtit, ut *Succus.]* legitur apud Matthiolum: Succus è foliis cum vino acidulo tribus continuis diebus lienoſos potu juvat: quibus etiam opitulantur pocula è ligno vel radice Hederæ confecta. Acini drachmæ pondere cum vino aſſumpti, mirificè calculum pellunt. ad *Menſes.* menſes ſuppreſſos minimè fallax traditur remedium, ſi acini tres Hederæ arboreæ in pulverem triti, cum aqua ſtillatitia Pulegij & pauxillo Croci bibantur calidè, ídq; mane diebus aliquot continuis. quinque aut ſex acini ante poculorum certamen *Ebrietas.* comeſti, ebrietatem arcent. vapor è decocto foliorum utero exceptus menſes ciet. ad cephalalgiam, ſumuntur folia Hederæ ſeptem, totidémque Perſicorum delibrati nuclei, ſimul ambo in aceto & oleo roſaceo bulliunt, atque ita calida fronti & tempori- *Vlcera cauteriorum aperta retinet.* bus inducuntur. Vt cauteriorum ulcera aperta maneant, imponitur quotidiè Hederæ folium, quod & humiditatem omnem exhaurit, & ne quicquam ſiniſtri accidat prohibet. Mulierculæ è foliis Hederæ pileolos coſ fectos capitibus imponunt infantum, quos achores infeſtant, ſiccant ita & certò curant. Sunt (ptohibente Camer.) qui non ſine utili- *Epilepſia.* tate contra epilepſiam exhibeant Hederæ lignum. Corymborum pulveratorum ſcrupulus unus ex aqua Menthę aut ſimili, efficax ad ventriculi dolores. alicubi & peſte correptis exhibent, quibus ſudores eliciunt potenter. Sunt apud Dodonæum, qui He- *Vrina.* deræ corymbos ad ciendam urinam efficaces aſſerãt, & calculoſis ac nephriticis eapropter exhibeant. Nonnulli Tabern. teſte, corymborum & foliorum Hederæ ex vino decoctum, aut eorundem pulverem cnm vino ad febtium rigores exhibent. Valent eodem modo ad urinam ciendam. Ex corymbis extillatur oleum eo modo quo ex baccis Iuniperi: alij oleum ita eliciunt ex corymbis, ligno & gummi. *Frigidi articulorum dolores.* Pręſtans eſt oleum ad frigidos articulorum morbos. menſes ciet, calculos pellit, ſordida ulcera exterget. Ad capitis dolorem accipit VVirt. Empir. Hederam *Prognoſticum de vitibus a flore Hederæ.* quæ ſupra terram provenit, macerat in lixivio, quo abluit caput. Sebaſtianus Feudinger Pincerna Illuſtr. C. VVirtemb. homo curioſus affirmabat anno 1605. quo hæc ſcribimus, ſe obſervate ex Hederæ flore hoc anno futuram copiam vini, quia circa natalitium Domini noſtri cùm floreret non defluxiſſe flores, ita non defluxuros etiam vitium flores, unde ſæpè deficiunt Vvæ & vinum. Lignum Hederæ de radice reſectum, ubi craſſius eſſe conſuevit, à ſutoribus in eum uſum parari ſolet, ut poſtquam cultellos ſuos ad corium diſſecandum idoneos ad cotem exacuerint, aſperiores etiam *Cos ex ligno Hederæ pro ſutoribus.* nunc illos æquales lęvigatóſque reddant ad dictum lignum ultra citráque ducendo. quod autem præ aliis idoneum eſſe judicatur fortè ob mollitiem ſubſtantiæ ipſius, quę tangentibus ſe talem offert. Vendibilis vini ſignum Hederam olim extitiſſe, probat illud vetus adagium: Vino vendibili non opus eſſe Hedera ſuſpenſa. Exponit autem hoc dictum Eraſmus, veram virtutem non egere alienis præconiis: aut tes præclaras per ſe placere, neque deſiderare exoticam commendationem.

## HEDERÆ LACHRYMA.

*Deſcr.* GLebæ quæ Hederæ gummi nomine in officinis proſtant, ex ſaturo rubore ferè nigreſcunt, vitreo nitore, ſed non pellucido, durâ ſatis compactáque conſiſtentia, non tamen uniformi, rubiginoſis intercurſantibus micis: haud difficulter in pollinem redigitur, ſaporem imprimens ſiccum adſtringentem, haud injucundum, cum levi quadam amaritudine, ſalivam croceo colore tingens. Candelę admotum claram & pertinacem edit flammam, nidore fe- *Flammam edit.* rè Thuris, & ne vel tum quidem liqueſcit. admiſta reperiuntur interdum Hederæ folia. Ipſe etiam ex Hedera lachrymam collegi Genevæ circa l'Abatie dictum locum, anno 1570. menſe Aprili, ſimilem ei, quæ in offic. proſtat.

## GRANADILLA HEDERÆ ſimilis. CAP. IX.

*Locus.* ALlatus Monardi ex Continenti herbæ fructus eſt, quæ in Peruanis montibus, ubi ſpontè naſcitur, Granadilla appellatur, quod nomen illi impoſuerunt Hiſpani ob ſimilitudinem quam cum Malis granatis habet, nam ejuſdem ferè eſt amplitu- *Etymon.* dinis, atque etiam coloris, quando maturus eſt, niſi quod coronâ careat: in eo reſiccato, ſi agitetur, ſonitum edit ſemẽ intus occluſum, pyri ſemini ſimile, aliquanto majus, tuberculis quibuſdam eleganter, elaboratum & aſpectu jucundum: pulpa candida eſt, & ſaporis expers. Planta hunc fructum ferens *Deſcr plantæ.* Hederæ ſimilis eſt, eodémque modo repit & ſcandit, quocunque loco ponatur. Elegans eſt cùm fructu onuſta conſpicitur, propter ejus amplitudinem: florem habet albæ Roſæ perſimilem, in cujus foliis aliquę veluti paſſionis Chriſti figurę delineatæ con- *Flos paſſionalis.* ſpiciuntur, quas magnâ diligentiâ iſtic pictas exiſtimes, eam ob cauſam elegantiſſimus eſt flos: fructus ipſi ſunt granatula jam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & ſemine plena ſunt: aperiuntur ut ova, & liquor ille cum magna voluptate ſorbetur cùm ab Indis tum ab Hiſpanis: nec, etiam ſi multos ſorbeas, ullam ventriculi gravedinem, ſed potiùs alvum emollitam ſentis. Herba rara eſt, quæ duntaxat uno in loco invenitur. Fructus temperatus eſſe vi- *Temperamentum fructus.* detur, & aliquantulum humidus. Granadillæ etiam meminit Petrus de Cieça, parte 1. hiſt. Peruanæ c.28. his verbis: Amplam iſtã vallem de Lile dictã, in qua oppidum Cali, mediam ſecat flumẽ, cujus ripę abundant fructibus ejus loci, inter quos grati admodum ſaporis & jucundi odoris eſt Granadilla nũcupatus.

B.pin.

B.pin. Clematitis 13. trifolia flore roſeo clavato: Granadilla, Monardi, Petro de Cieça in hiſt. Peruana, Lugd. Vide in Americæ par.9.l.4.c.27.at cap.30. Granadilla inter ligna recenſetur.

## SMILAX ASPERA.
### Cap. X.

Smilax aſpera longis, rigidis, ſtriatis, contortis, valdè implicatis, lentis, ſarmentoſis viticulis excreſcit nunc in hanc, modò in alteram partem, inquit Cluſius, certâ quadam ſerie ſervata inflexis, ex geniculis capreolos *Capreoli.* proferens quorum ope vicinis arboribus, aliiſve advolvitur, & ab imis ad ſumma repit, horret autem ſpinis *Spinæ.* duris rigidíſq; non tàtùm per ſarmenta ſurgentibus, ſed etiam per pediculos, *Pediculi.* *Folia.* unciales plus minus, quibus folia e intervallis ſingularia appenduntur. cæterùm folia Sigilli B. Mariæ dicti poſſidet, ſed longè craſſiora, rigida, nervoſa, ſpinis non tantùm per margines horrentia, ſed & in dorſo ſecundùm nervos, nunc ampla & viridia, modò anguſtiora & albis maculis conſperſa, autore Cluſio, flores è ſingulis extremorum *Flores.* ramulorum geniculatis tuberculis racematim cohærentes crebri erumpunt, parvi, albi, odorati, ſenis foliis conſtantes, in exiguis in medio apiculis: hoſce excipiunt fructus, rotundi ſeu Vvæ, per maturitatem *Fructus.* rubræ, vel, ut ait Cluſius, rutilæ in quorum ſingulis ſemina duo, vel tria, vel unicum, lubricâ magnitudine, *Semina.* colore & figura, ſeminum Rhamni tertij ſeu Paliuri multis dicti, ſed duriora, pulpâ albicante, nauſeoſæ cujuſdam dulcedinis participe, Cluſius nucleos vocat duros, oſſeos, veluti Aſparagi, foris *Nuclei Cluſio.* nigros, addens radicem longè latéq; ſerpentes ſub *Radix.* terra fibras habere tenues, candidas & germina ſummâ tellure ſpargere minimi interdum digiti craſſitudine, nodoſa ſeu articulata, albicantia.



*Smilax Theophr.* Theophr. accuratiſſimè Smilacem hanc deſcripſiſſe videtur his verbis: Smilax [*Edera Cilicia, Gaza*] caulibus ſuis ſeſe aliis implicat & obvoluit. Caulis autem ejus ſpinoſus, & veluti rectos aculeos gerit: ſolium ederaceum, oblongum, angulosum qua pediculo annectitur, & latius. Proprium huic quod medium ipſum nervus ſpinæ tenuis modo ſecat, & ſtamineas propagines non ab ipſa ſpina, ut in aliis foliis, ſed circa ipſam in orbem circumactas ducit, ab ipſo pediculi annexu. Ad caulem verò imbecillũ, qua folia velut interſtitio quodam ab ipſo ſe jungunrur, ex eodem ſinu enaſcitur cum foliis cauliculus gracilis & convolutus: flos eſt albus, odoratus vernus [*Græcus textus habet ἠερινόν. ſed Cornar.c.de Smilace, cum Plinio legit λειριόεν i. liliaceus*] Fructus ſimilis Solano aut Melothro & maximè Viti ſilveſtri, racemis, ut Hederæ pendentibus, propiùs tamen ad Vvæ figuram accedentibus: quoniam ab eodem puncto pediculi acinorum exeunt. Fructus ruber, ſæpiùs quidem nucleos binos complexus, major ternos, minimus ſingulos. Foris autem nigri ſunt nuclei, & valdè duri. Peculiare habent racemi, quod ex obliquo caulem obſepiunt, & unus omnium maximus eſt in ſummo caule, velut in Rhamno atque Rubo. Vnde liquet Smilacem & in ſummo, & in latere fructiferam [*Venetum legit πλαγιαπλαιόκαρπον mendoſè pro πλαγιόκαρπον, vel πλαγιοπλεόκαρπον. H.*] eſſe.

*Dioſc. de Smilace aſpera.* Smilax aſpera folia habet Periclymeni, ſarmenta multa, tenuia Paliuri aut Rubi modo ſpinoſa, & ſeſe arboribus circumvoluit, per eas ſurſum deorſumque repens. Fructum verò profert racematum, ceu *Dioſc. lectio varia.* exilem Labruſcæ racemulum [*deſunt hæc in Ald. cod. in contextu & ad notha transferuntur*] qui quidem ubi maturuerit, colore eſt rubro, guſtúmque leniter quodammodo mordet: radice denique eſt craſſa duráque. Smilacis aſperæ fructum hîc Dioſcorides ὀπιφυλλίδι ſimilem facit, h.e. (ut alia ὀπιφυλλίδος ſignificata à Suida & Ariſtoph. ſcholiaſte commemorata, *Dioſc explicatur.* tanquam huic loco non ſatis convenientia cum Sarraceno omittamus) exili racemulo: quales iis eſſe ſolent, qui vel ſummis palmitibus ſupra folia ipſa innaſcuntur, vel immaturi vindemiæ tempore inter folia latitant. Theophraſtus autem uti jam dictum, ſcribit eſſe fructum Solani & Vitis albæ fructui ſimilem, maximéque Vvæ ſilveſtri nuncupatæ. Penſiles autem eſſe racemos, ceu Hederæ, verùm ad Vvam propiùs accedere: folio autem eſſe hederaceo, parvo non anguloſo.

*Plin. de Smilace.* Sed & Plinius de Smilace eadem, quamvis paulò aliter ita prodidit. Similis eſt Ederæ, è Cilicia quidem primùm profecta, ſed in Græcia frequentior, *Smilax Græcorum.* quam vocant Smilacem, denſis geniculata caulibus, ſpinoſis fruticoſa ramis, folio ederaceo, parvo, non anguloſo, à pediculo, emittente pampinos, flore candido, olente Lilium. Fert racemos Labruſcæ modo, non Ederæ, colore rubro, complexa acinis majoribus nucleos ternos, minoribus ſingulos, nigros duróſque: infauſta omnibus ſacris & coronis: *Infauſta ſacris.* quoniam ſit lugubris, virgine ejus nominis propter amorem juvenis Croci, mutatâ in hunc fruticem *Smilacis metamorphoſis.* [Ovid.4.Met.

*Et Crocum in parvos verſum cum Smilace flores*]

Id vulgus ignorans, plerumque feſta ſua polluit, Ederam exiſtimando: ſicut in Poëtis aut Libero patre, aut Sileno, quis omninò neſcit quibus coronentur. E Smilace fiunt codicilli. Propriúmque materiæ eſt, ut admota auribus levem ſonum reddat. *Plin taxatur.* Sed quod hîc Plin. dicit de codicillis è Smilace, non exiſtimo intelligendum de Smilace aſpera, quomodo enim fierent ex tali frutice? Idem alibi de hac loquitur. Smilax quoque (ait is) qui & Nicophoros *Nicophoros.* cognominatur, ſimilitudinem Ederæ habet, tenuioribus foliis. Coronam ex eo factam impari foliorum *Superſtitioſus Plin.* numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera Smilacis dixère. Alterum immortalitati *Smilacis genera. 1.* proximum, in convallibus opacis, ſcandens arbores, comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficaciſſimis, in tantùm, ut acinorum ſucco infantibus ſæpè inſtillato, nulla poſteà venena nocitura ſint. Alterum genus culta amare, & in *2.* his gigni, nullius effectûs. Illam eſſe Smilacem priorem, cujus lignum ad aures ſonare diximus.

Fatetur Matth. in com. It. ſe poſſe affirmare aliquod diſcrimẽ eſſe inter Smilacem aſperam & Zarzam parillam. Idem tamen dixit eſſe, qui affirment *Zarza parilla quorundam.* Zarzam parillam nihil aliud eſſe, quam Smilacem aſperam, quorum opinioni ait ſe facilè aſſentiri. In hiſt. demum germ. addit, quoſdam doctos viros exiſtimare radicem Salſas & Sarſas parilias Smilacis aſperæ radicem eſſe: alios negare, ſe nihil aſſerere poſſe, quia nihil certi habeat de Salſa parilia. Vides *Salſa parilla ſimilis, ſed non eadem.* quàm Matthiolus lectorem incertum ſuſpendat. Similem quidem Garcia Smilacem aſperam Salſæ pa-

r.a̋æ, ſed tamen eandem eſſe non concedit. Salſa parilla (inquit Alp.) eſt Smilax aſpera: Smilax tamen Zacynthi inſulæ, ex qua Salſa parilla, à Smilace aſpera in Italiæ locis inventa multùm differt. Sed quicquid ſit, Smilax aſpera radices habet non tantę cum Salſa parilla ſimilitudinis ſortitas quantum hactenus perſuaſum doctis quibuſdam fuit, ut dicetur cap. ſeq.

*Synon.* Smilax ſimpliciter dicitur Theophraſto & Anguillaræ; Smilax aſpera Dioſc. Ruell. Matth. Fuchſ. Turn. Cord. in Dioſc. (cui & Hedera Ciliſſa) Theod. Golio in onom. Dod. Euchar. Roeſslin (cui & Smilax trachæa) Bellon. Obſ. Acoſtæ (qui ſimilem facit Chinæ) Geſn. h. Lac. Lob. Cam. h. & epit. Caſt. Cæſ. & Lugd. cui & Volubilis acuta, vel pungens; Smilax aſpera vera Trago; Smilax aſpera fructu rutilo, Cluſ. hiſp. & hiſt. Smilax aſpera 1. fructu rubente, C. Bauh. Hedera Cilicia Plinio (& poſt eum Gazæ) cui & Smilax, Nicophoros cognominata: Milax, Galeno; Volubilis aſpera, Lonicero.

*Trag. & Fuchſ. notatur.* Cæterùm, in Tragi figura apparent aliquæ ſpinæ in foliorum dorſo, ut in Fuchſij pictura (qui Smilacem naſcentem non vidit, ſed ex ſicca tranſmiſſa *Icones.* pingendam dedit) quæ in noſtra icone, quæ Guariniana, omiſſæ. Nomen etiam gallicum apud Fuchſium *Phaſeoles eſpineuſes* non placet: mallem vocare *Liſeron eſpineux*. In Matthioli imagine in foliis nulla ſpina: in poſt. comm. cum mag. fig. duo tantùm ſpinoſa. In figura per Camerarium facta ad Hiſt. germ. & Ep. folia in marginibus ſpinoſa. In iconibus Matthioli & Fuchſij, ex qua noſtra quæ minùs placet, flores appicti tantùm cum quinque foliolis. Com. *Tab. taxatur.* pil. Tab. Smilacis aſperæ tres ponit figuras, nec indicat qua in re differant.

*Nomina linguarum.* Σμίλαξ τραχεῖα Græc. Lat. Smilax aſpera; Ger. Stechend oder ſcharpff Winden/ab aculeis quos habet aptè denominatur: Gall. noſtro judicio, *Liſeron eſpineux*, aliis tamen *Liſet picquant, Tan,* ſive *Smilax aſpre*: Ital. *Rovo cervino*: [*Rubus cervinus ſive Hedera ſpinoſa*] Hiſpan. *çarca parilla*, h. e. Rubiviticula appellatur: *Notha.* Angl. Scharpe Smilax. Aliqui inter notha Dioſcoridis Hepatitin cognominant, quaſi Iecorariam appellent, alij Lycanthemon, quaſi florem lupinum, alij Cynoſbaton, quaſi ſentem canis, alij Aniceton, quaſi invictam, alij Heliophyton, quaſi plantam Solis, alij Anatolicon, hoc eſt Orientalem, alij Dyticon, occiduam, alij Helidem, Ægyptij Lyiſthe, Romani Merginam, Hetruſci Rhadiam.

*Aequivoca.* Smilacis vox, quod ſilentio non eſt prætereundum, valdè eſt ambigua, ut quæ quaſdam cognatas *Smilax aſpera fructu rubro, & nigro. Salſa parilla.* vel ſimiles plantas ſignificet, ut Smilàcem aſperam fructu per maturitatem rubro, de qua in præſenti: Smilacem aſperam minùs ſpinoſam fructu nigro, de qua mox; Salſam parillam Smilaci affinem, poſt dicendam.

*Convolvulus major.* Denotat & Smilacem lævem, quæ dicitur Convolvulus major Fuchſ. Dod. Matth. Lob. Rob. Conſtant. & aliis, à quibus diſſentiunt Cæſ. & Turnerus: nos de Convolvulo poſtea agemus.

*Helxine Ciſſampelos. Scammonium. Gelſeminum.* Smilacis lævis ſpeciem eſſe Volubilem minorem (quam nos vocamus Helxinen Ciſſampelon) ſatis manifeſtum Dodonæo. Eidem haud aliud eſt Scammonium, quam ſpecies Smilacis lævis radice craſſa. Cæſalpino tamen Smilaci levi magis videtur convenire Gelſeminum.

*Smilax phaſiolifera.* Cum Smilace hortenſi phaſiolifera, Cordo eadem eſt lævis, de qua H. n. g. lib. 17.

*Smilax arbor.* Quaſdam admodum diſcrepantes, & viribus planè contrariis pollentes, ut Smilacem arborem è genere glandiferarum de qua egimus inter Ilices lib. 7.

*Fraxinus.* Smilacem quoque de Fraxino dici, oſtendimus l. 8.

*Taxus.* Nec deſunt indocti, qui magno ſanè errore Taxum Smilacem appellent, ut videre eſt lib. 9.

Naſcitur Dioſcoridi in locis paluſtribus & aſperis; *Loca.* Plinio autem in convallibus opacis. Dioſcoridem imitatur Tragus, ſcribens, in ſuperiori Helvetia uliginoſis locis & tenebroſis provenire, quod non placet. Vbi enim legitur apud Dioſc. ἑλώδεσι, ibi malim legere cum doctiſſ. Dalechampio ἀμμώδεσι, vel πετρώδεσι: Corn. malam Dioſcoridis lectionem retinuit. Non niſi montoſis & collibus ſervidiorum tractuum, Romaniæ, Hiſpaniæ, Linguagotiæ, plurimam provenire Lobelius teſtatur. Serius floret; *Tempus.* imò Autumno etiam ipſo, cum ſuo fructu Octobri & Novembri florentem Cluſius reperiebat: at frigidis regionibus culta & fictilibus adſervata, Autumno duntaxat floret, nunquam ſemen perficit. Magna ex parte altero duntaxat à ſatu anno germinare incipit, nonnunquam & tertio. Perpetuò folia retinet: creſcit variis Hiſpaniæ locis, & in Narbonenſi Gallia aſpero & arido ſolo: naſcitur & aliis calidioribus regionibus: rara in Luſitania conſpicitur. Monſpelij olim obſervavi variis in locis, inter ſepes locis ſiccioribus, florentem & baccas ferentem autumno, quamvis toto anno habeat maturas & immaturas; folia in circuitu & in dorſo ſpinis armata interdum iis deſtituuntur, vel rariſſimas habent, ut non mirum ſi variè pingatur, ut Matthiolus & Alpinus fecit. apud Frid. Meier vidi Smilacem aſperam mitiorem in figulinis vaſis, quam hyeme reponit.

Folia fructúſque contra venena efficacis antidoti *Vires, ex Dioſc.* vim habent, autore Dioſcoride, ſive ante, ſive poſtea bibantur. Quin & memoriæ proditum eſt, ſi quid ex his infanti recens nato tritum propinetur, nulla ei poſtea venena nocitura. Inciditur & ad alexipharmaca, id eſt, ad ea medicamenta quibus venena arcentur. Plinius autem, ut ex ante dictis pa- *Ex Plinio.* tet, alium utendi modum tradit, dum ſcribit, acinorum corymbos contra venenata omnia efficaciſſimos eſſe, in tantum ut acinorum ſucco infantibus ſæpè inſtillato nulla poſtea venena nocitura ſint. Milacis aſperæ folia guſtata acrimoniam aliquam *Ex Galeno. Temperamentum.* habere, & ſi illis utamur calefacere legitur apud Galenum: alioqui calidam & ſiccam haud dubiè Fuchſius credit. Fallopius cùm in monte Iuliani Piſis vi- *Succedaneum Salſæ parillæ.* diſſet Smilacem aſperam, eâ uſus eſt loco Salſæ parillæ per biennium quo ibi fuit, fœlici cum ſucceſſu plurimos à lue venerea liberans. Certè noſtratem Sarſam parillam (quæ Smilax aſpera eſt, inquit Monardes) expertus ſum ſimili facultate præditam, cum illa, quæ ex Hiſpania nova adfertur, ad quam magis accedit, quàm ad eam quæ in Honduras invenitur. Guſtu inſipido eſt, & ſine acrimonia, nec ejus aqua, hordeaceâ ſapidior eſt.

## SMILAX ASPERA MINVS SPINOſa, fructu nigro

*Deſcr.* SImilibus cum priore ſarmentis & claviculis proxima quæque amplectentibus naſcitur, non eſt tamen adeò ſpinis horrida: folia etiam paulò breviora, atriora, molliora, nullis aut certè rariſſimis aculeis obſita habet: flos alteri omninò formâ ſimilis, ſed colore differens, nam ex albo quaſi carneus eſt, fructúſque rudimentum. quod ex medio flore tanquam umbo prominet, rubeſcit, plenus autem & maturus fructus non eſt rutilus, ut in priore, ſed omninò niger, & ſucculentior, quantum quidem Cluſio videtur, oſſicula conveniunt.

*Nomina Hiſpanica.* Smilax altera Cluſij extremæ Bœticæ incolis, *Vva de Perr* i.e. Vva canina, Luſitanis conterminis *Recama*, Olyſipponenſibus *Allega-caon* appellatur. Icon hujus à Cluſio hiſp. & hiſt. proponitur cum inſcriptione Smilacis aſperæ nigro fructu. Eandem etiam *Smilax aſpera nigro fructu Cluſ.* exhibet Lob. in Ic. ſub hoc titulo: Smilax aſperà altera,

tera, facie Salſæ parillæ, aut congener. In obſ. depingit Smilacis aſperę è ſpinis varietatem, folio non ſpinoſo, ſarmentoſis viticulis, multò minùs ſpinis refertam; cæteroquin cæteris cunctis ſimilibus, aut iiſdem, fructu nigro. *Smilax ſo- non ſpi- ſo.*

Ex his ita dictis clarum eſt C.Bauhinum in phyt. multiplicare entia, nec ſine errore Cluſii Smilacem aſperam fructu nigro (quæ ipſi Smilax aſpera 2. eſt) à Lobelii Smilace aſpera altera, facie Salſæ parillæ, aut congenere (Smilace ejus aſpera 3. diverſam ſtatuere. Sed hunc errorem apud Matth. ſilentio involvit, neutriuſq; meminit: in pin. verò correxit, commemorans & aliam varietatem foliis anguſtiſſimis in Galloprovincia. Quàm benè porrò Cluſii Smilacem aſperam fructu nigro, cum Smilace aſpera Luſitanica Tab. & Ger. (etiam adhuc in pin.) eandem faciat, monſtrant eorundem diverſæ figuræ. Folia in icone Cluſij ſicut & Lobelij ſunt abſque ſpinis, in Tabernæmontani verò ſunt ſpinoſa. *C.Bauh.* *C.Bauh. er- & alius.*

*Locus.* Hanc pleriſque Luſitaniæ provinciæ locis, circa ſepes & collium convexa, & extrema Bœticæ parte, qua Luſitaniæ contermina eſt, Cluſius cum priori florentem conſpiciebat. Nobis viſa eſt Heidelbergæ in horto D.Sprengeri Smilax aſpera ſine ſpinis. Eadem etiam obſervata Argentinę in horto D.Meieri. Conſiderandum an eadem cum Cluſiana: perpendendum etiam an eadem ſit, quam Matth. in poſt.comm. cum mag. iconibus exhibet pro Zarza Parillia, de qua hoc ſeq. capite. *Zarza parillia Matth.*

## SMILACI AFFINIS SALSA parilla. Cap. XL.

Salsa parilla.



Hanc ob ſimilitudinē quam cum Smilace aſpera habet, facilè poſt Smilaces poſuerim. Qualis autem reliqua ſit plantæ facies vix certi quicquam adferre poſſum. Radices verò notiſſimæ ſunt ad deſudationes eorum quibus vagus concubitus luem affricuit. Sunt autem flagella longiſſima, plurimarum ulnarum, Junci majoris craſſitie, obſequioſa funiculorū flexibilitate, ſtriis per longum decurrentibus, colore exterius fuſco, cui ſubſtantia farinacea, alba ſubeſt, craſſiuſcula, mollis & digitorum attritu in pulviſculum ſolubilis, Agaricum ferè referens, ſapore glutinoſo, amaricante, non ingrato tamen, meditullium verò lignoſum nitidum, lentum, fractúque contumax. pendent porrò flagella hæc ex pollicaris craſſitudinis radice tranſverſa, ſquammata, quę ſarmenta crebra ſurſum mittit, vitigineis non abſimilia, pariquè craſſitudine, veluti geniculis quibuſdam intercepta, ſtriata, aduncis ſpinis minacia, coloris buxei, ſubſtantiâ intus Palmæ inſtar fibroſâ, albicante, ſapore nullo evidente. *Deſcr. ſarmentoſorum.* *Color.* *Sapor.*

Cùm icon Lob. adv. perſimilis ſit ipſi plantæ ſiccæ, quam communicavit Douvez, eam aſſumpſimus. Folio eſt (inquit in Obſ.) Smilacis aſperæ ſpinoſo, & ſarmentoſis implexis viticulis, ſpinis aduncis, horridis, & radice crebris implexa locis. Benzo tamen in Puna & finibus Guajaquil & Portûs veteris Zarzam parillam herbam racemoſam Roboris folio reperiri ſcribit: *Smilacis aſperæ folio.* *Roboris folio.*

Smilax aspera zacynthi, Alpino.



Monardes triplicem deſcribit. Carça-parilla, inquit, Hiſpaniæ novæ eſt planta multis radicibus nitens, duos cubitos aut eo ampliùs longis, colore cinereo dilutiore, quæ interdum tam altè demittuntur, ut, qui integras eruere volet, ei profundâ foſſione opus ſit, ramis nodoſis & lignoſis, qui facilè deſiccantur: floréſne aut fructum proferat, ignoro. Ab hac differens eſt quam provincia Honduras profert, quòd hæc cinerea, nigrior atque craſſior ſit; illa verò candidior, ad pallorem tendens, & gracilior. Nunc ex provincia Quito inferri cœpit, copioſè naſcens vicinis urbi Guayaquil locis, ad flumen ejuſdem nominis maximum, cujus aqua admodum ſalubris, & multos morbos curare dicitur. Indi & Hiſpani eâ aquâ ſe abluendo, & magnam ejus quantitatem ſæpiùs hauriendo manè, plurimum urinæ excernunt, & valdè ſudant, & conſequenter morbis liberantur. Sunt autem qui putent ab hujus fluminis aqua Sarſam parillam facultates ſuas mutuari, quæ colore eſt ex cinereo nigricante: majoribúſque & craſſioribus radicibus conſtat, quàm quæ ex Honduras adfertur, iiſque interdum tam longis, ut altitudine humanâ fodiendum ſit, ut erui poſſint. Hujus tertiæ ad fluvium Guajaquil & in Punainſula naſcentis, Petrus Cieca part.1. Chronici Peruviani c.54. meminit, alterique in pleriſque Indiæ regionibus naſcenti præfert. At Cæſalpinus duas primas differentias agnoſcit. *Carça-parilla triplex Monardis.* *Carça parilla ex Honduras.*

De Salſa-parilla ſibi minùs conſtat Matthiolus, in diverſis locis ita ſcribens. Radix (inquit in com. lat.) quam nuper aliqui Salſam, aliqui Spartam parillam nuncupare cœperunt, Ebuli tam ad unguem æmulatur radices, ut quandoque crediderim Spartam parillam & Ebulum eſſe idem, tamen id aſſerere non auſim, cùm hactenus ejus folia non viderim. Idem in comm. It. ait: Radicis Indicæ Hiſpanis Zarza parilla vocatæ parvus ramus ex Hiſpania mihi miſſus, foliis eſt iiſdem cum Smilace aſpera, ita ut exiſtimem eos non errare, qui affirment Zarſam parillam aliam non eſſe à Smilace aſpera. Cujus opinionis primus autor fuit Ghinus. Non deſunt tamen qui huic opinioni contradicant, quòd videant harum radices facie non parùm differre, cùm Smilacis aſperæ, nodoſæ; Zarzæ parillæ verò rugoſæ habeantur. Ego quamvis neutram opinionem certò affirmare poſſim, cogor tamen potiùs Ghino aſſentiri, &c. Zarzam parillam ſcilicet eſſe dicendam Smilacem aſperam aut ſpeciem ejus. Libro autem 4. in poſt.comm.cap.140. ponit figuram nomine Zarzæ parillæ non ſpinoſam: eam ſcribit ſibi à quibuſdam miſſam, affirmans aliquod diſcrimen inter Smilacem aſperam & Zarzam parillam eſſe, interim tamen *Matth. not.* *Sparta parilla* *Radice Ebuli.* *Smilax aſpera.* *Smilax aſpera non eſt.*

men perſeverat in ſua opinione, congeneres eſſe plantas. Cujus autem plantæ ſit Salſæ parillæ figura *Icon Matt.* Matthioli, aſſerere non auſim. conſiderandum num ſit figura aliqua ad Smilacem minùs aſperam expreſ- *Matth. opinio reprobatur.* ſa. Mira ſanè fuit ejus opinio de radicibus Ebuli, quę obſecro ſimilitudo inter Ebuli radicem & Salſam-parilljam vulgò dictam. Neque ſi ſimillimæ forent, ideò continuò eædem aſtruendæ. Neque Colutea eadem eſt cum Sena, licèt illa poſſit nonnulla eadem, quæ hæc præſtare. *Diſcrimen radicis Smilacis & Salſæ parillæ.* Sed nec tantam Smilax cum Salſa parilla in radice ſortitur ſimilitudinem, quanta hactenus perſuaſa quibuſdam fuit. Siquidem Smilacis geniculatæ, articulatis ſegmentis radices, candidæ, foris nitentes, Graminis canini, aut Harundinis valatorij. At Parillæ crebris loris prolixiſſimis, ab uno trunco radicis magno, præduro, ſtrumoſo, rugoſiſque capitibus, hinc inde ſubtus, ut in Aſparago, vel Ruſco, oriuntur numeroſi concolores lori, æquabiles & ſine geniculis vel nodis; recti, flexiles, cortice duriuſculo, pullo, rugis ſtriato in longitudine, quam vicenum pedum interdum menſus eſt Lobelius. Intus farinacea medulla, non ita ingrata, ſed viſcida, nonnihil emplaſtica, amaricante, nec tamen calorem prodente. Et quanquam Zarzæ parillæ & Smilacis aſperæ hiſpanicæ radices ſimiles Garcias concedat, tamen eaſdem eſſe jure negat. Reperiuntur enim ſæpenumerò ſimiles, quæ tamen vel minimo aliquo diſcrimine differunt. Differentiam etiam cœli ſolíque diverſa conſtitutio adſert. Quare licèt Sarſa parilla, quæ è novi Orbis ſive Americæ provinciis infertur, Smilaci aſperæ in Europa natæ ſimilis videatur & ſit, viribus tamen differt. Neque enim ſoli cælique diverſitas, ad formæ modò commutationem aut alterationem facit; ſed plurimum etiam ad qualitatum viriumque remiſſionem aut intentionem confert. Et ſanè calidis locis enata potentiora ferè, odoratioráque ſunt: frigidis minùs. Ita Sarſa parilla Peruviana, quam provincia Honduras, & nunc etiam Quito profert, tametſi Smilaci aſperæ in Hiſpania natæ ſimilis ſit, temperati tamen cœli occaſione, tum & ipſius ſoli genio, longè efficacior eſt, quàm vel in Hiſpaniis, aut etiam in Africa nata.

*Synon.* Zarza parilla Matth. Lac. Monard. Garc. & Lugd. qui cum Dodonæo Zarzæ parillæ etiam Americæ *C. Bauh.* meminit, ut & C. Bauh. phyt. qui hanc ſuam Salſam parillam 4. malè meo judicio ſeparat ac diverſam ſtatuit, ab America, ejus ſcilicet Salſa parilla quinta. Hunc autem errorem corrigit Bauh. in pin. ubi ambas ſub Smilace aſpera 4. Peruviana, ſive Salſa patilla comprehendit. *Lugd.* Cæterùm apud Lugd. duæ ſunt figuræ, quarum ſecunda, quæ tantùm radicibus conſtat, inverſa eſt culpâ typographicâ. Zarza parilla Peruviana, Dod. Zarza ſeu Salſaparilla, Caſt. Sarza parillà Cæſ. Sarſa parilla, Lon. & Frag. Salſa parilla, Lob. & Tab. cui & Smilax Peruviana, & Ger.

*Smilax aſpera Zacinthi Alpino.* Smilax aſpera Zacynthi inſulæ Alpino q̃ agnovit eſſe verâ Salſam parillam quâ medici utuntur ad ſanandam luem veneream: ante dubius erat: quoniam omnes Smilaces aſperæ quas viderat exiles admodum brevéſque ac capillares radices habebant: ſed in Zacintho inſula longas craſſas, aſportatis Hiſpania radicibus Salſæ parillæ omninò ſimiles obſervavit plantam radicibus ab omni terra delectam impetuosâ torrentis aquâ, quam tranſeuns Græcus, loci *Smilachia.* accola & agricola Smilachiam nuncupavit. Ea nullum præ ſe ferebant ſaporem uti radices Salſæ parillæ. Pharmacopola ejus loci multum lucri ſe feciſſe his radicibus ipſi affirmavit aliò miſſis pro Salſa patilla: quam mercaturam clam faciebat Cayri in Salſæ parillæ faſcibus ex Hiſpania aſportatis vidit portiones radicum nodoſarum vel geniculatarum Aſperæ Smilacis, à quibus procedunt radices, quibus utimur cum foliis & ramulis ſpinoſis. Zacinthi verò Smilacem aſperam ab Italica diverſam oſtendit figuræ foliorum varietas: ſunt enim breviores: radices habent etiam nodos quoſdam qui non reperiuntur in aliis Smilacibus aſperis. Hiſpani Carçæ *Sarſæ parillæ nomen unde.* parillæ nomen indiderunt propter cognationem, quam cum Smilace aſpera habet, quam ij Sarza parillam (quaſi dicas Rubum viticulam) vocant: Parra enim iis Matthiolo interprete, Vitis dicitur, & Parilla viticula, ſive parva Vitis; Zarſa autem, Lacuna teſte, Rubus ſignificatur.

Semper autem Salſa parilla deligitur nigrior, recens, non carioſa, fractu contumax, quæque aſſulatim frangitur, & ponderoſa: nam quæ cariem ſenſit, & dum frangitur pulverulenta eſt, inutilis exiſtimatur.

*Vires.* Vſus Carçæ parillæ Hiſpali ab hinc ſexaginta annis circiter innoteſcere cœpit, quóniam ea Indis pro præſtanti medicamento erat, ad multos varióſque morbos. Longè alia erat ejus utendæ ratio cùm primùm in medicinam recepta eſt, quàm nunc eſt: tum enim Indorum conſuetudo obſervabatur, quam in ſuis morbis curandis uſurpare ſolent, ad quos profligandos maximæ reperiebatur efficaciæ Verùm noſtri ſæculi deliciæ in cauſa fuerunt, ut eodem quo Guayaci aqua modo nunc propinetur. *Carçæ præparandæ apud Indos ratio.* Carçæ-parillæ ſelibra minutim conciſa aqua macerabatur, deinde in mortario diu tundebatur, donec omnino in mucaginē quandam reſolveretur, quam deinde colabant. Hujus liquoris ita expreſſi ſatis capacem cyathum calidum manè hauriebant, deinde ſtragulis ſeſe tegebant, & duarum horarum ſpatio ſudabant. Quòd ſi interdiu ſitis urgeret, idem mucor illis potus erat. Sub noctem, alium ejus calentis cyathum hauriebant, atque tantundem temporis, ut manè ſudabant. Hic ordo triduo integro obſervabatur, ut neque aliud ederent, aut biberent; præter eum lentorem calidum expreſſæ çarçæ-parillæ. Hâc ratione præparatam ego initio plerumque propinavi: multóſque meliùs curavi, quàm nunc ſanantur. *Carcæ præparandæ altera ratio.* Subſecuta eſt alia ejus propinandæ ratio videlicet, duæ unciæ çarçæ parillæ lotæ, confractæ, & minutim conciſæ, in novum fictilę cum ſex aquæ ſextariis injiciuntur & viginti quatuor horarum ſpatio macerantur: obturato fictili, coquuntur lento igne, è prunis incenſo, ad quatuor ſextariorum conſumptionem, eadem ratione ut in Guayaco diximus: refrigerantur, colantur, & fictili vitrato reconduntur. Eadem deinde çarça illo ipſo fictili aqua pleno maceratur, aliquantulum fervet, frigida colatur, & fictili vitrato aſſervatur. *Vtendi modus.* Purgatus, ut decet, æger, & calido cubiculo ſe continens, manè decem uncias prioris çarçæ parillæ aquæ hauriet; ſudabit duas horas; ſudore deterſo, induſium & linteamina mutabit, ut in Guayaci potione dictum eſt. Idem ſub noctem, octo poſt prandium horis (nam ſub undecimam prandebit) faciet: poſt ſudorem uvas paſſas, amygdala, & panem biſcoctum cœnabit, & de ſecunda aqua bibet. Quindecim diebus hunc ordinem obſervabit, niſi imbecillæ fuerint vires, tunc enim conceditur uſus carnium exigui pulli aſſi, ſerſim quantitatem augendo. Lecto ſe continebit ad minimum novem diebus prioribus, reliquis in cubiculo ſedebit, aut deambulabit, frigus & aërem fugiens. Decimoquinto purgabitur leni aliquo medicamento atque etiam trigeſimo die, omnia ea obſervando quæ in Guayaci decocto ſumendo enarravimus. Sed etiam poſt trigeſimum diem bona victus ratione per quadraginta dies utetur, viróque abſtinebit & mulierum congreſſu. Hæc eſt vulgaris æque çarçæ-parillæ ſumendæ ratio, cujus præparandæ modos ſecretiores etiam expertus ſum, quos hîc recenſere non pigebit, ne quid eorum prætermittamus,

tamus, quæ ad çarçam parillam pertinent. quandoquidem medicamentum eſt, cujus uſus & facultates maximè celebrantur. Iam annus eſt ſextus & viceſimus, quòd ſyrupum confeci, non modò in hac urbe, ſed tota Hiſpania laudatiſſimum, ad morbum gallicum, atque alios profligandos: nam neque calfacit, neque in flammat, Guayaci videlicet ſiccitate temperata, & çarçæ parillæ calore mitigato: hoc modo.

*[C]arça ſy-[ru]pus prior*

Carçæ-parillæ unciæ duæ, Guayaci quatuor, ut ſuprà dictum eſt, præparatæ, Zizipha ſex & triginta, pruna paſſa viginti quatuor, utraque oſſiculis repurgata, florum borraginis ſemuncia, violarum tantundem, hordei mundi aliquot grana, in ſex aquæ ſextariis lento igne coquuntur ad quatuor ſextariorum conſumptionem: colantur, & decem hujus decocti unciis, una ſyrupi violati admiſcetur. Calidus mane & veſperi ſorbendus datur, eodem ſervato ordine qui ſupra dictus eſt, ſudorem etiam (ſi provocabitur) detergendo. Conceditur ab initio eſus pulli gallinacei exigui, & reliqui cibi ſuprà enumerati, & bibitur ſimplex aqua çarçæ-parillæ, quæ fit ex ejus ſemuncia in octo aquæ ſextariis cocta, ad duorum vel paulò amplius conſumptionem. Ea ratione curantur, cùm omne genus morbi gallici, tum reliqui, quos aqua Guayaci, Chinæ, aut çarçæ parillæ curari diximus. Fuit hoc ſerapium primò conſcriptum in gratiam Pantaleonis de Negro Genuenſis, qui licèt jam multorũ Medicorũ operâ uſus fuiſſet, atque Guayaci decoctum aliáq; medicamenta ſumpſiſſet, dejectiſſimis tamen erat viribus, ſcirrhóque inſuper in crure, & ſævis doloribus affligtabatur: at ſumpto ſerapio, probè curatus eſt.

*[S]yrup. 2.*

Fit item alius ſyrupus hujuſmodi: çarçæ-parillæ octo unciæ confractæ & conciſæ, in octo aquæ ſextariis ad ſex conſumptionem coquuntur; in binis qui ſupererunt ſextariis, ſaccbari libræ quatuor injiciuntur, fitque ſyrupus, ut moris eſt. Ejus ſyrupi tres unciæ manè, totidem nocte ſumuntur, prandium eſto è cibis boni ſucci, cœna ſobria; potus è ſimplici çarçæ-parillæ aqua. Eo utatur donec aſſumptus ſit, quo tempore ad ſua negotia peragenda egredi nõ vetabitur. Curat hic ſyrupus pleroſque ex morbis ſupra enumeratis, ſine moleſtia.

*[C]arça pul-[v]is.*

Ex ea etiam fit pulvis in hunc modum: Nervo illo interiore ſeu matrice exempto, çarça-parilla exſiccatur, contunditur, & cribratur. Hujus pulveris (purgato priùs corpore) drachmam manè jejunus ſumit, atque ſimplicem prædictam aquam haurit, idem noctu facit dormiturus. Cibus ſit boni ſucci, potus illa aqua ſimplex, vino abſtineat. Vtilis eſt hic pulvis in lue venerea, aliiſq; morbis ab ea oriundis: nec non ſcabiem purulentam & ſanioſam, in manibus & pedibus mirificè ſanat, hac ratione:

*[P]ulveris u-[t]endi ratio.*

Purgatus æger, etiam (ſi neceſſitas urgeat) non purgatus, pulverem modo prædicto ſumet, ſimplicem illam aquam ſumet, & rimis quæ in hoc morbo à ſalſa pituita, corruptóq; humore natæ, pedes & manus occupare ſolent, paululum aquæ ſublimati roſacea ſimpliciore dilutæ plumulâ illinet, deinde emplaſtrum Gulielmi ferventis vulgò appellatum, aut palmeum, panno ſericeo tenuiter inductum omnibus locis quibus illita fuerit ſublimati aqua ſimplicior imponet, ſingulis diebus repetetur, & quindecim dierum ſpatio perfectiſſimè curabitur, nec aliis medicamentis opus erit: abſtergit enim, carnem generat, & ad cicatricem perducit.

*Carça a-qua uſus frequens.*

Hodie tam frequens eſt aquæ çarçæ-parillæ uſus modo prædicto, ut in omni morborum genere ſumatur, ſive in defluxionibus, flatibus, uterique morbis frigidis, ſive aliis quibuſcunque, modò non ſint acuti, aut iis febris acceſſerit: ideóque non minore copia multis locis aſſervatur decoctum ſimplex çarçæ-parillæ, quàm aqua vulgaris.

*Quibus non conveniat hu-ius aquæ u-ſus.*

Certum eſt tamen, his qui calida, hepatis præſertim, intemperie laborant, non convenire: nimium etenim excalfacit: ſed ventriculos frigidos fovet, & flatus mirificè diſcutit. Illud autem animadvertendum eſt, has tres aquas non niſi Autumno, aut Vere propinandas eſſe. Calida eſt & ſicca in ſecundo ferè gradu.

*Carça Guayaquilanæ exhibendæ*

Duplex verò ejus Sarſæparillæ, quæ ex provincia Quito cæpit inferri, exhibendæ ratio apud illos obſervatur.

*Prior ratio.*

Prior, quâ Indi & nunc utuntur, & ab initio uſi ſunt, hæc eſt: çarçę-parillæ radices, quot opus erit, ſumentes, nervo illo interiore repurgant; corticem, ſi ſiccæ ſint radices, macerant, donec molleſcat (virides maceratione non egent) deinde minutim concidunt, & addita aqua contundunt, ut ſuccus extrahi poſſit viſcidus & mucoſus, cujus manè eam quantitatem ſumunt, quam uno hauſtu aut pluribus bibere poſſunt: lectum deinde ingreſſi, plurimum ſudant; poſtea, mutatis linteis, pullum edunt, & corticis illius ſuccum hauriunt, in prandio, in cœna (quæ levis erit) atque interdiu: deligendus eſt tamen locus ab aëre & frigore liber. Hac ratione, & uſu conſervarum, neceſſariorúmque aliquot fructuum ſiccatorum per niſſo, octo aut novem dierum ſpatio, omnibus morbis liberantur, quos çarça-parilla curare ſolet: validum autem & robuſtis viribus eum eſſe oportet, qui hàc curatione utetur.

*Carça exhibendæ ratio altera.*

Altera conveniet iis qui imbecilliores ſunt, nec ſuperiorem, ſine manifeſto vitæ diſcrimine, ferre poſſent, çarçæ-parillæ nervo ſuo liberatæ, &, ut ſuperiùs, maceratæ, ſi ſicca ſit, deindè contuſæ, quatuor unciæ, pluréſve aut pauciores (nam hîc nullus ponderis aut menſuræ uſus) in octo aquæ ſextariis ad dimidias decoquuntur, ex ea aqua quantum poſſunt ſemel aut pluries bibunt; in lectulo deinde ſe componunt, ad ſudorem provocandum, qui tametſi adeò vehemens non ſit, ut ſuperior, copioſus tamen eſt: mutatâ veſte pullum edunt, & eadem aqua (nam uno die coctura abſumitur) cùm in prandio, tum in cœna, illis potus eſt: ab aëre & frigore ſibi cavent: repetitum per quindecim aut viginti dies hoc medicamentum, omnes morbos ſanat, non ſine magna omnium admiratione, præter febrem, aut morbos acutos, in quibus çarçæ decoctum exhiberi non ſolet.

*In quibus morbis non exhibenda.*

Iſtic neque initio diætę, neque in mediâ, neque ſub finem ſeſe purgant, uti nos facimus (nam & medici & medicamenta compoſita illis deſunt) ſed muliercularum duntaxat operâ utuntur, quæ illis hujus decoctum pro arbitrio exhibent. Illud verò obſervatione dignum in hac curatione, quòd ſolus radicis cortex, nervo exempto, in uſu eſt (efficax enim ille nervus inutilis, imò operationem, niſi eximatur, impediens.) Ideóque nunc eorum exemplum ſecutus, ſolo cortice in hunc modum uti ſoleo.

*Carçæ præparandæ ratio optima.*

Quatuor corticis çarçæ-parillæ lotæ uncias in octo aquæ ſextariis viginti quatuor horarum ſpatio macero, deinde ad dimidias decoquo: quòd ſi calorem in ęgro metuo, hordei mundati dimidiam unciam inter decoquendum adjicio, & in magno calore, vulgaris aquæ loco, cichorei ſtillatitium liquorem cum hordeo ſubſtituo. Hæc aqua temperatiſſima eſt, & admirandos ejus effectus in multis expertus ſum.

*Quanta poteſt quantitate bibenda.*

Obſervandum item eſt, ut quanta poſſit quantitate æger hanc aquam, uti retulimus, bibat, ſive uno hauſtu, ſive pluribus, quia magnam quantitatem bibendo plus ſudabit, & citiùs certiúſque ſanabitur. Itaque hanc novam ſumendæ çarçæ-parillæ rationem maximè utilem fore puto, faciliúſque & breviore tempore curandos ægros.

*Catapotia ex çarça.*

Aliam addit Fragoſus ejus præparandæ rationem, quæ eſt: çarçæ-parillæ libra una bis lota, benè contuſa, & minutim conciſa, in decem & ſex aquæ ſextariis toto triduò maceratur, deinde lento igne coquitur uſque ad integram ferè conſumptionem, h.e. ut acetabulum ſeu ſcutella ejus decocti ſolùm remaneat: çarça ſtatim exēpta prælo imponitur, ſuccúſq; expri-

ca... incoquitur ad uncias duas aut eo amplius, etiam ſi ex eo quod ſuperfuit decocto quantitas augeri debeat. Lento igni imponitur: ubi fervere cœperit, pulveris aloës optimæ ℥.ij. myrrhæ ſelectæ, Nucis pōticæ magnitudine; Croci momentū (ſunt qui Ligni aloës puſillum addant capitis roborandi cauſa) injiciuntur & continuè agitantur, donec a myli craſſitiem contrahant: ex ea maſſa catapotia formantur. *Exhibendi ratio.* Ex his duo ſingulis decem prioribus diebus devoranda dantur, & ſingula reliquis viginti, ſub horam undecimam noctu. Si verò inveteratus ſit morbus, & æger validus, tria ſingulis decem prioribus diebus, bina ſubſequentibus decem, ſingula reliquis ſumi poterunt. Dimidia gallina elixa in aqua (cui ſalis & croci momentum, & aliquot ciceris grana injecta ſint) meridie datur edenda, reliqua pars in cœna. Potus erit aqua çarçæ ſimplex: ſurgant hora decima, cubitum eant ante ſolis occaſum. Iſtis catapotiis graviſſimos dolores, & brachiorum crurúmque paralyſes curari experientia ſe conſecutum ſcribit. Zarza *Sarſæ ſucc.* parilla (atteſtante Benz.) Venereæ contagioni & aliis morbis medetur. Eà nempe duabus ſilicibus tritâ expreſſus & percolatus ſuccus admiſto aquæ calidæ modico egrotis bibendus porrigitur. Ii mox hauſtâ ejus potionis, quantum natura patitur, menſurâ, loco calido compoſiti, quoad tollerare poſſunt exſudant. Eo medicamento tres aut quatuor dies, ut viſum eſt, utuntur: biſcocto tantùm interea pane & *Herbæ ramuſculi.* pulli gallinacei aſſi paululo veſcentes. Alij ejus herbæ ramuſculos duntaxat aqua incoquentes, jus eliciunt quod interdiu bibunt: & eo ſorbitionis genere nonnulli duos tréſve continuos menſes utuntur. Radicum decoctum exſiccat, ſi Lobelio credendum: ſudores & urinas cit: cutem evacuat, & quæ *Subſtituta.* cutem ſubierunt, educit. Pro Salſa pariglia ut & Ligno ſancto ſe feliciter uſum eſſe, Roſmarino, Sabinâ, Smilace ſpinosâ, Iunipero & ſimilibus, autor eſt Bovius.

---

## CHINÆ RADIX. Cap. XII.



*Deſcr.* MAgnæ craſſę́q; ſunt radices, apophyſibus tuberoſis inęquales lentis fibrarū fragmentis hinc inde apparentibus, ſatis ponderoſæ, modò effœtæ non ſint, colore foris ex fuſco rubēte, intus ex modica rubedine albeſcente, ſubſtantia mediocriter compacta, nullis fibrarum pectinúmve vel veſtigiis apparentibus, quo modo ferè videmus Iuglandium fungos compactiores, ſapore nullo manifeſto, unde *Apios.* ἄποιος nomen apud nuperos meruit.

Figura noſtra eſt ex ipſa radice, cui etiam partem addidimus ex Lobelio, ut & folium ſpinoſo pediculo ex append. Lugd. cujus figura, ut ait, ex recentiſſima China expreſſa eſt, quę demonſtrat eam ſub terra ſerpere, ac variis ex locis teretes ac lignoſos proceſſus emittere, quibus nova radicum aliarum ſoboles adnaſcitur & incrementum capeſſit, multis & tenuibus aliquando fibris capillata, quibus nutrimentum attrahit.

Eſt autem duplex China ab autoribus deſcripta; alia ex India occidentali, Hiſpania nimirum nova & Peru, quæ colore intus magis ruffo eſt; alia ex Indiæ orientalis regione Sinarum allata. Orientalem ſic deſcribit Garcias: Trium aut quatuor palmorum *Deſcr plantæ Garc.* altitudine aſſurgit cauliculis tenuibus, quos rara folia cingunt, Mali Aſſyrij junioris ſimilitudine: radix palmi longitudine, interdum craſſa, nonnunquam tenuis, quæ recens eruta ad nodum tenella eſt, & cruda aut elixa mandi poteſt: arbores Hederæ modo ſcandit. Linſchot. Ind. or. par. 4. c. 37. Chinæ radix fruticis more excreſcit, foliis paucis, Aurantiorum forma. Acoſtæ Orientalis China planta eſt multis *Deſcr Acoſtæ.* tenuibus ſpinoſiſque ſarmentis prædita, Smilaci aſperæ non abſimilibus, quorum maxima minimum manûs digitum craſſitie non ſuperant, foliis Plantaginis latifoliæ magnitudine: radices pugnum nonnunquam æquant, interdum minores ſunt, ſolidæ, graves, candidæ, interdum etiam rubeſcentes, & multæ ſæpenumero ſimul cohærentes. Eſt occiden- *Occidentalis.* talis China Monardi Arundinis majoris radici ſimilis, nodoſa, intus alba, interdum rubeſcens, foris rubra. Saxoniæ radix eſt Arundinis latifoliæ, quam virentem ſe vidiſſe refert Venetiis in horto Petri Boſelli, ideóque deceptum ait Acoſtam, ut qui arbitratus ſit plantam eſſe arboribus adhærentem, ut Hederam. Amatus quoque inter Arundines recenſuit: at Cæſalpino, China orientalis potiùs ex genere Iridis, quàm Calami videtur. Cæterum cùm China ſuis ſarmentis Smilaci aſperæ abſimilis non ſit & ſuis cauliculis Hederæ modo arbores ſcandat, meritò in ſcandentium claſſem refertur.

Conſiderandum quinam ſint ij apud Auger. Ferr. *Apium non eſt.* qui Chinam & Apion, res & delineatione & facultatibus apertè diverſas confuderint. Miror, inquit prædictus autor, doctos aliquot viros ex ſola Chinæ figura turbinata Apion judicaſſe, quaſi nihil ſit, quod Pyrum referat præter Apion. Ego hac in par- *Author refutatur.* te Augerio non ſubſcripſerim: meo enim judicio non propter formam aut quòd Veterum apion exiſtimarint, Apion vocarunt; ſed ex eo quòd China inſipida ſit.

Lob. Adv. ſub Acoro aquarico, Schinæ (ita enim *Schina.* vocat) obiter meminit, appellátque Schinam Americi orbis. Titulo autem de Apio vera Chinam ſive officinarum Apium & ἄποιον (propter nullam fermè *Apium officinar.* guſtûs perceptibilem qualitatem, ſic enim ſonat ἄποιον Græcis) & non ἄπιον cognominat, & Occiduæ Floridæ Pyriformam. Eid. hiſt. belg. videtur ſpecies *Acorus.* Acori, Arundinis aut Cyperi.

Monardi, Iouh. Lac. Lob. ic. Caſt. Matth. (huic & Cina) & Tab. China, cui & Schina, Bockenwurtz. Chinna ſive Cinna, Cæſ. China radix, Frag. Garc. Acoſt. & Lugd. qui in app. alteram figuram dat ſub titulo, Radicis Chinæ Acoſtæ. Chinea radix, Cord. hiſt. China 1. C.B. Dicitur China & Chinæa radix, à China Indiæ regione, in qua copioſè naſcitur: Vocatur hoc excellens medicamentum apud Acoſtam in Chinarum regione *Lampatam*, *Lampatan* vel *Lampatun*, in Decan *Lampaos*, in Canarin *Bonti*, ab Arabibus, Perſis & Turcis *Chophchina*.

Radix China primò innoteſcere cœpit poſt an- *Locus.* num 1535. adferentibus Chinenſibus, qui ſunt Aſiatici Scithæ, Goam Indiæ ubi unicam duntaxat plantam perpuſillam vidit Garcias. Iuxta arbores ſerendam eſſe perhibent, quoniam Hederæ modo eas ſcandat & amplectatur: naſcitur in Chinarum regione vaſtiſſima, quæ Moſcoviam uſque extendi creditur: invenitur tamen etiam in Malabar, Cochin, Cranganor, Tanor & aliis locis. Monardes autor eſt etiam ex Occidentali India Chinam deferri, vulgò autem in Sina Orientalis Indiæ provincia, Scythiæ atque Sericaniæ finitima, maritimis locis naſci,

naſci, Arundinis, aut Vlvæ modo. Optimam eſſe recentem, ſapore inſipidam, pinguem, ponderoſam, ſolidam, quæ neque teredinem, neque cariem ſenſerit. Mercatores autem foramina à teredinum eroſione, aut carie facta obturant bolo Armeniâ aquâ dilutâ, velut cœmento quodam, obducúntque extrinſecus pari fraude totam radicis molem, quę fraus & nativum illius colorem ementitur & ei pondus addit. Melior candida quàm rubeſcens, Garciæ. Linſcotano tamen quo nigrior radix, eò melior.

Lobel. quoniam omnis ſaporis expers eſt China, gratiſſima eſt faciendo cõtra luem veneream decocto, ℞. rad. Chinę in orbiculos conciſę ℥.ij. aq. fontanæ ſex aut ſeptem libras. macerentur ſimul diem & noctem in fictili novo; poſtea lento igne coquantur, fictili benè operculato, aut in balneo mariæ. ut fit decoctum Salſæ, aut Guayaci, quoad ſatis videbitur. Hujus decocti bibat quotidie bis, quantum ægroto & Medico ſatis eſſe videbitur. Prodeſt hoc decoctum non tantùm in lue venerea, verùm etiam omnibus morbis ſudores poſtulãtibus. Tametſi porrò non deſint ex recentioribus, qui Chinæ radicem acriter, ſed immeritò damnent, tamen non ſine cauſa magnis effertur à Garcia laudibus, quoniam vel lue venereâ infecti ut curentur, extremâ illâ victûs ratione non egeant, qualis non citra moleſtiam in Guajaci uſu obſervanda, ſed tantùm abſtinendum illis ſit à bubulis & ſuillis carnibus, piſce & crudis fructibus. In magnis autem doloribus & inveteratis hujus radicis uncia in ſeptem aquæ ſextariis coquitur, ad dimidij uſque humoris conſumptionem. Servatur id decoctum uſui, vaſe aliquo vitreo, aut figulino vitrato. Spuma verò inter bulliendum colligitur, & utiliter ulceribus tumoribúſq; imponitur. Salutaris eſt etiam denſus ille vapor inter coquendum exhalans ipſis doloribus. Interdum calido decocto tumores fovemus: nonnunquam lineos pannos decocto madidos ulceribus imponimus, eáque mundamus. Solent Sinenſes majori quãtitate in ſua regione aſſumere, quòd frigida admodum ſit. Quos cum ſciaticâ laborãs imitari vellẽ, ait Garcias, radicis duas uncias, additâ interdum ſemiſſe in præcedenti aquæ quantitate decoquens, & calidè hauriens, provocandi ſudoris cauſa, ob nimium medicamenti calorem, in tantos hepatis ardores incidi, ut univerſum corpus eryſipelate & phlegmone laborare cœperit. Itaque meo periculo facti ſapientiores reliqui, calido decocti potu, & tantâ radicis copiâ in poſterum uti deſierunt. Quare hujus unciam in ſeptem aquæ ſextariis decoquimus ad medias, aut ad tertiam partem, pro morbi & ægri natura, ſubinde ea medicamenta injicientes, quę hujus radicis facultates corrigant. Eg. Si dolor capitis, aut nervorum adſit, rorẽ marinum, aut roſas injicio: ſi obſtructionibus hepar laboret, apium: ſi ardor adſit cũ obſtructione, intubum: ſi ulcus veſicæ aut renum infeſtet, addo glycyrrhizæ ſuccum: interdum radici admiſceo æquale pondus hordei. Soleo autem hujus radicis decoctum ſumpturos, priùs ſyrupis convenientibus purgare, & nonnunquam ſyrupos Chinæ decoctò diluere. Bene autem pùrgato corpore, radicis decoctum propinare incipio; poſt 15. diem, minorativo, ſi opus ſit, exhibito: item alio interdum poſt 30. diem. Toto hoc tẽpore, naturâ, vel arte alvus libera ſit. Quòd ſi nimium incaleſcat æger, radicem minùs decoquo, aut decocto aquam intybi, vel fumiterræ, aut bugloſſi injicio. Quòd ſi nec hoc ſufficit, decoctum ſubtraho, curationémque in aliud tempus magis opportunum differo. In ſingulas verò curas, radicis uſus eſſe ſolet ad ℥xxx. unciis totidem dierum numero, quibus cura perficitur, reſpondentibus. Rarò calidum decoctum exhibeo, niſi in vehementibus & inveteratis doloribus, quando ſudoribus materiam evacuari oportet, bis in die manè ſc. & veſperi. Efficacior eſt hæc radix in inveteratis, ubi videlicet magni tumores, & ulcera maligna adſunt, q̃ in recẽtibus morbis. Quidam in Balagate calido radicis decocto, ejuſdem radicis tritæ ʒ.j. ß. injiciunt, quotieſcunque mane & veſperi ſumunt. Sunt qui manè laminam conſervæ ex hujus radicis pulvere & melle (ſive ſaccharo, ſi magnus adſit calor) paratæ edant, deinde radicis decoctum bibant. Augetur autem, aut minuitur pulveris quantitas in hac cõſerva, & quandoque corrigitur, pro Medici arbitrio. Radice adhuc tenerâ Sinenſes cum carne elixa veſcũtur. Vtile demum etiam eſt hujus radicis decoctũ pręter eos morbos, qui cũ contagio luis venereæ commune quid habent, ad paralyſes, tremores, articulorum dolores, ſciaticam, podagram, tumores ſchirrodes & œdematodes; tum etiam ſtrumas extirpat. Succurrit vẽtriculi imbecillitati, inveterato capitis dolori, calculo & veſicę ulceribus. Intelligo illos qui hoc decocto utuntur, mulierũ conſpectu vehemẽter ad libidinẽ accendi. Quare conſultum videtur, ut per curæ tempus nullæ ad ægros mulieres admittãtur. Et hæc Garcias. Hęc radix adeò innoxia apud Acoſtam cenſetur ut eã ſumentibus, tametſi nullam victûs rationẽ obſervẽt, ſed liberè carnibus & piſcibus veſcantur, nihil incõmodi adferre credatur. Vulgaris in Sinarũ & Indiæ provinciis ſumẽdi hujus decocti conſuetudo eſt, ut radicis ℥.j. additis radicũ apij ʒ.ij. decoquatur lento igne, ſine fumo, in aquæ ℔.xvj. ad ℔.vj conſumptionẽ reliquas x. in fictili vitreato adſervãt, ſumúntq; ægri ſingulis diebus recentis decocti (nã facilè corrũpitur, nec ultra diẽ adſervatur) tepidi manè plenum hauſtũ, duabusque horis in lecto remanent, poſtea ſurgunt; duabus autem horis ante cœnam totidẽ hauriunt, interdiu de eodẽ frigido bibentes. Plerique tamẽ etiam dum ſua negotia exercent & navigant, ſingulis diebus manè & veſperi duas ejus radicis in pulverẽ redactæ drachmas ex vino, aut ipſius radicis decocto felici ſucceſſu bibere ſolent. Aò iis magna quantitas radicis abſumitur, qũi Garciæ plurimũ fidunt, non modò in curandis morbis ab eo enumeratis, ſed etiã in hemicrania, in herniis humoralibus & ventoſis, in colli veſicæ & penis callis, eorumq; ulceribus: venerẽ etiam admodũ excitare creditur. Ex hac etiam radice recenti aqua ſtillatitia elicitur, delicatioribus admodũ familiaris: decoctũ ipsâ aquâ præſtantius eſt. Optimè cõſervatur radix, ſi pipere confracto involvatur. Hactenus Acoſta. Solius radicis eſt uſus apud Indos, inquit Monardes: propinatur ejus aqua in diuturnis & acutis morbis, febribus præſertim; etenim ſudores provocat, cujus rei gratia multi ſanãtur. Luſitani eam prædicant adverſus omnis generis morbos, ſed maximè luem veneream. Ejus autem parandæ hæc eſt ratio. Radicis Chinæ minutim conciſæ uncia fictili novo imponitur, huic adfunduntur aquæ ſex ſextarij, maceratur quatuor & viginti horarum ſpatio: fictili obturato, coquitur lento igne ex prunis incenſis ad dimidias, quod eâ ratione deprehendetur quam in Guayaco edocui; frigeſcit, colatur, atque in fictili novo aſſervatur loco aprico, aut juxta ignem, ut diutiùs maneat incorrupta. Purgato, ut decet, corpore, collocatus æger loco aprico & conveniente jejunus dictæ aquæ calidæ decem uncias hauriet; duas horas aut paulò diutiùs ſudabit: ſudore deinde abſterſo, induſium & linteamina mundis & calefactis mutahit: deinde in lectulo duas aut tres horas perdurabit; poſtea veſtitus, calidè ſe in cubiculo continebit, quò neque aër, neque frigus permeabit, genio indulgens, & lepidis colloquiis ſe oblectans. Circiter undecimam horam dimidium pullum coctum, aut gallinæ quartam partem cum pauco ſale edet, initio prandij

*Alia hâc radice utendi rationes.*

*Conſerva.*

*Radix in cibis.*

*In Indiis ſumendi conſuetudo.*

*Radicis pulvis.*

*Aq. ſtillatitia.*

*Præparanda Chinæ ratio.*

*Aquæ Chinæ ſumendæ ratio.*

cyatho juſculi epoto: pro bellariis carnes cotoneorum adponentur: potus erit ſimilis aqua, quam jejunus ſumpſit, quia decocti tantummodo unum genus eſt. A ſumpto juſculo, uvas acinis emundatas, aut pruna paſſa ſine oſſiculis, & panis benè cocti cruſta, biſcoctúmve initio prandij edere poterit. Si interdiu bibere volet eadem aqua cum conſerva aliqua propinetur. Octo poſt prandium horis lectum denuò ingrediatur, alias decem aquæ uncias quam calidè poterit, bibat, duas horas ſudet; ſudore deterſo, induſium & lintea calefacta mutet, poſt horam cœnet conſervam aliquam, aut uvas paſſas, aut amygdala, & aliquantulum biſcocti; de eadem aqua bibat, poſtremò cotoneorum carne veſcatur, potu deinde abſtineat. Hæc victus ratio triginta continuis diebus obſervāda, nullâ aliâ purgatione adhibitâ, ſed per cubiculum calidum obambulans, & ſeſe oblectans, ab omnibus abſtineat quæ illum offendere poſſunt. Purgatione abſolutâ, bona victûs ratio ſervanda eſt quadraginta continuis diebus, vinóq; abſtinendum & mulieribus: potus erit è Chinæ ſuperioris jam decoctæ, deinde in umbra reſiccatæ, uncia una, in ſex aquæ ſextariis denuò bullita ad dimidias. Illud verò diligenter curandum, ut Chinæ radix per quatuor & viginti horas ſemper maceretur ante decoctionem, ſive illa fiat in triginta, ſive quadraginta dierum potiùs uſum. Ad varij generis morbos utilis eſt hæc aqua, luem veneream cujuſcunque generis, vulnera & ulcera antiqua, tumores ſchirroſos diſcutiens, articulorum dolorem ſolvens, & qualemcunque podagram, ſed coxendices præſertim curans. Inveteratos capitis dolores mitigat, & ſtomachi: defluxiones omnes & rheumatiſmos ſiſtit, bonum colorem conciliat, icterum ſolvit, & omnem hepatis intemperiem emendat, ad quam valdè celebratur. Paralyſin & omnes nervorum morbos ſanat, atque veſicæ enterocelis utilis, quia humorem, unde generantur, abſumit: frigidis omnibus morbis & melancholicis convenit, ventriculum roborat, & omnes flatus diſcutit. Febribus diuturnis, quotidianis, & erraticis prodeſt, ſudoris inſigni provocatione, quā etiam in peſtilentibus febribus utilem quidam arbitrantur. Sicca eſt in ſecundo gradu cum exiguo calore, idque deprehendere licet ex eo, quòd aqua, cùm Guayaci, tum Sarçæ-parillæ calefacit, & ſitim excitat, hæc neque ſitim ciet, neque caloris alicujus indicium relinquit. Ad pituitam conſumendam & ad juncturas, cerebrum & ventriculum roborandum decoctum radicis Cynæ ſæpè maximo cum ægrotantium juvamento à ſe fuiſſe comprobatum ſcribit Franc. Indiæ de Gutta. Sed in Chinæ præparatione & uſu quatuor caſtigatione digna tradit Augerius, quæ quis datâ operâ ex ejus libris repetere poterit. China radix ut annotat Saxonia, accepit ſummam authoritatem à Carolo V. Imp. qui ſummo cum fructu primus ferè omnium radicem accepit & à morbo venereo antiquíſque doloribus eſt liberatus. Certum eſt Chinam ritè adminiſtratam luem veneream ſuperare, cutem mundare, dolores profligare, macies reparare: eſt in activis qualitatibus temperatiſſima. deſiccat quidem excrementitios humores, alimentales autem vel reficit, vel ſaltèm conſervat: Ideò humiditatem habet oleoſam atque firmiter ſubſtantiæ hærentem, ut hâc ratione & diuturnam & multoties repetitam patiatur coctionem: ſi minimè carioſa fuerit, neq; admodum gracilis & ſicca, ſed mediocriter gravis, colore inter album & ruffum medio. ℞. Rad. Chinarum inciſæ in tabellas, unciam: infundatur in aqua ℔. vj. deinde bulliant in vaſe oris anguſti benè tecto uſque ad conſumptionem medietatis: præcipit Veſalius in ſua epiſtola de China ut decoctum hoc calidum conſervetur, vel ſingulis diebus recens fiat, alioquin ait acidum fieri: ſed experientià docetur oppoſitum, nec ſervatum 4. dies acceſſit: ex reſiduo fit aqua ſecunda factâ decoctione in lib. 12. uſque ad conſumptionem tertiæ partis. Iterum verò quod reſiduum eſt coquitur in totidem aquæ libris ad eandem conſumptionem. De radicis Chinæ uſu Veſalius integrum librum ſcripſit.

*Chinæ facultates.* *Chinæ temperam.* *Pituita in juncturis.* *Chinæ præparatio.* *Vires.* *Temperamentum.*

## CHINA SPVRIA PYRIFORMIS ſive turbinata.



CHinæ nomine nobis ante annos plus minus 28. datum radicis cujuſdam fragmentum, quod necdum ad eum uſque annum teredinē aut cariem ſenſit, quod haud ſcio qua in re à China officinarum differat; conſiſtentiâ eâdem, coloreque, ſapore itidem nullo: fibroſis nervis mediū trāſeuntibus, quemadmodum figura ex Lobelio exhibet, alioqui in reliqua ſubſtantia nullum nervulorum fibrarúmve apparet veſtigium; tātummodo cortex, quo obtegitur, rugoſus eſt, zoníſque præcinctus, uti ex icone apparet. apophyſes in hac radice veluti & in China apparent. Quoniam verò proximè accedit ad Chinam ſpuriam pyriformem Lobelij, utramq; conjunximus. Lob. ſuam in hunc modum deſcribit: Majuſculæ ſunt radices, & Pyri formâ tuberculis prægrandibus, Apium ab effigie turbinata mentientes; colore verò & concretione Chinā, pro qua ex India miſſæ ſed falſæ: adſtringunt enim potiùs ſubſtantiâ fibroſâ & denſâ, colore & micis Rhabarbari æmulis, ſine odore: foris color ruffus. Quidam in India verſati affirmāt, nec Arundinis, nec Acori, nec Cyperi radicem eſſe, qualis eſſe poteſt China dicta, ſed cujuſdā magnæ arboris. Notandū autē ad ſudores potiùs ſiſtendos, quā provocādos facere: id quod ita eſſe cōperiet, qui experiri volet.

Noſtra Icon eſt ex ipſa radice quam habemus, & China ſpuria pyriformi ſive turbinata Lobelij. In adv. c. de Acoro Aquitanico, h.e. de China ſpuria Acori effigie, vocat radices prægrandes, turbinatas, Americi orbis Schinam ementientes; Item c. de Apio, Occiduæ floridæ Pyriformem. B. pin. Chinam 2. ſpuriam pyriformem.

*Deſcr.* *China ſpuria Lob.* *Vires.* *Icon.*

## PSEVDO-CHINA RADIX CLVSII.

FAcilè nobis perſuademus jam dictam eandem eſſe cū Pſeudo-Chinæ radice Cluſij Exot. quam Londino ad ipſum pro Chinæ ſpecie mittebat anno à Chriſti nativitate 1591. Iac. Garetus, è VVingandecaovv ſive Virginea relatam.

Valdè autem nodoſa erat hæc radix, & in aliquot tubera formata, ſubrutilo colore, ſarmenti aliquam partem ſummo faſtigio adhuc retinens, quale in Smilace aſperâ conſpicitur, duri, lignoſi, multis venis, ut Smilacis ſarmenta præditi: ipſius radicis ſubſtantia etiam ſubrutila, ut in Butomi (vulgo Pſeudo-acorus nuncupati, & noſtrâ adhuc ætate à nonnullis magno errore pro legitimo Acoro uſurpati) radice, falſi initio ſaporis ſive guſtûs, quùm videlicet vetuſta, deinde deſiccantis.

*Pſeudo-China* *Chinæ ſpecies.* *Deſcr.*

Illam



Illam porrò eſſe arbitratur Cluſius, quam Virginienſis hiſtoriæ ſcriptor, capite de radicibus, in Angliam delatam eſſe tradit pro radice Chinæ, tametſi indigenæ illius uſum non norint: ſed aliâ radice utantur valdè ſimili, quam ipſi Tſinaw appellant, è qua conciſa contritaque, & cum aqua expreſſa, ad ſuccum eliciendum, panem conficiunt.

*...ina pyri-...mis.* B.phyr.China 3. ſive pyriformis; Pin. China 3. nodoſa. Pſeudochina radix ex Virginia, Cluſ. exot.

## CHINA SPVRIA ACORI effigie Lobelij.



*...eſcri.* POſtquam avari mercatores lucri ſtudioſi animad. vertiſſent facilè & magno divēdi Chinæ radicem; alias duas radices ex Guinea importarunt, Chinæ prædictæ extrinſecùs ſimiles, quas ut faciliùs vænirent, Chinæ nomine ambas donarūt. Innotuerunt hæ primùm Tholoſæ, dicebantúrque à locis vicinis erutæ; has pharmacopolę Tholoſates pro China vænum expoſuerunt, quòd Chinæ non abſimiles viderentur, itidémque ſapore omni carerent. *...adix.* Radix craſſior eſt & denſior, quàm Chinæ aut Galangæ majoris, colore dilutiore, immenſæ duritiei, fractu contumax, lignoſior quàm Chinæ, admodum longa, rugoſa, tuberculis geniculatis nodoſa, foris flava, intùs alba, ſubſtantiâ radicis Arundinis. *...ocus.* Eadem allata eſt è Guinæa Antuerpiam & *...hina.* Londinum, prôque China vendita, quæ res Medi- *...rror multorum.* cos in falſam conjecit opinionem, ratos inventam in Gallia Chinæ radicem ad luem veneream profligandam. Verùm ſapor docuit & effectus, Acori aut Arundinis radicem eſſe, non autem Chinæ: Adſtringit enim vehementer, éſtque tota craſſæ inertíſque facultatis, nihil levitatis emplaſticæ habens, uti China, & flaveſcit. An conferat contra luem veneream, norunt qui fruſtra uſi ſunt ſæpè; tametſi ad ulcera mala & ſtrumas non deſint illi ſuæ dotes. An autem juxta Tholoſam naſcatur, oblitus ſum obſervare, cùm ibi agerem. Hæc Lobelius: Nos etiam habemus radicem pro China ſpuria datam quæ an eadem ſit aſſerere non poſſumus. *...eſcr. China ſpuria ...uthorum.* Radix eſt palmari longitudine, craſſitudine pollicari, recurva, tuberculis hinc inde exſtantibus & acutioribus turbinatis oculis inæqualis, colore foris nigricante partim cinereo prædita, parùm ponderoſa, dura, compactior quàm radix Chinæ, fibris oblongis rectíſque fractu contumacibus contexta, coloris intus aliquatenus ad rubedinem vergentis, ſaporem nullum linguæ offerens.

Lob. Adv. Acorus aquitanicus: item, Acorus Tholoſas: Eid. ic. China ſpuria Acori effigie. C.B.phyt. China 2. ſive Acori effigie: Eid. pin. Acorus 3. adulterinus Aquitanicus.

## VITIS SYLVESTRIS, ET Athragene veteribus.

### CAP. XIII.

PAucis ſanè & obſcuris verbis hanc l.5.c.10. hiſt. ſuæ ita deſcripſit Theophraſtus. Igniarium verò aiunt optimum quidem ex Athragene [ἐκ τῆς ἀθραγένης, *Gaza Athragena*] vocata à quibuſdam. *Athragene multorum.* Hæc verò eſt arbor ſimilis Viti [τῇ ἀμπέλῳ] & Oenanthe [τῇ οἰνάνθῃ, *Gaza Labruſcæ*] ſilveſtri. Sicuti illa, & hæc aſcendit arbores. Oportet autem focum ex his facere, terebrum verò ex Lauro [ἐκ δάφνης.] Non enim ex eodem agens & patiens. Sed aliud eſſe oportet ſecundùm naturam. Et hoc quidem oportet paſſivum eſſe, illud verò activum. Vitis autem ſilveſtris [*ſc. radix. pergit l.9.c.14.*] annua eſt, ſi in umbra fuerit, & illęſa: ſin verò non, putris & fungoſa fit. Theodorus non videtur agnoviſſe quæ ſequuntur. *Gaza error.* φασὶ δὲ μόνον μάλιστα ὑπερινὸν [*ὑπὲρ ἴνων male Scal. qui veterem ſequitur*] ἄνω ποιεῖν τῶν φαρμάκων. Hæc igitur verba omiſit Gaza, uti conſuevit, quoties ejuſmodi ſcopulos animadvertit: quamvis hîc adeò difficilis non fuerit, quem vel inferior Gazà, viro tanto, non facilè ſuperet. Senſus quidem verborum eorum eſt. Perhibent *Theoph. reſtituitur.* ſolùm hoc ex omnibus medicamentis nimioperè purgationem efficere per ſuperna: aut (uti Corn.) maximè nimiam purgationē ſurſum facere. Eſt enim ὑπέρινος, ὁ ὑπὲρ κεκαθαρμένος ἄνθρωπος ut Gal. exponit in gloſſis Hippocratis. Medici actum ipſum violentæ purgationis ὑπερκάθαρσιν & ſuperpurgationem non ineptè vocant. Capite autem 22. ejuſdem libri ait. Calida & acris eſt Vitis ſilveſtris [ἀμπέλου τῆς ἀγρίας] radix. Quare etiam ad pſilothrum [*ad depilandum*] commoda eſt & maculas ſolares tollit: *Vſus.* fructu verò ejus depilant coria [*pro δέρματα legit ac vertit interpres δένδρα, defoliare arbores fructum eius ſolere interpretans. Corn.*] *Corrig. Theophr.* Cæditur autem quovis tempore, Autumno maximè.

De eadem Vite Plinius in diverſis locis ſcribit. Et quidem l.23.c.1. ait: Labruſca quoque Oenanthen fert, ſatis dictam quæ à Græcis Ampelos agria appellatur, *Ampelos agria.* ſpiſſis & candicantibus foliis, geniculata, rimoſo cortice: fert uvas rubentes cocci modo, quæ cutem in facie mulierum purgant, & variis coxendicum & lumborum vitiis tuſæ cum foliis & ſucco *Vſus.* proſunt. Radix decocta in aqua, pota in vini Coi cyathis duobus humorem alvi ciet [*aquoſa purgat Diſcor.*] ideò hydropicis datur. Hanc potiùs crediderim eſſe, quam vulgus Vvam taminiam vocat. *Vva taminia* Vtuntur eâ pro amuleto: & ad expuitionem ſanguinis. [*Cùm is craſſus & viſcida pituita permixtus faucibus adhæret. & ſtrangulationis pericula adfert, Dalec.*] *Plin. dilucidatur.* quoque adhibent, non ultra gargarizationes, [*& ulcera ad garg Dal.*] & ne quid devoretur, addito ſale, Thymo, aceto mulſo. Ideò & purgationibus ancipitem putant. Cæterum Plinius his verbis (*Labruſca quoque Oenanthen fert ſatis dictam, quæ à Græcis ἄμπελος ἀγρία appellatur*) Labruſcam quæ etiam ἄμπελος ἀγρία vocatur, cum Vite ſylveſtri confundit, niſi ita contextum diſtinguamus. *Plin. chaos.* Labruſca quoque Oenan-

then fert, ſatis dictam, quæ à Græcis ἄμπελος ἀγρία nominatur &c. Vt verba hæc, quæ à Græcis ἄμπελος ἀγρία vocatur, & cætera, ad præcedentia [*Labruſca quoque Oenanthen fert ſatis dictam*] non referantur, ſicuti revera referri non debent, ſed ea velut à novo principio legamus, ut de duabus ſtirpibus Plinium hîc loqui accipiamus; priore Labruſcâ, alterâ Vite ſylveſtri, quæ etiam ἄμπελος ἀγρία nominatur. *Lectio Plinij reſtituitur.* Legendum eſt (inquit Hermol.) non ita ut Labruſca Oenanthen ferens, Ampelos agria vocetur, ſed ita ut duo genera intelligantur, & verba illa, *Quæ à græcis ἄμπελος ἀγρία appellatur*, initium ſint novæ periodi. Id & Dioſcoridis, & ipſius Plinij teſtimonio probatur. Plinij dicentis lib.16.c.40. Probatur & Vitis ſylveſtris [*Athragenam ſignificat memoratam Theophraſti. Dal.*] alia quàm Labruſca, & ipſa Hederę modo arbores ſcandens. Rectè quidem Plinius l.23.c.1. Ampelon agrian appellari dixit, quam ante (inquit Cornar.) apud Dioſcoridem, Vitem ſylveſtrem tradidimus, ſed non eſt Labruſca, quæ Oenanthen *Plin. error.* fert, ut Plinius ait; Verùm ea Labruſca itidem Ampelos agria & Vitis ſylveſtris nominatur: proinde in his erravit Plinius, ſicut neque in Vva taminia ſibi conſtat, quam alibi ad Ampelon agrian retulit cùm paulò ante Vvam taminiam negaſſet eſſe Staphidem agrian; cujus tamen contrarium alibi habet. *Vitis ſilv. alia à Labruſca.* Idem l.27. c.7. Vitem ſylveſtrem aliam eſſe à Labruſca prodidit his verbis: Ampelos agria vocatur herba, foliis duris, cineracei coloris, qualem in ſatis diximus, viticulis longis, calloſis, rubentibus [*rubentibus. Flos qualis eius quem Iovis flammam. vet.*] qualiter flos, quem Iovis flammam appellavimus in Violis; *Vires.* fert ſemen Punici mali ſimile acinis. Radix ejus decocta in aquæ cyathis ternis, additis vini Coi cyathis duobus, alvum ſolvit leniter, ideóque hydropicis datur. Vulvæ vitia & cutis in facie mulierum emendat. Iſchiadicos quoque uti hâc herbâ prodeſt *Plinij lectio corrigitur.* tuſa cum foliis & illita cum ſucco ſuo. Sed vulgata Plinij exemplaria falſiſſimè habent; vulvæ vitia & cutis in facie & variis; legendum enim ex veteri codice & rei ipſius evidentia: varos & vitia cutis in facie. Verba illa (viticulis longis) Dalech. ita reddit: Sarmentis longis, duris, rimoſo cortice veſtitis; flore capillaceo; fructu exiguis Vvis ſimili, poſt maturitatem rubente, granis figurâ rotundis. Dioſc. κόκκους Plinius ad Punici ſemina retulit oſcitanter, & aliàs *Plin. error.* totam hiſtoriam corrupit. Cæterùm, ex omnibus plantis quæ vicina ſcaduntt res aſſignat Dalechampius, quarum flos cæruleus, ſive purpureus, Iovis flori, nempe Aquilegiæ, color ſimilis ſit: primam quidem quam granum Nil vocant; alteram, quam *Dulcamara.* Dulcamaram; & tertiam quam pro Clematide ſecunda pinxit Dodonæus, & quam Pothon cæruleam eſſe quidam putant. Quæ verò de Vite ſilveſtri hîc tradit Plinius, ea magis convenire putat Dulcamaræ, quàm Salicaſtrum ſupra vocavit, & Viti ſilveſtri ſimilem eſſe dixit, eoſdémque effectus habere. Sed & Hermolao teſte, à Plinio lib.21. in Violis [*inter Violas*] Iovis flos, non Iovis flamma nomina- *Iovis flos, non flamma.* tur. Nam phlox, etſi flammam & genus floris apud eum ſignificet; diverſus tamen eſt à Iovis flore.

*Vitis ſilveſtris Dioſcoridis.* Vitis ſilveſtris [ἄμπελος ἀγρία] ſarmenta Vitis [ὡς ἄμπελος. Oribaſ. addit οἰνοτόρου.] modo longa quidem emittit, ita deſcribente Dioſcoride, ſed ea lignoſa, aſpera, & rimoſo cortice [φλοιορραγωῦντα. Orib. non habet] folia verò Solani hortenſis ſimilia, at latiora, longioráque [μακρότερα. Serap. legit μικρότερα] florem *Orib. lectio manca.* capillaceum, muſcoſum [βρυώδης. Orib. βοτρυώδεις, ſi Matth. credimus quidam βοτρυχώδης] fructum exiguis Vvis ſimilem, ac ubi maturitatem confecutus eſt rubentem; rotunda [περιφερὴς vet. περιπλοφερὴς, quidam *Vires.* πλατυφερὴς] autem eſt acinorum figura. Radix decocta in aqua potáque in vini aquâ marinâ diluti cyathis duobus, aquoſa ciet: atque ideò hydropicis da- *Hydrop.* tur. Vvæ ejus tum maculas à Sole contractas, tum *Maculæ.* & alias omnes expurgant. Cibi verò gratia novelli ſurculi condiuntur.

Vitis ſylveſtris racemi, inquit 6. ſimpl. Galen. cu- *Ex Galeno. Vitia cutis.* tem extergendi vim habent, ut ephelis & nævos [*maculas ſolares & alias*] & id genus omne in extima cute vitium curare poſſint. Sed & adſtrictionem quandam extrema germina [*tum botri ipſi, tum ramuli*] obtinent, quæ & ſale [*ac etiam muria*] condiuntur.

Vitis ſive Ampeli ſilveſtris nomine plures ac di- *Aequivoca.* verſiſſimæ plantæ exhibentur. Serapio enim Dioſcoridis verba de Vite ſylveſtri tranſcribens, & Avicenna, Vitem hanc ſilveſtrem, cum Labruſca, Vi- *Labruſca.* te ſylveſtri turpiter confundunt: Actum eſt à nobis de hac in principio hujus libri cap. de Vite viniſera, titulo de Labruſca. Matthiolus pro Vite ſilveſtri, ſive Ampelo agria, plantam exhibuit ab Herbariis Dulcamaram & Solanum lignoſum nuncupatum, de qua ante ſub titulo, Glycypicros, ſeu Amaræ- *Glycypicros.* dulcis. Dalechampius Vitem ſilveſtrem ſtatuit, eam nimirum quæ Vitalba Italorum multis nominata eſt. Nos hanc paulò poſt Clematin latifoliam, *Clematis latifolia.* ſive Athragene quorundam inſcribemus.

Dod. diverſam ab his Vitem ſilveſtrem depingit & deſcribit Tamúmque cognominat, eam ſcil. quam Matthiolus pro Vite nigra propoſuit, alij pro Cyclamino altera. Eſt hæc nobis Vitis nigra Matthioli *Vitis nigra.* appellata. Dalechampius & quidam periti Vitem ſylveſtrem, Theophraſti μήλωθρον eſſe conjiciunt: *Melothrum Theophraſti multis.* ſed repugnat florum figura, quòd muſcoſi non ſint, nec capillacei, verùm racematim cohærentes.

## CLEMATITIS ACRIS VETERIBUS.

### Cap. XIV.

Sequentia, quæ ex Dioſcoride, de Clematitide *Corn notat.* acri adducuntur, in Græco cod. Baſ. per Cornarium rejiciuntur: deinde verò ex ejus verſione tanquam malè rejecta iterum aſſumuntur pro legitimis. Eſt altera Clematitis [κληματῖτις, *quod idem eſt* *Clematitis altera Dioſ.* *ac Sarmentaria. ſc.* ἀπὸ τῶν κλημάτων, *à flagellis, quæ emittit*: dicitur aliis ὀλιγισ; Ægyptiis φυλάκιον; Romanis ἄυβικον] quæ ſarmentum [κλῆμα] producit ſubrubicundum, Viticis modo lentum [λυγῶδες] folium acre admodum in guſtu, & exulcerans. Circumvoluit ſe arboribus velut Smilax. Semen tri- *Vires. Semen purgat.* tum, cum aqua aut aqua mulſa potum, pituitam & bilem deorſum ducit. Folia impoſita lepras removent. Cum Lepidio condita ſervantur ad uſum.

Clematidis folia Galeno acris & adurentis ſunt *Ex Galeno temperamentum.* facultatis, adeò ut etiam lepras excorient. Fuerint itaque ex quarti ordinis calefacientium initio.

Plinius de hac loquitur lib. 24. cap. 10. in hunc *Plinius de hac Clematide.* modum. Similem huic [*Smilaci videlicet*] aliqui Clematida appellaverant, repentem per arbores, geniculatam & ipſam. Folia ejus lepram purgant. Semen alvum ſolvit acetabuli menſura in aquæ hemina, aut aqua mulſa. Datur ex eadem cauſa & decoctum ejus. Idem lib. jam dicto cap. 15. ita ſcriptum reliquit. Nunc ſubtexemus herbas mirabiles qui- *Inter herbas mirabiles.* dem, ſed minùs claras, nobilibus in ſequentia volumina dilatis. Itali Centunculum vocant roſtratis *Centunculus.* foliis, ad ſimilitudinem capitis penularum jacentem [*naſcentem vet.*] in arvis; Græci autem Clematidem. *Clematis.* Eſt ejus egregius effectus ad ſiſtendam alvũ in vino auſtero. Idẽ ſanguinẽ ſiſtit tritus cũ Oxymellitis aut

aquæ calidæ cyathis quinque denarij unius pondere: ſic & ad ſecundas mulierum efficax. Sed Græci Clematidas & alias habent, unam quam aliqui Echiten vocant, alij Laginem, [*alteram quam Lygon. alii.*] nonnulli tenuem Scammoniam: & pedales, folioſos, non diſſimiles, Scāmoniæ ramos habet [*ea viticulas folioſas non diſſimiles Smilacis ramis habet. alii*] niſi quòd nigriora minoráq; ſunt folia. Invenitur in vineis arvíſque. Eſtur, ut olus, cum oleo ac ſale: alvum ciet. Eadem à dyſentericis cum Lini ſemine in vino auſtero ſorbetur. Folia epiphoris imponuntur cum polenta, ſuppoſito udo linteolo. Strumas impoſita ad ſuppurationem perducunt, deinde axungiâ adjectâ percurant. Item hæmorrhoidas cum oleo viridi, phthiſicos juvant cum melle. Lactis quoque ubertatem faciunt in cibis ſumpta. Et infantibus illita capillum alunt. Ex aceto dentium dolores ſedant. Venerem ſtimulant. Eſt & alia Clematis, Ægyptia cognomine, quæ ab aliis Daphnoides [*myrſinoides. Gal.*] ab aliis Polygonoides vocatur, folio Lauri, longa tenuíſque, adverſus ſerpentes ac privatim aſpides ex aceto pota efficax. Ægyptus hanc maximè gignit.

Cæterùm, qui hoc in loco Centunculus à Plinio nominatur, Aloiſio herba eſt, quam Dod. pingit pro Helxine Ciſſampelo: ſed vires non conveniunt.

Placet magis Dalechampio Dodonæi judicium, qui Herbæ impiæ genus Centunculum vocat.

De Clematide Ægyptia quam Plinius mirè cum aliis confundit & perturbat, agemus poſtea ſub titulo Clematidis Daphnoides.

Dalechampij ſententia nobis non probatur referentis Echiten Plinij ad priorem Dioſcoridis Clematitim: deſcriptiones enim multùm diſcrepant. De Clematidibus Plinij ſub Convolvulo ex Ruellio multa dicemus.

## CLEMATIS LATIFOLIA SIVE Athragene quibuſdam.

CLEMATIS LATIFOLIA integra.



Sarmentis aliquatenus vitigineis luxuriat craſſis, iiſque anguloſis, rugoſis, junioribus, ſubhirſutis, ſubinde rubentibus, obſequioſo flexu lentis: folia quina, Dulcamaræ æmula, aliàs integra, aliàs dentata & fimbriata, guſtu acria Cluſio, viticulæ mediæ tortili, quâ capreolorum loco vicinis arbuſtis implicata ſcandit, adnectuntur: flores racematim petiolis incanis inſident, ſuaveolentes, candidi, quaternis aut quinis radiatis foliis conſtantes, quorum meditullium obſidet muſcoſus ſtaminum pallidulorum cincinnus, flores excipiunt acini complures cuneatim, indidem orti pinnatæ lanuginis tomento barbati: radix craſſiuſcula, fuſca, fibris donata.

Ruell. cap. de Ampelo agria, licèt multa ſimul miſceat, repetat, nec plantam deſcribat, autoréſq; non citet, ſed confusè tranſcribat: nos tamen per Viornam & Hardeam, plantam à nobis deſcriptam ab eo intelligi credimus, quamvis non competant ei, quæ *Ruel. taxatur.* *Viorna & Hardea Ruell.*

CLEMATIS LATIFOLIA dentata.



Ruell. ipſi attribuit. Verba ejus ita breviter perſtringemus: Ampelos agria vocatur Vitis ſilv. palmitibus longis, ut Vitium; ſi Plinio credimus, ſpiſſis & candicātibus foliis: pars acinorum ejus æſtu moritur, priùs quàm reliqua, qui & ſolſtitiales: univerſi nunquam matureſcunt, etſi priùs quā tota Vva maturuit, detur cibo; generi gallinaceo faſtidiū gignit Vvas appetendi. Flos in racemis candidus dependet: folium Solani per initia, poſt &c. Vitis ſilv. annū durat. Eſt ei ſimilis quod Salicaſtrum vocatur: hanc Plinius deſcribit folio duro, cineracei coloris, viticulis calloſis, rubentibus, qualiter flos quem Iovis flammam appellat in Violis, ferentem ſemen punici Mali in acinis ad eoſdem effectus. Propterea ſunt è recentioribus, qui hāc & Flammulam & Iovis flammam appellarint. Sylveſtris vitis ea mihi videtur, quam rura modo Viornam, modò Hardeam vocant, *Hardea* quòd ramorum faſces ea perinde quaſi vinculo li- *unde dicta.* gantes diſtringat. námque viticulis prælongis aſperíſque cernitur &c. [*ex Dioſc.*] Hanc Plinius credit *Vva Taminia.* eſſe Vvam taminiam.

Sunt qui putent plantam Germanis **Waldräben** *Vitis alba* aut **Lynen** vocatam, Vitem eſſe albam. Sed errant: *non eſt.* eſt enim, inquit Tragus, Dioſcoridis ἄμπελος ἀγρία, *Vitis ſilv.* h.e. Vitis ſilveſtris, cui Serapio cap. 35. florem canum *Dioſc. &* & lanuginoſum tribuit, Butaniámque appellat: Vi- *Serap.* tis ſilv. plantæ & Plinius mentionem fecit: & meo *Butania.* quidem judicio hęc planta Salictarium ejuſdē fuerit. *Salictariū.*

Corn. in Dioſc. altera Clematis, Volubilis appel- *Clematis* lata, **Wyelen** & **Waldräben** Germanorum dicitur, *altera, Volubilis.* non obſtantibus aliis qui **Waldräben** Clematidem Daphnoidem eſſe volunt. Fuchſ. eſt. Vitis nigra [ἄμ- *Vitis nigra* πελος μέλαινα] ubi quidam annotavit in edit. Lugd. *Fuchſ.* ejus Vitem nigram videri eſſe Viburnum etiam vul- *Viburnum.* go Gallorum cum Virgilio dictum. Sed Fuchſ. cum apud illum eſſem nominabat Vitem ſylveſtrem. *Vitis ſilveſtris.* Cord. in Dioſc. Pervinca alvum ducens, & Clematis *Pervinca* altera, ubi ſcriptum reliquit, quoſdam codices, ut à *alvum ducens.* Gompylo editum, Clematidem alteram nō habere: Alteram quoque hāc Clematida, ut Galenus referat, Dioſcoridē in fine quarti libri deſcripſiſſe, aliàs verò in principio libri quarti utrāq; deſcribi, ſed malè. Priorem enim in principio hujus libri adſtringentibus herbis propter virium ſimilitudinem conjunxiſſe. Hanc verò quoniam alvum ſemē ejus duceret, in quarti libri fine, ubi de purgantibus agat, deſcripſiſſe. Eſſe autē Clematidē hanc duplicis differētiæ, *Semen purgans.* quarū una grandis frutex ſit, proceras arbores ſcan- *Clematis* dens, & ſingulis annis incrementū ſumēs, quoniam *duplex.* caudex & viticulæ illi aliarū arborum modo durent. Altera verò per omnia huic ſimilis ſit, brevior tamen (quamvis & hæc interdum 15. pedum longitudine adoleſcat) & Autumno caules ſive viticulas amittat. Naſci hanc in pratis circa arbuſta, quo inundationes pervenire queant. Illam in montibus arbores & vinearum ſepes aſcendere. Vtramq; Germanis **Rebling** vocari. Arboreſcentem tamen majoris, & herbaceam minoris cognomen habere.

Saxones etiam Wilde rancken nominare, quòd ſarmentis Vitem æmulentur.

*Clematis altera. Vitalba.* Matth in Dioſc. Clematis altera, quam Vitalbis italicis vùlgò vocatis plurimum facie reſpondere ait, proptereàque ſibi omninò perſuaſerit, Italicam Vitalbam eſſe Clematidem alteram (quam ſecundo loco reddiderit Dioſcorides) contra eorum opinionem, qui acrem Clematidemeam plantam putant eſſe, quam quidam rei herbariæ imperiti falsò *Liguſtrum falso* Liguſtrum vocant: falsò, inquam; quoniam Dioſcoridi Liguſtrum arbuſcula eſt, non herba, ut ſuo diximus loco. *Fuchſii error.* Fuchſ. Vitalbam Matthioli, Vitem nigram eſſe exiſtimat, ſed errat, ut poſtea dicetur. Cam. apud Matth. germ. aliam appoſuit figuram, dicens, quam Matth. vocat Clematidem tertiam, aliàs dicitur Viorna, & Vitalba, & quibuſdam Atragena Theophraſti.

*Viorna.* Geſn. coll. Vitis ſylv. cauſtica, Viburnum aliquibus, ac Gallis Viorna, ab uſu urendi vulgò vocata. Flore enim, ſemine, cortice, & radice (inquit idem de hort.) vim urendi habet. Eſt hæc Clematidi planè cognata: quare à nonnullis recentioribus, ſimiliter *Flammula.* Flammula nominatur. Eidem cat. *Labruſca* Lahruſca, Vitis ſilveſtris exulceratoria, ἀναδενδρὰς; Item Vitis ſylv. *Hardea.* ſoliis Solani; Viorna, Hardea. *Geſn not.* Sed Geſnerum de præſenti planta minùs diſtinctè ſcripſiſſe, ſatis demonſtrat vocabulum Labruſcæ & Oenanthes, quæ nomina huic non conveniunt.

Ryff. Clematis altera, & Gallorum Viorna. Lon. Waldräben/Lynen/ Vitis nigra vulgò, *Bryonia nigra.* Bryonia nigra Græcorum, Vitis Chironia & Bucranium. *Bucraniũ.* Conſundit autem nomina duarum plantarum, pingens Atragenam. An eidem in Dioſc. l. 4. c. 8. Clematidis altera ſpecies, Flammula Officinis. *Vitis nigra Turn.* Turn. Vitis nigra, Black Brionye.

*Athragene.* Nihil invenit Anguill. quod meliùs reſpondeat Athragene, quàm Vitem albam, quam Fuchſ. pro Vite nigra poſuit. Si Atragene haberet fructum racemoſum, uti vult Dioſc. ſuam habere Vitem ſilveſtrem, eam eſſe diceret Anguillara. Rob. Conſt. in lex. ἀθραγένη Theoph. quam Plinius Vitẽ ſilveſtrem tranſtuliſſe refert. Qua de re tamen Lob adv. adhuc *Viorna vulgi.* dubitat, dicens; Viorna vulgi, fortè Vitis ſilv. Dioſc. & Atragena. Theophr. Non ergo pro Vite ſilv. eam planè recipit. Acinis, inquit, eſt compluribus confertim ſtipata ab uno pediculo, aptis, rotundis, rubentibus ex fuſco, compreſſis tamen: quare nonnulli docti, ubi σφαιρικὸν χῆμα legitur, id eſt, ſphærica figura acinorum vel granorum, πλατυφυὲς leviuſcula immutatione & commodiore ſenſu legi volunt, id eſt, rotundam compreſſam figuram. Acta netſi conjectura hæc ipſi non ſatis animum expleat, tamen multò minùs ejus judicio reſpondent, *Amara dulcis.* Amara dulcis vocata, aut Bryonia nigra quas ſuis locis commodiùs & neceſſariò aptavimus, notis. Eidem. *Viorna vulgi.* Obſ. dicitur Viorna vulgi, & Vitis alba Italorum; Ic. Viorna.

*Cyclaminus.* Dod. gall. l. 3. c. 11. Cyclamini ſpecies ſecunda. Cyclaminus alterà, κισσὸν, κισσανθεμον & κισσόφυλλον aliorum, *Vitalba.* quam poſtea eodem lib. cap. 48. Vitalbam & Viornam inſcribit, ſpeciemque Clematidis alterius haberi refert, ſed ſibi Cyclaminum alteram potiùs videri aſſerit. Idem de purg, & hiſt. in ſol. ait Vital- *Bryonia nigra non eſt contra Fuchſium.* bam, Bryoniam nigram non eſſe, ut voluerit Fuchſius: legitimam Bryoniam nigram aliam eſſe. Verùm non negandum ad Clematidem alteram accedere atque ejus ſpeciem eſſe, licèt tamen & alia ſit.

Thal. Clematis 3. Matthioli. Caſtori, cujus figura non placet, Clematis 3. Italorũ Vitalba. Matthiolum ignoraſſe, Clematidem alteram liquidò cõſtare arbi- *Matth not.* tratur Gwiland. eò q; dixerit Matthiolus, quam gens Italica Vitalbam vocat, à Dioſc. ſub Vitis ſilv. nomine deſcribi. Solerio, Clematis altera Dioſc. Plinio indicta, Vitalba Italorum. Lugd. Vitis ſilv. Dalechampij, Clematis 3. Matthioli. Dalech. in lib. 6. Æginetæ c. 77. eſt Celſi & Latinorum Vva taminea, Vitis ſilv. Dioſc. & Theoph. Athragena. *Vitis ſylv.* Tab. Vitis nigra 2. Icon ejus nihil valet: Compilator etiam de hac planta confusè ſcribit. Ger. quoq; pro Bryonia nigra ſilv. Cordi, malè ponit iconem malam Vitis nigræ 2. Tab. Sed ejuſdem plantæ aliam exhibet meliorem, cui titulus Viorna, The travellers ioie.

*Athragene Theophr. Cluſ.* Ad Clematidis alterius claſſem quin ſit referenda quam Anguillara Athragenem Theophraſti cenſet, non dubitat Cluſius, & inſuper Plinio l. 16. c. 4. Vitis ſylv. nomine notam fuiſſe aſſerit, ut etiam cuilibet utriuſque ſcriptoris verba conferenti facilè apparebit. Sed Plinius lib. 23. aliam adhuc Vitem ſilv. profert à Labruſca differentem geniculatam, rimoſo cortice, quam ſi quis conferat cum Vite ſilv. Dioſcor. unam eandémque ſtirpem ab eis deſcribi comperiet. Eam autem Plinius eſſe credit, quam vulgus Vvam taminiam vocat.

*Naturæ luſus.* Cæſ. Vitalba. Schw. Clematis ſeu Vitis ſylveſtris. B. phyt. Clematis 1. ſive ſylv. latifolia ad Clematidem Dioſc. & Athragenem Theophr. referenda. Eid. pin. Clematitis 1. ſylv. latifolia; in foliorum diviſuris mirè ludens, & ſarmenta aliquando brachiorum craſſitudinis producens.

*Locus.* Secus margines agrorum inter vepres & ſentes crebrò reperiri apud Italos, Germanos, Gallos ac etiam Belgas, læto fœcundóque ſolo, autor eſt Dodonæus. Vulgaris omnibus quas Cluſius adiit provinciis vicinis arboribus & ſepibus ſeſe implicans; Iulio *Tempus.* menſe flores; fructus plumis ſuis incaneſcentes Autumno, dependent. Paſſim provenit ſponte: Baſileæ vidi florentem menſe Iunio & Auguſto extra portam S. Albani: ibidem cum ſeminibus inter portam Steiu & Eſchen.

*Vires & uſus.* Guſtus fervidus & acris calidam arguit vim. Vſus ejus ad circulos pro retinendo labente utero. Ad conſtringendos faſces, veluti Salices & alia vincula, adhibetur.

## CLEMATIS BÆTICA CLVSIO.



*Deſcr.* PEregrinum eſt hoc Clematidis Bœticæ genus, & à nemine quod Cluſius ſciat, antequam ejus hiſtoria evulgaretur obſervatum. Longa autem habet ſarmenta, lenta & ramoſa, binos per intervalla capreolos contrariis ſemper inter ſe pediculis naſcẽtes proferentia, quibus vicinas arbores & frutices ſcandit: folia pyri ferè, minora tamen, dura, viridia, in ambitu inciſa ſive ſerrata, acris & ſervidi guſtûs, ſingularia in ſingulis pediculis, ſed plurima ſimul ex clavicularum alis prodeuntia: inter quæ, ex utroque ſarmentorum latere pediculi exeunt, caliculum Tithymali caveolis ſeu labellis ſimilem ſuſtinentes, ex cujus medio exilit capitulum ex multis ſeminibus milio æqualibus conflatum, quibus inſident oblongi cincinni, & albæ quodammodo villoſæ plumulæ.

Cluſ.

Cluſ. hiſp.& hiſt.Clematis altera Bœtica. Lugd. & B.phyt.Clematis altera Bœtica Cluſij. Lob.Obſ. & Ic.Clematis Bœtica Cluſij. Tab.& Ger.Clematis Bœtica; Germ. Spaniſche Waldräben: Angl. The travellers Joye of Candie. B.pin.Clematitis 3. peregrina foliis Pyri inciſis.

Hanc ſtirpem primùm inveniebat Cluſius anno 1565. inter Aſindum(vulgò Medina Sidonia appellatum)& Calpen, ſecundùm fluenta, vicinas arbuſculas operientem & ſuo pondere deprimentem: deinde alijs Bœticæ locis, Ianuario jam ſuos concinnos explicantem. Non dubium eſt quin ad κλεματίδα, cuius Dioſcorides lib.4. meminit, referenda ſit, cùm & formâ & temperamento ſit illi valdè ſimilis.

## CLEMATIS SIVE FLAMMVLA ſcandens tenuifolia alba.



*Deſcr.* Clematis hæc per ſe infirma, non niſi proximis ſulta in altum nititur, neque tamen id ullorum capreolorum ope facit, ſed foliorum pediculis ſepes amplectitur. Sarmenta habet ſtriata, viridantia, geniculata: folia recti caulis Flammulæ foliis ſimilia, à Vitalba ſive Athragenê differunt longitudine, anguſtiâ & ſoliditate: tota etiam planta minor: flores albi, odorati, qui uridà vi labia, ſi imprudenter attigerint, inflammant. Semen ſuccreſcit plumaceâ criſtâ inſigne: Huic ſimilis ſi non eadem, parva admodum, foliis valdè tenuibus à nobis obſervata eſt, ſeminibus cum prædictâ iiſdem.

*Species alia minor.*

Geſn. h. Clematis, Flammula quorundam flore albo, in Gallia Narbonenſi. Lob.Adv. (ubi falsò ſcribit Matthiolum hanc rejeciſſe, ſiquidem is eam non novit) Obſ.& Ic.Clematis altera, urens, vulgi Flammula. Dod.gall. Clematis altera vera, aliquibus Ambuxū & Epigetis, modernis Flammula nuncupata. Eid.hiſt.purg.& in fol.Flammula, Flammula adminiculis egens, Flammula prior: Flammula pro Clematidis alterius ſpecie habita [*ipſemet in gall.hiſt. fuit eius opinionis*] licèt & ſemine & florum cùm figura, tum colore & magnitudine ab ea differat. Lugd. Flammula, Flammula Dodonæi, quâ nulla meliùs reſpondet facie & viribus Clematidi alteri Dioſcoridis, teſte Lobelio. Cæſ. Viticella. Tab. Clematis urens. 1. Lienen/Leinen aut Waldräben. Cujus icon poſſet etiam competere Clematidi latifoliæ quam debebat eo capite Compilator ponere & non alio relegare, ubi eam vocat Vitim nigram; oportebat annotare diſcrimen ſi non cæcus de coloribus ſcripſiſſet. Ger. Clematis urens, Ang. Virgins Bower.

*Error Lob. Flammula vulgi. Ambuxum Epigetis. Clematis non eſt. Viticella. Tab. notat.*

An Cam.h. Clematis altera flore albo, Flammula repens Dodonæi? An Geſn.coll.Salicaſtrum, quam ait eſſe Clematin alteram, plantam amplexicaulem & urentem? An Ang.Clematis?

*C.Bauh.* 1. B.phyt. Clematis ſive Flammula. 1. repens. Eid. pin.Clematitis 4. Flammula dicta, quòd contuſa applicata, veſicas flammæ inſtar excitet: foliis eſt aliquando Apij modo diviſis: eſt etiam ſimplex vulgatis, alia multiflora, quæ Clematis urens 2. Tab: Clematis urens multiflora, Ger. Idem per Clematidem maritimam repẽtem fortè intelligit noſtram Clematidem parvam. Eſt autem ipſi hæc in pin.Clematitis 5. Clematites, Angl. In prod. ſic deſcribit: 2. cauliculos habet ſarmentoſos, geniculatos & ſtriatos, cubitales, attovirente cortice veſtitos: folia Flammulæ erectæ inſtar oblonga, acuminata, nervoſa, rigida, ſed anguſtiora, quod communiter triauni pediculo, qui velut in capreolum abit, inſident, & quædam per circumferentiam nonnihil crenata, quæ verò in ſummo caule floribus ſubjiciuntur, anguſtiſſima ſunt: flores albi ſunt, multis ſtaminibus villoſis albis, meditullium occupantibus, longis pediculis ſuſtentati: quibus ſemina plana, ſubrotunda, ruſeſcentia; ut in Flammula erecta, ſed minora, bina, ternáve jũcta, ſingulis capreolo plumoſo, veluti incana criſta donatis, ſuccedunt: hæc acria ſunt quemadmodum & tota planta. In maris Adriatici littoribus, ut in Venetorum Inſula Lio & Litzefuſina, ſuis ſarmentis repentem obſervavi.

*Locus & tempus.* Sponte ſua (ut ſcribit Dod.) in Belgio nuſquam exit, ſed hortenſis eſt: flores ſub Auguſtum, ſemen ſeriùs ſuccedit. Vidi ego in Rhætia florentem menſe Iunio; Monſpelij Septembri, ubi ſepes & arbores ſcandit. Eam etiam ramos ambientem obſervavi menſe Ianuario & Martio, Patavij apud Cortuſum. Clematis autem parva à nobis viſa eſt in montibus propè Caſtelneuf non longè à Monſpelio, menſe Octobris.

*Vires.* Acris & valdè calida eſt, ſed tamen Flammulâ Ranunculo mitior.

## CLEMATIS SIVE FLAMMVLA ſurrecta alba.



*Deſcr.* Fibroſam radicem demittit & albicantem: ſarmenta nullius opis indiga, ſuâ vi in duorum & plurium cubitorum altitudinem nitũtur, lævia, teretia, propter terram nonnihil rubentia, fiſtuloſa, & geniculis intercepta: folia cujuſmodi ferè in vulgi Flammula, aversâ parte ſubhirſuta & ferè incana, adversâ verò atrovirentia; flores conſimiles, copioſi, quadrifolij, candidi, apicibus viridantibus, non minùs uridà vi veſicas hæc excitat quàm cognata repens. Hæc ab iis, qui diligentiùs obſervant, teſte Cluſio, duorum generum eſſe deprehenditur. Vna enim ſarmenta rubeſcentia 1. habet, quemadmodum & foliorum nervos & pediculos, præcociórque eſt, & odoratum fert florem. Alterius autem ſarmenta cum foliorum pediculis vi- 2. reſcunt, & florem ſeriùs proferunt. Humanam verò altitudinem utriuſque ſarmenta ut plurimùm ſuperant, & ſingulis annis nova, eáque frequentiora ineunte Vere (marcidis & corruptis prioribus) renaſcuntur. Huic prorſus ſimilem ſibi natam meminit

*Duûm generum.*

*Clematis flore albo, pleno.* Cluſius, ſemine ab amico ſibi miſſo Clematidis flore albo pleno appellatione. An verò talis reperiatur, Cluſium latet: ipſi certè nunquam videri contigit.

*Flammula Plateary.* Matth. exiſtimat eſſe Flammulam Plateatij: Dodonæus tamen Platearium de Flammula Ranunculi quadam ſpecie citiùs, quàm de hac ſcripſiſſe crediderit, ac etiam recentiores ab acri & mordaci eius qualitate nominaſſe.

*Matth redarguitur.* Matth. & Lugd. Flammula. Dod. Flammula altera. Lob. obſ. & Ic. Flammula altera ſurrecta. Tab. Flammula, Flammula Iovis, Brenwurtz / Bletterzug. Ger. Flammula Iovis ſurrecta, Vpright Wirgens Bower. Cluſ. Flammula Matthioli, & Clematis altera; ſic & Turn. Cord. in Dioſc. Flammula ſrutex. B. phyt. Flammula 4. Eid. pin. Clematitis 4. ſive Flammula recta; ſic & Cam. & Eyſt. Centella herba, quæ trita tumoribus impoſita puſtulas excitat, in epiſt. ad Monardem huc referri poteſt.

*Locus.* Adeò frequens in Auſtria inferiore & Pannonia ut nullæ ſint ceduæ ſilvæ præſertim circa fluviorum in Danubium delabentium ripas, illis tu neſcentibus inundari ſolitas, quæ eâ non abundent. Rariſſima aliàs, Dodonæo, Germanis ac Belgis eſt, & hortenſis tantummodo. *Tempus.* Vere noua promit ſoliola, & cauliculos; Æſtate flores; Hyeme ſolæ reliquæ ſunt radices. Baſileæ florentem menſe Iunio & Septembri vidi in hortis.

*Vires. Aqua.* Ex Flammula (rectam propoſuerat) ſæpiùs Matth. aquam elicuit, demiſſo vitreo organo in calentis aquæ balneo, quæ eâdem, quâ herba ipſa, pollebat acrimoniâ. hanc compertum eſt efficaciſſimam eſſe in morbis frigidiſſimis. Flammula (ut Platearius eſt *Temper.* auctor) excalfacit ſiccátque ordine tertio. Sed quòd impoſita carnem non ſecus exulceret ac ignis, calidam ordine quarto rectiùs crediderim: Sunt qui *Quartana* Flammulam quartanariis edendam præbeant, magno *Oleum.* (ut ferunt) juvamento. Alij ejus oleum com*Articularis morb.* mendant iſchiadicis, articulorum, iliúmque doloribus, urinæ anguſtiis, & renum calculis, in quibus morbis aut calidum illud inungunt, aut clyſteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo. Flammulæ folia tenuiſſimè conciſa in roſaceum imponunt, quòd vitreum vas exceperit, ac inde per æſtatem inſolant obturato vaſe. datur etiam in cibis hiſce morbis affectis, trium drachmarum pondere. Ex Flammula (inquit Camer.) ſcandente elicitur aqua, quæ ſpiritûs vini inſtar ſervida eſt; folia carpo impo*Odontalgia* ſita veſicas excitant, & multis contra odontalgian prodeſt, cujus etiam in febribus peſtiferis uſus eſt. *Cataplaſma.* Tumores ſuppuratu difficiles cataplaſmate ex Flammula (rectam deſcribit) contuſa cum oleo, tum maturat, tum apetit Tabernamontanus. Qui ex ea ſtillatitius liquor elicitur, intra corpus non uſurpatur. quòd ſi quis eo uti velit, in morbis frigidis, cum aliis aquis eſt miſcendus, ne viſcera lædat.

## CLEMATIS SIVE FLAMMVLA flore cæruleo & purpureo ſcandens.

*Deſcr.* COncinnior eſt quàm vulgaris Flammula, foliis ad Athragenen propiùs accedentibus, ut quæ quàm Flammulæ breviora ſint & latiora, & variâ ſpecie Athragenes foliorum modo ludentia, modò integra, aliàs diviſa ſemel aut iterum, minimè tamen ſerrata, lævia, atrovirentia, ſapore acri, ex pediculis tenuibus, rigidis, ſubrubentibus, ſubhirſutis: farmentis autē ſuis innititur depactis pedamentis non ſeciùs ac Flammula vulgaris repens: ſed præcipua eſt florum gratia, qui non tantùm odore ſuavi placent, ſed & colore purpurante oculos morantur, quatuor



foliis (quorum vel unũ integrũ Flammulæ vulgaris florem facilè ſuperet) crucis modo diſpoſitis conſtantes: in quorum medio cincinnus ſtaminum ex viridi pallẽtium, ſuccedunt ſemina.

*Synon. Gelſeminum.* An Matth. Ieſeminum ſive Gelſeminũ cæruleis floribus? Eſt ei in poſt. comm. lat. Clematis *Clematis.* tertia floribus purpureis: hiſt. Germ. Leinen od Waldräben / Clematis altera Dioſcoridis. Geſn. h. Clematis, Flammula Coldenbergij, flore rubro. An eidem ibidem Gelſeminum cæruleis floribus? Dod. gall. Clematidis alterius altera ſpecies: Eid. hiſt. Clematis altera, κληματὶς ἑτέρα, & nonnullorum ὀπηγῖτις, Latinorum Ambuxum, ut *Ambuxum.* quidem Dioſcoridis ſpuria habent: Hiſpanorum *Gormadera*, quaſi Vomitoria. *Gormadera Hiſp. Vomitoria.* Lob. Adv. (ubi Dodonæum ait deceptum ab iis, qui ſibi perſuaſerint in Anglia paſſim luxuriare) Obſ. (ubi dubitat an Pothos Theophraſti ſit) & Ic. Clematis peregrina cerulea & purpurea. Cam. h. Clematis altera flore purreo, topiario operi aptiſſima. *Vſus.* Hiſt. Matth. germ. poſuit novam figuram, ſub titulo Clematidis alterius Dioſcoridis. Eſt & Caſtori Clematis altera, It. Vitalba purpurea, ſcandens arbores ut Smilax, floribus purpureis magnis, ex quatuor foliis. *Caſt. error.* Caſt. pro hac planta malè habet figuram Vincæ pervincæ. Apud Cluſium hiſt. Clematidis alterius titulo ſimpliciter ſine deſcriptione poſita icon. Fortè hæc cenſenda verior Clematis, quia flores magis accedũt ad Clematidem priorem ſive Daphnoidem, &, ut illa, ſit topiaria. Cæſ. Flammula flore cæruleo. *Flammula. Pothos.* Lugd. Pothos cæruleus Matthioli [*imò Dalechampij*] Theophraſti πόθος quorundam, Deſiderium Gazæ, *Deſiderium.* flore Hyacinthi. *Clematis.* Tab. Clematis cærulea peregrina, fren. bd blaw Waldräbe. *Tab. not.* Cur hujus figuram repetit ſub diverſo titulo, qui eſt Clematis purpurea, Purpurbrun Waldräben.

B. phyt. Clematis 6. ſive cærulea repens: qui an-
notat, & rectè, Iconem Matth. germanici eſſe tranſ-
poſitam & ſub Clematide tertia exhibitam; ad Cle- 1:
matidem Dioſc. referendam, variare flore ſimpli-
ci ac pleno, ut Cam. in epit. unâ figurâ expreſſe- 2.
rit; colore etiam purpureo, cujus nomine Tabern.
duas figuras propoſuerit. Eid. B. pin. Clematitis 9. 3.
cærulea vel purpurea repens: Clematis tertia, quæ
Flammula, Cæſ. Clematis peregr. incarnato ſimpl.
flore? & Clematis peregrina purpurea ſimpl. flore,
Eyſt. Ger. Clematis peregrina 1. cærulea / Blowe ladiers Bower. Clematis peregrina. 2. rubra, Rod ladiers / Bower.

*Locus & Tempus.* Gaudet, ait Dodonæus, Soli expoſitis, ſed tamen non omninò aridis locis: læto & haud irriguo ſolo meliùs proficit. Apud Belgas hortenſis, in Hiſpania verò & quibuſdam Italiæ locis juxta ſepes & agrorum margines ſponte exit. Auguſto menſe, & quandoque Iulio, floret; ſemen Septembri perficitur. Flammulam flore purpureo ex ſemine natam habui Lugduni, florentem in horto Maio. In Rhætia peregrinans cum D. Geſnero in monte propè Münſterthal inveni plantam valdè ſimilem, fruticoſam parvam, flore magno ex longo pediculo, cæruleo, conſtan-

conſtante quinque foliolis: florentem menſe Iulio: foliis magis ſerratis quàm in ea, quam Lugduni habui.

## CLEMATIS PVRPVREA FLORE pleno ſcandens.



Deſcr. CLEMATIS hæc ſarmentis & foliis ſcanſilique implexu perticarum proximè deſcriptæ ſimilis: flos verò, purpureus multiplici foliorum ſtipatu luxuriat, ſaturatior, internâ potiſſimùm foliorum facie, extrinſecus enim lanugine cinereâ pubeſcunt.

Nom. Cluſ. exot. appen. 2. ad ejus hiſtoriam lib. 1. c. 36. Clematidis alterius nova ſpecies, illius quidem generis, quod florem habet ex cæruleo purpuraſcentē; ſed alterius formæ multiplici ſc. foliorum textura.

Bauh. phyt. & pin. Clematis cærulea flore pleno: Eid. pin. Clematitis 10. Clematis altera flore pleno, Cam. ep. & Cluſ. cur. poſt. Clematis peregrina purpur. fl. pleno, & Clematis peregr. incarnata plena, Eyſt. Flore eſt cæruleo, purpuro cæruleo, incarnato, ad purpureum colorem, ſed admodum dilutum accedente.

Locus & Tempus. Clematidem flore purpureo pleno vidi Stutgard. in horto Il. D. VV. ubi Hieme ſub tecto reſervatur: floruit Iunio & Iulio.

## CLEMATIS CÆRVLEA SERrato folio.



Deſcr. SEſquipalmatis hæc eſt, cauliculis pluribus oblongis, quibus ſingulis folia crebris diviſuris inſecta inſident trigemina cohætentia, ut in Anemone Geraniſolia; flos longiſſimo ac tenui pediculo inſidet, ex quatuor tantùm foliis compoſitus, coloris obſcurè purpuraſcentis; ſemen non viſum, nec radix, à C. Bauh. qui eam ex ſicca deſcripſit.

Deſc. Pona. A ſarmentoſa radice (ait Pona in deſcript. Baldi) germinant multi caules vitiginei, magis ſubtiles, quàm in aliis Clematidibus; lignoſi, angulares, lenti, & tricubitales: è quibus ſurculi multi adhuc magis ſubtiles quatuor digitorum altitudinis, qui æqualiter bipartiti ad latera dividuntur. ſingulique obtinent tria folia juſto intervallo diviſa, & pediculo breviſſimo adnexa, formâ myrteâ, tamen majora, ſatis profundè per ambitum ſecta, nervoſa, rugoſa, inæqualis magnitudinis, nigróque virentia: eſt illi flos crucem repræſentans, foliis mucronatis, lanuginoſis, cœruleis albicantibus, cujus medium acervulo quodam extremulis foliolis (uti in Roſa Alexandrina apparet) decoratur. Eſt ſarmentoſa, inſipida & perenni radice: tota planta aliàs aliquantulum acri ſapore prædita eſt.

Clematis Cruciata. C. B. Clematis 7. ſive alpina Gerani-folia: Clematis cruciata Iungermanni. Clematis cruciata alpina, Ponæ.

Locus & Tempus. Oritur in altioribus Baldi rupibus, quibus Eurus dominatur. Brumâ areſcunt folia. Hanc eandem ſuſpicor, quàm anno 1561. in mea peregrinatione per Alpes Rhetiæ obſervavi florentem menſe Iulio in monte prope Münſterthal, de qua ante ſub Clematide cærulea ſive purpurante.

## CLEMATIS PANNONICA FLORE cæruleo ſurrecta.



Deſcr. COmplures radix ſatis craſſa à lateribus ſpargit fibras, fulvas, nervulo ligneo candido factas: ſarmenta inde complura, Cluſio quaterna aut quina, ad cubitum & ſeſquicubitum exſurgunt, recta, duta, ſtriata, anguloſa, ſubhirſuta, nonnihil purpuraſcentia, geniculata: ad quorum ſingula genicula, folia ſine pediculis ſunt bina oppoſita, Plantaginis majoris ferè paria, minora tamen, ſimiliter per longitudinem nervoſa, acuminata, in ambitu lanuginoſa, ſupernè ex atro virentia, infernè dilutiora, lanugine quadam per nervos reſperſa, Cluſio Aſclepiadis pær è foliis reſpondentia, non valdè dura, fervidi guſtûs, quemadmodum Flammulæ Matthioli folia; ex ſuperiorum foliorum alis, pari incremento ſurgunt gemini adverſi ſurculi, eodem modo ſe habentes quo ſarmenta primaria, niſi quòd minora ſint multis numeris folia; atque tam in primariorum ſarmentorum, quàm alarum ſurculorúmve extremis, flos nutabundus unicus magnus, quatuor foliis mucronatis crucis in formam, inquit Cluſius, decuſſatis conſtans, modicè ſurſum reflexis, foris ſaturatè cæruleis, canaliculatis, minùs cætulâ lanugine per margines obſitis, intus verò glabris, nec tam intensè, atque medium extimi folij, cæruleis: medium occupat villoſus glomer fibrarum ex luteo albeſcentium, quarum complexu continentur ſtamina alia glabra, viridantia, apicibus ex albo luteis; atque intra hæc tertia fibrarum vireſcentium intorta phalanx; ſemen compreſſum magnum Cluſio Pulſatillæ ſemini ferè ſimile plumatum, ut in Viorna vulgi Gallorum; nullius acrimoniæ particeps autore Cluſio.

Clematis cur. ... Tametſi hæc fruticibus ſeſe non implicet, ſed ſatis firma ſit, nec adminiculis egeat, Clematidis tamen nomen ei impoſuit Cluſius, quòd ejuſdem ſit temperamenti & florem purpureæ Clematidi ferè ſimilem habeat. In pann. hujus Clematidis duas figuras habet, Cluſ. pan.

habet, primamque & ſecundam nominat, quæ meo judicio unius plantæ ſunt, cùm etiam in hiſt. unam tantùm deſcribat, & depingat, quam quoſdam Clymenum falsò vocare refert, cùm Clematis cærulea pannonica ſit. *Clymenum non eſt.*

*Tab. notat.* Tab. Clematis cærulea pannonica, Vngeriſch blaw Waldräbe: Item, Clematis cærulea 2. Blaw Waldräbe. Duæ hæ ſunt ejuſdem plantæ icones ex Cluſio à Tabern. mutuatæ, unam tantùm ſtirpem denotantes. Lob. Obſ. & Ic. Clematis altera longifolia minor. Cam. h. Clematis pannonica cæruleo flore, folio pænè Aſclepiadis. Lugd. Clematis altera minor longifolia Lob. Clymenum quorũdam. Ger. Clematis pannonica, buſch Bower: Item, Clematis major pãnonica, great buſch Bouwer.

B. ph. Clematis 8. cęrulea erecta. Figura Lobelij (ait) & eam quæ ſimplici, & quæ pleno eſt flore exprimit: à Cluſio Clematis cærulea pannonica prima, flore *Tab notat.* ſimplici, ſecunda pleno, pingitur: Tabern. duas habet figuras Clematidis cæruleæ pannonicæ, & Clematidis 2. nomine: at utraque ſimplicem florem exprimit. *C. Bauh.* Dum enim Lobelij figuram imitandam curavit non advertit apud Lobelium & plenum & ſimplicem florem. Hæc frater. Ego Clematidem cæruleam ſurrectam nunquam vidi flore pleno, nec Cluſius qui figuram exhibet ullius meminit quæ pleno ſit flore, nec etiam Lobelius: ſemen quidem dicit Cluſius eam ferre planum, in capitula rotunda & veluti pullulas congeſtum, quale pingitur in fi-
1 gura Cluſij & Lobelij, non autem flos. Eid. pin. Cle-
2 matitis 8. magnitudine varians: hinc duæ figuræ apud Cluſium & Tab. Flore eſt cæruleo, rariùs albo.

*Locus.* Inventa à Cluſio ſpontè naſcens in pratis circa Stampfen duobus ultra Poſonium Vngariæ miliaribus & aliis ad Danubij ripas ſitis ſupra Poſonium, medio ferè itinere inter eam urbem & Tabern. Floret Maio & Iunio, ſemen maturum eſt Auguſto. *Tempus.* Caules ſive ſarmenta ſingulis annis ad radicem uſque marceſcunt, & ineunte Vere novella, frequentioráque ex ipſa repullulant. Stutgardię vidi in horto Ducis, menſe Novembri ſemine maturo: Montbelgardi in horto Ill. C. VVirt. provenit mihi ex ſemine & ſequenti anno floruit Iunio & Iulio.

## CLEMATIS DAPHNOIDES, SIVE prima Veteribus. CAP. XV.

*Clematis Dioſcorides.* CLematis [κλῆμα τὶς] quam aliqui Daphnoidem [δαφνοειδὲς] alij Smyrnoidem [σμυρνοειδὲς, μυρσινοειδὲς Gal. & vet. cod.] alij Polygonoiden [πολυγονοειδὲς] vocant apud Dioſcoridem, gignitur læto, pinguique ſolo [ἐν λιπαροῖς. ſic & Orib.] ſarmẽta autem habet parva [μικρὰ. ſic & Orib. & Paulus] Iunci [σχοίνου] craſſitudine: folium parvum, Lauri [δάφνης] folio & figura & colore ſimile, ſed multò minus. *Vires.* Caules foliáque in vino pota alvi profluvia & dyſenterias ſedant. *Alvi profluvia.* Cum lacte verò & roſaceo, aut cyprino ſubdita in peſſo, cruciatibus vulvæ medentur. *Dolor dentium.* Dolores dentium commanducata finit: impoſita quoque venenatorum morſibus juvamentum præſtat. *Venenatorum morſus.* Fertur & ex aceto pota, contra aſpidum morſus auxiliari. Naſcitur in incultis. Marcellus autem in vetuſtis quibuſdam codicibus legit pro læto pinguíque ſolo [ἐν λιπαροῖς] in Ægypto [ἐν Αἰγύπτῳ] quæ lectio ut Cornario, ita & Sarraceno placet, quòd & Plinius de hac Clematide agens, lib. 24. cap. 15. eam Ægyptiam cognominet, ſubdìtque Ægyptum eam maximè gignere. *Marcelli, Corn. & Sarrac. lectio improbatur.* Sed non probatur nobis eorum opinio. Nec propterea quòd Plinius aliquam Clematidem in Ægypto naſci ſcribat, textus Dioſcoridis eſt corrumpendus. Nihil etiam probat incultum ſolum, quod pro confirmanda eorum opinione facere credunt. Non enim obſtat, quò minùs incultum ſolum etiam pingue lętúmque eſſe poſſit. *Dioſc. lectio vera.* Sarmenta longa [μακρὰ] pro parvis legendum cenſet cum Corn. Sarracenus, quòd & Clematidem longam ac tenuem non ſolùm agnoſcat Plinius loco jam citato. Sed & αὐτοψία ita legendum admoneat. Eſſe enim longa, imò interdum longiſſima ejus Clematidis, quam Vincam pervincam vocent, ſarmenta, ſeu vitiginea flagella. *Sarrac. repreh.* Nimis autem temerè, meo judicio, Clematidem Daphnoidem Dioſcoridis, & Clematidem Ægyptiam Plinij, eandem cum Vinca pervinca ſtatuit Sarracenus. Nos de Clematide Ægyptia Plinij plura diximus ante ſub Clematide veterum. *Vinca-pervinca.* Sunt qui volunt, Plinium hanc tradidiſſe lib. 21. c. 11. ubi Vincam pervincã deſcribit his verbis. Nam Vinca pervinca ſemper viret, in modũ lineæ [*lineam vocat prætenuem virgam, ut exprimat quod Dioſc. ait, Viticulas ſeu virgulas habet Iunci craßitie, Dalech.*] *Dioſc. explicatur.* foliis geniculatim circumdata. Topiaria herba; inopiam tamen florum aliquando ſupplet. *Chamædaphne.* Hæc à Græcis Chamædaphne vocatur. *Vires.* Arida tuſa (inquit cap. 27.) hydropicis datur in aqua cochlearis menſura, celerrimeque reddunt aquam. Eadem decocta in cinere, ſparſo vino, tumores ſiccat. Auribus ſucco medetur. Alvi niſi impoſita multum prodeſſe dicitur. Hæc Plinius, qui ſi per Vincam pervincam eandem intelligit cum Clematide, malè hydropicis præſcribitur: nec etiam placet quod ait Dioſc. apponi morſibus venenatarum beſtiarum, & dolores uteri ſanare. Vinca-pervinca quidem apud Dioſcoridem etiam Daphnoides vocatur, ſed non Chamædaphne. Hermolaus, ut demonſtratur h. n. g. lib. 5. cap. de Chamædaphne per Pervincam Plinij, eandem quam nos intelligit plantam. De Chamædaphne igitur catharctica, cujus adſtringens facultas dyſenterias & diarrhœas cohibet, verum id eſt, non autem de Clematide, quam Plinius cum illa ignoranter confundit. *Plin. repreh.*

Cæterùm, Clematis Ægyptia [κληματὶς αἰγυπτία] in proverbium abiit, & joco dici ſolitum fuit in eos, *Proverbium.* qui corpore præter modum procero atque atro colore eſſent: natum haud dubiè (inquit Eraſm.) ab ejus herbæ ſpecie de qua meminit Dioſcor. lib. 4. & Plin. lib. 24. cap. 15. Laërtius in vita Zenonis Philoſophi, ex authoritate Apollonij ſcribit, Zenonem *Diog. Laer. interpretatur.* gracili fuiſſe corpore, ſtatu procero, atrâ cute: deinde autorem citat Chryſippum, qui in 2. proverbiorum ſuorum libro ſcripſerit, ob eam cauſam à quodam Clematidem [*palmitem reddit interpres Latinus Diogenis Laertij*] Ægyptiam fuiſſe dictum.

*Diff. Clematidis Marantha.* Licèt porrò una ſolummodo Clematis à Dioſcoride notetur, tres tamen ejus differentias magnitudine differentes obſervari ſcribit Marantha: & quartam etiam, duplicem in flore foliorum exortum habentem.

## CLEMATIS DAPHNOIDES MInor flore cæruleo, purpureo, violaceo, ut & albo, ſimplici ac pleno.

*Deſcr.* CLematis Daphnoides reptatrix planta, humo ſe non attollit niſi proximis fulcris innixa: radix fibroſa: ſarmenta multa, tenuia, teretia, virentia, & geniculata, quaquaverſum per terram ſe ſpargunt, quam ubi arripuerint, è geniculis propagatis fibris rurſum radicantur: folia è geniculis bina oppoſita, foliis Lauri ſimilia, minora tamen multò, acuta, rigida, lævia, brevibus pediculis appenſa, supernè ſaturato virore nitentia, infernè dilutiore, ſapore adſtringente, ſubamaro; flos pediculo è geniculis enato, duas uncias longo, ſingulari ſingularis inſidet, oblongus Gelſemini modo, nunc ſimplex in quinque lacinias altiuſculas & latas diſſectus,



ctus, nunc aucto foliorum numero multiplex, quorum interiora modò bina, modò terna ad imum integra, ſuperiùs ut extima laciniantur duntaxat, aliàs penitùs ſeparata: color ſimplici cæruleus cum apicibus concoloribus, ſed dilutioribus parùm: vel albus cum ſtaminulis luteis, piſtillo albo, fundo candidis verſibus ſtriato: vel pulcherrimo ſpectaculo violaceum florem per ſingulas lacinias à ſummo ad imum linea decurrit lactea, id quod & in multiplici obſervatur: verùm quæ multiplici eſt flore, eam non alio quàm purpureo, aut purpuro-violaceo colore obſervavi & bicolori variegato ut dictum: Anno 1600. obſervavi in alba partes cæruleas, quod ante nunquam animadverteram quamvis à plurimis annis in horto coluerim.

*nca her- .Mar- li.* Hæc eſt illa (inquit Marcell.) quam Ethruria nunc Vincam herbam vocat, quâ defunctæ virgines in gente noſtra ad ſepulturam coronatæ efferuntur: & quâ familiæ Florentinæ aliquæ gentili jure ſuo primùm ingredientem urbem Archiepiſcopum coronatæ ad portam excipiunt ſtipántque & per urbem comitantur. Cognitu facillima eſt: in hortis paſſim naſcens; tenuiſſimis viticulis potiùs per terram ſerpens, quàm virgis ut Dioſcor. ait de Chamædaphne, à terra ſe extollens: foliíſque oleagineis magis quàm laurinis ſimilibus. *Chamæ- aphne dif- rt.* Denique à Dioſcoridis Chamædaphnes hiſtoria longè differt, & nihilominùs tamen Vincæ pervincæ Plinij, l.21.c.11. deſcriptæ reſpondet.

*Clematis daphn. Ruell.* A Ruellio l.5.c.80 Clematis daphnoides inſcribitur, cujus ſi quis (ait is) imaginem, naturam, effigiémque exquiſitiùs exploret, ea cenſebitur eſſe, quæ Lat. Vinca pervinca, officinis Pervinca, vulgò Pervenca nominatur. *Ruell. confuſus.* Miſcet autem Ruellius in hoc capite diverſiſſimas plantas, autoréſq; mirè confundit, nec ſibi conſtat. Idem rurſus ſuo nomine lib. jam citato, c.132. Hermolai verba de Pervinca repetit.

*Pervinca Trago.* Corn. Clematis prior, Vinca pervinca officinarum, & Chamædaphne Græcorum. Tragus Pervincæ florem aſſignat ex purpura cæruleum, quinis foliis diſtinctum, inſtar Borraginis, prorſus inodorum. *Herba vel Viola mortuorum.* Hanc, inquit, quòd mortui eâ coronari conſueverint, nonnulli germanicâ voce Todtenkraut/ aut todten Violen, h.e. Herbam, ſive Violam mortuorum vocarunt. Commune apud Germanos Pervincæ nomen eſt Yngrün/ à perpetuo illi virore inditum, Officinæ Pervincam nominant. Eſt autem illa ipſiſſima Clematis Dioſcoridis, quæ Plinio & Daphnoides cognominatur. *Laurus humilis,* Poſſet & Chamædaphne, h.e. Terreſtris, ſeu humilis dici Laurus, aut ut Romani dicunt Laurago, & Laureola, & Vinca pervinca, quemadmodum alibi meminit Plinius. *Nomenclatio varia.* Apud Dioſcoridem ſequentia Pervincæ nomina leguntur, δαφνοειδὲς, σμυρνοειδὲς, πολυγονοειδὲς. Apud Apuleium verò cap.58. multæ extant nomenclationes illius, nimirum Eupeplios, Daphnoides, Hypogloſſion, Eupetalon, Digloſſos, Nycephyllon, Pelleon, Idæa Daphne, Samothracia Daphne, Alexandrina Daphne, Mittion, Danae, Stephane Alexandrum, Chamædaphne, Carpophyllon, Daphnitis. Latinè Pervinca, Victoriæ folium, Laurus Alexandrina & Macedonica, Laurago, Muſtellago terreſtris. In Plinio nonnullæ ex his repetuntur, & aliæ etiam adjiciuntur, videlicet Hypetale, Pelaſgum, & Stephane Alexandri. Sed quantum mihi quidem videtur, rectiùs univerſæ hæ appellationes Lauro Alexandrinæ quàm Pervincæ tribuentur. Licèt verò controverſia nominum in hanc quoque plantam irrepſerit, nihilominus tamen deſcriptio, quæ apud Plin. l.23.c.11. extat, Pervincæ huic ſatis reſpondet.

*Clematis Aegyptia.* Clematidem Daphnoidem, inquit Fuchſius, Plinius l.24.c.15. Clematida Ægyptiam nominat: lib. autem 21.c.11. Vincam pervincam, alióque nomine Chamædaphnen dici tradit, quòd ſcilicet humilis videatur Laurus, ut nomen ſonat. *Laureola non eſt Chamædaphne.* Non eſt autem cur eam Chamædaphnen putes, quæ Romanis Laureola aut Laurago dicta eſt, hæc enim à Vinca pervinca genere & facultatibus diverſa eſt, & ſeorſim illam Chamædaphnen depingit Plinius l.24.c.15. ut hinc manifeſtiſſimum fit Plinio duplicem eſſe Chamedaphnen, Unam quam ſic appellant Dioſcorides, Galenus, & alij Græci. Alteram quam privatim Vincam pervincam alio nomine vocat Plinius.

*Pervinca aſtringens.* Cord. in Dioſc. Clematis, Pervincæ ſpecies, aſtringendi vires habens. Matth. Clematis primo loco à Dioſc. deſcripta, ac aliquibus Vinca pervinca dicta; vulgò tamen Italis Provenca. In hac nullam reperiri notam ſcribit, quæ Clematidi primi generis reclamare videatur. Quamobrem eorum ſententiam explodendam putaverit, qui Pervincam Chamædaphnen eſſe ſibi perſuadent, quàm vulgò Laureolam appellant. Eid. hiſt. germ. Clematis daphnoides. *Diff. Cam.* Cam. apud Matth. Clematidis Daphnoides quatuor agnoſcit differentias: flore purpureo, cæruleo, & albo, & quandam pleno: In hort. Clematis Daphn. ſive Pervinca apud Plinium, flore cæruleo, interdum albo: & purpurea Auſtriaca, à Cluſio miſſa flore eleganti pleno: In Epit. Clematis: & Clematis flore multiplici.

*Laureola Gordon.* Gordonius de conſ. vita per Laureolam, quam ad fluxum ventris infantium (ad lienteriam & diarrhæam Arnold. de Villan.) præſcribit, plantam de qua hîc agimus, intelligit. *Lon. not.* Confundit turpiter Lonic. in Dioſc. l.4.c.144. Chamædaphnen Dioſcoridis cum Vinca pervinca, quæ Dioſcoridi Clematidis ſpecies eſt. Ejus verba hęc ſunt. Chamędaphne i.e. terreſtris Laurus; Alexandrina à ſimilitudine, vel virium parilitate; Daphnitis à Lauro; Hydragogus, quòd aquã & urinam trahat; Laureola ut & Laurago à Lauro, non Lactago; Latinis Vinca pervinca: Germ. Yngrün.

*Clem. Aegyptia ſilv.* Anguill. Vinca pervinca optimè correſpondens Clematidi primæ Dioſcoridis. Geſ.h. Clematis Ægyptia ſilv. flore cæruleo paſſim: hortenſis purpureo: tranſtulit autem purpureum è Sabaudiæ circa Lauſannam hortis Tigurum: *Clem. Daphnoid.* In cat. Clematis daphnoides vulgò Vinca pervinca. Dod. purg. & hiſt. Clematis daphnoides, floribus colore ut plurimùm cæruleis; quandoque candidis; rariùs rubentibus. *Clematis cur dicta?* Clematis (ait is) quidem dicitur, quia inſtar κλημάτων repentes proferat cauliculos, quos κλήματα [ſarmenta] Græci vocant. *Daphnoides cur?* Daphnoides verò, cùm à Lauri foliorum figura, tum ad differentiam alterius [*maioris*] vel etiam aliarum. Nam Plinius plures ejus nominis refert l.23.c.15. ubi & hanc Ægyptiam cognominat. Polygonoides verò vox inter nothas appellationes etiam in Dioſcoridis exemplaribus reperitur. Præter hæc ſunt etiam φιλεταίρειον ἢ συγγενοειδὴς, aut potiùs μυρτοειδὴς. Alio autẽ loco Plinius l.21.c.11. Vincam pervincam & Chamædaphnen appellat, ubi perperam legitur in modum lineæ pro Lauri. *Plin. corrigitur.* Deſcribitur tamen ab eodem, & à Dioſcoride & alia Chamædaphne. De hac nos lib.5. H.n.g. egimus.

Lob.

Lob. Clematis daphnoides, Vinca pervinca: an Centunculus Plinij? Item Obſ. Daphnoides, poly flora Clematis purpuro rubens. Lug. Vincam pervincam, ſive Clematidem majorem peramœnâ florum duplicatione variare ſcribit, quod Lob. non dixit: nec nos majorem obſervavimus flore pleno. Cæſ. Provinca vulgò in officinis vocata, in umbroſis naſcens; flore cæruleo; fructu oblongo, veluti ſiliquâ biſurcatâ, in qua ſemina oblonga, depreſſa: Vinca pervinca Plinij. Tab. Clematis daphnoides; Vinca pervinca flore cæruleô, purpureo & albo, & pleno.

*H. Lugd. notatur.*

Cluſ. Clematis prior, δαφνοειδὴς cognominata, vulgò Vinca pervinca, quo nomine etiam ab ipſo Plinio vocatur, qui lib. 24. c 15. Ægyptiam quoque cognominare videtur. Ejus autem duæ ſunt ſpecies: Vna vulgatior, cæruleo ut plurimùm flore, ſed qui eum etiam variat, ut nunc albus, nunc ſubpurpuraſcens conſpiciatur, interdum & medium florem complectatur.

C.B. Clematis daphnoides 1. minor: Vinca pervinca, Brunſ. Chamædaphne altera Dioſcoridis, Eid. Brunf. 4. Clematis, Lac. Turn. daphnoides, Thal. minor fl. cæruleo, albo, & purpureo, Eyſt. qui tres figuras. Eid. B. Clematis 3. flore pleno: Clematis altera flore pleno, Cluſ. hiſt. ap. alt. Clematis daphnoides fl. purpureo pleno, Eyſt.

*Nomina linguar.*

Clematis daphnoides vulgò dicitur, & Vinca pervinca, Germ. Singrün/ Ingrün/ Wintergrün/ & Strytten/ Geſn. Bervinck/ aut Berwinck. Tab. Wilder Singrün/ Cord. in Dioſc. Belg. Vincoorde & Maechde palmen: Gall. *Peruenche*: Gallobelg. *Vanche & Pucellage*: Ital. *Peruinca*: Hiſpan. *Pervinqua*: Angl. Peruincle: Fland. Vincorde: Brab. Maechden palm & Ingroen: Boh. Barwinck. Hung. Clematis altera per ſepes repens, *Feyer venÿth.* Cæteroqui cur Clematis & Daphnoides appelletur, jam ante Dod. oſtendit. Dicitur autem Vinca pervinca, quòd humi ſerpat, & ſe in modum funiculi porrigat, vicina quæque vinciens, autore Fuchſio. Ingrün à Germanis, quòd ſemper; & particulariter Wintergrün [*Hiemale viride dixeris*] quòd hieme vireat, nominatur. Strytten ſimiliter appellarim, quòd contra frigus certet, & victrix evadat.

*Vinca-pervinca nomen unde.*

*Viride hyemale.*

*Locus & Tempus.*

Clematidem numeroſis, umbroſisque tractibus, & ſenticetis, atque agrorum marginibus gaudere; perpetuò virere; Martio tamen & Aprili potiſſimùm florere in confeſſo eſt. Cluſius ſubpurpuraſcentem apud Allobroges ſpontè naſcentem inter vepres obſervare meminit, præſertim circa Lauſannam, eàmque interdum alium florem medium complectentem. Vidi ego in montibus Euganeis florentem fine menſis Februarij; Inter Veronam & Caſtelfranc, Ferrariæ, Baſileæ & Genevæ, flore albo Aprilis menſis principio; cæruleo fl. circa collem l'Abbatie & in hortis adhuc Novembri, aliàs Martio: Montbelgardi frequentem Aprili extra novam portam in colle in dumetis juxta foſſas, & in horto. Videtur degenerare non tranſplantata.

*Ad vinum turbidum.*

Siquis habuerit vinum turbidum, quódque colorem amiſit, accipiat tantùm hujus herbę (Pervincæ) quantum pro quantitate & copia vini ſufficit, vaſiq; imponat, ac illud deinde obturet, obturatumque quindenam relinquat, quod cùm fecerit, vinum brevi puriſſimum ac clariſſimũ reddetur, & genuinum ſuum colorem recuperabit: præſtabit tamen, ſi ritè rem perficere voles, ut vinum priùs in aliud vas transferatur, túmque herba ut diximus utiliter injicietur. hæc ita ſe habere experientiâ certâ comprobavit Tragus. Folia ore retenta ſanguinis fluxum è naribus erumpentem compreſſiſſe frequenter vidimus, inquit Coſtæus in libro ſuo de ſtirpium differentiis. Fæmoribus adalligata viridia folia, menſium abundantiam cohibent & conceptus adjuvant. Capiti adalligata, & collo, gulæve circumducta, ſanguinem è naribus manantem ſiſtunt. Adduntur quoque utiliter vulnerariis emplaſtris, & potionibus. Refrigetat enim (authore Matth.) ſiccat, roborat, cohibet. Apollinaris calidam & ſiccam facit tertio gradu, quum tamen ejuſmodi caloris gradum ſapor non indicat. Felix Plat. extrinſecus ad venas hæmorrhoidales apertas occludendas præſcribit Clematim. Obſcurè admodum. Sunt enim vigintiquatuor plantæ, vel etiam plures, quæ nomen habent Clematidis. Vnde quis obſecro (niſi valdè peritus ſtirpium) dicet quæ planta ſumenda ſit: pleræque cauſticæ ſunt & veſicatoriæ. Nos ſumendam cenſemus Clematidem daphnoidem vulgò Vincam pervincam dictam. Vires quæ videntur Pervincæ convenire apud veteres, ſunt ante ſcriptæ ſub Clematidis Daphnoidis, ſive primæ veterum titulo.

*Vires.*

*Hæmorrhagia.*

*Temperamentum.*

*Apoll. not.*

*Fel. Plat. repreh.*

CLEMATIS DAPHNOIDES MAjor flore cæruleo & albo.



PER omnia major eſt hęc Pervinca vulgari: folia quæ oppoſita ex ſemuncialibus & longioribus pediculis pẽdentia è viticulis junco craſſioribus oriuntur, tres circiter uncias lata, paulò longiora, nunc acutiora, nunc obtuſiora, cum acrimonia amareſcunt, ſaporis ingrati. flores ex foliorum alis pediculis hęrent ſextantalibus, longo corniculo, diviſione & formâ florum Pervincæ vulgatioris, ſed, ut par eſt, multò majores, coloris cærulei, & albi; apud nos interdum frigore abſumitur: in hac ſiliquas ſive cornicula ſingularia obſervavimus.

*Deſcr.*

Dod. purg. & hiſt. & Tab. Clematis daphnoides major. Lob. Clematis ſive Pervinca major. Cam. Matth. & hort. Clematis daphnoides major cæruleo flore. Cæſ. Provinca altera major, folio latiore, quaſi hederaceo, grandioribus floribus cœruleis; Clematis Ægyptia Plinij. Cluſ. Clematis daphnoides latifolia. C.B. Clematis Daphnoides 2. ſive major. Clematis Ægyptia hortenſis flore purpureo, Geſn. h. Pervinca major, Eyſt. Clematis 1. major, Caſt. Cur Geſneri purpuream huc referat, non occurrit: nam quam vidi purpureo flore, nec ſcio an talis tradita ſit ab aliquo autore: minor ſanè dicitur purpurea.

*Synon.*

*C. Bauh.*

Lugd. Pervincam majorem Lobelij peramœnâ florum duplicatione variare ſcribit, ſed præter Lobelij opinionem, qui hanc ab ea ſeparat, nec confundit ut Lugdunenſis. Hanc nec purpureo, nec pleno flore obſervavimus unquam.

*Hiſt. Lugd. lapſus.*

Spontè naſcitur, cùm multis Hiſpaniæ locis, tum in Narbonenſi Gallia, magnâ præſertim copiâ circa Monſpelium, toto ferè anno florens, ibi ſpontanea floribus etiam albis quà itur Frontignanum.

*Locus.*

APO-

## APOCYNON VETERIBVS.
### Cap. XVI.

*...ſcoridis ...o Vet.* Apocynon, inquit Dioſcorides, aliqui Cynanchon [*κυνάγχον, κυνάγχην, vet.*] nonnulli Pardalianchen [*παρδαλιαγχές*] alij Cynomoron [*κυνόμορον, κυνόμορφον, Ald.*] alij denique Cynocramben [*κυνοκράμβην*, h.e. Braſſicam caninam, *vet. his caret,*] appellant. Eſt verò frutex [*θάμνος, vulg. exempl. ἔρνος, germen*] longis [*μακρὰς, ſunt qui μικρὰς, legerint*] conſtans virgultis, vitilium modò obſequioſis [*λυγώδεις flexibilibus, δυσώδεις add. Ald. grave olentibus*] fractúque ferè invictis: foliis Hederæ, attamen mollioribus & per extremum acutioribus, gravíque odore, quadantenus viſcoſis, & luteo ſucco turgentibus: fructus ceu Fabarum ſiliqua digiti longitudine protenditur, folliculari ſpecie, minutis intùs ſeminibus, duris [*σκληρὰ*] parvis [*σμικρὰ*] atque nigris [*μέλανα, pro qua voce Ruell. ex Marcelli textu, λευκὰ alba legit. vetus autem, duris, parvis atque nigris omninò caret.*] Hujus folia cum farina ſubacta [*στέατι, adipe leg. non σιτί. Fab. Colum.*] in panes coacta & in cibo data, canes, lupos, vulpes, & pantheras necant, ac protinus earum quadrupedum coxendices reſolvunt. Alij inter rejectanea Dioſcoridis apud Corn. Pardialanches, alij Cynoctem, alij Phaleon, alij Oligoron, alij Hippomanes, alij Oniſtin, alij Ophioſcorodon, alij Cynaricen, alij Elaphoſcorodon; prophetæ Paralyſin; Romani Braſſicam ruſticam aut caninam vocant. A vi & effectu nomen accepit hæc planta, inquit Columna: quæ quia interimit, nomen à canibus habet, ἀπὸ τ̃ κυνὸς, ἀπόκυνον dicta; cui vi reſpondent etiam nomina alia κυνάγχον, κυνόμορον, κυνοκτόνον, & κυνοκράμβη. addiderunt etiam à vi necandi Pantheras, παρδαλιαγχές. Hanc verò, ut ab hominibus caveatur, quia venenoſa ſit, atque ne pro Aſclepiade, à ſimilitudine decepti accipiant, Dioſcorides ut alia quædam venenoſa diligenter deſcripſit: atque notam illi privatam ab Aſclepiade alienam adſcripſit, luteum ſcilicet ſuccum, quo turgere aſſerit.

Apocynum ex Plinio videtur homini ſalutare, quadrupedibus venenum eſſe. Galenus verò contra ait Apocynum ſive Cynocrambe, vocatur à *...omoron* quibuſdam Cynomoron, quoniam canes celerrimè necat. Eſt autem hominibus venenum, herba valdè graveolens, & omninò calida non ingenerosè: non tamen juxta proportionem ſicca. Quare etiam impoſita, multam diſcutiendi vim habet. Hæc Galen. 6. ſimpl. pharmac. Ex quibus ego, inquit Cornar. moveor, vt non rectam eſſe putem Plinij lectionem, ubi lib. 24. cap. 11. ſic habet. Sic & pleuriticos, & omnes lateris dolores, Apocyni ſemen ex *...nij lectio ...rig.* aqua, ſcilicet ſanat. Quum enim Dioſc. nullum eius uſum ad humanum corpus præſcribat. Et Galenus venenum eſſe hominibus dicat, & extra ſolùm corpori impoſitam, diſcutiendi vim habere aſſerat: meritò ſuſpectum eſt Apocyni ſemen, ut ex aqua bibatur. Ego itaque verba: ſic & pleuriticos, & omnes lateris dolores ex aqua: ad præcedentia pertinere puto, quæ de Radicula traduntur, ita ut ſequatur, Apocyni frutex eſt folio Hederæ, molliore tamen, & minùs longis viticulis, ſemine acuto, diviſo, lanugi noſo, gravi odore: canes & omnes quadrupedes necat in cibo datum. Et hæc Dioſc. ſententiæ conſona ſunt. Aliqui fortè non abs re Plinium interpretantur, ut Apocyni ſemen ex aqua, intelligatur impoſitum, nam digerendi cùm habeat facultatem, poterit lateris dolores ſanare: ſed certè intrò ſumptum Plinius intelligere videtur, cùm ad ſuperiorum ſimilitudinem dicat. Sic, &, &c. Hoc tamen periclitatoribus eſt relinquendum. Cæterùm cur Cynocrambe, quaſi canina Braſſica, item Braſſica ruſtica nominetur à quibuſdam, non video inquit Geſn. niſi quòd ſiliquas proferat ſimiles fortè Braſſicæ marinæ, cui ſimilia habet folia, nempe hederacea: ſimiliter etiam ſucco turgeat, quamvis Apocynon luteo, illa candido. Habent inſuper ramulos ſimiles, nam quales Dioſcorides Apocyno tribuit, longos & lentos: tales ipſe in Braſſica marina, id eſt, Soldanella vulgò dicta obſervavit. Apocyno (quod *Apocynum Matth.* Matthiolus depingit. ex Ægypto autem primùm à Bellonio invectum & demonſtratum arbitror) prorſus congenerem herbam illam exiſtimo, quam aliqui ridiculo nomine, Noli me tangere vocitant. *Noli me tangere.* Notandum porrò aliam eſſe Cynocrambem Apocynon dictam, prorſus venenoſam quam hoc loco Dioſc. deſcribit: aliam Cyniam, quæ item Cynocrambes cognominatur. *Cynocrambe.*

Cæterùm Apocyni nomine donatæ ſunt ſequentes plantæ: Apocynon ſiue Periploca ſcandens folio longo, purpurante flore, lacteo ſucco, cujus & altera ſpecies Cluſio, anguſtioribus foliis, quæ Anguillaræ Apocynum alterum. Apocynon Dioſcor. *Secamone.* ſunt qui ſuſpicentur eſſe Secamone Ægyptiorũ flore albo. Eſt & aliud Apocynon folio rotundiore, *Apocynum rotundius.* Apocynon Matthioli non repens. Apocynum latifolium amplexicaule tertium Cluſio, eſt Lobelin *Apoc. latifolium.* Apocynum ſiue Periploca prior. Apocynum 4. latifolium Cluſij eſt Scammonia Monſpelienſis. Apo- *Scammonia Monſp.* cynum Syriacum ſiue Paleſtinum Beidelzar Alpino. *Beidelſar.* Apocynum Dioſc. Fabio Columnæ, aliis herbariis *Aſclepias flore nigro.* Aſclepias flore nigro quorundam. Apocynum arbitrantur, inquit Turnerus, quidam Itali eam, quæ *Aſclepias multorum.* Hirundinaria dicitur, ſed eſſe non poteſt. Inſcribitur hæc à nobis, Aſclepias ſive Vincetoxicum multis. Per Hederam arboream ſunt qui intelligant *Hedera arborea.* Apocynon Dioſcoridis, minùs rectè.

## APOCYNVM SIVE PERIPLOCA
### ſcandens, folio longo, flore purpurante.



*Deſcr.* Topiarii operis uſibus ad pergulas obumbrãdas expetita eſt anadendras hæc planta, non aliter ac Periclymenon vicina adminicula ſolita ſcandere, vicinis pedamentis ſeſe convolvens (unde Periplocâ, quaſi circumplectens, eò quòd proxima amplexetur, dicitur.) multis longiſſimis ſarmentis, quibus teſte Cluſio, & iam præaltarum arborum (ſi vicinas nanciſcatur) cacumina ſuperat: ſunt verò ea ſarmenta dura, lignoſa, lenta, fractu invicta, rutilantis ex fuſco coloris, multis nodis ſiue geniculis diſtincta: è quibus bina folia oppoſita, Aſclepiadis, *Aſclepiadis* ſed ex minùs lato principio ſenſim dilatata, ex intervallis, lacteo prægnantia ſucco: in mucronem acutum paullatim faceſſentia, obliquis à medio nervo venulis ciſ margines deſinentibus ut in Myrto laurea, quarũ extremitates colligit vena totum ambitũ circumcurrens viridis; flores extremis ramulis lateralibus quaterni, quini, aut plures; veluti umbellam cõficiũt, quorũ ſinguli quinq; foliis radiatis conſtãt,

quæ infernâ parte glabra ex luteo vireſcunt, ſuperiore verò hirſuta, obſoletâ purpurâ (cujus mediam aream rhomboides macula viridis obtinet) tincta ſunt, oris vireſcentibus: quà verò foliorum concurrunt exortus, corollam efformant vegetioris purpuræ, quinque ejuſdem coloris ſtaminibus intrò recurvis emiſſis, omnium autem medium occupat quinquepartitum villoſum albidum capitulum; floribus porrò ſuccedunt ſiliquæ Rhododendri oblongæ, toroſæ, geminæ ut plurimum & extrorſum aliquantulum inflexæ ſive divaricatæ, deinde mucrone coaleſcentes, quibus dehiſcentibus papposâ lanugine involutum ſemen apparet; radix latè ſe ſpargens & ſubinde germinans.

*Rhododendri ſiliqua.*

*Synon. Periplocæ.*

Matth. Apocynum, Periploca non modò repens, ſed & arbores proceras ſcandens. Cam. ep. & hiſt. & hort. Apocynum repens, vel potiùs ἀναδενδράς. Arbores enim ſcandit, & admodum altè creſcit. Gignitur in Græcia, ubi vocant περιπλοκάδα: lacteum ſuccum emittit & folia ac ſiliquas profert inſtar Oleandri. Dod. purg. & hiſt. Periploca altera repens dicta, caulibus perennibus defluentibus foliis, unde repentis fortaſſis cognomen: floribus haud magnis, quinque foliolis albicantibus: rara Belgio, & quidem ut Matth. ſcribit, etiam Italiæ ex Syria iſtuc affertur; ad Dioſc. Apocynum referenda. Hanc plantam Dodonæo non fuiſſe viſam florentem ſatis demonſtrat quod annotavit de floribus. Ang. Apocynon alterum. Lob. Periploca ſerpens anguſtiore Periclymeni folio. Columm. Apocynum alterum & Apocynum repens vulgare. Cluſ. hiſp. Apocynum 2. amplexicaule. Eid. hiſt. Apocynum 2. anguſtifolium. B. phyt. Apocynum 2. ſive repens, purpuraſcente flore: Eid. pin. Apocynum 2. folio oblongo: Apocynum repens, Matth. Lugd. & Cam. Apocynum foliis Oleandri, Ang. Periploca, Cæſ.

*Repentis cognomen.*

*Locus. Tempus.*

Semine ex Italia accepto Cluſio nata eſt, cùm in Belgio, tum Viennæ Auſtriæ, perenníſque eſt, deciduis tamen hieme foliis, feriùs flores producens, quàm ut fructus ad maturitatem (quemadmodum & Rhododendri) pervenire poſſet. Apocynum vidi Patavij in horto D. Cortuſij, menſe Ianuario ad magnam altitudinem circumvolvens palos, verùm tunc erat ſine foliis. Rauvvolff. miſit ſemen Auguſta pro Periploca repente ex monte Libano: ea primo anno vix dodrantalis, ſequenti duos homines ſuperavit, ſe involvens foliis longis ad Nerium accedentibus, quibuſdam tamen latioribus in acutum deſinentibus: pulchra viſu planta, ſucco lacteo turgens, necdum tertio anno florem proferens: etiamſi in altiſſimam evaſerit: hiemem facilè fert: interdum tamen gelu corrumpitur remanente radice.

*Periploca repens.*

## APOCYNO AFFINIS SECAMONE flore albo.

*Deſcr.*

PLanta eſt repens, altiùs ſaliens, ſéque aliis arboribus convolvens, foliis duris, longis, Seſeli Æthiopici proximis, ſed majoribus; flores fert albos ſtyracis ſimiles, à quibus producuntur ſiliquæ; longæ ac craſſæ, quales in Rhododendro cernuntur, plenæ lanugine albâ, ac ſeminibus parvis. ex hac planta ſuccus emanat flavus, urens, quem ſiccatum Ægyptij valenter tenues humores purgare aiunt.

*Styracis flore. Rhododendri ſiliquá.*

Ægyptij referente deſcriptionis autore Alpino, Scammonij ſpeciem affirmant quam Secamone appellant, cujus tamen nullum uſum in medicina apud eos novit. Hanc plantam Apocynum Dioſc. eſſe ſuſpicatur Guillandinus eamque putat, quam aliqui è Syria veniſſe, Periplocam vocatam prodiderunt.

*Scammonij ſpecies.*

*Apocynum Dioſc.*

*Periploca.*

Cluſ. hiſp. Apocyni alterius genus 2. Eid. hiſt. Apo-



cyni ſecundi ſive anguſtifolij ſpecies altera per omnia ferè ſimilis Apocyno anguſtifolio dicto: ſed tenuioribus ramis, multoq; anguſtioribus foliis, non minùs tamen viridibus & nervoſis. B. phyt. Apocynum 3. ſive anguſtifoliũ albo flore. Eid. pin. Apocynum 3. anguſto Salicis folio.

Spontè hoc Apocyni genus naſci non viſum à Cluſio, ſed in hortis ſemine ex Italia miſſo ab eo cultum.

## APOCYNVM FOLIO ROTVNDIORE, flore ex albo palleſcente.



*Deſcr.*

BREVIS frutex eſt ſtirps hæc neque proximis ſe advolvens, verùm ſuis nixa viribus recta ſtat, in plures ramos diviſa, cortice cinereo: folia ad ſingulos nodos ex adverſo bina naſcuntur, hederaceis ſimilia, non anguloſa, modicè acuminata, craſſa & mollia, uncialibus & ſextantalibus pediculis hærentia, ſuccum remittentia ex albo palleſcentẽ, ex quorum ſinu flores ubertim emicãt longis innixi pediculis, umbellam quodãmodo ementientes, candidi è quinis oblongis foliolis contexti.

*Folio hederaceo.*

Hanc Cluſ. ita deſcribit: Hujus ſtipes pollicari eſt craſſitudine, brevis, cineraceo cortice tectus, in plures alas ſive ramos diviſus, qui licèt lenti ſint & viminei, raró tamen vicinis fruticibus ſeſe advolvunt, aut implicant, ſed nullo adminiculo egentes, per ſe ſubſiſtunt: folia perpetuò gemina inter ſe oppoſita, ad ſingulos ramorum nodos adnaſcũtur hederaceâ formâ, molliora, quãvis ſatis carnoſa, quibus avulſis aut fractis, ex albo palleſcẽs ſuccus emanat: flos puſillus, albus, Aſclepiadis non diſſimilis, ex alarum ſinu quaſi umbellatim prodit. Fructum (inquit is) non obſervabam, ſed Aſclepiadis fructui penè ſimilem intelligebã; ſemẽ certè quod hoc nomine aliquando ad me miſsũ fuit, Aſclepiadeo par erat, planũ, in medio aliquantulum intumeſcẽs, nigrum, albâ interiore pulpâ, quod terræ cõmiſtum, nõ eſt natum. Plantam autem ipſam ſatis craſsâ radice, pingui ſucco turgidâ & fragili accipiebam à C. V. Alphonſo Pancio, Ferrariæ Ducis Medico & Academiæ profeſſore.

*Deſcr. Cluſ.*

*Aſclepiadi flore fruct. & ſemine.*

Apocynon, quod & Braſſicam caninã appellant, etſi diu Matthiolo quidem incognita fuerit, adeò ut eam inter alias incompertas ſtirpes in ampliſſimo naturæ viridario poſteriorum explorationi relinquẽdam putarit: anno tamen 1554. è Piſis Lucas Chinus duas ad ipſum miſit ſiliquas, Rhododendri ſiliquis admodum ſimiles: quarum alteri inſcriptum erat Periploca

*Braſſica canina.*

ploca repens, alteri verò Periploca non repens, fortaſſe quòd ita Syri eas nominarint: inter eas tamen hæc erat differentia, quòd repentis Periplocæ ſiliqua eâ ſanè longitudine conſtabat, quâ & Rhododendri, gracilior tamen erat: alterius verò brevior. E longiori ſata plantam proveniſſe ait, quæ non modò humi reperit; ſed & arbores quantūvis proceras ſcanderit: è breviori verò aliam, quæ notis omnibus Apocynon retulerit. Vtraque porrò non minùs lacte abundavit, quàm Tithymali omne genus: verùm id repenti omninò album fuiſſe: non repenti verò ſubcroceum. Hinc itaque factum eſt ut Ghino planè ſubſcripſerit, & hanc cui omnes prorsùs notas adſtipulari credidit, Apocynon eſſe certò affirmarit. Siliquas autem, quas huic ſuo Apocyno appinxit, fictitias fuiſſe, in comm. It. & lat. cum mag. fig. demonſtravit, ut in quibus eas, & meritò, mutarit.

*...igna figura Matth. fi...tia.*

Apocyni prima ſpecies, inquit Anguil. multas habens notas reſpondentes, Apocynon eſſet, ſi occideret canes; Periplocadis nomine intelliguntur omnes plantæ amplexicaules: nec eſt nomen particularis plantæ, ut quidam exiſtimarunt.

*...riplocas ...men generale.*

Cluſio ad veterum Apocynum, quod Dioſcorides etiam à nonnullis κυνοκράμβην appellari ait (differentem tamen à Cynocrambe, de qua peculiari capite agitur) ante deſcriptæ plantæ & ſequentes referendæ videntur, ſed hæc, de qua hîc agimus, omnium maximè. Eſt autem ei hiſp. Apocynon 1. Eid. hiſt. Apocynū 1. latifolium. Lob. adv. & ic. Apocynum, Periploca græca foliis latioribus hederaceis: Obſ. Apocynum, Periploca græca, Apocynon Guillandini, Matth. & Italorum, Cynocrambe Galeni, & Cynomorus Adverſariorum. B. ph. Apocynum 1. ſubrotundo folio, non repens: Eid. pin. Apocynum 1. folio ſubrotundo: Apocynum, Matth. Ang. Geſn. h. Lac. Lugd. & Caſt. Cynocrambe, Lon. Apocyni alterum genus, Cam. Periploca repens, Cæſ. Dixerat Bauh. in phyt. non repentem, quod in pin. ſilentio involvit, & ex Cæſalpino repentem facit. Quondam ex horto Patavino allatam, nominavit Apocynon Dioſcoridis, & Zingiber caninum Avicennæ, Guillandini.

*...nom.*

In horto Ill. E. C. (unde delata nunc non recordor) quotannis floret, ſed ſiliquas hactenus anno 1600. à multis annis non protulit; conſervatur in vaſe & hieme reponitur. Cluſius eam Viennæ Auſtriæ alebat, hieme quidem folia abjicientem, illius autem inclementiam facilè ferentem.

*...ocus & ...empus.*

Mauritius Thaurer, Laurentius Hyperius & Ioh. Krug, Doctores & Cancellarij Ill. Princip. Guilhelmi Landgravij teſtantur apud And. Bertholum de Terra ſigill. & Cluſ. c. de Apocyno, ſe Apocyni 3. ſ. dediſſe cani, qui poſt ſemi-horam, licèt partem evomuerit, nihilominùs poſt ſymptomata crudeliſſima convulſionibus & tremoribus interierit: alterum verò canem, qui cum Apocyno partem Terræ ſigillatę equalem devorarit tribus poſt ſumptionem horis debilem utcunque fuiſſe, poſtero tamen die convaluiſſe, & maximo cum appetitu ediſſe, ut ſumpri veneni vix minimum ſignum apparuerit. Hiſtoria hæc revocat nobis in memoriam quod evenit Mōtbelgardi gubernante Nobili D. Io. Iohemio à Mundelzheim ſummo pręfecto: Quidam ſe Chymicos dictitantes, quùm perquirendo Chryſopœam, aurum ſuum reddidiſſent totum potabile & comeſtibile & fame penè perirent, voluerūt ex Medicina quæſtum facere, quod conſuetū ejuſmodi impoſtoribus Chryſopœis. Terram igitur Sileſiacam ſupra dictam, ac ut ſuſpicamur à prędicto Bertholo nacti, magno pretio divendere conabantur, pollicentes utilem adverſus omne venenum. Sed eorum pollicitatio flagris digna erat: hoc enim per experientiam tractare non poterant: imperante enim Præfecto noſtro duabus gallinis data radix Napelli (verùm nimis in parva quantitate) nullum illæ nocumentum expertæ eo per ſe, vel cum Terra ſileſiaca aſſumpta: dato autem Sublimato utraque periit, eâque citiùs quæ terram aſſumpſerat, quæ enim non ſumpſerat vomitu partim rejecto veneno diutiùs ſupervixit, altera cùm non potuerit evomere, terrâ conſtipante fauces, citiùs periit. Quare nulli intoxicato conſulimus dandam Sileſiacam terram, nec veram Turcicam, ante rejectum venenum per vomitum, niſi parvâ quantitate cum multo liquore ad movendum vomitum. Conſiderandum an Andreas Bertholus non deceperit medicos: fortè (quod non declarat ipſe, nec Cluſius) terram ſigillatam exhibuit cum multo liquore, unde calida veneni vis infracta & vomitus facilior ſubſequutus: quod fortè commodius præſtitiſſet ſola aqua tepida, vel cum oleo, aut butyro, aut melle, aut Oxymellite & ſimilibus: lectores videant impoſturam quam deſcripſimus lib. 4. hiſt. n. g. de Ligno Nephritico cæruleo & flavo tingente.

*Vires. Venenata... Impoſtura.*

## APOCYNVM LATIFOLIVM amplexicaule.



Longis, tenuibus, & frequentibus ſarmētis proxima quæque ſcandit, multiplici circūvolutione & arcto nexu illa amplectens, viridibus, geniculatis, foliis Hederæ mollibus, ſubcineracei coloris, lacteo ſucco, ut etiam ſarmenta, adeò turgidis, ut vel læviſſimo vulnere, non minùs copioſè, quā ex quovis Tithymali genere proſiliar. Flores ex alarum ſinu multi umbellæ ferè in morem prodeunt, candidi, parvi, quinque foliis perinde ac Aſclepiadis flores conſtantes: ſiliquæ præterea ſimiles, multo tomento & lanugine plenę, quâ ſemen occultatum planum, ex cineraceo fuſcum, Aſclepiadeo ſemini par. Moleſtiſſimæ huius radices, quæ ſarmentoſæ & fibroſæ admodum, eâdem ferè craſſitudine longiſſimè hac illac ſerpunt, & latè vicina circum loca occupant, candidæ alioqui & fragiles, adeò tamen vivaces, ut, ſi vel minima fibra ſub terrâ latens oculos illam eruentis effugerit, proximo Vere germinare, & vicina loca occupare conſpiciatur. Itaque, non minùs exoſa hæc planta rei herbariæ ſtudioſis, quàm Ariſtolochiæ & Clematidis illud genus, cui vulgus Sarracenicæ cognomen impoſuit. Hujus cauliculi & ſarmenta hieme exareſcunt & pereunt, ſed novo Vere alia & frequentiora germinant.

*Deſcr. Hederæ ſoliis. Aſclepiadis flore, ſiliquâ & ſemine.*

Apocyni 3. latifolij ſiliquas ſemine plenas paucos annos poſt meum (inquit Cluſ.) ex Hiſpaniis in Belgicam reditum, Pinciā uſque mittebat Ioannes de Ioigny Fabricarum iſtic Præfectus, hiſpanicâ inſcriptione additâ, *que trepa por los arb les*, h.e. per arbores repit: poſtea radicibus adeò multiplicata eſt, ut nemo eſſet in univerſo Belgio rei herbariæ ſtudioſus, qui eam ex ſuo horto penitùs erutam non cuperet.

*Apocyn. 3. latifol. Cluſ.*

*Apocynum Dioſc. Dod.* Dod. Periploca prior, potiſſimùm ad Dioſc. Apocynum referenda, rara Belgio, & quidem ut Matthiolus ſcribit, etiam Italiæ ex Syria iſthuc allata. Nos Matthioli Apocynum ad hanc non referimus, potiſſimùm quoad iconem.

*Scammonij Monſp. varietas, Lob.* Lob. Obſ. Scammonij Monſpeliaci varietas: Apocynos ſive Periploca prior Dod. & Belgatum quorundam. Cognatæ figuræ & naturæ eſt cum Scammonio Monſpelienſi flore, ſucco, viticulis & longo radicis reptatu ſubtus hincinde porrecta, quæ adeò vivax eſt, ut ſemel in hortos aſcita, vix truncari deleríve queat, etiámque fruſtillo tantillo relicto repullulet: ſed foliis longioribus, ſiliquis verò & ſemine Vincetoxici cujuſmodi è littoreis Adriatici ſinûs & mediterranei maris in hortis Belgicis alitur.

C.B. phyt. Scammonium 3. & Scammoniæ affinis. Eid. pin. Scammonea 3. Scammoniæ Monſpel. affinis, foliis acutioribus: Apocynum 3. Cluſ. hiſp. 3. latifolium, Eid. hiſt. Scammonij quoddam genus, Cæſ. Volubilis marina, Tab.

*Scammonea Cluſij.* Frater C. Bauh. miſit ſemen (quale fuerit non recordor) nomine Scammoneæ Cluſij, quod ſecundo anno non tulit florem; folia erant cinereo colore, craſſa, turgentia lacteo ſucco, acri, acutiora & minora quàm in Monſpelienſi, niſi immutet ætate formam: protulit hiemem unam in horto Montbelgardi, tandem periit; fortè hæc eſt Apocynos modò à Cluſio tradita: ſuſpicor me hanc etiam collegiſſe Lutetiæ in horto Robini pro Scammonia Monſpelienſi.

## SCAMMONEA MONSPELIACA flore parvo.



*Deſcr.* IN longis, teretibus, tenuibus, hicubitalibus ſarmentis, vicina quæque amplectentibus, ramoſis, vel ut ait Lobel. loris reptantibus & ſtratis humi viticulis, vel piſcatorum attegiis & Tamariſcis advolutis quinum cubitorum; folia naſcuntur oppoſita, *Aſari folio.* Ariſtolochiæ, Clematidis vel Aſari, falcata ad pediculum, in mucronem deſinentia, lata, denſa, glabra, albida, unciâ longioribus pediculis hærentia, ſucco lacteo prægnantia; flores ex foliorum ſinu pediculo orto multifido inſident plures confertim congeſti, parvi, ſtellati, albi; ſemen Lobelio anguloſum in utriculo minore quàm Ariſtolochiæ. Radix longa, digitali ferè craſſitudine, alba: longo inquit Lobelius reptatu, multùm fibroſa, ſucculenta veluti reliqua planta.

*Convolvuli genus.* De hac Cluſius: Convolvuli genus obſervabam non multùm diſſimile proximè deſcripto Apocyno, cùm in ſarmentoſis ramulis, tum ſoliis quæ magis quidem orbiculata: in mucronem tamen deſinentia, cineracei coloris. Tota etiam planta lacteo ſucco prægnans & vicinarum ſtirpium cauliculis ſeſe implicans, cujus ſemen mihi nō conſpectū. Ejus autem iconem, qualis iſthic flores & ſine radice à Cluſio fuit picta, ſtudioſorum oculis ſubjicere libuit.

*Synon.* Lob. Adv. Scammonium, Volubilis marina communi Pharmacopœorum conſenſu facta, cujus flos à Volubilium omnium floribus differt: Eid. Obſ. & ic. Scammonium Monſpelienſe. Apud Cord. in hiſt. lib. 4. c. 109. hujus Scammoneæ pictus eſt ramulus, quamvis Cordus ejus eo loco mentionem non facit. Geſn. h. Monſpelienſis Scammonia quædam floribus exiguis. Rauvvol. Scammonium Monſpelienſe, incolis Tripolitanis Meudhendi; Razi lib. ad Almanſorem Cotizyola. *Meudhendi. Cotizyola Razi.* Cam. h. & Lugd. Scammonea Monſpelienſis maritima. Cluſ. hiſp. Scammonea Valentina & Monſpeliana: Eid. hiſt. Apocynum 4. latifolium & Convolvuli genus: Valentinis & Mompelianis Scammonia dicta, plurimùm tamen à legitima Scammonia diſtans. B. phyt. Scammonia 2. ſive Monſpeliaca: foliis rotundioribus, Eid. pin. Scammonia Monſpelienſis, Eyſt. Scammonea Valentina, Tab. Ger.

*Locus & Tempus.* Lob. copioſiſſima toto illo littore & ſabuleto, ab uſque Rhodani oſtio ad aquas Marianas & Sinum Agathorſen; flores fert Iunio & Iulio. In regni Valentini & Narbonenſis Galliæ maritimis, præſertim littore illo, quod inter Volcarum ſtagnum & mare Mediterraneum eſt, herbidis locis Cluſius obſervabat. Ego Monſpelij in maritimis copioſam vidi, florentem menſe Auguſto.

*Adulteriū Scammonij.* Maſſilienſes cum ſucco iſtius herbæ & Colophonia, adulterant Scammonium tam exactè, ut vix cognoſci queat. Succo lacteo concreto (quo multo tota turget) purgationes moliebantur, ſed majore doſi [*quam Scammonij*] & minore effectu: quippe ſucco *Vires.* nihil additum erat, ſed coctione coactus niger vel ſuſcus erat.

## BEIDELSAR ALPINI SIVE APOcynum Syriacum. CAP. XVII.



*Deſcr. fructûs.* ALpini munere Patavio retulit D. Cherlerus Beidelſaris fructum, qui oblongus, pugnum craſſitudine æquat, pediculo hærens unciali, craſſo, tereti, duro, incurvo: cortex extimus membraneus, viridis, inferiùs croceus qui tenuem alutā elaboratam æmulatur: utrunque committūt filamēta villos muſci arborei referentia: integrum denique ſinum totius fructûs implet tomētum, velleri holoſerico mollitie neutiquam cedens, colore candidum, ſemine involuto Cucurbitini forma, dimidio minus, compreſſiore, ſuſco, pulpâ albicante, ſapore amaro.

*Deſcr. plantæ.* Eſt autem plāta ipſa, uti ſcribit Alpinus herbacea, fruticoſa, multis ſtolonibus ab radice rectis, ſurſum ad duorum ferè cubitorum altitudinem ſe extollēs; *Aloes folio.* foliis latis, oblongis, ut Aloës folia, craſſis & candidis, ex quibus diſſectis lac album manat, totaq; planta lacte abundat: flores fert croceos Ranunculi floribus proximos, *Ranunculi flore.* fructus bini invicem alligati pēdent latis hominis teſtibus ſimiles in quib⁹ alba lanugo, *Lactucæ ſemine.* ſemina parva, lata, Lactucæ ſeminū æmula cōtinētur.

Quia

*hriſtoph. Veixij latio.* Quia autem elegans hæc planta in terra noſtra exſul ut plurimùm eſt, non abs re erit, ut aliorum de ea obſervationes addamus. Aſſurgit autem, referente Chriſtophoro VVeixio, ad duorum cubitorum, vel etiam ampliorem altitudinem, ſatis craſſo ſtolone, in aliquot ramos diviſo, qui multo ſucco ex candido palleſcente ahundant. Quantum verò ex reſiccatæ plantæ patte (quam ipſe VVeixius ex Ægyptiacâ, Syriaca, & Conſtantinopolitana pe- *uſ. deſcr.* regrinatione redux, mihi, inquit Cluſius, Viennæ Auſtriæ communicabat cum uno fructu, colligere potui, ſtriato eſt caule, cui alternatim bina ſemper, contrariis inter ſe pediculis innaſcuntur folia ſatis magna, craſſa, & quodammodo cutacea, ex viridi palleſcentia, aliquot netvis, ex mediâ coſtâ fatis craſsa ſe ſpargentibus, prædita, obtuſo mucrone, gtavis odoris, tenella folia extremis ramis adnaſcentia, prorſus incana ſunt: ex foliorum alis alternatim emergunt ctaſſi & longi ramuli bifidi, ſuſtinentes aliquot flores longiuſculis petiolis innitentes, unico quidem folio conſtantes, ſed quinque profundis inciſuris diviſo, inſtar florum Apocyni, Aſclepiadis & multorum aliorum, coloris, quantum conjicere licebat, ſoris palleſcentis, internè obſcurè & obſoletè purpuraſcentis: quibus ſuccedunt ſingulares, binæ, aut ternæ craſſæ, incurvæ, binas uncias longæ filiquæ, quibus hiſcentibus, ſub ſummâ ſiliquæ cute, incluſa apparent membranaceo involucto, frequentia & quaſi imhricatim diſpoſita gra- *pocyni ſemine.* na plana, qualia ferè Aſclepiadis, & Apocyni vulgaris ſemina, quorum extremæ & anguſtiori parti inhæret candidiſſima & molliſſima quædam villoſa materia. Sítne perennis an non, nihil affirmare poſſum. Qualem autem à VVeixio accipiebam plantam, ut com nodiùs deſcribere poſſem, paululum in aqua macerabam; deinde craſsâ minervâ delineabam, obſervatâ in fructu addito eâ proportione, ut dimidio minorem exprimerem, quàm ille qui à *idſar.* VVeixio mihi donatus. Beidſar ab incolis appellari dicebat. Cùm autem multas notas habeat Apocyno *pocynum riacum Palæſtinum.* non diſpares, non ineptè, meo judicio Apocynum nuncupare poterimus ſive Syriacum, ſive Palæſtinum, & fortè etiam Ægyptiacum; quandoquidem in Ægypto, ut poſtea dicemus, creſcit. Non dubium eſt quin ea ſit, quam Alpinus Medicus c.25. libri quem de Plantis Ægyptiacis evulgavit, & cir- *idelſar.* ca Alexandriam Ægypti obſervatam deſcripſit Beidelſar nomine.

*onor. Bel. relatio. ſar.* De hac porrò planta conſulamus Honor. Bellum, qui multa, diligenti obſervatione digniſſima memoriæ prodidit; cujus verba hæc ſunt. Oſſar frutex eſt ſtolones multos à radice proferens rectos, rotundos, leves, geniculatos, quibus circa genicula inſunt folia longa, rotunda, craſſa, per quorum medium nervus excurrit albus, è quo utrinque venæ exeunt diversâ foliorum parte ſatis conſpicuæ, folia autem ex intervallis bina ſemper inter ſe oppoſita fine pediculis ſtolones undique ambiunt, ex quorum alis multi rami nunc erumpere incipiunt, non quidem ex omnibus, ſed alternatim, ita ut ſi, à primo initio ſumens, lineam ab uno ad alium ducas uſque ad ultimum, perfectiſſimè lineam helicen deſcribes. Radice firmatur validâ in multas fibras divisâ, luteos flores profert, fructúſque Mali magnitudine, cordis figutâ, colore virides, binos aut ternos ex uno pediculo pendentes, in quibus femina lata, lanugine quadam molliſſimo candidiſſimóque ſerico ſimillimâ involuta: Caules & folia incana ſunt, lanugine quadam tecta, ut craſſiore quapiam farinâ tota planta conſperſa videatur, quæ imbribus eluitur, cóque tempore folia & caulis colorem ex viridi ad album tendentem contrahunt: pats caulis radici proxima albo cortice tecta eſt, fungoſo, rimis diſſecto, ut Sambuci caulis videri poſſit, & illius inſtar multa medulla alba refertus eſt. Stolonum cortex & foliorum nervus copioſo lacte amaro & acri abundant: breviter tota planta aſpectu pulcra eſt, & quas in fictilibus ſervo ſemine ex Ægypto accepto natas, ad trium cubitorum altitudinem jam excreverunt, foliáque hieme retinent: nondum autem vel flores, vel fructum tulerunt. Planta hæc in Ægypto vulgariter Oſſar appellatur, fructus verò Beid el oſſar, hoc eſt, ovum ex oſſar, *Beid el oſſar.* aut Italicè *Ovo del oſſar. Beid* enim Arabicè ovum ſignificat, & *el* eſt articulus, qui Italicè dicitur *del*. Hujus fructûs lanugine pulvinaria implent, lacte au- *Vſus.* tem coria depilant. Sine dubio, hæc planta illa eſt ſuper quam Avicenna & alij Arahes Saccharum Alhuſar (mannæ ſpeciem) inveniri ſcribunt: & quam Serapio ex Abaniſæ ſententia, Mutono interprete deſcripſit his verbis: Haoſer, ſeu Alaſer, ſeu Alhu- *Haoſer. Alaſer. Alhuſar.* ſar, planta eſt quæ lata habet folia, ſingulis annis ſuccreſcens. Saccharum ex ramis extillans, & à foliorum cavis quod copioſiſſimè legitur, non parum quidem amareſcens: póma profert camelorum teſtihus non diſſimilia, à quibus res quædam cauſtica, aduréńſve emanat, cauteriis maximè accommoda, ex qua etiam & culcitræ, & pulvinaria fulciuntur, planta cujus Cherca nuncupatur: folia autem Hao- *Cherca.* ſer inciſa humorem deſtillant in Maio colligi ſolitum, in quo coria depilantur, adeóque exſudat, ut vas quàm capaciſſimum ex una, vel altera expreſſione adimpleatur: lignum verò Haoſer leve eſt, craſſum, erectum, pulcherrimum, ut non injuriâ in ſuis catminibus tum hrachia, tum crura formoſarum ſanè mulierum, ligno Haoſer Poëtæ bellè comparent. Eſt & alia planta Haoſer nominata ex Tithymalo- *Haoſer aliud genus.* rum quidem genere. Hæc Serapio. Sed animadvertendum eſt, veterem Serapionis interpretationem rectiùs huic plantæ quadrare, quàm Mutoni, ut utramque cum noſtra conferenti facilè patere poterit. Deſcribitur etiam hic frutex ab Abembitat Medico Arabe Hiſpano, in ſua Simplicium hiſt. & à Malahyſah Medico Perſa, qui Abemhitaris hiſtoriam in Epitomen contraxit: quorum libros manuſcriptos apud Haym Abenxuſem Medicum Hebræum Hiſpanico ſermone vidi, qui mihi Oſſatis hiſtoriam ex eorum ſcriptis ad verbum hoc modo humaniſſimè interpretatus eſt. Oſſar frutex eſt Tithymala- *Alia Oſſaris hiſtoria.* ceus, longus & parte ſuperiore tenuis, folia habens lata, ſuper quæ decidit manna quæ *Zuccar el Oſſar* vocatur (florem fert Oleandro ſimilem) hoc addit Malahyſah: Abembitar enim nullam floris mentionem facit, ſed fructûs duntaxat: folia ipſius plana & levia ſunt, caulem habet viridem, concavum: fert fructum quendam ſimilem ſacculo pendenti, qui intus continet particulas albas unas ſuper alias, quibus utuntur Arabes ad accēdendum ignem, nihílque (dicunt ipſi) ad hoc munus peragendum præſtantius inveniri poſſe: pulvinaria etiam hac materiâ implent. Oritur in montium cavitatibus, *Locus.* ſcilicet ubi mons jungitur monti, quandoque etiam in arenis naſci conſpicitur. Si caulem aut folium incidas, lac magnâ copiâ emanat, ita ut quatuor & ampliùs libræ ex una planta exeant, quod quidem eſt acre, calidum & ſiccum, corrodit & incidit, ut ſit in principio quarti gradûs caliditatis, *Temperamentum.* planta verò ipſa calida eſt in fine ſecundi aut principio tertij. Habitatores Mechæ pilos extrahunt à coriis, depilant videlicet coria cum hoc lacte, ea in *Lac evacuando interficit.* ipſo infundentes: quod quidem eſt vehementius lacte omnium Tithymalorum: drachma enim una & ſemis per os aſſumpta interficit evacuando & excoriando: folia verò in pulverem redacta, & inſperſa ſuper ulcera maligna at- *Vlcera maligna* que corrodentia ampliùs progredi non ſinunt:

exſiccat ulcera ſordida, humiditatem excrementitiam, carnémque ſuperfluam conſumit; lac conferre maculis cutem inficientibus. Hujuſmodi ſtirpes nonnullæ Tripoli reperiuntur, nonnullæ etiam Cayri. Sed cavendum ne propinquiùs accedas ipſis, aut ſub umbrâ dormias. Bellonius lib.2. Obſerv. cap.60. hanc ſtirpem fortè intellexit ſub arboris lanigeræ nomine, non tamen deſcripſit. Si verò hanc lanigeram eſſe Theophraſti, aut Plinij putavit, valdè hallucinatus eſt: nam lanigeræ Theophraſti nihil aliud ſunt quàm Goſſipium, quod in Arabia & Ægypto arboreſcit, & multos annos durat: ſed in Creta hieme perit. Alpinus quoq; hunc fruticē deſcribere videtur libro quem de plantis Ægyptiis edidit ſub nomine *Beid el ſar*: ſed ut ingenuè fatear, ipſius deſcriptionē nō ſatis aſſequor. Neſcio enim quid commune habeāt hujus plantæ folia cū Aloës foliis, quibus ipſa cōparat; neq; in quibus ſemina hujus conveniant cum Lactucæ ſeminibus: & icon quam ſpectandam proponit diligentiorem pictorem requirebat: ſemina verò & fructus ſatis rectè expreſſi: at majores ſunt his quos ex Ægypto accepi, ut ex ſiccis foliis & fructu cum ſua lanugine & ſeminibus, obſervare memini. De ſaccharo autem quod ſuper hanc ſtirpem inveniri ſcribunt, aut ab ipsâ manare, nihil adhuc compertum habeo: nam in novellis plantis illud obſervare non potui. Illud tantùm animadverti, quòd lac detracto folio emanans, ſucceſſu temporis circa vulnus concreſcit inſtar gummi cujuſdam albi, Tragacanthæ valdè ſimilis, dulcedinis tamen expertis. Hucuſque Bellus.

*Macula cutis.* — *Arbor lanigera Theophraſti.* — *Beid el ſar, Alpini.*

*Syn. C.B.* C. Bauh. pin. Lapathum ſilv. latifolium 5. & Lapathum Ægyptiacum lacteſcens, ſiliquâ Aſclepiadis: Eſula Indica, quibuſdam.

*Locus & Tempus.* Anno 1595. Iulij 1. Stutgardiæ in horto D. Hieronymi Gerhart Vicecancelarij obſervavi parvas plantas Beidelſar, quæ foliis correſpondebant figuræ ab Alpino propoſitæ; erant autē purpuraſcentia: parvas etiam plantas in olla vidi Argentinæ in horto D. Georgij Obrechti Iuriſconſulti ex ſeminibus miſſis nomine Beidelſar à D. Agerio. Naſcitur, autore Alpino, in humidis locis propè Alexandriam in ramo Nili Calig vocato & Cayri, propè el Mattharia, loco ferè perpetuò humido ac ferè paluſtri ex aqua Nili ibi diu remanente. Chriſt. VVeixius Medicus circa Hierico naſcentem ad flumen Iordanem obſervabat & legebat.

*Vires.* Folia contuſa, ut ait Alpinus, tum cruda, tum in aqua cocta, emplaſtri modo apponuntur in frigidis tumoribus & doloribus; ex lanugine parant cubilia in ſuum uſum. Vtuntur etiam eâ ad excipiendum ignem ex ſilice excuſſum, tanquam eſcâ ac pabulo. Tota planta ſcatet lacteo ſucco calidiſſimo & exurentis facultatis, quem plures in quibuſdam vaſis excipiunt ad depilanda coria, nam ſi aliquanto tempore in eo macerantur, pilis nudantur. Lac quoque ſiccatum præſtantiùs corpora ſolvit, atque dyſentericos fluxus etiam lethales facit. Eſt etiam præſtantiſſimum remedium, ad impetiginem curandam, & ad plures cutis maculas & infectiones tollendas, ſi eo partes illinantur.

*Dolores frigidi.*

## ASCLEPIAS VETERIBVS.

### Cap. XVIII.

*Aſclepias Dioſc. Hederæ folio Securidacæ ſemine.* Aſclepias, ut ait Dioſcorides, ramos producit longos, in quibus ſunt folia longa, hederacea; radices habet multas, & tenues odoratas; florem graveolentem; ſemen ut Securidacæ. Naſcitur in montibus. Radices in vino potæ auxiliantur torminibus, & contra beſtiarum venenatarum morſus. *Vires.* Folia impoſita, ad mammarum & uteri maligna ulcera faciunt. *Vlcera.*

*Aſclepias Plinio.* De Aſclepiade eadem apud Plin. leguntur. Aſclepias folia Hederæ habet: ramos longos; radices numeroſas, tenues, odoratas, floris virus grave: ſemen Securidacæ. Naſcitur in montibus. Radices torminibus medentur, & contra ſerpentium ictus, non ſolùm potu, ſed etiam illitu.

*Temperamentum.* Galenus de Aſclepiade herba ſcripſiſſe dicit Dioſcoridem, ſe verò nondum experimentum ejus habere. Paulus calidam & ſiccam & tenuium partium eſſe teſtatur, & reliqua ex Dioſcoride addit. Vocatur hæc inter notha Dioſcoridis ab aliis Ciſſion, quaſi Hederula; ab aliis Ciſſophyllon, h.e. Hederæ foliis prædita.

*Vincetoxicum non eſt.* Falluntur vel Matthiolo nobis adſtipulante, qui putant Aſclepiada eam eſſe plantam, quam vulgus herbariorum Vincetoxicum vocat, quæ frequenter in ſaxoſis & aſperis locis provenit, lævi admodum caule; foliis Lauro acutioribus; flore albo, muſcoſo; corniculis tenuibus, oblongis; radicibus innumeris albicantibus. Quandoquidem hujus radices nullo odore commendantur: flores virus aliquod non redolent: ſemen non eſt Securidacæ ſimile. Adde etiam quòd ex Oribaſij lectione Aſclepias non profert folia longa; cui ſubſcripſit Marcellus interpres, fretus fortaſſe, ut ſolet, probatiſſimis exemplaribus. *Oribaſij lectio.* Præterea antiquiſſimus codex manu ſcriptus de radicibus non legit πολλάς, h.e. multas, ſed tantùm λεπτάς, ὀδώδεις, i.e. tenues, odoratas.

Veterum ergo Aſclepiadem, eſſe neotericorum Vincetoxicum, crediderunt, ſed falsò, Trag. Fuchſ. Corn. Lon. Cord. Lob. Dod. & Tabernamontanus. Nos herbariorum Vincetoxicum mox inſcribimus Aſclepiadem ſive Vincetoxicum multis, floribus albicantibus.

*Error aliud.* Nec minùs etiam hallucinantur ij, qui Aſclepiadis vice, quam in montibus naſci Dioſcorides, nec non etiam Plinius tradiderunt, eam herbam accipiunt, quam Hederam terreſtrem cum quibuſdam alibi nominamus, quæ plerumque ſecus vias naſcitur & perpetuò humi ſerpit foliis rotundis. *Hedera terreſtris non eſt.* Siquidem præterquam quòd Dioſcorides ſcriptum non reliquit Aſclepiada in viis publicis naſci, nuſquam etiam, quod legerim, prodidit eandem tam longo repere tractu, & folia rotunda proferre. Anguillara ait ſe Aſclepiadem non noſſe: Turnerus autem non facilè poſſe affirmari perhibet quænam illa fuerit.

*Aſclep. flore nigro quorundam.* Eſt porrò etiam Aſclepias altera flore nigro Lobelio, Camer. Tabern. C. Bauh. & Hort. Luſitanico, quam Columna vult eſſe Apocynon plantam lethalem, malè meo quidem judicio. De hac paulò poſt, ut & de Aſclepiade Cretica Cluſij. *Aſclepias Cretica.*

## ASCLEPIAS SIVE VINCETOXICUM multis, floribus albicantibus.

*Deſcr.* NVmeroſas radix demittit fibras, benè habitas, longas, albas, guſtu nauſeoſo [*Trago, odorato, contortas & implicatas, inſtar Hellebori nigri, adeóque interdum ponderoſas ut decem libras æquent, cujuſmodi à ſe iam olim in ſylva, quam Germani* den Ydar *vocant propè arcem* Birckenfeld *repertas ait*] caules ſurrigens lentos, cubitum & ſeſquicubitum altos, hirſutos, geniculatos: ad quorum genicula bina ſemper folia adverſa ex brevibus pediculis ſurſum vergentibus, nonnihil per extremos margines & nervos hirſuta, formâ hederaceorum, longiora, rugoſiora: ex quorum alis pediculi prodeuntes flores privatis inſuper pedicellis donatos ſuſtinent albicantes, quinque foliis conſtantes [*Trago, ex candido palleſcentes*] totidem apicibus concoloribus rotulæ modo, ſeſſilique



...liquè piſtillo viridi, medium occupantibus. hiſce ſuccedunt cornicula ſeſcunciam aut ampliùs longa, ſemen tomento involutum continentia, ruffum. Trago aculeatæ & oblongæ ſiliquæ, Ciconiæ roſtrum imitantes, intus candidâ lanâ & lato ſemine Gentianæ ſimili refertę, quæ ſi ad maturitatem ſuam pervenerint & apertæ hiaverint, lanuginoſum & quaſi pinnatum ſemen in auras evaneſcit.

*An Aſclepias Ruell.* An Ruell. l.3. c.26. hanc noſtram plantam per Aſclepiadem, quam aliis Ciſſion, aliis Ciſſophyllon, quoſdam Hederalem nominaſſe refert, intellexerit, aſſerere non auſimus propter jejunam ejus deſcriptionem.

Quo nomine veteribus ſit appellata nondum ſatis conſtare ſcribit Tragus, tamen ſi omninò ſit pronuncianda ſententia, non ineptè ſe facturum exiſtimat, ſi Aſclepiada eorundem nominet. Aſclepiadem autem à Theophr. Pelicinum dici prodidit. Aſt meminit quidem Theophr. lib.8.c.8. πελεκῖνε, vel ut vertit Gaza Securinę, verùm eo loci nihil eſt quod Vincetoxico conveniat. *Aſclepias veterum, non eſt contra Tragum.*

Quidam Herbarij Itali, cùm Turn. in Italia ageret, Hirundinariam vulgi Apocynon arbitrabantur: verùm cùm nec ſuccum habeat luteum, nec vina intoxicet, Apocynon eſſe negat. *Apocynon non eſt.* Porrò quòd Hirundinariæ radices non ſint odoratæ, non facilè affirmari poſſe ſcribit, veram eſſe Aſclepiadem. Necullam hactenus vidit, quæ cum Aſclepiadis deſcriptione conveniat. *Aſclepias an ſit dubium.* Licet Cornarius Aſclepiadem Dioſcoridis, eſſe Officinarum Vincetoxicum, & Herbariorum Hirundinariam, deſcriptione totâ & uſu approbari ſibi imaginatus fuerit. Sed eſt & Cordo in Dioſcor. & hiſt. Fuchſ. Lon. Turn. Geſn.h. (cui & Herba cognata Apocyno, & Apocynum dicitur) Lob. Obſ. & Ic. (cui & Vincetoxicum) Dodon. gall. purg. & hiſt. Lac. Tab. (cui duplex fruſtra effigies) Columnæ, Cam. ep. & Cæſ. Aſclepias, uti & Lugd. qui duas unius plantæ dat icones Prima inſcribitur Vincetoxicum ſive Aſclepias Fuchſij; altera Vincetoxicum Matthioli. Matth. Fuchſ. Montagnanæ (cui & Herba Laurentij dicitur) Dod. gall. purg. & hiſt. Cam. hiſt. & ep. Caſt. & Thal. Vincetoxicum. *Apocyno cognata.* *Aſclepias H. Lug. not.* *Herba Laurentij.*

*Lob. redarguitur. Dod refutatur.* Lob. Adv. Aſclepias Vincetoxicum, qui invehitur in eos (iniquè) qui Aſclepiadem negant. Sic & Dod. Vincetoxici deſcriptionem, deſcriptioni Aſclepiadis Dioſc. conformem eſſe dicit, & tergiverſari Matthiolum ſcribit. Sed exigui momenti ejus rationes. Radices (inquit is ſe opponens Matthiolo) odoratas & ſimiliter flores, maximéque locis montoſis, nemo, cui incorruptum odoratûs organum, eſſe negaverit: folia odore commendari, Dioſcorides non aſſerit: non omnia βαρύοσμα virus redolent, graveolentia enim omnibus haud æquè magna eſt: ſemen tametſi non exquiſitè quadrangulum, planâ tamen oblongáque figurâ, magnitudine item & colore ſatis Securidacæ refert. Voces μακρὰ & πολλὰ omiſſæ quid Matthiolo conferre poterunt? folia hederacea ſæpenumerò longa, veluti Periclymeni & aliorum: & tenues radiculæ frequenter multiplices.

*Aſclep. fl. albo.* Ger. Aſclepias flore albo. Cam.h. Aſclepias vulgaris flore albo: flore candido, Hort. Luſ. C.B. Aſclepias 1. albo flore: Eid. apud Matth. Aſclepias, Apocyno cognata herba. Dod. purg. & hiſt. Ger. & C. Bauh. Hederalis Ruellij, ſecurè nimis. *Hederalis Ruellij an ſit, dubitatur.* Hirundinaria, Brunf. Trag, Geſn.h. & Lon. Aſclepias vulgi, Apocynum Dioſcoridis, Col.

*Nomina linguar.* Aſclepias floribus albicantibus, Vincetoxicum dicitur ab Officinis; Hirundinaria ab Herbariis; Germ. Schwalbenwurtz: Belg. Swaluwe wortele: *D'morte venin* gall. Fuchſ. Victrix toxici. It. *Aſclepiade & Vincetoſſico*: Ang. Swallowe wurt/& white Swallow woort/ aut Swalwurt: Bohem. Laſſtowicznk. Hung. *Fecske fű*, i.e. Hirundinis herba. *Aſclepiadis Etym.* Aſclepias autem nominata eſt ab Æſculapio, qui Ἀσκληπιὸς Gręcis dicitur, antiquo Medicinæ autore, juxta illud:

*Inventum Medicina meum eſt, opiféxque per orbem*
*Dicor, & herbarum ſubiecta potentia mihi eſt.*

*Hirundinaria.* Hirundinariæ nomen haud dubiè ſortita eſt, quòd acutæ & apertæ ejus ſiliquæ cum candida lanugine volanti hirundini fermè ſimiles ſint. Licet hæc ipſa Hirundinariæ appellatio, ad Chelidonium & Nummulariam quoque ſit referenda, ſed diverſo reſpectu. *Vincetoxicum unde.* Vincetoxicum, vel rectiùs νικητοξικὸν, quòd illi inſignis adverſus venena vis inſit.

*Locus & Tempus.* Naſcitur in altis, arenoſiſque montibus & ſylvis, in nonnullis etiam rupibus, in primis verò incultis ac deſertis locis, Hircinia ſylva ad Moſellam & in VVaſgovia. In ſylva Ydar ut ante dictum reperitur 10. libras ponderans, autore Trago. Copioſiſſimè naſci ſcribit Fuchſ. in monte haud procul à Tubinga ſito, in quo olim arx poſita fuiſſe fertur, Auguſto menſe florens. Ego Aſclepiadem Baſileæ vidi florentem menſe Iunio & Auguſto in monte propè Leurach, cum ſeminibus in longis filiquis maturis: Monſpelij & Lugduni florentem Maio & Iunio: radix raro hicine moritur.

*Vires. Ariſtolochiæ facultate.* Eaſdem planè ex ſententia Tragi facultates Hirundinaria obtinet, quas Ariſtolochia longa. Radix illius utiliſſima eſt evocandis menſibus mulierum. Poteſt verò intro ſumi & foris quoq; tutò adhiberi. Radices Aſclepiadis in vino decoctæ & potæ ſubveniunt torminibus. *Tormina. Canis rabidi morſus.* Arcet & hæc potio venenum ne cor petat, in iis præcipuè qui rabioſi canis, aliorúmque venenatorum animalium morſu infeſtati fuerint. *Hydrops.* Hæc radix pondere ſemilibræ per noctem in vino macerata, & deinde uſque ad tertias decocta, manè jejuno ſtomacho calida pota, ſudore interim provocato, mirificè expellit aquam inter cutem, adeò ut illa per pedum plantas erumpat: éſtque hoc ſingulare experimentum. *Menſtrua.* Mulieribus ad menſium provocationem magna efficacia in deſeſſionibus ſemper uſurpata: matricis dolores juvat. Herba cum floribus tuſa, mammis tumentibus cataplaſmatis inſtar impoſita, tumorem deprimit. *Vlcera. Ariſtolochiæ ſubſtit.* Pulvis ex herba & radice ſordidis ac putridis ulceribus medetur non ſecus atque Ariſtolochia: potéſtque hæc illius loco uſurpari & illa vices hujus obire, ſi alterutra deſit. Radix pota ab iis, quorum in corporibus ſanguis ex caſu coagulatus eſt, eum educere totum per urinas creditur. *Temperamentum.* Matthiolus Aſclepiadem modetatè calidam & ſiccam dicit. Marantha torminibus ſuccurrere volens, ejus radicibus utitur: folia verò adverſus vulvæ, mammarúmque ulcera, quæ cacoethe vocantur, illinit: *Cacoethe.* floris & ſeminis nullum eſſe uſum tradit. *Marantha refut.* Apud Fuchſium tamen contrarium ſcribitur, ſcilicet flores & folia ſiccata, mox trita vulneribus utiliter inſpergi: *Vulnera,* ſordida etiam ulcera purgare & ad cicatricem perducere, genitaliúmque vitiis, & rupturis egregiè mederi. *Ruptura. Peſtis.* Peſte laborantibus hujus radicem in vino decoctam potámque commendat Tabernomontanus. Idem ex radice & herba recenti aquam diſtillat, ac cum ſyrupo de quin-

*Calculos.* quæ radicibus calculoſis propinat; cum ſyr. verò de Artemiſia retentis menſtruis laborantibus. Tandem etiam ex radice & herba ſuccum exprimit in eoſdem uſus.

## ASCLEPIAS FLORE NIGRO quorundam.



*Deſcr.* Asclepiadis faciunt ſpeciem alteram, eam quæ folio Aſclepiadis viſitur, nigriore, caulibus non ſuâ vi nixis, ſed ridicæ adminiculo, cui ſe Periplocæ alicujus inſtar circumvolvit, in altum conſcendentibus ad duos, aut tres cubitos, in multas alas diviſis: floribus multis ex adverſorum foliorum alis erumpentibus, Aſclepiadis formâ, ſed colore atris, atróve-rubentibus, umbilico viridante; quos cornicula excipiunt Aſclepiadis, cui & radix ſimilis.

*Apocynon Dioſc. Dalech & Lob. not.* Dalechampius atque Lobelius (ait Columna, qui Apocynon Dioſcoridis eſſe contendit) nullo facultatis facto periculo, quia planta hæc ſimilis erat Aſclepiadi, niſi quòd ſuccum luteum, & flores haberet fuſcos, Aſclepiadem eſſe ſcripſerunt. Cur potiùs, cùm ſimilis ſit etiam facie Apocynis aliis, & forſan eadem cum Apocyno non repente, floribus tâtùm colore diverſis, habeâtque luteum ſuccum, non Apocynum eſt denominanda? Infœlix quidem eſt hominum natura, alienis erroribus ſuppoſita, quibus vitam cum morte commutari accidit. Hujus *Deſcr. Columnæ.* quidem forma hæc eſt. Radice nititur fibroſâ Aſclepiadi non diſſimili, viticulis flexilibus, lævibus, longis, quælibet fulcra, aut alia ipſi propinqua ſcandit non minùs quàm alterum Apocynum, quatuor cubita vel magis longitudine æquans extenditur, folia habet hederacea, mollia, viridia, læuia, Aſclepiadi ſimilia, nonnihil in ſummo acuminata: flores Apocyno repenti vulgari ſimiles, ſed colore pullo, parùm in purpureum vergente, quamobrem ni- *Siliquæ & ſemina.* grum florem habere dicitur. Siliquas & ſemina papposa uti aliud vulgare Apocynum, compreſſa & nigra Auguſto menſe perficit. Succo turget luteo, ingrato, uti tota planta. Hanc naſci in collibus Monſpelienſis agri Frontignanæ vicinis, tradit Lobelius *Aſclepias nigra.* ſub nigræ Aſclepiadis nomine, quod an rectè impoſitum ſit jam demonſtravi.

Lug. Aſclepias nigra Dalechampij. Cam. h. Aſclepias flore nigro, ſubrubeſcente, puſillo; ſiliquâ tamen ſatis longâ, & priore Aſclepiade grandiore: *Vincetox. fl. nigro. Hirund. fl. nigro.* Herba anadendras. Eid. ep. Vincetoxicum flore nigro: Item ad Matth. germ. Hirundinaria, vel Aſclepias nigro flore. Tab. Aſclepias 5. flore nigro.

Ger. Cluſ. hiſt. & Hor. luſ. Aſclepias fl. nigro. Aſclepias altera nigro flore, C.B. & Lob. Obſ. & ic. cui & Periploca minor. Vincetoxici altera ſpecies, Dod.

*Locus & tempus.* Eſt mihi radice perpetuâ in horto ex ſemine ſato: floret Iulio; Auguſto ſiliquas fert.

*Vires.* Inter plantas, quæ à vi, vel effectu nomen accepiſſe creduntur, Columna & hanc cõnumerat, ideoq; Apocynum Dioſc. facit, huic illius vires attribuens, non ſine errore, me quidem judice.

## ASCLEPIAS CRETICA CLVSII.

*Deſcr.* Multis ab eadem radice virgis aſſurgit, lentis, flexibilibus, gracilibus & viridibus, quas alterna ambiunt folia, vulgaris Aſclepiadis folijs non diſſimilia, bina ut plurimum, contrarijs inter ſe pediculis naſcentia, dilutiùs virentia: inter quæ terni aut quaterni prodeunt floſculi breuibus petiolis nitentes, quinque pallidis foliolis conſtantes, quibus ſuccedunt interdum ſingulares, nonnunquam geminæ ſiliquæ, breviores quàm in vulgari, ſed craſſiores, ſtriatæ, bifido mucrone, continentes ſemen planum ſuâ lanugine involutum, perinde atque vulgaris. Tota planta gravis eſt odoris buxum referentis.

Aſclepiadem Creticam vocat Cluſ. hiſt. app. I. Aſclepiadem 3. ſiliquâ bifido mucrone, C.Bauh. pin.

Eam muſcis pernicioſam eſſe deprehendebat au- *Pernicium muſcarum.* tor, quandoquidem illas floribus inſidentes, enecatas reperiebat.

## ASCLEPIAS INDICA.



Aſclepias hæc Indica, qualem hîc depingi curavimus, pro Aſclepiade Virginiana ſive Vincetoxico Indiano, VVi-ſauck, à Gerardo Anglo lib. 2. c. 320. p. 752. primùm effigie expreſſa fuit & deſcripta. Quòd autem doleo, ejus hiſtoriam ex Gerardo adſcribere non licuit, quòd præfatus autor, quẽ fratri C. Bauhino mutuò communicavi, ad præſentem horam nõdum mihi redditus ſit, ſed licentioſè nimis ſuppreſſus, diſſimulatúſque. Eſt B. pin. Aſclepias 4. ex Virginea.

## FRVCTVS APOCYNI, SIVE generis alicujus Aſclepiadis.

Fructum tertium, Batavorum mercatorum Amſtelredamẽſium navigatione ex Iava anno 1597. *Apocyni ſive Aſclepiadis fructus.* relatum, Apocyni, ſive generis alicujus Aſclepiadis fructum eſſe ſibi perſuadebat Cluſius exot. l. 2. c. 15. Nam illorum ſiliquis per omnia ſimilis erat, atque internè continebat plana, nigra ſemina, candidâ lanugine involuta, perinde ac illarum ſiliquæ; membrana tamen quâ ſemen includebatur, longè denſior & durior erat, ut magnâ ex parte, eorum fructuum, qui illâ navigatione relati, cortices eſſe ſolebant.

C.B. pin. Aſclepias 5. ſive Fructus Aſclepiadis ſiliquæ ſimilis, ſeminibus planis nigris: Fructus 3. è navigatione Batav. Cluſ. exot. l. 2. c. 15.

## NERIVM SIVE RHODODENdron flore rubro & albo. CAP. XIX.

*Deſcr.* Nerion arborea eſt planta, caudice recto, rectiſque & firmis ramis brachiata, croceis ſeu ex viridi



tidi pallescentibus: in quibus folia multa, acuta, longa, unciam circiter lata, ut plurimùm terna ſimul orientia, interdum bina, ubi rami dividuntur, tranſverſũ ferè digitum invicem diſſita, rigida, dura, craſſa, ſuperiore parte atrovirentia ut Lauri folia; infernè magis, propter aſperſas hinc inde maculas, albida, exſucca; ſupremi rami in ſurculos aliquot divaricantur, quibus inſidẽt flores multi ſimul juncti, odori, pulcherrimè rubentes, quali ferè colore Roſæ incarnatæ conſpiciuntur, aut albi, diviſurâ quinquepartitâ Clematidis daphnoidis: ſingulíſque diviſionis partibus internè adnata quædam triſulca appendix, in medio apices quinque ſimul juncti albi, piloſi: floris verò longi veluti calycis imum extrinſecus obvallant foliola intensè rubentia; ſiliquæ marcidis floribus ſuccedunt, quales Apocyni vel Aſclepiadis ſurſum ſpectantes, contrario ſcilicet ſitu ei quem Lon. & Tragi figura demonſtrat, papposo ſemine plenæ.

*...es aut ...ntes, albi, ... quis A... ni.*

*...doda... e Dioſc.* Nerion quibuſdam apud Dioſc. Rhododaphne, aliis Rhododendron vocatum, frutex eſt notitiæ vulgaris, folia longiora [μακρότερα] craſſioráque [καὶ παχύτερα] habens, quàm Amygdalus [*Lacunæ lectio non placet cum legit, folia Amygdalo longiora vidi, ſed non latiora: præſtat igitur legere; μακρότερα καὶ παχύτερα, ut habent alia exempl.*] florem ad Roſæ ſimilitudinem conformatum: fructum [*καρπὸν. Miror Dioſc. dicere καρπὸν δ' ἐμφερῆ ἀμυγδάλῳ. in quo enim conſiſtat ſimilitudo nondum mihi conſtat, & non ſiliquam, ut Sarrac.*] ſimilem Amygdalæ, velut cornu [*ὡς κέρατι. ὡς κέρας legit Corn. ſeu potiùs ὡς κεράτιον*] & poſt aperturam plenum lanosâ naturâ, ſimili pappis Acanthinis [*ἀκανθίνοις iuxta vetuſti codicis fidem legit Corn. Siquidem quod intra Nerij ſiliquam continetur ſemen, lanoſis floccis albidis eſt implicitum, quales & ij ſunt pappi, qui in Acanthio viſuntur. præſtat ergo hæc lectio, improbatúrque vulgaris, quæ ὑακινθίνοις habet*] Radicem acuminatam, longam, lignoſam, atque guſtanti ſalſuginoſam. Hæc Dioſcorides interprete meliori vetere codice. Rectè verò fructum intus lanâ quâdam refertum dixit, ſpinarum ſeu Carduorum pappis ſimili, quæ in quibuſdam Dioſcoridis exemplaribus falsò ὑακινθίνοις πάπποις ſimilis eſſe legitur, cum Hyacinthus nullos prorſus pappos habeat. Quare legendum ἀκανθίνοις πάπποις, id eſt ſpinarum, ſeu Carduorum pappis, ut meliores codices, & ipſa experientia teſtantur. Similitudo fructûs Nerij cum Amygdalo intelligenda prorſus eſt, vel adhuc exiguâ ſiliquâ, & adoleſcente, vel ob corticis viriditatem, & craſſitiem, alioquin haud rectè adulta ſiliqua, anguſta, oblonga, nullo ſubiecto duro & lignoſo nucleo, lanuginoſis tantùm villis farcta cum Amygdalo comparetur.

*...una le... ſuſpe... ...ſc. not. ...ſc. corri. ...oſc reſti... ...us. ...ioſc ex... ...icatur.*

*Rhododendron Plin.* Rhododendros, inquit Plin. l. 24. c. 11. quia ne nomen quidem apud nos latium invenit, Rhododaphnen vocant, aut Nerium. Idem l. 16. cap. 20. ait, Et quamvis herba dicatur Sabina, Rhododendron, ut nomine apparet, à Græcis venit. Alij Nerion vocarunt, alij Rhododaphnen, ſempiterno frondis honore, Roſæ ſimilitudine, caulibus fruticoſum: qui locus falſi ſuſpectus eſt. Sunt qui legant Sabinè, hoc eſt lingua Sabinorum, quibus non accedit Hermolaus, húncque ejus loci ſenſum eſſe ait, Rhododendron Sabinam herbam dici, cùm tamen in Sabinis primùm orta non videatur, ex ipſo nomine quod Græcum eſt: Sciendum enim aliud fruticis genus Sabinam vocari, Græcè brathy. Planta verò eſt Lauri facie, non iniucunda ſpectatu, præſertim ſuis floribus ornata, quorum ſimilitudine deceptus quondam L. Apuleius in Aſinum mutatus, dum Roſas quæreret, quarum paſtu in priſtinam formam reſtitueretur, parum abfuit, quin imprudens eos devoraret. Verùm qui in plantarum Hiſtoria, & viribus cognoſcendis diligentiſſimus fuerat, recordatus Nerij flores aſinis venenum eſſe præſentaneum, ſtatim labra ſubſtraxit, demiſſiſque auribus abiit. Idem Lucianus ſibi in aſinum quoque transformato narrat accidiſſe. Sed Nerium δάφνην ἀγρίαν, id eſt Laurum ſilveſtrem vocat, pernicioſum aſino & equo cibum, cùm aſſerant id comedentes eveſtigio mori.

*Plin. illuſtratur. Roſa Apulei. Laurus ſilveſt. Luciano.*

Matth. (cui in priorib. comm. ſiliquæ malè pictæ ſunt, tanquam fortè ab eo nondum viſæ) Cam. ep. & hiſt. itémque h. & Lugd. Nerion ſive Rhododaphne, ſive Rhododendron, Oleandrum vulgi, flore rubeſcente & albo. Matth. It. cum mag. fig. Turn. (qui duas habet figuras fruſtra meo judicio) Fuch. & Ang. cui & Oleander in Candia; Oleandro & Neandro Italorum quorundam, flore albo & rubro, ſive roſeo. Lon. (qui figuram malam exhibet: ſiliquæ enim deorſum nutant) Nerion, Rhododaphne, Laurus roſea. Trag. cujus figuræ non benè appictæ ſiliquæ deorſum pendentes. uti etiam quondam in Fuchſiana) Nerion, qui idem Nerin Nicandro vocari ait. Lob. Adv. Nerion, Oleander, Laurus roſea, & Rhododendrum purpureum & album: Eid. Obſ. Nerion; Item, Nerion albis floribus: Ic. Oleander, Laurus roſea: Et, Nerion floribus albis. Tab. hiſt. Nerion (Rhododendron addit in Icon.) Item Nerion floribus albis. Ego cùm nullum diſcrimen noverim præter colorem, fruſtra ab his duas figuras poni exiſtimo. Geſn. coll. Rhododaphne vera.

*Matth. icon imaginaria. Turn. not. Lon icon mala. Icon Tragi mala. Neris Nicandro. Lob. not.*

*Synon. C. B.* B. pin. Nerion 1. floribus rubeſcentibus: Nerion, Trag. Cord. in Dioſc. Lob. Tab. flore rubro, Eyſt. Nerium, Matth. Fuchſ. Dod. gall. Geſn. h. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Rhododendron, Bellon. Geſn. h. Dod. Rhododaphne, Geſn. h. Cæſ. Eid. B. Nerion 2. floribus albis: Nerion candidis floribus in montis Idæ convallibus Bellon. Nerium ſive Rhododendron flore albo, Eyſt.

*Nomina linguar.* Νήριον, ἢ ῥοδοδάφνη, ἢ ῥοδόδενδρον Græcis dicitur: Latinis pariter Nerium, Rhododaphne, & Rhododendrum; Offic. & Barbaris Oleãder; Ger. Olander/ Unholdenkraut/ Roſenblümlein & Lorberroſen: Belg. Oleanderboom: Gall. *Oleandre, Roſage*, ou *Roſagine*: It. *Roſa Lauro & Oleandro*: Hiſp. *Adelfa*, ſive *Eloendro*: Ang. Olander: poteſt etiam vocari (inquit Tur.) Roſe tree/ aut Baye Roſe tree. Aſt Nimphæ fortaſſis Nereides nomen dederunt. apertiùs alij Rhododendrum, quaſi Arboream Roſam; vel Rhododaphnen, i. e. Lauream Roſam, vocitarunt. Rhododaphnem (inquit Fuchſ.) Græci dixerunt à Roſæ floribus & Lauri foliis, quæ fruticis hujus præcipuæ ſunt notæ. Nec refert quòd Dioſcorides Amygdalæ foliis ejus folia comparaverit: Lauro enim & Amygdalæ non diſſimilis magnoperè foliorum figura eſt. Fecit idem Roſæ flos & arbor, ut eadem gens Rhododendrum nominaverit.

*Nerij etym. Rhododend. Arborea roſa. Rhododaphne.*

*Locus.* Naſci in hortis arborum [ἐν παραδείσοις] & maritimis locis, & juxta flumina, author eſt Dioſcorides: ſcatere Nerio ſilvas in Ponto, quod propagine & ſemine feritur, prodidit Plinius. Vidit primum Matthiolus

thiolus ad Benaci ripas, & in Argentario promontorio in maritimis Senenſibus. Vtrumque (inquit Anguill.) in inſula Candia abundat, ſpontè provenienſ, apud flumina, ibique vocatur ῥοδοδάφνη: In Italia notiſſimæ ſunt, ut Venetiis in hortis. *Deſle circa Tripolim.* Circa Tripolim in Syria (ubi incolæ vocant Deſle) Nerium ſpontaneum obſervavit Rauvvolff. Paſſim ad aquarum fluenta reperiri ſcribit Cam. in Creta; nonnullis quoque Galliæ locis; item Genuæ, & in Hetruria propè Libornum. In montis Baldi parva inſula Monachorum minorum D. Franciſci abundanter provenire Nerium albis & rubris floribus ex ſaxis nudis propè aquam pullulans, teſtatur Pona. Copioſiſſimũ provenit in tractu maritimo alpino & montoſo Ligurię, inter Niceam & Genuam, cum ſiliquis, ait Lugdunenſis. Quo autem menſe floribus & fructu prægnans ſit Nerion, non ſatis Fuchſio conſtitit: neque enim vel flores, vel fructus ejus ipſi videre contigit. Hinc eſt quod etiam pictura quam exhibet, iiſdem careat. *Tempus.* Monſpelij vidi cum ſiliquis in Autumno, ubi abundat, & hyemem fert, & floret menſe Maio & Iunio. Lugduni, ubi reponitur, Iulio & Auguſto. Patavij cum ſiliquis Vere, ut in horto Bembi ſub tecto menſe Ianuario cum ſiliquis nondum maturis. Rhododendron, inquit Bellon. in nonnullis Cretæ inſulis ad ædicularum trabes conficiendas aptum eſt, cum aliqui parvum ſit.

*Vires ex Dioſc.* Dioſcorides tradit Nerij flores & folia mulis, aſinis, canibus, & quadrupedum plurimis venena eſſe; *Serpẽtium morſus.* hominibus verò contra ſerpentium morſus conferre, è vino pota, eóque magis rutâ additâ. Imbecilles etiam animantes, ut pecus & capras, ſi aquam bibant in qua folia ea manduerint, mori. Eadem planè tradit Plinius. Nerium jumentis, capriſque & ovibus venenum eſt. Item homini contra ſerpentium venena remedio: quæ iterum alio loco repetit. *Nerij mira natura.* Mirum folia Nerij quadrupedum venenum eſſe, homini verò contra ſerpentes præſidium, rutâ additâ, è vino pota. Pecus etiam & capræ, ſi aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur. *Galenus Dioſcoridi & Plinio contrarius.* His maximè refragatur Galenus, ita ſcribẽs. Nerion aut Rhododaphne notus omnibus frutex, foris quidem illitus digerendi vim obtinet: intro verò in corpus aſſumptus, pernicioſus ac venenoſus, non ſolùm hominibus, ſed pleriſq; etiam pecudibus eſt. *A Matth. conciliatur.* At dicendum, inquit Matthiolus, Nerium ſumptum hominibus à ſerpentibus non demorſis pernicioſum eſſe, Dioſcoridis verò ſententia idem iis remedio eſſe quos ſerpentes momorderint, quâ ratione Cantharides auctore Avicennâ, à cane rabido demorſis medentur, & Euphorbium à Scorpione ictis, alia denique lethalia medicamenta aliis venenis adverſantur. *Conciliatio Cordi.* Cordus alio modo conciliari poſſe hos auctores ſcripſit. Si intra corpus ſumatur Nerium venenum eſſe, ſi foris imponatur, contra venenatorum morſum auxiliari. Sed revera Nerium intrò ſumptum contra ſerpentium morſus opitulari Dioſcorides intellexit: fideliora enim exemplaria habent σὺν οἴνῳ πινόμενα, cum vino pota, videlicet flores & folia. Sic etiam in Plinio perſpicuè legitur, qui procul dubio videtur hęc ex Dioſcoride trãſcripſiſſe. Præterea in Eſdræ antidotum, cujus contra venenata animalia præcipuus eſt uſus, flores Nerij recipiuntur ceu medicamentum contra venena efficax. *Error compoſitionis Eſdræ.* In hac verò apud Aëtium, & Paulum compoſitione Eſdrę, malè legimus flores Nerij, deinde paulò poſt, Roſæ Rhododaphnes. Nerion enim & Rhododaphne idem eſt frutex, & Roſæ Rhododaphnes nihil aliud ſunt, quàm flores Nerij: Interpretatio *Roſarum Rhododaphnes*, quæ in marginæ notata, ab aliquo indocto in contextum inſerta eſt. Id tamen verum eſſe tradit Cordus florem Nerij inſaniam parere, ſed non ſemper: accidere enim in quibuſdam locis, & quibuſdam temporibus, arborémque quibuſdam temporibus venenatam eſſe, ex cujus & Aconiti floribus in Ponto venenatum mel apes colligant. Scribit etiam Galenus athletarum dorſum Rhododaphnis vellicari. Καὶ ῥοδοδάφναις ἐνίοτε τὰ νῶτα διακνῶνται. Cæterùm Bachinellus in ſuo conſenſu de cognoſc. ſimpl. contrarius Dioſcor. & Plinio eandem cum Cordo diſtinctionem adhibet. *Aliorum de conciliatione mens.* Ego quomodo concillandus ſit Gal. & Paulus cum Dioſc. & Plinio, hæreo, ſi Matthioli ratiocinatio non recipitur. Dum porrò ſcribit Dioſc. Nerion è vino potum, rutâ additâ hominibus contra morſus ſerpentium præſidium eſſe: *Trag. taxatur.* Tragus eas facultates non ipſi Nerio, quin potiùs Rutæ attribuit. Sed ſi Nerium vim non habet reſiſtendi ſerpentium morſibus, ſed tantùm ruta id efficit, fruſtra ad id probatur à Dioſcoride: fruſtra etiam admiratur Plinius vim illam. Quicquid ſit conſulimus omittendum uſum internum medicamenti dubij, ne in jactura vaſis artem figulinam faciamus.

## NERII FACIE ARBOR.



*Deſcr.* NErij facie arbori propendent ſiliquæ de ramis & ſurculis, Sãbuci paluſtris, medulloſis, pallidis, pullis, nodoſis, ſeſquipalmum & pedem lõgis vaginis, cutaceis, uno cohæſu ſeptenis aut novenis, ſingulis gracilem Lampetram effigiantibus: intùs farciuntur pelliculis cepaceis & tomentoſis, adeò exuvium ſerpentis ementientibus, & quiddam cadaveruli anguini ſimile involuentibus, ut pueris horrori ſit & illudat: conſimili florum exorto oblongi exeunt caliculi, herbæ Sanctæ, aut Strammoniæ.

Lob. adv. & ic. Nerij facie arbor, ut & Lugd. apud quem tamen titulus tranſpoſitus eſt incuriâ typographi. *Incuriâ typographorum icon in Lugd. tranſpoſita.* Eſt enim Palmaceæ pinnatæ ſpinoſæ adſcriptus, de qua egi lib. 1. ad finem. Tab. Nerio ſimilis arbor: ſic & B. pin. cui etiam Nerion 3.

## NERII SILIQVÆ EFFIGIE, Kaye Baka.

*Deſcr.* TEres, infráque minimi digiti craſſitudinem erat fructus, qui integer, ſex unciarum longitudinem ſuperaſſe videbatur, immaturæ Nerij ſiliquæ formam quodammodo referens, denſo cortice præditus, foris rugoſo ſtriatóque, & veluti innumeris tuberculis obſito, inſtar onagricæ pellis ſive corij è quo vaginas ſuis cultellis & acinacibus excipiendis tegunt Turcæ, nigro alioqui, niſi eâ parte quæ pediculo proxima, illa enim ruffa erat: an ſemina contineret, mihi (inquit Cluſ. exot. l. 3. c. 19.) incompertum, ſed pulpam admodum duram, & quæ vix cultelli mucrone eximi poſſet, in eo obſervabam, quæ ſubacidi ſaporis erat. Hunc fructum oſtendebat Theodoricus Clutius, Lugduni Batavorum. Similem

poſtea



poſtea à Bernardo paludano accipiebam, quem dum per longitudinem ſecare vellem, vt quid cõtineret obſeruarem, corrumpebam, quùm adeò ſolidus eſſet, ut ſtãgeretur citiùs & in partes diſſiliret, q̃ ſciſſuram admitteret: in confracti tamen particulis, lanuginem quandam obſervabam, illi nõ valdè diſſimilẽ, quæ in Nerij ſiliquis cõſpicitur. Similem etiam Amſtelredami videbam: eum Abdala Guzarate oriũdus, illâ nauigatione, ut dixi advectus, Kayebaka appellari aiebat, atque, dum recens eſt, edulem eſſe affirmabat. C.B.pin. Nerion 4. ſive Fructus Nerij ſiliquæ figurâ.

## VITIS ALBA SIVE BRYONIA. CAP. XX.



*Folia hederacea.*

BRachialem interdum craſſitudinem radix adipiſcitur alba (exſiccata ſimilis Mechoacæ: circulos enim habet, verùm differt quòd ſit fungoſa, ſapore acri, amaro & viroſo) unde flagella exeũt tenera, ſtriata, ſubhirſuta, quæ longè latéq; clavicularum uſu beneficio ſe ſpargunt & proxima quæque ſcandunt: folia hederacea, angulоſa, hirſuta, incana, viridantia, aut ateis cãdidis diſcurrentibus undulata ut in Cretica quam vocant recentiores; ex foliorum alis flores ſimul aliquot juncti, è quinque foliis compoſiti exeunt, colore albido in herbaceum languente, quibus ſuccedunt acini ſambucinis pares, per maturitatem rubri, ſucco croceo, nauſeoſo, granuliſque turgentes.

*Vitis alba Dioſc.* Vulgarem porrò Bryoniam eſſe veram Dioſcoridis Vitem albam patet ex multis notis, quas ei Dioſcorides aſſignat, tam aptè cohærentibus, ut qui per campos ſpatiaretur, illam primo occurſu facilè cognoſceret. immò & Dioſcoridi gratiam habere deberet, quippe qui effodiendæ radicis tam vaſtæ laborem nobis eripuerit. nam qui cognoſcere ſolùm hanc plantam affectat, ut cùm opus ſit, uſui adaptet, ſatis ſupérque eſſe poſſint notæ à foliis, à viticulis, à pampinis, à fructibus, à naſcendi, & creſcendi modo, aliiſq; quibuſdam: qui verò ad medendum eam accipere intendat, poterit radicem (ſi hac uti volet) effodere. nam multis pollere remediis hanc, vel ipſe Dioſcorides docet. Quia autem eos qui vulgarem Bryoniam non eſſe veram Dioſcoridis Vitem albam argumentantur ex hoc, quòd notatu dignam notam non appoſuerit, nempe radicem; quam ob nimiam magnitudinem non reliquiſſet, ſi vera eſſet; ſtultos eſſe dicit Marantha, placet veterum de Bryonia hîc ſubſcribere hiſtoriam, quo veritas magis eluceſcat.

Hippocrates paſſim, præſertim m.m. voce τῆς ἐχετρώσῃ utitur, quam Gal. in exegeſi apud eundem Bryoniam albam [τὴν λευκὴν βρυωνίαν] exponit, & rectè meo judicio, ſed ἐχέτλωσιν quidam vitioſè legunt. *ἐχέτρωσις Hipp.* Vitis albæ [ἄμπελος λευκή] quam aliqui βρυωνίαν, alij ὀφιοστάφυλον, alij χελιδόνιον, alij μήλωθρον, alij ψίλωθρον, alij ἀρχέζωστιν, ἄγρωστιν, aut κέδροστιν, referente Dioſcoride, nominarunt, ſarmenta, folia, & tortiles pampini [τὰ κλήματα, καὶ τὰ φύλλα, καὶ οἱ (*forte αἱ Sarrac.*) ἕλικες] ſativæ Viti ſimilia ſunt, ſed omnia hirſutiora. *Vitis alba Dioſc.* Vicinis verò fruticibus implicat ſeſe, illos ſuis claviculis amplectens: fructum autem habet racemoſum, fulvum [*rubentem Caſ.*] quo quidem coria depilantur. Quod autem Dioſc. in hac ſua deſcriptione, radicis, ut aliàs facere ſolet, & paulò poſt in Vite nigra facit, non meminerit, ſuſpicatur Cornarius radicis vocem in Dioſc. elapſam eſſe, & quidem ante verba πρῶτης οἱ ἀσπάραγοι, ut è radice exeuntes aſparagos accipiamus. *Dioſc. lectio dubia.* Notandum porrò, nomina ſupra dicta in Dioſcor. lectione retinere quoſdam, ut Hermol. Corn. Sarrac. & alios: quoſdam verò rejicere, ut Ruellium, Cæſalpinum, & nonnullos alios. *Error multorum.* Non autem eſſe rejicienda patet ex Theophraſto, qui inter ſuffrutices Bryoniam hanc Melothrum vocat, ei fructum Smilaci ſimilem aſſignans. *Melothron Theophr.*

*Plin. de Vite alba.* Plinius quoq; de Vite alba ſcribens, ait à Græcis Ampeloleucen, ab aliis Ophioſtaphylon, aliis Melothrõ, aliis Pſilothrum, aliis Archezoſtin, aliis Cedroſtin, aliis Madon appellari; hujus ſarmenta longis & exilibus internodiis geniculata ſcandere; folia pampinoſa ad magnitudinem Ederæ, dividi ut Vitium; radicem albam, grandem, Raphano ſimilem initio; *Radice Raphani.* ex ea caules Aſparagi ſimilitudine exire; ſemen in uva raris acinis dependere ſucco rubente, poſtea Croci [*Crocino legit exemplar Cornarij*] Noviſſe id, qui coria perficiant, illo enim uti eos.

*Apuleius de Bryonia.* Apuleius cap. 65. non contentus recitatis nominibus, plura adſcribit: Græci, inquit, Brioniam, Chelidonium, & Melothron, & Archezoſtin ſive Apiaſtellum; Itali Vvam taminiam, Vitem albam, Agrifolium, Dentariam; Ægyptij Thidona, Dardiadana; Syri Hugadeſſi, Dinupnila; Daci Dockleа appellavẽre. Herba uirgultis atque foliis & corymbis ut vinifera Vitis, ſed omnibus hirtis, quæ ſe colligat vicinis fruticibus, fructu ſive ſemine botruoſo, longo, raro, fulvo, quo etiam tergora depilantur, thyrſos emittens primâ informatione è radice quæ ſunt aſparagis ſimiles. *Fructus botruoſus.* Humelbergio Bryonia hæc eſt quæ alio nomine Ampeloleuce, i. e. Vitis alba vocatur; *Vitis alba.* Teutonicè Schmerwurtz. Eſt autem græca appellatio Brionia, ſic dicta, à verbo βρύω quod eſt extollo & exalto, eo quòd in propinquos frutices ſcandens ſe extollat. *Bryonia unde dicta.* Chelidonium dictum videtur à ſimilitudine quadam foliorum, quæ ſimiliter quadantenus inciſuris dividuntur. *Chelidonium.* Melothron appellari videtur à coriorum concinnatione. *Melothron.* Nam Græci μήλωθρα vocant βάμματα & καλλωπίσματα i.e. colorum infectiones & concinnationes: quod coriis fortè ex Bryoniæ albæ fructu accedebat. Archezoſtis dicitur quaſi princeps cingulum: *Archezoſtis.* Ζώστρ enim græcè, latinè cingulum eſt, ἀρχὴ princeps. Sic appellatum quòd inter alia principaliter propinquos frutices cingat, & implorando comprehendat. Apiaſtellum inter græcas appellationes ab Apuleio enumeratum, nominis ſui (modo non ſit corrupta dictio, quod ambiginus, nam latinam potiùs, quàm græcam formam *Apiaſtellum.*

mam habere videtur & cauſam, ab herba, quæ Græcis Apios, montana, aut agreſtis Raphanus dicitur, de qua ſuo capite Dioſcorides agit, idque quoniam radix Raphano ſimilis eſt initio, alba & grandis, ut ait. Sed nos longè aliud cenſemus, utpote, dictionem eſſe corruptam ex ea, quę eſt Ophioſtaphylon, quod latinè interpretatur uva anguina, cuius nominis ratio & cauſa eſt, quòd in ſepibus, ubi & angues plerumque latent, vitigineo folio & acinoſo fructu naſcitur. Vuæ tamineæ appellatio Bryoniæ acceſſit ex pediculari pituitariáque vocata herba, quam Gręci Staphida agrian vocăt, & propriè à Romanis Vva taminea appellatur, licèt Plinius cõtra Celſum Vuam tamineam aliam dicat eſſe à Staphide agria.

*Ophioſtaphylos. Vva anguina. Vva taminea.*

Cæterùm, ſuſpicamur nos hoc loco non Vvam tamineam, ſed anguinam potiùs eſſe legendum, ut reſpondeat græcæ appellationi, quæ eſt Ophioſtaphyle, & Vva anguina latinè interpretatur, de qua dictum eſt in dictione priore Apiaſtellum. A radicis colore candido, & à viticulis, foliis, claviculiſq; viniferæ Viti ſimilibus, & fructu racemoſo, dicta eſt Vitis alba. Dentaria dicta videtur, quòd quemadmodum reliqua oſſa fracta, ſic etiam dentes impoſita extrahat. Quidam (addit Hermol.) Pſilothrum dicunt, quia pelles confici huius acinis quemadmodum & Labruſcæ poſſint. Vulgus teſte Ruellio, quod per dumos ſerpat, Colubrinam vocat. Alij apud Cornarium ob fructum eius fulvum Ceraſa Diaboli (Teuffels kirſen) appellant.

*Vitis alba. Dentaria. Colubrina. Ceraſa diaboli.*

Quotquot rei herbariæ, inquit Tragus, extant ſcriptores Bryoniam hanc ad Vitem referunt albam Dioſcoridis excepto Brunfelſio: qui in Onomaſtico ſuo Vitem nigram Dioſcoridis, veram eſſe Bryoniam perhibet. Huic aſtipulatur & Simon Ianuenſis aítque Feſireſin, h.e. Bryoniam eſſe nigram, & non albam Vitem. Diverſum ſentiunt & Avicenna & Meſues, nec non Iacobus Manlius, qui dicũt Feſire Vitem eſſe albam, ac aliàs vocari, Alpheſera, Alhazaraſin, Hezeriazen, & Tanorus. In Mattheo Sylvatico Feſcera & Viticella, Germ. Wildrüben/ h. e. Rapum ſilveſtre; Wilden Zitwen/ zedoaria ſylv. Hundßcürbs/ cucumis caninus, & Teuffelskirſen/ Cacodæmonis Ceraſum; In Theſauro pauperum, quod Dodon. addit, Roraſtrum appellatur.

*Vitis nigra Brunfelſio. Feſireſin.*

Bryoniam hanc ob radicis candorem albam, eandémque propter acinorum ruborem, ruffam cognominare, non abſurdum eſſe perhibet Cordus in hiſt. ubi eam differre à nigra ſcribit, quòd acinos rubentes habeat, & radicem tàm foris, quàm intus candidiorem; quòd ſuccum nigræ radix habeat paulò viſcoſiorem, quæ quidem earundem ſit cum illa qualitatum, ſed efficaciorum. Viticellam [*Balſaminam*] eandem facit cum Bryonia Eur. Cordus contra vulgares herbarios, qui eas meritò ſeparant. Confundit Cornarius duas admodum diverſas plantas, figura & temperamento, dum dicit, Vitẽ albam, Labruſcam, calidam eſſe & humidam 2. gradu. Galenus enim 1. de comp. pharm. ſec. loc. ἄμπελον λευκὴν & βρυωνίαν ſeparatim, tanquam diverſa commemorat: nec malè Sarraceni judicio; quandoquidem ipſemet rurſus 6. ſimpl. Vitem nigram propriè βρυωνίαν vocari ſcribat: quod ipſum Plin. lib. 23. c. 1. admoneat.

*Bryonia alba ſive ruffa. Diff. Bryonia alba & nigra Cordo. Viticella Eur. Cord. Error eiuſdem. Error Cornarij. Labruſca.*

Galeno, Marcello, Matth. Ryffio (qui autor eſt Gallis Ignem ardentem, *du feu ardant*, dici) Trag. Lugd. Tab. Cam. ep. & hiſt. Lob. Geſn. h. Bryonia.

*Synon. Ignis ardens. Bryonia.*

Cord. hiſt. Lonic. Dod. Thal. Bryonia alba. Dioſc. Plin. Ruell. Corn. Fuchſ. Matth. Ang. Lac. Cord. in Dioſ. Lob. Caſt. Lug. Turn. Cam. ep. & hiſt. Vitis alba. ſylveſtris. Dioſc. Galen. Hermol. (cui & Bryonias Columellæ) Ampeloleuce. Matth. Vitis alba offic. Bryonia herbar. vulgò muliercularum Cucurbita ſylueſtris: Cam. h. Bryonia baccis rubris. Demet. Conſt. Agrioſtaphis alba. E. phy. & apud Matt. Bryonia 1. ſiue alba baccis rubris, ſeu Vitis alba Dioſcoridis: Eid. pin. Bryonia 1. aſpera ſive alba baccis rubris. Schvv. Bryoniam (ἄμπελον λευκὴν Dioſc.) confundit cum Bryonia baccis nigricantibus, quam etiam albam cognominat, ſine ratione. Alphonſ. Moreſch. Vitis ſylv. vel Bryonia ſylveſtris.

*Bryonia alba. Vitis alba Ampeloleuce. Cucurbita ſilv. Bryon. baccis rubr. Vitis ſ. Bryon. ſilv.*

Cæterùm communiter Vitis alba ab officin. & Herb. Bryonia nominatur, quam Græci ἄμπελον λευκὴν καὶ βρυωνίαν deſcripſerunt, Maurit. Feſire, Alfeſire, Feſlera, ſeu Alfeſcera, Nezargieſan ſeu Nezarchaſen; Germ. Stickwurtz/ Gichtwurtz/ Zaunräben/ Gichträben/ Hundßräben/ & Cord. in Dioſ. Hunds kürbs/ Scheißwurtz/ Raßwurtzel/ Römiſchräben/ Wilder Zitwen/ & Teuffelskirſen: Weyßweinräb/ Lon. Belg. Bryonie: Gall. *Couleuure, Colubrine*, ou *Feu ardant* uti dictum: Ital. *Vite bianca, Brionia*, & quod non placet *Zucca ſalvatica*: Hiſp. *Neuxa* & *Anorça*: Angl. Bryonie/ Wilde wyne & Wilde Hoppes: Hung. *Fedi tok*, h.e. Terrea Cucurbita. Boh. Peſed.

*Nomina linguarum.*

Quod poterat à legentibus in hujus Bryoniæ hiſtoria deſiderari: quos ſcilicet natales habeat, & quibus locis invenienda ſit, id Columella Romanus ſcriptor in carmine ſuo explevit, dicens:

*Quaque tuas audax imitatur Nyſie vites:*
*Nec metuit ſentes: nam vepribus improba ſurgens*
*Achradas indomitáſque Bryonias alligat ulmos:*

*Locus & Tempus.*

Bacchi vitibus ſimilem & in ſepibus ſpinas & aculeatos frutices alligantem deſcribens: quæ tota ferè eſt candidæ in hoc ſcriptore Bryoniæ hiſtoria. Monuit illud obiter etiam Romanus ille auctor conſueviſſe veteres ob quotidianum & multiplicem ejus ad vitæ remedia uſum: Silveſtrem alioquin ſtirpem in hortis conſerere ne cogerentur incultis locis & inter ſepes quærere, quod non in hortis tamen utile eſſet: ſed in ſanitatis uſu ſimplex & ſale ſervatum etiam placeret. Plurimam naſci tradit Cordus in VVirtembergẽſi Suevia atque Romana provincia. Multis in Belgicis locis reperitur. Floret Æſtate, Autumno fructum producit. Monthelgardi provenit propè urbem variis in locis, propè Adircourt, inter Vangencourt & Dampiere propè fontem. Monſpelij, Patavij, Genevæ floret Maio; Baſileæ propè S. Iacobum & extra portam S. Albani Iunio, & Iulio.

Bryoniæ radicem foris cineritiam, intus albicantem, amplam, conſummatam Veris initio colligit Sylvius.

*Delectus, Collectionis tempus.*

## Vires & uſus.

Hippocrates variis in locis Bryoniæ albæ [τῆς ἐχετρώσης] radicem ad uteri morbos, ejuſdémque ulcera acria & inflammationem commendat. Hunc ſequitur Ruland. cent. 1. cur. 99. in matricis dolore, motu & præfocatione. Ioh. Liebaut ad fluorem uterinum album accipit Bryoniæ radicem [*couleuure*] recentem, excavat & replet oleo Liliorum, teponit loco calido, per diem & noctem, donec totum oleum abſorbeatur, exprimit, colat, & calidè in uterum injicit. Dioſc. Vitis albæ aſparagi primâ germinatione prodeuntes eduntur cocti urinam & alvum moventes. Vim habent, & fructus, & radix acrem. Vnde in Chironiis, & gangrænicis, & phagedænicis, & putridis tibiarum ulceribus, cum ſale impoſita [κατάπλασμα] faciunt. Radix autem extergit ac erugat. Maculas item ſolares, varos, lentigines, cicatrices nigras, cum Ervo & terra Chia, & Fœnogræco depurgat. Eadem cocta cum oleo donec flaccida fiat, ad eadem facit. Tollit & ſugillata & pterygia in digitis contrahit. At [illegible] impoſita cum vino, inflammationes diſcutit, & abſceſſus rumpit. Educit & oſſa, trita impoſita: & erodentibus medicamẽtis commodè ammiſcetur. Bibitur eadem ad morbum comitialem drachmæ pondere quotidie per annum. Prodeſt & ſyderatis & vertiginoſis, ſimiliter accepta.

*Morbi uterini. Aſparagi novelli urinam & alvum moventes, Dioſc. Vlcera putrida. Maculæ. Sugillata. Inflāmatio. Oſſa educit. Comitialis morbus.*

Verùm

Verùm duarum drachmarum pondere pota, commorſis à vipera auxiliatur, & fœtus enecat. Aliquando verò mentem turbat aliquantulum. Et urinas movet pota. Appoſita verò utero, fætus & ſecundas trahit. Sed & eclegma ex ipſa cum melle datur his qui ſuffocantur, difficulter ſpirantibus, tuſſientibus, latus dolentibus, ruptis & vulſis. Splenem liquat trium obolorum pondere, cum aceto ad dies 30. pota. Imponitur etiam commodè cum fico ad eadem. Decoquitur ad inſeſſus, ut quæ uterum purgat, & abortum procurat. Succus è radice colligitur Vere. Bibitur hic cum aqua mulſa ad eadem, ducens & pituitam. Fructus facit ad ſcabiem & lepram, tum illitus, tum impoſitus. Attrahit lac ſuccus ipſius fructûs [*χαυλὸς vetus codex, Lac.*] cum tritico cocto abſorptus. Hæc Dioſcorides. Ex quibus illud quod ſcribit attrahere lac, intelligimus purgando, ſive retrahendo à mãmillis, non autem abundantiam lactis facere ut Plinius tradit. Qui enim faceret lac viroſa & maligna hæc planta, niſi per accidens repurgando malè affectas morbidáſve nutrices? Aſparagorum Bryoniæ uſum contra Dioſc. Plinium & Galenum in cibis non probamus niſi aſſumantur loco medicamenti & ad evacuationem alvi, quæ fortè moderatior ſi ſubſequatur, nõ propterea dixerimus cũ Galeno fœtidam hanc plantã edulium ſtomacho acceptum: quod etiam non placuit Dodonæo, ut poſtea dicetur. Cæterùm, Plinij verba hæc ſunt. Caules Aſparagi ſimilitudine decocti in cibo alvum & urinam cient. Folia & caules exulcerant corpus: utique ulcerum phagedænis & gangrænis, tibiarúmque tædio cum ſale illinuntur. Novêre ſeminis ſuccum qui coria perficiunt, illo enim utuntur. Pſoris & lepris illinitur. Lactis abundantiam facit coctum cum tritico, potúmque. Radix numeroſis utilitatibus nobilis, contra ſerpentium ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie varóſque & lentigines, & ſugillata emendat & cicatrices. Eadémque præſtat decocta in oleo. Decoctæ datur [*præſtat in oleo decocta: Datur &c. Corn*] & comitialibus potus: item mente commotis, & vertigine laborantibus drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipſa autem largior aliquanto ſenſus purgat [*turbat cenſet legendum Corn. ut habet Dioſc.*] Illa vis præclara, quod oſſa infracta extrabit in aqua impoſita. Herba Brionia, inquit Apuleius, in cibo data lienoſis, per urinam lienem digerit & emendat. Hæc herba tam laudabilis eſt, ut in theriaces etiam compoſitiones mittatur. Item ſi in capite, vel in cinctu eam tecum portaveris, nulla mala te cõtingent. Ampeli leuces, autore Galeno 6. ſimpl. prima quidem germina ab omnibus pro more edi Vere ſolent, utpote edulium ſtomacho, propter adſtrictionem acceptum: ſed & ſubamara ſunt & modicè acrem adſtrictionem poſſident: quare & urinam modicè cient. At radix & abſtergentem & deſiccantem vim habet, & moderatè [*σύμμετρος ubique legitur, ſed neceſſe ſit ἄμετρος*] calidam: quamobrem & lienes induratos liquat tum epota, tum foris cum ficubus impoſita: & pſoram & lepram ſanat. Porrò fructus ejus racemi ſpeciem præ ſe ferens, iis qui coria depſant, eſt utilis. Scribit Dod. facultate Bryoniam albam omnibus ſuis partibus calidam & ſiccam eſſe tertium præſertim caloris gradum excedentem, cum expurgandi vi potentiſſima, per quam non modo bilioſos ac pituitoſos, ſed & aquoſos humores educat: Galenum notat in eo quòd ab omnibus pro more per Ver edi, eduliumq; eſſe ſtomacho propter adſtrictionem gratum dicat: de Vitis ſilveſtris ſive Tami aſparagis, ſed nequaquam de hujus Bryoniæ germinibus veritatem habere aſſerit: albæ enim Bryoniæ aſparagos, ſive prima germina nequaquam adſtringere, ſed alvum vehementiùs commovere, ſtomachóque gravem moleſtiam inferre: Dioſcoridem quoque ſcribentem corrigit, *radicis ſuccum Vere exprimi, bibíque cum aqua mulſa, pituitámque ducere*: ducere autem addit, non modo ſuccum, ſed & radicis decoctũ, pituitam, bilem flavam, ac ſeroſos aquoſoſque humores, & quidem validiſſimè, unáque ventriculum ita ſæpenumero perturbare, ut & eoſdem vomitione reddi procuret. conferre ejuſmodi vehementem purgationem hydropicis poſſe, & quos comitialis morbus, aut capitis diuturnæ & pertinaces vertigines detinent: ſed tamen epilepticis non quotidie, ut Dioſcorides monet, exhibendas: ſubinde etenim dediſſe ſatis fore moleſtum: validũ enim eſſe remedium, violenter purgans, & naturę vim inferens. Plinium denique taxat, qui lactis abundantiam facere ſcribit: videri enim magis lactis generationi adverſari, quòd acris ſit, & eo vellera ac coria, teſte Dioſc. depilentur. Præter quæ omnia hæc addit Meſues: Ex ſucco Bryoniæ, melle & vino ana, fit potio ad ſtrumas experta, & emplaſtrum ex ipſius radice & melle, eaſdem delet. Ex Bryonia medicamentum à Democrito compoſitum apertè efficax ad epilepſiam, paralyſin, vertiginem, & cæteros affectus frigidos cerebri, ſpinalis medullæ, & ortorum inde utrinque nervorum, accipit radicis Bryoniæ mundatæ & tritæ ℔. ß. ſapæ uvarum paſſarum ℔. iiij. ſquillæ aſſatæ, ſtrobylorum purgatorum an̄. ℥. j. ß. nucis moſchatæ, Cardamomi, Macis, Zingiberis an̄. ʒ. ij. Caryophyllorum, Piperis longi, Stoechados an̄. ʒ. j. ß. Seſelios, Salis gemmæ, Galliæ an̄. ℥. j. ſpicæ ʒ. ß. Agarici ʒ. iij. Datur poſt ſex menſes à ʒ. ij. ad ʒ. v. Idem accipit ſucci Bryoniæ ℥. v. Aceti ſcillini ℔. j. aquæ coctionis Origani, Hyſſopi ſicci, Lybiſtici, Seſelios, Cardamomi, Stoechados an̄. ʒ. j. Sapæ uvarum paſſarum ℔. ß. Mellis ℔. ij. facitque ſyrupum idem pollentem, quod prior compoſitio, ſi detur unciis duabus. Ex ſucco ejuſdem & ſapa uvarum paſſarum eclegma ad tuſſim & aſthma efficax filius Zezar cõponit. datur autem radix Bryoniæ ab æureo uno ad aureos duos: ſuccus autem à ʒ. j. ad ʒ. ij. Quendam epilepſiâ curatum eſſe tribus ſeptimanis, ſolummodo purgando ſe ſucco Bryoniæ depurato, addito pauco ſaccharo legitur apud Arnold. de Villanova. Magni fit à quibuſdam radix ad arthritidem, quam ſectam macerant in aqua Vitæ deinde diſtillant, lintea madefacta in aqua calida imponunt parti dolenti. Bayrus, radicẽ terit, & circa collum ligat, ac ſic epilepſiã tollit, & ſpaſmũ ſanat. Idem fructu fricato pilos removet. Neutram Bryoniam eſſe in uſu ad purgandum aſſerit Fallopius, ſed ſolùm cùm lenienda alvus fit, inunctionem ex oleo radicis Bryoniæ convenire. Sed q̃ vera ſcribat, patet ex hactenus dictis. Ei præterea refragatur Meſues, qui Vitim albã inter ſua medicamenta dejectoria repoſuit, & de ea hæc ad ſẽſum ſcripſit. Vitis ſilveſtris, quòd hauſta, quemadmodum & Dracunculus vẽtriculo, & jecinori noxam inferat, danda non eſt, niſi aromatum pulvere permiſta, aut addito maſtiche, Cydoniis malis, aut aliis adſtringentibus, roborantibusq; medicamẽtis. Succus è contrita radice expreſſus pituitã ejicit, urinã remorantẽ trahit, & cerebrũ mundat, quinetiam pectus, & nervos à pituitoſis, putridíſq; excremẽtis liberat; viſcerũ obſtructiones aperit; renes à calculis expedit; ſubvenit itẽ vertiginoſis, comitialibúſque. Præſtat opem mirificè tuſſientibus: & induratos tumores reſolvit, præſertim lienis, ſi cum vino & ficubus tuſa radix illinatur. Mẽſtrua elicit, & univerſum purgat uterum, atq; etiam fœtum expellit, ſi in ejus decocto inſideant fœminæ. Succus fabarum, aut cicerum farinâ exceptus, maculas in facie, & vulnerum cicatrices emendat, linimenti modo adhibitus. Oleum excavatis ejus radicibus immiſſum, cineribúſque incoctum, ſugillata delet. Præterea mulieres

*Radix purgat.* *Ventriculo valdè nocua.* *Hydrops.* *Dioſc. not.* *Plin. reprehẽ.* *Lactis generationi contraria.* *Struma.* *Affectus cerebri frigidi.* *Aſthma.* *Doſis Bryoniæ Meſ.* *Epilepſiæ cura.* *Athritis.* *Amuletum* *Pili.* *Falliopus refutatur à Meſue.* *Noxa correctio.* *Succus radicis purgat.* *Calculus renum.* *Tuſſis.* *Uterum purgat.*

*Vteri ſtrangulatus.* vulvæ ſtrangulationibus obnoxias mirum in modum juvat, adeò ut eas à ſtrangulatu liberet, & ſanet. Equidem novi (inquit Matth.) mulierem quotidie ferè per plures annos hoc morbo vexatam, quæ tandem à quodam vulgari herbario edocta, ut vinum album biberet, in quo Vitis albæ radicis uncia efferbuiſſet dormitum itura ſemel in hebdomada, cùm hac medicinâ per annum uſa fuiſſet, optimè ex illo morbo convaluit. *Empyrici cujuſdam phantaſia, & Portæ.* Cæterùm non placet ad dyſenteriam decoctum Bryoniæ, cujuſdam Empirici, cum Thymbra aromatica potum. Multò minùs arridet phantaſia Portæ phyt.l.3.c.17. dicentis, Bryonia ex pallido albeſcentes flores habens, pituitâ emendat: Item, radix ejuſdem lacteſcens oſtendit cauliculos cum tritico coctos, potóſque, lactis abundantiam facere. *Succi colligendi ratio.* Retulit Io. Stoffelius, radicem Bryoniæ ſiquis ſummâ tellure reſecuerit, partem verò reliquam terræ inhærentem excavaverit, amputatámque partem ſuperiorem, tanquam operculum rurſum impoſuerit (cavendo ne quid pulveris ſordiúmque terreſtriũ in cavũ incidat) poſtero die detegendo cavũ illud ſucco quodam lacteo plenũ, etiam ad tertium uſque diem reperiri. *Vires & doſis.* Hujus ſucci cochlear unum propinatum, clementer per inferiora, fœliciterque purgate quemlibet hominem. Agyrtæ nonnulli mira quędam monſtra ex hac radice effingunt, quæ cùm aliquot dies ſiccæ arenæ mandaverint, pro *Mandragoræ adulterium.* Mandragoris poſtea diſtrahunt; alij immaniter per illam homines purgant, Tragus.

## BRYONIA ALBA MACVLATA.

*Deſcr.* E Semine miſſo à D. Iacobo Zvvingero pro Bryonia Cretica provenit mihi planta Montbelgardi in horto E.C. radice magnâ, albâ; viticulis, foliis (in quibus tamen ſunt maculæ albæ) & floribus ac uvis ſimilis vulgari jam deſcriptæ. *C.B deſcr.* De hac frater C.Bauh. Radice eſt longâ, altè deſcendente (amplâ, Rapæ modò, dixerat apud Matth.) ſed ad vulgaris magnitudinem non accedente, fuſco cortice tectâ (quæ forinſecus cum vulgari convenit, verùm intrinſecus candida, nec circularibus lineis prædita) ex qua longa & tenuia ſarmenta prodeunt, quæ ambiunt folia aſpera (qualis & tota planta) ad ſimilitudinem Vitium, aut Bryoniæ vulgaris diviſa, ſed minora, viridia, albis ſtriis per medium diſcurrentibus, vel maculis albis notata, quibus capreoli ut in Vite adduntur. *Synon.* Flores habet pallidos, quinquefolios, ſtriatos, vulgaris Bryoniæ floribus majores, ex longis pediculis propendentes: cuilibet flori, fructus ſuccedit ſemicircularis, ſupernè in partes duas diviſus, viridis primùm, at per maturitatem ruber, (qui vulgaris fructui major eſt, aliquando unicus, aliquando plurimus, ex longo pediculo dependens, aiebat apud Matth.) ſemina duo continens, quare dicoccos appellari poteſt. Hæc ille, cui dicitur in phyt. & apud Matth. Bryonia 3. ſive maculata, à vulgari differens, quòd minor ſit, & folia per medium albis ſtriis notentur: In prod. Bryonia 1. In pin. 2 Cretica maculata: Bryonia dicoccos, frequentiſſimè in Creta proveniens, elegans, & ab aliis alibi natis differens: Bryonia Cretica, Ponæ Italico.

## VITIS SIVE BRYONIA NIGRIS baccis. CAP. XXI.

*Deſcr.* QVamvis videatur Bryonia nigris baccis poſſe paucis verbis tradi, nihilominùs tamen cùm libuerit Cordo particulatim eam delineare, placet ejus diligentem deſcriptionem proponere. Bryonia quæ nigras fert baccas, ab una radice viticulas emittit plures, tenues, longas, & anguloſas, foliis aſperis, ſcabris & formâ virgineis ſimilibus veſtitas. Secus quæ ſinguli, longi, intortique exeunt capreoli, arbuſtorum virgas, & ſepium ſarmenta apprehendentes, quò facilius ipſæ viticulæ, alioquin infirmæ, ſepes ſcandant, quas ubi aſcenderint in omnes partes reptantes ſe expandunt: flores à Veris exitu, uſque poſt medium Æſtatis fert parvos, foliaceos, colore pallidos, pauca intus ſtamina habentes, quibus ſingulæ ſuccedunt baccæ, ſeu acini, mediocris Piſi quantitate, formâ rotundæ, colore primùm virides, *Baccæ Piſi quantitate.* in maturitate verò nigræ, & in exiguos racemos congeſtæ, tactu molles, intúſque lubrico & glutinoſo ſucco plenæ, quibus quina ſenáve ſemina continentur, cannabis colore & quantitate, ſed modicè acuminata, *Semina cannabis.* in latitudinem compreſſa, & candidum nucleum intra ſe claudentia. Radice nititur perenni, ſecundùm ætatem grandi carnoſáque, longitudine plerumq; cubitum excedente, craſſitudine brachij aut tibiæ, longo Rapo aut Raphano ſimili, *Radix Rapo ſimilis.* capite multis ceu verrucis tuberoſo, in profundo in duas vel tres partes diſtracta, colore foris in candido cineracea, intus autem candida, aut Buxi modo pallida, quæ guſtu amara & ſubacris eſt, cum aſtrictione non pauca & aliqua nauſeoſa qualitate abundat. *Guſtus.* Eadem lubrico & glutinoſo ſucco & gravem odorem ſpirat, baccæ ſive acini, radicem qualitatibus æmulantur, minùs tamen ſiccant. *Collectio.* Colligitur primo Vere mox prodituris aſparagis. *Vſus.* Ex radice aqua, præfecto radicis capite, & excavata radice, quæ in cavum (ſingulis diebus matutino tempore tollenda) confluit, iſchiadis utilis. *Iſchias.* *Locus.* Naſcitur in ſepibus. Plurima in VVirtenbergenſi Suevia atque Rhenana provincia, in Heſſia, Saxonia, VVeſtphalia, Pomerania, Marchia, VVirtenbergenſi Electoratu & Miſnia abundat. Lectores conſiderent an Cordi Bryonia hæc nigra quæ formâ foliorum non differt ab alba, eadem ſit quæ veterum ut Dioſc. Plinij & Galeni, quorum verba ſubjicimus.

*Vitis nigra Dioſc.* Nigra Vitis, inquit Dioſcorides, quam aliqui Bryoniam nigram, alij Chironiam Vitem nominant, folia fert Hederæ, ad Smilacis folia propiùs accedentia, ſed majora; caules etiam huic ſimiles; ac ipſa quoque vicinas arbores capreolis ſuis amplectitur; fructus racematim cohæret, qui inter principia viret, at poſt maturitatem nigricat; radix foris nigra, intus buxeo colore. *Vires.* *Vſus.* Hujus etiam cauliculi qui primò germinum partu erumpunt, olerum modo in cibos recipiuntur. *Vrina.* *Menſes.* *Vertigo.* Vrinas porrò cient, menſes pellunt, ac lienem minuunt, nec non & comitialibus, vertiginoſis, ac nervorum reſolutione tentatis proſunt. Radix iiſdem quibus albæ viribus pollet, eadémque præſtat, ſed inefficaciùs. Folia verò cum vino exulceratis jumentorum cervicibus efficaciter illinuntur; ac luxatis etiam ſimiliter imponuntur. *Luxati.* *Dioſc appellationes nothæ.* Nigram Vitem inter Dioſcoridis notha alij Bucranium, Romani Vvam taminiam, alij Batanutam, Bateonda alij, alij Betiſalcam, Daci Priadela, alij Peregrinam, Afri Lavothen vocant.

*Brion nigra Plin.* Bryonia nigra efficacior in eodem uſu [*cum alba, ad extrahendum oſſa infracta*] cum melle & thure, ita tradente Plinio: *Vires & uſus.* Suppurationes incipientes diſcutit, veteres maturat & purgat. Ciet menſes & urinam. *Dolores lateris.* Ecligma ex ea fit ſuſpirioſis, & contra lateris dolores, vulſis, ruptis. Splenem ternis obolis pota triginta diebus conſumit. Illinitur eadem cum fico & pterygiis digitorũ. *Pterigia.* Ex vino ſecũdas fœminarũ appoſita trahit: & pituitam, drachma pota in aqua mulſa. Succus radicis colligi debet ante maturitat ſeminis: qui illitus per ſe & cũ eruo, lætiore quodã colore & cutis teneritate mãgonizat corpora: ſerpẽtes fugat. *Mangonium.* Tũditur radix cũ pingui fico, erugató; corp⁹ ſi ſtatim bina ſtadia ambulẽt; aliàs urit, niſi frigidâ abluatur.

Iucun-

Iucundiùs hoc idem præſtat nigra Vitis: quoniam alba pruritum affert. Eſt ergo & nigra, quam propriè Bryoniam vocant, alij Chironiam, alij Cynecanthen, aut Aproniam, ſimilem priori, præterquàm colore. Hujus enim nigrum eſſe diximus. Aſparagos ejus Diocles prætulit veris aſparagis in cibo urinæ ciendæ, lieníque minuendo. In frutectis & harundinetis maximè naſcitur. Radix foris nigra, intus buxeo colore oſſa infracta vel efficaciùs extrahit, quàm ſuprà dicta. Cæterùm eidem peculiare eſt, quòd jumentorum cervicibus unicè medetur. Aiunt ſi quis villam eâ cinxerit, fugere accipitres, tutáſque fieri villaticas alites. Eadem in jumento hominéque phlegma, aut ſanguinem, qui ſe ad talos dejecerit, circumligata ſanat.

*…onia …riè Ga.* Vitis nigra, quam Bryoniam propriè vocari ſcribit Galenus, ſupra dictæ ad omnia ſimilis eſt, niſi quòd imbecillior. Quod autem non auſimus aſſerere hanc Cordi Bryoniam nigram [ἄμπελον μέλαιναν, quam in Dioſc. in quibuſdam ſimilem ſtatuit cum Vite alba] eandem eſſe cum Vite nigra Dioſc. Plinii & Galeni, facit potiſſimùm Dioſcorides ſuâ diverſâ deſcriptione in forma foliorum ab alba.

*Bryonia …ra Mar…ca.* Bryoniam nigram inventu rariorem tradit Marcellus, ideóque cognitu difficiliorem: inventam tamen totam veterum ſcriptorum hiſtoriam confirmare. Sunt illi, inquit, per intervalla cum foliis diſpoſiti racemi: & qui non ultra octo decémve acinos oſtendunt: multo minore quàm in punicis magnitudine, & colore ante & poſt maturitatem, quo ab hoc deſcribuntur. Quos tamen Dioſc. hîc caules vocat: nos potiùs viticulas dixerimus: earum enim ſpeciem magis, quàm caulium habent. Matureſcunt acini ejus extrema æſtate: & ubi minùs calet: umbroſiſque locis Autumno. Naſcitur & hæc, ut in alba diximus, in ſepibus & interfruteta propinquas ſtirpes aſcendens & alligans. Minor hæc quàm alba eſt: nec tam latè ut illa viticulas ſuas ſpargit. Pares utriuſque vires antiqui omnes eſſe tradiderunt: ideóque ſine diſcrimine uti ceu alterutrâ juſſerunt. Licétque id in Paulo Æginetа cognoſcere, qui contra nigras cicatrices utriuſque ope his verbis utitur; Nigras cicatrices delet Bryoniæ radicis albæ & nigræ in oleo decoctæ &c. De ejus appellationibus non eſt quod dicamus prȩter quam Chironiam vitem vocari potuiſſe: aut quòd Chiron Medicinæ & herbarum in Theſſalia peritiſſimus ulceribus jumentorum & hominum ex ea primus remedium invenerit: aut quòd Chironiis ulceribus eâ veteres mederentur. Quod autem in Dioſcoride legitur Vvam taminiam dici à Romanis, falſum eſt. Alia enim à Bryonia taminia Vva eſt: quemadmodum Latini antiquiores omnes docuerunt.

*…mpelos …elæna. …annus. …amnus.* Ampelon melænam, aliquos Aproniam vocare autor eſt Hermolaus. Hanc etiam Tannum ſive Tamum quoſdam putare, & vulgò Tamarum. Eſſe qui Tamnum quoque ſcribant, non Tamum, aut Tannum. *…uell. not.* Ruellius Vitem nigram vocat, recitans confuſè Dioſcoridis, Plinij & Hermolai verba, quem non nominat. Cæterùm credidit Fuchſius eam ſtirpem eſſe legitimam Vitem nigram, quæ Hetrurienſibus vulgò Vitalba dicitur, ac à nobis Clematis latifolia inſcribitur. Verùm hæc ejus opinio nobis cum Matthiolo, pace ſuâ, planè reprobâda videtur. Siquidem noſtra Vitalba non habet radicem foris nigram, intus buxeo colore: non fert folia Hederæ majora, ſed potiùs minora, & per ambitum laciniata: nec ſemen edit in racemi modum, ſed ſimul compactum, nullâ cum Vvis ſimilitudine. Adde, quòd eadem ſuâ facultate exulcerat. Vitis verò nigra exulceratis boum cervicibus medetur, & luxatis ob adſtringentem vim, quam habet, utiliſſimè imponitur. Vitem nigram Dioſcoridis, temerè nimis Matth. herbariorum & officinarũ Sigillum B. Mariæ nuncupat. *Sigillum B. Mariæ.*

An Corn. in Dioſc. Bryonia nigra, herbariis nota, fructûs & radicis colore ab alba tantùm differens? Matth. in Dioſc. cum mag. fig. Bryonia fructu nigro, quem ait Dioſcoridem non vidiſſe. Is autem Vitem nigram legitimam non exhibet, ut ſequenti hiſtoria dicemus. Fallop. Bryoniam nigram ait Pſilothron vocatam à Græcis, eò quòd uſus ipſius attenuet pilos. *Pſilothron.* Cam. h. & Hort. Luſit. Bryonia baccis nigris. Lugd. Vitis nigra quoad deſcriptionem, non verò quoad iconem, quæ eſt Vitis nigræ quorundam, de qua mox. Hanc eandem iconem eodem titulo retinet Lacuna, Cam ep. & hiſt. Matth. germ. & Tab. Vitis nigra quoque dicitur Arnold. Gillen. Hort. Luſ. & Ryffio abſque icone, qui Fuchſium & alios falli ſcribit, *Fuchſ. not.* qui nigram Vitem aliam eſſe plantam ab alba differentẽ arbitrentur, cùm eadem ſit & colore in radice, quæ huic nigra, alteri alba, & fructu tantùm differant, quem alba Vitis rubrum, nigra verò nigrum proferat & in Norico agro copioſiſſ. cum alba proveniat, quamvis ſimul naſcentes nuſquam repererit. Dod. gall. Bryoniam nigram à nemine adhuc in Galliis cognitam eſſe teſtatur. In hiſt. eam paucis (ex Cordo ni fallor) deſcribit. Bryoniæ nigrȩ radix aliquando ad noſtras manus venit, ait Cæſalpinus, nautis eam pro victu circumferentibus: vocitant Panem Turcharum: *Panis Turcharum.* eſt radix brachiali craſſitudine amplior, ſed brevis, carnoſa, colore intùs ſubrubente, ut diviſa in taleolas, farciminis ſpeciem gerat. hæc quamvis multò antè eruta, adventante Vere germinare cæpit. Quamprimum igitur eâ terræ mandavi, ut plantæ ſpeciem addiſcerem: protulit autem caulem circumvolventem ſe adminiculis ad multam altitudinem, & folia Hederæ mucronata, colore ſubrubente, vixit uſquè in Autumnum; frigore verò adventante penitùs extincta eſt. ejus neque florem, neque fructum videre licuit.

Gerar. Bryonia nigra ſilv. qui malè malam habet iconem Tabern. Vitis nigræ ſecundæ, quæ eſt Clematidis latifoliæ, pro Bryonia nigra. *Tab. icon mala.* C.B. phyt. Bryonia 2. ſive nigra, ſeu Vitis nigra Dioſc. Apud Matth. Bryonia ſeu Vitis alba altera nigricantibus baccis, fructu nigro Matth. Eid. pin. Bryonia 2. alba baccis nigris: Vitis alba baccis nigris, Caſt. Differt à vulgari radicibus, & baccarum colore; hujus radix interiùs buxeo colore pallet: illius ex albido ſubluteі coloris eſt: hujus baccæ maturæ nigricant, illius rubent. Siquidem autem hæc colorum differentia icone exprimi non poſſit, ejus picturam hîc ſtudio omittimus.

Ἄμπελ. μέλαινα Græcis, & Βρυωνία μέλαινα, & χειρώνεια ἄμπελος; Latinis Vitis nigra, & Bryonia nigra, & Vitis Chironia nominatur; Arabib. *Feſire ſentanim, Alfeſireſim*, ſive *Taferſim*: Ger. Schwartz Stickwurtz: It. *Vite nera*: Gall. *Couleuree noire*. *Nomina linguar.*

---

## VITIS NIGRA QVIBVSDAM, ſive Tamnus Plinij, folio Cyclamini.

### Cap. XXII.

Radix magna, craſſa, tuberoſa, rotunda ferè, foris nigra, intus alba, profundè in terra demerſa, ut non niſi altiſſimè adacto ligone quis facilè conſequi poſſit, *Deſcr.* viridis à nobis guſtata, ſaporem acrem linguæ imprimebat, non tamen ingratum, aut amarum: *Sapor.* ſiccata candidiſſimâ ſubſtantiâ accedit ad Dracunculi minoris radicem nullis circulis donata quales apparent in Bryonia, *Dracunculi radice.* quæ facilè in pollinem redigi poteſt, nec rara ut illa, ſed compacta, in eo accedens ad Mechoacan, ab ea etiam diverſa circulis, ſapore quoque eſt non ingrato, cum aliqua



acrimonia, plures viticulas emittit quæ proximis quibuſque ſe circumvolvẽtes in altum nituntur, nullis claviculis donatæ: folia alternatim longiſſimis pediculis hærent, Cyclamini foliorum ferè formâ, ſæpè tamen acutiora & duplo triplóve majora, infra ſupráq; læto virore ſplendentia, tenera, multis nervis ſinuatis prędita, guſtûs viſcidi. Flores inde otiuntur unde foliorum pediculi, racematim cohærentes, ex luteo virides ſive chlori: quibus racemi ſuccedunt uvarum rubentium, aut ex rubore fuſcarum.

*Folio Cyclamini ferè.*

*Cyclamin. altera. Sigillum, vel Tuber Mariæ. Malacociſſus.*

Ruell. Cyclaminos altera Dioſc. & Plinij, Herb. & offic. Sigillum Mariæ; Mauritanorum Bothòrmatien primum [*Tuber Mariæ*] nominatum, Malacociſſus Democriti. Sic & Corn. Fernel. & Dalechampio. Sed falluntur. Non enim radicem, aut facultates habet Cyclamini alterius.

Matth. Vitis nigra, Hetruſcis vulgò Tamaro appellata, corrupto à Tamno vocabulo. Sunt enim (inquit is) qui hanc Tamnum, ſive Tamum etiam vocent, unde Latinis ejus uva taminia dicta eſt. Viti nigræ, quæ in Italia naſcitur, illud objici poſſe putaverim, quòd in uvarum colore à Dioſcoridis diſſidere inveniatur, quòd ejus Vitis uvæ poſt maturitatem nigreſcant, noſtræ verò perpetuò rubentes ſpectentur. Sed hoc nihil me movet, neque facit, ut mutare debeam ſententiam, & credere hanc aliam eſſe à Vite nigra, quod ſæpè viderim naturam plerumque in florum & fructuum colore ludere. Idcirco nil mirum eſſe debet, ſi in Italia Vitis nigra rubentes uvas proferat, alibi verò nigtas, ut in Græcia, Aſia, aliíſque calidioribus, quòd hujuſmodi diſcrimina ſæpenumero cœli, ac ſoli diverſitate contingant. Hac igitur ratione fretus, quæ, ni fallor, illam objectionem diluit, non dubitaverim aſſerere, hanc plantam, eſſe veram ac genuinam Vitem nigram, quoniam cæteræ omnes prorſus notæ illi adſtipulari deprehenduntur. Hæc ille, qui plantæ capreolos appingit, qualem obſervare nunquam potui. Amplectitur quidem proxima, ſed non per capreolos: Racemi etiam in prioribus comm. malè exprimuntur: Radix quoque non tenuis, ſed craſſa, quam non obſervavit Matthiolus. Plantam præterea non deſcribit, ſed fictam tantùm iconem proponit. Quare meritò in comm. cum magn. fig. eam mutavit, pingens meliùs uvam & radicem, licèt capreolos reliquerit. Radicem ita longam, qualis eſt in poſtrema ejus icone, ac etiam apud Dod. & Lob. ac in noſtra, ad imitationem illorum facta, non obſervavi, ſed pænè rotundam & tuberoſam. Meliorem Cam. in epit. & hiſt. ſub Vite nigra exhibuit figuram. Quis autem quæſo plantam hanc eandem dixerit, cum Vite ſive Bryonia nigra Dioſcoridea: folia huic non ſunt anguloſa, qualia eſſe ſolent albæ: fructus non niger: caret capreolis, quicquid Matth. ex deſcriptione Dioſcoridis pingat: plurimum denique in figura foliorum ut in cæteris differt, cùm tamen è contrario Gal. per omnia ſimilem dicat. Tandem radix odore & ſapore differt, quæ diverſam vim oſtendunt. Fallitur prætetea Matthiolus hujus racemos uvam taminiam Latinos dixiſſe. Hæc ſiquidẽ Staphiſagria eſt, autore Dalechampio.

*Matth. figura falſa.*

*Icon noſtra ex Lob. & Dodon. non placet.*

*Matth. opinio refutatur.*

*Vitis ſilv. Bryoniæ ſpecies.*

*Arabum error.*

*Plin. lapſus.*

Dod. Vitis ſylveſtris [*Seel vaſtre Dauwe*] Bryoniæ ſpecies, non autem Labruſca. Quod admonere voluit, ne quis cum Avicenna, Serapione aliíſque Medicis Arabibus, falsò putet eandem eſſe Labruſcam & Vitim ſilveſtrem. In quo & Plinium (in hiſt.) particulatim notat, ut cui utriuſque ὁμωνυμία occaſionem præbuerit, ut ſatis de his ſe explicare non potuerit, & l.23.c.1. utramque inter ſe confuderit. Hanc præterea ait Columellam & Latinos Tamum appellare, fructumq; ejus uvam tamineam. Vvam autem tamineam, etiam Staphiſagriam eſſe, ſed hanc falsò ita nuncupatam Plinium confirmare, qui & Salicaſtrum vocet. Non eſſe refellendam eorum ſententiam ducit, qui Cyclaminum alteram hãc eſſe velint, vel ſolam enim radicis magnitudinem facilè hos redarguere. Cyclamini ſiquidem radix, quòd nullius usûs [ἄχρηστος] ac exigua ſit, hujus autem magna & multi usûs. Cùm eo magis ipſi videretur agendum, qui ἄμπελον ſive βρυωνίαν μέλαιναν eſſe pertinaciùs tuetur: niſi repertâ, & ab eo conſpectâ legitimâ Bryoniâ nigrâ, ſententiam mutaturum ſperaret. Sed tamen quid vetat & in hujus errorem animadvertere, & Tamum nõ eſſe Bryoniam nigram docere? Caret capreolis Tamus; fructum non nigrum, ſed pulchrè rubentem gignit. Bryonia verò nigra capreolos habet inſtar Vitis, & acinos profert nigros. Oſtendunt hęc differentiam ſatis evidentem. Deſcribit autem is Vitem ſylveſtrem, quòd longos, lignoſos, mediocris craſſitudinis, rimoſi corticis, inſtar ſarmentorum Vitis obſcurè ſubrubentes promat coliculos; capreolis ſive viticulis careat: flores candidos, muſcoſos odoratóſq; proferat. Sed patet eum Vitem ſuam ſilv. ex libris, & non ad plantam, quod ei ſæpiùs evenit, deſcribere: verè quidem dixit adverſus Matth. capreolis carere: reliquæ verò notæ non reperiuntur in ſua Vite ſylv. vel Tamo.

*Tamus Columellæ.*

*Cyclaminus altera non eſt.*

*Bryonia nigra non eſt.*

*Dod. reprehen.*

Vitim nigram ſilv. Ollingeri (ſi modo eſt eadem quæ Tanus Plinij, inquit Geſ. h. quã Matthiolus pingit, quãvis radicẽ non probè, fructũ verò omittit: & capreolos addit deſcriptionẽ Dioſcoridis in hoc, nõ naturã ſecutus.) ego cũ capreolis nũquã vidi, ſed viticulis tãtùm ſuis flagellisq; ſe circũvolventem. Aut igitur Dioſcorides lapſus fuerit ἕλικας in hac planta nominando, aut nõ propriâ ſignificatione uſus: aut Vitis nigra Dioſcoridis hæc non erit. Accedit quòd fructũ ejus primò viridẽ, in maturitate nigrum facit: cũ Tani acini poſt viriditatem ſemper rubeant. Item ꝙ Dioſcorides minùs efficacẽ hujus Vitis radicẽ facit, q̃ albę: cùm Tani radix exulceret, ꝙ meo periculo didici; Vitis albę non itẽ, aut non adeò. Interim hanc Vitẽ nigrã eſſe non negabo, aut proximã ei ſpeciem: quoniã non invenio aliã quę propiùs ad deſcriptionẽ accedat. Eid. Geſ. h. Malacociſſus Democriti videtur Vitis nigra, quã Ruellius Cyclaminum alterã exiſtimat, aut nõ longè diſſimilẽ. Eadem habet etiam in cat. pl. ubi præterea (ſparſim tamen) Cyclaminum alterum, Tamum & Tannum, ac Vitim nigram appellat. Non placet autem quod aliquando dixerit Tamum habere baccas nigras, maximè cum poſtea ex autopſia tales negaverit.

*Matth. reprehen.*

*Tani radix exulcerat.*

*Geſn. not.*

Lob. adv. Vitis, vel Bryonia nigra, Sigillum Marię, an Cyclaminos altera: Obſ. Vitis, ſive Bryon ſilv. (ita & ic.) Tamus & Bryonia ſylv. Dod. quem ait meritò, vulgatum Sigillum Salomonis [*Mariæ lege*] ſive Bryoniam nigram, ſilveſtrem Bryoniam, Tamúmve ſtatuiſſe. Item alibi, Cyclaminos altera, Bryonia nigra quorundam. Lugd. Vitis nigra Matthioli. qui falſam ejuſdem figuram retinet, quam etiam Tab. ſub Vite nigrâ albâ primâ proponit, quem & Ger. imitatur, Bryoniam nigram appellãs.

*Lugd. Tab. & Ger. not.*

Schvv.

Schvv. ſecurè nimis pronunciat Sigillum B.Mariæ eſſe Cyclaminum alteram & Bryoniam nigram.

*uh.* C. B. phyt. Bryonia 4. ſive ſilveſtris: Eid.apud Matth. Bryonia ſilveſtris. Non autem convenit (quod fratri placet) deſcriptio Dioſcoridis. Velim etiam ab ipſo annotatum, ubi nigreſcentibus baccis, ut ipſe prodidit, repererit? Tandem quæ Theoph. l.9.hiſt.c.14.& 22. de Vite ſilv.ſcripſit, plantæ de qua accipitur, non quadrant. Eid.B.pin.Bryonia 4.lævis, ſive nigra racemoſa: Vitis nigra Matth.Ang.Lac. & Caſt. Tamarum vulgo, Cæſ. Vitis ſylv.Dioſc.& Theophr.quibuſdam. Sed florem capillaceum, muſcoſumque ei tribuit Dioſc.qui in noſtra non obſervatur. Aliis Cyclaminus cyſſanthemos Dioſc. Aliis Vva taminia Plinij: aliis ejuſdem Salicaſtrum, quod potiùs Amaræ dulci convenit. Baccæ maturæ aliquando ruſeſcunt, aliquando nigreſcunt.

*us & -pus.* Provenit à me plantata in horto E.C. collecta ex vicinis locis urbi Montbelgardenſi, ut in colle verſus Arbonam eundo ad planitiem in dumetis: item propè la Chau Vitium monte. Genevæ florentem obſervavi menſe Maio in colle l'Abbatie. Frater C. B. in Huningen collegit. Tiguri in ſylvis ſpontè provenit, ut & Porentrui cum baccis perfectis Auguſto. Radicem valdè profundè agit. Vitis nigra Matthioli frequentiſſima in Hetruria provenit, quin & in Goritienſi comitatu, ubi Martio & Aprili menſibus ejus cauliculi pronaſcuntur.

Tamari viticulas, quæ Vere primùm erumpunt, quòd Aſparagis ſimiles ſint, eorum more decoctas, ſuà etiam tēpeſtate mādi Matthiolus prodit, quamvis non eam, quam Aſparagi, cum palato ineāt gratiam. Aſt comedat Matth. ſuos Aſparagos, ejus ego authoritati non confido, nec ſecurè ſumi poſſe exiſtimo. Compertum eſt (inquit Lob.adv.) vel mulierculis, vehementiùs urinam, renúmque ſabulum & menſium ſaburram, impellere potu: verùm veneris tantoperè incentivam eſſe, non perinde aſſentiuntur quidam Commentatori; quin potiùs experti eidem conviciantur; conqueſti lumbos enervare, ſanguinem, renéſq; inflammare, pluríſque eſſe ſibi unam aut alteram Cynaram, quam incertam & periculoſam ſuam Bryoniam: quam ſi propter calorem, venerem accendere vult, haberet ſibi uni, aut Flammula veſceretur, ad ſui Satyrij erithronij vires enerves ſupplendas. Planta à Matthiolo pro Bryonia nigra exhibita, legitima Turneri judicio non eſt; tum quòd hæc planta manifeſtè cùm ſit frigida, non eas habet facultates, quæ Bryoniæ nigræ tribuunt Dioſcorides, Galenus, & Meſuæus; affirmant enim earundem eſſe virium cum Bryonia alba. at illa Matthioli tam valida non eſt. Meſuæo Bryonia alba, calida & ſicca eſt in tertio receſſu. Nigram manifeſtè calidam ſtatuit etiam, ubi ait non adeò eſſe calidam ac albam, additq; utriuſq; radicem frigidis conferre morbis &c. Iam verò utrum planta frigida, qualem ſcio certò Matthioli illam eſſe, ejuſmodi poſſit morbos perſanare, doctis dijudicandum relinquo, & an frigida ſit necne, periculo facto circa Solſtitium æſtivum, docebit ſapor. Antè diximus ex Geſnero radicem exulcerare, quod tamen nobis non conſtat, ex guſtu ſanè acrem comperimus: dubitamus etiam an quod dicit Dod. radices ſint calidæ & ſiccæ ordine tertio: addit fructus adſimiles facultate, attamen mitiore: utramque abſtergere & digerere: Quod Galenus ſcribit de aſparagis Bryoniæ ab omnibus pro more per Veredi, de Vite ſilv. ſive Tamo, nequaquam de Bryonia alba veritatem habere: eſſe qui aſſerant in Hiſpania Bætica in cibaria recipi: Dici à porcis hujus radices quæri, erui, ac cum voluptate mandi, neq; minus eſſe gratas quàm Cyclamini orbicularis, quæ inde Panis porcini nomen indeptæ ſint: Sed temerarium fore idcirco Tamum Cyclamini ſpeciem aſſerere, quòd ejus radices porcino generi gratæ ſint.

*Matth. non -cipitur.* *-s aperi- -va.* *Matth. re- -prehendi- -r.* *Satyrium -ithronium.* *Tempera- -mentum.* *Dubitant autores.*



## BRYONIA LÆVIS, SIVE NIGRA baccifera, C.Bauhini.

Radicem habet magnam, craſſam, longam, ſucco glutinoſo plenam; caules verò ſarmentorum Vitis inſtar lōgos, lignoſos, anguloſos, quibus ſe, (licèt capreolis careat) crebris circumvolutionibus vicinis fruticibus circumvoluit; folia hederacea, Smilacis lævis ſimilia, magis tamen ſinuata, tenuia, ſplendentia, & nervoſa, longiſſimis pediculis donata: flores albi ſunt, muſcoſi: ad cujuſlibet folij exortum, in viticulis maximè ſuperioribus, pedicellus brevis ex caule exurgit, qui baccam unicam ceraſo minorem, virentem primùm, at per maturitatem rubētem, ſuſtinet: cui ſemina ſatis magna, rotunda, nigráque, quaterna, quináve includuntur. Provenit in ſylvis circa pagum Hüningen, Iunio florens: at baccæ Septembris fine maturæ ſunt.

Hæc à communi Bryonia ſylveſtri, quæ Tamus dicitur, potiſſimùm in his differt, quòd communis florem minorem habeat, racemoſa ſit: hæc verò flore ſit majore & baccifera. Hæc C.Bauh.

Eſt autem in prod.ipſi Bryonia 2.ſylveſtris baccifera: Eid.pin.Bryonia 5. lævis, ſive nigra baccifera.

## MECHOACAN. CAP. XXIII.



TAleæ ſunt radicis brachialis craſſitudinis per tranſverſum ſectæ, cortice rugoſo tectæ, ex fuſco cinereæ, cæteroqui cinereæ, per quas vix ulla apparet fibra, ſubſtantiâ molliuſculâ, ſapore ſubdulci cum obſcura quadam acrimonia, nauſeam movēte maſticando, circulos habet ut Bryonia, verùm ab ea differt, quòd compacta ſit & non fungoſa, nec ſapore acri, amaro & viroſo, qualis illa. Porentrui à Pharmacopœo nobis data Mechoaca tota fuſca neſcio unde, ſapore nonnihil acri in qua circuli valdè manifeſti: altera radix ſecundùm longitudinem ſecta externè rugoſa cinerea, internè albicans. *Deſcr.* *Sapor.* *Diſcrimen à Bryonia.*

Mechoacan Monardes duplex tradit, & tertium genus ſylveſtrius. De primæ verò Mechoacan annum 1560. primùm in provincia Mechoacan dicta, radicis reperta planta hæc ſcribit. Video ſtirpem in magno vaſe terrâ pleno repoſitam Hiſpali in monaſterio Franciſcanorum, multis ramis ſupra terram expanſis luxuriantem, colore fuſco ad cinereum tendente, qui vicinas perticas aut pergulas (ſi adponantur) ſcandere, & multiplici nexu amplecti poſſint: foliis circinatæ ferè rotūditatis in mucronem tamē deſinētibus, nōnunquā admodū amplis, atrovirētibus, fibroſis, perēnibus, adeò verò delicatis, ut humiditate carere videantur: fructu, ut perhibent, coriandri ſicci magnitudine, racematim cohærente. *Mechoacan generatria.* *Mechoacan ex Mechoacan.* *Fructu Coriandri.*

*Radice Bryoniæ.* Radice craſsâ, Vitis albæ ſeu Bryoniæ modò: inſipidâ, & ſine acrimoniâ, quæ advehitur magnis & parvis fragmentis, partim in taleas conciſis, partim manu confractis. Non defuerunt autem, qui hujus *Rhabarb. Indicum.* radicem, cui Rhabarbari Indici & Mechoacani nomen inditum, eandem cum Bryoniæ radice (quòd hujus modo craſſa ſit) eſſe putarunt, aut ſaltèm ei congenerem: ſed multùm differunt. nam Bryoniæ radix, cùm viridis, tum ſicca, admodum acris eſt: Mechoacan verò inſipida & ſine acrimonia.

*Mechoacã ex Continenti.* Ceterum nũc ex Continenti advehitur Mechoacan, natũ circa Nicaragua & in Quito (ubi diligenter colitur & magno in uſu eſt, ob eius mirabiles effectus) longè præſtantius eo quod ex nova Hiſpania adferri conſuevit: cuius flos, ſemen, & ramuli *Flore mali aurea.* etiam allati ſunt. Erat verò is flos quaſi Mali aureæ, quinque foliis conſtans majoribus, ſubfuſci coloris, è cuius umbilico protuberat calyx ſive veſicula quædam avellanæ magnitudine, membranâ conſtans tenui, albicante, quæ in duas cellulas tenuiſſimâ pelliculâ ſecretas dividitur, & in ſingulis bina grana, ciceris exigui magnitudine, colore per maturitatem nigro, guſtu inſipido continebantur.

*Mechoacan genus ſilv.* Mittit promontorium D. Helenæ, quod in eodem quo Nicaragua tractu eſt, aliud Mechoacan genus ſilveſtrius quod ſimile eſt alteri cùm folio, tum ſarmentis, tum radice, ſed per omnia minoribus: & ipſa etiam radix acrimoniæ nonnihil habet. *Scammoneæ.* Scammonea autem hoc gĕnus nuncupatur propter rationem inter vires adducendam. Hactenus Monardes, qui rurſus de Ind. Occid. lib. 1. cap. 22. ait Mechoacan dici Rhabarbarum Indiæ, Rhabarb. novæ *Rhab. Indiæ & novæ Hiſpaniæ* Hiſpaniæ, Rhabarb. ex Mechoaca: quoſdam voluiſſe Vitem albam eſſe, verùm multùm differre. Qua in re huic ſubſcribit Lob. (cui dicitur Peruviana Mechoaca, Mechoacæ provinciæ planta Bryoniæ ſimilis. In obſ. autem ſolùm radix exprimitur; in Ic. verò folia, Bryoniæ ſilveſtri ſimilia adduntur; ipſum deniq; florem pingit ex Monarde) Lugd. Car. Steph. in domo ruſt. germ. lib. 2. c. 76. cum Ægid. Everardo poſt. com. de Panacea herba ſive Tabaco. Putat autem is maio- *Turbith.* rem cum Vite nigra affinitatem habere, aut cum Turbith, ſaltèm quoad facultates. Inferiùs ex Mo- *Scammonium Americanum.* narde patebit, cur idem Scammoneum quoddam eſſe Americum cum Dodon. tradat, qui & Scammo- *Nil Americanum.* nij ſpeciem non temerè credit, etiamque Nil Americanum eſſe poſſe concedit, ac cum Carol. Steph. in *Convolvulus.* domo ruſtica germ. Convolvuli ſpeciem facit.

*Genera duo Cluſii* Miſſa ſunt Cluſio ex Hiſpaniis duo ſeminis Mechoacan generum: *Semine nigro.* 1 unum brevi calyculo ſive ſiliquâ, ſemineque nigro, quale eſt Scammonij, aut Convolvuli majoris: 2. Alterum oblongiore aliquantum calyculo, & *Semine ruffo.* ſemine rufo, & quàm ſuperiùs longiore teneriorèque: utriuſque ſiliqua parte interiore lanuginoſa eſt. Ex utriuſque ſemine natæ plantæ (quas hyemis iniuria ſuſtulit) prodibant Scammonij aut Convolvuli modò, deinde multis ſarmentis proxima pedamenta ſcandebant & amplectebantur: foliis Convolvuli majoris, ſed tenerioribus, & colore magis fulveſcente: radix pollicarem, vel maiorem craſſitiem jam erat adepta.

*Tab. not.* Tab. duas ponit figuras, quarum prior inſcribitur, Mechoaca 1. Bryonia Peruviana, Indianiſch Zannräben / Mechoacan; poſterior, Mechoaca 2. Ponit autem priorem pro Mechoaca Monardis, appingens flores & capreolos, cùm tamen capreolorum nullam hactenus invenerim mentionem factam à quoquam, nec ipſe dicat, ubi, vel apud quem viderit: non oſtendit qua in re differat à ſecunda quam Lobelio attribuit, cujus figuræ ſimilem ponit ſine capreolis. Dodonæus etiam nullos habet ca- *Icon authorum.* preolos. Nos ſtudio omiſimus flores & capreolos, nolentes ponere minus incertum pro certo.

*Lugd. not.* Lug. Mechoacæ tres habet figuras unî titulus Mecoacan Penæ: alteri Mechoacan Dodonæi: tertiæ Mechoacan Monardi. B. phyt. Bryonia 5. Mechoacana, ſeu Mechoacan duplex: 1. ex Mechoaca novæ Hiſpaniæ inſula; 2. ex Continente circa Nicaragua, præſtantior. Item Bryonia 6. ſive Mechoacana ſilveſtris. Eid. pin. Bryonia 6. Mechoacana alba. Item Bryonia 8. Mechoacana ſylveſtris.

*Locus & Tempus.* Locus ex hactenus dictis manifeſtè ſatis declaratus eſt. Nunc quod ſupereſt, fructus prioris Mechoacæ Monardis Septembri matureſcit: radix colligitur Octobri: ſemina alterius, molli & ſpongioſâ terrâ excepta, commodè naſcuntur.

*Temperamentum.* Mechoaca calida eſt primo gradu, ſicca ſecundo: tenuium autem eſſe partium. nonnihil tamen adſtrictionis poſſidere, ex eo patet, quòd abſolutâ purgatione, internarum partium robori nihil adimit, nec eas debilitat, ut reliqua purgantia medicamenta: imò illa purgati, robuſtiores reddũtur, quàm ante ſumptum medicamentum erant. Hinc fit, ut nullâ correctione indigeat: ſolùm vinum eſt ejus vehiculum, cum quo ſumpta, faciliùs & efficaciùs operatur, quàm cum alio quovis liquore, nec vomitione rejicitur. Deligitur autem à Monarde recens, *Delectus.* albicans, exteriore parte nonnihil flaveſcẽs: improbatur candida, nigra, carioſa. Ab Ægid. Everardo (à quo domeſtica nominatur) præfertur recens, alba, compactior & ſolidior, graviſque aliquantum, non perforata: rejicitur leucophæa, aut ſubnigra, quam ad purgandum imbecillem, ut ſilveſtrem eſſe tradit, præſertim ſi linguam purgat. Hinc ineptè faciunt *Aſſervatio.* (pergit Monardes) qui illam in pulverem comminutam adſervant, quoniam facilè exhalet, & ejus vis infringatur. Ex radice fit conſerva varij generis, Cy- *Conſerva.* doniorum modo, ſed etiam Gelatina ex ſaccharo & illius ſucco, quæ in deliciis eſſe poſſunt: nam ut radix eſt inſipida, facilè ſaccharum recipit, quocunque tandem modo paretur. Moleſta non eſt hujus radicis ſumptio, quia nullius mali ſaporis eſt particeps, ideóque omni tempore, omníque ætati, pueris, ſenibus, aliiſque qui cætera medicamenta reſpuunt, utilis eſt, cùm benignè & ſine moleſtia purget. Craſ- *Vires.* ſos, viſcidos, putridóſque humores, utramque bilem & aquas educit: Iecoris, ventriculi, lienis morbos tollit, & earundem partium obſtructiones aperit, ideóque ægritudinibus inde provenientibus, hydropi, iſtero utilis: inveteratos capitis dolores curat, cerebrum & nervos expurgat, cephaleæ, epilepiæ, ſtrumis, articulorum, coli, & renum doloribus opitulatur: veteres defluxiones ſiſtit: uteri morbis, qui plerumque ex frigidis humoribus aut flatibus generantur, tuſſi veteri, aſthmati, & reliquis pectoris vitiis, antiquis febribus, & lue venereâ vexatis *Lues Venerea.* convenit, repetito, quoties opus fuerit, ejus uſu. Nam in ſi[illegible] obſtinatis & inveteratis morbis, neceſſarium eſt plures evacuationes, ad penitùs revellendum & expellendum humores qui tales morbos generant: itaque nihil mirum, ſi unicâ purgatione, ægri optatam ſanitatem non conſequantur. Hujus autem radicis ſumendæ ratio talis eſt. Purgato priùs corpore ſerapiis, clyſteribus, aut ſanguinis miſſione, & diæta, pro medici judicio; ſelectioris hujus radicis leviter contuſæ pulvis vino albo macera- *Pulvis.* tus, aut aquâ fœniculi, aniſi, aut cinnamomi (ſi quis vinum non fert; quod etiam commodè dilui poterit, ſi quis dilutum cupit, ſtillatitio intybi, bugloſſi, vel *Doſis.* ſcariolæ liquore) ſummo manè propinatur, dimidiæ drachmæ pondere pueris; unius drachmæ juvenibus & adoleſcentibus; duarum verò drachmarum viris & mulieribus. Nec inutiliter datur ex ſyrupi roſati novem infuſionum duabus unciis: aut violarum ſerapio, conſervæve miſcetur: & ſæpiùs ex juſculo ſumitur. Dimidiâ poſt ſumptum hoc medica-

mentum

mentum horâ ſomnus conceditur, iis præſertim qui vomitibus obnoxij ſunt, ſed brevis. nam purgari incipienti, nec ſomnus, nec cibus, nec potus convenit. Si verò qui hunc pulverem, vel aliud quodvis laxans medicamentum ſumpſerit, ſibi à vomitu metuit, utatur eo quod ſæpiùs expertus ſum remedio, videlicet, ilicò à ſumpto medicamento, album ovi aſſum & adhuc calidum digitiſque attritum lineo panno taro involvat, & in nodum colliget, quem gutturis orificio imponet, & iſtic retinebit, donec medicamentum laxare incipiat; etenim non modò vomitum prohibebit, ſed etiam fumos & vapores à medicamento ſublevatos reprimet. Factâ purgatione datur juſculum, & paulò poſt cibus, qualis his dari ſolet qui ſeſe purgant. Peracto prandio neque ſomno indulgeat, neque bibat ante cœnam, quæ levis erit, & rerum boni ſucci. Poſtridie eluat corpus medicamento aliquo, & conſervâ quapiam utatur, deinceps in victu & reliquis rebus neceſſariis ſeſe gerat, ut decet. Fiunt nonnunquam ex eodem pulvere (Catapotia.) excepto electuario roſato Meſue Catapotia Coriandri ſicci magnitudine ut faciliùs diſſolvantur & citiùs opus ſuum peragant. In manu autem eſt Medici, aut ejus qui ſumpſerit, eam humoris quantitatem purgare quam volet, quoniam ſumpto pauxillo juſculo aut aliâ re, ejus operatio ilicò ceſſat. Negat (Monard. ...utatur.) Io. Fragoſus Regis Catholici Medicus, juſculo aut alio cibo injecto Mechoacan vim purgativam ſiſti aut infringi, & quotidianâ experientiâ id ſe obſervaſſe ait, eandémque noſtri autoris in Pimpinichi opinionem reprobat. Mittit Monardi promontorium D. Helenę, quod in eodem quo Nicaragua tractatu eſt, aliud Mechoacan genus ſilveſtrius, quod (Mechoac. ...noxa.) gravia ſymptomata excitat, ut vomitus immodicos, tormina, & alvi profluvia, quam ob cauſam Scam(Scammonea cur dicta.)monea nũcupatur: ſed nemo (periculo ſemel facto) utitur. Mechoacan agreſtis guſtu acredinem præ ſe fert, & domeſtica nigrior eſt vehementiúſque & cum moleſtia purgat: quare magis noxia, autore Everardo.

## BRYONIA MECHOACANA nigricans.

(Deſcr.) Radice eſt Mechoacæ ſimili, ſed cortice nigricante veſtitâ, interiùs rufeſcente, quæ teſſulatim inciſa rotunda, magnitudine & figura calculo aleatorio reſpondens, ex India Chelapæ ſive Celapę nomine ante annos undecim allata fuit. Ab Alexandrinis & Maſſilienſibus, Ialapium vel Gelapo vocitatur: & à Maſſilienſibus, Mechoaca nigra, vel mas exiſtimatur.

Guſtu eſt non ingrato, & gummoſo, & ob copioſam gummoſitatem, ſi carbonibus, vel igni admoveatur, flammam concipit. Facultate, vulgarem ſive albam Mechoacam ſuperat: nam ob gummi copioſum, fortiùs humores ſeroſos purgat, cum imi vêtris levi dolore, & præcipuè viſcera, hepar & ventriculum tоborat. Quare drachmæ unius pondere exhibetur tutò, & ſine faſtidio opus ſuum exequitur. Sunt qui ea in doſi, cum aqua Cichoreæ, aut ſimili ſtillatitia, ſeu jure actu frigidis, tribus horis ante prandium, ægrotis propinent.

Ex Bauhini prodromo, ubi eam ſub Bryonia 3. Mechoacana nigricante exhibet. In pin. facit Bryoniam 7. Mechoacanam nigricantem.

## RADIX QVIMBAYA. Cap. XXIV.

(Locus.) Meminit apud Cluſ. Petrus Cieça part. 1. Peruanæ hiſt. in Provincia Quimbaya, cujus metropolis Carthago, naſci tenues quaſdam radices digiti craſſitudine inter arbores, quarum ſi fragmentum brachiali longitudine duobus aquæ ſextariis per noctem maceretur in vaſe aliquo, majorem aquæ partem eâ nocte abſumi. Ex ea quæ ſupereſt aqua, *Vires.* qui tres uncias ſumpſerit, adeò benignè purgatur, & ſine moleſtia, ut ſi Rhabarbaro purgatus eſſet. Cujus rei aliquoties periculum fecit magno illorum, qui ſumpſerunt, commodo.

Lugd. Petri Cieçæ radix Quimbaya. C.B. Radix *Synon.* Quimbaya: meminit etiã Fragoſus, ſed ſuccinctiùs.

## BEXVGO' DEL PERV. Cap. XXV.

Plantis illis quæ ex utrinſque Mechoacan generis ſemine Scammonij aut Convolvuli modo prodibant forſitan ſimiles erant, quæ ad Cluſium Diepâ mittebat doctiſſimus vir Godofredus le Brũ, Medicus Regius, *Bexugo del Peru* appellatione, quarum drachmam ſumptam, purgandi vim habere ſcri- *Bexugo del Peru.* bebat, præferríque Mechoacan & nucibus Indicis *Vires & doſis.* purgativis. Erant verò illæ, ſarmenta veriùs, quàm radices, longa, æqualis ferè ubique craſſitudinis, di- *Deſc. rad.* gitalis videlicet, nonnulla etiam minora, lenta, & funiculorum, ſive Athragenæ ſarmentorum inſtar nonnihil contorta, cortice cineraceo obducta, valdè nervoſa internè, lenti guſtûs initio, deinde nonnihil acris & ſalivam cientis, denique guttur & fauces urentis, breviter ad Athragenæ ſarmenta proximè accedentia, ut quodammodo mihi perſuadeam Athragenes fuiſſe ſarmenta illis in locis naſcentis.

B. pin. Clematis 2. Peruviana.

## RADIX PVRGATIVA INDICA Mattaliſta. Cap. XXVI.

Illuſtriſſ. Principi Frid. Duci VVirtembergico miſſa fuit hæc radix, nomine radicis purgativæ Indicæ Mattaliſta, quæ fibroſa erat, repræſentabátque quo- *Deſcr.* dammodo ſegmenta Helenij, fuſca, rugoſa, internè nonnihil flaveſcens & albicans, nullo ſapore manifeſto, niſi quòd diu maſticata, acrimoniam quandam *Sapor.* habebat. Hæc autem erant adſcripta: Aſſumpta pondere ℥. ij. pulveriſatarum in aqua cordiali ſtomacho *Vires.* jejuno manè, refrigerat, valet in febribus cholericis & ardentibus. Syrupus ex hac radice paratus ex *Cholera.* unc. iiij. in lib. 1. aquæ decoctis cum Sacchari pondere ℥. ij. refrigerat, mundificat ſanguinem. Sed quis non intelligit ſacchari doſin nimis parvam eſſe. Syrupi doſis etiam erat adſcribenda.

## LVPVLVS MAS ET FOEMINA. Cap. XXVII.

Lupulus mas.



Anadẽdras Lupulus, per ſe *Deſcr.* infirmus, facilè ridicas, aut proxima adminicula, quæ arripuit, conſcendit, non illie quidem capreolorum, quos nullos habet, ope, ſed tortilibus, aſperis, angloſis purpuraſcẽtibus & cõcavis ſarmentis tenaci pedamẽtorum complexu in altum ſubnitens, cæteroqui humo ſe tollere vix potis; folia è geniculis bina, adverſa, pediculis palmaribus, aſperis, ru-

*Foliorum Lupus.*

LUPULUS FOEMINA.



bentibus adnexa, aſpera, modò Mori folia imitata, integra, in mucronem abeunt, modò trifariam diviſa totidem mucrones oſtentant, tum hîc, tum illic per ambitum ſerrata: flores ex foliorum alis racemoſi, cannabacei, colore herbido palleſcentes, ex foliolis & totidem ſtaminibus componuntur, qui in aliis nullo ſequente fructu evaneſcunt, aliis ſquammis compactiles fructus ſemen continent ruffum, amarum.

*Lupuli genera.* Lupulum dividunt aliqui (ut Trag. Lob. & Cam. ep.) in ſativum & ſpontè provenientem, ſive ſylveſtrem, facie non differentem, præterquam magnitudine & exilitate: nam ſylveſtrem aiunt florum conos minores, rariores, paucioréſque habere.

*Lupuli ſexus.* Alij diſtinguunt in marem & fœminam. Mas (ait Cam. ep.) folliculos edit; fœmina floſculos. Non deſunt qui marem appellent Lupulum, qui ſteriles habet flores; & fœminam cui folliculares fructus; folia (addit C. Bauh.) circa radicem ſine inciſuris, ſerrata tantùm, rotundiora; floſculi ſubpallidi, ſine fructu pereuntes in pollinem luteum. Illud mirum eum qui floret non ferre ſemen [*fructum C. Bauh.*] & qui ſemen [*fructum C. B.*] non florem.

*Lupulus ſalictarius. Bryonia. Vitis Septentrionalis.* Lupulum ſalictarium ſpontaneum in Græcia etiamnum hodie vernaculè βρυωνίαν vocari audit Lobelius: Sativam verò, Vitim Septentrionalium inſcribit: de qua dicit. Munifica Phronæa miſerta algidiores regiones, eis largita eſt banc quaſi Vitem alteram, quâ quaſi vità quapiam ſuas potiones animarent, & ſalubriores efficerent. Quare ſedulò coluerunt hãc vulgò Vitem, depactámq; è ſylveſtri urbanam fecerunt, jam tot locis, ut etiam tractus patentiſſimos vinetorum ſuperent, depactis multis pedamentis & ridicis, quæ tenella clavicula & capreolos fulciant atque maritent: hæ autem fulcra, quia ſaligna ut plurimùm ſunt, ideò fortè Salictarium vocarunt Lupulum: *Salictarij nomen unde.* ſolo humentiore, lætiore, pinguiore, radicum fibras inſerit hodie Germania, ſuperior præſertim, atque Flãdria, Anglia & Northmania, unde uno aut altero anno ſe porrigunt viticeæ propagines multis anfractibus prolixæ, pòſt amplexantes obvia quæque arborum & arbuſtorum, lucóſque efficiunt fornicatâ pulchritudine viſendos: quippe lætior multò tota planta culta evadit, florúmque thyrſis foliaceis & ſquammoſis adultioribus, ſemine etiam multò majore. Vindemiæ tempore uvæ decerpuntur, & in ſaccos coguntur ad Biere ſive Cereviſię confectionem.

*Volubilis.* Volubilis, ut poſtea dicetur, plura habentur genera, quorum unum illud eſt, quod Lupulum appellant. *An Veterib. nota?* Hujus etſi apud Medicos hac ætate frequentiſſimus ſit uſus; nihil tamen, quod Matth. equidem invenerit, Galenus, & Dioſcorides, aliíque veteres tam Græci, quàm Latini authores, poſteritatis memoriæ prodiderunt, quanquam non deſint, qui velint, hunc Plinio eſſe Lupum ſalictarium, *Lupus ſalictarius.* ab eo tantùm nomine demonſtratum lib. 21. c. 15. atque ibi inter eas herbas connumeratum, quæ ſpontè naſcuntur, quibúſque pleræque gentium utuntur in cibis. Lupuli vocati Latiìs meminit Meſues inter ſua dejectoriæ facultatis medicamenta, ubi hæc ad ſenſum habet. Eſt & aliud [*quartum Sylvio*] Volubilis genus, *Volubilis 4. genus Meſue.* quod Lupulus appellatur, folia habens aſpera, Cucumeris modo: flores exilibus folliculis ſquammatim compactos, racematímque dependentes, colore ſubcinereo. Hanc plantam, inquit Tragus, Meſ. c. 24 in ſimpl. Volubilem tertiam nominat, *Volubilis 3. Meſuei.* Barbarus credit Lupum ſalictarium Plinij, & Græcorum βρύον, quaſi ad Bryoniam aliquò pacto pertineat dictum. *Bryon.* Manardus Lupulum, Lupum repticium. Tolophiam, Volubilem magnam & mediam, Habiolam, Habillam, & Bruſcandulam vocari tradit l. 5. epiſt. *Tolophia. Habiola. Habilla.* Quorum ſanè omnium ſententiæ, ut non multùm ab invicem diſtant, ita maximè mihi probantur. Sed cum iis convenire non poſſum qui Lupulum Corrudam interpretantur, cùm Aſparagus Corruda dicatur Theophr. l. 6. c. 3. *Corruda.* Cæterùm ut quid mihi de Lupulo videatur, explicem, exiſtimo Lupulum eam eſſe apud Dioſcoridem plantam, quæ illi σμίλαξ τραχεῖα, h. e. Smilax aſpera dicitur. *Smilax aſpera Dioſ.* Idem Tragus ait, quæ de Smilace aſpera ſua Plinius tradit, ea efficaciùs & certiùs præſtare Lupuli florem odoratum (qui in Petro de Creſcentiis Levertigo dicitur) *Levertigo.* ſe credere, ideóque Lupulum Smilacis aſperæ genus eſſe ſe firmiter tenere. Sed ejus ſententiæ, Cornario teſte, tota Dioſc. ac Plinij deſcriptio repugnat, & in primis fructus racemoſus.

*Synon. Lupulus.* Matth. Trag. Brunf. Turn. Dod. hiſt. Tab. Cluſ. hiſt. Cam. ep. Caſt. Lug. Cluſ. & Cæſ. Lupulus. Lac. Fuch. Geſn. h. & coll. Lon. (qui & Humulum vocari ſcribit) Dod. gall. Lob. obſ. Lupus ſalictarius. *Lupus ſalictarius.* Lob. ic. Lupus ſalictarius ſpontaneus ſive Lupulus, & Vitis Septentrionalium. Schvv. Lupulus ſpontaneus mas, Lupulus ſylveſtris, Lupus ſalictarius, Wilder Hopffen/ Dorn Hopffen: Item, Lupulus ſpontaneus ſterilis, Lupus ſylveſtris fœmina, Wilder femel Hopffen: folio rotundiore, nec tam profundis, ut mas, inciſuris diſſecto, & juxta radicem potiſſimùm ſine inciſuris. Eid. l. 2. Lupulus mas, βρύον, βρυωνία, Lupus ſalictarius ſativus, Lob. Humulus lætior majoribus capitulis & ſemine copioſiore.

C. B. ph. & apud Matth. Lupulus mas & fœmina. Eid. pin. Lupulus 1. mas: Lupulus ſativus & ſylv. Trag. Lon. Caſt. Lugd. Item, Lupulus 2. fœmina, ut & Cam. ep. & h.

*Bryon.* Lupum ſalictarium, ſive Lupulum Fuchſius à Græcis recentioribus Bryon vocari refert, & à vulgo Humulum: *Humulus.* ab aliquot Italiæ ruribus ad græcam appellationem alludentibus Bruſcandulam, *Bruſcandula.* quaſi Bryon ſcanſile nominari. Bryon quidem à Bryoniæ ſimilitudine haud dubiè dictum: *Bryon & Lupus ſalict.* Lupum verò ſalictarium, quia ſubeat, ſcandátque Salices & arbuſta omnia circumvolvendo ſit appellatum: & hinc quoque Lupum reptitium nonnullis nuncupatum. *Lupus reptitius. Fuch. repre.* Hæc ille. Quo verò auctore, Fuchſius Græcis βρύον appellari aſſerat, nondum reperire licuit. Βρύον Muſcus eſt. Dicitur & Caucalis βρύον à Democrito, ut Oribaſius teſtis eſt.

*Nomina linguar.* Lupulum Officinæ paſſim vocant: plerique Lupum, vel Lupulum ſalictarium: Germ. Hopffen: Belg. Hoppe & Hoppecruyt: Gall. *Du Houblon* It. *Lupolo, Bruſcandolo.* Hiſp. *Hombrezillos*: Angl. Hoppes: Boh. Chmel: Hung. *Komlo.*

*Locus & Tempus.* In ſepibus paſſim abundat ac ad dumeta & margines pratorum humentium luxuriat. Vitis inſtar colitur à Germ. Septentrionalibus capitulis & ſemine copioſiore. Capitula Auguſto & Septembri colliguntur & coguntur in ſaccos.

Vires, temperamentum & uſus.

*Temperamentum.* Volubilis quarta Meſues Lupulus temperatus vel potiùs frigidus principio ordinis primi. Sangui-

nem

*[San]guinem [pur]gat.* nem bile flavâ modicè purgat, eúmque clarum reddit, & ſedato ejus calore temperat, præſertim ſero lactis infuſa: iterum ſyrupus ex eo ſanat, febribúſque bilioſis & ſanguineis prodeſt. Ipſa quoque & ſuccus ejus cum hordei polenta cephalalgiam calidam ſanat, & ventriculi, ac hepatis intemperiem calidam. Cumque ſit tam efficax medicamentum, mirari ſubit, cur à noſtræ tempeſtatis medicis in uſu tam rarò habeatur.

*[Cer]eviſia [co]quitur.* Qui cerviſiam coquunt, loco condimenti Lupulum habent, ſine illo enim rarò bona conficitur cerviſia. Flores tamen cereviſiæ largiùs incocti caput tentant. *[Fl]ores eo [ute]ntur.* Piſtores etiam nonnulli Lupulo carere nolunt. Eſt enim ad multa quàm utiliſſimus. Proinde tam flores quàm radices ejus temperaturæ ſunt calidæ, & ſiccæ. *[Tem]pera[me]ntum.* Recentes verò ac verni Lupuli turiones medicam obtinent naturam, ad humidam & refrigerantem qualitatem vergentes. Apicij recentes Lupuli turiones non aliter atque Aſparagum, acetariis in Vere expetunt; nec ſanè ineptè illi facere videri debent. *[Tu]riones.* Siquidem Lupulus in tenera ſua ætate in cibo devoratus, ſanguinem purgat, ventrem ſolvit laxátque, & obſtructionibus epar & lien liberat. *[Ob]ſtructio[nes].* Vnde colligi poteſt non ſolùm turiones hos in cibo uſurpatos, ſed flores Lupuli vino decoctos ac potos, adverſus venenum, & ſi quid aliud malum in interaneis fuerit, unicè facere. *[V]enenum.* Flores Lupuli in deceſſionibus duritiem & tumorem matricis juvant, nec non difficulter urinam reddentes & eos qui inter mejendum, calculum veſicæ ſentiunt. *[M]atrix.* Turiones primo Vere aquâ ferventi macerati & frigidâ abluti, cum aceto & oleo communi, addito ſale in aceteria veniunt. *[In] acetaria.* Cichorij ſapore non ingrato, calore temperato ad alvum emolliendam, Lupulus flore & ſemine calefacit, exiccat, extenuat, aperit, abſtergit, ſanguinem purgat. *[D]ecoctum.* Bibitur contra venena, ſcabiem, luem gallicam, & cæteros affectus, qui cutim extimam inficiunt. Datur etiam contra febres ab infarctu provenientes. Semen lumbricos ventris necat, urinas provocat & menſtrua educit. *[L]umbrici.* Vulgus & vetulæ Salmanticenſes, ſæpenumero medicinam empiricam factitare ſolitæ, ad curandam alopeciam à venerea lue natam, hac ratione Lupulo utebantur. *[A]lopecia.* Ejus radices pondere libræ unius probè lotas & à ſordibus repurgatas, per noctem in aquæ libris octo macerabant: poſtridie in illa ipſa aqua, lento igne & fumi experte, ad tertiæ partis conſumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, ſi vehemens eſſet alopecia. Decoctionem ſervabant in uſum: ejus uncias octo manè ægris jejunis propinabant, deinde ſtragulis injectis ſudorem provocabant. *[D]oſis.* Addebant interdum Apij ſive Selini hortenſis, duas aut tres, & graminis aliquot radices, nonnunquam etiam paſſas Vvas à gigartis mundatas.

## RADIX CAROLI SANCTI, foliis Lupuli.

### CAP. XXVIII.



*[L]upuli fo[li]a.* Lupulo ſimilis eſt, & perticis ſe convolvit illius more; quibus ſi careat, humi ſpargitur & diffunditur. folia etiam Lupulo ſimilia, colore viridi, ſed obſcuriore, odore gravi: neque florem, neque fructum fert. Radix craſſo capite eſt, ex quo aliæ radices oriuntur digiti craſſitu line majoris, colore candicante: cortex qui facilè ſeparatur, cujuſque uſus, eſt odore aromatico, guſtu amaro, cum quadam acrimonia; nervus radicis corticè ſpoliatur, multis quaſi filuris ſeu tabellis tenuiſſimis conſtare conſpicitur, quæ ſigillatim ſeparari poſſunt. *Corticis uſus.*

*Synon.* Monard. Carlo Santo. Geof. lin. de pl. *Bris de Carlo Santo.* Caſt. Carolus Sanctus. Lugd. Radix contra venena Carlo Sancto. B. phyt. Lupulo ſimilis Mechoacana. Eid. pin. Lupulus 3. Mechiocanus: Indica radix, Monardi, par. alt.

*Locus.* Naſcitur temperatiſſimis provinciæ Mechoacan locis ſolo neque nimium ſicco, neque humido.

*Vires.* Calida & ſicca initio ſecundi gradûs. Radicis Caroli Sancti cortex manè aliquanto tẽpore commanducatus, multam pituitam, alióſq; humores ex capite elicit, eámque ob cauſam rheumatiſmos, capitis dolores & defluxiones curat: *Capitis dolores.* in nonnullis etiam vomitu multam bilem & pituitatem è ſtomacho expellens, ſed illius decoctum maximè cujus gratia ventriculum noxiis humoribus liberat, eúmque roborat: purgationem tamen præcedere neceſſe eſt. Idem commanducatus, gingivis abſcedentibus auxilio eſt, dentes ſtabilit eóſque à ſcabritia & corruptione liberat, oríſque halitum commendat: ſed poſtea vino os eluendum, ad amaritudinem tollendam. *Dentes roborat.* Pulveris ejus exigua quantitas ex vino albo, aut Adianti Canellæque decocto ſumptus, vulvam obſtructionibus liberat, menſéſque provocat, & flatus diſcutit, purgato videlicet priùs corpore, & alvo (dum ejus remedio utetur) ex æquis partibus Liquidambar & unguenti Dialthææ inuncta. *Obſtructiones. Menſes. Flatus.* Cordis affectibus, iis præſertim qui ex uteri ſympathia oriuntur, auxilio eſt ejus pulvis, utante, ſumptus, aut illius decoctum hoc modo præparatum: *Affectus cordis.* Radicis minutim conciſæ drachmæ duæ in tribus aquæ ſextariis coquuntur ad dimidias, corticis Citri in pulverem redacti drachmę quatuor, pulveris Canellæ drachmæ duæ ſtatim injiciuntur, ac denuò fervent, deinde colantur. *Decoctum.* Iſtius decocti ſex unciæ ſingulis diebus manè addito ſaccharo propinantur, purgato tamen priùs, ut decet, corpore. *Doſis.* Hunc pulverem, & decoctum nonnulli in morbi gallici affectibus, atque etiam epilepſia commendant. *Morbus gallicus. Epilepſia.* Alterum experiri non admodum neceſſe eſt, quod multis aliis ad eum morbum remediis abundemus. Alterius periculũ faciẽdum in iis qui vigeſimum quintum ætatis annum nondum exceſſere: nam epilepſiam in adultis tolli, non eſt veriſimile. Deſcriptis his *Carlo Sancto* facultatibus, qui proximâ claſſe è Nova Hiſpania advenerunt, iſtam radicem *Indicam* cognominabant, eamque valdè ęſtimabant: tantas enim illius facultates experientiâ comprobatas ſe habere dicebant præter modò enumeratas, ut plures de Rore-marino celebrari non ſoleant. Ejus corticem in pulverem tritum puerperis obſtetricum negligentiâ animi deliquium patientibus, propinant; plurimum enim ſudorem provocando liberantur. Idem pulvis ex vino aut florum malorum Aurantiorum ſtillatitio liquore datus, mulieribus partûs difficultate laborantibus magnam utilitatem adfert. *Ventriculi debilitas.* Monachus quidam ventriculi debilitate affligebatur, ortâ tam ex frigidorum humorum abundantiâ, quàm ex imbecillo calore naturali, ſic, ut nec cibum concoquere poſſet, ſed is corrumperetur, & in magnos flatus converteretur: has radices cùm pro ſua opinione in aqua decoxiſſet, çarçæ-parillæ modo, decoctum per multos continuos dies in prandio & cœna hauſit: id illi adeò feliciter ceſſit, ut & ventriculus roboraretur, & cor calefceret, eadémque operâ cibos poſtea probè concoqueret, acidis nidoribus liberaretur, & flatus abſumerentur. Aliud præterea conſequutus eſt non ſperatum auxilium: nam herniâ (quâ *Hernia.*

per

per multos annos laborabat, ſic, ut braccis & ligaturis quaſi aſſiduè uti cogeretur, nec niſi certis quibuſdam intervallis eas deponere poſſet ) liberatum ſeſe ſenſit, cùm bimeſtri hujus radicis decocto uſus fuiſſet; nec braccas ampliùs adpoſuit, ſed ſine illis inceſſit. Vtile etiam eſt hujus radicis decoctum ad os colluendum: nam gingivas roborat, dentes à corruptione præſervat, atque ſi jam corrumpi incipiunt, ne latiùs malum ſerpat, impedit. Cæterùm adverſus hoc malum habeo remedium multorum jam annorum experientiâ comprobatum, ut videlicet æquis partibus aquæ è roſarum calycibus ſtillatitiæ, & aceti ſcilliciti ſubinde os colluatur: nam certiſſimum eſt dentes eâ collutione à putredine liberari, & ſi illâ jam correpti ſint, ne ulteriùs ſerpat, prohiberi. Hactenus Monardes.

*Ad gingivas & dentes.*

## SMILAX LÆVIS VETERIBVS.
### CAP. XXIX.

*Dioſc lectio varia.*

SMilax lævis, ita deſcribente Dioſcoride, folia habet hederacea, ſed molliora, læviora, tenuioraq́; [*λεπτότερα, & non γλυκότερα ut vet.*] flagella æquè ac prior [ *Smilax aſpera* ] at nullis ſpinis horrida: quibus tamen haud ſecus ac illa arbores ſcandit, iis ſeſe circumvolvens: ſemen verò gerit ceu Lupini [θέρμε: Auth.adverſ.ὀρόβε: quidam legendum conjiciunt καρπὸν δ' ἔχει ὅπη θυλάκε] nigrum, exiguum, ſupra quod flores perpetuò viſuntur, candidi, undiq; numeroſi & orbiculati. Ex hac porrò Smilace per æſtatem topiarij operis umbracula factitantur: at folia per Autumnum amittit.

*Vſus.*

*Vires.*

Cæterùm ſemen cum Dorycnio potum ternis ſingulorum obolis [ *τριωβόλε ὀλκὴ ἑκατέρε: Matth. τριώβολον ἀπικὸν ἑκατέρε* ] ut ſomnia tum varia, tum etiam tumultuoſa videantur, efficere perhibetur. Galenus hanc Milacem lævem nominat, ac aſperę quodammodo ſimilem eſſe, quoad vim attinet, refert. At Plinius contra lib.24. cap.10. nullius eſſe effectûs ſcribit. Quidam, inquit, duo genera Smilacis dixêre, &c. [*vide titulum de Smilace aſpera.*] Alterum genus culta amare & in his gigni nullius effectûs.

*Somnia tumultuoſa.* *Milax lævis Galen.*

Quidam, ut Cordus, exiſtimarunt Smilacem lævem eandem plantam eſſe cum Smilace Phaſiolifera: ego eam opinionem refuto lib.17. Ruellio Smilax lævis eſt grandis Phaſellus. Non deſunt, inquit Sarracenus, qui Smilacem lævem eandem eſſe cum ſativa ſeu hortenſi Phaſiolifera exiſtimarint: tum quoniam utrique deſcriptio propemodùm eadem; viréſque itidem eædem à Dioſcoride tribuuntur; tum quia Galenus & Paulus, Smilacis hortenſis in ſimplicium cenſu nullâ factâ mentione, Smilacis lævis tantummodò meminerunt. At ego cum peritioribus rei herbariæ profeſſoribus inter utramque manifeſtum diſcrimen agnoſco, Smilacémque hortenſianam eam eſſe credo, quæ λόβια ſeu phaſeolos profert: hanc verò, ad aſperæ differentiam lævem dictam, eam quàm recentiorum plerique Convolvuli majoris aut etiam albi nomine deſignarunt.

*Aequivoca. Smilax hortenſis, vel phaſiolifera.* *Convolvulus maior.*

Alij autem contra Sarracenum negant, nec fortè ſine ratione, Smilacem lævem eſſe Convolvulum majorem.

*Helxine ciſſampelos.*

Quidam apud Corn. Smilacem lævem Helxinen Ciſſampelon vocant, malè.

*Gelſeminum.*

Cæſalpino Smilax lævis eſt Gelſeminum, quæ opinio fortè non rejicienda: lectores perpendant diligentiùs.

*Smilax Ilicis genus. Smilax aſpera.*

Smilacis æquivocationes alias poſui lib.7. ubi ago de Ilicibus: Item hoc libro ubi ſcripſi de Smilace aſpera.

*Hedera arborea.*

In lib.6. Æginetæ cap.84. in Theodorici remedio contra gangrænam intelligunt quidam per Hederam arboream, Smilacem lævem, quibus aſſentitur Dalechampius.

## CONVOLVVLVS MAIOR.



*Deſcr.*

PErgulis obumbrandis poſſet inſervire Smilax lævis, ita ſubſidio proximi cujuſvis ſuſtentaculi in altum nititur, longiſſimis & veluti contortis tenuib⁹ ſtriatis viticulis, ex quibus, longis intervallis, pediculis unciâ longioribus hęrentia prodeũt folia, hederaceis longè majora, acuminata, duas alas hinc & hinc juxta pediculum promittentia, lævia, nitida, viridãtia, ex quorum ſinu profertur pediculus longus ſingularis, cui inſidet flos unicus magnus nivei candoris, calathi formâ, cujus imum tubulum folliculus complectitur; ſemina in capitulo Ceraſi mediocris magnitudine rotundo continentur fuliginoſi coloris.

*Folia hederacea.*

*Deſcr. Dod.*

Hanc ita delineavit Dodonæus: Smilax lævis major viticuloſis ac ſarmentoſis cauliculis longis ac tenuibus ſurſum ac deorſum arboribus, fruticibus, viciniſque ſepimentis obvolvitur circumligatúrque: folio eſt lato hederaceo, ſed molliore, lævigatioreq́;; flores exiliunt candidi, copioſi, rotundi, calathi effigie, colore candidiſſimi ac Lilia æmulantes; ſemen anguloſum, ſordido colore nigricans, exiguis ſylveſtribus Lupinis propemodum ſimile, capitulo ex tenuibus membranis continetur; radices longæ, craſſioribus cirrhis ſimiles, intùs candidiores, hâc illâc per obliquũ, infra terræ tamen ſuperficiem feruntur.

*Synon.* *An Smilax lævis Dioſc.?*

Meſue Volubilis magna, Lactaria, Funis arborum dicta. Sylv. Ciſſampelos Dioſcoridis. An Dioſcoridi (quod Trago, Matth. Fuchſ. Dod. Lob. C. Bauh. Schvvenck. & aliis placet) Σμίλαξ λεία, folio Hederæ ſimili molliori? An præterea (quod Fuchſ. & Dod. affirmant.) Μίλαξ λεία, Galeno & Paulo Æginetæ? Cord. in Dioſc. Helxine Ciſſampelos Græcorum, Latin. Convolvulus, cujus flores Liguſtrum interpretati ſunt apud Virgilium, magno errore. Sed eodem planè lapſu exiſtimatur quoque Liguſtrum, de quo Martialis lib.1. in Procillum ſcripſerit. Quod ſi enim (ut dictæ opinionis autores ſentire videntur) Smilax hæc Liguſtri nomen aliquando ſortitum ſit, quòd vicinis circumligetur, ac circumvolutionibus plurimis implicetur, non tantùm non ſola Liguſtrum erit, ſed & Vitis, Lupulus, Cuſcuta, & infinitæ aliæ. Sed & ipſum quoque Liguſtrum, Liguſtri nomen non mœrebitur, cùm per ſe erectum ſit, nec vicinis ſe circumvolvat.

*Campana candida.* *Funis Papaverum. Funis pauperum.*

Tragus Volubilem ſuam majorem (ita enim Convol. majorem inſcribit) quam Germanos à forma florum Campanam candidam vocare ſcribit, eam eſſe dicit quam Meſues ſimpl.c.24. Funem arborum, quod eſt (ſi germanicè interpreteris) Seilbaum; Avicenna l.2.c.735. Funem Papaverum; vel ut alij habent, Pauperum (quod ſonat germ. Bettlers Seil) appellarit; Alij autem Cymbalarem, & Campanellam vocarint; Otho tandem Brunfelſius Volubilem

ciſſo-

ciſſophyllon aut Ciſſampelon eſſe exiſtimarit. Verùm Ciſſophylli appellationem propriè ad Aſclepiada pertinere Tragus ait & Plinium Volubilem majorem Convolvulum vocaſſe l.21.c.5.ejúſque florem nō ineptè Lilio albo contuliſſe. Quoſdam tandē velle ſcribit Volubilē ſub Clematide altera apud Dioſcoridem l.4. eſſe deſcriptam; alios Periclymenum eſſe dictitare; nonnullos rurſus Smilacem lævem facere. Quæ opinio ipſi magis arridet, ut quam etiam Ruellius ſequatur. Proinde ſi omninò quid ſentiat, effari liceat, videtur ipſi ſanè hæc planta Scammoneæ (quæ Dioſcoridi Colophonia, Dactylon, Colophonium, Apopleumonos, & Sanilum cognominatur) genus eſſe ſylveſtre, ſed non noxium quale eſt Scammoneum, quo officinæ utuntur.

Malociſſus, q̄ Democritus mollibus Hederæ foliis depingit, caule tenero, ſeſe cuicunque, quod fuerit nactus, involvente, videtur Geſn.h. Iaſiones, ſive Aſines, ſeu Convolvuli ſpecies major. Huic ſubſcribit Anguill.ep.5. dum ait, Malacociſſus Democratis apud Caſſianum Baſſum nihil aliud eſt, quàm Convolvulus, vocatúrque à Catone Volubilis. Convolvulus (pergit Geſn.h.) vulgò Volubilis, Liliaſtrum, κληματὶς ἑτέρα ſecundùm Ruellium: Item Clematis altera, herbariis nunc Volubilis major ex Ruellij ſententia, ſed non eſt Liſeron, Campanella Ruellio.

Nullam hactenus inveni (inquit Turn.) deſcriptioni Smilacis lævis per omnia reſpondentem. Etſi enim Convolvulus flore magno nolæ inſtar in aliis omnibus reſpondeat, diſſentit tamen fructus, Lupino diſſimilis. Aëtius quoque de curanda hydrope, ait Smilacem in ſepibus & propter aquas naſcentem, ſiliquas proferre Smilacis hortenſis. Sed tale quicquam nuſquam obſervavi in Convolvulo majore. Smilax lævis Matthioli cum nec ſemen habeat Lupini, nec ſiliquas Smilacis hortenſis, nequit etiam eſſe meo judicio Smilax lævis, niſi alij ſint Lupini mihi incogniti, aliæq́ue ſiliquæ Smilacis hortenſis nunquam mihi conſpectæ. Mihi quidem videtur Smilax lævis Matthioli primum eſſe Volubilis genus apud Meſuæum.

Convolvulum porrò huncce majorem, Smilacem eſſe Dioſcoridis negat etiam Cæſ. dicens: Sunt, qui putant apud Dioſcoridem, Smilacem lævem eſſe; nam deſcriptio in cæteris valdè congruit, ſed non ad eam altitudinem adoleſcit, ut in æſtate ad umbras quæratur, neque tantùm folia in Autumno decidunt, ſed & caules & tota planta perit; idcirco magis viſum eſt Smilacem lævem albo Gelſemino convenire.

Fuchſ. Matth. Acoſtæ, Bellon. Turn. Cam.ep. (qui non audet affirmare, an legitimam Smilacem lævem referat) Smilax lævis. Lugd. Smilax lævis Matthioli. Dod.hiſt. & purg. Lob.Obſ. & ic. Smilax lævis major. Dod.gall. Smilax lenis alba major. Lob.adv. Convolvulus major, Plinij Smilax lævis, vel lenis, Volubilis major vulgi. Trag. Tab. Volubilis major, ut & Cam.hiſt. ubi figura nova. Schvv. Convolvulus major (ita & Geſn.h.) Σμίλαξ λεία, Dioſcoridis. C.B. Smilax lævis, Convolvulus 1. major albus: Volubilis, Brunf. latiſolia, Fallop. de decor. Volubilis major, Trag. Lon. Thal. Tab. Smilax lævis, Lac. Caſt. Lugd. major, Dod. Lob. Ger. Campanula alba ſilv. Schvv. Convolvulus major flore albo, Eyſt. Eſt ſemine nigro, aliquando rufeſcente.

Germ. vocant Windekraut / glatt Winde / oder Weißglocken; Belg. Winde & Wrange; Gal. *Liſeron, Liſet, Campanette & Phaſioles* Fuchſio, minùs commodè: Ital. *Vilucchio maggiore*: Hiſp. *Yedra Campana*, Lob. *Campanilla Yerva*, Dod. *Corregiuela maior* Matth. Angl. Byndweede & Winde Lobel. Schmooth Smilax / Arbor Winde / Great Winde / Withwinde / Turnero: Hung. *Feyer venyt, nagy fulak*, Clematis altera, Nomenclatori Pannonico. Convolvulus quidem dicitur, quod arbores ſcandat, & eis ſe convolvat: Lævis autem Smilax appellata, non aliâ ratione, niſi quòd aſperis aculeis careat; *Liſet & Liſeron*, ut quidam apud Fuchſium annotat, à ligandis, quibus adnaſcitur plantis dicitur.

Naſcitur paſſim per fruteta & ſepes, ſeſe involvens: amat culta & in iis etiam potiſſimùm gignitur; Æſtate floret, Autumno ſemen profert. Particulatim in monte Moutetz florentem adhuc Octobri obſervavi. *Locus & Tempus.*

Fuchſius præter quod ei modicam amaritudinem in guſtu præ ſe ferentem attribuat, huic etiam, ut plures alij, vires ex Dioſcoride, Plinio & Galeno adſcribit. Sed ſi non ſit Smilax lævis ut exiſtimare videntur Turn. & Cæſalpinus, ſuſpectæ erunt vires ei attributæ ex Smilace. Miror Tragum dicere folia guſtata linguam urere cum amaritudine, & poſtea ſcribere ſtillatitiam aquam florum internè & externè valdè utilem in omnibus calidis affectibus, & ad ruborem oculorum. Volubilis magna, Lactaria, Funis arborum dicta (inquit Meſ. in verſ. Sylvij) Dioſcoridi eſt temperata, vel paulò calidior; ſicca ordine ſecundo: reſolvit, maturat, terget, ſolvit, aperit orificia vaſorum; ob id datur cum tragacantho, maſtiche, ſpica Nardi, ſero lactis; obſtructionem venarum meſeraicarum, & hepatis liberat; ob id ſanat icterum cum ſucco apij & intybj, vel ſero lactis; bilem uſtam clementer purgat, ob id febres putridas, præſertim bilioſas, diuturnas; thoracem & pulmonem excrementis repurgat, ob id aſthmati confert, phlegmonem hepatis externam, præſertim cum polenta & oleo roſaceo & aceto. Cephalalgiam antiquam, præſertim cum oleo roſato aut chamæmelino & aceto. Succus ejus aurium ulcera ſanat. Empirici, id perhibente Fuchſio, ſucco Volubilis majoris ad calidas utuntur paſſiones, capitis potiſſimùm & oculorum. Montbelgardi animadverti hortulanum diligenter hujus radices colligere, non ſolùm quòd ſuo reptatu multiplici odioſa, ſed quòd porcis gratum & utile alimentum ſit. Eâ deguſtatâ nec amaritudinem, nec acrimoniam ſenſi.

*Vires & uſus. Trag. not. Temperamentum. Obſtructiones. Icterus. Bilis. Aſthma. Cephalalgia. Porcorum alimentum*

## IASIONE VETERIBUS.
### Cap. XXX.

Exploratum illud habeo (inquit Theophr. l.1.c.21. de flor.gen. & differ.) per omnes partes differentias plures vario modo exultare; nam nonnulli etiam folio uno emergunt, deſcriptionem tamen plurium oſtendentes, ut flos Iaſionæ: in hoc enim haudquaquam folium unum quoque diſcernitur, nec conceptaculo [*legend. m χαρεῖν, non χειεῖν quod Gaza vertit conceptaculum, Rob Conſt.*] pars infima eget, ſed poſtrema in angulos exeunt, Oleæ quoque flos pænè talis eſſe videtur. Hæc nos ita reddimus. Nonnulli flores etiam unico folio naturâ conſtant, delineationem tamen plurium oſtendentes, ut flos Iaſionis [*τὸ ſc. ἄνθος, τῆς Ιασιώνης.*] Non enim ſinguli flores in folia dividuntur, neque ſanè conceptaculi pars inferior diſtinguitur, ſed ex ſuperiore parte projecturæ anguloſæ exeunt. τὸ τῆς Ιασιώνης, à foliorum numero differentias hoc in loco Theophraſtus aptat: idcirco unifolium hunc oſtendit. Imò verò ut acutiùs ſentias, ait Scaliger, nullifolium: neque enim folium eſt quod non eſt diviſum. Et quia multi flores ſunt ab imo pertuſi; hunc eâ etiam deſcribit differentiâ. ἡ δὲ δεῖ τ̃ χειεὺς τὸ κάτω μέρος. Eſt enim τὸ χειεῖον, ut ita dicam, capedo. Nicander χέρα αι in Theriacis. Interpres παρὰ τὸ χεῖσθαι, τὸ χαρεῖν. at ego à manu. Sic enim habes χειεῖαν captivam apud Sophoclem. Et χειεισμὸν miniſterium recitante Athenæo

*Iaſionæ Theophr. Folio uno. Gazæ error. Verſio authorum. Theophr. illuſtr.*

non

non ſemel. Ex his Scaligeri verbis, quæ opinioni Rob.Conſt.refragari videntur, colligitur, quàm benè Theophr. à Roberto corrigatur.

*Rob Conſt. taxatur.*

Oleæ floris autem ſimilitudo cum Iaſione, in quo conſiſtat, apparet ex cap. 22. lib. jam citati, cùm ait. *Oleæ floſculi proſtrati ſpectantur perforati.* Sanè plurimi ſunt flores in eo cum Iaſione convenientes, qui licèt appareant ex diverſis foliis, tamen unicum ſunt folium, quod & decidens ſubſiſtit integrum ſine conceptaculo; Leucoia verò omnia, Roſæ, Ciſti, Lilia, Trifolium hepaticum, & alij multi flores cùm decidunt, extra conceptaculum ſeparantur, unde manifeſtò apparet, foliis pluribus conſtare. E genere verò unifoliorum florum videntur eſſe Verbaſca, Phlomides, Iaſminum, Trifolium fruticoſum luteum, Sambucus vulgaris, Ebulus, Campanulæ omnes, Anthirrina, &c.

*Similitudo cum Olea in quo conſiſtat. Flores foliis pluribus. Flores unifolij.*

Theophraſtum l.2. cauſ. c.25. de plantis, quæ aliquid quærunt, cui incumbant, hanc intelligere credo, dicentem. Adde quæ arboribus ſuſtinentur, atque amplexicaulia conſtant. Hæc enim aliquid, cui incumbant quærunt, ceu inter minora Volucrum [*Gaza in cod.Veneto & Baſil.* ἀσίνη: *alij, ut Geſnerus & Scalig.* ἰασιώνη. *Rob.Conſt.Liguſtrum Virgilij ſecundùm Servium, i.e.Clematis ſive Convolvulus*] quod vitam apud aliud agit [*cod.Venet.legebat* περίπειν, *in Baſil.autem* πρὸς ἕπειν *meliùs*] quod ſi obtinere non valeat, humi ſe præcipit, atque humicaule [χαμαίκαυλον] fit. Hoc autem corpore levi conſtat, faciléque arbores ſcandit, offenſatque. Et hinc noxam arboribus infert perſtringendo, obumbrandóque pabulum aufert, cætera prohibendo.

*Volucrum. Theophr. lectio varia. Aſine. Arboribus noxia.*

Plinius Iaſionem diverſis in locis, diverſis nominibus exhibet. Libro namque 21.c.5.ait, Eſt flos non diſſimilis illi [*Lilio*] in herba, quam Convolvulum vocant [*ea eſt Iaſione à Theophr. & ab authore dicta, Dalech.ex Scalig.*] naſcens per frutecta nullo odore, nec croceus intus, candorem tantùm referens, ac veluti naturæ rudimentum Lilia facere condiſcentis. Idem lib.jam citato cap.17.inquit, Iaſione unum folium habet [*ad florem referendum, Hermol.*] ſed ita implicatũ, ut plura videantur. Addit autẽ l.22.c.22.Et Iaſione olus ſilveſtre [*Laſine olus repens, alij*] habetur, in terra repens, cum lacte multo; florem fert candidum: Concilium vocant. Et hujus eadem commendatio ad ſtimulandos coitus. Cruda ex aceto in cibo ſumpta mulieribus lactis ubertatem præſtat. Salutaris eſt phthiſin ſentientibus. Infantium capiti illita, nutrit capillum, tenaciorémque ejus cutem efficit. Rectè Hermol. apud Plinium pro Laſine Iaſione legit, dicens. Quidam verbum Laſinen corruptum eſſe neſcientes, Plinium culpant, quaſi hanc ipſam herbam lib.24.repetierit inutiliter, Laginem vocando, non Iaſionem. Sed cùm longè alia ſit, ut ex ſuperiore libro conſtat, nec ea vocabuli ſit affinitas, quam putabant, modeſtiæ ſuæ parùm conſulent, niſi recantarint.

*Iaſione Plinio. Convolvulus. Plin illuſtratur. Laſine. Concilium Vires. Plin excuſ. Lagine Notantur plurimi.*

Iaſione Scaligero eſt Convolvulus: Rob.Conſt. Smilax lævis Dioſcoridis: Dalechampio Volvulus major, Smilax lævis Dioſcoridis, Convolvulus Plinij. Nobis autem inter plantas jam denominatas, meliùs placet Convolvulus major, ſive Smilax lævis dicta.

*Aequivoca Convolvulus major.*

Iaſione Theophr. & Plinij cenſetur à Goropio, Lobelio, & Geſnero Convolvulus minor, quem Helxinen Ciſſampelon quorundam infra inſcribimus, quique Ruellio, Car.Stephano & Gorræo Liſeron, ſive Laſſeron cognominatur.

*Convolvulus minor.*

Convolvulum folio Altheæ ad quam plantam à veteribus deſcriptam referri poſſit, ignorare ſe fatetur Cluſius, niſi fortè Iaſione Plinij ſit. Vocatur hic Cluſij Convolvulus à nobis peregrinus, de quo paulò poſt.

*Convolvulus peregrinus.*

Dodonæus videtur innuere ſuam Campanulam cœruleam hortenſem eſſe Iaſionem Plinij & Theophraſti. Sic Pena & Lob.in adv.ſcribunt Campanulam hortenſem meritò putari Theophr. Iaſionem. De Campanula cærulea agimus lib.20.

*Campanula cærulea.*

Iaſione Plinij, olus ſilveſtre, lib.22.c.22.traditum, non abhorret à Rapunculo, authore Cæſalpino, quamvis non repant caules, nec flos candidus inſit. De Rapunculo agimus lib.20.

*Rapunculus.*

Alia verò eſt Iaſione (ait idem Cæſ.) apud Theophraſtum: de qua idem Plinius alibi, quam Aquilegiam puto. De Aquilegia ſcribemus lib.30.

*Aquilegia.*

Laginem Plinij, quidam malè cenſent, authore Hermolao, ut jam ex eo ſcriptum eandem eſſe cum ejuſdem Iaſione.

*Lagine Plinij.*

---

## HELXINE CISSAMPELOS veteribus.

### Cap. XXXII.

HElxine [ἑλξίνη, *cat.* ἰξίνη] cognomento Ciſſampelos (addunt interpretes) folia habet Hederæ ſimilia, at minora: ramulos verò longos [κλωνία μακρὰ, *Lacuna ex vet. cod. qui addit*, καὶ λεπτὰ *& ſic legit & Catac. at vulgatum exemplar* μικρὰ] quibus circumplectitur quodcunque contigerit adminiculum. Naſcitur in ſepibus, vinetis ac ſegetibus. Potus foliorum ſuccus alvum ſolvendi vim habet. Ciſſampeli quidem hoc in loco cognomentum rectè adjicit interpres ex Galeno & Paulo ad diſtinctionem alterius Helxines ſeu Muralis herbæ [*Parietaria*] de qua ſuo loco agemus. Neque porrò exiſtimandum Helxinem, de qua agit Plinius l.21. c.16. harum alterutram eſſe. Siquidem alia eſt, quam Ixinen veriùs nominare debuit cum Theophraſto hiſt.l.6.c.4. ex cujus verbis ſuam ipſe hiſtoriam deprompſiſſe videtur. Hoc verò capite deſcriptam Helxinen, rectiùs Plinij Convolvulum, l.21. c.5.commemoratum, eſſe dixeris, eo nomine donatum, quòd ſuarum viticularum ope vicinis ſeſe advolvat adminiculis. Quod autem Galenus & Plinius huic Helxinæ vim tribuunt διαφορητικὴν, in eo minimè (quod voluit Marcellus) Dioſcoridi repugnant, quandoquidem, teſte Sarraceno, utraque facultas & diſcutiendi & ſolvendi alvum, poteſt citra controverſiam, uni eidémque plantæ competere. Marcellus Virgilius malè Ciſſampeli Helxines caput è Dioſcoride, quaſi adulterinum rejecit, nihilo minus tamen nomina ejus in Helxines (quæ Parietaria eſt) capite, relinquens, ut ſunt, Cittampelon, Ciſſampelon, Melampelon & Ciſſanthemon.

*Dioſc. variè illuſtr. Locus. Ixine. Marcell. repreh.*

Ex hactenus dictis apparet duas diverſas eſſe herbas à Dioſcoride Helxines nomine deſcriptas. Vna Ciſſampelos ab interpretibus cognominata, quam Cordus in Dioſc. Convolvulum à Latinis vocari ſcribit, cujus quidem ſpecies duæ habentur, major ſc. & minor.

*Aequivoca. Convolv. major & minor.*

Helxine Ciſſampelo Elatinem ſimilem eſſe ſcribit idem Cord. in Dioſc. quam quidam inibi Orobanchen nonnullos facere tradit.

*Elatine.*

Altera verò Helxine, Parietaria Latinis dicta, Galeno Perdicium & Herba muralis Celſo.

*Parietaria.*

Helxinen ſuam Plinius lib.21.cap.16. Ixion [*Ixine, quæ Chamæleon albus eſt, Dodon.*] veriùs nominare debebat (inquit Sarracenus in Dioſc.) cum Theophraſto ex quo ſuam ipſe hiſtoriam deſumpſiſſe videtur. Et hoc ipſum Cord.in Dioſcoridem admonuit, cùm dixit. Magno errore apud Plin.lib.21. cap.16. Helxines appellatione Carduus quidam deſcribitur.

*Ixine Theophr. Carduus.*

HELXI-

## HELXINE CISSAMPELOS MULTIS ſive Convolvulus minor.



Non videtur, licèt ſe proximis circũvolvat etiam, anadendras, ut Volubilis major; ſed brevioribus, tenerioribus viticulis p terrã ſpargitur; folia intorto pediculo, multò minora quã ſcandentis majoris, ideóque minùs pinnata, magis tamen rugoſa, nervoſáque; flores ex foliorum alis longè minores, ex albo purpurantes, ac etiam omninò albi; radix ſimiliter tenuis & teres, reptatrix.

Volubilem minorem, florem valdè variare agro Francofurtenſi obſervabat Cluſius: Nam vel omninò niveus erat, vel albus quidem, ſed in quo ſecundùm quinque complicationum longitudinem ſubpurpuraſcens color elucebat, umbilico etiam albo, aut omninò purpureo · vel prorſus purpurens, radiis ſecundùm complicationes albis: vel medio inter utroſque colore: vel radiis craſſioribus, ſaturatiùs purpuraſcentibus, reliquâ parte albis.

A Iaſione Theophraſti & Plinij non multùm diſſidere putatur ea quam noſtrũ vulgus (inquit Ruel. & poſt eum Gorrh. def. med. Lob. adv. Geſn. coll. & cat. ubi ipſi quoque videtur Clematis tertia Plinij) Liſeronem; rura Liſerotam appellant: námque ſerpit humi flore Convolvuli candido: videntur quoque nonnulla priſci nominis rudimenta in gallico vocabulo relucere. Nam & in Plinio Laſione pro Iaſione hactenus depravatè legebatur. Sed & Goropius Ruelli ſententiam tenet: Plinius, inquit, Iaſionem Convolvulum minorem vocare videtur, aiens ferre florem candidum, Conciliúmq; minorem vocari. Theophr. hujus florem uno folio conſtare dicit, quod Plin. ad ipſam herbam tranſtulit, malè.

Conſiderandum an Carolo Stephano Iaſione Ruellij fuerit nota, & quo pertineant quæ dicit de ejus uſu, quæ videntur ad Iaſionem Ruellij, vel, quod ſuſpicor, veriùs ad Sonchum referenda. Obſcuriùs ſanè de ea ſcripſit, addendo verbis Theophr. & Plinij, quædam de ſuis, ut ex ſequentibus patet. Iaſione Theophr. & Plinio olus eſt ſylveſtre humi ſerpens copioſo lacte ſucculentum, flore candido & in hoc nobili, quòd ſingulari folio conſtet, ſed ita implicato ut plura videantur, floris margine in angulos exeunte. Haud multùm differre ab ea videtur quæ in noſtris vinetis creſcit: quam ruſtici per æſtatem & autumnum colligunt ad cuniculos educandos: iis enim mirum in modum placet & gratiſſima eſt, quemadmodum & Braſſica. Vaccis quoque & bubus pro eſu porrigitur quam Laceronem, ſive Lacerotam appellant [Galli *du Laceron*] niſi quis potiùs Sonchum eſſe putaverit, qui vulgò Lacteronis, à lacte quo diffluit, potiùs quàm Laſſeronis nomen habere debuit. Sed alia eſt prorſus à Iaſione, ut ex Ruellij deſcriptione patet.

Cord. in Dioſc. Helxine in ſegetibus naſcens, gracilibus & oblongis foliis, flore prædicti [*Convolvuli majoris*] floribus ſimili, ſed ſecundùm proportionem minore, lacteum liquorem confracta remittens, Germ. Kornwinden [*Convolv. frumentitium dixeris*] appellata.

A Trago Volubilis minor (ſic & Lon. Thal.) ſive ſecunda, Cymbalaria cognominatur, quam Ciſſampelon eſſe aut Helxinen, ut multi aſtruunt, negat, & nihil aliud eſſe affirmat, quàm Anginam & Peſtem hortenſium herbarum. *Volubilis minor, Trag. Lon. Thal.*

A Dod. gall. Smilax lenis alba minor inſcribitur ac poſtea inter nomina Volubilis minor appellatur, magnámque ſimilitudinem cum Chamæciſſo [*Hedera terreſtri*] habere dicitur. Quæ opinio à Dodon. purg. & hiſt. (ubi Smilax lævis inſcribitur) his verbis retractatur. Non eſt Chamæciſſus, quod quandoque ſuſpicatus. Tametſi enim foliorum, ramulorum, & radicum figura & color deſcriptioni, quæ paſſim extat, conformes appareant: & flores quia ſpecioſi ac elegantes Leucoiis aliquo modo comparari queant: atq; huic κίσσου nomen non minùs quàm Ciſſampelo conveniat, non idcirco tamen Dioſcoridis Chamæciſſus. Vires quoque adeſſe oportet, quæ in hac Smilacis ſpecie deſiderantur. Chamæciſſus calida & amara foliis eſt, hæc verò nec amaritudinem, nec caliditatem ullam obtinet: guſtata ſiquidem qualitatem nullã exerit, magis frigida quàm calida. Quod hanc nullatenus Chamæciſſum eſſe abundè oſtendit. Ignava autem eſt, nulliúſque uſûs herba. Aſt lævis Smilacis ſpeciem eſſe, neque alio referendam ſatis eſt manifeſtum. Non deſunt tamen [*inter hos Matth. Fuchſ. Ang. qui Scammoniam tenuem Plinii quoque facit, & Geſ. coll. & h. Caſt. Lugd. C. Bauh. & Schvv.*] qui Helxinen eſſe velint, cognomento Ciſſampelon. Sed pro hac aliam oſtendo, Dod. *Smilax lenis alba minor, Dod. gall.* *Chamaciſſ. non eſt.* *Scammonium tenue Plinij* *Helxine ciſſampelos.*

Lob. adv. obſ. & ic. Convolvulus minor purpureus. Lugd. Helxine ciſſampelos Matthioli arvenſis & ſepiarius. Turn. Convolvulus. Geſh. Cæſ. & Cluſ. hiſt. Convol. minor, cui & Volubilis minor. Tab. Volubilis arvenſis. Scammonea parva Cam. & Ang. cui & Orobanche Theophraſti. B. phyt. Convol. 2. ſive minor arvenſis. Eid. pin. Smilax lævis 3. ſive Convol. minor arvenſis. Annotat autem ipſe quibuſdam Orobanche Theophraſti 8. hiſt. 8. ubi Gaza Ervangã reddiderit, dici. Ἑλξίνης verò cognomento ciſſampeli nomine Dioſcoridem meminiſſe, quòd folia Hederæ ſimilia habeat. Schvv. Convol. minor, ἑλξίνη κισσάμπελος Dioſc. παρὰ τὸ ἑλίσσεσθαι, à circumvolvendo. Dicta eſt ἑλξίνη ἀπὸ τ̃ ἕλκειν, quod ſignificat trahere & arripere. *Convolv. minor, purpureus, Lob* *Orobanche Theoph. Ervanga Gazæ* *Helxines Etym.*

An de hac loquitur Amatus l. 4. c. 42. quando ait: Græcè, ἑλξίνη κισσάμπελος, Lat. Helxine ciſſampelos, Convolvulus; Arab. *Aſin*; Hiſp. *Campanella*; It. *Vilucchio*; Gall. *Lizet, ou Campanette*; Germ. Mittelwinden/ Weingartwinden. Hanc quoque Servius Grammaticus, non ſine errore Liguſtrum appellavit; breviſſimè Galenus l. 6. ſimpl. Helxinen alteram Ciſſampelon dictam, digerendi obtinere facultatem ait. *Liguſtrum.*

Convolvulum minorem & Volubilem minorem Germ. Klein Windkraut/ klein Zaunglocken/ klein Schellen; Belg. Cleyn Winde / Gall. *Petit Liſeron*; It. *Vilucchio minore*; Hiſp. *Terva*; Boh. Swlacec menſſy; Hung. *Fulák, z lak*. *Nomina linguar.*

Paſſim obſervatur. Gignitur autem in cultis arvis frequentiùs, non rarò tamen & in neglectis, ac ſecus margines agrorum: frugibus pluvioſo præſertim cæli ſtatu moleſta. Floret unà cum majore. *Locus.* *Tempus.*

## HELXINE SEMINE triangulo.

Altera Helxines ciſſampeli ſpecies & ipſa quoque quæcunque proxima arripuit, circumvolu- *Deſcr.*



tione tortili cõſcendit, nullis uſa capreolis, ſed viticulis ſuis, quas ex radice mediocriter craſsâ, multifidâ plures emittit, interdùm palmo paulùm altiores, aliàs etiam ſeſquicubitales, ſubrubentes, ad quarum genicula in pediculis longis naſcuntur folia ſingularia, triquetra, Atriplicis (Ocymi Trago, i.e. Fagotritici) nonnihil rubentia; floſculi racematim cohærent in pediculis ex foliorum ſinu exortis, parvi, albidi, ſemine ſuccedente triquetro (veluti Ocymi Trag. Fegopyri Dod.) acuminato, nigro.

*Atriplicis folio.*

*Centunculus Pliny, Ang Elatine, Cords.*

Hæc eſt illa Centunculus Plinij l.24, c.15. Anguillaræ, quam nihil aliud eſſe tradit, quàm ſpeciem Clematidis. Helxinæ Ciſſampelo Cordus in Dioſc. Elatinem (ita enim hæc præſens planta ab ipſo vocatur) flore valdè exili, ſemine triquetro, lacteum liquorem non remittentem, quâ ſolâ notâ eam à Ciſſampelo diſtinguit, ſimilem eſſe, ac propterea Serapionem ſtatim poſt Convolvulum eam deſcribere, ac Athin corrupto ab Helxine & Elatine nomine appellare ſcribit.

*Helx. ciſſampelos altera Atriplicis effigie, Lob.*

Lobelius in adv. à doctis perſuaſus, Helxinen ciſſampelon alteram Atriplicis effigie putarat legitimam Helxinen, cùm tamen huic aliquantùm diſſimilis ſit: Frequens namque (ait ille) amplexibus multis, vites arripit, nec ſecus aut arctat, aut enecat, vel iiſdem pabulum ſurripit, atque Caſſytha; foliis eſt hederaceis, oblongis, in anguſtum Atriplicis facie & modo deſinentibus; flores item Atriplicis albicant racematim; ſemine triquetro, nigro, Seſami Theophr. ſed minore; radice exiguâ; ubivis magno proventu vinetis, frugibus, ac ſepibus adnaſcitur. Sed de ſucco vel facultate ſubducendi alvum, mihi ignota, niſi quis Atriplicem putet, eóque lubricare poſſe alvum ſtatuat, multò tamen imbecilliorem illa maritima certum. Hæc ille, qui in obſ. & ic. picturam habet ſub titulo Helxines ciſſampeli alterius, Atriplicis effigie. Niſi Elatine, ait Amat. in Dioſc. alterius Ciſſampeli ſpecies ſit, quæ illa ſit ignoratur.

*Atriplex.*

An porrò eſt herba illa Ruellio l.2. c.30. quæ Fabam, Cicer & Ervum ſuo brachiorum complexu circumligans enecat, & Orobanche vocatur; agricolis quidem Græcis Oſpreoleon, vel Leontobotanon, h.e. Legumen leoninum, vel Leonis herba: ruſticis Galliæ Tenia dicitur, forſan à tenendo, quo tenaci noxa obvolvat, cinciníſq; vel cirris tanquam brachiis ſtrictim amplexetur, ut ea penitùs ſtrangulet. Et hæc ille qui lib. jam citato c.75. eam ſequentibus deſcribere videtur. Orobanche cauliculus ſeſquipedalis aut paullò excelſior, ſubrubens, ſine foliis, hirſutulus, pinguis, tener, flore ſubalbido in luteum vergente; radix illi ſubeſt digiti craſſitudine, quæ dum ariditate flacceſcit, ſcapus dehiſcens in rimas diſſilit. Legumina, inter quæ naſcitur, ſtrangulat, unde & nomen invenit. Eſtur oleris vice. Placet tum cruda, tum patinis decocta ſicut Aſparagus. hac ſpecie per æſtatem inter ſegetes & legumina identidem offenditur. A recenti Græcia Oſprioleon, quaſi Legumen leoninum, aut Leonteos botane, quod eſt Herba leonina dicitur. Nec mihi ſuccurrit idoneum nomen, quo vulgus rurave paſſim utatur, niſi quòd in Pariſienſi agro Teniam ſuprà diximus appellari, ubi de Orobanche inter vitia frugum abundè dictum eſt. Ex his Ruellij verbis luce meridianâ clariùs patet, eum duas diverſas plantas confundere, vocando Orobanchen Teniam, quam poſteriore hoc loco ex antiquis deſcribit, quum priùs longè aliam habeat nomine Orobanches & Teniæ. Sed Ruellium nullus admiretur ampliùs. Eſt enim ei ordinarium & aſſuetum, plantas & diverſis in locis repetere, & mirè inter ſe miſcere.

*Orobanche*

*Leoninum legumen.*

*Ruell. repreh.*

A Dod. gall. Helxine Ciſſampelos; Gall. *Liſeron noir* inſcribitur, ac Conſt. Imperatoris Μαλακόκισσος [*Hedera mollis*] Latinorum nonnullorum Convolvulus, aliorum Vitealis, officinarum Volubilis media appellatur. Ad Smilacis autem lævis genus, Dodonæus Convolvulum ſuum nigrum ſive Helxinen ciſſampelon de purg. & hiſt. pertinere ſcribit, ubi eam præterea Volubilem nigram, ἑλξίνην κισσάμπελον μαλακόκισσον appellat, & hæc ſubjungit: Ciſſampelos cognominatur, non modò ad differentiam alterius Helxines, quæ & Parietaria; verùm quòd & Vitibus crebris amplexibus ſæpenumerò circumvinciatur. Reperitur hujus & multò alia, in exemplari quo Marcellus Virgilius uſus eſt, deſcriptio, & appellationes complurimæ: ſed Ruellij & Cornarij editiones magis probandæ. Plinius l.21. c.16. non de hac Helxine, ſed de Ixine ſcribit. Exemplaria perperam Helxine pro Ixine habent. Ixine verò Chamæleon albus eſt.

*Helxine ciſſampelos. Dod. gall.*

*Convolv. niger. Dod. lat.*

De præſenti noſtra planta Tragus verba facit, ubi l.2. c.33. de Orobancha, ſive Cuſſo altero Serapionis agit. Inter vitia, ait, frugum non poſtremo loco habetur id, quod Germani Spyn/ ſeu Windkraut appellant, quam etiamnum Anginam ſeu Orobanchan quandam eſſe judico. Cùm verò Orobanchæ Dioſcoridis deſcriptio huic non per omnia quadret, judicium candido lectori committo. Videtur ſanè mihi quòd præſens vitium altera Cuſſus Serapionis ſit, de quo c.41. ſcribit, ac Lebleb vocat, h.e. Volubilem minorem; German. Kleinwinden/ vel Schwartzwinden. Hæc ille. Id hîc ſilentio prætereundum non eſt, cùm Orobanchæ Dioſc. ſemen in cibo ob dulcedinem ejus, quam præ ſe fert, edatur: hanc autem jumenta in cibo faſtidiant, Dioſcoridis Orobanchen eſſe non poſſe. Hanc porrò, quam Ruell. & Tragus Orobanchen eſſe ſuſpicantur, Geſn. coll. & h. Convolvulo ſimilem herbam dicit præterquam flore. Et licèt is locis jam adductis Orobanchen eſſe neget, attamen in cat. pl. non ſolùm Orobanchen nominat, ſed ad imitationem Ruellij cum ejuſdem Tenia, planta valdè differente confundit. Orobanche nominatur, inquit, quod Ervum ſtrangulet, Leontobotanos. Forſan hęc fuerit, quam abſurdiſſima quorundam imperitia, neſcio unde, Hypociſtin audet appellare, in Pariſienſi agro Teniam appellant. Cam. epit. & hiſt. habet figuram novam cum campanulis ſub inſcriptione Helxines ciſſampeli, vulgò Volubilis minoris. Huic autem adſcribit nomina linguarum Helxines ciſſampeli. Lugd. Helxine ciſſampelos Dod. B. phyt. Convol. 3. ſive minor ſemine triangulo: Eid. B. pin. Smilax lævis 4. ſive Convol. minor ſem. triangulo: Volubilis media ſive nigra, Thal. Volubilis nigra, Tab. Ger. Fromentone alterum genus, Cæſ. Polygonum hederaceum, Colum.

*Orobanche ſeu Cuſſus alter Serapionis, Trag.*

*Trag. refutatur.*

*Convolvulo ſimilis herba Geſn.*

*Hypociſtis male.*

Naſcitur in cultis locis, arvis, vineis, ſegetibus, ac ſepibus circa Montbelgardum, etiam in horto E. C. Baſileæ obſervavi menſe Octobri ſeminibus maturis qua itur in Moutez, Genevæ paſſim florentem & ſemine turgentem Iunio. Vindemiæ tempore, autore Dod. ſemen perficitur, ex quo, nec aliunde, primo Vere ſuccreſcit.

*Locus & Tempus.*

Teniæ

Teniæ peſtis (ita enìm ait Ruellius non abs re dici poſſe quidam putant) quòd non facilè extricari poſſit, ideò græcæ agriculturæ authores remedia, adverſus natales ejus exortus condiderunt. In arvis ut aiunt non prodibit, ſi in quatuor eorum angulis & medio Rhododaphnæ ramuli pangantur. hoc eodem remedio putant legumen omne à noxa vindicari. Qui volunt hanc frugum peſtem prorſus aboleri, quinq; teſtas cretâ depingunt, Herculis effigiem leonem ſtrangulantis, referentes, & in quatuor agrorum angulis atque in medio collocant. Sunt qui delineatam eo modo teſtam in area tantùm media ut hanc amoliantur perniciem, jubeant obrui. Democritus affirmat Orobanchen herbam confeſtim abigi, ſi mulier quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus & nudo corpore, gallum in manibus tenens, aream circumeat. Ita validiora coaleſcere legumina teſtantur, qui hac ſuperſtitione ſunt imbuti; quippe cum herba, gallinaceum verens gallum, deliteſcat. Sunt, è græcis qui longâ probarint experientiâ, quæ ſetendo ſunt legumina galli cruore conſperſa, nullam ab hac adverſante herba ſentire penitùs injuriam, eóque roratu à nocumentis tuta eſſe aſſerunt. Cavendum tamen ne quæ ſementi deſtinantur legumina, bubulo cornu contingantur; ſic enim inania & caſſa vaneſcere produnt.

Quòd ſi hæc planta alter Cuſſus Serapionis, ceu Trago videtur, fuerit, poterit in medicina uſurpari (licèt Cordus nullum illius eſſe uſum tradat) præſertim verò ad tumores lienis, in aceto priùs coctus, dein tuſus, ac cataplaſmatis inſtar impoſitus, id quod non ſemel faciendum, ſed ſæpiùs repetendum. Quid verò præter hæc efficere valeat, uſus quotidianus fortè docebit.

## CONVOLVVLVS PEREGRINVS pulcher folio Betonicæ.

### Cap. XXXIII.



Floris cum Convolvulo ſimilitudo facit ut hanc plantam, alioqui non congenerem ſuperioribus, nec formâ illis reſpondentem ſubnectam. Peregrina eſt peregtini Convolvuli elegantiâ, in foliis potiſſimùm ſpectâda, quæ ex viticulis proxima fulcra arripientibus tenuibus, piloſis, pedalibus aut cubitalibus longis pediculis hærēt, argētei coloris, ſplēdido tomēto villoſa, infima quidem & radici (quæ tenuis ſummo ceſpite vagatur) proxima, Betonicæ purpureæ foliis ſimilia, ſed multò minora, criſpis ſerratíſque marginibus, reliqua etiam laciniata & profundè inciſa, gummoſa Cluſio ſi guſtentur, ſubacria & ſubamara; flores inter Helxines ciſſampeli & Smilacis lævis flores medij, his minores, illis majores, purpuraſcentes, calathi formâ, ex continuo unico folio conflati, longis pediculis hærentes, quorum baſin ambit folliculus ex pluribus foliis compoſitus. Radix Cluſio tenuis, exilis, fuſca per ſummos ceſpites repit & ſubinde alias plantas producit.

Ad quam ſtirpem Veteribus deſcriptam referri hæc planta, cui à viticulis, vicinis fruticibus aut herbis ſe implicantibus, Convolvuli nomen Cluſius hiſp. & hiſt. indidit, ignorat: niſi quis fortè Iaſionem, cujus Plinius l.22.c.22. meminit, eſſe exiſtimet. Valentini Convolvulum folio Althææ; Hiſpani vulgari nomine *Campanilla* i.e. Campanulam; Luſitani *Verdezilla* appellabant, & ad vulnera curanda efficaciſſimam eſſe tradebant.

*An Iaſione Plinij.*
*Convol fol. Althææ.*
*Vires.*

Lob. Obſ. & ic. Convolvulus peregrinus Cluſij, Convolvulus Scammonij facie, an Helxine ciſſampelos Dioſcoridis? Adverſ. p.274. Sed apud Adverſaria nullam ejuſmodi plantam invenio. Non etiam intelligere poſſum, cur dicat Scammonij facie, niſi referat ad florem. Tab. Scammonium minus Plinij 2. Klein Scammonium. Hujus iconem Gerardus habet, ac Papaver cornutum luteum minus, Small yellowe horned poppie inſcribit. Lug. Convolvulus folio Althææ Cluſij. B.phyt. Convol.6. (pin. 9. aliis Helxine ciſſampelos.) ſive argenteus Altheæ folio, flore ex purpura candicante, interdum omninò purpuraſcente.

*Synon.*
*Convolvuli Scammonij facie.*
*Lob not.*
*Papaver cornutum luteum.*
*Varietas florum.*

In collibus juxta Tagum flumen læto ſolo, in Bætica, plurimíſque aliis Hiſpaniæ locis naſcitur. Floret Martio & Aprili. Ad Tagum quidem, etiam Decembri florentem Cluſius inveniebat. Mihi autem, cùm eſſem Monſpeſſuli, allata eſt menſe Aprili ex monte Seti. Similem vidi apud D. Zvvingerum Baſileæ foliis ferè pellucentibus.

*Locus & Tempus.*

## CANTABRICA VETEribus.

### Cap. XXXIV.

IN Hiſpania, inquit Plin. l.25.c.8. inventa eſt Cantabrica, per Divi Auguſti tempora, à Cantabris reperta. Naſcitur ubique, caule junceo pedali, in quo floſculi oblongi, velut calathi; in his ſemen perquam minutum. Ea cum Dictamno & radice Ariſtolochiæ, in vini hemina ſæpiùs bibenda, contra ſerpentium morſus.

*Cantabrica Plinij.*

Cantabricæ nomine diverſæ plantæ ab authoribus indigitantur. Turnero enim Cantabrica Plinij eſt Garyophylleus, quæ nobis eſt Betonica altilis ſativa, de qua pertractabimus lib.29.

*Betonica altilis ſativa.*

Lobelius in adv. videtur exiſtimare Caryophyllos ſilveſtres eſſe Cantabricam Plinij, de quibus jam dicto libro, ſub Betonica altili ſilveſtri agemus.

*Betonica altilis ſylveſtris.*

Cantabrica (inquit innominatus quidam) eſt fortè Aquilegia (de hac lib.30.) licèt Ruellius aliam demonſtret, quam rura Colubrinam herbam vocant.

*Aquilegia.*
*Colubrina herba.*

Sunt qui Cantabricam Plinij, teſte Lugd. Convolvulum minimum Cluſij eſſe putant. Vocamus hunc nos Volvulum terreſtrem, quem mox deſcribimus.

*Volvulus terreſtris.*

Cantabrica minor rotundifolia Lobelij in adv. Cantabrica Plinij Anguillaræ, eſt nobis Campanula parva, cujus meminimus lib.20.

*Campanula parva.*

Sed & Campanulam rotundifoliam minimam Cortuſus, teſte C. Bauh. phyt. Cantabricam Plinij nominat. Hæc qualis ſit, vid. lib. proximè citato.

*Camp. rotundifol. minima.*

Herbam quoque Rapunculo ſpicato ſimilem in Baldo, Cortuſus Cantabricam alteram Anguillaræ cognominat. Tradimus hanc libro jam ſcripto.

*Rapunculo ſpicato ſimilis Bald.*

*Tragopogō Hiſpanicus ſive Scorzonera.*

Tragopogon Hiſpanicum, ſive Scorzoneram opinantur aliqui poſſe referri ad Cantabricam, ſed non rectè vel Camerario teſte.

*Rheſeda floribus albis. Rheſeda lutea.*

Cantabricæ titulo extat etiam Rheſeda Plinij Neotericorum, Lobelij Belgarum Eruca peregrina Italica, quam nos ſuſpicamur Rheſedam floribus albis, quæ delineatur lib.29. Per eandem tamen Thalius Rheſedam majorem floſculis luteis intelligit.

## VOLVVLVS TERRE-ſtris.

*Deſcr.*



VOlvulus terreſtris ex radice craſſa, lignoſa & ſicca, nigricante, multorum capitum, crebros junceos coliculos tenues profert, duos vel tres palmos ut plurimū ſurrectos, aliquando etiam cubitales, hirſutos, valētulos, per quos cernuntur nullo ordine folia anguſta, oblonga, piloſa: extremis ramulorum inſident ex calyculis hirſutis, flores ex albo purpuraſcentes, Helxines Ciſſampeli, calathi formâ. Ex Lobelio addimus noſtræ deſcriptioni, radicem ſeſquipalmum longam, albidam: folia guſtu exſiccante, nonnihil calfaciente.

*Helxines flore.*

*Varietas.*

Quamvis autem Icon Lobelij & Cluſij, quam proponimus, varient non parum, ac etiam deſcriptiones, eandem tamen plantam exiſtimamus, variantem pro diverſitate locorum: ne tamen quiſquam fallatur, nos hîc ſubjicimus deſcriptionem Cluſij quæ ſic habet. Multis tenuibus, adeóque junceis ex eadem radice prodeuntibus ramulis, prædita eſt hæc planta, humi procumbentibus, pedalis, interdum cubitalis longitudinis, duris, flexibilibus tamen, lanuginoſis, qui in ſummo aliquot flores proferunt purpuraſcentes, inodoros, Convolvuli æmulos, minores, unico folio conſtantes, ſed ita implicato, ut quinque videantur, florum oris in totidem angulos deſinentibus, &, dum clauduntur complicatis; ſolia per ramulos nullo ordine ſunt ſparſa, longa, anguſta, tenui lanugine obducta, Salicis foliis haud abſimilia, gummoſa ſiquis mordeat, & aliquantulum amara: ſemen fert in vaſculis Convolvulo non abſimilibus, minoribus tamen, ſuſcum, anguloſum, inæquale: radix candicans ſingularis, infimâ parte ramoſa eſt, & vivax.

*Deſcr. Cluſ. Flore Convolvuli. Salicis folio Convolvuli ſemine.*

*Convol minimus ſpicæ foliis.*

Lob. adv. & ic. (ubi figura Cluſij) Convol. minimus Spicæ foliis, vel Stechadis citrinæ, aut Linariæ. Obſ. Convol. minor Spicæ-folius, ſed ejus effigies minùs ſcitè expreſſa adv. p. 274. Scammonium tenue Plinij quorundam. Scammonium minus Plinij, Tab. Cluſ. hiſp. & hiſt. Cantabrica quorundam. Caſt. Cantabrica Plinij. Ponæ in Baldo Convolv. minor Spicæ foliis Lobelij. B. phyt. Convolv. 4. (10. pin.) Linariæ folio; Guilandini Helxine ſtans dictum: at Cortuſi Scammonea Patavina. Is rectè annotat Lugdunenſem duas figuras & duas deſcriptiones unius plantæ exhibere. Vna enim planta eſt Volubilis terreſtris Dalechampij; & Convol. minimus ſpicæ folius. Lob. aut Ger.

*Scammonium tenue Plin. Cantabrica. Helxine ſtans. Lugd. not.*

Variat magnitudine, reperitur enim vix duas tréſve uncias altus: flore eſt communiter purpureo, rariùs albo.

*Locus & Tempus.*

Rariùs inventu Convolv. minimus aliis regionibus quàm Galloprovinciæ, Allobrogum & Norbonæ ad margines aridos ſatorum & Olivetorum, ubi Iunio & Iulio florem promit. Frequens eſt multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis, Cluſio. Poſtea illam etiam inveniebat in colle Thermarum urbi, vulgò Baden, imminenti, quarto ab urbe Viennâ Auſtriacâ miliari. Floret Maio & Iunio, nonnunquam & Autumno. Apud Belgas ſemine ex Hiſpaniis accepto nata, non niſi Iulio & Auguſto, ubi nullum ſemen perficere obſervabat, tametſi magnâ diligentiâ teſtaceis conſervatam: calidioribus autem locis ſpontè naſcitur, ſeménque fert dictum. Nos eam deſcripſimus anno 1561. collectam qua itur Monſpelio Caſtelneuf ſecus viam florentem Vere. Quidam Iaſionem putant. Frater in montibus Euganeis inveniri indicavit, & purgare.

*Iaſione quorundam.*

## SCAMMONIA ET SCAMMO-nium Veteribus, & in genere.

### Cap. XXXV.

*Dioſc. lectio varia.*

ΣΚΑΜΜΩΝΙΑ, ex authoritate Dioſcoridis, ramos ab una radice profert multos [*tres, aut quatuor*] tricubitales [*τετραπήχεις Orib. ut vet. quatuor cubitorum*] pingues & quadantenus hirſutos [*ὑμφαίνοντάς τι δασύτητος: παχύτητος Ruell. nonnihil craßitudinis præ ſe ferentes, ſed priorem lectionem tenet Serapio, qui ſuam hiſtoriam ex Dioſc. tranſcripſit*] ſoliis itidem hirſutis Helxines [*non Parietariæ, ſed Ciſſampeli,*] aut Hederæ ſimilibus, ſed mollioribus ac triangulis: floribus albis, rotundis, in modum calathorum [*ὡς οἱ κάλαθοι: vet. quidam καλαμίνθη*] concavis & graveolentibus: radice prælongâ [*ἐλυμήκης, Orib. εὐμήκης*] craſſitudine brachiali [*& ita Orib. & Herm. at vulg. codex cubitali*, quę lectio non placet; cum nunquam niſi impropriè, dicatur aliquid eſſe craſſitudine, ſed longitudine cubitali. Sed & Serapio ineptè vertit, radice groſsâ, ſicut pollex] candidâ & gravis odoris, lacteíque ſucci plenâ. Succus legitur hunc in modum: capite exempto radix ita cultrò incavatur, ut excavatio ſenſim à latiore orbe in acutum deſinat, proindéque in id cavum confluit ſuccus, qui conchis demum excipitur. Alij poſtquam ſcrobes in terra [*Add. Lacuna ex vet. cod. καὶ τὴν ῥίζαν κόπτοντες θολοειδῶς fornicis. Orib. θυειοειδῶς. i. mortarii inſtar*] concamerato ſinu effoderunt, juglandis ſolia inſternunt, in quæ radicis inciſæ ſuccus diffundatur, eúmque inibi ſiccatum tandem auferunt. Bonitate præſtat qui pellucidus eſt ac levis, rarus & colore glutini taurino ſimilis, rimulis fiſtulíſve tenuibus, atque ſungoſus, qualis ſcilicet ex Myſia regione Aſiæ deportatur. Neque verò in probatione animadvertere ſolùm par eſt, utrum linguæ tactu albeſcat: hoc enim evenit etiam admiſto tithymali ſucco, ſed longè magis anteà commemoratis attendendum eſt: itémque ſi non vehementer linguam excalſaciat exurátve, id quod & miſti tithymali argumentum eſt. Natione autem Syriacus & Iudaicus deterrimi habentur, graves, denſi, ervi farina & tithymalo adulterati. Succus drachmæ unius aut quaternûm obolorum pondere hauſtus ex aqua pura aut mulſa, per inferna bilem pituitámque extrahit. Solvendæ alvi gratia, binos obolos cum Seſama alióve ſemine ſumpſiſſe ſat eſt. Efficacioris etiam purgationis causâ dantur

*Delectus. Adulterium. Improbat Dioſc. Syriacam & Iudaicam. Succi doſis.*

dantur ſucci tres oboli, cum Veratri nigri duobus, & Aloës drachma una. Fiunt & purgatorij ſales, drachmis viginti ſucci Scammoniæ in ſenos ſalis cyathos adjectis. Horum modus proportione virium: integer quidem, cochlearia tria: medius, duo: minimus, unum. Purgat & radicis drachma una aut altera cum iis quæ retulimus. Ipſius quoque decoctum nonnulli ebibunt. Ex eadem decocta in aceto contritáque cum hordeacea farina, cataplaſma fit iſchiadicis utile. Succus autem vulvę appoſitus in lana, partus enecat: tubercula quoque diſcutit, cum melle oleóve perunctus. Eodem decocto in aceto illitæ lepræ auferuntur. Sed & eodem caput contra diuturnum dolorem ex aceto & roſaceo irrigatur. Vinum Scammonites ita fit. Radicis Scammoniæ per meſſes effoſſæ tritæ & linteo illigatæ drach. xv. in muſti congium unum mittuntur ad dies triginta. Purgat hoc alvum, ac bilem & pituitam detrahit.

*[Ra]dicis do[ſis.]* *[Ra]dicis de[coc]tum.* *[Iſc]hias.* *[Tu]bercula.* *[Lep]ra.* *[Vi]num [Sc]ammo[nit]es.*

Scammonium, quod eſt Scammoniæ ſuccus, copioſum quidem in Italiam advehitur, præſertim Venetias, quo ex Alexandria Ægypti & Syria importatur: ſed quod probatiſſimum ſit, rarum admodùm invenitur, nec unquam ſe conſecutum eſſe, ingenuè fatetur Matthiolus. Quod autem Scammonium illud, quo omnes ferè officinæ refertæ ſunt, Tithymali ſucco ſit vitiatum, hinc liquidò patere arbitratur quòd decem vel quindecim ejus grana alvuum pluries reſolvant, cùm ſynceri drachma, Dioſcoridis teſtimonio, id vix præſtare poſſit. Plantam è cujus radice Scammonium colligitur, vidit primùm Neapoli, allatam (ut quidam Seplaſiarius aſſeverabat) ex Gargano Apuliæ monte, quæ omnibus notis ejus quidem judicio, legitimam Scammoniam referebat. Sed profectò mirati nobis ſubit, quod Matth. in comm. it. non ampliùs Scammoniæ Gargani montis meminerit, ſed aliam tradat, depingat, ac Conſtantinopoli miſſam eſſe dicat. Hanc (Scammoniam Syriacam intelligit) oſtendit etiam eſſe in annotationibus Andreæ Martinelli ſupra Meſuem depictam.

*[De] Scam[mo]nio [M]atth.* *[A]dulterati [Sc]ammonij [no]ta.* *[M]atth. re[pr]eh.*

Ignorantem & inſcium herbarium ſe Euch. Roeſſlin oſtendit, dum arborem Scammoneam facit, & liquorem ejus ſuccum arboris cognominat, cùm nec frutex ſit, ſed herba, id quod Plinius his verbis docet, Scammonium quoque diſſolutionem ſtomachi facit, bilem detrahit, alvum ſolvit, præterquam ſi adjiciantur aloës drachmæ duæ obolis ejus duobus. Eſt autem ſuccus herbæ à radice ramoſæ, pinguibus foliis, triangulis, albis, radice craſsâ, madidâ, nauſeoſâ. Naſcitur pingui ſolo. Radix circa canis ortum excavatur, ut in ipſam confluat ſuccus: qui ſole ſiccatus digeritur in paſtillos. Siccatur & ipſa, vel cortex. Laudatur Colophonium natione Myſium, Prienenſe: ſpecie autem nitidum, & quàm ſimillimum taurino glutini, fungoſum tenuiſſimis fiſtulis, citò liqueſcens, virus redolens, gummoſum, linguæ tactu lacteſcens [*hoc ſignum fallax & incertum eſſe Dioſc. tradit*] quàm leviſſimum, quùm diluitur albeſcens. Hoc evenit & adulterino, quod fit ervi farina, & Tithymali marini ſucco, in Iudæa ferè, quod etiam ſtrangulat ſumptum. Deprehenditur guſtu. Tithymalus enim linguam excalfacit. Vſus bimo, nec ante, nec poſtea utile. Dedêre & per ſe ex aqua, vel aqua mulſa, & ſale, quaternis obolis. Sed utiliſſimè cũ aloë, ita ut incipiente purgatione mulſum bibatur. Fit & decoctum radicis in aceto ad craſſitudinem mellis, quo lepræ illinuntur. Et caput ungitur in dolore cum oleo. Hæc Plin. quæ multùm faciunt ad Dioſc. intelligendum. Faciunt & ad Plinij lectionem rectam. Sunt enim de veteri codice tranſcripta. Nam vulgata exemplaria tribus locis emendant. Primò ubi diſſolutionem ſtomachi legitur, in vulgatis ſtomachi vox in totum deeſt: Secundo ubi ervi farina habetur, in vulgatis herbæ farina falsò legitur. Tertio ubi uſus bimo legitur, pro eo vulgata exempla habent, Bulbi more: quam lectionem falſam eſſe, ſequentia verba declarant: nec ante, nec poſtea utile: quæ neque ad Bulbum referri poſſunt, ſicut neque Bulbus ad Tithymalum, de quo præcedit quòd linguam excalfacit. Hoc tamen de Scammoniæ ſucco Dioſc. nõ tradidit, quòd uſus bimo ſit, ut nec ante, nec poſtea utilis ſit. Et profectò ego hodie novi in quibuſdam officinis uſum ejus ad decem annos ſervati. Et ſcribit Arabs Meſues Scammoniam per annos duodecim conſervari. Scammonium Syriacum licèt Dioſcoridi improbetur, Plinius tamen contrarium ſentire videtur. Commendatur enim illi præter Myſium & Colophonium, etiam Prienenſe, quæ Priene civitas Syriæ eſt. Meſues Antiochenum & Armenicum laudat, Coraſcenum vituperat. Galenus in Simplicium cenſu Scammoniam præteriit. Paulus Scammonia, inquit, calidam & diſcuſſoriam, & billioſa extergentem vim habet, & magis ſuccus, qui etiam tubercula diſcutit, & fœtus necat appoſitus, & lepras exterit. Et in diuturno capitis dolore, caput ex eo cum aceto & roſaceo irrigatur. Sed & radix pota purgat, tum ipſa, tum decoctum ejus. At cum aceto & farina hordeacea cocta, iſchiadicis imponitur. Idem l. 7. c. 4. Scammonia, inquit, ſimiliter ut veratrum purgat, & magis flavam bilem. Verùm magis quàm omnia purgatoria, ſtomacho noxia eſt. Detur itaque non febrientibus, & ſtomacho benè affectis, pondere obolorum quatuor cum ſale, aut pipere, aut zingibere, aut quodam oxyporo citò tranſeunte, ſtomacho grato, aut cum melle. Fiunt & catapotia cum gummi. Aëtius l. 3. c. 25. ferè eadem habet. Et addit, admiſcetur ipſi ſal, & thymi coma, aut pulegium. In his verò qui ferre poſſunt, præſtat Aloën miſcere. Datur & per ſe cum melle, aut ptiſanæ ſucco, ſi clanculum exhibere volumus. Et hi ambo Scammoniæ nomine ſuccum ſolum intelligunt, & non radicem, aut herbam ipſam. Et hunc etiam ſolum utilem Theophr. 9 hiſt. dicit, & aliud nihil, τῆς δὲ σκαμμωνίας, inquit, ὁ ὀπὸς μόνον χρήσιμ☉, ἄλλο δ᾽ οὐδέν. Recentiores Græci Scammoniam vocant δακρύδιον, i. e. lacrymam, ex qua voce corrupta officinæ vocant Diagridium. Vſus ejus hodiè ferè eſt ad teliqua purgatoria medicamenta acuenda. Sed in his, quæ à veteribus de Scammonio produntur, duo ſunt expendenda: ejus delectus, & in purgationibus doſis. Laudant enim illi leve, pellucidum, colore quàm ſimillimum taurino glutini. At vulgare noſtrum ſqualidum eſt, & cineritio colore, & aſpectu triſtiore: quia non ſuccus, aut liquor manans, aut lacryma Scammoniæ ad nos adfertur, ſed ſuccus vi expreſſus. Scammoniæ lacrymam, quam Venetiis apud Albertum Martinellum vidit Pena in Syriacis conchis allatam, Colophoniæ concolorem, concretione ſimili, ex fuſco cæruleam fuiſſe ait, cujus coloris non eſt Scammonium noſtrum. Verùm cùm pura ac mera lachryma Scammoniæ tam frequenti uſui non ſufficeret, ſuccum multum vi expreſſum ad nos aſportari oportuit: cujus maximè delectus habendus, quia nullus niſi variè adulteratus ad nos adfertur. Nam aliquando ex eodem corpore, eadem morbi cauſa, & eodem planè modo affecto, grana aliquot ſumpta facilè, & ſine ullo cruciatu, bilem pituitámque expurgabunt, ex eadem prorſus gleba, fruſto parvo effracto multò plura grana ſumpta minùs evacuabunt, nec ſine moleſtia, & cruciatu. In cauſa eſt diſſimilis molis concretio, quæ hîc plus, illic minùs, aut lactis Tithymali, aut Lathyridis, aut alterius ſtirpis valentioris ſucci accepit: unde diſſimiles purgationes conſequuntur. Cùm autem veteres, aut drachmam, aut quaternos obolos,

*[E]uch. Roeſſ[lin] not.* *[D]e Scamm. [Pl]inius.* *[D]eſcr.* *[G]enera.* *[D]electus.* *[A]dulteriũ.* *[R]adicis [u]ſus.* *Plin. corrig.*

*Scammonij duratio* *Scammonij delectus.* *Temperamentum.* *Scammonij correctio.* *Dacrydium.* *Confertur Scammoniũ noſtrũ cum antiquorum.* *Veteres explicantur.*

aut majorem aliquam doſim præſcribunt, purum & merum ſuccum imperant. Purgat Scammonij ſuccus per inferiorem ventrem vehementer, nulli aliorum purgantium medicamẽtorum potentiâ cedens. Nullâ enim parte, ut Oribaſius ait, ſuperatur ab iis quæ agitant & commovent. Efficit iſtud non vehementer aliquâ calidâ facultate; ſed aliâ quadam latente totius ſubſtantiæ proprietate. Nam guſtu quidem nulla in eo caloris vehementia deprehenditur. Cuicunque ſiquidem liquori aut rei permiſceatur, nullam ei vel amaritudinem, vel acrimoniam, aut alium ingratum ſaporem communicat. Quamobrem nec inter calidiſſima, ut pleriſque videtur, ſed inter moderatiùs calida & ſicca habendum cenſet Dodonæus. Extergit autem & educit potiſſimùm bilem flavam; ſeroſos item tenuéſque humores, & quandoq; pituitam, ventriculo tamen magis, quàm reliqua omnia medicamenta, ut Paulus tradit, noxium eſt Scammonium. Meſues verò non modò ventriculo grave atque moleſtum, verùm & inteſtina ipſum abradere; interna viſcera erodere; venarum ora dilatare, totiúſque ſuæ ſubſtantiæ eſſentiâ cordi viſceribúſque reliquis obeſſe ſentit. Immoderatum & minùs oportunum idcircò ejus uſum animi ſequuntur deliquia, ventriculi ſubverſiones, alvi fluores, dyſenteriæ & teneſini. Occurritur his malis, eodem auctore, ſi Scammonium in cotoneo malo decoquatur; & muccagine pſillij, prunorum carne aut ſucco, aliiſve lentis ſimiliter ſuccis permiſceatur, additâ maſtiche, aut aliquo ex moderatè aſtringentibus. Plinius noxam ejus tolli poſſe affirmat admixtâ Aloë: Veteres Scammonium in malo cotoneo etiam decoxerunt, ſed omiſſo Scammonio ipſum malum edendum præbuerunt, quod abſque ſtomachi ſubverſione alvum ſubduxit: ut lib. 1. de facult. alim. Galenus ſcribit: & 5. de ſimpl. Quinque de cauſis corporibus læſiones inferre poteſt. Prima eſt, quòd flatus quoſdam mordaces gignit, uſque adeò ventriculum laceſſentes, ut ſumentibus nauſeam commoveat. Noxa hæc tollitur, ſi in excavato cydonio malo, clibano, aut prunis inaſſetur, paſtâ undique circumlitâ: præſertim additis aut fœniculi, aut dauci, aut apij ſemine, aut galangâ. Inflammat deinde acredinis exuperantiâ corporis ſpiritus: quò fit, ut facilè febres excitet, iis præcipuè qui obſtructionibus viſcerum, & humoribus putreſcentibus obnoxij ſunt. Sed id nocumenti aufertur, admiſtis inter coquendum, quæ refrigerant, & fervorem extinguunt: cujuſmodi eſt pſillii ſeminis ſpiſſamentum, prunorum decoctum, ſeu potiùs pulpa, roſarum & violarum ſuccus, aut dilutum, aut aqua: quinetiam antè coctionem maceratur oleo roſaceo, aut violaceo, aut cotoneorum miſti ſaporis ſucco, aut admiſto rhoë, aut factitio ſpodio. Adhæc, quòd magnâ tum attrahendi, tum aperiendi facultate ſit præditum, immoderatas alvi fluxiones facit: vaſorum enim oſcula plus quàm par ſit, aperit. Hæc læſio adimitur admiſtis rebus adſtringentibus, cohibentibúſque, nempe maſtiche, cydoniis malis, ſuccóque ab eis expreſſo, & myrobalanis, præſertim flavis. Abradit præterea acri ſucco, quo ſcatet, inteſtina: proinde & tormina, & dyſenteriam, & teneſmum excitat. Sed deletur hoc incommodum additis humidis pinguibus, lentíſque medicamentis: cujuſmodi ſunt tragacanthum, bdellium, amygdalinũ oleum aut roſaceum: item prunorum pulpa per ſe, aut ſaccharo aſſervata, pſyllij ſpiſſamentum, maſtiche, cydoniorum mala pòſt ſumpta, & calida aqua pòſt bibita: utpote quæ medicamentum ociùs à ventriculo & inteſtinis expellant, & ita ſimul noxam prohibeant. Hinc eſt, quòd prudentes Medici, quò celeriùs Scammonium à ventriculo & inteſtinis dejiciant, hordei juſculum cum ſaccharo ſuperbibendum præbent. Obeſt poſtremò Scammonium cordi, jecori, ac ventriculo ſubſtantiæ ſuæ totius proprietate. Vitium hoc aboletur, ſi illi tum calida, tum frigida admiſceantur medicamenta, quæ cordi, jecinori, ventriculóque opem ſuam præſtant. Dejicit Scammonium valentiſſimè bilem, quam à vaſis & à ſanguine exhaurit. Ejus dejiciendi facultas haud ſanè aliis medicamentis abſimilis eſt, quæ purgant cum labore & moleſtia.

*Scammonium moderatè calidum.* *Scammonij noxa.* *Scamonij correctio.* *Flatus mordaces gignit.* *Inflammat ſpiritus.* *Nimium movet alvum.* *Abradit inteſtina.* *Obeſt cordi.*

De doſi Scammonij non conſentiunt autores, nam Scammonium poſſe ad ʒ. uſque tutò dari cenſuit Dioſcorides, quamvis rurſum dicat poſſe interdum ſatis eſſe ʒ.ß. ut liberalis fiat purgatio: duos verò obulos, h.e. ſcrupulum, poſſe commodè alvum ciere. Videtur itaque doſin ejus eſſe à ℈. ad ʒ. Paulus verò ait dandos eſſe iiij. obulos, cum quo Aëtius & Actuarius conſentiunt. Rufus uſque ad ʒ.j. & radicis uſque ad ʒ.ij. exhibet. Meſue tamen, quem omnes fermè juniores ſequuti ſunt, non audet ℈. dare, imò conſulit non eſſe excedenda grana xij. ſicuti minimum, quod dari poſſit, ut ventrem ſolvat voluit iiij. eſſe grana. Eum autem loquutum eſſe puto propriè de Diagridio, de quo mox. Videtis igitur quanta ſit varietas ſcriptorum. Vnde non eſt mirum quod Avicenna admiretur varietatem ponderum in hoc medicamento, quam varietatem ipſe refert ad varietatem locorum, nã Dioſcorides fortaſſe exhibet unam drachmam illius Scammonij, quod mite erat, & ortum in miti loco: vel quia Scammonium illud erat mite ſi non ratione loci, ſaltèm ob vetuſtatem. Sed ſit utcunque. Ego ſcio (inquit Fallop.) quod Scammonium aliquando exhibitum in pauca quantitate non evacuat: aliquando in pauca exhibitum evacuat præter modum: aliquãdo è contra: unde neſcio quid dicam de doſi hujus medicamenti: conſulo tamen vobis, ut ſemper exhibeatis paucam quantitatem, quæ quantitas ſit potiùs pro calcari: vocatur autem Calcar pauca Scammonij quantitas addita medicamentis purgãtibus pro ruſticis, vel pro aliis robuſtioribus, & cervicoſis quibuſdam hominibus, quibus nihil fuiſſe videtur factum, niſi pharmacum eduxerit uſque ad ultimum, & plurimum ut ita dicam cacarint; & ideò pharmaca pro hujuſmodi hominibus debent habere calcaria, qualia etiam debent eſſe pharmaca pro Monachis, & eò magis quia difficile in ipſis fit evacuatio, quoniam cùm veſcãtur malis cibariis ſemper abundant craſſis excrementis, & viſcidis humoribus. Vnde præparetis quantum velitis, ſemper tamen difficilè moventur. Itaque utamini ſemper pauca quantitate Scammonij, & ſtetis potiùs in doſi Meſue, quam etiam non excedetis, quàm in doſi Græcorum, quos nolim ut in hac re imitemini. Tractatus qui pro quo, Scammoneæ loco aut Cucumerem agreſtem, aut lac Tithymali, aut Euphorbium accipit. Sed Sylvius in Antibal. Scammonio deficiente, Ricinum probat.

*De doſi Scammonij.* *Authores de doſi Scãmonij ut interpretandi.* *Calcar medicamentorum.* *Subſtituta.*

Scammonia, quam Dioſc. deſcribit, paulò diverſa eſt, atteſtante Cæſalpino, à Scammonia ejus, floribus ex candido palleſcentibus, ex ſemine è Syria miſſo enata. Eſt hæc nobis Scammonia Syriaca flore majore Convolvuli.

*Aequivoca. Scamm. Syriaca flore maiore Cõvolvuli.*

Scammoniam aliam quandam Monſpelij oſtendunt, Scammonia Monſpeliaca, à Geſn. h. (qui portionem pingit in figura adhibita Scammoniæ Cordi) Cluſ. Lob. Cam. & nobis vocata, cujus eſt & altera varietas.

*Scammon. Monſpeliaca.*

Ægyptij quoque ſuam Secamonem [*Apocyni affinem*] Scammonij ſpeciem affirmant.

*Apocyno affinis Secamone.*

Camerario apud Matth. germ. lib. 4. cap. 38. Volubilis ſive Convolvulus major videtur genus Scammoneæ.

*Convolv. maior.*

Scammonia tenuis Plinij, ita tradentibus Cordo

in Dioſc.

*[He]lxine [Cis]ſampel.* in Dioſc. Ang. Cam. h. & Cæſ. nihil aliud eſt, quàm Helxine Ciſſampelos.

*[Vo]lvulus [ter]reſtris.* Planta, quam Tab. pro Scammonio minore exhibet, eſt nobis Volvulus terreſtris.

*[Co]nvolv. peregrinus.* Idem jam dictus autor exhibet & ſecundum Scammonium minus Plinij, quod Convolvulum peregrinum inſcribimus.

*[A]n Nil Arabum quibuſdam?* Teſtis eſt Cæſalpinus alterum genus pro Scammonia oſtendi foliis ſubhirſutis flore cæruleo, quam Meſues Volubilem lanuginoſum vocet. An hæc Nil Arabum quibuſdam.

*[Me]choaca.* Mechoaca Scammonij ſpecies, & non temerè quidem, ait Dodonæus, creditur. Ob mala ſymptomata, quæ excitat Mechoacan genus ſilveſtre, Scammonium à Monarde vocatur. Vide Mechoaca. Et de his omnibus præſenti libro pertractatur.

*[Th]apſia.* Scammonium dici de Thapſia Dioſcoridis l.4. autor eſt Tragus l.2.c.8. & Brunſelſ. in Onomaſtico. De hac nos lib.27.

## SCAMMONIA SYRIACA FLORE majore Convolvuli.

*[D]eſcr.* E Syria delata Scammonia, etiam noſtro aſſuevit ſolo, licèt nullum ad ecchyloſin ſtudium adjungamus: profert autem è radice longâ, craſsâ, lacteo ſucco prægnante, multas aliquot cubitorum viticulas, proximis ridicis ſeſe convolventes ſcandentéſque; folia triangula ceu haſtilis barbatus, mucro, *[S]milacis [f]olio-* Smilacis lævis æmula, ſed minora, glabra, tenuia; flores calathoeides nonnihil purpuraſcũt, *Ciſſampeli floribus.* Helxines ciſſampeli floribus proximi.



*Deſcr. Cæſ.* Hanc ita deſcribit Cæſalpinus. Tenues viticulas fert, bicubitales: foliis triangulis, effigie ſagittarum, parvis: flores ex candido palleſcentes: fructus veluti pinguedine obductos, in quibus ſemina nigricantia: radicem grandem Raaphano ſimilem, ſuccoſam.

*De Scammonia Cordus.* De Scammonia noſtra Syriaca Cordum loqui ſuſpicarer, ſi folia non diceret ſpinoſa in hiſt.l.4.c.109. cùm ait. Scammonia eſt, cujus liquor eſt Scammonium, Convolvulo per omnia ſimilis, quantùm ad viticulas, flores, lacteum liquorem & qualitates attinet: folia quoque ab hujus foliis parùm diſcrepant; ſunt enim ipſius foliis ſimilia, ſed piloſa, triangularia, atque in alatæ ſagittæ figuram redactæ. De radice priùs dixerat in Dioſc. majorem eſſe Convolvuli radice. Et hinc etiam Ciſſampelum, tenuem Scammoniam vocari, quoniam multò tenuiorem radicem, *Cord not.* quam Scammonia habeat. Verùm hæc deſcriptio Cordi ex Dioſcoride concinnata eſt. Figura quidem malè picta aliquatenus noſtram Scammoniam Syriacam exprimit: ramus verò appictus, nõ eſt Scammoneæ Cordi, ſed Monſpelienſis. *Volvuli 5. ſpecies Meſues.* Quintam ſpeciem Volvuli Meſues, eſſe plantam illam ſcribit Fallopius, ex cujus radice emanet Scammonium. Græci (inquit Dodon. purg. & hiſt.) σκαμμωνίαν; Latini ferè Scammonium nominant; ita appellantes non modò ſtirpem ipſam, ſed & denſatum concretúmq; ſuccum. Dicitur & à nonnullis σκαμμωνία ῥίζα, ab aliis κολοφώνιον; officinæ ſuccum crudum quidem Scãmoneam; *Colophonia.* in cotoneo verò malo decoctum; Diagridium vocant: quaſi δακρύδιον, i.e. lacrymulam. *Diagridiũ.* Eſt verò ipſum Scammonium (ut cap. de Campana cærulea affirmat) nihil aliud, quàm ſpecies Smilacis lævis, radice craſsâ. *Smilax lævis.* Lactariam hanc, ſcanſoriámque Volvulam (unde fortè, Lobelio adverſ. nomen Volvulo fuit) ſolo penicillo commentatoris pictor expreſſit. *Lactaria, ſcanſoriaque Volvula.* Cùm tamen paucæ ſint plantæ, quas de facie & facultatibus, penitùs notas habere, magis interſit boni Medici, & Pharmacopœi quàm Scammonium hoc Syriacum, Antiochenum & Norbonenſe. Anno igitur 1562. indefeſſus ille herbarum novarum veſtigator Venetus pharmacopœus Sequinus Martinellus, ex Syriaco Alepo miſerat pluſquàm centum libras glebæ Scammonij Antiocheni ſucci concreti, cui exprimendo interſuerat: conchas etiam non paucas lachrymà plenas, ſeu Diagredio antiquorũ, cum ſeminibus anguloſis Volubilis. Hæc ſemina tum Patavij & Venetiis primo Vere terrę mandata, in luculentam Volubilem, ſeu Volvulum abiêre, adeò ſinuoſis Smilacis foliis, triquetris, vel potiùs Ciſſampeli foliis, floribus, & facie, ut planè noſtræ Ciſſampelo eandem dixiſſes: verùm radice inſigni fuit, & mole grandem Bryoniæ radicem æquante atque teneritudine ſimulante: foris tamen pulla, aut cinericia, intus albidà carne: cujus fiſſæ torulus ſive cor medium exemptum, planè idem eſt, aut ſimile radici communis & probatioris Turhith officinarum: *Turbith.* verùm faciliùs aliquantò frangitur hæc, tametſi perinde gummoſa ſuccóque lacteo prægnet, atque Turbith. Hanc eandem poſteà Antuerpiæ, quò ſemen miſeramus ſerendo meminimus, ſpecioſam factam, floribus & viticulis quinum & ſenum cubitorum, prorſum nihil diverſam, cujus Guillielmus Dries, non minùs peritus pharmacopœus, quàm probus civis Antuerpianus, adnata, radicúmq; pullulationes exciſas, exſiccatáſque oſtentabat, adeò Turbith Alexandrinum ementita, ut diſcriminis perparum, aut nihil percipi poſſet. Hæc Lob. adv. *Synon.* qui in obſ. figuram habet eandem cum Dodonæo, titulo Scammonij, Adv. 272. In ic. vocat Scammonium ſyriacum; antiochenum, & Scammoneum. Geſn. h. eſt Scammonia è Syria allata. Ang. & C.B. (cui prima) Scammonea Syriaca. Cam. h. Scammonea Antiochena: Eid. hiſt. & epit. ut & Lon. & Caſt. Scammonia. Rauvv. Scammonium verum. Cæſ. Scammonia floribus ex candido pâlleſcentibus, ex ſemine è Syria miſſo nata. Matth. in comm. cum mag. fig Scammonea. Lugd. Scammonia Matthioli.

*Locus & Tempus.* Habui Lugduni, Genevæ & Montbelgardi in hortis. Baſileæ in horto D. Plateri florebat Iunio, & Iulio, Auguſto, & Septembri. is hieme recondebat. In calidis, pingui exit ſolo, veluti in Aſiæ Myſia, Syria, aliíſque ſimilibus. Reperitur & in Creta inſula, Bellonio teſte. Veriſimile eſt, ubi ſuæ ſpontis eſt, citò & plurimâ deinde Æſtatis parte florere: nam & in Belgio, ut Dod. tradit, æſtivis menſibus ſubinde cum flore videri poteſt. Scammonea Antiochena Camerario aliquot annos duravit aſſervata in fictilibus per hyemem, & Æſtatis initio floruit, ſed ſemen nunquam abſolvit.

*Vires.* Meminit idem Cortuſum patritium patavinum, rerum naturalium ſummum indagatorem ex craſſis radicibus aliquot uncias ſucci extraxiſſe. Aiunt ſi propè Tithymalum ſeratur, adeò ejus caliditatem accendi, ut veneni naturam acquirat. Hujus tamen liquor caloris acrimoniæque vi per ætatem amiſsâ benignior nonnihil evadit. Quod verò non eas notas habet Scammoneum, quales illi Dioſc. tribuit, cauſa eſſe putatur, quod hoc tempore non obſervent veterem parandi modum, ac non ex inciſa, ſed diſſecta prorſus vel expreſſa radice, aut è ſtipitibus & foliis contuſis paretur: alioqui tanta copia Scam-

monij quo pacto quotannis ad nos adferri poſſet? vel etiam lacte Tithymali ſæpiùs adulterant. Pulcrè mehercule alicubi Ruellius inquit: Nulla medicinæ pars incertior, quàm quæ ab alio orbe quàm noſtro petitur.

## SCAMMONIVM, SVCCVS SCAMmoneæ denſatus.

*Deſcr.* VVlneratâ Scammoneâ ſuccus emanans lacteus concreſcit qui in magnas maſſas coagulatus importatur, tophoſas & ſatis leves taurini glutinis inſtar nitidas & veluti pellucentes, colore ſulvo, nigricante aut cineteo, atque is quidem color potiſſimùm elucet in pulvere, in quem levi digitorum attritu friatur, odore nauſeoſo, ſapore amaricante & mediocriter acri.

*Diagridiũ quid & ejus præparatio, per concoctionem.* Scammonium, ſuccus Scammoneæ denſatus, per coctionem, aut etiam per macerationem paratus Diagridium appellatur. Confectio autem ejus per concoctionem hæc eſt. Accipitur cotoneum, extrahitúrque durior ejus illa pars media, quæ ſemina continet (recisâ tamen ſuperiori priùs laminâ) cujus loco in excavatam partem Scammonium inditur: mox laminâ, quæ priùs fuerat reciſa, pro operculo additâ cooperitur, triticeáque paſtâ circumquaque malo cotoneo obducitur, ac ita coquitur in clybano, h.e. vaſe fictili crudo. *Per macerationem.* Quidam tamen ſucco ex cotoneis expreſſo, Scammonium macerant, ac Diagridium parant. Accipiunt autem Scammonij partes duas, ſucci cydoniorum partem unam; miſcent probè, ponunt in locum calidum & quotidie movent, donec mediocriter induretur ejus maſſa: deinde formant paſtillos, eóſque quantum ſatis eſt exſiccant. *Modus alius.* Alij alium probant modum, & quidem ex malis communibus, ita, ut acceptâ ollâ, aut teſtaceo mundo vaſe, malis primò fundum ad digitalem craſſitiem ſternant, mox itidem tantundem Scammonij ſuperponant, & ſic ſubinde donec vas plenum fuerit. Mox autem carbonibus accenſis, ac in camino poſito vaſi cóque optimè triticeâ maſſâ operto, quantum ſatis ſit, coquant. Satis autem cocta dicuntur, cùm mala induruerint. *Optimus modus quis?* Ex cotoneis autem, quàm ex aliis malis per coctionem tutior & cum minori moleſtia fit purgatio. Quare & amplior ejus doſis ſumi poteſt. Ac rurſum magis ex aliis malis, quàm ex maceratione in ſucco cytoniorum. Sicut & magis ad purgationem videtur facere, cùm ex hoc ſucco paratum eſt, quàm ſi ſine hoc detur. De doſi hujus ac etiam facultatibus vide plura ante. Officinę Scãmonium pręparatum, quod ut diximus Diagridium vocant, compoſitionibus ferè omnibus, crudi ac non præparati Scammonij loco admiſcent. De hujus doſi loquutum putamus Meſuem.

## NIL ARABVM QVIBVSDAM, ſive Convolvulus cæruleus.

### Cap. XXXVI.

*Deſcr.* CÆruleus Convolvulus tortilibus viticulis, tomentoſis, proxima quæque arripiens, in altum nititur, texturis topiariis peridoneus, niſi longiorem vitam teneritudo, frigorum malè patiens negaſſet: *Folio hederacco.* folia palmum circiter lata, paulò longiora, formâ hederaceâ, in tres acutas lacinias ſinuantur, lanuginoſa, colore ex herbido in flavum vergente, priora ad folia Sigilli B.Mariæ accedunt; folia Lob. ternis angulis ſingula, in teneriuſculis pediculis; *Smilacis Levis flore.* flores Smilacis lævis, cyaneo colore adblandiuntur, extra tamen in ſingulas quinque laciniarum zona excurrit albida, quo etiam colore totum floris infundibulum tam extrà, quàm intra tingitur, quinis foliis herbæ concoloribus obvallatum, in quo ſtamina & apices lactei altè reconduntur;



flores Dodonæo ſunt veluti Smilacis lævis inſtar campanulę, ſed per oras anguloſi, & colore in cæruleo purpurei; floribus Lob. è pediculorum calice exeũtibus, Iaſmini aut *Iaſmini flore.* Vincę pervincæ ſimilibus ſed ora quinis ſtellatim prominentibus angulis, Nolæ cæruleæ vel aſureæ effigie; ſemen nigricãs Dodon. radix ſubeſt parva, fibroſa (gracilis, longa, Lob.) lignoſis nervulis fractu contumacibus farcta, Ciclaclamen, Hederámve annoſam imitata, nonnihil hirſuta.

*Habel Serapionis. Granum Indicum.* De hac planta hæc Serapio. Habel, i.e. Nil, eſt granum Indicum [*Granum Nil, Cartamum Indum, Habix.*] cujus planta, autore Iſaac Eben Amram, ſimilis eſt plantæ Lebleb, adhęrens arboribus duobus brachiis, vel tribus, habens ramos & ſolia viridia, & in radice cujuſque folij florem coloris purpurei, ſimilem pomulis in figura ſua, quo decidente apparet ſemen in vaginis, in quibus latitant tria grana, minora granis Staphiſagriæ, lęvia, tribus partibus diviſa, & iſta grana ſunt id quod de ea adminiſtratur in medicina. Hujus etiam meminit Bellunenſis in interp. in Avic. dicens. Habel Almeſachin eſt herba quæ dicitur Funis pauperum, & eſt ſpecies Lebleb. *Funis pauperum.* Granum Nil eſt ſemen nigrum repertum in planta Voluhilis cujus flos habet colorem azurum: & figuram Campanellæ ſimilem, tendentem ad longitudinem aliquam, & hujuſmodi planta non eſt herba, ex qua Nil ſeu Indicum [*Vſme hæc eſt, & eſt folium Nil ex ejus exprimitur ſuccus, ex quo conficitur Indicum tingens*] *Vſme non eſt.* conficitur ut quidam putant, ſed eſt ſpecies Volubilis nota, & ſemen hujus plantæ granum Nil, in Oriente adminiſtratur ad evacuandum humores groſſos phlegmaticos & melancholicos, ſicut ait Avicenna à quo in cura vermium adminiſtratur. Ex quibus ita dictis vel me tacente facilè judicatu eſt, opinionem Tagaultij non eſſe recipiendam, *Opinio Tagaulty refutatur.* dicentis in l.1.can. Meſue, Nil granum eſſe Iſatidem Græcorum, & vulgò Gallis paſſim Gueida, *du Gueide* dici, herbam notiſſimam, quâ infectores utantur in tingendis pannis. Addam tamen verbis Bellunenſis argumentum ex ipſo Meſue deſumptum quo Tagaultij opinio ſufficienter refelli videtur, nempe quòd Iſatidis ſemen vix poſſit menſurari pleno & *Iſatis non eſt.* vacuo: quum admodum compreſſum ſit, nec quicquam ſimile habeat, cum reliquis fructibus, qui à Meſue loco jam citato recenſentur.

*Volubilis cærulea.* Hæc eſt illa planta, quæ à Monachis in Meſ. Volubilis cærulea nominatur, cujus ſemen Bellunenſis dicit eſſe Granum Nil. A Dod. gall. dicitur *Liſeron bleu*; Conjugulum nigrum. *Conjugulum nigrũ, Convolvulus, Campana lazura.* Dod. purg. & hiſt. (ubi eam pingit & deſcribit) dicit accedere lævium Convolvulorũ numero, optimè etiam exprimere Campanam cæruleam vocatam vulgò Campanam lazuram, & Convolvulum cæruleum dici recentioribus; exiſtimari autem Liguſtrum eſſe nigrum, Colum. lib.10. *Liguſtrum nigrum.* Nec ſine ratione, quandoquidem Smilax lævis

vis major etiam album dicatur Liguſtrum. Nam è cæruleo purpureum colorem ſubinde nigrum dici: veluti Violæ nigræ. Eſſe autem qui hanc Campanam granum Nil Avicennæ eſſe velint, c.306. differens quidem ab eo Nil, quod deſcribatur c.512. Iſtud enim Iſatis Græcorum eſſe; illud verò peregrinam ac Indicam ſtirpem: ut non modò Avicenna, ſed & Serapio teſtetur.

*volvuli* Non deſunt & aliæ Convolvulorum ſpecies, quæ ad Nil quoque Avicennæ referuntur, unicaulis, ſpinulis aſper; alter abſq; illis. Sed Mechoaca quoq; poteſt & Nil, & Scammonium Americanum eſſe. Anil etiam Arabum & Turcarum in Guzarate à pleriſque Nil vocatur. Nil tandem Germanorũ, Põpholix eſt. *[Me]choaca. [N]il. [Pō]pholix.*

Nunc quod ad nos attinet per Granum Nil Arabum quibuſdam dictum præſentem intelligimus plantam. Lob. in adv. hanc intelligit per Aſureum ſuum, ſive cæruleum Convolvulum hederaceum, vel ſmilaceum, exoticum, quem in Ic. pingit eodem titulo: in obſ. autem inſcriptione Aſurei; ſive cærulei Convolvuli, Campanulæ laſuræ herbariorum, adv. 274. Noctu florentis Pleutonariæ dictæ. *[As]ureus, ſi[ve] Convol[vulus cæ]ruleus. [Pl]eutonaria.*

Geſn.h. Convolvulus peregrinus, vel cæruleus, Nil Arabum. Tab. Ger. Caſt. & Cam.h. Convolv. cæruleus, de quo hic ait: Nil Arabum, vel potiùs Habal Nil Serapionis, Latinè granum Indicum. Haſmiſen circa Alepum ubi multum creſcit, Perſis *Acaſia*, Italis *Campanula Azurea* aut *fior di notte*: quia noctu potiſſimùm floret, ſole oriente clauditur.

*[Co]nvol. cæruleus.* Lug. Volvulus ceruleus, ſive Campana Azura Lobelij. Dod. (ut ait Lug.) quidam Pothon cæruleum Theophraſti eſſe credunt, ornamento & umbraculis ſepulchrorum laudatum antiquitùs. Alij Pothon illum eſſe malunt Convolvulum purpureum duplicem Cortuſij. *[P]othos Theoph.*

C.B. Convol. 5. ſive cæruleus hederaceo anguloſo folio: Smilax cærulea Dod. gall. [*non invenio ita ab eo vocari*] ſine icone. Scammoniæ ſimilis flore cæruleo, Ang. Nil Arabum, Eyſt. Campana cærulea, Dod. Bry. Convolvuli alterum genus, quod pro Scammonio oſtenditur, Cæſ. Campanula cærulea hederaceo ſolio, Svver. Quibuſdam Pothos cæruleus Theophraſti: quibuſdam Volubilis lanuginoſa Meſuei.

*[L]ocus & [T]empus.* Montbelgardi in horto E.C. floret Auguſto & ſequentibus menſibus, non facilè autem matureſcit ſemen. Hæc, inquit Lobelius, non niſi hortis Italiæ, Galliæ & Belgiæ nota, ubi amœnâ purpurâ porrectis attextíſque ſecus parietes & perticas funibus viticeis, gracilibus, umbracula concinnant, atque fornices viſu perjucunda. Peregrinam hanc ſtirpem, & aliunde illatam ſub fine æſtatis, ſi calida, fervénſque fuerit, in Belgio flores facere ſcribit Dodonæus. Geſnero flores ephemeri ſunt: noctu enim ſe aperiunt (unde florem noctis vulgo quidam in Italia nominant) poſtridie vi ſolis pereunt. Satus variè provenit, nunc infra palmi altitudinem conſiſtens, at florens tamen: nunc altiùs excreſcens, ſemel etiam ad cubitos fere novem, quæ planta ſemen initio autumni maturavit.

*Vires.* Granorum Habel Nil in medicina, ut autor eſt Serapio, proprietas eſt (ex Aben Meſuai) laxare phlegma, & mundificare ipſum. *Phlegma.* Præparatio ejus eſt, quòd benè teratur, miſceatur cum oleo amygdalarum dulcium. Et melius ex eo novum, ponderoſum, & non ſtypticum in ſapore ſuo: *Delectus.* & doſis à quatuor Kirat uſque ad octo. *Doſis.* Granum Nil (ex Habix) eſt cartamum Indum, calidum & ſiccum in primo gradu, *Cartamum Indum.* & habet hoc, quod quando miſcetur cum medicinis, facit moram in inteſtino duodeno, atque in illo quod ſequitur ipſum, & eſt propinquum meſeraicis, & facit ibi punctiones, & quum ſumitur in potu ſolum, non laxat eadem die, niſi completis viginti *Noxa.* quatuor horis poſt ejus punctionem, & quando admiſcetur ei Scammonea, facit ipſum deſcendere, & tunc laxat phlegma viſcoſum, & operatio ejus eſt etiam in educendo choleram, *Purgat.* & fortaſſis accidunt ex potu ejus juvenibus ſtypticitas in ore ſtomachi, & torſiones magnæ, & ſi nimis ſumpſerint, faciet eos evomere, & fortaſſis inducit tenaſmonem. *Vomitum movet.* Et doſis ejus cum aliis medicinis eſt drach. ſemis, ſed ſimplex nunquam vidi dari in potu, niſi admiſceatur ei Scammonea, quia juvat ipſum ad expellẽdum phlegma, & choleram, quoniam ipſum expellit humores duorum diverſorum colorum per ſeceſſum. Grani Nil ſemen, ut Bellunenſis teſtatur, in Oriente adminiſtratur ad evacuandum humores groſſos, phlegmaticos & melancholicos ſicut dicit Avicen. 2. can. qui Granum Nil, Carthamum Indum eſſe dicit, ac calidum ſiccum primo ordine ſtatuit. *Temperamentum.*

---

## CAMPANVLA INDICA.



*Deſcr.* Congener videtur rara hæc Cãpanula, ei quam Nil Avicennæ nuperorum quidam eſſe volunt, tortilibus flagellis hirſutis rubeſcentibus circum perticas cõvolutis in altũ nitens; folia hederacea ſive Cyclamini, acuminata, qualia nẽpe primùm pullulantia eſſe ſolent Campanulæ lazureæ ſive Nil Avicennæ, ad pediculum uncia longiorem, rubẽtem, hirſutum, falcata, ſubtus ſupràq; piloſa; *Folio hederacea.* flores campanulati ſeu calathi ſormâ, calyci inſident in quinque acutas lacinias diviſo, villoſo, nigricanti, plures ſimul juncti ferè, pediculo ex foliorum ala prodeunte. *Flore campanulato.*

*Locus.* Primùm viſa Argentinæ apud D. Fridericũ Meier qui Campanulam Indicam nominabat, nobis etiam Montbelgardo in horto E.C. provenit aliquoties, ſed non maturavit ſemen.

An B.pin. Smilax lævis 7. ſive Convolvulus folio ſubrotundo: qui 1. in prod. Convolvuli ſpecies altera, quæ ad Nil Avicennæ referri poteſt, Dodon. Campanula azura, Svvert. Campanula Indica purpureo-violacea, Bry. Convolvulus Indicus flore violaceo, Eyſt.

---

## CONVOLVVLVS BONA NOX dictus, flore candido, grandi.

Scribit Cluſius l.2. exot. c.18. ſe à doctiſſ. Viro Simone de Touar urbis illius primario Medico inter fructus exoticos anno 1596. Hiſpali delatos, tertium accepiſſe, cui magna affinitas erat cùm Convolvuli aliquo genere, quòd tota facies reſpondere videbatur, licèt longè major eſſet, quàm ullus ſimilis generis ipſi unquam conſpectus. *Convolvulus.* Etenim calix qui florem continuerat, quinque foliis unciam ferè longis & latis invicem amplectentibus conſtabat, ut in Cappari; quibus includebatur caput trigonum membranaceum, tria grana inſtar magnorum piſorum

rum continens, coloris ex fuſco cineracei, & penè fuliginoſi; tres autem flores ex longis pediculis dependentes craſſiuſculo ramo inhæſiſſe apparebant; ſimilia porrò grana illo ipſo anno ab eo Convolvuli peregrini appellatione, his additis verbis, accipiebat Cluſius.

*Convolvul. peregrinus.*

*Buenas noches.*





*Buenas noches*, plātę ex occidentali India delatæ ſemina, quæ etiam ſtirps apud fortunatas Inſulas reperitur, ubi *Buenas noches* vocatur, voce Hiſpanis conſuetâ, quâ ſe congredientes vel diſcedentes, veſperi ſalutant. Hæc verò primo ſui ortu bina profert folia Campanulæ Indicæ primùm naſcentis foliis ſimilia, ſed majuſcula & craſſiora, cui etiam ſimilia edit folia recens natus Mechoacanus, antè quàm innaſcantur alia folia. Multi porrò ab unica hujus plantæ radice caules prodeunt, qui pedamenta adfixa, vel vicinas plantas multiplici ambiunt ſpirâ, Smilacis aſperæ inſtar, cui etiam ſimilia habet folia, majora tamen & molliora: in caulibus etiam aliquot hamatas continet ſpinulas, quales & Smilax aſpera, ſed rariores ac minùs horridas: flores autem pandit candidos & grandes, mediocri diſco pares, qui matutino tempore dehiſcentes, noctu illicò flacceſcunt, unde nomen accepiſſe videtur.

*Folia. Caules. Spinulæ. Flores.*

Cæterùm ex ſeminibus à Touaro acceptis, quæ amicis communicaverat Cluſius, unica planta inſequente anno nata eſt ornato viro Honeſto Lopez, quæ initio prodibat ſimili modo quem Touarus teſtet, deinde multa longa ſarmenta proferebat, perticæ, multis ſpiris & nexibus ſeſe circumvolventia, & tenellos veluti ſpinarum aculeos, præſertim circa articulos, generantia, qui nihil aliud erant, quàm radicum rudimenta, ut in pleriſque plantis, puta Mayzo, Harundine, & aliis quibuſdam ſimilibus interdum contingere videmus, quę haud dubiè comprehendiſſent, ſi quis terrâ obruiſſet: folia habuit valdè viridia, Convolvuli foliis ſimilia, ſed longiora, & pleraque hederaceorum foliorum inſtar anguloſa, atque in longum anguſtum mucronem deſinentia, ut Smilacis aſperæ folia; florum quidem gemmas ferre incipiebat, ſed perfici nequiverunt, quia prægmaturæ pruinæ totā plantam corruperunt. Hæc ille.

*Planta ex ſeminibus nata. Sarmenta. Folia.*

Ego duo ſemina & portionem capitis trigoni prædicti Convolvuli habeo inter fructus delatos ex Anglia 1605. per generum Cherlerum, qui plæroſque acceperat ab honeſto viro Iac. Gareto: grana ſunt inſtar magnorum Piſorum, non tamen maximorum, anguloſa ex compreſſione ut evenit quibuſdā Piſis, colore, qualis ei tribuitur à Cluſio, dura ſunt oſſiculorum modo. Eſt mihi etiam capitis ni fallor trigoni pars una triangularis ferè, mediocriter fuſca: Semina in aquam injecta non ſidunt.

*Semina.*

C.B.pin. Smilax aſpera 3. Indiæ occidentalis.

## CONVOLVULVS PEREGRINVS cæruleus folio oblongo, C.Bauhini.

*Deſcr.* Radice eſt ſingulari, oblongâ, ruſeſcente, ex qua caules multi, tenues, pedales, interdum cubitales, flexiles, ramoſi, leviſſimis pilis pubeſcentes prodeunt, quos folia oblonga, inferiora quidem, uncias tres, quatuórve longa, vix unciam lata, inordinatè veſtiunt, quæ ſenſim minora redduntur, & per marginem leviter hirſuta ſunt: ex omnium ferè foliorum ſinu, pedicelli tenuiſſimi, oblongi exurgunt, quibus ſingulis flos cæruleus ad exortum pallidus, Campanulæ formâ, unico folio conſtans, & ex caliculo prodiens, inſidet: floribus ſuccedunt capitula membranacea parva, quibus ſemina parva, nigra includuntur. Planta ſanè ob florum copiam elegantiſſima, & quæ ob cauliculorum flexibilitatem fulciri debet. Hic in horto meo ex ſemine, Campanulæ cæruleæ nomine accepto, ſæpiùs crevit.

B.prod. Convolvulus 2. Eid. pin. Smilax lævis 7. ſive Convolvulus peregrinus cæruleus, folio oblongo. *Synon.*

## LOBVS CVM SEMINIBVS CONvolvulo majori accedentibus.

INTER fructus & cætera quæ gener detulit ex Anglia, anno 1605. ab honeſto viro Iac. Gareto reperimus Lobum ſive ſiliquam nigram magnitudine articuli poſtremi pollicis ſimili quodammodo, ſublongam unciam, tumidam, & leguminum modo in duas partes ſeſe ſeparantem, cortice duro ſatis, qui nonnihil contrahebatur, pediculo longiuſculo: intus grana duo (an pluta adfuerint neſcimus, Lobus enim erat apertus) magnitudine piſorum mediocrium ferè, triangularia ut Convolvuli majoris ſiliqua, continentem, quorum latera duo minora ferè plana, tertium verò gibboſum extabat, leviter hirſuta vel tomentoſa, colore fuſco tribus coſtis, uti etiam circulo circa umbilicum cinereis, cortice duro, qui ſi abradatur flaveſcit. Quid contineant hæc oſſicula nondum introſpeximus, ſunt enim nobis tantum duo. Injecta in aquam fluitant.

*Deſcr. Cortex. Grana.*

## BRASSICA MARINA, SIVE Soldanella. CAP. XXXVII.



QVIA Braſſica marina toto genere (quia enim ut inquit Adrian. Spieg. flore & folio herbæ atque floris Convolvulus; virtute verò Scāmonium) differt à reliquis Braſſicis, ideò non Braſſicis (de quibus lib. 21. ſcribimus) ſed Smilacibus lævibus & Convolvulis ea ſubjungi voluit.

*Convolvuli folio & flore. Smilax.*

Braſſica autē marina, quę hodie officinis Soldanella appellatur per terram ſuas ſpargit viticulas, à quibus folia prodeunt ſubrotunda, retuſis alis prædita, latiora quàm longiora Chelidonij minoris ſimilia, craſſiuſcula, liquore lacteo manantia, pediculis longis innixa: flos magnus, purpureus, quadrantalis ferè, campanulatus, non abſimilis multùm floribus herbæ, quæ pro Nil Avicennæ exhibetur, aut Smilacis lævis, indiviſus; ſemen in lo-

*Deſcr.*

in loculis rotundis non tantùm nigrum, ſed & album, anguloſum. Guſtu eſt ſalſo, ſubamaro.

*dana. aſſ. ma-a Dioſc.* Soldanellam aliqui etiam Soldanam vocant, & eam Braſſicæ marinæ à Dioſcoride deſcriptæ plerique ſimilem affirmant. Imò nos non ſimilem, ſed planè illam ipſam eſſe cum multis aliis ex hoc maximè concludimus. *oſc. lectio ria.* Quòd Dioſcorides hanc Braſſicam à ſativa evariare dicit, quo modo certè Soldanella à Braſſica penitùs evariat. Quæ marina Braſſica [*κράμβη θαλασσία: malè Lugd. θαλκοσια: nec meliùs Ryff. in Dioſc. θαλαθία*] inquit Dioſcorides, dicitur, à ſativa in totum evariat, habétque folia longa [*μακρὰ forte legendum μικρὰ auth. Matth. ὑμήκη, prælonga Ruell. qui tenuia addit, quam ob cauſam, ipſe videris*] Ariſtolochiæ rotundæ [*τῇ ϛρογγύλῃ ἀριστολοχίᾳ*] ſimilia, quæ ſingula de ramis ſubrubris prodeunt, ex uno pediculo velut Hedera. *quor al-s.* Habet liquorem album, non multum, qui guſtu ſubſalſus eſt, & quodammodo amarus, compage pinguis. Et hæc eſt illa, quàm priori ævo *phanus heophr.* Theophraſtus l.7.c.4. Braſſicæ [*ῥαφάνῳ*] tertiæ agreſtis cognomento intellexit, cui folium læve eſſe parvum & rotundum ſcribit, ac multis ramis, multiſque foliis conſtare: huic præterea ſuccum acrem ineſſe & medicatum, quo Medici ad purgandas alvos utantur. Eadem & Plinius tradit. *aphani nus Plin.* Raphani, inquit, genus ſilveſtre Græcis, cui lævia quidem [*folia*] ſed breviora ac rotunda, copioſáque atque fruticoſa; ſapor autem aſper, & medicamenti inſtar ad eliciendas alvos. Cæterùm licèt Dioſcorides prodiderit marinam Braſſicam folia ferre rotundę Ariſtolochię, longa, ac tenuia; ea tamen non abs re ab omnibus eſſe cenſetur, quàm vulgus officinarum Soldanellam appellat. Quippe quę in maritimis naſcatur, foliis lacteo ſucco madeat, ramulis conſtet rubentibus, è quibus prodeunt ipſa folia, Hederæ modo, quæ guſtu ſalſa, & amara, & quadantenus acria ſentiuntur. *extus Dioſc. vitio borat.* Quamobrem Dioſcoridis codicem hoc in loco, ſicut & in aliis permultis, mendi ſuſpicione non vacare cum Matth. puto. Facilè enim eveniſſe crediderim librariorum incuriâ, ut folia *μακρὰ*, i.e. longa, pro *μικρὰ*, i.e. parva, hoc loco ſucceſſerint: & certè facilis fuit unius literæ lapſus. Siquidem Soldanella vocata omnibus notis marinam Braſſicam repræſentat, exceptis foliis, quæ ſunt Ariſtolochiæ rotundæ minora.

*Lectio Cæſ.* Cæſalpinus autem ſic aptiùs legendum putat, foliis rotundis, longæ Ariſtolochiæ ſimilibus, & non ut vulgati codices legunt, tranſpoſitis dictionibus, foliis longis rotundæ Ariſtolochiæ. Et hinc congruè Dodonæus Soldanellæ ſive Braſſicæ marinæ folia tribuit Aſari, aut Ariſtolochiæ longæ (non ut ipſe, rotundæ) rotunda. Quo Dioſcoridis loco ſic emendato, Soldanella omnibus planè notis Braſſicam *Error Ruel.* marinam Dioſcoridis refert. Ruellius etſi in hoc nobiſcum cæteríſque conſentiat, quòd marina Braſſica hæc ſit herba, quæ vulgò Soldana, & Soldanella dicitur, nullâ etiam (ut inquit) reclamante notâ; in eo tamen manifeſtè aberraſſe deprehenditur, quòd Soldanæ folia Ariſtolochiæ longæ, atq; etiam prælonga reddiderit. Etſi rectè quidem videatur Matthiolus exiſtimaſſe pro folia *μακρὰ* legendum *μικρὰ*, tamen in meis (inquit Dalech.) Dioſcoridis exemplaribus non legi *μακρὰ*, ſed *ὑμήκη* [*prælonga*] pro quo lego *προμήκη* porrecta, quod eſt veriſſimum. *Ruell. defenditur.* Hæc ille. ego etiam nolim tam manifeſti erroris cum Matthiolo incuſare Ruellium, quòd dixerit foliis prælongis: fortè enim ad foliorum pediculos longos reſpexit. *Matth. ref* Nec video tantùm Ruellij errorem, quantum dicit Matthiolus, quia dixerit l.2.c.54. Soldanam eſſe folio Ariſtolochiæ longæ: id quod optimè fecit (uti & Cæſ. legit) meliùs enim longæ quàm rotundæ folia referre videntur: rotundæ enim folia ſunt longiora quã latiora: Soldanellæ autem latiora, ut plurimum quàm longiora, ſicuti folia Ariſtolochiæ longæ, quorum longitudini latitudo æqualis: dein quoad totum folij ambitum & anchoræ formam, meliùs convenit Soldanella cum Ariſtolochia longa, quàm rotunda: deinde quoad pediculos, quibus prædita eſt longa, rotunda non item. Verùm *Error Matthioli.* Matthiolo non fuit cognita longa, pro qua exhibuit Clematitin doctis multis nominatam. Cam. hiſt. addit Carolum Stephanum exiſtimare Soldanellam eſſe dictam, quòd ad ſolidandas rupturas facia[t].

*Volubilis Turnero.* Videamus nunc quid Turnerum Anglum, unum ex multis, qui Volubilis ſpeciem facit, impellat, cur adhuc dubitet an Soldanella ſit Braſſica marina, in ὁ cap. de Cochlearia neget. Etſi inquit ille, jam ab annis pluribus Braſſicam marinam veram indagaverim, unámque invenerim à vulgò doctorum receptam, alteram verò quam ego ſolus pro vera Braſſica marina habui: attamen cùm utramque cum Dioſcoridis deſcriptione confero, neutram per omnia convenire comperio. *Braſſica marina vera.* Ea quam ego veram Braſſicam marinam arbitratus ſum, naſcitur intra primas maris aquas in litore, in ripis rivulorum prata irrigantium, & lapidoſis inſulis quas interdum mare *Locus.* perluit. Viſa mihi in Friſia Orientali circa Norden/ ubi Lupҏelfruyt/à cochlearis forma in folio, dicitur. *Cochlearia.* nec non in Anglia in Ceſtria occidentali, juxta Portlandiam & Portbecium, verùm nullum nomen *Forma.* aliud audivi, quam Scurby wode aut Scurby wurte: poſſet etiam appellari Spountwurte. Vbi primùm erumpit, folia habet quinque aut ſex, modò pauciora, modò plura, erecta ſimul omnia ad modum Pyrolæ aut Betæ tenerioris. caulis longus, terram verſus rubeſcit. folia pinguia, craſſa, rotunda, Aſari ſimilia, minora, virentiora, ſapore nonnihil ſalſo & amaro, guſtanti fervida & acria, Braſſicæ quodam ſapore ingrato, fervore & amaritudinis conjunctæ ratione. caulis ſpithamam æquat ferè, in quo quæ naſcuntur folia, longiora ſunt, acutioráq; iis, quæ ſtatim à radice ſurgunt. flos albus, ſemen tenue, nigrum. Indigenæ contra Scorbutum utuntur. *Vires.* Ego verò non contra eum ſolùm utilem expertus ſum, ſed & contra hydropem, quemadmodum Doctiſſ. Reineras Rector Scholæ Gruningenſis, & Henricus Herbartus teſtari poſſunt. Non auſim tamen pronunciare, eſſe veram Braſſicam marinam Dioſc. præcipuè cùm magna ejus quantitas parùm; vera autem Braſſica marina vehementer purget: deinde etiam quòd nullum in eo lac aut ſuccum lacteum animadverterim. Idem nunc ſubdit. Recepta paſſim in Italia, Gallia & Germania Braſſica marina, Herbariis dicitur Soldana aut Soldanella. A Matthiolo verò exhibita, quoad radicem ſaltèm, non eadem eſt cum noſtra Soldanella, quæ in Anglia & Belgio naſcitur, neque quæ venalis habetur Francofurti & Antuerpiæ. Quippe, ut reliqua omnia totius plantæ ſimilia ſunt Volubili aut Helxinæ ciſſampelo, niſi quòd folia rotundiora ſunt, non ita acuta: ita radix cum ejuſdem radice convenit. noſtra *Soldanella à Matth. radice differt.* verò Soldanella procul intuenti Malvę ſimilis videtur, tum floribus, tum foliis: propiùs ſi accedas, tam ſimilis eſt Volubili, ut nihil aliud, quàm Volubilem quandam marinam dixeris. flores planè Volubilis vulgaris, campanam referunt, niſi quòd majores ſunt, & ex cæruleo purpuraſcunt. Cúmque reliqua tota planta per ſabulum ſerpat, flores recti ſtant & amœno decore litus pingunt. Semen aliorum Volubilium inſtar, nigricans, rotundum, Viciæ par, aut etiam majus. folia rotunda Ariſtolochiæ rotundæ aut Aſari: ſapore non adeò acri, ac Cochleariæ; pur- *Doſis.* gant pulverizata ad ʒ.ij. ſed non adeò vehementer, ut Dioſc. innuere videtur de Braſſica marina: inquit enim *κοιλίᾳ λυπηρώτατα, ἑφθὴ βρωθεῖσα.* Plinius etiam de Braſſica marina ſcribens ait vehementiſſimè ex

omnibus

omnibus alvum ſolvit: neque tam ſunt calida folia ac Braſſicæ marinæ apud Dioſc. Inquit enim ὅτι ἡ τὸ δριμεῖα, παχὺ δ᾽ ἐστὶ ἡ αὐτῆς ἔνια διὰ τὴν δριμύτητα τὰ μακρὰ τῶν χρειῶν. Cùm igitur Soldanella, nulla habeat folia longa, ſed omnia rotunda, neque tam vehemẽter purgantia, ac ſuam Braſſicam marinam facit Dioſc. neq; ullam habeat qualitatem, ſive in odore, ſive ſapore, cur Braſſica marina debeat vocitari, cũmque tota planta tam ſimilis ſit Helxinæ ciſſampelo & Smilaci ſylveſtri, quarum neutri ea confertur, dubitare poſſet quiſpiam an Soldanella ſit Braſſica marina Dioſcoridis. Quòd ſi tamen Soldanella non ſit Braſſica marina, poteſt nihilominus aquis hydropicorum detrahendis rectè deſervire, quemadmodum alia Helxines ciſſampeli & Volubilis mediterraneæ genera idem præſtant. Dicit Aëtius Smilacem ſylv. quę ad aquas, fruteta & ſepes conſcendit optimam eſſe ad hydropem: idem habet Nicolaus Myrepſus, Aëtium fortè ſequutus. Scribit Dioſ. Helxinen ciſſampelon alvum ſolvere. Meſueus de quinque ſpeciebus Volubilis agens, omnes facit purgatrices. Quare mirum non eſt, Soldanam, cùm Volubilis ſit ſpecies, aliarum Volubilium modo purgare. Matthiolus, ut omnes tollat remoras, quæ prohibere poſſint, ne Soldanella ſit Braſſica marina, inquit corruptum eſſe Dioſc. textum, & μακρὰ pro μικρὰ falsò irrepſiſſe: quod quidem veriſimile videtur. niſi quod Ariſtolochiæ folia aliàs ſint longiora, aliàs breviora & rotundiora, ut in Cochlearia, & generibus quibuſdam Malvę, aliiſque plantis: tunc autem Soldanella non fuerit Braſſica marina. Verùm enimverò apparet aut nullum in textu omninò eſſe errorem, aut antè multa ſæcula corruptum. Nam tum utraque vetus barbara verſio Dioſc. (ordine alphabetico) tum etiam Serapionis legit folia longa. In nullo autem codice gręco, qui hodie extet, aut veteri interprete, invenio φύλλα λεπτά, ſeu folia tenuia, ut habet Ruellius. Quod miror non animaduertiſſe Matthiolum, hominem alioqui oculatiſſimum, ut multis in locis Commentariorum eius apparet. Hactenus Turnerus.

*Dubitat. an ſit Braſſica marina.*

*Volubilis ſpecies.*

*Ruell. lectio notatur.*

*Error Matthæi Silv. de Cachile Serapionis.*

Errat in hac planta, ut prodidit Matthiolus, Matthæus Sylvaticus pandectarum autor, quòd crediderit Arabum Chachile Soldanellam eſſe. Cuius error apertè convincitur ipſius Serapionis teſtimonio: quippe qui Cachile ſuum Vſneæ ſimile fecerit, folióque non Ariſtolochiam, ſed Naſturtium imitari tradiderit.

*Braſſica marina.*

Braſſica marina, Dioſc. Ruell. Corn. Matth. Leon. Trago, Altom. Ang. Cord. in Dioſ. & hiſt. Caſt. Geſ. h. Dod. gall. Lob. Cam. Lac. Monach. in Meſ. Lugd. Sylvio, Valeriolæ, Port. phyt. Alſon. Moreſc. Turn. Cæſ. Io. Agric. Ryffio, Euch. Roeſſ. & Lonic. in quorum figuris capreoli non placent, & aliis pleriſque. Soldanella Lob. Dod. Levin. Lemn. Cam. Gat. Geſ. h. Cord. Leonic. Altom. Ang. Ryffio, Adolph. Occ. Caſt. Lonic. Sylvio, Alfonſ. Moreſc. Monach. in Meſ. Lugd. Valeriolæ, Euchar. Roeſſ. Cæſ. Io. Agric. Tab. & aliis. Soldana Trago, Altom. Dod. Gaun. Brunſelſ. Apollini, Lev. Lemnio, Lonic. Lugd. & Fallop. Volubilis ſpecies, Meſue. B. phyt. Braſſica maritima minor (hæc vox apud Matth. omiſſa) ſeu Soldanella officinarum. Eid. pin. Soldanella 2. Soldanella marina. Ger. Eyſt.

*Lonic. not Soldanella.*

*Braſſ. maritima.*

*Nomina linguar.*

Braſſica marina vocatur Græcis κράμβη θαλασσία, Germ. Meerwinde: Belg. Zee winde, i.e. Convolv. marinus: Gall. *Choux de mer*: Ital. *Cauolo marino*: Hiſpan. *Verça marina*: Ang. See coole.

*Locus & Tempus.*

In hortis plantata feliciſſimè ex ſemine adoleſcit. Soldanella paſſim ad mare provenit, potiſſimùm circa Venetias, Genuam & ſimilibus locis: item ubique ferè in Belgico littore. Ad mare Monſpelij æſtate floret: autumno ſemen perficit.

*Vires ex Dioſc.*

Herba in totum ſtomacho inimica, acris vehementiſſimè, alvum ciet in cibo cocta: coquitur propter acrimoniam cum pingui carne, Dioſcorides. Marina Braſſica ſuprà quàm quòd ventrem dejiciat, utpote ſubſalſa & ſubamara guſtu, fuerit ſanè etiam ad externos corporis uſus, & ad omnia ea, ad quæ tales qualitates accommodantur, idonea, Galenus. Braſſica marina aſſumpta aquas ducit, pręcipuæ pręrogativæ in aſcite. Vtendi modus varius: ſiquidem folia ejus ex ſale, aceto, & ſaccharo acetarij modo ad quinque aut ſex bucellas comeſta mirabiliter aquas per alvum ducunt. Eadem in jure carnium cocta, adjecto dein ſaccharo aut melle, propinantur. Poſſent & ſicca in pulverem redacta ad ʒ.ij. aut iij. ex jure pulli bibi. Rectè autem cinnamomi pulvis & ſimilia corrigentia addentur; alioqui uſu nimio ventriculo nocent. Pulvis in catapotiis ad ʒ.ij. deglutitur. Sunt qui ſcribant multos tertianarios Soldanellâ curatos, Matthiolus. Puerulis ad ʒ.j. & ulteriùs datur in conſerva ſalviæ vel roſmarini, Braſavola. In hydrope pro ſiccatione, & evacuatione aquæ, nullum vidi medicamentum præſtantius, inquit Fallopius, & exhibetur vel in pulvere ʒ. j. pondere; vel in decocto; vel aſparagorum modo, ſi planta recens habeatur, quo modo eſt ſuaviſſima, & ſiccat, aperítque vias, & evacuat aquam. atque experientiâ hujus Braſſicæ ductus ego exhibui etiam aliquando in hydrope aſparagorum modo Volubilem minorem optimo cum ſucceſſu. Sed hæc ſola ſpecies Volubilis in uſu eſt: aliarum verò ſpecierum nullâ utimur ad purgandum. Contrarium ſentit Altom. de aſcitis curatione agens. Quidam, ait, ex tumoribus ſuccum marinæ Braſſicæ cum vino, aut ſapa, ſeu aqua lactis approbant (hodie vulgus Medicorum Soldanam, ſeu Soldanellam appellat) cujus uſum non valdè admitto: namque ventriculo mirificè adverſatur, & ipſe pluries experientia vidi noxam inferre, potiùs quàm auxilium aliquod hydropicis præſtare, imò quoſdam citiùs periiſſe obſervavi.

*Aquas ducit Aſcites.*

*Correctio.*

*Pulvis.*

*Hydropsi.*

*Doſis pueris.*

*Vſus Soldanellæ rejicitur.*

## CONVOLVVLVS MARINVS
Soldanellæ affinis.



*Deſcr.*

CONvolvulus quidã rarus, cujus folia inferiora quidem, quę uncialibus pediculis committuntur falcata Phyllitidis in morẽ ſunt, adverſo ſine rotunda, vel lacunâ in medio exſculptâ corculum imitantia, ſeſcunciam circiter longa, unciam lata, nervis obliquis à medio recto in latus exportectis; ſuperiora verò folia, Hemionitidis alterius peregrinæ Cluſij modo auriculis pulchris geminatis (in quas nervi excurrunt) pinnata; flores ex foliorum alis prodeunt magni ut in Smilace levi ſive Convolvulo majore. Provenit in horto D. Zvvingeri Baſileæ.

*An Hermolao Iecoraria ſive Ficatella.*

An eſt Hermolai in Dioſc. cap. 666. Iecoraria ſive Ficatella Venetiis in littore paſſim naſcens, & olitorio foro ieiuniorum tempore venalis, hederacco ferè

ferè folio; flore purpureo, Lilij puſilli effigie, ſe convolvens, quibus appropinquat; ſolvens alvum cocta & cruda oleris modo accepta.

Convolvulus marinus ad noſtrum mare (inquit Imper.) ſe expandit ſupra terram, ad quinque vel ſex cubitos, folia habens inciſa, craſſa, ſaporis ſalſi, flores campanæ modò albos; ſemina cōtinet in folliculo triangulo, hirſuto, Soldanellæ modo, cui congener, & quia viribus ſimilis illi, ejus eſt uſus quùm è terra prodit: eſt herba lactiſera. Lugd. in ap. hujus iconem ex Rauvvolſfio ponit, ac Braſſicæ marinæ genus inſcribit, quod ab incolis Meudhendi; à Rhaſe ad Almanſorem Corigiolam nominari tradit. Sed nec Meudhendi, nec Corigiolæ nomen alteri ſuæ Braſſicæ marinæ Rauvvolff. attribuit, verùm Scammonio Monſpelienſi.

Fatetur frater C.B. phyt. & apud Matth. (à quo Braſſica marina 1. ſive major inſcribitur) hujus ſibi Convolvuli marini nomine & plantam & ſemen Imperatum Neapoli miſiſſe; folia autem ejus quædam laciniata eſſe, quædam non: omnia tamen parte ſuperiore ſinuata. In pin. Smilacis lævis generibus adſcribit, & Soldanellam 1. maritimam majorem vocat.

## CONVOLVULUS ÆGYPTIACUS QUINQUEfolius, Caſp. Bauhini.

### Cap. XXXVIII.

Viticulis eſt tenuibus, geniculatis, lævibus: ex quolibet geniculo folium, longo tenuiſſimo pedicello donatum, prodit, quod in quinque lacinias anguſtas longiuſculas dividitur, & quandoque inferior una alteráve bipartitur, & cuilibet laciniæ, tenuiſſimus molliſq; aculeus inſidet. Supra folij exortum, pedicellus æquè tenuis, duarum triúm ve unciarum longus & nudus exurgens, florem magnum purpuro cæruleum, aliorum Cōvolvulorum forma, ſuſtinet. Semen non conſpectum, cùm ſolum hujus ramum, Convolvuli Ægyptiaci nomine, à nobiliſſ. Cortuſo Patavio ante viginti annos acceperim, inquit C.Bauhinus, cui in prod. eſt Convolvulus 3. foliis laciniatis, vel quinquefolius: Eid. pin. Convolvulus 7. Ægyptiacus Bauhini, Bry.



## DE LIGNO COLUBRINO in genere.

### Cap. XXXIX.

Plures ſtirpes inveniri plurimùm diſſimiles, cùm formâ tum naſcendi modo, uno tamen eodémque nomine nuncupatas, Lignum Colubrinum, quòd ſingulæ mirum in modum utiles ſint adverſus coluhrorum virulentos ictus & morſus, facilè animadverteris, qui ſequentes earundem deſcriptiones diligenter contulerit. C Bauh. Lignum colubrinum, Clematitidem Indicam vocandam cenſet, quòd pleræque ſarmentitiæ ſint, & per arbores repant. Hoc verò lignum, ſive potiùs radicem, ut Garciæ placet, ſerpentium morſibus prodeſſe, hoc modo deprehenſum eſt. In Zeilan inſula, Serpentis genus eſt coronatum, ceu diademate inſignitum, Luſitani *Cobras de Capel*, (nos Regulum dicere poſſumus) maximè noxium. Eſt item animalis genus magnitudine viverræ huic ſerpenti inimiciſſimum, *Quil*, vel *Quirpele* vocant. Quotieſcunque cum ſerpente congreſſurum eſt hoc animalculum, iſtam radicem (quæ multa iſtic naſcitur) eâ parte præmordet quâ denudata eſt: etenim pars aliqua extra ſolum prominet. Præmorsâ radice, pedibus anterioribus ſalivâ conſperſis, caput primùm, deinde reliquum corpus ſibi demulcet: poſtea ſerpentem aggreditur, nec eum dimittit, donec occiderit. Quòd ſi illo congreſſu ſerpentem vincere non poteſt, denuò ad radicem confugit, ad quam ſe fricat, deinde in prœlium redit, atque ita morſu ſerpentem necat. Hoc ſpectaculo edocti Chingalæ (ij ſunt Zeilan incolæ) iſtam radicem venenis reſiſtere cognoverunt. *Lignum, ſeu potius radix hæc ut innotuerit.*

Tria porrò hujus ligni genera in inſula Zeilan eſſe prodidit Garcias, de quibus in genere ait. Non modò adverſus animalium virus ejaculantium morſus ictúsve efficax eſt hoc lignum, ſive potiùs radix; ſed etiam ejus pulvis lumbricos necare; papulas, exenthemata, & impetigines tollere creditur, & cholericam quam vocant paſſionem (incolæ *Mordexi* dicunt) ſanare. Similiter utile eſſe medicamentum ferunt adverſus febrium circuitus, unciæ pondere propinatum, priùs tamen tritum, & aquâ maceratum, per vomitus expurgatâ multâ bile. *Facultates. Cholera morbus. Mordexi. Febres.*

Nullum autem ex tribus Garciæ Colubrini ligni generibus, cum Acoſtæ ligni Colubrini bina ſtirpe convenit, quas deſcribit, & in provincia Malabar inveniri tradit. Idem mentionem facit & tertij Colubrini ligni generis, vaſtæ arboris magnitudine, de quo in alio libro ſe acturum ſcribit, qui ad noſtras manus nondum pervenit, nec eum oculis noſtris videre licuit. His addit & aliud lignum Cluſius, quòd an illis congener ſit, ignorat. Sed ſingulorum adſcribimus hiſtoriam. *Garciæ genera tria.*

## COLUBRINUM LIGNUM I. Garciæ.

Duorum aut trium palmorum magnitudine aſſurgit, paucis virgulis, quatuor aut quinque duntaxat tenuibus: radix quæ maximè in uſum venit, veluti tenuiorum noſtrarum vitium radices, multis capitibus aut nodis ſe propagans, ita ut ſemper radix aliqua extra ſolum ſe exerat, & radice unâ exemptâ, aliæ in ejus locum ſuccedant. Radix hæc ex candido cinerea eſt, ſolida admodum, amaro guſtu; folia Perſicæ mali, magis tamen virentia; flos longè à foliis racematim cohæret, pulcherrimo colore rubens; fructus Sambuci, ſed rubens & durus, racematim cohærens, veluti in Periclymeno. *Deſcr. Perſicæ folio. Sambuci fructu.*

Primum & laudatiſſimum, ſecundùm mentem autoris, hoc eſt, à quo ſubſidium quærit viverra, vocatúrque incolis *Rametul*, Luſitanis *Pao da Cobra*, i.e. Lignum Colubrinum. Hujus ligni Colubrini Garciæ, fragmentum trium digitorum tranſverſo- *Rametul. Pao da Cobra.*

rum longitudine anno ſalutis 1564. oſtendit Cluſio Salmanticæ Vaſæus, dono olim è Luſitania miſſum.

*Synon.* B.pin. Clematitis Indica 3. foliis Perſicę, fructu Periclymeni. Ligni colubrini 1. genus, Garz. Frag. *Palo del Cebra*, i.e. Lignum ſerpentinum, ſeu colubrinum, Linſcot. par. 4. Ind. or. c. 31. *Pao de Cobra* lignum ſeu radix Luſitanis dicta, omnium venenorum antidotus, in Inſula S. Laurētij Ind. or. par. 4. c. 7.

*Locus.* In Inſula Zeilan, & multis aliis regionibus; & in Goæ Continenti naſci tradunt.

*Vires & uſus. Serpentis ictus. Vulnera.* Teritur primùm hæc radix, & ex vino, aut aqua cordiali propinatur à ſerpente percuſſis: teritur etiā ad cotē ſantali modo, & vulneribus inſpergitur.

## COLVBRINVM LIGNVM II. Garciæ, Cluſio ſcandens.



*Malo punicæ ſimilis arbor.* ARbor eſt (cùm ſoli provenit nullis vicina arboribus) Malo punicæ ſimilis, ſpinis brevibus & firmis horrida, cortice candido, denſo, rimoſo, & amaro, non tamen veluti prioris cortex; foliis eſt luteis, aſpectu pulcherrimis. Hanc autem (ſi juxta aliam quāpiam arborem proveniat) per ſummos ejus ramos ſerpere, atque Cucurbitæ modo amplecti ferunt.

*Deſcr. Cluſ.* De hoc ligno hęc Cluſius. Secundi generis Garciæ deſcripti ligni fragmentum, quinque unciarum longitudinis, quódque ut conjicere licebat, duarum unciarum craſſitudinem æquàrat, mihi non modo oſtendebat Londini anno 1581. C. V.D. Hector Nunez Medicus Luſitanus, ſed etiam dimidià ejus parte liberaliter donabat. Ejus porrò materies firma erat, candida, venis quibuſdam diſtincta, non diſſimilis Fraxini ligno: cortex autem qui eam integebat, candicans & quaſi cinereus, utraque verò deguſtata, amaro ſapore prædita eſſe deprehendebantur. Ejus qualem accipiebamus à Cluſio fragmenti iconem lectoris oculis ſubjicimus.

*Synon.* Garc. Lignum Colubrinum ſecundum. Cluſ. ex. Ligni Colubrini 2. fragmentum. Lugd. Lignum Colubrinum Acoſtæ, qui debebat ſcribere Garciæ. Tab. Lignum Colubrinum. B.pin. Clematitis Indica 2. ſpinoſa foliis luteis: Ligni colubrini alterum genus, Garz. Trag. & Cluſ. qui ligni fruſtum pingit.

*Locus.* Secundum hoc genus in inſula Goa naſci ferunt, ſed nunquam Garciæ videre contigit.

*Vires.* Commendatur adverſus venena veluti primum, eodémque modo uſurpatur. Solent ipſum lignum

*Cortex.* cum cortice & radice permixtum exhibere. Præfertur tamen radix.

## COLVBRINVM LIGNVM III. Garciæ, foliis Lentiſci.

*Deſcr.* RAmos habet paucos, tenues, quatuor aut quinque cubitorum longitudine, qui, niſi alligati, ſuſtentare ſe nequeunt, ſed per ſolum ſeſe diffundunt; folia rara, lentiſcinorum effigie, oblonga, non viridia, ſed maculoſa, ſive nigricantibus ex candido maculis reſperſa. Radix tenuis eſt, dura, nigra, & odorata.

*Synon.* B.pin. Clematitis Indica 1. foliis lentiſcinis, candidis maculis aſperſis: Ligni colubrini 3. genus, Garz. Frag.

*Locus.* Cùm Prorex in Iaſanapatan inſula Zeilan contermina eſſet, dono data eſt illi hæc radix. Similem in Continenti Goæ naſci ferunt.

*Vires.* Hanc mirificè prædicabant, & adverſus venena pollere aiebant,

## COLVBRINVM LIGNVM HEDERaceum foliis Bryoniæ, Acoſtæ I.



NAscitur in Malabar Hederæ modo, colore Dracunculi majoris, ſive Serpentariæ; folia illi ſunt Bryoniæ ferè ſimilia, integra tamen initio, nervóque prædita per longitudinem excurrente, & quinque aut ſex venis in latera vergentibus; ſucceſſu temporis accedunt exigua foramina, quæ paulatim cum foliis incrementum ſumunt: donec tandem omninò folia ſcindat, eáque Vitis foliis ſimilia reddant; conſpiciuntur enim interdum in eadem ſtirpe, folia integra, alia exiguis, nonnulla majoribus foraminibus prædita, omniáque adeò inter ſe diſſimilia, ut ejuſdem plantæ folia, minimè eſſe videantur. Tantam verò habet hoc lignum cum colubro ſimilitudinem, ut (Acoſta tradente) qui non norit aut de die non viderit, ſi ad Lunæ ſplendorem noctu conſpiciat, vivum colubrum eſſe exiſtimet. *Bryoniæ folio. Foliorum luſus.*

*Synon.* Acoſtæ ex verſione Cluſij, Lignum Colubrinum prius. Caſt. Lugd. Lignum Colubrinum 1. Acoſtæ, B.pin. Clematitis Indica 4. Malabarenſis foliis Vitis, colore Dracunculi.

*Vires. Serpentibus adverſatur.* Vulgò præſtantiſſimum cenſetur remedium adverſus colubrorum [*unde ſibi commune cum aliis nomen Colubrini ſervat*] & viperarum morſus: incolæ ſanè dum in agros tendunt, magnà ex parte circumferre ſolent hoc lignum (ſunt enim in ea Provincia multæ viperæ, variáque ſerpentum genera) aiúntq; ſolo ejus odore ſerpentes fugari; & ſi, dum colubros venantur, illos attingere hoc ligno queant, ilicò rumpi & extingui.

## COLVBRINVM LIGNVM DVDA Sali Canarinis, Acoſtæ II.

*Duda S. Deſcr.* LIgni Colubrini alterius (cui nomen apud Canarinos eſt Duda Sali) planta admodum brevis eſt & tenuis, triáque ſolummodò folia habet, mollia, lævia, ſaturatiùs virentia: flos aut fructus non conſpectus, nec quiſquam ſe vidiſſe aſſerit: radix oblonga & tenuis eſt, minimo digito minor, hinc inde nonnūquam extuberans & ſummâ tellure ſerpens, exterior ejus cortex valdè tenuis eſt & cinereus, nullo,



*ir.* nullo, dum guſtatur, manifeſto ſapore præditus, deinde tamen guſtum in ore relinquens ſuavem, & uti Moſchus odoratum; fiſſus eſt undique hic cortex, & ſpontè ſeſe expedit ab alio craſſiore, flavóque corrice ſubtus naſcente, qui odorem Lori ſilveſtris, ſive Triſolij odorati vulgaris refert, & ſaporem Glycyrrhizâ dulciorem; præmanſus odote admodum ſuavi, nec injucundâ mordicatione, momentaneâ tamen, præditus eſſe deprehenditur; *ateries.* ipſa materies lignoſa eſt, candida, dura, & inſipida; folia Napi ſaporem reſerunt; germen producit hæc radix ſupra terram circiter quatuor uncias longum, in caput extuberans.

*ynon.* Lugd. Lignum Colubrinum 2. Acoſtæ. B.pin. Clematitis Indica 5. Malabarenſis altera radice ſerpente; *Palo della Culebra*, Caſt.ap.

*ocus.* Invenitur in Malabar altera ligni Colubrini ſtirps, proveniens in locis humidis & inter arbores, præſertim verò ſecundùm illas, quæ *Angelins* nuncupantur, nec procul à mari.

*ires.* Tritam radicem cum aqua roſacea aut vulgari, vel cum vino (indifferenter enim Canarini ut autor eſt Acoſta utuntur) præſens certúmque aſſerunt re-*erpentes.* medium adverſus omnis generis ſerpentum mor-*ebres.* ſus. Plurimus etiam ejus eſt uſus in febribus conti-*yncope.* nuis, tertianiſque, ſyncope, ventriculi debilitate, & cordis tremore; datúrque adverſus omnis generis venena. Multi mihi ſanctè affirmarunt, dummodo manu hanc radicem tenerent, nullos ſerpentes, vel alia ſimilia virulenta inſecta formidare: & certiſſimum eſſe, ſerpentes & viperas ejus aſpectum minimè ferre poſſe, ſed fugere, celerriméque in aliam partem ſeſe proripere, ſiquis ante ſerpentes projiceret. Perutilis etiam cenſetur iis quibus anhelitus ab ore vitiato aut dentibus corruptis fœtet, modò eam continuò mandant, dentiúmque cavis geſtent.

## COLVBRINVM LIGNVM CLVSII, Pao da Cobra dictum, fortè III. Acoſtæ.

NVllum dictorum Ligni Colubrini generum cum hoc convenire facilè animadvertet qui deſcriptiones diligenter conferet: & haud ſcio, inquit Cluſ. apud Acoſtam, an Garciæ ligno Colubri-*Icon.* no congener ſit lignum illud, cujus iconem ad me mittebat Iacobus Garetus Londinenſis Aromatarius; erat verò hæc icon delineata, ex fragmento ligni cum tubere, ſive ſuperiore radicis parte in nodum coacta, & ſuo etiamnum cortice (cujus ſuperficies ex clavo palleſcebat & rugoſa erat, cortex verò exalbidus erat) tecta, majoríſque quam ipſum lignum amaritudinis, quod craſſi alicujus fruticis non qualis à Garcia & Acoſta noſtro deſcribitur, fuiſſe videbatur.

*Pao da Cobra.* Fragmentum verò illud *Pao da Cobra* nomine inſignitum, repertum fuerat in magna illa navi Præto-





ria, quâ Indiæ Oriẽtalis Prorex vehebatur, occupata à Naucleris Anglis anno 1582. Biennio autem poſt, à Gareto ſimilis ligni fragmentũ accipiebam quincuncialis ferè longitudinis per medium ſecundùm longitudinem ſectum, cujus diameter ſeſcũcialis coloris pallidi, ipſum quidem lignum amarum, ſed cortex paullò amarior, cujus ſupetficies quodammodo flaveſcẽs; ipſe verò ex candido cineracei coloris.

B. pin. eandem ſuſpicatur cum Clematitide ſua *Synon.* Indica 6. quæ eſt Colubrinum lignum 3. Acoſtæ.

## RADIX MALACÆ QVÆDAM, toxicis ſagittis reſiſtens.

RAdicem quandam in Malaca inveniri rumorem ſparſit Garzias, quæ adverſus vulnera ſagittis toxico illitis facta præſentaneum exhibeat remedium.

B. pin. Clematitis Indica 7. Cur autem non oſtendit ob quam cauſam Radicem hanc Malacæ ad Clematitidem referat. Indicare debebat, ſi Clematitis ſit appellanda, qua in parte aliquam cum ea habeat cognationem.

## ARBOR ANGELINA. Cap. XL.

QVæ arbor ſit Angelina, cujus Acoſta ſub Colubrino ligno meminit, edoceri non potui, inquit Cluſius, licèt diligenter ab Hiſpanis & Luſitanis ſciſcitatus ſim, atque ipſorum plerique exiſtiment, peculiarem Malabar regionis arborem eſſe, nobis incognitam: quam mirum eſt Acoſtam non deſcribere.

An C.B.pin. Lignum duriſſimum, ferri duritiem æmulans 3. Angelina arbor apud Cachinum, ex cujus continuo trunco naves Tonas vocatas extruunt tam grandes, ut unâ 20. vel 30. dolia aquatica vehi poſſint, cujus lignum adeò durum ut ferrum atterat, Linſcot.part.4. Ind.or.cap.14. & par.7.c.27. An arbor cujus pars imâ craſſitie 24. orgyarum in Guineæ inſula Formoſa: par.6.Ind.or.c.4.

## HALICACABVM PEREGRINVM multis, ſive Cor Indum. Cap. XLI.

NON niſi adminiculo clavicularum quibus perticæ advolvitur, humo ſurgit, caulibus ſtriatis, *Deſcr.* glabris; foliis læto virore nitentibus, Apij alicujus ferè diviſurâ, guſtu viſcida, in iis pili quidam minuti, è quorum alis pediculi exeunt floribus donati albis, quos turgidæ excipiunt veſicæ grana continentes, Piſo parvo ſimilia, nigricantia partim, partim albida, in quibus cordis effigies pulchrè delineata; radix ſubeſt digitali craſſitudine, multò minore, fibroſa, lignoſa, duruſcula.

*Deſc Cord. vat Dorycnium & Granum cordis.*



Cord.hiſt. ſic deſcribit; Dorycnium ex brevi caulis trũco plures ſingulares & ſtriatas emittit junceæ gracilitatis viticulas, duorum plerumque cubitorum altitudine, tenuia affixa virgulta aſcendentes. E quibus per intervalla ſtriati pediculi tria folia Apio ſimilia ferentes prodeunt, & quodlibet eorum in tres partes per ambitum profundiùs inciſas dividitur. hæc quò ſummitati propinquiora fuerint, eò minora etiam ſunt [*guſtu viſcida, in foliis ſunt quidam pili minuti*] ex foliorum alis ſinguli exeunt pediculi, longitudine digitali, gracilitate ſuâ mediocri filo æquales, in extremitate duobus brevibus, & retroflexis capreolis contrario annexu ſibiipſis oppoſitis, virgultorum alas ac furculas apprehendentes, quò meliùs viticulæ eæ aſcendere & imbecillitati ſuæ conſulere poſſint. In fine pediculorum ante capreolos fert flores candidos, parvos, exiguis intus luteo colore ſtaminibus, quorum magna pars caduca apud nos; qui verò abortivi non ceciderint, ſed remanſerint, è medio triquetros denſos & aëre inflatos emittunt folliculos, magnitudine Halicacabi veſicis æquales, tenui admodum membranâ conſtantes principio, viride mox in ruffo palleſcente, intus tribus membranulis à medio ad angulorum intervalla uſque tranſeuntibus in tres camerulas interſeptos. Qui interdum non tribus tantùm ſed quatuor conſtant angulis, verùm hæc non eſt propria eorum, ſed monſtroſa forma ex ſuperabundanti in ea parte nutrimentali humore cauſam & originem habens ſingulis camerulis, ubi in medio folliculo conjunguntur, ſingula ſemina innaſcuntur magnitudine parvi Piſi, figurâ rotundâ, colore nigra, ab una parte, nempe in annexu candidam & ſatis magnam maculam habentia, figurâ quâdam tenus Azari folium, vel latiuſculum Cor imitantem, unde

*Grana cordis.*

etiam ipſa ſemina grana Cordis appellantur, ea foris dura ſunt, intùs verò candidum & inflexo ſepto diſtinctum nucleum complectuntur; ſapore dulcem radicem habet, digitali craſſitudine, multis fibratam cirris, [*lignoſis & duriuſculis*] Æſtiva eſt herba.

Hæc Cordi deſcriptio mihi placet, cui appoſita figura Tragi, & aſcriptum à Geſnero, ſe nec Dorycnium putare, neque Solanis cognatum, etſi aliqui Halicacabum peregrinum nominent. Cordus autem in Dioſc. prodidit nullum ex veteribus, tum Græcis, tum Latinis Dorycnij herbam deſcripſiſſe, præter Dioſcoridem, qui hiſtoriam ejus ex Crateva

*Plinij & aliorum error.*

deſumpſerit: Plinium & alios quoſdam credidiſſe, Dorycnium idem eſſe cum Solano furioſo, quod falſum eſſe Nicander, Dioſcorides & plures alij teſtentur. Revera autem eſſe hanc herbam Dorycnium opinatur Cordus. Seritur, inquit, à Venetis Monachis, & à paucis in Germania Medicis herba, quam Grana cordis & Halicacabum alterum vocant, ab Halicacabi fructûs ſimilitudine. Habet hæc omnes notas & vires, quas Nicander & Dioſcorides Dorycnio tribuunt [*Reprehendit hanc opinionem Matthiolus, Geſn.*] ſola tamen folia non conveniunt, quæ Dioſcorides Oleæ foliis ſimilia eſſe dixit. Sed hoc me nihil movet: Deſumpta ex Crateva eſt hiſtoria, potuitque corrumpi locus iſte, ubi de foliis agitur. Reſpondent candidi flores, folliculi, unde etiam Halicacabus à veteribus & noſtris appellatur. Conveniunt etiam ad amuſſim in folliculis contenta, rotunda, dura, levia & colore varia ſemina. Convenit etiam eorum numerus, & commanducata lacteum habent colorem & ſaporem, quas notas Dorycnio Nicander tribuit. Quinetiam ſomnifica ſunt ejus ſemina, nec ſine periculo vitæ intra corpus ſumuntur. Quapropter cùm omnes aliæ notæ conveniant, veriſimile eſt in foliorum comparatione mendum eſſe. Sevimus hanc herbam, vidimus & guſtavimus. Propterea non ex aliorum relatione iſta de Dorycnio ſcripſimus. Grana ejus comeſta ſuaviorem ſomnum quàm Opium afferunt: Sed cavendus eſt magnus illorum numerus. Hæc ille de Grano cordis, quod ſi vires poſſidet, quales illi tribuit Cordus, non poterit eſſe Dorycnium Dioſcoridis & Nicandri, qui omninò diverſas illi adſcripſerunt facultates.

*Doryconium Dioſc.*

*Veſicaria nigra.*

Trag.Dod.gall.Euch.Roeſslin, Veſicaria nigra ſive peregrina. Fuchſ.Ger.& Hort.Luſ.Halicacabum peregrinum. Matth. Veſicariæ genus aliud. Dod. purg.& hiſt.Geſ.h.Cam.h.Tab.(cui & Cardiſpermũ. Nomen autem germanicum, Der Balſam öpffel ein ander Geſchlecht / non convenit) Euch.Roeſslin. Lugd. (qui & Fuchſij & Matthioli figuram exhibet) & Lon. Halicacabus peregrinus. Geſn.coll.Caput Monachi, Halicacabus Fuchſij (ſupplet de hor.) peregrinus, quem Fuchſium & alios Solanum Veſicarium peregrinum vocare ſcribit, cùm tamen toto genere à Solano Halicacabo differat, nec è Solanorum genere ſit. Non probat etiam (ut & Matth. Colum. & Dod. qui cum Grano, à Serapione Abrong, & Abrugi dicto, convenire dicit.) Dorycnium à Cordo dici.

*Halicac. peregrinus.*

*Solanum Halicacabum non eſt.*

*Piſum cordatum, Lob.*

Lob.adv.dubitat, Piſum cordatum ſitne potiùs Iſopyrum, quàm Melanthij quędam ſpecies, aut Trifolium paluſtre? Mavult tamen amplecti amici cujuſdam ſententiam quæ Iſopyrum ſtatuit, plantam vulgò Cor Indicum vocatam, officinis Halicacabum peregrinum. Idem alio loco etiam oſtendit ſibi non placere eorum opinionem, qui Veſicariam cordis effigie, Dorycnium hariolantur. Eid.obſ.& ic. plant. Piſum cordatum, ut & Schvv.

*Cor Indicum.*

Lobelio ſe opponit Columna dicens, neque Veſicaria Indica, Piſum cordatum, vel cor Indicum dicta, à Penæ amici cujuſdam ſententiâ Iſopyrum putata, Iſopyrum eſt. Nec, ut idem Pena ſcripſit, phaſioli πέταλον, quod nonnulli etiam folium interpretantur, habet, quod ipſe ignorans, Dodonæo objicit, ut intellexiſſe videatur.

*Iſopyrum non eſt.*

*Veſicaria repens.*

Cam.ep.& hiſt. Veſicaria, ſive Halicacabum repens. Caſt.Veſicaria altera. Solanum peregrinum, Lac. Faba inverſa recentiorum, Cęſ. B.apud Matth. Solanum 3. ſive Veſicaria repens. Eid.pin.Piſum 10. Veſicarium fructu nigro, albâ maculâ notato.

*Faba inverſa.*

*Nomina linguar.*

Halicacabum peregrinum multis ſive Cor Indum, Ger.Münchß kopfflin/h.e. Calvariam Monachi; Schwartz oder Welſch Schlutten / nigram ſeu peregrinam Veſicariam appellare placuit Trago: Cam.autem in ep.& hiſt.Hertzſamen/& Hertzkörner nominat. Belg. dicitur Dod.gall. Vremde Criecken/& Swerte Criecken vom over Zee; Gall.*Halicacabon eſtrange*, Fuchſius tamen *Baguenaudes ſauvages* appellat: Ital. Cam.in ep. & hiſt. *Vilucchio foreſtiero.* Angl.Black winter Cherin.

*Locus & Tempus.*

Halicacabum peregrinum ſæpiùs mihi provenit, ſed ſemen non maturavit. Lugduni, Genevæ & Baſileæ cultam in hortis & flores proferentem obſervavi menſe Iunio, Iulio, Auguſto & Septembri.

Credi-

Creditur valère ſemen ad omnes cordis affectus, ob notam, quâ inſignitur. Matthioli ætate ſcenas, attegias, tuguria, & pergulas inumbrabat: quin etiam ædium feneſtras topiario opere contegebat & opacabat.

## CACVBALVM QVIBVSDAM vel Alſine baccifera.
### Cap. XLII.



HAud abſimilis hujus radix ab Hippiæ majoris, uti nec folia: at ſarmenta longiſſima, duriora, reptantia, nervum tranſmittunt à quo cortex hirſutus facilè ſtrictu cedit, crebris geniculis tuberoſis donata. verùm florum hîc prima eſt obſervatio, qui è turgidis Halicacabi utriculis vix tantillum foliorum, quę numero quinque herbido pallore albeſcunt, apices bifidos proferunt, penitùs latentibus ſtaminibus ſimul & baccæ rudimento, quæ per maturitatem nigra, grana continens nigra, nitentia, rotunda, compreſſa.

Hanc ita deſcribit Cluſius: Sarmentis veriùs quàm caulibus, iiſque numeroſis, prædita eſt hæc planta, geniculatis, flexibilibus, humanam altitudinem plerumque ſuperantibus, præſertim ſi frutices, quos ſcandere poſſit, vicinos habeat, alioqui propter infirmitatem, humi diffuſis: bina ſingulis geniculis & internodiis adnaſcuntur folia ex adverſo ſita, Alſines vulgaris foliis figurâ & colore ſimilia, longè tamen majora, & ad Helxines foliorum amplitudinem accedentia, mollia: flores ex calicibus, ſeu folliculis prodeuntes ex herbaceo candidi ſex foliis conſtant, quibus ſuccedunt acini Piperis nigri, aut granorum Iuniperi vulgaris magnitudine, folliculo illo incluſi, initio virides, per maturitatem nigri, ſemine exiguo & plano pleni: radix candida, valdè fibroſa, longa & ſarmentitia: quæ ſingulis annis novos caules promit, aliis per hiemem marcidis & corruptis.

Licèt ſapor inſipidus & herbaceus fecerit, ut eam ad Alſines genera retulerit Cluſius. Liberum tamen omnibus reliquit, ad quam voluerit claſſem referre. Sunt, inquit, quibus Alſine repens, κυκλάμινος ἑτέρα (quam nonnulli [*Lucas Ghynus authore Dodon. & Lobelio*] κισσάνθεμον ἢ κισσόφυλλον vocant) dicatur, quoniam multis cum Dioſcoridis deſcriptione notis conveniat. Sed ob notas aliquas, quas cum Cyclamino altera habet, ſic denominanda non erat. Non in multis, ut idem eſſet, ſed in omnibus convenire oportebat.

Recentiorum planta, Alſines majoris facie, baccis Solani, an Cacubalum (ait Lob.) Plinij? Intellexerat enim Valerandum Dourez aſcripſiſſe hæc nomina. Cacubalum Plinij, Vera Polemonia Dioſcoridis Conſtantini.

Geſnerus autem negavit eſſe Cacubalum, aut Polemoniam. Lugdunenſis contra Cacubalum Plinij eſſe affirmare videtur, ita enim eam inſcribit, ac dicit eſſe aliorum Ocimoides repens: nec deeſſe, qui Clymenum herbam eſſe putent à Plinio l.25. c.7. deſcriptam. Alſine baccifera (ita enim vocari poteſt magis particulariter) dicitur Alſine repens à Cluſ.hiſp. & hiſt.ap.alt. Lob.obſ. & ic. Dod.Caſt. & Cam.h. A Thalio Alſine maxima fructu nigro. A Tab. Clematis urens 2. Reinnen oder Waldräben / non lævi errore, quem ſequitur Gerardus, qui Clematim urentem multifloram, Double Flowred Virgins Bower. Eſt B.phyt. Alſine 9. In pin. Alſine 6. ſive ſcandens baccifera: Cyclaminus altera Dioſc.Chini. *Alſine baccifera. Alſine repens. Clematis urens.*

In hortis in quibus alui quotannis ſuos renovat caules ex radice perenni; floret & baccas fert è ſemine collecto in Galliæ Campania. Copioſa invenitur Salmanticenſi agro, umbroſis locis & circa ſepes: noſtris etiam nunc in hortis frequens & pergulas ſcandens: aliquot verò poſt annis abundè obſervabam, inquit Cluſius pone arcem Eberſtorf, loco paludoſo inter arundines. Floret totâ Æſtate. Secus, authore Dodonæo, margines agrorum inter vepres & ſentes crebrò repetitur apud Italos, Germanos, Gallos ac etiam Belgas, ubi lætum fœcundúmque ſolum. Iulio menſe hujus flores; fructus plumis ſuis incaneſcentes Autumno dependent. *Locus & Tempus.*

Dodon. refrigerans hæc eſſe videtur & Alſinæ facultate ac potentiâ proxima. Vim refrigerandi adſtringendique obtinere, oculorum inflammationibus cum potenta illini, ſuccum aurium doloribus infundi, & omnia, quæ Helxine, emendare prodidit Cluſius. *Vires. Oculi. Aures.*

## NASTVRTIVM INDICVM FOlio peltato ſcandens.
### Cap. XLIII.

PEregrinæ elegantiæ eſt ex Indiis delatum Naſturtium, cui cum noſtri orbis Naſturtio, præter ſaporem odorémq;, nihil eſt commune: *Deſcr.*



folia peltata, circinatæ ferè rotunditatis, ſæpè latiora quã longiora, nonnunquam & Hederæ modo anguloſa, supernè glabra, infernè brevi lanugine hirſuta, medio ferè ut in Cotyledone, unde radij in ambitum porriguntur, pediculum excipiũt palmarem & ſeſquipalmarem ſubrubentem, tortilem & capreolorum ritu bacillo depacto ſeſe circũvolventẽ: quo etiam complexu nituntur cum ramis caules: cæterùm ex foliorum alis undatim tortiles pediculi rubentéſque exorti florum ſuſtinent delicias artificij arguti plenas: poſticâ parte productum corriculum ſextantem circiter longum ex flavo puniceum, in quinque lacinias digitatas, concolores, ſtriatas, qua reliquo flori committitur, faceſſens, quatum ternæ duo ſuprema florum folia ſurſum explicata à tergo ſuffulciunt, colore luteo prędita, miniatis lineolis ad baſin ſtriata, per ſupremã orã ſubrotundã mucrone breviuſculo donata: id quod in reliquis tribus eſt videre, minoribus licèt & rotundioribus ac veluti cordatis radiatim digeſtis, quorũ tamẽ baſis nõ virgata, *Foliorum ejus.*

ſed rhomboeide maculâ miniatâ inſignis, utrinque barbitio comans: Semen tricoccon accedens ad Heliotropium tricoccum, rugoſum, mediocris magnitudinis.

*Naſturtium Indicum folio anguloſo.* Naſturtium Indicum quoddam foliis anguloſis depingitur à Dodonæo, Lob. Obſ. & ic. ac etiam Lugdunenſi, quod quia verum non eſt, nos hoc præſenti hoc titulo omittimus, ac genuinam plantam duntaxat exhibemus, quam Nervij ſemine ſatam in penſilibus hortis alebat Iac. Plateau: Huic (inquit Lob.) folia peltata; ſemina Betæ quadantenus, qualia nobis oſtendit prædictus; Cuculo Indiano ferè paria aſſerebat D. de Brancion, in ſiliqua admodum eleganti, qualem habeo à naucleris reducibus ex Peruanis Indijs. *Iconi Dodonæi & Lobelij appicta ſiliqua non eſt Naſturtij Indici.* Siliqua autem, quam Dod. & Lob. obſ. & ic. Naſturtio ſuo Indico appoſuerunt, alterius eſt plantæ, de qua paulò poſt, nec ſemina continentur in ſiliqua: ſunt enim qualia deſcripſimus. Figura adhæc eorundem caret flore, ac propterea non undique placet. Meliorem Lugd. pingit, ſub titulo Naſturtij peregrini Myconij, Peruani etiam à Peru, unde advectum eſt, dicti. *Flos ſanguineus, Monardi.* Alibi pingitur pro Flore ſanguineo Monardis, ſemine ex Peru delato.

Convolvuli ſpeciem facit Dodonæus, in quorum claſſem etiam admitti poſſe putat. Naſturtij autem Indici nomē ipſi datum eſt ex eo, quòd ſapore Naſturtium referat. Et hinc dicitur Cam. h. Naſturtium Indicum Dodonæi: Item in Icon. annexis N. 31. Naſturtium Indicum: Et N. 32. Flores & ſemina Naſturtij Indici. *Naſturtium Ind.* Caſt. & Eyſt. Naſturtium Indicum; 1. ſive majus, B. pin. Monardi ex verſione Cluſij Flos ſanguineus, ubi Cluſio videtur Convolvuli genus, *Convolvulus.* fructu χρυσαλίδ☉ formam referens, ex Hiſpanijs *Maſtuerço de las Indias*, h. e. Naſturtij Indici nomine miſſi. *Cluſ. not.* Sed nobis fructus χειραλίδ☉ formam referens alius eſt. Imò ipſe apud Monardem in exot. ſuis fatetur Naſturtium hoc Indicum non ferre fructum, Chryſalidi ſimilem, ſed tribus ſeminibus ſimul iunctis conſtantem. *Planta Cluſio nata deſcriptio.* Mihi, inquit, & multis alijs ſemine nata eſt frequentibus ſarmentis perticas ſcandens, folijs Aſari modo orbiculatis, nunc minoribus, modò amplioribus, præſertim ſi fertile ſolum nacta ſit: flore admodum eleganti, aureo, Perſicariæ ſiliquoſæ (quam vulgus Noli me tangere appellat) florem nonnihil æmulante, ſed ampliore, quinque folijs conſtante, quorum terna inferiora, quâ umbilico adhærent, tenuia admodum & anguſta, atque ubi in latitudinem ſeſe expandere incipiunt, multis barbulis hirſuta, ſingula verò circa ungues punicante maculâ infecta, & calcari quinque radijs prædito, in longum protenſo, qui rariſſimè apud nos ad frugem pervenit. *Cultura.* Surculi terræ commiſſi ſatis feliciter proveniunt, & in Autumni finem egregiè virēt: ſubſequens tamen hiems plerumque corrumpere ſolet. *Locus.* Ceterùm neque in Germania, neque in Belgio nata fert fructum Chryſalidi ſimilem, ſed tribus ſeminibus ſimul iunctis conſtantem.

Coronidis loco addamus, quæ pulchrè ſcripſit Arnold. Gillenius de Naſturtio Indico: Rectène is fecit, inquit, qui plantæ huic Naſturtij nomen indidit quòd huius ſapiat acritatem? An is qui à cinnabariceis venulis, quibus aſperſi flores, Florem cruentum appellavit? Cur non liceat ad Violas referre, quarum gratiſſimum flores ſpirant odorem? *Flos regius.* Cur non ad Regios flores, quorum faciem huius flores egregiè exprimūt: Cur non ad Aſarum, cuius folio eſt: Cur non ad Convolvulos? amplexicaulis enim eſt. Eſto Naſturtium ob ſaporem quem verè exprim t , à quo maxime dependet efficacitas; Indicum à l co natali.

*Locus & Tempus.* In hortis nō ſolùm ex ſurculis, ſed etiā ex ſemine deciduo facilè ꝓvenit, florēs Iunio, Iulio & Auguſto.

*Vires & uſus.* Vires Naſturtio ſimiles eſſe guſtus demonſtrat. Quare in acetarijs & medicamentis, idem qui Naſturtij uſus. Inſigniter calidus Flos ſanguineus à Monarde dicitur.

## NASTVRTIVM INDICVM folio anguloſo.



Iconē huius Dodonæo tantùm videre contigit, Naſturtij Indici nomine miſſam, ſed coloribus ſuis expreſſam, plantæ Europæ peregrinæ, quam America, vocata Occidentalis India gignit, ſpeciem exhibentem Convolvuli; folia lata anguloſa & pulchrè depinguntur virentia; flos luteus retrò propendens habet corniculum inſtar floris Regij quam Delphynium appellant.

Lob. obſ. & ic. ac Lugd. Naſturtium Indicum ex Dodonæo.

*Icon.* Siliqua huic Naſturtio appicta, putatur à Dod. Lob. & Cluſio ſiliqua Naſturtij Indici peruviana, de qua mox dicendum.

## NASTVRTII INDICI PVTATA ſiliqua Peruviana.

*Icon.* Siliquam (hujus icon in præcedenti tabella exhibetur) admodum elegantem habet Lob. à naucleris reducibus ex Peruvianis Indijs, teretem, rotundam, unciali & duos digitos longam, coriaceam, ſtrijs & rugis exaratam, luteolam, ſummo & imo ventrioſam, tantillùm falcatam.

Diximus nos ante titulo de Naſturtio Indico folio peltato, hanc ſiliquam non eſſe Naſturtij ut Lobel. loco citato annotavit, qui juxta radicem Naſturtij Indici iconem huius ſiliquæ Peruvianæ poſuit, quam etiam videre eſt in Icon. & apud Dod. hiſt. Nos hanc ſiliquam etiam habemus, non occurrit unde acceperimus. Et hæc eſt illa, de qua loquitur Cluſ. apud Monard. de Flore ſanguineo cùm ait: videtur Convolvuli genus, cuius fructus Chryſalidos ſpeciem refert.

An B. pin. Naſturtium Indicum 2. Peruanum Monardis, folio rotundo, Lenticulæ paullò maiori.

## CYCLAMINVS ALTERA veteribus.

### Cap. XLIV.

*Cyclaminus altera Dioſc.* Cyclaminum alteram veterum Medicos ignorare eruditorum pace cum Ruellio dixerimus. Quin caput Cyclamini alterius in ipſius Dioſcoridis quibuſdam exemplaribus deſideratur. In quibus autem habetur, ſequentia leguntur. *Ciſſanthemos. Ciſſophyllos.* Cyclaminus altera, quam nonnulli Ciſſanthemon aut Ciſſophyllon vocant, folia fert Hederæ, ſed minora; caules craſſos, geniculatos, quíque circa vicinas arbores capreolorum

capreolorum modo ſeſe volvunt. Flores viſuntur candidi, odorati. Fructus verò *Addit Lacuna ex vet. cod.* λευκὸς, γλυκύς] uvæ acinorum inſtar, corymbis Hederæ ſimilis, mollis, ac ſapore aliquantulum acris, atque lentus: radix ſupervacua. Naſcitur locis aſperis. Hujus fructus drachmæ unius pondere potus [*Goupylus eſſe ſcribit in veteri veſtigia diverſæ cujuſdam ſcripturæ, ſed vulgatam, quippe quæ optimum habeat ſenſum, veram eſſe exiſtimat*] cum vini albi cyathis duobus ad quadraginta dies, lienem liquat, ac per urinas & alvũ abſumit. Bibitur & ad orthopnœam: ac potus [ποθεῖσα, *pota*] quoque reliquias à partu purgat. Quoniam autem alterius Cyclamini radicem ſupervacuam eſſe ſcripſit Galenus, iſta [καθαίρει ποθεῖσα, *purgat ebibita*] vel ad reliquam plantam, vel potiùs ad ipſius fructum, vel acinos (quod faciliùs Sarrac. crediderit) referenda ſunt. Quare pro ποθεῖσα, ποθεὶς [*epotus*] legendum putat, nimirum καρπὸς, cujus ſit mentio. Verba autem Galeni de altera Cyclamino hæc ſunt. Porrò altera Cyclaminus radicem quidem ſupervacaneam habet, ſed fructum admodum efficacem: nam hic cum vino pluribus diebus potus lienes ſanat, urinam movens, ac ventrem ſubducens: locos quoque ejicit, & aſthmaticis prodeſt. Qualitas ejus guſtanti acris eſt & ſublenta.

Hanc etiam Cyclaminum deſcribit Plinius l. 25. c. 9. Dioſcoridem ferè exprimens his verbis: Eſt & altera Cyclaminos cognomine ciſſanthemos, geniculatis caulibus, ſupervacuis, à priore diſtans, circa arbores ſe volvens, acinis Hederæ, ſed mollibus; flore candido, ſpecioſo; radice ſupervacuâ. Acini tantùm in uſu, guſtu acri, ſed lenti. Siccantur in umbra, tuſique dividuntur in paſtillos.

Cyclaminus uterque, autore Meſue, eſt medicatorius, calidus ſiccus initio tertij ordinis.

Pro Cyclamino altera variæ exhibentur plantæ. Cordus enim Glycypicron ſeu Dulcamaram, quod Lobelio non placet, pro Cyclamino altera exhibet.

Sigillum B. Mariæ quidam exiſtimant Cyclaminum alteram, quorum opinionem falſam eſſe, facilè intelliget, qui harum deſcriptiones contulerit. Nos Sigillum B. Mariæ, Vitim nigram quibuſdam ſive Tamum inſcribimus.

Bryonia nigra eſt nonnullis Cyclaminus altera, quam ſententiam non approbat Lobelius.

Placet Cæſalpino Vincibóſcum [*Periclymenum à nobis inſcriptum*] convenire cum altero Cyclamino Dioſcoridis, vel ob fructus mollitiem, quod nobis non probatur.

Periclymenon alterum, autore Lobelio quibuſdam dicitur Cyclaminus altera, verùm ea opinio ei non placet.

Alſine repens Lucæ Ghino eſt Cyclaminus altera Dioſcoridis. Nos de Alſine repente ſub Cacubalo quorundam hoc libro (ubi eam opinionem rejicimus) agimus, ut & de jam dictis.

Dubitat Lob. in obſ. & ic. de planta quadam Hederaceis foliis, an ſit Cyclaminos altera, de qua jam dicendum.

## CYCLAMINUS FORTE ALtera, Hederaceis foliis planta.

SI quid conjecturæ captari poteſt, cujuſmodi ſtirps fuerit Cyclaminos altera: cognata Hederæ & Cyclamini planta accipienda videtur: Hanc multæ adumbrare videntur, nulla autem explere aſſeri poteſt. In Italiæ collibus, quo loci & quâ radice jam non occurrit, repertæ plantæ inque ſportulas conjectæ ſedulis veſtigatoribus iconem & deſcriptionem exhibeo, inquit Lobelius in obſ. Herba eſt Hederæ foliis ſinuatis paribus; in mollibus flexilibus, cubito prolixioribus, ni labat memoria, cauliculis flores oblongi, galericulati, ex purpura pallentes.



Lob. obſ. & ic. An Cyclaminos altera, hederaceis foliis planta?

Lug. Cyclaminos altera hederaceis foliis. B. pin. Hedera 5. ſive hederaceis foliis planta.

## QUAMOCLIT. Cap. XLV.



PLanta eſt anadendras, foliis prodiens oblongis & latiuſculis initio binis ſibi invicem connatis, quæ diu durant, etiam ſeſe perticæ involvente jam ipsâ plantâ: reliqua folia Myriophyllo alteri apud Matthiolum ſimilia ſunt ac tenuia admodum, ut Convolvulus tenuifolius non ineptè vocari poſſit; cauliculi rubent, ſed magis vergunt ad nigredinem; flores elegantiſſimo rubore placent in quinque angulos collectis oris, Peti florum ſimilitudine; ſemen in capſulis oblongis fert itidem oblongum & fuſcum, quod aquâ maceratum plerumque rumpitur, ut Campanæ Lazuræ grana. Sapor ipſius herbæ eſt ſubdulcis & modicè nitroſus; capſulæ verò nonnihil piper vel braſma Piperis guſtatu referunt, ut & ſemen, quod parùm abeſt, quin haud minore caliditate fauces nonnunquam afficiat.

Inferiore parte adjectos vides folliculos duos effractos; ſuperiore verò florum calyculos duos; ſemotas laminulas tres, & exempta ſemina trina.

Quamoclit plantam novam ex India allatam, & à Cæſalpino ſub nomine Iaſmini, folio Millefolij deſcriptam (cujus ſemen ipſi communicatum fuit à Ioſepho de Caſa bona) repræſentare ſtuduit Cam. inter figuras in fine horti ſub 40. numero, quamvis ipſi Norimbergæ exilior creverit, quàm in calidioribus regionibus. Sed hujus naturalem formam refert Pona, Iaſminúmque Indicum alterum rubrum Myriophylli folio inſcribit. Huic autem anno 1604. vireſcebat ex ſemine à Ferdinando Imperato acceptο, fructúmque ad maturitatem producebat.

B. pin. Iaſminum 6. millefolij folio: Gelſeminum alterum rubrum, Cæſ. Gelſeminum Indianum pennatum flore ſanguineo, Ponæ It. Convolvulus pennatus exoticus, Col. Quamoclit, Cam. ſive Iaſminum americanum, Cluſ. cur. poſt.

## PIPER IN GENERE.
### Cap. XLVI.

*Dioſc. de Pipere.* PHiloſtratus Vitici Piperis arborem aſſimilat, tum aliis partibus, tum fructuum racemis. Sed Dioſcorides arborem piperiferam neque delineat, neque cuiquam alteri comparat, ita ſcribens; Piper brevis arbor [πέπερι δένδρον] eſſe traditur, naſcens in India, quæ inter initia prælongum fructum veluti *Longum.* ſiliquam promit, quod eſt longum piper, habens intus [λεπτὸν *addit Lacun. ex vet. cod.*] aliquid tenui Milio ſimile, quod tandem in perfectum piper evadit. Id autem ſtatis temporibus dehiſcens, racemos emittit *Candidum.* grana ferentes, qualia videmus. Ea acerba candidum piper faciunt. Piperis radix Coſto ſimilis eſt.

*Delectus.* Eligendum eſt graviſſimum, plenum, nigrum, non valdè rugoſum, recens, non furfuroſum. Invenitur etiam in genere nigri, nutrimento deſtitutum, inane, leve, quod vocatur Braſma, de quo ceu & de Pipere nigro & albo poſtea plura.

*Theophr. genera.* Theophraſtus, qui πέπερι tantùm fructum eſſe dixit, ejus duo genera facit. 1. Vnum rotundum [στρογγύλον] ut Orobus, cute, carnéque conſtans, ſicuti Lauri 2. baccæ, ſubrubrum [ὑπέρυθρον] Alterum verò oblongum, [προμήκες] nigrum [*Lugd. contra rotundum nigrum, oblongum ſubrubrum dicendum videtur*] ſemina parva papaveris [μηκώνια] continens: longè hoc validius altero. Ambo calefacientia, ideò conferunt hæc contra cicutam.

*Iunipero ſimilis arbor.* Plinius qui Iunipero arborem comparavit ita ſcriptum reliquit: paſſim verò quæ piper gignunt arbores, Iuniperis noſtris ſimiles, quanquam in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita gigni tantùm eas aliqui tradidêre. Semine à Iunipero diſtant parvulis ſiliquis, quales in Faſcolis videmus. Hæ priuſquam *Piper longum. 1.* dehiſcunt decerptæ toſtæque ſole, faciunt quod *Candidũ 2.* vocatur piper longum, paulatim verò dehiſcentes *Nigrum 3* per maturitatem oſtendunt candidum piper: quod deinde toſtum ſolibus, colore rugiſque mutatur. Verùm & iis ſua injuria eſt, atque cœli intemperie carbunculantur, fiuntque ſemina caſſa & inania, *Brachmaſis* quod vocant Brachmaſin, ſic Ludorum linguâ ſignificante abortum. Hoc ex omni genere aſperrimum eſt, leviſſimúmque & pallidum. Gratius ni- *Radix non eſt Zingiberi.* grum, leniúſque utroque candidum. Non eſt huius arboris radix, ut aliqui exiſtimauêre, quod vocant Zingiberi, alij verò Zimpiberi, quanquam ſapore ſi- *Adulterium.* mile. Piper longum facillimè adulteratur, Alexandrino Sinapi. Emitur in libras x.xv. Album x.vii. Nigrum x.iiij. Vſum eius adeò placuiſſe mirum eſt. In aliis quippe ſuavitas cepit, in aliis ſpecies invitavit: huic nec pomi, nec baccæ commendatio eſt aliqua, ſolâ placuere amaritudine, & hanc in Indos peti. Quis illa primus cibis experiri voluit? aut cui in appetenda aviditate eſurire non fuit ſatius? Vtrumque ſylveſtre gentibus ſuis eſt, & pondere emitur ut au- *Piperis in Italia arbor.* rum vel argentum. Piperis arborem iam & Italia habet maiorem Myrtho, nec abſimilem. Amaritudo grano eadem, quæ piperi muſteo credita eſt. Deeſt toſta illa maturitas, ideóque & rugarum colorîſque *Adulterium.* ſimilitudo. Adulterantur Iuniperi baccis mirè vim trahentibus. In pondere quidem multis modis.

*Genera Galeno 3* Galenus tria piperis genera prodidit. Piperis, inquit, radix Coſto maximè viribus ſimilis eſt. Fructus *Longum 1* autem recens iam germinantis, eſt piper longum. Quare etiam humidius eſt, quàm maturum. Signum humiditatis eſt, quod repoſitum facilè perforatur, & non ſtatim mordet: ſed paulatim incipit, diutiùs au- *Album 2* tem perſeverat. At fructus qui velut uva immatura eſt, album piper eſt, quod nigro acrius eſt. Illud enim velut ſuperaſſatum iam & ſuperexſiccatum eſt. Ambo verò vehementer calefaciunt & exſiccant. Longum piper, fraudulenter præparatum depre- *Longi adulterium.* hendes, ſi aquâ maceraveris. Solvitur enim quod præparatum eſt. Quod verò nativum eſt. Indiſſolutum permanet. Eſt autem id quo piper, longum adulteratur, flava quædam herba, quæ ab exteris adfertur; ſimilis illi aſpectu, non tamen guſtu ſimilis. Quare etiam facillimum eſt ipſam diſcernere à longo pipere. Verùm par eſt monente eodem Galeno lib. de Ther. ad Piſonem te non ignorare fraudes quas in longo pipere ſtruunt. Quidam enim ipſum confingunt vero Piperi longitudine æquale, & impoſito Pyrethri vel Napyos aliquantulo, quia ſenſum hoc pacto mordet, guſtantem fallunt. Verùm qui circa hæc peritus fuerit, & ſuave acumínque guſtu dijudicare noverit, præſertim ſi pediculum ipſi adhærentem acuratiùs inſpexerit, verum piper invenit, & ab iſtis decipi non poteſt.

*Lud. Vart.* Sicco pede prætereunda non ſunt, quæ poſteritati relinquere voluit Ludov. Vartom. Piper, inquit, ſuburbanus Calecuthi ager mittit: legũt etiam nonnihil intra urbem cultores. Caulis piperis infirmus eſt admodum, inſtárque vitis abſque adminiculo *Piper Hederæ non abſimile.* (pedamenta vocamus) conſiſtere nequit, Hederæque non eſt abſimile piper, quippe quod ſerpit, & altiore complexu proximam ſemper arborem vincere conſuevit. Dicta arbor, imò frutex diſpergitur in ramos compluſculos, intra geminum ac tertium palmum longos. Folia eius Mali Aſſyrij figuram exprimunt, ſed hæc craſſiora pinguiuſcula nõnihil, intercurſantibus ex aduerſa parte minutioribus venis. E ſingulis malleolis ſeni dependent racemi palmo haud ampliores, paſſulis nõ abſimiles, confertiores tamen. Coloris eſt, qui & immaturioribus uvis. Legunt itaque menſe Octobri atque Novembri in colorem praſinum adhuc inclinantes, ad ſolémque apricantem aſſandum imponunt tegetibus. Triduò nigreſcit non aliter quàm huc affertur: abſque ullo alio cultu putandi, minúſque ligonizandi cura eſt illis, ſimplici ac ſyncero telluris proventu.

*Ruell.* Apud Plinium lego, inquit Ruellius, Piperis arborem iam olim Italiam habuiſſe maiorem Myrtho, nec abſimilem. Qui Luſitani regis diligentiſſimi ſtudio, Liburnicis magnâ parte meridiani ſitûs ambitu Mauritaniæ circumvectis, in novum orbem ſe contulerunt, natales reliquámque faciem ſtirpis ad nos reuerſi repræſentarunt: ij autem qui plurimas ſe vidiſſe fatentur, fruticem non arborem piper edere *Bryoniæ ſimilis frutex.* narrant, albæ viti in ſepibus proreptãti ſimillimum, vicinas ſcandentem arbores, qui racemoſum oſtendat fructum, primùm viridem, nec aliter quàm in Liguſtro coacervatum, quem antequam legitimâ maturitate nigreſcat, lectum, ſub ſole palmeis tegetibus expandant: ſicque baccas Solis æſtu corrugari, *Piperis longi & albi plantæ diverſæ.* vel paſſas nigreſcere commemorant. In eodem frutice longum piper aut album offendi negant, ſed alias arbores, quæ ſapore, piperis nonnihil ferant oblongum, compactilibus callis racematim cohærentibus, veluti Ponticæ Nucis julum, quod inibi longum piper incolæ nominant; námque tam æmulâ facie longum piper exprimunt, ut niſi ſapor fallaciam proderet, nullo inſigni diſcerniculo notarentur. Vides quàm diſſimiliter exotica arbos à variis authoribus ſit depicta, qui forſitan eam non viderunt, ſed potiùs indigenam fidem ſequuti repræſentarunt. Id ta- *An Smilax aſpera.* men non eſt omittendum, arboraceum fruticem apud nos eſſe, quo velut vivâ ſepe latiores hortorũ areas venuſtatis potiùs cauſa, quàm munimenti cingunt. Is altitudine ternum cubitorum innoteſcit & vitigineâ fronde viret, ſupra modum aſperâ, utriſq; lateribus acuminatâ, medio in mucronem deſinente, ambitu leviter fimbriato, ſatis ad Lupi ſalictarij, vel vitis albæ folium accedente. Ramos fundit breves in quibus excuſſo flore primùm baculæ pẽdent virides,

virides, ut in Liguſtro racematim coactæ, quæ maturitatem adipiſcentes nigreſcunt, guſtu & ſapore piperis, ſed mitiuſculo. Eæ prorſus rotundi piperis faciem exprimunt; verùm deſideratur in eis retorrida illa rugoſaque maturitas: abeſt etiam illa validior amaritudo, guſtum piperis ſapore complens, & os, cujus anima fœtet; odoris jucunditate commendàns. Piperolitores noſtri nominant, quòd atrum piper colore & ſapore forſitan æmuletur: ſit ergo *ipera-rum.* nobis Piperaſtrum quoad melius vocabulum invenerimus. Vides itaque quàm cæca ſit harum rerum effigies. [*Si licèt iudicium noſtrum adferre ſuſpicor eſſe Smilacem aſperam, Piperaſtrum Ruellii.*] Alij oculatà fi- *per lon-im.* de referunt longum piper eſſe ex aliis arboribus veluti nucamentũ quoddam, exilibus granulis ſquammatim compactum, quod veluti julus in Avellana nuce, vermiculosâ facie dependet, piperato guſtu; nunquam in album tamen vel nigrum piper coale- *itici ſimi-* ſcere. Qui Vitici aſſimilarunt julum compactilibus granulis coactum in eadem arbore fructum, veluti quendam cõvireſcentis ſeminij conceptum contendunt, quale forſan in ſalicibus apparere cernimus, & etiam Vitice, Nucéque pontica. Nec deeſt *edera ſi-ile.* qui tradat viſum ſibi in India piperis fruticem, Hederæ modo amplexicaulem, folio Mali Aſſyrij, ſed carnoſiore pinguíque, racemis palmaribus, coloris immaturæ uvæ: hos legi menſe Novembri, ac inſolatos nigreſcere. Nec iis ultrò citróque adjunctis voluimus fidem antiquorum placitis derogare. Va- *rſitan ... ria ar-res Pipe-feræ.* riæ ſunt forſitan diverſis regionibus arbores piperiferæ: uti & varia palmarum multarúmque ſtirpium genera, palmulas tamen ferentia. In Ægypto ut *rſion ... raboni.* Straboni placet, granum piperi ſimile, paulò tamen majus naſcitur Corſion nomine, quod piperis vicem & acrementum penſat, ſi alterius non detur occaſio.

Luſitani, Matthiolo ita tradente, navig. ſuis, hoc ævo confectis per Oceanum Atlanticum verſus Auſtrum primo, & hinc deinde in Orientem ad Calecut, Taprobanam, aliáſque Indici pelagi inſulas: item Hiſpani Liburnicis vecti ad Occidentales Indias, Peru, atque alias complures regiones, quæ antiquos Geographos penitùs latuerunt, non modò pipere & hujuſmodi odoratis ſimplicibus, univerſam repleverunt Europam, ſed & ſtirpium hiſtorias, à quibus oriuntur poſteritati memoriæ prodiderunt. Quod poſtea fecit, ut planè nobis ignoraſſe *heophr. ioſc & in not.* videantur Theophr. Dioſc. & Plinius aut ob regionum diſtantiam (indigenam potiùs in hoc fidem ſequuntur, quàm quod fortè ea viderint, quæ de pipere ſcriptis tradiderunt) aut ob aliam quamvis cauſam, plantæ illius formam, ac notas, quæ piper in India gignit, ac quonam modo piperis planta ſuum edat fructum, an ſcilicet racematim, an corymborum modo, an in ſiliquis incluſum, an bacciferarum arborum more. At hi qui ſuis Liburnicis immenſa tra- *peris ni-i deſcr.* jecerunt maria, propriáſque perluſtrarunt regiones, ubi piperis utriuſque plantæ vireſcunt, nigrum ac rotundum gigni narrant à quibuſdam infirmis viticulis, vicinas arbores altiore complexu ſcandentibus, acutæ Clematidi non diſſimilibus, folio tamen Malum Aſſyrium æmulantibus. Quin & racematim proferri uvarum Labruſcæ modo, confertiùs tamen: deinde menſe Octobri per maturitatem decerpi, & ſub fervente Sole tegetibus palmeis expanſum torreri, quouſque nigreſcat, & rugoſum eva- *per lon-im.* dat, quod tridui ſpatio plerumque fit. Longum autem ut iidem teſtantur, aliæ ferunt arbores, éſtque velut nucamentum quoddam, exilibus granulis compactum, quod velut julus in pontica Nuce, qui pulchrè adſtipulatur, vermiculosâ facie dependet piperato guſtu: nunquam tamen in album vel ni- *alen. not.* grum piper coaleſcit. Galenus indigenam fidem & Dioſcoridem ſequutus, eandem plantam tam rotundum quàm longum piper edere credidit. Piperis fruticem vidi Neapoli, qui Luſitanorum deſcriptioni maximè reſpondere viſus eſt, quod viticuloſo caule eſſet, Clematidis acutæ modo. Sed & aliam arbuſculam piper racematim proferentem vidi Venetiis, quæ prorſus illius plantæ faciem exprimit, quam vulgus Ribem appellat. Viret hæc in horto Medici Maphei à Mapheo, in quo pluſima ſimplicia notatu digna viſuntur. Quò fit ut mirum non ſit, ſi in piperis hiſtoria variant auctores. Quandoquidem cùm variæ in Italia piperiferæ habeantur arbuſculæ, facilè credendum eſt varietatis longè majoris eas in India reperiri. Hæc ille, qui ſiguram ſibi depictam à Portugalenſibus exhibet. Matthiolum *Matth. not.* autem negligentem Botanicum fuiſſe apparet ex eo quod viſum piper Neapoli non deſcripſerit. Si benè conſideraſſet plantam Venetiis viſam, comperiſſet à pipere plurimùm differre & nihil habere commune, niſi quòd racemum fert: ea autem planta nihil aliud eſt quàm Ribes nigra quibuſdam dicta, de qua nos præſenti libro. Iconem quam ponit falſam exiſtimamus quales plures habet.

Naſcitur piper apud Indos, ut Amat. ſcribit, eo modo quo apud nos Hedera, ſic enim piperis planta parietibus & arboribus hæret, circumvolviturq; folio Mali Cotonei, ſed rotundiore, quanquam piper quoque in planta folia Vitis ferente naſci à nonnullis viſum eſt, & hodie Venetiis in nonnullis hortis conſpicitur. Naſcitur enim priùs piper, affixum ramulo, tanquam verruca carni, ſed poſtea pediculis tanquam Hederæ bacca pendet. Virides námque piperis racemos aceto ſervatos, ex India ad nos amici tranſvexerunt: ex quibus exactè cenſemus, quod piper dicto modo creſcat, naſcatúrque, ſed quum ad maturitatem pervenit colligitur & in ſtoreis ad torridum ſolem ponitur, ubi eo modo, quo nos corrugatum videmus, efficitur. Interdum autem granum *Album Piper immaturum.* hoc omphax ac immaturum eſt, albúmque piper appellatur, ita ut piper nigrum, & album ejuſdem ſit arboris fructus, nec in alio differant quàm majori, vel minori maturatione. Dioſc. & Galen. errant, *Dioſc. & Gal. error.* quia piper longum ejuſdem arboris fructum eſſe credant, quum revera piper longum alterius arboris fructus ſit, quæ ex inſula Somatra, Taprobana dicta adfertur. Hæc Amatus qui in eo maximè deci- *Amat. err.* pitur, quod Piperis arborem folio Mali Cotonei tradat

Cord. hiſt. Piperis genera deſcribit, verùm cum *Cord not.* vix quicquam, quod ſit alicujus momenti, aut quod ab antiquis non ſit dictum, tradat, nihil hîc addemus, ait enim, cum illis, ſicuti & Monachi, omnia tria Piperis genera eſſe ex una planta. Ex Dodonæo etiam nihil addam quàm quod dicit Antuerpiam adferri ex India Piper conditum cum pediculis.

Salvo meliori judicio in defectu piperis albi, *Quædam de Piperis ſubſtitutis.* pro eo potiùs apponendum cenſent Monachi piper longum, quam nigrum: quia in ſtipticitate & confortatione magis conveniant inter ſe. Poſſe etiam poni nigrum putant, quia quòd album ſit in medio, & de utroque ipſorum participet. Similiter ſi carent longo, potiùs præcipiunt accipiendum album, quàm nigrum, quia album magis appropinquet longo, quàm nigrum: Et è diverſo, in defectu nigri ponendum conſulunt album, quia propinquius ſit. Item quandocunque duæ ipſorum ſpecies deſunt, per reliquam ſupplendas arbitrantur. Sed quando ſimpliciter legitur piper, ſemper album in- *Piper ſimpliciter dicitur de albo.* telligendum docent ſecundùm aliquorum opinionem, quod etiam probat Nicolaus Præpoſitus in ſuis Analogiis, quia (ut aiunt Avic. & filius Serap. quòd ipſum ponant authoritate Galeni) piper album confortet ſtomachum, pluſquam aliæ duæ ſpecies.

De

*Piper nigrum acrius candido.*

De acrimonia Piperum hæc Cordus hiſt. Vtrumque odoratum & guſtu acerrimum, fervidiſſimúmque eſt, odoratius tamen acriúſque candido nigrum ſentitur: ideóque medias haber candidum, inter longum & nigrum qualitates: tardiùs enim longi, citiùs candidi, citiſſimè autem nigri acrimonia guſtu percipitur, quamvis Dioſcorides candidum (quoniam acerbum ſit) utroq; ignavius eſſe tradat, quàm benè non video, cùm abſurdum quoddam inde oriatur: nam idem Dioſcorides nigro ignavius candidum ideo eſſe ratiocinatur, quoniam acerbius, h.e. immaturius ſit nigro, ergo cùm longum quoque acerbius, immaturius, imperfectiúſque ſit candido, ſequitur neceſſario longum Piper omnium eſſe ignaviſſimum, ergo videtur aut hæc ratiocinatio nullum in veritate locum habere, aut Dioſcoridem malè tradere, candidum tam longo quàm nigro ignavius eſſe. Hæc Cordus qui Piper rotundum ſeu nigrum, ex longo fieri odoratius, acriúſque candido dicit, ſed malè, Quod autem quum Piper ſimpliciter pronunciat, nigrum contra Monachos qui album præferunt, intelligat, noſtro judicio doctè ſentit.

*Dioſc. not.* *Cord. not.* *Piper ſimpliciter, de nigro intelligitur.*

Sed quid de Pipere referant, qui id ſe vidiſſe glorientur, mox audiendum. circa Calecut (inquit Cronemb.) in India copioſè provenit piper, etiam in urbe ſed parvâ quantitate: truncus ſimilis eſt Viti, ſi planretur juxta arborem, alioquin non poteſt aſſurgere: provenit Lupuli modo: plurimos fert ramos, duarum aut trium palmarum longos; folia ſimilia Melangoli. Ex ramulis prodeunt 5. 6. aut 8. pediculi paulò longiores digito, quibus adhæret piper parvorum botrorum modo, ſed magis anguloſum, viret inſtar Agreſtæ. Menſe Octobri & Novembri immaturi botri excinduntur, ſupra lintea exponuntur ſoli per tres aut quatuor dies, ſic exſiccatur & nigrum fit. Simile quid refert Ioan. Stadius, dicens duo genera Piperis in America ſunt; alterum flaveſcens; alterum verò rubeſcens, eodem ferè modo ac formâ ſuccreſcentia: dum viret Cynoſboti habet magnitudinem: frutex per ſe humilis eſt, ſeſquicubitum altus, foliis exiguis, ſed abundans Pipere, quod acriter in ore mordicat: maturum decerpunt, & ſoli expoſitum ſiccant. Eſt & tertium genus Piperis, ſed minoribus granulis, à prædictis non multùm diſſidens, quod ſimiliter ſub ſole torretur. Sunt illi radices Lettiki dictæ, ſatis boni ſaporis, quas ſi plantare inſtituunt, conſcindunt eas in minuta fruſta, quæ terrâ obruta radices agunt, & abundè producunt. Hæc atteſtari videtur Marantha cùm ait, Piperis arborem cùm Dioſcoridi videre non licuerit, atque ex aliorum ſcriptis ejus fructus deſcriberet, tria illius genera ejuſdem arboris eſſe tradit: & tamen hi, qui in novas Indias navigarunt, quique arbores viderunt, diverſarum arborum fructus nigrum, candidum & longum eſſe affirmant.

*& Stadius.* 1. 2. 3.

*Veterum quidam loci illuſtrantur.*

Illud porrò Galeni lib. 9. c. 4. ſec. locos

*Viginti & drachmas candentis conjice flammas*

In Græco ſic habetur:

Ὁλκὰς δ' ἀργυφέοιο πυρώδεος εἴκοσι βάλλε.

*Candens flamma.*

Appellavit itaque Cornarius candentem flammam, ipſum Piper album, à flammeo fervore quem habet, unde etiam πυρῶδες ἀργύφεον, quaſi ignitum candidum, Philo dixit. Quemadmodum autem Philo Piper album hoc loco ænigmaticè πυρῶδες ἀργυφεὸν dixit. Sic Andromachus ſenior in Elegiaco carmine, quo Theriacam ex viperis deſcribit, à Galeno 1. lib. de antidotis relato, idem Piper album ἀγλαΐην appellavit, à nitore videlicet quem habet. Sic enim ait

*Piper album ἀγλαΐη.*

Καὶ λιβάνου μίσγοις καὶ ἀγλαΐην πίσυνο
Ἄμμιγα κυανέῳ κατθέμενος πεπέρει. Id eſt

*Thuráque miſcebis mox, aglaiámque nitentem*
*Cum nigro mixtam iunxeris hunc Pipere.*

Quod ipſum tamen neque à Galeno animadverſum eſt. Hos enim verſus exponens inquit, non quærere oportere de Aglaïa, tanquam alterius alicujus pharmaci nomen ſit, quum neque in pedeſtri junioris Andromachi deſcriptione, neque in ea quæ ad ejus ætatem per ſucceſſionem pervenit, alicujus pharmaci nomen Aglaïa repetiatur, & ea omnia quæ hoc pharmacum ſex drachmarum pondere recipit, conſonè tum ſeniori, tum juniori Andromacho ſunt relata, & omninò nihil extra illa additum ſit, ad quod Aglaïæ nomen referendum qui putet, ut fortaſſis Aglaïam epitheton Thuris, elegiæ autori apponere viſum fuerit: Sic Galenus. Ego itaque omninò rem inquirendam, & quidem attentiùs duxi, & ſanè repertam etiam mihi feliciter ſpero. Aglaïam enim Andromachus ſenior nihil aliud quàm piper album, velut dixi, appellavit. Piper autem album aliàs in verſibus Andromachi non habetur, quùm tamen junior Andromachus ipſum ponat, ſed ita ut hac parte varient hæ hujus Antidoti deſcriptiones, aliàs nullâ re differentes, quod videlicet ſenior Piper longum in principio xxiiij. drachmarum pondere poſuit, & eo loco pro eo junior piper nigrum haber eodem pondere: hoc vero loco inter res quæ ſex drachmarum pondere recipiuntur, ſenior album & nigrum Piper poſuit; junior verò album & longum retulit, ita ut diverſitas tantùm in nigro & longo pipere ſit, quorum alterum alter xxiiij. drachmarum pondere, alter ſex recepit; album verò in utroque inter res ſex drachmarum pondere ammixtas habetur & ἀγλαΐα à ſeniore appellatur. Hæc Cornarius.

*Galen not. Aglaia Galeno. Aglaia eſt Piper album.*

Piperis igitur ſimpliciter dicti nomine, intelligendum venit in primis Piper nigrum: In cujus genere Dioſcoridi eſt Braſma, Plinio Brachmaſis, ſive Abortus piperis. Præterea & Piper album, quod Andromach. ſenior in Theriaca Aglaïæ vocabulo inſinuat, quamvis Dioſcorides exiſtimarit, eſſe epitheton ut annotavit Cornarius.

*Aequivoca.*

Piper inſulę Taprobanæ candidius Melaga dictũ.

Piper caudatum, Piper longum, Piper Æthiopicum ſiliquoſum, Piper floridæ, & Piper longum Felfel Alpini, de quibus mox ordine dicemus.

Piperis præterea genus, vel Piperaſtrum Ruelli habetur, quod Smilax aſpera creditur.

*Smilax aſpera.*

Piper etiam in horto Maphæi à Matthiolo viſum eſt Ribes nigrum à quibuſdam dictum: De his jam egimus.

*Ribes nigrum.*

Piper Indicum ſive Calecuticum ſiliquoſum. Piper ſiliqua parva Braſſ. Piper ſiliquoſum magnitudinis baccarum Aſparagi. Piperis Calecutici parvum genus, ſiliquis oblongis: de his lib. 21.

*Piper Indicum. Siliqua parva.*

Πέπερι, Piper Lat. Germ. Pfeffer: Belg. Peper: Gall. *Poivre*: Ital. *Pepe*: Hiſp. *Piementa*: Arab. *Fulful.* Boh. Peper.

*Lingua.*

Loca in quibus Piper potiſſimùm provenit hæc ſunt. Malavar, Onor, Barſelor, Mangalor, Calecut, Granganor, Cochin, Coulan, ubi lingua Malavarica, *Molonga* appellatur. Creſcit etiam in Queda prope Malacam: & Malayvicè *Lada* vocatur. Hoc Piper potiſſimùm verſus Pegu vehitur & regiones Nordliche Septentriorales. Piper etiam ſequentes Provinciæ ferunt, Pedir, Camper, Andragiri, Iambe, Bares, Sperlamon, Dampin, quæ regiones ſunt Sumatræ: Item in Iava Bantam, & Iavæ plaga Weſtfetten/ Anier, Chuconin, Molaſſery, Chargabaya, Cherola, Charita, Cheregin, Labuau, Buaina, Iſſebongor, Patiban, & locus quidam quatuor miliaribus diſtans à Bantam Verſus Orientem, Puncta victus. Hæc igitur omnia loca Piper alunt. Piper matureſcit in Iava menſibus Septembri atq; Octobri. Colligitur Novembri & Decembri, & in Bantam, & potiſſimùm in Chinam vehitur. Lingua Iavanicâ

*Locus & Tempus.*

Sahang

*Sabanh* vocatur. In regione Caraganoræ ubertim piper naſcitur, quod torrent, ut ſcribit Ioſephus ad calorem ſolis, ne forte ſatum alibi germinet in damnum eorum. Eſt & in regio Eli, Melibar, & Cedum in magna copia. Nam nemora (inquit M. Paul. Ven.) & campeſtria ejus plena ſunt. Colligitur verò in Maio & Iulio, Linſchot.

VIRES ET USUS.

*Ex Hippoc.* Piperis grana [πεπέρεως κόκκοις] quinque cum pauco Elaterio muliebri lacte paulatim inſtillato, Hippocrates in vellere unguento intincto ſubjicit, eodémq; modo detrahit. Inter medicamenta ſubdititia vehementer purgantia, quæ magis aquas, mucoſa & pelliculas educere queunt, Piperis grana [τῶ πεπέρεως κόκκοις] majuſcula quatuor, aut parva, ſi opus videatur, ad Elaterij potionem admixta leviter terit & lacte muliebri inſtillat, cum pauco melle ſubactum, id ex lana molli pura circum pennam linteo tenui convolutum, unguento albo Ægyptio intinctum ſupponit. Per diem autem adhærere ſinit, deinde, ubi detraxit, cervinum adipem ſubdit. Sed *Indic. med.* & Indici medicamenti aliquantulum in lacte mulieris maſculum lactantis, ſi ita viſum fuerit, terit. Aut grana tria decorticata Indici medicamenti oculorum, quod Piper vocatur, & rotundi tria [ἢ κόκκοις ἐκλέψαν ὅσον τρεῖς Ινδικοῦ φαρμάκου, τῶ τῶν ὀφθαλμῶν, ὃ καλέεται πέπερι, καὶ τοῦ στρογγύλου τρία] leviter trita & vino veteri tepidè diluta, circum volucris pennam in glandis formam obducit, húncque in modum intromittit. Hoc Hippocratis in loco Fœſ. κόκκους τριάκοντα legit, & grana Cnidia triginta aſſumi & teri vult, verùm illum locum ex iſto potiùs repono & Indici medicamenti grana tria trita ſumi volo quod piper vo-*Ex Dioſc.* catur Hipp. ex lib. 2. περὶ γυναικ. Vim habet in univerſum calefaciendi, urinam ciendi, concoquendi, attrahendi, diſcutiendi, exterendi ea, quæ pupillis tenebras offundunt. Commodum eſt etiam ad rigores *Febres.* per circuitum in febribus repetẽtes, tum ſi bibatur, *Venena.* tum ſi illinatur, & commorſis à beſtiis venenatis au-*Fœtus.* xiliatur. Educit etiam fœtus. Putatur & concepţio-*Tuſſis.* nem impedire, ſi poſt coitum apponatur. Tuſſi quoque & omnibus circa thoracem affectionibus commodum eſt, tum ſi delingatur, tum ſi in potu acci-*Angina.* piatur. Anginis item convenit, illitum cum melle. Tormina [στρόφους] quoque diſſolvit cum teneris Laurifoliis potum. Pituitam e capite detrahit cum uva paſſa manducatum. Dolores ſedat, & in ſanorum uſu multum eſt [*ὑγιεινὸν rectè legitur apud Dioſc. Corn.*] ac appetentiam movet, & ad intinctus admixtum, *Strumæ.* concoctionem adjuvat. At pice exceptum ſtrumas diſcutit. Detergit & viriligines cum nitro. Torretur autem in nova teſta pruinis admotum, & ut lenti-*Radix Piperis non eſt Zingiber.* cula movetur. Cæterùm, radix ipſius non eſt Zingiber, ut aliqui exiſtimaverunt, quemadmodum ſatis declarabimus. Nam Piperis radix Coſto ſimilis eſt, calefacítque guſtum, & humores provocat. Eadem ſi cum aceto imponatur & bibatur, ſplenem minuit. Pituitam verò de capite detrahit cum Staphide a-*Ex Galeno.* greſti commanducata. Galeno ſimpl. lib. 8. Piperis radix vires Coſto ſimiles potiſſimùm obtinet. Porrò fructus nuper quidem admodum germinantis, longum piper eſt: quare etiam maturo humidius eſt: humiditatis ejus indicium eſt quod facilè repoſitum perforetur, ac non protinus mordicet, ſed poſt paulo incipiat, verùm pluſculum duret. Porrò fructus qui velut omphax eſt, Piper album eſt, nigro qui-*Temperamentum.* dem acrius Nam illud jam quaſi ſuperaſſatum eſt, & ſuperexſiccatum, verùm utrumque valenter, tum excalfacit, tum deſiccat. Minus (inquit Gal. apud Ioach. Curæum) Piper calidius eſt quam Zinziber, quia in Pipere calor funditur in materia valdè tenui quæ citò abſumitur, ſed Zinziberis ſubſtantia eſt magis terreſtris & ſolidior, ideò calor, ſicut in prunis, diutiùs in ipſo conſervatur, & hac ratione, quoties ventriculum refrigeratum calefacere oportet, nec tamen epati vel ſuâ naturâ, vel ex accidenti aliquo calenti, noxam inferre volumus, jubet nos Galenus pipere uti. Hujus enim calor in ventriculo & in primis viis deflagrat, nec pervenit ad epar ſecus quàm contingit ex cinnamomo, zinzibere, aut aliis aromatibus. Vt annotatur in Schol. Salern. piper eſt ſalſamentum ruſticorum, commiſcent enim piper cum fabis & piſis. Similiter etiam ex pane aſſo cum cerevisia vel vino & pipere, fit ſalſamentum nigrum ad modum pultis, quod etiam Piper vocant & hoc effundere ſuper carnes ſolent, aut piſces. Cæterò, *Notatu quædam digna.* quod paucum piperis provocet urinam, & multum ejus ventrem ſolvat, ita tradit Bapt. Fiera:

*Ardet & in nervis, glutinat áque phlegmata fertur*
*Sic piper, ut nullum ſiccet aroma prius.*
*Exacuit ſtomachum, mollito ventre ſuperbit,*
*Hoc caveas fervet ſi tibi bile iecur.*
*Corporis huic minimi, numero laus damna rependit.*
*Plura movent alvum, meiere pauca iubent.*

*Piperis uſus utilis in gurgulione flammeo.* Quod autem piper frigidum non ſit, pulchrè docet Leon Botall. his verbis: Piper plerumque uſurpatur ſolum fœliciſſimo ſucceſſu ubi gurgulio flammeus eſt: unde plebæi & qui parũ exercitati ſunt in rationibus medicis, audent dicere hoc argumento fulti piper frigidæ potentiæ eſſe, putantes calida *Piper frigidum nõ eſt.* tantùm expelli à frigidis, ignorantes præcipuam inflammationum curationem abſolvi à calidis reſolventibus id quod parti hæret: ad magnos capitis *Dolor capitis.* dolores (ait VVirt. Empir.) accipe 20. grana, contunde cum pauco vino & ſuperliga vertici capitis. Vel, coque piper in forti aceto, poſtea exſiccetur redigaturque in pulverem qui in ſaculum oblongum ponatur, effundatur prædictum acetum & aliquoties percoletur. Dum durabit acetum abluatur quotidie manè jejuno caput: ſtatimq; involvatur pannis calidis: hoc ſæpè probatum fuit. Vt impe-*Canis rabidus.* diatur canicula, ne venereum ſentiat fervorem, huic priuſquam catulos habuerit, per novem dies manè novem grana piperis in cibo aliquo dat Iac. Foulloux. Furfure & Pipere Magnes ſi alatur, refe-*Magnetis alimẽtum.* rente Nic. Vrbino Chirurgo, longè validius ferrum ad ſe attrahet, quam ſi Ferri ſcobe foveatur.

## PIPER NIGRVM.



*Deſcr.* PIPER nigrum racematim in ligula longa ſine pediculis cohæret, *Sambuci acinus.* acinis Sãbuci paullò minus, rotundum, cortice rugoſo, nigro, aut fuſco, quo detracto ſubſtantia conſpicitur duriuſcula & compacta, cujus exterior orbita ad viridem inclinat, interior albicat, & ſcrobiculum in medio vacuum oſtendit; *Sapor.* ſapor fervidus totum os & fauces adurens. in iiſdem racemis hærẽt grana quædam multò minora, maturitatem nondum aſſecuta, ideóque rugoſiora & evarida Braſinatis in morem. Noſtrum *Braſina.* piper nigrum ſolet eſſe craſſius candido, potiſſimùm

mam illud quod minus rugoſum; conſuevit enim eſſe obductum cortice rugoſo, & quò majus eſt eò minus rugoſum videtur: vidimus enim ſæpiùs Lugduni racemos ubi grana quò minora, eò magis rugoſa erant & inania magis. *Error quorundam.* Ex majori, quod maturius exiſtimamus, faciliùs detrahitur cortex, eòque detracto albeſcit, ideò à quibuſdam perperam pro candido aſſumi obſervavimus.

*Lingua etiam exotica.* Vocant Germani piper nigrū ſchwartzen Pfeffer & ſimpliciter Pfeffer: Angli Pepper: It. *Pepe*; Hiſp. *Pimienta*; Belgæ ſwert Peper: Galli *Poivre noir*; Luſitani *Bambu*; Malayvenſes *Mambu*: Nomē verò eſt, inquit Garcias, linguà Malavaricà *Molanga*; Malacitanà verò *Lada*; Arabibus tum medicis, tum vulgo *Filfil*; tametſi Avicenna l. II. c. 549. & 550. ſecūdum Bellunenſis tranſlationem *Fulful* appellet, & *Fulfel*, *Ignorantia Veterum.* quem ſecutus eſt Serapio lib. ſimpl. c. 307. In Guzarate & Decan *Meriche*, & in Bengala *Moroi*. Mirum non eſt ſi Theoph. l. 9. c. 22. Dioſc. l. 2. & hos ſequutus in pleriſque Plinius l. 12. c. 7. piperis plantæ formam ignorarint. Quòd verò Arabes in eodem errore verſati ſint, & nonnulli etiam ex recentioribus, illud mirum.

*Mali Aſſyrij folio.* Garcias ſic deſcribit: ad arborum uſque faſtigium ſeſe convolvendo ſcandere ſolet: foliis raris, Mali Aſſyrij effigie, ſed minoribus, & per extremum acutis, virentibus, guſtu calidis aliquantulum & ſolium Betre ſive Betle ſapientibus; *Fructus racemoſus* fructus uvarum modo racematim cohæret, minores ſunt tamen Piperis racemi, & ipſe fructus minor, ſempérque virens, donec ſiccetur & plenam maturitatem conſequatur, quæ incidit circa medium Ianuarium; radix poſtea *Dioſc. refutatur.* non Coſto ſimilis ut voluit Dioſc. quandoquidem Coſtus radix non eſt, ſed Lignum: Inter plantam quæ Piper nigrum fert, & ea quæ candidum, tam exigua differentia, ut à nemine quàm ab incolis dignoſci poſſit, niſi cùm uvas habent & illas quidem maturas,

Piperis hiſtoriam etiam deſcribit Lud. Rom. ſed paulum à Garcia variat. *Racemi muria conditi.* Racemis interdum cum Gingiberis radicibus muria conditis Antuerpiæ reperire licet, oblongos quidem illos & graciles, neque ita farctos ut ſunt uvarum racemi. Tametſi Garcias, & hunc ſequutus Acoſta (quorum hiſtoriam aromatum ante multos annos latinam faciebat Cluſius) de Pipere commentati ſint: quia tamen his proximis annis Batavi qui in Iavam navigarunt, & ad Moluccas uſque inſulas etiam penetraverunt, aliquot ejus ſarmenta cum foliis, ipſáque adeò radice, atque qui inter illos magis curioſi, etiam ramulos cum ſuo fructu immaturo inhærente retulerunt; & horum unum cui folia & fructus inhærebant, tum etiam ſarmenta quædam, amici curà & diligentià idem Cluſius nanciſcebatur: operæpretium ſe facturum exiſtimavit, ſi ex illis notis quas in planta & ramis ſiccis obſervare potuit, ejus hiſtoriam concinnaret, & ramuli cum ſuo fructu & foliis, radiciſque parte à perito pictore in tabella expreſſi figuram hic ſubjiceret.

*Deſcr. Cluſ.* VAldè autem ſarmentoſa eſt piperis nigri planta, & adeò imbecillis atque caduca, ut niſi pedamentis fulciatur, aut juxta arborem aliquam circa quam ſe convolvere poſſit, pangatur, humi procumbat & ſpargatur, perinde ac Lupus ſalictarius; lenta verò & flexibilia ſunt ea ſarmenta, frequentibúſque nodis ſive geniculis diſtincta, &, quæ humi ſparſa, multas fibras ad ſingula internodia agunt, quibus ſe *Clematidis aut Periclymeni ſarmento.* humi figunt, quemadmodum Clematidis aut Periclymeni flagella, ut in illorum nonnullis obſervabatur, quæ fibras adhuc retinebant: ſic ut in illarum plantarum numero reponenda cenſeatur, quæ facilè pangi poſſunt, *Folio hederaceo.* ſarmenta porrò ad ſingulos nodos ſingulare folium proferunt alternatim, hoc eſt, nunc in hac, modò in altera ſarmenti parte naſcens, hederacea quodammodo formà, vel ejus Cyclaminis quod hederaceo conſtat folio, cui tamen anguli deſint, neque adeò craſſum, verùm multò tenuius, interdum verò adeò latum, ut quatuor unciarum latitudinem æquet, & quaſi orbicularem formam adquirat, niſi in mucronem deſineret: maximà verò ex parte binas duntaxat uncias latum, quatuor longum, breviter Tambul ſive Betle folio adeò ſimile, *Folio Tambul ſive Betle.* ut alterum ab altero vix diſcerni queat, niſi piperis folium paullò durius, & nervos illos per folij longitudinem excurrentes paullò craſſiores habere videretur: nec illud in ambitu ſerratum eſt, ut quidam pinxêre, ſed prorſus æquale & nihil ſimilitudinis habens cum mali Aſſyrij folio, ut nonnulli *Folia non ſunt mali Aſſyrij.* tradunt, omnia verò folia quinque nervis ſunt prædita, quorum medius & craſſior medium foliorum per longitudinem ſecat, reliqui quatuor minùs craſſi ab illo oriuntur, utrinque bini, in latera ſecundùm folij pænè longitudinem expanſi, & illi quidem in nonnullis foliis æqualiter ex oppoſito naſcentes (ea Acoſta feminei ſexûs ab incolis cenſeri *Piperis ſexus.* ſcribit) in aliis verò inæqualiter oriuntur, neq; iſtam proportionem ſervant (hæc ab incolis maſculini ſexûs appellatione donatur aſſerente eodem Acoſta) ſintne porrò quæ feminini generis cēſentur, dilutiore viriditate prædita q̃ quæ pro maſculini generis foliis habentur, nihil pronūciare poteſt Cluſius, ſicca duntaxat folia vidit: ſed quandoquidem in eodem ſarmento utriuſq; formæ nata conſpexit, vix ſibi perſuadet, colore inter ſe variare, illud autem obſervabat, utraque, licèt reſiccata pronà parte dilutiora eſſe, quàm ſupinà, atque per univerſum folium venulas obliquas tranſverſim evagari, inſuper non mediocrem acrimoniam adhuc retinere. Vvæ porrò ad ramorum internodia naſcuntur teretes & oblongæ, multis granis orbicularibus, nunc majoribus, modò minoribus ipſi ſcapo ſine petiolo adnexis conſtantes; & illæ quidem non ex foliorum ala, h. e. inter ſedem pediculi folium ſuſtinentis & ipſum ſarmentum, ſed ex altera ſarmenti parte, folij pediculo videlicet oppoſità, quemadmodum ex adpoſita figura ad vivum expreſſa videre licet. *Acrimonia.* Cæterùm illam acrimoniam non modò retinent ſicca folia, ſed etiam ipſa ſarmenta, atque (quod magis mirum) ipſa radix quæ ſub terra latuit, ut experiebatur Cluſius. *Piper in Bantam.* Piperis folium, quale in Bantam Iavæ emporio naſcitur nullam ſimilitudinem habebat cum Mali Aſſyrij foliis, ſed Betulæ folium æmulari videbatur, non adeò tamen tenellum, ſed magis firmum, duabus craſſis venis ex utroque nervi medio latere verſus aras excurrentibus, oblongiuſculo mucrone præditum, quinque uncias longum in ambitu minimè ſerratum, tametſi folia ampliora conſpexerit. Ipſum porrò monebat N. V. Fabricius Mordente, Indos ſolere, Piperis botros adhuc virides & immaturos in os indere: deinde ramulum, cui grana inhærent, digitis prehen-

PIPER NIGRUM CLVSII.



prehenſum ſenſim extrahendo leviter dentibus premere, ut grana in ore maneant; illa poſtea mandere non ſine voluptate. Idem ipſum factitaſſe, & guſtu ſuaves deprehendiſſe, quia levem quandam acrimoniam cum pauxilla acerbitate conjunctam in illis deprehendebat. Idem Cluſius in notis in Garciam ait: Putat errorem eſſe Garcias ſi Piper ab aliis *Fulful* dicatur, cùm Arabes *Filfil* vocent. Sed cùm omnes totidem literis ſcribant, & diverſitatem diverſi literarum apices tantùm efficiant, in omnium arbitrio eſt, utro malint modo, pronunciare, *Filfil*, aut *Fulful*. Piperis plantam ita deſcribit Auctor geographiæ Arabicæ: Et in inſula, h.e. terra Mali, naſcitur arbor Piperis, neque naſcitur niſi in ipſâ, aut in Candaria, aut in Gerbathan: & nulla invenitur, niſi in iſtis tribus terris. Eſt autem planta, cujus ſtipes aliquantum ſimilis eſt ſtipiti Vitis, foliis inſtar foliorum plantæ Volubilis ſive Faſeoli, longa, non alta, racemis inſtar racemorum Vitis, quorum unuſquiſque occultatur folio ſuo propter pluviam, quod inflectitur, adveniente pluviâ. Piper verò album non inflectitur ab ea, ſuperveniente illâ initio aut ante. *Hachi* filius Chatri dicit de eo, quod quum eſt pluvia, inflectuntur folia ejus ſuper racemos iſtos, & defendunt eos à pluvia, quum receſſit pluvia, attolluntur ſive removentur folia à racemis, neque revertuntur, niſi tempore pluviæ. Revertente pluviâ, revertũtur folia ad ipſos. & hoc eſt mirum. Hæc ille, quæ niſi fallor, ait Cluſius, indigent peritorũ hominũ examine. Nam mihi ſuſpecta ſunt. Sed Arabes multa ejuſmodi fabulantur, ut Iudæi.

*…ris ge-… Aco-* *…r do-… ſcum, …lo.*

ACOSTA Piper aliud domeſticum eſſe tradit, cujus uſus ſit; aliud ſylveſtre, quod ob amarorem negligatur. Domeſtici, inquit is, planta ſarmentoſa eſt, ſcanditque Hederæ modo, arboribus, quas nanciſci poteſt, ſeſe circumvolvendo: nodis per intervalla prædita, ad quos naſcuntur folia, Betele foliis ſimilia, parte interiore ſaturè virentia, exteriore dilutiora, cuſpide mucronata, & guſtu linguam vellicante. Horum foliorum alia aliis nigriora ſũt: quæ dilutiora ſunt fibráſque æqualiter naſcentes habent, feminas cẽſent (nam utrumque ſexum in foliis ejuſdem plantæ conſtituunt) nigriora verò inæqualibus fibris, mares. Ad ſingula internodia, unde folia dependent, ex ipſa foliorum ſede naſcuntur uvæ, quarum maximè circiter quinquaginta grana obtinent, minores verò triginta. Radix puſilla eſt & ſumma tellure fibras agit. Summa autem ſimilitudo eſt plantarum quę nigrum Piper proferunt & album: alibi tamen folia tenuiora & molliora videntur: ejus etiam fructus magis aromaticus, melioriſque ſaporis quam nigri.

PIPER NIGRUM
Acoſtæ.




*…fœmi-… r mas.* *…um &… n.*

*…not … Dioſ. …d.*

Lugd. quæ quatuor exhibet figuras, Galenum notat quòd Dioſcoridem ſecutus eandem plantam piper longum, cãdidum & nigrum proferre falsò crediderit. Figuras autem quatuor ſub his titulis exhibet Lugd. Arbor piperifera Theveti: Piper nigrum & album: Piper Matthioli: Item in app. Piper nigrum Acoſtæ. Galeni ſententiam Cam. quoque rejicit. Pingit autem racemos rotundi piperis & folia reperta ſæpiùs inter grana, item longum piper, negat tamen in eadem planta creſcere piper album & nigrum, ſed conſimili tantum, ut botros rubros & albos in diverſis vitibus; rariores autem ſtatuit eſſe plantas quæ album, quàm quæ nigrum piper proferant: piper nigrum ait arundinibus ſuſtineri quemadmodum ferè apud Belgas Lupulũ. Caulem namque debilem eſſe, & ſine ope alterius ſurrigi non poſſe, rami Iuniperinis ſimiles; grana viridia primùm, dein matura facta atque ſiccata nigreſcere.

*Piper albũ & nigrum non in eadem planta*

*De iconib.*

Folia quæ pingit Linſchot. non ſunt Hederæ ſimilia, ſed Lauro: Nos figuras diverſas proponimus; Prior quam ponimus nobis abſentibus depicta eſt ex Cluſio. (Hæc olim poſita ſimpliciter pro Piperis uva; poſtremò verò pro piperis albi uva) vera quidem, verùm per Sculptorem malè ſculpta: ad latera additum granum caudatum, quod eſt Piper caudatũ ſub ſigno crucis; & Haermia ſub ſigno Stellæ, ſed utrumque ſemen per Sculptorem corruptum. Icon ſecunda, quam proponimus eſt ex Cluſij exoticis; Tertia, quæ eſt ex Acoſta & figuris æneis, diſplicet nobis, verùm certò aſſerere non poſſumus non viſâ plantâ quæ melior icon: Camerarij folia piperis exhibemus juxta iconẽ Piperis caudati ſub litera A. Matthioli figuram nõ exhibemus, quia ei non conſuetum vera figuris exprimere, eam facilè poſſemus aſſerere falſam & numquam ei ita viſam. Theveti effigiem non ſine occaſione omittimus, quam tamen Ambroſius Pareus aſſumpſit lib. ſuæ Chirurgiæ 26. c.12. quia falſa eſt, quod apparet ex ſeminibus quæ pingit cum pediculis Hederæ modo adhærentibus, cùm uvam repreſentent: Ex hiſtoria & icone præterea Cluſij, quam hoc capite ponimus, apparet ſatis ineptè Thevetum appingere piperi truncum arboreum magnum, licèt ſcribat eſſe arbuſculam: & cur ſcribit, Mali Medici foliis ſimilia, & nihilominus in icone ſunt planè Hederacea.

*Matth. not.*

*Thev. not.*

B. pin. Piper 1. rotundum nigrum: Piper nigrum, Matth. Lac. Caſt. Garz. Frag. Cluſ. & Lug. Tab. Piper rotundũ nigrũ, Cord. hiſt. Lob. adv. & Cæſ. Piper nigrũ in Calecut, Lud. Romano. Piper rotundũ Hippocratis, Garz. Quid ſibi velit Matthiolus cũ ſua figura, q̃ & Caſt. Lugd. Tab. & Ger. habent, nõ aſſequor. de ea figura ſic Guilandinus: ſi frutex ille Piper eſt, vel etiã Amomũ, ut alij ſõniant, parũ aberit, quin vulgare Ribes, vel Piper, vel Amomum eſſe poſſit. Seritur Piperis planta hoc modo: ſarmentũ ejus ſeu ramũ juxta prægrandẽ qualẽcumq; arborem (magna certè ex parte juxta Fauſel, ut Palmã plantatã vidit Garcias) aut palũ defoditur, atq; bubulũ ſtercus, & cineres cũ aqua inſpergũtur: infra annũ deinde fructifera eſt, quóque vetuſtior eſt planta, eò feracior, quippe quæ ad ipſius arboris, cui maritata eſt, faſtigiũ ſeſe circũvolvendo ſcandere ſoleat. In Couchin verò ubi plurimũ nigrũ naſcitur, quinq; aureis emi ſolebãt cẽtenę libræ: ſed poſt quadrienniũ aut quinquennium, q; in alias etiã regiones importari cœperit, quindecim aut viginti aureis emendæ erãt. Piperis autẽ nigri pretium in centenas libras eſt duorum Luſitanicorum cum ſemiſſe, natali loco: at in Bangala duodecim Luſitanicis emuntur totidem libræ.

*Eius ſerendi ratio.*

*Pretium.*

Piper nigrum rotundum in Inſula Sumatra provenit & pręaltas Cãnas ſcãdit. Maxima Piperis quãtitas provenit in Malavar, tota ea maritima regione quæ à Promõtorio Comorim ad Cananor uſq; pertingit. Naſcitur etiã in Malacæ maritimis, ſed bonitate ſuperiori cedens & magna ex parte inane. Provenit ſimiliter & in Inſulis Iavæ vicinis, & Sunda, & Cuda, aliiſque locis. Sed id totũ in Chinarum regionem deportatur, & loco natali conſumitur, præter id quod in Pegu & Martaban exportatur. Potiſ-

*Locus.*

*Piperis natales.*

ſima etiam ejus pars quod in Malavar gignitur, in uſum incolarum cedit, tametſi regio admodum ampla non ſit: nonnihil etiam à maritimis ejus regionis populis abſumitur: Pars defertur in Balagate bubulis coriis: & magna copia (tametſi regio mandato ſit vetitum) à Mauritanis per mare Erythræum exportatur, id ſuffurantibus ipſis incolis. Eæ ſunt regiones quæ Piper gignunt, quamquam & invenitur ſupra Cananor, quà Septentrionem ſpectat: ſed adeò exiguâ quantitate, ut ipſis incolis non ſufficiat, & externo importato opus habeant. Etenim non gaudet hæc planta locis deſertis & mediterraneis. Quàm verò procul à Caucaſo monte diſſitæ ſint hę regiones, ex topographicis chartis ſatis patet.

*Vires. Colica.* Piperis nigri ſoliis utuntur incolæ adverſus dolores colicos aliósque frigidos corporis affectus. Condiuntur aceto aut ſale virentes adhuc & immaturi piperis nigri racemi & uſui aſſervantur.

*Temperamentum.* Arabes & Perſæ medici piper calidum tertio ordine conſtituunt. Sed Empirici cujuſmodi ſunt maxima pars Indicorum medicorum, frigidum piper faciunt, ut & pleraque alia aromata quæ excalfaciunt. Ejuſmodi autem erroris cauſa fortè hæc fuerit. Quod ut ait *Fracaſt.* lib.1.de Contag. dum miſtio perſtat, dum igneæ partes ſeparatæ ſunt & diſperſæ, ſepultæque in aliis, alteratio nulla introrſum fit, quare & Piper & Euphorbium, & reliqua tractata manibus frigida ſentiuntur. At ubi caſu aliquo miſtio illa ſolvitur & mutatur, & partes quæ ejuſdem rationis ſunt, in unum coëunt, & majorem quantitatem & potentiam ad agendum acquirunt, tum actu fiunt, & agunt jam, unde & Calx, & Piper, & Euphorbium jam calida percipiuntur, quùm prius potentiâ ſolùm calida eſſent, actu verò aliter ſe habentia propter eandem cauſam, nec ſeminaria intrinſecus ſeſe alterant, quanquam è diverſis conſtent, utpote miſta, quod autem in tam pauca quantitate vis multa ineſſe poſſit, declarant & Euphorbij, & Piperis, & ſimilium particulæ minimæ & effugientes viſum, quibus tanta vis à natura tributa eſt, adeò refert ignem in materia denſa contineri, quanquam parva ſit. Item: Quis putaret è Pipere, Iride, & Ptarmica ſternutamentum conciliari? exhalant nimirum ex omnibus his ac circumquaque feruntur inſenſibilia corpora, quorũ diverſæ actiones ſunt & facultates.

## PIPER ARBOTIVVM, BRASMA.

Reperitur etiamnum Piper quoddam in genere nigri, nutrimento defectum, caſſum ſeu inane

*Piper immaturum.* ac leve, quod Braſma [βράσμα] Dioſc. vocat. Hoc non dubitamus nos aſſerere eſſe Piper immaturum. Lugduni ſæpiùs vidimus, racemorum inſtar, quale habemus adhuc, de quo egimus in deſcriptione Piperis nigri, id manifeſtè demonſtrat longum Piper à nigro multùm differre.

*Brachmaſis. Piper abortivum.* Semina, inquit Plinius, caſſa & inania vocant Brachmaſin Indorum linguâ, ſic ſignificante abortum. Cæſ. Braſſina. Cord.hiſt.Piper abortivum, ſive Broſma ſive Braſma, Negociatoribus Gerbelor nominatum. Sed nec Braſma vocabulum quod apud Dioſcoridem legitur, nec Brechmaſin, quod apud Plinium, unquam his in regionibus audivit, aut auditum putat Garcias, cui Piper quod linguâ Malavaricâ à Canara nomen ſumpſit.

*Syn.C.B.* B.pin. Piper 10. inane: Piper Canarinum, Frag. Lugd. Linſcot.4.part.Ind.or.c.18. Hoc cæruleum eſt, intus cavum, in cujus ſpatio granula quædam continentur, quod pauperculæ plebis uſibus cedit, quare Canarynum, i. ruſticanum vocari ſolet: & propter vilitatem ad exteros non effertur.

*Vſus. Pituita.* Eſt hoc inane illóque utuntur ad pituitam à capite evacuandam, dentiúmque dolores mitigandos: *Dentes. Colica.* nonnulli & in cholerico, quem vocant affectu, miris laudibus celebrant.

## PIPER ALBVM.

*Deſcr.* Piper album magnitudine videtur nigro cedere, utrinque umbilicello tantillum prominulo, exiguo, minimè rugoſo, albido ſive cinericeo: ſubſtantia ejus interior bicolor eſt queãdmodũ piperis nigri, & cava in meditullio (præter albã pelliculam quam habet) apparet; cortex, quo grana integuntur, nigricans facilè detrahitur, quod non fieret ſi eſſet

*Immaturum non eſt.* immaturum, ut Galenus & nonnulli volunt; ſapore adeò eſt fervido præditum, ut jam ſupra triginta annos in capſulis meis reſervatum fauces igneo ardore urat, quanto magis recens, quo argumento convincuntur ij, qui piper album nigro immaturius contendunt, nec aliâ ratione differre ex veſtigiis reliquiarum corticum apparet delibratum.

*Synon. Piper omphacodes.* Cæterùm piperis albi meminiſſe conſtat Dioſc. nominantem πέπερι λευκὸν, πέπερι ὀμφακῶδες, quod commodum maximè dicit ad ocularia medicamenta & ad antidotos theriacaléſque compoſitiones. Hoc Galenus lib.1.de antid.ex Androm.ſeniore, per

*Agleia. Flamma candens.* ἀγλαΐαν ſignificat, quam Cornarius, uti dictum ante, cãdentem Flãmam, à flãmeo fervore nuncupat, & πυρῶδες ἀργυρὸν, quaſi igneum candidum Philo dicit.

Et licèt Sylvius piper album ex longo fieri teſtatus ſit: attamen piper candidum in propria planta provenit differente à nigro, ut Vitis albam ferens uvam, ab ea quæ nigram fert: Candidum quidem nigro calidius & odoratius eſt, vel Lobelio teſte. Et hinc Cordo aſſentiri non poſſum, qui l.4.hiſt.piper album ignavius nigro exiſtimat, Dioſcoridem ſecutus, licèt eum in eo interim reprehendat, quòd candidum etiam ipſo longo ignavius putarit. Sed errat & Matthiolus, qui in hiſt. germ. piper rotundum album ante maturitatem colligi, ideóque nec tam acre & gratum eſſe dicit, quàm nigrum.

Candidi autem plantæ rariores ſunt, nec niſi certis Malavar & Malacæ locis raræ naſcuntur, autore

*Locus.* Garcia. Vidit Cluſius Vlyſſipone candidum piper, & inde ſecum attulit grano non rugoſo, ſed pleno, acriore & odoratiore quàm nigrum, Vlyſſipone tamen neglectum. Ex Indiis verò copioſum ſaltèm quod medicamentis ſufficeret, haberi poſſet, ſi Luſitani pharmacopolæ paulò diligentiores eſſent. Invenitur interdum Antuerpiæ apud Myropolas nigro permiſtum: ſic & racemos nonnunquam cum Zingiberis radicibus muriâ conditis, ibidem reperire licet, oblongos quidem illos & graciles, neque ita farctos, ut ſunt uvarum racemi.

*Synon.* Matth. Lac. Garc. Frag. Cluſ.ad Garc. Caſt. Lugd. Linſc.4.par.Ind.or.c.18.Tab.Turn.& Lob.obſ.Piper album. Piper rotundum album, Cord.hiſt. Piperis alterum genus candidum craſſiori grano, Cæſ. Piper 2. rotundum album, B. pin. cui & piperis alte- *C.Bauh.* rum genus, quod in Taprobana *Molaga* vocant, Lud.Romano. Sabanh pute, ſeu piper album, reliquis paulo exilius, in Sunda, part.4.Ind.or.c.8. Nos cum Cæſalpino piper in Taprobana, Molaga vocatum, à pipere hoc candido ſejungimus.

*Vires & Vſus.* Candidum piper ſolet magnatum menſis inferri: eo enim utuntur quemadmodum nos ſale: venenis reſiſtere & ocularibus medicamentis prodeſſe aſſerunt, quod & Dioſc. annotavit, atque utinam totam hujus plantæ hiſtoriam tam verè deſcripſiſſet. Ora-

*Aamom* tos autem omnes Medicos volo, ut piperis candidi loco (quod calidius eſt & odoratius) nigrum non præſcribant, niſi candidi ſit penuria. Similiter ne longum piper candidi aut nigri loco ſubſtituant.

PIPER

## PIPER INSVLÆ TAPROBANÆ candidius Molaga.

LVd. Vartom. lib. 6. Indicarum rerum de pipere inſulæ Taprobanæ ita tradit: In inſulæ Sumatrę urbe Pyder, procerioris piperis uberior eſt proventus, miráque copia: linguâ patriâ piper Molaga dicitur, i. e. longè procerius illo quod huc advehitur, multóque candidius, verùm inane ac mordax plurimùm, ſed ponderoſum minùs: venit enim inibi piper non pondere, ſed menſurâ, ut apud nos Triticum exponitur. Tanta eſt huius ubertas, ut inde anno ſingulo vicenæ naves onuſtæ evehantur; hæ Cataium proficiſcuntur, illic exponitur haud difficulter ob frigidius cœlum. Arbor verò, quæ piper hujuſmodi gignit procerius, craſſioris eſt caudicis, amplioráque folia, eadémque carnoſiora habet arboribus urbis Calecut. Cæſ. Piperis alterũ genus in Taprobana copioſum, & patrio nomine Molaga vocatum, quod maximè apud Tartaros diſpenſatur.

## PIPER CAVDATVM.





PIper caudatum nomen partim à ſapore, partim à forma invenit: grana ſunt pipere & albo & nigro plerumque minora, quędam ęqualia, ex rotundo ſublonga, & pediculum verſus turbinata, &, ut vulgare nomẽ præfert, caudata, coloris nigricantis vel fuſci, inter piper album & nigrum medij, cortice craſſiuſculo, extenſo, interdum nonnihil vel rugoſo, vel criſpo, medullam comprehendente, piperis vulgaris modo bicolorem, duriuſculam, in cuius tamen medio non conſpicitur vacuus ille ſcrobiculus: ſapor idem nihilominus cum pipere vulgato, iam etiam ſupra annum trigeſimum.

An Monachis in Meſ. diſt. 1. prima Cubeba Pandectarij, ſylveſtris fortè, cujus grana traduntur minora & ſicut piper acuta.

Olim Antuerpiam invectum piperis genus, quod Luſitani *Pimenta del Rabo* (de quo dubitat Scalig. exerc. 148. ne ſit Cubeba, quamvis nihil aſſerat.) caudatum piper appellabant: Cubebis ferè ſimile erat [*ita deſcribente Cluſio*] pediculo ſubnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulum rugoſum, nigricans, eâdem acrimoniâ quâ piper præditum, aromaticum, racematim (ut ab iis qui racemos habuerunt, didicit) cohærens. Amomum nonnulli periti perperam exiſtimarunt. *Amomum non eſt.* Cæterùm ſimiles uvas ſeptennio poſt ex Guinea recens allatas, accipiebat ab honeſtiſſimis iiſdémque humaniſſimis viris, VVilhelmo Parduyn & Petro Gareto, Piperis ex Guinea appellatione. *Piper Guinea.* Erant autem illarum quædam breves & unciales tantùm, nonnullæ verò tres uncias ferè longæ, tenui ſtilo inhærentes, longiuſculo petiolo grana rotunda, vel minora, vel craſſiuſcula continentes, vicena, tricena, interdum plura, legitimo quidem pipere minora, non minùs tamen fervidi ſaporis, duráve & ſolida, ejuſdem etiam penè coloris. An porrò ipſa planta perinde arbores & perticas ſcandat, ut ejus quod ex Orientali India adfertur, hactenus intelligere non licuit.

Quùm caudati piperis figuram curavimus parandam non viſa erat racemoſa Cluſij: *Icon.* ea autem cum à ſculptore minûs feliciter ſit effigiata (ceu in prima icone piperis nigri ſub ſigno crucis videre licet) Cluſij etiam figuram proponimus.

Anguillara, cui dicitur Amomum & Piperis ſpecies, *Amomum.* à Portugalenſibus *Pimenta del rabo* dictum, pro Pipere Æthiopico vendi ſolitum, ait *Piper Æthiopicum.* in Syria vocari Piper ſylveſtre; *Piper ſilv.* plantam deſcribi folio Vitis, quæ ipſi quondam viſa ſit Venetiis *Ang. not.* & Patavij. Lectores perpendant an Anguill. non exiſtimarit eſſe Ribes nigrum quibuſdam dictum, fruticem ferentem hoc Piperis genus, licèt baccæ ſucculentæ nullo modo reſpondeant. Lob. adv. Piper caudatum *Pimenta del Rabo* Luſitanis (Cluſ. ad Garz. Frag. Lugd.) dicta, Amomo apta planta, *Amomum.* Peper met ſterten vocata Belgis i.e. caudatum piper cujus folia prodidit eſſe foliis Vitis Anguillara. Eid. Lob. de Balſamo: Piper caudatum, Amomum creditum.

Apollo, ex Anguillara hæc pro ſuis venditat: *Apollo taxatur.* ſunt, ait, qui piper ſylveſtre Syrium, *Pimentum del Rabo* Luſitanis vocatum (cujus plantæ tum Venetiis, tum Patavij in hortis quibuſdam viſuntur) Amomum exiſtiment, ſuffrutex enim eſt vitigineis foliis, racemoſis floribus, candentibúſque, in acerrima ſemina Aphacæ magnitudine terminantibus: omni ex parte gravi, acríque odore præditus.

Lugd. Piper caudatum Cluſio. Imp. hiſt. nat. *Pepe di Rabo*, Piperis racemoſi genus, quod adferunt Luſitani, quidámque Amomum antiquorum exiſtimant, novum Piperis genus. B. pin. Piper II. racemoſum caudatum ex Guinea: Amomum Anguillaræ: *Pimento del Rabo*, Linſcot. part. 4. Ind. orient. fig. 15.

## PIPER LONGVM.

PIper longum nucamenta betulacea æmulatur, *Deſcr.* unciam aut ſeſcunciam longum, teres, aliquando planum, coloris fuſci vel cinerei, *Color.* reticulato verruculatur plexu, in ſuperficie aſperum, cujus pro numero grana pelliculis ſeorſim privatis incluſa, Sinapi granis paria, foris nigricantia, intùs *Grana.* ſubalbida, guſtu non cedente nigro vel albo, quanquam non ſtatim apparente: pendent autem hi juli ex pediculo gracili unciali, alteri fini inſerto. *Iuli.*

Dioſc. πέπερι μακρὸν dicitur, *Synon.* quod tandem in perfectum piper evadere credit.

Theophr. qui innuit longum piper diverſi generis eſſe, *Piperis longi genera diverſa.* vocat piper prælongum nigrum,

*Fructus Piperis germinantis.* ſemine papaveris. Galen. Fructus piperis jam germinátis eſſe piper longum contendit, quod ſi fraudulenter præpatatum ſit, ſi aquà maceretur, ſolvatur, ſi verò nativum ſit, indiſſolutum permaneat. Magnitudine verò Piper hoc aliud ſuperare ait corticémq; ſubtiliorem & minùs rugoſum habere.

PIPER LONGUM MONARDIS.




Qui proprias luſtrarunt regiones ubi piper longum (quod reliquis duobus eſt acrius) vireſcit, teſtantur apud Matth. aliam arborem à pipere nigro & albo eſſe, licèt Galenus & Dioſc. eandē plantam tam rotūdum, quàm longum piper edere crediderint. *Gal. & Dio. reprehenduntur.*

PIPER LONGUM CLUSII.



Planta, inquit Garcias, quæ longum piper profert, longè alia eſt, etenim non plus habet ſimilitudinis cum nigro & albo, quàm faba cum ovo. Nos piper longum, quod à viris doctis recipitur, non provenire in eadem planta, in qua album & nigrum, certò credidimus non lecto Garzià: erat enim nobis piper longum & rotundum, cum pediculis qui demonſtrabāt diverſam eſſe plantam: per illos enim apparebat, longum in rotundum non poſſe diffundi; ſemina etiam jam perfecta & matura medullà ſuà differebant. Vt D. Preſburger annotarat, Guilandinus piper Indum, Capſicum Actuarij, & piper longum Dioſc. idem eſſe tradit. *Piper Indum.* Cord. in Dioſc. facit piper longum nigro & candido omninò diſſimile. Idem verò hiſt. (ubi deſcribit) cenſet eſſe cum Dioſc. Galeno & Plinio rudimentum piperis albi & nigri. *Cord refut.* Sed ſi piper eſt immaturum cur granula medullà albâ plena? cur in uvis piperis granum ejus integrum apparet, ac etiam illa, quæ minora ſunt, inania & ideò Braſina. Lob. obſ. piper longum, μακρὸν πέπερι, Macropiper. *Macropiper.* Eid. adv. ang. Lang pepper; ger. Langen-pfeffer; Belg. Lange peper; Hiſp. *Pimenta*: Item piper longum à pipere nigro diverſa planta, folio Mori. *Folio Mori.* Tab. piper longum minus.

Et licèt Cæſalpinus, cui piper tertium longum dicitur, arborem à recentioribus deſcribi neget, ac Solinum & Plinium eam Iunipero tantùm ſimilem tradidiſſe ſcribat, non defuerunt tamen, qui eam delinearint. *Arbor Iunipero ſimilis.*

Piperis longi apud Aromatarios multi culei pleni conſpiciuntur: ſed & Batavi naucleri magnam ejus quantitatem cum aliis aromatibus anno 1597. ex Iava advexerunt, & ſingulis annis adhuc advehunt, quod cùm differat ab eo cujus Nicolaus Monardes meminit libro de ſimpl. med. ex Novo orbe delatis, ejus iconem ad vivum expreſſam ex lib. 1. exot. petitam, poſt piperis nigri iconem, hîc adjiciendam (inquit Cluſ. apud Garc. arom. l. 1. c. 22.) putavi. *Locus.* Botrorum maxima pars duarum unciarum longitudinem rarò excedit, tametſi inter recens allatos repererim ad trium unciarum longitudinem productos, nullum verò minimi digiti craſſitudinem æquantem, ſed graciliorem, & æqualis penè ubique craſſitudinis, plurimis granis Milij repurgati granorum inſtar, obliquè ſecundùm longitudinem diſpoſitis conſtantem, cineracei quodammodo externâ parte coloris, internâ albi, fervidi ſaporis. *Deſcr Botrorū Cluſ.* Plantam igitur (pergit Cluſ. exot. l. 1. c. 20.) quæ longum piper profert, ab ea in qua nigrum naſcitur, longè diſſimilem eſſe ſcribit Garcias, ſed (quod ejus viri pace dictum volo) plurimùm fallitur, meâ quidem ſententià. *Deſcr plantæ.* *Error Garciæ.* Nam plantæ longum piper ferentis ramulum pedalem ternis foliis & binis fructibus præditum anno à nato Chriſto 1601. Amſtelredami dono accipiebam ab eruditiſſ. viro Doctore Lamberto Hortenſio, qui eodem anno ex Iava redierat, ibidem ab ipſo decerptum: acceperunt & nonnulli ab aliis illo etiam majores, ſed omnium folia à piperis nigri foliis non multùm differre mihi videbantur, niſi quòd paulò teneriora dilutioréque viriditate prædita eſſent, meâ opinione, tum etiam breviore pediculo ſubnixa, atque etiam pluribus nervis inſignita: nam à medio illo nervo ſolium à pediculo per longitudinem ſecante, non modò quaterni alij nervi exoriebantur, ſed utrinque quini & ſeni, interdum etiam & plures, pro foliorum videlicet amplitudine, illi tamen minùs eminentes quàm in nigri foliis, & inæquali ortu nati, multis etiam obliquis venulis per ſolium tranſverſim evagantibus: & licèt reſiccata eſſent ea ſolia, ac per multos menſes inter chartas adſervata, non levi tamen acrimonià erant adhuc prædita. *Acrimonia.* Fructus qui juli quodammodo formam æmulabantur, oriri etiam conſpiciebantur ad ſingula internodia, non in folij alâ: ſed quemadmodum in pipere nigro, ex ipſius folij oppoſita parte, in altero videlicet ramuli latere, atque etiam alternis perinde ac in pipere nigro: erant verò illi fructus modò longiores, modò breviores, quaſi ex multis granulis eleganti ſerie ſecundùm pediculi longitudinem congeſtis conſtantes, virides tamen, quia ante maturitatem iecti, in quibuſdam autem ramulis adeò tenellum fructum conſpiciebam, ut jam primùm natus videretur, quùm ramuli abrumperentur. Horum etiam ramulorum internodia ſive articuli breviore ſpatio ab invicem videbantur diſſiti, quàm in nigro. Nulla autem iſtius piperis ſarmenta vidi, ſed, ut dixi, ramulos duntaxat ab ipſa planta abruptos, quorum magis integrum in tabella adpoſita à perito pictore exprimi curabam.

Bry. frat. Icon. Ind. Orient. de pipere longo hæc habent. Chiabe eſt piper longum, creſcit in Iava, à præſtantioribus & opulentioribus incolis præfertur, quippe quòd rotundo Pipere ſalubrius putent. *Chiabe.*

C. B. pin. Piper 3. longum orientale: Piper longum, Matth. Lac. Cord. hiſt. Lob. Garz. Frag. Cluſ. ad Garz. & exot. l. 1. c. 20. Linſcotto & Iavenſibus Pepileni. *Synon.* Piper longum orientale, Caſt. Macropiper minus, Tab. Hujus arboris facies longè alia exiſtit Linſcoto, non autem Cluſio.

Garciæ, qui longum piper *Pimpilim* vocari ait, in Bengala naſcitur, quæ regio quinquaginta leucarum ſpatio à Malavar diſtat, ubi candidum & nigrum gignuntur. prætium longi piperis in Bengala eſt unius aurei cum ſemiſſe in ſingulas centenas libras. *Locus.* Aloyſ. Cad. Piper longum in Same invenit.

P.per

*ires & ru-* Piper longum intenſâ mordacitate præditum eſt & ſubamarum, quoniam immaturum: antidotis item & theriacis medicaminibus accommodatum, Dioſc. Nonnulli ſtatim ab initio curationis uvulæ relaxaræ ab inflammatione pulvere piperis lõgi auxiliari conantur, quod quidem periculo non vacat.

## PIPER EX FLORIDA.



*ſer.* STyli ſunt palmaris longitudinis, plus minùs, haud ita Myoſuri ſpicæ abſimiles, craſſitudine pari, fuſci, veluti pulvere criſpati, nudi tamen & politi circa imum, obſequioſi, ſapore acriuſculo, ad piper accedente. In Muſæi mei theſauro habeo à quadraginta ferè annis titulo, *Poivre de floride*.

*Piper gum nar-?* Conſiderandum an hoc piper ſit idẽ cum pipere longo Monardis quod ſic deſcribit:

Toto Continentis tractu (in quo Nata, Carthago) & etiam in Novo regno, magnus eſt uſus piperis cujuſdam oblongi, quod majori acrimoniâ præditum eſt Orientali, magiſque aromaticum, & jucundiorem odorem ſpirat, *pſici re.* quàm Axi, ſeu Capſicum; quinetiam præfertur piperi nigro, cùm ſaporis, tum ſuavitatis causâ. Altæ cujuſdam plantæ fructus eſt, oblongus, craſſitudine quidem funiculi, at dimidij pedis longitudine, conſtans veluti multis granulis, circa pediculum oblongum conjuncto & continuo ordine diſpoſitis, ſeminis plantaginis modo; quibus ademptis, pediculus nudus conſpicitur. Recens viridis eſt, ſole matureſcit & nigreſcit. Calidum eſt tertio gradu.

*plantæ egrina ſit?* AN eſt porrò illa plantula peregrina, de qua Cluſ. exot. l. 4. c. 11, ita ſcribit: Habet hæc plantula cauliculum uncialis longitudinis aut ampliorem, valdè gracilem, ſuſtinẽtem ut plurimùm binas, oblongas, graciles, quincuncialéſq; veluti ſpicas, longo pediculo ſubnixas, adeò obliquè quaquaverſum, ſtriatas & rugoſas, ut exilium lumbricorum ſiccatorum, aut teretium limularum formam quodammodo referant, coloris fuſci & fuliginoſi, ſubacris & calidi ſaporis, odore autem Melilotum penè referentes. Quoniam autem Iacobus Garetus, qui plantulam Cluſio mittebat, nullum nomen adſcripſit, nec unde habeat ipſi ſignificavit, ideò ad cujus plantæ genus hæc referri poſſit, ignorat, quod nemo inficias ibit, cùm difficilè ſit, de plantis nunquam antea conſpectis, eiſque mutilis & corruptis, certi quidpiam ſtatuere.

PLANTULA PEREGRINA Cluſij.



Monard. Ital. vocat ſuam plantam *Pepe longo di Carthagenia*: Item ex verſione Cluſij, Piper quoddam oblongum. Ejus autem iconem antè poſuimus cum figura piperis longi, quæ ſanè non ita reſpondere videtur, ut deſcriptio. Lob. obſ. & ic. Piper longum Monardis. Cæſ. Indiæ Occidentalis quoddam genus piperis, quo indigenæ loco piperis utuntur. Lugd. ex Monard. Piper longum. Tab. Macropiper majus. Hic cum Lob. & Lugd. proponit figuram Monardis. B. pin. Piper 4. longum occidentale (ſic & Caſt.) dimidij pedis longitudine: Piperis longi genus ex Carthagine, Frag. Piper longum incolis *Chiabe* dictum, Linſcot. 4. part. Ind. or. fig. 20. Ego hoc ad præcedens piper longum refero. Cæterum B. pin. plantulam peregrinam Cluſij, ad piper longum Felfel Alpini pertinere ſcribit. *Synon.*

## PIPER ÆTHIOPICUM ſiliquoſum.



SIliquæ plures ex uno tuberculo pendent unciarum duarum, trium, quatuórve longitudine, rotundæ, pennæ anſerinæ craſſitudine, nigricantes, incurvę aliquantum, thorulis pro contẽtorum ſeminum numero diſtinctæ, alioqui etiam rugoſæ, fibris longis, lentis, fractúque cõtumacibus contextę; interior ſubſtantia ex rubro nonnihil eſt cinerea: ſemina diſtinctis comprehenduntur loculis (carnoſo pariete unumquemque diſtinguente loculum) ex rotundo oblonga, difficulter è ſiliqua avellenda, magnitudine minimi Phaſeoli, foris nigra & nitida, medullâ duriuſculâ ruffeſcente, textura cancellata (præſertim juxta pelliculam, quâ integitur) favos apum imitata. Sapor tam ſiliquæ, quàm ſeminum ad Piperis nigri ſaporem accedit. *Deſcr.* *Sapor.*

An Lon. Cubeben? Certum ſiquidem eſt figuram apud eum non eſſe Cubebarum vulgarium, dubitamus igitur an piperis Æthiopici, licèt non placeat icon, nec etiam noſtra, quæ per ineptum ſculptorem corrupta. Lob. adv. & ic. Piper Æthiopicum [*ita etiam Tab.*] Matthioli; Amomum officin. nonnullarum & Longa vita. *Cubeba.* *Piper Æthiopicum.* *Amomum.*

*Habzelin* (inquit Guill.) granum nominatur Serapioni Piper Æthiopicum. Verùm Piper Æthiopicum revera eſt aliud, in Barbaria dicitur *Crony*; formâ ſpectatur Phaſeoli. Memini Venetiis Agyrtam ſiliquas pro Balſami fructu venditaſſe quæ res & doctis, ut audio, impoſuit. *Impoſtura.*

Siliquas nigras quas pro Carpeſio Paul. Heſſus ad Matth. miſit, cur probet legitimum eſſe Carpeſium, nihil penitùs argumenti ſibi ſeſe offert. Etenim quum Galenus Carpeſium, præter id quòd herba ſit figurâ & facultate Phu ſimilis, ſeſtucis vel ſtipulis tantùm conſtare aſſerat, non ſiliquis, neque granis, non videt, quo pacto ejus acquieſcat ſententiæ, præſertim quum jampridem compertum habeat, haſce ſiliquas nil aliud eſſe, *Carpeſium non eſt.*

*Piper Nigrorum, Serap.* quàm Piper nigrorum ita Serapioni vocatum, qui ejus hiſtoriam poſteritatis memoriæ commendavit his verbis: Æthiopicum Piper Barbari nominant *Croni*, & eſt in forma ſua Phaſeolis non abſimile, ſemina tamen minora habet, & cortices, ſiliquáſve breviores, colore nigro & guſtu ferè acri; veluti piper, atque è Nigrorum plaga advehitur, dentium doloribus non inutile. *Vires.* Quæ quidem notæ adeò conſpicuæ ſunt in hiſce ſiliquis, & granis intus concluſis, ut nullus relinquatur dubitationis locus. Adde quod manſum (ut experimento conſtat) dentium dolores perinde ac Pyrethrum in maſticatoriis mulceat. *Dolor dentium.* Et non ex Syria vel Pamphylia (ubi Carpeſij plurimum provenire teſtatur Galenus) ſed ex Æthiopia adferatur.

*An Piper Cardano Diepæ viſum?* An hoc intelligit Cardanus, cùm dicit. Vidimus Diepæ piperis genus quoddam ex India allatum, muccoſum & pingue valdè, in vaginulis contentum quæ nigræ erant, cùm ipſum piper colore eſſet ferrugineo & majus noſtro quod ex Oriente defertur. Itaque cùm plurimum habeat humidi concocti, gratius eſt ventriculo jecoríque: & maximè, quòd ſaporis ſit mitioris & longo piperi ſimilis. Eſt nobis piper Æthiopicum ſiliquoſum, pulcherrimum à Paludano miſſum ſapore acri, vegeto.

*Syn. C.B.* B.pin.Piper 6. oblongum nigrum. An Piper longum, Dioſc. Habzeli & Piper nigrorum, Serap. Piper æthiopicum, Matth. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Crone & Granum Aneſcen Avicennæ, Ang. Carpeſium, Cord. hiſt. Piperis aliud genus æthiopicum, Frag.

## PIPER LONGVM FELFEL Tavil, Alpini.



*Deſcr.* Eſt quædam herba in viridariis quibuſdam cuſtodita, junci foliis, ſed craſſioribus, è quibus ſectis ſuccus quidam flavus manat, valdè acris ac exurẽs, *Folio junci.* totáque planta eſt calida in quarto gradu, magis quàm piper exurens. *Temperamentum.* Ea utuntur emplaſtri modo appoſita, ad coxendicis dolorem, nec non ad frigidos articulorum dolores; *Morbi frigidi.* corrigũt verò nimium ejus calorem oleo roſaceo, vel myrthino.

*Synon.* B.pin.Piper 5. longum anguſtiſſimum ex Florida: Piper longum, Felfel, Alpino. Plantula peregrina, Cluſ. ex l.4.c.11. De Pipere ex Florida, ceu & plantula peregrina Cluſij, nos ante diximus.

## FRVCTVS SQVAMMOSVS cum granis piperis nigri; An Braſma Dioſc.

*Deſcr.* E VValachria delatus fructus, quem VVillelmus Parduynus, Cluſ. exot. l.2 c.22. communicabat; exilis erat, ſemunciam magnitudine non ſuperans, exiguæ & immaturæ Nuci Fauſel non valdè diſſimilis, *Nuci Fauſel ſimilis.* exalbidi coloris, calice præditus quatuor ſquamis conſtante, continens aliquot grana fuſca, rotunda, inſtar Piperis nigri, ſed valdè rugoſa, quia forſitan immatura, intus, alba, acris ſaporis; An Braſma Dioſcoridis?

*Synon. C.B.* An B.pin.Piper 9. abortivum: *Βράσμα* Dioſc. piperis ſcil. nigri genus caſſum ſeu inane & leve, ob nutrimenti defectum. Breſmæ, ſive Braſina, Cord. hiſt.

## LOBVS ÆTHIOPICO PIPERI ſimilis, acris.

*Deſcr.* Lobus (inquit Cluſ. ex.l.3.c.16.) non valdè diſſimilis Æthiopici Piperis lobis: nam & illorum inſtar articulis diſtinctus, & grana in ſingulis continebat nigra, craſſiuſcula, rugoſa, acris ſaporis: alioqui lobus craſſior erat piperis Æthiopici lobis, cortice denſo conſtans, foris rugoſo, coloris ex rufo nigricantis, ſupernâ & infernâ parte duplici nervo à pediculo ad extremum lobum excurrente: pluribus aliquot articulis præditum fuiſſe veriſimile; nam poſt quartum articulum præciſus fuerat. Hujus figura comprehenditur in ſequenti tabella, *Icon.* 1. loco. B.pin.Piper 8.

## CROPIOT RVGOSVS FRVCTVS acerrimus ſemine ſimili piperi Æthiopico.



*Cropiot.* Exoticus fructus Cropiot, quem (autore Cluſ. exot. l.2.cap.21.) orn. vir VValichius Syvertz anno 1599. de nautis ex America redeuntibus redemerat; parvus & rugoſus erat fructus, *Deſcr.* nõ valdè diſſimilis ſingularibus ejus fructûs articulis, quem piper Æthiopicum appellant, & Avicennę eſſe putatur, magnâ acrimoniâ præditus; nigrumq́; ſemen continens, ut piper Æthiopicum. Solere autem incolas eũ fructum admiſcere Tabaci foliis, adſcriptum erat: quum illius fumum haurire vellent, ad capitis dolorem leniendum. *Uſus.* Erant autem aliquot ejus fructus funiculo trajecti, ut in icone videre eſt: quod incolas feciſſe arbitratur ad eos commodiùs reſiccandum, vel ut in promptu haberent, quando illis utendum. Hujus icon 2. loco exprimitur.

## BODAGLAM FRVCTVS EXOTIcus, Paludano.



*Deſcr.* Piperis ferè magnitudine fructum exoticum nobis miſit Paludanus, cinereum, imâ parte anguloſum nullo pediculo donatum, ſupernâ amplo hiatu cavernoſum, intergerrinorum quorundam parietum beneficio in tres cellulas diſtinctum, apertum, cæteroqui per ambitum

tum ita æqualem, ut cultello diſſectum, & mediam quandam fructûs portionem dicas. Cellulas porrò ſeminij quiddam continuiſſe ſuſpicio eſt, quæ fortè exciderant, aut ad maturitatem non pervenerant. *...rma Meſpili.* Totius alioqui ſtructuram non malè fortè quis Meſpilo compararit, niſi quòd totus hic cavernoſus, & ſeminij (ſi quod fuit) nil niſi vaſculum corticoſum eſſe videatur, qui dentibus facilè atteritur, *...por.* ſapore eſt acriuſculo & ferè evanido. Eſt & gemellus, & compreſſiones quæ circa angulos imâ parte apparent, plures cohæſiſſe immediatè & ſine pediculo manifeſtè arguunt.

## MVNGO.

EſT ſemen, inquit Garcias, viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri ſicci magnitudine. Naſci ferunt in Palæſtina. *Avicenna ...tio va-a.* Ejus meminit Avicenna l.2.c. 481. vocátque *Meſſe* [*Meiſce habent noſtra exemplaria & additum margini Mes, Mex, Cluſ.*] Bellunenſis ejus interpres *Mens* (Mex autem dici debere ab eruditis Medicis Arabibus edoctus ſum.) Huic lectioni accedit ipſum ipſius Avicennæ teſtimonium qui l.1.Fen.3.doct.2.c.7. ꝓhibet ne aves cũ Mex edantur, ꝗ periculum ſit, ne crudum adhuc Mex cum earum chilo ad hepar rapiatur: *...ditur ab ...iculis. ...abulum ...uorum.* pabulum eſſe equorum; interdum tamen etiam ab hominibus edi: Guzarate & Decan incolas in febribus hoc modo uti. *...ebres.* Febricitans cibo abſtinet per decem, nonnunquam per quindecim dies: poſt quos hujus fructûs *...ecoctum.* decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſerit: deinde cortice delibratum Mungo & inſtar Orizæ coctum febricitanti exhibetur: panis verò triticeus non niſi poſt multos dies adminiſtratur: non quod frumento careant hæ provinciæ: nam etſi non ſtercorentur & colantur agri, quemadmodum apud nos, ſed ſuperficie tenus duntaxat arentur, nativâ ſuâ pinguedine & ubertate etiam interdum ſine pluviâ frumentum Novembri menſe ſibi commiſſum, medio Ianuario colligendum & maturum exhibent. *...emperamentum.* Mungo frigidus eſt, quantum ex ejus facultatibus colligere licet.

B.pin. capite de Cubebis quarto loco dicitur Fructus niger Coriandro ſimilis.

## HAERMIA SERAPIONIS, ſive Piperella.

*Deſcr.* HAërmię nomine datum granum, piperi eſt ſuppar, Coriandro paulò majus, aliquando æquale, rotundum, colore fuſco vel citrino, pediculus tenuis qualis piperi caudato, ab ejus veſtigio ad adverſum mucronem breviſſimum producuntur pulcherrimæ ſtriæ crebræ, atque huic quidem cortici ſeparabili ſubſtantia ſubeſt compreſſa, ſolidiuſcula, punctis rubentibus guttata, in qua eſt ſinus exſculptus, ad medium uſque penetrans: *Sapor.* ſapor apparet adhuc aromaticus, ad Garyophyllorum ſaporem accedens, etiam in iis granis, quæ totos jam triginta annos & plures aſſervo, Lugduni per D.Val. Dourez data: Cluſius ait granum contineri nigricans calidi guſtûs. *Icon.* Icon eſt cum Pipere nigro ubi ſtellâ notatur: ineptus ſculptor malè eam imitatus eſt.

*Haermia, vel Piperella Serapionis.* Haërmia, vel Piperella Serapionis eſt in figura ſua ſicut figura piperis minoris, niſi quia eſt in colore ſuo quaſi citrina. Eſt autem granum parvum, minùs pipere odoriferum, cujus odor eſt ſicut odor ligni Aloes. *Lugd. not.* Lugd. Mungo ſimilis fructus. Cæterùm non placet noſtra Haermia pro Mungo: quia hoc ſemen Valerandi non mihi videtur aptum febricitantibus, & equorum pabulo, quod prædicatur de Mungo. *Amomum.* D.B. Paludanus 1598. miſit nobis pro Amomo.

Miſſus eſt Valerando Dourez ex Ormuz (inquit Cluſ. exot.) fructus piperis magnitudine, rotundus, ſtriatus, qui Coriandri grana ita æmulatur, ut primùm intuentibus Coriandrum videatur, majus tamen & nigrum, *Coriandrũ.* membrana ſuperior granum continet nigricans calidi guſtûs. Non ineptè quadrare videtur Negundo: ſed neque etiam huic Mungo: *Negundo. Mungo.* cui exactiſſimè conveniret, niſi calidus eſſet, Mungo verò frigidus, quantum ex ejus facultatibus colligere licet.

*Syn. C.B.* B.pin. Piper 7. ſive Piperi ſimilis fructus ſtriatus: Haermia Serap. Fructus cap. de Mungo additus, fortè Negundo, Cluſ. ad Garz. Caryophyllus Plinianus ſive Negundo, Imper. Negundo, Garz. Acoſt. Fragoſo. Nos de Negundo & Mungo ſub ſuis titulis.

In Haermia duas eſſe virtutes contrarias ſcriptum reliquit Serapio. nam teſtatur eam & caliditate & *Vires & Temper.* frigiditate participare; interim nec humiditate carere, in doloribus frigidis gutturis & ventris ſiccitate utilem eſſe: nonnihil eam abſtergere.

## NEGVNDO ARBOR MAS ET fœmina.





*Locus. Deſcr. Garciæ.* PRovenit in Balaguate & Malavar arbuſcula q̃dã Perſicæ magnitudine, frequentibus ramis, qui reciſi frequentiores lætioréſque enaſcuntur, foliis Sambuci, ſimili modo per ambitum ſerratis *Sambuci folio.* & aliquãtulum hiſpidis: flos ex cinereo candidus, fructus niger, piperis magnitudine, aut *Fructus.* paulò major. Malavar incolæ eum ſuis eduliis Caril nuncupatis inſpergũt. Hæc Garcias.

De Negũdo hæc tradit Acoſta; Duæ arbores multis Indiæ locis, præſertim verò provincia Malabar inveniuntur. *Acoſtæ Negundo duplex.* Earum prior mas cenſetur Amygdalę magnitudine, foliis ſupernè virentibus internè lanuginoſis & hirſutis, foliorũ Salviæ modo, in ambitu ſerratis, quæ procul aſpicientibus Sambuci foliis ſimillima videntur. *Salviæ folio.* Altera Negundo fœmina nuncupata. Eadem magnitudine quâ prior aſſurgit, *Fœminæ folio populi.* folia verò habet ampliora, rotundioráque, neque in ambitu ſerrata, foliis Populi albæ perquam ſimilia: utriuſque folia Salviam odore & ſapore referunt,

magis amarâ quàm mari & acria: in plurimis foliis parte aversâ ſummo manè inhærens conſpicitur ſpuma quædam candida, quæ nocte ex illis emanat; flos cinerei coloris, plurimúmque ad Roriſmarini florem accedit; fructus ſimilis piperi nigro, acris guſtûs, minimè urentis uti Piper, at Zingiberi propemodum patis.

*Roriſmarini flore.*

*Nomina linguar.* *Vitex non eſt.*

Vulgare nomen eſt, teſte Garcia, Negundo quam nonnulli in Balagate *Sambali* appellant; in Malavar *Noche*: qui Viticem eſſe contendunt, multùm errant. Acoſta ex verſ. Cluſij, duas arbores facit: priorem marem cenſet & à Canarinis *Varalo Nigunda* appellari refert: alteram Negundo fœminam nuncupat quam ait *Nochilla* à Luſitanis, vulgo in Canaria *Nyergundi* dici; in Balagate *Sambali*, in Malabar *Noche*: utramque verò tam marem, q̃ fœmina ab Arabibus, Perſis, & Decan incolis *Bache* vocari; Turcis *Ayt*.

Si Acoſtæ icon legitima eſt, folia quæ dicit Populi, ego potiùs Iuglandis dicerem, à forma quà prædita ſunt & materia. Meritò Negundo ſubnectenda ſubjiciendáve hiſtoriæ Haermię Serapionis, quandoquidem fructus qui exiſtimatur Haermia, traditur à Cluſio & Imperato pro Negundo, quemadmodum & Cariophyllum quoque Plinianum quorundam, aliis Amomum Luſitanicum cenſetur.

*Cariophyllum Plinij quorũdam aliis Amomum.*

*Vires.* *Vſus.* *Contuſio.* *Tumor.* *Vulnera.*

Multis facultatibus prædita eſt hæc arbor, teneriorum ramulorum cum foliis decocto, aut ipſis elixis, aut contuſis, utiliſſimè contuſa foventur, modò non adſit vulnus. Friguntur interdum iidem rami cum foliis in oleo, & contuſionibus applicantur, reſolvunt enim tumores & curant. Frequens eſt adeò hujus uſus, ut in omnibus doloribus, frictum cum oleo, aut elixum exhibendum cenſeant. Non deſunt qui ſupra vulnera admoverint, unáque nocte dolorem ſuſtuliſſe, materiámq; digeſſiſſe affirment: deinde foliis contuſis, ipſis vulneribus impoſitis ita ea emundaſſe, ut brevi ad cicatricem perducta ſint. Vtilem perhibent eſſe mulieres ad juvandum conceptum, ejus enim ſucco aut decocto epoto, uteros ad conceptionem præparari. Ego (ait Garcias) malim præmandi, valentiùs enim futurum exiſtimo medicamentum. Maſticata folia oris halitum commendant. Acrimoniæ verò cujuſdam participant veluti Naſturtium: unde manifeſtum eſt calidam eſſe hanc plantam. Experti ſunt nonnulli veneris ſtimulos & impetus cohibere, eámque ob cauſam Viticem eſſe contenderunt. Arborem moderatè calidam faciunt, ut notat Acoſta, & ſemini paulò plus caloris tribuunt. Folia, flores, fructus, contuſa aut in aqua decocta, vel in oleo fricta, utiliter imponuntur omnibus doloribus ex quacunque cauſa provenientibus: præſertim verò in articulorum doloribus ex frigida cauſa natis, atque in tumoribus & contuſionibus mirabiles præbet effectus. Vlceribus etiam vetuſtis folia trita imponũtur, felici ſucceſſu, quandoquidem eorum materiam digerunt, eáque emundant, & ad cicatricem perducunt, modò corpus non ſit impurum. Et ſanè in vulneribus, apoſtematibus, & contuſionibus adeò utilem experiuntur, ut Chirurgorum operam minimè requirant. Mulieres horum foliorum decocto omni tempore univerſum corpus lavant: tantáque invaſit perſuaſio apud illas, Negundo folia, flores & fructus, utilia eſſe ad juvandum conceptum, ut eum, qui contrarium perſuadere conetur, lapidibus obruturæ ſint. Obſtetricibus etiam, quas illi Dayas vocant, apprimè nota eſt hæc arbor. Adeò frequens eſt hujus arboris uſus ad medendum in illis regionibus, ut niſi Deus præciſos ramos multiplici fœtura renaſci faceret, jam diu fuiſſent conſumptæ arbores, aut certè maximi pretij nunc eſſent. Sed quo magis præciduntur rami, eò feliciùs renaſcuntur, perpetuáque fronde virent.

*Oris halitus.* *Venerem cohibet.* *Temperamentum.* *Dolores frigidi.* *Vlcera.* *Vulnera.* *Conceptum iuvat.*

## CVBEBÆ. CAP. XLVII.

*Deſcr.* *Piperis grano.* *Sapor.*

Cvbebæ grana ſunt Piperi ſimilia, interdum paullò majora, pediculo longo ſtili in ſtar donata, cortice fuſco, rugoſo, interdum erugato, extenſóque, nucleo ſubjecto exiguo, rotundo, foris nigricante, intus albo: aliquando caſſa reperiuntur, equè efficaci vel etiam efficaciore ſapore prædita, quàm nucleata, ſuavi, aromatico, acri, ſed qui Piperis acrimoniæ multùm cedat, pertinaci tamen.

Conſiderandum an Cubebæ pingantur cum Pipere caudato?

*An Cubebarum noſtrarũ meminerit Avicenna?*

Cubebarum quidem meminit Avicenna: verùm non deſcribit: quare conſiderandum an vulgares Cubebas intelligat, vires ſiquidem reſpondere videntur.

*Myrtus ſil. non eſt.*

Myrti ſylveſtris fructum ait Hermolaus Cubebas Mauticè vocatas, quod quàm verum ſit, diligenter animadverti cupit, præſertim ab iis diſſentiens, qui hoc affirmant; Galenum certè id, quod Cubebas Medici appellant, Carpeſium vocare tradit, eſſe autem odoratum ſemen Carpeſium, h.e. Cubebam, quam Paulus & Carpeſiam quandoque vocatit: Mauros ſylveſtris Myrti baccas, Carpeſium, & Cubebas eſſe putaſſe.

*Serapionis error de Oxymyrſine.*

Serapio (atteſtante Braſſav.) magno errore, arborem ferentem Cubebas, eſſe Dioſc. Oxymyrſinem arbitratur. Recentiores etiam (ut Pandect. & alij) cum Serapione Carpeſium Oxymyrſinem eſſe putant, & tamen Cubebæ Oxymyrſine eſſe non poſſunt: nec Carpeſium Galeni.

*Ruſcus non eſt.* *Compeda.*

Actuarius, referente Ruellio, Carpeſium à Barbaris jam ſuâ ætate Cubebas vel Combebas dictas, eſſe profeſſus eſt, & hoc nomen officinis vulgatiſſimum, longè aliam rem eſſe à Ruſco. Carpeſium autem Actuarij & Nicolai Myrepſi Combebam vel Compedam nuncupari, & officinis Cubeba dici, teſtatur etiam Fuchſius de comp. med. qui Actuarium diſertè feciſſe ſcribit quòd Combebas alio nomine Carpeſia dici annotarit. Sed licèt Actuarius κόμϐεϐας, vel κόμπηϐα etiam καρπήσια vel καρπίδια vocari ſcripſerit, Galeni tamen καρπήσια, aut Dioſcoridis Oxymyrſine, ſeu Myrti ſylv. fructus (nam eum Carpiſiorum nõ meminiſſe legitur apud Silvium de comp. med.) Cubebæ eſſe non poſſunt, id quod Serapio & alij quidam Neoterici exiſtimant. Cubebas verò longè diverſos eſſe à Carpeſio fructus, Cord. Lob. & Pena confirmant: exiſtimat autem cum Pena Lobelius fieri poſſe, ut ſit nigro piperi congener. Eſt ipſi in obſ. Cubeba officin. piper Hippocratis ſimpliciter & Piper rotundum Theophr. Guillandino.

*Piper Hipp.* *Piper rotũdũ Theoph.*

*Monachi taxantur.*

Veris, aiunt Monachi, Cubebis, ſi Plateario credimus, caremus: communes Cubebæ non ſolùm non habent acutum ſaporem, ſed cum quadam pauca amaritudine inſipidæ ſunt, & nullam præbent aromaticitatem: tres autem Cubebarum ſpecies eſſe ſcribit Pandectarius ex autoritate Plinij [*apud Plinium non invenimus*] quarum ultima, quæ pro domeſtica ſcribitur, poteſt eſſe communis Aromatariorum. Heus quàm depravatus, ſi non penitùs abolitus Monachorum guſtus & odoratus. In Cubebis vulgaribus acrimoniam & aromaticum ſaporem ac odorem comperimus, quem concedunt & obſervarunt Hermol. Sylv. Fuchſ. Matth. & Cæſalpinus.

*Error multorum.*

Quid hac tempeſtate ſit Carpeſium arduum ſanè fuerit Matthiolo explicare. Tametſi Hermol. Ruell. Fuchſius ac etiam Monachi pro certo exploratum habent, Avicennæ, Serap. & Actuarij autoritatibus innixi, fructus piperi ſimiles, qui vulgò Cubebæ vocantur, legitimum eſſe Carpeſium: verùm eos in errore verſari exiſtimat, qui credunt (ut Hermol. Ruel. & Fuchſius) vulgares Seplaſiariorum Cubebas, illas

refer-

referre, de quibus ſcripsêre Serapio, Auicenna & Actuarius, quandoquidem qui dixerit Cubebas fructum vel ſemen eſſe, eorum reperit neminem: nec minùs probari poſſe putat, id uſquam dixiſſe Galenum: cujus ſtirpis fructus vulgares Cubebæ ſint, quid affirmare velit. non habet; cùm ex Orientali plaga peregrinæ afferantur. Hæc Matthiolus qui ſcribit Monachos noſtras Cubebas recipere, quod falſum eſt. Scribit Robertus ſub vocabulo Opocarpaſi, καρπησία aut καρπήσιον aliud eſſe, quàm Opocarpaſon; Actuarium κομβίβας appellare, & Nicolaum Myrepſum: ſed Combebas, ſive Cubebas Mauritanorum, vel καρπήσιον Græcorum differre à Cubebis officinarum: καρπήσιον enim herbam eſſe Phu appellato generi ſimilem.

*Matth. reprehenditur.*

Cubebæ (tradente Linſchott.) creſcunt in Iavæ ſylvis ſua ſponte ad ripam Sunda. Vocatur ab incolis *Cuciumbi & Cumuc*. Malayvicè, *Cubachini*. In Sunda ſaccus plenus, Barhrut (menſuræ genus eſt) ponderis 56. librarum dum carè venditur & in ſummo pretio eſt, ſex aut ſeptem millibus caxas divenditur. Arbores earum pomis noſtris haud abſimiles ſunt: racematim cohærent grana, ſicut uvæ vitium quæque tamen proprio hærent pediculo. Iavæ incolæ Cubebas coquunt antequam divendant, ne & alibi locorum ſeminentur atque proveniant.

Ab Arabibus Medicis, ut Garcias ſcribit, appellatur hic fructus *Cubebe & Quabeb*; à vulgo *Quabebechini*: in Iaoa, ubi frequens naſcitur, *Cumuc*; à reliquis Indis, præterquam in Malayo, *Cubab ſini*, & etiam à quibuſdam *Cubachini*, non quòd in Sina vel China naſcatur, ſed eò perferatur: ſylveſtris autem eſt planta, & ſpontè naſcens, non domeſtica, neque multorum generum, uti falsò Monachi putarunt: neque eſt folio Myrthi: fructus autem neque piperis genus, neque Carpeſium, neque Viticis ſemen, ut quidam aſſerere auſi ſunt, quorum ſententiam utriuſq; hiſtoria & facultates planè diſſimiles ſatis convellunt. Putat Silvaticus ex Arabum auctoritate Cubebas nihil aliud eſſe quàm Dioſcoridis Myrtum ſilveſtrem, quem Ruſcum vocant; aut Carpeſium Galeni. Sed fallitur.

*Monachi reprehenduntur.*

Apud Acoſtam It. appellantur Cubebæ aromaticæ & venereæ; vulgo Arab. *Cubeba Chini*; incolis *Cubal Chini*, non quòd in China proveniat &c. Hæc ille qui ſua ex Garcia deſumpſit. Ruellium autem & Monachos taxat, quòd exiſtimarint Carpeſium eſſe Cubebas Serapionis & Avicennæ, quia ubi Galenus ponat Carpeſium, Serapio ſcripſerit Cubebas. Verùm Cubebas fuiſſe cognitas Dioſcoridi, & Galeno ſcitè negat. Lacuna per Carpeſium intelligit radices, & ideò concludit pro Carpeſio ſumendas Cubebas Arabum. Monachi dicunt ſe vidiſſe varias ſpecies Cubebarum, quaſdam ſine ſapore, alias amaras, & alias bonas. Sed fieri potuit amaras fuiſſe corruptas, bonas recentiores & meliùs conſervatas. Ant. Muſa & Serapio dicentes nos habere Cubebas, hallucinantur, confundúntq; Carpeſium cum Myrto ſilveſtri. Pandectarius exiſtimans Galenum vocaſſe Cubebas Cauti, errat, quia eſt ſpecies Dauci ſylveſtris: Qui volet videre varietatem opinionum legat Monachos in Meſ. de Cubebis, Braſſavolam, Ant. Muſam, Platear. Pandect. Luminare majus, Sim. Ganuenſem, Serap. Galen. Avicen. Matth. Sylv. Hermol. Lacun. Matthiolum & alios.

*Ruell. & Monachi notantur.*

*Pãdectarij error.*

Cubebæ noſtræ non ſunt Carpeſium Galeni: ſed nec ut Scalig. ſomniat, Plinij Caryophyllon. *Pimento del rabo* Luſitanis, quod ſignificat piper caudatum, valdè veretur idem Scaliger ne ſit Cubeba, nihil aſſerit tamen. Officinæ pro Cubebis ſubſtituerunt grana quædam odorata, formâ piperis, quem legitimi Amomi fructum putat Cæſalpinus. Sed & Cubebas vulgi; quas Medici accipiunt pro Carpeſio, putantes eſſe fructus Myrti ſylveſtris, potiùs Amomi fructum idem Cæſalpinus arbitratur.

*Quædam de aquis… ſubſtitutis.*

B. pin. ait Cubebas officinis vocatas, Actuario dici κουβέβας; Arabibus Cubebe & Quabebe. Idem inibi cum Matthiolo negare videtur Cubebas i. vulgares eſſe Arabum Cubebas, aut Carpeſium Galeni.

VIRES ET USUS.

Cubebæ ex autoritate Avicennæ, calidæ & ſiccæ ſunt, aperiunt, attenuant, Cinamomo ignaviores, utiles ad genitalium & gingivarum putrida ulcera, ac aphthas; ore retentæ vocem claram reddunt, hepatis obſtructiones aperiunt. Vrinæ vias emundant, arenulas extergunt, calculos pellunt tam renum, quàm veſicæ. Salivam manſæ è capite alliciunt. Hermol. Barbar. de Cubebis vulgaribus dicit: Carpeſium ſi ore contineatur claram vocem facit pronuntiantibus: ob id Bernard. Iuſtin. homo inprimis doctus, & eloquens nunquam ſine hoc ſemine concionabatur. Sed & illam dotem prædicant: majorem in coitu voluptatem ſentiri ab iis, qui habeant in ore, quaſi non ſit in ea titillatione mens commota: niſi doceamur quemadmodum nos Venus adminiculatior, & violentior tranſverſos auferat. Cubebæ vulgares (teſte Matth.) excalfacere valent tertij ordinis initio & ſiccant in fine ejus. Languentem ex pituita ventriculum, vel etiam ex flatu roborant: pectus à lentis craſſiſq; humoribus expurgant, lienem juvant, flatus diſcutiunt & frigidis uteri affectibus auxiliantur. Diu cum Maſtiche manſæ, pituitam à capite trahunt & cerebrum roborant. Cubebarum apud Indos, inquit Garcias, magnus in vino maceratarum eſt uſus ad excitandam Venerem: tum etiam in Iaoa ad excalfaciendum ventriculum. VVirt. Emp. ad vertiginem accipere jubet 4. aut 5. Cubebas maſticandas, & retinendas in ore, expuendam humiditatem quæ cumuletur, poſtremo etiam ipſas Cubebas. Idem ad eundem affectum ſuadet Cubebarum ℥. j. Sacch. albi ℥. j. ß. reducendas in pulverem: accipiendum quantum ſupra nummum groſſum dictum manere poſſit manè & veſperi: quàm autem accipiantur obturandas eſſe nares, ut odor pulveris aſcendat ad caput, ſed & defluxionibus à capite obnoxio manè maſticandas præcipit Cubebas conditas vel non conditas.

*Temperam. Avicennæ.* *Vlcera.* *Obſtructiones.* *Vox.* *Temper. Matth.* *Affectus uteri frigidi.* *Venerem excitant.* *Defluxiones.*

## FRAGRE SERAPIONIS.

FRagre, ut autor eſt Aben Meſuai, aſſimilatur Ciceribus, & eſt calidum & ſiccum in ſecundo gradu, & ingreditur medicinas quæ præparant ſtomachum. Fragra aſſimilatur ab Iſaac Eben amram Ciceri, & habet interius granum parvum, nigrum, rotundum, de foris verò rubeum, & ex ſucco ejus fit collutio ad fætorem oris, & confert, & nos utimur eo in Nodach, i. e. in pulverizationibus & unguentis. Fragaria non idem eſt, teſte Cæſalpino, quod apud Serapionem Fragre vocatur.

*Temperamentum.* *Fætor oris.*

## AMOMVM IN GENERE. CAP. XLVIII.

DE Amomo, quod apud Theophr. l. 9. hiſt. c. 7. alij ex Media, alij ex India advehi narrant, parciùs tamen, at vehementiùs odorum, ita diſſerit Dioſcorides. Amomum frutex eſt [cujus fructus, Ma-rou.] velut botrus ex ligno perplexus ſibiipſi. habet etiam florē quendam parvum: velut Violæ albæ: folia verò Bryoniæ ſimilia. Optimum eſt Armenium, colore aurum referens [χρυσίζον] habénſque lignum ſubfulvum, admodum odoratum. At Medicum eò quòd in campeſtribus & aquoſis locis naſcitur, invali-

*Theophr.* *Dioſc. generatio.* *Armenium.* *Medicum.*

validius eſt. Eſt autem magnum & ſubviride [ὑπόχλωρον] & ad tactum tenerum, & lignis fibroſum, Origanum redolens [*codex Baſil.* πηγανίζον *Rutæ odore, non Origani ut Cornar. vertit.*] *Ponticum.* Pŏticum verò ſubfulvum eſt, non longum, neque fractu difficile, racemoſum, fructu plenū, & odore nares percellens. *Delectus.* Elige quod recens eſt & album, aut ſubrubrum, non adſtrictum, aut perplexum [*nō coactum vel connexum, gummi liquido ex Plinio add. Maron.*] ſed ſolutum & diffuſum, ſemine plenum, ſimile parvis botris, grave, valdè odoratum, citra cariem, acre & guſtum mordens, ſimplici colore & non varium. *Vires.* Vim habet calefaciendi, adſtringendi, ſiccandi, ſomnum inducendi, dolorem eximendi, ſi fronti imponatur. *Inflammationes.* Inflammationes etiam & meliceridas concoquit ac diſcutit. A ſcorpio ictis cum ocimo impoſitum prodeſt. *Podagra.* Podagricis auxiliatur, ipſóſque lenit, oculorum item inflammationes, & eas quæ in viſceribus ſunt cum uva paſſa. *Menſes.* Ad menſes & in peſſis, & in inſeſſibus commodum eſt. Decoctum verò ipſius potum convenit hepaticis, nephriticis, podagricis. Miſcetur etiam antidotis & pretioſiſſimis unguentis. *Adulterium.* Quidam adulterant Amomum, per eam quæ Amomis dicitur, & ſimilis eſt Amomo, ſed ſine odore, & abſque ſemine, & naſcitur in Armenia, ac florem ſimilem Origano habet. *Delectus.* Cæterùm, in ejuſmodi probandis fragmenta fugere oportet. Elige autem quæ ab una radice ramos perfectos habent. Poſtea verò videant lectores pleniorem interpretationem verborum Dioſc. ſub Amomo novo facie Cardamomi.

*Plin.* Amomi uva, Plinio autore, in uſu eſt Indica Vite Labruſca [*ex India Vite fortè rectiùs Dalech.*] ut alij exiſtimavêre, frutice Myrtuoſo [*fibroſo Dioſc. venoſo Vet. Myrteolo Scalig. nempe colore Dalech.*] palmi altitudine: carpiturque cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. *Delectus.* Laudatur quàm maximè Punicæ Mali folijs [*Dioſc. Bryoniæ.*] ſimile nec rugoſis, colore ruffo. Secunda bonitas pallido. Herbaceum peius, peſſimúmque candidum, quod & vetuſtate evenit. Pretium Vuæ in libras 10. 60. [*ſicli 70. vet.*] friato verò Amomo 48. *Locus.* Naſcitur eâ Armeniæ parte, quæ vocatur Otena, & in Media, & in ponto. *Adulterium.* Adulteratur folijs Punicis [*Punici M. Bryoniæ Dioſc.*] & gummi liquido ut cohæreat convolvatque ſe in uvæ modum. *Amomis.* Eſt & quæ vocatur Amomis, minus venoſa atque durior, ac minùs odorata, quo apparet, aut aliud eſſe, aut colligi immaturum. Simile his & nomine & frutice Cardamomum ſemine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia quatuor eius genera. *Ad ſanguinis ſputum.* Sanguinem quoque expuentibus ſubvenit Amomon victoriali pondere tritum & in mulſi cyathis datum. Quæ conſtant Amomo, omnia acutiora fiunt, maximéque nares feriunt: acerrima per ſe Amomo. Hinc regale unguentum appellatum, quoniam Parthorum regibus ita temperatur, Amomo etiam conſtat. Sed interpretationem Plinianorum verborum videant lectores poſtea ſub titulo Amomi novi Cardamomi facie ſive racemi Indici.

*Galeno facultate ſimilis Acoro.* Amomum (ut Gal. notat) Acoro ſimilem facultatem obtinet, niſi quòd Acorum ſiccius ſit, majore autem concoquendi facultate Amomum. Aëtius eligit Amomum recens ſempérque fragmenta reprobat electis ramis perfectis ab una radice. Xyſtus Betulerus in comm. ſuis doctiſſ. in Lactantium in carmine Phœnicis, fruticem eſſe, vel ut alij volunt, Vvam ex frutice convolutam tradit, quam Ruellius Pedem columbinum, & Agricola contra *Roſa Hierichonthea.* Ramum Hierichontis Roſam eſſe negat: Ipſi videtur nomen habere ab eo, quod reprehenſione careat, à στερητικῷ i. privativo α, μωμᾶσθαι, i. μέμφεσθαι, & μῶμος reprehenſionis Deus apud Lucianum. De Amomo jam diximus ex Dioſcoride ut frutex ſit exiguus, Servius tamen ait herbam eſſe ſuaviſſimi odoris, *Servius notat.* quæ tantùm naſcatur in Aſſyria Aſiæ regione. Cæterùm Amomo (quod Raviſius Textor arbuſculam *Raviſii error.* venenoſo [*legendum venoſo ex Barth. Fontio, palmi altitudine, orto in Armenia, Syria, Media & in Ponto, cum Vvam in Vite perſimili Labruſcæ in India naſci ſcribit*] frutice facit) hæc attribuuntur epitheta, *Epitheta.* Syrium, Aſſyrium, Armenium, Arabum, ſpiſſum, pingue, fragrans, odoriferum, ſpirans, olens, mite, gratum, odoratum, craſſum, Perſius;

*Compoſitus lecto, craßiſque litatus Amomis.*

Inter ea quæ Dioſcorides obſcurè tradidit, non poſtremum eſt etiam ipſum Amomum. Nam quum fruticem eſſe dicat, ex ligno perplexum ſibiipſi, velut botrum, non hoc jam dicit, fruticem Amomi eſſe botrum, *Botrus quomodo intelligendus apud Dioſcoridem.* ſed accipiendum eſt ipſum proferre botros, in quibus ſint Vvæ fructus particulares, qui ſemina in ſe habeant, ſicut ſunt vinacei in uvæ Vitis fructibus: ita tamen ut omnia minora quàm in Vite accipiamus (inquit Cornar.) ſive botros, quos nos racemos appellamus, ſive acinos, i.e. uvas particulares, ſive vinaceos, i.e. grana ſeu ſemina, in ipſis ſpectemus: ſive etiam totum fruticem, qui palmum altitudine non excedit, velut Plinius ait. Et ex hac ſententia intelligimus, cur etiam racemoſum appellet, & fructu & rurſus ſemine plenū, & parvis botris ſimile. His autem ita ſe habentibus, non video quomodo rectè aſſeratur, *Amomum officin.* Amomum quod hodie officinæ oſtendunt ſemen admodum minutum, nigrum, ſabuloſà velut illi dicunt ſpecie, nec odoris argumento, nec aliâ ratione congruere cum eo quod à Dioſcoride deſcribitur. Ego certè & veriſſimum Dioſcoridis Amomum id eſſe credo, & vinaceos ex botrorum acinis eſſe puto, quos etiam Plinius his verbis oſtendiſſe videtur, dum ait; Amomi uva in uſu eſt: & ubi poſt Amomum & Amomidem ſubjungit: *Cardamomum.* ſimile his & nomine & frutice Cardamomum ſemine oblongo. Hoc volunt etiam indicare Græci Medici, ubi in compoſitionibus medicamentorum ἀμώμου βότρυος [*Amomi botri ſive racemi*] uſum præſcribunt, ſemina nimirum ex botrorum acinis aſſumere jubentes: ita videlicet βότρυος vocem Amomo adjicientes, velut aliis ῥίζης, aut σπέρματος, aut ἄνθης, aut ἐντεριώνης vocem adjicere ſolent. Quòd ſi odoris gratia hodie ex Amomo exolevit, ſitum potiùs aut vetuſtatem culpabimus, quàm ut totam rem interiiſſe arbitremur, & longi temporis uſurpationem ſimul & ſemel evertamus. Hæc Corn. *Corn. obſcurus.* quem, ut verùm fateamur, non intelligimus adhuc, quid intelligat per vinaceos ex botrorū acinis quos Amomum credit: nec etiam quid velit per Amomum ex quo odoris gratia hodie exolevit. *Amomi uva.* Amomi Vva Galeno & Actuario ob id dicitur, quod racematim velut in Vva cohæreat. Hodie paſſim Cordo & Fuchſio teſtibus, Amomum deſideratur, nam quod oſtendunt Officinæ (ait Sylvius) inodorum eſt: habeo apud me fulvum, parvum, oblongum, odoris dum fricatur jucundiſſimi. Quod ſit Amomum Sylvij, ut dicam, nondum mihi patet. Sed nec id Matthiolo conſtat Dioſcoridem ſemen in Amomo nō probaſſe, ſed potiùs lignum arbuſculæ materiem, *Dioſc probat lignum non ſemen.* ut in Cinamomo & Caſſia videre eſt, quo fit ut legitimum Amomum lignum potiùs, quàm ſemen exiſtimaverit: Amomum quod jure probari poſſit nullibi (quod ſciverit) in Italia provenit, nec eo aliunde tranſlatum hactenus videre potuit. Fuchſ. libro de compoſ. medic. dum ea ſimplicia examinat, quæ Theriacam ingrediuntur, *Fuchſ. not.* ubi Amomi racemoſi meminit Andromachus ſenior, omnes Galeni interpretes inſimulat, exiſtimans Andromachum de duabus inter ſe differentibus herbis eſſe locutum, nempe Amomo & Botry: verùm is à Fuchſio diſſentit, ipſe enim Andromachus ſenior ei refragatur

gatur cùm cecinit βοτρύεντ☉ ἀμώμε. Matthioli ſententiæ adſtipulari deprehenditur Junior Andromachus, qui nuſquam Botrym commemorat, ſed Amomum tantùm. Hæc ille, qui quum nos (ait Amat.) vero carere Amomo ſciret, ut illum tamen haberemus nos in Luſitaniam remittit, ubi ex India nunc delatum contendit: Amati tamen ſententiâ fallitur, cùm huc uſque Amomum verum incompertum ſit. Sed Amato in Apologia refragatur Matthiolus dicens, nunquam meis ſcriptis affirmavi Amomum ex India in Luſitaniam convehi, nec eo quemquam remiſi. Scripſi quidem me à quibuſdam non ſpernendæ fidei Medicis accepiſſe jam primum ex India in Luſitaniam afferri Amomum, nec ſanè plura quàm hæc.

*…mama …d ſigni…t. …rcias de…tus.* Hamama Columbam, non pedem Columbæ, ut vult Garcias, ſignificare ſcribit Cluſius. Quod verò Garcias ait pedem Columbinum eſſe Dioſc. Amomum, præterquam quod illi impoſitum eſt ab illo Judæo, ſcire debemus Columbam ſcribi per He in fine, Amomum autem per Eliſ. quæ ſola ſcriptionis differentia conſtituit & ſignificationum differentias; ut Amomum vel ejus notio nullam cognationem habeat cum Columba. Itaque vanum eſt pedem illum Columbinum cum Amomo Dioſcoridis conferre, propter ſolam alluſionem nominum. An eſt Olivij Amomum, quod vidit in Muſæo Calceolarij colore ad aurum vergente, pallente ſcilicet & uvam referente, quod Piperis genus eſſe apud Luſitanos non audet affirmare. Obſervat Maronea (cujus ſententiam videant lectores poſtea ſub Amomo novo facie Cardamomi minoris) Amomi vocem antiquiſſimam, quâ Theophr. etiam utitur, Indicam eſſe, non Arabicam ut exiſtimant recentiores, qui dum Amomi Etymon ab Arabibus fruſtra perquirunt, in ea bis peccant: ſiquidem duplici utuntur incertiſſimo fundamento, uno quidem, quia Amomi vocem aſſerunt Arabicam eſſe non Indicam: altero verò quia ponunt tanquam notiſſimum antiquiſſimam linguam Arabicam ab ætate Theophraſti ad hæc uſque tempora ſuam integritatem ſervaſſe. Significat autem vox Amomi & fruticem ipſum, & etiam racemum, qui eſt præcipua pars quæ inſervit uſui medico. Theophr. & Galenus ſatis jejunè pertractarunt de Amomo, cùm ejuſdem deſcriptionem omiſerint. Verùm Dioſcorides & Plinius eas dederunt Amomi deſcriptiones, quæ ſi unà conjungantur Amomi notitiam & facilem & perſpicuam faciunt. Recentiores autem, qui utrinſque auctoris de Amomo deſcriptiones invicem ſejungere ſtudent, ipſi veterum Amomo magnas tenebras offundunt. Dioſc. & Plinij unanimis eſt conſenſus in Amomi hiſtoria deſcribenda: explodenda opinio recentiorum exiſtimantium Plinium & Dioſcoridem non convenire inter ſe in Amomi deſcriptione. Plinij eſt ſingularis diligentia, quâ ipſum ſuperavit Dioſcoridem in Amomo delineando, unde adhuc magis redarguendi recentiores aſſerentes Plinium ignoraſſe legitimum Amomum. Hactenus Maronea, qui diligenter conſenſum Dioſcoridis & Plinij demonſtravit quem omittimus, quia patet ex utrorumque ſcriptis huic capiti præpoſitis, ac etiam ex iis quæ excerpta ex Maroneæ Commentariis à nobis poſitâ ſunt poſtea ſub titulo Amomi novi Cardamomi parvi facie ſive Racemi Indici.

*Aequivoca.* Amomum Humelbergio, apud Apuleium frutex eſt odoratus, tranſmarinus, cujus ſemen in uſu eſſe ſcribit. *Humelber. notatur.* Sed miramur Humelbergium, cur non indicet ubinam ſit in uſu, & quale ſit. Latet nos præterea, an Caſtorus Durantis, ἄμωμον, ſive Hamænis & *Hamanis icon.* Hamanæ icon vera ſit, nécne.

Bellon. in obſ. ait terram adhuc proferre Amomum: hoc verò Conſtantinopoli, qui volet habere, petendum, nec (addit de neglect. cult.) ſine adminiculo ſubſiſtere. Quale autem Amomum intelligat Bellonius nondum nobis conſtat, an fortè in Obſ. per Conſtantinopolitanum intelligit Amomum verum quorundam, de quo mox? Et de neglect. cult. aliud, nempe Ribes nigrum.

Volunt præterea aliqui Cardamomum vulgare eſſe Amomum. *Cardamomum.*

Nec deſunt qui per Amomum, Amomum novum Cardamomi minoris vulgaris facie ſive Indicum racemum (de quo paulò poſt, quod Cluſius ſpurium vocat) intelligi dicant. *Amomum novum &c.*

Amomum, autore Hadr. in nomencl. eſt Piper hortenſe ab holitorum gente dictum. Hoc Piper Hadriani eſt Ribes nigrum. *Ribes nigrum.*

Piper denique caudatum, *Pimenta del rabo* quibuſdam Amomum nuncupatur. *Piper caudatum.*

Eſt & Amomum Garyophylli odore quorūdam. *Amomum Caryophylli odore.*
Eſt & piper Æthiopicum Matthioli, Amomum Officinarum nonnullarum.

Lob. in append. ac Icon. plant. & Cæſ. (quod nobis nondum arridet) putant Cubebas legitimum Amomum. *Cubebæ.*

Roſa Hierichuntis multis eſt Amomum, quæ opinio quibuſdam diſplicet & nobis etiam. *Roſa Hierichuntis.*

Pro Amomo Plinij vulgus Italorum Strychnodendron oſtendit. *Strychnodendros.*

Bottrys falsò æſtimata à multis Amomum, & pro eo malè uſurpata fuit. *Botrys.*

Sic quoque Siſon falsò Amomum officinis dicitur. *Siſon.*

Ammi Alexandrinum etiam ab aliquibus malè exiſtimatur eſſe Amomum. Amomi nomine in officinis vendi Bibinellæ tertium genus ſcribit Gualterus Ryff. in reform. pharm. germ. l. 1. c. 21. Eſt hæc nobis Saxifragia hircina. *Ammi Alexandr. Saxifragia hircina.*

Cæterùm aberrare eos, qui pedem Columbinum faciunt Amomum demonſtramus ſub Geranio Columbino. Et hoc nobiſcum ſentit Ioh. Agric. Serapionem erroris incuſans, quod Amomum pedem Columbinum eſſe putarit. *Geranium Columbinum.*

Galenus l. 6. ſimpl. ſicut & codex de ſubſtitutis Acorum imponunt, quem ſequitur Cordus in Aurea Alexandrina, in Diatrion. Meſ. in Theriaca, in trochiſcis Hedichroi, Placot. Borgaruc. Matth. Turn. Lac. Bacchanell. & Apollo, quorum opinio minimè improbanda videtur: quum Acori radix quam ſeplaſiæ falsò Calamum odoratum vocant, & odorata ſit & acris & præter id adſtringat ſiccétque. Quum Galenus Amomum ſimilem Acoro facultatem obtinere ſcribat, præſtaret, inquit Cluſius, legitimum Acorum, ſatis videlicet jam cognitum, medicamentis Amomum recipientibus admiſcere, quàm alias plantas, quæ pro Amomo obtrudi ſolent. Fuchſius quidem Amomi vice Acoro utitur, aſt ejus penuria Galanga majore. Idem & Amatus, qui Acorum, Galangam craſſam cenſet. Diſpenſ. Col. Amomi loco ponit in troch. Hedr. id quod dicitur, Calamus aromaticus. Hunc ſequitur Tab. apud VVirſung. dicens: Galenus ſcribit Acorum [Calmußwurtz] eaſdem habere vires cum Amomo: eo igitur utendum cenſeo in defectu Amomi. Amomi ſive Pomi Hieroſolymitani locum (ſic Michaeli Neand. placet) explet Acorus. Hic ſi intelligit per Pomum Hieroſolymitanum ut puto Roſam Hierico, nomen Pomi Hieroſolymitani certè non placet. *Subſtitut. Acorum. Galanga maior. Calamus aromaticus.*

Quid tandem Amomi loco accipiendum ſit, & Dioſc. & Galenum declarare dicit Marantha. Et hinc ex dictis Dioſcoridis colligit recentiores Medicos magno in errore verſari, atque in illo quidem duplici. Primum quidem, quod ſemen, neſcit quod, ex vera Amomi planta minimè excerptum uſui adaptent: Deinde, quia putant Amomi ſemen (ſi mo- *Marantha redarguitur. Alius.*

dò

do vetum repetiretur) accipiendum eſſe; cùm potius ejus lignum utile à veteribus judicetur, ut ex Dioſcoridis lectione ſe accepiſſe gloriatur. Inquit enim adulterari ex Galeno ſolere Amomum herbâ ſimili, quæ ſit ſine fructu: jam ſi fructus ad uſum ducerentur, non poſſe plantam, quæ fructu careat, adumbrare: monere præterea Galenum fragmenta fugienda eſſe, & integros ſurculos capiendos. quod de fructu minimè intelligi poſſit, deligendum etiam eſſe, valdè odoratum, modò cariem non contraxerit: cariem autem non ita ſemini videri propriam, ſicuti ligno. Sed erroris hujus cauſa fortè Plinium fuiſſe qui l.12.c.13. Amomi uvam in uſu eſſe aſſeruerit: Nec ipſum latere in uſu etiam fuiſſe Amomi uvas, & racemos: ut 9. κτ̀ τόπους cap.3. ubi Aſclepiadis pharmaca ad hydropem recenſet Galenus: ſimiliter & κτ̀ τόπους in ſtomaticis Hieræ, Amomi racemos: & 7. κτ̀ γένη, c.9. Amomi uvas. Sed dicendum eſſe præcipuam partem lignum, ſive ſurculos fuiſſe, quos intellexerint, cùm Amomi abſolutè mentio fieret: & cùm aliam partem cuperent, veluti racemos, Vvaſve explicatè protuliſſe. Sed de Amomo aliàs longè plura.

*Amomi quæ pars accipienda.*

*Aſarum.* Amomi loco ſubſtituitur Aſarum à Collegio Florent. in antib. Turnero, Borgaruco, & Monachis in Meſuem diſt.1. cenſ.28. quos ridemus meritò quòd ſubſtituant Azarum purgans medicamentum, pro non purgante, in quo magnum facultatum diſcrimen. Animadvertendum tamen ab Adolpho Occone in Bened. lax. Nicol. pro Amomo tolerabilius ſubſtitui Aſarum, cum compoſitio ſit purgans, quàm in aliis compoſitionibus non evacuantibus.

*Sabina.* Porrò ab Avicenna pro Amomo poni Sabina duplum planè diſplicet, ingratum medicamentum & penè fœtidum pro odorato.

*Cubebæ.* Pro Amomo ſubſtituuntur Cubebæ à Cordo, Placotomo, Turnero, & Borgaruco. Turnerus tamen deficiente vero Amomo uti poſſe putat Carpeſio, quod quibuſdam Cubebarum nomine notum ſit. *Carpeſium.*

*Ammi.* Avicenna Amomi loco ſupponit Ammi quaſi duplum, ut & Fuchſius in antiball. pro Amomo ſubſtituit ſemen Ameos, in Aurea Alex. & in Benedicta.

*Caryophylli.* Amomi loco præſtabit Caryophyllos ſubſtituere, qui longè præſtare videntur authore Matthiolo, quod & ipſum Geſn. in Hedychroi paſtillis non improbat, & nobis præcæteris antiballomenis ſummè placet.

---

## AMOMVM QVORVNDAM odore Cariophylli.

*Amomum Luſitanorum. Deſcr.*

CLariſſ. Paludani munere miſſos fructus inſcriptione Amomi verui Luſitanorum adſervamus. Eoſdem anno 1605. attulit ex Anglia Cherlerus, ſine nomine, datos ut cenſemus à Iacobo Gareto. Magnitudinem autem variat: quidam namque piper æquat, quidam etiam duplo ferè major eſt: omnes ſunt cortice fuſco, rugoſo, umbilico, ſummo tenus, non quo parti adhæſerunt, præditi, quadripartito. Vnum vel duos continent nucleos nigros atrovirente membranulà tectos, qui intergerino pariete diſpeſcuntur. Tota ſanè fructûs figura externa pulchrè Mali Granati, colore excepto, reſpondet. Sapore eſt acriuſculo, aromatico, ad Caryophyllos accedente. Manifeſtè differt ab Haermia Serapionis, ut conferenti apparebit: inter cæteras notas, huic non adſunt pulchræ ſtriæ. Nos curavimus ex ipſo fructu pingendum. *Icon.*

*Mali Granati fructu.* *Sapor.*

AMOMUM NOSTRUM EX ipſo fructu.



Garofalo Pliniano, ſemen aromaticum, inquit Imperatus, adfertur per Luſitanos, magnitudinis piperis nigri communis, odoris & ſaporis Caryophylli aromatici, odor tamen vetuſtate evaneſcit: Neoterici vocant nomine Indico *Negundo*: multùm convenit cum deſcriptione Caryophylli apud Plinium. Et hæc ille qui alibi vocat Caryophyllum Plinianum, aroma nuper delatum ex India. Duos autem pingit fructus, & ſecundo loco Haermiam noſtram.

*Negundo. Caryophyllon Plinij.*

AMomi deſcripti Cluſius exot.l.1.c.17. iconem & deſcriptionem proponit his verbis: Mittebat ad me Londino Iac. Garetus anno 1601. fructum orbicularem, piperis grano plerumque majorem, nonnunquam etiam minorē, rugoſum, fuſci coloris, ſatis fragilem, qui apertus ſemen continere deprehendebatur rotundum, nigrum, in binas partes ſciſſile, non minus aromatici odoris & ſaporis quàm ipſe fructus, atque aromaticos Caryophyllos quodammodo referentis: botri autem in modum naſcitur, ut ex multis granis, quæ petiolos ſuos adhuc retinebant, & binis terníſque granis uni ramulo inhærentibus conjecturam facere poteram: his adjecta erant folia, unius quidem formæ, ſed magnitudine valdè differentia: nam quædam ſeptem uncias erant longa, tres lata, nonnulla quinque duntaxat uncias longa, duas cum ſemiſſe lata, alia trium unciarū longitudinem nō excedebant, & vix duarum latitudinem attingebant, quæ etiam iis longè minora & anguſtiora præſertim quæ cum granis permixta reperta fuerant, pro loci quem in ramis aut ramulis occupaverant ratione: nulla autem inter illa reperi quæ ſerratas haberent oras ſed æquales omnia, & multis tenuibus venis, à nervo folia per longitudinem ſecante, in latera obliquè excurrentibus, prædita, eorum mucrone nunc anguſtiore, obtuſo tamen, nunc latiore & quaſi orbiculato, cineracei & ex ſpadiceo coloris, & ſatis acris ſaporis: ramuli qui additi fuerant, tenues quadranguli, cineracei coloris cortice tecti, annotini videlicet, qui verò poſtea nati, ſpadiceo, retinentes adhuc veſtigia ubi folia adhæſerant, quæ ut plurimum, ex adverſo nata eſſe demonſtrabant, & illi etiam acriuſculi ſaporis, perinde ac folia nec ingrati odoris. Additum præterea erat radicis cujuſdam fragmentum cubitalis longitudinis, à nautis quos ex India rediiſſe ſcribebat, relatum cum prædicto fructu & foliis: intelligebat autem ab aliis fragmentum illud ab arbore, ſive frutice folia illa & fructum ferente, reciſum: ejus materia valdè dura & firma erat internâ parte alba, externâ & ſub cortice latente, fuſca ob vetuſtatem forſitan: erat autem gemino cortice tectum, interno quidem ſatis denſo, fuſcique coloris & acris ſaporis, interno verò breviore, ex cineraceo flaveſcentis coloris (quem ex argillacea terra in qua planta nata contraxiſſe veriſimile eſt) acerrimique

*Deſcr. Cluſ.*

AMOMUM CLUSII.



*Folia.* *Color & ſapor.* *Radix quædam.*

rimique ſaporis. Eam porrò radicem multis tenuibus fibris firmatam fuiſſe, quædam adhuc inhærentes, & aliarum, quæ abruptæ, veſtigia apparentia ſatis innuebant. Ipſe autem Garetus adſcribebat, ſe, licèt omni diligentiâ adhibitâ, ut nautas qui hæc attulerant convenire poſſet, ad percontandũ in qua provincia legiſſent & an nomen atque facultates ab incolis intellexiſſent, illos nunquam invenire potuiſſe. Similem autem fructum, petiolis tamen carentem, aliquot annis ante accipere memini, additâ ejus, qui mittebat, interrogatione an Amomum? *Amo- m.* Et certè huic fructui ſunt facultates Amomi, quod Dioſcorides nobis proponit, facultatibus non valdè diſſimiles *es.*: etenim calfaciendi, adſtringendi & exſiccandi vim habet, & reliqua præſtare poſſe arbitror, ad quæ Amomum utile eſſe Dioſc. l. 1. ſcribit: aliquot tamen notæ, iis quas Dioſc. ſuo Amomo tribuit, non reſpondent, veluti folia quæ Bryoniæ foliis diſſimilia, radix craſſior, quàm ut fruticis videri queat, tametſi in quibuſdam fruticibus nec minores, nec minùs craſſas, quàm hæc ſit quę miſſa mihi, obſervare meminerim, ut in Ciſti pleriſq; generibus & quibuſdam aliis. Sed judicio iis relicto qui in his rebus ſunt me peritiores, & magis exercitati ſatis officio me perſunctum exiſtimabam, ſi eam quæ de fructu, foliis & ramulis & radice obſervabam benevolo lectori proponerem. Cæterùm hunc exoticum fructum diligentiùs conſiderans, primarias quaſdam notas reperio, quæ me plurimùm movent (profe- *[Car]yophyl- [lon] Pliny.* ram enim ingenuè quod ſentio (ut Plinij Garyophyllon eſſe cenſeri poſſit. Nam is l. 2. cap. 7. poſtea quàm de Pipere egit, hæc ſubjicit: eſt etiamnum in India piperis granis ſimile quod vocatur Garyophyllon, grandius fragiliúſq;. Tradunt in Indico loco id gigni. Advehitur odoris gratiâ. Tametſi brevis hæc ſit & ſuccincta deſcriptio, nec ullas facultates fructus ipſius contineat, habet tamen inſignes notas, quæ cum iis, quas fructus quem lectoris oculis ſubjicio poſſidet, collatæ, valdè ſimiles deprehenduntur, veluti comparatio cum piperis granis, illis tamen eſſe grandiora fragilioráq;, ut plerumque hęc ſunt grana, licèt etiam parva reperiantur. *r.* odor gratus, & ad Caryophyllos aromaticos, qui nobis in uſu, valdè accedens, cujus gratiâ Plinij tempore adferebantur. *oris ha- m.* Et certè hunc fructum manducatum, oris halitum gratiorem reddere comperiebam: ad multos præterea alios uſus utilem fore credibile eſt, ſi quis periculum faceret.

## AMOMVM NOVVM CARDAMOMI vulgaris Facie, ſive Indicus racemus.



Amomum novum, nobis primum demonſtratũ eſt per fratrē C. Bāuhinum, quod eſt inſtar uvæ. Ejus autem dedit duos folliculos Cardamomo minori accedentes, & ſemina continētes Cardamomo minori paria, ejuſdemque cum meis ſaporis & odoris. Eam uvam exprimit Cluſius *[Am]omum [ſpu]rium [Cluſ]ii.* in exot. Auctuario: de ea autem ſcribit ſub titulo Amomi ſpurij, quæ ſequuntur. Anno Chriſti 1605. mittebat ad me Ioan. Pona, plantæ cujuſdam aliquot fructus uvarum inſtar confertim in ramulo natos, & aromaticum quidpiam redolentes, quos pro legitimo Amomo ſibi datos ſcribebat: atque adeò eam opinionem Plinij autoritate confirmare nitebatur, qui l. 12. c. 13. Amomi & Amomidis mentionem faciens, ſubjicit; ſimile his & nomine & frutice, Cardamomum, ſemine oblongo. *Deſcr.* Verùm quidem eſt ſingulos uvarũ quos accipiebã fructus, aliquam cũ minore Cardamomo, in officinis vulgò recepto, ſimilitudinem habere, certè uterq; fructus triangularis eſt formę. At Cardamomi vulgò recepti theca oblongior eſt, & minùs craſſa, multiſq; ſtriis diſtincta ſemina continens craſſiuſcula, Meleguetæ ſeminibus non valdè abſimilia, odorata, ſubrufi coloris, nec ingrati ſaporis, licèt acriuſculi: ejus verò fructus qui pro Amomo miſſus, theca brevior, craſſior & candidior eſt, nec adeò ſtriata, ſeminaq; continet tenui membranâ involuta, nigra, oblõgiuſcula, duplo quàm minoris Cardamomi ſemina majora, ſplendentiaque & valdè dura, albã quidē medullam continentia, quæ acrimoniã quandã tandem exerit, ſed nullius amaritudinis participem: atq; inſuper tota uva cum ſuo fructu nativum odorem habere non videbatur, ſed aſcititium potiùs & olei Lavendulæ odorem quodammodo ſpirabat, quaſi illo delibuta fuiſſet, vel certè apud ſimile oleum adſervata.

*Uva Amomi.* Antiqui utebantur uvâ Amomi ut apparet ex Plinio & Galeno in Catageni in Medicamento Aſclepiadis Βότρυς Ἀμώμον [Ἀμώμου *fortè*] in Theriaca Andromachi ſenioris, ϗ Βοτρύοντος Ἀμώμον, [Ἀμώμου *fortè leg.*] racemoſi Amomi. Neſcio (Cerch. Martin. loquitur) *Matth. not.* cur Matthiolus dicat, ſibi non cõſtare Dioſcoridem ſemen in Amomo approbaſſe; ego contrariũ invenio in Anazarbeo, & meliorē partē Amomi eſſe fructum ſimilem racemis parvarũ uvarũ: *Melior pars Amomi eſt fructus.* ait enim deligito recens, ſeminis plenũ, uvis parvis ſimile, grave: celebrata igitur ab antiquis uva Amomi & non lignũ. Meũ Amomũ nuper miſſum per M. Cerchinum Martinel. ex Malaca civitate Indię, habet multa grana ſimul juncta, quæ referunt parvũ uvæ racemum &c. Plinius Cardamomũ cũ Amomo confert unde apparet affinitas magna, nõ ſolũ nominis, ſed formæ & figuræ ac etiã viriũ: cũ ratione dixit Pena. Nõ parũ affinitatis eſſe Amomo cũ Cardamomo. Si Antiquitus magis erat notũ Amomũ ut diceretur qui novit Amomum, ſtatim novit & Cardamomum: hodie dicendũ è contrario: qui novit Cardamomũ ſtatim novit & Amomũ: *Racemus ex Malaca non eſt Cardamomi ſpecies.* Cardamomũ enim nihil aliud eſt quàm Cor Amomi ut nominis Etymologia oſtēdit: Meũ Amomi racemũ exiſtimarũt aliqui eſſe ſpeciem Cardamomi, nõ cõſiderãtes Cardamomũ nõ proferrē grana, in racemo, nec rotũda ſed lõga. Noſtrũ Amomũ habet omnes notas quas in Amomo Dioſc. requirit. *Legitimum Amomum Venet.* Probat hoc Colleg. Med. Venetorũ cũ dicit; Amomũ pręſentatum per D. Cerch. Martinellum Aromatarium ab Angelo 15. menſis Septēbris 1604. habeatur pro vero & legitimo Amomo, ac in cõfect. Theriacę ac Mithridatij, cæteriſq; medicamentis adhibeatur. Rejicit autē Libellus contra Cerch. Martinell. incerti autoris, oblatus Pharmacop. Mantuanis dicens: *Amomum novum explodendum.* Deberet explodi hoc novũ Amomũ ex omni benè inſtituto pharmacopolio & ex tota Italia: nullo enim modo convenit cũ deſcriptione Dioſc. & aliorum bonorũ authorũ: Nicol. Stelliola contra opinionē Patavinorũ in ſuo libello de Theriaca & Mithridatio, ſecutus opinionem Matthioli & Marãthæ dicit Dioſc. deſcribere plantam & notas ligni Amomi & non ſeminis, *Ligno Amomi utendum nõ ſemine aut fructu.* unde concludi vult lignum non ſemē aut fructũ Amomi uſurpandũ in medicamentis: quod ex Dioſc. verbis apparet, Plinij authoritas eſt ſuſpecta cùm nullus ſit ex antiquis vel neotericis qui certè affirmat Amomum naſci in India; quin imò Garzias ſcribit falſam eſſe eorum opinionem qui dicant naſci Amomum in India, ita ut exiſtimandum ſit aut Plinio non benè cognitum Amo-

mum: præterea ejus verba demonſtrant diverſum eſſe à Dioſc. Amomo, ita ut quilibet poſſit judicare quantum valeat auctoritas Plinij ut prober utẽdum

*Galenus nõ intellexit fructum vel ſemen. Andernacus not.*

uvâ Amomi & non ligno. Si Galenus intellexiſſet Amomi fructum aut ſemen, dixiſſet καρπῦ τοῦ ἀμώμου aut σπέρματος ἀμώμου, licèt 14. ultimi libri de comp. med. per gen. ſcriptum ſit Andernaco interprete Amomi uvæ, malè tamen id factum, ut etiam libro 1. Antid. ubi idem nomen βότρυος malè interptetatut per vocem uvę, in eo etiam reprehenſus fuit à Fuch-

*Martinell. taxat.*

ſio. Martinellus monſtrat ſe patùm in lingua latina verſatum, cùm vult Dioſc. per hæc verba, *Deligito recens, ſeminis plenum, uvis parvis ſimile, grave*: manifeſtè voluiſſe meliorem partẽ eſſe fructũ ſimilem racemis

*Ruell. repreh.*

parvæ uvæ. Traductio Ruellij uvis parvis ſimile parũ fidelis videtur. Cerchini racemus non eſt planta, nec plãtæ pars quæ ſit tota ſimul cõnexa & ex ligno ſe convolvat, quãvis ſit ſicut racemus: fallitur idẽ dicens omnes notas Dioſcoridis cõvenire. Grana quæ potiùs ſolliculi dici poſſunt nõ cõvolvũtur, nec ſoluta diffundũtur. Quò magis Cerchinus demonſtrat ſimilitudinẽ Amomi cũ Catdamomo, eò magis corroborat opinionẽ, q̃ veriſſimã exiſtimo, eorũ qui dicunt ejus racemũ eſſe Cardamomũ: quandoquidem grana hujus racemi ſunt plena ſemine, clauſa, coloris flavi: ſemẽ contentũ guſtu acri, & non nihil amaricante: differentię Martinelli nõ poſſunt impedire quin ſit ſpecies Cardamomi.

*Racemus ex Malaca delatus non convenit cum Amomo.*

Vti diximus racemus ex Malaca figurâ nõ cõvenit cũ Amomo, non eſt ex ligno ſe cõvolvẽs: nõ ex Armenia affertur, ſed ex India: & quãvis hic racemus haberet omnes notas veri Amomi, cùm tamen habeamus Armeniũ, ſtultitia eſſet uſurpare Indicum; color granorũ hujus racemi nõ eſt aureus ſed potiùs malè coloratæ paleę: in hoc racemo nihil reperio quod poſſit dici lignũ ſed ſatmẽtũ, cui adhærent quidã ſolliculi. Sarmẽtũ nihil habet ruffi, ſed eſt ejuſdẽ coloris cũ folliculis. Eſt ei aliquis odor, quia non poteſt dici odotatiſſimus: nullo modo cõveniunt ei voces, *grave, acre, guſtu mordens, ſimplici colore, non evariante.* Si Martinellus vult jã dicta verha teſerẽda ad folliculũ, leve eſt, inodorũ, inſipidum: ſi ad ſemẽ nõ eſt grave, odorẽ habet, ſed non odoratiſſimum, nõnihil eſt acre, ſed non mordicãs. Plinius non ſolus ſctipſit de Amomo Indico, ſed antè illum Theophraſtus, ut appatet ex verbis ejus ante citatis ac etiam ex aliis: Quodnam ſit Amomum Armenium conſidetandum.

Nic. Maronea Veronẽſis Philoſ. & M. Doct. in cõmẽt. ſuo de Amomo inter alia hęc habet. Injuriâ tẽporũ Amomi notitia deperdita eſt ſeculisq; nõnullis Amomũ latuit ad noſtra uſque tẽpora, quibus Amomi uva denuò in lucẽ prodiit operâ & induſtriâ

*Vnde delatum legitimum & novum.*

egregij & honeſtiſſimi Viri Cerchini Martinelli qui ex remotiſſimis Indię regionibus verũ & legitimum Amomũ ad nos ttanſmiſit, ſanè hoc idẽ Amomũ tãquã legitimũ, noſtrũ Medicorũ Veronẽſium Collegiũ agnovit & multi alij viri doctiſſ. amplexati ſunt. Verùm, quia diverſa ſunt hominũ ingenia, ſuerunt aliqui, qui editis ſcriptis Indicũ Amomũ, tanquam ſpurium repudiarunt. Idcirco dectevi Amomi Indici patrociniũ ſuſcipere, ipsã ſcil. tueri veritatẽ, atque oſtẽdere Indicũ racemũ eſſe ipſorũ veterũ legitimum Amomũ: quo uſus eſt Io. Pona in cõponẽdis ſuis an-

*Collegij M. Veronenſium conſenſus.*

tidotis, Mithridatio & Theriaca, quia illũ admiſi, tãquã legitimũ, quo tẽpore Collegij noſtri nomine, ego unà cũ exc. viro Iacobo Dionyſio præfui ejus recenſendis Antidotis, quæ publicè parabat. Sũ autem explanaturus Amomi hiſtoriam [*Nos integram nõ ponimus, ſed huc maximè facẽtia tãtùm depromimus*] quam Dioſcorides & Plinius nobis ſcriptã reliquetũt, quò perſcrutari quilibet poſſit, nũ Racemus ex India allatus, poſſideat notas veri & legitimi Amomi, an verò, ut recentioribus placet, idẽ tacemus reſetẽdus ſit inter ſpecies Catdamomi, vel demũ nova plãta exiſtat, priſcis viris prorſus incognita. Verũ neceſſariũ eſſe duxi, hujus deſcriptionẽ, antequã ad ipſam expoſitionẽ accedã, præmittere.

*Amomi ſive Racemi Indici deſc. Maronea.*

Amomũ igitur Indicũ cujus deſcriptionẽ facimus, nõ eſt integra plãta, ſed fructus: cujus etiã exhibemus iconẽ, exprimẽtẽ naturalẽ Amomi magnitudinẽ. Eſt autẽ patvus racem[9], abſq; pediculis ex unico ſarmẽto enatus, ſibi ipſi arctè cohærens, & convolutus in uvæ modum, cõſtãs, denis, aut duodenis ad ſummũ acinis, ſeu ſolliculis, fibroſis, ſe mutuò cõprimentibus, tãquã de cõmuni loco inter ſe decertãtibus, adeò ut ſibi invicẽ patvas cavitates imprimãt. Racemum ſuſtinet lignũ teres, pollicari lõgitudine, fibroſũ, odoratũ, acte, ſoliis cõfertim exornatũ, tũ puſillis ſquãmarũ ſerie diſtributis, quâ parte folliculorũ eſt expers, tũ lõgioribus foliis, ſenis ſingulos ſolliculos ambiẽtibus, quæ vicem quandã præſtãt calycis illius, quẽ in Nuce Avellana cõſpicimus, ex lõgioribus ſoliis tria quidẽ cõſtãt lõgitudine ſemunciali, tria verò paulò bteviora ſunt, eadẽ ſolia tenuia ſũt, fibroſa, acria odorata: ſed quæ privatim ſolliculos cõplectũtur, æmula ſunt foliorũ Mali punici, ſuis cacuminib[9] ſępè cõtracta, raró integra, ut vix extra Amomi acinos emineãt, q; evenire credẽdũ eſt, quia mutuo attritu foliorũ ſummitates cõſtringũtur in lõgiſſimo itinere.

*Acini figura.*

Acinorũ craſſitudo, & figura orbicularis exiſtit, qualis mediocris uvei acini, ornãtur ſolliculi Amomi externis tenuiſſimis ſilamẽtis, ſeu nervis quaſi lineis per longitudinẽ ductis, ternis etiã præditi ſunt parvis ſulcis, totidẽque interpoſitis exiguis eminẽtiis, quæ triplicẽ internorũ ſeminũ ſeriẽ circũſcribunt, ſingulos folliculos replẽt tres ſeminũ phalãges, tenui mẽbranã ab invicẽ ſejunctæ, unaquæq; autẽ phalãx pluribus cõſtat ſeminibus angulosis, eadẽ tenui mẽbranâ involutis,

*Semina.*

adeoq; ſtrictim ſibi cohęrẽtibus, ut triũ duntaxat ſeminũ lõgiuſculorũ effigiẽ præbeãt.

*Color racemi & ligni.*

Racemi totius & ligni color idem ſpectatur in aliquo pallidus, in alio cãdidus, in alio verò ex pallido ad ſubruſum vergẽs, ſed in cãdido folliculo ſemina inſunt pletũq; evanida, in ſubruſo ſemina ſolidiora, & perſectiora frequẽtiſſimè obſervantur: ſeminibus anguloſis color externus ex ruſo nigricãs adeſt, internus albus, ſemina interna eadẽ ſolida quidẽ ſũt, ſed ſrãgibilia, nõ ſractu cõtumacia, ut Cardamomi ſemina.

*Odor racemi.*

Racemo odor ineſt validus, ſed ἀώδης, ingenitus verò, nõ aſcititius, qui vulgarẽ Lavẽdulã quodammodo redolet, ſuavior tamẽ, exẽptis à ſolliculo ſeminibus major odoris acrimonia ineſt, minor autẽ odoris gratia, eâdem tatione, & racemus, & nuda ſemina acti ſapore ſunt ptædita, ſed in racemo hebetatur acrimonia, in nudis ſeminibus vehemẽtior percipitur, quæ vulgarẽ caphurã quodammodo ſapit. Præmiſſa ſic deſcriptione, ipsã expoſitionẽ aggredior, in qua tria præcipuè ptęſtare conabor. Vnũ erit expoſitionẽ aſſerre verbis Dioſcoridis ſũmoperè conſentaneã: alterum erit, rei ipſius veritatẽ petſcrutari, in illis præſertim, quę Dioſcorides partim ex ſua ſententia ſcribit, partim ex auditu reſert: quam ſanè diſtinctionẽ cùm recentiores prætermittũt, Amomi doctrinam non parũ perturbãt: poſtremò ſuis cõgruis locis indagabo, nũ Indicus racemus eas obtineat notas, quas Dioſc. ſuo Amomo aſſignat. Hęc præfari volui, exiſtimãs, ea allatura eſſe lucem illis, quæ à me poſthac dicentur.

Ad Dioſcoridis itaque verba hęc: *Amomum eſt parvus frutex* [θαμνίσκος] addo, *cujus fructus eſt*: alioqui Dioſcoridis ſenſus videtur mutilus & falſus.

*Interpretatio verbor. Dioſc. & Maronea*

Suſpicãdũ etiã codicẽ Græcũ mutilũ eſſe, deſiderariq; in eo Myrtuoſi nomẽ quo Plin. Amomi fruticẽ cognominat, ſeu aliã ejuſmodi vocẽ adjungẽdã eſſe, vel Dioſcor. deditâ operâ Amomi brevẽ notiorẽ attuliſſe. *Eſt ſicuti uva racemus*] Βότρυος ſeu racemi ſignificatio apud Græcos duplex videtur, una cõmuniſſima,

quæ

quæ comprehendit omnes fructus racemoſos. Altera ſignificatio denotat non univerſum genus racemorum, ſed illorum quandam notiſſimam ſpeciem, nempe racemum uvæ: Hanc ſignificationem cognoverunt Marcellus & Ruellius, qui nomen βότρυος expoſuerunt uvam vel uvæ racemum, quæ inter ſe non differunt. Recentiores autem aliqui hanc βότρυος ſignificationem ignorarunt cùm Ruellium reprehendunt, taquam malè interpretantem hanc vocem βότρυος nomine uvæ, qua in re ſuam prorſus patefaciunt inſcitiam. Veteres ſanè Amomi fructum exiſtimarunt eſſe racemum. Dioſcorides declarat Amomi racemum ſimilitudine ſeu exēplo ipſius uvæ.

*Ex ligni*] etſi ligni nomen ſignificare poſſit & integrum Amomi fruticem & ſingulas illius partes, nēpe ſtipitem, ramos, ſurculos, nihilominus tamen hoc loco denotat tenue ſarmentū, cui uva cohæret.

*Convolutus in ſe ipſum* ἀντιπεπλεγμένος ἑαυτῷ] ſenſus verborum eſt Amomi fructus eſt ſimilis illi uvæ racemo, qui eſt, in ſeipſum convolutus ſeu complicatus. Verùm racemus ille dicitur complicatus in ſeipſum, qui a contrariis omnibus locis ſibimet cohæret & convolvitur: ſunt verò loci differentiæ contrariæ, ante, retrò, ſurſū, deorſum à dextris & à ſiniſtris.

*In ſeipſum* ἑαυτῷ] Vox relativa noſtram confirmat expoſitionem, vocem convoluti referendam eſſe potiùs ad proximum ſubſtantivum racemum, quàm ad remotiorem fructum vel fruticem. Recentiores inquiunt Dioſc. deſcripſit plantam convolutam, ſed Indicum Amomum eſt racemus convolutus non planta, quare non eſt Dioſcoridis legitimum Amomum: patet ſolutio dubitationis ex Dioſc. & Plinio, quia uva ipſa convolvitur non planta. Recentiores negantes Indicum racemum eſſe convolutum & ſenſui adverſantur & vocis ſignificationem non rectè accipiunt, ſi enim ex Plinio uva convolvitur, cur Indicus racemus uvæ ſimilis nō cōvolvitur etiā? Enimvero recentiores hallucinati eſſe videntur, in hac voce convolutus, tanquā ſignificet Amomū alicui rei eſſe convolutum. Recentiores Indicum racemū, illegitimum Dioſc. Amomū dicunt, quoniam ramulo adhæret herbaceo potiùs quàm lignoſo, cùm idem ramulus flexibilis & venoſus appareat: Sanè veriſſimè aſſeritur Amomi Indici pediculū flexibilē & venoſum, ſed nō inde ſequitur eundem ramulū eſſe herbaceū. Duplex eſt lectio vulgata, una quidem quę Gręci exēplaris ſeriem ſequitur, altera verò eſt Latinorū interpretū qui perturbant ordinē verborū. Lectionē vulgatā nōnulla abſurda cōſequuntur, ſi fruticē exponamus plantā expertē fructuum Dioſc. dupliciter errat. Sed quia Recentiores vulgarē inſequētes lectionē exiſtimant Dioſcoridē declarare Amomi plantā, exemplo ipſius uvæ, illorū partes erant oſtendere etiā alia Dioſcoridis loca in quibus plantas ipſas cōparatione fructuū illuſtraverit. Adhæc uvæ exemplū ineptū eſt ad exprimendū fruticem. Recentiores autem quandam excogitarunt ſimilitudinem cōmunem Amomi plantæ & uvæ racemo quam vocarunt cōnexionem ſeu adhærētiam partium tum fruticis tum uvæ. verùm eſt ſimilitudo tenuiſſima, indigna prorſus Dioſc. diligentia. Latinorū interpretū lectio (Amomū exiguè fruticat ex ligno ſe convolvens in uvæ modū) pluribus de cauſis repudianda, ſenſum Dioſc. immutat, obſcura eſt. Errarunt recentiores illi qui nuper adverſus Indicum Amomum ſcripſerunt: ſiquidem illi vocem βότρυος in ampliſſ. ſua ſignificatione racemi acceperunt, hoc pacto legentes: Amomum eſt parvus frutex in ſeipſum convolutus veluti racemus. Ex hac lectione ſequitur falſum & impoſſibile.

*Habet autem & florem parvum veluti Violæ albæ, ſ. folia vero Viti albæ ſimilia*] Ita Dioſc. conjungit florum & foliorū deſcriptionē ad antecedentia ut nemo inficiari poſſit, quin antea Amomi fructū figuraverit, queādmodū nos expoſuimus. Veriſimile eſt foliorum & florum Amomi hiſtoriam Dioſcoridem accepiſſe potiùs ab aliis ſcriptoribus quàm quòd Amomi flores & folia ipſemet unquam viderit.

*Optimum eſt Armeniacum.*] Dignū inquiſitione an Amomū naſcatur in Armenia, Ponto: cauſſæ dubitandi quia Theophr antiquitùs adnotavit, odorata partim ex India, & Syria advehi, indéq; mitti ad mare, partim ex Arabia deportari. Adhæc ſcribit Plinius Amomum in India provenire. Quibus accedit Dioſcoridem perſæpè exoticarū plantarū ſuas ignoraſſe regiones. Veriſſimum eſſe puto Amomi plantā indigenā Indiæ eſſe, ex qua olim deferebatur primū in Sinum Perſicū, mox in Mediā, Armeniā, Pontū importabatur, inde verò in Græciam & Italiam perveniebat. Equidem cenſeo ſi Amomum in Media, Armenia, Ponto naſceretur haud difficile eſſe, hoc tēpore ex illis regionibus illud exportare. Secūda ſuccedit dubitatio an tres ſint Amomi ſpecies, vel potiùs ſint tria individua ſub unica. *Quod autem ad auri colorem inclinat, habétque lignum ſubcirrum*] χρυσίζει τῇ χρόᾳ non ſignificat ipſummet auri colore præditum eſſe, ſed ad auri colorem inclinare: ſanè ejuſmodi color eſſe videtur medius inter album & aureū, quem Plinius pallidum, atq; ſecundæ bonitatis vocat: ligni nomen intelligendum eſt tenue ſarmentū, cui racemus hæret. *Subcirrus*] color, ὑπόκιῤῥος magis ad fuſcū vergit quàm ſubaureus. Quod Dioſc. Armeniaci Amomi nomine non intelligat fruticem, ſicuti recentiores aliqui opinantur, non eſt difficile oſtendere.

*Odoratum valdè* εὐώδης ἱκανῶς] Theophr. lib. de odoribus, vero Amomo tribuit odoris vehemētiam his verbis: vehemētiora parciùs adhibent ut Coſtum & Amomum. Sanè Indicū racemum vehemēter nares excitare, veriſſimū eſt, quāvis aliqui Recentiorū idipſum negare nō erubeſcāt. Sed Medicū, quia in cāpeſtribus & aquoſis locis naſcitur, invalidū. *Magnum & ſubviride*] ſi cū recentioribus Medicū Amomum ſubviride exponamus fruticē, iſta coloris ſubviridis obſervatio in ipſo frutice erit prorſus plebeia & indigna herbatio. racemo eſt adhibēdus, cui Plin. etiā tribuit. *Et ad tactū molle,* ἁπαλὸν, *Venoſum lignis*] lignū ſunt ramuli, qui ipſos racemoſos fructus ferūt. Medicū Amomū venoſū eſt nō ſuis fructib9 ſed lignis, imo ſuis fructib9 eſt ad tactū molle, ſeu fragile: fragile autē & venoſū ſibi adverſātur. Patet Dioſcoridē de racemo non de frutice loqui, nā ſi frutex venoſus erit, ſicuti pleriq; interpretes exponūt, quid erit ad tactū molle ſeu fragile nihil prorſus. *Odore ad origanū inclinante* ὀριγανίζοντα τῇ ὀσμῇ] non denotat odorē Origani, ſed quod accedit ad Origani odorē, inter racemos Indicos nullū adhuc obſervavimus ſubviridem. [*Cur Nicol. Maronea* ὀριγανίζον *interpretetur ad Origanum inclinante neſcio, ſignificat enim ad Rutam inclinante.*]

*Ponticum verò ſubcirrum*] cirrus color ex ruffo & rubro commixtis enaſcitur, ſed ſubcirrus ex pallido & cirro fit. Ex Indicis aliquos obſervavimus ſubcirros, eodēq; cæteris præſtantiores cū odoratiores ſint & graviores. Color ſubcirrus eſt racemo aſſignandus non frutici, præſertim cùm Plinius colorē ruffum racemis tribuat, nō frutici. *Non longum*] Si Medici Amomi racemus magnus eſt, eſt etiam longus: Huic Dioſc. opponit Ponticum, non longum, de racemo autem loquitur, non de frutice.

*Neque fractu contumax*] Ponticum Amomum non eſt fractu contumax, veluti exempli gratia eſt Cardamomi fructus: mediam obtinet conditionem inter duritiē Cardamomi & Medici racemi fragilitatē.

*Racemoſum,* βοτρυώδης] Ponticū Amomum eſt racemoſum, quia uvæ effigiem habet non racemi, tātùm cōmuniter ſumpti: Amomū racemoſū ſignificat fructum, non plantā ut perperam recentiores ſcribunt:

*De loco. Color. Odor. Recent err. Medicum. Color ſubviridis. Ligna. Molle. Odor origani. Maron. not. Ponticum. Subcirrus color. Non longus. Cardamomi fructus. Ponticum. Recent. err.*

verùm quia negarunt Amomũ racemoſum eſſe fructũ effigie uvæ præditum, ſed ſcripſerunt eſſe plantã ſimilem racemo: ipſorum partes erant, ſuam confirmare expoſitionem, Dioſcoridis teſtimonio.

*Fructu plenum*] Si Amomum Ponticũ eſt racemus, ſicuti docuimus, inde colligitur eundem racemũ ex acinis ſeu folliculis conſtare: qui intra propriã cavitatẽ fructus aut ſemina continet. Falsũ eſt ſolũ Amomũ Ponticũ eſſe fructus plenũ, namq; & Armeniaci Amomi racemus debet eſſe fructus plenus cũ optimus exiſtit Dioſcoridis teſtimonio. *Carpos & ſperma Dioſc.* Dioſcorides parum videtur eſſe conſtans in uſu vocũ καρποῦ καὶ σπέρματος. Hoc in loco objiciunt Viri docti, ſi Dioſcorides nõ de Amomi planta ſermonẽ habet, ſed de fructu Pontico, quem dicit eſſe fructus plenũ, propoſitionẽ eſſe nugatoriam, cũ unũ & idem ſit ſubjectum atq; prædicatũ, fructus eſt, fructus plenus, *Recentiorũ falſitas.* facilè diluitur objectio ex fructus & ſeminis ſignificationibus. Namq; ſubjectũ eſt Amomũ Ponticũ, ſeu racemus Põticus, qui ex pluribus fructibus, ſeu folliculis conſtituitur. Sed prædicati rationem habent interna ſemina anguloſa, quæ in eiſdem folliculis continẽtur. Falſum ergo eſt quod aſſumunt recentiores, idẽ eſſe in propoſitione ſubjectum & prædicatum.

*Odor an aſcititius.*

*Odore ſenſum feriens*] Homines recentiores qui Indico Amomo infeſti ſunt, racemi Indici ſuavẽ validumq́ue odorem ſuis ſcriptis extenuant, tanquam aſcititiũ. Opponimus teſtimoniũ ipſorum ſenſuum. Quæſiverit jure quiſpiam, quibus permoti cõjecturis putaverint quòd Amomo odor aſcititius. Recentiores fruſtra inquirunt, num Indici Amomi odor exiſtat in ejuſdẽ pericarpiis vel in ſeminibus internis: cum Dioſc. ipſe collocaverit in racemo toto.

*Eligito autem recens & album vel ſubrubum*] Amomi color albus & ſubruber ipſius racemi exiſtit, nõ fruticis, *Colores.* nãq; & Plinius eoſdem colores racemis Amomi aſſignat. Omnes colores quos Dioſc. obſervavit, nos *Subviridis color.* præter ipsũ ſubviridẽ in racemis noſtri Amomi obſervamus: verùm hoſce colores non obſervatos fuiſſe à recentioribus illis viris, qui Amomo Indico bellum indixiſſe videntur, facilè crediderim. *Subruber* Subruber autem color eſſe videtur is, quem Dioſc. ſupra vocavit ſubcirrũ: albus verò color Amomi nõ videtur eſſe ſimplex, ſed remiſſior ob admixtã exiguam fuſcedinem: ſi tamẽ de Veterũ Amomo licet judicium facere ex noſtris Indicis racemis, quorũ illi qui albi exiſtũt, ita ſunt albi ut ad colorẽ cineritiũ aliquãtulũ vergant. Quod ſpectat ad colorẽ albũ quẽ Dioſc. parẽ bonitate cũ ſubrubro facit, *Dioſc text corruptus.* dicendũ eſt vel codicẽ Græcũ eſſe corruptũ ut Marcel. Virg. ſuſpicatur, vel Dioſcoridem adverſari Plinio, qui peſſimũ eſſe candidum affirmavit, vel voce candidi intelligendũ eſſe racemũ ſubaureum, quẽ Plinius pallidum dixit: verũ ſi lectio depravata eſt vel expungendæ ſunt duæ voces (albũ vel) legendũq; non albũ ſed ſubrubrum.

*Adulteratus racemus.*

*Non coactum vel connexum*] ut eſt adulteratus racemus qui conſtat acinis ſeu fructibus, qui etſi à ſuo ligno aliàs avulſi jã fuerint poſtea tamẽ gũmi liquido in unũ factitiũ racemũ, conglutinati adeò fuerũt, ut unũ continuũ & ſolidũ corpus præ ſe ferant potiùs q̃ racemũ ex pluribus acinis conſtitutũ. Suſpicari licet, in græco codice fortaſſe deſiderari aliqua verba, quæ ſignificãt ipſum Gũmi liquidũ, quo racemũ *Recentiorũ error ex Ruell. verſione.* Amomi adulterari Plinius ſcribit. Verũ recentiores, qui Ruellij interpretationẽ ſequẽtes exiſtimãt, optimũ Amomũ, neq; aſtrictim cohærere, neq; eſſe cõvolutũ decipiũtur. Nõ coactũ vel cõnexũ (ſcil. gũmi liquido ex Plinio *Dioſc. lectio corrigitur.* addẽdũ eſt Marcello Virg. libẽter aſſẽtirer, verba iſthæc eſſe expũgẽda, niſi ex Plinio haberem, valde pij icuã expoſitionẽ modò enarratã.

*Solutum & diffuſum*] Dioſc. legitimũ racemũ denotat, qui cõſt[illegible] acinis ab uno farmento enatis, ſe quidẽ contiguis, nõ verò conglutinatis in unum. Diffuſũ & ſolutum ſunt voces polyonymæ, quæ excludunt cõtinuitatẽ & cõglutinationẽ: minimè verò nomẽ diffuſi ſignificare poteſt diſtãtiã inter eoſdẽ Amomi fructus. *Recentior error.* Recẽtiores ſcribũt, q; exponũt ſparsũ.

*Semen.*

*Seminis plenum*] Græcis autoribus plures fructus & ſeminis ſignificationes ſunt, ſed hoc in loco ſemẽ id ſignificat, quod in pericarpiis cõtinetur. Amomum plenũ eſt ipſe racemus, cujus folliculi acinoſi continent ſemina multa & perfecta, quæ totã eorundem folliculorũ cavitatẽ replent. *Recentior error.* Recentiores profitẽtur Veteres Medicos ſola Amomi planta ſemper uſos fuiſſe, neglexiſſe verò fructus & ſemina ejuſdem Amomi, tanquam inutilia, ſed non ſatis eſt affirmare, niſi etiã ex claſſicis auctoribus id ipſum oſtendatur.

*Botrydion.*

*Simile parvis uvis* βοτρυδίῳ] Recẽtiores cũ videant nomen uvulę vel racemuli admodum ſavere Indico parvo racemo, cujus acini denos aut duodenos ad ſummum non excedunt, negant Dioſcoridẽ dixiſſe unquã Amomũ eligẽdũ eſſe ſimile parvis uvis aut parvis racemis, ſed res eſt luce meridiana clarior, *Parvum.* βοτρύδιον ſignificare parvã uvã vel exiguũ racemũ. Verùm ſi Dioſc. in præſentia eligit Amomi plãtã ut placet Recentioribus, illa non poteſt eſſe ſimilis parvæ uvæ. Dioſc. voce parvi excludit Medicum racemum magnũ quem (utpote invalidum) antea repudiavit. *Recent interpr. falſ.* Recentiores novã afferunt expoſitionẽ verborum Dioſc. Eligito Amomũ plenũ ſemine ſimili parvis racemis. Sed ejuſmodi expoſitio ſtatim apparet falſa: ſiquidẽ ſeminis vox, q̃ eſt ſecũdi caſus, regitur à voce plenũ, & connecti non poteſt cũ ſimili, q; eſt quarti caſus, quapropter expoſitio cõmunis retinẽda eſt, q̃ ait, Eligito Amomũ ſemine plenũ, ſimile parvis uvis.

*Grave*] *Recent er.* Recentiores qui Amomũ Indicum reprobant, tanquam illegitimũ, quia grave non ſit, in eadẽ re multipliciter peccant, nam & ſenſui contradicunt & una ſimul confundunt ſigna Amomi tũ legitimi tũ optimi. Demũ Amomi gravitatem faciũt abſolutam, cùm tamẽ ſit cõparativa, quæ dignoſci nõ poteſt, niſi plures Amomi racemi invicẽ cõferantur.

*Racemi Indici etiam macerati odor contra recentiores.*

*Valdè odoratum.*] Tantã racemus Indicus odoris fragrantiã pollet, ut racemus quẽ jam multos dies aqua fervẽti maceratum, poſtea exſiccavimus, ſuam quandã nativam ſuaveolentiam ſpiret: quamobrem ignoro quid compulerit Recentiores ad negãdum validã noſtri Amomi ὀσμὴν ſẽſibus ipſis expoſitam.

*Subacerbe & acre*] *Recent. er.* Errant Recentiores inquirẽtes acrimoniã Amomi in ejuſdẽ particulis, quarũ per ſe nullus unquã fuit uſus, nẽpe in ſolis folliculis, vel in ſolis ſeminibus: ſiquidẽ veteres toto utebãtur racemo.

*Guſtum mordens*] *Recent. error negans acrimoniam.* Eligit Dioſc. quo excludat Medicũ Amomũ invalidũ. Recentiores racemi ſemina guſtũ mordere negant, ſed hac in re dupliciter errãt, & quia negãt rẽ ſenſibus apertiſſimã, & quia racemi acrimoniam abſolutam faciunt, non comparativam.

*Color varius.*

*Simplex colore non varium*] Color varius in uvis tũc exiſtit, quando in uno & eodem racemo acinorum hic viridis apparet, ille purpureus, vel quãdo idemmet acinus ita exiſtit. Sanè variũ hunc colorẽ ignotũ *Recent. error.* Recentioribus, in quibuſdã Indicis racemis Amomi nos obſervavimus. Dioſc. hoc loco racemum ipſum deſcribit, non totam Amomi plantam ut Recentiores opinantur. Varius autem color imperfectæ maturitatis eſt nota, vt in uvis ipſis poſſumus obſeruare.

*Adulterant verò aliqui Amomum ipſi vocata Amomide ſimili exiſtente Amomo, inodoro autẽ & ſine fructu;* ἀμώμῳ αὐτῷ ὄντι, ἀόσμῳ δὲ καὶ ἀκάρπῳ] Omnes expoſitores Amomidi tribuũt eſſe inodoram & ſine fructu, nõ ipſi Amomo, verùm ipſe verborũ cõtextus oſtendit eaſdẽ voces adjectivas, connectendas potiùs proximiori ſubſtantivo Amomo, quàm remotiori Amomidi. Deinde cùm Amomi vox multiplex ſit, quæ ſignificat plantam abſque fructibus & plãtam fructibus onuſtam, atque fructum racemoſum ſimilem parvis

uvis

uvis : Amomo inodoro & ſine fructu, hoc eſt, Amomo immaturo ut Plinius etiam ſcribit.

*Quæ naſcitur in Armenia, florémque habet ſimilem Origano* ] Suſpicamur quòd noſter auctor de Amomide ſcripſerit, potiùs quæ apud auctores legerit. Amomi plantam Dioſcoridi ſolo auditu fuiſſe cognitã, non autem oculatâ inſpectione compertam nobis ſuſpicandi occaſio: quòd verò ex veteribus herbariis aliqui Amomum deſcribentes plantam integram cum ſua radice figuraverint, apud Plinium locum monſtrabimus.

*lix.*

*Oportet autem huiuſcemodi probationibus fragmenta vitare. Eligito autem quæ ab una radice habent ſurculos integros*] Amomi radix non eſt utilis ad compoſitiones, quoniam radicum Amomi apud Veteres Medicos nulla unquam mentio habetur: ſed radicis mentionem facit Dioſc. ut maniſeſtum faciat, ipſas plantas integras, ſuiſque radicibus cohærentes, non eſſe expoſitas dolis & fallaciis. Recentiores ex incertiori Amomidis deſcriptione ſtudent confundere & perturbare certiorem & dilucidiorem notitiam legitimi Amomi racemoſi. Hæc ex Maronea in Dioſcoridem dixiſſe nobis ſufficiat.

*ent. er- r.*

*erpreta- verborũ nij de Amo.*

Oſtendit porro Maronea Plinium de Amomo verè ſcripſiſſe & conſona iis, quæ Dioſcorides de Amomo tradidit : quinetiam apertè monſtrat, Indicum racemum omnibus Amomi Pliniani notis inſigniri : præterea comprobat, Plinium in deſcribendo Amomo fuiſſe diligentiorem & dilucidiorem ipſo Dioſcoride. Nos ex Maroneana explanatione in Plinium, quædam tantùm adſcribimus, plura deſiderantem ad ipſius Maroneę commentarium relegantes. Sciendum itaque eſt, quòd quando Plinius dicit : *Amomi uva in uſu eſt.*] Amomi nomen ſignificat plantam ipſam, ejuſdem verò plantæ fructus, dicitur uva Amomi. Recentiores qui Ruellio vitio vertunt quòd Dioſcoridis vocem βότρυς perperam expoſuerit uvam cùm ſignificet racemum, ejuſdem erroris etiam Plinium ipſum tacitè reprehendunt. Amomi uvam intelligit Plinius racemum, qui refert imaginem uvæ. Recentiores qui Plinium in Amomi frutice deſcribendo ancipitẽ vident, inde colligunt, eundem auctorẽ etiam uvam Amomi ignoraſſe, admodũ fallaci argumento ducti.

*cent. ma- reprehen- nt Ruel- m.*

*cent. er- r.*

*Indica Vite Labruſca.*] Aliqui ex Recentioribus reprobaverunt Plinij de Amomo hiſtoriam, quia illa admodum favet nuper invento Amomo. Garzias autem audiendus non eſt qui Amomum in India naſci ſuis ſcriptis negat: non credendum eſt vel Garziam omnes Indiæ vaſtiſſimas regiones peragraſſe, vel omnia ſimplicia medicamenta cognoviſſe.

*arz. not.*

*Frutice Myrtuoſo* ] Nobis arridet opinio, quòd Amomi planta ſit frutex Myrti effigie præditus, nãq; in Racemi Indici (ut ſic loquar) pediculo folia inſũt breviora, quæ non ſunt diſſimilia à foliis Myrtinis.

*lia Myr- .*

*Punici mali foliis ſimile.*] Amomum quod eſt ſimile foliis Mali Punici, atque à Plinio laudatur, non eſt altera Amomi ſpecies, ſed eſt Amomum antea deſcriptum, illud autem eſt Amomi fructus vel planta: Amomum quod folia obtinet Mali Punici ſimilia, eſt ipſamet uva, non plãta. Indicus noſter racemus in ſeipſo continet folia ęmula foliorum Mali Punici, ſena ſingulos folliculos ambientia in modum calycis. Recentiores autem quibus incognita ſunt folia dicta, fruſtra objiciunt Plinio, quòd Amomum deſcripſerit longè diverſum à Dioſcoridis Amomo. Ex Plinio folia Mali Punici pertinent ad uvam Amomi, non ad plantã: ſed ex Dioſc. folia Vitis albę ſpectant ad plantam Amomi, nõ ad fructum. Racemi quibus inſunt folia integra & longiora, quæ extra Amomi acinos perſpicuè eminent, ſunt pulchriores viſu & plerumq; recentiores, & incorruptiores exiſtunt: folia ante maturitatem decerpta, rugoſa evadunt, quæ nondum animadvertere potuimus in Indicis racemis: ſed acinos racemi rugoſos. Plinius Amomo ruffo primum bonitatis ſignum aſſignat: idem Nardo tribuit colorem ruffum, nihilominus tamen in Indicis racemis nõ videmus colorẽ illum, ſed ſubruffum: ſubruffi autem racemi Indici Amomi plerumq; omnium ponderoſiſſimi & maximè odorati exiſtunt.

*unici fo- .t.*

*folia ru- oſa.*

*Color ruffus.*

*Pretium*] Quis aſſentietur Recentioribus ſcribentibus Plinium ignoraſſe Amomi uvam, quam nullus Vnguentarius aut Medicus Plinij ſęculo ignorare poterat ? Fruſtra laborant Recentiores, qui fingunt duas Amomi ſpecies à veteribus deſcriptas, cùm illi unicum tantùm cognoverint.

*Recent. error.*

*Foliis Mali Punici & gummi liquido* ] Cum Amomi uvæ fragmentis in unum factitium racemũ. Recentiores fruſtrà objiciunt Plinio, ſolis foliis inodoratis Mali Punici & Gummi liquido effingi nõ poſſe fructus odoratos, qui legitimum racemũ æmulari poſſint : Plinius in ſua narratione hiſtorica prætermiſit Amomum friatum ut pote notiſſimum in ætate.

*Plinij lectio corrigitur.*

*Minùs venoſa atque durior* ] vulgaris Codicis lectio hac in parte mendoſa eſt, legendum eſt minùs venoſa, atque dura.

*Simile his & nomine & frutice Cardamomum* ] Confutanda opinio Recentiorum, qui ſcripſerunt Amomum Indicum eſſe ſpeciem Cardamomi racemoſi. Docet Plinius, Cardamomum ſimile eſſe Amomi ſpeciebus, nempe Armeniaco, Pontico, Medico: qui verò exponunt Cardamomum ſimile eſſe his, Amomo & Amomidi ſcilicet, illi perperam faciunt unum Amomi genus & Amomidis, cùm planta ſit ſui generis ab Amomo diverſa.

*Racemus Indicus non eſt ſpecies Cardamomi.*

*Recent. error.*

*Frutice*] quoniam Plinius nunquam vidit Amomi fruticẽ, eadem ratione credendũ eſt eundẽ nũquam vidiſſe ipſum Cardamomi fruticẽ, utpote peregrinũ inutilémq; Vnguentariis & Medicis. Exiſtimandum cognoviſſe Plinium ſimilitudinem inter plantas Amomi & Cardamomi vel ex veterũ monumẽtis, vel ex ipſa ſimilitudine fructuũ Amomi & Cardamomi: Noſtrâ ætate nemo adhuc vidit (quòd ſciã) Amomi & Cardamomi plãtas: *Et nomine*] Amomum, Cardamomũ, & Cinnamomum ſunt vetuſtiſſima nomina, & ſunt inter ſe ſimilia : Ex hac verò ſimilitudine nominum licet facere probabilem cõjecturã unã & eãdem regionẽ aluiſſe illas plantas atq; nomen eiſdem impoſuiſſe. Quãobrem cùm ex hiſtoriis noſtri ævi notis apertè Cinnamomũ in remotiſſimis Indię Orientalis inſulis provenire, credendũ eſt in eiſdem inſulis, vel ſaltem proximiori earundẽ Inſularũ continenti etiã Cardamomũ & Amomũ naſci, indéq; in Europã deferri : Verũ cùm Pliniũ inter Amomũ & Cardamomũ duplicem ſimilitudinẽ deſcripſerit, ſcilicet fruticis & nominis ſimilitudinem, Recentiores ipſi qui affirmant noſtrũ Indicũ racemũ eſſe Cardamomũ racemoſũ fateri coguntur, inter Cardamomũ & Amomũ, tertiam reperiri ſimilitudinẽ notatu dignã, nẽpe racemorũ ſimilitudinẽ, àdeò ut uterq; Amomi & Cardamomi racemus eodem modo cohæreat, convolvátq; ſe ad uvę ſimilitudinẽ. Verũ Veteres quidẽ vocarũt Amomũ racemoſũ, ſed Cardamomum nunquam dixerunt racemoſum, vel quia Cardamomi racemus laxus, & rarus, nullam præ ſe ferat imaginem uvæ, vel quia Cardamomi fructus tenuibus hæreat pediculis & propterea ſuam racemi figuram diu ſervare non poſſit. Ex his colligendum eſt Galenum, Dioſc. Plin. & alios veteres nunquam cognoviſſe Cardamomum racemoſum.

*Plinius non vidit nec Amomi nec Cardamomi plãtam.*

*Cardamomum & Amomum ex India*

*Recentiores refelluntur*

*Semine oblongo*] Recentiores longitudinem ſeminis exponunt, tãquã ſimilitudinẽ Amomi & Cardamomi: ſed Plinius Cardamomũ ſemine oblõgo præditũ eſſe dicit Amomi nullâ mentione factâ. Plinius voce ſeminis intelligit Cardamomi fructum, qui externo folliculo, interníſq; ſeminibus cõſtat, ſed Recẽ-

*Semen pro fructu.*

tiores hanc impugnant expoſitionem. Procul dubio omnes Cardamomi fructus cum ſua theca oblongi; interna verò ſemina anguloſa & brevia ſunt, non oblonga: quia verò eadem ſemina ſeriatim depoſita ſunt, ſibique invicem connexa tenui intercedente membranâ, quâ involvuntur, inde fit, ut unaquæque ſeries ſeminum, unici tantùm longioris ſeminis oſtendat imaginem, quæ recentiores in errorem induxit. Cùm dicunt Recentiores Cardamomi fructum non eſſe ſemen, veritati repugnant, nam ex Ariſtotele fructus & ſemen reidem ſunt. Ex Theophr. ſeminis vox communiſſima, quæ ſub ſe continet fructus & ſemina, tam nuda, quam in pericarpiis contenta. Plinius ipſe Balſami fructum ſemen appellat & nucleos Pineorum. Et ſi verò ſcripſerit Plinius Cardamomum in Arabia provenire, attamen id falſum eſſe, novimus ex Neotericorum hiſtoriis.

*Recent. error.*

*Contra Pli. Cardam. non adferri ex Arabia.*

*Quatuor eius genera*] Cardamomum duplex exiſtit, frutex ſcilicet quod inutile eſt, propterea etiam ignotum, atque ſemen oblongum: ſed quoniam Plinius enumerat quatuor Cardamomi ſpecies, eaſdem eſſe fructus, qui pericarpiis & ſeminibus internis conſtant, nemo dubitare debet: ſiquidem harum ſpecierum color eſt viridis, ex ruffo candidus, varius, atque ipſi acuti anguli, noſtrum vulgare Cardamomum referunt non plantam: ex hoc loco apparet Plinium ignoraſſe Cardamomum racemoſum.

*Cardamomum quadruplex.*

*Viridiſſimum*] ſi Plinius Viridiſſimum Cardamomum intelligit illud quod herbaceo colore præditum eſt, nihil prohibet quin vulgare Cardamomum ſit Plinij legitimum quamvis ſit pallidum, ſiquidem vel maturitate, vel vetuſtate, vel aëris intemperie color viridis evaneſcit. Quid prohibet etiam Viridiſſ. Plinio illud eſſe, quod recentiſſimè collectum fuit?

*Viridiſſ. duæ ſignificationes.*

*Pingue*] ſignificat oleoſum & ſignificat etiam craſſum, & ſucco redundans, hoc in loco verò ſignificat ſemina craſſiora & vegeta ipſius Cardamomi.

*Acutis angulis*] Acuti anguli ſunt in vulgaris Cardamomi theca, nam ejuſdem interna ſemina anguloſa quidem ſunt, ſed non ſunt prædita acutis angulis, ſed potiùs obtuſis. Verùm quoniam Indici racemi fructus orbiculares ſunt, quaſi uvæ acini, ad hanc primam ſpeciem Cardamomi redigi non poſſunt: nam etſi fructus Indici Amomi præditi ſint tribus exiguis eminentiis, illæ tamen ſunt leviter connexæ non angulatæ.

*Indicum racemus huc referri non poteſt.*

*Contumax frangenti*] Corrupti Codices legunt, contumax fricanti. Verùm ex Dioſc. & Plinio locus corrigendus. Loquitur verò Plinius de integro fructu Cardamomi, non de internis tantùm ſeminibus.

*Plinij lectio corrigitur.*

*Proximum è ruffo candicans*] Hic eſt nativus color Cardamomi vulgaris.

*Color.*

*Tertium brevius atque nigrius*] Tertia Cardamomi ſpecies breviori & nigriori ſemine conſtat. Semina autem breviora ſunt ipſi fructus integri Cardamomi, quod conſtat ſuo pericarpio & ſeminibus internis, ſed ſi liberè loqui licet, etſi ſeminum brevitas denotare poſſit tertiam ſpeciem Cardamomi, nihilominus tamen nigredo denotare videtur quandam à ſolis calore contractam exuſtionem.

*Cardam. 3.*

*Peius tamen varium*] Varius color inchoatam maturitatem ſignificat. Hæc autem quarta Cardamomi ſpecies non differt natura à reliquis ſpeciebus Amomi.

*Varium.*

*Hoc & apud Medos naſcitur*] Nullum eſt abſurdum Cardamomum naſci in Arabia & Media, ſed revera ex Neotericis non habemus. Concludendum in Amomi hiſtoria plenam fidem adhibendam eſſe Plinio: tum quia vera & notiſſima ſcripſit, tùm quia cum Dioſc. conſentit, quo etiam ſe diligentiorem præſtitit. Quia verò in Indico noſtro racemo omnia apparent legitimi Amomi notæ, recitatæ à Dioſcor. & Plinio, aſſerendum eſt hunc Indicum racemum eſſe verum & legitimum Dioſc. & Plinij Amomum.

*Locus.*

*Racemus Indicus legitimum Amomum.*

Quod Latinis Amomum, ἄμωμον Græcis, & Arabibus *Hamana* ſive *Hamanus*, & Conſtantinopoli in officinis *Amama* nominatur; mihi verò Amomum 1. racemoſum dicitur, ego (inquit Bauh. in pin.) verum credo Amomum, Martinelli & Ponæ, de quo Nicol. Marogna Medicus librum latinè ſcripſit, quem Pona Italicum dedit. Amomum ſpurium, Cluſ. exot. auctario. Fructus 5. è VValachria, Eid. exot. l. 2. c. 22. Amomum verum Ponæ, Cluſ. cur. poſt. & ibidem ſub Amomo.

*Synon. C. B.*

## CARDAMOMVM VETERIBVS ET in genere. CAP. XLIX.

Cardamomum (exorditur Theophr. hiſt. l. 9. c. 7.) alij ex Media, alij ex India, cum Nardo & reliquis omnibus, aut plurimis advehi narrant. Hoc ad unguenta utuntur. Simile his [*Amomo & Amomidi*] eſt Plinio l. 12. c. 13. & nomine & frutice Cardamomum, ſemine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia. Quatuor ejus genera, Viridiſſimum ac pingue acutis angulis contumax fricanti quod maximè laudatur. Proximum de ruffo candicans. Tertium brevius atque nigrius. Peius tamen varium & facilè tritu, odoriſq; pravi: qui veriùs Coſto vicinus [*quod verius Coſto vicinius. Dal.*] eſſe debet. Hoc & apud Medos naſcitur. Precium optimi in libras duodecim [*libras x. duodecim. Dal.*] Cinnamomo proxima gentilitas erat, ni priùs Arabiæ divitias indicari conveniret, cauſaſque quæ cognomen illi felicis ac beatæ dedêre. Cæterùm ex quibus autoribus Plinius ſua quatuor genera faciat, non conſtat, teſte Matthiolo: Dioſcorides enim, Galenus & cæteri Græci, unius tantùm Cardamomi meminerunt. Quæ verò commentantur de his Cardamomis Plinij, vide cap. præcedenti apud Nicol. Maroneam de Amomo novo Cardamomi minoris facie, vel Indico racemo.

*Locus ex Theophr.*

*Cardamomi 4. genera Plinio.*

*Pretium.*

*Plin. not.*

Dioſc. de Cardamomo tractans id non deſcribit, ſed duntaxat quibus in locis naſcatur optimum, qualéque illud ſit, docet his verbis: Cardamomum optimum eſt quod ex Comagene & Armenia & Boſphoro affertur. Naſcitur etiam in India & Arabia: Elige verò id quod ægrè frangitur [δυσθραυστον] plenum eſt ac concluſum [μεμυκὸς] quod enim ejuſmodi non eſt, exoletum eſt: quod item odore nares percellit, & ſapore acre & ſubamarum eſt. Vim habet calefactoriam. Cum aqua potum facit ad Comitiales, tuſſim, coxendicum dolores & reſolutionem: ad rupta item & convulſa, ac tormina, & lumbricum latum ejicit. Cum vino verò potum renum affectionibus, urinæ difficultati, à ſcorpione ictis, & ad omnia venenum ejaculantia commodat. Cum Lauri radicis cortice, drachmæ pondere potum, calculos atterit. Fœtus etiam perdit ſuffitu. Et ſcabiem eximit illitum cum aceto. Miſcetur etiam ad unguentorum ſpiſſamenta.

*De Cardam. Dioſc.*

*Delectus.*

*Vires.*

*Comitialis.*

*Renes.*

*Venenum.*

*Calculus.*

*Scabies.*

Temperamentum adſcribit *Galen.* ſimpl. 7. Qui ſanè adſtruit eſſe facultatis admodum calidæ, non tamen uſque adeò ut Naſturtium: ſed quanto ſuavius magiſque fragrans eſt Naſturtio, tanto ei imbecillior ei calida facultas ineſt: nec enim ulcerare idoneum eſt vel ipſum per ſe illitum. Porrò adjunctum habere quiddam etiam amaritudinis quâ lumbricos interficit, & cum aceto valenter ploras detergit.

*Temperamentum. ex Gal.*

Apud Galenum in theriaca Androm. (quæ & l. 1. Antid. & in lib. 1. de theriaca ad Piſonem habetur) Ind.cum

Indæam Cardamomum non pro nigro, & Indorum colorem habente accipio (inquit Cornar.) ſed pro Indico & in India naſcente, ut Dioſcorides docet. Porrò idem Galenus 7. c.3. ejuſdem operis, in confectione Pamphyli, Cardamomum exenteratum habet: ſic enim ego καρδάμωμον ἐξεντερισμένον reddo: & accipio non id cujus interna pars evacuata & ejecta eſt, ſed cui exterior cortex ſive pellicula, in qua continentur, detracta eſt, ita ut interna pars in uſum aſſumatur, & ſit ἐξεντερισμένον, velut ex interna parte acceptum: contrario modo ei quo glycyrrhiza ἐξεντερισμένη probatur, ex qua ejecta eſt medulla, & radix reliqua in uſum accepta. Quanquam autem in Scribonio, & Marcello Medico Latino vetuſto, per me ex officina Frobeniana edito, ἐξεντερισμένον vox reddita legatur per vocem animatum: Nam & Naſturtium animatum, & cachry animatum, & miſy animatum habent. & animatum ita pro exenteratum & inanitum, poſitum videri poſſit, per errorem exſcribentium, qui animatum pro inanitum agnoverint: tamen velut etiam in relatis comment. meis ſcripſi, animatum pro pleno & integro, & evacuato contrario dictum eſſe poteſt, atque adeò pro interno, quod ad externum collatum, animatum, & velut anima præditum haberi: atque ita Galenus 2. de antid. dixit καρδαμώμου τῶν λοβῶν χωρὶς, τῆς ἐντεριώνης: i. e. Cardamomi interni abſque folliculis. Quanquam in Galeno ambiguum ſit, an χωρὶς ad λοβῶν, aut ἐξεντεριώνης vocem referenda ſit. Quùm autem λοβῶν uſus nullus à Dioſcoride præſcribatur, ἐξεντεριώνη, & quod ſupra ἐξεντερισμένον dixit, i.e. internum in capſulis comprehenſum accipi debere videtur. Et hoc declarat Galenus ibidem, ex eo quod in ſequenti medicamento καρδάμωμον κεκαθαρμένον accipere jubet. Aëtius tamen 12. c.47. καρδαμώμου χωρὶς τῆς ἐντεριώνης habet, i.e. Cardamomi medulla privati, tanquam rejecto interno grano, capſulæ ipſæ accipiendæ ſint: ſed ego vocem λοβῶν deeſſe puto, & legendum, καρδαμώμου χωρὶς λοβῶν, τῆς ἐντεριώνης: ut ſit eadem quæ Galeni lectio.

Avicenna de Cardamomo duobus diſtinctis capitibus tractavit. Priore de Cardamomo Sacola, de qua ſuo loco dicemus: altero de Cardamomo Cordumeni. Quo capite eaſdem planè vires ei aſſignat, quas ſuo Cardamomo Dioſcorides. Ex quo perſpicuum eſt de Græcorum Cardamomo Avicennam hîc verba facere. Item Serapio nomine Cardamomi eadem prorſus refert, quæ Dioſc. & Galenus de ſuo Cardamomo. Sed Cardamomum ne Græcorum ſit, quod vulgo in officinis habetur, id in controverſia eſt. Geſneri quidem judicio, Cardamomum Græcorum, aut illud ipſum eſt, quod noſtri ſimpliciter Cardamomum vocant, (cujus tamen tres ferè differentiæ magnitudinis inveniuntur) aut pro eo rectè uſurpari poteſt. Matthiolus ſuſpicatur Melegetas vulgo dictas, Cardamomum majus eſſe: ſed illæ profectò longè calidiores ſunt Cardamomo, & acrimoniâ piperi non cedunt: & quod Matthiolus ignoravit, Arabicum ſeu Arabum Cardamomum ſunt, *Sacolla* etiam & aliis nominibus apud Arabes dictum, apud Actuarium modò *Cacula*, modò *Cachrys*, modò *Capſicum*: quod poſtremum indocti aliqui in compoſitionibus quibuſdam in Tapſiam mutarunt, (ut in Diamarg. Avicennæ quadam deſcriptione) quæ mortis quorundam occaſio extitit, ut teſtatur Lacuna in ſui Dioſcoridis hiſpanici præfatione: alij verò in *Caſſiam ligneam*, ut Matth. in epiſt. ſed Geſnerus Capſicum, i.e. Cardamomum Arabum eſſe legendum primus animadvertit. Quòd ſi quis etiam Cubebis pro Græcorum Cardamomo uteretur non aberraret is ipſius judicio. Ipſi Melegeta non videtur cum Matthiolo magis reſipere aroma, quàm alia Cardamomi nomine dicta ſemina: quæ quidem, cùm nonnihil ſubamara ſint, ut Cardamomum Geſnero viſa ſunt: Melegeta verò acerrima, abſque amaritudine, neſcit quid ſomniarit Matthiolus, ut Melegetam potiùs Cardamomum Græcorum eſſe putarit, quàm id quod nomen retinuit.

Cordus præter Melegetam, Cardamomi tria genera facit, magnitudine tantùm diſtincta; Matth. duo ſolùm. Cæterùm cùm omnia hæc quatuor genera, ſua ſemina folliculis includant, ridiculum eſt, quod nugatur Matthiolus, Melegetam ſibi præ ceteris videri Cardamomum Græcorum, quoniam folliculos habeat. *Matth. nugatur.* Melegeta dicitur etiam *Nux ſacra*, & *Nunte ſarcas* Myrepſo, quaſi *Nux Cachrya vel Cachrys*. Temerè etiam Matthiolus pro Cardamomo Myrti baccas ſupponit, corruptam Martiati Rotæ Ἀντιβαλλομένον verſionem ſectatus: meliùs Iuniperi baccas aut Cedri ſubſtituiſſet. *Cardamomi ſubſt.* Piper Indicum ſeu Siliquaſtrum quorundam, primus Geſnerus ante plurimos annos Capſicum aut Cardamomum Arabicum ſibi videri ſcripſit: in quo erraſſe ſe agnoſcit: etſi ſententiam illam aliqui non indocti ſunt ſequuti. *Geſn. ſuum errorem fatetur.* Cæterùm minus Cardamomum Serapionis, nullo capitulo aut folliculo incluſum, ipſi ignotum eſt. *Cardam. minus Serap. quid.* Quod ſi quæ compoſitio Cardamomum duplex majus & minus requirit, Cardamomum quodcunque habetur, ex tribus illis magnitudine tantùm differentibus, duplicatum ponere approbat, aut Cubebas pro altero. Pro *Sacolla* autem & *Capſia*, vel *Capſico Cacalâve*, in lexico Græco rei herbariæ, quod D. Sambucus ad ipſum miſit innumeris erroribus refertum, verba hęc inveniri ſcribit, καρδάμωμον, κακοῦλα, & rurſus κακεία ἐστὶ κακοῦλα τὸ μέγα. Melegetta verò vel granum paradiſi vulgò dictum, non eſt Cardamomi ſpecies: ſed ſui generis, quod & precij vilitas indicat, & nulla odoris aromatici gratia. *Melegeta nõ eſt Cardamomum.* Græcis veteribus incognitum fuiſſe putat: recentiores Græci *Capſicum* nominant, ut Actuarius: & alicubi *Siteresſium*, ſi bene meminit ab Arabico nimirum *Seitarengi* (quæ vox tamen alibi Lepidium ſignificat) in recentiorum quibuſdam antidotis *Capſia*, interdum etiam *Caſſia* pro *Capſico* legi videt: vocatur & *Nunte ſarca*, & *Nux ſarca*, & aliis barbaris nominibus, de quibus nunc inquirere non vacat. Quod autem Geſnerus Matthiolum Cardamomi duo tantùm genera ſtatuere ſcribit, ſe negligentem ejus lectorem oſtendit, nos ſiquidem contrarium brevi oſtendemus. *Geſn. not.*

Cardamomi appellatione grana quædam in pharmacopoliis habentur, & guſtu & olfactu admodum aromatica: Manardus & Antonius Muſa contendunt nos (inquit Cordus) verò Cardamomo carere, quoniam ab authoribus deſcriptæ notæ granis Cardamomum appellatis non conveniant. *De Card. Cordus. Manard. & Muſa not.* Quod quidem verum eſſe ipſe fateor, non tamen continuò proclamandum erat, nos vero Cardamomo carere. Dioſcorides enim & Serapio integros Cardamomi utriculos ſive fructus granis cõfertos, ut olim afferebantur, atque non rarò noſtrâ etiam ætate, deſcripſerunt. Hodie verò ut plurimum cortices, quia lignoſi & nullius qualitatis ſunt, abjiciuntur, & ſola grana folliculis incluſa, propter ſaporis & odoris fragrantiam ad uſum reponuntur: hinc etiam eſt quod Græci in compoſitis medicamentis ſemper expetant Cardamomum: ἐξεντερισμένον & τὴν ἐντεριώνην Cardamomi, h. e. exenteratum & ex utriculis exempta viſcera ſive grana, Maius alterum & minus alterum. Arabes utrumque Cardamomum generali nomine, & *Cordumeni* & *Saccola* appellant. *Cardamomum Maius & Minus.* Itaque vehementer errant ij, qui *Cardumem* apud Serapionem Carui agreſte interpretantur, idem enim eſt cum Cardamomo: nec aliquam ſuſpendat quod Serapio, eandem rem alibi *Cordumeni*, alibi *Sacollæ* nomine deſcribit: in capite enim de *Cardumeni* ea recenſet, quæ apud Dioſcoridem de *Cardamomo* le- *Carui agreſte.*

guntur: in *Sacolla* verò rem eo depingit modo, ut Arabes deſcripſerant, & ut ipſe viderat, & quemadmodum adhuc affertur Cardamomum. Iam cùm Dioſcoridis & aliorum Græcorum deſcriptioni, & *Cordumeni* & *Sacollæ* apud Serapionem hiſtoriæ per omnia conveniat, nemo diverſum ſtatuat eſſe Cardumeni & Sacolla. Arabes pulchrè etiam ſuis nominibus Cardamomi ſpecies diſtinguunt. Siquidem majus appellant *Heyl*, minus verò *Helbanc*, qui autem contrarium dicunt, errant. Cardamomum minus, nomen ſervat in Pharmacopoliis, Ger. 𝔆𝔞𝔯𝔡𝔞𝔪ö𝔪𝔩𝔢, diverſũ à granis paradiſi, quæ aliqui Cardamomum minùs impropriè vocant, minùs ſortè precio & viribus intelligendum: mole enim majora ſunt, & aliqui majori Cardamomo ſubſtituunt. Habet idem Cordus in obſ. ſilv. Cardamomum quoddam pinguius, acrius, odoratius, ſcabriúſque veluti incultius quiddam.

*Cardamomi ſpecierum diſtinctio Arabum.* *Error quorundam.* *Cardamomum pinguius.*

Francofurti ad Mœnum in nundinis Cardamomi tria genera hodie officinæ apud Cornarium agnoſcunt [*Manardus inter hæc, ſolam amaritudinem deſiderat*] maius quod ad fuſcum & propemodum nigrum colorem declinat ſemen, medullam albam habens; minus, cuius color ruber eſt; tertium quod *Grana paradiſi* vocant, fulvi coloris. Sunt autem omnia ſemina anguloſa, & velut compreſſa. Sed ex his nullum propiùs ad Dioſcoridis Cardamomum accedit, quàm quod minus appellant, & eſt, ut quod ſapore acre ſit, & leviter amarum. Majus nec acre eſt admodum, nec amarum. Grana verò Paradyſi, quæ vulgo 𝔓𝔞𝔯𝔞𝔡𝔶ß 𝔎ö𝔯𝔫𝔢𝔯 vocantur, acrimoniam adeò excellentem habent, ut fervorem linguæ inducant, & piperis loco cibaria condiant, in multorum uſu. Minore itaque Cornarius utetur, ſi ita uſus ferat.

*Cardamomum triplex Corn.* *Minus eligendum.*

Monachis in Meſ. diſt. 7. cenſ. 265. auctoribus, aliud eſt Cardamomum Græcorum & aliud Arabum. Cardamomum Græcorum ſcilicet Dioſc. & cæterorum, apud Arabes vocatur Cardamenum vel Cordumenum, ſive Cardameni, vel Cordumeni. Arabes, vt Serapio & Avicéna, faciunt plura Cardamomi genera. Avicenna confundit ſpecies in diverſis capitulis vt in capitulo *Cardamomum* & capitulo *Cabzbague*, & capitulo *Elbue*. Interpres etiam Serapionis, Simon Ianuenſis in capitulo de *Sacolla*, quod eſt de Cardamomo (vtiidem putant) erravit, ac etiam aliqua de ſuo addidit, videlicet Cardamomum maius eſſe *Heil*, & minus *Hilbane* (quod putat minus corruptum) & eſſe maſculum: vt idem ſcripſit in ſua clavi in litera Cardamomum: ſimiliter erravit in capitulo 316. quod incipit Cardameni: quia non debuit intitulare ipſum de Carui agreſti. Vt omnes communiter tenent, quando abſolutè eſt ſcriptum Cardamomum, ſemper maius eſt intelligendum. Bellunenſis in ſuis interpretationibus ait, *Eilbua* eſt Cardamomum minus, & eſt granum apud Italos appellatum *Melegette* & dicitur etiam *Heilbua*. Quomodo Meſues ponit Cordumenum vt in Diamoro, & in Athanaſia magna, & in Diaſulphure, & in confectione alſeſcerę, & aliis pluribus: tunc non petit Cardamomum Arabum ſed Cardamomum Græcorum, quod ipſi Arabes ſub nomine Cordumeni deſcribunt. Vnde ſciendum quòd Cardamomi ſint quatuor genera, Cardamomum maius & minus, & *Heil* & Cordumenum: Et omnia quatuor genera tangit Plinius 13. c. lib. 12. Fatentur Monachi ſe neſcire quid ſit Cardamomum Arabum maius, & *Heil* penitùs ignorant; & Cordumeni Arabum, ſcilicet Dioſcoridis Cardamomum, quid certè ſit adhuc nõ benè percipiunt. Minus Cardamomum quod aliter *Helbaugue* appellatur authoritate Bellun. tenent pro certo eſſe *Melegetam* ſiue *Meleghetam* uſualem, quam omnes aromatarij agnoſcunt, & hæc ponenda in trochiſcis de ligno Aloës Meſues. Loco Cardamomi majoris, ac etiam loco *Heil*, licet illis uti Cardamomo ſcilicet *Melegeta*.

*Cardamomum Græc. & Arabum diverſum.* *Avicenna confundit.* *Error Ianuenſis.* *Cardam ſimplex.* *Cordumenum Meſues.* *Cardamomi 4 genera.* *Cardamomum Arabum non norũ: Monachi.*

Legitimum Cardamomum hac tempeſtate non cognoſci, ne ab ipſis quidem mercatoribus, qui ex Syria, vel Aegypto aromata ad nos cõvehunt, *Matthiolus* compertum habet. Quo fit vt Medici, ac pharmacopœi in componendis medicamentis æquè errent in Cardamomo, atque in aliis compluribus, quòd Cardamomi loco variis quibuſdam ſeminibus, odoratis tamen, indifferenter utatur. Quorum primum Cardamomum maius: ſecundum Nigellam quod Meláthij eſt genus: tertium verò *Meleghetas*, vel grana Paradiſi nuncupant, cùm tamen eorum nullum nec Gręcum, nec Mauritanum ſit Cardamomum, quandoquidem aliud Græci, aliud verò Aſii pro Cardamomo intelligunt. Serapio Dioſcoridis Cardamomum Cordumenum appellat, deinde autore Iſaach ſui Cardamomi peculiare caput inſtituit, idque Saccolam nominat: quin & duum eſſe generum tradit, alterum maius, alterum minus, quorum nullum nõ modò Dioſcoridis Cardamomo reſpondet, ſed nec etiam ulli eorũ, quibus officinæ indifferenter utuntur. Probatur itaque primum quòd omne officinarum Cardamomum Dioſcoridis Cardamomum eſſe non poſſit, pluribus tum notis, tum etiam qualitatibus. Quippe quòd hæc in uniuerſum parùm, vel ferè tantillum denſa ſint, frangenti non contumacia, & guſtui nihil amaroris relinquant. Quòd pręterea ab Arabicis diſtent, ſi cum illis comparentur, facilè diſparitas deprehenditur. Siquidem Serapioni maius Cardamomum ſemen eſt plantæ, quod oblongis quibuſdam cõcluditur capitibus iis ſanè ſimilibus, quæ è roſis prodeunt, granis obnigris rotundis, Pipere longè maioribus, in quibus minuta ſemina concluduntur, anguloſa, farcta, & odorata: minus verò nullo contegitur capitulo majoris modo, quanquam colore conveniant. Quod planè indicat, omne officinarum Cardamomum nec Arabum eſſe, nec pariter Græcorum, ſed potiùs ab utriſque maximè differre. Quare putauerit Matthiolus, illud falsò ſibi perſuaſiſſe Monachos, qui in Meſ. ſcripſere, quòd Arabum Cardamomum minus illud ſemen ſit, quod Seplaſiæ Meleghettas vocant, Andreæ Bellun. qui Avicennam mendis expurgavit, auctoritate freti. Sed cùm Bellun. id aſſerat vulgari tantùm opinione ductus, cúmque notæ minimè eorum ſententię adſtipulentur, erraſſe Monachi facilè deprehenduntur. Semina enim quæ *Meleghettas* appellant (vt omnibus planè conſtat) capitulis excepta ſuboriuntur, quod minori Serapionis Cardamomo non evenit. Crediderunt Ruellius in ſuis de natura ſtirpium libris, & Fuchſius in ſua methodo, id omninò Mauritanorum eſſe Cardamomum, quod nos Piper Indicum, alij Siliquaſtrum appellant. Verùm etſi Piper Indicum in corniculis Roſarum ferè modo ſuum includat ſemen, quia tamen reliqua Serapionis Cardamomo nullis notis correſpondent, Mauritanorum Cardamomum eſſe nequit: hoc enim ſuis in vaſculis globulos quoſdam concludit, non lenticulis ſimiles, ſed rotundos, & pipere craſſiores, qui intra ſe minutum quoddam ſemen continent. Huc etiam accedit, quòd cùm hoc Piper corniculatum, tum ſemine, tum corniculis ipſis tanta ſit acrimonia præditum, ut non modò manſum, ſed ori tãtùm admotum ſtatim quaſi ignis exurat, abſurdum utique fuerit credere Serapionis Cardamomum eſſe, cùm dixerit ipſe magis adſtrictoriâ facultate pollere, quàm acri. Cæterùm ſcribit Avicenna maius Cardamomum grana ciceribus atris, minus verò lentibus minora proferre. Quòd cùm forta ſſe Ruellius haud rectè percepiſſet, ei errandi anſam præbuit. quippe minori Cardamomo, non

*Cardamomum noſtra ætate non cognoſcitur.* *Nigella.* *Saccola n[…] eſt Card[…] momum Dioſc.* *Monacho[…] rũm erro[…]* *Piper Ind[…] cum cont[…] Ruell. & Fuchſ. n[…] eſt.*

non autem maiori ſemina, lentium modò naſci ait Avicenna: quāquam Ruellius, vt ſuam tueatur ſententiam, ſecus fortè legerit Avicennam. Tria genera Cardamomi ex Alexandria Ægypti & India Orientali à Luſitanis adferuntur, inquit Matth.germ. & Italicus. Maius vocatur à quibuſdam *Melegeta*, ab aliis Grana Paradiſi. Medium & minus nō certò ſcio an unum horum ſit verum Cardamomum veterum. Veteres teſtantur Cardamomum habere ſiliquas ut legitur apud Galen. Zenonem in ſuis remediis adverſus venena rejeciſſe ſiliquas: præterea id vidēdum apud Gal. lib. 10. de antid. poſt Democriti deſcriptionē, in Theriaca carmine deſcripta: Item l. 7. de comp. med. ſecund. loc. cap. 3. Facilè autem dicerem maius Cardamomum eſſe veterum verum Cardamomum, ſi non deeſſet amaritudo, quam requirit Gal. lib. 7. ſimpl. ſi odore caput offenderet, & non facilè frangeretur. Neutrum volo aſſerere. Non malè agunt qui Cardamomo vulgari utuntur loco veri Cardamomi. Cardamomum maius dicitur *Melegeta* propter ſimilitudinem cum *Melega*; & propter gratum odorem quibuſdam Grana Paradyſi.

*ardamo- i 3. gene.* — *n Carda- omum ntiquo- um?* — *cet uti ardamo- o vulgari o vero.*

Cluſius in fine Dod. gall. ſcribit, antiquis Græcis vocari καρδάμωμον Lat. *Cardamomum*, Arab. *Cardameni, Cordumeni*, aut *Cardumeni*. Ab hoc Cardamomo aliud habere Arabes diverſum, cuius maius genus vocetur ab eis *Sacolla* aut *Chachule*: minus autem dicatur *Heil* & *Hilbane*. Officinis utrorumque Græcorum & Arabum Cardamomum eſſe incognitum: pro ijs alia duo haberi genera, primum & maius Grana eſſe Paradiſi. Idem in exot. auct. quale ſit Græcorum aut Latinorum Cardamomum nondum cuipiam conſtare opinatur, certum enim ait eſſe ab Arabum Cardamomo differre.

Acoſta de arom. c. 64. de Cardamomo ſcripſiſſe ait Avic. cap. de *Cacolaa* & diviſiſſe in majorem & minorem. Magnam eſſe confuſionem nominum huius medicamenti in ſcriptis Arabum. Et quamvis Serapio unum ex his vocet *Chacolaa*, & alterum *Heilbane*, ſciendum textum corruptum & ſcribendum eſſe *Cacolaa*, *Ehil*. *Cacolua* autem ut vocant omnes Arabes, aut *Caculee* ut dicit Auicenna, vel *Elachi*, ſignificare Cardamomum, ſi verò non habeat nomen apud Græcos & Latinos, id accidiſſe quia non cognoverint: & hinc credi Galenum non ſcripſiſſe de hoc. Dicere Dioſcoridem melius adſerri ex Comagene, Armenia & Boſphoro, adferri etiam ex India & Arabia, quod ſi ibi inveniatur illud quod tradit Galenus & Dioſcorides non eſſe Cardamomum quo vulgò utuntur in India, ſed duo fore & non unum: ſi dicatur eſſe Avicennæ & Serapionis Cordumeni, non eſſe quod contradicat, quia non ſit id, quod Auicenna & Serapio vocarint *Cacula* vel *Hil*: Non competere etiam ſigna quæ Dioſcorides attribuerit Cardamomo, nō enim difficilè rumpi. Quod vulgaris vſus (ait idem Acoſta) vocetur Cardamomum, quum non ſit Græcorum ait in cauſa Girardus Cremonēſis in ſua verſione, quia non noverat hoc ſimplex, præſtitiſſet eum reliquiſſe nomen Arabicū. Non eſt etiam hoc Plinij Cardamomum quia quatuor tradit genera. Vulgare Cardamomū diverſum eſt admodum ab eo quod Valerius Cordus tradit, cujus vnum genus maius eſt magnitudinis glandis, & minus magnitudinis Avellanæ, quandoquidem Cardamomum maius non excedit magnitudine Pini nucleum. Ruellius dicit fruticem ſimilem Amomo, ac colligi Amomum in Arabia, unde patet quod exhibet non eſſe Cardamomum, quandoquidem ex India fertur, in Arabiam, nec etiam ibi Amomum provenit. Dicit præterea ex Theophraſt. auctoritate eſſe vicinum Nardo & Coſto: verùm in eo videtur deceptus, quia Nardus & Coſtus reperitur in Chitos & Mandou: *Cacola* autem vel Cardamomum in

*ardame- um Avic.* — *ordumeni* — *remonen- error.* — *ardamo- um ma- s.*

Malavar. Dicit præterea ſemina alba, ita calida ut veſicas excitent in ore quod non convenit Cardamomo vel Cacolaæ: cortex enim albus & ſemen nigrum. Andreas Lacuna dicit demonſtrari tria Cardamomi genera, maius & minus, & alterum quod eſt Nigella. Maledicit Arabibus ſine occaſione quaſi confundant omnes ſpecies. Erravit Mercator, qui ei dixit ex Armenia vehi Venetias tria genera Cardamomi ſi ſaltem verum erat Cardamomum, quia verum ex India venit Alexandriam. Cardamomum igitur Græcorum non eſt Arabum. Præter rationem Manardus & alij dicunt Cardamomum Arabum medicamentum novum & removent ab uſu, quia Galenus & Dioſc. eo non ſint uſi. Eo uſi ſunt Avicenna, Abenzoar, Iſaach, Rhaſis & alij. In formulis medicamentorum Græcorum & Latinorum antiquorum qui non ſcripſerunt poſt Arabes, accipiatur Cardamomum Galeni, nec accuſentur qui culpâ vacant. In compoſ. Arabum & Latinorum recentiorum aſſumatur Cardamomum majus & minus, quæ vulgaria & ejuſdem figuræ, quæ quantitate tantùm inter ſe differunt. Avicennam oportebat diſtinguere Cardamomum in majus & minus, quia diverſis in locis proveniūt. Affirmatur reperiri in Zeilan aliam ſpeciem Cardamomi majorem & minùs aromaticam vulgati. Garzia ab Orta vult ut utamur vulgari majori & minori: Minus magis aromaticum. Andreas Bellun. dicit *Cacule* eſſe Cardamomum majus & *Alcal*, vel *Hahaleil*, vel *Cairbua* & *Elbua*, Cardamomum minus. Verùm hęc nomina ſunt depravata in libris arabicis, nec mirum ſi erravit Bellunenſis. Quod ait Matthæus Sylv. Indicos Medicos radice uti ad febrem, res non ita ſe habet.

*Lacuna reprehenditur.* — *Manard. reprehendit.* — *Cardamomum in Zeilan.*

Qui tandem novit Amomum Dioſc. & Plinij, is teſte Lob. adv. illicò noſcet eundem Cardamomum, utpote Amomo ſimile nomine, frutice, ſemine oblongo & idem diſcet noſtrum ſiliquoſum, Cardamomum officinarum, aut Græcorum non eſſe, aut deſcriptiones prorſum depravatas eſſe: Nam Galeni locus adductus de exenterato fructu Cardamomi, poteſt intelligi de glumis mundato: nec ullus locus adverſatur ex Dioſcoride. Neutiquam tamen contemnēdi uſûs haſce ſiliquas putamus: tum quia tacito conſenſu & prærogativâ uſûs receptæ ſunt: & fortè Arabum ſunt: Earum quæ maxima, *Melegetta* aut *Millegetta*, nomine Grani Paradyſi notiſſima eſt. E quatuor aliis ſiliquis quæ inter ſe perquam ſimiles ſunt, ea quæ officinis majus Cardamomum vocatur oblonga triquetra lapidi dactyli concolor. Triquetra etiam ſiliqua ſed brevior eſt media vocata, quam veriùs putant Cardamomum. Minima pariter triquetra, ſed vix nucleum Pruni æquat. Alia quedam recens allata ex Indiis occiduis, puſilla Melegettæ penè par, guſtu Gingiber prorſum teſtante. Iſtas omnes ſiliquas Cardamomi eſſe, aut plantarum conſimilium, nec Gingiberi abſimilium, non abs re quidam peregrinator narrabat. Dum Lob. in adv. notat Anguillaram, licèt non nominet, non videtur obſervare Galenum meminiſſe λοβῶν ſive ſiliquarum quod competit noſtro Cardamomo. Item Dioſc. dixit πλῆρες & μεμυκὸς, plenum & occluſum quæ ſiliquæ optimè conveniunt. Anguill. ſententiam videant lectores poſt ſub titulo Cardamomi cum ſiliquis triangularibus. Minus diſtinctè ſcribit Lonicerus de Cardamomo & ejus viribus. Hîc ponimus totā ejus hiſtoriam ne quid deſit lectoribus, Ille igitur inquit. Cardamomum eſt fructus arboris: grana ſimilia Rutæ ſeminibus continentur in parvis tenuibus lobis incluſa. Eſt autem Cardamomum duplex, hortenſe & ſylveſtre, ſive majus & minus. Ex his domeſtica, ſive majora prævalent, magiſque odorata ſunt, ſubruſſa, acria, cum quadam dulcedine. Sylveſtria & minora non adeò bona,

*Cardamomum ſiliquoſum noſtrum rejicitur.* — *Gingiberi aſſimiles ſiliquæ.*

bona,minùs odora,nec tantis viribus prędita,quàm culta, quibus in Medicina utimur, ſeparatis tamen oſſiculis,pulveribúſque priùs excuſſis.

## CARDAMOMI ÆQVIVOCAtiones.

*Cardamomi genus maximum.* CÆterum Melegetha,ſive Grana Paradyſi,multis Cardamomum, quibuſdam majus, aliis minus habetur. Cordo quidem, Cardamomum majus Melligettæ ſimile creditur.

*Gingiberis ſiliqua.* Siliqua Gingiberis puſilla Melegettæ penè par Lobelij cui conſimiles plantæ apud Lobelium in Adverſ. dicuntur Cardamomi ſiliquæ, quanquam aliter ſentiat Garcias,de hac autem ſiliqua ſcribimus lib.18.

*Cardamomum ſiliquatum quadruplex* Cardamomum cum ſiliquis quadruplex majus, & minus vulgare, medium & minimum. Hoc Cardamomum aliqui pro vero recipiunt, alij non ut Cluſius.

*Amomum novum Cardami facie.* Cardamomi facie Amomum novum quibuſdam Cardamomi ſpecies, negante Cerchino Marinella. Vide ante.

*Subſtituta.* Cardamomo ſubſtituit Colleg. Flor. in antib. nunc Cardamomum officinarum, nunc etiam Naſturtium. Idem facit & Borgarucus: Sylvius pro Cardamomo majore minus,& contra. Idem & Placotomus.

Cordo in arom.roſ.teſte, cùm ſimpliciter Cardamomum ſcribunt autores, minus Cardamonum [vſuale] intelligunt.

*Piper Calecuticum.* Cardamonum Arabicum interpretantur aliqui Piper Indicum ſiue Calecuticum ſiliquoſum quæ opinio à plæriſque reijcitur.

Quàm porrò Ruellij opinio ſit erronea qui Capſicum aut Siliquaſtrum pro Cardamomo Mauritanorum proponit, omnibus notiſſimum eſt, inquit Garcias lib.1. c. 24. De hoc Cardamomo ſcripſimus hiſt.n.g.l.21.

Galenus nigrum Cardamomum habet l.9. c.2. κατὰ τόπους.Sed falsò iſthic,ſicut etiam in multis aliis apud Græcos Medicos locis, καρδαμώμου μέλανος,pro καρδάμου μέλανος legi, in Comment. medicis in id opus à me ſcriptis (inquit *Cornar.*) oſtendi: velut etiam viciſſim Cardamum, i.e. Naſturtium pro Cardamomo apud eoſdem ſuppoſitum habetur,tum ob ſcriptionis, tum ob virium aliquam ſimilitudinem, altero pro altero agnito & recepto. *Naſturtium.*

Tract.qui pro quo, nonnunquam Piper longum, quandoque Cinnamomum, interdum etiam Carui ut Agricola ex Manardo, pro Cardamomo ſubſtituit, quamvis Cordus eos vehementer errare dicat, qui Cardumeni apud Serapionem Carui agreſte interpretantur. Quod idem aſſerunt Monachi,qui Simonem Ianuenſem in cap.316. erraſſe dicunt, quod incipit Cardumeni,quia non debuiſſet intitulare de Carui Agreſti: quoniam non ſit de Carui agreſti,ſed de Cardumeni. Nonnulli dicunt ipſi juniorum, vt Simon Ianuenſis, Pandectarius, Luminare maius, & cæteri ita confundũt Cardumeni Arabum (quod quidem Carui agreſte falsò interpretatum legimus) quod vix ſit,qui ſciat ab ipſorum laqueis abire.

Addunt Monachi, Cardamomum dum ignoramus, authoritate Auicennæ poſſumus vti Harmel [*Ruta agreſti*] aut Squinantho.

*Ruta ſylveſtris* Maximè tandem errant, ut nobiſcum equidem doctè ſentiunt Monachi in Meſ. diſt. 8. cenſ. 766. *Peucedanum.* Iuniores qui aſſerunt Cardumeni eſſe Peucedanum, Seſeli, & Keiſim. Lege in Oxymellite, inquiunt, ſquillitico deſcriptione Democrati, ubi utrumque recipitur. Vbi & Luminare maius, etiam plura confundit.

Nigellæ tertium id genus quod Lacuna in officinis haberi aſſerit non eſt Cardamomum quandoquidem Nigella totis his regionibus non naſcitur *Garc.* Alij etiam Nigellam citrinam perperam Cardamomum crediderunt. Cam.ſcribit in hort.Bononienſes eam in ſuo antidotario ſubſtituere pro Cardamomo. *Melanthiũ.*

Cardamomi loco ſupponit Galen.aut Myrtum, *Myrtus.* aut Cyperum quem ſequuti ſunt Matthiolus in Dioſc. lib.1.cap.5.Cluſius in fine hiſt. gall.Dod.c.20. Monachi in Meſ. diſt.8.cenſ.265.

Tragus tandem lib.1.c.114.inter nomina Geranij *Geranium.* habet vocabulum Caradomomes,quod ait alio pertinere. Eſt ultimò & Cardomomon, Geſnero in aſcript.Dioſc.Geranium alterum.

---

## CARDAMOMI GENVS MAXImum,Grana Paradyſi,ſive Melegeta.

*Deſcr.* MElegetæ ſiliqua oblonga eſt ſtriata, Ficûs nondum paſſæ ferè magnitudine, tenuis quidem illa, ſed validiuſcula, pediculo ſatis craſſo hærens. Semen copioſum, membranis diſcluſum continetur, anguloſum, ſpadiceum, penè ſplendens, ſubſtantia ſive medullâ albâ, ſapore fervido Piperis, ſed qui non tam citò ſe exſerat.



*Icon.* Cùm jam parata eſſet figura ex Camer.hiſt. dono accepi à Cl. Paludano aliquot elegantes ſiliquas Melegethæ, quæ Cardamomũ majus vocatur,ex quib⁹ ſtatim animadverti iconem nimis Ficum repræſentare, niſi alium intellexerit fructũ. *Figura non bona.* Hæ in ſummitate lato & circulari ſunt umbilico, in medio tripartito, quẽ adpingi conveniebat: Præſens tabella proponit inſpiciendum hoc Cardamomi genus maximum, & præterea tertium minimum ſub ſequenti titulo commemoratum.

*Deſc.Cord.* Melligeta, i.e. Grana paradiſi ſeu Cardamomum piperatum Cordi hiſt.l.4 c.27. [*Cardamomum officinarum tertium, Corn.*] oblongus eſt fructus, & magnitudine figura propemodum ovo æqualis, folliculo ſimilis, cortice conſtans venoſo,fractu contumaci,ſubruffo,aut in pallido fuſco, ſupernum pythmena, inferiùs pediculi veſtigium habens,intra ſenitidis, anguloſis, pipere minoribus,ſuperficie ruffis,intúſque candidis ſeminibus,crebris,fungoſiſque membranis diſtinctis & interceptis plenus, guſtu fervidis ut piper & zingiber,quibus odore etiam non diſſimilia ſunt.Cortici nulla ferè in guſtu qualitas. *Locus.* Afferuntur ex India, & regno Melli:cortice exempta ejus grana raróque folliculo incluſa:eligenda ſunt nitida, ruffa,ſuperficie extenta, minimeque rugoſa, ſolida atque perdetoſiſſima. *Delectus.* Errant porrò (ut idem adſtruit c. 28.) quotquot dicunt Melligettam majus Cardamomũ eſſe. *Melligetta non eſt Cardamomum.* Cardamomis enim tenuis minimeque fervens, ſed gratus ac jucundus eſt ſapor: Melligettæ verò piperis inſtar acerrimus. Idem in Dioſc. ait Cardamomum majus quia parcius affertur, propterea quidam ejus locum Grana Paradiſi aliàs Melligetta nominata

nominata ſubſtituerunt, eáque Cardamomum majus vocarunt: impropriè tamen & malè. Nam ſapore quo piperi ſimilia ſunt & odore, plurimùm à Cardamomo differunt: fructus tamen ſive utriculi figura magnam habet cum majore Cardamomo ſimilitudinem qui ovi plerumque magnitudine conſpiciuntur, & granis (quæ novimus) onuſta ſunt Cardamomi inſtar.

Matthioli ſententiam de Cardamomo & Melegetta ante poſuimus. Ejus facit tria genera in ſua epitome: Majus ita deſcribit, Majoris capitulum fici ſeu pyri faciem refert, ſemine intus ſubrufeſcente, anguloſóque.

Ruellij temporibus tota Seplaſiorum caterva ad Mauritanos planè deficiens, hoc duplicis faſtigij Amomo abutebatur, pro eo quod à Dioſc. & veteribus Græcis perſcribebatur. Vnum oſtendebant, Amomum appellãtes, alterum viribus prælatum, vulgò Malagreta Hiſpanis; noſtris officinis Grana Paradiſi nominatum. Cardamomum minus hoc intelligunt quod vulgò Italis Melligreta.

*omum. lagreta lligreta*

Oſtendimus antè ex Monachis, Cardamomum minus Heilbaugue Bellunenſi dictum eſſe Melegetam & uſurpandum in troch. de aloës Meſues & pro Cardamomo majori ac etiam loco Heil. Sylvius contendit Cardamomum Serapionis utrumque, tàm majus, quod Granum Paradiſi & Melegetam vocatum putant plerique, quàm minus nihil habere commune cum vero Dioſc. & Galeni Cardamomo: ſed Valerius Cordus contrarium aſſerit, nos ſc. verum Cardamomum hodie non deſiderare. Icon à Riſſio exhibita videtur repræſentare Cardamomi maximum genus, de quo hoc capite agimus. An verò Riſſius intellexerit quæ ſcripſit conſiderandum? Apud Lonicerum icon ferè ſimilis iconi Matthioli, pro Granis Paradiſi vulgò & Cardamomo majore.

*rdam. nus. legeta. Lano- maioris Heil ſlit. ſſ not.*

Tab. Cardamomum majus Arabum. Lac. Cardamomum majus, vulgi Melegheta, & Grana Paradiſi, Cardamomum Dioſcoridis: Cardamomum hortenſe ex Raguſei opinione. Lacunam taxat Garcias, dicens, cum ſatis protervè in Arabes invectum eſſe: ejus Melegheta nõ eſſe Cardamomum Dioſc. ſiquidem ignota fuerit Dioſcoridi, neque Cardamomum majus coloris ſit cinerei: Malagueta ſive Melegueta nonnullis Paradiſi grana, cujus in Europa uſus Cardamomi minoris loco, non eſſe Cardamomum, Avicennę *Combazgue* dictum: cętera vide paulò poſt ſub Cardamomo ſiliquoſo.

*cuna t.*

Cluſ. apud Garciam ſcribit Matthiolum Cardamomi iconem Ficûs formà exhibere: cùm tamen nihil aliud ſit quàm Melegueta ſuo involucro tecta, quæ ſanè inter Cardamomi vulgaris ſive Saccolaa Arabum genera ex Garcię ſententia recipienda non ſit: Adhortamur nos ut videant lectores quæ antè annotavimus capite de Cardamomis cum ſiliquis: olim enim Cluſius videbatur confundere Grana Paradiſi cum Cardamomo ſiliquâ ſive thecâ longiore.

*ccol ia. luſ not.*

Lob. adv. Cardamomi ſiliquarum maxima Melegetta aut Millegetta dicta à ſemine crebro, farcto, occluſo & folliculo membraneo, Ficum foliis effigians nomine Grani Paradiſi notiſſima eſt, & ex Occidua Aphrica frequens allata.

*illegetta.*

Lacuna (inquit Acoſta) concludit primam ſpeciem Cardamomi eſſe Meleghettam vel Granum paradiſi, & eſſe Cardamomum de quo ſcripſerit Dioſcorides. Sed Dioſc. non vidit Cardamomum cum cortice, quandoquidem Lacuna dicit eſſe Meleghetta: neque hanc cognovit Dioſc. nec ſcivit ubi naſceretur. Majus dicit habere colorem rubrum: ſed eſt clarum non ita eſſe. Cardamomum minus non eſſe illud ſemen quo utuntur in Hiſpania pro Melegheta, vel Granum Paradiſi, conſtat per multos qui fuerunt in Meleghetta, qui affirmant ſe nunquam in Meleghetta vidiſſe *Cacolaam*, vel Cardamomum. Si quis benè conſideret, Avicenna vocat Meleghettam Cobenbagüe.

Platearius Cardamomum duplex aſſignat: majus quod dicitur domeſticum, minus quod dicitur ſylvaticum & illud eſſe piloſum & ſubalbidum. Aſt Caſtor facit triplex, majus ſimile Ficui; medium longum; minus capitellum triangulare.

Cam. hiſt. ait Avicennam Cardamomum majus vocare *Saccolaa quebir*; minus *Saccolaa ceguer*; quo nomine etiam hodie, teſte Garcià, cognita ſint mercatoribus & Medicis; item *Saccule & Elacte*: putàtq; Cardamomum noſtrum antiquis, tam Græcis quàm Latinis incognitum fuiſſe: Cordumeni autem Arabum fortaſſis eſſe Cardamomum Græcorum. Et maximum quidem, cujus iconem damus, continere in ſe Melegettam, quæ à Cardamomis diſtinguenda veniat. *Saccule.*

B. pin. Grana paradiſi & Cardamomum 1. ſive officinarum: Cardamomum majus, Matth. Lon. Lac. (cui etiam Cardamomum hortenſe) Caſt. Lugdun. Grana paradiſi, Cord. in Dioſc. Mellegetta ſeu Cardamomum piperatum, Eid. hiſt. Milleguetta, Lob. Malaguetta, Garz. (cui & Combazbange Avic.) & ad Cluſ. cur. poſt. Cardamomum primum, Cam. epit. alterum, Cæſ. Cardamomum Arabum majus, Tab. Grana paradiſi ſeu Meligettas, Linſcott. part. 3. c. 14. Hoc Cardamomi minoris loco aliqui utuntur, & & Melegeta dicitur, propter ſimilitudinem, quam cum Melicæ ſemine habet. *Synon. C. B.*

Hujus folia ſub Melegueta in prodromo ſic deſcribit: craſſa ſunt, uncias quatuor longa, tres lata, per quorum longitudinem coſta elata fertur, à qua fibræ plurimæ per tranſverſum abeunt, ut in Caryophyllorum foliis cum quibus maximam ſimilitudinem habent: fructus ſatis cognitus habetur in officinis, ut & grana exempta: hujus folij pediculus ſapore eſt aromatico, ipſis granis correſpondente, non tamen ita acuto & aromatico, ut in foliis Caryophyllorum animadvertitur, quo ſigno potiſſimùm à ſe invicem diſtingui poſſunt. *Foliorum deſcr.*

Cardamomũ in India provenit, potiſſimũ à Calecutio uſq; ad Cananor. Itẽ in Malavar & Iaio, Cam. *Locus.*

---

## CARDAMOMI CVM SILIQVIS ſive thecis longis & brevibus.

PRæter Cardamomum, quod Melegetæ & Granorum paradiſi nomine innotuit, ſunt & alia tria, niſi duo malis, ſiliquati Cardamomi genera. Ex his maximum, unciam aut ſeſcunciam longam, gracilem, triquetram, ſtriatam, coloris cinerei fractu contumacem ſiliquam habet, modicè turbinatam, ſeminibus numeroſis, triplici verſu, membranis intercedentibus tenuiſſimis candidis, farctam; color granis ſpadiceus & cinereus ferè, figura ut Melegetæ anguloſa, rugoſa; ſubſtantia alba; ſapor fervidus

*Siliquati Cardamomi genera. 1.*



dus conſimilis. Alterum genus ſemuncialis longitudinis habet ſiliquam, ſtriatam, cineream, ſed evidentiùs triquetram, ad tergemina Lathyridis ſemina accedentem, ſemine farctam membranulis diſtincto, cineteo, (in meis ſiliquis etiam rubente) anguloſo, ſapore & ſubſtantiâ prioris. Tertium aſſignant, quod ſolâ magnitudine videtur à jam dicto differre, eſt enim ſiliqua omnium minima, cæterùm quid differat prætetea non video.

*Icon.*

In præſenti tabella Cardamomi ſiliquati duo priora depingimus; tertium verò omnium minimum, in icone Cardamomi maximi effigiamus.

*De Card ſiliquatis Cordus.*

Cord. in Dioſc. Cardamomi genus alterum minus dicitur, quod fructum fert Avellanâ ut plurimùm minorem, triquetrum & minoribus granis, ejuſdem cum majore ſapotis & odoris, ſed vehementiùs palatū & linguam penetrantibus, hoc frequentius eſt in uſu & licèt ſimpliciter hodie Cardamomum vocetur, in pharmacopoliis tamen Cardamomi minoris nomen ſervat & à Germ. Cardamömle dicitur & ab Arab. *Helbane*. Idem deſcribit hiſt. l. 4. c. 29. Cardamomum mediocre, figurâ oblongum, triquetrum, utrinque acuminatum, colore in candidō fuſcum, quantitate grandi avellanæ nuci æquale, majore Cardamomo minus, minore verò majus, ideóque mediocre nominatum, intus denſè in ſe farctis, majoríque Cardamomo ſimilibus granis plenum: cortice conſtās prædicti inſtar, venoſo, ſed multò tenuiore, in tribus ſuis angulis, quibus maturum dehiſcit, ſingulas commiſſuras babens. Guſtu Cardamomo majori grana ejus reſpondent. Affertur & hoc ex Ægypto & India, ſed pauciſſimum, ídque perquam raró, cum utroque Cardamomo. Et c. 30. Cardamomum minus mediocri per omnia ſimile eſt, paulò tamen minus, candidiori, paulò tenuiori cortice, & trium angulorum commiſſuris dehiſcente veſtitum, quo detracto ſemina apparent denſè in ſe farcta, nullis membranulis diſtincta, majori Cardamomo ſimilia, paulò minora, magíſque anguloſa, in ruffo cineracea, atque tam arctè ſibiipſis conjuncta, ut unum ſemen figurâ bubulos renes æmulans, appareant eſſe. Saporem grana habent valdè aromaticum, tenuem, majoríq; Cardamomo ſimilem, ſed paulò tenuiorem. Affertur & hoc ex Ægypto & India, folliculis ſuis exemptum, nonnunquam etiam unà cum folliculis, idq; copioſiùs, quàm majus, ſolúmque vulgò hodie cognoſcitur: majus enim cùm parcius advehatur, pauciſſimis notum eſt: probatur quod majoris notas habuerit. Cæterùm cùm autores ſimpliciter ſcribunt Cardamomum ut ait in diſpenſ. arom. roſat. minus Cardamomum [*uſuale*] intelligunt.

*Helbane Arab. Cadam. mediocre.*

*Card. minus, mediocre.*

*Matth de Cardam.*

Matth. hæc depingit & deſcribit vocans unū Cardamomum medium, alterum minus, quamvis nec pro Cardamomo Græcorum, nec Arabum recipiat. In prior. comm. negærat etiam cognoſci Cardamomum, medicos & pharmacopœos reprehenders, quòd ſemen quoddam pro Cardamomo majori exhiberent. Idem biſt. germ. ſit ne Cardamomum Grecorum dubitat: non tamen eos peccare dicit, qui loco veri ponant. In epit. ſic deſcribit; Cardamomum medium folliculo contegitur oblongo, colore minus rufeſcente. Minus minore cōſtat capitulo, ipsóque triangulari, ſemine ſubrotundo, aſperiuſculoq;. ſemen omnibus acre & odoratum, majoris tamen acrius & odoratius [*de quo ſub Melegeta*] minus ut medium acredinis vehementiâ ſuperat, ita & odoris fragrantiâ. Nos quæ ſit ſententia Matthioli de his Cardamomis & ubi proveniant antè annotavimus. Cam. apud Matth. diſtinguit in medium, minus & minimum, tres ponens icones.

*Medium.*

*Minus.*

*Cardam Vulgaris uſus.*

Anguill. in genere loquens de Cardamomo, dicit ſe credere vulgaris uſus Cardamomum eſſe verum & legitimum, ídque argumentis conatur probare: ſed fruſtra, non enim diſtinguit Anguillara minus à majore, fortè quòd ſimilia ſemina, & ſiliquæ non multùm differentes, niſi magnitudine.

*Card. ſilv. & ſativum*

Lon. meminit Cardamomi majoris & minoris, ſive ſativi & ſylveſtris, ubi non dubitarim eum loqui de aliquâ ſpecie hîc traditâ: nos tamen cum obſcurè tractet, ea in genere proponimus, lectoribúſque ea diſcernenda relinquimus.

Garciam de hoc Cardamomo crediderim locutum cùm ait: Cardamomum quod vocant aroma eſt illis in regionibus probè cognitum in quibus magnus ejus uſus eſt. Hujus etiam magna pars in Europam, Africam & Aſiam evebitur. Quàm verò rectè ſit illi inditum Cardamomi nomen, aliis diſceptandum relinquo. Avicenna l. 2. c. 159. ſanè peculiare caput inſtituit de *Saccolaa* quod duûm eſſe generum tradit, Alterum *Saccolaa quebir*, i. e. magnum, alterum verò *Saccolaa ceguer*, i. e. minus. His nominibus cognitum eſt utrumq; Cardamomum cùm Medicis Arabibus, tum mercatoribus. In Malavar vocatur *Etremelli*; In Zeilan *Encal*; in Bengala verò Guzarate & Decan, interdum *Hil*, interdum *Elachi*, ídque inter Mauritanos: nam à gentilibus indigenis omnium provinciarum enarratarum *Dore* nuncupatur. Quod alterum Serapio *Saccolaa*, alterum *Hilbane* vocat, mendoſum eſt exemplar, & *Hil* duntaxat ſcribendum erat. Etenim ſi *Bane* omninò adjiciendum volumus, potiùs *Bara* dicendum erat, quod lingua Canarina magnum ſignificat. Nihil igitur aliud *Saccolaa* eſt omnibus Arabibus nuncupatum, aut *Saccule* Avicennæ, aut *Elachi*, quàm quod Cardamomum vulgò appellant, veteribus cùm Græcis, tum Latinis planè ignotum, ut ex eorum monumentis colligere licet. Siquidem Galeni notæ noſtro Cardamomo non conveniunt. Noſtrum Cardamomum in illas regiones defertur è quibus Dioſcor. ſuum devehi ſcribit. Sed neque id frangenti contumax eſt, neque caput tentat, neque amarum, neque guſtu adeò acri, ut Caryophylla. Plinius l. 12. c. 13. etſi quadruplex eſſe Cardamomi genus ſcribit, tamen Dioſcoridi & Gręcis unicum tantùm extat Cardamomi genus. Sed nullum ex prędictis cum noſtro quicquam commune habet, quod fragile eſſe debet, ſiliquâ candicante, granis intus nigris. Seritur verò id leguminum modo, altitudine, quando ſumma, cubiti, in quo dependent ſiliquulæ granulæ interdum uſque ad viginti continentes, non ut Cordus lib. 1. in Dioſcor. ſcripſit, glandis avellanæ magnituidne. Gerard. Cremon. Saccolaam ignorans, nomen illi ex Græcis pro arbitrio indidit, tametſi legitimum Arabicum nomen integrum & non mutatum reliquiſſe præſtitiſſet. Non multùm fortè refragabor iis qui Cordumeni Arabum, Cardamomum Græcorum eſſe putant: quandoquidem Serapionis & Avicennæ Saccolaa Græcis eſt ignota. Quòd verò *Saccolaa* utendum negent non concedo, multis enim experimentis improbatum eſt, pleriſque morbis perutile: cóq; uter dum cenſeo in omnibus compoſitionibus Arabum & recentiorum qui Arabes ſequuti ſunt. Malaguetam porrò, ſive *Meleguetam* à nonnullis Paradiſi grana nuncupatam, cujus in Europa uſus Cardamomi minoris loco, non eſſe Cardamomum didici (inquit idem Garcias alibi) quot iam ſæpiùs cùm in Hiſpania, tum hîc in India percontatus eos qui in Luſitania in Malaguetam profecti fuerant, an iſtic *Cacolaa* ſive *Saulaa* (quod Cardamomum appellamus) naſceretur, negarunt omnes: rurſus Indi interrogati an *Malagueta* apud eos creſceret, negarunt & ipſe. Deprehendebam tamen Malaguetam ab Avicenna *Combazbogue* dici, eúmq; ſcribere ex Sofala, cui Malagueta provincia contermina eſt, deferri: veriſimile autem mihi non videri Avicennam, virum adeò peri-

*Cardamomi nomen.*

*Saccolaa 1. 2.*

*Serap corrigitur.*

*Cardamomum vulg. veteribus Græcis incognitum.*

*Plin. Card. 4. genera.*

*Saccolaa deſcriptio.*

*Contra Cordum Cremo. error.*

*Malagueta Cardamomum non eſt.*

perirum,bina capita de eadem re ſcripſiſſe. His cogitationibus occupato animo,Turcam mercatorem profeſſione Iudæum, in Cochin commodum repperio,qui diceret ſibi mandatum,ut præter cętera aromata *cacollaa quabir*, h.e.Cardamomum majus,emeret: quod me movit, ut ſciſcitarer an in aliis etiam regionibus naſceretur.Tandem regiarum mercium in Ceilan curator (Factorem vocant) mihi retulit, iſtic quidem inveniri, noſtro quidem multò majus, ſed minùs odoratum: rémque ita ſe habere comperi, illius ſpecimine (me curante) ex Ceilan delato. Accerſitus præterea in Balagate ad curandum Illuſtrem Hamjain, cujuſdam Regis in Balagate,nomine Verido,fratrem, de induſtria medicamentum, in quo Cardamomum majus & minus arabica lingua præſcripſi,ut conſpicere poſſem:utrumque mihi exhibitum ad medicamenti compoſitionē,eadem quidem utriuſque forma, ſed magnitudo diverſa, nulla tamen cum Malagueta ſimilitudo. Optimum autem cenſetur minus, quod odoratius eſt altero,& facultate majus dici poteſt,meo judicio.Provenit utrūq; in India, præſertim verò ab emporio Calecut uſque ad Cananor, tametſi aliis etiam locis Malavar, & in Ioa naſcatur,non tamen adeò copioſum.neque cortice adeò candido. Multus ejus uſus eſt in his provinciis, ſiquidem unà cum Betre (veluti ſuprà diximus) manditur pituitáque caput & ſtomachum expurgat, & ſerapiis admiſcetur. Falſum autem eſt quod Sylvaticus c.117.ſcripſit, Indos ejus radice adverſus febris circuitus uti, naſcíque in tuberibus quarundam arborum.Nam exili eſt admodum radice,nec niſi ſatum provenit,ſolo autem ignibus perуſto,ut faciliùs enaſcatur. Pandectarium Cardamomi meminiſſe invenietur alibi: in noſtris autem exemplaribus apud Rhaſim haud facilè invenies. Nullam autem facultatem ſimilem [*qualem improperat Garzia*] noſtra Pandectarij, qui Matthæus Sylv. eſt, exemplaria tribuunt. Cæterùm, quicquid ſit Garzias mihi videtur immeritò Cordum redarguere. vidimus enim hos fructus,eo modo,quo deſcribit,in quibus ſemina illa,quę paſſim in Officinis dicebantur Cardamomum, non enim loquitur de ſeminibus,in theca contentis:ſed de toto fructu.

Cluſ.in fin. hiſt. gall. Dod. cap. 20. tradit Cardamomum Officinarum majus,diverſum à Græcorum & Arabum Cardamomo, quod vocat grana Paradiſi, ſiliquâ longâ, durâ, lignoſâ, ut nux [*noix Gauge*] longius & anguſtius in quo multa grana, anguloſa, dura, firma, & boni odoris: Cardamomum autem minus Officinarum fructu duro, rotundo,inſtar Avellanæ, aut minore,in quo etiam grana parva, anguloſa, minora multò quàm majoris: Idem ait Cardamomum antiquorum & Arabum utrumque incognitum officinis: quorum loco duas alias habent ſpecies; prima & major eſt Granum Paradiſi. Iconem habet Cluſius aliquo modo demonſtrantem noſtrum Cardamomum majus, ſiliqua longiore: in ea Icone multæ ſunt ſiliquæ ſimul hærentes, cum foliis Lupuli aut Vitis adpictis: habet etiam aliam Cardamomi minoris Officinarum cum ramis ſine foliis: ſi ejuſmodi plantas vidit, oportebat pleniùs deſcribere. Suſpicamur etiam eum confundere Cardamomum majus ſiliquâ longiore cum Meleguetta. Pergit idem in exot. Amomum ſpurium, cujus ſinguli uvarum fructus aliquam cum minore Cardamomo in Officinis vulgo recepto,ſimilitudinem habent (quale autem ſit Græcorum & Latinorum Cardamomum, nondum cuiquam conſtare opinor, certum eſt ab Arabum Cardamomo differre) certè uterque fructus triangularis eſt formæ. At Cardamomi vulgò recepti theca, oblongior eſt & minùs craſſa, multis ſtriis diſtincta ſemina continens, craſſiuſcula, Meleguettæ ſeminibus non valdè abſimilia.

Lob. adv. officinis Cardamomum majus vocatum, oblongâ ſiliquâ, triquetrâ, lapidi dactyli concolor eſt & par, ſemen cōdit anguloſum Meilegettæ minus. Triquetra item ſiliqua ſed brevior eſt media vocata, nec diſpari ſemine, quàm veriùs putant Cardamomum propter amarorem & acrimoniam non exiguam. Minima pariter triquetra, ſed vix Pruni nucleum æquat. Aſt plura dignetur lector videre antè ex Adverſariis tradita, quæ non recipiunt pro veterum Cardamomo, ubi notatur Anguillara, quamvis non nominetur. In obſ. quatuor Cardamomi agnoſcit genera, majus, minus, minimum,& medium. Hunc ſequitur Plantinus & Tab. Lobelius ergo & ex eo Plantinus addunt ſpeciem non enumeratam in adv. quia hîc non comprehendunt ſiliquā Gingiberis,ut factum fuerat in Adverſariis. *Minimum.*

Cardamomum Græcorum, ut vult Occo in el.Indo majore, aut illud ipſum eſt quod noſtri ſimpliciter ita vocāt,aut certè pro eo uſurpari poteſt. Veronę in muſæo Io.Ponæ reperit Maronea Cardamomi racemos eſſe raros & ſparſos; Indici verò Amomi, denſos,& in ſeipſos convolutos; veteres Amomum dixiſſe racemoſum, minimè verò Cardamomum: idem obſervavit Amomi fructum uvę imaginem referre, ſuámq; elegantem figuram diutiſſimè ſervare, quia arctè ſuo ramulo adhæreat: at Cardamomi fructum etiam ſi ſuâ naturâ racémoſum fortè, nihilominus tamen longè diſtare ab uvæ racemis: præterea quoniam tenuibus hæreat pediculis, ſuos racemos non diu ſervare integros:&hinc videntur Cardamomi fructus qui ad nos efferuntur, ferè ſemper avulſi à ſuis ramulis. Sed de Cardamomo ſiliquoſo de quo hîc agimus legant lectores ex Maronea præcedenti capite de Amomo novo Cardamomi facie, multa notatu digna. Notandum tamen Maroneam ſuâ icone, cui titulus *Cardamomi tres ſpecies*, videri duas ejus ſpecies in uno & eodem ramo pingere, quaſi ejuſdem plantæ; nos verò ante etiam meminiſſe duarum Iconum à Cluſio olim exhibitarum. *Cardamomum Græcorum Adolphi Occonis.* *De icone Maroneæ.*

B.pin.Cardamomum 3.majus officinarum:Saccolaa Arabum, aut Sacoule Aviennæ, Elachi Mauritanis: Cardamomum medium,Matth.Lon.Caſt.Lug. Cardamomum majus, Cord.in Dioſc.(cui Heyl Arabum) & hiſt. Cluſ.ad Dod. Linſcot.4.part.Ind.or. c.23. Cardamomū majus vulgare,Lob.Cluſ.in Garz. Cardamomum, Garz.Frag. ſecundum,Cam.ep. *Synon.C.B.*

Eid.B.Cardamomum 4. medium, ut & Lob. & Tab. Cardamomum mediocre,Cord.hiſt. Item, Cardamomum 5. ſimpliciter in officinis dictum: Cardamomum minus,Matt.Lac.Lon.Lob.adv.Lug. Tab.Linſc. & Cord.in Dioſc. & hiſt.cui & Helbane Arabum.Cardamomum verum,Ang. Cardamomum minus vulgare,Lob.Cluſ.in Garz. Cardamomum 1.Cæſ. 3.Cam.ep. Eid.B.Cardamomum 6.ſive minimum, ut & Lob.& Tab. Cardamomum 4.Camer.ep. Nos Cordi Cardamomum majus ſeorſim deſcribendum ducimus,nec ad hîc dicta referimus.

## CARDAMOMVM MAIVS MELligethæ ſimile, ficus modo turbinatum, Cordo.

CArdamomum majus Cordo hiſt.c.28. l.4.Melligettæ ſimilis fructus eſt,minor tamen,longitudine ratò ſextātē ſuperás, ſuperiùs juxta pythmena latior, inferiùs propè pediculum anguſtior, & ficûs aut pyri modo turbinatus, nullam commiſſuram *Deſcr.*

habens quâ aperiri queat, colore foris in tinereo ſubruffus, venoſo & diſtractu difficili cortice cõſtás; intus ſeminib⁹ crebrò mẽbranulis interſeptis ac diſtinctis. Colore, figurâ ac magnitudine Melligetræ granis ſimilibus, obtuſiotibus tamẽ angulis, plenus.

*Sapor.* Saporem grana habenr quemadmodum & odorem valdè jucundum, aromaticum, tenuem, ſubacrem, ac modicè amareſcentẽ. Cortici nulla eſt in guſtu graria, ideóq; eo exempta ſemina ad nos ex Syria & Ægypto afferuntur, quamvis interdum etiam integri

*Delectus.* fructus, quales jam deſcripſimus, advehitur. Eligito grana ejus nitidiora, ponderoſiora ac odoratiſſima. Fructus autem integri probanrur maturi, h.e. ſuperficiem extentam habentes, undiq; præcluſi, neq; ex induſtria aperti, neq; teredinibus cotroſi, põderoſi, & conſummatis denſeq; in ſe fatẽtis ſeminibus pleni. Idem in Dioſc. l.1.c.5. Cardamomũ majus hodie quod affertur fructũ habet lignoſum, fractu contumacẽ, ficûs propemodum magnitudine & figurâ: intus anguloſis & aromaticis granis Mali punici modo plenum: hoc parciùs affertur, propterea quidam in ejus locũ Grana Paradiſi ſubſtituerunt. Scriptum in annot. apud Cordum, Cardamomũ majus dici

*Heil.* arabicè Heil diverſum à Granis Paradiſi, quod cùm parciùs advehatur pauciſſimis notum eſſe.

*Cardam. matus officinarum Cornario.* Meminit Corn. Cardamomi officinarũ, cujus ad fuſcũ & propemodũ nigrũ colorẽ delinet ſemen &c. Ejus verba vide ante ſub Cardamomo maximo, Cõſiderãdum an intelligat Cardamomũ majus, de quo hîc agimus: Meminit etiã Cardamomi minoris quo

*Cluſ. not.* utendum cenſet, de quo mox. Memor eſt etiã Cluſ. apud Garz. Cardamomi majoris propemodum magnitudine Cordi, verùm non demonſtrat, quam plantam intelligat. Exhibet Matthiolus pro Cardamomo majore ficus ſimilem iconem, quàm ante cap. de Melegheta poſuimus, quam Cluſius, ut ante dictum, dicit eſſe Meleguetæ.

VIRES ET USUS.

Vires ex veteribus jam antè à nobis traditæ ſunt. Reſtat igitur hoc in loco, ut eas quas apud recentio-

*Temperamentum.* res annotatas invenimus, adſcribamus. Cardamomũ & Grana Paradiſi calida ſunt & ſicca ordine ſecundo, inquit Lon. Incorrupta decem aſſervãtur annis. Vſus eorũ ſalutaris, lipotimiâ laborantibus.

*Vertigo.* Vertigini medentur in potu macerata, ficut & pulveri-

*Ventriculus.* ſata, in juſculo exhauſta. Quin & ita uſurpata vẽtriculum roborãt, concoctionemq; juvant, Cardamomũ cum tantundẽ ligni Paradyſi pulveriſatum ebibitumque ex vino generoſo, ructibus auxiliatur, &

*Cordis tremor.* vomitibus. Cordis tremorẽ pulveris hujus drachma ex vino ſumpta, dubio procul emendat. Aniſo mixtum, cum vino propinatum appetentiam excitat. In omnibus affectibus internis à frigore obortis uti poſſumus Cardamomo, quod his magnoperè conducit, præſertim muliebri ſexui.

## MELEGVETA SIVE CARDAMOMVM malè quibuſdam exiſtimatum Cluſio.

Elegantis alicujus plantæ fructum, reor (inquit Cluſius ex. l.2.c.15.) decimum quartum, quæ forraſſis creſcit Cannæ Indicæ vulgò vocatæ modo: nã caulis ſuprema pars, capita ſive ſiliquas ſuſtinens, proſus ſimilis mihi videbatur, lenta ut illius & fibroſa, multisq; foliolis ſeu appendicibus cepta: quæ foliola, quem florẽ proferãt, nemo indicare poterat, nam Pharmacopœus qui hæc collegerat, in reditu extinctus nullum nomen adſcriptum reliquerat.

*Deſcr.* Eranr hæc porrò capita binas uncias longa, infernâ parte craſſa, deindè paulatim ad ſupremam uſq; partẽ gracileſcentia, quaſi triangulari formâ prędita, obtuſis tamen angulis cartilaginoſa, externè fuſci ex rufo coloris, internè veluti in ternas cameras ſecundùm longitudinem membranaceâ quadam cartilagine diviſa, atque plena nigris, ſplendentibusq; ſeminibus, milio majoribus, densè ſimul congeſtis, & tenui membranulà involutis, intùs albis & quadam acrimonià præditis. Naſcuntur autem ea capira in ſummo caule, quaterna aut quina, atque veluti ex eodem ortu prodeunt.

Cæterùm qui anno à Chriſti nativitate 1601. ex Iava & Sumatra redibant, ſimiles fructus, etiam in Madagaſcar inſula lectos adferebant, quos mihi obtrudere volebant pro Meleguetta ſive Catdamomo majote vulgò credito. Verùm quidem eſt, ſimilitudinẽ quandam eſſe in externâ facie: ſed qui vel mediocri diligentiâ utrumq; fructum conſeret, diſcrimen obſervabit: nam Meleguetæ fructus, magnâ ex parte brevior & craſſior eſt, hic verò gracilior & oblongior; Meleguetæ cortex etiam minùs iſtius cortice durus, imò ſatis fragilis: hujus præterea grana nõ tã numeroſa quàm in Melegueta, majora tamen, fuſca & ſplendentia, ſinguláque peculiari candicante membranâ involuta. Meleguetæ verò grana, licèt trifariã quadã cartilagine diſtincta ſint & ſingula ſuâ peculiari membranâ involuta videantur, minora tamẽ sũt, magis rugoſa & duriora iſtius fructus granis; præterea nõ ita ſplendent; & ſubrufi ſunt coloris, acerrimíq; ſaporis. Si quis tamen Meleguetam eſſe cereboſiùs cõtendere velit, mihi cum illo litem eſſe non cupio, modò non legitimum, ſed ejus ſpurium aliquod genus eſſe non diffiteatur.

*Locus.* *Cardamomum m[illegible] ius.* *Meleg[uetta] ſpuria.*

B. pin. Granis paradiſi ſive Mellegetæ affinis fructus: Fruct⁹ 14. ſive Melegueta ſpuria, Cluſ. ex l.2.c.15.

## CARDAMOMI FACIE FRVCTVS triangularis malignus. CAP. L.

*Locus.* *Deſcr.* *Cardamomum of[ficinarum].* *Malignus fructus.*

Exoticus fructus, quem accepit Cluſ. exot. l.2.c.22. è VValãchria à VVilhelmo Paduyno, erat triangularis formæ, ſemuncialis etiam magnitudinis, exalbidi coloris, tenuiq; membranã tectus, Cardamomi officinarum fructũ perbellè referens, continenſque multa grana inæqualia & rugoſa, cineracei foris coloris, intùs albi, omnia in globum congeſta, ſatis validi & gravis odoris & acris ſaporis, qui breviſſimo, & vix apparente petiolo plantæ inhæſerat, calice tribus foliolis conſtante incluſus. Qui mittebat, conſulem ſuæ urbis unum, ex his fructibus ediſſe ſcribebat, ex cujus eſu morbum contraxiſſet: quæ adeò cauſa fuit, ut granum leniter duntaxat guſtare vellem, nihilo minus (an ex odore, an verò ex deguſtatione acciderit, ignoro) caput mihi dolere cæpit, & haud dubiè peiùs mihi accidiſſet, ſi devoraſſem.

## AMOMVM VERVM QVORVNDAM. CAP. LI.

*Deſcr.* Amomi nomine à Valerando Dourez inſigni pharmacopœo accepi aroma quoddã, magnitudine ſpicarum Stæchadis Arabicæ, cujus ramen portiones ſepararæ his anguſtiores erant: duas ſimul junctas vidi Pedem columbinum hirſutum exprimentes. Conſtant autem foliolis multis ſquammularum imbricato poſitu, compactis, ex luteo albicantibus, ſimile aliquid & colore & formâ cum Origano [*onite quorundam*] habentibus, odoratis, ſapore viſcoſo, amaricante & acri.

*Hamama.* Garcias de Amomo ſcribens narrat ſe percontatũ à quodã pharmacop. Hiſpano quid eſſet Amomum: cum reſpondiſſe Arabica lingua Hamama nuncupari. Ejus verò Scholiaſtes nobis picturam exhibuit ad Valer. Doræum Amomi nomine & Ormuz celebri ſinus Arabici emporio miſſam: non tamen cum Plinij & Dioſcor. Amomo convenire ille putat, niſi id fortè ſit quo ſe Garcias donatum aſſerit. Hamama verò



*colum-* verò interpretatũ pedẽ colũbinum ſignificat: Medici Nixamoxæ Regis in Decan potẽtiſſimi, dixerunt iſthic non naſci, ſed inter alia aromata quæ ad Regem ex Aſia, Perſia, & Arabia conficiendis alexipharmacis pferrẽtur, Amomũ etiam adferri, cujus ramulo me donarunt. Hũc cum Dioſc. deſcriptione contuli, ad quã venuſtè quadrabat, & licèt jã ſiccus, Pedem tamen *mum* columbinum referebat. Sciendum eſt Amomum a*enna* pud Avicennã nihil aliud eſſe quàm Pedem columbinum. Hæc Garcias. Qui ut Cluſij verbis utar, utinam Amomi deſcriptionem pleniorem dediſſet.

Acoſta de Amomo nihil certi habet: ſcribit de eo loqui Dioſc.l.1. Lac.Matth. Amatum enar.14. Serap. Fuchſ.Galen.6.med.& Ortam, dicentem ſibi denominatum Amama arabicè, quod ſignificet Pedem columbinum & eſſe Amomum Avicennæ, verùm quia non vidit, non deſcribit.

Ruellius dicit Cardamomum ſimile Amomo & colligi cum Amomo in Arabia. Cluſ.ad Garc.Lug.& Tab.Amomũ. B.pin.Amomũ 2. ſpurium folioſum.

## AMOMIS SIVE PSEVDAMOMVM.

AB eodem Valerando pro Pſeudamomo & Amomide mihi exhibita ſunt fragmenta ſeu partes quædam nonnihil Amomo præcedenti ſimiles, inter quas ligneæ aliquæ portiones nigræ, in quorum extremitatibus apparent partes ſquammoſæ breviores quàm in Amomo minùs albicantes, ſaporis viſcidi, ut nobis videtur. Hujus figura ſub Amomo in præcedenti tabella, in infima ejus parte.

## ROSA HIERICHO. Cap. LII.

LIgnoſis & confertis ſtatim à radice natis fruticat ſtolonibus, palmaribus, aut paullò majoribus, craſſis, cinerei coloris, in numeroſam ramulorum ſobolem cancellatim divaricatis, ſuperiore parte omnibus in globum veluti coëuntibus, per quos folia rara unciam ſeſcunciámve longa, ſemunciam lata, laciniata, cinerea, hirſuta; floſculi ſecundùm ramos intrinſecùs ubique racematim quodammodo naſcuntur, candidi: quorum unumquemq; ſequitur vaſculum, duobus loculis, mẽbranulâ diſcluſis, totidem ſemina orbicularia compreſſa ruffa, acria cõtinens, binis ſupra loculos extrinſecus veluti auriculis prominentibus ex adverſo poſitis, ex intergerino calycis pariete, ſurgẽte ſtylo longiuſculo; radix ſatis craſſa, lignoſa, ſimplex.

*um.* Amomum (inquit Cord.in Dioſc.) ut parens meus Euricius Cordus prodidit, eſt odoratus frutex, quẽ *Hieri-* Monachi Roſam Hiericho, & Roſam Mariæ vocant cui ſententię ego quoque ſubſcribo. Antonius Muſa tamẽ huic judicio cõtradicit, eo fretus argumento, ꝙ folia tribuãtur Bryoniæ. Si Bryoniæ folia habet, maneat Amomũ, ſi verò diſſimilima, tum primùm hac de re meritò dubitamus. Muſam remoratur quòd ea Roſa nares non vulnerat, quantumvis recẽs, quod dictum quomodo intelligat, nõ poſſum cõjicere. A Dioſc. probatur τῇ ὀσμῇ πληκτικόν, h.e. odore feriens Duę ſunt Hiericuntidis Roſæ ſpecies, una inſipida, nec odorata quæ Amomis: altera guſtu aromatica valdè odorata quæ verè Amomũ vocatur. Hæc Cordus, cujus annotationibus quidam addit, non probari ſibi Roſam Hierichuntis vulgò dictam Amomum vocari. Huic autem adſtipulatur Coldemb. qui abſolutè concludit, quòd Roſa Hierichuntis vulgò vocata Amomũ eſſe non poſſit. Cęterùm hanc Cordus ſibi odoratam pro- *Cord. not.* nũciat, cùm tamen nobis Roſa Hiericho nec recens ac virens, nec etiam ſicca odorata obſervata ſit, nec folia habeat Bryoniæ. Quare oportebat eum tradere ubi *Amomum non eſt.* Roſam hanc viderit odoratam.





Non paucis placuit Roſa Hiericontea vocata pro Amomo: quod tamen minimè decuit eos aſſerere incertos foliorũ, quæ memini (ait Lob. adv.) vidiſſe & creviſſe D.Treviſiano Patavij. Creſcit enim haud difficile ex ſemine recenti: hærent autem ſeminula complura, racematim unà ſtipata, glumoſa, ſorgi minora; & intra fruticis, cancellatim, reticulatímque implexi glomum contenta. Non deſcribit Lob. ſemina, ſed vaſcula.

Coloniæ vidi, ait Turnerus, ſuffruticem manu (in pugnum cõtracta) paullò minorem, per omnia frutici à Dioſc. deſcripto reſpõdentem, quem ex Iudęa peregrinationis Hieroſolymitanæ voto defunctus quidam ſecum retulerat. Eadem Herbariis dicitur *Roſa Hiericuntis.* Roſa Hiericuntis, i.e. Ang. Roſe ofe Hiericho. Ferunt, quotannis circum feſtum natalitium aperiri, unde à quibuſdam nominatur Chriſte maſſe roſe. Hoc ipſum cenſerem verum eſſe Amomum, ſi odorem haberet (quem in Amomo requirit Dioſc.) nec non folia Bryoniæ, in aliis enim omnibus mirificè convenit deſcriptioni, ſi quis in hujus generis plantam incidat odoratam cum reliquis notis (ex Dioſc.) pro vero Amomo licet accipiat.

Geſn.in cat. Amomum quod Euricio Cordo videbatur Roſa Hieroſolymitana, Aſpalathum eſſe judi- *Aſpalatus.* cat, & idem paulò poſt Radicem nigrã Hippoc. no- *Radix nigra.* minat, germ. Roſen von Hiericho. Sed Roſa Hiericuntea nihil commune habet, nec ſimile quicquam cum Aſpalatho & Radice nigra Hippocr. quicquid ſcribat Geſn. Nobiſcũ autem ſentit Caſp.Bartholin. *Geſn. not.* dicẽs: Roſa Hiericũtina, verè Roſa non eſt, neq; Amomũ Dioſcoridis, neq; Aſpalatus. Neque naſcitur hoc tẽpore in Paleſtinæ hiericũtinis hortis aut agris.

*Benteli. Amomum. Roſa beatæ Mariæ ſive Hieroſol. Bentelos concha. Scalig. not. Non Amomum.*

Quædam (inquit Scalig. in lib. 1. de plantis Ariſtotelis inſcripto) cùm exeunt, ſpicæ figuram gerunt, ac evadunt poſtea: cujuſmodi ſunt qui in Arabia dicuntur Benteli, & planta quæ nominatur Helioſcepium. Benteli apud ipſos Arabes quid ſit, quæſitum non inveni. Si non eſt Amomum, quid aliud afferam neſcio. Eſt enim Amomum id omninò, quod Roſam Hieroſolymi, aut beatæ Mariæ vulgus vocat, perplexo ſarmentillo in racemi modum, quæ ſi nihil ſpirat odoratum, natalium humori, atque vetuſtati eſt attribuendum: non autem detrahendum ſpeciei, propter accidentium abſentiam quorundam. Athenæus 3. *Δειπν.* Bentelos conchæ genus margaritiferum prodidit apud Indos. Miror tanti judicij virum aſſerere, ita temerè Roſam Hieroſolymitanam eſſe Amomum, cùm nec recens, nec vetus odorem ſpiret ullum. Idem mecum ſentit Braſſavolus: non defuere ait, qui Ieroſolymitanam roſam Amomum eſſe putarint: verùm hanc non eſſe dubito, quia non vulnerat nares odore. Confirmat & hoc Agricola, quod vel Hierichuntis roſa non ſit veluti uva, quale eſt Amomum Plinio l. 12. c. 13. & Andromacho in deſcriptione Galen. Confirmat idem & Sylvius & Fuchſ. l. 2. de compoſ. med. & Amatus in Dioſc. l. 1. c. 31. apud quem icon malè poſita cap. de Roſa. Et Riſſius in Dioſc. cum Lacuna. Et Lobel. Adv. & icon. pag. 203. Tom. 2. Item Lugd. Roſa Hiericonthea.

*Error exiſtimantium eſſe Amomum.*

Falluntur igitur cum reliquis Michael Neander phyſ. part. 1. Andernachus in med. veteri & nova comm. 2. dial. 5. Friſchlinus in Nom. greco-latino c. 22. Bened. Curtius, Rob. Conſt. Lonic. & (teſte Cronenburgio de comp. med. lib. 1. fol. 5.) Euritius Cordus, quem imitatur Cordus junior & Daſypodius, qui omnes ineptè Hierichuntis Roſam Amomum eſſe credunt. Ex horum numero eſt & Rhegin. qui & *Lacum Hierichuntis*, & *Vvam Dioſc. Galeni* & *Aëtii* vocari ſcribit. Sed inter hos adhuc deteriùs Friſchlinus c. 32. Aſpalathum, Roſen von Jericho eſſe ſcribit. Plus etiam ridendus Cordus quòd Roſam de Hiericho Amomum eſſe dicat: cùm idem in expoſitione Theriacæ, nos Amomo vero carere aſſerat.

*De Roſa Hierichuntea impoſtura.*

Bellonio Obſer. plantæ quæ in valle Ierichò naſcuntur, in memoriam revocant herbulam quam quidam impoſtores Roſam Hiericuntinam vocarunt: & quoniam radice in aquam merſa expanditur, impoſturæ hinc anſam arripuerunt, admirationi futuræ ſpectantibus, dictitantes in vigilia Natalis Domini duntaxat aperiri, aut partus doloribus conflictantibus fœminis. Quibus ejus natura incognita: nunquam aliàs putant poſſe expandi, id quod nihilominus falſum eſt. Argumentum deſumpſerunt ex ſacræ paginæ loco, *ſicut plantatio Roſæ in Iericho.*

*Roſa Hierico qua.*

Qui locus intelligendus de Roſa vulgari rubra aut pallida, non autem de altera illa plantula. Quæ & alios fefellit plures, qui iconem exhibuerunt, arbitrantes eſſe Amomum, cùm Amomum nequaquam ſit. Nos eam invenimus in Arabia deſerta in littore maris rubri arenoſo naſcentem, adeóque in Iericho prorſus non provenit.

*Locus. Hiericuntea planta. Roſa D. Mariæ. Cord. reprehenditur.*

Hi omninò expellendi ſunt, teſte Matthiolo, qui pro certo aſſerere non verentur, eam ſtirpem eſſe Amomum, quam Hiericunteam à Hierico Paleſtinæ oppido appellant plantam: hanc plerumque ad nos è Hierico deferunt ij, qui ad ſanctiſſimum Redemptoris noſtri ſepulchrum peregrè proficiſcũtur. Ea enim eſt quam noſtrates mulieres Roſam D. Mariæ vocant. Conſtat hanc Amomum non eſſe, quòd folia albæ Vitis non proferat, nec ullo ſpiret odore. Cordus lib. de conſ. pharmacis ſatis inconſtanter de Amomo diſſerit, quippe in compoſitione aureæ Alexãdrinæ pro certo aſſerit Amomum novum eſſe Roſam Hiericũtis: in compoſitione verò Theriacæ, ſuiipſius oblitus habere nos Amomũ negat.

*Superſtitio Chriſticolarum.*

Vtuntur Hiericuntea noſtrates mulieres tempore partûs ad inveſtigandam pariendi horam, quandoquidem (ut ipſæ fatentur) in aquam demiſſa, non priùs fatiſcit, quàm fœtus naſci incipiat: tanta inter Chriſticolas irrepſit ſuperſtitio.

*Vires. Fabula Giraudet.*

Gabriel Giraudet in itinere hieroſolym. In planitie hieroſolymitana proveniunt quidam flores qui dicuntur Roſæ ex Hierico, quarum inſignes vires. Die nativitatis eâ horâ quâ natus Dominus noſter ſe aperiunt & expandunt eę Roſę & ſunt valdè utiles puerperis: cùm parturiunt imponendæ in phyalam in qua aqua benedicta & ſubitò Roſa aperitur, tunc femina ſtatim parit ſine periculo. Vel hæc ſola hiſt. Giraudet reddit plurima eorum quæ ſcribit ſuſpecta. Roſa Hiericho non meretur nomen floris, quia flores minimi & non ſpecioſi: Vires ejus tales non ſunt quales prædicat. quotieſcunque enim imponitur in aqua calida, expanditur: nec in eo parturientibus confert, quòd ſe aperiat.

*Amomum.*

Eſt Carolo Stephano Roſæ ſpecies, quæ vulgò Roſa Hierichontis dicitur, *Roſe de Hiericho*, ex qua Amomum Dioſcor. colligitur, ut putaris, qui dialogum illum conſcripſit, qui botanologicon inſcribitur: Cui etiamnum Marcellus & Barbarus aſſentire videntur.

*Amomis. Roſa Hierici, vel S. Mariæ.*

Cæſ. de Cubebis agens, inquit: Quæ Amomis vocatur à Dioſcoride & Plinio, hodie Roſa Hierici, vel ſanctæ Mariæ vocatur: fruticulus cũ ſua radice palmaris, lignoſus, ramulis frequentiſſimis implicitus, rotunda figura, quaſi Chamæleontis albi caput, antequam dehiſcat; fructus fert in mediis ramulis frequentes, figura Myrti tenuiores, duros, candicãtes, qui idem eſt totius fruticis color: continẽtur in duplici cavitate pauca ſemina nigricantia, quibus ſatis, aliquando provenit planta foliis parvis ut Polygoni, ſed ad frugem non pervenit.

*Colerus reprehend.*

Oportebat Colerum annotaſſe ubi viderit Roſã Hiericho florere, vel auctorẽ citare, qui id ſcripſerit. Falſum eſt eam in Natali Chriſti florere.

*Cord. & Matth. reprehend.*

Cordum inconſtantiâ, latinè taxat Matthiolus, quâ tamen facilè defenditur, ut notat Apollo, quoniam tametſi Hiericuntam legitimũ eſſe Amomum contenderit. Paucis tamen dehinc interjectis foliis, nos vero Amomo carere, i.e. Roſam illam Hiericuntam deſiderari, non ideò ſuiipſius immemor appellandus, ſed veriùs errore damnandus.

*Amomum non eſt. Thlaſpi. Roſa Hiericho dupl.*

Roſa Hierichuntica vulgò dicta, Amomum eſſe nequit. Sed aliquid (teſte Cam.) fermè habet commune cum Thlaſpi, parum tamen vel nihil acredinis, quæ guſtu percipiatur, niſi in radice & ſurculis, quorum ſapor æmulatur Raphanum. Infeſtatur admodum à campis viridibus, ut Naſturtium, Eruca, Braſſica & congeneres herbæ. Ejus ſylveſtrem ſpeciem Syriæ tectis & ruderibus innaſcentem invenit D. Rauvvolfius.

*Roſa Hiericuntina non eſt Amomum.*

Amomum tandem nõ eſſe Roſam hiericuntinam teſtatur etiam Maronca in com. de Amomo, ubi Amomi fruticem eſſe ait infœcundum, ſed valdè odoratum, ſuaptéque natura ſibimet cohærentem, atq; multò arctiùs, quàm ipſa ſibi adhæreat Roſa Hiericuntina ſicca, nihilominus tamen idem frutex Amomi non erit ſimilis uvæ, quia veris fructibus deſtitutis ſupponitur, & quia ipſius rami & ſurculi nullo modo poſſunt referre imaginem acinorum ex quibus racemus componitur.

Nimis ſecurè ſcribit Bauh. apud Matthiolum de re ſibi incognita Roſæ hiericonthеæ duas eſſe ſpecies, alteram totam lignoſam inſipidam, & inodoram; alteram aromaticam & valde odoratam. In pin. dicitur ei Roſa Hierichuntea 1. vulgo dicta: Amomũ, Cord. in Dioſ. & hiſt. Amomis Dioſ. & Plinij, Cæſ. Roſa Hiericontea, Turn. Lon. Lob. Garz. Caſt.

aperta

aperta & concluſa, Eyſt. Roſa de Hiericho, & Roſa Mariæ monachis, Lugd. Roſa Hierichontina 1. & 2. Tab. major, Ger. In hortis facilè & creſcit & floret: de hac Ioh. Sturmius Lovanienſis profeſſor, libellum ſuperſtitionibus plenum ſcripſit. Eid. B. Roſa Hiericonthea 2. ſylveſtris: Roſæ Hierichonthis ſylv. ſpecies, Rauvv. Cam.

Münſtero in coſmograph. teſte, Roſæ hæ dictæ à Hiericho, non in agro Hiericho, ſed ultra Iordanem, & regione Hiericho in Arabia naſcuntur. Lutetiâ habui ſemen ab hortulano regio Robin, quod ſatum Montbelgardi in horto E.C. plantam proferebat, quæ florebat Iunij principio.

## APHYLLON INDICVM.

Ger. Syn. Locm. BRY fratrib. icon. 4. part. Indiæ Orientalis ſcribentibus, in Inſula Sancti Laurentij plantam



Hollandi copiosè invenerunt & vocarunt Blätterloß/ quia nulla folia exactè habebat. Teneriores ramulos ſcorbuti curationi adhibuerunt non ſine effectu. De hac planta apud alios authores hactenus nihil invenimus.

B. pin. Roſa Hierichonticæ exſiccatæ ſimilis: Blätterloß Holandis, fruticulus ad ſcorbutum, Ind. or. par. 4. fig. 21.

*FINIS LIBRI XV.*

# HISTORIÆ UNIVERSALIS PLANTARUM LIBER XVI.

## SCANDENTES POMIFERÆ ET HIS AFFINES.

*Scandentium claſſis altera, aſſurgendi modo ferè ſolo, arbores imitatur, ſarmentorum naturâ ab herbarum conditione non multùm recedens, ſed profectò eò ipſo notabiliores, quòd fructuum mole, vaſtáque magnitudine cum ipſis adeò certent arboribus. Ad hos nunc greſſum feſtinanter dirigamus.*

### COLOCYNTHE CUCURBITA VETERIBUS.

### Cap. I.

*Κολοκυνθα ἐδώδιμος Dioſc.* DIOSCORIDES quamvis κολοκύνθην (quam ad κολοκυνθίδος differentiam ἐδώδιμον cognominat) non deſcribat, vires tamen recenſet, de quibus nos infra.

*Cucurbitæ ſpecies Theophr.* Theophraſtus lib. 7. hiſt. c.4. ſimplicem non eſſe Cucurbitarum ſpeciem affirmat, ſed alias meliores, alias deteriores. Cucurbitæ, ait, partim genera eſſe exiſtimant, partim negant, ſed in uno eodémque genere alias meliores, alias *Olus eſt.* eſſe deteriores affirmant. Cucurbita in olerum genere cum ſeminibus ipſis flores edit, quippe ei flos in poſtremo fructûs, & creſcentibus fructibus flos diu infixus ſervatur. Inter æſtiva brevem radicem ſortitur, tum propter tempus, tum & forſitan magis ratione naturæ, quæ tempus ſecuta eſt: parte ampliatur supernâ luxuriatúrque: radice tamen puſillà inhæret. *Satio.* Semina diſtantia ſert: ſuccum aquoſum. Circa quintum diem erumpit, aut ſexto, (vel ut alij volunt) ſeptimo, ſed poſterius, tardiúſque Cucumere. Refert ad celeriorem proventum recentior ſeminis ætas. In olerum genere Cucurbita vel ex toto immatura atque incommutabilis permanet. Si *Mangonia.* quis mollem, parvámq; abſconderit, ita ut alimenti copia largè accedat, percoquatúrque, incrementum quoque largè conſequitur. Sic enim nulla pars alimenti à ſole detrahitur, nec flatibus reſiccatur: quibus cauſis moles augeri non poteſt. Dulciores & molliores redduntur, pulverem ſurculo excitantes ſine rigatione, cùm venti anniverſarij perflant, hoc generi rotundo convenit.

*Columella* Magnam Cucurbitarum varietatem, diverſitatémque à ſeminis natura dependere teſtatur Columella, elegantiſſ. ſuis verſibus, quos hîc ſubjicimus:

*prægnánſque Cucurbita ſerpit.*
*Una neque eſt illis facies, nam ſi tibi cordi*
*Longior eſt, gracili capitis quæ vertice pendet,*
*E tenui collo ſemen lege, ſive globoſi*
*Corporis, atque utero nimium quæ vaſta tumeſcit*
*Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem:*
*Naricia picis, aut Actæi mellis Hymetti*
*Aut habilem lymphis hamulam, Bacchóve lagenam.*
*Tum pueros eadem fluviis innare docebit*

Docet itaque Columella in hoc carmine ſuo, quâ ratione ex eodem ſeminio, utrumque genus, longa & rotunda Cucurbita fieri poſſit. *Rotunda & longa ex eodem ſeminio.* Quod autem in carmine jam recitato hac ipſa de re omiſit, in proſa non multò poſt àddit: Aquoſis autem locis primo quoque tempore, non tamen ante Calendas Martij, ſemen ponendum eſt, ut deferri poſſit Æquinoctio confecto. Idque de media parte Cucurbitæ ſemen inverſo cacumine ponito, ut fiat incrementi vaſtioris: nam ſunt ad uſum vaſorum ſatis idonea. At ſi eſculentas merci præparabis recto cacumine *Eſculenta.* de collo Cucurbitæ ſumptum [ *ſemen* ] ſerendum erit, quò prolixior & tenuior fructus ejus naſcatur.

Sed jam unde digreſſa eſt, revertatur oratio noſtra. Plin.l.19.c.5. de Cucurbitis hæc memoriæ pro- *Plinius.* didit: ſimilis [*cum Cucumeribus*] & Cucurbitis natura, duntaxat in naſcendo. Æquè Hiemem odore. Amant rigua ac fimum. Seruntur ſemine in terra ſeſquipedali foſſurâ, inter Æquinoctium vernum & Solſtitium: Parilibus tamen aptiſſimè. Aliqui malunt ex Calendis Martij Cucurbitas ſerere ſimili modo reptantibus flagellis ſcandentes parietum aſpera in tectum uſque, natura ſublimitatis avida. Vires ſine adminiculo ſtandi non ſunt, velocitas pernix, levi umbrâ cameras ac pergulas operiens. Inde hæc duo prima genera: Camerarium & plebeium, quod humi repit. *Cucurbita prima genera duo.* In priore mirè tenui pediculo

culo libratur pondus immobile auræ. Cucurbita quoque omni modo faſtigiatur, vaginis maximè vitilibus, conjecta in eas poſtquam defloruit. Creſcit quâ cogitur formâ, plerumque & draconis intorti figurâ. Libertate verò penſili conceſſâ, jam viſa eſt novem pedum longitudinis. Cucurbitarum numeroſior uſus. Et primus caulis in cibo. Atque ex eo totum natura diverſa. Nuper in balinearum uſum venêre urceorum vice, jampridem verò etiam cadorum ad vina condenda. Cortex viridi tenet. Deraditur nihilominùs in cibis. Cibus ſaluber ac lenis pluribus modis exiſtimatur, qui perfici humano ventre non queat, ſed non intumeſcat. Semina quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt: item ab imis, ſed non comparandas ſupra dictis: quæ in medio, rotundas: quæ in lateribus, craſſas brevioréſq;. Siccantur in umbra, & cùm libet ſerere, in aqua macerantur. Cibis, quò longiores tenuioréſque, eò gratiores. Et ob id ſalubriores, quæ pendendo crevêre: minimúmque ſeminis tales habent, duritiâ ejus in cibis gratiam terminante. Eas quæ ſemini ſerventur, ante Hyemem præcidi non eſt mos. Poſtea fumo ſiccantur, condendis hortenſiorum feminibus ruſticæ ſuppellectili. Inventa eſt ratio, quâ cibis quoque ſervarentur, uſque ad alios penè proventus: & id quidem in muria fit. Sed & ſcrobe, opaco in loco arenâ ſubſtrato, fœnóque ſicco opertas, ac deinde terrâ, virides ſervari tradunt.

Martio Cucurbitam ſerendam eſſe annotat Palladius: amare verò ſolum pingue, humidum, ſtercoratum, ſolutum. Hoc in Cucurbitis inſigne eſſe, quòd longas pariant & exiles ſemina, quæ in earum cervice naſcuntur: quæ in ventre fuerint, Cucurbitas faciant craſſiores: quæ in fundo, latas, ſi inverſis cacuminibus obruantur. Vbi adoleſcere cœperint, adminiculis adjuvandas eſſe. Quæ ſervandæ ſint ad ſemina, uſque ad Hyemem in ſua Vite dependere debere, deinde ſublatæ in Sole ponendæ, aut fumo, aliter ſemina putrefacta deperire. Diocles author eſt prope Magneſiam Cucurbitas ampliſſimas gigni. Menodorus Eraſiſtratius amicus Hiceſij, Cucurbitarum, inquit, alia eſt Indica, quam & Sicyam nominant, alia eſt Colocynthe, nempe vulgaris. Indica utplurimum elixatur, vulgarem autem etiam aſſant. Cnidij etiamnum Indicas Cucurbitas vocant. Helleſpontij, quæ longæ ſunt, Sicyas nuncupant, rotundas verò, & globoſas Colocynthas. Apud Athenæum Euthymedus Athenienſis lib.1. de Oleribus, Cucurbitam vocat Sicyam Indicam, quòd ex India ſemen ejus advectum fuerit: Megalopolitæ verò Sicyoniam appellant. Attici uno vocabulo Colocynthen vocant. Phrynicus diminutivo nomine protulit:

*Vel exigua maza parum quidpiam, vel Colocynthij.*

Nihil omninò longiùs Marcellus de Cucurbita repetendum cenſuit: Græci, inquit, dulcem & quæ edendo eſt, Cucurbitam fœminino genere in ſecunda declinatione κολοκυύνθαν dixerunt: Medicam verò & amaram, de qua nos paullò poſt ſeorſum acturi ſumus, in quinta: & ab hac diminuta appellatione κολοκυνθίδα. Eſt & illud animadvertendum in dulci Cucurbita ex duplici genere, duplex etiam nomen eſſe: rotundæ, & in globum tumenti, quæ Cucumeri ſimilis ſit, σικύα: tereti & in longitudinem extenſæ, κολοκυύνθα: Latini utramque eodem Cucurbitæ nomine appellaverunt.

Æquivoca.

Cucurbitæ, ſive Colocynthæ, & Colocynthidis ſive Coloquintidis æquivocationes & ſubſtituta nunc proponimus. Cucurbita igitur, Græcis κολοκυύνθα, & κολοκυύνθα ἐδώδιμος cognominata, Latinis Cucurbita cameraria, Cucurbita plebeia, & Cucurbita ſativa, eſt nobis Cucurbita folio molli, flore albo.

Sed & Cucurbitæ propriè dictæ genus quoddam eſt longum, cujus aliquot ſunt differentiæ, Anguinæ dictæ. *Longa.*

Quædam habentur anguſto collo, diverſorum generũ & ipſæ, magnæ & parvæ, Lagenariæ vocatæ. *Anguſto collo.*

An plebeia Cordi referenda ad modò dictam?

Cucurbitæ folio aſpero, flore luteo. *Fol aſpero.*

Cucurbitæ folio aſpero, amaræ, diverſorum quoque generum. *Amara fol. aſpero.*

Cucurbitarum generi annumerat Anguriam Geſnerus. Nos Citrulum folio Colocynthidis laciniato nuncupamus. *Citrulus.*

Κολόκυνθις, Cucurbita ſilveſtris, agreſtis, ſilvatica, Cucurbita amara, Cathartica, ex Græcia, Cucurbitula, Cucurbita caprina, Cucurbita deſerti, Cucurbita Eliſæi Prophetæ: Coloquintis vulgaris, quibuſdam ſilv. Barbara, marina & Somphos Plinij. *Colocynthis*

Cucurbitæ ſeſſiles, capitatæ, clypeatæ diverſa genera, & eis affines. *Cucurbita clypeata.*

Cucurbita ſilveſtris & exigua, Græcis Somphos, Latinis Barbara, & Marina Plinio, de qua ex eo poſt, Dodonæo autore adhuc incognita. *Somphos.*

Cucurbita arborea Indica an Guanabanus, vel Higuero, de qua H.n.g.l.1.cap. *Guanabanus.*

Cucurbitaceus fructus arboreus Cluſij l.2. c.12. exot. traditur à nobis H.n.g.lib.1. cap. ſub fructu Indico pyriformi granis intus nigris. *Fruct. Ind. Pyriform.*

De Cucurbitino fructu Indico magnitudine ovi Struthij vide poſtea hoc lib. *Cucurb fr. Ind &c.*

Cucurbitularum Americi Veſpuſij, Lagenularum Americarum Cluſij exot.l.2.c.8. mentio fit in H.n.g. lib. cap. *Lagenula America.*

Kikaium Ionæ Prophetæ non eſt Cucurbita, ſed Ricinus, ut oſtendemus H.n.lib.34.cap. *Ricinus.*

Cucurbita canina dicitur de Bryonia ſeu Vite alba, Baſilio Fabro teſte. *Bryonia.*

Chamæpitys dicitur Cucurbitularis Hadriano in Nomencl. *Chamæpitis*

Substituta.

Si ſemina Cucurbitæ haberi non poſſint, accipienda ſuadet Platearius ſemina Malorum dulcium. Ego verò malim Melonum, vel Cucumerum ſubſtituere. *Sem. Malorum dulc. Melon vel Cucum.*

Cucurbitæ ſucco deficiente, Tract. qui pro quo ſumit ſuccum Violarum inſipidiarum. *Succus Violar. inſipid.*

Ad quid Felix Platerus in clyſtere ad febres continuas præſcribit Cucurbitæ ſeminum loco, ſemina quatuor majora ferè rancida, quæ corrupta & corruptione calidiora reddita ſunt? *Sem 4 majora ferè rancida.*

De Cucurbitis in genere ex Neotericis.

Inter ſcandentes pomiferas plantas præcipuę nota eſt Cucurbita, quæ Græcis Κολοκυύνθα, & Κολόκυνθα ἐδώδιμος: item Κολόκυνθα ἥμερος dicitur: Latinis Cucurbita, Cucurbita edulis, & Cucurbita ſativa: à nonnullis verò Κολόκυντα per τ ultima ſyllaba: ab aliis σικυώνια: à Plinio Cucurbita cameraria, quòd cameras, teſtudines, pergulas, topiarias hortorum ſcenas ſcandat ac operiat. Huic verò & altera, quæ nullis prope aſſiſtentibus fulta humi repit, plebeia cognominatur.

Arabibus autem Cucurbita *Haraha, Hara, ſeu Charha*, & ut Trago placet, *Vlla* dicitur: Germ. Kürbß: Belg. Cauwoorden: Gall *Courge*: It. *Zucca*: Hiſp. *Calabazza*: Angl. Gourde: Bohem. Tykew: Hung. Tök. *Nomina linguar.*

Græci porrò ex adverſo vocabulum impoſuêre, κολοκύνθην nominantes, quòd ſcilicet pumili brevéſq; ſint partus, quos ipſa paſſim enititur, cùm tamen corporis mole omnes herbarum arborúmve fructus videantur ſuperare. Cucurbitam verò Latini à concurvatu haud dubiè dixerunt, quòd facilè ſi quid obſtiterit, aut fuerit impedimento, quo minùs extendatur, incurveſcat. *Etymon.*

*Proverbiũ.* Quod citò fit, citò perit, ſic vulgo dici ſolet, inquit Tragus. Quod ſanè dicterium, ſi ulla alia de re, certè de Cucurbita quàm veriſſimè dicitur. Ea namque unâ Æſtate, in ſublime ita conſcendit, ut faſtigia altiſſimarum arborum attingat. Autumno verò ſi vel unam pruinam ſenſerit, dejicitur, foliis & palmitibus prorſus marceſcentibus. Qui fit ut quotannis Cucurbitam ſerere neceſſe ſit, id quod in noſtris regionibus Aprili menſe facere ſolemus. Tum enim nonnulli ea accipiunt ſemina, quæ in ventre Cucurbitarum enata fuêre, eorúmque mucronatas partes in terram defigunt, pollicentes ſibi hâc ratione feliciorem Cucurbitarum proventum. Alij ſemina priuſquam ſerant, in dulci lacte, aut aqua ſacchari macerant, quò ſc. citiùs erumpant, & dulciores evadant fructus, id quod non ratò contingit. Quamprimum verò bina prima ac pinguia Cucurbitæ folia eruperint, continuò rigare humum oportet, aliter tardiùs augeſcent. Iunio menſe appetente, cùm folia quaterna aut quina Malvæ Romanæ haud diſſimilia prodierint, tum & capreoli Vitium claviculis ſimiles progignuntur, quibus natura ſublimitatis avida, palos, arbores, aut quodcunque apprehenderit, conſcendit Cucurbita. Poſt hæc flos apparet, atque is quidem duûm generum. Primus namque lanuginoſus, albæ Roſæ exiguæ ſimilis, quinis aut ſenis foliis præditus ſpectatur, qui tertio ab ortu die ſine fructu decidit. Qui hunc ſubſequuntur flores (diverſorũ colorum) magis exigui ſunt, in quorum fine fructus in pyri formam ſilveſtris turbinatus, *Diff. Tragi* conſpicitur, qui in dies flore marceſcente admodum augetur, ac aut in orbem collectus intumeſcit, aut in longum propagatur, quidam cornu inſtar recurvus ſpectatur, alius rectâ figurâ contentus eſt, alius grandis, alius contra exiguus evadit, quæ ſanè varietas, diverſitáſque à ſeminis natura dependet, *Icon Tragi* quod Columellæ verſus teſtantur. Hucuſque Tragus, qui unicâ figurâ tres Cucurbitæ ſpecies exprimit, ac Hebraicè Cucurbitam Kikaion (Ionæ 4.) vocat. *Kikaion Ionæ eſt Ricinus.* Nos verò Guilandino potiùs aſſentientes Kikaion Ionæ non credimus Cucurbitam eſſe, ſed potiùs Ricinum.

*Cucurbitæ ſpecies Matthiolo.* Matthiolus in Dioſc. figuram habet non multùm diſſimilem, ab icone Tragi, tres Cucurbitæ ſpecies demonſtrantem. Cucurbita ſativa, inquit, quæ per Æſtatem in cibum frequentiſſimè vario ſumitur apparatu, in triplici cenſetur genere, nempe longa, rotunda, & ſeſſilis. Sed quanquam Cucurbitæ inter ſe formâ diſſimiles habeantur, non tamen propterea viribus, & naturâ ſibi invicem repugnant. Siquidem (ut Columella tradit, & Plinius l.19.c.5. refert) forma varia in Cucurbitis arte & mangonio fieri facilè poteſt. *Mulieres enecant herbas.* Diligenter cuſtodiendum eſt, ne eò mulieres accedant: namque earum contactu facilè elangueſcunt incrementa virentium, tantóque magis, ſi eis fluxerint menſes: tunc enim ſolo oculorum intuitu tenellos enecant fœtus. Amant Cucurbitæ mirum in modum aquas: nam ſi propè in patenis vaſculum aqua ſubjciatur, à quinque vel ſex digitorum intervallo, ante poſterum diem adrepentes cognoſcentur deſcendiſſe. *Sine ſemine ut naſcatur.* Sine ſemine naſcentur, ſi per triduum antea ſpargenda ſemina oleo ſeſamino macerentur. Camerarius quoq; in ep. & hiſt. germ. Matthioli ut iſtâ imagine, tria pinxit Cucurbitæ genera, nempe longam, rotundam, & ſeſſilem.

*Cucurbita, Sichia, Succha & σικυς Lob.* De Cucurbitis, hoc titulo (Cucurbitæ, Sychia; Succha, Σίκυς) præmiſſo, hæc ſcribit in Adverſ. Lob. Tanta eſt Cucurbitarum, Cucumerum, & Peponum inter ſe cognatio, ut antiqui Græci & Latini, nedum recentiores, minùs accuratè nomenclaturas diſcreverint. Euthydemus ſiquidem in oleraceo libro *Colocynthis* Syciam Indicam nominat Colocynthidem: puta poſt Hippocratem: cui, uti etiam Theophraſto videtur, quamlibet varietatem & differentiam genericam horum fructuum σικυώνη vox ſignificare, σίζειν namque bullire eſt, unde σίκυις, quæ vas, ollam & *Σίζειν.* pyxidem ſignificat, & ſanguiſugum vitreum, aut cornu inſtrumentum: indéque fortè Latinis Cucurbita, tametſi Varroni à curvando dicta putetur. *Cucurbita fortè etym.*

Ariſtoteles etiam Sycias Pepones appellat: & Galenus Pepocucumerem. Quare quò faciliùs percipiantur & diſcernantur ab invicem, quæ hodie in uſum culinarium & medicatum venerunt, genera cuncta non incommodè σικύας, vel Cucumeres vocamus: quarum duo ſumma faſtigia ſunt, Cucurbitæ & Melopepones, varia nomina adepta propter fructuum, foliorúmque varietatem. Et rurſus: Admodum veriſimile fit, Zucchæ nomen (ſic enim Italicè vocant Cucurbitam depravatis elementis) σκίαν, aut σκύαν, vel συκίαν (utroque enim modo ſcribunt nonnulli Græci) deſignare: nam σκία, unde etiam Ficus Latinis derivatur, generaliſſima fuit appellatio Cucurbitarum, Cucumerum, & Melopeponum. *Cucumerina familia.* Quare Cucumerinæ familiæ maximæ vocati poſſunt Cucurbitæ, & commodiore etymo à curvando deduci, quaſi curbando, ut loquuntur Vaſcones & Pyrenæi. Hæc ille. Quas alij Cucurbitarum differentias agnoverint, nunc eſt oſtendendum.

*Calabaſſi.* Calabaſſi ſeu Cucurbitæ in India ad miraculum uſque augeſcunt, quæ in hac ſola provincia Chile naſcuntur & Capallos nuncupantur: *Capallos.* Cucurbitarum ſpecies prope infinitæ ſunt, quædam immensâ mole monſtroſæ ſunt, quæ diſſectæ & reſiccatæ excavantur, & ex iis varia vaſa effinguntur: ex minoribus pocula, aut pateras ingenioſè cœlatas concinnant: Bauh. pin. ex Ioſeph. Acoſta l.4.c.9.

---

## CVCVRBITA LONGA, FOLIO molli, flore albo.



*Deſcr.* CVcurbita lõga viticulas digitali craſſitudine, anguloſas, orgyias aliquot lõgas è radice tenerâ fibratâ emittit, quæ per terram ſparguntur, alioqui pergulas & perticas capreolorum ope ſcandunt, folia rotunda, pedem aut ſeſquipedẽ lata molli lanugine tomẽtoſa, crenis ſubinde nonnullis per ambitũ inciſa, ex pediculo tereti, longo, concavo; flores nivei candoris, liliacei, quinquepartiti, intus villoſi, exteriùs breviore pilo obſiti, atque hi quidem aliàs pediculo immediatè cohærent, taléſque ſteriles ſine fructu marceſcunt, aliàs mediante fructûs rudimento, qui delapſo flore ſuccreſcit, inque inſignem adoleſcit magnitudinem, pedes quinque aut ſex longus, cervice craſsâ, in ventrem modicè turgeſcens, qui, ſi quid, quod reſiſtat, offendit, curvatur: Cortex recenti tener, herbaceus, adulto durus, flaveſcens, medulla alba, inſipida, medicè fungoſa; ſemina uncialis longitudinis ferè, longa, plana, compreſſa, unâ parte lata, duobus angulis conſpicua; infernâ, quâ germinare ſolent, plures angulos habentia, & ſub

tunicâ

tunicâ duriuſculâ albâ, medullam includentia albam, dulcem, eſui gratam.

*…ietas.* Stutgardiæ præter vulgarem longam, aliam obſervare memini, minoris craſſitudinis & longitudinis, cortice candidiore.

*…urbita …rum.* De Cucurbita folio molli, floré albo, cui competere videntur, quæ veteres de Cucurbita memoriæ prodiderunt, hæc ſcribit Cordus. *…urbitæ …potio… …diffe… …tiæ.* Cucurbitæ (inquit in Dioſc. duæ ſunt potiores differentiæ. Vna longos fert fructus, altera latos & ſeſſiles: ſemine ejus Medici utuntur. Modò autem dictum genus in hiſt. *…f. Cord.* (ubi Tragi icon aſſumpta) diligenter ſic deſcripſit: Cucurbita cameraria, quæ ante camerarum feneſtras ſeritur, viticulam ab una radice emittit, quæ in multas alias anguloſas, teneras, & modicè concavas viticulas dividitur, folia ex intervallo proferentes, ſingula ferè rotunda, niſi in iis anteriori maximè parte tres plerumque acuminati anguli eminerent: eadem eminentiis quibuſdam breviſſimis, rarîſque per ambitum circumvallantur, & tactu mollia ſunt, foliorum Althææ modo, magnitudo eorum ſeu latitudo ſecundùm natalium diverſitatem variat, fœcundo autem aprico & humido ſolo, apud nos in Germania pedem cum quadrante interdum latitudine excedunt: pediculus iis eſt longus, tener, leviter hirſutus, modicè concavus, & propemodum teres, ſi non modicè canaliculatus eſſet eo latere, quo ſuperiori foliorum parti reſpondet; capreolos ſecus folia producit ſingulos, quibus affixos baculos, & perticas apprehēdit, in magnam altitudinem aſcendens; flores juxta folia & capreolos fert figurâ liliaceos, partim ſteriles, partim verò fœcundos, utrique quinis, candidis, intus hirſutis, ſeſquiuncia longioribus, unciâ paullò anguſtioribus, foráſque modicè reflexis & repandis conſtant foliis. differunt tamen inter ſe. *…eriles.* Siquidem ſteriles breves habent in medio apices & hirſutiores ſunt, nec quicquam habent tumidi poſt ſe (ubi pediculo junguntur) quod ſequuturi fructûs ſpem faciat: *…cundæ.* fœcundi verò in medio tria craſſiuſcula, bifidáque ſtamina continent, nec immediatè pediculo junguntur, nam inter ipſos flores & pediculum parvum & leniter hirſutum extuberat, quod tenera Cucurbita eſt, capitulum juxta annexum in anguſtum collum deſinens, quod marceſcente flore paulatim accreſcit, deinde ab Autumno in magnam molem, quam Cucurbitam vocamus, auctum matureſcat. *…orma non …idem om… …b. Cucur… …tis.* Magnitudo & forma nō eſt eadem omnibus Cucurbitis: quædam enim lōgæ ſunt, quædam verò inferiùs vētroſæ exiſtunt, & ſuperiùs in anguſtum collum coarctantur. Cùm apud nos in Germania feliciter enatæ maturuerint, longæ quinos ſenóſq; pedes longitudine, & dodrantem cum uncia aſſequuntur, maximè ſi penſili licentiâ conceſsâ, liberè pependerint. Ventroſæ autem interdum in duorum pedum longitudinem & pedalem latitudinem adoleſcunt: utrumque tamen genus frequentiùs minus capit incrementum. eam enim magnitudinem quam poſuimus non ſemper, nec ubique conſequuntur: color omnibus eſt in maturitate flavus, durúſque & ligneus cortex: pulpa teneris eſt candida, guſtu dulcis, maturis verò fungoſa, ſeminibúſque plena, præterquam in collo: nam eo loco ventoſæ nullum ſemen continent: longitudo ſemini uncialis eſt, latitudo autem ſemuncialis: idem planum & compreſſum eſt, atque anteriori parte modicè acuminatum, poſteriori verò latiuſculum, duobúſq; eminentiis cornutum: corticem habet lignoſum, candidum, acuminatum, compreſſum, guſtúque dulcem nucleum claudentem. Radice tota herba nititur candidâ, in multas tenues partes diſtracta eáque ſemeſtri: in hortis ſata cameras perticis extructas aſcendit & obtegit, facítque jucundas frigidáſque ſcenas, latis foliis ſolem arcens: ſeritur etiam in hortis penſilibus, ante cameras & feneſtras, ut dictum eſt. *Cucurb. cameraria.* unde hoc Cucurbitæ genus Camerarium Romani appellabant, ut Plinius teſtatur. Cord. eodem libro aliam tradit Cucurbitam, quæ an una ſit ex Cucurbitis, quas poſtea trademus, lagenariis, conſiderandum. *Cucurb. plebeia Cordi, quæ.* Cucurbita plebeia, inquit, viticulis, foliis, floribus & ſemine camerariæ ſimilis eſt, fructum tantùm diſſimilem producit, cui duorum dodrantum, aut nonnunquam cubiti apud nos eſt longitudo, latitudo verò quincunx aut ſextans, formâ ſunt inæquali: nam inferiùs longum habent ventrem, à quo in longum, nec anguſtum collum deſinunt, interdum etiam incurvantur. *Diſtinguitur à Camerariâ.* Eſt & alia, quibus diſtinguuntur, differentia. Cameraria altitudinis avida eſt: Plebeia verò humi prorepit, quoquoverſus viticulas ſuas ſpargens. Saporem habet dulcem, carnémque, cum tenera adhuc eſt, quæ edendo ſit. Et hæc Cordus.

*Synon.* Cucurbitam longam folio molli, flore albo, vocavit Lob. in adv. Cucurbitam ſive Zuccham; in obſ. & ic. omnium maximam, anguinam. Ger. ut & Dod. gall. qui tertio loco deſcribit, Cucurb. anguinam; hiſt. ubi Lobelij figuram habet, Cucur. longiorem. Turn. Lon. Caſt. Cam. & Tabern. *Error apud Tabern.* (apud quem icon tranſpoſita per incuriam typographicam ut exiſtimamus, ſub titulo Cucurbitæ Indicæ minoris.) Cucurbitam longam: & ſic etiam Fuchſ. & Hort. Luſit. appellavêre. Lugd. Cucurbitam camerariam longam. Ang. ep. 7. Cucurb. Zuccham longam, σικύαν Helleſpontiorum. B. phyt. Cucurb. 4. Idem pin. *Varietates* Cucurbitā, 5. ſive oblongam flore albo, folio molli; Cucurb. fructu oblongo, Tragi, Cord. in Dioſc. Cucurb. oblongam, Fuchſ. Cucurbitam, Geſn. h. ſativam longam, Cæſ. Cucurbitam falcatâ figurâ ſæpè creſcentem, quandoque cervicem tantùm habentem recurvam, nonnunquam rectitudine ſervatâ bicubitalem, tricubitalémque acquirentem longitudinem.

## CVCVRBITA LATIOR FOLIO molli, flore albo.



*Synon.* TRAGUS hujus fructum pingit, tres enim ſpecies unâ effigie repræſentat: Fuchſius ſeparavit & hanc majorem vocavit, gal. *Courge* aut *Courge groſſe.* Dod. gall. Cucurbitam 1. & (ut & Lugd.) Cucurb. camerariam majorem: hiſt. Cucurb. latiorem, ventricoſam ac craſſam abſque collo, & inferiore ſede latiorem, pyri turbinatam figuram quodammodo referentem.

Hort. Luſit. Cucurbitam rotūdam. B. phyt. & pin. Cucurb. 1. ſive majorem ſeſſilem flore albo, Cucur. fructu in orbem collecto inturgeſcente Tragi: Cucurbitam ſeſſilem, Matth. ep. Cucurb. majorem, Fuchſ. Turn. Latiorem, Dod. Zuccham rotundam, Ang. Cucurbitā ſeſſili fructu, Cord. in Dioſ. *Varietates* Variat hæc, inquit, magnitudine, variat colore corticis: nam ſunt virides, flavæ, candidæ, quædam maculoſo cortice, quædā ſulcis diſtinctæ, quædā tuberoſę.

CVCVR-

## CVCVRBITA LAGENARIA.

*Deſcr.* CVcurbita lagenaria non variat foliis & flore, à longa priùs deſcripta: verùm fructu plurimùm differt, collo anguſto ventréque craſſo, lagenas & phyalas repræſentans: ſemina putamus magis fuſca eſſe, quàm longarum.



*Autorum differentiæ.* Lagenariæ has obſervavimus differentias. 1. Lagenariam Cucurbitam vulgatiorem majorem, luteam, albedine cōſperſam.

2. Lagenariam mediocris magnitudinis, longiuſculam valdè virentē, maculis luteis conſpicuam. Hæc ſaccharo conditur.

3. Lagenariam minorem maculis albidis inſignem.

4. Lagenariam magnam, longo collo conſtantem, vireſcentem, maculis luteis notatam.

5. Lagenariam, collo multò longiore, colore pallido, albíſque maculis ornatam. Conditur & hæc ſaccharo.

6. Vidimus tandem Cucurbitam mediam inter longam & lagenariam, corpore craſſo rotundo, magnitudinis circiter capitis, collo tenui cubitum penè longo.

*Synon.* Tragus appellat Cucurbitam camerariam & plebeiam Plinij, germ. Fleſchen Kürbs. Turn. Fuchſ. Cucurb. minorem. Dod. gall. Cucurb. 2. minorem: 1. 2. hiſt. Cucurb. priorem. Tab. Cucurb. lagenariam majorem, & alteram minorem. Ger. Caſt. & Lob. obſ. & ic. Cucurbitam lagenariam, hanc in Adv. duplicem agnovit. Lagenariam, inquit, voco, ut qua pe- *Lagenar. maior.* 1. regrè proficiſcentes lagena utuntur, præſertim in Galliis, Hiſpaniis & Italia: commodiùs namque geſtatur vinum, quàm vitreo aut figulino vaſe, quæ oneri ſunt, & faciliùs franguntur. Semen illi minus, quàm ſuperiorum: folium alioquin, flores & reliqua *Lagen minor.* non diſparia. Ab hac tantùm differt fructu minore, 2. lagenulámque concinniorem exprimente, eóque lubentiùs commodiúſque geſtatur itinerantibus. Semine, folio, & flore, delicatiore, non diverſo.

*Varietates C. Bauh.* B. phy. & pin dicitur Cucurb. 3. ſive lagenaria flore albo, folio molli, Cucurbita, Brunſ. Cuc. plebeia Cordi, Geſn. h. Cucurbita cameraria minor, Lug. Variat fructus quandoque lagenarum formâ; aliquando ventricosâ abſque collo pyri turbinati figurâ.

### De loco in genere.

Ante in genere ex Neotericis, ceu etiam ex veteribus, quædam de loco, tempore, ſatione, cultu, & mangonio commemorata ſunt. Quare hîc illud duntaxat adſcribimus, quod apud Dodonæum in ſol. lat legimus. Cucurbitæ in hortis ſeruntur ac co- *Tempus.* luntur. Sub Autumni tempus ad maturitatem demum perveniunt: in calidis tamen regionibus citiùs *Præcoces ut fiant.* maximè præcoces: Præcoces autem Cucurbitæ, tum & Cucumeres ſic reddūtur, ut Quintiliani tradunt. In cophinos aut fictilia inutilia terra cribrata mittenda, ſtercore admixto liquidior facta: & anticipato conſueto tempore, Vere videlicet inchoante, ſemina implantanda, & cùm ſol fuerit, & calor, & moderata pluvia, cophinos ſub dio expones, circaque Solis occaſus in domum contectam inferes: atque hoc aſſiduè faciendum, aqua irrorata, quando uſus poſtulaverit: poſtquam verò perfectè ceſſabunt frigora & glacies, cophini ſive dolia in locum ſubactum & excultum defodiendi, ita ut labra æqualia ſint terræ, deinde reliqua cura adhibenda: ſic ille ex Plinio.

### Vires et usus in genere.

Cucurbita quæ editur, ex Dioſcoridis quidem au- *Tumores.* thoritate, cruda trita impoſita, tumores & abſceſſus mitigat. Ramenta ejus pueris infantibus, in par- *Inflammationes.* tium circa cerebrum & membranarum ejus inflammatione utiliter per ſinciput imponuntur. Similiter ad oculorum & podagricas inflammationes. At ſuccus ramentorum expreſſorum, & per ſe, & cum roſaceo infuſus, ad aurium dolores commodus eſt: *Aurium dolores.* & cuti ſummæ à febris ardore ac æſtu vexatæ illitus prodeſt. Totius autem Cucurbitæ ferveſactæ & expreſſæ ſuccus, cum modico melle & nitro potus, al- *Alvum ſol-vit.* vum leviter ſolvit. Et ſi quis in ipſam crudam excavatam infuſum vinum per noctem ſub dio exponat, & temperatum jejunus bibat, leviter alvum mollit. Quantum porrò ad ejus in medicina uſum attinet, *Temperamentum ex Galeno.* Galenus de ſimpl. humidæ frigidæque temperaturæ eſſe ſcribit, utraque qualitate ſecundi ordinis. Quocirca ramentorum ejus ſuccum ad aurium dolores cum phlegmone junctos, cum roſaceo utilem eſſe tradit. Sic totam quoque calidam illitam calidas phlegmonas mediocriter refrigerare. In eſu autem *In eſu noxia.* humidam eſſe & ſitim propellere: crudam quidem ad eſum injucundam eſſe, & concoctioni extremè rebellem, adeò ut ſi quis ad ejus uſum in alterius cibi inopiâ cogatur, onus frigidum in ventre ſitum ſenſurus ſit: ut ſtomachus ſubvertatur, & ad vomitum concitetur, qui etiam ſolus liberare poteſt illum ab inſtantibus ſymptomatis. Quare omnes homines, inquit 2. de Alimentis, poſt cocturam ſtatim aut ſattagine frixam, aut aſſatam edere ſolent. Di- *Diphilus.* philus ſcribit Cucurbitam parum nutrire, facilè corrumpi, habitum corporis humectare, egeri celeriter, bonum ſuccum generare, ſi ex aqua & aceto ſumatur, juvaréq; magis ventriculum: meliorem ſuccum nobis ſuppeditare conditam in ſalgamum: potentiùs extenuare cum ſinapi: concoqui minori negotio, ac excerni ſeſſilem. Mneſitheus cenſet, quæ na- *Mneſitheu[s].* turâ facilè ab igne vincantur, & coquantur, ut Cucurbita, corpori alimentum ſubminiſtrare, non multum ſanè, ſed humidius & nihil moleſtum. Epi- *Epimarchus.* marchus ſuo carmine videtur Cucurbitam ceu inſalubrem damnare:

*Longè ſalubrius id erat, quàm Cucurbita.*

Plinius l. 20. c. 3. Dioſcoridis ſententiam ampliter *Plinius.* explicat. Sativæ quoque raſæ ſuccus tepeſactus auribus medetur: caro ejus interior ſine ſemine, cla- *Clavus.* vis pedum & ſuppurationibus, quæ Græci apoſte- *Apoſtemata* mata vocant. Decoctæ autem univerſæ ſuccus, den- *Dentes ſtabilit.* tium motus ſtabilit, & dolores inhibet. Vinum cum ea ferveſactum, oculorum etiam impetus. Folia ejus cum recentibus Cupreſſi, contuſa & impoſita; ipſa quoque toſta in argilla, ac trita cum adipe anſeris, vulneribus medentur. Nec non ramentis corticis recentes podagras refrigerant, & ardores capitis & *Podagra.* maximè infantium. Et ignes ſacros vel ſtrigmentis *Ignis ſacer.* his impoſitis, vel ſeminibus. Succus ex ſtrigmentis illitus cum roſaceo & aceto, febrium ardores refrigerat. Aridæ cinis impoſitus, mirè combuſta ſanat. *Combuſta.* Chryſippus Medicus damnabat eas in cibis. Sed omnium conſenſu ſtomacho utiliſſimæ judicantur, & interaneorum, veſicarúmque exulcerationibus. Quos itaque dixit Plinius capitis ardores, & maximè infantium, Dioſcorides σειριῶσι παιδίοις habet. σει- *Dioſc explicatur.* ριῶντα verò παιδία ſunt pueri, quos inflammatio partium

tium circa cerebrum & membranas ejus vexat. Ita enim Paulus l.1. c.13. habet: σειρίασις ἐστὶ φλεγμονὴ τοῦ περὶ τὸν ἐγκέφαλον καὶ μήνιγγας μορίων. Et ibidem mox etiam ipſe Cucurbitæ ramenta ad ſiriaſes præſcribit. Plinius alibi aduſtionem infantium, ſiriaſin vocat, ut l.30.c.15. Oſſibus in canino fimo inventis, aduſtio infantium, quæ vocatur ſiriaſis, adalligatis emendatur. Et alibi infantium deſtillationes, ut l.22 c.21. Folia Heliotropij infantium deſtillationibus, quod ſiriaſin vocant, illita medentur. Alibi etiam ſimpliciter græco vocabulo utitur. at l.32.c.10. Sitiaſesq; infantium ſpongia frigida cerebro humectato, rana inverſa adalligata efficaciſſimè ſanat, quam aridam inveniri affirmat. His itaque modis Plinius ſiriaſim reddere conatus eſt. Verùm Alexander Aphrodiſeus l.1. probl.98. σειρίαν vulgus dicere, ardorem habere ait. διὰ τί, inquit, τὰ βρέφη ἐν τῷ θέρει σειριᾷ: ὅπερ ὁ πολὺς δῆμός φησι καῦμα ἔχειν αὐτά. Et videtur ſanè verbum à Sirio ſtella factum eſſe, de quo Poëta ait:

*Sirius ardor,*
*Ille ſitim morbóſque ferens mortalibus ægris,*
*Naſcitur & lævo contriſtat lumine cœlum.*

At verò quod ex ſtrigmétorum, (quæ ramenta Dioſcorides vocat) ſucco febrium ardores refrigerari tradit, id dicit quod Dioſcorides ait, cuti ſummæ à febris ardore ac æſtu vexatæ illitus prodeſt. Cæterùm, ut ad inſtitutum redeamus, veteres Medici apud Plinium Valerianũ de Cucurbita ita ſenſerunt, ut eam aquam coagulatam dicerent. *[...] Valer.* Galenus humidæ putat virtutis & frigidæ, idq; ex eo probat, quòd ipſa in cibo ſumpta ſtomachum relaxet, bibendi deſideria non excitet. Cætera etiam in Cucurbita talia, ut apertè frigidæ poteſtatis exempla demonſtret. Crudæ & tritæ leniunt omnem tumorem. In cibo ſumptæ molliunt ventrem. Succus earum, ut Galenus ait, ad compeſcendum velociter auriculæ dolorem tepefactus infunditur. *[Cu]curb. hu[mi]da & fri[gid]a.* Idem ſuccus & dolorem dentium mitigat, ſi diutiùs in ore teneatur. Sed & roſaceo mixtus, & unctione corpori admotus, febrium reſtinguit ardores. Cinis aridę corticis efficaciter poteſt combuſta ſanare. *[...]dendi [...]era.* Eundem cinerem dicimus ab expertis vulnera in veretro jam in putredinem verſa purgare, & ad cicatricem uſque perducere. Semini ſicco illa vis traditur, ut in pulverem tuſum & inſperſum impleat vulnera quæ cavata ſunt. *[V]ulnera.* Quidam illud in vino bibendum dedère, ut ſolutiones alvi fluentis inhiberent. *[Flu]xum in[hi]bet.* Viticulæ quoque Cucurbitæ jam ſeneſcentes cum paſſo & aceto dyſentericis datæ, miro modo ſaucia inteſtina componunt. *[D]yſenteria.* Ex Simeonis Sethi ſententia, *[Si]m. Sethi.* Cucurbita concoctu facilis, boníque ſucci eſt, & admodum nutrit. Sitim ſedat, urinam cit, & ventrem movet. Calidis & ſiccis temperaturis prodeſt, & inflammationes ventris & jecoris ſedat. Pituitoſos autem lædit, colicóſque affectus. *[N]oxa.* Si malos humores aſſequitur, ab iis corrumpitur, & malum ſuccum generat. Semen genitale minuit, & veneris appetentiam extinguit. *[V]enerem [in]hibet.* Sanguis ex ea procreatus, conſiſtentiâ tenuis eſt. Thoraci, pulmoni & veſicæ prodeſt. Succus ramentorum ejus cum roſaceo impoſitus, ad aures inflammatione laborantes confert. Integra verò illita, calidas inflãmationes refrigerat. *[T]ragus re[f]eh.* Tragus ait quoſdam ſe vino, quod in excavata cucurbita manſerit, purgare. Hoc an verum ſit non ſum expertus, id tamen potiùs exiſtimarim præſtare Cucurbitas amaras folio aſpero. Omnia Cucurbitarum genera, inquit, frigidę & aqueę ſunt naturę, ut rectè dixerit Plinius, Cucurbitam nihil aliud eſſe, quàm congelatam aquam. *[C]ucurbita [e]ſt congela[t]a aqua.* Cucurbitæ ad ardentes febres utrinque uſurpatæ mirificè faciunt. Quamquam autem Cucurbitarum uſus, propter frigidám, quam obtinent, humiditatem, ſtomacho non uſque adeò conducat, nihilominùs tamen culinis paſſim familiares cernuntur. Sunt enim qui teneras illas & molliuſculas adhuc in cibis eſitare ſolent, eo quo ſequit' modo. *Tenera in cibo ſumuntur.* Corticem exteriorem abjiciunt, interiorem verò & candidam ſubſtantiam unà cum mollibus ac immaturis ſeminibus bulliunt, poſteàque minutim conſcindunt, ac cum cepa, butyro & ſale coquunt. Hic cibus ferè cum braſſica capitata cõſciſſa & cocta convenit, macilentíſque hominibus prodeſt. Nonnulli Cucurbitam immaturam orbiculatim inſtar malorum ſciſſam, cum butyro in ſartagine frigunt. Quidam purgationes ex Cucurbita conficiunt hoc pacto. Cucurbitam recentem excavant, vinóque repletam noctis ſpatio relinquunt, ac manè jejuno ſtomacho, illud vinum bibunt. Aqua ex immaturis Cucurbitis diſtillata, his qui ardentibus febribus ita laborant, ut nullis aliis medicamentis calorem reſtinguere poſſint, potanda exhiberi, nec non foris in epithemate cordi & jecinori, ut reprimatur calor immenſus, admoveri poteſt. *Aq. diſtillata Febris ardens.* Eadem ardori capitis, quam ſyriaſin vocant, maximè infantium, efficaciſſimè magno experimento in linteolis imponitur. Quòd ſi aqua diſtillata non ſuppetat, ſuccus ſumatur, paríque ratione uſurpetur. Aqua ſtillatitia & ſuccus immaturæ Cucurbitæ, non tantùm aurium dolori inſtillatu auxiliatur, ſed & oculorum, omniumque aliorum membrorum inflammationes & podagras refrigerant. *Oculorum dolor ex inflammatione.* De Cucurbita ita cecinit Fiera:

*Succi aquei, curſûs rapidíque Cucurbita, bilem*
*Vincit, & ilia cùm non bene cocta ciet.*
*Quàm bene grata tamen, cuicunq; admixta ſecundat.*
*Huic externa magis quàm ſua forma placet.*

Cucurbitæ folia recentia, ſecundùm Matthiolum (ex Cardano) jumentis illita, affrictáq; muſcas abigunt. *Ex Matth. Muſcas abigunt.* eadem mammis puerperarum admota lac ſiccant. *Lac ſiccant.* Oleum q́ è Cucurbitarum floribus paratur, iis in oleo diutiùs inſolatis, renum calores inunctum extinguit, & capitis dolores, præſertim in febribus mulcet: *Calores extinguit.* aridæ cinis ambuſta, & pudendorum ulcera ſanat. Eſtur paſſim Æſtate in cibis cum juſculis elixa, tum quoq; in oleo, aut butyro frixa, farinâ priùs circumlita, & acerbæ uvæ ſucco aſperſa. Si infanti dormienti paris longitudinis Cucurbita, vel etiam Cucumis, inquit Dodonæus, in lectulo adjungatur, & febricitaverit, mox à febri liber erit. *Infanti febricitans.* Editur & Cucurbitæ pulpa cocta, quæ facilè ſubſidet, præcipuè autem elixa, quæ & præter ſubſtantiæ ſuæ lubricitatem, tum & humiditatem, alvum emollit. Aſſa vel frixa quàm plurimùm de propriâ humiditate deponit, atque idcircò minùs facilè deſcendit, nec alvum adeò citò emollit. Semen urinæ acrimoniam contemperat, & eandem mediocriter provocat. *Vrinæ acrimonia.* Quidam (teſte Amb. Pareo) dicunt ſuâ induſtriâ loco exſecti cranij ſe ſupponere fruſtum corticis cucurbitini exſiccati, ac coaleſcere, decipientes in eo ignorantes. *Impoſtura quorũdam de cortice ſuppoſito pro cranio.* Diximus ante Cucurbitarum cortice carne exinanito peregrè proficiſcentes urceorum vice frequenter uti, in eo vina condientes, quo per iter ſe à ſitis injuriâ vindicare poſſint. *Vrceorum vices cortex ſubit.* Cæterùm notiſſimam ait Lobelius, & è Cucurbitarum genere conditutis aptiſſimam, anguinam vocatam. *Conditurìs apta.* Hanc maxima copia in taleolas longas diſſectam, ſaccharóque conditam, Luſitanos, Hiſpanóſque venum in Septentrionem adferre, vocaréque Carbaſade: ſiticuloſis & æſtu febrili vexatis gratiſſimas offulas eſſe. *Carbaſade*

Vnguentum ad achores ſingulare & certum (ſi Timot. Roeſſ. credimus) recipit Cucurbitam, in qua oleum Olivarum fuerit, admovet igni, ſcutella terrea excipit ſtillans oleum, cujus capit drach. iij. & tantundem Salviæ ſilveſtris, coquendo ſimul in patella terrea nova, dum incipit bullire, tunc ceræ & cinerum Ficûs nigræ, ſingulorum drach. unam injicit, ſtatímque ab igne demit, agitátque donec re- *Vnguẽtum ad achores.*

fri-

frigeratur. Cum verò uti neceſſe eſt, in aceto decoquit ſuliginem, quo abluit caput, exſiccat, deinde inungit unguento, ſemel in die, tertio quoque die lavat per menſem & ſanat: cum pili apparent, inungit melle calido.

## CVCVRBITA LONGA, FLORE albo, protuberante ventre.

*Deſcr.* ANNO 1608. ſub finem Septembris ex horto Princip. Montbelg. allata fuit Cucurbita, quæ longitudine ſua plus quàm tres ſpithamas equabat, ventre oblongo orbiculari ferè, niſi lacunę quædam depreſſiores, coſtarúmque obſcuriorum ſecundùm longum procurrentium ſinûs aliquid adimerent, ambitus ventris duas ſpithamas & ſemiſſem ampliabatur, ad extremum quadam ſui particula in unum magis latus vergebat, inclinabâtque: *Coll:sm.* collum cum capite ſpithama longiùs protendebatur, ambitu ſuo ſpithamâ latius ampliuſque extiterat, in medio tenuius, caput craſſius teretiúſque evaſerat, in eam ipſam, quâ ventris prius extremum, partem magis inflexum torquebatur, incurvabatúrque, lævis erat undique ſuperficies, colore albido in luteolum tendente, pediculum capiti infixum gerebat quadrangularem, & aliquantulum Helicis in morem intortum ferebat, in quatuor dein ſuperiùs alias propagines multiplicabatur. *Caro.* Aperta carné veram proximam cortici unciam craſſam obtinebat ſubflaveſcentem, ſubdulcem & aquoſam nondum plenè maturam, reliquam carnem albiſſimam, ſpongioſam, mollem intra ſe abditam condebat, cujus ſubſtantiæ longâ ſerie inhæreſcebant ſemina foris albida, duriuſcula, tunicâ albâ, pellucidâ, humidáq; donata, cum appendice ab eadem orta longiuſcula. ſemina contracta ſublutea ſunt interiùs, medullâ deſtituta, humore tamen aqueo repleta ferè, dulcia, eſúque jucunda.

## CVCVRBITA LVTEA, CORtice tenero.

CVcurbita hæc lutea vix utraque manu amplecti potuit palmum alta, Martio ſulcis latis & coſtis itē ſulcoſis, cortice tenero, carne pallidâ, ſapore aliarum Cucurbitarum. Eſt de genere, ni ſallor, *Cucurb. Siciliana.* Cucurbitarum Sicilianarum capreolis carentium. Semē habet parvū, ſubrotundum: duravit ad Aprilem.

## CVCVRBITA OVALIS FERE, variegata, parva.

PRovenit Montbelgarbi in horto E C. Cucurbitæ genus parvum, longitudine palmari, ovali ferè figurâ, quod manu amplecti non poterat. Hæc ut Cucurbita amara pyriformis maculata eſt, minùs tamen ruffa, lineis etiam latioribus multò & magis albicantibus, maculis etiam pluribus: carne albicante, ſaporis aliarum Cucurbitarum.

## CVCVRBITVLA PILÆ PALMAriæ non multò major, rotunda.

CVcurbitulæ ſpecies minima rotunda, pilæ palmariæ nō multò major, lecta fuit in horto E.C. *Deſcr.* Montbelg. anno 1607. Octobri menſe. Foris erat cortice tenui, fragilíque, viridanti colore in ſummitate circumquaque imbuta, ad regionem autem petioli viror ille ſaturatior ſenſim dilutus cernebatur, & in petioli ambitu partim luteola, partim etiam albicans viſebatur: caro ipſius interior dulcedine perfuſa ſentiebatur, cui ſemina multa interjecta hinc inde ſparſim fuerant, reliquis Cucurbitularum ſeminiis conſimilia, quibus decorticatis pulpa alba ſimul & nonnihil flaveſcens conſpiciebatur & ad dulcedinem gratam tendens. Hoc ſemen Româ delatum per D. ab Andlavv, Canonicum Moguntinum, nobíſque communicatum fuit.

## CVCVRBITA FOLIIS ASPERIS, ſive Zucha flore luteo.
### CAP. II.

VVlgaris notitiæ Cucurbita, flagellis ſarmentíſve longiſſimis, canaliculatis, modicè concavis, craſſitudine pollicari, aſperis, latè vagatur, & perticas, ſi quas nacta eſt, capreolorum innixu & voluminibus ſcandit: folia larga, Cucurbitæ flore albo longè majora firmioráque, ficulneis laciniis, aſpera, atro virore ſplendentia, & per ambitum ſerrata, ex pediculis dodrantalibus, ſolidis, modicè canaliculatis, & ſpinulis horrentibus: flores nonnihil odorati, *Deſcr.*

CVCVRBITÆ ASPERÆ icones quinque.



ICON II.



fundo acetabuli inſtar, in quinque folia liliaceis majora diſſecantur, intus crocea & lanuginoſa, foris ex croceo in herbaceum tendentia, coſtíſque & venulis eminētioribus herbidis rugoſa, breviſſimis pilis donata: *medium florem occupāt*, quæ aliarum plātarum apicibus reſpondent, crocea, biſulci animalis pedem exprimentia. ij duplices ſunt, quidam ſine fructu pereunt, aliis ſuccedūt fructus, qui & formâ, & magnitudine, & colore ſubinde variant. Eſt enim vel *Fructûs luſus.* longus, vel compreſſus, vel globoſus, vel pyramidalis, cortice duro & veluti lignoſo, colore viridi aut in viridi ſubnigro, notis albis maculoſo vel ſtriato: carne tenerâ, alba, ſubdulci, non uſque adeò inſipida, ut in Cucurbitis flore albo: ſemine cineraceo, magno, oblongo, alterâ parte anguloſo, alterâ obtuſo, juxta cujus margines circumcurrit linea elata, coſtæ inſtar, pulpâ candidâ dulci & ſuavi.

ICON III.



ICON IV.



ICON V.



Magna ſanè turba eſt & penè innumera Cucurbitarum folio aſpero, quarum duas icones ex iis quas jam ſculptas emimus præmittimus: Tres quæ ſequuntur ſunt etiam ex imaginibus à nobis emptis. Secunda à nobis propoſita, eſt apud Dodon. lat. in fol. nomine Peponis majoris oblongi. quartam ponit pro Pepone rotundo minore: Eadem apud Tragum extat ſub titulo Cucumeris, ſive Zucconis marini.

Tragus de Cucumere, ſeu, ut vulgò loquitur, Zucco marino hæc inter alia prodidit. Intra paucos annos quamplurima peregrinarum ſtirpium genera è longinquis regionibus in Germaniam deportata ſunt. Inter cætera verò, & hęc poma æſtiva, quæ unà in Æſtate totâ ſuâ ſubſtantiâ adoleſcunt, florent & maturantur, ad nos commigrarũt. Eorum nonnulla magna, alia parva, quædam rotundæ figuræ, alia oblonga; rurſus hæc dulcia, illa amara; quædam cerea ſeu aurea, alia luteola, ſed pallida, nonnulla candida evadunt. Omnium verò eadem ferè folia, idem caulis, iidémque flores, licèt hæc in his majora, in illis magis exigua appareant. Flores quidem fert duplices, luteos, cymbali formam repræſentátes, quorum priores nullo poſt ſe relicto fructu decedunt. Qui verò ſuperſtites manent, campanulę ſimiles, odore ſuavi præditi, cum corrugari cœperint, ilicò pomeus fructus conſequitur, alius oblongus, alius rotundus, alius lævis, glabérque, alius multis craſſiuſculis & prominentibus quaſi coſtis ſtriatus, alius albus, alius ex pallido luteus, alius nigricans, qui tamen cùm Autumni tempore maturuerit cerei efficitur coloris. Porrò omnium horum generum poma, corticem ſeu cutem exteriorem lignoſam habent, intus crocei ſunt coloris, maximè ea quæ foris nigricant, lato & dulci ſemine referta, ita ut ducenta unum quandoque pomum contineat. Porrò quod inter ſemina & corticem in omnibus generibus medium eſt, præſtantiſſimum cenſetur. Quæ candida, foris & quæ ex pallido lutea ſunt poma, carnem habent candidam, Rapóque formâ & ſapore ſimilem. Vniverſa verò eorum genera durare per annum poſſunt, nec interea temporis putrilagini obnoxia ſiunt, ſiquidem ritè legantur, eáque quâ decet curâ conſerventur. Poſtremò quòd in his pomorum generibus aureo nitet, ſeu cereo colore, ſubinde mutatur, nam vi-tidem rurſus aſſumit colorem, quem menſe integro ſervat, deinde aureum recipit, atque ſic alternis menſibus, alio atque alio tingitur colore, quod non ſemel magnâ cum admiratione obſervavi. Sunt qui hæc poma Cucumeri adnumerent, aſſerantque Turcicos vocari Cucumeres, quorum ſententiam probare non poſſum. Cucumeres enim omnes humidæ ſunt qualitatis, putrilagini facilè obnoxij, quare diu durare non poſſunt. Ego vero hunc fructum, Summer Opffel/ h.e. Mala æſtiva, & Indianiſch Opffel/ h.e. Indica Mala appello. poſſunt verò cùm multa eorum ſint genera, ita ſuis appellationibus diſtingui, ut dicantur,

*Cucumis vocari non meretur.*

*Mala æſtiva.*

*Mala Indica.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Mala Indica | Crocea | Germ. | Saffrangäl | Indianiſch Opffel. |
| | Lutea | | Bleichgäl | |
| | Citrina | | Geldtgäl | |
| | Nigra | | Schwartz | |

Vulgo Zucco marina dicuntur, quòd ex ultramarinis regionibus, partim ex Syria, partim ex India ad nos primùm venerint, quod teſtantur appellationes ipſorum. Vulgo enim Zucco de Syria, Zucco de Peru dicuntur. Et hæc habuit Tragus quæ de nomenclaturis hujus plantæ diceret, quibus nos haud contenti, certiora & magis probanda in medium adferemus.

*Zucco marina.*

*Zucco de Syria.*

Cucurbitæ folio aſpero à Fuchſio Cucumeribus annumerantur. Alterius generis Cucumer eſt peregrinus, quem vulgus Turcicum nominat, vulgari multò major ac procerior foliis, floribus, & fructu, qui ut tamen vulgari Cucumere non eſt maculoſus, ſed tamen oblongus etiam, & admodum flavus. Et hinc eſt quòd multi eundem privatim Citrulum & Citreolum, quaſi citrinum, h. e. flavum vocent. Hujus ſemina alba & lata ſunt. Tertij generis Cucumer eſt qui marinus dicitur, Turcico, quod ad folia, flores, & ſemina attinet, ferè ſimilis, niſi quòd in hoc omnia ſint minora: fructus verò rotundus. Vulgus *Zucco marin* vocat: Meer Cucumer: Galli *Concombre* ou *Concombre marin*: Officinis perinde atque Turcicus eſt ignotus. Et hæc Fuchſius qui Cucumeris Turcici effigiem exprimit illâ icone quam ſecundo loco ponimus; Cucucumeris verò marini imaginem illâ picturâ exhibet, quam quarto loco locavimus. Nos, ut liberè rè dicamus noſtram ſententiam, pronunciamus Fuchſium malè confudiſſe, miſcuiſſéque Cucur-

*Cucumis Turcicus, Fuchſ.*

bitam aſpero folio cum Cucumere vulgari, Citrulo & Melonibus. Magna ſanè eſt differentia inter Cucurbitam aſpero folio & Cucumerem vulgarem. Turcicum verò Cucumerem ineptè vocari ait Citreolum.

*Zuchæ quinque Cordo* De quinque Zuchæ ſpeciebus Cordus ſcripſit.
1 Zucha major longa, inquit, viticulis, foliis, capreolis, floribus, ſeminibus, radicibus & aſperitate, grandi oblongæque Colocynthidi ſimilis exiſtit. fructu verò ejúſque ſapore ab illa differt. ſiquidem figura eſt longus, in longitudinis circumferentia viginti ſex plerumque uncias complectens, latitudinis verò ambitu octodecim uncias rarò excedit. Pondere autem quinque libras ſex uncias ſuperat, pediculo hæret craſſo, anguloſo, nigro, ſolido, & tactu aſpero: à cujus annexu contigui inter ſe & tereti ſuperficie exeunt anguli, ipſum fructum circa pediculum veluti craſſioribus ſtriis ornantes. colorem habet principio viridem, & candicantibus maculis conſperſum: in maturitate verò citrinum, ſuperficie conſtat aliquantulum tuberosâ, cavernosâque. guſtu dulcedinem reſipit. Colitur in hortis.
*Zucha major rotunda viridis.* 2. Zucha major rotunda, viticulis, foliis, capreolis, floribus, ſeminibus, radicibus atque aſperitate jam dictæ longæ Zuchæ ſimilis eſt, folia tamen figura aliquantulum ad Vitis & Ficûs folia accedunt. Fructum fert globi modo rotundum, aut modicè in latitudinem depreſſum, craſſo, anguloſo, aſpero, ſolidóque pediculo hærentem: longitudinis circumferentia viginti duas aut nonnunquam plures, pauciorésve uncias complectentem, ambitu verò latitudinis viginti quatuor uncias nonnunquam excedentem, pondere autem quinque libras atque octo uncias habentem, colore & cavernosâ ſuperficie longam majorem Zucham æmulantem. ſaporem habet dulcem, aqueo ſucco dilutum. colitur ut longa.
*Zucha rotunda mediocris viridis.* 3. Zucha rotunda mediocris, viticulis, capreolis, foliis, floribus, radicibus, aſperitate, atque omnibus aliis proprietatibus oblongæ & grandi Colocynthidi ſimilis exiſtit: fructum verò habet globi modo rotundum, aut modicè compreſſum: in ſuperficie modicè, ita ut vix appareat, tuberoſum, quàm grandis, rotundæ Colocynthis [*Colocynthis Cucurbita amara*] paullo majorem, pondere civilis libræ unius cum dimidia: principio viridem, deinde maculoſum, in maturitate verò luteum: qui diſſectus luteam carnem oſtendit, & in medio ejus ſex latorum, oblongorum, acuminatorum, candidorúmque ſeminum ordines, quibus candidus ineſt nucleus. Saporem habet fructus dulcem, ſemen verò dulciorem. ſeritur prædictorum modo.
*Zucha rotunda minor.* 4 Zucha rotunda minor, per omnia mediocri ſimilis eſt, præterquam quòd folia latiora habeat, fructus autem minores, ſed eminentioribus angulis ſtriatos, & in ſuperficie magis tuberoſos, quorum etiam cortex multò lignoſior & durior eſt quàm mediocris Zuchæ, carnem habent ferè croceam, & ſenos ſeminum ordines. ſapore mediocri Zuchæ reſpondet, cui etiam ſimiliter colitur.
*Zucha major rotunda viridis glabra.* 5. Zucha magna rotunda, glabra, majoribus Zuchis viticulis, foliis, capreolis, floribus, ſeminibus, radicibus & aſperitate ſimilis eſt. fructum producit grandi & rotundæ Zuchæ figurâ ſimilem, tam longitudinis, quàm latitudinis ambitu viginti duas plerumque uncias complectentem, pondere autem quinque libras duabus unciis excedentem, pediculo craſſo, anguloſo, aſpero, nigro, ſolidóque hærentem, à quo eminentes prodeunt anguli, undique per fructûs latera tranſeuntes, donec circa floris veſtigium collecti, rurſus conjungantur. colorem habet etiam circa maturitatem in nigro ſubviridem. Si verò ſerenus & tepidus fuerit Autumnus citrinum colorem induit, quòd ſi cælum frigidum & triſte fuerit, tepido loco fovendus eſt, ut citrineſcat. Colitur prædictorum modo. Et hæc Cordus.

*Cucurbita...* Geſnerus hort. Zuccam marinam Italis vocatam, Cucurbitæ ſpeciem eſſe concludit, Zuchamve majorem rotundam apud Cordum Zucham Indicam Matthioli ſuſpicatur. Sed & Matthiolus *Zucche Indiane* ( ita enim inſcribit ) inter Cucurbitas refert. *Zucche Indiane Matthiolo.* Sunt & alia, inquit, Cucurbitarum varia genera Italiæ peregrina, quæ diu per Hiemem recentes aſſervari poſſunt. Ferunt has ab occidentalibus Indiis in Italiam veniſſe: unde Indicæ à pluribus vocitantur. *Cucurb. Indica genera plura Matthio...* His in poſt. comm. addit. Sed jam diu Italico ſolo proveniunt. Harum varia habentur genera, magnitudine, facie & colore differentia, referunt tamen omnes Melopeponum effigiem. Sed aliæ magnæ, imò maximæ, ventricoſæque, aliæ parvæ, aliæ mediocres, & aliæ oblongæ, aliæ rotundæ, vario colore, quæ quidem omnibus notiores ſunt, quàm à me deſcribi debeant. Fructus decerpuntur Autumno & aſſervantur Hieme totâ in culinis. Semen in ventre condunt magnum, amygdalini nuclei figurâ, in quo nucleus concluditur dulcis & ſuavis. Sapor iis ſubdulcis, non ut noſtratibus uſque adeò inſipidus: verùm guſtui inſuaves ſunt, niſi præcipuis condimentis ſaturentur. In hiſt. german. & epit. cum add. ubi eadem leguntur, vocat ( ut etiam Caſtor p.490.) Cucurbitam Indicam, Ital. *Zucche Indiane, oltra marine & marine.*

*Pepo Dod...* Dodon.gall. vocat Cucurbitam aſpero folio Peponem, eúmque duplicem facit, longum & rotundum, ut ex iconibus patet. Longum vocat magnum [*Pepon grand*] iterúmque duplicem facit, album, ſcil. & viridem. *Pepo magnus, albus & viridis.*

Peponis 1. ſive magni, ait, fructus eſt prægrandis, amplus & longus, duarum ſpecierum, viridoniger, pluribus coſtis, cortice admodum duro, alter albus tectus cortice tenui, dulci.

*Pepo rotundus viridis & albicans.* Pepo 2. ſive rotundus, folia habet minora, non ita profundè ſecta: ſed & caules minores ſunt, & plerumque in terram decumbentes: fructus nonnihil compreſſus, unus viridis, alter albicans, in quo ſemen minus quàm prioris, ſed majus quàm Cucumeris vulgaris. Hoc genus quomodo deſcribat Dodon. in fol.lat. haud ſcio. Icon. hiſt. gallicæ ſecundo loco exhibita, ſit tertia in lat. quæ deſcriptioni non reſpondet. *Dod. tax.* Iudicent igitur lectores, an Dodon. cognoverit plantas quarum habet icones & deſcriptiones. Peponum ( inquit in hiſt. lat. in fol. ) aliquot reperiuntur ſpecies, vel magnitudine, vel formâ differentes. *Peponum ſpecies Dod. lat.* *Pepo major oblongus.* Peponi majori oblongo folia ampla aſpera, aliquot profundis inciſuris diviſa: flores auri colore lutei: fructus magni, craſſi, rotundi, oblongi, craſſioribus ſtriis veluti anguloſi: color corticis quandoque obſcurè virens, aliàs albidus: virentis autem Peponis cortex durior eſt, ac veluti lignoſus, albidi verò mollior ac tenerior. *Pepo rotundus major.* Alterum Peponum genus, Pepo rotundus major, caulibus & foliis utriſque aſperis, tum & claviculis priori ſimile eſt; ſed foliorum fiſſuræ minus profundæ, caulēſque teneriores: fructus globoſi, rotundiores, modò majores, frequenter minores: & quandoque virentes, durioriſque corticis: ſubinde cute molliore ac albicante: ſemina aliquando minora. *Pepo citrii Malo ſimilis.* Hujus generis & tertius eſt Pepon, aſperis caulibus, foliíſque fiſſis ac ſerratis priorem referens: flos magnus quoque ac luteus, veluti aliorum: fructus mediæ magnitudinis, cujus cortex

tex tuberculis nonnullis exaſperatus, veluti Mali citrei cutis, qui per maturitatem ſimiliter luteus eſt, proinde & Citrium malum cùm colore, tum aſperi-
4 tate referens. Quarti generis Pepon, ſive latus, for- *latus*
mà ab aliis plurimum differt: de hoc nos poſtea. Græcis πέπων: Latinis ſimiliter Pepo. πέπονες autem omnes fructus perfecti ac maturi communi nomine dicuntur: unde Medici quidam, inquit Galenus, fructum hunc σικυοπέπονα, i.e. Peponem cucumeralem nominari oportere contendunt. Plinius lib. 9. cap. 5. Cucumeres, inquit, cum magnitudine exceſsêre, Pepones vocantur: Germanis Plutzer (in hiſt. gall. Pfeben nominari dixit.) Belg. Pepoenen / Gal. *Pepons, Popons* & *Ponpons* vocantur. Majores à non-
1 nullis Turcici cognominantur: Secundi verò Mari-
2. ni: Tertij Hiſpanici: Quarti lati. Hæc Dodonæus,
3 cui an perſpecta fuerint ſua Peponum genera dubitamus. Icones enim non reſpondent ſuis deſcri-
1. ptionibus. Prima autem ejus imago in Hiſt. gall. & lat. exhibita, ponitur à nobis pro Cucurbita aſpe-
2. ro folio ſecunda. Secundum ejus Peponem hiſt. lat. deſcribit foliis eſſe fiſſis, cùm tamen icon foliorum fiſſuris careat: Hunc nos putamus in hiſt. gall. non deſcribi, eſſéque Cucurbitam, quam fructu maximo
3. folio non fiſſo cognominamus. Tertia quoque effigies in hiſt. lat. quæ in gall. pro ſecundo Pepone dabatur & deſcribebatur, ut Tertium Peponem exprimeret, fructus tuberculis exaſperatus, ut in deſcriptione habetur, pingendus erat, & Citro ſimilis.
4. De quarta icone, latorum Peponum, quæ in hiſt. gall. tertio loco poſita fuit, agemus ſub titulo Cucurbitæ clypeatæ affinis ovalis ad Citrum accedentis.

Cucurbitas aſpero folio Lobel. in Adverſ. talibus deſcripſit verbis: Sicyopeponibus, Cucumeribus, Peponibúſve oblongis, ſive ovalibus, vulgatiſſimis, hortorum ruralium nullus vacat, eoſdemque vocat cuncta Germania & Anglia Pepones magnos, admodum Meloni vel Citrullo ſimiles. Variant verò compreſſi, rotundi, Melonis effigie, folio minori, minúſque inciſo: cortice delicatiore glauco, vel albido, nitente: ſemine albo Citrulli. Latiores clypeiformes nihil prorſum diſſimiles in ramis & foliis. Minus autem diſtinctè ſcribit Lobelius de his fructibus. Nos Clypeiformes ut & ſtrumoſum aliò referimus. In Obſ. p. 363. Icon. p. 641. dedit Peponis oblongi vulgatiſſimi iconem, quæ ad noſtram tertio loco poſitam accedit: nomen germanicum Pfeben non placet.

Suſpicamur Tabernomontanum per Peponem maximum oblongum intelligere Cucurbitæ aſpero folio genus, quamvis ponatur capite de Melonibus; Itemque per Peponem Indicum minorem oblongum. Videtur nobis etiam Cucumis ejus Turcicus nihil aliud eſſe, quàm dictæ Cucurbitæ picturam, accedentem ad noſtram iconem primam.

H. Luſ. Cucurbitam Indicam majorem & minorem tradit. B. phyt. & pin. Cucurbita 2. ſive major rotunda flore luteo, folio aſpero: Cucurbita Indica, Matth. Caſt. Zuccha major rotunda, Cord. hiſt. Cucurbita Zucca marina Italis vocata, Geſ. h. Cucurb. rotunda, Cæſ. Cucurbita Indica rotunda, Lugd. Cucurb. Indica major & minor, Tab. Citrullus major & Pepo major ſylv. Ger. quoad icon.

Varia hujus genera, magnitudine, facie & colore differentia: earum namque quoddam genus eſt, quod utriſque ulnis vix amplecti poteſt, & in inſula S. Laurentij ejuſmodi colore rubro, flavo & albo, & ſaporis longè gratioris atque noſtrates ubertim proveniunt. Palud. in notis ad Linſcot. par. 2. Ind. or. c. 5.



## CUCURBITA ASPERO FOLIO, flore luteo, ſemiarcûs in morem intorta.

Cucurbita hæc nata fuit in horto Montbelgard. anno 1607. in Autumno matura facta, uncias circiter novem longa, parte ſuperiori longiori tenuioríque duas circiter uncias in latum porrigitur. Superius à pediculi regione deorſum verſus ad quatuor plus minúſve uncias in longum protenſa, ſenſim à graciliori habitu ad craſſiorem extumeſcit, undique rotundatur, atque in morem ſemiarcûs intorquetur, in quibuſdam verò ut in unum latus arcuatur, ſic in oppoſitam aſſurgit: colore in virenti adhuc recentique fructu ſaturato virore nigricantéque conſperſa, matura autem, reſervatáque diutiùs flaveſcit, extremis tamen ejus partibus adhuc viridantibus: ſuperficie per omnia lævi, nulliſque extuberantiis aſperata, niſi una alteráve verruca occurrenti. obſervantur etiam in toto longitudinis tractu coſtæ plurimæ à ſuprema parte ad inferiorem protenſæ, neque tamen ſuperficiem æqualem excedentes, aſperiorémque reddentes. Inferior ejus pars latior eſt tres uncias, ventricoſiórque & rotunda, coſtiſque, ut ſuperior, exarata, quæ tamen in nigrore illo viridis ſaturatioris coloris ferè obliteſcunt, ſub finem appendicula cernitur protuberans papillæ mammarum perſimilis, in medio albeſcens. *Deſcr.*

Cucurbitam folio aſpero, flore luteo, fructu non magno, ex albo ad cinereum vergente, Auguſto menſe vidi in Ducatu VVirtemberg. in pago Boll dicto, prope fontem admirabilem. *Cucurbita quædam alia aſpera.*

Cucurbitam folio aſpero flore & fructu omninò nigro obſervavi in horto D. Io. Lutz Pharmacopœi in urbe Kirchen.

Data fuit olim ab eodem Lutzio Cucurbita tenuis, longa, ſeſquicubitalis, circa medium anguſta, coſtis magnis, & colore virente celebris, maculatave.

Novimus tandem Cucurbitæ folio aſpero parvum genus, fructu non multò majore pugno, rubro, cum quibuſdam maculis. Et hæc eſt Cucurbita 8. Bauhino in pin. ſive Cucurbitæ parvum genus, fructu pugni magnitudine, cortice rubro, maculis aſperſa, & ſemine rubro, Ioh. Bauhini.

## CUCURBITA ASPERA, FOLIO non fiſſo, fructu maximo, albo ſeſſili.



Fructus magnus, caput ferè æquans, ſi rotundus eſſet, & non compreſſus, anguloſus eſt & candidus: folia aſpera cæteris ſimilia, ficuti & flores lutei. Obſervavi in Briſgoiæ Heiterſchen arce Illuſtr. EquitumRhodienſium, nondum maturū Auguſto. Hoc Cucurbitæ genus, aut ſimile diligentiùs conſideravi in Abbatia Maſmünſter menſe Octobri, fructu maximo, *Deſcr.*

T 2

ſpecioſe, quem narrabant interdum ponderare ad triginta libras. Albus erat, utrinque ſeſſilis, coſtis eminentibus & latis diſtinctus: folia licèt ſint aſpera admodum, differebant tamen ab aliis, quòd non eſſent laciniata & fiſſa, ſed rotunda, ferè ad folia Perſonatiæ ſive Bardanæ accedentia.

*Pepo max. Ind compreſſus Lob.* Lob.obſ.& ic. inſcripſit Peponem maximum Indicum compreſſum: magnitudine à ſuperioribus differentem, interdum 80. libras pendentem: foliis rotundioribus.

*Pepo rotundus maior, Dod.* Dod.lat.eandem cum Lobelio iconem habet, nomine Peponis rotundi majoris: verùm ut ante monuimus deſcriptio non reſpondet iconi. Cæſ. dicitur Melon ſive Pepon modicè depreſſa & ſeſſilis. B.phyt. & pin. Pepo 2. compreſſus major, corticis colore & ſubſtantiâ varians; qui enim albido eſt colore, ſubſtantiâ eſt molliore: qui obſcurè virente, duriore.

## CVCVRBITA VERRVcoſa.



*Cucurbita verrucoſa fructu ab aliis differt.* CVcurbita verrucoſa Dalechãpio apud Lug. ea vocatur, quæ aliis Cucurbitis, radice, folio, flore, capreoliſq; ſimilis eſt, ſed fructu differt, qui in aliis lævi & plano cortice tegitur, coſtis tamen in Indicis elatis & eminentibus, in hac verrucarũ acrochordonum modo nodis plurimis tuberoſus eſt, ludentis laſcivientiſq; naturæ viſendo ſpectaculo.

B.pin.Cucurbita 7. (6.in phyt.) verrucoſa Lugd.

*Coloris albi.* Montbelgardi ſata nobis provenit in horto E. C.V Virt.coloris albi.

*An Sicyopepon ſtrumoſus Lob.* Conſiderandum an ad hanc Cucurbitam verrucoſam, referendus ſit Sicyopepon, vel Cucumis Pepon Lobelij ſtrumoſus, de quo in Adv.ait: Perelegans & rarus, foliis alioqui ficulneis proximis, fructu Melonem magnum æquante, ſed Limonia mala exprimente, tuberoſóque cortice papillatim variegato: ſpecioſa item tricolori ſtrumarum bullatione: ſemine non diſſimili, Sicyopeponibus puta ſive Cucurbitis folio aſpero.

## CVCVRBITA SESSILIS FLAVEſcens folio aſpero.

*Deſcr.* HÆc Cucurbita flaveſcens eſt novem uncias in longum porrecta, diffuſa verò novem uncias in latum, undiquaque lævis, niſi ubi verrucoſæ quædam eminentiæ, modò majores, modò autem minores, modò etiam duæ treſve in unam quaſi corpus coaleſcentes, lævorem ejus exaſperaverint: coſtas lævi impreſſione a ſe mutuò diſtinctas diverſimodéque latas obtinet; latitudinis in medio ſui ventrioſi corporis ſeſquiunciam latæ ſunt, ad partem verò illam latiorem, cui in medio flos caducus adnatus affixus erat in anguſtius contrahuntur, ſed tantæ ibi latitudinis redditur ipſa, ut novem quoque uncias æquet, itaque complanata eſt, ut toti Cucurbitæ ſeſſilis nomen tribuerit, quod quaſi humi projecta ſedere videatur: pediculus ipſius inflexus, vireſcens, aſperior & octangulus eſt: pulpoſa ipſius ſubſtantia interiùs duas plus minúſve uncias lata eſt, palleſcens: cujus dein medium ſpacium in totum complent fibroſa filamenta plurima ſeminum magnam copiam appenſam inter ſe condentia: cortex durus.

*Fructûs icon.* Exprimitur hæc quodammodo icone, quæ poſita eſt ſub titulo Cucurbitæ latioris folio molli, quod fructum attinet: folia autem diverſa ſunt, quia aſpera, ſicuti & flos.

*Locus.* In horto E. C. durant adhuc folia ſequenti anno menſe Ianuario.

## CVCVRBITA SESSILIS ALBIcans folio aſpero.

*Deſcr.* CVcurbita hæc ſeſſilis teres & albicans ſenas & ampliùs uncias longa, octóque in latum diffuſa eſt ad floris regionem planiorem, coſtas habet ſurſum deorſúmque ſummo lævore politas, nulliſque niſi quandoque duabus ad ſummum verrucoſis per obliquum ventrioſi corporis tendentibus eminentiis, aſperiores redditas, ſuperficialibúſque ſulcis ad invicem commiſſas: utque ad pediculum anguloſum in anguſtum coarctantur, ſic vice verſâ in parte ſubjecta ipſi è diametro oppoſita in latum primùm diffunduntur, donec ad floris ambitum undique ſinuoſum anguſtioribus ſuis finibus rurſus coërceantur. In horto, &c. Non multùm differt hæc à præcedenti flaveſcente.

## CVCVRBITA MEDIOcrocea.

*Cucurbita mediocrocea Var.* CVcurbita mediocrocea variat magnitudine. Nam aliàs ad capitis humani magnitudinem accedit, ſæpè etiam minor eſt. Coloris quoque ſitu variat: communiter enim mediâ parte ſui ſuperiore vel inferiore, vel laterali crocea ſunt poma, reliquâ viridia, pallidis maculis aſperſa: fit tamen ut aliquando de hoc, aliquando de iſto colore magis participent. Qua junguntur colores, virides veluti pictarum regionum alpes in croceo elevat: cortex item durus, firmus, lævis: caro firmiuſcula, ſapore cucurbitino, ſubdulci: ſemina alba, magna, per ambitum fimbriata.

## CVCVRBITA ASPERA MEDIÆ magnitudinis, turbinata variegati coloris.

CVcurbitæ aſperæ genus mediocris magnitudinis ferè pyriforme, variegati coloris provenit in horto E.C. quod ſuſpenſum in hypocauſto duravit totâ Hieme. Semina parva ſubrotunda, qualia ovati.

## CVCVRBITÆ TVRBINATÆ majores albæ.

*Fructus tres. 2.* NObis miſſi tres fructus Baſileâ à D. Iacob. Zvvingero, quorum duo ſex aut ſeptem unciarum, pyriformes, baſi ventrioſâ, propter pediculum turbinatâ, & aliquantulum anguloſâ: ſuper-



3\. ſuperficies lævis eſt, ex luteolo pallida: caro unciam ferè craſſa, Cucurbitæ vulgaris aſpero folio inſipida penè, guſtúque aqueo: ſemina ovata ſunt, ſapore dulci, grato. His ſimilis tertius, niſi major eſſet, & turbine latiore & minùs acuto, ac quibuſdam tuberculis, vel verrucis rariùs obſitus: Huic adaptamus figuram Guarinianam hunc fructum noſtrâ opinione ſatis commodè exprimentem.

### CVCVRBITA ASPERA pyriformis, parva, alba.



Cucurbita pyriformis foliis eſt aſperis laciniatis; caules longi cum capreolis per terram ſparſi, Cucumerum modo: flores lutei duplices, ſteriles & fructiferi, ut in cæteris Cucurbitis aſpero folio: fructus pulcher, copioſus, albus, politus, longus uncias quinque vel ſex, ſuperiùs anguſto collo, infra ventricoſus, qui manu complecti poteſt: cortex, ubi maturus, durus: caro pulpoſa, dura, ſaporis cæterarum: ſemina qualia illis parva, lata, compreſſa, medullam dulcem & albam includentia.

An Ger. & Tab. Pyromelo, Byren Melonen. In hiſt. non deſcribit, & cum Melonibus miſcet. An B.pin. Melo 4. pyriformis.

Nuſquam obſervavi niſi in horto Illuſtrium Equitum Rhodienſium in Heiterſchen Briſgoiæ, ubi menſe Septembri ſupra terram ſparſa adhuc florebat.

Hortulanus aſſerebat comedi copioſè teneras cum oleo, aceto, pipere, & ſale Cucumerum modo. Minùs tamen ſunt palatui meo grati, illis enim peculiaris ſapor.

### CVCVRBITA ASPERA minima, turbinata, pallida,

Clariſſ. Plateri munere & hanc habemus Cucurbitulam obiter turbinatam, cortice ſubpallido, h.e. in flavum albicante: carne ſubdulci: at ſemine oblongiore quàm Cucurbitulæ ſphæricæ, in ſubflavum etiamque in citrinum vergente.

### CVCVRBITA ASPERA TVRbinata, ſubcrocea.

*Locus.* Haud ita pridem ex Italia delatas binas Cucurbitas accepimus, æqualis ferè magnitudinis, pugno vix capaces, in pyramidem affabrè turbinatas, adeóque quàm proximè ad formam Pyrorum, à Germanis Speckbirn / quaſi lardina dictorum accedentes, nullo collo anguſtiore, ut in cæteris Pyriformibus, teſtâ ſubfirmâ, cui obducta cutis lævis admodum & ſubcroceo lævore ſplendicans prorſus eleganti & rariori facie. Caro qualis in cæteris, ſed paullo dulcior. Semina minuta, candidiſſima, ſubrotunda, cæteris Cucurbitæ generibus ventrioſiora. Plantam nondum vidimus: ubi ſemen terræ commiſerimus, tum demum ejuſdem formam deſcribemus.

### CVCVRBITA ASPERA ovalis, flavo colore.

*Deſcr.* Minoris Cucurbitæ aſperæ ſpecies perelegans ovalis Cucumeris majuſculi penè magnitudine & figurâ quodammodo, ſpithamam longa, quam una manu non amplectaris. à pediculo per ejus longitudinem læves & obſcuri quidam ſulci deſcendunt: cortice eſt lævi, flavo, nec craſſo tecta, & parum duro; circa pediculum anguſtior, parte oppoſitâ obtuſior: colore eſt ex flavo croceo: caro cucurbitina, flaveſcens, digito non craſſior; inſigni cavitate ſemina itidem cucurbitina, parva, ſed ſubrotunda claudit, qualia Pyriformis variegata. Ejus planta tota aſpera eſt & flore luteo.

*Locus.* Fructus calido loco ſuſpenſus fert Hiemem ad Aprilem uſque: ſapor qui reliquis Cucurbitis: ſata provenit in horto E.C.Montb.

### CVCVRBITA ASPERA PVgillaris, ex rotundo oblonga.

*Locus.* Haud inelegans Cucurbitæ genus in horto Montbelg. crevit ex ſemine, neſcimus unde importato, quod majoris Pomi magnitudine ex rotundo in ovatam tendit figuram, cortice pallido ſubflavo. Caro uti cæterorum, ſubdulcis, eſui admodum grata.

### CVCVRBITA ASPERA MInima ſphærica, crocea, variegata.

*Deſcr.* A Cl.D.Platero Cucurbitæ parvæ admodum genus accepimus, ſphæricum ferè, flavum, & croceo emblemate Damaſceni Pannoſerici in morem pulchrè variegatum: caro dulcis ut cæterorum, craſſiuſcula: ſemina ex rotundo oblonga, candida, mediocria. Huic ſimilis quædam amara deſcripta.

*An Pepo Ind. minor Tabern.*



An eſt Ger. & Tab. in ic. & hiſt. (ſine deſcriptione) Pedo Indicus minor rotũdus, klein rund Indianiſch Peponen.

An B. pin. Pepo 4. rotundus Melonis effigie: Pepo oblongus, rotundus, luteus, viridis, Trag. Pepo ſylv. Dod. Pepo rotundus compreſſus Melonis effigie, Lobel. & Lugdunen.

## CVCVRBITA ALBA ASPERA, fructu longo collo.

*Deſcr.* CVcutbita hæc, folio aſperiori inumbrata, octo uncias longa, lagenæ figuram ſimilem tepræſentat. Collum ipſius à petioli initio ad ventris confinia tendens, rotundo capite donatum, æquabile eſt, nec ullis ſtriis intercurſantibus exaſperatum, ttes cum ſemiſſe uncias longum, unam unciam cum dimidia latum: venter majoris & oblongioris ovi ideam referens, longus eſt uncias quinq; & aliquid amplius, unciam verò unam & aliquouſque ulterius latus denſúſque, multis itidem aſperioribus ſulcis inæqualior redditus, ſed lævorem quendam tactui gratiſſimum, per omnes ſuas partes ad capitis uſque teretis extremitates exhibens: paucis iiſque minutioribus alicubi tuberculis aſperſus: cortice duro. Provenit Montbelg. in E.C. horto.

## CVCVRBITA LAGENAM EXprimens, parva, aſpera.

*Deſcr.* ANno 1606. in horto E.C. crevit Cucurbita lagenulam exprimens, ſulcata, palmum longa, ac etiam breviot, quam una manus amplecti non poterat, cujúſque pars inferior haud ſeſſilis, ſed veluti umbilico protuberans ad unciam ſemis; ſuperior autem longum, curvum, ſatíſque anguſtum collum præ ſe ferens: color externus albidus, nonnihil flaveſcens: pulpa flava: ſemina parva, inæqualia.

## CVCVRBITA ALBA VERrucoſa.

CVcurbita hæc anno 1605. Martio menſe ab affine Lutzio accepta, ſemicubitalis erat, alba, anguloſa, ſeſſilis, coſtis multis interſtitiis latis elevatis, tota verrucoſa: cortex tenet: ſemen magnum album.

## CVCVRBITA VERRVCOſa parva.

EX Sicilianis ſine capreolis, ni ſallor, hæc una erat, tota verrucoſa, infantis capite minot, & quodammodo pyramidalis, palmum alta, lutea: ſemine lato.

## Cucurbitæ folio aſpero plantatio.

Cucurbitę folio aſpero ſemine quotannis in hortis optimis & apricis proveniunt. Plantatio eorum ſic ſe habet. Aprili menſe lata & dulcia ſemina (quæ Amygdalo putamine detracto ac purgato conſerenda rectè duxit Tragus) in pingui ſolo panguntur, ſed non nimis profundè, cubitali interſtitio ab invicem diſtantia, requirunt enim latum ſpatium, ſiquidem fœliciter provenire debeant. Decimo à ſatu die erumpunt, eruptione binûm foliorum Cucurbitis ſimilium, inter quæ alia majora aſpera, & nigricantia, formâ Malvam Romanam ſeu hortenſem referentia proſiliunt. Cùm ergo in caules & viticulas planta hæc exierit, quod unius menſis ſpatio fit, tum ſuffulcire illam ac in altum adminiculis promovere oportet, quod niſi feceris, brevi totum agrum obducet, ſolet enim ſe longè latéque diffundere, flagelliſque ſuis pernici reptatu vicinis ſe alligare fruticibus veluti Bryonia. Fructus durare per *Duratio* annum poſſunt, nec interea temporis putrelagini obnoxia fiunt, ſiquidem ritè legantur, eàque quâ decet curâ conſerventur.

Quandoquidem autem longo tempore à putri- *Temperamentum* lagine tuta ſunt univerſa hæc pomorum genera, neceſſe eſt, ut mediam quandam inter frigidum, calidum & ſiccum, temperaturam obtineant. Poſſunt *Vſus in cibo.* ergo non tantùm in cibo, ſed & medicina uſui eſſe. Omnium horum pomorum caro, à cute & interna medulla purgata in olla cum aqua modica, ſale & butyro decoqui poteſt, quo ritu Rapas & Mala decoquimus, éſtque hic cibus non contemnendus, quòd ſi loco aquæ vinum iis adjicias, guſtum ſuaviorem obtinebunt, Malíſque decoctis ſimilem. Ex ſemine putaminibus repurgato juſcula dulcia pa- *In medicina* rantur, inſtar juſculi Amygdalini. Hæc decoctio ſtranguriæ, calculo, ardori urinæ apprimè conducit. *Stranguria.* Si quæ alia hujus plantæ ſint juvamenta, ea progreſſu temporis cognoſci fortè poterunt. Cucurbi- *Cucurbitæ Indicæ temperatura* tas Indicas, cùm ſubdulci ſint ſapore, credidit Matthiolus primo exceſſu refrigerare, & humectare ſecundo.

## CVCVRBITA CLYPEIFORMIS ſive Siciliana, Melopepon latus à nonnullis vocata.



*Deſcr.* CVcurbita hæc erecta provenit abſq; capreolis: folia profert Cucurbitis folio aſpero nõ multùm diſſimilia: fructus fungum repræſentans tenero eſt exteriore cortice, carne luteolâ, firmâ, ſaporis aliarum Cucurbitarum, ſemine penè circinnato, palmam manûs ferè implet: labra reflectuntur & criſpantur. In hypocauſto duravit ad menſem Februarium, deinde putreſcere cœpit.

Memini & hoc, & aliud Cucurbitæ hujus genus *Varietas.* in horto E. C. Montbelgardi obſervaſſe non rectum, longioribus ramis ſe ſpargentibus, quale pingit

*...ttio- ...us* git Dodonæus, qui eandem cum Lobelio iconem habet cum inſcriptione Peponis latioris fructûs.

*...po- ...vores* Lob. autem in obſ. & ic.p.542. Melopepones latiores clypeiformes vocat, & de his in adv. ait: Sicyopepones, Cucumeres Peponéſve latiores clypeiformes nihil prorſum diſſimiles in ramis & foliis [*à Si:yopepone compreſſo rotundo*] horti alunt, rotunda galeri ſpecie, aut clypei umbilicati, & ambitu rimoſo, atque plicis fimbriiſque rugoſo cortice, delicato, & concolori, nec diverſi ſaporis à prædicto.

*...ſeſ- ...ſn.* Geſn. in ap. hort. vocat Cucurbitam ſeſſilem, raram, albam, latam, compreſſam ab altera parte, paulò majorem Cucumere, marginibus partis latioris criſpis veluti fimbriis eminentibus.

*...Si-* Nominavimus nos aliquando Cucurbitam Sicilianam, & cum quibuſdam germ. Nuchel Kürbß. Primùm nobis viſa Tubingæ & Eſlingæ, unde ſemen delatum feliciter provenit in horto patris p.m. anno ſi bene recordor, 1561. Ego autem hæc ſcribo anno 1606.

B.pin. Melopepo 1. clypeiformis: Pepo latus, Dod.gall. latioris fructûs, Eid. & Geſn.h. Cucumis, Pepóve latior clypeiformis, Lob.adv. Melopepo latior clypeiformis, Lob.ic. Cucurbita laciniata Dalechampij, Lugd. Cucurbita ſeſſilis, Geſ. app. Melopepo clypeatus, Tab. Pepo maximus clypeatus Ger. Nos de Pepone lato Dodonæi poſtea ſub Cucurbita clypeiformi cortice molli, & ramoſa mox plura dicemus.

Sicyopepones latiores clypeiformes in taleolas ſciſſos, frictóſque in ſartagine, & farinâ aſperſos, ſuaves admodum mandunt, in Belgio, Gallia & alibi, ut refert Lobelius.

## CVCVRBITA CAPITATA Tabernomontani ſive clypeiformis.

*Tab.*



PIngit Tab. Cucurbitam hanc capitatam, Köpffel Kürbß/ cujus icon multa habet ſimilia, cum Cucurbita clypeiformi ſine capreolis, ſive Siciliana, cujus etiam hæc genus eſt, quod miror à Compilatore alio capite fuiſſe poſitum.

*capi- C.B.* B. phyt. dicitur Cucurbita 5. Eid. pin. Cucurbita 6. capitata: Cucurbita ſeſſilis alba lata, ab altera parte compreſſa, Geſn.h. Cucurbita capitata, Tabern. Cucurbita fungiformis, Ger. Cucurbita ſtellata ſive ſeſſilis, Cam. Cur frater inter capitatam Tabern. & ſeſſilem (prædictam) Cucurbitã Geſneri non diſtinguit.

## CVCVRBITA CLYPEIFORMIS cortice molli, & ramoſa.

*...ſcr. fru- ...s.* HIc fructus ſaturæ flavedinis, latam, planamque ferè, circa petiolum viridem, aſperam, anguloſamque ſuperficiem gerit, unciam circiter latam: mollem item corticem habet, raris ſulcis exaratum, extremam circumferentiam multis quaſi lobis mollioribus, rotundioribus, ſibi invicem ſuccedentibus exornatam obtinet, ſupremam partem dimidiæ ſphæræ, depreſſæ tamen undique, minúſque



convexæ ſimilem exhibet, ínq; medio ſui ſoveolã aliquam decidui floris latiorem aſperioremque ſedem ſpectandam offert; cortex corrugatur ſucceſſu temporis: duravit ad Februarium menſem: caro firma lutea: ſemina parva, circinata ferè, inæqualia.

An Dodon. gall. Peponum tertia ſpecies, Pepo latus, gall. *Pepon large*, belg. Breede Pepoenen / & aliis *Melons de Turquie*, Torckſche Melonen/ valdè ſimilis Peponi rotundo, ramis procumbentibus, foliis & floribus, caulibus tamen non ita aſperis: fructu compreſſo, lato, & rótundo, tecto cute leni & tenui, rugato, in margine clypeum exprimente: ſemine albo, ſimili Cucumerino, majore tamen. De Pepone lato in ſol. lat. hæc ſcribit: Quarti generis Pepon, latorum Peponum nomen obtinuit: Ejus caules, folia, floréſque aliorum Peponum ſimiles ſunt: fructus autem haud longus, aut globoſus, verùm latus & quodammodo planus, ſcuto alicui propemodum ſimilis; in medio quidem craſſior, per circumferentiam verò tenuior, & quibuſdam locis reflexus, criſporum inſtar; cortex hujus mollis, tenuis ac candidus eſt; caro interior ſatis dura ac durabilis; ſemen quàm Cucumeris majus, formâ & colore conveniens: quia durior caro Peponum latorum idcirco diutiùs, quàm reliqui aſſervati queunt. Et hæc Dodonæus, qui tum in hiſt. gall. tum lat. iconem exhibet plantæ non ſurrectæ, aut ſponte ſe ſuſtinentis, ſed ramoſę & procumbentis, cui capreoli, quibus præcedens deſtituitur, in qua fructus, quales deſcripſimus ante, neglEximus tamen obſervare qualis eſſet planta: hoc certò me non fugit fuiſſe in horto E.C. Cucurbitas fimbriatas procumbentes & ſe latè ſpargentes, ſed illud non obſervavimus an capreolos habuerit: Præterea in hiſt. lat. ponit, ut diximus, præter modo dictam aliam iconem, nomine fructûs Peponis lati, quæ eadem cum Lobeliana, de qua ante. *An Pepo latus, Dod.* *Dod. not.*

Peponis Indici minoris clypeati (Klein Indianiſch Schilt Peponen) icon apud Taber. non multùm differt ab icone Dodonæi, capreolos habente. *Pepo Indicus minor clypeatus.*

B.pin. Pepo 6. minor clypeatus: Pepo Indicus minor clypeatus, Tab. Pepo Indicus fungiformis, Ger.

Lati Pepones eduntur non modo elixi, ſed & in pingui aliquo fricti. Deſcendunt verò & per alvum haud ſegniter. alimentum autem adferunt, quale aliorum Peponum, i.e. Cucurbitarum folio aſpero. *Vſus.*

## CVCVRBITÆ CLYPEATÆ AFFInis; ſive Sicilianæ genus parvum, utrinque obtuſum, quibuſdam Melo-pepo rotundus.

IN horto E.C. anno 1606. provenit genus Cucurbitæ, quam Sicilianam vocamus. Ea pugno major eſt, uncias quatuor vel quinque longa, utrinque pe- *Locus.* *Deſcr.*

ne ſeſſilis, magno Granato non multò major,ſed elarior, alba, coſtis uncialibus ex internodiis parvis diſtincta: cortex mediocriter durus: ſemina parva qualia ferè Sicilianæ ſive Cucurbitæ fimbriatæ. provenit in horto Montbelgardenſi.

*Melopepon teres, Lob. & Tab.*



Lob.ic.p.645. figuram habet ſub inſcriptione Meloponis teretis, quæ foliis deſtituta minùs placet. Melopeponis teretis fructus pinguntur apud Tabern. cum ipſa planta carente capreolis. Melonem autem vocari & cum Melonibus confundi non placet. Planta noſtra capreolis non caret.

B.pin.Melopepo 3. ſive teres, ut & Lob. & Tab. Pepo maximus rotundus, Ger.



B. pin. Melopepo 2. compreſſus: Melopepo, Ang. Pepo maximus compreſſus, Ger.

*Locus.* Provenit anno 1605. in horto E.C.Montbelgardi Cucurbitæ ſeſſilis genus (quod videtur reſpondere iconi Lobelij & Tabern.) latum quantum expanſa manus amplecti poteſt, altum quatuor unciarum, coſtis magnis, elevatiúmq; ſuperiore parte, ad pediculum compreſſa, & ferè plana figura.

## SICYOPEPON COMPRESSVS, rotundus, Melonis effigie.

*Deſcr.* Sicyopepones, Cucumeres Peponéſve compreſſi rotundi, Melonis effigie variant [*à Cucurbitu aſpero folio*] folio minori minúſque inciſo, alioqui ſimili nec diſpari flore, aut fructu, nonnihil aliquando orbiculatim ſtriato: cortice delicatiore, glauco, vel albido, nitente: ſemine albo Citruli. Hæc Lobelius in adv. qui in obſ. p.365. & ic.p.642. figuram habet (ut & Lug.) ſub titulo Peponis rotundi compreſſi Melonis effigie. Hanc eandem effigiem exhibet Dodonæus pro Pepone ſilveſtri, quam nos Cucurbitam amaram vocamus: ea verò pictura accedit ad iconem noſtram ex Fuchſio pro Cucurbita aſpero folio quarto loco poſitam, cui Dodonęus, ut monuimus, ſimilem habet pro Pepone rotundo minore. Nos peritioribus in horum pomorum cognitione indagandum relinquimus, uter melius, Lobelius an Dodonæus accommodarit ſuæ deſcriptioni imaginem.

*Pepo rotun. compreſſus Melonis effigie Lob.*

B. pin. Pepo 4. rotundus Melonis effigie: Pepo oblongus, rotundus, luteus, viridis, Trago. Pepo Indicus minor rotundus, Tab. Ger.

*Uſus.* Sicyopepones compreſſos, rotundos, Melonis effigie in taleolas ſciſſos, frictóſque in ſartagine & farinâ aſperſos ſuaves admodum mandunt in Belgio, Gallia & alibi, Lob.

## CVCVRBITÆ GENVS, SIVE Melopepo compreſſus alter, Lobelio.

*Melopepo compreſſus alter Lob.*

Lob. hujus figuram exhibet in Ic.p.642. ſub Melopeponis compreſſi alterius inſcriptione. Extat hujus deſcriptio, ni fallor, in Hiſt.belg. ſive teutonica Lobelij, quam fratri mutuò dedimus, necdum recepimus. Pingitur apud Tabern. Melopepo compreſſus, Breyte Pfeben / an ex ipſa planta in e latet. Iac.Braun in hiſt.ipſius confundit cum Melonibus, non ſine lapſu.

*Melopepo compreſſus Tabern.*

## CVCVRBITA ASPERA, CORTICE molli, alba, magnitudine Arantij.

*Deſcr.* Cucurbitæ genus magnitudine Arantij collectum in horto D. Fœlicis Plateri anno 1601. menſe Auguſto, album erat & rotundum, coſtis multis, quibuſdam latis, aliis anguſtis, pulchro ordine diſtinctis: cortice molli & tenero: medullâ fungosâ albâ exuccâ ferè, ſapore nullo inſigni: ſemine pro pomi magnitudine ſatis magno, longiuſculo. In hypocauſto reſervatum menſis Martij 16. die rugas contraxit.

B.pin.Pepo 5. rotundus Arantij forma: Cucurbita Arantij forma, Eyſt.

## PEPO INDICVS MINOR, anguloſus, Tabern.



Nihil habemus adhuc certi & notatu dignum de Pepone Indico minore anguloſo Tabern. dicto, germanic. Klein Indianiſch eckechtig Peponen. Ejus tamen iconem & nomen ſuſpicamur eſſe genus aliquod Cucurbitæ folio aſpero. An hoc capite bene ponamus hanc iconem aſſerere non audemus. Idem de ſequenti dicimus. Cõſiderandum item venit, an quæ inferiùs deſcribitur, ſit eadem cum præcedenti?

*Deſcr.* Cucurbita iſta utrinque tuberoſa, & extumeſcens, lata eſt uncias quinque, & quatuor ferè longa, petiolum habet inflexum, exaſperatum, quinquangulum, ſtriis per longitudinem aliquot ſulcatum: regio amplior (cujus medio infixus hæret petiolus)

tiolus) multis coſtis, modò majoribus, quaſique geminis, modò minoribus, ſinúmque aliquem latum inter majorum interſtitia relinquentibus inæqualior quidem, non autem aſpera reddita eſt: coſtæ ipſius majores plurimæque à medio petioli centro deflectentes, verſúsque ventrem excurrentes undique prominent: alterâ verò parte, quâ floris regionem ſpectat, iiſdem quoque ſulcis à coſtis latioribus inculcatis, & zonæ inſtar tranſverſim Cucurbitam amplectentibus, donata eſt, ſed in eo diſtat à priori regione pediculum reſpiciente, quòd hæc tuberoſa cùm ſit, non tamen in faſtigium ita ſtrictum conſurgat, ſed latius, ut aliquomodo ſeſſilis inibi evadat, circa verò ventris extuberantiam depreſſionem ſortiatur, quæ in altera regione ipſi adjacente minimè conſpicienda exhibetur, quia rectà ad pediculi culmen uſque faſtigiatur.

C.B. B. pin. Pepo 7. minor anguloſus: Pepo Indicus minor anguloſus, Tab.Ger. Huc & Peponem minorem Indicum 4. Tabernomontani, referendum cenſet Bauhinus in pin. Nos hunc poſtea pingimus & deſcribimus.

## CVCVRBITA INDICA MInor Tabern.

rb In- minor rn.



PInxit Tabern. in Icon. Cucurbitæ genus hoc ſurrectum, ſine capreolis, titulo Cucurbitæ Indicæ minoris, klein Jndianiſch Kürbß. Verùm in Hiſt. (ubi icon tràſpoſita, malè ſub titulo Cucurbitę longę) nulla differentia ab altera Cucurbita Indica, quæ ibi poſita, traditur, præterquam à magnitudine. Verùm ſi icô vera, & herba ſine capreolis provenit, genus erit pulchrum & à nobis nondum obſervatum. An ritè hunc locum ei demus, ignoramus.

An Cordo in obſ. ſilva, Cucumis recto caule, fructu Melonis aut Peponis parvi?

## CVCVRBITÆ INDICÆ MINORI Tabern. accedens, tuberculis abundans.

Locus. Deſcr. PRovenit hęc anno 1605. in horto E.C. Montbelgardi Cucurbitæ genus ſeſſile, accedens ad iconem Cucurbitæ Indicæ minoris Tabernomontani. Ea palmo longior, craſſo ventre, quem non utraque manu amplexus fueris, parte ſupremâ, in qua coſtæ latæ & magni ſulci, anguſtior multò, alba tota, multis tuberculis, & veluti verrucis exaſperata: cortice mediocriter duro.

## CVCVRBITÆ INDICÆ præcoces.

DE Cucurbitis Indicis ſpacio 25. dierum à ſatu maturis ſcribunt Hiſtoriographi novi rerum Indicarum, quarum meminit Quiqueranus Gallus in libro de laudibus provinciæ. De magnis Cucurbitis quibus Braſiliani ad piſcandum utuntur, lege I.Oſor. lib. 2. hiſt. Port. parte 15. Cucurbitas ad natandum aptas commemorat Levinus Apollinaris lib. 1.

## CVCVRBITA INDICA PARVA.



Deſcr. INter fructus raros oſtendit p.m. E.C. Princeps Fridericus, Dux VVirtemberg. Cucurbitæ genus ferè globoſum, pugno paulò majus, verſus pediculum nonnihil pyriforme, cortice craſſo valdè, ſubflavo, maculis fuſcis notato: ſeminibus Cucurbitę mollis folio longo, minoribus, anguloſis, cortice duriore; medulla alba; ejuſdem ſaporis cum prædictis.

## CVCVRBITA CLYPEIFORMIS tuberoſa & verrucoſa.

Deſcr. HÆc Cucurbita lata depreſſaque eſt, planitie ſcuto alicui ſimilis, dodrantalis propè latitudinis, quaternúmque unciarum altitudinis, circumferentiæ (à petiolo craſſo, aſpero, anguloſo, albicantéque) ad ſummum fermè ipſius faſtigium, hemiſphæricæ rotunditatis & longitudinis, cum adnatis quibuſdam tuberculis inęqualis magnitudinis, eandem interverterent, inæqualiorémque redderent: ſuperiori ſui parte uncialem undique planámque ſuperficiem occupat, in quibuſdam verò locis eadem declivior & prominentior, ad inſtar ſaxoſæ extuberantiæ, conſtituitur ob tubercula mammata, verrucoſáque: planitiei medium occupat convexa quædam, omníque ex parte declinans globoſitas, ſuis quoque ſulcis à ſumma globi parte ad imam, nunc altiùs, nunc verò leviùs inciſa, ſuíſque tuberculis exaſperata, ſummitas verò ipſius latiuſculam ſortita eſt ſuperficiem, quam ſive tuberculum aliquod latum vocare malis, ſive alij cuivis rei aſſimiles, licebit. Duri atque craſſi eſt corticis particeps. Pulpa ipſius interior carnoſa & firma, aſſervatúrque diu. Semen ipſi parvum, latiuſculum, quale aliis Clypeiformibus. Alebatur anno 1607. in E.C. VVirt. horto. Locus.

## CVCVRBITA LATA, CLYPEIformi accedens, minùs tuberoſa.

Deſcr. HIc fructus flavidi coloris à tuberoſa & verrucoſa clypeiformi Cucurbita in eo diſſidet, quòd depreſſam undique, & in ſe conſidentem coarctatámve magis formam obtineat, ſulcis ſuis modò altiùs, modò verò leviùs cortici impreſſis, deinde quoque, quòd ſuperiori ſui parte, non ut ille monticulum planitiei medio incumbentem, imminentémve ſuſtineat, ſed rectà ſurſum verſus, ſulcis iiſdem eo tendentibus molliter, clementérque elevatur,

tur, aſſurgitque, inque ſui ſumma parte floris decidui veſtigium albicans, latiúſque gerit, qua parte pediculo hæret ſeſſilis & nonnihil concamerata: *Cortex.* cortex non multum durus: *Semina.* ſemina planè clypeiformis ſimilia, ſubrotunda ferè: pulpa ſubflava. Duravit ad Februarium uſque ſequentis anni 1607.

## CVCVRBITA CLYPEATÆ AFFINIS, ovalis, angulosa, ad Citrum nonnihil accedens.

*Deſcr.* FRuctus hic ovalem figuram per omnia ferè refert, longitudine ſua ad quinque uncias protenditur, latitudine verò craſſitiéque quatuor uncias complectitur. ad petiolum viridem, anguloſum, ſtriatum, & ſcabrum, plures occurrunt majores ſtriæ, juxta eminentias protuberantes, ex minoribus plurimis in ventris ſinuoſo ambitu obvüs in unam petioli extremitatem concurrentibus ſtriis *Venter.* productæ. Venter in orbem circumdatus per tranſverſum multis magnis majoribus, minoribúſque ſulcis eſt exaratus, intérque medios ſulcos tubercula inæqualis eminentiæ circumquaque ſe viſui ſpectanda offerunt. Ad extremum faſtigio acuminatiori quàm ad pediculi regionem apparebat, donatur. Colore eſt flaveſcente. Citrium medium æmulatur nonnihil: cortex durus: ſemina ſubrotunda ad clypeatas accedentia. Conſideretur an huic, Pepo Citrio ſimilis, quem capite de Cucurbita aſpero folio ex Dodonæo delineavimus, conveniat? Icon certè non reſpondet.

## CVCVRBITÆ CLYPEATÆ AFFINIS à pediculo in conum deſinens.



*Deſcr.* CVcurbita hæc turbinem inverſum (ſeu conum) metámque referens, quincuncialis eſt longitudinis, digitorúmq; in pugnum compreſſorum amplitudinem ſuâ ventrioſitate exæquat, iſque ad petiolum (qui craſſus eſt, ubi dependentem fructũ ſuſtinet, ſtriatus, ſubherbaceus, albidis punctis notatus) profundioribusq; liris prociſſus eſt, ut foſſulam quaſi aliquam petiolum ſibi inverſum quaſi ambientem viſendum exhibeat, quæque ab altioribus ſulcis ex latiore ambitu ad uſq; imum petioli centrum excavatur, venter etiam compluribus altiùs inciſis liris exaratus eſt, qui tandem ſecundùm ductum ſuum continuum ad extremum uſque verticem ſenſim diſparent, vertex ipſe demum colliculum gracileſcenti faſtigio donatum exhibet. Cortex durus flaveſcens, caro ejuſdem coloris: ſemina ſubrotunda, inæqualia. Provenit in horto E.C. Montbe'g. anno 1607. duravitque uſque ad Martium anni ſubſequentis.

*Locus.* Tabern. inſcripſit Peponem minorem Indicum quartum. Hunc Bauh. in pin. cum Pepone ſuo 7. ſive Indico minore anguloſo Tab. eundem facit, quod non probamus.

## CVCVRBITÆ CLYPEATIS AFFINES utrinque aliquo modo turbinatæ.

CVcurbitæ genus folio aſpero varians magnitudinem totius fructus, craſſitiem ventris, ejúſq; etiam longitudinem, vel denique longitudinem, craſſitiemq; colli. Vnum enim genus, longum eſt in totũ unciis octo propemodum. Venter verò ipſius in longitudinem quatuor unciarum protenditur, ſuáque craſſitie trium eſt unciarum. Collum denique extenſum eſt ad quatuor uncias, craſſitudine verò ſuâ duas uncias complet. *Deſcr.* *Venter.* *Collum.*

Secundum porrò genus oblongum eſt ſecundùm totum ſex unciis, ventrioſitas verò ipſius extenſa eſt ad quatuor & ampliùs uncias, craſſa verò quatuor unciarum. Colli demum ſpacium inter ventrẽ & pediculum interjectum eſt unius unciæ & dimidiatæ. Craſſitudo verò ejus adæquat duas uncias. *Varietas altera.*

Tertia varietas integram longitudinem abſolvit quinque unciis. Ejus verò venter ad tres uncias & dimidiam porrigitur craſſus autem eſt trium & amplius unciarum. Collum denique productum eſt ad duas uncias cum ſemiſſe; craſſum verò trium & ſi quid eſt amplius, unciarum. Cæteroquin omnia genera in univerſum conſiderata in eo conveniunt, quòd ſtriis ſecundùm ipſorum totum ductum ſint proſciſſa, excepto primo genere quod uſque ad ventrioſitatem ſuam ſulcatum eſt, reliqua pars rotunda eſt fermè, omnibúſque ſtriis deſtituta, tuberculis tamen aliquibus hinc inde compreſſa diverſæ magnitudinis. Dein verò ſub finem ventris cujuſque differentiæ tuberculum aliquod prominens conſpicitur. Pediculus denique viridis, in medio autem ipſorum genere albicans viſitur, anguloſus & ad tactum aſperior: cortex durus flaveſcens: ſemina qualia Cucurbitæ latioris. Hi fructus diu incorrupti conſervantur. *3.* *Deſcr. omnium tri[um]*

## CVCVRBITÆ FOLIO ASPERO amaro. CAP. III.

DOdonæus lat. in fol. Pepones agreſtes vocat & totâ naturâ ſilveſtres, fructibus craſſis, oblongis, ſtriatis, durioris corticis ac colore virentibus, ſed minoribus multò: pulpâ & interiori medullâ, unà cum ſeminibus, veluti ſativorum, ſed admodum amaris: ſemine quoque paullò minore. Horum veteres non meminerunt, inquit Dodonæus, qui iconem habet, quæ non videtur multùm differre, à ſui Peponis rotundi minoris effigie, quæ eadem cum figura noſtra pro Cucurbita folio aſpero, quarto loco poſita. Dodonæi imaginem Peponis ſilveſtris Lobelius pro Pepone rotundo compreſſo Melonis effingie pingit. De Cucurbitis verò aſpero folio amaris in Adverſ. loquitur, ubi ait: Sativas Colocynthides in hortis Batavis, Gallicis & Italis vidi triplicis aut quadruplicis varietatis: fructum nempe puſillæ Cucurbitæ, aut pyri, aut lagenulæ effigie, ex fuſco viridante, cortice nonnihil maculis variegato, reliquâ foliorum facie Cucumerem ſilveſtrem referente, teterrimi ſaporis. Memini etiam exactè ſphæricas. maximum Arantium aut Citrium vocatum Adami pomum æquiparantes, etiam nonnihil variegato cortice. Videas & nonnuſquam compreſſæ rotunditatis, ſubflavi corticis, quarum omnium eædem vires, & dirus amaror. Sæpiſſimè puſilli, Peponis oblongi effigie, ovum anſerinum aut olorinum *Pepones agreſtes Dodon.* *Icon Dod.* *Pepo rotundus cõpreſſus Melonis effigie Lob.*

æquan-

æquantes, corticis durioris, & viridi in atro, & cinereo maculati ſunt.

De Cucurbitis aſperis amaris nobis cognitis, deinceps ſeorſim acturi ſumus. Et primùm quidem eas deſcribemus quas Cordus in hiſt.pl.delineat.

Trag. lat. vocat Cucumeris ſeu Zucco marini tertium genus amarum protſus, veluti Coloquintides. Meminit in hiſt.germ. hujus Cucumeris ſub nomina Jndianiſch Opffel.

Alicubi locis incultis ſponte Pepones ſilveſtres (Cucurbitas folio aſpero amaras) gigni concedit Dodonæus; Verùm in Germania ac Belgio non niſi ſatos provenire.

Vti porro totâ ſuâ naturâ ſilv. Pepones valdè amari ſunt, ita quoque temperamento calidi, ſiccique, & ſecundo quidem ordine intenſo: expurgandi quoque non minorem vim, quàm ſilveſtres Cucumeres obtinent, inquit Dodonæus. Vinum prætereà quod calyci, exemptâ cum ſemine medullâ, infuſum, tantiſper in eo hæſerit, donec amaritudinem plenè contraxerit, per alvum purgat, ac pituitoſos biliôſque educit humores. In ſumma hujus ſuccus idem quod Cucumeris agreſtis præſtat: reficcatus verò Elaterij loco ſuccedere poteſt.

## CVCVRBITA ASPERO FOLIO, amara, grandis, oblonga, viridis.

Colocynthis grandis, oblonga Cordi, ab unâ radice viticulam emittit digitali aut pollicari craſſitudine, quæ in multas alias anguloſas, undique per terram aliquot orgyiarum longitudine ſparſas dividitur. hæ juxta exortum graciliores ſunt. at aliquantulum reptando progreſſæ digiti ferè craſſitudinem conſequuntur, eædem dodrantali intervallo geniculis præcinguntur, ſecus quæ capreolos emittit, & ſingula erigit folia, longitudine & latitudine pedali, in tres partes Lupuli modo ſecta, tactu aſpera & brevibus aculeis horrida, pedalibus aut cubitalibus, teretibus, aſperis, concaviſque pediculis inſidentia, ab iiſdem geniculis radices in terram demittit tenues, quibus nutriendo fructui ſuccurrit, flores ſecus foliorum exortum profert duplicis generis, fœcundos & ſteriles. Steriles longo concavóque inſident pediculo, Liliíque figuram & quantitatem habent, præterquam quod intus hirſutus, & colore luteus ſit, atque labrum ipſius in quinas tantùm partes diſſecetur, reliqua floris pars concava & continua eſt, in cujus medio cachryi ſimile capitulum eminet, retro ipſum florem nullum extuberat tuberculum, quod ſequuturi fructûs ſpem faciat. Fœcundus autem flos breviori, ſolidiori & craſſiori nititur pediculo, intúſque tria craſſa, birſuta, luteáque tubercula, ſtaminum vice continet, quibus in fundo floris melleus liquor circumfunditur: retro florem capitulum eminet, quod decidente flore in grandem & humi procumbentem excreſcit fructum, longitudine plerumque dodrantalem, ea craſſitudine, quæ utraque manu circumamplecti vix poſſit, duarum civilium librarum pondo habet, is primùm viridem colorem habet, poſtea candicantibus maculis conſpergitur, in maturitate poſtremò totus in luteo pallet, & circa pediculum eminentibus angulis diſtinguitur. diſſectus, corticem primùm oſtendit durum, lignoſúmque, mox flavam, cartilaginoſámque carnem, & in medio ejus ſex ordines ſeminum candidiorum, acuminatorum, latorum & planorum. in quibus candidus eſt nucleus. Radice nititur ſemeſtri & admodum brevi, à qua aliæ multæ candidæ in diverſas partes exeunt, longitudine cubitales, & funiculorum modo tenues. quòd ſi quis plantam hanc humi repere nolit, ſupra cameras perticis extructas ducat, ea enim ratione capreolis baculos apprehendet, & attegias ſive ſcenas faciet. Saporem fructus habet amariſſimum & gravem odorem: ſeminis autem nucleus dulcis eſt. Seritur ſpectaculi gratia in latis hortorum areis. *Locus.*

B.pin. Colocynthis 3. oblonga: Colocynthis grandis oblonga, Cord.hiſt. Colocyntbis grandis candida, ſolo colore ab oblonga differens, Eid.hiſt. Variat colore: alia enim primùm viridem colorem in cortice oſtendit; poſtea maculis candicantibus conſpergitur; poſtremò totus in luteo pallet, fitque durus & lignoſus: alia principio viret quidem, ſed mox albicantibus maculis aſpergitur, at in maturitate totus albicat. Cordus.hiſt. differentias ſex propoſuit, & ex eo Lugd. inquit frater. *Syn.C.B.*

Ego verò hîc primam Cordi differentiam deſcribo, & de ſecunda nunc dicam. Tertia & quarta mihi eſt Cucurbita foliis aſperis, ſive Zucha. Quintam inſcribo Cucurbitam aſpero folio, amaram, turbinatam, &c. de hac mox, ut & de ſexta, quam voco Cucurbitam oblongam, non anguloſam, &c.

## CVCVRBITA ASPERO FOLIO, amara, grandis, rotunda, viridis.

*Colocynth. grandis rotunda Cordi.*

Colocynthis grandis, rotunda (ita à Cordo deſcriptionis authore vocatur) oblongæ grandi Colocynthidi, viticulis, capreolis, floribus, foliorum magnitudine, radicibus, aſperitate, atque omnibus aliis accidentibus ſimilis & æqualis eſt. duobus tantùm differt. folia namque in quinas partes diviſa habet, fructúſque minores ſuperficie æquali, pondere civilem libram excedentes & globi inſtar rotundos, aut modicè planos, utrinque tam circa pediculum, quàm floris veſtigium modicè eminentibus angulis diſtinctos: quibus color eſt primùm viridis, in maturitate verò pallidus, qui diſſecti ſubſtantiâ, ſeminum ordine & figurâ oblongis ſimiles ſunt, præterquam quòd nonnunquam octonos ſeminum ordines habeat, ac totidem quoque oblongæ Colocynthidi contingere poſſunt. Sapore & odore oblongæ reſpondet.

## CVCVRBITA ASPERO FOLIO, amara, turbinata, flava candicantibus lineis inſcripta, parva.

*Colocynth. turbinata Cordi.*

Colocyntbis turbinata, viticulas, capreolos, folia, & flores grandi & oblongæ Colocynthidi ſimiles profert, & ſimiliter per terram repent, ſed omnes partes tenuiores habet. fructum producit pyri turbinatum (cujus pyramis circa pediculum eſt) ovo majorem in maturitate flavum, & candicantibus lineis per longitudinem diſtinctum, foris durum & lignoſum, intus autem fungosâ carne plenum, in qua quatuor oblongorum, planorum, parvorum ac candidorum ſeminum ordines continentur. Radicibus nititur prædictis ſimilibus, ſed minoribus multò, quibus ſemeſtris eſt vita, è geniculis autem nullas in terram demittit radices. Saporem habet amarum, ut prædictæ Colocynthidis ſpecies, quibus etiam ſimiliter colitur, inquit Cordus de Colocynthide turbinata, cujus deſcriptioni malè Geſnerus, vel alius appoſuit Colocynthidis iconem ex Trago. Nec enim hoc capite Colocyntbidem deſcribere ei animus fuit. *Radices.* *Error apud Cordum.*

## CVCVRBITA OBLONGA, NON anguloſa, colore viridi, amara, folio aſpero.

*Colocynth. oblōga glabra, Cordi.*

Colocynthis oblonga, glabra, authore Cordo, viticulis, capreolis, foliis, flore & radicibus grandi

grandi & oblongæ Colocynthidi ſimilis & æqualis eſt, folia tamen quoquoverſus dodrantem vix excedunt, & non longè à mucrone duabus inciſuris, ſed non profundis in tres partes dividuntur: fructum habet oblongum, eidem Colocynthidi ſimilem, ſed ſine angulis & omninò glabrum, minorémque. nam longitudinis circumferentia quindecim uncias rarò excedit; latitudinis verò duodecim uncias complectitur; colorem habet primùm viridem, in maturitate verò obſcurè luteum, ac in pallorem ſaturatum degenerantem; ſeminum ordine, colore, & quantitate, atque carnis ſubſtantia, colore ac ſapore prædictas Colocynthides æmulatur, quibus etiam ſimiliter in hortis colitur.

Tragus hujus meminit in hiſt. germ. nomine Colocynthidis: in hiſt. lat. vocat Cucumeris ſeu Zucco marini tertium genus, amarum.

## CVCVRBITA AMARA, MAGNA, folio aſpero, colore vario.

*Deſcr.* SApor nomen dedit. Nam Colocynthidis in modum amaricat caro. Magnitudo capitis humani ferè eſt, aliàs major, aliàs minor, quémque certis limitibus coërcere facilè non ſit. *Cortex.* Cortex herbeus, guttis & maculis flavis perſuſus, porracinis, h. e. ex viridi flaveſcentibus lineis latis interſectus, duriuſculus cæteroqui, ac firmus, non ita tamen ut in Cucurbitis vulgaribus non amaris. *Semen.* Semen majuſculum eſt, album, oblongum, quale in Cucurbitis aſpero folio, quibus etiam ſimilia folia, flores lutei, rami, & cætera.

*Varietates.* Anno 1606. provenerunt in horto E.C. quædam duobus pugnis multò majores, aliæ minores penè orbiculares, & quædam verrucoſæ. Durarunt ad menſem Martium anni ſequentis hæ Colocynthides, ſi ita appellare malis, quàm Cucurbitas.

## CVCVRBITA ASPERA, AMARA, fructu parvo, globoſo, colore vario.



*Alia priori ſimilis.*

MOntbelgardi in horto E.C. provenit Colocynthis folio aſpero, parva, rotunda, pilis palmariis paulo major, amara, cortice duro, externè diverſicolore. Novimus quoſdá hujus eſu ſibi inſignes vomitus provocaſſe.

Similem obſervavimus non amaram, quæ à nobis hîc deſcripta minor videbatur. Icō autem ex Guarinianis jam ſculptis emptis, cùm propoſitam Cucurbitam amaram exprimere videretur eam aſſumpſimus. Et hæc fortè fuerit ſatæ Colocynthidis ſecunda Lobelij, fructu maximi Arantij, de qua ante.

## CVCVRBITA SIVE COLOCYNthis amara, pyriformis, variegata.

*Deſcr.* LOngiùs paullò à Colocynthidis, quam officinarum uſus accepit, formâ receſſit; præſertim fo-



liis: ſarmentis longiſſimis, aſperis, canaliculatis, clavicularum beneficio ridicas topiarias cōſcendentibus: folio Cucumeris, magis laciniato, atrovirente ſuperiùs & molliore, inferiùs herbido & aſpero: floribus Cucurbitę folio aſpero, duplicis generis, croceis: fructus ſuccedunt pugillares, formâ pyri turbinatâ, viridantes, liriſque albicantibus virgati, conſimilibus quoque notis temerè maculoſi: carne candida, odoris gravis dum virent, ſaporis amari intolerabilis, cui ſemen immergitur copioſum, compreſſum, candidum, ſive Cucurbitæ uſitatioris, folio aſpero.

Hæc Cucurbita proveniens in horto E.C. non parum variat, ceu anno 1607. deprehendimus. In eodem namque horto parvæ quædam mediocris pyri magnitudine provenerunt, quædam pugno craſſiores, & quædam ferè rotundæ: cortice tenui, non valdè duro, coloris ſupra dicti: ſeminibus parvis, ſublongis. *Varietates tres.*

Tragus Colocynthidem alteram ſive germanicam vocat, ac diverſi planè generis eſſe à Colocynthide vera, non ſolum ex fructu, verùm etiam foliis, & univerſa formâ demonſtrat. *Colocyn. german. Trago.* Spiræ à nonnullis, inquit, voluptatis gratiâ plantari conſuevit. Semine quoque, quod habet latum, & Citrullis vulgò vocatis quadantenus ſimile, ſeritur. Folia profert non cineracea, ſed nigricantia, aſpera, formâ verò Cucumerem luteum repræſentantia. Caules ejus ſeu ſarmenta rotunda & aſpera humi repunt, ſicut Bryoniæ, neque unquam ſublimia affectant, humili ac dejecto ſtatu ſemper contenta. Per terram enim reptant, ita quidem ut una ſæpe planta latiſſimum campum veſtiat, nam plures obtinet claviculas, quibus vicinis ſe alliget fruticibus. Duo gignit florum genera, & ea quidem lutea, ac flori Cucurbitæ conſimilia, quorum primum quidem cùm nullum habeat in fine adjunctum fructum protinus evaneſcit; alterum verò fructum poſt ſe relinquit, in modum pyri mediocriter magni, maximè ejus quod Germani Regelßbyren vocant, turbinatum. *Flos luteus duplex.* Is ubi Autumno appetente matureſcit, citrei cernitur coloris, intus fungoſus, ac multis ſeminibus refertus, impensè etiam amarus. Hic bilem & pituitam leniter & citra periculum purgat. Colocynthis hæc arenosâ & humidâ gaudet terrâ, fructum fert copioſum, ut non rarò ducenta lata poma una de planta legerit Tragus.

Dod. lat. in ſol. Cucurbitam ſylveſtrem inſcribit, ac de ea ait: Viticulis, caulibus, capreolis, ac foliis mollibus, ac veluti lanuginoſis ſativam æmulatur, omnibus ac ſingulis multò minoribus. ſcandit verò & hæc ſcenas, umbracula, ac teſtudines hortenſes: fructus Cucurbitis ventricoſis ac lagenulas referentibus, forma quidem ſimilis, ſed magnitudine longè inferior, omninò videlicet parvulus, nec vulgari pyro major, utpote qui & manu concludi ac comprehendi queat. cortex hujus exterior initio viret, poſtea durus factus ligni quoque colorem aſſumit. interior medulla humida, & admodum ſucculenta eſt, in *Cucurb. ſilv. Dod.*

eſt, in qua ſemen latet. amara autem hæc eſt, veluti ſilveſtrium Peponum, h. e. Cucurbitarum aſperarum amararum. Sunt quibus legitima hæc Colocynthis videtur, ſed à veritate aberrantibus: Nam Colocynthis Anguria ſylveſtris eſt, cujus & tenuis cortex facilè adimitur, & pulpa interior fungoſa reſiccatur. Hujus autem Cucurbitæ ſilveſtris durum ac lignoſum putamen, medulla verò adeò humida, ut ſe non reſiccari, aut ægrè admodum patiatur. In calidis regionibus ſpontè alicubi gignitur, ſed in Germania ac Belgio non niſi ſata reperitur, ubi & tardè ac rarò perficitur. Hæc Dodonæus, cui ut ſuſpicamur, non bene nota fuit, quam pro Cucurbita ſilveſtri exhibuit. Ea enim quæ nobis nota, & ante tradita eſt, folio eſt Cucurbitarum aſperarum ſiſo, ſive laciniato, floribus luteis, non Cucurbitarum mollium floribus albis: Icon quam exhibet Dodonæus foliis eſt laciniatis, qua in re differt à Cucurbita flore albo, quod monere oportebat Dodonæum. Nos ejus iconem proponimus, ut quæ mediocriter noſtram Colocynthidem pyriſormem exprimat.

Lob. in obſ. p.397. Icon. p.645. vocat Colocynthidem pyriformem, de qua ante ex Lobelij Adv. egimus. Tab. inſcribit Colocynthidem fœminam.

B. phyt. & pin. Colocynthidem 4. ſive pyriformem, ſeu Peponem amarum; Colocynthidem germanicam, Tragi. Colocynthidem 2. Dod. gall. fœminam, Tab. Colocynth. turbinatam, Cord. hiſt. Colocynth. pyriformem, Lob. Lugd. & Ger. Colocynth nigram, pyriformem, Cam. Cucurbitam ſilv. Dod. figurâ pyri, Cæſ. Pſeudocolocynthidem pyri formâ, Eyſt. Cucurbitam ſilv. Somphon dictam Plinio, quorundam.

Cæterùm facultate hæc Cucurbita calida & ſicca eſt, nec minùs quàm Colocynthis, aut Pepones ſilveſtres [*Cucurbitæ aſperæ amaræ*] utriuſque videlicet qualitatis ordine ſecundo: Eſt verò & inſigniter amara, quamobrem & obſtructos meatus expurgat, ac aperit: purgandi quoque vim per inferiorem ventrem, æquè ac ſilv. Pepones obtinet, ſi Dodonæo credimus. Vinum etiam, quod in excavatam hanc Cucurbitulam nocte totâ permanſerit, valenter quoque purgat, & bilioſos ac pituitoſos humores educit.

## CVCVRBITA AMARA PARVA,
mediocris magnitudinis.

MOnſpelio egregius Medicinæ Candidatus, Anton. Dinoth, pro Colocynthide pyriformi nobis ſemina miſit parva, Cucumerinis breviora, ſed latiora, Cucurbitarum aſperarum formâ, in ambitu veluti linea lucida & ſplendicante circumducta, nucleum continentia non amarum, ac ferè inſipidum: cortice interim amaro. Planta quæ nobis inde Montbelgardi enata, ſolia fert cæteris Cucurbitis aſperis figurâ ſimilia, quædam profundiùs, alia minùs profundè laciniata, quædam ad Xanthij folium quodammodo accedunt, ita aſpera ac hirſuta conſpiciuntur. Caules anguloſi, flores parvi, lutei; cæteris alioqui ſimiles: fructus parvus, pyriformis, albus. Caules ſummi valdè amari, qui excreſcunt ad multos cubitos, ſuis capreolis proxima quæque amplectentes.

## CVCVRBITA MINIMA
lutea amara.

CVcurbita minima, Arantio ſimilis, ſulcata, lutea, cortice eſt duro, carne flaveſcente, amarà:



ſemine parvo. Similem habemus ex Maſmünſter, pugno minorem, majorem verò præcedenti, valde amaram, luteam cortice & carne: ſemine majore. Eadem fortè cum præcedenti. *Varietas.*

## CVCVRBITA SESSILIS ET
compreſſa, flava, amara.

CVcurbita hæc parva eſt & ſeſſilis admodum, vix uncias quatuor alta, palmo latior, flava, cortice duro, ſeminibus parvis ſublongis: inſigniter amara. Accedit ad Sicilianam, non tamen fimbriata. Provenit nobis anno 1606. Montbelgardi. *Sicilianæ non fimbriata forma.*

## COLOCYNTHIS VETERIBVS,
& in genere.

### CAP. IV.

*Dioſc. text.* COlocynthis, quæ aliis Cucurbita ſilveſtris [*κολόκυνθα αἰγός. Corn. ἄγριος legendum ſuſpicatur*] aliis Cucurbitula amara [*σικύαν πικρὰν*] & aliis Cucurbita Alexandrina [*κολόκυνθα ἀλεξανδρείνη*] dicta eſt, ſarmenta, ſoliáque emittit per terram ſtrata, ſativi Cucumeris ſimilia, inciſuris diviſa: fructum verò rotundum, mediocris pilæ ſimilitudine, vehementer amarum: quem legere oportet, cùm cœperit ad pallidiorem colorem vergere, Dioſc.

*Cucur. ſilv. altera Plinio.* Plin. l.20. c.3. Cucurbitam ſilveſtrem alteram vocat, poſtquam enim de prima Somphos à Græcis appellata egit, ſic ait: Colocynthis vocatur alia [*Cucurbita ſilv.*] ipſa plena, ſed minor quàm ſativa. Vtilior pallida, quando ejus ſunt medicinæ. Herbacea arefacta per ſe inanit alvum, &c.

*Colocynth. ſexus, Meſ.* Meſues videtur marem & fœminam facere. Præſtantiſſima fœmina, inquit, præſertim ſi eſt magna, alba, lenis, rara, levis, uti ejus interior medulla albiſſima, rara, lenis, levis, &c. cúmque langueſcente virore cœperit in luteum colorem mutari.

*Ex Serap.* De Coloquintida apud Serapionem. præter ea quæ de viribus ex Dioſcoride, Galeno, Habix. Raſe, Chriſtiano, Aben Meſuai, & Abuberig habentur, hæc leguntur. *Kandel*, h.e. Coloquintida eſt Habix Melo agreſtis. Et oportet quòd ille qui colligit Coloquintidas, colligat eas in fine ſui anni, quando ſunt maturæ, & color earum incipit fieri citrinus, & non colligatur illa, quæ eſt viridis, quando videlicet incipit condenſari ſua Roſa, aut dum ipſa habet aliquid viriditatis, quoniam modicum ex ipſa occidit, & propriè illa quæ reperitur ſola in arbore ſua occîdit potantem ſe ſine dubio, &c. Sed quando colligitur, poſtquam citrinatur pomum ejus, & eſt perfectè maturum, & hoc eſt, quando advenit frigus ei, videlicet quando accenditur lampas, ſcil. in menſe Septembri, in principio Autumni, confert potanti, &c. Et ſcias quòd Coloquintida, quæ oritur in rupibus & locis altis, eſt fortioris operationis, quàm illa quæ eſt propinqua aquis. Hæc fuſiùs infrà de viribus recenſentur. Videtur autem Colocynthis, ſilveſtris, ſpontéve naſcentis Cucurbitæ ſpecies illa, quam *Mortem ſive Exitium in cacabo*, vocabant queribundi prophetæ illi, qui apud Eliſeum fame preſſi, cùm cibo indigerent, juſſúſque eſſet quidam incoquere pulmento olera, collectam magnam hujus copiam, ratus eſſe Cucurbitam eſculentam, ollæ indidit: Illi verò ut eſitare cæperunt amarorem infeſtum, quaſi mortem deteſtati ſunt, nec porrò comedere potuerunt, tum ad Prophetam protinus exclamarunt, & *Mors*, inquiunt, *Divine, eſt in cacabo*,

*Colligendi tempus.* — *Sola in una arbore.* — *Dele Ѣm.* — *Mors in cacabo pro Gerbium.*

*nec poſſumus veſci.* Vates autem Eliſeus miraculis potens fretúſque multis, farina adjecta pulmentum Colocynthidáſque ſilveſtres dulcoravit, edendóque commodas reddidit: quare oportuit eſſe amariſſimas.

### PLANTÆ COLOCYNTHIDIS nomine donatæ.

Præter Colocynthidem vulgatem officinarum, Colocynthidis nomen plantæ ſequentes obtinuerunt.

*Cuc. aſpera amara.* 1. Cucurbitæ folio aſpero amaræ, de quibus ante, ceu & de ſequentibus.

*Oblonga* 2. Cucurbita aſpero folio, amara, grandis, oblonga, viridis.

*Rotunda.* 3. Cucurbita aſpero folio, amara, grandis, rotunda, viridis.

*Turbinata* 4. Cucurbita aſpero folio, amara, turbinata, flava, candicantibus lineis inſcripta, parva.

*Non anguloſa* 5 Cucurbita oblonga, non anguloſa, colore viridi, amara, folio aſpero.

*Colore vario.* 6. Cucurbita amara, magna, folio aſpero, colore vario.

*Fructu globoſo* 7 Cucurbita aſpero folio amara, fructu parvo, globoſo, colore vario.

*Pyriformis.* 8 Cucurbita ſive Colocynthis amara, pyriformis, variegata.

*Cuc. lagenaria.* 9. Cucurbita folio molli, flore albo, longa ſive lagenaria.

---

### COLOCYNTHIS.

*Deſcr.* NOtiora officinis poma hujus quàm herba, quæ per terram ſparſa, ſtriatis, aſperis flagellis, folia per intervalla profert ſingularia, pediculis duarum triúmve unciarum, vel etiam longioribus hærentia, aſpera, incana & hirſuta, præſertim verò parte inferiore pũctis albicantibus notata, laciniata, Citrulli diviſura, ſed minore, ad quorum pediculos exeunt tortiles capreoli, & ipſi quoque hirſuti. flores luteoli. poma pugno æqualia, Lob. ſubflava, virentia, viroſáque: deferuntur exempto cortice flaveſcente: pulpa candida, fungoſa, leviſſima, amariſſima, horrenda & ingenter



amaro guſtu, fauces, viſcera, inteſtináque lædens, teſte Lobelio, cui immerſa ſemina parva compreſſa, dura (peræque lignum, Lob.) polita, alba, vel ruſeſcentis, vel ut Dod. ſordentis coloris.

*Nomina linguar.* Colocynthis hæc, fungoſam obtinens medullam, græcè κολοκυνθὶς, latinè Colocynthis, Cucurbitula, Cucurbita amara, Cucurb. ſilveſtris, Cucurb. caprina, Cucurb. deſerti, Cucurb. Alexandrina, Thymbra, Autogenes & Tucraſtra appellatur. Meſues Fel terræ & necem plantarum nominat: *Fel terræ.* Serapio *Kandel*, Habix autem Melonem agreſtem nuncupavit. *Melo agreſtis.* Averrhoes *Haanthal* dixit. Apud Eliſeum Prophetam Regum 4. Colocynthides *Pakkuoth Sade*, h.e. Cucurbitæ ſilveſtres dicuntur à ſingulari nimirum *Pakkuah*, h.e. Colocynthis. *Cucum.* Vocatur autem in Iſmaëlitica lingua *Chandel*: Germ. Birbßlin / Coloquint / Bitterkürbß / Wildkürbß / Geißkürbß / Erdgallen: Belg. Quint appel: Gall. *Coloquinte*, ſeu *Courge ſauvage*: Ital. Hiſp. Angl. & Bohem. *Coloquintida*. Colocynthis porrò, ut Cordo placet, diminutivum eſt à Colocyntha, i.e. Cucurbita. Apud Cordum in Dioſc. quidam annotavit eam eſſe propriè Colocynthidem, quæ eſt fructu longiore: Alteram verò, quâ in pharmacopoliis utimur, Somphon eſſe. *Somphon.* Idem in hiſtoria ejus l.1.c.97. poſuit Colocynthidis hujus iconem ex Trago. Verùm hoc loco non ponenda erat, quia Cordus hanc Colocynthidem ibi non deſcribit.

Dodon. in fol. lat. p.378. figuram Lobelij exhibet: deſcriptio verò & reliqua conveniunt cum iis, quæ tradita ſunt in hiſt. purgantium. Idem p.654. eandem rurſus iconem habet ſub titulo Colocynthidis, inquiens: ſilveſtre autem hujus (Anguriarum intellige) genus eſt Colocynthis dicta, de qua ſupra dictum fuit. *Anguria ſilv.* Quia porrò conſimili eſſet facie [*cum Cucurbita*] ſed multò minor tota, Cucurbitulam & σικυώδιν, ſive Cucumerulum vocarunt Hippocrates & Ægineta, ducti, ut ait Lobelius, potiùs foliorum aſpectu, quàm planè contrariis facultatibus.

*Synon.* Lob. dicitur Colocynthis ſive Cucurbitula amara cathartica, ut Icon. p.645. B. phyt. & pin. Colocynthis 1. ſive fructu rotundo major. Cucurbita agreſtis, Brunf. Colocynthis vera, Trag. Colocynthis, Matth. Ang. Cord. in Dioſc. (& Cucurbita deſerti) Geſn. h. (& Cucurbita ſilv.) Lac. Lon. Lob. (& Cucurbitula amara) Lugd. Caſt. Cam. Ger. Colocynthis prima, Dodon. gall. mas, Tab. Dodonæo alicubi Anguria ſilveſtris. Colore eſt viridi, magnitudine utramque manum replente.

*Locus Temp.* In Germania (inquit Fuchſ.) ſua ſponte non naſcitur, ſata tamen provenit, ſed rariſſimè perfectionem attingit, quòd frigidior ſit ejus terra, quàm quòd in ea fructum proferre poſſit. Ex orientalibus enim & calidioribus locis ad nos defertur. Fuchſio adſtipulatur Geſner. Cucurbitæ, inquit, ſilveſtris ſpecies non reperitur, quod ſciam: nam Colocynthis, dicta Cucurbita ſilveſtr. neſcio ubi ſponte naſcatur, niſi in Græcia fortè. Lobelius perhibet hanc ſerere Herbariæ voluptatis ſtudioſos Vere, in Gallia, Germania, & Anglia, fructúmque decerpere Septembri, ac proinde purgationibus minùs aptum, eo qui ex Græcia, Hiſpaniiſque deferatur, exempto cortice. Nobis certè Colocynthis folio diſſecto, ſive officinarum Montbelgardi ſata ſæpiùs in horto E.C. & alibi provenit, ſine fructu tamen.

*Vires Uſus.* Vim habet medulla fructûs purgatoriam, ſi ejus quatuor oboli ex aqua mulſa ſumantur: vel additis Nitro & Myrrha melle decocto excipiantur, & in pilulas cogantur. Ipſæ verò pilæ arefactæ teruntur, & utiliter infunduntur clyſteribus ad coxendicum dolorem, paralyſin, & coli vitia: ut quæ pituitam bilem, ſtrigmentáque, interdum etiam cruenta eliciant. *Coxendicum d.* Subditæ eædem, fœtus enecant. Quòd ſi quis unam exempta medulla obducat luto, in eaque acetum ac nitrum ferveſaciat, decocti jus illud, dentium doloribus collutione proderit. *Dentes.* Sin mulſa, aut paſſum in eadem decoquatur, & ſub dio frigeſcat, potu craſſum humorem, ſtrigmentáque alvi detrahet: ſtomacho tamen ſupra modum adverſatur. Sed & ſubditâ ex ea balano alvi excrementa evocantur. Virentis denique ſuccus prodeſt coxendicum dolori, ſi infricetur, authore Dioſcoride. *Virentis ſuccus.* Guſtu amara quidem eſt, inquit Galenus, ſed quę amariſſimo medicamento epo- *Ex Gal.*

to epoto adſunt opera, ea evidenter efficere nequit ob purgatoriam facultatem, quàm validam in ſe continet, nimirum cum iis, quæ expurgat, ante & ipſa per alvum excerni prævertens. Cucurbita, Co- *x Plinio. rba uſus* locynthis vocata Plinio, herbacea areſacta per ſe inanit alvum. Infuſa quoque clyſteribus, inteſtinorum omnium vitiis medetur, & renum, & lumborum, & paralyſi. Ejecto ſemine, aqua mulſa in ea decoquitur ad dimidias, ſic tuſſienti in- *la.* funditur obolis quatuor. Prodeſt & ſtomacho, ſarinæ aridæ pilulis cum decocto melle ſumptis. In *ina* morbo verò regio utiliter ſemina ejus ſumuntur, *nes.* & protinus aqua mulſa. Carnes ejus cum Ab- *cus.* ſinthio & ſale, dentium dolorem tollunt. Succus verò cum aceto calefactus mobiles ſiſtit. Item ſpinæ & lumborum ac coxarum dolores, cum oleo ſi infricetur. Præterea mirum dictu, ſemina ejus ſi fuerint pari numero adalligata febribus, ſanare dicuntur, quas Græci periodicas vo- *ſe reſti- tur.* cant. Et hæc Plinius, ex quo Dioſcoridis loci declarantur, hactenus, ut ait Cornarius, à nullis interpretibus rectè intellecti. Primùm enim confuſa eſt lectio Dioſcoridis græca & duo modi ſumendi medullam ejus, in unum coaluerunt, paucis particulis elapſis. Sic igitur lectio diſtinguenda eſt, velut etiam nos reddimus. Δυνάμιν δὲ ἔχει ἡ μὲν ἐντεριώνη τοῦ καρποῦ καθαρτικὴν, τετρωβόλου πλῆθος μετ' ὑδρομέλιτος λαμβανομένη καὶ σὺν νίτρῳ δὲ καὶ σμύρνῃ καὶ μέλιτι ἑφθῶν εἰς καταπότιον. Priorem modum docet apertè Aëtius lib.3.cap.35. Dan- *dullæ* tur ex medulla ejus ſcrupuli duo, in aquæ mulſæ cyathis duobus. Poſteriorem habet Plinius ubi ait: prodeſt & ſtomacho ſarinæ aridæ pilulis cum decocto melle ſumptis. Deinde rectè dixit Plinius, Ejecto ſemine, aqua Mulſa in ea decoquitur ad dimidias. At in Dioſcoride plerique contrarium intellexerunt, ipſam medullam videlicet in aqua mulſa coqui debere: quod falſiſſi- *ocynthis æ magnitudinis* mum eſſe Aëtius clarè oſtendit eodem loco. Quòd ſi mitiùs purgare volueris, inquit, ſumito Colocynthidem juſtæ magnitudinis, eámque aperito ſupernè, & ſemen totum eximito. Deinde quicquid tomenti ſpeciem præ ſe fert in ipſa, rurſus citra ſemen in ipſam indito, & repletam ipſam ſapa, aut vino dulci veteri, per diem ac noctem macerari ſinito. Deinde excolatum per pannum vinum calefactum bibendum dato. Hoc tamen intereſt, quod Dioſcorides aquam Mulſam, aut Paſſum, in ipſa priùs coquendum, deinde per noctem ſub dio exponendum præcipit. Aëtius autem per diem ſolùm ac noctem macerari ſinit. *dus in- nis Co- nthidis.* Atque ita etiam Paulus lib.3. cap.13. Et hic ſanè uſus hodie quoque frequentiſſimus eſt Medicis, qui illa utuntur, modum infuſionis Colocynthidis, *dullæ ocyn. is.* ipſi appellant. Medullæ hujus Colocynthidis (quam Hipp. σικυώνην, σικύην, καὶ σικυώνης σπόγγον, nominabat) apud varios Medicinæ autores, varia eſt doſis. Meſues ceratia decem; Paulus drachmam integram exhibere non veretur. Ruffus itidem drachmam unam ex aqua mulſa propinat. At Aëtius ſcrupulos duos exhibet in aquæ mulſæ cyathis duobus: eodémque loco, imbecillibus etiam ſcrupulum unum ſat eſſe ſcribit. Nonnulli volunt pomum Colocynthidis, exemptâ medullâ, ſimul & ſemine, luto oblitum incoqui aceto & nitro. *lutum ocyn. is.* Sed abſurdum illud eſt. Modum præparandi diluti Colocynthidis pleniùs ſupra deſcripſimus ex Aëtio. Ruffus itidem in libello de Purg. med. nullâ tamen medullæ factâ mentione, eum ſic tradit: Quòd ſi quis mitiùs purgare volet, ſemine Colocynthidis ejecto, affuſoque intra corticem vino dulci, lento igne coqui ipſam oportet dum probè incaluerit, illud tandem potandum exhibetur. Sed & Paulus lib.3.cap.13. eodem modo præparatum Colocynthidis dilutum in morbo comitiali propinat. De Coloquintida Serapio *Ex Serapione.* ex authoritate Dioſcoridis & Galeni tractat. Nos eorum verba ante recitavimus. Addit autem hæc ex opinione Hibix. Coloquintida, quæ eſt Melo agreſtis, ſumitur in potu, purgat phle- *Purgat phlegma.* gma groſſum, quod advenit juncturis, & illud phlegma quod emittit fumoſitates ad caput, & expellit humores qui aggregantur in corpore ex melancholia, & aliis malis humoribus. Et oportet quòd ille qui colligit Coloquintidas, col- *Colocynthis una ſola in arbore.* ligit eas in fine ſui anni, &c. Illa quæ reperitur ſola in arbore ſua occidit potantem ſine dubio, quoniam quando datur ex pulpa ſua, facit torſiones fortes, & evomere fortiter, & eſt laxatio ejus ſine juvamento, & inducit tenaſmonem, & anxietatem animi, & coarctationem anhelitus, & frequentiam ejus & ſincopim, & ſudorem frigidum, & fortaſſis interficit, ſicut dixi. Pomum ejus perfectè maturum confert po- *Colocynth. perfectè matura.* tanti, & expellit humores, quos volumus purgare, & non eſt neceſſe, quod miſceatur cum medicina alia. Sed eſt valdè cavendum ne detur *Cautio.* in potu in tempore magni frigoris, vel magni caloris, nam iſta ſunt duo tempora, in quibus nos docuit Hippocrates non debere dare medicinam laxativam, dixit enim in libro ſuo Aphoriſmorum, Non oportet quod detur medicina laxativa, quando aſcendit ſcahari, & in magna Hieme: & intelligit in Iunio, Iulio & Auguſto, & per Hiemem voluit intelligi, in Novembri & Decembri & Ianuario. In iſtis igitur duobus temporibus anni non oportet quod detur medicina laxativa, & propriè acuta, ſed ſolùm duobus temporibus aliis, volo dicere in Vere & Autumno. Quando igitur bibitur Coloquintida in *Colocynthidis in hora caloris aut frigoris bibita noxa.* hora magni caloris, nocet membris interioribus fortiter & nocet etiam ſtomacho, & expellit ſanguinem per ora venarum, abradendo ea. Et quando datur in hora magni frigoris, fatigat patientem ſortiter, quia natura non aſſentit ei, quare facit torſiones. Si igitur volueris Colo- *Colocynthidis rectificatio.* quintidam rectificare, & miſcere cum aliis medicinis, purga ipſam primo à granis ſuis, & à cortice exteriori, adeò quòd remaneat pulpa ſua pura, deinde tere ipſam cum gummi Arabico & Dragaganto & Amilo cum omnibus iſtis, vel cum uno ipſorum, & quando addis ei aliqua ex iſtis Medicinis, pone de ea quantitatem æqualem ei, ſed ſi vis admiſcere ei omnes, pone de unaquaque Medicina æqualiter, ita quod ſumma quæ proveniet, ſit æqualis Coloquintidæ in pondere, & hoc quando facis medicinam laxativam, ſicut ſunt pilulæ. Verùm quando vis ipſam ponere *Colocynthis in medicinis magnis.* in Hieris, & medicinis magnis, non oportet quod temperes eam cum aliqua medicina alia, niſi cum illis, quæ ingrediuntur in medicina illa nec cures multùm reprimere acuitatem eius. Et quantitas quæ datur ex ea, quando præparatur ſecundùm iſtum modum cum medicinis aliis, eſt à duobus dauich [ ] uſque ad unum Kirat Et ſcias quod Coloquintida quando extrahitur à pomo ſuo, & permanet ſic diu, eſt minoris virtutis in laxando, & minuitur acuitas eius. Et quando tenetur, & dimittitur ſic tempore longo, fit adhuc in hoc minus, & magis remiſſa virtus eius, ſed quando dimittitur in pomo ſuo, non recipit immutationem, niſi in longo tempore. Et oportet quod non colligatur Co- *Coloquintidis in arbore unica damnatur.* loquintida ex arbore, in qua ex una radice non eſt ortum, niſi pomum illud ſolùm, quoniam nutrimentum totius radicis venit ad illud pomum

ſolum, & auget in eo virtutem multam laxandi. Talis igitur Coloquintida interficit propter acuitatem ſuam nimiam, & fortitudinem, nam qui ſumpſerit ex ea duobus davich, non retinebitur fluxus ejus, quouſque moriatur. Et ſcias quod ego vidi in omnibus hominibus qui degunt in terris magnæ frigiditatis, quod in pluribus eorum vincit ſuper naturam eorum cholera nigra, quapropter non poſſunt in eis operari, niſi medicinæ fortes & acutæ, ſicut eſt Coloquintida, & folia ejus, propriè & Eſula, & Mezerion & Damdeſeni, & ſimilia horum. Scamonea verò non eſt eis neceſſaria. *Cautio.* Et oportet cavere, ne apponatur in aliqua medicina ex cortice Coloquintidæ, neque ex ſeminibus ejus, quoniam cortex eſt durus & ſiccus, & adhæret villis ſtomachi, & inteſtinis, & pungit punctione forti, & prohibet aſſellationes: ſimiliter etiam facit cortex ſeminum, ſed ſeminis ipſius oleum eſt calidum mollificativum. *Oleum ſeminis. Infuſio ſeminum.* Et Arabes quidem infundunt ſemina ipſa in aqua pluviali donec recedat amaritudo eorum, & ſic comedunt ea decocta, & alio aliquo mndn, & præbet eis nutrimentum, verùm quando comeditur ex eis nimis, inducunt faſtidium, ſed quando fricantur plantæ pedum in domo primâ balnei fricatione forti, facit eos hæc fricatio egerere & evomere, & confert, & non augetur nocumentum. *In Cliſtere quâ doſi & modo immiſceatur.* Et quando fuerit neceſſe apponi Coloquintida in cliſtere aliquo, oportet quod apponatur in decoctione cliſteris integra ſine contritione & repreſſione aliqua, quia tunc confert colicæ; & facit deſcendere humores groſſos, crudos, & melancholiam. *Folia.* Sed folia Coloquintidæ quando aliquis vult purgare cum eis, oportet quod colligantur ex arbore ſua poſtquam maturuerint poma ejus & citrineſcant, quando ſcilic. incipit aër infrigidari, in tempore videlicet quo diximus debere colligi poma ipſa, & ſiccentur in umbra, donec non remaneat in eis aliquid humiditatis, & ſic reponantur, & quan- *Correctio.* do fuerit neceſſe, quod exhibeatur de iis in potu, oportet quod temperetur cum amilo, aut Gummi Arabico, aut Dragaganto, cum vino iſtnrum, vel cum pluribus, ſicut diximus in Coloquintida ipſa. Quando igitur poruntur cum eis, ex iſtis faciunt operationem mirabilem in expellendo melancholiam, & quando admiſcentur cum eis medicinæ convenientes ad hoc, ſicut Aloës, Aniſum, & Epithymum, & Sal Indum, & ſi dantur in potu cum Hiera picra, erit medicina juvativa multùm. Et ego non vidi aliquam ex medicinis laxativis magis conferentem in doloribus melancholicis quàm folia Coloquintidæ. *Antiquorum quorundam error.* Et antiqui quidem defecerunt in memoratione ipſorum, & omiſerunt uſum eorum. Et ego tentavi & dedi de eis in melancholia, & alopecia, & tyria, & lepra, & inveni juvamentum magnum, & fortaſſis facient evomere illum qui ſumpſerit ex eis, & nihilominùs confert multùm leproſis, & faciunt conſiſtere ægritudinem ſuam, & dolores ſuos & non permittunt augeri. Et ſcis tu quod iſta eſt cura eorum, in quibus confirmata fuerit ægritudo, nam à quibus membra ceciderunt, impoſſibile eſt quod renaſcantur eis propter hanc medicinam modo aliquo. *Delectus.* Et ſcias quod Coloquintida quæ oritur in rupibus & locis altis, quæ non eſt inbibita humiditate pluviæ, eſt fortioris & melioris operationis quàm illa quæ eſt propinqua aquis, & imbibitur ex eis & quantitas quæ datur *Doſis.* ex Coloquintida illi, qui eſt fortis, eſt pondus drachma ſemis, uſque ad duos davich [ ]& eſt operatio ejus conveniens hominibus qui ſunt duræ naturæ ad laxandum, ſicut illi qui degunt in regionibus frigidis, & qui utuntur in cibis eorum lacte, & caſeo & ſimilibus, quia iſtorum natura non movetur, niſi per fortes medicinas, & *In cliſteriis.* quando ponitur in cliſteriis, laxat humores crudos & melancholiam, & confert colicæ, quando ponitur de ea in medicinis, cum quibus cliſterizantur à drachmis iiij. uſque ad v. & coquitur & colatur aqua, & fit cliſter cum ea. *Folia coacervata amittunt à virtute.* Et ſcias quòd folia Coloquintidæ quando accipiuntur ex arbore ſua, & ſervantur, quouſque annus unus pertranſeat ſuper ea, aut anni duo, aut tres, minuitur de virtute eorum & propter hoc neceſſe eſt, quod Medicus augeat in pondere eorum quando voluerit ex ipſis exhibere. *Ex Raſi.* Dixit Raſi quidam quod radix Coloquintidæ eſt melior medicina quæ eſſe poſſit puncturæ ſcorpionis, *Ictus ſcorpionis.* & Arabes habent ipſam pro communi & manifeſta medicina ad hoc.

Et dixit Raſi Arabs quidam quod ſcorpio pupugerat filium ſuum in quatuor locis corporis, & dedit ipſi in potu drachmam unam de radice Coloquintidæ, & ſedata ſunt ſtatim omnia, quæ patiebatur. Rectificatio ejus eſt cum Bdellio. *Ex Chriſtiano.* Chriſtianus terit & linit ſuper locum puncturæ, ſedàtque dolorem ejus, maximè radice Coloquintidæ maſculi: *Sexus Colocynthidis.* nam fœminam ait mollem, albam, & eſſe debiliorem in hoc. *Ex Aben Meſue.* Proprietas Coloquintidæ eſt (ut ait Aben Meſuai) quod mundificat cerebrum ab humiditatibus malis & expellit humores crudos, ſed ipſa inducit punctiones, & torſiones, & tenaſmonem in inteſtinis, & vomitum, & rectificatio ejus eſt quod admiſceatur ei Dragagantum, *Dragacantha admiſcenda.* & quidam admiſcent ei gummi Arabicum, ſed Dragagantum eſt meliùs eo, quia juvat ad laxandum, gummi verò eſt ſtypticum & oportet quidem quod Coloquintida non teratur multùm, ne adhæreat inteſtinis, & ulceret ea. Melior autem eſt illa, quæ eſt matura, citrina in cortice ſuo, & interiùs alba, & lenis. Cavendum verò eſt ab illa, quæ eſt ſola in ſua arbore, quia eſt mortifera. Doſis Coloquintidæ eſt à tribus Kirat [ ] uſque ad ſex. *Ex Abuberig.* Coloquintida (ſecundùm Abubetig) purgat choleram admiſtam humiditati viſcoſæ, non illam quæ eſt admiſta ſanguini, quemadmodum facit Helleborus niger, & Scammonea, ſed ipſa trahit à membris nervoſis, & ille cui convenit potus Coloquintidæ eſt ille, qui habet ægritudinem in capite ſuo, aut in velamine cerebri, quod eſt ſimile retht, aut in alio velamine propinquo craneo, ſicut eſt habens ſcotomiam, & hemicraniam, & cephaleam, i.e. Ovum, & Soda, & habens ſtuporem & paralyſim, & ſpaſmum, & humiditatem oculorum antiquam, & ſtricturam anhelitûs ab humoribus groſſis, & dolores juncturarum, & ſciaticam ab humoribus groſſis, & ægritudines renum & veſicæ. Et hæc Serapio ex authoritate Habix, Raſis, Chriſtiani, Aben Meſuai, & Ahuberig.

*Ex Meſue.* Meſuæus Arabs inter alia huc reducenda vim ejus, potiſſimùm catharticam, nobis ſic deſcriptam reliquit. *Immatura.* Immatura Colocynthis flatus torminoſos & moleſtiſſimos excitat, immodicè purgat, ut etiam ſanguinem educat. & ſæpè mortem afferat. peſſima etiam ac venenoſa eſt, quam produxit unicam tota una planta: *Una in planta unicus fructus peſſimus.* quæ planta ſi loco illo eſt unica, multò pernicioſiorem fructum parit, præſertim ſi locus ille eſt uliginoſus, vel pulverulentus, vel thermis propinquus, vel ſerpentibus abundet. *Fœmina præſtantiſſima.* præſtantiſſima fœmina, præſertim ſi eſt magna, exactè quoque matura, alba, lenis, rara, levis, uti ejus interior medulla albiſſima, rara, lenis, levis, quóque levior, eò melior: ſitque ex agro,

laxo,

laxo, arenoſo, libero, Autumno lecta, cum langueſcente virore cœperit in luteum colorem mutari. Calida eſt ac ſicca ordine tertio, igneâ ſubſtantiâ & terreâ per uſtionem tenuatâ [*eximiè amara*] conſtat. pituitam & alios humores craſſos & glutinoſos, magis ex profundis partibus & diſtantibus, ut cerebro, nervis, muſculis, juncturis, pulmone, thorace, quàm ex venis attractos, ut Dioſcorides cenſet, purgat: ac etiam bilem flavam, ut voluit Humain. Quapropter dictarum partium morbis mirè ſubvenit, cephalalgiæ antiquæ: dolori cranij totius, hemicraniæ contumaci, epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, aquoſæ fluxioni in oculum, podagræ frigidæ, iſchiadi maximè, ac reliquis nervorum juncturarúmque affectibus; aſthmati item, ac tuſſi antiquæ, dyſpnœæ ex thoracis repleti anguſtia. ac præterea ſummè omnium prodeſt colico dolori, tam à pituita quàm flatibus, & hydropi. Omnia autem hæc ſive ſumpta, ſive clyſtere, aut balano inteſtinis immiſſa præſtat, utero autem impoſita, fœtum necat. eadem cum aceto forti affricta, alphos, lepram [*pſoram*] elephantiam ſanat. Oleum denique ſuper cineres calidos incoctum, cortici ejus inanito, capillos illitu nigrat, eosque ne cadant, firmat, canitiem tardat. Idem auri inſtillatum ejus dolorem ac tinnitum ſanat. Acetum autem ſimiliter incoctum collutione dolorem dentium ſanat: incîdit enim, tenuat, terget, digerit. Ne autem cordi, ventriculo, hepati & cæteris viſceribus noceat turbando, ſubvertendo, violenter trahendo, miſcenda ei ſunt dictas partes roborantia, ut Maſtiche, Gallia & ſimilia, uti miſcentur glutinoſa, lubricando citiùs deturbantia, acrimoniam mordacem obtundentia, ut gummi, Tragacantha, Bdellium, Maſtiche, & ſimilia, ne ampliùs vias exulceret [*per quas fertur*] & ora venarum adeò vehementer aperiat, ut inde ſanguis manet. Filius Serapionis Colocynthidem mulsâ cui incocta fuerit Ruta macerabat [*eius drachmam unam in mulſæ cyathis duobus cum Ruta coquit Paulus, non Serapio*] ſiccabat, læviſſimè terebat, ex mulſa prædicta dabat. Græcus quidam Colocynthidem roſato oleo fricabat, & cum æquali portione Ladani in catapotia formabat, utilia prædictis affectibus. Ego autem eam minutiſſimè forcipibus incîdo, glutino & mucagine Tragacanthæ aut Bdellij perlino, ſicco, tenuiſſimè tero: cum Ladano, vel mulſa, vel Maſtiche oleo roſato diſſolutâ, in paſtillos cogo citra moleſtiam purgatorios. Quod ſi noxam corpori impreſſerit, mulſa, vel avarum paſſarum decoctum, cum oleo amygdalino, vel oleo nucum, eam abolet. Longam decoctionem ſuſtinet, éſtque, ut mihi cum Serapionis filio videtur, contra filij Zezar ſententiam, pulveranda tenuiſſimè, ut ejus facultas malefica permiſta illi exquiſitè alia pleniùs obtundatur, útque viſcera celeriùs permeet, neque in ipſis ob partium minùs tritarum craſſitiem ceſſet: qua fortaſſe fit, ut in viſceribus pigra retineatur, eáque ulceret, præſertim cùm ſenſu perceptibiles fuerint ejus particulæ. datur à ſiliquis ſex ad decem, frigus & æſtum vitantibus. Agirtæ, atteſtante Trago, Colocynthidem vino maceratam, aut decoctam, iis quos purgatos volunt, exhibere ſolent, ac ita quidem illos purgant, ut plerique fatis concedant: hâc arte ferè omnes Iudæi imbuti ſunt. ab his ergo Medicis, qui valetudini ſuæ rectè conſultum cupit, abſtinebit. Semen Lobelio conſtat non tanta virulentia ad purgandum, quàm caro ipſa ſive medulla: dedimus namque, inquit, multò majorem doſim, quàm medullæ, majore commodo, nullo aut longè minore tumultu. Scribit Dodonæus ejuſdem ſemen ad mortuorum corporum conſervationem ac condituram utile, præſertim Aloe ac Myrrha admixtis. Pater p.m. literis prodidit, ſe ex clyſtere, quem Colocynthis ingreſſa erat, ſummè debilitatum, & ferè mortuum fuiſſe. Fernelius Colocynthidem calidam ſiccámque dixit ordine tertio, amariſſimam; lentam pituitam, craſsóſque, ac glutinoſos humores, paritérque bilem utramque (quod vix alij conceſſum eſt) detrahere, & aquam citrinam, ídque maximè ex articulis, & diſtantiſſimis reconditiſſimiſque partibus. Conferre morbis inveteratis, contumacibus, quos neque Agaricus, neque Turpetum ſolverit. Vehementer autem ventriculum, viſcera, corpúſque conturbare, venas aperire, & ſanguinem elicere, quàm Aloë, aut aliud quodvis pharmacum, potentiùs: inteſtina corradens gravibus torſionibus excruciare. Quocirca exquiſitiſſimè tritam diluit oleo amygdalarum dulcium, additáque tragacantha, aut maſtiche concinnari in trochiſcos, vel coqui ex jure pingui, aut ex alio quovis liquore leniente. Nec puerorum, nec ſenum, nec prægnantium (fœtus enim vel ſuppoſita enecat) ſed ætate duntaxat florentium & robuſtorum medicamentum eſſe, víxque niſi aliorum permixtione tutum. Dari à ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam. Quòd ſi tandem omninò Colocynthide uti velis, accipere te jubet Tragus Germanicam noſtram, piro ſimilem, utpote in expellendo non tam ſtrenuam & immitem. Pilam ergo ſeu fructum Colocynthidis bene excavato, fungoſámque ejus unà cum ſeminibus medullam cyatho vini injicito, ac quatuor, aut quinque horis maceratam per linteolum exprime, expreſſumque ſuccum, noctu cum cubitum ire voles, bibe. quod ſi feceris, videbis luce appetente, pituitam, craſſos ac viſcoſos humores, nec non bilem citra noxam leviter exigi. Idem medicamentum colicis prodeſt, & ad putridas ventriculi febres facit, hydropicis apprimè conducit.

*Ad mortuorum corporum conſervationem.* *Ex Fernel.* *Morbi inveterati.* *Noxa.* *Aetate florentium eſt medicamentum.* *Colocynth. germanica Trago.* *Colica.* *Putridæ ventriculi febres.*

Bayrus l.6. c.24. Colocynthidem ſilveſtrem coquit, priùs tamen tritam, & in aceto infuſam, donec mellis acquirat craſſitudinem, ſcarificat gingivas circa dentem, & jubet os claudere per modicum temporis, poſtea accipit dentem cum digitis, & ſequitur ſine dolore. Probet, qui volet. Nos fidem hujuſmodi ſtultitiis non habemus, quamvis Schenckius l.1. obſ.med.424. de dentibus agens, eandem teneat opinionem.

*Vt dens ſine dolore & ferro extrahatur.*

---

## CITRVLVS FOLIO COLOCYNthidis ſecto, ſemine nigro, quibuſdam Anguria.

### Cap. V.

SPARGIT per terram ſarmenta fragilia, hirſuta, foliis veſtita amplis, in profundas lacinias diſſectis, aſperis & hirtis, è quorum ſinu exeunt capreoli, nec non pediculi flores ſuſtinentes luteos, quos fructus excipiunt magni & rotundi, quos ferè ambabus manibus ambias; cortex duriuſculus, ſed lævis, nullis tuberculis inæqualis; atro-viridior, dilutiſſimè virentibus maculis perfuſus: caro Cucumeris vulgaris, alba, firma, grati ſaporis; ſemen fungosâ meditullium occupante ſubſtantiâ immergitur oblongum, latum, compreſſum, nigrum, rugoſum, duriuſculo cortice præditum, ſub quo medulla alba, eſui grata, ut Cucurbitarum.

*Deſcr.* *Caro.* *Semen*

*Citruli genus aliud*



Obſervavimus in horto E.C. Citruli genus majus, capitis humani magnitudine ęquans, cortice cõtectum duro, inæquali, anguloſo, atro-virente, maculis ex luteo pallidis per longitudinem ex intervallis uncialibus notato. Pediculo hęrent gracili, ſi cum Cucurbitis eam conferas. Caro quoque quã cucurbitina, firmior eſt, ſaporis Cucumeris vulgaris. Semina Cucurbitinis minora, craſſiora, colore buxeo obſcuriore, nullis lineis per ambitum notata.

*Synon.* An Citrulus hic ſit Simeonis Sethi, cujus verba infra de viribus adſcribemus, Anguria, Cucumis dicta, ſecũdùm verò communem ſermonem Tetranguria, conſiderent lectores? *Tetranguria* Hermol. coroll. 356. vocat Sicyam quorundam, Angurium vulgi, & Melonem Paleſtinum. *Sicya. Melo paleſtinus.* Serapioni dicitur *Batecha, Chatha, & Kura*, i. e. Melo, Citrullus, & Cucumer. Iacob. Manlius *Batecham* Serapionis, & *Albathecam* Avicennæ (quam nonnulli Cucumerem Saracenicum, *Cucum. Saracen.* Anguriam interpretantur; & Languriam) unam & eandem plantam eſſe contendit.

*Cucumis vulgari ſimilis.* Tragus Cucumeris genus facit, ac per omnia vulgari ſimile ait, ſed magis exiguum, latis & phœniceis ſeminibus intus refertum: foliis Colocynthidi peregrinæ, aut Bryoniæ ſimilibus, multis inciſuris diſſectis. Hoc genus autem Citrullum, Citreolum, & Cucumerem citrinum vocat. *Cucum. citrinus.*

Fuchſ. quarti generis Cucumerem ſtatuit, & officinas, quæ Citrullum vocant, reſpiciens, germ. 𝔆𝔦𝔱𝔯𝔲𝔩𝔩𝔢𝔫 nominavit, gall. *Citrulle.* Cord. in Dioſc. Cucumeris quandam ſpeciem vocavit, & Anguriam Italorum. *Anguria Italor.* Dod. in fol. lat. Geſn. de coll. ſtirp. & Tab. Anguriam. *Angur. vera* Geſn. h. Anguriam veram. Lob in Obſ. p. 364. & Icon. p. 640. Citrullum officinarum. *Citrull. officinar.* De hoc verò ait in Adverſ. Imitatur majorem aliquem Melonem effigie, & carne ſolidiore, fragili: ſed ſapore, veſcendóque magis Pepones vulgatos refert: *Melopepo* unde Melopeponem, ut ancipitis naturæ, mixtâ de utroque nomenclaturâ dictum puto, nempe Mali ſive Melonis circinitâ rotunditate, non tamen torulis ſulcata, & ſapore magis Peponem, quàm Melonis dulcedinem melleam referente: quibus etiam, monente Galeno, diſcernitur à Melone. *Semen è quatuor majorib. unum.* Semen verò unum è quatuor vocatis majoribus eſt; majus Melonis, minus Peponis, duriore cortice ſeptum, nigro, omnium duriſſimo: alioqui tota planta ſimilis Peponum plantæ, ſed foliis altioribus, laciniis Colocynthidi propioribus. Seritur etiam & manditur caro cocta, vel cruda, & plærisque Pedemontij, Italiæque hortis enaſcitur.

*Braſſavola hallucinatur.* Cæterum, hallucinari Braſſavolam putat Matthiolus, quod exiſtimarit veteres Græcos, præſertim Dioſcoridem, σίκυ𝔬 appellatione, *Cucumis Hetruſc.* Hetruſcorum Cucumin, vel aliorum Italiæ populorum Anguriam repræſentaſſe. Facilè adducor, inquit, ut credam, *Græcis veteribus ignota.* Angurias veteribus Græcis incognitas. Eas nunquam vidiſſe, vel cognoviſſe veteres, demonſtrat Fuchſius. Minus illis aſſentior qui Pepones Angurias eſſe dicunt. Anguria hæc, quam Dallaha appellat Serapio, planta eſt folia ferens Colocynthidis medicamentoſæ, majora tamen, aſpera, & per ambitum diviſa: caulem ſarmentoſum, humi repentem, ut Cucumis & Pepo: florem edit aureum, fructum magnitudine mirum in modum extuberantem, ponderoſum, ſubrotundúmque: cortice lævi, herbaceo colore, maculoſo tamen, & eâ parte quà humi jacet, albicante, *Caro.* carne intus humidâ, aquosâ, in quibuſdam prædulci in nonnullis autem ſubacidâ, inſipidáve, ſitíque extinguendæ perquam idoneâ. *Semen.* ſemen concludit latum, Peponum duplo majus, Cucurbitæ paullò minus, cortice ſolidiori, & nucleo grandiore. Eſt quoque ſeminis in colore differentia, quod uni nigrum, alteri rubrum innaſcatur. Seritur in hortis & viridariis, ac etiam in agris. *Aſſervatur.* Decerpitur fructus, & diu quoque aſſervatur in horreis. Tritici enim acervis inſidens, non ſolùm à putredine tuetur, ſed coquitur, ſi immaturus decerpatur. *Matth.* Hæc ille qui Anguriam inſcribit, vocátque germ. 𝔄𝔫𝔤𝔲𝔯𝔦𝔢𝔫/ 𝔊𝔲𝔯𝔠𝔥𝔢𝔫 & 𝔈𝔯𝔡𝔱𝔞𝔭𝔣𝔣𝔢𝔩: Hiſp. *Cogombro:* & gall. *Concombre*, meo judicio non abſque errore.

*Anguria Aetio.* Anguriæ voce primo Aëtium uſum eſſe cenſuit C. Bauhinus, qui aliàs Citrullum vocari tradit à citreo colore, ac propterea Anguriam 1. Citrullum dictam vocat, *Varietas C.B.* variaréque ait colore corticis, nunc virente, nunc maculoſo, ſubcandidis maculis: carne nunc rubente & dulciori, nunc candidâ: ſemine nigro, aut rubro, aut fulvo; rariùs ſine ſemine reperiri, Cæſalpino teſte. Eſſe randem narrat, qui Peponem Dioſcoridis, Galeni & Plinij eſſe credant. Citrullus dicitur Trago, Geſn. h. Lon. Tab. officinarum, Lob. & Ger. Anguria, Matth. Ang. Lac. Geſn. coll. Dod. Lugd. Caſt. & Cam. Cucumer, vel Cucumis citrullus, Fuchſ. Dod. Geſn. h. & Turn. Cucumer vulgo, Cæſ.

*Locus.* In calidis regionibus Anguria ſuavior provenit, ideóque circa Romam, in Campania, Apulia, Calabria, & Sicilia, præſtantiores habentur & mole vaſtiores. Dodonæus hanc in Germania raro ſeri, rariùs verò etiam matureſcere ſcribit. Nobis tamen aliquoties feliciter provenit ac maturuit in horto E.C. Montbelgardi. *Tempus.* Genevæ ex ſemine dicto Citruli, floruit Iunio, Iulio, Auguſto & Septembri. Baſileæ in hortis colitur Citruli nomine, ſemen officinis vulgare, oblongum, latum, compreſſum, nigrum, & rugoſum, in quo differt à Batecha, cujus ſemen læve, æquale, ſive politum, nigrum & album, quod etiam majus.

*Vires & Vſus.* Anguriæ vires, quas hîc primo loco tradimus, habet Simeon Sethi, non tamen aſſerimus eum intellexiſſe plantam, de qua præſenti capite ſermonem inſtituimus. Perpendant lectores an fortè Cucumerem vulgarem aſſignarit. Anguria, inquit, quæ Cucumeres dicuntur, ſecundùm verò communem ſermonem Tetranguria, ob frigidum & humidum *Temperamentum Sethi.* temperamentum, noxia ſunt, & mali ſucci. Ex iis autem parvæ magnis anteferre oportet. Hæc urinam ducunt, & ſi in aceto macerentur, in acutis *Febres acuta.* pręſertim febribus, mitiorem calorem reddunt. Crebrior verò horum uſus ſemen genitale minuit, in venerémque impetum aufert. *Semen.* Semen autem horum deſiccatum, caliditatem quandam poſſidet, contrariámque his actionem efficit, urinámque magis provocat. *Noxa.* Pituitam Tetranguria in ventriculo gignunt, quæ cruda per venas diffunditur. Propterea qui his crebriùs utuntur, illi propter humores temporis ſpacio in venis & aliis corporis cavitatibus coactos, longis corripiuntur febribus. Semen verò horum urinam cit, ſed minùs quàm Peponum, quoniam celeriùs in ventriculo corrumpuntur. Meliora in his ſunt, quæ habent ſemen exiguum. *Calidis & ſiccis ſtomachis.* Calidos autem & ſiccos ſtomachos juvant, & ſi in ardente febre cum aceto porrigantur, valde proſunt.

Pro-

Proprium verò horum eſt, nauſeas, ventriculi calore excitatas, ſedare. Horum autem interiora eſſe oportet: nam quæ foris ſunt, mali ſucci exiſtunt, & difficulter admodum coquuntur, & ferè venenata. Habent verò & alias proprietates, ut animo deficientes propter excedentem calorem reficiant. Si autem pituitam in ventriculo nanciſcantur, nauſeas faciunt, & colicos affectus & hypochondriacas paſſiones. Hæc ille. Anguriæ fructus, inquit Matthiolus, frigidus eſt & humidus, ordine ſecundo, ſiti arcendæ aptiſſimus. Quo fit, ut Itali ardente Syrio ejus pulpâ internâ ſe refocillent. Confert adurentibus febribus, & linguæ ariditati quàm maximè. Acutos humores vincit, & iis præſertim auxiliatur febrientibus, qui humorum malignitate magis, quàm abundantiâ ſcatent. Siquidem Anguria (ut Serapioni placet) alvum in principio fortiter non citat: ideóque in illis convenit, qui tenuis & imbecillis ſunt temperamenti, macri & exangues: etenim iis alterantibus magis opus eſt, quàm ducentibus humores, verum quamvis id effici poſſit acidis medicamentis, inſipida tamen, quæ nonnullam dulcedinem habent (ut Anguria) hiſce in caſibus longè magis conveniunt. Impoſſibile enim eſt, quin acida, & quæ cum aceto parantur medicamenta, incîdant & attenuent. Id quod imbecillia corpora, macra, & exanguia, haud quaquam ſuſtinere queunt, quod ejuſmodi acidæ potiones maciem augeant, & ventriculum lædant. Atqui etiam ubi quiſpiam acida adſtringentia propinaverit, impoſſibile quidem videtur, ut obſtructiones non augeantur, ſi eæ in jocinore, & ejus meatibus extiterint. Etenim acida & adſtringentia medicamenta exiccant, & nihil prorſus humectant. Porrò inſipida, & quæ craſſæ ſunt ſubſtantiæ, quibus aliqua, ut in Anguria, dulcedo inſit, ſuo quidem temperamento humectant, ac ſimul refrigerant, generântque in ipſo jocinore ſanguinem aquoſum, qui flavæ bilis fervorem & malitiam coërcet tam in jocinore, quàm in venis. Cæterum, ut Dodonæus concludit, Anguriæ caro quæ cortici ſubeſt, cruda, ſed frequentius cocta comeditur: alimentum autem confert exiguum, idque frigidum ac humidum, ſanguinémque ingenerat aquoſum, qui internarum partium inflammationes mitigat, & bilis acrimoniam ac fervorem contemperat. Cruda in ore commanſa linguæ in febribus aſperitatem lenit, & ſitim ſedat. Semen facultate Cucumerum ſimile eſt.

## CITRVLO AFFINIS MELO Indicus, ſive Patheca.

### CAP. VI.

EST apud Indos Melonis genus prægrande & rotundum, oblongius tamen aliquantulum, formâq; quodammodo ovali, quod Luſitanis Indiam incolentibus Patheca (corrupto ab Indorum Batiec vocabulo) dicitur. Hunc Melonem per longitudinem non apperiunt, ut Melopepones noſtrates comeſturi aperimus: ſed per tranſverſum ſecant. Et licèt dulcedine à noſtris ſuperetur hic Melo, attamen ſuavis eſt, refrigerátque mirum in modum & humectat, tota carne ſeſe in quendam liquorem reſolvente, authore Garcia, arom. l. 2. c. 20.

Reperiunt autem Arabes & Perſæ primùm hunc fructum ad ſe delatum, eámq; ob cauſam Batiec indè appellant i. e. Melonem Indicum, quo nomine etiam ab Avicenna multis in locis appellatur. Batiec enim eorum lingua Melonem ſonat. In India verò ab ipſis incolis Calangari dicitur. Meminit hujus Avicennæ lib. 4. Fen. 1. c. 39. de tertiana pura, ac eum multis laudibus commendat. Putarunt nonnulli id Melonis genus, quod in Hiſpaniæ Caſtella naſcitur, quódque Budiecas vocant, eſſe hunc Melonem Indicum & depravato à Batiec nomine Budiecas appellatum. Sed magnopere falluntur. Nam pluri-mùm ab hôc differt cùm foliis, tùm plantâ totâ, quæ Melonum Indicorum modo per ſolum non extenditur & ſerpit, ſed ſeſe in altum extollit. Aiunt etiam in Africa Indicis ſimilem naſci, ſed cùm non viderit author, affirmare hoc non auſit. *Budiecas non eſt.*

De Citrulo affine Melone Indico hęc ſcribit Linſchottanus: In Iava magni atque elegantes Melones aquatici proveniunt. Fructus hic ſuavis eſt admodum, obſcurè virens, intus albus, magnitudine Cucurbitæ oblongæ: quem incolæ ſuis hoſpitibus præcipui honorarij loco apponere ſolent, propter inſignem vim refrigerandi, qua pollent: In univerſa India appellantur Batiec. *Locus.*

Nos Citrulli officinarum ſemini lato; compreſſo & nigro ſimile, ſed majus vidimus, magíſque æquale, & lubricum, a viro celeberr. D. Theodoro Beza exhibitum, cujus duo genera, nigrum ſc. & flavum. Geneve plantata duobus foliolis productis periêre. Ex India allata fuere. *Genera duo*

B. pin. Melo 7. Indicus fructu oblongo: Batie Indi, ſive Indicus Melo, Garz. Patecas, Anguria, ſive Melo Indicus, Linſc. part. 4. Ind. or. c. 10. Melones aquatici in Iava, Batiec in univerſa India par. 4. Ind. or. cap. 6. & fig. 20. An Comolanga Lud. Romani, Cluſ. in Garz. Scalig. Lugd.

Vtilis verò eſt in bilioſis febribus & ardentibus adverſus jecoris & renum ardores, ut experientiâ Garcias didicit. Vrinas ciet: ſoléntque ſani eum fructum edere, quatuor horis à jentaculo, quoniam tum maximè ſit infeſtus calor. Meliùs tamen facere viderentur, ſi ab eis ſuas menſas auſpicarentur. Hujus ſemina (quæ ante maturitatem candida ſunt, per maturitatem verò nigra) ſomnum provocant, eaq; reliquis ſeminibus frigidis, tametſi eis non careamus, præſtantiora æſtimamus. Ignorabant eruditi hujus regionis Medici, iſtius Melonis in Medicina uſum: non ſolent enim ad hujuſmodi minutias ſeſe abjicere, & in ſuis curationibus experientiâ & conſuetudine duntaxat nituntur, ſed à me (Garcia) edocti, eis uti cœperunt. *Vires & Vſus. Febres bilioſa. Semina.*

## CITRVLO VEL MELONI Indico accedens Camolanga.

MEminit Ioſeph. Scaliger exerc. 81. par. 15. in Corcopal Indiæ provinciæ Camolangæ fructûs, qui eſitatur, & ſeſquipede major eſt, Cucurbitæ colore, humi, inſtar Melonis, jacentis, pulpæque plurimum habentis. Cum Melone vero Indico ſimilitudinem quandam habere videtur Cluſio apud Garciam, quam Ludovicus Roman. l. 5. navig. c. 15. in hunc modum deſcribit: Habent in Calecut fructus quoſdam Cucurbitis ſimiles, ſed conditura aptiores. Res eſt non indigna memoratu, huic nomen eſt Comolange. Oritur in culta tellure Peponum modo. An autem is eſt, cujus ſuccum Turcæ, & Vngari in delitiis habent extinguendæ ſitis gratia? vel Napeca Bellonij Obſ. lib. 2. c. 6. quam vulgari Arabica appellatione Copous nominari ſcribit? *Camolanga Scalig. Fructus Cucurbitis ſimilis. An Napeca.*

Lugd. p. 1837. vocat Camolangam. Munſt. Coſm. lib. 5. Camolangam provenientem in Calcut. Portugalenſis hiſt. gall. l. 13. Malucanorum fructum, valdè refrigerantem, Camulini vocatum. *Camulini.*

## CVCVRBITINVS FRVCTVS INDIcus, magnitudine ovi Struthij.

FRuctum hunc ex India allatum, accepi ab Illuſtr. mea principiſſima, Duciſſa VVirtembergica, &c. *Deſcr.*



magnitudine ovi Struthij, aut Limonij majoris, ſed utroque extremo obtuſiore, quàm in ovo, facie Cucurbitina, pediculo digitali. *Cortex.* Cortex craſſus erat ac durus, fragilis tamen, tenui ac flaveſcente obtectus epidermide, quibuſdam ceu foraminulis conſperſus, parte concava fungoſus, qui excavatus poculi vices ſupplete poſſet. *Pulpa.* Pulpa intus contenta fungoſa, & albicans, ſapore nullo inſigni: *Semina.* ſeminibus fareta parvis, oblongis, compreſſis, Colocynthinis ferè ſimilibus, longioribus paullò, ruffis, & ſupernè cordatis, ruffa cùm fimbria dilutioris coloris: ſapore ſubdulci, & jam ob vetuſtatem ranceſcente,

*Vſus.* Condimenta ex hac Camolanga componunt, vel Cucurbitis quas Carabaſſadas vocant Hiſpani, vel Citriis meliora atque ſapidiora, Scalig.

---

ΣΙΚΥΟΣ, ΣΙΚΥΑ, ΣΙΚΥΣ, ΠΕΠΩΝ, καὶ μηλοπέπων, Cucumis, Pepo, & Melopepon, veteribus, & Neotericis.

## Cap. VII.

PAuca veteres & obſcurè de oleraceis modò nominatis pomis ſcripsêre, ac fortè confusè Plinius, ac magis Neoterici. Nos igitur ſtatuimus priuſquam de pomis nobis notis ſcribamus, omnia proponere, quæ veteres de nominatis in titulo tra didêre, ita ut poſteritati anſa & occaſio præbeatur, quomodo noſtro ſeculo denominandæ ſint, certiùs & liberaliùs judicandi & decernendi. De his igitur *Theophr.* omnium antiquiſſimus ſcriptor Theophr. hæc paſſim prodidit. *Sicyos, & Sicya.* Humor Cucumerem [σικύον] quoque comitatur, ex carne, & nervo: ſemina hujus [σικύας] non congeſta atque promiſcua, ſed diſcreta atque diſtincta: ſuccus verò [σικύου] aquoſus. Megarenſes *Sicyos, Pepo.* Peponibus [τοῖς σικύοις] Cucumeribus [σικύας fortè legebat Gaza, abeſt tamen in cod. Baſil. & Ald.] cùm venti anniverſarij perflant, terram ſcalpentes, pulverem excitant, atque ita dulciores, teneerioréſque reddunt abſque irrigatione. Ad ſummam, omnia æſtiva brevem radicem ſortiuntur: etenim Pepo [ὁ σίκυος] & Cucumis [ἡ σικύα] exiguam ſortiuntur. Floret Cucumer eũ in modum [qua Faba & Heliotropium] *Gazæ lect.* qui Pepo cognominatus eſt [in Theophr. græco ὁ σίκυος nomen tantùm legitur] etenim huic præpoſtero germine accidit. Quædam plantæ figura ſubditi loci imitantur. Cucumis enim [ἡ σικύα] formam accipit loci, in quo ſata fuerit. Saporum differentiam preparata Cucumeris [τοῦ σικύου] ſemina capiunt, *Tempus.* ſi lacte macerata terantur: circa quintum diem ſata erumpit, aut ſexto, vel (ut alij volunt) ſeptimo, priùs, celeriúſque Cucurbita. Cum ſeminibus ipſis *Olus.* flores edunt in olerum genere Pepo [σίκυος] & Cu*Flos.*cumis [σικύα.] Quippe omnibus flos in poſtremo fructûs, & creſcentibus fructibus flos diu infixus ſervatur. Simplices autem Cucumerum [τῶν σικυῶν] flores ſunt, qui poſtremis ſarmentorum emergunt, & ob id eos auferunt: Cucumeris enim [τοῦ σικύου] prohibent incrementum. *Vt maturius exeat.* Maturiùs ex recentioribus ſeminibus exit, in quem finem nonnulli ſemen lacte, aut aqua etiam præmaceratum ſerunt. Cucumis *Sicyos tria genera. Laconicum. Scytalicum. Bœoticum.* [σίκυος] pluribus generibus conſtat, quod partim affirmant, partim negant. Illi tria genera notant, Laconicum, Scytalicum, Bæoticum. Ex his Laconicum melius rigatum evadit: reliqua verò duo non rigata præſtantiora fiunt. Cucumis [ὁ σίκυος] ut cætera hujuſmodi olera, præhumida eſt & frigida. *Temperamentum.* Cucumis [ἡ σικύα] vocata, quamvis arboris altitudinem capiat, in ramóſque ſeſe, Vitis arbuſtivæ modo diffundat, tamen vitæ admodum fragilis eſt. Itaque ante Æſtatem germinare non poteſt, ſed ad Autumnum uſque prorogari cupit. *Annuus Cucumis.* Tertio porrò die Cucumis [σίκυος] exit. Sua imbecillitate facilè perit in annuis Cucumis [ἡ σκία. fortè legendum ἡ σικύα.] hæc enim ne ad naturæ ſuæ quidem perfectionem pervenire poteſt. Ampliatur parte ſuperna, luxuriatúrque Cucumis [σίκυος] licèt radice pumilâ inhæreat. De Cucumeribus [περὶ τῶν σικύων. fortè legendum ut alibi σικύων] porrò dictum eſt, quod ſeminibus in la*Mangonium.*cte, mulsóve maceratis dulciores reddantur. Amaritudo autem Cucumerum [ἐν τοῖς σικύοις] per ſummitatem ſentitur. Enimverò foras verſus rem hujuſmodi excerni conſentaneum eſt, utpote alienam. Quia porrò Cucumeres [οἱ σίκυοι] pulvere occultati nutriri, teneerioréſque reddi creduntur, ideò Megarenſes ita eos tractare conſueverunt. Si quis nunc parvos Cucumeres [τοὺς σικύους] in mollitia abſconderit, alimentíque copia largè acceſſerit, percoctáque fuerit, incrementum quoque largè conſequuntur. Sic enim nulla pars alimenti à Sole detrahitur, nec flatibus reſiccatur: quibus cauſis moles augeri nnn poſſunt. *Cuc. ſilv.* Et hæc Theophraſtus, qui & Cucumeris ſilveſtris [σικύου ἀγρίου] alibi meminit. Quæ autem de Sicyo tradit, ea nobis videntur omnia *Sicyos eſt Melo.* convenire cum Melonibus noſtris, de quibus poſt. Quę porrò de Sicya prodit, competunt fortè Cucu*Sicya eſt Cucumis.*meri noſtro vulgari.

*Plinius.* Plin. l. 19. c. 5. de natuta, & genetibus, & hiſtoria naſcentium in hortis, ait: Cartilaginei generis, extráque terram eſt Cucumis, mirâ voluprate Tiberio principi expetitus. Nullo quippe non die contigit ei, penſiles eorum hortos ptomoventibus in Solem rotis olitoribus: rurſúſque hybernis diebus intra ſpecularium munimenta revocantibus. Quin & lacte mulſo ſemine eorum biduo macetato [Hoc fit & hodie in ſatu noſtrorum Peponum, Dalech.] apud antiquos Græciæ authores ſcriptum eſt ſeri oportere, ut dulciores fiant. Creſcunt qua coguntur fotma. In Italia virides, & quàm minimi [Melones minimos, & *Cucum. virides qui minimi.* Malo Cydonio non ampliores, adhuc habet Hiſpania, Dal.] In Provinciis quàm maximi: & citrini [cerini legit Dalech. qua voce autor quoque uſus eſt cap. 13. lib. 15. Apud Marcellum ex Plauti Aulularia, in voce Flammeus, Hadrianus Iunius pro carinarij legit cerinarii. Alibi Plautus cerinum & melinum colores memorat] aut nigri. Pla*Cuc. Afr. Cuc. Mœſ.*cent copioſiſſimi Africæ, grandiſſimi Mœſiæ: cùm magnitudine exceſſere, Pepones vocantur. Vivunt hauſti in ſtomacho [de Cucumere, hoc Dioſc.] in poſterum diem, nec perfici queunt in cibis, non inſalubres [de Melone idem] tamen plurimum. Natura [de Cucumere & Anguria, idem] oleum odere mirè, nec *Oleum odere. Aquas diligunt.* minùs aquas diligunt. Defecti quoque, ad eas modicè diſtantes adrepunt: contra oleum refugiunt: aut ſi quid obſtet, vel ſi pendeant, curvantur: idque vel una nocte deprehenditur, ſi vas cum aqua ſubjiciatur à quatuor digitorum intervallo deſcendentibus ante poſterum diem: at ſi oleum eodem modo ſit, in hamos curvatis. Iidem in fiſtula flore demiſ*Longiſſimi.*ſo, mira longitudine creſcunt. Ecce cum maximè

nova

nova forma [*de Melonibus, idem*] eorum in Campania provenit, Mali Cotonei effigie. Fortè primò natum audio unum: mox ſemine ex illo genus factum, Melopeponas vocant. Non pendent hi, ſed humi rotundantur. Mirum in his, præter figuram, colorémque, & odorem, quòd maturitatem adepti, quanquam non pendentes [*de Melonib. idem*] ſtatim à pediculo recedunt. Columella ſuum tradit commentum, ut toto anno contingant. Fruticem Rubi quàm vaſtiſſimum in apricum locum transferre & recidere, duûm digitorum relictâ ſtirpe, circa vernum Æquinoctium: ita in medulla Rubi ſemine Cucumeris inſito, terrâ minutâ, firmóque circumaggeratas reſiſtere frigori radices. Cucumerum Græci tria genera fecêre: Laconicum, Scytalicum [*σκυτάλη, habena, flagellúmque ſcuticæ. Vocatum inde Cucumeris hoc genus, aut quòd ex eius ſarmentis fierent habenæ, loráque ſcuticarum, vel quòd iis ſarmenta ſimilia eſſent. Galli fortaßis inde Courgees nominarunt. Eſt & inde ſumptum nomen ſcytalis ſerpentis cuius mentio fit c.5.l.32. & τῆς σκυταλίας Theophr. cap.5.4. hiſt. quæ ſcuticæ baculum ſignificat. Dalech.*] Bœoticum. Ex his tantùm Laconicum aquâ gaudere. Sunt qui herbâ, quæ vocatur culix nomine, tritâ, ſemen eorum maceratum ſeri jubeant, ut ſine ſemine naſcantur. Idem Plin. l.20.c.2. ubi de anguino, ſive erratico Cucumere egit, de ſativo, & de Pepone ſubdit. Multi eadem omnia [*quæ Cucumeri ſilv.*] ſativis tribuunt. Magnum etiam in eis momentum. Namque & eorum ſemen, quantum tres digiti apprehenderint, cum Cumino tritum, potúmque in vino tuſſientibus auxiliatur. Sed & phreniticis in lacte mulieris. Et dyſentericis acetabuli menſura. Purulenta autem expuentibus cum cumino pari pondere, & jocineris vitiis in aqua mulſa. Vrinam movet ex vino dulci, & in renum dolore clyſteribus ſimul cum cumino infunditur. Pepones qui vocantur, refrigerant maximè in cibo, & emolliunt alvum. Caro [*Dioſcoridi τὸ βρέγμα, infuſum: Ruell. verò legit, τὸ ξέσμα, ramentum*] eorum epiphoris oculorum aut doloribus imponitur [*contra infantium ſiriaſin imponitur ſincipiti: & admotum fronti pro anacollemate, oculorum fluxiones cohibet, Dioſc.*] Radix ſanat ulcera concreta in modum favi, quæ ceria vocant. Eadem contra vomitiones ſiccatur, & in farinam tuſa datur quatuor obolis in aqua mulſa, ita ut qui biberit, quingentos poſtea paſſus ambulet. Hæc farina & in ſmegmata adjicitur. Cortex quoque vomitionem movet, faciem purgat. Hoc & folia cujuſcunque ſativi illita. Eadem cum melle epinyctidas ſanant: cum vino, canis morſus. Item Millepedæ, ſpea Græci vocant, oblongam piloſis pedibus, pecori præcipuè nocivam. Morſum tumor inſequitur & putreſcit locus. Ipſe Cucumis odore defectum animi. Coctos deraſo cortice, ex oleo, aceto, & melle jucundiores eſſe certum eſt.

De Cucumere ſativa [περὶ ἡμέρου σικύου] hæc ſcribit Dioſcorides: alvo, ſtomachóque utilis eſt, refrigerandi vim obtinet, ſi modò non corrumpatur, ac veſicę prodeſt. olfactu verò defectos animo recreat. Sed & ipſius ſemen modicè urinas cit, & cum lacte aut paſſo veſicæ exulcerationibus ſubvenit. Cæterum ejuſdem folia cum vino impoſita, canum morſus ſanant: ex melle verò epinyctidas. Idem de Pepone [περὶ πέπονος] ait. Ipſa quoque Peporis caro in cibo ſumpta urinas movet: oculi verò inflammationes impoſita lenit. Ejus verò ramentum infantium ſiriaſi laborantium ſincipiti imponitur: ac fronti quoque anacollematis vice adalligatur ad inhibendas oculorum fluxiones. Porrò ſuccus cum ſemine adjecta farina ſiccatus in Sole, faciem ſmegmatis vice repurgat, illique nitorem conciliat. Cæterum ſicca radix ex mulſa drachmæ pondere pota, vomitiones movet. Quòd ſi quis placidè ac citra moleſtiam vomere à cena voluerit, oboli bini ſatiſfecerint. Sanat quoque cum melle impoſita capitis ulcera concreta in modum favi, quæ ceria vocant. Et hęc Dioſcorides qui neque Cucumerem ſativum, neque Peponem, ut vulgaris notitiæ plantas, deſcripſit, ſed nec aliorum veterum ullus ſuis notis nobis illas repræſentavit. Dioſcoridis autem Pepones nobis quidem videntur eſſe Cucumeres noſtros; Ejus verò Cucumeres, noſtros Melones.

*Pepo Dioſc. eſt Cucumis noſter.*

*Cucumeres Galeno.*

Cucumeres, ut tradit Galenus, urinam quidem, ut & Pepones cient, ſed minùs quàm illi, quòd ipſorum ſubſtantia minùs eſt humida, ideòque non facilè, ut illi, in ventriculo corrumpuntur. Invenias autem qui ipſos bellè concoquant. Qui autem eo ipſo ſiſi affatim ſeſe impleverunt, tandem longo tempore ſuccum frigidum ac mediocriter craſſum in venis coacervant, qui in ea concoctione, quæ in venis fit, haud facilè mutationem in probum ſanguinem recipit. Quam ob cauſam omnibus pravis eduliis abſtinendum, etiamſi ea quibuſdam concoctu ſint facilia. Nobis enim non advertentibus pravus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur, qui poſtea exiguam ad occaſionem putredinem nactus, febres malignas accendit: Et hęc l.2. alim. Idem 8. ſimpl. Cucumis eſculentus maturus quidem tenuioris eſſentiæ eſt, immaturus autem craſſioris. Sed & abſtergendi & incidendi facultas eis ineſt. Quare & urinam movent, & corpus ſplendidum reddunt, ac magis quoque ſi quis ſemine areſacto, contusóque ac cribrato vice pulveris abſterſorij utatur. Superat in eis frigida humidáque temperies, non tamen magnopere, ſed quaſi in ſecundo cenſetur ordine. Attamen ſi quis aut ſemen, aut radicem areſaciat, haud etiam humidæ fuerit naturæ, ſed jam deſiccantis: idque in primo quodammodo ordine, aut etiam ſecundo, ſed incipiente. Eſt & in iſtis major abſtergendi facultas, quàm in fructûs ipſius carne. Et lib. de euchym. & cacochym: Sunt autem inter fructus Cucumeres, & Pepones & Melopepones. Sed qui à bonitate ſucci tantùm abſunt, ut niſi celeriter tranſeant, in ventre corrupti ſuccum ex ea corruptione faciant mortiferis veneris proximum. Huic ſententiæ, ut aſſentiuntur omnes, adſtipulante ipsâ etiam experientiâ, ita Diphili Caryſij opinio reprehenſione digna, qui apud Athenæum Cucumerem noxium damnavit primis menſis, ut qui raphani modo ſurſum feratur, ultimo cibo innocentiorem eſſe, concoctúque faciliorem, alioqui uſum eis abdicavit. At contra cùm pravi ſit ſucci, ante alios omnes cibos ſumendus, ut faciliùs per alvum ſubeat, nec in eo corrumpatur, quod facilè ei eveniet, ſi aliis cibis poſtremus ingeratur. Addidit his quæ vera ſunt, urinas eo cieri, refrigerandi vim habere, difficilè in corpus diſtribui, ægrè per ventris anfractus evadere. Quinetiam horrores concitare, bilem creare, venerem arcere.

*Temperamentum.*

*Non boni ſucci.*

*Diph. Caryſius reprehen.*

*Difficulter diſtribuuntur.*

Plenilunio maximè gliſcunt in hortis Cucumeres, manifeſtúmque capeſſunt incrementum, & more marinorum echinorum implentur, ut tradit Athenæus, quod eſt aquei humoris incrementum. A mulis Cucumeres expetuntur, capiuntúrque mirâ eorum voluptate, nec non odorem eminùs ſentiunt. Quare munienda ſunt cucumeraria, ne irrumpentes, ea depopulentur ac proterant.

*Plenilunio increſcunt.*

*A mulis expetuntur*

Martio menſe, inquit Palladius, Cucumeres ſeminantur, rare ſulcis factis, altitudine ſeſquipedali, latitudine pedum trium. Inter ſulcos octo pedum ſpatium crudum relinquas, ubi poſſint vagari. Herbis juvantur, ideò ſarculo & runcatione non indigent. Semina ſi ovillo lacte & mulſo maceres, dulces naſcentur, & candidi. Longi & teneri fiunt, ſi aquam in patenti vaſculo ſub eis ponas, duobus palmis inferiorem, ad quam feſtinando tales effi-

*Ex Palladio. Satio.*

*Cuc. dulces*

*Longi.*

cien-

*Sine ſemine.* cientur. Sine ſemine naſcentur, ſi priùs eorum ſemina oleo ſabino [*ſeſamino alij*] perunguantur, & herba ea quæ Culex dicitur, trita confricentur. Aliqui florem Cucumeris cum viticulæ ſuæ capite cannæ inſerunt, cui priùs omnes nodos perforaverint: ibi Cucumis naſcetur in nimiam longitudinem tenſus. Oleum ſic metuit, ut ſi juxta poſueris, uelut hamus *Tonitruo convertitur.* plicetur. Quoties tonat, velut timore perterritus convertitur. Si eius florem ficut in ſua vite eſt, in *Diverſa formæ.* forma fictili clauſeris, ac ligaveris, qualem vultum forma vel hominis, vel animalis habuerit, talem Cucumis figuram præſtabit. Hęc omnia Gargilius Martialis aſſeruit. Columella dicit, loco aprico & ſterco- *Locus.* roſo ſi Rubos habeamus, aut Ferulas, poſt Autumni Æquinoctium, his juxta terram reciſis & excavatis ligneo ſtilo, inter medullas lętamen immittamus, & Cucumeris ſemen addamus, hinc naſci fructus qui poſſent & inter frigora non necari. Hæc enim, ut *Aſſervatio* hyemen odit. Inventa eſt ratio, ait Plinius, qua cibis ſervarentur Cucumeres uſque ad alios proventus: & id quidem in muria fit. Sed & ſcrobe opaco in loco arena ſubſtrato, fœnóque ſicco opertos, ac deinde terrâ, virides ſervari tradunt. Salgamarii hodie ſale, aceto, Fœniculo, & Sampſucho condiunt. Alii tritâ ſinapi cum aceto.

*Nomina linguar. Sicyos Etymon.* Σίκυς græcè dicitur, cognominatúrque ἥμερος ad ἀγρίου ſc. differentiam: & Attico more σικυὸς & σίκυον, & à Phrynichio Poëta σικύδιον. Demetrius verò, Athenæo auctore, σικύους dictos eſſe ait ἀπὸ τοῦ σεύεσθαι καὶ κύειν, i.e. quòd venerem cieant, cùm contra veneri refragentur. Inde proverbium fuiſſe commemorat *Proverb.* Athenæus τὸν σικυὸν τρώγουσα γυνὴ, τὴν χλαῖναν ὕφαινε, i. e. texens pallium mulier Cucumerem devoret. Cùm enim textrices magnâ ex parte, ſi Ariſtoteli creditur, ſint impudicæ, ut in iis veneris impetus refrenetur, adagium edendos Cucumeres textricibus conſulebat: nam venereorum aviditatem inhibere tradidit Diphylus. Quare κατ' ἀντίφρασιν nomen im- *Etym. aliud* poſitum fuit. At potiùs σίκυοι dicuntur ἀπὸ τοῦ σεύεσθαι καὶ κύειν, quòd ad gignendos, ſpargendos, diffundendos ramos cauléſque valdè incitentur, non quòd *Terræ filius.* venerem ſtimulent. Matron ſuis carminibus terræ filium nominavit. Heraclides Tarentinus Hedy- *Terræ ſuavitas* geon, quaſi terræ ſuavitatem. Recentiores Græci Cucumeres ἀγγούρια vocarunt, & communi ſermone, teſte Simeone Sethi. τετράγγουρα. Latinis verò Cucumis & Cucumer dicitur, à curvitate ut Varroni placet. Arabes *Chate, Cheta* & *Chethete* vocant: Germani Cucumern: Belgę Concommeren: Galli *Concombre* & *Cocombre*: Itali *Cocomero*: Hetruſci *Cedruolo* Hiſpani *Cogombro*: Angli Cucumbres: Bohem. *vvokuorky* Hung. *Vgorka* & *Buborka*.

*Aequivoca.* Tanta porrò eſt naturæ cognatio, inter Cucumeres, Pepones, Melopepones, & Cucurbitas, ut ſæpenumerò & proprietates, & nomina Latini, Græcíq; *Pepo.* confuderint. Pepo enim, qui à Græcis Pepon, à *Sicyos.* Theophraſto Sicyos & Perſicyos dicitur, à Polluce *Cucumis.* Cucumerum generi contribuitur. Nec deſunt, qui *Anguria.* Sicyam hoc intelligant, quod vulgo Angurium & Paleſtinus Melo dicitur. Atheneus certè Sicyam ve- *Cucurbita.* teres pro Cucurbita vocare ſolitos affirmat, atque ita Nicandrum Poëtam uti Georg. vol. 2. Apud Græcos certè Cucumeris appellatione Pepones quoque veniunt. Plinius quoque tradit, ut ante annotavimus, Cucumeres cum magnitudine exceſſere Pepones vocari.

*Tragus.* De Melone, Pepone, Cucumere & Citreolo in genere hæc habet Tragus. In Italia & Gallia multa plantantur Melonum, Peponum, & Cucumerum genera, quæ & in Germaniam commigrarunt. Habent verò Melones, Pepones, & Cucumeres ejuſdem ferè formæ folia, caules & flores, ac humi magis ſparguntur, quàm in altum ſeſe attollant, claviculas quibus proximos complectuntur frutices, Cucurbita longè magis exiguas obtinent. Folia Melo- *Flos d.* num & Peponum rotunda ſunt, aſpera, ac minora Cucurbitæ foliis. Ramuli ſeu viticulæ duplici eóque luteo emicant flore, quorum alter decidit, alter verò (poſterior) fructum facit, qui nihil aliud eſt, quàm pomum quoddam, ſed diverſæ formæ & *Poma diverſ. forma* colotis. Invenias enim Melones & Pepones alios oblongos, alios rotundos, nonnullos luteos. quoſdam virides. Hi omnes foris cernuntur ſtriati aut ſulcati, intus verò ſuccoſi, ſeminibúſque in utero liratim digeſtis referti, odore ſuaviſſimi, jucundiſſimique, ſapore verò ſatis dulces. Melonum & Peponum magna in agro Norimbergenſi copia provenit, nec non in Vngaria. Cucumeris folia aſperiora ſunt, majora & latiora Peponibus & Melonibus. Radices *Temp.* omnium tectæ ſunt, multiſque ac candidis capillamentis fibratæ. Maturantur verò eorum poma in noſtris regionibus inter Æſtatem & Autumnum, h e. Auguſto plerumque menſe. Quemadmodum autem Dioſcorides omnia Melonum, Peponum, & Cucumerum genera ſub τοῦ ἡμέρου σικυοῦ καὶ τοῦ πέπονος, h.e. ſativi Cucumeris & Peponis voce comprehendit, ita Germani omnia prædictorum generum poma, Melonen vocant. Cucumeres verò cum ma- *Pepon.* gnitudine exceſſere, Pepones, dictos Pfeden / Galli *Pompons* nominant. At rotunda & citrei coloris poma, Melopepones & Stapones à forma appellan- *Melopepones.* tur. Quæ verò ex viridi colote nigricant, guſtúque *Hirci.* optimo prædita ſunt, quidam Hircos & Hircinos (Germani Bockßhoden) vocant. Galli *Pepons Turquois*. Cucumerem luteum, Columella Anguinum *Cucum. anguin.* vocat. Reliquos Cucumeres vocant Citrinos, Citrulos, Citreolos, & Citrullos: Serapio *Batecha*, & *Chatha*, & *Cura*. i.e. Melonem, & Citrullum, & Cucumerem. Iac. Manlius Bathecam Serapionis, & Albathecam Avicennæ (quam nonnulli Cucumerem Sarracenicum, Anguriam & Languriam interpre- *Langu.* tantur) unam & eandem eſſe plantam contendit. Hebræi Cucumeres *Kiſſhuim*, Chaldæi *Kattaia* (à qua voce *Chatheth* Serapionis non multùm abludit) Pepones verò *Arthichim* (quod à *Batheca* & *Albatheca* non multùm abeſſe videtur) &, ut Thargum habet Hieroſolymitanum) *Malpania* vocant. Hac de re *Malpa.* vide Num. xi. Et hæc Tragus, qui unâ icone plures *Trag.* comprehendit plantas, Melones, Pepones, Cucumeres vulgares, & Angurias, quę vulgo officinis Citruli dicuntur. Non diſtinguit prætetea inter Melones & Pepones.

Cucumerum genera Fuchſio ſunt Pepones & *Cucumera F. ſunt P.* Melones in quos ſtatim degenerant, figurâ tantùm & quantitate inter ſe diſſidentes. Siquidem qui ma- *nes & M. lones.* gnitudine excedunt, aut in longitudinem procedunt, quales multis locis naſcuntur, Pepones quondam vocati fuerunt. Sed qui formam & effigiem Mali referunt, & humi rotundantur, Melopepones *Melopep. nes.* à Græcis vocantur, facto ex Pepone & Malo nomine, neque inter Pepones & Melopepones aliud, quàm quod ex figura quondam ſumebatur, diſcrimen fuit. Totum hoc genus Palladius Melones, quaſi μήλωνας, i.e. pomeos, à Malorum figura appellavit, quo nomine major pars hodie Medicorum ſimul cum officinis utitur. Sunt itaque in univerſum tria Cucumerum ſativorum genera. Primùm genus *Cuc. gen. ra tria.* abſolutè Cucumis, à noſtræ ætatis Herbariis, & cum adjectione Cucumis citrinus, h. e. flavus, à colore quem habet cùm maturuerit, appellatur. Aëtius, quod equidem ſciam primus Anguria vocari tradit, *Anguria.* quæ veteribus σίκυα, i.e. Cucumeres vocantur. Horum ſanè plura ſunt genera: nos quatuor potiora commemorabimus quorum etiam picturas exhibemus. Primi generis eſt vulgaris Cucumer, fructum *Cuc. vulg. 4 genera* obtinens oblongum & maculoſum, germanicè vocatur

catur gemein Cucumern/ gallicè ſimpliciter *Concombre.* Sunt qui illum privatim Anguriam appellent. Ad quod ſanè nomen alludentes, Germani
*...mis* noſtri alio nomine Gurchen nominant. Alterius
*...icus.* 2. generis Cucumer eſt peregrinus, quem vulgus Turcicum cognominat, priori multò major ac procerior, foliis, floribus, & fructu, qui ut in primo non eſt maculoſus, ſed tamen oblongus etiam: Germani Türckiſch Cucumeren nuncupant: Galli *Concombre du Turc.* Fructus ejus admodum flavus exiſtit, hinc eſt quòd multi eundem privatim Citrulum & Citreolum, quaſi Citrinum, h.e. flavum vocent.
*...mari-* 3. Hujus ſemina alba & lata ſunt. Tertij generis Cucumer eſt, qui Marinus dicitur, Turcico quod ad folia, flores & ſemina attinet, ferè ſimilis: niſi quòd in hoc omnia ſint minora: fructus verò rotundus: Vulgus *Zucco marin* vocat: Germani Meer Cucumeren: Galli *Concombre marin.* Officinis perinde ac Turcicus ignotus.
4 *...ulus.* Quarti generis Cucumer eſt, quam Officinæ hodie Citrulum vocant. folia habet ferè Colocynthidis, multifariam diſſecta & inciſa, fructum rotundum, herbacei coloris, & in eo ſemina lata, & colore ſpadicea, h.e. in ruſo atra. Ego officinas reſpiciens nominavi hunc Cucumerem Citrulum, germanicè Citrullen/gallicè *Citrulle.* Alterum genus Cucumeris eſt, qui nunc ſimpliciter Pepon, ἀπὸ τοῦ πεπαίνεσθαι, h.e. matureſcere dicitur. is enim mitis ac tener maturitate flacceſſit: Germani Pfeben appellant, Galli *Pepon.* Tertium genus Cucumeris hodie Melon ab omnibus vocatur, Germani Melaun nominant, Galli *Melons.* A priore forma & ſuavitate differt: rotundior ſiquidem & Mali Cotonei quaſi formam referens, mitiórque exiſtit. Diſcrimen hoc ſentientes poſteriores, Græci σικὸν ſimpliciter dixerunt, quem nos privatim Cucumerem vocamus. Adjectâ autem Peponis voce, hunc quem noſtra ętas privatim Peponem nominat, σικὸν πέπονα, i.e. Cucumerem. Peponem dixerunt, mitem ſc. & maturitate tenerum Cucumin innuentes. Sub quo eum etiam quem à tereti ac rotunda Mali effigie μήλωνα peculiariter dixerunt, complexi ſunt. Et hæc Fuchſius. Videtur autem valdè indiſtinctè de Cucumere, Pepone, Melopepone & Anguriis ſcripſiſſe, miſcens cum iis Cucurbitas folio aſpero. Præterea non ſine errore Cucumerem ſativum vulgarem, maculoſum cognominat, & Anguriam dici credit: competunt ſiquidem iſta duo nomina plantę quam pingit nominę Cucumeris Citruli.

Dalechampius author eſt Plinium Cucumeris nomine Gallorum Melopepones, vulgo *Melons* dictos, Cucumeres, Anguriasque complecti, & de iis diverſa tradere, cuique ſuo generi tribuenda. Citrinos adhuc in Galliis vocari *Sucrades blanches*; nigros autem, *Sucrades rouges.* Cucumeres Italiæ virides Plinij, eſſe Pepones, i.e. Melones minimos & Malo Cidonio non ampliores, in Hiſpania adhuc cognitos. Idem apud H. Lugdunenſem ait dubitari à multis an Cucumeris noſtratis vires capite de Cucumere ſativo [περὶ σικύας ἡμέρου] expoſuerit Dioſcorides, an vulgaris Anguriæ. Sed Dioſcoridem, cæteróſque Græcos σίκυος nomine Cucumerem, Gallorum *Concombre*, intellexiſſe veris conjecturis aſſecutum eſſe Matthiolum. Dioſcorides ſiquidem ſcribat Cucumerem ſilveſtrem fructu ſolo à ſativo differre, cúmque foliis, floribus, ſarmentisque ſativum prorſus referre. Quare cum his omnibus Cucumis ſativus ſilveſtri prorſus ſimilis ſit, nemini dubium eſſe debere Dioſcoridem de Cucumeris vulgaris, non de Anguriæ viribus σίκυος nomine tractaſſe.
2. His accedere Plinij authoritatem, ita ſcribentis: Cucumeres creſcunt, quà coguntur formà, &c. Hæc enim de Cucumere noſtro veriſſimè dici poſſe, minimè verò de Anguria. Nam Angurias in Italia in magnam excreſcere molem, ac cùm aqueæ ſint ſubſtantiæ, ac prædulces cùm maturæ fuerint, facilè à ventriculo deſcendere, quod Cucumeribus noſtris evenire negat, quòd frigido glutinoſóque ſint ſucco, ac ob id concoctu contumaces, nec non niſi longo tempore labi. Præterea Cucumeres eodem 3.
Plinio auctore, in fiſtula flore demiſſo, mirâ longitudine creſcere: & hoc in Cucumeribus noſtris certâ experientiâ ſe compertum habere. E quorum ſemine qui poſtea ſint orti, eandem retinuerint formam, ut in vite ſua pendentes longi, & anguium modo contorti ſpectentur. Adhæc natura oleum 4.
odiſſe mirè, ut idem ſcripſerit, nec minùs aquas dilexiſſe. Dejectos quoque ad eas modicè diſtantes 5.
adrepſiſſe, &c. Hæc ille. Cucumerem Dioſcoridis nobis videri noſtros Melones dicemus paullo poſt. Inquiremus etiam an noſtri Cucumeres ſint Pepones Dioſcoridis.

*Citreolus Cæſalp.* Apud Theophraſtum, inquit Cæſalpinus, & Dioſcoridem duo tantùm Citreoli genera traduntur: appellat Theophraſtus alterum quidem Sicyon, alterum verò Sicyan: uterque vertitur à Gaza Cucumis, quamvis aliquando diſtinctionis gratia Sicyos Pepo, & Cucumer vocetur, Sicya autem Cucumis.
*Sicya Theophraſt. eſt Citreolus Cæſ.* Ex Theophraſti verbis colligere licèt Sicyam ſignificare Citreolum noſtrum: hic enim figuram accipit loci, præcipuè genus illud intortum anguis modo. ſortè & idem Sicyos intelligitur ſc. Laconicus, qui meliùs evadit rigatus, id enim convenit noſtris Citreolis; gaudent enim aqua ut Cucurbita longa: reliqua autem Sicyorum genera, quæ non rigata præſtantiora ſunt, optimè quadrabunt noſtris Peponibus, & Cucumeribus, qui maturi cibis expetuntur: hi enim pulvere æſtivo gaudent, aquas oderunt. Dioſcorides Sicyn maſculino genere vocat; quam Theophr. Sicyan appellat; Peponem autem quem
*Sicys & Pepon Dioſ.* Theophr. Sicyon. Sicys autem Dioſcoridis vires Citreolis noſtris conveniunt. Ex Peponis quidem nomine colligere licet Peponem accipi debere aliquem ex iis, qui maturi expetuntur in cibis, ut noſtrum Peponem, aut Cucumerem, aut utrunque, ſed ex eo uſu, quo βρέγμα αὐτοῦ τῷ βρέγματι παιδίοις ἐπιτίθεται: i.e. ejus teſta veluti calvaria pueris imponitur ad calvariam, ſignificatur potiùs noſter Cucumer; rotundum enim ejus corium, & teſtæ modo fragile, & planitie ac lævitate calvariam æmulatur: idem comprobat & facultas refrigeratoria, & vis repellendi: hæc enim in Cucumere magis eſt manifeſta, quàm in noſtro Pepone. *Cucumer.*
*Sicyos Galeni eſt Citreolus Cæſalp.* Apud Galenum reperitur Sicyos, & Pepon, & Melopepon. Quæ autem de Sicyis inquit, ea profectò cum Sicy Dioſcoridis conveniunt, i,e. cum noſtris Citreolis.
*Pepon Dioſ. & Galeni idem eſt cum Cucumere.* Quæ porrò de Pepone ſcripſit, cum Dioſcoridis Pepone concordant, & noſtris Cucumeribus quadrant: Sed unum tantùm anſam dubitandi præbet, quòd ipſe inquit, homines in Peponibus, à carne intima, in qua ſemen habetur, abſtinent: contra enim apud nos uſu venit: gratior eſt Cucumeris interna caro, in qua ſemina, quàm externa propè corticem.
*Melopepo Galeni ſunt Melones.* De Melopepone tandem quæ tradit, adamuſſim noſtris Melonibus congruunt, ſed eandem dubitationem afferunt, quam in Pepone indicavimus. inquit enim in Melopeponibus homines carnem intimam, in qua ſemina continentur, mandunt; idque ipſis ad dejectionem confert. Qui verò eorum quaſi carne tantùm veſcuntur, non tam citò eam, ac
*Galeni lectio ſuſpecta reſtituitur.* Peponum excernunt: raro enim ex noſtris Melonibus internam ſubſtantiam, fibroſam comedimus, ſed una cum ſemine auferimus: idcirco ſuſpicor errore aliquo commutata eſſe in eo loco vocabula Peponis & Melopeponis, ut rectiùs in hunc modum reſtituatur Galeni locus: Qui verò eorum quaſi carne tantùm veſcuntur: non tam citò eam ac Melope-

lopeponum excernunt. Quaſi hoc ſit in cauſa, cur Melopepones tardiùs diſcedant, quàm Pepones: quia interna caro eorum non comeditur ut Peponum; vis enim ad dejectionem faciens magis in ea parte eſt: ideò ſi ex Pepone aliquis tantùm carnem duriorem aſſumeret, ut fit ex Melopepone, ſentitet tardiorem Peponis deſcenſum: huc accedit, quòd in Melopeponibus homines à carne intima, in qua ſemen habetur, abſtinent, in Peponibus autem mandunt, ídque ipſis ad dejectionem confert. Plinius omnes hos fructus, Cucumeres vocat: nam Pepones & Melopepones inter eos recenſet, quaſi ſpecies. Cucumis tamen privatim ab eo intelligitur Citreolus noſter Italicus, non ſolùm parvus, ſed & grandis, qui peregrinus eſt. Cùm autem inquit, Pepones vocantur, cùm magnitudinem exceſſere, conſentit cum noſtris Cucumeribus ſeu Anguriis. Cùm præterea ait, Ecce cùm maximè nova forma eorum in Campania provenit, Mali Cotonei effigie: fortè Melopeponas intelligit. Per non pendentes, qui ſtatim à pediculo recedunt, manifeſtè Melones noſtri indicantur.

*Cucumeres Plinij Cæſ. quid?*

*Citreolus Italicus.*

*Anguriæ.*

## MELONES. CAP. VIII.

*Deſcr. generalis.*



MVltorũ generum Melones ſarmentoſis, aſperiſque & longis caulibus, per terrã ſe ſpargunt: foliis aſperis angulofis, ſed minùs, quã Cucumerum, quorum reſpectu rotunda dici poſſent, quibus etiam magnitudine videntur cedere: è quorum ſinu flores emicant lutei, cucumerinis ſimiles, floribus pomorum Amoris pares, indidem plures unà cum intortis capreolis, quos excipiunt fructus nonnihil piloſi, omnes ventrioſi, modò ſublongam aliam, contractiorem, rotundam figuram obtinent, majores & minores, toroſi & canaliculati, in ſuperficie aliquas veluti à tineis corroſas ſemitas reticulatas habentes, colore virente, & cinereo: cortice duriore, quàm Cucumeris. Caro ſubeſt per maturitatem coloris melini, mucilaginoſa, humida defluens, ubi nimium matura, ſapore ſuavi, moſchum ſubinde redolens, aut ſaccharum reſipiens: meditullium occupat mucilaginoſa quædam ſubſtantia, cui immerguntur ſemina, ſtrobylis quodammodo ſimilia, minora, candida, ſapida, numeroſa.

*Sapor.*

*Varietates.* Multiplex in fructu eſt differentia, non tantùm colore cutis, carnis, ſaporéque, & odore, verùm etiam forma oblongã, ſeſſili, &c.

*Sicyos Theophr.* Conſideratis quæ Theophraſtus ſcribit de Sicyo, nihil invenio, quod non convenire poſſit cum noſtris Melonibus: ubi Theophraſtus habet σικύαν, Gaza interdum vertit Peponem, ſed plerumque Cucumerem: quin Σικυὸς ἄγριος ſit Cucumis agreſtis vulgaris neminem exiſtimamus dubitare: is ſanè majorem habet ſimilitudinem cum noſtris Melonibus, quam cum Cucumere.

*Cucumis Pliny.* De Cucumeribus quæ tradit Plinius magna ex parte referenda mihi videntur ad noſtros Melones vulgò dictos, cum quibus, ni fallimur, confunditur Sicya Theophraſti, ſive Melopepones Galeni, & Cucumeres noſtri vulgares: mihi facilè perſuadere ſinam, à Tiberio Cæſare Melones potiùs expetitos, quàm Cucumeres vulgares. Quæ ſcribuntur de præparatione ſeminum, & de variis generibus, quæ etiam de Peponibus dicuntur, meliùs conveniunt, cum Melonibus, quorum ſanè varia genera. quæ Dioſcorides ſcripſit Sicyos ſativæ nomine, videntur repugnare Meloni (niſi quis objiciat, quod ait ὁ φθειρόμενος, quod potiùs videtur convenire Cucumeri vulgari) folia Cucumeris ſilveſtris, ut jam diximus, ſimiliora ſunt, Melonum foliis, quàm Cucumeris vulgaris. *Sicyos Di*

*Pepones Dalech.* Quæ Tragus, de Melonibus tradidit, ante poſuimus. Dalech. apud Lugd. hæc particulatim habet. Sunt etiam Cucumerum ſpecies, Pepones & Melopepones. Sed ex Plinij verbis, *Cucumeres cum magnitudine exceſſere &c.* intelligere licet Pepones in genere Cucumerum eſſe, & Melopepones in genere Peponum: quos Palladius Melones appellat à Mali Cydonij figura, quam referunt nomine compoſito Melopepones appellari. A Peponibus autem differunt, quòd Pepones majores ſunt, magis ſtriati, magíſque ſucculenti, ſed minùs grati, carne molliore & ſemine pauciore, oblonga figura, ut Cucumeres; Melopepones globoſa. Πέπων igitur Græcis, ſecundùm Galenum, τὸ πέπανον, h.e. maturum ſignificat, quod omnibus aliis frugibus maturis convenit. Sed peculiarem fructum hoc nomine appellarunt, quomodo atramentum quo ſcribimus μέλαν, i.e. nigrum. Quare Medici non ſimpliciter fructum hunc nominare voluerunt Pepona, ſed σικυοπέπονα, i.e. Peponem cucumeralem. Ariſtoteli σικυὸς πεπών dicitur, & Polluci. Quin etiam σπερματίας, de quo Dioſcorides, Galenus & Plinius ſeorſum de Cucumeribus & Melopeponibus tractarunt, Gallis *Pepon* & *Pompon* dicitur. Ejus permulta ſunt genera, quæ ſapore, figurâ, & colore diſtinguuntur. Eſt enim ventricoſus Pepo, qui à pediculo ad umbilicum uſque ſtriatus & canaliculatus eſt. Alius quam fœminam vocant, minùs ſtriatus. Quidam totum corticem textura quadam reticulati, miro naturæ artificio conſperſam habent. Aliquorum fructus grandis eſt, humani capitis inſtar, aliquando etiam major, nonnullorum longè minor. Sunt qui herbaceo ſunt colore, alij flavo, alij pallido, nonnulli cinereo. Interior quoque pulpa varia: in quibuſdam enim rubet, in aliis albicat, in nonnullis ex albo ruſeſcit. In quibuſdam dulcis & guſtui ſuaviſſima, in aliis inſuavis & inſipida. Sunt item qui Hircini, & vulgo Turcici dicuntur. Melopepones etiam varij ſunt, nunc magni, nunc Mali Cydonij figurâ & magnitudine. Horum caro interdum candida eſt, interdum flava, quandoque pallidior, aliquando ſolidior, aliquando laxior. Præferuntur candidi, ſolidi, ac ſic dulces, ut ſaccharo conditi videantur, quos ideò ſaccharatos vocant, Galli *Succrins* & *Succredes* vocant. Præterea quibuſdam ſemen pulpæ firmiſſimè inhæret, ut cultelli mucrone particulatim evellendum ſit, aliis in medulla humida ſemen jacet, quæ concuſſo fructu ſeparatur ſponte, ac decidit à reliqua pulpa disjuncta. Sunt præterea qui olitorum mangonio Roſarum & Moſchi odorem ſpirant, ſeminibus, qua parte germinant, parumper apertis, & aqua roſacea, quæ moſchum exceperit, maceratis. Eſt genus quoddam hybernum, quod in area non maturescit, ſed flaveſcit laquearibus appenſum, magnaque voluptate Hieme comeditur. Hoc Hetruſci melle ſaccharóve condiunt Citrei pomi modo. Ac Citrulus & Anguria Peponum etiam ſpecies ſunt. Hæc

*Melones Palladij.* *Sicyopep.* *Spermatias.* *Peponis genera Dalech.* *Pepo ventricoſus.* *Pepo fœmina.* *Fructu.* *Fructus colore.* *Pulpâ.* *Odore.* *Melopepones quoque varij.* *Delectus* *Semine varian.* *Mangon* *Genus hybernum.*

Hæc omnia Peponum, Melopeponúmque genera feliciter in Gallia proveniunt. Ex multis qui ex eadem planta naſcuntur fructibus pauci ſunt, qui bonitate excellant, cæteri ſunt inſuaves. Odor ſuavior, craſſior pediculus, pondúſque, bonitatis ſunt indicia. Videtur apud Dioſcoridem mendosè βρέγμα pro ξύσμα poſitum fuiſſe, ſicut etiam Dioſcorides de Cucurbita dixit, τὸ δὲ ξύσμα αὐτοῖς παιδίοις σειριῶσι ὠφελίμως κατὰ τοῦ βρέγματος καταπλάττεται. i. e. Ramenta ejus infantibus ſiriaſi vexatis ſimplici utiliter admoventur. Cornarius tamen vocis βρέγματος lectionem non improbat, & ſignificare contendit, ſinciput & apicem, ac ſummam Peponis partem, quæ reciſa eum uſum præbeat, quem Cucurbitę ξύσμα, q.e. ramentum. Plinius, niſi mendoſi ſint ejus codices, Dioſcoridi & Galeno planè adverſatur, cùm dixit radicem contra vomitiones ſiccari, ut legendum putat Hermolaus. Plinij lectio ita reſtituenda videtur Cornario: Eadem contrahit vomitiones: ſiccatur, & in farinam, &c. Et hanc emendationem perſpicuè approbat ſequens Plinianæ orationis contextus, ſiccatur, & in farinam tuſa datur, &c. Quod verò dicit radicis farinam in ſmegmate addi, an de eadem Dioſcorides intelligat, cùm ſcribit ſuccum cum ſemine admixtum, ad farinam ſiccatum in ſole cogi ad ſmegmata, dubitari ſanè poteſt. Nam etſi radici eandem quam Plinius vomitiones concitandi vim tribuat Dioſcorides, nullâ tamen adhuc radicis mentione factâ, ejus farinam qui potuit intelligere? At cùm ad eum uſque locum de Peponis carne tantùm tractarit Dioſcorides, cùm etiam hæc Galeno abſtergendi vi prædita ſit, magíſque ſemen ipſius, ejus carnis exſiccatæ farina hoc loco accipienda videtur, vel τὸ ἄλευρον ſimpliciter farina aliqua vulgaris, ut triticea, vel hordeacea, quæ ſi non ad abſtergendum, certè ad paſtillorum formam effingendam, ſucco & ſemini admiſceatur, eáque forma illa excipiantur. Quod porrò radici Peponis tribuerunt Dioſcorides & Plinius, Galenus ipſius Peponis carni adſcripſit. Hactenus Dalechampius, qui Peponis ſpeciem Citrulum quoque conſtituit, dicens: Peponis ſive Cucumeris ſpecies eſt, qui Citrulus Medicis dicitur, quaſi Citreolus, Avicennæ verò Batheca. Eſt autem Bathec ſive Batheca nomen commune ad omnes ſpecies Melonum, & Anguriarum. Serapio cùm de Peponibus & Melopeponibus ex Galeni ſententia dixiſſet, peculiare de Anguria caput ſubjecit, quam arabicè Dullaha appellat, in cujus hiſtoria & viribus exponendis cùm nulla Græcorum, ſed Arabum duntaxat teſtimonia proferat, facilè intellectu eſt Angurias veteribus Græcis penitùs fuiſſe ignotas. Eam ob cauſam eos hallucinari, qui Pepones Angurias eſſe arbitrati ſunt, in confeſſo eſt.

Fuchſ. iconem nomine Peponis habet, qualem nos ex eo proponimus, & genus Cucumeris facit, ut oſtenſum antehac, ubi ejus verba tranſcripſimus. ibi ſanè multa indiſtinctè tradita videntur.

Non deſunt qui dicant Melopepones Galeni lib. 2. aliment. communes noſtros Melones eſſe. Pepones verò, quos in eo genere Veneti vulgo *Pipone* vocant. Ego autem quamvis dubius ſim (inquit Matth.) inclinat tamen animus ad credendum per Melopepones Galenum noſtrates Melones intellexiſſe, ſi modo ipſe eorum unquam habuit notitiam. Cum illis porrò non mihi facilè convenit, qui Venetas Piponas dictas Galeno Pepones eſſe exiſtimant. Πέπων Græcis, Pepon item Latinis, Mauritanis *Batheca*, ſeu *Batiech*: Germani Pfeben & Melon & Melaun: Gallis *Melons*. Idem in comm. poſt. cum magn. fig. vocat vulgari nomine Melones & Pepones, addens diverſas eſſe ſpecies, formâ, colore, & odore. Differentias adhuc ſpeciei meminit, quæ ſervatur ad primum Ver. In hiſt. germ. vocat magnos Melones latinè Pepones, parvos verò & rotundos Melopepones. Adhæc Melonum ſpeciem reperiri ait tenuiſſimo cortice, erraréque toto cælo, qui Pepones, vulgares Cucumeres faciunt. Sed errat ipſe.

*Matt redarguitur.*

Lob. adv. vocat Melonem vulgi, Cucumerem antiquorum, & Melopeponem Dioſcoridis, aſſignátque varietatem Peponum eſſe magnitudinis, coloris, & odoris. Inveniri quippe ſpeciem quandam Moſchatelinam, quæ vix Colocynthidem aut Arantium ſuperet, odore moſchi, ſapore delicatiſſimo. Eſſe & alteram cortice, carnéque albam, ſapore etiam perjucundo. Vel hoc uno argumento tandem aſſerit Melones noſtros, ſive vulgi Italici Pepones, eſſe antiquorum (præſertim Dioſcoridis) domeſticum Cucumerem, ſive Sicyam ſativam, quia odore eximiæ fragrantiæ, & Cytonei mali, aut Pomorum redolentium æmulo reſtauret vires languidas & reficiat, ſpiritúſque diſſipatos revocet animo lapſis, ut idem Dioſcorides author eſt: eóque Melones, quaſi Pomoſos, meritò vocatos fuiſſe à recentioribus Græcis, quòd ori ac ſtomacho, cibus ſint gratiſſimus, omnium hujus generis.

*Melo vulgi Lob. eſt Cuc. antiquorum, & Melopepo Dioſc.*

*Melo albus.*

*Melo vulg. ſive P. pon Italitus eſt Cucumis antiq.*

In Obſ. p. 364. dicitur ei Melo vulgi & Melopepo Dioſcoridis: in Icon. p. 639. Melo vulgi & Cucumis antiquorum. Brunfelſ. & Trago Melo, ut & Geſn. de coll. (cui & Melopepo.) Dodon. in ſol. lat. vulgo Melones, Ital. *Mellone*, Hiſp. *Melon*. Gallic. *Melons*, Germ. & Bohem. Melon/ Belg. Meloenen. Μῆλον autem Græcis pomum ſignificat, proinde rectiùs Μηλοπέπων hic Cucumis Dodonæo appellandus videtur, Pepon videlicet Mali odorem referens. Nam hujus fructus odoriferis malis odore ſæpenumerò vicini ſunt, ſubinde verò & obſcurè moſchum redolent, qui idcirco & Moſchatellini cognominantur. Galenus hunc pro Cucumi habuiſſe videtur, qui Græcis σίκυς ἥμερος, Lat. Cucumis ſativus.

*Synon. cum nominib. linguar.*

*Melopepon.*

Icon hujus proponitur à Tab. pro Melone, nec illa diſplicet: verùm ſine ratione & imperitè per Nicol. Braun pro Melonibus & Peponibus proponuntur icones tredecim, multùm inter ſe differentes, & diverſarum admodum plantarum, nec tamen earum ullum traditur diſcrimen, nec ulla deſcriptio.

*Nic. Braun taxatur.*

B. phyt. vocatur Melo 1. ſive vulgaris, mirè fructu varians. Eſt enim, inquit, nunc oblongus, aliàs contractior rotundioris figuræ, aliàs modicè depreſſus, & ſeſſilis: ſubinde major, qualem Tab. & Ger. Melonis hiſpanici (de hoc nos ſeorſim poſt dicemus, nomine pingit; quandoque minor. Cortex aliis aſper, rugoſus & tuberoſus: & hic eſt Pepo ſtrumoſus, Lob. adv. aliis lævis: nunc viridis, nunc cinereus, nunc pallidus, nunc varius. Pulpa aliis ruffa, aliis candida, viréníque, quibuſdam ſuavior, quibuſdam moſchi odore, quorum Dodon. & Cord. [*in Dioſ. & hiſt. Moſchatellinorum Peponum nomine*] meminit. Aliqui æſtivi, aliqui hyberni ad Hiemem perdurantes. Habentur Camerario monente Americi & alij Italici, Patavini item Zatti dicti, & Neapolitani, in quibus ſemina adeò tenui cortice teguntur, ut excorticata videantur, idcirco Gymnoſpermi dicuntur: Sunt denique & Piloſi. Cucumerum genera cenſentur Pepones & Melones, qui videntur potiſſimùm figurà & quantitate differre: qui enim majores ſunt & oblongi, Pepones dicti fuerũt; qui verò formam & effigiem Mali referunt, Melopepones, quod nomen adhuc hodie in uſu eſt. Sicq; tria ſtatui poſſunt Cucumeris genera, primũ Cucumer, de quo aliàs: Secundũ Melonũ, Tertium Peponum.

*Melonis vulg. varietates, C. B.*

Melo autem, Theophraſto Sicyon, Plinio Cucumis [illegible] Cotonei effigie, Melopepo Galeni: fortè Cucumis antiquorum. Hactenus C. Bauhinus, cui & in pin. Melo 1. vulgaris: Melo, Brunf. Trag. (& Melopepo) Lac Tab. Ger. Pepo, Matth. ic. Fuchſ. Lug. & Caſt. Pepo, grandis Melo, Cord. hiſt. Cucumis Galeni & antiquorum, Dodon gall. Melo vulgaris, Melopepo in Græcia, Guil. Melo ſive Pepo vulgi, Cucumis Galeni, Dod. Melo vulgi, ſive Cucumis antiquorum, Melopepo Dioſcoridis, Lob. Melon vulgo & Pepon, Sycion Theophraſti, Melopepon Galeni, Cæſ. Melopepo, Geſn. h. Lon. Lugd.

*Synon.*

## MELO RETICVLATVS.

*Deſcr fru-ctus.*



MElo reticulatus pedem ferè longus, qui craſſitudine utcunque utramque manum implet, profundè corniculatus, cortice eſt ex nitido rubeſcente, deinde aſpero, rimoſo, reticulato, cinereo: carne ſubluteâ, ſive melinâ, ſatis firmâ, ſapidâ, ſubacidâ: medullâ intus fungosâ, albeſcente: ſeminibus oblongis, ſubluteis: aquco humore, ſubacido.

Hortulanus aſſerebat facilè putredinem contrahere, ubi pluvia tangatur, quem propterea magna cum difficultate colit Montbelgardi in horto E. C. maturum medio Auguſto.

## MELO HISPANICVS.



INvenimus apud Tab. & Gerardũ Melonis hujus Hiſpanici figurã, verùm nullã additã deſcriptione. Quare ſi nõ ſit figmentum, qualia nonnulla proponit, ejus delineationem ij tandem addere poterunt Hiſtoriæ noſtræ, quibus notum erit Melonis hujus Hiſpanici diſcrimen.

B. in ſuo phyt. & pin. ſi ſcripta ejus intelligimus, Melonem vulgarem majorem modicè depreſſum & ſeſſilem vocavit.

## MELO MAGNVS CORTICE virente, lævi, ſemine parvo.

MElo capite pueri nuper nati paullo minor, longior nonnihil quàm craſſior, cortice externè virente, lævi, lucente, quibuſdam in partibus rugas habente aſperas, quaſi inſcriptiones: coſtis duas uncias latis, non admodum elatis. Sub cortice caro latet durior, unciam penè craſſa, tenerior paullo, grata admodum, & odorata: licèt anni conſtitutio parùm commoda fuerit pro Melonum maturitate: ſemina ſunt valdè parva, latiuſcula, alba.

Delatus hic Melo Veſutio, deguſtatú(que menſis Octobris 7. die, in arce Beffordiana, quo nec meliorem, nec gratiorem, & odoratiorem comperimus.

## MELO TVRBINATVS.

MElo turbinatus primò non multùm largior, quàm manu comprehendi poſſit, pediculum verſus in anguſtum deſinit, ut ſolent pira. Coſtas ut cætera genera habet, ſatis eminentes, unciam politas, latas: in ſuperiori parte cineritias, maculis rubris notatas, earundem coſtarum partes depreſſas, rubentes, pilíſque quibuſdam aſperas. Maturus rugoſus non fit, jucundum ſpirat odorem, colorémque non mutat, & cortice exteriore rubet. caro dura, multa, mollis verò pauca, ſed lutea, ſapore gratiſſimo, & dulci: odore grato: pauco aqueo humore imbuta: ſemen anguloſum, maturum in horto E. C. Montbelgardi Septembris principio.

## MELO MOSCHATELLINVS, rotundus parvus, & pyriformis.



TAm Môtbelgardi in horto E. C. quàm alibi Melonis hoc parvum genus provenire obſervavi, odoris & ſaporis gratiſſimi, de quo Lobel. in adv. verba fecit (quæ ante adſcripſimus) & in Icon. p. 640. icone exhibuit pro Melone ſaccharato.

A Ger. & Tab. ic. & hiſt. (ubi ſola icon) inſcribitur Melo ſaccharinus, ger. Zucker Melonen: A B. phyt. & pin. Melo 2. ſive rotundus parvus. Dantur aurei, parvi, in modum pomorum Arantiorum, Cam. vel ut Cæſ. mali roſei magnitudine. Meminit & Garzias Melonis genus in Hiſpania, quod Budiecas vocent. Eid. B. pin. Melo 3. pyriformis moſchatus: Melo ſaccharinus variegatus. Eyſt. Nos icone noſtrã priorem Melonem muſchatellinum demonſtramus.

## MELO LONGVS.

MElonem hunc pulcherrimum antehac nunquam viſum obſervavi Granduillæ, longitudinis quatuor circiter palmorum, incurvum, ut cornu vaccinum, non ita craſſum ut vulgarem Cucumerem, ſed multò longiorem, ſapore, ut refertur, pulpâ, ſeminibus, ac etiam foliis iiſdem, cum jam dicto.

Melo

Melo hic albus ita nobis denominatus, Montbelgardi in horto E.C. ex ſeminibus per eundem E.C. delatis provenit. Erat hic pingendus & deſcribendus: verùm oborto nimis intempeſtivo gelu, méque abſente, id, me quidem adhuc dolente, neglectum fuit.

De loco & tempore Melonum verba facere reliquum eſt. Melonum igitur & Peponum, ut ante ex Trago conſtat, magna in agro Norimbergenſi copia provenit: nec non in Hungaria. Maturantur autem Auguſto plerumque menſe. Seritur teſte Dodonæo, locis cultis: tumulos amat, Soli vel maximè expoſitos, terram verò mediocrem, non minùs pinguem, aut ſtercoratam. In Germania & Belgio non niſi ſerò, & cùm aſtrum calens, ac ſicca fuerit intemperies, ad maturitatem perveniunt. Melones in gulæ delitiis crudos ſuaviſſimos habet univerſa Italia, Galloprovincia, Narbonenſiſque, & Vaſconia: nec non inferior Auſtria & Pannonia. Cæteris regionibus ad Boream, ut Franciæ, Belgio, & Angliæ ægrè, aut inſipidiores proveniunt, nec plerumque maturitatem conſequuntur, præ imbrium copia, & caloris inopia. Nos Melonum differentias & genera varia vidimus Monſpelij, Baſileæ, Lugduni, Genevæ, in Alſatia & aliis locis, quos particulatim non annotamus. Iulio & Auguſto maturantur.

Vires, quæ Melonibus ex veteribus competere poſſunt, ante recenſuimus. Dodonæo frigida ac humida Melonum caro eſt, difficiliúſque quàm reliquorum Cucumerariorum concoquitur. Quod & Aëtius teſtatur, in ventriculo, ſi diutiùs hæreat, corrumpitur & malignis febribus occaſionem præbet. Nos verò nequaquam Dodonæo conceſſerimus Melones difficiliùs concoqui Cucumere vulgari, ipſâ carne molliori odorata, contrarium, ſcilic. concoctionem minùs difficilem, demonſtrante. Ipſe etiam qui ventriculo laboro frigido, & pituitam coacervante, non ſemel obſervavi, mihi Cucumeres facilè nocere & difficulter ventriculum meum eos concoquere, ructu diu poſt eſcum eoſdem reſipientem. Melones verò ſemper ſine manifeſta cometi noxa. Ne autem Melonum caro per concoctionem in ventriculo vitietur ac corrumpatur, noxámque aliquam facilè inferat, ſolent Viennenſes Auſtriaci, ditiores præſertim (quotannis enim ferè non duntaxat domeſtici, verùm etiam exteri regnorum adjacentium Melones divenduntur maxima in copia) cum pipere & ſacchaго eos comedere, vinúmque generoſum ſuperbibere. Eſitantur tamen etiam cum pauco ſale & pane. Vocant Melones ſuo idiomate Blutzer / & ſeminum Melonum emulſionem Blutzer milch/h.e. Lac Melonum, præſtantiſſimum in febribus ardentibus remedium. Seminum autem medullam aquâ fontanâ aut alio aliquo liquore congruo priùs contuſam, per cribrum ſetaceum emulgent anguſtiſſimum, aut pannum ad inſtitutum accommodatum. Seminis hic Melopeponum & Peponum cremor febrientibus utiliter ex hordeacea ptiſana, teſte Matthiolo, propinatur, non ſolùm enim refrigerat, ſitímque extinguit, ſed etiam obſtructiones tum hepatis, tum vaſorum expedit, & urinam provocat. Datur tuſſientibus, tabidis, & maraſmo affectis: atque etiam contra urinæ ardores valde prodeſt, additis paſtillis ex Halicacabo, aut Glycyrrhizæ ſucco, Mannæ, Gummi Arabici, aut Tragacanthæ momento. Sed & magis confert, ſi ſeminum Papaveris cremor accedat, baccarúmque Halicacabi, & Malvæ decoctum. Ex Melopeponibus in particulas ſectis, Ari, Bryoniæque radicibus, & Limonum ſucco, ac caprino lacte, quod hæc omnia ſuperet additis, aqua vitreis organis, ut vocant, deſtillatur, qua faciem mulieres adornant, & concinnam reddunt.



## MELONES ABDELLAVI Ægypti.



EX Melonibus quoſdam à noſtratibus planè diverſos Ægyptij habens, quos Abdellavi vocant, ad differentiam aliorum quos Chaiar [*Melonum apud Aegyptios genus Alpino ſine icone. B.pin. Melo 6. (5. phyt.) ſive Melonis Aegyptii alterum genus,*] nominant. *Deſcr.* *Abdellavi.* *Chaiar.*

Quorùm uſus ad cibum haud multùm jucundus percipitur, cæteriſque omnibus inſipidiores, ac molliori pulpâ obſervantur. Habent tamen ſemina, quæ aliis omnibus longè magis ad refrigerandum præſtare putant. Qua de re, omnes ea plus aliis in uſu frequentiori habent aliorum Melonum ſemina parvi facientes. Planta à noſtratibus non multùm differt, ſed fructus fert oblongos, acutos, extrema, & medium valde craſſum habentes, Bahobab alibi narratis fructibus proximos. B.pin. vocat Melonem 5. (4.phyt.) ſive Ægyptium. *Vſus.* *Semina.* *Plantæ effigies.* *Melo Aegypt. C.B.*

## MELONES INDICI, AMpliſſimi.

IN Americæ inſula Madagaſcar, ſive S. Laurentij, referente Theveto libri ſui de America cap. 23. mirabilis craſſitudinis Melones reperiuntur, & tantæ, quantam quis ulnis amplecti poſſit, coloris rubentis, & in quibuſdam albi, alij lutei, ſalubriores multò noſtris, potiſſimùm Lutetianis, cultis in aqua & fimo, magno ſanitatis detrimento. *Locus.* *Colore variat.*

## MELONES PERVANI.

MElone in valle Peruana tantâ felicitate proveniunt, ut radix caudicis craſſitudinem aſſequatur, & viva aliquot annis in ſolo vigeat, quæ quotannis Melones profert, cujus luxuries non ſecus ac cæterarum arborum amputatur: Ioſeph. Acoſta l. 4. c. 19. B.pin. Melo 8. Melo peruanus.

## CVCVMIS VVLGARIS, VIRIdis & albus.

EX radicibus rectis, multíſque candidis capillamentis fibratis, hirtis ſarmentis, craſſiſque humi fuſis, alternatim adnaſcuntur folia, palmi unius, aut alterius quoquo verſum amplitudine, tactu aſpera, angulis hederaceis ceſa, & ſerrata, ſcandentia, Melonum foliis aſperiora; & majora, latioráque, è quorum alis capreoli exeunt, & flores (Lob. liliacei, ex luteo pallentes, conniventéſque noctu, aut marceſcentes Volubilis ritu) quinquepartiti, ſemunciâ majores, duplices: quidam enim decidunt ſine fructu, alij producunt fructus oblongos, *Deſcr.*

utrinque turbinatos, viridanti colore, aut albo: viridantes autem ubi maturi flaveſcunt, ſemipedem



longi ſunt, parùm ventricoſi, anguloſi: verrucoſis, ſubnigricantibus tuberculis aſperati: cortice teneriore, carne duriuſculâ, candidâ, tranſparente, laxâ: *Sapor.* ſapore non ita grato, ut Melonum, inquit Tragus, ſed peculiari quodam & agreſti: ſemine copioſo, pineolis putamine exutis accedens, compreſſo, anguſto, Melonum ſeminibus adeò ſimili, teſte Lobelio, ut neutiquam, niſi quia anguſtius [*non omnibus Melonibus*] & puſillo apiculo ſubtus protenſo donatum eſt, diſcrepet: *Medulla.* medullâ lacteſcente, admodum ſuavi, & multi usûs officinis.

*An Sicya Theophr.* Iam deſcriptæ à nobis plantæ, Cucumeri ſcilic. communi, an reſpondeat Sicya Theophraſti, conſiderandum? *Plin. not.* Eam autem, ni fallor, Plinius miſcuit, cum Sicyo Theophraſti, non diſtinguens eam à *Cuc. vulgares.* Melonibus noſtris. Eum namque nomine Cucumeris comprehendere noſtros vulgares facilè credimus, non autem longos illos, qui dicuntur *Cuc. longus.* artificiales. ſcio enim extare tale genus Cucumeris, præter Melonem longum: vidi recurvatos nullo ſubjecto oleo, ij dicuntur ſerpentini, de *An Pepo Dioſc.* quibus poſt. An noſtri Cucumeres vulgares à Dioſcoride Pepones dicantur perpendendum, quamvis Matthiolus dicat non admittendam eam opinionem, nihil tamen occurrit quod repugnet, niſi obſtet Galeni ſententia de Peponibus. Indagandum præterea eſt, an radix Cucumeris vulgaris vomitum *Sicyos Dioſ. eſt Melo.* moveat? Quicquid autem in contrarium afferatur, conveniunt tamen ea, quæ Dioſcorides de Sicyo ſativo pronunciavit, cum Melone noſtrate, ut antea monuimus.

Allubeſcunt ea, quæ Dod. in fol. lat. ſcripto prodidit. Paſſim, inquit, Cucumis pro eo habetur, *Melopepo Galeno.* qui Græcis σικυς ἥμερος, i.e. Cucumis ſativus dicitur. Galeno autem non Cucumis, aut σίκυς, ſed Μηλοπέπων eſt. Nullius enim fructus Cucumerarij medulla, caróve interior editur, ſed omnis abjicitur, excepta hujus carne, quæ cum ſeminibus eſtur. Quod ſcribit Gal. lib. 2. de aliment. Homines, inquit, à carne Peponum interna abſtinent, Melopeponum autem mandunt: dicitur Belgis Concommeren. Sunt qui Anguriam dici velint, ſed o*Anguria non eſt.*mninò alius fructus eſt Anguria. Et hæc Dodonæus. Subjiciam aliorum opiniones, de noſtro vulgari Cucumere.

*[illegible] luteus Trago Anguina Col.* Cucumerem luteum, quem Columella Anguinam vocat, Tragus ita delineat: In Cucumeris pomo luteo & oblongo multi prominent undique toruli, licèt formâ & colore elegantius ſit Melone & Pepone, tamen craſſiorum eſt partium, & cibis non perinde gratum, atque illa, quippe quòd peculiarem quendam & agreſtem habeat ſaporem: intus candidum, ac acutis ſeminibus profuſus repletum. folia hujus aſperiora ſunt majora & latiora. gaudet mediocriter pingui Solo. Poma admodum oblonga fiunt, præſertim ſi per harundinem flos deducatur. Serapio *Kura* vocat: Hebræi *Kiſſchuim*, Chaldæi *Katrata*, à qua voce *Chatheb* Serapionis non multùm abludit. *Kura.*

Monuimus ante, Fuchſium vocare Cucumerem ſativum vulgarem, ſed confundere cum Anguria. *Fuchſ.*

Non planè diſcerni poſſe putat Matthiolus, an Dioſcorides reddat vires ejus Cucumeris, qui propriè Inſubribus & Venetis Cucumis dicitur, Hetruſcis verò Citrullus, omnibus notiſſimus, an alterius, Hetruſci ſcil. qui aliis Italiæ populis Anguria vulgò nuncupatur. *Inſubrum & Venetorum Cucumis M. Citrullus Hetruſcorum.* Siquidem non ex Dioſcoride modò, ſed nec ex aliis veteribus hactenus quenquam repererit, qui Cucumerem, qui Græcis propriè σίκυς appellatur, notis ullis repræſentarit. Sed quod Græci σίκυος vocabulo Hetruſcorum *Sicyos [illegible] corũ M.* Citrullum, & Inſubrium, Venetorúmque Cucumerem, omnibus notiſſimum ſignificarint, facilè conjici poſſe credit ex ipſo Dioſcoride. Quippe quòd Dioſcorides aſſerat Cucumerem ſilveſtrem ſolo fructu, à ſativo diſcedere: Huic verò ille, quem Hetruſci Citrullum, alij verò Cucumerem dicunt, per omnia reſdondeat. Non poſſum igitur, ait, non liberè pronunciare, Dioſcoridem Citruli nobis vocati, non autem Anguriæ vires deſcripſiſſe. Quamobrem Fuchſius magno errore putat Cucumeres, *Fuchſ. er.* quos Citrullos Hetruſci nominant, Augurias eſſe. Eadem repetit in comment. cum mag. ſig. In hiſt. germ. refert quoſdam in Bohemia vulgares Cucumeres, Citrullos vocare, propter ſimilitudinem cum parvis Citriis. Sed necdum in epit. eorum admittit *Matth. ſatat.* opinionem, qui nobiſcum, & veriùs, noſtro quidem judicio, vulgarem Cucumin, Peponem eſſe contendunt.

Sed & Corn. ait Cucumim ſativum, Græcorum σίκυν & σίκυον (quam vocem in maſculino & neutro genere profert) eſſe: recentiores verò Græcos ἀγγούριον vocare: *Angurium.* Sic enim Simeonem Sethi habere: ἀγγούρια τὰ λεγόμενα σίκυα, κατὰ κοινὴν ἢ τετράγγουρα, frigida & humida ſecundo gradu. *Tetrangura.* Ex hac autem appellatione Germanos partim Angurien, & partim Gurchen vocare. Naſci hodie multùm per omnem Scythiam & Sarmatiam, & apud Livones Pomum Rutenicum appellari. *Pomum rutenic.*

Vide quæ Dalechampius de Cucumere ſativo dixit, capite de Cucumere, Pepone & Melopepone in *Nomina linguar.* genere ex veteribus & Neotericis. Habes eodem hoc capite nomina linguarum, quæ prudens lector huc transtulerit.

Cucumer latinè, σίκυς atticè, communis multis *Σίκυς.* generibus dictio, omnem hanc in Latinis incertitudinem fecit, quod Cucumerem in Græcis ac Latinis audientes, ex ea quod nunc eſt, unum tantùm genus, Cucumer vulgo appellatum, fructu oblongo, & maculoſo, ſignificari crediderunt: quum Græci σίκυος nomine, genera multa numerent, quæ aut cartilagine, aut cute foris obducta, in oleraceis extra terram creſcunt, & ſi hoc quod nunc Cucumis dicitur, illis primum, & ſupremum genus ſit. atque poſteriores Græci σίκυν ſimpliciter dixerint, Cucumerem vulgatum, quúmque Braſſavolus, non tantùm Cucumerem vulgi, ſed omnia Melonum genera, i.e. Cucumeres, Citrulos, & Angurias, comprehendi annotaverit: verùm per Cucumim abſolutè, Anguriam intelligi oportere, quæ Hetruſcis Cucumis dicitur: at per Cucumim citrinum, voce hâc adjectâ, noſtrum Cucumerem ſignificari, ideo Hetruſcis Citreolum vocatum, diminutivè, à flavo citrij colore: quem in extrema maturitate oſtendit. Matthiolus evaginato enſe, ac ſi pro aris, ac focis digla*Matth. reprob.*diaretur, ſub voce σικύας, ex cõmuni omnium ſententia, Cucumim Latinis ex Dioſc. intelligi contendit: i.e. Hetruſcorum Citrullum, quũ illis Cucumis, noſtratibus ſit Anguria. Matthiolus autem etſi probet

Sicyos

Sicyos (agrios addito) erraticum Cucumerem: at nullâ adjectione, vulgatum etiam ſignificare, non tamen tollit, plura ex aliis denotare poſſe, ut ſecundo ſui Coroll. Hermolaus facilè indicat: præterea Dioſcorides alvo & ſtomacho perquam utiles haberi Cucumeres oſtendit, qui quum adeò difficilis ſint concoctionis, ut etiam ſecundo die, ex Plinio, conſentiente Matthiolo, ſtomacho immorentur, atque ex Gal. 2. de aliment. facult. cap. 6. ſuæ ſubſtantiæ proprietate, coctu ſint difficiles, pravíque ſucci, quâ ratione alvo, & ſtomacho amicentur, non ſolùm naturaliter, ſed etiam ex ſymptomate, doceat obſecro, ait Apollo Rad. 1. ſupra El. Diathod. commune, Matthiolus: nam ſic omnia pari modo frigida, alvo accommoda dici poſſent: quicquid ſit noſtrum Cucumerem, & Hetruſcorum Citrullum, pro Cucumere accipiam.

Cæterum, Anguill. epiſt. 7. narrat Cucumeres inveniri & virides, & albos, & longos, & contortos, & glabros, ac aſperos, omnes notos: Anguinum dictum viridem eſſe & contortum, & ſerpentem.

Apud Tab. effigies Cucumeris ex Hiſpanico ſemine nati proponitur ſine deſcriptione, non indicato quidem diſcrimine à vulgari Cucumere, cujus imaginem ibidem quoque habet.

C. Bauh. phyt. & pin. itémque apud Matth. vocavit Cucumerem 1. ſive ſativum vulgarem: Cucumerem ſativum Brunſelſ. Matth. Fuchſ. Dodon. gall. Lon. Caſt. Cucumerem, Trag. Ang. Turn. Lac. Fracaſt. & Tab. Cucumerem vulgarem, Dod. Ger. Cucumer ſativum, Cord. in Dioſc. Cucumeres ſativos & eſculentos Lob. adv. & Ic. p. 638. obſ. p. 363. Cucumim eſculentum: Citreolum vulgo Cæſalpini: Sicyon Galeni quorundam, & ejuſdem Melopeponem aliorum: fructu maturo ſublureo: toto etiam albo: toto etiam viridi: magnitudine quoque & formâ vario, longum, recurvum: lævem, aſperum.

Seritur in hortis: pinguia & aprica amat loca. Iulio & Auguſto menſe fructus edules, cum ipſis ſeminibus, ſed Septembri demum ad perfectam maturitatem proveniunt.

Dioſcoridis vires de Cucumere & Pepone poſuimus ex veterum ſententia, ceu ea quæ circa Cucumeris vires memoriæ prodidit Galenus. Dodonæus eligit virides, nondum maturos: maturi ſiquidem & jam citrini facti eſui haud ſunt idonei. Semen frigidum quidem, ſed multò minùs quàm fructus. Aperiendi vim atque extergendi præterea obtinet: urinas movet: jocineris obſtructiones aperit: pectori ac pulmoni inflammatione laborantibus prodeſt: contuſum, ſoríſque abſterſorij loco adhibitum, cutim ſplendidam reddit: Galeno autem non Cucumis, aut σικυς, ſed Melopepon eſt, &c.

Qui calidioris temperaturæ ſunt homines, inquit Tragus, aut ab ineunte ætate ejuſmodi cibis aſſueti, hiſce veſci poſſunt. At qui frigidiore ſunt præditi ventriculo, ſi hoc cibo frequentiùs uti voluerint, facilè in febres incidere poſſunt. Cucumeres intrinſecus ad calidas affectiones uſurpari poſſunt. Extrinſecus ſuccus cum ſemine adjectâ farinâ, ſiccatus in Sole, cogitur in ſmegma, quod faciem repurgat, & nitorem affert, ſed cum vino illinire oportet: mulieribus hæc medicina convenit. De Cucumere ita cecinit Baptiſta Fiera,

*Sic nocet humeſcens Cucumis, gelidúſque Citrullus,*
*Vt tremuli ardores cordis odore levet.*
*Ne diuturna tamen ſit concomitata caveto*
*Febris, in aſſiduos ſi datur eſca cibos.*
*Hic bilem, ſubigítque ſitim, ſtomachóque calenti*
*Gratus erit, medici ſi ſapit arte coqui.*

Vires Anguriæ ſive Cucumeris, Simeonis Sethi poſuimus capite Colocynthidis folio citreoli, ſive laciniati. Lobelius vulgari Cucumeri vires Cucumeri Dioſcoridis adſcribit. Miror autem eum in obſ. Cucumeri vulgari attribuere vires ex Dioſcoride, & Galeno, itémque Ægineta Cucumeris eorum ſativi: quum in Adverſ. dixerit, Melones noſtros, ſive vulgi Italici Pepones, eſſe antiquorum (præſertim Dioſcoridis) Cucumerem domeſticum, ac etiam ſcribat in iiſdem Obſerv. quaſi ſibi contrarius, Melonem vulgi eſſe Melopeponem Dioſcoridis, ibidem Melonis iconem ponens, ſubjiciénſque Peponis vires ex Dioſcoride. *Lob. tax. at.* Cucumer vulgaris, major quidem, decorticatur, ac tránſverſim in orbiculos tenuiſſimos, quoad fieri amat, diſſecatur ſale aſpergitur paropſidéque duplici excipitur, agitando eouſque donec aqueus humor majori ex parte eliciatur, deperdatúrque. *In acetariis.* Sic agitati Cucumeris orbiculi, cum Pipere, oleo & aceto comeduntur. Parvi aceto, ſale, Pipere & Fœniculo quotannis condiuntur: inſeruntur etiam quandoque Garyophylli: per totum annum conſervantur. *Conditura.* Mirè, præter cæteras vires, appetentiam excitando, æſtuanti ventriculo conferunt.

## CVCVMER MINOR, PYriformis.



CVCVMEREM hûc minorem Ger. & Tabernomontani, Flein biren Cucummern/ Cucumeribus aliis minorem eiſq; ſimilem, niſi piro par eſſet, ineptè, meo quidem judicio, Nicol. Braun capite de Cucumere ſilveſtri collocavit. *Nic Braun not.*

Bauh. phyt. & pin. vocat Cucumim 4. ſive Pyriformem.

## CVCVMERES LONgiſſimi.

CVcumis flexuoſus, authore Lobelio, ſive anguinus prorſum ſimilimus eſt vulgari flagellis, ſoliis & claviculis. *Cuc flexuoſus Lob* Nos autem obſervavimus, ei folia eſſe minùs aſpera, quàm in vulgari, quædam etiam ſubrotunda, parùm laciniata, & anguloſa, alia magis: fructus longi inſtar ſerpentis ſe contorquentes, albi, quaſi canaliculati, & ſtriati, pulpâ albâ, ſapore vulgaris: ſemine albo. Ex his liquido conſtat, hallucinatum eſſe Lobelium. *Lob hallucinatur.*

Plinius per Cucumeres in fiſtula flore demiſſo, mirâ longitudine excreſcentes, Cucumeres noſtros longiſſimos innuere videtur, eóſq; arte tam longos fieri & quidem è vulgaribus credidit. *Plinio Cuc. in fiſtula flore, &c.* Ego autẽ noſtros hos lõgiſſimos ſpecie à vulgaribus differre, aſſerere non vereor, & tales naturâ, nõ arte eſſe, quicquid dicat Matthiolus, cui ut in plerîſq; aliis ſuis credimus. Vidi, inquit, Citrulos noſtrates adhuc florentes in fiſtulas cõjectos mirâ longitudine creviſſe. E quorum ſemine, qui poſtmodum orti ſunt, *Citruli anguium modo contorti, Matth.*



eandem retinuerunt formam, adeò ut in vite pendentes, anguium modo contorti viderentur. In hiſt. germ. vocat Cucumeres longos, anguinos, recurvos, ſulcatos, albos, aſperos, ſapore & odore eodem cum vulgaribus: foliis aſperis, ut Melonum. Camerarius in hiſt.germ. Matthioli pingit Cucumeres longos, à longis Matthioli quodammodo diverſos, vocàtque germ. Ein ander art langer Gurchen / h.e. ſpeciem aliam Cucumerum longorum. Iconem autem ex ipſa planta viva, ut ait, depingi curavit: folia ejus Melonum ſimilia ſcribit, itémque flores: Cæterùm, fructum minùs canaliculatum, tuberculis interim inæqualem, vulgaris ad modum: ſed ſemen longè minus. Hos imbrium frequentiam perferre non poſſe, multóque gaudere ſole; uti Melones, quibus ſimiles penè forent, niſi differentiam faceret fructûs ſapor, atque forma. Nos aliis diſcernendum damus, an differat Camerarij Cucumis, à Matthiolino & noſtro, quia in epit. ſimpliciter pro Cucumere Matthioli longo ſuam iconem proponit. Verùm in hiſt.germ. dicit quodammodo diverſam, & aliam ſpeciem, ut ex recitatis ejus verbis oſtendimus.

*Cucumis longus eidem.* — *Icon Cam.* — *Cam not.*

*Cuc. oblongus, Dod.* Dodonæus oblongos Cucumeres artem & culturam primò ut fœtum produxiſſe narrat, & crebrò recurvos reperiri, indéque anguinos vocari.

*Cuc flexuoſus, Lob.* Quem Lob. in Obſ. p.363. & ic. p.639. Cucumim anguinum, flexuoſúmve inſcribit, tenerâ cute, nitore herbido, cum in Adverſ incurva gracilitate anguium flexum, & longitudinem, & craſſitiem æquare ſcribit, indéque nomen habere.

*Citreolus anguis modo intortus Cæſ.* De hoc Cæſalpinus ait: Alter Citreolus eſt fructus non abſimili [*à Citreolo vulgò, h.e. Cucumere*] ſapore, qui crudus ante maturitatem carne tenerâ, & fragili gratus eſt, ſed formâ diſſimili: creſcit enim, quà cogitur formâ, ut plurimum anguis modo intorta pluribus ſulcis, vel potiùs ſtriis diſcurrentibus, ſimili modò horridus, colore candicante. *Mello Fiorentiæ.* Florentiæ Mellonem vocant, ſed huic minor authoritas quàm Citreolo. ejus planta aſſurgit in pergulas magis, unde fructus pendent, qui ſi permittantur ad juſtum incrementum pervenire, craſſeſcunt in longitudine multùm, ut Cucurbita. Nuper tertium genus [*Cucumis Aegyptius Chate, ut opinor, de quo deinceps agendum erit*] advectum eſt fructu cubitali tenerrimo. prædicti ergo fructus recenter orti & immaturi gratiores ſunt, quàm perfecti & maturi, omnes oblongâ figurâ conſtantes, Cucurbitis longis proportione reſpondentes. *Sicya Theophraſt.* Cæterùm, ex Theophraſti verbis colligere licet, ejus Sicyam, Citreolum noſtrum ſignificare, præcipuè anguis modo intortum.

*Cuc. anguinus, Tab. C Bauh.* Tab. Cucumim anguinum, germ. Schlangen Kürbß appellat, minùs aptè. B.phyt. & pin. dicitur Cucumis 3. ſive flexuoſus: Cucumis anguinus & tortilis, Lac. Cucumis anguinus, Ang. Geſn. col. Lugd. anguina, Tab. Ger. Cucumis ſativus 2. Caſt. Citreolus alter formâ anguis, Cæſ.

Ejus autem ſpeciem haberi ait fructu cubitali. Sic in regno Congiano inſignis magnitudinis & ſuavitatis haberi: par.1. Ind. or. l.2. c.1. Videtur hæc nobis Cucumis Ægyptius Chate. Nec Cæſalpini delineatio abhorret.

## CVCVMIS ÆGYPTIVS CHATE.

*Deſcr.* CVcumis Ægyptius folia habet minora, albiora, molliora, ac rotundiora, quàm noſtrates, fructus admodum differentes, longiores, viridiores: cortice plano, molli, æquali, ſapore dulciori.



*Chate Ægypti.* Vocant hoc genus Cucumerum Ægyptij Chate. quæ planta à communi Cucumere aliâ quidē re non differt, niſi magnitudine, colore & mollitie, Alpinus.

*An Citreoli 3 genus Cæſ.* An eſt hic Cucumis Cæſ. Citreoli tertium genus, nuper advectum, fructu cubitali, tenerrimo? An Bauhino Cucumis tertij, ſive flexuoſi ſpecies fructu cubitali. *Cuc Ægyptius rotund. fol. Bauh.* Idem vocat Cucumim 5. ſive Ægyptium rotundifolium.

*Vſus.* Horum uſum corporibus in cibo ipſis tum crudis, tum coctis veſcentibus, ſalubrem eſſe apud omnes eorum locorum incolas creditur. *Vires.* Sunt enim concoctu faciliores. *Febres.* Medici aliqui ibi nonnullis febricitantibus crudos etiam mandendos concedunt, *Peſtis.* præſertímque peſte affectis, quibus Cucumeres hos crudos eſitatos ſummè conducere omnibus (qua ratione neſcit Alpinus author) perſuaſum ſit. *Cauſos.* Coctos in ardentibus febribus, utiles eſſe ratione confirmatur, quando refrigerent, atque humectent. *Renum & Veſicæ morbis.* In renum & veſicæ calidis morbis, cum lacte coctos Cucumeres multis diebus non ſine multa utilitate in cibo ſumuntur. Lac etiam ipſorum ſeminum pro iiſdem malis per os ſumere ſæpè ſolent. *Inflammationes.* Ad oculorum verò, aliarúmque partium calidas inflammationes pulpa contuſa Cucumerum lacti mixta utuntur. *Podagræ dolores.* Et ad ſedandos podagricos dolores à cauſa calida concitatos, ſuccum lacte, oleóque roſaceo miſtum, partes liniendo, adhibent. Stillatitiam aquam ad libram ad jecoris caliditatem corrigendam, & ad ſanandos renes tum inflammatos, tum à calculis vexatos multis diebus ægros bibere conſulunt, quibus ipſam ſatis iis conferre experientia compertum eſt. ſunt aliqui, qui ad hæc eadem mala aquâ ſtillatitiâ lacti eorundem Cucumerorum ſeminum miſtâ, uti ſolent.

## CVCVMIS SILVESTRIS SIVE aſininus. CAP. XI.

*Deſcr.* CVcumer aſininus Seplaſiis dictus, Melonis folium quodammodo refert, ſed mollius, quàm Cucumeres vulgares, iis etiam magis incanum, præſertim parte infernâ, vel cinericium, craſſius, & aſperius, longis & hirtis pediculis appenſum, ex flagellis ramoſorum caulium teretibus, ſtriatis & hiſpidis enatum: flores ſativi floribus multis numeris minores ſunt, quinquefolij, calathi formâ, colore ex albido herbaceo, tantillum in dilutiorem flavedinem decli-

declinante, ſaturatiùs tinctis apicibus medium occupantibus: fructus majorem glandem cerri æquat cui & formâ olivar. reſpondet, ſuperficie ſpinulis crebris, brevibus horrente, qui maturus leviſſimo attactu viroſum ſuccum cum lubrico ſemine violenter ejaculatur: pueris, ubi ſponte provenit, notiſſimus, inquit Lobelius, qui fructum turgêtem vix dum tactum digitis ludibundi in faciem invicem elidunt ſemina, ſuccóq; peramaro & viroſo, os, oculóſque perfundunt. Semen pullo eſſe colore, vel cinereo-nigricante conſtat, Colocynthidis non diſſimili, ſed minore: radicem longam, craſſam, albam, paucis adnatis donatam. Lobelio repens eſt planta, humilis, non topiaria.



*ilv.* Cucumis ſilveſtris [σίκυς ἄγριος] ſolo fructu à ſativo differt, multò minorem eum habens, oblongis glandibus ſimilem: folia verò & ſarmenta ſativo ſimilia ſunt: radix alba & magna, frutice in totum amaro: Dioſcoridi.

*ſilv. hr.* Theophraſtus Sicyon ſilveſtrem vocat, ſativo penitùs incomparabilem, ſed aſpectus tantùm ſimilitudinem gerentem: loca algentia quærentem, ex cujus fructu medicamen liquatum, Elaterium [*Agitatorium Gaza vertit*] vocatum fiat.

*uc ſil. an-* Cucumin ſilveſtrem (inquit Plin. l.20. c.2.) multi hunc eſſe apud nos, qui Anguinus vocatur, ab aliis erraticus, arbitrantur, quo decocto mures de ejus ſparſa medicina non attingunt: eſt multò infra magnitudinem ſativi. ex eo fit Elaterium ſucco expreſſo ex ſemine, cujus cauſa niſi maturiùs inciditur, ſemen exilit, oculorum etiam periculo. Aliqui in Arabia natum magnificant, mox Cyrenis, alij in Archadia tradunt, ſimilem Heliotropio, cujus inter folia, & ramos provenire magnitudine Nucis Iuglandis ſemen. eſſe autem ad ſpeciem ſcorpionis, caudâ inflexâ ſed candidâ, aliqui etiam ab eo ſcorpionum Cucumin vocant, efficaciſſimum contra ſcorpionum ictus, & ſemine, & elaterio, ſed hoc genus apud nos non viſum eſt.

Cæterùm, à Theophraſto maximè diſſentire videtur Dioſcorides: quippe qui Cucumerem ſilv. ſolo fructu diſtare à ſativo dixerit: Theophraſtus verò ſativo penitùs incomparabilem pronunciaverit. Et ſanè qui ambos Cucumeres contulerint, magnam invenient in ſarmentis, foliis & radice differentiam, quicquid hallucinatus dixerit Fuchſius. *halluur.*

Σίκυος ἄγριος Græcorum, eſt Cucumer ſilveſtris Matthiolo, Arg. Fuchſ. & Lac. Cucumis ſilv. Trago, Lon. Caſt. Cæſ. Cam. Dod. gall. & lat. in fol. p.378. ubi iconem habet & deſcriptionem in lib. purgan. med. exhibitam nomine Cucumeris ſilveſtris, nec plura addit, quàm in Purgant. hiſtoria fecerat: Eandem figuram alibi p.652. repetit eodem nomine, inquiens: Hujus autem (intellige Meloris) vel etiam ſuperioris (puta Cucumeris) ſilveſtre genus eſt, quem σίκυον ἄγριον, & ſilveſtrem Cucumerem vocant. Nec aliud addit. Quid autem opus erat figuram repetere, quemadmodum in aliis etiam factum. Idem in Lobelij Ic. fit, ita ut diverſos ejuſdem iconis faciant titulos: ad quæſtum. Cucumis agreſtis, Brunf. Lugd. & Cord. in Dioſcor. ubi notat in Dioſcoridis capite quædam abſurda reperiri. Cucumis anguinus, Cordo in hiſt. Turn. & Geſn. de coll. Cucumis erraticus Geſ. h. cui & aſininus, ceu quoque Tab. Ger. & Eyſt. Cucumer agreſtis Brunf. & Lugd. Cucumer ſilv. Elaterij, Cucumis aſininus officinarum, Lob. adv. obſ. p.368. Ic. p.646. Cuc. ſilv. aſininus C. Bauhino. *Cuc. anguinus. Cuc. aſin. Cuc. agreſtis.*

Arab. *Chefe all'mar, Kate alhenei, & Chetha alhamar.* Germ. Wilde Cucumer / Eſel Cucumer / & Spring-Kürbß: quibuſdam etiam Pompen / propterea quòd ſemen & humorem ejaculetur, quemadmodum machinæ quædam aquam, quam Germani Pompen appellant. Sunt tandem quibus Igels-kürbß / quod ſonat, Erinacei, ſive echini Cucurbita. Belgis Wilde Concommeren: Gall. *Concombre ſauuage.* It. *Cocomero ſaluatico.* Hiſp. *Cogombrillos amaragos.* Angli, inquit Lobelius, Noli me tangere vocarunt, quod nomen tamen propriè aliis plantis quoque debetur. Non immeritò autem Cucumerem agreſtem potiùs dixerunt, quàm aſininum aut ſilveſtrem: quia omnium hujus generis plantarum ſuapte ſponte, importunóque admodum proventu oriatur, circa mœnia, areas, & ſtabulorum fimeta, in Italia, & Narbonenſi, Provinciáque Gallia. *Echini Cucurbita. Noli me tangere. Cuc. agreſtis.*

Auguſto menſe floret, atque ſubinde Autumno fructum tempeſtivum producit: in Germania, quod ſciam, inquit Fuchſius non niſi ſatus provenit. Semel autem ſatus pluribus inde annis facilè renaſcitur, teſte Dodonæo, non tamē è radice revireſcens, ſed ex ſeminibus ſparſis proveniens. In pleriſque calidis regionibus in ruderibus. ſabuloſis, aliíſque incultis locis circa Autumnum fructus maturantur; atque eo tempore ad Elaterium conficiendum colligitur, de quo poſthac dicendum erit, ubi & vires hujus Cucumeris recenſebimus ex veterum & recentiorum opinione. *Locus & Tempus.*

## CVCVMERIS SILV. SVCCVS, Elaterium.

ELaterium verum ex medulla plurima Cucumeris ſilv. & pauca ei hærente mucagine medulloſa non ex ipſis Cucumerulis parandum eſſe colligitur ex Plinio Cucumim (inquit l.20.c.1) ſilveſtrem eſſe diximus, multò infra magnitudinem ſativi. Ex eo fit medicamentum quod vocatur Elaterium, ſucco expreſſo è ſemine [*eſt ἐκ τοῦ καρποῦ hic Plinius ſemen intempeſtive reddit Dalech.*] Cujus cauſa niſi maturiùs incidatur, ſemen exilit, oculorum etiam periculo. [*Nam cùm exilit à pediculo, acrem ſuccum emittit, qui oculos contactu lædit. Dal.*] Servatur autem decerptus unâ nocte: poſtero die inciditur harundine. Semen quoque cinere [*longe aliter hæc Dioſc.*] conſpergitur, ad coërcendam ſucci abundantiam: qui expreſſus ſuſcipitur aquâ cœleſti, atque ſubſidit, deinde ſole cogitur in paſtillos, ad magnos mortalium uſus. Obſcuritates & vitia oculorum ſanat, genarúmque ulcera. Tradunt hoc ſucco tactis radicibus Vitium, non attingi uvas à avibus. Radix autem ex aceto cocta podagris illinitur ſuccóque dentium dolori medetur. Arida cum reſina impetiginem & ſcabiem, quæ pſoram & lichenas vocant: parotidas & panos [*τὰ φύματα, τὰ πανώδη, tumores pani ſimiles, ſub faucibus & auribus ac inguinibus. Nonius in Optione,* *Plinius. Plin. not. Plin. diluc. Plin lect. à Dioſc diverſa. Vires.*

*Qui me miſerum miſeriorem reddit, quàm panus puerum.*]

ſanat, & cicatricibus colorem reddit. Et foliorum ſuccus auribus ſurdis cum aceto inſtillatur. Elaterium tempeſtivum eſt Autumno. [*nam planta Auguſto floret, fructus autem Septembri perficitur. Dal.*] Nec ullum ex medicamentis longiore ævo durat. Incipit à trimatu. [*Dioſcorides in prologo præter Veratrum ni-* *Longo eſt ævo.*

*grum & album. alia medicamenta, ſcribit inutilia eſſe à trimatu: Elaterium verò à bimatu ad decennium utile eſſe dejectionibus. Dalech.*] Si quis recentiore uti velit, paſtillos in novo fictili igne lento in aceto domet. *Delectus.* Melius quo vetuſtius: fuitque jam ducentis annis ſervatum, ut author eſt Theophraſtus. Et uſque ad quinquageſimum lucernarum lumina extinguit. [*Dioſcoridi lucernarum luminibus objectum facilè flagrat & ardeſcit. Dal.*] Hoc enim veri experimentum eſt, admotum priùs quàm extinguat, ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat. Pallidum [*cum candore nonnihil humidum Dal.*] ac læve herbaceo aut ſcabro melius, ac leniter amarum. *Superſtitio.* Putant conceptus adalligato ſemine adjuvari, ſi terram non attigerit. partus verò, ſi in arietis lana alligatum inſcientis lumbis fuerit, ita ut protinus ab exitu rapiatur extra domum. Ipſum Cucumin qui magnificant, naſci præcipuum in Arabia, mox Cyrenis, alij in Arcadia tradunt, ſimilem Heliotropio, &c. [*Herbarij omnes comparant cum ſativo. Suſpicatur autem Dalech. in autore Græco, unde Plinius hæc ſumpſit, ſcriptum fuiſſe* ἄγριον σίκυον τῷ ἄλλῳ τρόπον, *alteri Cucumeri ſimilem eſſe, Pliniumque legiſſe* ἡλιοτρόπιον. *Quidam tamen Heliotropio ſimilem eſſe colore foliorum interpretantur.*] *Plinij lapſus.* efficaciſſimum contra ſcorpionum ictus & ſemine & Elaterio, & ad purgandum uterum, alvóſque. *Doſis.* Modus portione virium à dimidio obolo ad ſolidum. Copioſius necat. Sic & contra phthiriaſin bibitur & hydropiſes. *Angina* Illitum anginas [*morbum faucium graviſſimum*, Plaut. in Moſtell.

> *In anginā ego nunc me velim verti, ut venefica illi*
> *Fauces prabeam, atque enicem ſceleſtam ſtimulatricem.*
> Lucillius apud Nonium.
> *Inſperato abijt, quem una angina abſtulit hora.*

& arterias cum melle & oleo vetere ſanat. Idem eodem libro c.2. Multi hunc eſſe apud nos qui anguinus vocatur, ab alijs erraticus, arbitrantur. Quo decocto ſparſa mures de ejus medicina non attingunt. *Articulorum morbi.* Iidem podagris cum articulorum morbis decoctum in aceto, illinunt præſentaneo remedio. *Lumborum dolor.* Lumborum verò dolori ſemine ſolo ſiccato, dein trito, triginta denariorum pondere, in hemina dato aquæ. *Tumores.* Sanat & tumores ſubitos illitu cum lacte mulierum. Purgat eas Elaterium. *Elaterium gravidis noxium.* Sed gravidis abortum facit. Suſpirioſis prodeſt. Morbo verò regio in nares conjectum. Lentigines ac maculas è facie tollit in Sole illitum. Multi eadem omnia ſativis attribuunt.

*Dioſc.* De Cucumeris ſilveſtris viribus, ejúſque ſucco Elaterio ſic inquit Dioſcorides: Totus frutex amarus eſt. *Foliorum ſuccus.* Succus foliorum inſtillatus ad aurium dolores facit. Radix cum polenta impoſita, omnem veterem tumorem diſcutit. Eadem cum reſina Terebinthina impoſita, tubercula rumpit: cum aceto cocta & impoſita, podagras diſcutit. *Coxendicum dolor.* Ad coxendicum dolorem per clyſterem infunditur. Decoctum ejus in dentium dolore colluitur. Arida trita vitiligines, lepras, impetigines exterit: cicatrices nigras & maculas in facie depurgat. *Succus radicis.* Succus radicis ſeſquioboli pondere minimum exhibitus: & cortex quartâ acetabuli parte, bilem & pituitam purgat, maximè in hydropicis. *Hydrops.* Facit purgationem citra ſtomachi læſionem. Sumenda autem eſt radicis ſelibra, & cum duabus libris vini, præſertim Libyci, terenda: & ex hoc dandi ſunt cyathi tres jejunis, tribus interpoſitis diebus, donec tumor ſatis contrahatur. *Modus præparandi Elaterium.* Quod verò Elaterium dicitur, ex fructu Cucumerum paratur, hoc modo. Cucumeres qui ad tactum deſiliunt electos ac repoſitos per noctem ſinito. Poſtridie cribrum non denſum crateri impoſito, & ad cultrum ſupinum acie ſurſum converſâ, ſingulos Cucumeres ambabus manibus prehenſos dividito, & humorem per cribrum in ſuppoſitum craterem exprimito, ita ut inſuper etiam quod carnoſum in ipſis eſt, & cribro adhæret, exprimas, quo & ipſum in craterem illabatur. Quum verò totum expreſſeris, ſinito ipſum ſubſidere. Deinde in pelvim appoſitam quæ expreſſa ſunt mittito. Quæ verò ſecta ſunt, in cribro acervata, & dulci aquâ affusâ expreſſa, ipſa quidem abjicito: humorem verò in pelvi turbatum & linteo contectum, ad ſolem exponito. Et quum ſubſederit, omnem ſupernatantem aquam unà cum eo quod concretum ſuperſtat, diffundito. Et hoc ſæpè facito, donec ſuperſtans aqua conſtiterit: quâ diligenter guttatim expreſsâ, id quod ſubſidet in mortarium miſſum terito & in paſtillos efformato. *Humor citò reſiccetur.* Quidam quò humor citò reſiccetur cinerem cribratum per terram ſternunt, & medio excavato, triplex linteum ſupertendunt, & ſuper hoc Elaterium cum humore fundunt, reſiccatum autem in mortario, velut dictum eſt, terunt. Alioqui pro aqua marinam affundentes lavant. Alij in poſtrema lotione aquam mulſam affundunt. *Elaterii delectus.* Optimum Elaterium eſſe putatur, quod cum albore humectum eſt, non grave, læve, guſtu amariſſimum, & ad lucernam admotum facilè ardens. Quod verò praſinum eſt, aſperum, aſpectu turbulentum, Ervo & cinere plenum, hoc grave eſt & vitioſum. Quidam ad Cucumeris ſuccum ammiſcent amylum, quo levitatem & candorem conſequatur. A bimatu porrò ad decennium uſque, idoneum eſt Elaterium ad purgationes. *Doſis i[n] [po]tione.* Perfecta ejus potio eſt obolus: minima ſemiobolus: pueris ærei duo. Amplius potum periculum affert. Movet purgationem ſurſum ac deorſum pituitam & bilem ducens. Purgatio per ipſum optima eſt difficulter ſpirantibus. Proinde ſi per alvum purgare voles, duplo ſale ammixto, & de Stibio quantum ad colorem inducendum ſatis eſt, *Vt per [al]vum p[ur]get, vel vomitu.* cum aqua efformata catapotia Ervi magnitudine exhibeto. Sorbeat autem inſuper aquæ tepidæ cyathum unum. Ad vomitum verò, aqua ipſum diluito & locos ſub lingua penitiſſimè cum pinna illinito. Si verò difficulter vomant, oleo aut unguento irino diluito: & ne dormiant, prohibeto. Cæterùm, his qui nimium purgantur, aſſiduè vinum & oleum exhibendum eſt. Vomentes enim reſtituuntur. Si verò vomitus non ceſſent, aqua frigida, & polenta, & poſca, & pomorum fructus, & quæcunque ſtomachum denſare poſſunt exhibeantur. *Fœtus [ne]cat.* Movet Elaterium etiam menſes, & in peſſo appoſitum fœtus enecat. Idem cum lacte in nares infuſum, morbum regium depurgat: & diuturnos capitis dolores ſummovet. *Angin[a].* In anginis efficaciter illinitur cum oleo vetere, aut melle, aut felle taurino.

*Galenu[s].* Cucumeris ſilveſtris fructûs ipſius ſuccum, Elaterium vocatum, & non minimè radicis aut foliorum ad medicationes perutilem eſſe ipſe quoque Galenus prodidit. Elaterium, inquit, menſes ciet, & fœtum interimit appoſitum ceu alia omnia amara & ſubtilium partium, maximè ſi aliquam habeant caliditatem, veluti Elaterium. *Tempe[ra]mentu[m].* Summè ſiquidem amarum eſt, leviter calidum, ut ex ſecundo ſit ordine calefacientium. Porrò tale protinus quoque digerendi vim obtinet. Sic igitur eo anginâ laborantes inungunt quidam cum melle, aut oleo vetere. Bonum item eſt regio morbo affectis fuſum cum lacte in nares. *Dolores [ca]pitis.* Hoc etiam uſu dolores capitis ſanat. Atque Elaterium quidem ejuſmodi eſt. At radicis ſuccus, ut & foliorum, licèt ſimilem vim habeat, imbecilliorem tamen. Sed & ipſa radix adſimilem facultatem poſſidet, abſtergit namque, digerit, atque emollit. Porrò cortex eo potentiùs deſiccat.

*Meſue.* Ex Meſues authoritate in comm. Silvij hæc adferuntur. Cucumer agreſtis, folio ſativi Cucumeris, ſed aſperiori, fructu ejuſdem, ſed parvo, aſperrimo, amariſſimo: *Fructûs perf. [na]tura.* cujus perfecti ac præcipuè ex eo ſucci

laus

laus eſt, ſecunda radicis. Idem fructus jam abſolutus, ſi maturitate palleſcat, viridíſque eſſe deſierit, & amaritudine ſit eximia, ſuccúmque remittat album & ſubpinguem, eſt calidior. Imperfectus autem tam eſt noxius ut ſanguinem educat. Succus autem exeunte Æſtate excipitur, radix fine Veris colligitur. Eadem in medicamenta multùm efficacia & celebria recipitur. Calidus eſt & ſiccus ordine tertio: ſubſtantiâ igneâ, & terreâ uſtâ conſtat. Purgat potenter pituitam vomitu & dejectione, & interdum bilem, ſi vacuari parata eſt: ſeroſum [*& non ſeorſum, ut Silv. legit.*] excrementum, etiam & evulſu contumax, atque adeò à juncturis mirificè trahit, præſertim ſucco & radice, ob id earum dolores ſanat, iſchiadem etiam juvat apertè cataplaſmate impoſitus, vel clyſtere injectus. Vim namque purgatricem Scammonio proximam ei tribuit Ioannitius. Si enim vacuet immodicè etiam ſanguinem trahit. Radices item ejus cum abſinthio in aqua & oleo percoctæ, hemicraniam moleſtam & curatu difficilem ſanant, ſi ipſo decocto tempora foveantur, & iiſdem radices eædem, & herbæ tritæ cataplaſmate applicentur. Succus quoque ipſius, naribus injectus cum pauco lacte idem efficit. Excrementa enim cerebri evocat, & naſi fœtorem ab horum putredine ortum perſanat: cephalalgiam quoque veterem, & epilepſiam. Idem cataplaſma, præſertim ſi ſtercus caprinum addatur, tumores magnos, duros, & ſtrumas reſolvit. Succus quoque, & decoctum tum fructûs, tum radicis hydropem juvat potu (valenter enim aquas ſeroſas vacuat) & icterum, & obſtructionem hepatis & lienis. Pulvis radicis cum melle cicatricem fœdam tenuat, ecchymomata contuſionibus ſuccedanea diſſipat. Succus radicis cum farina Fabarum, ſordem faciei & fœditatem cutis illitus terget. Radix ex aceto forti alphis affricta, eos delet & lentigines. Reſolvit enim, tenuat, terget, ſiccat, ſolvit moleſtè, & tardè aperit obſtructa, & ora venarum. Ne ora venarum aperiat & ulceret hic ſuccus, & cum torminibus, & anxiâ moleſtiâ vacuet: datur cum Bdellio, vel Tragacantho, vel lacte dulci recenter mulſo, aut mulſa, & ſale: promptiùs autem purgat cum pauco ſale gemmæ & aromatibus. Succus autem ex fructibus per maturitatem pallentibus clementer ſine compreſſione multâ extractus ſiccatur, ut Scammonium & Aloë. Nonnulli inter ſiccandum ei immergunt aromata nodulo ligata, quem extrahunt, dum ſiccando cogi incipit: alij alia immittunt pro ſcopis variis. Triennio ſervatur, poſt ſex menſes utendus. Noxam autem ab eo corpori impreſſam delent aqua hordei, mulſa, vinum, oleum. Datur ſuccus à granis 10. ad drachmæ unius partem tertiam: Pulvis radicis à granis quindecim ad drachmæ ſemiſſem. Radice hujus multùm utuntur practici Monſpelienſes, cujus efficacitatem deprehendas ex unguento Agrippæ, Ciclaminis, & aliis etiam internis, ut Anaſarca & Aſcite.

Rondeletio primùm & poſt Lobelio ex Plinio conjectura fuit Elaterium verum ex medulla ſeminis candida plurima (quæ minùs quàm fructus, aut folia ingrata eſt, quæque præſertim Sole ſiccata, flammíſque admota, tota utendo deflagrat) ex pauca ei hærente muccagine medulloſa, & non ex ipſis Cucumerulis parandum eſſe. Perquam autem celebre fuit antiquis catharcticum, ut de Hippocrate & Theophraſto liquet, Elaterium, quaſi dicas exagitans, turbáſve ciens medicamentum: vehementer námque ſupernè, infernéque alvum citabat, puſilla doſi, nempe oboli, vel ſcrupulo ſemiſſe, per ſe, vel adjecto ſalis altero tanto, & Stibij quod colorando ſatis eſſet. Probatiſſimum fuit, læve, non aſperum, nec ponderoſum, ſed album, nec aridum, vel exuctum, vehementer amarum, & lucernæ objectum facilè flagrans. Quæ notæ lectori plantarum conſulto, non rixandi, ſed cognoſcendi cupido, facilè retegunt planè perviam hujus loci in Theophraſto & Dioſcoride ſalebroſi intellectionem: cum namque ex Cucumerulis iſtis ſuccus effluat admodum tenuis, viridis, aqueus, ignéque denſatus, inæqualis, nigricans, ac objectus lumini neutiquam flammam alens, paucíſque annis mucidus, putríſque futurus, veriſimile Lobelio quidem fuit, vel Theophraſti, vel Dioſcoridis Elaterium dici non poſſe, tum propter illas omnes, jam quas dixit, reprobi notas, tum quia nec durat, nec flagrat. Quare ipſe ſuperioribus annis cùm in Gallia Narbonenſi paraſſet Dioſcoridis & Theophraſti inſtituto, curaſſetque parandum multis modis: tandem maximam Cucumerulûm copiam colligendam curavit, è quibus ſuper cribro inciſis, ſeminis tuſi, & crebrò manibus preſſi, medullam ſive muccaginem Pſillij ſimilem ſubter cribrum tranſmiſſam excepit, Cucumerulorum eorundem ſucco affuſo, & aquæ fontanæ nonnihil, quò faciliùs gluten remitterent trans cribrum: iſtud partim Soli ſub dio expoſitum nigricans habuit, partim verò igne aut ſub cineribus exſiccatum, albidum & pullum. Vtrumque tamen lucernæ admotum actutum flammam dabat, & alebat ſuâ pinguedine: quin etiam quale ipſi adhuc in muſeolo longè aridum ſupereſt, faciliùs uret, cujuſmodi nunquam poterit parari ex ſola Cucumerulorum aqua, muccosáve carne, ut probè norunt, qui ſæpiùs periculum fecerunt. Eapropter Plinius videtur ceteris meliùs & veriùs ex Theophraſto, aut quopiam alio claſſico authore, ad Dioſcoridis ſententiam acceſſiſſe; quum ex fructu, & ſemine faciendum cenſet: nimirum ut objectum flammæ flagret, quale optimum tradit Dioſcorides: quem ſuum ducem ignavè hîc deſerit Senenſis commentator, & inſulsè ſugillare videtur, dum contentióſas texit ambages authoritatum farragine. Sanè par eſt, quo dictum modo, commodiùs, tutiúſque purgare, adeóque diutiùs non putre durare, quia acris virulentúſque ſuccus medulla pingui ſeminis retunditur & miteſcit, nec perinde (qua oleaginoſum pingue) putreſcit: mitior etiam vis in ſemine & par ratio, quæ in Colocynthide.

*Theophr. & Dioſc. carpuntur.*

*Plinius ad Dioſcoridis ſententiam accedit.*

*Matth. reprehe.*

Nunc à Theophraſto maximè diſſentire videtur Dioſcorides: quippe qui Elaterium dixerit à bimatu ad decennium dejectionibus utile eſſe. Theophraſtus verò idem ducentis annis virtute mirabili ſervatum eſſe ſcripſerit. Cordus tandem Æginetæ ſententiam magis laudaverit, qui illud probat, quod ad viridem colorem inclinat, Dioſcorides verò candidum. Impoſſibile ſiquidem contenderit viridem per ſe ſuccum, cùm exſiccatur, candidum fieri. Sed eſſe & alia quædam in hoc capite abſurda ſcribit.

*A Theophr. diſſentit Dioſc.*

*Æginetæ ſententia probatur.*

*Dioſc caput mancum.*

---

## BALSAMINA CVCVMERARIA.
### Cap. XII.

*Deſcr.*

EX radice parva, fibrata, ſemeſtri pronaſcuntur viticulæ unius aut duorum cubitorum, tenues, ſtriatæ, anguloſæ, quæ clavicularum ope, quas ad folia ſingula emittit, perticis ſe circumvolvit: folia Bryoniæ, vel potiùs Vitis foliis ſimilia, minora, concinniùs diviſa, hilari virore nitent, penitùs glabra, pediculo unciam aut ſeſcunciam circiter longo, amarore quodam & acrimonia levi prædita. è foliorum alis flores prodeunt, ex quinque foliolis acuminatis compoſiti, colore ex albido lutei, ſtaminibus etiam luteis, quos excipiunt fructus ſublongi, qui maturi rubent; vel ut ait Lobelius, ſuperficie, carnéque nitentis purpuræ phœniceæ, turbinati, Cucumeris formâ, eodémq; modo tuberculis horridis



ridis bullati, carne puniceâ: ſemine Citruli, vulgo dicti, copioſo, fuſco, longiore; quàm latiore, modicè acuminato, compreſſoq; & aſpero.

*Balſamita malè.* Balſamitam eſſe multi ignorantes Apothecarij credunt, ut etiam Luminare majus in Martiat. dicit, ſed non rectè. Cognatâ facie Cucumerino generi cùm ſit, veriùs cum Lobelio, qui in Obſ. p.369. Icon. p.648. etiam puniceam

*Balſamina cucumerina.* cognominat, Balſaminam cucumerinam; aut ſi mavis nobiſcum Cucumerariam vocabis; vel cum Cor-

*Cucumer puniceus.* do Cucumerem puniceum, quo nomine eam in hiſt. deſcribit, id quod figura à Geſnero appoſita quoque declarat. Alij, ut Tragus, Balſaminam Li-

*Pomum mirabile.* gurum Padanorum, Pomum mirabile Gallorum, h.e. *Merveille*, & *Pommes de Merveilles*, nominant;

*Pomum Hieroſol.* nonnulli verò Pomum Hieroſolymitanum cum Hetruſcis appellant. Balſamine 1. dicitur Anguill.

*Balſam 1.* epiſt.13. Trago, ut & Fuchſ. cui & mas. Balſamine alia Geſn.h. Eid. in app. Balſamina Momordica di-

*Balſ. Momordica.* cta; de coll. ſtirp. Balſamina pomifera herba. Cha-

*Charantia.* rantia Hermol. Lon. Dod. gall. & lat. Garantia vul-

*Charatia.* gò Gallorum, Geſ. Charatia Italorum Fuchſio, quoniam ſepti modo in hortis, feneſtriſque per cancellos opere topiario facilè digeratur. Momordica

*Momordica.* Matth. Caſt. & Bapt. Sardo: Mamortica nonnullis:

*Viticella.* Viticella aliis. Germ. Balſamöpffel & Balſamkraut / h.e. Pomum Balſaminum, & Herbam Balſa-

*Pomum Balſaminum.* minam. Balſaminæ nomen inde accepiſſe videtur, quòd fructu ejus, ſive pomo in oleo macerato, balſami vice ad vulnera utantur. Italis eſt *Garanza*. *Caranza* & *Garanzi*. Videtur nobis illud Cucurbitæ

*Cucurbitæ genus, Somphos Plinij.* genus eſſe, quod à Plinio Somphos nuncupatum legimus.

B.pin. Balſamina 1. (2.phyt.) rotundifolia repens, ſive mas: Balſamina ſive Pomum mirabile, Trag. Balſamina, Marth. Lac. Lugd. & Cæſ. alba Geſn.h. Cucumis puniceus, Cord. hiſt. Balſamina mas, Cam. & Ger. Fructus maturus colore variat, modò puniceo, modò luteo rubeſcente. Balſamina mas fructu puniceo, & Momordica fructu luteo rubeſcente, Eyſt.

Nou niſi ſata provenit: meliùs ac feliciùs in Italia calidiſque regionibus proficit, quàm in Germania ubi Auguſto plerumque menſe floret, & nunquam, aut rarò & tardè fructus matureſcit. Vbi verò primùm excauleſcere cœpit, ſarmentis ſeu palis ſuffulcienda erit, ut illis alligata à ventorum injuriâ tuta eſſe queat. *Locus & Tempus.*

Obtinent fructus Balſamines, tum & folia eximiam reſiccandi vim cum moderata quadam frigiditate temperiei mediæ proxima. *Tempe- mentu* Vulnera recentia conglutinare folia impoſita feruntur: *Vires & Vſus.* cum vino verò aſſumpta coli, inteſtinorúmque dolores ſopire, & ruptis, convulſiſque utiliter exhiberi. *Inteſti- rum do* Oleum, in quo fructus exempto ſemine, vel inſolatus, vel in calentis aquæ balneo decoctus, vel in fimo [*malè fi m. D d.*] equino maceratus, vulreium inflammationes arcet: eadem & facilè ac citò unit ac perſanat. Doloribus ac ulceribus mammillarum auxiliatur: *Mam- dolore* uteri exulcerationes ac inflammationes injectum *Vteri flamm* curare poſſe exiſtimatur: punctis ac vulneratis nervis utiliter adhibetur: adverſus combuſtionem, ex *Comb* aqua, oleóve ſervente, ferro ignito, vel igne multùm confert: cicatrices extenuat. *Cicat* ramices quoque hujus unctione ſaneſcunt, ſi foliorum pulvis aliquot diebus interea exhibeatur. Steriles quoque *Muli ſteril* hoc fœcundas reddi affirmatur, ſi poſt balnei convenientis uſum partes circa pubem ac uterum iſto inungantur, ac demum viro mulier miſceatur. Nonnulli (inquit Fuchſ.) pomum oleo priùs imbutum aliquot dies inſolant, deinde vel fimo, vel terrâ tantiſper obruunt, dum prorſus intabuerit, ſic Balſami vires glutinandis vulneribus adſciſcere pollicentur, inde tractum Balſaminæ vocabulum. Quid multa? in vulneribus ſanandis Telephio non inferiores eſſe conjicio, hincque Balſaminam appellatam. *Vuln* Ego verò de ea peculiarem experientiam nullam habeo. Poterunt itaque alij ſi lubet earundem virium facere periculum. Addit Tragus ex Hermolao: Oleum ex Balſaminæ primi generis ſeminibus exprimi ad vulnera præcipuum. Alij aſſerunt poma hæc in oleo macerari, idque poſtea vulneribus glutinandis mirificè prodeſſe, *Mir gluti do Vu* ita quidem ut ſi equo nigro auriculam præſcindas, albo poſtea equo, cui itidem ſua præciſa ſit, vi hujus olei agglutinare poſſis. An verò ſic ſe res habeat mihi non conſtat. Author Pandectarum multa de illa ſcribit.

FINIS LIBRI XVI.

HISTO-

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER XVII.

### SCANDENTES SILIQVATAE LEGVMINOSAE, ALIÆQVE SIMILES, NEC SCANDENTES: UT TRIFOLIA.

*TERTIVS ſcandentium ordo, eſt ſiliquoſarum. Súntque hæ illæ ſiliquæ, quæ legumina ſinu ſuo comprehendunt, κεράτια quoque dicta, quæ tamen ſi lubet, & λέβυς dicas cum Græcorum nonnullis, & Phaſeolos cum Latinis, φασιόλοις cum Dioſcoride, & φασήλοις cum Galeno & pleriſque, & δολίχοις cum veteribus. Eſt quidem ſiliqua neque caro, neque lignum, neque cartilago, ſi propriè loquare: neque temerè aliud nomen inveniat, quàm membranæ, vel corij: quod duplex: carneum & mollius, exterius ſuperintectum: ac interius durius, quanquam tenue, quódque nullus edomare queat ſtomachus. Maximus ſanè illarum ſtipatus. Siliquatis adiecimus Trifolia, non unâ ſimilitudine illis affinia, ſed nec multiplici varietate illis cedentia.*

### PHASELVS, PHASEOLVS, PHASIOLVS, DOLICHVS ET SMILAX HORTENSIS IN GENERE.

#### Caput I.

SCANDENTES ergo procedant ſiliquatæ, primúmque Phaſioli qui tum multitudine, tum elegantiâ, tum raritate cæteras multum antecellunt.

Diſtinguunt Phaſelum [ φάσηλον ] à Phaſeolo ſive Phaſiolo [ φασιόλου ] Galen. Paul. Cord. in Dioſc. Dod. Corn. Matth. Turn. Cæſ. & paſſim alij. Sed diſtinxit & Dioſc. qui tamen pro Phaſeolo Phaſiolum legit, ac rurſus pro Phaſiolo, Smilacem hortenſem [ σμίλακα κηπαίαν ] reddit. Quod autem diſtinguat, id non ſolùm diverſa Phaſioli & Smilacis nomina ſub diverſis ac multum à ſe invicem ſeparatis capitibus, ſed diſcrepantes quoque earundem hiſtorias ſatis ſupérque comprobare arbitror.

Sunt, inquit Gal. de alim. ſacult. qui Phaſelum eundem cum Lathyro eſſe dicant: alij autem ipſius ſpeciem. Dolichorum nomen à Diocle quidem ſcriptum eſt. ſcriptum etiam eſt in libro Hipp. de rat. vict. Exiſtimo autem ipſos ſic appellare ſemen plantæ hortenſis, quam nunc vulgo numero multitudinis bifariam nominant: quidam enim λόβους [*ſiliquas*] alij φασιόλους [ *Phaſiolos* ] nuncupant, vocem ipſam quatuor ſillabis proferentes, eóque modo diverſum ab eo, quod tribus ſillabis pronunciant, φασήλους ſcil. efficientes. Quod ad Dolichos attinet, conjectare quis poſſit, eos nominare plantas hortenſes, vel ex iis, quæ Theophr. 8. de plant. hiſt. ſcripſit. *Conjectura Galeni, Dolichos eſſe Phaſiolos.* Ex eo autem quod ligna longa jubet affigi, poſſet quis conjectare, ipſum verba facere de iis, quos nunc Phaſeolos, & Lobos [ *ſiliquas* ] diximus. Ipſe autem id lobos [ *ſiliquas* ] appellat, quod ſemen leguminum continet. Et ſanè ipſos quidem Dolichos lobi [ *ſiliquæ* ] continent: ob eam opinor cauſam fructum totum vulgò nunc lobos [ *ſiliquas* ] nominant. *Lobus Theophr.* Cùm Hipp. nullam prorſus Lathyri [ *Cicerculæ* ] aut Phaſeli mentionem fecerit, ſuſpicari quodammodo poſſumus, illorum ſeminum quoddam licere appellare Dolichon. *Hipp. Phaſeli non meminit.* Quod ſi quis Phaſelos quoque in Lathyrorum [*Cicercularum*] genera reponat, negare ſaltèm non poterit, quin Lathyri [*Cicerculæ*] in prædicta oratione Dolichi appellari queant. Nam & Diocles in leguminũ catalogo Dolichos reponens, Lathyri verò nomen prætereuns, eandem præbet dubitationem. Dicere tamen quis poſſit & Ochros [ *Ervilias* ] & Lathyros [ *Cicerculas* ] & Phaſeolos unum eſſe genus, verùm pluribus appellari nominibus: fortaſſe autem propter quaſdam differentias, quæ in ipſis apparent. Veruntamen quod Dolichi non minùs Piſis nutriant, tum quod æquè ac Piſa flatu careant, judicio eſſe debet, Dioclen Dolichos appellaſſe, quos nunc Phaſeolos nominant. *Dioclis Dolichi.* Vocet quiſque quo libeat nomine, quos nunc vulgo Phaſeolos & Lobos [*ſiliquas*] appellant, dum ſciat ea talem obtinere facultatem, cujuſmodi Diocles

Doli-

*Hipp illuſtratur.* Dolichis attribuit, ad cujus ſententiam Hippocrates propè accedit, cum inquit: Dolichi [*Phaſioli ſive ſiliquæ Corn.*] piſis magis per alvum ſecedunt, minùs inflant, & probè alunt. nam ita res habet, niſi quòd integros, & etiamnum virides, unà cum ſuis ſiliquis ex oleo & garo ut plurimum homines mandant: nonnulli autem etiam vinum adjiciant. Et: Phaſeli & Ochri ſemina homines & Fœnugrecum, priùs in aqua quoad radicem produxerint macerantes, ventris ſubducendi gratia mandunt ante alios cibos.

*Diſtinctio Pauli.* Paulus etiam de Phaſelo, & Phaſeolo, quem Dolichum nominat, ut de diverſis eodem capite tractat. Ochron, inquit, & Phaſelum macerata donec etiam radices ſuccreverint, ex garo ante cibum ſumpta, alvum ſubducunt, ac plus quàm Fœnugræcum alimenti exhibent. At Phaſeolum & Dolichon integra cum ſiliquis viridia comeſta, excrementitia magis redduntur.

*Diſt Cord. Phaſelus quid.* Nonnulli, ut Cord. in Dioſc. perhibet, Phaſelum à Phaſiolo diſtinxerunt, ita ut Phaſelus ſit legumen ſimpliciter nunc vocatum ab Italis Phaſiolus; Phaſiolus verò idem cum Dolicho. Sed iſtam differentiam nullus autor adhuc, neque ipſe Dioſcorides obſervavit. Quapropter cùm videam, ait is, à multis diverſas has plantas confundi, diſtinguam eas, quibus ab invicem dignoſci poſſint. Sunt enim ambæ legumina, magnam in foliis, floribus, ſiliquis, & ſeminibus affinitatem habentia. *Phaſeolus Dioſc Autorum. Phaſeolus vulg Ital. cum orbita, &c.* Phaſeolus igitur noſtro judicio quem Dioſcorides hoc nomine recenſet, quémque plurimi diſtinctionis gratia Phaſelum, ſeu ut Itali dicunt, Phaſiolum vocant, eſt Phaſeolus vulgaris Italicus, humilis minor albus cum orbita rubente, vel nigricante, caules ſine adminiculo ſurrigens, quam pleniùs infra deſcribimus. *Dolichus. Smilax hortenſis.* Alter verò, qui Dolichus ab aliquibus appellatur, propriè Smilax hortenſis [σμῖλαξ κηπαία] vel ſativa Phaſioliſera vocatur, idque ad differentiam ab omni alia Smilace. *Cord. err.* Cordi gravem errorem, Smilacem phaſioliferam, levem vocantis, vide poſtea de Smilace hortenſi.

*Diſt. Dod.* Neque Dodonæo placet, ut quidam exiſtimant, φάσηλον ac φασέολον idem eſſe legumen diverſis nominibus appellatum, ſed fructus diverſos ac differentes, veluti Galenus oſtenderit. Idem autem ſuam ſententiam ita confirmat. *Dolichus Galeni.* Galenus primùm de Phaſelis, deinde de Dolicho, qui Phaſeolus dicitur diſputat: & licèt videatur addubitare, quale legumen ſit à Theophr. Dioſc. Hipp. & pleriſque aliis Dolichus appellatus, tamen Dolichum colligit & reſolvit fructum eſſe in Italia hortenſis plantæ; in Caria *Hortenſis planta.* verò, in agris naſcentis, qui formam habeat Lathyris longiorem, ac Faſeolus nominetur. Huic accedit Ægineta de Phaſelo & Phaſeolo, quem Dolichum nominant, ut diverſis tractans. *Faſelus Italiæ legumen.* Iam & Faſelus, Italiæ quidem ac Romæ vulgare fuit legumen: Dolichus verò peregrinum. Nam ſationis Faſeli, Columella & Palladius meminerunt. *Dolichus peregrinus.* De ſatione verò Dolichi nemo Latinorum ſcripſit, utpote qui in Italia rarus fuerit, atque in hortis tantùm ſatus, veluti Galenus innuit, eum ſubindè plantam hortenſem nominans, ac in Caria ſeri referens; & ſimiliter *Smilax hor Dioſc.* Dioſcorides Smilacem hortenſem eum nuncupans. Qui etiam ſeorſim, ſeparato capite hanc perſtringens, aliam ac differentem Smilacem hortenſem ſive Dolichum à Faſelo eſſe, quem Phaſiolum; nonnulli λόβιον ac λοβίον, latinè Siliquam, nuncupant, evidenter commonſtrat. *Faſelus eſt Dioſc Phaſiolus.* Quas ob rationes dubium eſſe nequit, Faſelum trium ſyllabarum, à Faſeolo quadriſyllabo diverſum eſſe; non minùs quàm Cicer, Cicercula & Cicera differunt, quæ tamen nomenclatutis affinia ſunt: *Error multorum.* ac à veritate receſſiſſe eos, qui unum legumen diverſimodè appellatum eſſe exiſtimant. *Dod. not.* Hæc ille, qui ſibi ipſi apertè contradicit ejuſdem Pemptadis quartæ, l. 2. c. 1. dum ait. Cùm apud veteres nullum aliud reperiatur, quod Bonæ *Faſelus ... Bona Do...* ſimilius eſſe queat, quam Faſelus, Bonam eandem cum Phaſelo eſſe conſequi videtur: quem Græcorum complurimi φάσηλον, Dioſcorides φασίολον, Simeon Sethi φάσηλον nominavit. Habet enim in primis Bona fructum Dolichis ſimilem, at majorem, quæ major eſt, cujuſmodi Faſeli eſſe Dolichus innuit, diminutivâ voce, à ſimilitudine Faſeli, φασίολος nuncupatus. Iam & Bona alta proceràque eſt, qualem Faſelum eſſe Columella teſtatur

> *Et gravis Atriplici* [at triplici malè legit Dod.]
> *conſurgit longa Faſelus.*

Vulgarem item olim per Italiam fuiſſe Faſelum, ex libris Columellæ, Palladij, Virgilij notiſſimum eſt, ſationis enim ejus & tempus & modus in his docetur: Bona verò hac ætate nihil familiarius. His accedit, quòd minoris Bonæ fructus, Sparti fruticis, ſive Spartij Lobum magnitudine ac formâ & non raro colore, proximè referat: at Spartij lobos Dioſc. tradit veluti Phaſiolos. *Phaſiolus ... Phaſelo ... differt. Dod con... tradict...* Phaſioli autem quibus Spartij fruticis lobi à Dioſcoride ſimiles perhibentur, iidem ſunt cum Phaſelis. quam ob rationem quadriſyllabus φασίολος per ἰῶτα, à triſyllabo per ἦτα φασήλῳ differre nequit. Vides ita contradictionem, φασίολον [*Faſeolum*] quadriſyllabum, à φασήλῳ [*Faſelo*] triſyllabo differre & non differre. Hanc quidem contradictionem tollemus, ſi dixerimus φασίολον quadriſyllabum Dioſcoridis, à φασήλῳ triſyllabo plurimorum non differre: differre autem φασίολον aliorum, ſeu δόλιχον, qui eſt Smilax hortenſis Dioſc. [σμίλαξ κηπαία] à φασήλῳ plurimorum, qui eſt φασίολος ejuſdem, quod Dod. non abſque contradictione ſimpliciter aſſerit. *Faſelus ... eſt B... contra D...* Faſelum autem non eſſe Bonam [*Fabam*] præter rationes infra in cap. de Faba adducendas, vel hæc ſolùm id tam manifeſtè innuunt, oſtendunt atque demonſtrant, ut nullus dubitandi locus ſuperſit. Nihil ſimilius, inquit, eſt Bonæ, quàm Faſelus. Sed an illum fugit, quia omnis ſimilitudo claudicat, nec quod ſimile eſt, idem numero cum ſimili dicitur. *Faſeli ... Bonæ d...* Adde Faſelus à Bona multùm diſſimilis eſt. Bonæ folia ſubpinguia ſunt, Faſeli non item: Bonæ ſiliquæ craſſæ, carnoſæ, mollibus ceu floccis lanoſæ & hirſutæ ſunt, non autem Faſeli: Bonam tegit oblongus dilutè virens unguiculus, nec Faſelum: Bonæ caulis quadratus, Faſeli rotundus. Bona igitur Faſelus eſſe non poterit.

*Diſt. Co...* Cur Dioſcorides de Phaſeolo agit, & rurſus de hortenſi ſimiliter repetit, ſi eadem res eſt Smilax & Phaſeolus? *Phaſeol...rum d... genera. Corn er...* Duo traduntur eſſe genera Phaſeolorum, candidum & ſubfulvum, ait Cornarius. Candidum, quod Dioſc. Phaſeolon vocat. Cornarius meo judicio perperam λόβιον & δόλιχον quoſdam appellare ſcribit. *Errores...* Sicut etiam falsò à Phaſelo ſeparat, quem abſurdiùs λάθυρον [*Cicerculam*] aut ejus ſpeciem eſſe credit. *Germ. n...* Eos autem è Germanis reprehendit, qui Phaſeolos, ceu etiam Smilacem Welſch bonen / quaſi dicas Fabas Italicas, nominant, ſiquidem idem faciant, quod in aliis rebus ignotis & peregrinis facere ſoleant. Omnia enim hujuſmodi Welſch voce, ad rei alicujus nomen additâ appellant. In Phaſeolis tamen hoc gravius eſt, quòd rei ignotæ penitùs nomen fingunt. *Subful...* Cæterùm Phaſeolum ſubfulvum. Smilacem eſſe concludit.

*Phaſeo... duo faſ... gia M...* Matth. Phaſiolum in duo ſumma faſtigia quoque partiri videtur, in campeſtre ſc. & hortenſe. Hoc Smilacem hortenſem, variis coloribus præditum eſſe ait; illud autem Phaſeolum à Dioſc. deſcriptum, candidum ac vulgarem in arvis in Italia.

*Phaſiol... Dioſc. n... eſt ejuſ... generis Smilac...* Iis non aſſentior, inquit Turnerus, qui legumen quod mihi Dioſcoridis Phaſiolus tranſmutatur ejuſdem generis eſſe aiunt cum Dolicho Theophraſti, Smilace Dioſcoridis, & Phaſeolo Galeni. Primò, quia in

toto

toto opere ſuo non conſueuit Dioſcorides duobus capitibus longè diſſitis, de hortenſi & ſilueſtri planta eiuſdem generis, ſed eodem capite, aut ferè proximo agere. Atqui de Phaſeolo agit lib.2. cap.101. de Smilace hortenſi cap.140. eiuſdem libri, quod non feciſſet vtique ſi naturalibus duntaxat (vt Matth. velle videtur) differre credidiſſet. Quæ ratio ſi nō valet, nec valebit Matthioli Secacul faciētis Eringium, aut laurū Alexandrinā & Hippogloſſon eſſe diſtincta. Altera ratio eſt. Dolichus Theophraſti, Smilax Dioſc. & Phaſiolus Galeni pereunt, neque ad frugem perueniunt niſi adminiculis fulciantur. At Phaſeolus Dioſc. in Longobardia feliciter ſatis ſine adminiculis ad frugem peruenit. Non eſt ergo Phaſeolus Dioſc. idem cum Dolicho Theoph. Smilace hort. Dioſc. & Phaſeolo Galeni. Poſtremò ab ipſis diſſentio quòd authoritates, quas pro ſe adducunt in nonnullis penitùs contra ipſos faciunt. Scriptum eſt enim ex autoritate Hipp. apud Galenum, Dioclē, & Aetium, Dolichos minùs eſſe flatulentos, At Phaſeoli Dioſc. non tantùm flatulenti ſunt, verùm flatus etiam excitant. Galenus quoque eo loco, vbi Dolichos & Phaſeolos eoſdem facit, abſque omni dubio duas facit Dolichi ſpecies, eodemque modo Phaſeoli duas. Cùm enim in principio ferè capitis dixiſſet ex autoritate Theoph. Dolichos putreſcere & interire, niſi adminiculis ſuffulciantur, eiuſdem capitis fine oſtendit eſſe præterea genus quoddam, quod adminiculis non egeat, Atque hos ego Phaſeolos cenſeo Dioſcoridis, qui multùm à Smilace differunt. Phaſeolus ergo Dioſc. & eiuſdem Smilax hortenſis duo ſunt diſtincta legumina.

Faſeolos Antiquorum nequaquam eſſe eos, quos vulgò *Faſelos* vocamus (Cæſalpini verba ſunt) patet ex eo, quòd Æſtate ſeruntur, perficiuntur in Autumno, ſeruantur optimè incorrupti, & facillimè coquuntur. Galenus quoque Phaſelum teſtatur alium eſſe à Phaſiolis: comedi in Alexandria, &c. Genus candidum recipitur in compoſitione quadam ad renes, ſed eo loco Phaſeolus legitur, non Phaſelus. Dioſcoridis Smilacis hortenſis deſcriptio partim Faſeolos noſtrates oſtendit, præſertim ſiliquæ ſimilitudo cum Fenugræco, partim Turcicos vocatos, cùm ſeminis varios colores tradit.

Tria etiam ſub genere Phaſeoli, ſpecie inter ſe diuerſa cognoſcit Manardus legumina, *Phaſelum communem* [Italicum] Phaſiolum, quem & lobum vocari ait, & *Eruiliam* [Piſa] & *Smilacem*, de quibus ſingulis ſeparatim dicemus, à Smilace initium facturi.

## SMILAX HORTENSIS.

SARMENTORVM longiſſimorum beneficio perticas & pergulas proximas, ſeſe iis circumvoluens, conſcendit, foliis donata ternis, ex vno pediculo aptis, hederaceorum non anguloſorum ſimilibus, aſperis, ſatis neruoſis, palmo quoqueuerſus amplioribus: *Flores* ſurculo peculiari cohærent plures, Piſi floribus multò minores: *Siliquæ* penſiles ſuccedunt, palmum & ſeſquipalmum longæ, ſiliquarum Piſorum craſſitudinem mediam attingentes, *ſemina* continentes nouena, vndena, longa, renes imitata: ſinū in medio impreſſum habentia, læuore eximio, colore mirum in modum vario, cinereo, eburneo, luteo, glauco, rubente, omnibuſque his inter ſe mixtis ſtriato, guttato (Phaſioli vulgò appellati) inueniuntur aut



omninò niuei, aut nigri, aut flaui, aut purpurei, aut, amethyſtini, aut cœrulei, aut rubri, aut lateritii ferè coloris, vel albi nigris venis aut lituris diſtincti, ac etiam cinerei, & carnei coloris ſimilib9 venis inſignes, Cluſ.) ſapore viſcido, leguminoſo, nec omnibus grato.

C. Bauh. Smilacem hortenſem duplicem facit, vulgarem alium, alium peregrinum: vulgarem, alium maiorem, fructu longiore, & renis formam meliùs referente, qui cōmuniter cādidus: alium minorem ſiliquâ anguſtiore: diſtant etiā craſſitie & tenuitate. Hic variat floris & ſeminis colore: flores plerumque candidi, pallidi, flaueſcentes, purpuraſcentes, ſiue amethyſtini & vt Cordus hiſt. cenſuit, floris colorem fructus ſequuntur. *Phaſiolus vulgaris, C. Bauh.*

Verùm in ſemine fructúve maior eſt coloris varietas, ſunt niuei, flaui, ex flauo obſoleti, purpurei, rubri, laterici ferè coloris, amethyſtini, violacei, atro violacei, nigri, initiò purpurei deinde atri: vel alibi nigris venis & lituris diſtincti: item carnei & cinerei, ſimilibus venis inſignes: item albi purpuraſcentes, orbibus albis variegati, vel ſpadicei nigris maculis aſperſis: nonnulli incani, atro colore, vel ab vna parte, vel vtrinque notati. Non minor ſanè eſt varietas in Phaſiolis ex America, Africa atque aliis regionibus, procul ab orbe noſtro remotis, quàm in his quæ in Europa naſcātur. Sunt enim maiores, minores, mirâ colorum varietate inter ſe diſcreti. Illorum nonnulli, aut prorſus candidi, aut flaui, aut cinericei, aut fuſci, aut atri, aut rubri, aut amethyſtini, aut variis coloribus non vno modo diſtincti: interdum albo & nigro, rubro & nigro, flauo & nigro: ſic alius ex flauo & ſpadiceo ſimulmixti coloris, at circa hilum candidus: alius roſeus, in quo rubri nonnihil elucet.

A Dioſcoride ita diſcribitur. Σμίλαξ κηπαία, cuius fructus [καρπὸς, & non ſemen, vt falsò quidam legunt] lobia [quaſi ſiliquula dicas] & à nonnullis aſparagus vocatur, folia habet Hederę [κισσῷ] ſimilia, molliora tamen: caules tenues & capreolos propinquis fruticibus implicatos, qui eò vſque adoleſcunt, vt topiarii operis attegias ſeu cameras opacent, vt tentoria & ſcenas efficiant, alius. Fructum autem (καρπὸν) profert Fœnugræco (τήλει) ſimilem, longiorem tamen & inſigniorem, in quibus ſemina ſimilia renibus concluduntur, non æqualia quidem colore, ſed ex parte ſubfulua. *Dioſc. reſtituitur, & variè illuſtratur.*

Quæ ſit Smilax ita declarat Aëtius. Qui nunc ab omnibus Lobi nominantur, apud omnes Veteres Dolichi & Phaſeoli appellabantur, & ab aliquibus Smilax hortenſis. Lobi quidem, hoc eſt, Siliquæ, quoniam præ aliis præcipuè, ex omni ſiliquarum genere, quæ indumento intectæ ſunt, *Smilax Aëtio.*

hæ ſolæ vnà cum ſiliquis, ſiue tegumentis ſuis vt plurimùm comeduntur.

*Nō eſt Smilax læuis, Hermol.*

Hermol. doctè ſentit nobiſcum σμίλακα κηπαίαν [Smilacem hortenſem] non eandem eſſe cum ea, quę læuis à Dioſc. cognominata eſt: Recentiores cum Aetio Phaſiolum à Dioſcoride per Smilacem hortenſem intelligere non candidum ſed rubentem, qui & Lobus & Dolichus dicatur & lat. Siliquula.

*Siliquula.*
*Marcell redarguitur.*

Sed non ſapit hęc noſtra & Hermolai opinio Marcello, qui tamen ipſe, qualis ſit Smilax hort. & quibus in regionibus inueniatur, neſcit dicere. Sed rationem, ob quam noſtram opinionem deſpicit, ipſe perpendito. Parum veriſimile mihi videtur, inquit, ad eam altitudinem & frondium copiam poſſe legumen aliquod augeri, vt ſcenas & tabernacula veſtiens inumbret. Theophraſtū ſi inſpexiſſet, intellexiſſet vtique Dioſcoridi eum auctorem fuiſſe, cur inter legumina Smilacē hortenſem in tantum aſcendere ſcripſerit, vt topiarium opus efficeret, ſatis quidem commodè ad exprimendum vocis & verbi captum.

*Marcell. repreh.*
*Serap*
*Marcell. taxatur.*

Quare Manardus meritò Marcellum reprehēdit dicens: Phaſelum eſſe, qui nunc vulgò Phaſeolus dicatur, quem & Virgil. vilem fuiſſe nuncuparit. Quod ſi animaduertiſſet Serapio, ſub Lubiæ nomine, quod certè à lobo Græcâ voce deflexum eſt, Phaſelos cum Phaſeolis i. e. Eruilia minimè confudiſſet. Marcellus explodit ſententiam quam refert Hermol. non alio argumento, quàm quòd veriſimile non videtur ad eam altitudinem legumen aliquod augeri, &c. ſed ſemetipſum proprio gladio iugulat, ſiquidem ipſe Smilacem, quicquid ea ſit, in leguminum genere numerandam dicit, ac ipſomet interprete tanto incremento eſſe dicit Dioſcorides, vt ſcenas & tentoria inumbret. Fateri igitur oportet, aut verbū Dioſcoridis σκηνοποιεῖσθαι, non bene à ſe conuerti, aut Smilacem, quæ ipſomet teſte legumen eſt, adeò poſſe creſcere, vt tabernaculi inſtar Solem arceat, atque, vt ſequens eſt, eius argumento eos, non reuinci, qui Phaſeolum pro Smilace intellexerunt, Serapio & Auicenna de Phaſiolo nunc vulgò vocato ea prodiderunt, quæ Dioſc. de hortenſi Smilace. Nuper tamen etiam cognoui veram Smilacem in ſummam proceritatem aſcendentem, grana quoque in ſiliquis producentē, Phaſeolo communi præterquàm colore (rubra enim, vel crocea ſunt) ſimilia. Multò tamen duriora videntur, quàm communes Phaſeoli.

*Smilax vera Manard.*

*Gorræi err.*

Gorræus cur Smilacem fruticem hortenſem vocat? Quid quæſo Smilax cum frutice participat. Frutex à radice caudice multiplici, ramoſuſque attollitur. Smilax verò legumen à radice foliatum, ſine caudice prouenit.

*Brunfelſii error.*

Gorræum Smilacem vocando fruticem malè ſequitur Brunfelſius.

Dolichos, qui Galeno & Æginetæ Phaſioli cognominantur, Siliquam Theoph. & Smilacē hort. Dioſcoridis eſſe retur Tragus, nec errat: ac aliter etiam Marcellum, ſi is Smilacem hort. viridem vidiſſet, pronunciaturum fuiſſe exiſtimat.

*Marcell. repreh.*

Lonic. pro Dolicho & Smilace hort. falsò iconem Piſorum exhibet, nec minùs verè Smilacem læuem dicit.

Simili errore & Cordus leuem Smilacem eandem ſtatuit cum ſatiua, quam Dolichon etiam appellat. Phaſioli altera ſpecies, inquit is, Phaſeolo Dioſcoridis, quē aliqui diſtinctionis gratia Phaſelum vocant. [Phaſiolo ſc. albo, Italico, vulgari, humili, ſeu minori cum orbita rubente, vel nigricante] formâ foliorum ſimilis. Circumuoluitur hæc arbuſtis & haſtis, fiuntque ex eâ coronę Æſtate: longiores hæc ſiliquas fert, propterea ab aliquibus Dolichus vocatur, & fructus eius lobi, quoniam inſignes ſunt ſiliquæ, in quibus figurâ Phaſeli ſemina naſcuntur, nec tantùm candido colore: nam inueniuntur nigro, croceo, ruffoque colore, & mixtis etiam pluribus coloribus ſimul. Hic Phaſeolus, Smilax hort. & ſatiua etiam appellatur: cùm propriè loqui volumus, Dolichum, Smilacem læuem ſiue ſatiuam, & ſiliquas eius lobas appellamus. Germaniæ peregrinum fuit legumen hic Dolichus, nunc à plurimis non tantùm ciuibus, verùm etiam ruſticis vmbræ & oſtentationis cauſa ſeritur. Læuem autem Smilacem eandem eſſe cum ſatiuâ, Dolichus appellatâ, palam fiet, ſi quis alios authores de Smilace legat, qui eandem herbam, lenem & ſatiuam eſſe iudicant, & duo tantùm Smilacis genera eſſe dicunt, ſc. aſperum & lene, quod in hortis naſcitur. Adhæc ſi vtriuſque deſcriptio & vires in Dioſc. conſiderentur, quilibet iudicabit eandem eſſe herbam lenem & hortenſem Smilacem. Propterea ipſe Dioſc. errauit, quòd crediderit lenem Smilacem proprium genus à ſatiuo haberi. Dioſcoridem in hac re ſecutus eſt Galenus, qui ait lenem Smilacem aſperæ ſimiles vires obtinere, quod falſum eſt. Nam lenis Smilax terreſtri conſtat ſubſtantia, vt omnia ferè legumina: propterea etiam grauia & tumultuoſa facit inſomnia. Aſper verò Smilax longè alio conſtat temperamento, quod ex guſtu percipi poteſt. Sapore enim nihil commune cum leni Smilace habet. Cùm autem plantarum temperamenta & facultates, ipſo Galeno teſte, ex ſapore iudicentur, neceſſe etiam eſt, aſperam Smilacem nihil in viribus cùm leni Smilace commune habere, vt Dioſc. etiam indicat, qui Smilacem lęuem tumultuoſa inſomnia facere dicit, aſperam verò contra lethalia venena antidotum eſſe. Cùm igitur tam breui Galenus lenis Smilacis vires perſtringat, & minimè verum temperamentum illi aſſignet, facilè colligitur, ipſum neſciuiſſe, quid lenis Smilax eſſet. *Et hæc Cord. in Dioſc.* qui in hiſt. quoque ſatiuam & lęuem Smilacem eandem facit, ac Dolichum vocat. Eum autem licèt inter Botanicos magni faciā, nihilominus tamen temerè nimiùm erroris accuſat Dioſcoridem & Galenum: nec videmus tantam ſimilitudinē in deſcriptione Smilacis lenis & hortenſis, quantam facit Cordus: conferatur deſcriptio ſeminum & ſiliquarum, pręterea non conueniunt Phaſeolo noſtro Smilacis lenis flores, nec etiam quod dicitur hanc folia per Autumnum amittere: quemadmodum Smilax phaſiolifera in totum perit. Vires etiam non reſpondent. Quis obſeruauit Phaſiolos pręſtare, quæ Dioſc. de Smilace lęui prędicat: nos ſæpiùs comedimus, nec tumultuosè ſomniauimus. *Videtur* igitur Dedonęus non malè ſentire addita fuiſſe capiti Dioſcoridis de Smilace hortenſi illa verba, *grauia ſomnia facit*. *Audacter* nimiùm falſitatis accuſat Galenum, cui nota erat Smilax læuis, differens à Phaſiolifera & Smilace aſpera, non ſolùm figura, ſed etiam viribus. Quę Galenus ſcribit de Smilace excuſant etiam Dioſcoridem ab errore, & demonſtrant non idem eſſe Smilacem hortenſem & læuem: ac indicant ipſum & Cordum neſciuiſſe, quid eſſet Smilax læuis, & malè confudiſſe cum Smilace Phaſiolifera, ambaſque turpiter vnam & eandem dixiſſe.

*Dolich... cur voc...*
*Lobæ.*
*Eſt Sm... læuis C... ſed falſ...*
*Dioſc... tur, &... lenut...*
*Smila... nu &... ua Cor... Cord... tur.*
*Dioſco... locus ſ... ctus.*
*Galenu... Dioſc... dicatu...*

Matth. in pronunciando & determinando quid eſſet Smilax hortenſis, ſibi minùs conſtitit. Nunc enim credidit illos, à veritate haudquaquam

quam deſciuiſſe, qui dixerint Phaſeolorum genus priori loco à Dioſcoride deſcriptum, eſſe Smilacem hortenſem. Nunc autem eos putauit nequaquam hallucinatos eſſe, qui aſſeruerint Phaſeolos coloribus infectos (quos nihil ab hortenſi Smilace differre exiſtimat) Dolichos eſſe Theoph. Gal. & Pauli.

Lob. *Phaſeolus vulgaris, Turcica multicolor Faba, Smilax hort.* Dioſcoridis, *Dolichos* Antiquorum, An Lobos Galeni?

Cardano *Phaſeolus Turcicus.*

Compilator Tabern. non diſtinguit Phaſeolos, ponit tantùm figuras duodecim generum, nullâ additâ deſcriptione: pleræque autem figuræ nil demonſtrant: ita conſuit hiſtoriam.

Cæſalpinus, qui ſuam particularem habet opinionem, Smilacem hortenſem facit Phaſeli genus peregrinum, quod in Italia ſeri ait in hortis opere topiario, viticulas verò ferre longiores, adminiculis egentes: ſiliquas breuiores, ſed latas & falcatas, inſtar Siliquæ arboris: ſemina grandiora Phaſelis Italicis, ac magis depreſſa, læioraque ac nitentia: colorem aliis ex toto candidum ineſſe, qui magis probentur in cibis: aliis melleum, aliis maculoſum: aliis lineas nigras in candido circumagi, Phaſeolos Turcicos vocari: hos recentes inſuaues eſſe, perfectos coqui in cibis, vt reliquos, qua in re fallitur. Siliquæ enim recentes coctæ non ſunt inſuaues, ſed gratæ eſui, coctæ cum iure carnium, vel butyro recenti, vt verè dixerit Dioſc. oletum modo eſui aptam eſſe ſiliquam cum ſemine Aſparagi modo elixam. Sed de viribus & vſu mox plura ſuo loco.

B.pin. *Smilax hortenſis* ſiue Phaſeolus vulgaris 1. vel maior: *Phaſelus*, Brunſ. *Phaſeolus*, Dod.gal. & Cam. *vulgaris* (vel Faba Turica multicolor) Lob. Cluſ. pan. & hiſt. *albus* Ger. *Smilax hortenſis*, Brunſ. (quoad deſcriptionem Trag.) (cui & ſiliqua Theop.) Matth. (& Phaſeolus hortenſis.) Fuchſ. Turn. Lac. Cord. in Dioſc. Geſn. h. Lugd. Tab. [qui, vt & Ger. fructus duodecim generum pingit] & Cam. *Smilax ſatiua* ſiue lenis, vel Dolichus, Cord. hiſt. *Dolichos* Theophraſti. Ang. *Dolichus* [ſiue Phaſeolus] Dod. & Lon.

Porta Neapolitanus pro Smilacis hortenſis ſiue Phaſeoli figura malè ponit Piſi maioris iconem.

*Σμίλαξ κηπαία* & *λόβια* Dioſc. *δόλιχος* Hipp. Diocli, Theoph. & plerîſque aliis cum Galeno & Aëtio, cui etiam *φασίολος*, nonnullis quoque *λόβος* ac *λόβιος*, Lat. Siliqua. Botan. vulgò *Smilax hortenſis*, & plurima ex parte *Phaſiolus*, Arab. *Lubia*, autore Fuchſio Germ. Faſeln / Welſchbonen Matth. Steigfaſeln / Windtbonen malè apud Fuchſ.] Sprenckelbonen / vocauit aliquãdo Geſn. Grußfaſeln / Phaſeols / Welſch Erbs / Roth oder theilt / vnd ander viel farben. Belg. Roomſchebonen / Gall. *Febves peintes, Faſeoles*, It. *Fagiuolo Turcheſco*, Hiſp. *Feyones*, Angl. Kidneybeanes Boh. faſeoli, Hung. *Törör borſe*, Turcicum Piſum.

Smilax quidem nominatur, quòd Smilacis ſimilitudine conſcendat & vicina adminicula aut frutices apprehendat. *Λόβος* autem ac *λόβιος* à ſiliquarum magnitudine. Sed verbum Lobia æquiuocationem facit: nam apud Dioſcoridem fructum Smilacis ſignificat: apud Galenum verò & Aetium Lobos eſt Phaſiolorum ſiliqua.

Breuiter hîc in memoriam reuocare conueniat amplam Smilacis æquiuocationem. *Ilicem* enim ita vocant, arborem glandiferam, *Taxum* ſimilem Abieti, genere ſimplicem, *Fraxinum* ambiguam, *Smilacem aſperam*, cuius plura genera, *Smilacem læuem*, vel *Conuoluulum* maiorem, *Smilacem hortenſem* Dioſcoridis, qui Dolichus eſt Theophraſti, de quo præſens noſtra tractatio, Smilacem læuem minorem, quam *Helxinem* ciſſampelon cum campanulis vocamus, exiſtimat tandem Tragus *Lupulum* eſſe Smilacem aſperam. Ipſum etiam *Scammonium* Smilacis læuis ſpeciem eſſe affirmat Dodonæus. Et *Gelſeminum repens* videtur Cæſalpino Smilax læuis.

*[…]pera. Smilax læuis. Smilax hortenſis. Helxine ciſſampelos cũ campanulis. Lupulus. Scammonium. Gelſeminũ.*

Locus.

Smilacem hortenſem habui variorum colorum in horto E. C. Montbelg. ſatam. Obſeruaui Lugduni, Baſileæ & paſſim alibi. Dolichum [ſiliquam vertit Gaza] ligno longo affixo aſcendere, & frugiferam fieri, alioqui vitioſam reddi, autor eſt Theophraſtus, idemque innuere videtur Columella ſcribens:

*Et grauis Atriplici conſurgit longa Faſelus.*

Tempus.

Faſeolos teſte Plinio, ſerere qua velis terra licet, ab Idibus Octobris in Calendas Nouembris, Virgilius autem occidente Boote ſerere iubet.

*Si verò Viciamque ſeres, vilemque Faſelum,*
*Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes.*

*Repoſitio.*

Dolichos (ex autoritate Galeni) propter humiditatem copioſiorem non reponunt, cuius occaſione ſolent corrumpi. Quod ſi quis eos quoque ſecurè velit reponere, ſicuti Pater ipſius factitabat, ſiccare ipſos penitùs oportet. Sic enim hieme tota manent imputres & incorrupti, eumdem nobis vſum, quem Piſa præſtantes.

Vires & vſus. *Vrinam ciet. Dioſc. locus corruptus.*

Coquitur fructus vnà cum ſemine, vt iam antè obiter ex Dioſcoride relatum, & velut Aſparagus, oleris modo editur. Ciet vrinam & grauia ſomnia facit [hoc poſtremum perperàm à nonnullis adiectum] autore eodem. Nutriunt quidem non minùs quàm Piſa, Dolichi, conſimiliterque flatus expertes ſunt, verùm iucunditate, & in alui deiectione illis cedunt, vt teſtis eſt Aetius. Simeon Sethi apud Fuchſium, & Mauritani *in primo ordine calidos & humidos eſſe Phaſeolos ſtatuunt.* Galenus etiam de alim. facult. humidiores natura eſſe aſſerit. Reliqua ex Galeno vide antè. Qui ex iis magis rubri ſunt, pergit Sethi, calidiores. Manifeſta quoque in iis humiditas, quòd citò putreſcant. Humorem generant craſſum & pituitoſum. Medium locum habent, vt ait Galenus, inter ea quæ facilè & difficulter concoquuntur, celeriter & tardè tranſeunt, inflant & non inflant, partìm & multùm nutriunt. Ante alios cibos cum ſapa ſumpti, ventrem proritant. Cum Sinapi oblati, plurimùm noxæ deponunt. Albi igitur Phaſioli craſſiores & difficilioris concoctionis, ac humidiores ſunt quàm rubri. Proprietate autem quadam turbulenta ſomnia faciunt, ſed ad bonam habitudinem corporis conferunt, & vrinas mouent. Et horum decoctum menſes mouet. Porta ſibi perſuadet Smilacem hortenſem ſuis floribus papilionem oſtendere, ac ideò Venerem irritare & augere. Is tamen vti dictum, non Smilacis, ſed Piſi maioris iconem exhibet. Sed Smilax ſit, flos papilionem referat, ergone venerem excitat? Aſt quæ conſequentiæ neceſſitas, quæ neceſſitatis ratio? Vanitas & ſuperſtitio. Ait præterea, florem creare ex purpureo verſiculorem, fructum nigerrimum & rubrum, & propterea flatuoſam habere naturam, ægrè perfici, brutáque inſomnia parere; nos exiſtimamus eum (vt & Matth.) ſcripſiſſe non ex experientia, ſed ſecutum fortè Simeonem Sethi, & ſuam phantaſticam imaginationem. Sethi autem opinio trahit originem ex lectione Dioſcoridis prauâ. Nec perſuadebit nobis clami-

*Temperamentum. Aluum. Correctio. Decoctum. Menſes.*

tans, deteriores nigros & rubros Phaſeolos albis aut variegatis: coloris enim ratione ſolâ non exiſtimamus variam eſſe vim Phaſeolorum, licèt eandem ſententiam tenere videatur Matth. ita ſcribens; Phaſioli excalfaciunt & humectant ordine primo: atqui ſului, flaui & rubri albis calidiores ſunt. In cibis ſumpti inflant, & ventriculo laborem faciunt, ſemen tamen generant, & venerem ſollicitant, & præſertim ſi cum longo Pipere, Galanga, & Saccharo aſpergantur. Id autem valentiùs præſtant, ſi ex lacte bubulo coquantur, quouſque rumpantur. Redduntur in cibo innocentiores, ſi cum Sinapi, aut Carni ſemine edantur cornicula dum viridia ſunt: & tenera elixantur, & cum Pipere in acetariis eduntur. Phaſioli maſticati & illiti ſanant equorum morſus. Adduntur etiam in fucis, quibus mulieres faciem concinnant. Aug. Gall. tradit agros impinguare, ac facere vt vermes non rodant frumentũ.

*Noxa. Semen. Venus. Acetariis. Fucus. Agros impinguat.*

## PHASIOLVS VIOLACEVS.

CVM Smilacis hortenſis in altum ſe extollentis quæ tentoria & ſcenas facere poteſt, vt ſcribit Dioſc. varii coloris fructus paſſim obſeruauerimus, ac etiam ipſi in horto E. C. ex diuerſis locis conquiſitos coluerimus, eos nunc enumerare fas erit.

*Smilacis Phaſioliferæ Varia genera.*

Stutgardià igitur nobis miſit D. Schuartz Phaſioli violacei nomine fructum, Smilaci hortenſi ſimilem, ſed paruum, vt Phaſioli Italici ſunt, rotum purpureum ſiue violaceum. excepto vmbilico albo lucido. Eundem miſit D. Phil. Steph. Sprengerus nomine Phaſioli Ægyptiaci. Habui quoque Baſileâ datum à D. Mart. Chmieletio, cui prouenit in horto ſiliquis valdè longis & tenuibus.

*Deſcriptio. Docus.*

## PHASIOLI NIGRI.

LONGA & lenta habet ſarmenta reliquorum generum inſtar, quibus perticis & pedamentis (ſi adponantur ait Cluſ.) ſe circumuoluit, & innititur: alioqui adeò infirma, vt humi procumbant, & ſe ſpargant: iis innaſcuntur folia numero terna, longo pediculo inhærentia, vt in vulgaribus Phaſeolis, & eiuſdem cum illis amplitudinis, neruoſa: ſarmentorum nodis vnde prodeunt folia, naſcuntur oblongi pediculi, in quibus flores, bini, quaterni, ſeni, interdum etiam octoni, ex aduerſo vt plurimùm naſcentes vulgarium formâ, hoc eſt, floris Piſi inſtar penè formati, coloris purpuraſcentis, ſeu veriùs Amæthiſtini: quibus ſuccedunt totidem oblongi teretes lobi, initiò virides, deinde maturitate flaueſcentes, in quibus bina, terna, quina, ſena, vel etiam octona grana, vulgarium quidem formam referentia, ſed minora, & coloris, quando matura, nigri.

*Deſcriptio.*

Cluſ. hiſt. Phaſeolus, Æthyopici appellatione miſſus ob nigredinem, vt veriſimile eſt, vel forſitan quòd ex Æthiopiâ prima eius origo. B. pin. Phaſiolus Æthiopicus vel niger, ſiue 2. Æthiopicus lobis flaueſcentibus fructu nigro.

*Phaſiol. Æthyopicus.*

Lugduni Batauorum notus, ſemîne ex Italia miſſo. Floret cum vulgaribus, vel etiam aliquando paullò maturiùs.

*Locus & tempus.*

## PHASIOLI TVMIDI, NIGRI, ſplendentes.

IN Kirckheim vrbe Vvirtembergica, in horto D. Ioan. Lutzii inſignis Pharmacopæi obſeruaui Phaſiolos nigros, ſplendentes, tumidos, cum paruo hilo albo, ac ſimiles Phaſeolis humidioribus minoribus niueis: iis tenuiores ſunt violacei. Et hic eſt fortè Cluſij decimus tertius.

*Locus.*

Idem Cluſ. hiſt. Phaſiolus 13. ex Italia miſſo ſemine, Phaſeoli Æthiopici appellatione, ſimilis nobis prouenit Francofurti.

Floret paulò maturiùs ſuperioribus, eam ob cauſam ſemen faciliùs ad maturitatem peruenit.

*Temp.*

## PHASEOLI ATRO VIOLACEI.

SVNT nobis Phaſioli non multùm differentes à noſtris nigris, tumidis, niſi quòd videntur paulò longiores & maiores, ac atro violacei, & minùs tumidi, ſplendent vt dicti, eis eſt hilus, vel vmbilicus albus, non multùm etiam ſunt diſſimiles à violaceis, accedunt fortè ad Cluſij Phaſeolum 15. initiò ſcilicet purpuraſcentem deinde atrum.

*Deſcri.*

## PHASEOLI FVSCI, FOLIIS CRASSIS & pinguibus.

PHASIOLVS Cluſij 16. ex Guinea delatus ſuo lobo exemptus, terræ creditus Pharmacopæo Delphenſi creuit, ad ſpeculi ſymbolum, ad palmarem altitudinem, cauliculo ſatis firmo & rotundo, binaſque aut ternas foliorum alas protulit, in quibus, vt reliquis Phaſeolis, terna folia, ſed valdè craſſa, & pinguia, longéque minora, Trifolii Aſphaltitis foliorum magnitudinem non excedentia. Ipſe Phaſeolus ſemuncialem magnitudinem non ſuperabat, ſatis denſus & craſſus, coloris fuſci cum ſpadiceo commixti.

*Deſcr. Caul. Folia.*

B. pin. Phaſeolus Guinenſis 1. fructu fuſco ſpadiceo: Phaſeolus peregrinus 16. Cluſ. hiſt. Sunt maiores & minores.

## PHASEOLVS VVLGARIS ITALICVS HVMILIS, SEV MINOR ALBVS, CVM ORBITA rubente, vel nigricante.

HVNC ſic deſcribit Matth. Phaſioli albi, & magis vulgares, qui paſſim in campis ſeruntur, menſe Maio, & quandoque poſt meſſem ſine pedamento per ſe ſubſiſtunt, ſed in latum ſeſe pandunt foliis hederaceis, maioribus tamen, & mollioribus, venoſis, toruis, ex vno pediculo prodeuntibus: flores emittit candidos, Piſo maiores, è quibus palmaria cornicula prodeunt, teretia, & in acutum deſinentia, primo quidem exortu viridia, & per maturitatem albicantia. In his ſemina plura, quæ Phaſiolos appellamus, continentur, facie quadrupedum renibus ſimilia, alba præter vmbilicum qui tantùm in iis nigricat. In hoc capite Dioſcorides de candidis tantùm ac vulgaribus Phaſiolis diſſeruit.

*Deſc. Matthioli.*

Non probamus Matthiolum dicere, ſemina ſimilia quadrupedum renibus, videtur enim mihi non bene obſeruaſſe eorum renes, hæc ſemina humanis renibus, magis ſimilia ſunt, quàm illis. Iconem habet Matthiol. non nihil differentem à Smilace, quæ diuerſa valdè eſt ab icone Camerarii, quam hic poſuit in ep. & hiſt. pro Phaſiolis: ei enim appoſitæ duæ ſiliquæ: in icone autem Matthioli, tum paruâ, tum magnâ (quamuis flores, malè pingantur) ſunt plures flores & ſiliquæ: ita vt ad ſeptem ex vno pediculo numerentur. Hinc colligo eam Camerarii non eſſe Phaſeolorum vulgarium, ſed alterius generis de quo paulò poſt. Ipſe etiam ſcribit in hiſt. ſe per Phaſiolum 4. Cluſii non intelligere eum, quem in editione Matthioli propoſuerit. Cluſius autem vt paulò poſt dicetur, tradit ſuum Phaſiolum binos flores magna ex parte ſuſtinere, niueũ circa hilum nigrâ maculâ inſignitum, quæ omnia demonſtrant Iconem illam Camerarii ab eo non bene poſitam pro Phaſeolo Italico vulgari

ſiue Matthioli.

ub.inſo. Hac eadem cenſurâ dignus Caſp. Bauh. qui in ſuo renouato Matthiolo pro his Phaſiolis iconem ponit Camerarii, quod non placet, ob cauſas iam dictas, & poſtea repetendas.

In pin. vocat Smilacem hortenſem ſiue Phaſeolū vulgarem 3. ſiliqua ſurſum rigente, & Phaſeolum paruum Italicum: Phaſeolum, Matth. album, Lugd. *Phaſeolum* & Phaſelum, Ang. Cord. in Dioſc. & hiſt. Phaſelum, Cæſ. Flore eſt; inquit, maiore candido papilioni ſimili, foris in viridi colore palleſcente: foliis nullam aſperitatem habentibus: ſunt maiores & minores: ſunt albi, ſubnigri, illi maculâ nigrâ, hi albâ notati: eſt & minor albidus; cùm orbita rubente aut nigricante.

olich. An Dodonæo hiſt. frum. & in fol. Dolichus alius minor [hunc vocat Bauh. in pin. Smilacem hortenſem ſiue Phaſeolum vulgarem 2. & hortenſem minorem: dubitat autem an ſit Phaſeolus Turneri: aut fortè Phaſioli illi, quos Trallianus lib. 7. φασιολους μικρούς. & lib. 11. Phaſiolos Alexandrinos nominat, ſi modò per Faſiolum paruum Dolichos veniat intelligendus, quod veriſimilimum videtur.

ri la. Lonic. pingit hoc titulo Groß faſeln / Phaſelus, Phaſeolus & Phaſiolus; in deſcriptione tamen confundit cum eo Phaſeolum Tragi, ſiue Piſum maius flore purpureo.

Dur. Caſt. Phaſiolus non ſe attollens, ſemine albo. Quamuis autē dicat hunc ſe non attollere, pingit tamen pro eo Smilacis hortenſis modo ad perticam volutum.

par- rorū An de hoc agit Bell. obſ. l. 1. c. 8. In Creta Scarus piſcis eſt ſaxatilis, qui delectatur morâ circa rupes; veſcitur etiam paruâ herba, quæ ei placet, & quæ alibi non prouenit, quæ occaſio, vt Scarus in Creta inſula maneat. Incolæ qui norunt Scarum oblectari herba Phaſiolorum, in agris ſerunt, ac folia imponunt in naſſis in mare diluculò (Siliquas pro ſe reſeruant) vt alliciant eos, ac capiant, hinc illi nominant *Scarobolano*. Quod in Scaro melius eſt, eſt herba qua veſcitur, cuius ſemper magna copia in eius ventriculo inuenitur. Hos eſſe credimus, qui à Galeno de alim. vocantur Dolichi, quique in Caria ſeruntur, figurâ cicerculis longiore.

olus. Pavlo dicitur Phaſiolus albus, qui compoſ. renalem ex cicadis, ingreditur. Manard. l. 1. ep. 4. Phaſelus communis, qui nunc vulgò Phaſeolus, quem & vilem nominat. Item l. 9. ep. 24. Phaſeolus, vel Phaſelus communis.

Cæsalp. Phaſelus, qui vulgò Faſolus, cui ſemen candidum, maculâ nigra. Plura hac de re videto antè.

Seui in horto E. C. Phaſeolorum Italicorum ſemina, quæ primò vidi Tubingæ, floruerunt Auguſto. Patauii frequenter in cibo vſus ſum. Matthiolo ſeruntur in agris menſe Majo, & quādóque poſt meſſem.

Φασίολος Dioſcoridis inflat, & flatus mouet, & ægrè concoquitur. Coctus autem viridis, ſi edatur, aluum mollit, ad vomitionem autem idoneus eſt.

parant, vti dictum, quoq; Phaſiolis muliebrem fucum hoc modo: ſumunt Phaſiolorum albor. micæ panis triticei albiſſimi, an. lib. 1. Cucurbitam longam, teneram, virentémque vnam, diſſectâ priùs cucurbita, macerant ſimul omnia ex lacte caprino nocte vna, deinde addunt ſeminum Melopeponum vnc. v. nucleorum Perſicorum mundatorum vnc. iij. nucleorum Pincorum delibratorum lib. 5. Conterunt per ſe omnia in lapideo mortario, & deinde addunt pullum columbinum domeſticum vnà cum plumis in particulas diſſectum, abiectis tantùm inteſtinis, & omnibus ſimul miſtis, ex vitreo organo; ad hoc parato, in vaſe feruentis aquæ collocati, aquam diſtillant, & ſubinde diligenter cuſtodiunt. Siquidem huiuſce aquæ lotione nitorem faciei conciliant, & cuti molliſſimam addunt læuorem. Reliquas vires & vſus, ſicut & temperamentum iam antè tradidimus.

## PHASEOLI TVMIDI MINORES NIVEI.

Magnitudine vulgaris Phaſeolis minores plærúmque, nec vt illi, ſinuati circa vmbilicum. Interim puluinati magis, & tumidiores omni ex parte pro portione ſua. Colore niuei ſunt, & ſplendicantes; vetuſtate verò abſoleſcunt & in eburneum, tandem etiam in pallidum migrant.

Sic deſcribit Cluſius: Totâ formâ, & naſcendi modo à vulgari haud differt: valdè ramoſa enim habet ſarmenta, quæ vicinis perticis ſeſe aduoluunt; eaſquè ſcandunt, oblongos pediculos ex foliorum (quæ ſemper terna, vt in vulgari, ſimul naſcuntur) ſinu promentia: in quibus bini, quaterni, interdum etiam ſeni naſcuntur flores, ex aduerſo ſemper ſiti, vulgaris Phaſeoli floribus magnitudine & formâ reſpondentes, initiò, dum recens aperti ſunt; candidi; poſtea verò palleſcentes: quos excipiunt oblongæ, propendentes: vt in vulgari ſiliquæ, ſeu Lobi: quina, ſeptena: & plura interdum candidiſſima, & quaſi ex ebore tornata ſemina cōtinentes; minora & tumidiora, quàm alibi vulgaris. Deſcript. Cluſii. Sarmenta. Flores. Siliqua. Semina.



Cluſ. pann. Phaſeolus 2. ſiue minor niueus, ſiue de Guatimela. Phaſiolus Purkirchorianus alter. Ex Hiſpaniis an. 1585. miſſus. *Frizoles blancas de Guatimela*, hoc eſt Phaſeoli albi ex Guatimela (quę noui orbis prouincia eſt) Verè ſatus egregiè creuit, & ad frugem peruenit. Iidem Hiſt. Phaſeolus peregrinus 2. *cui iconem* apponit Cluſius, quæ apud Lobelium nomine Phaſioli vulgaris extat. Synonyma.

An Taber. weiſſe bonen von America. Phaſeolus albus Africanus. Quem ſi compilator per ſinum figmentum cum capreolis non intellexit, neſcio quam plantam intelligat: Phaſiolum hunc accepi cum hac inſcriptione: *Frizolas biancas di Guatimela*. An Phaſeolus albus Americanus.

Satus in horto E. C. Montbelgardi prouenit, ſed non maturuit. Iulio floret, fructus Auguſto, nonnunquam etiam menſe Septembri, matureſcit. Dum Viennæ vixit, ſemine ab amicis communicato Cluſio natus, nec antea ipſi conſpectus;

## PHASEOLVS NIVEVS, MINOR, circa hilum nigrâ maculâ inſignitus ET PVMILIO NIGER.



*Deſcriptio caulis.* *Folia.* CAret longis ſarmentis, & breui, firmoque caule conſtat, pedalem longitudinem rarò excedente, & in breuiſſimos ramos diuiſo, ad quorum folia quidem ſuperiori ſimilia naſcuntur terna numero, ſed breuiori pediculo inhærentia, qui non purpuraſcit, vt in proximè deſcripto [ Smilace hortenſi, ſiue Phaſiolo Anagyridi ſimili ferè, colore rubeſcente.] Pediculi ex alis prodeuntes, longi, craſſiuſculi, firmi, binos etiam flores *Lobi.* magna ex parte ſuſtinent, formâ, colore præcedentis flori ſimillimos, deinde binos lobos illius cylindraceis ſiliquis paullò longiores, & tereres, *Semen.* in quibus fructus formâ par, ſed colore differens, nam niueus eſt, circa hilum nigrâ maculâ inſignitus, & quibuſdam nigris punctis interdum in lateribus notatus. Satis præcox hic eſt, nec ullis pedamentis eget, cùm ( vt dixi ) breui, firmoque ſit caule.

*Lobi Americani. Alubias de Indias.* Cluſio deſcriptionis authori in Pannon. *Phaſeolus 4. Lobi Americani minores*, ſiue *Pumiliones.* Item *Phaſeolus tertius, Alubias de Indias*, id eſt, *Lobi indici.*

*Lobus Indicus.* *Icon Cluſii tranſpoſita.* Figura Cluſii ſub dictis nominibus, non habet binos flores: ſed plures, ideo aliò releganda, & huc transferenda figura, quæ eſt ſub alieno titulo, nempe Phaſioli rertii, ſiue Americani elatioris, verè enim comperimus in hiſt. Cluſii tranſpoſitam iconem, vbi icon poſita ſub titulo Phaſioli peregrini 4. cui additæ ſunt ſiliquæ, quæ decrant.

*Phaſeoli pumiliones. 1.2.* Camer. *Phaſioli pumiliones albi, & nigri*, quorum hi magis, quàm illi alſioſi ſunt, quamuis ambo frigiditate noſtræ plagæ ſæpiùs à maturitate prohibeantur. Intelligo autem, quorum iconem dedimus in Matthioli editione, & quos Clu*Camer. error.*ſius in Pann: quarto ordine propoſuit. Exiſtimo autem ego Cluſii Phaſiolum quartum, diuerſum à Matthioli Phaſiolo qui in Italia frequens, quã ob rem Camerarii figuram ad hoc caput reduco, & ſeparo à Phaſiolo Matthioli.

*Phaſiolus Braſilianus Tab reprch.* Taber. *Phaſiolus Braſilianus* Ereſilgen boonn. Quantùm iudicare poſſum ex figura efficta ad Cluſii figuram, ad hoc caput referenda icon.

*C. Bauh. not.* C.Bauh. in ſuo Math. proponit eandem figuram, quam Camerarius, ſub inſcriptione Phaſioli. Non autem placet Camerarium, & C. Bauhinum iconem eius plantæ, quæ Cluſio Phaſiolus 4. ponere pro Matthioli Phaſiolo vulgari: diuerſi ſiquidem, vt antè dixi, quod facilè apparebit, conferenti vtramque iconem, niſi dicatur Matthioli icon falſa.

Eid. B.pin. *Phaſeolus peregrinus 6.* minore fructu, albo, nigrâ maculâ inſignito: Phaſeolus pegrinus 4. *Alubias de Indias*, Cluſ. pann. quoad deſcriptionem: & Hiſt. Phaſeolus albus, Lugd.

Creuit etiam hic mihi [ inquit Cluſ. Viennæ anno 1576. donatus à Dodonæo S. C. M. tum Medico, qui eius fructum præcedente anno, dum Prægæ eſſet, in arcis horto obſeruauerat, & legerat.

## PHASIOLI PARVI, ALBI, CVM ORBITA MINIMA, RVBENTE,

HAbemus paruum genus Phaſiolorum alborum, non tamen candidorum, cum minima orbita rubente, & paruo hilo albo.

## PHASIOLI MINIMI, ALBI, orbita magna rubente.

SVnt nobis Phaſioli minimi albi, minores quàm Phaſioli cum orbita nigra: neſcimus an ſemper tales [ aſcriptum erat repertos inter aromata ] iis ſanè ſimiles ſunt: orbita magna eſt, ſed rubens, cum hilo in medio albo.

## PHASIOLI PARVI, PALLIDO albi, ex America delati, Lobelio.



A Lob. in Icon. pinguntur Phaſioli parui, pallido albi ex America delati, Idem in Hiſtor. Belgica Creinge ghemaerberde boonkens. Fieri poteſt, vt vnus præcedentium paruorum Phaſeolorum eſſe debuerit, Phaſeoli parui ex pallido albicantes ex America Lobelio delati

B. pin. Phaſeolus Americanus vel Braſilianus 5. minot: Phaſeoli patui ex America Lob. Lugd. Phaſeolus Braſilianus 1. Tab. Huius magna varietas, quare fructus duodecim genera.

## PHASIOLI PARVI ITALICI, NIGRI, CVM MACVLA ALBA.

GEner Cherletus attulit nobis ex Italia Phaſiolos paruos, nigros: parte caua hilus paruus albus: parte verò ſuperiore, gibboſâ, longa & lata macula.

## PHASEOLVS NIGRICANS HYLO PROMINENTE

PHaſiolus alter, Phaſiolo vulgari haud diſſimilis eſt, ſed minor, denſior, nigricans, & hylo pro-

lo prominente, & renis formam minimè referente. Cluſ. apud Monardem. Eadem tradit Lob. in Obſ. ex Cluſio.

## PHASIOLVS LATA SILIQVA, FRVCTV EXIGVO NIGRO, VMBILICO CANDIDO.



Vidit Cluſius nô procul Olyſipone in monaſterio quodã Phaſeoſeoli genus, vulgari adeò ſimile, vt vulgare putaret: pergulas iſtic veſtiebat opere topiario, flore purpureo: at ſiliquæ ſcabræ ſunt, breuiores & latiores, quàm noſtri vulgares, fructus eſt exiguus, Piſi vulgaris magnitudine, totus niger, niſi qua parte ſiliquæ adhærent, quę candida eſt: Braſilianis frequentem eſſe audiuit. Cluſ. apud Monard. & ex eo Lob. obſ. & Icon. & Tab. Phaſiolus alter Braſilianus. Audiuit Luſitanis apud Braſilianos habitantibus, *Faua braua*, id eſt, Fabam ſilueſtrem nuncupari.

Phaſiolus alter Indicus Cluſij: Phaſioli genus vulgari ſimile. B. pin. Phaſeolus Americanus vel Braſilianus 2. ſiue alter, fructu nigro, piſi magnitudine.

## SMILAX HORTENSIS, SIVE PHASIOLVS ANAGYRIDI SIMILIS FERE, colore rubeſcente.



Habet hic Phaſiolus oblonga ſarmenta, ex ſingulari caule ſtatim ſecundum radicẽ ipſam prodeuntia, & in multos ramos diuiſa, lẽta, obliquè ſe contorquentia, & humi procumbẽtia, niſi perticis, aut pedamentis ſuſtineantur; quibus ſeſe circũuoluunt, reliquorum Phaſeolorum modo: purpuraſcunt ea juxta alas, ad quas etiam aduaſcuntur terna folia, minùs ampla ſuperioris foliis, & dilutiore colore virentia, longo petiolo inhærentia, qui ea parte, quâ folia ſuſtinet, contrariáque, quâ ſarmentis inhæret, ex atro purpuraſcit: flores in oblongis petiolis, plerúmque bini, magni, Piſi formâ, foris ex candido palleſcentes, interiore verò parte ex purpura cærulei: his ſuccedunt totidem prælongi lobi, teretes, & quaſi cylindracei, in quibus fructus reliquis Phaſeolis minor, Anagyridis legitimæ fructui penè ſimilis, rubeſcentis coloris. *Flores. Lobi. Fructus.*

Clvs. pann. *Phaſeoli 3. genus, Lobi Americani maiores, Phaſeolus tertius Americanus elatior.* Acceptus ex Hiſpania cũ hac inſcriptione: *Alubias de Indias*, id eſt, *Lobi Indici.* *Lobi Americani. Alubias de Indias*

Figura hujus Phaſeoli, vt mihi videbatur poſita erat pag. 723. ſub alio titulo, nempe Phaſeli Pulcheriani ſecundi, quò non pertinet, id demonſtrante manifeſtè numerò florum: quæ occaſio, vt ad hoc caput reduxerimus ex Cluſio ſuam figuram: in quo nos bene egiſſe apparet, ex ejus Hiſt. lib. 6. cap. 41. vbi ponitur pro Phaſeolo peregrino tertio. *Icon Cluſii tranſpoſita.*

## PHASIOLI RVBENTES FIGVRA PENE noſtratium cum linea elata.

Pulchro rubente colore ſplendicant; cortice & circa vmbilici ambitum coccineo. Vmbilicus niger fœniculi majoris magnitudine, ſupra quem macula nigra, ſulco diuiſa. Parte oppoſita, quæ dorſum Phaſeoli dici poteſt, linea elatior per longitudinem excurrit, & totum Phaſiolum vſque ad hilum circumſcribit. Noſtratibus etiam ſunt paullò ventrioſiores, habitioréſque, ac ad Anagyridem accedunt formâ, & magnitudine. *Deſcrip. Cortex. Vmbilicus. Anagyridis forma.*

Accepimus ab Illuſtriſſima Principiſſa, & à D. Thoma Platero, Medico Baſileenſi, qui ex Hiſpania ſe importaſſe retulerat. Conſiderandum an affines, vel fortè iidem, cum Phaſeolo Cluſii Anagyridi ſimili. *Locus.*

*Icon habebitur poſt cum Phaſeoli indici parui maculati Icone.*

## PHASIOLI EX GVINEA PALVDANO, ſpadicei, minimi.



Et hos quoq; pulchellos cum aliis multis exoticæ elegantiæ Clariſſ. Paludano deferimus. Parui ſũt, Africanos magnitudine vix ſuperãtes, ſplẽdido læuore, ſpadiceo, aliàs dilutiore, aliàs obſcuriore, plurimùm tamen æquabili, colorati, hilum verſus nonnihil anguloſi: Hylo, qui pro corpuſculi modulo ſat magnus candidúſque modicè, ſinuati. Pulpa ſubeſt cortici calloſa, ſubflaua, guſtu phaſeolaceo. *Deſcrip. Hylus. Pulpa.*

Conſiderandum an differant, vel quantùm à Cluſij Phaſiolo quinto, Laburni fructu. *An Phaſiolus fructu Laburni.*

## PHASEOLI AFRICANI PARVI nonnihil albicantes.



*Deſcriptio.* *Folia.* DE Phaſeolorũ quoque more ſcandit & præſens planta; folia terna, minora, ſtrictioraque multò, quàm in vulgaribus, paulò duabus vnciis longiora, non totam ſemunciam lata, nervoſa, glabra, craſſa: *Flores.* flores ex obſoleta quadã fuligine in luridum pallorem languescunt, vix dehiſcentes: *Siliqua.* ſiliquæ ſeſquipalmum lõgæ, vulgaribus anguſtiores, vix culmum latæ, grana claudunt nonnihil candicantia, dimidio minora, Phaſeolis noſtratibus, circa germen fuſca.

Phaſeolorum Africanorum, paruorum, nomine miſſi per Carolum Paludanum Ill. E.C. Wirtemb. Accepi etiam cum hac inſcriptione: *Faſeoli ex Inſula D. Thomæ.* *Faſioli ex Inſula Diui Thomæ ſub Aequatore ſita.*

*Locus & tempus.* Satum huius Phaſioli ſemen in horto Ill. E.C. Montbelgardi floruit Auguſto, & Septembri, quo menſe quidem maturuit ſemen.

## PHASEOLVS LABVRNI, FRVCTV ex nigro ſubuireſcente, ſiue Ægyptius flore luteo.



*Deſcriptio.* *Sarmenta.* TEnuia habet ſarmẽta, ex ſingulari caule ſtatim proximè tadicem enaſcentia, eaque valdè ramoſa, ex viridi purpuraſcentia, quæ vicinis perticis & pedamẽtis ſeſe convolvunt: *Folia.* folia ex eodem pediculo, vt in aliorum Phaſeolorum genere, ſemper terna, longè tamen minora, & Trifolii mœnianthis [quod in vmbroſis & ubere gleba naſcitur] foliis perquàm ſimilia, ex atro virentia circa pediculum purpuraſcentia: *Flores.* flores in ſpicæ modum congeſti, magni, niſi vulgaris forma, & magnitudine ferè, *Color.* coloris flaui, in oblõngo; craſſiuſculoque pediculo ad foliorum exortum prodeunte naſcuntur: *Flores.* lobos non obſeruabam quia flores duntaxat produxit ipſa planta, eoſque valde caducos propter advenientia frigora: breues tamen anguſtoſque eſſe intelligebam ab his, qui conſpexerant, & terna, aut quaterna grana continere: quæ verò accipiebam parua erant admodum, Laburni granis non maiora, utroque tamen mucrone plærumque obtuſiore, pulli coloris, ſeu potiùs ex nigro ſubuireſcentis.

Cluſio hiſt. *Phaſeoli peregrini genus. Phaſeolus 5. Aegyptiacus* Patauio miſſus à Bernardo Paludano ex Syria & Ægypto reduce, anno 1578. qui terræ anno ſequenti creditus, creuit quidem, ſed ſerò admodùm, deinde periit. E ſeminibus conſeruatis & anno 1582. demùm ſatis, aliquot plantæ egregiè provenerunt, quarum vna florem Septembri duntaxat menſe tulit, ac ad frugem minimè prouenire potuit. ipſa tamen plantâ Calendis Nouembris perbellè adhuc florente: hoc ſemen Ἀνώνυμον à Paludano; at deinde ex Italia Ægyptiaci Phaſeoli nomine ſimile accepi. Et fortè Phaſiolus hic peregrinus Dolichus eſt Bellonii?

Aduertes apud Cluſium in pann. iconem quæ quæ eſt p. 729. ſub titulo Phaſeoli quinti Ægyptiaci, non eſſe Phaſioli, quem intelligit Cluſius, ſed ſub hoc titulo reponendam iconem, quæ eſt pag. 727. ſub nomine Phaſioli tertii, *Alubias de Indias* In pann. p. 730. eſt alia icon, cui titulus Phaſeolus quintus, ſiue Ægyptiacus: quam iconem Cluſius omninò omiſit.

Camer. in hort. *Phaſeoli Aegyptii* à Cluſio picti in pann. obſervationibus *ſine ſiliquis* quas nos addidimus.

## PHASIOLVS INDICVS PARVVS, maculatus.

I



*Deſcriptio.* PHaſeolus eſt vulgari magnitudine penè æqualis, utrinque turgidus lucidus, *Color.* colore pullo, maculis notato, præſertim circa vmbilicum, longiuſculus, quem portio quædam alba, extuberãs, cingit. Eſt ex fructibus Illuſt. Celſ. Wirtembergicæ.

*Eicon eadem cum ea quæ lib. III. c. 88. habetur.*

## PHASEOLVS INDICVS, PARVVS rubens, hilo nigro.

PHaſeolus parvus, ſinuatus, hilo nigro, reliquâ parte obſcurè rubens. Ill. Duciſſa terræ commiſit, apud quam viſus & depictus.

*Eicon cum praced. habetur.*

## PHASIOLI NIGRI, FACIE ſeminis Pæoniæ, ſplendicantes, vmbilico albicante. Et

Alter

Alter Ægyptius minimus.



I

II



*

MAgnitudine & figurâ ad ſemen Pœoniæ fœmininæ quàm proximè accedunt. Quippe ex rotundo ſubloungâ ſunt, nigerrima pulcherrimè, & Succini nigri, politi inſtar, ſplendicanti, eâ tantùm parte, quâ adhærent, quam umbilicum dicere ſolemus, albicantia. Exiſtimamus, niſi fallit memoria nos accepiſſe à D. Paludano, qui Ill. noſtro miſit. Perpendat lector, an poſſit eſſe idem cum Phaſiolo præcedente, latâ ſiliqua Cluſii.

Eſt mihi præterea minimus phaſiolus miſſus per inſignem Pharmacopœum Toſſanum Carolum Burgundum Phaſioli Ægyptii nomine, qui Piper magnitudine vix æquat, angulosus, ſublongus, colore ſpadiceo, ac ferè nigricante, ſplendente, vmbilico candido, longiuſculo, cuius parte oppoſita impreſſio ſinum efficit.

*Eicon eadem cum ea quæ l.3.c.92.*

PHASEOLI PARVI EX AMERICA delati, Lobelii, ex fuſco purpuraſcentes.

LObelio in Ic.& hiſt. Belg. dicuntur: Clein boonkens von America / In lateyn *Phaſioli parui ex America delati*: An Eid adu. Permultæ acceptæ à Naucleris, Fabæ, Phaſeoliue ex Americæ nouo orbe, éque Heſperia Aphrica allati, qui mixtæ naturæ videntur, ſed propinquioris Phaſiolo: nam eorum quidam exiguus, minor multùm Phaſiolo, ex fuſco purpuraſcit.

Lugd. Phaſioli parvi ex America dicuntur. Ego autem, vt verum fatear, quales ſint hi Phaſioli, neſcio, quia eorum nullam inuenio deſcriptionem, de qua certus ſim.

PHASIOLI EX ANGOLI Paludano, pallidi, variegati, hilo magno, ſpadiceo.

CL. Paludani munificentiâ in Naturalium noſtro theſauro aliquot horum adſervamus: qui vulgaribus ventrioſiores, læues, maculis inſigniti, colore varii. Quidam namque obſcurè flaueſcentes, ſeu melini, dilutiore luteolo conſperſi: quidam pallidi, & ferè albicantes, pullis maculis inſigniti, & horum vbiuis varietas in colore notabilis. Hilo donantur magno, ſpadiceo, aut nigricante, à ſuprema parte, pluſquàm mediam fructûs longitudinem excurrente, minimè ſinuato, ſed eminente. Tanta porrò eorum durities, vt ex eorundem colliſione Auellanarum inſtar ſonitum edant: conſiderandum an aliqui in figura Lobeliana pictorum, nomine Phaſeoli Indici rubri huc referri poſſint.

Hunc eundem ab Illuſtriſſima noſtra Principiſſa accepimus, qui vna parte latior eſt, altera anguſtior, in ceteris cum noſtris qui iam ſculpti erant, planè ſimilis.

*Eicon habetur ante cum Icone phaſeolorum ex Guinea Paludano miſſorum &c.*

PISVM AMERICANVM COCCINEVM, aliis Abrus, & idem nigrum.



*Icon alia Cluſ. Exot. l.4.c.15.*



*Deſcrip.*

AMericanũ Piſum coccineum noſtrati eſt minus, granorum Pœoniæ fœminæ in morem ex rotundo oblongum, nitidum, mirificè durum; cortice tectum vel penitùs nigro, vel bicolori, ita vt germinis regio nigricet, reliquũ vel hilari atrô ſplendeat, vel triſtiori ſpadiceo colore ſit tinctum: medullâ inſigniter durâ, bifidâ; flaueſcit, ſapore leguminoſo. Habemus etiam tota nigra: & alia, quæ colore ſpadiceo ſunt, nihilominùs nigrâ maculâ notati. Quod an naturale ipſis ſit, an hoc accidat per vetuſtatem, experientia obſeruatorem iſtarũ rerum curioſum docebit.

*Cortex. Medula. Sapor.*

Hoc Piſum ſic deſcribit Alpinus: Eſt arbor fruticoſa, ſarmentoſa, volubilis, *Lablab* modo ſerpens, ac altiùs ſe extollens, latiuſque ſe expandens, foliis vel Tamarindi planè ſimilibus, ſed longè minoribus, mouentur etiam ad Solem: occidente Sole clauduntur, totaque clauſa manent, quouſque Sol denuò oriatur; quo tempore rúrſum aperiuntur. Flores audio ferre Phaſeolis proximos, atque ſiliquas, quæ intus habent ſemina parua, rotunda rubra, dura, Phaſeolis omninò ſimilia, quæ Corallia planè æmulantur, Hîc addit Honorius Bellus: Fructus figurâ Phaſeoli non eſt, ſed ouali, Orobi grani.

*Alpini Deſcriptio. Folia. Siliquæ Semen. Coralliorũ æmula.*

Cluſ. in ſuis Exot. aliam iconem proponit ſub titulo Viciæ Africanæ, de qua hæc ſcribit: Eius ſemina à nautis Bataũis è Guinea redeuntibus

*Fructus Orobi. Deſcriptio Cluſ.*

magnâ copiâ ſubinde ſunt allata,& ramulos cùm ſuis ſiliquis, ſiue lobulis propendentibus, etiam mihi videre contigit. Sæpè porrò iſtius plantæ ſemina terræ à me ſunt credita,ſed maxima ex parte non nata: imò [ quod magis mirum ] poſt triennium è terra eruta,adeò incorrupta reperta, ac ſi pridiè duntaxat ſata fuiſſent. Semel tamen contigit,vt quæ recentia à Cl. V. Honorio Bello acceperam è Cretà miſſa,terræ in fictili commiſſa naſcerentur quidem: ſed plantæ, licèt omnem diligentiam adhiberem, vt conſeruare poſſem, breui contabeſcerent.

*Naſcendi modus.* *Folia.*

Prodibant autem illæ, Viciæ,aut Lentis modo, duobus duntaxat craſſiuſculis föliis initiò, ipſo videlicet ſemine bifariam ſe diuidente,& in folia formante, vt in Leguminibus accidere ſolet: inter iſta verò folia naſcebatur cauliculus ſuſtinens aliorum foliorum alas,quæ ex multis foliolis contrario ſitu ſemper naſcentibus conſtabant,denis; duodenis, aut pluribus, nullo impari alam finiente, inſtar Viciæ ſilueſtris, aut Lenticulæ:

*Cauliculus.* *Cultura.*

valdè caduca eſt planta, quæ niſi fulciatur,procumbit, Piſorum inſtar; inter foliorum alas, quæ ſarmenta aut caules amplectebantur, ſatis firmi & oblongiuſculi exoriebantur pediculi, ſuſtinentes alternis denos, aut duodenos flores, Viciæ, aut Lentis floribus [ vt arbitror ] non diſſimiles; mihi enim eos videre non contigit,ſed oblongum duntaxat pediculum reſiccatum apud honeſtiſſimum virum Chriſtianum Porretum, deinde anno 1602. alterum ſimilem mihi donatum ab honeſtiſſimo Viro Petro Gareto.

*Flos.*

Iſtis pediculis inhærebant deni,duodeni,aut plures pediculi breuiuſculi, ſatis craſſi & rugoſi,è quorum ſingulis graciliore, breuioreque adhuc petiolo dependebat ſiliqua rugoſa,ſpadicei foris coloris, vnciam, aut paulò ampliùs longa,ſemunciam lata, illaque aliquantulùm plana, mucrone inſtar hamuli curuo, internâ parte albi, in qua continebantur quaterna, aut quina ſemina duriſſima,orbicularis ferè, vel oualis formæ,prorſus rubra & nitentia inſtar corallii expoliti,quum probè matura ſunt, ſummâ autem parte, quâ ſiliquæ inhæſerant, omninò atra, & præ læuore ſplendentia.

*Siliqua.* *Semina.*

Huic plantæ, *Viciæ Africanæ* nomen indebam quia ex Africa eius ſemina ſemper delata memini.

*Vicia Africana.*

Cl.V. Proſper Alpinus lib.de plantis Ægypti,cap.21. *Abrus* appellat, arboremque impropriè [ meâ quidem opinione ] facit, quandoquidem volubilem, *Lablab* [ quod Phaſeoli genus ] modo ſerpentem, latiuſque ſe expandentem, eſſe ſcribit, & ridicæ ſe conuoluentem pingit.

*Alpin. reprehe.*

An Aloyſ. Cadadamut Arbores quædam, quæ in regno Senegæ Faxiolos producunt rubentes, cum macula nigricante, quæ eſt illis pro inſigni, & à noſtris oculus dicitur,alii hilum appellant. Phaſioli autem,qui nuſquam elegantiores viſuntur, inſtar nucis Auellanæ faberrimè facti ſunt,diceres torno aliquo inſculptos ac ſtriatos, adeò variantis naturæ ars in eis ludit, res viſu conſpicua,

*Piſa rubra.*

Geſn.Piſa rubra ex nouo orbe allata. Lobel. Obſ.& Ic. Coccineum Americum Piſum; An Orobi ſpecies? Piſa ex nouo Orbe delata,non delata, non decerpta ex quadam arbore,vt quidam putarunt. Cæſalp.Santali rubri ſemina. Alpin. Phaſiolus ruber, Abrus vocatus.Cam.h. Phaſiolus Indicus; vulgò falſo Pæonia Indica vocatus: miſſus eſt,Ginge & Abrus nomine. Lugd.l.4.c. 41. Piſum Americum; Piſum coccineum, Americum. Eid.c.12. Piſum Americum, Indicúmue. B.pin.Piſum Indicum 2.minus coccineum: Fabarum genus quod Ægyptiis Abrus, part.2. Ind.or. c.4. Et hic maior coccineus nigrâ maculâ notatus,reperitur.

*Coccineum Americum Piſum.* *Santalum rubrum.* *Phaſiolus.* *Abrus.*

Accepi inquit Honor. Bellus, ſemina phaſeoli ex Iemen, ( ex Arabia felici quæ terræ commiſſa feliciſſimè nata ſunt, quæ ab Alpino ſub Abrus nomine deſcribi puto, licèt ipſe fructum non rectè [ meo iudicio] deſcripſerit.

*Piſum Americum.* *Phaſeolus ex Iemen.*

Hæc ex Linſchot. In vniuerſa inſula Madagaſcar, item in China,Phaſeolorum genus quoddam creſcit, quod Latini Abrus vocant: Malayuenſibus autem *Conduci* appellantur,& Iauanis *Saga*. Perelegantes ſunt,parui,rotundi,nigrâ macula inſigniti. Vtuntur iis tantùm ad pondera,non ad cibum. Sunt enim ſapore perquàm amaro: quidam etiam arbitrantur venenatos eſſe.

*Abrus Alpini error.* *Abrus Conduci. Saga.* *Vſus.* *Amarus Venenatus.*

Piſum Americanum,coccineum, ſæpiùs plantauimus in horto E.C. ſed non germinauit, ſequenti interdum anno reperimus integrum. Frater miſit ſemina nomine Pæoniæ Indicæ, & Phaſeoli Indici atro-rubentis ex Creta. Accepimus etiam Lutetiâ cum denominatione *Bois du Breſil*. Plura ſemina huius etiam Patauio ad nos miſit Saxonia.Datum præterea nobis eſt aliquando nomine Ginge Æthiopici,& Abrus Ægyptiorum, à Paludano pro Phaſeolo Indico.

*Locus.* *Piſum Americanum.* *Piſum Braſilianum.*

Hæc grana coccinea, nigra maculâ inſignita; dura admodum ſunt, diuque in terra latitant, quorum interdum Camerario prouenerunt rudimenta,inſtar Piſorum, ſed ad frugem planta non peruenit. Semina vetuſta nequeunt vlla maceratione vinci, ſed recentiora intumeſcunt intra horas duodecim,vel citiùs, ac duplò fiunt maiora,colorem autem coccineum vertunt in ſordidè purpuraſcentem,quæ ſi deguſtare volueris,deprehendes ſaporem Piſi nigri detracto cortice, adeò fabaceum aliquid reſipiunt.

*Diu latitant incorrupta.*

Mittuntur ad nos nominibus *Ginge* & *Abrus*. Aſſerente Alpino Phaſiolorum guſtum habent,Ægyptii in iure elixis veſci conſueuerunt. Sunt verò præ cæteris omnibus concoctu difficiliora, ex quo ſtomacho maximè infeſta ſunt,flatuſque multos concitant & Hypochondriacis valdè noxia obſeruantur, paruum ſuccum generant. Cæterùm, quum diutiſſimè propter duritiem incorrupta maneant,ſerico filo traiecta, è collo monilis inſtar ſuſpendi, & Armillarum loco in brachiis geſtari poſſunt,ad ornamentum; quod nonnullas nobiles virgines,quibus ſimilia grana donabantur, interiectis paruis vnionibus facere obſeruatur, nam non modò corallinos globulos natiui coloris elegantiâ prouocant,ſed etiam vincunt. Quidam teſte Camer. perhibent vtiliter adhiberi, in dentitionibus,febribus & ſpaſmis puerorum

*Vires vſus.* *Stomacho nocent.*

---

## PISVM AMERICANVM SIVE Abrus coccineum maius, compreſſum, maculatum & non maculatum.

PErelegantes ſanè & viſendi hi fructus,*Abrus coccinei* dicti veluti degeneres eſſe videntur. Piſi maioris amplitudinem æquant, eamque planè,quam hîc pictam damus. Duri ſunt, ex rotundo nonnihil oblongi, æquabili alioqui ferè circinatione,modicè compreſſi.Quorum alter miniato dilutiore tinctus, nigrâ maculâ ſaturatiùs rubente lineâ circumſepta,tertia ſui parte in ambitu conſpicuus. Alter ſaturatiore coccineo rutilus,nitidus, & prædicto ventrioſior, nullo nigro veſtigio notatur: vtrinque verò linea pyriformi concolori, acumine verſus germen ( quod

*Deſcriptio.*

vtri-



vtique exiguũ) protenſo notabilis.

Pro deſcriptione & pictura miſit amicus noſter Iacobus Zuuingerus qui ſe accepiſſe perhibet à Bembo Nobili Patauino. Interna inſpicere haud licuit, quia noſter non erat fructus. Phaſeolaceum tamen eſſe non ambigimus.

B.pin. Piſum Indicum 1. maius. Variat fructus colore nigro, ſubfuſco, variegato, vmbilico eminente.

PISVM AMERICANVM ALIVD magnum, bicolor, coccineum & nigrum ſimul, ſiue Phaſeolus bicolor, *Anacock* dictus.

FRuctus hic durus, qui dentibus infringi non poteſt, reſiſtens etiam malleo, iniectus in aquam ſubſidet inſtar lapidis, colore miniato ſicuti Abrus, eleganti atque ſplendente, verùm mediâ ferè parte, in aliis vix tertiâ: niger eſt, compreſſus, nec exquiſitæ rotunditatis, ſed in oblongum vergens, eâ præſertim parte, vbi vmbilicus eſt. Hic diuerſarum magnitudinum eſt, & formæ; magnus, qui Lupini ſemine duplo ferè maior; mediocris cum eodem æqualis ferè, & paruus eodem minor. Eſt eis omnibus veluti vmbilicus ſublongus, quâ parte adhærebat ſiliqua, vt exiſtimamus. Apertis cum difficultate medulla eſt duriſſima ex albo flaueſcens: ſaporem notabilem non animaduertimus. Accepimus à D. Paludano nomine Phaſioli Indici, ab Ill. noſtra Principiſſa, Da. Anhaltina Duciſſa Wirtemberg. pro Faba Indica. D. Thomas Platerus exoticarum veſtigator ſolertiſſimus dedit maiores & minores. Gener Cherlerus in ſuo itinere Anglico plures etiam attulit maiores & minores. Plantæ Phaſioli Iconem habet Cluſius in Pann. vbi malè poſita fuerat pro Phaſiolo Ægyptiaco: nam in Hiſtoria ablatis Phaſiolis minoribus infra pictis ponit plantę iconem pro Phaſiolos peregrino 1. ſiue lato albo, cum venis nigris: Phaſiolos pictos habet idem Cluſ. vt & Lobelius. Qualia autem ſint folia iſtius plantæ, & qualis ſtirps, nobis non conſtat, nec ſcimus an aliquis annotarit.

Lobel. in ic. & hiſt. Belg. horum meminit nomine Phaſiolorum rubrorum Indianorum, duriſſimorum: ac duo fructus ab eo figurâ exibentur, qui etiam deſcribuntur. Londino accipiebat Cluſ. elegantiſſimum quendam Phaſioli (vt arbitratur) fructum à Iacobo Gareto cuius iconem & breuem hiſtoriam, propter venuſtatem & raritatem lectoris oculis ſubiicere volui, præſertim cùm *Phaſeoli ex India Orientali* inſcriptionem haberet. Is autem Ponticâ nuce paulò minor eſt, in medio tumidior & puluinatus, læuis, ſplendens, durus, ſolidus, in aqua ſubſidens, extima parte (quâ nimirum ſuæ vaginæ, aut lobo adhæſit) veluti diducto & hianti oſculo ſupernè paulo elatiore, & aquilino præditus, duobus duntaxat coloribus conſtans: ſuperior enim pars ab elatiore roſtelli parte; quaſi lineâ ad alterius extremitatis infimam in fructu partem obliquè ductâ, tota vtrinque atra eſt, Ebeni nigredine & nitore, inferior verò, omninò aurea, cui admixtum ſit pauxillum Minii, præmaturi Mali. aurei colorem refert, & vt altera nitet. Eius pulpam deſcribere nequeo, cùm confringere noluerim, vt pote qui vnicus ſit, inter reliquos exoticos fructus etiam ſeruandus.

Pingit Cluſius duos Phaſiolos, aut potiùs vnius duas facies ſine planta. Ille verò in pann. duas etiam pingit facies Phaſeoli modò dicti cum planta, ſub titulo quinti Ægyptii: verùm ibi obſeruandum errore typographico accidiſſe, vt ſub dicto titulo tabella illa poſita ſit: Phaſeoli quidem Ægyptiaci icon & tabula eſt p. 727. ſub titulo Phaſeoli tertii. *Iconis tranſpoſitio.*

Hoc præterea notandum Cluſium in hiſt l. 6. c. 41. iconem prædictam ex pann. poſuiſſe pro Phaſeolo peregrino primo, ſiue lato albo, cum venis nigris: verùm abſtulit Phaſeoli ſiue Piſi duas facies, quæ iuxta radicem erant pictæ, quæ reſpondebant noſtro Piſo Americano, ſiue Anacock. Præterea pann. pag. 732 depictum habet noſtrum Piſum, ſub titulo Phaſeoli Indici, nullâ additâ deſcriptione: in hiſt. tamen loco antè citato eam addit. Tandem in Exot. inquit: Honeſtus vir Walichius Syuerts anno 1599. de nautis quibuſdam ex America reducibus fructum Anacok redemerat, cuius uſum ipſi ignorabant: Erat autem Phaſeoli genus binis coloribus diſtinctum, rubro & nigro.

Item l. 3. c. 13. de hoc fructu ſequentibus agit: Eruditus vir Simon de Touar Hiſpalenſis Medicus Phaſeolorum tertium mihi communicabat, qui erat elegantiſſimus: iſque duorum generum, maior & minor, & magis orbicularis forma: color in utroque bifariam diuiſus, nam mediâ ex parte corallii inſtar rubebat, alterâ prorſus ater erat, læuis & ſplendens. Similem, maioris videlicet generis, multos ante annos Viennæ Auſtriæ accipiebam, eiuſque mentionem faciebam l. 6. meæ rariorum plantarum Hiſtoriæ, capite de Phaſeolo. Vtriuſque porrò generis anno ſalutis humanæ 1597 Londino accipiebam ab honeſto viro Ludouico Miræo Cl. V. Matthiæ Lobelii Genero, ipſi à nauta quodam ex India reduce donatos, & aſſerente, inquilinos tribus, aut quatuor maioribus in pollinem tritis vti ad vomitum prouocandum: è minoribus autem filo traiectis armillas fieri aduerſus Epilepſiam geſtandas, arbitrati forſitan iiſdem facultatibus pollere, quibus Pæoniæ grana: ſed ornatûs potius cauſa geſtari exiſtimem, intelligebam autem, ab Incolis appellari *Anacock*. *Maior & minor.* Deſcriptio *Vſus.* *Armilla. Epilepſia.* *Anacock.*

Taber. Phaſeolus Ægyptiacus Egiptiſche faſelen oder Bonen. *Phaſiolus Aegypti.*

B.pin. Phaſeolus Indicus 6. peregrinus ex rubro & nigro diſtinctus.

ANACOCK ACCEDENS PHASEOLVS totus ruber.

GEner Cherlerus ex itinere Anglicano & Belgico attulit ſecum Phaſiolos de genere

(vt exiſtimo) Anacock: ſunt enim eiuſdem formæ, ventrioſiores, maiores, quàm ſtaphylodendri fructus, ferè ouales, inæquales tamen. Color ruber, idem ferè cum Anacock, minùs tamen viuidus & ſplendens, nullâ maculâ nigrâ, vmbilicus idem, ſed maior, circulus etiam elatus, flaueſcens: durus eſt, & in aquam iniectus, fundum petit: hic fortè fuerit idem cum Phaſeolo Indico rubro Lobelii ſine macula nigra, quamuis nulla icon eum demonſtret.

*Anacock* Deſcriptio *Color. Vmbilicus.*

### PHASEOLI INDICI RVBRI duriſſimi Lobelii, cum nigra macula: & alterum genus ſine macula, alterum cum longa tenui macula.

1. *Phaſiolus corallini coloris cum macula nigra*

Magnitudine & figura ſunt fructuum ſtaphylodendri, læuoris eximii, rubore corallino, inuictæ duritiei, altera parte lucente nigram maculam habentes, medullâ præditi inſigniter durâ, ſapore non ingrato. His non abſimile figura eſt ſecundum genus, paullò tamen maius, & oblongius: nullâ nigrâ maculâ donatum, tantæ etiam duritiei, & tam pertinacis, vt à Wenceſlao Tſerclaes ſatum ſemeſtre totum in terra minimè mutatum latuerit. Tertii generis Phaſeoli præcedentibus duobus maiores, colore rubro obſoleto, ex oblongo rotundi, vtrinque nonnihil compreſſi, quemadmodum Caſtanea equina, quibus ſecundùm longitudinem altero latere macula eſt nigra, longa, tenuis: medulla inſigniter dura, ſapor amaricans.

2. *Phaſiolus alter ruber.*

3. *Phaſiolus ruber cum linea nigra, amarus.*

*Medulla.*

Lobel. hiſt. Belg. Roode ſeer harte Indianiſche Boonkens. Icon. *Phaſioli rubri Indiani duriſſimi.*

Nos hoc in loco priorem Phaſiolum maculatum referendum eſſe ducimus ad noſtrum Piſum ſiue Phaſiolum bicolorem, magnum alterum.

B. pin. Phaſeolus Indicus 4. ruber, ex phœniceo croceus, & ex rubro ſpadiceus ſplendens. Nos de hoc non agimus.

### PHASIOLVS, SIVE PISVM Indicum, compreſſum, ſanguineum, Lupini quodammodo facie.

*Deſcript. Magnitudo. Color. Vmbilicus.*

Figura ex triangulari in rotundum vergit, ita tamen, vt vtrobique ferè ſeſſilis videatur. Magnitudo Lupini albi ferè eſt. Color corticis ſanguineus, læuis, pulchrè ſplendens. Vmbilicus impreſſior, albicans, ſecus quem macula parua, nigricans, conſpicitur. Accepimus ab Illuſtriſſ. Duciſſa Virtembergica. An idem ſit, an tantùm varietas Piſi Americani magni iam antè deſcripti, pro certo non affirmamus. Habet tamen cum eo magnam affinitatem.

### PHASIOLVS INDICVS EX RVBRO ſpadiceus, ſplendens.

*Deſcript. Cortex. Vmbilicus.*

Vnciæ trientem non ſuperat, latitudine ſemunciali, modicè compreſſus. Cortice tegitur inter ruffum & ſpadiceum medio, & ad *Tanné* Gallis dictum accedente, læui, ſplendido, vmbilico dilutiore, vtcunque magno, per mediã longitudinem eleuato. Parte oppoſitã gibbã: Eſtque ex iis quoque quos ab Illuſtriſſima Duciſſa Wirtembergica dono accepimus.

*Eius Eicon antè tradita cum Icone Phaſeoli Indici parui maculati.*

### PHASIOLVS INDICVS OVATVS, ſpadiceus, vmbilico albicante breuiore.



Phaſiolis Indicis, ſanguineo & nigro magnitudine ſuppar eſt, quippe paullò breuior, anguſtiorque. Color intercurſantibus maculis quibuſdam dilutioris coloris ſpadiceus eſt. Sed varietas in vmbilico, qui ex rubedine albicat, & vltra mediam lateris longitudinem non explet. Viſus apud Illuſtriſſimam Principiſſam Virtembergicam, quæ ſeuit, ideoque interiùs contemplari non fuit datum.

*Deſ... Col... Vm...*

### PHASEOLVS SANGVINEVS ouatus Indicus.

Perelegans & exotica raritate ſpectabilis eſt hic phaſiolus. Vnciam ferè longus eſt, digiti parui craſſitudine, figurá ouatâ, colore ſanguineo. Hylus latiuſculus, atque niger per mediam ferè longitudinem excurrit. Dono nobis dedit D.D. Thomas Platerus Medicus, & naturalium ſolertiſſimus veſtigator, ex Hiſpania allatum, ex India tamen primò inuectum eſſe, retulit. Eundem, cùm jam figura noſtra eſſet ſculpta, communicauit nobis Illuſtriſſima Duciſſa Virtemberbergica, itidem (vt ferebat) ex India ſibi allatum. qui prædicto paulò compreſſior, in cæteris planè ſimilis eſt. Anno 1605. gener Cherlerus rediens ex Anglia & Belgio attulit ſimilem fructum, vtrinque compreſſum, vt euenit piſis, durum, ſplẽdentem, qui iniectus in aquam ſubitò ſidebat.

*De... H... Loc...*

### PHASIOLVS INDICVS ouatus niger.

Phaſiolo Indico ſanguineo iam deſcripto magnitudine, & figura ferè æqualis: colore autem variat. Nam totus niger eſt, & præ nigredine, atque læuore ſplendicat. Hilus itidem niger, magnitudine, & poſitu, vt in priori. Eſtque etiam hic ex fructibus apud Illuſtriſſimam Duciſſam Wirtembergicam viſis, quem aperire, cùm terræ eſſet creditura, non licuit, ideoque nec interiora, vel ſaporem addere.

*Def... Colo... Hyl...*

*Eicon antè habetur cum Phaſiol. Ind. ou. ſpadicei &c. icone.*

### PHASIOLVS INDICVS FVLVVS.

Noſtratibus Phaſiolis latior eſt, vix tamen longior. Color fuluus eſt, & muſtelinus. Vmbi-

*Deſc...*

Vmbilicus magnus & longus, niger in area; ipſo fructus cortice leuiter ſplendeſcente atque dilutiore,& quodammodo ex ruffo albicante conſtitutus. Etiam hic ex iis eſt,quos apud Ill. Duciſſam Wirtembergicam deſcripſimus, reſeruauit pro ſatione.

PHASIOLVS, LATO, STRIATO; ſiue radiato ſemine: alter punctatus; cupula atro virente.

Siliquæ magnæ, latæ, compreſſæ. Semina vnciam circirer longa, paulò minùs lata, renis formâ, in terminis regione ſinuatâ, nigrâ, frequentibus albis ſtriis virgata. Huic ſimilia alia paulò minora, quæ licèt radiata, ſiue virgata, variant nihilominùs diſpoſitione radiorũ. Minoris huius genus,quod pictum in ſuperiore parte noſtræ tabellæ paulò minus; quàm ſit, miſit inſignis Medicus Hercules Saxonia primariæ Cathedræ Patauinæ Profeſſor, is colore nonnihil variat, qui atrorubens etiam radiatus. Sunt nobis alia ſemina, quorum icon infima parte tabellæ noſtræ,quæ alba dici poſſunt, punctis nigris guttata,maculiſque rubentibus verſicoloria, a germine latiore maculâ,ad, & circa extremum ceu capula expanſa atro-rubente.



Cluſius ſimilem plantam ſic deſcribit: Caulis ſtatim à radice in aliquot oblonga ſarmenta diuiditur,lenta, vicinos ſtipites & virgulta reliquorum Phaſeolorum modo amplectentia: in ſingulis alis terna folia vulgaris Phaſeoli foliis ſimidia, atriora tamen, ex eodem pediculo naſcentia, extremo, (vt in vulgaribus) impari: ex iiſdem alis breues ramuli prodeunt, multis floribus vulgari haud abſimilibus, minoribus tamen, albis, vuæ in modum congeſtis,onuſti: quibus ſuccedunt oblongæ ſiliquæ: ſeu lobi, vulgaribus multò latiores, continentes ternos,aut quaternos fructus, planos; communibus Phaſiolis latiores, albos, ſed multis nigris maculis,ſiue venis, ab hilo in latitudinem ductis elegantiſſimè depictos.

Cluſ.dicitur Phaſiolus primus ſiue Africanus; Phaſiolus minor, varius, ſiue Purkircherianus. Eò quòd huius fructum D. Purkircherus primus in Pannoniam intulerit ex Neapolitano regno delatum, ſingulíſque annis coluerit & eius genus vt dixi,conſeruarit: quam ob cauſam apud rei herbariæ illius regionis ſtudioſos, Purkircheri cognomen inditum,& vt Phaſeolus Purkicherianus nuncuparetur, obtinuit. Ante multos verò annos ſimilem planè mihi miſſum memini,Phaſeoli Africani nomine: & ex Africa Italos primùm accepiſſe,veriſimile eſt. Idem in Hiſt. Phaſeolus peregrinus primus. Item Phaſeoli peregrini primi genus alterum.

*Phaſeolus peregrinus I. De Iconibus Phaſeoli lati.*

Ponit quod animaduertimus, Cluſius in Hiſt. poſtrema;pro Phaſeolo peregrino primo,iconem quæ eſt in Pannon.pag.229.Phaſeoli 5. ſiue Ægyptiaci titulo: verùm ex ea tabella ademit duo ſemina,quæ infra ſeparatim erant picta; pro genere altero apponit figuram,quæ eſt in Pannon.ſub titulo Phaſeoli primi ſiue Africani: verùm non demonſtrat,qua inter differant. Icon autem phaſeoli peregrini primi Cluſii, eſt nobis in tabella capitis Phaſeoli bicoloris, ſeu Piſi Americani alterius, bicoloris: in eo Cluſium imitati ſumus, cùm neſciremus diuerſam plantam à ſeminibus bicoloribus appictis. Phaſiolum,qualem pinxit Cluſius,radiatum, qui etiam inferiore tabellæ noſtræ parte pictus eſt, miſit Ill.Landgr.Guilielmus, nomine Phaſioli Americani: in deſcriptione tamen Cluſii variare videtur: dicit enim album cum multis nigris maculis, aut venis: meus potiùs dicendus niger cum albis venis.

*Phaſeolus Americanus.*

*Phaſeolus Braſelianus.*

An Tabern. Icon. & Hiſt. Breſilgen Bonen 1. Phaſiolus Braſilianus primus. Neſcimus,quam ineptam figuram proponat Compilator, quæ huc referenda videtur,conſiderato titulo. An Thomæ Hariot in hiſt.Virgineæ Inſulæ,*Okendgier*.

*Tabe.reprehenditur Okendgier Locus & Tempus.*

Cluſio Georgius Purkirchetus Poſonienſis in Vngaria Medicus primarius communicauit, cui ad pergulam, aprico loco ſatus ſingulis annis fructum maturum dedit. Mihi deinde anno 1582. & aliquot ſequentibus, egregiè prouenerunt aliquot eius ſtirpis,quarum nonnullæ lobos dederunt,qui matura ſemina protulerunt: interdum etiam, quos ad maturitatem peruenire poſſe exiſtimabam,ob Solis radiorum defectum, ſpem meam fruſtrati ſunt. Prouenit nobis in horto Ill. F.C.Wirtemberg.folio Smilacis vulgaris, ex ſemine miſſo,ab Illuſtriſſ. Landgrauio,cui (vt ſcripſit) excreuit ad lanceæ altitudinem, ſed tantùm floruit; nobis verò ad maturitatem ferè prouenit.Ab aliis etiam acceptum ſemen terræ commiſſum, aliquoties ſiliquas protulit; ſed nunquã ſemen maturuit. Si nanciſcamur deinceps tempeſtiuè in vaſe plantabimus, & ſub tectum proponemus, donec cælum incaleſcat, vt exponi poſſit.

PHASIOLORVM INDICORVM latorum tres ſpecies,. & Cluſii latus.



Est nobis Phaſioli Indici nomine à Doctore Paludano datus, ſeſcunciali ferè longitudine, latitudine vnciali, compreſſus: cortice obtectus flauo, ruffo colore variè interſparſo,ſplendente quidem, ſed non vſquequaque læui. Hilum album eſt longiuſculum,areâ obſcurè rubrâ circumdatum.

Huic quodam

modo ſimilem vidimus apud Illuſtriſſimam Duciſſam Wirtembergicam, ſed minorem: quippe longitudine vnciali, latitudine vnciam mediam non multùm ſuperante, itidem compreſſum. Sed color albus erat, rubris itidem maculis interſtinctus, cuius picturam ex ipſo etiam fructu effictam exhibemus.

*Color.*

Similiter & tertium quemdam apud eandem conſpeximus, prædicto magnitudine tantùm cedentem, quantùm is primo loco deſcriptus, compreſſum, Sed colore etiam variantem, quippe ex nigro & albo variegatum, ita vt inſignis ſinus, albicans, punctis fuſcis aſperſus, totam ferè fructûs nigri longitudinem vtrinque peruadat.

Locus. Vt Cluſ. refert apud Monardem, Londini emit in Mercatorũ porticu de Gallo Nauclero Phaſioli genus, quod è Braſiliana noui Orbis prouincia aduectum aſſerebat. Noſtro vulgari maior eſt is Phaſiolus, latiórque, nec minùs colore variat: etenim nunc flauus eſt, aut omninò niueus, modò ater, aut purpureus, aut albis pupureiſque maculis diſtinctus. De ſimili planta natum referebat, qualis Europea eſt, noſtrumque ſaporis gratia & leuitate longè ſuperare, ſi eodem modo decoquatur. Londini ſatum prouenit vulgari ſimilibus ſarmentis & foliis, ſed ad frugem non peruenit.

*Varietas.*

*Icon.* Videtur nobis Cluſius, primum noſtrum Phaſiolum iam deſcriptum pinxiſſe, ac fortè eâdem tabella album, de quo capite ſequenti.

## PHASEOLVS NOVI ORBIS LATVS, TOTVS CANDIDVS SMIlaci hortenſi affinis.



Deſcrip. STRIATO noui Orbis Phaſeolo minor eſt, à germine ad partem oppoſitam, vnciam latus, lõgitudine ſeſcũciali, eburnei candoris & læuoris.

Synonyma. *Phaſiol. ex America.* Dicuntur Lob. in Belg. editione parte 2. *Phaſioli ex America albi.* Et Icon. Plantin. *Phaſioli magni, lati, albi*, Theuet. *Americanorum Fabæ, omninò albæ, valde compreſſæ, noſtratibus latiores & longiores.*

*Americanorum Fabæ.*

Locus. Habeo ab Ill. E. C. miſſos à D. Paludano, & deinde mihi cum hac inſcriptione: Phaſioli Braſiliani, maiores: ex quibus nos curauimus depingendos cum duobus minoribus Lobelij eâdem operâ, ac etiam Phaſeolos rubros Americanos, ſtriatos, planos.

## PHASIOLVS LATVS ALBO EX NIGRO varius, anguſtifolius.

Deſcriptio. SARMENTA ſtatim à radice habet multa prodeuntia, Purkircheriani, ſiue in ordine [Cluſio rariorum plantarum Hiſtoriæ] primi Phaſeoli modo, quæ, licèt eadem ratione vicinis perticis ſeſe circumvoluant, non tamen adeò luxuriant aut altè aſſurgunt. Ad horum nodos folia enaſcuntur terna, vt in aliis Phaſeoli generibus, multò tamen anguſtiora, Sexti [nobis Phaſeoli lati. coloris tegularum, cum ſtriis per longitudinem nigris] foliis, quem Coloniæ apud Hoperi viduã conſpiciebat Cluſius, non valdè diſſimilia: ex horum alis emergebãt digitalis lõgitudinis cauliculi, paruos flores in vuæ modum congeſtos ſuſtinentes, albos initiò, ſed, vbi ſeneſcunt, pallescentes: iis ſuccedebant planæ, latæque vaginæ, Primi [Purkitcheriani] lobis ferè pares, breuiores tamen, initiò virides, quæ maturæ ſuleſcũt, ſeménque continent planum, Primi iam dicti granis minus, ſed ſimilibus coloribus albo & nigro varium, nunc in longitudinem extenſis nigris ſtriis, nunc confuſo ordine ſparſis maculis nigris maioribus, aut minoribus per vniuerſum Phaſeoli corpus: nonnunquam integro fructu nigro, vel exiguis albis maculis conſperſo, aut dimidiâ duntaxat ex parte. Florebat Iulio, & Auguſto: ſemen etiam maturum præbere incipiebat Auguſto.

*Folia. Caulis. Flos. Vagin. Semen. Temp.*

## PHASIOLI LATI, CANDICANTES VIRGVLIS NIGRICANTIBVS NOTATI ſecundùm longitudinem, vel nigricantes: flore albo.

PLVRIBVS ſarmentis aſſurgit, eiuſdem cum peregrino iam deſcripto, [ſeptimo Cluſij] vel cum ſuperiore, longitudinis, quæ vicinis palis ſeſe applicant, & eos ſcandunt: vbi ſeſe in ramos diuidunt, adnaſcuntur folia, Primi [Phaſioli lati, ſtriato ſemine] foliis ſimilia, terno numero, ſed paulò minora: flores ex alis profert etiam Purkircheriani, ſeu Primi, floribus ſimiles, albos, vetuſtate palleſcentes, vnæ inſtar naſcentes: quibus & planæ, vt in præcedente, ſuccedunt vaginæ, illis haud maiores, continentes bina, terna, aut quaterna grana, plana, ſuperioribus magnitudine reſpondentia, non adeò candicantia, ſed colore interdum exalbeſcente, aliquando nigricantibus virgulis ſecundum longitudinem, vel confuſè notata, interdum toto etiam pæne fructu, vt in ſuperiore, nigricante.

*Deſcr. Sarm. Folia. Flores. Vagin. Semen.*

Synon. Numeratur hic Phaſeolus apud Cluſium in hiſt. *Peregrinus octauus* ſeu emiſsâ Pannonicarum ſtirpium Hiſtoriâ, alter, qui Viennæ Auſtriæ, ſemine peregrè accepto, ipſi prouenit.

*Locus.*

## PHASEOLI LATI, MAGNI TOTI ALBI, EXCEPTIS QVIBVSdam radiis.

Deſcri. PHASEOLVM hunc adquirebam, inquit Cluſius, ſemine, quod N. V. Ioannes Boiſot ex Hiſpaniâ acceperat, mihi communicato, natum; erat verò is fructus Purkircheriano maior, ſed totus albus, niſi quidam radij ſparſi varium quodammodo feciſſent: terræ creditum ſemen prodiit, creuitq; Purkircheriani inſtar, ſimilibus ſarmentis, foliis, floribus, & vaginis, ſed cùm Æſtas ſubſequeretur tardior, humidior, & frigidior, neque hic, neque alij, quos ſeueram, Phaſeoli exotici, ad frugem peruenire potuerunt.

Synon. Eſt autem hic Cluſij rariorum plantarum Hiſt. Tertius, ſiue ordine peregrinus nonus, lib. 6. c. 41. Phaſeoli

## PHASIOLI LATI, PRORSVS NIGRI.

MVLTI ſunt ab vna radice aſſurgentes ramſi, ſuperioribus quidem altitudine æquales, ſeſe circumuoluentes, ex viridi purpuraſcentes, nodoſi, & geniculati, quibus adnaſcuntur folia, Octaui folus ſimilia, ſecundum tamen articulationes, quibus connexa ſunt, purpuraſcentia: ex alis etiam prodeunt digitalis longitudinis ramuli floſculos, ſuperioribus magnitudine & formâ, reſpondentes, vuæ quoque inſtar congeſtos, ferentes, ſed quorum galea, ſeu caſſis obſoletè purpuraſcit, bina lateralia folia, coloris ſunt floridioris: his ſuccedunt planæ, latæ, fuſcæ & nigricantes vaginę, ſemina continentes plana, Purkircherianis, ſiue verſicoloribus Africanis minora, per maturitatem prorſus nigra. Quartus eſt Cluſio Hiſt. ſiue ordine Phaſeolus peregrinus decimus.

## PHASIOLI LATI COLORIS TEGVLARVM CVM STRIIS PER medium nigris.

VNDECIMO Phaſeolo naſcendi modo & reliquis ferè notis, per omnia fermè ſimilis: ſed huius flores Decimi floribus valdè ſimiles, paullò tamen dilutiùs purpuraſcentes ſunt: fructus autem magis dilutâ rubedine præditus, tegularúmque colorem quodãmodo refert, quem raræ per longitudinem nigræ ſtriæ varium faciunt, aliquando autem plurimæ totum pænè atrum reddunt. Hoc genus mihi natum ſemine, quod communicabat Cl. Vir. Ioachimus Camerarius Inclitæ Reipub. Noribergenſis Medicus primarius: reliqua fructu ex Hiſpanijs miſſo: Cluſio ex ſex Viennæ natis vltimus, eſt ordine hiſt. pl. duodecimus.

## PHASEOLVS CAPOTILLO DEL ALDANA, SPADICEI coloris.

PHASEOLVS (inquit Cluſ. Exot.) peregrinus tertius, ab eruditiſſimo viro Ioan. Caſtanedâ Medico Hiſpalenſi ad me miſſus anno 1600. cum hac inſcriptione: *Capotillo de Aldana*: ſemuncialis erat magnitudinis, læuis, ſpadiceique prorſus coloris, exceptâ parte ſupina, quâ ſuo lobo adfiſſe videbatur, durus & ſolidus.

## PHASEOLVS BRASILIANVS CVM SVO LOBO, FABA SPADICEI coloris, & circa hilum fuſcum candicantis.

PRÆLONGVS (ait Cluſ. Exot.) erat hic lobus: nam decem vnciarum longitudinem habebat, vnius autem vnciæ latitudinem, aut paulò ampliorem: cartilaginea porrò cute tectus erat, quaternis in dorſo neruis à pediculo ad extremum lobum, ſecundum longitudinem excurrentibus, inſignitus, fuſci extrinſecus coloris, intrinſecus ex cineraceo candicantis, tenui quadam membranâ ſingulas Phaſeolorum ſedes (decem





*



*

autem continuerat) diſtinguente præditus: ipſi verò Phaſeoli longi, ſemunciam lati, ſpadicei coloris & circa hilum fuſcum candicantis. *Phaſeoli.*

Hunc autem lobum ab iis, qui recenter è Braſilia aduenerant, redemptum, Viennam Auſtriæ ad me [Cluſium] mittebat, Richardus Garth, anno à nato Chriſto 1585. cum aliis quibuſdam fructibus exoticis, quos ſciebat me ſumma diligentia conquirere. *Locus.*

## PHASEOLVS NOVI ORBIS EX ATRO PVRPVREVS, AVT SPADICEVS compreſſus duûm generum.

IN nigro relucet color glaucus aut purpureus, longitudo vncia minor, latitudo ſemuncialis; germen album, ſapor leguminoſus. Huius generis politior vnus, maior, minùs rugoſo cortice, & eo quidem ſpadiceo. *Color.* *Sapor.*

Ioh. Bauhino dedit Ill. E. C. cui miſerat D. Paludanus nomine Phaſeoli Braſiliani.

## PHASEOLVS AMERICANVS MAXIMVS, LOBVS FABA OBSOLETÈ rubente, hilo longo, albo.

CLARISSIMVS Vir, D. Carolus Paludanus dedit Sereniſſ. noſtro Principi, ſiliquam nomine Phaſeoli Americani, ex breui, craſſo, ligneo pediculo, palmum longam, vnciam & ſemis latam: cortice craſſo, duro, externè fuſco, internè albo. Secundum commiſſurę longitudinem, veluti ſulci aut coſtæ laterales duæ: eſt biualuaris, & aperta ſe contorquens, ſapore nullo inſigni. Membranæ intus ſpongioſæ, inter quas fructus *Siliqua.* *Cortex.*

multi phaſiolacei, vngue longiores, coloris obſoletè rubentis, videbantur nondum maturi. Hylus longus, albus, per longitudinem fructûs, non eleuatus, neceo eſt candore, qui in Leblab, eo etiam multò eſt maior: *Sapor.* ſapor fabaceus: dentibus facilè atteruntur.

## PHASEOLI RVBRI, AMERICANI, STRIATI, PLANI.

*Deſcrip.* ROTVNDIORES ſunt, quàm Phaſeoli magni, toti candidi, amænè rutilantibus lineis ſtriati, Porphyritæ marmoris inſtar, præcedentibus minores, nonnihil rotundi, & plani, maiores, latioréſque Phaſeolis vulgaribus: ex quibus aliqui oblongi ſunt, ſubcærulei, aut nigri, artificiosè ſtriis albis variegati. Lob. Similes, ſi non eoſdem Cluſ. ſic deſcribit: *Deſc. Cluſii. Sarmenta.* Sarmenta altè etiam aſſurgentia, ſimilia folia, & *Flores.* flores in digitalibus ramulis vuæ modo, congeſtos, paruos, octaui [Phaſeoli lati candicãtis] generis lobis ſimiles, in quibus *Semina* ſemina terna, aut quaterna, plana, dilutà rubedine prædita, quæ nigris venis, ſiue radiolis ſecundum longitudinem diſtincta ſunt, nonnunquam magnis, vel exiguis nigris maculis confusè aſperſa: interdum etiam vtrinque prorſus, vel alterâ duntaxat ex parte, nigra, emicantibus ſparſim paruis rubentibus maculis, vt ex marmore aliquo ποικίλῳ tornata videantur.

Lob. in hiſt. Belg. Rot Orengè ghemarbelde Boonen. Icon. Plant. Phaſeoli rubri.

An Cluſ. hiſt. ex ſex Viennæ natis quintus, aliàs ordine Phaſeolus Peregrinus vndecimus.

*Econ antè habetur cum Phaſioli lati ſtriati &c. Icone.*

## PHASEOLVS SANGVINEVS, compreſſus, vmbilico albo.

*Deſcriptio.* ELEGANTISSIMVM hoc Phaſeoli genus, exoticæ ſuæ pulchritudinis exhibet notas. Totus ſanguineus eſt, vulgari Phaſiolo latior, multoque compreſſior. Per ambitum nonnihil *Vmbilicus.* angulosus. Vmbilico in medio paruo, albo. A quo ad oppoſitum tranſuerſim obſcuræ, nec niſi Lynceis ferè intuentibus oculis occurrunt venulæ, obſcuriores ex atro rubentes, quarum diuaricatione in extremo nihil pulchrius conſpici poteſt.

Fruimur hoc ex liberalitate magni nominis Medici Patauini Herculis Saxoniæ, vt & plurimorum aliorum, exoticæ elegantiæ.

## PHASEOLVS VVLGARI MINOR ET PLANIOR, SVBRVBRO COLORE, foliis anguſtis.

*Deſcriptio. Folia.* ELEGANS genus Coloniæ conſpexit, anguſtis foliis Cluſius, fructu vulgari Phaſeolo minore & planiore, ſubrubro colore, ex Hiſpaniis accepto, *Frizoles Guateli* appellatione. Quin Dodonæus eius deſcriptionem in ſuam novam ſtirpium Hiſtoriam intulerit, non dubitat.

Eidem hiſt. Phaſeolus peregrinus ſextus. *Dod.* in fol. Phaſeolus peregrinus, perticis & vicinis adminiculis ſeſe quoque circumvoluens, cui terna ab vno pediculo folia etiam dependent, veluti Phaſeolis, ſed ſingula anguſtiora multò, ac



ſimiliter nigriora: *Siliquæ* Siliquæ breuiores, planiores, ac magis compreſſæ, pauciores fructus obtinent

## PHASIOLVS LABLAB ALPINI.



*Lablab. Deſcript.* PHASIOLVS niger, *Lablab* vocatus Alpino de pl. Ægypti eſt arbor *Sarmenta* ſarmentoſa, quę creſcit ad Vitis magnitudinem, ſarmentiſque, Vitis modo, extenditur, ac expanditur foliis, figuraque ſimilis eſt omninò vulgari Phaſiolo, *Flores.* flores ferè bis anno, Vere, ac Autumno, Phaſeolorum floribus aliquatenus ſimiles, à quibus *Siliquæ* ſiliquæ longæ, inſtarque Fabarũ latiſſimæ cernũtur, quæ *Semen.* ſemina nigra, Phaſeolis planè ſimilia, continent, quorum alia nigra, alia ſubrubra cernuntur.

*Longæu. Vſus.* Hæc arbor viuit annos centum & ampliùs, perpetuoque virет. Ægyptiis frequens in cibis, noſtriſque non minùs ſuauis. *Menſes.* Mulieres vtuntur decocto cum croco ad excitandos menſes, prætеrea vtilis ad *Tuſſis.* tuſſim, & diſpnæam, & ad vrinam ſuppreſſam mouendam.

*Genera.* Cluſ. ab. Il. viro Io. Pinello duo Lablab genera à Proſpero illi communicata accepit: *Nigrum.* vnum videlicet nigrum, vt quod deſcripſerat in Pannonicis, alterum ruffum: De Lablab autem quod affirmat Proſp. Alp. viuit annos centum & ampliùs, eſt difficilè creditu iis, qui Phaſeolorum & leguminum naturam norunt.

Honor. Bell. in epiſt. ex Cydonia Cretæ ad Cluſium Auguſto menſe ſcripta. Iulio nuper præterito ex Ægypto ſemina accepit *Leplap* diuerſi ab eo, quem in Pann. Cluſ. deſcribit, quæ terræ commiſſa feliciſſimè nata ſunt, maximâ ſuâ voluptate: *Differ.* differt fructu, ſiliqua, coloreque: nam hic ſiliquas profert magnas, longas, latas,

caulis

caulis color purpureus, ad nigrum tendens, pediculi & neruí foliorum eiuſdem ſunt coloris: flores plures vno petiolo inhærent. Ab Alpino rectè planta delineatur: ſed flores valdè differunt: nam non in fine caulium, ſed è foliorum cauis exeuntlongo pediculo plures, quaſi ſpicatim, magni, figurâ aliorum Phaſeolorum, ſed colore atro purpureo, qui Italicè *Paonazzo* dicitur, Phaſiolique ad rubrum tendunt nigris maculis inſigniti, longo hilo (at niger,) & albo.

## PHASEOLVS LEBLAB NIGER ET SPADICEVS, HILO LONGO, ALBO.

ptio. EX Phaſeolorum genere quoque eſt, quod *Leblab* barbarâ voce nuncupant. Magnitudine eſt Phaſeoli vulgaris, cortice tegitur ſpadiceo, læui, ſaturè rubentibus punctulis aſperſo. Cuius ambitus partem tertiam cingit hilum eminens, candidum, decoram elegantiam fructui concilians.

Cl. Paludanus *Leblab* nomine miſit fructum, deſcripto iam figurâ ſimilem, ſed planè nigrum, & aliquantò minorem, & ad cuius hili imum duæ maculæ flauæ conſpiciuntur.

ge- Eſt nobis Leblab genus quoddam totum nigrum, excepto hilo, itidem candido, eminenti, ac iam deſcripto ſimili, magnitudo prædicto æqualis. Huicque ſimilem habemus alium, colore ruffo, plùs minùs diluto: eſt etiam colore ferè rubro, nec non colore ferè flauo. Dentibus facilè atteritur hic Phaſiolus: ſapor eius leguminoſus quidem, ſed nobis valdè ingratus.

Cluſ. in Pannon. & hiſt. rar. depingit & deſcribit hoc Phaſeoli ſiue leguminis genus, quod Paludanus miſit, cui *Leplap* nomen inſcriptum erat, his verbis: Siliqua breuis & lata eſt, quaternaque grana oblongiuſcula, nigra, hilo nihilominus albo, admodum longo, prædita, continens.

s. Cluſio aliquoties acceptum, & terræ, opportuno tempore, creditum, naſci noluit, reſpuens fortè regionum Septentrionalium frigidiorem aërē. Sunt nobis ſiliquæ prædicti *Leblab*, quales pinguntur à Cluſio, ſicut & ſemina eorum ex diuerſis locis miſſa, videlicet à Paludano, vt dictum, alia mihi data per D. Iacobum Zuingerum, & fratrem Caſparum Bauhinum ex Creta delata. Verùm ea fuerunt ſimul mixta per incuriam. Baſileæ prouenit Leplap in horto D. Iſelii, ſimile caulibus & foliis Smilaci & Phaſeolis vulgaribus, niſi quòd folia multa, quaterna proferat. Gener Cherlerus rediens ex Anglia & Belgio diuerſorum colorum Leblab attulit.

## PHASEOLVS PEREGRINVS ORBICVLARIS, CINEREI COLORIS, TECTVS atrâ tenuique membranâ.

tio. MITTEBAT ad me [inquit Cluſ. Exot. lib. 3. c. 14.] anno 1600. honeſtiſſ. vir Vvilhelmus Parduin Phaſeolum peregrinum, qui lobo incluſus fuiſſe videbatur, planus, vncialis magnitudine, orbicularis pænè formæ, medio tumidus, atque in binas partes diuiduus, cineracei coloris, atrâ, tenuique membranâ tectus, cui nullum nomen erat inſcriptum.

## PHASEOLVS PEREGRINVS ANGVSTVS, NIGRICANS, ALBA, TENVI MEMbranâ tectus.

PHASEOLVS alter peregrinus, Cluſio [etiam in Exot.] miſſus, anno 1600. per Vvilhelmum Parduin vncialis quidem erat longitudinis, ſed anguſtus, ſolidus & durus, nigricans, in binas ſimiliter partes diuiduus, tenui quadam membranâ tectus, albâ, quæ in latere veſtigium retinebat, quo lobo inhæſiſſe videbatur. *Deſcr.*

## PHASEOLVS BRASILIANVS MVLTIS, SPADICEVS, MAGNVS CVM MAGNO hilo nigro, plurimum ambiente

CASTANEÆ magnitudine eſt, orbiculatus, vnciali plùs minùs latitudine, puluinatus, cortice tectus rugoſo, ſpadiceo, dilutiore, ſaturatioréue, circa hilum verò dilutiore & ferè albicante; cuius orbitam ferè totam ambit, hilum pullum, culmum latum, ſulco medio ſecundum longitudinem exaratum in principio punctum impreſſum habens. *Deſcrip. Cortex.*



Huius generis etiam alium dono accepimus ab Illuſtriſſima Duciſſa Vvirtembergica cuius hilum vtrinque eminēs, veluti criſpatas habet fimbrias. Anno 1598. Cl. vir Paludanus miſit nobis pro Fabis Braſilianis: quaſdam etiam antè habebamus, non recordamur vnde. Icon noſtra facta ad iconem, quæ eſt apud Lobel. in Iconibus, & Cluſium apud Monardem. Faba autem ſacta ſecundum noſtrum fructum. *Alius.* *Icon.*

An *Lobel.* & Pena in Adv. de hac aiunt, Faba (vel Phaſiolus) quędam latiſſima & candida, compreſſæ rotunditatis, ambitu ferè vnciam æquat, guſtu, concretione, & Phaſeoli ſimilitudine: hãc non demptam ex arbore Phaſiolifera, vt quidam putant, norunt amici quidam, qui ſeuerunt, legumenque non ita diſſimile Phaſiolo habuerunt. *Faba latiſſima.*

Lob. Obſ. & Icon. Plant. picturam ac deſcriptionem Cluſii exhibet ſimili titulo *Phaſeolus Braſilicanus* à Braſilianis *Macouna* vocatus, ex cineritio candicans. Tab. Icon. & hiſt. *Phaſeolus Braſilianus* 3. Breſilgenbonen. Hiſt. Lugd. *Phaſiolus Braſilianus Cluſii.* Qui, cùm Olyſipone eſſet, quemadmodum apud Monardem perhibet, donatus eſt Phaſeoli genere ex Braſilia Americæ prouinciæ delato admodum recenti, pollicari latitudine, craſſo colore ruffeſcente, magno hilo, & parte extremâ veluti ſeſſili. Eiuſmodi quatuor, aut quinque ſingulis ſiliquis prægrandibus continentur, qui recentes & virentes adhuc tuſi & impoſiti bubones venereos curare di- *Macouna.* *Phaſeolus ex Braſilia colore ruffeſcente.*

cuntur: flore traditur ex rubro palleſcente: ipſe quidem duntaxat iuniorem plantam vidit ſibi ſemine natam, quæ foliis Phaſeolo vulgari ferè ſimilis erat, niſi quòd minora erant, & auerſâ parte hirſuta, præſertim teneriora folia, & extremi caules tenui mollique lanugine fulueſcente obſiti. Braſiliani *Macouna* vocant: ſimiles planè, & *Colore cinereo.* colore, qui ex cinereo candicans, duntaxat differentes ex Mauritania delatos idem Cluſius vidit.

## PHASIOLI BRASILIANI MAGNI VARIETAS, CINEREA, AVT EX cinereo nigricans.

*Deſcript.* MAGNITVDINE à prædictis non variat, ſed paullò orbiculatior, nec minùs puluinatus, *Color.* corticeque ſcabroſiore. In colore & hilo præcipua varietas. Hi ſiquidem cinerei, aut ex cinereo nigricantes, haud interim ſecùs ac prædicti *Hilum.* circa hilum dilutiores. Hilum verò ſeſquiculmum facilè adæquat, vtrinque modicè eminens, quod in illis non apparet: per medium item ſulco, vel ſtriâ cauatâ excurrente. Ad hili finem, eâ nimirum parte, quæ ſeſſilis, ex hili proxima ſtria tranſuerſa, itidemque cauata, tertiam fructûs craſſi- *Icon.* tiem exæquans conſpicitur. Figura prædicti hanc quoque non malè exprimit, ſi, quæ in hoc ſpeciatim euariant, excipias. Hunc nacti ſumus ab Ill. C. Vvirtemb. cui Paludanus miſerat, ni memoria nos fallat.

*Locus.* Anno 1605. inter ea, quæ Gener Cherlerus adferebat ex itinere Anglicano & Belgico, erat modò deſcripti Phaſeoli ſiliqua, continens fabas tres: hæc ſiliqua ſimilis erat ſiliquæ depictæ à Cluſio pro lobo peregrino cartilagineo: vnciarum quinque longa, duarum lata; colore fuſco, cortice non duro, dorſo inſignita, vt illa, duplici criſta cartilaginea & ſinuoſa. Verùm in eo differens, quòd habeat præter dictas criſtas alias multas tranſuerſales, quæ non traduntur à Cluſio nec in eius icone apparent: hirſuta quoque eſt, internè glabra, nonnihil ex cinereo colore lucida, Mea inſuper ſiliqua deſtituitur pediculo, & Fabæ in ſiliqua pendent ex pediculo maximam partem ambiente eas, inſtar annuli: bene maturæ videntur, difficulter aperiri poſſunt, propter firmitatem nuclei, cortex exterior cinereus, vt dictum in deſcriptione internè niger: nucleus verò externè niger, internè albus, inſigniter durus: ſapor nullus inſignis, niſi quòd videtur ad Fabæ vulgaris ſaporem accedere.

Horum meminiſſe videtur Cluſius, vt videre eſt capite præcedenti, cùm ait: Macounam ex cinereo candicantem ex Africa Mauritaniæ delatum vidi.

## PHASIOLVS NIGRITARVM COLORE FVSCO.

*Deſcrip. Lobus.* EX GVINEA AVTHORE CLVSIO Exot. delatus fuerat, Februario menſe anno 1598. peregrinus hic Phaſeolus, cuius lobus, ſex, interdum ſeptem, nonnunquam etiam octo, vt mihi referebant, vncias longus, penè binas latus, planus, ſinuoſis oris, cortice non valdè craſſo præditus, externâ parte nigro, valdè rugoſo, tumenteque, quâ parte Phaſeoli incluſi, internâ cinericeo, cuſpide lõgâ & mucronata, dorſo ſatis elato, *Fructus.* in quo terni, aut plures fructus, quibuſdam veluti



cellulis diſtincti, vt in reliquis lobis cartilagineis, vel membranaceis magna ex parte contingit, orbicularis ferè in plano formæ, vncialis magnitudinis, coloris fuſci, & tanquã annulo, ſiue circulo rotum penè ambiente.

Cęterùm hos lobos mihi cõmunicabat Chriſtianus Porretus Pharmacopæus Leydanus diligentiſſimus, qui à nautis redemerat. Plures autem huiuſmodi Phaſeolos non ſemel, ſed aliquoties accipere memini, & anno 1597. & aliquot ſequentibus accipiebam, eoſque non vnius coloris, & omninò nudos, nulloque lobo incluſos. Quin *Alii.* & non valdè diſſimiles anno à Chriſti natiuitate 1564. Vlyſippone nanciſcebar recenter ex Pernambuco Americæ allatos, ſpadicei coloris ta- *Locus. Macouna.* men illos, & *Macouna* appellatione inſignitos, è quibus anno inſequente in Belgicam redux, aliquot menſe Aprili terræ committebam, quorum vnus duntaxat germinabat; & in binorum cubitorum altitudinem excreſcebat: ſed quum ſerius germinaſſet, ad frugem peruenire non potuit, & præmatura Hiems corrupit antè quàm vllum floris etiam rudimentum dare poſſet. Huius porrò, vt natus erat, iconem in tabella expreſſam olim dabamus ſcholio ad caput de Faba purgatrice, lib. ſimpl. med. ex Occidentali India delatorum, edito ab eruditiſſ. viro Nicolao Monarde Hiſpalenſi Medico, quem tum Latio donabamus. An autem lobo huic ſimili incluſi fuiſſent, me latet, quoniam omnes nudos accipiebam: ab iis tamen, qui attulerant, intelligebam prægrandibus ſiliquis fuiſſe obductos.

## LOBVS CARTILAGINEVS EX INSVLA MAVRITII, PHAſeolo ſiue Fabâ nigrâ.

ANNOTANTE Cluſio Exot. inter eas plantas quæ in inſula quadam deſerta, ad quam *Locus.* quinque Batauicæ naues, quarum Præfectus Wibrãdus à Wirvvic, anno reparatæ ſalutis humanæ 1598. appellebant, cui Cygneæ nomen Luſitanos primùm indidiſſe audio, Bataui verò à principe Mauritio, Comite de Naſſavv, Mauritii cognomen dedere, naſcebantur, vna erat lobifera: nam eius binos lobos inde aduectos, ante maturitatem tamen lectos, biennio pòſt, Wibrando reduce, ipſius munere accipiebam. An verò planta, quæ ſimiles lobos proferebat, in arborem aſſurgeret, an leguminis genus duntaxat eſſet, quoſnam flores aut folia haberet, intelligere non licuit, quia ab illis acceptis, neminem eorum, qui in dicta inſula fuiſſent, conuenire potui nec ipſum quidem Wibrandum, qui lobos per ſuum famulum ad me mittebat: eam ob cauſam nullam ipſius plantæ deſcriptionem dare poſſum, præterquam loborum.

Erant

Erant porrò illi lobi diuerſæ quidem longitudinis, æqualis tamen latitudinis, non valdè craſſo, ſed cartilaginoſo potiùs cortice tecti, eoque rugoſo, quia immaturi, fuſci coloris, breui; ruffaq; lanugine obducto, quam adhuc retinebat in lacunis, vbi attrita & deterſa non fuerat, ſupernâ, & infernâ parte veluti duplici criſtâ ſinuoſâ, & ſemunciam ferè latâ, à pediculo ad mucronem vſque lobi productâ, prædito: Phaſeoleos autem continebant penè vnciam latos, orbicularis formæ, non tumentes tamen in medio, ſed depreſſos, quia plenam maturitatem nondum erant adepti, in ambitu vndiquaque ferè veluti annulo cinctos, vt plerique ſimiles Phaſeoli, valdè duros & nigros, nucleo tamen albo præditos, quo recente veſci licuiſſet, quia ingrati ſaporis non erat. Iſtorum autem loborum vnus, quaternas vncias longus erat, tréſque Phaſeolos continuerat: alter ternas duntaxat, & binos Phaſeolos habuerat: vterque autem binas penè vncias latus.

## PHASEOLVS BRASILIANVS MAIOR PICTVRATVS: ET alter dilutiore colore.

FIGVRA ſunt oblonga, & ad circularem accederent, niſi ſegmentum, quod parte ſeſſili ad circuli perfectionem requireretur, deeſſet. Magnitudine præcedentibus ſuperiores ſunt, longitudine ſeſcunciali, latitudine ab hilo ad ſeſſilem leuiter ſinuatam partem vnciam facilè ſuperante. Nec minùs ventrioſi videntur, quàm prædictæ duæ ſpecies deſcriptæ. *Corticis* color ſpadiceus, per quem foliacea quædam emblemata ſunt ſparſa eleganti aſpectu. Circa hilum dilutior, & ferè flaueſcens. *Hilum* nigrum quoque, ſed anguſtius, & vix culmi minoris latitudinem adæquat, aſt quàm in cæteris magis eminet. Eadem tamen ratione fructus ambitum comprehendit, ſicut in iam deſcriptis, hoc eſt, ad partem ſeſſilem vſque. Circa hili extrema nec caput nigrum, nec ſtria tranuerſa conſpicitur. Maior quoque inter vtrumque hili extremum diſtantia quàm in prioribus. Hanc habuimus ex fructibus à Paludano datis Ill. C. Wirtemb.

Huius generis vidimus etiam minorem apud Illuſt. Principiſſam Wirtembergicam, & colore pallidiore, ſeu dilutiore, in cæteris ferè iam deſcripto ſimilem.

## PHASIOLVS BRASILIANVS MAGNVS, TOTVS NIGER, ſplendens.

CORTICE obtectus eſt duro, toto nigro, læui, atque ſplendente. In cæteris ferè, cum rubro ſplendente conuenit, ſed eo paullò minor eſt. Hilus etiam totus niger tres fructûs partes ambit, ipſóque fructu latior eſt. Rotundus eſſet, niſi pars ſeſſilis rotunditatem caueret. Illuſtriſſima Principiſſa Wirtembergica ſeuit, apud quam videre, deſcribere, atque depingere datum fuit; aperire, vt pen-



tiùs introſpiceretur, non item.

*Eicon eadem cum ea quæ lib. 3. c. 68.*

## LOBVS PEREGRINVS CARTILAGINEVS, PHASEOLO EX PVNICEO nigro tanquam annulo cincto.



ANNO 1599. inquit Cluſ. vt videre eſt in Exot. peregrinũ quendam lobum nanciſcebar, cui ſimilem ante videre non memineram: propterea illius hiſtoriam peregrè natis lobis adiungendam eſſe cenſebam.

Quatuor autem vncias cum ſemiſſe longus erat hic lobus, binas, aut paulò amplius latus, cartilagineo potiùs, quàm duro & lignoſo cortice conſtans, dorſo inſignitus duplici, veluti criſtâ cartilaginea, & ſinuoſâ, ad extremum vſque lobum protenſâ: rugoſus autem erat cortex, & coloris nigri veriùs, quàm fuſci: licet porrò ea longitudine eſſet præditus, tres tamen Phaſeolos duntaxat continebat orbicularis formæ, mediâ parte aliquantulùm tumentes, circiter vnciam latos, in ambitu ferè vndequaque tanquam annulo cinctos, valde duros, & ex puniceo nigros. Quæ arbor, ſiue planta hunc lobum protuliſſet, quâve in prouincia naſceretur, intelligere non potui, tametſi omnem diligentiam adhibuerim. *Deſcrip. Lobus.*

## PHASIOLVS SECVNDVS NIgritarum, non magnus pro lobi amplitudine.

ALTER lobus ex Guinea allatus, circiter ſeptem vncias longus, ſeſcunciam latus, quem *Deſcript.*

Cluſius redimebat anno 1595. durá cute tectus erat, coloris externâ parte ex ſuſco cineracei (eius dorſum tribus neruis ſecundum longitudinem inſignitum, vt in pleriſque ſimilibus lobis) internè veluti membranâ ſuffultus, aliquot Phaſeolos continens non valdè magnos, pro lobi amplitudine, nigros, longo hilo ſiliquæ ſiue lobo inhærentes.

Accipiebat autem hoc breuiorem eodem anno ab amplo viro Simone Parduyn conſule Medioburgenſi in Walachriâ Zelandiæ. Et biennio pòſt his non diſſimiles à nautis Batauis ex Madagaſcar inſula allatos, Amſtelredami conſpiciebat. Traditur hæc hiſtoria Exot. lib. 3. cap. 11.

## PHASIOLVS PEREGRINVS MAGNVS, COLORIS CASTANEÆ, cum magno hilo, læuis



Meminì aliquando me Phaſeoli cuiuſdam ſiliquas vidiſſe, quales pinguntur à Lobelio Braſiliani Cluſii nomine, à Braſiliano tamē & purgatrice Faba diuerſa grana continentes: hac enim minora, illo maiora orbiculata, ſemunciali latitudine, cortice duro, læui, ſpadiceo obducta, leuiter compreſſa, quorum hilum profundius, canaliculatum, non pullum, vt in Braſiliano, ſed reliquo cortici concolor, nec ita etiā latum, longúmve, vt quod duas dūtaxat tertias orbitæ cingat, cùm Braſilianus Phaſeolus breuem iſthmū relinquat. Cortice ſeparato, qui craſſiuſculus multùm de intenſo illo colore remittit, pulpa in conſpectum ſeſe dat, ſuperficie quidem tenus rari coloris, intrinſecùs alba, dura, ſapore viciæ.

*Deſcriptio. Cortex.*





An Phaſeolus tertius Nigritarum, ex Guinea aduectus, quem Cluſ. Exot. lib. 3. cap. 11. his verbis deſcripſit: Secundo [præcedenti] non diſſimilem, vncias cum ſemiſſe longum octo, ſed neruis ſecundum longitudinem in dorſo excurrentibus magis eminentibus, interna autem parte nulla membrana (niſi attrita fuiſſet) præditum, cineracei ex ſuſco coloris, Phaſeolos continentem ſuperioribus maiores, ſpadicei coloris, nec hilo adeò longo præditos, vt illi; quos honeſtus vir Petrus Garetus, Iacobi frater, Amſtelredamo ad me mittebat.

*Deſcript. Cluſii.*

An Geſn. epiſt. tertium Fabæ genus ab Adolpho Occone miſſum? *Faba.*

Lobel. Obſ. & Icon. Siliqua Phaſeoli Braſiliani. Sed videtur nobis hęc ſiliqua Lobelii non eſſe Phaſioli Braſiliani: ſed Fabæ, de qua hoc agimus capite.

Iac. Theod. Tabern. Icon & hiſt. Phaſioli Braſiliani tertii ſiliquæ. Schoten der dritten Braſilgen Bonen.

## FABA, VEL PHASEOLVS INDICVS MAGNVS, RVBER, SPLENDENS.



Apprimè ſimilis eſt iam deſcripto Phaſiolo peregrino magno, coloris Caſtaneæ, eundemque diceremus, niſi color maniſeſtè diſtingueret, leui interim quoque interueniente figuræ atque proportionis diſcrepantiâ. *Deſcri*

Vnciam vnâ & ſemis adæquat amplitudine, quamvis circinatæ rotūditatis non ſit: *Hilum.* quippe parte vnâ rotundiore, alterâ latiore, compreſſus, & vnciâ mediâ vix craſſior. Hilum inſigne, ac nigrum, duas ambitûs partes comprehendit, reliquâ parte tertiâ hilo vacuâ exiſtente. *Cortex* Cortex rubeus eſt, inſigniter læuis, ſplendens, ac ſubdurus; quem aperire poteſtas non data fuit, quòd Illuſtriſſima Principiſſa terræ committere decreuerit, apud quam vidimus, deſcripſimus, depinximus.

Eicon eadem cum ea qua lib. III. cap. LVIII.

## FABA INDICA, SIVE PHASIOLVS MAGNVS, COLORE EX PHOENICEO croceo.

*Deſcript. Color.*

Præcedenti iam deſcripto figura & magnitudo reſpondet. Sed ſuo colore variat: nam phœniceus ex croceo, hic ex illo ita emicat, vt cuius luſtrum præualeat non temerè dixeris, concomitante perelegantì læuitate, atque ſplendore quàm in prædicto tamen multò inferiore. Hilum quoque non nigrum, ſed fructui ferè concolor, quamvis ſaturatius. Dono accepimus ab Illuſtriſſ. Duciſſa Vvitembergica.

## PHASIOLVS SIVE FABA ARBORESCENS ex Guinea, Paludano latiſſima, ferè quadrata.

Frvctvs, quem miſit D. Bernardus Paludanus titulo Phaſeoli, ſive Fabæ arboreſcentis ex



Guinea, Purgatricibus noui Orbis Fabis compreſſior eſt, trium vnciarum latitudine, acutior ad hilum, oppoſitâ parte latus, & tantùm non quadratus, longitudo ſeſcuncialis: cortex Caſtanearum corticem craſſitudine æquat, ex ſpadiceo nigricãs, obliquè ſtriatus, amareſcẽtem ſubſtantiã claudens, quæ ſitum iam in ſuperficie contraxerat, penitùs verò nigricat, & odorem ingratum ſpirat.

Eundem fructum dono nobis dedit Illuſtriſſima Duciſſa Wirtembergica, ſed figurâ paullò variantem. Nam ad ouatam figuram quàm proximè accedit, ac prædicto latitudine quidem cedit, ſed craſſitie ſuperat. Cortex, & quæ intus latet ſubſtantia, cum prædicto eadem, ſed paulò dilutior, fortè quia maturior: Nam in vniuerſum prędicto eſt habitior. Conferant lectores hiſtoriam duarum ſequentium Fabarum arboreſcentium Cluſii: eæ ſanè cum noſtris reſpondere videntur.

## FABÆ ARBORESCENTIS LONGISSIMVS lobus, Phaſeoli, lati, plani, ſpadicei.



VALDE magnus erat lobus, inquit Cluſ. Exot. Lugduni Batauorum conſpectus apud Hẽricum Tilmannum Mercatorem, qui diu in Luſitania vixerat, eumque ex Guinea delatũ afferebat. Nam viginti vnciarũ longitudine, duroque & craſſo cortice erat præditus, atque rugoſo, coloris externa parte nigricantis, & fuliginoſi, internâ autem ferè ſpadicei (eam enim videre poteram, quia propter nimiam ſiccitatem, & calorem in binas partes cum ſtrepitu diſſilierat) continens magnos ſeptem Phaſeolos binas vncias cum ſemiſſe longos, ſeſeunciam latos, valdè planos pro magnitudine, & minimè denſos, coloris ex ſpadiceo nigricantis, & ſplendentis. Ipſum quidem lobum libenter in tabella exprimendum curaſſem: verùm quia in binas partes diſſilierat, & illæ inſtar cornuum arietis ſeſe contorſerant, commodè fieri non poterat: ſed ex alio ſimili iconem in tabella expreſſam hîc ſubiiciendam curabam.

Eam porrò iconem ſuis natiuis coloribus in charta eleganter expreſſam, ſeruata lobi magnitudine & latitudine, mittebat ad me anno 1601. doctiſſ. vir Franciſcus le Clerc Montifaut Medicus Tornacenſis, cum vno Phaſeolo ex ipſo lobo exempto. Lobus autem vnâ vnciâ minùs longus erat eo, quem apud Tilmannum conſpiciebam: nam eius longitudo nouemdecim vnciarum dũtaxat erat, latitudo verò eadem cum illo, qui Tilmanni, circa pediculum tamen paullò anguſtior: color externus fuſcus, quem craſſiores venæ, ſiue ſtriæ nigræ, à pediculo ad extremum vſque lobum ſecundum longitudinem ductę exornabant, internus color ex ſpadiceo ad rubedinem tendens: ipſe Phaſeolus planus, niger, & ſplendens, illi penè ſimilis, qui in lobo Tilmannico: quâ autem parte lobo adhæſerat, paullò anguſtior illo mihi videbatur, deinde in latum ſe expandens. Vnde autem hunc lobum habuiſſet, non adſcribebat. *Locus.* *Lobus.*

## FABA ARBORESCENS, SIVE PHASEOLVS LONGE MINOR, PLANVS, RVGOSVS, ſpadicei coloris, neruo eminentiore.

LOBO haud dubiè incluſus fuerat alter Phaſeolus, ſuperiori quidem formâ non valdè diſſimilis, ſed longè minor, ſeſcunciam videlicet tantùm longus, vnciam latus, planus, rugoſus, ſpadicei quodammodo coloris, neruo, qui eum ambiebat, eminentiore, & in binas partes diuiduum eſſe indicante, vt Fabæ vulgares. Hunc Cluſio, quemadmodum ipſe Exot. lib. 3. cap. 7. teſtatur, Paludanus oſtendebat. *Deſcript. Phaſeolus.*

## FABA ARBORESCENS, PHASEOLO plano, longo, nigro.



PHaſeolũ accipiebat Cluſ. libro & capite modò allegatis, à Cl. V. Paludano, Fabę arboreſcentis appellatione, quæ ex Guinea delata eſſet, & ex ſimili lobo, qualis Fabæ arboreſcẽtis longiſſimæ, exemptus eſſe credebatur: erat autem valdè planus, binas vncias longus, aut amplior, ſeſcũciam latus, eiuſdem penè coloris cum eo, qui ſuperiore capite deſcriptus, minùs tamen nigricans, quia forſitan minùs maturus, non minùs tamen ſplendens illo. *Locus.* *Deſcriptio Phaſeoli.*

Similem etiam, ſed maiorem, craſſiorem, & ſpadicei coloris nanciſcebar anno 1597. in Madagaſ- *Alius.*

carinſulâ natum, ab eis, qui illo anno ex Iaua Amſtelredamum redierant.

## FABA ARBORESCENS, SIVE Phaſeolus ouo columbino ferè ſimilis, exalbidi coloris.

*Deſcrip.* 



PHaſeolus, inquit Cluſ. Exot. qui lobo incluſus fuiſſe videbatur: diuerſa erat eius forma, nam columbinum ouum ferè exprimebat, longior vncia, ambitu ſeſcúnciam ferè comprehendens, exalbidi coloris, cui flaui quidpiam circa extremã partem, quæ lobo inhæſerat, fuliginoſâ maculâ erat inſignitus, læuis alioqui, & ſplendens, grauis, & ponderoſus.

## FABA ARBORESCENS, SIVE PHASEOLVS NIGER, AD OVVM columbinum accedens.

*Deſcript.* PHaſeolum quartum (pergit Cluſ. lobo etiam comprehenſum fuiſſe, non eſt dubium: illum ad me mittebat anno redemptionis humanæ 1597. ornatiſſ. vir Iacobus Plateau, rei herbariæ peritiſſimus. Erat porrò craſſiuſculus, eiuſdem penè magnitudinis cum ſuperiore, totus niger, præter exiguam maculam ſubalbam, quâ procul dubio inhæſerat lobo, durus autem, & ſolidus, atque in aqua ſubſidens.

## PHASIOLVS NOVI ORBIS, SIVE FABA purgatrix latiſſima, cordis figura.

*Varietas Fabarum.* VAriæ magnitudinis purgatrices noui Orbis Fabas ſeruo, aliàs vnciarum duarum latitudine, aliàs ſeſcúnciali, vtraſlibet orbiculatas ferè, latiores tamen paulò, vti ſinus paruus, quà ſiliquæ adhæſerunt, cauas, digiti ferè craſſitudine, modicè compreſſas, ſpadiceo, duro, ſtriato, & lucente



*Cortex.* cortice intectas:





quod intus cõtinetur, teſte Cluſio, album, ſirmum, & in duas partes natura ſectile, vt ſunt omnia phaſeolacea: ſapore primùm, quali ferè ſunt omnia legumina, ſed illicò linguam mordicante, & acri, quo fit, ni fallor, vt purgandi facultate ſint prædita.

Fabam iam deſcriptam reperimus inter Valerãdi Dourez ſelecta, cuius hæc erat inſcriptio: Faba purgatrix, vel potiùs Phaſiolus Peruuianus: Sunt nobis tres fructus, vnus ſonat, alter nõ, tertius flaccidior, & compreſſior, qui immaturus videtur, quem habui ab Illuſtriſſ. E. C. miſſum à Bernhardo Paludano, nomine, ſi benè recordor, Fabæ Braſilianæ.

Quartum anno 1605. accepimus inter ea, quæ Gener adferebat ex itinere Anglicano & Belgico, magnum, plenum, pulchrum, atro-durum, non ſonantem, ſine nomine. Adhæc anno 1608. tres alias purgatrices Fabas dono habui ab Ill. mea Principiſſ. Erant autem duæ nigræ, compreſſæ, vtrinque ferè planæ, tertia coloris penè caſtanei, vnâ parte planior, alterâ gibboſa valdè, ſinum cordatum minùs demonſtrans.

An Lobel. & Pena in Adu. de ſupra dicto loquuntur, dicentes: Phaſiolos, ſiue Fabas perquàm raras habemus, quas ferunt repertas magnâ copiâ ad Cornubæ littora, &, quod non parum mirum, eo loco nullam meminit vllus nauem illiſam, nullúmve naufragium factum, & tamen quotannis nouæ inueniuntur, partim fluitantes, & partim effodiuntur immerſæ ſabulis littoreis; quaſi, vt putant Cornubienſis maris Anglici accolæ, ſecundis Auſtris, aut Zephyris è nouo Mundo appulſæ fuerint. Tenebras, nobis equidem iudicibus, effundunt Aduerſaria, quæ omnis generis ambiguitates & dubia continuò pariunt. Fabas perquàm raras, ſed quales rogo, quantas? deſcribere fas erat, nefandum nudis incedere nominibus: nec enim his docetur quid res ſit, ſed per deſcriptionem ea tandem intelligitur.

Lobel. Obſ. Icon. Plant. *Phaſeoli noui Orbis,*

Fabæ purgatrices Cluſii. *Cluſio* apud Monardem naſcitur in inſula D. Thomæ dicta, & cordis effigiem, vt vulgò pingi ſolet, imitatur: idcircò à quibuſdam *Cor Diui Thomæ* nuncupatur. Eius obiter meminit Petrus Cieça part.1. Chron.c.112. Phaſiolus maior Fabæ purgatricis nomine miſſus.

Cæterùm ſilentio minimè premendam idem Cluſius exiſtimauit opinionem, quam Nortuuagos de hoc Phaſeolo habere intelligebat: illos enim prorſus ſibi perſuadere ſcribebat doctiſſimus vir ipſi amicus, marinum eſſe Phaſeolum, atque ideò in Farris inſulis naſci inter Algam, & ex profundo erui, quin & ſolliculos oſtendere, quibus contineri nugantur, quum tamen nihil aliud ſint (nam vnum quem mittebat, conſpexit) quàm ouorum *Raiæ* piſcis putamina. Ipſi à forma renes marinos appellant, nonnulli etiam *Bonæ ſortis calculos*; ſiue, quòd calamitatem à domo poſſeſſoris, ſiue etiam, quòd incantamenta, & neſcio quam noxam, ab heri pecore arcere vel propellere, credantur. Similem præterea cum ſuo lobo proponit capite octauo lib. 3. Exotic. qui non minùs craſſus erat (vt ex icone, quam ſuis coloribus expreſſam, eruditiſſimus vir Franciſcus *le Clerc* Medicus Tornacenſis ad ipſum mittebat, coniecturam facere poterat) quàm lobus, qui ex Wingandecaovv relatus, & hoc libro deſcriptus eſt: quem quidem lobum videre ſibi non contigit, nihilominùs eius iconem, ſecundum eam, quæ ad illum miſſa, in tabella ſecunda expreſſam adpoſitam hic volebat.

Is autem lobus non erat valdè longus pro eâ craſſitudine, quam pictura, quæ ad viuum affabre expreſſa, referebat, ſed quinque vnciarum longitudinem duntaxat habebat, binarum verè latitudinem, duro, craſſoque cortice conſtans, coloris ex cineraceo fuſci, de craſſo pediculo pendens. Binos Phaſeolos ſolummodò continuiſſe videbatur, quorum alterum cum ipſius lobi icone ad ipſum mittebat, binas vncias latum, ſeſcunciam longum, ſumpta ab hilo, quo lobo adhæſerat, ad infimum fructum menſurâ, planum, medio tamen, aliquantulùm extuberantem, læuem, coloris nigri & ſplendentis, quia perſectam maturitatem adeptus erat, aliàs ex fuſco ſpadicei: plerique autem omnes, quos videre Cluſio contigit (multi certè, & quidem variæ magnitudinis perſæpè ſibi ſunt conſpecti) cordis, vt vulgò pingitur, formam habebant, hoc eſt, eâ parte, quâ lobo adhæſerant paullulùm erant caui, atque propter hanc formam, & quia in inſula S. Thomæ (tametſi in aliis etiam Africæ regionibus inueniri non dubitem) naſcitur, & inde plerumque Phaſeoli illi allati, *Cor S. Thomæ* à quibuſdam appellatur. *Hæc ex Cluſio.*

Hos exhibet Iacob. Theod. Tab.ic. & hiſt. ſub titulo: Phaſeoli Americi purgantes, Purgierend Bonen auß America. Eoſdem quoque *Hiſt.* Lugd. depingit, ac deſcribit, vocatque Fabas purgatrices Monardis. An porrò Fabæ vulgaribus ſimiles, quarum meminit Ferdinandus Lopez de Caſtagneda Hiſt. Indicæ lib.7. cap.78. quæ vomitum cient, & aluum valenter purgant?

Fabarum purgatricum ſolum ſertile Carthago, Nomen Dei, & inſula D. Thomæ dicta. Sed Cluſius in Africæ etiam aliis regionibus inueniri non dubitat. Cæterùm, vt Monardes præcipit, pellicula illa tenuis, quæ per medium illas interſecat, & cæparum tuniculam exteriorem æmulatur, vnà cum cortice abiicienda eſt, alioqui tantâ vehementiâ ſupernè & infernè purgant, vt in vitæ diſcrimen ſumentem coniiciant. Aſſandæ deinde ſunt, vt illarum acrimonia infringatur, deinde in puluerem comminuendæ. Datur hic puluis vino, aut ſaccharo exceptus, ad cochleare vnûm, deinde hauſtus vini ſumitur. Apud Indos hoc medicamentum celebre eſt, ob ſumendi facilitatem: nam ſine moleſtiâ bilem, pituitam, & craſſos humores, multò leniùs, & faciliùs, quàm ſuperiora medicamenta [nuclei pinei cathartici, Auellanæ purgatrices &c.] purgant. Dantur in ſebribus diuturnis & importunis, in coli doloribus, & articulorum morbis. Doſis eſto aſſatarum (quod cùm in hoc, tum in præcedentibus obſeruandum eſt, torreri enim ſingula præſtat) à quaternario numero ad ſenarium, pluriúmue, aut pauciorum, pro ægri viribus. Calidæ in ſecundo, ſiccæ in primo.

*Sumendi ratio.* *Facultates.* *Doſis aſſatarum.* *Temperamentum.*

## PHASIOLI NOVI ORBIS, SIVE FABÆ purgatricis latiſſimæ, variatio longior.



AB hilo, quod eminentius eſt, nec ſinum facit, ad oppoſitam partem duos pollices, cum dimidio eſt latus, longitudo duarum eſt vnciarum, ſic, vt ab orbiculata ſuperiorum figurâ non parum deſciſcat, color ſpadiceus, dilutior, lubricitas & nitor, vt videtur, maior, craſſities par. Deſcriptio. *Color.*

Vnde habuerimus Phaſiolũ noui Orbis longiorem non recordamur. In ea ſumus opinione, Cluſium in Exot lib. apud Manardum cap.49 huius meminiſſe, cùm poſt traditam Fabam purgatricem forma cordis, ſcribit: Illi ſimiles, hoc eſt, magnitudine, & colore reſpondentes, ſed longiore formâ præditos Phaſiolos videre memini.

## PHASEOLVS, MAGOVNÆ, SIVE Phaſiolo Braſiliano ſimilis.



PHaſiolus Macounæ ſimilis, hoc eſt, ſpadiceo nigricante, ſed planiore, longioreque formâ, hilo non admodum magno, Cluſ. de fructibus peregrinis. Eſt autem ipſi, fructus peregrinus ſecundus, pag. verò 43. Phaſiolus Macounæ ſimilis dicitur, cuius ad epiſtolam Petri de Oſma Nicclao Mo-

nardes inſcriptam poſtremâ editione meminit, quique Diuo Maximiliano ſecundò Cæſari ex Hiſpaniis miſſus fuit, *Haba de India muy larga*, id eſt, Fabæ Indicæ prælongæ nomine. Aqua morſus imum petit. Iac. Theod. Tabern. Icon. Fructus peregrinus II.

*Haba de India muy larga.*

*Eicon eadem cum ea quæ lib. III. cap. 46.*

## PHASIOLVS INDICVS BREVI SILIQVA tumida atque nigra.

*Deſcrip.*

INter alia naturalia præcipuæ raritatis, quæ D. Paludanus Illuſtriſſimo ac Clementiſſimo meo Principi Duci Vvirtembergico obtulit, eſt ſiliqua hæc Indica, vnciâ latior, longitudine dupla, puluinaris inſtar tumida, nigra, aut fuſca, corticis Caſſiæ fiſtularis in modum, modicis ſtriis, rugoſa, lucida. Ex cuius extremo altero eminet pediculi veſtigium: Parte verò oppoſitâ angulus incuruus. Porrò hæc ſiliqua in hypocauſto collocata, à colore fatiſcens, in duas diſſiliit partes, quæ conterquebantur inſtar reliquarum ſiliquarum leguminoſarum; quæ tamen madefactæ aquâ, facilè in priſtinam figuram extendebatur.



*Color.*

Colore erant intus viridante, ipſe verò cortex fimbriâ claudebatur albicante. Latebant intus in ſiliquæ angulo fructus proprio pediculo hærentes, gemelli, nigri, læues, latitudinis pænè circinatæ, compreſſi, vt cultri dorſo non multum ſint craſſiores. Saporem non addo, quòd integri fructus terræ fuerint concrediti ab Illuſtriſſima Duciſſa. Pictura facta ad ipſam ſiliquam, ſed paulò minor propter ligni formam.

*Icon.*

*Deſcript. Cluſii.*

Prædictus fructus à Cluſ. in Exot. depingitur, ac deſcribitur, ſub titulo lobi membranacei nigri. Erat autem hic lobus binas vncias longus, vnam latus, prorſus atri coloris tumidus inſtar lobi Ciceris, nec formâ valdè illi abſimilis, maior tamen, membranaceo cortice ſatis duro cõſtans qui præ ſiccitate dehiſcebat, & conuoluebatur, quemadmodum penè leguminum lobi, ſeminaque continebat bina, aut terna, nigra, circinatæ ferè rotunditatis, plana tamen (quod mirum in adeò tumido lobo) formâ non multum diſſimili articulis lobi Acaciæ, non adeò tamen turgentia in medio, tenui admodum membrana tecta, eaque etiam nigra. Eum lobum cum aliis quibuſdam exoticis, mittebat ad me Amſtelredamò Petrus Garetus. Similes poſtea apud alios etiam videbam.

## LOBVS QVADRANGVLARIS.

*Deſcript.*

EXoticum, inquit Cluſ. lib. 3. cap. 17. nec vulgare leguminis genus eſſe videbatur, ſemel duntaxat mihi conſpectum, quadrangulari lobo conſtans, quatuor craſſioribus & eminentioribus neruis prædito, quadrantem longus, & circiter ſemunciam craſſus, cortice ſatis denſo, pro legumine, prædito, eoque obliquè ſtriato, coloris ex fuſco fuliginoſi, ſeptena grana continente quadrangula, in binas partes aliorum leguminum inſtar diuidua, quæ vetuſtate duritiem contraxerant. Hæc paucula de eo legumine ex eius notis apparentibus, & manifeſtis dicere poteram, quæ lectorem boni conſulturum arbitror.

*Lobus. Cortex. Color. Semen.*

## LOBVS MEMBRANACEVS planus, niger.



*Deſcrip. Lobum.*

LObus hic omnino planus erat, alioqui formâ valdè ſimilis ſuperiori: binarum enim vnciarum longitudinem habebat, vnius latitudinem, extremitas paulò latior erat, color extra ſpadiceus. Willelmus Parduyn, ab his qui anno 1598. ex Guinea redierant, accipiebat, & mihi [Cluſio Exot. lib. 3. cap. 16.] mutuò dabat, vt eius hiſtoriam deſcribere poſſem, quia quum vnicus illi eſſet, ad ſe redire volebat, quem adſeruaret: porrò maturuiſne eſſet, an immaturus, nihil pronunciare queo: ſed quum lobum eſſe conſtaret, nec agitatus ſtrepitum ederet, opinio magis inclinat, eum ante maturitatem fuiſſe lectum.

*Color. Locus.*

## FABA, CYAMOS LEGVMINOSA IN GENERE.



OPes ac diuitiæ Indiæ, Americæ, Africæ, aliarúmque exterarum regionum in præcedentibus hiſtoriis de Phaſeolis ad noſtras terras apportatæ fuerunt atque traditæ: quid noſtra ferat tellus noſtris & peregrinis exhibere aggredimur à Cyamo exorſi, quem recentior ætas Fabam appellat, radice partim eſt rectâ,

*Fabam. Radix.*

recta, partim ſerpente, ſtrumoſâ, & fibris donatâ: ex qua caules ſurriguntur duobus cubitis lætiore ſolo altiores, quadrati, inanes; foliis aduerſis, cæſiis, ex oblongo rotundis, ad vnam coſtam annexis: ex quorum alis flores oriuntur ſimul aliquot iuncti, congeneribus Piſis ſimiles, quorum ſupremum folium vngue purpuraſcente albidum, ſtriis purpurantibus pictum eſt, duo lateralia in medio nigra, in ambitu alba, ſtamina occultans, colore eſt ex albo herbaceo: ſemen in ſiliquis magnis, craſſis, carnoſis, hirſutis, ſurrectis, oblongum omnibus notum.

Sed veniamus ad ea, quæ de hac Theophraſtus aliique Veteres ſcriptis promulgarunt. Is igitur hiſt. lib. 8. cap. 1. Frumenti prima & maxima genera duo tradit, alia quippe frumentacea, vt Triticum, de quo lib. 18. Alia chedropa, vt Faba Cicer, de quibus poſthac agendum erit. Horum autem omnium generatio ſimplex, & vna eſt, quippe ex ſemine omnia exeunt, niſi quid rarò parceque radice proſiliat. Ex leguminibus quidem Faba maturè ſeri poſcit: hæc enim ſuæ debilitatis gratia radices agere ante Hiemē deſiderat. Sunt tamen, qui hanc ſerò audeant ſerere, ſi minùs primis ſatibus expedire potuerint. Legumina quarto die, aut quinto, proueniunt, Fabis exceptis: Hæc enim intra dies plures etiā quàm frumentacea exit, quibuſdam enim in locis vel in decimo-quinto, aliàs etiam vigeſimo: hæc enim difficillimè omniū proueniunt, & ſi, cùm ſata fuerit imber plus æquè ſucceſſerit, vel prouentu omninò difficillima reddetur. Sed an ea, quæ tēpore verno ſeruntur, celeriùs exeant, cogitandum. Cæterùm germinando eadem ex parte radicem fundit, & caulem, quâ nimirum parte ſiliquis ſemen adnectitur, inque ea veluti principium quoddam germinandi haudquaquam obſcurum: quod vel ad pudendi formam effigiatum ſanè inſpicere poſſis, vt & in Cicere, ſed maximè in Lupino: his enim radix deorſum verſus, folium verò, & caulis ſurſum tendunt. Sed & multis foliis exit Faba, iiſque rotundis, qualiter leguminum maxima pars, quæ radice ſingulari ſubnixa, multos ſuperne ramos ex caulibus gerunt, Fabis tantùm exceptis, quæ inter legumina ſola potiſſimùm erecto caule conſtat, qui geniculatus eſt, atque inanis, quamobrem culmus vocatus, cæteris leguminibus lignoſior. Quot verò diebus hæc floreat, ſic declarat idem Theophraſtus: Leguminum floris diutina productio, atque inter cætera Erui, Cicerisque diuturniſſima. Inter omnia verò Faba quidem ſummo diſcrimine, & longiſſimo tempore floret: quadraginta namque diebus florere prodita eſt: ſed alij, ſubinde alio atque alio emergente, florere aſſignant: particulatim enim florere aiunt, alij ſimpliciter referunt: flos enim ſpicatis conſertim Leguminibus omnibus particulatim emergit. His enim primùm pars inferoa floret, quæ cùm defierit proxima incipit, atque ita ad ſupernam itur ſucceſſu aſſiduo. Hinc hiſt. lib. 7. cap. 3. hanc (intellige florendi modo) cum Ocymo comparat, ſcribens: Ocymum verò particulatim primùm inferiùs, deinde cùm ea defloruerit parte, florere ſuperiùs incipit. Vnde fit, vt diutiùs iſtud floreat, quemadmodum Faba. Eam porrò diebus quoque quadraginta perfici volunt: ita tamen, vt intra tantundem ſpatium temporis hæc florere, atque perfici nata ſit, cùm cætera intra dies pauciores conſummentur. Nunc in Leguminum genere, colorum, ſaporumque ratio differentiam facit. Candida ſiquidem in omnibus generibus præſtant dulcedine, vt Cicer, Faba, & alia generis eiuſdem. Quæ, vt omnia Legumina, ſiliquis adhæret, & veluti quoddam principium inde obtinet eminens, non concauum, vt Lupinum. Ac licèt imber poſt ſationem ſuperueniens omnibus præſtò ſit, excipitur tamen ægrè germinans Faba, quæ floreſcens præcipuè madefieri cupit: ob id ſerò eam ſerere volunt (vt dictum eſt) quoniam diu floreat: ſed poſtquam defloruerit, parum omninò aquæ deſiderari affirmant. Conſummatio enim iam in vicino eſt. Hinc fortè illud pulchrè ſubſequitur, quod de cauſ. lib. 4. cap. 14. memoriæ prodidit: poſt florem etiam, ſi adhuc humida, tenellaque afflatu vehementer vexetur, facilè perit. Diſcutitur enim quod in his tenuiſſimum eſt, & conflictata inter ſe euaneſcit. Hanc ex cæteris nouale optimum præſtat, quamuis frequens ſeratur, fructumque ferat copioſè. Iam quod cultoribus ſcitu pernéceſſarium, aquas fluentes huic magis prodeſſe, quàm cœleſtes affirmant. Apud Philippos cùm ventilatur, eius loci vento perflata, ſi coctu facilis eſt, fit difficilis. Et hoc ſanè mirum, quod cùm alias minimè moleſta eſt, tum etiam tellurem raritatis ſuæ, ac putredinis cauſa ſtercorare putatur. Ob id, qui circa Macedoniam atque Theſſaliam colunt, cùm Fabæ florent, arua inuertere conſueuerunt. *Vermiculi* etiam in Fabis, quàm quidem celerrimè in leguminum genere erodunt. Midæ ab aliquibus dictæ naſcuntur. Singula namque pro ſuo humore peculiare animal creant, cùm ſecutis ſc. imbribus calor repentinus humorem incluſerit. Sed ita croſam, ſi credere nonnullis fas eſt, repleri poſſe affirmant. Cæterùm Midæ, vt aliarum herbarum & fructuum Impes, dum alimenta ſua conſumpſerint, pereunt. Igitur ad hæc omnia tractuum natura plurimùm refert, nec temerè, iam enim cœlum diuerſum caliditate, aut frigiditate, aut humiditate, aut ſiccitate conſtet: hoc autem fructus reddere, conſummareque potiſſimè patet. Quapropter quibus locis fieri ſolent, non ſemper fiunt. Seminibus autem non vis eadem ad germinandum, ac reſeruandum vtique datur. Quædam enim germinant, conſummanturque celerrimè, & reſeruari egregiè poſſunt, vt Panicum, Milium. Quædam germinant quidem, ſed non celeriter, ceu Faba, & præcipuè, quæ facilè percoquitur. Apud Apolloniam maris Ionii Fabam nullo pacto erodi aiunt, ideóque ſeruandam reponi. Quin & circa Cizicum diu durare poteſt. *Quòd autem* Faba tardi prouentus ſit, cauſſam aſſignat, craſſitiem putaminis ambientis. Si præterea ſatæ impluerit, adhuc multò tardiùs eam prouenire noſter author ſcribit, quaſi terra tunc pauimentetur, ſolidetúrque. Tertiò, Quod verò Faba, & aliud quicquam ex leguminibus minùs fruticet, imbecillitati certè tribuendum hoc eſt. Qua de cauſa maturiùs hæc ſerere ſolent, vt priuſquam (vt iam ſæpiùs dictum) Hiems adueniat, radicentur. Faba tamen adeò detrimentis multis eſt, frequenterque, obnoxia, vt quamuis maturè prouenerit, tamen perfici plerumque non poſſit. Imbecillitatem autem eius vel ſenſu percipere licet: eſt enim corpore ſolido ac inani: nec radice numeroſâ ſubnititur; quas ob res à quauis cauſâ ſtatim offenditur. Maturè igitur ſerere Fabam ſolent, quòd Hiemem anticipare debeat, quò poſſit radicari; & ſimul quia imbrem in flore amet, quia laxa eſt. Inter legumina autem magis æruginem ſentit, tum quia folia vndique gerit; tum quia denſa ſeritur, tum quia fructum terræ proximum gerit.

*Fabarum rigatio.*

*Quomodo fiat coctu difficilis.*

*Stercorat.*

*Vermiculi Midæ.*

*Duratio.*

*Cur tardi prouentus.*

*Fabæ imbecillitas.*

*Maturè ſerenda.*

*Ærugo.*

*Fructus terra proximus.*

Putreſcunt enim inferiora potiſſimùm, quoniam minùs perflantur. Interea tamen maximè rara, & fertilis flore, fructuſque multoties parit Solo leui gaudet.

*Quæſtio qua ratione Fabæ coctiles, aut incoctiles fiant.*

*Cæterùm* non minùs vtilis, quàm iucunda agitatur quæſtio, quamobrem Fabæ, vt & reliqua ſemina coctilia, aut incoctilia fiant. Vtrum ratione agri, an aëris, an certæ affectionis: &, omniáne, an aliqua tantùm perdura effici poſſint. Fabis enim ac lentibus (inquit Theoph. de cauſ. lib. 4. cap. 13.) id potiſſimùm euenire videmus. Fit ſæpè, vt & ager aliàs coctilia, aliàs & incoctilia ferat, tametſi eodem modo colatur: & ex continuis ſegetibus ſulco tantummodò arcente, altera incoctilia, altera coctilia profert. Semina quoque aliàs ex incoctilibus coctilia prodeunt, aliàs contra ex coctilibus incoctilia, vt in exortu, germinatione, craſſatione, copiâ, bonitateque nihil interſit, vtrum coctilia ſint, an incoctilia. Ergo de his, & ſi quid aliud poſſit huic quæſtioni ſubiungi, primum illud dicendũ, quod coctile,

*Quid coctile & incoctile?*

& incoctile, ad feruefactionẽ, reſolutionémq; atq; (vt ſummatim dixerim) ad noſtri vſûs rationem dici ſolitum eſt. Quod enim reſolui facilè poteſt, & cocturâ celeriter immutatur, id coctile eſt: contrà quod reſolui, immutarique nequit, vel quit, vel quod ægrè mutatur, hoc incoctile eſt.

*Coctile, rarum. Incoctile, durum.*

Tale autem ſit vtrumque neceſſe eſt, ſi alterum rarum molleque ſit, alterum denſum, durumque. Sic enim alterum caliditatem, humiditatemque, quibus reſolutio agitur, ſuſcipere valeat, alterum nequeat, ſed ſuâ denſitate, duritateque indomitum ſemper reſiſtet. Cùm igitur coctile, & incoctile ad hunc modum diſtingui deceat: animaduertendum, quibuſnam rationibus ea ipſa eueniant. Simplex igitur, veraque ratio illa eſt, quam & inter primas diſputationes reddidimus: quòd

*Alimenti causâ.*

alimenti causâ hæc omnia factitantur, i. e. qualitate, quantitateque eius. Sic enim alimentum commutare nimirum poteſt. Euenit namque, vt

*Loca calida.*

quæ in locis calidis, ſtercoroſis, tenuibus, Solique expoſitis ſint, alimentum leue, atque facilè habeant: itaque fructum rarum, mollemque præſtant. Hac enim de causâ non niſi coctilia fiunt in Lemno, quia huiuſmodi ſolum eſt: quip-

*Ager coctilis. Aer calidus.*

pe omninò agrum eiuſmodi coctilem quidam appellant, atque in eo coctili coctilia volunt. Sunt & quæ affert Ægyptus coctilia, ſoli, & aëris causâ: calor enim coctilitati, atque omninò digeſtioni perneceſſarius eſt. Quapropter quæ ſtercorantur, vicenis fermè diebus germinant. Quæ igitur agro feruenti, leuique proueniunt, his de

*Terra frigida incoctilia profert.*

cauſis coctilia ſunt: contrà quæ terrâ frigidâ, ſpiſsâ, lentâ, & quaſi figulari, atque etiam pratenſi, madidâ, & paluſtri exurgunt, omnia hæc incoctilia propter copiam, vireſque alimenti, & denſa, duraque ſunt, ex permiſtione terrenæ, atque frigidæ partis. Congelatio enim & condenſatio, ex eiſdem, quibus induratio fieri ſolet: ex quo

*Loca paluſtria.*

fit, vt locis paluſtribus, atque præmadidis, inutilia ex toto creentur. Nihil enim remitti in aqua poſſunt, quamobrem non niſi ſuûm pabulo ſunt. Has ferè cauſas tribuere ſolo debemus. Sed cùm aquæ quoque cæleſtis, & aëris qualitas alimen-

*Imbres incoctibilitatis causâ.*

tum augeant: idcirco imbribus incoctilia potiùs fiunt, vtpote cùm plùs alimenti, & crudius ſubminiſtretur. Hoc enim idem propè ſolum quoque eiuſmodi facit, & aër, ſi eâ frigiditate ſit, quæ

*Aer frigidus.*

non flatilis, ſed aquatilis quædam conſtet: ſic enim coaget, ſpiſſabitque. Cùm igitur cauſæ in hæc digerantur, nihil vetat, quominùs ager etiam idem, aliàs coctilia, aliàs incoctilia ferat, vbi ſcilicet pluuiæ, ac cæli conditiones non ſimiles, ſed aduerſæ inceſſerint. Etiam ſegetum, quas ſulcus tantummodò diſpergat, altera coctilia facere poteſt, ſiquidem ſolum diuerſum ſit. Vt enim in metallis, ſic & in aruis putandum, venas ſpatiari vicinas, diuerſas inter ſeſe, quæ ſuis viribus differentias reddere poſſint, tametſi aëris idem ſtatus ſeruatur. Itaque interdum ſegetis quoque eiuſdem aliquam talem eſſe particulam, patitur ratio naturæ. Idem eueniet, & ſi aëris, flatúſue frigiditas talis accedat, vt vel totum, vel pars concreſcant: quod etiam in corruptione euenire videmus, cùm alia diuerſa, alia ſimilia ſint, & ſi qua in ipſis ſeminibus diſſimilis habitudo ſit. Infirmiora enim faciliùs affici certum eſt. Infirmum autem vel natura fieri poſſit, ſi quam mutationem receperit.

*Fabæ al[iæ] coctiles, aliæ inc[o]ctiles.*

Qua de cauſsâ nihil prohibet inter Fabas caulis eiuſdem, alias coctiles eſſe, alias incoctiles. Itidem & in eadem ſiliqua euenit, vt quidam referunt, ſi verè aiunt. Etenim fieri poteſt, vt alia valida, alia inualida ſit. Fabæ infirmitatis argumento, vel illud poteſt deduci, quòd ſola mutare ſuum colorem videtur, vt nigra ex candidis efficiatur. Concretionem verò, condenſationemque eſſe vi frigoris, quæ incoctilia reddat, teſtificare illud quoque videtur, quod apud Philippos euenire Fabis ſolitum eſt. Flatus enim in eo loco vehementer frigidus eſt, & Fabæ incoctiles pleræque efficiuntur. At ſi in paleis torrefactis in aëre relinquantur, nihil ſe mutant, ſed incoctiles permanent: cùm enim à paleis, tum ſuo mutuo contactu teguntur, ſimulque terræ calore conſeruantur. Contrà ſi exaltentur, ſublimeſque capiantur, flatus ampliùs valet, nulloque tegmine defendente, facilè ſubit, atque coagit: tum etiam diſpoliatæ, tunc primùm ſuis paleis, & calore circumplectente deſtitutæ, infirmiſſimæ fiunt. Magna autem commutatio mouere plurimùm poteſt: ſed ſi poſtquam tempus præterijt, & quaſi firmiùs ſibi iam conſtitêre, diuentilentur, nullam offenſam ex flatu capiunt. Iam enim & putamen ambiens id robuſtius factum eſt. Incoctile autem effici, ſi diutiùs relinquantur ſub diuo, vt quidam aiunt, ratio eſt. Plus enim, quàm modicum ſit, refrigeſcunt, ſimulque indurantur.

*Pluuia [ſa]tionis à [ſa]tione ſ[ecuta] incoct[ilia] facit.*

Huic proximum quodammodo eſt, vt pluuia, quæ protinus à ſatione ſecuta eſt, incoctilem reddat: quod enim in pullulando infirmam inuenit, rigere vehementiſſimè facit: quod quidem ad cocturam, non ad exortum nocet. Nec temerè dixerim, eorum alterum abeſſe, cùm vis illa in aliis; propterea que alia ſit. Tum enim infœcundum, & germinis ſterile, vel difficulter auctile quicquam redditur, cùm initia generationis vruntur.

*Ex coct[ili]bus ſa[tis] coctili[a] poſſibi[le]*

*Ex coctilibus quoque ſatis*, iterum incoctilia fieri, ratio eſt, nam ab eiſdem aduerſo modo diſpoſitis, non temerè facilitas percoquendi proueniet. Itaque ſi aër, aqua, & ſolum ita ſe habeat, quidnam cauſæ ſit, cur non ſemina quoque mutentur. Sin autem euenit, vt putamen coctilium remittatur, incoctilium obtundatur, vt quidam aiunt: & altera oſcitate colorem ſuum immutent, altera minùs, & ſolutiora cùm demetuntur, coctiliora reddantur [etenim id quoque narratur] nihil abſurdum: quippe obtentio illa duritie concretionis, craſſationiſque eſt: quorum nihil alienum ab iis eſt, quæ ſunt incoctilia. Et nihilo immutari oris habitu poſſe, illius ſanè eſt, quod prædurum, indomitumque poſſit perſiſtere: aduerſo autem reddi aduerſum debet. Minùs quoque in ineſſe reſolui, duritiei, concretionique datur. Quod enim durum admodum eſt, reſolui haud facilè poteſt: quod etiam in area ſi euene-

ait, incoctilia fieri quidam dixerunt : ſed hoc minùs veriſimile eſt : Solis etenim ſiccitas, etſi inſipidiora minùs, ſuauia reddat, coctilia tamen nihilo minùs, ſed magis poteſt efficere. Cæterùm ſi verum id etiam eſt, prioribus rationibus nihil repugnat : nec quicquam diſſonat, ſi cùm vetuſteſcunt, incoctiliora reddantur. Sicciora enim ſic quoque efficiuntur, tam exaëre circumfuſo, quàm exhalatione humoris interni. *Celeriùs quoque*, magiſque corrumpi, quæ coctilia ſunt, ratio exigit: duriora enim hæc ſunt, & proinde magis poſſunt animalia gignere. Concocta quoque eadem pleniùs ſunt, quod etiam ipſum facit, vt celeriùs immutentur. Et hæc dari prædictis rationibus poſſint. *Sola autem* ex leguminibus, vel etiam ex omni frumentorum numero Fabam & Lentem incoctilia fieri falsò dici exiſtimandum. Sed quod hæc maximè experimur propter vſum frequentem, hinc ſola hæc incoctilia dicimus. Cæteris item molâ frangentes vti ſolemus, his autem integris, quæ certè non parua differentia eſt : etenim ſi attenuatis iis quoque vteremur, non æquè incoctilia eſſe percipiamus. Cæterùm ſi quis illa tantummodò incoctilia eſſe contendat, nec iſtud irrationabile eſt : ſunt enim cæteris fermè debiliora, debile autem faciliùs afſici neceſſe eſt. *Quod vulgariter* quæritur, quamobrem ea, quæ cornu contigerit, incoctilia fiant. Numquid ſtulta omninò quæſtio ſit: lapis enim multò durior eſt, cui ſemina ſæpè occurrunt : & nullo minùs incoctilia fient, etiamſi in cornu nihil offenderint, nec bobus aretur. Atque de his ſatis. Quemadmodum igitur ad coctionem, & omninò ad feruefictionem incoctile aliquid eſt, ita etiam ad exortum, germinationemque eſſe poteſt. Et hoc enim ſeminum imperfectio quædam eſt, pariterque in omnibus euenit. *Verùm* de his cogitandum ampliùs eſt. Validiora, vegetiora, ſuauiora, inſuauioráue, atque ad vſum cibarium meliora, deterioráue, pro locorum natura redduntur, vt diximus: quòd ſicciora, ſpiſſiora, conſtantioraque procreentur locis montuoſis, quàm planis, atque etiam magis, quàm pluuiis. Sunt enim illa ſpiratiora, & in vegetando temperatiora : non enim cùm ſemina plurima, craſſiſſimaque euadunt, ſuauia quoque eadem eſſe neceſſe : ſed alia opus eſt habitudine. Sarritio quoque plurimùm conferre ad ſuauitatem videtur. Iuuat & vegetiora demeti, humore namque vniuerſo conſumpto, cùm ad cibum deteriora, tum minora efficiuntur. Legumina verò, vt meliùs legantur, vegetiora demetunt, arefacta enim defluunt.

Plurima ex hactenus dictis, quæ de Cyamo περὶ κυάμου tradidit Theophraſtus, Plinius lib. 18. cap. 12. Fabæ conuenienter tribuit, ſic de iis ſcribens : Sequitur natura leguminum, inter quæ maximus honos Fabæ: quippe ex qua tentatus ſit etiam panis. Lomentum appellatur farina ea, [farina eius CH.] aggrauaturque pondus illa ex omni legumine. Iam verò & pabulo venalis. Fabæ multiplex vſus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miſcetur apud pleraſque Gentes, & maximè panico ſolidâ, ac delicatiùs fracta. Quin & priſco ritu Fabacia [Fabaca Turn. & CH.] ſuæ religionis Diis in ſacro eſt, præualens pulmentari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricâ ſententiâ damnata : vt alii tradidere, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſſa parentando vtique aſſumitur. Varro & ob hæc Flaminem eâ non veſci tradit, & quoniam in flore eius literæ lugubres reperiantur. In eadem peculiaris religio. Namque Fabam vtique è frugibus referre mos eſt auſpicii cauſâ, quæ ideo *refriua* appellatur. Et auctionibus eam adhibere lucroſum putant. Sola certè frugum etiam exeſa repletur creſcente Luna. Aquâ marinâ, aliáue ſalsâ non percoquitur. Virgilius eam per Ver ſeri iubet, circumpadanæ Italiæ ritu. Sed maior pars mauult fabalia maturæ ſationis, quàm trimeſtrem fructum eius. Namque ſiliquæ, cauleſque grati ſſimo ſunt pabulo pecori. Aquas in flore maximè concupiſcit: cùm verò defloruit, exiguas deſiderat. Solum, in quo ſata eſt, lætificat ſtercoris vice. Ideò circa Macedoniam, Theſſaliamque, cùm florere incœpit, vertunt arua. Naſcitur & ſua ſponte pleriſque in locis, ſicut Septentrionalis Oceani inſulis, quas ob id noſt i Fabarias appellant. Item in Mauritania ſiluestris paſſim, ſed prædura, & quæ percoqui non poſſit. Naſcitur & in Ægypto ſpinoſo caule: qua de cauſa Crocodili oculis timentes refugiunt. Longitudo ſcapo quatuor digitorum eſt, ampliſſima craſſitudo. Nec genicula habet, molli calamo. Simile caput Papaueri, colore roſeo. In eo Fabæ non ſupra tricenas: folia ampla : fructus ipſe amarus, & inodorus Dal. Sed radix perquàm lauta incolarum cibis, cruda, & omninò decocta, harundinum radicibus ſimilis. Naſcitur & in Syria, Ciliciaque, & in Torone Chalcidis lacu. Circa Philippos Ateramnon [Ateramum CH.] nominat in pingui ſolo herbam, quâ Faba necatur : Teramnon, quâ in macro, cùm vdam quidam ventus afflauit.

*Exeſa repletur.* *Fabalia.* *Stercorat.* *Locus.* *Caule ſpinoſo.* *Scapus.*

Fabæ magnitudinem exprimit multorum fructuum ad eam collationes. Theoph. Terebinthi ſemen, magnitudine Fabæ eſſe ſcribit, ſimiliter & Loti, Vitis Ideæ. Taxi denique fructum, Faba minorem affirmat. Plinius Tithymal. Paralu fructû, magnitudine Fabæ eſſe ait. His iungito Ariſtotelem. qui & ipſe animal. lib. 6. Fabæ magnitudinem expreſſit his verbis : Pullus ab incubitu decimo die totus perſpicuus : oculi capite grandiores, qui Fabis [κυάμων] maiores. Et licèt Ariſtoteles ita ſenſerit, antiquorumque Fabulæ, ſiue Fabellæ puſillæ ſint, tamen non ilicò noſtrates è Fabarum cenſu amouent (inquiunt Aduerſ. Loh.) vt Dodonæo placet : ſed id nos docent, eorum Fabam fuiſſe minorem, quàm hodierna, nec tamen ſpecie diuerſam, ſed congenerem, & potiùs fructu, magnitudine, figurâ, quàm plantæ natura, temperamento, aut lineamentis diſtare. Nam Theoph. & Plin. Fabam, qualis noſtras eſt, deſcribunt caule recto, & vnico, ſolamque inter legumina vt plurimùm culmo tradunt, & multis locis Dioſc. caulem Fabæ quadratum dicit, & florem Fabæ Perydimeni aſſerit. Sed id euenire, quia variant magnitudine, colore, effigie latiore, compreſſiore, tereti, rotunda. Et frequentiſſima hodie Faba noſtra maior, rarò vſpiam tamen niſi ſata prouenit, ſerunt quippe in ſcrobillas paxillo depreſſas. Quare vt non eſt difficilè noſſe iſtam vulgarem Fabam, maiorem, longiorem, minuſque rotundam eſſe, quàm Antiquorum Faba fuerit, ſic eandem Phaſiolum, Dolichúmue aſſerere, neutiquam licet per eoſdem authores. Altera Faba, quæ minor, non multùm videtur abeſſe à Græcorum Faba, Venetiis vulgò *Faba menada* dicta. Lob. Obſ. Faba maior recentiorum, *Bona* ſiue Phaſeolus Dioſ. Dodonæo. Is etiam meminit Fabæ maioris, coloris ex rubro purpurantis. Ic. Pl. p. 57. Tom. 2. Teut. 65. Tom. 2.

*Dodon. repreh.* *Fabæ Veterum m. nores quidem ſed non diuerſæ.* *Phaſiolus nō eſt, nec Dolichus.* *Faba menada.*

Quod quidem eorum opinio planè reiicienda

da ſit, qui Fabam non eſſe, ſed alterius nominis legumen, nimirum Phaſeolum eſſe prodiderunt, confirmat Hiſt. Lugd. dum dicit. Dicat mihi quæſo aliquis, paruum, illud nigrum, quod ſummæ Fabæ adhæret, & quod hilum dicitur, in quo alio legumine, quàm in Faba noſtra reperitur? Nam quod in Americo Piſo, Indicóue nigrum ſpectatur circa germinis exituri cauum, atra nota eſt impreſſi cortici, non verò laciniosum hilum, quod integro cortice auelli queat; vt in Faba. Quæ verò de Fabarum formâ, & magnitudine ſparſim apud authores leguntur, & quibus illæ à Fabis noſtris differunt, tanti non ſunt momenti vt ſententiam noſtram poſſint conuellere. Nam diuerſis in terris maiores & minores producuntur, & cùm creſcere incipiũt, & cùm perfectæ ſunt.

His adde Had. Iunium, qui etſi Rombertus approbare nitatur, Phaſeolum Veterum, φασήλον, eſſe vulgarem Fabam, ægrè tamen perſuaderi poteſt, cognitionem leguminis tantopere in vſu mortalium ſemper habiti, ita prorſus abolitam, atque ex animis hominum eraſam, vt nunc demũ velut rediuiuam ab inferis, aliam nomenclaturam reuocare neceſſum ſit, itaque bonâ Romberti veniâ, cum maxima doctorum turba, receptam vbique temporum, prærogatiuâ, vocem ſeruabit, dum omnium conſenſu veritas obtinuerit. His meritò ſubſcribit Turn. dicens: Nos cum Germanis ab annis multis Græcorum Cyamon Fabam vocamus. Verùm Tragus contrarium probare conatur. *Bωna* noſtra radicem habet ſingularem, [vt Faba Theoph.] caulis eſt rectus, quadratus, concauus. [Dioſc. de Clymeno cum Theoph. l. 7. c. 3. idem Fabæ tribuit] folia rotunda, flos lugubribus notis pictus, [de Faba Plin.] ſemen non conuenit: Galeno multis locis Faba rotunda, noſtra Bωna oblonga eſt, nonnihil compreſſa. Huic obiectioni ſi reſpondeo, facilè ſoluerentur rationes Tragi & aliorum. Haud facilè in his regionibus ſemen, quale Galenus deſcribit pro Faba, inuenias, cuius planta notas habeat ab aliis ſcriptas. Quòd ſi Bωna noſtra non ſit Faba Veterum, oſtendat mihi quiſpiam, quod genus leguminis in Italia, Hiſpania, Anglia, Germania, aut Gallia ſit Veterum Faba: Tragus Cicerculam veram [ipſi incognitam] putat eſſe Fabam Antiquorum. Sed cùm Cicercula non ſit rotunda, nec recta ſurgat, ſed obliqua, nequit eſſe Faba. Habet etiam Cicercula folia oblonga, cùm Fabarum folia, auctore Theop. ſint rotunda. Amatus & Dodonæus, adiuti rationibus Tragi negant Bωnam eſſe Antiquorum Fabam, ſed quale legumen ſit, non indicant. Ita nobis Fabam auferunt, ſed nihil ei ſubſtituunt, quod fecit Tragus audentiùs, quàm doctiùs. Ex iiſdem duo Bωnam volunt eſſe Faſelum, Sed Bωnam non eſſe Phaſelum, ex ipſius Dodonæi verbis probo, qui ſcribit Faſelum eſſe Phaſeolum Dioſcoridis. Sed Phaſeolus non niſi adminiculis adiutus ſurgit: ſuis tamen viribus ſtat Bωna noſtra, non eſt ergo Bωna Faſelus. Galen. quoque de alim. fac. c. de Dolichis inquit, Dicere poſſet quis omnia hæc, Eruilias, Cicerculas, & Phaſeolos vnum eſſe genus, verùm pluribus nominibus appellati. *Et paulò poſt*, de iiſdem ſcribens, ait, ſiue hæc, vt dixi vnum genus, ſiue vnius generis differentiæ ſint. Attamen ſcribit Theoph. Cicerculas & Eruilias, obliquè, non rectà ſurgere, inſtar Fabæ. Siue igitur Faſelus idem ſit cum Cicercula & Eruilia ſiue eiuſdem generis, vt ſcribit Galenus, tum creſcet Faſelus obliquè, vt reliqua duo, quæ, auctore Galeno, ſolo nomine differunt. Ergo cùm Bωna noſtra rectà ſurgat, Faſelus eſſe nequit. Præterea inquit Galenus Faſelum medium eſſe inter flatulentas & non flatulentas, At Bωna, vt ait Dodonæus, citans Dioſcoridem, eſt flatulenta. Cùm ergo inter flatulenta & non flatulenta, medio modo ſe habeat Faſelus: Bωna autem tam ſit flatulenta, vt Cumino addito opus habeat ad flatus auferendum: Bωna Faſelus eſſe non poteſt. Miror interim Dodonæum citare Dioſcoridem de ſa-facultatibus Faſeli, cùm nuſquam eius meminerit, niſi Dodonæus Faſelum & Phaſeolum pro vno eodemque recipiat. Quod ſi faciat, mirari rurſum ſubit, cur duobus capitibus diſtinctis de Faſelo & Phaſeolo agat, ſi vnum & idem ſunt. Miror etiam, eum facultates Fabæ Veterum tribuere Bωnæ Faſelo, quas nemo Faſelo tribuit. nec tamen Fabæ Veterum nomen etiam noſtræ Bωnæ concedere. Neque enim Galenus, neque quiſquam alius dixit Faſelum conferre inflammationibus, teſticulorum, & mammarum affectibus. Sed & Gal. & Dioſcorides eas vires propriè Fabæ Veterum aſcribunt. Quare videtur Dodon. inuitus, quatenus Fabæ Veterum facultates noſtræ Bωnæ concedit, Bωnam noſtram facere Fabam Veterum. *Ex rationibus ſupra dictis* perſpicuum euadit, Bωnam noſtram nec Phaſeolum eſſe, nec Faſelũ. *Iam Tragi & aſſeclarum eius rationibus reſpondeamus.* Quod ad Fabæ creſcendi tarditatem, non alia mihi videtur reſponſione opus, quàm ipſius Theophraſti: ſatis enim reſpondet eodem loco, his verbis: Sed an ea, quæ tempore verno ſeruntur &c. Plinio de radicum multitudine, iam reſponſum eſt à Theoph. ſcribente: Fabam plures non habere radices. Quod ad Fabarum fœcunditatem Plinio memoratam, aſcribendum terræ fœcunditati: vnde Agricola vir ſapiens ſcribit Veterũ pondera & menſuras ex granis & leguminibus non poſſe reſtitui, propter eorũ diuerſitatem ex regionum diuerſitate. Quod ex Dioſc. adducit de Fabæ rotunditate ex cap. de Iunipero in nullo emendato codice nec latino, nec græco inuenitur. Si quis textum Dioſcoridis ſecundum Serapionẽ obiiciat, non alio argumento meliùs probauerim Fabam non debere eſſe rotundã, quàm ipſis Serapionis verbis, ita ſcribentis: Quędam reperitur, cuius fructus eſt paruus ſicut Faba, niſi quia ipſe eſt rotundus. Videtis hic Dioſcoridẽ, vt citat Serapio, Fabam non facere rotundã. Ait enim baccas Iuniperi minoris paruas, eſſe inſtar Fabæ, niſi quòd rotundæ ſint, non vt Fabæ. Quod ad rationem de Fabarum rotunditate, ex Galeno deductam, reſpondeo aut Galenum ſuam Fabam ſub legumine aliquo comprehendere, quod nos pro Piſi genere accipimus, quemadmodum cenſent quidã apud Dioſc. ſub Fabis contineri Piſa, quoniam nulla Piſorum apud Dioſcoridem facta mentio: aut certè eius Faba in hac noſtra Europa, niſi multùm fallor, non reperitur. Plinius Piſa facit quadrata: ſecundum eum igitur noſtra Piſa alba, rotunda, aut ſunt Galeni Fabæ, aut Cicera alba, quæ Plinius rotunda alba facit, Cicere arietino minora. *Hactenus Turnerus.* Quâ porrò autoritate fretus Fabam tam audacter Bωnam vocet hactenus haud conſtitit, niſi, vt ita dicam, Germaniſmo fultus, idiomatéque Alemanico abuſus, vt aliis doctior videretur, nomenclaturam nouã hanc excogitarit. Si Bωna & Faba diuerſę ſunt plantæ, cur differentiam veram non oſtendit cur non vtramque diuerſis deſcriptionibus & iconibus expreſſit?

Faba (inſit *Hermol.* coroll. 328.) græcè κύαμος ἑλληνικὸς vocatur ad differentiã Ægyptiæ. A. Gellius &

*Radix ſingularis*
*Caulis rectus*
*Folia rotunda*
*Obiectio Tragi.*
*Bona noſtra Faba Veterum.*
*Cicercula non eſt.*
*Amatus & Dodon notantur, & Tragus.*
*Bona non eſt Faſe-ſelus.*
*Bona fla- lenta.*
*Dod. re[...]*
*Reſpon[...] ad obi[...] nes Tr[...]*
*Dioſc. non fa[...] tunda[...]*

& Feſtus Fabam etiam Fabulum appellant. Aliter TheodorusTeramon,&Ateramon ſiueAteranon apud Theophraſtum accipit, pro coctibili ſc. & incoctibili, non autem pro herbis ita nuncupatis, vt Plinius. Theophraſtus certè alio loco facilè ſignificat, veriorem Theodori, quàm Plinii ſenſum fuiſſe. Ateramna vulgò legumina Græci vocant, inobſequioſa & contumacia, quod genus ſeminis etiamCeraſbolon vocatur à Platone ſuperſtitioſâ origine, quaſi ſterilia & irrita proueniant, quæ per boum cornua ſerendo cecidiſſent in terram. Interdictum eſſe Pythagoricum cibo Fabam miſcere inualuit opinio contra verum, ſed venerem intelligi demonſtrat oportere Gellius Totâ Inſubriâ & Liguria recentes Fabæ, vendentium voce, nũcupantur *Baianæ*. In Etruria & Latio *Scaphi*: vtrumque originem habet eruditam: Nam & Baianas Apitius appellat, & Scapos Fabarũ Plinius.

Scribit Cord. in Dioſc. Cyamum Græcos, Latinos *Fabam* vocare, Germanos Bonen, de quo non opus ſit dubitare. Differre Fabas ſecundum colorem & magnitudinem. Deſcribit autem in hiſt. lib. 2. triplicem differentiam cap. ſc. 162. *Fabam vulgarem ſatam*, *Fabam nigram minorem*: & cap. 164. *Fabam nigram maiorem*.

Tragus, ſi quis Bonen (Fabas) ad Phaſiolos Dioſcoridis referat, cum eo minimè contenderit. Serapio (ait idem) cap. 116. *Mes*, & fructum eius *Robiltas*, nigras habere maculas ſcribens, videtur mihi, quod veriſimiliùs ſit, fabas noſtras germanicas intellexiſſe. Quarum aliæ [inquit cap. 14.] ſunt magnæ, aliæ exigue, ex his quidem aliæ ruffæ, aliæ candidæ. Vulgares agreſtes Fabæ, tres, aut quatuor, quæ maiores plerũque binæ, drachmæ pondus æquant. Noſtræ Fabæ deſcriptio, quam Germani Bonen dicunt, ei minimè competit, cuius veteres rei herbariæ ſcriptores meminere. Phaſiolos potiùs, quàm Fabas, ſiue Cyamos, apud Dioſcoridem vocatas ſentio. Fabæ apud Auic. *Narbathio*, Serapioni verò *Hachille* dicuntur, Hebræis *Pol* Ezech. 4. Mirari ſatis non poſſum, Barbarum & Manardum, & alios pleroſque à Fabis adeò abſtinuiſſe.

*Matth.* in comm. cum magnis icon. Lat. & Ital. & ep. p. 182. Fabas [κυάμους] alias aſſerit magnas, alias paruas, ſubrotundas alias, alias cõpreſſas & alias colore albicãtes, ſubrutilas alias, alias ſubnigras.

*Anguillara* tradit ſolùm magnas, paruas rubras, nigras, albas. Geſn. de hort. albas, & rubeas. Bellon. per Fabam Ægyptiam intelligit Fabam veram, edulem, natam in Ægypto. Videtur illi, Galenum etiam intellexiſſe lib. de alim. de Fabis communibus, vbi de Ægyptiis loquitur.

Fabam denique appellant [vt nobis author eſt Dod.] πύανον, vnde πυανέψια Athenenſium Feſta Apollini ſacra, quibus πύανοι [Fabæ & legumina] coquebantur, à quibus rurſum menſis, quo hæc celebrabantur, πυανεψιὼν nuncupatus eſt, qui ferè cum Octobri conuenit. Nominantur κύαμοι etiam teſticuli: quòd ſint, τῦ κύειν αἴτιοι, patiendi autores. Ab his Cyamis abſtinendum Pythagoram præcepiſſe plerique interpretantur. Quo ſymbolo eum deteſtatũ aiunt rei venereæ vſum, non autem eſculentarum Fabarum.

Faba freſſa, aut fracta ἔρεγμος grecè appellatur, aut ἔρεγμος, & Fabæ freſæ farina ἐρεγμένον ἄλευρον. Fabæ Græcis φασήλος, Dioſc. etiam Phaſioli, Lat. *Faſeli*, Offic. & vulgò dicuntur, Germ. & Belg. Bonen Phaſelus maior, aut Faſelus ſatiuus maior. Belg. Grotte Bonen.. Altera poteſt dici Faſeli minores, *petite Feue* Gallicè. Brabant. Zeũſch Boonkens/ & Peerden boonkens. Fabam vulgarem non eſſe Cyamum demonſtratur in Hiſt. frugum, & in fol. Bonamaior vt plurimùm candida, ſubinde ex rubicundo colore purpuraſcens, ſemidrachmæ ſæpenumerò pondo. Hanc veterum Græcorum κύαμον, ac Latinorum Fabam eſſe non ſolùm Officinæ, ſed omnes paſſim crediderunt, qua in re à veritate abſunt. Dioſcorides Ægyptiã Fabam, vulgarem Græcorum magnitudine ſuperare tradit: quæ tamen & ipſa parua eſt, Bonàq; longè minor. Pendet enim Ægyptia Faba auctore Galeno ſemiobolum tantùm. Bona verò ſemidrachmam, i. e. obolos integros tres, ſæpè complet. Bona igitur non Faba, ſed omninò alterius nominis videtur, Faſeli ſc. quem Græcorum complurimi φασήλον, ac Dioſc. φασίολον, Simeon Sethi φάσηλον nominauit. Phaſioli autem Dioſc. iidẽ ſunt cum Phaſiolis à Galeno, in lib. de alim. facul. appellatis. Bonam germ. dictam, veterum Græcorum & Latinorũ φασήλον, Dioſc. φασίολον eſſe, dubitandi nullus locus ſupereſſe videtur. *Bona non Faba ſed Faſelus.* Minor Bona colore aliàs ſubalbicans, aut ſubflaua. *Bona minor.* Fœcundum admodum legumen, quod maiorem multitudine foliorum & florum, ſiliquarumque numero ſuperat: alias nigra. Brabanti vnà cùm Flandris, Hollandis, Zelandis, ac aliis finimitis vulgò Peertſboonen/ hoc eſt, Bonam equinam, & Klein boonkens/ paruas Bonas, appellant, plærique etiam Zeeuſche boonkens, Zelandicas Bonas. *Bona equina, Bona Zelandica.* Eſt verò hæc Bona, Phaſiolus quidam, & potiſſimùm ille, quem Dioſc. videtur ſolum nouiſſe. *His & aliis* rationibus, ſi Diis placet, firmiſſimis, quibus Dodon. vulgarem, veriorem que ſententiam non tantùm infirmare, ſed funditus euertere fruſtra ſe torquet, quid reſpondendum ſit, ex antè dictis clarè eluceſcit.

Faba ſemen eſt, vt apud Cæſalp. legimus, inter legumina maximum, & quò maius, eò magis in longitudinem depreſſum eſt: minora autem rotundiora ſunt, & modicè oblonga: color aliis albicans, aliis niger: rubras quoque Fabas ipſe vidit. *Faba maximum legumen. Varietas.* *Faba*, Theophraſto, Plinio, Varroni, Galeno, Dioſcoridi. Plura antè ex Plinio, & Varrone.

Schun. Faba maior, κύαμος Dioſc. Faba maior ſatiua, Groſſe rote Bonen/ Deutſchebonen. Faba minor, ſiue rubra klein rote boonen.

Pro Faba, Viciæ aliquod genus veriùs exprimit Petr. Creſcentius. *Petri Creſcentii error.*

C. *Bauh.* apud Matth. Faba. κύαμος à fertilitate, inter legumina maximum:. Sunt vt plurimùm candidæ. ſunt nigræ, & ex rubicundo colore purpuraſcentes, & flores aut candidi lituris nigris conſpicui, aut ex purpura nigreſcentes: ſatiua eſt maior, & minor, Fabullum Gellio & Feſto. *Fabullum.*

Had. Iun. *Faba freſa* Plinio nominatur, quæ confracta eſt, ἐρεγμὸς Al. Gewelte Bonen Belg. Geſtoten oft gecapte/ oft gemalen bonen. *Faba freſa.* Fabæ tunica, *concha Fabæ* Scribon. *Valuulus* Columel. *operculamentum.* λέπος, λέμμα, πίσκος Nicand. θήκη Ariſtoteli, λόβος, λέβηνες Heſychio, κέλυφος Apollonio. Gall. *La gouſſe*. Siliqua, folliculus. Colum. cõcha, valuulus, à valuis ſimili operculatura, non autem à vallo, vt Nebriſſenſis putat. *Siliqua.* Theca generaliter, quâ veſtiuntur legumina. λόβος, κωρυκὶς Theophraſto. θήκη Ariſtotel. Fabæ oculus. ὄμμα Ariſt. *Fabæ oculus.* Vmbilicus Fabæ, vbi bifores Fabarum valuæ committuntur. Fabæ ſcapus, fabalis ſtipula Ouid. καυλὸς τῦ κυάμου. Al. Bonen ſtengel/ bonenhalm. Belg. Boonſtroo/ bonenſtangel. Fabæ *hilum*, Nigrum in ſumma Faba. Belg. t'ſwardt bande Bonen. Gal. *Le noir de la Febue*. It. *Il nero della Faua*. Hiſp. *El negro de la Haua*. *Fabalia* Plin. *Fabago* Cat. *Fabaginum acus*. κυρήβια: quiſquiliæ & purgamenta Fabarum. Belg. t'caf bande bonen. Lomentum, farina fabacea, λώμα,

κυάμων. Germ. Bonen meel / vt & Belg. Gal. *Farine de Febues*. It. *Farina di Faue*. Hiſp. *Harina de las Hauas*. Conchis Martiali, Iuuenali, Faba cum corticibus ſuis elixa. Germ. Bönen die man vngeweelt kocht. Belg. Vngepelde booneu gecoockt Gall. *Febues boüillies auec l'eſcorce*. Ital. *Faue bollite con le ſue guſcie*. Hiſp. *Haua cozida con ſic corteſa*.

Nomina linguar.

Faba vulgaris, κύαμος pleriſque Herbariis, Germ. Bonen, Belg. Bone, Gall. *Feues, Febues, Fabue*. Ital. *Faua*, *Fabæ* verò recentes & virides, *Baccielli*. Hiſp. *Hauas*. Ang. Braues. Bohem. Bob. Hung. Bab. Arab. *Hachille, Haballe*, & *Bacchale*.

*Æquiuoca.*
*Lupinum.*

Cyami nomine, Fabæ complures apud Herbarios inueniuntur: vulgares quippe, magnę, albæ, & purpureæ: paruæ, albę & nigræ. Lupinum eleganter depingit Auicenna lib. 2. cap. 451. niſi quòd illic Fabam Ægyptiam affirmarit. Quæ eadem cum Colocaſia Dioſc. à Plinio ſeorſim traditur.

Locus & Tempus.

Fabam in locis validis, non calamitoſis ſeri præcipit M. Cato. Tempus aſſignat Varro, & Palladius. Huic circa ſeptimum Idus Decembris ſeri poteſt. Nam poſt exactam brumam malè ſeminatur. Illi optimè ſeritur in Virgiliarum occaſu; & quidem modii quatuor in iugero, ſed nonnullis locis paulò ampliùs, aut minùs ſi enim locus craſſus, plùs; ſi macer, minùs; quare obſeruabis, quantùm in ea regione conſuetudo eſt ſerendi, vt tantùm facias, quantùm valet regio, ac genus terræ. vt ex eodem ſemine alìubi, cum decimo redeat, aliubi cum quinto decimo, vt in Hetruria, & locis aliquot in Italia. In Sybaritano dicunt, etiam cum centeſimo redire ſolitum. In Syria; ad Garada, & in Africa, ad Dyrrachium itidé ex modio naſci centum. Illud quoque multùm intereſt in rudi terra, an in ea ſeras, quæ quotannis obſita ſit, quæ vocatur reſtibilis, an in veruacto, quæ interdum requierit. Cui Agrius. In Olynthia quotannis reſtibilia eſſe dicunt, ſed ita vt tertio quoque anno, vberiores ferant fructus. Licinius. Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulò leuioribus ſationibus ſerere, i. e. quæ minùs ſugunt terram. Dicetur, inquit Agrius, de tertio gradu, de nutricationibus, atq; alimoniis eorum. Licinius. Quæ nata ſunt, inquit, in fundo aleſcunt, adulta concipiunt, prægnantia enim ſunt, matura pariunt poma, aut ſpicam, ſic alia ſimile ei, à quo profectum eſt, reddunt ſemen. Itaque ſi florem, acerbúmve pirum, aliúdue quid decerpſeris, in eodem loco, eodem anno, nihil renaſcitur, quod prægnationis diem bis habere non poteſt: vt enim mulieres habent ad partum dies certos, ſic arbores ac fruges. Faba & legumina in oleariis vaſis oblita cinere perdiu incolumia coaceruantur.

*Quantitas Fabarum pro iugero.* — *Ex modio centum.* — *Adſeruatio.*

Cæterùm Dodonæo ſeritur maior in agris & hortis, floret Aprili ac Maio menſibus & particulatim quidem ac diu: fructus Iunio ac Iulio ad maturitatem peruenit. Minor ſeritur in agris & frequentiùs apud Zelandos. Ego autem Fabas vidi florentes Monſpelii menſe Februario, & Florentiæ menſe Aprili eſui aptas. Geneuæ menſe Maio & Iunio florentes, maiores & minores, nigras & albas. Baſileæ itidem obſeruaui florentes menſe Maio, & Iunio aptas eſui, ſolent ibi maiores habere albas & purpureas; vel rubentes, quales etiam vidi in Watvviler Alſatiæ; Montbelgardum Baſileâ curaui vtriuſque coloris adſerendas & ſerendas in Horto Ill. E. C. vulgò ſolent habere minorem albam & nigram.

*Adagia ... Fabis.*

Antequam verò Vires & vſum aggrediamur, ſcito, quòd *Fabarum arroſor*, dicatur, qui in creandis magiſtratibus ſua vendit ſuffragia; &, quibus hinc quæſtus eſt, *Fabis victitare* dicuntur. *Fabilibus victitat* etiam dicitur de Homine qui ſordidus eſt, & qui præ nimia parſimonia quoſuis cibos eſitat, vt impenſis parcat.

Vires & ... tus.

Iam verò facultates etiam, quas Fabæ Veteres tribuerunt, annotandæ veniunt. Hippocrate igitur authore, Fabæ aluum ſiſtunt, & inflant: quia meatus aliud inſuper accedens alimentum non ſuſcipiunt. Aluum ſiſtunt, quia totam alimenti fæcem habent. Fabarum putamina [inquit Theoph.] arborum radicibus aut germinibus appoſita vitam penitùs tollunt: non tamen omnibus, ſed iis, quæ nuper proſiluêre, vtpote imbecillioribus, quia ſuâ duritiâ, ſiccitatéque, alimentum, partim trahendo, partim arcendo auferunt: alimento enim deſtituta protinus moriuntur. Faba græca (pergit Dioſc.) flatus ac ventos gignit, ægrè concoquitur, grauia ſomnia inducit. Tuſſi tamen cõmoda eſt; & carnes gignit, medium inter caliditatem ac frigiditatem obtinens. Cocta verò cum poſca, & vnà cum cortice in cibo accepta, dyſenterias & alui profluuia cohibet. Sed & ad vomitus in cibo idonea eſt. Minùs autem inflat primâ aquâ de coctura diffusâ. At viridis, & ſtomacho magis incommoda eſt, & magis flatuoſa. Farina Fabæ tum per ſe, tum cum polenta impoſita, inflammationes ex plaga mitigat, & cicatrices concolores efficit: & mammas grumoſo lacte turgentes, ac inflammatas iuuat, & lac extinguit. Cum melle verò & Fænugræci farina, furunculos & parotidas, & ſugillata diſcutit. Cum Roſa autem, & Thure ac oui candido, oculos procidentes & ſtaphylomata ac tumores ipſorum reprimit. Eadem cum vino ſubacta, confuſiones & plagas oculorum ſedat. Faba ipſa ſine cortice commanſa; ad fluxiones ſiſtendas fronti imponitur. Et cocta in vino, teſtium inflammationes curat: & ad pubem puerorum impoſita, impuberes ipſos diu conſeruat. Exterit item vitiligines. At cortices Fabarum impoſiti, euulſos pilos graciles, ac tenues renaſci faciunt. Cum polenta verò & alumine ſciſſo, & veteri oleo impoſiti, ſtrumas diſcutiunt. Et ipſorum decoctum lanas tingit. Faba decorticata in duas partes diuiſa, qua parte ex natura coaluit, ad ſanguinis ab hirudinibus eruptiones imponitur, ipſaſque cohibet, ſi ſecundum ſemiſectam partem apponatur.

*Putamina teneltis ... germini nocina.* — *Temperamentum.* — *Alui pr... uium.* — *Inflammatio plag... Mammæ nfflat...* — *Oculi p... dentes.* — *Pili eu...* — *Sanguinis ruptio hirudin...*

Tempe... mentu... — *Caro.* — *Cortex.* — *Dyſente...* — *Flatulenta eſt.* — *Podagr... Nerui.* — *Phlegm...*

Fabæ, vt memoriæ prodidit Gal. lib. 7. ſimpl. med. in exſiccando, & refrigerando ſecundum vtrumque ad medium temperamentum propinquiſſimè accedunt. Caro Fabæ paulùm quid abſtergentis facultatis continet, ſicut cortex nonnihil adſtringentis. Idcirco Medicorum nonnulli totam Fabam cum oxycrato decoctam dyſentericis, cæliacis, & vomentibus, quos ἐμετικοὺς nominant, exhibuerunt. Porrò, vt edulium, flatulenta eſt, ac coctu difficilis, ſi quid aliud: excretionibus ex thorace & pulmone idonea, vt medicamentum verò, foris impoſita, ſine moleſtia deſiccat. In podagricis eâ ſæpenumerò vſi ſumus ex aqua decocta, & deinde adipi ſuillo admiſta. Ad neruorum tum contuſiones, tum vulnerationes, farinam eius cum oxymellite impoſuimus. Ad eos, quos ex ictu iam phlegmone occupauerat, cum polenta. Sed & teſtium, & mammarum aptum eſt cataplaſma. Nam hæ partes, cùm phlegmone tenentur, moderatè refrigerari amant, maximè cùm mammæ ex lacte ipſis concreto phlegmonem patiantur. Quin lac quoque ab eo cataplaſmate

mate extinguitur, ſicut puerorum pubes farinâ fabaceâ illita plurimo tempore glabra permanet. Et lib. 1. de alim. facult. ſic inquit: Inflat is cibus quocunque modo apparetur: nec per quamuis longam decoctionem id vitii poteſt amittere, quod ptiſanæ minimè negatum eſt: deponit enim per illam quicquid habet flatulenti. Qui porrò affectus ſingulos cibos ſequi natos, animaduertere, & mente conſequi volet, quandam totius corporis tenſionem, quaſi à flatulento ſpiritu perſentiſcet, maximeque, qui ad huiuſmodi eſculentum non fuerit aſſuefactus, aut ipſum minùs rectè coctum aſſumpſerit. Habent autem Fabæ non denſam, nec grauem, ſed fungoſam, leuemque ſubſtantiam: quæ tamen ipſa nonnihil abſterſoriæ poſſidet facultatis, ſimiliter ptiſanæ. Etenim manifeſtè fabacea farina cutis ſordes detergere conſpicitur. Quod intelligentes mangones, ac mulierculæ, in balneis quotidie hac vtuntur, velut alii nitro, atque aphronitro, & in vniuerſum iis, quæ abſtergent. Illinunt præterea & faciem hac, quemadmodum ptiſana: nam quæ in ſumma cute eminent lentes exterit, & maculas velut ex Sole contractas. Huius ergo facultatis nomine in alui quidem tranſitu diu cunctantur, ſicut quæ glutinoſa, & craſſi ſucci ſunt ſine vlla abſtergendi facultate, qualia Halicam, Tragum, Similaginem & Amylum eſſe perhibuimus. Cùm porrò ferculum ex freſa Faba paratum, quod ἔτνο- Græci nuncupant, flatibus non careat, multò ampliùs integræ Fabæ inflabit cibus, quamquam fricta (nam hoc modo aliquando pro bellariis) flatum deponit, ſed tum concoctu perdifficilis, tardoque deſcenſu incommodior redditur, & craſſi ſucci alimentum in corpus diffundit. Quòd ſi viridis, immatura, nondumque areſacta edatur, communè omnium fructuum, quos ante perfectam maturitatem ingerimus, rationem obtinens, corpori humidiorem alimoniam exhibebit, ac proinde maiorem excrementorum vim non tantùm in viis inteſtinorum: ſed etiam per vniuerſum corporis habitum producet. Meritò igitur minùs quoque nutriet, ſed promptiùs deiicietur. Plerique autem hominum non crudas ſolas Fabas comedentes, vnà eas cum ſuillâ carne decoquunt, veluti olera conſueuerunt: ruri verò etiam cum caprina, & ouilla. Alii Fabas inflare ſentientes, Cepas admiſcent, cùm in ollis ex illis pulmentum ſtruunt. Sunt qui non ſimul elixatas, ſed cum pulmento Cepas ingerant crudas. In omnibus namque dapibus quicquid flatuoſum continetur, per calefacientia, & extenuantia corrigi comparatum eſt.

Auxiliatur & morbis Faba, inquit Plinius: Namque ſolida fricta, feruenſque, in acre acetum coniecta torminibus medetur. In cibo freſa, & cum Allio cocta, contra deploratas tuſſes, ſuppurationeſque pectorum, quotidiano cibo ſumitur. Et commanducata ieiuni ore, etiam ad furunculos maturandos, diſcutiendoſue imponitur: & in vino decocta, ad teſtium tumores & genitalium. Lomentum quoque ex aceto decoctum, tumores maturat, atque aperit. Item liuoribus, combuſtis medetur. Voci eam prodeſſe, autor eſt M. Varro. Fabalium etiam ſiliquarũ cinis ad coxendices, & ad neruorum veteres dolores, cum adipis ſuilli vetuſtate prodeſt. Et per ſe cortices decocti ad tertias, ſiſtunt aluum. Nota eſt officinis (pergit Corn.) Faba, cum ſuo lomento. Hinc forſitan extitit & illud Martialis.

*Gratum munus erit, ſciſſo nec inutile ventri,*
*Si clarâ Stephani balnea luce petas.*

*A Fabis abſtineto.* Huius ænigmatis varia reperitur interpretatio. Plutarchus enim ad hunc enarrat modum: Abſtinendum à tractandis Reipub. muneribus, propterea quòd antiquitùs in creandis magiſtratibus ſuffragia per Fabas vice calculorum ferebantur. Et rurſus dicit ob id damnatas Fabas, quòd Lethes & Erebi ſint cognomines. His autem quid ſibi velit, non ſatis conſtat, niſi dicatur Lathyrum & Erebinthum Ciceris genera eſſe, quæ nomina a Letho & Erebo deducantur. Lethe autem Græcis obliuionem ſonare, Erebum verò à caligine nomen habere: inauſpicatæ voces, ſapientiæ ſtudioſis. Sed idem ædepol in probl. phyſicam affert cauſam, cur Pythagoras à Fabis abſtinendum iuſſerit, nempe quòd omnia legumina ſpiritum & humorem impurum ingenerent corporibus, atque hanc ob cauſam ad venerem incitent. In eadem ſententia Cicero fuiſſe videtur, cùm ſcribit ad hunc modum: Iubet igitur Plato lib. 1. de Diuin. ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit, quod errorem animis, perturbationemque adferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne Fabâ veſcerentur, quòd habeat inflationẽ magnam in cibis, tranquillitatẽ mentis quærenti verè contrariam. Ariſtoxenus refellit hanc opinionem, affirmans Pythagoram nullo legumine ſæpiùs vſum, quàm Fabâ, quòd is cibus ſenſim alvum ſubduceret, & læuigaret. Porrò Gellius, quòd in cibis Cyamus repudiaretur, cauſam erroris fuiſſe putat, Empedoclis carmina, qui diſciplinas Pythagoricas ſectatus eſt, inter quas verſus hic inuenitur.

*A Fabis cur abſtinendũ. Reipubl. mun. pera.* — *Plutarch. notatum.* — *Lathyrus. Erebinthus: Lethe i. e. obliuio. Erebus. caligo.* — *Inflatio à Fabis.* — *Pythagoras vtebatur Fabis.*

*Ah miſeri à Cyamo miſeri ſubducite dextras.*

Opinati enim ſunt plerique κύαμον legumen vulgò dici. Sed qui diligentiùs, ſcitiuſque carmina Empedoclis arbitrati ſunt (Gellii verba ſunt) κυάμους hoc in loco teſticulos ſignificare aiunt, eoſque more Pythagoræ opertè atque ſymbolicè κυάμους, appellatos, quia ſint εἰς τὸ κύειν δεινοὶ, καὶ αἴτιοι τοῦ κύειν, ad conceptum efficaces, cauſæque conceptionis, & geniturae humanæ vim præbentes. Idcirco Empedoclem verſu iſto non à Cyamo [Faba] edendo, ſed à rei venereæ proluuio voluiſſe homines deducere. Patet ergo quantùm à vero aberret Geſn. in explicatione Fabæ Pythagoricæ, cuius verba hæc ſunt. Pythagoras interdicto illo, quo à Fabis abſtinere iuſſit, per Fabas oua intellexit, à quibus nimirum non aliâ ratione abſtineri voluit, quàm à quorumuis animaliũ carnibus, par homini ſore ſcelus exiſtimans in aue aut auis ouo peccanti. Itaque eius diſcipuli quotidianum illud iactabant, ἴσον τε (τοι) κυάμους ἔσθειν, κεφαλάς τε τῶν κυῶν, quod eſt, non differre comediſſe oua, & parentum capita. Vocauit autem ouum Cyamon, quod quaſi κύησις [fœtura animalis] eſſet, & conceptum eius intra ſe clauderet. Apud Ægyptios porrò, referente Theone grammatico, tanta eſt Fabarum religio, vt eos neque ferant, neque comedant, imò nec aſpicere fas ſit. Quin, Herodoto teſte, apud Romanos inter funeſta habebantur: quippe quas non tangere, nec nominare Diali flamini liceret, quòd ad mortuos pertinere putarentur. Nam & lemuribus iaciebantur, latuis & parentalibus.

*Cyami ſunt teſticuli.* — *Geſner. not.* — *Ægyptii Fabas videre nolebant.*

Cæterùm Fabas venerem ſtimulare voluit etiam Palladius, ita enim ſcribit: Pauones, cùm Idibus Februariis calere incipiunt, Fabâ leuiter torrefactâ in libidinem prouocantur, ſi eis quinto quoque die tepida præbeatur. Sex Cyathi vni ſufficiunt. Nunc iam contra pruinas ſtercus ingeratur Perſico, vel fæces vini, quod maximè pro-

deſt,cum aqua,in qua Faba decocta eſt,permiſtæ. M. Catn in boum cibaria annua in iuga ſingula ſumit Fabæ modios viginti. Columellæ nauſeantibus ſuibus ſalutaris habetur eburnea ſcobs ſale fricto,& Fabæ minutè freſæ commiſta,ieiuniſque priùs, quàm in paſcua prodeant,obiecta.

Fabæ recentes [vt mea fert opinio, inquit Trag.] innoxiæ ſunt in cibo, iis ergo vtemur: ſiccas operariis relinquentes. Sunt qui ex farina Fabarum placentas mellitas conficiant, alii, vt Alſati, ea in ſaginandis porcis vtuntur, ad quam rem accommodatiſſima eſt, ſiquidem breui tempore eâ ſaginantur porci, non aliter, atque armenta Cytiſo. Chirurgi collectiones & tumores locorũ, fabaceâ farinâ in aceto & vappa decoctâ, ac calidâ impoſitâ,oleoque admixto diſcutere ac ſanare conſueuerunt: eadem farina vino decocta, ac *Tumores.* calida impoſita omnibus tumoribus imprimis conducit, ſiue ii in mammis mulierum, ſiue in locis genitalibus,aut quibuſcunque aliis oriantur. Fallopius de thermis cap.11. Vnum habet præcipuum inter alia, licèt ſit empiricum medicamentum [in *Aqua è floribus.* ardore vrinæ] & eſt aqua extracta è floribus Fabarum,vel ex ſiliquis ipſis recentibus, ad ſex vncias exhibita, per tres vel quatuor horas ante prandium, vel cœnam, addito Syrupo de Liquiritia, vel de Papauere. Idem in eodem caſu approbat Baccius de therm. lib.3.c.3.

Faba noſtra (Adv. loquuntur p.394.) legumen neutiquam contemnendum, imò tanti faciẽdum hodie, vt Vere & tota Æſtate, multis in regionibus,magnum ſit annonæ ſupplementum,& non parum multæ gentes panes ex Fabis depſant veterinarię,etiamque plebeculę non incommodos: farinâ autem, aut ipſa tota freſa Faba pultes ſapidas, & placentas conficiant, efficiantque vt de hac noſtra Faba dictum putemus, quod Antiqui ſcribunt, Fabæ maximum honorem habitum fuiſſe,vt quâ panis attentatus ſit. Bona maior, ſiue Faſelus, quod ad facultates eius attinet, in alimentorum numero (inquit Dod.) non poſtremo loco,arida vt cætera legumina, decocta,& in cibis aſſumpta: nam recens quidem inflat, & flatus gignit. At reſiccata & arida, probeque deinde cocta, minùs aut parum admodum flatulenta eſt, corpori alimentum mediocre, & illud mediocriter confert: deſcendit autem cum putaminibus quidem, nec omninò facilè, nec omninò tardè, abſque his autem aluum conſtringit, & potentiùs quidem,quæ rubra eſt. Farina Bonarum, cataplaſmatis præſertim reſiccantibus, deficiente Fabarum, eius loco hac ætate admiſcetur, & non inutiliter quidem. Sicut eius enim temperies parum à medio receſſit,ita ad multa vtilis eſt. Talia ſiquidem medicamenta,auctore Galeno, multis aliis miſcentur,ceu materiæ quædam. Abſtergendi autem facultatem fabaceæ farinę, Bonarum nõ habet. Cæterùm facultate ac temperamento Bona minor admodum ſimilis maiori eſt, non tamen,tam hominum cibo, quàm equorum ſaginæ ſeruit, ac vtilis eſt. In cataplaſmatis, farina huius idem,quod maioris poteſt. Vt pueri puellæque non pubeſcant (auctore Cardano) lomento Fabarum aſſiduè loca ea lauabis: detergit enim atque ita prohibet donec cutis ſolidetur humore *Dyſenteria.* glutinoſo. In Dyſenteria feliciter dedit panem paruum factum è farina fabacea,cui nucem moſchatam & bolum præparatum admiſcebat, & piſtori coquendum dabat. Io. de Mont. exp. ad *Cinis culmorum.* calculum veſicæ & renum accipit culmos Fabarum, comburit, cineres reponit in ſacculum, affundit vinum, & ter colat ſupra cinerem: ægro in balneo dat vncias duas vini, manè & veſperi, quod lapidem mirabiliter frangit. *Calculi. Plica* Herc. Saxonia perhibet, Polonos vti ad Plicam [morbum pilorum] lixiuio Fabis alterato. *Gonorrh.* Gonorrhæam virulentam multi curant (teſte Iac. Douyneto) vſu caulium Fabarum in cinerem redactarum. Caules deuruntur: cinis in aqua fluuiali 24 horas maceratur,colaturq; per inclinationẽ: doſis eſt ad ℥iij. per ſe, ſingulis diebus noua maceratio facienda eſt: vſus erit trium dierum tantùm. Sal [vt Querc. defenſ. Herm. perhibet] ſiliquarum Fabarum inter alios mirum in modum cauſticus eſt & vrens, qui tamen ex iuſculo iuſta doſi exhibitus admodum diureticus eſt, vt nihilominus viſcerum offenſionem efficaciſſimè operetur. Gallinas,ſi crebrò putamina Fabarum edant, ſteriles fieri teſtatur Apollonius.

---

## ARACVS FABACEVS, ET FABA Kayrina, cui ſemina minora.

### Cap. III.



*Deſcrip.* LEgumen pluſ quàm cubitale, cuius *Caulis.* caules ſatis craſſi,anguloſi, inanes, nonnihil hirſuti: *folia* *Folia.* quaterna, vel ſena, coniugationibus duabus digeſta, coſtæ adhærent longiuſculæ, Fabæ vulgaris foliis ſimilia, hirſuta, nigricantia, neque vllum eſt foliũ, quod imparitatem faciat, *Pediculus.* pediculus enim, ſiue ῥάχις in capreolos abit, quibus proxima apprehendit: verùm vbi cauli pediculus annectitur, pinnæ adnaſcuntur binæ, veluti in Piſis: atque ex eodem *Flores.* oriuntur loco flores purpurei, ſimiles ferè floribus Viciæ, vel Aphacæ, quibus decidentibus *Siliqua. Semen.* ſuperueniunt *ſiliquæ* mediocriter longæ, magnæ, hirſutæ,quibus *ſemina* continentur, Piſi ferè magnitudine, grauiſſimi, & ingratiſſimi ſaporis,& odoris, per maturitatem nigra. Flos, quod Dodonæo placet, Bonarum formâ, colore è puniceo nigricans: ſiliquæ interiori ſua parte, albos, molleſque floccos continentes,in quibus ſemina tria,quatuor, aut quinque rotunda. Eruiliæ formâ & magnitudine, ſubinde paulùm maiora,colore nigra, paruum, candidum vmbilicum habentia, quorum ſeptem, octo, aut ſubinde nouem ſemidrachmam pendent. *Subſtantia.* Subſtantia horum ſeminum rarior eſt, ac minùs dura, ſolidáue, quàm Bonarum maiorum: dum autem manduntur, fœtorem veluti quemdam ingratum excitant.

Anno 1608. Auguſto menſe in horto Fr. C. Bauhini Baſileæ prouenit, nomine Fabæ Kayrinæ,ſiue Ægyptiæ, Auguſto menſe ſiliquæ erant *Faba Ægyptia.* maturæ, ſeminata ſemina Septembri in horto Montb. Ill. E. C. floruit Maio: flores purpurei quidem

quidem, ed internè ſtriati, ſingulares, duæ coniugationes foliorum in vno pediculo ac etiam ternæ: ſaporis ingrati: ſiliquæ maturæ Iunio, nigræ, aſperæ: tactu anguſtiores, quàm in *cocco vico* Honorii Belli, in iis ſemina ſeptem, magnitudinis parui Piſi, rotunda, nigra veluti pannus holoſericus *velutum* vocatus: ſapor leguminaceus primò, poſtea odioſus, & quaſi ſulphureus, cum tantilla acrimonia.

Huius, ni fallor, fit mentio apud Matthiolum in Dioſc. cum magnis figuris Lat. & Ital. Fabam ſilueſtrem, *Fauam ſaluaticam*, ſunt qui velint Galeni lib. 1. alim. Aracum domeſticum, qua in re fortaſſe non malè ſentiunt, nec vult is eorum ſententiæ contradicere. Huic aſſignat in Epit. flores in purpura albicantes, ſemen rotundum fabaceo ſapore. In Matthioli icone folia quaterna, flores & ſiliquæ ſingulares. Camerarii autem icon folia quædam habet quaterna, quædam ſena. Idem in hiſt. germ. apud Matth. refert, Aracum Galeni velle aliquos Fabam ſylu. quam opinionem non in totum reiiciat Matth. In horto tandem, Aracum Fuchſii facit, vt Geſnerus picturæ inſcripſerit, vulgò Viciam Romanam vocatam Fabæ ſilu. Matthioli, & Piſo nigro, ſeu Phaſeolo Dodonæi cognatam plantam. *Ego* contra Camerariũ mihi planè perſuadeo, Aracum Fuchſii Geſnero non diuerſum à Faba ſilueſt. Matth. vti etiam ex eius ſcriptura demonſtrare etiam nunc poſſumus. Quum adhæc anno 1560. morarer Tubingæ cum celeberrimo meo præceptore Leonhardo Fuchſio, prædictam plantam primò vidi in horto eius florentem Auguſto, quam mihi denominauit *Aracum*, quo etiam nomine plantam ſiccam cum deſcriptione miſi D. Geſnero, quum curaret ſuas plantas pingendas. Aracus Fabaceus collectus Monſpelii, quadrifolius eſt, qui item Tubingæ.

Dod. gall. Phaſiolus ſilu. dicitur, gall. *Feue ſauuage*, & *Feue noire*, Faſelus ſylueſtris, & Faſelus niger Belg. 𝔚𝔦𝔩𝔡𝔢 𝔅𝔬𝔬𝔫𝔢𝔫 & 𝔖𝔴𝔢𝔯𝔱𝔢 𝔅𝔬𝔬𝔫𝔢𝔫 & 𝔐𝔬𝔬𝔯𝔨𝔢𝔫𝔰. fortè eſt Cyamos & Faba. Idem hiſt. frumenti ſilueſtris Quæ de Faba ſparſim apud Theoph. aut alios veteres reperiuntur, multa cum hac Bona conueniunt. *Icon* placet in latin. hiſt. in gall. ſiliquas binas pingebat, non ſingulares.

Lob. & Pena Adu. Fabam ſilu. præ cæteris credimus delineationem Græcæ Fabæ explere. *Tab.* & *C. Bauh.* apud Matth. *Fabam ſilu.* vocant. Malè ab *Hiſt. Lugd.* eadem planta ſub duabus deſcriptionibus & figuris traditur, duobus diuerſis in locis. pag. quidem 451. ſub titulo Faba ſilu. pag. verò 472. Phaſiolus ſilueſtris, ſiue agreſtis.

Geſn. de hort. accuratiùs perpendendum ducit, an Phaſelus ſilueſtris, vel niger à Dodon. dictus Phaſelus Veterum ſit. Fabamque Veterum eſſe negat.

Schvven. cat. Sil. Fabam nigram appellat, κύαμον ἄγριον, Piſum nigrum, 𝔖𝔠𝔥𝔴𝔞𝔯𝔱𝔷 𝔟𝔬𝔬𝔫𝔢𝔫/ 𝔚𝔦𝔩𝔡𝔢 𝔈𝔯𝔟𝔰𝔢𝔰, 𝔐𝔬𝔥𝔯𝔢𝔫 𝔈𝔯𝔟𝔰𝔢𝔰. Piſum ἀτεράκαρπον.

Prouenit ſponte in Apulia campeſtribus locis, in Narbonenſi Gallia, ac Aquitania. Apud Belgas rarum eſt legumen, neque alibi, quàm vbi ſatum eſt, prouenit. Siccitatibus in Belgio gaudet. imbribus ac humido cœli ſtatu æruginoſum efficitur, maximè cùm in flore eſt, paucis à ſatione diebus exit, citòque extollitur. Monſpeſſuli menſe Aprili florentem & ſiliquas habentem in itinere verſus Frontignianum inueni. Geneuæ habui in horto meo ex ſemine miſſo per D. Zuingerum Baſileâ, florentem Maio: ſequenti anno ex ſemine deciduo, item Martio. Baſileæ copioſam vidi in prædio D. Plateri. In Italia ſpontè prouenientem reperi. Monrbelgardi habeo in horto Ill. Principis ex ſemine Stutgardiâ & Argentinâ miſſo, per doctiſſimum Medicum D. D. Melchiorem Sebitzium nomine 𝔖𝔠𝔥𝔴𝔞𝔯𝔱𝔷 𝔈𝔯𝔟𝔰𝔢𝔫. Semina matura obſeruaui Iulio: mihi etiam miſſa nomine Fabæ ſilv. Matthioli Stutgardiâ, ſata Aprili, florebant Iunio.

*Vires. Matthioli error.* Sunt, inquit Matth. qui dicant, eaſdem cum domeſtica Faba vires habere. Nos autem, ſi Matthiolus eandem plantam per Fabam ſilv. intelligit, quam hîc tradimus, eaſdem vires, & facultates concedere non poſſumus, huic enim ingratus eſt ſapor, Hunc quoque ſi guſtaſſet Schvvenckfeldius, aliter quàm pares cum Faba maiore facultates habere ſenſiſſet. *Schvvenckfeld. notatur.* Apud Dodonæum nullum Bona hæc habet vſum.

## ARACVS FABACEVS SERRATVS, ET Cocco vico ſemine maiore.



*Locus. Bona ſilv.* EX montibus Euganeis circa Patauium attulit plantam D. Agerius Med. Argent. Bonæ ſilv. Dod. folio ſerrato nomine, *Deſcript. Flos. Siliqua.* præcedenti ſimilem caule, flore, vt exiſtimo, purpureo Viciæ ſepium, & *Semen.* ſiliquis, quæ, vt illæ, latæ, vncias tres longæ, ſingulares, ex breui pediculo hærentes, in circuitu hirſutæ: in iis ſex Piſa numerauimus, qualia me latet, quia non erant matura. *Folia.* In foliis tres coniugationes pulchrè dentatæ, præter alas binas: folia in capreolos deſinunt, ad quorum latus præter coniugationum, foliolum vnum ſolum adeſt, minus cæteris.

*Locus.* Anno 1608. Septembri ſeuimus Montbelgardi, in horto Ill. C. Wirtemb. ſemen, cuius inſcriptio erat: *Cocco vico* Honorio Bello. *Cocco vico. Tempus. Flos.* Hoc anno ſequenti plantam produxerat, quæ florebat Maio: ſimilis autem erat præcedenti Araco fabaceo priori, verùm flores bini, omninò purpurei, internè non ſtriati, pictiue in foliis: *Folia.* ternus ordo paruorum foliolorum, quorum quædam planè ſimilia ſine ſerraturis, alia verò cum ſerraturis: *Ala. Sapor. Siliqua. Semen.* alæ in principio pediculorum criſtatæ, vt in Araco fabaceo ſerrato. Sapor non diſplicet: in ſiliquis latis numeraui ſeptem grana, ſapor in virentibus leguminoſus, cum aliqua ingratitudine.

An hic idem ſit cum ſerrato noſtro conſiderandum, folia quidem maiora, ſed id à cultura accidere potuit.

*Tempus.* Menſe Iunio ſiliquæ maturæ, latiores multò, quàm in Faba Keirina, Piſa autem duplò maiora, minùs nigra, cum hylo albo: ſapor idem.

## LVPINVS VVLGARIS SEMINE ET flore albo, ſatiuus.

### Cap. IV.



*Deſcriptio.* *Caulis.* *Folia.* Lupinus vulgaris ſatiuus, cubitalis & ſeſquicubitalis eſt herba, caule mediocriter craſſo, ex viridi flaueſcente, tereti, hirſuto, ramoſo: folia alternatim oriuntur, glauca ſupernè, & glabra, inferiùs magis albicantia & lanuginoſa, in quinque, ſex, aut ſeptem ſegmenta radicatim ad pediculum vſque teretem, vncias duas, aut tres longum, inciſa: ſapore ſubamaro, leguminoſo: *Flores.* flores ad diuaricationem ramorum peculiari ſurculo enato inſident, colore albido, pàlleſcente, Cæſalpino flos candicans, aut ad cæruleum vergens, folio vno latiuſculo ſurſum reflexo, lateralibus duobus quartum roſtro cæruleo [ſub quo apices latent crocei] inſigne amplexis: ſequuntur ſiliquæ pro florùm numero plures ſimul iunctæ, fabacearum inſtar ſurrectæ, villoſæ, pulpoſæ, compreſſæ, in ambitu crenatæ, intus glaucæ, in quibus ſemina quina, ſenaúe, membranis diſſepta, orbiculata, & nonnihil anguloſa, compreſſa, qua ſc. parte ſiliquæ adhærent, *Siliqua.* *Semina.* cauitatem quandam, veluti vmbilicum exiguum habentia, foris alba, intus lutea, ſapore amaro, radix dura, alba, multifida. *Sapor.* *Radix.*

*Lupini vnde dicti.* Lupinorum autem appellatio non aliunde ducta videtur, quàm quòd ſicut lupus terram appetit, & in fame terra veſcitur, ita Lupinus tellurem, vt Plinius ait, adeò amat, vt quamvis frutectoſo ſolo contectum inter folia, vepreſque, ad terram tamen radice perueniat. Lupinus etiam, velut lupis expoſitus & relictus, dictus videri poteſt, ex eo, quòd, vt idem Plin. ait, impunè iacet, vel derelictus, ſi non protinus ſecuti imbres, ab omnibus animalibus amaritudine ſua tutus. *Lupini Genera.* Duo ſunt Lupini genera, Dioſcoridi, Plinio & Galeno, ſatiuus & ſylueſtris. Nos de hoc agemus paulò poſt. Remedium eius [ſatiui] ne metentes fugiat exiliendo, vt ab imbre tollatur, ait Plin. lib. 18. cap. 14. Nec vllius, quod ſeritur, natura aſſenſu terræ mirabilior eſt: Primum omnium cùm Sole quotidie circumagitur, horaſque agricolis etiam nubilo demonſtrat. *Terram amat.* Terram amat, terraque operiri non vult. Cætera, quæ de hoc Veteres prodidere, ſationi, culturæ, loco, tempori, viribus & vſui reſeruauimus.

*Variat ſecundum regionem.* Cæterùm, Lupini cognitionem, vt & multarum aliarum plantarum, nonnunquam impedire poteſt regionum varietas. In Hetruria enim ac quibuſdam aliis locis [vt Marantha obſeruauit] amariſſimus eſt, atque iumēta eum maximè auerſantur: in Campania verò modicam aut nullam habet amaritudinem: eſtque iumentorum ita gratum pabulum, vt eo per Hiemen veſcantur.

Auicenna, *Tragi* teſtimonio, Lupinum eleganter depinxit, niſi quòd falsò Fabam eſſe Ægyptiacam affirmauit, id quàm à veritate abſit nemini obſcurum eſſe poteſt. *Auicen. not.* Serapio tria Lupini genera commemorat, vnum ſatiuum & duo ſilueſtria, *Lupini tr.* vocatque *Tarinus*, & primum genus *Regales*, Auerroës *Tormos*. Apuleio *Thermos orinos*, Lupinus montanus. Dioſcoridi θέρμος ἥμερος, & *Brechon* appellatur. *Terinus.* *Tormos.* *Thermos.* *Brechon.* A Galeno, ob varias, quibus pollet, vtilitates πολύχρηστος dicitur. Apud Hebræos *Taltan* vocatur, vide *Aruch* Monſteri. *Taltan.*

Nullis peſtiferis, auctoritate Matthioli, plantis ſtrangulatur Lupinus: cùm ipſe noxias omnes ſtranguLet herbas, quæ illi adnaſcuntur. A Mauritanis *Tarinus*, *Arinus*, ſeu *Tormus* appellatur.

Lupinum [inquit *Corn.*] Feigbonen appellant, quaſi Ficûs Fabam per antiphraſim & Luporum Piſa, quaſi dignum ſit illis edulium. *Faba Ficus.* *Luporum Piſa.*

Sed nec ita procul [Lob. & Penâ iudicibus in Adverſ.] abſunt à Fabaceis, & Phaſeoli fructus, quos θέρμους Græci vocarunt, quia calidiores cæteris leguminibus eſſent, aut potiùs, quòd θερμῷ [calida aquâ] lauarentur, & macerarentur, quo amarorem exuerent triſtem & moleſtum, à quo etiam λυπηρὸν, vnde Virgilii Epitheton. *Thermos.* *Triſtiſque Lupini Suſtuleris calamos.* *Epitheton.* Iidem Obſ. inter alia Fabæ ficulneæ nomen huic tribuunt. Icon. verò Plant. p. 64. Tom. 2. Lupinus ſatiuus.

Notat *Hiſt.* Lugd. quòd folia huius ſub veſperam, Solis occaſum veluti præſentientia, flaccida facta deorſum vergant.

Illud tandem memoratu dignum, quod *Camer.* in horto perhibet: Lupini albi, inquit, in quorum genere reperiuntur maximi, flore antequam aperiantur, ſubcæruleo, intus verò albo.

Plautus nominat Lupinos, Aurum comicum *Aurum comicum.* nam in ſcena nummis ex Lupino factis, pro aureis vtebantur Comici. Et nunc etiam in Italia pueri ex his nummos efformare ſolent, vnde Horatius:

*Nec tamen ignorant, quid diſtent æra, Lupinis.*

Voluit namque hoc verſu ſignificare, illos minimè latere, ſed ſcire quantùm probati nummi diſtent à falſis, itemque boni viri à malis. Notabis autem Salomonem Albertum apud Horatium hoc in loco legere *Erua*, pro *æra*.

Cæterùm Lupinus ſatiuus omnibus paſſim autoribus & officinis Lupini ſimpliciter dicti nomine innoteſcit. *Nomina, in linguarum.* Græcis vocatur θέρμος, θέρμος ἥμερος; Germ. wickh bonen / Feigbonen / wolffſchotten, wolffſackhbonen: Belg. Vÿchbooneñ & Lupinen. Gall. *Lupins*: Ital. *Lupino domeſtico*, Hiſp. *Entramuces*, & *Entramocos*. Ang. *Lupines*.

*Satio.* Ne porrò, quæ diſtulimus, hoc in loco negligamus, ad Veteres reuertimur. Lupinum igitur [autore Theop. lib. 8. hiſt. cap. ii.] ex iis, quæ ſilueſtria quaſi putantur proprietatem quandam tum in generatione, tum in germinatione ſortiti planè videtur. Niſi enim hoc protinus [licèt robuſtiſſimum ſit, ab area terræ mandaueris, malè proueniet. Atque in totum condi hoc legumen ſubter terram recuſat: qua de cauſa ne ſubarantes quidem id ſerunt, & ſæpe ſi in materiem, aut herbam prædenſam quampiam incidat, eam vi ſummâ impellendo diducit, radicéque terram contingit, & germinat. Et vnum hoc [pergit Plin. lib. 18. cap. 14.] ſeritur non [aratro] arato. Nihilque aliud nullo impendio conſtat, vt quod ne ſerendi quidem gratia opus ſit afferre. Protinus ſeritur

ex

ex atuo [ex atea Theoph.] ac ne ſpargi quidem poſtulat decidens ſpontè. Coli non vult, itaque adeò non eget fimo. Lupinum teſte Theoph. Cicere & Eruo, quæ omnium maximè durant, longè diuturnius eſt. Condi in fimo maximè conuenit, quoniam in bumido vermiculi vmbilicum eius in ſterilitatem caſtrant. Si depaſtum ſit in fronde, inarari ptotinus ſolum opus eſt.

Quærit maximè ſabuloſa, & ſicca, atque etiam hatenoſa loca. Ex denſiore terra rubricam maximè amat. Cretoſa tantùm limoſaque odit, & in iis non ptouenit, teſte Plinio, Theophraſto quoque perhibente, ſolum arenoſum & vitioſum potiùs poſcit, atque in totum cultis prouenire non vult. A nobis Montbelgardi plantatus in horto E. C. feliciter prouenit, ſed à muribus deuoratur, vt euenit anno 1588. Matthiolo ſeritur in agris, ſterili ſolo in Hetruria.

Primùm omnium ſeritut, ſecundum Plinium, nouiſſimum autem tollitur: vtrumque Septembri ferè menſe, quia ſi non anteceſſit Hiemem, frigoribus obnoxium eſt. Ter præterea floret. Apud Germanos quidem (Dodon. loquitur) ſub finem Maij: deinde Iunio, aut initiò Iulii: tertiò vetò Iulio, aut Auguſto menſibus, ſi anni tempeſtas calida ſiccaque fuerit, fructus ſæpè ad maturitatem peruenit. Nobis ſemen maturum factum Auguſto, Septembri & Octobri, floret Iunio. Geneuæ florentem habuimus Iulio, Baſileæ etiam Maio. Cæſalpino ſeritur menſe Auguſto, ac paulò antè colligitur.

Lupino, iuxta Plinium, multiplex vſus: nam non duntaxat homini, & quadrupedum generi vngulas habenti, communis: ſed pingueſcere hoc etiam ſatu, arua, vineaſque dixit, ita vt optimi fimi vicem repræſentet. Sed ad terram rubricam alendam poſt terrium florem verti debet, in ſabulo poſt ſecundum. Maceratum autem calidâ âqua homini in cibo eſt. Puerorum ventribus impoſitum pto remedio eſt. Bouem vnum modii ſinguli ſatiant. Lupini ſemen; πολύχρηστον eſt; inquit Galenus lib. 1. Alim. Elixum enim, deinde in aqua dulci maceratum, tantiſper dum in hac omnem ſibi ingenitam exuerit inſuauitatem, ita demum manditur cum Gato, ac Oxygato, vel etiam ſine his, ſale mediocri conditum, non quomodo Hordeum, & alia, quæ variè apparantur. Lupini dura ac retreſtris eſt ſubſtantia: quocirca ipſe concoctu difficilis eſt, ſuccumque craſſum gignit ex quo non probè in venis concocto, ſuccus, quem crudum vocant, procreatur. Cæterùm cùm inter parandum, quicquid habeat amaritudinis, deponat, τῆς ἀποίοις, qualitatis, quæ ſenſu deprehendatur, expertibus, ſimilis euadit. Par igitur eſt ipſum, neque ad deiectionem, neque vt adſtringentia ad fluxum ventris cohibendum eſſe accommodum, ſed tardè deſcendete, & difficilè deiici, ac pertranſire. Idem lib. 6. ſimpl. Lupinus edi poteſt coctus, multis antè diebus per macerationem amaritudine in aqua depoſita, fitque tunc nutrimentum ſucci craſſi. Cæterùm vt medicamentum ita ptæparatus, ex genere eſt emplaſticorum. At vbi natiua etiamdum manet amaritudo, extergendi, digerendique vim obtinet: interficit lumbricos, tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex poſca potus. Quin & decoctum eius lumbricos eiicere poteſt, tum etiam foris identidem perfuſum, vitiligines, achoras, puſtulas, pſoras, gangrænas, vlcera maligna iuuat, partim extergendo, partim citra mordacitatem digerendo, ſiccandoque: expurgat iecur & lienem, cum Ruta & Pipere ſuauitatis gratia, aſſumptū. Elicit menſes, ac fœtum cum Myrrhà & melle impoſitum. *Menſes.* Porrò Lupinorum farina ſine mordicatione, digerit. Nec enim liuida tantùm, ſed & chœradas, & phymata curat: *Phymata.* ſed tunc in aceto, aut Oxymellite, aut poſca coquatur opottet: idque pro ægrorum temperamento, & affectûs diuerſitate, quod ex vſu eſt eligendū. Digerit item, quæ liuida ſunt: & quæcunque modò diximus, præſtare poſſe decoctum, eadem omnia efficit & farina. Sunt verò etiam, qui eam iſchiadicis cataplaſmatis modo illinunt. *Iſchiadici.* Lupinum ſatiuum notum eſſe, Dioſc. tradit; & eius farinam cum melle delinctam, aut cum aceto potam, lumbricos expellere. *Lumbrici.* Sed & ipſos aquâ maceratos, ſi amari adhuc edantur, eadem facere. Et decoctum ipſorum cum Ruta & Pipere potum, idem facete. Vnde etiam ſplenicis prodeſſe: & gangrenas, *Gangrænæ.* vlcera fera, theriomata appellata, ſcabies incipientes, vitiligines, maculas, puſtulas, vlcera capitis manantia, ipſo vtiliſſimè perfundi ac foueri. Idem etiam menſes & fœtus detrahere, cum Myrrha & melle appoſitum. At farinam purgate cutem & liuida. Cum polenta & aqua mitigare inflammationes. *Inflammationes.* Cum aceto verò, coxendicum dolores, & panos lenire. Strumas diſſipare Lupinum in aceto coctum, & impoſitum. Ita etiam Carbunculos rumpere. *Carbunculi.* Cum aqua verò pluuia coctos, donec ſuccum remittant, faciem depurgare. Cum Chamæleonis nigri radice coctos, ouiū ſcabiem ſanare, ſi decocto tepido eluatur. *Ouium ſcabies.* Radicem autem coctam cum aqua, & potam, vrinam mouere. Edulcatos tritos, cum aceto potos Lupinos, ſtomachi faſtidium lenire, & appetentiam ad cibum facere. *Faſtidium.*

Seruntur (inquit Matth.) in Hetrutia non modò ad alimentorum vſum, ſed ad agros impinguandos: Dulcorantur in Italia, ibique frequenter eduntur cum ſale. *Temperamentum.* Excalefaciunt & ſiccant manifeſtè, abſtergunt, apetiunt, digerunt, reſoluunt, & attenuant. Cæſalpino teſte, Lupini ſemen aquâ calidâ præmaceratum; amaritudine demiſsâ, gratum guſtui redditur, vt citra aliam coctionem eſitetur. Quod Theoph. dixit, viridem à nullo animali mandi propter amaritudinem, de fructu intelligendum eſt: *Theoph. explicatur.* nam hodie etiam pto boum pabulo ſeritut inter rapas. Lupini ſati (vt vult Aug. Gall.) impediūnt vermes frumentum rodentes, & agtos macilentos impinguant. *Agris vtiles.*

LVPINVS EXOTICVS HIRSVTISSIMVS



ELegantiſſimum huncce Lupinum Cl. D. D. Felix Platrus Ἀρχίατρος Baſileenſis ſummus amicus noſter in pereleganti ſuo Herbario ſicco habet. A quo mutuò acceptam plantam hoc loco deſcribere ac depingere par eſt. *Ramus* eſt cubitalis, vil-

loſiſſimâ hirſutie byſſeâ obſit°, in ramos brachiatus, qui *folia* longis pediculis hærentia emittunt, quinquepartita, penitùs villoſa, foliis Lupini ſatiui alioqui haud multùm diſſimilia. Ramorum ſummitatibus *flores* inſident aliquot cærulei, hiãtes, minores quàm Lupini vulgaris, ſuccedunt *ſiliquæ* alterno ſitu poſitæ, penitus villoſæ, ſurrectæ, vnciales, longiores, nec dum fructum continentes, breuibus pediculis hærentes, ad quorum exortum alia quædam lanuginoſa, præanguſta folia prodeunt.

*Folia.* *Flores.* *Siliqua.*

*Lupinus ſilueſt. Candiæ. Semen. Color.*

Huius ſemen exiſtimamus eſſe, quod Florentiâ à Caſabona magni Ducis Hetruriæ hortulano, nomine Lupini ſilueſtris Candiæ accepimus, quódque hîc ſua magnitudine appingi curauimus, maius nimitum & craſſius vulgari. Totum luridum eſt colore, & aliquantùm variegatum, compreſſum, aſperum, eo loco vbi vmbilicus, exactum.

*Locus.*

In horto Corolocaſttenſi prouenit Lupinus cęruleus, Hiſpanicus, latifolius, hirſutiſſimus, quẽ in dicto horto legimus anno 1608. pulchrè florentem. Omninò is reſpondet iconi huic noſtræ. Aiebat plantarum ſtudioſſimus Arnold. Gilenius Med. Cand. Caſſellas nomine Lupini Indici miſſum, cùm illi plantam oſtenderemus.

*Deſcrip. Cluſii.* *Folia.* *Flores.* *Tempus.*

Cluſius hunc, ni fallor deſcribit, nomine Lupini cæruleo-purpurei. Natum, inquit, quoddam Lupini genus fuit Lugduni Batauorum, ſemine peregrè accepto, creuitque in cubitalem, aut maiorem altitudinem, latis firmo ſcapo & in ramos diuiſo præditum: cui, vt in aliis Lupini generibus, inhærebant folia ex vno longo pediculo dependentia, ſeptena, aut plura, molliora tamen, quàm in eo, qui flauum profert florem, paullò etiam latiora, longioreque lanugine obſita: flores extremum caulem, & ramos, tribus quatuor, aut pluribus ordinibus ambiunt, verticillatim, aut coronæ inſtar, in orbem diſpoſiti, quaterni, & quini, iis qui albi ſunt, ferè æquales, ſed coloris ex cæruleo purpuraſcentis & elegantis: quibus ſucceſſerunt ſiliquæ non diſpares vulgari ſatiuo, in quibus fructus illo non minor, verùm alterius coloris. Florebat Iulio menſe, ſemen Septembri maturum fuit. Cùm anno 1565. è Luſitania per Bæturiam in Granatenſe regnum tranſiret, meminit Februario menſe agros Lupino conſitos videre, cuius flores albi, aliqnid cærulei commixtum haberent: an huius fuerit generis, ignorat Cluſius.

## LVPINVS LVTEO FLORE, ſemine compreſſo, vario.

Deſcriptio

*Floribus Geniſtæ.* *Odor.* *Semen.* *Siliqua.* *Folia.* *Caulis.*

LVpinus luteus inſignibus aliquot notis à vulgari diſtinguitur: potiſſimùm autem *flore* luteo, adeò vt decerptus pro Geniſtæ fallat, verticillatim diſpoſitus, interpoſito ſpatio ſæpè duos, vel tres, nonnunquam etiam ſeptem obſeruaui verticillos. Odore grato ad Leucoii lutei accedente: deinde verò *ſemine*, quod compreſſa formâ & magnitudine albo ferè par, colore varium eſt, albo fuſcoq; maculoſum, areolâ albâ ceu zonula circa germinis regionem cinctum, ſiliquis lanuginoſis clauſum, reliquus plantæ vultus, ſatiuo, ſeu albo Lupino ſimilis, *folia* digitata, vtrinque hirſuta: caulis teres, brachiatus, villoſus: radix ſimplex, recta.

*Dodon.* Hiſt. gall. & latina videtur icone Lupini ſilueſtris lutei, luteum hunc repræſentare. *Lobel.* & Pena Adu. Lupinum floribus Geniſtæ



vocant, fructu amaro. Icon Plant. pag. 65. Tom.2. Lupinũ flore luteo. *Cam.* hort. Lupinum luteum flore odoratiſſimo, Leucoii ferè, vnde & Hiſpanicam Violam nominent, dicit. Apud Matthiol. verò germanicum, Lupinus ſilueſtris flore luteo quibuſdam Lupinus Hiſpanicus. Et tandem in Epiſt. Lupinus ſilu luteus, Türckiſcher Veiel. Tab. Geel feigbonen / Lupinus luteus. Caſp. Bauh. apud Matth. Lupinus ſilu. luteus Germ. Viola Turcica. Semina ſapore amatiſſimo. Hiſt. Lugd. Lupinus ſilu. Dodonæi. Cluſ. Hiſt. Lupinus flauo flore.

*Hiſpanica Viola.* *Lupin. Hiſpanicus.*

*Locus. Tempus.*

Lupinus luteus ſæpiùs à me ſatus in horto E. C. prouenit: ſed ſemen non maturuit: florentem vidi menſe Auguſto & Septembri in horto Generoſi D. Baronis à Morouie Beſſordiæ, eius autem coniunx vocabat Spaniſch Veiel. Menſe Octobri pulchrè aliquando floruit & ſemine ferè maturo fuit in horto E. C. anno 1594. ſatus Aprili floruit Iunio quoq; anno 1578. cùm D. Guilſelmus Landgrauius miſiſſet, ſed non maturuit ob ſiccitatem anni, vt puto. Geneuæ habui primùm in horto, flore odorato Iunio, foliis minoribus, quàm in vulgari; maioribus, quàm in cæruleo. Baſileæ vidi in horto D. D. Felicis: ſemina etiam matura collegi in horto Generoſi D. Baronis à Polvviller. Anno tandem 1597. Auguſto menſe in horto Montbelgardenſi plantę aliæ florentes, alię ſemine maturo vario effœtæ, cum ſeptem florum verticillis obſeruaui. Gen. Io. Henr. Cherl. attulit Monſpelio, confirmauitque authoritatem Lobelii, ſcribentis: Monſpelii in ſatis & cultis, herbariorumque hortis viſitur Lupinus floribus luteis. C. Bauh. licèt apud multos ſpontè oriatur, apud Germanos tamen hortenſem facit. In Germania verò prouenire Dodonæus ſcripſit, etiam ſæpè ad maturitatem.

## LVPINVS SILVESTRIS, PVRPVREO FLORE, SEMINE ROTVNDO, vario.

*Deſcrip.* *Folia.* *Flores.* *Siliquæ.* *Semen.*

EX ſilueſtrium Lupinorum genere eſt vnus *caule* cubitali, robuſto recto, tereti, ſtriato, ſolido, alis ſatis frequentibus concauo, & ramoſo: *folia* Lupini ſatiui, nonnihil hirſuta, multò minora, in quinque, ſex, vel ſeptem radios longos, anguſtos, fiſſa: pediculo hærent longo, ſapore ingrato & odioſo: flores longâ ſerię crebri agminatim aſcendentes, Cicercularum & Piſorum flores referũt, coloris purpurei: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* rectæ, *ſemina* continentes parua, ſtigmatis variata, rotunda: *radicem* porrò demittit ſatis profundè, non magnam tamen, glandulis ad fibram adnatis ſtrumoſam.

Dioſcoridis videtur θέρμος ἄγριος [Lupinus ſilv.] ſatiuo in omnibus ſimilis, minor verò. Quo

in loco



in loco, autore Cornario, Dioſc. dicit μικρότερον pro πλεότερον. Sed declarat rem hanc Plin. lib. 22. cap.25. Lupini quoque inquit; ſilueſtres ſunt, omni modo minores ſatiuis, præterquàm amaritudine.

De hoc Matthiol. Ital. cum magnis fig. Lupini ſilv. floribus roſeo colore rufeſcentibus. Lupinus agreſtis, Ital. *Lupino ſaluatico.* Aliter apud eundem Hiſt. germ. Vbi figura notata eſt litera N. ſuæ Epitom. Camerar. Lupinus ſilv. floſculis è cœruleo purpuraſcentibus, aut ſubrubentibus: fructus minuti, colore ſordido, vario & nonnihil liuente aſperſi: wilde feigbonē. Idem in horto paruitatem fructûs exprimens, Lenti comparat, craſſiorem tamen affirmat. *De hoc & ſequentes.*

Cæſalp. Lupini genus ſpontè prouenit in locis arenoſis, breuius: folus anguſtiſſimis: ſiliquis tenuibus, floſculis cæruleis. Tab. Klein feigbonen, Lupinus minor flore rubente. C.Bauh. apud Matth. De Lupino flore purpuraſcente, latifolio, hirſuto, ſeu ſilueſtri Dioſcoridis, dicetur in hiſtoria exhibitâ ſimul figurâ, prout ſpontè in luco Gramuntio propè Monſpelium prouenit, qui luteo altior & ramoſior eſt. Lupinus cæruleo flore anguſtifolius [cuius iconem proponit ex Tabernam.] foliis multò anguſtioribus, & minoribus, vt figura oſtendit, communiter in ſeptem partes diuiſis: floſculis quàm in illa minoribus, quibus ſiliquæ multò minores ſuccedunt, vix conſpicuâ lanugine hirſutæ, quibus ſemina minuta, rotunda, colore ſordido, variis maculis aſperſa & amara reconduntur. *Hæc Frater.* Ego verò Lupinum purpuraſcentem, quem Monſpelii obſeruaui, etiam apud nos cultum, latifolium dicere non poſſum, nec etiam hirſutum, quia ita leuis hirſuties, vt eius mentionem non fecerit Lobelius in ſua deſcriptione, nec etiam Camerarius. Cur ſeparemus Lupinum minorem Tabern. à Monſpeſſulano purpuraſcente, conſideratâ ſolâ icone, non videmus. Nec Tabern. dicit ſuum Lupinum cæruleum, ſed Rotlecht / ſubrubrum. An Anguill. Lupinus ſilueſtris. Dodon gall. Lupinus eſt ſilueſtris, cæruleus, & ruber, quem poſtea in Hiſt. ſtirp. Lupinum ſilv. purpureum vocat: in fol. autem Lupinum purpureũ, flore ex purpurâ cœruleo, aut ſubrubente. Lob. & Pena Adv. Obſ. & Ic.Pl.p.65.Tom.2. Lupinus ſilv. flore purpureo, & puniceo, fructu minore, guttatis, aut fortuitis aſperſo maculis pullis, cinericeis & cæſis. Sed horum Icon cum floribus verticilli modo diſpoſitis non placet, in luteo tantùm obſeruaui. Cluſ. vocatur Lupinus flore cæruleo.

Lupinum ſilv. flore purpureo Monſpelii primùm, dein Florentiæ florentem in agris Aprili menſe vidi. A Landgrauio Haſſiæ miſſa grana nomine Lupini cærulei, florem menſe Nouembri & Decembri, Montbelgardi Autumno clementiori primò produxerunt. Habui etiam Argentinâ ex horto D. Friderici Meier, quæ ſata vix maturuêre quòd tardiùs florerent, quàm luteus etiam, aut albus. Matthiolo ſilueſtrium Lupinorum innumeræ exoriuntur plantæ in Hetruria, quæ Maio menſe in campeſtribus viſuntur. Lobelio in ſatis & cultis Gramuntio luco circumiectis non procul Monſpelio ſæpè occurrit. Lupinus flore cæruleo (pergit Camer.) creſcit ſua ſponte in Italia circa Viterbium, & Piſam, Neapolim & Romam, ac apud Samnites & alibi. In inferiore Germania, ait Dod. fructus rariùs ad maturitatem peruenit. Cluſius tandem in Gallia Narbonenſi inter ſegetes non procul Monſpelio vltra fluuium Ledum ſpontè natum obſeruabat.

Diſſentiunt circa vires Dioſc. & Gal. Ille enim hunc eadem, quæ ſatiuum, præſtare ſcribit. Galenus autem amariorem dicit, & ad omnia valentiorem ſatiuo, facultatiſque valentioris. De viribus & vſu Lupini ſilv. ita Plinius nobis ſentire videtur. Lupini quoque ſilueſtres ſunt, omnimodè minores ſatiuis, præterquàm amaritudine. Ex omnibus quæ eduntur, ſicco nulli minùs ponderis eſt, nec plùs vtilitatis. Miteſcunt cinere, aut aqua, calidis. Colorem hominis frequentiores in cibo exhilarant: amari contra aſpidas valent. Vlcera atra, aridi decorticatique triti, ſuppoſito linteolo, ad viuum corpus redigunt. Strumas, parotidas in aceto cocti, diſcutiunt. Succus decoctorum cum Ruta & Pipere, vel in febri datur ad ventris animalia pellenda, minoribus triginta annorum: pueris verò impoſiti in ventrem ieiunis proſunt. Et alio genere toſti, & in defruto poti, vel ex melle ſumpti. Iidem auiditatem cibi faciũt, faſtidium detrahunt. Farina eorum aceto ſubacta papulas, prurituſque in balnei illita cohibet, & per ſe ſiccat vlcera. Liuores emendat. Inflammationes cum polenta ſedat. Sylueſtrium efficacior vis eſt contra coxendicum & lumborum debilitatem. Ex iiſdem decocta lentigines corrigunt: ſi verò ad mellis craſſitudinem decoquantur vel ſatiui, vitiligines nigras & lepras emendant. In ſilv. Lupini ſemine, ait Porta, guttatim & fortuitò aſperſę maculę pullę & cinereę, verè à ſerpentum deſignationi ſatisfacit: vnde contra aſpidas valet.

*Vires & vſus. Color. Vlcera. Strumæ. Animalia Ventris. Farina. Aſpid.*

## CICERA ANTIQVIS
### CAP. V.

Cicera Columellæ bubus Erui loco freſa datur in Hiſpania Bœtica, quæ cùm ſuſpenſa mola diuiſa eſt, paulùm maceratur, dum lenteſcat. Atque ita miſta paleis ſubtritis pecori præbetur. Sed Erui duodecim libræ ſatisfaciunt vni iugo, Ciceræ ſexdecim: eadem hominibus non inutilis, neque iniucunda eſt. Sapore certè nihilo differt à Cicercula, colore tantùm diſcernitur. Nam eſt obſoletior, & nigro propior, ſeritur primo, vel altero ſulco menſe Martio, ita vt poſtulat ſoli lætitia, quod eadem quatuor modiis, nonnunquam & tribus, interdum etiam duobus, ac ſemodio iugerum occupat. Nos ſanè de hac Cicera penitùs nihil, quod dicendum occurrat, apud alios inuenimus, quàm quòd à Cicere ouino, teſte Cornario, ſit diuerſa.

*Vſus. Sapor. Satio.*

## CICER IN GENERE
### CAP. VI.

Ciceris duo faſtigia ſumma licèt Dioſc. Gal. & Plin. conſtituant, attamen Theoph. qui hos

tempore multùm anteceſſit, aliter longè ſentit, ita ſiquidem ſcribit.

Columbinũ

Ἐρέβινθος [Cicer] magnitudine, & ſapore, & odore [καὶ τοῖς χυλοῖς, καὶ τοῖς χρώμασι : ſuccis & coloribus] & formâ pleraſque differentias oſtendit, vt Arietinum & Columbinum. Candida inter omnia dulcedine præſtant.

Satiuum.

Porrò ſumma illa duo genera *ſatiuum, & ſiluestre.* Satiui quidem differentiæ aliquot.

Dioſcorides ſatiui alterum genus Arietinum appellat. Silueſtre, foliis ſatiuo ſimile dicit, aſt odore acri [graui, Plin.] ſemine differens.

*Plinii differentiæ. Arietinum Columbinũ. Venereum. Cicercula.*

Plinius differentias Ciceris plures ſumpſit etiã à magnitudine, figura, colore, ſapore. Eſt enim, inquit, arietino capiti ſimile, vnde ita appellatur, album, nigrumque : eſt & Columbinum, quod alij Venereum vocant, candidum, rotundum, leue, Arietino minus; quod religio peruigiliis adhibet. Eſt & Cicercula minuti Ciceris, inæqualis, anguloſi, velut Piſum. Dulciſſimum autem id quod Eruo ſimillimum: firmiuſque quod nigrum, & ruffum, quàm quod album. Patet ergo & Plinium duo hîc feciſſe Ciceris genera, Arietinum, & alterum Columbinum, quod & Venereum dicitur : ὀρόβιαιον id, nempe Eruinum Theophraſtus vocat, quod his declarat: dulciſſimum autem id quod Eruo ſimillimum.

*Columellæ different. Punicum. Galeni differentiæ. Eruinum.*

Columella hoc Punicum appellauit, qui & ipſe duo Ciceris genera tradit, inquiens: Cicer Arietinum vnum vocatur, & alterum Punicum, quod toto menſe Martio ſeri poteſt. Tandem Galenus quoque duorum generum meminit, Arietini videlicet & Eruini [ὀροβιαῖος.] Ita namque ſcribit Alim. lib. 1. cap. 22. Cicera nigra exigua, in Bithynia maximè prouenientia, Arietinaque ipſa nuncupant. Item ſimpl. 6. Erebinthus [Cicer] legumen eſt flatuoſum. Quod verò Arietinum appellatur, &c. At alterum Eruinum appellatum, Erebinthus ſc. agreſtis, ad omnia efficacior domeſtico eſt, hoc eſt tum calidior, tum ſiccior, quantò & acrior & amarior.

*Cæſalpini different.*

Theophraſtus (autore Cæſalp.) Arietinum & Columbinum differre ſcribit. Aetius & Columella quoddam Orobiæum cognominant, Eruo ſimile. Dioſcorides ſatiuum & ſilueſtre tradit: inter ſatiua, quoddam Arietinum. Silueſtre genus videtur ſignificaſſe Theoph. cùm dixit quoddam odore differre: & Aetius Orobiæum hoc idem videtur appellaſſe, nam ei vim tradit, quæ profectò Ciceri ſatiuo per ſe non ineſt, niſi cũ Eruo admiſceatur, vt Dioſc. adnimaduertit. Eſt ergo Cicer

*Cæſalp. & Gaza not.*

ſilu. Hæc Cæſalp. ſed malè. Nam apud Theoph. pro Columbino, vt vertit Gaza, legitur ὀροβιαῖον, & pro odore in verſione Theop. Gazæ, legendum colore. Dioſcoridis primum exiſtimamus idem, cum Orobiæo Theop.

Plinius, teſte Cornario, Cicerculam contextui ſuo inſeruit, Cicerque dixit, imprudenter ſanè duas diuerſas res confundendo: de Cicercula ſub Lathyro dicetur. Cur Cicer prætetea Serpillum à quibuſdam appelletur, videre eſt ex Marcello hiſt. n. g. lib. 28.

## CICER ARIETINVM.

*Deſcr. Caulis.*

SVa vi ſurrigitur Cicer, caulibus hirſutis, durioribus, ramoſis : *folia* pinnata, hirſuta, clauicularum expertia, quorum ſingularia haud malè foliis Ononidis comparaueris, denticulata, ſiue ſerrata : ex quorum alis *flores* emicant ſingulares, colore purpuraſcente, vel albo : *ſiliqua* te-

*Folia.*



retes; farctæ ſeminæ, Piſo æquali, colore albo, ruffo, aut nigro, cuius capiti appoſitum corniculum: ſapor ad Piſa accedit, vt & radix.

*Cordi differentia. Ruffum. Candidum. Columbinum. Nigrum. Arietinum.*

*Cord.* in Dioſ. Eſt quoddam genus ruſſum, quoddam candidum, quod Columbinum dicitur, & tertium nigrum, quod priuatim Arietinum appellatur. Deſcribit hoc in Hiſt. cui Geſn. figuram ex Trago addit.

Trag. *Cicer*, Germ. Zyſer Erweiſſen. Ruffum germ. Roth Zyſern. Nigrũ, Schwartz Zyſern. Album, weiß Zyſern. Auic. lib. 2. cap. 132. nigri meminit Ciceris. Omnis Ciceris ſpecies ad Piſa referenda nobis videtur. Erebinthi appellatione (meo iudicio) à Dioſc. comprehenſa lib. 2. cap. 95. Serapio cap. 80. Cicera *Chemps*; alba, *Karſenna*, nigra verò *Chubes* nominat.

Fuchſ. Tria præcipua ſunt Cicerum genera, album, rufum, & nigrum. Nos ex iis tribus nigri tantùm picturam damus. Differunt potiſſimùm in floribus: hoc enim, purpureos, album verò candidos flores producit.

*Cornarii differentia. Columbinum. Venereum. Orobiæum. Punicum. Rufum.*

Corn. Cicer alterum Columbinum, quod & Venereum dicitur Plinio, eſt, quod ὀροβιαῖον [Eruinum] Theoph. dixit, & Columella Punicum appellauit. Noſtri Kichern corrupta voce Latinâ dicunt. At verò Cicera à Cicere omninò differt. Officinæ etiam hodie Cicer ruſſum, ac nigricans albo præferendum ſciunt.

*Matth. differentia.*

Matth. in Dioſc. In Cicerum genere habetur candidum, quod & Columbinum vocatur. Eſt & rubeum, Venereum dictum. Habetur item & nigrum, cæteris minus, quod Arietinum appellant. Eadem tradit Matth. in poſt. com. Italicis, quo in loco & miliùs pingit & deſcribit.

Anguil. Ciceris ſpecies tres, albi, ruffi, Arietini. Albi duplices, Arietini & Eruini, à ſe inuicem tantùm figurâ differunt. Vnum ſimile capiti arietino, alterùm politum, vt Eruum, id demonſtrat Gal. lib. 9. de comp. med. ſ. loc. Arietini meminit etiam Hippoc. Ruffi duæ etiam ſpecies, Arietinum & Eruinum. Niger ſimplex colore tantùm differens.

*Dod. differentia.*

*Dod.* Gall. ἐρέβινθος κριός; Lat. Cicer Arietinum, offic. Cicer. Idem de frum. poſtea deſcribit, floribus aut candidis, aut ex purpura rubeſcentibus, ſeminibus colore aut candidis, aut ex ſubrubente purpura nigris.

Lonicerus duas habet figuras, quamuis vna ſufficeret.

Lob. & Pena Adu. Cicer ſatiuum Arietinum Dioſcoridi. Offic. Cicer rubrum; color albus quibuſdam: alia obſoletè nigricant, plurima ex fuſco purpuraſcunt. Obſ. Cicer ſatiuum Arietinum. Ic. Pl. Cicer Arietinum Dioſc.

Cæſalp. Cicer ſemen propè teſticulis ſimile, colore aliis ex candido palleſcit: aliis ruffus: aliis niger. Erebinthon Græci vocant.

Camer.

Camer. Epit. Cicer. Item horti, Ciceres albi, purpurei, & nigri.

Turn. quoque tria constituit genera. Arietinum, Nigrum, & Columbinum, vel Venereum, quod non meminit ſe vidiſſe.

*Cicer, Cicer Arietinum, Cicer ſatiuum* Hiſt. Lugd. Ε'ρέβινθος Germ. Ziſern / Kirchern / Ziſer: Vndt Kücher Erbs. Belg. Ciceren. Gall. *Ciche, & Pois ciche*, & *Poix Pechu*. It. *Ceci*. Hiſp. *Grauancos*. Arab. *Chemps, Hamos*, ſeu *Athamos*. Angl. *Ciche*. Boh. Cyzcua. Hung. Bagolych borſo / *Bubonis Piſum*.

Ciceres rubri à nobis ſati in Horto E.C. Montbelgardi, facilè proueniunt, ſi eos non inueniant mures, qui auidè colligunt, tempore pluuioſo facilè corrumpuntur. Habemus etiam Ciceres flore & ſemine albos, quorum ſemina miſſa Stutgardia: Aprili ſata, floruere Iulio. Geneuæ etiam mihi miſſi ſunt rotundi flaueſcentes, omnium quos videris, minimi, politi, qui ſati prouenêre cum floſculis albis, florentes Auguſto: Geneuæ alioqui frequentes, ſatis magni, anguloſi, & copioſi, Monſpelii in eſu vulgares. Geneuæ, Lugduni, & Baſileæ, Ciceres magni, flaui, rubeſcentes vel nigricantes, flore ſubpurpureo, frequentes in hortis. Cicer nigrum recepi ex Anglia miſſum per D. Gargillum, & Stutgardia. Seritur Vere, autore Matth. appetente, pingui ſolo, & matureſcit Æſtate, demetitur areſcentibus ſiliquis: nam ſi citiùs extirpetur, ſemen rugoſum euadit. Dod. In Italia, Hiſpania, & Gallia paſſim in agris ſeritur. Fuchſ. pullo, craſſoque ſolo gaudet. Floret Iunio & Iulio menſibus, atque ſubinde in ſiliquis ſemen producit.

Cicer, vt placet Dioſcoridi, ſatiuum aluo commodum eſt, vrinam ciet, flatus gignit, bonum colorem inducit, menſes & fœtus educit, & lac gignit, Cataplaſmatis modo imponitur, maximè cum Eruo coctum, ad teſtium inflammationes & formicarias verrucas. Cum Hordeo verò & melle, ad ſcabiem, vlcera capitis manantia, impetigines & cancroſa, ac maligna vlcera. Alterum porrò ipſorum genus Arietinum appellatum. Vtrumque ciet vrinam, ſi decoctum ipſorum cum Roſmarino detur, ad morbum regium & hydropem. Lædit autem & veſicam exulceratam, & renes. Cætera, quæ Dioſc. de curatione verrucarum prodidit, tanquam ſuperſtitioſa & magica hîc à nobis commemorantur. Sunt autem hæc: Contra myrmecias & acrochordonas iubent aliqui noua luna earum capita eminentiáſue ſingulis Ciceribus tangere, deligataque in linteolo ſemina illa poſt ſe abiicere, vt acrochordones decidant. Non admodum conſuetum eſt, autore Gal. Alim. vrbanis hominibus ex Ciceribus pultem conficere, à ruſticis verò nonnunquam vidit parari: quemadmodum & ipſorum farinam cum lacte elixari. Non enim vt Fabæ & Piſa poſſunt comminui, vt ex ipſo fracto pulmentum, quod ἐρυγμὸς dicitur, fiat. Apud multas autem gentes mos eſt Cicera in aqua elixa mandere: nonnulli verò nuda ipſa ſola, alii ſale modico condientes, eſitant, noſtrates verò ex ſiccis caſeis quiddam farinæ ſimile facientes; id ipſis aſpergunt. Eſt autem Cicer edulium non minùs, quàm Faba, flatulentum, ſed valentiùs nutrit, quàm illa. Ad venerem autem incitat, creditumque eſt etiam ſemen generare, vnde quidam equis admiſſariis ipſum exhibet. Ineſt præterea Ciceribus facultas abſtergendi maior, quàm Fabis, adeò vt quidam ex ipſis calculos in renibus conſtantes manifeſtè comminuant. Nuper autem cùm de Fabis ageremus, ſermonem fecimus omnibus immaturis fructibus communem. Eadem porrò & de frixis Ciceribus audiuiſſe exiſtima, quæ de Fabis frixis diximus. Quandoquidem frixa omnia flatum quidem deponunt, verùm difficiliùs coquuntur, & ventrem magis ſiſtunt, craſſioriſque ſucci alimentum corpori exhibent. Quæ præter iam dicta lib. 6. ſimpl. tradit, hæc ferè ſunt. Cicer ventri commodum, ciendæ vrinæ idoneum, lacti generando aptum: prolicit verò & menſes: porrò, quod vocatur Crium, hoc eſt Arietinum, cæteris efficaciùs vrinam prouocat: decoctum eius calculos renum confringit: alterum verò Cicerum genus (vocatur autem Orobæum) eadem vi pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi. Sunt enim calidi & modicè humidi, participes item ſunt amaritatis: cuius vi & lienem, & iecur, & renes expurgãt. pſoraſque [Gerard. addit & lepras] & lichenes extergunt, tum abſceſſus poſt aures prouenientes (παρωτίδας Græci vocant) & teſtes induratos diſcutiunt: tum etiam vlcera, quæ Cacoëthe vocant, cum melle ſanant. Quorum vſum in cibis idem ſuprà docet. Nigra autem ſunt ea, & exigua, in Bithynia præcipuè naſcentia, Arietinaque vocata. Huius ex aqua decoctum potare præſtiterit. Veſcuntur & virentibus adhuc Ciceribus homines, ante adeptam maturitatem, quemadmodum & Fabis. *Cæterùm* de viribus Ciceris Plinius agens, etiam ſilu. generis meminit, velut etiam Galenus fecit & Dioſc. quem ita declarat: Cicer & ſilu. eſt foliis ſatiuo ſimile, odore graui. Si largiùs ſumatur, aluus ſoluitur, & inflatio contrahitur, & tormina. Toſtum ſalubrius habetur. Farina vtriuſque vlcera manantia capitis ſanat, efficaciùs ſilueſtris. Comitiales & iocinorum tumores & ſerpentium ictus. Ciet menſes & vrinas grano maximè. Emendat & lichenas, & teſtium inflammationes, regium morbum, hydropicos. Lædunt omnia hæc genera exulceratam veſicam & renes. Gangrænis vtiliora cum melle, & his quæ cacoëthe vocantur. Verrucarum in omni genere primâ Lunâ ſingulis granis ſingulas tangunt, eaque grana in linteolo deligata abiiciunt poſt ſe, ita fugari vitium arbitrantes. Noſtri præcipiunt Arietinum cum ſale diſcoquere, ex eo bibere cyathos duos in difficultatibus vrinæ. Sic & calculos pelli, morbumque regium. Eiuſdem foliis, ſarmentiſque decoctis in aquâ quàm maximè calida, morbos pedum lenit: & ipſum calidum, tritumque illitum. Columbini decocti aqua, horrorem tertianæ & quartanæ minuere creditur. Nigrum autem cum Gallæ dimidio tritum, oculorum vlceribus ex paſſo medetur. *Hæc ille.* Cicera difficulter concoquuntur, inquit Simeon Antiochenus, & excrementa gignunt. Venerem ſtimulant, magiſque quàm Fabę nutriunt, obſtructiones tollunt, & menſes educunt. Habent ſalſam ſimul, & dulcem qualitatem, & ob ſalſuginem ventrem mouent, propter dulcedinem autem vrinam. Inflationes quoque faciunt, & lac gignunt extergendique facultatem obtinent. Nigra medicamentoſam vim habent: vrinam enim vehementiſſimè movent, & calculos renum, & veſicæ frangunt. Nullum verò legumen ſic, vt Cicera, præcipuè autem nigra, & parua, lapides frangere poteſt. Id verò magis eius ius: quod tamen veſicæ morbis ſupra cætera legumina officit. Cicera verò rubra calidiora, & craſſiorum ſunt partium, quàm alba. Omnia autem vrinam ducunt. Madefacta nocte vna in aqua, & ſumpta, lumbricos eiiciunt, ſed qui vtitur, ſex ieiunet horas oportet. Impoſita vt cataplaſ-

*Menſes.* *Calculus.* *Pſora.* *Parotis.* *Vlcera.* *Inflãmatio.* *Gangræna.* *Obſtruct.* *Lac.* *Lumbri.*

*Tumores. Scabies.*

ma parotidib. molliunt & diſcutiunt tumorem. Farina horum acero ſubacta, & ſcabioſis inuncta prodeſt. Ius eorumdem ictericos iuuat, & vrinam albam reddit. Oportet verò iis neque ante cibum neque pòſt vti, ſed in medio. Tragus dicens ciceris in aqua decocti ius calculum pellere, meliùs placet, quàm qui euidenter frangere affirmare non erubeſcunt, inter quos eſt Dioſc. & Gal. Si tanta vis eſt cicerum, maximè Bithynienſium, vt euidenter frangat calculos, pretioſiores erunt auro & cæteris omnibus lithonthryptis: nullum enim exiſtimamus veraciter dici poſſe frangere calculum, nec etiam ſi fieret, euidenter id appareret. Cur porrò Tragus primum decoctum effundat, conderatione eget. Matth. non reiicit primum decoctum, quia ita ſcribit. Puerperis confert in aquam infuſum: manè bibitum, ita vt poſt ſex horas nihil comedatur, lumbricos ex inteſtinis eiicit: prouocant, abſtergunt, attrahunt diſcutiunt, incidunt, & flatus excitant. Farina ex Intybi ſtillatitia aqua decocta & illita, iocinoris tumores reſoluit, & ſerpentum morſibus medetur.

*Dioſcor. & Galenus notantur.*

*Reiicitur opinio Tragi.*

## CICER SILVESTRE MVLTIFOLIVM.



*Deſcriptio. Radix.*

Cicer ſilueſtre multifolium, perenni *radice*, craſſa & dulci donatum eſt: *ramos* bicubitales & altiores profert; ſtriatos, tortuoſos, concauos: *folia* hirſuta, pinnata, ſatiui ciceris poſitu, ſed longiora, anguſtoria, nec per ambitum crenata, ad Lẽtis maioris folia propiùs accedentia, niſi in obtuſum & ſubrotundum mucronem deſinerent, ſubdulcia: coniugationes multæ, ad tredecim ſuppurati, ex foliorum alis pediculus palmaris exit, rigidulus, *ſpicam* breuem ſuſtinens florum ſubluteorum, quibus racematim cohærentes ſuccedunt folliculi breues, ventrioſi, hirſuti, *ſemina* continentes, autore Dod. exigua, dura, plana, ſplendentia, guſtu Phaſioli.

*Folia.*

*Flores. Folliculi. Semina.*

*Icon.*

Dolemus iconem noſtram depictam nobis abſentibus, ex icone, quæ non placet, quæ eſt apud Lobelium, ac ex non bona deteriorem factam.

*Matth. notatur.*

Cicer ſilu. 1. Tab. Icon. wildt Ziſererbs. *Cicer* Matth. in Hiſt. Lugd. & *Cicer ſilu.* 1. Dalech. Sed hîc duas icones vnius plantæ exhibitas exiſtimo. Cicer ſilueſtre Matth. Cluſio exili candicante flore.

Cicer ſilu. omnibus ferè notum eſſe, Matth. in Dioſc. quidem ſcribit, aſt nec deſcribit, nec depingit. In poſt. com. cum mag. icon. & Italicis ponit figuram, ſine deſcriptione. Idem in Epit. Cicer ſilu. ſatiuo ſimillimum eſſe dicit, ſed folia non denticulata, & ſiliquas minores, rotundioreſque, plantam verò in vniuerſum hirſutiorem, atque aſperiorem. Cicer autem, de quo hîc agimus, non eſt hirſutius, neque aſperius ſatiuo, neque etiam ſimillimum, icon quoque Matthioli non tale demonſtrat: ſuſpicamur eum eiuſmodi imaginariè ſcripſiſſe, in com. ſiquidem non deſcribit.

Cicer ſilu. Camer. Epit. Matth. Eidem in horto, fructu tamen nonnihil differens, quia maior & oblongior.

*Folliculis Coluteæ.*

Cicer ſilu. herbatiorũ aliud, Lob. & Penæ Adu. folliculis Coluteæ, quod longius videtur recedere à Dioſc. ſilu. Cicere. Matthiolus huius picturam mentionemque ridiculè inculcat in Indice, non deſcribit. Obſeru. & Ic. Pl. Cicer ſilu. Herbatiorum. Cicer ſilu. ad me [Geſn. horti] Dalech. Lugduno miſit. An Anguil. Cicer ſilueſtris.

*Cicer ſilu. herbariorum.*

Ciceris ſilu. quemadmodum à Matth. depingitur, fructum, aliquando ad Dodon. Cl. Cortuſus miſit. Odor autem herbæ qualis ſit, compertum Dod. non habet: is autem ſi fuerit, δριμὺς dubio procul. Videtur eidem in Hiſt. cicer hoc ſilu primum magis quàm reliqua cum ſilu. cicere conuenire.

*Locus. Temp.*

Cicer ſilueſtre Matth. Petrus Turn. Angl. mihi Heidelberga attulit, dicens radicem craſſam, dulcem, ſaporiſque Glycyrrhizæ habere. Plantam ſiccam D. Agerius dedit, & ſemina, quæ per me ſata in horto Ill. E. C. Iulio menſe floruerunt. Gignitur, vt Hiſt. Lugd. ſcribit, in ſaltuoſo ſalicto, quod Rhodanus alluit prope Lugdunum.

## CICER SILVESTRE MAIVS THALII.

Cicer ſilu. maius, ſcribit Thalius in Harc. Silu. conuenit fermè cum eo, cuius Matth. iconem exhibet, niſi quòd folia non ſint rotunda, ita vt Icon Matthioli habet, ſed oblonga, nigra, hiſpida, non dentata (quam ipſe quoque notam in ſuo requirit, Lenticulæ foliis ſimilia. Sunt & coſtæ, quibus folia inhærent, Matthioli plantæ coſtis longiores multò, pluribus itidem folius præcinctæ. Caulibus vitigineis humi reflectitur, brachiatis, ac latè expanſis. Flores profert in denſa ſpica confertim conglomeratos, Lenticulæ ſimiles, luteos, quos ſubſequuntur membraneæ veſicæ, agminatim cohærentes, ſubflauæ, piloſæ, in acutum mucronem prominentes, minores ſiliquis ciceris Arietini, quibus conduntur paruæ ſiliculæ plenæ ſeminibus rotundis, paruis, flaueſcentibus, ſimilibus fermè Loti ſatiui ſeminibus.

*Folia.*

*Caules. Flores.*

*Veſicæ.*

*Siliculæ. Semen.*

*Inſcriptio ratio.*

Vocat autem hanc ſpeciem maioris nomine, quòd eiuſdem duæ aliæ ſpecies reperiantur, quarum altera mediam magnitudinem obtinet, altera longè minor eſt.

*Varietas.*

Miſit mihi ramum pro cicere Thalii Cl. D. Doldius, quod an ab antè à nobis tradito diuerſum, dicere non auſim: tredecim in eo coniugationes foliorum: flores planè ſimiles videntur: verùm foliola apparent longiora, quàm demonſtret Icõ Camerarii: verùm ea varietas pendet fortè à cultura, talem habeo collectam Argentinæ in horto Frid. Meier: non ſunt tamen hiſpida, quod de ſuo prædicat Thalius, vix apparent pili, quemadmodum etiam in præcedenti.

De hoc autem hæc Doldius ſcribit. Hanc pro cicere ſilu. maiore Thalii agnoſco, omnia reſpondent, excepto eo, quòd veſicas dicat habere agminatim

minatim cobærentes, ſubflauas: cùm huius ſint nigræ, neque veſicæ ſiliculas ineſſe intelligere poſſum, ſed ipſæ ſiliquæ agminatim iunctæ, veſicas ſingulas referunt, ſemen ſubflauum, compreſſum. Serpit longè, folia dulcia ſunt, & radix, vt ad Glycyrrhizas ſilu. referri poſſit.

Prouenit, auctore Thalio, Cicer ſilv. maius, locis pratenſibus, Minus autem, quod duplex, in montibus Harciniæ adiacentibus, ac meridiano Soli expoſitis naſcitur.

## CICER SILV. TRIFOLIVM.



Digitalem demittit *radicem*, ſingularem aliquando, aliàs in paucas fibras diuiſam, lignoſam, dodrantalem, quæ terrâ verſus in plura capita, ſquammata diuidi incipiens, ex ſingulis vnum, vel plures tollit caules cubitales, & in ramos aliquando ſubdiuiſos, linqueſcentes, hirſutos: pediculis autem longis tria hærent coniunctim *folia*, maiora quàm ſatiui Ciceris, rotunda, hirſuta, circumquaque ſerrata: *flores* Ciceris, mediocriter magni, quos *ſiliquæ* excipiunt binæ ferè, ex vnico longo pediculo, vnciâ longiores, hirſutæ.

Cicer ſilv. 2. Tab. Ic. wild Ziſererbs 2. Cicer ſilv. verius, è Sabaudorum finibus. Non abs re quis coniectet, inquit Lob. Obſ. illud Dioſc. ſilv. eſſe: flores purpuraſcunt, ſemina Cicere multò minora. compreſſa, & potiùs Cicerculæ ſimilia. Item. Ic. Pl. Cicer ſilv. veriùs. Cicer ſilv. Dodon. in fol. alterum, quod ad iconem, tertium, quod ad deſcriptionem. Ponæ tandem in Baldo, Cicer ſilv. alterum Dalech.

Geneuæ prouenit in monte Saleuæ.

## OCHROS IN GENERE.

### Cap. VII.

Ochri (Eruiliæ Corn.) Piſis magis ſecedunt, minùs inflant, & probè alunt: ex autoritate diuini Hipp. de diæt. lib. 2.

Theop. Ochrorum meminit, vnico tantùm in loco. Hiſt. ſc. lib. 8. cap. 3. dicens: Legumina alia oblongiori ſunt folio, vt Ochros (Cicera.) Caulis autem procidens.

Multò pleniùs de hoc egit Gal. alim. lib. 1. 25. cap. Ochron [ὤχρον Eruiliam vertunt] homines, quomodo & Fænugræcum, priùs in aqua, quoad radicem produxerint, macerantes, ventris ſubducendi gratia mandunt, ante alios cibos, garo intingentes. Succum autem, cùm coctus eſt, atque in corpus diſtributus, habent copioſioris alimenti, quàm Fænumgræcum. Atque in Alexandria iuuenem quendam nouit arti Medicæ deditum, qui per annos quatuor ſingulis diebus ſolis his pro obſonio, vtebatur, Phaſeolns, dicit, Fænumgræcum, Eruiliam, & Lupinos. Attigit autem interdum & Oliuas ex Memphitide, & olera, & paucns fructus, eos, qui citra coctionem manduntur. Propoſitum enim ei erat, ignem nunquam accendere. Omnibus certè illis annis ſanus fuit, nec vlla in re habitu corporis, fuit deterinre, quàm ab initio. Mandebat autem fructus huiuſcemodi cum garo ſcilicet, oleum aliquando ſolùm ei adiiciens, nonnunquam etiam vinum, aliàs acetum, interdum verò ſalem tantùm, ſicut & Lupinns. At de ſalubris quidẽ victûs ratione in lib. de tuẽd. ſanit, copioſè tractauimus: tractabimus autem poſtea etiã ſummatim in opere hoc. Nunc autẽ iis, quæ de Eruiliis & Phaſelis dicta ſunt, id quoque addatur, hæc ædulia medium quodammodo locum obtinere inter ea, quæ ſuccum bonum, aut prauum, generant, inter concoctu facilia & difficilia, tardè & celeriter tranſeuntia, flatulenta & flatûs expertia, parùm & multùm nutrientia. Nullam enim efficacem habent qualitatem inſtat qunrumdam, quæ acres, aut acerbos, aut ſalſos, aut amaros, aut dulces habent ſapores. Et cap. 26. Lathyrus [Cicercula] ſubſtantiâ Ochris (Eruiliis) & Phaſelis ſimilis. Tandem cap. 28. Ochros (Eruilia) Hipp. Diocl. Cæterùm vide plura ſub Phaſeolo & Dolicho Veterum. *Correctio.*

Theodorus (Cæſalp.) Eruilium vertit id quod à Theophraſto Ochrns vocatur, quamuis aliquando Cicerum vertat, quaſi putauerit idem eſſe, Eruilium, & Cicerum, & Ochrum. *Theod. error.*

## PISVM IN GENERE, EX Veteribus & Neotericis.

### Cap. VIII.

Piſum, quantùm quidem ex Theophraſto colligere licuit, oblongius producit fnlium, caulem verò humi procidentem. Huic morbus, vt omnibus ſeminibus, ob alimenti, cælique temperiem euenit: videlicet cùm plus, minúſue eſt, vel etiam cùm nnn tempeſtiuè humeſcit. Sic enim & vermes Ciceri, Cicerculæ, Piſoque innaſcuntur, & erucæ. Piſum omnium maximè fragile eſt, nam & rubigini eſt oportuniſſimum, propterea quòd folia habeat numeroſa, & radicem imbecillam. *Piſorum morbus.* *Rubigo.*

Cęterùm, quemadmodum Dioſcorides Fabam, cuius vires indicat, non deſcribit: ita quoque nec Piſum deſcribit, nec eius meminit. Vnde turpiter errant, qui Cicer arietinum Dioſcoridis cenſent eſſe Piſum vulgare, quòd germanicum Erweiſen ſonn accedat ad Erebinthum: necnon ii, qui putant Piſum, Germanis Erbs dictum, Eruũ eſſe Latinorum & Orobum Græcorum, vocabuli ſimilitudine adducti. Nihil enim probat vocum iſta ſimilitudo in linguis tam diſſitis. Ita enim Pulegium Polium fuerit, inquit Turnerus, quia Germani Poley interpretantur. Ieiunum ergo & infirmum apparet eſſe eiuſmodi omne argumentum, à nudo nomine petitum, niſi deſcriptio & facultates conueniant: at deſcriptionem & vires Piſi cum Ornbo & Erebintho non conuenire ſuis dictũ eſt locis. Erebinthus, auctore Theoph. in terram non procedit, ſed obliquè ſurgit, Piſa autem in terram caduca ſunt. Ergo. Piſum folia habet longa, Erebinthus non item, Ergo. Galenus de Cicere arietino, & Piſo, vt de duobus diuerſis leguminibus, duobus diſtinctis agit capitibus. *Error multorum.* *Non eſt Cicer arietin.* *Non eſt Eruum.*

Plinius quoque vno capite Cicera à Piſis ſeparat. Erebinthus itaque, latinè Cicer, non eſt Piſum. Orobum Theoph. obliquè creſcere affirmat, At. Piſa noſtra cuiuſcunque generis, ſunt ὑπτιόχαυνα [humi ſtrata.] Galenus etiam ſcribit omnia Orobi genera, planè eſſe amara, At omnia Piſorum genera, planè dulcia ſunt, ſine omni amaritudine, Ergo. Cæterùm, verba Plinii de Piſo, nos in dubium vocant, ancipiteſque faciunt, an ei cognitum fuerit, necne Piſum. Ita enim inquit: Cicercula minuti Ciceris, inæqualis, anguloſi, veluti Piſum.

*Eruilium vulgò. Mes Almes Almelis.*

Legumen, quod Eruiliam vulgò vocant, teſte Manardo, non eſt id quod Arabes *Mes*, vel *Almes*, vel *Meiſe*, neque id, quod *Almelic* vocant. Auicenna aſſerit *Almelic* eſſe Erbum. Quòd verò Erbum Auicennæ (Orobon Græci appellant) nos Eruum, ſit tam ab Eruilia noſtra, quàm *Mes* Auicennæ diuerſum, clarum eſt: Eruilia oculum non habet. Scribunt præterea Auic. & Iſaac in cortice *Mes* eſſe ponticitatem, [ita enim ipſi appellant ſaporem accerbum [στρυφνὸν] linguam adſtringentem, qui ſapor ab Eruilia alienus. Eruilia quoque non ſunt Piſa: ſcribit enim Plinius, Piſa habere angulos, vt Cicercula, quos in Eruilia noſtra non videmus. Quonam nomine hæc res ab Antiquis cenſeatur, quam Eruiliam Plinii voce nonnulli, vel parùm ab ea deflectendo *Rouilliam* vocant, *Piſarelos* Veneti, *Rodsones* alii, hoc operoſius eſt valdè iudicare. Sunt tamen quæ ipſum mouent, vt credat Eruiliam eſſe id, quod Theoph. & Diocles Dolichon vocauerunt, & Galeni tempore Phaſiolus, vel Lobus dicebatur, & à Theodoro Siliqua appellatur: quamquam Siliqua exiſtimanda eſt aliud legumen iuxta Latinos Autores. Eruiliæ ſolus inter legumina edi ab hominibus ſiliquas ſimul cum ſemine, nemo eſt qui neſciat: cùm & crudæ aliquando ab otioſis, & coctæ à nobilibus, confecto præſertim ex iis delicato quodam pulmento, libentiſſimè mandantur, aliorum leguminum ſiliquis in cibum iumentorum proiectis: Si igitur, Eruiliæ ſunt Dolichi, quis ambigat malas eſſe, & eſum harum prohibendum fuiſſe vulnerato prope genu. Hęc Manardus exiſtimans Eruiliam eſſe. Piſum. Sed falſam & infirmam eius eſſe opinionem quotidianus oſtendit vſus. Hodie enim non vnius ſolùm plantæ ſiliquæ eduntur, ſed duarum, nempe Piſorum vulgarium, cuius variæ ſpecies, & Smilacum hortenſium, ſiue Phaſeolorum dictorum vulgò. Sed dicere quiſpiã poterit [autore eodem] de Phaſiolo i. e. de legumine, quod Latinè dicitur Eruilia, ſub Phaſioli nomine ſcripſiſſe Dioſcoridam.

*Rouillia.*

*Dolichi. Phaſeoli. Siliqua.*

*Manard. not.*

*Eruilia. Phaſiolus Dioſc.*

*Orobus non eſt.*

Quod ad Orobum attinet. Mundella in exam. ſimpl. med. Ant. Muſæ Braſſ. eum exiſtimat nequaquam Eruiliam eſſe poſſe domeſticam, quæ Ianuario menſe ſeritur, & paxillis quibuſdam poſtea inhætens, eoſque ſcandens, fructum parit, de qua Manard. lib. 1. ſed Eruiliam, quæ Ferrarienſibus *Ruuione* dicitur. Quicquid autem illud eſt, certum eſt nullo modo Orobi facultates Eruiliæ conuenire poſſe, cùm quia Orobus grauedinoſus traditur à Dioſc. & ſanguinem per vrinæ meatus, ſi, vt ille & Galenus aiunt, largiùs ſumatur, euocans, tum quia in cibis eius vſus damnatur, tanquam ingratiſſimus, amaruſque eſt ſecundum Galenum. Satiua verò Eruilia Brixianis lingua ipſotum vulgari *Ruaiet*, noſtris autem Veronenſibus *Biſi* appellata, neque amara eſt, ſed potiùs dulcis, & ad cibum homini non tantùm non damnata, ſed ſuauis, & quæ plurimùm comedentes oblectare poſſit. Sanguinem verò per vrinæ ductus, quod quidem aut Mundella viderit, aut aliunde acceperit, nunquam ciere viſa eſt: neque capiti grauitatem adfert, vt ex iis, qui eâ creberrimè veſci conſueuerunt, manifeſtum eſt. Quare plurimùm hallucinantur Pharmacopolæ, qui Orobi vice Eruiliam altilem ſeruant, eamque pro Orobo vendunt. Præterea quis vnquam ſuſpicari poſſet in Eruilia hac noſtra illam ſecundæ ſedis exiccationem ineſſe, quæ in Orobo ad curandas gangrænas pollet:

*Vſus & Vires.*

*Piſum. Lecythos.*

Πισον ἢ λεκιθος græc. Piſum Latin. dicitur, Officinis hoc nomine notum. germ. Erbs oder Erweiſſen. gall. *Pois*. Sic autem à Piſa, loco, in quo copioſiſſimè naſcebatur, nominatum eſt, inquit Fuchſ. Hiſt. c. 240. Duo apud nos genera Piſorum repetiuntur. Vnum in aruis caducum, humi ſerpens, quod genus Germani Klein feldt Erweyſen nominant. Huius, vtpote vulgaris, picturam haud damus. Flori papilionis forma circa vmbilicum, granis rotundis, & vt Plinius lib. 18. c. 12. ait, angulos multos, inæquales, habentibus: mirari ſatis non poſſum, vnde plæriſque ſuſpicio orta ſit, vt Piſum noſtrum legitimum eſſe dubitauerint. Scio autem eſſe, qui legumen hoc, quod hodie paſſim Piſum appellatur, putent eſſe cicer Arietinum: quorum ſententiam probare non poſſum, quòd Plinio teſte, cicer Arietinum non ſit dictum, quia valuulæ effigiem arietini cornu exprimant. Aſt non placet Fuchſium diſcrimina florum & ſeminum in Piſis non oſtendere.

*Cicer Arietinum.*

*Piſorũ tria genera Germanis perperam Piſa. Piſa agreſtia albo & roſeo flore.*

Piſorum, ſic enim vocant vulgò, ſed perperàm, in Germania tria ſatiua genera celebrant, quæ Tragus Feldt Erweyſſen / Klotz Erweyſſen / & Pfal oder groß garten Erweyſſen, dixit. Piſa agreſtia, flore candido: Ex his nonnulla repetiuntur, quæ ſubrubricant, vbi decocta fuerint, floribus veluti roſei coloris comantia. Inter leguminum-genera vix vllum vſitatius eſt Piſis, præſertim verò agreſtibus, quæ nullo adminiculo fulcita, humi ſerpunt [potiùs decumbunt.] Omnia Piſorum genera alſioſa ſunt, Hiemiſque impatientiſſima.

Piſi nomen huic legumini vno conſenſu imponunt omnes. Manardus ſtatuit Phaſiolum & Dolichum. Ego cicer Arietinum Dioſc. eſſe iudico, quod ille lib. 2. cap. 59. ſub Erebintho deſcribit, quæ vox cum germanica appellatione Erweiſſen ſiue Erbſen ſatis conuenit. Hebræi ſiue Thalmudiſtæ potiùs, *Par Kedan* vocant.

Atahes, quod ſciam, Phaſiolorum haud meminere, niſi fortè *Mes* ad eos pertineat Peregrinos Phaſiolos tertio loco à nobis deſcriptos. Serapion. *Mes Rouillias* eſſe iudicamus.

*Piſum.*

Duas figuras habet Lonicerus cum his titulis, Groß oder Klotzerbeyß / & Klein oder feldt Erbeyß. Item Erbeyß Græcis, vnd Latinis Piſum: magna dicuntur Groß Klotzerbeyß, groß garten Erbeyß / parua Fůld Erbeyß. Variæ ſunt ſpecies colore, magnitudine, & figura, ſatiuæ & ſilueſtres. Et Paulò pòſt aliam Piſorum figuram ponit ſub hoc titulo, Klein Faſelen Dolichos: cùm tamen in deſcriptione longè aliam plantam intellexerit. Ibidem in prima deſcriptione ex duabus plantis, nempe Phaſeolo Italorum, & Phaſeolo Tragi, vnam fingit deſcriptionem: omnia pro ſuo more confundens. Piſorum duas habet figuras Matthiolus ſub titulis Piſi maioris & Piſi minoris: ſic duas Piſorum faciens differentias: traditque Dioſcoridem de Piſis non ſcripſiſſe, ac præterea Braſſauolum credidiſſe Eruiliam, quæ Theoph. Gal. ac Paulo

Ochros

Ochros appellatur, legitimum eſſe Ervum, nominis vicinitate deceptum.

Piſeolus vulgò Cæſalp. teſte, appellatur ſemen candidum, & rotundum: flores colore alias rubente, aut vario, cui in ſiliqua pauciora inſunt grana, grandiora & rotundiora: cui plura, eadem minora ſunt, & magis farcta. Græci Phaſiolos & Phaſeolos appellant, vt Gal. animaduertit, alios à Phaſelo: Siliquas lobos appellant, vnde & ipſi Phaſioli lobi, id eſt, ſiliquæ dicuntur: eoſdem Dolichos appellari teſtatur apud Theoph. Hippoc. & Dioclem. Siliquam apud Theop. Theodorus vertit. Dioſcoridi Phaſiolus, Plinio Faſeolus vocatur.

Piſa à Piſa loco (inquit C. Bauh.) vbi olim copioſè naſcebantur: quæ diuerſorum generum ſunt, maiora quæ hortenſia, cuius fructus dum virides rotundi, reſiccati anguloſi fiunt: colore candido, aliàs ſordido: hæcque duplicia, vel ſine folliculis comeduntur, vel ſimul cum folliculis, & leptoloba dicuntur: ſunt quadra: ſunt minora, quæ vel hortenſia, & ramis affixis in altum ſcandunt, & ramulare Piſum dicuntur: vel in agris ſeruntur, & humi ſerpunt, & ſunt alba (quæ maiora & minora) vel viridia, vel cœrulea, quæ rariora, vel ruffa, quæ noſtris cinerea dicuntur. Eſt Piſum proliferum, vbi plures ſiliquæ ſimul inunguntur: ſunt ipſa Americana rubra, ſunt & ſilueſtria, de quibus omnibus in Hiſtoria.

*Πίσον, Piſum*, Germ. Erbs. Gall. *Pois*: It. *Piſello Piſo*: Angl. Praſe. Boh. Hrach: Hung. Borſo.

## PISA POTISSIMVM VVLGARIA, parua, alba, ſiue aruenſia.



Generali quadam notione Piſa circumſcribemus, quorum differentias petet ſtudioſus lector ex ſynonymis. In genere ergo hoc legumen, ſicuti alia, breuis durationis, tenui eſt *radice*, fibroſâ: *caules* fiſtuloſi, alienæ opis indigi, & niſi palis ſuſtentetur procidui: *folia genicula* aduerſo ſitu ita complectuntur, vt ab eo transfadigi videantur: quanquam in adnatis ſurculis, eorundem ſit pinnata diſpoſitio, eo quod ſurculi ſupereſt, in capreolos tectiles, quibus proxima quæque accipit, abeunte: flores ex geniculis pediculo nudo inſident, forma ad Geniſtæ flores accedentes, ſed colore albo, vel purpureo, vel ex albo vireſcente, vel variegato: *ſiliquæ* iis ſuccedunt, binæ ferè, cylindraceæ, penſiles, bifores, & carnoſa pulpa, minùs tamen multò, quàm in Faba, in quibus recluſa ad commiſſuram annectuntur piſa, aliàs maiora, aliàs minora, nunc rotunda, nunc quadrata, interdum flaua, rubra, & vireſcentia.

Cæterùm Piſorum, titulo iam à nobis propoſitorum, Eruiliæ nomine meminiſſe exiſtimamus Mundellam & Manardũ: de hac nos antè, Klein oder feldt Erbeis/ Piſa flore albo, minora alba. Fuchſ. Piſi vnum genus in aruis caducum. Trag. Veldt Erweyſſen, Piſa agreſtia flore candido. Eruilia.

Dolichi non ſunt illud Piſorum genus, vt rectè contendit Matthiolus, quod Auſoniis vulgò dicitur *Rouiglione*, Tridentinis verò *Arabeia*, vt Manardo placet. Quandoquidem hanc ſub Ochri nomine, tam Galenus, quàm Paulus deſcripſere. Idem in com. cum mag. figur. Piſum minus duûm generum ſtatuit, album & cinereum, quod Eruiliam vocant quidam, Ananienſes & Trid. nunc *Arabeia*, alii *Rouiglione*, atque *Tragum* perperam putaſſe Piſum cicer eſſe Arietinum. Et in com. Ital. cum mag. fig. *Piſelli minori il ſemen bianco & l'altra beretino*. In Epit. Cam. Piſum minus, græc. *πίσον μικρόν*. It. *Piſello minore, duum* generum, album & ſubnigrum. In Hiſt. germ. Kleine feldt Erbſen. Piſum minus. Flores albi. Hæc variis in locis Matth. quem miror vni minorum Piſorum ſuorum tribuere modò colorem cinereum, modò ſubnigrum. Tragi err. Cicer malè. Matth. taxatur.

Meminit Cam. in horto in genere Piſorum vulgarium & ſilueſtrium. Huc tandem quoque refero Tab. ic. & Hiſt. Piſum minus 2. Die kleine Feldt Erbſen, quamvis Compilator nihil certi de eo ſcribit. Tab notat.

Ex Piſis, paruis, albis Montbelgardi agri conſeruntur, vti etiam in horto Ill. E. C. Vlm Beffordia adhuc in horto in fine Auguſti. Apricis gaudet locis, autore Fuchſio, frigoris nimque impatientiſſimum. Tepidum itaque locum, & cœlum frequentis humoris deſiderat. Iunio & Iulio menſibus floret, & ſubinde etiam ſemina in valuulis profert. Locus & tempus.

## PISI PVLCHRA SPECIES folio anguloſo.



Piſi varietatem in horto Friderici Meieri, quem Argentinæ colit, collectam dedit D. Agerius. Cuius viticulæ, quàm vulgati multò teneriores, delicatioreſque apparent: ad foliorum origines *foliola* bina, lata, Aphaces Dod. foliis quodammodo æmulantia, obtuſiora, ima vtrimque parte anguloſa, & quaſi ferrata. In pediculis verò, qui in capreolos deſinunt, quaterna tantùm foliola hærent geminâ oppoſitione. Piſi vulgaris minora, plerumque etiam denticulata. *Flores* ſingulares tenuibus pediculis hærent quàm in his multò Locus. Deſcriptio.

minores, rubelli in ſicca planta: quibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ.

## PISA PARVA VIRIDIA.

PIſa viridia, minora, rotunda, eiuſdem valdè magnitudinis cum Piſis ex purpureo variegatis, ni minora, quaterna, vel quina vna in ſiliqua, coloris ex albo virentis, vnicoloria, demptâ eâ parte, quâ ſiliquæ adhærent, quæ pars nigricat, in foliis diſcrimen non animaduerto.

Piſi tertia ſpecies, Dod gall. fructu albo, aut viridi; interdum cinereo, aut nigricante. Græcè *Ochros. Eruilia.* ὤχρος Plin. Eruilia; Gal. *Pois*, Germ. Erweyſſen Belg. Erweten. Ital. *Rouiglione*, Venetis *Piſarelli*. *Rouiglione. Piſarelli.* Idem in fol. & Frum. Piſum minus, flores vt plurimùm candidi, aliquàndo tamen ex purpura obſcuri: ſemina vt plurimùm luteó, ſubinde virenti colore. *Ochron vnde.* Græci ὤχρον à luteo ochræ colore quem interior fructûs medullâ refert. Plinius & alii Latini auctores Eruiliam, Recentiores ac Officinæ paſſim Piſum, & Piſum minus nominant: *Piſum minus.* propter ſimilitudinem cum Piſo, licèt fructus rotundus, & non angulosus, quale, Plinio teſte, Piſum eſt. *Fructu rotundo.* Mirum Dod. in poſt. omittere Piſa alba, & alios colores. *Dodon. notatur.* Figura ſui Piſi minoris eſt cap. præcedenti ſub titulo Piſi maioris. In ſtum. hiſt. figuram eandem habet pro Piſo maiore & pro Piſo minore. Quid exiſtimem de Piſi figura, quam olim poſuit pro mediocri & minore Piſo, dictum ſub comoſo, quod non benè diſtinxit nec historiâ, nec figurâ à cæteris, quamuis minoribus magis conueniat.

*Piſum peregrinum.* Piſum peregrinum [ait *Cæſalp.*] & in Italia ſemen Piſeolo noſtro paruo in cæteris ſimile, ſed colore viridi etiam cùm perſectum eſt, diuque durat incorruptum. Piſeolus viridis appellatur: *Piſeolus viridis.* foliis paulò oblongioribus: floribus purpureis. Theoph. folium ei tribuit oblongius, Plinius eadem confirmat: frigoris impatientiſſimum, ideò in Italia non niſi verno tempore ſeritur. Serapio ait Oculum habere pupilla in albo nigra. Galenus Piſis ſubſtantiam tradit ſimilem Fabis. Aſt nos in noſtris Piſis viridibus, non animaduertimus folia paulò oblongiora, nec flores purpureos. quamobrem iterum diligentiùs erit conſideranda huius Piſi planta.

*Lobel notatur.* Lob. & Pena Adv. Obſ. & Ic. Pl. Piſum minus ex luteo vireſcens. Mirum non meminiſſe Lob. Piſi albi. Sui Piſi minoris figuram bis ponit hoc loco pro minore & antè pro maiore.

Piſa minora viridia mihi prouenere Montbelgardi ſatâ in horto Ill. E. C.

## PISA MINORA EX PVRPVREO variegata, Viciæ ſimilia.

*Deſcr.* PArua hæc ſunt, nec Viciis multò maiora, in quibus tamen puncta quædam ex cineritio purpurea conſpiciuntur, vt in viciis vulgaribus, à quibus ideò non ita facilè diſtingui poſſunt. Herba verò, caulis, vt ſiliquæ, multùm à Viciis vulgaribus differunt, quia anguſtiores, rotundiores, nec hirſutæ.

An Dod. gall. Piſum tertium colore interdum cineritio. An Matth. in Dioſc. cum mag. fig. Piſum minus cinereum & in Ital. *Seme beretino.*

*Locus.* Prouenêre mihi in horto Ill. E. C. etiam eodem loco culta, quo cætera Piſa & Vicia, eodemque etiam tempore matura.

## PISA MINORA, RVBRA, VARIEGATA.

IN agris cum aliis Piſis albis hoc Piſi genus non rarò ipſe collegi. Eſt autem formâ & colore maiori ſimile, flore purpureo, ſemine variegato.

TRAG. hiſt. germ. Das klein geſchlecht Faſeln. Quidam volunt Arabum *Mes*, aut *Almes* eſſe Piſum. In Auic. ſcriptum eſt *Meiſce*. In Serap. *Mes & Rouilie*, exiſtimo intellexiſſe die kleine braune, feldt Erweyſſen / aut noſtras Fabas germanicas aut tertium genus peregrinum Phaſiolorum. Et Hiſt. lat. Phaſiolorum ſecundum genus.

Camer. hort. Piſa rubra, Trago Phaſelus (minor.) *Phaſelus minor.*

## PISA MAGNA, RVBRA, VARIEGATA.



*Deſcr.* HOminem magnitudine multùm excedit hoc Piſi genus, *Flos.* *florem* fert purpureum in medio, & in latiori parte roſeum, in ſuperiore *Siliqua.* *ſiliquæ* magnæ, ſucculétæ; Piſa intus valdè magna, non rotunda, vt minora, ſed anguloſa, vel potius compreſſa, pulchri coloris, variegati ex rubedine & albedine, *Cortex.* cortice, craſſo vbi coquuntur, à Germanis magni fiunt in cibo.

Cam. hort. Piſa rubra, Italica, grandia, Phaſeolus Trago. Tab. 20. & Hiſt. Piſum quadratum *Piſum quadratum.* Plinii Faſel Erbſen. Trag. Hiſt. germ. Faſelen. Dioſc. lib. 2. cap. 99. φασίολος. Si quis etiam velit *Ciceres* non reluctabor. *Ciceres.* Idem in Hiſt. Lat. Phaſioli, Faſelen.

Paulus Phaſiolos, Dolichos cognominat. Dioſc. tamen ſi cognouiſſet Phaſiolos Dolichos quoque Græcis cognominari, ex Theoph. vtiquè & aliis id indicare potuiſſet. Exiſtimamus ergo Phaſiolos eſſe eos, quos Germani Faſelen vocant. Si quis tamen ad Cicera referat, cum eo minimè contenderim. Phaſioli differunt maximè in eo à Piſo maiori hortenſi in geniculis, qui inter folia & ramulos viſuntur non planè purpurei apparent, quod in nullo Piſorum genere deprehendas: flores non albi, vt in Piſis, ſed in anteriore quidem ſui parte roſei coloris, in poſteriore verò purpuræ ſaturatæ: ſemina habent *rotundos angulos*: alia quidem ſpadicea: nam plura eorum ſunt genera. Tragus pro Phaſeolis exhibet figuram, quam pro Piſo quoque ponit.

Lob. & Pena. Adu. Piſum anguloſum hortorum, quadratum Plinii, ſemine ferrugineo, & ruſſo colore, videntur anguloſa Plinii Piſa. Obſ. πίσον. An Piſum anguloſum hortorum, ſit quadratum Plinii? Piſum maius Dod. Perperàm Cicer arietinum Tragi. Hiſp. *Arueias.*

Lobel. non diſtinguit Piſa, vt Tragus, nec diſtinctè

ſtinctè de Piſis ſcribit. Figura, quam habet, eſt pagina ſequenti pro Piſo minore.

Lonicer. confundit hoc Piſi genus cum Phaſiolo Italorum.

Dod. gall. Huius Piſi mentionem facere videtur. Item de frument. & in fol. vbi figura cum inſcriptione: *Piſi maioris alta icon.* Sed iam oſtenſum Dodonæum non exactè diſtinguere Piſa maiora.

Piſa magna rubra variegata colimus in horto Ill. E.C. Montbelgardi, colunt etiam alij. Baſileæ & Geneuæ vidi. Montbelgardi Iulio matura quidem, & Auguſto adhuc florentia.

## PISA MAIORA, ALBA.



Piſa alba maxima, Piſis vulgaribus ſunt ſimilia, flore nunc purpureo, nunc albo: ſemina quidem alba, non autè ita anguloſa, ſiue compreſſa vt illa: maiora quàm ſint Piſa comoſa, nec ita rotunda.

Fuchſ. hiſt. Piſum alterum germ. Groß garten Erweiſſen. Item Ic. Piſum maius, Groß Erbs, Fuchſ. non ſcribit an cultum intelligit: ſi illud curauit depingendum, quod ſuſpicor, non placet quod in generali deſcriptione Piſi dicit, florem circa vmbilicum purpureum: non enim omnia Piſorum genera partem habent purpuream.

Lob. & Pena Adu. Piſum vulgatius maius. germ. Erweiſſen / Angl. Peaſe Stock Erwitten. E quadam vrbe Piſa inter Aſiam & Olympum montes ſita Piſum allatum, & dictum volunt, græcè λέκυθον quaſi dicas oui vitellum: flore effigie Papilionis, albicante, ſui medio purpureo: quibuſdam Germaniæ locis ſponte germinant. An Lob. benè diſtinguat Piſa, iudicent lectores. Piſum maius album nihil habet in floris ſui medio purpurei: optarim etiam annotatum locum Germaniæ vbi ſponte proueniat. Ic. Plant. Piſum vulg. maius.

Dod. gall. *Pois ramiers*: gall. πίσον & λέκυθος, Piſum. Brabant. Groote Erwten / Roomſche Erwten / quibuſdam Stock Erweten: hæc ſpecies verum Piſum deſcriptum à Plinio & Antiquis: in hiſt. frug. oſtendit, non eſſe Faſelum aut Dolichum. Flores purpurei: ſemina ſicca, anguloſa & cinerea [*gris*.] Figura, quam Dod. ponit, eſt Fuchſiana, nec mihi videtur bene deſcribere, neque diſtinguere Piſa maiora: quanquam in Hiſt. gall. potiſſimùm tradere videatur, Piſa maiora, varia. Idem in Hiſt. lat. frug. & in fol. Noſtri, inquit, vulgò Roomſche Erwiten & Groote Erwiten / aut Stock Erwiten appellant, ac Latinè Piſum Romanum, aut maius. Theophraſtus & alii Veteres Græcè πίσον, Latinè Piſum. Plærique etiam λέκυθον, ſed parum propriè. Lecythos ſiquidem non peculiare aliquod legumen, aut frugis genus, ſed pulmentarium ex leguminum farinis eſt, vti Gal. lib. de Euchymia & Cacochymia teſtatur. *Hæc Dod.* cui flos candidus cum purpurea nota circa vmbelicum. Apparet Dodonæo non bene notas differentias maiorum Piſorum ex deſcriptione: pro maiore figuram habet Piſi minoris Lobelii, quanquam apud Lobelium etiam poſita ſit pro maiore: ea ponenda erat capite ſequenti, vbi figura maioris Piſi non bene poſita pro Piſo minore. Addit præterea Dodonæus aliam figuram cum inſcriptione: *Piſi maioris alta icon*, quæ conuenit cum Piſo vario minore.

Tab. icon. & Hiſt. Piſum minus 1. Klein Erbſen. Quam Tab. compilator ponat ſuo more indiſtinctè figuram ſub prædictis titulis ſine deſcriptione, quò referam neſcio, niſi hoc loco ponam.

Lonicerus quoque huius Piſi meminit, non tamen deſcribit, picturam tantùm ponit.

Matth. pluribus in locis de hoc agit. In com. in Dioſc. cum mag. fig. Piſum maius. Piſum rotundo & candido ſemine: flore papilionis figura, circa vmbilicum purpureo. Idem in Ital. com. cum mag. figuris. *Piſelli maggiori*, i.e. Piſa maiora: fructu albo, flore in quibuſdam albo, in aliis purpureo. Item in Epit. cum add. Cam. Piſum; Græcis πίσον; Ital. *Piſello* & *Biſo*. Alterum maius ſemine rotundo & candido. Flores vmbilico tenus purpurei & quandoque in vniuerſum candidi. Tandem Hiſt. germ. Piſum maius flore cœruleo [*leibfarb*] aut albo: errant qui Cicer Arietinum volunt, Groß garten Erbeyſſen. Nec Matth. videtur bene diſtinguere Piſa: maius ſemine candido, nihil habet purpurei in flore.

Piſa alba maxima Baſileæ, Geneuæ, Montbelgardique vidi Iulio matura, ea habemus in horto Ill. E.C.

## PISVM ERECTIVS COMOSVM.

Erectius vulgari Piſo, caule firmiore, craſſiore, potiſſimùm parte ſuperiore, ſtriato, inani, ſuâ vi aſſurgit: ex intervallis foliorum alas, coſtà mediâ, cui annectutur, in tortiles capreolos abeunte, producès, ſed nullo flore, nullo fructu, præterquam in ſummo caulis faſtigio, quod floribus albis, numeroſis, in orbem poſitis denſè ſtipatur, quos ſiliquæ vulgato ſatiuo exædem radiatà ſerie comantes, excipiunt, geminæ, aut tergeminæ eidem pediculo appenſæ. Piſa continentes alba, ſatiuis vulgatis minora paulò, orbicutata, ad arveñſia accedentia: permiſtis pinnatis foliis, quàm in reliquo caule minoribus, radix fibroſa vt in cæteris.

Camer. hort. Piſa atro-carpa. Compilator Tabern. Ic. & Hiſt. ponit figuram ſine deſcriptione, hoc titulo: *Piſum proliferum.* Büſch Erbſen.

Iconé Tabern. aſſumpſit C. Bauh. apud Matth. pro Piſo maiore, quod non placet.

Trag. Piſorum genus Klotz Erweiſſen & Pfalz floribus albis. Dod. gall. Piſum 2. flores plærumque albi: fructus rotundus, etiam ſiccus. Dodonæus videtur innominato Trago, ex eo ſuum genus ſecundum facere: figura, quam ponit nomine Ochris ex Eruilia *Pois moyens & petits*, huic plantæ non conuenit, ſed potiùs minori: An Piſum comoſum, flores alterius coloris habeat, præterquam albi, neſcio. Dodonæo non fuiſſe notum hoc Piſum, & noluiſſe citare Tragum, ſatis demonſtrat omiſſum in poſtremis hoc Piſi genus.

ſcriptis. Verùm alienis ſe ornare plumis, hoc ei commune.

Locus & tempus. Piſum, quod comoſum voco, antehac mihi non viſum, Stutgardia miſſum, & à me in horto Principis plantarum, ad altitudinem hominis non excreuit, maturuit cum cæteris Iulio. Anno 1594. miſſa per D.D. Schwartz / cum hac inſcriptione: Piſa magna, quorum plures ſiliquæ vno pediculo, ſeu caudice continentur. Sata Aprili floruerunt Iunio

## PISA SINE TVNICIS DVRIORIBVS IN SILIQVA MAGNA ALBA.

Deſc. Piſum album ramoſum in magnam altitudinem excreſcit, ſiliquæ albæ magnæ, ſine duriori tunicâ, totæ mandi poſſunt. In cæteris vulgari Piſo correſpondet.

Cam. hort. Piſa leptoloba, quæ ſimul cum folliculis comeduntur, cuiuſmodi Lohel. memorat è Vilda Lituaniæ oppido allata.

Locus. Habui ego in Sultz vrbe Alſatiæ ex horto nobilis viri à Pfaffenlap munere vxoris eius Claræ à Rinack, quæ in horto Ill. E.C. ſata prouenerunt Montbelgardi ſæpiùs, ac aliis in hortis.

Vires & vſus. De Piſo maiore anguloſo, aliàs ſordido, agens Dod. has ei facultates aſſignat. Piſum veluti Hipp. tradit, minùs Fabis inflat, per aluum autem magis ſecedit. Galenus, Piſa cum Fabis totâ ſubſtantiâ quandam habent, inquit, ſimilitudinem, eodemque cum Fabis modo ſumuntur: his duabus tamen rebus ab eis diſcrepant, tum quòd non ęquè ac Fabę ſunt flatulenta, tum etiam quòd detergendi facultatem non habent: ideoque ſegniùs quàm illæ per aluum ſecedunt. Idē de Piſo minore, colore luteo ſubinde virente: Facultate & viribus Piſum iſtud Faſelo ſimile eſt, nullam effectricem qualitatem inſignem habet, & medium quodammodo locum obtinet inter ea, quæ boni ac praui ſunt ſucci: multùm ac parùm nutriunt: facilè ac difficilè concoquuntur: tardè & citò deſcendunt: flatulenta ſunt ac flatûs experta, veluti Galenus lib. de aliment. facult. de his, &

Cutis vitia. Faſelis ſcriptum reliquit. Mart. Rulandus in Balnear. lib. 1. claſſe 3. cap. 1. ad ſcabiem, lepram, vicera, & omnia cutis vitia, balneo vtitur ſæpiùs experto, ex Piſis cum foliis Quercûs in aqua fluuiali decoctis. Idem eiuſdem operis. lib. 1. claſſe 3.

Achora. cap. 4. ad achoras, ℞. Piſor. Miiii. decoq. in ſ.q. aquæ: horum iuri admiſcetur tantundem lixiuii fortis, & facta ebullitione reſeruetur vſui. Caput eo lauetur quotidie ante cibum, & mox ſiccetur. Sunt, qui ſcribunt, autore Matthiolo, Piſorum iure hauſto purgari puerperas, & lactis copiá augeri, auriginoſos ſanari, & aquæ intercuti ſuccurri. Sed procul dubio decipiuntur, quòd hęc haud poſſit præſtare, quòd refrigeret & ſiccet. Verùm errandi anſam cæteris præbuit Tragus, quippe qui perperam putarit Piſum Cicer eſſe arietinum. Errorem hunc debent diligenter vitare, qui ſuis puerperis Piſorum ius propinant: quin etiam iis, qui ſumpſerunt purgatiuum medicamentum extergendi ventriculi gratia. Nulla enim Piſis ineſt abſterſoria facultas, vt docet Galenus. Idcirco Piſa dimittantur (inquit Saxon.) & in eorum locum Cicer, Faba, Lupini, aliaque id genus abſterſoria addant Poloni in balneis ad Plicam tollendam.

Trag. repr. In Germania, teſte Trago, nullum in culinis frequentius legumen habetur Piſis, tam diuitibus, quàm pauperibus familiare: cum radice Petroſelini decoctum, in cibo puerperis vtiliſſimum eſt: nam eo iure per vrinam ſuperflua multa purgantur, præſertim ſi decoctioni Macis & Roſmarini quid adiiciatur. Adfert quoque lactis copiam, vnde facilè colligi poteſt, Piſa, boni [vt vocant] nutrimenti eſſe. Breuiter citra periculum in omnibus ferè morbis iure decocti vti poſſumus, neque hîc curo, quid alii aſſeuerent, aut negent. Horſtius ad dyſenteriam peſtilentialem ſcribit Piſa [Erbſen] nocua: cæterùm, inquit Schola Salernitana de Piſis,

*Sunt inflatiua cum pellibus atque nociua,*
*Pellibus ablatis, ſunt bona Piſa ſatis.*

Turnerus tandem omnibus, quotquot ventriculum, aut lienem habent flatibus obnoxium, nimium Piſorum vſum, quacunque ratione præpaparatorum eſſe fugiendum ſuadet, niſi addatur Aniſum, aut Cyminum, aut Mentha, aut aliud aliquid ἄζυγον. Coqui igitur puluerem Menthæ pulti Piſorum addant. Noxa.

## PISVM GVINEÆ ALBVM, ſiue Cicer.



Deſcript. Ex his alia, Ciceribus & Piſis noſtratibus paria, alia maiora, omnia ex rotundo nonnihil oblóga, læui nitidaque ſuperficie, vnicolori, flaueſcente, niſi quòd germen album, zonulâque modò obliqua, modò, recta, latior, nunc anguſtior dilutiùs flaueſcit. Sapor idem qui noſtratibus Piſis, quemadmodum & conſiſtentia.

Idem Piſum adhuc ſiliquæ ſuæ incluſum dono accepimus ab Illuſtriſſ. Duciſſa Wirtembergica. Magnitudinem ſiliquæ, quæ minus Piſum continet, ſua proportionali magnitudine docet pictura. Maiores habet Ill. Principiſſa. Cæterùm ſingula ſiliqua ſingula continet Piſa. Siliqua autem non dura eſt, ſed qualis ferè cæterarum, per ambitum compreſſior, & velut criſtata, colore extrinſecus ex ruffo & flauo mixto & variegato: extrinſecus ſcabra, intus læuis. Iſta Piſa miſit Cl. Paludanus Ill. C. prædictæ, nomine Phaſeoli Guineæ, nobis verò anno 1598. titulo, Cicerum Indicorum. Phaſeoli Guineæ. Ciceres Indici.

Tertius lobus (inquit Cluſ. Exot. lib. 3. cap. 16.) paucis ab hinc annis ex Guinea inferri cæpit ab Hollandis & Zelandis, qui exercendi mercimonii gratiâ illuc commeant: Illum autem Ciceris genus eſſe arbitratur Cluſius, eam ob cauſam Cicer Nigritarum appellabat. A variis porrò ipſi communicabatur, à Cl. V. Paludano videlicet, Wilhelmo Parduyn, & Franciſco Pennino. Erant autem hi lobi parui, ſemuncialem magnitudinem no-

non excedentes, tumidi: mucrone, hami penè inſtar, incuruo: rugoſi foris, & ex ſpadicco fuſci coloris, internè candicantis, & læues: eos vnicum ſemen continere obſeruabat, quaſi orbiculare, minoris Piſi modo, non vnius tamen coloris, nam vel prorſus album, vel omninò nigrum, vel rubens, vel interdum etiam ποικίλον, ex albo & rubro variè diſtinctum. C. Cluſii.

## PISVM BRASILIANVM FLAVESCENS area fuſca germen cingente.



...ſcriptio. PIſo Guineæ perſimile, magnitudine par, aut etiam maius, itidem ex rotundo oblongum, cortice flaueſcēte: verùm Braſiliano huic germē candidum maius eſt, figura ouata, cuius circumſcriptionē cingit vndique area latiuſcula coloris fuſci. A germinis verò parte vna per vniuerſum fructûs ambitum zona quædam candicans apparet, manifeſtum diuiſi Piſi, ſicut noſtratis, argumentum.

...olus ...ian. Indi- Phaſioli Braſiliani nomine miſit D. Paludanus ad Ill. E. Comitiſſam, ex cuius ego dono habui. Idem miſit anno 1598. nomine Ciceris Indici.

## PISVM BRASILIANVM PHOENICEVM & nigrum.

...iptio. A Cl. Paludano hoc nobis eſt, Ciceris Indici nomine: Piſo Braſiliano magnitudine ſuppar, Ciceri æquale, aliàs ferè phœniceo, aliàs nigricante læuore conſpicuum, non tamen rotundum, ſed anguloſum: hilo candido, fuſca area circumſepto, à quo vtrinque elauata quædam extenditur coſta, fructui concolor. Hoc idem nobis miſſum Stutgardia, per Ill. noſtram Principiſſam D. Sibillam Anhaltinam, Duciſſam Wirtemberg. & per hortulanum Ill. C. W. pro Faba Ægyptia duorum colorum: phœnicei, & nigri. Gener Cherlerus rediens ex Anglia & Belgio anno 1605. attulit coloris phœnicei & rubri, iniecta in aquam fundum petierunt: dentibus facilè confringuntur: nucleus albus in duas partes finditur: ſapor noſtrorum Piſorum.

*Eicon cum præced. habetur.*

## PISVM INDICVM VARIEgatum.



MAgnitudine noſtrum Piſum maius variegatum æquat, verùm rotundius paullò eſt, colore ex rubro & albo variegato, alba maximè area circa vmbilicum exiſtente: qui magnus ſatis ac penè fuſcus, cuius partem oppoſitam rubram ſtriæ albæ peruadunt. Color.

*Eicon eadem cum ea quæ lib. III. cap. LII.*

## PISVM INDICVM QVODDAM rotundum, fuſcum.

IAm deſcripto Piſo paullò maius eſt, orbiculatius, & à perfecta rotunditate non ita multùm abſcedens: colore obſcuriore, & propè fuſco, obſcurè maculatum, ſummotenus area albicante inſignitum. Viſus ac depictus apud clementiſſimam meam Duciſſam Wirtemb. Color.

## PISVM INDICVM MAIVS NIGRVM

PIſi Indici magni genus ab Ill. Duciſſa Wirtembergica datum, Piſo vulgato duplo maius eſt, penè orbiculatum, nigrum, parte quà vmbilicatus eſt, compreſsâ, per cuius medium coſta elatior deſcendit.

## PISVM INDICVM VMBILICO eminente.

PIſum Indicum quoddam eſſe facies arguit & figura: cicere paulò maius eſt, ſed orbiculatius, coloris pulli obſoleti, maculis ſubcinereis, aut candicantibus diſtinctum. Vmbilicus parte ſuperiori eminet, quod in aliis Piſis non obſeruatur. Etiam huius vſuram & picturam impertiuit Ill. Celſ. V virtembergica. Huius vt & trium immediatè præcedentium Icones habentur antè, ſub titulo, *Piſum Braſilianum flaueſcens*, &c. Et *Piſum Indic. variegatum.*

## PISA INDICA FOLIIS LONGIVSCVLIS

PIſi Indici pictura ex viua planta à nobis exprimitur. Hoc neque Piſorum cæterorum, nec etiam Phaſiolorum modo excreſcit, ſed folia profert multa, terna, longiuſcula, magna & parua, ex longis pediculis hærentia: Floſculi mini,



miiuxta foliorũ principia: ſapor manifeſtus nullus.

Piſa Indica anno 1608. ſata Italia menſe Iunio erant, qualia icone in præſens exprimimus.

## LATHYRVS SIVE CICERcula in genere.

### Cap. IX.

*Folia. Caulis. Vermes.* LEguminũ folia, vt ſcribit Theoph. alia oblongiora ſunt, vt Lathyri [ciccerculæ,] caulis verò humi procidens. Huic & vermes innaſcuntur, quum priuſquam fuerint reſiccatæ dies interim feruidi acceſſerint.

*Subſtantia. Locus.* Lathyrus (cicercula) inquit Gal. ſubſtantiâ quidem Ochris [Eruilis] & Phaſelis eſt aſſimilis. Vtuntur autem his, vt plurimùm in noſtra Aſia ruſtici, & potiſſimùm in Myſia & Phrygia, non modò quemadmodum in Alexandria, & aliis plæriſque vrbibus; Ochtis [Eruilis,] & Phaſelis, ſed etiam, vt phacoptiſanã parantes. *Vſus & facultates.* Succum autem habent Phaſelis & Ochris [Eruilis] facultatibus quidem conſimilem, ſed conſiſtentia craſſiorem. Ob eamque ipſam cauſam plùs aliquantò, quàm illa nutriunt. Aracos ſemen eſt Lathyro [cicerculæ] ſemini conſimile, fueruntque nonnulli, qui putarũt ipſum non eſſe generis à Lathyro (cicercula) diuerſi, quandoquidem & vſus ipſius, & facultas Lathyri (cicerculę) facultati eſt adſimilis, niſi quòd Araci duriores. Sunt quoque qui Phaſelũ eundẽ cum Lathyro [cicercula] eſſe dicant: alii ipſius ſpeciem. *Lathyri non meminit Diocles niſi nomine Ochri.* Diocles Ochri [Eruiliæ] & Lentis, & Ciceris, & Orobi mentionem faciens, Lathyri [cicerculæ] nomẽ prætermittit. Dicere quis poſſit Ochros, Lathyros, Phaſelos, vnũ eſſe genus, verùm pluribus nominibus appellari. Eſt & cicercula, autore Plinio, minuti ciceris, inæqualis, anguloſi, velut Piſum. Cicercula etiamnũ magis in aluo proficit. Cicercula, ait Columella, quæ Piſo ſimilis eſt, menſe Ianuario, aut Februario ſeri debet, læto ſolo, cæloque humido.

*Cicercula. Cicer. Lathyrus. Plinii err.* Cicerculam, inquit Cornarius, Columellæ Plinius quaſi tertiam ciceris ſpeciem recenſet, quòd illi ſuum eſſe ſinimus. Namre vera cicercula eſt, quæ λάθυρος Græcis dicitur: cicerculam inſuper cicer dixit, & duas res diuerſas confudit.

Cæterùm, *cicercula* diminutiuum videtur à *cicera*, non *cicere*, alioqui diceretur *cicerculum.*

* * * *

* *

## LATHYRI MAIORIS SPECIES flore rubente, & albido minore, dumetorum, ſiue germanicum.



GErmanicæ Lathyro longiſſima ſunt flagella, adcubitos aliquot porrecta, anguloſa, & membranulis aucta, in varios ramos diuiſa: *Deſcrip* *folia* ex pediculis palmo longioribus, longa, venoſa, & acuta, bina iuncta pediculo, inter vtrumque in capreolos abeunte, proxima fulcra amplexuros, *Folia.* *flores* longis hærent pediculis, Piſorum æmuli, rubentes, minores quàm Narbonenſis Lathyri: *Flores.* *ſiliquæ* rubiæ, anguſtæ, penè rotundæ, grana continent minora quàm Viciæ ſatiuæ, quædam oblonga in Lathyride, ſiue cataputia minore, nigricantia, rugoſa nonnihil & maculoſa. *Semen.* *Hilus* mediam partem ſeminis occupat: *ſapor* leguminoſus: *radix* ſubeſt perennis, longa, digito craſſior, ſingulis annis germinans. Eadem eſt, ni fallor, quam reperi, colore partim albo, ac nonnihil ex luteo pallido.

Trag. in hiſt. lat. pingit ſub titulo Kötchern/ non tamen benè ſimpliciter ponitur, videtur enim tradi ab illo in hiſt. germ. ſub titulo Piſi ſilu. wilde Köchern & Vogels wickhen, breuiter nimis deſcribens, dicit: Recentiores legumen, quod nos Piſum Græcorum interpretati ſumus, Eruum & Orobum non ſine errore nuncupant.

Apud Fuchſium eadem icon eſt ſub his nominibus Erui ruſſi, & ſilueſtris Orobi, gall. *Veſſe noire, Ers.* Ex deſcriptione autem Fuchſii, quæ ferè nulla, non poſſum iudicare quam intelligat plantam, *Orobus.* non diſtinguit ſuum ſatiuum Eruum à ſilueſtri, niſi colore ſeminis. *Icon*, quam ex Fuchſio repræſentamus, benè conuenit cum noſtro Lathyro germanico, à nobis iam deſcripto. *Icon.*

An Eruum Gulandini, quod *Mochum* in Italia nuncupari ſentit? ſed plantam, quam Matth. pro Eruo ex Fuchſio ſupponit, Mochum eſſe pernegat. *Mochum.* *Mochum* Etuum eſſe verè dicit Matth. interim tamen Mochum ignotam ſibi plantam ſtatuit, quando non Mochum, ſed vagam aliam ſtirpem pro Eruo pictura exprimit.

Apud Cordum in Hiſt. non benè ponitur icon ex Trago, pro Phaſeolo ipſius Cordi.

Eruum officinis, inquit Matthiolus, Orobus Græcis, vulgò *Mocho*, Arabibus *Herbum, Keiſene,* ſiue *Kerſene*, Italis *Eruo*, Germ. Erwen, Hiſp. *Iernos*, Gall. *Ers.* *Herbum. Locus.* Eruum frequentiſſimum in Hetruria naſcitur, ac ſeritur. Figura Matth. non malè conuenit cum Lathyro magno, flore minore germanico, vel cum Lathyro maiore anguſtifolio flore maiore. An deſcriptio competat iconi conſiderandum. In poſtremis com. ſuam omiſit effigiem, relinquens verba, quæ poſuerat, & aliam ſurrogans nomine Climeni latiore folio.

Dodon.

Dodon. vocat Lathyrum ſilueſtrem, florihus rubentibus, negatque eſſe Eruum quod perperam plerique aliquando crediderint. *Loniceri* deſcriptio non placet, videturque Lathyri ſpecies conſundere, dicens: Kichern, Græcis Lathyros, Latinis cicercula, aut Piſum Græcorum,

An Lobel. & Penæ ſit Cicercula altera conſiderandum: an Phaſeolus Dioſc. Nonnulli Phaſeolum ſuſpicati ſunt. Ego, vt verum fatear, Lobelium non intelligo, hæc deſcriptio videtur poſſe conuenire cum Lathyro Narbonenſi, nec demonſtrat qua in re differat à ſua Lathyride Narbonenſi quam negligenter deſcribit, non demonſtrans flores.

An Camer. horti, Lathyrus ſilueſtris alius anguſtifolius, de quo ſub Lathyro maiori flore.

Hiſt. Lugd. Lathyrus ſatiuus anguſtifolius, quem Erui nomine depinxerat Matth. priore commentariorum in Dioſcoridem editione, id eſt, in hoc genere, quod latioribus eſt foliis Matth. Clymenum eſſe vult, Cord. Eruum ſatiuum, Trag. Piſum Græcorum. Et Lathyrus ſilu. Dodon. Eruum ſatiuum Fuchſii: flores rubeſcunt: ſemen vt in Lathyro ſatiuo cõpreſſum, inęquales habet angulos, verùm minus eſt, & durius, & colore in atrum degenerante. Malè aſſumpſit Hiſt. Lugd. pro ſuo Lathyro iconem Matthioli, cui non ſunt ſiliquæ latæ: abſque iudicio præterea dicit Lathyrum ſilueſtrem Dodonæi eſſe Eruum ſatiuum Fuchſii. Piſum Græcorum Tragi non eſt Clymenum Matthioli, ſed Lathyrus anguloſo ſemine, cuius figuram non habet Tragus.

Cluſ. in Pannon. Clymenum Matth. ſiue Lathyrus Dodonæi, vel Eruum ſatiuum Cordi. Item Hiſt. Lathyrus ſilu. Dodon. Clymenum Matth. Eius duo genera latifolium & anguſtifolium. Lathyrus Dodonæi, noſtro quidem iudicio, diuerſa eſt à clymeno Matthioli, quamuis eius ſit ſpecies. Eruum ſatiuum Cordo eſſe non poteſt, diuerſum indicante ipſa voce ſatiuum. Icon quidem, quæ appoſita eſt Cordi Phaſiolo, eſt eius plantæ, quam intelligit Cluſius pro Lathyro Dodonæi, ni fallor, quamquam icon in poſt. Hiſt. Exot. non ſit huius Lathyri, ſed clymeni Matth. Lathyrus igitur anguſtifolius Cluſii, eſt noſter germanicus, de quo hoc loco agimus.

Eruilium, Cæſalp. loquitur, quod vulgò *Rubiliam* vocant, tanquam Piſeolus ſilueſtris eſt: venduntur que eius grana recentia, aliquando pro Piſeolis: deprehenduntur autem, quoniam decoctione ruffeſcunt, & duriores permanent: cùm perfecta ſunt, nigra redduntur, ſed decorticata, pallida ſunt: gracilior eorum ſiliqua: folio conſtat bipartito, anguſto, digitali fermè longitudine, medio capreolo, flore purpureo, qui geminus in longo pediculo eſt: caules fert Piſeolo ſimiles: oritur ſponte inter ſegetes. Quoddam genus in ſiluis naſcitur, pluribus in eodem pediculo floribus, roſeis: ſiliquis tenuibus, nigris. Plinius modò Eruilium, modò Eruiliam vocat. Theodorus Eruilium vertit id, quod Theophraſto Ochros vocatur, quamuis aliquando ciceram vertat, quaſi putauerit idem eſſe, Eruilium, & ciceram, & Ochrum. De Ochro Theoph. & Gal. De cicera mentio eſt apud Columellam, qui pabuli potiùs generibus, quàm leguminibus eam adnumerari teſtantur: nam bubus datur Erui modo. *Hæc Cæſalp.* Sed, vt verum fatear, nondum aſſerere poſſum, de quibus plantis ſcribat: Lectores igitur conſiderent, an fortè intelligat Lathyrum noſtrum maiorem germ. & Narbonenſem.

Eruilia, autore Anguill. hodie & Antiquis dicta ὤχρος. Hodie in Italia Bononienſibus *Rouioti*, Patauii *Erbeggia*. Aſt perquirendum quæ planta dicatur Bononienſibus *Rouioti*, *& Patauii Erbeggia*, & an conueniat noſtro Lathyro magno, Germ. vel Narbonenſi.

Lathyri maioris ſpeciem flore rubente Montbelgardi habui in horto Ill. E.C. à me ſatam: prouenit copioſè in dumetis inter *Chaſtenoy* & lapidem limitum Month. viâ verſus *Charmont*, & in monte vitium *la Chaux*: aues ſemina perquirunt & ſiliquas perforant, vt ea deuorent: abundat etiam circa Beffordiæ caſtellum in ſepibus, præterea inter *Mendiere & L'Iſle*. Inueni aliquando vno miliari à Baſilea prope Krenzach/in monte Marchionum Badenſium menſe Auguſto cum ſiliquis & floribus prope *Morimont* in vitium colle, quem deſerunt, abundabat menſe Auguſto ſiliquis ferè maturis in dumetis. Inter Colmariam & Poluueiler anno 1595. 9. Iulii. Prope *Than*, menſe Auguſto obſeruaui cum flore ſuo rubente eodem anno: Iulii 4. inter Colmariam & Sleſtadium obſeruaui Lathyri magni ſpeciem à præcedente non differentem, quod adhuc animaduerterim, niſi florum colore albo: cæterùm in aruis & inter dumeta prouenit, inquit Fuchſ. Læto, ait Dodon. pinguique agro circa eorundem margines prope ſepes, dumos, ac ſenticeta enaſcitur, quæ capreolo ſuo apprehendens conſcendit & ſuperat. *Locus & Tempus.*

LATHYRVS MAIOR LATIfolia, flore maiore purpureo; ciosior.



NOſtrati ſiue german. Lathyro omnihus partibus ſpecioſior, membraneis alis, venoſis, ſecundum caules prolixos aptis: *folia* bina, nerioſa, rigidiora, in obtuſum mucronem deſinentia, vnciã circiter lata, pediculo mẽbraneo in cirros faceſſentè adnectuntur: *flores* ſingulari appendice, dodrantali interdum, nituntur, multi iuncti, magni, purpurei, & colore grato, quos ſequuntur *ſiliquæ*, vncias tres longæ, aut etiam maiores, vix ſemunciam latæ, nonnihil compreſſæ. *Folia. Flores. Siliquæ.*

Matthiolo in Dioſc. clymenum dicitur, licèt quæ planta ſit clymenum in Italia nondum potuerit inueſtigare: proponit tamen figuram plantæ, quam D. Cortuſus ei miſit, quæ ſatis repræſentare videtur Lathyrum maiorem, latifoliam, abſque tamen vlla deſcriptione. *Clymenum.*

Lathyris Narbonenſis (aiunt Lobel. & Pena Adu.) latiore folio, valde veriſimile eſt, à Lathyridis cataputiæ granis, quæ Orobinis ſimilia Dioſc. dicit, nomen factum. In Narbonenſi agro fre- *Cataputiæ grana.*

quentior erumpit ea, cui latiora, ſupernè acuta, bina, neruoſa, per interualla oriuntur folia, ſitu & æmulatione auricularũ lepuſculi arrectarum, aut Bupleuri Herbariorum. Item Obſ. Lathyris Narbonenſis latiore folio, Anglis Eichelinge/ clymenum Matthioli, Eruum ſatiuum cordi, Piſum Græcorum Tragi, Adu. 398. Ic. Plant. Lathyrus latiore folio. Figura Lobelii meliùs conuenit cum Lathyro maiore, anguſtiore folio. Piſum Græcorum Tragi, quod deſcriptionem attinet, differt à Lathyro Narbonenſi, vti etiam figura Lathyri germanici. Eruum Cordi ſatiuum, eſt Lathyrus ſatiua, non clymenum Matthioli, nec Piſum Græcorum Tragi, quod antè monuimus. Lobel. nimis obiter hanc plantam deſcribit, nec demonſtrauit diſcrimen inter hanc & Lathyridem ſuam, & ciceruculam ſecundam, Nec placet quòd Lathyridem hanc, non potiùs Lathyrum vocet; Lathyris enim dicitur de catapucia minore officinarum.

*Lobel. notatur.*

An Thalio Lathyrus ſilu. maior, ſeu purpureus, caulibus quadratis. Hiſt. Lugd. Lathyrus ſatiuus latifolius: Clymenum Matthioli. Camer. horti, Lathyrus ſilu. latifolius, Clymenum Matth. flos dilutè rubellus, imprimis elegans eſt. Planta ipſis pedamentis fulta, ſatis altè ſurgit, ideoque topiario operi commoda eſt. Cluſ. Pannon. clymenum Matth. ſiue Lathyrus Dodonæi. Item hiſt. Lathyrus ſilu. Dod. clymenum Matth. duo genera, vnum latifolium. Sed diximus antè Lathyrum ſilu. Dod. diuerſum à clymeno Matth. Icon ab eo propoſita, eadem eſt cum Lobeliana. Verùm per genus Lathyri latifolii ego intelligo clymenum Matthioli.

*Cultura.* *Claſ. not.*

Scribit Pona in deſcript. montis Baldi, Eruum ſatiuum Cordi, Piſum Græcorum Trago. Matthiolus pro clymeno pingit, nos autem dicimus tres diuerſas plantas.

*Clymenum Matth.* *C. Bauh. not.*

Gaſp. Bauh. apud Matth. clymenum Matth. Lathyrus, ſiue cicercula Dod. Lathyrus latifolius ſilu. Lugd. cicercula Cæſalpino. Ego aliter quàm frater C. Bauh. ſentio: ſeparo enim Dodonæi Lathyrum à clymeno Matthioli. Cicercula Ceſalpini eſſe nón poteſt, quod ſatis demonſtrat deſcriptio: tribuit enim ei ſiliquam latam & breuem, ſemen album, quæ non competunt clymeno Matthioli.

Locus & Tempus.

Lathyrus maior, purpureus, repertus à nobis verno tempore in itinere Monſpelio verſus *Peroux* in ſepibus, inter Valentiam & Viennam in agris. Florentem inſuper vidi Argentinæ in horto D. Friderici Meieri Iulio, & Auguſto, & Septembri. Iac. Gargillus Scotus miſit mihi ex Anglia eam, cui latiora folia, cum hac inſcriptione: *cicercula purpurea maxima Anglica.*

## LATHYRVS MAIOR NARbonenſis anguſtifolius.

Locus. Deſcriptio. *Icon.* *Flores.*

HAnc Lathyri ſpeciem cum longioribus & anguſtioribus foliis, Monſpelii obſeruaui, vnde etiam ſimilem attulit Gen. Cherlerus p. m. *Folia* huic ſunt bina cum capreolo in medio bifido, vt in latifolio, folia ad originem pediculi foliati & laciniati quaterna, quorum duo maiora, & alia minora duo, quæ minùs fœliciter in noſtra icone expreſſa: *flores* magni, ex longo pediculo, latifolio ſimiles figura, & flore purpureo.



Camer. horti, *Lathyrus alius anguſtifolius* à priore tantùm hac nota diſcrepans, & facillimè Hiemis ſæuitiam tolerans.

## LATHYRI SPECIES LVTEA.

Locu. temp. *Seme.* *Flore.* *Folia*

LAthyri quædam ſpecies nobis viſa fuit primùm anno 1608. florens Iulio in horto D. Friderici Meieri, cuius ſemen ei miſſum fuerat pro ſegetum ſemine. Similis alioqui Lathyro ſilu. Narbonenſium flore rubente, vel albo, folia enim habet bina, longa, ex quorum medio capreolus in aliquot partes ſupernè diuiſus prodiit, floſculus luteus diuerſus à noſtrate Lathyro ſilueſtri luteo dumetorum, cui flores ſunt ſimul in vno pediculo iuncti: folia etiam ſunt minora, & tota planta multò maior, ramoſiorque, quatenus hucuſque obſeruare potuimus.

## LATHYRVS LVTEVS SILV. DVmetorum.



Deſ. *Rad.* *Fol.* *Flor.* *Sem.*

EX radice repente, angulosis fiſtuloſiſque flagellis latè ſe propagat, infirmis tamen & humi prouolutis, ni ſuſtineantur bicubitalibus & altioribus: *folia* quædam calamos pinnatis alis amplectuntur, alia extremis adnatorum inſident, bina, oppoſita, vt Lathyro ſiliquâ hirſutâ, vel cicerculæ, breuiora, inter quæ tortiles capreoli enaſcuntur: *flores* cæteris Lathyris ſimiles, ex longis pediculis parui, lutei: *ſiliquæ* ſuccedunt glabræ, quæ maturæ nigræ, ſtriatæ, interdum nonnihil incuruæ. Semina parua ſex, vel ſeptem, penè rotunda, lucida, non variegata

riegata, ſublutea.

De hoc Dodon. agit in Hiſt. dicens: Terræ glandibus ſimile quoddam legumen. Huius meminit & Tragus Hiſt. germ. vocans wild Kechern mit gälen blůmen. Et Hiſt. lat. nomine Piſi ſilv. Græcorum flore luteo & vogels wicken. Adverſ. Aracum appellant, & Ciceram luteo flore: & Ochræ vicium quorumdam.

Thalio in Harcynia, dicitur Lathyrus ſilv. floribus luteis.

A Geſnero de coll. ſtirp. fit Aphacæ, vel viciæ, aut potiùs Orobi ſpecies, floribus flauis.

Tab. Ic. & Hiſt. viciam appellat, Geel wicken/ Cizer. Vicia, Gall. *Veſſe*. Belg. vitſen. Magno ſanè errore Lathyro luteo Compilator accommodat nomina Viciæ ſimpliciter dictæ: denominati non deſcribunt.

An Cæſalp. hunc intelligit, quando ita ſcribit: Aracus exilis eſt planta, dodrantis altitudine: foliis Cicerculæ: flores fert luteos: ſiliquas longiores, tenuiores, rotundas, & nigras, in quibus ſemina rotunda, nigra & ſcabra: oritur inter ſegetes, gracili ſolo.

Aratus, inquit Theophraſtus, in Lente naſcitur: ſemen ſcabrum & durum. Galenus idem teſtatur ex Lente, inquit, degenerat: ſemen ineptum cibis, alibi inquit. Quod Aracon vocatur in Aſia ſilueſtre quoddam rotundum, ac durum, Eruoque exilius, in fructibus cerealibus repertum, quod ſeligentes proiiciunt. Alibi Aracus ab eodem vocatur, ſemen Lathyro ſimile, adeò vt multi putarint, ab eo nequaquam genere diuerſum eſſe, quandoquidem & vſus ipſius omnis, & facultas Lathyri facultati ſimilis eſt: niſi quòd Araci duriores ſunt, minuſque facilè elixantur, & ideò concoctu difficiliores. *Hæc Cæſalpinus*, ex quibus pauca quædam conueniunt cum noſtro Lathyro luteo.

Lathyrus flore luteo Montbelgardi in horto Ill. C. Vvirtemb. ſpontè & plantata florens Iulio: paſſim etiam circa ſepes, & in pratis, vt in ferarum horto E. C. flores adhuc Auguſto cum ſiliquis. Obſeruaui copioſam circa Beffordiam, Baſileæ menſe Aprili & Maio, ac Iunio extra portam lapideam. Lugduni *au bois de la bonne Allemande* florens Martio, cum radice nodoſa. Geneuæ in pratis, ſicut & Monſpelii. Quidam volunt Erui genus, quidam cicerculam ſilv. Fuchſius præceptor meus, cùm apud illum eſſem, Lathyrum. Frater Caſp. attulit Patauio nomine ciceris Latinorum. Paſſim, inquit Thalius, locis cæduis ac pratenſibus prouenire intuitus ſum.

## LATHYRUS SILIQUA hirſutâ.

Radice eſt ſingulari, tenui, annua: anguloſi *caules*, cubito longiores ſunt: *folia* bina Lathyri eius, quæ flore albo, & rubro eſt: at *florum* purpuraſcentium pediculi longi ſunt, ſeſquipalmares aliquando, licèt & vix palmares interdum exiſtant, in quorum faſtigiis plures diſpoſiti flores, qui delapſi ſiliquas relinquunt, longiores; quàm in Lathyro flore albo, rubróue, anguſtioreſque, verùm breuiores & latiores, quàm in maiore germanico, ſeſcunciam ferè longas, nō totam ſemunciam latas, hirſutas, aſperas: *ſemina* comprehendentes maioris germanici ſeminibus ſimilia, minora, ruffa, vel nigricantia, rotunda, ſuperficie criſpâ.

Dodon. ſuum Aracum ſic deſcribit: Similis



Lathyro Aracus eſt, caule enim, foliiſque, eum omninò refert: flores habet ex rubra purpura in puniceū inclinantes, ſiliquas paulò minores atque in his grana anguloſa quoque & Lathyris ſimilia, ſed minora, durioraque, minuſque compreſſa, colore obſoleta, nigroque proxima. Rarum & hoc etiam legumen, quod neque ab aliis, quàm rei herbariæ ſtudioſis ſeritur.

Gal. lib. de Alim. facult. ἄρακον appellari ſcribit; & poſteriorem nominis ſyllabam, per κ, in Ariſtophanis Holcadibus, notatam inueniri, ad differentiam videlicet alterius Arachi, per χ, qui cerealium frugum vitium eſt. Latini Ciceram nominant.

An Anguill. Aracos & Aracis. In Italia Mocho, in Græcia hodie Araca? *Aracus. Araca. Cicera.*

An Adv. Aracus, aut cicera. Quamvis, inquiunt, diſtinxerit Galenus Aracum citra aſpirationem ſcribendum, ab Aracho aſpiratione ſcribi ſolito, vitiumque & exitium quoddam iſtud poſterius Lentium & aliorum leguminum dixerit: tamen vtrumque videtur ab indole ſui cognati leguminis quaſi in ſpurium abiiſſe. Eſt enim prorſum cognatus & ſimilis, fortaſſis idem ille Aracus, quem quidam cicerculam alteram volunt: nec abs re, cùm eius grana ſordidiùs nigricantia inter Piſa, Orobos, & Vicias pullulent, à quibus videntur degeneraſſe. Quod idem Columella affirmare videtur, quando nihil ſapore, ſed tantùm colore à cicercula diſſidere, eóque *cicera* vocari aſſerit. Tandem Obſ. & Ic. Plant. Aracus, aut cicera, Ital. *Mocho*, Adu. 398.

An hiſt. Lugd. cicera, cuius icon ex Lobelio proponitur, deſcriptio autem ex Dodonæi Arace ſiue cicera. Verùm nos dubitamus an Lob. eandem intelligat plantam.

Lathyrum ſiliquâ hirſutâ reperi in agris *Charmont*, necnon verſus *Chaſtenoy* circa agrorum limites: item verſus *Audincour* florentem Iulio & ſemine maturo Auguſto. Tranſtuli in hortum Montb. Ill. C. Wirtemb. vbi in magnam excreſcit altitudinem. Lugduni quoque vidi. Frater C. Bauh. obſeruauit Baſileæ. Hunc etiam conſpexi, ni fallor, florentem Geneuæ Maio & Iunio. In ducatu Wirtemb. propè fontem admirabilem Auguſto, & in horto Friderici Meier Argentinæ. *Locus & Tempus.*

## LATHYRI SPECIES QVÆ ERVILIA SILVESTRIS Dodonæi.

Anguloſos, aliarum Lathyrorum inſtar, *caules* profert cubitales & bicubitales, quibus, nullo intercedente pediculo, amplexicaulia ad- *Deſcr.*



*Folia.* naſcuntur *folia*, oblonga, modò ſimplicia, modò in capreolos abeuntia, non rarò non tantùm in nos degenerantia, nouam foliorum ſobolem è lateribus, aut mucrone, iucundo naturæ luſu, parientia: *Flores.* *flores* ex foliorum ſinu prodeuntes, ſingulares, & breuibus pediculis hærentes: *ſiliquæ* vncias duas longæ, ſemunciam latiores, ſecundum longitudinem pinnatæ, quibus quina, ſena, plùs minùs continentur *Piſa* melina, & obſcurâ quadam flauedine, non exactè rotunda, ſed ex mutuò compreſſu vtrinque ſeſſilia; lineâ quadam albicante media longitudine prædita: magnitudine Piſi albi vulgaris, cum quo magna ſimilitudo: idem quoque ſapor.

Matth. in Dioſc. cum magn. figuris Latin. & Italicis, *Aracus niger*. *Aracus niger. Matth. not.* Planta, cuius imaginem expreſſimus, Arachum ſecundo loco à Galeno deſcriptum, & Theophraſti per omnia refert. Matthiolus ſuo more proponit ſolùm iconẽ ſine deſcriptione: ea icon accedit ad Eruiliam ſilueſtrem Dod. non tamen placet flores ex longis pediculis plures pingi: in Epitome dicit caulem ſubaſperũ; ſiliquas Piſi minores, in quibus ſemen aſperum, rotundum, pullo colore, quæ non reſpondet noſtræ plantæ. Cam. & C. Bauh. alias icones habet, in quibus flores meliùs diſpoſiti & appicti: conſiderent lectores, an in deſcriptione epitomes Matth. non idem eueniat quod in figura, nempe mixtam, & cõfuſam ex duabus plantis.

Dodon. gall. dicitur Eruilia ſilu. *Pois ſauuage* *Eruilia. ſilu.* flores albi, ſiliquæ rotundæ, ſemen rotundum: Piſis ſimile, minus, amarum, viride, durum admodum ſiccum. Herbarii ſerunt in hortis: Piſorum quarta ſpecies videtur, Piſorum ſilueſtris ſpecies nominatim ea, quæ Eruilia ſylueſtris Hermolao Barbaro dicitur: Eidem de fcum. Eruiliæ ſilu. ſiliquæ Lathyri ſimiles, minores, in quibus rotunda ſemina, Eruiliis minora, & duriora, colore ſublutea, ſapore ſubinde ſubamara. Rarum & peregrinum legumen, quodque à ſtudioſis herbarum tantùm ac rarò quidem in hortis ſeritur. Eruiliam, ſiue Ochron ſilueſtrem appellauimus alio *Matth. repr.* deſtituti nomine. A veritate receſſit Matthiolus, qui legumen iſtud Aracum & quidem nigrum fecit, plus huic ſimilitudinis cum legitimo Eruo eſt. Item Hiſt. colore ſublutea, aut nigra, ſapore ſubinde amara. Huius leguminis cum Eruo; ſi non idem, affinitas maxima, & tanta quidem, vt pro Erui ſuccedaneo citra errorem haberi queat, atque omnibus medicamentis eius loco adhiberi. *Dodon. not.* Suſpecta nobis eſt deſcriptio Dodonæi, cui pro ratione ſtat voluntas, qui variè, prout voluit, & ipſi placuit, ſemen deſcripſit.

Lob. & Penæ Adu. Ochrus ſilu. ſiue Eruilia. *Ochrus ſilu.* Silueſtris indolis, velutique degeneres à Piſis, Ochriſque Eruiliæ, quaſi eruendæ & eiiciendæ dictæ, rariùs niſi in hortis Septentrionalium Herbariorum hodie ſeritur: iuxta tamen ſepes, vias, in Linguagotia ſponte reptat imbecillioribus viticulis, membranula triplici, aut duplici ſecundum longitudinem veluti pinnatis, ima folia *Locu…* oblongiora & latiora, in clauiculas deſinentia ferentibus: supernè foliola verè partim in plura & minora diuiduntur, partim etiam clauiculis donantur candidis, & interdum purpureis, flore & ſiliqua cicerculæ, cui admodum ſimilis. *Flore… ſiliqua… cula.* Item Obſ. *Ochrus ſiluiſ*iue Eruilia Adu. *Cicer Oroboides quorundam.* Ic. Plant *Ochrus* ſiue *Eruilia*, Teut. 79. Tom. 2. Lobelius in Obſ. proponit figuram Dodonæi. Dubito an proueniat in Linguagotia, ſiquidem inibi non obſeruaui quod ait de foliis, quæ ſupernè in plura & minora diuidantur, dubium mihi mouet, quia non reſpondet figuræ: ſi ipſe non poſuiſſet figuram Dodonæi, ſuſpicatus fuiſſem, eum tradere Lathyrum flore albo, quæ Monſpelii prouenit in ſegetibus, vbi etiam quædam flore rubente.

Geneuæ prouenit mihi in horto, à quo tempore præteriere triginta anni, quibus nunquam, *Locu… temp…* viſa, donec anno 1601. ex ſemine dato per D. Fridericum Meierum nomine Ochri Dodonæi in horto Montbelgardenſi Ill. E. C. ſata excreuerit, quæ tandem Auguſti menſis principio exaruit ſemine maturo.

---

## LATHYRVS ANGVLOSO ſemine.

ANgulosis, prolixis ſatis *caulibus* præditus, in ramos multos diuiſis: *folia* pediculo hærent *Deſ. Cau… Folia.* latiuſculo, duabus ad exortum appendicibus, caulem complectentibus: ſunt ea verò gemina, oblonga, acuminata, glabra, ſtriata, inter quę proſiliens pediculi reliquum in tortiles abit clauiculas, quibus proxima apprehendit: ex pinnatarum appendicum ſinu pediculi exeunt ſingulares, *florem* gerentes vnicum, maiuſculum, album, quem excipit *ſiliqua* *Siliq…* lata compreſſa, *ſemina*, claudens angulosa, candida: *radix* fibroſa, gracilis.



Quidam volunt; inquit *Cice… …tinum* Tragus Knetzern / cicer Arietinum, alii columbinum, *Colu…* per nos quidẽ licet, verùm dicimus Piſum Græcorum veterum: dicitenim Plinius lib. 18. c. 12. Cicerculam habere angulos vt Piſum. Idem in Hiſt. Lat. Piſum Græcorum ſatiuum quod quidam Eruum & Orobum non ſine errore nuncupant. Icon, quæ eſt apud Tragum, non eſt Lathyri ſatiui, ſed maioris ſilueſtris.

Officinis & Græcis apud Lonicerum *Orobus*, Latinis *Eruum*, Germanis Erüen.

Fuchſio

Fuchſio *Eruum album*, & *ſatiuum*, ὄροβον Græcis: floribus candidis, vel in candido cæruleis, aut *Fuchſ. notatur.* puniceis: Verùm is nimiùm obiter deſcribit, non diſtinguens ſatiuum à ſilueſtri, niſi ſolo ſeminis colore. Quidam apud Fuchſium in Hiſt. Lugduni impreſſa annotat, cicerculam magis videri. Idẽ de comp. med. Orobum, ait, hodie non cognoſcitur à noſtratibus Pharmacopoeis. Non enim eſt hoc ſemen, quo pro eo aliquot annis vti cœperunt: Ochri enim ſemina ſunt.

Fuchſius, præterea teſte Matth. in Dioſc, hallucinatur in ſuo plant. volumine, Cicerculam *Lathyrum, Cicercula.* vulgò vocatam, ſatiuum Eruum eſſe exiſtimans: etſi omnes rei herbariæ periti à Galeno Lathyrum appellari non dubitent. An Cicercula Anguillaræ à Theophraſto λάθυρος, in Italia *ceſerchea, ceſera* & *manaroba* vocata.

Eruum album ex Italia Geſn. appellat, quod Italis *Mocho* in Hetruria dictum ſit, quorum vtrũque [quoniam ſumma illa amaritie quam Orobo, i. e. Eruo, tribuit Galenus, caret,] an verus ſit Orobus dubitari poteſt. Eruditi quidã, vt Fuchſius, ni Geſn. fallatur, pro cicercula accipiunt.

*Phaſiol. minor Eruum anguloſum. Cordi.* Phaſiolus minor eſt, vt vult Cordus, qui ab aliquibus anguloſum Eruum appellatur. Flores eius candidi, & ſemina colore candida. Radice tuberculis exiguis plerúmque plena. Aſt Cordo icon alterius plantæ ex Trago non benè addita.

Bellonius ſcribit in Alexandria Ægypti abundare genus Piſi, quod Græci vocent λάθυρος, Veneti *Mauerette*, Romani *Cicerchia*, Galli *des Sars.*

Cicercula prima Dodonæo gallico, λάθυρος, cuius flores albi, ſemen quoque album, anguloſum, Columellæ & Palladio Cicercula. Lathyrus non eſt Eruum, vt quidem exiſtimant. Idem lib. frum. & hiſt. lat. in ſolio. Dodonæus olim poſuit iconem Fuchſii, quam etiam nos proponimus pro Lathyro, ſiue Cicercula. In poſt. hiſt. lat. eam exhibuit pro Araco, ſiue Cicera, quod non placet: non tamen diſplicet noua icon, quam in lat. ponit pro Lathyro, ſiue Cicercula.

*Lathyris.* Lathyridem Narbonenſem alteram conſtituunt Aduerſaria, anguſtiore gramineo folio, cui ibidem enatæ in vdis, folia admodum anguſta, graminea, venoſa, & mucronata, bina, è pediculo in tortiles, capillaceaſque clauiculas deſinente, Catanance [leguminaceæ] ferè ſunt: defluxis albidis, & luteolis floribus ſuccedit ſiliqua compreſſior, duplò breuior, latior ſuperiore [Narbonenſi] latiore folio, vbi grana anguloſa, puſilla, Piſi, aut Eruiliæ ſapore. Obſ. Anguſtiore grami*Simul-er-*neo folio Lathyris Adv. 398. Lobelii deſcriptio non conuenit, eo quòd non diſtinguat à ſua Lathyride latiore folio, cui nimis ſimilem facit: icon demonſtrat eam, quam nos hoc capite tradimus an flore luteolo extet, ſub iudice lis eſt, miror etiam Lobelium albido flore dicentem, & non albo. Illud præterea notandum, quod dicit ſemina puſilla, qualia fortè in ſpontanea, non item in ſatiua. Quæ cauſa ſit vt in Iconibus Plantini, omittatur icon propoſita in obſerv. me fugit. Malè tandem Lathyris Lob. & Penæ dicitur, cùm Lathyrus dicendum erat.

*Cicercula.* Cicerculam vocat Cæſalp. ſcribens, ſemen eſſe alterâ parte depreſſum, quaſi effigie cunei: cortice leuiſſimo, albo, aut nigricante, aut vario, in ſiliqua breui, & lata: plantam autem breuiorem Eruilio, humi procumbentem, multis ramis: folia ſimili modo bipartita, & anguſta, breuioraque: flores purpuraſcentes: ſeri gracili ſolo: caput tentare, & officere luminibus.

Tom. II.

Cæterùm Cicerculam hanc refert frater C. Bauh. ad Clymenũm Matthioli, cui penitùs aſſentiri non poſſum, vt ſuo capite dictum. *C. Bauh. lapſus.*

Græcis λάθυρος dicitur (quemadmodum apud Hiſt. Lugd. legitur:) Latinis, vt Columellæ & Palladio, *Cicercula*: Gallis *des Geſſes*: caules habet anguloſos: flores candidos: ſiliquas latas: ſemen album, latum, compreſſum, inæqualiter anguloſum. Hunc Erui nomine depinxerat Matth. Figura Matthioli quam proponit Hiſt. Lugd. nullo *Hiſt. Lugd. lapſus.* modo conuenire poteſt, ſiliquæ enim non ſunt latæ.

Lathyrum Dodonæi Camer. horti appellat, flore purpureo, & alterum albo. Piſum anguloſum vulgò tam à viticularum, quàm ſeminum angulis dictum, Ecferbes. Orobum Fuchſii, Phaſiolum minorem ſatiuum Cordi. *Piſum anguloſũ cur dictum. Orobus Fuchſii.* Cicerculam vulgarem, ſatiuam, flore albo Cluſ. in Hiſt. nominat, cicerculam Plinii & Columellæ, λάθυρον, Lathyrum, Gall. *Cerres & Pois cerres*, appellant: Pariſienſes *des Sars.*

*Locus & tempus.* Seui in horto Lathyrum flore albo Montbelgardi ſemine Stutgardiæ in horto Ill. Ducis collecto. Semen maturum fuit Auguſto. Monſpelii vidi in ſegetibus florentem Aprili, annua eſt herba. Stutgardiæ autem in horto Ducis obſeruaui florentem Iunio, flore omnino albo, ac etiam partim albo, partim rubente, qui quantùm differat à ſequenti, hæreo.

---

## LATHYRVS FLORE RVBRO, & alius albo.

*Deſcr.* Flore & foliis proximè accedit ad Lathyrum flore albo, inter ſegetes Monſpelienſes obuius: *flos* ruber, quales *ſiliqua* & *ſemen*, iam non ſuccurrit. Aprili florebat Geneuæ in horto.

*Tempus.* Idem fortè cum præcedenti, ſed colore varians.

*An Cicercula minor. Aracus. Cicera.* An Dodonæi gall. cicercula minor, ἄρακος, Aracus, Lat. Cicera flore rubente. Item Hiſt. frum. & in fol. Similis Lathyro Aracus eſt, caule enim, foliiſque eum omninò refert: flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinantes, ſiliquas paulò minores: atque in his grana anguloſa quoque & Lathyris ſimilia, ſed minora, durioraque, minuſque compreſſa, colore obſoleta, nigróque proxima.

Rarum & hoc etiam legumen, quod neque ab aliis, quàm rei herbariæ ſtudioſis ſeritur.

*Galeni lectio.* Gal. lib. de aliment. facult. ἄραχον appellari ſcribit, & poſteriorem nominis ſyllabam, per κ, in Ariſtophanis Holcadibus, notatam inueniri, ad differentiam videlicet alterius Arachi, per χ, qui cerealium frugum vitium eſt. Latini *ciceram* nominant, quòd videlicet cicerculæ ſimilitudinem habeat, atque ſolo potiſſimùm colore ab eo diſſideat. Cicera, inquit Columella, ſapore nihil à cicercula differt, colore tantùm diſcernitur: nam eſt obſoletior, & nigro propior. Item Palladius, in Martio, nunc cicera ſeritur, quæ diſtat à cicercula ſolo colore, quo ſordet, & nigrior eſt.

Eſt porrò & alius Aracus, flore, fructuque candidis, cæterùm magnitudine & formâ ſeminis, reliquiſque omnibus, priori ſimilis, quem non Aracum, ſed Lathyrum minorem eſſe, fortè quis dixerit. *Lathyrus minor.*

*Cicera.* Lathyro ſimilis eſt cicera, vt Hiſt. Lugd. quoque tradit, caule & foliis. Flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinantes. Hanc Lathy-

rum Hiſt. ex Dodonæo tradit, & ei adaptat iconem ciceræ, quam Lob. poſuit pro Araco, aut cicera. Verùm hæremus dubii, an Dodon. & Lob. eandem tradant Aracum.

## LATHYRVS QVÆDAM, QVIBVSDAM Ægyptia Aracus.

*Aracus Ægyptius.* *Caules.* *Folia.* *Flores.*

ARacus Ægyptius Lathyro albo ſimilis, infirmus, claicularum ope bacillis iuxta depactis ſeſe implicat, caulibus angulofis, quibus membranulæ ſecundum longitudinem adnatæ: *foliis* culmum latis, acuminatis, craſſiuſculo pediculo adnexis, binis, ſtriatis, inter quæ capreoli oriuntur: ad baſim autem pediculi duæ veluti alæ & *flores* ex longo petiolo inflexo ſingulares inſident, Piſi floribus æquales, ſupremo folio lato ſurſum expanſo, foris carneo, intus cæruleo, exceptâ infimâ orâ rubente, colore prædito, alis duabus foris coccineis, macula cœrulea medium pingente, intus cœruleis, excepta anguſta purpuraſcente orbita: carina ex herbaceo albicat: *ſiliquæ* latæ, ſeſcunciam longæ, compreſſæ nonnihil, inſigni ſulco fimbriato altiùs exaratæ, *ſemina* continent bina vel terna, magnitudine Lathyri albi, anguloſa, ac ferè quadrata, à craſſiori latere ad oppoſitum deuexa, & in anguſtum compreſſa; coloris infuſci, minutiſſimis maculis anthracinis conſpetſa, guſtu Piſorum dulceſcente, & dentium attritu ſubſtantia qualis Piſorum æquabili.

Cicercula Ægyptiaca, autore Cluſio, à ſatiuá vulgari non valdè differt, floris color diuerſus, in hac internè elegans, cœruleus, foris ex cinetaceo purpuraſcens: grana frequentibus maculis nigris inſignita. An Bellonio cap. 19. Obſ. lib. 2. Græcis vulgò Lathyri?

Exiſtimo Cluſium eandem nobiſcum tradere plantã, quamuis icon non in omnibus reſpondere videatur, folia enim breuiora & latiora, quàm in noſtro alho, vel Ægyptiaco.

*Locus & Tempus.*

Eſt nobis in horto Ill. E. C. miſſus per Dom. Ioach. Camerarium pro Araco Hiſpanico, florens Iulio & Iulio. Redditus etiam nobis à D. Iacobo Zuingero Baſileæ eodem nomine. Miſſus præterea pro cicercula Ægyptiaca per D. Scholtzium. Argentinę obſeruatus in horto D. D. Melch. Sebizii, & Frid. Meieri cum flore & ſiliquis Auguſto. Adhæc D. Doldius miſit Norimbergâ ſiccam plantam nomine Araci Camer. & Lathyri Ægyptii, aſcribens: flos pulcherrimus candidus, cœruleis lineis aſperſus, quandoque cœruleus cum puniceis: ſemen anguloſum, latum, & maculoſum: caulis membraneus: folia oppoſita, & diuaricantia. Cluſio primùm hæc planta nata Viennæ Auſtriæ, ſemine in Ægypto collecto, & Conſtantinopoli miſſo: flores tulit Iunio & Iulio, atque etiam in Septembri: ſemen maturum fuit Auguſto, & Septembri. Francofurti etiam ſingulis annis prouenit ex ſemine communicato.

## LATHYRVS FOLIO TENVIORE floribus rubris.

*Deſcriptio* *Radix.* *Flores.*

HÆc aliàs eſt cubitalis, aliàs vix palmaris, *radice* tenui fibroſâ: coliculi crebri, per quos *folia* tenuiſſima, longa, Caryophylli holoſtei, vel graminei: *flores* rubri, pro plantæ proportione magni, ſimiles Lathyro flore rubro: eadem fortè fuerit cum modò dicta, foliis tantùm ludés.



*Locus*

Hanc Gener Cherlerus attulit Monſpelio, nomine Lathyri graminei, cubito multò altiorem: ſiliquis latis, in quibus ſemina tria, quatuorue, Orobiexiſtimati magnitudine, vel Viciæ luteæ, penè rotunda, aſperata, fuſcis maculis obſita, hilo lineis fuſcis picto.

An Lob. icon. Lathyrus anguſtiore gramineo folio?

*Locus & tempus.*

Quà itur Monſpelio Frontignianum reperimus, locis ſiccis & ſilueſtribus menſe Aprili florentem. Cuidam docto viro videbatur hæc eſſe Araci ſpecies, vocarique vulgò gallicè *Arouce*.

## CATANANCE IN GENERE.

### CAP. X.

*Folia Coronopodis Dioſcor. lacta.*

CAtanance [κατανάγκη] *altera* folia habet longa, inquit Dioſc. velut coronopodis: radicem tenuem, iunceam: capita [κεφαλὰς Dod. ex vet. exempl. λοβοὺς, vertit ſiliquas, veluti Eruum] ſex, aut ſeptem: in quibus ſemen ſimile Eruo. Curuatur hoc ſiccatum ad terram, & milui exanimati vnguibus ſimile euadit. *Altera* mali parui magnitudinem habet: radicem magnitudine Oliuæ: folia & figura, & colore ſimilia foliis Oleæ, mollia, per terram ſtrata & fiſſa: ſemen in virgis paruum, multis partibus perforatum velut cicer, puniceum. Catananceu Theſſaliam herbam qualis ſit, Plinius vt deſcribat, ſuperuacuum ducit: cùm ſit vſus eius ad amatoria tantùm. Illud non abs re eſt dixiſſe, ad detegendas Magicas vanitates: electam ad hunc vſũ coniecturâ, quoniam areſcens contraheret ſe ad ſpeciem vnguium milui exanimati.

Cæterùm cùm Catanance prima ignota adhuc omnibus ferè rei herbariæ profeſſoribus exiſtat, ſi quando in plantam incidas, cui omnes catanances notæ correſpondeant, caue, inquit Marantha, turberis, quòd non ſena aut ſeptena, ſed alio quopiam numero capitula habeat: nam ſi hunc numerum, quia à Dioſ. illi conſtituitur, neceſſariò illi adeſſe tibi perſuadebis: fortaſſe eũ nunquam aſſequeris.

Catanãces nomen Cornarius ex vi & coactione impoſitum arbitratur. Galenus & poſteriores Græci de hac herba ſiluerunt. In catanance altera mali magnitudo ſuſpecta eſt.

Scribit Dod. hiſt. in fol. κεφαλὰς, in quibus ſemẽ, catanancen ferre Dioſc. ſcribat, non capitula, ſed ſiliquas hoc loco interpretari debere: nam catananche κεφαλὰς, veluti Orobum habere, Dioſcoridem aſſerere: at Orobũ non capitula gerere ſed ſiliquas.

catana-

## CATANANCE LEGVMINOSA quorundam.



Catanance leguminoſa dicta, Lathyrûm familiæ congener legumen eſt, tenuibus, ramoſis *caulibus*, quibus nullæ aptæ mẽbranæ: *folia* & longitudine graminea, interdum anguſtiora pediculis deſtituuntur, venoſa, acuta: *flores* tenuibus pediculis inſident ex foliorũ ſinu ortis, palmum nonnunquam longis: *ſiliquæ* vncias tres longæ, plùs minùs anguſtæ, *grana* decem, duodecim, aut plura continent nigricantia, rotunda: *radice* nititur inutili.

Vocat D. Agerius Lathyrum anguſtifolium, ipſe in huius radice obſeruauit Orobanchen. Dubitant Adverſ. Eruum ſilv. Herbariorum, ſitne *καταναγκη*, ſiue Amatoria, aut Neceſſaria, non bulboſa Vnguimiluia Dioſc. Quaſi neceſſitate inconcuſſa, & fatali adigeret ad amandum, Catanancen vocarunt, quaſi amoris illicium neceſſarium. Plinius: eiuſque coæui cordati viri, conſultò figuras harum tacuerunt: nec Dioſc. vires, ſed hiſtoriam duntaxat alienam citat. Quodpiam genus leguminis fuiſſe hanc deſcriptio oſtendit, cui non malè quadrat ea herbula, quæ Lagopi anguſtifolii foliis viſitur. Alteram catanancem ciceris nomine non nouerunt. Dubium idem mouent Obſ. & Ic. Plan.

Geneuæ prouenientem intuitus ſum catanancen leguminoſam, quemadmodum & prope Schwegbauſen in Suncouia. Et quia folia graminea ſortitur, facilè ab olitoribus euellitur, ideoque radix eius annua non eſt, licet anno ſequenti ex ſemine deciduo ſponte regerminet.

Hæc, teſte Lobelio, in hortis Herbariorum Iulio & Auguſto ſiliquas fert: viſitur etiam in agris littorum maris Septentrionis.

## LEPORIS AVRICVLA Cæſalpini.

### Cap. XI.

Leporis auricula vulgò appellatur, autore Cæſalpino, herba multis ramis, humi ſtratis: *Foliis* indiuiſis, prælongis, inſtar leporinæ auriculæ: *floſculis* luteis in ſummis ramulis, vt Securidacæ: *ſiliquas* fert longas, tenues, hirſutas, inuicem implicatas: *ſeminibus* diſtantibus: prouenit læto ſolo.

Dioſcorides Clymenum vocat: ei, inquit, caulis Fabæ, quadratus: folia Plantaginis: folliculis ſupra caulẽ inflexis, vt Polyporum Cirri: probatiſſimum eſt è montibus: celebratur ſuccus ad ſanguinem ſiſtendum.

Plinius clymenum, à Rege quodam appellatum ſcribit: vnum quidem foliis Hederæ, ramoſum, articulis præcinctum, graui odore, ſeminibus Hederæ. His intelligit, quam alibi Periclymenũ vocari diximus.

Alterum Græcorum ſententia, Plantagini ſimile, caule quadrato, folliculis inflexis, vt Polyporum cirri.

## ISOPYRON VETERIBVS.

### Cap. XII.

Iſόπυρον aliqui Phaſiolum vocant, vt nobis autor eſt Dioſc. eò quòd Phaſiolo ſimile ſit, & in ſummo folio pampinum ferat [ἄλλοι τὸ πέταλον ἕλικα Dal. inquit quidam τὸν καυλὸν legũt.] In ſummo caule ſunt capita, tenuia, ſeminibus referta, ſimilibus Melanthio in guſtu. At folium Aniſo ſimile eſt. Huius ſemen cum aqua mulſa potum dolores circa thoracem, & tuſſes ſedat. Conuenit etiam ſanguinem ſpuentibus & hepaticis. *Phaſiolus. Folium Aniſi. Vſus ſeminis.*

Hæc paulò aliter Plinius ita refert: Iſopyron vocant aliqui Phaſeolum [iuxta veteris codicis lectionem. Nam vulgata exemplaria Phaſioli vocem non habent, Corn.] quoniam foliũ, quod eſt Aniſo ſimile, in Phaſeoli pampinos torquetur. Capitula ſunt in ſummo caule, tenuia, plena ſeminis Melanthii. Contra tuſſim & cætera pectoris vitia, cum melle, aut aqua mulſa, item iecinori vtiliſſima. *Phaſeolus vnde. Semen Melanthii.*

Galeno Iſopyron, aut Phaſiolon, ſemen amarum & acerbum habet. Proinde extergit, & ſecat craſſos humores, ſimulque contrahit, ac adſtringit corpora. Et ob id reiectiones ſputorum ex thorace adiuuat, & hepar repurgat. Et ſanguinem ſpuentibus non aduerſari ſed ipſos inſuper adiuuare creditur. Nam propter mixtam tẽperiem conuenire videtur, etiam ad contraria. *Vires & vſus.*

Ignotum eſt hodie omnibus, quod ſciam Iſopyron, inquit Corn.

## ISOPYRON CÆSALPINI.

Semen eſt ſimile Eruilio, atrum, rotundum, quod dum viride eſt, coquitur, vt Piſeolus, ſed perfectum negligitur: eius planta ſponte prouenit inter ſegetes, *caule* ferè ſimplici, cubitali, procumbente in terram, niſi adminicula habuerit: *folia* fert non diuiſa, vt cæteris leguminibus contingit, ſed integra, ternorum digitorum latitudine, in tres capreolos deſinentia: *florem* in alis foliorum fert luteum, *ſiliquam* Piſeolo, teſte Cæſalp. tenuiorem. *Semen.*

Aliqui, vt Dioſc. notat, Iſopyron, Phaſiolon appellant, nonnulli verò, vt Plin. perhibet, Faſeolon vocant.

## PISVM SILVESTRE.

### Cap. XIII.

Tres, quatuorue ſingularum *foliorum* coniugationes coſtæ aptantur in capreolos deſinenti: ſunt ea autem Capparum foliis æqualia, modò leuiter acuminata, obliquis venis ſtriata; *Deſcriptio.*



ex alę ſinu ſurculus longus enaſcitur, thyrſum comoſum gerẽs, flauum, Viciæ maiorẽ paullò: *ſiliqua* ſuccedunt Piſi aruenſis pares, nonnihil compreſſæ, glabræ, ſemen claudentes. Foliorum magna ſimilitudo cum vicia maxima ſiluatica, ſed firmiora & magis polita.

Piſum ſilu. Cam. horti vocat Piſum ſiluestre Pannonicũ, in Fraconia alicubi darmgichtkraut. Tabern. verò icon. Piſum ſilueſtre, wilderbſen. Piſum ſilueſtre, de quo aiunt Aduerſaria, in Heluetia, & ſuperiore Germania, non ſecus ac Phaſelus ſilueſtris [Galega verna] obuiam ſe dat peregrè eunti. Quidam in ſuo v-nius paginæ rariorum ſtirpium libello, affirmat in ſaxis littoreis, nulla terra opertis, tantam ſegetem Piſorum ſponte enatam in Angliæ Suffolcia inter Otforclum & Alburnum, etiam Autumno 1555. vt mille hominibus ſuppeteret.

Locus. Hoc Piſum diu ſiccum habui ſine nomine, neſcio vnde: verùm anno 1591. Toſſanus Carolus doctus pharmacopæus Burgundus eius ſemina miſit nomine Piſi Indici, quæ Plantæ in horto Ill. E. C. & hortulo meo Montbelgardi, nec primo, nec ſecundo anno florem protulerunt. Piſum ſilueſtre Cluſio primùm conſpectum vltra Draiium flumen in Pannonia, iugis arci Grebeñ vicinis, anno 1579. copioſè inter ſaxa naſcens: vnde poſtea Ill. Heros Balthaſar de Battyan, qui Cluſium in eam prouinciam deduxerat, maturum fructum illi adferri curauit. Subſequente deinde anno aliis locis Viennæ vicinioribus obſeruabat, veluti in ſiluoſo illo monte ſupra Gumpoſtkirchen, item ſupra Poſonium, & in Ley-

Tempus. tenberg. Floret Iunio, ſemen maturum fit Iulio.

## APHACE IN GENERE ET EX Veterum placitis.

### Cap. XIV.

*Aphaca differt ab Aphia: Item ab Aphaca arbore.*

APhaca differt ab *Aphia* quæ olus item eſt, vt Aphaca: differt & ab *Aphaca*, quæ arbor. Aphacam Theoph. modò leguminum generi, modò inter olera connumerat, & vt verum fateatur Hermolaus, idem; an diuerſum genus ſit, ferè ambigit. Sed Aphacam [teſte Corr.] Plinius ita deſcribit, vt Dioſcoridem exprimat, aut certè eum autorem, vnde Dioſc. tranſcripſit. Meminit Aphaces aliquot locis Theophraſtus, ſed in his ambiguos reliquit Lectores, an de olere, aut fruge loquatur. Strangulari certè Aphacas à Securidaca lib. 8. hiſt. palàm dicit. Gal. lib. 1. aliment. Aphacen cum Vicia, quam Βίκιον apud Aſianos vocari dicit, coniungit. Et quamuis Theoph. A-

*Βίκιον Gal.*

phacam non inter legumina, ſed inter Cichoracea deſcribat, ait Cæſalp. attamen videtur aliquando etiam eam inter legumina recenſere, vt cùm inquit, celeriter perit, vt Dolichus, eius ſiliquæ leuiter latæ: in Aphacis naſcitur Securidaca: ſerò inter legumina ſeritur, ſed in his videtur aliquam ſpeciem Lentis ſignificare. Gal. Securidacam non in Aphacis, ſed in Phacis [Lentibus] naſci ſcribit. Aphacem autem tanquam Viciæ affinem tradi ad brutorum pabulum colligi ſolitam à ruſticis.

Plinius Aphacen vocat, vt ab altera Aphaca diſtingueret, quę inter cichoracea reponitur. Ἀφάκη tandem frutex [θαμνίον] paruus eſt, autore Dioſc. naſcens in aruis, altior Lente, tenuibus foliis, quę verò in ipſo naſcuntur ſiliquæ maiores Lente, ſemina continent tria, aut quatuor nigra, [in cod. Baſil. μεγάλων, pro μελάνων] Lente minora. Aphaca, inquit idem, tenuia admodum folia habet, puſillo altior Lenticula eſt. Siliquas maiores fert, in quibus terna, aut quaterna ſemina ſunt, nigriora & madidiora, & minora Lenticula. Naſcitur in aruis. Aphace & viciæ ſeminum figura non eſt rotunda, veluti Fabarum, vt Gal. tradit aliment. lib. 1. cap. 36. ſed aliquantò latior, quomodo Lentium. Cæterùm Viciæ nomen apud nos quidem eſt tritum, eoque ſolo nominatur. Attici verò ἀράκιον, aut Fabam appellant.

Aphacæ ſemina, autore Dioſc. vim habent adſtringentem, vnde alui, & ſtomachi fluxionem ſiſtunt, ſi fricta, & freſa Lentis modo coquantur. Naturam ad ſpiſſandum Plinius Aphacæ tradit efficaciorem, quàm Lenti. Reliquos autem vſus eoſdem. Hanc quoque cùm ipſis ſiliquis integram plantam ruſtici reponunt, vt brutis pecudibus ſint pabulo. Per famem tamen quoſdam noui, ait Galenus, qui hanc quoque comederint potiſſimùm Vere, cùm etiamnũ virent, quemadmodũ Fabas, & cicera eſitare conſueuerũt. Sunt autem non inſuauia modò, ſed concoctu etiam difficilia, aluumq; inhibent. Perſpicuum ergo eſt quòd, cùm naturâ ſint eiuſmodi, alimentum, quod ex ipſis diſtribuitur, haudquaquam boni ſucci, & craſſum, ad ſuccum melancholichum gignendum idoneum, ceu de Lente dicitur. Verùm illi quidem multa bona inſunt, his autem nihil bonorum illius adeſt. Idem Gal. 6. ſimpl. Aphace, inquit, vim habet adſtringentem, quemadmodũ Lens. Sed & ſimiliter vt Lentes, editur, & ægriùs quidem, quàm illa, concoquitur, ſed validiùs ſiccat. Caliditate quoque moderata participat.

## VICIA VVLGARIS SATIVA.

### Cap. XV.



A Annua eſt planta Vicia coli ſolita, *caulibus* cubitalibus & proceriobus, anguloſis, ſtriatis, hirſutis, cauis: *foliorum* coniugationes decem, aut duodecim coſtæ adhęrent longæ, tandem in tortiles clauiculas, quibus proxima arripit adminicula, deſinenti vncialis, aut

paullò minora, anguſta, per extremum lata, hirſuta, eadem interdum alternatim rachi alligantur, ex vniuſcuiuſque coſta *flos* aliquando enaſcitur vnus [interdum plures] quem *ſiliqua* excipit quadrantalis & longior, vnciam ferè lata hirſuta, *ſemina* claudens Piſis aruenſibus paria, nigricantia, compreſſa.

Brunfelſio *Eruum*. Inuenit Hermol. è Recentioribus, qui viciam eſſe Aphacen exiſtiment. Aſt cum Marc. Virg. non facilè Aphacen ratiocinetur aliquis Viciam notiſſimam omnibus frugem eſſe: & ſi congener, aut ſimilis illi ſit, ſilueſtrem exiſtimandam eſſe.

Tragus in Hiſt. germ. vocat wicken, aut Viciam Roßwicken/ Großwicken/ Zam vndt feldtwickē/ Lat. Eruum, Auic. Erbum & ὄροβος, cui opinioni tamen reſiſtit Manardus. Is autem dicit Orobum Græcorum, Eruum Latinorum, & *Almelis* Arabum eſſe wicken/ in Virgilio *Vile*, in Serap. *Heiſene* & *Keſen*, aut *Keſer*. Hæc Tragus; qui meo iudicio Viciam ſatiuam & maiorem vocat, picturam autem eius non exhibet.

Vicia maior, inquit Geſn. Iſt ſchier wie Erbs. Fuchſ. Vicia & Βίκιον, quo Officinæ non ſine magno errore pro Orobo vtuntur. Hunc Germ. wicken ſimpliciter, vel cum adiectione Zamwicken. Gall. *Veſſe* vocant, de qua Varro. Effigies Fuchſii minùs conuenit: videtur enim compoſita ex Vicia multiflora, & vulgari ſatiua, folia enim ſimilia Viciæ multifloræ; flores autem vulgàri; quam ille, quùm ei Tubingæ conuiuerem, vocabat Aphacen maiorem: nos Viciæ ſatiuæ veriorem figuram iungimus.

Quibuſdam, vt Dodon. placet, Os mundi dicitur, Belg. Vitſen, nec eſt Eruum. Idem de Frument. & in fol. Vicia; de qua Varro, Gal. in Aſia Pergami Βίκιον; ab Atticis verò ἀράκους aut κύαμον nominari ait. Officinæ plærèque perperam ὄροβον, ac Eruum.

Theoph. Aphàces leguminis meminit: hæc an cum Vicia noſtra conueniat, conſiderandum eſt.

Dodon. gall. habens iconem Aphaces Fuchſii pro Vicia & pro Aracho, meritò in poſtr. eam reiicit, tanquam ex duabus compoſitam.

An Anguill. Vicia nigra? Lob. & Penæ Adv. Βίκιον, Vicia, de qua Varro. ἄρακον Atticis. Item Obſ. *Vicia*, Angl. Fiche/ Belg. perperàm *Orobus*. Ic. Plant. *Vicia* Teut. 88. Tom. 2.

Cordo in Dioſc. Orobum, Eruum, omnes paſſim Germ. wickn/ ſed errore ſeducti: eſt Latinorum Vicia; & Græcorum Aphace, ſeu Βικία.

Figuram habet Lonicerus ſub titulo Zamwicken/ Roßwicken/ quæ Viciæ non videtur.

Exiſtimo Matthiolum in Dioſc. per Aphacen intellexiſſe plantam, de qua hoc loco agimus, quamuis viciarum genera confundat, vti etiam earum nomina; & icon eius aliam plantam denotate videatur, quæ vt Fuchſii, ex variis plantis compoſita eſt: nec ſe correxit in poſt. com. Italicis. In Hiſt. germ. huius plantæ Hiſtoria confuſior, quia Aphacen, germ. wild wicken vocat, i. e. Viciam ſilueſtrem. Figuram eandem habet, quā olim pro Aphace. In Epit. Matth. cum addit. Cam. ſimpliciter dicitur Βίκιον; *Vicia*, Ital. *Veccia*. Mihi quidem Camerarii figura placet: aſt Matthiolo patrocinans, nullam attulit ei lucem, nec patrocinatus eſt.

Cluſ. Pann. *Vicia vulgaris ſatiua*. Item Hiſt. *Vicia*. Hîc Veram viciam expreſſimus (inquit Hiſt. Lugd.) Matth. autem nomine Aphaces depinxit, quam Gal. cum Vicia coniunxit. Hiſt. Lugd. intelligere Viciam vulgarem ſatiuam non dubito, verùm quicquid ſit veram non exprimit: nam Aphacæ pictura Matthioli eſt Viciæ inter frutices prouenientis.

*Vicia ſecunda* C. Bauh. apud Matth. ſiue anguſtiore folio, *Vicia Matthioli*, *Vicia vulgaris ſatiua Cluſio*, *Aphaca vera Lugd.*. *Arachus* Dod. gall. *Craccæ primum genus* Dod. in fol.

Arachus. Cracca. C. Bauh. varia lapſus.

Matthioli figuram Frater retinet, quæ falſa: ſunt enim appenſæ ſiliquæ foliis: an Matth. intellexerit ſatiuam viciam, non abs re ambigitur: ei enim Viciæ ſemen eſt minus, quàm in Aphaca: præterea in Vicia vtraque, tum ſatiua, tum ſilv. folia non ſunt acuminata. Vicia ſatiua non bene meo iudicio dicitur anguſtiore folio: multæ ſiquidem ſilv. Viciæ ſunt magis anguſtiore folio, quàm ſatiuæ. Hiſt. Lugd. habet quidem Matth. figuram falſam, ſed per eam non intelligit Viciam ſatiuam. Dod. Arachum vocans, de ſilv. Vicia loquitur, non de ſatiua, nec etiam figura eius Fuchſiana conuenit cum ſatiua, aut ſilv. Dodonæi in hiſt. Lat. Craccæ primum genus, non eſt Vicia ſatiua, ſed ſilv. Satiuæ laudabilem figuram poſuit p. 521. pro Vicia.

Locus & Tempus.

Vicia, auctore *Cæſalp.* ſemen eſt nigrum, aut maculoſum, Lente rotundius: flores purpurei, aut in cæruleum vergentes. Differunt ſemina inuicem, craſſitie, rotunditate, amaritudine: amarius, quod tenuius eſt, & rotundius: huius ſiliqua breuior & aſpera.

Vicia vulgaris ſatiua copioſè in agris Montbelgardenſibus ſeritur, & potiſſimùm circa *Blaumontium*, vnde Montbelgardum adfertur, pro pabulo Columbarum eis gratiſſimo, quum interea Gallinæ, vti mihi affirmatum, non facilè iis veſcantur, anates verò, ſi comedant, moriantur. Semina matura Iulio & Auguſto.

## VICIA ALBO SEMINE

Folia duplicia. Flos. Siliquæ.

Mirifico *foliorum* luſu penè imponat alicui, veluti Proteus aliquis, vt eadem non eadem putari poſſit: ex his enim alia ferè rotunda, alia longa, & anguſta: *flos* vnicus, vel geminus, multâ purpurâ pictus, qua in re à Vicia, Aphace dicta, ſeiungitur, breui pediculo hærens: *ſiliqua* diuerſæ quoque, *ſeminibus* copioſis (nouem etenim grana in vna numeraui) grauidæ, albis penitùs, aut ſubpurpureis variis, aut virore pallentibus, ad Piſorum viridium minorum (quæ magnitudine quoque adæquant) figuram, palloremque accedentibus: à quibus tamen ſeiunguntur, quòd quā ſiliquæ adnectuntur, non, vt illa, nigricant.

Huius meminit Tragus in Hiſt. germ. ſub nomine weiß wicken/ ſuſpicaturque Fabam Veterum. Idem in Hiſt. lat. Eruum candidum vocat, coniicitque eſſe Fabam Veterum. Inter Ciceris Arietini genera reperitur quoddam coloris pallidi. Hoc genus Erui (quod germ. weiß wicken vocant) Piſum eſſe procliui errore quis iudicare poſſet: ſed neque ad Piſa, neque ad Orobos commodè referri poteſt. Hoc Eruum Fabas eſſe eas, quarum Veteres ſeorſim ſub Cyami appellatione mentionem fecerint, ſuſpicatur Tragus. Anguill. *Vicia alba*.

Locus & Tempus.

Habui Montbelgardi in horto Ill. E. C. Adhæc propè Beffordiam reperi in agro ſatam cum Piſis. Argentinæ Iulii principio dedit D. Agerius plātam virentem cum ſiliquis delatam ex Moltzheim nomine Piſi gallici, ita nominantibus Ieſuitis, qui ſemine eius veſcuntur.

## VICIA VVLGARIS SILVESTRIS ſemine paruo & nigro, frugum.



*Semen.* A Viciâ ſatiuâ ſemine potiſſimùm differre videtur; quòd admodũ paruum & rotundum, copioſum (ad octona eximere memini) in *Siliquis.* ſiliquis anguſtioribus, longioribus, magiſque teretibus, quàm viciæ ſepium, minùs hirſutis & ferè glabris, quæ ſiccæ nigreſcunt.

*Aphaca.* Aphace altera Manard. (de qua Dioſc. & Gal.) inter legumina reponenda: Viciæ adeò ſimilis, vt eius *Vicia.* nomen etiam hodie adhuc apud rura retineat, & ſilu. Vicia dicatur quæ in agris ſæpiſſimè ſponte nata videtur.

Trago in Hiſt. lat. Vicia minor, & Viciæ tertium genus. Idem Hiſt. germ. Daß Drit wicken geſchlecht: poteſt comprehendi ſub Orobanche aut Erui angina Theoph. Hoc licèt non pingatur à Trago, deſcriptio tamen, & iam dicta nomina huc referre cogunt.

Viciam minorem appellat Geſn. Vogel wick cuius ſiliquæ ſubrubræ, antequam matureſcant ſüben wick.

Matth. in Dioſc. nomine Viciæ noſtram Viciam vulgarem ſilu. ſemine paruo intelligere videtur: nulla tamen deſcriptio commoda, figura accedit iconi Fuchſii, quod folia attinet: ſiliquæ *Matth. figmentum.* cum floribus appenſæ foliis, figmentum certè: quiſnam vidit tale aliquid in genere Viciarum. In poſt. com. Ital. nihil correxit: dicit errare eos, qui hanc Viciam Aphacen putent, vti olim dixerat. In hiſt. germ. idem figmentum habet nomine Viciæ & wicken. Qui eius patrocinium ſuſcepit, nihil hîc patrocinatur. Aphaca Viciæ ſpecies, quam noſtri (ait Corn.) vogels wicken, & wild-wicken appellant.

*C. Bauh.* Caſp. Bauh. qui Viciam vocat apud Matthiol. falſam eiuſdem figuram retinet, ac ſatiuam vulgarem eſſe: cui cur aſſentiri non poſſim, antè dictum.

Dod. gall. ἄραχον & Arachum Galeni lib. de alim. facult. dicit, & nominat gallicè *Veſſe*, aut *Veſſe ſauuage*, Belg. Crock. Idem hiſt. frum. & *Cracca.* in fol. Craccæ primum genus. Hoc vitium Græcis ἄραχον, Gall. *Veſſeron*, quaſi Viciolam, aut Viciaſtrum, Germ. Wild wick & S. Chriſtoffels Kraut / Brabantis Croc. Ruellius etiam *Craccam* appellari refert. Fuchſ. *Aphacen* appellat. Matth. verò *Viciam* fecit, ſed vterque à veritate receſſit.

Figuram Fuchſii habebat olim Dod. quam meritò in poſtremis reiecit: an Aphace Fuchſii, ſit eius Cracca, vt vult, dubito, figura non indicat: an porrò deſcriptio conueniat, iudicent alii.

Lob. & Penæ Adu. *Aracus*, ſiue *Aracca*, & *Cracca* maior. *Vicia* ſilu. Semina non compreſſa, vt Viciæ & Aphacæ. Item Obſ. *Aracus*, Gallis *Crocque*, An vera Aphaca Dioſc. Dalechampio? *Aracus.*

An Anguil. Aphaca, Patauinis *Vecione*, & *Cesetone*.

Aphace, Cordo Vicia eſt, quæ ſponte in aruis naſcitur, quàm Germani Feldwicken. *Aphace.*

Loniceri figura, quam ſub his nominibus proponit, Wild wicken / feldtwicken / S. Chriſtoffels Kraut / Græcis Aphace, vulgò Vicia ſilueſtris: non conuenit Viciæ vulgari minori.

Hiſt. Lugd. Aphaca vera, Vicia Matthiolo. Aphacæ rectè fortaſſe dicetur legumen, quod Matthiolus nomine Viciæ exhibuit. Hiſt. eandem nobiſcum Viciam intelligere facilè exiſtimo, verùm figura Matthiolo falſa, non bene conuenit.

Abundat in agris Montbelgardenſibus: eandẽ, *Locus tempus.* ni, abat memoria, florentem reperi cum ſuis floribus purpureis paſſim in ſegetibus circa Monſpelium menſe Martio, Aprili, & Maio.

Huic affinis, ſi non eadem, anguſtiſſimis foliis ac tenuiſſimis, longiuſculis, flore pulchro, purpureo, à me reperta, cum eſſem Monſpelii, inter ſaxa, quà iter Frontignanum menſe Aprili. Frater C. Bauh. ſimilem Baſileæ collectam miſit. Dedit nobis D. Agerius Viciam, ex cuius radice erumpit, vt in Ciſtis, & Ledo, Orobanche cœrulea.

## VICIA SILV. QVASI INCANA flore albo.

MVltos ex eadem radice, quæ perennis eſt, *Deſcri.* profert *ramos*, teretes, ſtriatos, pedales, etiam *Rami. Folia.* cubitales interdum, quos ambiunt *foliorum* alæ, quemadmodum in vicia vulgari ſatiua, & ſilueſtri, ſed denſiore lanugine obductæ, & quaſi incanæ: capreolis, quibus, vicino gramini ſe implicat, extremam alam occupantibus: *flores* in *Flores.* ſupernis foliorum alis, terni plærumque, Viciæ vulgaris floribus perſimiles, candidi coloris, ſuperiore tamen folio, obſoleti coloris venis internè diſtento, inferiore foliolo eiuſdem coloris: *Siliqua.* floribus ſuccedunt *ſiliquæ*, ſeu vaginæ planæ (quantùm videlicet ex illarum rudimentis colligere licuit) Viciæ vulgaris ſiliquis ſimiles: *radix* fibroſa eſt, tuberculiſque vt Leguminum plæræque radices viuaces, donata.

Cluſio dicitur Vicia ſilu. albo flore, tam in Pannonicis, quàm in poſt. Hiſt. ſiue genus primum. Hungaris Waryw borſo / hoc eſt *Cornicis Piſum*, nuncupatur.

Naſcitur in aruis deſertis apud Chyzreg oppidum in Pannonia ſitum. Maio menſe florentem anno 1579 Cluſ. duntaxat obſeruabat. *Locus. Tempus.*

## VICIA SILV. FLORE ALbo alia.

VIciam ſilueſtrem flore albo in Auſtria collectam dedit nobis D. Agerius, ea videtur ſimilis *foliis* luteæ, piloſæ: *flos* in ſicca pallidus apparet: *ſiliquæ* principium, quod adfuit, latiuſculum, piloſum.

* * *

VICIA

## VICIA LVTEO FLORE SILV.



EX vna radice numeroſi, iidemque flexuoſi exeunt *cauliculi*, anguloſi, in alas alternatim diuiſi: quibus *folia* hærent Viciæ ſatiuæ ſimilia, dena, duodena, plùs minùs, quorum coſta in tortilē clauiculam terminatur. Alarũ, foliorumque commiſſuris *flores* ſingulares, ex breuiſſimis pediculis pendent, ſpecioſi ſatis, ex luteo pallidi, quibus *ſiliquæ* ſuccedunt vulgatæ Viciæ ſiliquis breuiores, habitiores, craſſiores, latioreſque, albâ hirſutie pubeſcentes, in quibus *ſemina* quaterna, aut quina, fuſca, maculata, aliquantùm anguloſa, compreſſaque: ſapore leguminoſo.

Monſpelii obſeruaui menſe Martio & Aprili. Montbelgardi menſe Maio: ſemen maturum Iunio. Quotannis ex ſemine deciduo repullulat, ac totam Hyemem perfert.

## VICIA SEPIVM PERENNIS.



PRope ſepes prouenit, *caule* duorum, triúmue cubitorum longitudine, *foliis* non multùm à foliis Viciæ vulgaris ſatiuæ abludentibus, ſubindetamē variantibus, in tarsũ diſpoſitis per coniugationes, quales aliquando in vno folio tredecim numeraui, quanquam ſoleant multò etiam paucioribus cõſtare: ſingularia folia à Vicia ſatiua eò potiſſimùm differunt, quòd quâ parte coſtæ adnectuntur, latiora ſint, indeque ſenſim attenuentur in mucronem [licèt & quædam rotunda ſatis reperiantur] minùs hirſuta, ſapore fatuo, viſcido, *flores* vnico pediculo rubenti hærent plures, ad ſex vſque, quod non bene exprimitur in noſtra Fuchſiana icone, è calyce purpureo; vnicolores, non bicolores, vt in Vicia ſatiua & ſilueſtri vulgatiori: quamquam intentionem quandam, & remiſſionem coloris in partibus floris eſt obſeruare: ſiquidem folia eius inferiora ſaturatiore purpurâ tincta ſunt, & penè nigricant: ſuperiora dilutiùs purpuraſcunt. *Siliquarum* inſigne diſcrimen: tam fœliciter ſiquidem florum vbertatem vna duntaxat, aut altera ſiliqua excipit, minor, multóque breuior, latiuſcula interim & compreſſa, glabra, non vt ſatiuæ hirſuta, per maturitatem nigra, præque nigredine penè lucens, *ſemina* claudens Piſi ſapore, medullâ luteâ, formâ variâ, modò longiora, interdum ſuſque deque aut altrinſecus compreſſa, non exactè rotunda, plùs quàm dimidio ſui ſiliquæ adhæreſcentia, intercedente apophyſi longiſſimâ, vt in Lathyro maiore, minora quàm Viciarum ſatiuarum, coloris albi, punctulis diſcurſantibus, quantùm hactenus obſeruare licuit: radix perennis, reptatrix, Ariſtolochiæ clematitis inſtar, fibris multò minoribus, dulce quid [aliorum leguminum de more] reſipiens. *Siliquæ.* *Semina.*

Trag. germ. ſub titulo Daß ander wicken geſwächs / wald wicken / & Orobi ſilv. ſepium Viciam pingit. Latinus verò, nomine alterius maioris Viciæ generis, & Viciæ maioris ſilv. An autem in deſcriptione, & inter nomina ſit ſecundum genus, dubium mouet, quod ait, ſemen grandius, quàm in ſatiua, quod hactenus nondum obſeruaui. *Orob. ſilv.*

An Geſn. de hort. Vicia floribus rubicundis, eidem de coll. ſtirp. Aphace Fuchſii, genus Viciæ ſilueſtris? *Aphace.*

Apud Tabern. dicitur *Cracca maior*, wycken. Græc. *ἀφάκη*, *Vicia*, & *Cracca*, Arab. *Apaki*. Ital. *Aphaca*. Belg. Crock. Boh. wicken. Quàm bene autem Tab. diſtinguat nomina Viciarum, facilè peritioribus conſtare poterit. *Cracca maior. Tabern. notatur.*

Fuchſio dicitur Aphace, & vulgò Vicia ſilv. & Os mundi. wild wicken germ. Aut S. Criſtoffels kraut. Gall. *Veſſe ſauuage*, aut *Veſſeron*. Figura Fuchſii ſatis commodè exprimit Viciam noſtram, aſt deſcriptio minùs placet. Dodonæus olim ſuæ Viciæ Fuchſii accommodarat, quamuis aliam plantam intelligeret, quod in Hiſt. ſtum. & in folio demonſtrauit, vbi ſuæ Viciæ veriorem figuram appoſuit. *Os mundi.*

Aberrant tandem, qui cenſent Aphacam nihil à Vicia differre vt oſtendit Galenus.

Plinius Dioſcoridis Aphacam ad verbum retulit, inquit Matth. *ἀφάκη* Græc. Lat. Aphaca & Aphace. Arab. *Apaki*, *Afaki*, ſiue *Albikia*. Ital. *Aphaca*. Germ. wild wicken, & Vogelswicken. Figuram eandem, quam Fuchſ. pro Aphaca habet Matthiolus, verùm deſcriptio non placet. In poſt. com. Ital. & Hiſt. germ. eandem figuram proponit, non demonſtrans de qua planta loquatur. In Epit. tandem Matth. cum add. Camer. alia Aphacæ ſpecies nuncupatur. Viciæ ſepium figuram aliquam fortè ponit Lonicerus, ſub dictione wicken quamvis de ea non loquatur in contextu. Multùm etiam differt Vicia ſilv. Lobelii Obſ. quamuis eandem faciat C. Bauh. apud Matth. dicens: *Vicia latiore folio*, *Aphaca* Matth. *Vicia maior ſilv.* Trag. *Vicia ſilv.* Lob. *Nomina linguarum Matth. notatur.* *C. Bauh. nom.*

An porrò Cluſ. Pannon. & Hiſt. Vicia plurimùm in Belgica vepribus ſe implicans?

Minimè tandem gentium Vicia vera cùm Aphace Matthioli, quod Hiſt. Lugd. placet, conuenit. Diximus enim antè figuram Matth. non congruere cum Vicia ſatiua, eſt namque Vicia quam ſepium perennem vocamus. *Hiſt. Lugd. error.*

Copioſè prouenit in ſepibus & pratis circa Montbelgardum, nec non ſpontè in horto Ill. E. C. floret Aprili menſe. Circa Beffordiam quoque florentem obſeruaui in ſepibus Auguſto, & in fine eiuſdem menſis cum ſemine deciduo. *Locus & tempus.*

Baſileæ & alibi quoque à me obſeruata eſt.

## VICIA SILV. LVTEA CVM galea fuſca.



Locus. Viciæ ſilueſtris nomine dedit mihi ramum D. Agerius, collectæ circa Bononiam, cui tribuebat florẽ luteum cum galea fuſca: in ſicca ſanè inferiora labra lutea apparent & neſcio quẽ obſcurum colorem habet, Flos. *flores* maiores quàm luteæ à nobis deſcriptæ, bini ex breuibus pediculis iuxta fo- Folia. lium, vt in illa: *folia* verò diuerſa, quinque tantùm coniugationes ſupputauit, foliola breuiora, latiora, ad foliola Viciæ ſepium perennis accedentia, paullò rotundiora tamen, folia deſinunt Siliqua. in capreolos: *ſiliqua* etiam quamuis nondum matura nobis videbatur, attamen ad modò dictæ Viciæ ſiliquam, eam ſuo tempore acceſſuram, colligere haud difficile fuit.

## VICIA MVLTIFOLIA CVM latis ſiliquis.



Pvlchrum Viciæ genus accepimus à Dom. Agerio Med. Argentinenſi, cui folia omninò ſimilia Viciæ noſtræ multi- Folia. florę: *foliorum*, vt in illa, cõiugationes plurimæ, ad duodecim ſupputaui: anguſta ſunt, in acumẽ deſinunt, in iis Flores. magni pili: *flores* parui, ſingulares, ex breuiſſimis pediculis ſicci lu- Siliquæ. tei apparent: *ſiliquæ* ſingulares etiam, primò valdè hirſutæ, poſtea minus, ſed tactu aſperæ, vnciam vnam & ſemis breuiores, & vnciam ſemis ferè latæ, in iis grana quinque obſeruauimus, cuius ſint coloris vel magnitudinis, dicere, non poſſumus, quia immatura.

## HELENIVM ÆGYPTIVM EX genere fortè Viciarum.

Planta gracilior, quàm ſequens, in aſperis & petroſis naſcitur: dodrantalibus *cauliculis* e- Loc. rectis: *foliis* ab radice longioribus ſequenti, nullà fermè diuiſurà, in *caule* autem crebris diuiſu- Flo. ris, gracilioribuſque: *floſculos* fert veluti in capitulis rubentes: & exiguas ac breues ſiliquas foliculis incluſas: *radice* nititur tenui, colore buxeo. Huic & ſequenti non abſimile videtur Helenium Ægyptium apud Dioſc. deſcriptum ex ſententia Crateuæ.

## LVPINVS SILV. ITALORVM ruſticorum, Cæſalp. dictus.

Planta hodie à ruſticis [Italicis] *Lupinus ſilueſtris* Locus vocatur: oritur prope flumina præcipuè in maritimis: *caulibus* humi repentibus, cubitalibus, Caule circa radicem ſubruhentem: *folia* fert diuiſa Len- Folia. tis modo: foliolis ſc. coniugatim in pediculo diſpoſitis, colore, & figurâ Lupini, infernè candicantibus, ſupernè virentibus: *flores* in racemulis oblongis, colore ſanguineo *ſiliquas* vaginâ incluſas, tenues, aſperas, interceptas, ac depreſſas quaſi Lentes, inuicem hærentes: eâ pingueſcunt iumẽta, & à morbis curantur.

## VICIA MVLTIFLORA PERENNIS, NEMORENSIS, SIVE DVmetorum.

Per antonomaſiam floridæ nomen meruit hæc Florida. Vicia, quippe quæ velut iubam, numeroſiſſimos confertim, eodem vergentes, paruos, cœruleos, aut purpuraſcentes *flores* Viciæ proferat, Flos. ſpicæ æmulos, in ſurculo peculiari ex alarum ſinubus orto: *folia* anguſta admodum, acuminata, Folia. hirſuta, in alam digeſta, Viciæ vulgaris ſatiuæ ferè inſtar, in agro ſqualidiori natæ, coſtæ extremum in capreolos abit quemadmodum in Viciis & Lentibus: *caules* bicubitales, ſtriati, in ramos Caule ſatis rectos diuiſi.

A Cluſio ita deſcribitur:

Cubitalibus eſt *ramis*, ſtriatis, lentis, infirmis, Deſc. C. & humi, niſi capreolis ſeſe ſuſtineant, procum- Rami. bentibus, obliquò, modò in hanc, modò in alteram partem, ſecundùm foliorum alas, inflexis, è quibus frequentes plerumque ramuli enaſcuntur: *foliorum* alæ oblongæ, tenues, deorſum incuruæ, ſeu nutãtes, & in binos capreolos deſinentes, duodenis, vicenis, vicenis ſenis, aut pluribus, interdum oblongis, anguſtiſque foliolis ſurrectis, & ex aduerſo nunc æqualiter, modò inæqualiter naſcentibus, præditæ ſunt: *floſculi* elegantes, Viciæ ſilu. albo flore, quaſi incanæ floribus formâ non diſpares, minores tamen, & Aſtragali montani (Cluſio Onobrychidis quartæ) floſculis propemodum reſpondẽtes, coloris ex cœruleo purpuraſcentis, viceni nonnunquam, aut plures, ſpicæ inſtar in oblongis nudis ramulis, ex ſuperiorum alarum ſinu exeuntibus, naſcuntur: deinde vncialis longitudinis *ſiliquulæ* exiguum ſemen Siliqua continentes: *radix* tenuis, latè ſerpens, & ſub tellure ſe condens, ſingulis annis nouos, frequentioreſque ramos profert.

Eſt

Eſt apud eundem Pannon. Vicia ſilu. ſpicato flore: & Hiſt.poſt.Vicia ſilu.Pannon.2. Hungaris Warym borſo [ Cornicis Piſum ] quoque dicta, [omne namque ſilu. Viciæ genus ita nuncupant] quæ plurimùm à Belgica, vepribus ſe implicante differt.

Trago germ. die fünfft wick/ Aphace Dioſc. germ. S. Chriſtoffels Kraut. Lat. Os mundi. Quibuſdam Schwartz linſen. In Lat.autem, *Vicia ſilu.altera* , *Vicia alia in dumetis* , *Vicia quinta*, *Vicia poſtrema, quæ in dumetis naſcitur*, ἀφάκη.

Dod.gall.*Viciæ ſecundæ ſilu.prima quæ poteſt vocari Arachus*:gall.*Veſſe ſauuage*.germ.wild wicken Belg. wilde Witſen. Item frum.& Hiſt.in fol. Noſtri wilde witzen, hoc eſt , Viciam ſilu.aut germanicam, non impropriè Galegam ſilu.aut germanicam quis ipſam nominarit: nam Galegæ quædam ſpecies videtur.

*Geſn.* de Lunariis, Trago Viciæ genus in dumetis naſcens. Et de coll. ſtirp. Vicia quædam ſilu. floribus cœruleis. An eidem ibidem Viciæ quædam ſpecies [an Aphaca.]

Tab. ic. & Hiſt.*Aracus* , *Vicia*, *Aphaca*. Vogels wicken.

Viciam multifloram habemus in horto Montbelgardi C.W. in medico , & ferarum, paſſim etiam abundat in dumetis & pratis. Obſeruaui Baſileæ florentem Iunio & Iulio , Beffordiæ prope caſtellum etiam in pratis,& Monſpelii cum flore Maio in ſegetibus propè *Caſtelneuf*. Aliquando Geſnero plantam ſiccam cum deſcriptione miſi, ſine nomine. Frater C.Bauh. attulit ex horto Patauino nomine Antbillidis primæ Dioſcoridis Guilandino.

VICIA PARVA, SIVE CRACCA MINOR CVM MVLTIS SIliquis hirſutis.



EX *radice* exili & inutili, quadrati, tenues, & infirmi exeunt *coliculi* importuna alarum vbertate luxuriantes : *folia* Lentis foliis paria , læuia, pinnata , rarò ſibi mutuò reſpondentia, ad medium neruum annexa, ad ſeptendecim;qui in tortiles capreolos variè partitos faceſſeris ſegetem infeſto cōplexu arripit.ſtrangulat, excreſcens interdum ad tres cubitos : ex foliorum alis hinc inde enatis pediculis *floſculi* inſident racematim , quatuor, vel quinque, eódem ſpectantes , puſilli,ex albo ſubpurpurei, quos *ſiliquæ* excipiunt ſemunciales, hirſutæ . quarum ſingulis bina *grana* inſunt Viciæ ſepium minora, rotundiora, magis maculata.

Trag. germ. das klein weißgraw wicklen : poteſt comprehendi ſub Orobanche,aut Erui angina Dioſc.& Theophraſti. Idem.in Lat.*Omnium minima Vicia: quartum & genus*. Tragi Viciam minimam , quò referam non video , niſi ſit Cracca minor.

Tab.ic. *Cracca minor* klein wild wickelen Hiſt. etiam *Vicia, Aphace* & *Aracus*. *Cracca minor.*

Lob. & Pena Arachum vocant , ſiue craccam minimam:& Aracum,ſiue craccam minorem,habentque figuram Dodonæi,dicuntque in Aduerſariis quatuor granula contineri in ſiliquis, quod nondum animaduerti , ſicut nec etiam Dod. qui bina tantùm in illis deprehendimus. Dicitur autem Dod.gall. *Vicia ſilu.*2. Arachi ſpecies I. Hiſt. verò frum. & Lat.in fol. Craccæ alterum genus, Brabantis Kroc. *Arachus.*

Abundat in agris, etiam in horto Ill.E.C.à me ſata, quæ ſe propagat ſemine deciduo quotannis. Frater C.Bauh. attulit Patauio pro cicere ſilu.Cortuſi : his Baſileæ obſeruauit , Geneuæ florentem & ſiliquas habentem vidi Iunio & Iulio. Montbelgardi florentem & ſemine maturo Auguſto. Locus. Tempus

VICIÆ, SIVE CRACCÆ MINIMæ ſpecies cum ſiliquis glabris.



EST præcedenti tenerior, *foliis* ſimilibus interdum,tamen rarioribus, pediculo tenuiſſimo , longo , ex foliorum alis nato : *flos* innaſcitur vnicus, ſuaue purpuraſcens, ſæpe vel duo, vel tres , quem ſequitur *ſiliqua*, præcedentis craccæ ſiliquæ par,glabra, toroſa, duo , tria, aut etiam quatuor *grana* cōtinens. Deſcr.

Hanc fortè Lob. & Pena confuderunt cum Dodonæi craccæ altero genere, de quo antè.

Montbelgardi in horto Ill.E.C. & paſſim in agris floret Iulio menſe, ſemine maturo Auguſto. Hanc & Geneuæ quondam obſeruaui in agrorum limitibus. Locus & tempus.

VICIA SILVATICA MAXIMA PISO ſilueſtri ſimilis.

OMnium Viciarum , quotquot hactenus videre licuit, maxima eſt, multorum cubitorum , *foliis* ad Viciæ ſepium folia accedentibus, multò maioribus , & Piſo ſilueſtri reſpondentibus, ſeſcuncialibus , vnciam latis , modicè obtuſis : *flores* ſurculi cuiuſdam longiſſimi extremum occupant numeroſi, purpuraſcentes,ſubſequentibus ſiliquis pari cum Piſorum magnitudine, compreſſioribus,latis, glabris:*radix* craſſa, nodis intercepta,reptatrix,caulium complurimùm propagine fertilis,perennis. Deſcr. Folia. Flores.

Meminiſſe huius Tab.icon.& hiſt.credimus,& hoc quidem titulo Piſi ſilu. minoris , Klein wild Erbſen. *Piſum ſilu. minus.*

Locus



Viciam ſilvaticam autē voco Viciæ genus hoc à me olim repertum prope Tigurum. Hæc mihi prouenit Montbelgardi in horto Ill. E. C. Eandem copiosè reperi circa fontē admirabilem Bollenſem cum flore & ſiliquis menſe Auguſto, & veniendo Rheinfeld inter Weil & Baſileam cum ſiliquis Nouembri.

## VICIA ALIQVA.

Deſcriptio. IN ramorum cacumine flores congeſtos poſſidet, Polygalis Geſneri pares, nec abſimili figura, ſed colore cœruleos: *folia* pinnata coſtæ annexa, Viciæ foliis longitudine paria, anguſta: coſta extrema in capreolos deſinit.

Nobis attulit Gener Cherlerus, vbi collegerit, non recordatur.

## VICIA SILV. CVM LENTIS ſiliqua.



Caulis. Folia. DOdrantalē habet *caulem* gracilem, anguloſum, glabrum, ramoſum folia duarū, triúmue vnciarum, *tarſi* effigie, ſingularia, craccæ minimæ foliis non maiora, per extremum obtuſa & veluti cordata: coſtæ extremū in tortiles cirrhos abit: ex alę ſinu enatus pediculus vncialis *florem* gerit vnicū, Lentis flori ſimilem, quem excipit ſiliqua (Siliqua) vnciâ longior, ſemunciam lata, glabra, compreſſa, duo, aut tria claudens *ſemina*, orbiculata, Lentis maioris. (Semen.)

Pictor noſter malè pinxit folia acuta, quum ſint cordata quodammodo.

Locus. Nemauſi in Gallia Narbonenſi collectam mihi attulit Gener Cherlerus.

## VICIÆ PARVVM GENVS, FOLIO longo.

Locus. CVbitalem Monſpelio allatam dedit ramum Frater C. Bauh. anguloſum, foliis alatis, coſtâ



in capreolos faceſſente: ſingularia *folia* ſeſcuncialia, & duarum vnciarum, raminea vix culmū lata, in acumen deſinentia: *floſculi* longo ſurculo peculiari hęrent, multi, oblōgi: ſequuntur *ſiliquæ* craccæ minores, nonnihil longiores. Folia Flores Siliq

## VICIÆ PVLCHRVM GENVS MVLtifolium, ſiue Galegæ ſpecies quibuſdam.



COſtę longæ in capreolum deſinenti alligantur *folia* interdum viginti, in acumen deſinentia, glabra: *florū* idem poſitus ex longo pediculo, pauciores, vt animaduertere adhuc licuit, paullò maiores ſinguli, quales ferè Viciæ ſepium, purpuraſcentes, niſi fallat ſicca plāta. Ramoſa eſt hæc Vicia. Foli

In foliis ſiccis nullum manifeſtum animaduertimus ſaporem.

Argentinę anno 1595. habui ex plantis ſiccis D. Agerii, qui poſtea anno 1600. dedit nomine Galegæ alicuius ex monte Apennino. Loc

## VICIA, QVAE PITINE ANGVILLARÆ, LATA SILIQVA, FLOre luteo.

PItine Anguillaræ dicta, legumen eſt, ex *radice* tenui & annua *caules* plures proferens anguloſos, cubitales, dodrantales, & ſeſquicubitales, ramoſos, tenues, imbecilles, nec niſi capreolorū ope, quibus ſe proximis circum voluūt, humo ſurgentes: *folia* ex interuallis bina, oppoſita, cauliculis ſine pediculo adnaſcūtur, triquetra, Helxines ciſſampeli, læuia, tenera, ſtriata, ſurſum plærumque ſpectantia, & caulem veluti complexa, ex quorum alis ſubinde rami prodeunt, foliis itidem veſtiti, nec non clauiculæ tortiles, itidemque pediculi duabus vnciis longiores, quibus ſingulis ſinguli inſident *flores* lutei, Lathyri lutei floribus Ca Foli



floribus ſimiles, quos *ſiliquæ* excipiunt vnciales, aut ſeſcunciales, latiuſculæ, modicè falcatæ, compreſſæ, in quibus ſex, ſeptémue *ſemina*, Lentibus minora, non ita compreſſa, ſed paulò rotundiora, quæ modò nigricant, modò rubeſcunt, modò variegata videntur.

Hæc eſt illa, quam Dod. paſſim ἀφάκην, Aphacam, & Aphacen Dioſc. & Plinio, ac Galeno dictam ſcribit. An autem nomina Italica *Vicioni* & *Ceſerone* quæ Lob. & Pena in Adv. & Obſ. huic plantæ tribuit, conueniant dubium mouet, quòd Anguillara ea alteri adſcripſerit. Nunc ſi Geſnero fides non abroganda, malè Anguill. πιτίνη ex Theoph. conuertit. Pitine namque pro Serpillo corruptum apud Theoph. eſſe vocabulum, obſeruauit primò Geſn. quod idem poſtea, ad plantam ſiccam, quam ei inter alias Monſpeliacas tranſmiſi, annotauit.

Aphaca, Camer. horti teſte, ſeu Pitina Theoph. depingitur à Dodon. Lob. & Lugd. Lugd. quidem hiſce vocabulis: Orobanche, legumen, aut leguminis vitium, ὀρόβαγχη Theoph. Gal. & Plinio. Aphaca Dod. quam Theod. in Theoph. Eruāgam vertit, alii Erui anginam. Sed dicam liberè, hæc planta non placet pro Lugdunenſis Orobanche, Cæſalpini ſententiam potiùs approbarim, qui Cuſcutam Orobanchen putat. Eius tamen opinionem, & eorum qui eum ſequuntur, apprimè recipio, qui Aphacen ſtatuit: Theophraſtus enim ſcribit Securidacam in Aphaca naſci, quaſi ſatiua ſit Aphaca.

Cæſalp. porrò hanc vocat Aphacam flore luteo, Dioſc. Gal. & Plinii. Aphacen, cui ſemina madidiora, & minora Lenticula: per madidiora verò ſignificare videtur, lubricum lentorem, qui peculiaris eſt in Aphace ſeminibus. Dicitur à Tab. Elatine tertia.

Quotannis ſemine deciduo ſe propagat in horto Ill. E. C. aliàs ſponte Montbelgardi copioſè prouenit inter ſegetes. Monſpelii obſeruaui, necnon in Italia, vt Bononiæ. Baſileæ florentem & ſiliquas habentem menſe Maio. Hanc Geneuæ vocant *Peſete*.

## VICIÆ FOLIIS ARACVS Anguillaræ.

ARacos Galeni prouenit inter ſegetes foliis ſimilibus Viciæ, ſed anguſtioribus. Flos eſt coloris ruffi, & ſemen ſimile Eruo, verùm caret, inquit Anguillara, nomine vulgari.

An non fortè à nobis ſub alio nomine tradita, Lectores inueſtigent.

* * *
* *



## LENS.

### CAP. XVI.



*Lens maior.*

LEgumen hoc infirmis caulibus humi proſternitur, niſi in propinquo habeat cui capreolorum amplexu innitens ſeſe erigat: *radix* itidem puſilla: *folia* pinnata Viciæ, minora, hirſuta: *flores* purpuraſcunt, vel albeſcunt: *ſiliquæ* breues, compreſſæ, *ſemina* duo, aut tria continent, circinata, compreſſa, colore albido, vel ſubnigro, ſeu ſuſco, parua, valde læuia, quæ cortice dempto in duas partes ſcinduntur. *Deſcr. Caules. Folia. Flores. Siliqua. Semina.*



Eſt & alia vulgari Lente omnibus partibus ſpecioſior & maior, [ob id dicta meritò *maior Lens*] herbâ, foliis, flore albo, ſiliquis, vt & ſmine, quod Lentis vulgaris grana duo aut tria facilè æquat. *Lens alia.*

De Lente hæc ſcripſit Theoph. Lenti caulis in latus tendit. Hæc præarida ſine vllo odore, maximè inter legumina fertilis eſt, & ſummatim, quæ ſemen ferunt puſillum. Lentem porrò [cuius in leguminum genere ſera ſatio eſt] vt craſſeſcat, paxillo demittunt.

Inuenio apud authores, inquit Plinius, æquanimitatem fieri veſcentibus eâ. Hinc Rhodig. [vt Dalech. notat] lentos dictos vult patientes, lenes, minimè iracundos, quamuis & pigros, incurioſos, ſegnes, ſic etiam vocent. Genera Lenti in Ægypto (pergit Plin.) ſunt duo, alterum rotundius, nigriuſque: alterum ſuâ figurâ. Vnde vario vſu tranſlatum ſit in Lenticula nomen. *Æquanimitatem parit. Lenti qui dicantur. Genera duo Plinio.*

Hinc etiam Martialis rem exiguam & ferè nullius momenti ſignificare volens, ita canit: *Exigui momenti.*

*Accipe Niliacam Peluſia munera Lentem*
*Vilior eſt alica, carior illa Faba.*

Cæterùm, infit Tragus, *Lens*, φακὸς Theoph. Lentis vulgaris, ſeu agreſtis, grana alia ſubruffa, alia *Differentia Trago.*

ex luteo pallida; nonnulla ex cano nigricantia appatent: humidâ verò cæli tempeſtate prorſus nigra euadunt. Serap. *Hader*, Hebr. *Aſdach*, Chald. *Iamma*, aliàs *Theluſcha*. Lens ſatiua maior & latior. Lentis vulg. granula haud temerè ſupra quatuor in ſiliqua. Lentes in Vicia degenerant.

Lonicer. pingit, dicens: Linſen vocari Græcis Phace.

*Dodon. notatur.*

Dodonæo in fol. additæ duæ ſunt icones: vni titulus *Lens*, alteri *Lens minor*, cùm tamen duarum in deſcriptione non faciat mentionem. Sed *ollâ*, quod dicitur, *Lenticulam attigit*. Quemadmodum enim olla fictilis Lentem amare videtur, ac velut vltrò venire ad Lentem: ita Dodon. ad exhibendum abſque deſcriptione figuras vehementer propenſus, ac velut ad id natus, duas nullâ additâ deſcriptione proponit.

*Etymon.*

Lentem ex Etymi vi dictam eſſe *Cornario* videtur, quaſi lenis dicta ſit, lenitatiſque ſignificationem habeat. Nec Germanos aliter Linſen appellare, quàm velut Linde.

Nomina linguarum.

Φακὸς Græcis [autor eſt Matth.] eadem quæ *Lens* Latinis. *Hader* Arab. *Lenticchia* Ital. Germ. Linſen / Hiſp. *Lenteyas*, Gall. *Lentille*, Boh. Sſocowice. Et quod Matth. omiſit, Belg. Lenſin, Angl. Lentiles. Idem in poſt. com. Ital. duas facit ſpecies, minorem albam, cineritiam paulò maiorem. Et Hiſt. germ. Lentem maiorem, & minorem.

*Lob. notatur.*

Aduerſaria nomenclaturam dictam, non tantùm non habent, ſed nihil inſuper addunt.

Anguill. præter iam recenſita nomina, *Lente* in Italia dici perhibet. Fruſtra denique mihi videntur à Lob. Obſ. & Ic. Pl. duæ poni figuræ: præterea magis vulgarem exiſtimo minorem, quàm maiorem.

Geſnet. cum Cordo contentus nominibus vulgaribus, vt & Tab. ic. & Hiſt.

Lentem Italicam *Cam.* horti grandiorem dicit, & candidiorem vulgari.

*Lentes in Aracum mutari.*

Lentes in Aracum mutari obſeruauit Marantha.

Lens Cæſalpino ſemen eſt candicans, aut ruffeſcens, floſculis candicantibus, vel purpuraſcentibus: differunt amplitudine ſeminis, & exilitate: probatur latum & candidius, ruffum & paruum deterius eſt: perfectum Græci Phacon vocant.

Caſp. Bauhin. apud Matthiol. Lentium genera duo habet, maius & minus. Gerard. Great lentils Lentem maiorem, minorem verò letle lentils appellat.

Locus & Tempus.

Cælum amat, inquit Plin. ſiccum, ſolum autem tenue magis, quàm pingue. Lens floret Monſpelii Aprili, Lugduni, Geneuæ, & Baſileæ frequens. Montbelgardi eâ conſeruntur agri. Maior ex ſemine Sturgardiâ miſſo prouenit, Aprili floret, Iunio & Iulio matureſcit. Lens vulgaris ſeu agreſtis, autore Trago, ſolo gaudet mediocriter pingui, ſoletque appetente verno tempore ſeti, erumpit è terra inſtar Viciæ. Lens ſatiua non ita pridem è Lotharingia ad me allata. Teſte Schvv. calidiore ſolo, & ſudo proferi gaudet. A Cæſalp. ſeritur locis aridis.

Vires & vſus.

Lens ſi aſſiduè edatur, ex Dioſcor. autoritate viſum hebetat, ægrè concoquitur, ſtomacho incommoda eſt, inflat eum, & inteſtina: aluum autem ſiſtit, ſi cum cortice edatur. Præſtat, quæ facilè coquitur, & quæ dum maceratur, nihil nigri remittit. Vim habet adſtringentem. Vnde aluũ ſiſtit decorticata prius, & diligenter cocta, primà in coquendo aquâ diffuſâ. Nam primum ipſius decoctum aluum ſiſtit [λυπηκὸν Cod. Baſil. non σαλπηκὸν, vt videtur Corn. legitur contra Gal. mentem:] *Cornar.* Inducit lens grauia ſomnia, ad neruoſa, & pulmonem, & caput incommoda eſt. *Somni.* Meliùs autẽ ſuum opus perficit ad alui fluxiones, addito ad ipſam cum aceto intybo, aut Portulaca, aut Beta nigra, aut Myrti baccis, aut Malicorio, aut Roſis *Aceto.* ſiccis, aut Meſpilis, aut Sorbis, aut Piris, aut Palmulis Thebaicis, aut Coroneis Malis, aut Cichorio, aut Plantagine, aut gallis integris, quæ poſt coctutam abiiciuntur, aut Rhoë, qui obſoniis inſpergitur. Oportet autem acetum diligenter cum ipſa coquere, alioqui aluum perturbat. Triginta Lentes decorticatæ ac deuoratæ, ad ſtomachi ſubuerſionem proſunt. Lenit etiam Podagram, cocta cum polenta & impoſita. *Vlcer. Strum. Inflam.* Cum melle verò, ſinus glutinat, cruſtas rumpit, & vlcera repurgat. At cum aceto cocta duritias & ſtrumas *tio.* diſcutit. Cum Meliloto verò, aut Malo cotoneo, oculorum & ſedis inflammationes curat roſaceo ammixto. Verùm in maioribus ſedis inflammationibus, & magnis ſinubus, cum Malicorio, aut Roſis aridis decoquitur, ammixto etiam melle. Ad nomas gangrænicas ſimiliter, aut ammixtâ etiam aqua marinâ, Ad puſtulas autem, & herpetas, & ſacros ignes & perniones, velut antea dictum eſt. Cæterùm ad mammas lacte turgentes, *Mam.* & lacte in ipſis in grumos coacto in aqua marina cocta, & impoſita commoda eſt. Plinius vſum eius medicum ferè velut Dioſc. habet. Lens *Lens mia.* optima inquit, quæ facillimè coquitur, eaque, quæ maximè aquam abſorbet. Aciem quidem oculorum obtundit, & ſtomachum inflat, ſed aluum ſiſtit in cibo, magíſque diſcocta cœleſti aqua: eadem ſoluit, minùs percocta. Cruſtulas vlcerum rumpit eaque, quæ intra os ſunt, purgat, & adſtringit. Collectiones impoſita ſedat, maximéque exulceratas, & rimoſas. Oculorum *Ocul.* autem epiphoras cum Meliloto, aut Cotoneo. Et paullò pòſt: Ad ſedem cum roſaceo aut Cotoneo. In his, quæ acrius remedium exigunt, cum putamine Punici, melle modico adiecto. Et rurſus: Propter diſſolutionem ſtomachi triginta grana Lentis deuorantur. In choleris quoque *Dyſ.* & dyſenteria, efficacior eſt in tribus aquis cocta in quo vſu meliùs ſemper eam torrere antè & tundere, vt quàm tenuiſſima detur, vel per ſe, vel cum Cotoneo, aut Piris, aut Myrto, aut Intubo erratico, aut Beta nigra, aut Plantagine. *Nox.* Pulmoni eſt inutilis, & capitis dolori, neruoſíſque omnibus, & felli: nec ſõno facilis. Ad puſtulas vtilis, ignique ſacro. Et mammis in aqua marina decocta: in aceto autem duritias & ſtrumas diſcutit. At Galeno teſte, Lentes adſtringunt quidem, ſed non validè, & caliditatis & frigiditatis in medio conſiſtunt, & ſecundo ordine ſiccant. Proinde corpus quidem ipſarum ſiccat, & ventrem ſiſtit. Decoctum verò propellit. Qua- *Corp.* propter etiam prior aqua diffunditur, cùm cohibendi gratiâ ſumuntur. *Et rurſus*: Nemo ex *Dec.* Lentibus panem facit: aridæ enim ſunt, ac friabiles, corticémque habẽt adſtringentem, & quæ ipſorum eſt veluti caro, craſſi eſt ſucci, ac terrei, auſteram qualitatem habens exiguam, cuius cortex multæ eſt particeps. Succus verò in ipſis eſt *Succ.* adſtringenti contrarius. Quocirca ſi quis in aqua Lentes coxerit, deinde aquam ſale, aut garo, aut cum ipſis oleo conditam ſumpſerit, potus is aluum deiicit. At ex bis coctis Lentibus, ad eum modum, quem diximus, paratus cibus facultatẽ habet ſucco contrariam, vt quæ ventris fluxus

ſiccet,ſtomachum, inteſtina, & totum denique ventrem corroboret. Quamobrem cœliacis, & dyſentericis, cibus eſt accommodus. Lens verò decotticata,vt illam adſtringendi vehemētilam, & ea,quæ ipſam conſequuntur,amittit: ita magis nutrit,quàm quæ cortice ſpoliata non eſt:verùm ſuccum craſſum ac paruum gignit,tardéque commeat,non tamen alui fluxus deſiccat, vti ea cui cortex non eſt ademptus. Aegineta quum ſubcruentæ puſtulæ euaſerunt [à morſu viperę] ipſas ſcarificat, ita ne excoriet, deinde multâ aquâ fouet,Lēticulam coctam cum melle obducit,dum conſaneſcant. Conſiderandum ſanè, an conſultum ſit applicare Lentim,quæ adſtringit morſui viperino: vereor ego quidem adhibere, ne venenum intrò repellatur. Qui igitur Aeginetæ ſubſcribit, is cum illo *Lenticulam angulo tenet* [negotium, quod fieri nullo pacto poteſt, tentat] ſiquidē Lens angulis careat. In càliditate & humiditate,inquit Scvvhenkf.medium tenet, deſiccat tamen ordine 2. valenter quoque adſtringit, ventrem ſiſtit. Decoctum verò prouocat,inflat,lenit, glutinat,extinguit,purgat,diſcutit.

Sed *in Lente vnguentum*[in Lenticula fabulam] Cæſalpinus narrare videtur.Ineptè enim vili legumini mirandum effectum adſcribit, qui minimè congruit, nec in tempore adhibetur.Dum enim Dioſcor. & alii Lentem & oculorum aciē hebetare, ſtomacho grauem eſſe, inteſtinis noxiam, neruis, pulmoni & capiti inimicam,& turbulenta inſomnia gignere, ſcribunt, is ex Arabum ſententia decoctum earum ad febres peſtilentes, quas lenticulares vocant,laudat,quia exanthemata in illis erumpentia, Lenticulas repræſentent. Sed eum plura inter ſe diſſimilia confundere,quis non videt? Eum meherclè imitatur, qui mentionem inducit vilis cuiuſpiam aut nihili vel hominis, vel alterius rei, aliis de egregiis verba facientibus, in quem adagium hoc quadrat,*in Lente vnguentum.*

Cæterùm, *mera* aut *egregia nulla de Lente*, minutum enim eſt, ac vile legumen. Prouerbium autem eſt, *Mira de Lente*, apud Græcos dici ſolitum,quoties res humilis & puſilla ſplendidis excomiis, magnificiſque laudibus attolleretur:

Porrò,*Diues factus iam deſiit gaudere Lente.*Pauperum ſiquidem ac tenuium cibus eſt: quæ faſtiditur ſimulatque lautior fortuna contigit.Prouerbium in eos eſt, quibus ad vbetiorem conditionem euectis, faſtidio ſunt ea, quæ priùs inopes boni conſulebant. Dixit hoc Ariſtophanes in adoleſcentem, qui cùm pauper haberet conſuetudinem cum anu, nactus diuitias, cepit illam faſtidire. Et licèt dictum ſit Lentes eſſe pauperum cibum, non tamen conuenit vt eadem ad faſtidium iterentur, ne Athenæi trimeter prouerbialis obiiciatur:

*Te Lens Deus corripiat & fortuna Lens*

Sed de his ſatis. Nam Zen*onium eſt & Lentem coquere*,id eſt,Sapientis eſt, in re minutiſſima ſe artificem declarare.

---

## OROBVS SIVE ERVVM IN genere.

### CAP. XVII.

MVtant ſemina & pro temporum ratione vt leuiora, faciliotaque reddantur: vt ſi [ὄροβον] Eruum, quis Verę ſerat, facilè, gratumque exit, non graue, quemadmodum ſi Autumno ſeratur. Floris inter cætera legumina, diutina productio eſt. Huic porrò quemadmodum Ciceri & Fabę,primùm pars inſerna floret,quæ cùm deſierit, proxima incipit, atque ita ad ſupernam itur ſucceſſu aſſiduo: qua de cauſa multoties Eruo, auulsâ ſemen ex ima parte defluxiſſe cernitur, virente adhuc omnihò,herbaceaque ſupernâ.Caulem habet in latera magis diſperſum. Numeratur inter ea,quæ omnium maximè durant. Serere inter radiculas conſueuere contra papiliones [τὰς ψυχὰς.] Seritur aliàs maturiùs, ſic tamen, vt non prorſus ante Ver. Candidum in omnibus generibus præſtat.Et licet ſemina eius ſiliquis,Cylindratis incluſa proueniant, attamen non interſepta, ſed quaſi inuicem contingentia conſtant. Fructus rotundos Geſn. eſſe dicit, modo Piperis, quod apud Theop. nondum reperio.

*Floret longum tempus. Caulis. Vſus. Delectus. Geſn. notatur.*

Ὄροβος [Eruum] inquit Dioſc. paruus frutex [θαμνίσκος] omnibus cognitus,anguſto folio,tenuis, ſemina in valuulis (ἐν λοβοῖς) habet.

*Frutex eſt.*

Apud nos (Galeni verba ſunt) ſemen quoddam ſilueſtre,rotundum,ac durum, Eruóque exilius in fructibus cerealibus repertum, quod Arachum nominant

Erui, quod Plinio facilè conceſſerimus, non operoſa cura eſt. Hoc ampliùs quàm Vicia runcatur. Naſcitur & Phalangion in Eruo, beſtiola Aranei generis,ſi Hyems aquoſa ſit.

*Cultura.*

Eruum autem,ſi Columellæ credimus, lætatur loco macro, nec humido, quia luxuriâ plerumque corrumpitur. Poteſt & Autumno ſeri, nec minùs poſt brumam. Ianuarii parte nouiſſimâ, vel toto Februario,dum ante Calendas Martias, quem menſem vniuerſum negant Agricolæ huic legumini conuenire, quòd eo tempore ſatum pecori ſit noxium, & præcipuè bubus, quos pabulo ſuo cerebroſos reddat, quinque modiis iugerum obſeritur.

*Locus. Tempus.*

Cicera bubus Erui loco freſa datur in Hiſpania Bœtica, quæ cùm ſuſpenſa mola diuiſa eſt, paullùm aqua maceratur, dum leneſcat. Atque ita miſta paleis ſubtritis pecori præbetur. Sed Erui decodecim libræ ſatisfaciunt vni iugo, Ciceræ ſexdecim, eadem hominibus non inutilis,neque iniucunda eſt. Sapore certè nihilo differt à cicercula,colore tantùm diſcernitur. Nam eſt obſoletior, & nigro propior, ſeritur primo, vel altero ſulco menſe Martio, ita vt poſtulat ſoli lætitia, quod eadem quatuor modiis, nonnunquam & tribus, interdum etiam duobus, ac ſemodio iugerum occupat. Erui ruffi meminit Aetius,cuius autoritatem confirmat Hermolaus, dicens: Eruum,Herbúmue,aliud candidum,aliud ruffum.

*Vſus. Eruum ruffum. Herbum.*

Eruo præter notas à Dioſc.ei attributas, haſce ferè addit Marantha: Eruum ſemen habet Paralii Tithymali, aut catanances primæ: magnitudine Æthiopidis ſeminis,aut Lithoſpermi,aut Dorycnii,aut Lathyridis. Ex hac deſcriptione facilè deprehenditur error multorum, qui varias plantas, pro Eruo oſtendunt: quarum nulla deſcriptio arridet: cùm omnes ſemen habeant longè maius ſemine Lithoſpermi,aut Æthiopidis: nam vel ipſe Theoph. Orobi ſemen minus Sambuci acinis eſſe aſſerit,quod cum Dioſc.conſentit.

*Catanance ſimilia ſemina. Multorum error.*

Orobus plurimis qui anguloſus, quem duplicem faciunt. Matth.in primis com. proponebat iconem pro Eruo, quæ mihi videtur eſſe Lathyri, quam Germanicam voco flore rubente.

Braſſauolus credidit Eruiliam, quæ Theoph. Gal. ac Paulo Ochros appellatur, legitimum eſſe Eruum, nominis vicinitate fortè deceptus.

*Matth. notatur. Braſſauoli error. Eruilium non eſt Eruum.*

Nec adſtipulandum iis eſt, teſte Matth. qui Eruiliam Piſi genus, Eruum eſſe contendunt.

Hallucinatur Fuchſius, qui cicerculam vulgò vocatam, Eruum ſatiuum eſſe credidit.

Hunc eundem errorem committit Turnerus, dicens: Ego Orobum Fuchſii cicerculam eſſe puto, quam Galenus Lathyrin vocat.

Eruum videtur Cornario, altera Viciæ ſpecies eſſe. Noſtri enim, inquit ille, maiorem & minorem Viciam latinâ voce parùm corruptâ, diſtinguunt. Officinæ peregrinum ab externis petitum Orobum habent in vſu: quum tamen verus Orobus etiam apud nos proueniat.

Cornarius ſe opponit Turn. cùm ait, Galenus, Paulus & Aetius, nulli Eruo omnem auferont amaritudinem, In Eruo autem Fuchſii, cùm nulla ſit penitùs amaritudo, Eruum eſſe nequit. Quin ipſe Fuchſ. de compoſ. med. teſtatur eos omnium maximè errare, qui pro Eruo ſeu Orobo Vicia ſilu. ſeu Aphace vtantur.

*Vires & vſus. Farinæ* Farina orobina ad medendi vſus conueniens. Capiti onerosum eſt, inquit Dioſc. aluum eſu turbat [ταραχτικὸς] Sanguinem per vrinas trahit [ἄγει] Boues autem pinguefacit, ſi coctum apponatur. Præcedentia non legit Oribaſ. autore Matthiolo. Præparatur Erui *farina* hoc modo: Habitiora & candida grana deligito, & aqua permiſcendo reſpergito: ac vbi ſufficienter combibere ſiueris, tum demum torreto, donec cortex diſrumpatur & decidat. Deinde molita, & tenui cribro excreta reponito. Eſt Erui farina aluo commoda, vrinam ciet, bonum colorem inducit. Aſt vberior eius vſus, in cibo, aut potu, cum torſionibus [torminibus, μετὰ στρόφων] ſanguinem per aluum & veſicam ducit. *Vlcera. Lentigines.* Purgat autem vlcera cum melle. Lentigines item, & maculas Solares, itemque alias, & totum corpus. Siſtit etiam nomas, & duritias [σκληρώματα Lacuna ex vet. cod. καρκινώματα] ac gangrænas. Mollit quoque duritias in mammis. *Carbunculi.* Et ferina ulcera, & carbunculos, & fauos emarginat, ac rumpit. *Animalium morſus.* Cum vino ſubacta & impoſita, canum, hominum, & viperarum morſus ſanat. *Teneſmus.* Cum aceto verò, vrinæ difficultates, & tormina, & ad egerendum contentiones [teneſmos] ſedat. Commoda eſt & his qui alimentum ex cibo non percipiunt, nucis magnitudine ſricta accepta cũ melle. At Erui decoctum affuſum, perniones, & pruritus in vniuerſo corpore fouendo ſanat. *Hæc Dioſc.* quem Plinius ita declarat, vt ex ipſo tranſcripſiſſe videri poſſit. De Eruo, inqoit, quædam in mentione eius diximus, nec potentiam ei minorem Veteres, quàm Braſſicæ tribuerunt. Contra ſerpentium ictus ex aceto, ad Crocodilorum item, hominumque morſus. *Lienem. Vari.* Si quis Eruum quotidie ieiunus edat, lienem eius abſumi certiſſimi Autores affirmant. Farina eius varos & maculas cutis toto corpore emendat. Serpere vlcera non patitur, in mammis efficaciſſimum. Carbunculos rumpit ex vino. Vrinæ difficultates, inflationem, vitia iocinoris, teneſmum, & quę cibum non ſentiunt, atropha appellata, toſtum, & in nucis auellanæ magnitudinem melle collectum, deuoratumque, corrigit: item impetigines ex aceto coctum, & quarto die ſolutum. Panos in melle ſuppurare prohibet impoſitum. Aqua decocti perniones, & pruritus ſanat fouendo. *Colorẽ corporis commendat.* Quin & vniverſo corpori, ſi quis quotidie ieiunus biberit, meliorem fieri colorem exiſtimant. Cibis idem hominis alienum. Vomitiones mouet, aluum turbat, capiti & ſtomacho oneroſum. Genua quoque degrauat. Sed madefactum pluribus diebus miteſcit, bubus, iumentiſque vtiliſſimum. Siliquæ eius virides, priùs quàm indureſcant, cum ſuo caule, foliiſque contritæ, capillos nigro colore inficiunt. Cæterùm Eruum medicaminis vim obtinere, epiſtolis D. Auguſti (qui per hoc curatus) memoria extat.

Boues tum apud nos, ait Galenus, tum apud alias pleraſque gentes Eruum priùs in aqua dulcoratum paſcuntur: homines verò ab hoc ſemine prorſus abſtinent. Eſt enim inſuauiſſimum, & praui ſucci. In magna tamen fame, quemadmodum Hipp. quoque ſcripſit, neceſſitate coacti ad ipſum nonnunquam accedunt. *Thora[cis] Pulmo[nis] Orobi* Nos verò ad eundem modum, quo Lupinos, præparentes, Orobis cum melle vtimur, ceu medicamentis craſſos thoracis, ac pulmonis, humores expurgantibus. Porrò inter Orobos albi minùs ſunt medicamentoſi, iis, qui ad flauitiem, aut pallorem recidunt. Qui verò cocti his fuerint, & in aqua identidem dulcorati, inſuauitatem quidem deponunt, ſed vnà etiam cum ea abſtergendi & incidendi facultatem, vt ſola in eo relinquatur terreſtris ſubſtantia, quæ alimentum fit, quod citra inſignem amarorem deſiccandi vim habet. Et hęc traduntur in lib. de Alim. ſimpl. vt & ſequentia: *Temp[era]ment[um]* Orobus deſiccat quidem exceſſu ſecundo in tẽſo. calefacit autem primo. Porrò quatenus amaritatis eſt particeps, eatenus incidit, extergit, atque obſtructiones expedit. Cæterùm ſi ſumatur copioſè, ſanguinem per vrinas euocat. Idem de Antid. Candidã Erui farinam admiſcet Scillę: nam quę candida non eſt, amara ſupra modum eſſe conſueuit. Et rurſus de comp. med. Vitat hanc non ſolùm in dolore capitis, per conſenſum ſtomachi oborto, ſed omnibus aliis etiam circa caput obortis affectionibus. Articulos etiam diſſoluit.

*Ani[m]uerſ[io]* Animaduertendum præcipit Matthiolus, quod quanquam ad eruinam farinam conficiendam, candidius Erui ſemen Dioſcorides elegerit, Galenus tamen candidum pallido, ac rufeſcente, longè minùs præſtare ſcribit. Eapropter & Braſſauolum Galeni rationem minimè habuiſſe: cùm ſibi ex Dioſcoridis tantùm ſententia perſuaſerit, album Erui ſemen in medicamentorum vſu, tam ruffum, quàm pallidum viribus antecellere. *Aut[oris] iudi[cium] de f[arina] Erui* Sed de hiſce Matthioli commentariis, noſtrum quoque, ſi animus eſt, percipito iudicium: Galenus quidem Erui candidam farinam Scillæ admiſcet, aſt ſolam eam ob rationem, quòd candida ſupra modum amara non ſit, tamen noſtro iudicio ſi talis eſſet, amaritudinem in Scillæ trochiſcis haud augeret: ipſa enim Scilla eſt valdè amara: Adhæc ignoro, cur præferat albam, ſi alia viribus antecellat.

*Erro[r] rund[am]* Nunc quis non cum Marantha irridendos cenſeat qui Eruum ſe nunquam potuiſſe cognoſcere aſſerunt: propterea, quòd in nulla planta (etiamſi delineationi reſpondere videretur) vim educendi ſanguinis per vrinã animaduerterint: nam uel huius rei nunquam periculum fecerunt vel ſi facere aggreſſi ſunt, non ita vt decet, ſunt experti: Vnicâ enim exhibitione, pauca quantitate contenti, effectum hunc expoſcebant, non conſiderantes Dioſcoridem velle, non niſi largiùs in cibò, aut potu aſſumptum id efficere.

Quæſieram tandem ex Geſnero, quid de Eruo ſentiret. Miror equidem, reſpondit, Galenum in trochiſcis Scillinis, Erui loco panis micam eis addi iubere: cùm hæc dulcis, Eruum verò (ipſo teſte) amariſſimum ſit: adeò vt vel totam Theriacam ſuo ſapore amaro inficiat. Ego pharmacopolis noſtris ſuaſi, vt Dictamni vulgaris radicem [id

eſt

eſt Fraxinellæ]Erui loco potiùs quàm panis medullá ponant: nam & amara ea radix eſt, & vim contra venena ac peſtem non vulgarem habet. Inter legumina præter Lupinum, nullum adhuc amarum inueni: poſſet autem Erui loco etiam Lupinus, præſettim ſiluestris, vtpote amatior, ſicciorque accipi.

## OROBVS SIVE ERVVM multis.



CAuliculi huic Orobo quadrati, tenues, multis alis concaui: *folia* ad neruulum palmarem annexa Lentis, vix tamen exactè ex aduerſo reſpondentia: *floſculi* & ex alis, & ex coliculis, Lentis, albidi, infimo folio maculâ fuſcâ notato: *ſiliquæ* tenues, Cylindraceæ, longitudine circiter vnciali, articulatis torulis, in quibus *ſemen* rotundum (anguloſum redditur vbi ſiccum) leguminoſo duntaxat guſtu.

An ſemen, quod iam affetunt pro Orobo Siculo, quodque Fuchſ. de comp. med. Ciceroulam potiùs arbitratus? An Orobus, ſpecies leguminis in Creta proueniens, quo Lob. Obſ. vtitur, & adhuc nomine gallico caret.

Matth. in com. ſuis in Dioſc. editis ſibi minùs conſtat, ita enim in prioribus ſcribit: Eruum officinæ Græcorum more Orobum appellant. Cæterùm, quod ex Alexandria, Syriaque, Venetias conuehitur, aliud ſemen repræſentare cenſet, quàm Erui, quod frequentiſſimum in Hetruria naſcitur, ac ſeritur. Folia mittit Eruum, quod vulgò *Mocho* vocant, Lathyri, vel Ciceroulæ vulgò vocatæ æmula: florem Piſorum modo, admodum rufeſcentem: ſiliquas formâ teretes, ac oblongas, in quibus ſemen, colore in aliquibus pallido, in nonnullis candido, in quibuſdam verò rufeſcente. Ignorandum non eſt, quod etſi Eruũ ab agricolis ſeratut, habetur tamen inter ſpontè naſcentia: namque & per ſe inter ſegetes frequens oritut. Verùm cùm à paucis cognoſcatut, illud inter viciæ ſpecies annumerarit. Idem in Epit. edita anno 1571. ſcribit Eruum duum eſſe generum, candidum, & ruffum: Galenum verò tertium addete, pallidum. Orobum eſſe plantam ſarmentoſam, folioſamque, humi procumbentem, ramis ſeſe implicantibus, foliis paruis, longiuſculis, Lente minoribus: flores edere paruos, ſubpurpureos, & quandoque candidos: ſiliquam Piſi breuiorem, graciliorem que, in qua rotundum concludatur ſemen, concluſâ inter granum & granum ſiliquâ. Proponebat primùm iconem Matth. repræſentantem noſtram Lathyrum maiorem flore rubente, ſiue noſtram germanicam valdè differentem à planta, de qua hoc capite ſcribimus: In Epitome verò omittit, & reponit aliam iconem ſatis commodè exprimentem noſtrum Orobum anguloſum. In com. cum mag. ic. anni 1583. meliorem habet: omittit autem ea, quæ in præcedentibus ſcripſerat, ponitque ſequentia: Non diu eſt, quod legitimum habetur & ſeritur Eruum, iam vbique in Italia. Alterum quoque vidimus Erui genus, quod Creticum vocant, noſtrati ferè ſimile, ſed minutiore ſemine, & ſiliquis gracilioribus. In com. Ital. cum mag. ic. anni 1568. quæ ſunt ante modò dictam editionem anni 1583. eadem tradit: verùm ibi duas habet icones, priorem ſimilem modò dictæ, ſub titulo *Eruo*: alteri inſcriptum eſt, *Orobo di Candia*. In Hiſt. germ. Iconem comment. cum mag. fig. habet, vbi etiam ὄροβος & Eruum. Sed vti dictum ſibi contrarius videtur Matth. nec fortè ſcit, quid ſcribat. In primis enim com. & Epit. ſtatuit Eruum frequentiſ- *Matth. ſibi contrarius.*
ſimum in Hetruria naſci, & vocari *Mocho*, ab agricolis ſeri, per ſe inter ſegetes frequenter oriri. In poſt. com. omittit nomen *Mocho*, ac non diu eſſe aſſerit, quod legitimum habeatur, & ſeratur: nihilominus tamen in iiſdem poſt. com. retinet verba antè citata, quod agricolæ ſerant, quod ſpontè frequens oriatur, & inter Viciæ ſpecies numeretur. Præterea plantæ, quam in poſt. com. exhibet pro Orobo, quæ eadem cum noſtro Eruo, non ineſt amaritudo, quæ eo authore requiritur in Antiquorum Eruo.

Camer. ad Epit. Matth. iconem nouam ex Geſnerianis, vt puto, ſub titulo Erui appoſuit.

Orobus hodie ſi Anguillaræ credimus, in Abruſſo vulgaris, retinet nomen antiquum corruptum ex *Eruo*, ac vocant *Ieruo*. *Ieruo.*

Ἐρέβινθος Dod. gall. Cicer ſatiuum, Columbinum, Venereum, & Orobiæum [ὀροβιαῖον.] Lat. *Cicer eruilium non eſt.*
Cicer eruillum, non eſt Eruum, vt multi Neoterici putant, qui Theriacæ, & aliis medicamentis indunt: Et hoc idem affirmat Hiſtor. Frumentorum.

Orobus, inquit Geſn. à Græcis dictus eſt Eruum, quod ad Theriacæ compoſitionem requiritur. Legumen eſt multis capreolis, ſiliquis ſe- *Lotus.*
cundùm ſemina interceptis, ita vt in furnis coniuncti panes: ſemen foris album, intus rufeſcit. Facilè prouenit. Circa Lugdunum [unde ſemina acceſſiui] agros eo conſeri audio. Inuenitur & ſiluestris: ſed non in Germania, quod ſciam.

An Eruum Guiland. in Theone, quod in Italia *Mochum* nuncupari cum Matthiolo ſentit, cùm hic tamen interea *Mochum* ignotam ſibi plantam ſtatuat.

An qui vulgò, Cæſalp. autore, in Etruria *Mochi* *An Mochi.*
appellantur, ſerunturque in alpibus ad pabulum brutorum: Planta in totum ſimilis ciceroulæ tenuioribus foliis: ſeminibus ſimili modo anguloſis, candicantibus, vel nigris, minoribus, & in ſua ſiliqua magis farctis, aſperioribuſque: hæc columbis gratiſſima eſt ad fœtificandum. Dioſcorides Orobum vocat. A Theodoro apud Theoph. Eruum conuertitur. Sed & Plinio Eruum, Galeno autem Orobus dicitur. Si Cæſalp. *Cæſalp. reiicitur.*
eundem nobiſcum Orobum intelligit, comparatio cum cicercula non placet.

De hoc Lob. & Pena Adu. Cicer orobæum tantoperè ſimile eſt Narbonenſiũ Orobo: Dioſcoridis ſatiuo Ciceri eundem fecit Orobum vulgatum & receptum officinis Dodonæus. Orobus receptus Herbariorum. *Robus*, color rubeus *Orobus Herbariorum. Robus.*
Antiquis fuit, qualis in ruffis bobus, & Orobis cernitur. Hodie nihil pænè ab illo dudum dicto

diſſidet receptus in officinis Italicis & Norbonenſibus. Orobus ſemine & ſiliqua præſertim, niſi quia huius altero tantò minor eſt, compreſſior, nec vno loco, ſed variis ex alarum geniculis, ſecundum ſummum & imum caulis exorta, pendula, alioqui terna & quaterna claudit ſemina, Cicere minora multò, tangenti hebetiùs anguloſa, & vno latere aliquantùm acutiora, guſtu Lentis, folio & facie Piſi, Lentis, aut Viciæ: ramoſis, ſparſis, luxuriantibus, caducis ferè ramulis: minùs tamen eſt πλανόκυλ☉ hic, quàm Cicer Orobæum, & ſatiuum, minuſque ingratus guſtanti: nec enim noſtro ingenio conuenit, ſtirpium vel figuras, vel qualitates, plumbeâ, Lesbiâue ad noſtram ſententiam exigere, aut flectere, vt nimis multi factitant: ſanè par eſt alterutrum horum leguminum, verum eſſe Orobum, cum è tam multis nihil penitùs ſimilius occurrat.

Nomina. Linguar. Item Obſ. Orobus receptus Herbariorum. Ital. *Mocho.* Hiſp. *Yeruo, & Yeruos.* Prouincialibus *Eres*, quaſi *Eruum.* *Mochus*, ſiue *Cicer ſatiuum* Dioſcoridis Dodonæo. Idem Ic. Pl. Tom.2. pag.72.

*Mochus.*

*C.Bauhi* C.Bauh. qui duas icones proponit, quæ paulò meliores noſtrâ emptitiâ, quæ nobis non placent, apud Matth. ita ſcribit 1 Orobus, ὄροβος quibuſdam παρὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, quòd eo boues veſcantur, & ſaginentur: *Eruum* Lat. quod ſatiuum eſt, & ſilueſtre. Satiuum, vel maiore ſiliquâ, & ſemine, vel graciliore ſiliqua & ſemine: rurſus qui maiore ſemine, candido eſt, aut pallido, aut ruffo: Silueſtre, varium eſt. Hic tantùm

*Silueſtre.* de ſatiuo. I. *Orobus ſatiuus maiore ſiliqua* C.B. *Orobus & Eruum.* Matth. Cord. in Dioſc. Geſn. hort. Caſt. Lugd. *Orobus receptus Herbariorum* Lob. *Eruum verum*, ſiue *Orobus* Camer. Tab. *Cicer ſatiuum* Dod. gall. *Mochus*, ſiue *Cicer ſatiuum* Dod. in fol. II. *Orobus ſatiuus minore ſiliquâ* C.B. *Orobus Creticus Matthiolo* (in cuius editione poſtrema, & iconibus, figura non habetur) & Lugdunenſi.

Locus & Tempus. Orobus Matthioli Geneuæ in horto noſtro proueniebat facilè, virens adhuc Decembri ex ſemine deciduo, florens Maio. Lugduni quoque habebam. Baſileæ frater C. Bauh. Montbelgardi ex ſemine ſtutgardiâ miſſo, & ſato, Aprili & Iunio floruit: ſemen maturum Iulio. Honorius Bellus ex Cydonia Cretæ miſit, hâc additâ inſcriptione: Orobus ὄροβι ſiue ῥόβι, quod ruſtici ſerunt ſingulis annis, & boues eo ſaginant Antiquorum more. Nos non videmus, qua in re differat à ſemine, quod nunc exiſtimatur & perhibetur Orobus: eſt enim ferè triangulare cum vmbilico nigricante: color totius ex albo cinereo: ſapor leguminoſus, & Piſorum vulgarium. Huic ſimile paullò maius legumen miſit Araci nomine: ſapore & formâ non differens, ſed colore ferè glauco. Naſcitur Hiſpaniæ & Italiæ compluribus locis. In Germania verò, ac Belgio [ſi vera Dod. perhibet] non niſi in hortis, & à paucis ſeritur. In glareoſis affatim oritur. *Aduerſ.*

## OROBÆVM CICER LObelii.

Cicer Orobæum Theoph. ab Orobo nigredine tantùm diſtans. Difficilè tamen ſit ſtatuere quodnam ſit Dioſcoridis domeſticum primum nam nouum, quod hîc damus, tantopere ſimile eſt Norbonenſium Orobo, ſiliquâ præſertim, vt certos nos reddat, eſſe illud, quod dulciſſimum & Eruo ſimillimum à Plinio dicitur: ſed ambigimus iam, ſitne idem iſtud cum Dioſc. ſatiuo: cui eundem fecit Orobum vulgatum, & receptum officinis; doctus & perbonus ſcriptor Dodonæus, qui nondum hanc nouiſſet.

Norbonæ & Gallo-prouinciæ plerique ſatis per meſſes flauet hæc, *culmo* aſſurgens ſeſquipedali, geniculato lateratim, quaſi in obliquum flexo, leuiter ſtriato, fiſtuloſo: *foliis* in imo neruulo prolixo hærentibus, Lentis, aut Araci: à medio item ramulis donatur, & foliatis pediculis; & iuxta ſummos alarum geniculos complures confertæ *ſiliquæ*, vno ferè exortu nixæ, ſeſe tangunt & ſtipant, cylindreæ, vnciam longæ, rectæ, teretes, inter tranſuerſa puſilla interualla foras protuberantibus ſingulis quaſi torulis, ternis & quaternis, articulatim diſtinctis: ipſa intus *ſemina* nullâ membranulâ diſtincta. Piſum Arietinum fermè æquant, obtusè triangula: Orobi duplò maiora, colore albida, pallida, & ſubſulua, non ingrati ſaporis Ciceris aut Piſi. Locus. Deſcr. Folia. Siliqu. Semin.

*Cicer orobæum Theophraſti* Lob. & Penæ Adu. & Ic. Pl. Obſ. autem *Cicer orobæum* Adu. p.400. *Cicercula Plin.* F. Pennini.

## OROBO SIMILIS LATHYRVS Cretenſis Honorii Belli.

Semen, quod miſit nobis Honorius Bellus ex Cydonia Cretenſi, huius inſcriptionis: Lathyrus, λατκελα, dicens à ruſticis quotannis ſeri: Hoc ſanè Orobo antè dicto, vel Araco Cretenſi ab eo miſſis, ſimillimum eſt: adeò vt nullam diſcrimen adnimaduertam, niſi in colore, qui medius eſt inter Orobum & Aracum ab eo miſſum: ſapor idem cum Piſorum ſapore. Satum Montbelgardi in horto Ill. C. Wirtemb. prouenit. *Lathyr.*

## OROBO SIMILIS ARACVS CREtenſis Honorii Belli.

Miſit nobis ex Cretæ Cydonia Honor. Bellus ſemen, quod ita inſcripſit: Aracus, Ἀρακά, à ruſticis quotannis ſeritur. Id ſanè vix differt ab eo, quod miſit pro Orobo: triangulare enim, vel quadrangulare quoque eſt, paulò tamen maius, & colore ad glaucum accedente: ſapor leguminoſus, qualis Orobo, & Piſis. Si prouenerit ſatum, obſeruabimus qualia folia & flores.

## ARACVS VETERIBVS.

### Cap. XVIII.

Aracus res ſcrabra & dura in Lente videtur, autore Theoph. qui Arachidnam ipſi ſimilem ſcribit. De hoc Gal. inquit: Aracos Ariſtophani in Holcadibus. Semen hoc Lathyro [Cicerculæ] ſemini eſt adſimile. Fueruntque nonnulli qui putarunt, ipſum non eſſe generis à Lathyro [cicercula] diuerſi: quandoquidem & vſus ipſius omnis, & facultas, Lathyri [cicerculæ] facultati eſt adſimilis, niſi quòd Araci ſunt duriores, minuſque facilè elixentur. Quæ cauſſa etiam eſt, cur Lathyris [cicerculis] concoctu ſunt difficiliores. *Aracus Theoph. Arachi ſimilis.*

## ARACHIDNA VETERIBVS.

### Cap. XIX

ARachidnæ radix, eiuſque, quod ſimile eſt Araco, &c. Pars ipſa carnoſa radicem ſimplicem, craſſam, altiùs infigendam mittit, cæteras verò, quibus inſidet, fructus tenues, ac ſummo ceſpite cohærentes agit: loca arenoſa potiſſimùm amant: neutrum folia gerit, neque foliis quicquam ſimile, ſed quaſi binorum fructuum, partibus inter ſe appoſitis, fœcunda potiùs extant, quod mirum profectò eſt. Et hæc apud Gazam Theophraſtus teſtatur, cuius textum Honorius Bellus corruptum ſuſpicatur, vt mox videre eſt, ſub eius Arachidna.

## ARACHIDNA, AVT POTIVS Aracoides Honorii Belli.

DE Arachidna Cretica, cuius plantam ſiccam, & ſemina ad nos miſit ex Cretæ Cydonia, hæc ad nos perſcripſit Honor. Bellus: Planta omninò noua eſt, & nullum Botanicum huc vſque vidi, qui earum plantarum genus aliquod deſcripſerit, quæ ἀμφίκαρπα à Theophraſto vocantur, licèt Cæſalp. Dentariæ ſpeciem Arachidnam faciat, quæ cùm Theophraſti Arachidna, meo quidem iudicio, nihil commune habet.



Planta autem noſtra, cùm vtrinque fructū ferat, id eſt, & infra, & ſupra terram, meritò mihi Arachidna, aut potiùs Aracoides vocata videtur. Et licèt Theoph. lib 1. cap. 11. Arachidnā, aut id, quod Araco ſimile eſt, foliis carere affirmet, tamen textum corruptum eſſe, meritò quis dubitare poteſt. Nam cùm Theoph. ſtirpem ſimilem Araco deſcribat, neceſſe eſt ſimilitudinem harum eſſe, aut floris, aut fructûs, aut foliorum. Aracus verò duplex ab Auctoribus habetur, vnus Lathyro ſimilis, qui inter Lentes naſcitur, & græcè per κ ſcribitur. Alter verò per χ teſte Galeno 1. de alim. fac. c. 27. Silueſtre quoddam ſemen rotundum, ac durum, Eruoque exilius, quod & Theoph. l. 8. c. 8. affirmat, aſſerens: quòd Aracus in Lente oritur, res ſcabra, & dura. Cùm autem planta noſtra, caule, foliis, & lobo ſimilis ſit Lenti, ſemenque durum, & Araco non diſſimile ferat, Orobo, Lathyroque minori, fructumque ſub terra circa radices, & in caule gerat, meritò Aracoides dicenda videtur. Et ea Theop. verba, quòd folia non ferat, ad Arachidnam Ægyptiam potiùs referenda videntur, quàm ad Aracoidem noſtram, quam ita deſcribo. Herba eſt dodrantalis, *foliis* leguminoſis, Lentis, vel Viciæ, minoribus, obtuſis, cordatis. Viticulis tenuibus, quorum extremis *flores* hærent purpurei Viciæ. Circa *radices* ſub terra fert *ſiliquas* paruas, Lenticulæ ſimiles, in quibus modò vnum, modò bina *ſemina*, rotunda, nigra, in altero verò non nigrum, ſed Orobo ſimile. At quos fructus in caule proferat, pluribus occupationibus præpeditus hactenus obſeruare non potui. *Deſcriptio. Folia. Flores. Siliquæ. Semina.*

A ruſticis ἀγριόφακι [agreſtis Lens] vocatur. Inter ſegetes & legumina inuenitur, negligiturque, ideò vobis radicis tantùm fructum mitto. Mitto etiam Orobi ſemina, Araci, & Lathyri, vt horum leguminum in hac inſula naſcentium differentiam commodè obſeruare poſſitis. Hæc ille. *Agreſtis Lens.*

Noſtra hîc reſtat obſeruatio. Nigrum ſemen Viciæ ſatiuæ ſimile eſt, dentibus durum attritu: ſapore Piſorum: medulla alba. Album verò ſimile formâ, ſapore, & duritiâ: eius figuram ex planta ſicca, quam miſit, parandam curauimus: ſata enim non prouenit. *Autorum obſeruatio.*

Iconem quoque Cluſii, quamuis falſa videretur, delineandam curauimus. Proponit autem illam Exot. lib. 4. c. 16. quam ita deſcribit: *Icon. Cluſii.*



An Theophraſto Araco ὅμοιον? Non minùs admirabilis eſt huius plantæ natura, quàm eius, cuius rariorum plantarū Hiſt. l. 4. cap. 52. Arachidnæ appellatione memini: propterea illam eſſe ſuſpicabar, quam Theoph. lib. 1. Hiſt. pl. cap. 11. Arachidnæ coniungit, & ὅμοιον τῷ ἀράκῳ eſſe, fructumque ſupernè inferno minorem ferre, ſcribit, tametſi folia, aut quidpiam foliis ſimile habere neget. Quem ſequutus eſt Plinius. *Araco ὅμοιον.*

Iſtius plantæ ſemen cum ſuis ſiliquis, tam ſupernis, quàm ſub terra latentibus in Creta lectū, ad me ante aliquot annos Honor. Bellum mittere memini, quod à me ſatum, & quibuſdam etiā amicis communicatum, nulli eſt natum, an ob nimiam vetuſtatem, ignoro. Eam ob cauſam eius hiſtoriam, vt auebam, in meum librum euulgatum inferre non potui. Quum vero Io. Pona anno 1603. ſemina mitteret in Lugduno-Batauæ Academiæ horto ſerenda, inter quæ nonnulla à Bello communicata cognoſcebam, cum illis integram huius plantæ ſtirpem, ſiccitate prorſus contractam reperiebam, quam, vbi aliquot horis in aqua maceratam explicaſſem, vt commodiùs deſcribere poſſem, exprimendam curabam. *Locus.*

Statim porrò à radice hæc planta in plures ramulos diuiditur, ſemipedalis, aut dodrantalis, ad ſummum, longitudinis, tenues, angulosos: quos alternis ambiunt exiguorum foliorum alæ, Lenticulæ, aut Araci foliorum alis ſimiles: ea folia extimâ parte latiuſcula, & quodammodo cordis (vt *Deſcriptio. Ramuli. Folia.*

vulgò pingi ſolet) formam imitantia, per mediũ, ſecundùm longitudinem, neruo ſecta, qui extimã foliorum partem nonnihil ſuperat: naſcuntur autem in ſingulis alis ex vtroque latere quaterna aut quina, vel ex aduerſo ſita, vel inæquali ſerie, ipſa verò extrema ala in capreolum deſinit, & ſeſe conuoluit, vt in Lenticula, & Vicia. Illius florem non conſpexi (quem Lenticulæ, aut Araci flori ſimilem eſſe autumo) ſed ſiliquas duntaxat in alarum ſinu naſcentes, latiuſculas, unciam lõgas, aut paullò ampliores, fuſcas, nonnihil villoſas, mucrone incuruo & quaſi hamato præditas, continentes bina, aut terna ſemina nigra, rotunda, non anguloſa, vt Araci, quæ maturitate diſſi-
*Radix.* liunt: radicem habebat Lenticulæ, aut Araco ſimilem, è cuius capite ſummâ quaſi tellure plures paruas, tenues, albas fibras quaquauerſum ſpar-
*Siliqua* gebat, è quarum ſingulis dependebant ſingulares, interdum geminæ, ſiliquæ breues, & rotundæ, extima parte in curuum mucronem deſinen-
*Semen.* res, tenellæ, & candicantes, continentes vnicum, vt plurimùm ſemen, nonnunquam [quæ maiores] & alterum, rotundum, illo non minus, quod ſiliquę in plantæ ramis naſcentes proferunt, ſed albicantis, aut ſubfuſci coloris. *Hæc Cluſ.*

Arachidna Cretica, an potiùs Aracoydes Theoph. verè ἀμφίκαρπα Hon Belli, cum ſuis fructibus, inferno ſc. & ſuperno. Hæc Ponæ in deſcript. montis Baldi ex ſemine inferiori creſcit, & in hoc obſeruauit, & vnica radice duos diuerſos cauliculos, & folia oriri, vt ex eius figura patet.

*Icones.* Poſtquam ipſam plantam ab Honor. Bello acceptam, in qua nullos obſeruaui capreolos, deſcripſiſſem iam, atque icone propriâ effigiatam propoſuiſſem, Pona, ſicut & Cluſius etiam iconem exhibuêre. Cluſii igitur iconem, additis ex Ponæ figurâ floribus, expreſſam quoque damus.

*Siliquæ ſub terra non creſcunt.* Cæterùm, conſideratâ planta, quam Pona nobis miſit, & collatâ cum ea, quam accepimus ab ipſo Honorio, quamque curauimus depingendam, obſeruatâ etiam deſcriptione Cluſii, non poſſumus nobis perſuadere illas ſiliquas, in curuum mucronem deſinentes, ſub terra creſcere, aut vnquam creuiſſe: ramos in icone cum ſiliquis longis plantæ alterius cenſemus, ceu Viciæ alicuius: ſi quis haberet plantam integram, cum vtriſque ſiliquis in caulibus & radicibus, & videndam, ſaltèm communicaret, rem gratam faceret, tolleretque nobis ſuſpicionem noſtram, iconem quippe per incuriam ex duabus plantis compoſitam.

## CHAMÆBALANVS LEguminoſa.

### Cap. XX.

*Etymon.* EX *radicis* argumento Chamæbalanon, quaſi terreſtrem glandem dicas denominarũt: ſiquidem ex filis tenuibus, longiſſimis, pendulæ
*Deſc.* ſubſunt glandes, craſſiuſculæ, oblongæ, pulpâ candidâ, dulci, non niſi alta foſſione inueniendę: vnde infirmi emergunt
*Coliculi.* *coliculi*, ſed longi, cubitales, vel maiores, ramoſi, humi procum-
*Folia.* bentes: in quibus obſeruare eſt bina ferè folia, eaque ſubaſpera [ſi credamus Matth.] ex aduerſo ſita, Viciæ ſimilia, vnciam circiter longa, reliquo pediculo in capreolos abeunte: *flores* legu-
*Flores.* minoſi, Piſi, plures congeſti, priuato inhærent



ſurculo, purpurei, Matthiolio punicei, & odorati: inde *ſiliquæ* oriuntur.

*Arachidna.* Apios Ruellio, & *Iſchas*, aliis *Chamæbalanos* Rom. radix ſilu. Plinio & Theoph. etiam Apios.

Ruelli ſe veram Iſchiada inueniſſe putat, inquit Cord. in Dioſc. ſed fallitur.

An Cordo Ornithogalũ flore purpureo, quod ait ſe ignorare, an à Dioſc. deſcriptum? Notatum à quodam apud Cord. Arachidna Theoph. quoſdam Erdnuß interpretari: & alibi *Turnerum* Apion Fuchſii, Aſtragalum facere. Verũ Cord. eo capite nec Apion Fuchſii tradit, nec Aſtragalon Turneri, nec hiſtoriam Chamæbalani noſtræ leguminoſæ, de qua hîc agimus.

*Trago* hiſt. germ. pingenti, vocatur Erdnuß/ Sewbrot. Lat. *Panis porcinus, Nux terræ, Ficus terræ,* Erdfeigen/Erdwandel. A quibuſdam *Arthanita* Auicennæ, & *Bulbus marien* Serapionis, & *Malum terræ*, aut *Cyclaminum* Di[oſc.] ſ[iqui]dem habetur cum Erdnuß. Sed aberrant, quamuis M. Virgil. Florentinus, & Peothus id exiſtimarint. Is (Tra-
*Raphanus ſilu.* gus) dicit eſſe Raphanum ſilu. qui in Theoph. ἴχας, & in Dioſc. ἄπιος dicitur: vocat Chamæbalanum terreſtrem, Acker/ & Grund Eychel.

*Tragus [no]tatur.* *Tragus* in Hiſt. lat. non reprehendit Marcellum Virg. & Peothum: ſanè ſi Marcelli verba conſiderentur, quibus ait, radice ſubdulci, pecori gratum eſſe Cyclaminum, quis poſſit ſuſpicari de hac radice loqui? verùm ſi cõferat, quæ paulò pòſt dicit: vidimus nos aliquando cyclamini radicem globoſam, & latitudine ampliſſimi panis, ex qua folia erumpebant, & inter folia flos pediculo potiùs, quàm coliculo. Planè concludet Marcellũ ibi de vera Cyclamino locutum, & nõ de Erdnuß/ quamuis malè dixerit pecori gratam Cyclaminum.

*Fuch. re[prehenditur].* Apios quoque *Fuchſio* dicitur, Erdnüß/ Ereckelen. Gall. *Raue Rayfort*, aut *Ciche ſauuage*, quæ nomina gallica non placent. A Dod. gall. Belgis Erdnoten & quibuſdam Muyſen met ſteerten.
*Glans terreſtris.* Neotericis Chamæbalanus, & glandes terreſtres. Quidam docti Aſtragalum exiſtimant à Dioſ. deſcriptam: ab aliis Apios. Item Hiſt. lat. vbi quo-
*Apios non eſt.* que figura. Belg. Erdeeckelen, & Nuces caudatę: nominant quidam χαμαιβαλάνυς, Terrę glandes.
*Nuc[es] ca[uda]tæ.* Et de ſrum. cum Apio non conueniunt, Aſtragalo ſimiliores ſunt.

Quibuſdam, inquit Corn. in Dioſc. Ornithoga-
*Cyclam[inus].* lon ea radix rectè dicitur, quæ à noſtris Erdtnuß & Sewbrot/ & Erdfeigen vocatur. Alii in-
*Apios.* terim ad Cyclaminum referunt. Alii rurſus Apiõ eſſe volunt. Quod autem Apios non ſit, vis eius purgatoria obſtat. Conſiderandum porrò, an Cornario ſit Aſtragalus, & Iris aſtragalitis, Erdt moren, de quo ſcribit in Dioſc. lib. 4. cap. 52. De quibus agemus titulo de Aſtragalo Veterum, vbi etiam Aſtragali æquiuocationes.

Apios Lonic.vulgò panis porcinus, Sewbrot/ Nux terræ, Chamæbalanus.

Apion, cuius picturam damus (inquit Riff. in Dioſc.) Fuchſius falsò Kehelkern Erdnuß/Sewbrot/ ſiue Schweinbrot appellauit, nominibus ſcilicet rebus aliis dicatis, vt Cyclamini, & Ornithogalo: quo nomine germanico, ſiue gallico, hodie appellatur, ſcire nondum potui. *Hæc Ryffius.* Nobis autem iudicibus, germanica nomina huic plantæ meliùs conueniunt, quàm Apios nomen.

Sententiæ Ruellii de Apio, Matthiolus haud ſubſcribendum iudicat: ſiquidem Apios falſus, & non verus, vt crediderunt, Fuchſ. Tragus, & Lonicerus, Ital. *Noci della terra*, hebet figuram propriam. Suſpicatur Luſitanum pro Aſtragalo eam plantam accepiſſe, quæ Fuchſio, & quibuſdam ex recentioribus, Apios Dioſc. eſſe creditur: ſed magnas inter has plantas differentia.

Amatus porrò, quantùm videt, Tragopogonum putat, quam Fuchſio Apios admentitur. Germani plantam hanc, Terræ nucem appellant: Sed quam habeat cum Tragopogono cognationem, is ſanè nullam videt.

Non placent Winckeri verba, qui Erdnus, Apium vomitorium vocat.

Neſcit Baccan. an Ruellio credendum, qui dicat Apion ſamiliarem herbam. Apud Cam. hort. Apios Fuchſii, Aſtragalus aliorum. Chamæbalanus Erckelnuß Tab. ic. & Hiſt. Apios, Herbam eſſe, dicit Fauardus. Apios quorundam, Apios Herba Hieton. Bock. Eidem & Fuchſio radix ſilueſtris: ipſi viderint, inquit Geſn. Fuch. Roeſ. Erdmandel/Apios, Arachydna, Ficus terræ. Theop. Golius & Amatus Apion nominant ſimpliciter.

Aſtragalus Turnero, non eſt Apios. Quare errant Amatus, Trag. & Fuch. Et rurſus. Aſtragalus circa Coloniam nominatur Erdeckelen/ Belg. Erdnutte/ Germ. Erdnuß. Angl. Peeſe Eartthnt/ à foliis Piſi, aut Ciceris, & radicibus Nuculæ terreſtris ſimilibus. Etſi reliqua omnis deſcriptio conueniret Dioſcoridis, tamen in humidis quibuſdam locis quia radicem comperit parum admodum adſtringentem, dubitare cepit: at rurſum cùm in locis ſiccis manifeſta adſtrictione præditam animaduertit, nihil ampliùs cubitauit Turnerus, quin verus eſſet Aſtragalus; etſi Fuchſ. contendat eſſe Apion. Deſcriptio Aſtragali Dioſcoridis, conuenit cum planta, quam Turnerus exhibet, in omnibus, quantùm indicat exceptâ radice: tota enim radix non eſt Raphani radici ſimilis, etſi glanduloſis tuberculis ſit donata, vt ſpecies quædam Raphani. Quem autem exhibet Matth. folia habet rotundiora, non tam longa, & ſerrata, vt Cicerum. Expendant docti, eamque eligant, quæ deſcriptioni optimè quadrat.

Fuchſii Apios longè abeſt à legitima Nutz nardz/ autorib. Aduerſ. Anglis & Germanis. An autem Terræ glandes, ſiue Pſeudo-Apios Germanorum Aſtragalus Dioſc.? Germ. Schwartz Rettig/ Raphanus niger. Item Obſ. vbi figura, *Terræ glandes*. Perperam Ornithogalon & Apios Cordo. Belg. *Mus caudatus*. Et Ic. Pl. *Terræ glandes*. Ego quidem vbi Cordus Apion dixerit, quod Lobel. perhibet. haud inuenio. Eſt & apud Hiſt. Lugd. figura, ſub titulo *Apios Fuchſii*. A Thalio in Harc. *Aſtragalus aruenſis*, ſeu *Chamæbalanus* appellatur. *Glandes terræ, vel terreſtres* Cluſ. vocat, Hung. Fodi monyaro, hoc eſt, terrea auellana. Dicit C. Bauh. apud Matth. eſſe *Pſeudo-Apios* Matthioli. Autumaſſe quoſdam Matthiolum Aſtragali nomine in prima editione exhibuiſſe. *Apios* Fuchſii, & Tragi *Horto* Luſ. *Terræ glandes*, Erdnuß/ Erdeichelen appellantur. Sed cui cognita Apios ſatis apparet, quantum diſcrimen? quam contrariæ facultates?

Ex Burgundia accerſitam in horto Ill. E. C. Montb. plantaui: poſtea reperi in agris non longè à pago *Charmontey*. Montbelgard & Burgundiones vocant *des Maguſſans*. Baſileæ reperi extra portam lapideam in agris ſupra collem quà itur Binnigam, ad dextram, florentem Iunio, flore rubello, profundè radicè perquiſiui fodiendo priuſquam reperi. Qui radices perquirent, caueant ne perfringant tenues radices à quibus pendet bulboſæ. Patauii vidi in horto D. Cottuſii, & Geneuæ copioſè in vineis extra portam à S. Geruaſio denom[illegible].

Seri[illegible] & radice (inquit Dod.) poteſt, ſed radice [illegible] perficitur: vna enim glans ſata in plures breui tempore multiplicatur. Secus aruorum margines multis in Brabantiæ locis gignitur. Floret Iunio & Iulio. Poſt meſſem effodiuntur & colliguntur radicum glandes. Pſeudo-Apios Matthioli floret Iunio menſe præcipuè: Paſſim naſcitur vbique in Bohemia in campis & præſertim in vineis.

Vidit Ruellius per inopiam frugum ruri pauperes hàc radice veſci. Paſtores quandoque his nucibus veſcuntur: Cæterùm experientiâ didicit Tragus, nauſeas, & vomitiones illas ciere, aliàs eius indicio planè innoxiæ ſunt. Sed vereor ne Tragus, qui putabat Erdnüß eſſe Apion, ſibi etiam perſuaſerit, eas & vomitiones ciere. Adhæc Terre glandes, quod Dod. aſſerit, coctæ, ac in cibo ſumptæ, difficiliùs, quàm Rapa, aut Paſtinaca, concoquuntur, ſed alimenti tamen non minùs, quàm Paſtinacæ ſubminiſtrant: minùs quàm illę inflant, tardiùs deſcendunt, ventrem etiam adſtringentes, Crudæ difficiliùs concoquuntur, & ægriùs deſcendunt. Temperamentum autem obtinent calidum quidem mediocre, ſiccum verò paulò intenſius, cum non exiguâ vi adſtrictoria, vnde etiam non ſolùm ventris fluxum, ſed & ſanguinis fluores, præſertim ex vtero, aut per veſicam, reprimunt. Haſce Tragus Chamæbalano vires aſſignat. Quarum quædam ex Aſtragalo adſcriptæ videntur. Dixit enim Dod. glandes iſtas aluum conſtringere, non ſecus ac Aſtragalon. Radices ſunt (inquit Lob.) neutiquam purgantes, imò ab opilionibus eſitari ſolitæ: mirati ſuimus Augerium Ferrerium libello de lue vener. hanc radicem ſibi, aliiſque adeò veram eſſe Apion perſuaſiſſe, vt profiteri auſus ſit, ſe præparatas, miniſtrataſq; iſtas rapulas venereis ęgrotis dediſſe, adque lotiones & fomenta vſurpaſſe: monuiſſe potuerunt illius primæ qualitates alimentoſæ, & ignauæ potiùs, quàm medicatæ. Sapor illis ſubdulcis, glandis, aut Caſtaneæ adſtringens, ac vti Caſtaneæ tardiùs conficiuntur, flatulentum, ſuauem tamen, ſuccum creant. Veneris incentiuæ ſunt. Sanguinis vteri, renum, & ventris fluores compeſcunt. In Bohemia, vbi abundant multi comedunt Caſtanearum modo. Et licèt edantur ad ſatietatem, teſte Matthiolo, mouent quidem nauſeam, ſed non euacuant per aluum. Nunc autore Cam. horti, ex huius floribus aquam deſtillant quidam, quæ iti roſaceam ementitur, vt pro illa non rarò vendi ſoleat.

## ARACI, VEL APIOS LEGVMINOſæ ſpecies Toſſano Carolo.

### Cap. XXI

Deſcriptio. Caules. Folia.



CAule eſt cubitali, vel maiore, tenui, glabro: *Folia* ex interuallis quaterna vno pediculo nixa, duarum, triumue vnciarum longitudine, *culmum* lata, in acutum mucronem deſinẽtia, ſtriata, viridantia: *flores* extremo ſurculo herẽt, quinque, vel ſex congeſti, pediculis mediocriter lõgi, magni, Galegæ vernæ, colore purpureo præditi, vel ex purpureo ad incarnatum vergente, cœleſti, pulchro, ſcribebat qui mittebat: *radix* ad Galegæ vernæ radicem accedit. Pictot ordinem foliorum non bene expreſſit, qui erat pingendus, qualis eſt in Orobo pannonico, radice bulboſâ Cluſii, quem æmulari videtur.

Radix. Icon.

Carolus Toſſanus ſtirpium diligentiſſ. indagator aſcripſit huic plantæ: *Arachi*, vel *Apios Fuchſii ſpecies.*

Arachus. Apios. Locus

Ex *Champagnole* Burgundiæ planta tum ſicca, tum virens in horto Ill. E.C. plantanda miſſa anno 1590.

## ASTRAGALVS QVIBVSDAM Aracho Toſſani Caroli ſimilis.

### Cap. XXII.

Locus. Flos. Radix. Caules. Folia.



DEdit nobis D. Agerius leguminoſam plantam, nomine Aſtragali, collecti in editioribus pratis circa Bononiã cuius *flores*, vario conſtãt colore, albo quippe, luteo & leuiter rubeſcente. *radix* bulboſa, vt Pœoniæ: *caule.* cubitales, angulosi: *folia* duas, tres, quatuórue coniugationes habent, quæ Arachi foliis longiora ſunt, de cæteroeis valde ſimilia, ſed non in capreolos deſinentia: florum pediculi palmo minores, anguloſi, in quorum extremitatibus flores plures, quales Lathyro ſilueſtri germanico, vel luteo: iuxta principium foliorum, & pediculorum appendices acutæ.

## OROBVS QVORVNDAM radice bulboſà, flore albo.

### Cap. XXIII.

Deſcr. Folia.



GRaciles promit cauliculos, erectos, firmos, anguloſos, pedales, & cubitales: folia per interualla, vni coſtæ inhærentia, quaterna plerumque ex aduerſo ſita, erecta, anguſta, trium ferè vnciarum longitudinis, guſtu aliquantulùm acido initiò, deinde amariuſculo, nullis capreolis prædita, quòd caules ſatis firmi, adminiculis non egeant: *flores* in longis naſcuntur ſurculis ſpicæ inſtar cõgeſti, florum Piſi, aut Viciæ formâ, ſeni, aut octoni, candidi coloris: deinde oblongi lobi nigricantes, prioris lobis [Aſtragali maioris Fuchſii] pares, *ſemine* nigro, interdum etiam maculoſo, pleni, qui per maturitatem cum ſtrepitu dehiſcentes ſemen abiiciunt: *radicibus* nititur quinis, aut ſenis, minimi digiti longitudine, craſſiuſculis, Aſphodeli, aut Pœoniæ fœminæ minoris, oblongis bulbis ferè ſimilibus, minoribus tamen, foris nigris, intus albis.

Flores. Radic.

Eſt Orobus Pannonicus Cluſii [cuius deſcriptionem propoſuimus] tertius, albus primus, ſiue Aſphodeli radice.

Inuenitur magnâ copia in pratis non procul Walterſtorf / Maurpach / Medeling / & thermis Badenſibus Auſtriæ vicinis. Obſeruabam etiam in montoſis vltra Danubium locis, ad cæduarum ſiluarum margines.

Locus.

Floret cum ſuperioribus [Galega minore verna, & Aſtragalo maiore Fuchſii] ſemenque perficit Iunio.

## GLYCYRRHIZA.

### Cap. XXIV.

Frutex. Folia.

EST frutex, autore Dioſc. virgas habens longitudine duorum cubitorum, circa quas *folia* denſa, Lentiſco ſimilia, pinguia, & ad tactum glutinoſa. *Flos* eſt Hyacintho ſimilis. (Sed hoc, inquit Marantha, ad colorem ſolùm referri debet, figurã enim Staphydis Agriæ floribus ſimiles ſunt.) Fructus magnitudine pilularũ Platani: aſperior

aſperior, qui *ſiliquas* habet inſtar Lentis, fuluas, paruas [Matth.exempl. πύῤῥους μακρούς, i.e. fuluas, longas.] Radices longæ ſunt, buxei coloris [Ca. πυῤῥοειδῆς, fuluo colore] Gentianæ modo, ſubacerbæ, dulces quæ expreſſæ ſuccum reddunt γλαυκίου ἤ, Hæc addit Lac.] Lycium.

Plinius, qui Glycyrrhizon inter ſpinoſa foliata numerat, foliis eius aculeatam mordacitatem ineſſe ſcribit, & à quibuſdam Adipſon appellari, Hiſt. lib.21. cap.15. *Et rurſus*: Sunt qui eſt Acanon Eryngio adſcribant, ſpinoſam, breuemque, ac latam herbam, ſpiniſque latioribus. Alii Eryngen falsò eandem putauerunt eſſe, & Glycyrrhizam, quare ſubiungi eam protinus refert: Et ipſa ſine dubio inter aculeatas eſt, foliis echinatis, [Plin. malè legit, ἐχίνου, pro σχίνου, Lentiſci] pinguibus, tactuque gummoſis, fruticoſa binûm cubitorum altitudine, flore Hyacinthi, fructu pilularum Platani magnitudinis.

Naſcitur plurima in Cappadocia, inquit Dioſc. & Ponto. Eſſe præſtantiſſimam vult Plin. in Cilicia, ſecundam in Ponto, radice dulci, & hanc tantùm in vſu. Capi eam Vergiliarum occaſu, longam, ceu Vitem, coloris buxei. Melioremque nigram & lentam, quàm fragilem.

Facit ſuccus, autore Dioſc. ad arteriæ aſperitatem, quem linguæ ſubditum eliquare oportet. [Meum exemplar addit Matth. habet μέσου δὲ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, medium autem inter caliditatem.] Conuenit & ad ardorem ſtomachi, & ad thoracis ac hepatis affectiones, ſcabritiemque veſicæ, & renum affectiones, cum paſſo potus. Idem ſitim eximit ſub lingua eliquatus: & vulneribus commodè illinitur, & ad oris affectiones manducatur. Quin & decoctum radicum recentium ad eadem facit. At radix ſicca in puluillum detrita pterygiis vtiliter inſpergitur. Quædam [ait Plin.] exiguo guſtu famem ac ſitim ſedant, conſeruantque vires, vt Glycyrrhizon, Hippace, & butyrum. Quòd autem ſitim, famemque ſedet, Adipſon ideò quidam appellauere eam, & hydropicis dedere, ne ſitirent. Ideò & commanducata ſtomatice eſt, & vlceribus oris inſperſa ſæpè & pterygiis. Sanat & veſicæ ſcabiem, renum dolores, condylomata, vlcera genitalium. Dedere eam quidam potui in quartanis, ℥ij. pondere, & pipere, hemina aquæ. Commanducata ſanguinem ex vulnere ſiſtit. Sunt qui & calculos eâ pelli tradiderunt. Glycyrrhizæ, ſiue dulcis radicis ſuccus Galeno in primis vtilis eſt ſimiliter, vt eius fruticis radices, dulcis, ſimulque leuiter adſtringens. Proinde aſperitates lenire poteſt, nec modò in arteria, verùm etiam veſica ſcabra, idque temperaturæ mediocritate. Quocirca fuerit ſanè natura eius familiaris noſtræ temperaturæ: nam tale monſtratum eſt eſſe dulce: ſed cùm adſtrictio quædam coniuncta ſit, vniuerſum eius temperamentum quantùm ex caliditate & adſtrictione eſt, tepidæ potiſſimùm caliditatis fuerit, quàm proximè accedens ad ſymmetrum. Porrò quoniam temperie quoque eſt humidum, id, quod modicè eſt dulce, iure ſanè etiam ſiti congruens medicamentum eſt, nimirum modicè humidum, ſimul & humanâ naturâ frigidius. Refert Dioſc. radicem ſiccam ad lęuorem redactam, pterygiorum, ſeu vnguium oculorum, idoneum eſſe illitu remedium.

---

## GLYCYRRHIZA DIOSCORIDIS

### ECHINATA NON REPENS.

VT minùs nota, ita minoris hodiè vſus Dioſcoridis Glycyrrhiza, cui, non vt vul-



gatæ, *radices* tenues, circumquaque, repentes, ſed craſſæ, latè, rectáque depactæ, ſimplices, brachii longitudine ac craſſitie, buxei [inquit Dod.] luteiúe intus coloris, foris rarò alterius, ſed tamen quandoque nigricans, minori verò dulcedinis gratia, (Dod. ait dulci ſapore cum auſteritate quadam.) ſtolones autem plures, virgultei, hominis proceritatem ſubinde aſſequuntur: *folia* Lentiſci, maiora, acuminata, coniugatim rachi alligantur, viroris ſaturati, & tactu nonnihil glutinoſo: *flores* è florum alis exeunt parui, cærulei: ſequuntur *fructus* ex pluribus oblongis *ſiliquis* echinatis glomerati, ad imum cohærentibus, quorum ſingulis ſingula inſunt.

*Radix. Color. Sapor. Stolones. Folia. Flores. Fructus. Semina.*

Summitatem Glycyrrhizę echinatæ appingit Matth. vulgari Glycyrrhizæ repenti. In Epiſt. anni 1571. peruertit deſcriptionem Dioſcoridis. Qua de re conſules caput proximè ſequens. *Matth. not.*

C. Bauh. apud Matth. Glycyrrhiza echinatis ſiliquis. Dulcis radix Matthioli in compendio. Glycyrrhiza Matth. in mag. figuris. *Et hæc Frater*, cui non concedo Matthiolum hanc intellexiſſe pro Glycyrrhiza. Et hoc ſatis demonſtrat radix in eius icone, præterea ipſemet fatetur primùm pilulas: adde illum ſcribere ſuam frugiferam copiosè in Germania prouenire in Bambergico agro, quis autem neſcit Glycyrrhizam vulgarem radice repente, ibi creſcere, & non echinatam, vt vult. C. Bauh. Nec eſt ea igitur quoque, quæ à Cæſalp. traditur. *Glycyrrhiza echinatis ſiliquis. C. Bauh. not.*

Nunquam potui, inquit Lacuna, in Italia, nec alibi videre fructum noſtræ Glycyrrhizæ ordinariæ, donec mihi Dodonæus demonſtrauit ramulum collectum Antuerpiæ in horto Guillielmi Andreæ: omnia exemplaria Dioſc. ſunt corrupta, legendum in ſiliquis prouenire grana ſimilia Lenticulæ. Fieri tamen poteſt, vt reperiatur aliud Glycyrrhizæ genus cum ſiliquis ſimilibus Lenticulis, quod nobis deſcribit Dioſcorides, à me non viſum, nec etiam ab vllo alio, quod intellexerim. Apud Lacunam in margine, quidam notat, Glycyrrhizam cum fructu ſpinoſo non producere radicem longam, vt cætera. Proponit autem Lacuna ineptam figuram, ramuli ſiquidem non bene exprimunt Glycyrrhizam echinatam. Nec nouit diſcrimen inter hanc & ſequentem. *Dioſc. reſtituitur. Icon Lacunæ inepta.*

Nunc Glycyrrhizam Italicam ad deſcriptionem Dioſcoridis meliùs accedentem à Condenbergio aridam cum fructu echinato miſſam accepi.

Dod. gall. Glycyrrhiza vera, Glycyrrhiza Dioſ. Et Hiſt. in fol Glycyrriza vera Dioſc. officinis & vulgò incognita. *Glycyrrhiza incognita.*

Glycyrrhiza echinata (aiunt Lob. & Pena) ſiquę eſt ſterilis, vt Matth. ſibi re verâ certũ eſſe audi- *Matth. repreh.*

tione poſtremis commentariis prodit, tres ſorent Glycyrrhizæ ſpecies: nobis quot notę, tot frugiferæ: Ac primùm Dioſcoridis dulcis radix, cuius vſus officinis rarior. Dedit Valer. Dourez Glycyrrhizam ſpinoſam Anthiochenam, ſed nihil niſi ſiliquas vidimus. Et Obſ. Glycyrrhiza echinata Dioſcorid. Scythoſt & Callisicheut. Germ. Suſholtz/ Sußwurtzel. Ang. Lichores. Gall. *Raigaliſſe, & Raiglice.* Hiſp. *Regalitia & Regaliza.* Ital. *Regolitia*, quæ nomina vulgaria quàm hene huic Glycyrrhizę tribuantut iudicent Lectores.

*Glycyrrhiza echinata.* *Lobelius notat.*

Antiochena, quam à Valerando acceperunt, non eſt mihi diuerſa ab echinata, qualem facit Compil. Tabern. dicens: Glycyrrhiza echinata Dioſc. Süßholtz.

Lob. meminit etiam alterius, quam nominat ſpinoſam Anthiochenam. Glycyrrhizam echinatam Dioſc. Anglicè hedgehogye licorice nominat. Glycyrrhizam veram Dioſcoridis Schvvenckfeldius.

**Locus & tempus.** Semina & ſiliquas ſæpiùs habui, ſeminàuique, ſed non prouenit, præterquam ſemel Montbelgardi vbi tertio anno echinos produxit: ſemen autem maturum factum Octobri: excreuêre magni caules bicubitales: radix craſſa, magna. Planta hæc, (teſte Lob.) in hortis Germaniæ, & Belgię, tantùm voluptatis causâ colitur, longéq; vulgatâ dulcedine, & gratiâ vincitur. Flores, inquit Dod. Æſtate, Autumno pilulæ cum ſiliquis perficiuntur. Vere herba regerminat, nouoſque caules producit. Hieme ſiquidem cum caulibus ſolia intermoriuntur, radice interim viuace.

## SCYTHICE RADIX veteribus.

### Cap. XXV.

SCythices natura haud ita cognita hodie, quemadmodum aliarum radicum dulcium. Imò cùm raris in terris etiam olim propagaretur, haud mirum ſi pauca ab Autoribus tradita hiſce etiam temporibus extent.

*Scythica Theoph. Locus.* De hac autem ita ſcribit Theop. Dulcis autem etiam Scythica [Σκυθικὴ] & quidam eam ἐυθυγλυκεῖαν vocant; naſcitur apud Maiotim. Vtilis ad anhelitus [ἄσθματα] tuſſim ſiccam, atque in totum ad thoracis affectus, & ad vbera in melle. Poteſt & ſitim ſedare, ſi quis in ore teneat. Quâ de causâ tum eâ, & Hyppace Scythas vndecim & duodecim dies durare credunt.

*Scythice. Plinio.* Sed hæc paulò clariùs, Plinius ita tradit. Inuenêre herbas & vniuerſæ Gentes. Scythia primùm eam, quæ Scythice vocatur circa Bœotiā [Mœotidem Corn.] naſcens, prædulcis. Aliam [prædulcem aliàs Corn.] vtiliſſimā [vtiliſſimamque] ad ea, quæ ſpaſmata [aſthmata] vocant. Magna & ea cōmēdatio, quòd in ore eam habētes, famem, ſitimque nō ſentiunt. Idem præſtat apud eoſdem Hippice [Hippace Corn.] dicta, quòd in equis quoque eundem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scythas in duodenos dies durare in fame, & ſiti.

*Hippace Equeſtris.* Cæterùm, Hippacen apud Theophraſtum, Gaza Equeſtrem vertit, quaſi radix eſſet dulci radici par, ad abigendam ſitim famemque: Sed caſeum equinum, inquit Geſnerus, non radicem, aut herbam eſſe, Dioſcoridis Pliniique teſtimonio conſtat. Hermolaus vnâ literâ diſcernit, ſic vt *Hippice* herbam, *Hippace* caſeum deſignet. Et Hippace apud Theoph. legitur. Quare non probatur Gaza, qui Equeſtrem tranſtulit. Sed in hoc etiam errauit Gaza, quòd ſitim tolerare vertit, vbi grecè ſimpliciter διάγειν [vitam agere] legitur: vt intelligamus Hippacen cibi loco, Glycyrrhizā verò ſitis remedium eſſe. Apparet etiam Plinium erraſſe, qui vtrique Hippacæ & Glycyrrhizæ, vtrumque ſeorſim attribuit remedium.

## GLYCYRRHIZA RADICE repente, vulgaris, Germanica.



*Radix.* SArmentoſæ *radices* longè latéque, implexu vago repțant, colore buxeo, foris nigricantes, ſapore melleo cui *ſtipes* multùm dulcedine cedit, ſubhirſutus, nonnihil purpuraſcens: *folia* in alam Fraxini inſtar diſpoſita, quorum ſingularia minora, per ambitum integra, atrouirentia, modicè viſcoſa, dum adhuc tenera: ſapore acerbo, & ſubacido, Trago autore, Dictamno vulgari aut Ciceri ſunt ſimilia: *flores* racemoſi, purpurantes, Dod. dilutè cœrulei, ſingularibus Trifolii bituminoſi floribus perſimiles: hos excipiunt *ſiliquæ* glabræ, in quibus *ſemina* parua. *Folia.* *Flores.*

*Plinij.* Dulcis radix, ſiue Glycyrrhiza, autore *Cordo*, eadem eſt cum Scythica. Errauit Plinius, quòd dicit ſine dubio inter aculeatas eſſe Glycyrrhizā, foliiſque eam echinatis [aculeatis] deſcribit. Decepit Plinium duorum iſtorum vocabulorum ſimilitudo χίνω & ἐχίνω. Nam facilis eſt ex vno in alterum lapſus.

*Glicor.* Γλυκύῤῥιζα, inquit Tragus, Latini radicem dulcem: noſtri Liquiritiam, & Glicoriciam vocant, Serapio autem *Sus* nnminat. Dioſcorides ei varia atttribuit nomina. Theoph. Scythicam appellat. De hac radice dulci legatur Gal. & Auic. & Conſtant. Mirari ſatis non poſſum cur aculeatis plantis glycyrrhiza à Plinio annumerata fuerit, & echinatis foliis deſcripta. Hinc neceſſe eſt, vt dicamus Plinium ſolia glycyrrhizæ nequaquam vidiſſe; aut aſperas illas, quas diximus, ſiliquas intellexiſſe. *Plin.*

Sed miratur Tragus Plinium, qui ipſe interim haud mirandus ſolùm, ſed potiùs omninò reiiciendus. Pingit enim ſiliquas hirſutas, ac aſperas tradit, quod ego non obſeruaui, quaſque ab eo viſas non credo: ſed in Dioſc. duntaxat legiſſe, & iconi ſuæ falsò appinxiſſe. Nec præterea aſſentior Glycyrrhizam Pabergenſis agri eſſe eandem cum Dioſc. Glycyrrhiza, de qua antè egimus, cui ſiliquæ glabræ, non verò hirſutæ, vel aculeatæ, quas pingit, id quod etiam teſtatur Dodonæus.

*Fuchſ. Adipſ.* Fuchſ. qui Scythicam Theoph. quoque ſtatuit & ἄδιψον à quibuſdam vocitari tradit, non deſcribit, ſed malè deſcriptionem Dioſc. huic attribuit

buit, quia plantæ, quam icone proponit, non conuenit.

Sed quid de hac Matth. intelligamus. Dulcis radix, ait, quam Græci Glycyrthizam, & Officinæ græcum nomen corrumpentes, vel potiùs Barbaros ſecutæ, *Liquiritiam* vocant, & Hetruſci vulgò *Regolitia*, planta eſt paucis non cognita. Sed non poſſum non valdè admirari Plinium, quòd Glycyrrhizam inter aculeatas numerarit plantas. Sine controuerſia dici poteſt Plinium Glycyrrhizam minimè nouiſſe: Cuius erroris cauſa illud facilè eſſe potuit, quòd ſui potiùs Græci codicis fidem ſecutus fuerit, quàm rei veritatem, in quo fortaſsè facili, lubricoque Librariorum non aduertentium lapſu ἐχίνω pro σχίνω ſcriptum legebatur: vel quòd græcæ linguæ non exactè peritus, vocabulorum, vocumque ſimilitudine deceptus in hoc errauerit. Hæc huiuſmodi opinio adeò firmiter veritati cohæret, vt facilè ii quoque deprehendi poſſint à veritate deſciſcere, qui credunt Glycyrrhizam olim ſpinis fuiſſe præditam, ſed mangonio longi cultus edomito rigore ſpinarum aculeos amiſiſſe, & tandem mitigatam eſſe: cùm ea etiam, quæ hoc æuo ſponte per ſe naſcitur, nullibi aculeata ſpectetur. *Hæc ille*, cuius icon non repræſentat Glycyrrhizam Dioſc. ea enim eſt radice Gentianæ, fructu aſperiore: Matthioli verò, radice eſt reptante, ſiliquâ glabrâ. Plinius non errauit, vt ille ait, ob imperitiam linguæ græcæ, aut latinæ, quam multò meliùs intelligebat ipſo, Cuius peritia [non dicam ignorantia] in lingua Græca, & Latina, qualis fuerit, ſatis nota plurimis eſt. *Addit adhæc* in com. cum mag. ic. Glycyrrhizam re vera duum eſſe generum: vnam frugiferam, alteram verò ſterilem. Frugiferam [quam deſcribit Dioſc.] fructum proferre pilularum Platani magnitudine. Hanc primùm ad ſe miſiſſe Io. Heſſium Medic. Norimberg. Nec antea vſquam à ſe viſam. Et hæc eadem com. Ital. cum mag. quoque icon. aſcribit, ſed vtrobique ineptam ponit iconem, relictâ meliori, confundens duas plantas: priori namque ſuæ iconi demit ſummitates, & ſupra ponit fructum echinatum Glycyrrhizæ Dioſcorideæ. *Falsò etiam* ſcribit eam, quæ pilulas fert, non longè a Norimberga prouenire: facilè crediderim ei miſſas pilulas Norimberga ex horto aliquo, in quo culta fuerit particulatim. Fruſtra tandem aliquam Glycyrrhizam ſterilem dicit. *Vltimò* falſam habet eandem figuram, Iconum p. 381. ex duabus plantis compoſitam. Dioſcoridis etiam deſcriptioni præter veritatem addit radices ſarmentoſas, quod poſtea figmentum penes confuſam deſcriptionem in Hiſt. germ. repetit.

An Anguill. de hac agit, quando ſcribit: Glycyrrhizam, quam deſcripſit Dioſc. (non) habemus in Italia, verùm inuenitur verſus Thraciam quę flores edit glomeratos, ſpheræ inſtar, quibus ſuperueniunt ſiliquæ ſpinoſæ: radix noſtrati ſimilis omninò. Sed intelligere velim Anguillaram, ſi per Italicam, eandem, quam nos, intelligit, falleretur enim in radice, quæ differt ab ea quæ ſpinoſas fert ſiliquas, quæ non repit.

Glycyrrhiza læuis à Lacuna vocatur, Caſtill. *Regaliza*, aut *Oroſuz*. Catal. *Regalitia*, Port. *Regoliz*: cui non bene perſpectum fuit diſcrimen inter Glycyrrhizam vulgarem, quam pingit pro læui, & echinatam, de qua ſcriptum, Dulcis radix communis, Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza communis, aut Glycyrrhiza germanica Dod. gall. Eidem in fol. Glycyrrhiza vulgaris. Hanc etiam eſſe, inquit idem, palàm eſt Officinæ corruptâ voce *Liquiritiam* vocant. Theoph. σκυθικὴν ῥίζαν, &, vt ait, nonnulli εὐπγλύκειαν. Plin. Scythicam herbam. Et verè εὐπγλύκεια ſiue multùm dulcis, hæc dici poteſt; eſt enim omninò dulciſſima, & quàm altera Glycyrrhiza dulcior. Scythice, à Scythiæ regione, in qua gignitur, nominatur. Poteſt & hæc ἄλιμος citra aſpirationem & ἄδιψος propriiſſimè nuncupari: exiguo ſiquidem guſtu famem & ſitim præcipuè ſedat. *Scythice vnde. Alimus, Adipſus.*

Lobel. & Penæ Glycyrrhiza ſiliquoſa, communis, quæ dulcedine echinatam vincit. *Glycyrrh. ſiliquoſa.*

Glycyrrhiza, quæ vulgò corruptè Liquiritia, ſuffrutex eſt (autore Cæſalp.) cuius radices ſunt prælongæ, digiti craſſitudine, ſarmentoſæ, intus flaueſcentes, ſerpunt in terra, virgas ferentes multas, bicubitales, lignoſas, annuas tamen: ſiliquæ breues. Dioſcorides fruticulum inquit eſſe. Theoph. Scythicam vocat. Plinius folia tribuit ei echinata, pro Schino [Lentiſco] Echinum legens. Quæ Glycyrrhiza Cæſalpini non ea, quæ echinatâ, vt voluit Caſp. Bauhinus. *Plin. error. C. Bauh. nor.*

Proponit Tabern. confuſam & figuram, & deſcriptionem, dicit enim ſiliquas aſperas. *Tabern. duplex.*

Sic & Gerardi figura non bona, potiſſimùm quoque ſi ſpectes ſiliquas, quæ vix diuerſæ pinguntur à Dioſcorideæ Glycyrrhiza: ſiliquis figmentum ex Tab. *Gerard. reprch.*

Schvv. in cat. Sil. Glycyrrhizam vulgarem, & radicem dulcem Francicam vocat, Lackeritz Sileſiis, Gemein Sußholtz.

C. Bauh. apud Matth. Glycyrrhizam alteram ſiliquoſam appellat, quæ quibuſdam malè ſterilis cenſeatur.

Glycyrrhiza radice repente, vulgaris, germanica, à nobis dicitur, Germ. Sußholtz / & Suß wurtzel, Belg. Suythoût & Caſteſir: aut Calliſſchoût. Gall. *Riglice, Rigoliſſe, & Regoliſſe*. Ital. *Regolitia*. Hiſpanis verò *Regaliza*, & *Regalitia*, Gerard. Red ghogge Licorice. Angl. Licores: Boh. Lekorice / Polon. Lakrycia. Hung. edos gyoker. *Synonyma linguarum.*

Glycyrrhiza [inquit Fuchſ.] multa, nec ignaua [frugifera Matth.] aliquot Germanię noſtrę locis, Bābergenſi præſertim agro, producitur. Et hodie nuſquam ferè non ſeritur in hortis: his, quæ ſemel comprehenderit, tam pertinaci fertilitate cohæret, vt vix vnquam poſſit radicitùs extirpari, tam reſtibili fœcunditate regerminat. Audio & Fullaci in Carinthia prouenire: & illic etiam in Franconia Bambergæ, in agris coli: tertio, aut quarto anno effodi, hoc modo: ſulcus longus, nempe per totum agrum ducitur, duos ferè pedes latus: profundus tres, aut quatuor dodrantes: ſic maiores radices eximunt, relinquunt minores. Iulio menſe, teſte Trago, appetente, floſculi prodeunt. Tam folia, quàm caules Hieme quotannis pereunt, quo fit, vt quotannis radice omnia hæc nouo pullulaſcere neceſſe habeant. De dulci radice Germania gloriari poteſt, in primis verò Bābergenſis ager, qui vnicus toti Germanię ſatis Glycyrrhizæ ſuppeditare poteſt. Abundat hac (autore Matth.) Apulia, præſertim Gargano monte, vnde quotannis ſuccus in paſtillos condenſatus ad nos conuehitur, & radicum, quàm plurimùm. Viſitur etiamnum in viridariis, pluribus locis in Italia, non modò ad ſpectaculum ſata, ſed ad medicamentorum vſum. Pleiadibus occiduis [inquit in Hiſt. germ.] radix colligitur. Naſcitur & in noſtro hortulo [ait Geſn. horti] in quo duobus, aut tribus annis abſque flore, & fructu caulem edidit tricubitalem ferè, quarto primùm *Locus. Sati. Collectio. Tempus.*

anno floſculos, & ſiliquas oſtendit. Hæc cùm ſcriberem ad cubitos quatuor excreuerat, decem, aut pluribus (aliquot enim reſecueram) ab vna radice caulibus ſub finem Iunii menſis: neque dum tamen flores oſtendebat. Prouenit autem plurimùm plantata radice. Folia tactu glutinoſa ſunt, & leuiter ſubolent neſcio quid aromatici Calami ferè, ſub noctem præſertim: quo tempore folia omnia demittuntur, interdiu verò ſurriguntur. Idem de coll. ſtirp. inquit, floret Iulio, & ſemen fert Septembri. Communis, nullis non nota, pergit Lobel. quæ ex Hiſpaniis Londinum, Antuerpiam & Lugdunum defertur, & vili vbique locorum diſtribuitur, non paucis Galliæ Narbonenſis locis multùm ſponté oritur, etiam prope *Latera* oppidum. Iunio, & Iulio ſiliquas fert. Schuuenkfeldio Auguſto & Septembri floret. Habebam ego Montbelgardi in horto Ill. C. Wirt. allatam Stutgardia, & Lugduni ex faſciculis Francofurto miſſis. His ita hactenus dictis, addit Dodonæus: Frequens eſt in Hiſpania, & Belgarum horti hac non deſtituuntur. Rariùs autem in Germania ac Belgio floret, ideoque etiam ſterilis à nonnullis, ſed temerè, credita: cùm tamen floret, ſub finem Æſtatis floret.

*Plurimùm radice plantatur*

Vires & Vſus

Viribus antea ex Theoph. & Plinio ſub titulo Scythice enarratis, adiungamus eas, quas Tragus Matth. & Dodonæus in præſenti teſtantur. Quare præſtantiſſimâ hâc, nobiliſſimaque plantâ ſecundum commentariorum ſuorum librum, Tragus concludit, dicens: Non ſolùm radix hæc vnà cum ſucco extracto magni facienda, verùm etiam ſuo modo vtilior, commodior, & ſalubrior ipſo Saccharo eſſe mihi videtur, ita quidem ſi altero ex his carendum mihi foret, Saccharo ſanè, quàm Glycyrrhizâ carere mallem. Pro illo namq; mel vſurpare poſſem, quemadmodum & Veteres non Saccharo, ſed melle pleraque medicamenta temperaſſe legimus. Saccharum equidem, ſicut & alia aromata, ad officinas & diuitum culinas ſpectare potiùs videtur, qui verò tenuioris ſunt fortunæ, melle, & dulci radice contenti erunt, & plùs commoditatis inde, quàm ex Saccharo & aromatibus percipient. Nemo enim ignorat amara, & Saccharum ſitim excitare, quam dulcis radix & ſuccus eius reſtinguunt. Dolendum eſt autē tam præpoſtero nos præditos eſſe iudicio, vt noxia expetamus, ſalutaria reſpuētes: id quod in ægris, præſertim verò ſebricitantibus comperimus, quibus confectionibus Saccharo aliiſue aromatibus permixtis, ſanitas non confertur, ſed aufertur, ſitiſque non adimitur, ſed additur, quæ tamen aliis & commodioribus medicamentis reſtinguenda erat. Sed vt ad Glycyrrhizæ vires propiùs accedamus, Matthiolum inſpiciamus, & Dodonæum. Cæterùm autem quandoquidem hæc radix dulcis eſt, temperatè quoque calida & humida eſt. Cortex eius amaritudinem quandam tamen habet, & calidioris eſt qualitatis particeps, ſed hunc abradere oportet: Humectat autem magis recens, & ſucco plena radix, quàm arida. Vtilis eſt ad raucedines, tuſſes, difficilem reſpirationem, perineumoniam, pleuritidem, ſanguiniſque ac puris ſputationem. phthiſim, & ad omnes thoracis morbos, exaſperata lenit, inflammationes ſedat, acrimoniam, & ſalſilaginem humorum mitigat, contemperatque: crudiores humores concoquit, & ſputi exitum faciliorem promouet: vlcera expurgat in ecclegmate, vel alio quouis modo ſumpta: aut aliquandiu manſa, ſuccóue ſub lingua detento. Decoctum eius renibus ac veſicæ exulceratis confert: vrinæ ſtillicidio medetur, ac in vniuerſum omnibus malis occurrit, ab acribus, ſalſis, & mordacibus humoribus excitatis. In quibuſdam monaſteriis Hollandiæ (addit Hiſt. gall.) ex ſucco Liquiritiæ & aliis aromatibus paruos panes efformant, qui tuſſi proſint frigidæ & inueteratæ, & aliis ſimilibus pulmonum & thoracis affectibus.

*Temmperamentum*
*Cortex.*
*Decoct.*
*Humo ſalſi.*
*Tuſſis*

## FOENVM GRAECVM SILVEſtre, ſiue Glycyrrhiza ſilueſt. quibuſdam.



CRaſſa *radice* nititur, cubitum, & ſeſquicubitum longâ, albo ſapore dulci: *ramos* vimineos, per terrá ſpargens, tres aut quatuor cubitos longos, atque etiam interdum longiores, teretes, glabros, fractu contumaces: *folia* inſtar Glycyrrhizæ diſponuntur, coniugationib⁹ quatuor, quinque, aut ſex, vno impari alam claudente, quod tamen non eſt perpetuò, ſunt ea verò, ſi ſingula ſeorſim contēpleris, Piſi ſilueſtris foliis ſimilia, supernè ex viridi glauca & glabra, infernè ex viridi flaueſcentia, ac hirſuta, ſapore eo, quem radici ineſſe dicebamus: ex foliorum porrò alis pediculus circiter palmaris enaſcitur, qui leguminaceos crebros *flores* ex flauo pallentes ſuſtinet: *ſiliquæ* non minùs floribus frequentes, incuruæ, dorſo ſulcato, vnde ſi neruum auferas, ex duabus compoſitæ videntur, quarum ſingulæ ſuis membranis diſſepiuntur, *ſemen* claudentes Fœnugræci, minus, lucidum, cui ſinus inſculptus.

Deſcr. *radix*
*Sapor*
*Rami*
*Folia*
*Color*
*Sapo rum*
*Pedic.*
*Flores*
*Siliq.*
*Semen*

Fœnugræcum ſilueſtre Tragus nominat, Lotumque ſylueſtrem, à Dioſc. deſcriptam, quam & Trifolium minus, & Lybicam vocet, perperàm eſſe iudicat.

*Synon.*

Ineptit ſimili modo Lonicerus, qui Lotum trifoliam, aut Lotum campeſtrem appellat. Ger. Steinwicken/ aut wild fönugrec/ & wild bocks Forn.

Dodoneo eſt Fœnugræcum ſilu. Tragi, & Recentiorum, & hæc in Hiſt. frum. In fol. autem Fœnugræcum ſilu. 1. Belg. Wildt Fenigrieck/ Germ. Wildtbockßkorn.

Lobel. & Penæ Adu. & Ic. Pl. Glaux vulgaris, Obſ. inſuper Fœnugræcum ſilu. Tragi Angl. Sea Trifoly.

Geſn. Glycyrrizam ſilu. eam herbam putat; quam Dod. Iconum ſuarum lib. 2. p. 36. pro Hedyſato pinxerit. Quod an verum ſit videndum. in hiſt. gall. id non facit.

*Glaux vulgaris Glycyr.*

Cordo, cui Polygalon dicitur, Geſn. addit figuram ex Tragi lib. 2. cap. 5. vbi etiam annotatum, Polygalon, Cordi quidam non rectè Hedyſarum

dyſarum, neque meliùs alii Fænugræcum ſilu. nominant. Glycyrrhiza ſilueſtris.

Cluſius, à quo Glaux vulgaris, & Glycyrrhiza ſilv. Geſneri dicitur, ſcribebat olim apud Acoſtam, Herbam mimoſam multis notis conuenire cum Polygalo Cordi, cuius folia noctu interdum contrahantur, ac ſpinis careat caulis, niſi pro ſpinis ſumere libeat, tenues illas & mucronatas appendices ſedi foliorum alatorum inhærentes. Hanc tamen opinionem lib. Exotic. Cluſ. omiſit. Vocatur Hungaricè Pénz leuelcu/ edôs fiu, h.e. Numularis dulcis herba.

Habeo à me ſatum Montbelg. in horto Ill. E. C. Fœnugræcum ſilu. Tragi, folio Glycyrrhizæ. Multis hoc odioſũ eſt, ramis nimirum ſe nimiùm ſpargẽtibus. Geneuæ prouenìens obſeruaui prope collẽ *la Baſtie* menſe Martio, & florens Iunio. Lugduni abundat, vbi Dalechampius Glycyrrhizam ſilu. vocabat, quod nomen non diſplicet, dulcis enim eſt herba. Baſileæ vidi extra portam Lapideam inter ſpinas. Item eundo Bernam inter *Morat* & *Morges* menſe Iulio prægnans ſemine. Inter Baſileam & Leurach cum ſuis ſiliquis inſtar cornu effigiatis, multis ſimul menſis Auguſti principio. Item iuxta Caſtellum Beffordienſe ſemine maturo Auguſto. Inuenitur à Cluſio in ſiluis, pratorum marginibus, vmbroſis, atque etiam in pratis apertis.

## FOENVGRÆCO SILVESTRI Tragi in quibuſdam accedens planta.



Palmari eſt altitudine, caulibus donata teretibus, hirſutis, ſtriatis, craſſiuſculis: *folia* Tribuli terreſtris paria, perquàm hirſuta, coniugatim coſtæ, duum vnciatum, ex caulis geniculis ortæ, adhærent: indidemque *flores* copioſi dimidiatũ verticillum efficiẽtes, parui, pallidulì, quorum vnicuique ſuccedit *ſiliqua* hirſuta, in acumen deſinens, in duas partes findi facilis, quarum vnaquæque ſuis vndique membranis conueſtita, ſemen continet copioſum, Fœnugræci ſatiui, minus: *radix* duum vnciarum, ſimplex, gracilis.

Hæc planta in multis accedit Stellæ leguminoſæ, de qua poſtea.

Circa Monſpelium ad Epiſcopi Monſp. Caſtellum, lapide circiter vno ab vrbe diſtans, in loco arido, vix vnam, aut alteram obſeruauit, atque collegit Gener I. H. Cherlerus.

## HERBA MIMOSA.
### Cap. XXVII.

Inter ea, quæ anno 1609. Gener Cherlerus ex Anglia reportabat, erat *Herba mimoſa*, de qua hæc ille. Herba, ſemen, & ramulus Herbæ mimoſæ, per D. Cargillum miſſæ, cui tradiderat D. Garetus, qui acceperat à Comite Comberlandio, qui collegerat in inſula, quã cepit in America, quæ vocatur S. Ioan. de Porte Ricco. *Locus.* Sunt autem eius ramuli tenues in partes diuiſi, in quibus creberrimæ & tenuiſſimæ, veluti ſpinulę, non tamen pungentes, ad Muſci ramulos accedunt: ipſi verò ramuli ſunt conglomerati, abundantes ſeminibus, quæ adhærere videntur illis veluti ſpinulis, ea aliquid cum Lente ſimile habent, verùm minora, & minùs orbiculata, in acumen deſinentia, compreſſa nonnihil, & in medio parumper tumeſcentia, dentibus attritu facilia. Conſtant membranâ tenui, fuſcâ, & minimo nucleo internè albo: ſaporem nullum animaduertimus. *Deſcr. ramulorũ. Semen.*

*Icon Acoſtæ.*



Iconem Acoſtæ dudum ſculpendam curaueramus, anno ſc. 1506. ſed quia veriorem Cluſii, quæ cum noſtro ramulo, ſemine, & herba congruit, agnoſcimus: eam parandam cenſuimus. *Icones.* Dicitur autem Acoſtæ in lib. Arom. Italicè edito, *Herba Molle*, *Herba Delicata*, & in verſione Cluſii *Herba mimoſa*, vbi ſequentia de ea leguntur. *Herba Molle. Herb. Delicata.* Inuenitur in quibuſdam [Aſiæ] hortis, planta quinque palmorum longitudinis, vicinis arbuſtis, aut parietibus incumbens, tenui caule, eleganti viriditate prædito, nec admodum rotundo, per interualla exiguis, & pungentibus ſpinis, foliis ſuperioribus haud abſimilibus, Filicis fœminæ foliis minoribus. *Locus. Deſcr. Acoſtæ. Caulis.* Gaudet humidis & petroſis: *Locus.* manuque admota ſeneſcit & marceſcit, remotâ verò priſtinam viriditatem recipit, ſed non celeriter ideóque Herb. *viua*, & Mimoſa dicitur. *Mimoſa quare dicatur.* Naturam habet plurimùm ab arbore triſti differentem: nam ſingulis noctibus Sole occidente ſeneſcit & ſiccatur quodammodo, ſic vt contabuiſſe videatur: oriente verò Sole vigorem denuò recipit: quantoque Sol magis ſeruet, eò magis viret, totoque die folia ad Solem conuertit. *Natura.* Odore & ſapore eſt Glycyrrhizæ: vulgoque ab indigenis folia manduntur aduerſus tuſſim, ad pectus repurgandum, & vocem clariorem efficiendam: renum etiam doloribus vtilis eſſe cenſetur, & recentia vulnera glutinare. *Odor, & ſapor. Vires. Tuſſis. Renum dolores. Vulnera.*

His Cluſius (qui olim apud Acoſtam hanc multis notis cum Fœnugrẹco ſilu. Tragi conuenire dixit, & nunc in Exot. hanc ſuam opinionem omittit) addit: *Fœnugr. a. cum ſilu.* Multarum (pręſertim in leguminũ genere) folia, noctu ſe contrahere, & comprimere ſolent. Herbæ porrò Mimoſę appellatione ad me mittebatur ſicca planta à Iac. Gareto extremo Octobri, anni 1599. quam ab Ill. Comite de Comberland ex Inſula D. Ioannis à portu diuite nuncupata, reduce, fictili cum terra impo-

ſitam recepiſſe ſcribebat, conſeruare tamen non potuiſſe. Huius verò iconem, quàm commodè fieri potuit, ex illa ſicca exprimi curabam, vt eius hiſtoriç ex ſicca etiam planta concinnata, addi poſſet.



*Deſcrip.* COnſtabat autem ea planta, quæ prorſus ſicca, & foliorũ expers, ſingulari *radice*, non craſsâ quidem illâ, ſed dura & lignosâ, rariſque fibris præditâ, à quâ terni, aut quaterni cauliculi exibant breues, qui ſtatim in aliquot tenues virgas, & humi procumbentes in ambitu ſe ſpargebant, ad ſingulos nodos, frequentes, lõgas, tenueſque fibras agentes, inſtar ramorum Periclymeni vulgaris, qui per terram diffunduntur: erant verò cubitalis longitudinis illæ virgæ, interdum ampliores, teretes, lentæ, quibuſdam ſpinulis latiuſculâ baſi eas inſidentibus præditæ, quemadmodum in Rubi ramis videre licèt, minoribus tamen, rarioribus, minuſque firmis: eæ rurſus in alios graciliores ramos diuidebantur, frequentioribus ſpinulis obſitos, quorum nodis inter binas appendiculas alternis exoriebãtur tenerrimi ramuli ſuis foliolis obſiti, quæ numeroſa ſerie quâdam, & pari vtrinque numero, in ala nata erant, nullo ſingulari alam finiente, tenella admodum, & virentia, non diſſimilia Acaciæ foliolis, quç (dũ primùm prodibant, tenui, incanaque lanugine pubeſcebant, vt ex ramo ſuis paruulis ramulis, & foliolis onuſto, quẽ addiderat, deprehendere poteram, quique fibras aliquot adnatas etiam retinebat. Adiunxerat & bina capitella, quæ, in ea planta nata, ab Illuſtri ſupra dicto Comite accepiſſe ſcribebat, cum aliquot ramis ſua folia adhuc retinentibus. Conſtabant ea capitella è multis, tenuibus, anguſtiſque & ſpinoſis veluti foliolis, inter quæ latebant ſemina orbiculata, plana, nigra, in medio nonnihil tumentia. Flores à me conſpecti non fuerunt, & haud ſcio, an allati fuerint. Vtrum porrò huius plantæ virentis, & adhuc in terra hærentis, folia, manu admotâ, marceſcant, vt ſcribit Acoſta, eiuſque rei causâ nomen fuerit inditum, ii referre poſſent, qui plantam virentem & creſcentem viderunt, atque erutam capſæ impoſuerunt.

*Radix.* *Cauliculi.* *Virgæ.* *Ramuli.* *Capitula*

## ASTRAGALVS VETERIBVS.

### CAP. XXVI.

*Deſcript. Dioſc.* ASTragalus [ἀστράγαλος] inquit Dioſc. eſt paruus à terra frutex [θαμνίσκος] foliis & ramulis ſimilis [Ἐοικὼς] Ciceri: flores ſunt purpurei, patui: radix ſubeſt rotunda, velut magnus Raphanus [ῥάφανος ἐυμεγέθης: Lob. & Pena Adu. Colum. βάλανος εὐμεγέθης] propagines habens ſolidas, nigras, duras, velut cornua inter ſe implicatas, guſtu adſtringentes.

Variat nonnihil à Dioſc. lectione Plinius, breuiter ita ſcribens: Aſtragalus folia habet longa, inciſuris multis obliquis [Columnæ inciſuris multis ſuperfluum videtur, & legendum obliqua:] circa radicem caules tres, aut quatuor foliorum plenos, florem Hyacynthi, radices villoſas, implicatas, rubras, præduras. *Folia.* *Flos.* *Radix.*

Gal. lib.1. c.1. ſecund. loc. medicamentum ad caluescentes habet, quod recipit Iridis Aſtragalitidis, ſiue, vt alii, Illyricæ ſextantem. In quem locum ego (inquit Corn.) in com. med. annotaui, videri mihi Iridem Aſtragalitidem eandem eſſe cũ Aſtragalo ſimpliciter appellato, eò quòd huius radicum ſoliditas, & vires, Iridis Illyricæ ſoliditati, ac viribus reſpondeant, ad vetera vlcera explenda, ac repurganda. In ea ſententia adhuc ſum & habet Iridem Aſtragalitidem etiam Aëtius libro tert. cap. tert. Poteſt itaque Aſtragalus, Iris appellari, & additione Aſtragalitidis declarari. Aſtragali appellatio talum ſignificat, quòd radicis figurâ, & ſoliditate talum refert. Noſtris putatur ea eſſe, quam Erdtnuſſen vocant. Sed fœdi erroris inſimulare licet Cornarium, qui, vt aliquid noui, & minimè vulgaris in lucem ederet, ſibi perſuaſerit, ne dicam lembus idearum ſomnus finxerit, Aſtragalum, & Iridem Aſtragaloidem, eaſdem eſſe plantas. An præterea per Erdtnuſſen intelligat Chamæbalanum quorundam, conſiderandum. ſi eam intelligit, radix non eſt ſimilis magno Raphano, vt is in Dioſc. legit.

Conuenientius adhæc nomen, & Etymon, quàm Cornarius, Columna tradit. Seminum, inſit, forma ἀστραγαλοειδὴς, plantæ huic nomen indidit Aſtragali: ἀστράγαλος quidem talum, & talorũ luſum ſignificat, quorum formam & vſum huius plantç ſemina referunt: tereti formâ quidem ſunt in ſuperna, infernaque parte plana, vel acetabulorum more concaua: poſſet etiam ita appellari à tuberoſa, carnoſaue forma radicis compreſſa, & meliùs à multitudine fibrarum nodoſarum ad ſimilitudinẽ flagelli, vnde ἀστραγαλωτὴ μάστιξ à Polluce dicitur. Dioſc. plantæ habitum ſimilem Ciceri fecit, non folia Ciceri ſimilia: florem Hyacinthi, colorem intellige.

Cæterùm Aſtragalum volunt aliqui, vt Turnerus, quem antè, hoc libro 17. tradidimus, titulo Chamæbalani leguminoſæ, hanc fortè etiam intelligit per Erdtnuſſen antè dictam Cornarius. Necdum conſtat, quæ planta ſit Aſtragalus Matthioli, niſi ſit Hediſarum clypeatum per pictorem accommodatum deſcriptioni Dioſcoridis. Adhæc Aſtragalitidẽ Iridem Galeni & Aëtii non exiſtimamus eſſe eandẽ cum Aſtragalo, & Erdtnuſſen, vt putauit Cornarius.

Aſtragalus maior dicitur à Fuchſio. Aſtragaloides autem, & Aſtragalus ſilu. Thalio & aliis. Non deſunt prçterea, qui Aſtragaloidem recticaulem, hirſutam vocitant. Alii verò Aſtragaloides Cicer Ponæ, Onobrychin quorundam purpureo flore. Alii Aſtragalum Monſpeliacum. Quidam Aſtragalum quendam montanum Aſtragalum montano candidiorem. Nonnulli Aſtragalum Syriacum appellant. An Aſtragalus fortè lanuginoſus Bœticus. Aſtragalus Dioſcoridis quibuſdam. Habetur & Aſtragalus ſiluaticus vernus à quibuſdam, & Galega nemorenſis verna, de qua paullò pòſt.

Creditur tandem Aſtragalus Columnæ, Galegç nemorenſi

nemorenſi valdè ſimilis, ſi non idem.

Naſcitur (teſte Dioſc.) locis vento expoſitis, vmbroſis, & niuoſis. Multa in Memphide Arcadiæ. Aſt contra [autore Plinio] legitur, in Pheneo Arcadiæ in petroſis, apricis, & iidem niualibus. Ita etiam Paulus habet Galenum ſecutus. Quum itaque hi omnes ἐν φανεῷ legant, inquit Corn. etiam in Dioſcoridē rectam lectionem eſſe, ἐν φανεῷ apparet: & non ἐν μέμφιδι, velut quædā exemplaria habent: maximè cùm nulla ſit Arcadię Memphis.

Colligitur exitu Autumni, quum folia amiſerit, ſiccatur in vmbra.

Radix, vt Dioſc. tradit, in vino pota alvum fluidam ſiſtit, & vrinas mouet. Facit & ad vlcera vetera, arida inſperſa. Sanguinem quoque cohibet. Tunditur autem difficulter ob ſuam ſoliditatem. His addit Plinius: Vis ei ad ſpiſſanda corpora. Vrinam mouet repercuſſo liquore, ſicut plæraque quæ aluum ſiſtunt. Sanat & dyſentericos in vino rubro tuſa. Eadem gingiuarum ſuppurationi vtiliſſima eſt fotu. Galenus fruticem hunc paruum, radices habere adſtringentes aſſerit, proindeque ex iis eſſe, quæ non ingenerosè ſiccent.

## ASTRAGALVS ROMANVS, SIVE Hedyſarum clypeatum ſiliquâ aſperâ.

Ramis eſt cubitalibus, bicubitalibus, & tricubitalibus concauis, procumbentibus, glabris, craſſiuſculis, multis ex *radice* ſtatim ortis: per quos alternatim ferè naſcuntur *folia* palmaria, & ferè dodrantalia, alæ inſtar hærentia, quinque, aut ſex coniugationibus, extremoque ſolio impari, conſtantia. *folia* ſingularia, Glycyrrhizæ foliis quodammodo ſimilia, paullò breuiora, latioraque, & glabra, exceptis marginibus, breuibus pilis ornatis, ſapore nullo manifeſto, niſi tantillùm adſtringente: ex alarum ſinu prodeunt ſurculi ſingulares, qui in ſpicam digeſtos ferunt *flores*, amœnos, Geniſtæ, ſed rubentes: è quibus *ſiliquæ*, compreſſæ, aſperę, ternis, aut quaternis, aut quinis ſeminibus orbiculatis, clypeoli effigie locatis, complures viſuntur.

Icones factæ ſunt binæ. Prior demonſtrat folia præcipuè, & flores: altera verò ſiliquam, & ſemen. Illa rurſus facta eſt ad plantam ſiccam delatam à genero meo Cherleto nomine Aſtragali Romani quorundam, hæc autem ad Iconem Plantini, cum noſtra ſiliqua, & ſemine.



Falluntur (inquit Dod.) qui Onobrychin alteram ad Securidacę genus referre ſtudent. Falluntur & ii

*Alia icon.*



qui Helenium eſſe Aegyptium Dioſcoridis volunt, quod eſſe nunquam poteſt, cùm odorata non ſit.

Hedyſarum alterum clypeatum, & Helenium Ægyptium quorundam à Lobelio Obſ. dicitur. Hedyſarum Icon. Plantini. Pona in Baldo vocat Hedyſarum alterum clypeatum. Camer. hort. cognominat Securidacam clypeatā à Lobelio, ac Dod. deſcriptam, Onobrychin 2. Dod. Nec deeſſe ſcribit, qui velint Helenium eſſe Ægyptium, quod non conueniat, ſiquidem radix ſit rubra. Hedyſarum alterum clypeatum Lobelii, quod in horris Belgicis alatur, hiſt. Lugdunenſi cognominatur. Helenium Ægyptium, eiuſque ſpeciem quidam dixere, alii verò appoſitè Hedyſarum cenſuęre. *Hedisarum clypeatum.*

In hortis Belgii Dodonæo conſpici interdum contigit. Ponæ verò in horto montis Baldi. Mōrbelgardi in horto E.C. ſatum aliquoties mihi prouenit, & primo quidem anno flores protulit Septembri, & Octobri, qui non maturuerunt. Argentinæ tamen apud Fridericum Meierrum Septembri maturum obſeruaui, qui mihi indicauit à ſe obſeruatam hanc plantam in pratis Senenſium copioſè prouenientem, quam equis pro pabulo exhibeant. Perit Hieme, ni reponatur. Hanc attulit Gener Cherlerus collectam in via Romana Viterbam verſus. Florentiæ item in horto magni Ducis Hetruriæ. *Locus & Tempus.* *Vſus.*

## ASTRAGALVS MATthioli.

Somnio herclè vexabatur Matthiolus, cùm Aſtragalum quendam in agro Tridentino, in vallis Ananienſis montibus ſibi prouenientem olim imaginaretur, ſiquidem in poſtr. com. iſtius Aſtragali figuram omiſit quaſi fictitiam. Nos enim ſuſpicamur illi quondam aliquam plantam nomine Aſtragali demonſtratam, quam poſtea per pictorem Dioſcoridis deſcriptioni aptarit (pictoribus enim omnia licet, vt licuit apud eum in aliis plantis) Ea verò planta fuit forte Hedyſarum clypeatum, quibuſdam dictum Aſtragalum, vt antè indicatum. Retractauit hinc meritis & Hiſt. Lugd. in vltimis ſuis editionibus ſententiam ſuam de Aſtragalo Matthioli. Siquidem conſilium ficci botanici, aut vinolenti, nec cogitatum ſapientis, ſed optatum quidlibet audentis certò percipiebatur. Quamuis autem Aſtragali figuram apud Matth. C. Bauh. ex ſecunda commentariorum editione propoſuerit, attamen ignorare ſe fatetur qualis ſit planta, etſi non deſint, qui eiuſdem Pſeudo-Apium eſſe cenſeant. *Matth. mot.* *C. Bauh.*

## ASRAGALVS MAIOR
Fuchſio.



*Deſcriptio.* QVam mihi olim D. Fuchſius cùm apud eũ Tubingę eſſe Aſtragalum maiorem denominauit, *radice* eſt ſatis longa, & craſſa, dulci: *caulibus* rectis, cubitalibus, ſtriatis, anguloſis: *folicla* Viciarũ modo diſpoſita, nouem, vel vndecim: interdum vnguibus longiora, aliàs multò minora, ex rotundo oblonga, ad coſtam vnam adnexa, ſubcærulea, quæ exſiccata nigreſcunt: *flores* ex pediculis longis, ſatis magni purpurei, ex eodem pediculo plures, formâ Viciarum: qu bus ſuccedunt *ſiliqua* longæ, teretes, admodum affines plantæ, quam paullò poſt deſcribam, quibus multa inter ſe ſimilia, quædam diuerſa.

*Aſtragalus maior. Radix. Caules. Flores. Siliqua*

*Eruum. Orobus. Deſcript. Cluſii.* Commemorat haoc Cluſius his verbis; Eruum ſiue Orobus rei herbariæ ſtudioſis, Pannonicus purpuraſcens ſecundus, ſolia habet ſena, octona, interdum decem vni coſtæ hærentia, Lenticulæ ſoliis haudquaquam maiora, tenella, viridiaque, guſtu amaricante, calidiuſculo: *Flores.* flores purpuraſcente colore, qui vetuſtate in cœruleum commutatur: radix in diuerſa tendens. Icon apud Cluſ. in hiſt. poſt. quemadmodum etiam apud Lobelium, optimè exprimit plantam, quam nos deſcripſimus: in Pannon. errore typographi pro Orobo Pannonico ſecundo pag.738. malè ponitur icon Traſi.

*Aſtragaloides.* An Lob. Obſ. ſicut & Ic. Pl. Aſtragaloides altera Herbariorum. Huius figuram habere videtur Lonic. ſub nomine Feldtweicken: quamuis non ſit ea, de qua in contextu loquitur. C.Bauh. frater, qui Patauio miſit, ei hæc nomina adſcripſit, Glycyrrhiza Geſneri, Aphace Cortuſio: verùm vbi Geſn. ita vocarit ignoro. Aſtragaloides ſimpliciter à Dod. ſcribitur, eique flores ex cæruleo purpurei, minores quàm Viciæ conſeruntur, ſiliquæ verò teretes, oblongæ, nigricantes, in quibus ſemen Viciâ minus, non rotundum, ac globoſum. Nonnulli, inquit is, Ervum ſilu. vocant.

*Locus & tempus.* Inueni Geneuæ menſe Iunio in colle la Baſtie florentem: item menſe Maio. Argentinæ vidi in horto D. Frid. Meieri cum ſiliquis Iulio. In Belgicis hortis aliquando videre meminit Cluſius, & Aphace nomine à rei herbariæ ſtudioſis appellari. Sed multo tempore, Dod. teſte, durat, Hiemis, frigoriſque patiens. Ad hortos Belgii aliunde allatum, peregrinum eſt legumen. Iunio ac etiam ſeriùs floret, ſiliquæ interea perficiuntur.

## ASTRAGALOIDES, SIVE ASTRAGALVS
ſiluaticus, Aſtragalo magno Fuchſii, vel Chamæbalano leguminoſæ affinis planta.



*Deſcri[ptio]. Radix.* CHamæbalano ſimilem voco, cui ex *radicibus* longis, quaſi repentibus, variéque implicatis, partim tenuibus, partim tuberoſis, Chamæbalani Dodon. perquàm ſimilibus, niſi è tuberibus plures capillares fibræ prodirent, externè nigris, internè albis, ſapore ſubdulcibus, *caules* exſurgunt multi, pedales, anguloſi, *folia* aliquatenus Chamæbalano ſimilia, ſine capreolis, glauca, & ferè nigricantia, oblonga, obtuſa, neruoſa, ex breuibus pediculis, quaterna vel ſena, præter foliola, quæ ad pediculorum exortum ſunt: *flores* Piſorum rubentes, quibus ſuccedunt ſiliquæ ſatis longæ, teretes, ex pediculo non admodum longo, in quibus *ſemina* mediocriter magna, lutea, ſapore ferè Piſorum, quà ſe contingunt vtrinque compreſſa.

*Caule[s]. Folia. Flores. Siliqu[a]. Semen.*

Ab Aſtragalo maiore Fuchſii differt, cui folia ex vno pediculo plura, & breuiora: differt etiam caulibus: qui breuiores, & radicibus.

*Aſtra[galus]* Thalio in Harc. Aſtragalus ſiluaticus, apud quem Camerarius ſcribit, dici vulgò Chriſtians würtz/ aliis Cicer montanum nuncupari, deſcribi à Cordo ſed à nullo, quod ſciat, depingi.

*An mo[nta]num ci[cer].* An Ruell. Aſtragalus, qui à Dioſc. deſcribitur, frequenſque eſt apud ſuos. Rura, inquit, noſtra montanum, vel ruſticum Cicer nominant: Ciceculam eſſe diceres. Vulgus nonnuſquam ſilueſtres Cerras [ciceculas] vocat. Aſtragalum itaque Ruellius agnoſcere uiſus eſt, vel Cordo teſte: cui cum ratione eſt adhibenda fides. Germ. dicitur Knöllen Kraut. Idem in hiſt. deſcribit Aſtragali nomine quo in loco Geſnerus annotauit Chriſtian wurtzell & Knollenwurtzel ab aliquibus Cicer montanum appellari.

*Locus. Temp[us].* Menſe florentem Aprili, prouenientem verò cum ſiliquis obſeruaui menſe Octobri in monte Roſſberg prope Maſmunſter & locis vicinis, in ſiluis & dumetis. Item circa ſontem Admirabilem in ducatu Wirt. inter vepres.

## ASTRAGALVS RECTICAVLIS
hirſuta.

*Deſcr[iptio].* ANonymum quendam *ramum* inter ſiccàs meas adſeruo, rectum, cubitalem (altiorem fuiſſe ſicca inſinuat) rigidum ac firmum, totum pilis candicantibus ac lanuginoſis obſitum, crebro *foliorum* veſtitu præditum. *Folia.* Ea coſtę hærent quindecim communiter, ordine & poſita vt in Galega, minora, anguſtiora, tota villoſa, in acu-

men



men deſinentia, ſapore amaro, *flores* longo pediculo inſidentes Trifolii pratenſis, hiantes, pallidi, in glomerem congeſti, ex villoſis calyculis prominentes. Hác vbi locorum nactus ſim, nō recordor. Elegans tamé tum raritas, tum varietas, figuram merebatur, & nomen aliquod.

## POLYGALON VETERIbus.

### Cap. XXVIII.

POlygalon Dioſcoridi frutex [πολύγαλον θαμνίον] eſt paruus, Palmi altitudine: *folia* habens Lentis foliorum ſpecie: guſtu ſubacerba [moderatè auſtera Galenus: Plinius autem vtramque ſpeciem generis appellatione comprehendens, guſtu adſtricto dixit. Habet enim, inquit Corn. τὸ ςύφον ſpecies, τὸ ἀυςηρὸν, καὶ τὸ ςρυφνὸν.] Sed herbarum periti [pergit idem Corn.] hodie & de hac ambigunt. Quidam Pimpinellæ ſpeciem eſſe volunt, quam kleine Bibenel dicunt. Alii eam eſſe volunt, quam Creützblum, vocant. Sed quum hæc trium generum ſit, iuxta triplicem florem, Polygalon eſſe volunt eam, quæ album florem habet. Reliqua duo genera, & purpureum florem habens, & od cæruleum ad Glauca, de qua ſuo loco agemus, referunt. Florem Polygali neque in Dioſc. neque in Plinio Corn. reperit, ideoque nihil pronunciat. Contendunt præterea nonnulli eſſe Geſneri Polygalon, alii verò Polygalon minus ſaxatile, quidam porrò Polygalo affine Caput gallinaceum.

Folia pota lac gignere creduntur, teſtibus Dioſc. Plinio, & Galeno. Quare in ipſis calidum & humidum prædominantur, talia enim eſſe oportet ea, quæ lac gignunt.

## POLYGALON GESNERI.

MVltarum notarum argumento Polygalon indigitabat Geſnerus herbam, è *radice* mediocriter craſſâ, longa, cortice obtectâ nigro, intus albâ, *ramos* proferentem multos, palmares, vel etiam cubitales, rubentes: è quibus orti pediculi *folia* coniugatim diſpoſita ſuſtinét, Lentis, inferiùs magis albicantia, & piloſa, ſuperiùs viridātia magis: ſummis ramis *ſpica* inſidet *florum* Viciæ, vel Aphaces aut Lentis, ſed coloris purpurei è calyce piloſo: ſequuntur *ſeminum* conceptacula ſubrotunda, modicè compreſſa, ſpinulis aſperata, & per ambitum gibba, criſtam ſerratam membraneam erigentia.



Lobel & Pena Aduerſar. Obſ. qui *Caput gallinaceum* Belgarum vocant, dicunt: An Onobrichis Dioſcoridis? *Polygala vera Dalechampii. Onobrichis Dodonæi.* Dodonæo autem gallico, *Onobrichis quorūdam*, & *Viciæ ſpecies ſecunda*. Item in ſol. & de frum. *Onobrichis Dioſc. Plin. & Galeni.* Geſnero de hort. *Glaux*, vel *Onobrichis Dodon.* Et in append. *Polygallum Rheticum.* Hiſt. Lugd. *Polygala multorum, quibuſdam Onobrychis.* Tab. ic. & Hiſt. *Onobrychis*, Hanenkopf / wildtheſſenkraut. Cluſ. Onobrichis Dodonei, quæ Brabantis Hanekammeken, id eſt, Criſta gallinacea cognominatur. Pona in Baldo nominat *Polygalam Dioſc.* Dalechampio, Lobelium imitatus, Geſnerus tamen fuit primus auctor huius appellationis, quicquid ſcribat Lobelius.

Synonyma. *Caput gall. Belgarum. An Onobrychis? Polygala vera Dalech. Glaux. Polygalum Rheticum.*

*Criſta gallinacea.*

Polygalon Geſneri diligens ſimplicium indagator Leonhardus Rauvvolffius prope Arelatam in Prouincia menſe Maio collegit. Vidimus nos hanc florentem menſe Aprili, in monte Apennino. Geneuæ abundat in pratis iuxta *Arue* & Noſodochium. Polygalon in peregrinatione Rhœtica Curiç reperi flore albo, vt cẽſebat Geſn. non recordor auté an aliis notis à præcedenti differat. Montbelgardi prouenit in horto ex ſemine in Briſcoia collecto. Cluſ. ſicut & Pona in Baldo gramineis locis, ſiccioribuſque pratis naſci perhibent. Sed & plæriſque ſuperioris Germaniæ locis exit, inquit Dodonæus. In Bohemiæ agris ſecus ſcrobes, per quas pluuia delabitur aqua, Onobrychis frequens eſt, apud Brabantos & Flandros ab herbarum ſtudioſis in hortis ſubinde ſeritur. Auguſto cum flore & fructu reperitur.

Locus & tempus.

Curiæ Rhætorum [ſic enim Pontiſella inibi narrabat] plurimi ſunt prata, in quibus hæc proueniret, multùm enim ex eius eſu lactis vaccis & cæteris animalibus copiam contingere pro indubitato creditur.

*Vſus.*

## POLYGALVM MINVS ſaxatile.

TOta quanta eſt, vix palmum ſuperat. *Radicula* candida eſt, longiuſcula, modicè pro plantulæ modulo craſſa, diuiſa in capita, paucis fibris donata. Ex qua *foliola* ſtatim emergunt coſtæ hærentia, repanda, capitis gallinacei, ſed obtuſiora, latioraque, pilis candidis obſita. *Coliculi* graciles ſunt, conſimilibus foliis veſtiti, ſupernè diuiſi: quorum extremis *floſculi* inſident luteoli, aut palliduli, hiantes, exigui, pauci, Aſtragalorum poſitu, nec in ſpicam abeuntes, vt in Polygalo Geſneri, capitula ſequuntur exigua, rotunda, aliquot apiculis ſupernè donata.

Deſcriptio. *Radix.*

*Folia.*

*Coliculi.*

*Floſculi.*

Locus & Tempus.



Hanc plantã attulit gener Cherlerus, collectam circa arcem Epiſcopi Monſpelienſis in locis incultis, aſperis & ſaxoſis, Iunio menſe.

## POLYGALO GESNERI AFFINE
Caput gallinaceum.



Radix. PRolixam agit *radicẽ*, & craſſiuſculã, lignoſam, & in fibras, filamentorum inſtar, ductilem, lentam, fractuque contumacem, foris nigricantem: intus albam, ſimplicem aliàs, aliàs multifidam, & in numeroſa capita diductam ex quibus denſa pullulat foliorum cauliumque ſeges: Caules. *caules* autem palmares, aut etiã dodrantales, tenues, ſubhirſuti, ad medium vſque folioſi, cæterà nudi, *ſpicam* gerunt vnius, duarum, aut trium ferè vnciarum, *floribus* congeſtam Flores. purpureis Polygali Geſneri, quæ tamen hîc in latum diffunditur per extrema, non autem in metæ formam faſtigiatur: floribus etiam adhuc non omninò delapſis ſuccreſcunt *ſiliquæ*, Acaciæ ſiliquarum quodammodo formã, vnico, aut duobus peltatis orbiculis conſtãtes, quodam veluti iſthmo loculos diſterminante, quòd ſi vnicum eſt conceptaculum, breuem mucronem profert (id quod etiam in extremo, vbi plura ſunt, obſeruare licet) margine alias æquabili, nec criſtato, vt in Polygalo Geſneri, vmbone protuberante propter contentum *ſemen*, Craccæ minori par, nigricans, rotũdumque, niſi quippiam, vncinuli inſtar, inæqualitatem faceret: ſinguli porrò orbiculi præter tunicam ſemen integentem, extrinſecus reticulatum habent obductum plexum, circa oras hæreſcentem, aliàs liberum, ſpinulis mitibus aſperatum, radiis rectis, in margines exporrectis: *folia* quædam à radice mox germinant, alia per caules, trium plùs minùs vnciarum longitudine, foliolis coniugatim diſpoſitis conſtantia, duplò minoribus, quàm Polygali Geſneri, acuminatis, vtrinque hirſutis, & argenteo ſplendore ſubinde micantibus: foliorum per ramos pediculi longiuſculi ſquamulas habent appoſitas, rubentes.

In ſabuletis & campeſtribus ad ſemitas prope montem Lupi Monſpelienſium meruit gener Cherlerus. Exiſtimo me eandem vidiſſe anno 1594. apud Fratrem C Bauhinum. Locus.

## ONOBRICHIS IN GENERE.

### CAP. XXIX.

Onobrychidi Dioſc. *folia* Lenti ſimilia tribuit, attamen paulò longiora: *caulem* verò palmi altitudine: *florem* puniceum [rubentem Plin.] *radicem* paruam [ exiguam & gracilem Plin.] Folia.

Verùm non ſatis conſtat (inquiũt Ryff. & Corn.) quæ herba ſit. Quidam enim Herbarii Rutæ ſilueſtris ſpeciebus annumerant. Corn. quidem Onobrichidem & Onopordon, vnam herbam eſſe putat altero nomine à crepitu, altero à ruditu aſini ducto. Et fieri poteſt vt vtrumque accidat aſino, ex herbæ eſu, vt & pedat, & rudiat. Cur autem in hanc abierit ſententiam, Plinius ipſium mouit de vtriuſque viribus non multùm diuerſa tradens. Onobrichidis igitur nomen plurimus plantis attributum eſt, in primis Polygalo Geſneri, Aſtragalo Monſpeliano, Hedyſaro clypeato, & Meliloto 5. Tragi. Eſt & Cluſio planta dicta Onobrychis flore purpureo, ſubcœruleo alia, tertia pallido, montana quarta, ac demum quinta peregrina. Galegam porrò volunt eſſe quidam Onobrichin. Hanc Cæſalpinus ſimilem Capragini [Galegæ] ſcribit, flore ſcilicet rubente, Coralli modo, ſiliquis nigris, longis. Simili modo & alteram, latioribus foliis, flore purpureo. Viſa tandem eſt aliquibus Onobrichis Polygala Tragi, & Onobrichis 4. lutea Dalech. Vltimò ſunt, qui Auiculariam Syluii Onobrichidem vocent.

Naſcitur in humidis, Dioſc. autore [circa fontes Plin.] & incultis locis. Locus.

Ceterùm vim habet [ inquit Dioſc.] herba trita impoſita, tubercula diffundendi, cum vino verò pota, vrinæ ſtillicidium ſanat. Cum oleo illita, ſudorem mouet. Sed hæc Plinius: Siccata in farinę modum, & inſperſa vino albo, ſtrangurias finit. Aluum ſiſtit. Succus eius perunctis cum oleo ſudores mouet. Et hæc lib. 24. c. 16. Sed rurſus lib. 27. cap. 12. de Onopordi [ quod idem Corn. cum Onobrichide facit ] viribus non multùm diuerſa tradit. Onopordon, inquit, ſi comederint aſini, crepitus reddere dicuntur. Trahit vrinas, & menſes. Aluum ſiſtit. Suppurationes, & collectiones diſcutit. Hoc autem poſtremum etiam de Onobrichi Dioſc. in ſibi adſcriptis dicit. Galeno Onobrychis rareſaciendi, ac diſcutiendi vim habet, proindeque folia eius, virentis etiamnum, illita ad morem cataplaſmatis, phymata digerunt: areſacta verò, ſi cum vino bibantur, ſtrangulant. Quin etiam ſudores elicit cum oleo inuncta.

* * *

## ONOBRICHIS QVIBVSDAM purpureo flore.



Alis multis concaua cubitalem ſuperat lõgitudinem, ramis teretibus, hirſutis, medullâ ſungosâ farctis: *folia* Lentis, longiora paulò, hirſuta, denis, aut duodenis pinnatim vnicoſtæ adnexis coniugationibus, impari vno numerũ claudente: *flores* purpureo-violacei, Trifolii formâ, in ſpicam ſextantalem comoſam diſpoſiti, pediculo inſident Spithamam logo, hirſuto.

Cluſ. Hanc ſic deſcribit Cluſius: Cubitales plærumque habet caules, multos [ſi vetuſta ſit planta] rotundos, duros, humi procumbentes, in quibus frequentia folia, Lenti ſimilia, anguſta, hirſuta, ſeu lanugine quadam obducta, quindena ſubinde, & totidem alia ex aduerſo vni coſtæ hærentia, vno impari extremam alam occupante, guſtu amaro, & ingrato: ex alarum cauis oriuntur ramuli ſimilibus foliis ſepti, ex quibus dodrantales exeunt pediculi, ſtriati, ferentes multos flores, Trifolii florum æmulos, oblongiuſculos, eleganti purpurâ nitentes, inodoros, conſertos, & velut ſpicam trium interdum vnciarum longitudinem æquantem efficientes, nonnunquam etiam longiorem, præſertim quando in ſemen abeunt, quod bifidis, breuibus, turgidiuſculiſque vaſculis continetur, exile, nigrum, durum, ſapore ingrato, vt alia legumina: Radix illi magna, longa, dura, in obliquas nonnullas fibras ſeſe ſpargens, & ſubinde ad cauliculorum exortus, recentes fibras agens, viuax, & perennis.

*Onobrichis prima, flore purpureo* Cluſio. *Onobrichis Cluſii prima* Tabernam. *Onobrichis Pannonica prima Cluſii*, ſeu, vt ego dicerem, [ait Pona in Bald.] *Cicer Aſtragaloides*.

Menſe Iulio Argentinæ in horto Frid. Meieri florentem obſeruaui, ſicut & in Pforzheim in horto Pharmacopæi D. Griemingeri. Habui & ſiccam à D. Agerio colorem reſeruantem. Frequentem inueniebat Cluſius ad Danubii ripas ſupra Poſonium apud Petronellam oppidum [quod nonnulli, ex loci ſitu, ruderibuſque antiquis Carnuntum Veterum eſſe coniiciunt, à Plinio numeratum inter Pannoniæ vrbes, quodque ſe modò ſubditum agnoſcit generoſo Domino & libero Baroni ad Vnuerzagt] ad viarum margines, & frequentiſſimè toto illo itinere ad Badenſes thermas tendente, multiſque aliis circa vrbem Viennam Auſtriæ locis, tam citra, quàm vltra Danubium.

## ONOBRICHIS QVIBVSDAM SVBcæruleo flore.



Multos ex eadem radice promebat altera vimineos cauliculos, pedales, nunquam non etiam longiores, humi fuſos, crebris nodis diſtinctos, & in his alata *folia*, hoc eſt tredecim, quindecim, ſeptem, & decem, aut pluribus & oblongis foliolis vni coſtæ inhærentibus conſtantia, extremo ſemper imparem numerum faciente: prodeunt deinde ex alis tenues pediculi, ſeu virgulæ, *floſculos*, in ſpicam confectos, ferentes, Piſi, aut Viciæ florum formâ, ſed longe minores, colore dilutè cæruleo, vel ex cæruleo purpuraſcente: his ſuccedebant exiles *ſiliquæ* quaſi duplicatæ, continentes puſillum *ſemen*, renis formâ, nigrum: *radix* minimi digiti craſſitudinem fermè æquabat, dura, lignoſa, contorta, obliquè ſe ſpargens, & altè ſub terra ſe condens, rariſque fibris donata, quæ ſummâ parte in aliquot capita extuberabat, è quibus ſingulis annis nouos cauliculos fundebat. Folia. Siliqua. Semen. Radix.

Onobrichis ſubcæruleo flore, ſiue Onobrichis ſecunda Cluſio, qualiter & Tabernæ vocatur.

Rara eſt, nam paucas duntaxat plantas inueniebat Cluſius publicâ viâ ſecundùm orbitas, inter Schwechet & Götzestorpf infra Viennam Iunio florentes, & non procul à Znaim Morauiæ oppido, dum Pragam, & inde per Germaniam proficiſceretur. Etiam in hortum tranſlata florebat toto Iulio, & ſubinde ſemen perferebat. Locus & Tempus.

## ONOBRICHIS QVIBVSDAM flore pallido, vel Polygalon.

Seſquicubitalibus aſſurgit tertia *ramis*, rectis, firmis, duris, viridibus, in quibus *folia* Lentis, ſiue Viciæ ſilueſtris, longa, anguſta, duodena, aut quindena, & totidem ex aduerſo, eidem coſtæ hærentia, vno etiam, quod extremæ coſtæ inſidet, impari, lanugine obſita, guſtu ingrato & amaro, deinde nonnihil acri: *ramuli* extremo caule ex alarum ſinu prodeuntes, palmares, ſtriati, in dodrantales ſpicas, *floſculorum* Trifolii flores æmulantium, oblongiuſculorum, pallidorum deſinũt, quibus impreſſi nigricantes quidam radii: his ſuccedunt *ſiliquæ*, prioris ſiliquis ſimiles, mucronatæ, duobus valuulis conſtantes, in quibus *ſemen* Fœnogræco penè ſimile, ſed minus & nigrum: *radix* craſſa, dura, lignoſa, longa, aliquot Rami. Folia.



fibris donata, candicans, perennis.

Onobrichis pallido flore, vel, vt Tab. Onobrichis Cluſii tertia. Sunt antè mihi ſtirpis reliquiæ cũ hac Geſneri, propria manu, inſcriptione: Polyg lon luteũ voco, quod lac pecori auget, folia ei quæ Rutæ caprariæ Italorum ferè. Huius Polygali ſiliquas appinxi figuræ Cluſii.

Locus. Valde rara & hæc eſt, duobus duntaxat locis Cluſio conſpecta, ad Hamburgum videlicet vrbem, duobus ſupra Poſonium (vulgò Preeburg) miliaribus, & ad oppidum Fiſchmunt ad Fiſcham flumen ſitum, paullò ſuprà quàm in Danubium ſe exonerat, publicà vià, vnde ſingulares plantas ſingulis locis duntaxat eruebat florentes Maio menſe.

Tempus.

## ASTRAGALVS MONSPESSVlanus.



Deſcriptio: ASTragalũ vocant Monſpeſſuli plantam Securidacæ minori ſimilem, diuerſam tamẽ quæ radice eſt durâ lignosa, craſſitudine digitali, & craſſiore, longitudine cubitali, dulci, intus albâ, eius cortex craſſus, ſubfuſcus, quę antequam è terra erumpat diuiditur in aliquot portiones, ſiue capita, tres, quatuórue digitos longa, vt niſi quis profundè fodiat, multas eſſe plantas exiſtimet: ex quibus prodeunt coliculi, ſimplices, concaui, rubentes, vix palmares, foliolis veſtiti breuibus, in mucronem exacutis, piloſis, amareſcentibus, crebris, ſic vt ad coſtam vnam adnexa foliola viginti & vnum ſupputarim: in virgularum extremitate flores multi, non multùm floribus Polygali Geſneri diſſimiles, purpurei, interdum albi, non in ſpicam digeſti, ſed conglomerati, Trifolii floribus ſimiles ſed maiores: quibus ſuccedunt ſiliquæ, duas vncias longæ, incuruæ, rubentes, teretes: Differt à Securidaca minore, foliis primò quæ mucronata, non obtuſa: radice dein craſsâ

Radix.

Coliculi. Folia.

Flores.

Siliquæ

numerosâ: floribus denique, qui in Securidaca & minores, & alterius coloris.

In icone noſtra, radicis maxima pars eſt, neruus cortice detectus, qui euellendo in terra remanſit.

An Rauvvolffius hac de planta ſcribit, dùm in Itinerario ſuo de pulchra ſpecie Aſtragali, circa Halepum cum paruis foliis Hedyſari prouenienti tractat?

An Hiſt. Lugd. in append. Aſtragalus foliis paruis Hedyſari, ſiue Securidacæ, aut quomodo quidam pronuntiant Securidatæ? Aſtraga. foliis H. ſari.

An Anguillaræ Aſtragalus, quem Dioſc. dicit in Arcadiæ Memphi prouenire? Verùm nulla Memphis reperitur in Arcadia, ſed in Ægypto. Aſtragalus hodierna Græciæ foliis eſt ordine diſpoſitis, vt in Cicere, ſed minùs ſerratis. Rami humi ſparſi ſunt: flores eleganter ex cœruleo & purpureo mixti. Radicem talo porcino admodum ſimilem dicas facie externâ, fibris alioqui pluſculis ſtipatam, duramque. In montibus Euganeis ſimilis prouenit planta, quam ſemper hanc ipſam eſſe ſibi perſuaſit. Sed hanc noſtram eandem eſſe cum Anguillaræ Aſtragalo nolimus adſtruere.

Mirum, quod Cluſius, qui in Hiſp. Aſtragalum Monſpelienſium cum ſiliquis inflexis, & duplici ſerie ſemen continentibus, ſubfuluum & rotundiuſculum agnouit, in ſua poſtrema Hiſt. pro eo, Securidacæ minoris iconem poſuerit: diſcrimen poterat ex tenui radice, in icone quam exhibet colligere. In Aſtragalo enim radix craſſa. Cluſ.

Eodem errore lapſi ſunt Lob. & Pena, qui non animaduerterunt Securidacam minorem diuerſam eſſe ab Aſtragalo Monſpelienſium. Ita ſiquidem legitur in Aduerſ. Securidaca minor, Aſtragalus Monſpelienſium. Legumen floribus purpureis, ſemen ſubrotundum, ſubfuluum eſt ſimilius Galegæ, vel Araci, quàm Securidacæ. Idcirco præceptores noſtri Monſpelienſes huius ſpeciem eſſe inficiabantur. Aſtragalo propiorem aſtruebant, quò nos etiam referendam duxiſſemus, niſi Raphani radix, & adſtrictoriæ, cæteræque facultates deeſſent. Quare nulla ſtirps, quæ explendæ deſcriptioni ſatis ſit, vſpiam ſeſe dat. Non ea, quam in collibus Lugdunenſibus prope Trenon & in horto Patauino. Radix certè diſſuadet: nam Senenſi licuit pictoris operâ nobis illudere, ideò nunc illum illius picturę poſtremò puduit. Et Obſ. Aſtragaloides Herbariorum, Aſtragalus fortè Matthioli, vel iam demum Polygala eiuſdem circa vibeculam Trenon Lugdunenſis Galliæ cum Valerando Dourez, & nonnullis aliis peritis herbarum exploratoribus diximus. Cauliculos ſpithameos, & pedales erigit. Folia Ciceris, aut Galegæ, ſed minora: Floſculi ex pallido punicant, aſpectu iucundi. Radix craſſitie digitum æquat. Item Ic. pl. Aſtragalus fortè Matthioli, vel iam demum Polygala eius. Meritò igitur præceptores Monſpelienſes Securidacam minorem negabant quæ multùm, vti iam oſtenſum, ab hac differt, quod non animaduertit Lobelius, qui pro Aſtragalo Securidacæ minoris Dodonæi figuram ponit, ac Aſtragalum Monſpelienſium dictitat. Semen huius Aſtragali, teſte Cluſio, rotundiuſculum, Securidacæ verò minoris, ſimile eſt Securidacæ & quadratum. Figura quoque mala, nec placet, quod ſeparet Lugdunenſem à Monſpeſſulano, nec etiam, quòd ſuſpicetur Matthioli Polygalam, à qua non parum abeſt. Nec tandem æſtimarim cum Aſtragalo Matthioli conuenire. Lobel. Matth. xatur.

Securidacæ recuruæ ſiliquæ ( inquit Cam. in Hiſt. germ. Matth.) reuocant in memoriam paruam herbam à Geſnero depictam, & Polygalam dictam: fortè eſt Polygala autoris depicta in ſuis lat.com. quamuis ex figura eius nihil certi concludi poſſit. Idem in Epit. Polygalam vocat. Sed audiat Camerarius de his certiora ſcientem. Figura ex Geſnero poſita, facta eſt ad plantam Monſpelianam olim à me ei miſſam, quæ adhuc penes me eſt nomine Aſtragali Monſpelienſis: nunquam aminaduerti Geſnerum feciſſe Polygalam, antequam autem ille curauit pingendam plantam, de qua hoc in loco agimus, habebat Polygalam ſoliis nonnihil ſimilem & floribus, ſed ſiliquis longè diuerſam. Verùm, quum teſte Camer. ex figura Matthioli non poſſit concludi, quæ eius Polygala fuerit, quis approbabit eum in Epit. pro Matth. Polygala exhibere plantam de qua verba facimus, non parum tamen ab ea differentem.

Polygalon Matthioli, quod Hiſt. Lugd. placet, ſiue Aſtragaloides Lobelii, aut Anthyllis claniculata, radicem edit nigram, lignoſam, fibratam, dimidium pedem longam, ſupernè in multa veluti caulium principia diuiſam, craſſiuſcula, laminulis corticoſa, ex quibus ſolia multa exeunt, humi ſtrata, longa, ex foliolis compoſita, Lente ſimilibus, vtrinque ordine ex aduerſo digeſtis. Flores in cacumine nudarum virgularum emicant, oblongi, lutei: deinde ſiliquæ Lenti ſimiles, nigræ, ex quarum vertice tenuis villus exoritur, capreolo, clauiculæque ſimilis. Suſpicor Anthyllidem Dalechampii non diuerſam à noſtro Aſtragalo, quamuis quædam videantur minùs conuenire, nempe color floris, qui fortè viſus in planta ſicca, cùm multi flores exſiccati, lutei videantur. Capreoli, qui traduntur & depinguntur ſunt fortè in Aſtragalo, vbi flos excidit, & tunc ſiliquæ minùs curuæ: de hiſce tamen iudicent Lectores.

An Cæſalp. Aſtragalos humi ſtrata, ſimilis Helenio Ægyptio [ de quo antè inter Vicias ] ſoliis numeroſioribus, tenuioribuſque: floribus ſimiliter ſanguineis racematim in ſummis ramulis, ſiliquis autem corniculis ſimilibus, rubentibus: radice craſſâ, ac lignoſâ, ſupernè in multos ramos inuicem diuiſâ, vnde germina erumpant?

Figura à Compilatore Tab. [ titulo Polygalæ Matthioli 4. creutʒblům poſita, ] multa habet ſimilia cum Aſtragaloide herbariorum Lobelii, variata tamen eſt, & fortè confuſa, vt dictum, cum Polygala Matthioli, & altera, quæ vulgaris dicitur, ſiue Tragi.

Cæterùm, quam Polygalam cenſuit Matth. [inquit C. Bauh. apud eundem] eandem Lugd. & Tab. ſub ipſius nomine poſuêre. Verùm Caſtori Aſtragalus dicitur, Lob. Aſtragaloides herbariorum. Secundò, Aſtragalus Alpinus à Cam. in locum Polygalæ Matth. ſubſtituitur. Aſtragali Monſpelienſium nomine à Cluſio proponi videtur, & in Hiſt. Lugd. Aſtragalus purpureus vocatur. Diſplicet nobis icon Tab. falſa, à Fratre pro Polygala Matthioli poſita, à qua multùm differt. Lobelii Aſtragaloides mihi idem videtur cum Aſtragalo Alpino propoſito à Fratre. Aſtragalus inſuper ei dictus Alpinus, quem ſecundo loco, ſuo Matth. appingit, eſt ex meis plantis ſiccis, vt antè dictum. Aſtragalum autem purpureum Hiſt. Lugd. alium puto.

Creſcit ſecus vias in itinere Narbonam verſus, prope *Gigāt* vno à Mõſpelio miliari: quo loco florentem vidi menſe Aprili. Viſus mihi Bononiæ quoque in monte: item inter *Saſcul* & montem Gibbi, vnde accerſitur Petroleum. Gener Cherlerus attulit flore albo collectam Nemauſi.

## ASTRAGALVS QVIDAM MONTANVS, vel Onobrichis apis



*Folia*

MVlta *folia* promit ab eadem *radice*, Lenticulæ, aut Tragacāthæ foliis proxima, vni ſimiliter coſtæ inhærentia, molliora tamē, viridia quidem illa, ſed lanugine quadam cādicante pubeſcentia, lento primùm guſtu, deinde nonnullam amaritudinem relinquente, poſtremò linguam vellicante: naſcuntur inter foliorum alas *cauliculi*, ferè dodrātales, ſupini, exiles, quadam lanugine obducti, aliquot *floſculis* onuſti, Viciæ ſilv. aut Lenticulæ florum magnitudine, colore ex cæruleo purpuraſcente: quos excipiunt *ſiliquæ* puſillæ, geminis cellulis conſtantes, ſemine (quod cùm adhuc maturum non eſſet, probè non potui obſeruare) plenæ: multas ex eadem *radice*, quæ longa, craſſiuſculaque eſt, & obliquas fibras agit, propagines, & *ramulos* dodrantales, humi fuſos, in latera emitentes.

*Guſtus*

*Cauliculi*

*Floſculi*

*Siliqua*

*Radix.*

*Onobrichis*

Aſtragalum hunc quorundam montanum, Cluſius Onobrichidem quartam numerat, quam ſi quis non inter Onobrichides, ſed inter Aſtragalos referre malit, Aſtragalus eſt ipſi Alpinus. Onobrichis eſt Tab. Cluſii 4.

Locus & Tempus.

Creſcit in ſummo Sneeberg iugo, atque in Etſcheri ſummis ſcopulis, quibus duobus locis florentem, & ſiliquas iam formantem Auguſto Cluſius eruebat.

## ASTRAGALVS MONSPELIANO CANdidior, & Onobrichis quorundam.



Deſcr.

ASTragalus hic multa cum Monſpeſſulalano habet communia, à quo tamē differt: *folia* multò candidiora, interdum longiora & maiora: pili longiores: *caules* non multùm maiores: quibus inſident *flores* multi purpurei, ſi benememini multò plures, quàm in Aſtragalo Mõſ-

*Folia*

*Flores.*

peſſulano, conglomerati, denſâ pilorum lanugine hirſuti.

*Deſcr. Cluſii*

Similis, ſi non hæc ipſa planta videtur ita deſcribi à Cluſio: Hiſpani aliam [ſupple plantam] proponebant, Aſtragali facultatibus quidem reſpondentem: ſed formâ radicis minimè. Nam tametſi *Folia.* folia Ciceris, aut Lentis, puſilla habeat tota canentia: *Cauliculi.* cauliculos breues, duros, & in his *Floſculi.* floſculos Piſi formâ, puſillos, congeſtos, & purpureos, ſummis pediculis inhærentes: *Radix.* radix tamen magna ex parte ſingularis, & nihil commune cum Aſtragalo habens, omninò repugnat.

*Aſtrag. purpureus. Locus.*

Hiſt. Lugd. Aſtragalum purpureum Herbariorum quorundam eſſe tradit, qui in Iuræ montium ſaxoſis collibus proueniat, radice grandi: foliis Ciceris ſiluæſtris, villoſis, guſtu adſtringentibus: flore ex albo purpuraſcente. An Lob. & Penæ Adu. Aſtragali perſimilis puſilla planta palmaris, quam, dum in collibus quibuſdã Gallo-Prouinciæ eſſent, ſublegerũt, elegantià neutiquã ſpectatu indigna: radicibus namque prorĩpit lignoſis, implexis, corticoſis, denſo exortu numeroſos producentibus cauliculos, fruticantes, duros, ſed breues, vix binas, aut ternas vncias excedentes, & foliola emittentes puſilla Lentis, Aſtragali, aut potiùs Tragacanthæ, quam tota refert rigidiuſcula incana hirſutie: floſculis luteolis, aut albidis, Ornithopodii guſtu præſicco & æquè duro. Onobrichis quorundam. Sed *Placa* Onobrichin etiam eſſe cenſebat, diſcrepat tamen hiſtoria. Luſitani *Herua de S. Lorenzo* nuncupabant.

*Tempus Locus*

Geneuæ collegi in monte *Salene* florentem menſe Iuno. Creſcit etiam vt Cluſ. teſtatus eſt, in vinetorum, & agrorum margĩnibus ſecus vias per Luſitaniam & Hiſpaniam, floret Aprili.

*vſus.*

Siccatæ huius in clibano puluerem vulneribus & vlceribus vtiliter inſpergi aſſeuerare quoſdam legitur apud eundem Cluſium.

## ASTRAGALVS SYRIACVS.



ASTRAGALVS Syriacus à Lob Obſ. ita vocatus & deſcriptus, perelegãs eſt, & rarior leguminoſa plãta, Aſtragalis generica certè habẽda: quippe *foliorum* & *cauliculorum* ſimilitudine, & implexu *radicum* prorepentium Aſtragalon refert. Sed *Flos.* *florum* denſo exortu congeſtorum decore, effigie, elegantiâ, magnitudine & rubore ornatur amœniſſimo.

Hanc exhibent Ic. Pl. eodem nomine, quemadmodum & Hiſt. Lugd. quæ & deſcriptionem Obſ. proponit. Aſtragalum Syriacum, Syriſch Cicern Tabern. vocat.

*Aſtragalus Syriacus.*

An Cluſ. Pannon. Onobrichis peregrina, rara plãta, quam Londini vidit in Io. Richæi pharmacopœi regii horto, cui folia mollia, incana lanugine pubeſcentia, vt Tragacanthæ legitimæ folia, & eodem modo coſtæ inhærentia, quindena & plura, interdum etiam vicena quina, vno extremam coſtam occupante: cauliculi tamen in hac oblongiores ſunt fuſco cortice tecti, lenti, fractu contumaces, humi fuſi, & plerumque nudi, qui extrema parte frequentes ramulos ſuis alatis foliis onuſtos proferunt, & in vnciali, villoſoque pediculo multos floſculos in caput, & globum congeſtos, Tragacanthæ floribus proximos, candicantes, deinde membranaceas ſiliquas, Erui ſiliquulis minores, & Dorycnii vulgariter nuncupati, ſiue Hiſpanici, valvulis pares, ſingularia ſemina Fœnogræco ſimilia continentes. Si quis verò hanc etiam non inter Onobrichides, ſed inter Aſtragali congeneres plantas, cum quibus magnam ſimilitudinem habere videtur, referre malit, Aſtragalus peregrinus eſto.

*Loci. Tem.*

Alepo Syriæ ſuam plantam Lob. primùm habuit, poſtea in vrceis penſilibus D. Brancionis Melchliniæ Italo ſemine enatam ſcit. Cluſii florebat Iulio & Auguſti initio, quæ flores & ſemen, ſemine Londino miſſo protulit.

## ASTRAGALVS FORTE LANVginoſus, Bœticus.

### CAP. XXX.



CVbitales, aut ampliores ſunt huic Aſtragalo *caules*, minimi ferè digiti craſſitudinem æquantes, pẽtagoni, ſiue angulosi, duri, ſubrubentes, & lanuginoſi: *folia* lanuginoſa, & incana, in longa coſta ex aduerſo ſemper inter ſe oppoſita, veluti in Viciæ & Ciceris foliis, guſtu primùm adſtringente, deinde feruido, *flores* copioſi, Lupini, aut Fabæ vulgaris florum æmuli, ſecundum oblongos ramulos, ſeu virgas ex alarum ſinu prodeuntes naſcuntur, ſerie quadam digeſti, albidi omninò; ſed antè quàm aperiantur, & explicentur, ex luteo foris nigricantes: *fructum* ferre dicitur (nam florentem duntaxat obſeruabam, ait Cluſ.) in lobis, qui guſtatus, fauces, os, & linguam inflammatione torqueat: *radix* pro ſtirpis magnitudine, ampliſſima, brachialis nonnunquam craſſitudinis, palmaris verò longitudinis, deinde in binos aut tres ramos diuiſa, foris nigra, rugoſa, intus candida, dura & lignoſa, ingrati ſaporis, quæ areſacta cornu duritie ſuperat. Cæterùm Aſtragali nomine, licèt multę plantę hodie inſigniantur, nulla tamen meo iudicio, ad Dioſcoridis deſcriptionem propiùs accedere videtur, quàm hęc quam Luſitani *Alfabeca* vocant, Bœtici autem

*Garavancillos*

*Garauancillos*, hoc eſt, Cicer exile. Si facultates etiam, quas ex eius temperamento contrarias deprehendere licet, nō refragarentur, legitimum Aſtragalum eſſe confirmarem, cum cuius hiſtoria plurimis notis conuenit. Videtur porrò ea eſſe, quam Amatus, Apocynon facit, & Luſitanis *Atramocos decan*, id eſt, Lupinos caninos vocari ait.

Primùm hanc plantam collibus quibuſdam ſupra Vlyſipponem, quos Tagus fluuius alluit, inter vepres obſeruabam, atque menſe Decembri eruebam anno 1564. deinde ſub exitum Ianuarii inſequentis, ſiluoſis locis non procul Hiſpali, dum Gades proficiſcerer, florentem inueniebam. Phaſeoli nouum genus in epiſtolis Honorii Belli reſpondet Bœtico Aſtragalo. Nobis autem hanc opinionem non placere, indicabimus ſub ſequenti Ponæ Phaſeoli genere nouo.

Lobel. Obſer. & Ic. Pl. Aſtragalus Luſitanicus Cluſii cognominatur, vt & Tabernæ, qui inſuper klein Spaniſche cicern vocat, & Alphabecam. Aſtragalus fortè Cluſii Hiſt. Lugd.

## PHASEOLI NOVVM GENVS ſoliis Lentiſci.

### Cap. XXXI.

NOua prorſus & elegantiſſima etiam hæc eſt planta (inquit Honor. Bellus in epiſt. ad Cluſ. ex Cretæ Cydonia) quæ apud me nondum nomen inuenit, ſed interim ob ſimilitudinem quandam ſeminis, quam cum Phaſeolis habet, Phaſeoli nouum genus vocare mihi liceat. Ad ſeſquicubitalem aſſurgit altitudinem, modò ſimplici *caule*, modò pluribus ſtolonibus ab vna *radice* prodeuntibus, digiti minimi craſſitudine: *folia* illi pinnata, h.e. longo pediculo vtrinque hærentia, ſemper contrariis petiolis, Lentiſci æmula, ſed mucrone obtuſo, vt Securidacæ folia: è foliorum cauis, *ſiliquas* fert rotundas, pollicari craſſitudine, tumentes, & multo aëre plenas, colore rubras, in quibus continentur ſex, aut octo *ſemina* ad luteum tendentia, compreſſa, Phaſeoli figura: quos *flores* proferat, compertum mihi non eſt: nam eam ſponte naſcentem in Spagia inſula aduerſus Matonem Peloponeſi ſita, frequentiſſimam inueni anno 1592. dum Venetias petebam, menſe Aprili, quo tempore ſiliquę ad maturitatem nondum peruenerant: à nautis grana cruda libentiſſimè edebantur, græcéque *Lupinos ſilueſtres* vocabant, licèt nihil cum Lupinis commune habeant: huius plantæ ſemina his diebus ex eadem inſula ab amico accepi, quem, vt colligeret, rogaveram: nam inſula habitatoribus caret, & non niſi aduerſis ventis à triremibus petitur, & à piratis: eam ob cauſam ſemina citiùs habere non potui.

Sed ad hæc Honorii Belli ſcripta, Cluſius ſequentia tradit: Valdè reſpondet hæc planta [nam ea etiam ſemine miſſo mihi nata, anno 1597.] Bœtico Aſtragalo, quem inter Hiſpanicas plantas deſcripſi, ac quantùm quidem ex eius facie conücere licet, ſuperiorem Hiemem in horto pertulit, & nouo Vere denuò germinauit, nullum tamen floris ſpecimen adhuc dedit: neſcio an proximo anno (ſi per Hiemem conſeruare potero, perenni enim eſt radice) dabit. Ego quidem haud poſſum mihi perſuadere Phaſeolum exoticum Belli eundem cum Cluſii Aſtragalo: deſcriptiones namque & vires nimiùm diffident.

Phaſ. peregrinos, vt fortè eiuſdem generis, Col



ral arbor poſſet commodè ſequi, ſi non iam collocata eſſet antè inter arbores ſiliquoſas, quò etiam poſſent referri Fabæ aliæ & Phaſioli Americani.

## ASTRAGALVS DIOSCORIDIS quibuſdam.



AStragalo Dioſcoridis apprimè ſimilis plantula (inquit Rauvvolff) humilis: *radice* longâ, purpureâ, ad Raphani craſſitiem, longitudinemque accedente, maiuſculis fibris donatâ, quæ vel ipsâ radice citiùs nigreſcunt atque indurantur: Harum aliæ deorſum vergunt, ſurſum aliæ, curuitate cornutâ, ſapore dulci cum modica ſiccitate. *Coliculos* erigit aliquot, vix digitatos, radici concolores, terram verſus reflexos, quibus adhærent nouem, aut decem foliola Lentis, aut Orobi, Inter quæ *flores* emergunt violacei: quos ſequuntur *vtriculi* tumidi, quorum aliqui Coluteæ ferè æquales.

Deſcriptio. Radix. Caulis. Folia. Flores.

Aſtragalus Dioſc. Chriſtian wurtzel/ & Aſtragalus vetus Dioſcoridis Rauvvolffio. Aſtragalus Dioſc. vulgò Chriſtiana radix. Depictæ radici non dedit proportionem, quamuis exigua ſit planta, minor tamen longè apparet in icone quàm in viua.

## GLAVX HISPANICA.

### Cap. XXXII.



TErnis, aut quaternis à radice aſſurgit *cauliculis*, dodrantem altis, gracilibus, incanâ lanugine pubeſcentibus: *foliis* ſerie quadam ſecundum coſtæ longitudinem vtrinque digeſtis, ſiue ala foliorum illos veſtiente, Onobrichidis, aut Aſtragali prioris [Onobrichidis quibuſdam flore purpureo] in modum, mollioribus tamen, supernè virenti-

Cauliculi. Folia.

bus, infernè canâ lanugine obſitis, guſtu nonnihil amaro: *flos* extremo cauliculorum faſtigio innaſcitur conſertus, capituli, ſpicæue breuioris & obtuſæ inſtar, Glycyrrhizæ vulgaris florum formâ, & colore perquàm ſimilis: *radix* eandicans eſt, & exilis, quæ, an viuax ſit, aſſerere nequeo.

*Flos.* *Radix.* *Glaux.*

Græcis *glaux*, perinde atque Latinis appellatur hæc planta: quæ appellatio, ſi quibuſdam minùs probabitur, permittant quæſo Glaucem Hiſpanicam à Cluſio (cuius & deſcriptio proponitur) tantiſper, nuncupari, donec magis aptum nomen inuenerit. Nullã adhuc inter eas (ait idem in Hiſp.) quæ Glaucis nomine à recentioribus deſcribuntur, magis ad amuſſim Dioſc. deſcriptioni reſpondentem inueni. Ceterum Glaucem Dioſc. Cluſii, Lobelius Obſ. ne ſibi quidem inſpectione notam fatetur. Glaux Cluſii Schielkraut / Tabernæ. Antillis altera Lenti ſimilis Dod.

*Glaux Hiſpanica cur dicta.* *Locus.* *Tempus.*

Cur àutem Glaux Hiſpanica dicatur, ratio redditur, quia nuſquam alibi, quàm ad ripas fluminis Thormis Salmãticam alluentis, paulò infra eam vrbem à Cluſio obſeruabatur, nomine vulgari carens, menſe Iunio: verùm is locus procul à mari diſtat iuxta quod Dioſcorides glaucem naſci tradit.

## ONOBRYCHIS CÆSALP. FLORE rubente, Corallii modo, ſimilis Galegæ: Et alia flore purpureo latioribus foliis.

*Locus.* *Flos.* *Siliqua.*

Onobrychis ſimilis Capragini, breuior, in montibus riguis naſcitur: flore rubente, Corallii modo: ſiliquas nigras ferr, longas, vt Vicia. Altera latioribus foliis conſtat, rarioribusque, flore purpureo: ſiliquis ſimilibus. Dioſcorides *folia* ei tribuit Lentis, longiora paullò: *caulem* dodrantalem: *florem* puniceum: radicem paruã: in vliginoſis & incultis. Plinius circa fontes eodem modo deſcribit.

## GALEGA.

### Cap. XXXIII.



*Radix.* *Folia.* *Flores.*

Hinc inde per terram ſpargit tenues *radices* albas: *caules* verò tollit bicubitales & altiores, ſtriatos, inanes, ramis compluribus brachiatos: *folia* Viciæ, pinnata, impari alam claudente, longiora, ſpinulam mollem ex extremitate proferentia, ſapore leguminaceo: *flores* peculiaribus inſident ſurculis, ex foliorum alis exortis, Viciæ floridæ, iubam longam efficientes, colore albo, vel ex alviolaceo: *ſiliquæ* teretes, tenues, oblongæ, in quibus *ſemen*.

Corn. non ſatis conſtare dicit, quænam hæc ſit Onobrychis, & Rutæ ſilv. ſpeciebus Herbarios quoſdam annumerare ſcribit.

Dod. gall. Fænugræcum à quibuſdam ſilueſtre dictum, aliis verò Glaucem aut Polygalam vocatam, nullam cum Galega ſimilitudinem habere ſcribit. Sed hanc Italos Galegam, & Rutam caprariam, nonnullos etiam corruptè Gralegam nominare aſſerit.

Hier. Fracaſtorio *Herba gallica* vocatur. Hetruſcis *Lauaneſe*.

*Geſnerus* ait dici in Italia *Caſtracane Lauanna*, *Thorina*, vel *Taurina*, *Martanica*, *Sarracena*, *Capragina*, *Herbaneſa*, Fænumgræcum ſilueſtre, & teſte Braſſauolo, *Giarga*.

Quidam Onobrychim Veteribus nuncupatam eſſe iudicant, alii Glaucem, nonnulli Polemonium eſſe volunt, alii Polygalon, ſed non tam Matth. quàm Dioſcoridis ſingularum deſcriptiones repugnãt. Geſnero qui cum Lob. Obſ. Galegam vocat, (quaſi Gallicam) appellatur Ruta Capraria Italorum: nam & *Regallicum*, & *Galeni herba* quibuſdam dicitur, vel Galega, aliis Taurina, & Martanica, ab aliis herba Necla, vel Fœnugræcum ſilv.

Cardanus eius meminit, ſicut & Monachi in Meſ. qui in Italia [autore Manardo] à quibuſdam Gyarcam vocari ſcribunt. Braſſauola Giargam, & fortè eadem fuerit, quam Marc. Empir. Cicharbam vocat, miſcens aliis quibuſdam medicamentis ad caput pruriginoſum & vlceroſum. Martanica verò an fortè à Marte dicitur? Nunc teſte Agricolâ Rutam agreſtem, vel Caprariam, nonnulli Polemoniam Dioſcoridis vocant, cuius ſententiæ eſt Leonicenus & Manardus. Alii tamen hanc herbam Sarracenicam cenſuerunt appellandam. Sed ridiculum eſt, Rutam caprariam, ſeu Galegam, quam nonnulli Onobrychim credunt, pro Polemonia oſtendere. Et cùm videant illi boni viri hanc nuſquam in montibus, aſperiſque inueniri, vt de Polemonia docet Dioſcorides, ſed pinguibus locis atque humectis: inquiunt hoc mirum non eſſe, quandoquidem plantæ variis locis naſci conſueuerunt, quod & nos admitteremus cum Marantha, ſi vel vnam ex aliis notis cohærere videremus.

Non facilè adducor [ait Matth.] vt credam, quemadmodum cenſet Braſſauolus, eam eſſe Polemoniam, quam noſtrum Hetruriæ vulgus appellat *Lauaneſe*: alii verò Galegam, alii Rutam Caprariam nominant, & Ruellius Herbam Glaucem, quidam verò *Lauamani*, quod propè riuos aquarum naſcatur, vbi manus lauantes Ruſtici, hac planta ſaponis vice ſibi ſordium lutum abſtergunt: ſed Glaucis faciem nõ repræſentat: Ruellius hallucinatus.

Caprago [autore Cæſalp.] vulgò appellatur, alibi Gralega, in Hetruria *Auaneſe*: flores habet cœruleos, vel purpureos: ſiliquas nigras, Viciâ breuiores. Ruta Capraria, & Galega Italorum, quorundam Lauaneſe Hiſt. Lugd. Fœnugræcum ſilu. Grißrauth / Fleckenkraût / Tabern. Galega vulgaris, quam nonnulli Rutam Caprariam, Fracaſtor. Onobrychin, Cluſ. in Pannon. Galega Ponæ & Camer. cui & Ruta capraria.

In vliginoſis locis, ſcrobium aggeribus, in mõtibus, & denique paſſim prouenit, teſte Matthiolo. Cæſalp. frequentem aſſerit in aruis frugiferis: florere Æſtate, perfici Autumno. In Pannonia omnium abundantiſſimam vidit inter Muram

ſam & Drauum flumina, paullò ſupra eorum confluentes. Cæterùm per me ſata in horto E.C. Montbelgardi primo anno caules protulit, & per Hiemem multis durauit annis. Semen maturum obſeruaui Septembri. Spontaneam reperi in Italia inter Patauium, & Vincentiam, & inter hanc, & Villanouam, & circa foſſas vrbis Patauinæ, in montibus Euganeis Februario germina prorundentem, inter Veronam & Caſtelfranc, inter Ferrariam & Bononiam: Geneuę habebam in horto Ianuario virentē: vidi in hortis, Tiguri D. Geſneri, Tubingæ D.Fuchſii, Bernæi in pluribus, Baſileæ D. Felicis Plateri, & Fratris C. Bauhini.

Succus herbæ Fœnugræci ſilu. datus à Bayro, in cochleari, liberabat pueros ab Epilepſia, expellebat vermes, quod poſtremum etiam ipſa bullita in patella herba cum oleo & ſemine Lini ſuper vmbilicum ligata præſtabat. Hanc magni faciunt (pergit Matth.) nonnulli ſuis experimentis nixi, non modò aduerſus peſtilentiam, & lethalia medicamenta: verùm etiam contra ferarum omnium quæ dentibus, aut aculeo venenum emittunt, tum morſus, tum ictus: in quem vſum herbã tum eius ſuccum bibendum præbent, ac etiam emplaſtri modo vulneratis partibus imponunt. Laudant aliqui ſuccum, ſeſquiūciæ pondere, hauſtum pueris comitiali morbo vexatis. Succo & ſemine Camer. vermes quoque necat. Decoctum in aceto paratum cum Theriaca, & Tormentilla ac Cardobenedicto, teſte Ingraſſia plurimùm valet in peſte, & febribus malignis cum petechiis. Quorum omnium quoque teſtis eſt Dodonæus qui contra venena aſſumpta eandem laudat. Cæſalpino tandem autore, Galegæ ſucco tumentes ob venenum boues ſanant, infuſo in os. Quidam aquam diſtillatam in peſte exhibent.

## GALEGA MONTANA DALE-champii.



CVbitalis planta eſt Galega Dalechampio, mõtana dicta, *caule* ſtriato, ex quo per ex interualla orti pediculi, longitudinis mediocris quinas, ſenáſue annexo denſo agmine ſuſtinent *foliorum* coniugationes, quæ Galegæ vulgò notæ foliis, quàm ſimillima: *flores* in peculiari appendice ſpicam æmulantur, colore prædi ti luteo palleſcente, figura florum Geniſtæ quoque: *radix* ſubeſt multiplex, ruberoſa, & longiſſimis fibris donata: *ſiliquas*, quas mihi obſeruare non licuit, teſtatur Dalechampius eſſe nigras, *ſeminibus* plenas Lenticulæ ſimilibus.

Galega montana Dalechampii Hiſt. Lugd. & Ponæ in Baldo.

Inuenimus nos in monte excelſo & niuoſo, qui *Thuici* dicitur, quum eſſemus Geneuæ. Naſcitur hæc in aſperis (ita legitur in Lugd.) montibus, non in eorum quidem ſalebris, aut præcipitiis, ſed in ipſis culminibus, ſi qua vda planicies illis occurrat.

Efficacem [apud Lugd. Hiſt.] eſſe aiunt contra venena, lumbricos, morbum caducum & peſtem, non minùs, quàm Galegam alteram. Sed vereor ne hæc imaginariè ſcribantur, & non per experientiam: quam ob cauſam nulli conſuluerim temerè eâ vtendum. Dolemus nos, quum viridem haberemus non diligenter à nobis deſcriptam, ac ſaporem annotatum, quem debuerat obſeruaſſe, qui vires adſcripſit. Animaduertant alii. *Vires & vſus.*

## GALEGA NEMORENSIS verna.



VEris munus Galega ſiluaſtica, pedem altos habet *caules*, cùm incipit florere, *foliáque* ſatis anguſta, & mollia, poſtea maiores, anguloſos, ex *radicibus* multiplicibus, fibroſis, nigris, perennibus, numeroſos ſurgentes: in quibus folia ex duabus, tribúſue coniugationibus compoſita, quorũ ſingularia Parietariæ foliis paria, vnciam, aut ſeſcunciam lata, vncias circiter tres longa, in longum mucronem deſinentia, tribus ſecundùm longitudinem decurrentibus coſtis, bina quoque foliola caulem, foliorumque pediculos amplectuntur veluti pinnæ: *flores* in longo pediculo veluti ſpicati, ſex, vel ſeptẽ, aut octo, quales leguminibꝰ, purpurei primùm, poſtmodùm cærulei, quos ſiliquæ excipiunt, vncias duas longæ, nigræ, in quibus *ſemina* rotunda, exigua, interdum verò oblongiuſcula, amaricantia. Radix quotannis iterum pullulat. *Tempus. Caulis. Folia. Flores. Siliqua. Semina.*

Camer. inter figuras in fine horti, Orobus Siluaticus vernus, ſicut & Thalio in Harc. qui præterea vocat, Orobum Cyſſophyllum. Georg. Æmilius Theologiæ doctor, contendebat Aſtragali ſpeciem eſſe, vocobatque Aſtragalum ſiluaticum vernum. Laurent. Hiei. Aphaces ſpeciem ex aliorum ſententia faciebat, Aphacem ſilueſtrem nominans. *Orobus ſilu. Aſtragalus Aphaca.*

Hiſt. Lugd. [cuius figura non placet] Phaſiolus ſiluarum, & Phaſioli tertium genus dicitur, quod Dalech. in ſiluis compererit. *Hiſt Lugd. nor. Phaſiolus ſiluarum.*

Galenum aiunt Lob. & Pena Adu. Phaſelum à Dolichone diſcernere, Pliniumque videri eum innuiſſe, & Maronem per Faſelum. Ea verò, quæ dixerint, de Phaſeolo potiùs accipienda, quàm de Phaſiolo. Idem videri Columellam intelligere. Sibi verò videri Phaſelum eſſe, quod dant

huius operis extremo. Phaſelum à Phaſiolo diuerſum. Plinio, Maroni, Columellæ, Dioſcoridi

Cluſ. in Pan. eſt Orobus Pannonicus, purpureus, primus. Idem in fol. ait: Erui, ſiue Orobi nomen apud rei herbariæ ſtudioſos obtinuit Orobus Pannonicus 1. Folia ei ſena, octona, aut plura, vni coſtæ adnata: ſemen intectum, ro undum & exiguum, nonnunquam verò oblongiuſculum, varium: radix per interualla extuberans. Tota planta calidiuſcula eſt.

Pona in Baldo, Orobum 1. pann. Cluſii vocat.

Schvv. in cat. Sil. Orobum ſilu. vernum. Arachum latifolium Dod. wald erven waldwicken.

*Locus & tempus.* Inueni Geneuæ in colle *la Baſtie* ſub arboribus florentem menſe Aprili & Maio. Item Montbelgardi inter arbuſta. Obſeruaui & Bononiæ, vbi Orobum vocat. Copioſè naſcitur, autore Cluſio, in montana illa ſilua Leitenberg ſupra Manderſtorff, ſimiliter ſupra Medeling & omnibus montanis illis ſiluis quadam ſerie productis à Danubio ad Alpes: variis item Pannoniæ locis. Floret Aprili, atque etiam Maio: ſemen autem profert Iunio.

*Vires & uſus.* Semen amaricat (inquit Schvv.) & calidiuſculum eſt, & abſterſoriæ facultatis.

---

## GALEGÆ NEMORENSI VERNÆ valdeſimilis, ſi non eadem.



*Radix.* Radix colore foris eſt fuſco, intus pallido, multas nodoſas fibras, duras, longas, implicatas habens, in quorum medio, ſinibus, & extremo inueniuntur veluti bulbi concreſcentes, quibus *radix* ſe propagat: Inueniuntur etiam aliquando [Maii menſis fine inueni, inquit Columm.] quædam carnoſa, craſſa, purpuraſcentia, ſuccoſa, dura, læuia, vt ὑπαστράγαλοι, dici poſſent, nec aliud quicquam repræſentare videntur: quæ tamen ſe non explicant, ſed ita abundant ſuperfluè. *Caules.* *Caules* tres, quatuórue emittit tenues, quadratos, Ciceri ſimiles, parum è terra ſe attollentes, inque ipſam inclinatos, ex quibus per interualla, vt in Cicere, poſita ſunt *folia*, *Folia* pedicellis hęrentia, primò bina, dein quaterna, bina ex oppoſito, poſtea quina, poſtremò terna ex oppoſito intercurſantia, formà ad Ruſci folia accedentia, maiora verò, duplo longiora, teneriora & læuia, ad nouella Hederæ folia accedentia: pedicelli autem, quibus inſunt, in imo ubi cauli hærent, ſinguli auriculas babēt, vt in Cicere & ſimilibus leguminoſis viſitur: auriculas bina illa foliola pedicello, & caulis geniculo hærentia intelligo: in ſummo verò veluti aculeum, ſed mollem. Inter foliorum verò petiolos & caulem, viticulæ exeunt dodrantem longæ, in terram nutantes, ex quorum medio ad ſummum vſque viginti ferè inſunt flores, primùm coacervati, deinde Viciæ modo diſpoſiti, formà & colore eidem ſimiles: *Flo.* ſunt enim purpurei exteriùs, in medio cærulei, interiùs verò lutei, colore vario ornati. quibus biantibus, ex illorum vaſculis exeunt *ſiliquæ* *Siliq.* tenues, quatuor digitos longæ, primùm virides, ſiccatæ verò rufeſcentes, vt etiam *ſemen*, in terram deuexæ, ſeminibus refertæ, formâ, vt dixi, ἀστραγαλοειδεῖ. *Rad.* *Radix* dura eſt, difficiléque tundi, vel rumpi poteſt etiam ſiccata: ſapore adſtringente, guſtu verò fatuo, odore terreo, velúti fungi.

*Aſtr.* Cæterùm Columna plantam hanc à ſe longis, vt vides verborũ ambagibus depictam Ἀστράγαλον (Aſtragalum) Dioſc. Plin. & Galeni (vt quæ eorum delineationi reſpondere videatur) proclamare non veretur. An verò eius Aſtragalus idem ſit cum Galega verna valdè dubito: maior namque numerus florum quàm vnquam obſeruarim: in foliis præterea non depinguntur, nec deſcribuntur nerui, ad plantaginem accedentes: adde, Cluſium quoque diuerſum facere.

*Aſtr. alpi.* Aſtragalus ſecundus à Cluſio ſiue Alpinus inſcribitur, cuius iudicio nulla planta ad Dioſcoridis deſcriptionē propiùs accedere videtur quàm quam in Cantabris, Heluetiorum alpibus, atque *Loc.* etiam Pannonicis obſeruabat, ramulis aliquot ex vna radice prodeuntibus, gracilibus, interdum ſurrectis, vt plurimùm autem procumbentibus, foliis Ciceris foliorum inſtar, in alâ ordine diſpoſitis, ſed rarioribus & longioribus, nec in ambitu ſerratis, ſed valdè accedentibus, ad Orobi primi (Galegæ nemorenſis vernæ) folia: flore Viciæ, aut Ciceris flori ſimili, ex cæruleo purpuraſcente, cui ſuccedunt lobi Arachi ſiliquis ferè pares, in quibus ſemen continetur: radix eſt tuberoſa, nigra, dura, cui propagines adnaſcuntur ſarmentitiis radiculis inhærentes, illi ſimiles, ſed minores. Sed miror Cluſium non poſuiſſe huius Aſtragal. deſcriptionem capite de Orobo pannonico [Galega verna purpurea nemorenſi] cum quo tata ſimilitudo: quæ obſecro ſimilitudo Aſtragalo Columnæ cum Cicere, vereor ne Cluſius minùs benè interpretatus ſit, ſuum Aſtragalum Alpinum, ſiue Hiſt. Hiſp. ſecundum, quem eum eſſe exiſtimat, quem Fab. Colum. hoc in loco, pro legitimo Dioſcoridis Aſtragalo, exhibet: multùm differentem à Chamæbalano, ſeu Glandibus terreſtribus.

*Locus & tempus.* In montibus (inquit Columm.) vallibus, locis vmbroſis, & Sole illuſtratis ventoſis oritur, hîc vbique. Floret Maio, & Iunio menſe perficitur. Naſcitur, ait Cluſ. in montibus, quos dixi, vento perflatis, & apertis.

---

## GALEGÆ NEMORENSI VERNÆ SIMILIS FLORE albo.

*Locus.* PRo Orobo Pannonico Cluſii albo 2. collecto in montibus Tyrolenſibus plantam dedit nobis D. Nicolaus Agerius, cui *folia* ſimilia *Folia.* Galegę vernæ, in quibus diſcrimen manifeſtum, quòd non trineruia ſecundum pediculorum principium, nullæ pinnæ: *flores* mibi videntur mi- *Flores* nores: id notandum in ea planta, quæ vnica fuit, *caulem* in ſuprema parte diuiſum fuiſſe, in

foliorum



foliorum, & in alium longum pediculum, in cuius ſuprema parte erant plures flores, iuxta diuaricationem verò *ſiliquæ*, prouenire incipientes.

Cluſius autem ſuum Orobum ita deſcribit: Aliquot ab vna radice prodeunt caules cubitales, ſtriati, recti, folia alternatim proferentes pennata, quaternis foliis ſatis amplis, & muctonatis conſtantia [quibus adnaſcitur aliquando in extrema ala quintum] viridibus, per quæ aliquot venæ tranſuerſim à medio neruo excurrunt, ſubacidi quidem initiò guſtûs, ſed poſtea amariuſculi: flores ex alarum ſinu breui petiolo inſidentes prodeunt quini, aut ſeni, antrorſum ſpectantes, Viciæ floribus non diſſimiles, albo colore præditi, qui in binis foliolis ſurſum reflexis palleſcit, odoris expertes: lobi, quales in primo genere [Galega nemorenſi verna] ferè, in quibus ſemen fuſcum, maius: radix minimè viuax eſt, ſed prolato fructu perire ſolet, vt pleriſque Leguminum generibus accidit.

Eruum, ſiue Orobum Pannonicum 4. album 2. ad Phaſioli ſilu. aut Viciæ genus commodè referri poſſe, exiſtimat Cluſius.

Arachus (inquit Dod.) latifolius cauliculos fert, qui non attolluntur, ſed humum verſus inclinantur: foliis luxuriat, quæ ad vnum pediculum ferè quinque, rarò tria, lata, & in rotunditate oblonga: congeſti flores, colore aut candidi, aut dilutè purpurei: in ſiliquis ſemen, Viciâ minus. Plerique Eruum Venetum appellant, non tamen Eruum, aut Erui ſpecies, ſed ſilueſtre legumen, quòd haud aliò, quàm ad Arachi, per ch, genera, referendum videtur. Aſt eadem Icon Dodonæo cum icone Orobi Pannonici 4. aut albi 2. Cluſii. Fortè Dodon. ſua deſcriptione comprehendit etiam Cluſii Orobum Venetum, flore purpureo.

Ratam hanc plantam in Auſtria primùm inueniebat Cluſius, nec niſi in Alpibus illius Prouinciæ naſcentem, vnde delata, & in hortum tranſlata, altero anno flores ipſi protulit Aprili, & Maio, deinde ſemen. Anno 1579. obſeruabat Maio florentem maximâ copiâ, in eâ Pannoniæ parte, quæ inter Drauum & Sauum eſt flumina in Danubium illabentia, quæque ob eam cauſam Interamnis Pannonia nuncupatur, in monte quodam ſiluoſo Greben arci vicino. In collibus (vt Dod. perhibet) herbôſis apud Bohemos ſubinde reperitur: in hortis Belgii facilè proficit. Floret Vere, Æſtate ſiliquæ cum ſemine perficiuntur.



GALEGÆ NEMORENSI VERNÆ SIMILIS multiflora, flore purpureo, & albo.



INſignis Botanicus & Med. Argent. D. Agerus obtulit nobis nomine Orobi latifo lę, coloris albicantis plantam, collectam in horto Bononienſi, cui magna ſimilitudo cum Galega vernâ: *folia* conſtant duabus, vel tribus coniugationibus, quæ paulò breuiora videntur, nec trineruia, ad principium pediculorum alæ, vt in illa: florum pediculi longi, in eorum ſummitate flores plurimi (multò enim plures quàm in illa) minores, in vtramque partem conuerſi, non in vnam tantùm, vt in prædicta.

*Orobus latifolia.* *Locus.* *Folia.* *Flos.*

Hanc ni fallor, Cluſius his delineat: Multos ex eadem radice fundit ramos, pedales anguloſos, & ad ſingulas foliorum alas, modò in hanc, nunc in alteram partem inflexos, humíque vt plurimùm diffuſos, folia in ſingulis alis quaterna, aut ſena, vni coſtæ inhærentia, bina ſemper ex aduerſo ſita, nullo extremo imparem numerum faciente, Orobi Pannonici primi [Galegæ nemorenſis vernæ] foliis pænè ſimilia, ſed dilutè virentia: flores oblongis virgulis ex alarum cauis prodeuntibus innaſcuntur, numeroſi, in comam flexi, puſilli, quatuor foliolis, vt reliquorum leguminum flores conſtantes, hoc eſt, ſuperiore latiore, ſurſúmque reflexo & expanſo, binis minoribus ad latera, quarto inferiore cauo, & quodammodo carinato, coloris purpurei: oblongi, lobi, mucronati, Viciæ loborum pænè æmuli, rotundiores, & magis teretes, maturitate ruféſcentes, ſemen continent orobaceum oblongiuſculum, albicantis coloris: radix dura, lignoſa, multis fibris in diuerſa tendentibus donata, viuax eſt, & ſingulis annis frequentiores caules profert.

*Deſc. Cluſ.* *Rami.* *Semen.* *Radix.*

Orobus Venetus primus purpureo flore, & alter ſiue ſecundus, qui foliorum duntaxat & ramorum, colore differt, qui ex viridi palleſcit, & floribus, qui prorſus ſunt albi, Cluſ. Orobus Venetus primus, & alter Cluſii: ſeu purpureus, & albo flore, Ponæ in Bald.

*Orobus Venetus.*

Cùm in Belgica, tum Viennæ natæ è ſemine Venetiis miſſo nomine Orobi. Florent Maio.

Locus & Tempus.

## SECVRIDACA FLORE LVTEO, SILIQUA lata oblonga.

### CAP. XXXIV.

EX *radice* ſtatim multos emittit *caules*, cubito longiores, ramoſos, procumbentes, *folia* læuia, lentis maioris, ſenſim lateſcentia, ſex, octóve coniugationibus, ad coſtam anne-



xis, vno in ſumma ala imparitatem faciente: indidémque adeò vnde foliorum pediculus, appendix ſpecularis, in faſtigio vmbellatim *flores* ſuſtinet Meliloti nobilis Tragi, luteos: quibus ſuccedũt *ſiliquæ* palmo longiores, nonnihil ſulcatæ, roſtro recuruo, cõpreſſæ, valdè breui pediculo hærẽtes, duob⁹ hinc & hinc aggeribus veluti foſſam intercipientes, geminum conceptaculum, rufforum, quadrangulorum membraneis diſtinctorum.

*Flores.*

*Siliqua*

*Semen.* Semen [ait Cæſalp.] eſt apud nos peregrinum, omnium amariſſimum, vt ſi vel minimùm eius deguſtetur, ingens amaritudo ſentiatur, depreſſum eſt, quadrangulâ figurâ, ancipitem ſecurim præ ſe ferens, colore rubro: extat & pallidum: flores fert luteos, in longo pediculo plures, in orbem diſpoſitos: ſiliquas digitales, depreſſas & aduncas.

*Hedyſarum Pelecinum. Deſc. Dioſc.* Dioſcorides Hedyſarum & Pelecinum vocat, fruticem minutis foliis, Ciceri ſimilibus: ſiliquis verò cornicula referentibus, in quibus ſemen fuluum, quod ancipitem ſecurim æmuletur [vnde & nomen acceperit,] guſtu amarum.

*Pelecinum. Plinius. Deſc. Plinii.* Idem ferè Plinius habet. Pelecinum in ſegetibus diximus naſci, fruticoſam cauliculis, foliis Ciceris. Semen in ſiliquis fert corniculorum modo aduncis, ternis, quaterniſve, quale Gith nouimus, amarum, ſtomacho vtile. Eſt herba [tradit alibi] quæ Lentem enecat, & hoc quidem complexu ſuo: vocatúrque Securidaca, quam Græci à ſimilitudine Pelecinon nominant.

*Securina. Scalig. & Plin. notantur.* Apud Theophraſtum Gaza Securinam vocat, & in Aphacis naſci ſcribit: quo in loco Scaliger in Phacis legendum præcipit. Sed perperàm & Plinius loco proximè citato, & Scaliger apud Theophraſtum φακὸν (lentem) pro ἀφάκη (Viciæ genere) legerunt. Is enim ipſe, vt & Dioſcor. in ſegetibus naſci ſcribunt. Theophr. etiam Securidacam in Aphaca gigni, & Aphacam à Securidaca ſtrangulari prodidit. Adde Theophraſtum etiam hac in re Plinio refragari, qui Aracum rem duram & ſcabram in Lente naſci tradidit, non Securidacam. Nec contrariatur, quod Galenus Lentem in Securidacam degenerare teſtatus fuerit. Aliud enim eſt, degenerare in aliud, & inter ea naſci.

*Locus.*

*Antiquis vnum Hedyſari genus. Neotericis quibuſdam duo.* Dioſcorides igitur, Plinius & Galenus vnius tantùm Hedyſari, Pelenecii, ſiue Securidacæ meminerunt. Matthiolus autem cum Neotericis aliquibus duorum fecère mentionem, maioris ſcilicet & minoris. De maiori ita Matthiolus: *Hedyſarum* Dioſc. Galeno & Theoph. Plinius deceptus Securidacâ Lentem complexu ſtrangulari ſcripſit; & φακὸν pro ἀφάκη legit & vertit. Hæc Matthiolus, qui non deſcripſit ſuam figuram falſam. Olim in icone malè poſitæ erant ſiliquæ, ſingulares ex breui pediculo, quas in poſtr. com. retinet, quibus inſuper adaptauit flores dilutè purpureos, non tamen annotauit, vbi terrarum eiuſmodi colorem obſeruauerit. Ego quidem ſemper luteos offendebam, & decerpebam. Et quamuis Dod. olim Matthioli Securidacam dicebat non multùm ad Dioſcoridis deſcriptionem accedere: poſtea tamen in re herbaria doctior factus ſuam mutauit ſententiam, Hedyſarúmque primum appellauit.

*Hedyſarum maius. Plinii err. Matth. not.*

*Pelecin[um]* Cæterùm Pelecinum, Securidacam, & Hedyſarum Geſneri hort. dixeris, qualiter & Cæſalpinus appellat. Plinius, inquit is, eâ Lentem ſtrangulari, Galenus verò Lentem in Securidacam degenerare, teſtantur. Verùm me iudice, non eſt poſſibile tam diuerſam plantam, quam Cæſalp. deſcribit, quæ eadem cum noſtra Securidaca, poſſe in Lentem degenerare: ſcribit enim Theophr. de cauſ. pl. Mutationes euenire putandum, vt aliquid ſimilitudinis faciant, non vt omninò ſpeciem exprimant alienam: igitur aut non eſt Securidaca Galeni, aut Galenus errauit.

*Hiſt. L[ugd.] repreh.* Hanc tribus in locis triplicibus inſigniuit nominibus Hiſt. Lugd. liberaliſſimè quidem abſque duce. Et primùm quidem, inquit appellari Latinis Securidacam, vel vt Turnerus, legendum cenſeat Securidatam. Hedyſarum maius, ſiue Securidacam Matth. Item Hedyſarum Dodon. 1. Et rurſus, Hedyſarum Dod. 3. Hiſce vides auream eſſe libertatem. Aurea eſt: ſed non quæ propter Rempublicam herbariam, aſt potiùs marſupii explendi gratiâ ſuſcepta fuerit: tres ſiquidem vnius plantæ figuras Hiſtoria proponit, quarum prior ex Matthiolo falſa quod annotare debebat ſeuerus ille Cenſor Hiſt. Lugd. C. Bauh.

*C. Ba[uh.] not.*

*Hidyſ[arum]* Hedyſarum, ſiue Securidica maior, autoribus Lob. & Pena Adu. Ancipitis Securiculæ æmulo ſemini fertur accepta πελεκῖνος, ſiue Securidaca, vox, quam etiam ἡδύσαρον, ob ſuaueolentiam vocarunt. In Obſ. & Ic. Pl. eadem nomina leguntur. Figuram porrò in Obſ & icon. quod concernit pulchrè repræſentat Securidacam, de quâ hîc agimus, non item deſcriptio, in quâ inter alia flores deſcribuntur purpurei, quales nunquam videre contigit.

*Lob. n[ot.]*

Nullius inſuper ſemen aptius Veterum ſecurim, Cluſii iudicio, refert, quàm eius, quæ ab omnibus Hedyſarum (ἡδύσαρον, πελεκῖνος) legitimum cenſetur & Securidaca vera.

Hæc à Cam. Securidaca maior nominatur, & ἡδύσαρον, à Græcis, fortè per antiphraſim, cùm ſemen ſit amariſſimum. A C. Bauh. apud Matth. Securidaca ſiliquâ oblongâ. Ἡδύσαρον πελεκῖνος, *Hedyſarum Matthioli*, Ital. *Hediſaro, & Securidoca*, Cam. Lob. & Penæ *Securidaca maior*. German. **gros pfeilrſchen.**

*Locu[s.] temp[us.]* In Germania (id annotante Dodon.) inculta prouenit, floret in hortis Maio & Iunio menſibus. Sed in Hiſpania aliquot locis inter ſegetes ſpontè naſcentem Cluſius obſeruauit, vulgatiſſimam porrò hanc eſſe ſcribit per vniuerſam Pannoniam, Auſtriam, Stiriam, Morauiam atque Bohemiam, cùm in pratis, tum in agris, & ſecundum vias. Florere Iunio, interdum tota etiam Æſtate: ſemen maturum eſſe Iulio, & Auguſto. Variare etiam interdum floris colore, qui vel totus candidus ſit, vel exalbeſcat, vel intenſiùs purpuraſcat. Notant item Adu. eam in aruis & ſegetibus, quas rapidi torrentes ex Alpibus Taurinis præcipiti alluuione, plerumque vaſtant, & ad Ceuacum via, ſatis multam oriri, leguminiſque modo ſerpere & fertilitate reſtibili, ſeſe reparare. Securidacam flore luteo, ſiliquâ latâ ha-

tâ habebam in horto. Vidi Baſileæ in horto D. Fœl. Plateri florentem adhuc & ſiliquas ferentem Septembri, Montbelgardi verò etiam Auguſto.

Stomacho in potu vtile Hedyſarum [autore Dioſc.] Additur & in Antidot. Cum melle verò ſubditum ante coitum ſpem partus adimere creditur. Hedyſari quoque meminit Galenus ſimpl. med.6.ſic inquiens: Hedyſarum, aut Pelecinus. Huius fruticis ſemen colore ruffum eſt, vtrinque anceps, tum gratum eſt ſtomacho, & viſcerum obſtructiones expurgat. Idem præſtant totius fruticis ramuli.

## SECVRIDACA ALTERA, ſiue minor.



Lignoſa, ſimplici *radice*, & candidâ nititur, ex qua emergunt *caules*, ſtriati, cubitales, aliquando vix duas vncias longi, *folia* pinnata Securidacæ maioris, minora, per extremâ oram lateſcentia, ſæpè & fiſſa, *flores* ſingulares, pediculi faſtigio ordine aſcendentes inſident ex luteo pallidi, quibus ſuccedentes *ſiliquæ*, vt minores quàm Securidacæ prioris, ita multò magis incuruæ, parum abeſt quin vtriuſque finis coitu circulum efficiat, toroſiores, quàm Securidacæ iam dictæ, & propemodum rotundæ: in quibus geminus *granorum* craſſorum, quadrangulorum, ruſorum verſus, intergerinâ membranâ diſſeptus.

Securidaca minor, Aſtragalus Monſpel. Præceptores noſtri [aiunt Lob. & Pena Adv.] Securidacæ ſpeciem inficiabantur. Senenſi licuit pictoris operâ nobis illudere. Addunt iidem in Obſ. Hedyſarum alterum Dod. Huius altera differentia in vireto Morgani, Hiemis, cœli, & Soli noſtri patientiſſima. Item Ic. Pl. Tom. 2. p. 27. Iconem habet Hedyſari alterius Dodonæi. Verùm, quod monuimus, Securidaca minor Matth. aut Dod. diuerſa eſt ab Aſtragalo Monſpelienſium.

Apud Dod. gall. titulo, *Securidaca Latinis*, quibuſdam Pelecinon, Græcis ἡδύσαρον, effigies mala: in Hiſt. autem lat. titulo Hedyſari alteri, bona.

Ait Geſn. Pelecinus falſus Goldenbergio, pingitur à Dod. Tom. 2. ſponteque apud nos naſcitur. Aſt vellemus eum annotaſſe vbinam terrarum in Germania obſeruauit, ſi intelligit eundem nobiſcum Pelecinum. Nos nunquam obſeruauimus:

Hedyſarum, ſiue Securidacam minorem appellat Matth. & Cam. hort. & Epit. Matth. Aſtragalum Monſpelianum, Cluſius. Verùm diximus cap. de Aſtragalo Monſp. non bene pro eo à Cluſio poni Securidacæ minoris iconem.

C. Bauh. apud Matth. Securidaca ſiliqua falcata.

Hiſt. Lugd. quæ duas icones vnius plantæ proponit, Hedyſarum minus Matthioli, & Hedyſarum alterum Dod. inſcribit. *Hiſt. Lugd. repreh.*

In hortis meis Geneuæ & Montbelgardi menſe Maio florebat, & ſiliquas proferebat, Hiememque perferebat. *Locus & tempus*

## SOLEA EQVINA.

### Cap. XXXV.

Soleæ equinæ dictæ herbulæ *radix* alba, paucis donata fibris ligneſcit, Matth. gracilis, quatuor digitorum longitudine: à qua ſtatim plures proferuntur *caules*, palmares, aut dodrantales, anguloſi, ſtriati Matth. vnde *folia* exeunt Securidacæ minoris pinnatim digeſta, & per extremam oram lateſcentia, leuiterque in corculi morem fiſſa: hinc, ex ſinu videlicet foliorum, floſculi exeunt lutei, ſingulares, quos *ſiliquæ* etiam excipiunt ſingulares, nullo pediculo, tres circiter vncias longæ, culmum latæ, nonnihil incuruæ, compreſſæ, artificis naturæ rarum ſpectaculum, dorſum his cõtinuum, oppoſita pars fimbriatis finibus lacinioſa, vel, vt Matthiolus ait, ſiliquæ oblongæ, preſſæ alterâ parte, incuruæ, inciſuris diuiſæ, & foraminum rotundorum ſpeciem referentibus: prouenienſe vtrinque foraminum orificio. *Semen* lunatum, bicorne pro contenti ſeminis figura, numeroque, totidem equinæ ſoleæ ſimulacra repræſentat. *Radix. Caules. Floſculi. Siliqua. Semen.*



Sferra cauallo, Lunaria Alchymiſtis, ſi denominanda mihi eſſet (inquit Matth.) pro arbitrio, vocarem Securidacam minorem. Italis *Sferra cauallo* ſic appellatur, quòd equis calceos ferreos calcata extrahat. Chymiſtis Lunaria minor, quibuſdam Securidaca etiam nuncupatur. Hanc ego plantam Securidacam montanam appello, cùm non paruam videatur habere cum minori Securidaca cognationem, tùm facie, tum viribus: *Hactenus Matth.* Ego autem malim dicere, vocari *Sferra cauallo*, à figura Soleæ, ſiue ferri equini quàm à vano, vt quidem exiſtimo, rumore, qui tribuitur etiam alteri plantæ, ipſo Matth. teſte. *Lunaria. Alchymiſtarum. Sferra cauallo. Lunaria minor. Matth. reiicitur.*

Cæterò, Ferrum equinum, *Ferro de cauallo*, Itali vulgò nominant, vt notat Geſn. hort. & Dod. de frum. cui tota inſuper amara eſt, & Hedyſaro naturâ aſſimilis. *Ferrum equinum.*

Lob. & Pena Adu. *Ferro cauallo.* Ferrum equinum. Soleam equorum refringentem fabulati ſunt. Quidam nomen Lunariæ affinxerunt. Hæc illi, qui deſcribunt. *Solea equorum.*

Cam. in Epit. Matth. poſuit iconem *Sferra Ca-*

ualli, quæ partim conuenit, quod ſiliquas attinet, cum Ferro equino: partim autem videtur eſſe alterius plantæ, quam conſueui nominare, Soleæ, vel Ferro equino ſimilem, de qua mox.

*Medica*

Hedyſarum, ſiue Ferrum equinum Tab. Medicæ ſpecies Caſt. Dur. Sed ad Securidacam [ait Cæſalp.] reduci poſſet & ea, quam vulgò vocant *Sferra cauallo*, alii Lunariam, oritur in montibus, in totum minor Securidacâ.

*C. Bauh.*

C. Bauh. apud Matth. iconem Sferra cauallo ponit, quæ non reſpondet nec deſcriptioni, nec iconi Matthioli: ſcribit enim Matth. folia cordis faciem referre: quæ non referunt folia iconis iam dictæ: idem accidit Camerario. In noſtra icone radix pro portione plantæ craſſior picta, & floſculi omiſſi.

*Icon*

Locus.

Soleam equinam vidi Pataui in horto D. Cortuſi: ſpontaneam reperi inter Nemauſum & Valentiam tedeundo Monſpelio florentem & ſiliquas habentem menſe Maio. Prouenit Montbelgardi in horto E. C. ſemine per hortulanum Magni Ducis Hetruriæ Florentiâ mihi miſſo.

*Tempus*

Nullum, quod Matth. ſciat, habet in Medicina vſum, quamuis non deſint Herbarii, qui eam in potionibus vulnerum addunt. Chymiſtæ hac tantùm ex argento viuo argentum purum fieri fabulantur.

*Chymiſtarum error*

## ORNITHOPODIO AFFINIS, VEL POtiùs Soleæ, vel Ferro equino, herbæ.

*Radix*

Longiſſima *radice*, nigricante, lignoſâ, ſubdulci, licèt ſit vbi & pluribus nitatur radicibus: viticulas producens multas, palmo longiores, interdum dodrantales, & cubitales, ramoſas, tenues, ſubtubentes, in quibus *folia* Lentis pinnata, paulò quàm Ornithopodii maiora, non continuâ vſque ſerie, coſtæ ad *caulem* vſque adhærentia, vt in Ornithopodio Dodonæi iam dicto, cùm coſta, quà cauli adnaſcitur, ſit aliquouſq; foliis vidua, vt in Ferro equino, ſubamara: *flores* octo aut nouem in ramulorum extremis, coronæ inſtar radiatim penduli, colore & effigie Meliloti, quam nobilem vocant, quibus ſuccedunt *ſiliquæ*, crebris internodiis interceptæ, aduncæ, in acutum deſinentes, ſiliquis Ferri equini ſimiles (in quo ab Ornithopodio dicto dirimitur, cuius ſiliquæ Scorpii caudam æmulantur, teretes) minores tamen, minúſque incuruæ, nec ita latæ, in quibus ſemina incurua, oblonga, rubra.



*Folia* · *Flores.* · *Siliqua.* · *Semina.*

*Hedyſarum*

Hedyſarum minus Geel Steinwicken Tabern.

*An Ornithopodium?*

An Geſnerus hanc intellexit de hort. pro Ornithopodio Dodonæi, ait enim Ferro equino cognatam videri herbam, Dodonæi Ornithopodium.

*An Melilotus?*

An eidem de coll. ſtirp. Meliloti ſilu. ſpecies humilis, binis è regione foliolis, cuius lutei flores, ſuauem quendam & ferè lactis odorem referunt: in prato infra turrim in Haid/floret Maio, & Iunio. Siliquas curuas, & vnguium ſpecie profert Iunio adulto, vel in fine Iunii.

*Camer.*

Confundit meo iudicio Cam. apud Matth. in Epit. præſentem hancce noſtram plantam cum *Sferra cauallo*: duas ſiquidem hoc titulo plantas depingit, Soleam ſcilicet equinam, & huic affinem.

Locus.

Monſpelii prouenit prope patibulum, florens Aprili & Maio. Baſileæ vidi cum flore Iunio. Geneuæ paſſim viret Februarii principio, florétque Maio. Montbelgardi frequens eſt. Gener Cherlerus collegit circa Waſſerfall.

## LVNARIA RADIATA ROBINI.

Miſit ad nos Lutetiâ Regis Gallorum inſignis Botanicus Robinus, amicus noſter, Lunariæ radiatę ſiliquas pluſculas, formâ & exoticâ elegantiâ pulcherrimas. Vnciam longitudine vix ſuperant, colore ſunt ex ruffo ſubcinereo, vtrinque dentatæ, neruo per medium currente diſtinctæ: in quibus gemino verſu ſemina continentur exigua, compreſſa, Lentis colore, ac rotunditate, verùm multis numeris minora, leuitérque ſinuata, ſapore, quantùm ex ſicco deprehendere licuit, minimè notabili, aliquo tamen modo ad leguminoſum accedente.



*Siliqua* · *Color* · *Semina*

Semen commiſimus terræ Montbelgardi in horto Ill. E. C. Wirt. quem colimus. Menſe verò Aprili prouenit & floruit Iulio, ſiliquáſque produxit. *Radix* longa cum aliquot fibris, cauliculos plures profert anguloſos: in ramulos ſubdiuiduntur folia dodrantalia: Viciarum, ac Securidacæ minoris modo diſpoſita, in quibus foliola multa, ſibi inuicem appoſita, nonnihil cordata vltra 29. ſupputauimus: deſinunt in vnicum foliolum ſine capreolo, vt Securidaca dicta, cui valdè ſimilis: inter ſuperiora folia exoritur pediculus longus, in cuius extremitate floſculi hiantes, quales ferè in dicta, vel in Vicia, quæ Cracca minor dicitur, rubelli, plures ſimul: ſequuntur *ſiliquæ*, quales deſcriptæ, recuruæ, ſeptem ſupra vnum pediculum ſupputauimus: *folia* ſapore ſunt ſubdulci.

*Radix.* · *Caulis.* · *Folia.* · *Floſculi*

*Securidaca peregrina*

Securidaca peregrina, quam Cluſio miſit Iac. Antonius Cortuſus, ſignificans miſſam à Cl. V. Honorio Bello, qui eam naſcentem obſeruabat in Sco-

in ſcopulis apud Sebenicum Illyriæ vrbem. Ipſe Cortuſus aſcripſerat *Scolopendra leguminoſa*, vel Hedyſarum peregrinum, quod poſtremum nomen aptiùs illi conuenire videtur. Hæc Cluſius, qui nondum in lucem ediderat ſuam iconem cùm noſtram parandam curaſſemus.

## MELILOTI MAIORIS QVARTA ſpecies Trago.

### CAP. XXXVI.

QVarta Melilotus Tragi licèt foliis, tenuiſſimiſque virgis & adnaſcentiis, nec non longâ radice, floréque luteo & multiplici tertiæ [Medicæ ſilu. flore luteo] reſpondeat: tamen *flores* huius maiores, & magis crocei apparent, quo nomine à ſuperiori [tertia] differre videtur. Eſt & aliud diſcerniculum, & certius quidem, quo inuicem quarta hæc à tertia Meliloti ſpecies diſcerni queat, nimirùm forma ſiliquarum, quas hæc Melilotus gignit, ex vno flore plerumque ternas duntaxat aut quaternas, digitum longas, vnguibus auicularum ſimiles, terete ſeminio Orobo haud diſſimili refertas. Germ. Vogelwicken dicta, fortè Serapionis Melilotus, nam deſcriptio ſatis quadrat.

Quemadmodum autem & Dodonæus, qui Trifolium corniculatum vocat, & Frater, cui & Trifolium 54. dicitur, nullam huic plantæ lucem afferunt: ita nec ego, qui adhuc diuinare non poſſum, an ſit mihi nota. Si Tragus locum, vbi proueniat, annotaſſet, ibi poſſet perquiri.

## MELILOTVS QVINTA Tragi.

VIuaci *radice* reptat multis adnatis variè ſe propagans: fibris aliquot donata, craſſitie radicum Conuoluuli maioris, lignoſâ candidaque matrice farcta, ſapore amaricante: hinc emergunt longiſſimi *caules*, craſſitudine cum radice pari, ſtriati, intus concaui, ramoſi: *folia* pinnata, Securidacæ, pinguiuſcula, atro-virentia, octo aut duodecim foliorum coniugationibus conſtantia, impari vno extremam alam claudente: ex foliorum alis pediculi producuntur palmares, & breuiores, anguloſi, quibus pendulæ impoſitæ ſunt coronæ *florum* Securidacæ, quorum folium ſupremum purpuraſcens ſurſum explicatur, lateralia bina in album langueſcunt, carina penitùs albet, ſub roſtro atro-purpureo ſtamina occultans argentea: flos interdum totus albet, ſolo carinæ roſtro purpuraſcente: *ſiliquæ* ſuccreſcunt vncias duas, aut tres longæ, anguloſæ, tenues, crebris notis articulatæ, ſemine longo, mediocriter amaro.

Tragus Hiſt. Get. die fünffte ſtein wicken/ pulchra Lotus campeſtris. Idem in lat. Meliloti maioris quinta ſpecies.

Fr. C. Bauh. attulit Patauio nomine Aphacæ maioris Cortuſi. An Cæſalp. Alterum genus. Securidacæ, quod in ſiluis grandioribus oritur: ramis tenuioribus, ſiliquis inſtar Meliloti vulgaris, & ſemina intus habet oblonga, ſubalbida: floſculos ſimili modo, in orbem diſpoſitos, albos aut ſubrubentes.

An Hiſt. Lugd. In pratis & terrarum aggeribus gignitur Loto Enneaphyllo non diſſimilis: foliis eodem ordine collocatis, ſed non perpetuò nouenis: flore ſimili, ſed purpureo: ſemine iiſdem corniculis incluſo.

Hedyſarum Scorpiuron, aliis Onobrichis, Cam. hort. Vogelwicken/ Melilotus tertia, & Serapionis Trago, Lonic. qui fallitur, non enim Trago tertia eſt, ſed quinta. Ornithopodium quoddam maius, Dod. Hedyſarum purpureum, Purpurbraun Peltſchen/ Tab. *Onobrichis. Lonicers lapſus.*

Montbelgardi pluribus in locis, à me etiam plantata in horto floret Iunio, & Iulio, ſuo reptatu moleſta. Baſileæ etiam & Stutgardiæ copioſè obſeruaui. Obſeruauit & Cluſ. maximè viuacem vulgatiſſimam, per vniuerſam Pannoniam, Auſtriam, Stiriam, Morauiam, atque Bohemiam, cùm in pratis, tum in agris, & ſecundum vias, Florentem Iunio, & interdum totâ etiam Æſtate: ſemen maturum Iulio, & Auguſto. Pennæus ſuam creſcere aiebat agro Geneuenſi non procul à Ponte tremulo, inter dumeta. *Locus & tempus.*

## POLYGALO GESNERI SIMILIS planta.

PAlmam alta, alatis donata *fibris* Polygali Geſneriani, multò tamen minoribus, hirſutis, ad Aſtragali Monſpeliani *folia* accedentibus, ſiue magnitudinem, ſiue etiam figuram reſpicias, niſi obtuſiora eſſent, paullóque longiora: *flores* extremo faſtigio caulium hærent, multi pro plantulæ modo, roſtello adhuc rubro apparente caduci enim erant, poſitu ferè florum, quintæ ſpeciei Meliloti maioris Tragi. *Deſcriptio. Folia. Flores.*

Hanc in peregrinatione mea Rhætica cum D. Geſnero in Rhetorum monte Albula reperi, florentem Iunio. *Locus, tempus.*

## SCORPIOIDES LEGVminoſa.



230

RAdicem habet Scorpioides leguminoſa lõgam, tenuẽ, ſimplicem, in capita aliquot ſubinde diuiſam: ex quibus non tantùm prodeunt *coliculi* palmares, & ſeſquipalmares, hirſuti, verùm etiam folia, quę Ornithopodii foliis æqualia, exigua, hirſuta, acuminata, & nonnihil incana, pinnatim digeſta in coniugationes decem, aut plures ad coſtam adnectuntur: quanquam & ex ipſis caulibus conſimilia quoque folia oriantur: *flores* extremis ramulorum hærent coaceruati, Ornithopodii floribus haud abſimiles: quibus ſuper veniunt intortæ *ſiliquæ* ſenſim attenuatæ, modicè compreſſæ, ſtriatæ. *Radix. Coliculi. Flores. Flores. Siliqua.*

Lob. & Pena Adu. & Ic. Pl. Tom. 2. Scorpioides leguminoſa.

## SCORPIOIDES LEGVMINOSA altera.

*Viticuli.* NOtabili hæc tum à Scorpioide leguminoſa Herbariorum, tum ab Ornithopodio differentia diſcrepat. *Viticulos* hæc quidem, vt iſtæ emittit, læues, cauos, dodrantales, aut maiores, in ramulos diuiſos: *Folia.* Sed *foliola* ordine vtrinque ad coſtam aggeſta, pauciora, anguſtiora, rariuſque diſpoſita, & quoad figuram ferri equini foliolis ſimillima, quippe quæ cordata, ferè notabili neruo donata ſunt. Pedicellorum extremis *Floſculi.* *floſculi* hærent ſingulis gemelli, flaui, cum Ornithopodii floſculis tam figurâ, quàm magnitudine apprimè conuenientes. Quibus gemella ſuccedunt *Siliquæ.* *cornicula* multiplici diſcrimine quoque à dictæ Scorpioidis ſiliquis variata. Teretia quippe ſunt, ac recurua, minimè tamen compreſſa, ſicut illa, ac proinde multò anguſtiora, gracilioraque, glabra: nullis interim nec ſtriis, nec lanugine donata, obſcuris tamen quibuſdam articulis diſtrincta: quæ *ſemen* continent exiguum.

*Locus.* Hanc primò nobis exhibuit D. Agerius diligentiſſimus Botanicus, in agro Neapolitano lectam prope *Fundi* iuxta vias inter Scillas, ex qua & deſcriptionem, & figuram damus.

## STELLA LEGVMINOSA.

### CAP. XXXVI.



*Arturo Cortuſi.* STella leguminoſa, Arturo Cortuſi, cui debetur rariſſima hæc planta, *Folia* *foliis* exit leguminoſę Scorpioidis, *Floſculi. Semen.* *floſculis* Lampſanæ. *Semen* exile, pullum, in corniculis tantillùm falcatis, vno pediculo aptatis, & radiatim congeſtis, ſtellam exprimentibus, guſtu leguminoſo, & glutinoſo.

*Synonyma.* Num eadem ſit cum Stella illa decantatiſſima herba, Hibernis celebrata, humi depacta, fides eſto [inquit Lob. Obſ.] penes illos qui viderunt, & referunt. Cæterùm Stellam leguminoſam, ſiue Arturo Cortuſi depictam quoque exhibent Ic. Pl.

Stellam leguminoſam Lobelii vocat Hiſt. Lugd.

Chariſſ. Frater C. Bauh. oſtendit mihi anno 1607. plantulam plurimùm accedentem Stellæ leguminoſæ, ſi non eandem, folia Lentis candicantia accedunt Aſtragalo candidiori. Multùm etiam ſimilis plantulæ Monſpelienſi, cui titulum fecimus, Fœnugræco ſilv. Tragi in quibuſdam accedens plantula.

## ORNITHOPODIVM FLORE flaueſcente.



ORnithopodiū Dodonæo dictum *radice* puſilla *Radix.* *coliculos* promit *Coliculi.* plures, dodrantales, tenues, & in ramos diuiſos: *Folia.* *folia* pinnata per coſtam totam ad eius vſque cum ramis aut caulibus connexum diſponuntur, dimidio minora quàm Lenticulæ: *Flores.* *flores* leguminacei, flaueſcentes, plures in vnius ſurculi faſtigio ſimul iuncti pediculis perquàm breuibus: *Siliquæ.* *ſiliquæ* perinde copioſæ, pedem auiculæ digitatum exprimentes, teretes, quarum ſingulæ Scorpii caudam referunt, nodis quinque, aut ſeptem diſtinctæ: *Semina.* *ſemina* Dod. ſena, ſeptenáue, minuta, rotunda, Napi, aut Rapi ſimilia continentes.

*Icon.* In figura ex Fuchſianis hîc appoſita maximè diſplicent ſiliquæ. Et quamuis ſimilitudinem aliquam habeat in foliis, meliùs tamen placet Dalechampii figura, poſita pro Ornithopodio tuberoſo.

*Nomina linguis.* Vocari poteſt, inquit Dodonæus, Ornithopodium, Brabantis Vogeloet / Gallis *Pied d'oiſeau*, Lat. *Auis pes*, licèt nullum nomen, quo appellari poſſet, habeat, niſi ſit Polygala [πολύγαλον] Dioſcoridis, vt nonnulli exiſtimant. Ex Arachidum quoque eſt numero. Verùm Geſnero Ferro equino Italorum cognata videtur. Sed vereor, ne Geſn. deſcribat, & intelligat aliam plantam, quàm Dodonæus: quia Ornithopodii Dodonæi ſiliquę & foliorum diſpoſitio non ita reſpondēt Ferro equino, vt plantæ quam deſcripſimus: ſiliquæ enim huius, caudam Scorpionis imitantur, quatuor, aut quinque ſunt articuli, non incurui; *Icon.* qui non exprimuntur in mala noſtra figura.

*Pes auis.* Ornithopodii autem, ſiue Pedis auis elegans varietas oritur, vt annotant Lob. & Pena Adu. marginoſis herbidis Grinvvicii Regiæ, ad Tameſim flumen, non procul Londino: vix tota binos, aut ternos ſuperat pollices: ramulis in terram ſparſis, exilioribus, & crebrioribus, venuſtiùs ordine poſitis, quàm ſuperior, [Polygalon *Deſcr.* Geſneri] quæ non aliis ab iſta natalibus gaudet. Iidem in Obſ. Ornithopodium vocant Polygalam Dioſc. Dodonæo, qua in re Dod. detrahunt, cùm id non affirmet, ſed dubiè ex aliorum exiſtimatione proponat. Ic. tandem Pl. dicitur Tom. 2. Ornithopodium perpuſillum. Hiſt. verò Lugd. Ornithopodium Dodonæi. Item: Puſillum Ornithopodium Penæ.

*Locus.* Data nobis eſt hæc planta, à D. Petro Turneto inter ſtirpes Anglicanas. Naſcitur [inquit Dod.] in aruis, ſegete potiſſimùm demeſſâ: reperitur & locis incultis, veluti in collibus, pratiſque ſiccis & apricis, ac ſecus vias, aruis verò nata minithopodium penæ poteſt anterior.

ORNI-

## ORNITHOPODIVM TVBEROSVM Dalechampii.

RAdice donatur multiplici huc illuc fuſâ, tenuibus fibris capillata, crebris tuberculis nodoſâ, duris, rotundis: *cauliculis* multis, humi ferè ſparſis, aut paululùm extantibus: *foliis* Viciæ, minoribus, in ſingulis ramulis ex aduerſo diſpoſitis numero imparibus: *flore* in ſummis ramulis ex albo rubeſcente: *ſiliquis* exilibus, curuis, ferè ternis, velut articulis quibuſdam diſtinctis: minuto ſemine.



Naſcitur in aridis & ſabuloſis.

Herniariam quidam vocant, quia omenti & inteſtini prolapſui mirè auxilietur ſumpta & admota. Item experimentis conſtat totius plantæ decoctum ac puluerem, renum calculos frangere & eiicere.

## ANTHYLLIS PRIMA QVIBVSDAM, flore luteo, foliis Lente minoribus.

QVædam (Lunaria) gracili ſolo naſcitur, tenuibus ramulis, dodrantalibus, ſparſis: *foliolis* candicantibus, Lente minoribus: *floſculis* luteis, aduncis, vt vulgare Melilotum: quidam Anthyllidem primam putant: at ſapor non ineſt ſalſus. Cæſalp. l.6.c.33.

## POLYGALON CORTVSI.

ITa mihi olim denominabat Patauii Nobilis Cortuſus, plantam, cui craſſæ, ligneſcentes, duræque *radices*, dodrante longiores, nunc ſimplices, nunc multifidæ, intus albæ: quæ ſtatim plures emittit virgulas lignoſas, dodrantales, aut breuiores, humi ſtratas, quibus coniugatim hærent *folia*, vt plurimùm nouena, ſimilia Ornithopodio quorumdam, niſi eſſent breuiora, & rotundiora, ſolidiora, ſpiſſiora, & magis alba, ſaporis adſtringentis, neruo vno ſecundum longitudinem prædita: *flores* ramulorum nudorum extremo inſident lutei, vt Ornithopodii iam dicti, vel Polygalæ Valentinæ primæ Cluſii: *ſemina* item conſimiliter in *ſiliquis* longis, crebris internodiis interceptis. Flos; Siliqua.



Polygala, cuius imaginem in Ital. & magnis ſiris appinximus, miſit ad me [inquit Matth.] Veronâ Calzolarius. Quæ an legitima ſit, pro certò decernere non auſim, quòd tam paucæ eius tradantur notæ, facilè tamen adducor, ad credendum legitimam eſſe, & præſertim cùm ipſe Calzol. ſcribat multiplici ſibi experimento conſtare, huius plantæ vſum lac in mulieribus copioſum efficere. Cam. in Hiſtor. Germ. relictâ Matthioli figurâ non vndique ſpernendâ, ponit aliam ex Geſnero à Polygala Matth. differentem. Matthiolus autem non deſcripſit Polygalam ſuam, contentus pro ſuo more ſolâ figurâ. Qui porrò patrocinium eius ſuſcepit, non bene patrocinatur illi, ſed figuram ex Tabern. apponit malam. Polygala Matth. 4. Creützblům, nonnihil differt [inquit Tabern.] à cæteris, floribus planè ſimilibus, folia etiam conuenirent, niſi breuiora eſſent paulò & latiora. At Compilator corrumpit figuram Matth. vel Aſtragalum Lobelii, poſteaque ex figura ſua falſam deſcriptionem concinnat, nec bene Creützblům dicit: ea enim amara eſt planta, Matthioli autem non amara, ſed adſtringens: flos etiam diuerſus, nempe luteus. Quæ obſecro conuenientia, aut ſimilitudo foliorum? conſideratis etiam Taber. figuris, vni folia Lini, alteri folia leguminum, cum multis foliolis ex vno pediculo. Lobelium Adu. quo argumento Senenſis Polygalam legitimam vindicet, piget referre: vocatur autem ab ipſo in Obſ. Aſtragaloides herbariorum, Aſtragalus Matthioli, vel iam demum Polygala eiuſdem. Verùm Lob. non nouit Polygalam Matthioli, quæ multùm differt ab Aſtragaloide ei dicta, cui flores tribuit ex pallido punicantes. Aſtragali quoque figura apud Matth. partim ficta, partim etiam aliena, de qua ſuo loco

*Polygala.* *Camer. not.* *Matth. reprehe.* *Compilator.* *Lob. error.*

An Hiſtor. Lugd. Lotus enneaphyllos Dalechampii, radice firmatus breui, ſubnigra, valdè fibratâ: cauliculos edens multos, per terram ſparſos, vel ſupra terram paululùm extantes: folia Loti, in ſingulis pediculis nouena: qua ex cauſâ Enneaphyllum cognominarunt: flores luteos in ſerta congeſtos: ſemen paruum in corniculis longis & gracilibus: ac qui pratis & terrarum aggeribus gignitur. Deſcriptio ſanè hæc Dalech. cum noſtra planta conuenit, ſi radicem demas, fortè Dalechampio non fuit delata integra planta. *An Lotus Enneaphyllos?* Locus

Geneuæ in horto noſtro tota Hyeme virebat, florebàtque Maio. Hanc olim inueneram primò in Rhætiæ monte *Nombre*: Poſtea verò è montibus quibuſdam Epiſc. Baſil. tranſtuli Montbelgardum in hortum Ill. E.C. VVirt. Locus & tempus.

## POLYGALA QVIBVSDAM.

### CAP. XXXVIII.

POlygala noſtra Lenticulæ foliis & facie craſſioribus, puſilla, & tenera planta, in Gallo-Prouinciæ paſcuis montoſis prouentu multo ſeritur, *floſculi* ſunt lutei, minores Cytiſi, aut Araci, *ſiliqua & ſemine* minutis, quæ lactis augent prouentum, gregi & armentis, Lob. *Polygala noſtra* Deſcriptio Locus

Lob.& Pena Adu.& Polygala Dioſcoridis, Obſ. Polygalæ nullum ſcio (ait Anguill.) vulgare nomen: planta eſt ſimilis Lenti: ſed craſſior: ei flos luteus, cum tenui ſiliqua. Seminatur in Prouincia & datur animalibus: prouenit etiam in Italia in montibus Bononienſibus, & in Samnitibus, ſiue *Abruzzo*. *Lob. & Anguill. not.* Lobelius ſimilem ponit cum Anguill. deſcriptionem, qui ambo ſeſe mutui exponunt, cùm neuter vulgare nomen addat: nam ſi ſeritur, vt aiunt, multo prouentu non poteſt eſſe innominata. *C. Bauh.* Hanc porrò eandem ſuſpicari cum Polygala lutea (vt frater C.Bauh. facit) non poſſum: quia Polygala lutea à vulgari colore ſolo diſtat, quod animaduerterim, cui folia non reſpondent Lenti, nec vires conueniunt ei attributę à Dioſc. Aliquando ſuſpicatus ſum Anguillaræ Polygalam, eandem cum Cortuſi, & Matthioli Polygala, verùm cultura, de qua ſcribunt, mihi adhuc incomperta, dubium mouet.

## GLAVCE VETERVM.

### CAP. XXXIX.

*Dioſc. deſcr.* GLaux (Γλαὺξ) inquit Dioſc. Cytiſo [cod. Baſ. Λκιτῷ] aut Lenti, ſimilia habet *folia*, quorum infernæ partes albidiores, ſupernæ virides ſunt: ramulos per terram producit [κλωνία ϛ̓ ἀπὸ γῆς. Marc. ἐπὶ γῆς legendum cenſet quinque, aut ſex, tenues, palmi altitudine à radice: *flores* Leucoïo *Deſcr. Plinii* ſimiles, ſed minores, purpureos. Hæc ita tradit Plinius. Glaux antiquitus Eugalacton vocabatur, Cytiſo & Lenticulæ folus ſimilis, auerſa candidiora: rami in terram ſerpunt quini, ſeníve, admodum tenues à radice: floſculi purpurei ex- *Plin. not.* eunt. Plinium Glaucium cum Glauce confundere ſcribit Cornarius: dicitque Glaucem herbam Officinis & Herbariis, eſſe hodie ignotam.

*Locus.* Dioſcoride & Plinio autoribus inuenitur iuxta mare.

*Vires & vſus. Lac.* Hæc cocta cum farina hordeacea, & ſale, & oleo, atque ſic abſorpta, lac in mammis extinctum nutricibus reuocat, Dioſc. A cuius lectione receſſit Plinius, ſcribens: Coquitur in ſorbitione Similaginis, ad excitandum vbertatem lactis: eámque qui hauſerint, balneis vti conuenit.

## GLAVX LEGVMINOSA Herbariorum.

*Deſcriptio Caulis Radix. Folia.* CAule aſſurgit rotundo, pedali *radice*, exili, ſingulari, nitente, à qua ſtatim *folia* erumpunt Ocymoïdis, aut Halimi, albida, glauca, oblonga: è medio autem caule aliquàmulta exeunt minora, minutim, Lentis modo, aut Viciæ diuiſa. In ſummo caule pallido, conſpicui flauent, aut *Flos.* punicant *flores*, congeſti in glomerulum, ex calyculis multis conflatum, obſidentibus ſquamoſis folliculis, acroſiſque veluti glumis, vbi *ſemen*. Tota planta læto aſpectu.

*Glauca.* Glauca, vel Glaux quædam leguminoſa Herbariorum floribus purpureis, Lob.& Penæ Adu. Aſt dicant, qui ſunt Herbarii illi, qui meminerunt? quę obſecro ſimilitudo Ocymi, aut Halimi, Lentis, aut Viciç?

*Locus.* Iuxta agrorum, viarumque margines obuiam ſeſe dat in Francia, Anglia, & Belgio, iuxta autores.

## TRIBVLVS TERRESTRIS.

### CAP. XL.



PRolixam ſatis agit *radicem*, fibris capillaribus donatam: *Radix.* *coliculos* emittit plures, palmares, aut etiam dodrantales, ramis multis *Coliculi.* diuiſos, albicantes, per quos *folia* pinnata *Folia.* Lenticulæ, incana, piloſa: *flores* pediculis inſident, è ſinu *Flores.* foliorum ortis, lutei, parui: quibus ſuccedunt muricata *capitula*, ſpinis *Capitula.* maiuſculis hærentia, ad Spinachiorum àccedentia, *ſemen* continentia.

*Tribuli genera Theophraſto.* Tribulo (*Theoph.* tradente) peculiare eſt, quòd integumentum fructûs aculeatum gignit, τρίβολος ἴδιον ἔχει, διότι περικαρπάκανθος ἐστι. Duo eius genera. Vnum, folium Ciceris [ἐρεβινθῶδες] habet: Alterum ſpinoſis eſt folus. Humi iacent ambo, & quaquauerſum ſeiè diſperguntur. Seriùs germinat, qui ſolia ſpinoſa habet, & circa villarum ſepta prouenit. Semen præcocis [Tribuli] Seſamo [σησαμῶδες. Plin. arenaceum, ἀμμῶδες] ſimile, Serotini verò rotundum, nigricans, ſiliquâ clauſum. Cæterùm Tribulus ſpinoſa planta eſt, ac annicaulis, qui iuxta ſolium aculeatum, altero quoque ſolio conditur. Hic porrò vel ſemine aculeigero conſtat: habet enim in ſemine aculeum: Qua de cauſa id quoque proprium ei (vt ſic loquar) præ omnibus licèt vtique adnotare. Adhæc ſolium iuxta aculeum gerit.

*Dioſc.* Τρίβολος terreſtris [inquit Dioſc.] foliis quidem eſt Portulacæ [ἀνδράχνη. Lob. putat legendum Araci] ſimilibus, at tenuioribus: viticulæ verò [μακρὰ, Vetus Cod. Lacun. & Orib.] per terram ſparſæ, in quibus ſpinæ ſunt rigidæ, prædura: iuxta amnes & rudera naſcitur. Græca verò Dioſc. verba ſic habent: τὰ κλήματα μακρά. κατὰ γῆς ἐστρωμένα. καὶ παρ' αὐτοῖς ἄκανθαι στερεαί, quæ ſic *Ruellii imprimis.* reddidit Ruellius: Viticulis in terra ſtratis: ſpinis ſecundùm folia rigidis, quæ Ruellii verſio non ita arridet, vt Cornarii, qui legit: & ſarmenta per terram ſparſa: & in ipſis ſunt ſpinæ acerbæ: ſiquidem illud, καὶ παρ' αὐτοῖς, non videtur referri, ad φύλλα, ſed ad κλήματα!

*Genera Plinii.* Tribulo proprietas [ait Plinius] quod & fructum ſpinoſum habet, & ſecundum ſpinam folium. Eius genera duo. Vni Cicerculæ [Theoph. Ciceris, ἐρεβινθῶδες] folia. Alteri, aculeata. Hic & ſeriùs floret, magiſque ſepta obſidet villarum: Semen ei rotundius, nigrum, in ſiliqua: alteri arenaceum: [alii Acanaceum legunt vulgata exempl. σησαμῶδες, Hiſt. Lugd.] Lolium & Tribulum, & Carduum, Lappámque non minùs quàm Rubum, inter frugum morbos potiùs, quàm inter ipſius terræ peſtes numerauerim. Et hæc de *Frugum morbi.* Plinii ſententia.

Sed

Sed Tribulum ſtugibus infeſtum eſſe, vel ex Virgilio manifeſtum eſt, nam ita canit:

*Lappaque, Tribulique, interque nitentia culta*
*Infelix Lolium, & ſteriles dominantur Auenæ.*

Tribulus Theophraſti, Venetis vocatur *Baſapie*, inquit Anguillara, Tribulus terreſtris (autore Bellon.) vulgò in Creta vocatur *Atriuolo*. Tribulus ſacrarum literarum, in Gallia non prouenit.

Eſſe [ait Cluſ.] Dioſc. τρίβολον χερσαῖον, Tribubulum terreſtrem affirmare non velim: ſed optimè quadrare videtur alteri ex terreſtribus Theoph. deſcripto, πρωΐῳ videlicet, tametſi hic non ſit valdè præcox, locis ſaltem vbi obſeruabam. Hiſp. *Abroios* appellabant: folia ſunt ſubacri guſtu, cum quadam adſtrictione: fructus quinquepartitò diuiſus (quatuor ſpinis ſingulæ diuiſuræ conſtant) in quo totidem ſemina: radix interdum minimi digiti craſſitudinem æquat.

C. Bauh. in Matth. Tribulus terreſtris folio Ciceris, Theoph.

Soliti erant (vt Adu. annotant) proiicere hoſti murices infeſtis aculeis armatos: quos quia protererentur, τριβόλους nominabant: vnde huic ſiliquæ plantæque muricatæ Tribuli nomen. Senenſi duo Tribuli. Alter, quem Piſis à Cytino miſſum ſcribit. Alter, Dioſcor. foliis Portulacæ quem in Veneto littore vidit. At quidam peritus locorum illorum & herbarum Italus nobis dicebat Senenſem illum prædictum Commentatorē nunquam niſi aridum, aut pictum vidiſſe vulgatiſſimum Tribulum, eóque deſcribere neſciuiſſe: deinde Portulacam marinam illic frequentem pro Tribulo Portulacæ foliis accepiſſe.

Τρίβολος χερσαῖος, *Tribulus terreſtris* dicitur [inquit Hiſt. Lugd.] quòd ſiliqua, plantaque muricata ſit, It. *Tribulo terreſtre*, Arab. ſimpliciter Tribulus *Haſacb*, ſiun *Haſerk*, Hiſp. *Abroyos*, & *Abrolhos*.

Terreſtris autem Tribulus [τρίβολος χερσαῖος] dicitur [teſte Dod.] ad differentiam alterius in aqua naſcentis. Eſt autem duplex φυλλάκανθος (ſpinoſo folio) & πρώϊος [præcoquus.] Cum πρωΐῳ autem Theoph. hic magis conuenit, quem & terreſtrem Theoph. Tribulum, non omninò abs re, quis nuncupauerit. Dioſcorides enim, qui vnius terreſtris tantùm meminit, hunc omiſit. Suum ſiquidem Tribulum, non Ciceri, ſed Portulacæ, ſimilia tradit habere folia, ac tenuiora, & κλήματα, ſiue tenuiores, teneroſque ramulos, per terram ſtratos, in quibus ſpinæ acerbæ & duræ. Qui certè Tribulus φυλλακάνθῳ magis ſimilis eſt, quàm πρωΐῳ, ſiue præcoquo.

Cæterùm, Tribulus terreſtris Veterum & Recentiorum, Calcitrapa à quibuſdam eſſe cenſetur.

Ad aruorum ſemitas, in quibus Melopepones Salmanticæ ſeruntur, frequentiſſimè prouenientem reperiebat Cluſius, hortulanis valdè moleſtum, & exoſum, quoniam fructus eius [qui per maturitatem facilè de planta decidit] firmis aculeis pedes illorum nudi grauiter offunduntur. Florebat iſthic Iulio, ſemen verò Auguſto & Septembri maturum. Meminit etiam olim Monſpeliano agro obſeruare, ſub ipſis ferè vrbis mœnibus inter olíueta, vt & Lohel. qui dicit: Videas pratenſes, puluerulentas, & ſabuloſas planities maritimas Adriatici, Thyrreni, & Gallici Mediterranei maris iſto Tribulo itineranti infeſtas & propemodum imperuias. In Lio Venetę poſtremùm inſulæ ſabuletis, cuius Pharmacopœorum notiſſimum dicebat Italus, eoque minimè Piſis accenſendum. Hunc vidimus nos, flores & ſemina ferentem menſe Auguſto, in foſſis circa Monſpelium prope muros exedificatos à Papa Vrbano. Montbelgardi prouenit in horto Ill. C. Vvirt.

Adſtringit & refrigerat: eſtque omnis inflammationis cataplaſma. Cum melle verò feruida oris vlcera, & tonſillas, & putredines in ore ſanat, & gingiuas. Exprimitur & ſuccus ex eo ad ocularia medicamenta. Fructus ipſius viridis potus, calculoſis prodeſt. Drachmæ quidem pondere potus, & impoſitus commorſis à vipera particulatim opitulatur. Commodus eſt etiam ad lethalia medicamenta, cum vino potus. Decoctum reſperſum pulices necat. Cæterùm, qui ad Strymonem fluuium habitant Thraces, viridem quidem herbam equis in pabulum dant, fructum verò, qui dulcis eſt, & probè nutrit, in panes effingunt, ipſoque pro pane vtuntur. Hæc ita Plinius tradit. Succus ex hoc colligitur ad oculorum medicinas. Eſt enim refrigerantis naturæ, & ideò vtilis contra inflammationes, collectioneſque. Vlcera per ſe erumpentia, & præcipuè in ore, cum melle ſanat. Item tonſillas. Potus calculos frangit. Thraces, qui ad Strymona habitant, foliis Tribuli equos ſaginant. Ipſi nudeo viuunt, panem facientes prædulcem, & qui contrahit ventrem. Radix caſtè pureque collecta, diſcutit ſtrumas. Semen adalligatum, varicum dolores ſedat. Tritum verò, in aqua ſparſum pulices necat. Galeno teſte: Dominatur in hoc terreum frigidum, quod adſtringens etiam alibi oſtenditur. Et propterea ad inflammationes, dum adhuc generantur, & omninò ad omnes influxiones commodat. Fructus, qui tenuium partium eſt, calculos in renibus atterit potus. Et quamuis Galenus Dioſcoridem ſequutus terream & frigidam qualitatem huic tribuat Tribulo, Salmaticenſes tamen eius decoctum, ad pituitam, craſſoſque humores incidendos, & euacuandos felici ſucceſſu clyſteribus iniici prodebant, teſte Cluſio. Nullius hodie commodi, niſi Aſinis, quibus pabulum eſt, Lob.

*Vires & vſus.* *Inflāmatio. Oris Vlcera. Succus.* *Panis ex fructu.* *Oculi.* *Radix ſtrumæ*

---

## DE LOTO IN genere.

### Cap. XXXXI.

IN genere de Loto verba facturi, hanc duplicem agnoſcimus. Eſt enim & *Lotus arbor*, de qua Hiſtoriç libro 2. diximus: & *Lotus herba*, de qua nunc agemus. Quæ authore Theoph. in pluribus formis eſt, & fermè ceu æquiuocis: Huius enim ſpecies plurimę ſunt, differentes & foliis, & caulibus & floribus, & fructibus.

*Lotus arbor.* *Loti nomen æquiuocum eſt.*

Lotus [inquit Dioſc.] quam aliqui Trifolium vocant, folia habet terna, Loto arbori ſimilia. Cenſendum autem eſt, Matthiolo teſte, Dioſcoridem Trifolii huiuſce folia, Loti arboris comparaſſe foliis, non quòd terna folia Loto, perinde ac Trifolio, ex vno pediculo exeant, ſed quòd vnumquodque per ſe Trifolii Alphatitis folium, Loti arboris folium referat. Cæterùm in caule tantùm [autore Theoph.] foliata Lotus.

Lotum porrò ſatiuam, & ſilu. ac Ægyptiam, Arabes indifferenter vocant *Handachocha*, *Garcb*, & *Thurſ*.

## LOTVS SATIVA VETERIBVS.

### Cap. XLII.

*Lotus ſatiua Trifolium. Vires & Vſus. Oculorum morbi.*

AB aliquibus [ infit Dioſcor.] Lotus ſatiua [λωτὸς ἥμερος] τρίφυλλον nuncupatur. Naſci-turin hortis. Succus inde expreſſus (ὃς γυ-λιάζεις, cod. Baſ. ἐπὼς, Dalech.) & ad mel ammixtus, argema, nubeculas, albugines, & quæ pupillis oculorum tenebras affundunt, depurgat.

*Error quorundam.*

De Loto herba ſatiua, eadem ſanè, quæ Dioſcor. habet, prodit Plinius: Loton (ait) qui arborem putant tantùm eſſe, vel Homero authore coargui poſſunt. Is enim inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati, Loton primam nominauit. Foliis autem Plinius attribuit ea, quę Dioſcor. expreſſo ſucco hîc adſcripſit.

Lotus, inquit Porta, radice & fructu croceis eſt: Plinius radice lanas, pelles & cortices tingere dixit, ſed Dioſcorides capillos rufare.

*Tẽperam:*

Lotus ſatiuus, autore Galeno, quem aliqui Trifolium nominant, modicè extergentem vim habet, atq; ita etiã ſiccitatem. Verùm in caliditatis & frigiditatis coniugio medius quodammodo eſt, & temperatus.

*Aequivoca*

Sed Loti tandem ſatiuæ, ſiue vrbanæ inſpiciamus æquiuocationes. Paſſim igitur *Lotus vrbana vera & legitima*, ſatiua Lotus habetur. Eſt verò nobis Lotus hæc, Lotus corniculata glabra & hirſuta minor, de qua ſuo loco. Sunt qui exiſtimant eam plantam eſſe Lotum vrbanam quam vulgares Herbarii & Officinæ falsò Melilotum appellant, quorum ego opinionem non improbo, inquit Senenſis Commentator.

*Lotus ſatiua,*

Non deſunt etiam è Recentioribus, quorum opinionem tuetur Geſn. in ſuo libro animalium, qui putant Lotum ſatiuam eſſe *Trifolium illud*, quod in pratis paſſim, atque alibi etiam prouenit, ſed errant, authore Matth. cui Lotus vrbana reiecta priore eſt Melilotus vulgaris, odorata.

*Melilotus vulgaris. Alleluia.*

In tanta Dioſc. breuitate, inter tot Trifolias herbas difficile eſt ſtatuere de Loto vrbana. Matth. cenſet, ait Turnerus, Melilotum vulgarem eſſe Lotum vrbanam. Amatus autem *Alleluia* eſſe iudicat. Ferrarienſes verò viri docti, diuerſam ab vtraque Lotum vrbanam oſtendunt. Ea primo obtutu Trifolio acetoſo perſimilis eſt. Sed Trifolium acetoſum in ſiluis tantùm prouenit & incultis: Hæc verò in hortis tantùm. Trifolium acetoſum nihil habet, quod caulem referat: flores enim pediculo inſident à radice ſtatim orto, candidi, triplo maiores floribus eius quam pro Loto vrbana exhibeo. Hæc autem caulem habet breuem, cuius ſummo flores inſident duo, tres, plures, paucioréſve, lutei, ſapore acido Trifolii acetoſi, Hanc potiùs Lotum vrbanam opinor, quàm vel Alleluia, vel Melilotum. Vt enim Melilotus non eſt eſculenta, ideóque nec in hortis colenda: ita Alleluia etſi idonea in hortis coli, aptiſſima acetariis, vulgò tamen in hortis non naſcitur, vt reliquæ duæ. Itaque hæc quia in hortis duntaxat reperitur, pro Loto vrbana potiùs, quàm illæ duæ habenda eſt. Bis mihi viſa eſt, ſemel Ferrariæ, ſemélque Clauennæ.

## LOTVS SYLV. VETERVM.

### Caput XLIII.

*Lotus ſilu. nus Libya.*

OBſeruauit Dioſc. Lotum ſilu. (λωτὸν ἄγριον) quem aliqui λίβυον vocant, plurimum in Libya naſci: caulem ferre bicubitalem, aut etiam maiorem: alas habere multas: folia Loto Trifolio ſimilia, quod in pratis prouenit: ſemen ſimile Fœnogræco, ſed multò minus, in guſtu medicatum.

*Locus. Deſc.*

*Aequiu.*

Cæterùm, diuerſas apud diuerſos hoc nomine donatas comperies plantas. Matthiolus licèt nondum audeat affirmare, an Lotus ſilueſtris, quam copioſam hoc in capite in Libya gigni tradidit Dioſcorides, naſcatur in Italia, Herbam (ait) quandam ſæpiùs vidi, ac legi in incultis & pratis, naſcentem foliis Trifolio æmulis &c. attamen deſcriptionem ſuam repetit ex Dioſcoride, cum additione florum luteorum, qui non conueniunt plantæ depictæ, cuius icon repræſentat noſtrum Trifolium rectum, hirſutum valde. Abſtulit adhæc in poſtr. com. iconem priorem Matth. cum deſcriptione, ponens pro Loto ſilu. Loti ſatiuæ, annuæ, flore cœruleo, & figuram, & delineationem.

*Matth.*

*Trifolium rectum hirſutum de. Lotus ſatiua annua flore cœruleo.*

Cæſalp. tandem, Lotum ſilueſt. Dioſc. quam & Theoph. inter odoratas recenſuerit, vulgo *Trifoli*, & corrupto vocabulo *Tripuli* vocari ſcribit, floſculis luteis, & candidis. Quænam ergo ſit Lotus ſilu. Dioſc. haud eſt promptum dicere Turnero, cùm ea, quam ipſe credit Lotum ſilu. florem habeat cœruleum pallidum.

*Trifolium odoratum. Melilotus vulgata.*

Vim habet calefaciendi, leniter adſtringentem, depurgantem maculas faciei, & à Sole prouocatas, ſi cum melle illinatur. At ſi per ſe tritus, aut cum Maluæ ſemine, ex vino, aut paſſo bibatur, veſicæ doloribus opitulatur, vt nobis autor eſt Dioſc.

*Vires Vſus. Maculæ faciei. Veſicæ dolores.*

## LOTVS CORNICVLATA GLABRA & hirſuta minor.

*Deſcr. Radix. Sapor. Folia.*

NIgro cortice *radix*, lignoſa, multifariam partita, coëuntibus in vnam portionibus longiſſima euadit, raris fibris donata, reptans, ſapore ſubdulci, & adſtringente: *virgulæ* tenues humi ferè procumbentes, brachiatis *folia* ſuſtinent ex interuallis, terna Trifolii, aut quina, quorum duo inferiora cauliculo adnectuntur, piloſa, ſunt quæ nullos aut paucos pilos habent, acuminata, pinguia, adſtringente ſapore prædita: *flores* denſè tanquam in vmbella ſtipati, Geniſtæ floribus ſimiles, lutei: quorum ſupremum folium reliquis latius, rotundiúſque, ſurſum flexum, foris, intuſque lineis purpurantibus ſtriatum, infimum ſurſum quoque mucronem ſpectans, apices luteos continens, ipſumque vtrinque geminis foliis, tanquam alis coercetur, quibus delapſis cornicula, ſiue *ſiliquæ* tenues ſubnaſcuntur.

*Sapor. Flores.*



Trifolium eſt C.Baub. 50. ſiue corniculatum glabrum & minus, ſeu *Meliloti ſpen-*

*Trifolium corniculatum. Melitophyl.*



*lotus pentaphyllos.* Cæſalp. *Melilotus vulgò appellatus*, cuius flores officinæ pro Meliloto Antiquorum ſubſtituunt, quâuis autem iis, pręter colorem croceum nulla qualitas legitimi Meliloti inſit. Tabern. *Trifolium ſiliquoſum minus*, klein ſchotenklee.

Trag. in Hiſt. germ. Edeler ſteinklee Daß ſibentgeſchlecht poteſt eſſe Serapionis Melilotus, non tamen malè conuenit cum Hedyſaro Dioſc. quod Peleeinum vocat, & quorundam Securidacam. Noſtri Herbam flauam, & Herbam leporinam vocant: quidam etiam Vnſer frawen ſchüchlin eſſe volunt. Hanc idem in Hiſt. lat. naſci tradit in agrorum limitibus & ſecus itinera, hoc quidem titulo: *Aliud quoddam Meliloti genus, Melilotus nobilis, Meliloti ſeptimum genus.* An inſuper eidem Hiſt. germ. Lagopus, haſenfuß / quem Dioſc. non deſcribit, nec etiam Gal. Ægineta, & Plin. ex denominatione tamen, vt etiam oſtendit Apuleius, apparet herbam ſimilem pedi leporis, nullam igitur nouit plantam præter flores quoſdam, è genere Trifolii, & Loti, quæ planta auf dem Gaw vocetur haſenpfötlin: exiſtimat autem verum λαγώπον Antiquorum, dictum Dioſcoridi Lepnris Cyminum, & Leporinum pedem: Haſenclee. Hanc ſuſpicamur nos Lotum vrbanam Matthioli.

Lotum pentaphyllum Geſn. dixerit herbam, quâ imperiti quidam pro Meliloto hactenus abuſi ſint: inodoram prorſus, Gäle Tubenkröpfle / cuius ſpecies duæ ſunt. Matthiolum Lotum vrbanam nominare non probauerit, ſed Lotum Fuchſii putarit.

Meliloti alterum genus, Fuchſ. Melilòtum germanicam vocauit, quòd in Germania pro vera Meliloto ſit vſurpanda ob adſtrictionem. Hanc ſuam autem opinionem ſtabilire nititur antiquo manuſcripto Herbario, qui hanc pro Meliloto pingat. An de hac Ruell. ſciens in pratis herbam, quam officinæ *Andachocam* & *Coronam* vocant *regiam*. Sed an Lotus ſit vrbana non audet aſſerere, quòd à Dioſc. non deſcribatur. Sunt tamen inquit, qui verum Melilotum defendant.

Nulla certè hactenus Matthiolo ſeſe obtulit planta, cui Lotus vrbana meritò ſubſcribi poſſit: hæc eſt, inquit is, vera ac legitima Lotus ſatiua. Sunt tamen alii, qui exiſtimant, eam plantam Lotum eſſe vrbanam, quam vulgares herbarii, & officinæ Melilotum falsò appellant, vtpotè quæ foliis conſtet Trifolii effigie, naſcaturque non in pratis tantùm, ſed etiam in viridatiis & hortis. Verùm horum ſententiam eur planè probem, aut refellam, nihil equidem habeo, cùm ii ſuâ potiùs opinione duci, quàm rationibus, aut auctoritatibus niti videantur. Inclinat tamen animus ad credendum, quòd ita, vt illi rentur, facilè eſſe poſſit. quandoquidem vulgaris Melilotus & in hortis prouenit, & folia Trifolio proxima profert: quin & omnibus notiſſima eſt herba, quemadmodum Lotum vrbanam olim fuiſſe, apertè innuit Dioſc. qui eam vt triuialem non depinxit. His illud accedit, quòd in hunc vſque diem proprium ferè ſeruauerit nomen, eo tantùm aucto ex Loto in Melilotum: vnde poſtea facilè factum eſſe poteſt, vt eadem legitimæ Meliloti locum occupauerit. Hæc ille: Qui ſub titulo Loti vrbanę ponit iconem Loti noſtræ corniculatę glabræ, quam Melilotum quoque officinarum nominare videtur. Verùm hanc ſuo more non deſcribit. Et licèt retineat in poſt. com. cum mag. fig. maiorem verborum prædictorum partem, omiſſâ tamen in his icone, vt & in Epit. aliam reponit, Trifolii ſcilicet odorati, ſub eodem Loti vrbanæ titulo.

An Amato *Lotus ſilu. Trifolium ſilu. Offic. Melilotum*: Hiſp. Luſit. *Melgas*: & Ital. Gal. *Melilot.* Germ. Guldenklee oder Steinklee *An Lotus ſilu.*

An Brunſ. Tom. 3. Rhapſ. 14. *Trifolium 7. flore luteo*, Latinis *Leporaria* vocatum? *An trifoli. fl. luteo.*

*Lotum ſilu. non tamen Dioſcoridis* Dod. gall. vocat. germ. Wildenklee / Steinklee / Edelſteinklee Vogels wicken / Vnſerfrawen ſchüchlin. Gall. *Treſſle ſauuage iaulne* Belg. Steenclaûeren / & Geelſteenclaûeren wilde claûeren, & quibuſdam Vogels Vitſen. Quidam, ait ipſe, Meliloti ſpeciem putant, ideò vocatur latinè Melilotus ſilu. aut Melilotus germanica. *Lotus ſilu.* Nomina linguar. *Meliloti ſpecies.*

*Trifolium corniculatum primum*, ſimilitudinem maximam habet [eodem teſte in fol. & de frum.] cum Serapionis, & Iſaaci Meliloto, quam *Alchilel* ſiue *Melich* vocant. *Trifol. corniculatum*

Lonic, *Melilotus germanica, & Herba flaua*, Loti ſilu. 9. ſpecies. *Melilot germ.*

An Lob. & Penæ Adu. *Melilotus coronata*? Non de nihilo erat, quod quidam perſuaui fuerunt, illam Lotum, quæ ſiccioribus pratis & viarum marginibus lætatur, Sertulam eſſe campanam, aut ſaltem pro Meliloto eſſe vtendam. Plebi gallicæ *Corona regia* dicitur, indidemque Romanis *Sertula* fortè dicta. Eâ Pharmacopœi, Galli præſertim, plurimùm vtuntur æquè tutò atque Meliloto. Nuſquam non Angliæ, Galliæ, Belgiæ, frequentiſſima ſiliqua Loti ſilueſtris. Item Obſ. *Melilotus coronata, Trifolium corniculatum Dod. Melilotus germanica Fuchſii.*

An de eadem loquitur pag. 500. *Melilotus Adu. Sertula campana & corona Regis.* Angl. Melilota / It. *Melilote, & Trifoglio cauallino.* Hiſt. Lugd. *Lotus ſatiua Matth.* Hort. Camer. *Melilotus noſtra germ.* Hort. Luſ. *Trifolium ſiliquoſum, Melilotus nobilis Tragi.*

In pratis prouenire ſolet, ac etiam collibus ſiccis. Geneuæ duas ſpecies obſeruaui: Hirſutam florentem Maio & Iunio cum ſiliquis, quam marem voco. Glabram alteram, aut ſaltem pilos habentem paucos, florentem Septembri ſecus vias Montbelgardi & Baſileæ, quam fœminam nomino. D. Agerius attulit ex Italia, cuius radici adhæſit Orobanche parua. Locus & tempus. *Mas.* *Fœmina.*

## LOTI CORNICVLATÆ MAIOR ſpecies.

EST altior multò quàm vulgaris, *caulibus* enim cubitum, ac etiam ſeſqui cubitum altioribus aſſurgit: *foliis* per ramos tribus ex vno pediculo, vncialibus circiter, duobus itidē pediculi ex Deſcriptio. *Caulis.* *Folia.*



pertibus caulem cōplexis : *flores* peculiaribus ſurculis & in ſummo caule in orbē congeſti, maiores, lutei, foliis quibuſdam coronæ ſubiectis: ſequuntur *ſiliquæ* numeroſæ, vnciales, & ſeſcunciales. *Flores.* *Siliqua.*

Eſt C. Bauhino *Trifolium* 51. ſiue *corniculatum maius & hirſutum*: *Lotus pentaphyllos maior, modicè hirſuta* Geſnero. *Meliloti vulgaris alia ſpecies foliis ſubhirſutis* Ceſalpino. Nobis autem non ſatiſfacit C. Bauh. differt enim Cæſalpini Melilotus altera, à Loto pentaphyllo. Ea ſiquidem Cæſalpino breuior eſt Loto corniculata, & ſiliquæ incurux ſunt, quæ non conueniunt Loto maiori corniculatæ, de qua hîc agimus: præterea Meliloti vulgaris alia ſpecies Cæſalp. in veteribus ædificiis naſcitur: noſtra autem inter vepres, & ſpinas, in ſepibus. *Lotus pentaphyllos. C. Bauh. not*

Trago fortè vocatur *Meliloti quarta ſpecies*, Der Vierdt Klee / Vogelwickene/ quæ Serapionis Melilotus eſſe poſſit. Ego tamen non auſim aſſerere Tragum intelligere Loti corniculatæ maiorem ſpeciem, quamuis id ſuſpicer, & eam Lonicerus quoque ſuâ figurâ demonſtret. Eſt *Trifolium corniculatum* Dodonæo *tertium*, de quo Tragus. Geſnero *Lotus altera maior hirſuta & erecta, guſtu adſtringenti.* *An Meliloti ſpecies.*

In Dumetis & ſepibus prouenire, ſolet inter Montbelgardum, & *Souchaut*. *Lotus. Locus.*

## LOTVS CORNICVLATA SILIQVIS ſingularibus, vel binis, tenuis.



SEmper multiſidâ, infirmâ *radiculâ* terræ hæret: *caules* emittens rectos, numeroſos, pedales, ramoſos, ſubrubentes: longis albicantibus pilis obſitos: ad quorum nodos terna *folia* Meliloti nobilis, oblongiora, acutiora, binaque, nihilo minora, cauli ad pediculi exortum enata: ex foliorum ſinu *pediculus* exit ſingularis tenuis, vncialis & longior: in cuius cacumine, *flos* luteus, hians, ex calycibus hirſutis: *ſiliqua* plerumque ſingularis [rariſſimè binæ] vnciam longa, teres, *ſemine* copioſiſſimo, ad vicenarium ferè numerum, tenui, Portulacæ pari, ruffo, rotundo, ſapore leguminoſo referta. *Deſcriptio. Radix. Caules. Flor. Siliqua. Sapor.*

Hanc attulit Gener Cherlerus ex Gallia Narbonenſi.

## DE MELILOTO VETERVM in genere.
### CAP. XLIV.

SErtula campana, teſte Theophraſto, viridis quidem nihil: aſt ſiccata pleniùs olet, & plùs temporis odorata durat. *Sertula campana.*

Melilotus [Μελίλωτος] optimus eſt Atticus, & qui in Cyzico, & Chalcedone prouenit, quique Croco ſimillimus [κροκίζων, Crocum referens, Corn.] & odoratus eſt. Naſcitur & in Campania circa Nolam, in luteū langueſcentem colorē vergens [μηλίζων] & infirmo odore. Sed vocem μηλίζων, melino colore reddidit Cornarius. Nihil enim aliud (inquit) vult ea vox, quàm coloris ſimilitudinem in Meliloto, ad Malum Cotoneum. *Delect. Locus.*

Cæterùm Meliloton *Sertam Campanicam* Cato dixit: Celſus *Sertulam Campanam.* *Serta Campanica.*

Ita & Plinius l. 21. c. 9. qui appellationis etiam rationem reddit, quòd ſit in Campania Italiæ laudatiſſima. Græcis in Sunio: mox Chalcidica & Cretica, vbicunque verò aſperis & ſilueſtribus nata. Coronas ex hac antiquitùs factitatas, indicio eſt nomen Sertulæ, quod occupauit. Odor eius Croco vicinus eſt, & flos. Ipſa cana placet, maximè foliis breuiſſimis atque pinguiſſimis. Et eiuſdem libri c. 11. Melilotos vbique naſcitur, laudatiſſima in Attica, vbicunque verò recens, nec candicans, & Croco quàm ſimillima: quanquam in Italia odoratior & candida. *Natal. Odor.*

Sertulam ergo Romani veteres dixerūt, quòd flos eius coronamentis dicatus ſit, & quia ex ea antiquis coronæ & ſerta factitata ſunt: *Coronam* autem *regiam*, quoniam luteis floribus ſupernè coronetur. *Sertula dicta. Corona regia.*

Duorum porrò generum Melilotum Auicenna facit, vnam videlicet lutei floris: alteram candidi. Auicennæ autem Meliloton eandem cum Dioſcoridis Meliloto eſſe de viribus ac facultatibus amborum teſtimonium in fine adducendum oſtendet.

De Meliloto hæc Serapio. *Alkilelmelich* [Alchilelmelich, corona regia, Yſaac Eben amram] eſt herba, quæ habet folia rotunda, viridia, & rami eius ſunt ſubtiles multùm, & folia rara, & fructus habent vaginas, ſubtiles, rotundas, ſicut virgæ puerorum paruulorum, & ſunt in eis grana pauca, glauci coloris, rotunda, minora granis Sinapi. Et quod de ipſa adminiſtratur, ſunt illæ vaginæ, cum eo, quod eſt in eis ex granis. *Alkilelmelich.*

Hodie verò non omnes Autores eundem habent Melilotum. Quidam enim, teſte Cordo, humi ſtratam Trifolii ſpeciem, quæ luteos habet flores, pro Meliloto accipiunt, ſed malè. Neque recens enim, neque ſicca aliquam odoris bonitatem habet: Melilotus verò fragrantiſſimum habere debet, præſertim eius ſuccus. Propterea hunc Dioſc. cum Sampſucho inter alias odoratas herbas deſcribit. Ii tamen meliùs faciunt, qui Steinklee appellatam Loti ſiue Trifolii ſpeciem, pro Meliloto accipiunt. Odorata enim eſt valdè, præſertim quæ luteos habet flores: hi ſiccati meliùs etiam olent. Dicitur hæc à nobis *Trifolium* *Subſtit.*

*olium atum ſi- Melilo- vulg.* *lium odoratum*, ſiue Melilotus vulgaris.

Tragus etiam Melilotum 7. ſeu nobilem, ſiue Meliloti exiguæ ſpeciem alteram, quæ quidem ab aliis Melilotis Serapionis accenſeri, ipſius tamen iudicio non malè ad Hedyſarum, aliàs Securidacam, & Pelecinum fruticem dictum, referri poſſet, pro Meliloto recipit.

*rito- lapſus.* Geſnerus ait Loto pentaphyllo imperitos pro Meliloto abuſos.

Fuchſius, Meliloti alterum genus, quod Melilotum germanicum vocat, pro vera Meliloto, ob adſtrictionem, vſurpandum cenſet.

Matthiolus Lotum vrbanam, quam & Melilotum officinarum falſam affirmat, nominare videtur. Pro vera Meliloto, Melilotum vulgi, cuius flores officinæ pro Meliloto Antiquorum ſubſtituunt, quamuis præter colorem croceum, alia nulla qualitas legitimi Meliloti inſit, agnoſcit. *De his* ſingulis agemus ſub Loto corniculata glabra & hirſuta, minore.

Dicit quoque Geſn. Melilotum veram Tiguri in aruis, alibique locis arenoſis præcipuè flore luteo, & alteram ſpeciem albo naſci, eamque vulgus Trifolium aureum appellare. *De hoc* agimus ſub Trifolio odorato, ſiue Meliloto vulgari.

C. Bauhinus Meliloti vulgaris ſpeciem aliam Cæſalpini habet, quam nos Lotum corniculatam maiorem facimus.

Melilotum porrò Ægyptiis dictam *Alchimelech*, Melilotum verum potiùs, quàm Lotum vrbanam, aut Sertulam campanam dici putat Alpinus. A nobis Melilotus Ægyptia inſcribitur.

Melilotum veram, eam eſſe plantam tradit Matth. cuius flores Germani colligant, ac pro Meliloto paſſim vtantur, quemadmodum & Bohemi, conſultiùs fortaſsè, quàm Itali. Vocatur hęc Melilotus falſa dicta, à nobis Trifolium odoratum, ſeu Melilotus vulgaris odorata flore luteo.

Melilotum adhuc alium vulgò appellatum, ſiliquas ferentem incuruas, multi legitimam Melilotum putant: ſed hæc, inquit Cæſalpinus, fortè ad Melilotum Serapionis reduci poteſt. An hic Medica noſtra ſilu. ſurrecta?

*edica re-*

Theophraſtus Loti nomen æquiuocum eſſe ait, cùm eius genera plura ſint, inter quæ & illud recenſeatur, quod Melilotum vocatur, ſic enim Cæſalpinus legendum cenſet, non Melias ſitos, quod Gaza Mel frugum vertit. *ugũ.*

De Meliloto Græcorum non inter Trifolia, autore Cæſalpino, quærendum eſt. Serapio tamen inter Arabes Melilotum intelligere videtur Loti genus, quod Trifolium Balſaminum appellatur, inquit enim Herbam eſſe foliis rotundis, &c. Putauit autem id à Dioſc. Melilotum vocari, colore croci, odoratum. Hanc tradimus eſſe Lotum odoratam, annuam, flore cœruleo.

Herbæ S. Mariæ optimè conueniunt, quæ de Meliloto traduntur, tum apud Dioſcorid. tum Plinium, & Auicennam. Et hæc nobis eſt Mentha Saracenica, ſiue Coſtus hortenſis, de quo H. n. lib. 15.

*um* Μελίλωτος Græcis, Latinis *Melilotus*, *Serta & Sertula campana*, aliis *Corona regis*, Germ. Steinklee, Belg. Malloet/ Gall. *melilot*, Ital. *meliloto & Trifolio Caualino*, Hiſp. *Corona de rey*, Angl. Melilote.

Hodie probatiſſima, legitimáque Melilotus, ſi Hiſt. Lugd. fides habenda, non modò in multis Campaniæ locis, ſed etiam in Gargano Apuliæ monte prouenit.

Tom. II.

Melilotus, authore Dioſcoride, vim habet adſtringendi, inflammationemque omnem emolliendi, præſertim oculorum, vuluæ, ſedis ac teſtium, ſi ex paſſo decocta imponatur, addicto interdum oui luteo aſſato, aut Fœnugræci farinâ, Lini ſemine, aut Tritici polline, aut denique capitulis Papaueris, Intybóve. Sanat & recentes meliceridas per ſe cum aqua, & vlcera manantia in capite cum terra Chia, & vino, aut galla inuncta. Stomachi dolorem in vino decocta, itemque cruda cum aliquo ex antè dictis leuat. Dolores etiam aurium cum paſſo mitigat ſuccus ex ipſa cruda expreſſus & inſtillatus. Denique capitis dolorem ex aceto & roſaceo irrigatus lenit. Meliloto, ſi Plinius vera dicit, oculis medetur cum lacte, aut cum Lini ſemine. Maxillarum quoque dolores leniuntur: & capitis cum roſaceo: item aurium è paſſo, quæque in manibus intumeſcunt, vel erumpunt. Stomachi dolores in vino decoctâ, vel crudâ, tritaque. Idem effectus & ad vuluas. Teſtes verò, & ſedem prociduam, quæque ibi ſunt vitia, recens ex aqua decocta, vel ex paſſo. Adiecto roſaceo illinitur ad carcinomata. Deferueſcit in vino dulci. Peculiariter & contra Meliceridas efficax. Sed animaduertendum vulgatos codices falsò habere lacte, pro luteo oui: diſertè enim in Dioſc. ὠοῦ λεκίθου, legitur. Copioſior autem, vt Galenus ait, in Meliloto eſt ſubſtantia calida, quàm frigida (primi videlicet ordinis calida & ſicca, Dod.) habet etiam quiddam adſtringens, ſed & diſcutit, & maturat. Vtraque tandem Auicennę Melilotus odorata eſt, & nonnullæ amaritudinis particeps, ac ſimul digerendi facultatem cum nonnulla adſtrictione habens. Quòd porrò in Meliloto, vſum ſibi vendicent ſiliquæ, & ſemina, quæ in eis continentur, ex authoritate Iſaac Eben amram apud Serapionem iam conſtat. Ex quibus facilè eſt conjicere, inquit Matth. non eſſe mirum, ſi emplaſtrum, quod de Meliloto Officinis dicitur, ſæpè Medicos fallat, cùm in id legitimi Meliloti ſeminis farina nunquam recipiatur. Quod autem Dioſc. Melilotum tradit adſtringentem & malacticam vim habere, ſciendum eſt, ait Dod. eam non habere propriam, ſed quatenus in inflammationibus, aut aliàs collectos humores diſcutit ac digerit: nam eatenus, quod durum eſt ac tenſum, emollit, quæ propriè non emollitio, ſed digeſtio, & per halitum diſcuſſio eſt, cuiuſmodi facultatem διαφορητικὴν Græci nominant.

*Vires & vſus*
*Inflammatio.*
*Meliceridæ. Vlcera capitis. Stomachi dolor. Aurium dolor.*
*Plin. corrig.*
*Temperã.*
*Vſus ſiliquarum & ſeminum*
*Emplaſtrum*
*Dioſc. explicatur. Malactica vis*

## MELILOTVS ÆGYPTIA ALCHIMELECH vocata.

SVpra terram expanſa planta eſt, parua, modicè repens, ferè nihil aut parum in altum ſe attollens: *foliis* Trifolii ſiliquoſi, minoribus tamen, *floribuſque* paruis, multis, longis, racemi modo ordinatis, croceis, odoratis, à quibus promanant *ſiliquæ* paruæ, obliquæ: *ſemen* continentes minutum, rotundum, ſubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omninò expers, ſapore ſtiptico, cum aliquo amarore.

*Deſcriptio. Folia. Flores. Siliqua. Semen.*

Melilotum autem, Ægyptiis dictam *Alchimelech*, Melilotum verum potiùs puto (inquit Alpin.) quam eam plantam, quæ *Lotus vrbana*, aut *Sertula campana* dicitur. *Synon.*

Huius plantæ ſemina tantùm apud Ægyptios in vſu ſunt. Quæ putant ii quoad calorem & frigiditatem eſſe temperata, ſed ſiccare, reſoluere, ac ſtipticitate roborare, ex quo ad hepatis tumo- *Vires & vſus Téperam. Hepatis tumor.*



res ipſorum vſus apud illos eſt frequentiſſimus: quoniã ſine aliqua relaxatione digerit & reſoluit. Ad omnes quoque dolores, quaſcunque corporis partes occupantes, fomentis ex ipſorum decocto vtuntur, maximè ad pleuritim, peripneumoniã, & ad hepatis, coli, & ventriculi dolorem: quibus dolore vexatis, ipſorum decoctum ad libram bis in die calidum bibunt. Mulieres quoque vteri ſtrangulationibus, flatibus, ac doloribus eo ſubueniunt, præſertimque ex eo etiam inſeſſionibus paratis, quæ etiam Fœnugræci, Linique ſeminibus, paratæ, & Camomeli floribus, efficaciùs ad illus, & aliarum partium duros tumores adminiſtrantur, atque ad euocandos menſes retentos. Ad roborandum ventriculum: & aperiendas obſtructiones venarum decocto ſummè proficuè vtuntur.

*Pleuritis*

*Vteri ſtrangulatio*

*Menſes*

*Ventriculus debilis*

## LOTVS SILIQVOSA FLORE FVSCO tetragonolobus.

Deſcriptio



Citra controuerſiam longè pulcherrima eſt hæc Lotus, ſimplice *radiculâ*, paucíſque fibris donatâ, nitens: ex cuius capite complures oriuntur *caules* cubito longiores, interdum ſuppares, teretes, hirſuti, in aliquot alas diuiſi, procumbentes ferè. *folia* ex certis interuallis terna iuncta, reliquis duobus ſemper caulem amplectentibus, vt in Loto ſiliquoſa lutea Monſpelienſium, vel Loto corniculata, ſed longè maiora, hirſuta: *flores* ex foliorum alis, Piſi quidem formâ, minores, holoſericum coccineum, vulgò dictum ſaturum, prouocantes: *ſiliquæ* ſeſquiunciam circiter longæ, anguloſæ, craſſiuſculæ, quatuor membranis, ceu ſagittarum alis appoſitis donatæ: in quibus continentur *ſemina* magna rotunda, ſubflaua, quę dentibus reſiſtunt, ſapore Piſi.

*Radix*

*Caules*

*Folia*

*Flores.*

*Siliqua*

*Semen.*

Lotus pulcherrima tetragonolobus, flore rubertimo. *Piſum rubrum* quorundam Camer. hort. & Iconum. Lotus ſiliquoſus rubro flore, Piſum rubrum Oelling. ri: Semen eius miſſum Lupini nomine, licèt eius planta Lupino prorſus ſit diſſimilis: τετραγωνόλοβος nonnullorum, & τετράλοβος, quem non minus, aptè tamen πτερυγώδην ἢ τετράπτερον forſitan appellare liceret: Aliquoties ex Italia miſſum ſemen *Sandalidæ* appellatione, Cluſio. *Anthyllidem* [inquit Anguill.] vocant in Candia σανδαλίδα. An autem Anguillara hanc intelligat aſſerere non auſim, quia non deſcribit. C.Bauh. *Trifolium* 60. ſiue *Siliquoſum rubrum.*

*Piſum rubrum*

*Lotus ſiliquoſus*

*Anthillis*

*Trifolium ſiliquoſum rubrum*

Ante plurimos annos cùm ex ſemine à me ſato planta in horto E.C.Montb. proueniret, Lotus ſiliquoſa, flore fuſco denominata deſcriptaque fuit, nec antè à me viſa, nec à quoquam deſcripta. Floret Iulio, ſemina matura Auguſto. Annua planta eſt. Semina eius miſſa E.C. ab hortulano Ducis Florentiæ anno 1594. cum inſcriptione *Semina Sandalidæ Candiæ.*

*Sandalida Candiæ*

## LOTO SILIQVOSÆ ALIQVOMODO SImilis, Coronopus ex Cod. Cæſ.



Herba Stella, ſi fides iconi habenda, quæ in codice Cæſareo reperitur, longè differens planta eſt à Coronopo. Depingitur enim in hoc Coronopus, tenuibus ac viticuloſis cauliculis, ex recuruis coruorum pedum digitos referentibus ſiliquis, vt ipſa figura oſtendit. Cæſareani autem veteris manu-ſcripti codicis fidem, nobis [inquit Dod.] aſſeruit Bern. Paludanus, qui huiuſcemodi Coronopum, qualem icon exprimit, à ſe viſum ac repertum haud longè à Tripoli, & ad radices montis Libani nobis coram narrauit.

*Differt Herba Stella*

Deſcrip

Locus

Sed inter nothas Coronopi voces hæ aſcribuntur. Ἄμμον⁊ [Harenaria] & ἄσριον [ſanguinaria] C.Bauh. Trifolium 57. facit, & Coronopum ex codice Cæſareo Dodonæi vocat.

Synon

## LOTVS ORNITHOPODII ſiliquis.

Vnica ex *radicula*, albâ, duriuſculâ, paucis fibris donatâ, *coliculi* exeunt aliquot, teretes, in aliquot ramulos ex ſeſcunciali interuallo diuiſi: ex quorum geniculis *folia* hærent quina, quorum inferiora duo ſuperioribus tribus magnitudine cedunt, nullo ſapore manifeſto prædita. Extrema *floſculi* occupant lutei, quales in Loto corniculata glabra, nigris lineis ſtriati. Quibus ſuccedunt *ſiliquæ*, ex vno geniculo duæ, tres, ac plures, ſeſcunciam, aut ad ſummum vncias duas longæ, falcatæ, compreſ-

Deſc

Radix

Caul.

Folia

Floſc

Siliq

ſæ,



ſæ, atro-purpureæ, *feminū* extuberantias pulchrè exprimentes. Nobis in vnica ſiliqua ad 14. ſemina animaduerſa.

Lotus alia peculiaris Camer. hort. Ic. verò Lotus peculiaris ſiliquis Ornithopodii. C. Bauh. phyt. *Trifolium* 56. ſiue *Trif. ſiliquis Ornithopodii.*

Gener Cherlerus attulit Baſileâ florentē cum ſuis ſiliquis menſe Auguſto D. Zvvingeri. in quo ſemen maturum collegi Septembri. Vidi etiam apud Fratrem Norimberga miſſam.

## LOTVS SILIQVOSA LVTEA Monſpelienſis.



VT fibris multis obſitam habet *radicem*, quę alioqui craſſa, lignoſa, longa: ita plurium aliquando capitum: folia Loti corniculatæ, quina, quorum duo cauli adnaſcū tur, maiora tria ſimul cohęrēt, iam dictæ Loti folia magnitudine vincētia: *flos* vnicuique cauliculo in cacumine vnicus, magnus, luteus, quatuor ſtriis ad latera donatus, ex longo calyce erumpens: *ſiliqua* ſuccreſcit vnica ſeſcunciam longa.

Trifolii genus, à ſiliquatū magnitudine Monſpelianis *Lotus pratenſis ſiliquoſus* cognominatum, Cluſius. *Trifolium* 61. *ſiue ſiliquoſum luteum* C. Bauh. phyt. *Lotus trifolia pratenſis ſiliquoſa Monſpelienſium,* ſiliquâ, quàm Fœnugræci maiore, ſed rectâ, & ſuperiùs retuſâ, quibuſdam ſecundùm longitudinem impreſſis ſtriis, Fœnugræci flaueſcens ſemen, dum maturuit, diſſiliente & oſtendente, Lob. & Penæ Adu. & Icon. Pl. Quorum figura non placet. In noſtra verò ſculptor appendicum folia malè præcidit ſculpendo. Tab. icon. & Hiſt. Trifolium ſiliquoſum Schottenklee: & rurſum *Lotus trifolia ſiliquoſa Monſpeliaca* Schotten Steinklee von Mompelier. Sed vel hæ duæ figurę vnius plantę duobus diuerſis in locis [qua ſi diuerſarum plantarum eſſent] à Compilatore Taberna poſitæ, palam omnibus faciunt, eum inſtar noctuæ cæcutire, vt qui imaginariè herbarum figuras, quò plures alii nouiſſe videatur effingit.

An porrò Polygala Cæſalpini? quæ in maritimis naſcitur, ſimilis vulgari Meliloto: latiore folio, molli: flore ſingulari, in ſummis ramulis grandi, pallido: ſiliquam fert longam, & quadrangulam, exiguis ſeminibus, guſtu adſtringente. [*An Polygala*]

Geneuæ toto anno in horto virens nullos flores protulit, quæ aliàs paſſim inibi inuenitur florens in pratis menſe Maio, etiam Aprili Monſpeſſuli, ac quoque Iunio Curiæ Rhetorum. Baſileę vidi florentem Septembri anno 1595. in horto D. Chemeletii. Frequens eſt autore Cluſio, in omnibus Pannoniæ, & Auſtriæ pratis, ſed Narbonenſe paulò durius videtur, quod idem quoque aſſerit C. Bauh. qui non longè à Bruck/ quà, itur ad Thermas Helueticas, collegit. [Locus. tempus]

## TETRAGONOLOBO LOTO ſimilis ſiliqua.

APud Ill. noſtrum Principem piæ memoriæ inter fructus peregrinos viſa hæc ſiliqua, uncias duas longa, fimbriis ornata quatuor, vt Lotus ſiliquoſa flore fuſco: quæ [vt ſolent legumina] ita conuoluta & contorta erat, vt cōmodè minùs exprimi potuerit: Piſum, quod continebat fuit ferè quadratum, rubrum, magno vmbilico albicante notatum. [Deſcriptio. *Semen.*]

## TRIFOLIVM ARGENTATVM, floribus luteis.



BAſis huius ſingularis, lignoſa, gracilis, *caules* fūdit palmares & longiores, tenues, hirſutos: *folia* terna alterâ parte argenteo nitore ſplendētia, piloſa: alterâ verò viridantia: *flores* cacumini caulium hęrēt magni, lutei, hirſuti, è laciniato villoſo calyce. [Deſcr. *Radix. Folia. Flores.*]

*Trifolium* 34 ſiue *aſperum Narbonenſe luteum.* C. Bauhino phyt. *An Lotus aſperior fruticoſa* ſiue *Narbonenſis incana* Lob. Obſ. & Ic. Pl. *Lotus aſperior fruticoſa Lobelii,* Hiſt. Lugd. *Lotus Narbonenſis incana* Grawelecht wilcar Steinklee/ Tabernæ. [Synonyma. *An Lotus fruticoſa*]

In via Monſpelio Frontigninianum verſus, & in monte Seti floret menſe Aprili. [Locus. & Tempus]

## TRIFOLIVM RECTVM MONSpeſſulanum.

TRifolium hoc etſi nonnulla cum Trifolio albo Dodonæi habeat communia, haud diſ- [Deſcriptio.]

ficulter tamen diſcernitur, *caules* habet rectos, robuſtos, bicubitales, ramoſos, minùs teretes, quàm iam dicti Trifolii, imò nonnihil anguloſos, glabros penitùs, aut parum hirſutos: *folia* quina, bina minora, cauli appoſita ad pediculorum exortum, reliqua tria extremo hærent pediculo, maiora, quibus folia Trifolii illius albi magnitudine cedunt & rotunditate, ſuperant verò lanugine: *flores* confertim conglomerati priuatis ſurculis ex foliorum ſinu ortis, corollæ inſtar penduli, albicantes, inferioris folii roſtello atro-purpureo: *ſiliquæ* in orbem radiatæ, numeroſiſſimæ, tenues, 24. interdum, omnium pediculis mediocriter breuibus, in ſurculi caput coëuntibus, vnciâ breuiores, teretes, glabræ, fuſcæ, *ſeminibus* refertæ nigricantibus, papauerina æquantibus.

*Lotus ſilu. Dioſc.*

Lob. & Penæ Adv. Lotus ſilv. Dioſc. cuius caules numeroſi, bicubitales, à radice lignoſâ, fibroſâ: folia terna, mollia, rotunda, fuſco virore, læuia: flores lutei: vaginulæ numeroſæ, teretes, rubentes, nitidæ, intus ſemine ſinapi pari, cinericio colore. Sapor, qui leguminum quorundam & medicatus. Item Obſ. *Lotus ſilv.* Adv. Hiſp. *Trebol. Saiuage.*

*Lotus Libyca.*

Hiſt. Lotus Lugd. p.509. Libyca Dalech. ſiue Lotus ſilv. flore ex albo ſubrubente, qui cum Loto Dioſc. maximè congruere videtur, ita ſcribentis: Silv. Lotus, quam aliqui Lybicam appellant, plurima quidem in Lybia gignitur (ſic enim ex græco legendum: λωτὸς ἄγριος, ὃν δὲ λίβυον καλοῦσι, φύεται μὲν πλεῖστος ἐν λιβύῃ, non vt vertit Ruell. Lotus ſilv. quam Trifolium minus appellant, abſurdè, quî enim planta cubitalis & ſæpe maior, ac ob id Trifolia omnia magnitudine ſuperans, Trifolium minus rectè dici poſſet:) caule bicubitali, & ſæpè maiore, alis multifoliis, Loti Trifoliæ pratenſis ſimilibus (non vt Ruell. interpretatur, foliis Trifolii pratenſis.)

*Ruell. reiicitur*

Monſpelii (inquit Cluſ.) Trifolii genus reperitur, cubitale aut amplius, & quodammodò fruticans ad læuam pontis Iuuenalis, quà ad Gramontiam ſiluam iter eſt, ad Ledi fluminis ripam quod nonnulli *Oxytriphyllon* Scribonii nuncupabant, aliqui *Lotum ſilv.* nec defuerunt, qui inter Cytiſi genera referrent. Similem porrò, ſi non eandem, apud Granatenſes obſeruabam, cubitali altitudine, & multis ramis præditam, per quos ſecundùm nodos, & ramulorum diuaricationes ſparſa erant terna ſemper folia, vni petiolo inhærentia: flores ſummis ramis naſcebantur, puſilli, candicantes, in globum quodammodo congeſti: quibus ſuccedebant cornicula, ſiue lobi, ſemen exile, rotundum, nonnunquam oblongiuſculum, continentes. Eius autem plantæ duplex erat genus: vnum, candidioribus ramis, & albâ radice: alterum, caule & ramis ex albo purpuraſcentibus, ſimiliter & radice, quæ tamen in quibuſdam plantis magis rubere videbantur: Granatenſis quidam Medicus Lagopum eſſe volebat, refragantibus tamen notis. Ioannes Placa Profeſſor in Academia Valentina [in quo regno frequentem obſeruabam] *Perempſanam* Arabum vocabat, eamque duplicem faciebat: primam, humidis naſcentem, Granatenſi ſimilem: alteram, montanam lanuginoſamque. Granatenſes Mauritani *Enziuar* ſuâ linguâ appellabant, & ex vtriuſque radice, quæ ſatis craſſa, & magnæ adſtrictionis particeps eſt, præſertim autem ex rubeſcente, ſerapium conficiebant ad dyſenteriam vtile. Huius ſemen ex Italia miſſum *Loti fruticoſæ* nomine, & natæ ex eo plantæ. *Et hæc Cluſius.*

*Oxytriphyllū Lotus ſilu. Cytiſus.*

*Oxytriphyllon duplex.*

*Perempſana Arabum*

*Enziuar.*

*Lotus fruticoſa.*

Nobilitate & doctrinâ inſignis Medicus *Iac.* Vtenhofius miſit Monſpelio nomine *Trifolii Scribonii.* C. Bauh. phyt. *Trifolium* 46. ſiue rectum Monſpelienſium flore rotundo.

Monſpeſſuli prope aquas. Semen miſſum Florentiâ per D. Ioſephum Caſabonum nomine Trifolii fruticoſi Candiæ, ſatum Montbelgardi in horto Ill. C. W. prouenit: erat ſemen minimum nigrum in parua & tenui ſiliqua: nos reſeruamus in olla Hieme reponenda. Ad ripam (ait Hiſt. Lugd.) Ladi amnis haud procul Monſpelio in ſtagnum marinum defluentis viſitur. In Angliæ vdis.

---

## TRIFOLIVM ALBVM, RECTVM hirſutum valdè.



*Deſcr. Cl. les.*

MVltis hoc Trifolium ex eadem radice ſtolonibus, rectis, cubitalibus, & bicubitalibus fruticat, gracilibus, lignoſis, teretibus, hirſutis, & ramoſis: *folia* canâ lanugine pubeſcunt, terna, quædam ſubrotunda, potiſſimùm priora & parua, cum paruis duabus appendicibus: ſuperiora in obtuſiorem mucronem deſinunt, & ex iis quædam maiora, ad quæ appendices etiam magnæ, ita vt ſint quina folia, ſapore inſigniter citra morſum vllum, aliámve aſcitam qualitatem adſtringente: *flores* extremis ramulis emicant plures iuncti, poſitu patulo: ſingularium forma, quæ Trifolio Aſphaltio, ſed color candidus, ex calyce valde hirſuto & viroſo: iuxta calyces & flores ſoliola longa, breues, craſſiuſculæ ſuperueniunt *ſiliquæ*, coloris ſpadicei, forma ſtercoris magni muris caudati: *ſemen* in iis flaueſcens.

*Folia.* *Sapor.* *Flores.* *Siliquæ.*

*Lotus Lybyca.*

Lotus ſilueſt. quam copioſam in Lybia gigni tradidit Dioſcor. an naſcatur in Italia non auſim [inquit Matth.] affirmare. Equidem herbam quandam ſepiùs vidi ac legi in incultis & pratis naſcentem foliis Trifolio æmulis, bicubitali caule, quàmplurimis adnatis, luteis floribus, è quibus cornicula prodeunt ſemine plena, Fœnugræci, modo, odore non ingrato. Sed an hæc ſit vera Lotus ſilu. nondum compertum. Cæterùm turpi erroris notâ inurendus eſt Matthiolus, vt qui figuram abſque deſcriptione proponit, habet is quidem deſcriptionem, ſed ex Dioſc. repetitam, addito luteo florum colore, quam in poſtr. com. ſimul cum figura demit, & ſubſtituit Lotum ſatiuam pro ſylueſtri. Eius patronus omiſsâ priore figurâ Lotum etiam ſatiuam ſuppoſuit non factâ mentione prioris iconis. Figura igitur, quam olim exhibuit pro Loto Libyca in multis conuenit cum noſtro Trifolio, albo, recto, hirſuto. Alia ſpecies eſt Medicæ, ſiue Trifolii peregrini Dodonęo gall. quam aliqui Glaucem

*Nota Matth.* *C. Bauh.*

[tali s

[talis Geſn.hort.in append.] exiſtimant, alii Anthyllidem, Polygalam alii. Verùm Dodonæi iudicio maiorem videtur habere ſimilitudinem cum Oxytriphyllo, à Scribonio deſcripto. Idem in hiſt.frum.& in fol. Triſolium candidum vocat: quod ſtudioſorum plærique Glaucem, alii Cytiſum faciant, nonnulli Herbarii Oxytriphyllon. At Scribonii Oxytriphyllon à Trifolio bituminoſo non differt. Cytiſus frutex eſt. Cum Glauce autem ſimilitudinis quoque nihil, aut exiguum habet.

Lob.& Penæ Oxytriphyllum alterum Scribonii, & Herbariorum, quorum Icon diſplicet: ſiliquæ enim longiuſculæ, quales ſolent eſſe in Trifolio recto Monſpeliano.

Trifolium autem, de quo hîc agimus, Valer. Dourez *Oxytriphyllon Scribonii Largi* vocabat, vti comperimus eius manu adſcriptum. Miſſum etiam Monſpelio per Nobiliſſ. virum D.Iac. Vtenhouium Medicum, cum hac inſcriptione. *Trifolium candidum Dodonæo.* Inter meas plantas Monſpeſſulanas inuenio me adſcripſiſſe, *Pes leporinus, Glaux quibuſdam.* Dedit plantam ſiccam D.Rentzius, hoc titulo: *Dorycnium Caſabonæ Florentiæ & in horto Bembi.*

Frater attulit nomine Loti ſiliquoſæ collectæ in via Monſpelio verſus Frontignanum, ei in Phytopinace dicitur Trifolium 62. ſiue ſiliquoſum villoſum. Cur autem hoc Trifolium ei dicatur 62. non videmus, potiùs erat dicendum 47.

Lotus ſilu. Matth. appellatur ab Hiſt. Lugd.

An Cæſalp. Glaux, quæ in aſperis naſcitur, præcipuè maritimis?

Geneuæ nobis in horto prouenit. Abundat teſte Lobelio & Pena Monſpelii iuxta Gramontiam ſiluam. D. Agerius attulit ex Italia cum Orobanche adhærente radici.

## TRAGOS DVPLEX CÆSALPINO.

POſt Trifolia, Medicam, Lotum corniculatam, Glaucem, Polygalamque, Cæſalp. Tragum ponit, eamque duplicem tradit, ita ſcribens: Tragos in maritimis naſcitur: ramulis multis ab eadem radice procumbentibus in terram, lignoſis, tenuibus, dodrantalibus: *foliolis* puſillis, nigricantibus: in cacumine *floſculos* candicantes fert: & *fructus* Glauci ſimiles, ſapore vehementer aſtricto. Alterum genus in totum grandius, bicubitali altitudine: foliis Glaucis, latioribus, vtrique ſapor acerbus, tum foliis, tum fructui, qui velut grana Tritici aſſeruata, & in aculeum, infirmum tamen, deſinit. Dioſcorides hoc nomine vnam numerat: inter fruges alteram, quæ & Scorpius vocatur, in maritimis naſcens, puſillus frutex in terram procumbens, oblongus, non magnus, dodrantalis, aut maior: folia autem non habet: in ramis veluti acinos puſillos, ruffos, magnitudine Tritici, acuto cacumine, guſtu multùm adſtringente, numeroſos. Plinius inquit, Herba Tragos, quam aliqui Scorpion vocant, ſemipede alta, fruticoſa, ſine foliis: puſillis racemis, rubentibus: grano Tritici, acuto cacumine, & ipſa in maritimis naſcens: alibi eandem Tragion, & Scorpionem vocat, veprem ſine foliis, racemis rubentibus ad medicinæ vſum. Sed quod ſine foliis traditur, repugnat prædictæ plantæ: At ſuſpicor hanc conditionem adiectam eſſe propter æquiuocationem, cum Scorpio Theophraſti, quam Theodorus Nepam vertit, cui nulla folia, niſi ſpinæ pro foliis habeantur, vt in Aſparago, quod Plinius ſignificauit cum de Tragio [Trago] dixit, veprem eſſe ſine foliis, non enim Tragos ſpina eſt, ſed hoc Nepæ Theophraſti conuenit. Hæc Cæſalpinus, qui quas plantas tradat pro Trago perquirant Lectores. Quam dicit floſculos & fructus ferre ſimiles Glauci, Trifolium album, rectum, hirſutum valdè, iudico, Dodonæo Trifolium candidum dictum, de quo præcedenti capite locuti ſumus. *Cæſalp. taxatur*

Conſiderandum an primus ſit fortè, quod Monſpelienſes Dorycnium vocant. Noſtrum Trifolium rectum Monſpeſſulanum dicerem Tragum ſecundum Cæſalpini, ſi reſponderet fructûs, ſiue ſeminis deſcriptio: planta alioqui multam habet affinitatem cum eius Glauce. Neuter porrò Tragus cum Trago Dioſc. conuenit, & Plinii, qui bene repræſentatur Hiſt.n.lib. 11. per vuam marinam, vbi Tragi æquiuocationes. *An Dorycnium* *Cæſalp. reprch.*

## ABSVS FOLIIS TRIFOLII.

### Cap. XLV.



ESt herba palmi magnitudine, vel aliquantò maior, *foliis* Trifolii, ſed rotundioribus, quaternis ſingulæ alæ appenſis. *Flores* paruos, albos, & *ſemina* Piri ſeminibus proxima ferens, quam Proſpero Alpino de plantis Ægypti, cap. 31. teſte, incolæ ſermone vernaculo *Abſus* vocant. *Flores* *Locus*

## TRIFOLIVM HALICACABVM, SIVE veſicarium.

### Cap. XLVI.

CAules fundit cubito longiores, villoſâ lanugine obductos, in ramos alternatim ortos, diuiſos: *folia* terna, non rarò quaterna, ſena, aut ſeptena, hirſuta, ita certè vt extremum folium longè reliqua magnitudine excedat, Oleæ folio maius: ex alarum ortu prodeunt *pediculi*, quorum cacumini inſident *floſculi* lutei, parui: quibus ſuccedunt inſignis magnitudinis turgidæ *veſicæ*, fuſcæ, lanuginoſæ, *ſemina* claudentes duo, teſte Dod. Arachis ſimilia. *Deſc. Caulis* *Folia* *Floſculi* *Veſica* *Cicer. ſilu.*



Cicer. ſilu. al;

terum, Dodonæo miſſum ab Alphonſo Paucio, Acad.Fetrar. Profeſſore. Sed non placet pro hoc apud Dod. poni iconem Ciceris ſilu. trifolii, ni fortè error Typographi, qui poſuerit alterum pro tertio. *Dod error.*

*Dorycnium* Inuenitur [inquit Anguill.] planta admodum ſimilis Dorycnio: verùm quum neſciam an ſit ſomnifera, non poſſum illud certò ſtatuere.

*Trifol. Halicacabum, seu Veſicarium* Camer. *Trifolium Halicacabum*, ſeu *Veſicarium* vulgò dici ait; aliis verò Cicer. ſilu. quibuſdam etiam, ac ſatis ineptè Dorycnium. Folia plærumque quaterna, vel quina gerere, vt Loto annumerandum videatur.

*Lotus* C. Bauh. phyt. *Trifolium* 55. ſiue *Valicacabum*. Scribit Cluſ. Trifolii quoddam genus, ſatis amplis foliis pro plantæ exiguitate, à magnis & membranaceis veſiculis, quibus ſemen ſuo pericarpio continetur, appellari.

Locus & tempus. Montbelgardi prouenit mihi in horto Ill. Ex. C. VVirt. ex ſemine Francoſurto allato, quod adhuc Octobri floruit, & ſemina protulit.

## VVLNERARIA RVSTICA.

### Cap. XLVII.



*Deſcr. Radix* Radix longa, recta, lignoſa, ſapore leguminoſo: *Caules* *caules* dodrantales, teretes tenues, hirſuti, nonnihil rubentes: *Folia* *folia* pinnata, Galegæ, pinguiuſcula, infernè hirſuta, modicéque caneſcentia, ſupernè ex luteo vireſcentia, *Sapor* ſapore ſubdulci & ſubacri, at quæ in extremis ramis floribus ſubiecta ſunt, lata ſunt, digitata, oblonga, membranea: *Flores* *flores* in ramulorum faſtigio glomerati, luteoli, odore nullo excellente: quorum ſinguli ex veſicula lanugine argenteâ, villoſâ emicant, parui, folio ſupremo reflexo, ſub quo lateralia duo parua, quartum minimum roſtratum ſtamina lutea continentem amplectuntur.

Synon. & Nomina *Anthyllis Glauciola* Dod. dicitur gall. *Anthyllis prior*, *Anthyllis magna*, ἀνθυλλὶς Dioſc. *Anthylion*, *anthyllion & anthicellon* Plinii. Glauciola quorundam, à nomine Glauce, quia Glaucem exiſtimant, quamuis non ſit vera Glaux. *Glaux non vera* Eidem in fol. Anthyllis Lenti ſimilis, ab Auic. *Zahara* vocata: *Zahara Auic.* qui ſic deſcribit: Herba humilis: cauliculi dodrantales: folia Lentis modo, ex pluribus formata, vtraque verò mollia, tenui lanugine incaneſcentia: floſculi in cauliculorum faſtigiis lutei, complures, veluti in vmbella coniuncti, poſt quos ſiliquæ paruæ, in quibus ſemen exiguum, radix tenuis, duriuſcula. *Dod. errore* Hæc ille, cuius icones propoſitæ reſpondent noſtræ vulnerariæ ruſticæ, verùm diſcrepat eius deſcriptio, & multò magis gallica. Nec conuenit ea planta cum Anthyllide Dioſc. quod fa- *Anthyllis Dioſc. nō eſt* cilè animaduertent, quibus nota erit planta, cuius picturam exhibet Dod. Quænam obſecro ſimilitudo cum Lente, qualem in Anthyllide requirit Dioſcorides.

Geſn. de hort. *Vulneraria Conſolida*, aut ſideritis, cognomine *ruſtica*: quidam Germani inquit ſimpliciter wũndkraũt in Bernenſium agro Gachheil nominant.

Lob. Obſ. *Anthyllis leguminoſa Belgarum, Anthyllis prior Dod. Glaux quorundam.* Ic. Pl. Anthyllis leguminoſa Belgarum.

Hiſt. Lugd. *Lotus latifolia Dalech.* cui flores priuſquam aperiantur ſubrubentes, cum recluſi ſunt lutei. Semen paruum in breuibus ſiliquis. Anthyllis quorundam maior. Item alibi Anthyllis prior Dod. Si Rapſodus aliquid peritiei habuiſſet ſtirpium, non poſuiſſet figuras & hiſtorias vnius plantæ in diuerſis locis.

Tab. *Lagopodium flore albo* weiſſer Katzenklee. Et rurſus, Lagopodium flore luteo, Geeler Haſenklee. Sed Compilator Tab. non demonſtrat vbi obſeruauerit flore albo, nec etiam deſcribit vt oportebat.

Cluſ. *Anthyllis leguminoſa flore luteo Lobelii*, cuius genus purpuraſcente flore Ferraria accipere meminit.

Ponæ in Baldo *Glaux Guillandini* & Belgis Anthyllis leguminoſa.

Locus Tempus. Vulnerariam ruſticam, ſiue Panaces Chironium læue denominatum Geſnero, & vulneribus admotum commendatum, vidi Geneuæ, Lugduni, & paſſim in Germania florens menſe Maio: Monſpelii vidi flore purpureo menſe Martio delatam ex montibus circa Gangen. 2 Gener Cherlerus attulit ex montibus ſupra Apenninum in pratenſibus quibuſdam Iunio collectam, flore [vt ait] ſanguineo, vel rubro, & ex Gotthardo 3 flore exquiſitè albo. In aridis quidem [vt refert Hiſt. Lugd.] macris, & ſabuloſis prouenit, & agrorum marginibus, Lob. teſte, Lutetiani agri, Narbonenſis, Germaniæ & Angliæ. Brabantis hortenſis eſt. Dod.

## TRIFOLIVM IN GENERE.

### Cap. XLVIII.

Trifolium, Triaphyllon Græcè, ſiue Triphyllon plura complectitur genera, [aiunt Monachi in Meſ] & ſpecies & differentias.

Multa ſanè [teſte Brunfelſ.] Trifolii ſunt genera, quorum ſeptem in recepto ſunt vſu. Tametſi porrò plura paſſim in pratis ac viridariis Trifolii inueniantur genera, omnibus planè nota, non tamen de his, vt placet Matthiolo, tradidit Dioſc. cap. de Trifolio, ſed de eo tantùm genere, quod à bituminis odore Aſphaltitis dicitur, de quo etiam ſcribit Gal.

Innumerabiles authore Trago Trifoliorum inueniuntur ſpecies. C. Bauhinus verò ſeptuaginta ſibi notas tradit.

Trifolium tandem, tradente Brunfelſio, pratenſe olus eſt, & futuræ tempeſtatis prænuncium. Notum eſt etiam, quando album Trifolium abundè floruerit, ſequenti anno, futuras eſſe aquarum inundationes. Sophocles venenoſum eſſe putat, nam in eo ſerpentem inuenies nunquam. Fracaſt. de cont. Trifolium omne ad contagiones valere ſcribit.

Nos etiam complures plantas Trifolii nomine do-

ne donatas numerauimus, nouimus. Aſt ſanè inter ſe longè diſtantes, ſi vel radices ſolùm, caules, folia, flores, & fructus, ſaporem etiam eorundem & guſtum, locum item & tempus, vires denique, temperamentum, & vſus, trutinâ non vulgari penſicules. Numerauimus autem ſequentes. Fœnugræcum, Fœnugræcum ſilu. Dalechampii. Loti genus edule, ἱεραζύνη Hon. Bello dictum. Trifolium Aphaltites, ſiue Bituminoſum à Dioſc. traditum. Et aliud huic planè ſimile, ſed inodorum, ſiue non fœtidum. Trifolium item Americanum. Pro Trifolio inſuper bituminoſo & Oxyttiphyllo quidam exhibent Lotum ſatiuam nobis exiſtimatam: Trifolium odoratum Fuchſio. Corn. Lonicero. C. Bauh. Trifol. Caballinum Geſ. Balſaminum Cæſalpino. Nouimus & Trifolium 48. C. Bauh. de quo nos ſub Loto ſilu. ex codice Cæſareo. Trifolium odoratum Matth. quod eſt Equinum Dodonæo, Vrſinum Trago, Aureum Geſnero, nobis Trifolium odoratum, ſiue Melilotus vulg. odorata, flore luteo & albo. Trifolio huic præcedenti, ſiue Meliloto vulg. odoratæ affinem folio anguſtiore. Trifolium Italicum ſolliculis rotundis C. Bauhino, quod nos appellamus Melilotum magno ſemine, rotundo, rugoſo. Trifolium Italicum ſiue odoratum Italorum Geſneri, à nobis Trifolium Italicum inſcriptum, ſiue Melilotus Italica corniculis incuruis. Eſt & Triphyllon Securidacæ genus. Adhæc Trifolium pratenſe, cum quo Amatus confundit bituminoſum ſiue Aſphaltites. Et aliud maius purpureum, breuiore & longiore ſpica. Maius purpureum Cluſii, ſiue maius ſecundum. Acre & maculatum, quod an ad præcedentia, vel ſequētia, referri poſſit, nondum nobis certò conſtat. Alpinum Rheticum Aſtragaloides *Montanum aliud, minus, Thalio purpureum,* varians flore rubro, & albo. *Stellatum purpureum Monſpeſſulanum. Anguſtifolium ſpicatum. glomerulis Perſonatiæ Cherleri.* Paruum rectū, flore glomerato cum vnguiculis. Capitulo glomerato, rigido. Pratenſe album, ſiue mas. Maius albo flore incanum Cluſii. Pratenſe, flore albo, minus, & fœmina glabrum. Paruum album Monſpeſſulanum, piloſum cum paucis floribus. Albo incarnatum ſpicatum, ſiue Lagopus maximus. Idem flore albo. Anguſtifolium Hiſpanicum, ſiue Lagopus anguſtifolius, flore dilutè rubente. Trifolium quibuſdam quod vulgò Lagopus dicitur, nobis verò Lagopus trifolius quorundam. Trifolium caule nudo glomerulis glabris & membranaceis, & Lignoſum cum glomerulis. Cum glomerulis ex caulium geniculis. Cum glomerulis tomentoſis ſecundum caules. Folliculaceum, ſiue Veſicarium minus, purpureum. Paruum quoddam, ſiue Lotus pratenſis purpurea, Dalechampii. Pratenſe luteum mas, flore minore, ſemine multo. Saxatile hirſutiſſimum, ſiue argenteum. Pellatum Creticum. Trifolii genus procerum Geſnero eſt Medica vera, à nobis dicta Medica maior, erectior, floribus purpureis. Nouimus & Trifolium, quod cognominatur Medica ſilu. flore luteo, & ruſſo. Trifolium cochleatum marinum, aliis Medicam marinam vocatam. Medicam ſcutellatam, Dodonęi Trifolium cochleatum primum. Trifolium 19. ſiue ſcutellatum C. Bauhino, quę nobis Medica orbiculata. Cochleatum 2. Dodonæi, nobis autem Medica echinata glabra, cum & ſine maculis nigris. Trifolium 20. ſiue cochleatum C. Bauhini, nobis Medica magna turbinata. Echinatum magnum hirſutum, ſiue Medicam echinatam magnam, hirſutam. Cochleatum fructu duro ſpinoſo C. Bauhini, ſiue Medicam noſtram hirſutam echinis rigidioribus. Tortuoſum quibuſdam dictum, ſiue Medicam minorem Geſneri: an noſtram Medicam echinatam hirſutam. Echinatum aruenſe ſecundum C. Bauhini, quod nobis Medica echinata minima. Coronatum, ſiue Medicam coronatam paruam Cherleri. Trifolium ſiliquâ falcatâ C. Bauh. ſiue Medicam noſtram lunatam. Trifolium 29 Trifolio ſiliquâ falcatâ ſimile C. Bauh. ſiue Auriculam muris & leporis Cam. Trifolium halicacabum, ſeu veſicarium. Corniculatum glabrum & minus C. Bauh. vel Lotum corniculatam noſtram glabram, fœminam: & hirſutam, marem. Corniculatum maius & hirſutum C. Bauhini, quod Loti corniculati maior ſpecies à nobis appellatur. Lotum corniculatam ſiliquis ſingularibus, vel binis, tenuibus Cherleri. Siliquoſum luteum C. Bauh. quod Lotum ſiliquoſam luteam Monſpelienſium vocamus. Siliquoſum rubrum eiuſdem dictum à nobis Lotus Siliquoſa flore fuſco tetragonolobus. Trifolium 57. C. Bauh. quod nominamus Loto ſiliquoſæ aliquomodo ſimilem Coronopum ex codice Cæſareo. Trifolium ſiliquis Ornithopodii C. Bauh. de quo agimus titulo, Lotus Ornithopodii ſiliquis. Trifolium argentatum floribus luteis. Trifolium rectum Monſpeſſulanum flore rotundo C. Bauh. hoc nobis Trifolium rectum Monſpeſſulanum. Trifolium aſperum Narbonenſe luteum C. Bauhini. Candidum Dodonæi, quod nos album, rectum, hirſutum valde dicimus. Acetoſum, ſiue acidum flore albo & purpuraſcente, quod Oxys appellatur. Acetoſum flore luteo, à nobis Oxys lutea nuncupatum. Trifolii maioris & fœtidi nomine, ſemen Anonidis non ſpinoſæ, purpureo flore, Cluſio miſſum. Aculeatum Creticum. Hepaticum, ſiue Trinitatis herbam flore cœruleo, multis aureum dictum. Hepaticum flore albo. Hepaticum flore rubro. Hepaticum flore pleno. Trifolium paluſtre. Fragariā certè, ſi Tragum ſequimur, τρίφυλλον dicemus. Porrò Fœnugræcum ſilu. nobis nominatum, Lotum ſilu. iudicamus Dioſc. quam & Trifolium minus nuncupat Tragus. Sed inter Trifolia etiam recenſetur, Melilotus 5. Tragi. Ceruinum aquaticum Geſneri. Adulterinum. Baſthartklee Aretii & Ioſephi Simleri de alpibus. Nūc & Trifolium apud Dioſc. de Maiorana quoque dicitur, quemadmodum & de Medio. De Orchide [albo, calcari longo] & ſtaphide agria Monachis in Meſ. & de Satyrione Fuchſio de comp. med. Tulipa demum quibuſdam, Camer. hor. teſte, Triphyllum Satirium vocitatur. Trifolia tandem arbores & frutices traduntur Hiſt. n. g. tom. 1.

*Echinata magna hirſuta. Medica lunata. Auricula muris & leporis Camer. Lotus corniculata, glabra fæmina & hirſuta mas. Loti corniculatæ maior ſpecies. Lotus ſiliquoſa flore fuſco tetragonolobus. Coronopus ex cod. Cæſ. Lotus Ornithopodii ſiliquis. Trifol. rectū Monſpeſſ. Trifol. album, rectum hirſutum valde. Oxys. Anonis. Fragariæ. Fænugr. ſilu. Tragi. Maiorana. Medium. Orchis albus, calcari longo. Tulipa. Arbores & frutices.*

## FOENVGRÆCVM

### Cap. XLIX.

IN Trifoliorum claſſem cooptandum meritò Fœnugræcum, vel ob *folia* quæ terna, maiuſcula, crenata, modò oblonga, modò latiora quàm longiora, supernè virentia, infernè glauca: tota planta [inquit Cæſal.] ſemicubitum non excedit, eſtque ramoſa. *Flores* ex foliorum ſinu exeunt Lupinorum floribus pares, ſubcandidi: *ſiliqua* palmares & ſeſquipalmares, breuiſſimis pediculis hærent falcatæ, mucrone tenui, longo, inani

*Deſcr. Folia. Flores. Siliqua.*

*Semen* ſemen flaueſcens, odoratum, inæquale, inferiore earum parte continetur ferè quadratum, Cæſalpin. teſte, odore quodam, cùm decoquitur medicato, ſuccumque reddens glutinoſum, ſeminis Lini modo: *radix* lignoſa, ſingularis.

*Nomina Telis* Τῆλις, & inter Dioſc. reiectaneas appellationes τῆλεως καρπὸς [fortè καρφὸς vt Plin.] aliis βούκερως, αἰγόκερως aliis, aliis κεράτης, aliis λωτὸς, Romanis Fœnumgræcum, Ægyptiis autem *Iſatis* ἰσάτις dicitur. Sed maior pars Græcarum appellationum à ſiliquarum eſt ſimilitudine ſumpta: hæ ſiquidem corniculis ſimiles ſunt. Coraitis quidem ſimpliciter à cornu dicitur. κέρας enim cornu ſignificat. Sic Aigoceros à caprino cornu quemadmodum à bubulino Buceros, quod nomen Theoph. huic plantæ indidit. Fœnugræcum porrò, *Silicia. Siliqua. Siliqula* quod Dioſc. Telin vocat, Plinius Siliciam dicit. Columella abſque alio attributo Siliquam, Varro Siliculam.

Cæterùm Loto ſilu. ſemen ſimile Fœnugræco [τήλιδι] Dioſc. adſcribit, ſed multò minus: folia verò circa ramos Loto ſimilia, trifolia, ſed minora, & maius dorſum habentia.

*Epiceras* Scribit Hermol. in Dioſc. Epiceras ab Hipp. vocari, quoniam ſemen habeat ſimile corniculis. *Carpus Carphos Boton* Inuenio (inquit porrò) & Carpum in noſtris, & Græcis Autoribus vocatum. Item Carphon, quaſi floſculum, Dioſc. quoque dixit Boton vocatum: quidam Lobon (ſiliquam legendum,) non *Lotus* Loton credunt, Ego & Lotum dici poſſe video. Plinius Anonim ſimilem Fœnugræco, Dioſc. Loto *Lotus fœnaria* fœnariæ, aut Rutæ faciunt, vt æſtimare liceat, Lotum fœnariam cum Fœnugræco eandem videri, aut perſimilem.

Sed quid de hac re Corn. Quod Plinius inquit, Fœnugræcum Carphos vocari dicit, videtur etiam Dioſc. agnoſcere, ſi κάρφος [feſtuca] & non καρπὸς legatur. Buceras autem & Ægoceras appellationes ſunt Hippocraticæ, velut Galenus in gloſſis teſtatur, & lib. 1. de alim. vbi quomodo in cibum veniat, exponit, Non modò Telin, inquit, ſed etiam Buceras, aliqui verò Ægoceras, nominant hoc ſemen, Noſtri hodie cibum Fœnigræci ignorant, ſed medicum vſum retinent officinæ, maximè Chirurgorum, qui partim Latinâ voce corruptâ appellant, partim ad Græcæ vocis ſimilitudinem Bockshorn nominant. Vulgus tamen Sibengezeit vocat, quomodo alii Lotum ſatinam appellant.

Dodon. Tragus, Lonic. & Cordus, ſingularis præter hactenus recenſita nihil afferunt, quemadmodum etiam Angnillara, cui Fœnugræcum ſatiuũ dicitur: Geſn. & Cæſalp. Eſt ſiquidem hodie adeò notum Trifolium Fœnugræcum, atteſtantibus id Lob. & Penâ Adu. vt qui Lotos norit, neminem latere poſſit, quòd duntaxat differre videtur ſiliquâ, quâ maiore eſt, magiſque adunca, & acutiori ſtylo. Item Obſ. & Ic. Pl. Fœnugræcum.

*Synonyma linguarum* Βούκερως, Theoph. *Epiceras*, Hipp. Τῆλις, κεράτης αἰγόκερως, λωτὸς, & καρπὸς, ſeu καρφὸς, Dioſcoridi. Plinio *Silicia*. Columellæ *Siliqua*, Varroni *Silicula*. *Olba* Arabibus, & *Helba*, & *helbe*, ſeu *hebbe*, & *Aſtulba*. Germanis Bockshorn/ zigenhorn/ Sibengezeit, aut kůhorn. Belgis, Fenigriecк: Anglis, fenegrock. Italis, *Fiengreco*, Gallis, *Fenugrec*, & *Senegre*. Hiſp. *Alfornas* & *alhouas*, Hung. *Fenogrecum*.

*Satio* Silicia, teſte Plinio, ſcarificatione ſeritur, non altiore quatuor digitorum ſulco, quantoque *Locus* peiùs tractatur, tantò prouenit meliùs. Rarum dictu, eſſe aliquid, cui proſit negligentia. Satum Montbelgardi Fœnugræcum in horto E. C. facilè prouenit. Geneuæ, & non longè à Monſpelio, vbi copioſè à multis ſeritur, vidi florens Nouembri, & ex ſemine deciduo virens totâ hyeme ad menſem Ianuarium, quo menſe quoque florebat Lugduni in horto Pharmacopæi Verdau. Florens præterea obſeruaui Aprilis principio, & cum ſiliquis Maio. *Tempus*

Siliquis, vel Fœnugræco, vt refert Benzo, abundat regio Peruana, ita vt vinum etiam inde conficiant, quod bibunt. *Vinum*

Farina Fœnugræci molliendi & diffundendi vim habet. Trita verò cum aqua mulſa cocta impoſita, ad internas & externas facit inflammationes, Cum nitro verò & aceto trita impoſita, ſplenem minuit. Decoctum ad inſeſſus commodum eſt, in mulieribus affectionibus, quæ ex inflammatione, aut præcluſione vteri conſiſtunt. Expreſſus ab ipſo in aqua cocto ſuccus, capillos & furfures, & achoras, manantia capitis vlcera repurgat. Cum anſerino adipe peſſi vice apponitur, molliens ac dilatans locos circa vterum, Viride Fœnugræcum cum aceto, debilibus & exulceratis locis commodum eſt. Decoctum verò ipſius ad egerendum inanes alui contentiones, & ad graueolentes egeſtiones dyſentericas prodeſt. Quod autem fit ex ipſo oleum, id cum Myrto capillos repurgat, & cicatrices in pudendis exterit Dioſc. *Vires ſus* *Inflammationes* *Affectus muliebres* *Caput* *Viride Fœnugræcum* *Decoctum* *Dyſenteria* *Oleum*

Vis eius [inquit Plin.] ſiccare, mollire, diſſoluere. Succus decocti fœminarum malis pluribus ſubuenit, ſiue duritia, ſiue tumor, ſiue contractio ſit vuluæ, fotu & infuſo prodeſt. Furfures in facie extenuat. Spleni addito nitro decoctum & impoſitum medetur. Item ex aceto. Sic & iecinori decoctum. Diocles difficilè parientibus [inſtante partus tempore Dalech.] ſemen eius dedit acetabuli menſurâ, tritum in nouem cyathis ſapæ, vt cùm tertias partes bibiſſent, calidâ lauarentur: & in balneo ſudantibus dimidium ex relicto iterum dedit, mox à balneo reliquum, pro ſummo auxilio. Farinam Fœnigræci cum Hordeo, aut Lini ſemine decoctam aqua mulſa contra vuluæ cruciatus ſubiecit. Item impoſuit imo ventri. Lepras, lentigines, Sulphuris pari portione miſtâ farina curauit, Nitro ante præpræparatâ cute, ſæpiùs die illinens, perungique præcipiens. Theodorus Fœnogræco miſcuit quartam partem purgati Naſturtii acerrimo aceto ad lepras. Damion Fœnigræci ſemen acetabuli dimidia menſura cum ſapæ & aquæ nouem cyathis ad menſes ciendos dedit potu. Nec dubitatur, quin decoctum eius vtiliſſimum ſit vuluis, interaneiſque exulceratis, ſicuti ſemen articulis atque præcordiis. Si verò cum Malua decoquatur, poſtea addito mulſo, potus inde ante cætera vuluis, interaneiſque laudatur. Quippe cùm vapor quoque decocti plurimùm proſit. Alatumque etiam graueolentiam decoctum Fœnigræci ſemen emendat. Farina porrigines capitis, furfureſque cum vino & nitro celeriter tollit. In hydromelite autem decocta addita axungia genitalibus [tumentibus, inflammatis Dalech.] medetur: item pano, parotidi, podagræ, chiragræ: articulis, carnibuſque, quæ recedunt ab oſſibus, aceto verò ſubacta luxatis. Illinitur & lieni, decocta in aceto, & melle tantùm. Carcinomata, ſubacta ex vino, purgat: mox addito melle perſanat. Sumitur & ſorbitio è farina ad pectus exulceratum, longamque tuſſim. Diu decoquitur donec amaritudo deſinat: poſtea mel additur. Eſt ex calefacientibus manifeſtè (Galeno 1. alim. *Vulua* *Partus* *Farina* *Lepra* *Menſes* *Vulua* *Alarum graueolentia* *Articulorum dolores* *Carcinomata* *Tuſſis* *Temp.*

autore

autore) eundem vſum ad cibum exhibens hominibus, quem Lupini: præſumunt enim ipſum ex garo, ventris ſubducendi gratia. Et ad hoc multò magis idoneum eſt, quàm Lupini, vt quod ex propria ſubſtantia nihil habeat, quod difficulter egrediatur. Editur etiam cum aceto & garo, velut Lupini. Et cum vino, & garo, & oleo, plærique Fœnumgræcum edunt, vt Lupinos. Quidam etiam cum pane edunt, & ſatis hoc ipſis obſonii eſt, minùs quidem ventrem ſubducens, ſed neque caput tentans, quemadmodum id quod cum garo editur aliquorum capita tentat: neque ſtomachum ſubuertens: quod in quibuſdam efficere Fœnugræcum ſolet. Succus ipſius cum melle ſumptus, ad omnes prauos humores, qui in inteſtinis habentur, ſubducendos, eſt accommodus: ſuo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans. Quòd autem abſterſoriæ facultatis ſit particeps, inteſtina etiam ad excretionem inſtigat, ſed parciùs ei mel eſt admiſcendum, ne mordacitas exuperet. In diuturnis verò thoracis citra febrem affectibus, pingues cum eo palmulas elixare oportet, vbi autem ſuccum ipſum expreſſum copioſo melli miſcueris, ac rurſum ſuper carbones ad mediocrem craſſitiem coxeris, tum demum longè ante cibum vti. At lib. 8. ſimpl. Fœnumgræcum, inquit, calidum eſt ex ſecundo ordine, ſiccum ex primo. Et propterea feruentes inflammationes exacerbat: minùs autem calidas, & in ſcirrhum induratas diſcutiens curat. Sed hæc Galenus.

Cæterùm ſeminis decoctum maceratis in eo linteolis, & fronti adhibitis, oculorum fluxiones auertit, & non ſolùm capillorum pediculos (Milben) extirpat, ſi caput hoc abluas, ſed etiam efficit vt pulchriores, & longiores euadant. Semen clyſteribus adiicit Tragus, quibus aduerſum tormina ab exulceratione orta vſurpat.

Germina, teſte Proſpero de Pl. Ægypti cap. 41. mox è ſeminibus erumpentia, ex ipſiſque ſtatim proſilientia plebei comedunt, præſertimque mulieres pinguefieri cupientes: per vrbem multas maſſas terræ plenas ſeminum recenter productis germinibus vendendas ii ferunt.

Sciendum porrò vnguentum ex Fœnugræco quod τῆλις eſt, & nō à Telo inſula, nomen habet, à Dioſc. præparari, quod recipit Fœnigræci lib. 5. olei ℔. nouem: Calami ℔. j. Cyperi ℔. ij. quæ ſimul ad dies 7. in oleo macerantur, ita vt ter quotidie commoueantur. Deinde excolantur, & reconduntur. Alii pro Calamo Cardamomum: pro Cypero, Balſami lignum ſimul macerant. Quidam oleum antea his ſpiſſant, & poſtea Fœnumgræcum in ipſo macerantes excolant. *Hactenus Dioſc.* Plinius autem aliter hoc vnguentum, aſt corruptiſſimè, præparari prodidit, qui dicit: Telinum fit ex oleo recenti, Cypero, Calamo, Fœnugræco: conſentiens quidem hactenus cum Dioſcoride: ſed quod addit: Meliloto, melle, & melino, Maro, Amaraco: Corn. ad Telinum pertinere non putat: & quædam exemplaria pro melle & melino, habere mello, nullâ certâ ſignificatione: & melinum recipi in Telinum, ſatis abſurdum eſſe. Hodie bene parari poſſe, ſed non haberi. Cæterùm vim ei tribuit Dioſc. molliendi abſceſſus, & maturandi, ac concoquendi. Maximè autem conuenire ad omnes circa vterum duritias. Infundi etiam ægrè parientibus, quum excretis antea humoribus loci obaridi fuerint redditi: itemque ad ſedis inflammationes. Vtiliter etiam infundi, fruſtra ad egerendum nitentibus. Furfures quoque & achoras detergere. Et ad ambuſta & perniones cum cera. Maculas etiam Solares detergere, & medicamentis ad faciei nitorem inducendum paratis miſceri. Eligendum eſſe recens, & quod Fœnigræci odorem non admodum referat, & manus purget, & in ſapore dulcedinem cum amaritudine repræſentet. Tale enim eſſe optimum.

## FOENVGRÆCVM SILVESTRE Dalechampii.



Minus eſt ſatiuo, *caule* tamen dodrantali interdum: *folia* gerit terna, & inter hæc *flores* per totum caulē: corniculatas *ſiliquas* multò breuiores, ſeſcunciales, recuruo, vacuóque & tenui mucrone donatas, quàm in ſatiuo tamen latiores, *ſemen* quidem continentes minus: *radicem* longam, lignoſam, ſurculoſam. *Deſcriptio. Caulis. Folia. Flores. Siliqua*

An de hac Anguill. ait: Fœnugræcum ſilv. quo in multis locis vtuntur pro Meliloto? Hiſt. Lugd. Fœnugræcum ſilv. Dalechampii.

Gener Cheilerus attulit Monſpelio collectum in via Frontigniana verſus Balleruch, florens Maio & Iunio, Iulio ſiliquas ferens. *Locus & tempus*

## TRIFOLIVM, SIVE LOTVS HIERAZUNE, edulis, ſiliquoſa.

### CAP. L.



Ἱεραζύνη, Trifolii, aut Loti genus eſt edule, ſi non. Bello credimus, in foro enim eius ſiliquæ, antequam dureſcere incipiant, venales reperiuntur, à pueris & fœminis libentiſſimè edūtur, ſuccoſæ ſunt & dulces, Piſi recentis guſtu: multos, tenues *caules* à radice profert, *folia* Trifolii, anguſta, craſſiuſcula, aliquantulùm mucronata, terna ſemper ſibi coniuncta: *flores* luteos Piſi, quibus ſuccedunt *ſiliquæ* rotundæ *Folia. Flores.*

falcatæ, ac pro ratione plantæ, magnæ; inter ſegetes inuenitur, & in marginibus agrorum frequentiſſimè, herbaque omnibus nota eſt. Huius *ſemen* Aſtragalo Monſpelienſium non multùm abſimile Cluſio videbatur, quod cum aliis ab Honorio acceptis terræ commiſerat, ſed non natum erat & illi, & mihi; habebam enim ego à chariſſ. Fratre C. Bauhino, quod ab eodem Honorio nomine *Hierazum ex Creta* acceperat. Continebatur autem in ſiliquis corniculatis, vncialibus, ſemicirculi inſtar incuruis, geminis, cõcauâ parte canaliculatis, pedicello paruo in foliatum exitum, corniculorum extremum capiente, dependentibus, denſo farctu, paruum, leuiter compreſſum, quale ferè Fœnugræci, ſed minus, ſapore dulci. Color tum ſiliquæ, tum ſeminis ex ruffo obſoletus.

*Locus.* *Semen.* *Siliqua* *Sapor ſeminis*

Ἱεραζύν, ſeu *Hieranzum Cretica*, Belli. *Lotus Cretica*, Caſp. Bauh.

## TRIFOLIVM ASPHALTITES
ſiue bituminoſum odoratum, & non odoratum.

*Deſcr.*



IN fruticem excreſcit Trifolium bituminoſum, cubitalem & ſeſquicubitalem, *virgultis* rigidis, incanis, ac etiã nigricantibus, ſtriatis: *folia* terna, per primam adoleſcẽtiam rotunda, mox oblongãtur, in acuminatum mucronem deſinentia, incana itidem & hirſuta, odore bituminis faſtidioſo, tactu glutinoſo · *flores* non planè glomeratim congeſti, ſed oblongiori capitulo diſpoſiti, colore purpureo-violaceo, quorum ſinguli vnum folium latius ſurrigunt, duo lateralia replicant: quorum complexu quartum comprehenditur apiculos luteos continens: ex calycibus oblongis, ſtriatis, villoſis: *ſemen* nigrum, aſperum, hirſutum, in cuſpidem deſinens foliaceum, eiuſdem cum reliqua planta odore, Cæſalp. ſapore medicato: Congener huic, totoque adeò vultu idem iamdiu colo, excepto eo, quòd folia quidem odore omni penitus deſtituta ſunt: flores verò ſuauiter, licet obſcurè, redolent.

*Folia.* *Odor* *Tactus* *Flores.* *Semen* *Huius Trifolii varietas*

Monachi in Meſ. Trifolium Aſphaltitium, ſiue acutum, aut odoratum, præſens Trifolium appellant. Matth. autem Trifolium Aſphaltite, & rurſus lib. 4. c. 109. Lotum Ægyptiam, quam, vt & reliquas Loti ſpecies, Serapio Handachochã indifferenter nominat, & è cuius ſemine Oleum exprimatur, Mauritanis ad articulorum dolores expetitum. Neque enim fieri ex vulgaris Trifolii ſemine, vt quidam aberrantes exiſtimarint, ſed ex omnium Lotorum ſemine, & ex eo tantùm Trifolio, quod Aſphaltites Græci vocant. Idem hiſt. Germ. Trifolium Aſphaltites, hartzklee vocat.

*Trifol. Aſphaltitium acutum odoratum. Trifol. Aſphaltites Lotus Aegyptia. Handachocha. Oleum* *Trifolium Aſphaltites*

Caſt. Dur. Trifolium bituminoſum. Bellon. Obſ. Trifol. cognominatum Menianthes.

Dodonæus Trifolii huius meminit his verbis: τρίφυλλον, & vti Dioſcor. ſcribit ὀξυτρίφυλλον Græci nominant, plærique Μηνυανθὲς: alii Ἀσφάλτιον: nonnulli κνήκιον: Nicander etiam τριπέτηλον: Romani Trifolium acutum, aut odoratum: noſtra ætas Trifolium bituminoſum. Auicennæ Tarifilon eſt, non autem, vt quidam exiſtimant, Handachocha. Sub Handachochæ ſiquidem nominẽ Auicenna Dioſcoridi Lotos dictas comprehendit. Deſcribit Trifolium iſtud etiam Scribonius Largus cap. 163. Mirum hinc quòd olim legebant apud Dioſc. ὀξύφυλλον, nec mentionem faciebant vllam Oxytriphylli Scribonii.

*Trifol. ... Trifol. Menianthes. Oxytriphyllon. Menianthes. Aſphaltion. Cnicion. Tripetelon* *Trifolium bituminoſum T...*

Lonic. deſcribit & depingit, primo anno prouenientem plantam dicens: Lotus, quem Dioſc. deſcribit, ſimpliciterque Lotum nominat, ex aliis præcipuus eſt, diciturque Græcis Triphyllon, Lat. Trifolium, Dioſcor. etiam Aſphaltion [hartzklee] ab odore, & Oxytriphyllon, ac Menyanthes. Hæc ille, qui deſcribendo Dioſc. ſecutus, ait habere folia ſimilia Loto arbori.

*Lotus* *Triphyllon Aſphaltion* *Folia arbori...*

Geſn. de hort. Trifolium quoque ſimpliciter vocari ſcribit, & Aſphaltites [bituminoſum] quod cùm adultum ſit, Oxytriphyllum etiam dici mereatur: quamuis hoc aliqui Veterum [vt Plin.] ſpecie diſtinguant à duabus aliis eiuſdem generis ſpeciebus.

*Trifol. ſimpliciter Oxytriphyllum*

Trifolium Aſphaltion Turn. Angl. vocari tradit Piche trifoly Claſten.

Lob. & Pena Adu. deſcribunt ac dicunt, Aſphalteum ſeu Menianthes Dioſc. Iidem Obſ. Trifolium Aſphalteum ſiue bituminoſum, & Trifolium odoratum Plinii, quod ſynonymum in Ic. Pl. omiſerunt.

*Aſphalteum Menianthes*

Camer. hort. Trifol. bituminoſum. Gal. lib. de Ther. ad Piſon. de hoc Trifolio Aſphaltite, ſiue Hyacinthino. Matth. in epiſt. Galenum negligentiæ arguit in legendo Dioſc. lib. 3. cap. 106. Ex Sophocle tamen & Simo Medico Plinius idem prodidit, & Aboali cap. 697. cum errore floris, id quod Scaliger animaduertens exoter. exerc. 153. diſt. 10. inquit, hoc non caſu, ſed ſapientis cuiuſdam cogitatu productum ad experimentum fuiſſe. Sed Iul. Alexandr. reſpondet, librum illum haudquaquam à Galeno fuiſſe editum, & ob id non eſſe opus aliquo defenſionis genere. At de his inferiùs agemus.

*Gaza... tur* *Gal. ... tur*

Hiſt. Lugd. vnius plantæ duas figuras exhibet: ſub titulo Trifolii Aſphaltitis, vnam quidem rotundis foliis, alteram verò longioribus.

*Hiſt. L... not.*

Tab. communia nomina retinet. Aſphaltium Trifolium, inquit Marantha, quod in Campania inſignem bituminis odorem habet: in Hetruria tranſplantatum, nullum prorſus ſpirat: quod in cauſa fuit, vt ibi pro Aſphaltite non haberetur.

*Tranſplantatum ... lum ... ſpirat*

Textor de peſte vulgò Trifolium fœtidum nominat.

*Trifolium fœtidum*

Trifolium bituminoſum Cæſalp. Dictamnum ab incolis Iluæ propter vires aduerſus venena celebratas nuncupari ſcribit, & à Dioſcoride Enicion, quod nos hactenus apud Dioſc. non legimus.

*Dicta... Enici...*

Caſparus Bauhinus Trifolium Bituminoſum ὀξύφυλλον μηνυανθὲς & ἀσφάλτιον nuncupat: ac apud Matthiolum hæc ſcribit: folia, quæ ante caules prodeunt, rotunda ſunt, vt figuræ Matth. minores oſtendunt, cum verò cauleſcit, & adulta eſt,

acumi-

acuminata redduntur, quare neutiquam binæ figuræ retinendæ, vt fecit Herbarii Lugd. author, alterum rotundis, alterum longioribus foliis nominans, idcircò vnâ figurâ exprimere voluimus. Et rurſus in animad. in Hiſt. Lugd. ait: prior figura priùs prodeuntia folia exprimit, altera verò cùm & rotunda & longa exprimat, ſeruanda erat, reiecta priore. Nos huic animaduerſioni ita reſpondemus: Si Matthioli prior icon falſa erat, poterat reiici, vel retineri, monendo falſam eam eſſe: verùm cùm non ſit falſa, ſed bene exprimat nuper natam plantulam, & iam dudum ſculpta eſſet, cur Typograpus Rouillius nactus perfectiorem & plures partes exprimentem, non curaſſet etiam ſculpendam, & vtramque proponendam? Ea etiam quam exhibet C. Bauh. imperfecta eſt, non enim exprimit prima exeuntia folia, nec poſſet per eius iconem nouam nouella plantula agnoſci, cùm ille voluerit vnâ figurâ, vtraque exprimere folia, eccur non fecit, & ita minùs mancam habuiſſet iconem

In agro Lucenſi, circa Lunam & Carram di Maſſa, & vniuerſam Hetruriam notiſſimum. Hyemis frigora apud nos, infit Camer.) fert. Semen ex Italia allatum, terræque mandatum plantam profert foliorum odore bituminoſo, Italicæ nihil vel parum inferiorem. Semen itidem ſapore Italicum refert. Sin autem, ſemen in Germania educatę plantę rurſus ſeritur, ſtatim ſapore & odore producta planta deficit. Et vel hinc patet veriſſimum illud eſſe, quod Porta prodidit, è variis nimirum terræ qualitatibus in quaſillis varia herbarum genera exoriri, natali ſolo, cœloque familiaria. Sic tophacea terra Aſphaltites Trifolium producit, vnde mons Neapoli imminens tophaceus, à Galeno Trifolinus dictus eſt, ex huius Trifolii copia. Naſcitur, Hippocrates non Cous, ſed Hippiatros apud Dodon. ait, locis fragoſis, vt Ruellii conuerſio habet. In Belgio ac Germania, nuſquam ſuâ ſponte, ſed in hortis tantummodò ſatum prouenit, vbi Iulio & Auguſto demùm menſe floret. In maritimis, Cæſalp. teſte, naſcitur gracili ſolo, copioſum in Ilua. Ego verò florentem obſeruaui menſibus Octobri, Aprili, Maio, & Iunio Monſpelii circa Caſtelneuſ. In horto præceptoris Fuchſii Tubingæ, & Tiguri apud Geſnerum. Patauii virentem Decembri. Baſileæ in horto D.D. Fœl. Plateri, & Theod. Zvvingeri florentem menſe Iunio, & Septembri cum ſemine maturo, ob loci fortaſſis humiditatem: ibi non fert Hyemem, niſi reponatur, nec primo anno caules producit: floret Auguſto. In Creta nihil vulgatius.

Semen & folia, authore Dioſcor. in aqua pota, pleuritidi, vrinæ difficultati, morbo comitiali, in principio aquæ intercutem, his, quę vtero ſtrangulantur, auxiliantur. Ducunt etiam menſes. Exhiberi verò debent ſeminis vnc. iii. foliorum vnc. iiii. Opitulantur etiam commorſis à beſtiis venenatis folia trita: cum aceto mulſo pota. Quidam narrant totum decoctum fruticis & radicis, & foliorum, ſi commorſis à ſerpentibus affundatur, dolores eximere: Verùm ſi ea aqua, quâ quis curatus fuerit, alii, qui vlcus habeat, affundatur, ipſum eadem pati, quæ illi, qui commorſi fuêre. Quidam etiam in tertiana febre, folia, aut ſemina tria cum vino bibenda exhibent: in quartana quatuor, velut quæ circuitus febriles exoluant. Ammiſcetur etiam antidotis Trifolii radix. At Veteres alii, quod Dod. teſtatur, non radicem modò, ſed & ſemen ipſis admiſcuerunt vt ex plurimis compoſitionibus. lib. 2. de Antid. apud Gal. videre eſt: Theriacis, videlicet Ælii Galli, Zenonis Laodicei, Claudii Apollonii, Eudemi, Heraclidis, Dorothæi, & Heræ.

*Serpentium ictus*

Trifolium Plinius ſcit credi præualere contra ſerpentium ictus & ſcorpionum, ex vino aut poſca, ſeminis granis viginti potis: vel foliis & rota herbâ decoctâ: ſerpenteſque nunquam in Trifolio aſpici. *Doſis* *Venena* Præterea celebratis autoribus, contra omnia venena pro antidoto ſufficere 25. grana eius, quod Menyanthes appellatur, tradi. Multa alia præterea in remediis eiùs ſcribi. Sed ipſum contra ſententias eorum grauiſſimi viri autoritas mouet. Sophocles enim Poëta venenatum id dicit. Simus quoque è Medicis, decocti, aut contriti ſuccum, inſuſum corpori, eaſdem vredines facere, quaſi percuſſis à ſerpente tradit. Ergo non aliter vtendum eo cenſuerit, quàm contra venena. *Vſus eius tantùm contra venena* Fortaſſis enim & his venenis inter ſe contraria erit natura, ſicut multis aliis. Item animaduertit ſemen eius, cuius minima ſint folia, vtile eſſe ad cuſtodiendam mulierum cutis gratiam, in facie illitum. *Ita Plinius.* *Plinio ſubſcribit Galenus.* Et hanc ſententiam Simi Medici à Plinio adductam [inquit Corn.] habet etiam Galenus in lib. de Ther. ad Piſon. Trifolium, inquit, herba quæ Hyacintho ſimilis eſt, quum Veris tempore prægnans ſit, & ſemen agreſti Cnico ſimile habet, ſi quis tunc ipſam valdè decoquat: Deinde morſum phalangii, aut etiam viperæ, eâ aquâ perſundat, ſanat ipſum, & ſtatim doloris exortem efficit: Si verò quis in alio non commorſo, ſanum locum eodem fomento perfundat, eundem ſenſum, & eoſdem dolores, omnes commorſo ſimiles inducet, vt hic effectus reuera admiratione dignus ſit, eandem herbam & morſum ſanare, & ſanum locum beſtiarum venenatarum modo malè afficere. *Hæc Galenus.* *Nec diſſentiunt à Dioſcoride* Nec alia eſt Dioſc. ſententia. Non enim de eadem numerò aqua, Dioſcoridis verba accipienda ſunt: nam hæc res nihil miri exhiberet: ſed de ea, quæ eadem ſpecie eſt, quæ contrariam vim in commorſis, quos lædit: non ſine admiratione oſtendit. *Galeni defenſio contra Matth.* Impudenter itaque Galenus damnatur, velut qui Dioſc. ſententiam non intellexerit, ab his, qui ipſi parum intelligentium ſtupiditatem hac parte declarant. Gratiam autem habeo pro Galeni patrocinio aliis, qui librum illum inter ſpurios referre mallent, quàm pati, vt Galenus hic cæcutiuiſſe dicatur. *Matth. reprehen.* Siue autem genuinus, ſiue ſpurius Galeni liber ſit, non propterea à viro docto, qualis Matth. videri ambit, tam friuolè ſtupiditatis, aut ignorantiæ ſtigmate notandus, ſed potiùs fideliter, quod equidem verè ingenioſum virum decet, excuſandus fuit, vt qui non ſimpliciter locum ſanum dixerit, ſed duntaxat à dicto morſu liberum, quod Galenus his verbis innuit: Sanum locum in non commorſo. Nec locus ſimpliciter ſanus medicamentum tale quod requirit.

*Menſes*

Hippocrates [ait Dodon:] Trifolium non ſolùm menſes prouocare, ſed & fœtus cùm ſumptum, tum appoſitum expellere tradit: Mulier, inquit, ſi ex partu non fuerit purgata, Trifolium in vino albo bibendum dato, hoc etiam menſes educit & fœtus. *Fœtus* Et alio loco: Idem etiam (de Trifolio ſcribens) appoſitum menſes erumpere facit, & fœtum eiicit. Cæterùm Trifolio, quod Aſphaltion Galeno dicitur vis calida & ſicca, vti bitumini, vtrimque tertio ordine, proinde potum laterum dolores ab obſtructione iuuat, & vrinam, menſeſque prouocat.

## TRIFOLIVM AMERICANVM.



Deſcriptio. TRifolio bituminoſo ſimile quoddam reperitur, quod Caulis. *caules* fert à radice cõplures, rotundos, ramoſos, in latus declinantes: Folia. *folia* in ſingulis pediculis terna, colore in virore ſubnigra, figurâ rotũdiuſcula, primis & è radicibus exeuntibus bituminoſi Trifolii, formâ, colore, & odore quoque quadantenus ſimilia, latiora tamen & per ambitus magis crenata, Flores. *flores* in ſummo ramulorum exeunt, exigui, ſubcandidi, ſpicatim digeſti, Fructus. *fructus* inde rotundi, aliquantulùm plani, Aphaces (Viciæ latâ ſiliquâ, flore luteo) à nobis (inquit Dod.) deſcriptæ ſemini ferè ſimiles. *Radix* in plures diuiditur.

Cæterùm Trifolii bituminoſi ſpeciem odor grauis, & eius odori haud multùm diſſimilis, Dodonæo oſtendere videtur.

C. Bauh. phyt. *Trifolium ii.* ſiue *Americanum.* Tab. *Trifolium Americum* Indianiſcher Klee. Ita & Lob: Obſ. & Ic. Pl. & Cam. hort. Hiſt Lugd. & Dodonæo *Trifolium ex America in Belgium illatum* eſt, vbi Iulio & Auguſto floret. Cæſalp. Trifolii quoddam genus latifolium ex America allatum, odore ingrato.

Locus. Nos Trifolium Americanum primò vidimus Baſileæ in horto D. D. Fœlic. Plateri. Eius ſemen Stutgardiâ accepimus, ſerendum Montbelgardi in horto Ill. C. Vvirt.

## ARBOR TRIFOLIA INDICA.
### CAP. LI.



Deſcriptio. HAud quicquã curans adminicula, per ſe rectà ſurgit, Caules. *caule*, vel ſi mauis, trunco, quadrato, breuiſſimis pilis hirſuto: Folia. *foliis* ornata quorũ priora exciderant, patre inferiore quoque hirſutis, ternis, anguſtis, Trifolii bituminoſi, ex longo pediculo, ſaporem manifeſtum non animaduerti:

Locus. Sata in horto Ill. Principis, palmâ non multùm altior erat Iunij principio.

## LOTVS SATIVA, ODORATA, annua, flore cæruleo.
### CAP. LII.

Deſcri. PLanta eſt cubitalis, & ſeſquicubitalis, Caulis. *caule* recto, gracili, ſtriato, nonnihil anguloſo, multis alis concauo, inani: Folia. *folia* Meliloti vulgaris, terna iuncta, pinguiuſcula, per ambitũ crenata, longiora quàm latiora, ſapore acriuſculo: Flos. *floribus* verò glomeratis, pallidè cœruleis, Trifolii pratẽſis vulgaris æmulis, minoribus, præcipua ex pertinaci odoris ſuauitate quæſita eſt gratia: quos Capit. echinata excipiunt oblonga capitula, *ſemine* miliaceo fuluo referta: Radix. *radix* gracilis, ſimplex, alba, paucis aucta fibris, rectà ferè demittitur.

Synon. & no. Lotus ſatiua Cordi, Camer. hort. & ad Hiſt. Matth. Lotus odorata, aut ſatiua peritis ſtirpium.

Matth. in com. in Dioſc. cum magnis iconibus tam lat. quàm italicis, & Hiſt. germ. Lotus ſilv. ſiue Lybica, an naſcatur in Italia, non audet affirmare, quòd non meminerit, à ſe ibi eam vſpiam viſam, Verùm in Bohemia copioſam admodum prouenire, floribus in capitulis cœruleis, vocari germ. wilder Steinklee / & Sibengezeit. Et in Epit. ab Arabibus Handachocham nominari. Matth. *Et hæc Matth.* Vbi verò Lotus hæc Matth. ſpontanea, vel ſilv. de qua hoc capite agimus, comperiatur nobis nondum conſtat, nec ſcimus cur non potiùs dicatur ſatiua, quàm vulgaris Officinarum Melilotus, ſiue Trifolium odoratum vulgare. Olim Matth. dicebat ſe ſæpiùs vidiſſe herbam quandam floribus luteis, de qua dubitabat, an Dioſcoridis eſſet. Iconem etiam proponebat: nunc illam plantam reiicit, & ſilentio planè prætерit, quaſi nunquam vidiſſet, vel falſa commentus eſſet: hîc ſilent, ſilent etiam eius gloſſatores & patroni.

Caſtor. ror. Caſtori Lotus ſilu. ſed malè noſtro iudicio. Dod. λωτὸς ἥμερος Dioſc. & nonnullorum τρίπόδιον nuncupatur, Latin. Lotus vrbana, & Lotus ſatiua, quibuſdam Trifolium, nunc & Trifolium odoratum, Gall. *Trefle odoriferant*, Germ. Sibengezeit / Belg. Seuen ghetijde crûyt. Fuchſ. his addit, Officinis ſimpliciter Trifolium dici. Tragus hoc depingit & deſcribit, dicens.

Scribon. Larg. [Oxytriphylli nomine) plantam hanc depingit. Germ. Sibengezeyt appellant, propterea quòd ſingulis diebus ſepties odorem habeat & toties etiam amittat, quamdiu in horto creuerit. Decerpta autem & exſiccata odorem ſuum perpetuò r etinet, qui certè pluuioſa temporis conſtitutione, & tempeſtate imminente multò vehementior eſt, ſic ſanè vt totas ædes odore ſuo compleat, quo nomine tempeſtatum nuncia, German. verò wetterkraût haud iniuriâ dici poſſet.

Nardi Trifol. tum. Sunt porrò qui præter omnem rationem huic noſtro Trifolio peregrino, Nardi nomen tribuant. Aſt Latinè aliter appellari non poteſt, quàm Trifolium acutum & odoratum. Spitziger vnnd wolriechender Klee. quo de Dioſc. lib. 3. cap. 114. Cognominatur à Nicandro in Theriacis Menianthes & Tripetalon, à Dioſcor. verò Cnicion, Aſphaltion Oxytriphyllon. Columellæ denique lib. 6. cap. 16. Trifolium Symonianum.

Quoties

Quoties in Galeno; Plinio, Rhaſe, & Nicolao, Trifolii mentio habetur, toties Trifolium odoratum hoc intelligendum, quemadmodum Manlius rectè docet.

De odorato Latifolio ſctipsêre & Arabes, Serapio cap.9.& Auic.lib.3.cap.343.apud quos hæc illius nomina leguntur: *Handachocha, Lythos, Garch, & Thuff.* Quod ſi ſcripta horum examinauerimus, deprehendemus Trifolium odoratum, domeſticam illis eſſe Handachocham, pratenſe verò ſilueſtrem. *Et hæc Tragus*, cui ſi verum Trifolium bituminoſum cognitum fuiſſet, hanc plantam nunquam exiſtimaſſet Aſphalrion Dioſcor. Plinii, Galeni, & aliorum, vt Scribonii. Lectores igitur admoniti ſint, ne fidant viribus à Trago huic plantæ tributis, quum ſint Triſolii bituminoſi: Oxytriphylli quoque nomen non malè conuenit Triſolio bituminoſo.

Hiſt. Lugd. pag.506. Trifolium odoratum alterum, ſiue ſatiuum. Et pag.508. Lotus ſilu. altera Matthioli. Sed & nimiùm rudis in re botanica, conſarcinator Hiſt. Lugd. ſi vel leuem plantarum cognitionem habuiſſet, non duas vnius Trifolii figuras pro diuerſis exhibuiſſet.

Plinius Loti ſatiuæ foliis, Corn. teſte, aſcripſit, quæ Dioſcor. expreſſo ſucco attribuit. Officinæ Triſolium odoratum vocant, wolriechenden klee, alii ſibengezeit appellant, quòd ſepties in die odorem mittat.

Confusè ſanè Lonic. hæc deſcribit, qui modò Trifolium odoratum, & Lotum ſatiuam: modò Trifolium acutum, Plinii Aſphalrion, Arabum Andachocham, Officinarum ſimpliciter Triſolium cognominat.

Geſn. de hort. quam olim malè Lotum ſilu. eſſe putabat, nunc Lotum ſatiuam, Herbam caſealem Zigerkraut, Stundkraut appellat. Item Trifolium caballinum in Italia pleriſque vulgò vocatum. Alius etiam Triphyllon, Trifolium, & Triſolium minus, Sibengezeyt interpretatur, ſed falsò.

Robert. Conſt. apud Amat. in Dioſc. Cytiſus, Triſolium odoratum eſſe non poteſt [vt vult Amat.] quia Trifolium odoratum Herbariis, vt Lonicero, nihil aliud eſt, quàm Alphaltion Plinii, & trifolium Dioſcoridis, quod ſingulis annis emoritur. Eccur ſtirpium peritus (ſi diis placet) non obſeruauit aliam etiam plantam dici trifolium odoratum, qualis eſt Matthioli & Amati trifolium caballinum, quod multùm à Loniceri trifolio odorato differt, nempe, quod noſtra Lotus ſatiua eſt: malè etiam, vt antè dictum, vocat Alphaltium Plinii, & trifolium Dioſcoridis.

Quàm rectè porrò Anguill. Lotum hunc, in Flandria, & Hiſpania Balſamum dictum, ſilueſtrem vocet, intelliget is, qui titulum huius capitis vel obiter inſpexerit.

Mich. Neand. in Phyſicis, trifolium ὀξυτρίφυλλον, aut Ἀσφάλτιον vocat, aſt confundit trifolia, nec bituminoſum bene olet, quod aſſerit.

Loti alterum genus peregrinum apud nos Italos [inquit Cæſalp.] trifolium balſaminum vocant, ob odoris vehementiam, qui ſpirat è ſemine, flore non in ſpica, ſed in rotundis capitulis cœruleo. Serapio hoc intelligere videtur per Melilotum, inquit enim, Herbam eſſe foliis rotundis, &c. putauit antè à Dioſc. ita vocari colore Croci, odoratum. Lob. & Penæ, Hortorum odora Lotus, eſt verior Dioſc. Germ. Sibengezeitkraut. Belg. Seuengetyden clauer of kruyt. Cùm arbores, frutices, & alia, ſpecie, facie, fructu, & floribus differentes plantæ Loti dicantur, quapiam bonitatis commendatione, potiùs quàm inter ſe conuenientia, videtur hæc nomenclatio huic trifolio attributa, quaſi quòd cæteris trifoliis excelleret, inque paradiſis & latioribus locis oriretur, dictum fotet trifolium λῶτον, ſiue volupe, & voluptas, à verbo λῶ, vt ſit adluſum ad λωτοφάγους Vliſſeos, & Epithetum apud Homerum, qui vocat roſcidum Lotum, Deorum lubeſcentiam. Proinde coniectura plena fert, veram vrbanam illam, verè dici Lotum, quæ domi hodie colitur, decerpiturque. Et Obſ. Hortorum odora Lotus, Perperàm *Trifolium Aſphaltæum* Dioſc. Fuchſio. Lotus ſatiua, ſiue triſolium odorarum alterum Dodon. Lotus ſilu. Anguill. & Marth. An Mel Frugum Theophraſti? Angl. Gardenclauer. Hiſp. *Trebol Real.*

*Volupe. Voluptas.* *Roſcida Lotus.* *Deorum lubeſcentia.* *Trifolium Aſphaltæum non eſt.* *Fuchſ. not.* *An mel frugum?*

C. Bauh. phyt. trifolium 45. ſiue odoratum, vel Lotus hortenſis. Quibuſdam μελι σίτων Theophr. 7. hiſt. 14. Mel frugum Gaza vertit.

Ponæ in Bald. Lotus ſilueſtr: Anguillaræ & Matth.

*Locus. Tempus.*

In hortis tantùm habui, vt Geneuæ ex ſemine deciduo, florentem Maio & Octobri, virentem Ianuario. Sicuti Lugduni quoque Baſileæ, & Monrbelgardi quotannis ſe renouabat. Dodon. authore floret Iunio, Iulio ac Auguſto in hortis cùm in ſuperiore, tum in inferiore Germania, in Italia, Gallia, ac aliis regionibus ſeritur, nec ſpontè prouenit quod Anguillara reſtatur. Et licet in Baldo reperiatur, tamen & ibi primùm ſata fuit.

*Vires & vſus. Oculorum vitia.*

Extractus, ait Dioſc. ſuccus addito melle oculorum argemas, nubeculas, λευκώματα [albugines vocant] & quæ pupillas oculorum obſcurant, expurgat. Vim autem mediocritet concoquendi, & reſiccandi poſſidere Gal. ait, & in caliditatis, frigidatiſque coniugatione mediam quodammodò, ac temperatam eſſe. Quæ certè facultates, id atteſtante Dodonæo, in hoc odorato triſolio conſpicuæ ſunt. Noſtri, pergit Dodon. oleum in quo folia, floréſque odorati huius trifolii macerata, recentia vulnera glutinare tradunt, & ad puerorum entetocælas, bubonocælaſque plurimùm commendant. Interponitur & arida herba veſtimentis, quæ ne à tineis rodantur, defendere putatur. Dodonæus (neſcio inquit Cam.) quibus rationibus adductus, exiſtimat haberi poſſe pro Oxytriphyllo Scribonii, ad venena & morbos peſtilentes commendato. Frequentiſſimè ſeritur apud Heluetios propter quoddam caſei ſecundarii genus, Claronenſem vocant, quod hac potiſſimùm herba condire ſolent. Vide Geſn. de operib. lact. Eius olei vſus eſt ad corroborandos neruos. Et hæc ſua Camer. ex Geſnero deſumpſit, qui malè horti ſui Medici Dodonæum citat, cùm Tragus eadem ſcripſerit, nec vnquam Dod. horum meminerit. Trifolium hoc in vino decoctum, vt vult Matth. Gemelle aut ſaccharo præpatatum; & epotum emollit ac diſſoluit omnis generis apoſtemata, lenitque dolores. Conducit etiam vtero indurato. Cum vino dulci verò, farina ſeminum Lini, ſeu Fœnugræci, capituliſque Papaueris fiunt fomentationes, & cataplaſmata, vteri, inteſtini recti, pudendorum tumoribus calidis aptiſſima. His adiiciunt quidam oui luteum, aut oleum commune. Cum gallis autem & creta incoctum, & illitum manantia capitis vlcera ſanare traditur. Cum vino coctum & ſtomacho applicatum dolores ſedat. Aceto tandem, & oleo roſaceo permixtum, & admotum, mitigat dolorem capitis

*Temperam. Oleum. Vulnera. Dod. reprehenſ. Caſeus. Nerui. Camer. not. Apoſtemata. Tumores pudendorum. Vlcera capitis.*

*Cancer. Fuchſii lapſus.*

Aqua decoctum, & oleo roſaceo ammixtum cancro medetur. Succus florum expreſſus, obſcuratati viſûs ſuccurrit. Calidè in aures inſtillatus, dolores ſiſtit. Perperàm adhæc Fuckſius, Hiſt. Lugd. hoc notante, Trifolii Aſphaltitis vires omnes à Dioſc. aſſignatas, huic Trifolio attribuit. In Belgio, concludit Anguill. & Hiſpania mulieres ex eo oleum parant, quod maculas faciei abſtergit, & vtile eſt matrici & calculoſis.

*Macula faciei*

## TRIFOLIVM ODORATVM SIVE MELIlotus vulgaris flore luteo.



*Folia.* *Floſculi.*

HOminis proceritatem aſſequitur, multis alis rubeſcentibus, Trifolio bituminoſo nõ diſſimilibus: *folia* Trifolii pratenſis, vel potiùs Loti ſatiuæ, crenata: *floſculi* in ſpica digeſti, foliorum numero & ſitu, vt in Geniſtæ floribus, ſed valdè exigui, odore ſuaui, mellito, colore plurimùm luteo, rariùs albo: ſuccreſcunt veluti vaſcula parua, nigra, magnitudinis Lentis, ex breuibus pediculis, continentia *ſemen* luteum, paruum, veluti cornu contortum: *radix* craſſa profunda, plærumque caulibus productis, pereuns.

*Semen. Radix.*

*Melilotus maior.*

Figuram huius Meliloti malè poſuit Brunfelſ. meo quidem iudicio, nomine Fragariæ. Vulgaris & maior Melilotus, autor Tragus, ad Melilotum Dioſcoridis lib.3.cap.41. refert, quam ille Zoodetem, & Orthanon cognominat. Marcellus & Manardus Sertulam campanam vocant, Cato Sertam campanicam, Auerrhoes Alchelilamelech hoc eſt, Coronam regiam appellat. Quibuſdam Trifolium vrſinum, germanicè Berenklee dicitur.

*Trifolium Vrſinum. Genus duplex.*

Cæterùm, huius Meliloti duplex eſt genus: Vnum, quod florem ſpiceum profert lutei coloris, & alterum, flore quidem etiam comans ſpiceo, ſed candidi coloris, quod in Hiſt. germ. Groß gemein Steinklee mit weiſſen blümlin, Melilotum maiorem candido flore nuncupauimus.

*Lotus ſilu.*

Corn. Lotum ſilu. vocat, de qua Plin. vt etiam de Libyco nihil habeat, quamque officinæ ex Meliloti generibus faciant, ac Groß Steinklee & Gülden Steinklee vocent. Et ſanè, inquit, Meliloti appellatio, Lotum refert. Et quia nullam præ ſe fert guſtu adſtrictionem, inter Melilotos Fuchſii quidem iudicio, rectè connumerari non poteſt, ideò Saxifragiam luteã, Steinbrech appellauit, dicens: perperàm eum officinæ nonnullæ pro Meliloto vſurpant.

*Melilotus 3.*

An Monach. in Meſ. diſt 11. cenſ. 328. Trifolium maximè odoratum, quod vulgò Romæ Tribulum (quaſi Trifolium) appellatur, quodque largè mulieribus, & aliis venditur. Ad hanc dubitationem quid Matthiolus? Trifolium, inquit, odoratum, Romani & Hetruſci vulgò vocant *Tribulo*. Hoc equi auidiſſimè in pabulum ſuum ſequuntur: vnde factum eſt, vt quidam Trifolium equinum appellauerint. Florem edit album, atque etiam alicubi luteum. Item in com. cum magnis fig. & in Ital. Lotus vrbana: quam eam Trifolii odoratam plantam eſſe cenſeo, quam antea Cytiſum faciebamus, quamque Romę vulgò *Tribolo* dicunt, & alibi in Italia *Trifoglio cauallino*, ob cauſam dubio procul iamiam dictam. Germani huiuſce flores colligunt ac pro Meliloto paſſim vtuntur, quemadmodum & Bohemi, conſultiùs fortaſſè, quàm Itali. Huius Trifolii odorati neque Dioſcorides, neque Gal. quod ſciam, quicquam meminerunt. Non deſunt, qui id velint eſſe plantam, Theophr. Mel frugum appellatam, quam ipſe recenſet inter Loti genera. Et Hiſt. germ. nominatur Lotus vrbana, ſicut & in Epitome etiam cum addit. Camerarii, & Melilotus falsò dicta. *Hæc ille.* Qui pro Loto quondam vrbana, Lotum corniculatam exhibebat, mutans nunc ſententiam, nec cauſam indicans.

*Tribulo.* *Cytiſus.* *Dioſc. & Gal. ignorata.* *Mel frugum* *Matth. error.*

Ad eundem modum, Senenſem fortè ſecutus Caſt. Dur. Lotum ſatiuam vocat, quod minimè congruit.

Amat. profectò ad aliorum errores obſeruandos mediocriter oculatus, ad ſuos ipſius talpis cæcior: ſic enim clamat. Qui herbam Mauram, Flauram, vel plantam Leonis dictam, Trifolium eſſe putarunt, omninò hallucinati ſunt, quum herba Maura illa dicta, Trifolium odoratum, Dioſcoridis Cytiſus ſit. In dignoſcenda ſiquidem Cytiſo herba multi decepti ſunt, ignorantes, quòd vera Cytiſus ea ſit herba, quam vulgus Trifolium odoratum, Itali Trifolium caballinum nominant. Ex quibus palàm fit Amatum ipſum in dignoſcenda vera Cytiſo, talpis cæciorem eſſe: Trifolium namque hoc odoratum Cytiſus Dioſcoridis non eſt, quod ex lectione hiſtoriæ vtriuſque manifeſtum euadit. Adhæc icon huius plantę apud Amatum eſt li.4. c.112. ſub titulo Loti ſilueſtris.

*Dioſc. lapſus.*

Dodonæus Syluam plenam ſpeciebus huius Meliloti proferr: dicitque vocari à quibuſdam *Trifolium odoratum: Tr. caballinum: Tr. Vrſinum: Melilotum germanicam: Melilotum officinarum: Cytiſum Veterum: Melilotum Auicennæ: Melilotum Veterum: Sertulam campanam, & Coronam regiam.*

*Dodon. ſpecies huius loti*

Malè Lonic. meo iudicio hanc plantam bis pingit lib.5. ac primùm quidem cap.93. nomine Meliloti Dioſcoridis, Herbæ regiæ, ac Meliloti luteæ. Et rurſum c.94. ſub Meliloto alba.

*Lonic.* *Melilo. Dioſc. Herba regia.*

Geſn. de hort. Melilotus vera flore luteo, & albo: vulgi Trifolium aureum.

Lob. & Penæ Adu. Melilotus germanica & gallica. Obſ. Melilotus germanica, quo nomine & in Ic. Pl. Tom.2.p.45. appellatur, Melilotus lutea, & alba Auicennæ, Trifolium odoratum Dodonæi.

Lotus ſilu. Cæſalp. quæ vulgò *Trifuli*, & corrupto vocabulo *Tripuli* vocatur.

*Tripuli.*

Cam. hort. & ad Hiſt. germ. Matth. Trifolium caballinum dicitur, quod Bononienſes loco verę Meliloti vſurpent: & Melilotus vulgaris, quę potiùs Lotus ſit.

Hiſt. Lugd. duas icones vnius plantæ ponit. Primam, p. 507. cui titulus, Lotus ſatiua altera Matthioli. Melilotus officinarum: *Hæc* opinio de Loto nititur duntaxat opinione, non rationibus. Et alteram, p.511. quæ inſcribitur Melilotus vulgaris, ſiue Trifolium odoratum Dodonæi.

*Lotus Hiſt. L. duplex error.*

Thalius *Harc.* Trifolium odoratum 1. Dod. ſeu

Melilotus vulg. flore tam citrino, quàm candido.

Tab.ic.p.507. & Hiſt.p.206. Lotus ſilu. flore albo.weiſſer: oder wilder Steinklee. Item Lotus ſilu.2. præcedenti in omnibus ſimilis, exceptis radicibus magis fibroſis, & ſpinis caulium. Et rurſus Ic. p.510. & Hiſt.p.211. Melilotus vera, Lotus vrbana, Melilotus vrbana, nobilis coronata, Sertula regia. Sertula campana, quibuſdam Melilotus ſaxifraga, & lutea. Arab. *Alabile lemelich*. Ital. *Meliloto*. germ. honigklee/ gemein oder groß Steinklee / Schüchlein & Vnſer leiben frawen ſchcuhlein. Paſſim prouenit, tota Æſtate ferè floret, flore albo & luteo. Compilator Tab. cui tanquam imperito indulgendum, proponit tres icones vnius plantæ, & nomina tum latina, tum germanica inter ſe confundit, nec vllam deſcriptionem exactam exhibet, ac falsò vnam ex ſuis Melilotis dicit ſpinoſam.

Iconem duplicem Theod. Dorſt. habet, ſed Meliloto non conuenientem

Geſn.de coll.ſtirp. Trifolium odoratum, quòd Matth. Cytiſum facit, omnino eſt Lotus. Aſt licèt hæc dicat Geſn. ego tamen hanc pro cytiſo apud Matthiolum non inuenio.

C.Bauh. apud Matt. & in phyt. Trifolium 43. ſiue odoratum, ſeu Melilotus offic. flore luteo, & albo.

In fluuiis, & fluminũ ripis prouenit, Cæſal. Egò obſeruaui monſpelii. Baſileę etiam florentem Octobri inter horræum Xenodochii & propugnaculum. Copioſè quoque menſe Iunio & Iulio ad ripam fluuii Birſeck. Geneuæ paſſim Iunio menſe. Adhæc prope Aſpach, vnde in hortum Ill.E.C. tranſtuli flore, albo: floret Auguſto. Eadem copioſè prouenit inter Sultz & Bollewiller. Geneuæ abundat iuxta *Arue* fluuium.

Romæ mulieres Trifolium hoc diſtillant, pro ſuffumigiis, & aliis variis odoramentorum laſciuiis faciendis, Monachis in Meſ. autoribus. Scit Matth. eius ſucco oculorum nubeculas deleri. Vſurpatur tota planta vnguentariis, quòd odoratam aquam ex ea faciant, in qua chirothecas macerant, aclauant. Vtuntur [inquit Dodon.] hoc vniuerſæ Germaniæ officinæ in omnibus medicamentis, ac compoſitionibus, pro Veterum vera Meliloto. Odorata ſiquidem eſt, & nonnullæ amaritudinis particeps, ac ſimul digerendi facultatem cum nonnulla adſtrictione habet. Hinc igitur emplaſtris & cataplaſmatis digerentibus, acreſoluentibus, nec non concoquentibus, tum & acopis omnibus vtiliter admiſcetur. Ex huius tandem floribus [teſte Cæſalp.] per deſtillationem extrahitur aqua, quæ per ſe quidem nequaquam grata eſt, at aliis odoratis ammixta, valde gratum & perſeuerantem odorem ſpirat.

## MELILOTO VVLGARI NOSTRATI affinis, folio minore & anguſtiore.

Angulosos & prolixos *caules* profert, minores quàm vulgaris Meliloti, diuiſione pari: *folia* itidem tergemina, odorata, ſed non parum tum longiora tum anguſtiora, quàm noſtratis vulgaris, per ambitum crenata: *flores* lutei conſimilites ſpicati, ſed ſinguli minores: pericarpia circularibus lineis rugoſa, ſingula vnicum



ſemen continent. Adeò coactæ breuitatis reperitur interdum, vt palmum non ſuperet, *radice* prolixa, & ſimplici, cuius picturam exhibemus. *Semen.* *Radix.*

Vbi collegerit, aut vnde attulerit Gener Cherlerus p.m. non occurrit.

## MELILOTVS MAGNO SEMINE rotundo, rugoſo.



Duorum cubitorũ altitudinem aſſequitur, *radice* ſimplici, rectâ, lignoſâ, albâ, gracili: *caulis* anguloſus, purpuraſcens, rigidus, læuis, arcto tubulo peruius, plurimis ramis brachiatus: *folia* trigemina, pediculis rubeſcentibus appenduntur, ſupremo margine rotundata, leuiterque crenata, nonnunquam & integra: *floſculi* melini, vulgaris Meliloti, veluti in ſpicam digeſti, ſuaueolentes: pericarpia Piſi magnitudine, rugoſa, *ſemen* modò vnum, modò duo continent.

Camer. inter icones Melilotum hanc depingit, vocatque Italicam. Cui inſcriptioni in horto addit, vocari & Melilotum veram, in Marſis autem incolis hodie *Malatro*, in Romano agro *Coronellam*, ad imitationem Antiquorum, qui Romæ Sertulam campanam nominabant. An Anguill. Illyricorum *Ditelina*? C. Bauh. Trifolium 54. ſiue Italicum, folliculis rotundis, quod Northuſ. à D. Io. Oſtvvaldo Loti veſicariæ nomine habet. *Melilot. Italica. Melilotus vera. Malatro. Coronella. Ditelina. Trifol. Italicum. Lotus veſicaria.*

Sata in horto E C. floret Iulio, ſemina profert matura Auguſto & Septembri, quo menſe apparuerunt plantæ nouellæ ex ſemine deciduo. Semen huius miſit Toſſanus Carolus pro Meliloto Hiſpanica. Locus. Tempus.

## TRIFOLIVM ITALICVM, SIVE Melilotus Italica corniculis incuruis.

*Deſcriptio*



PRæcelſum eſt Trifoliũ, trium, quatuórue cubitorum, & altiùs interdum, alis multis brachiatum, iiſque craſſis ſatis & firmis: *folia* terna ex breuibus pediculis, Meliloti germanicæ haud multùm diſſimilia, oblõga, ſerrata, glabra: è quorum ſinu pediculi exeunt palmares, in cacumine comantibus onuſti *floribus* Meliloti Syriacæ, luteis, odore fragrãti & pertinaci: quos *ſiliquæ* ſequuntur falcatæ, vnciales, compreſſæ, ſtriatæ, gemino verſu alato pendulæ.



Fuchſiana noſtra figura non placet, qualem habet Tragus & Dodon. qui etiam in poſtrema hiſt. eam retinet. Ne ergo lectores exiſtiment, nos velle eos priuare figura Meliloti Syriacæ, & noſtra figura diſpliceat, alterâ icone proponimus ramum ex Lobelio, qui in tabella ſimpliciter cum magis recuruis ſil quis eſt: Siliquam etiam ex noſtra Syriaca ſeparatim, & ramum cum flore eius, quæ prouenit Baſileæ: in Syriaca, quod monuit Lobelius, ſiliqua videtur magis curua, falcatáne. In Italica porrò, quod ait idem Lobelius, eſſe minùs falcatas propter degenerationem, aſſerere adhuc nequimus.

*Melilotus nota Trifol Italicum. Corona regia Corn.not.* Corn. dicit, notam officinis Melilotum herbam & Germanis dici welſcherklee [Italicum Trifoliũ] quibuſdam etiam Coronam regiam. Verùm neſcimus in quibus officinis fuerit Italicum Trifolium in vſu eius tempore.

*Melilot. Italica* Fuchſ. vocat Meliloti tertium genus, & Italicam Melilotum, maioris, vt loquitur, diſcriminis cauſâ, quam optimam & legitimam arbitratur, ſcribens ex Italia in Germaniam delatam, flore luteo, odorato, ſemine in ſil qua lunata.

*Trag.not.* Quamuis autem Tragus iconem eandem habeat cum Fuchſio, nomine Meliloti maioris, cuius alia paſſim ſpecies extet, non tamen videtur de eadem planta ſcribere: ſiquidem Meliloti huius aliam ſpeciem, ne dicam paſſim, ſed hactenus nullibi, extare animaduerti. Quam ob cauſam puto illum intelligere Medicæ ſpeciem per ſuam deſcriptionem, de qua alio loco.

*Trifol. odoratum. Gesn. ſilu.* Geſner. appellat Trifolium odoratum in Italia ſic dictum, & iudicat Lotum ſilueſtrem, & non Melilotum. Dodonæo Gall. olim vera Melilotus, quæ vſurparetur Romæ, & in Italia, ideoque Melilotus Italica vocata ſit, Germ. Italianiſche/ aut Römiſche Melilot, Gall. *vray Melilot*. Alibi tamen aduerſus Fuchſium dicit cum vera Meliloto non per omnia communicare. Fuchſius, inquit is, Melilotum Italicam [welſchen ſteinklee] nuncupat, & cum vera Meliloto conuenire exiſtimat: cum qua tamen non per omnia conuenit. Siliquæ ſunt recuruæ, in quibus ſemina parua, ac forma Geniſtæ: radicibus firmioribus, longis, tenuibus & fibroſis: ô varium & mutabile caput!

*Locus* Melilotus Syriaca, omnium, quas nouerunt Pena & Lob. huius familiæ, optima & elegantiſſima, quæ è Syriaca Alepo ferri cœpta. Patauii ſata, quaſi ſoli ſatini oblita, nonnihil corniculis minùs falcatis, lunatis, & ignauiore odore degenerat. Hanc Obſ. deſcribunt *melilotum Italicam & Patauinam*. *Trifolium corniculatum alterum Dod.* Ic.Pl. Tom.2. pag.43. *melilotum Italicam & Patauinam*. Et præcedenti pag.42. *melilotum Syriacam odoram, melilotum, ſertulam campanam, & coronam regiam*. Miramur nos Lobelium non meminiſſe Meliloti Italicæ, cuius mentionem facit Matth. & alii plures, quæ non primùm anno 1562. ferri cœpit ex Syria, & degenerauit in Italia, vt Lob. ait, ſed longè antè extabat in Gargano monte, teſte Matth. cuius recordatur Fuchſius, anno 1540. Licèt porrò Lob. lib. Ic. Pl. duas proponit icones, non propterea facimus duas diuerſas plantas, quandoquidem ipſemet dicit Italicam & Patauinam ex Syriaca degenerare.

Hiſt. Lugd. *melilotus*, ſiue *Sertula campana* nuncupatur.

*Sertula campana Thal. Trifol. odorat.* Thal. Harc. *Trifolium corniculatum alterum Dod. meliloti maioris tertia ſpecies Tragi*. Figura quidem Tragi, non deſcriptio autem, Meliloto Italicæ correſpondere videtur, quod Thalius non animaduertit.

*C. Bau. not.* Caſp. Bauh. phyt. *Trifolium* 44. ſiue odoratum corniculis reflexis. *melilotus* ſiue *Sertula campana Matth.* ic. p. 440. *melilotus Syriaca odora* Lob. part. 2. p. 42. Item *Trifolium* 52. ſiue corniculatum 2. *melilotus maior Tragi. melilotus Italica & Patauina*. Non ſeiungendum erat C. Bauhino Trifolium 52. ſed dicendum potiùs 45. vel 44. Nam & Matthiolus de Italica differens, non ſeparat à Meliloto Tragi, quod iconem attinet.

Is autem in Dioſc. vocat *melilotum legitimam*, μελίλωτον, *Sertulam campanam*, Arabum *Alchilelmelich*, Hiſp. *Coronam de Rei*, vbi figura deeſt, quam ponit in com. cum mag. fig. & Hiſt. Germ. welſch ſteinklee: Boh. Romauice. cognominat. *Melilot. legitim. Matth.* In Epit. verò cum Cam. gloſſis ſigerkraut appellat, quod nomen non placet, cùm alterius plantæ ſit.

*Locus* Vidi Monſpelii & Baſileæ in horto D. D. Iacobi Zvvingeri. Portione nomine Meliloti veræ ex Syria Val. Dourez, pulchrâ & integrâ mo donauit Frater. Probatiſſima [quod Matthiolo nemo negarit] legitimaque Melilotus non modò in Campaniæ pluribus locis, ſed etiam Gargano Apuleiæ monte prouenit. Cuius ſemen in tenuibus corniculis incluſum nuper Venetia afferri cœpit. Teſtantur hoc Adu. quæ dicunt: E

Syria-

Syriaco Alepo ferri cœpta fuit, & coli ſuperioribus, nec antea, annis 1562. & tertio, cuius etiam culei refetti Venetiis, in Martinelli ad Angelum officina, proſtant: exilior, odore Meliloti Germanicæ, vel Gallicæ, ſed multò fragrantiore, ac in decenniũ perdurãte. Sata Patauii, degenerat.

## SECVRIDACÆ GENVS TRIPHYLLON. Cap. LIII.



PEdales habet, graciles, ſed robuſtos *caules*, *foliis* donatos ternis ſimul iunctis, per extrema latioribus, crenatis, quibus, veluti ad caulium articulos, mediocribus interuallis diſtantes, *ſiliquæ* falcatæ verticillatim apponuntur, Meliloti Italicæ ſiliquis pares, denæ, aut duodenæ, caulem coronantes, ſemunciâ longiores, graciles, ſtriatæ. Dalechampio dicebatur Securidacæ genus.

Deſcribit hoc & depingit Hiſt. Lugd. titulo Hedyſari minimi, cuius radix tenuis, breuis, candida, flos luteus, circa caulem copioſus: ſemen ruffum, bipenni ſimile.

An Dodon. Hiſt. frum. & Lat. in fol. Fœnumgræcum ſilu. alterum, recentiori ætati Fœnugræco legitimo ſimilius, flores perpuſilli, ſiliquæ teretes, tenues, paruulæ, oblongæ, tres, quatuorve ſimul, in quibus ſemen exiguum.

An Lob. Obſ. p. 502. Et Ic. Pl. Tom. 2. p. 45. Fœnumgræcum ſilu. Herbariorum?

In agro Monſpelienſi & nemore Gramuntio, creſcit, Hiſt. Lugd. In Hiſpania plæriſque incultis locis ſpontè exire Dod. accepit. Hortis hic in Belgio [ait Lob.] duntaxat quibuſdam reperitur, ex Hiſpania delato ſemine.

## LOTVS SYLV. EX CODICE Cæſareo. Cap. LIIII.



DEpingitur *caule* recto, *foliis* Trifolii, & è ſinu horum, pediculis *flores*, deinde *ſiliquas*, proferentibus, quæ tenues ſunt, & quàm Fœnugræci minores; vt imago oſtendit.

Huiuſcemodi autem ſilueſtris Lotus hactenus incognita latet, & non niſi in vetuſto Bibliothecæ Cæſareæ codice reperitur, annotante Dodonæo.

Hiſt. Lugd. *Lotus ſilu.* ex codice Cæſareo, ſicut & C. Bauhino, cui *Trifolium* 48. quoque dicitur. *Trifolium*

## TRIFOLIVM PRATENSE, ET LOTVS pratenſis Veteribus, & in genere.

LIcet de vulgatiſſima Loto, Trifolio pratenſi, Veteres particulatim nihil prodiderint, nec Dioſcorides de hoc caput proprium conſcripſerit, nihilo tamen minus hanc non penitùs ſicco pede tranſiit, ſed de hac l. 4. c. 107. egiſſe videtur, cùm ait, ſilueſtris Lotus quam Trifolium minus appellant plurimùm in Libya gignitur, caule bicubitali & ſæpe maiore: alis multis: foliis Trifolii pratenſis, &c.

*Trifolium commune*

Oxytriphyllon (inquit Scrib. Larg.) foliis, & ſpecie, & numero ſimilis communi Trifolio, niſi quòd huius pleniora ſunt, & frutex eius duorum pedum interdum, aut etiam amplior conſpicitur, & odorem grauem emittit, quorum nihil circa pratenſe Trifolium inuenitur.

*Trifolium pratenſe Cornar. differentia*

Noſtri (inquit Corn.) Herbarii Trifolium Klee vocant, & tria eius genera agnoſcunt, quæ florum colore diſcriminant, purpureumque, ac album, & luteum appellant, quæ pratenſia ſunt.

*Tragi differentia*

Aliter ſanè de Trifolio pratenſi Tragus ſcribit, dicens: Hoc inter omnia Trifoliorum genera, quæ ſanè multa ſunt, non ſolùm formâ, ſed & vſu notiſſimum vulgò habetur. Eius duo exiſtunt genera, colore duntaxat florum, & magnitudine differentia: hoc enim album, illud purpureum fert florem, hoc maius, illud exiguum cenſetur.

*Fuchſii differentia*

Sed Trago contrariatur Fuchſius, dicendo, Tria apud nos paſſim in pratis prouenientia trifolii inueniuntur faſtigia: quorum primum à floribus purpureis, Trifolium pratenſe purpureum. Germ. Braũn wyſenklee, Gall. *Treffle purpuree.* Alterum itidem à floribus ſuis candidis, Trifolium pratenſe candidum, Germ. weyß wyſenklee, Gall. *Treffle blanc*, Et tertium luteum, Germ. Geel wyſenklee, Gal. *Treffle iaune* appellauimus. Quod ad folia ipſa attinet, non admodum differunt: quoduis enim horum generum tribus conſtat foliis, quæ in primo ſunt latiora & herbacea, in ſecundo autem longiora & anguſtiora, magiſque palleſcentia, candicantiave, in tertio ſunt minora & rotunda, atque ad Fœnugræci folia accedentia. Sunt qui hoc genus Lagopum eſſe putant. *Folia* *Lagopus*

*Matth. differentia*

Cæterùm [ait Matth.] Trifolium pratenſe in Italia trium eſt generum, foliorum & florum diuerſitate differentium. Primum foliis exit ſubrotundis, & amplis: maculoſis, longo pediculo nitentibus, obſequioſo, flexilique: floribus in capitulis ſubpurpureis, aut albicantibus, in cauliculorum ſummitatibus emicantibus. Naſcitur in pratis & herboſo ſolo. Secundum cauliculis aſſurgit lentis, obſequioſiſque, foliis in vnoquoque pediculo ternis, variâ tamen facie perinde ac bituminoſum: namque quædam, quæ ad radicem ſunt, Acetoſi Trifolii modo, quod Oxys vocatur, trina ex vnico pediculo emergunt, ac cordis faciem quadantenus imitantur, cætera verò longa ſunt, & in cacumine acuminata, vt in Aſphaltite: flores in capitulis ſunt illi purpurei in flocci modum. Prouenit ſpontè in pratis, & viridariis, & herboſis locis. Tertium, vt primum, circinatis, ſed breuioribus foliis. Diſtant & florum colore, quòd in vno flores albicent, in alte-

ro rubeſcant, in tertio lutei ſpectentur. Pratenſe Trifolium tempeſtates prænuntiat. nam [vt Plin. eſt autor] inhorteſcit, & folia contra tempeſtatem ſurrigit.

*Adu. error.* Aduerſatia Trifolii pratenſis ttiplicem varietatem perhibent, aſt diuerſos colores non oſtendunt.

Cæſalp. porrò Trifolium pratenſe vocat, quod in fœnalibus campis, & inter ſegetes ad pabulum iumentorum ſecatur, infirmis caulibus, aut ſtratis in terram, aut procumbentibus: cuius multæ differentiæ, magnitudinis, & paruitatis, tum foliorum, tum caulium, tum fructûs.

*Turn. differentiæ* Turn. duplex genus tantùm agnouit, dicens: Eſt Trifolium quoddam vulgare in pratis naſcens, flore vel albo vel purpureo.

*Eucharis errores* Indiſtinctè Euchar. de Trifolio Klee, Triphyllo fleiſchblům, Triblat/ heymſchenklee / & wildenklee ſcribit, non demonſtrans quodnam intelligat, vires etiam confundit, ac pro Trifolio poſita icon, Oxios, ſiue Trifolii acidi.

Trifolii in pratis naſcentis, inquit Amatus, tria genera paſſim videntur, alterum foliis rotundis, & magnis: alterum verò acutis: tertium foliis quoque rotundis, ſed minoribus, quæ omnia floribus lacteis, quandoque rubris, nonnunquam verò purpura ornantur. Harch. itidem Trifolium pratenſe à colore triplici triplex numerat, candidum, purpureum, & luteum.

Nomina linguarum. Græci [illegible], & non rarò [illegible] nominant: Latinis *Trifolium pratenſe* dicitur: Ger. dreyblat Klee// wiſenklee | & fleiſch blůmer, Belg. Claueyrn. Angl. herbe trefolie. Gall. *Treſſle*, *Triolet*, & vetere eiuſdem Gentis lingua, *Viſumarus*, vt tradit Marcell. Scriptor antiquus. Ital. *Trifolio*. Hiſp. *Treuol*. Hung. Lo here.

Locus & tempus. Naſcitur in pratis, vnde etiam nomen nactum, ac paluſtribus locis, præſertim iis, qui ſubinde, fluuiali aqua rigantur. Floret Maio & Iunio, ac reliquæ deinde æſtatis maxima ſæpenumerò parte.

Vires & vſus. Haud dubiè mediocriter concoquendi & exſiccandi vim poſſidet, vt non temerè quidam ex Recentioribus Herbariis tradant Trifolia pratenſia *Album muliebre profluuium* albo muliebri profluuio mirificè conferre. Eadem etiam inflammationibus impoſita, eas concoquunt, & ad maturitatem perducunt, Fuchſius. *Pecori ſaginando vtile* Trifolio pratenſi nihil vtilius pecori veterinariæve ſaginandæ. Id etiam inter palati irritamenta recenſent Lobel. & Pena. *Temperã.* Refrigerat, exſiccat cum partium tenuitate: inflammationes cataplaſmate, ventris torſiones, cœliacoſq; dolores iniectione mulcet, ac exſiccandi & mediocri concoquendi vi menſtruis albis mederi proditur, Lobelius. Aſt conſiderandum an vires à Fuchſio & Lobelio attributæ Trifoliis vulgaribus conueniant, ſaltem non conueniunt purpuraſcenti, ſiue rubenti maculato: folia enim guſtu acria, vt paulò pòſt dicemus. *Semen & flores. Inteſtina* Semen & flores ex aqua mulſa, aut vino decocti & ebibiti, vel clyſtere iniecti, inteſtinorum torſiones ac dolores ſedant, & viſcidos, lentóſque adhærentes inteſtinis humores educunt. Ex aquâ verò decocti, & ex oleo admoti, duros emolliunt *Abſceſſus Inflammatio* abſceſſus. Ex ipſa verò herba, cataplaſma vtiliter inflammationibus imponitur. Volunt nonnulli Trifolium flore purpureum comeſtum aut ebibitum, menſes prohibere. Album verò prouocare. Paſcuntur herbam cùm boues & iumenta, tum vtiliſſimè vituli, & agnelli. Flores apibus grati ſunt, de his enim vt de Thymo mellificant, Matthiolus. Sunt qui Trifolii pratenſis ſuccum, miris laudibus efferant ad oculorum nubeculas, albis quidem maculis in foliis notati, ad albas, nigris autem ad nigras, Hort. Luſ. *Oculorum nubecula. Succus. Vulnera* Succus in vniuerſum ad cicatrices & vulnera commendatur. Eaſdem penè obtinet facultates, quas Fœnumgræcum, ſed non perinde vſitatum.

## TRIFOLIA MACVLATA ET ACRIA.

### Cap. LV.

QVandoquidem adhuc minùs nobis conſtat, quomodo Trifolium maculatum, & acre, à vulgari & ſequentibus ſit diſtinguendum, ideò caput particulare hoc eis tribuimus, donec diſcrimen meliùs innoteſcat. *Trifol. Hæmorrhoid.* Ex maculatis igitur, quæ ad certam claſſem referre ambigimus, primùm ſeſe offert Hæmorrhoidum, de quo Geſn. horti, quod circa Lugdunum videtur, ſpecies alia Trifolii pratenſis, maculis nigris. *Trifolium acre* Poſt hoc eſt & *altera ſpecies maior*, in collibus & aruis Tiguri frequens, acri guſtu, vt abſceſſu tertio calida videri poſſit. Sed quod ſit Geſneri Trifolium acre, mihi non adeò compertum eſt. Frater etiam quod intelligat, me latet. Refert ad Cluſianum poſt dicendum. *Trifol. guttatis maculis* Trifolium, vt diuinantur Aduerſaria, pratenſe purpureum & album prata alunt, ſæpiùs guttatis & falcatis ſuperficie foliorum maculis. *Trifolium maculatum* Meminit & Cæſalp. Trifolii maculati, albo flore, à dicendis alieni, de quo forſitan agimus titulo, de Trifolio albo, glabro, minore, fœmina.

*Vſus* Trifolium guttatis maculis (inquit Lob. Obſ.) Euphraſiæ ritu ocularibus decoctis & collyriis noſtra ætas feliciter commiſcet.

## TRIFOLIVM PVRPVREVM VVLGARE.

### Cap. ⁄ LVI.



*Deſcrip.* ECcui ignotum prato vulgare iſtud Trifolium, cui ex *radice* *Radix* craſſiuſcula, adultiori ferè, digitali, fibrata, viticulæ tenues, ſtriatæ, partim humi repunt, partim ſurriguntur, ſubhirſutæ: ſed de *Folia* trium *foliorum*, nunc rotundorum, aliàs oblongorum, interdum ſpicurlatis lineis albis notatorum, nonnunquam obliquis candicantibus ſtriis virgatorum, numero, ſituque notius: *Flores* *Flores* autem glomerati modò rubent, modò albent, odore non inſuaui, guſtanti ſiccitatem offerentes: anno 1607. menſe Iunio obſeruaui Trifolium vulgare purpuraſcens in area paſſim arcis Montbelgard. in horto & extra vrbem habere maculata folia: maculas autem eſſe albicantes, ſemicirculares, ad cordis

cordis formam nonnihil accedentes, & folia aliquamdiu maſticata acria eſſe.

Brunfelſ. Herb. germ. Trifolium primum, Gemein Klee / Dryblat & Fleiſchblum à colore rubente inſtar carnis ad ſumum exſiccatæ. Et Tom.3. Trifolium maius vbi perperam pro Trifolio purpureo vulgari, appoſita icon Melampyri.

*Trifolium pratenſe* Fuchſio & Trago. *Trifolium* ſimpliciter *pratenſe* Lobelio & Tab. quibus addit Thalius *vulgare*, & *alterum flore rubro*. *Flore purpuraſcente* Lonic. dicitur. *Capitulis florum purpureis* Geſnero. *Purpureum*, Lobel. & Penæ Adv. Cæſalp. Camer. Hort. Luſ. C.Bauh. cui & *Trifolium*,1.in phyt.nominatur.

Paſſim in pratis prouenit.

Vide paulò antè vires, titulo: Trifolium pratenſe, & Lotus pratenſis, Veteribus, & in genere.

## TRIFOLIVM PVRPVREVM maius, folio & ſpicâ longiore & breuiore.



AD cubitũ & ſeſquicubitum excreſcit, *caulibus* craſſiuſculis, valentulis, variè diuaricatis: in *foliis* ſubinde ludit, interdum ſemunciam vix excedunt, ſubrotunda, frequentiùs oblõga, acuminata, trium vnciarum ſemunciali latitudine, concinnè per ambitũ crenata, admodum venoſa, criſpa, trigemina, pediculo nixa in vaginam valdè laxã pinnatam, trium vnciarum, aut longiorem caulem complectentem, deſinente, *flores* rubentes in ſpicam palmarem & maiorem, ſatis craſſam diſpoſiti, ex calycibus in pinnas longas, tomentoſas, diſſectis.

Tragus vocando Cytiſum inſigniter labitur. An Hort. Luſ. Trifolium montanũ purpureum? Cluſius in Pannon. deſcribit & Iconem exhibet cum ſpica breui. In poſt. verò hiſt. cum ſpica longa. Deſcribit & depingit Lonicerus ex Trago, quem citat, & Cytiſum ſilv. Columellæ facit, à Dioſcor. diuerſum: quamuis ipſe non norit. Lobel. Obſ. Lagopus altera, an Cytiſus Tragi, & Trifolium magnum Cordi. Dodon. Lagopus maior alter. C.Bauh. phyt. *Trifolium* 32. ſiue *ſpicatum folio pinnato*. *Cytiſus Columellæ Lagopus Lob.*

Obſeruatum à nobis florens Iunio prope *Champé* Geneuæ, & Baſileæ in horto D.D. Fœlicis Plateri. Inuenitur, autore Cluſio, non modò in Hamburgenſi Pannoniæ monte, & ibi vicino Prellenberg, ſed aliis etiam Pannoniæ, & Auſtriæ, Stiriæque montibus, alpeſtribuſque pratis & ſiluis. Floret menſe Maio & Iunio. Locus & Tempus

## TRIFOLIVM MAIVS CLVSII ſecundum, non album, ſed rubrum.

TRifolio maiori albo non valdè diſſimile eſt alterum genus, vel amplitudine, vel forma *folia* tamen paullò anguſtiora, & craſſior *floſculorum*, qui confeſtim naſcuntur, ſpica, eaque ſummo caulis faſtigio inhærens, ſine vllo petioli veſtigio, & quaſi inter folia latens, cui plerumque adnaſcitur alia breuior, rariſſimè tertia: floſculi verò differunt colore, qui non albus eſt, ſed ruber, & odore, cuius ſunt expertes: *radix*, prioris radici ferè par. Deſcriptio. Folia. Floſculi.

Cluſ. in Pann. & in ſol. *Trifolium maius* 2. ſiue *maius purpureo flore*. C. Bauh. *Trifolium* 8. ſeu *montanum purpureum maius*. *Trifolii altera ſpecies & maior in collibus*, Geſn. hort. Et, *maius ſecundum Cluſii*, ſine icone: variat, folio acuto non crenato, & obtuſo crenato.

In Hamburgenſi monte & aliis Pannoniæ & Auſtriæ montibus, Alpeſtribuſque pratis, præſertim ſiccioribus Viennę vicinis, tum pariter in Morauiæ & Bohemiæ ſiluis copioſè inuenitur. Locus.

## TRIFOLIVM MAIVS TERTIVM purpureum Cluſio.

MAiore multò excreſcit altitudine, quæ plerunque cubitalis eſt: *caules* etiam habes craſſiores, nodoſos: *folia* ex ſingulis geniculis alternatim prodeuntia, longa, ſtriataque, dorſo magis eminente & elato, laxâ quadam veluti vaginâ in binas appendices deſinente, caulem amplectentia, deinde terna numero ex eodem petiolo naſcentia, ſuperioribus duplò longiora, illis tamen non minùs dura, & per oras denticulata, guſtu non nihil adſtringente: huic ſpica oblongior, & maior, elegãtiſſima rubrorum floſculorum è caliculis hiſpidis emergentium ſerie compoſita: *radicem* habet ſuperiorum radici ſimilem, viuacem & ſingulis annis plures caules proferentem. Deſcriptio.

Cluſ. Pannon. *Trifolium maius* 3. ſeu *maximum flore purpureo*. Tragus Groſſen geyßklee / & *Cytiſum* appellauit. Lobelius *alterum Lagopum* nuncupaſſe videtur. Hic is, qui in rariorum Hiſt. poſt. non ampliùs Tragi Cytiſum facit, nec mutati conſilii rationem aſſignat.

## TRIFOLIVM MONTANVM minus Thalio, purpureum.

BReuioribus conſtat *cauliculis*, & *foliis* acutè mucronatis, & *capitulis* etiam, eſtque *flore* quandoque purpureo, quandoque candido, Deſcriptio.

*Trifolium montanum minus*

Thal. *Trifolium aliud montanum*, etiam ſatis vulgare, foliis oblongioribus, acutè mucronatis, minus. C. Bauh. phyt. *Trifolium nonum, ſeu purpureum minus*: variat flore albo, & rubro.

---

## TRIFOLIVM ALPINVM RHETICVM Aſtragaloides.

Deſcriptio



NOn ita obuium alibi, quàm ſummis montium iugis hoc Trifolium, cui *radix* craſſa, longa, in plura capita aliquando diuiſa, terram verſus comoſa, ſubſtantià albà, dulci: ex qua *pediculi* germinant lõgiuſculi, imâ parte vaginam imitati, *folia* tria, oblonga, vncialia, aut ſextantalia, anguſta, acuminata, glabra, obliquis venulis intertexta: inter hæc ſurgunt *coliculi* nudi, enodes, vix foliorum cacumen attingentes, quorum faſtigio inſident glomerati *flores*, magni, rari, purpurei, *ſemen* Craccæ minoris, compreſſum in *ſiliquis* ſemuncialibus, foliaceâ vaginâ textis.

*Flos. Semen*

*Trifol. alpinum*

C.Bauh.phyt.*Trifolium* 42. ſiue *alpinum minimum flore luteo*. Io.Ponæ in Baldo, *Trifolium anguſtifolium alpinum, radice ſapore ſubamaro*. Planta admodum rara & perennis, florum colore purpureo, admodum venuſto.

Locus & tempus

In Rhetia in monte propè Burmium inueni, florens menſe Iunio.

## TRIFOLIVM STELLATVM PVRPVreum Monſpeſſ.

Deſcriptio



BIpalmares, non planè ſurrectos, quoſdam etiam in terram prociduos fũdit ex gracili lignosâ *radice caules*, totos densâ lanugine obſitos. *folia* terna lõgis nixa pediculis, cordata, tantillùm per oras ſuperiores crenata, penitùs hirſuta: *florum* glomeres diuulſi, coloris purpurei, perquàm villoſis conſtant calycibus, quorum pinnę diductæ radiatam ſtellam repræſentant. Multa habet communia cum Trifolio ex albo incarnato, cui folia non cordata.

*Caulis Radix.*

*Folia*

*Flos*

*Trifol. ſtella[tum]*

C.Bauh.phyt.*Trifolium* 35. ſiue *ſtellatum, quod multùm ſimilitudinis habet cum Lagopo maximo Lobelii, at diuerſum eſt*.

Locus [&] temp[us]

Prouenit Monſpelii circa paruulum, vbi florens legimus menſe Aprili. Montbelgardi in horto E.C. ex ſemine deciduo pullulaſcit.

## TRIFOLIVM ANGVSTIFOLIVM ſpicatum.

Deſc[riptio]



COmmune quid habet cum Cytiſo Tragi: *radix* vnica, tenuis, longiuſcula, lignoſa: *caules* ex ea plures, ſatis firmi, palmares, aut pedales, ſimplices, in quibus *folia* terna, graminea, hirſuta, pediculo nixa vnciali, caulem longâ, ſtriatâ vaginâ obuoluente: *ſpica* duarum circiter vnciarum longitudine, aut maior, ex *floribus* purpureis congeſta, in calycibus lanuginoſis, pinnas quinque protendentibus.

*Gram[en ſiue] Al[opecu]ros m[inor]. Trifo[lium ſpi]catum [an]guſtif[olium]. Lagop[us] Alope[curos]*

C.Bauh.phyt.*Gramen* 121. ſiue *Alopecuros minor*. Item *Trifolium* 39. ſiue *ſpicatum anguſtifolium*. Lob.& Penæ *Lagopus altera anguſtifolia*. Hiſt. Lugd.p.432. *Alopecuros graminea Dalech*. Et p. 442. *Lagopus altera anguſtifolia*.

Locu[s] Temp[us]

Abundans inueni inter Monſpelium & Lugdunum, florens menſe Iunio.

---

## TRIFOLIVM ALBO-INCARNATVM ſpicatum, ſiue Lagopus maximus:

Deſc[riptio]



SAtis prolixâ *radice* donatum eſt, gracili, fibrata, *caules* plures dodrantales, & cubitales, hirſuti, ſimplices: *folia* ex piloſo pediculo, vaginâ ſuâ breui, hirſutâ, caulem complexo, terna, ſubrotunda, latiora, quàm longiora, crenata, non cordata, *ſpica* duarum aut trium vnciarum *floribus* conſtat albis, dilutè

dilutâ purpurâ remiſtæ, ex calycibus admodum villoſis, in pinnas quinque deſinentibus. *Semen* maiuſculum, ſubrotundum, lucidum, pallidum, accedens ad Meliloti vulgaris: ſaporis Piſorum.

Lob. & Penæ Adu. Obſ. & Ic. Plant. *Lagopus maximus folio & facie Trifolii pratenſis.* C. Bauh. phyt. *Trifolium* 36. ſiue *ſpicatum flore ſubrotundo.* Dod. in fol. *Lagopus maior folio Trifolii.* Hiſt. Lugd. *Lagopus maxima.*

Geneuæ obſeruaui in pratis prope fluuium *Arue* florens Maio: vt & alibi: Annua eſt planta, ex ſemine deciduo, ſiquidem maturo Iulio & Auguſto, ſe conſeruat.

## TRIFOLIVM ANGVSTIFOLIVM HISPAnicum, ſiue Lagopus anguſtifolius flore dilutè rubente.



Lagopi maioris genus, ſemine ex Hiſpaniis accepto natum, cuius iconem ad Cluſiū mittebat Iacobus Plateau: Id vnicum fert *caulem* gracilem, & ſatis firmum, nodis quibuſdam diſtinctum, & in aliquot ramos diuiſum, naſcentibus ad ſingulos nodos, pediculis, ſatis laxâ ſede caulem & ramulos amplectentibus, quorum extremis terna inſident *folia*, vt in Trifolio albo incarnato, non orbiculata tamen, ſed longiuſcula, & anguſta, carinata, ſiue dorſo elatiore, caneſcentia inſtar foliorum vulgaris Lagopi: ſummi rami deſinunt in longas caliculorum ſpicas, è quibus emergunt *floſculi* vulgaris floribus ſimiles, & ferè concolores, hoc eſt, dilutè rubentes.

Lagopum anguſtifolium Hiſpanicum Cluſ. obſeruare meminit Salmanticenſi agro, dum in ea vrbe viuebat, ad vinetorum aggeres.

## LAGOPVS TRIFOLIVS QVORVMDAM.
### CAP. LVII.

Nomen ex argumento ſpicæ indeptus eſt, quæ molli villo, cineraceo, purpuraſcentéve, leporinos pedes imitatur, *floſculis* albidis & minutis, Scorpioidis, tantillùm prominulis, quos *ſemen* excipit exile, fuluum: coliculi palmum, aut ſeſquipalmum alti: vel etiam ſpithamæi, ramoſi, toti canâ lanugine pubent, in quibus hirſuta Trifolii *folia*, vnciam circiter longa, culmum lata, ſapore ſubadſtringente, ſtrenuè ſiccante: *radicula* ſubeſt exilis, lignoſa, tortuoſa, candida, fibrata.

Noſtri [inſit Corn.] ad Græcæ vocis imitationem haſenpfötlin vocant. Aliqui Katzenklee [felium Trifolium:] Nam huius genus quodadam eſſe videtur. Apud Hipp. Galenus Lagopyron exponit, quæ appellatio, Triticum leporis ſignificare videtur. Trago, & *vltima meliloltus, alba,* & *Lotus campeſtris* dicitur. Lonic. depingit & vocat *pedem leporinum* & *trifolium humile* Lagopus [teſte Dodon. gall.] à quibuſdam dicitur *Leporis cuminum, pes leporis & trifolium humila.* Addit idem in Hiſt. frum. & in fol. vocari à nonnullis λαγώπυρον Hippocratis. At Lagopyros non Trifolio, ſed Tritico ſimilis. Lob. & Penæ Adu. *Lagopus genuinus Antiquorum.* Lagopyrus Hippocrati. Item Obſ. & Ic. plan. *Lagopus* Pes leporis. Lagopus [inquit Lacuna] Trifoliis annumerata planta, Herbariis *Trinitas* dicitur. Dubitat Matthiolus an Germanorum vulgò Lagopus legitima ſit: Sed quæ tanti dubii neceſſitas? cur affirmare non audet? Apud Amatum pro Lagopo quidem pingitur, verùm alia herba, nempe Trinitatis, ab eo deſcribitur. Brunfelſ. nihil ſingularis adſcribit, ſed vulgata retinet nomina. Hiſt. Lugd. *Lagopus vulgaris Matthioli.* Item *Lagopus vulgaris Fuchſii.* Sed cur fruſtra Lugd. contra Philoſophum entia multiplicat? Cur duas figuras vnius plantæ ponit? Infinitas hac ratione ne dicam Botanicus, ſed quiuis tonſoris diſcipulus icones appingere poſſet. Tabern. *Lagopodium* vocat.



*Lotus campeſtris. Lagopus. Trifolium humile. Leporis cuminum. Error quorundam. Lagopyros Hippocr. Lagopus genuinus Antiquorũ. Trinitas, Matth. reprehẽ. Amatus not. Hiſt. Lugd. not. Lagopodiũ*

C. Bauh. phyt. *Trifolium* 38. ſiue *ſpicatum humile,* ſeu *Lagopus.*

*Λαγώπους* Germ. haſenfüeß, haſenklee pfötlin, katzle/, & katzenklee. Belg. haſen Pootkens. Gall. *pied de lieure,* Caſtil. *pie de liebre.* Portug. *pe de lebre.* Ital. *pie de lepre.* Hiſp. *pie de lebre.* Angl. hares foote Boh. Zagecnoha/ — Nomina linguarum

Geneuæ viget menſe Iunio & Iulio cum flore, Baſileæ adhuc Octobri in aruis, Montbelgardi quoque, ac ſpontè in horto E. C. Auguſto. — Locus & tempus

Non parum huic eſt adſtrictionis: ſiccitatis verò tantùm vt mirum ſeminis profluuio laborantibus præſtet præſidium Lobel. Aluum ſiſtit ſi cum vino bibatur, aut in febri ex aqua: adalligatur & ad inguinis inflammationem Dioſc. Replet caua. Sunt, inquit Matth. è Germanis, qui ea vtuntur ad detergendam ſitim in dyſenteria. — Vires & vſus. *Dyſenteria.*

## TRIFOLIVM GLOMERVLIS PERſonatæ Cherleri.

In humum reclinat palmares *caules* quos à repante radice emittit, plures, hirſutos, floribus veſtitos ternis iunctis, per extremum latioribus, piloſis: vniuſcuiuſque coliculi faſtigio capitulum hæret vnicum, maiuſculum, in Perſonatæ modum glomeratum, & ariſtis longis, ſed lanugine quadam albicante intertextis, horrens, *floſculis* inter ariſtas apparentibus paruis, purpureis, baſin autem amplectuntur terna *folia*, magna, ſquammatim incumbentia ſubeuntiaque, lata, albicantia, per margines purpuraſcentia, ſimilibusque ſtriis virgata, neſcio — Deſcriptio



quid Garyophyllatę aquaticæ florum foliis ſimile habentia.

*Locus.* Monſpelii in ſqualidis & ſiccis locis circa Epiſcopi caſtellum collegit Gener Cherlerus eidem nuſpiam alibi viſa.

TRIFOLIVM PARVVM RECTVM FLORE glomerato cum vnguiculis.

*Deſcriptio.*



LOngis tenuibuſque fibris *radicatum* multos ſimul *caules* ſupinos emittẽs, palmares, & ſeſquipalmares, teretes, glabros, propter terram albeſcentes, cæterà atrorubẽtes, aut virentes: *folia* minuta, tergemina, glabra, venoſa, leuiter ſerrata, nonnulla etiã cordata, longis pediculis, caulem membraneis appendicibus imâ parte amplexis, nixa, breuibus interdum, præſertim in ſummis ramis, hærentia: *flores* tum ſummo caulium faſtigio, tum ex eorum lateribus glomeratim cohærent minuti, vnguiculum auiculæ imitati, ex calycibus maiuſculis, glabris, ſtriatis, per extrema denticulatis, duris.

*Locus & Tempus.* Nemauſii agens Cherlerus ex locis hiſpidis & ſaxoſis euulſit, vbi rariùs occurrit. Maio floret: ingruente æſtu, vt aliæ multæ ſatiſcit & exſiccatum abit.

TRIFOLIVM CAPITVLO GLOMERATO rigido.

*Deſcriptio.* TEnuem ſingularem habet *radicem*, paucis fibris donatam, ex qua ſurgunt *caules* aliquot, dodrantales, ſubhirſuti, atro rubentes variè diuaricati: *folia* terna, longiora, quàm ſtellati maioris, tantillùm hirſuta, oblonga, per extremum rotunda, Lagopi Fuchſii ſimilia: caulium faſtigia ornant *capitula* ſingularia, glome-



rata, compactiora quàm, maioris Botonatiæ paria, ſed Bardanæ echinorũ aſperitate hiſpida.

C. Bauhin. phyt. *Trifolium* 40. ſiue *globoſo flore* vocat, depingens hoc inter Icones ſub numero 6.

*Locus & Tempus.* Attulit Frater Monſpelio, vbi obſeruauit copioſũ, florem habẽs paruũ luteum Maio circa Caſtellum nouum.

TRIFOLIVM CVIVS CAVLES EX GENICVLIS GLOMERVLOS OBLONgos proferunt.

*Deſcriptio.*



EST in quo Trifolium hoc cum Trifolio paruo, recto, glomerato flore cõueniat: Eſt etiam in quo manifeſtè differat. Tenuẽ hoc, ſed duram & lignoſam agit *radicem*, quæ plures quidem vt illa emittit *ſurculos*, ſed pedales, teretes, rigidos, pallidè virentes, & ad ſingula genicula recuruos. *Folia* quàm in illo altero tantò maiora, longiora, trigemina, neque cordata, neque ſerrata, longiuſculis pediculis inſidentia, qui ex membranea quadam articulos veſtiente appendice prominent. Geniculis porrò *capitula* etiam oblõga denſo floſculorum purpureorum agmine ſtipata inſident, quatuor, quinque, aut plura, ſed pro ſingulis geniculis ſingula, quorum calyculorum nullis ſtriis donatorum apices recurui, rigidi interim in acutum ſatiſcunt mucronem, nec tamen ita durum, vt ſpinoſum auſim dicere, nullis item denticulis præditum.

*Locus.* Dedit Frater C. Bauh. qui à Genero Cherlero acceperat Nemauſii in incultis rupetis collectum.

## TRIFOLIVM GLOMERVLIS TOMENTOſis per caulium longitudinem.



*Deſcriptio.* ANguloſi & glabri *caules*: *folia* terna iuncta, parua, ex oblõgo rotunda, glabra, crenata, pediculo donata ferè vnciali, cuius exortui adnata gemina pinna maiuſcula, ex lato mucronata, caulem cõplexu ſuo cõprehendit, indidemque *floſculi* minuti, palliduli, glomerati oriuntur, quos ſequuntur glomeruli folliculorum tomentoſorum, candicantium, concluſorumque, in quorum ſingulis *ſemen* vnum puſillum, ruffeſcens, nitidum, apophyſi veluti donatum, quemadmodum in Fœnogræci ſemine animaduertimus.

*Locus &* Ex ſqualidis Gallo-prouinciæ quibuſdam locis collegit Gener Cherlerus menſe Iulio.

## TRIFOLIVM FOLLICVLACEVM, SIVE Veſicarium minus purpureum.



*Deſcriptio.* HVmi fuſos producit ex tenui, ſimpliceque radice *caules* dodrantales, *foliis* ornatos ternis, paruis, per extremum obtuſis, circumcirca crenatis, pediculo longo appenſis: è quorum ſinu exit pediculus vnciâ lõgior, *flores* ſuſtinens in orbem glomeratos, paruos, rubentes, quos mẽbranei excipiunt *vtriculi*, ſatis laxi, bicorni faſtigio dehiſcentes. Hæc pulchella planta ſe per terram ſpargit, deguſtata nullum habet manifeſtum saporẽ.

De hoc Cluſ. in Hiſp. & hiſt. poſtr. agit, vocans *Trifolium pratenſe Salmanticum*, Hiſpanorum *Trebol de prados*, & ſimpliciter etiam Trebol, quòd ipſi & cætera Trifolii genera ſic appellent. Cæterùm folia huic tribuit in ambitu quoque ſerrata. Quæ occaſio, quòd figura Cluſii minùs placeat, quòd talia in eius pictura non exprimantur, nec folliculi, in quibus ſemen exile, ſubruſum, contineri ſcribit, benè appareant. C. Bauh. phyt. *Trifolium 6. ſiue pratenſe folliculatum.* Lob. Obſ. & Ic. Pl. picturam, Cluſii deſcriptioni, vt & noſtræ, minùs commodam habet. Cluſii, namque ſine crenis proponit: vocat autem *Trifolium pratenſe Salmanticum.* Tab. *Trifolium Hiſpanicum.*

Ex ſemine è Belgio miſſo Geneuæ mihi prouenit: floret menſe Aprili, eſtque ſemen maturum Iulio. Cluſio autem totâ Æſtate floret.

## TRIFOLIVM CAVLE NVDO GLOMErulis glabris: Et aliud paruum cum glomerulis, lignoſum.



EX *radice* craſſiuſcula *caules* exeũt ſimplices, nudi, glabri, pedales: in glomerem florum purpureorum faſtigiati, ſubiectis foliis, exilibus, viridantibus: ſequuntur vtriculi floſculorũ numero reſpondentes, laxiuſculi, ſqualidi, veluti neruulis intertexti, albidi, è quorũ orificio adhuc floſculorum prominent reliquiæ: *folia* tergemina, glabra, ſubrotunda, ferè vncialia, pediculo hærent palmari & ſeſquipalmari, è radice.

In viis quibuſdam haud ita frequentem, quà Nemauſo ad Giri pontem pergitur, obſeruauit atque decerpſit Gener Cherlerus Iunii initio floens adhuc, ſed & vel tunc glomeratum. *Locus & Tempus*

## TRIFOLIVM PARVVM QVODDAM, SIVE Lotus pratenſis purpurea. Dalech.



*Deſcriptio* LOtus pratenſis purpurea [inquit Hiſt. Lugd.] *radicem* gignit gracilem, candicantem, parùm capillatã: *cauliculos* multos, ferè pedales, ſurculoſos: *folia* Loti nunc terna, nunc quaterna, exigua: *flores* in ramulorũ vertice copioſos, purpureos.

In pratis & humidis locis naſcitur.

## TRIFOLIVM PRATENSE ALBVM à Fuchſio depictum, ſiue mas.

### CAP. LIIX.

*Deſcriptio* FOlia huic hirſuta, oblonga, venoſa, crenatá, terna ex longo pediculo appenſa, per *caules* cubitales, ſimplices, plures ex *radice* craſſiuſcula, inque plura capita interdum diuiſa: exorti *flores* glomerati, albi, Trifolii pratenſis, purpurei, alio-

qui ſimiles. Geneuæ variiſque aliis in locis obſeruaui florentem Auguſto, Septembri & Octobri.

## TRIFOLIIS AFFINE, QVADRIFOLium Phæum Lobelii.

CAP. LIX.

Deſcriptio.



LObel. Obſ. *Quadrifoliũ phæum* & Ic. Pl. Tom. 2. p. 33. *Quadrifolium phæum fuſcũ hortorum*. C. Bauh. phyt. *Quadrifolium hortenſe album*. Tab. Lotus quadrifolia Vierblettericher Steinklee. Aſt mirum dici Quadrifolium, quum in figura Lobelii etiam ſint quina.

*Quadrifol. hortenſe. Lotus quadrifol. Tab. notatur.*

## TRIFOLIVM MAIVS ALBO FLORE incanum Cluſii.

Deſcriptio



TErnis, aut quaternis interdum aſſurgit virgis aut *coliculis*, pedalibus, firmis, rectis, teretib. circa quos naſcuntur rara *folia*, oblonga, anguſta, dura, neruoſa, carinata, & dorſo elatiore, terna ſemper ab vno exortu prodeũtia vt in reliquis Trifolii generibus, incana, in ambitu veluti dentata, ab radice frequentiora & maiora: *flores* extremis ramulis, in quos cauliculi ſeparantur, inhærent parui, frequentes, conferti, & ſpicam quodammodò formantes, albo colore, & nõnullo odore præditi: *radix* viuax minimi digiti craſſitudinem æquans, fuſco & denſo cortice tecta, longa, aliquot fibris donata.

*Trifol. album.* Cluſio cuius deſcriptionem propoſuimus, *Trifolium maius primũ*, ſeu maius albo flore. C. Bauh. phyt. *Trifolium* 10. ſiue *montanum album*.

Locus & tempus. In pratis ſicciorihus Metropoli Auſtriæ Viennæ vicinis, tum in Morauia & Bohemia floret Maio & Iunio.

## TRIFOLIVM PRATENSE FLORE albo minus, & fœmina, glabrum.

CAP. LX.



Deſcript. COntractiori eſt habitu quàm mas, *coliculis* breuioribus, infirmis, per terram ſparſis, per quos *folia* terna, parua, rotunda, glabra, retuſa: *flores* glomerati, minores, ex lõgioribus appẽſi pediculis, coloris albi. Hoc ni fallor, Montbelgardi quadrifolium, & quinque foliũ reperitur. Ex hoc genere ſuſpicor paruum, maculatis foliis, flore albo, repertum ad fontem admirabilem in Ducatu Wittembergico: Maculatum etiam eſt Iulio circa Montembelgardum. Locus Temp. Paſſim ac ſpontè prouenientem variis in locis obſeruaui.

## TRIFOLIVM PARVVM, ALBVM MONSPESSVLANVM PILOSVM CVM paucis floribus.

Deſcr. TRifolio noſtrati pratenſi albo reſpondet, ſed multò minus eſt, *foliis* piloſis, *floribus* albis, duobus plærumque aut tribus ſimul iunctis: pumila eſt admodum planta.

Locus temp. Monſpelii hoc legimus florens menſe Aprili.

## TRIFOLIVM PRATENSE LVTEVM mas, flore minore, ſemine multo.

CAP. LXI.



Deſc. ADpedalem altitudinem & cubitalem excreſcit hoc Trifoliũ, *caulibus* tamen non penitùs ſurrectis, quos à *radice* albâ, minimi digiti craſſitudine, fibroſa, ſapore leguminoſo Piſorum aut Fabarum, euulſu difficili, promit plurimos, hirſutos: *folia* hirſuta Trifolii purpurei & albi: *flores*, parui, lutei, ex multis floſculis minimis, formâ (ſi parua licet componere magnis) Geniſtæ alicuius, aut Coluteæ, congeſti, globulum exprimentes, quibus ſuccedunt *ſemina* multa, Meliloto officinarum quodammodò ſimilia.

*Melilotus minor*, *Sertula campanica*, & kleiner ſteinklee Brunſelſ. *melilotus exigua*, Trago: *medica* Dodonæo: *Trifolium aruenſe*, Tabern. *Trifolium luteum*, Geſnero: *Saxifraga lutea*, Fuchſio. Meminit tantùm Trifolii lutei Matthiolus, nec diſtinguit niſi colore à cæteris. C. Bauh. in renouato addit iconem.

Cæterùm, nomina linguarum vſitata, ſunt Gall. *Treſſle petit iaune*. Germ. Geelklee / Geelwiſenklee & klein ſteinklee / Belgicè Cleyn ſteen Claûern & Cleyn geele Claûern.

Geneuæ florens vidi Maio, vbi virebat Hyeme: Baſileæ Octobri: Lugduni, & Montbelgardi etiam ſpontaneum.

## TRIFOLIVM PRATENSE LVTEVM, fœmina, flore pulchriore, ſiue Lupulino.



CVm Trifolio pratenſi luteo mari multa habet communia, *radicem* exilem, duram, *coliculos* graciles, hirſutos; *folia* trigemina, neruoſa, *florem* luteum, ſed magnitudine & ſingularium floſculorum formâ differentem, duplò enim & triplò maiores huic ſunt glomeruli. Lupulorum capitula imitati, minores, contrarioque ſitu ſquammarum, quarum vnaquæque criſtata ſupremum conſtituit floſculorum folium, reliqua tria ſinu ſuo occultans. Huius porrò Trifolii pratenſis videntur duæ ſpecies: minor paſſim proueniens: altera magna & robuſta ad cubiti altitudinem ſurgens, cum pulchris magnis floribus, in qua ſemina parua lutea animaduerti. Pulcherrimum hoc Trifolium pratenſe luteum, magnum & robuſtum, fœminam voco.

An fortè Brunſelſ. Leporina? Thalius *trifolium luteum alterum lupulinum*, & vulgò *lupulum ſiluaticum* appellat. Caſp. Bauh. phyt. *trifolium* 4. ſiue *pratenſe luteum, capitulo Lupuli.* Hort. Luſ. *trifolium aruenſe luteum, lupulinum.* Geelb wiſenklee / vnſer frawen hopffe. An Tragi, Meliloti genus 8. & penult. Lonic. Tragum imitatus huius meminit, ac vocat *Lagopum, pedem leporinum, & trifolium humile.*

Speciem maiorem inueni in margine agrorum montis Rolsberg prope Maſmunſter, florentem Octobri, Minorem alioqui frequentem Montbelgardi, Monſpelii & Geneuæ. Frater C. Bauh. collegit Baſileæ in pratis.

## TRIFOLIVM SAXATILE HIRSVTISSImum, ſiue argenteum.

SVb hoc nomine apud Fratrem obſeruauimus plantulam, cuius *radix* dura, lignoſa, cortice veſtita ruſo, cuius figura reptionis ſuſpicionem iniicit: ſupernâ illâ parte in maiuſculos diuaricatur trunculos, plures cauliculos ex radice multiplici erigentes, ſed palmâ breuiores, quos folia Trifoliorum ritu digeſta veſtiunt argentea, mollicella, albicantia, breuiſſimis nixa pediculis. Ex quorum ſinu glomerulum molliſſimorum, piloſorum, flaueſcentium ſtipatu congeſtum prominet, quod ex floſculis fatiſcentibus compoſitum arbitramur.

C. Bauh. phyt. Trifolium 41. ſeu ſaxatile hirſutiſſimum, quod in Helueticis iugis & caulibus ſummis legit. *Trifolium ſaxatile hirſutiſſimum.*

## TRIFOLIVM PELTATVM CRETICVM. Cap. LXII.

QVod apud Fratrem obſeruaui cum inſcriptione Trifolii odorati Cretici, & apud D. D. Iac. Zvvingerum, cui aſcriptum erat Μασσυρία, *Radiculâ* eſt tenui, longiuſculâ, fibris donatâ, quæ *cauliculos* ex ſe promit duas; tréſve vncias altos, glabros, *folia* exigua, quæ longiuſculis inſident pedicellis. *Floſculi* quini plùs minùs cauliculo ſummo incũbunt congeſti, pallidè luteoli: quos *ſiliquæ* excipiũt compreſſæ, latiuſculæ, ſimile *ſemen* ſed exiguum, ac vix vnum aut alterum complectentes. Hæ, referente Fratre ex teſtimonio Honorii dum teneræ ſunt, recenteſque, dulciſſimæ, eſuique aptæ ſunt: at vbi induruerint, amariſſimæ. *Deſcriptio Trifol. odoratum Creticum.* *Maſſuria.*



C. Bauh. phyt. Trifolium 27. ſiue peltatum Creticum. Item apud Matth. Trifolium 8. ſiue Peltatum Creticum.

## MEDICA IN GENERE. Cap. LXIII.

EX Trifoliorum, & eorum quidem, quorum valuulæ cochlearum modo intorquentur, genere & Medica eſt. Hæc natales ſuos ipſo nomine fatetur, locúmque vnde venerit; vocabulum indicat. *Natales.* Externa olim Græciæ [inquit Plin.] à Medis eſt aduecta per bella Perſarum, quæ Darius attulit. Hinc Gentile nomen obtinuit. *Plinii lectio.* Similis eſt Trifolio, caule, foliiſque geniculatis; quicquid in caule aſſurgit, in folio contrahitur. Hæc paulò aliter Dioſc. tradidit. Μηδικὴ recens naſcens ſimilis eſt trifolio in pratis naſcenti. *Dioſc. lectio.* Verùm in progreſſu folia contrahuntur, & caules trifolio ſimiles producit, in quibus accreſcit ſemen, Lentis magnitudine, ſiliquulæ modo intortum.

Medica ab Hiſpanis vocatur *Eruaye, Alfaſa, Alfalſe, & Alfalfa*, voce fortè deductâ ab *Alfaſafat*; *Alfaſa, Alfalſe. & Alfalfa. Alfaſafat.*

*Cot. Altiſiat. Andacocca.* quam Auicenna ſimùl cum nomine *Cot* & *Altiſcat* lib.1.exprimit: licèt lib.3.capite de tremore, vbi oleum de Andacocca multùm laudat, videatur eandem per Andacoccam intellexiſſe. Gallis

Nomina linguarum *Sainctſoin,& Foin de Bourgongne, & grand Treffle,* Picardis *Foignaſſe*, Germ. Diechklen, oder bürgùndiſch hew, hailſüter.

Aequiuoca Sub Medicæ nomine, quæ nobis verior videtur, & vt exiſtimamus, per Hermol. Marcellum, Geſnerum, Matth. Amatum, Bacchan. Dodon. Cluſ. & Cæſalpinum recepta eſt, & à nobis Medica maior erectior florib. purpureis dicitur, hæc occurrunt æquiuoca. Medica ſilu. lutea & ruffa. Trifolium cochleatum marinum, aliis Medica marina. Medica ſcutellata. Medica orbiculata. Medica echinata glabra cum maculis nigricantibus, & ſine iis. Medica magna turbinata, Echinata magna, hirſuta, hirſuta echinis rigidioribus, Echinata hirſuta, Echinata minima, Coronata parua Cherleri, Lunata, Lunatæ ſimilis ſiliqua, de qua ſub Auricula muris Camerarii. Medicæ nomen quoque, quamuis perperàm, & apud imperitos ſolùm cognitionis herbarum, teſte Dodonæo obtinuit Trifolium pratenſe purpureum. Olim Trifolium candidum, dicebatur Medica tertia Dodonæo, quæ opinio in poſtremis reiicitur. Nos de hoc agimus ſub titulo, Trifolium pratenſe album. Trifolium quoque luteum, Trago dicitur

*Saxifraga lutea. R. Conſt. not.* Medica Dioſcoridis, & apud Dod. Medicæ ſpecies. Porrò Medica Tragi non eſt Saxifraga lutea Fuchſii, vt vult Rob. Conſt. apud Amatum. Eſt hæc nobis Melilotus vulgaris. Quæ verò ſit Medica Cornario, quam dicit à vulgo Medicorum vocari Burſam paſtoris, & à vulgo Germanorum deſchenkraut, inquirendum.

*Error quorundam. Laburnum. Cytiſus.* Apud Euch. Roeſs. Lonicerum & Ryffium ineptè ponitur icon Laburni pro Medica. Cytiſum Matthioli à Cortuſo miſſam, non Cytiſum, ſed Medicæ ſpeciem eſſe [inquit Hiſt. Lugd.] autumant periti Herbarii: Hæc vocatur à nobis Cytiſus candidus ſiliquâ incuruâ. Ad hæc Medicæ ſpeciem eſſe putant Ferrum equinum dictum Geſnero, quod nos Soleam equi inſcripſimus. Medica etiam de Helenio dicitur in aſcript. Dioſcor. de eo Hiſt. n. g. l. 25. De Medio quoque Medica traditur in ſpur. Dioſc. de eo Hiſt. n. lib. 20.

*Duratio* Tanta dos eius [inquit Plin.] vt vno ſatu ampliùs quàm tricenis annis duret. Plinio contrarius eſſe videtur Palladius, qui ſemel ſatam decem ſolùm annis permanere ſcribit. Cæterùm Medicam diu durare, vel Plutarchi teſtimonio comprobatur, ſimilitudinem ex hac in libello contra Epicurum deſumentis egregiam. Sicuti, inquit, herbæ Medicæ ſemen multis flexibus, & per obliquum terræ innaſcens, ob aſperitatem multo tempore perdurat, ita dolor vncinos & radices diſſeminans: carnique implicatus radhæret non diem modò, aut noctem, ſed annos & aliquot luſtra, ægrè aliis doloribus tanquam clauis violentioribus expulſus diſcedit.

Locus, in quo Medicam proximo Vere ſaturus es, autore Columellâ & Palladio circa Calendas Octobris proſcindendus eſt, & is tota Hyeme putreſcere permittendus. Menſe autem Februario, iterandus eſt, & purgatis lapidibus diligenter occandus. Et tandem circa Martias Calendas, ſubacto ſicut in hortis ſolo, formandæ ſunt areæ pedibus 10. latæ, & 50. longæ, ita vt eis per ſemitas aqua miniſtretur, & facilè poſſint ex vtraque parte runcari. Tunc iniecto an-

*Tempus ſationis* tiquo ſtercore in Aprilem menſem (hoc enim tempore Medica ſerenda eſt) reſeruentur, paratæ. Singuli cyathi ſeminis occupant locum latum pedibus quinque, longum pedibus decem. Sed mox ligneis raſtellis obruantur iacta ſemina, quia Sole citiùs comburuntur. Poſt ſationem ferro locum tangi non licet, ſed raſtris ligneis frequenter herba mundetur, ne teneram Medicam premat. Prima meſſis eius tardiùs fiat, vt aliquantùm ſemen excutiat. Cæteræ verò meſſes quàm volueris citò peragantur. Vbi ſecueris, ſæpiùs riga. Poſt paucos dies, cùm fruticare cæperit, omnes alias herbas runcato, ita & ſexies per annum metis, & annis decem poteris tenere continuis.

De Medica, inquit Varro, in primis obſerues, *Locus.* vt ne in terram nimiùm aridam, aut variam, ſed temperatam ſemen demittas. In iugerum vnum, ſi eſt naturâ temperata terra, ſcribunt opus eſſe Medicæ ſeſquimodium: id ſeritur ita, vt ſemen iactatur, cùm frumentum ſeritur. Medica porrò, vt Theoph. tradit, ſæpiùs diminuta, tonſaque melior, ſapidiorque euadit. Sed nec huic ſtercoratio prodeſt, quin potiùs ſtercoris & vrinæ cauſâ perit, vt quidam dixere.

Medicâ nutriri boues lactantes, vt plùs contineant lactis, iubet Sotion in Geoponicis, itemque Varro, Columella & Palladius. Ariſtoteles contrà hiſt. animalium inquit: Pabuli genus aliud copiam lactis extinguit, vt Medica herba, & præcipuè ruminantibus: aliud auget, vt Cytiſus & Eruum. Qui in Hiſpania rem obſeruarunt [vt notat Camer. horti] vbi quotidianus eius vſus eſt, teferunt nullo cibo tam viridi quàm aridâ prius magiſque lætari, ſaginari, & pinguefieri iumenta, pecuſque omne: parciùs tamen dari, quoniam inflet, & multum ſanguinem creet, quem deducere poſtea neceſſe ſit, annotante Virgilio Marcello. Medica, inquit etiam Varro, obiicitur modicè, ne parum, aut nimiùm ſaturentur, vtrumque enim ad corpus alendum inimicum. Fieri itaque poteſt, vt lactis abundantiæ conducat, modò non ad ſatietatem vſque præbeatur, id quod etiam Plinius vetat, alioquin nihil mirum Ariſtotelem vera ſcribere, & vniuerſo in ſanguinem, adipem, & carnes, alimento redacto, non ſupereſſe, quod in lac conuerti debebat. *Vſus. Lactantes boues. Lac extinguit. Ariſtoteles cum Sotione & aliis conciliatur.*

*Ager.* Agrum ſtercorat, ac adeò eſt ſuauis ac nutriens, vt pecus arcere neceſſe ſit, ne vel diſrumpatur, aut ſanguinem detrahere oporteat. *Macies mularum.* Animalium vitiis pleriſque medetur. Ad maciem mularum, vt Columella prodidit, nulla res tantùm, quantùm Medica prodeſt. *Semen.* Semen, vt tradit Dioſc. ſiccatum iucundi ſaporis gratiâ conditanco ſali admiſcetur. Viride, quibus refrigeratione opus eſt, illitu ſuffragatur. Herbâ totâ pro gramine vtuntur ii, qui pecora alunt.

## MEDICA MAIOR, ERECTIOR, FLORIBUS PURPURASCENTIBUS.

*Deſcr.* VAldequam luxuriat obſequioſo fœnore cultorem fouens, *caulibus*, ut numeroſis, ita prolixis: *folia* terna oblonga, per extremam oram, quæ obtuſa eſt, crenata: *flores* copioſi velut in ſpicam digeſti, purpuraſcentes: *ſiliquæ* cornu caprini inſtar contortæ, in quibus *ſemen* minutum & candidum: *radix* ſubeſt longa, tenuis, & lignoſa.

Hanc tradit Hermol. dicens: Imperitiâ vulgi Melica vocari cæpit. Semen eius ſub dente Phaſeoli recentis ſaporem præſentat. Propter altitudinem radicum huius reliquæ herbæ intercunt, ſine ipſius damno.

Ex Hiſpania [inquit Marcell. Virg.] integros herbæ

herbæ; quam inibi Medicam cenſent, cum ſuo ſemine caules afferri nobis curauimus. Siliquam non licuit videre &c. miramur autem nos ei allatos caules cum ſuo ſemine,& ſiliquas non etiam adfuiſſe.

Medicam appellat Ruell. ex aliorum ſententia *Fœnum Burgundienſe*, quod rura *Fœnaciam* dicant. Ait etiam Marcellum magis eius cognitionem obliteraſſe. Geſnero *Medica vera*, Cluſio *ſatiua & legitima*. Anguill. *Medicæ ſpecies*. Medicę quoque meminerunt Matth. Lacuna, Amat. Bacch. Lob. Pandect. Cæſalp. Camer. hort. Luſ. & alii.

Hiſtoriæ Lugd. Conſarcinator imperitus ſtirpium omnia confundit: deſcriptio quidem competit Medicæ, de qua agimus hoc capite. An item Dodonæi icon, dubitamus. Quia Dodonæi & hiſtoria, & figura dubia: hic præterea nullum certum ponit diſcrimen inter Medicas, ſed' ſuo more commiſcet. C.Bauh.phyt. *Trifolium* 30. ſiue *ſiliquâ cornutâ. Medica Dod.gall.*

Hâc quondam, Hermol. Marcell. Virgil. Aug. Gallo, & aliis teſtibus, plena erat Venetia, ſed pridem per Gotthos periit, reſeruata autem in Hiſpania, inde denuò in agrum Neapolitanũ, quaſi poſtliminio introducta fuit. Cæterùm, Tiguri primò apud D. Geſnerum, cui, vt ipſe perhibet, ex ſemine peregrino prouenit, deinde Baſileæ in hortis quibuſdam florentem menſe Iunio & Iulio, vidimus. Geneuæ agros eâ conſitos obſeruauimus, quos aliquoties in anno reſecabant ad impinguandos equos. Circa Burmiam in Rhetia ſpontè prouenire reperi. Montbelgardi in horto meo & Illuſtriſſimi Principis è ſemine mihi prouenit, ac multis durauit annis.



De huius viribus & vſu iam ſuprà in genere pertractauimus.

## MEDICA SILVESTRIS.
### Cap. LXIV.

Medicæ ſilueſtris genus eſt, *radice* craſſiuſculâ lignoſâ, ſapore ſubdulci, virgulta emittente cubitum longa, vel etiam longiora, teretia, ſtriata, glabra, in multos, lentos ſurculos ſubdiuiſa: *folia* de more terna, anguſta, oblonga, ſupremo margine veluti corroſa: *floſculi* ſurculorum faſtigiis conſerti, globuli ferè modo inſident, crocei, quibus delapſis *ſiliquæ* ſuboriuntur contortæ, compreſſæ.

Taber. *Lens maior repens*, Groß kriechende linſen. Icon Tabernæ quidem placet, aſt non nomina, quæ huic in eum dubio procul finem adſcripſit, vt nouitate placeret, non aliis, ſed ſibi ipſi.

C.Bauh.phyt. *Trifolium* 31. ſeu *fruteſcens, luteum* Aſt nos in hac herba nihil fruticoſi obſeruauimus, exiſtimantes hanc plantam comprehenſam eſſe ſub Trifolio 30. ſiliquâ cornutâ, flore luteo.



In ſepibus & ſegetibus prope Monſpelium & Lunel, menſe Maio & Iunio reperitur cum flore luteo, variiſque aliis in locis tum à nobis tum ab aliis reperta fuit. *Locus & tempus.*

Calida eſt in ſecundo gradu, ſubacris, ſapore ſcilicet nitroſo, tenuiumque partium Geſn. *Vires.*

## TRIFOLIVM COCHLEATVM MARInum, ſiue Medica marina.
### Capvt LXV.



*Deſcriptio.* Qvantum quantum eſt, totum villoſâ, incanâque' lanugine obductum eſt: *caules* pedales, ac etiam cubitales, ramis frequentibus brachiati: per quos *folia* ex breuibus pediculis ternà, parua, obtuſa, frequentia, ſapore nullo manifeſto, *flores* multi ſimul congeſti, lutei, Trifolii lutei ferè ſimiles: *ſiliquæ* orbiculares, in ſe contortæ, *radix* craſſa, cubito longior, tenera, guſtu quodam ingrato, ſalſuginoſo, & amaricante. Geſn.hort. Trifolium marinum.

C.Bauh.phyt. Trifolium 24. ſiue Cochleatum maritimum. Guilandinus Trifolium album, & Cicer ſacerdotale vocabat: alii Cytiſum marinum. Lob.& Pena Adu.& Ic.Pl.Tõ.2.p.38. vt etiam Tabern. cum Camer. hort. & icon. Medicam marinam: Eius autem figura facta eſt ad plantam ſiccam, à me [I.Bauh.] Geſnero miſſam, & anno 1561. collectam, quæ adhuc diligenter inter ſiccas meas coaceruatur: Quamuis nec Geſneri, nec noſtri hîc meminerit, ſicut in pluribus aliis. *Trifol. marinum. Cochleat. Album ſacerdotale. Cytiſus marinus. Medica marina. C.Bauh. not.*

Dalechampius hanc depinxit, vocans Anthyllidem priorem deſcriptam à Dodonæo, cuius opinioni aſſentiri non poſſum, niſi dicam non diligenter ab ipſo neque deſcriptam, neque depictam. *Dalechamp. not. Anthyllis.*

Cluſius, à quo parum aliquando abfuit, quin

Medicam marinam, Helenium Ægyptium Crateuæ (Dioſc. cap. de Helenio deſcriptum) eſſe ſibi perſuaderet, eò quòd multas habeat notas, adhuc hodie nihil affirmat. *Heleniu. Ægyptium.* Cæſalp. Trifolii quoddam genus, in incultis præcipuè maritimis proueniēs, cuius fructus Tribuli modo, &c. vide antè ſub Trifolio pratenſi in genere.

Locus & Tempus. Venetiis floret ad maris littus Menſe Maio, & etiam Septembri. Cluſius, qui Marinam Medicam vocabat quòd Medicę ſit ſimillima, & in maritimis Meridiei præſertim obuerſis naſcatur locis, prouenit, inquit, paſſim in Hiſpania, & Gallia Narbonenſi. Inueniebam etiam in Oceani litore, ad Tagi fluminis Oſtium, ad D. Ioannis propugnaculum nondum tunc abſolutum, & Caxcays, ſub Olyſippone Decembri florentem anno 1564. Floret alioqui Æſtate & Autumno, & ſubinde ſemen profert.

## MEDICA SCVTELLATA.



Deſcriptio. CVbitales robuſtos hirſutoſque habet *caules*, eoſque erectos: *folia* terna, maiuſcula, latiuſcula, acuminata, ſubtus hirſuta, circumquaque crenata: *flores* pauci, lutei, quos, velut tantum inſtar cochleæ ſiliquę ſequuntur, rugoſæ, turbinatæ, veluti è ſcutellis quatuor, aut quinque compoſitæ, vt inferior maior ſuperioris conuexum ſuo cauo excipiat: *radix* lignoſa, ſimplex.

Ad hanc noſtram Scutellatam Medicam, quemadmodum & ad ſequentium aliquas videtur referri poſſe vna è Medicis Turneri, qui ſatis indiſtinctè de iis ita ſcripſit: Medicæ notas, præter eas, quas recenſent Dioſc. & Plinius, has obſeruaui. flos eſt luteus: ex tribus foliis medium longiore pediculo ſemper viſitur, ſimulque cum Sole occidente conuoluitur, oriente expanditur. *Fructus cochleatus* fructus per maturitatem cochleatus, cornu caprini ferè inſtar, niſi quòd voluminum finis non promineat extra circinatum orbem: idem aliàs læuis, aliàs hirſutus, aliàs denique ſpinoſus. Maximæ Medicæ folliculus, & plurimùm læuis: Minoris hirſutus aut echinatus: ſemen Fœnugræco ſimile tum colore, tum figurâ.

*Dodon. notatur Trifol. cochlatum* Nobis videtur Dodonæus Trifolium cochleatum primum pro Medica, quam hoc loco tradimus proponere, quamuis icon non bene eam demonſtret.

In icone etiam Lobelii & Penę Adu. huius Medicæ portio quædam exprimitur, licèt non bene ab aliis diſtinguatur, nec deſcribatur. Aliud quoque in titulo Lobelii, & aliud in icone, quam etiam Plautinus aſſumpſit Tom. 2. p. 37. quæ tres Medicę ſeminis varietates promittit, & duas tantùm oſtendit, ſcutellatam videlicet, & turbinatam.

Hanc autem non poſſe Veterum Medicam eſſe, ſatis oſtendit Plinius, ſcribens de eius longâ duratione, quæ non cadit in annuam Medicam ſcutellatam, & ſimiles.

Hiſtoriæ quoque Lugd. conſarcinator confuſè de hac ſcripſit, proponens in ſua tabella (cui titulus, Medica ſiluestris, fructu triplici & diuerſo) cochleas noſtræ Scutellatæ, ſed non deſcribens, niſi id faciat his verbis: obliquis voluminibus ſinuoſum. Duæ preterea tantùm fructus differentiæ in eius figura conſpiciuntur, cochlearum nempe ſcutellarum, & turbinum: cùm tamen titulus triplicem & diuerſum promittat. *Hiſtor. Lugd. ſarcin. omnia fudit* Meminit is demùm Trifolii cochleati folliculo ſpinoſo, ſed in icone nihil tale demonſtrat. Vt autem veritatem non faciamus exulem, fatemur vades eius perpetui, Medicas non diſtingui, Medicamque ſurrectam flore ceruleo cum aliis confundi, ac quidem cum ea, quam ſilueſtrem lunatam vocat: Laudabile profectò fuiſſet, imperitum ſtirpium hæc nunquam tractaſſe.

*Tabe[rn. no]tatur Medi[ca] Angli[ca]* Compilator Tabern, qui Medicam Anglicam vocat, Engliſch Schnecken Klee / falſam habet figuram, & ad eam concinnatam decriptionem. Trifolium cochleatum, ſeu Medicæ ſpecies Ponæ in Baldo. C. Bauh. Trifolium 18. ſiue cochleatum fructu latiore acuto.

Locu[s &] temp[us]. Paſſim prouenit Monſpeſſuli, maximè in ſegetibus, Vere florens. Montbelgardi in horto E. C. floret Iunio & Iulio, fructu maturo Auguſto, ac deciduo, quotannis ſe propagat, modò Hiems non ſit ſeuerior.

## MEDICA ORBICVLATA.



Deſc[riptio]. SVbeſt ei *radix* parua, lignoſa infinitos fundens *caules* pedales, aut palmares, per terram ſparſos: *folia* terna parua, glabra, ferè triquetra, per extremum lata, & non nihil crenata, maculis interdū nigris reſperſa: *flores* exigui, flaui, oblongis pediculis donati: *ſiliquæ* helicoides compreſſæ, mēbraneæ, ex tribus, quatuorue orbiculis, altero alteri impoſito conſtantes, magnitudinis ferè vnguis, vbi maturuerunt, nigricantes, *ſemina* continentes ruffa, plana, ſed recurua. C. Bauh. phyt. Trifolium 19. ſiue ſcutellatum fructu latiore, folio obtuſo. In montibus Euganeis, vt & Monſpelii colligitur. Loc[us].

## MEDICA ECHINATA GLABRA,
### CVM MACVLIS NIGRICANTIBVS & ſine iis.

Deſc[riptio]. BIcubitales per terram ſpargit *caules* glabros & in iis *folia* terna, glabra, per extremum latiuſcula & ſerrata, quorum quædam cordis effigiem nonnunquam exhibent, quam cùm plāta primò prouenit, aſperſæ maculæ nigricantes repræſentant. Flores lutei, parui, duo, aut tres: *ſiliquæ*

*ſiliquæ* cochleatæ, parùm compreſſæ, muricibus per margines horridæ.

ynonyma *ifol co-atum, culatum* C.Bauh.phyt. Trifoliũ 22.ſiue cochleatum maculatum. Medica Arabica Camer. Et ſequenter, Trifolium 23.ſiue cochleatum fructu nigro hiſpido. Triſol.cochleatum alterum Dod. Medica *edica fol-iloſpino-* folliculo ſpinoſo Lobelio. *Hæc ille.* Nos tamen, Medicam Camer. Arabicam diuerſam à Lobelii *Bauh.* Medica ſpinoſo folio, & Dodonæi Trifolio cochleato altero, aſſerere non auſimus. Nimiùm ſunt breues Dodon. & Lobelius.

Cæterùm, Trifolium cochleatum alterum (inquit Dodon.) gallicè *L'herbe aux Limacons* vocatur, quod plæriquc Recentiorum Medicam indi-*dica A-ca.* cant, quamuis cum deſcriptione Medicæ non conueniat. Eſt enim Medica Arabica [teſte Camer. hort.] foliis cruentâ maculâ inſignitis. Lo-*lica fo-ſpinoſo.* bel obſ. & ic.pl.Tom.2.p.37.ſub Medica folio ſpinoſo, figuram Trifolii cochleati alterius Dodonæi habet. Medicam porrò Arabicã Hort. Luſ.germ. Arabiſch Schneckenklee vocat. Meminit huius, *olium nſe.* ni fallor, Cæſalp. ſub Trifolio pratenſi in genere.

*is & us* Geneuæ mihi in horto menſe Maio vigebat: Argentinæ D. Melchioti Sebizio cum floribus & ſiliquis hiſpidis, foliis glabris non maculatis, Iulio.

## MEDICA MAGNA TVRBINATA.



*iptio.* CVbitales & ſeſquicubitales *caules* emittit, hirſutos, multis ramis fiſſos, *folus* tergeminis, hirſutis, Trifolii pratenſis purpurei paribus, aliis veluti triquetris, per oras inciſis, quorum pediculi longiuſculi, pinnis caulem ambiunt: *flores* parui, lutei, pediculo hærent vnciali, & ſeſcunciali, quos ſequuntur *fructus* turbinati, ſex aut plurium circumuolutionum, arctè commiſſarum, duri: vnaquæque ſpira gemino denticellorum ordine cælata eſt, medium ſecante zonulâ perpetuâ: *ſemen* compreſſum, renis inſtar ſinuatum, Fœnugræci ſemini par, aut etiam paullò longius. Annua eſt planta.

*a ſi-Cu-ſigu-* Lob. & Penæ Adu. Medica, cui ſiliqua Cupreſſi figura, cuius portio quidem aliqua, ſub titulo Medicę, tres ſeminis varietates oſtendentis, exprimitur, aſt non placet icon. Hæc etiam à *Pen.* Plantino Tom.2.p.37.proponitur.

*b.* C.Bauh. phyt. Trifolium 20. ſiue cochleatum fructu compreſſo oblongo. H.Lugdunenſis, inquit, vnâ figurâ tres exprimit differentias, vt & Lobelius. Si Frater triplicem hanc differentiam oſtenderet, ipſi fidem haberemus, nos duplicem duntaxat obſeruamus, ſcutellam ſc. & turbinatam.

*& us.* Montbelgardi in horto E.C. ex ſemine per D. Chriſtophorum Schvvartz Stutgardiâ miſſo, & Aprili terræ mandato, floruit Iulio.

## MEDICA ECHINATA MAGNA hirſuta.



FOlia huic prima ſubrotunda, poſtmodũ nonnihil acuminata, & ſerrata, terna vni pediculo innixa: *caules* ad duos, tresue cubitos per terram ſparguntur: *flores* multi, coacervati ex longo pediculo, lutei: *ſiliquæ* ſimul aliquot cohærent, ſpiris duabus, aut tribus, vel etiam quinque, ferruminatæ, breuiſſimis veluti ſpinis obtuſis, exaſperatæ. *Deſcriptio.* Geneuę in horto mihi prouenit. Echinus, qui particulatim in tabella hac eſt pictus, ſequentis Medicæ eſt. *Locus. Icon.*

## MEDICA HIRSVTA ECHINIS RIgidioribus.



PEr terram ſe expandit cubitalibus & longioribus caulib. *Deſcriptio.* *folia* parua hirſuta, & per extremã oram lata: *flores* lutei: *echini* cochleati, pauci, & ferè ſingulares, longis ſurſum deque vergentibus rigidiuſculis ſpinis horrẽt, non admodũ denſis: conuolutiones ſunt tres, aut quatuor.

In figura noſtra emptitia ſpinę nimis breues & crebræ, ideò in tabella præcedenti, melius erant exprimendæ. *Icon.*

An Lob. & Penæ Adv. Medica ſiliquis ſpinoſis? C.Bauh. phyt. Trifolium 21. ſiue cochleatum, fructu duro, ſpinoſo. Medica ſiliqua ſpinoſa Adv. quam Lob. ic. Tom.2.p.37. ſub Medica pingit. An autem Lob. (vt equidem C.Bauh. vult) intelligat eandem Medicam nobiſcum, aſſerere non auſimus, quia paucis tantùm verbis ſpinulæ meminit. In iconum quoque tabella, in qua Lob. tres Medicas dicit ſe tradere, nullam video ſpinoſam. Fratrem eandem nobiſcum intelligere exiſtimo. Ponæ in Baldo Medica ſpinoſo folliculo. Caſt. Durantes pro Medica pingit cochleatam ſpinoſam. An Camer. hort. Medica annua, ſemine minuto, hirſuto? *Medica ſiliquis ſpinoſis Triſol. cochleatum fructu duro. Medica.*

Menſe Septembri ad mare reperi Monſpelii. *Locus & Tempus.*

## MEDICA ECHINATA HIRSVTA.

*Deſcriptio*



CRaſſiuſcula eſt & prolixa, ſed ſingularis *radix*, alba: *caules* multi, tenues, per terram ſparguntur, dodrantales, & cubitales, ſtriati, hirſuti: *folia* terna, ſubrotunda, ad Trifolium pratenſe luteum accedentia, nullo notabili ſapore prædita, piloſa, albeſcentia, maximè parte inferiore: *flores* parui, lutei, ſimul aliquot congeſti, eodemque modo ſimul coaceruata ex eodem pediculo longiuſculo, *capitula*, Piſo non maiora, contortis helicibus conſtantia, globoſa, quatuor, aut quinque, atque etiam plura, mollibus ſpinulis echinata.

*An Trifol. tortuoſum? Tribulus Trifol. echinatum An Lotus?*

Hiſt. Lugd. Tribulus terreſtris minor repens Dalechampii. C. Bauh. phyt. *Trifolium* 26. ſiue *echinatum aruenſe maius.* An Lob. Obſ. *Lotus Italica altera?*

Locus & tempus.

Floret & ſemina fert menſe Aprili & Maio. Paſſim prouenit maximè inter ſegetes prope patibulum Monſpeſſub Frater C. Bauh. inuenit prope Perou in littore maris. Hanc eandem habui Geneuæ in horto.

## MEDICA ECHINATA, MINIMA.

Deſcriptio



HÆc eſt *caulibus* circiter pedalibus, vel minoribus, tenuibus, quos ornant *folia* terna, Medicæ echinatæ foliis ſimilia penitùs, parua, hirſuta: *floſculi* puſilli, lutei, multi ſimul congeſti: ſequuntur eiuſdem *pediculi* faſtigio hęrentes quàm proximè, glomerati echinuli muricati, tres, aut quatuor, vel quinque iuncti, Orobi granu non maiores: *radices* tenues.

*Tribulus Trifolium Medica*

Hiſt. Lugd. *Tribulus minor rectus Dalech.* C. Bauh. phyt. *Trifolium* 26. ſiue *echinatum aruenſe* ſecundum. Cam. hort. *Medica puſilla capſulis echinatis.* An Ponæ in Baldo, *Tribulus ſilu. Dalech.*

Locus.

In pratis prouenit Geneuę ad Noſodochiũ. In arenoſis & ſabuloſis locis Dalecb. legit. Ex monte prope Lipſiam, de er Roſendal vocato, Camer. attulit.

## MEDICA CORONATA CHERLERI, parua.



Deſcr. PEdalibus donata eſt *caulibus*, tenuibus, ſubrubētibus: è quibus alternatim ex longis interuallis *ſurculi* exeunt ſingulares, vnciales & longiores, qui extremo mucrone ternos, quaternóſue geſtant echinulos, Tribuli terreſtris trifolii Hiſt. Lugd. Verùm ſinguli vnicâ ferè, aut ſeſqui-alterá circumuolutione conſtant, vtrinque denticulatâ, gemellam coronam imitata, echinus ſuſtinenti: ſurculo ad exortum breui pediculo hærent tergemina *folia*, hirſuta, aliquando ſubrubra, ferè cordata, in ambitu crenata, tam exigua, vt ſimul omnia dimidiatus vnguis digiti minimi facilè poſſit tegere.

*Caule.* *Folia*

Loc. In ſaxoſis, aridis, & ſqualidis Galliæ Narbonēſis, maximè verò in collibus inter Nemauſum & Vſetum obſeruauit & legit Cherlerus: eſtque vna ex rariſſimis plantulis.

## MEDICA LVNATA.

*Deſc. Siliq*



LAta, compreſſa, pollicis vngue maior *ſiliqua*, ad Auriculam muris Camerarii accedens, ſed ſpecioſior & maior, ſtriata, in circuitu lõgiuſculæ ſpinulæ, Criſtam galli non malè exprimit.

*Luna radi Medi cata Trif qua ta. Hiſt. repr.*

Lob. Obſ. & Ic. Pl. Lunaria radiata Italorum: Medica lunata, ſiue falcata. Caſp. Bauh. phyt. Trifolium 28. ſiue ſiliquâ falcatâ. Conſarcinator Hiſt. Lugd. non diſtinguit Medicam ſilu. alteram lunatam ſeu falcatam, à cæteris Medicis. Cæterùm pulchrum ſemen miſit Clariſſ. D. Cortuſus nomine Medicæ Alaphalſaga. An porrò, Cæſal. Trifolii quoddam genus, cuius ſiliqua valdè lata, de quo ſub Trifolio pratenſi in genere. An Caſt. Dur. in fine Medica lunata?

*Alap ga.*

AVRI-

## AVRICVLA MVRIS CAMERARII.

*eſcriptio*



INquilina nobis planta eſt, quam Auriculæ muris nomine propoſuit Camerarius, radice nixam parua, colore buxeo, ſapore dulci, ex qua *caules* pedales circiter, numeroſi, ſupini, in terram reclinantes, teretes, hirſuti: *folia* alternatim è caulibus exeunt, mediocriter craſſa, rigidiuſcula, tactu aſpera, & piloſa, pinnata, eo quidem ordine, vt extimum impar ſextuplò ferè coniugatim diſpoſitis in alam foliis maius ſit, principio anguſtiore, medio ampliore, denique in mucronem deſinens: ſapor vtriſque aliquantùm feruidus: *flores*, cuiuſmodi leguminibus, parui, crocei, hirſutis, viridantibuſque foliolis ambiti: *ſiliquæ* latæ, compreſſæ, ſimiles Medicæ lunatæ, ſed paulò minores, in ſe conuolutæ, hirſutæ, *ſemen* claudunt figurâ renis, alterâ parte gibboſum, alterâ ſinu inſculpto cauum.

*olio' ... nâ fal- ſimile. icula is. cula ia us & ous*

C.Bauh. phyt. Trifolium 29. Trifolio ſiliquâ falcatâ ſimile. Camer. hort. Auricula muris, à ſemine, & Auricula leporis, à foliorum figurâ appellata.

Anno 1597. menſe Auguſto floruit in horto Montbelgardienſi E.C. ex ſemine partim miſſo per D. Hoenſtetter Medicum, partim in horto D.D. Martini Chmielecii Baſileæ, maturo, menſe Septembri. Annua eſt planta. Cæterùm, vbi ſpontè naſcatur, ignorat Camer. niſi fortè in Creta, vnde ſemen Epithymo immixtum defertur.

*s. &*

Saporem nonnihil feruidum habet, ſiquidem Camerario credendum, ac diutiùs commanducata, ſaliuam prolicit. Liquor ſtillatitius dulcis eſt primo guſtu, poſtea verò nonnihil linguam vellicat, fortè putridis vlceribus, ſi quis periculum faciat, non incommodus.

*ra*

## OXIS, SIVE TRIFOLIVM ACIDVM, flore albo & purpuraſcente.

### CAP. LXVI.

*s cucu- dica.*

EST Trifoliis annumeranda planta, quæ à vulgaribus Herbariis *Panis cuculi* vocatur, vel quòd Cuculus auis eâ veſcatur, vel quia hâc erumpente Cuculus vocem ſuam edere incipiat, in officinis autem Trifolium acetoſum ab acido ſapore, ac à Plinio Oxys eâdem ob cauſam. Ex craſſiuſculâ, ſquammatâ, alba, vel ex albo rubente *radiculâ* longæ & crebræ pendent fibræ albicantes, indidemque emergunt pediculi infirmi, tenues, rotundi, palmares & longiores, terna gerentes *folia*, ſatis magna, latiora quàm longiora, cordata, hirſuta, ex viridi flauentia, ſæpè reflexa, vt capitum ad pediculum coitus turbinatam reddat formam, ſapore acido: inter hæc alia ſurgũt pediculi, *florem* ſinguli ſuſtinentes, vnicum, magnum, albicantem, ſtriatum, tenerum, *folliculus* pentagonus, quo attacto *ſemen* exilit ruffum nucleo Perſici ſimile, ſtriatum.

*ol. ace- . Vnde*

*criptio*



Brunfelſ. Tom. 3. cum Matthiol. Caſt. Dur. Hiſtor. Lugd. & Thal. Trifolium acetoſum, & Herb. ger. *Trifolium* 5. *Oxys*, autore Dodonæo, *Alimonia* vulgi Alexandro Benedicto. Lob. & Penæ Adu. puſilla videtur Lotus. *Trifol. acetoſum. Alimonia. Lotus*

Oxyn autem Plinii nunquam ad Lotos pertinere, doctè Geſn. exiſtimauit. Patet igitur vel hîc Lobelium memoriâ lapſum.

Anguill. non vult affirmare Oxyn eſſe ſpeciem Trifolii acidi. Cordus, qui deſcribit, dicit *Oxyn Alleluiam* vocari. Ruell. *Oxys Plinii*, vulgò *panis cuculi* dicitur, & Herbariorum *Trifolium* 4. quod *acidum* nominant. Cluſ. Hiſp. *Oxys vulgaris*. *Alleluya. Trifol. acidum.*

Trago ſi non refragandum, fieri poteſt, vt ſit Oxys ſeu Oxytriphyllon apud Dioſcoridem. Poſſet etiam dici ſilueſtris Acetoſa, ſeu Oxalis wild ſaür ampffer] Sunt qui *Luyulam* & *Bachael* nuncupent. Vide Meſuem, Matth. Syluaticum, Leonh. Gilbertum, & Iac. Manlium ſuper vng. Marciaton. Oxytriphylli quoque nomen apud Dioſcor. videtur eidem Hiſt. Germ. ſuperfluum & pertinere ad Gauchklee, Trifolium acidum. Hæc ille, cui ſi notum fuiſſet verum Trifolium bituminoſum, ei reliquiſſet nomen Oxytriphyllon, quod non malè conuenit. *Oxys Oxytriphyllon. Acetoſa ſilueſt. ſeu Oxalis. Luyula. Bachael Tragus no*

Adſtipulatur nobis Cornarius, dicens: Oxytriphyllon cum Oxy nihil commune habet. Oxym Plinii crediderim eſſe Trifolium acetoſum dictum. Hinc malè videtur Cæſalpino Plinius per Trifolium alterum, acuto folio Oxytriphyllon, intelligere Trifolium acidum, quod alibi Oxym vocat. *Cæſalp. error*

Nec deſunt, Monachorum teſtimonio, qui per Triphyllon intelligi putent Trifolium acetoſum, *Alleluiæ* nuncupatum. Fracaſt. Luyula, fortè Oxys Plinii. *Oxys Plinii*

Trifolium autem acetoſum differt ſexu. Fœmina [inquit Cam. in Epit. Matth.] flore albo, venis purpuraſcentibus diſtincto. Mas totus purpureus, rarus inuentu. *Trifol aceto ſi differ. Fœmina Mas*

Tab. Oxys & Trifolium acetoſum floribus lacteis.

C.Bauh. phyt. Trifolium 13. ſiue acetoſum vulgare. Variat flore lacteo, purpuraſcente & luteo. Hæc Frater, qui quo Autore dicat vulgare Trifolium acetoſum flore eſſe luteo, me latet. Ego nunquam me audire aut memini, aut quemquam ſcribere obſeruaui. Paulò pôſt quidem ſcribam de luteo, ſed differente à vulgari. *C.Bauh. not.*

Fuch. Roeſſ. pro Alleluia, Pane cuculi, ſeu Trifolio cuculi, iconem Trifolii albi exhibet. Ve- *Trifol. cuculi.*

tæ autem Oxyos icon eſt pro Epithymo malè poſita, malè quoque Trifolii titulo vbi potiùs ponenda eſt dicta icon Trifolii albi.

*Oxys Plinii non eſt Oxytriphyllũ Dioſc. Errores varii*

Cæterùm Oxin Plinii, ſiue Trifolium acidum, quidam exiſtimarunt Oxytriphyllon Dioſcoridis, non ſine inſigni errore. Oxyphyllon enim & Oxytriphyllum, de Trifolio bituminoſo Veteribus dicitur. Nec minus bene Lotum ſatiuam quidam putauêre Trifolium Aſphaltites & Oxytriphyllum. Nobis hæc eſt Lotus ſatiua, odorata, annua, flore cœruleo.

*Non eſt Lotus ſatiua*

Malè quoque quibuſdam Scribonii Oxytriphyllon: dicitur nobis Trifolium rectum Monſpeſſulanum. Peſſimè tandem à nonnullis pro Oxytriphyllo altero Scribonii habetur, de quo nos ſub Trifolio albo, recto, hirſuto valdè.

Linguarum Nomina.

Ὀξὺς, ὀξυτρίφυλλον, *Oxys*, *Oxys Pliniana*, *Acetoſella*, *Oxalis minima*, *Trifolium acetoſũ*, *acidum*, *panis cuculi*, & *Alleluia*. Gall. *Pain de cocu.* Germ. Saur: Büch: Gauch: & Gückgauchklee & Haſeklee. Itẽ Haſen. Roß: & Büochampffer. Büch: Gauch & Guckgauchbrot, Guckenlauch / & Gauchlin. Belg. Cockoutkſbrot. Angl. Wod ſaur. Hung. Alleluia fin.

Locus & Tempus.

Oxyn flore albo obſeruaui Geneuæ ſemine maturo Iunio. Patauii cum ſiliquis Decembri. Bononiæ al burgo di S. Catharina. Baſileę copioſè Auguſto circa Dornach in montibus. Frater autem C. Bauh. in monte Moutets. Cæterùm opacis plurimùm prouenit locis prope ſepes & itinera. Iac. Gargillus inuenit flore purpurante prope Newhauß quæ eſt vltra paruam Baſileam in Marchionatu: nos autem inter Beffordiam & Raupach in dumetis florens Martio. Montbelgardi paſſim florens Aprili, virens Auguſto.

Vires & vſus

*Enterocele. Futuræ tempeſtatis nuncia. Temperamentum. Ventriculi ardores. Aqua. Febris acuta. Succus. Eryſipelas. Faucium calida fluxio. Affectus cordis & ventriculi. Porta repreh.*

De eius viribus hæc Plinius. Oxys datur ad ſtomachum diſſolutum. Edunt & qui enterocelen habent. Obſeruaſſe autem ſeſe ſcribit Fuchſius, atque adeò multorum experientiâ cognitum, quod eius herbæ copioſi flores crebras illius anni pluuias, & aquarum inundationes certò portendunt: pauci contra, ſiccitatem. Tota planta, auctore Matthiolo, refrigerat Oxalidis modo. Quare deuorata, ſitim & ventriculi ardores extinguit. Iecur refrigerat & cor roborat. Stillatia huius aqua datur vtiliter potanda acutâ febre laborantibus, ſed multò magis præſtat ſuccus ex ſaccaro potus. Illinitur idem per ſe eryſipelatis & inflammatis locis: oſque eo colluitur, cùm lingua, palatum, fauceſque calidâ fluxione laborant. Placet autem Triphyllon Alleluya dictum ad affectus cordis, vel ventriculi potiùs & oris eius, commendari. Propter temperamentum quod ex ſapore proditur, non autem propter cordis figuram, vt Porta vult. Siquidem multa ſunt, quæ talem figuram habent, nec cardiaca comprobantur. Diſplicet quoque quod laudet propter rectas, longas, & rigidas vaginulas ad ſerpentum morſus. Quis enim conſulat, vt applicetur planta adſtringens & refrigerans morſui ſerpentum? non inuenio Plinium aliquid tale de Trifolio acido ſcripſiſſe. Suſpicor Portam confundere cum modò dicto Trifolio, Trifolium Aſphaltites.

*Conſerua. Peſtis. Doſis*

Præ cæteris demum, teſte Io. Bokelio, ad peſtem laudatur conſerua Trifolii acetoſi verno tempore cum Saccharo præparatæ ſumpta manè ad Caſtaneæ quantitatẽ.

* * *

## OXYS LVTEA.

### Cap. LXVII.



*Deſcri[ptio]*

SErpendo per terram ſpargit *coliculos* palmares, aut ſeſquipalmares graciles: *folia* tenuiſſimis nixa pediculis terna cohærent minora quàm Oxyos vulgaris, magiſque per extremum fiſſa, corculum [vt vulgò pingi ſolet] expreſſiùs effigiantia hirſutiora, ex breuibus pediculis à coliculo prodeuntibus dependentia: guſtus acidi: *floris* forma ſtellata eadem, ſed color luteus: quem cornicula, ſiue *ſiliquæ* ferè vnciales ſequuntur, ſurſum ſpectantes, craſſiuſculæ, folioſæ ex quinque loculis conſtitutæ, quæ vbi ad maturitatem peruenere leuiſſimo attactu *ſemina* plurima, parua, ruffa, vel flaua C. Bauh. aſpera exiliunt è latebris: oſculis quamprimùm conniuentibus, vt ne appareat ſiliquas diſſiluiſſe. *Radix* longiuſcula, gracilis, fibrata.

*Oxys ... Trifol. acetoſum luteo. ... luteam corniculatam repens. Trifol. acetoſum corniculatum luteum C. Bauh. ...*

Huius Trifolii his meminerunt nominibus (*Oxys*, ſiue *Trifolium acetoſum flore luteo*) Cluſius Dodon. Cam. Tab. & Lob. qui præterea Obſ. *Oxyn luteam corniculatam repentem*, & *Oxyn luteam Cluſii*, cum Hiſt. Lugd. inſcribit. C. Bauh. phyt. Trifolium 12. ſiue *acetoſum corniculatum luteum*, qui antè vulgare luteum quoque dixit, quaſi ab hoc diuerſum, ita vt duo genera faciat. Ponit is iconem in renouato Matth. vbi vocat Trifolium acetoſum flore luteo Caſtori.

Locus & Temp[us].

Vmbroſis quibuſdam circa Hiſpalim locis naſcitur. Apud Belgas, atque adeò in omni ſolo ſata prouenit, quin & ſemel ſata, poſtquam florerẽ cœpit tota deinde Æſtate flores producit, & ſemen fert: plantæ tamen omnes, vt Cluſ. dicit, Hiemis inclementia pereunt, ſed & ſemine deciduo renatę [ſi rigida Hiems ſubſequatur] plerumque corrumpuntur, prorſuſque genus interit, frigidioribus præſertim regionibus. Hæc Cluſ. Ego quidem cùm Monſpelii eſſem vidi flore luteo menſe Iunio, & poſtea Octobri florentem circa Gangem. Heidelbergæ copioſè in horto D. Sprẽgeri, & Baſileæ D. Zvvingeri, vnde in hortum Montbelgardenſem tranſtuli, in quo ſe quotannis ſemine propagauit.

## TRIFOLIVM ACVLEATVM CRETICVM.

*Deſcr[iptio]*

RArum eſt hoc Trifolium Cretæ munus, cui *caulis* in ramos alternatim oriundos, creberrimos, anguloſos, denuò in minores ramulos diuaricatos, humíque fuſos, ſtriatoſque diuiditur, vbique verò quà rami, ſurculiq. diuiduntur, duo exeunt *pedicelli* breues, oppoſiti, ſinguli *folia* terna, parua, oblonga, in acumen ſpinoſum deſinentia, glabraque ſuſtinentes: iiſdemque diua-

que diuaricationibus ſubſunt adunci, rigiduli, mordaces deorſum ſpectantes aculei: ſuperiùs verò ex ipſo ramorum coitu pediculus exit breuis, cui ex calyce viridante emicans inſidet *flos* amœnus, magnus, purpuro-violaceus, Lyſimachię ſpecioſæ ſimilis, è quinque foliis compoſitus, medium obſidentibus apicibus luteis: *ſiliqua* quatuor, aut quinque, coſtis canaliculatis, latiuſculis, ad mucronem turbinatum coëuntibus conſtant, *ſemine* in ſingulis contento lato, ruffo.



C.Bauh.phyt. *Trifolium* 33. ſiue ſpinoſum Creticum cœruleum, quod in horto Montbelgardenſi apud Fratrem Io. Bauhinum legimus: accepimus etiam à Laurentio Roſenavv nomine Trifolii ſpinoſi, ſemper virentis ex Candia, Cyſti flore. Cluſ. in poſtr. Hiſt. vocat *Trifolium ſpinoſum Creticum*, Honorio Bello, Orbitochorto, dubitatque an Tribulus terreſtris Dioſc. τρίβολος χερσαῖος ſit, aut ſaltem genus aliquod. Sed notæ Dioſcoridis, nobis quidem iudicibus, videntur meliùs reſpondere iam recepto Tribulo terreſtri: ſiquidem Trifolio Cretico non ſunt folia τῆς ἀνδράχνης, qualia requirit Dioſcorides.

Caſabona præfectus horti Ill. Ducis Florentiæ ex horto eius Piſano miſit Stutgardiam ſemen cum hac inſcriptione: *Orbitochorto*, Trifolium aculeatum, flore Cyſti, rariſſima planta Candiæ. Sata Montbelgardi in horto Ill. Princ. menſe Aprili, prouenit ex ſemine mihi miſſo Lutetiâ à Robino, floruit principio Iulii. Nata quoque erat Moguntiæ in Reuerendiſſimæ eius Celſitudinis horto, ſemine ex Italia quidem miſſo, ſed ex Cretâ accepto.

## TRIFOLIVM PALVSTRE.

GEniculata *radix*, longa, alba, prorſum incedit fibris ſubinde demiſſis, firmata, *pediculi* inferiùs latiores vaginæ inſtar, dodrantales, tria habent annexa *folia*, magna, fabaceis formâ & magnitudine reſpondentia, læuia, inter hæc *caulis* ſurgit cubitalis, læuis, gracilis, virens, thyrſum gerens florum, ex albo purpuraſcentium, qui Dalech. priuſquam dehiſcant candidi, nonnunquam ſubrubentes ac rotundi: cùm recluſi in quina folia diuiſi, oblonga, tenuiſſimis & candidis filis, veluti lanugine, ſiue pube quadam elegantiſſimè criſpatâ, folliculi inde parui, rotundi, ſiue rotunda capitula aut vaſcula, in quibus *ſemen* Helianthemi ſimile, ex fuſco flaueſcens: amari guſtûs.

C.Bauh.phyt. *trifolium* 16. ſiue paluſtre. *Iſopyron* Dioſc. quorundam, aliis *Menianthes paluſtre* Theoph. 4. Hiſt. 11. *Menſiflorum* Gaza vertit. Thalio Harc. *Trifolium paluſtre, ſeu caſtoris*, *Iſopyron* Dodon. *Limonium verum Cordi*, oder waſſerwiſenmangolt, quòd nempe irriguis pratis & conſimilibus locis gaudeat, à quibus Limonio ſuum apud Græcos nomen antiquitùs obtigit. *Limonium.*

*Tragi error.* Tragus idem Limonii pratenſis nomine deſcribit, ſed apparet ipſum incidiſſe in locum, vbi ſtirps hæc floriſera quidem fuerit, ſed floribus eius abſque fructu intercidentibus, vnde ipſe exiſtimauit, nullum herbæ huius fructum prorſus eſſe.

*Taber. not.* Compilator Tabern. duas exhibet figuras, nec oſtendit quain re differant præter magnitudinem. Hort. Luſ. *Trifolium paluſtre fibrinum caſtoris*, Biberklee/lungenklee. Dodon. Gall. *Iſopyron* vocatum eſt à quibuſdam, teſte Dioſcoride, *Phaſiolon*. Item in ſol. *Faſelus hircinus*, aut *Bona hirſuta*, Belg. Boixboonen/ Harch. in Enchir. quoque *Limonium* vocat, verùm confundit cum eo Pyrolam. *Harch not.*

*Lonic. confuſio.* Lonic. *Limonium, limonium pratenſe*, & *Beta ſilueſtris*. Hæc ille, qui nomina ſolùm abſque deſcriptione ponit, ideóque confuſè nimis capite de Pyrola duas figuras ponit.

Lob. & Pena [qui in Adu. quærunt, Trifolium paludoſum, ſitne potiùs Iſopyron, quàm Melanthii ſpecies?] ſcribunt, cur huic Trifolio, aquatico vocato, quod potiùs Iſopyron, Matthiolus Melanthium quoddam prætulerit, vix coniectari licere. *Iſopyron.*

*Non eſt Iſopyron contra Dod.* Cæterùm, Geſnerus eorum opinionem non probat, qui plantam hanc Limonium, aut Dioſcoridis Iſopyron eſſe affirmant. Iſopyrum ſiquidem Dioſc. Aniſi ſolio conſtet. Lotus [inquit is, forſitan eſt paluſtris VVoiſelli.

*Hiſt. Lugd. not.* Hiſt. Lugd. Menianthes paluſtre Theophraſti: Iſopyrum Dodonæi, cuius ſententiæ, tum Dioſcoridis, tum Plinii authoritas, maximè refragatur. Hiſt. Lugd. duas proponit icones. Priori titulus eſt modò dictus. Altera verò, Menianthes paluſtre Dalechampii inſcribitur.

Locus & Tempus. Naſcitur vliginoſis ac paluſtribus locis, ſterili ac macro ſolo, aquarum tamen affluxu ſemper madeſcente, extra aquam citiſſimè flacceſcens. Primò vidi Tiguri florens Maio, poſtea Geneuæ ſemine maturo Iulio.

## TRIFOLIVM HEPATICVM, SIVE TRInitatis herba, flore cœruleo.



Deſcr. HVic plantę *folia* ſunt ex longis pediculis triquetra, auerſâ parte Matth. Cyclamini modo ſubpuraſcentia, ſuperiore verò albis quibuſdam maculis reſperſa: *caulis* ex radice tenuis, *florem* in cacumine ſuſtinens ſtellatum, cœruleum: *ſemen* colore non diuerſum, oblongum: *radices* tenues, plurimæ ſubrubentes.

Græcis & Mauritanis [inquit Hiſt. Legd.] inco-

*Hepatica Etymen Herba Trinitatis vnde. Varietas.*

gnita videtur fuiſſe, hæc quæ hodie ab Herbariis. *Hepatica*, dubio procul quòd Hepaticos iuuet, & *Herba Trinitatis*, à foliorum figura nominata eſt. Huius flores colore variant, aliàs cœrulei, aliàs purpurei, & quandoque niuei. Nonnunquam etiam folia [ florum] maiora, maculis, notulisue variegata ſpectantur.

Dodon.gall. *Hepatica*, Et Lat. *trifolium aureum*. Baptiſta Sardus, inquit, *Trinitatem*, & *Trinitatis herbam*, [ vt & Itali apud Geſn. ] nominat. Sunt qui *βάλλαξιν* eſſe ſuſpicantur, quam Trifoliam herbam eſſe Heſych. ſcribit: Sed Balaris deſcriptione non extante, nihil definiri poteſt. Cæterùm Trinitas à Cordo *Epimedium* redditur. Iis autem (inquit Trag.) qui hanc herbam *Lichen* eſſe ſtatuunt, aſſentiri non poſſum. Omnes empirici eam Hepaticam eſſe ſtatuunt. Germanis Edel leberkraut, *Hepatica nobilis*, Hieron. Braunſch. Güldenklee, *trifolium aureum* vocatur. Ego quoque [ ſic & Lonic. Matth. germ. & Caſt. Dur. p 464. appellant. Hic præterea pagina ſequenti 465. Trinitatem nominat, atque ita duas figuras & deſcriptiones vnius herbæ ponit, ] vocabo *trifolium aureum* ſeu *magnum*.

*Balaris. Epimedium Lichen non eſt. Hepatica nobilis.*

*Hepaticum Trifol. Trinitas Herbar. Hepatica terreſtris.*

Lob. & Penæ Adu. *Hepaticum trifolium*, ſiue *trinitatis*: Obſ. quoque Hepaticum Trifolium *Hepatica* & *Trinitas Herbariorum*. *Epimedium Tragi* Cordo. Geſn. Hepatica terreſtris, & aurea flore cœruleo & rubro Tabern.

*Camerarius*, cui in horto, Trifolium Hepaticum flore cœruleo dicitur, ſcribit apud Matth. Trinitatem inueniri flore rubente, & interdum albo [maculoſoque Cæſalp.] Tardiùs autem eas florere, quàm cœruleam. Hoc ita confirmat Cluſ. Planta quam nonnulli Trifolium nobile [Edlen klee] vel aureum, & Hepaticam trifoliam, appellant, flore, vel eſt cœruleo, & præcocior: vel ad cœruleum tendente, & ſeriùs florens.

*Hepatica trifolia.*

C.Bauh.phyt. *trifolium* 14. ſiue *Hepaticum*.

*Brunfelſ. taxatur.*

Pingit Brunfelſ. ſub Hepaticæ [ hyrßklee] titulo, vocatque ex Hieronymi Herbario, Hepaticam tertiam, & Trifolium aureum. Brunfelſium reprehendit Amatus dicens, Lagopum, herbam illam, quam Trinitatis appellant, eſſe, credendum eſt: Hæc herba Trinitatis, Pes leporis dicitur, & à Brunfelſio inter Hepaticas reponitur, qua in re nulla præſtanda fides. Sed miror Amatum Trinitati tribuere cubitalem cauliculum, ac dicere alia in deſcriptione, quæ non multùm conuenire videntur: hæc etiam non naſcitur in ſegetibus, quod Dioſc. tradit de Lagopo. Brunfelſ. quoque non ex ſe, aſt ex authoritate Hieronimi, bene vocat Hepaticam. Robert. Conſt. apud Amatum, Alteram herbam Trinitatis, *pied d'Alexandrie ou d'Alouette* vocat, quæ Lagopus Luſitano, Matthiolo abſque nomine cap. de Trifolio. An autem Robert. congruè tribuat ei nomina gallica, mihi nondum conſtat.

*Lagopus Pes leporis. Amat. reprch. Rob. Conſt.*

Trinitatem vulgò dictam flore cœruleo Brunfelſ. inter Hepaticas numerat, licèt non inueniam (ait Matth.) inter Græcos antiquos, aut Arabes, qui eius meminerint.

*Tora, & Taura.*

Cæſalpinus Triada ſeu Trinitatem ab Hermolao, & aliis quibuſdam *Toram* & *Tauram* appellari ſcribit. Nos id apud Hermolaum nondum legimus. De Tora agetur lib. 34. vti quoque de Anthora, quam à nonnullis Hepaticam auream, & Trinitatis herbam nuncupari Thalius in Harc. tradit. Alia porrò eſt herba Trinitatis nomine donata, vocaturque Viola tricolor à quibuſdam etiam Iacea, de qua ſuo loco

*Viola tricolor.*

Nomina linguarum.

*Hepatica*, *Hepatica nobilis*, *aurea*, *trifolia*, *Trinitas*, *Trinitatis herba*. *Trifolium hepaticum*, *nobile*, *aureum*. Germ. Leberkraut/ Edel: Vnnd Gulden Leberkraut. Edel: Vnnd gulden klee. Belg Edel: Vnnd Gulden leuercruyt. Gall. *Hepatique*. Boeh. yatruink trogilyſti.

Locus tempus.

Offendi Trinitatem variis in locis. Cæterùm, loca quærit vliginoſa, & opaca, hinc in frutetis frequens.

Vires vſus *Vulnera. Enterocele. Fauces. Temperamentum. Inflammationes.*

Probatur maximè à recentioribus Medicis ad vulnera glutinanda, tam foris illita, quàm intus: item ad enterocelas, in quem vſum puluerem dimidii cochlearis menſura ex vino auſtero propinant. Tota planta decoquitur in vino eodem ad columellæ, faucinmque inflammationes. Refrigerat enim, ſiccat & roborat. Quare aduerſus intemperies calidas, & inflammationes hepatis, & febrium calores perutilis.

## TRIFOLIVM HEPATICVM FLORE albo.

Locus.

QVoniam autem in Trifoliorũ hiſtoria verſamur [ inquit Cluſ. ] obiter etiam meminiſſe hoc loco libuit Hepaticæ Trifoliæ flore albo, quã Belgici horti alunt munere Alphonſi Pancii Ferrarienſis Medici, qui eam nobis Mechliniam miſit. Hanc etiam non ſolùm Viennenſi agro ſed omnibus in ſiluis Pannoniæ & Auſtriæ interioris ſpontè naſcentem obſeruabam. Nam Viennenſis ſaltus omnes Hepaticas, præter eam, quæ pleno eſt flore, alit. Nos in montanis Sabaudiæ Syluis etiam vidimus.

## TRIFOLIVM HEPATICVM, SIVE Trinitatis herba flore rubro.



Deſcr.

HEpaticã Trifoliã rubro flore alunt Belgici horti, munere Alphonſi Pãcii, qui Mechliniam mittebat: Viennenſis ager alit eam, quæ incarnato, ſiue rubello eſt flore: apud Niſſam Sileſiæ, & Ienam Thuringiæ etiam ſpontè naſci Cluſius ab amicis intelligebat.

## TRIFOLIVM HEPATICVM FLORE pleno.

Deſcri.

PVrpuro cæruleis multiplicibus *floribus* ſtipatam elegantiâ peregrinâ, præclaro D. Io. Brancioni, doctiſſimus p. m. Alſonſus Pancius Ducis Ferrar. Medicus miſit: cæteroquin *folia*, *radix*, cum ſuperioribus haud abſimilia.

*Hepatica trifolia polyanthos. Trifolium nobile polyanthon.*

Lob. Obſ. & Ic. Pl. Tom. 2. p. 35. *Hepatica trifolia polyanthos*. Cluſ. Pannon. *Trifolium nobile πολύανθον cæruleo flore*, quod Pancius Mechliniam miſit. Item in fol. ait: Poſt meum Viennâ diſceſſum, inuenta eſt apud arcem Starnberg

Locus.



Mag. Dn. de Heuſenſtain in ſiluis illis, quæ ab illa arce ad niueum montem extenduntur, etiam illa Hepatica trifolia, quæ flore cæruleo eſt, & pleno. Taber. *Hepatica aurea multiflora*, gefült gulden Leberkraut. Camer. ad Hiſt. Matth. *Trinitas flore pleno.*

*atica* *ea mul-* *ra.* *nitas* *pleno*

## EPIMEDIVM QVORVNDAM.
### CAP. LXVIII.

riptio.



PRo Epimedio oſtenditur hodie planta, pulchra ſanè & noſtris oris rara: *radix* obliqua agitur, nec altè demerſa, gracilis ſatis, ſed longa, lignoſa: hinc ſurgunt *pediculi* dodrantales, atque etiam cubito altiores, tenues, politi, rigiduli, in ternos *ſurculos* diuiſi, quorum ſinguli ſurſum internos alios diuiduntur, ita vt vnicuique *folium* hęreat unum Hederaceum, ex rotũdo oblõgum, rigidulum, acuminatum, neruoſum, auerſâ parte glaucum, ſuperiùs ex viridi palleſcens, iuxta pediculum pinnis duabus ſubrotundis, quarum altera alterâ longior, donatum, circumcirca mitibus *denticellis* crenatum: pedicularis quidam ramus paullò infra primam ramorum diuiſionem palmaris aut dodrantalis in ramulos diuiſus, quorum vnuſquiſque plures getit *flores*, priuatis petiolis hirſutis nixos, quatuor foliis purpurantibus conſtantes, quorum medium occupant *apices* lutei.

nyma:

Epimedium nominat Anguillara, dicitque Dioſcoridem in eo lapſum, quòd putet carere flore & ſemine. Aduerſ. Lob. & Penæ *Epimedium* quoque tradunt, ſuſpicanturque Epimedium hoc eſſe *Epipetrum*, vt Plinius legiſſe videatur Theophraſto memoratum, non autem vt vulgò legunt Epimetrum. Epimedium (inquit Dod.] appellatur: ſed legitimum affirmari nequit. Dioſc. enim florem & ſemen ei eſſe negat: Plinius etiam nunquam florere refert. Hiſt. Lugd. Tabern. & Camer. Epimedium. In montibus Liguriæ planta proueniens dicitur Cæſalpino.

*Locus & tempus*

Obſeruaui Patauii in horto Ieſuitarum, D. Cortuſii & Triueſani, Ferrariæ in monaſterio S. Dominici à l'angeli, in montibus Euganeis inter balneum Aponenſe & Arqua, vbi Gener Cherlerus etiam obſeruauit copioſè florens Martio & Aprili: Stutgardiæ florens Maio, in horto Ill. E. C.

## ANONIS, SIVE RESTA BOVIS, vulgaris, purpurea & alba, ſpinoſa.
### CAP. LXIX.

*Deſcriptio*



LOngè lateque *radices* ſpargit albidas fractu perquàm contumaces, *ramis* verò lignoſis, ſimplicibus & frequentibus fruticat, cubitum vnum, aut alterum longis, tenuibus, rotundis, hirſutis, rubeſcentibus, lentis, ſpinis longis & rigidis armatis, interdum verò nullis, priuſquam decidant folia: *folia* ſpinis ferè proximo ortu, incondita, ſublonga, Ciceris ſingularibus foliis ſimillima, nigricantia, hirſuta, in ambitu crenata, ſapore leguminoſo, tactu glutinoſa, odorataque: teſte Cæſalpino, *flores* Coluteæ, ſed colore purpuraſcente, albo, vel carneo: *ſiliquæ* paruæ rotundum *ſemen* continent, Viciæ formâ & ſapore.

*Folio Rutæ.*

Optandum eſſet, vt omnes Antiquorum deſcriptiones, qui de Medica materia, aut de plantis aliquando egerunt, tales eſſent. Feliciſſimè ſi quidē vnus omnium Theophraſtus αὐτοθεασάμενος hanc expreſſit, ſcribens: Ononis in ramis aculeata eſt: annuam fert frondem, Rutæ folio ſimilem, quam toto caule profert, facitque tota veluti coronæ formam per interualla diſpoſita: florem minutulum, & in ſiliqua non vndique ſeptum edit. Naſcitur pingui & glutinoſo ſolo, præſertimque in ſegetibus, atque cultis: quam ob rem aratoribus inimica. Nec facilè perit, cùm ſemel alto & pingui ſolo hæſerit. Deſcendit enim quamprimùm, & quotannis regerminat per latera ſe ſpargens: iterumque in interiora terræ nitens deſcendit, ſequenti anno copioſiùs naſcitura. Eruenda tota extirpandaque penitùs eſt: Quod, cùm terra imbribus maduerit, egiſſe oportet. Facilè enim tunc tota perit. Si quid enim ex ea relictum fuerit, ex eo iterum renouatur. Æſtate germinare incipit: Autumno autem incrementi ſui finem habet.

*Ononis.*

Anonis (inquit Dioſc.] quam aliqui Ononida [ὀνωνίδα] vocant, ramos habet dodrantales & maiores, fruticoſos, multis geniculis præditos, & qui alas multas habent: capita rotunda: folia parua, tenuia, velut Lentis, ad Rutæ, aut Loti pratenſis folia accedentia, ſubhirſuta, odorata, non iniucundi odoris. Muria conditur antè quàm ſpinas producat, eſtque cibo gratiſſima. Habent ra-

*Loti pratenſis folia.*

mi ſpinas acutas, inſtar ſpiculorum, ſolidas. Radicem verò habet albam calefacientem & attenuantem.

*Spinoſorum genus*

Spinoſorum [ait Plin.] etiamnum aliquod genus Ononis. In ramis enim ſpinas habet appoſitas: folio Rutæ ſimili: toto caule foliato in modum coronæ. Secatur aratro (vel, vt legendum cenſet Turnebus, ſequitur arata) frugibus inimica, viuaxque præcipuè. *Idem multò poſt.* Anonin quidam Ononida malunt vocare, ramoſam, ſimilem Fœnugræco, niſi fruticoſior, hirſutiorque eſſet, odore iucundo poſt Ver ſpinoſa. *Hæc Plinius* cuius poſtremam ſententiam reprehendit Matthiolus. Etenim non poſt Ver Anonis ſpinoſa redditur, ſed in Autumno, id quod experientia ipſa comprobat.

*Fœnugræco ſimilis.*
*Plin. repreh.*

*Dioſc. explicatur.*

Cæterùm quod Dioſc. ait habere folia, ceu Lentis, ad Rutæ, Pratenſiſue Loti herbæ folia propiùs accedentia, alterum ad figuram, alterum ad quantitatem, vt vult Marcell. referendum eſt, nec aliter legi & intelligi poteſt.

*Anonis Ononis*

Anonis [inquit Ruell.] Dioſcoridis dicitur. Theophraſtus & Galenus Ononim appellare maluerunt. Ononim Dioſcoridi. Loto fœnariæ, ſeu pratenſi ſimilem: Plinius Fœnugræcò fecerunt, nullo tamen inſigni, vel notatu digno diſcrimine. Nam fœnaria Lotus, pratenſiſue folio Fœnugræcum videtur æmulari. Cæterùm licet Dioſc. vnum tantùm Anonidis genus deſcripſerit, Marantha tamen hanc tum purpureo, tum candido flore conſpexit.

*Etymon.*

Anonis & Ononis non Latinis solùm, ſed & Græcis vocatur, qui licèt duas, non vnam deſcripſiſſe plantam videri poſſint, vnam tamen eandemque vtraque appellatione indicaſſe eos pro comperto omnibus eſt. *Anonis* quidem à non iuvando, quòd nullam vtilitatem præbeat, dici videtur. Siquidem aratoribus inimica eſt, viuaxque nimis fruges opprimit, & ſuis aculeis nocet, niſi quis ex aduerſo nomen inditum putauerit. *Ononis* autem vt apud Hermol. Photion vult, quod ὄνοι ſeſe terentes ad illam ſcabienteſque iuuet: vel quòd in ea ſe volutantes ſpinis eius dorſum libenter affricent & ſcabant. Vulgus Herbariorum Arreſtam bouis, vel *Reſtam* bouis Ochſenbrech: quòd in opere arantes boues ſiſtat & impediat, nominare ſolet. Ruellii Sueſſiones vernaculi *Bugraues* appellant, quòd bubulcis grauis ſit: alii *Bugrandes*, quòd promiſſo mucrone ſpina rigeat. Nonnulli *Remoram aratri*, quòd altis & duris radicibus in agris aratrum remoretur, appellant. Sunt qui *Acutellam*, quòd ſuis ſpinis ingredientium pedes pungat. Galli *Arreſtebœuf.* Germ. Hewhechel & Heckelkraut, quia crebris inter folia aculeis, haud ſecùs quàm inſtrumentum hoc quo mulieres linum carminant, & à craſſiore purgant ſtuppa, horreat: vel, quòd ligone ad aculeatam hanc herbam eruendam & extirpandam, cùm in altum acta ſeſe propagauit, opus ſit. Equites germani Stalkraut [Vrinalem, aut Vrinariam] quòd decoctum eius meiere nequeuntibus equis offeratur.

*Arreſta vel Reſta bouis.*
*Remora aratri*
*Acutella.*
*Vrinalis.*

*Lonic. repreh.*

Cæterùm, Ononis, ſiue Anonis paſſim à noſtris Batauicis traditur ac depingitur. Verùm è cunctis Lonicerus & malè deſcribit, & deteriorem exhibet iconem.

*Aquilegium ſpinoſum.*

Andernacus in libello de baln. in formula remedii ad renum affectus, præſcribit Aquilegium ſpinoſum, ſi nõ intelligit Anonidem, neſcio quid velit.

*Ægipyrum Crateuæ.*

Anguillara, Crateuæ Ægipyrum exiſtimat nihil aliud eſſe, quàm Ononidem multis exiſtimatam, quæ Reſta bouis dicitur. Idem poſtea ait, ſe non poſſe dicere Reſtam bouis, aut *Bugnage*, eſſe Dioſc. & Galeni Ononidem. Itane ſibi ipſi Anguill. conſtat, vt tam breui oblitus verborum ſuorum contrarium aſſerere audeat? O labilem hominis memoriam!

*Anguill.*

Aduerſ. eos increpant, qui Arreſtam bouis Officinarum, Anonidem negant. Cæſalp. ſcribit Ononidem, quam quidam [Io. Maria Bonard. de miner. Mundi] Bonagam, alii Bulimacam vocant, ſolam inter ſuffrutices Trifolios aculeum gerere.

*Bonaga, [Bu]limaca*

Ἄνωνις, & ὄνωνις, Græc. vt Latinis Anonis & Ononis, *Remora aratri, Reſta & Areſta bouis, acutella, herba vrinalis, Aegipyros Crateuæ* Anguill. Ger. Stalkraut/ heckelkraut, wetſteinkraut / katzenſpeer, hewhechel / & Ochſenbrech. Belg. Stalkruyt/ prangwortel. Gallis *Areſte-beuf, Bugrandes & Bugraues.* Gallobelg. *Bouurande*, quaſi bubulam. Ital. *Bognacho, Bonaga Bulimacha & Anonide.* Hiſp. *Detiene buey. Gatilhes, gatillos, & gatuñnos* Angl. Camocke, & pett wime, Boh. Geſlice. Hung. Iglicze. Polon. Vglica/ ſiue Liſiogan.

*Nomi[na] lingua[rum]*

Anonis flore purpureo paſſim reperitur, præcipuè in ſegetibus atque cultis. Floret Æſtate. In Ducatu tamen VVirtemb. circa Bol & Fontem admirabilem abundanter Auguſto, Septembri, & Octobri. Anonidem flore albo miſit mihi ex Burgundia Toſſanus Carolus, quam plantaui in horto Ill. E. C. Monrbelgardi.

*Locus*
*Temp[us]*

Muria conditur [authore Dioſc.] antequam ſpinoſa fiat, cibis gratiſſima. Quæ conſuetudo condiendorum tenerùm ſurculorum adhuc in Creta durat, vt Bellon. ſcribit. Radix excalfacit & extenuat. Huius cortex ex vino potus vrinam ciet, & calculos comminuit: idem vlcerum cruſtas emarginat. Radix decocta in poſca, dentium dolorem collutione mitigat: decoctum eius potum hæmorrhoidas ſanare creditur. Quæ poſtrema decoctum eius &c. Oribaſius non habet, neque Plinius, qui ex Dioſcoride hæc apertè tranſcripſit: Eſtur etiam muria condita. Recens verò margines vlcerum erodit. Radix decoquitur in poſca dolori dentium. Eadem cum melle pota calculos pellit. Comitialibus datur in Oxymelite decocta ad dimidias. Ononis, inquit *Galenus*, radicem habet tertio ordine excalefacientem. Cortex ipſius maximè vſui eſt, qui habet aliquam vim extergendi, ac incidendi. Vnde non ſolùm vrinam ciet, ſed etiam lapides atterit. Eadem facultate etiam cruſtas breui remouet. Vtuntur ipſo etiam ad dentium dolores, coctum in poſca colluere iubentes. Tradit Matthiolus Anonidis radici vim maximam ineſſe ad renum calculos comminuendos, expellendoſque, præſertim obſtructis vrinæ meatibus, multorum teſtimonio iam comprobatum eſſe, qui calculo laborantes, cùm corticum radicis puluerem tantùm è vino diutiùs bibiſſent, priſtinam ſanitatem recuperarunt: nouiſſeque ſeſe ait, qui huiuſce radicis puluere duntaxat multis menſibus ſumpto, carnoſum ramicem abſumpſit, & ſanatus eſt, cùm à Medicis ſolà ſectione, vſtioneque curari poſſe decretum eſſet. Eroduntur huius radicis puluere calloſi ac indurati vlcerum margines. Decocta in poſca, dentium dolores mulcet, ſi decocto os colluatur, præſertim cùm pituita redundat. Eiuſdem decocto ſolo, putant quidam ſanari hæmorrhoidas. Id verò certum eſt idem decoctum potum ſummopere ad iocinoris & vaſorum infarctus valere. Corticum recentium eiuſdem radicis libræ quatuor minutim conciſæ in vini Cretici libris octo macerantur: deinde

*Vires.*
*Radi[x]*
*Corte[x] [ra]dicis*
*Calc[uli]*
*Dolor.*
*Hæmo[rrhoi]da.*
*Vlcer.*
*Comi[tiales] morbi*
*Temp[era]ment.*
*Vrin.*
*Renu[m] [cal]culi.*
*Cort[ex] radi[cis] huius.*
*Carn[oſus] rame[x]*
*Hepa[tis] farct[us]*
*Aqu[æ]*

in vitream metam coniiciuntur, ex qua in calentis aquæ balneo collocata elicitur aqua, quæ epota ſemilibræ pondere, non ſolùm renes à calculis liberat, & vrinam prouocat, ſed etiam veſicam, & eius ceruicem à glutinoſis excrementis obſeſſam expedit. Cæterùm, quòd Veteres hanc herbam, antequam ſpinoſa fieret, muriâ condierint, factum eſt, quia in cibo ſumpta fœtidum oris halitum emendare tradebatur.

*Anonis ſpinoſa lutea.*

ANonidem ſpinoſam luteo flore habeo collectam Lutetiæ, quæ minor vulgari purpurea & alba.

Matth. in Dioſcor. & poſtr. comm. Ital. Anonis flore aureo.

## ANONIS LVTEA NON SPINOSA, Dalechampio Natrix.



ANonis vulgari ſimilis eſt, *virgultis* cubitalibus, in frequẽtes ramos fiſſis, ſpinarum expertibus. *folia* terna cohærent, oblonga, hirſuta, per extremum crenata, viſcoſa, odorata, ſapore nullo euidente: *flores* longis nituntur pediculis, Anonidis ſpinoſæ purpureę maioribus, lutei, conferti: *ſiliquæ* vnciales, teretes, hirſutæ, *ſemen* continent colore pullo, inquit Camer. Herba tota eſt hirſuta, & pinguis, odorata, ſed hircinum quiddam olet.

Camer. in Epit. Matth. figuram ex ſiccis meis plantis D. Geſn. miſſis ſub his nominibus ponit. Ononis lutea, montana. Natrix aliis. An Bellon. de pl. in Creta prouenientibus, Vera Melilotus odorata, creſcens in collibus herboſis, ſimilis ferè Ononidi? Lob. & Pena Adu. vocant Natricem Plinii Herbariorum, & deſcribunt diſtinguentes ab Ononide lutea. Huius fortaſsè meminit Matth. cùm ait: Anonis interdum conſtat flore aureo, ſed quibuſdam in locis aculeis vacat.

De hac ita Cæſalp. Dioſc. Cicer. ſilu. tradit, odore graui. Hoc genus videtur ſignificaſſe Theoph. cùm dixit inter cæteras differentias, quoddam odore differre: & Ætius Orobiæum hoc idem appellaſſe videtur: ſpecie Ononis [vnde quidem Ononim læuem appellant] floſculos fert & ſiliquas exiliores Cicere, & ſemina in his parua & rotunda, ſubflaua: tota planta conſtat odore valdè medicato, Theriacam imitante, vnde vulgò Theriacaria herba vocatur, laudata ad vermes, enecandos. Quod Cæſalp. floſculos dicit Cicere exiliores, non conuenit cum noſtra Anonide, cur idem floris colorem non tradat, nos latet. Ononim luteam non ſpinoſam (inquit Hiſtor. Lugd.) ſunt qui Melilotum maiorem, Melilotum ſilu. pinguem, & Natricem Plinii cognominent. Et hæc, quòd non ſolùm radix euulſa, ſed & herba tota virus hirci: aut, vt aliqui exponunt, bituminoſum & grauem fœtorem redoleat. Cæterùm hac in Piceno (ait Plin.) à fœminis abigunt, quos mira perſuaſione Fatuos (Faunos alii) vocant: ego ſpecies limphantium hoc modo animorum eſſe crediderim, qui tali medicamento iuuentur.

Dodon. Anonis floſculo luteo. Cluſius Anonidis noſtræ hiſce ferè meminit: Anonis mitior, non ſpinoſa, ſiue ſecunda, flore luteo [præſertim ſi in hortis colatur] purpureæ adeò ſimilis, vt ab ipſa antequam flores explicentur) niſi diligenter inter ſe conferantur (vix diſcerni queat: paulò tamen pinguior deprehenditur, nec adeò grauiter odorata: præterea vbi ſpontè naſcitur candidior eſt: eius item flores, qui lutei ſunt, breuiori ſpica naſcuntur.

Scribit Pona in Baldo perperam Anoni luteâ multos pharmacopœos pro vera Meliloto vti. *Melilotus vera.*

Anonim luteam non ſpinoſam Monſpelii locis arenoſis collegimus, & quidem florentem Auguſto & Septembri, Aprili & Iunio. Hanc aliàs vidi Eſlingæ in horto Volmarii pharmacopolæ. Geneuæ copioſam iuxta *Arue* vltra flumum circa ſuperiores partes florentem Iulio. Frater C. Bauh. miſit cum hac inſcriptione: Natrix Monſpeſſuli, prope Buttonet campus refertus: Item in Caſtelnau, quibuſdam Melilotus vnctuoſus: floret Iunio. Frequentem obſeruauit Cluſ. tũ in Gallia Narbonenſi, tũ in Hiſpania & Luſitania florentem Iunio, & Iulio. In aridis, glareoſis & ſabuloſis gigni tradit Hiſt. Lugd. *Locus & tempus.*

Eâdem teſte aduerſus omnia venena prodeſſe & admotam & ſumptam experientiâ compertum eſt. *Vires.*

## ANONIS NON SPINOSA PVRpureo flore.



ALunt Sileſiaca prata Anonidis quoddam genus à vulgari diuerſum, quod ab aliis minimè obſeruatum Cluſ. in Pannon. exiſtimat. Multos hoc annuatim ex radice durâ, lignoſâ & perenni fert *ſurculos* cubitales, rotundos, lentos & vimineos, firmos tamen & admodum ramoſos, mollique lanugine obductos: multa *folia* alternatim caulem latâ baſi amplectentia, interdum ſingularia, plerumque autem terna, ex eodem pediculo prodeuntia, molliora & ampliora, quàm vulgaris: ſummæ *virgæ* & *rami* deſinunt in oblongam *ſpicam* florum vulgari quidem ſimilium, ſed colore magis ſanguineo, *ſiliquas* deinde perſimiles vulgari, quemadmodum & *ſemen* fert. Tota planta lento quodam humore grauiter & hircinum olente obſita eſt, Fraxinellæ ferè odore, & nullo aculeorum vallo munita. *Deſcriptio*

Vocatur autem hæc à Cluſio tam in Pann.

*Anonis mitior* quàm poſtr. Hiſt. Anonis non ſpinoſa, ſiue mitior prima, flore purpureo, cuius ſemen è Sileſia ei miſſum Trifolii maioris & fœtidi nomine. *Trifolium fœtidum* Dedit nobis D. Agerius Ononidem purpuream ſine *Ononis ſine ſpinis* ſpinis, collectam in Sclauonia, ea noſtrati ſpinoſę alioqui ſimilis, nec reſpondens iconi Cluſii.

## TRIFOLIIS AFFINIS ANONIS puſilla glabra fruticans Cherleri.

Deſcriptio. LIgnoſis, palmaribus & breuioribus fruticat *ſurculis*, ſubrubentibus, tenuibus, glabris, quos *folia* ſtipant crebra, tergemina, glabra, viridantia, circumcirca crenata, oblonga, Medicę noſtratis foliis quadantenus ſimilia: ex quorum ſinu prodeunt, per totos ramos *flores* maiuſculi conformatione leguminoſorum, lutei, calyce in quinque *ſegmenta* flore longiora, acuta, ex rubro nigricantia, diuiſo: ſuccedunt *ſiliquæ* turgidę, nigricantes, glabræ, Craccæ minimæ minores, *ſemina* quatuor, aut quinque ſinuata continentes.



In figura noſtra folia ſunt eiuſdem ferè magnitudinis cum ipſius natiuæ foliis.

Locus & tempus. Circa Monſpelium in rupetis & ſqualidis collegit, & ad nos attulit Gener Cherlerus. Floruit autem Maio, & paullò poſt ſiliquas tulit, aliis ſubinde atque aliis profilientibus floſculis.

## TRIFOLIIS AFFINIS ANONIS minima hirſuta Cherleri.

Deſcriptio. PAti cum lutea minima glabra ſurgit altitudine, lignoſâ, duraque & albicante, dimiſſâ *radice*, in multos ramulos hirſutos, rubentes, vel incanos fiſſâ: *folia* terna, anguſtiora, longiora, per extremum duntaxat crenata, alioqui cæſuræ ignara, hirſuta: *calyces* per ramos crebri, magni, piloſi admodum, in quinque longas ariſtas deſinentes, pediculo contorto, deorſum terram ſpectantes, cancellis ſuis *florem* complexi paruum, cæterà albidum, roſtello ferrugineo. Tota eſt tactu viſcida.



Locus. In rupetis Monſpeliacis & Nemauſinis vtcunque obuiam animaduertit & collegit Cherlerus.

## FRAGARIA FERENS FRAGA RVBRA & alba.

### Cap. LXX.

Deſcr. AD Trifolia accedit vel *foliorum* numero Fragaria, fert enim in ſingulis pediculis terna, ſed Rubo minora, venoſa, hirſuta, per ambitum ſerrata, ſuperiùs viridia, inferiùs autem albicantia, *cauliculum* palmi altitudine, ramoſum & hirſutum, *flores* Ranunculo minores, in quina folia ſectos, candidos, *fructum* globoſum, inæqualem, per maturitatem rubrũ, odoratum, ſanguineo, dulci, vinoſo, gratiſſimoque ſucco prægnantem, *ſeminibus* multis & exiguis abundantem, *radicem* fibroſam, capillarem, oblongam, ſubruffam, perennem, guſtuque adſtringentem.



*Brunfelſ.* Maximâ ſui vel inſcitiæ vel negligentiæ notâ Brunfelſ. Tom. 3. Rhapſ. 14. pro Fragaria Melilotum vulgarem exhibet. Ita vt meritò à quolibet in dubium vocari poſſit, an Fragariam vulgatiſſimam herbam aliquando viderit.

Præter fraga rubra & alba, Camer. teſte, reperitur aliud genus, inter hæc coloris medii, ſeu flaueſcens, maius multò & rotundius, quòd vulgò Brőſling dicunt, tardiuſque matureſcit. Poſſent vocari fraga ſerotina. *Fraga ſerotina.*

*Trifol. fragiferum.* Tabern. Trifolium fragiferum.

Herba quæ fraga fert [ait Hiſt. Lugd.] Fragaria ab herbariis nominatur, quæ quomodo à Græcis appellata ſit, nondum conſtat. Fragariam autem ex quinque foliorum genere eſſe quidam arbitrantur, quod falſum. *Quinquefolium.* Sunt etiam, qui Rubum Idæum non ſpinoſum eſſe putant, quorum ſententiam non improbat Cronemburg. & Fuchſius, quibus non ſubſcribunt Lob. & Dalechampius. *Rubus Idæus.*

Apuleius Græcis κόμαρον appellari ſcripſit, quod ſi verum eſt, longè alia eſt à Comaro, quę ex Dioſc. Galeno & aliis deſcribitur. Fuchſius tamen vidit codicem manu-ſcriptum, in quo hæc verba: *Comaron Græci, Romani Fragum.* Quicquid ſit, ex numero Mororum eſſe conſtat. *Morus.* Græci Comaron appellarunt, ob fructus arboris eiuſdem nominis. *Fragaria* à verbo frago, quod odorem reddo ſignificat, nominata eſt. *Fragaria vnde dicta.*

*C. Bauh. differentiæ.* C. Baub. phyt. Fragaria 1. vulgaris. 2. fructu albo. 3. hiſpidis foliis. 4. bis fructum ferens,

*Tabern. diff.* Fragariæ, vt Cæſalp. notat, fructûs differentiæ paucæ, in figura, & magnitudine: nam quædam rotunda ſunt, vt Arbuti fructus, quædam oblonga,

longâ. Quoddam genus in Alpibus Bargeis viſum eſt bis in anno fructificare, Vere ſc. & Autumno: eius fructus modicè compreſſus & ſtriatus eſt, ſapore Rubi Idæi. Plinius Fraga tantùm meminit in Italia. Non autem idem eſt, quod apud Serapionem Fragre, de quo H.n.lib.15.poſt Pipet. Apud Theoph. Chamæbatus [Humirubus] vocatur, malè. Dioſc. inter genera Pentaphylli intelligit, inquit Cæſalp. quam opinionem poſtea refutabimus.

Cæterùm, Fragariæ meminerunt Fuhſ. Lob. & Pena Adu. Obſ. & Ic. Pl. Tragus & Geſnerus. Qui duo præter rubrum & album, ſingulare genus tradunt, quod Harbeer appellant. Cronemburg. cum Cordo, cui Geſn. ex Trago figuram addit, Fragulam vocant.

Cæterùm, legiſti, ſi nõ neglexiſti, Fragariam ferre in ſingulis pediculis terna folia, nec plurà, licèt aſſerat Braſſauolus in Veronenſi agro naſci Fragariam, cui quinque pediculo inſint folia, quæque fraga gignat, in cibis gratiſſima.

Τε[illegible]φυλλον μονογενὲς. Had. Iun. herba appellatur, *Fragaria* vulgo, & *Fragula*, germ. Erdtbeerkraut Gallis *Fraiſier*, Ital. *Fragaria* & *Fragole*. Ipſi fructus Virg. ac Ouidio *fraga*, Seruio *Mora terreſtria*, Germ. Erdtbeer Belg. Eerdbeſyen/ Gall. *Fraiſes*, Gallo-Belg. *des Chapirons*, Ital. *Fraga* Hiſp. *Miezgado*, *Mayueta*, Angl. Strawberye, Bohem. aſody, Hung Epóry.

Paſſim in montibus, non rarò in conuallibus, in ſiluis, ac aliis ſimiliter aliquantùm vmbroſis Fraga gignuntur: proficiunt & in hortis. Viret toto anno herba: Vere latiùs fibris ſuis expatiatur, ac deinde floret: Iunio, priùs ac tardiùs fructus maturi fiunt.

Coqui, autore Trago: ex Fragis pulticulas vtiliſſimas conficiunt, quæ ob refrigeratoriam vim inflammatione laborantibus rectiùs quàm ſanis exhibentur. Aqua è fragis deſtillata præſtantiſſimo eſt remedio internis quibuſuis iecoris & pulmonis, aliiſque totius corporis inflammationibis, ſiuique reſtinguendæ: ad eadem Fraga ipſa faciunt. Leproſi, quibus nimiùm calet ſanguis, facieſque plurimùm rubet, aquâ fragorum diſtillatâ longo tempore vitam ac valetudinem tueri poſſunt, ſi bis aut ter quotidie illam bibant menſuta trium ligularum. Aqua fragorum deſtillata, pari ratione bibita, cor conſortat, vitia thoracis expurgat, morbum arquatum diſcutit, ſanguinẽ purgat, & emendat. Herbæ Fragariæ tuſæ ſuccus malignis & calidioribus vulneribus apprimè conducit: nam glutinat ea, & ad ſanationem perducit. Aqua Fragorum vlceribus oris & anginæ auxiliatur gargariſatu. Eadem faciei ruborem & maculas tollit, collutu. Vlcera tibiarum hac aquâ ablui & purgari debent, linteoliſque in ea madefactis ſemper illis imponi: nonnulli ad oculos collyria ex Fragis conficiunt, nam ſal illis admiſcent, poſteaque deſtillant: alii Fraga cum ſale, æneo vaſe, recondunt, ac per octiduum cellæ vinariæ committunt, quoad in viridem aquam mutentur: eâ poſtea ad oculorum ſuffuſiones vtuntur. Succus igitur Fragorum expreſſus ad multa vtilis, viſui imprimis, vt Camer. notat, & retentæ vrinæ, Longo tempore aſſeruatur, vireſque vetuſtate acquirit. Decoctum ex herba & radice diutiùs vſurpatum cum paſſulis ictericis prodeſt. Stillatitia aqua manantem ſanguinem ſiſtit.

Serapio (inquit Fuchſ.) Fragariam calidam & ſiccam in ſecundo ordine tradit. Alii frigidam & humidam in primo: Nonnulli [qui tamen prorſus meo iudicio hallucinati videntur] in tertio ordine ſcribunt. Ego folia ipſa guſtu modicè eſſe amarà, & adſtringere deprehendi, vt ſiccam eſſe hac ratione, & minimè humidam oporteat. Folia, flores, fructus, & radix adſtringunt. Differunt tamen inter ſe, quòd folia potiſſimùm recens nata, plurimùm in ſe habeant aqueæ ſubſtantiæ; parum verò adſtringant: adeò vt veriſimile ſit de iis locutos eſſe, qui frigidam & humidam in primo ordine Fragariam ſtatuerunt. Eſt enim eorum temperies ex terrenâ eſſentiâ, & aqueâ tepidâ. Fructus immaturus frigidâ terreâ ſubſtantiâ præditus eſt, vt frigidus & ſiccus hoc nomine dici mereatur. Maturus autem non parum ſicci temperati calidi, qui dulcis eſt, modicamque adſtrictionem habet, ita vt calidus & ſiccus dicendus veniat. De fructu itaque intelligendi erunt, qui Fragariam calidam & ſiccam eſſe affirmant.

Experuntur tandem in cibis Fraga (inquit Cęſalp.) quorum gratia & coluntur in hortis. Refrigerant & humectant, pichrocolis conueniunt, & ſiticuloſis, ſed copioſiore cibo caput tentant, & inebriant: eorum ſuccus incipientibus inflammationibus commodus, præcipuè gutturis: vetuſtate vires acquirit efficaces ad oculorum ſuffuſiones & ad faciei vlcera: Aqua diſtillata prouocat menſtrua. Herba adſtringenti ſapore conſtat & ſubamaro, ad calculum vtiliſſima, & lienoſis, hepaticiſque. *Ad calculum* fraga matura in phialam aquâ ardente optima plenam coniicito, poſt horas 40. circiter, colato, & rurſus noua in eandem aquam ardentem iniicito, ac ſic relinquito optimè tecta & munita ne quid expiret. Prima autem fraga quæ poſt colaturam ſuperſunt, per linteum validè exprimere poteris, & expreſſum eum liquorem ſeorſim ſeruare. Cùm vti voles, ter aut quater in menſe cochlearium plenum ſumes manè & addes puluerem de Saccharo cando. Gratum, probatũ, efficaciſſimumque hoc remedium eſt, quod vltra 20. annos calculo conflictati, præ cæteris omnibus, quæ innumera eis diuerſi medici præſcripſêre, Geſnero commendarunt.

*In cibis expetuntur. Temperamentum*

*Inebriant Succus Guttur. Ocul. facies.*

*Menſtrua. Herba Calculus.*

## FRAGARIA NON FRAGIFERA, VEL non Veſca.



FRagaria ſterilis, vel potiùs non veſca; *radice* nititur lignosâ, ſatis craſſâ, cortice ruffo, adſtringẽte obductâ, multis hinc indè enatis fibris capillatâ, *ſarmẽtis* ſuis per terram ſerpentibus tenuiſſimarum fibrarum productione denuò radices agens: *folia* humi ſuſa, tripartita, in ambitu ſerrata, molli lanugine ſuprà ſubtuſque caneſcentia, ex hirſutis pediculis duas vncias longis, ad exortum gemina, vtrinque

*Coliculus* *Flos* *Calyx*

mucronata membranulâ eleganter alatis: *coliculus* teres, hirſutus, vno aut altero folio tripartito ſtipatus, ſextantalis, *floſculum* ſuſtinet pulchellum, candidum, inodotum, quinque foliolis conſtantem, ex calyculo decem mucronatis, hirſutis folliculis donato: in medio *ſtaminula* plurima: *ſemina* ex capitulis, Pentaphylli aliquantùm ſimilibus.

*Semen*

*Fragaria ſilu. Sterilis.*

Lob. Obſ. *fragaria ſilueſtris minimè veſca*, ſiue *ſterilis*. Geſn. hort. *Fragaria ſpecies ſterilis*. C. Bauh. phyt. *Fragaria ſterilis*.

Locus & tempus

Fragaria ſine fructibus veſcis: Montbelgardi in horto Ill. E. C. floret Martio & Aprili.

1

## PENTAPHYLLON SIVE QVINQVEFOLium Veteribus.

### Cap. LXXXI.

NOn ſcandit quidem Pentaphyllum, nec ceu Fragaria, trifolium eſt, ſed huius inſtar ſerpit, ac ſimilia folia, nec fructum valdè diſſimilem, adeò vt nonnunquam à quib. dãt confundantur, profert. Quæ ratio eſt, quòd hunc ei demus locum.

*Dioſcoridis lectio valdè illuſtratur*

Quinquefolium (itaque deſcribente Dioſcor.) ramos fert, ſarmentitios, tenues palmi altitudine, in quibus eſt fructus ἐφ' ὧν ὁ καρπὸς Folia habet Mentæ ἡδυόσμῳ, ſimilia quinque in ſingulis pediculis, rarò plura, per ambitum ſerræ modo fiſſa: florem cum pallore rubentem, auri ſpecie ὠχρόλευκον, χρυσοειδὲς) Radicem ſubrubram, & longam, Veratro nigro (ἐλλεβόρου μέλανος craſſiorem.

*Theoph lectio Pentapetes*

Πενταφύλλου, aut πενταπέτες (vtroque enim, inquit Theophraſtus, appellatur nomine) radix cùm effoditur, rubra, ſiccata verò, nigra & quadrangula (τετράγωνος) exiſtit, habet folium Vitis] οἴναρον,) paruum quidem, aſt colore ſimile: creſcit & perit cum Vite [(τῷ ἀμπέλῳ) Folia omnia quinque, vnde & nomen: caules verò ſuper terram (ἐπὶ γῆς, quam particulam Theod. omiſit) tenues mittit, ac internodiis (κνήμας) crebris conſtat.

*Pentaphyllū vnde Theodori tranſlatio*

*Quinquefolium Plinio Chamæzelum. Chamæmelum*

His ſimilia Plinius tradidit. Quinquefolium nulli ignotum eſt, quòd etiam frago gignendo commendetur. Græci vocant Pentapeles. ſiue Eamazelon (vel (vt alii Chamæzelum, Hiſt. Lugdun.) ſiue Pentaphyllon. Quum effoditur rubram radicem habet, hæc inareſcens nigreſcit, & angulosa. Theoph. legit τετράγωνος quadtangula fit. Nomen à numero foliorum habet. Et ipſa herba incipit & definit cũ Vite. Hæc quidem ex Theophraſto mutuata eſſe conſtat (licèt mentio eius non fiat) præter illud, quòd gignendo fraga etiam commendari ſcribit. Nec hoc obſcurum eſt, & ambiguum, vt Hermolaus, Cornar. Matth. in poſtr. com. Ital. & Hiſt. Lugd. ſomniant. & ante hos Leonicenus, qui erraſſe in hoc Plinium maximè credidit, quòd Quinquefolium etiam fraga ferre dixerit Pentaphyllum, atque Herbam fraga ferentem pro eadem accepiſſe, ac Pentaphylli notas, ſimul ac vires, eidem herbæ, præter Pentaphylli nomen, adſcripſiſſe cenſuit. Nam quæ herba etiam fraga gignendo commendatur, & nulli ignota eſt, inquit, non quinis, ſed trinis duntaxat conſtat foliis. Exiſtimaſſem quidem in re tam nota, eſſe codicis potiùs, quàm Plinii errorem, ac pro Pentaphyllo, Trifolium legi oportere, niſi alia nomina ſubiungeret, quæ ſunt Pentaphylli propria. *Hæc ille*. Verùm triplici in errore verſari Leonicenum, ſequentibus rationibus Collinucius perſpicuum ſecit. *Primùm* quidem, quòd Quinquefolium illam eſſe arbitratur, quæ in hortis, & agrorum limitibus, tum ſemitis, viiſque paſſim conſpicitur, quæ quidem vulgò, & Quinquefolium, & Pes coruinus dicitur. Hanc enim Quinquefolium eſſe, de qua hîc loquimur, affirmaſſe illum plæriſque conſtat: cùm de noſtra hac defenſione, déque ſua accuſatione ſermo fortè incidiſſet: auulſumque terrâ ramuſculum (nam & in horto res agebatur) oſtendiſſe, dixiſſeque illam Quinquefolium eſſe, in qua Plinius tam euidenter ertauerit. Deinde, quòd per imperitiam, herbam fraga ferre nullam poſſe credidit, niſi eam, quæ trina folia habet, quamque meliùs Trifolium dici adſeuerat, & quam docti, vulguſque, Fragariam noſcunt pariter & appellant. Tertiò, quòd folium quid ſit, quove modo accipi oporteat, in ſaluberrimæ herbæ deſcriptione, parum intellexiſſe viſus eſt, quas rationes poſtquam variis ſulciuit aliis, concludit tandẽ verũ eſſe autorem Plinium, & calumniatorem Leonicenum.

*Plin. not.*

*Plinii lectio non eſt obſcura, vt nonnulli ſomniant*

*Plin. not.*

*Leonic. triplex error*

*Pes coruinus non.*

*Leonic. calumniat.*

De ratione nominis Pentaphylli annotat Marcellus. Non Pentaphyllon (πεντάφυλλον) tantùm vocari ſuâ ætate Theophraſtus dixit, verùm [πεντάπτης] etiam, facto ab aliquibus nomine à pennis auium, vt credidit Gaza: vt autem nos opinamur, quia in quinque folia ſe pandit & extendit. Fecit eadem etiam foliorum formâ, vt *pentatomon* (πεντάτομον in quinque partes diuiſum (diceretur. Sic à Dioſcor. inter nomina, *pentadactilon* [πεντεδάκτυλον] quòd vt in hominis manu quinque ſunt digiti, ſic in ea planta totidem foliorum diuiſiones. *Pſeudoſelinum* ψευδοσέλινον quoque dictum, quòd Apium mentiatur, ſitque illi in foliorum ſectionibus quadantenus ſimile. *Calliperalon* (καλλιπέταλον) à foliorum pulchritudine, (ξυλοπέταλον) à foliorum duritie, vt & ξυλόλωτον. Quemadmodum & in his [ἄσπαλτον & ἀλφαλτον & πεντάκοινον) latere ex figura, aut viribus eius aliquam rationem veriſimile eſt. Vocatur & θυμιαπης, Manus Martis. His addit Hermol. Pentaphyllon & Pentapteron in Theoph. *Quinquefoliam* & *Quinquepennam* Theodorum conuertiſſe. Ætium hanc *Hermubotanem* (Mercurii herbam) vocari tradidiſſe. Ægyptios etiam *Diſſyphi* cognomine, Dacos *Drocila*, Italos *Pſyllitrum*, *Solotam & Thebeotin*, quanquam corrupta putet nomina. Nam & *Therumbros* & *Theoneſtron* quoque dictam idem Hermol. inuenit.

*Pentatom. vnde* *Pẽtadact. vnde* *Pſeudoſelinum* *Callipetalon* *Xylopet.* *Xylolot.* *Aſphalt.* *Pentac.* *Manus Martis* *Pentapt.* *Quinquefolia* *Hermubotane* *Mercurii herba* *Diſſyphi* *Drocila.* *Solota.* *Theobote* *Therũbr.*

Sexta-decima herba (inquit Albert. Magnus de virt. herb. à Chaldæis *Cartulin*, à Græcis *Quinquefolium*, à Latinis *Serpentina* vocatur, & ſecundùm Alexand. Imper. *herba Mercurii* dicitur, à quibuſdam *pentadactylus*, *pentaphyllon*, à quibuſdam *Calipendulo*. Nec ſibi pugnat Theophraſtus, & Dioſcorides, licèt is de radice & folio agens, addiderit, Quinquefolii radicem effoſſam, ſiccatamque nigreſcere. Nam hoc à Dioſc. ideò dictum non eſt, quoniam ſatis fore ſibi credidit, ſi qualis ea eſſet cùm foderetur, dixiſſet. Adiecit etiam vitigineum Quinquefolii folium eſſe, non quantitate, ſed colore & formâ, quódque naturam Vitis ſequeretur. Sed illud videndum etiam quomodo hic Menthæ, ille Vitis folio Quinquefolium eſſe dicat, quæ malè inuicem comparari poſſe videntur: quemadmodum & floris color in pallido albus, ſimul & auri flauo colore dici. Hoc tamen non adeò difficilè vt illud. Videmus enim aliquando in pallore hominis, vtrumque colorem illum.

*Theoph. Cartuli Chald.* *Serpentina* *Pentadactylus.* *Calipendulo* *Folium vitigineum*

*Locus*

Naſcitur, auctore Dioſc. in aquoſis locis, & iuxta canales ac aquæ ductus.

Eſt autem multi vſus, eodem tradente. Poteſt enim radicis decoctum, ad tertias deductum, ſi ore contineatur, dentium dolores ſedare. Putredines etiam in ore, ſi colluatur, ſiſtit. Et arteriæ aſperitates, ſi gargariſetur, eximit. Aluo quoque fluenti, & dyſenteriæ opitulatur. Arthriticis item, ac iſchiadicis, ſi bibatur. Eadem cocta in aceto trita, impoſita herpetas cohibet: ſtrumas diſcutit: duritias, tumores, arteriarum dilatationes, aneuryſmata appellata, abſceſſus, ignes ſacros, pterygia in digitis, condylomata, & ſcabies ſanat. At ſuccus radicis teneræ, ad hepatis & pulmonis affectiones facit, & ad lethalia medicamenta. Folia bibuntur cum aqua mulſa, aut vino diluto, & modico Pipere, ad febres per circuitum repentes, in quartana quidem quatuor ramulorum folia, in tertiana verò trium, in quotidiana vnius (ἓν, vnum.) Auxiliatur etiam comitialibus pota ad 30. dies. Sanat item breui morbum regium foliorum ſuccus ad aliquot dies triũ cyathorum menſura potus. Vulnera quoque & fiſtulas, folia cum ſale & melle impoſita ſanant. Opitulatur Quinquefolium etiam herniæ inteſtinorum: & hæmorrhoidas ſiſtit potum & impoſitum. Secatur & ad luſtrationes ac purificationes [adhibetur & purgandis domibus, Plin.] Qui reliquum vſum medicum ſparſim pro occaſione exponit, planè prout Dioſc. habet, omnia tradens. Galenus Pentaphylli radicem fortiter ſiccare dicit, ſed minimè acrem eſſe. Et ideò etiam multi vſus eſſe, quemadmodum & alia omnia, quæ tenuium partium ſunt, & ſiccant citra mordacitatem. Eſt enim & hæc radix, ſiccandi vi prædita ex tertio ordine, manifeſtâ caliditate minimè participans. Idem 5. ſec. loc. c. 9. Quinquefolium tradit ab aliquibus Eupatorium vocari, eiuſque radicem in vino coctam dentium dolores leuare: hoc autem etiam Dioſc. tradit. Hæc herba, ſi Alberto magno ſuperſtitioſo illi credis cum folio Trifolii inhumata, generat ſerpentes rubeos & virides, de quibus ſi fiat puluis, & ponatur in lampade ardente, videbitur ibi copia ſerpentum. Et ſecundum Alexand. Imper. radix ſanat plagas & duritiem, trita & emplaſtrata. Amplius ſcrophulas diluit velociter, ſi ſuccus eius bibatur cum aqua. Sanat etiam paſſiones pectoris ſeu dolores, ſi ſuccus eius bibatur. Soluit etiam dẽtium dolores, ſi ſuccus ore teneatur, actõnes oris curat paſſiones. Et ſi quis ſecum deferat, opem dat & auxilium. Amplius ſi quis vult à rege, vel à principe petere aliquid, copiam dat eloquentiæ, ſi ſecum eam habeat, & obtinebit quod voluerit, videlicet etiam in lithiaſi & diſuria ſuccus eius habitus.

## PENTAPHILLVM SIVE QVINQVEfolium vulgare repens.

*Deſcriptio.* NOn ſecus ac Fragaria, flagellis ſuis cubitalibus & bicubitalibus, teretibus, hirſutis, rubentibus ſerpit: *folia* minora Fragariâ, quinquepartita, magna, hirſuta, ſingulis ſegmentis, in ambitu altis inciſuris ſerratis; pediculis quadrantalibus & maioribus, guſtu viſcido: *flores* Potentillæ, lutei, quinque foliis conſtant latiuſculis, apicibus in medio croceis, quinque foliis virentibus in pediculis ſingularibus, palmo longiori faſtigio inſidentes: *capitula* ſuperueniunt exigua, minutis *ſeminibus* repleta, quæ cùm pericarpio ſpolientur, acetabulo florem tegente proteguntur. *Radix* longa, craſſitudine interdum di-



gitali, colore rubro, ſapore adſtringente & exſiccante, exſiccata quadrata euadit.

*Synonyma Quinquefol. luteum. A Tormentilla differt.* Camer. hort. Pentaphyllum repens & vulgare. Fuchſ. Quinquefolium maius luteum. Lob. & Per. Obſ. Quinquefolium ſiue Pẽtaphyllõ vulgare. Ic. Pl. p. 690. icon ſub falſo titulo [Pentaphyllon maius flore ſubluteo, interdum albo] eius enim titulus eſt p. 689. *Icon tranſpoſita.* Pentaphyllon, Quinquefolium vulgare: vbi icon non conueniens, & tranſpoſita: eſt namque Pentaphylli recti maioris.

Ex quatuor Pentaphylli generibus, quæ in Italia vidi, inquit Matth. primum à Dioſc. hiſtoriâ nihil prorſus diſſentit. *Matth. differentia.* Radix huic ſubrubens, licèt id neget Braſſauolus, quod aliis, vt mihi eam effodienti, verum eſſe deprehenditur. *Radix rubra contra Braſſauolũ.* Sed contingere potuit [ait *Apollo*] hanc notam Ferrariæ deficere, vliginoſo fortè loco: vocatur Quinquefolii prima ſpecies & maxima. *Manard. error.* Hinc autem mirari ſubit, pergit Matth. Manardum Ferrarienſem virũ alioqui doctrinâ inſignem: quippe qui tam facilè ſibi perſuaſerit, id legitimum eſſe Quinquefoliũ, quod Græci Heptaphyllon, officinæ verò, herbariorumque vulgus, Tormentillam dicunt. *Heptaphyllon, ſeu Tormentilla, non eſt Quinquefolium.* Siquidem hæc ſeptem ex vno tantùm cauliculo profert folia. Pentaphyllum verò quinque, vnde & illi nomen. Hoc radices Elleboro ſimiles habet, craſſiores tamen, oblongas: illa verò admodum breues, ſtrumoſas, ſimulque in vnum compactas globum. Gignitur hæc plerumque in incultis, ſiticuloſiſque locis, in altis præſertim montibus: illud verò in campeſtribus, & prope aquæ ductus, & in riguis. Quæ ſanè omnia apertè declarant, hac in re Manardum cæcutiuiſſe. Ceterùm, *Leoniceni error.* nunquam admiratus ſum Plinium in hoc (in quo tamen à Leoniceno, vt arbitror, immeritò reprehenditur) quod lib. 25. cap. 9. tradiderit reperiri Quinquefolium, quòd Fraga gignendo commendetur: Quandoquidem Quinquefolii genus eſt, quod à quibuſdam Diapenſia vocatur, in cuius ſummis cauliculis capitula ſpectantur fragis non diſſimilia. *Quinquefolii genus. Diapenſia. Matth. notatur.* *Hæc ille*, qui aſſerit, Plinium non huic Quinquefolio, ſed Saniculæ Fuchſii, quam Diapenſiam nominat, fraga attribuiſſe. Cùm tamen Quinquefolium vulgare parua veluti Fraga potiùs, quàm Sanicula, aut Diapenſia habeat. Idem in poſtr. comm. Ital. eadem dicit, aſt Leonicenum non reprehendit, imò potiùs eum ſequitur, ac cum Leonic. ait ſe mirari ſatis non poſſe, Plinium dixiſſe, Pentaphyllum notum ex eo, quòd fraga ferat: ipſum Quinquefolium contrarium demonſtrare. *Pentaphyllũ maius. Vulgatiſſimum.* Trago Pentaphyllum tertium, maius & vulgatiſſimum, quod officinæ hodie verum Pentaphyllon dicant eſſe. *Non eſt Tormentilla contra Tragum.* Et licèt hanc ipſam plantam Tormentillam eſſe ſtatuat potiùs, quàm Pentaphyllum Dioſc. &

Theophraſti, contrarium tamen cenſeo, quòd ante quadragnita circiter annos, quum Geneuæ publicè præeſſē præparationi Theriaces, quā apparabat peritiſſ. & diligentiſſ. Pharmacopæus Valerand. Dourez affinis noſter, contra doctorum Medicorum & Pharmacopæorum ſententiam aſſerui, Tormentillam non reſpondere antiquorum Pentaphyllo, ſed vulgare Quinqueſolium, & potiſſimùm ex nota, quam tribuit ei Theoph. quam nō legerat, *Sarrac. notatur* Doctiſſ. vir D. Sarracenus ſenior, radices videlicet ſiccatas, quadratas exiſtere, quod non conſpicitur in Tormentilla.

*Lonic. error.* Lonic. l. 5. cap. 273. editionis annis 1573. fruſtra vnius herbæ duas figuras habet cum inſcriptione Pentaphylli.

C. Bauh. phyt. Pentaphyllon 3. ſiue maius repens. Brunfelſ. Pentaphyllum luteum minus. *Icon transpoſita.* Thal. Harc. Pentaphyllum maius. Dod. gall. Pentaphyllum luteum maius. Item in H. fl. lat. in fol. Quinqueſolium alterum, humilius cuius radix reſiccata, quadrāgularis cernitur, vt à Theoph. ſcriptum: quod conuenire poteſt cum nigro Hippocratis: *Brunfelſ. notatur* Figura ſub alieno titulo eſt, nēpe Quinqueſolii maioris, quum verus titulus ſit Quinqueſolium alterum vulgare. Schvv. cat. Sil. Quinqueſolium officinarum. Cluſ. Pentaphyllon vulgare. Tabern. Pentaphyllon Dioſc. Brunfelſ. germ. nomine Pentaphylli minoris exhibet figuram Pentaphylli maioris repentis, ſed non admodum concinnam.

*Error quorundam* Turnerus (licèt vnicum faciat Dioſcorides, alii verò quatuor, quorum Saniculam, vnum faciūt genus, abſque omni quidem ratione,) tres inſignes nouit differentias. Quinqueſolium vulgare paſſim naſcens. Secundum multò maius, in paluſtribus proueniens, & locis aqua inundantibus. Quod an ſit paluſtre Cordi, dubitamus. Et tertium, quod videtur nobis Fragaria ſterilis.

Nomina linguarum. *Pentaphyllum, ſiue Quinqueſolium vulgare* Germ. Fünfffingerkraut/& Fünffblat / Belg. Vyfvingerkruyt / Gall. *Quintefueille*, Ital. *Cinquefoglio*, Hiſp. *Cinco en rama.* Angl. Cenckfoly & Fync Finger groſſe. Boh. Petilyſtek: Hung. Kőz ōt leuelő fiu.

Locus. Paſſim prouenit Lugduni, Monſpelii, Beffordiæ, Montbelgardi, nec non ſpontè in horto E.C. vbi obſeruaui clamata eius deſcendere per murum ad pedes octo, vel plures, quærentia terram, & radicantia: Tempus. Geneuæ abundat florens Ianuario, Baſileæ adhuc Octobri, inter portam cineritiā & lapideam iuxta vias & hortorum margines, in aquarius ductibus & riguis.

Vires & vſus. *Soda frigida* Succus per nares attractus curat Sodam frigidam, Bayrus. *Epilepſia.* Decoctum inſtar Ligni Indici paratum vtiliter exhibetur in epilepſia. *Sudores* Sudores ciet, Thom. Eraſtus. *Dyſenteria.* Radix & potiſſimùm extractum ritè paratum in dyſenteria commendatur. *Cancer.* Radix ex aceto decocta cancro exulcerato adhibetur: Camerarius. *Temperamentum:* Siccæ eſt temperaturæ, quare vtrinque corpori prodeſt, maximè contra alui fluxiones omnes. Herba Pentaphylli cum melle & aqua cocta, vlcera oris ſanat, gingiuis medetur, *Aqua* arteriæ ſcabritias gargariſatu & collutione leuigat. *Vlcera* Aqua deſtillata iiſdem pollet viribus. Cocta in aceto ſerpentia vlcera cohibet, fiſtularum, inquit Tragus, & cancri, aliaque manantia & putrida vlcera. *Tremulæ manus* Aqua deſtillata tremulas manus iuuare traditur, ſi ex illa ſæpè abluantur, ita tamen vt per ſe rurſus ſiccentur, non enim panno ſiccare oportet, quod aliàs in ablutione manuum facimus, Tragus. *Temperamentum* Citra morſus deſiccat, minimùm caliditatis habens, penetrat, adſtringit, alui profluuiis, Dyſenteriæ, inteſtinorum prolapſui, igni ſacro, & vulneribus remedium conueniens. *Ignis ſ. Febres.* Bibitur contra febrium circuitus. *Succus.* Succus foliorum continuis diebus potus, regium morbum ſanat. *Puluis.* Puluis Quinquefolii ad vmbram exſiccati, potus cum vino, optimus eſt ad dolores ventris.

## PENTAPHYLLVM RECTVM.



*Deſcr.* SEſquipalmari ac ferè pedali altitudine perelegans Pentaphylli genus eſt nobis rectum, ſiue climatis à vulgari multùm differens, cuius *radix* craſſa, pro plantulæ modulo, ruffa, & ſubnigra, lignoſa, adſtringens, cortice ſquammato tecta: *folia* ex longis pediculis exerit quinquepartita ſupernè ad medium vſque ſerrata, mollicellis pilis, longiuſculis, ac raris obſita. *Caul.* Inter quæ in binis, quas habemus, plantis, *cauliculus* faſtigitur ſingularis, *foliis* veſtitus ex longo interuallo, longiuſculiſque pediculis adhærentibus, qui ex bifido foliolo, ſeu vaginā quadam emergunt: circa ſuprema breui pediculo hærent. Summitas in ramulos aliquot diuaricata *floſculos* ſuſtinet, *Floſc.* quantùm ex ſiccis apparet, croceos, Pentaphylli vulgaris, è villoſis calyculis foliaceis emergentes, in quorum medio villi tomentoſi, decidentibus foliolis etiamnum manifeſtiùs in conſpectum ſe dant. Vnde nacti ſimus hanc plantam non recordamur.

## PENTAPHYLLON ALPINVM SPLENdens, aureo flore.



*Deſc.* PVlchra Pētaphylli ſpecies, in multa capita diuiſa, in quibus multæ ſquammæ: *radices* multæ, ruffæ, è quibus ex vncialibus, aut longioribus pediculis *foliola* quaquauersū denſo agmine panduntur, Tormentillæ ferè facie, media parte ſerrata, polita & ferè lucentia, aliquot

aliquot pilis, vix ac ne vix quidem conſpicuis in quibuſdam partibus obſita. *Coliculi* aliquot palmares, ſummotenus diuiſi *floſculos* ſuſtinent pulchrè luteos (quantùm quidem ex ſicca iudicare licet) foliis latiuſculis conſtantes, in quorum medio *ſtamina* ſaturatiora ac ferè crocea. Eadem, certè aut non multùm differens videtur, quam deſcribit Cluſ. ſub nomine Quinquefolii tertii his verbis: Ex radice fibroſâ & nigricante, ramos promit humi ſe ſpargentes, & ſubinde oblongas alias fibras agentes: qui ſummo capite, multa folia proferunt. Pentaphyllo vulgatiori ferè ſimilia, in quinque profundas fiſſuras diuiſa [quarum ſingulæ inſtar vulgaris Quinquefolii per oras ſerratæ ſunt] molliora tamen, aliquantulùm incana & ſplendentia, adſtringentis guſtûs: ex horum medio cauliculi exeunt palmares, multifidi, qui pro ſtirpis exilitate ſatis magnis floribus præditi ſunt, eleganti & planè aureo colore, multis intus croceis ſtaminibus: ſemen aliorum Pentaphyllorum more, in Fragi rudimentum congeſtum, fuſcum, exile.

Cluſ. Pannon. & Hiſt. in fol. Pentaphyllon aureo flore, ſiue Quinquefolium tertium, cui nomen Pentaphylli alpini aureo flore indidit. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 6. ſiue minus, repens, luteum, alpinum. Schvv. cat. Sil. Quinquefolium alpinum ſplendens.

Datum nobis hoc Pentaphyllon ab Agerio in Stiria collectum. Dono etiam accepimus à D. Iac. Zvvingero. Creſcit [inquit Cluſ.] in ſummis Auſtriacarum Alpium iugis, quæ tamen herboſa ſunt, & ſub Iunii finem floret, in hortis autem Maio.

## PENTAPHYLLVM MINVS MOLLI lanugine pubeſcens, flore luteo.



Multa exeunt ab vna radice capita ramoſa, humifuſa, aliquot foliis Pentaphylli vulgaris & elatioris formâ ſimilibus prædita, hoc eſt, quæ quinque foliolis in ambitu ſerratis, mollique lanugine pubeſcentibus conſtant, ſed non, vt illa [præcedens] incanis, guſtu initiò exſiccante, deinde nonnihil linguam vellicante: ex iis capitibus prodeunt dodrantales interdum *cauliculi*, ſimilibus ſed minoribus, *foliis* ornati, geſtantes in ſummo multos *flores* luteos, elegantiſſimos, quinque foliis, vt ſuperiorum, conſtantes, medium florem occupantibus multis luteis ſtaminulis: *ſemen* in caput, & veluti Fragi rudimentum congeſtum, fuſcum: *radix* lõga, dura, ſatis craſſa, foris nigricans, & tenuibus fibris donata eſt: ſed & rami illi humi fuſi plerumque fibras agunt, & vicina loca occupant.

Cluſ. Pannon. & in fol. Pentaphyllon 4. ſiue repens minus, flore luteo. Prima ſpecies. Cuius figura in Pann. tranſpoſita eſt ſub alio titulo, nempe Quinquefolii quarti ſecunda ſpecie. Camer. hort. Pentaphyllum Bauaricum, in campis aſperis, circa Monacum frequens. Pannonico 4. Cluſii non abſimile. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 4. ſiue minus repens, luteum primum. *Icon in Pãnon. tranſpoſita. Pentaphy. Bauaricum.*

Nihil illo vulgatius ſecundùm vias, locis ſiccis & nudis Pannoniæ, Auſtriæ inferioris, Morauiæ, & Bohemiæ. Florere incipit ineunte propemodum Vere. *Locus. Tempus.*

## PENTAPHYLLON PARVVM HIRſutum.



Radice donatur craſſâ, longâ, nigrâ: *folus* paruis hirſutis, ex pediculis duarum vnciarum longis: *cauliculis* multis, humi fuſis, quatuor vel quinque vnciarum: *floribus* luteis. *Deſcriptio.*

Cluſius ſuum ſic deſcribit: Cũ præcedenti naſcitur, atque etiam floret, minùs tamen frequens, humi ſimiliter fuſum, cuius cauliculi non virent, ſed purpuraſcunt, & graciliores ſunt, folia anguſtiora, magis villoſa, & illorum oræ altiùs ſerratæ; flores etiam magis aurei: in cæteris conueniunt. *Deſc. Cluſij.*

Cluſ. Pannon. & in fol. Quinquefolii quarti ſiue Pentaphylli repentis minoris aureo flore, 2. ſpecies. Cuius figura quidem bene competit huic noſtro Pentaphyllo: ſed in Pannon. tranſpoſita eſt ſub titulo Quinquefolii 4. prima ſpecies. *Synon. Icon tranſpoſita.*

Trago Pentaphylli, ſiue Quinquefolii minimũ genus, ſub initio Aprilis florens, ſine caule, foliis per terram ſparſis, flore luteo, inſtar Anſerinæ. Tragi quidem deſcriptio conuenit non autem figura. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 5. ſiue minus repens luteum ſecundum. An Thal. Harc. Pentaphyllum minus, ſuffrutescens, quod radice conſtat lignoſâ, multifidâ, denſo foliorum agmine, breuioribus caulibus digitali longitune, minoribus foliis, locis aridioribus. An Geſner. de coll. Pentaphyllum minus, quod locis apricis & ſiccis naſcitur; præcipuè collibus, floret Martio, aliàs etiam Septembri. Schvv. Quinquefolium vernum minus Tabernæ. In collibus ſiccis & ſecus vias. Aprili occurrit in Sileſia. Dod. gall. Pentaphyllum luteum minus. Quinquefolij tertia ſpecies *Apollini* rad. 1. *Trag. notatur. Quinquefolium Vernum.*

Paſſim prouenit, vt verſus *la Crotte* Montbelgardi: Beffordiæ verſus Caſtellum vidi florens Septembri, & copioſè *en plein Palais*, florens adhuc Nouembri. *Locus. Tempus.*

## PENTAPHYLLVM MINVS FOLIO ſubtus albicante.

Radix lignoſa minimi ferè digiti craſſitudine, quæ in fibras tenuiores abiens, longè lato- *Deſcriptio.*

que vagatur, cortice nigro obtecta, ſapore adſtringente, *ramulos* emittens complures, etiam palmares, humifuſos, in alios ramulos diuiſos, hirſutos & nonnihil rubentes: in quibus *folia*, quæ pollice texeris, quinquepartita, ſingulis ſegmentis circa mucronem leuiter inciſis, supernè virentia, infernè albicantia: *floſculi* parui, lutei, quinque foliis conſtant, apicibus multis luteis medium occupantibus, ſubſunt autem flori quina folia hirſuta, foris viridia, intus ad luteum vergentia, quibus interiecta totidem foliola dimidio minora, viridantia.

*Icon.* Figura noſtra Fuchſiana non in omnibus placet: folia enim paulò acutiora, ad latera nimium ſerrata.

*Synonyma* An Camer. hort Pentaphyllum minus?

Fuchſ. Quinquefolium 3. ſiue minus, quod Pentaphyllo luteo haud diſſimile eſt, non tamen paſſim, vt illud, quinque folia obtinens. Hoc cùm non haberet aliud nomen Fuchſ. quo ipſum appellaret, inter Quinquefolii genera *Fuchſ. not.* connumerare placuit: Gall. *Quintefueille petite*, Germ. klein fünffingerkraut. Sed vt verum fatear, Fuchſio non fuit notum Quinquefolium, quod pingit. An Lob. & Penæ Adu. Pentaphyllum minus luteum, omnium minimum, rariùs tamen filoſis pratis & herbidis muſcoſis occurrit, vbi Tormentilla, radice non ſeſe defixis ramulis propagante, foliis quà terram ſpectant, albicantibus.

*Matth. reprch.* Matth. Pentaphyllum, ſiue Quinquefolium tertium, folio paruo, ſubalbido, per terram repens. Hæc ille in Dioſc. & com. Italicis, quem [quandoquidem in Hiſt. Germ. longè aliam ponit deſcriptionem & diuerſam admodum figuram] quid de Pentaphyllo minimo ſcriberet, neſciuiſſe exiſtimo.

PENTAPHYLLI MINORIS MAIOR SPEcies folio ſubtus albicante.

*Deſcriptio* EST mihi Pentaphyllum quoddam neſcio vbi . . . . *floribus* multò maioribus, quàm in præcedente, ex longis *pediculis* dodrantalibus & quinis foliolis, ac multis ſeptenis, oblongis, extremis ſubrotundis, ſerratis, ſubtus albicantibus: *caulibus* palmaribus, in ſummitate *floribus* luteis multis, ex breuibus pediculis. *Radice* nigrâ, longâ, cum fibris craſſis.



An à præcedente in totum differat, aſſerere non audemus, locus, in quo creuit, va-*Icon.* rietatem forſitan induxit, icon quam ponimus, eſt ex emptitiis, non bene exprimens, folia enim nimiùm acuta.

*Trag. taxatur* Tragus figuram habet ſub titulo Quinquefolii exigui: ea non competere videtur vlli ſuarum deſcriptionum, ſi folia minùs eſſent acuta, reſponderet nonnihil huic noſtro Pentaphyllo.

An Thal. Pentaphyllum medium, medio modo ſe habens, quoad folia inter maius & minus.

PENTAPHYLLVM RECTVM MAIVS.



*Deſcriptio* NEc minùs ſtrenuè adſtringit huius *radix*, quàm vulgaris ſupini, multis adnatis aucta, rubeſcens: *caules* cubitales & maiores, plures, duri & rigidi, recti, teretes, ſubrubentes, villoſi, circa ſummum in aliquot alas, modò longas, modò breues diuiſi: *folia* hirſuta, Alceæ ferè æmula, variante diuiſurâ quintuplici, ſeptuplici, ſingulis ſegmentis profundè ſerratis, *flores* odore Agrimoniæ, Quinquefolii ſupini maioris inſtar, colore luteo intenſiore, dilutiore, & albo interdum.

*Synonyma. Pentaphyllum album & purpureum. Locus. Icon transpoſita Lob.* Lob. & Pena Adu. Pentaphyllum album & purpureum præ omnibus procerius & ſpecioſius, &c. Item Obſ. Pentaphyllum maius flore ſubluteo, interdum albo & rubro. Et Ic. Pl. p. 690. Pentaphyllum maius flore ſubluteo, interdum albo. Figura eſt transpoſita p. 690. Pentaphyllon album & purpureum. Hæc ille, qui obſcurus eſt in Obſ. ſiquidem eandem facit plantam album & rubrum Pentaphyllum, cum ſubluteo, ſiue noſtro, de quo hîc agimus: in iconibus autem ſeparat, nouam proponens figuram, quaſi album & purpureum differant à ſubluteo. Lectores igitur rem diligentiùs examinent, & conſiderent, quæ de Pentaphyllo albo cum radicibus bulboſis ſcripſimus ex Schvvenckfeld.

*Quinquefolium ... Icon ... poſita* Dodon. Quinquefolium 2. maius. Poterit illud eſſe, quod Hipp. lib. de vlcer. commendatur, & altius dicitur. Figura eſt tranſpoſita ſub titulo non ſuo, ſed Quinquefolii alterius non vulgaris.

*Quinquefolium ... ut ...* Geſn. app. hort. Quinquefolium luteis floribus rectum, non ſerpens VVoyſello. C. Bauh phyt. Quinquefolium 8. ſiue rectum luteum. Tab icon. p. 119. Quinquefoliū Theoph. maius, Groſs geel fünffingerkraut. Idē p. 120. habet aliam figuram, Quinquefolii Theophr. albi, weiſs groſs fünff-fingerkraut, quæ an diuerſæ plantæ, conſiderandum, icones ſunt valdè ſimiles. An Schvv. cat. Sil. Quinquefolium, ſiue Pentaphyllon vernum maius. 5. Camer. hort Pentaphyllum rectum maius.

*Locus. temp.* Obſeruaui ſpontaneum in Alſatia, ſicut & Montbelgardi in horto Ill. E. C. vbi habuimus aliquando flore albo. Geneuæ in horto ſatum primo anno flores non protulit, florebat Maio vt Lugduni & Hiemem perferebat. Baſileæ apud D. D Felic. Platerum Iunio & Septembri florens videbam.

## PENTAPHYLLON RECTVM MAIVS tenuius, villoſius, Pannonicum.

criptio. COllegit D. Agerius in Pannonia Pentaphyllũ noſtro recto maiori ſimile, cubitalibus & maioribus tenuioribuſque *caulibus*, longis pilis hirſutis, non ita firmis: *folia* per caules, longos habent pediculos, dodrantales, longis etiam pilis hirſutos, ad principium duæ pinnæ, foliorum inſtar, tenues, ſimplices, vnciam circiter longæ. diuiduntur autẽ folia in ſex vel ſeptẽ portiones, profundè ſerratas, quales in prædicto, ſed minores, villoſiores, candidiores: *rami* diuiduntur in tenuiores ramulos, qui deſinunt in *capitula* minora, quorum calyces minores, cum longis pilis, candidiores: Cuius coloris ſint *flores*, nos latet.

## PENTAPHYLLVM SIVE QVINQVEFOLium maius radice bulboſâ, flore albo.

riptio. RAdix eius [autore Schvv. cat. Sil.] longa, ſubrubra, cui ſæpè annaſcuntur bulbuli Filipendulæ modo. *Flores* Maio, *ſemen* fert Iunio, & Iulio, in agro Vratiſlauienſi. Vocatur Weiſs fünff Fingerkraut.

Conſideres velim an hoc Pentaphyllum ſit ſimile Pentaphyllo recto maiori, quod flore albo ludit [quo etiam colore obſeruauimus, quodque noſtro iudicio exhibet Tab. vt antè dictum: perpendendum etiam an ſit quod Lob. icon. p. 690. pro Pentaphyllo albo & purpureo ponit, de quo ſcripſimus prædicto loco.

## PENTAPHYLLVM RECTVM, FOLIIS profundè ſectis, ſubtus argenteis, flore luteo.



riptio IN numeroſa capita diuiditur *radix* rubens, lignoſa, ſatis craſſa: è quorum ſingulis *caules* recti tolluntur, rigidi, robuſti, dodrãtales & cubitales lanugine albâ penitùs obducti, quã deraſâ rubri apparẽt: *folia* partim è radice longis pediculis appenſa oriũtur, partim è caule, ſubtus penitùs incana & villoſa, ſuperiùs viridantia, in quinque primarias lacinias breues diuiſa, quarum vnaquæque profundè rurſus ſubſecatur: caulis *ſcapus* in multos diuiditur *ſurculos*, quibus *flores* inſident ſatis magni, lutei, è calycibus laciniatis, albidis, lanuginoſis.

enta- Pe- Quinquefol. argẽteo. An Lob. Obſ. Pentaphyllon petræum Mutoni, cautibus Tornaco proximis frequens. C. Bauh. Quinquefolium 7. ſiue folio argenteo: exiguum alterum Tragi, luteum minus Fuchſii. Tragi quidem, vt antè diximus, deſcriptio cõuenit, aſt iconem eius, vt Fuchſii, ad aliam plantam refero

Tab. icon. Quinquefolium petræum maius, Groß Stein fünff fingerkraut. Schvv. cat. Sil. Quinquefolium petræum maius argentatum Tab. ſiue 10. quo officinæ nõ rectè pro verò vtũtur. Sed cur Schvv. non adiecit, in qua regione hunc vſum obſeruauerit: Volmario, cum Eſlingæ eſſem dicebatur Pentaphyllum rectum. *Schvv. notatur. Pentaphyllum rectum*

Matth. in poſt. com. Ital. picturam ponit ſine vlla deſcriptione ſufficiente pro Pentaphyllo, ſiue Quinquefolio 2. & Pentaphyllo albo. In Hiſt. germ. Pentaphyllum album, ſiue tertium. Quia autem nec ſecundo in com. Ital nec etiam tertio in Hiſt. germ. reſpondet, ei non bene notum hoc Pentaphyllon fuiſſe conſtat. Adde nos flore albo nunquam offendiſſe. Quare nobis meliùs ſenſiſſe videtur ad Hiſt. germ. Camer. qui Pentaphyllum minus, cui in Epit. flores luteos tribuit, album à foliis albis, & non à flore [vt Matth.] nuncupari ſcribit. *Matth. taxatur.*

Thal. Harc. Pentaphyllum canum, Geſn. de coll. Pentaphyllum erectum magnum, candidum ſubtus, tribus aut ampliùs è radice caulibus, florens Iunii initio. *Pentaphyll. canum.*

Locus & Tempus. Obſeruaui Montbelgardi in muris quorundam hortorum circà *La Crote* eundo verſus patibulum ad ſiniſtram, florens adhuc Auguſto. Lugduni Maio. Geneuæ virens Aprili & florens Iunio. Baſileæ, vti è quadraginta annis, in cat. pl. Baſ. annotaui, abundat inter portam lapideam & cinericeam, florens Iulio, item in itinere verſus Krenzack Octobri. Ceterùm, Schvv. teſte, in Sileſia, vbi vulgaris notitię, paſſim in aggeribus, & ſecus arua, macro & arenoſo ſolo fruticat, & Auguſto floret.

## PENTAPHYLLON VEL POTIVS HEPTAphyllum flore rubro.



Deſcriptio. VAlde prolixas habet *radices*, & fœcundo reptatu luxuriantes, rubẽtes, lignoſas, fibris capillaribus aliquot donatas: *folia* quina, aut ſeptena Pentaphylli vulgaris, ſed non eô ordine ſita, verùm ceu in alam diſpoſita, ſubtus incana, hirſuta, ſupremâ partẽ viridantia, profundè per ambitum ſerrata, *pediculo* non admodum longo nixa, cuius imum in vaginam amplam degenerat, *caulem* amplectentem: *caulis flores* gerit magnos, rubentes, è quinque, aut ſex foliis compoſitos, cum concoloribus apicibus, & turbinato capitulo, fragi æmulo:

Iconem exhibemus Cordi, qui Pentaphyllon paluſtre vocat, & cuiuſdam Heptaphyllum Plinii fragiferum.

Lob. & Penæ Adv. Pentaphyllum purpureum Icon. Pl. Pentaphyllum rubrum paluſtre. Thal. Harc. Pentaphyllum paluſtre, Plinii fragiferum exiſtimatum, quòd conſimilia quidem capitula, *Pentaphylli purpureum paluſtre.*

flore deperdito, Fragariæ proferat. Et quia in eadem planta huius generis, folia tam ſeptena, quàm quina uno pediculo inhærentia ſimul ſepè conſpiciuntur, vnde & pro Heptaphyllo quoque haberi poſſet. Idem cum aliis Tragus obſeruauit, qui deſcribit tertio loco inter fraga.

*Quinquefol. aquaticum. Quinquefol. paluſtre rubrum. Pentaphll. rubrum.*

Tab. ic. Quinquefolium paluſtre, ſiue aquaticum, waſſer fünff fingerkraut. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 9. ſiue paluſtre rubrum. Dod. gall. Pentaphyllum rubrum. In fol. Quinquefolium 4. cuius flores obſcurè rubētes: Geſn. hort. Quinquefolium paluſtre, floribus purpureis.

Locus & Tempus.

Plántandam in hortum Ill. E.C. Montbelgardi attuli ex Meſgni Danigon, vbi pluribus durauit annis: reptatu non parum ſe multiplicat potiſſimùm ſi humiliori ſit loco plantata, profert etiam ſemen. Menſe Martio in paluſtribus Ludīēſibus vidi reliquias ſiccas. Tiguri obſeruaui circa lacum Katzenſee. Inſignis Medicus D. Leonhard. Doldius ſcribit ad me, circa vrbem Norimhergam frequentiſſimè prouenire cum foliis ſeptem, aut ſex potiùs quâm quinque. Vliginoſis, inquit Schvv. Sileſiæ putridis montium delectatur locis, ad piſcinas & paludes fruticans. Iunio floret.

Vires & vſus.

Adſtringit tota herba præſertim fructus, ait Camer. Hinc teſte Schvv. potum ſanguinis profluuiis medetur.

## PENTAPHYLLOIDES SVPINVM.

Deſcriptio.



Folia plurima, pediculis longis, ex *radice* craſſiuſculâ, longâ, multorum capitum, annectuntur cōiugatim, ſingula ſerrata, ad Geranii ſupini folia accedentia: *caules* cubitales, inanes: numeroſos gerunt *flores*, paruos, luteos, ex breuibus pediculis: ſuccedunt *capitula* parua, Fragis immaturis ſimilia

*Pentaphll. ſupinum. Tormentillæ facie. Quinquefol. fragiferum repens.*

Lob. Obſ. & Ic. Pl. Pentaphyllum ſupinum Tormentillæ facie. Hoc, teſte Cluſio, nonnihil affinitatis cum Anſerina Tragi, ſeu Potentilla Fuchſii, habere videtur. Tab. icon. Quinquefolium fragiferum repens, Kriechendt Erdbeer fünffingerkraut. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 13. vel Quinquefolio ſimile repens. Dod. in fol. Quinquefolium tertium ſerpens, ſiue ſupinum. Addit fragiferum Schvv. quod in Dod. nō legimus.

*Quinquefol. ſerpens.*

Locus & Tempus.

Collegi florens Auguſto Argentinæ in horto D. D. Melchior. Sebizii: Frequens in agro Viennenſi Cluſius, in extremis pratorum marginibus ſecundum ſiluas: In Sileſia Schvv. in locis montium graminoſis.

## PENTAPHYLLOIDES ERECTVM.

Deſcriptio.

Radice præditū eſt plurium capitum, craſſiuſculâ, lignoſâ, cortice ſaturatiùs rubente,



ſtrenuè adſtringente tectâ, è qua *pediculi* pluſculi prodeunt palmares, quorum extremo connectuntur terna *folia*, hirſuta, ſerrata, Fragariæ æmula, longè minora, rurſumque eidem coſtæ vna aut altera conſimilium foliorum coniugatio, quò longiùs à ſupremis illis abſint, minoriū: inter hæc *caulis* naſcitur cubito altior, hirſutus ſemel atque iterum, quinis iunctis foliis inſignis, ſuperiùs in ramulos aliquot diuaricatur, qui multos *flores* gerunt, albos, Pentaphylloidis ſupini duplò maiores, ſubiectis radiatis foliolis viridantibus, hirſutis; floris vmbilicum occupante *capitulo* fragum ferente, vt in cæteris Pentaphyllis quod conſtat *ſeminibus* oblongis, ferè ruffis: huic (exiſtimo) accedente culturâ, folia multò maiora, folus coniugatim ſeptenis aut quinis ad coſtam annexis, Paſtinacæ aliquatenus ſimilibus, inter quę fortuita intercedunt folia quædam minora, veluti in Agrimonia: pediculus interdum cubitalis.

Syno[nyma]

*Quin[quefol.] frag[iferum.] Frag[aria] ſilv.*

An Cluſ. Pannon. & Hiſt. in fol. Pentaphyllum 5. ſeu fragiferum, Plinio forſitan non incognitum? Caſp. Bauh. phyt. Quinquefolium 14. ſiue Fragiferum. A quo etiam accepi nomine Fragariæ alterius ſeu ſilu. Cortuſo, & Potentillæ Recentiorum Guillandino, qualiter etiam denominabat doctus Medicus D. Hochſtetter Pforzhemiæ. Schvv. cat. Sil. Quinquefolium fragiferum erectum, Stehend / oder Aufrech Fünffingerkraut.

Locu[s]

Naſcitur in Leytenberg locis vmbroſis in media ſilua ſupra Manderſtorſ ſita, quo loco duntaxat aliquot annis Cluſ obſeruauerat. Naſcitur in Pannonia, inquit Cluſius, non modò in ſiluis cæduis, ſed etiam gramineis campis. Floret Maio, fructus paulò ſeriùs matureſcit, effluuntque ſemina, quemadmodum in reliquis Quinquefoliis. Supra Peterſtorf etiam in ſiluis ſecundo ferè à Vienna miliari obſeruatur.

*Temp[us]*

*Facul[tates]*

Herba, radix, & ſemen, vt Schvv. perhibet, ſiccandi & adſtringendi vim obtinent.

## PENTAPHYLLON ALBVM.

Deſcri[ptio]

Ex *radice* multis fibris donatâ, pediculi plures exoriuntur, palmares & ſeſquipalmares, tenues, anguloſi, hirſuti, *folium* ſinguli ſuſtinentes, quinquefidum, ſupernè glabrum, viridéque infernè argenteâ lanugine villoſum, cuius ſegmenta ſingula carinata ferè, quædam longiora, quàm minimum, alia minimè ſerrata, in obtuſum mucronem deſinunt, quàm in Tormentilla argentea longiora, ſupernâ parte virore non ita obſcuro, nec ita glabra: ex calycibus hirſutis: *flores* peculiaribus quoque pediculis



diculis longiuſculis inſident, Fragariæ, colore perinde lacteo, ſtaminulis in medio luteis: ſapor herbæ glutinoſus.

Camer.hort. Pentaphyllum albo flore, maximè conueniens deſcriptioni. Hipp. lib. de vlcerib. In Hetruria vocatum Pentaphyllum argenteum.

Fuchſ. Quinquefolium, ſiue Pentaphyllum maius candidum, Groß weiß fünff fingerkraut/ Gall. *grande Quinteſueille blanche.*

Trago, Pentaphyllon 4. ſeu verum ac nobile, cuius nomen nullibi cognoſcere potuit, quodque [ſi Diis placet] ὠχρόλευκον, florem in candido pallidum habere teſtatur Dioſcorides. Hæc ille, cuius deſcriptio non competit deſcriptioni Dioſcoridis, pingit autem ſub titulo Quinquefolium Tragi des Böcks fünff fingerkraut Lob. & Pen. Adu. Pentaphyllum album. Taber. icon. Quinquefolium ſiluaticum. Caſp. Bauh. phyt. Quinquefolium 1. ſiue album maius.

Matthiolo non fuiſſe notum demonſtrat tanta variatio quæ in eius deſcriptionib. variis in locis extat: quinimò in Hiſt. nō dicit flore eſſe albo, ac plātā aliam proponit. A dextris nobis ſtat Camerar. ad Hiſt. Germ. aſſeuerans, deſcriptiones Matthioli non conuenire cum ſuis figuris, nec decêre vnâ figurâ diuerſas comprehendere plantas.

Geſn. Quinquefolium, ſiue Pentaphylli ſpecies minor, floribus albis. Thal. in Harc. Pentaphyllon, Lupini folio: in ericetis quandoque & virgultis. Dod. gall. Pentaphyllon album. Schvv. cat. ſilu. Quinquefolium ſiluaticum flore albo Matth. Pentaphyllon 1. Cluſii.

Copioſum à me viſum Stutgardiæ in horto Ducis, vnde quoque miſſum. Montbelgardi curaui plantandum in horto Ill. Ex. Celſ. Cæterùm, Schvv. in Sileſiæ ſiluarum vmbroſis ac humidis locis vigere obſeruauit, cui vtrum fides adhibenda, dubito: nam Camer. in Epit. Matth. in ſaxis ingentibus, & ſaxoſis locis, an per conſequens in ſiccis naſci ſcribit.

Adſtringit, ſiccat, roborat, repellit. Radix ſubtilium eſt partium. Ea omnia præſtare poteſt [ſi Matthiolo credidimus] quæ Pentaphyllon vulgare repens, quo tamen adſtringentior eſt.

## PENTAPHYLLON ALBVM I. CLVSII.

### Cap. LXXII.

MVlta *folia* habet, Quinquefolio vulgari ſimilia, in quinq; partes vſque ad pediculum diuiſa, in ambitu minimè ſerrata, vt illa, ſed extremis duntaxat foliorum oris, ſubtus incanâ quâdam lanugine pubeſcentia, guſtu initiò gummoſo & emplaſtico, deinde nonnihil amaricante: aliquot ſub his exo-



riuntur *cauliculi* exiles, & tenues, dodrantales, humi procumbentes, in ſummo ternos, aut quaternos *flores* proferentes, Pentaphyllo vulgari ſimiles, ſed prorſus albos: quibus excuſſis, apparet calyx lanuginè obductus, *ſemen* continens planum, ſeminis Ranunculi ferè æmulum, in rudimentum fragi congeſtum: *radix* craſſiuſcula, nigricans, in ambitu ſeſe diffundit, & multis fibris hirſuta eſt.

Synon. Cluſio deſcriptionis autori, Pann. & in fol. Quinquefolium, ſiue Pentaphyllon 1. ſeu maius albo flore: cuius meminerit Anguillara, his verbis: Pentaphyllo λευκόν, de quo Hipp. lib. de vlcerib. quamuis eo nomine &c. verùm in eius deſcriptione multa ſunt, quæ non videntur conuenire, cum Pentaphyllo albo 1. Cluſii. An porrò Pentaphyllum album Cluſii, diuerſum ſit ab eo, quod cum Trago, Fuchſius, & alii tradunt, cuius deſcriptionem iam antè dedimus, aſſerere non audemus: non ſepararemus, niſi diceret Cluſius, ſe duntaxat ſcribere, quæ à nemine adhuc euulgata ſint. Schvv. non ſeparat. Conſiderandum etiam an Anguill. Pentaphyllon non ſit potiùs argenteum, flore muſcoſo.

*Deſcr. Anguill.* *Cluſ. not.*

Locus. Prouenit, autore Cluſio, non modò in colle illo nemoroſo ſupra Manderſtorf oppidulum tepidarum aquarum ſcaturigine nobile: ſed etiam in omnibus illis montoſis ſiluis, quæ à Danubio procurrentes, ad Alpes vſque pertingunt. In ſiluis item ſupra Nemethvyvvar, & Zollonock, apud Entzeſtorf, & pleriſque ſiccioribus pratis, vno ab vrbe Vienna miliari: in Morauia præterea, atque in montibus vltra Drauum amnem, Pannoniâ interamni. Tempus. Floret Aprili & Maio, interdum denuò Autumno.

## PENTAPHYLLVM FOLIIS INFERNÈ & ſupernè incanis.

Deſcriptio. FOlia obſeruantur duntaxat terna, confertiſſima, ſuperiori parte crenata, ſuprà, ſubtuſque cinericea, candicante lanugine obducta, *pediculis* ornata breuiſſimis: *cauliculi* duarum vnciarum gerunt *flores* ſingulares, maiuſculos, candidos, ex calycibus internè externéque hirſutis dependentes: *globus* ſequitur piloſus, albidus, pilis quibuſdam nigricantibus, aut ruffis præditus: *radix* craſſa, lignea, nigricans; vel atro rubore perfuſa: ex qua plura capita ſquammata, ex reliquiis, vt exiſtimamus, pediculorum foliorum Veterum conſpiciuntur.

*Quinquefolium album Hippocratis.* Cæterùm, miſit nobis olim Pentaphyllum hoc noſtrum, p.m. D. Becchius Medicus Baſileenſis, idque nomine Quinquefolii albi Hippocratis. *Cluſ. not.* Cluſ. verò Pannon. & in fol. ſuum vocat Pentaphyllon 2. minus, flore albo: quod fortè deſcribat Lob. in Adu. Suo tamen tribuit flores Fragæ,

riæ floribus magnitudine non inferiores, quod eodem nomine, quo Lob. ſuum vocauit, inſigniri poſſit, Pentaphyllum minimum & petræum. Cùm tamen Lobelii diuerſum ſit à Cluſii, quia flores muſcoſi.

An Geſn. hort. app. Quinquefolii albis floribus ſpecies quædam in locis montium naſcens? C. Bauh. phyt. Quinquefolium 2. ſiue album minus.

Locus

Noſttum à prædicto D. Becchio collectum in Baldo. Suum eruebat Cluſ. inter ſaxa & ſcopulos, ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium iugis.

Tempus

Floret ſub finem Iulii, interdum etiam Iulio & Auguſto, prout iuga illa maturiùs, aut ſeriùs à niuibus ſunt libera.

## PENTAPHYLLVM, SIVE POTIVS HEptaphyllum argenteum, flore muſcoſo.

Deſcriptio



Radicem habet craſſam, longiuſculam, fibratamque, ex rubro nigricantem, nunc ſingularem, nunc in multa capita diuiſam: pediculi palmares circiter, argenteâ lanugine obducti, *folia* ſuſtinent, in quinque, aut ſeptem ſegmenta, vt plurimùm, diuiſa, per extremum ſerrata, ſubtus argenteo nitore ſplendentia, mollique villo tecta, ſuperiùs atro-virentia, glabra: *caules* dodrantales & maiores, tenues, paucis *foliis* veſtiti, ramoſi, muſcoſos, conſertos gerunt *floſculos*, Alchimillæ modo, ſingulos quaternis foliolis virentes, foris incanis, hirſutiſque. Adſtrictionem aliquam percipimus in foliis.

Pentaphyll. petroſum

Tormentilla

Argentaria petræa.

Herba ſtellæ ſpecies.

Pentaphyllō petræum

Heptaphyllō montanum

Argentina montana.

Tormentilla alba.

Leontopodiū.

Stellaria argentea.

Argentaria petræa.

Alchimilla minor.

Argentea Heptaphyll.

Lob. & Penæ Adu. [vt & Ic. Pl.] Alpinum petroſum & minimum Pentaphyllon cognominatur; quod quidam Tormentillæ annumerant, cui multùm ſanè ſimile eſt: floſculi candidi interdum & purpuraſcentes. Geſn. hort. Argentaria petræa, quæ videtur ſpecies Herbæ ſtellæ à quibuſdam dictæ, ob radiatam foliorum ſpeciem. Bergſinnaw, Steinſinnaw. An eidem de coll. Pentaphyllum petræum, in ſaxis iuxta aditum fodinæ ferrariæ in monte ſupra *Sergans*, vbi plantæ erant pauciſſimæ, florebantque Auguſto? Geſn. cùm apud eum eſſem vocabat Heptaphyllum montanum, & Argentinam montanam. Ille lib. de Lunariis in deſcriptione Montis fracti ait, Argentariam, ſpeciem Herbæ ſtellæ, ſiue pedis leonis. Tormentillam albam vocabat Dalech. Bened. Aretio Heptaphyllon montanum, Schaffſüppen. C. Bauh. phyt. Quinquefolium 12. ſiue Heptaphyllon alpinum ſericeum, & quorundam Leontopodium Dioſcoridis. Camer. in Epit. Matth. Stellaria argentea, vel Argentaria petræa, vel Alchimilla minor, & Heptaphyllon montanum. Item horti, Argentea Heptaphyllos montana. Taber. icon. Pentaphyllon petreum minus. Item pag. ſequenti 124. Quinquefolium alpinum, Heptaphyllon Cluſii. Cluſ. Hiſp. Heptaphyllon floſculis candidis [virentibus.] Tormentilla candida Hiſt. Lugd.

Locus.

Lobelio occurrit in celſioribus montium iugis, gelidiſque cautibus, quales ſunt Sabaudiæ, in Auſtenſi valle, & Norbonæ ad Calcaris, hortique DEI, ardua, & in verticibus editiſſimis Mindenii. Geſnero in ſaxis, vel locis ſaxoſis montium Helueticorum. Cluſio in Pyrenæis iugis apud Cantabros, florens Maio, in Alpibus Allobrogum ſeriùs. Nobis in montibus Geneuæ propinquis, Monſpelii in cacumine montis *Eſperon* menſe Octobri.

## PENTAPHYLLVM INDICVM.

Deſcri



IN ſportulis [autore Cluſ. Exot.] D. Nicolai Colii Medici, anno 1601. ex Orientali India adferebatur Amſtelredamū. Pentaphylli Indici planta, cum duabus aliis eiuſdem generis, formâ quidem prorſus ſimilibus, magnitudine verò nonnihil differentibus. Singulæ porrò plantæ bina duntaxat habebant *folia*, eaque tenella, peracri tamen ſapore prædita, ex tuberosâ *radice* prodeuntia, gracili, ſeptem, aut octo nihilominùs vncias longo pediculo ſubnixa, in quinque profundas, & ad pediculum vſque ferè pertingentes lacinias diuiſa, neruo ſingulas lacinias à pediculo ad ſummum mucronem ſecundum longitudinem ſecante, & venis quibuſdam ab eo neruo in latera excurrentibus prædita. *Caulémne & flores* proferret, mihi incompertum, ait Cluſ. ſed *radix*, quæ, vt dicebam, tuberoſa inſtar radicis Tormentillæ, & ſolida, parte externâ aliquantulùm fuſca, internâ verò alba, & cuiuſdam acrimoniæ particeps, duorum aliorum foliorum, quæ abrupta, veſtigia adhuc retinebat, plenaque, & aliquot fibris donata erat.

## PENTAPHYLLI EFFIGIES, LEVCAS quibuſdam.

### Cap. LXXIII.

LEucadem putatam ex plantis habeo Valer. Douvez. *radix* craſſa, nigra, ſquammata, in capita diuiſa: tota alioqui planta, quæ vncialis, aut ſeſcuncialis, cinericeo tomento obducta: *folia* plerumque terna, Fragariæ modo, minora, magis villoſa, candidioraque, ſerrata.

Lob. & Pena Adu. teſtibus, non penitùs nihil



hil ſentiunt, Valerandus & alii, qui plantam hanc incanâ Pentaphylli effigie, intuiti, Leucadem cenſent. Tabern. ic. Argentina Mõpeliaca, welſch Silberkraut.

Admodum inuentu rara, nec nobis lecta, niſi prope Allobrogum deuexa, plantie in arida, glareoſa.

## TORMENTILLA.

### CAPVT LXXIV.

Deſcriptio



EX *radice* craſsâ, pollicem nõnunquam ſuperante, aliàs rectâ, aliàs in obliquum actâ, rubente, fibroſâ, ſapore adſtringente, viticulas plures emittit, humi fuſas, nonnihil ſubinde erectas, & cubitum interdum longas, hirſutas, rubeſcentes, tenues: in quibus ex interuallis, *folia* caulem ambientia, Pentaphylli, hirſuta, ſed diuiſurâ ſeptemplici: *flores* parui, lutei, Quinquefolii. In huius coliculo obſeruatur aliquando adnatum tuberoſum quoddam excrementum, concretione Pomorum quercinorum, in cuius antris ſtabulantur vermiculi, ſeu teredines.

Tormentilla verò [quemadmodum Apollo prodidit) à ſeptenis foliorum diuiſuris, Heptaphyllon [vel vt Hermol. Septifolium] quoque vocatur. Eadem in Quinquefolii ſpecie reponitur, ob folia quippe duo iuniora, quæ tam exigua ſunt, vt in foliorum numero à quibuſdam reponenda non videantur. Et hinc fortè factum, vt Braſſauolus hanc Plinii Pentaphyllon ſulpicatus ſit, vt & Manardus, quem propterea cæcutiuiſſe Matthiolus dixit. Hæc ille, qui Matthiolum reprehendit eo loco, cùm tamen ipſe in dolis, ac verſutiis, & non Matthiolus, quem ſuo nomine metitur, magis quàm in comitate confidit, inquit enim Tormentillam Quinquefoliæ, ſiue Quinquepetæ Theophraſti tam apertè reſpondere; vt nulli magis: Nempe hunc in modum cum inter cætera dictare 9. de Hiſt. pl. c. 14. Quinquefolium crebris internodiis conſtat, vt ne hylus quidem huic deficiat, niſi & duo folia excipias, quæ & certè ob eorum exiguitatem in numero foliorum recenſenda, non videantur. Quæ poſtrema apud Theophraſtum repetiri, nunquam vel ſomniauerimus. Cæterùm, quum hæc abſolutè pronunciet Apollo; ei hîc errandi, aut veriùs Matthiolum ſuggillandi, anſam facilè iniuria, inuidiaque ſuppeditarit.

Germani] inquit Trag. lib. 1. cap. 171.) hanc plantam Tormentill à Latinâ voce deriuato nomine nuncupant, alii Birckwürtz, à Betula, quòd in iis ſiluis, quæ magnâ copia Betulas producunt, & hæc luxuriet, nonnulli Blütwurtzel/ aut Rötheil wurtzel [ſanguinariam aut rubram radicem] vocant, eò quod Dyſenterias, & vitia inteſtinorum curet. Dicitur & Biſtorta [Cæſalp.] à nodis nimirum radicis quibus intorquetur, vt ea, quæ priuatim Biſtorta dicitur (nam eſt procul dubio prima Pandectarii Biſtortæ ſpecies) & à pleriſque Ferula. Ego autem puto nomine Pentaphylli inſigniendam. Idem cap. ſequenti ait Tormentillam nobiliſſimũ Pentaphyllon Theophraſti & Dioſcorid. eſſe ſtatuo. Quod verò ita ſentio, Theophraſti me mouet deſcriptio. Tandem lib. 2. c. 37. Miror (inquit cur Alex. Bened. Sparganion nominet. Hæc ille. Quod autem Tormentilla Theophraſti Quinquefolium non ſit, ſolâ Theophraſti autoritate refellitur, vti iam ſub Pentaphyllo vulgari docuimus. Malè igitur ſentiunt Tragus, Geſn. Michael Humelbergius, Valeriola, & alii, qui Tormentillam, Pentaphyllon eſſe exiſtimant: hæc enim ſeptena folia habet, rarò pauciora, præter id, quod teſte Maranthâ, aliæ notæ non reſpondent.

*Tormentilla. Birck-Wurtz. Locus. Sanguinaria radix. Biſtorta. Pentaphyll. Theoph. Sparganion Tragi error. Geſneri, Humelb. Valeriolæ &c. lapſus.*

Quærentibus porrò Lob. & Penæ in Adu. & Obſ. an Tormentilla, vel Heptaphyllon, Chryſogonum Dioſcoridis ſit: ſcitè, noſtro iudicio Dodon. negatiuè reſpondet, dicens. Tormentilla fruticis modo haudquaquam, vt Dioſcoridis Chryſogonum attollitur, nec flos eius ſimilis eſt Coronarii Verbaſci floribus, vt Chryſogoni: ergo Tormentilla Chryſogonum non eſt.

*An Chryſogonum?*

Nominatur verò Tormentilla (vt Lob. & Pena notant) quia tormentum cruciatúmve dentium ſæuiſſimum placat, atque venenatarum quarundam rerum compeſcit furorem cruciantem. Meminit & Hermol. Tormentillæ, quoſdam eſſe ſcribens, qui ad Saxifragam referant.

*Tormentilla vnde? Saxifragia.*

Græcè ἑπτάφυλλον, Septifolium, Latinè vulgò *Tormentilla* nominatur, Germ. Birkwürtz, Rot heilwürtz & Tormentill / Gall. Ang. & Belg. *Tormentille*, Ital. & Hiſpan. & Hungar. *Tormentilla*, Boh. Natrzyrk

Nomina linguarum.

Obſeruaui paſſim Baſileæ, Monſpelii, & Geneuæ in pratis, vbi folia prorumpebant Martio, florebat Maio, Iunio, & Iulio ibidem audiui Rhizotomum vocantem *Mamor*. Nemoribus (ita tradente Hiſt. Lugd.) opacis, montoſis etiam, ſiccis macilentiſque locis gaudet. Serò & Æſtate floret.

Locus. Tempus.

Tormentilla omnibus vulnerariis potionibus, emplaſtris, & vnguentis adiungi poteſt nam vetera & putrida ſanat vulnera & abſceſſus, vino, vel aqua decocta, collutione & inſperſu. Eſt & in omnibus medicamentis, quæ aduerſus venena & peſtem componuntur, adhibenda. Eſt porrò radix potenter reficcans, & ex eorum quæ tertii ſunt ordinis, numero; & partium tenuium: caliditatis quàm minimùm tenet, adſtringentis facultatis particeps. Herba autem & radix ſimul tuſa ac impoſita ſanant

Vires & vſus. *Vulnera. Abſceſſus. Venena. Peſtis.* Tẽperam. *Herba & radix.*

duritias & tumores, & collectiones iuxta aures *Tumores. Iſchias. Scabies.* ſubnatas, coxendicum dolores ſedant, cuius fluenti ſcabiei medentur, nec non & mariſcis, aliiſque id genus affectionibus, maximè verò hoc efficiunt, cùm ex aceto imponuntur. Nec inuenias aliam radicem, quæ *Dyſenteria.* dyſenteriis & lienteriis, aliiſque quibuſcunque alui fluxionibus coërcendis aptior ſit. Hinc ad has affectiones ex ea paſtilli, pulueres, electuaria, potiones, & ſacculi conficiuntur. Opiliones etiam hac radice ægrotantibus ouibus ſubueniunt. *Succus.* Succus radicis & herbę recentis expreſſus manè & veſperi temporibus illitus, vertigini medetur. Idem potus veneno omni in cibo, ſiue potu hauſto reſiſtit, ſicut & peſti, nam per ſudorem venenum expellit. Poteſt etiam manipulus herbæ & radicis vino decoqui, ac decoctum ad eadem calidum bibi. Vtiliter etiam emplaſtra & vnguenta ſucco Tormentillæ conficiuntur. *Peſtis Emplaſtra. Aqua.* Radix cum herba vino per noctem, inque balneo Mariæ diſtillata, ad omne venenum vtiliter quoque propinatur. Eadem aqua cum Tutia præparata, vel Succino albo, oculis inſtillata, deſtillationibus illorum medetur. Aqua & ſuccus ſecreta mulierum medicina eſt, ad ſiſtendos menſes. Sicca radix in puluerem redacta, ſingulis vicibus aduerſus peſtem, omneque aliud venenum drachmæ pondere ſiue in potu exhibetur. *Oculi. Menſes. Puluis. Peſtis. Doſis. Dyſenteria. Obſeruatio.* Eadem ex vino rubro pota dyſentericis ſuccurrit. Verùm obſeruandum eſt, ſi febris Dyſenteriæ coniuncta ſit, vt puluerem illum ex aqua, in quâ candens chalybs extinctus fuerit, aut ex aqua Tormentillæ diſtillata, drachmæ pondere exhibeas, idque bis per diem. Sunt qui radicem cum albo oui admixtâ dimidiâ nuce Myriſticâ & tantundem farinæ Auenæ, ſubigãt, ac in ferreo cochleari ſuper carbones lentè decoquãt, ſubinde vertentes placentulam illam. *Placentula.* Fluxiones mirificè cohiberi aiunt, ſi quis quotidiè vnam talem placentulam deuorauerit. *Fluxiones.* Alia proinde ratio has plancentulas, & quæ iis, quibus cholera, faſtidia & vomitus excitat, profuerit hæc eſt. *Cholera. Faſtidium Vomitus.* Accipe puluerem radicis Tormentillæ, & cũ albo oui ſubige, deinde verò ſuper laterem candentem decoque & reconde. Quod ſi quis prædicto morbo laborauerit, ei huius placentulæ partem drachmæ pondere contuſam, ex aqua Balſaminæ propina.

## POTENTILLA SIVE ARGENTINA. Cap. LXXV.



*Deſcriptio.* EX *radice* palmari & longiore, tenui, ſubadſtringẽte, *folia* promit Agrimoniæ, pinnata (intercedentibus patuulis foliolis) quorum ſingularia in ambitu ſerrata, supernè glabra, infernè candicante hirſutie veſtita, Cæſal. foliorum ſectionibus tenuioribus maximè Quinquefolium referentibus, ſiciore & adſtringentiore ſapore, quàm radix: *cauliculos* nudos ſpargit, qui more Fragariæ radicãt in ſummo defixi in terram, ac folia gerunt: alios cauliculos inter folia attollit ſimplices: quibus *flores* inſident grandiuſculi, Pentaphylli, quinquè foliis conſtantes, lutei: *fructus* ſimilis, grandiuſculus.

Quo nomine Græci & Latini hanc herbam appellent, à nullo, quod Fuchſ. ſciat, adhuc proditum eſt. Recentiores quidem Potentillam, ab eximiis viribus, quibus pollet, vocant: nonnulli Agrimoniam ſilueſtrem, ob formæ affinitatem, quam cum vtroque habet, nuncupant: Dicitur & Argentina, ſiue Argentilla, ab argenteo foliorum ſplendore: Germani verò Genſerich [Anſerinam] quòd hâc anſeres in cibo delectentur, appellant. *Poten... Vnde... Agri... ſilu... nacet... cur. Arge... Argen... Vnde... rina...*

Poſſet inquit Tragus, Anſerina hæc, quod ad formam attinet, non ineptè Eupatorium dici. Poſſet & Groß gärb [Millefolium maius] appellari. Nam ſingula eius folia inſtar pinnæ auium pulli, ſed maioribus inciſuris diſſecta apparent, quoad reliqua Millefolio non diſſimilia. *Eupa... rium... folium... ius.* Millefolium itaque maius Latinis dicetur, nam & hoc nomine à Dioſc. inſignitur, tametſi quædam nomina, quæ eo capite commemorantur, ad alterum Millefolium pertineant, quod Stratiotes vocatur. Ea ſunt Stratiotice, Achillion, Supercilium Veneris. *Trag... preh...* Hæc ille, qui deſcribit, & bonam figuram exhibet, verùm nomina commiſcet: eſt enim neque Eupatorium, neque Millefolium.

Quidam [vt notat Hiſt. Lugd.] Stephanomelidem Plinii eſſe coniectantur vtilem ex aqua ſanguini fluenti per nares, ſic dictam, quòd coronis melinus eius flos innectatur. *Steph... melis...*

Cæterùm [teſte Lob. & Pena, qui in Adu. Obſ. & Ic. Pl. Argentinam vocant] tantopere eſt hæc ſimilis Agrimoniæ, vt non rarò mulierculas Agrimoniam ſe collegiſſe ratas fallat: diſcernitur autem repertu viticulorum.

Geſnero hort. dicitur Argemone altera: & in cat. pl. Thalictrum Herbatior. ſuæ ætatis. *Agrim... affinis.* Quod tamen Argentina non eſt [atteſtante Cordo in Dioſc.] licèt hoc opinentur Ruellius & Anguill. Potentilla 2. optimè à Fuchſ. & Matth. depicta. *Argen... Thalict... Geſn... Ruell...*

Hadr. Iun. nominatur *Argemone, Inguinaria Plinii, Agrimonia ſilu. vulgo, Anſerina, Argentina, Potentilla*, ἀργεμώνη ἑτέρα, & quorundam θάλικτρον. Germ. Genſerich / Grenſing. Belg. Siluercruyt / Blick Hollandis, Gall. *Argentine, Bec d'oye.* Ital. *Argentina*, Hung. Lud paſiit, Anſerum gramen. Boh: Stribrnik aut Huſy Maydlo. *Nom... Lingu... Inguin... Plinii.*

Obſeruatur paſſim florentem Maio, Iunio, ac Iulio. *Locu... Temp...* Frequentem ſcribit Cæſalp. in Germania, circa ſemitas & loca aquoſa, potiſſimùm iuxta flumina, quorum nulla amantior, frequentiorue alumna. Amat vliginoſa. Æſtate, dum floret, legi debet.

Quum folia eius & radix [inquit Fuchſ.] adſtringant, temperamento à Pentaphyllo [Millefolio Trag. legit] nihil differre videtur. *Temp... ment...* Quare hæc, potiſſimùm autem radix, ex tertio ordine deſiccatoria eſt, minimumque euidentis caliditatis habet. Errant itaque mirum in modum, qui hanc humidam eſſe ſtatuunt, nullâ aliâ moti ratione, quàm quòd in humidis locis proueniat: quaſi verò Naſturtium aquaticum, haud obſtante quod in aquoſis naſcitur, non etiam in tertio deſiccet ordine. Debuiſſet certè illos ab hac ſententia deterrere non leuis illa adſtrictio, quæ certiſſimus eſt ſiccitatis index: adſtringentia enim, Gal. lib. 4. ſimpl. c. 6. teſte, terrena ſunt & craſſâ corporis conſiſtentia. *Error ... rundam.*

Adſtri-

Aſtrictoria igitur & exſiccatoria vi pollet. Quare Recentiores fluxionibus & puncturis oculorum prodeſſe; recentia vulnera glutinare, & exedentia ſanare, mulierum menſtrua compeſcere, artus & membra confirmare, rectè tradunt: nam id ipſum poſſe adſtrictio, quæ in hac herba haud modica eſt, abundè docet. Et cùm habeat Quinquefolii temperamentum, eius etiam facultates obtineat neceſſe eſt. Dentium itaque dolorem finit, exedentia oris vlcera ſanat. Dyſentericis & alui profluuiis, coxendicis articulorumque doloribus ſubuenit. Sanguinis eruptiones ſiſtit, aliáque, quæ à Dioſc. Quinquefolio attribuuntur, poteſt. Quòd verò adiiciunt, hanc etiam lumbricos exterminare poſſe, id minùs rectè faciunt. Ea ſiquidem facultas, non huic, ſed illi ineſt herbæ, quæ verè Tagetes dicitur. Proinde non ſine magno errore, Potentillam cum eo confundunt. Anſerina cum aqua & ſale decocta, aciis exhibita, qui ex alto deciderunt, auxiliatur, vt quibuſdam apud Tragum videtur, ſanguinem concretum diſſoluendo. Verùm hoc illi nequaquam probatur. Herba vino decocta & pota torminibus, & dorſi dolore laborantibus ſubuenit, mulieribus, quę albis profluuiis vexantur, conducit, nam adſtringit haud ſecus atque Pimpinella Italica. Aqua Anſerinæ deſtillata rubentibus oculis vtilis eſt, ſi linteolis in ea madefactis imponatur. Hac ratione maculas quaſvis extergere, fluxiones & dolores ſedare dicitur. Experimento egregio didicit Io. Agricola Potentillæ ſuccum vnà cum puluere Colchici vulgaris mariſcis ani mederi. Viribus eximiis pollet [aiunt Adv.] ad frangendum calculum, interiota vulnera & vlcera maligna, & dyſenterias, viſcera roborando, ſimiliter Agrimoniæ: cuius potiùs, quàm Tagetes, temperamento exſiccante, ſiue calore moderato eſt, ſed aſtrictione ſuperat: multum ſanguinem grumoſum potu diſſoluit. Hanc inditam pelui, frigidâ aquâ ſemiplenæ, & operculo occluſæ, deſtillare, ſiue vapores in concauum operculi ſubuehere, quod ſublimare vocant, ferunt. Huius ſtillatitiam ad lentigines, pannos & maculas, fuſcumque colorem Sole contractum delendum, Angłæ mulierculæ adhibent. His addit Hiſt. Lugd. Datur vtiliter potui ſanguinem reiicientibus. Herbæ ſiccæ farina ex ſua ipſius ſtillatitiâ aquâ pota, albas vteri fluxiones ſiſtit, ſed valentiùs addito Corallo & Eboris ramentis. Sunt qui ad enterocelas præferunt, tum in cibis, tum in potionibus. Etenim vlcera ſanat præſertim pudendorum, & quæ oris partes erodunt, firmat commotos dentes, & laxas gingiuas, ſi in aceto decoquatur, & os ſæpè colluatur. Dentium dolores mulcet, prolapſam columellam reſtituit, addito Aluminis momento. Barth. Carrichter in ſect. pract. lib. 1. cap. 2. ad dolorem capitis à ſanguine & bile, Anſerinam ex aceto roſ. & ſale, primò pedibus apponit, & ſi non ceſſat, ſuccum cum aqua roſacea temporibus applicat.

## PES LEONIS SIVE ALCHIMILLA.

### Cap. LXXVI.

Ex *radice* minimi digiti, aut pollicari craſſitudine, plurimis fibris donata, ſtrenuè adſtringente & deſiccante: *caules* ſurgunt aliquot tenues, teretes, hirſuti, ramoſi, dodrantales & cubitales, quibus inſident *floſculi*



herbidi, vmbellatim congeſti, quorum ſinguli, octonis conſtant foliolis, maioribus quatuor, totidemque minoribus, alternatim poſitis, in quorum medio apiculi lutei: *ſemen* minutū luteum: Papauerino ſimile: *folia*, alia ſtatim à radice exoriuntur, longis, ſeſquipalmaribus, pediculis hirſutis, alia cauli, pediculo aut breui, aut nullo adhærent, interceptaque folii continuitate, reliquo pediculum ambiunt, vt ab eo perforentur: cæterùm, folium ad Maluam accedit, ex luteo vireſcens, infrà hirſutum, in octo, aut nouem angulos obtuſos, ſeu plicas diuiſum, in ſingulos angulos ſingulis neruis à pediculo prodeuntibus, concinnè in ambitu crenatos. *Semen.* *Folia.*

Hæc vulgò Herbariis, Pes leonis [Leontopodium] & planta leonis, à foliis inſtar leonini pedis latis, & rotundis nominatur: minimè verò eſt Dioſcoridis Leontopodium, id quod Brunfelſ. Euch. & Cornarius volunt. Notum eſt [inquit Corn.] Leontopetalon officinis & herbariis, & ab ipſis corruptè *Pata leonis* (Lewentap) appellatur. Sed erronea admodum eſt hæc opinio. Quandoquidem Alchimillæ deſcriptio cum Dioſcoridis Leontopodii delineatione [teſte Dorſt.] minimè conuenit, De Leontopodio ſcribimus Hiſt. n. g. l. 31. vbi & eius æquiuocationes aſſignamus. *Leontopodium. Planta Leonis cur. Leontopodiũ Dioſcoridis non eſt. Error quorundam. Leontopetalon Pata leonis.*

Euch. præterea vocando Alchimillam, Artinellam, Leucopedion, Plantam ſiue Pedem leonis, Leontopetalon diuerſarum plantarum nomina confundit. *Euch. notatur.*

Brunfelſ. ait eos non perperàm agere, qui Dentem leonis, Leontopodion & Leontopetalon Dioſcor. nominent, quamuis deſcriptio non quadret. Sic vult, ſic iubet Brunfelſ. cui pro ratione nouitas placet. Qui tamen non Dentem, ſed pedem legiſſe debebat. Horum autem opinionem de Leontopodio & Leontopetalo; nobiſcum reiiciunt, Fuchſ. Matth. & Dodonæus. *Brunfelſ. repreh.*

Nec audiendus (monente Matthiolo) Brunfelſ. in ſuo Onomaſt. Dodon. Lob. & Pena Adv. & Hiſt. Lugd. qui Stellariam vulgò vocatam Leontopodium eſſe ſcribunt, id quod ex ambarum plantarum deſcriptione conſtat. *Stellaria nō eſt Variorum lapſus.*

Quod verò Hier. Brunſch. Sinaw, græcè Alchimillam, Attinellam, & Leucopedion vocari ſcribit, apud quem Græcum inuenerit iſta nomina non reperio. *Brunſchw. notatur.*

Dicitur autem Alchimilla, quòd Alchymiſtarum præconiis celebrata ſit, Δεόσπερα ſeu Δεόσον ſiue Δρόσιον Cordo, à Germ. Chirurgis Sanicula maior, quòd ſit illi, tum facie, tum viribus admodum affinis. *Alchimilla vnde. Droſera. Sanicula maior.*

*Pes leonis*, ſiue *Alchimilla*, Germ. Sinaw / lewen fůß / oder lewentapen / Groß Sanickel. Belg. Sinawe / vnſer frawen mantel / Gall. *Pied ou Tape de Lyon*, Ital. *Pie de Leone*, Angl. Ladies mantel. *Nomina linguarum.*

*Locus & tempus*

Montbelgardi in horto plantata feliciter prouenit. Eam prope Maſinunſter, Geneuæ, Baſileæ & Florentiæ vidi virentem Martio, & florentem Maio. Matth. vt plurimùm in montibus prouenientem obſeruauit, præſertim in pratis & paſcuis, erumpentem Maio & florentem Iunio.

*Vires & vſus. Temperam.*

Folia & radix adſtrictione vehementi participãt, atq; adeò exſiccant. Recentiores, teſte Fuchſio, idipſum in ſecundo efficere ordine tradunt. Quare vulneribus glutinandis aptiſſima eſt. *Vulnera.* Decocto enim ipſius lauantur vtiliter omnia vulnera. Linteum quoque in eo madefactum illis commodè imponitur. *Mammæ laxæ.* Mulierum mammas impensè laxas linteum decocto eiuſdem intinctum & impoſitum, duras ſolidaſque efficit. Decoctum denique hoc epotum, interanea vulnera, rupturaſque glutinat. Et *quod dictu mirum eſt*, *Ruptura. Ramex.* tanta eius plantæ in glutinando vis eſt, vt ramices inteſtinorum, in pueris potiſſimùm, ſanare poſſit. *Vulnerariæ potiones.* Herba & radix vulnerariis potionibus adiunguntur, puluetibus, emplaſtris & vnguentis: Sic & folia tumoribus & vulneribus impoſita, *Folia. Tumores. Inflammationes.* dolorem ſedant, inflammationemque tollunt: idem efficit aqua deſtillata: nam calorem extinguit, & ab inflammatione defendit, & ſanguinem ſiſtit: ſiſtit & alba mulierum profluuia, *Alba profluuia.* facitque ad conceptionem, ſuperfluas humiditates ſiccando: Succus eius potus comitialibus ſubuenit. *Succus Pul. ns* Aridæ puluis in ſuo ipſius decocto, aut ſtillatitiâ aquâ ſumptus, ramices inteſtinorum, potiſſimùm in pueris ſanat. Datur idem puluis ex vino, aut iure, cochlearis menſura, quindecim aut viginti diebus, iis quibus adempta ſit concipiendi facultas, à nimia vteri humiditate, ob quam iniectum ſemen contineri non poteſt.

## AGRIMONIA SEV EVPATORIVM, CAP. LXXVII.

*Deſcriptio Caulis. Folia.*

CAulem vtplurimùm erigit ſingularem, cubitum & ſeſquicubitum altum, hirſutum: *folia* palmam longa & longiora, ex quatuor ferè foliolis vtrinque pinnatim ſitis, circumquaque ſerratis, extremo impari, multis minoribus interiectis compoſita, ſapore ſubdulci, cum quadam adſtrictione: *Flores.* *flores* ſuaueolentes longâ ſerie alternatim ſcapo adnaſcuntur crocei, quinque foliis conſtantes: quibus ſuccedunt *lappulæ* *Lappulæ. Radix.* pulpâ albâ, dulci, plenæ: *radix* in nigrum vergit, craſſa, ſapore adſtringente donata.

*Deſcr. Dioſcor.*

Eupatorium (deſcribente Dioſc.) herba eſt è



ctemiorum genere (ϕρυγανώδης, ſurculoſa potiùs quàm fruticoſa, non enim fruticat, quæ vno tantùm ſcapo ſurgit) vnicum proferens thyrſum, tenuem, lignoſum, rectum, nigrum, hirſutum, cubitalem, aut etiam altiorem: folia ex interuallis fiſſa in partes maximè quinque, aut etiam plures, Quinquefolii aut Cãnabis potiùs foliis ſimilia: ſunt & ſubnigra, & ſerræ modo in extremitatibus diuiſa (*Dioſc. reſtituitur.* legendum Græcè πριονοειδῶς, ſerræ, non πρινοειδῶς, Ilicis modò inciſa: quamuis ſi ſic legatur, non mutatur ſententia, ſunt enim Ilicis folia ſerræ modo inciſa Hiſt. Lugd. ex Corn.) Semen è medio caule enaſcitur, ſubhirſutum, ita deorſum nutans, vt etiam ſiccatum veſtibus inhæreat.

*Plinii.*

Similiter Plinius inquit: Eupatoria quoque regiam authoritatem habet, caulis lignoſi, nigricantis, hirſuti, cubitalis aliquando & longioris: foliis per interualla Quinquefolii, aut Cannabis, per extremitates inciſis quinquepartitò, nigris & ipſis, plumoſiſque, radice ſuperuacuâ.

*Agrim. verum Eupatorii. Dubium.*

Ex his ergo delineationibus patet, hanc noſtram Agrimoniam, verum eſſe Dioſc. Eupatorium. Hoc tamen reuocat in dubium Cæſalpinus diuerſis in locis. Ac primùm quidem lib. 8. cap. 4. dicens: Galenus Eupatorio facultatem tribuit incidendi. quæ non videtur ineſſe Agrimoniæ: Facit & difficultatem, quod ſcribit Dioſc. lib. 6. vbi ad epotam Mandragoram præcipit excitandos à ſopore ægrotantes olfactoriis, inter quæ Eupatorium in primis nominatur, quaſi vehemens in eo ſit odor, qui nequaquam Agrimoniæ ineſt. Idem lib. 12. cap. 16. Eaſdem facultates, tum Auicenna, tum Meſues tradunt Eupatorio: inquit enim Auicenna, Eupatorium eſt ex herbis aromaticis: ideò non videtur eſſe Agrimonia, cui præter adſtrictionem nullus conſpicuus ineſt ſapor, neque odor, neque amaritudo. *Reſpon.* Aſt Cæſalpino iure merito ſeſe opponunt Tragus, Fuchſ. Cordus, Robert. Conſt. Dodon. & Ferd. Imp. quorum opiniones ordine recitabimus. Maio itaque menſe [inſit Trag.] radix Agrimoniæ, dum adhuc tenera eſt, odoratiſſima deprehenditur. Quod cùm ita ſe habeat, non malè Agrimonia Eupatorium Antiquorum eſſe ſtatuitur. Hæc nimirum ea eſt planta, de qua tot & tam variæ, Veterum, præſertim verò Arabum, extant ſententiæ. Quidam enim ex his aſſerunt Eupatorium habere folia ſimilia Cannabinis, aut pentaphylli, quorum quidem ſententia maximè probanda videtur. Alii, inter quos præcipuus eſt Auicenna, dicunt, folia habere Cannabis, odoratum eſſe, floremque ferre Nymphææ ſimilem, atque in hac ſanè deſcriptione, nihil deſideratur, niſi quod ad florem attinet. Habet enim Agrimonia noſtra florem multò magis exiguum, quàm Nymphæa. Quòd ſi verò colorem citreum vtriuſque plantæ, non totam ſubſtantiam contuliſſe Auicennam dicamus, tolerari vtique ſententia eius poteſt. Nam altera Nymphææ ſpecies luteum profert florem, ſed Eupatorio longè maiorem. Tertius Arabs, Meſues nimirum, Eupatorium ita deſcribit, vt ſtatuat, illud folia habere Centaureæ minoris. *Error ſuea.* Eſt autem poſterior hæc ſententia, manifeſto cum errore coniuncta, niſi tu verba Meſue aliter interpreteris, nempe vt dicas, Eupatorium ſerrata habere folia inſtar Centaureæ maioris, aut floſculos illius, ſubſtantiâ & formâ cum Centaurea minori conuenire. Hoc igitur pacto deſcriptiones Arabum admitti debent, nec à Græcis diſſentiunt. Reliquum igitur eſt, vt quoties Eupatorii in autoribus fit mentio, Agrimoniam hanc intelligamus. *Ferra. Conco. Marm. la. Sce. Eupat. vndę.* Quòd verò Barbati hanc, Ferrariam minorem, Concordiam, Marmorellam, & Scelam vocant, quæ nomina partim Saniculæ tribuenda videntur, nihil impedimento fuerit, præſertim ſcientibus eam herbam verum eſſe Eupatorium,

ab

*Hepato-rium Hepa-titis Inuolu-crum maius Cafat: Oli-barda.*

ab Eupatore rege, qui illud primus inuenit, nominatum, Hepatorium autem, & Hepatiris, & Inuolucrum maius, quòd iecori potiſſimùm medeatur, à Dioſcoride cognominatum. Serapio autem Hepatorium ſuum vocat *Caſat*, vel *gaſit*, ſeu *gaſil*, Auerrh. *Olibarda.*

*Marru-bium Coni-za*
*Lapſus A-pulei Error. quorundam*

Nec deſunt, vt & hoc annotemus, qui cum Apuleio Eupatorii vocem Marrubio tribuant, & alii quidam Conizæ: verùm nec ipſi quodnam verum eſſet Eupatorium, aſſecuti ſunt. Proinde præfractâ quadam ac immedicabili cæcitate, captos eſſe eos iudicat Fuchſius, qui hanc verum & genuinum Eupatorium eſſe, ex notis, quæ ad amuſſim, nullâ reclamante, conueniunt, non animaduertunt.

Nullus, inquit Cordus, verum Eupatorium cognouit, præter eos, qui hodie Agrimoniam vocatam herbam, Eupatorium vocant, vt fecit Agricola. Nam reuera Eupatorium eſt ea, quæ nunc falsò Agrimonia vocatur, qui error Dioſcoridis etiam ætate fuit. Dudum de hac re ſcripſerunt Leonicenus, parens meus, & alii plures, quibus etiam Ruellius ſubſcribit, Germani, Dermenig, & Leberkletten vocant. Eupatorium Græcorum eſt noſtra Agrimonia, inquiunt, Amat. Robert. Conſt. & Dodonæus.

In vetere verſione Oribaſii, teſte Dodonæo, de ſimpl. Agrimonia, Lappa inuerſa vocatur, quòd ſemina lappatum inſter aſpera deorſum dependeant.

*[illegible]*

Eupatorium Græcorum & Arabum F. Imperato quoque vulgaris eſt Agrimonia, dicitque odoratum Dioſc. Eupatorium reperiri in monte *Mateſe.* Scribit etiam Caſt. Dur. Eupatorium Dioſcoridis odoratum reperiri in monte *Caprarda.*

*[illegible]*

His adde C. Bauh. dicentem phyt. Eupatorium 5. ſiue Veterum, Agrimonia dicta, Eupatorium Dioſc. eſt aliorum Græcorum: & Eupatoria Plinii: quibuſdam Argemonia in aruis naſcens. Item: Eupatorium 6. ſiue odoratum. Quem tamen ſatis mirari non poſſum, cur hæc duo Eupatoria ſeparet. Dioſc. vnius tantùm meminit.

Cæterùm, inquit Corn. In errore verſantur adhuc hodie officinæ, vulgus Herbariorum & Medicorum, qui in Dioſc. cap. de Eupatorio, Argemones nomen ad Eupatorium transferunt, quos ſequuntur, qui Eupatorium, Agermeng/ aut adhuc corruptiùs Odermenig. [Agrimoniam] appellant. Corruptè quidem eo loco, ἔνιοι ταύτην ἀργεμώνην, legitur, cùm legendum ſit, quamuis etiam corruptè, ἀργεμώνην: vnde quoſdam errore ſeductos Dioſc. dixit, qui Eupatorium Argemonem vocarint. Verùm nobis hæc correctio ſuſpecta eſt, quia Anguillara ait, Eupatorium, ſiue Agrimoniam hodie in Græcia Arremiſiam vocant.

Quid tandem Lob. & Penæ in Adu. qui Eupatorium Meſue eſſe idem cum noſtra Agrimonia negant, reſpondendum ſit, ex hactenus in medium alatis, ſatis ſuperque conſtare arbitror. Vocat idem Obſ. & Ic. Pl. Eupatorium Græcorum & Dioſcoridis Agrimoniam officinarum. Nec ſine errore Theod. Dorſt. Eupatorium, Agreſtem Saluiam Barbarorum vocat.

*[Syn]onyma [officin]arum.*

Ἐπατώριον, vel ἡπατώριον & ἡπατῖτις Græcis: Lat. *Eupatorium*, ſiue *Hepatorium*, Offic. *Agrimonia*, Germ. Odermenig, Bynchwurts, Leberkletten Agrimonien Belg. Agrimonie/Leuercruyt. Gall. *Eupatoire*, *Agrimoine*, Ital. *Agrimonia*, Hiſp. *La Agrimonia*, & Angl. Agrimonie, Boh. Rzepycek, & Starcek, Hung. Apro buytoryan.

*Locus & Tempus.*

In ſatorum & viarum marginibus, & circa ſepes & in pratis paſſim prouenit. Æſtate floret. Baſileæ quoque Septẽbri & Octobri florere obſeruatur. Geneuæ prorumpentem vidi Aprilis principio. Autumno ſemen maturum eſt. Maio menſe colligenda & ſiccanda, quæ in medicos vſus eligitur.

*Vires & Vſus. Vlcera. Dyſenteria.*

Huius folia, autore Dioſc. cum adipe ſuillo vetere trita & impoſita, vlcera, egrè cicatricem recipientia, ſanant. Herba verò ac ſemen, ſi cum vino bibantur, dyſentericis, hepaticis [& colicis Trag.] & à reptilibus beſtiis commorſis opitulatur. Galenus μεθοδικωτέρως eaſdem facultates exponit. Eupatorium herba ipſa renuium partium, incidendi, extergendique facultatem citra manifeſtam caliditatem obtinet. Quare obſtructiones iecoris expurgat. Ineſt itidem ei & adſtrictio quædam, per quam robur viſceri addit. Hodie, atteſtante Trago, Eupatorio frequentiſſimè, non ſine magno certè commodo, ad reponenda luxata membra vtuntur. Aqua diſtillata potu tuſſim emollit, pituitam craſſam incîdit, morbum arquatum expellit, febri laborantibus conducit, tineas ventris enecat. Exulcerationibus oris, aliiſque vlceribus ſi vulneribus, & ex illa colluantur, & purgentur, ſuccurrit. Radix exſiccat & moderatè adſtringit, quare intemperiem ferè omnem corrigit, obſtructiones aperit. Præterea decoctum dilutumue colore limpido vini gilui placet. Hinc in vino rubro ſtiptico decocta putredinem vulnerum & vlcerum abſtergit, ſi ea lauentur. Eadem contuſa & vulneribus malè agglutinatis ſuperligata denuò aperit. Autore Rondelet. Agrimonia cum aceto forti emplaſtri modo impoſita verrucas tollit. Notatu digniſſimum, ſi verum, quod ſcribit Timoth. Roſſelius Agrimoniam cum veteri axungia porci applicatam extrahere ſpinas. Ioannes Schenck. Obſ. Med. [ex authoritate Dioſ.] gangrænam ex morſu hirudinum, Helidæum Agrimoniâ contritâ, emplaſtri modo impoſitâ, curaſſe ſcribit.

*Obſtructiones iecoris. Luxata membra. Tuſſis. Morbus arquatus. Febris. Tineæ. Vulnera. Gangræna.*

Quiſquis tandem eſt Medicus, qui poſt hac Eupatorio vti velit, Agrimonia vtatur confidenter. Nihil itaque ſapiunt ii, qui in Syrupo de Eupatorio, pro hoc, Spinam Arabicam ſubſtituunt, pro noto puta ignorum.

*Syrup. de Eupatorio.*

## GARYOPHYLLATA VVLGARIS flore paruo luteo.

### CAP. LXXVIII.



*Deſcriptio.*

Fragrantiſſimus Caryophyllorum odor, quem *radix* ſpirat fibroſa, ruffa, toti plantæ nomen indidit, *caule* cubitali, hirſuto, tenui, in alas diuiſo: cuius *flores* luteoli Tormentillæ, quibus ſuccedunt echinata, glomerataque *capitula*, longis ariſtis horrida: *folia* hirſuta, nonnullam cũ

Agrimonia ſimilitudinem habent.

*Herba benedicta. Syluaticus notat. Lagopus non eſt.*

Brunfelſ. quam Tom.3. Rhapſ.2. Garyophyllalatam vocat, eandem in 4. herbam Benedictam nominat.

Reprehendit Matth. Syluaticum quòd parùm rectè tradiderit, dicendo, Lagopum eam eſſe herbam, quam Herbariorum vulgus Caryophyllatam appellet.

*Geum Plinii*

De hac Veteres, quod Matth. ſciat, nihil memoriæ prodiderunt. Niſi fortaſſe fuerit Geum, cui Plin. lib.26. cap.7. radiculas aſſignat ternas, nigras, bene olentes. Vtrum autem ſit Geum Plinii vulgaris hæc Garyophyllata Lob. & Pena Adu. quoque dubitant.

*Nardus ſilu. Sanamunda. Auantia. Oculus leporis.*

Sic & Trag. de hoc diſſidio nihil iudicat, ſed Nardum ſilueſtrem vocat, quam quidam Sanamundam nominant.

Eadem repetit Dodon. gall. & Geſn. Qui præterea Auantiam, & Oculum leporis, atque Geum, Garyophyllatam vocari tradit, id quod ante eum Antonio Muſæ Braſſauolo quoque placuerit.

Garyophyllatam vulgi Cæſalp. nuncupat, cui apud Plinium inter Argemonias numerati videtur, cùm ait, radix Thus redolet.

Hiſt. Lugd. Garyophyllata Matthioli, & Garyophyllata vulgaris, qualiter & Cluſio dicitur.

*Eupatorij ſpecies non eſt. Getia.*

Taber. icon. & Hiſt. Garyophyllata, & Herba Benedicta, quam quidam Lagopum, alii Eupatorii ſpeciem volunt, ſed errant, inquit, Plinius vocat Geum, & Scalig. Getiam. Item Caryophyllata 4. ſiluatica, flore luteo. De hac quarta plura vide ſub noſtra aquatica, dubius enim ſum, quò referri debeat.

Camer. Epit. Caryophyllata. Item horti Caryophyllata vulgaris: Et rurſus: montana ſimilis vulgari, elegantior tamen & maioribus floribus prædita.

C.Bauh. phyt. Caryophyllata 1. ſiue vulgaris. Caryophyllata 2. ſiue vulgaris maiore flore, fortè Fuchſ. ſilueſtris.

*Gloria filia. Baccharis*

Gerardo, Caryophyllata, VVallonum Gloria filia.

*Corn duplex lapſus.*

Baccharis, [vt vult Corn.] officinis ignota eſt, ſed Herbariorum vulgus Herbam Benedicti, ſiue Benedictam vocat, aliqui etiam Chirothecam noſtræ dominæ, vnſer frawen hendſchuch, appellant. Verùm Benedicta non videtur nobis reſpondere cum Bacchari Dioſcor. nec nomen Chirothecarum placet, quòd fortè Digitalis ſit, Hinc autem non eſſe Dioſc. Bacchatem, vt nonnulli ſuſpicantur, deſcriptio plantæ, quæ non conuenit, vt Monachi in Meſ. teſtantur, comprobat.

*Lagopus non eſt. Geum Plinii eſt*

Sed vt liberè dicamus, quod ſentimus: Minimè, cum Fuchſio, Caryophyllatam, Dioſcoridis Lagopum credimus, dicimuſque eorum ſententiam, qui Geum Plinio dictam velint, periculo vacare, quòd eadem facultas vtriſque radicibus inſit.

*Fuchſ differentia*

Cæterùm, Fuchſius Garyophyllatæ, ſeu Herbæ Benedictæ ſiue Sanamundæ vulgò appellatæ duo genera animaduertit, hortenſem, flore minore, & ſilueſtrem flore maiore, magis ad croci colorem accedente. Nos Fuchſii duas figuras apponimus, quia ſculptę iam erant, quamuis nullam differentiam demonſtrent, nec diſcrimen à Fuchſio poſitum in iis obſeruare poſſimus

*Fuchſ. not. Iconco*

*Euchar. error*

Garyophyllatæ figura malè apud Euchar. Carduo benedicto appingitur.

*Caryophyll. etymon*

Caryophyllata qualiter Græcis & Antiquis Latinis nominata ſit, nondum compertum. Eſt autem ab odoris ſuauitate, quam radices de ſe præbent, nominata. Vulgus herbam Benedictam, à diuina ſua efficacia, & Sanam mundam appellat.

*Herba benedict. dicta*

*Nomina linguarum*

Germani Benedicten würtz, Belgi & Brabanti Garyophyllate, Gall. *L'herbe beniſte, Reſize, ou galliot*, Angl. Auens, Boh. Benedykt, Hung. Vadzef nu,

*Locus, tempus*

Vidi ſpontè prouenientem non longè à Monſpelio, Baſileæ menſe Octobri inter propugnaculum & portam cinericeam, intra vrbem ad muros & propè portam lapideam, & alibi florentem Maio & Iunio, cum flore & ſemine Auguſto, Patauii virentem in quodam horto Decembri, & in horto D. Muſali Ianuario, Florentiæ in horto D. Nicolai Ferrarienſis, Lugduni paſſim, Geneuę virentem menſis Februarii principio, & cum flore Maio. Cæterùm, Matth. teſte, gignitur in montibus, & in viis iuxta ſepta, quòd initium in modum ſepibus opacis gaudeat. Vulgaris in Germania, inquit Tabern. in terra firma, & humida, vmbroſo loco, in hortis prope muros, in ſepibus & dumetis: transfertur in hortos propter ſummam vtilitatem.

*Vires: vſus. Temper.*

Geum Plinii medetur non modò pectoris doloribus, & lateris, ſed & cruditates diſcutit iucundo ſapore. Recentiores & peruetuſtus etiam Herbarius, annotante Fuchſio, calidam & ſiccam eſſe in tertio ordine ſtatuunt. Folia ſanè in guſtu non mediocrem adſtrictionem oſtendunt, vt & itidem radix. Eadem luto & ſordibus eluta ſiccatur, & imbre aceti reſperſa, arcas & veſtes iucundo commendat odore. Decoctum huius ſumitur ad perficiendas concoctiones, ſedandoſque coli dolores. Manuſcriptus Herbarius facultatem habere diſſoluendi, digerendi, & obſtructiones tollendi ſcribit. Tomentum item ex vino decoctionis eius menſes ciere. Contra venena tritam cum vino ſumptam valere. Concoctionem præterea roborare, dolorem ventriculi, & inteſtinorum à frigiditate aut flatibus ortum decoctam in vino ſanare ait. Mirificè etiam ad interna vulnera huius herbæ decoctum confert. Externa verò ex eâ collui debent. Acetariis etiam ſolio expetita herba. Eadem Tragus ſic tradit.

*Colic. Menſes Venen. Vulner. Acetar.*

Vſus huius radicis vulgaris is eſt, vt vere in vinum imponatur, quòd optimo ac iucundiſſimo & odore & ſapore commendat. Hoc vino cor exhilarari & obſtructiones iecoris aperiri, nec non frigiditate & craſſis humoribus affectum ſtomachum iuuari multi teſtantur. Radix Benedictæ vino decocta ac calida pota, dolorem ventriculi, & inteſtinorum à frigiditate, aut flatibus ortum, ſedat. Vinum in quo radix Benedictæ decocta fuerit, purgat & mundat omnia vulnera, cuiuſmodi ſunt fiſtulæ & carcinomata: idem fœdas maculas exterit, ſi illo facies aliquandiu ſingulis diebus abluatur, maximè verò in primis diebus puerperis. Caryophyllata, inquit Matth. non eſt viribus inefficax, argumento quòd eius radices manifeſtum Caryophylli ſpirent odorem: Eâ Recentiores vtuntur potâ ad thoracis interna vulnera. Quin & eius ſuccum admiſtâ ærugine, cuniculoſis, contumacibúſque vlceribus, vtiliter iniiciunt. Eadem olfacta ſpiritus recreat, & frigidum roborat cerebrum. Epota prodeſt cœliacis, dyſentericis, fœminarum profluuiis, & cruenta expuentibus. Tam intus ſumpta, quàm foris illita enterocelis auxilio eſt. Temperamentum ei excalefaciens, & exſiccans,

*Vinum. Fiſtulæ. Fœda macula. Vlcera. Cereb. Entero.*

vt ma-

vt manifeſto ſunt indicio eius radices : quippe quæ guſtu odoratæ, adſtringenteſque deprehendantur. Quibus qualitatibus non modò attenuare, diſcutere & adſtringere valent, ſed etiam roborare. Menſes, *vt atteſtatur Lobel.* & ſanguinis grumos propellit, obſtructiones reſerat, veneni aduerſatur. Radix huius, *vt tradit Tabern.* in cibo, & potu, & medicamentis quocunque modo ſumpta, cerebro ſuccurrit, ſpiritus, vitales recreat, omnibuſque oculorum vitiis ſubuenit. Radix maſticata oris fœtorem emendat. Eadem ieiunè commanducata, corroborat, & ab omni contagio præſeruat. Ex herbâ & radice, in balneo Mariæ deſtillatur aqua ad eoſdem vſus idonea. Similiter & vinum ex radice paratur, & Conſerua. Radix colligenda Martio.

## GARYOPHYLLATA MONTANA flore magno, luteo.



*Folia* Caryophyllatæ montanę & paluſtris vulgatioris reſpondent, ſed multò minora, vncialia, multa per terram ſparſa, villoſa, nonnihil laciniata, per extremum rotunda, ſerrata: inter hæc ſurgit *coliculus*, ſex circiter vncias altus, foliis paruis, & in profundas oblongas lacinias fiſſis, cuius ſummo *flos* inſidet magnus croceus, concolorum ſtaminum congerie medium occupante, ex calyce hirſuto in lacinias mucronatas, alternatim maiores minoreſque cæſo: radix ſatis craſſa, nigra, fibrata, valdè odorata.

Geſn. hort. Geum tertium alpinum Matth. in Dioſc. cum mag. fig. Gariophyllata montana, cui flos aureus, radix odore Caryophyllorum, & guſtu adſtringente. Lob. Obſv. vt & Ic. Pl. Caryophyllata maior rotundifolia, & Garyophyllata montana Matth. qualiter etiam Hiſt. Lugd. inſcribit, dicitur: Quandam, inquit, Caryophyllatæ raram & perelegantem ſpeciem, Italo ſemine ortam, nihil diſſimilem à Septentrionali rotundifolia impertiuit Coldenbergius; niſi folio quadruplo maiore, & radice craſſiore digitum æquãte, minuſque fibroſa foret. Si Lob. eandem cum Matthiolo [cuius figuram exhibet] intelligit præcedenti deſcriptione, miror eum non meminiſſe coloris.

An Anguil. Garyophyllata alpina. Cluſ. Pannon. & in ſol. Caryophyllata montata 2. Caryophyllata alpina aureo flore, à Matth. Caryophyllatæ montanæ nomine deſcripta: pictura tamen non valdè feliciter expreſſa. Camer. in Epit. Matth. Caryophyllata montana, Ital. *Garofanata ſaluatica.* Item hort. Caryophyllata alpina altera, à Pennæo floribus albis reperta, in monte Lupo Galliæ. Tab. ic. & hiſt. Caryophyllata montana Berg Benedicten wurtz / Berg Näglinkraut: Auantia montana flore luteo, caule vlnam alto. C. Bauh. phyt. Caryophyllata 6. ſiue Alpina lutea, cuius flos licèt communiter luteus ſit, inuenitur tamen & purpureus & albus. Gerard. Caryophyllata montana.

Planta hæc; quam Geſnero in peregrinatione Rhetica Garyophyllatam alpinam nominaui, reperta in monte Braulio, florens Iunio, vt & alibi. In ſummis etiam [autore Cluſ.] duntaxat iugis montium Pannonicorum, nec in omnibus tamen, ſed inter gramina, vel ſub fruticibus naſcitur. Iunio floret, Auguſto ſemen maturum eſt. Reperitur [teſte Matth.] in Bohemiæ montibus, è quibus Albis fluuius, oritur. Locus & Tempus

Iiſdem cum altera pollet viribus, ſed præſtantioribus. Radix non ſolùm excalefacit, & ſiccat, ſed etiam cohibet, ac roborat. Vires & vſus

## GARYOPHYLLATA AQVATICA flore rubro ſtriato.



*Radice* fibroſâ minimâ, extrinſecùs rubente nonnihil, intus albâ, ſapore adſtringente, & ſubdulci, tãdem *caules* profert multos interdum paucos, aliquando cubitales, farctos, hirſutos, nonnihil rubentes: ramulorum ſummis ſubinde etiam priuatis pediculis, breuibus, hirſutis, rubentibus, nonnihil nutantibus *flores* inſident, patuli, Alpinæ floribus ferè ęquales, ſtriati, non multùm elati, & ſupra calycem parùm admodum ſe proferentes, extrà purpurei intenſiùs, intus dilutiùs; odore grato, ex foliis quinis, à tenui principio ſenſim in latum ſe diffundentibus, intra quorum ſepta *apices* multi, crocei, echinatum *capitulum* obuallant: inſidet autem *flos* quaſi calatho patulo rubente hirſuto, in quinque lacinias hirſutas, totidemque ligulas in laciniarum ſpatia diſtributas diuiſo: *folia* Caryophyllatæ vulgaris foliorum formâ, ſed longè maiora, alia à radice ſtatim orta; alia in caulibus, pediculo ſextantali, ſapore cum radice compari. Deſcr.

Camer. in Epit. Matth. vbi noua figura, Caryophyllata aquatica. Item hort. Caryophyllata paluſtris.

Hiſt. Lugd. Caryophyllata montana Dalech. radice inodorâ, fatuique guſtûs: foliis Caryophyllatæ ſimilibus: flore luteo, lineis pluribus diſtincto. Aquoſis locis gaudet. Quæ Dalechampii Caryophyllata, ſi non eadem cum noſtra, ſaltem erit illi valdè ſimilis. C. Bauh. phyt. Caryophyllata 3. ſiue aquatica, nutante flore. Item Caryophyll. 4. ſiue aquatica 2. Et rurſus, Caryophyll. 5. ſiue montana Dalechampii. Adhæc Caryophyll. 7. ſiue alpina minor. Et tandem apud Matth. Caryophyllata aquatica. *Caryophyllata montana.*

Cam. in ſuo Matth. Caryophyllata 3. vel Geum aquaticum Geſneri Cluſio, floribus pallidis, ſub- *Geum aquaticum.*

purputeis, aliquando multiplicibus, magis iubentibus, aliquando ſanguineis.

Cluſ. Pann. & in fol. Caryophyllata 1. ſiue alpina nutante flore, radice impensè adſtringente, odore iniucundo: floribus quinque vt plurimùm foliolis, nonnunquam ſenis, aut ſeptenis, ſuauiter tubentibus, conſtantibus. Item Caryophyllata 3. ſiue Geum aquaticum Geſneri: cuius iconem ſuis coloribus depictam ipſi communicauit Pennæus, quam ex Geſneri depicto herbario ſe deſumpſiſſe fatetur. Flores huic ſunt ſanguinei coloris, duûm generum: nam alter flos multiplici foliorum texturâ & ſerie conſtat, alter ſimplici, vtriuſque medium, quemadmodum in aliis Caryophyllatis, occupante villosâ congerie. Iconi fuit adſcriptum Geum aquaticum flore ſimplici & multiplici. Tabern. hiſt. Caryophyllata 4. ſiue ſiluatica, Herba benedicta ſilu. wild Benedict würtz & wald Garafel/ radice ſimili vulgari craſſiore, minus fibrosâ, odore multò minore: foliis paruis ſimilibus Hederæ terreſtri, piloſioribus: caule cubitali, rotundo: floribus pulchris, luteis, rarò pluribus, quàm tribus in vno caule, ſequitur floccus albus. Prouenit copiosè in S. Petri ſilua inter S. Remig. & Laůterbůrg, abundanter reperitur in Brabantia prope Mechliniam in ſilua, non longè à domo aquatica Bůrtzenſtein. Radix habet exſiccantem & adſtringentem ſaporem. Geſn. hort. Geum 2. riuale, Caryophyllatæ & Benedictæ ſpecies. Trago Benedicta ſilu. Lob. & Penæ Adu. Septentrionalium rotundifolia papposo flore Garyophyllata: radice non perindè Garyophyllum aut Nardum halante, vt vulgaris: flore ſpecioſiore, & coliculo pallidiuſculo. Quæ deſcriptio non in omnibus placet, colorem enim non tradit. Figura quæ alioqui ſatis bona, exhibetur eodem etiam titulo, Icon. Pl. p. 694.

*Herba benedicta ſilu.*

*Geum riuale.*

*Benedicta ſilu.*

*Garyophyll rotundifo-*

*Lob. not.*

Florentem in horto menſe Aprili & Maio, ex montibus allatam Geneuæ habui, ſemen decidit menſe Iunio. Creſcit authore Cluſ. mediâ ferè Montium regione locis vdis & riguis, ſub arboribus. Floret iſthic Iunio: in hortos tranſlata Maio, aliquando etiam maturiùs. In Brabantiæ ſiluoſis conterminis Mechliniæ, & in Northmannia frequens, in Anglia verò plurima, teſte Lobelio.

Locus
Tempus.

## GARYOPHYLLATA PENTAPHYLLÆA.

IN Rheticis Alpinis non procul Clauenna, hanc primùm nacti, putauimus [aiunt Lob. & Pena Adu.] eſſe Tormentillæ, aut Pentaphylli ſpeciem: verùm radix Geranii fibroſior, foriſque rubiginoſa, paruum quid ſuaue redolens, Garyophyllatam teſtatur. Quinetiam erigit caules pedales, cui hærent folia quinquepartita, ambitu ſerrata, Pentaphylli aut Tormentillæ, flore luteolo pallentéve, ſtaminulis lanuginoſis, croceis, papposis, minoribus Garyophyllato.

Loc.
Deſc.

Lob. & Penæ Adu. & Ic. Pl. Alpina Pentaphyllæa Garyophyllata. Cæterùm, Lobelius prædicto titulo duas diuerſas proponit figuras: Prior quidem in Adu. pingitur, ſine pilis, & tantùm cum foliis quinis: Poſterior verò tota piloſa eſt, & ſeptifolia, quæ ſanè effigies non malè conuenire videtur cum Ranunculo noſtro montano albo, hirſuto.

*Lob. ... tur*

Taber. Ic. & hiſt. Caryophyllata 3. ſiue alpina, quinqueſolia. Sed & Tabernæ figura longè à Lobelii diuerſa, eſt enim tota glabra, licèt ipſa hirſutam eſſe ſcribat. Nos igitur propter figurarum varietatem Lobelii & Tabernæ, nullam proponimus. Caſp. Bauh. phyt. Caryophyllata 8. ſiue Quinquefolia maior. Item Caryophyll. 9. ſiue alpina, quinquefolia minor, quæ foliis ſit quadruplò anguſtioribus quàm prior, totaque minor & tenerior, in monte Fracto prouenniens, cui Caſt. Durant. pag. 197. Caryophyllatam montanam non abſimilem pingat. Gerard. hiſt. Angl. Caryophyllæa montana alpina pentaphyllæa.

*Tab. preh.*

*Cur. figura omiſſ.*

*FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.*

HISTORIÆ

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER DECIMVS OCTAVVS.

### FRVMENTACEA, GRAMINEA, HARVNDINEA, IVNCEA:

*PErductâ ad Colophonem Arborum, Fruticum, & Suffruticum hiſtoriâ, tempus eſt vt ad Herbarum hiſtoriam accedamus. Maximum hinc opus naturæ, Frumenta ordiemur, & cibos ſuos homini enarrabimus, fateríque cogemus, ignota eſſe pleraque, per quæ viuat. Fruges, inquam, Cereales, in cibos potiùs, quàm medecinam cedentes, non à Cerere, vti Poëtæ nugantur, repertas & excultas, ſed ab ipſo totius vniuerſi Creatore in ipſo Mundi exordio productas: ſubinde gignente eas, & vſibus affatim ſubminiſtrante Tellure, læto præcipuis orbis regionibus prouentu. Poſt Frumenta, & inter ea, & de Graminibus dici cogit Botanicus ordo. Quippe etiamſi Frumenta non ſint, ſunt tamen pecudi, quod frumentum homini. Adde quod plura eorum ſunt Frumentacea. Sed & formæ ſimilitudo, & quòd illorum quædam in hæc abeant, inter illa de ſe dici poſtulant. Et quid propiùs ad Gramina accedit, quàm Iunci & Harundines. Vt & hinc venia ſit hæc illis adiicientibus, & æqui ſtudioſorum, ac Hiſtoriæ noſtræ compendio conſulentibus.*

---

## TRITICVM VETERIBVS ET IN GENERE.

### CAP. I.

TRadidimus priori libro, quæ de Leguminibus dicenda videbantur, nunc ad Frumentacea, quæ, teſte Plinio, non eadem vbique; neque vbi eadem ſunt, iiſdem nominibus occurrunt, deuenimus. Sunt autem ea, quæcunque geniculato culmo, & arundinaceis conſtant foliis, ſeménque panificio, & pultibus aptum in ſpicis aut iubis producunt. Horum quidem omnium quamplurimis terris commune, & nobiliſſimum eſt Triticum.

Huius (vt author eſt Theophr.) genera plura notantur, cognomina ex locis ſortita, vt *Africum, Ponticum, Thracicum, Aſſyrium, Aegyptium, Siculum*: quæ & colore & magnitudine, & ſpecie, & proprietate inter ſe differunt. Quædam vel aliunde cognomina ſortiuntur pro ſuis viribus, tum aliis, tum vel maximè, quæ ad cibum pertineant, vt Canchrydias, Stlengis Alexandrinus. Nec verò ab re fuerit, ſi illa quoque pro differentiis capies: & aliud præcox, aliud ſerum: & aliud auctu amplum multúmque reddens, aliud ieiunum quoddam parúmque ferens: & aliud ſpicam grandiorem effundens, aliud paruam: & aliud diu in folliculo manens, aliud aptum breui abſolui, vt Africum: & aliud culmo tenui conſtans, aliud craſſo: quod etiam ipſum Africo datum eſt. Craſ- *Ex diuerſo habitu.*
ſo tamen & Canchrydias dictum conſiſtit. Item aliud tunicis paucis, aliud multis veſtitur, vt Thracium: & aliud vnicalamum, aliud multicalamum, & magis minúſque. *Ex viribus.* Adde etiam ſi quid aliud his, aut prædictis ratione virium proximum ſit: eiuſmodi námque differentiæ naturaliores profectò apparent, quibus trimeſtrium annumerari genus par eſt, & bimeſtrium, & ſi quid intra pauciores dies valeat conſummari. Et in Eubœa genus quoddam intra quadraginta dies craſſari, perficíque poſſe affirmant, idémque firmum eſſe, ac ponderoſum, nec modo trimeſtris leue: quamobrem famulis id præberi inquiunt, etenim nec multùm in hoc furfuris eſſe volunt. Igitur genus id celerrimum quidem ad conſummationem, ſed inuentu rariſſimum eſt. Et bimeſtria verò quædam habentur, quæ ex Sicilia, & in Achaïam aduecta ſunt: ſed hæc paucum reddunt, parúmque fœcunda habentur: quanquam cibo facilia, & iucunda ſunt. Naſcuntur & alia quædam genera in Eubœa & præcipuè apud Cariſtum. Trimeſtria verò permulta, & vbique habentur: leuia hæc & parùm fœcunda, & vnicalama ſunt, atque in totum infirma.

*Delectus.*

Leuiſſimum igitur Triticum, quoad ſimplici ratione agere licet, *Ponticum* eſt: ponderoſius ex iis quæ in Græciam aduehi ſolent Siculum datur, ſed eo ponderoſius, quod Bœotia fert: quod inde aſſerunt, quòd athletæ, qui Bœotiæ ternos ſemiſextarios vix poſſint conſumere, cùm Athenis fuerint, facilè quina conſumunt: leue ſatis, & quod in Laconico agro conficitur. Horum igitur cauſa in terris, cœlóque intelligi debet. Nam & Aſiæ vltra Bactra quodam in loco, adeò grande frumentum fieri tradunt, vt nucleis Oliuæ ſua æquipatent magnitudine grana ſingula. In Piſſotis autem dictis adeò firmum naſci affirmant, vt ſiquis plus comederit, diſrumpatur neceſſe ſit: & Macedonum ita pleroſque interiiſſe aiunt. Abſurdum ſanè, & leuitati trimeſtrium abſonum, quod in Pontico euenit: Vernum enim durum admodum eſt: hybernum autem molle eſt: leuitate enim molle plurimùm differt.

*Mira magnitudo.*

Reliquum eſt, vt propriæ naturæ cauſa detur, quam in pluribus differentias recipere magnas, cùm in exortu, conſummationéque, tum in propriis ſpeciebus videmus, ceu magnitudinis atque paruitatis & figuræ. Adde copiam paleæ, & incommoditatem ratione vſus cibarii hominum. Forſitan & genera regiones efficiunt, vel omnia, vel certè aliqua: aſſimilant enim ſibi ipſis quodam modo, & aut differentiam aliquam generis pariunt, aut etiam minùs vtile reddunt, vt Tritico Thracio euenit. Fit enim multis cum tunicis, ſeróque prouenit: quod vtrumque vis ſanè frigoris facit. Qua de cauſa cæteris quoque agris, Thracium illud ſatum maturè, ſerò erumpit, ac augeſcit: & quod maturè apud alios ſeritur, ſerò apud alios exit. Conſuetudo enim velut natura effecta eſt. Nam & quod in Aſiano agro Aepiſynangis vocato habet vim diſrumpendi, quódque magnitudine nuclei eſt, agri proprietate, naturæque vires eiuſmodi ſortiuntur: nec aliò tranſlata ſeruari incommutabilia poſſunt. Nec minùs locum habet in cæteris, ſi quis cum agro, cœli quoque aduciat qualitatem. Hinc enim fructuum diuerſitates exultant, imò hinc ſterilitates ſequuntur, cùm planta in alieno agro nequeat hoſpitari. *Hæc Theophraſt. quorum multa tranſcripſiſſe videtur Plinius.*

*An ex regionibus genera conſtituenda.*

*Cœli qualitas, diuerſitatem generat.*

*Plinius.*

*Genera prima duo. Hyberna. Aeſtiua.*

Frumenti ipſius, inquit, totidem (duo vt frugum) prima ſunt genera, per tempora ſatûs diuiſa. *Hyberna*, quæ circa Vergiliarum occaſum [Nouembrem] ſata, terrà per Hyemem nutriuntur, vt Triticum, Far, Hordeum. *Aeſtiua* quæ Aeſtate [Maio] ante Vergiliarum exortum ſeruntur, vt Milium, Italiæ duntaxat ritu. Alioquin in Græcia & Aſia omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur. Quædam autem vtroque tempore in Italia. Ex his quædam & tertio, Veris ſcilicet. Aliqui *Verna*, Milium &c. appellant. *Sementiua*, autem Triticum &c. Et in Tritici genere pars aliqua pabuli eſt quadrupedum causâ ſati, vt Farrago. Sementiua autem interpretatur Dalechamp. quæ primo & potiſſimo ſementis tempore, nempe circa Vergiliarum occaſum, quod ἄροτον [ſementem] vt ait Theophr. antonomaſticè Græcia vocauit, terræ mandantur. Tritici, (pergit Plinius) genera plura, quæ fecere Gentes. Italico nullum equidem comparauerim candore ac pondere, quo maximè diſcernitur: montanis modò comparetur Italiæ agris externũ, in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa. Tertium pondus erat Thracio Syrióque, [deinde &] deinde Aegyptio, athletarum cum decreto, quorum capacitas iumentis ſimilis, quem diximus ordinem fecerat. Græcia & Ponticum laudauit, quod in Italiam non peruenit. Ex omni eadem genere grani prætulit [Canchrydiam, Strlengyn, & Alexandreum Theodracontion, & Iſtelepant, & Selinuſium CH.] Dracontiam, Strangiam & Selenuſium, argumento craſſiſſimi calami: ita pingui ſolo hæc genera aſſignabat. Leuiſſimum & maximè inane, ſeu tenuiſſimi calami in humidis ſeri iubebat, quoniam multo egeret alimento. Hæ fuere ſententiæ Alexandro Magno regnante, cùm clariſſima fuit Græcia, atque in toto terrarum Orbe potentiſſima, ita tamen vt ante mortem eius annis ferè 145. Sophocles Poeta in fabula Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudauerit, ad verbum tranſlata ſententia.

*Sementiua Dal. quid?*

*Triticum Italicum.*

*Bœoticum Siculum. Africum. Thracium. Syrium. Aegyptium.*

*Et fortunatam Italiam frumento [carêre] canere candido.*

Quæ laus peculiaris hodiéque Italico eſt. Quo magis admiror, poſteros Græcorum nullam mentionem huius feciſſe frumenti. Nunc ex his generibus quæ Romam inuehuntur, leuiſſimum eſt Gallicum, atque è Cherſoneſo aduectum: quippe non excedunt in modium vicenas libras [ſiliquæ granum ipſum pondero Turn.] ſiquis granũ ipſum ponderet. Adiicit Sardum ſelibras, Alexandrinum & trientes: hoc & Siculi pondus. Bœoticum totam libram addit. Africum & dodrantes. In tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere: circa Cluſium & (Senas Dal.) ſenas. Lex certa naturæ, vt in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat: ſicut optimum frumentum eſſe, quod in ſubactu congium aquæ capiat. Quibuſdam generibus per ſe pondus, ſicut Balearico: [quod modio Vet.] modo tritici panis pondo xxx (xxxv Dal.) reddit. Quibuſdam in binis miſtis, vt Cyprio & Alexandrino, xx. propè libras non excedentibus. Cyprium fuſcum eſt, panémque nigrũ facit: itaque miſcetur Alexandrinum candidum, redduntque xxv. pondo. Thebaicum libras adiicit. Marina aqua ſubigi, quod plerique maritimis in locis faciunt occaſione lucrandi ſalis, inutiliſſimum. Non alia de cauſa opportuniora morbis corpora exiſtunt. Galliæ & Hiſpaniæ frumento in potum reſoluto, quibus diximus generibus, ſpuma itâ concretâ pro fermento vtuntur. Qua de cauſa leuior illis, quàm cæteris, panis eſt. Differentia eſt & calami. Craſſior quippe melioris eſt generis. Plurimis tunicis Thracium triticum veſtitur, ob nimia frigora illi plagæ exquiſitum. Eadem cauſa & trimeſtria [& trimeſtre Dal.] inuenit, detinentibus terras niuibus, quod tertio ferè à ſatu menſe & in reliquo orbe metitur. Totis hoc Alpibus notum, & hyemalibus prouinciis nullum hoc frumento lætius. Vnicalamum præterea, nec vſquam capax: ſeritúrque non niſi tenui terra. Eſt & bimeſtre circa Thracium ſinum quod quadrageſimo die, quàm ſatum eſt, matureſcit: mirúmque, nulli frumento plus eſſe ponderis, & furfuribus carere. Vtitur eo & Sicilia & Achaia, montoſis (montuoſis CH.) vtraque partibus Eubœæ quoque circa Caryſtum. In tantum fallitur Columella, qui ne trimeſtris quidem proprium genus exiſtimauerit eſſe, cùm ſit antiquiſſimum. Græci trimenon vocant. Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, vt ſingula ſpicas noſtras æquent.

Quod verò dixit Plinius: Eſt & bimeſtre &c. Theophraſtus aliter habet. Scribit enim eſſe Tritici genus trimeſtre celeriùs matureſcens, vt in Eubœa quod intra quadraginta dies perficitur. Eſſe & trimeſtria, quæ ex Sicilia in Achaiam tranſportantur.

portantur. Eſt & eiuſmodi in Eubœa, maximè in Caryſto. Præterea à Theophr. diſſidet, cùm ait, Tradunt in Bactris grana tantâ magnitudine fieri, vt ſingula ſpicas noſtras æquent, cùm Theophr. ſcribat, In Aſia trans Bactra adeò grande gigni frumentum, vt nucleo Oliuæ par ſit magnitudine.

Nunc, eodem Plinio autore, frumenti genera, non eadem vbique (vt diximus) neque vbi eadem ſunt, iiſdem nominibus. Vulgatiſſima *Far* (Triticum muticâ ſpicâ ſecundùm peritiores) quod adoreum Veteres appellauêre, Siligo, Triticum. Hæc plurimis terris communia. Arinca Galliarum propria, copioſa & Italiæ eſt. Aegypto autem ac Syriæ, Ciliciæque & Aſiæ, ac Græciæ peculiares Zea, Olyra, Tiphe, Aegyptus Similaginem conficit è tritico ſuo, nequaquam Italicæ parem. Qui Zeâ vtuntur, non habent *Far*. Ex omni genere duriſſimum Far, & contra hyemes firmiſſimum. Patitur frigidiſſimos locos, & minùs ſubactos vel æſtuoſos, ſitientéſque. Primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreæ donis, ſicuti diximus. Pulte autem, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodiéque dicuntur. Et Ennius antiquiſſimus vates obſidionis famem exprimens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie ſacra priſca atque natalium pulte fitilla (pulte fritilla M. firtilla CH.) conficiuntur: videtúrque tam puls ignota Græciæ fuiſſe, quàm Italiæ polenta. Tritici ſemine auidius nullum eſt, nec quod plùs alimenti trahat. Siliginem propriè dixerim Tritici delicias: candor eſt, & ſine virtute, & ſine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italiæ ſunt & Galliæ comatæ. Sed & trans Alpes in Allobrogum tantùm Meminorúmque agro pertinax, in cæteris ibi partibus biennio in triticum tranſit. Remedium vt grauiſſima quæque grana eius ſerantur.

Dioſcorides duo duntaxat Tritici genera proponit: alterum recens, perfectè maturum, & colore luteo: alterum τριμηνιαῖον, id eſt Trimeſtre, quod ab aliquibus σητάνιον appellari dixit: hac voce etiam Trimeſtre ſignificante. Σῆτες enim ſignificat ἐν τῷ δὲ τῷ ἔτει, id eſt, hoc ipſo anno, quod Dores σῆτες dicunt, vnde σητάνιος πυρὸς eſt, vt exponit Galenus, ὁ ἐκ τοῦ ἐνεστηκότος ἔτους, τοῦτ᾽ ἔστιν, ὁ κατὰ τὸ ἔαρ ἐσπαρμένος, hoc eſt Triticum huius præſentis anni, nempe vere ſatum.

Prima & vtiliſſima, inquit Columella, ſunt hominibus frumenta Triticum, & ſemen adoreum. Tritici genera complura, ait Columella, cognouimus. Verùm ex his maximis ſerendum eſt, quod *Robus* dicitur, quoniam & pondere, & nitore præſtet. Secunda conditio eſt habenda ſiliginis, cuius ſpecies in pane præcipua pondere deficitur. Tertium erit *trimeſtre*, cuius vſus agricolis gratiſſimus. Nam vbi propter aquas aliámve cauſam matura ſatio eſt omiſſa, præſidium ab hoc petitur. Id genus eſt ſiliginis. Reliquæ tritici ſpecies, niſi ſi quos multiplex varietas frugum, & inanis delectat gloria, ſuperuacuæ ſunt. *Adorij* autem plerunque vidimus in vſu genera quatuor, *Far*, quod appellatur *Cluſinum* candoris nitidi. Far, quod vocatur *Venuculum* rutilum, atque alterum candidum, ſed vtrunque maioris ponderis, quàm cluſinum. Semen trimeſtre, quod dicitur *Halicaſtrum*, idque pondere, & bonitate eſt præcipuum.

*Spica*, autore Varrone, quæ mutica non eſt, in tritico & ordeo tria habet continentia. *Granum*, *glumam*, *Ariſtam*, & etiam primitùs ſpica cùm oritur *Vaginam*. *Granum* dictum, quod eſt intimum ſolidum. *Gluma*, qui eſt folliculus eius. *Ariſta*, quę vt acus tenuis longa eminet è gluma. Proinde vt grani theca ſit gluma, & apex ariſta. Ariſta & Granum omnibus ferè notum, gluma paucis. Itaque id apud Ennium ſolùm ſcriptum ſcio eſſe in Euemeri libris verſis, videtur vocabulum etymon habere à glubendo, quòd eo folliculo deglubitur granum. Itaque eodem vocabulo appellant fici eius, quam edimus, folliculum. Ariſta dicta, quòd areſcit prima; granum à gerendo, id enim ſeritur, vti ſpica gerat frumentum, non vt glumam, aut ariſtam gerat, vt Vitis ſeritur, non vt pampinum ferat, ſed vuam. Spica autem quam ruſtici, vt acceperunt antiquitus, vocant *ſpecam*, & à *ſpe* videtur nominata. Eam enim quòd ſperant fore ſerunt. *Spica mutica* dicitur, quæ non habet ariſtam. Ariſtæ enim quaſi cornua ſunt ſpicarum quæ primitùs cùm oriuntur, neque planè apparent, in qua ſublatent herba, ea vocatur vagina, vti qua latet conditus *gladius*. Illud autem ſumma in ſpica iam matura, quòd eſt minus quàm granum, vocatur *Frit*, quod in infima ſpica ad culmum ſtramenti ſummum, item minus quàm granum eſt, appellatur *Vrruncum*.

*Gluma. Ariſta. Vagina. Speca. Spica mutica. Vagina. Gladius. Frit. Vrruncũ.*

Hermolaus partim ex aliis, partim ex ſua obſeruatione hæc habet. Triticum & ſatiuum & ſilueſtre, cultu annorum trium miteſcit. Degenerare Triticum in Hordeum, ex eodé nque naſci pede vtrumque fabuloſum exiſtimatur à Theophraſto. Triticum multis integitur tunicis: ei culmus altior quàm Hordeo: ſpica quoque remotior à folio, palea ſuauior, mollior, ſuccoſior: ſpicæ verò inconditæ explanatæque. Culmus *ſpicam* ſuſtinet, quę & *ſpicus* & *ſpicum* à Cicerone dicitur in Arato: ſpica, granum & Ariſta, quæ vti acus eminet è folliculo ſiue gluma. Sunt porrò Ariſtæ partes in ſpica primæ, quæ à Græcis *anthérices* dicuntur, & *atheres*. *Stipulæ* ſunt folia culmum ambientia: eſt autem *culmus*, idem quod & calamus. Quod minus eſt, quàm granum, vocatur *Frit*: quod verò ad culmi cacumina in firma ſpica geritur, minus item quàm granum, *Vrruncus* appellatur. In Tritico marceſcente gurguliones gigni, vt etiam Cantharidem conſtat. Tritici multa diſcrimina: Sitanion vocatur, genus id Siliginis trimeſtre, frumentago dictum Theodoro, differens craſſitudine ſurculorum. In nomine ſunt *Aſſyrium*, *Aegyptium*, *Ponticum*, *Thracium*, *Siculum*, *Africum* quòd facilè abſoluitur folliculo: Thracium verò multas habet tunicas. Habetur & cachrys, ſiue canchrys, culmo craſſo, quod etiam Africo tribuitur. Ponticum leuiſſimum, Siculum ponderoſum, ponderoſius Bœotium. Ponticum & Aegyptium ſine Lolio naſcuntur, item Siculum, præcipuè Agrigentinum. Cum Siculo melampyron naſci perhibent alii, ſed innocuum neque Lolii modo graue, capútve tentans. Nominatur & Alexandrinum, oblongo ſemine, quod fortaſſe idem cum Aegyptio, & Calymno. Dracontias & Selenuſium, & Stlengias craſſo cuncta calamo. Iam aliud trimeſtre, aliud bimeſtre. Sitanium idem eſſe video cum trimeſtri, ſatiuum Doricè vocatum, & Atticè titinon, quaſi purum. In truculento Plauti Etanio pro Setanio legitur mendosè. Euboicum intra diem quadrageſimum à ſatu metitur, firmitate ac pondere præcipuum, non vt trimeſtri leuitas, ob id cibatio pani vtile: nam & furfuris parum habet, inuentu rarum. Bimeſtria in Achaiam è Sicilia primùm venêre, parum fœcunda, ſed cibo facilia & in

*Hermol. Triticum ſatiuum & ſilueſtre. Spicus & ſpicum. Ariſtæ partes. Culmus ſiue calamus. Tritici morbi. Cachrys. Sitanium idem cum trimeſtri. Plauti error. Bimeſtre.*

cunda. Olynthi & in Eubœa apud Cerinthum genus effoditur terræ, quà triticum oblinentes, quid ſeruant. Trimeſtria vbique ſunt, verùm inutilia, & infirma ſingulari calamo. In Aſia quodam loco ſtans Bactra frumentum nucleis Oliuæ par naſci referunt. In Piſſotis tam firmum, vt multos Macedonum largiore vſos eo ſaties peremerit. Omni frumento nocent imbres in flore. Item iam planè craſſato, triticum plus quàm hordeum vligine commeat in Lolium. Camatias in Theſſalia Tritici genus eſt, quod admiſſo pecore nihil patitur, etiam bis deroſum. Præter lupinum nihil æque in ſpica durat quàm Triticum.

*Camatias tritici genus*

*Ruellius*

Ruellius qui ſuam hiſtoriam ex Theophraſt. & Varrone, Columella & Plinio, Galeno & Hermolao congeſſit, ait ſpeciatim vnum apud Gallos triticiſſimum eſſe genus, macrum, triſte, Hordei ſimilitudine, cuius granum ſolliculo non facilè deglubatur, nullis tamen ariſtis vallatum, quod Vere non ſeratur. Sermone vernaculo, *Succurſus gentium*, ſiue *Scurgeon* dici, cuius agricolis vſus propè nimius cùm annonæ premat penuria. Dicit adhæc, Trimeſtre, quod Græci Trimenon, vel Sitanium vocent, totis Alpibus notum eſſe, & hyemalibus prouinciis, nullum hoc lætius. Vnicalamam præterea Gallos *Martia* vocare, quòd Martio ſatum terno hinc menſe matureſcat.

*Martia*

*Cordus*

Cordi verba haudquaquam negligenda duci mus, præſertim quòd videantur ad dicta Veterũ intelligenda nonnihil facere. Ea autem ſunt hæc: Sunt Tritici ſpecies, *Robus* & *Siligo*. *Robus* vocatur denſius, ſolidius, & ponderoſius. *Siligo* rarius, & leuius pondere: ſed candidius Triticum. Eſt & alia Tritici diſtinctio: *Semeſtre* & *Trimeſtre*: illud ante hyemem, hoc verò initiò Veris ſeritur, quare alterum Winterweitze, id eſt hyemale Triticum: alterum Sommerweitze, id eſt Aeſtiuum Triticum, Germani vocant. An verò idem ſit Robus cum ſemeſtri, neque negare, neque affirmare auſumus. Credimus tamen, haud ſine cauſa, non differre Robum à ſemeſtri, nam à Semeſtri non diſtinguunt id Authores, neque Columella cùm ſpecies Tritici recenſet, Semeſtris meminit, ſed Robi, quaſi idem cum eo crediderit & ipſe. Quemadmodum quoque Robus Siligini præfertur pondere & magnitudine, ita etiam Semeſtre Trimeſtri, quod & Sitanium dicitur, & Siliginis ſpecies exiſtit.

*Robus Siligo.*

*Semeſtre. Trimeſtre Hyemale. Aeſtiuum.*

*Siligo.*

*Triticum Germaniæ triplex, Trago.*

Tragus triplex Germaniæ Tritici genus deſcribit, quorum primum *hybernum* cenſet, alterum æſtiuum dicit, tertium *non vulgare*, nec vbique notum ſcribit, de quibus ſeparatim tractabimus. Conſtat, inquit, Triticum omnium frugum fertiliſſimum eſſe, ſiquidem cultura ſua minimè deſtituatur. Legimus enim, vno ex grano Tritici triginta aut quadraginta quandoque ſpicatos culmos exiuiſſe. Sed hanc feracitatem terræ bonitati & culturæ diligenti ego adſcripſerim. Huc nimirum reſpexit Seruator noſter Ieſus Chriſtus, cùm in parabola ad populum, ſementem quæ in bonam terram cecidiſſet, aliam, quidem centuplum, aliam verò ſexagecuplum, aliam denique trigecuplum feciſſe fructum dicit. De Thracio Tritico Plinius peculiariter meminit, quod illud à ſatione quadrageſimo die maturetur. Sed hæc Plinius ipſe non vidit, at potiùs legit in Veterum ſcriptis, tum aliorum, tum præſertim Theophraſti, qui lib. 9. Hiſt. plant. cap. 3. in Mela ſata intra triginta, aut quadraginta dies meti ſcribit, rurſus verò in Chalcia Rhodiorum Inſula locum quendam eſſe adeò præcoquem & fertilem: vt hordeum ſatiuum in eo, cùm in aliis ſereretur locis, meteretur, &c. Hæc verò quæ tam à Plinio, quàm Theophraſto, prædicantur, credere, quàm experiri malumus. Noſtrum certè Triticum hybernum, nouem menſibus in agris moratur, quod non ſolùm omnes norunt agricolæ, ſed & Plinius & Varro teſtati ſunt. Aegyptii ſeptimo à ſatione menſe fruges ſuas horreis committunt, vnde frumenta illorum iurè Septimeſtria dici poſſent, atqui talis fertilitas noſtro ſolo negata eſt. Idem de Sitanio quod noſtri Ammelkorn nuncupant iudicium eſt. Hoc quia tertio poſtquam ſatum fuerat menſe, horreis apud alias Nationes recondi fertur Trimeſtre Dioſcoridi nominatur. Apud nos quinto demum menſe maturatur, vt omnes norunt. Tanto interuallo fruges alio atque alio ſolo procreatæ inter ſe diſtant, vt vel hinc appareat, ſuum cuique frumento tempus in ſingulis regionibus deputatum, frugéſque pro diuerſitate terræ alio atque alio gaudere cœlo.

*Feracitas terræ bonitati & culturæ adſcribenda*

*Plini. not.*

Fuchſius quoque tria ſumma genera Tritici eos obſeruare dicit, qui frumentariæ rei periti ſint. *Primum* quod Robus, Germanis ſimpliciter Weitzen nominetur. *Secundum* quod Trimeſtre & nonnullis Sitanium, Germanis Amelkorn dicatur, haud dubiè non alia ratione, niſi quòd ex hoc genere Tritici amylum optimum conficiatur, *Tertium*, quod non vndiquaque notum. Atque alterum non differre à primo, niſi quòd ſpicam multis ariſtis vallatam, & in duos verſus diſpoſitam obtineat. Sed conſideratione dignum, an Triticum Setanium à primo differat tantùm ariſtis: Montbelgardi enim obſeruo in agris noſtris vulgare triticum ſpica mutica & ariſtis vallatum: ſi intelligit idem Triticum cum Amelkorn Hier. Tragi, quod ſuſpicor, is plurimùm fallitur, hoc enim eſt ex genere Zeæ. Minus non ſeparatur, niſi per Molendinum, de quo ſub titulo *Zeæ* Vernæ.

Dodonæus triplex quoque Tritici genus tradit, *Robum* Columellæ, *Siliginem* Plinii, & *Setanium*, quod Trimeſtre vocant.

Triticum aliter ex Dalechampii ſententia, qui ſua Veteribus accommodare ſtudet, Hiſt. Lugdunenſis diuidit, vt eius duo ſumma ſint genera vſu frequentiora. Vnum *candidum*, vulgò Gallis *Blé blanc* nuncupatum: alterum *rufum*, Veterum πυρὸς, quaſi πυῤῥὸς, vulgò *Blé rouge*, Columellæ Robus à flauo colore quem Rubeum prima ſyllaba productâ, & Rubeum Veteres appellarunt, Greci ξανθὸν, vnde Seruio Nitedula, mus agreſtis robeus, & in illud Vergilii, *Sanguineis frontem moris*, &c. Robeus color Diis attributus, & in Veteri inſcriptione, vt Prætor cui hæc regio ſorti obuenerit, litaturum ſe ſciat, aliúſue quis magiſtratus, Volcanalibus x. Cal. Septemb. omnibus annis, vitulo robeo, & verre. Rurſus Tritici candidi ruſique duæ ſunt Gallis notæ ſpecies. *Vna* cuius ſpica ariſtas habet, *altera* cuius ſpica mutica eſt, id eſt ariſtis caret, auctore Varrone. Priorem nulla peculiari appellatione Galli deſignarunt: poſteriorem *Blé motet* vocant, quaſi Triticum muticum. Quod autem ſpica ariſtis vallata ſit, vel iiſdem careat, quidam frugis & naturæ proprietati, quidam agri conditioni macri, pinguis, tenuis, craſſi, ſtercorati, minimè lætificati tribuunt. Triticum enim candidum aiunt in pingui, craſſo & ſtercorato agro ſpicam muticam ferre, in macro, tenui, & non lætificato ariſtis horridam. Adiiciunt quidam cœli ſtatum quo ſeges adoleſcit: humidiore etenim ſpicam ariſtis carere, ſicciore ariſtis muniri. Addunt alii & ventorum flatus, quoniam ſi vehement.o-

hementiores irruant, ariſtas decutiunt: ſi leniores ſpirauerint, ariſtas ſpicarum colliſu non frangunt. Sunt & qui ſegetis denſitatem raritatémque nonnihil ad id valere putant. Nam denſiore ſegete, ſpicas muticas, rariore, cum ariſtis prodire. Ex candido Tritico panem lautiorem, quàm ex rufo piſtores fieri aſſerunt, ſed leuiorem, & qui minùs alat: atque in hoc genere muticum ariſtato præferunt, etiamſi mutici granum gracilius ſit, & minus; plus enim farinæ à mutico reddi, & furfuris parum: farinæ verò minùs ab ariſtato, & furfuris plurimùm. Præterea mutici farinam candidiſſimam eſſe, ac niueam, ariſtati nigriorem, ac ſordidiorem. Candidum Triticum, Latinorum Siliginem frugem eſſe, Veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmari poteſt, qui Siliginem Tritici genus faciunt, &, vt Triticum noſtrum candidum, candore ac leuitate cæteris generibus præſtare literis prodiderunt.

Duo Tritici genera celebrauit Cornarius. Et prius quidem (quod Columella Robum) tum ſimpliciter weitzen (Triticum) tum winterweitzen (Triticum hyemale) poſterius (quod Columella Trimeſtre, *τριμηνιαῖον* Dioſc. Trimenon Plinius dicat, Aeſtiuale) Sommerweitzen vocat, ſicut etiam reliqua frumenti genera iuxta ſeminationis rationem, winter & Sommergetreyde (Hyemalia, & Aeſtiualia frumenta, appellat. Poteſt, inquit, Setanium (Trimeſtre) *Triticum hornum* dici, quum vere ſeminatum, æſtate metatur: Columella Robum probat, quo Autore, nullum (ſicut multi credunt) natura trimeſtre ſemen datur. Quod quidem Columellæ dictum reprehendit Plinius. Sed non videtur ſatis conſideraſſe id, quod Columella ſubiungit, Sed ſunt nihilominus quædam aliis potiora, quæ ſuſtinent veris tepores &c. Tertium Tritici genus ignotum & neglectum arbitratur, eò quòd Columella dixerit, ſpecies eius in pane præcipuè, pondere defici. Et repetierit cap. 9.

*Nec nos tanquam optabilis fallat Siligo.*

Tritico nihil eſt fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem: vtpote cùm è medio, ſi ſit aptum ſolum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni, quinquageni modii reddantur. Miſit ex eo loco Diuo Auguſto Procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minùs germina, extántque de ea re epiſtolæ. Miſit & Neroni ſimiliter CCCXL. ſtipulas ex vno grano. Cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliíque, & tota Bœtica & imprimis Aegyptus. Fertiliſſima Tritici genera, ramoſum, aut quod centigranum vocant. Cæterùm, ob ſummam Tritici in Aſia fertilitatem, Imperatores Romani, atteſtante Vrſino, qui ei Prouinciæ præfuerant, aut in ea res geſſerant, Africam ſignabant capite obuoluto pelle elephanti capiti detracta cum promuſcide, adiecta ſpica & ſubdito aratro cum cultro. Sed & ea ſoli fertilitas Siculos ad omne delitiarum genus ſic effudit, vt omnibus voluptatum generibus præter modum addicti forent ac diſſoluti. Hinc Platoni Siculæ menſæ, vt & Italicæ, & Theſſalæ, lautiſſimæ ac maximè opiparæ, quemadmodum & Aſianæ. Macrob. 7. Saturnal. Modum eum ſeruat, qui ſui potens eſt, & in menſa Sicula, vel Aſiana. Brod. c. 33. lib. 5.

Græcis *πυρὸς* vocatur, quaſi *σπυρὸς*, pro *σπορὸς*, *ἀπὸ τοῦ σπείρειν*, ſecundum Etymologicum. Hebreis *Chittah*, vel *Chintah*, Columellæ *Robus*, ſi Trago credimus. Arab. *Henta*, *hencha*, *hantha*. Germ. weytzen / Alſatis, Korn. Belg. Terwe. Angl. weet. Ital. *Fourmento* & *Grano*. Hiſp. *Trigo*, Gallis generis vocabulum ſpeciei tribuentibus, *Froument*, voce ex frumento Latino deflexâ. Sed frumentum apud Latinos Tritico latiùs patet. Hinc plerique etiam *far* frumentum appellant. Hung. dicitur Buza, Boh. pſſenice. Significat verò Triticum generaliter omne frumentum quod ex ſpicis tritum, ac trituratione repurgatum eſt: in quo ſignificato, ait Dodonæus, Iuriſconſultus nonnunquam hac voce vtitur, vt ff. de verb. obligat. propriè tamen idem cum eo eſt, quod Græcis *πυρὸς* eſt.

Solo pluuio atque frigido ſemina conueniunt ad Tritici ſicut & cæterorum frumentorum fructificationem, quòd aperta & rara ſubſtantia ſunt: ſoluta enim hæc ſunt. Verùm (vt ſimpliciùs agam inquit Theophr. de cauſ. plant. lib. 3. cap. 26.) Solum pingue Tritico accommodatius eſt, largius enim calloſiúſque alimentum expoſcit. Triticum trimeſtre ſolo tenui melius fit. Alimentum enim ſubminiſtrari modicum eò poteſt, hoc eſt leue leui. Africum & Dracontias appellatum, & Strangias, & Selenuſium, lætum exigunt agrum. Hæc enim vberiùs ſuccos hauriunt. Argumento calamus eſt, quem craſſum gerunt. Ad ſummam, quodcunque huiuſmodi ſit, ſolo frugali aptè committitur. At ſi aliquod genus tunicis multis contegitur, ceu Thracium, hoc ſolo hyberno conuenientiùs dabitur, frigus enim huic nihil efficere poteſt. Rarum, ſolutúmque, ceu Canchrydias vocitatum, agro pluuio ſerendum profectò eſt, quippe cùm alimenti copiam id quoque deſideret: quamobrem & culmo craſſo exurgit. Et in cæteris verò ſemper ad alimentum referenda ratio eſt: nunquam tamen ratione aëris prætermiſſâ, etenim ſolum apricum & ad ſummam ſerenum, infirmioribus commodius eſt: contrarium validioribus, lutoſum ſiccis & paruo alimento contentis. Sic Triticum ſolo pluuio vberiùs quàm hordeum geritur, & omninò contra imbres validius eſt: fert idem etiam ſolo non ſtercorato copioſiùs. Ratio, quòd ſuo naturali calore pleniùs concoquere poſſit, & ſi num non æquè requirat, quoniam in ſe habeat quod ex fimo acquireretur. Ad ſummam, Triticum robuſtius eſt, & maturiùs ſeritur, & locis frigidis magis committitur. Robur autem facere, caloris planè intereſt naturalis. Quin & quòd tunicis inuolutum pluribus ſit, fit vt tutiùs maneat: quapropter ſolum, quod longo internallo temporis colitur, Triticùm magis quàm hordeum fert, Triticum enim alimentum eius ſoli validius magis vincere poteſt. Omnino [vt ſimplici ratione dicam] publicæ ac ſummæ differentiæ illæ ſunt, agri natura, ſeminum firmitas, infirmitáſve, atque aëris habitus: qua de cauſa hæc conſiderari vbique neceſſarium. Frigora ſubſecura omnibus in locis vtilia ſunt: ſic enim ſata pleniùs radicantur, canchrificantúrque ita, vt ineunte vere haudquaquam modica magnitudine careant, ſed præcipuè in bonis. Auſtrinum enim atque omninò ſerenum tempus celeriter edit, æruginémque fortificat. Quæ denſè fuerint ſeminata, ſpicam priùs effundunt, quàm quæ rarenter, quòd altera largiùs radicentur, & multipliciùs deorſum ſcindantur, quia locus ſuperſit, altera protinus ſurſum excurrant. Tritico atque reliquis, quæ ſpicâ puſillâ, infirmâque ſunt, anceps ſatio datur. Sunt enim in ſingulis generibus alia præcocia, alia ſerotina. Quamobrem alia properant, alia differunt. Triticum enim quod hyeme ſeritur, quia numeroſa radice fit, vireſque ſuas ad ſe ra-

Locus, tẽpus, ſatio, cultura, & id genus alia.

dicandum ptimùm intendat, multitudinem culmi educit, eſt enim multicalamum: trimeſtre contrà paucis radicibus, paucíſque culmis conſiſtit, qua de cauſa ſurſum continuò nititur, atque celeriter conſummatur: quod enim minus eſt, perfici faciliùs poteſt. Hinc etiam alterum largè frutificat, alterum parcè: & alterum facilè, alterum graue eſt; [vt antè iam diximus] cùm plus alimenti, & turbulentiùs trahat. Excurſus quoque ratione properè agitur, cùm in condendis radicibus haud multùm teratur temporis, vt pote paucis. Qualitas quoque temporis plurimùm fauet, nam & radicoſum illud, ſi eo tempore obſeratur, velociùs enaſcetur, & in culmos ſpargetur pauciores, & ſpicam paruam, atque paucis fertilem geret: & trimeſtre, ſi maturè ſeratur, frigus tolerare non poterit ſuæ cauſa imbecillitatis. Sed mirum, atque diuerſum euenit, ſi quod tempore breuiori conficitur, graue, faſtigioſúmque ſit: vt Aenenſes de eo referunt, cuius cura æquinoctio delegata eſt.

Catonis apud Plinium ſententia eſt, in agro ſicco & non herboſo, nec vmbroſo Triticum ſeri. Non transferendum eſt ex frigidis locis ſemen in calida, neque ex præcocibus in ſerotina: idque in contrarium præcepêre quidam falsâ diligentiâ. Serere in iugera temperati ſoli iuſtum eſt Tritici aut Siliginis modios quinque. Farris aut Seminis (quod frumenti genus Plinius ita appellat) decē. Eſt & alia diſtinctio. In denſo, aut cretoſo, aut vliginoſo ſolo, Tritici aut Siliginis modios ſex: in ſoluta terra nuda, & ſicca, & læta, quatuor. Macies enim ſoli maior, niſi rarum culmum habeat, ſpicam minutam facit & inanem. Pinguia arua ex vna ſeminis radice fruticem numeroſum fundunt, densámque ſegetem è raro ſemine emittunt. Ergo inter quatuor & ſex modios pro natura ſoli, aliu quinque non minùs ſeri, pluréſue præcipiunt: item in conſito, aut cliuoſo, vt in macro. Huc pertinet oraculum illud magnoperè cuſtodiendū, ſegetem ne deſtruges. Adiecit iis Accius in Praxidico, vt ſereretur, cùm Luna eſſet in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Zoroaſtres Sole xii. partes Scorpionis tranſgreſſo, cùm eſſet in Tauro. Sequitur huc delata & maximè indigens cura de tempore fruges ſerendi quæſtio, magnáque ex parte ratione ſiderum cōnexa. Quamobrem ſententias omnium, in primis ad in pertinentes, exponemus. Heſiodus, qui princeps omnium de agricultura præcepit, vnum tempus ſerendi tradidit à Vergiliarum occaſu. Scribebat enim in Boeotia Helladis, vbi ita ſeri diximus. Inter diligentiſſimos conuenit, vt in alitum quadrupedúmque genitura, eſſe quoſdam ad conceptū impetus & terræ. Hos Græci ita definiunt, cùm ſit calida & humida. Virgilius Triticum & far è Vergiliarum occaſu ſeri iubet: Quo fit, vt horum ſiderum aliorúmque exortus & occaſus digerendi ſint in ſuos dies. Sunt qui & ante Vergiliarum occaſum ſeri iubeant, duntaxat in arida terra, calidíſque prouinciis. Cuſtodiri enim ſemen corrūpente humore, & à proximo imbre vno die erūpere. Alii ſtatim ab occaſu Vergiliarum ſequi imbres, à ſeptimo ferè die. Aliqui in frigidis ab æquinoctio Autumni in calidis ſeriùs, ne ante hyemem luxurient. Inter omnes autem conuenit circa brumam ſerendum non eſſe magno argumento. quoniam hyberna ſemina, cùm ante brumam nata ſint [ſata ſunt M.] ſeptimo die erumpant: ſi poſt brumam, vix xl. Sunt qui properent, atque [illegible] *feſtinatam ſementem ſæpe decipere,* [illegible] *vel vere potiùs ſe-*

*Tritici in ſingulis iugeribus quantùm ſerendum.*

*rendum, quàm malè in Autumno.* Atque vbi fuerit neceſſe, inter Fauonium [Spirare is incipit circa 7. aut 8. Februarii. Lugdunenſes vocant, *Le uent fueillet*, quòd arborum folia eliciat.] & vernum æquinoctium. Quidam omiſſa cœleſti cura, vt inutili, temporibus definiunt. In Græcia & Aſia frumenta omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur. Quædam autem vtroque tempore in Italia. Ex his quædam & tertio, Veris ſcilicet: Varro qualiter nouenis diebus fruges abſolui tradit, & menſe nono meti. Frumenta cùm defloruere, craſſeſcūt, maturantúrque. In Aegypto ſeptimo à ſatu menſe frumenta metuntur.

Triticum erumpit die plurimùm ſeptimo, craſſeſcit autem, inquit Theophraſt. maturatúrque intra quadrageſimum, quum tardiſſimè octauo ab ſatu menſe plurimâ parte metatur, Aegyptiis, vt aiunt, ſeptimo. Varro quindecim diebus in vaginis eſſe dicit, quindecim florêre, & quindecim areſcere. Triticum pergit Plinius, quo ſeriùs metitur, copioſius inuenitur: quo celeriùs verò, hoc ſpecioſius ac robuſtius. Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, & cùm iam traxerit colorē. Oraculum verò biduò celeriùs meſſē facere potiùs, quàm biduò ſeriùs. Siliginis & Tritici etiā ratio in area horreóque. Far quia difficulter excutitur, conuenit cum palea ſua condi: & ſtipula tantùm, & ariſtis liberatur.

Sed de mutatione Tritici in formam alienigenam, in Lolium, & vice verſa, & ex ſemine in Auenam, mirandum ſanè eſt. Aqua Tritico florenti obeſt. Vermem maximè etiam ſentit in radice, ea nimirum humefacta. Euenit verò vt Triticum beſtiolas ita gignat, quia dulcius eſt: qua de cauſa palea quoque huius ſuauior. Vermis generatus in eo, vbi alimentum aſſumpſit, quod in culmo eſt, ſpicam aggreditur, & vel totam erodit, vel alteram partem.

Ærugo, quamuis frumentorum commune vitiū ſit, tamen magis infeſtat Triticum, quod tunicis integitur pluribus, & folium ſpicæ gerit proximius, vnde frugem ſuam effundit: reſidet enim in eo humor putrefactus, qui æruginem creat. Adde quòd ſpicam gerat erectam, denſioremque. hinc enim humor minùs poteſt defluere: qua de cauſa ſpicam aliquantulùm inclinari meliùs eſt.

Triticum perit ex nimio ſtercore, ſi non imbres ſecuti ſunt. Quocirca Solo pluuio, crebra & largior ſtercoratio commodior eſt. Siticuloſis atque gracilibus modica prodeſt. Hyeme ſicca & ſuda, Vere pluuioſo & humido fœcundam ſegetem eſſe monſtrat hoc carmen veteris Poetæ apud Feſtum.

*Hyberno puluere, Verno luto, grandia farra Camille metes.*

Expreſſit & Virgilius hanc ſententiam his verſibus,

*-- --hyberno lætiſſima puluere farra,*
*Lætus ager, nullo tantùm ſe Mœſia cultu*
*Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.*

Triticum non penitùs exſiccari patitur, quod ad reddendam farinam melius minùs arefactum putatur. Qua de cauſa in aceruos componi aſſolet: videtur enim in aceruo craſſeſcere potiùs, quàm attenuari. Triticum puluerulentum putreſcit celeriùs: & quod in domiciliis opere tectorio leuigatis conditum: quoniam id caloris plus ſentiat, Puluis enim calidus eſt, vt pote ſiccus, vt illimentum calcis calorem ſuſceptum vtique ſeruat. Nam & cùm vniuerſum, altúmque aceruatum eſt, putret: ſic enim plus caloris exoritur. Triticum magis Hordeo & leguminibus durat, quia calidius

eſt

eſt, & tunicis pluribus tegitur. Triticum in ſpica nondum meſſum durare maximè poteſt. Connexa eſt ratio, vt nobis autor eſt Plinius, frumenti ſeruandi. Horrea operoſa tripedali craſſitudine, pariete lateritio, exædificari iubent aliqui. Præterea supernè impleri, nec afflatus admittere, aut feneſtras habere vllas. Alii ab exortu tantùm æſtiuo, aut Septentrione, eàque ſine calce conſtrui, quoniam ſit frumento inimiciſſima. Alibi contra ſuſpendunt granaria lignea columnis, & perflari vndique malunt, atque etiam à ſundo. Alii omnino pendente tabulato extenuari granum arbitrantur: & ſi tegulis ſubiaceat conferueſcere. Multi ventilari quoque vetant. Curculionem enim non deſcendere infra quatuor digitos, nec ampliùs periclitari. Columella & Fauonium ventum conferre frumento præcipit: quod miror equidem, ſicciſſimum alioqui [ ſicciſſimo Vet. ſicciſſimum locum quærenti Dal. ] Sunt qui rubeta rana in limine horrei pede è longioribus ſuſpenſa, inuehere iubeant. Nobis referre plurimùm tempeſtiuitas condendi videbitur. Nam ſi parum toſtum atque robuſtum collectum ſit, aut calidum conditum: inimica innaſci neceſſe eſt. Diuturnitatis cauſæ plures. Aut in ipſius grani corio, cùm eſt numeroſius, aut ſucci pinguedine, qui pro humore ſufficit tantùm, aut amaritudine. In tritico maximè creſcunt animalia, quoniam ſpiſſitate ſua concaleſcit, & furfure craſſo veſtitur. Quidam ipſum Triticum diuturnitatis gratia aſpergunt amurca, mille modios quadrantali. Alii Chalcidica, aut Carica Creta, aut etiam Abſinthio. Eſt & Olynthi, ac Cerinthi Eubœæ terra, quæ corrumpi non ſinat. Nec ferè condita in ſpica læduntur. Vtiliſſimè tamen ſeruantur in ſcrobibus, quos ſiros vocant, vt in Cappadocia, & in Thracia. In Hiſpania & Africa, ante omnia vt ſicco ſolo fiant curant: mox vt paleâ ſubſternatur. Præterea cùm ſpica ſua conduntur [ condantur Dal. ] ita frumenta, ſi nullus ſpiritus penetret, certum eſt nihil maleficum naſci. Varro autor eſt, ſic conditum Triticum durare annis quinquaginta.

Horreum locúſve Tritico deſtinatus, aqua ſalſa ante omnia conſpergitor, ſcopíſque optimè extersus ſiccator, ſic enim Tritici conſeruationi magis erit idoneus, Octobri repoſitum Ianuario agitetur nouilunio. Idem fiat menſe Martio ter tribus poſtremis ſeptimanis. Aprili quoque, ſed ſemel tantùm in nouilunio. Toto Maio intactum relinquatur. Sequentibus verò menſibus reliquis ſingulis ſemel tantùm, ídque ſicut antea in Nouilunio & Sole feruente ventiletur. Quod ſi fortè vermiculi & gurguliones generentur, aſperſo ſale, betulæque ſcoparum ſurculis ſiccis impoſitis arcebis: ſic frumentum ab horreorum ſtipatoribus atque œconomis celebris Monaſterii Maſſouienſis in Sunchouia frumenti feraciſſima in plureis annos conſeruari ſolet. Cùm verſaremur in Ducatu VVirtembergenſi in pago Wolffſchlägen Nürtingenſis præfecturæ hoc literis mandatum inuenimus. Anno 1590. Maii menſis 25. die, tam ſæua, violentáque tempeſtas coorta eſt cum horribili procella ventorúmque turbine, & tremenda nubis fœcundiſſimæ ruptura, nimborúmque effuſione, tantáque grandine, vt culmos frumentaceos in aruis ferè omnes grandine comminuerit humíque ſtrauerit. Interea tamen clementiſſimus Deus ſuâ illâ paterna benedictione rurſum dexter affuit, vt frumentacei culmi ab ima vſque radice, maiori quàm priùs, cum ariſtarum copia, nullâque interueniente ſatione, de nouo progerminauerint, tantóque vberior ſucceſſit frugum prouentus, quantò maior calamitas agros priùs attegerat, agros enim nouales, requietóſve planè præ ſe ferre videbantur. Hanc igitur tempeſtatem tanta meſſis ſubſequuta fuit, vt poſt nouenas ſeptimanas tam diræ grandini ſuccedentes, optimas fruges in horrea coegerint, ídque non illic ſolùm, ſed aliis paſſim in locis pluribus illius tractus aruis contigiſſe certum eſt.

*Vſus.* Optima porrò è Tritici generibus ad ſecundæ valetudinis vſum habentur, inquit Dioſcorides, quæ recentia & perfectè adulta colorem luteum referunt: hæc ſequuntur trimeſtria, quæ nonnullis Sitania nominantur. *Noxa.* Itaque cruda illa in cibo ſumpta teretes lumbricos gignunt: *Morſus canis rabidi.* commanducata verò & impoſita commorſis à rabioſo cane auxiliantur. *Panis.* Confectus eorum ſimilagine panis pleniùs alit, quàm cibarius: qui verò fit è trimeſtrium farina, leuius alimentum præſtat, facileque in membra digeritur. *Farina. Neruorum fluxiones.* Farina eorum cum Hyoſcyami ſucco cataplaſmatis inſtar imponitur aduerſus neruorum fluxiones & inteſtinorum inflationes: *Lentigines* lentigines autem ex aceto mulſo tollit. *Furfures. Lepra.* Furfures in acri aceto decocti [ vulg. exempl. emittunt ἑψηθὲν ] & calentes adhibiti lepras emouent, ſuntque contra omnem incipientem inflammationem vtile & accommodatum cataplaſma. *Mammæ turgentes.* Cocti verò cum Rutæ decocto luxuriantes turgentéſve mammas [ σπαργῶντας Vet. codex teſte Lacuna habet χονδειώδας ] compeſcunt, & morſis à vipera, torminoſíſque conueniunt. Farinaceum fermentum, calfaciendi extrahendíque vi præditum, priuatim callos in plantis pedum extenuat, *Furunculi.* & tum alia tubercula, tum etiam furunculos ex ſale maturat atque aperit. Porrò è Sitanio Tritico farina, contra venenatorum ictus ex aceto aut vino commodè imponitur. *Hæmoptoici.* In glutini verò modum decocta ſi delingatur ſanguinem reiicientibus [ αἱμοπτοϊκοὺς Vet. αἱμορραγίας ] opitulatur. *Tuſsis.* Contra tuſſim & exaſperatam arteriam cum Mentha & Butyro decocta efficax eſt. *Pollen. Inflammationes.* Ipſius autem Tritici pollen ſi ex aqua mulſa aut hydrelæo decoquatur, omnem diſcutit inflammationem. Sed & panis tum crudus, tum etiam coctus ex aqua mulſa impoſitus, inflammationem omnem demulcet: quippe qui plurimùm emolliat & quadantenus refrigeret, maximè verò ſi herbis, ſuccíſve quibuſdam ad id accommodatis admiſceatur. *Profluuia alui.* Vetus autem panis & aridus tum per ſe, tum quibuſdam admixtus, alui profluuia ſiſtit. *Lichenæ.* Recens verò muria maceratus & impoſitus, lichenas inueteratos ſanat. At gluten [ κόλλα δὲ, &c. Hæc verba ad capitis vſque calcem non leguntur in altero codice manuſcripto. Goup.] quod è Similagine aut polline [ ἢ γύρεως, vulg. ἢ γύρεω ] conficitur ad glutinandos libros, ſanguinem reiicientibus prodeſt, ſi liquidius ac tepidum cochlearis menſura ſorbendum exhibeatur. *Crimnon.* Cæterùm, quæ in molendo craſſior fit ex Zea & Tritico farina, ex qua puls fit, Crimnon [ κρίμνον ] appellatur. Abundè autem nutrit & facilè conficitur. Quæ verò ex Zea maximè priùs toſta fit, aluum magis adſtringit.

*Amylum.* Amylum autem appellatum ab eo eſt, quòd ſine mola fiat. Optimum quod è trimeſtri paratur Tritico, natione Creticum aut Aegyptiacum. Conficitur verò ex Tritico eiuſmodi puro quinquies die, ac ſi fieri poteſt, etiam nocte, aquâ perfuſo: atque vbi emollitum fuerit, ſenſim aquam citra agitationem effundi oportet, vt ne ſimul vtilior ſuccus excludatur. At vbi molliſſimum euaſiſſe conſtiterit, diffusâ aquâ pedibus calcari

oportet: deindéque infuſâ aliâ teri. Tandem inſpiſſatæ furfures incerniculo tollendi: reliquum verò colo traiciendum, mòxque vt excolatum fuerit, ſuper tegulis nouis ardentiſſimo ſub Sole ſiccari denſarique oportet. Namque ſi paulìſper vdum manſerit, aceſcit. Porrò contra oculorum fluxiones, caua vlcera, & puſtulas efficax eſt. Sanguinis etiamnum reiectiones potu cohibet, & exaſperitas fauces lenit: lacti quoque & obſoniis admiſcetur. Paratur & Amylum ex Zea macerata elotaque ad vnum aut alterum diem, & maſſæ triticeæ in modum manibus ſubacta, tandémque feruentiſſimo in Sole, vti dictum eſt, exiccata. Sed huiuſmodi Amylum ad vſum medicum ineptum eſt: ad reliqua verò idoneum.

De Tritici, eiúſque farinæ, itémque panis & paleæ atque Amyli [iuxta veteris codicis quidem lectionem] vſu paſſim hæc Plinius lib. 22. cap. 25.

*Siliginis grana.* Siliginis grana combuſta & trita in vino amminco, oculis illita epiphoras ſedant: tritici verò ferro [eâ induſtriâ conficitur oleum è Tritico à medicamentariis] combuſti iis, quæ frigus vſſerit, præſentaneo ſunt remedio.

*Triticeæ farinæ uſus.* Farina Tritici ex aceto cocta neruorum contractionibus, cum roſaceo verò [roſa verò Dalechamp.] & fico ſicca myxíſque decocti ſurfures tonſillis gargarizatione proſunt. Sextus Pomponius Prætorii viri pater, Hiſpaniæ citerioris princeps, cùm horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus dolore Podagræ, merſit in Triticum ſeſe ſuper genua: leuatúſque ſiccatis pedibus mirabilem in modum, hoc poſteà remedio vſus eſt. Vis tanta eſt, vt cados plenos ſiccet, (Acetum Tritici defoſſos & ſepultos: quâ aſtutiâ ruſticos Triticum furari ſolitos Gal. ſcribit cap. 14. 1. de Nat. fac.)

*Tritici palea.* Paleam quoque Tritici calidam imponi ramicum incommodis experti iubent, quáque decoctæ ſunt aqua foueri. Zeæ, ex qua alicam fieri diximus, efficacior etiam hordeacea videtur, trimeſtris mollior. Ex vino rubro ad Scorpionum ictus tepida, & ſanguinem excreantibus: item arteriæ. Tuſſi cum caprino ſeuo aut butyro.

*Amylon.* Amylon hebetat oculos, & gulæ inutile, contrà quàm creditur. Item ſiſtit aluum, epiphoras oculorum inhibet. & hulcera ſanat: item puſtulas & fluxiones ſanguinis.

*Genæ duræ.* Genas duras emollit. Datur cum Opio, his qui ſanguinem reiecerint. In veſicæ verò dolore ſemuncia Amyli cum ouo & paſſi tribus ouis ſufferuefacta, à balneo. Panis [panis facultates attigit Dioſcor. lib. 2. cap. 107.] hic ipſe, quo viuitur, innumeras penè continet medecinas. Ex aqua & oleo aut roſaceo mollit collectiones: ex aqua mulſa duritias valdè mitigat.

*Rheuma.* Datur & ex vino ad diſcutienda quæ præſtringi opus ſit, & ſi magis etiamnum, ex aceto, aduerſus acutas pituitæ fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant, item ad percuſſa, luxata. Ad omnia autem hæc fermentatus (non quidem fermentatum ([illegible]) autopyron dici vult Plinius ſed [illegible] id eſt confectum è farina minimè caſtrata, ſimul & fermentatum ad ea remedia commendat) qui vocatur autopyros, vtilior.

*Paronychia. Callus pedum.* Illinitur & paronychiis, & callo pedum in aceto. Vetus aut nauticus panis (Ammianus Marcel. ad vſus diuturnitatem excoctum vocat buccellatum. Brod. cap. 11. 4. ναυτικὸν ἄρτον Lucianus) tuſus atque iterum coctus, ſiſtit aluum. Vocis ſtudioſos [aut φωνάσκας, aut eos qui claram vocem cuſtodire volunt, ne aſpera & rauca fiat: aut [illegible], qui canoram, ſuauem, plenam, lenem vocem ſuis modulationibus adhibere maximè nituntur & ſtudent:] & contra diſtillationes, ſiccum eſſe primo cibo, vtiliſſimum eſt. Sitanius (hoc eſt è trimeſtri) incuſſa in facie, aut deſquammata cum melle aptiſſimè curat. Candidus ægris, aqua calida frigidàue madefactus, leuiſſimum cibum [intritam panis vocat Celſus lib. 1.] præbet. Oculorum tumori ex vino imponitur. Sic & puſtulis capitis aut adiecta arida myrto. Tremulis panem ex aqua eſſe ieiunis ſtatim à balneis demonſtrat. Quin & grauitatem odorum in cubiculis vitus emendat, & vini, in ſaccos additus. Piſtura verò non omnibus facilis: quippe & Hetruria ſpicam farris toſti piſente pilo præferrato, fiſtula ſerrata, & ſtellata intus denticulata, vt niſi intenti piſant, concidantur grana, ferróque frangantur. Maior pars Italiæ ruido vtitur pilo, rotis etiam quas aqua verſet obiter, & molat. De ipſa ratione piſēdi [pinſendi] Magonis proponetur ſententia. Triticum ante perfundi aqua multa iubet, poſtea eualli [vel vt alii legunt euallati, vallo ſuo eiici, ac excludi, deglubi, gluma corticéque ſuo ſpoliari] deinde Sole ſiccatum pilo repeti.

Lib. 18. cap. 7. explicat ſententias Dioſcoridis *de Amylo*, his verbis: Amylum fit ex omni Tritico ac Siligine, ſed optimum è trimeſtri. Inuentio eius Chio inſulę debetur: & hodie laudatiſſimum, inde eſt appellatum ab eo quòd ſine mola fiat. Proximum è trimeſtri quodam minimè ponderoſo tritico. Madeſcit dulci aquâ ligneis vaſis, ita vt integatur [intingatur CH.] quinquies in die mutata. Melius ſi & noctu, ita vt miſceatur pariter emollitum, priùs quàm aceſcat. Linteo aut ſportis ſiccatum tegulæ infunditur illitæ fermento, atque ita in Sole denſatur. Poſt Chium maximè laudatur Creticum, mox Aegyptium. Probatur autem leuitate ac læuore, atque vt recens ſit, iam & Catoni dictum.

Paleatum quibus plures Gentium pro fœno vtuntur eodem Plinio lib. 18. cap. 30. teſte, peſſima ex Tritico præterquam iumentis opere laborantibus, Culmum ſaxoſis locis, cùm inaruit, baculo frangunt ſubſtratu animalium. Si Palea defecit, & culmus teritur. Ratio hæc, matutiùs deſectus, muria diu reſperſus, dehinc ſiccatus in manipulos cōuoluitur, atque ita pro fœno bubus datur. Sunt qui accendant in aruo & ſtipulas magno Virgilii præconio:

[*Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros*
*Atq; leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis.*]

Summa autem eius ratio, vt herbarum ſemen exurant.

Galenus auctor eſt Triticum vt medicamentum foris impoſitum primi eſſe ordinis excalfacientium, tamen nec reſiccare, (Plin. Sexti Pomp. hiſtoriâ Triticum ſiccare oſtendit.) nec humectare manifeſtò poſſe: habere verò etiam quiddam lentoris, obſtruentíſque naturæ. Porrò, quod ex eo conficitur Amylum, eo tum frigidius eſſe, tum ſiccius. Quod verò ex pane fit cataplaſma, vim habere magis digerentem, quàm quod ex Tritico: nimirum cùm & Salem & fermentum panis adiuncta habeat, quippe cùm fermentum vim habeat attrahendi digerendique ea quæ in alto reſiderint. Glutini o tandem, quod ex Similagine & polline Tritici fit, idem Galenus meatus obducendi ac concoquendi vim attribuit, quibuſcunque partibus impoſitum fuerit. Aſt conſiderandum an Amylum ſiccius ſit Tritico, & an non potiùs humidius: quandoquidem cortex & furfur ab eo ſeparatum, quod videtur ſiccius farina. Præterea perpendendum an Amylo ex maceratione in aqua non imprimatur humiditas. Verùm Solis calore ea impreſſa & acquiſita humiditas,

tas, fortéque etiam naturalis reſoluitur, & eâ ratione ſiccius redditur. De quinque autem panis ex Tritico generibus, Galenus puriſſimum dicit eſſe Silignitena, id eſt, ſiligneum. Et hoc eſt quod etiam Plinius dicit, E Siligine lautiſſimus panis, piſtrinarúmque opera laudatiſſima. Deinde ſemidaliten, id eſt, ſimilagineum, ex Similagine Tritici farina. Et mox diſtingnit vocabula, ſemidalim quidem Græcam vocem eſſe aſſerens, Siliginem verò non item. Nimirum hanc Græcos à Latinis accepiſſe, ſicut Semidalim à Græcis acceptam Latini in Similaginem conuerterunt. Maximè igitur, inquit, nutrit Siligneus. Deinde Similagineus. Tertius eſt medius, ſyncomiſtos & Autopyrus appellatus, cui nihil furfurum deceſſit, ſed ex toto Tritico conſtat. Quartus eſt ſordidus, magna ex parte è furfure conſtans. Et poſtremus omnium furfuraceus totus.

Farina craſſior ex Zea & Tritico Germanis nota eſt, inquit Cornarius, & ex ea pultem faciunt modò craſſiorem, modò tenuiorem, vt ſorberi poſſit. Vnde Galenus dixit καλεῖται δ' τὸ ἐξ αὐτῶ ῥόφημα, πόλτος. Vocant autem noſtri Grieſzmel, eò quòd arenæ ſpeciem referat. Idem Galenus craſſam Triticeæ, & ex Zea farinæ partem, Crimnon eſſe dixit, & magis quàm polentam nutrire, ſed ægriùs concoqui. Vnde videri poſſit in Dioſcoride legendum eſſe, non εὐκατέργαστον, quod facilè conficitur reddidi, ſed δυσκατέργαστον: vt accipiamus quæ non concoquitur. Sed graue hoc malum eſſet, & priuatiua particula non reſpondet ei quæ difficultatem ſignificat. Itaque recta eſt 'δυσκατέργαστον vocis lectio: & Galeno δυσκατέργαστον vox comparatione ad Polentam dicta eſt. Apud Hippocratem ſæpè habetur, τὸ ἀπὸ τῶν κριθῶν ὕδωρ πινέτω: & aliquando ſimpliciter τὸ ἀπὸ τοῦ κρίμνου πινέτω, vt cremor farinæ craſſæ accipiendus videtur. A veteris codicis de Amylo lectione Pliniana, vulgata ſic euariat, *Datur cum ouis his qui ſanguinem reiecerint*: Sed Opium, vt quod concoquat, & dolorem eximat, aptiùs videtur legendum. Deinde tribus ouis, menſura paſſi ſignificatur, quod accipiendum eſt, quantùm trium ouorum euacuatæ teſtæ capiunt, vt hoc cum ouo & Amyli ſemunciâ ferueſactum, à balneo ſumatur. Poteſt tamen fieri vt cyathis vox decurtatè ſcripta cy. perierit, & ita pro vera lectione, paſſi cy. tribus; falſa ſuppoſita ſit, paſſis tribus. Amylum noſtri partim corrupta Græca voce Amydum vocant: partim Kraffmel & Sterckе, quod in fœminarum vſu peplis inductum, ea & inalbet, & firmet.

Cur Triticum homini in cibo facilius ſit, quàm cæteris animalibus quanquam validioribus, quorum multa eo ſatiata intereunt, docet Theophr. de cauſ. plant. cap. 10. lib. 4. quæ huc tranſcribere nimis longum eſt, & præter inſtitutum. De Tritici præparatione ad conficiendum vinum, itémq; Aquam vitæ, conſules alios. Nos in Alſatia ſæpiùs bibimus vinum, quod ſolent cum Tritico parare, ac Weitzenwein vocant: Muſtum autem iniecto pauco tritico decoquunt aliquandiu, inde remanet vinum dulce & generoſum ad maluaticum accedens, quod præſtantius aiunt ſecundo anno.

TRITICVM VVLGARE, GLVMAS TRITVRANDO DEPONENS.

Deſcriptio

VVlgare Triticum culmos habet proceros, trium cubitorum altiores, ex radice capillata ortos, foliis gramineis donatos: ſpicam verò in ſummo culmo palmarem circiter, muticam aut breuibus admodum ariſtarum rudimentis donatam, ac etiam longis; in qua grana flaueſcentia, turgidula, oblonga, ſulcata, ſuperiore parte hirſuta, triplici glumarum, quas tribulorum verbere deponit; vallo clauſa, ità vt gibbus duabus, ſulcus vnà muniatur.



Fuchſio.

Conſiderandum an Tritici alterum genus, Setanium Fuchſio dictum, à primo Robo ſc. [ita vulgare vocat] non differat, niſi ſpicâ multis ariſtis vallata, & in duos verſus diſpoſitâ. Ego, vt antè monui, obſeruaui Montbelgardi in agris vulgare Triticum ſpica mutica & ariſtis vallatum: ſi intelligit idem Triticum cum Amelkorn Hier. Tragi, plurimùm fallitur. Hoc enim eſt ex genere Zeæ vernæ.

Synonyma.

Triticum Brunfelſ. in 4. Geſn. hort. & de coll. Cord. in hiſt. Dod. [qui Triticum dicit ſpicam vt plurimùm muticam habere, interdum tamen ariſtis cinctam] & Tab. ſiue Robus, Colum. & Dod. Gall. Tritici primum genus Trago, Fuchſ. & Lon. Triticum ſpicâ muticâ Hiſt. Lugd. & Ger. Triticum ariſtis carens Cæſ. Triticum 1. ſiue hybernum ariſtis carens C. Bauh. pin. cui videtur Siligo Veterum; quam Plinius Tritici delicias vocauit. Siligo ſpicâ muticâ Lob. Obſ. pag. 14. Icon. plant. p. 25.

Locus.

Prouenit in omnibus ferè habitati ac culti Orbis regionibus, à quibus & complura eius notantur genera, cognomina ab ipſis natalibus ſortita, quæ colore, magnitudine, ſpecie & proprietate inter ſe differunt: teſtis Theophraſtus. Lætum autem pinguéque ſolum Triticum poſtulat, idque magis apricum & ſiccum, quàm riguum. In ſicco enim, vt Columella refert, meliùs coaleſcit: in humido vero ac vliginoſo degenerat, & poſt tertiam ſationem in Siliginem, hoc eſt, læuius & candidius Triticum conuertitur: quę tamen & rurſus in Robum, id eſt, præſtantius Triticum biennio tranſit, ſi in conueniens ſolum tranſlata, grauiſſima eius grana ſerantur: author Plinius. Seritur frequentiùs Autumno: interdum Vere, Autumno ſatum per hyemem in herba eſt, & pluribus culmis attollitur, & frequentioribus radicibus firmatur. Æſtiuis menſibus vtrumque ad maturitatem peruenit, Dodonæo referente.

*Degeneratio.*

Fuchſio paſſim prouenit Triticum primi & ſecundi generis: floret Iunio menſe: in Iulio autem metitur.

TRITICVM CVM MVLTIPLICI SPICA GLVMAS FACILE DEPONENS.

Deſcriptio.

RAdicem fibroſam, culmum geniculatum, foliáque cum vulgaris vſus Tritico habet com-



munia ad ſpicæ facillimum diſcrimen, quo in hoc præter quatuor illos verſus ariſtatos, qui in ſumma ſpica ſolitarii, circa medium complures vndique ſibi adiũgunt, multiplicique congeſtione in ventrẽ creſcunt: granum etiam multò candidius & delicatius. H. Lugd. p. 376. Tritici rufi genus, Lugdunenſibus ruſticis *Blé qui truche* appellatum, ob ſpicã ſc. eius in alias fiſſam, plurẽſque minores adnatas veluti ramos ſpargentem: *trucher* enim in ramos diuidi Lugdunenſes Colon: dicunt: Triticum ramoſum, Centigranum vocatum & Triticum fertiliſſimum Plinio. — Blé qui truche.

Synonyma — Caſp. Bauhin. pin. Triticum 4. ſiue ſpicâ multiplici: Triticum ramoſum Plinii, ſpica ramoſa Cæſalp. Tritici 5. ſpecies, & *Gran del graſpo*, i. e. frumentum racemoſum Anguillaræ: Triticum multiplici ſpica Lob. Ic. p. 26. & Germ. *Blé qui truche* H. Lugd. Triticum typhymum multiplici ſpicâ Tabern. Triticum racemoſum Portæ: ſpicis modò paucioribus modò pluribus, ita vt Matt. 24. ſpicas viderit.

C. Bauh. — Conſiderandum quantùm differat ab hoc Triticum Caſp. Bauhin. pin. tertium, ſiue rufum hexaſtychon, Tritici rufi genus aliud H. Lugd. An color facit differentiam à noſtro coloris albiſſimi.

Locus & Tempus. — Tritici pulchrum genus hoc, ſpicâ multiplici, quod primùm Heidelbergæ vidi, mihi datum ab inſigni Pharmacopœo Sprengero nomine Siliginis, ſatum fœliciter prouenit Montbelgardi in Horto Ill. E. C. cui valdè infeſtæ ſunt aues.

## TRITICVM RVFVM, GRANO MAXIMO, Far ſiue Adoreum Veterum putatum.

Deſcriptio — TRitici ruffi præter Ariſtatum & Muticum H. Lugdunenſi multa alia ſunt genera, pro diuerſa locorum natura, ſitùque. Haud procul Lugduno in pagis monti alto, ſiue Aureo propinquis, Tritici genus colitur, quod incolæ vocant *Blérune*, & *gros blé*. Spicam fert muticam, granum maximum, ſed ad conficiendum panem minùs vtile. Ex eo decorticato puls fit cum lacte, in cibo ruſticis gratiſſima: quamobrem illud ad eas delicias non ſegniter colunt. Sunt qui Far, ſiue Adoreum Veterum eſſe putant, ex cuius pulte Romanos diu victitaſſe Plinius literis antè prodidit.

Caſp. Bauhin. pin. Triticum 2. ſiue rufum grano maximo.

## TRITICVM RVFVM HEXASTYCHON.

Deſcriptio — ALiud Tritici rufi genus eſt ἑξάστιχον, Galli vocant, *Froument à ſix quarres*. Quidam, vt circa pagum Ericum in Allobrogibus, *Blé rignet*, quaſi rigidum Triticum, quòd rigidiſſimâ firmiſſimáque ſpica ſit, ſex ordinibus diſtincta, cùm in aliis quatuor tantùm reperiantur.

• Tritici rufi genus hoc aliud H. Lugdunenſis ſine icon. p. 376. vocat in pin. C. Bauh. Triticum 3. ſiue rufum hexaſtichon.

## TRITICVM DICTVM FAR CLVSINVM Dalechampio.

FAr Cluſinum Dalechampio, aduectum ex Italia, & in agro pingui ſatum creuit ad hominis altitudinem, vel etiam procerius: caule ſex geniculis diſtincto: foliis totidem: radiculis quinque vel ſex, fibroſis: ſpicâ palmum longa, prælongis ariſtis horrida, folliculis amplis, denſis, multiplicibus, granum ambientibus longum, exile, profundiùs lacunatum, aridum, quod vix exculpitur, ac euoluitur. — Deſ

Sed & *Far* pro omni Frumenti genere à Veteribus vſurpatum fuit. Hinc Far triticeum pro Tritico, & Far hordeaceum pro Hordeo, & Far adoreum, pro Farre apud Columellam lib. 8. cap. 5. legitur. Videtur & Plinius lib. 18. cap. 7. Far, pro Farris farina, ſiue pulte, ſiue grano decorticato, accepiſſe, vbi Populũ Romanum farre tantùm è Frumento trecentis annis vſum fuiſſe, è Verrio tradidit. Porrò decorticati Farris grani craſſior farina, ex qua pultes fiunt, Græcis κρίμνον dicitur. Lat. *Simila*, Gall. *Froumentée*, quibuſdam Italico nomine vſurpato *Semoule*, quaſi Simila. Dioſcorides tamen ex Zea quoque, ſicuti ex Tritico crimnon fieri teſtatur, atque etiam ex Olyra. — Far — Sem — Sim

## TRITICVM CINERICEVM MAXIMIS ariſtis donatum, triturando glumas deponens.



SPecioſum viſendæque magnitudinis eſt calamis proceris, geniculatis, folioſis: ariſtâ maximâ, ferè ſeſquipalmari, duobus granorũ ordinibus compactâ, glumis hirſutis, cinericeis (vnde nomen) in longiſſimas aſperrimáſque ariſtas deſinentibus, quibus tribuli verbere in area facilè excutiuntur ſemina. — De

Trago Triticum tertium ſiue ariſtas longiores & aſperiores proferens: Triticum paniculatum: Germanis Weitzen kolben: aliis Triticum Italicum, h. e. Welſcherweitzen: Tritici genus Typha fortè cognominandum: Triticum, quod apri ſylueſtres rarò deguſtant. — Syn

Fuchſ. Tritici tertium genus. Hoc in hiſt. non vndiquaque notum ait, geniculáque habere quaterna, aliàs præcedenti [i. e. ſecundo trimeſtri, ſiue Setanio, de quo ſub Tritico vulgari.] per omnia propemodum ſimile eſſe: in Alſatia & agro Tubingenſi gigni.

Dodon.

Dodon. Gall.inſcribit Typham cerealem, Gall. *Meteil*, Belg. Roomſche terwe. Figuram autem habet fortè ex Trago: an bonam iudicent alii. In Frugum Hiſt.& Lat.in fol. ſub Tritici typhini titulo pingit, ac ait: Reperitur frumenti quoddam genus, grano & culmis Triticum referens, quod culmos quidem habet breuiores ac tenuiores, ſpicam verò ariſtis longis & duris Hordei ſimilitudine munitam, granum autem durum, denſum, colore fuluum, Tritico minus, quódque facilè è glumis ſuis exteritur.

Naſcitur in quibuſdam Hiſpaniæ, ac Inſularum Fortunatarum agris: Phalaridis enim ſemini, quod illinc aduehitur, permixtum reperitur: vnde collectum atque in hortis ſatum, eâ, quâ deſcriptum eſt, forma prodiit. Suſpicari quis poſſet, ſemen hoc Typham eſſe, cuius Theophraſtus & Galenus meminerunt. Sed cùm Typhæ granum, multiplici folliculo incluſum, difficulter deglubatur, huius autem facilè, Typha propriè eſſe non poteſt: licèt tamen ex Typha natum, & degeneratum eſſe poſſit, nam quod ad reliquas notas attinet, ei ſimillimum eſt. Inter ea enim quæ Tritico ac Zeæ ſimilia, leuiſſimum eſt, tenui ac ſimplici culmo aſſurgit, vt de Typha Theophraſtus ſcribit. Semen eius paruum quoque eſt, & exile, denſum item & coactum, atque colore quàm Triticum magis ruffo, vt Galenus de Typha ſcriptum prodidit. Iam & ſpica ariſtas habet longas ac duras, quales Typhæ eſſe ex Veterum pleriſque locis manifeſtum eſt. Quæ omnia tam magnam huius frugis cum Typha ſimilitudinem oſtendunt, vt planè non aliud, quàm ex Typha Triticum, ac Typhinum quoddam Triticum eſſe videatur. Nam & Typha, authore Theophraſto in Triticum tranſit, ſi piſta ac purgata, ſeratur. Rationi autem conſentaneum videtur Triticum ex Typha natum ſimilitudinis plurimùm cum ea retinere, non ſecus ac Triticum ex Zea genitum, quod culmo ſpicáque Zeam refert. Huic non admodum diſſimile videtur, quod Hieron. Tragus Wälſchweitzen, hoc eſt, Triticum Italicum aut Romanum cognominat: nam & huius ſpica ariſtas habet longas & aſperas, eſt tamen culmis, ſpicis, atque granis maius, ſpicas etenim habet pleniores, rotundioréſque quàm Triticum, ſemen verò pulcherrimum atque Tritico ſimile, vti Tragus refert. Seritur frequentiùs in Alſatia, rariùs in aliis Germaniæ regionibus, ídque locis potiſſimùm montoſis, præſertim vbi apri fruges depaſcuntur, nam ab hoc vno ferè abſtinent, quòd durioribus eius ariſtis offendantur.

Quandoquidem autem Dodonæus, cuius verba hactenus recitauimus ſuam priorem corrigit ſententiam, nec authenticum tradit diſcrimen inter Typham cerealem, typhinúmque Triticum, ideò vtriuſque deſcriptionem hoc capite comprehendimus, ſicuti & Lobelii Obſ.p.14. & Icon.pl. 26. Triticum ariſtis circumuallatum, quia tantùm proponit figuram Dodonæi Latini: necdum ſeparamus cum Caſp.Bauh.in Phyt. à Tritico tertio Tragi, donec demonſtret harum plantarum differentiam. Sed ipſemet in poſtremis [pin.ſcil.] vnam eandémque eſſe concludit. Triticum 9. ſiue Typhinum ſimplici folliculo, inquit, eſt Tritici tertium genus Trago, Fuſch.& Lon. Triticum Matthiolo, Lac.Caſt.& H.Lugd.p.377. Typha cerealis Dodon.Gall. Typha Dodonæi, & Typha Fuchſii, Hiſt.Lugd.p.392. Triticum ariſtis circumuallatum Lobel. & Ger. Triticum ariſtis munitum Cæſalpino. Cæterùm plura obſcurè dixiſſe hoc in loco videtur nobis C.Bauhinus. Imprimis autem Triticum Matth. Lac. Caſt. & Hiſt. Lugdunenſis p.377.exhibitum, ad vulgare referendum ducimus, ideóque ab hoc ſeparandum. Deinde eum mirari ſubit, quòd Triticum ariſtis circumuallatum Lobelii, [quod hic Triticum typhinum Dodonæi eſſe perhibet] ad Triticum ſuum 9. iam memoratum referat, itémque rurſus ad decimum, quod typhinum ſimplici folliculo Hiſpanicũ cognominat, & Triticum typhinum Dod. & Hiſt. Lugdunenſis, quæ Dodonæi figuram cum hiſtoria habet, noſtro iudicio ad hoc caput pertinentem. In eo præterea hallucinari videtur, quòd Tragum Frumenti genus, ſpicâ cærulea H.Lugd. p.377. à Tritico ſuo nono diuerſum dicat, & Triticum 4. faciat, ſiue Triticum ariſtis longioribus ſpicâ cæruleâ. Triticum *Loca* vocatum alterum Lob.Icon. Triticum nigrum peregrinum 2. Tabern. Triticum liuidum Gerardi. Cæterùm, Tragus frumenti genus ſpicâ cærulea H.Lugdunenſis, in Sebuſianis, vulgò *Bugey* (Allobrogum Sabaudianorum gens eſt, nunc Oeno ac Rhodano fluminibus clauſa, olim longiùs patens) Tragus frequentiſſimus eſt: incolæ ſeruatis priſci nominis veſtigiis *Blé Turguet* vocant. In montoſis aridis, & ventoſis locis naſcitur, & abſque noxa nebulas, pruinas, gelicidia, aliáſque cœli iniurias in montoſis locis frequentes tolerat, ventíſque agitatus firmiſſimè granum retinet. Spica cùm maturuit, ariſtis denſis horret, & cœruleo colore nitet, contrà quàm in aliis frugum generibus, quarum ſpicæ flaueſcunt. Haud multùm alimenti præbet. Eſt apud varias Gentes multiplex varietas frugum, quarum numerum, nominúmque ancipitem ſignificationem perſequi difficillimum foret. Et hæc H.Lugdunenſis, de Trago Frumento, cuius figura pro Tritico cineritio meliùs placet quàm vel icon Typhæ Dodonæi, vel effigies Typhæ Fuchſii, p.392. fruſtra repetitæ. Reprehendit autem Hiſt. Lugd. cap.de Typha Dodonæum his verbis: Τύφη, Lat. etiam Typhe & Typha dicitur, à Ruellio, Typha cerealis cognominatur: quoniam planta alia inter arundines locis humidis prouenit, quæ Tipha nominatur. Theophraſtus inter ea quæ Tritico & Hordeo ſimilia ſunt numerat Tipham, ſubiungítque eſſe omnium leuiſſimam, ſimplici culmo aſſurgere, ſolo tenui contentam. Mneſitheus Tiphas tertio loco poſt Triticum & Hordeum numerat, item & Diocles. Sed Mneſitheus Olyram & Tipham eandem rem eſſe putat, quem ob id reprehendit Galenus lib.1.Alim. vbi eius de Tiphinis panibus & Tipha, oratio ſcripta habetur. Tipha autem Galeni quamnam noſtrarum frugum ſpeciem referat, ignorant plerique docti Herbarii. Dodonęus Tipham appellat eam frugem quam Gallis *Meteil* vocari putat, Germanis welſche weitzen/ & Roomſche terwe, id eſt, Triticum Italicum, aut Romanum. Fuchſius eam pro tertio Tritici genere depinxit. Sed fallitur Dodon. Neque enim Gallorum Meteil, non vbique noti, ſeu peregrini Tritici ſpecies eſt, ſed partim ex Tritico, partim ex Secali miſcellanea ſeges, quam Lugdunenſes vocant *de la Meſtla*. Calamo, geniculis, ſpicâ ariſtis vallatâ Olyram Typha refert, niſi quòd ſpicas habet longiores & aſperiores, rotundioréſque & in vnum magis coactas. Semen folliculo vnico includitur, grano Tritici ſimile. Fruges hæc cortice & aceribus purgata Zeæ modo in Triticum redit, quod & de Tipha Plinius ſcripſit. Hactenus Hiſt. Lugd. quæ Tritici cineritii quatuor imagines proponit.

*Tragus frumentũ.* *H.Lugd. icones 4.* *Dod. lapſus.*

Quid tandem C.Bauh. per Triticum 8. ſiue Ty- *Trit. ti-*

*phinū multiplici folliculo.* phyntum multiplici ſolliculo, Typham inter frumentacea Theopraſti, Thypham Galeni, Typhen Plinii intelligat, & an huc referri poſſit, aliis diiudicandum relinquimus.

## TRITICVM SPECIOSVM GRANO longo.

Deſcriptio. SPecioſiſſimum Tritici hoc genus, hactenus nobis nondum obſeruatum ex horto Stuchardino accepimus, quod ſatum in horto Montbelgardenſi in ſpicam exiit ſpica Tritici vulgati longè maiorem, ſex aut ſeptem vnciarum ariſtis dodrantalibus, pedalibus plùs minùs. Glumæ vnciales ferè, granum oblongum & vnciæ triente & quàm vulgati duplo ferè longius continet, è glumis facilè ſeparabiles, in quo cum vulgato & cinereo conuenit.

*Triticum grano longo, Hiſt. Lugd.* De hoc, ni fallat inſcriptionis vicinitas, apud H. Lugdunenſem hæc ſcribuntur. Circa Matiſconem in humidiſſimis Sebuſianorum tractibus deterrimum & ſtrigoſiſſimū Tritici genus prouenit, grano longo, exili, ſubatto, multis glumis veſtito. Ruſtici vocant *Long gran*, id eſt, longum granum, faméque vel egeſtate compulſi panem ex eo conficiunt. Alii ſuibus & gallinis edendum obiiciunt. Ad Brizam Thraciam fruges hæc videtur accedere.

Long gran.

Caſp. Bauh. in pin. Triticum 5. ſiue ſemine oblongo, cui congener dicit Frumentum *Scourgeon* Ruelii.

## TRITICVM SYLVESTRE, AGRIOſtari Cretenſibus.

Locus. AGrioſtari quod Triticum ſylueſtre ſignificat, autore Hen. Bello. frequentiſſimè in Creta

Deſcriptio. inuenitur, negligitúrque. Herba eſt Tritico ſimilis, folia & caules tritici ferens, ſpicáſque aliquantulùm aſperas, nigriores, & ariſtas breuiores, eius grana minora ſunt Tritico ſatiuo, & altera parte obtuſa, ita vt ſecalis grana potiùs quàm Tritici æmulentur. Hæc ſemina nulla alia cauſa tibi mitto, niſi vt tibi compertum ſit, non in ſola Sicilia Triticum oriri ſylueſtre, quemadmodum Poëtæ tradiderunt: & quod non abſque ratione Cretenſes Triticum primò à Cerere in Creta inuentum fuiſſe ſibi perſuaſerint, quemadmodum Diodorus Siculus in ſuæ Bibliothecæ l. 6. ſcriptum reliquit.

*Cluſio nata.* Feliciſſimè & abundanter Cluſio nata erat hęc planta, ſed antè quàm caules proferre inciperet, ab eo cui repurgandi horti curam dederat, pro inutili herba euulſa & abiecta fuit, licet ſerie quadam & ad normam, quemadmodum ſata erat, nata.

## ZEA IN GENERE, EX VETERIBVS & Neotoricis.

### CAP. II.

*Zea duplex Dioſc.* ZEam Dioſcor. duplicem facit. Alteram enim ſimplicem: ἁπλῆν] alteram Dicoccon [δίκοκκον] appellat: quòd in duobus putaminibus ſiue folliculis grana bina coniuncta [coniunctum ſemen, Corn.] ferat. Hordeo autem potentiùs nutrit, ut idem tradit, & ori grata (εὔστομος, Corn. tamen εὐστόμαχον, h. e. ſtomacho commodam, ex Galeno legendum aſſerit) eſt: ſed panificia ex ea cō-

*Dioſc. lectio varia.*

fecta, minùs quàm ex Tritico nutriunt.

Eſt verò Spelta Dioſcoridis quidem dicoccos, ſi Dodonæo non refragandum, quæ Theophraſto & Galeno Zea. Hic autem Zeam vniuerſa ſua facultate, in medio quodammodo Tritici & Hordei eſſe, in lib. ſimpl. med. ſcribit. Quare ex illis cognoſci poſſe iudicauit Cornarius magis alere panes ex Zea factos, quàm hordeaceos: & minùs quàm triticeos, & inſuper ſtomacho commodam eſſe. Nam in Græcis non vocem εὔστομον, h. e. ori gratam, legendum eſſe præcipit, ſed εὐστόμαχον, i. e. ſtomacho commodam: Et hanc eſſe Galeni l. 1. de aliment. lectionem ait.

Porrò, antiquiſſimi ac priſci Latinorum, teſte Dodonæo, Zeam ſiue Speltam, Far nuncupauere, vt locupletiſſimus teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſæus. Nominabant [inquit] priſci Romani ſacras nuptias, vocabulo ſuo φαῤῥακία, quia coniuges veſcerentur eodem Farre, quod nos Græci ζέαν dicimus: idem affirmat Aſclepiades apud Galenum, κατὰ τόπους lib. 9. ita ſcribens: φάῤῥως ὃ καλοῦσι ζέαν, id eſt Farris, quod ζέαν appellant. Appellatur verò Far iſtud Latinis quoque *Ador*, *Adoreū* & *ſemen Adoreum*, ac à Poſterioribus propter ſtugis præſtantiam, peculiari nomine *Semen*. Hoc populum Romanum tantùm, è frumento 300. annis vſum, Verrius tradit. Genera huius Columella quatuor ſcribit: *Far Cluſinum* candoris nitidi: *Far* quod vocatur *Venniculum* rutilum, atque alterum candidum, ſed vtrumque maioris ponderis, quàm Cluſinum: Semen trimeſtre, quod dicitur *Halicaſtrum*, ídque pondere & bonitate præcipuum. Ex his cum Halicaſtro conuenire Spelta poſſet, ſi trimeſtris eſſet, ac Vere ſereretur, verùm cùm Autumno feratur, Venniculo albo magis ſimilis eſſe videtur. Nam veluti Venniculum, ſic & ſpelta, pondere præſtat ac cādida eſt. Et hæc Dodonæus.

Cæterùm qui Zea vtuntur (Plinii verba ſunt l. 18. cap. 8.] non habent far. Eſt autem hæc Italiæ, in Campania maximè, ſeménque appellatur. Hoc habet nomen res præclara, vt mox docebimus: propter quam Homerus ζείδωρος ἄρουρα dixit: non vt aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret. Amylum quoque ex ea fit, priore craſſius. Itē cap. 10. apud Græcos eſſe Zeam ſcribit, tradíque eam, cùm ſit degener, redire ad Frumentum, ſi piſta ſeratur, nec protinus, ſed tertio anno. Cap. 11. Zeam in Africa degenerare refert. Ait & alibi Zeæ granum pulchrius eſſe, quàm Tritici. Libro 22. cap. 25. Zeæ medicinas proſequitur, de quibus alibi dictum.

Apud Galenum Mneſitheus panem ex Zea neminem affatim comeſſe citra ſanitatis diſpendium poſſe tradit. Quod ſi quis, ait, ſi pani non aſſueuerit, etiamſi minimùm ſumpſerit, ægrotabit. Eſt enim grauis, & concoctu difficilis. Qui verò regionem incolunt vehementer frigidam eo ſemine coguntur nutriri, ipsúmque ſerere, quòd frigoribus perſtrenuè reſiſtat. Hæc Zeæ de qua ex Dioſcoride & Plinio diximus, conuenire non poſſunt, neque Zeæ Theophraſti, qui eandem quam Dioſcorides Zeam intellexiſſe videtur: ſic enim ſcribit. Inter ea quæ Tritico hordeóque ſunt ſimilia, vt Zea, Olyra, Typha, Auena, & Aegylops, Zea eſt firmiſſima, copioſiſſiméque fructificat, multiplicem altámque radicem effundit, calamo multiplici craſſóque aſſurgens. Fructus autem eſt leuiſſimus, & cunctis animalibus admodum iucundus. Deinde ſubiungit. Sunt autem hæc duo, Zea ſcilicet, & Typha Tritico ſimillima. Herodotus verò, alius Zeæ meminiſſe

videtur,

videtur, cùm ſcribit: Tritico hordeóque plerique victitant. Apud Ægyptios autem his in victu vti ſummum dedecus putatur. Vtuntur autem Olyris, quas alii Zeias cum z nominant.

Zeam Germanis notam eſſe, & quidem ſimplicem, μονόκοκκον, tinckel appellari, δίκοκκον verò ſpeltam vocari, teſtatur Cornarius. Ζεῖα igitur, ἢ ζέα Græcorum, Latinorum Zea, quibuſdam annotante C. Bauhino, idem cum Olyra eſt: ſed horum ſententiam haud dum probandam cenſemus: ſicuti neque Tragi qui Far Cluſinum Columellæ credidit. Lobelio in Aduerſ. videtur Typhâ cerealis. Aſt ab aliis meliùs Frumenti peculiaris ſpecies, quæ Latinorum ſemen eſt, ſtatuitur. Semen autem Latini à ſubſtantia frugis appellarunt. Eius hodie differentiæ plures habentur. Zeam, Speltam vulgò vocari ſcribit Dodonæus: Germanis Speltz, nonnullis verò Tinckel, & Tinchelkorn, Belg. Spelte. Gall. *Eſpeautre*: Italorum pleriſque *Pirra farra*: Hetruſcis *Biada*. Inſubribus *Alga*, quaſi Alica. Hebræis, *Kuntha*.

## DE CHONDRO ET HALICA SIVE ALICA.

### CAP. III.

CHondrus & ἄλιξ ex factitiarum rerum numero ſunt, teſte Cornario & Dodonæo. Fit autem vtraque ex Zea, & Chondrus quidem ex Zea Dicocco, Dioſcoride authore. Theophraſtus & ex Hordeo ſylueſtri bonum fieri Chondrum tradit.

Galenus Chondrum ex Tritici genere eſſe ait, quod nihil aliud ſonat, quàm ex Triticeo genere ipſum confici, non quòd Tritici aut alterius frumenti aliquod genus ſit, veluti nonnulli perperàm ſibi perſuaſerunt. Non enim frumenti aliquod genus, ſed res planè, vti diximus, factitia.

Galeni & aliorum Græcorum Medicorum interpretes χόνδρον, Latinè Halicam ſiue Alicam interpretantur, Chondrum omninò idem cum Halica eſſe putantes, qua in re, non parum à veritate receſſerunt. Chondrus ſiquidem & Halica differunt, veluti abundè vnus pro multis, Paulus Ægineta non vno oſtendit loco: aut videlicet de vtriſque ſeorſim agens, & ſuas cuique vires ac facultates tribuens, vt lib. 1. cap. 78. aut vnam alterius loco ſubſtituens, veluti cap. 19. 39. & 62. lib. 3. Differunt autem hæc inter ſe, non quidem toto genere, ſed quodammodo, veluti genus & ſpecies, aut potiùs vt vnius generis duæ ſpecies. Non Halica ſiue Alica, Latinis ac Plinio generalius eſt nomen, Græcorum cùm χόνδρον, tum ἄλικα ipſis peculiariter nominatam, ſub ſe continens. Eſt enim vna Halica ex Zea, quæ ſemen appellatur, propria quidem ac genuina, quæ à Plinio lib. 22. res Romana eſſe fertur, Magni Pompeii tempore nondum in vſu. Hæc à Paulo Aegineta Græcè ἄλιξ dicitur, & à χόνδρῳ ipſo præparationis modo differt, non enim gypſo & arena veluti hic repurgatur, ſed creta candorem perfectionémque ſuam aſſequitur. Eſt verò & altera Halica, ex Zea in Africa degenerante, cognomento adulterina, Græcorum Chondro ſimillima: gypſo ſiquidem & arena, veluti Chondrus perficitur: licèt tamen Halica quidem ex degenerante, Chondrus verò ex Dicocco Zea, fiat. Nam præparandi ratio apud vtraſque nationes conſimilis, eandem eſſe rem prorſus oſtendit, quemadmodum & ea diſſimilis res diuerſas. Non enim tam ſpecies frumenti, quàm preparandi conficiendíque ritus ac modus conſiderandus. Frumenti enim aliqua diuerſitas, ſpeciem rei factitiæ non videtur mutare, modò in præparandi ratione nihil varietur. Siquidem ex Zea & Hordeo Far: ex Zea & Hordeo ſylueſtri Chondrus: ex Hordeo & Tritico ptiſana confici poſſunt.

*Chondri præparatio.*

Qua autem ratione Chondrus conficiatur ac præparetur, in libris de Agricultura, ſiue τῶν γεωπονικῶν, Conſtantino Imp. dicatis à Caſſio Dionyſio Vticenſi, docetur his verbis: Zea tunditur & in feruentem aquam inicitur, ac premitur, deinde gypſum album tuſum cribratum, & arenæ albiſſimæ ac ſubtiliſſimæ ad gypſum pars quarta paulatim admiſcetur, donec Zea probè repurgetur. Præparetur autem in canicularibus diebus: na aceſcat. Poſtquàm verò rurſus totus perpurgatus fuerit, per cribrum denſius excuriatur.

*Tempus.*

Optimus eſt Chondrus, qui primùm excuſſus eſt: ſecundum locum habet, qui ſuccedit: deterior autem tertius eſt.

*Delectus.*

Halicarum verò præparationem Plinius lib. 18. cap. 11. tradit. Halica fit, inquit, ex Zea, quam ſemen appellauimus: tunditur granum eius in pila lignea, nam lapidis duritiâ conteritur. Nobilius, vt notum eſt, pilo vinctorum pœnali opera, primori ineſt pyxis ferrea, excuſſis inde tunicis, iterum iiſdem armamentis nudata conceditur medulla, ita fiunt Halicæ tria genera, minimum, ac ſecundarium, grandiſſimum verò aphærema [ἀφαίρημα] appellant: nondum habent candorem ſuum, quo præcellunt, iam tamen Alexandrinæ præferuntur. Poſteà mirum dictu, admiſcetur creta, quæ tranſit in corpus, colorémque & teneritatem adfert.

*Præparatio ex Plinio.*

Deinde paulò infrà: Halica adulterina fit maximè quidem ex Zea, quæ in Africa degenerat. Pinſunt cum arena, & ſic quoque difficulter conterunt vtriculos, fitque dimidii modii menſura, poſteàque gypſi quarta pars inſpergitur, atque vt cohæſit farinario cribro ſubcernunt. Quæ in eo remanſit, exceptitia appellatur, & grandiſſima eſt: rurſus quæ tranſit, arctiore cernitur, & ſecundaria vocatur: item cribraria, quæ ſimili modo in tertio remanſit, cribro anguſtiſſimo, & arenas tantùm tranſmittente. Alia ratio vbique adulterandi. Ex Tritico candidiſſima atque grandiſſima eligunt grana, & ſemicocta in ollis, poſtea areſaciunt Sole ad initium, rurſúſque leuiter aſperſa molis frangunt. Ex Zea pulchrius quàm ex Tritico fit granum, quamuis id Alicæ vitium ſit, candorem autem ei pro creta, lactis incocti mixtura confert. Cæterùm de ipſius vtilitate lib. 22. cap. 25. ita ait. Alica res Romana eſt, & non pridem excogitata, alioqui non ptiſanæ potiùs laudes ſcripſiſſent Græci. Nondum arbitror Pompei Magni ætate in vſu fuiſſe, & ideò vix quicquam de ea ſcriptum ab Aſclepiadis ſchola. Eſſe quidem eximiè vtilem nemo dubitat, ſiue eluta detur ex aqua mulſa, ſiue in ſorbitiones decocta, ſiue in pultem. *Et paulò pòſt.* Ptiſanæ quæ ex hordeo fit, laudes vno volumine condidit Hippocrates, quæ nunc omnes in Alicam tranſeunt. Nec diſſonant ab his quæ Galen. 1. de aliment. prodit. Ex genere Tritici inquit, eſt Alica, quæ multùm alit, & viſcoſum ſuccum habet, ſiue in aqua ſola cocta, accipitur ex vino mulſo, aut vino dulci, aut etiam adſtringente: proprium eſt enim vnumquodque vſus tempus: ſiue cum oleo & ſale condita. Iniicitur etiam aliquando acetum ad ipſam, & dicunt Medici ita præparatam, chondroptiſanæ factam eſſe conditu-

*Halica adulterina.*

*Alica res Romana.*

*Alicæ vires & vſus.*

ſàm. Quidam verò ex Alicæ Ptiſanæ [ χονδρεπτισάνης ] ægrum nutritum eſſe dicunt. Aliqui verò Veterum, velut Diocles & Philotimus, ptiſanam triticeam ( πυρίνην πτισάνην ) ita præparatam Alicam [Chondrum hoc modo apparatum] appellant. Et vno quidem horum modorum, eo videlicet qui prior eſt, Halicam etiam coqui ac edi apud Roman. ſolitam Martialis in xeniis hoc diſt. oſtẽdit.

*Nos Halicam, mulſum poterit tibi mittere diues,*
*Si tibi voluerit mittere diuès, eme.*

*Alimẽtum optimum.* Temperamentum. At idem Galen. 8. ſimp. phar. Alica, inquit, eſt etiam alimentum optimum, quemadmodum etiam Triticum, ſed non eſt huius loci de alimento diſtinguere. Verùm vt medicamentum meatus obducendi vim habet. In temperamento verò ſimilis eſt Tritico, plus viſcoſi quàm illud habens, quo etiam magis quàm illud alit. Et eſt velut materia quædam idonea ad ſuſcipiendum acetum, & aquam marinam, & muriam, & alia huiuſmodi quæ vehementer ſiccant. Quapropter quidam ex his quæ multùm ſiccant, ipſam eſſe putauerũt. Eſt autem ex his quæ magis concoquere poſſunt, quemadmodum & Triticum, quæ minimè ſiccant. Verùm ob ſiccantium pharmacorum mixturam, id quod ex ipſis compoſitum eſt ſiccandi vi præditum, multos medicos fallit, vt ad ipſam Alicam referant ſiccandi cauſam, omiſſis his quæ ſunt ammixta. *Et hactenus* quidem Caſſii, Plinii & Galeni verba, ex quibus manifeſtum eſt, Halicam à Chõdro differre, & Chondrum cum ſecunda Plinii Halica conuenire, vtramque item rem factitiam eſſe, & non peculiaria frumentorum genera, Dodonæo atteſtante. Sed ex iis quoque clarum fit, monente Cornario, etiam ex Tritico Alicam fieri: & tum res eiuſmodi factitias, nomina inter ſe commutare, tum pro ipſis naturalibus nomina factitiorum vſurpari & viciſſim.

*Alica Etymon.* Videtur porrò Alica Latinis ab alendo appellata eſſe, ſicut Græcis χόνδρος ob excellentiam, id eſt, *granum* dicitur. Vtuntur tamen etiam Græci medici iuniores Latina voce ἄλιξ, pro Alica. Et aliquando χόνδρον ἄλικος coniunctim dicunt.

*Chondri Vires ex Dioſcoride. Alica.* Cæterùm χόνδρος authore Dioſcoride, potentiis quàm Oryza & alit & aluum cohibet, ſed ſtomacho longè vtilior. Decoctus in aceto illitúſque, lepras tollit, & vngues ſcabros pellit, ac incipientibus ægilopiis medetur. Eius decoctum dyſentericis dolore vexatis infuſum idoneum eſt. Chondrus, uti Paulus lib. 1. tradit, egregiè nutrit, & glutinoſos parit humores: verùm puls ex eo confecta nocet, quoniam quamprimùm craſſeſcẽs incocta permanet. Probatur magis χυλὸς ipſius ex integro Chondro benè decocto, expreſſus Ptiſanæ ſimilis: ἄλιξ in cæteris Chondro quidem reſpondet, ſed aluum magis adſtringit.

## DE ATHERA, ET ΚΟ'ΛΛΑ SIVE GLVTINE.

### CAP. IV.

*Athera quid?* ATHera ſorbitio eſt, inquit Dioſcorides, ὥσπερ πολτάριον ὑγρόν, i. e. veluti pulticula liquida infãtibus conueniens: cõmoda etiam ad cataplaſmata. Fit autem ex Zea tenuiſſimè molita. Apud Belgas verò non ex Zea tantùm, ſed ex quauis etiam priore farina coquitur: veluti, Secalis, Hordei, frequentiſſimè autem Tritici, cum tenui ceruiſia vel alio liquore permixta, Plinius etiam ex Olyra facit. Eſt autem edulium, quod citò cõcoquitur, facileque nutrit, infantibus idcircò & ſenibus conueniens: interiora tamen viſcera nonnihil obſtruens. Datur capite dolentibus, ex tenuiſſima Secalis, vel Hordei farina: dolorem enim ſopit, & ſomnum clementer conciliat.

Athera craſſius & ſolidius eſt gluten, Græcis κόλλα, ex Similagine & farina Tritici, quo chartæ glutinantur. Quod propter eam, quam habet obſtruendi vim, ſanguinis excreationibus prodeſt.

In vtriuſque medio πολτὸς, ſiue puls, eſt ſolidior quidem ac ſpiſſior Athera: liquidior verò Glutine, & minùs Glutine, plùs autem quàm Athera viſcera obſtruens. Atheræ, aut potiùs pultis genus eſt, edulium, quod Galenus ex multa Tritici farina lacti permixta fieri ſcribit, quo hac ætate Belgium, ac vniuerſa inferior Germania frequentiſſimè vtitur. Cibus boni ſucci & multi alimenti, ſed eos qui ipſo aſſiduè vtuntur offendẽs. Nam in hepate obſtructiones parit, & calculos in renibus gignit autore Galeno.

## ZEA SIVE SPELTA.



CVlmo foliiſque Triticeis reſpondet, ſpica palmaris aut ſeſquipalmaris, aliquando mutica, interdum ariſtis circumuallata, lõgioribus breuioribúſve, gemino granorum verſu, vel ita diſpoſitis granis, vt alternatim vnius principio medium alterius reſpondeat, glumis pertinaciter hærentibus, nec tribuli ictu ſemen relinquentibus, quo nomine à Tritico vulgari diſtinguas licèt, alioqui glumis & tunicis exuta grana vix internoſcas. I

Dodon. gall. Zeam hanc pingit ſine ariſtis. H. Lugdunenſis contra p. 385. Zeam duplicem exhibet, modò non. Caſp. Bauhin. pin. Zea 2. ſiue dicoccos vel maior: ζεία δίκοκκος Dioſcor. Zea Theophraſt. & Galeno. Zea, Brunf. Cordo in Dioſcor. Lon. Ger. Spelta prima Trago. deſcr. Secunda, Eid. ico. Zea dicoccos, Matth. Geſn. apud Cordum. Zea altera Matth. Lac. Caſt. Zeæ primũ genus Fuchſ. Turn. Zea, Romanis veteribus ſemen, nunc Spelta Dod. gall. Zea vulgò Spelta, Far antiquiſſ. Ador poſterioribus, & Semen Adoreum. Dod. Typha Ang. Far primum Cæſ. Zea maior ſeu dicoccos Lugd. pag. 385. Zea ador, Tab. S.

An Lob. in Ic. plant. p. 27. Robus, ſiue Triticum Inſulanis Gallo-Belgis Loca vocatum. Ibi ſiquidem nulla alia figura pro Zea. Scio fratrem Caſp. Bauhinum à Zea diuerſam ſtatuere, & in pin. Triticum 7. facere, cognominaréque Triticum ariſtis longioribus ſpica alba, Triticum typhinum Ger. quartum Tabern. C.

In multis Italiæ, Galliæ & Germaniæ locis prouenit. Naſcitur qualicunque ſolo, etiam humidiore, quoniam folliculum, vt ait Columella, quo continetur, firmum ac durabilem, aduerſus longioris Lo ter

gioris temporis humorem, habet. Læto tamen pinguíque ſolo meliùs proficit. Seritur vt Triticum, Septembri vel Octobri menſe: Iunio floret, Iulio autem maturitatem conſequitur, demetitúrque.

---

## ZEA VERNA, Zimmer.

ptio

Triticum quod vulgus VVirtembergicum Zimmer vocat firmos habet calamos, tres cubitos altos, quatuor, quinque aut ſex geniculis donatos: folia pluſquam ſemunciam lata: ſpica verò duorum eſt verſuum, ſibi mutuò æqualiter reſpondentium, ariſtata, in ſingulis autem verſibus ordines duo ſeminum maiuſculorum, quæ glumæ inuoluunt validæ, aliàs albicantes, aliàs quaſi ferrugine infectæ vel rubentes, binæ quidem vndique, extima verò, externa tantùm parte.



uh. C.Bauh.phyt. Triticum 2. æſtiuum ſiue *τρίμηνος πυρὸς* Dioſcoridis, Tritici genus alterum Tragi, Triticum trimeſtre Cordi, Olyra Dodonæi gall. Item Triticum 3. ſiue amyleum, Spelta ſecunda Tragi. Et rurſus Zea 2. ſiue dicoccos Dioſcoridis, Spelta 1. quoad deſcriptionem: 2. quoad iconem Tragi. Ego Dodonæum ſe corrigentem ſequor, nec Dioſcoridis Triticum exiſtimo: nec hoc Cordus trimeſtre vocare videtur. Iam nec Amyleum Triticum, à Tritico altero Tragi ſeparandum: quin nec Spelta ſecunda Tragi eadem eſt cum Amyleo Tritico, quod eadem cum Zea altera. Eid. pin. *Zea* tertia, ſiue amylea, vel zeopyrum Amyleum: an Far halicaſtrum trimeſtre cognominatum, Col. Triticum ſecundum Trag. Fuchſ. Lon. Olyra, Dod. gall. Lugd. Triticum trimeſtre Cord. Amylæum frumentum & Far halicaſtrum, Dodon. Frumentum vel Triticum Amylæum, Tab. Triticum amylæum, Ger.

r. Si Fuchſius per Tritici ſecundum genus, Sitanium ſcil. de quo cap. de Tritico, hanc Vernam zeam intelligit, malè, meo iudicio, eam haud differre ait à Tritico, niſi quòd ſpicam multis ariſtis vallatam, &c. obtinear.

Dodon. gall. Olyram Plinii eſſe ſtatuit, negátque Siliginem. Latinus zeæ generibus accedere haud perperàm dixit Amyleum Germanis dictum frumentum, Amelkorn, æſtiuum, ſiue trimeſtre genus. Addit Tragum & Fuchſium trimeſtre Triticum eſſe exiſtimaſſe: ſed cùm granum habeat glumis conditum, ex Tritici generibus eſſe non poſſe: inter Farra autem citiùs reponendum fore, inter quæ Halicaſtrum fortè ſit futurum, quòd, teſte Columella, vere feratur.

Io. Mathardus Med. Halæ Sueuorum vocabat in Ind. ſuarum plant. mihi miſſarum, *Typham*, Frumenti genus, Ammer.

An Lob. Ic. plant. p. 27. Triticum, *Loca* vocatum alterum, & Triticum lucidum Gallo-Belgarum? Non me latet quidem aliam eſſe opinionem Fratris, eúmque ſeparare à Tritico altero Tragi, ac facere Triticum 4. in pin. ſiue Tragum frumenti genus ſpica cœrulea Hiſt. Lugdunenſis, quod ad Triticum cinericeum retulimus.

Anno 1596. menſe Auguſto obſeruaui inter vrbem Rotemburgum & Nideravv fontem acidum Tritici genus hoc, quod mihi denominarunt welſche korn, an bene, nondum mihi conſtat. Inueni eodem menſe etiam inter Birchen vrbem & Bol: ferunt verno tempore, circa feſtum Diui Georgii, tardè metunt, ſcilicet primùm Septembri. Locus & Tempus.

---

## ZEA MONOCOCCOS, BRIZA QVIBVSDAM.



Culmis ſurgit gracilibus & ſeſquicubitalibus, læto ſolo maioribus, foliis anguſtis: ſpica ſummo culmo ſedet ſtrigoſa, ſed pulchra, trium quatuórve vnciarum longitudine, ſemunciam lata, compreſſa, duplici contexta verſu granorũ, quos glumæ ſimplices arctè obtegunt, in ariſtas aſperas deſinentes Radix fibroſa: Icon noſtra planè diſplicet: iam ſculptam emimus. Deſcriptio

Dod. Gall. inſcribit Brizam, vocans eam Germ. Blicken/ S. Peters korn / *Frumentum Sancti Petri*, & Ein korn, Monococcon: ſuſpicatur autem Gallicè, *Blé locular* ou *Froument locar*, id eſt, Frumentum loculare Ruellio dici, Farríſque ſpeciem eſſe, non verò zeæ, vt quidam putarint. Lat. de Frum. & in ſol. ſub titulo Frumenti monococci huius figuram exhibet [ hanc & Lobel. habet in Obſ. pag. 10. Ic. plant. p. 31. Brizæ, Monococci recentiorum & Dodonæi inſcriptione. ] ac addit Tinckel, ac Dinkelkorn à quibuſdam etiam appellari. Suſpicaturque Frumentum rubium ſiue loculare Ruellii, *Froument rouge, & Froument locar* eſſe zeam monococcon. At hîc apertiſſimè falli Dodonæum docet Dalechampius in hunc modum: *Blé locar* Gallis, Triticum eſt, quaſi Loculare ſic dictum, quòd multis tunicis tanquam loculis inuoluatur. Id barbati Frumenti genus Farris ſpeciem Ruellius eſſe vult In concauis, inquit, tractibus Galli ferunt: & qui facilè ſentiunt rubiginem: nam, vt credunt, nec pruinas, nec æruginem extimeſcit. In perflatis & excelſis quamuis bene conualeſcat, ſationem tamen ibi damnant. Farris ſpeciem eſſe negat Dodonæus in ſtirpium Hiſtoria, quòd Farris ſpicas muticas eſſe putet. In frumenti Hiſtoria ſimilitudinem quandam fortaſſe habere ait, cum Far-

*Bryza Dod. Gall.* *Frum S. Petri Monococcos.* *Frum. loculare.* *Far, non Zea.* *Dod. lapſus*

re venniculo rutilo. Idem Zeæ genus eſſe negat in Hiſtoria ſtirpium. At in Frumentorum Hiſtoria ſcribit non temerè Scriptores noſtri temporis ad Zeam referre, neque perperã ἁπλῆν, id eſt, ſimplicem Zeam Dioſcoridis exiſtimare. Ruellius *Brizam* quoque non longè diſſidere credit ab ea fruge quæ Gallis *Secale* vocatur, ex quo panis fit ater quidem, ſed recens non inſuauis, ab eàque *Brizi* panis in vulgus noſtrum manaſſe putatur extritã literã: *Bizum* enim panem nigrum vocamus.

Synonyma Caſp. Bauhin. phyt. & pin. Zea 1. Briza dicta, vel Monococcos germanica: Ζεία ἁπλῆ, quòd ſimplicis grani ſit, Dioſc. Spelta prima, Trag. ico. ſecũda Eid. deſcript. Zea Ang. Zea ſimplex, Matth. Lac. Cord. in Dioſcor. Zeæ alterum genus, Fuchſ. Frumentum loculare, Ruell. Siligo, & Zeæ alterum genus, Tur. Briza, Dod. gal. Adu. Lugd. Monococcos Lob. Ger. Monoccon, frumentum barbatum, Far vẽniculum rubrum, Col. Zea Mneſithei fortè, Dod. Spelta vulgò, Cæſ. Zeæ ſpecies prima, Caſt. Zea monococcos, Tab. minor & monococcos Lugd. Si, vt frater antè ſcripſit, Triticũ amyleũ eſt

*C. Bauhin. not.* ſpelta ſecunda Tragi, quomodo erit Zea ſimplex, ſiue ἁπλῆ Dioſcoridis? Trago enim Amyleum Triticum, eſt ſpelta ſecunda, duæ ſunt plantæ diuerſæ.

Locus & Tempus Naſcitur aſperis & montoſis pleriſq; Germaniæ locis. Autumno cum reliquis frugibus ſeritur, ſeriùs tamen ac ſubinde Septembri demum menſe maturéſcit.

Ex Monococco panis confectus, ater eſt & hominibus ingratus.

## OLYRA AC TYPHA.

### Cap. V.

*Olyra Dioſc.* Olyram Zeæ genus facit Dioſcorides, ſed aliquantò minùs quàm illam nutrire, & ex ipſa panes, craſſioremque farinam, eodem modo fieri refert.

*Arinca Galliarum Plin.* Plinius Arincam Galliarum propriam, & Italiæ copioſam eſſe dicit. Et rurſus, Ex Arinca dulciſſimus panis, ipſa ſpiſſior quàm Far, & maior ſpica, eadem & ponderoſior. Rarò modius grani non 16. libras implet. Exteritur in Græcia difficulter: ob id iumentis dari ab Homero dicta.

*Arinca eadem cum Olyra Plin.* Hæc enim eſt quam vocat Olyram. Arincam itaque eandem cum Olyra Plinius facit. Nec repe-

*Error quorundam.* ritur apud ipſum id quod quidam ſcribunt, Olyra Græcis, Latinis Plinio autore, Siligo. Quare iſti Olyram cum Veterum Siligine confundunt. Quæ autem fuerit Siligo, & quòd ea hodie ignota ſit, concludit Cornar. Hodie tamen Siliginem putari, & appellari eam quæ Olyra eſt fatetur, ſed nullo Veterum autore. Olyram itaque eſſe affirmat eã, quæ vulgò hodie Siligo appellatur, quam Germani Rocken vocant, & quibuſdã locis Korn per excellentiam, hoc quidem nexus argumento, quòd ex hac magna ex parte per omnem Germaniam vulgares panes fiant, vt & ex typha, quam deteriorem aliquantò, Olyræ ſpeciem ſtatuit. Sed quæ ſit in his differentia, ex Galeni verbis, quæ inferiùs adſcribenda, cognoſcendum.

De Olyra ac Typha ex Theophraſti & Galeni præcipuè ſententia, hunc ferè in modum diſſeruit Dodonæus. Olyram ac Typham Mneſitheus idẽ

*Mneſithei opinio reprobata.* frumentum, vtroque nomine appellatum exiſtimauit, ſed eius opinionem Galenus reprobat, Diocli ac Theophraſto accedens: qui Olyram à Typha diſtinguunt. Theophraſtus *Olyram* ac *Typham* inter ea quæ maturè ſeruntur, ac Tritico ſimilia ſunt, enumerat: & Olyram quidem ait, Zea ac Bromo molliorem ac infirmiorem, Typham verò omnium leuiſſimam: nam ſimplici culmo aſſurgit, & ſolo tenui contenta eſt: nec, vti Zea, pingue lætúmque deſiderat. Vtramque prætetea ſcribit multiplici folliculo includi ac Typham vti Zeam in Triticum mutari ſolere, ſi piſta ſeratur, idque non protinus, ſed tertio anno. Plinius *Olyram* Latinis Arincam dici affirmat. Recentiores *Typham*, cognominant cerealem, ad differentiam nempe alterius Typhæ, quę in paludibus enaſcitur, de qua ſuo loco. *Typhæ* ſemen, Galenus ait, corticem extrinſecus veluti Olyra ac Hordeum habet. Quod verò ad colorem naturalem attinet, in Hordeis quidem ac Olyris eſt albus, in Triticis verò ſubflauus: Typhæ autem vel Triticis ſunt flauiores. Quin & harum corpus coactum eſt, ac denſum, quod fortaſſis ad ſeminis paruitatem nonnihil adfert momenti. Eſt enim id Tritico longè exilius, quanquam non deſint, qui ipſum quoque in Tritici numero ponant: velintque id ſemen eſſe, cuius Homerus meminit, cùm Hectorem equos ſuos alloquentem facit his verbis:

Τυῖν μ̃ πρότεροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν:

Hoc eſt, Triticum enim vobis primùm prædulce ferebam. Aiunt enim Typham paruum Triticum eſſe, eámque equos ſine noxa mandere, verum autem Triticum non abſque noxa. Nec abſurdè certè Typham quis exile Triticum vocauerit, cùm ei, & colore, & denſitate, & caliditate ſit abſimilis. Vtrumque autem ſemen (inquit Galenus, qui Mneſitheum miratur, quòd quomodo Olyrę à Typhis differant, ignoret.) *Olyræ* videlicet ac *Typhæ* in Aſia eſt frequens, & potiſſimùm in regione, quæ eſt ſupra Pergamum, adeò vt ruſtici ipſi panibus ex iis factis ſemper vtantur, propterea quòd Triticum omne in oppida comportent. Olyrini ſanè, ſi modò ex bona Olyra fiant, poſt Triticeos ſaltem ſunt præſtantiſſimi, ſecundi autẽ ab his ſunt Typhin. Quod ſi Olyrini ex vitioſo ſemine ſunt facti, Typhini non erunt eis inferiores. Calidi verò panes ex laudatiſſima Typha facti Olyrinis longè ſunt præſtantiores: aſſeruati verò deteriores ſeipſis euadunt. Cùm enim maſſa eorum ſit tenax ac ductilis, denſatur maiorem in modum: & maximè cùm negligenter parati fuerint, adeò vt qui panem huiuſcemodi, poſt vnum aut duos dies, ac multò magis ſequentes aliquot, comederit, putaturus ſit lutum ventriculo ſuo ineſſe. At calidus adhuc cùm eſt, ab ipſis etiã vrbanis expetitur, ipſúmque cum caſeo quodam mandunt, quem vernaculo nomine ὀξυγαλάκτικει appellant. Porrò hunc quoque tenerum eſſe oportet, & ipſum panem calorem clibani adhuc retinere. Qui certè hunc in modum eſt paratus, non ruſticis modò, ſed vrbanis quoque hominibus in deliciis habetur. Qui verò trium, quatuórue dierum eſt vel ipſis ruſticis manditur inſuauis: præterea concoctu eſt difficilior, ac tardiùs per aluum ſubducitur, quæ calido minimè accidunt: qui tametſi ab Hordeaceo, quod ad deiectionẽ attinet, multùm relinquitur: non tamen in eo adeò, vt Miliaceus, eſt vituperandus. Quin etiam corpus admodum, dum calidus eſt, nutrit, vt penè Triticeo ſyncomiſto par ſit. Congeritur autem in panes Typhæ ſemen repurgatum, omníque vſui accommodatur: nam & ex aqua manditur, haud aliter ac vocatum à ruſticis ἀπόπειμον, hepſemate, quod alii σίραιον nominant, iniecto: nonnunquam etiam cum ſale eſitatur.

Cæterùm

Cæterùm Olyram mediam inter Tritici & Hordei naturam poſſidere, authorem habemus Galenum 8.ſimpl.med.tam vt nutrimentum, quàm vt medicamentum.

Galeni porrò differentiam inter Olyram & Typham etiam Germanos obſeruaſſe, ideóque eos, optimæ ex Olyra panes Schoenrocken appellaſſe, prodidit Cornarius.

Et de Olyra, atque ei ſimili Typha hactenus: nunc eius factitia ſequuntur, quæ apud Veteres in vſu eſſe ſolebant, & ſunt inter alia, Far & Tragus.

## DE FARRE FACTITIO EX VETERIBVS

### Cap. VI.

DE Farre factitio dicturi, Dodonæi hiſtoriam ad vnguem obſeruabimus. Far, inquit, aliàs naturale frumentum, quod Græcis, vti oſtendimus, ζέα καὶ ζειὰ appellatur, aliàs res factitia artiſque & non naturæ opus: de illo ſuperioribus capitibus, de factitio verò modò.

Fuiſſe autem iſtud apud Veteres illos Romanos, quos pulte Farracea, non pane, longo tempore vixiſſe Plinius ſcribit, ex Farre frumento factum, nomen ipſum & frugi & rei factitiæ commune, indicat. Quod inde tranſlatum eſt, ad cuiuſuis frumenti granum, ab vtriculis quibus conditur, eo modo, quo Archigenes Far confici tradit, repurgatum, atque in partes confractum. Nam & Far Hordei, Palladius vino conſperſum, Phaſianorum pullis primis diebus dari præcipit: & Plinius in Ægypto ex Olyra Far confici ſcriptum reliquit. Modum autem conficiendi Farris, Archigenes apud Ætium Serm.19.oſtendit: Σῖτον, id eſt, frumentum, ait, modico tempore aqua madefacito, indéque extractum ac in pilam coniectum, veluti Ptiſanam à cortice repurgato: vbi verò corticem exuerit, tollito atque in Sole ſiccato: deinde manibus tritum, donec penitùs à cortice fuerit mundatum, craſſiſſimè molito, ita vt granum vnum in quatuor aut quinque partes redigatur, & ſiccum aſſeruato. Porrò factitium iſtud Far, præſertim ex zea ſiue Farre frumento, plerique noſtræ ætatis idem cum Chondro aut Alica eſſe exiſtimant, ſimilitudine quadam eorum inducti: Chondro etenim ſimile eſt, non tamen idcircò idem, veluti ipſe Archigenes oſtendit, quando Far Chondri modo coqui ſcribit. Differentiam horum præparationis modus efficit. Chondrus ſiquidem gypſo arena addita (vt paulò poſt dicetur) purgatur: Far abſque his cum aqua ſola. Differt verò etiam ab Halica, Far etenim antiquum, quo Romanorum vetuſtiſſimi vixerunt, Halica verò, vt Plinius ait, res noua ætate Magni Pompeii nondum cognita, cui non ſolùm aqua, ſed & creta candorem teneritudinémque confert. Differentiam prætereà horum etiam oſtendit Trallianus lib. & cap.8. vtriſque, vti diuerſis vtens, & eorum inter ſe comparationem faciens. Quod autem Germani ac finitimi Friſii, Hollandi, Batauíque ex Hordeo & Auena conficiunt, Farri ſimillimum eſt, ac eius quoddam genus: Germani Grüpen, Hollandi Gort appellant, & ex Hordeo quidem gerſtene grupen/gerſtene gort/ex Auena verò habere grupen/habere gort.

Cæterùm Far quod ex zea factum eſt, facultate Chondro aut Halica quodammodo ſimile eſt, nutrit ea de cauſa valenter, ſed tardiùs deſcendit, ægriúſque concoquitur. Vſus tempore, vt Archigenes tradit, Chondri modo coquitur, & à ſanis in cibo ſumitur. Pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiſcetur. Ex Hordeo autem vel Auena Far leuius eſt, minúſque alimenti adfert. Eſt & Far apud Aëtium cognomento Cluſinum, non naturale aliquod Far, verùm puls quędam Farracea, de qua Martialis Epigrammaton lib.13.

*Imbue plebeias Cluſinis pultibus ollas,*
*Vt ſatur in vacuis, dulcia muſta bibas.*

## DE TRAGO.

### Cap. VII.

TRagus, vt Dioſcorides ait, Chondri ſimilitudinem ac figuram gerit, res quoque factitia. Fieri eum, Galenus in lib. de aliment.facult.ex nobiliſſima Olyra ait, cùm, vt decet, fuerit excorticata: in Comment. verò lib.primi, de ratione victus in morbis acutis ἐκ τῶν ζειῶν, hoc eſt, ex zeis, quarum vtique Olyra ſpecies eſt. Caſſius Dionyſius Tragum ex frumento conficit Alexandrino. Plinius lib.18.ex Tritici ſemine Ptiſanæ modo, in Campania duntaxat & Aegypto fieri tradit. In Aegypto autem, cuius celeberrima ciuitas Alexandria, Olyra facilis fertiliſque: eiuſdem lib. cap.10. *Tragus quid.*

Ex his igitur patet omnia Frumentorum genera, ad Ptiſanæ modum decorticari ac præparari ſolita, & illius, & ſuam, & eius frumenti, ex quo parantur, appellationem habere: Alicam item & Chondrum, & Tragum ſimiliter inter ſe confundi: quum iuxta Galeni verba, Tragus etiam ex zea fiat, ex qua Dioſcorides Chondrum & Alicam facit: & non ſolùm res factitiæ nomina inter ſe communia habent, ſed etiam cum ſuis natiuis confunduntur, teſte Cornario. *Confuſio inter Alicam, Chondrum & Tragum.* Quod igitur Dioſcorides dicit Tragum figurâ Alicæ ſimilem eſſe, ſed multò minùs quàm zeam nutrire, Cornarius ita accipiendum ſtatuit, vt Tragus æquè vt Alica ex zea, eàdem etiam figurâ fiat, ſed quia paleas non probè ab ea depurgentur, ideò minus alat. Cæterùm, videtur ipſi quod τρύγις apud Hippocratem l.b.2.de Diæta à Trago diuerſa non ſit. *Trygis apud Hipp.* Proinde in ſua tranſlatione hunc locum ſic reddidit. Trygis, id eſt, Tragus ſiue Olyra, lenior eſt Tritico, & quæ ex ipſa fiunt, ſimiliter vt ea quæ ex Tritico parantur, & magis per aluum ſecedunt.

A Chondro autem, & Alica, & materiâ, ſed potiſſimùm ipsâ pręparatione differt: *Chondrum* ſiquidem, gypſum & arena perficiunt. *Halicam* creta emundat, *Tragus* ſolâ aquâ maceratus excorticatur. *A Chondro & Alica differentia.*

Eius conficiendi modum Caſſius tertio de agricultr.lib.ſic docet. *Conficiendi modus.* Frumentum Alexandrinum appellatum, maceratur decorticatúrque, & in Sole calido ſiccatur, deinde idem rurſus fit, donec ei pelliculæ & quicquid fibroſum eſt in frumento delabatur. Appellatur autem Tragus iſte, ſubinde cognomento frumentaceus, ad diſcrimen einſdem nominis, & animalis, & herbæ, non quòd naturale aliquod frumenti genus ſit. Nam vt Veterum Autorum teſtimoniis abundè conſtat, res factitia eſt.

Trago autem Galeno authore, plerique vtuntur, primùm eum in aqua decoquentes, deinde ea effuſa ἕψημα, aut vinum dulce, aut mulſum infun-

dentes, ſuperinijciunt & nuces pineas aqua præmaceratas, donec plurimùm intumuerint: multò tamen minùs quàm Zea, Dioſcorides ait, nutrit, eò quòd multùm palearum habeat. Quare etiam ægrè conficitur & aluum mollit.

## SECALE

### CAP. VIII.



*Deſcriptio* SEcale vulgarium frugum culmos tollit altiſſimos, cóſque rigidos, non ſine foliis, quæ prima germinatione rubeſcunt, ſpicà ferè quadrata, fuſcâ, ariſtis concoloribus horridâ, grana Triticeis longiora, ſtrigoſiora, & intentiùs flaueſcẽtia aut fuſca, gluma exterior ex qua ariſta producitur, altera parte denticellis rigidiuſculis armata eſt, interior tenuior, candidior, læuis. Vſtilagini obnoxium eſt, raræ formæ, ſeſcunciā aut vncias duas longæ, triquetræ, colore foris ex ſpadiceo nigricante, intus cinericeo, modò incuruæ, duritie ferè cornea, ſapore ſubdulci inſuaui.

*Olyra Veterum.* Cordus in Dioſc. ait quod ſi frumentum hoc, non fuerit Olyra apud Veteres, ſe ignorare quid ſit.

*Farrago.* Dodon. gall. refert quibuſdam Farraginem dici, non tamen veram eſſe, ut quæ nil aliud quàm Hordeum ſit, concludit. Duplicem autem ſtatuit, *Maior & minor.* maiorem & minorem. In Hiſt. Frum. & Lat. in fol. meminit Autumnalis & Aeſtiuæ, ac inter alia *Briza.* Brizam eſſe putat, cùm tamen pro Briza olim longè aliam habuerit plantam. Verba eius hæc ſunt: *Secale.* Plinio Secale eſt, de quo lib. 18. cap. 16. ſic ſcribit Rarum dictu, eſſe aliquid cui proſit negligentia, id autem quod Secale & Farrago dicitur, occari tantùm deſiderat. Secale Taurini ſub Alpibus Aſiam vocant, deterrimum (ſed veriùs aterrimum) & tantùm ad arcendam famem vtile, fœcunda, ſed gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum, & tamen ſic quoque ingratiſſimum ventri eſt: naſcitur qualicunque ſolo cum centeſimo grano, ipſumque pro lætamine eſt.

Quæ Plinij verba frumentum Rocke ac rogge dictum, cum Secali conuenire ſatis commonſtrant. Dicitur autem id, ut Plinius tradit, etiam Farrago, verùm non ſecus, quàm Far, Hordeum, Arena, Triticúmve, ſubinde Farragines nominantur, quando videlicet iumentorum, pecudumque pabulo cedunt.

Farrago ſiquidem, quam Græci γράσιν appellant, generale nomen eſt, ad omnem viridem ſegetum herbam, quæ pabuli cauſa ſeratur. Seritur ea, ex recrementis Farris prædenſa, admixtâ aliquando & vicia: eadem in Africa fit, ex Hordeo: Plinius. Atque inde Farrago quòd Far ſit ferro cæſum, aut quòd primùm in farracea ſegete ſeri cœptum, Varrone auctore dicitur.

Ex Hordeo Farraginem facere docet Columella: Farraginem ait, in reſtibili ſtercoratiſſimo loco, & altero ſulco ſerere conuenit. Ea fit optima cùm Chanterini Hordei decem modiis iugerum obſeritur, circa æquinoctium Autumnale, ſed impendentibus pluuiis, vt conſita rigatáque imbribus, celeriter prodeat, & confirmetur ante hyemis violentiam. Nam frigoribus cùm alta pabula defecerint, ea bubus cæteriſque pecudibus, optimè deſecta præbetur: & ſi depaſcere ſæpiùs voles, vſque in menſem Majum ſufficit. Quod ſi etiam ſemen ex ea voles percipere, à Calendis Martiis pecora depellenda, & ab omni noxa defendenda eſt, ut ſit idonea frugibus. Similis ſatio Alienæ, quæ Autumno ſata, partim cæditur in fœnum, vel pabulum, dum adhuc viret: partim ſemini cuſtoditur, Iam & ex Tritico Farraginem fieri Plinius quoque teſtatur. Et in Tritici, inquit, genere, pars aliqua pabuli eſt, quadrupedum cauſa ſati: vt Farrago. Abſyrtus etiam πυρίνην γράσιν, id eſt, Triticeam Farraginem, equulis maximè probat: ea ſi non adſit, κριθίνην, quam Eumelus iis refert, poſt trimatum dari ſolitam. Hoc modo & Secale Farraginis genus eſt, quando videlicet pecudum iumentorumque per hyemem pabulum efficitur. Recentiores Roggam Siliginem ferè interpretantur: qua in re quantùm hallucinentur ſatis apertum eſt. Nam Siligo candidius ac leuius Triticum eſt, ac tritici, vt inquit Plinius, delitiæ, ex qua lautiſſimus panis & piſtrinarum opera laudatiſſima fiunt, at Secale nigrum eſt, & ex eo panis ater, pauperum non lautiorum, menſis ac cibis dicatur.

In non diſſimilem errorem lapſi videntur, qui Rocke cum Olyra conuenire autumant. Olyra ſiquidem candida eſt, ac vtriculis multis continetur: Secale verò præter quod nigrum eſt, glumis nullis implicatur. Ruellij conjectura plus veriſimilitudinis haber, qui Secale à Briza non longè diſſidere credi ſcribit, atque inde putari nomen *Bizi panis* in Galliæ vulgus manaſſe. Panis ſiquidem ex Secali fit grauis, firmus, concoctu non facilis, qualem ex Briza fieri Galenus tradit, & hunc nigrum ex Secali panem, extrita litera r. *pain biz* Galli nuncupant, ſic vt ab inuicem non diſſidere exiſtimari poſſint, niſi Secalis granum nudum foret, Brizæ verò glumis implicitum, quod hæc inter ſe differre manifeſtè oſtendit.

Quod verò Brizæ ſemen glumis implicetur, ex his videtur colligendum: tum videlicet, quòd eam Typhæ perſimilem Galenus ſcribat, quæ multiplici folliculo conditur: tum etiam quòd membranoſam ſubſtantiam panis ex ea factus habeat, ex ipſorum nempe folliculorum admixtione, cóntra planè quàm Secalinus, qui Triticeo ſyncomiſto membranas ac furfures vel pauciores vel non plures habere comperitur.

Secale autem vt medicamentum, Tritico in calefaciendo ac digerendo potentius eſt. Panis ex hoc aut fermentum, promptius ac citiùs abſceſſus maturant & rumpunt, quàm ex Tritico facta. Farina confuſanea, diuturniores capitis dolores lenit, in lenteo capiti circumligata.

Porrò Secale proximum inter frumenta à Tritico Triticeiſque ſeminibus locum habet. Panis ex eo factus, lentoris atque obſtruentis naturæ nonnihil obtinet, difficulter concoquitur, ac ventriculo grauis eſt, præſertim ſi furfurum expers fuerit. Nam confuſaneus, qui ſimul omnia recipit ac ex tota farina concinnatus eſt, ſi probè coctus

bene-

beneq; fermentatus fuerit, minùs lentus eſt, non admodum ægrè conficitur, citóque deſcendit: nondum tamen Tritico ſyncomiſto par, quo grauior & concoctu difficilior etiamnum eſt. Alimentum autem corpori ſolidum, ac firmum præſtat, nec mali ſucci, ſi ex bono frumento coctus fuerit, ex malo autem frumento & corrupto paratus, prauos & corruptos ſuccos ingenerat, & diuturniores morbos procreat, veluti morbum, Germanis Scorbůck aut Scorbuyck, dictum. Admiſcetur huic non rarò Triticum, vt leuiorem gratiorémque panem efficiat, qui Secalino puro minùs grauis ac lentus eſt, & teneritudinem ſuam Triticeo diutiùs retinet.

na Lobelius in Adu. Secale diſtinguit in vernum, & autumnale. Tragus in hybernum & æſtiuum: aſſerit autem eſſe Olyram Theophraſti & Dioſcoridis, Siliginem Veterum ac Secalen, nec non Triticum ſecundum Columellæ. Fuchſius contrà, eos magno in errore verſari ſcribit, qui hoc Frumenti genus Siliginem eſſe exiſtimant.

Secale C. Bauhinus, duplex ait, ſationis tempore & magnitudine deſtinatum. Secale quidem Hybernum vel maius [ quod primum in phyt. ſecundum autem in pin. eſt: ] dicitur Siligo, Brunſ. Lon. Veterum & Secale Trag. Secale Matth. Dod. Gall. [ quibuſdam Farrago, non tamen eſt vera Farrago, quæ nil aliud eſt quàm Hordeum ] Fuchſ. Lob. Tab. Ger. Secale & Farrago Plinii, Dod. Tipha cerealis & Tipha Theophraſti, Portæ. Vernum vel minus [ quod 2. Phyt. [?]pin. ] eſt Siligo æſtiua, Trag. Secale alterum, Lugd. Rogga ſiue ſecale æſtiuum, Dod.

Germani Rocken, & Rockenkorn: Belgæ Rogghe vocant: Galli *Seigle* & *Segle*: Itali *Segala*: Hiſp. *Centeno* & *Sentena*.

c Naſcitur cùm in Germania ac apud alias Nationes plurimas, præſertim Septentrioni ſubiectas, tum in Belgio omnibus ferè agris tam ſterilibus quàm lætis, veluti in Brabantiæ campania, quæ hoc frumentum, licet arida ac ſterilis, feliciter progignit. Qualicunque enim ſolo prouenit, quantumuis rigenti, gracili, aut arido, fœcundiore tamen ac lætiore meliùs præſtantiúſque. Seritur Autumno, quod & lætius, item & Vere: Aeſtiuum, altero gracilius, paucioribus culmis, ſpica breuiore ac tenuiore, granóque leuiore. In Paſſauani Principis & Abb. Murbac. ditionib. obſeruaui ſpicam Secalis inuſitatæ magnitudinis, verſuum multorum, granorúmque ſupra ſortem vulgarem copioſorum, è glumis ſponte dehiſcentibus, vel citra trituram, excidentium.

## SECALE LATIFOLIA C. BAVHINI.

tio Culmis Secali primo ſiue latifolio [ vt in pin. vocat ] in prodromo deſcripto, exurgit candicantibus, rotundis, ſtriatis, quibus ſpica palmum longa, craſſa, ariſtis longiſſimis, & vt in vulgari tenuiſſimis denticulis exaſperatis armata, inſidet: folia habet cubitum longa, vnciam lata, & per marginem leuiter exaſperata, grana non vidimus, ſpicam & folia ex horto Nobiliſſ. Contareni, Senatoris Veneti, habemus.

## SECALE LVXVRIANS C. BAVHINI QVID?

Secale 4. ſiue luxurians [ vt in pin. ait ] eſt Claui-Siliginis Lon. Secalis mater, Thal. tit. de gramine. An Plin. lib. 18. cap. 17. de hoc intelligendus, dum ſcribit: Inter vitia ſegetum & luxuria eſt, cùm onerata fertilitate procumbunt: alii volunt Plinium intelligere id, quod Theophr. 8. hiſt. φυλλομανίαν, inſanam foliorum luxuriam, vocauit.

Cæterùm de Secalis matre hæc dixiſſe videtur Thalius. Reperitur in Harcinia Feſtucę tertiæ ſeu gramineæ nemoralis ſpecies media, radicibus genicularis, minoribus, denſa capillaceorum cirrorum congerie præcinctis, foliis pluribus, anguſtis, palmo longioribus, parum piloſis, culmis cubitalibus & longioribus, interdum bicubitalibus, craſſioribus, minoribus verò iam memoratæ ſpeciei, paulò tamen tenuioribus quàm feſtucæ nemoralis maioris, propè radicem bina ternáve genicula habentibus, reliqua autem ſerie [ qua vſque, in ſummum faſtigium prorſus deſtituitur geniculis ] iubatam ſpicam continentibus, oblongam, ſed primæ ſpeciei tenuiorem, rariorem, vtriculis tamen eiuſdem paulò maioribus conſtantem, nec ita ſplendentem, vt in illa. Spica vbi defloruerit, frumenti alicuius genus imitatur, vtpote Secalen, vel aliud ſimile. Frequens eſt in montibus aridioribus paſſim, ac ſecus vias. Videtur verò hoc genus vitium eſſe Secalis. Ac, ficuti ſæpiſſimè in Secale noſtra accidit, vt ariſtæ quædam, poſtquam flores deciderunt, ac ſemina iam augmenta ſuſcipere incipiunt, vitium aliquod in granis contrahant: fortè maior ſucci copia, quàm ad grani iuſtum alimentum opus eſt, attrahitur, vt ita neceſſe ſit, corticem adhuc tenerum rumpi, & ita internam ſubſtantiam in maiorem molem augeri, ac à feruore Solis & ambiente in circumferentia ſua affici. Tunc enim videmus quædam ſemina longiùs ex ſuis vtriculis ſeu glumis protendi, ac in mediocrem etiam craſſitiem excreſcere, nigrúmque colorem foris contrahere, intus candida farina denſioris materiæ conſtantia. In Thuringia vulgò vocatur vitii hoc genus mater Secalis, Rockenmutter. [ Vtuntur etiam eo ad ſiſtendum ſanguinem. ] Eodem, inquam, modo vitii id anno 75. in hac feſtuca Secalina obſeruaui. Reperi enim in montibus quibuſdam Stolbergæ huius plures ſpicas, non vnum eiuſmodi vitioſum granum oblongum, nigrum, continentes, ſed plura, eáque maxima ex parte in corniculi modum recurua. Verùm tempore floreſcentiæ ipſius anno illo copioſæ erant pluuiæ & poſtea ſuccedebat calor Solis feruidior. Porrò ſi quis ſingula velit ad amuſſim examinare, facillimè differentia maioris & minoris eſſet reperiri, ſolummodò diſcrimine in ſpica vel longiore vel breuiore conſtituto.

*Locus & tempus.*

*Deſcriptio.*

*Secalis mater.*

## NACHANI GARCIÆ.

### CAP. IX.

Nachani Garciæ ſementis nigræ & minutæ, ſapore ſecales, conficiendis panibus aptæ, etiam meminit is, teſte Cluſio, qui naufragium Nauis Sancti Benedicti nomine, quæ paulò ſupra Promontorium Bonæ ſpei ad ſcopulos alliſa eſt, deſcripſit, aitque Sinapi ſimilem eſſe, ſed nigriorem, cuius farina in panes orbiculares ſubacta, veſcuntur tota illa Aethiopiæ ora maritima, præſertim inter A. S. Chriſtophori, & eum qui à S. Lucia nomen accepit.

*Sinapi ſimilis.*

C. Bauh. pin. Secale 5. ſiue Secali affinis peregrina, Nuchani Garciæ, Secales peregrinum genus H. Lugd.

*Synonyma.*

## VSTILAGO.

### Cap. X.

Deſcriptio

SEgetum ſiue frugum, præſertim ſpicatarum, maximè Auenæ & Secales, Dodonæo Auenæ & Tritici vitium eſt. Vſtilago [ ἐρυσίνη, Rubigo vertit Gaza apud Theoph. 8.hiſt. cap.10.] vbi in ſpicam abit culmus apparere ſolita, ſi pluuia madens incerti Solis ſentiat feruidiores radios: culmo, foliόve neutiquam degenerante, ſed granis in fuſcū fuliginoſum puluiſculum commutatis, qui vel ſolus vel ſaliua, liquoréve ſubactus, eiuſmodi colore cutim inficit.



Synonyma

C.Bauh.pin. triplicem Vſtilaginem nominat. 1. Vſtilago ſecales. Vſtilago, Trag. Dod. [ cui Auenæ ac Tritici propriè morbus ] Lon. Lob.Lugd.[ cui præſertim Auenæ peſtis eſt. ] Vſtilago ſecalina, Tab. II. Vſtilago hordei, Vſtilago polyſtichi, & Vſtilago hordei dyſtichi, Lob.icon. Vſtilago hordeacea. Tab. III. Vſtilago Auenæ: & Lob.icō. Vſtilago Auenacea, Tab.



De Vſtilagine ſententia Theoph.

De Vſtilagine, quam Germani vulgò Brandt vocát: hæc Theophraſtus loco citato, prodit. Rubigines ſtumentacea magis, quàm Leguminoſa: & inter frumentacea hordeum magis, quàm Triticum ſentit, & inter hordea aliud plùs, aliud minùs; ſed præcipuè dixerim achilleis. Nec ſegetum ſitus, naturáque parum refert: tractus enim excelſi, perflatique, rubiginem nullam, aut minimam ſentiunt. Concaui & flatibus nullis expoſiti contrà frequentiſſimam habent:

Plenilunio gignitur.

gignitur hæc plenilunio. Libro autem cauſar. 3.cap.27. ſub æruginis[ vt Gaza interpretatur] nomenclatione de eadem ſic ſubit: Semina quoque ad fertilitatem idonea, & vitia quæ accidere ſolent, haud ignorare oportet. Locis enim cauis & à flatu ſilentibus ſegetes ærugine infeſtantur: aufugiunt hoc vitium quæ ſtant non erecto, ſed paruo cacumine. Quamobrem ſpicam inclinari vtile eſt, vt imbres decidant, nec rores excipi poſſint. Inclinantur magis quæ longæ ſint: manent erectiùs latæ ac breues: quo fit, ut iſtæ ęruginem ſentiant. Iuuat & multò à foliis ſpicam diſtare, humor enim in foliis magis concipitur. Itaque ſi propinqua ſit, tangitur ſtatim: ſi remota, non æquè inficitur. Quamobrem hordeum achilleis vocatum, ęruginoſum, tam nigrum quàm candidum eſt, ſpicam enim gerit erectam. Contrà genus, quod eteocrithium vocamus, quia incuruatur, ab ærugine innoxium eſt. Segetes vento expoſitæ minùs ęrugine infeſtantur, motus enim humorem diſcutit. Nam & cùm poſt imbrem flatus ſecutus, & non deinde ſucceſſerit, ęrugo minùs conſtitit. Flatus enim humorem deiicit, & Sol paululùm immoratus nullam putredinem conficit, ſed priùs quàm quicquam emarceſcat, humor totus aſſiccatur atque abſumitur: ęrugo autem quædam putredo eſt, nec putridum eſſe quicquam poteſt ſine alieno calore. Triticum pleniluniis potiſſimùm ęrugine capit: ratio in calore eſt, quo etiam noctu Luna putreſacere poteſt. Infirmiora, fragilioraque ſunt omnia [ vt ſimpliciter loquar] alba quàm nigra, tam in plantis, quàm in animalium genere. Igitur quod ſemina locis conuenienter eligi debeant, pleriſque rationibus conſtat. Morbi autem [ vt in ſumma dixerim] omnibus ob alimenti cęlique temperiem eueniunt: videlicet cùm plùs, minúſve alimenti prębetur, aut aër immodicè humidus, ſiccuſve eſt, vel etiam cùm non tempeſtiuè humeſcit.

Seg… to … min… feſt.

Cæleſte frugum vinearumque malum, nullo minùs noxium rubigine dixit Plinius lib.18.cap. 17. Frequentiſſimam autem hanc in roſcido tractu, conuallibuſque ac perflatum non habentibus: E diuerſo carere eâ ventoſa & excelſa. Capite 28. hæc ſubdit. Plęrique dixere rorem inuſtum Sole acri, frugibus rubiginis cauſam eſſe, & carbunculi vitibus. Quod ex parte falſum arbitror, omnemque vredinem frigore tantùm conſtare Sole innoxio. Id manifeſtum fiet attendentibus. Nam primùm omnium non hoc euenire, niſi noctibus & ante Solis ardorem, deprehenditur, totumque Lunari ratione conſtat: quoniam talis iniuria non fit niſi interlunio, plenáve Luna, hoc eſt præualente: vtroque enim habitu plena eſt, vt ſæpiùs diximùs. Sed interlunio omne lumen, quod à Sole accepit, cælo regerit. Differentia vtriuſque habitus magna, ſed manifeſta. Namque interlunio æſtate calidiſſima eſt, hyeme gelida. E diuerſo in plenilunio æſtate gelidas facit noctes, hyeme tepidas. Cauſa euidens, ſed alia redditur à Fabiano, Græciſque autoribus. Aeſtate enim interlunio neceſſe eſt cum Sole nobis proximo circulo currat, igne eius cominus recepto candens: eademque interlunio abſit hyeme, quando abſcedit & Sol. Item plenilunio ęſtiuo procul abeat aduerſa Soli: hyeme autem ad nos per æſtiuum circulum accedat. Ergo per ſe roſcida quoties alget, infinitum quantùm illo tempore cadentes pruinas congelat. Ante omnia autem duo genera eſſe cæleſtis iniuriæ meminiſſe debemus. Vnum quod tempeſtates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteráque ſimilia intelliguntur, quæ cùm acciderint [ vis maior in frugibus & terræ fructibus diuina Vlpiano dicitur. ff. de damno infecto. l. fluminum [ vitium autem. Eidem calamitoſa tempeſtas. ff. de loc. & cond. l. ex conducto, eod. titul. Caius exponit τὴν θεῖαν. Porrò calamitoſam grandinem à dæmonibus immitti ſcribit Theophr. cap.9. lib.5. cauſſ.] vis maior appellatur. Hæc ab horridis ſyderibus exeunt, ut ſæpiùs diximus, veluti Arcturo, Orione, Hoedis. Alia

Rubi… cauſa… ria

Cæleſt… iuria genera

ſunt

ſunt illa, quæ ſilente cœlo ſereníſque noctibus fiunt, nullo ſentiente, niſi cùm facta ſunt. Publica hæc & magnæ differentiæ à prioribus, aliis rubiginem, aliis vredinem, aliis [Caniculam legit Turnebus cap.23.lib.24. Aduerſar. eámque interpretatur ſyderationem & carbunculationem, quâ ſata afflantur, & ad ſterilitatem caſtrantur, cum canicula inſana meſſes coquat, æſtuosóque impetu ſuo omnia torreat.] carbunculum appellantibus, omnibus verò ſterilitatem. Et hæc Plinius, de quibus earúmque cauſis fuſiùs capite ſequenti, 29. ſc. ſcripſit, quæ hîc ſubdere nimis tædioſum fortè foret.

Cæterùm naſcitur Vſtilago Aprili & Maio menſibus, cùm cœli tempeſtas crebrò inconſtans, aliàs nimboſa, aliàs ſerena, feruens fuerit, tunc enim ſpicæ humore madidæ, à Solis feruore corrumpuntur, ac quodam modo, vti aiunt, aduruntur.

## HORDEVM VETERIBVS ET NEOTERICIS IN GENERE.

### Cap. XI.

Dioſcorides vnius duntaxat Hordei meminit: at Theophraſtus lib.8.hiſt.cap.4. plures eius differentias & genera recenſet. Hordeum, inquit, latiori folio quàm Triticum conditur, nec tunicis integitur, ſed nudum conſiſtit: hoc enim omnium maximè caret tegumento. Quin etiam culmus breuior Hordeo, quàm Tritico eſt, & ſpica minùs diſcreta à foliis emicat. Palca quoque inſuauior, quæ ex Hordeo, quàm quæ ex Tritico, vtpote quæ minùs ſucci retineat, & durior ſit. Ad hæc Hordeum à Tritico differt, quòd hordeum in verſus ſpicatur, triticum nullo verſu conditum eſt, ſed æquale vndique conſtat. Genus totum ad genus tales ingerit differentias. Rurſus eorum vtrumque in plura genera ipſis etiam fructibus, & ſpicis & reliquis formis atque etiam viribus affectionibúſque diſcreta, diuidi ſanè poteſt. Eſt enim in hordei genere aliud binis verſibus, aliud ternis, quaternis, cúmque plurimùm ſenis, eſt enim vel huiuſmodi quoddam genus. Quod verò pluribus conſtruitur verſibus, hoc ſemper ferè ſpiſſius, poſitúque arctius conſtat: Magnam & Indicum differentiam facit, quandoquidem ramis natum ſit brachiari, vt propoſui. Et ſpicę verò aliis grandiores, rarioréſque conſtant: aliis minores, frequentioréſque, & aliis diſtantiores à foliis, aliis proximiores, vt achilleis cognomine. Et hordeorum ipſorum aliud rotundius, minúſque: aliud oblongius, maiúſque, atque in ſpica rarius. Item aliud candidum, aliud accedens ad purpuram, quod & farinam reddere copioſiùs creditur: & contra hyemem, & flatus, & in totum contra cœli mutationes candido validius eſſe videtur. *Hactenus Theophraſtus*, Hordeum autem ad purpuram accedens, in India Occidentali, ſemine ex Hiſpania delato, fœcundius & vberius naſcitur, vt habetur in Hiſt.Ind.Occid.parte 9.cap.31.

Columella lib.2.cap.9. Hordei duo genera tradit. Eſt, inquit, Hordeum, quod ruſtici Hexaſtichum, quidam etiam Cantherinum appellant, quoniam & alia animalia, quæ ruri ſunt, meliùs quàm Triticum, & hominem ſalubriùs, quàm malum triticum paſcit. Nec aliud in egenis rebus magis inopiam defendit. Seritur ſoluta ſiccáque terra, & vel prævalida, vel exili, quia conſtat arua ſegetibus eius marceſcere, propter quod pinguiſſimo agro, cuius nimiis viribus noceri non poſſit, aut macro, cui nihil aliud committitur. Altero ſulco ſeminari debet poſt æquinoctium media ferè ſementi, ſi læto ſolo, ſi gracili maturiùs. Iugerum quinque modii occupabunt. Idque vbi paulùm maturuerit, feſtinantiùs quàm vllum aliud frumentum demetendum erit. Nam & fragili culmo, & nullâ veſtitum paleâ granum eius celeriter decidit, iiſdémque de cauſis faciliùs teritur, quàm cætera. Sed cùm eius meſſem ſuſtuleris, optimum eſt noualia pati anno ceſſare, ſi minùs ſtercore ſaturare, & omne virus, quod adhuc ineſt terræ, propulſare: alterum quoque genus ordei eſt, quod alii diſtichum, galathicum nonnulli vocant, ponderis & candoris eximii, adeò vt tritico miſtum egregia cibaria familiæ præbeat. Seritur quàm pinguiſſimis, ſed frigidis locis circa Martium menſem. Meliùs tamen reſpondet, ſi clementia hyemis permittit, cùm ſeminatur circa Idus Ianuarias. Iugerum ſex modios poſtulat.

*Granum decidit.*

*Hordi alterum Galathicum.*

Palladius Ordeum galathicum, quod graue & candidum ait, ſerendum præcipit locis frigidis circa Martias Calendas. Cantherinum verò Octobri, macrâ & ſiccâ terrâ, vel multùm pingui.

*Sationis tempus Palladio.*

Plinius lib.18.cap.7. Hordeum inter frugum genera recenſens, frumentum conſtituit hybernum, vt quod circa Vergiliarum occaſum (Nouembri) ſatum terrâ per Hyemem nutriatur. Multis radicatur fibris, ſine ramis: erumpit à primo ſatu die ſeptimo. Ex eo autem alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ & prior floret. Radicem craſſior pars grani fundit, tenuior florem, fructus ſpicis continetur, munitúrque vallo ariſtarum quadruplici: genicula Hordeo ſunt octona, nec ante dictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ, qui vt ſpem ſui fecit, quatuor aut quinque tardiſſimè diebus florere incipit, ſeptémque tardiſſimè defloreſcit. Hordeum vtrumque [diſtichon & polyſtichon: vel nudum quod γυμνόκριθον, & gluma ſua veſtitum, intelligit Dalech.] & quicquid in ſtipula eſt, in cacumine vnum folium habet, & quidem ſcabrum, vt reliqua: cùm defloruit, craſſeſcit, maturatúrque cùm plurimùm diebus quadraginta: In Aegypto ſexto à ſatu menſe metitur, in Hellade ſeptimo, in Peloponneſo octauo. Hordeum maximè nudum: ei calamus humilior, quàm Frumento, ariſta verò mordacior. In area exteritur. Leuiſſimum ex frugibus Hordeum: primum ex omnibus frumentis ſeritur. Indis ſatiuum & ſylueſtre, ex quo panis apud eos præcipuus. Spicæ quædam [Diſtichi Hordei.] binos ordines habent: quædam [polyſtichi. Cantherium Columella vocat, Dal.] plures vſque ad ſenos. Grano ipſi aliquot differentiæ, longius, leuiúſque, aut breuius, aut rotundius, candidius, nigrius, vel cui purpura eſt. Vltimo ad polentam, contra tempeſtates candido maxima infirmitas. Hordeum frugum omnium molliſſimum eſt: ſeri non vult, niſi in ſicca & ſoluta terra, ac niſi læta: ex omni frumento minimè calamitoſum, quia tollitur antequam Triticum occupet rubigo. Hordeum ſurculo [Hordeum ſacculo, legit Turnebus c.24.lib.1.Aduerſ. quod non cibariis, vt Triticum, ſed loculis ſeratur, & foris vendatur. Alii legunt, ſeculo, quia φιλόζωον, id eſt, alendis paſcendiſque animalibus gratum. Columella cap.9.lib.2. hordeum altero ſulco ſeminari tradit. Ex illo authore videtur hæc linea transcripta. Sarculo, interpretor, terra leuiſſimè mota, & tantùm ſuſpenſa, vt fit ſarriendo.] ſeri dicunt, propterea celerrimè redit, fertiliſſimúmque: quod in Hiſpaniæ Carthagine Aprili menſe collectum

*Frum. hybernum Plinio.*

*Hord. duplex.*

*Leuiſſimū ex frugibus.*

*Differentiæ.*

*Molliſſimum.*

*Minimè calamitoſū.*

*Fertiliſſimum.*

eſt, hoc ſeritur eodem menſe in Celtiberia: eodemque anno bis naſcitur. Rapitur omne à prima ſtatim maturitate feſtinantiùs quàm cætera. Fragili enim ſtipula & tenuiſſima paleagranum continetur. Hordeum feſtuca enecat (pergit c. 17.) quæ vocatur ægilops: Catonis ſententia eſt, ſeri in nouali & in aruo, quod reſtibile poſſit fieri, & loco temperato. cap. 24. Virgilius inter Æquinoctium Autumni & Brumam ſeri iubet. Serere in iugero temperati ſoli iuſtum eſt modios decem.

*A Feſtuca enecatur.*

Cardanus refert in Atholia Scotiæ regione Hordeum abſque ſemine produci: in Cappadocia verò ſine cortice.

*Hordeum abſque ſemine, & cortice.*

Ariſtoteles de mirab. author eſt circa Scytharum & Medorum dictam Thraciæ regionem, locum eſſe viginti ferè ſtadiorum ſpacio, qui Hordeum producat, quo homines veſcantur: equi verò & boues abſtineant: imò ſues etiam & canes excrementa hominum, qui mazam aut panem ex Hordeo illo comederint, auerſentur, tanquam mortis periculo.

*Hordeum ſalutare hominib. mortale ſuib. & canibus.*

Ruellius ex ruſticorum obſeruatione Hordei duo genera memorat, hexaſticum, quod quoſdam cantherinum appellare refert, quod folliculo caſtratum enaſcatur: Gallos, qui hoc ſerunt, mundum vocare ait Hordeum, quòd ſponte granum glumâ concidat, cùm in reliquo non niſi ægrè deglubatur. Alterum diſtichum ſtatuit, quod Galathicum nonnullos nominare ſcribit, ponderis & candoris eximij, adeò vt Tritico miſtum egregia cibaria familiæ præbeat. Alibi tamen Oryzam Hordeum galathicum ab aliquibus appellari tradit. Ad hoc genus reducendum putat trimeſtre quoddam Hordeum, quod gallicè *Secourgeon* dici narrat, quòd rebus ad egeſtatem adductis, cùm annonæ premit penuria, plebem alat & à famis noxa vindicet. Errare autem eos addit, qui ſecundum hoc genus Orizam eſſe interpretentur. Nominat & Eteocrithon genus Hordei quod tutum à rubigine ſit, quoniam incuruum naſcatur. Cæterùm, Hordeo plures ſenis ſpicarum verſus Theophraſtum ſecutus, falsò denegat. Cui porrò ſpica folio perquàm proxima eſt, amplitudinis & craſſitudinis maioris, & ob id propenſiùs obnoxium ærugini, hoc Achilleis à Theophraſto, & Achilleias ab Hippocrate cognominari contendit. Omnia autem eo capite confundit.

*Genera duo Ruell. Hexaſticum.* *Mundum.* *Diſtichum.* *Trimaſtre.* *Error aliquorum* *Eteocrithon.* *Ruell hallucinat.* *Achilleũ.*

Corn. Tragus, Fuchſius & H. Lugd. Hordei duo genera aſſignant, quæ in hunc modum diſcernunt. Maius, polyſticũ dicitur, Germ. groſʒgerſten/Gall. *Orge a pluſieurs rans*, quia in multos verſus ſpicatur. Sunt enim ex hoc genere, quę ſpicã tribus, interdum quatuor, nunc ſex, nunc octo verſibus diſtinctam proferunt. Alterum Diſtichum, vulgare ſc. & exiguum. Germ. klein Gerſten/Gall. nunc *Pomole*, nunc ſimpliciter *Orge*, nunc *Orge à deux rancs*, quòd ſc. in duos duntaxat verſus ſpicetur. Hoc vere, Illud ante Hiemem ſeritur.

*Genera duo multis. Maius.* *Minus.*

Dodon. Latinus in Hordei genere, quod pluribus verſibus ſpicatur, πολύστιχον appellat. Quod ſex verſuum ἑξάστιχον: Cantherinum hoc Columellæ ait, Aliud duorum verſuum, δίστιχον, Columellæ Galathicum, Germ. futer gerſten. Quod magnum & plenum, ſpicamque gerit erectam, Hippocratis, ærugini obnoxium: quod verò incuuratur, ἐπόκριθον, ab erugine minùs infeſtatũ. Meminit præter hæc, & hordei trimeſtris, *Securgeon* gallicè dicti: item & hordei Gallicę mundi, *grano nudo* quod γυμνόκριθον Galen. de alim. facult. eſſe ſuſpicatur.

*Dod. differentia forte ſeptem.*

Vniuerſæ Europæ, & multo vſi notiſſimum Hordeum, Lobelius in Adv. variare ſcribit magnitudine, colore, ſpica, gluma, verſu, ſatione, prouentu, & vſu. Nam, vt ait, culmis procerioribus è grano pleniore, maiore, coloreque rubello prouenit. Sed inſignior differentia eſt in glabritie, nuditatéve grani. Siquidem oritur hordeum, aut follicello pertinaci adhæſu granum ſepiente, aut leuiore gluma & exutu facili, cuiuſmodi eſt illud genus quod nudum vocatur vulgò. Notiſſimum noſtras quod à ſementis occaſione in Autumnale & Vernum diuiditur. quippe illud pinguiori veruacto, vel reſtibili mandant, eóque corpulentius maiuſque ſtipulâ & ſpicâ euadit. Vernum verò, vt minore perficitur ſpatio, ſic minus granum minuſque alens è graciliore tum ſtipula tum ſpica promit: proportione quadam cum Siligine trimeſtri. Alimentis & medicatis cibis plurima commendatio: deglubitum maxima vi vænum fertur hodie è Germania ſuperiore in Belgicam, Angliamque Septẽtrionales plagas, omninò glumis nudatum quod *mundatum* vocant, Reliquæ Galliæ officinæ ligneo piſtillo affuſa feruida pauca, mortarioque inditum, hordeum leniter tundendo tunicis paleacis exuunt, mundumque vocitant, ad ptiſanam, ſorbitiunculas, aliaſque pulticulas, ægris non parum accommodas factitandas. Eſt illud manſu ſuauius, albidum, pellucidum, & tranſparens, minúſque vtrumque quàm triticum viſcidum, minuſque vel calidum, vel pingue. Eoque pleureticis & Hepaticis multò vtilius. Nam potionibus diurnis diuturniſque temetis, cuiuſmodi Galliæ quædam pars inferior aut Germania, Ruſcia, Flandria, Anglia, Hybernia, Moſcouia, Nortuegia, & Suecia potat, cęteræque gentes ad Septentrionem, non exuitur: ſed triduum integris granis maceratur ad Mauth confectionem. Vt in *Byera, Zytho, Curmi* & cæteris temetis latiùs dicturi ſumus.

*Lob. ferei...*

In Aduerſariorum altera parte Hordeum diſtinguit in diſtichon & polyſtichon. Hoc iterum diuidit in Autumnale & Vernum. Nominat præterea Hordeum ſpica mutica, Borealibus Britannis *Barly* ſimpliciter vocatum, quod nunquam vidit.

*Al... bel... Aic...*

Cæſalp. de Hordei differentiis agens, nobis admodum obſcurus apparet. Hordeum, inquit, ſemen eſt in medio craſſum, & rotundum, vtriſque extremis in acutum definentibus, cortice potiùs quàm folliculo incluſum: adhæret enim ſemini, vt cum labore auellatur: ponuntur ſemina in ſpica nulla alia protegente membrana, ideò nuda videntur vt Speltæ: & ſimiliter in ariſtam definunt, longam, & aſperam, aliquando binis verſibus, vt vnicum vtrinque ſemen ordine procedat: longiſſima ſpica, quod genus *Ordeolam* vulgò appellant: in montibus & locis frigidis, ſatam breuiori grano, ac rotundiori, candido, quo pro Farre vtuntur. Ad hoc genus referri videtur de quo alibi ait, qui Zea vtuntur non habent Far per Zeam intelligit, quæ in Campania ſemen appellatur, ex qua fit alica. Alterum genus Hordei ſimilem ſpicam fert paulò breuiorem, granis tenuibus, vtrinque alternatim ad latera inclinantibus, vt in ſpelta, in montibus Lucenſibus *Scandellam* vocant, ex qua panes faciunt reliquo Hordeo meliores: ſed iumentis noxia eſt: nam aluum turbat. Galenus fortè hæc genera Hordei inter Olyras recenſuit. Dioſcorides Tragum inter fruges (nam & alia eſt Tragos inter herbas medicas Scorpios cognominata) Chondro ſimilem

*Cæ... Ho... fera... ſcut...* *Scan.* *Trag.*

lem figura tradit &c. Plinius Tragum externum eſſe ſemen ab Oriente inuectum Oryzæ ſimile. Hordei aliud genus eſt, craſſius, in ſpica breuiori, rotundiorique, quinis ordinibus, rarò quaternis, aliquando ſenis, quo maximè vtuntur ad iumentorum nutrimentum, & ruſtici ex eo panes faciũt: primum metitur inter fruges, magnum in penuria ſuo præcoci aduentu afferens adiumentum: huius quoddam genus eſt, cui cortex ſponte abſcedit, vnde *Hordeum mundum* vocant, quod facilioris coctionis eſt, & ſucculentius in Ptiſana conficienda. Plinius hordeum glabrum in Bœotia & Aphrica. Et Galenus hordeum nudum in Cappadocia corticis expers. Theophraſtus hordeum deſcribit latiore folio quàm Triticum.

In India quoddam genus Hordei ſylueſtris eſt, ex quo Chondrum bonum faciunt. Dioſcorides vnum tantùm genus ponit, quod candidum purúmque eſt.

C.Bauh.pin. Hordei quatuor ſpecies aſſignat, Polyſtichum ſc. hybernum & vernum, Diſtichon, & Cauſticum. Nos ſeptem eius differentias mox infrà deſcribemus.

Κριθὴ Græcis, Lat. *Hordeum*, Hebræis *Scheorah*, Arab. *Xahaer*, Germ. Gerſten, Belg. Geerſte/ Gall. *Orge*, Ital. *Orzo*, Hiſp. *Cenada*, Anglis Barly/ Bohemis Gechmen. Κριθὴ porrò ἀπὸ τοῦ διακεκρῖσθαι, quòd eo reperto & in vſum recepto glandibus ſpretis, à brutis homines diſtincti ſint. Artemidorus nobis author eſt Hordeum moleſtiam atque laborem ſignificare: quia difficulter molatur, pinſatúrve, neque facilè in ventriculo concoquatur, à natutáque ſubigatur.

De hordei, eiuſdem Ptiſanæ, farinæ, Polentæ, Zythi, atque, Curmi, viribus, & vſu ſequentia Dioſcoridem prodidiſſe reperimus. Hordeum optimum eſt candidum & purum, ſed minùs quàm triticum alit: ptiſana tamen ob cremorem quem inter coquendum reddit, plus alimenti præbet, quàm polenta ex eodem hordeo facta. Eſt autem illa efficax contra acrimonias atque arteriæ aſperitates & exulcerationes: ad quas itidem conuenit triticea ptiſana, quæ quidem & plus alit & potentiùs vrinas mouet. Lactis verò vbertatem præſtat, ſi cum fœniculi ſemine decocta ſorbeatur. Vrinam porrò ciet hordeum, abſterget, flatulentum eſt, ſtomacho aduerſatur, & oedemata concoquit ac maturat. At verò ipſius farina cum ficubus & aqua mulſa decocta, œdemata & inflammationes diſcutit: quin & duritias concoquit cum pice, reſina & fimo columbino. Cum meliloto verò & papaueris calycibus, iis dolorem eripit qui ex latere dolent: aduerſus inteſtinorum inflationes, cum lini ſemine, fœnogræco & ruta imponitur. Strumas cum pice liquida, cera, impubis pueri vrina, & oleo ad concoctionem perducit: & cum myrto, aut vino, aut pyris ſylueſtribus, aut rubo, aut malicorio alui profluuia ſiſtit: podagricis inflammationibus cum cydonio malo aut aceto prodeſt. Decorticata in acri aceto malagmatis in modum, quod ex eadem hydrelæo ſubacta conficitur, & calens appoſita, lepris medetur. Farinę verò cremor ex aqua cum pice & oleo decoctus, puri mouendo accommodatus eſt. Ille idem ex aceto elicitur, ſi cum pice coquatur, contra fluxiones articulorum prodeſt. Cęterùm hordeacea polenta cohibet aluum, inflammationeſque mitigat. Ex hordeo Zythum paratur, quod quidem vrinas cit, renes ac neruos tentat, ſed meningas potiſſimùm offendit: inflationem parit, vitioſúmque ſuccum creat, & elephantiaſin inducit. Ipſo verò maceratum ebur obſequioſum, & operi tractabile redditur. Fit & ex hordeo potus, quem Curmi nominant, eóque ſæpenumerò pro vino vtuntur, verùm dolorem capitis infert, prauúmque ſuccum gignit, ac neruos lædit. Parantur & ſimilia potus genera ex Tritico quemadmodum in Iberia Occidentali & Britannia.

*Curmi.*

Cæterùm in Dioſcoridis exemplaribus capite de hordeo ad finem de polenta pro ἄλφιτον falsò legitur ἄλευρον. Et hoc vel ex Plinio patet, qui paſſim de hordeo, eiúſque farinæ, & palearum vſu ac medicina ſic diſſerit. Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menandro autore apparet & gladiatorum [ Athletarum, Hiſtrionum, Comœdorum, nomine continentur gladiatores, arenarii, mirmillones, ſecutores, retiarii, pugiles, pancratiaſtæ, xyſtici, pantomimi, palæſtritæ. Nuſquam porrò legitur Athenis, vbi Menander vixit, atque adeò nec in Peloponneſo tota, nec in Hallade gladiatorum ſpectacula edita fuiſſe: quamobrem legendum hîc quidem diuinant, & piſtorum. Chiffletius tamen legendum putat, Caligatorum, id eſt, gregariorum militum, quòd illis, ſi quid peccaſſent, ignominiæ cauſa, pro Tritico daretur Hordeum. Feſto hordearium æs, quod equiti Romano dabatur pro hordeo emendo, quo equum aleret. Fuerunt & gladiatores equites Galeno 3. ſecundùm genera, Lipſio in Saturnalib. Andabatæ, quibus ex publico dabatur hordeum, quo nutrirent equum, vnde fortaſſis dicti ſunt Hordearii, quamuis Plinius de hominum cibatu videatur magis loqui, quàm iumentorum. Sed quid ſi legas, & Equitum cognomine, qui Hordearii vocabantur. Fuerunt enim Romę equites gladiatoribus antiquiores. Dal.] cognomine, qui Hordearij, [ nunc Studioſos, idiotæ ſic appellare ſolent, C.Bauh.] vocabantur. Polentam quoque Græci non aliunde præferunt. Plurihus fit [curioſam hordei præparandi rationem ex Pherecrate recitat, Euſtathius his verbis, τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν, tundere, pinſere: φρύγειν, torrere: ἀποθράττειν, incerniculo cribrare, aut corbe: ἀνεῖν, aqua rurſum aſpergere: ἀλέσαι, molere: μάξαι, manu ſubigere: παραθεῖναι edendáapponere] hæc modis: Gręci perfuſum aqua hordeum ſiccant nocte vna, ac poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementiùs toſtum rurſus exigua aqua aſpergant, ſiccéntque priùs, quàm molant. Alii verò virentibus ſpicis [ nam ita melior polenta fit ] decuſſum hordeum recens purgant [ à puluere, lapillis, & id genus reliquis ſordibus.] madidúmque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac ſiccatum Sole rurſus tundunt, & purgatum molunt. Quocunque autem genere præparato, vicenis hordei libris, ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras, ſaliſque acetabulo, torrentes ante omnia miſcent in mola. Qui diutiùs volunt ſeruare, cum polline ac furfuribus ſuis condunt nouis fictilibus Italia ſine perfuſione toſtum in ſubtilem ſormam molit, iiſdem additis, atque etiam milio. Panem ex hordeo Antiquis vſitatum vita damnauit, quadrupedúmque tradidit refectibus. Ptiſanæ [ πτισσάνην Athen. lib. 10. dictam vult ἀπὸ τοῦ πτίσσειν καὶ ἀνεῖν, à tundendo & madefaciendo. De Ptiſana idem author hunc griphum recitat: κριθῆς ἀπλοίν ἐργάσας χυλὸν πίε, Hordei decorticati & tuſi cremorem bibe. ] inde vſus validiſſimus ſalùberrimúſq; tantoperè probatur. Vnum laudihus eius volumen dicauit Hippocrates, è clariſſimis Medicinæ ſcientiâ. Ptiſanæ bonitas præcipua Vticenſi. In Aegypto verò ea eſt, quæ fit ex hordeo cui ſunt bini anguli [ ex hordeo diſticho, cui ſunt bini ordines, vt mox loquetur, & verſus. ] In Bæti-

*Plin. antiquiſſ. in cibis.*

*Plinij lectio ſuſpecta.*

*Hordearij. Gerſtenz freſſer.*

*Polenta pluribus fit modis.*

*Panis.*

*Ptiſſanæ delectus.*

ca & Africa genus, ex quo fiat, hordei, glabrum [γυμνόκριθον Græci. Dal.] appellat Turannius. Apud nos hordei farina & ad medendum vtuntur. Mirúmque, in vſu iumentorum ignibus durato, ac poſtea molito, offiſque humana manu demiſſis in aluum, maiores vires, toróſque corporis fieri. Palea ex optimis: ſtramentum verò nullum comparatur. Meliorem etiam Polentam fieri tradunt, ſi non excoctâ maturitate tollatur. De ipſa ratione piſendi, Magonis proponetur ſententia. Hordeum antè perfundi aqua multa iubet, poſtea eualli, deinde Sole ſiccatum pilo repeti. Huius ſextarios viginti ſpargi duobus ſextariis aquæ. Paleam calidam imponi ramicum incommodis experti iubent, quáque decocta eſt aquâ foueri.

*Palea.*

*Piſendi ratio.*

Hordeaceus panis Eruilia aut Cicercula olim fermentabatur. Farina ex Hordeo & cruda & decocta collectiones impetuſque [humorum fluentium impreſſiones & incurſus] diſcutit, lenit & concoquit. Decoquitur aliàs in mulſa aqua, aut fico ſicca. Ad iecinoris dolores eam cum poſca concoqui opus eſt, aut cum vino. Cùm verò inter coquendum diſcutiendumque cura eſt, tunc in aceto melius aut in fæce aceti, aut in cotoneis pyriſue decoctis. Ad multipedatum [Scolopendrarum] morſus cum melle, ad ſerpentium in aceto, & contra ſuppurantia, ad extrahendas ſuppurationes [Galenus lib. 2. ad Glauc. cataplaſmate ex hordeacea farina parato diſcuti poſſe tumores ſuppuratos pollicetur, ſi exiguum pus eſt, ſi cuti vicinum, ſi tenue] ex poſca addita reſina & galla. Ad concoctiones verò & hulcera vetera, cum reſina. Ad duritias cum fimo columbarum, aut fico ſicca, aut cinere. Ad neruorum inflammationes aut inteſtinorum, vel laterum, vel virilium dolores, cum papauere aut meliloto, & quoties ab oſſibus caro recedit. Ad ſtrumas cum pice & impubis pueri vrina. Cum oleo & fœnogræco contra tumores præcordiorum, vel in febribus cum melle vel adipe vetuſto. Suppuratis triticea farina multò lenior [ad concoquendum humore, & dolorem mitigandum aptior.] Neruis cum hyoſcyami ſucco illinitur: ex aceto & melle lentigini.

*Farinæ uſus & vires.*

De Polentæ generibus in ſtugum loco ſatis diximus, locorum ratione [quoniam eo loco de Hordeo tractaretur, & eodem loco etiam conueniebat de iis quæ fiunt ex hordeo ſermonem haberi.] A farina hordei diſtat eò quòd torretur, ob id ſtomacho vtilis. Aluum ſiſtit, impetuſque rubicundi tumoris. Et oculis illinitur, & capitis dolori cum menta [melle aut aliqua refrig. ex Columell.] aut alia refrigerante herba. Item pernionibus & ſerpentium plagis: item ambuſtis ex vino. Inhibet quoque puſtulas. Farina in pollinem ſubacta, vim extrahendi humoris habet: ideò & cruore ſuffuſis in faſcias vſque ſanguinem perducit, efficaciùs in ſapa. Imponitur & pedum callo clauiſque. Nam cum oleo vetere ac pice decocto polline, condylomata, & alia omnia ſedis vitia quàm maximè calido mirabilem in modum curantur. Pulte corpus augetur. Farina, qua chartæ glutinantur, ſanguinem excreantibus datur tepida ſorbenda efficaciter. Hordeum optimum quod candidiſſimum. Succus decocti in aqua cæleſti digeritur in panibus quæ recedunt ab oſſibus, & eruptionibus pituitæ, muris araneis morſibus. Idem aſperſo ſale ac melle, candorem dentibus, & ſuauitatem oris facit. Eos qui pane hordeaceo vtuntur, morbo pedum tentari negant. Nouemque granis ſi furunculum quis circumducat, ſingulariter, manu ſiniſtra, & omnia in ignem abiiciat, confeſtim ſanari aiunt.

*Polenta à farina hordei diſtat.*

Hippocrates, multò plura de ptiſſana in libro de ratione victus in morbis acutis, qui liber de ptiſſana inſcribitur, quàm ipſe Plinius, à quo citatur, prodidit, his verbis. Rectè omnibus frumentaceis eduleis præfertur in morbis acutis. Laudo ſanè eos qui ipſam prætulerunt. Nam lentor ipſius lenis eſt, & continuus, & iucundus, & lubricus: ea verò moderatè humida ſitim adimit, & facilè eluitur, ſi fortè & hoc opus ſit: & neque adſtrictionem habet, neque malam turbationem, neque in ventre intumeſcit. Intumuit enim in coctura, quàm maximè tumeſcere ſolet. Quicunque igitur ptiſſana in his morbis vtuntur, nulla die vaſa vacua fieri permittant, vt ita dicam, ſed vtantur & intermittant, ſi non ob id medicamenti, aut infuſi per Clyſterem vſum, intermittere oporteat. Et qui his quidem in die cibum capere ſoliti ſunt, eis bis danda eſt. Verùm ſenſim progreſſu facto, ſi fieri poterit etiam his bis detur, ſi ſanè opus habere viſum fuerit. Ptiſſanam porrò ex optimo Hordeo factam eſſe oportet, & quàm optimè coctam, & præſertim, ſi non ſolo ſucco vti velis. Nam vnà cum reliqua ptiſſanæ virtute, lubricus lentor facit vt Hordeum decorticatum non lædat. Nuſquam enim adhæret, neque ſecundum thoracis rectitudinem moram habet. Lubrica verò maximè eſt, promptiſſimè ſitim eximit, facillimè concoquitur: & debiliſſima eſt optimè cocta, quibus omnibus opus eſt: *Hæc Hip.*

*De p... Hipp.*

*Sitim ... mit.*

*Quo... quo... pin*

Quoquo modo Hordeum paraueris inquit lib. 1. Alim. Galenus, nunquam corpus calefacit, ſed variè pro modo præparationis humectat ac ſiccat, quandoquidem Polenta ex frixo Hordeo facta, ſiccare perſpicuè cernitur, ptiſſana verò humectat præcipuè quum vt decet, parata fuerit, hoc eſt, cùm in coctione quamplurimùm intumuerit: poſtea igne lento per multum otium in chylum, ſiue cremorem fuerit redacta. Acetum ei tum admiſcetur, cùm planè intumuerit. Cùm verò cocta exactè fuerit, ſub edendi tempus ſalem tenuem iniicere oportet. Oleum autem ſi initiò ſtatim inieceris, coctioni nihil nocueris. Aliud tamen nihil eſt miſcendum, niſi velis anethi, aut porri quippiam, idque initiò ſtatim immiſcere. Video autem ptiſſanam à coccis omnibus peſſimè præparari: In mortario namque crudam ipſam tundentes, non ad ignem coquentes diſſoluunt. Sunt qui Amylum etiam iniiciunt, vt per coctionem in cremorem copioſum videatur eſſe redacta. Talis certè ptiſſana meritò maximè eſt eſt flatuoſa, & concoctu admodum difficilis. Quæ verò in ptiſſana rectè præparanda prætermiſi, ea nunc adiicere oportet. Crudam ptiſſanam aliquandiu in aqua præmaceratam, deinde in mortarium iniectam, manibus terere conuenit, aſperum quidpiam manu tenentibus. Vſque eò autem terenda, dum qui in ſuperficie eſt cortex, ſit abiectus: is enim quo veſtitur, ceu tenui tunica, non totus inter pinſendum abiicitur. Quapropter & præmaceratur, & in mortario tunditur. Quod ſi non quicquid eſt acetis deciderit, elixa ptiſſana magis quidem deterget, nullam autem aliam noxam accipit. Peſſima eſt ptiſſanæ præparatio, cùm vbi cocci crudam ipſam in mortario cum aqua contuderint, deinde parum coxerint, ſapam iniiciunt. Quidam cum his mel quoque & cuminum iniiciunt, cinnum quemdam veriùs quàm ptiſſanam parantes. Verùm quæ rectè præparata eſt, vtilitates quas memorat Hippocrates tum ægrotis præſtabit. *Hæc Galenus de ptiſſanæ facultate tradidit.*

*Ga... per...*

*mo...*

*Præpa ratio*

Ptiſſana

Ptiſſana autem à verbo Græco πτίσσειν nomen accepit, quod tundere & decorticare ſignificat. Hoc primum quidem generale nomen eſt frugum omnium decorticatarum, tuſarúmque, & cum diuerſarum frugum generibus copulatum, alia atque alia ptiſſanæ genera ſignificat. At ſimpliciter, & ſine adiectione poſita, hordeum excorticatum, ob eius præſtantiam tantùm ſignificat. Hæc autem, vt ex variis Galeni locis, quorum nonnullos ponemus, colligi poteſt, hoc modo fiebat: hordeum in aqua maceratum dum extumeſcat, in Sole ſiccatur: mox in pila ligneo piſtillo tantiſper tunditur, dum corticem exuat. Hoc in aqua lento igne coquitur, donec ſucculentum reddatur. Galenus, quod ſciam, aquæ & hordei menſuram non exprimit. Oribaſius vni parti hordei decem partes aquæ miſcet. Paulus vni parti Ptiſſanæ quindecim partes aquæ.

Eius parandæ modum tradit Didymus in Geopon. Caſſiani: hordeum maceratum tunditur, & in Sole ſiccatur, ſicque reponitur: inſpergitur deinde quod ex ipſa eſt tenuius, quoniam eam conſeruat. Ea humidior ſumpta maximè nutrit. Vni parti hordei decem partes aquæ iniiciuntur, & ſal ſtatus ipſi inſpergitur. Fit etiam ex Tritico Ptiſſana eodem modo.

Hodie Medici Hippocratis, Galeníque Ptiſſana non vtuntur, ſed eius vice hordeum integrum ſuſpenſa mola decorticatum, quod *Hordeum mundum* vocant, tantiſper in aqua decoquunt, dum pultis ſpeciem referat: deinde tundunt, & tenui incerniculo percolant, ſaccharum addentes, & modò cum ſaccharo Amygdalarum dulcium cremorem, aut ſeminis Melopeponum, aut ſeminis Papaueris, modò aquam ex roſis ſtillatitiam pro variis ſcopis & varia morborum ratione. Noſtro tempore, inquit Dodonæus, raro aut nunquam horum [quorum Galenus meminit, aceti ſc. ſalis, olei, Anethi, aut Porri.] aliquod additur, ſed ſaccharum ferè, & aqua è Roſis albis ſtillatitia ei admiſcentur, & ſubinde Amygdala aliquot amara, vt palato gratior fiat: aut ſeminum Melonum vel Cucumeris nonnihil, præſertim quando impenſiùs refrigerandum, aut ſomnus eà conciliandus eſt. Admiſcetur ei & nonnunquam Amygdalorum dulcium χυλὸς, ſiue ſuccus (Officinæ lac Amygdalinum vocant) præſertim cùm aluum liquidiorem cohibere vtile eſt.

Fit & hodie à Pharmacopœis potio, quam Ptiſſanam καταχρηστικῶς vocant, Galli *Tiſane*, cùm nec Ptiſſana ſit, nec Ptiſſanæ cremor, ſed eius tantùm tenuius decoctum, ipſius ſubſtantiæ parum, aut nihil retinens. Fit enim ex hordeo mundato, Glycyrrhiza, & vuis paſſis. Qua ratione parata potio vtilis eſt iis qui inflammatione pulmonis, partiúmque reſpirationi ſeruientium, vel renum, veſicæque exulceratione laborant.

Porrò, eodem Galeno authore, hordeum non eandem cum Tritico facultatem habet. Siquidem hoc palàm calefacit, illud verò non modò non calefacit, ſed quoquo modo ipſo vtare, ſiue panes ex eo feceris, ſiue ptiſſanam coxeris, ſiue polentam, vim quandam refrigerandi habere videtur. Diſſidet præterea à Tritici natura ſucci ſpecie, quem vtrumque ipſorum gignere conſueuit. Siquidem Triticum craſſum ac lentum, hordeum tenuem, & nonnihil detergentem ſuccum in nobis creat. Panes omnes hordeacei Triticeis minùs alunt, qui tamen ex præſtantiſſimo hordeo conficiuntur, minùs à Triticeis in eo ſuperantur, qui verò ex laxo ac leui, panibus furfuraceis reſpondent. Panes quidem ex hordeo ſic laxo citiſſimè per aluum ſubeunt, quod reliquis etiam manifeſtum eſt, ſi cum Triticeis eos contuleris. Sunt autem non modò Triticeis, verùm etiam Olyrinis, & multò adhuc magis Typhinis friabiliores, nihil in ſe lentoris, vt illi, habentes. Ex quo perſpicuum eſt, exiguum corpori præbere alimentum, & potiſſimùm ſi facti ex peiore hordeo fuerint. Idem rurſum: hordeum primi eſt ordinis in refrigerando & exſiccando: habet etiam paululùm abſterſionis.

Polentam verò (quam Græcè ἄλφιτον propriè vocat, quanquam ἄλφιτον etiam de omni alia præſertim rudiore farina impropriè dicatur) ex recenti hordeo mediocriter frixo laudatiſſimam fieri ſcripſit, cuius ſi copia non ſit, & ex alio ipſam confici. Cùm autem polenta omnis rectè facta boni ſit odoris, eam eſſe ſuaue olentiſſimam, quę ex optimo ac recenti hordeo, & quod ariſtam non admodum ſiccam habeat, eſt confecta. Compluribus autem per ſanitatem morem eſſe eam ſapa & vino dulci mulſóque commiſtis, nonnunquam etiam ſola aqua conſperſam, æſtate duabus, tribúſue ante balneum horis bibere, dicereque ſentire ſe hoc potu ſiti liberari: ſi autem cum vino auſtero fuerit pota, ventrem deſiccare. Polenta Gentes quaſdam pro pane vti, idque ruſticos in Cypro facere, tametſi frumenti plurimùm metant. Veteres militibus Polentam præbuiſſe. Romanos tamen milites ipſius imbecillitatem damnantes, eà non ampliùs nunc vti. Exiguum enim corpori alimentum dari, priuatis quidem, & omni exercitatione abſtinentibus, ſatis multum: iis autem qui quoquo modo exercentur, minùs quàm ſatis eſt.

*Polenta quæ laudatiſſima.*

*Polentæ pro pane vſus.*

Cæterùm, cùm Polenta hordei frixi farina ſit, vt ex Plinio & Galeno diximus, Aëtius non diſſimilem huic rem deſcripſit, ſed βύνην appellati ait, quod nomen à nullo alio vſurpatum fuiſſe meminit. Ex eorum, inquit, quæ tumores cohibent numero, eſt & id quod Byne appellatur. Eſt autem hordeum madefactum quod germinet, vna cum enatis ligulis toſtum, ſi tritum pro cataplaſmate imponatur. Hoc nomine Aëtius indicat hordeum ad Ceruiſiam conficiendam præparatum, quod *Maltum* vulgò appellant, Germani Maltz.

*Byne.*

*Maltum.*

Ceruiſia autem, ad cuius decoctionem illud conficitur, Germanis Byre, Gallis *Biere* dicta, parum à *Byne* diſtat. Laudatiſſimum fit Maltum menſe Martio & Aprili. Qualitate ſicca præditum eſt, maiore quàm in hordeo, frigida multò remiſſiore. Nam empyreuma quod illi ab aſſatione diutinâque coctione accedit, ſiccitatem eius auget, frigiditatem verò non ſolùm minuit, ſed & caliditatem quandam ei imprimit.

*Ceruiſia.*

Quare Galenus cùm ſcribit hordeum, quoquo modo quis eo vtatur, ſiue Ptiſſanam coxerit, ſiue polentam fecerit, vim quandam refrigerantem retinere, id de Malto intelligere non potuit, quod partim ipſa germinatione, partim longiore toſtione magis à natura ſua receſſit quàm polenta, quæ vel ex crudo nondúmque maturo hordeo, vel in aqua macerato tantùm conficitur. Abſterget præterea multùm hordeo vehementiùs, tum quia farinæ minùs, glumarum plùs habeat, tum ob empyreuma, quod abſterſionem coniunctam habet. Ventris torminibus, aliíſque ſimilibus ex frigida cauſa doloribus Maltum ſubuenit, toſtum ſeruénſque in ſacculo appoſitum. Polenta multò plùs hordeo deſiccat, inquit Galenus, aluum etiam cohibet authore Dioſcoride, & inflammationes mitigat. Tamen in vulgatis Dioſco-

*Ptiſſanà Galeni non poteſt intelligi de Malto.*

*Malti facultas.*

ridis exemplaribus legimus, τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἄλευρον, &c. id eſt, farina ex his aluum ſiſtit, inflammationes mitigat, vt de farina hordei de qua multa priùs dixerat, hęc etiam intelligantur. Sed exemplaria falsò ἄλευρον pro ἄχυρον habere contendit Cornarius, vt ex Plinio intelligere licet.

ἄλευρον falsò pro ἄλφιτον

Galenus quoque ſcribit polentam multò magis quàm hordeum ſiccare. Sed quoniam ad τοῦ ἀλφίτου, id eſt, polentę diſcrimen, ὠμὴ λύσις, & compoſita voce ὠμήλυσις dicta eſſe videtur, quid ea ſit etiam hîc explicandum. Polenta igitur hordei toſti farina eſt: ὠμὴ λύσις Galeno, & reliquis medicis Græcis, cruda hordeacea farina eſt: ideóque Plinius, Polentam à farina hordei diſtare, quia torretur, ὠμήλυσις cruda hordeacea farina eſt nulla alia re admixta. Id ex eo perſpicuum fit, quod vbique in eius vſu res & liquores exprimuntur, quibus ea farina excipi, & cum quibus ſubigi, parari, & coqui debeat. Quare falſum eſt ὠμήλυσιν ſemper ſignificare crudam hordeaceam farinam aqua & oleo ſubactam, quod in εἰσαγωγῆς libello Galeno falsò attributo legitur. Neque ſolùm cruda hordeacea farina per ὠμήλυσιν ſignificatur, ſed etiam Triticea. Quapropter nonnunquam ei vocem adiciunt, quæ certam farinæ ſpeciem indicat. Galenus καταπλάσματι δὲ χρῶ κριθίνῃ ὠμῇ λύσει. In cataplaſmate verò vtere hordeacea cruda farina. Quin & ſola hæc vox ὠμήλυσις Hordeaceam crudam farinam ſignificat, vt paulò poſt, ἢ τῇ ὠμῇ λύσει δι' ὀξυμέλιτος γενομένῃ. Aut cruda Hordeacea farina cum Oxymelite apparata. Idem alibi ἢ τῇ ὠμῇ λύσει κριθῆς, ἢ πυρίνῃ ἐν γλυκεῖ ἑψομένῃ. Aut cruda Hordeacea farina, aut Triticea, in paſſo cocta. Neque ſolùm ὠμήλυσις de cruda Hordeacea farina, aut Triticea vſurpatur, ſed vniuersè de omni cruda farina. Galenus καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιτήδειον, τὴν διὰ κριθίνων ἀλεύρων, ἢ διὰ λινοσπέρμου, ἢ τήλεως, ἢ καὶ μίγμα ἐκ τούτων. Quin & omelyſis ex cruda Hordeacea farina imponenda, aut ex farina ſeminis lini aut fœnigræci. *Et hæc de Hordeo, eius farina, ptiſana & polenta ex Veteribus dicta ſunto.*

Omelyſis quid?

Maza.

*Maza* demùm ex polenta humido aliquo permixta & ſubacta conficitur. Et aliqua quidem, cum ſola aqua ſubigitur; aliæ verò, aut cum vino aut cum oleo, aut cum melle aut cum aliquot horum permixtis. Cum aqua autem eam ſubigi, præter quod ex libro Hippocratis de diæta ſecundo ſatis euidens ſit, teſtis quoque eſt Xenophon ſexto παιδείας Cyri, vbi hic concione conuocata, milites ſuos ad aquæ potionē adhortatur, & à conſuetis non admodum receſſuros oſtendit, καὶ γὰρ ὅστις, φησὶ, ἀλφιτοσιτεῖ, &c. id eſt, Etenim qui polenta victitat, Mazan aqua permixtam edit, & qui pane vtitur, panem aqua ſubactum. Subigi verò Mazam, & cum vino, ex Hippocratis libro de intern. affect. apparet, vbi in hepatico morbo, cui ſuffocatio accedit, & ſimiliter in coxendicum dolore, eam quæ vino dulci ſubacta eſt non edendam conſulit. Idem mazam oleo & melle quàm maximè ſubactam, in typho quodam eodem libro exhibendam præcipit. Heſychius verò μάζαν interpretatur, polentam aqua & oleo permixtam.

Et à principio, Athenæus ait, popularem cibum ex Alphitis, Mazam Veteres vocarunt, ipſamque præparare μάττειν dicebant, poſteà verò neceſſarium victum, ob intemperantiam varietate diſtinguentes, ſtudióſeque paulatim immutantes, nomen ipſum *Mazæ* in ματτύαν commutarunt, ita appellantes omnem cibum magnificum; ματτυάζειν verò ipſos cibos præparare dixerunt. Atque inde fortaſſe, quæ ex Amygdalis & Saccharo placentæ conficiuntur, in officinis *Maſſepanes*, hac ætate adhuc nominantur.

Maſſepanes.

Porrò Maza, vt Galenus ait, panibus Hordeaceis ægriùs concoquitur, magiſque ventriculum flatu implet, in quo etiam ſi diutiùs manſerit, turbationem excitat. Citiùs autem ſubducitur, ſi commixta diutiùs fuerit ac ſubacta. Quòd ſi mel quoque addatur, citiùs etiam ob id ventrem ad excretionem incitabit.

Pane hordeaceo ægriùs coquitur.

*Zythum* porrò non ſimpliciter ex Hordeo præparatur, velut Dioſc. ait, ſed ex Hordeo torrefacto, ac eo modo præparato, quo *Brnen* præparari Aëtius docuit. Quapropter qui ζύθιον ἀλφίτων πόσιν exponunt, dum ex polenta potum Zythium eſſe dicunt, propinquiùs rem deſignant, quàm qui ſcribunt, ζῦθος οἶνός ὁ ἀπὸ κριθῆς γενόμενος, quum neque vinum ſit, ſed potiùs quo vini loco quædam Gentes vtuntur: neque ex Hordeo ſimpliciter, ſed torrefacto præparetur. Id demum craſſiorem in modum molitur, & certa menſura in aqua coquitur, donec omnis ex illo vis in aquam exoluatur, in qua rurſus ad certum tempus & modum, flores Lupuli, quem Plin. lupum ſalictarium dixiſſe videtur, incoquuntur, atque ita Cereuiſia in amplum vas per colum transfuſa frigefieri, & per ſe feruere ſinitur, donec fæcibus ad fundum demiſſis clara euadat: quo facto vaſis picatis excipitur, alicubi etiam reſinatis: & poſtquam rurſus per ſe deferbuit, bibitur. Quibuſdam locis etiam triticum eodem modo paratum, ad hordeum certâ menſurâ addunt, & eodem modo coquunt. Et talis Cereuiſia ex tritici caliditate minùs frigida putanda eſt, quàm quæ ex hordeo ſolo conſtat: quod nunquam ſecundum vllum præparationis modum calefacere, Galen. 1. aliment. dicit, ſed in Polenta ſiccare, in ptiſana verò humectare. Proinde in libello de conuiuiis veterum Græcorum, & hoc tempore Germanorum, omnia Cereuiſiarum genera in communi frigefacere dixi, inquit Cornarius, alia plùs, alia minùs, pro Hordei, ex cuius cum aqua parantur natura. Et addidi, hac de cauſa excogitatum eſſe, vt Triticum ad Hordeum in Cereuiſiis parandis addatur, quò moderata Tritici caliditas, Hordei frigiditatem contemperet. Et ad eundem modū ſcripſi lib. 1. de peſte. Cereuiſia etiamſi omnis natura frigida ſit plùs aut minùs, pro Tritici in aliquibus locis ad hordeum, ex quo cum aqua coquitur, admixtione: tamen & frigiditas, & flatuoſitas, & malitia ipſarum emendatur lupuli capitulorum ac florum in cocturam additione. Vnde contingit vt quantò minùs de lupulo habeant, tantò ſint Cereuiſiæ deteriores. Et hæc non tantùm rationem & experientiam, ſed etiam Galenum ſequutus ſcripſi. Hic enim lib. 6. ſimpl. pharmac. maximam in Zytho partem frigidam, & aquoſam & acidam eſſe dicit, vt qui malos humores, & flatus gignat, velut ex putredine factus; quàquam Hordeo ipſo Zythum acriorem eſſe aſſimet, & in acrimonia aliquid calefaciens habere. Si cui tamen Cereuiſiam calidam ſuapte natura eſſe, & in Hordeo qualitatem innatam permutatam eſſe, & Cereuiſiam per accidens, non aliter ac vinum, refrigerare placet: huic ego ſuam ſententiam iucundam eſſe ſino, & vt eâ affatim fruatur indulgeo: Nec pro mea tuenda ampliùs quid afferam, quàm ſicut Galenus ſcripſit, hordeum nunquam ſecundùm vllum præparationis modum calefacere, ſed in polenta ſiccare, in ptiſana verò humectare: Ita etiam in Cereuiſia, quæ ex quadam polentæ ſpecie paratur, non ad caliditatem, ſed ad ſiccitatem, mutationem fieri, & hanc tamen

Zythum.

Ce... om... ... fri...

Fu... qu... dia...

tamen aquoſa ipſius maxima parte dilui ac temperari: niſi nimiùm adeò toſtum fuerit hordeum, vt inde & ſapote, & odote contracto, bibentes Cereuiſiam conqueri cogat, quòd ipſos ſiccet ac torreat, velut non raro audire contigit. Nemo verò auditus eſt, qui ex Cereuiſiæ potu caleſcere ſe conqueſtus eſſet. Et hæc de communi hodie parandæ Ceteuiſiæ modo intelligi volo: qui an quondam eiuſmodi fuerit, meritò ambigitur. Itaque ſicut Galenus de aquæ hordei, id eſt τοῦ κριθίνου ὕδατος potu, ab Hippocrate præſcripto dicit, manifeſtum eſſe hunc ſitim eximere, ſed præſtiterat, inquit, ab ipſo dictum eſſe, quomodo parare hordeum oporteat, num ſimplicitet madefacere, aut, veluti hi qui nunc zythum ex ipſo faciunt, aut alio quodam modo: ita profectò præſtiterat etiam ipſum Galenum parandæ Cereuiſiæ modum deſcripſiſſe, vt certiùs de ipſius temperamento iudicare poſſemus, ſed velut omnibus notum prætermiſiſſe illum videtur. Et dum ex putredine factum dicit, illud intelligendum nobis exhibet, quod Aëtius de *Byne* prodidit, quod ſit hordeum madefactum, quod germen emiſit, quod *cymam* etiam vulgus noſtrum appellare ſolet, & deinde vnà cum enatis ligulis: ita autem cymas ſiue germina vocat: toſtum eſt. Ergo itaque nullam Cereuiſiam calidam eſſe ſentio, ſed aliam minùs aliâ frigidam, velut dixi. Acrimoniam tamen in ipſis vt vitium, aliquid caloris habere, & hordei toſturam præſertim nimiam ſiccitatem inducere: quæ tamen aquoſa ipſius maxima velut dixi parte diluitur. Quin & frigiditas Cereuiſiæ, multo ipſius potu corrigitur, vt etiam ex potandi velut exercitio, Cereuiſiæ potores incaleſcant, non quòd ab ipſa Cereuiſiæ natura vllus calor ipſis accedat. Plin. lib. 22. in fin. vbi de frugum vſu medico egiſſet, ex iiſdem, inquit, fiunt & potus, zythum in Aegypto, Cælia & Ceria in Hiſpania, Cereuiſia & plura genera in Gallia, aliiſque prouinciis, quorum omnium ſpuma cutem fœminarum in facie nutrit. Nam quod ad potum ipſum attinet, præſtat ad vini tranſire mentionem. Quibus verbis & Cereuiſiæ potum in totum damnat, & natales illarum locos, & nomina in his diuerſa indicat, quod ipſum etiam Dioſc. facit, qui etiam *Curmi* appellatum, & ex hordeo paratum potum proponit, cuius vſus vini loco ſit. Et hic igitur potus non fuit alius quàm inſignis aliqua eius temporis Cereuiſiæ ſpecies, quæ ſicut etiam hodie multæ, & caput, & neruos, & oculos læſit, & prauos humores genuit. Et tales potiones etiam ex Tritico fieri adhuc hodie in Hiſpania audimus, & in Anglia ſcimus, quæ magna ex parte è Tritico parantur, non multo lupulo adiecto, vnde etiam albidiores ſunt, quàm quæ cum multo lupulo coctæ fuluiores euadunt. In inferiore porrò Germania Cereuiſiam non Byre vocant, vt in ſuperiore & media, ſed Cont: & ſimplici modo paratum, ſimpliciter Cont dicunt, duplicato verò, dupel Cont. Vnde non malè mihi diuinaſſe videtur Eraſmus Roterod. cui lib. 1. Epigram. Græcotum ſub titulo εἰς ἰατρούς, in epigrammate Palladæ, δίζυθον pro duplici iſto zytho patriæ ſuæ familiari accipiendum eſſe viſum eſt: meliùs meo iudicio, quàm qui pro vocibus διζύθοις & δίζυθον, corrigendum arbitrantur ζιζίφοις & ζίζυφον, & de ziziphis fructibus accipiunt, quos iuiubas Officinæ vocant.

Porrò quod Dioſc. de zytho dixit, Ἐργὴς δὲ καὶ ὁ ἐλέφας γίνεται βρεχόμενος αὐτῷ: & nos reddidimus, ſed & ebur zytho maceratum tractabile euadit: hoc Plinius non de ebore, ſed de animali elephante intellexiſſe putatur, dum lib. 8. cap. 7. fine ait. Capti elephanti celerrimè mitigantur, ſiue, vt vulgata exemplaria habent, mitificantur ordei ſucco. Ego tamen ebur Cereuiſia macerari ab his qui pectines, & dentiſcalpia, atque alia inſtrumenta ex illo faciunt, cognoui. Nec de zytho aut Cereuiſia dixit Plinius, ſed de hordei ſucco, qui alio modo ex illo parari poreſt, vt non ad hunc Dioſcor. locum reſpiciens id dixerit, quem de ebore, non de elephante animali dicere, credo his qui per experientiam teſtantur, & Plutarcho, qui id confirmat in libello qui inſcribitur, An malitia ſufficiat ad infelicitatem. Quod verò elephantiaſin inducere zythum Dioſcord. dicit, id etiam in vino Sycite repetit.

*Maltum* à Recentioribus nuncupatum, Dodonæo teſte, ex hordeo quoque fit. Nam ipſum hordei granum eſt, primùm donec intumuerit aqua maceratum, quod deinde germen emiſit, ac poſtremò cum ipſis germinibus ſiue enatis ligulis reſiccatum eſt. Reſiccatur autem frequentiſſimè ignis calore, quem ad hoc conſtructus fornax per exigua ſpiramenta admittit: raro verò abſque ignis ſubſidio, idque non niſi æſtiuis menſibus vigente æſtu, cùm in tabulato, eminentiore loco perflato, tenuiter ſparſum, ſæpiùs per diem vertitur. Noſtri *Mout*, Germani Maltz, Recentiores *Maltum* voce à Germanis mutuata appellant. Aëtius Græcus Medicus, hordeum hoc modo præparatum βύνην nominat. Ad Beræ ſiue Ceruiſiæ decoctionem conficitur, & laudatiſſimum quidem Martio & Aprili menſibus. Qualitatem habet ſiccam quidem hordei intenſiorem, frigidam verò multò remiſſiorem, præſertim quod ignis calore toſtum ac reſiccatum eſt, nam ἐμπύρευμα, quod illi ab aſſatione diutináque toſtione inhæret, ſiccitatem eius intendit, ac frigidam non ſolùm remittit, ſed & qualitatem quandam calidam ei imprimit. Quod verò æſtiuis caloribus reſiccatum, minùs quidem calet, tamen & ipſum hordeo calidius vel ſola germinatione redditum, quæ abſque leui quadam putrefactione, ob alienam humiditatem, non ſuccedit. Putrefactione autem caliditatem multis accedere, ſatis notum.  *Maltum.* *Malt. Mout.* *Qualitate ſicca & frigida.*

Galenus lib. de aliment. facult. hordeum ait, quoquomodo quis eo vtatur, ſiue ptiſanam coxerit, ſiue polentam fecerit, vim quandam refrigerantem retinere, verùm id de Malto non videtur intelligendum, quod vel germinatione ſola, deinde & toſtione, ſi acceſſerit, magis à natura ſua receſſit, quàm Polenta, quæ vel ex crudo nondúmque maturo hotdeo, vel in aqua macerato tantùm, vt diximus conficitur. Abſtergit præterea & Maltum hordeo potentiùs, minùs lentoris habet, cùm quia farinæ minùs, Siliquarum verò plùs habeat, quàm crudum hordeum: tum ab inhærente illi nonnullo calore, partim à leui illa corruptione, partim ab empyreumate, qui abſterſionem coniunctam habet. Ventris torminibus aliiſque ſimilibus ex frigida cauſa doloribus Maltum ſubuenit, toſtum feruénſque in ſacculo appoſitum. Cataplaſma ex *Bynes* farina tumoribus hydropicorum vtiliter, Aëtio teſte, imponitur.  *Vires.*

### *De Bera ſiue Ceruiſia.*

Beta ex Malto, & Lupuli ſalictarii floribus, modo, proportionéque certis, aquæ dulci permixtis, coquitur: & ſimpliciſſima quidem ac propriiſſima talis eſt. Proxima, quæ Triticum, Zeam, aliáſve fruges, vnà cum Malto hordeaceo admittit. Quæ verò præter fruges, herbas, ſemina, flores, aro-

mata, aut alia huiuſmodi caput implentia, ac ebrietatem inducentia, à frugum natura aliena, permixta habent, compoſitæ quædam Beræ, ſiue Ceruiſiæ ſunt ac medicatæ, ab hordeacea, Triticeàve Bera & ſapore & qualitate diſſidentes.

*Nomina.* Nominant autem huiuſmodi ex frugibus potum cùm Germani omnes, tum Britanni reliquæque Septentrioni ſubiacentes gentes, communi quidem ac patria voce, 𝔅iere ſiue 𝔅ere. Latina autem paſſim *Ceruiſiam*. Veteres verò ex hordeo potum varis nominibus appellarunt: & οἶνον quidem κρίθινον, id eſt, Vinum hordeaceum, ex hordeo omnem compoſitum Græci. Eundem Ariſtoteles, Athenæo teſte, πῖνον dixit: alii βρῦτον: veluti Sophocles in Triptolemo, & Hecatæus in Europæ periodo, vbi Pæonas βρῦτον ait bibere, ex hordeo, παραβίην verò ex Milio & Conyza. Hellanicus tamen non ſolùm ex hordeo, ſed & ex radicibus fieri βρῦτον aſſerit: Bibunt, inquit, ex radicibus βρῦτον, veluti Thraces, ex hordeo, Aegyptii hordeaceam potionem, ζῦθον ſiue ζῆθον Theophr. ait, appellant. Idem teſtatur Plinius lib.22. Ex frugibus, inquit, potus, *Zythum* in Aegypto, *Celia* & *Ceria* in Hiſpania, Ceruiſia & plura genera in Gallia, aliiſque Prouinciis. Quos lib.14. nominibus quidem aliis, ſed ratione eadem confici tradit. Diodorus Siculus, Zythum non in Aegypto ſolùm, ſed & in Galatia quoque fieri affirmat. Tanta eſt (inquit de Galatia ſcribens) aëris frigiditas, vt neque vinum ea regio, neque oleum, producat, quare coacti homines potum ſibi ex hordeo componunt, quem appellant Zythum. Dioſcorides vnum hordeacei potus genus zythum: alterum *Curmi* nominat.

*Phoucas Zethi.* Simeon Zethi ex poſterioris ætatis Græcis, huiuſmodi potionem Arabico nomine φοῦκαν vocat, alii φουκάδιον, ſiue φουκάδιον: Arabibus tamen, Phoucas non ex hordeo tantùm potus eſt, ſed etiam, veluti Rhaſis ſcriptum reliquit, ex pane *Heucri*, hoc eſt, Similagineo, Mentha, ac Apio compoſitus: ac, vt Hali Abbas teſtatur: quædam etiam Phoucas ex pigmentis, aut ex malorum punicorum ſucco conficitur. Hæc autem omnia ſiue ſimilia ſint genera, diuerſis appellata nominibus, ſiue proprietate aliqua diſcrepantia, cum Bera ſiue Ceruiſia noſtra in eo conuenire poſſunt, quòd ex hordeo ac frugibus componantur, preparationis tamen modo, vel alia qualitate aliqua ab ea fortaſſe differunt. *Beræ ac zythi diſcrepantia.* Nam ſi zythum, vt Galenus ait, lib. de facult. ſimpl. medicam. ex putredine proueniat, aut ex frugibus fiat aqua madefactis, donec reſoluantur in liquorem vino ſimilem, veluti Hermolaus Barbarus in Corollariis ſcribit: ac acre malique ſucci ſit, renes & neruos tentet, quæ à Dioſcoride ac Galeno quoque ei attribuuntur, cum Bera ſiue Ceruiſia noſtra nequaquam conuenire poteſt. Nam Bera ex fruge non fit putreſcente, multò minùs ex eâ in liquorem reſoluta, ſed ex hordeaceo Maltho, vt diximus, coquitur, ab omni putredine aſſeruato. Eſt & Bera per ſe ſuauis, dulcis, ac boni omninò ſucci. Quæ certè Beram à zytho, cùm conficiendi modo, tum facultate diſſidere oſtendunt. Sin autem zythum non eo, quo Galenus, aut Hermolaus tradunt, conficitur modo, ſed ex hordeo ac Tritico fiat leuiter tantùm putrefactis, ac à natura ſua commutatis, vt Theophraſtus ſcribit, zythum & Bera ſimillima ſunt. Nam hordeum in Malthum tranſiens, leuiter quodammodo putreſcit, & à natura ſua recedit. Verùm tum Galenus, Dioſcorides, & qui deinceps eorum ſententiam ac doctrinam inſequuti ſunt, minus rectè zythi facultates cognouiſſe videbuntur. Propter leuem hanc etenim putrefactionem ſiue mutationem, hordeum, aut ex eo potus, mali ſucci ſtatim fieri non poteſt, non minùs quàm Polenta, quæ ex non recente hordeo, ſed ex maturo & ſicco in aqua macerato conficitur. Siquidem & tunc leuiter quodammodo hordeum computreſcit, humorémque alienum imbibit, veluti dum Maltum futurum eſt. Polentam tamen hanc ob cauſam, neque Galenus ipſe, neque Veterum quiſquam, mali ſucci fore aſſeruit, ſed contrà omnem boni odoris, ſuaueolentémque eſſe, ſicuti & Malthum ritè confectum eſt. Zythum autem, ſiue ζῦθος, ex hordeo & Tritico confici leuiter putrefactis, Theophraſt. lib. de cauſ. ſexto, vbi de ſaporibus agit, his verbis tradidit. Nonnullos verò, ait, naturam commutantes, & leuiter putrefacientes, in ſuccos cogimus, ad bibendum idoneos, veluti qui vinum ex hordeo ac Tritico conficiunt, quod in Aegypto ζῦθος appellatur.

Te… me… Ce… Cæterùm vt ad temperiem Beræ veniamus, pendet ea ex qualitatibus eorum, ex quibus componitur. At materies eius, vt diximus, ſunt, aqua, Maltum hordeaceum, ſubinde Triticum aut zea, & Lupuli ſalictarii flores. Aqua quidem ſimplex cuiuſmodi ad Beræ decoctionem ſumitur, frigida eſt & humida: Maltum enim exigua caliditate reſiccat & abſtergit: Triticum ac zea temperatè calida ſiccáque ſunt: Lupuli flores ſecundo ordine calefaciunt, reſiccántque, caput tentant, vrinas mouent, abſtergendi quoque, ac aperiendi potentia præditi. Faciunt hi ad Beræ cùm ſaporem, tum diuturnitatem, fruges verò alimenti materiam ſubminiſtrant.

Ce… te… alt… ind… m… Ex horum autem varia & inæquali miſtura, diuerſa Berarum genera, diſſimilibus qualitatibus prædita, fiunt. Tenues quædam, potentes aliæ, rubicundæ, ſiue nigræ hæ, candidæ illæ, amaræ pleræque, dulciores nonnullæ. Quæ frugum plurimùm admiſcetunt, potentiores ſunt: quæ minùs tenuiores: minimùm tenuiſſimæ. Ex hordeaceo Malto, diutiùs toſto, rubicundæ, & præſertim ſi diuturnior decoctio acceſſerit: præcipuâ autem parte ex zea ac Tritico confectæ candidæ ſunt, ſeneſcentéſque tenue & aquoſum vinum ſubſtantiæ tenuitate quodammodo referunt: amariores capútque citiùs tentantes, Lupuli flores copioſiùs incocti efficiunt, dulciores eorum parſimonia: fruges enim ex ſe dulcedinem conferunt. Inter has tenuiſſima, frigida quidem eſt & humida, ſuperante in ea aquæ qualitate ac ſubſtantia, non tamen alicuius caliditatis expers. Potentiores caloris plus habent, cuius etiam vi atque potentia, in vaſa conditæ non ſecus ac muſtum fluctuant ac efferueſcunt, minùs tamen quàm mediocre vinum calidæ, à quo non ſolùm temperamenti caliditate, ſed & tenuitate ſubſtantiæ ſuperantur. Calefactio ſiquidem Beræ clemens mitiſque eſt, Alimentum autem præſtant illæ quidem exiguum, aut nullum, hæ verò copioſius, copioſiſſimum potentiores: omnes probi ſucci, ſi ex bonis frugibus & bene decoctæ fuerint. Craſſiores circa præcordia aliquantiſper hærent, tardéque deſcendunt: candidæ, tenuiores & citiùs digeruntur: amaræ abſterſione aluum leniunt: mediæ, medio ſe modo habent.

Co… Ce… Compoſitæ Beræ, quæ videlicet præter fruges ac Lupulum, & alias quaſdam herbas, vel flores, ſemina, fructus, aromata, ſimiliáve recipiunt, pro qualitate eorum quæ admiſcentur, varias qualitates ac facultates obtinent, ſubinde etiam noxias. Recens Bera quæ nondum ſubſedit, non ſecus ac

muſtum

muſtum, vltia complura gignit: inflationem parit, aluum conturbat, calculum procreat, ac vrinę ſæpenumero ſtillicidium excitat: foris tamen admota, neruoſarum partium dolores ſopit, ſi dulci calentéque ea foueantur: præſtat ad hoc recentiſſima, & cui nondum Lupulus incoctus eſt, ac inter omnes potentior. Acida neruos & renes tentat, ventriculum conturbat, ac vitioſum in corpore ſuccum gignit. *Acetum* quod ex Biera cóficitur, vini aceto minùs acre, minúſque potens eſt, nec partium adeò tenuium. *Hactenus Dodonæus.*

De Bieræ ſiue Cereuiſiæ diuerſa compoſitione, Lobelius in Aduerſariorum altera parte ſequentibus verbis egit. Vniuerſa Britannia ad hordei præparationem quam Mauth ſiue Malt vocant, ſolo ferè hordeo ſpicâ mutilâ vtitur, idque polyſticho ad Ceruiſias Britãnicas ſuauiſſimas & optimas præfert, quæ quaſlibet Septentrionales bonitate longè ſuperant. Mauth autem inibi paratur, hoc qui ſequitur modo. Hordeum maceratur aqua biduò & tribus noctibus: deinde effusâ aquâ in horreum aceruatur loco ventis minùs peruio, quoad germen perpuſillóſque radicum cirros & pullulationes (quæ hyeme tardiùs, vere & æſtate biduò aut triduò,) emiſerit. Mox priùs quàm incaleſcat ſulcatim diſperſum, ſeſquipalmari denſitate, ter quatérve die & nocte ſubuertitur aperto aëre: quod octo vel nouem dies continuos iterando perficitur. Tandem in tabulato pertuſo, igne ſubdito vel aptato fornaci vimineo, texto calatho acuminato, & ſuperſtrato hordeo, igne lento è palea, cremiis vel arido ligno admoto fornacis oſtiolo, ſeſquipalmari interuallo ab imo interpoſito, exiccatur, quoad molis frangi queat, ſicque extoſtum Maũth in fornacis capacitatem deiicitur: quod ex qualibet hordei menſura ad quartam partem accreſcit, & antiquum bonitate, in zytho componendo, nouum præcellit.

Bieræ ſiue Cereuiſiæ, Nortmannis & Gallobelgis *Biere & Ceruoiſe*, Anglo-Britannis, & Germanis, & Belgis Bier dictæ, compoſitio, recipit Malthi mollis leniter contriti modios Britannicos octo, cui ſuperfunde aquæ fluuialis limpidioris feruentis, in qua aliquot manipuli furfuris Tritici incocti fuerint, quantùm ſatis implendo dolio Aureliano aut Aquitanico & ſemiſſe. Exactè mixta, infuſa calidè perſtent tres horas: deinde foraminulo palea aut duplicato fundo apto ſubterfluant. Id quod tranſmiſſum eſt [Belgis & Anglo-Brit. Wort vocatum] recoquitur ſemihoram, ſeſquihoram, vel aliquot horas, vt meliùs conſeruetur, adiectis vnc. 12. florum Lupuli ſalictarii: mox longo latóque lacu, vel depreſſis labris vix pedem altis, perfrigerantur. Et huius decocti frigefacti libris octo vel decem fermenti ſiue fæcis Bieræ vel Alæ potentioris libra aut ſeſquilibra addantur, exactè agitando, loco tepidiore permiſcentur, ſtragulis operiendo, ſenſimque reliquum liquorem, vt commodiùs fermenteſcant, affundendo. Quibus abſolutis tranſcolantur: vaſa adimplentur: demúmque fermentatione abſoluta, exactiſſimè occludũtur. Eidem Maltho nouam affundunt feruidam, tranſcolant, eóque Cereuiſiam tenuem concinnant.

Variis è frugibus, Tritico, hordeo, zea, Auena fit Malthum, quod ratione conficiendi, Bieræ colores immutat. Triticeum & Polyſtichum, ſuprà coctum & excoctum potiſſimùm, rubicundam & ſubfuſcam Cereuiſiam efficit. Hordeo diſticho, Auena, zea, tritico, commixtis quinis vel ſenis libris farinæ fabaceæ, albida & limpida redditur. Malthi hordeacei partes duę aut tres, Auenæ & Tritici ana pars vna, ſumuntur: farinæ fabarum quantùm Tritici quarta pars, aquæ quantùm ſatis, pro tenuitate, & efficacia Bieræ futuræ.

*Cereuiſiæ Teutonicæ.*

Cereuiſiæ, à Cerere dictæ, ſiue *Bieræ* Teutonicæ & Anglo-Britannicæ omnium ſuauiſſimæ & ſaluberrimæ, calidioribus regionibus vtiliſſimæ & conueníentiſſimæ, parandi ratio exactiſſima & largiſſima, Anglo-Britanno vernaculo, à C.D.I. Coys Plantarum peritiſſimo accepta: recipit Aquæ fluuialis [denſiores, pinguiores, ſtagnantes aut puteales aquæ ex terræ argilloſæ venis manantes, limpidis putealibus ſcaturiginoſiſque ad pinguiores concinnandas Cereuiſias longè vulgi opinione, præferuntur. [Fontanas tamen ex ſcatebris emicantes, & fluuiales fluentes cum Lobelio eligeremus, ſanitati tuendę, auctâ frugum doſi] Galones 40. feruefac, ſine tamen ebullitione [In quibuſdam regionibus ebulliunt aquam ante Malthi infuſionem & macerationem, ſuperaffuſa Galoni menſurâ vnâ aut altera frigidæ, ne illicò Malthum excoquatur aut ſupra modum conferueſcat, excandeſcátve, cruſtuláſque retorridas contrahat.] In parte eius tertia [Hæc obſeruantur quoties Malthum retorreſcit. Conuenientiſſima eſt alioqui feruidior aqua, Maltho minùs arido, aut humidiore.] infunde & macera [Experientia conſtat Malthum commodiùs immitti aquæ, quàm aquàm Maltho affundere. Lobel.] modium vnum optimi Malthi, molis vt ut triti: ſine conferueſcere per horam integram in cupa aut paulò plùs: tempore hoc exacto, liquor Wort Britannicè & Belgicè vocatus, percoletur in vas commodum, foraminis cupæ fundi obice, vt mox dicetur, reſerato. Et inter colandum, feruefac alteram tertiam aquæ partem, modo ſupradicto, & percolato liquore horæ ſpatio, affundatur. Si autem maiorem Cereuiſiæ quantitatem parare velis, eámque potentiorem, primam colaturam feruefac, [affuſa Maltho percolato ſecunda feruidâ aquâ] additis vnciis quatuor florum Lupi ſalictarii, per totum tempus iteratæ infuſionis ſecundæ Malthi, hoc eſt, horæ aut ſeſquihoræ ſpatio. Colantur deinde per ſetaceum & in lacu refrigerantur. Wort non excedat pedis altitudinem in lacu, æſtate potiſſimùm, hyeme ſuperare licet, quo refrigerato æſtiuo tempore, [hyeme tepidulo] ſume huius colati Wort ſufficientem bonam quantitatem in vas conueniens, prædictæ pedalis aut ſeſquipedalis altitudinis exceptam, cui lib. ß. aut vnc. 8. optimæ ſpumæ, ſiue fermenti Cereuiſiæ, Britannicè Yeaſt, Belgicè Gyſt, & Gallicè *Gy*, diluti & permixti in alio vaſe ſiue vrceo, triplici aut quadruplici menſura prædictæ colaturæ Wort: fermenteſcere ſinito, donec ebullitione & effluentiâ vrceum ſuperet, effundatúrque in vas colati, Wort vocati, liquoris. Poſt Spumarum fermenti in vrceo permixti effuſionem in prædictum colatum liquorem, in quo vrceus conditus eſt, ebullitione & fermentatione totum colamen ſpumis vndantibus operiens, affundè ſenſim, ne ebullitio interpellatur, reliquum colatum liquorem, & permiſceantur. His peractis, ſine iterum conferueſcere, donec ſublimè plùs ſatis efferantur ſpumæ [eleuantur ſiquidem pedali ſæpe menſurâ] & potus ſaporem ſimilem colati liquoris acquirat, nullo tamen modo acrem, quia Cereuiſia citiùs acorem ſaperet. Vaſis demum impletis & poſt ſublimationem occluſis, conſeruetur Cereuiſia. Doliare vas in quo Malthum infunditur, capacitatis ſit Dolii Aureliani, plùs minùs, pro ratione quan-

titatis *Bieræ* futuræ, duplici fundo donatum, vtroque maiuſculo foramine pertuſo. Longior & validior fuſtis, ſtramine, aut fœno tortili circumuallatus foramina permeet, ſed imum fundi foramen arctius, obicis uicem ſupplens, reſerans & claudens, ad liquamentum ( wort vocatum ) percolandum, & in alia vaſa traiiciendum. Superior autem fundus ſit multis foraminibus peruius. Vimineis ciſtis longioribus, cilicii loco, Malthi liquamen ſeparant Belgæ. Si tenuem cupis Cereuiſiam, ( quâ vulgò æſtiuo tempore delectamur ) vtrumque primum & vltimum commiſce colatum liquorem ſiue liquamentum : feruefac addita ſ.q. florum Lupi ſalictarii, ex arbitrio : & omnia perage, vt dictum priùs. Tertiam & vltimam aquæ feruentis partem ſuperfundito Maltho, ad omnium tenuiſſimam Cereuiſiam : maceretur per duas horas: & eadem vt priùs præſtat.

*Cereuiſia tenuis.*

Cereuiſia Martia vegetans, maximéue alens: per diuturna, in annum & diutiùs perdurans, recipit Malthi recentis molis triti modios 12. Auenæ Modium ſemiſſem, piſorum aut Fabarum & Tritici tritorum, ana tantumdem, Aquæ q.ſ. implendis tribus doliis Aquitanicis aut Burdegalenſibus: duobus vegetante Cereuiſia, & vno viribus tenuiore. Feruefac tertiam aquæ partem modo ſupradicto : infundantur donec aquæ pars ſecundæ tertia efferbuerit, & infuſioni ſit parata. Tum primò Malthi liquamento percolato, & in aliud vas & refrigeratorio lacu traiecto, exactè ſimul percoctis ſine defæcatione ex lib. 4. Lupi Salictarii : optiméque tandem per ſemihoram deſpumando percoctis, & in refrigeratorio lacu traiectis, iterum affundatur Maltho ſecundus liquor ſiue Liquamen wort vocatum, quoad tertia altera pars aquæ efferbuerit, quod horæ aut circiter ſpatio perficitur. Hac ratione æquè efficax erit illud ſecundum wort ac primum : Denique vltima aquæ tertia parte feruefactâ, detracto liquore, affundatur Maltho tertiâ & vltima vice ad ignauioris Cereuiſiæ præparationem. Martia efficaciſſima Cereuiſia antè ſex menſes non eſt potionibus apta. Perfrigerato primo liquamine wort/ permiſceatur lib. duabus Spumæ Cereuiſiæ, & vnc. 1. pul. Caryophillorum : Exactiſſimaque fiat fermentatio citato modo.

*Cereuiſia Martia.*

Primæ nobilitatis Anglorum Ala ſuauis & vinei ſaporis potio, recipit liquamenti Malthi vernaculè wort, libras ducentas, florum Lupi ſalictarii M. 2. quò Malthi dulcē & inſipidum ſaporem exuant. Percoctis & tranſmiſſis ſenſim commiſceantur [ vt ſuprà monuimus ] fæcis *Bieræ* vel *Alæ* libræ tres, & Graut Anglorum (Belgæ Naerbier vocant ) libræ ſex vel octo. Graût autem fit hoc qui ſequitur modo: Farinæ Malthi lib. 6. vel octo : aquæ feruefactæ lib. 12. vel 13. quæ agitata & probè ſexies die remixta temente camino, ſtragulis operto, & palea condito, nitido vaſe tamdiu macerantur, donec Serapii lentorem aſſequantur. Tunc igne, ſedulò verſando ne vrantur, ad pultis ſolidioris craſſitiem percoquuntur. Reconditur etiam hodie, per ebullitionem ſiue fermentationem adhuc ſpumans in lapideis phyalis, oris anguſtioris, ſuberino operculo exactiſſimè occluſis, & decuſſatim funiculo, ne exiliat, vt ſæpè fit, arctiſſimè ligatis. Sapore admodum vinoſo, gratiſſimoque, palatum & nares feriente : Non deſunt qui Cereuiſiam, eadem lege & ratione vini inſtar aſſeruant.

*Anglorum Ala.*

Quantùm ex priſcis Plinio & Dioſcoride coniecturam facimus de Zitho & & Curmi potiones Cereuiſiis noſtris proximas, nec dubiè deſignaſſe videntur : præſertim *Alam*, quæ vini vicem antiquitus ſupplebat Britannis : quorum ipſe Dioſcorides meminit, referens malum ſuccum gignere & neruos tentare : quibus idem quod nobis, eueniſſe potuit, potiſſimùm plebi & Anglo-Británicæ rusticæ turbæ, cui ad gulæ delectamenta potentiorem Alam è cauponariis expetenti, inexſaturabilis quæſtus gratia, illà ex Maltho lixiuio aquæ vice macerato, imponitur, ſic enim magis compoſitam & grano potiorem ementitur; caput ferit, lætamque opilionibus, colonis & naucleris ſtultitiam conciliat. Nec deſunt nonnuſquam inexplebiles nummorum vafri homines qui Bieræ pro Lupuli floribus camini fuliginem ſubſtituant, aqua ſalſa malthum macerantes, vt eo plùs ſitiantur Bieræ, quò plùs ſint potæ. Harum potionum & conſimilium aſſiduo uſu incommoda Dioſcoridi memorata percipiuntur: quæ non poſſunt ſine hepatis & viſcerum ſummo diſpendio aſſumi, Cerebro & neruis inde affectis & ſanguine exuſto, fit tuberculorum in facie & naſo, vti elephanthicorum, eruptio, inde apud Anglo-Britannos in hunc vſque diem locus protrito elogio, *Aſciuit ſibi faciem & naſum rubrum, tuberoſum commendatioris Alæ.* Maxima igitur in Cereuiſia varietas; pro ratione, quantitatis frugum, mixtionis, compoſitionis, varias qualitates ſortita. Germanis & Belgis Gentiana, Baccę Lauri Zeduaria, Gaghel/ Helenium, Lauendula, Saluia Hormini flores, Cuculus ſiue Cucubalus Indianus, [ quem inſanum ſeu furioſum Solanum faciunt ] Chamæpytis, Coriandrum & conſimilia unà cum Lupulo incoquuntur.

*Ala Anglorum à priſcis tradita videtur.*

Limpidior, vegetior, benè defæcata Biera, cuius quidem faciendæ rationem docuimus, vt calidioribus innoteſcat regionibus, & penuriâ vini, eius vicem ſupplere poſſit, ſuauis & ſalubris eſt potio, alimentum bonum præbet, modò probè & ex optimis frugibus paretur & percoquatur. Tenuis autem quæ grani minùs, plùs aquæ recipit, humectando refrigerat, minuſque alit. Ac inde malum ſuccum gignit : renes, neruos & caput tentat : tormina, inflationes inteſtinorum, quemadmodum & recentior epota, ſtillicidium vrinæ, craſſum ſuccum, calculum renum & veſicæ patit. Lutetiana craſſa, dum recens peſſima. Additur Lupulus Bieræ vel Alæ duplici ratione : cùm ob ſaporem & conſeruationem, tum quia craſſum ſuccum Zithon procreare literis prodatur, cuius erratum & noxam emendaret, aperiendo abſtergeret, per vrinas craſſa pituitoſaque excrementa venarum, renum, veſicę, citra magnam calfactionem educeret : docemur enim à Meſuæo in Syrupo è ſucco Lupuli & Byzantino, aliiſque Neotericorum compoſitionibus Lupulum, non ſecus ac Fumariam, ſanguinem purgare & defæcare, eiuſque ebullitiones compeſcere : iecoris intemperiem calidam, internoſque feruores, febreſque bilioſas & pituitoſas arcere : Quem eundem effectum præſtant turiones ſiue Aſparagi vere erumpentes, cibo & acetariis. Floribus tamen, quia temperatè calidi, ſecus euenit, vti de coriandro monuimus Aduerſariorum pagina 314. Quod caput feriant, è Cereuiſia non reiiciendi; neque illis cauſa rheumatiſmorum & articulorum defluxionum, vt nonnullis doctis Anglo-Britannis perplacet, attribuenda : ſed potiùs ingluuiei, crapulæ, mollitiei, blanditiis, & gulæ oblectamentis quibus ſunt dediti, aſcribere debent : quia Ala ipſa potentior, ſine

eis aut.

eis, aut Lupulo pauxillo concinnata, non ſecus ac vinum, abditiſſimas permeat cerebri membranas, eademque infert incommoda. Lupuli flores non nocent qualitate, ſed quantitate, quemadmodum vinum & optima quæuis temeta.

## HORDEVM DISTICHVM.



BReuiore culmo eſt Hordeum, quàm vel Triticum vel Secale, foliis latis, ſpica longis aſperiſque horret ariſtis, quæ ſingulæ è ſingulorum granorum capitibus exeruntur; grana verò gluma tenui ſimplici clauduntur, quam nullâ tritura deponunt, niſi vel molarium confrictu, aut ſacculi aſperioris, calidâ priùs macerata, aut denique pilâ. Cæterùm quod hîc diſtichon nominamus, duos habet granorum verſus, quibus tamen interiecta & aliorum rudimenta, ſed quæ nihil ſint aliud quàm inutiles glumæ.

Geſn. coll. & hort. *Hordeum.* Trago *Hordeum alterum* ſiue *exiguum.* Dod. gall. *Hordeum paruum;* latin. *Hordeum diſtichum Galaticum* Columellæ. Ruell. Hordei alterum genus: ad hoc reducendum putat trimeſtre illud Hordeum Gallis *Secourgeon* dictum: erroris autem eos accuſat, qui genus hoc Orizam aſſerunt.

Lobel. in Aduerſ. *Hordeum,* (nonnullis viſum Siligo) *Vernum.* Obſ. p. 15. *hordeum minus* Vere ſerendum, Hyemis impatientiſſimum. Eid. Adu. altera parte, *hordeum diſtichon,* Gallobelgis *Pamelle,* Germ. Klein gerſt, id eſt, minus hordeum, ſiue Britannis Borealibus Common barly: Martio, Aprili, & initiò Maij duntaxat ſeritur, hyemis quippe & frigoris impatientiſſimum: vniuerſâ ſui parte gracilius, cubitum & ſeſquicubitum rarò ſuperat.

C. Bauh. Phyt. & pin. *hordeum* 3. ſiue diſtichon: quòd ſpicâ binos ordines habeat. Plin. *hordeum* δίστιχον Galaticum Columellæ. *hordeum Cantherinum* Ruellio. *hordeum minus* Trag. *hordeum diſtichum,* Fuchſ. Tur. Dod. in Dioſc. Lob. Lugd. cui & *æſtiuum* & *trimeſtre minus.* hordeum binis verſibus Matth. Cam. *hordei* alterum genus, Cæſ. Κριθή. Germ. Sommer gerſten/ futtergerſten/ klein gerſten. B. Zoomer gerſt. Gall. *petit orge* & *orge mondé, orge à deux rancs.* Ital. *orzo.* H. *Cenalla.* Angl. Barly.

## HORDEVM POLYSTICHVM.

### Cap. XIII.

INconditi & multi ſunt Polyſticho ſeminum verſus, quorum ſi quis ordo, ad Hexaſtichum accedunt.



Trago Germ. *hordeum* alterum ſiue polyſtichum: Lat. Hordeum 1. ſiue maius, quatuor, ſex & octo verſibus. Ruell. *hordeum* binos, ternos, quaternoſque, item & quinos ſpicarum verſus continens. Lobel. Obſ. p. 15. *hordeum* polyſtichum, Autumno ſerendum, Eid. p. 19. *Siligo Tragi, Olyra Dioſcoridis*: In Aduerſ. *Olyra,* Siligo Tragi, ſeu Far candidum, Olyra quæ Zea Herodoto, Triticum amyleum, non Siligo vel Setanium, vt nonnulli putarunt. Exiſtimo Lobelium neſciuiſſe quid ſcriberet, quia Tragus non eandem conſtituit plantam Siliginem & Far candidum, ſed diuerſas: nec etiam demonſtrat quam plantam intelligat. Dod. Gall. *hordeum* quatuor vel pluribus verſibus. Hordeum maius: Lat. *hord. polyſtichon.* Tabern. *Hordeum* polyſtichum hybernum. Hoc hordeum bene repræſentatur effigie Lobelij in Icon. plant. p. 28. exhibita, ſub inſcriptione hordei. *Synonyma* *Lob. err.*

C. Bauh. pin. *hordeum* 1. [ita etiam phyt.] ſiue polyſtichon hybernum. Hordeum Brunfelſ. Matthiol. Lac. Geſ. hort. Lobel. Dodon. Lon. Caſt. Cæſ. Ger. Hordeum maius Tragi. Hordeum polyſtichum. Fuchſ. Tur. Dod. Gall. [cui & hordeum cantherinum.] Lugd. Tab. Hordeum primum Ang. Hordeum ſecundum hyemale, Cord. in Dioſcorid. Polyſtichum dicitur quia in multos verſus ſpicatur: eſt enim differentia in ſpicarum forma, magnitudine & granorum numero: quoddam binos, quoddam ternos, quaternos, quinos, cúmque plurimùm ſenos verſus habet: ſic aliud rotundius & minus, aliud oblongius & maius, aliud candidius, aliud nigrius.

Κριθὴ πολύστιχος, Germ. Wintergerſten/ Groſſe gerſten. Belg. wintergerſten/ Gallis, *groſſe orge, orge à pluſieurs rancs.* Nomina linguarum

## HORDEVM HEXASTICHVM PVLCHRVM.

### Cap. XIV.

BReuior ſed thoroſior Hexaſticho ſpica, ſenis granorum verſibus conſtans, inter quos & paleæ inutiles breui mollique ariſta donatæ intercurrunt: at ſolidorum granorum gluma in valentulam, aſperam, longamque ariſtam faceſcit. Deſcriptio

An Cordo in Dioſc. hordeum ſine tunica, hordeum Italicum & Romanum, hord. hexaſticum: ſi glabrum ſuum, de quo in Hiſt. tractat, intelligit, cur vocat Hexaſtichum quod non magis ſine tunica, quàm diſtichum erat appellandum. *An hordeũ ſine tunica Cordo:*

Ruell. hordeum hexaſticum, Cantherinum quorundam. Trago, hordeum cum ſex ordinibus. Dod. Lat. hordeum ſex verſuum, ἑξάστιχον, Cantherinum Columellæ.

C. Bauh. pin. hordeum 2. (& phyt.) ſiue polyſtichum vernum. Hordeũ ſenis verſibus, Matth. Cam. Hordeum Septentrioni notiſſimum πολύστιχον, Lobel. Obſ. hordeum polyſtichum vernum Lob. Icon. Hordeum polyſtichum æſtiuum, & hordeum trimeſtre polyſtichum Tabern. Synonyma

## HORDEVM DICTVM GERMANIS ORIZA.

### Cap. XV.

QVanquam culmo, foliis, geniculis, cum hordeo vulgari conueniat, ex ſpica Deſcriptio



tamen euidens cuilibet diſcrimen, eſt enim lato-compreſſa duobus verſibus conſtans, granorum hordeaceorum, habitiorum, paleaceo cortice, grano adhærente clauſorum, quorum ſingula in longam aſperamque ariſtam deſinunt: inter geminos hoſce verſus duo alij vtrinq;, id eſt, quater gemini intercedũt, paleacei, nullum granum continentes, mollicellis & breuibus ariſtis donati.

*Columellæ Far candidum Trago*
*Trag reprech.*

Hordei genus hoc, *Germanicam Oryzam* Tragus appellauit, iudicauitque nihil aliud eſſe, quàm Columellæ Far candidũm, Tragum frumentaceum Dioſcoridis. Habet autem lib.2.cap. 21.figuram ineptam ſub titulo candidi Farris. Teütſcher Reiß & Amelkorn / quod nomen, vt & ipſa figura, non videtur ad dictum caput pertinere. Cap.22.vocabat Farris genus & Venniculum album.

*Zea genus Dod.*

Dodonæo hiſt.Frumentum & Lat.in ſol.conſentaneum videtur ad Zeam referre Oryzam Germanicam à Trago nuncupatam. Tragum autem, Farris ſpeciem & *Tragum cerealem* exiſtimantem, reprehendit, vt qui veritatem aſſecutus non ſit.

*Santalo Plinii.*
*Aut Farri Cluſino. ſimilis.*

Tragum namque rem factitiam aſſerit, ac ſubdit: Olyræ autem magis ſimilis Oryza hæc Germanica eſt, quæ à Dioſcoride Zeæ generi adſcribitur; aut Plinii Santalo, Farris Gallici ſpecie, nitidiſſimi grani: illic Brance, ait Plinius, vocant: aut certè Farri Cluſino, quòd fortè idem cum Plinii Santalo eſt: vtrumque enim candidum, & Cluſinum, à Cluſio dici potuit: oppido tranſpadanæ Italiæ, quæ aliâs togata Gallia nominatur. Si quid repugnet, quominus hæc Oryza, vel Cluſinum, vel Olyra ſit, ſola vtique erit vernalis ſatio. Nam Olyra & Cluſinum Far, ex hybernis ſementibus ſunt. Adeò certi, dè pleriſque frumentaceis, definiri nihil poteſt: cùm propter Veterum ipſorum breuitatem, tum frumentorum appellationes, aut diuerſas, aut ſæpenumerò, confuſas eandem rem aliis aliter ſubinde appellantibus.

*Frumenti barbati genus.*
*Dod redarg.*

Ruellius Farris Gallici, ſiue Frumenti Barbati genus quoddam eſſe ait, cuius gramen candidius, ac ſpica minoribus ariſtis circumuallatur, quàm Locularis, quod, inquit, Cluſinum putatur: iſtud autem an ſimile ſit, vel idem cum Oryza Germanica, expendendum eſt. *Hæc Dodonæus*, qui præter ſententiam Tragi, Oryzam Germanicam Zeæ ſpeciem facit: quamobrem cùm planta ei incognita fuerit, eius de nomenclaturis opinionem probare non poſſum.

Synonyma

C.Bauh.pin.*Zea* 5.(3.phyt. vbi eſt Zeæ genus, Oryza dicta) ſiue Zeoctyron, ſeu Oryza Germanica: vt & Trago (cui & Tragum cereale & Far gallicum, & frumenti barbati genus Ruellii videtur. Olyra Aduerſ. Far, Teutſcher Reiß, Caſt. Typha Theophraſti, Tab.

Locus & Tempus.

Semen habui primò Stutgardia nomine Reiß-ſamen, quod ſatum in horto Ill.E.C.Monbelgardi deſcriptam produxit. Oryza Germanica, quæ ex æſtiuarum, ſiue trimeſtrium numero eſt, dicitur apud Mediomatrices cum aliis trimeſtribus ſeminibus lætiſſimis agris coli.

Tradunt Oryzam Germanicam in cibo vſurpatam aluum emollire, rurſus Oryzam illam peregrinam, alvum ſupprimere. Vtilis autem germanica ad multa culinæ opera, laudaturque præſertim ad pultes, ob albedinem: cibis admixta ori grata eſt: cum lacte oryzæ modo decocta, probè alit, teſte Dodonæo.

---

## HORDEVM NVDVM, SIVE Gymnocrithon.

### Cap. XVI.



Hybridam dicas Gymnocrithon, cuius ſpica Hordeaceam imitatur, horrido ariſtarum barbitio: at verò grana ruffeſcentia, vtrinque acuta vnâ facie ſulcata aduerſæ partis mucrone germen lõgiuſculum oſtentãtia, gluma ſimplici obuoluta, leui etiam digitorum attritu, faciliùs quàm Triticea, exiliunt: ſi quis autem verſuum ordo obſeruari poſſit, quaterni ii videri poſſunt: porrò folium latum, multum, calamos amplectitur.

Trago, qui tertiam Speltæ ſpeciem aſſerit: χόνδρος.h.e. Halica, & Far adoreum Columellæ eſſe videtur, eiuſdemque Venuculum rutilum, quod Germ. Kern vocat. Dodonæus contra Farris ſpeciem eſſe negat, nec cum Chondro aut Alica, vt pote rebus factitiis conuenire ſtatuit. Zeis autem annumerat, Zeopyrumque quoddam eſſe pronunciat, grano nudo. Suſpicor ego Dodonæo minùs fuiſſe cognitum hoc Hordeum nudum, quæ de eo ſcribit deſumpta ſunt ex Ruellio & Trago: placet tamen figura quæ Cordo in hiſt.cap de hordeo glabro appoſita eſt cum hac annotatione, Dodonæus, à quo hanc imaginem mutuati ſumus, Zeopyron vocat, & ex Galeno Gymnocrithon, i.e. Hordeum nudum. Perpendendum autem an Cordus hoc etiam intellexerit, per hordeum ſine tunica. Si hoc intelligit, ceu antè quoque monuimus, non placet vocari Hexaſticum. Cantherinum putarit dicendum Ruellius, quòd folliculo caſtratum naſcatur. *Hordeum mundum* vocant Galli.

Caſpat. Bauhin. pin. Zea 4. ſiue Zeopyrum (ſic etiam in Phyt.) ſeu Tritico-ſpeltum, quod naturam habeat τῆς ζειας καὶ πυροῦ: ζεόπυρον καὶ γυμνόκριθον Galeno: Hordeum alterum Anguil. Zeopyron Dod.H.Lugd. & Tabern. Zeopyrum ſiue Tritico-ſpeltum, Hordeum nudum vulgò vocatum Lob.in Adu.p.8.Obſ.p.18.Ic.plant.p.30.Hordeum glabrum Cord. hiſtor. hexaſtichon, hodie hor-

hordeum ſine tunica, Cord.in Dioſc. Hordeum nudum Geſn. hort. Ger.mundum, Cæſ. Hordeum γυμνόκριθον, Cam.

Satum Vere in horto Ill.E.C.Montbelgardi, ſemen maturuit Iulio, & paulò citiùs quàm in Oryza Germ.

Seritur plerïſque Germaniæ locis ad piſtrinarum & culinarum opera, in quibus Hordei vſum præbet.

## HORDEVM MVRINVM.

### Cap. XVII.

Hordei fibroſis radiculis & foliis donatum, culmos erigit cubitales, multò tenuiores, ſpicas quoque breuiores, ariſtis mollioribus armatas, glumâ tenui, quæ nullum gramen tegit.

An de hoc Plinius lib.22.cap.25. Eſt herba Phœnicea Græcis appellata, Latinis verò Hordeum murinum. Hæc trita è vino pota præclarè menſes ciet. Ex quibus apparet annotante Dalechampio, hanc aut prorſus diuerſam eſſe à Phœnice Dioſcoridis, aut apud Plinium legendum menſes cohibet. Phœnix enim Dioſcoridis in auſtero vino pota manantem vulua ſanguinem ſiſtit & alui profluuium.

Trago Germ. Hordeum alterum, das ander Graß. Verum Hordei vitium: Lat. Lolium tertium. Tabern. Hordeum ſpurium (& Gerardo) Ariſtidia, Gerſtenwalch, Baſtaert gerſten. Lob. in Adu.p.7. Obſ.p.18. Ic.p.30. Hordeum ſpontaneum ſpurium, vulgò *Soucrion*. Turn.& Cæſ. Hord. murinum: Dodon. Lat. Hordeum aut Triticum murinum, vulgò Muyſe Corn. Anguill. Holcus Plinii, Ariſtida aliorum. H.Lugd. Gramen Hordeaceum, Holcus Plinij, p.427.

Geneuæ (vbi, vt & alibi, paſſim prouenit) quibuſdam *Carcallen* nominatum fuit.

Graminis Loliacei tertium genus Tragi, quod Hordei ipſe vitium eſſe aſſerit, Thalius duplex facit: Maius bicubitali culmo in montibus, longiorique ſpicâ: Minus culmo & ſpicâ breuioribus, in collibus aridioribus, aliiſque aſperis locis, ac ſecus vias. Hinc C.Bauh. phyt. Gramen 109. ſiue hordeaceum minus, Plinio *Holcus* à trahendo dictum, eò quòd ariſtas à corpore educat: ob id *Ariſtidam* quidam vocant: Item, Gramen 110. ſiue hordeaceum maius. Eid. pin. Gramen hord.1.ſiue montanum, vel maius: Item Gramen hord.2.ſiue minus & vulgare.

## HORDEVM VRENS NOVÆ HISPANIÆ.

### Cap. XVIII.

Narrat Nic.Monardes ad ſe perlata eſſe cum aliquot aliis plantis ex Hiſpania noua, ſemina huius plantæ, quæ *Ceuadilla*, id eſt, Hordeolum, iſtic vocatur, à ſimilitudine quam cum Hordeo noſtrate habet, in ſpica & vaginulis, quibus ſemen includitur, ſed minus, & Lini ſemine neutiquam maius, verùm longè aliis facultatibus præditum.

Orzada nouæ Hiſpaniæ Monardi & Caſtori. *Ceuadilla* Monardis Cluſ. Hordeolum Monardis Hiſt.Lugd.p.1907. Hordeum 4.ſiue cauſticum, propter ſimilitudinem huc relatum Caſp.Bauh. pin.



Vires. Aliis ſiquidem ab Hordeo facultatibus præditum eſt. Etenim nûquam auditum eſt aliquam aliam plantam adeò vrente & cauſtica vi præditam: ita vt vbi cauterium neceſſarium eſt (Cauterium) in gangrænis, & impuris, putridiſque vlceribus, eoſdem præbeat effectus, quos non modo ſublimatum, ſed etiam ignis præſtare poſſet. Etenim vermes in vlceribus necat, (Vlcera.) putridáque vlcera expurgat, puluis eius ſenſim inſperſus, maiore minoréve quantitate pro vlceris magnitudine, adhibitis præſeruantibus quæ in huiuſmodi remediis vſurpari ſolent. Itaque cùm eius facultates infringere volunt, puluerem ſtillatitio liquore roſarum aut plantaginis excipiunt, linumque aut ellychnium eo intinctum vlceribus & gangrænis imponunt: deinde ſarcotica medicamenta adhibentur pro periti Chirurgi iudicio. Eadem ratione vſurpatur in animalium malignis vlceribus, quibus plerumque infeſtantur.

## GRAMEN BVLBOSVM EX ALEPO.

### Cap. XIX.



Deſcriptio. Ex oliuaribus, multis laceris, tunicis veſtitis, bulbis pendent, fibræ robuſtæ culmi pedales craſſiuſculi, foliis inſignes, anguſtis, palmaribus, ſcapo gerit ſpicâ Hordeo murino ſimilem, palmari minorem, glumis denſis, longis, calamo appreſſis, ſurſum ſpectantibus, in breuem ariſtam ſingulis deſinentibus.

Synonyma. C.Bauh.phyt.22. Gramen bulboſum ex Alepo quod ſolùm vidimus ſiccum inter plantas. Gramen 8.ſiue bulboſum ex Alepo, ſiccum apud Fratrem viſum. Plin. Gramen nodoſum à radicis forma: 5.ſiue bulboſum ex Alepo.

Gramen bulboſum Alepi habui à Valerando Doræo noſtro.

## AVENA ALBA ET NIGRA.

### Cap. XX.



Deſcriptio

Haud ita facilè & promptum ex radiculis fibroſis, culmis geniculatis, foliis gramineis diſcrimen; at in panicula euidentiſſimum, quo à reliquis frumentaceis ſine negotio diſtinguas licet, quæ iubæ inſtar tremulis ſtaminibus explicata, glumis geminis laxioribus hiantibuſque, gemina grana oblonga, alba, nigra, ſuis item aliis glumis, corticibuſue duris haud difficulter cedentibus, niſi molendino, inuoluta, quorum granum alterum habitius ariſtas habet laterales, grana ſuis durioribus glumis detecta villoſa ſunt.

*Gaza notatur.* Theophr. 8. hiſt. cap. 9. inter ea quæ Tritico & Hordeo ſimilia ait, Auenam (Βρόμον. Ridiculè hîc omnia à Gaza tranſlata.) recenſet: ſed radice numeroſiore conſtare aſſerit, & multis diſpergi culmis, ac veluti ſilueſtre quoddam & immite ſemen multiplici tunica integi.

*Dioſc.* Dioſcorides Auenam (Βρόμον) tum calamo, tum foliis Tritico aſſimilat, ſed geniculis ab eo diſtinguit. In cacumine verò dependentes veluti paruulas locuſtas bipedes gerit, in quibus ſemen continetur.

*Plin.* Plinius lib. 18. cap. 10. Bromon inter externa recenſet, ab Oriente inuecta, Oryzæ ſimilia: alibi inter vitia ſegetis Auenæ græcæ (non ſilveſtris, quam ſterilem Virgilius vocat. Auena græca, Bromos: Auena cui ſemen cadit, Ægilops. Dal.) Auenam rurſus vocat Frumenti vitium, & Hordeum in eam degenerare ſcribit, vt poſtea fuſiùs dicetur. Cæterùm, Auenæ ſemen maximè nudù tradit, in quo aduerſari videtur Theophraſto, inquit Cæſalpinus, qui Bromon multiplici tunica regi teſtatur, & alibi, inquit, Auenam maximè natura operuit, vbi græcè Crocos legitur, quam vocem Auenam vertit Theodorus, ſed Bromos legendum eſt. Sed Plinius nudum vocauit: quoniam membranæ in maturitate dehiſcentes maximè nudum oſtendunt ſemen, proprio tamen cortice intectum, vt Hordeum & Spelta. Galenus frequentiſſimam in Aſia ait, & potiſſimùm in Myſia. Tertium autem genus Ægilops vocatur, manifeſtè quidem à Theophraſto Auenam vertit Theodorus; ſilueſtre quoddam & immite, quod magis in Hordeo naſcitur, terram vehementer extenuat, & multiplici tum calamo, tum radice conſtat, folio piloſo: cultis meliùs erumpit: & ſolum frugale deſiderat, & coli expoſcit, ſed deleri contumax: cùm annis alternis naſcatur: non enim ſimul prouenit ex omnibus ſeminibus, ſed partim anno primo, partim ſecundo: ſemen continuum, & bifidum cernitur, vt eius vna pars priùs naſcatur, altera poſteriùs anno ſequente. Dioſcorides autem aliam videtur deſcribere Ægilopis nomine.

Cornario Bromos eſt Auena ſatiua, & non ſponte proueniens, neque ex Hordeo degenerante producta. De bromo, inquit, Plinius ita ſcribit, vt & ipſum inter vitia ſegetis ponat, & cum Aegilope confundat, & tamen eadem quæ Dioſcorides de ipſo prodat. Germani Bromum Auenam albam; Ægylopa, Auenam nigram & barbatam appellant.

Idem alibi, Aegilops herba eſt, quæ Latinè Auena ſilu. dicitur, & erratica, & barbata, & nigra atque fatua, ea ſc. quæ inter frumentum vt pote eius vitium ſua ſponte prouenit, atque Hordeo in eam degenerante fit. Differt à Bromo, qui Auena frumentitia eſt, ſatiua, pura, & quam albā Germani vocant. Quum porrò Dioſc. l. 2. de Bromo egerit, falsò de eo in quibuſdam græcis codicibus lib. 4. poſt Ægilopa repetitur, ideoque hîc remouendus erit. *Huc vſque Cornarius.* Ei autem notam fuiſſe Auenam nigram vix dum credimus. Fatua ſiquidem non eſt: ſed æquè plena ac ipſa alba; eodem etiam modo colitur multis locis, nec deterior, interdum etiam melior, & grano maiore. Nobis præterea videtur cum temerè nimis hoc loco Theophraſtum erroris accuſaſſe. Differt enim Ægilops Theophraſti ab Aegilope Dioſcoridis, cui non conuenit Auena nigra. Sed à Cornarii ſententia alienus quoque eſt Dodonæus, duas Bromos conſtituens, vnamque frumentaceam, alteram verò herbam faciens. Et differunt ſanè etiam Dioſcoridis deſcriptiones.

Tragus Auenam duplicem agnoſcit, ſatiuam ſc. & ſilueſtrem. Sed ita rem tractaſſe videtur, vt quænam ambæ ſint, obſcurè admodum dixerit, nec facilè extricatu ſit. Theophraſtus (inquit cap. de ſatiua) tria frumenti ſylueſtris genera recenſet, Bromō ſcilicet, Auenam, Ægilopa, & Lolium. Dioſcorides verò indifferenter hoc frumenti genus nunc Ægilopa, vt lib. 4. nunc Bromon nominat, videlicet lib. 2. vbi de Auena frumento peculiariter agit. Germani Habern vocant, nonnulli alii, videlicet impoſtores illi mendici, qui vt fœliciùs homines decipiant, propriam linguam confinxerunt, quam vocamus Betlerwelſch, hoc eſt Mendicorum Stadicorum Italicum, Spitzling ab acuto ſemine dixerunt. Serapioni *Daufir* dicitur, cap. 25. De ſylueſtri inter vitia frugum, ita diſſerit: Lolii primum genus in quibuſdam aridioribus pratis, & collibus, nec non ſtramineis domorum tectis, prouenit culmo, ſtipula & ſpica, Auenæ haud multùm abſimile, fructus expers, quare lepidè Plautus in Milite dixit.

*Mirum eſt Lolio victitare te tam vili Tritico.*

qui ſenarius in prouerbium tandem abiit, quo notantur luſcioſi & cæcutientes, vide Eraſmum in Chiliadibus. Hoc Lolii genus Plinius proculdubio intellexit, cum libro 18. cap. 17. ſcribit. Primum omnium frumenti vitium eſt Auena. Nam & nos Germani id vitii Habern hoc eſt Auenam dicimus, ſed non ſimpliciter, ad differentiam enim frumenti Auenæ appellamus Gauchhabern/ vel Meußhabern, hoc eſt, Cuculi, vel Murium Auenam. Hæc Virgilio *Sterilis auena* nuncupatur, Dioſcoridi ϛείφ.

Magna eſt autem inter doctos controuerſia, quidnam ſit Auena, quid Bromos, quid denique Ægilops, de quibus ingentia volumina conſcribunt.

C. Bauh. pin. Auena 1. ſiue vulgaris ita quoque

phyt.

Phyt. ] ſeu alba : Auena Brunfelſ. Matth. Fuchſ. Dodon. Turn. Amat. Lac. Lon. Aduerſ. Cat. Tab. Lug. Auena ſatiua & prima Trag. Auena veſca, Adu. Lobel. Obſ. p. 19. Ic. p. 31. Ger. Auena frumentum, Cord. in Dioſc. Auenæ prima ſpecies, Ang. Auena mitior & ſatiua, Cæſ.

Auena, Græcis βρῶμος, forſan à βρῶμα quod cibũ ſignificat, & ἀιγίλωψ Dioſc. Ger. Habern/Boh. Hauere. Gall. *Auoine*. Ital. *Biana, Auena, Vena*. Hiſp. *Auea & Auena*. Anglis Otes/ Etes & Hauer.

Cæterùm, Auena calamina, eſt tibia vnde ruſtici plerumque cantare conſueuerunt: Matt.

*Dum tua multorum vincat Auena tubam.*

Virg. Ecl. 1.

*Syluestrem tenui muſam meditaris Auena.*

Auena item eſt, culmus & ſtipula: Virgil.

*Seges vanis (vacuis) eluſit Auenis.*

Adhæc eſt Auena herba ſegetes necans: Virgil. Ecl. 5. & Georg. 1.

*Infelix Lolium & ſteriles dominantur Auenæ.*

Symmachus : Nec rubigo ſegetibus obfuit, nec Auena fruges necauit. Steriles tamen Auenas aut ſecundum ſitum Italiæ Virgilium dixiſſe vult Horatius Gramm. quòd in Thracia fructuoſæ ſint: aut ad diſcretionem earum quæ ſeruntur.

Auena quoque terram extenuat : in Hordeo naſcitur: Tritico inimica eſt. Primum omnium Frumenti vitium Auena eſt, inquit Plinius, & Hordeum in eam (nuſquam hoc Theoph. ſed c. 1. lib. 4. cauſ. Triticum & Hordeum ſola in Lolium degenerare ſcribit ] degenerat : ſicut ipſa frumenti ſit inſtar quippe cùm Germaniæ populi ſerant eam, neque alia pulte (eam hodie quotidiano vſu frequentiſſimam Germani vocant Habermuß ] viuant. Soli maximè cælique humore hoc euenit vitium. Sequentem cauſam habet imbecillitas ſeminis cùm diutiùs retentum eſt terrá, priùs quàm erumpat. Eadem eſt ratio, ſi cariosum fuit cùm ſereretur. Prima autẽ ſtatim eruptione agnoſcitur: ex quo apparet in radice eſſe cauſam. Eſt & aliud ex vicino Auenæ vitium cùm amplitudine inchoata granum, ſed nondum matura, priùs quàm roboretur corpus, afflatu noxio caſſa mane in ſpica euaneſcit quodam abortiuo.

Terram paucis annis exhaurire Auenam, ſcribit etiam Virg. Georg. 1.

*Vrit enim Lini campum ſeges, vrit Auena.*

Loca amat rigua. Vere ſata, ſub finem æſtatis matureſcit.

Bromi ſemen vtile eſt ad cataplaſmata, quemadmodum & Hordeum, ſed & pultem ex ipſo faciunt quæ aluum ſiſtit. Succus autem ex ipſo, à tuſſientibus, commodè ſorbetur, Dioſcoride & Plinio autoribus. Bromus eſt cibus iumentorum [ inquit Galen. 1. alim. ] non hominum, niſi fortè in extrema fame, ex hoc ſemine panes facere cogantur. Extra famem verò ex aqua coctum editur cum vino dulci aut ſapa aut vino mulſo, ſimiliter vt Typha. Caliditatis autem ſatis particeps eſt ſimiliter vt illa, etiamſi non ſimiliter durum ſit vt illa. Quare etiam alimentum minus corpori exhibet. Et alioqui panis ex ipſo factus inſuauis eſt, non tamen ventrem ſupprimit, aut impellit, ſed hac parte medium obtinet. Item 5. ſimpl. ait : Bromus eſt quidem vnum ex frumentaceis [ σιτηρῶν legendum fortè pro ὀσπρίων ] ſed vt medicamentum ſimilem Hordeo vim habet. Impoſitum enim ſiccat, & diſcutit moderatè & citra mordacitatem. Eſt etiam frigidiore paulò temperamento & aliquid aſtrictionis habet, vt etiam alui fluxionibus proſit. Quod verò Plinius ait Germanos auenaceam pultem edere verum hodieq; eſt: ſed quod nõ alia pulte viuant falſum:

Noſtri [ Cornarij verba ſunt ] ex Bromo Auena farinam craſſiorem inſtar Crimni faciunt, quam cum aqua coctam addito butyro edunt aut ſorbent. Et ex farina tenui pultem parant. In Saxonia, magna farina illa, craſſior & velut Crimnon apparata, omnibus ferè obſoniis aſpergitur, vnà cum ſale & ſimul coquitur. Prudens œconomus & ouorum recentium cupidus, Io. Collerus, menſe Ianuario gallinis Auenam toſtam exhibuit, vt citiùs & frequentiùs oua parerent, quod experimento comprobauit.

## AVENA NVDA.

### CAP. XXI.



MInùs pertinaciter glumis hæret Auenæ nudæ granum, haud diſſimili argumẽto ſic appellatæ, atque Hordeum nudum, non enim habet durum corticẽ, vt Auena vulgaris, ſed plures glumas, tunicáſve tenues, paleaceas, porrò autem granum ipſum habitius eſt, & ex albo fuluescens, quodammodo ſimile Auenæ; [illegible] Fuchſiana minùs placet. Deſcriptio

Auena nuda Lob. l. in Aduerſ. pag. 9. Icon. p. 32. Dodon. Tabern. Ger. & C. Bauh. qui tertiam facit. Deſcriptio

## ÆGILOPS QVIBVSDAM ARISTIS RECVRVIS, SIVE AVENA PILOSA.

### CAP. XXII.



FOlia ſunt Auenæ foliis æmula, ſpica verò, ſi quæ alia eius generis Cerealium, admodum ſpecioſa, pedalis, rariùs tamen, glumis ſtipata. Hę quippe aliàs binæ, aliàs ternæ, longis & trium vnciarũ pediculis hærent, perquàm elegantes, glumis vtrinque munitæ oblongis, lucentibus, ſtriatis, pallidè partim virentibus, partim vireſcentibus, latioribus quàm in vulgari Auena, cui ſimilia grana intus bina communiter, rariùs ſingularia, fuluo ac penè ruffo colore prædita, pilis flaueſcentibus ac pulchrè, Byſſi inſtar, lucentibus, obſepta, quæ ferè Auenæ granis longiora ſunt. Secus quas ariſtæ exeunt gemellæ, longæ, duarum aut trium vnciarum nutantes atque incuruæ, vti crura τῶν ἀκρίδων, ſeu

locuſtarum ſylueſtrium, rigidiuſcula. Spica Auenæ ſpicam pulchrè æmulatur: nam in eius modum ex granorum, vti coniicere eſt, pondere, pedicellorúmque ſubtilitate, ita pendulæ atque tremulæ hærent glumæ, vt nec pendulas nec ſurrectas quis ſimpliciter dicere queat.

C.Bauh.phyt. Gramen 106. ſiue Feſtuca ſterilis tertia: Eid.pin. Gramen Feſtucæ 13. ſiue Feſtuca utriculis lanugine flaueſcentibus, Αἰγίλωψ Dioſc. Theophr. (vbi Gaza Auenam vertit) Gal. Oribaſ. Aegin. Hordeum feſtuca, ſeu Aegilops, Plinio. Aegilops Bromoides Belgarum, Lob. Feſtuca, prior Dod. Auenæ tertium genus ſylu. Cæſ. Auena ſylu. ſeu nigra Thal. Aegilops Dodonæi, inter Aegilopem & Bromum media, Lugd. Aegilops ſexta, Bromoides 2. Tabern.

Locus

Reperitur in Germaniæ ac Belgii agris. Sunt autem facultates incognitæ, et nondum exploratæ vires.

## GRAMEN CVM LOCVSTIS paruis candidis piloſis, ſemine auenaceo. Cap. XXIII.

Deſcriptio



INter noſtras plantas ſiccas obſeruamus gramen, neſcimus ubi collegerimus, ei ſeſquicubitalis calamus, tenuis, genicularus, foliis ſeptus renuibus palmaribus; ſpica ſũmo culmo vnica ſextantalis, minimùm diuulſa, glumarũ binarum paruarum complexu ſemen ſemper continet vnicum Auenaceum, minùs nitida lanugine obſitum, quali carduorum ſemina ſunt prædita, radix obliqua genicularim incedẽs.

Cluſius ſub inſcriptione Graminis montani Auenæ ſemine, ſic in pann. & hiſt. deſcribit: Elegans mihi videtur alterum genus Graminis mõtani ſpicati, cubitalibus culmis conſtans, tenuibus, geniculatis, qui palmaribus anguſtiſque foliis ſepti, ſummo faſtigio deſinunt in tenuem oblongamque & nutantem ſpicam, in lanuginoſis glumis, grana nudæ Auenæ ſimilima ferentem: radix tenuis eſt, multiſq; oblongis fibris prædita, ſingulis annis anteriùs ſerpẽs, vti Spartũ & Iunci.

Icon.

Cluſii figura quam aſſumpſimus minùs placet.

Tabern. Ic. & hiſt. (vbi 18.) *Gramen auenaceum*, Haber Graß. Caſp.Bauh.phyt. *Gramen 40. ſiue montanum auenaceum lanuginoſum.* Eid. pin. *Gramen auenaceum. 5. ſiue montanum lanuginoſum.* Hordeum diſtichon Gerar. icon.

Locus & Tempus.

Naſcitur ſecundum uias, in montanis vmbroſiſque Pannoniæ, Auſtriæ, & Bohemiæ: ſemen autem Iulio menſe maturum obſeruabat Cluſius.

## GRAMEN LOCVSTIS RVBRIS. Cap. XXIV.

Deſcriptio

CAlamos habet cubitales & altiores, graciles, geniculatos, foliis multis palmaribus & ſeſquipalmaribus ferè glabris ſtipatos, ſpica ſummo culmo ſedens duarum triúmue vnciarum longitudine: iubæ aliquatenus ſimiles, glumæ rubentes Auenaceis ſimiles, muticæ tamen breuiores, craſſiores, læues, tremulis petiolis appenduntur: radices fibroſæ, à capite vno pendulæ, in obliquum aguntur.

C.Bauh.phyt. *Gramen 41. ſiue auenaceum non lanuginoſum*, aliquid cum gramine montano ſpicato Cluſii Pann. p. 717 ſimilitudinis habens: Eid. pin. *Gramen auenaceum 2.* ſiue *mont. auenaceum locuſtis rubris*: 71. in prod.



Variat caule læui in montoſis: in dumetis humidis foliis cauleque ſubaſperis.

C.Bauh. qui mihi miſit, ſcribit Iulio & Auguſto reperiri in montanis vmbroſiſque circa arcem Badenvvilam in Marchionatu & Richenſtein Baſilienſium. Nos autem obſeruauimus circa *S. Hipolitum* & *S. Vrſane.* in rupibus, florens Maii principio.

## GRAMEN AVENACEVM, RARIORE grano, nemorenſe, Danicum.

D



SEſquipedali & bipedali, gracili, nitido, lucido & tremulo culmo, ſupernè breuiore, rarioréque, Auenacea gluma ornato. Radix ſummo cæſpite, Graminis canini quadantenus, ſparſa; ſed villis lõgioribus annexis: foliis ſuperioris ſyluarum auenacei Graminis deſcripti in Stirpium Illuſtrationibus noſtris, exilioribus, vti tota planta. Caſp.Bauh.pin. *Gramen auenaceum 3. ſiue [illegible] rarioribus.*

Loc

Fagineis ſiluis montoſis, non procul à Cronenburgo, vuido ſolo collegit Lobelius.

## ÆGILOPS VETERIBVS ET IN GENERE. Cap. XXV.

AEgilops Dioſcoridi herbula (βοτάνιον) eſt folia Tritico (πυρῷ) ſimilia habens, ſed molliora

liora, & in ſummo capite ſuis incluſa folliculis [hæc omittit Corn.] ſemina duo aut tria, rubra, è quibus ariſtæ velut capilli exeunt. Sed quid impedit, inquit Marantha, Ægilopem quaterna vel etiam plura in ſummo capite habere ſemina: etiamſi Dioſcorides dicat bina, ternáve illi ineſſe.

Hordeum enecat Feſtuca, ait Plinius, quæ vocatur Ægilops, quòd poculorum ægilopas ſanet, folio Tritici.

Plinium Ægilopem Auenam græcam vocare, & Feſtucaginem à Gaza reddi, legimus apud Hermol. Coroll. 752. & Io. Agricolæ cui prætereà Ægilops Dioſc. eſt Auena ſterilis Virgilij.

In Ægilope [inquit Leonic. in Plinij errata apud Brunfelſ. tomo 2.] neſcio an magis accuſandus ſit Plinius, qui in rebus adeò vulgatis, quibus nomina Latina non deerant, Græcis vtendum cenſuerit: an potiùs quoniam de eiſdem herbis græcâ appellatione monſtratis illa affirmarit, quæ ſenſus falſa eſſe deprehendit. Ex Theophraſti verbis, quorum magna ex parte ſententiam Plinius, de vitiis frugum agens, exprimere ſtuduit, facilè oſtenditur Pliniani erroris in Aegilope, origo. Poſtquam enim Theophraſtus fecerat de Orobanche mentionem, quæ amplexu ſuo Eruum ſtrangulat, ſubdit eandem eſſe Aegilopi, quam Auenam Gaza conuertit, interimendi rationem, ideò ſubiunxit Plinius, Hordeum enecat Feſtuca quæ Ægilops vocatur. Cur autem Ægilopem potiùs quam Auenam eodem loco dixerit Plinius, eam rationem affero, quòd cùm Græci duo Auenæ genera facerent, Bromum ſc. & Aegilopem, hoc verò diſcrimen nemo reddidiſſet in Italia, ob id Plin. lib. 18. cùm Auenam inter vitia frumenti collocaſſet, paulò pòſt de Feſtuca quæ vocatur Aegilops, ediſſerit: non quòd neſciret Auenæ id eſſe quoddam genus, vt nonnullos cauillari inquit Brunfelſius, me ſcil. innuens &c. Plinium in meo libello non reprehendi quòd neſcierit Ægilopem eſſe quoddam Auenæ genus, ſed ob id, quòd eodem capite modò Græcâ, modò Latinâ voce in eodem Auenæ genere vti voluerit. Nam quod Plinius lib. 18. Auenam eſſe frumenti vitium & Hordeum in eam degenerare, hoc idem Theophraſtus libr. 6. de plantis & Galen. lib. 1. de alim. de Aegilope etiam teſtatur. Quod verò etiam paulò poſt Plinius ait de Ægilope Hordeum necari, idipſum Theophraſtus lib. 5. de cauſis plant. licet alio modo quam Plinius Aegilopi tribuit. Alterum quoque faſtigium Plinius, ſi non eodem capite: ſaltem libro, aliquando Bromon, aliquando Auenam nominauit &c. Cur Plinius Ægilopem circumligando ſe Hordeum dixerit interimere, non ſcirem reddere rationem cùm nulla Auenæ ſpecies, quæ id faciat agnoſcatur, ſicuti neque Lolii &c. Sed cur Plinius in his apertis erroribus tam operosè defenditur abs te Brunfelſi vbi Plinius Ægilopis naturam peruertit &c.

Pro Plinio aduerſus Leonicenum ſtat Pandulph. Colinutius, ſed an Plinium ſufficienter defendat, Lectoribus liberum eſto iudicium. Ægilopem, inquit, quæ ſylu. Auena ſit, quis vnquam vidit vel iumenta vel homines veſci? Tum Auena Tritici & Hordei vitium eſt: quod duodevigeſimo volumine docet Plinius. Ægilops verò (vt eodem loco Plinius) Hordei morbus eſt proprior non vitium, & Hordeo innaſcitur, quod quinto quoque & vigeſimo volumine refert (populo etiam teſte) duo eſſe Auenæ genera. Frugiferum vnum: ſterile autem &c. Dioſcorides quoque de Auena, Aegilopéque ſeorſum tractans, diuerſas illas eſſe indicauit. Non Bromi quidem duas ſpecies, 2. volumine cùm referat, ſecundum à Romanis Auenam vocari: tum 4. volumine Aegilopen quoque à Romanis Auenam dici affirmat &c. Aegilopis ſemina maiora (quàm Auenæ] nigræ &c. Si Dioſcoridis & Plinii ſcriptis & rationibus, & rei ipſius euidentiâ, diuerſa eſſe mõſtratur, [Aegilops & Auena] quis Leonicenum non erraſſe defendit, qui Plinii doctrinam taxare non ſit veritus &c. Lectorum erit examinare an Plinium ſufficienter defendat Pandulphus.

*Plin. nit.*

Theophraſtum non nuſquam, vt lib. 5. cauſ. Ægilope pro inani Auena, & lib. 8. pro herba Hordeum enecãte, hic tamen corruptè Aegilopa legi: Plinium verò Feſtucam vocare, in eadémque dictione vagari. nunc frugem, nunc herbam facientem, teſtatur Rob. Conſtant. in Lexico.

*Auena ſteriles.*

*Aegilops* herba eſt quæ *Auena* Latinè dicitur, ſed ea quæ ſua ſponte prouenit, atque Hordeo in eam degenerante ſit. Virgil. ſteriles Auenas dixit. Differt *Aegilops* à *Bromo*, quòd Bromos Auena frumentitia eſt, ſatiua, pura, & quam noſtri albam vocant. Ægilops autem ex Hordeo degenerante, & inter frumentum ſua ſponte prouenit, vtpote eius vitium, & aliàs etiam enaſcitur, & Auena ſylueſtris, & erratica, & barbata, & nigra, & fatua à noſtris appellatur. Confundit tamen Bromon cum Ægilope Theophraſti & ipſum in hoc ſequutus Plin. Quum autem lib. 2. de Bromo egerit Dioſc. lib. 4. poſt ægilopa falsò ſuppoſitus in quibuſdam Græcis Codicibus habetur, & à nobis remotus eſt, inquit Cornarius. Nobis autem non videtur ita temerè erroris accuſandus hoc loco Theophraſtus. Is enim noſtro iudicio diuerſam tradit Ægilopa à Dioſcoridea, vt facilè eſt colligere ex eius verbis lib. 9. cap. 9.

*Bromos differt ab Aegilope.*

*Theophr. & Plinius redarguntur.*

*Dioſc. corrigitur.*

Aequiuocâ

Cæterùm quænam hodie ſit ſtirps Ægilops, inter authores non conuenit. Eſt enim gramen quoddam Matthiolo, quod Ægilopem exiſtimat. Eſt Feſtuca prior Ægilopis ſpecies Dodonæo: nobis Ægilops quorundam ariſtis recuruis ſiue Auena piloſa. Habet Tragus Lolium ſecundum, Ægilopem Galeni, quod Gramen *gros Montbelgardicum* inſcribitur. Ægilops Narbonenſis & calidarum regionum Lobelij. Gramen quoddam tremulum à nobis deſcribetur, quod eſt Ægilops vera Plinij, Trago. Gramen nodoſum ſuſpicatur author Hiſt. Lugdunenſis Ægilopa Plinij. Hordeum murinum cognominat Ægilopa Schuuenck f. Triticum ſecale an Ægilops, Bacchanelli. Ægilops dicitur de Auena tam alba, quàm nigra. Ægilops Bulbi genus Plinio libr. 19. cap. 5. Hoc cuiuſmodi ſit, nondum certè reperire licuit. Ægilops Dioſcoridis Brunfelſio in ſua Exageſi, eſt Conſolida regalis, de qua lib. 25. Hiſt. n. Ægilopa Dioſcoridis, quidam autumant Aquilegiam, deſcriptam lib. 30. Sed decipiuntur. Eſt porrò Ægilops ex Quercuum genere, quæ Cerrus cognominatur. Hiſt. Lugd. per Ægilopa intelligit fortè Fagum ſepium.

*Gramen Aegilops fortè Matthiol.*

*Aegilops quorundã.*

*Gramen gros.*

*Aegilops Narbonen.*

*Gramen tremulum.*

*Gramen nodoſum.*

*Hordeum murinum.*

*Secale:*

*Auena*

*Bulbi genus.*

*Conſolida regalis.*

*Aquilegia.*

*Quercus Cerrus.*

*An Fagus ſepium.*

Nomina Linguarũ

Αἰγίλωψ Græcè, & Lat. Ægilops, Germ. Taubhaber/wild vnnd vnfruchtbarer haber, Gerſtenratten, & Theod. Golio in Onom. Außkrüterete von der gerſten/Vnkraut in dem gerſten. Gallis, *Vne ſorte d'auoine nommée Aueron, ou Aueneron, Auoine fole: Auoine ſterile, Auoine ſauuage*: adhæc Ruſticis Gallis *Auron*, quaſi *auenago* vel *auenula*: in Gallia Celtica, *Coquiole*.

Tempus.

In Hordeo non niſi poſt annum à ſemine ſuo naſcitur.

Vires.

Herba cum farina impoſita ſanat Aegilopas, & duritias diſcutit: ſuccus ſeruatur ad eadem

farinæ ammixtus,ac ſiccatus,authore Dioſcoride.Plinio,Aegilopas ſanat herba eodem nomine, ſemine contrito cum farina permixto,impoſitoque, vel ſucco : exprimitur hæc è caule, foliiſque prægnantibus,demptâ ſpica vt in trimeſtri, digeritur in paſtillos. Aegilopi Galenus diſcutiendi vim attribuit, id quod ex guſtu cognoſci ſcribit: leniter enim quodammodo acris eſt, imò etiam ex eo, quòd induratas inflammationes & ægilopas ſanat.

## GRAMEN SIVE AVENA STERILIS.

### Cap. XXVI.

Deſcriptio

QVemadmodum ſpontanea pleraque ſatis ſtrigoſiora,ita & ſuæ ſpontis Auena, ſatiuæ & culmi craſſitie & altitudine cedit, cæteroqui ei ſatis ſimilis, iubâ,glumis, mollicellis breuium ariſtarum ſetis,verum ſemine aut nullo aut craſſo, ſtrigoſo.

Locus & Tempus.

In pratis circa admirabilem fontem in Ducatu Wirtembergico Auguſto menſe floret.

## ÆGILOPS BROMOIDES IVBA purpuraſcente.

### Cap. XXVII

Deſcriptio

VAlidis ſed fibroſis fundatur radicibus, culmos emittens plures,bicubitales,validos, longis internodiis diſtinctas : *folia* Auenaceis longiora, ridicula, anguſta, ſubhirſuta, potiſſimùm quà à culmis abſcedunt ; vagina ſiquidem culmum complexa glabra eſt, iuba purpuraſcens diuulſa. Inter glumas longæ, graciles, auenaceis ſtrigoſiores Iubæ emicant : quà verò petioli glumis committuntur flaueſcens villus circumnaſcitur.

Locus

In Gallia Narbonenſi tam inter ſegetes,ſed rarò, quàm ad ſqualidas aruorum margines collegit Gener Cherlerus.

## LOLIVM QVINTVM TRAGO, Hordei granis, ariſtis non admodum multis.

### CAP. XXVIII.

LOlii 5.genus exiguis & oblongis Hordei granis,ſed ariſtis non admodum multis,nec aſpetis armatum, Tragus Bromon Dioſcoridis eſſe iudicauit,ac præterea eorum ſententiam improbandam cenſuit, qui caput illud apud Dioſcoridem ceu ſuppoſititium pronunciarunt atque dãnarunt. Adductus, vt ait, authoritate Theophraſti, tria Lolii genera deſcribentis. Sed quænam conſequentiæ neceſſitas ? Theophraſtus tria deſcribit Lolii genera, ergo hoc quintum eſt Bromos Dioſcoridis.

*Tragus notatur.*

C.Bauh.phyt.*Gramen* 140. ſiue *Feſtuca ſterilis altera*: Eid.pin.*Gramen Feſtucæ* 8.ſiue *Feſtuca auenacea ſterilis humilior*. Bromos herba graminei generis Thalii.

## PHOENIX VETERIBVS.

### Cap. XXIX.

PHoenicis nomine hîc non intelligimus arborem illam, de qua lib.3.cap.de palma egimus ſed herbam, de qua Dioſcorides, hæc ſcripſit. Phoenicea herba [φοῖνιξ] quam aliqui Rhun, alii Anchinopa vocant, folia quidem hordei, at breuiora & anguſtiora : ſpicam verò Lolio ſimilem,& ramos circa radicem ſenûm digitorum,ac ſeptenas octonaſue ſpicas. In aruis tectiſque recẽs illitis naſcitur. Vim hanc habet in auſtero vino pota, vt alui profluuium, erumpentemque ab vtero ſanguinem, vrinarumq; largiorem fluxum ſiſtat. Tradunt & nonnulli in puniceo vellere amuleti inſtar adalligatã, ſanquinem ſupprimere.

Eſt & herba Phœnicea appellata à Græcis, à noſtris ordeum murinum. Hæc trita ex vino pota,præclarè ciet menſes. Ita Plinius lib.22.cap.25. An verò eadem hæc ſit, quæ Dioſc. Phœnix, illud maximè ambiguum facit, quod menſes illam ciere dicit quum Dioſc. Phœnix ſanguinem ſiſtat & alui ac vrinæ fluxum cohibeat. Galenus de Phœnice herba ſilet.

Paulus Phœnix, inquit, quam alii Rhun vocant herba eſt Lolio ſimilis. Vim habet adſtringentem. Pota in vino auſtero omnia fluida ſiſtit.

Phœ[illegible] eſſe videtur,quam Germani (inquit Co[illegible]benkorn appellant. Sicut enim Ægi[illegible]n eſt Auenæ, & *ſterilis Auena* dicitur, [illegible]is Taubenhabern : ita phœnix Ordei [illegible] ſterile Hordeum apparet. Et propte[illegible] ipſum Anchinops, aut potiùs Anchi[illegible] Dioſcoride vocatur.

Guilandinus de Papyro affirmat falli Hermolaum, Ruellium Marcellum, & qui eos ſequitur Mathiolum ( Ryſſium adde, Lobelium Dodonæum,& alios ) quòd omnes perhibeant Phœnicem,puſillam Dioſcoridis herbulam,dici à Plinio Phœniceam,& Hordeum murinum, decepti nominum ſimilitudine.

Cæterùm, pro Phœnice herba, variæ à variis exhibentur plantæ.Eſt nobis Pœnix Lolio ſimilis. Phœnicem Tragi ſuſpicor Ægilopem Matthioli. Phœnix, Leo, Carduus ferox, quid?

## PHOENIX LOLIO SIMILIS.

### Cap. XXX.

VT eſt eorum genus ferè quæ ſegetis nomine veniunt,ita & hoc vitium capillatam fibris radiculam habet culmis coactioribus plurimùm, ſeſquicubitum nonnunquam altis, perquàm tenuibus rariſque geniculis donatum ; *folia* Triticeis anguſtiora, palmum aut ſeſquipalmum longa: *ſpica* Loliacea ex atro vireſcens aut rubeſcens, glumis alternatim ex culmi faſtigio ortis, ſubiecto foliolo, Iunipero ſimili, non mordaci: *floſculi* trumentacei albi.

Lolium 4.Trago das Viert Queckengraß/ Lolium exiguum, Dinckel/Speltzen/ Dort/quibuſdam S. Petreskorn, & Wildinckel / Rot Wild haber/ Geſn.coll. ſtirp. Eid.in cat. Ein kreutlein der Gerſten gleich. Buntzen helmer,& Waldtrechor/ Lobel. Taubenkorn / Meußkorn/ & Mäußgerſten / Matth. germ. Belg. Muyſekoren : Gall. *Iuraye ſauuage*: It. *Loglio ſaluatico*: Boh.Myſſy Kaſkol.

*Phœnix* Matth. Turn. Lacun. Dod.(cui & Lolium murinum ) Caſt Cord. Lon.Cæſ. Lugd.& Lob. Obſ.p.21. Ic. plant.p.34. Hordeum murinum,Guil.Lob.Tab. Graminis Loliacei 4. genus Tragi, Tal. Lolium rubrum Ger.Gramen Loliaceum 3.ſiue anguſtiore folio & ſpica : φοῖνιξ Dioſcoridi, à ſeminis colore phœniceo, Herba phœnicea

nicea græcorum, Hordeum murinum Romanorum Plinii, C.Bauh.pin.

Naſcitur in aruis, ſecus vias, & in ædificiorum tectis: in Italia, & gallia ſrequens, & vbique ferè obuia: reperitur etiam in Vbiorum & Eburonum finibus. *Eam proximè ſequens Icon non malè repræſentat.*

## LOLIVM GRAMINEVM SPICATVM CAPVT TENTANS.

### Cap. XXXI.



STipulas habet cubitũ vnũ, duos, tréſve altas, ſtriatas, paucis nodis articulatas, foliis amictas gramineis, in ſpicam ferè ſpithamæam deſinentes, figurâ peculiari, ſiquidem alternatim ex culmi lateribus grana terna aut quaterna, & quina, in paruas ariſtas deſinentia, rubentia, triticeis ſtrigoſiora, glumis adhærentibus clauſa, pedicellis breuibus connexa, puſillæ ſpicæ forma, exeunt,

Figura Lobelii in Obſ.p.22.Ic.plant.p.35.titulo Lolij & Tritici temulenti meliùs placet, quàm noſtra, quæ iam facta erat.

C.Bauh.pin. *Gramen loliaceum* 1. ſiue ſpicâ largiore. Αἶρα Dioſc. Ariſt. Theoph. Gal. Orib. Ægin. Aet. Ζιζάνιον Conſtant. *Zinzania* Arabum. *Lolium* & *Aera*, Plinio. *Lolium* Ruell. Matth. Geſ. cat. Ama. Cordo in Dioſc. Tur. Dod. Cæſ. Caſt. Lugd. Taber. *Lolium* & *Triticum temulentum* Aduerſ. Lob. *Lolium verum*, Geſn. hort. *Lolium album* Ger. *Frumentum fatuum*, Lon. Variat: communiter ariſtas habet, ſed ſine ariſtis quoque Bononiæ obſeruatur. 2. Eidem Gramen loliaceum latifolium ſpicâ anguſtiore, quod ſic deſcribitur: Gramen loliaceum latifolium ſpicâ anguſtiore: Ex radice alba, arundinacea, fibroſa, culmi aliquot bicubitales exurgunt, foliis paucis, latiuſculis, oblongis cincti, quorum ſummo ſpica anguſta, vncias quatuor vel quinque longa, Phœnici vel Hordeo marino ſimilis. Baſileæ circa Cliben, longioribus & breuioribus foliis varians reperitur.

Lolium autem eſſe αἶραν Græcorum, non eſt ambiguum, etiamſi Plinius diuerſis locis, tanquam de diuerſis agat. Αἶραν porrò vocarunt Græci, teſte Lobelio, vt coniectura fert παρὰ τῦ αἰρέσθαι, quod eſt efferri & attolli, vel ſurſum rapi: rapitur quippe in cerebrum Lolii vapida nocua aura, atque dementiæ affinem tenebricoſam vertiginem, temulentiámque efficit. Quo quidem maleficio vel infimæ plebeculæ notum, & inuiſum plus ſatis eſt, præſertim Galloprouinciæ, Narbonæ, & paſſim in reliqua Gallia vbi *Yuraye*, quaſi ebrioſa vel inebrians vocatur. Quippe etiam in Nortmannia, Belgio & Anglia, non ſolùm pani mixta farina, ſed multò magis Cerealibus potionibus, *Ale* & *Byere* addita, & ferueſacta, torpore & temulento veterno cerebrum opprimit, & opacat, reliquáque membra torpida reddit. At foris admotum, eiuſdem ex axungia depoſitum cataplaſma, eadem pellit incommoda, doloréſque diuturnos artuum & pericranei ſoluit.

*Spica ſimilior nulli quàm Phœnici*, vt ſcitè Dioſcorides monet: eóque qui alterutram norit, ambas nouerit. Granum in dura tunica: ſtipula, radix, & reliqua Tritici, vel Secalis ſunt: eóque ea in opinione, qui ex Theophraſto eſt Senenſis, vt hæc Theophraſti peſtis, rurſum in Triticum redire ſolita ſit: vt verùm dixit, ita ineptum & phyſices imperitum ſe prodit, quum de Hippocrate Hiſtoriam, è Plinio exemplum ſexus humani mutati, adducit. Quippe neque ad rem facit hîc ſexus mutatio, & in plantis ſexuum diſtinctio non vera, ſed metaphorica & figurata doctis meritò cenſetur: igitur res vera, ratio improba. Nullus enim non nouit hic defeciſſe Lolium à Tritico, nec in fœminam abiiſſe, ſed in vitium quodpiam, aut aliam ſegetis ſpeciem; calidius enim & ſiccius eſt Lolium reliquo quolibet frumento, improbum alendo, præſertim homini, Tritico autem planè contrarium natura. Hoc enim homini ſalubre, veterinariæ autem nex plerumque. At Lolium hiſce, vti neque alitibus gallinis nocet nihil, illi tamen plurimùm, quare ſpecificæ differentiæ ſunt, non maris aut fœminæ, vt blaterabat Commentator. Quin etiam Lonicerus Germanus Botanicus minimè bonus:

*Commentator Senenſis not.*

*Lonicerus qualis Botanicus.*

Nomina linguarum

Dicitur & θύαρος Græcè: Arab. *Zizania* & *Sceylem*: Germanis **tuualch**, cum in Hordeo naſcitur: in Secale verò **treſpe/trabſendort/**& **treſdorp**, Cordo. Vocatur & **Kůhweitzen**, hoc eſt, Triticum vaccinum, & **Lůlch**, corruptâ Lolii Latinâ voce. Belg. **Dolick**. Gall. *yuraye*, ou *yuroye*, & *luille*. Ital. *Loglio*. Hiſp. *yoio* & *zezania*.

Locus.

Naſcitur in aruis cum Tritico ac Hordeo, ſeminibus ipſorum corruptis, ac in deterius, vt Galenus ait, permutatis, & ſolo quidem præſertim vliginoſo per cœli, menſibus potiſſimùm hybernis, tempeſtatem humidam.

Vires.

Lolium molitum vim habet emarginandi ac circumſcribendi nomas, & putredines, & gangrænas, ſi cum raphanis & ſale imponatur. Impetigines feras, & lepras cum ſulphure vino & aceto curat. Cum ſtercore verò columbino, & Lini ſemine coctum in vino, ſtrumas diſſoluit, & quæ ægrè maturantur, rumpit. Cum aqua mulſa coctum ac impoſitum, coxendicum morbo laborantibus prodeſt, addita polenta, aut myrrha, aut croco, aut thure. Idem ſuffitum conceptus adiuuat, authore Dioſcoride. Plinius lib. 18. cap. 17 Lolium, inquit, non minùs quàm Rubum, inter frugum morbos potiùs quàm inter ipſius terræ peſtes numerauerim. Et paulò pòſt. Aeræ granum minimum eſt in cortice aculeato. Quum eſt in pane, celerrimè vertigines facit. Aiúntque in Aſia, & Græcia balneatores, quum velint turbam pellere, carbonibus id ſemen iniicere. Et libr. 22. cap. 25. Aerina farina magis cæteris purgat vlcera vetera, & gangrænas. Cum Raphano & ſale & aceto lichenas. Lepras cum ſulphure viuo. Et capitis dolores cum adipe anſerino impoſita fronti. Strumas & panes concoquit cum fimo columbino & Lini ſemine decocta in vino. Et ibidem inferiùs. Quin & ipſæ frugum peſtes in aliquo ſunt vſu. Infœlix dictum eſt à Virgilio Lolium: Hoc tamen molitum, & ex aceto coctum impoſitúm-

q; ſanat impetigines, celeriùs quò ſæpiùs mutatū eſt. Medetur & podagræ, aliiſque doloribus cum Oxymelite. Ratio hæc, Aceti ſextario vno diluuntur mellis vnciæ duæ. Iuſtum eſt ita temperatis ſextariis tribus, decoctæ farinæ Lolii addere vſque ad craſſitudinē, calidumque ipſum imponi dolentibus membris. Eadem farina extrahit oſſa fracta. Atque hæc eſt veteris codicis lectio. Et ſanè Plinius neque integrè, neque diſtinctè medicamenta à Dioſc. præſcripta expreſſit: quanquam etiam Dioſcoridis lectio non ſatis probè ſit diſtincta. Cornarius ita diſtingui ac coniungi debere cenſuit, velut hîc reddidimus, maximè ea quæ poſtrema habentur, vt Iſchiadicis cum aqua mulſa coctum, & addita polenta, aut myrrha, aut thure impoſitum Lolium molitum prodeſſe velit: & deinde ipſum ſolum ſuffiri, & non cum aliquo ex his quæ præcedunt, quæ concoquendæ coxendicum affectionis gratia, commodè in catapiaſma Loliaceum ammiſcentur: Inepte verò ad ſuffitus adhibentur. Deſiccat vt Galenus lib. 6. de ſimpl. medic facult. & excalfacit efficaciter, vt propinquum ſit acribus, magis quàm Iris: ſed non eſt perinde vt illa ſubtilis eſſentiæ, verùm multò n ab ab hac deficit. Secundum hoc, ponat ipſum quiſpiam in principio tertii ordinis excalefacientium, ſecundi verò in fine exiccantium: *Lolium*, autem frugibus, ex quibus Cereuiſia coquitur, permixtum, ebrietatem citò excitantem eam reddit: idem poteſt pani copioſius additum. Nocet verò & oculis, caliginem ipſis adferens: quod & Ouidius Faſtorum lib. 1. ſcriptum reliquit:

*Plinius notatur.*
*Dioſcor. lectio ſuſpecta.*

*Et careant Loliis oculos vitiantibus agri.*

Atque hinc natum videtur prouerbium: vt *cæcutientes lolio victitare dicantur.*

## GRAMEN *GROS* MONTBELGARD.

### Cap. XXXII.

Deſcript. CAlamis eſt cubitalibus, nodoſis, in quibus folia graminea, ſummâ ſtipulâ ſpicæ complures in Iubæ formam conſpiciuntur, tenuibus, aſperis pediculis appenſę, vnciam circiter longæ, binis verſibus compoſitæ, granis nouenis, aut paucioribus, vix vmquam pluribus, Secales paribus, formâ aliis, rubris, canaliculatis, duris, gluma bifori hirſuta in breuem ariſtam (quæ poſtremæ glumæ geminæ) deſinenre concluſis; radices multæ, capillares.



Dodonæus hanc plantam ſic deſcribit: Altera Feſtuca, quæ propriè Secalis vitium eſt, culmis foliiſque Secale refert, culmos obtinet Tritico Hordeoue tenuiores, in quorum ſummo veluti effuſæ pendent iubæ, Auenæ propemodum ſimilitudine, ſed breuiores, arctiuſque coniunctæ. Semina oblonga, ſunt, longitudine grani Secalini, ſed anguſtiora, tenuiora, leuioraque multò, quæ membranulis ſiue utriculis paruis continentur, è quibus cùm in area teritur, concidunt.

*Feſtuca altera Dod.*

Germani Dort & Lulch vocant: Brabanti Dranich: Latinè Feſtucam alteram non malè quis dixerit. Nam inter ea quæ frugum ſimilitudinem gerunt, illaſque interim infeſtant, minimum ac leuiſſimum eſt granum: Feſtucis ea de cauſa ſimilimum.

Gramen hoc, quod Tragus lib. 2. cap. 25. pro Lolio germ. Dort dicto deſcribit, nullo modo exiſtimo fieri ex mutatione Hordei & Tritici: multò minus idem eſſe cum planta, quam pingit pro Dort & Lolio. Hordeum, Triticum, & Dort Tragi annuæ ſunt plantæ, non repentes: ac præterea ſpicis inter ſe multùm diſſident. In eo etiā aberraſſe videtur, quòd Aegilopa Galeni, ſed non Dioſcoridis, eſſe crediderit, ſed potiùs *αἶρα* eiuſdem, & Zizaniam Auicennæ. *Lol. Tra.*

Sed & Dodonæus (perhibente Geſn. hort.) Aegilopem fecit Dort germanicè dictam, eamque lib. 2. imag. pro Lolio pinxit: circa finem verò eiuſdem libri, ſe emendans, Ægilopem nuncupauit & peſtem Secalis eſſe dixit. Refert idem Geſner. Tragum hanc plantam tertio inter Lolia loco deſcribere, qua in re non parum hallucinatur: nam ſecundo, ni fallor, loco traditur. *Aeg. Gal. Aer. Ziz. Aui. Dod. ratu*

C. Bauh. pin. dicitur Gramen Feſtucæ 1. ſiue Feſtuca graminea glumis hirſutis: Lolium 2. Trag. at 1. icone Ægilops & Feſtuca, Dod. gall. Geſner. hort. Bromos, Lac. altera, Ger. Bromos ſterilis altera, Lob. Obſ. p. 21. Ic. plant. p. 33. & Hiſt. Lugdunenſis Lolium Lon. Feſtuca altera Dodonæi Gramen murorum Dalech. Lugd. Feſtuca graminea, Tal. Phœnicis altera ſpecies, Eid. Simphonium, Bromos herba, Tabern. Variat ſpicis, quæ aliquando quaſi in faſciculum comprehenſæ, & Phœnix altera eſt Thalii: aliquando diſperſis: ſic aliquando glabris, aliquando hirſutis & propriè Secales vitium eſt. Syn. *Var.*

Propriè Secalis vitium eſt: cum aliis enim frumentis, aut non rariſſimè reperitur: ſuccreſcit, veluti & alia huius generis, per imbres frequentes: anni hyemiſque conſtitutionem clementem ac tepidam. Loc.

## GRAMEN SPICA HIRSVTA, ad Gramen *du Gros* accedens.

SVmmus culmus ſpicâ inſignis eſt duum triumue vnciarum Triticeæ ſimili, magis diuulſa, glumis multiplicibus, hirſutis, ariſtis mollicellis, perbreuibus, nec effatu dignis: folia per ſtipulam ſeſqui cubitalem anguſta, villoſa, candicantia. Radices craſſæ, duræ, fibras craſſiuſculas habent appenſas, perennes. Deſc.

Nemauſi inter Triticum præcipuè obſeruauit & collegit Genet Cherlerus. Locu.

## GRAMINI MVRALI DALECHAMPII ſimile, ſi non idem.

AD Gramen *du gros* Montbelgardenſibus dictum nonnihil accedit: à quo natalibus aliiſque quibuſdam notis differt: naſcitur enim in parietinis, culmis multis cubitalibus & altioribus, Deſcri.



bus, foliis ad genicula non ita diſſimilibus, ſed hirſutis & ferè caneſcentibus; iuba eundem habet cum gramine *du gro* poſitum, cuius partium textura itidem diſtichos, ſpicas breues imitata, ariſtis mollibus breuibus, glumas etiam molles, ſtriatas, armantibus, tantillùm hirſutas, ſquammatim incumbētes, ſtrigoſiores, & ſemine craſſas. Radix capillaribus fibris contexta eſt. Niſi figuram paratam habuiſſemus, meliorem exhiberemus.

Figura Hordei murini Tabern. optimè conuenit noſtro Gramini, ſed cætera nomina, ut Phœnicis & Lolii non item, exiſtimo præter autoris ſententiam figuram plantæ quam non intelligat appoſitam. Frater Caſparus attulit ex Italia nomine Cynopis Theophraſti & Canariæ.

Genevæ obſeruaui & in valle Grieſbachiana ad thermas acidas: Patauii prouenit, nec non Baſileæ & Montbelgardi.

## ÆGILOPS MATTHIOLO FORTE.

### Cap. XXXIII.



Folia graminea, anguſta, hirſuta: culmi plures, cubitales, geniculati, tenues, paniculam ferunt ſinguli multifariam diuerſam, cuius portiunculæ ſquammatim è pluribus glumis compactiles ſpicam paruam mentiuntur, locuſtis Auenæ non multùm diſſimiles, aliàs ſingulares, ariſtis donatæ mollibus, longis.

Lobel. ſic deſcribit: Bromos, ſiue Auena ſterilis, ab Auenis veſca, vſu quidem diuerſo, ſed genere & figura non diuerſa: vtrique enim vt nomen ſic facies, & natales eadem. Sed minore gracilioréque pedali ſtipula, apiculiſque ſtamineis delicatioribus, minimè mordacibus, comoſa effigie, ſemen fermè euanidum, in tunicis fermè vacuis.

C. Bauh. phyt. pag. 23. Gramen 104. ſiue Feſtuca ſterilis.

Trago fortè Lolij 1. genus eſt, quod Plinium lib. 18. cap. 17. per primum omnium frumenti vitium, Auenam intellexiſſe aſſerit: Virgilium verò per Auenam ſterilem, & per Phœnicem Dioſcoridem. Vocat germ. Gauchhabern & Maußhabern, hoc eſt, Cuculi vel murium Auenam.

An Matth. in prior. Comm. Ægilops ſiue Feſtuca, Ananienſis ruri vulgò *Squala*. Arabib. *Dauſir, Dalifit, Doſana, Dauſer*, ſiue *Duſſer*: Ital. *Egilopa*. In poſt. comm. ſimilem habet figuram ſine deſcriptione pro Ægilope prima, olim vera exiſtimata, vt ait, Italica nomina adimens. *Videant ergo Lectores, qualiter ſe extricent ex Matthioli ſcriptis.* *An Aegilops Matth.*

Tabern. icon. p. 134. & Hiſt. p. 666. Ægilops 1. Auena fatua. Gerſten/ Twalch Gauch habern/ haber gras, αἰγίλωψ, Feſtuca, Feſtucago, Gazæ Bromos ſterilis, Virgilio Auena ſterilis 1. georg. Plinio Hordeum feſtuca l. 18. cap. 17. Ital. *Squallo & Squala*. Galli, *Lauron & auron*. Angl. Dravich & wile otes. Fland. & Brabantis. Dravich. Spicæ Hordeo ſimiliores, niſi minores eſſent, nec ita aſperæ, ſed molliores. *Aegilops 1. Auena fatua Tab.*

Dodon. gall. βρόμος πόα, Bromus herba, & Auena herba. gall. *Aueron* aut *aueneron*. Eid. Hiſt. frum. & in fol. Lat. Bromus herba Auenæ & Ægilopi ſimilis eſt, habituque ipſo ſylueſtris quædam Auena, multiplicibus enim geniculatiſque culmis, foliiſque eam refert, licet vtriſque tenerioribus: iuba rarior, ariſtas aſperiores, longioréſque habet: radice firmatur copioſa ac tenui. Nominant eam Græci βρῶμον πόαν, id eſt, Bromum herbam, ad differentiam Auenę, quæ Græcis quoque βρῶμος aut βρόμος dicitur. *Bromus herba. Dod. gall.*

Lobel. in Adu. notat falsò primam dici Ægilopen apud Matthiolum, & Bromon eſſe. In Obſ. p. 20. figuram Dodonæi habet nomine Bromi, vocans p. 21. Feſtucaginem Gazæ, Italorum *Vena vana*, id eſt, Auenam caſſam, & *Orzo ſaluatico*, & demum Ægilopem alteram, non primam Matthioli. *Matth. Bromos Lob.*

C. Bauh. pin. Gramen Feſtucæ 7. ſiue Feſtuca auenacea ſterilis elatior βρῶμος Dioſc. aliis βρῶμος πόα ad differentiam Auenæ. Feſtugago Gazæ. Lolii primum genus, Trag. deſ. Ægilops prima Matthiol. altera in comp. Ægilops Lac. vera Geſn. hort. Bromos, & Auena herba, Dod. gall. Feſtuca & Auena Græca, Lon. Auena ſterilis, Adu. Thal. Bromos ſterilis Lob. icon. Ger. Bromos herba, Dod. Lugd. Auena Græca Cæſ. Ægilops 1. & Auena fatua Tabern. *Gramen Feſtucæ C. Bauh.*

Herba natura ſua in totum ſylueſtris, Aeſtate Maio menſe ſecus vias in pratis, agrorum marginibus & ſegetibus reperitur. Locus & tempus.

## GRAMEN TENVIFOLIVM HIRSVTVM, BARBA ÆGILOPIS OLIM Matthiolo.

### Cap. XXXIV.

Radices tenues albæ, è quibus enatorum culmorum pars ima nodoſa, ſatis profundè in terram depacta, feſtucis ſiccis comata, vt in Nardo Indica: folia dodrantalia, anguſta, hirſuta, potiſſimùm quà calamos ambiunt, anguſtiora multò quàm ſint Aegilopis Matthioli: calami hirſuti, geniculis nigris diſtincti, iuba diuulſa, vt in Aegilope glumis craſſioribus ex pediculis robuſtioribus, rubentibus, cum ariſtis multò breuioribus. Deſcriptio.

*An Dod. Gramen pratenſe 3. Gramen minus Lob.*

An Dodon.Lat.in fol.Gramen pratenſe 3. ſine deſcriptione.

Lob.& Pena aduerſ. p.2. Gramen minus (ſic in Ic.p.1.)iſtud quidem quod fundit montanus, incultus,& aridior ager, vt pabulo gratius & vtilius velleri, ſic multò delicatius,minus & ſemine efficacius eſt. Ex ſuccincta hac Lobelii deſcriptione nondum intelligo quam plantam intelligat: ſuſpicor figuram demonſtrare à nobis deſcriptam,non tamen aſſero.Tabern.icon. Gramen minus,& Hiſt.vbi Gramen 4. Graß. Figura Tabern.videtur facta ad imitationem figuræ Lobel. vti Dodon.Scio fratrem Gramen minus Lobelii & Tabern. ad aliam plantam referre.

Locus. Geneuæ prouenit,aliiſque in locis obſeruauimus.

## PANICVM VVLGARE, PVNICEVM, & ſpica diuulſa. CAP. XXXV.

*Panicum vulgare.*



Deſcriptio. PLures ex radice fibroſa culmos erigit Panicum, geniculatos,farctos, quibus adnata folia longa, lataque, Arundinaceis ſimilia: faſtigium verò culmi ſpicam fert clauæ inſtar, dodrantalem ferè, breuiſſimis ariſtis aſperam,numeroſiſſimis,luteis, rotundis, nitidis, Milii minoribus,folliculis inuolutis, denſè ſpicatâ: Panicum rubrum vti prouenit in horto,radices habet fibroſas, ſed validas, ſubtubentes, caules verò duûm aut trium cubitorum altitudine,loco fœcundo, firmos, ex viridi rubeſcentes, crebris geniculis interceptos,ramoſos, & læues, præterquam ſub ſpica,quę ſeſquipalmum longa è ſpiculis compluribus denſè congeſtis componitur in minoribus plantis, ſpica nô apparet ita ex ſpicatis compoſita, in quibus ſemen Panici vulgaris copioſius,glumâ etiam non alia, ſed ariſtis, quæ inter grana plurimæ emicant purpuraſcentibus:folia arundinacea, frequentia, vaginis longis caulem inuoluunt, adeoque & inferior vagina ſuperiorem excipit, tactu aſpera.Eſt mihi quoddam Panicum ſpica inſigniter diuulſa,cuius figuram, nouam exhibemus,ſicutietiam Panici punicei,alias vti paratæ erant proponim⁹ pro vulgari.

*Panicum puniceum.*



*Panicum ſpica diuulſa.*



E frumentis quæ Hieme in herba ſunt,verno tempore in culmum geniculatum & concauum faſtigiatur Panicum, quod pro indiviſo [Conſtant. legit, tantùm pro indiuiſo:exponitque ſine diuiſione, in commune, communiter. Quo genere loquendi vſus eſt Cato cap. 137.] & paruis auibus expoſitum eſt. Indefenſum quippe membranis continetur. Eſt verò à Paniculis dictum, cacumine languidè nutante, paulatim extenuato culmo penè in ſurculum,prædêſis aceruatur granis cum longiſſima pedali obba. Diocles Medicus mel frugum appellauit. *Hæc Plin.*lib.22.cap.25. Dioſcorides refert Panicum alios Melinen appellare,& frumentaceis ſeminibus, Milio ſimile.Et hæc eſt fortè occaſio, cur Tragus inſcribat Milium agreſtè ſeu exiguum klein oder wilder Hirß / quod alii Pannicum, Germ. feuch & Heidelfeuch appellant. Indicauit porrò & Typham, à paniculata iuba nominandâ.

Ruellium, Panicum in Italia Melicam vocari ſcribentem hallucinari refert Matthiolus in prior.comm. vbi ἔλυμον à Græcis appellari ait, Arab.*Dochon*: Italis *Pannico*: Germ. Pfenich/heydel-Pfenich pray/Fuchſchwantz i.e. cauda vulpina: Hiſp.*Panizo*,& *Paniſo* Gallis *Paniz*. Meminit in poſt.comm.Lat.cum mag.fig. Panici pedali longitudine panicula: tradit & aliud, mammoſas ferè paniculas gerens, & ſemen racematim proferens copioſiore prouentu: addit colore paniculas variare: nam quaſdam candicare, alias rufeſcere, plures flaueſcere. In It.aſſerit Paninici genus quoddam ſemine luteo,& aliud albo: figuram ponit qualis noſtra ad puniceum facta. Cæterùm errandi occaſionem præbuiſſe videtur Ruellio nominisMelicæ cum μελίνης,ſiue μελίνη vicinitas, quæ fecit vt Panicum & Sorghum inter ſe confuderit,& Melicæ deſcriptionem cum Panici miſcuerit.μελίνη ἢ μέλινος dictum videtur quaſi Melleum quidpiam:ἔλυμος verò,ſorſan ab ἐλύω, quod eſt inuoluo.

C. Bauh.pin. *Panicum* 1. ſiue *Germanicum*, ſiue *Panicula minore*: *Panicilum* Fuſch.Tur.Dod.Cord. Geſn. hort. Lon. Lob.Obſ. p.24. Ic. p.41. Cæſ. Cam. Tab. Ger. Variat paniculis albis, flauis & purpureis: ſemen album,luteum,rufeſcens:Dioſcorides frumentaceis, Gal. leguminibus iungit. Eid. *Panicum 2.ſiue Italicum*,ſiue paniculâ maiore. *Panicum* Marullo,Hermolao,Ruellio,Matthiolo, cui & *Domeſticum*: Anguil.Cæl.Portæ. *Panicum*

*ſati-*

*ſatiuum*, Lugdunenſi. *Panicum vulgare*, Cluſ.Hiſt. *Panicum aliud Indicum, panicula villoſâ*, Lob.Ic.p. 41. *Panici Indici ſpica* Dodon. *Panicum Indicum.* Tab. Ger.

Plinius lib.18.cap.7. recenſet Panicum inter frumenta æſtiua, ea ſc. quæ æſtate ante Vergiliarum exortum ſeruntur. Cap.26. Extremo ergo hoc tempore Panici ſatio eſt. Iuſtum eſt hoc ſeri maturato Hordeo, atque etiam in eodem aruo. Eſtque ſignum illius maturitatis, & horum ſationis commune, lucentes veſpere per arua Cicïndelæ. Ita appellant ruſtici ſtellantes volatus, Græci vocant verò lampyridas, incredibili benignitate naturæ. Cap.17. Panicum in frigido & aquoſo priùs ſerendum, poſtea in calido agro. Peſtem à Panico ſturnorum paſſerumve agmina, abigunt herba, cuius nomen ignotum eſt, in quatuor angulis ſegetis defoſſa: mirum dictu, vt omninò nulla auis intret. Cap.10. Panicum aquis minimè gaudet, cùm in folia exit. Vetant id inter vites arboréſque frugiferas ſeri, terram emacrari hoc ſatu exiſtimantes.

Panicum Dioſcorides Milio ſimile dixit, eodémque modo in panes ſubigi: eoſdem habere vſus: minùs tamen & nutrire & adſtringere. Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur, inquit Plinius lib.18.cap.10. Sed & circumpadana Italia, addita faba, ſine qua nihil conficiunt. Ponticæ Gentes nullum Panico præferunt cibum. Item lib.22.cap.25. Panicum effectus habet quos Milium. In vino potum prodeſt dyſentericis. Similiter his quæ vaporanda ſunt, excalfactum imponitur. Siſtit aluum in lacte caprino decoctum, & bis die hauſtum: ſic prodeſt & ad tormina. Colum.Panicum pinſitum, & euolutum furfure, ſed & Milium quoque, pultem, panis inopia, maximè cum lacte non faſtidiendam præbet. Galeni ſententiam ex 1.de alim. vbi Milium minùs aluum cohibere dicit, quàm Panicum, ſuo loco adſcribemus. Cæterùm ei contrariatur Dioſcorides, quod & ego inquit Corn.) ita ſe habere credo. Verum 6.ſimpl.phar. ita de Panico ſcribit, Panicum quod & *Meline* vocatur, ex leguminibus eſt ſimile Milio, & ſpecie, & viribus parum adens, & ſiccandi vi præditum. Siſtit etiam ventris fluxiones, quemadmodum Milium. Si verò extrinſecus impoſitum fuerit, ſiccat & frigefacit. Quo loco ἐκ τῶν ὀσπρέων ἐστὶ, legitur: quod Dioſc. dixit τῶν σιτηρῶν ἐστὶ. Indiſcriminatim enim τὰ σιτηρὰ Galenus etiam ὄσπρεια vocat, alioqui enim ὄσπρεια appellari dixit illa cerealia ſemina, ex quibus panis non fit. At verò quod Plin. dicit, Dioclem panicum mel frugum appellaſſe, non aliud eſt quam expoſitio vocis μελίνης, quâ melleum quid ſignificatur.

Porrò, licet apud Hiſt. Lugdunenſem legatur nullum hodie Panici nec officinis, nec panificio eſſe vſum, quòd, cùm ſiccum admodum & macilentum ſit ſemen, parum admodum præbeat alimenti, ideóque auiculis obiiciatur. Cluſius tamen perhibet magni per vniuerſam Germaniam, Vngariam, & Bohemiam Panici vſus eſſe: etenim in alimentum cedere ac pultes ex eius ſemine deglumato fieri non ingrati ſaporis.

## PANICVM COERVLEVM SIVE INDICVM.

### Cap. XXXVI.

SOrghi altitudinem aſſequitur Panicum Indicum, ſimiliter ex fibroſa valida radice multos emittens culmos eóſque medulla alba farctos, foliis donatos ad ſingula genicula arundinaceis: iamverò cylindraceas ſpicas, non in ſummo tantùm culmo gerit, vt noſtrate Panicum, verùm etiam è nodis & alis foliorum aliam ſpicarum ſobolem parit, quæ vt longitudine cedunt noſtrati, ita craſſitie vincunt, piloſæ: In his ſemen ſtipatu denſo Panici noſtratis, ſubcœruleum, Milio par, ab vna parte, quâ adhæret ſecundum longitudinem ſtria donatum, læue, gemellum ferè, ex pediculis vnciâ longioribus, piloſis, glumis inuolutum.



Cluſ. plantam noſtram ita deſcribit: Eſt præter Panicũ vulgare genus aliud ex Peruana prouincia primùm in Europam illatum: habet autem id culmos longè craſſiores, firmiores, altiores vulgari Panico, & planè harundinaceos, vt quos humanam altitudinem attingere, interdum etiam ſuperare plerumque viderim, crebris geniculis & veluti, articulis præditos, & lanugine obſitos: folia harundinacea è ſingulis articulis prodeunt, longa, lata, dura. Melicæ foliis non valdè diſſimilia: inter quæ prodeunt è geniculis alii veluti breuiores culmi, ſimilibus foliis obſiti, deſinentes in ſpicam digitalis longitudinis, nonnunquam breuiorem, & duntaxat pollicarem, densè compactam, & æqualis propemodum vbique craſſitudinis: ſemina oblongiuſculis gracilibúſque petiolis innixa proferentem, & capillaceis veluti glumis incluſa, quæ extimâ parte è glumis prominente, craſſiora, magis rotunda, & quaſi orbiculata ſunt, læuia, ſubcœrulei coloris, qui in calidioribus regionibus magis ſatur eſt, raro tamen vel in Germania, vel in Belgica (in illis enim prouinciis ſæpe terræ mandaui eius ſemina ex Hiſpaniis accepta) ad plenam maturitatem proueniunt: radices eius fibroſæ ſunt, validiores & maiores, quàm in vulgari Panico. *Panicum Americanum.*

C.Bauh.pin.p.27. *Panicum 3. ſiue Indicum* ſpica obtuſa cœrulea. *Panicum cœruleum Indicum*, Adu. Lob. icon. Cam. Tabern. *Panicum Indicum* Dod. Ger. ſiue *peregrinum*, Lugd. *Panicum Americanum*, Cluſ.Hiſt. Pannicula eſt ſubcœrulea, in calidioribus regionibus magis ſatura. Panici nomine & Phalaridis Aethiopicæ accepimus huius plantæ ſemen. Synonyma *Phalaris Aethiop.*

Figura Panici Indici Dodon. de frum. & in fine Hiſt.Flor. ac in fol. Lat. ſatis commoda ſi ſemen pingeretur duplex ex vno pediculo: deſcriptio an quadret Panico hæreo.

## PANICI AMERICANI SESQVIPEDALIS SPICA.

### Cap. XXXVII.

HVius Panici Americani ſpicam craſſam valdè firmam & bene compactam, non vbique Deſcriptio

tamen æqualem, ſed paulatim & ſenſim extimâ parte graciliſcentem, ſeſquipede longiorem, nec tamen integram ad me mittebat (inquit Cluſius) Londino Iacob. Garetus anno 1592. à Nauclero quodam Anglo ex ſua nauigatione reduce emptam, cuius ſemina, non multò maiora mihi viſa, quàm illius Panici Americani, cuius modò memini, cæteroqui prorſus ſimilia: niſi plura ſimul iuncta, & hiſpidâ glumâ incluſa, breui pediculo inniterétur: illius ſtirpem naſcentem videre non licuit, nam ſerere neglexi, quia vetuſtate nimis reſiccatum exiſtimabam, ſpicam tamen in ligneâ tabella Francofurti exprimédam curabam à perito artifice, vt hoc loco insererê, digna enim mihi videbatur, cuius aſpectu alii etiam fruerentur. Proximè autem ſequête anno ſcribebat ad me N.V. Carolus de Taſſis veredariorum Antuerpiæ Præfectus, ipſi natas iſtic plantas ſemine quod ab eodem Gareto acceperat, non valdè diſſimiles illis, quæ iam à multis in Belgicis hortis ſunt conſpectæ: nec diſſimiles etiam ſpicas ſiue paniculas protuliſſe.



Cum hac ſpica eandem attuliſſe Generum Cherlerum redeuntem ex Anglia 1605. exiſtimamus, eamque à Iacobo Gareto peritiſſ. Pharmacopœo datam, minorem tamen præcedenti. Eſt autem tantùm palmaris, quia nondum matura vt iudicamus, ea repræſentat aliquomodo plantaginis ſpicam aut Piper longum, vtraque parte gracilior: craſſitudinis circiter calami ordinis, conſtat veluti ſquamis pulchrè ordine ſurſum tendentibus, ſcapus diducitur in plurima fractu mediocriter contumacia fila: Color pallens, obſcurior, ſapor nullus manifeſtus

Synonyma C.Bauh.pin. *Panicum* 4. ſiue *Indicum ſpica longiſſima. Panici Americani ſpica grandis vel ſeſquipedalis*, Cluſ.Hiſt. *Panicum Aethiopicum ex Guinea*, Cluſ.hiſt.ap.ad lib.6.

---

## PHALARIS.

### CAP. XXXVIII.

Deſcriptio CVlmo adoleſcit ſeſquicubitali, Hordeaceo, quatuor aut quinque geniculis nodoſo: foliis Hordeaceis, radice habitiore, vnicuique culmo, qui ex vna radice plures pronaſcuntur, ſpicæ ſingulæ inſident, ſeſquiunciam aut vnciam longæ, turbinatæ, foliaceis glumis ſtriatis ſquamatim ſcandularum ritu compactiles, è quarum ſinu tremula floſculorum pallidulorum filamenta promuntur, iiſdemque poſtea locellis ſemen reconditur lubrico nitore Milii, forma Lini, ſed magnitudine ſuppar.

Dioſc. Phalaris Dioſcoridea caliculos emittit à tenuibus ac nullius vſus radicibus numeroſos, bipalmes, geniculatos; culmis Zeæ ſimiles, graciliores tamen ac ſapore dulces, ſolia itidem Zeę (ἰχνότερα δὲ κ) γλυκέα τῇ γεύσει, τὰ φύλλα δὲ ὅμοια τοῖς τῆς ζέας. Côcluſa habentur in vet. cod. itêque apud Oribaſium, at in vulg. exemplarib. deſiderantur) ſemen verò Milii magnitudine, candidum & oblôgum.



Phalaris thyrſum habet longum, tenuem, ceu calamum, in ſummo flore inclinatum: Semen ſimile Seſamæ. Ita Plinius lib.27.cap.12. non adeò conſonè Dioſcoridi, quanquam ſanè de eadem herba dicere videatur. Plin.

CornariusPhalaridem officinis ignotam dixit: & ſub diuinatione Herbariorum poſitam, qui eam inter Milium & Hordeum naſci putent, nomine Germanis adhuc ignoto. Quidam tamen verum Milium Solis eſſe aſſerunt, quod Officinæ minus appellant. Phal. Corn. ignot. Mil. Soli.

Apud Tragum Phalaridis figuram aliquis poſuit ſub titulo Phalaridis Dioſcoridis, Daß 7.Queckẽn Graß: interea Tragus hanc plantam non deſcribit eo loco, nec eam intelligit. Pha. apud ...gum

Lonic. huius deſcriptionem exhibet ſine deſcriptione.

Matth. in prior. com. Phalarim eam ſuſpicatur quæ in ſylueſtrium frugum genere, à quibuſdam recenſetur, adeò vt non deſint etiam, qui hanc appellent Sylueſtre Milium, ſemine Milii ferè magnitudine. In poſt.comm. vbi pictura, omittit Milii ſylu. nomen quaſi olim confuderit cum Phalaride. Mili Phal. dupl.

Videtur Geſn.hort. Phalaridis ſpeciem vnam ſilueſtrem admittere, at alteram ſatiuam.

C.Bauh.pin. *an Melia altera Theophraſti, Phalaris Dioſc.* Trago icon. Phalaris Matth. Ang. Tur. Dod. Cord. Geſn. hort. [cui & *Canarienſe ſemen*,] Lon. Lobel. Cæſalp. Caſt. Cam. Lugd. Tabern. Ger. *Phalaris herba*, Geſn. catal. *Milium alterum* Theophraſti Dalech. in Plin.

Peregrinum hoc ſemen Belgio eſt, authore Dodonæo, inſertur autem ex Hiſpania ac Fortunatis inſulis. Seritur Vere: ſub finem Aeſtatis matureſcit. Non modò è Canariis ſacchatinis & Hiſpaniis, ſed etiam Narbonenſi agro, via ad Magallonem prope ſegetes ad pontem, Phalaridem veram, eiuſque enatum ſemen fœliciter in Belgio & Anglia habuimus ait Lobelius: quò Inſtitores Canariis philomenis pluſquam ſaccharatas & mellifluas cantilenas modulantibus alendis venum aſportant ſeminis magnâ vim. Nos variis in hortis colimus ſemine maturo Auguſto. Loci Tem.

Herbæ tuſæ ſuccus, Dioſcoride dictatore, ex aqua aut vino expreſſus ad veſicæ cruciatus utiliſſimè bibitur. Semen quoque cochlearis menſura ex aqua potum, ad eadem eſt efficax. Plinio calculos frangit ſemen, potum ex vino vel aceto, vel cum melle & aceto. Idem & veſicæ vitia ſanat Vires

ſanat, Galenus Phalaridis herbæ & ſuccum & ſemen, & folia pota ad veſicæ dolores opitulari, velut eius quæ tenuium partium quid & calidum habet, credi teſtatur. Alimento eſſe, & nonnullos panes pinſendos curare, eſitaréque ad calculum farctúſque veſicæ, perhibet etiam Lobelius.

## PHALARIS MAIOR SEMINE NIGRO C. BAVH.

PHalaris 2. ſiue maior ſemine nigro: *Cuneni*, Melitenſium incolis: granum in Melita frequens, Canariis inſulis familiare, Maſſiliæ notum, nigrum, oblongum, à Milio ſimile, quo Canarios paſſeres præcipuè nutriunt: ex grano aliquando à Dalechampio ſato natum, referente C. Bauh. in pin.

## PANICVM SYLVESTRE DICTVM, ET DENS CANIS. I.

### CAP. XXXIX.



GRamen Panicum ſylueſtre quibuſdam dictū, radices habet tenues frequētiſſimas, eoque nomine euulſu difficiles: culmi plures palmares, atque etiam dodrantales, geniculis paucis articulati, obliquè articulantur, obliquè erigũtur, aut per terram repandi reclinantur: denuóq; actis radiculis attolluntur: ſingulis calamis, ſingulæ inſident ſpicæ Panici, minores, aſperæ, verſibus adhærentes; per maturitatem ruffeſcentes, breuibus pungentibus ariſtis obſeptæ, inter quas ſemina parua Panico minora. Folia graminea, albicantia, hirſuta, aſpera, partem culmi ceu vagina amplectentia.

Fuchſius, cuius icon hic aſſumpta diſplicet, vocabat Phalaridem Plinii; hanc quam Geneuæ nominant *Panicete*, quaſi vacuum Panicum. Ego tamen non puto Phalaridem Plinij ad hoc Panicū referendum. Sed crediderim potiùs eum l. 18. c. 17. intelligere per Herbam albam Panico ſimilem, occupantem arua, pecori quoque mortiferam. An Ruell. lib. 2. cap. 118. Herba ſpecie frumentum, folio Tritici &c. in aruis naſcens. Frumentum ruri caudati frumenti nomine norum? An eid. lib. 1. cap. 82. Holoſtium, Denticulus canis Ruri, gramen molle Herbariorum nonnullorum?

Cordus in Dioſc. Ruellium reprehendit, vt qui ſibi non conſtet, quòd Holoſtium à gallis, Denticulum canis appellari ſcribit: Quòd idem rurſus alibi gramen, alibi Coronopum, Dentem canis eſſe dicat. Sed an Cordus ritè mentem Ruellij perceperit, dubito, & an animaduerterit, nomen Dentis canis à gallis aliquot plantis ſimilibus tribui, vt huic & duabus ſequentibus.

An Rhegino in exerc. Alopecuros, Panicum agreſte, non Frumentum caudatum, Lat. Cauda vulpina, Herba Tritico ſimilis ſcholaſticis? An Gorrh. Frumentum caudatum, aliis Alicopecuron aliorum? *An Alopecuros?*

An Cæſalp. Alopecuros vera ſi particulatim floreret, Panicaſtrella vulgò vocata, Panicum ſylueſtre fortè dicendum?

An Trago Lolium 7. quod Phalarim Dioſcoridis eſſe putat? An Thal. Phalaris ſilu. maior, ſpicis aſperis, lappaceis veſtibus adhærentibus.

Lonicero pro Phalaride Dioſcoridis deſcribitur, ſed non depingitur. Figura enim quam pro Phalaride exhibet, eſt alterius plantæ. *Lonic. not.*

Matth. in comm. cum mag. fig. habet deſcriptionem ſub Panico ſylueſtri, quæ conuenit huic noſtro Denti canino primo paniculâ ſimplici, non item figura, quæ Panici eſt panicula ſparsâ, aut diuulsâ. *Matt. taxat.*

Lob. in Ic. plant. pag. 13. tom. 2. eſt Panici effigie gramen ſimplici ſpica. Tabern. Ic. & Hiſt. gramen panicum 1. fench graß. H. Lugd. p. 412. Panicum ſylu. aliud Dalechampio, quæ fortaſſe fuerit Herba alba Plinii. Quidam tamen eſſe volunt eiuſdem Scriptoris lib. 22. cap. 25. Miliariam herbam, quæ Milium necat, & trita, cornúque infuſa podagras iumentorum ſanare dicitur. Magis tamen placet eorum ſententia Dalechampio, qui Albam herbam eſſe putant. *Herba alba Plinii.*

C. Bauh. phyt. *Gramen 94.* ſiue *Panicum ſylueſtre, ſimplici ſpica,* vel *Milium ſylueſtre, Lolium 6. Trag.* Eid. pin. *Gramen paniceum tertium* ſiue *ſpicâ ſimplici: ἐλυμάγρωστις. Lolium ſextum, Miliaria herba* Plinij, Trag. Panici effigie gramen ſimplici ſpicâ, Lob. icon. *Panicaſtrella,* Cæſ. *Panicum ſylueſtre aliud.* Dalech. *Herba alba fortaſſe Plinij,* Lugd. Gramen paniceum primum. Tab. *Gramen cyperoides ſpicatum,* Ger. icon. Variat: aliquando enim ſpica oblonga: aliquando breui & rotunda. *Synon. C. Bauh.*

Inuiſa Olitoribus herba, annua quidem: oritur æſtate: ſemen maturat Auguſto: perit Autumno. Paſſim obſeruatur. Has ei vires adſcribit Tabern. *Locus & tempus.*

## GRAMINIS GENVS QVIBVSDAM GALLIS Dens caninus 2. ſiue Panicum ſylu. paniculâ diuulſa.

### CAP. XL.



CAlamos è radice fibris compluribus craſſiuſculis conſtante; quæ locis humidis emittit duos tréſve cubitos altitudine æquantes: *Folia* Arundinacea in acutum mucronem deſinunt, iubam explicat palmarem & ſeſquipalmarem ſubrubentem, aut è rubore nigricantem, è crebris ſpicis *Deſcriptio*

compoſitam , denſo granulorum Paniceorum, glumis mucronatis , ſubhirſutis,nunc muticis, nunc ariſtatis, idque interdum in eadem planra incluſorum,ſtipatu confertis, libero tamen coſtæ dorſo,vt in Gramine Mannæ.

*An Oriza ſpec. Cord.* An Cordo in Dioſc.Oryzæ ſpecies , Germanis Schuader nuncupata,Seſamum non abſque errore puratum.

*An Miliũ a Ang.* An Anguill.Milium ſecundum, Milium ſilueſtre Galeni , cuius meminit lib.2. de antid. fortè Iſchæmon Plinii?

An Trago Lolii ſextum genus,Miliaria Plinii.

*Matth not.* Matth.in com.cum mag.fig.ritulo Panici ſilu. ponit figuram paniculâ ſparſa,quæ videtur exprimere plantam primùm prouemenrem , & loco humidiori , carentem ariſtis : deſcriptio autem convenit Panico ſilu.paniculâ ſimplici.

*Iſchemon Plinii* Multò aptiùs Iſchæmonis hiſtoriæ Plinii quadrare viſum eſt Cluſio Milii genus hoc ſilu. & ſupinum, vt vocat, quàm Panico ſilueſtri.

*Panic ſilu.* Dodon.frum. & in fol.lat.( vbi Panicum paluſtre a nonnullis vocari ait) figuram minùs bonam oſtendit.Ad Graminis autem genus,ſilueſtre hoc & ſpurium degenerque frumentum , cerealium ſeminum vitium , Gramen mannæ alterum, referendum ipſi viſum fuit.

*C. Bauh. phyt.* C.Bauh. phyt. Gramen 92. ſiue panicum ſilueſtre ſine ariſtis : panicum ſylu. Matthioli , &c. Irem , Gramen 93. ſiue panicum ſilu. cum ariſtis, per omnia priori reſpondens,niſi quòd ſpicæ vtriculi in oblongã ariſtam deſinunt.Rurſus,Gramen 95. ſiue panicum ſylu.ſpica aſpera: Lolium 7.Tragi : Panici effigie gramen ariſtis circumvallatum Lobel.icon.p.14.

*C.Bauh.* Panicum ſilu.de quo hîc agimus ſpicâ ſingulari non obſeruauimus.Quare rres ſpecies non facio. In eadem enim planta interdum obſeruo ſpicarum vtriculos deſinenres in ariſtam , alios eadem deſtitutos , ita vt luſus naturæ hac in re negari non queat. Euenire autem cum dicimus ratione ſoli,atque ætatis. Huc porrò Lolium 7. Tragi non refero.Siquidem ſpicæ longæ , aſperæ atque lappaceæ, veſtibus adhærentes ſunt , quas in hoc Panico ſpica diuulſa non obſeruo. Sed ipſemet in pin.( vbi non ampliùs tres , ſed duas ſolùm ſpecies facit ) Lolium 7.Tragi , & Panici effigie Gramen ariſtis circumvallatum Lobelii ſeparat.

*Gramen Paniceum* 1.ſiue *ſpica diuiſa* , inquit , eſt Panicum ſilu. Matthioli: Lob.in Adu.p.15. Caſt. Cam. H. Lugd. Tab.& Gerardi : *Panicum Herbariorum ſilueſtre Lobelii.* Obſ.p.25. ( vbi perperàm Lolium Cordo ) Ic. plant.p42.tom.2.*Gramen alterum mannæ* Dod.& Hiſt.Lugd. *Milium ſilu. & ſupinum*, Cluſ.hiſt. *Panicaſtrellæ ſpecies* Cæſalp. An Milium ſilu.*Iſchæmon* , Anguill.ſpica ſubinde ſingularis,non rarò mulriplex , eaque modò herbacei,modò atrorubentis coloris eſt. Item Gramen paniceum 2. ſiue ſpica ariſtis longis armata, Panici effigie Gramen ariſtis circumuallarum Lobelii,Ic.Plant.p.14. *Gramen Paniceum* Ger. *ſecundum* Tabern.

Nos nondum ſeparamus ab inuicem , ob iam adductam rationem.Illud duntaxat monendum cenſuimus,ex Lobelii figuris eam meliùs placere quæ exibita eſt apud eum p.14.quæ & à Mathiolo pingitur.

Locus Paſſim prouenit, nonnunquam paluſtribus locis delectans : hortis odioſa & moleſta herba. Frequens eſt[ inquit Dodon.] iuxta agrorum aggeres, in hortis & alibi : reperitur non modò in Germania & Belgio, verùm & Italia , Gallia , ac aliis Europæ prouinciis.

## GRAMINIS GENVS DENS CANINVS tertius, ſiue Gramen primum,vel Galli crus.

### Cap. XXXXI.

CVlmos ex radice fibroſa plures promit, tribus quatuorue articulis nodoſos , ſubinde etiam ramoſos, ſubrubentes : *folia* Triticeis breuiora,latiora,hirſuta , culmos longiuſcucula uagina inuoluunt: *iuba* ſingulis inſidet culmis palmum aut ſeſquipalmum longa,quatuor,quinque pluribus ſetis comata , quarum alteri parti ſecundum longitudinem è bifori gluma *floſculi* purpuraſcentes adnari, auerſâ parte nuda ſulcata, ſemen iiſdem glumis concluſum panici granis longius.



Ruelliuslib.*. cap.62. Theophraſti, Plinii, Dioſcoridis Coronopũ ait,à Leoniceno primò vulgari nomenclarura declaratã,& eum cenſere dici Capriolam, Sanguinariam : Olitores Gallos vocare Denrem canis: Hanc generibus Graminis Plinium aſſignaſſe nobis exprimentē eandem eſſe, quam Græci Coronopum & Romani Gramen vocarent aculearum. Quod autem Leoniceni Capriola Coronopus Diſcoridis ſit (cuius ſententiæ quoque eſt Monardus)negat Matthiolus in Dioſc.lib.2.cap.123. Verùm eos aberrare non putat, qui dicunt Sanguinellam ſiue Captiolam eſſe aculeatum gramen Plinii Dactylon vocatum.Neque uſquam ſe legiſſe ait,expreſſiſſe Plinium (ut Ruellius teſtari videtur) Gramen hoc aculeatum,eſſe Coronopum. Graminis huius ſemen,Germanos Himeldaw , hoc eſt, cœleſtem Mannam , Sclauos verò Cornicis pedem appellare. Et hinc factum eſſe , vt quaſi certò crediderint, quod Leonicenus ab iis fortè ſeductus,puraret hanc plantam Dioſcoridis coronopum. Lib.4.c.28. vocat Gramen aculearum Plinii , Hetruſcorum Sanguinellam & Capriolam. In poſt.comm.cum mag.fig.diſtinguit lib.4. Gramen Mannæ à Sanguinella tanrùm ſatione : ait enim Gramen Mannæ multis in Germaniæ locis ſeri. Cærerùm , nec in ſpontaneo , nec in culto hoc gramine, craſſam radicem , qualem Matth. pingit,obſeruaui. Meliùs placet Camerarii figura in Epit.germ.

Aculeatum Plinii Gramen eſſe negat Dodon. Lat.his verbis : Ad graminis genus referendum videtur & hoc Gramen Mannæ primum , ſylueſtre,ſpurium,degenerque frumentum, cerealium ſeminum vitium , quod pleriſque Italiæ & Germaniæ,

inaniæ locis incultis ſua ſponte exit, reperitur & in Bohemia ſylueſtre, apud quos tamen & in agris ſeritur, veluti & in Goritienſi agro & Carinthia, vti Matthiolus refert, apud Belgas peregrinum, non niſi ſatum prouenit. Germani Himmeldaw, id eſt, Cœli rorem appellant, Matthiolo ea de cauſa Mannæ gramen, Mylij ſylueſtre ac ſpurium quoddam videtur genus. Creditur à Leoniceno ac Ruellio Capriola ac Sanguinaria dicta. Sunt qui velint Plinij gramen aculeatum eſſe, ſed quia eius omninò breuis deſcriptio, aſfirmari nihil poteſt. Multùm autem à veritate recedunt, qui Coronopum eſſe exiſtimant. Coronopus ſiquidem, vt Dioſcorides ait, per terram repit, & folijs eſt fiſſis: huius verò culmi erecti aſſurgunt, & folia harundinacea nequaquam in partes finduntur, quæ Mannæ gramen non eſſe Coronopum euidenter oſtendunt.

Cluſius in eo hallucinari deprehenditur, quod Iſchæmon Plinij (ita noſtram hanc præſentem ſtirpem in Hiſt. inſcribit) quod Milij genus ſylueſtre & ſupinum facit, in humidis naſcens, folijs aſperâ lanugine obſitis, Panicum ſylueſtre Matthioli eſſe, ſibi imaginatur.

Lobel. in Adu. p. 5. ſub gramine hirſuto nemoroſo, huius meminit vocans in fine, gramen aliud Recentiorum, ἴσχαιμον Plinij. Sequenti pag. 4. vocat Iſchæmon vulgare, Crus Galli, Dactylon Plinii, & Aculeatum, Sanguinellam & Capriolam Italorum. Fruſtra autem hîc quærit an ſit Scirpus Tragi. Matthiolum etiam, meo quidem iudicio, immeritò reprehendit, quòd vulgarem Sanguinariam cum gramine Mannæ eandem aſſeruerit, cùm potiùs congeneres, quàm eædem ſint.

Necdum ſanè mihi conſtat, cur Tabern. gramen Mannæ, hoc eſt Mannegraß / Himmelsdaw à ſuo Iſchæmo, ſiue gramine ſanguinario primo ſeparet. Vocat hoc germ. Blutgraß / quod inſigne ſit aduerſus hæmorrhagiam ſanguinis remedium. Illud in hiſt. duplex ſtatuit, ſcil. ſatiuum & ſpontaneum. Veteres autem huius non meminiſſe decernit: dici verò Neotericis gramen Mannæ cœleſtis, gramen eſculentum, gramen cereale, Capriolam, & Herbam Capriolam & Sanguinellam. Boh. Roſa, Vandalis & Sclauonibus pedem cornicis, h. e. Kraen fůß, vocatur tamen & Hanenbein, hoc eſt, Crus Galli.

Geſn. cat. Coronopus, Capriola vulgò dicta. Eid. hort. graminis ſpecies, Sanguinaria Auicennæ: Item, gramen album ſeu hirſutum, Manna cœleſtis Matthioli.

Cæterùm ad hoc caput ſub vno & eodem titulo referimus C. Bauhini in phyt. *Gramen* 86. 87. & 91. quia nondum intelleximus, an reuera differentes ſint plantæ, vel an culturâ tantùm varient. Horum I. vocatur in pin. *Gramen echinatum & aculeatum* 3. ſiue album capitulis aculeatis Italicum. *Gramen aculeatum* Matth. Caſt. & H. Lugd. pag. 435. II. inſcribitur gramen dactyloides ſiue Iſchæmon 4. ſiue gramen dactylon folio latiore, *Sanguinaria Comitis Neuenaræ*, Tragi, *Canaria Plinij, & galli crus Apulei*, Anguill. epiſt. 12. *Coronopus* Leoniceni, *Iſchæmon* Geſn. cat. Cluſ. hiſt. & Tabern. *Iſchæmon vulgare* Lob. in Adu. pag. 4. Obſ. pag. 12. icon. plant. p. 24. & Gerardi, *Iſchæmon Plinii*, Cluſii Hiſt. quoad iconem, *gramen Iſchæmon Plinii*, H. Lugd. ſiue Dactylon pag. 426. Variare hoc dicitur ſpicis, plerumque quinis & ſenis, rarò quaternis, rariſſimè ternis. III. appellatur *gramen Dactyloides* ſiue Iſchæmum 8. ſiue gramen Dactylon eſculentum, *gramen Mannæ* Matth. & Caſtoris, *gramen aculeatum*, *Sanguinaria*, *Capriola*, Leon. Ruell. Ang. *Frumentum* German. Schwaden, Orizę ſpecies, Cord. in Dioſcor. *gramen album* ſeu *hirſutum*, Geſn. hort. *Manna cœleſtis Germanis*, Eidem *gramen Mannæ eſculentum*, Lobel. in Adu. Obſ. pag. 13. Icon. plant. pag. 24. & Ger. *gramen Mannæ primum*, Dod. Tabern. *gramen aculeatum* 1. *Plinii*, Thal. *graminis genus, quod in Germania ſeritur* Cæſalp. *gramen Mannæ prius* Matth. & *prius* Dod. Hiſt. Lugdun. pag. 414.

Annua eſt planta etiam hortis valdè odioſa, Dens caninus ſylueſt. tertius, qui Iulio apparere incipit. Ab hoc ſatiuus, quem priuatim gramen Mannæ vocant, non niſi culturâ differre videtur. Locus & tempus.

Cacumina pueri naribus inferunt, extrahúntque vt ſanguinem eliciant: & hinc ab effectu Hetruſci vulgò *Sanguinellam* vocant: in Germaniæ locis ſeri ac coli audio [inquit Matth.] non minori cura, quàm cætera frugum & leguminum genera. ſiquidem eius ſemine frequenter veſcuntur in cibis, quòd in iure carnium pinguium decoctum non minorem cum palato ineat gratiam quàm Oryza: cui ego facilè præpoſuerim: in pila autem ipſum tundere oportet, vt à ſuo reſiliat putamine. Huius in acetariis hactenus nullus eſt vſus, licet Geſner. in cat. hoc aſſerat. Nunc an tales & tantas vires obtineat, quantas perhibet Tabern. fides penes ipſum eſto. Vires & vſus.

---

## GRAMEN DIGITATVM HIRSVTVM.



Perēni radice & firma nititur, ex qua culmos emittit cubitales & bicubitales, tenues, rubentibus geniculis nodoſos, frequentiùs ſingulares, aliàs ramoſos: folia tres quatuórve vncias longa, anguſta, & raris longis pilis hirſuta, ſubinde rubeſcentia, ſtatim à radice partim, partim ſed minora (exceptâ vaginâ) ex culmis oriuntur, panicula iubata, quatuor aut quinque ſpicis comata, gramini Mannæ ſimilibus, minoribus purpuraſcentibus, molli lanugine villoſis, ex glumarum mucrone ariſta molli ruffa prominente, floſculorum ſtaminula ſaturatiore purpurâ tinguntur. Deſcriptio

Eſt hoc Tabern. *Iſchæmum ſecundum*: C Bauh. phyt. *gramen* 89. ſiue *Dactylon* 3. *ſpicis villoſis*: Eid. pin. *gramen dactyloides* ſiue *Iſchæmon* 5. ſiue *Dactylon anguſtifolium ſpicis villoſis, tribus* 6. 7. & 10. *varians*. Synonyma

Baſileæ frequens ad pomerium Albanum & alibi locis ſiccis & ſqualidis. Locus.

## MILIVM.

### CAP. XLII.



Deſcriptio

MIlium pluribus *culmis* craſſiuſculis bicubitalibus & tricubitalibus, breuibus internodiis interceptis ſurgit: *folia* arundinacea vnciâ latiora, hirſuta, præſertim quâ parte denſa lanugine obſita ſunt & euidentiùs ſtriata; in ſummis ſtipulis, juba explicatur ampla, ad longa tenuiaque ſtamina, inermibus glumis comprehenſa, grana lubrico læuore lucida, parua, colore ſæpius fuluo, vel aureo, rariùs albo, rariſſimè ſtriato, radices crebræ, fibroſæ, validæ, albicantes.

Synonyma cum nominib linguar.

Græcis, vt Dioſcoridi, Galeno (qui ſecund. de antidot. Milii ſilueſtris mentionem facit) & aliis κέγχρος, & non vt Straboni κέγχρος dicitur, à numeroſiſſimis & minutis granis Ficuum, quæ κεγχραμίδες vocantur: Hippocrati iuxta Galeni gloſſam πόσπαλος & non πασπάλη, ut vult Hermolaus: Arab. *Ieuers, Geguers, & Gtauers*, ſecundum verò Serapionem *Dochon.* Hebr. *Dochan*: Latinis vt Plinio, Brunfelſ. Trago. Matth. Fuſch. Turn. Dod. Cordo in Dioſc. Lac. Lon. Lob. Obſ. p. 24. Ic. p. 29. Geſn. coll. Caſt. & Tabern. *Milium*, à miliari ſumma ſc. Feſto. quaſi milleſimum granum ferat. *Milium vulgare* Lob. in adu. & Geſn. hort. *Milium commune* Anguillar. *Milium noſtras* H. Lugd. p. 409. *Miliũ Aureum & album* Cam. *Milium* 1. ſiue ſemine luteo, vel albo C. Bauh. pin. Milium Dioſcoridis, Theophr. & Plinii, Cæſalpino.

Nomina linguarũ.

Germ. Hirß, & Hirſz: Belg. hirs & *Milie* Gall. *Mil* & *Miller*: It. *Miglio*: Hiſp. *Milhe*, & *Miyo* Angl. *Myle*: Boh. Proſo.

*Meline ineptè.* *Farina miliacea.*

Varro Milij nomen ineptè à Græco deducit, Melinen id vocari dicens: nam Dioſc. & Galenus per Melinẽ Panicum intelligunt. Farinam miliaceam, ſeu fractum Milium ſunt qui *Scrutum* vocari putent, in Horatij verſu illo.

*Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.*

Sunt tamen & aliæ ſcruti appellationes. Noſtra autem ſtat ſentẽtia ſcruti nomine vetera & corrupta ferramenta, pannos veteres, veſtimenta quoquo modo deprauata, vaſa dimidiata, ſupellectilémque tandem quamlibet præfractam, ſignificari, id quod docet Lucilius apud Gellium, his verbis: Quid ni? & ſcruta quidem vt vendat, ſcrutarium laudat.

*Miliariæ aues.*

A Milio, *miliarias aues* dictas eſſe, quòd ad hanc frugem turmatim ſe conferant, eaque veſcentes ſaginentur, placet Varroni. Porrò quamvis Cenchridi aui nomen videatur Milium indidiſſe, eam tamen miliariam non eſſe certum eſt, cùm cenchridem, vt refert Plinius, accipitrum generis Græci faciant, quàm Latini *Tinniculum* à voce & ſono, vocant; Galli verò *Quercerelle*, vulgò bene cognitam, quòd in altis urbium turribus nidificet.

Plinius lib. 18. cap. 17. docet quomodo Milium muniendum ſit à vermibus & paſſeribus, dum ait: Reliqua ſemina [Milij & Panici, intelligimus] Cupreſſi foliis tuſis ſi miſceantur, non eſſe vermiculis obnoxia, nec ſi interlunio ſerantur. Multi ad Milij remedia, rubetam noctu aruo circumferri jubent, priùs quàm ſarriatur, defodíque in medio incluſam vaſe fictili: ita nec paſſerem, nec vermem nocere, ſed eruendam priùs quàm metatur, alioqui amarum fieri. Quin & armo talpæ contacta ſemina vberiora eſſe. Democritus ſucco herbæ, quæ appellatur aizoon, in tegulis naſcens tabulisve, latinè verò ſedum aut digitellum, medicata ſeri jubet omnia ſemina. Vulgò verò, ſi dulcedo noceat, & vermes radicibus inhæreant, remedium eſt, amurca pura: ac ſine ſale ſpargere, deinde ſarrire. Si in articulum ſeges ire cœperit, runcare, ne herbæ vincant. Peſtem à Milio atque Panico ſturnorum paſſerúmue agmina ſcio abigi herba, cuius nomen ignotum eſt, in quatuor angulis ſegetis defoſſa: mirum dictu, vt omninò nulla avis intret. Mures abiguntur cinere muſtelæ, vel felis diluto, & ſemine ſparſo, vel decoctarum aqua. Sed redolet virus animalium eorum etiam in pane. Ob id felle bubulo ſemina attingi vtilius putant. Rubigo quidem, maxima ſegetum peſtis, lauri ramis in aruo defixis, tranſit in earum folia ex aruis. Luxuria ſegetum caſtigatur dente pecoris in herba duntaxat: & depaſtæ quidem vel ſæpiùs, nullam in ſpica iniuriam ſentiunt. Retonſarum etiam ſemel, omninò certum eſt, granum longius fieri, ſed inane caſſumque, ac ſatum non naſci. Babylone tamen bis ſecant, tertiò depaſcunt: alioquin folia tantùm fierent. Sic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit exilitas ſoli: verùm diligentioribus cum centiſſimo quinquageſimo. Neque eſt cura difficilis, quàm diutiſſimè aqua rigandi, vt præpinguis & denſa vbertas diluatur. Limum autem non inuehunt Tigriſque, ſicut in Ægypto Nilus. Nec terra ipſa herbas gignit. Vbertatis tamen tantæ ſunt, vt ſequente anno ſpõtè reſtibilis fiat ſeges, impreſſis veſtigio ſeminibus: quæ tanta ſoli differentia admonet terræ genera in fruges deſcribere.

Milium porrò leuem, ſolutámque deſiderat terram, nec in ſabuloſo ſolùm ſed & in arenoſo quóque proveuit, modò vel humido ſolo, vel riguo ſolo: nam ſiccum cretoſúmque reformidat, vt ait Columella. Ante ver commodè ſeri non poteſt: quoniam teporibus maximè lætatur. Vltima tamen parte menſis Martij commodiſſimè terræ committitur. Plinius Milium inter frumenti quóque genera verna connumerat, & eo Campaniam præcipuè gaudere tradit. Milium Theophraſtus refert ſiccitate ſua diuturnum eſſe: idem plus annos centum durare, ſi quò ventus & aër non perueniant, condatur, auctor eſt Varro.

## MILIVM SEMINE NIGRO SPADICEOVE.

SEmine Baſileâ miſſo facilè mihi prouenit in horto E. C. Montbelgardi, in quo ex ſemine deciduo quotannis renouatur. Non eſt hoc illud Milium nigrum olim Romam allatum ex India cuius Plinius lib. 18. cap. 7. meminit.

Milium

*Milium 2. ſiue ſemine nigro* C. Bauh. pin. eſt Milij nigri ſpecies apud. Oribaſium, Ang. *Milium ſemine nigro & latiore iuba* Lob. Obſ. *Milij alterum genus è colore nigro deterius*, Cæſ. *Milium iubâ ſubinde coloris nigricantis*, Dod. *Milium nigrum* Taber. Cam. Ger.

Hoc quod in Argouia Bernatum frequenter ſeritur, à vulgato differt foliis latioribus, caule non adeò alto, jubâ ſparsà & minore, ſemine aliquantùm majore & rotundiore, & ad pultes conficiendas altero longè vtiliore.

Milio (cuius adhuc apud Nigritas in Aphrica magnus eſt vſus) nonnunquam in pane vtuntur, vrgente frugum penuria, inquit Galenus, panis tamen ex eo exigui eſt alimenti, & refrigerans. Conſtat inſuper præaridum, & inſtar arenæ friabilem eſſe: nihil enim in ſe habet pinguitudinis, & lentoris. Iure ergo aluum humidiorem exiccat. Agricolæ huius farina cocta, admiſto adipe ſuillo, & oleo veſcuntur. Panem etiam & pultem ex Milio fieri teſtatur Plinius, cùm ſcribit. Milio Campania præcipuè gaudet, pultémque candidam ex eo facit. Fit & panis prædulcis. Sarmatarum quoque gentes hac maximè pulte aluntur: & cruda etiam farina equino lacte, vel ſanguine è cruris venis admixto. Hæc puls etiam germanis hodie in vſu eſt, cum lacte cocta butyro addito, & ſaccharo plerumque aſperſo. *Alibi Plinius*. Panis, inquit, multifariè & è Milio fit, è Panico rariùs. Sed nullum frumentum ponderoſius eſt, aut quod coquendo magis creſcat. 60. pondo panis è modio redeunt, modiúſque pultis ex tribus ſextariis madidis. Panis ex Milio conficitur, inquit Columella, qui antequam refrigeſcat, ſine faſtidio abſumi poteſt. Sed quamuis panis ex Milio niſi in magna reliqui frumenti penuria non fiat, ait Galenus, tamen is dum recens eſt, vt ſcribit Matthiolus, & à piſtore rectè paratus, vt Veronæ fit, & ita calidus, vt è furno excipitur, deuoratus, ſua quadam ſuauitate placet, & à multis expetitur. Cùm verò obduruit, planè ingratus eſt. Siluicolæ Tridentini ſola pulte Miliacea quam vulgò *Polenta* vocant, aluntur, eam cum lacte edentes. Sed carbonarios opilionéſque Tyrolenſes quum percunctaretur Lobelius, num vera ſcripſiſſet Matthiolus, nimirum eos ſolo Miliaceo pane, vel Polentâ lacte incoctâ veſci, eum ridebant. Milium, inquit Dioſcorides, in panes coctum minùs cæteris frugibus alit: ſiſtit pulte ſua aluum: vrinam cit. Torretur Milium, feruénſque in ſacco ponitur, vt torminibus, reliquíſque doloribus, ſi ægra pars foueatur, auxilio ſit. Milium Galeno primo ordine refrigerat, exſiccat verò tertio exoluto, aut certè ſecundo intenſo: habet etiam paululùm tenuitatis. Ex hac tum conſiſtentia, tum temperatura inſtar edulii comeſtum planè inter omnia frumentacea minimùm confert nutrimenti, ſed & ventrem ſiccat. Porrò foris impoſitum in ſacculis, idoneum eſt fomentum iis quæ citra morſum exſiccari poſtulant, & cataplaſmatis modo illitum exſiccare poteſt. Attamen admodum friabile eſt. Proinde difficile eſt eius in cataplaſmatis vſus. Idem alio in loco fomenta ex Milio in capitis dolore laudat, quòd, vt ait Hippocrates, leue ac lene ſit Milium. Sic enim ille ſcribit, fomentum ſiccum ex ſale ac Milio torrefactis, ac laneo marſupio exceptis accommodatiſſimum. Etenim leue ac lene Milium eſt, quod Plinius leuiſſimum ac molliſſimum eſſe dixit. Milio ſiſtitur aluus, diſcutiuntur tormina, in quem vſum torretur antè. Neruorum doloribus, & aliis feruens in ſacco imponitur, neque aliud vtilius, quoniam leuiſſimum molliſſimúmque eſt, & caloris capaciſſimum. Itaque talis vſus eius eſt ad omnia quibus calor profuturus eſt, farina eius cum pice liquida ſerpentium, & millepedæ plagis imponitur. *Hæc Plinius*. Milium igitur ad flatus repellendos fomentum eſt optimum, præſertim ſi cum ſale commixtum fuerit. Quin & præſtantius redditur additis chamæmeli floribus. Milium medicamenta & carnes, ſi in eius aceruo ſepeliantur, à carie & putredine diutiùs vindicat.

VVeck. in Antidot. ſpec. ſyrupum ex Milio componit, quem Ambroſij cognominat, laudans eum in febribus, vt qui ſudorem prouocet, & ſitim extinguat. Recipit autem Milii excorticati quantitatem conuenientem, decoquit donec crepet: dein recipit vnc. v. vel circa, eius iuſculi bullientis, & infundit vini albi odoriferi vnc. ij. & ſic calidum dat patienti ac bene eum cooperit, & ſic mirum in modum ſudaturum promittit. Sed mihi magis probatur ſententia Montagnanæ conſil. 395. de thermis, qui ait ſe expertum, Milium ex lacte inſigniter ſudorem compeſcere. Dioſcorides enim aluum adſtringere ſcribit, & Galenus ex eo panem frigidum eſſe. Matthias à Michou de Sarmatia Aſiana refert Tartaros bibere Cereuiſiam ex Milio confectam, vocaréque *Buzam*, Rutenos verò *Braham*. *Syrupus.* *Cereuiſia Miliaris.*

Lubet coronidis loco memorabilem hiſtoriam à Milio petitam ſubnectere quam Th. Zuingerus in methodo ſimilitudinum, ita recenſet. Tartarorum princeps Amorabecus ad Lazarum Seruię Deſpotam miſſis Legatis, ad tranſitum in Vngariam petendum, mulum Milio onuſtum adiunxit, & coram Deſpota ſaccos exonerari voluit, vt innumerabiles Tartarorum copias eſſe ſignificaret. Deſpota in tertium diem reſponſo delato, Gallos interea, capos & gallinas fame excruciatas magno numero in effuſum Milium emiſit. Qui cùm paruo temporis ſpatio totum abſumpſiſſent: ad Legatos conuerſus, Renunciate ergo Regi veſtro, inquit, quantumuis innumera Milij grana ei adſint, tamen neque nobis edaces gallos defuturos. Cui quidem voci omen adfuit: Tartari enim facta irruptione, à Seruiis magnâ ſtrage repreſſi fuêre. *Similitudo notabilis.*

---

## MILIVM LVCIDVM ARGENTEVM EX CAIRO.

### CAP. XLIII.

VVlgari Milio magnitudine cedit, magíſque rotundum, in acutum vmbilicum terminatur, tenui argenteo valdéque lucido cortice, & à medulla leui attactu ſeparabili, Medulla Milii vulgaris, alba, inſipida ferè, dentibus friabilis. *Deſcriptio*

An hoc intelligit C. Bauh. in pin. per Milium 3. ſiue Sabæum: *Millo* frumentum in Guinea paruum. Milij forma, ſed dulcius, ex quo panem & vinum conficiunt in Regno Sabo: ad Cluſ. curas poſt.

Româ ab amico quodam acceptum attulit gener H. Cherlerus nomine Milij ex Cairo. *Locus.*

---

## SORGHI. CAP. XLIV.

SOrghi peregrino nomine dictum multos ex fibroſis radicibus emittit culmos homine pro- *Deſcriptio*

ceriores robuſtos, craſſos, geniculatos, medulla alba farctos, foliis ſtipatos arundinaceis: faſtigia culmorum in iubam effunduntur palmarem aut pedalẽ, è multis flexuoſis lentis loris contextam, quibus è tenuibus pedicellis, appenſa hærent copioſiſſima grana, lentibus æqualia, compreſſa, nonnihil oblõga, nunc alba, nunc fuſca, & quandoque nigra.



*Panicum Trag.*

Tragus ſub Panici inſcriptione hanc ſtirpem delineauit, & à paniculis quibus ſemen ineſt, ita denominauit:

*Milium Italicum. Nomina linguar.*

germ. Welſch hirß, h.e. Milium Italicum, quòd ex Italia in Germaniam aduectum ſit, nominauit. Aliis tamen Sorg ſamen appellatur, h.e. Sorghi ſemen. Belg. Sorg ſaet: Gall. *Blé barbu*, ou eſpece de Paniz, aut cum Italis *Sorghi* vel *Sorgo*: Hetruſcis *Saggina*: Inſubrib. *Melega* & *Melegua*, teſte

*Ruell lapſus.*

Matthiolo, qui Ruellium, panicum in Italia Melicam appellari ſcribente, apertè hallucinari demonſtrat. Sed Ruellio fortaſſe errandi occaſionem præbuit nominis Melicæ & *Μελίνης* ſiue *Μελίνη* vicinitas, quæ fecit vt Panicum cum Sorgo,

*Melica Matth.*

& huius deſcriptionem cum illius deſcriptione confuderit. Frugis eſt genus tam forma, quàm proceritate arundinem referens, adeò vt campi, in quibus ad maturitatem uſque adoleuerit, arundineta repræſentare videantur. Eius tamen calamus, non, vt vulgarium arundinum, inanis eſt, ſed ſacchariferarum arundinum modo, alba farctus medulla. Paniculæ, quas ad Cybelis pomorum magnitudinem ſummis proferunt culmis, quædam cùm maturitatem ſenſerint, in nigro ruffeſcunt: quædam verò nigredinem in vniuerſum contrahant, granis compluribus onuſtæ. Depectitur granum à ruſticis, moliturque in farinam, & inde in agreſtem cogitur panem: etſi in Hetruria potiùs ad Columbarum, gallinarumque feratur ſaginam, quàm ad hominum alimentum.

*Milium Indicum Plinio.*

Hoc Plinio lib. 18 ca. 7. Milium eſt Indicum, quod tamen non animaduertit Ruellius alioqui maximus Plinii ſectator. Plinius enim ſic habet. Milium intra hos decem annos ex India in Italiam inuectum eſt, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis, lobas vocant, omnium frugum fertiliſſimum.

*Sorgi Fuchſ.*

Fuchſius, qui peregrinum hoc genus Frumenti, *Sorgi* vocat, ait ignorari quo nomine Veteribus ſit appellatum, niſi Farris genus ſit, quod in Gallia rubrum & barbatum frumentum nuncupetur. Certò tamen nihil affirmat: nam Panicum etiam referre, quamuis magnitudo repugnet, admittit.

*Fuchſ. notat.*

Dodon. gall. Panici ſpeciem quidem eſſe ſuſpicatur: aſt Farris genus; contra Fuchſium, negat. Et hinc ait in Hiſt. Lat. Frumen. & in fol. Melica

*Milium ſa-*

ſiue Sorghum, Luſitanis *Milium Saburrum* appellatur; nonnulli tamen Panicum peregrinum, aut Indicum cognominant, id ipſum videlicet ex Panici genere eſſe exiſtimantes; quorum certè opinio probabilior eſt, quàm eorum, qui illud inter Farris genera reponunt. Cum farre ſiquidem ſimilitudinem nullam, cum Panico verò aliquam habere poteſt. Conuenire & cum eo Milio videtur, quod Neronis principatu ex India in Italiam inuectum eſt.

Videtur Cæſalpino Milium Indicum eſſe ex genere Calamagroſtis, id eſt, Graminis arundinacei. Nos eorum ſententiam probamus, qui Milium Indicum Plinii eſſe concludunt.

C. Bauh. pin. *Milium 4. ſiue arundinaceum ſubrotundo ſemine, Sorgo nominatum*: *Milium quod ex India in Italiam inuectum nigro colore*, Plinio. *Panicum Dioſcoridis & Plinii*, Trag. *Milium Indicum* Matth. Fuſch. icon. (cui & Sarracenicum) Geſn. hort. Cord. Hiſt. Guilland. Lugd. Caſt. deſ. *Milium Indicum Plinii*, Ang. Cam. *Milium aliud*, Amat. *Panicum Indicũ*, Geſn. hort. & Cor. hiſt. *Sorghi* Fuchſ. Dod. gal. (cui Panici ſpecies videtur) Lon. *Sorghi & panicum Indicum* Geſner. coll. *Sorghum* Geſn. hort. (cui & *Maizum Cardani*) Tab. (cui & *Panicum loculare*) Ger. *Sorgo melica* Italorum Lob. Obſ. p. 24. Ic. p. 41. *Sorgo* Inſubrum, Bellonio. *Melica* ſiue *Sorgum*, Dod *Melica* forſè à Meline: Sagina aliis à ſaginando, Calamagroſtis Dioſcoridis ex hoc genere videtur, Cæſ. variat ſeminis colore, quod aliàs rufum, aliàs pleniùs nigricat: habetur & album & luteum, quod Sorgum fructu rubro & fructu albo, Fyſt.

In horto Ill. E. C. ſæpiùs prouenit, verùm ſemen non maturuit. Solum amat pingue & humidum. Gignitur in Italia, Hiſpania, & aliis calidioribus regionibus. Ex æſtiuis ſementibus eſt: Autumno matureſcit.

Semen Panico ſapore & temperamento ſimile eſt. Legitur à ruſticis, molitur in farinam, cogitúrque ſubinde in panes, ſed friabiles, & parum alimenti ſubminiſtrantes. Hetruria tamen potiùs ad columbarum gallinarúmque ſaginam ſerit, quàm ad hominum alimentum. Ex huius Milij Indici culmorum medulla fit medicamentum ad ſtrumas præſtantiſſimum hoc modo. Ex decem culmorum huius internodiis extrahitur medulla, quæ cum ſpongia noua integra, rubentéque comburitur. Hæc in puluerem teruntur additis piperis nigri granis duodecim. Huic pulueri admiſcetur triticeæ farinæ vncia. Deinde omnia ouo recente excepta in placentam conformantur, quæ ſub feruentibus cineribus coquitur. Et in ſex partes diuiditur, quæ Luna decreſcente alternis diebus ſtrumoſo dormitum ituro edẽdæ præbentur, nullo addito potu. Idem altera & tertia Luna repetitur. Hoc medicamento multos curatos eſſe ſcripſit Matthiolus. Idem auctor eſt flores qui ex rubris huius Milij Indici paniculis excutiuntur drachmæ pondere ex rubro vino hauſtos rubra fœminarum profluuia ſiſtere, quemadmodum albos flores ex paniculis albis exceptos albos vteri fluores cohibere. Idem dari vtiliter dyſentericis, & aliis fluxionibus alui affectis. Idem quoque præſtare granorum putamen, oui vitello probe decocto exceptum, & à iejunis deuoratum.

## SORGHI ALBVM, MILIVM Indicum, Dora. CAP XLV.

SOrghi iam dicto ſimile hoc Milium Indicum *Dora*, foliis conſtans harundinaceis, præaltis

& ge

& geniculatis culmis, effuſáque iubâ, ſed ſemen eius multò, maius, rotundius, & candidum, in glumis hirſutis contentum, differentiam manifeſtam conſtituit. Ab Arabibus, teſte Bellonio, *Hareman* appellatur. Apud Auicennam tamen c.331. *Areoman* non Melica, ſed Zea eſt, ſi interpreti fides non eſt deroganda.



Huius particulatim meminiſſe Rhaſem & Serapionem, Arabicóque antiquo nomine *Dora* vocaſſe, teſtem habemus Rauvvolfium ſtudiorum noſtrorũ ſocium, qui etiam *Gener.* Serapionis titulo nobis id communicauit.

Antucipia tranſiulit Coidenbergius pro *Mahil* Americano & Milio Æthiopico: Florentiâ Ducis Hortulanus pro Sorgho albo Candiæ.

Matthiolo in poſt.comm. It dicitur *Miglio Indiano pregentile*, hoc eſt, Milium Indicum nobilius. Dodon. Lat. *Melica candida*. C. Bauh. pin. *Milium* 5. ſiue *arundinaceum plano albóque ſemine. Sorgo ſimile granum. Haremien Arabum*, Bellonio. *Dora*, Rauvvolfio. *Milium Aethiopicum*, Portæ. An Milium album in Regno Congi, quod *Mazza ai Congi*, id eſt, ſemen Congianum vocant, Hiſt. Ind. Oriental. part. prim. l. 2. c. 1.

Sorghi hoc album in Cilicia ac Epyro ſeri, & illic à ſe repertum ſcribit Bellónius: ibique panes ex ea coqui. Dodonæus priori Sorghi ſapore & temperamento ſimile conſtituit.

---

## LACHRYMA IOBI MVLTIS, SIVE Milium arundinaceum.

### Cap. XLVI.



LAchryma Iobi culmis donata eſt cubitum vnum aut alterum altis, geniculatis: *folia* autem habet Turcici Frumenti, cubito ſubinde longiora, vncias duas lata: quibus minora ſunt illa quæ in ramis naſcuntur, ex quorum alis petioli emicant, quibus tranſadiguntur ſingulis grana, vt plurimum ſingula, rariùs bina, læuoris politiſſimi, nitida, ante maturitatem flaueſcentia, matura ex candido rubeſcentia, duritie lapidea, Ciceri æquantia, ſuperiore parte turbinata, vnde exit inanium glumarum ſpica mutica. Pro duabus noſtris Iconibus (quas iam ſculptas emimus) appóſitis, vellemus vnam eſſe ſolam meliùs depictam. Tragus vocat Lithoſpermõ maius, Groſſen ſtein ſamen, aut Milium Solis maius, Groſſe Machehaß/ iudicátque eſſe Lithoſpermon Plinij, quòd lapilli eius magnitudine Ciceris, quos gerere dixit libr. 27. cap. 11. vulgari noſtro Lithoſpermo, attribui non poſſint.

*Icones.*

*Lithoſpermum maius Tragi.*

*Lachryma Iobi Icon altera.*



Fuchſium errasse ſcribit Matthiolus, quòd in lib. de comp. med. tradiderit plãtam hanc arundinaceam eſſe Lithoſpermi genus: eámque opinionem confutat in Apologia, quam aduerſus Amatum, quem ſecutum ait Fuchſium, ſcripſit. Genuinum, inquit, Dioſcoridis Lithoſpermon eam memorat eſſe plantam, quæ globulos illos (lachrymas vocant) mittit, quibus vtuntur funiculo traiectis ad numerandas preces. In quo manifeſtè peccat, quoniam Dioſcoridi Lithoſpermum planta eſt foliis Oleæ longioribus, latioribúſque, ac mollioribus humi accubantibus ramulis rectis, tenuibus, firmis, craſſitudine acuti iunci, lignoſis, in quorum cacumine bifidi exortus cauliculorum ſpeciem exhibeant, foliis longis, intérque parua in ſemen rotundum Erui parui (vt Oribaſius & Serapio ex ipſo Dioſcoride tranſcribunt) magnitudine, naſcatúrque in aſperis. Quæ omnia in planta lachrymas illas ſerente deſiderantur. Siquidem hæc folia profert harundinacea, quemadmodum & culmos per interualla geniculatos, in quibus ſemen Orobo duplo grandius viſitur, quæ quantùm cum Lithoſpermi notis habeant ſimilitudinis, ipſe videat. Adde etiam quòd Lithoſpermum in editis, & aſperis locis per ſe ſpontè naſcatur. Lachryma verò vocata non niſi ſata proueniat, erectis omninò calamis non humi repentibus, vt ſcribit Plinius. *Hactenus Matthiolus*, erroris accuſans Fuchſium, quòd hanc plantam Lithoſpermi genus dixerit. Verùm ipſe potiùs reprehendendus eſt, vt qui falſam figuram pro Lithoſpermo maiore exhibuerit. Certum eſt quidem Lachrymam Iobi, non conuenire deſcriptioni plantæ à Dioſc. traditæ. Sed Fuchſius non dicit eſſe ipſum Lithoſpermum, ſed Lithoſpermi ſolùm genus, licèt Amatus eius fuerit opinionis, qui λιθόσπερμον Græcè vocauit, & Lat. Lithoſpermon, *Lachrymam, Lachrymam Mariæ*. Lachrima vulgò *Simientem*: Arab. *Calli*: Germ. Marien trähen: Cluſ. vocat Gall. *Larmes de noſtre Dame*. Hiſp. *Lagrymas de Moyſen*.

*Fuch. error ſecundum Matth.*

*Matth. redarg.*

Geſnerus & Dodonæus videntur concedere eſſe Lithoſpermi ſpeciem, ſi ſeminis duram ſubſtantiam reſpicias: aliàs toto genere à Dioſcoridis Lithoſpermo differre perhibent.

Lithoſpermū Plinii Lobel. Lobelius tamen in Adu. pro Lithoſpermo Pliniano deſcribit, notátque Plinium, quòd vtrumque Lithoſpermum in vnam conflarit deſcriptionem. Eius verba ſunt hæc: Plinij ſi quis exactiùs textum perpendat, & cum vtroque comparet Lithoſpermo, facilè animaduertet vtrumque ab eodem deſignatum, ſed (qui illi penè fatalis lapſus, vt de Chryſanthemo monuimus) in vnam deſcriptionem conflatum. Primum Διόσπυρον, id eſt, Iouis Triticum indicat Triticeis, aut harundineis ſimilem, aut congenerem: herba quinquuncialis, foliis Rutæ duplò maioribus, ramulis ſurculoſis, craſſitudine Iunci, quæ ex vtriuſque delineatione mixta ſunt. Sed poſt addit lapillos magnitudine Ciceris, duritie lapidis, candore & rotunditate margaritarum, cauernulas habent quà pediculis hærent: quæ poſtrema prorſum Lachrymæ Iobeæ quadrant, neutiquam Dioſcoridis Lithoſpermo. Quod licuit illi quamplurimis in agro Romano locis videre: haud ſanè tam ſtupenda mirabilitate, ſi vulgò cognitum Milium Solis intellexiſſet: eóque dicit, ſibi non hærentem, ſed vulſam viſam plantam in Italia creſcere, puta hortis. In Creta optima, nimirum natiuo ſolo, quin tantus decor veluti candicantibus margaritis: cæteráque inibi verba, neutiquam deformi & triſti Lithoſpermo congruunt, ſed Lachrymæ Iobeæ longè hilariore & iucundiore aſpectu, quibus intus ineſt ſemen (vt idem dicit) & ſubtus cauernulæ, neutiquam communi. Mirit hic rapſodus Senenſis, & ſuperiùs in Fuchſium ineptit.

Synonyma Caſp. Bauh. pin. *Lithoſpermum* 1. ſiue *arundinaceum*, fortè Dioſc. & Plinij. An *Coix* Theophraſti, 1. hiſt. 16. *Lachryma Chriſti*, Trag. Geſn. hort. *Lithoſpermum maius*, Trag. Geſn. hort. cui & fruticoſum. *Arundo Lithoſpermos*, Geſn. hort. *Lithoſpermon primum*, Lacun. *Arundinaceum* Lugd. *Lachryma Iobi*, Adu. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Dod. Lob. Obſ. p. 26. Ic. p. 44. (ubi & Lithoſpermon & Dioſpyros Plinii) Cam. Caſt. Eyſt. *Lachryma vulgò*, Cæſ. Eidem *Lithoſpermum* 2. ſiue *maius*, Matth. Lac. Caſt. Lugd. quid?

Locus In hortis Italiæ ac ſubinde etiam Belgii ſeritur, peregrinum ſiquidem eſt, aliunde illatum. Galloprouinciæ & Narbonenſia vireta præſertim Cænobiorum, nondum inteſtinis bellis efferuentibus euerſa, hanc plantam ſedulò colere ſolita erant, ſeminis lapidei cauſa, ex hoc enim maturo, & in aqua feruenti intincto globulos precatorios, vt vocant, parant. In horto E.C. ſatum multoties prouenit, ſed ſemen nunquam maturuit.

Vires. Eſt etiamnum, ſi expertus hæc ſcribit Lobelius, ad calculum renum, & veſicæ ſaburram, polline & decocto præſidium vulgatum.

---

## ORIZA VETERIBVS.

### Cap. XLVII.

THeophraſtus 4. Hiſt. cap. 5. Orizam potiſſimùm in India ſeri perhibet, Zeæ ſimilem, piſtámque tanquam Alicam, concoctu perfacilem reddi, aſpectu Loliis ſimilem: ſtaréque magna parte temporis in aqua: effundere non ſpicam, ſed veluti jubam modo Milij atque Panici.

Dioſcoridi Oriza frumentorum ſpecies eſt, in paluſtribus & riguis, quæ mediocriter nutrit, & aluum ſiſtit.

Indi apud Plinium lib. 15. cap. 7. ex Oriza oleum facere dicuntur. Idem lib. 18. cap. 7. ait, Italicâ maximè quidem Oriza [ Oriza quidem maximè vt Itali gaudent, ſubintelligit Indos Dalechampius. Alius legit, Italia &c. Cæſalp. ] gaudent, ex qua ptiſanam [ Ptiſana Oryzæ ea eſt, quæ in omnibus locis venalis proſtat, & *Ru* dicitur. ] conficiunt, quam reliqui mortales ex Hordeo. Oryzæ quidem folia carnoſa, Porro ſimilia, ſed latiora: altitudo cubitalis, flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis.

Ariſtobulus apud Strabonem tradit Orizam in aquis clauſis [ concluſam Dodon. ] ſtare, factis areolis quibuſdam, eamque eſſe altitudine cubitorum quatuor. Multi fructus, multarumque ſpicarum eſſe: circiter verò Pleiados occaſum, emundari vt ſpeltam. Naſci etiam in Bactriano agro, & Babylonio, & Suſio, & in inferiore Syria. Megillus ſcribit eam, ante pluuias ſeri, conſitione tamen & irrigatione indigere, & clauſis aquis irrigari. Boſmorus (Hermol. in Diodoro Boſphoron corruptis exemplaribus inuenias) quem Oneſicritus ait in veneratione eſſe, minor eſt Tritico, & inter amnes naſcitur, torretur autem cùm in area excutitur, ſed iurant ne priùs eum ex area moueant, quàm igni concoxerint, idcircò ne ſemen exportetur. Indi potum ex Oriza conficiunt, ſicut ex Hordeo. Cibus magna ex parte Oriza ſorbilis eſt.

Galenus 8. ſimpl. med. Orizæ adſtrictorium quidpiam adſcribit, quare mediocriter ventrem ſiſtere ait: Et hinc 2. de alim. hæc ſubdit: Semine Orizæ omnes in ſiſtenda aluo vtuntur, ipſum eodem modo quo Alicam coquentes: difficiliùs tamen quàm Alica conficitur, & minùs alit, & vtique in edendi ſuauitate ab ea quàm plurimùm vincitur. Eadem eſt & Aëtii & Æginetæ de Orizæ facultatibus ſententia.

Actuarius lib. 2. de ſpiritus animalis nutritione cap. 5. author eſt Orizam edulium eſſe modicè calidum ac ſiccum, & alibile, & meatus obducens: temporis autem interuallo ſumptam, nihil ſanè corpori moleſtiæ afferre.

Simeoni Sethi ὀρύζα eſt prima diſtantia calida, ſicca verò ſecunda: ſatis habet nutrimenti, ſed difficilis eſt concoctionis. Alba ergo Oriza cùm ſit, modicè ſiſtit aluum: rubra verò cùm eſt, magis propter ſiccitatem adſtringit: cum lacte verò apparata, bonum habitum bonumque colorem affert, genitali ſemini adiicit.

Oriza noſtra vulgaris, quæ præcipuè exiſtimatur Theophraſti, Dioſcoridis, Galeni, Aetii, Pauli, Actuarii, & Simeonis Sethi, alba & rubens traditur, quâ quidem authoritate neſcimus, niſi ex Sethi, qui fortè per rubram intelligit, cui torrendo rubedo accidit.

Oryza verò rotundâ radice Plinii diuerſa à noſtrate Lobelio, qualis conſiderandum, ex eius verbis, quæ poſt adſcribemus. Habetur quoque Dioſcorideæ ſpecies, Schwader Cordo & Ryſſio dicta, quæ tradita eſt cap. de Gramine mannæ.

Eſt & Oriza germanica Trago quæ Hordei genus.

Per ptiſanam aliqui intelligunt Orizam, quæ vulgò cortice nudata venalis habetur

C. Bauh.

* * *

## ORYZA

### Cap. XLVIII.



ORyza quæ ſolet in varias Europæ partes diſtrahi ex Italia, ſed deglubita, grana habet minora Hordei granis deglubitis, ſublonga, latiuſcula, alba, lucida, dura, quæ dentibus facilè atteruntur, ſtridorémque quendam reddunt, dum maſticantur, ſapore grato: macerata multùm elongantur, & veluti criſpantur. Inter Oryzam, quæ adfertur, ſunt quædam grana cute flaueſcente tectà, pulchrè canaliculata.

Matth. ſic deſcribit herbam: Oryza folium profert arundinaceum, carnoſum, porraceo haud abſimile: culmum cubitalem & ſæpe maiorem, geniculatum, Tritico craſſiorem, firmioréinque, in cuius faſtigio iuba oritur, ſiue ſpica in ramulos diuiſa, in quibus ſemen vtrinque impari exortu prouenit, cortice ſubflauo, tectum, aſpero, veluti ſtriato, oui figura, quod gluma excuſſa candidum eſt.

Lobel. in Adu. deſcriptioni Matthioli contrariatur: In ariſta, inquit, flexuoſa, ſed rigidula ſpicatim alterno ſitu inſunt grana, ſubflauo folliculo, acutis ſeu angulоſis ſtriis in longitudine donata: quo cum ſibi ſupernè hærentibus ariſtis mordacibus, exuta grana, candida, pellucida, dura & multò paltibus gratiora, atque candidiora quouis præſtantiſſimo Tritico ſiliginco. Culmi hordeacei ſeſquicubitales & cubitales, radix Tritici: at folia potiùs Milij aut Hordei quàm Porri (ni multùm labat memoria) viſa.

Hermol. qui teſtatur Oryzam Hordeum Galaticum quoſdam vocare, quia graue ſit atque candidum, miſcet quæ Theophraſtus ſcripſit de Oriza cum Strabonis verbis.

Oryzam frumenti genus vulgus Gallicum detractâ priore literâ *Rizon* appellare refert Ruellius, qui duo reperiri genera tradit, vnum grano candido, quo plurimùm Gallia veſcitur, decocto cineribus calidis, non niſi peruncto pingui iure. Alterum grano rubente, quod Plinius cubitali demonſtrat altitudine, &c.

Marcellus quoniam Oryzam notam omnibus dixit, ideò eam deſcribere inutile & inanis iactantiæ fore duxit. Nos Oryzam ipſi Marcello in menſam illatam per patinariam ſuppellectilem, quàm in agro naſcentem vuido notam potiùs fuiſſe dixerimus, non enim, vt tradit ipſe, inutile fuiſſet illam deſcriptam ab eodem, cùm non ita paſſim eius notitia in exteras regiones, & procul ab Italia diſiunctas dimanârit, iiſque innotuerit, vt falsò eam omnibus notam eſſe ipſemet perſuaſum ſibi habuit, quare ipſi planta ex ſolo natali vliginoſo petita fuiſſet deſcribenda, cùm alij ſint qui duo vel tria Oryzæ genera ſtatuant, alij verò Hordeum cognomento Galaticum eſſe velint.

*Matth. not.* Eandem olim Matthiol. verebatur cenſuram, quam Marcellus, cùm dixit adeò omnibus in cibis familiarem eſſe & frequentem, vt nulla prorſus explanatione in ea deſcribenda ſit opus. Sed eam tunc ceu ignotam plantam deſcribere non potuit, quod ſatis apparet ex priorum comment. icone, quam in poſt. comm. mutauit: præterea ipſemet imperfectè eo modo quo diximus, plantam deſcripſit, quaſi prouenientem non obſeruarit.

*Euchar. error.* Erronea eſt opinio Encharij Roeſl. Oryzam, Far candidum ſtatuentis. Sed & eorum ſententiam minimè probandam ducimus; qui Typhen Plinij eſſe dicunt. Alij Olyram & Oryzam eandem eſſe crediderunt, ſed falsò quoque.

*Brunfelſ. ineptit.* Ineptè Brunfelſius Oryzæ deſcriptionem pro ſua venditat, cùm ſit Plinij, quem allegare debebat.

*Argumentum Cordi nullum.* Cùm Oryza noſtras ex India in alias terras transferatur, & multis Europæ locis ſeratur, cōtendit Cord. in Dioſc. neceſſe ſequi aliam quoque Oryzæ ſpeciem inueniri, quæ etiam in Europa ſpontè naſcatur, quod ſc. Dioſc. ſimpliciter paluſtribus locis Orizam naſci dixerit, nec adiecerit peregrinæ alicuius nomen. Nos contra argumentum Cordi nullum exiſtimamus, nec neceſſarium. De eius Oryza ſpontanea ſcribimus ſub titulo Graminis mannæ & Dente canis.

*Figmentum Ryff. & Dod.* Ryff. in Dioſc. Oryzæ figmentum ponit, nunquam à ſe viſæ.

Dod. Lat. deſcriptionem Plinianam aſſumit radice gemmeæ rotunditatis, qualis tamen non apparet in icone Dodonæi, nec aliorum.

De Oriza Plinij hæc Lob. in Adu. Vt Semen ex India primum fuit allatum, ſic & indidem nomen aſcitum videtur: Matthiolus ſequutus videtur eos, qui ex Plinio Orizam hodie ignotam, radice Gemmeæ rotunditatis, flore purpureo, foliis carnoſis porri ſimilibus, & latioribus, altitudine cubitali, cum noſtrati vulgata Oriza inſcitè confuderunt. Hæc ille, quem optaſſemus deſcripſiſſe ſemina illa munere accepta. Si duo Orizæ extant genera, Plinium ea non diſtinxiſſe clarum fit ex eius verbis, mentionem non facientibus duorum generum.

*Riolani ineptia.* Orizam ſuo cortice ſpoliatam ad nos deferri putat Riolanus, quòd in eius cortice venenatum quid ſit. Seri procul ab vrbibus quòd eius flos malè oleat. Eam calidam eſſe & ſiccam, mediocrem habere vim adſtringendi, idcóque in clyſteribus dyſentericorum parum torrefactam à Medicis vſurpari: craſſum ſuccum gignere, venáſque obſtruentem ſi quis frequenter vtatur: ex ea cum lacte cocta, jejunij tempore, parari Oryzatum. Sed mirari ſubit vndenam Riolanus habeat, quod de cortice Oryzæ venenato ſcriptum reliquit, ſi Strabonis locum à nobis adductum conſuluiſſet, longè aliter ſenſiſſet: præterea miros nos tenet, cur ob florem eius malè olentem procul ab vrbibus ſerendam eam judicauerit, ſi námque Theophr. Dioſcoridem & Strabonem adiuiſſet, fuiſſetve ijs in locis vbi colitur, meliorem longè veriorémque ei rei cauſam ſubeſſe deprehendiſſet, neque enim hactenus apud vllum Veterum Recẽtiorúmque legiſſe nos meminimus quicquam vel de cortice venenato, vel etiam de flore olido.

*Oriza Matth. fictitia.* Guiland. in theone ridet præclaram illam O-

ryzam, priori à Matthiolo volumine expreſſam, eiſque Holci apud Plinium nomen adſcribit, dicens eam ſeq. edit. Fallopio monente, in melius eſſe mutatam.

*Diuerſitas iconum.* Lacuna ait Orizam optimè cognitam eſſe in Hiſpania, præcipuè Valentiæ. Gualth. Ryffium pingere ſimilem Burſæ paſtoris; Matthiolum ſimilem Hordeo: Illam ſi bene recordetur, non proferre ſpicam, ſed paniculam veluti Milium. Quandoquidem autem ibi non proueniat, ſe perfectam figuram dare non poſſe.

*Icon ridicula Lon.* Lonic. ſcribit prouenire ſolo limoſo, ad altitudinem vlnæ, folia ei eſſe longa, florem rubrum vnde paruæ peræ, in quibus inueniatur rubrum aut album Riſum. Is ridiculam figuram proponit, qualem Riffius, & ſimilem deſcriptionem plantæ non viſæ, & ſibi planè incognitæ.

*Porta notatur.* Porta ſibi imaginatur Hordeum diſtichum, ſiue Galaricum, Hordei genus alterum Columellæ & Palladii, Theophraſtum & Dioſcoridem Orizam vocare. Mirum autem eum non obſeruare Hordeum Columellæ ſeri locis frigidis, non autem aquoſis: quinimò non cõperimus Orizam locis frigidis prouenire, ſed calidis: parum ei notam plantam, Orizam fuiſſe, id etiam indicat, quòd floris non meminerit.

Synonyma. Dicitur C. Bauh. pin. *Oriza.* 1. ſiue *Italica*, ad differentiam Germanicæ, de qua inter Zeas. *Oriza*, Brunſ. Match. Arg. Tur. Cor. in Dioſc. Lac. Dod. Lob. Lon. Cæſ. Caſt. Cam. Tab. *Oriza peregrina* Trago. *Hordeum Galaticum Columellæ*, Hermolaus, Ruell. Amat. & Tab. cenſuêre.

Nomina Linguar. Oriza Latinis, Græc. ὄρυζον, Theophraſt. ὄρυζα Dioſc. Germ. Reiß, Belg. Rys. Gall. *Riz* ou *Ris*. It. *Riſ.* Hiſp. *Arros.* Arab. *Arz* ſeu *Arzi.* Angl. Ric. Boh. Rayze, In India Orientali, ſi diarium nauriticum vera recenſer, dicitur *Ten Tumbara.*

Locus. Locis ex antiquis antè deſcriptis annectamus, quæ de his recentiores prodiderunt: Grapald. in Lex. ſcriptum reliquit apud Italos (Parmenſes) nuper ſeri coeptam eſſe: [Seritur autem menſe Martio] & aquis clauſis irrigari. Itane ſeri coepit nuper Oryza, ut Grapaldus ait, in Italia? quandoquidem Plinii tempore Italia ea maximè gaudebat, & Horatii. Rei ruſticæ authores Latini (quod quidem meminerim, inquit Bruyer. culturam Orizæ minimè perſecuti ſunt, credo quòd eam parum familiarem, nec hominibus admodum vtilem exiſtimarint. Etenim haud dubium eſt, eam ab externo orbe inuectam, Indiæque terræ populis cibum vulgatiſſimum & gratiſſimum eſſe. Hodie ſeritur quibuſdam Italiæ locis. Quin & in Gallia noſtra Lugdunenſi rentauere quidam eam excolere, fruſtrà tamen: nam & parum lætè prouenit, & impenſa maior, quàm ex eius prouentu vtilitas ſentiebatur. Vidi ipſe plantas Lugdunenſis Oryzæ: foliis carnoſis, Porro ſimilibus, ſed latioribus, altitudine cubitali, flore purpureo, radiceque gemmeæ rotunditatis. Sic enim Plinius Orizæ plantam depinxit. Si Bruyerinus vidit Orizam Lugduni, cur non deſcribit, ſed ponit Plinii ſuſpectam deſcriptionem. Hac ætate in Fortunatis Inſulis & Hiſpania prouenit vt Dodon. teſtatur: vnde in Belgium, piſta ac Ptiſanæ modo repurgata, adfertur. Apud nos (Porta loquitur) in Salernitano agro, & alibi maximo prouentu, patenti uda planitie, quam tamen euripis & illicibus, & fluuiis ductis, quoties opus eſt rigamus, alioqui nullam, aut caſſam ſegetem latura. Notiſſimum illud Aſiæ & Europæ, ſed vnius duntaxat generis mihi [Lobelii verba ſunt) viſum in prouincia Narbonenſi & Hiſpania, ſed maximo prouentu in agri Mediolanenſis depreſſis, & patenti planicie vdi agri, quem tamen euripis & illicibus à flumine è lacu *Maior* vocato ductis, crebriùs quoties opus viderint, rigãt: alioqui nullam aut craſſam ſegetem laturum, vt mirum ſit tam ſiccum & exuctum granum, tam paluſtrem & humentem optare fundum, bonum alimentum & lautum ſuggerere, etiamque valetudini prodeſſe poſſe. Huius meſſis ſerotina eſt circa æquinoctium autumnale, quippe matureſcit æſtiuis ſolibus multis: eoque Septentrionales, tametſi humentes magis, reſpuit tractus, vt pote alſioſos &c. Vita in Longobardicis & Hetruſcis campis latiſſimis & vliginoſis, atque in Prouincia Galla. Camerario referente in aquoſis locis aliquoties Norimbergæ prouenit. De huius cultura conſule Augerium Gallum.

Quæ Veteres prodiderunt de viribus vſuque Orizæ, illa omnia reperient lectores, in antè adductis Antiquorum teſtimoniis. In cibis Oriza admodum eſt familiaris, concoctuque facilior euadit, & ori gratior, vbi ex lacte bubulo, aut amygdalarum cremore, aut carnium pingui iure decocta fuerit. Datur utiliter in cibis dyſentericis cæliacis, & diarrhoea affectis, præſertim vbi priùs torrefacta in lacte, in quo igniti calculi fuerint extincti, decoquatur. Sunt, qui Orizam quoque dicunt genitale augere ſemen, in bubulo lacte decoctam, additis ſaccharo & Cinnamomo. Oryzæ decoctum vtiliter dyſentericis infunditur, ac etiam potandum datur. Farina bellè quidem Cataplaſmatis admiſcetur repellentibus: mammarum incipientes inflammationes arcet cum Roſis, & Anthemide decocta, & illita: Hactenus Matthiolus; Certum eſt (ſubdit Bruyer.) Orientis populos, Indiæque potiſſimùm Oryzam in panes cogere: ex iiſque nonnullos Triticum quidem ſerere, ſed cibo abdicare, panificiaque ex eo facta: quippe ſentiunt ingratiſſima ventri: & contumaciſſima coctioni, adeò *à teneris* (ut inquit ille) *aſſueſcere multùm eſt.* Sunt apud Indos inſulæ, quæ aliarum frugum expertes, Oryzam vberrimè fundant: potus ſuos ex ea conficiunt ſaccharo aromateque vario cõditos, quibus faciliùs ocyuſque tentari capita aiunt, quàm uini vel potentioris hauſtu. Theophr. Oryzon appellauit peregrinum, initiò ſemen, ex Indiaque delatum, ſimile Zeç, aſpectu Lolii, magna parte temporis reſidens in aquis Milii modo ac Panici, effundens iubam &c. Hoc elegantiorum menſas ſubit variis paratum modis. Rura quoque noſtra, nulla celebrant laura conuiuia, quæ non ornentur Orizæ cibariis. Quibuſdam prima menſa apponitur ex iure gallinaceo, aut iuſculo alio pingui, Croco addito ad commendandum [ vt reor] colorem, & conciliandam ſaporis gratiam. Quippe alioqui guſtatu inſuauis ſentitur: alii ex lacte parant, aut ex ſucco amygdalarum dulcium, croco adiecto. Sed hæc parandi ratio præcipuè vſurpatur, quibus carnibus veſci cautum eſt, & ſecundis adhibetur menſis. Culinæ ſaccharum quandoque ſimul coquunt: quandoque verò paropſidibus impoſitam eo aſpergunt. Vulgi perſuaſit animos opinio, obeſiores fieri ea frequenter veſcẽtes. Quãobrem tum in aula, tum in præclaris vrbibus, ſcimus quaſdam fœminas graciliores, nulliuſque (ut ſic dixerim) ſucci, Oryza cibo frequentiùs vti. Quod ita demum exiſtimant ratum, ſi ſolam ex lacte, & largiori ſaccharo aſſumant. Sed id eſſe falſiſſimum clariſſimis medicorum ſententiis, conſtat. Quippe inter ὀλιγότροφα, ab omnibus refertur, hoc eſt, ea quæ leuiter alunt, & ἄσαρκα, id eſt,

ſt, quæ difficulter in ventre conficiatur. Plurimum & optimum alimentum ſufficit probè lacti incoctus ſaccharo & amygdalo noſtratis Oryzæ pollen (inquit Lobel.) cóque ſanguinem & ſemen auget, quod non dubius animi ille Senenſis efferret ſi in Mauritania vel Hiſpania egiſſet, vbi etiam ex Oryzæ macerato lacte frumento, deſtillant liquorem, limpidum primò, deinde oleoſum habent, nec parum ſuauem, nec minùs exhilarantem ſpiritus & inebriantem, quàm ipſum (quo illi abſtinent vel carent) vinum. Etiam eius pabulo mirè delectantur & dociles fiunt Aphri Elephantes. Camer. in horto: Difficile nonnihil coquitur, & toſta quidem adhuc magis, ſed ſic ventrem cohibet. In Hiſpania ex farina huius & gallinarum pectoribus elixis & inciſis, cúmque lacte & ſaccharo lento igne coctis, & ligneo inſtrumento validè ſubactis ſuauiſſimum cibum, quem album vocant, parare ſolent, éſtque plurimi alimenti ſed paulò craſſioris. Solm. obnoxio Eryſipelati (Rotlauff) præſcribit Oryzam, quæ inquit ſanguinem incraſſat & minùs efficit fluxilem.

Vini ex Oryza meminit Ælianus: Diarium nauticum, & potus ex Oryza & melle cocti; & Aquæ ardentis ex Oryza deſtillatæ: Acoſta etiam Oryzæ aceti. Ad immodicam, inquit, euacuationem Canarini Carambolas fructum vnum viridem edunt, vel Aceti Canarini hauſtum ſumunt, (quod nihil aliud eſt quàm aqua decoctionis Oryzæ vno aut altero die reſeruata donec aceſcat, Canarinis aceti vires præbens, & medicum vſum præſtans) & ſi profluuium non ceſſat ægris caput frigida abluunt.

## ORYZA INDIÆ ORIENTALI PECVliaris C. Bauh. quid?

### Cap. XLIX.

ORyzàm hanc ſecundam Caſp. Bauh. pin. ſiue Oryzæ peculiare genus, Regina Patenſis, Hollandis obtulit, vt habetur in Ind. Orient. par. 8. ſed quid? Oryzam ex India originem traxiſſe, & per vniuerſum ferè orbem diſſeminatam eſſe, in 6. part. Ind. Orient. ſcribitur. Hæc præcipua omnium Indiæ Orientalis locorum annona eſt, part. 3. Ind. Orient. cap. 39. Hinc Indis loco panis eſt, ex ea placentas parantibus, ex qua in China potum faciunt, quem in Peru *Acuam* vocant: in Iaponia vinum, quod Iauenſes *Aracle* nominant: & in Pegu, Aquam extrahunt, quæ cum aqua vitæ certat: part. 7. Ind. Orient. cap. 36. Diſtinguunt in Oryzam optimam, quam *Giraſol*, & in viliorem, quam *Chambaſal* Indi vocant. Linſcot. part. 2. Ind. Orient. cap. 37. & par. 4. cap. 6. In ſumma, Oryzæ vſus, vniuerſis propè nationibus, non minùs quàm frumentum familiaris eſt: vt de China, Iaponia, Philippinis, & maxima Indiæ Orientalis parte ſileam, etiam per Africam & Æthiopiam vniuerſam, Indiámque Occidentalem, cibus vſitatiſſimus eſt. Sic & Europæi, qui panes ex frumento habent, Oryza, obſonij vice, cum lacte aut aquâ decoctâ vtuntur.

## TRITICVM INDICVM.

### Cap. L.

NOſtro duntaxat Frumento aſſuetis oculis, rari ſpectaculi eſt quod Turcicum indigitant Triticum, *culmo* digitali, quinque aut ſex pedes alto, crebris articulis geniculato, rigido, medulla alba dulci farcto: *folia* arundinacea, hirſuta, venoſa, duas aut tres vncias lata, culmi faſtigium in *ſpicas* plures iubatas faceſſit, quarum ſingulæ ſeorſim conſideratæ, Triticeis ſimiles, muticæ ſunt, ex quarum glumis *Floſculi* staminei emicant, colore granorum ſubſecutorum colorem varium prænunciantes, quæ in his tamen ſpicis nulla vnquam naſcuntur, vt ad apparatum tantùm, quaſi πάρεργόν τι, comparatæ videri poſſint: námque ex culmorum geniculis & foliorum ſinu, multiplici inuolucrorum membraneorum



ſtipati obducti cylindri craſſiores enaſcuntur octo aut decem verſibus granorum conſtantes, quorum vnicuiq; mollis ariſta; dodrantē longa adnata, ſic vt ex omnibus cincinnus & vagina caput exſerens, metaxan, quæ cortinas nondum ſenſit, exprimat: cedentibus autem ariſtis grana quo diximus ordine digeſta, Piſis facie proxima, mira colorum varietate ludunt, tota alba, purpurea cœrulea, lutea, & quocunque denique modò horum miſtio excogitari poteſt, quæ confracta contritáque in farinam abeunt candidiſſimam: radix ſubeſt Milij.

An Athen. dipnoſ. lib. 3. c. 15. hoc Triticum Indicum intellexit, cum dixit?

*Naſcitur Aonus Thebis ſimul apta farina:*
*Et Thaſo, multiſque locis: ſed grana videntur*
*Vuarum.*

An *Auati* Leri in America ſua, vbi ſcribit cap. 9. Mulieres Americanæ cum acuto ligno plantant duas ſpecies craſſi Milij nempe albi & rubri vulgò in Gallia dicti *Bled Sarrazin*: ſylueſtr. hominibus, *Auati*, ex quo farinam parant quod exiſtimo (licet in prima editione hiſtoriæ meæ aliter ſenſerim) idem eſt cum *Maiz* Indianorum in Peru quod deſcribit Hiſt. Gen. Indiæ lib. 1. cap. 215. Calcondiles in Bello Turcico lib. 3. c. 14. ſcribit in quibuſdam Indiæ Orient. Milium ad quindecim cubitos altitudinis. An Eid. Milium præaltum *Auati* dictum? *An Auati Leri?*

An Theu. Amer. cap. 77. Milium craſſum, Piſi inſtar magnum (hoc eſt, vt in Gallia antarct. interpretatur *Mil gros comme pois blanc & noir*) diuerſorum colorum: culmis Sacchari modo, tres aut quatuor ſpicas, quarum vna perpetuò maior altera, ferentibus? An Nic. Nicol. Milij genus magnum, *Maith* Tripoli dictum. *An Milium craſſum Theuet.*

Dodon. Gall. vocat *Milium Indicum Plinii*, & cum Fuchſ. *Frumentum Turcicum*. item cum Lonic. (cui etiam Typha magna) *Frumentum Aſiaticum*: Gall. *Blé de Turquie*, aut *Blé Sarrazin*. Belg. Torckchoren Dodon. Lat. ait ex Aſia inuectum credi, atque inde Turcicum frumentum nominat: non tamen ex Aſia, aut Oriente ſed ab Occi- *Synon. Typha magna.*

dente,& ex Fortunatis aliiſque Americæ vicinis inſulis, ac ex ipſius Americæ nonnullis prouinciis afferti, ibidemq; *Marzium* ſiue *Maiz-m* nuncupari, præſertim quòd candidi ſit grani. Idem refert Cordum Triticum, Bactrianum facere, ſed ratione, aut occaſione non probè.

*Frum. Indianum.* Matth.in poſt.comm. It. ait malè vocari Frumentum Turcicum, eſſeque dicendum Indianum, quòd allatum ſit ex India Occidentali, & non ex Aſia, aut Turcia, vt Fuchſius crediderit. In Epit. cum add.Camer.vocatur *Frumentum Indicum*, Indorum *Mahiz* ſeu *Maiz*. It.*Grano* ſiue *Formento Indiano*: Boem. Turecken Zyto.

Matthiolum redarguit Lob.in Adu.dicens: Milium Indicum (ita in Obſ. p.24. Ic.p.39.) Plinianum ſeu *Mais* Occidentalium, Frumentum Turcicum, vulgo Flandris, Turckſkoren: Frugum maxima & perquam ſpecioſa hæc noſtro orbi inquilina, inde à Neronis principatu in Italiam inuecta, iáque noſtra ætate magis oblectationi quàm Panificio ſata & culta, Turcicumque frumentum, tum vulgo tum doctiſſimo Fuchſio nuncupata eſt. Quem tamen perbonum doctorem, cùm alias non ſemel, tum hîc potiſſimùm immerentem lapſûs incuſat Cõmentator Senenſis: quòd iſtud Milium perperàm Triticum appellarit, utpote non ex Turcica allatum, ſed ex Occidentalibus Indiis primùm aſportatũ. Atque cùm huius delineationem, proceritatem & fœcunditatem ſcite Plinius adumbret, cuius æuo nulli Europæorum nota fuit aut peruia Occidua India, perperàm illius tempore primum allatum fuiſſe commentatoris Chronographia ſtatuit: quare rectiùs naucleri qui ex Aſia Turcica maiore, Indiis finitima adduxerunt Turcicum vocarunt.

*Frum. Aſiaticum.* Turcicum frumentũ, quòd Germani Welſch-korn/ h.e Italicum (ita enim omnia peregrina appellare ſolent) vocant, iure equidem Typham magnam dicendum putanit Tragus. Quia verò è ſcriptis Veterum nullum nominis huius teſtimonium adduci poteſt: ideò Triticum magnum, & Aſiaticum frumentum vocauit, germ. Turckiſch korn.

Geſn.Coll.ſtip. appellauit frumentum Turcicum Fuchſii. De hortis tamen Panicum rectiùs cognomento peregrinum vocari opinatur. Idem rurſus, Triticum Indicum, & Bactrianum nominat: In cat.pl. Milium Indicum in Italiam Neronis principatu conuectum: κέγχρον ἰνδικὸν Turckiſch/ heydiſch, oder Judiſch korn: Milium Sarracenicum.

*Trit. Bactrianum. Milium Indicum*

---

## TRITICVM PERVVIANVM. album longum.

### Cap. LI.

*Deſcriptio* Minimè vulgaris notitiæ eſt in tanta tamque fœcunda Tritici Peruuiani varietate, ſpecies hæc ita ſecernenda, quòd ſemen habeat vulgari duplo longius, compreſſum, & ea parte qua ſinuatum nonnihil eſt, candidum.

*Frumenti Indici hiſtoria C. Bauh.* De Frumento Indico abſolutiorem C.Bauhini in pinace tractationem hic ſubditam, legere vt non graueris, amice lector, rogatus eſto. Etſi in Canaria frumenti varia genera habeantur: attamen potiſſimùm apud Indos quadruplex eſt: *primum Milium Indicum*: *ſecundum Mais*, quod Triticum ipſorum eſt: *tertium*, quod *Mangete* indigitant: *quartum* eſt Oryza, quæ in Regno Cõgiano *Mazza di Manputto*, id eſt, ſemen Luſitanicũ, at Malaicenſes *Bras* appellant: & tres poſteriores ſpecies delineatæ in 6. parte hiſtoriæ Indiæ Orientalis figura 14. proponuntur.




*Frum. Indicum.* I. Frumentum Indicum, ſeu Milium hoc ſpicas habet oblongas, ex granulis colore ſemen Cannabis æmulantibus, compoſitas, formá nonnihil oblongis, vtriculis ſiue folliculis ariſtis carentibus incluſis, inſtar Dipſaci herbæ, quod trium menſium ſpatio ſuccreſcit: dein abſcinditur, in terram menſis ſpatio deponitur, vt Solis calore probè exiccetur & percoquatur: tandem ſpicæ à culmis reſecantur, in faſciculos collectæ domum deportantur, ſtramine operiendis, vel muniendis ædificiis, deſtinato. Hoc Frumenti genus optimũ eſt: quod fractum & comminutum, candidiſſimum apparet, ex quo facili labore panis pinſitur, cum admodum molle ſit, & attritu ſtatim, maſſam conficiendis panibus aptam, præbeat. Et hoc Frumenti genus, ſemper habuerunt, etiam ante Luſitanorum aduentum: hiſt.Ind.Orient.part.6. cap.30. *An ſemen* quod Congiani Lucum vocant, Cannabis grana, niſi quòd paulò ſit maius, referens, quod mola manuaria, ſubactum & piſtum panem præbet candidum, Triticeo non inferiorem: Hiſt.Ind.orient.part.1.lib.2.cap.1. *An Arundinis* genus granum ferens, noſtro Secali aut Frumento ſimile, quod decoctum eſui eſt aptum: Inſulæ Virgineæ Hiſt.

II. Frumentum Indicum grano Auellanæ magnitudine, folia habet anguſta, & tenuia, ſed in tantam altitudinem quemadmodum, tertium, non exſurgit: ex ramis frumentum illud inſtar Nucum Auellanarum dependet, quod ariſtas habet cum Tritico ſiue *Mayz* conuenientes, colore rubicundo: grana cute tenella inuoluta, putaminibus includuntur, & peculiaribus quaſi loculis ad modum granorum in Malo punico, ab inuicem diſtincta: ſeminatur in agris quemadmodum Frumentum verum, potiſſimùm in Africa, & quidem in peculiari quodam loco, qui nomen etiam ſuum inde obtinuit: & Æthiopibus *Mangetta*; Batauis, *grain* dicitur; part.6. Ind. Orient. cap.38.

III. Frumentum Indicum *Mayz* dictum. An Triticum Bactrianum Plinii lib.18. cap.7. Frumentum Arabicum quod *Maiz* nominant, in Hiſt. Ital. Triticum Indicum ſiue *Maiz*, quod Luſitani apud Nigritas primò ſeminarunt: in Hiſt. Ind. Orient.part.6. cap.31. *Pagatowur*, Virgineæ indigenis. *Auati* fructus, ex quo Braſiliani potum *Kaauy* coquunt: Stad.part.2.Amer.c.17. Milium amplum, Triticum Sarracenicum, Barbaris *Auati*, quod idem cum Indorum *Mayz*, & Triticum Peruuianum Lerio part.2. Americ. capit.8. Milium *Abrawn*, id eſt, Siligo Turcica in Baly. part.3. Ind. Orient. capit. 40. Frumentum Aſiaticum: part.7.Ind. Occident. Milium Braſilianum part. 3. A-

3.Americ. Milium in florida, part.6. Ind. Occid. Differentia notanda, cùm duo genera, ad ſex vel ſeptem pedes, tertium ad decem in Virginea excreſcat. Sic alterum craſſius & rotundius, vt quod è Lucanis tollitur: alterum ſubtilius & aridius, quod *Morochen* appellant. Granum hoc magni prouentus eſt (bis enim Martio & Iunio ſerunt: part.2.Ind.Occid.) cùm in Peru ex vno grano 600. gignantur: at in Virginea mille & quinquaginta, & interdum bina millia reddat. Siquidem ſpica vel vna, vel binæ, ternæ, vel quaternæ, & ſingulæ ſpicæ quinquies, ſexies & ſepties centena grana in Virginea contineant: apud Americanos, ſinguli culmi tribus quatuórve ſpicis onuſti adoleſcunt, quarum ſingulæ, grana centum & ampliùs pendunt. Sic grana alba, rubra, flaua, cœrulea in Virginea ſunt. Frugum omnium communiſſimum Indiæ Occidentalis locis, in Peru, noua Hiſpania, Guatimala, Chile, & vniuerſa terra firma, in Inſulis verò non item: ſic & in Indiæ Orientalis aliquibus. Hoc Indi communiter cum primo commiſcent: & ex hoc ſolo panem *Arepas* nominatum, & potum *Chicha* (potus ſubacidulus *Cici* dictus: part.9.Ind.Occid.addit.) Indis vocatum, vt fortiſſimum, quod in Peru *Sera* dicitur. *An* hæc herba quâ in Braſilia aliquando ſenes virilia contegunt, cuius folia duorum digitorum latitudine, paulùm incurua, in longitudinem excreſcentia, veluti calamus qui ſpicam Milij ſiue Tritici Sarracenici contegit: Lerio in Braſil.cap.7. Hactenus ex Hiſt. Indica: ſubiiciamus Recentiorum nomina. *Turcicum frumentum*, Trag. (cui & Typha magna) Fuchſ. *Frumentum Indicum*, Matth. Lon. *Milium Indicum Plinianum*, Ruell. Geſner. Adu. Lob. cui & *Mays* Occidentalium. *Milium Indicum*, Dodon. (cui & frumentum Aſiaticum,) Turner. Lac. Geſn.cat. *Frumenti octaua ſpecies* Turcica dicta, Ang. *Triticum Bactrianum* ſiue *Indicum*, Cord.Hiſtor. Geſn. hort. *Frumentum Turcicum*, Dod.Geſn.hort.(cui & Panicum peregrinum rectiùs,) Tab. Ger. *Triticum Indicum* Fuchſij & Matth. Lugd. *Maizum*, Monardi. *Maiz*, *Triticum Indicum* potiùs quàm frumentum Turcicum dicendum, cùm non ex Aſia, ſed ex India primùm ſit allatum, Cam. *Maiz Indorum*, Panicum Indicum, Cæſ. *Mayz*, quod nulla ſpecie cum Milio, quod Plinius ex India in Italiam importari ſcribit, conuenit, Ioſeph.Acoſta.Hiſt. Ind.lib.4.cap.16. Variat apud nos floris colore purpureo, rubeo, luteo, aliquando pro ratione fructus futuri: granorum in colore quatuor præcipuè genera: habetur enim granis ruffeſcentibus, nigricantibus, crocantibus & ſubalbicantibus.

[Frum. I]nd. Frumentum Ind. *Mays* dictum alterum. Milium Indicum magnum aliud, Lobelicon. Milium Indicum, Caſt. Frumentum Indicum, Tab. Frumentum Aſiaticum, Ger. Hoc cùm ſpicarum colore variet, idcircò Tabern. ſpicas ſedecim, Gerardus verò duodecim pingit, quæ colore ſunt vel ſimplici vel mixto: ſimplici, albo, luteo, aureo, violaceo, ſpadiceo, nigro: mixtis coloribus, albo, ſpadiceo, & cœruleo: cœruleo, albo, nigro, partímque punctis ſpadiceis mixto: albo, violaceo, luteo cum punctis ſpadiceis: rubro, nigro & ſpadiceo: luteo albo, aliquando cœruleo & violaceo, aliquando luteo & albo, violaceis & cœruleis punctis aſperſis: rubro & ſpadiceo: aureo & albo: cœruleo, luteo, albo, & punctis cœruleis aſperſis: denique cœruleo, luteo, violaceo & albo.

*Frum. Ind. Mays minus.*

V. Frumentum Indicum *Mays* dictum minus. Huius Tabern. meminit, quòd prioris altitudinem tantùm mediam attingat, cuius ſpicæ non ad culmorum latera, ſed floribus ſuccedant, colore albo, rubeo, ſpadiceo, luteo, atrorubente, & aliquando mixto.

*In Germania quo loco & tempore ſit ſerendum.*

Cæterùm, Germaniam propemodùm Arabiam fœlicem Tragus appellarit, poſteaquam non ſolùm domeſticis abundet ſtirpibus, ſed etiam peregrinis, inter quas Triticum hoc frumentum connumerat, quod terram probè ſtercoratam & pinguem expetit, frigoris & pruinarum impatientiſſimum: ſeritur Martio aut Aprili menſe, nec niſi ſub finem Augusti & initio Septembris ad maturitatem peruenit: primo autem exortu, non multò aliter quàm Milium erumpit.

*Vires.*

Quidnam hoc frumentum in Medicina poſſet, nondum ſatis conſtat. Quia autem dulcedinem & lentorem quendam grana guſtu præ ſe ferunt, haud dubiè idem cum Tritico habebit temperamentum. Cùm porrò idem cum Tritico habere videatur temperamentum, eaſdem etiam obtineat facultates neceſſe eſt. Grana itaque teruntur in candidiſſimam farinam, quæ in panificia ſubinde cogitur. Panis tamen ille lentoris quiddam & obſtruentis naturæ habet. Hinc eſt quod in Aſia & Turcia illius nullum in cibo vſum eſſe, niſi cùm annonæ premit inopia, dicunt. Quidam ex farina pultes parant, adhibito lacte, quod & reliquis frugibus familiare eſt. Cæterùm foliorum recentium ſuccum refrigerandi facultatem obtinere tradunt, hinc ad eryſipelata vtilem admodum eſſe coniiciunt. In nutriendo, ſubdit Dodonæus, frumentum hoc, Triticeis omnibus, ipsóque non ſolùm Secali, ſed & Hordeo longè eſt inferius. Panis ex eo apparatus mediocriter quidem candidus eſt, abſque furfuribus concinnatus, ſed durus ac ſiccus, veluti biſcoctus, nihílque lentoris habens. Concoctu eas ob cauſas difficilis, corporique nullum aut omninò exiguum alimentum præbens: tardè deſcendens, ac aluum conſtringens, veluti ex Milio, aut Panico factus.

*Vſus in pane & paniſicio.*

*Succus foliorum recentium.*

---

## DE GRAMINE SIVE AGRESTI VETERUM ſententiæ & Neotericorum dubiæ.

### CAP. LII.

*Herba Theoph.*

Dicitur πόα, herba à Theophraſto, quòd omnium herbarum frequentiſſima ſit. Hac tamen voce etiam quæcunque alia herba indicatur. Quare magis propria ſignificatione ab aliis Græcis ἄγρωστις, παρὰ τῶν ἀγρῶν, ab agris, quòd in iis proueniat appellatum eſt. Gramen à Latinis à gradiendo, quòd geniculatis ramulis mirificè ſerpat: vel à germinandi fœcunditate, quòd citò crebras multáſque à ſe radices nouas ſpargat, agátque. Arab. vt Serapione cap.119. *Thel* & *Negil*: Auic. & Rhaſe *Thil* & *Tithagra*, ab aliis *Vagen*, *Negen*, *Negien*, *Kel*, *Negil*, *Nagien*, *Phegem*, *Teil* & *Teidiken*. Ægyptiis *Aurſi*: Afris, *Iebal* & *Ebal*. Germ. Graß: Belg. Grab: Gall. *Gramen & herbe*: Ital. *Gramigna*, *gramegne* & *gragmine*: Hiſp. *gramenha*, *grama*, & *grama verua*, & olim *Apiaria*: Cretenſibus, *Agroſti*, Vallachis *Cotićta* & *Cotiata*: Hung. Ponye: Boh. Paye aneb Trawa. Veteribus Græcis etiam αἴγικον, aut vt Apuleius legit, ἄιγιχον, ἀσφύλιον, ἀμαξῖτις, & αἱματικὸν, hoc eſt, Aigicon, Aigichum, Aſphylium, Aſſefolium, Vniola, Amaxitis, & Hæmaticum.

*Agroſtis Græcis.*
*Gramen Lat.*

*Nomenclatura.*

Dioſcorides quatuor Graminis genera facit, de quibus ait: Gramen [ἄγρωστις] viticulas per terram repentes, quæ à ſuis articulis radices ſpargunt dulces, internodiis diſtinctas: folia acuminata, dura, lata, ceu arundinis parvæ, quibus boues & iumenta paſcuntur. Huius trita radix & impoſita vulnera glutinat. Ipſius autem decoctũ epotum, efficax eſt aduerſus tormina, vrinæ difficultatem ac veſicæ vlcera, & calculos frangit. *Vſus.*

*Arundinaceum* Arundinaceum gramen priore maius eſt omni ex parte. Iumenta porrò in pabulo ſumptum necat,
2 maximeque quòd in Babylonis regione ſecus vias naſcitur.

*Parnaſſi.* Quod verò in Parnaſſo monte gi-
3 gnitur gramen, denſiùs fruticat, foliis hederaceis, flore candido & odorato, ſemine paruo, non inutili: radicibus quinis ſeníue, digitali craſſitudine, candidis, mollibus, dulcibus, ac robuſtis, Quarum

*Succi Vſus.* ſuccus ſi in vino cum pari melle ac myrrhæ dimidio, Piperiſque ac thuris tertiis portionibus decoquatur, præſtantiſſimum fiet ad oculos medicament.. a. Id verò in ærea pixyde reconditur.

*Radicum decoctum.* Rad.ca.n autem decoctum eadem quæ herba ipſa præſt.t. At ſemen vehementiùs vrinam impellit, vo nitione.ſque & alui proſtuuia ſiſtit.

*Cilicium* Natum porrò in Cilicia gramen, quod indigenæ Cinnam appellant, boues in.lammat (ſaginat) ſi eo viren-
4. ti ſæpè paſcantur.

*Plin.* Gra nen ipſ.n inter herbas vulgatiſſimum, geni-
1 culatis ſerpit internodi.s, crebroque ab his, & ex cacumine nouas radices ſpargit. Folia
2 eius in reliquo orbe in exilitatem faſtigiantur: Parnaſſo tantùm Hederacea ſpecie, denſiùs quàm vſquam fruticat,, flore odorato, candidoque. Iumentis herba non alia gratior, ſiue viridis, ſiue in fœno ſiccata, quum detur aſperſa aqua. Succum quoque eius in Parnaſſo excipi tradunt propter vbertatem. Dulcis hic eſt. In vicẽ eius in reliqua parte tertarũ ſuccedit decoctum, ad vulnera glutinanda: quod & ipſa herba tuſa præſtat, tueturque ab inflammationibus plagas. Decocto adiicitur vinum & mel, ab aliquibus & thuris, & piperis, myrrhæque tertiæ portiones. Rurſuſque coquitur in æreo vaſe, ad dentium dolores, & epiphoras. Radix decocta in vino, torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus, vlceribuſque veſicæ, & calculos frangit. Semen vehementiùs vrinam impellit; aluum vomitioneſque ſiſtit. Ita vetus codex Plinii lib.24.c.19. Et ſunt ſanè eadem quæ etiam Dioſc. habet. Verùm

*Aculeatum trium generum.* 3. ſubiungit de aculeato gramine trium generum, quod Dioſc. non habet. Et tandem addit, Camelos autem necare traditur in Babylonis regione, id quod iuxta vias naſcitur. Hoc autem καλαμάγρωστιν Dioſc. vocat.

*Galen.* Galeno graminis radix moderatè frigida eſt & ſicca, habẽs modicum quid quod mordet & tenuiũ partiũ eſt. At herba in primo abſceſſu frigefacit, ſed moderata eſt in humiditate & ſiccitate. Semen autem reliqui graminis debile eſt. Eius verò quod in Parnaſſo naſcitur ſiccandi vim habet, tenuium partium eſt, & ſubadſtringens.

*Caput in Galeno de gramine duplicatũ.* Ἀγρώστεως denique caput in Galeni exemplaribus duplicatum legi author eſt nobis Iul. Alexandrinus. Quare ſurreptitium eſſe ſuſpicatus eſt primum, vel certè ſuperuacaneum.

*Agroſtis quaſi agreſtis* Ἄγρωστις (Lob. & Pen. Aduerſaria auſpicantur) quaſi Agreſtis diceretur planta nec ſatiua aut ſerenda, Græcis ſcitè nuncupata fuit: ut pote quę ruri vbique ſpontè quouis anni cardine, cœlo, ſolo & ſidere luxuriet: eius namque perennis proventus, feracitatis reſtibilis, nec minùs immenſę vtilitatis, quantùm toto orbe extat terrarum, vigore ornat amœno, & veluti gradatim ſeſe propagando amicit decore, vnde Latinis Gramen deflexum putatur. Triticeo generi, vt cognata, & ſimilis, ſic perinde varia & nobilitate proxima. Quin differentiæ magis conſpicuæ è radice, ſpicata coma, folio & flore ſunt ducendæ: quas etiam cunctas partes & differentias (quia varias Tritici ſpecies æmulantur, deque mutua inter ſe collatione faciliùs diſcernuntur & diſcuntur) aptiùs fore diximus nominibus & notis quamque ſuis, vel minimas quaſque proſequi, quas natura pecori quidem veſcendas, ſed homini vni non modò vtendas, adeoque priùs cognoſcendas, peperiſſet. Nullum enim vel deſpicatiſſimum illius operum, noſtrâ, id eſt, mortalium Philoſophantium, indignum cognitione & admiratione ducendum, ſummus Philoſophus in libro De partibus animalium lucenter docuit, eiuſque alumnus Theophraſtus in Plantarum hiſtoriis. *Dip... com... gne... ten...*

---

## GRAMEN NODOSVM.

### CAP. LIII.



CVlmos habet duos aut tres cubitos altos, tenues, ad quorũ nodos folia oriuntur culmũ ad alterum ferè nodũm inuoluentia, quæ inde dilatata abſcedunt, ſeſcũciam ferè lata, palmum longa, glabra: panicula bipalmaris, glumis conſtat auenaceis, ariſta parua molliceila donatis, è quibus floſculorum ſaturatè purpuraſcentiu n tremula filamenta librantur, radices b,lbis catenatis, tuberoſę, creberrimis fibris longis capillatæ, ſapore partim ſubacido. *De...*

*Gram... propr... dictũ Dod.* Dodonæus à crebris geniculis ac tuberoſis radicum nobis knoopgraß, id eſt, nodoſum gramen appellat. Addit autem apparere ex Marcelli verbis, nodoſum hoc Gramen apud Veteres pro gramine propriè dicto habitum fuiſſe.

*H. Lug. icones* Hiſt. Lugd. duas huius plantæ habet figuras. Primam quidem, quæ nullo modo placet, ſub hoc titudo: *Cutx* Myconi: hoc lepores magnoperè delectari, noctuque eius radices effodere dicuntur. Quibuſdam τὸ ξιφίον, i.e. Gladioli ſpecies videtur eſſe, aliis Siſymrichium. Altera figura eſt ſub inſcriptione Graminis nodoſi. *Gladi... ſpecies Siſymri... um.*

Lobel. in Hiſtor. Belg. vocat knobelachtich oft Cliſterachtichgras. Tabern. knoder oder knoſen graß.

*Synon...* C. Bauh. phyt. *Gramen 97. ſiue nod.ſ.m auenacea panicula*: Eid. pin. *Gramen n.d.ſ.m :. ſiue auenacea panicula*: an Ægilops bulbi genus, Plin. lib. 19. cap. 5. *Gramen vel auenæ ſylu. genus*, Geſner. coll. *Gramen bulb ſ.m n dſum*, Adu. Lobel. Obſ. p. g. 11. Ic. p. 23. Lugd. cui & Gramen nodoſum, ſub alia figura. *Gramen tuberoſum, ſiue nodoſum*, Cam. *Gramen*

*men bulboſum* Tabern. *Gramen caninum nodoſum,* Ger. Agroſteos alterum genus. Patauij vbi ſpontè prouenit, quidam vocabant Bromon: Volmarius miſit Stutgardia pro Gramine Dioſcoridis.

Naſcitur in ſegetibus, ſecus agrorum margines, & in collibus inter alia Gramina. In ſaltibus Thuringiæ vbique ſe offert. Sed, authore Lobelio, rariùs aliquantò iſtud, minúſque pleriſque Europæ regionibus vſu cognitum: Lemano .a. & Lauſannæ finitimis aruis & ſegetibus plurimum. Frequentiſſimum etiam Sabaudiæ & Angliæ.

Saporis amari & acerbi ſunt radices, quare valentiùs obſtructiones expedire & vrinam ciere aiunt, quàm vulgare. Herba, inquit Marcellus, quæ gramen dicitur, nodorum 27. ex vino ad medias decocta & expreſſa atque colata, potuíq; ſtranguriosò ex vini cyatho vno mixta data, adeò potenter ſuccurrit, vt vbi ſine tormento vrinam facere cœperit, dari non oporteat: ſed febricitantibus ex aqua ſola dabitur. Ex quibus verbis apparet, nodoſum iſtud gramen, apud Veteres pro gramine propriè dicto ſiue Agroſti habitum, & aduerſus calculum & veſicę morbos commendatum quoque fuiſſe. Recentior ætas nunc huius, modò illius indifferenter, pro graminis radicibus vtitur.

## GRAMEN HIRSVTVM REPENS, SPICA SIMPLICI, MOLLI.

IMportuna luxuries eſt radicum albentium, nitidarum, geniculatarum, ſapore ſubdulci, quibus in immenſum ſe propagat: folia longa, hirſuta, mollia, vaginâ longiſſima culmum nodoſum, tenuem, cubitalem, obuoluunt, panicula mollis, contractior, palmum circiter longa, ex viridi purpuraſcens.

Hoc gramen abundat in vitibus Montbelgardi: florens Iunio, & Iulio.

## GRAMEN CANARIVM, LONGIVS, RADICATVM LATIORE panicula.



HVius canini graminis haud à vulgato gramine medicato diſpar natura, quod eruitur ex amœniſſimis glareoſis ſabuloſíſque ambulacris, viciníſque locis iuxta nouum Medicum hortum Nobiliſſ. Baronis Eduardis Zouchæ: habitationibus corpulentioribúſque dulcioribus radicibus, latioribus ſparſíſque aceroſis paniculis; cætera haud abſimilia.

C. Bauh. pin. *gramen caninum* 3. ſiue *longius radicatum maius*: *gramen canarium longius radicatum latiore panicula maius.* Lobel. Adu. parte altera.

## GRAMEN CANARIVM LATIORE PANICVLA MINVS.

LAtiore item paniculâ glareoſis, obſoleto & inculto agro hoc Canarium gramen minus quandoque occurrit, reptantibus, cirratis, geniculatis, prætenuibus radicibus graminis Canarij vulgaris guſtu non diſſimilibus & efficacitate paribus: coloris ex fuſco albidis: foliis verò ſeſquiuncialibus, iuxta radicem pluribus, paruis & anguſtis: in ſpithamæis autem tenuibus cauliculis iuxta genicula tribus, rarò pluribus. Deſcriptio.

C. Bauh. pin. gramen caninum 4. ſiue longius radicatum minus: gramen Canarium longiùs radicatum latiore panicula minus, Lob. Aduerſ. parte altera. Synonyma.

## GRAMEN REPENS OFFICINARVM FORTE' TRITICEÆ SPICÆ ALIquatenus ſimile.

### CAP. LIV.

PRocerum eſt gramen, interdum tribus cubitis altius, *folijs* è longa vagina, glabris, interim tactu aſperis. *Spica* ſummo culmo inſidet duorum verſuum, cum Triticea nonnihil commune habens, ſed omnibus modis ſtrigotior cum ariſtis breuibus ſubrubens, ſemine oblongo, fuſco. *Radices* pro graminum ratione craſſiuſculæ, longè repentes, ſapore dulci, præditæ ſunt. Hoc gramen repens Officinarum non admodum malè repræſentare videtur Eicon quæ poſt cap. 58. traditur, ſub titulo Graminis repentis cum pannicula Graminis Mannæ. Deſcriptio.

Lobel. in Adu. dicitur *Gramen canarium Medicatum Officinarum*, Germanis, Graß, Angl. Quych gras, Ital. *gramigna*, Gallic. *dent de chien.* In Obſ. p. 11. *gramen caninum medicatum*: In Ic. p. 20. *gramen canarium.* Synonyma.

In deſcript. Aduerſ. nihil video quod repugnet noſtro gramini, nec etiam in figura: niſi quod ſpica non in totum reſpondet: neſcio an negligentia pictoris, vel quòd planta ſit diuerſa, radix optimè conuenit: illud tamen non placet quod ſcribunt Aduerſ. figuram eſſe apud Dodonæum, pag. 545. & Matthiolum pag. 999. Figura Lobelij ſimilis eſſet Dodonæi figuræ, ſi iubam haberet & non ſpicam: deſcriptio etiam in eò differt quod Dodon. dicit ſuum gramen non ſpicam, ſed iubam ferre. Lobelius autem in Aduerſ. ait ſpicam ferre: magna præterea differentia inter gramen Matthioli & Dodonæi ac Lobelij. Matthioli figura nec radice, nec ſpica ſimilis: quinimò falſam exiſtimo radicem, ſi vera fuiſſet, non mutaſſet in poſtremis commentariis.

Nos ſubiungimus noſtro Gramini officinarũ Dodonæi gramen, imitati Lobelium & fratrem C. Bauhinum: quamuis noſtrã non habeat iubam ſed ſpicam vt Lobelii, contra ſententiam Dodonæi vt iam dictum. Lectorum igitur erit conſiderare, *Gramen Dodonæi huc referendum.*

an noſtrum Gramen, Lobelii & Dodonæi idem ſit, nec ne.

An Tragus lib.2.cap.35. hoc gramen intelligit, cùm ait: Inter omnes fruges in humidioribus agris, nec non cùm annus fuerit pluuioſus, Lolium infelix dominatur, quod ſanè nil aliud eſt, quàm ſingulare vitium, & quaſi aborſus omnium frumentorum. Cùm namque in ſatione, & quando in ſpicam ſeſe attollit, pluuiis continuis obruitur, fieri non poteſt quin vel ſemen prorſus ſuffocetur & putrilagine corrumpatur, aut in Lolium ac vitium quoddam degeneret. Eſt verò huiuſmodi vitii vel Lolii fructus nihil aliud, quàm palea inanis. Quodque iam dixi animaduerti poteſt in humidioribus hordeo conſitis agris, in quibus frequenter Hordeum vel in Lolium tranſit vel certè deorſum fertur tota ſeminis vis, id quod hinc accidere conſueuit, quia Hordei caput alterum, & craſſius quidem in radicem exit, alterum verò in culmum. Iam cùm pluuioſa fuerit anni conſtitutio, inferior grani pars nimio humore obruta fœliciter luxuriat; attracta ad ſe omni totius grani vi, ita, vt illa in radicem duntaxat ſe exerat, viciſſim verò in totum ſpolietur ſuperior. Atque hoc pacto radix ſe longè lateque per terram diffundit, & non ſolùm ex ſemine nullus fructus expectari poteſt, ſed & agri ipſi peſte ea adeò corrumpuntur, vitianturque, ut niſi induſtrius agricola ſubinde eiuſmodi corruptelas agrorum ſuſtulerit, culturaque diligenti emendauerit, hinc inde ſeſe ſpargat, ac vndique culmis ſuis in altum emergat. Ac licet & culmum & ſpicam oſtentet, nihil tamen fructus ſubſequitur, manetque nil niſi vacua, & inanis palea, quod ſanè haud immeritò malè habet agricolas, quare iure Virgilianus ille Mopſus hiſce verbis conqueritur.

*An Lolium ſecundum, Trago.*

*Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.*
*Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea ſulcis.*
*Infœlix Lolium, & ſteriles dominantur Auenæ.*

Hactenus Tragus. Lectores autem conſiderent annon Lolium 2. ſiue Queccken dictum, Agricolis moleſtum, non ſit idem cum noſtro gramine, & an Tragus in ſua deſcriptione non cõfundat duas plantas: an veriſſimè perenne illud gramen odioſum agricolis poſſit generari ex annuis illis ſtirpibus, Tritico & Hordeo, plantis etiam valdè differentibus ſuis ſpicis.

*Trag notatur.*

Figura Graminis Mathioli in priorib. comm. quod primum Dioſcoridis ait, & paſſim in Italia frequens, mihi videtur falſa, quod radicem attinet, quæ valdè craſſa pingitur: ſi tamen eſſet vera, non videretur eius gramen reſpondere deſcriptioni Dioſc. qui ait κλημάτια ἔχει, γονατώδη ἕρποντα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἀπὸ τῶν κλάδων ῥιζούμενα, quæ verba cùm forte non obſeruaſſet primò Matthiolus vel eius ſcriba: pictum gramen aliquod cum radice craſſa: pœnituit tamen poſtea Matthiolum & mutauit radicem, & repentem appinxit, quod ſatis demonſtrat priorem falſam, niſi etiam ſecunda ſit falſa: miror igitur apud Matthiolum in poſtrema eius editione per Balſæum, ſculptam de nouo figuram, per ipſum Matthiolum reiectam, & vt magis falſa redderetur, additam veluti iubam, quam quidam ſuſpicantur eſſe Graminis xerampelini, uel, vt nos vocamus, Gramen cum ſpica molli rubente: præſtitiſſet eius emendatam, vel, corruptam poſtremam, curare ſculpendam, aut, quod magis placuiſſet, cum annotatione figuram Baſſæi iam ſculptam apponere. Camerarius ad Hiſt. Matthioli Germanicam omninò, diuerſam poſuit figuram Graminis, quod non videtur poſſe conuenire cum icone Graminis Matthioli, nec priore, nec ſecunda: de cæteris neſcio: Matthioli poſtrema Graminis figura, quod radicem attinet, noſtro gramini reſpondet, an idem intellexit ignoro.

*Matthioli figura falſa.*

Tabern ic. & hiſt. Gramen caninum ſeu canarium 1. Hundts graß/ Eidem hiſtor. Gramen 5. Canaria Plinii, Herba cynagroſtis, Dens canis, & Gramen medicatum, quia multis locis utiliter in vſu à Medicis pro Gramine vſurpatur. Tabern. habet figuram Lobelii: ſi ei notam, cur hoc 5. non iungit primo, & ſecundum facit, ac diſcrimen certum ponit, quo poſſit diſtingui à primo.

C. Bauh. phyt. *Gramen* 1. ſiue *Officinarum, Canarium* Lobel. *Gramen* Dodonæo: Eid. pin. *Gramen caninum.* 1. ſiue *aruenſe*, ſiue *Gramen* Dioſc. *Gramen* Ruell. Dod. Cord. in Dioſc. Caſt. *Gramen* Dioſcoridis, Geſn. hort. *Gramen canarium medicatum*, Adu. Lob. *Gramen caninum*, Tab. Ger. *Gramen vulgare*, Lugd. *Graminis fortè Dioſc. ſpecies maior*. Thal. Caninum autem vocat ad imitationem Plinii, cui Canaria, quaſi à canibus inuenta, quâ faſtidium deducunt, vomitum cum pituita reiicientes: hinc Cynagroſtis aliis: & a foliorum primò prodeuntium forma, quibuſdam Dens canis dicitur.

Paſſim ſpontè prouenit: floret Iulio & Auguſto, in aruis & ſatis, non pratis, vt plurimùm, frugibuſque haud parum incommodum: eoque ſementem facturi raſtris Septembri, etiamque primo vere manibus runcandum præcipiunt Coloni.

Lobelio tota planta magis veſca creditur, dulcis & frumentacea vſibuſque Medicis receptiſſima, præſertim radix, quæ reſerat viſcerum farctus & renum, citra calefactionem, lumbricoſque huius ſtillatitia interimit, nempe pabulo humorum putridorum fraudatos.

## GRAMEN CANINVM VINEALE Caſp. Bauhîni.

### Cap. LV.

RAdice eſt alba, tenui, repente, geniculis diſtincta, ex quibus fibræ capillares in terram defiguntur: culmos habet tenues læues, geniculatos, in terram reclinatos: ex quorum geniculis ſingulis, folium, duas, treſue vncias plerumque longum, anguſtum, atrouirens prodit: culmorum ſummo panicula breuis, parumque expanſa, ex paruis glumis compoſita, inſidet. Apud nos in vinearum viis, ſolo aliquantulùm duriore, circa æſtatis initium reperitur, Gtamen hoc caninum 2. in pin. ſiue vineale, primum in prod. deſcriptum.

## GRAMEN CAMERARII repens.

RAdicem adipiſcitur longam tuberoſam, ſed æqualem, articulis præcinctam & hinc inde reflexis, non tamen profundiùs radicatam, filamentis conſtãtem pluribus. Suum protrudit hæc ab vnoque articulo culmum continuò ſe innouans



& multiplicans. *Folia* longa, acuminata, dura, arundinis inſtar paruæ lata. *Culmus* duarum ferè ſpithamarum altus, admodum anguſtus, & tenuis more ſtaminis, tribus, quatuórve nonnunquam articulis præditus, *ſpicam* ſuperiori parte profert patulam, quæ paruum continet *ſemen*. Folia cum radicibus ſaporem habent dulcem, cum adſtrictione quadam & acredine.

Camer. ad Matth. Germ. & epit. ponit figuram nomine graminis & Reechſgras.

Tabern. Hiſt. pag. 636. gramen primum Queckengraß aut Rechgras. pag. 644. gramen Dioſc. germ. Rindt graß Queck antiquum eſt germanicum vocabulum adhuc in vſu Saxonibus & Septentrionalibus germanis, ſignificans, Rindt, id eſt, Bouem. Potuiſſet Tabern. diligentiùs deſcribere gramen ſuum. I. quandoquidem Dioſcoridis primum facit, & iconem non dat. An ſit idem cum eo, quod pingit Camerarius, conſiderandum.

## GRAMEN PARVVM REPENS PVRPVREA SPICA.

### Cap. LVI.

io GRamen canarium in cultis quærenti, occurrit paſſim copioſè gramen iſtud, ſupinum, ſparſis per terram *culmis*, *radice* ſub terra huc illuc vagante, vulgaris graminis canini in modum: *ſpicæ* purpurâ ſplendent, diuulſæ: *folia* graminis pratenſis parui. Radices fibroſæ. Gratum hoc ouibus eſt gramen Lobel.

ma Lobel. in Ic. plant. & Belg. hiſt. pag. 21. *Gramen caninum ſupinum*, Belg Ligghende peyen-graß. Tab. Ic. *gramen caninum ſupinum* 2. Ligendtshündts graß. Eid. hiſt. gramen 6.

C. Bauh. in Phyt. *gramen* 2. ſiue *Caninum ſupinum*: *graminis* primi Dioſc. ſpecies minima, Thalyo. Quod verò Thalyus hanc ipſam non intelligat, declarat C. Bauh. in pin. vocans, gramen caninum 7. ſiue ſupinum minus.

## GRAMINIS PRIMI DIOSCORIDIS ſpecies minima Thalij.

### Cap. LVII.

ptio SE nunquam attollit, ſed geniculatis ramulis iuxta Dioſcoridem ſerpit, ac ex internodiis ſuis, & ex ipſo etiam cacumine creberrimè nouas radiculas iuxta Plinium ſpargit, ac ex iis nouarum plantularum exortus exhibet. Hæc paſſim in Harcynia, & etiam Stolbergæ in pratis vliginoſioribus ex muſco terreſtri, qui candidus vtplurimùm eſt, nonnunquam etiam rubeus, non infrequenter prodit, radicibus tenuioribus, cirroſis, coliculos emittens recuruos, humi proſtratos, tenues valde, teretes, geniculis frequentibus interceptos, ad quæ primùm folia prodeunt palmaris longitudinis, ſtricta, deinde etiam inter hæc folia & ipſorum geniculos ſingulos densè prorumpit plurimorum, paruorum, oblongiuſculorum ac ſtrictiſſimorum foliorum ceſpes, ad quorum inferius tuber, quo ex geniculis prorumpunt ipſa, noui cirri emergunt, qui denuò in muſco comprehendentes, nouarum plantularum origines exiſtunt.

C. Bauh. pin. *gramen caninum* 5. ſiue *ſupinum paniculatum folio varians*: *graminis* 1. *Dioſcor. ſpecies* Thalij. Synon.

## GRAMEN CANINVM SVPINVM PANIculatum dulce C. Bauh.

EX radice oblonga, capillata & nigra: folia pauca, læuia, viridia anguſta, vnciarum trium vel quatuor longa, prodeunt: inter quæ calamus tenuis, internodiis diſtinctus, foliis paucis oblongis cinctus, parte inferiore ſupinus, mox palmum longus, erigitur, & paniculam tenuem, albam, glumis exiguis donatam, ſuſtinet: agris Londinenſibus vdis gaudet, vnde D. Lobelius, graminis dulcis nomine miſit. gramen hoc caninum 6. in pin. ſiue ſupinum paniculatum dulce. Deſcriptio Synon.

## GRAMEN REPENS CVM PANICVLA Graminis Mannæ.

### Cap. LVIII.

DVum generum folia & culmos profert. Primùm enim lentis, longíſque ad cubitum vnum aut alterum coliculis ſolidis, crebrò geniculatis, læuibus, caducis naſcitur, qui vbi terram attigerint, ſtatim per fibras è nodis dimiſſas, comprehendit, radicatúrque: atque ex iiſdem geniculis folia mutuo amplexu ſtipata ſurgunt, breuia, anguſta, hirſuta: deinceps adultiùs culmos producit erectiores veluti ſuperiorum ramos, pedales, tenuiores, foliis amictos longioribus, hirſutis, & rarioribus geniculis interceptos, quorum ſummitas in ſpicas finditur, quatuor, quinque, ſex, ſpicis graminis Mannæ ſimiles, ſed minores, concinniores, imbricatas, non tamen circumcirca, perinde vt iam dicto gramine, cui pars ſpicæ interior nuda, hoc diſcrimine interim, quòd ea pars gramini Mannæ ſulcata ſit, in hoc verò in coſtam elata, floſculos fert arrotubentes. Radice nititur geniculata, reptante, ſubdulci, alba. Deſcriptio



*Iſchæmon Plinii, malè.* *Gram. aculeatum Plinii.* *Gramen legitimum.* *Deſcr. Cluſii.*

Sunt qui Iſchæmon Plinio lib. 25. cap. 8. nuncupatum eſſe putent: quorum ſententiam probare non poſſum, inquit Cluſius in Hiſt. Quod ſi verò ad Pliniani Graminis vllum aliud genus referenda eſt hæc planta, aculeatum illud potiùs erit, cui, quòd in acumine aculei ſunt plurimùm quini, Dactyli nomen inditum eſſe ait lib. 24. cap. vltimo. Nemo autem legitimi Graminis (ita vocat in Hiſt. poſt.) iconem exhibuit, quod in magnâ Europæ parte, præſertim per Hiſpanias & Gallias creſcit, cuius antequam ſtirpium in Hiſpaniis obſeruatarum hiſtoriam euulgarem ob illius tum elegantiam, tum vſum, cognitu dignum erat, illius deſcriptionem & iconem do. Pedalibus aſſurgit culmis, rotundis, purpuraſcentibus, geniculatis: è quibus anguſta promit folia, in acumen faſtigiata, dura: ipſi culmi, ſiue calami, in quaternas aut quinas deſinunt paniculas, mixti ex atro purpureóque coloris: radicibus firmatur longis, nodoſis, geniculis interceptis, candicantibus, ſubdulcis cum quadam adſtrictione ſaporis, quæ longè latéque ſerpentes, ſubinde plurimis locis germinant, nouóſque culmos & folia proferunt.

Synon: Lobel. Obſ. p. 12. Icon. Plant. p. 23. figuram Cluſii habet, ac Gramen alterum inſcribit. Anguill. epiſt. 12. & 14. *Gramen toti Italiæ notum.* H. Lugd. *Gramen vulgare Dalechampii.* C. Bauh. phyt. *Gramen* 88. ſiue *Gramen Dactylon ſecundum folio arundinaceo.* Idem in pin. *Gramen Dactyloides* ſiue *Iſchæmum.* 2. ſiue *Gramen dactylon folio arundinaceo maius*: aculeatum fortè Plinii: *Gramen* Ang. Cluſ. & Cęſ. & dicitur. Hoc variare ſcribit, & Gallicum foliis nonnihil villoſis; Germanicum verò foliis eſſe glabris, & cauliculis minùs erectis tradit.

Locus. Hoc gramine nihil vulgatius totâ Hiſpaniâ & Gallia in aruis, vinetis, atque etiam in maritimis, in quibus multò lætiùs & vberiùs creſcit: nam eius radices, interdum digiti craſſitudinem æquantes eruere meminit Cluſius.

In Horto E. C. cultum per plures annos manſit, tandem frigidioris ſoli impatiens periit.

## GRAMEN CRVCIS SIVE Neiemelmſalib.

### Cap. LIX.



Deſcriptio. GRamen quoddam naſcitur, exile, *radicibus* ſerpens albis, geniculatis, dulcibus cum aliquali acrimonia, communi Gramini proximis, digiti altitudine geniculati ramuli aſſurgens, *foliis* communi Gramini ſimilibus, minoribus, ramuli habent quatuor Iſchęmi ſpicas, vel Graminis ſanguinarii ſimiles, perfectam crucem figurantes, quam æquè omnes vno modo formant: ex quo ipſum Ægyptii *Neiemelm* vocant, quaſi dixerint, *Gramen crucis*: in quibus fiunt ſemina minutiſſima, ſeminibus communis graminis ſimilia.

Alpino deſcriptionis autori dicitur *Neiemelmſalib Aegyptiis*, C. Bauh. phyt. *Gramen* 90. ſiue *dactylon Aegiptiacum*: Eid. pin. *Gramen dactyloides* ſiue *Iſchæmum* 1.

Maximum vſum ſemina apud omnes habent, ad eos ſcilicet, qui tum renum, tum veſicæ calculis laborant, atque ad frãgendos lapides in veſica concretos. Quod genus morbi ibi eſt familiariſſimum, & quaſi endimium ex cauſis aliàs narratis. Mulieres radicis decoctum tum ad pueros variolis, atque morbillis correptos maximè ſequuntur, tum ad ſe ipſas, vbi cupiunt interceptas menſtruas purgationes rurſum euocare Sunt aliqui qui pro ſecreto auxilio habent decoctum, ex ſeminibus modicè contuſis paratum, ad adiuuanda exanthemata in febribus peſtilentibus quas peticulas noſtri appellant. Ad vſũ quoq; vulnerum & vlcerum non paruum, apud eos, tota herba, præcipuè radices habent vſum. Aiunt radicem frigidam atque ſiccam eſſe, tenuiſſimarumque partium, quamobrem non deſunt multi qui ad mouendum ſudorem eius decocto familiariſſimè vtuntur.

## GRAMEN SCOPARIVM. Iſchæmi Paniculis Gallicum.



SPecioſius iſtud, Iſchæmo Gramini cognatum videtur in Adu: parte altera Lobelio; è cuius prælongis, prætenuibus rigidiſque cubitalibus & longioribus radicum cirris cócinãtur ſcopulæ illæ vulgatiſſimæ nitentis comæ conciliatrices, frictionibus capitis accommodatiſſimæ & vſitatiſſimę.

Figura ei graminea, Iſchæmi vulgaris, gracilis culmus, rigidus, geniculatus, cubitalis; in quaternas, quinas, vt plurimùm ſenas, & plures elegantiſſimas lucidas ſpicatas caudicellas Iſchæmo Gramini ſimiles, faſtigiatus. Foliis item non diſſimilibus, guſtu Graminis, dulcioribus. Copioſè prouenit in Gallia, ſabuloſis vicinis Caſtri Inſulani locis vocitati (vulgò *Chaſteau de l'Iſle*) prope Aureliam, collegit amiciſſimus vir Georgius *le Seigneur*, Pharmaceutices, & Rei herbariæ callentiſſimus, quo gramine me donauit Londini, Anno 1602. quique quotannnis Angliam nouis & rariſſimis ditat Plantis.

C. Bauh. pin. *Gramen dactyloides* ſiue *Iſchæmum* 6. ſiue *Gramen dactylum ſcoparium*: *Gr. ſcop. Iſchæmi paniculis Gallicum*, Lobel. Adu. parte 2.

## GRAMEN SVPINVM ACVLEATVM

### Cap. LX.

ſio



Breuibus fibris radicatur: ramos verò terræ apprimit in orbem, multos, palmares & ſeſquipalmares, aliquando pedales, aliquos verò duntaxat vnciales, rigiduſos: ad quorum genicula, vtriculi inſtar, folium ſtriatum glumas numeroſas conglomeratas, ſquammatum foliacearum cōplexu comprehenſas claudit, deinceps in mucronem rigidum & acutum, vncialem & breuiorem, rectà in latus protenſum deſinit, extremo verò cauli huius generis plura folia & vtriculi glumis grauidi, echinati aliquid oſtentanr.

Camer. ad Matth. hiſt. Germ. & Epit. *gramen aculeatum*, Italis *gramigna ſpinoſa*. Græcis *ἄγρωστις ἀκανθώδης*. H. Lugd. *gramen aculeatum* Matthioli.

Gener Cherlerus attulit collectum ad vias Romanas, aſperiores præſertim, ſiccioréſque: Matthiol. verò in Epitome ait prouenire inter rudera, & in muris vetuſtate collapſis.

s

Viréſque eaſdem habere, quibus pollet primum graminis genus.

## GRAMEN PRATENSE VVLGARE ſpica ferè arundinacea.

### Cap. LXI.

ptio



Capillaribus fibris totum occupat ceſpitem, glabris, viridibus, tenellis foliis amictas emittens ſtipulas, quarum ſumma comantes latè diffuſæ paniculæ mollicellæ inſigniunt, pilorum, ariſtarúmque expertes, accedentes tamen quodammodo ad arundinem. In hoc gramine inſignis varietas ratione loci, & potiſſimùm in magnitudine ſpicarum.

De hoc Lobel. in Adu. Eſt quàm quod notiſſimum *gramen pratenſe* dictum, vulgò notum, & Fœnum quando aruit vocatum, exilioribus radicum cirris ſeu pullis capillamentis & creberrimis ceſpitem ſummum ſugens, humúmque perreptans & tegens, denſiſſimo & numeroſo foliorum triticeorum ſtipatu: culmos pedem & cubitum altos ſurrigens, tenues, geniculatos, læues, lanoſa, ſparſa, & magis harundinem vallatoriam imitante, ſpica faſtigiatum.

C. Bauh. phyt. *gramen 7. ſiue vulgare*: Eid. pin. *gramen pratenſe paniculatum* 2. ſiue maius, latiore folio: πόα Theophraſti, *gramen vulgò cognitum*, Trag. icon. *gramin. genus* Dalech. in Dioſc. *gramen pratenſe maius vulgatius*, Adu. *gramen pratenſe vulgatius* Lob. in Obſ. pag. 9. & Hiſtor. Lugd. *gramen pratenſe primum* Dod. *gramen* Lon. *commune*, Thal. *gramen alterum & vulgare*, Tabern. *gramen pratenſe*, Lob. in Ic. Ger. An per *Chulem* Garzias hoc gramen intellexerit? Cluſius not. ad Garz. Synon.

Huius ſemine in horreis è ſpicis excuſſo & collecto vtuntur complures Medici ad obſtructiones viſcerum, calculum, potu: admotúque ad diſcuſſionem pertinacium tumorum, & flatuum, tametſi Officinis vſu ignoto. Aſt hoc non ſine periculo, quia non facilè ſeparari poteſt, ab aliarum herbarum ſeminibus. Vires.

## GRAMEN PRATENSE PANICVLATVM maius anguſtiore folio, C. Bauhini.

### Cap. LXII.

Ex radice capillacea, rufeſcente, folia capillacea, quædam breuia, quædam palmum ſuperantia, prodeunt: inter quæ culmi tenues, geniculati, cubitum ſuperantes, vno alteróve folio breui cincti, in quorum ſummo panicula leuiter expanſa, vncias quatuor longa, quæ ratione loci, ſtrigoſior vel lætior. Deſcriptio

Gramen hoc pratenſe paniculatum 3. ſiue maius anguſtiore folio C. Bauh. in pin. 10. in prod.

In pratis & dumetis ad ripam VVieſæ fluminis Baſileæ reperitur. Locus

Huic ſimile ad ripam prædictam inuenitur, potiſſimùm radicum capillarium, vt ex caulium numero, paniculis, & in iis glumis longioribus varians. *Variat panicula & glumis longioribus.*

## GRAMEN AGRORVM LOB.

### Cap. LXIII.



Agrorum venti ſpicam diximus, quòd ſpicam habeat latam, comoſam, panſam, & à ventis communiter in alterum agitatam latus. Foliis alioquin & radice magnitudine ferè æquale eſt ſegetum gramini. Iuba cæterùm Miliacei graminis Iubæ haud abſimilis eſt. *Hæc Lobelius.* Quibus addit Tab. Ra- Deſcriptio

dicem habet paruam, villoſam: folia longa, anguſta, nec acuminata: culmum, quàm cætera harundinacea, magis tenuem.

Synonyma — Lobel.in hiſt.Belg.p.5.& Plant.Ic.p.3. *Agrorum venti ſpica*, & *Gramen agrorum*, latiore, arundinacea, comoſa panicula T.p.5.

C.Bauh.phyt.*Gramen* 19. ſiue *ſegetum, panicula arundinacea*: Eid.pin.*Gramen paniculatum aruenſe* 4. ſiue *Gramen ſegetum, paniculâ arundinacea*. *Gramen loliaceum* 8. Tragi, Thal. *Gramen equinum*, fortè Geſneri, Cam. *Agrorum venti ſpica*, Lob.icon. *Gramen pratenſe* 3. Dod. *Gramen harundinaceum aruenſe*, Tab. *Gramen arundinaceum*, Ger. Variat paniculâ flaueſcente & ſpadicea. Don.lat. Gramen pratenſe tertium duntaxat vocat nec deſcribit: An idem cum aliis, an ipſi non cognitum? Sed non diuerſum ab aliis eſſe conſtat ex iam adductis. Ipſi verò non viſum patet; ſi namque vidiſſet, vtique deſcripſiſſet, nec contentus ſolo nomine fuiſſet,

*Dod. not.*

Locus — Inter agrorum ſegetes reperiri Lob. notat & Tabernamontanus.

## GRAMEN MILIACEVM LOB.

### Cap. LXIV.

AGrorum venti ſpicæ ſimile eſt admodum, culmo & radice, ſed panicula miliacea.

Synonyma — Tabern. icon.& hiſt. p.639. *Gramen miliaceum*, Hirſengraß. Item p.642. *Gramen* 13. in aruis campeſtribus ſiccis proueniens. Lob.in Ic.p.5.& hiſt. Belg.p.6. Hirſgraß / Saetgraß, Miliaceum gramen: ſic & Gerardo. Dodon.Lat. *Gramen pratenſe* 4. ſine deſcriptione. Camer. *Gramen perenne miliaceum* in ſiluis non procul ab vrbe noſtra ad montem S Mauritii. C.Bauh.Phyt. *Gramen* 21. ſiue panicula miliacea: Eid.pin.*Gramen miliaceum* 1. ſiue Gramẽ ſiluaticum panicula miliacea ſparſa.

## GRAMEN MONTANVM.
panicula miliacea ſparſa, C.Bauh.

Deſcript. — EX radice fibroſa, rufeſcente, folia pauca, anguſta, vncias quatuor vel quinque longa, vnà cum culmo tenuiſſimo cubitali, vno alteroue folio veſtito, exurgunt, in cuius ſummo panicula ſparſa, ex locuſtis minutiſſimis compoſita: in monte Crentzacenſi prouenit: hoc Gramen miliaceum 2. ſiue Gramen montanum paniculâ miliaceâ ſparſa, in pin: 50. in prod.

## GRAMEN ARVNDINACEVM
paniculâ miliacea C.Bauhini.

Deſcriptio — EX radicibus fibroſis albis huic Gramini miliaceo 5. in pin.51. in prod. ſiue arundinaceo paniculâ miliaceâ, vnus & alter culmus cubitalis exurgit, quem parte inferiore folia arundinacea vnciarum trium cingunt ad partem ſupernam duobus nodis diſtinctam, folia duo anguſtiora, longioraque veſtiunt: in cuius ſummo panicula trium vnciarum, Milii paniculæ ſimilis: in agris Patauinis reperitur, & à Gramine miliaceo à Lobelio propoſito, planè diuerſum eſt.

## GRAMEN CAPILLATVM.

Deſcriptio — PLures ex fibroſis radiculis tollit culmos cubitales, bicubitales & altiores, aliàs ex viridi in luteum pallentes, aliàs rubentes, geniculis interceptos, foliis glabris, palmaribus, aut dodrantalibus donatos, ſummum cacumen in iubam explicatur pedalem circiter, atque arundinaceam: paniculæ ex interuallis radiatim diſponuntur, nunc flaueſcentes, nunc viridâtes, ſæpè rubentes, in tenuium pediculorum ſtaminulis, theculis puſillis ſemẽ claudentes minutum, ſubfuluum, acere molli capillari & obtutum ferè eludente in extremo donatum.



Tabern.icon. & hiſt.p.638. *Gramen ſegetale* ſiue aruenſe paniculatum, Ackerſtrauß groß Kornſträußgras: Et p.642. *Gramen*.9. Lob. Ic.p.2. *Segetum Gramen panicula ſpecioſa*: Eid.in hiſt.Belg.p.5. Veldtgraß oft Korengraß met ſchoone ſeer wytghespreyde arens wordt: in Latein *Segetum Gramen panicula ſpecioſa, latiore*: pulchrum eſt, panicula valdè lata, naſcitur in agris inter Hordeum & frumentum, tam in Anglia, quàm Belgio: radix fibroſa, ex qua culmus naſcitur ſeſquicubitalis, non ſine foliis Miliaceis, cui innaſcitur lata ſpecioſa panicula, eo ferè ordine quo ſcapus Plantaginis aquaticæ.

C.Bauh.Phyt. *Gramen* 18. ſiue *paniculatum ſegetum*: Eid.pin.*Gramen paniculatum aruenſe*.3. *ſiue Gramen ſegetum altiſſimum panicula ſparſa*: An Gramen caule geniculato Thalii?

Geneuæ & in Ducatu Wirtembergico ad fontem Admirabilem inter Auenam menſe Auguſto & Iulio floret. Montbelgardi etiam abundat in agris.

## GRAMEN TENVIFOLIVM
magis ſparſa panicula.

### Cap. LXVI.

OBſeruatum mihi Gramen culmis ferè iiſdem cum ſequenti, ac geniculis aliquot, foliis tamen paulò latioribus ac panicula diuerſa, quæ magis ſparſa, rubens: floſculi apicum modo, rubentes: radicibus terræ firmiter hærentibus, in quibus capillares albæ fibræ.

C.Bauh. Phyt.*Gramen* 34. ſiue foliolis iunceis primum. Eid.pin. *Gramen iunceum* 1. ſiue foliolis iunceis oblongis, radice alba. H.Lugd.p.425. Gramen iunceum Dalechampii.

Montbelgardi obſeruauimus ſupra muros cum flore menſe Iunio.

## GRAMEN TENVIFOLIVM GLABRVM.

### Cap. LXVIII.

NVmeroſos effert culmos, ſatis tamen tenues, rubentibus geniculis aliquot diſtinctos, panicu-

ſiculis ſingularibus Phœnicis ſeu Lolij rubri, ſed crebrioribus, grandioribus, ſparſis, inconditis, coloris herbacei: folia longa, tenuia, ſi vaginæ excipias, qua culmum inuoluunt, glabra, pedalia, & cubitalia, non rigida, fibræ capillares, nigricantes.

Caſp. Bauh. pin. *Gramen iunceum* 2. ſiue foliolis iunceis breuibus maius radice nigra. Hoc in prod. pro 34. ſic deſcribitur: ex radice capillata, nigra, folia iuncea, rariùs duas tréſve vncias ſuperantia, prodeunt: inter quæ culmus tenuiſſimus, pedalis, læuis; cuius ſummo glumi minimi, quemadmodum in grâmine exili duriore alternatim diſpoſiti ſunt: ad mœnia vrbis noſtræ legimus.

## GRAMEN TENVE DVRIVSCVLVM & penè iunceum.

### Cap. LXVIII.



IN fine hiſtoriæ noſtræ balnei ad mirabilis deſcripſimus quoddam gramen, quod vocauimus iunceum cinereũ, in rupibus & muris hærens ita firmiter radicibus tenuibus capillaribus, nigricantibus, vt vix euellere poſſemus, cohærentibus ſimul multis plantis, foliorum marcidorum veſtigia demonſtrant non annuam plantam: *folia* alioqui vegeta ſunt, longitudinis quinque, vel ſex vnciarum, quædam etiam breuiora, conuolutionis ergo iunci inſtar teretia, nónihil rigida, cinerei ferè coloris, reſtantibus Octobris fine calamis, valdè tenuibus dodrantalibus & pedalibus, cum veſtigiis veluti paruæ ſpicæ: idem, vt verum fatear, mihi videtur graminis illud genus, quod Montbelgardi prouenit, aut valdè ſimile, cui folia virentia, tenuia, compreſſa, viridia, glabra, culmi plurimi tenues, pedales vel cubitales læues, in quibus vnum geniculum, præter illud quod ad radicem, & foliolum ex longa vaginula: iubâ vncialis, ſpicæ ferè ſimilis, virens vel nonnihil purpuraſcens, in qua quædam partes, ad phœnicem nonnihil accedunt, & in paruas ariſtas deſinunt: in iis floſculi vel apices minimi albi: toti plantæ ſapor ſubdulcis, in cæteris ſimilis præcedenti, radice enim eſt nigra: & folia inferiora Autumno albeſcunt, cinereáve redduntur.

Lobel. in Ic. plant. pag. 7. & Hiſt. Lugd. p. 432. *gramen exile*: Lob. in Obſ. pag. 9. *exile gramen durius*: Gerar. & Tab. icon. & Hiſt. *gramen minus duriuſculum* klein hart graß: Eid. hiſt. gramen 19. C. Bauh. phyt. *gramen* 35. ſiue *foliolis iunceis* alterum: Eid. pin. *grâmen iunceum* 3. ſiue foliolis iunceis breuibus minus.

Primum noſtrum gramen in monte Teckeiano Ducatus VVirtembergici copioſum erat menſis Octobris fine, deſtitutum penè omnibus ſpicis vel iubis: item in commiſſuris rupium & ſupra muros & rudera arcis. Alterum Montbelgardi florebat Iunio, obſeruatum ſupra muros etiam, ac ni fallor, ſecus vias aridioribus locis. Lobelius ait ſuum gramen exile oriri ſabuletis & ſquallido aridioréque agro Galliæ, Angliæ, Germaniæ, & Belgii.

## GRAMEN EXILE DVRIVS NORTVEGICUM aut Danicum, Scopario Gramini cognatum.

### Cap. LXIX.



SAxorum interueniis leui terrâ ſterilis Petreæ Nortuegiæ, imíſque marcidis, rimoſis caudicibus ſyluarum Daniæ hoc gramen (Lobel. in Aduerſ. altera parte) viget, denſiſſimo ſparsóque rigidorum iunceorum, ſeſquiuncialis altitudinis tenuiſſimorum foliorum ſtipatum: ſeſquipalmaribus, numeroſis, cirratis, geniculatis ſtamineis calamulis, quorum ſumma folia latiuſcula, vaginulæ inſtar, ſpicatas, vnciales, paniculas claudunt aut amplectuntur. Iubata concinnatáq; dodrantalis radix, Buxei pallida coloris, totáque planta prolixior, vti graminis Scoparij, cuius cognata videtur. — Locus. Deſcriptio.

C. Bauh. pin. *gramen iunceum* 5. ſiue foliolis iunceis radice iubata: *gramen exile durius* Nortuegicum aut Danicum Lobelij, Adu. parte altera. — Synon.

## GRAMEN NEMORALE AVENACEVM alterum, ex fuſco xerampelinum & lucidum Danicum.

IN ſiluigeris Daniæ collibus & montibus (ex relatione Lob. Adu. part. 2. pag. 465.) pereleganſ, exiléque gramen oriundum foliolis creberrimis, rigidis, cirratiſque, vncialis & binarum vnciarum altitudinis radicibus. Pedales & ſeſquipedales, exiles, lucidi, & nitidi, aſpectu iucundi culmi, ex fuſco xerampelini, in quibus è longiuſculis paniculis Auenacea ſemina. — Locus.

C. Bauh. pin. *gramen auenaceum* 4. ſiue *capillaceum minoribus glumis*: *gramen Anglo-Britannicum auenaceum, Danico nemorali ſimile*: Hoc nomine à D. Lobelio accepimus. *Gramen nemorale auenaceum alterum ex fuſco xerampelinum & lucidum Danicum*, Eid. adu. part. 2. cuius etiam varietatem notat. — Synon.

## GRAMEN AVENACEVM lanuginoſum glumis rarioribus C. Bauhini.

### Cap. LXX.

Deſcript. GRamen hoc auenaceum 6.Caſp.Bauhini in pin.72.in prod.ex radice fibroſa, folia iuncea oblonga,& culmi plures,iuncei, cubitum ſuperantes, paucis foliis donati, exurgunt: in quorum ſummo glumi rariores,albi,lanuginoſi,ſtriculum continentes,quibus ſemen nigrum, ſplendens,incluſum eſt: locis aſperis circa Monſpelium prouenit: diuerſum eſt à Gramine Cluſii.

## GRAMEN GLVMOSVM Dalechampii.

### Cap. LXXI.

Deſcrip. GRamen glumoſum Dalechampii Lugdun.p. 429.ſiue Gramen auenaceum 7.ſiue lanuginoſum C.Bauh.pin. radice foliiſque multis graminum generibus non eſt diſſimile: ſed hac peculiari nota diſcrepat, quòd ſpicas denſiſſimis glumarum grandium ordinibus ſtipatas edat, quam ob cauſam glumoſum nominatum eſt.

Locus In agris lætis naſcitur.

## GRAMEN RVBRVM MONSPEL.

Deſcriptio QVantum quantum eſt,rubet,ſpicæ,folia: atque hæc quidem pilis minimis aciem oculi ferè fugientibus oblita ſunt. Singuli calami multas gerunt ſpicas paruas oblongas, ariſtis longis, rubris, vt in Gramine Hordeaceo. A me

Locus. Monſpelii obſeruatum fuit.

## GRAMEN ALIVD MONSPELIENSE.

Deſcriptio ALiud Monſpelii memini Gramen obſeruari, quatuor aut quinque ſpicis in vno calamo donatum,ſed craſſum cum paruis ariſtis: folia piloſa ſunt valdè.

## GRAMEN ALIVD GLABRVM MONSPEL.

Deſcriptio SPicas gerit multas in eodem calamo,admodum exiguas,molles,nec ariſtis vllis obuallatas, dilutiore rubore, quàm Gramen rubrum Monſpeſſulanum, à quo differt quoque, quòd folia non ſint piloſa.

## GRAMEN MINIMVM Monſpelienſe.

### Cap. LXXII.

Deſcriptio DVræ radicum fibræ, culmi paucis geniculis diſtincti,palmares & ſeſquipalmares, foliis ſtipati prætenuibus culmo altioribus: paniculæ in metam faſtigiantur,ſingulares vnciam ferè æquantes,ſquammeis puſillis glumis contextæ.

Quod deſcripſi Gramen pro minimo prouenit locis ſaxoſis Monſpelii: Gener Charlerus attulit nomine Graminis exilis durioris, obſeruatum propè Burlonetum iuxta Monſpelium, vt & & alibi ſiccis & ſqualidis locis.

## GRAMEN PANICVLA multiplici, C.Bauhini.

### Cap LXXIII.

GRamen prætenſe paniculatum 7.ſiueGramē panicula multiplici, vt autor in pin. vocat, ſiue Gramē 11.in prod. ex radice multis cirris villoſis albicantibus compoſita, *culmi* plurimi,palmares, læues, geniculati & recurui,foliis gramineis, oblongis, anguſtis,veſtiti exurgunt,quibus panicula triuncialis anguſta variè diuiſa,per maturitatem rigida & ſpadicea,inſidet.Monſpeſſuli prouenit; maius & minus reperitur, & Gramen minus duriuſculum vocatur.

## GRAMEN CVM PANICVLA molli rubente.

### Cap LXXIV.



COnfibratis capillaribus radiculis ſub ceſpite foliorum ima prodeunt, tuniceis inuolucris compacta, inter quæ bulbuli oblongi capitulum efformant,quæ à radicibus ſtatim multa pronaſcuntur,quadrantalia & trientalia, peranguſta,mollia, glabra,in culmis pauciora, minora, in ſingulis tamen geniculis ſingula. Culmus pedalis, minor interdum, ſubinde major, tenuis, paniculam gerit vncialem & ſeſcuncialem,diuulſam,ex viridi purpuraſcentem, glumis crebris,exilibus,in breues,interdum tortiles, ariſtas,molles & quaſi ſericeas deſinentibus.

Lobel. Aduerſ. Gramen minimum in ſabuletis ſquallidis & vinetis glareoſis Norbonæ ſæpiùs viſitur,omnium minimum: perpuſillà radice,capillacea, alba, calamulis etiam capiliamentis ſimilibus, eleganti purpura lucentibus, Gramini Iſchæmo vocato non diuerſis, ſed ſpica mollicella, ſericea,ſpecioſa. Icon plant. p.2. Gramen minimum xerampelinum. Norbonenſe etiamque Belgicum. Si Lobelius, quod ſuſpicor, eandem plantam nobiſcum intelligit, figura non placet, mihi videtur Dalechampii apud H. Lugdunenſem p.427.ſub Graminis bulboſi Dalechampij titulo propoſita.

C.Bauh phyt *Gramen 14 ſiue panniculatum arvenſe*,Aduerſ.minimum: Variat panniculà quoad colorem, modò namque viret,modò rubet: Quare Ta-

re Tabern.Ic.pag.206.& 207. duas proponit Icones albi & rubri nomine. Sed non videtur nobis Gramen panniculatum Tabern. reſpondere figurà aut deſcriptione minimo Lobelij, potiſſ. album. Idem C.Bauh. in pin. Gramen Matthioli eſſe cenſet, de quo cap. de Gramine officinarum egimus. Gramen, inquit, paniculatum aruenſe 1. ſiue Gramen aruenſe panicula criſpa, eſt Gramen Matthioli,& H.Lugd. p. 421. Gramen minimum xerampelinum Lob.& H.Lugd.p.433. & Gramen bulboſum Dalechampij, eiuſdem H.Lugd.p.427. Caſp.Bauhinus hic ſeparat Gramen paniculatum Tabern.

Gramen panicula ſpica molli rubente obſeruauimus Monſpelij in pratis: Geneuæ ſupra muros: Baſileæ citra telonium ad margines agrorum: Montbelgardi menſe Iunio cum bulbulis ſupra muros.

## GRAMEN PANNICVLATVM MINVS album & rubrum.

### Cap. LXXV.



GRamini panniculato, minori, albo, radix eſt exilis villoſa, ex multis ceu fibris perplexa: *folia* admodum anguſta, parua, acuta, læuia: *culmi* parui, æquales, dodrantem medium non excedentes, licèt in pingui ſolo radicem egerit. *Panicula* extenſæ, albæ, nonnihil ſplendentes.

Rubrum quidem iam dicto (radicem, folia, culmum & paniculam quod attinet) per omnia ſimile ferè, niſi quòd in hoc culmi & paniculæ rubeſcunt.

Tabern.Ic.& hiſt.p.639.& 640. *Gramen pannicalatum minus album & rubrum*, klein weiß vndt rot Straußgraß. Gramen 16.& 17. Qualia ſint hæc Gramina, nondum nobis perſpectum.



Frater C.Bauh. in phyt. putat idem cum minimo Lobelij: verùm nobis non videntur nec eius icones nec deſcriptiones (quæ nos exhibemus) reſpondere, potiſſ.albi. C.Bauh. in pin. mutat ſentétiam vocátque Gramé pratenſe paniculatum 6.ſiue minus: Gramen paniculatum minus Tabern. Gramen minimum album & rubrum Gerardi: variaréque perhibet panicula & culmis purpuraſcentibus & albis.

Locus. Prouenit paſſim (album vt legimus apud Tabern.in hortis & vineis: Rubrum autem rarò conſpicitur, quod haud omni terrarum loco creſcit. Obſeruauimus nos (inquit Tabern.) primùm in Burgundia non procul à Biſantio in vineris, & apud montem *Argue*, ſicut etiam in ſuperiori Alſatia inter Königsberg & ciuitatem imperialem Obernehen in ſolo arido cum aliis graminibus. Aſt aliàs nullibi in Germania offendimus.

## GRAMEN MINIMVM Cap. LXXVI.

Deſcriptio. CApillorum inſtar tenues *radiculæ* cæſpitem mordicus obſident: *culmi* numeroſi, plùs minùs vnciales, enodes, molles, tenuiſſimi in ſpicam deſinunt alternis glumis Graminis pratenſis obſitam: *foliola* ſtipulas à radice aliquouſque comitantur, tenella, perpuſilla.



Locus. Gener Cherlerus attulit ex Gallia Narbonenſi,& ſpeciatim ſe collegiſſe ait propè fontem illum magnum Templi Dianæ propè Nemauſium, nec alibi vſpiam obſeruaſſe.

## GRAMEN MINIMVM DALECHAMPII.

### Cap. LXXVII.

Deſcriptio. ESt veluti gleba ampliuſcula, rotunda, radiculis plurimis breuibus, candidis: *foliis* digito non longioribus, teretibus, ſpica valdè gracili, parua: *floſculis* rubris, Februario ſtatim ad primam aëris temperiem exorientibus, ſapore initiò dulci, deinde amarò. Naſcitur in aruis.



Hiſt.Lugd.p. 424. *Gramen minimum Dalech.* C.Bauh.phyt. *Gramen 16. & Gramen minimum inſtar glebæ ampliuſculæ.* Eid.pin.Gra-

*men tremulum* 6.ſiue minimum paniculis elegantiſſimis.

## GRAMEN ANTHOXANTHON. ſpicatum.

### Cap LXXVIII.

Deſcriptio



Foliis & radiculis capillaribus proximè ad Gramen pratenſe accedit: verùm folia glabra; *Culmi* dodrantales: aliquando cubito altiores, tenues, frequentiuſculè geniculati, ſpicam gerunt ſinguli vnicam vnius duarumúe vnciarum, ex viridi flaveſcentem, in metæ figuram, cuius glumæ ſingulares, molles, oblongæ, compreſſæ, acuminatæ, muticæ, interdum totæ flauent, interdum bicolores, flauæ & viridantes, per confinia decurrente ceu neruulo

Synonyma H.Lugdun. p.426. *Gramen Anthoxanthon Dalechampii*. C.Bauh.pin. *Gramen ſpicatum pratenſe* 3. ſiue ſpica flaueſcente.

Locus. Obſeruaui Geneuæ & in valle Griesbachiana ad fontes acidos florens Maio, itemque circa S Hippolitum Burgundiæ.

## GRAMEN VERSICOLOR.

### Cap LXXIX.

Deſcriptio



Reptantibus graminibus accédendum, radices duras geniculatas longè latéq; ſpargit, fibris profūdè demiſſis, ſatis craſſis, vix euelli poteſt è rupium rimis; *culmi* foliis crebris veſtiti, dodrantales, ſpicam ſinguli geſtant Graminis anthoxanthi paulò breuiorem, modò purpuream, quæ colore ad obiectum lucis variante placet, paruum *ſemen* longiuſculum ad ſemen Graminis Mannæ accedens, rufeſcens externè, internè albeſcens, inuolutum paruis glumis.

C.Bauh.pin. *Gramen auenaceum* 8. ſiue glumis variis: 73.in prod.ſic deſcriptum: ex radice craſſa, membrana alba rugoſa intecta, caules bini, terniúe, pedales, fragiles, læues exurgunt, quorum ſummo ſpicæ ſimilis panicula vncialis, ex glumis varii coloris inſidet: folia plura ad radicem anguſta, palmaria, ſaturatè virentia: locis montoſis circa Montbelgardum prouenit, vnde à Fratre p.m. accepimus. Syn

Geneuæ obſeruaui in colle *la Baſtie*, circa S. Hippolitum Burgundiæ, ſemine maturo Maii principio, tranſtuli Montbelgardum in hortum, ſolet inter rupes prouenire loco ſoli expoſito. Lo Te

## GRAMEN PANICVLA AVREA.

Tenuem ſurrigit dodrante maiorem culmum, per cuius faſtigium conſcendunt quinque aut ſex auricolores paniculæ ſplēdidæ, ſemunciales, graciles, teretes, aceroſis glumis contextæ: folia peranguſta, vix culmo cedunt longitudine.

H.Lugd.p.430. *Gramen aureum Dalechampii*. C. Bauh.phyt. *Gramen* 20. & *Gramen panicula* penduià aurea. Eid.pin. *Gramen paniculatum aruenſe* 2. ſiue panicula pendula aurea. Syn

Habui Argentinæ à D.Vldarico Chelio medico: hoc, vt teſtatur H. Lugd. in ſitientibus & ſqualidis locis prouenit. Lo

## GRAMEN LANATVM Dalechampii.

### Cap. LXXX.

De



Totum mollicellum eſt, tomentoque obſita non tātùm folia longiuſcula, ſed & calami, eorumque genicula: paniculę mediocriter diuulſæ, ſpicam mentiuntur, ſeſcuncialé, ſæpe palmarem & longiorē, colore iam purpuraſcente, iam cinericeo, aliàs coloris ex his mixti, vix vllis donatæ pilis, molles tamen non minùs ac folia, glumis laxioribus, breuibus, ariſtarum expertibus, plurimùm ſtriâ vnicâ obſcuriore donatis, florum apiculis luteis.

H.Lugd.p.425. *Gramen lanatum* Dalech. ſic dictum quod manibus contrectantium blandiatur: C.Bauh.Phyt. *Gramen* 17. ſiue paniculatum molle: Eid.pin. *Gramen pratenſe paniculatum* 1. ſiue molle: *Gramen paniculatum molle* Lob.Adu.parte 2. Syno

Geneuæ, Baſileæ, vt & in Gallia Narbonenſi prouenit: loca. amat montium editorum & aſpero- Locu

perorum, vda & rigua prata.

## GRAMEN SORGHI EFFIGIE Lobelii.

AD ſeſquipedalem ſurgit altitudinem, foliis paruis, latis. Radix fibroſa: ſemen & ſpicæ Sorgo ſimiles. Naſcitur in aruis.

Lobel.in Ic.p.5.itémque hiſt.Belg.*Gramen Sorghi effigie*: Dodon.Lat. *Gramen pratenſe* 5. ſine deſcriptione. Tabern.(apud quem in Icon.& Hiſt. p.659.Icon à Lobelio propoſita, eſt pro arbitrio immutata: nec enim vllam videtur habere cum Sorgho ſua ſpica ſimilitudinem) *gramen Sorghinum*: Eid.hiſt.Gramen 12.ſiue Sorghgraß.

C.Bauh.phyt.p.8.*gramen* 27.ſiue Sorghi effigie: Eid.pin.*gramen ſorghinum* 1. ſiue Gramen Sorghi panicula erectum:*gramen ſorghinum*,Gerardi.

## GRAMEN HARVNDINACEVM SORGHI paniculâ ſparſâ Caſp.Bauhino.

### Capvt LXXXI.

GRamen hoc Sorghinum 2. in pin.52.in prod. C.Bauhino, culmis eſt cauis magna ex parte reclinatis, ita vt capillaribus radicibus terræ affigantur, qui folia (quæ longiora & anguſtiora quàm in priore) veluti per tubum tranſeunt, & in ſummo paniculam ferè palmarem ſparſam, paruis vtriculis donatam, ſuſtinent. Locus natalis memoria excidit.

## GRAMEN ASPERVM.

### Cap. LXXXII.



GRamen aſperum culmo eſt bicubitali & altiore, geniculato, aſpero, potiſſimùm ſub nodis & in faſtigio: folia longa vagina culmum inuoluunt in acutum pungentémque mucronem deſinentia, à quo deorſum ſi digitis ſtringas, aſpera ſentiuntur: panicula itidem aſpera, rigida, & craſſa, albicans vel rubens, ſæpè minùs ſparſa: aliàs etiam magis cum paruis panicu lis ex pediculis longis aſperis, antrorſum duntaxat vergit, ex latiuſculis ceu muſcariis compoſita, floſculos luteos vibrantibus.

Hiſt.Lugd.p.427. *gramen ſpicatum* Dalechampij: C. Bauh. phyt.*gramen* 11. ſiue Gramen folio aſpero, nonnunquam articulato: Eid.pin.*gramen ſpicatum pratenſe* 5. ſiue gramen ſpicatum folio aſpero: Gramen varians folio nonnunquam articulato, & floribus, qui Baſileæ paſſim menſe Iunio pallidè lutei: in pratis verò montium frigidorum ſubrubei ſunt.

## GRAMEN PARVVM ECHINATVM.

### Cap. LXXXIII.



Deſcriptio. LOngis albicantibus fibris radicatur, *culmis* pluſculis donatum palmaribus, paulò longioribus, duris, rubentibus, crebro nodorum interceptu diſtinctis, quos folia ferè totos obuoluunt, vix vnciam ab iis recedentia, hirtis per margines pilis donata, alioqui glabra: *ſpicæ* vnciales & longiores, interdum eam longitudinem minimè attingunt, denſo glumarum pulchris denticulis muricatarum ſtipatu contextæ, ſemen echinuli meditullio continentium, puſillum, oblongum, ruffum.

*Gramen caninum maritimũ C.Bauh.* A C.Bauh.in prod.pro Gramine 3.ſiue canino maritimo aſpero ſic deſcribitur: radicem habet ex multis fibris oblongis, albis, capillaribus compoſitam, ex qua ramuli plures dodrantales, in terram primùm reflexi, prodeunt, calamis rotundis rufeſcentibus donati, quos folia quaſi in faſciculo iuncta, breuia, dura, veluti in aculeum faſtigiata, in circuitu leuiter hirſuta, ſerræ inſtar minutiſſimè exaſperata, cingunt: *ſpicæ* folliculo primùm incluſæ, anguſtæ, ceu ex lappulis elegantiſſimis, exiguis, aſperis & echinatis compoſitæ. Locus. In littore Veneto, maritimis quoque circa Anconam, & Monſpeſſuli reperitur menſe Septembri. Lobelius Aduerſariorum parte altera in catalogo graminum, Gramen caninum medicatum marinum ſpica echinata C.Bauhini (ſed ſine deſcriptione) vocat, quia hoc nomine in Phyt.noſtro ante annos viginti quatuor breuiſſimè deſcripſimus. *Icon Caſp. Bauh.* *Hæc ille*, qui pilos foliorum in ſua icone exprimit. In phyt.vocat Gramen 4.ſiue caninum marinum ſpica echinata: in pin. Gramen caninum 10.

## GRAMEN CANINVM MARITIMVM ſpicatum C.Bauhini.

### Capvt LXXXIV.

Deſcriptio. HVic Gramini canino 2.(vt vocat in pin.) ſiue (vt in prod.) Gramini 4.ex radicibus tenuibus, lignoſis, leuiſſimè capillatis, viticelli plures repentes, rotundi, læues, pedales, cubito etiam longiores, frequenter geniculati, vnde ramuli plures, foliolis arundinaceis breuibus & anguſtis cincti, prodeunt, quorum ſuperioribus ſpica

triuncialis,ex cinereo nigricans inſidet.

Locus. Ad littus maris, non longè Monſpelio Dominus Saltzmannus legit & communicauit.'

## GRAMEN MVRORVM RADICE REpente,C.Bauhini.
### CAPVT LXXXV.

Deſcriptio GRamini huic canino 12. C.Bauh. in pin.50.in prod.ex radice nigricante repente & capillacea, culmi plures, pedales, incurui, tenues, geniculati, foliis paucis, breuibus & anguſtis cincti, prodeunt: quorum ſummitati panicula albicans, ſeſquiuncialis,ex minimis glumis contexta, inſidet.

Locus Hoc in muris foſſarum interiorum vrbis noſtræ prouenit.

## GRAMEN PERPVSILLVM capitulo rotundo,ſpinoſo Cherleri.
### CAP. LXXXVI.



Deſcrip. PAucis fibrillis radicatur ſummo cæſpite hærentibus, *folia* aliquot vncialia & breuiora, rigidula,pro plantulæ modulo latiuſcula: Culmus vnciam vnam aut alteram altus, durus, rigidus,ſtriatus, non ſine foliis, quorum vnicuique capitulum inſidet glomeratum, exalbidum,ſtellis denticulatis admodum rigidis pungentibuſque muricatum.

Locus. Nemauſii ad molendinas in ſaxorum & ruperorum cauernis collegit Gener Cherlerus, nec maius vllibi reperit,quam pictura exhibet, quæ ipſammet plantulæ magnitudinem repræſentat.

## GRAMEN CAPITVLO LVCIDO globoſo Tabernæmontani.
### CAP. LXXXVII.



Deſcript. GLomeroſi Gram. *radicula* eſt tenuis fibroſa, *folia* Graminis vulgaris ſimilia: *Culmos* ſurrigit lænes,tenellos, ſpithamam longos. In quoru ſummitate inſidēt *ſpicæ* pellucidæ glomeroſę, *floſculis* albidis denſè ſtipatæ, quos dehiſcētes minutulum excipit *ſemen*, Tabern.

Synonyma Tabern. Ic. & hiſt.p.639. *Gramen lucidum* Germ. Kölbleins graß. Eid.Hiſt. *Gramen* 15. C.Bauh.Phyt. *Gramen* 42.& Gramen capitulo glomoſo: Eid.pin. *Gramē nemoroſum hirſutum* 4.ſiue capitulo globoſo. *Combretum* Plinii, Ang. *Herba Luziola* vulgo, Cæſ. *Gramen lucidum* Tab. *Gramen paluſtre* echinatum Ger.icon.

Locis prouenit incultis collibuſque aſperis & ſiccis.Tabern. Lo

## GRAMEN HIRSVTVM anguſtifolium maius C.Bauh.
### CAP LXXXVIII.

EX radice exigua fibroſa, rufeſcente,culmus vnicus,cubito altior,vt plurimùm læuis,exurgit,in cuius ſummitate panicula alba, mollis,leuiter ſparſa, ex multis laminulis compoſita, in quarum qualibet ſemina minuta,ſubnigra & ſubrotunda: *foliis* eſt paucis,anguſtis, palmaribus, & villoſis,aliquot culmum cingentibus:ipſi verò paniculæ, vtrinque folium tenuiſſimum ſubiicitur,quorum alterum paniculam ſuperat,alterum non adæquat. Prouenit in noſtris paludoſis pratis Michelfeldenſibus; Gramen hoc 47.in prod. ſiue Gramen nemoroſum 5. ſiue anguſtifolium maius. Di Lo

## GRAMEN PHALAROIDES exile,ſupinum,humi ſparſum,Danicum Lobelii.
### CAP. LXXXIX.

VIdeas [ inquit Lobelius in Adu.par.2.] prope Cronemburgum arcem Regiam munitiſſimam Scandiæ Danorum, è regione equilis horti Regii, ſabuloſo ſolo, ad latus maritimum Gramen puſillum humile,humique ſparſum, innumeris duarum triumúe vnciarum culmis, torulis ſpicatis effuſè faſtigiatis, exilibuſque apiculis præditis. Foliolis vncialis longitudinis & latiuſculis, craſſioribuſque culmis pro plantulæ magnitudine.Radix fuſca,cirroſa. Tota albicat herba fœniſecia. Lo Di

## GRAMEN CRISTATVM.
### CAP LXXXX.



Di GRaminis genus iſtud ſeſquicubitalibus aſſurgit calamis perquàm tenuibus, geniculatis,non ſine *foliis*, quæ vaginæ inſtar ſatis longo interuallo, culmum complexa, palmum longa, ab eo recedunt, anguſta. *Spica* quadrantalis aut paulò longior, duobus verſibus in vnam par-

nam partem vergentibus, glumarum pallidarum, criſtatarum, fimbricitarúmve, floſculorum fuſcorum, luteorúmve, tremulas fibrillas explicat, dorſo ſpicæ glumis viduo: *Radices* tenues & cirratæ.

C.Bauh. phyt. *Gramen* 12. ſiue criſtatum: Eid, pin. *Gramen criſtatum & ſpicatum pratenſe* 1. ſiue gramen ſpicâ criſtata læue. gramen varians florum colore, communiter ex pallido flaueſcente, aliquando puniceo. Hoc ante in prod. fecit gramen 18. & ſic deſcripſit: Radicum capillamentis plurimis oblongis albicantibus abundat, quæ in vnum veluti cæſpitem coeuntia deorſum repunt: culmis eſt pluribus ſeſquicubitalibus, geniculis paucis donatis: foliis breuibus, congeſtis, & circa caulem paucis, vncias quatuor vel quinque longis: ſpicam habet tenuem oblongam, pallidè virentem, quæ Galli criſtas plurimas, vel ſemen capitis gallinacei dictæ plantæ refert, cuius nomine criſtatum in phyt. appellare placuit: quod nomen & D.Lobelius in Adu. parte altera probauit, gramen criſtatum C.Bauhini nominans: prouenit in prato infra patibulum, aliquando ad mœnia Baſilienſia. Idem, ſed ſpica elegantiore & denſiore, in monte VVaſſerfall & Monſpeſſuli obſeruauimus: ſimile ei ex Anglia D. Lobelius multis annis poſt miſit.

De gramine criſtato C.Bauhini hæc Lobel. in Aduerſ. par. 2. ſcribit: A criſtatis palmaribus, dum curuantur, ſpicis, criſtam gallinaceam æmulantibus, hoc criſtatum gramen ſcitè à clariſſ. C. Bauhino vocatur, Alocuperoideis graminibus in ſtirpium Illuſtrationibus noſtris annectere libuit: quo nihil frequentius variis editis pratis Londinenſis agri, iuxta Hackneum (alibique multis in locis tranſmarinis) vbi à ruſticis, vti nonnulla gramina, ſtoreis, pergulis, tranſennis, topiariis, coronariiſque operibus arte manúque factis, elegantiſſimè inuicem annexis, concinnandis, æſtiuo tempore aulis & caminis ornandis aptum. Vernaculè etiam Bent vocatur.

## GRAMEN SPICA CRISTATA SVBHIRſutum Caſp. Bauhini.

### Cap. XCI.

GRamen ſuum criſtatum 2. ſiue ſpica criſtata ſubhirſutum, vt in pin. vocat, in prod. 19. fecit & ſic delineauit: à priore differt, radicum capillamentis ruſeſcentibus, culmis tenuioribus, parte inferiore leui lanugine aſperſis & humilioribus: foliis longioribus: ſpica candicante, minùs compacta, nec ita eleganter criſtam exprimente: quod in dumetis circa Cliben copioſè prouenit.

## GRAMEN GENICVLATVM, TABERN.

### Capvt XCII.

RAdix ex pluribus fibris compoſita multos protrudit nodoſos, ſeu articulatos culmos, in alios ſubinde diuiſos: *folia* longa, anguſta, acuminata, neruo per medium eleuato: *ſpicam* longam, tenuem, villoſam, glumis albis conſtantem, in quibus ſemen paruum.

Dicitur Autori Icon. & H. *gramen* 3. *geniculatũ.* knodegraß. C. Bauh. phyt. *Gramen* 6. ſiue caule geniculato. Variare autem ait, ac Monſpelij palmo minus, Baſileæ erectum ac cubitale.



Locus. In campis & pratis, ac locis graminoſis prouenit.

## GRAMEN SPICAM FOLIO AMPLECTENS.

### Capvt XCIII.

Deſcriptio. FIbris capillaribus numeroſis radicatur, calamis palmaribus & breuioribus, geniculatis, foliis teneris, glabris, quorum quod è ſummo oritur geniculo in vtrem degenerat, ſinu ſuo comprehendentem ſpicam ſemuncialem glumis maiuſculis ariſtatis densè congeſtam, quod ſupereſt eius in mucronem foliaceum gramineum faceſſit.

H. Lugd. p. 425. *gramen pratenſe* Dalech. Caſp. Bauh. phyt. *gramen* 10. ſiue Gramen pratenſe, cuius ſpicam folium inſtar veſicæ amplectitur. Eid. pin. *gramen criſtatum & ſpicatum pratenſe* 4. ſiue Gramen pratenſe ſpica purpurea ex vtriculo prodeunte, vel Gramen folio ſpicam amplexante.

## GRAMEN TREMVLVM.

### Capvt XCIV.



Deſcriptio. NOn adeò altè fibras ſuas demittit Gramen hoc tremulum, culmum erigens tenuem, geniculatum, inanem ad ſeſquicubitum interdum, humiliorem ſæpè. *Folia* magna ſui parte culmum ceu vagina complectuntur, reliquam ſurrigunt breuiorem rigidam: à ſummo culmo multi tenuiſſimíque rubẽtes pecioli glumas ſuſtinent rubeſcentes, è ſquammulis pulchro ordine digeſtis compactiles, leuiſſimo attactu tremulos, minores quàm Tremuli maioris, forma conoeide.

In noſtra tabella, triplex proponimus Graminis tremuli genus. Nempe Gramen tremulum, minus, & maximum tremulum. Tremulum verò,& de quo nunc egimus, in medio tabellæ pingitur.

Synonyma C.Bauh.Phyt.*Gramen tremulum maius*: Eid.pin. *Gramen tremulum* 2. varians paniculæ colore viridi, & ſpadiceo. Lolium 10. & Aegilops Plinii,Trag.*Aegilops*,Geſn hort.Lon. *Graminis* 1.genus,Dalech.in Dioſc.Ama.*Phalaris pratenſis minor*, Adu.Lobel.icon. p.44.*Amourettes tremblantes*, Cluſ.hiſt. *Phalaris pratenſis* Ger. *Gramen polyanthos*,Lugd.p.428. *Gramen leporinum & tremulum*:itemque,*Linum D.Mariæ*,Tabern. *Gramen loliaceum* 10.*Tragi*,Thal.

Cluſ.Hiſt.poſt.de hoc ait: Graminis,ſeu viridis Poæ,genus in omnibus quas vnquam luſtraui regionibus,prata, vt cęterę herbæ)multis locis veſtiens,cui ſimiles paniculæ ferè , breuiores tamen, & ab exortu latiores è ſummis culmis dependent. Id Galli & Arthesii ſeu Atrebates mei populares *Amourettes* etiam appellant ob panicularum elegantiam , ſed vocem *tremblantes* adiiciunt , ad alterius differentiam: quia,vel vnico,vel pluribus eius ſcapis manu retentis, omnes eius paniculæ perperuò tremulæ ſunt.Germani Zydern / haſenörling/haſenbrot/ & quibuſdam Jungfrauwen haar : Belgæ Elyenbrendt/ & Beuernelle,vocant.

Locus. Geneuæ paſſim in pratis menſe Maio,nec non Baſileæ,ceu & Montbelgardi quoque reperitur.

## GRAMEN TREMVLVM MINVS.

### Cap. LXXXXV.

Deſcriptio EX radice rufeſcente & quaquauerſum reptāte culmos ſurrigit pedales,plùs minùs graciles,vix vno vel altero diſtinctos articulis,iubas ſuſtinentes paruas è folio vaginaceo , ſuperna parte acuto,& iubam ipſam ſæpè ſuperante, media parte ſui prominentes ; quæ ex ſquammulis delicatulis , rotundis , pallidis , aut ſubflaueſcentibus & ſplendentibus , ex breuibus pedicellis pendulis , tremulis , ſed in vnum tantùm latus plurimùm nutantibus , conſtant. Quibus notis ſingulis à maiori dicto tremulo facilè diſtinguas licet. Folia cæterùm inferna graminea,pallidè virentia, anguſta,acuminata. Huius iconem in præcedenti tabella primo loco expreſſam damus.

Synonyms C.Bauh. Phyt.*Gramen* 39. ſiue tremulum minus,vulgò Haſenbrot. An Graminis Loliacei ſpecies parua apud Thalium in ſua Harcynia? Eid pin.*Gramen tremulum* 4.ſiue minus panicula parua.

Locus. In pratis montoſis Baſilienſibus prouenit.

## GRAMEN TREMVLVM minus panicula magna. C.Bauh.

### Cap. LXXXXVI.

Synon. GRamen tremulum 3. ſiue minus panicula magna aliquando in cacumine tres aut quatuor ramulos exiles fundit , ſemenque triangulum habet. Idem autem facit cum Phalaride parua Cæſalpini , & Gramine *Amourettes* altero Cluſii cur. poſt.

## GRAMEN TREMVLVM MAXIMVM.

### Cap. LXXXXVII.

Deſcriptio CVlmo eſt cubitali, gracili, inferiùs rubente, paucis geniculis donato,foliis amicto raris, breuibus,glabris 4.vel 5.vnciarū,ſtipulæ ſummæ in pili inſtar tenues tremuloſque finditur peciolos,quorum vnuſquiſque ſpiculam gerit ſemuncialem,paullò minùs latam , compreſſam,ex flauo rubentem,ſquammarum maiuſcularum, nitidarum & ſplendentium, denique ſimilia capitula habet cum Gramine premulo , ( ſex ſpiculas ſupputaui ) mutuo incubitu imbricatam ; pro radicibus fibras eſt ſortitus. Gramen tremulum maximum exibuimus , cum duobus prioribus , cui appictum capitulum maximum.

Syno C.Bauh. Phyt. *Gramen* 38.ſiue tremulum maximum:Eid.pin.*Gramen tremulum* 1.ſiue maximum: an Phalaris altera,Cæſ. Gramen *Amourettes* maiori paniculâ candicante, Cluſ.cur.poſt. Colore panicularum variat , eſt rufeſcentis , eſt albi coloris.

Loc A multis annis habeo à Valerando:Cherlerus Gener etiam ſecus Romam paſſim ferè obſeruaſſe ſe teſtatur, maximè verò in via quâ Româ Viterbum pergitur,vnde etiam attulit Frater Caſp. qui aliquando miſit, ſcribit ſe in monte *Rua* apud Monachos non longè Patauio collegiſſe, & in montibus Euganeis prouenire.

## GRAMEN AMORIS DICTVM.

### Cap. LXXXXVIII.

Deſc FIbræ numeroſæ, ſatis craſſæ in caput unum coëunt,è quo ſurgunt pedales culmi,graciles, læuibus veſtiti *foliis*,per calamorum faſtigia tremulis filis pendent paniculæ longæ pulcherrimæ,albicantes,vel ex atro purpureæ,vnciales circiter,culmi latitudine , compreſſæ, gemine vetſu ſquammularum contextæ , ariſta omni piloque carentes : radices capillares.

Syn Dodon. Lat. *Gramen pratenſe ſextum*. Tabern. icon. & hiſt. p. 638. *Gramen paniculatum ſatiuum Heragroſtis*, Liebgraß: Eid.pag. 642. *Gramen* 11. Cluſ. hiſp.& Hiſt. Gramen *amourettes* ob panicularum elegantiam , ruſticis Gallicis appellatum, Graminis genus elegantiſſimum.Lob. Obſ. p. n. ic. pl.p.7. *Gramen paniculoſum phalaroides*. Gerar. *Gramen paniculatum*. H. Lugd. *Gramen filiceum*, ſeu polyanthos ſecundum. C. Bauh. phyt.*Gramen* 36. Eid. pin. *Gramen tremulum* 5. ſiue paniculis elegantiſſimis, ſiue ἐράγρωστις, maius. Patauji erant qui Canariam Plinii volebant.

Loc Ter Monſpelij vidi totum album. Patauio attulit Frater ſiccum nonnihil rubens nomine Zeæ ſilv. Cortuſi.Inuenitur nonnullis Hiſpaniæ locis aridis & ſabuloſis. Meminit etiam Cluſius obſeruare & colligere Pariſienſi agro,non procul à traiectu Sequanæ , qui ferè ex aduerſo Monaſterij vulgò dicti,*Les bons hommes*,ſecundum ſemitas frequentiſſimum. Narbonenſi agro nonnuſquam occurrit In Gallobelgio, etiam frequens iuxta Auxiacum caſtrum,& vicinis locis paſſim , inquit Lobelius. Quamuis autem etiam in quibuſdam Germaniæ locis proueniat,vt in Alſatia ſuperiori, nihilominus tamen propter pulchritudinem plantarum in hortis etiam relinquitur.

## GRAMEN PVLCHRVM PARVVM, PANICVLA LATA COMPRESSA.

### CAP. XCIX.

PVlcelli huius graminis *radices* capillares ſunt, colore ruffæ, palmum longæ, *folia* parua,vnciam

ciam vnam, duas, tréſve longa, tenuia, *culmi* triquetri, enodes, frequentes, palmares, & ſeſquipalmares, quorum extremis ſeſſiles, ſineque pediculis, vt plurimùm (licet etiam interdum è medio productus pediculus breuis plures alias ſuſtineat paniculas) impoſitæ *paniculæ*, vmbellam quodammodo mētientes, ſpecioſæ, graminis *Amourettes* dicti, non ita diſſimiles, compreſſæ, ſemūciam circiter longæ, culmum latæ, binis verſibus ſquammatis compactæ, colore ex viridi ruffeſcente, nitido, *ſemen* minutum nigrum, paniculis ſubiecta ſunt terna folia graminea, quorum vnum reliquis multò breuius ſemper conſpicitur.



Tragus germ. lib. 2. cap. 37. hoc gramen ſine deſcriptione pingit ſub nomine klein Riedtgraß, Calamagroſtios, idque ſecundo loco: capite verò 43. meminit eius inter Iunceos tertio loco, & vocat klein Bintzen, hoc eſt, Iuncum exiguum, ac Graminis genus facit. Lat. commodè pingit p. 679. ſub titulo Calamagroſtios alterius ſpeciei. Huius in contextu mentionem non facit: pagina verò 676. vocat Iuncum exiguum pratenſem, de quo ait: Tertium quoddam Iunci admodum exigui genus in quibuſdam humectis pratis inuenitur dodrantalis altitudinis, calamis ex vna ſtirpe ſupra viginti erumpentibus, lato, frequenti, & ſtipato in faſtigiis ſemine dependente. De hoc genere cùm ad Graminis genera pertinere videatur, plura ſupra cap. 33. *Hæc ille*, Nos eo capite nil inuenimus quod conueniat præter iconem.

C.Bauh.phyt. *gramen* 61. ſiue cyperoides *minimum panicula ſubflaua*: *Calamagroſtis* 3. quoad iconem Tragi pag. 679. *Iuncus exiguus pratenſis eiuſdem* p. 696. Eid pin. *gramen cyperoides* 11. ſiue minus paniculâ ſparsâ ſubflaueſcente. *Iuncus exiguus pratenſis* Trago. Calamagroſtis 3. Trag. icon. H.Lugd. p. 1006. *Carex minor* Lon. *gramen marinum ſpicatum minus*, Cam. *gramen cyperoides minimum paniculâ ſubflauâ Caſp. Bauhini*, Lobelio Aduerſ. parte 2.

Abundat locis humidis circa Montbelgardum, vigens ſpicis Iulio & Auguſto. Ad Bryſam Baſilienſium in paluſtribus & in Michelfed.

## GRAMEN PARVVM PVLCHRVM Aliud pannicula compreſſa nigricante.

CAP. C.

tio GRamini paruo pulchro à Trago depicto, ſimilem habeo aliam plantam, diuerſam tamen: quippe maior paulò videtur, dodrantem interdum excedens, tota habitior, *folia* latiora, longiora: *culmi* trianguli, craſſiores, ſimiliter enodes: *paniculæ* haud ſecus diſtichæ, ſquammatæ, vt numero ferè ſuperiores, ita magnitudine inferiores, colore nigricante, *folia* paniculis ſubiecta eundem habent poſitum, eandémque inter ſe proportionem; ſed maiora quàm alterius.



C.Bauh.phyt: *gramen* 62. ſiue cyperoides minimum pannicula nigricante: Eid. pin. *gramen cyperoides* 12. ſiue minus paniculâ ſparſa nigricante. *gramen cyperoides minimum nigricante panicula*, Lobel. ad. parte 2.

Iiſdem locis cum præcedenti prouenit. Locus.

## GRAMEN CVM CAVDA MVRIS MINVS.

CAP. CI.



LOnga huic *radix*, obliqua, craſſiuſcula, ex qua fibræ tenues ſurſum in aliquot capita diuidūtur, ex quibus *folia* multa vnciarum quatuor vel quinque, graminis pratenſis ſimilia: *culmi* aliquot palmares vel pedales; *ſpica* vnciarum trium vel quatuor, quales Gramini cum cauda Muris maioris, ſed tenuiores, eodē modo quaſi ſquammatę, an hoc à maiore variet tantùm propter ſolum, aſſerere non auſim. Deſcriptio

Tabern. icon. pag. 217. hiſt. p. 655. *gramen Typhinum* 1. C.Bauh. pin. *gramen typhoides* 3. ſiue aſperum primum: *gramen typhoides aſperum maius*, fortè Thalij. *gramen Typhinum* 1. Tab. *gramen typhinum maius*, Ger. Synon.

Vnde habuerimus non occurrit, frater quidem C.Bauhinus dedit Baſileæ pro Gramine typhino 1. Tabern. qui prouenire locis ſiccis & graminoſis campis ſcripſit. Locus.

## GRAMEN CVM CAVDA MVRIS Foliis hirſutis.

CAP. CII.

CVlmi aliquot cubitum excedentes, internodiis circa imum nonnihil rubeſcentes, denſis, Deſcriptio

rarioribus,& ferè nullis ſuperiùs, foliorum vaginà multùm inuolutis, quæ vbi à culmis receſſerunt breuia ſatis ſunt,& anguſta,hirſuta. *Spica* trium vnciarum,nitida,denſiſſimis tenuibus glumis compacta, luteola ferè, ſingulæ glumæ planæ, anguſtæ, in acumen vnicum deſinunt, tota autem ſpica nonnihil diuulſa conſpicitur. *radix* capillaris,alba, tenuis, ex capite craſſiuſculo, an repat non obſeruauimus Monſpelij.

*Gramen alopecuroides minus Lob.*

Lob.Ic.Plant.p.9.& hiſt.Belg.p.11. Gramen alopecuroides minus, (quod vt in deſcriptione eius refert) eiuſdem ferè altitudinis eſt cum Gramine alopecuroide ipſius, ſed culmis & ſpicâ tenerioribus, radice item & foliis inferioribus multò minoribus.

*Gr. alopecurinum 3. Tab. Tabern. notatur.*

Tabern.ic.& hiſt.pag.641. Gramen alopecurinum 3. Füchſſchwantz graß. Eid. p.643. Gramen 22. Illud hîc monendum pictorem Tabernamontani Gramen hoc trifolium facere, ex malè ſcil. conſideratâ Lobelij figura. Deſcriptio etiam eius parum valet.

*Gr. typhoides repens alterum C.Bauh.*

C.Bauh.phyt. Gramen 50. ſiue typhoides repens alterum: Eid.pin. Gram. typhoides 6. ſiue culmo reclinato: Gramen alopecurinum maius, Gerardi.

## GRAMEN CVM PARVA cauda muris, radice non nodoſa, repens.

### Cap. CIII.

Deſc.



GRamen repens ex cuius radice fibroſa,& veluti bulbulis nodoſa, aliquot emergunt culmuli cubitales aut ſeſquicubitales, tenues,læues, & ab internodiis reflexi, quos ab imo ſtatim pluſcula comitantur folia, glabra,breuia, anguſta. Ex ſingulo cæterùm internodio ſingulum prominet foliolum: ſummitati ſpica incumbit parua, hiſpidula, Lobelii Typhini Graminis figura,bicornibus ſquammulis denſiſſimè farcta.

*An varietas, aut ſimilis.*

Huic circa Beffordiam reperto,ſimile, ſi non idem, obſeruaui in Ducatu Wirtembergico: in quo an reperiatur radix bulbulis nodoſa,& ſquāmulæ bicornes,non animaduerti: in cęteris diſcrimen adhuc agnoſcere non potui: utrumque repit.

Synonyma

Lob.Ic.Plant.p.13.*Gramen aquaticum ſpicatum.* Tabern.ic.& hiſt.p.654. *Gramen* fluuiatile album Weiß flüt gras.Eidē hiſt. *Gramē* 28. C.Bauh.phyt. *Gramen* 24. ſiue aquaticum ſpicatum: Item, *Gramen* 98. ſiue,nodoſum alterum ſpica parua à fratre Io.Bauhino communicatum. Eid pin.*Gramen ſpicatum aquaticum* 2. ſiue geniculatum ſpicatum: *Gramen fluuiatile ſpicatum* Gerardi. Item, *Gramen nodoſum* 3.ſiue ſpica parua: 6.in prod.de quo ait, radice eſt,parua,nodoſa, albicante; fibris paucis & breuibus donata,cui,ceu alter nodulus oblongus inſidet,qui in calamum cubito altiorem, læuem,internodiis aliquot diſtinctū abit, folio ad quemlibet nodum vno, anguſto, vncias quatuor vel ſex longo: in ſummitate ſpica vnica, vix vncialis,mollis,typhini graminis forma. In dumetis vdis circa Befordiam (vrbē,diei itinere Baſilea diſtantē) prouenit,vbi D.Ioannes Bauhinus frater meus collegit & tranſmiſit.

Quod nodoſum eſt, in dumetis propè Beffordiam, non longè à pago Daniutin nobis repertum Auguſto cum ſuis ſpicis. At quod ſine bulbis,in ducatu Wirtembergico propè fontem Admirabilem Bollenſem obſeruauimus ad ripam riuuli præterlabentis.

## GRAMEN CVM CAVDA MVRIS maioris longa, Maius.

### Cap. CIV.



*Gramen Typhinum 2. Tabern.*



RAdices tenues, *culmi* habēt principium bulbillo oblongo ſimile, cubitales,altioreſque interdum, *folia* aſpera, vagina longiore,ſtipulam circumplexa: ſummū cacumen palmarem,ſæpè etiam longiorem,ſpicam ſuſtinet,teretem, caudæ magni Muris ſimilē, mollem ſi ſurſum verſus manu demulceas, aſperam ſi contrà, coloris cinericei, innumeris ſquammulis in binas breues ariſtas deſinētibus, dimidiatos ſolenas aut lateritias cannulatas ſcandulas imitatis, conſtantem.

Lobel.Icon. Plant. & Obſ. p.10. Gramen Typhinū gaudet ſabuletis & maritimis natalibus. Radix puſilla,capillacea, caulis dodrantalis & pedalis. In Belg. p.11. liſch doddc graß. Nimiùm breuis Lobelii deſcriptio eſt, vt ex qua certi quid colligi non poſſit: figuram ſi conſideres,non malè exprimit

Gra-

men de quo hic agimus, appingit enim bulboſa caulium principia: ſola magnitudo dubium parit; verùm ea ſola non ſufficit ad differentiam conſtituendam.

Hiſt. Lugd. p. 433. *gramen typhinum*. Tabern. Hiſt. & Icon. *gramen Tiphinum* 2. Lieſchgraß. Neſcio an Tabern. hoc gramen differat à Lobeliano, multa alioqui habet communia, & potiſſimùm culmorum principia bulboſa & alia plæraque.

C. Bauh. phyt. *gramen* 44. ſiue typhoides maximum ſpica longiſſima, gramen multùm conueniens cum gramine πυροειδῆ maiore & molli apud Thalium in Harcynia. Item gramen 46. ſiue Typhoides aſperum latifolium. Lobelio typhinum. Et gramen 47. ſiue typhoides aſperum anguſtifolium Tabern. Typhoides 2.

Nos donec intellexerimus differentiam à Fratre manifeſtam inter tria dicta gramina ea ab inuicem non ſeparabimus. In pin. non ampliùs tria, ſed duo duntaxat ſtatuit genera. Gramen typhoides 1. ſiue maximum ſpica longiſſimâ: 25. in prod. Et gramen typhoides 4. ſiue aſperum alterum. *gramen typhinum*, Lob. Lugd. *gramen pratenſe* 7. Dodon. *gramen typhinum* 2. Tabern. *gramen typhinum minus*, Ger. Porrò Typhoides maximum in prod. ſic deſcribitur: ex radice parua, nodoſa, cui fibræ exiguæ & plurimæ adnatæ, culmus exurgit rectus, ſeſquicubitalis, internodiis rarioribus diſtinctus, qui in ſpicam rectam, teretem, palmarem, vireſcentem, in maturitate albicantem, tactu mollem, definit, vtriculis ariſtas oblongiuſculas & copioſas exhibentibus. Inter fruteta circa Geppingam Ducatus VVirtembergici primùm, dein non longè Baſilea, in ſepibus agrorum inter Michelfelden & Huningen, & in ſalicetis Michelfeldæ legimus.

Incrementum maximè adipiſcitur gramen typhinum 2. Tabern. in ſolo humido, arenoſo, & graminoſo, in ſilua dicta Oſtwald iuxta viam, ſed præcipuè in pago Erlenbach, & aliis eiuſdem naturæ locis.

## GRAMEN CVM CAVDA MVRIS purpuraſcente.

### CAP. CV.

EX denſo foliorum gramineorum glabrorum agmine aliquot emergunt *culmi*, quorum alij pedales, alij cubitales, aut ſeſquicubitales, interdum purpurei, *foliis* infernis latioribus veſtiti, paucis atque exiguis articulis diſtincti: in ſummo *ſpicam* gerunt purpuraſcentẽ, palmarem aut breuiorem, teretem caudæ muris forma, ſed confuſo glumarum ſterilium ordine refertam, ex quibus breues & tenellæ proſiliunt ariſtæ. *Floſculi* eius apices ſunt linteoli pallidi ex tenuiſſimis filamentis penduli. *Radix* meræ ſunt fibræ.



Synon. Lobel. Ic. plant. pag. 9. *gramen alopecuroides minus alterum*. Eid. Hiſt. Belg. p. 10. Anders voſſenſteren gras, in campeſtribus & iuxta ſemitas, culmis bicubitalibus paucis foliis donatis. Tabern. Hiſt. & Ic. fuchſchwantz gras. *gramen alopecurinum* 2. C. Bauh. phyt. *gramen* 49. *gramen typhoides repens*, *gramen alopecuroides minus alterum*, Lob. At noſtrum contrà, quod exhibemus Gramen non eſt obſeruatum repere, ſicut nec etiam Lobelius, at Tabernam. repens pingit. Eid. pin. *gramen typhoides* 5. ſiue ſpica anguſtiore, *gramen alopecurinum minus* Ger. Variat ſpica longiore & breuiore.

C. Bauh. not.

Locus & tempus. Circa Montbelgardum loco ſicco florens collectum Iunio: olim Geneuæ menſe Aprili vbi abundans obſeruaui ad vineas Noſodochij.

## GRAMINI CAVDÆ MVRIS PVRPVRAſcenti aliquatenus ſimile.

### CAP. CVI.

Deſcriptio. OBliquè *radicem* agit craſſam ſatis, tenuibus fibris donatam, veteri præteritorum foliorum ceſpite amictam, ex qua è terra ſtatim pluſcula prodeunt *folia* graminea, vix triuncialia, raris pilis ad latera obſita, ſtriata. *Culmi* ſurriguntur aliquot pedales, cubitales, aut etiam altiores, teretes, rigidiuſculi, paucis internodiis verſus ima potiſſimùm donati: quorum ſingulos ex longo interuallo ſeiuncta amiciunt foliola ſeſcuncialia, aut ad ſummum duas vncias longa, infernis alioqui ſimilia. Summitati inhærent *ſpicæ*, quæ primulùm prorumpentes caudæ muris purpuraſcentis ſpicam aliquatenus æmulantur, tum figura, tum colore, præterquam quòd ariſtis nullis ſit ſepta. Mox diuulſa & aperta elegantem glumarum purpurearum aut xerampelinarum & pulchrè ſplendentium thyrſum exhibet: Ex quibus floſculi vel potiùs apiculi vtrinque bifidi (dum nimirum floret) dependent, pulchelli, obſcurè purpuraſcentes, tremuli. Glumæ cæterùm caſſæ, inutiles. Sapor graminis vulgaris.

Locus. Sicco gaudet ceſpite, arenoſis item, ſqualidis & ſaxoſis viarum marginibus, aruorúmque oris incultis, Montbelgardi ad collis proximi quà meridiem ſpectat, nobis primùm obſeruata, florens Iunio.

## GRAMEN CVM CAVDA LEPORIS aſpera, ſiue ſpica murina.

### CAP. CVII.

Deſcriptio. PLuſculos ſurrigit *calamos* graciles, rigidulos, pedales aut ſeſquipedales, in quorum ſummitate *ſpicæ* ſunt breues, magnitudine & figurâ caudæ vulpinæ haud diſſimiles, ſed criſtis aſperis, vtrinque quoque muricatis, cum ariſtis longiuſculis & leniter recuruis, & quæ ex breui reflexu in ſummitate culmi nutant: In quarum ſinu glumæ latent paruæ inutiles. *Folia* mediocris longitudinis rigidiuſcula, glabra. *Radix* denſa ſatis, numeroſam hirſutarum fibrarum prolem demittit.

Synon. C. Bauh. phyt. *gramen* 51. & *gramen alopecuroi*-



*des aſpera ſpica.* Eid.pin. *Gramẽ alopecuroides 6. ſiue ſpicâ aſpera.* H. Lugd.p.432. *Gramen echinatum Dalechampii.* An Tabet.p. 678. *Alopecuros alter ſpicis breuioribus* [ quàm in Alopecuro molli breuique ſpica ] nec ita villoſis.

Locus. Gener Chetlerus attulit ex Gallia Narbonenſi, vbi non adeò infrequẽs animaduertit.

GRAMEN ALOPECVROIDI accedens,& Phalaridi,ſpica longiuſcula,folio lanuginoſo.

CAP CVIII.

Deſcriptio DVtas & ftequentes ſatis ad infimo culmo pendentes habet fibras,eaſque candicantes: *Culmus* autem cubitalis, craſſiuſculus, proptet terram rubeſcens: *foliis* pro geniculorum numero obſeptus,palmo longioribus, Hordeaceorum latitudine, totis molli canáque lanugine tectis: *ſpica* ſingularis,vncialis,aut etiam ſextantalis, argenteo nitore micans,turbinata, glumis acetoſis gracilibus mollibus, numeroſis, denſo ſtipatu coacetuatis conſtans.

Synon. Lob.Ic. Plant.p.8.&Hiſt.belg.p.10. Voſſeſteeren graß/ *Gramen Alopecuroides*, ſic dictum (ait ibid.) quòd ſpicâ ſit oblonga, forma itidem caudæ vulpinæ. Calamo eſt bicubitali, atticulis & foliis paucis. Radicula ex miris fibris conſtat. Tab.Hiſt.p.640. & icon. *Gramen Alopecurinum* 1. fuchſchwantz gras. Eid.Hiſt.p.643. *Gramen* 20. C.Bauh.Phyt. *Gramen* 45. ſiue *typhoides molle*: Eid. pin. *Gramen typhoides* 2. ſiue molle: *Gramen alopecuroides minus*, Gerardi.

Locus. Frater Caſp.attulit mihi hoc gramen Monſpelii collectum. Lobelio verò ſuum prouenit in campeſtribus, & iuxta ſemitas.

ALOPECVROS ALTERA maxima Anglica paludoſa, ſiue Gramen Alopecuroides maximum.

*Graminea paludoſa maritima Alopecuros* GRramineo geneti cognatam hanc paludoſam maritimam Alopecuron ſtatuit Lobel. in Aduerſ. parte altera.

Locus. Eſt autem in riguis herbidis Comitatus Zont-hamptoniæ proximè ſalinas & antiquas ædes Drayton vocatas, cis mare, duobus miliaribus Anglicis à Portmouth: ex aduerſo vectis Inſulæ plurima.

Deſcript. Culmus cubitalis, ſeſquicubitalis, bipedalis & quádoque procerior geniculatus,& folia illi Graminis aut Tritici; ſed quinque uncialis ſæpè ſpecioſiſſima, habitior, ſericea, ſpicata, caudataque panicula; Mõſpelienſium Pſeudo-Schœnanthi. Hanc quoque vdis foſſis lacuſtribus Eſſexienſis comitatus, legit authot, iuxta Thameſis amoeniſſima fluenta, ſed paulò minorem.

GRAMEN ALOPECVROS ſpica longa tomentoſa candicante.



Deſcr. CVlmo eſt bicubitali ferè gracili, geniculato, foliis gramineis, glabris, ad tactum nõ aſperis, ſqualida Schœnanthûs folia quodammodò imitantibus, ſpica palmari, mollicella tomentoſis candicãtibus cum nitore velletis holoſericei glumis congeſta, emicantibus tremulis, radice fibroſa infirma.

Lobel.in Adu. Obſ.p.43. Icon.p.83. *Marinus gramineus Iuncus foliis Schœnanthi*: in Hiſt. Belg. p.116. huic titulo præponuntut hæ voces, Welſch Schönanthum / hoc eſt Pſeudo Schœnanthum. H.Lugd. *Gramen tomentoſum* : ἀλωπέκουρος Plinii & Theophraſti. Tabern. ic. & hiſt. *Gramen ſparteum ſecundum*, daß ander pfrimen graß. Caſpar.Bauhin.Phyt. *Gramen* 119. ſiue *Alopecuros ſpica longiore.* Item *Gramen* 116. ſiue *ſparteum ſextum.* Eid.pin. *Gramen alopecuroides* 3. ſiue *Alopecuros maior ſpica longiore*: *Iuncus marinus gramineus foliis ſchœnanthi*, Adu.Lobel.icon. Lugdun. *Schoenanthum adulterinum*, Tab.Ger. Item: *Gramen tomentoſum* 1. ſiue *ſpicatum* : *Gramen tomenſum*, *Alopecuros vera Theophr.& Plinii*, Lugd. *Gramen ſparteum* 2.& *Schœnanthinum*, Tab. *Iuncus marinus gramineus*, Ger.tit.

GRAMEN ALOPECVROS. Spica breuis.

CAP CIX.



HERBA molliſſima aut breuis ſpica, vt pote duûm plùs minùs vnciarum ſed cõcinnior propiùs ad vulpinam caudam accedens, coloris albi & rati, glumis tomentoſis vix apparentibus propter tomẽti denſitatem, ariſtis longiuſculis mollicellis, circumcirca radiatis. *Culmus* geni cul

culatus, cubitalis, ſeſquicubitalis, *foliis* amictus graminei,paruis, molliſſimis pilis albis hirſutis: *radix* parua, alba, capillaris.

Plinius lib.21.cap.17. Alopecuro ſpicam tribuit mollem, & lanuginem denſam, non diſſimilem vulpium caudis: vnde ei nomen fecit. Aſt videtur Stœbe loco Alopecurum accepiſſe, vti deſcriptio liquidò docet, inquit Lobelius, qui in Adu.pag.17.hanc plantam deſcribit & pingit, vti etiam in hiſt.Belg p.56. & Ic.plant.p.44.pro cauda vulpis Monſpelienſium, Alopecuro Theophraſti.

C. Bauh. phyt. *Gramen* 120. ſiue Alopecuros ſpica breuiore: Eid pin.*gramen alopecuroides* 2.ſiue ſpica longiore: Alopecuros ſummâ ſpicâ, Tur. *Cauda vulpina Monſpel.* Adu. Lob. Icon. *alopecuros maior*, Tabern. Variat magnitudine & ſpicarum longitudine,quæ in altera longior, in altera breuior & rotundior.

Circa Monſpelium prouenientem obſeruaui ad mare menſe Maio. In Anglia Alopecuron prouenire negat Turnerus, aſſerens ſe in Germania ſolùm & Italia vidiſſe. Notiſſimam,ait Lobel.frequentémque maritimis ad Magalonam,& Monſpelio propinquioribus.

## GRAMEN ALOPECVROS ALTERA LOBELII.

### CAPVT CX.

ALiud genus quoddam eſt caudæ vulpinæ Theophraſti, ſpicis tamen minoribus ac breuioribus, nec ita lanuginoſis vt Monſpelienſis: Culmos quoque multo ſurrigit altiores, bicubitales: Folia graminea,radix fibroſa,Lobel.

Lobel.hiſt.Belg.p.58.& Plant. Icon. p.45. *Alopecuros altera.* C.Bauh.pin. *Gramen alopecuroides* 1. ſiue ſpica rotundiore: Ἀλωπέκουρος Theoph.Ang. *Cauda vulpis Monſpelienſium ſpectoſior*, Alopecuros Dod. Lugd. Taber. Cam. Ger. *Alopecuros altera.* Lob.icon. *Cauda vulpina*,Cæſ. Variat: Creticum enim ſpicâ eſt maiore & ad tactum delicatiore.

Græcè à Theophraſto dicitur ἀλωπέκουρος, auctore Dodonæo. Lat. cauda vulpina: Germ. **fuchſchwantʒ**: Belg. **Voſſen ſteert**: Gall. *Queüe de renard.*

Seſquimiliari Brugis diſtantibus campeſtribus iuxta **Werkirch** copioſè prouenire ait Lobelius. Dodonæi Alopecuros naſcitur in aruis vnà cum frugibus æſtate, reperitur in pluribus Galliæ, præſertim Narbonenſis agris.

## GRAMEN ALOPECVRO SIMILE GLAbrum cum pilis longiuſculis in ſpica Onocordon mihi denominatum.

### CAP. CXI.

CAlamus cubito altior, internodiis longis diſtinctus, quem inoffenſè ſuſque deque contractes licet, quemadmodum & *folia*, quæ tamen non apparent cana lanugine obtecta: *ſpica* ſummo culmo ſedet, Phalaridi æqualis, textura diſſimili, breuibus & mollicellis piloſis glumis compactilis,ac ariſtis mollibus longiuſculis, coloris cinericei.

Lobel.Ic.plant.pag.8. & hiſt.Belg.pag.10. *gramen Phalaroides alterum*, **das ander Gras ghelyckende Cruydt von Spaenſch ſaedt/oft Canarien ſaedt**, quod ſic deſcribit Phalaroides quoque appellauimus gramen hoc, licèt ſpica eius Phalaridi (Hiſpanico aliàs ſemini dicto) non per omnia reſpondeat. Radice quoque eſt fibroſa, culmo cubitali vel ſeſquicubitali duobus tribúſve foliis donato. Tabern.icon p.210. hiſt.pag.642. figuram graminis phalaroidis **des wilden Canarien graß** ſine deſcriptione ponit. C. Bauh. phyt. *gramen* 43: ſiue *phalaroides*: Eid.pin. *gramen phalaroides* 1.ſiue *maius*,ſiue *Italicum*: *gramen alopecuroides maius Gerardi.*



Pulchrum Gramen habuimus Argentinæ ex plantis Domini Ægerij cum hac inſcriptione, *gramen Onocordon.* Lob. Teut. ed.p.10.ait tam in campeſtribus,quàm iuxta ſemitas reperiri, ſuum gramen phalaroides. Locus.

## GRAMEN PHALAROIDES MINVS SIVE Hiſpanicum C. Bauhini.

### CAP. CXII.

FOliis eſt oblongis, anguſtis,viridibus,quorum vnum vel alterum, culmos cubitales, tenues, tubi inſtar cingit: in culmorum ſummo ſpica Phalaridi ſimilis, ſed anguſtior, vncias tres longa, inſidet, nec radicem, nec ſemen vidi: & nomine Phalaroidi alterius Hiſpaniæ, D.Gillenius tranſmiſit, ideóque Gramen phalaroides 2. ſiue minus, ſeu Hiſpanicum denominaui, inquit Autor in pin. Synonyma

## GRAMEN PHALAROIDES SPICA MOLli,ſiue Germanicum, C.Bauhini.

### CAP. CXIII.

GRamen phalaroides 3. ſiue ſpica molli, ſeu Germanicum C.Bauhini in pin. pro Gramine 27.ſic in prod.deſcribitur: culmo eſt cubitali, prioris craſſiore, vno alteróve geniculo diſtincto: folio vno vel altero, eóque breui, culmum ambiente, cuius ſummo, ſpica biuncialis, prioris anguſtior, cinericei coloris, ſplendens & mollis inſidet. Hoc Vlmenſes,apud quos prouenit,à colore,Onocordon appellare intellexi. Deſcriptio Locus. Onocordon.

## GRAMEN PHALARIDI SIMILE QVOD etiam aliquid commune habet cum Alopecuro.

### CAP. CXIV.

PHalaridis haud adeò abſimile eſt quod culmum quoque ſurrigit ſatis longum, gla-

brum. Ex cuius articulo folia culmum ferè tota ambientia prodeunt: mox carinata reddita velut è ſinu promunt ſpicam ſquarroſam, vnciam vnam latam, duas longam, denſiore ſquammarum ſtipatu, quàm in Phalaride, multò tamen molliore, quæ in acutiorem ariſtam deſinunt. Quæ argenteo nitore fulgens, purpurâ dilutâ quoque decorata eſt, potiſſimùm in ſuprema parte: Hæc autem deſumpſimus ex planta ſicca non integra, quam Gener Cherlerus ex Gallia Narbonenſi attulit.

Locus.

## GRAMEN PLVMOSVM LOB. SPICA candida & ſerici modo lucens.

### Cap. CXV.

Deſcript. GRamen plumoſum foliis eſt duris, rigidis, & aridis, ad Schoenanthi folia non parum accedentibus, culmi ſimiliter rigidi, ſeſquicubitum, aut cubitos duos, alti, ſpicæ longæ denſæ, ex purpureo rubentes, paleaceæ, per maturitatem candidæ, & ſerici inſtar micantes, Lobel.

Synonyma Lobel. Hiſt Belg. p. 8. Pluym-Rintgraß. Eid. in Ic. Plant. p. 6. *Gramen tomentoſum & aceroſum*, Calamagroſtis quorundam, & *vulgi Gramen plumoſum*. C.B. Phyt. *Gramen* 32. ſiue *tomentoſum Lobelii*: An Graminis arũdinacei alia ſpecies Thalio? Eid. pin. *Gramen arundinaceum* 3. ſiue paniculâ molli ſpadiceâ maius: *Gramen tomentoſum* Lob. Ic. *Graminis loliacei* 8. alia ſpecies Thalii.



Locus Locis naſcitur ſenticoſis Syluarum quarundam, Flandriæ & Angliæ, iumentis inutile.

## GRAMEN ARVNDINACEVM, ramoſum, plumoſum album. C.Bauh.

### Cap. CXVI.

Deſcrip. RAdice & foliis eſt arundinaceis, & in arundinis altitudinem excreſcit: caule anguloſo, albo, paniculam arundinaceam, ramoſam, palmarem, albam, mollem, ſplendentem, inſtar ſerici albi ſuſtinet. Gramen hoc 44. C. Bauhini in prod. Gramen arundinaceum 5. ſiue ramoſum, plumoſum, in pin. non longè Monſpelio, circa Perault & Magelonam reperitur.

Synonima

Locus.

## GRAMEN MONTANVM panicula ſpadicea delicatiore C.Bauhini.

### Cap. CXVII.

Deſcriptio GRamen quod C. Bauh. in pin. vocat paniculatum montanum 1. ſiue Gramen montanum panicula ſpadicea delicatiore, in prod. pro Gramine 12. ſic deſcribitur: Radice eſt alba, breui capillacea, culmis ternis, quaternis, geniculatis, pedalibus, vno alteroúe folio cinctis, quæ etiam ad radicem breuia & pauca ſunt: in culmorum ſummo panicula triuncialis ſpadicei coloris, ex locuſtis minimis compoſita. Hoc tamen variat magnitudine, cùm & caule ſeſquicubitali & ſpica ſemipalmari inueniatur: prouenit locis ſaxoſis, maius quidem in monte Crentzacho: minus verò in monte Waſſerfall dicto.

## GRAMEN STRIIS PICTVM.

### Cap. CXVIII.



IN hortos vt deduceretur fecit foliorum grata varietas, quæ Arundinaceis minora, rigore tamen non cedentia, ſtriis albis & ex viridi glaucis alternatim virgata ſunt: paniculas ſummo culmo ſuſtinet palmares, candicantes, aceroſas, mediocriter diuulſas: pro radice fibris nititur.

Obſeruatione ſanè dignum, quod diligentiſſimus Botanicus & Phyliater Arnoldus Gillenius Caſſellenſis aſſerit, nobiſque in paucis graminis huiuſce foliis Montbelgardi demonſtrauit, colorem ſcilicet triplicem album viride & purpureum, ſiue potiùs incarnatum.

Lobel. Adu. & Ic. Plant. p. 4. *Gramen ſulcatum & ſtriatum album*. Camer. hort. *Gramen pictum* ſiue *ſtriatum*, Mannæ vulgò dictum. Tabern. icon. & hiſt. p. 638. *Gramen ſulcatum pictum*, *Hiſpanicum*, Spaniſch graß / welſchgraß: Eid. hiſt. p. 642. *Gramen* 10. C.Bauh. phyt. *Gramen* 26. ſiue *variegatum*: Eid. pin. *Gramen paniculatum montanum* 3. ſiue folio variegato: *Gramen ſulcatum*, Adu. Lob. icon. *Gramen ſtriatum*, Lon. Ger. *Gramen pictum*: Cam. Tab. Variat in colore foliorum.

Baſileæ menſe Iunio vidi in horto D. Fel. Plateri, qui vocabat Germ. himel tauw i. e. Cœli Mannam: In hortis Montbelgardi & *Clereual* vocant *des Eguillettes*.

## GRAMEN SYLVATICVM paniculatum altiſſimum C.Bauh.

### Cap. CXIX.

EX radice repente fibroſa, calami duorum triúmue cubitorum exurgunt, qui paniculas paruas ſuſtinent; foliis eſt latis, cyperi æmulis. Hoc in ſyluis circa Montem Belgardum prouenit, ex quo ruſtici chlamydes paſtorales, & torques equis aratra trahentibus, conficiunt.

C.Bauh.

C.Bauh.prod.*gramen* 14. Eid.pin. Gramen paniculatum montanum 4. ſiue Gramen ſylvaticum paniculatum altiſſimum.

GRAMEN SPICA QVADRATA AD SEcale accedens.

CAPVT CXX.

tio GRamen culmo bicubitali, infernâ parte nodorum articulatione diſtincto, supernâ enodi, glabro cæterùm, & foliis gramineis glabris duarum vel trium vnciarum, pro articulorum interuallis ſingulis veſtito. Spicam ſuſtinet, quadratam, aliquatenus ſecalinam, compactilem, cuius glumæ munitæ ariſtis breuibus haud panſis, ſed ſuperioribus glumis appreſſis, & oppoſitis apparent lateribus. Radix fibroſa.

An hoc Gramen ſpica ſecalina C. Bauhini, de quo infrà?

Ex ſiccis ſuis plantis obtulit nobis Thomas Platerus circa Baſileam collectum.

GRAMEN LATIFOLIVM SPICA TRIticea latiore compactâ, C.Bauhini.

CAP. CXXI.

tio CVlmo eſt ſeſquicubitali, vno alteróve geniculo diſtincto, foliis frumentaceis, pedalibus, ſpica triticea, palmari, lata, glumis acutis carente: Baſileæ ad agrorum margines.

C.Bauh.prod.*gramen* 53. Eid.pin. *gramen ſpica triticea* 1. ſiue Gramen latifolium ſpica triticea latiore compacta: *gramen varians latiore & anguſtiore folio.*

GRAMEN LATIFOLIVM SPICA TRITIcea diuulsâ C.Bauhini.

tio HOc à priore, ſpica potiſſimùm differt, quæ in ſpicas diſtinctas & anguſtas diuulſa eſt, & quæ ſibi inuicem alternatim in culmo ſubſequuntur, quarum vtriculi breuiſſimis ariſtis armantur: in Italia ad agrorum margines.

C.Bauh.prod. *gramen* 54. Eid.pin. *gramen ſpica triticea* 2. ſiue Gramen latifolium ſpicâ triticeâ diuulsâ.

GRAMEN ANGVSTIFOLIVM SPICA triticea compacta, C.Bauhini.

ptio HOc foliis eſt anguſtioribus, ſeſquipalmaribus, rigidis, acuminatis, & albicantibus: culmo læui, rotundo, ſtriato, ſeſquicubitali: ſpicis palmaribus, compactis: vtriculis rigidis & acuminatis.

Baſileæ, ad ſepes locis aridioribus extra portam Blaſianam.

Caſp.Bauh.prod.*gramen* 55. Eid. pin. *gramen ſpica triticea* 3. ſiue Gramen anguſtifolium ſpica triticea compactâ.

GRAMEN ANGVSTIFOLIVM SPICA Tritici muticæ ſimili, C. Bauhini.

CAP. CXXII.

ptio RAdicibus ſerpit oblongis, geniculatis, nodoſis, candidis, quæ caules proferunt ſeſquicubitales, rotundos, aliquot geniculis diſtinctos, ſpicâ oblongâ triticeâ, ariſtis carente, glumis paucis oblongis, ſimilibus ei Tritico quod Fuchſio Triticum primum, aliis ſpica mutica dicitur. *Folia* obtinet arundinacea [ iuncea in prod. vbi pro Gramine 56. deſcribitur ] dura, anguſta, oblonga, in acumen faſtigiata, quæ ab vna caulis parte ſunt diſpoſita, inquit author Caſp.Bauh.in phyt. vbi vocat Gramen 31. ſiue arundinaceum, ſpica triticea weitzengras, aitque ſimilitudinem quandam habere cum Gramine aquatico harundinaceo paniculato Tabernamontani. Ego non video quid commune habeat figura illa Tabernamontani, quæ paniculatam iubam habet, cum Fuchſij Tritico, quod ſpicam gerit, neutiquam verò paniculam aut iubam: quod mihi Baſileæ demonſtrauit, videtur potiùs ſpicam habere ſimilem Lolio, quàm Tritico. Eid.pin. *gramen ſpica triticea* 4. ſiue *gramen anguſtifolium, ſpicâ Tritici muticæ ſimili: gramen frumentarium ſegetaléve, triticeum, ſiue Triticea ſpica*, C.Bauhini, Lob.Adu. par.2. 56.in prod.

Synon. C.Bauh. not.

Notat Frater prouenire locis arenoſis in Klyben circa Baſileam ſuum Gramen, vnde verò habuerim meum non recordor.

Locus

GRAMEN SPICA BRIZÆ MAius Caſp.Bauhini.

CAPVT CXXIII.

RAdicibus & culmis eſt frumentaceis, foliis anguſtis, ſpicis palmaribus, multiplicibus, vtriculis ariſtis breuibus armatis: floſculis, vt in Tritico, luteolis: tota planta ad viri altitudinem aſſurgit, & apud nos locis accliuibus ad Rheni ripam, & ad montis Crentzacenſis aſcenſum prouenit.

Deſcriptio. Locus.

C.Bauh.prod. *gramen* 58. Eid.pin. *gramen ſpica Brizæ* 1. *ſiue maius.*

Synon.

GRAMEN SPICA BRIZÆ MInus eiuſdem.

TOta planta palma minor eſt, radice exili, fibroſa, foliolis ad radicem breuibus, mollibus, caneſcentibus, ſpica vnciali, quæ modò ſimplex, modò gemina & terna, vtriculis ariſtis armatis: in agris Monſpelienſibus D. Saltzmannus legit.

Deſcriptio. Locus.

C.Bauh.prod. *gramen* 59. Eid.pin. *gramen ſpica Brizæ* 2. *ſiue minus.*

Synon.

GRAMEN PHOENICOIDES, FOLIIS conuolutis, iunceis ac pungentibus.

CAP. CXXIV.

CVbito altiorem calamum tollit, internodiis longis geniculatum, foliis amictum ſeſquipalmaribus circiter, duris, rigidis, acutis, mediocriter latis, ſummo culmo ſpica inſidet ſeſquipalmum longa, alternante glumarum muticarum ſquammatim compactarum poſitu, ad eum ferè modum quem in Phœnice animaduertimus, ſed maiorum multò, colore ex viridi in flauum vergente: radicem apparet eſſe perennem, obliquè actam, fibroſam, duram, albam, ita ex ſicca planta: Hoc Gramen vnde habuerim neſcio, huic

Deſcriptio.

*An Oxyagroſtis maritima, Dal?* valdè ſimile quod iunceum vocaui olim collectum circa Monſpelium, cui folia rigida, initiò lata, tandem veluti in iuncum teretem conuoluta, in mucronem deſinentia, ſæpè ſpicam ſuperantia, culmus in eo etiam obſeruatus vix cubitum altus, deſinens in breuem ſpicam, phœnicem aliquo modo exprimentem: an hoc quoque idem ſit cum atrociter pungente quem deſcribit Dalechampius aſſerere non auſim, licet partes illius Graminis habeam: ſed ſine ſpicis, quas Dalechampius non tradit: nec etiam in eo Gramine pungente quod habemus, folia ſunt ad ſingulos nodos gemina, ſed alternatim diſpoſita: radix fibris multis capillata: craſſioribꝰ enim eſt fibris. Iconem exhiberemus niſi plãtam ſiccam, vt

*Icon.* nonnullas alias ipſi communicatas, Frater retinuiſſet,

Synonyma Hiſt. Lugdun. *Oxyagroſtis maritima Dalechampii*. C.Bau. phyt. *Gramen 36. ſiue maritimum*: Eid. pin. *Gramen arundinaceam 8 ſiue maritimum acutiſſimum*.

Locus. In maritimis Narbonenſ. Galliæ obſeruauit Gener Cherlerus, & ibidem etiam creſcere Hiſt. Lugdun. teſtatur. I. Gargillus Gramen marinum pungens vulgò Bent vocari ait & copioſè in arenoſo maris littore naſci ſcribit, refertque eo

Vſus. Anglos, conclauibus ſtratis: æſtate quidem virenti conciliare frigus: hieme ſiccato calorem fouere: vile precium in onus graue eſſe.

## GRAMEN IVNCEVM MARINVM foliis cõuolutis cum longa ſpica, ſimile Gramini nodoſo.

### Cap. CXXV.

Deſcriptio VIdi apud fratrem C. Bauh. Gramen quoddam marinum foliis ita conuolutis vt rotunda iunceáue exiſtimarem, ea penè cubitalia ſunt: ex radicibus duris prouenit craſſiuſculis ſpica ſimilis eſt Gramini nodoſo.

Quænam hæc ſit planta C. Bauh. in pin. ex tam breui delineatione cognoſcere admodum difficile eſt.

## GRAMEN MARIÆ ODORATVM.

### Capvt CXXVI.



Deſcriptio HOc nomine ex Mõte regio Borruſſiæ ad ſe miſſum Gramen impertiuit frater C. Bauhin. fibris craſſis radicatum: *folia* plana quidem ſuapte natura; ſed ita coeuntibus marginibus conuoluta, vt teretem iunceũm culmum mitentur, rigida, firma, pungentia.

*Deſcr. C. Bauh.* C.B. Gramen ſuum 15. in phyt. & prod. ſic deſcribit: Radicibus candidis geniculatis ſerpit: culmo eſt bicubitali, geniculis paucis diſtincto, foliis anguſtis, longiſſimis, paniculam ſuperantibus, in acumen faſtigiatis, ſuauem, odorem ſpirantibus, cuius culmo panicula parua, leuiterque ſparſa à pictore non ritè expreſſa inſidet: A Regiomontanis Gramen Mariæ dicitur, quod in faſciculos collectum: propter odoris fragrantiam, veſtibus adiiciunt, vt D. Vaſinarus, qui plantam tranſmiſit perſcripſit. Hæc ille, cuius iconem exibemus. In pin. vocat Gramen paniculatum montanum 2. & Gramen paniculatum odoratum. *Gra[...] Ma[...]* Syn[...]

## GRAMEN REPENS MARINVM ſpica exigua.

### Cap CXXVII.



GRamen geniculatum marinum alia folia profert ſpithamã alta, ex quibus ſurgit culmus paruus, ſpicam exiguam ferens Graminis exilis durioris. Radix longa, Graminis geniculati inſtar. Frequentiſſimum in maritimis collibus, in Walheren, Lobel. De[...] Lo[...]

Lob. Icon. Plãt. p. 21. *Gramen geniculatum caninum marinum*. Tabern. icon: & hiſt. p. 637. *Gramen caninum 3*. Eid. hiſt. p. 641. *Gramen 7*. C. Bauh. phyt. *Gramen 3. ſiue caninũ ſupinum maritimum*. Eid. pin. *Gramen caninum 8. ſiue maritimum ſpicatum*: *Gramen caninum marinum* Gerardi. Sy[...]

## GRAMEN LONGIVS RADICATVM marinum, vtriculos pro ſpica gerens.

### Cap. CXXVIII.

HOc nõ aliter à præcedenti differt, foliis, modo creſcendi, & radice, quàm quòd ſpicarum loco inter folia profert vtriculos ſquammoſos, Lobelius. Di[...]

Tabern. icon & Hiſt. p. 641. *Gramen caninum 4.* & *Gramen 8.* C. Bauh. phyt. *Gramen 4. ſiue caninum ſupinum maritimum alterum*. Lobel. in Hiſt. Belg. p. 22. Ander cleyn duynen-bıdt graß. Icon. plant. p. 22. *Gramen caninum longius radicatum marinum alterum* Eid pin. *Gramen caninum 9. ſiue maritimum ſpica foliaceá*: *Gramen caninum marinum alterum*, *Gerardi*. Sy[...]

## GRAMEN GEMMEVM SEV nodoſum alterum.

### Cap. CXXIX.

RAdices fert gemmeæ rotunditatis, candidas veluti Margaritas, quatuor aut quinque in- Di[...]

uicem

uicem hærentes, ac ſi ſtilo eſſent transfixæ, fibroſis alis ex poſtremo exeuntibus: culmos fert cubitales: foliis Tritici, iubâ Milij, ſeminibus Auenæ binis pendentibus tenuioribus à breuioribus ariſtis, vt Oryzæ.

Hanc deſcriptionis author Cæſalpinus in genere Frumentorum recenſet, ſed ſemine mutili, licèt ſpicam ferat, vt Frumenta. *Perlaram* vulgò appellat herbam in montibus, & Oryzam ſylueſtrem dicendam autumat.

C.Bauh.pin.*gramen nodoſum* 2. ſiue *gemmeum.*
Propagatur radice graminis modo.

## GRAMEN SPICATVM ANGVSTIFOLIVM montanum C.Bauhini.

### Cap. CXXX.

[Descrip]tio GRamen hoc ſpicatum montanum 1. ſiue gramen ſpicatum anguſtifolium montanum in pin. gramen 20. in prod. à gramine caryophyllato pratenſi differt foliis, quæ anguſtiſſima: cauliculis, qui in hoc tenuiſſimi, plures & longiores: & loco, cùm hoc ſolùm in montoſis, Maio menſe florens, proueniat.

## GRAMEN SYLVATICVM ANGVSTIFOlium ſpicâ albâ C.Bauhini.

### Cap. CXXXI.

[Descri]ptio EX radice rufa, tranſuerſa, fibræ capillares deſcendunt, & folia plura capillacea, palmaria, etiam breuiora, rariùs longiora, exurgunt, vnà cum culmis tenuiſſimis, ipſis foliis plerumque breuioribus, quibus ſpica vt plurimùm ſimplex, candida, exiguis ariſtis donata, vnciam vix ſuperans, inſidet.

[Syno]nyma Gramen hoc ſpicatum montanum 2. in pin. ſiue *gramen ſyluaticum anguſtifolium ſpica alba: gramen* 21. in prod. in ſyluis humidis Huningenſium.

## GRAMEN CARYOPHYLLATVM NEMOroſum ſpicâ multiplici, C.Bauhini.

### Cap. CXXXII.

[Descri]ptio RAdice eſt ex fibris capillaceis rufeſcentibus compoſita, ex qua, tanquam ex ceſpite, folia ſemipalmaria, etiam breuiora, Vetonicæ caryophyllatæ ſimilia, prodeunt: inter quæ culmi quàmplurimi capillacei, nudi, folia aliquando ſuperantes, ſpicas multas breuiſſimas & rufeſcentes ſuſtinentes, exurgunt.

[Syno]n. Gramen hoc 22. in prod. *gramen ſpicatum montanum* 3. ſiue gramen caryophyllatum nemoroſum ſpica multiplici in vmbroſis & humidis ad Birſam & VVieſam reperitur. Huic non multùm diſſimile, ſed radice magis geniculata, in via Richana ad ſepes ad ſiniſtram reperitur.

## GRAMEN CARYOPHYLLATVM MONtanum ſpicâ variâ C.Bauhini.

### Cap. CXXXIII.

[Desc]riptio RAdicibus eſt paruis, fibroſis, oblongis, nigricantibus, ex quibus inſtar ceſpitis folia, aliquando palmum longa, anguſta, vt in gramine ſpicato caryophyllatæ foliis, prodeunt: inter quę culmi plures, tenues, foliis nudi, in ſummitate ſpicam modò diuulſam, modò compactam ſuſtinentes. Locus.

In Baſileenſi vrbi vicinis collibus reperitur gramen hoc 23. in prod. vel vt vocat in pin. *gramen ſpicatum montanum* 4. ſiue gramen caryophyllatum montanum ſpicâ variâ. Synon.

## FESTVCA GRAMINEA GLVMIS VACVIS C. Bauhini.

### Cap. CXXXIV.

GRamini 64. C.Bauh. in prod. in pin. verò *Gramini Feſtucæ* 2. ſiue Feſtucæ gramineæ glumis vacuis, ex radicibus fibroſis ſimul iunctis, culmi aliquot geniculati, pedales, ad radicem lanugine pubeſcentes, foliis anguſtis, paucis, donati exurgunt, qui glumos plurimos, læues & vacuos, filamentis tenuiſſimis adpendentes, partim virides, partim ſpadiceos, ariſtis oblongis donatos, ſuſtinent: hæc apud nos in tectis & muris creſcit: & cùm glumi longis filamentis appenſi ſint, facilè à quouis vento agitati, tremunt, hinc Monſpelienſibus gramen tremulum dicitur. Hæc aliquando, apud eoſdem, glumis paucioribus & ariſtis longioribus & recuruis in agris reperitur, & Feſtuca graminea ariſtis incuruis nominari poteſt. Deſcriptio

## FESTVCA GRAMINEA EFFVSA IVBA eiuſdem.

### Cap. CXXXV.

GRamen hoc 65. C.Bauh. in prod. ſiue, vt in pin. vocat, *gramen feſtucæ* 3. ſeu Feſtuca graminea effuſa iuba, altiùs exurgit, caule viridi & rotundo, qui in iubam pedalis longitudinis effunditur, cuius glumi anguſtiores & longiores, breuibus ariſtis cincti, pediculis capillaceis oblongis inſident, qui per maturitatem albicant: inter ſegetes reperitur. Synon. Deſcriptio Locus.

## FESTVCA GRAMINEA NEMORALIS, latifolia mollis.

### Cap. CXXXVI.

COnſtat ex calamis cubitalibus vt plurimùm, ſæpè bicubitalibus, hordeaceis, ſed tenuioribus, geniculatis, & omninò ſimilibus calamis feſtucæ nemoralis maioris. *Folia* ei inter omnes ſpecies ſunt latiora, ſecundum longitudinem interſtriata, & molli lanugine obueſtita, cuius ratione attactui mollitiem eiuſmodi offerunt, qualis in Althææ foliis tangentium digitis obiicitur. *Iubam* in oblonga profert ſpica, non ita elegantem, vt iam commemoratorum Feſtucaceorum, coloris antequam flores exerat ſubrubentis, deinde ex flauo pallidioris, vtriculos etiam breuioribus pediculis appenſos habentem, quantitate ea, quâ medij generis iam indicati eſſe diximus. *Semina* continet patula, oblonga, ſplendentia, & quaſi Milij cuiuſdam ſeminum rudimentum exprimentia. Deſcriptio

Synonyma Thalio deſcriptionis autori, *Feſtucaginis ſpecies in montibus graminoſis*, *Feſtuca 4. ſiue nemoralis latifolia.* C.Bauh.pin.*Gram. Feſtucæ* 4. ſiue *Feſtuca graminea, nemoralis, latifolia, mollis.*

## FESTVCA IVNCEO FOLIO
Caſp. Bauhin.

Synon: Deſcriptio GRamini 66.[vt in prod.C.Bauh.vocat]ſiue Gramini Feſtucæ 5.ſeu iunceo folio (vt in pin.) ex radice parua fibroſa,alba, folia pauca,iuncea,ſemicubitum longa, vt & culmus rotundus cubitalis exurgit,qui in paniculam auenaceam,ſed anguſtiorem,albam,anguſtã, definit, quæ ex oblongo folliculo [à folio conſtituto] paniculam lõgè ſuperante, prodit: cuius glumi rari, ariſtis longiſſimis & argenteis donantur. In Valeſia ad paludem vrbis Seduni copioſè prouenit, vnde D.Burſerus nobis attulit.

Locus.

An Feſtuca 5. An Feſtuca nemoralis 5.ſiue tenuifolia Thalio,de qua hæc ſcribit: In noſtris ſyluis Harcynicis non ſemel reperi,quam pro Feſtuca quinta habeo,ita vt dicatur Feſtuca tenuifolia. Omnia enim præter iubam cæteris tenuiora habet.Radice conſtat plurimis exiguis ac tenuibus cirris prædita,ex qua ſtraminei, tenues, tereteſque ac flauentes, geniculati, & cubitales calami prodeunt,foliis ſtrictioribus donati. Iubam etiam hæc profert rariorem, in tenuiſſimis capillaceis, & multò longioribus,pediculis vtriculos excernentem,quantitate vtriculorum Feſtucæ gramineæ nemoralis,coloris fului, ac argenteo nitore micantem.

## GRAMEN CALAMAGROSTIS LOBELII.

Cap. CXXXVII.

Deſcript.



BAbylonio apprimè reſpondet, ac quàm Caninũ Gramen altero tantò maius eſt, calamis & foliis rigidioribus, ſcabris, quibus ad Harundinem vallatoriam non parùm accedit: radice geniculata,alba, promiſſiore & longo reptatu vagatâ, compreſſiore tamen & craſſiore, Canario Gramini ſimili,ſed vallatorium æquante: Spicata Panici aut Sorghi comosâ lanugine.

Synon. Lob. Adu. *Calamagroſtis*, vel *Harundinaceum Gramen*, fortè Babylonium: Eid.Ic. Plant.p.6. *Calamagroſtis*: Item hiſt.Belg.p.8. Riedtgras, & fortè Gras von Babylonien. Hiſt. Lugd.p. 434. *Calamagroſtis Lobelij*, vulgò *Leche*. Caſp. Bauh. phyt. *Gramen* 28. ſiue arundinaceum aquaticum: Eid.pin. *Gramen arundinaceum* 1. ſiue ſpica multiplici: καλαμάγρωστις Dioſcoridis: *Calamogroſtis* Lob.& Hiſt.Lugd.cui & *Gramen arundinaceum*: Tabern. *Gramen arundinaceum maius* vt & Ger. Variat ratione loci: nam quod in arenoſis, ſpica ac eſt craſſiore: quod in montoſis,ac dumetis humidis,ſpica eſt tenuiore.

Caſp.Bauhin.olim in phyt.Gramen arundinaceum maius Tabern. ſeparauit à Calamagroſti Lobelii. Nos de Gramine Tabern. plura mox ſeorſim dicemus. Lobelii deſcriptio non videtur nobis reſpondere iconi, in qua ſpica ſiue iuba non apparet ſimilis Panico & Sorgho: magna etiam differentia inter paniculam Panici & Sorghi: radix etiam non reptans pingitur.

Pratis vdis, ſed ſtrigoſis, macilentis & ſabuloſis neglectis familiare hoc genus Graminis. Pabulo haud cedit,niſi multùm eſuriant,& penuria melioris admodum laborent veterina, nec eo greges veſcuntur, quippe quibus non modò ingratiſſimum,[& Saur, ſeu acidum,Rura vernaculè dicunt] verùm etiam maciem, ſitim & tabem conciliare creditur,linguam & œſophagum vulnerare & arctare, ſanguinem in ventriculum elicere,vnde tumefactio & inflammatio & mors plerumque ſubſequatur.Quod ſi Babylone fuit natum vbi id maleficium afferre proditur, ſictius & rigidius,grex verò imbecillior & aluo duriore,minùs mirum illius eſu iumenta illic enectum iri. Sic enim videas interdum iumentorum labra & fauces cruore manantia & ſauciata,quæ cum reliquo ſtramine per fœniſecia, huius aut conſimilia harundicea folia eſitarint. Mediæ itaque inter Harundinem & Gramen eſt naturæ.

## GRAMEN HARVNDINACEVM
maius, Tabern.

Cap. CXXXVIII.



RAdicem habet capillarem, humi ſerpentem: folia ex vtroque latere obiectum vehemẽter ſecantia, Harundini ſimiles quoque cauos articulatos calamos, vnà cum ſpicis, niſi quòd minores ſunt.Plãta admodum vulgaris notitiæ.

Tabern. ic. & hiſt. *Gramen harundinaceum maius*, groß Riedgraß. C.Bauh.phyt. *Gramen* 29. ſiue arunnaceum alterum. In pin.non ampliùs ſeparata à Calamagroſti Lobelii. Mihi ambæ deſcriptiones conuenire videntur, quamuis figuræ ſint diuerſæ: verùm Lobelii icon, vt præcedenti capi monuimus,non reſpondet deſcriptioni.

Littora,paludes,prataque rigua quærit.

Gra-

## GRAMEN HARVNDINACEVM MINVS cum ſpica.



Radix & harundo nodoſa priori reſpondent: folia verò ſunt & latiora, & longiora: ſpicæ plures magiſque patulæ.

Tabern.ic.& hiſt. *gramen harundinaceum minus*, klein riedtgraß. C.Bauh. phyt. *gramen* 30. ſiue *arundinaceum ſpicatum*: Eid.pin. *gramen arundinaceum* 2. ſiue *ſpicatum*: *gramen harundinaceum minus*, *Gerardi*.

Prouenit in locis humidis & paludoſis, vt præcedens, quamuis non ita copioſè.

## GRAMEN MAIVS AQVATICVM Lobelii.

### Cap. CXXXIX.

Inter gramina vulgaris notitiæ eſt iſtud, copioſéque reperitur ad aquas & riuos, in Gallia, Anglia, Germania, Italia, & Belgio, potiſſimùm verò in Batauia, vbi etiam ſecatur, optimo pabulo vaccarum, folia habet pollicem lata, ſeſquicubitum, aut cubitos duos lõga: culmus quatuor aut quinque pedum altitudine eſt, panicula miliacea: radix fibroſa.



Lobel hiſtor. Belg.p.6. groot water gras met brede hirs aren. Eid.Ic.p.4. *gramen aquaticum maius* Tabern.Ic.& hiſt. *gramen harundinaceum panniculatum*, waſſer riedt graß. C.Bauh.phyt. *gramen* 22. ſiue *paniculatum aquaticum*: Eid.pin. *gram.panic. aquaticum* 4. ſiue Gr.aquat.paniculat.latifolium: *Lolii nonum genus, Tragi*: *gram. maius aquaticum, Lobelii*: *graminis arundinacei alia ſpecies, Thalii*: *gramen harundinaceum paniculatum, Tab.& Gerardi.*

## GRAMEN AQVATICVM HARVNDINACeum paniculatum, Tabern.

### Cap. CXL.

iptio Radicem agit tranſuerſam, repentem, multis fibris donatam; calamos craſſos, nodoſos, maiores quàm gramen harundinaceum, ſed minores, quàm Harundo: folia gramini harundinaceo ſimilia, ſed maiora & longiora: paniculam haud diſſimilem.

C.Bauh. pin. *Gramen paniculatum aquaticum* 1. ſiue paluſtre paniculatum altiſſimum: *gramen aquat. harundin. paniculatum*, Tabern. *gramen maius aquat.* Ger. Synon.

In riuulis & paludibus ſtagnantibúſq; occurrit. Locus.

## GRAMEN HARVNDINACEVM ENODE.

### Cap. CXLI.

Inter folia bicubitalia, ſemunciâ anguſtiora, rigida, ex radice fibris validis craſſiſque fundata, culmus ſurgit teres, homine procerior, cauus, enodis, nudus, craſſiuſculus, firmus: in faſtigio ſummo paniculæ palmo longiores, in tenues ſpicas deſinentes, rubentes, à ſe inuicem longè interdum diſſitas. Deſcriptio.

Tragus hoc gramen ad caput de ſcirpo reuocat, Scirpíque primum genus facit, dicens eum prouerbio apud Plautum occaſionem dediſſe, *Nodum in ſcirpo quæris.* Hoc autem in homines plus æquo anxios & curioſos torquetur, qui illic ſcil. ſcrupulum mouent, vbi nihil eſt dubitandum. Cæterùm Germanicè Bintzenhelmer vocat, ſuſpicatúrque eos à veritate non multùm erraturos, qui wald Rohr, hoc eſt, Arundinem ſylueſtrem appellant. Græcè κάλαμον ἄλσιμον dicendum putat. Arbitratur & Syringiam Plinij. Ab aliis tamen Oxyſchœnos dicitur, vt in annotatione marginali legitur. *Scirpus Trago.* *Arundo ſilu.* *Syringia Plinii.* *Oxyſchœnos*

C.Bauh.pin. *gramen arundinaceum* 6. ſiue *enode maius montanum*: *Scirpi 1. genus, Tragi*: *Iuncus ſylueſtris*, Lonic.quoad iconem: *Iuncus lychnanthemos maior, Thalii*: *gramen harundinaceum montanum*, Tabern. Synon.

Copioſè prouenit prope pagum *Colombier ſauoureux*, & in ſyluis inter *Lure* & *Laumont*: Item in monte prope Krentzach & Leurach, ac in monte Saleuæ, in dumetis & humidis. Scirpus Tragi in altiſſimis, aſperis & humectis ſyluis, nec non ſub Iuniperorum fruticibus apud Mediomatrices naſcitur. Iunio menſe coles emittit, qui Auguſto flacceſcere incipiunt, ac firmi planè & rugoſi euadunt. Qua de cauſa à ruſticis mulierculis leguntur, quibus caſeos recentes & præhumidos in aëre ſiccandos imponunt. Sed & ex iis naſſæ piſcatorum conficiuntur. Locus & tempus. Vſus.

## GRAMEN HARVNDINACEVM ENOde minus.

Trago Scirpi genus alterum multò tenuius, breuius, & magis exiguum, Germanis ſchmelen vocatum. *Scirp. 2. Trago.*

Thal. Iunci lychnanthemi ſpecies media, iuncus λυχνάνθεμος tenuis maior dicenda, ſtylos continens multò tenuiores, teretéſque, ſed non ita perpendiculari rectitudine, ſe ſuſtollentes, palmo longiores, breuem & vix vncialem ſpadicei fermè coloris ſpicam exhibentes. Eſt Broccenbergo familiaris. *Iunc. lychnanthemos medius, Thal.*

Caſp. Bauh.pin. *gramen harundinaceum* 7. ſiue *enode minus ſyluaticum*. *Gr. arund. enode minus ſilu. C.Bauh.*

Ex minore hoc Tragi Scirpo nonnulli pileos, Vſus.

quibus 'Æſtate 'adverſus Solis radios & calorem vtuntur, conficere ſolent.

---

## GRAMEN PALVSTRE LOBELIO.

### Cap. CXLII.

**Deſcriptio** RAdicem habet exilem, fibroſam, folia graminea producentem: inter quæ exit culmus gracilis, pedalis, ſpicam Cyperi gerens; iiſdem **Synon.** naſcitur locis cum Cyperoide, authore Lobelio, qui in hiſt. Belg. p. 13. inſcribit Zegghe vel water-rietgras: in Ic. Plant. p. 11. *Gramen paluſtre matus.* Figura quidem non videtur reſpondere deſcriptioni.

C. Bauh. phyt. *Gramen* 58. ſiue *Cyperoides ſpica molli*: Eid. pin. *Gramen cyperoides ſpicatum* 4. ſiue Gram. cyperoid. anguſtifol. ſpicis longis erectis.

---

## ARVNDINES EX VETERIBVS.

### Cap. CXLIII.

*Arundinũ differentia. Theoph.* THeophraſtus hiſt. lib. 4. cap. 12. Harundinum differentias conſtituit, ex ipſarum corpore ſolido, cauo; ex breuitate, proceritate, craſſitudine, gracilitate; foliorum multitudine, paucitate; natalibus ſiccis, aquaticis; denique ex ipſarum vſu. Verùm duo ſumma genera, τὸν αὐλητικὸν, καὶ τὸν ἕτερον, h. e. tibialem & alteram facit. Harundinis, inquit, duo genera tradunt, Tibialem & re- *Theoph emendatur* liquam: quippe vnum genus reliquæ deprehendi, ſed inter ſe inuicem ſimile firmitate, craſſitate, tenuitate, exilitateque differre. [ hæc Dalech. *Vallatoria Textilis.* emendatiùs ſic legi poſſe putat: ſed inter ſe inuicem differre craſſitudine & tenuitate, robore & debilitate.) Craſſam & validam, Vallatoriam vocant: alteram autem Textilem. Naſci textilem ſuper inſulas fluitantes; Vallatoriam in comithybus. Comythes autem vocant vbi aceruata Harundo, implexaque mutuo radicum raptu ſit: quod fit locis ſtagnorum, vbi tellus pinguis lætaque eſt. Nonnunquam etiam vbi tibialis, Vallatoriam gigni, longiorem quidem, quàm reliqua vallatoria, ſed vermibus erodendam. Huius diffe- *Tibiales. Error.* rentias eis tradunt. Tibialium quandam nono anno prouenire nonnulli volunt. Hunc quoque ordinem generandi ſtatuunt: quod error eſt. In totum enim aucto lacu enaſcitur. Sed quoniam *Vt copioſior meliorque gignatur.* id ſuperiori tempore anno nono potiſſimùm euenire videretur, ortum quoque Harundinis talem eſſe credidere, euentum fortuitum pro ordine certo capientes. Gignitur verò copioſior, meliorque cùm poſt imbres frequentes biennio, minimùm aqua permanſit: quod maximè poſteriori tempore factum meminere, cùm infauſtum illud Cheroniæ accidit, quippe, hoc antè annis pluribus lacus altitudinem extendiſſe, pòſt, vbi vehemens peſtis inuaſit, impletum quidem affirmant: ſed cùm inundatio non permanſiſſet, ſed Hyeme decreuiſſet, ſic & Harundinem prouenif- *Armamentaria. Bombycia.* ſe. Fertur enim, videturque aucta altitudine lacus, durantéque inundatione craſſari Harundinem, & fieri craſſatam quidem Armamentariam: Bombiciam verò, cùm non aqua permanſerit. Generationem itaque talem tradidere. Diſtare autem à reliquis Harundinibus præſtantia quadam nutricationis naturalis confirmant: quippe pleniorem, carnoſiorem, in totumque facie fœminæ laſciuiorem ſpectari: etenim folium amplius, candidiuſque habere, & minùs lanuginis quàm cæteræ: quaſdam etiam omninò nihil habere, quas & nomine Spadonum appellant: Hinc paria optima fieri quidam affirmant, ſed pauca tamen in opere benè ſuccedere: cædi tempeſtiuè ſolitas, uſque ad Antigenidem, cùm adhuc ſimpliciùs tibiæ vterentur ſub Arcturo, menſe Septembri: quippe ſic cæſas pleriſque quidem poſt annis vtiles eſſe incipere, multaque interim exercitatione ſonandi indigere, ſed ora linguarum comprimi, quod erat illis theatrorum moribus vtilius: ſed poſtquàm varietas, fictioque acceſſit, cæſura mutata eſt. Cædunt enim noſtra ætate, menſe Maio, & Iunio, quaſi paulò antè Solſtitium, vel ſub ipſo Solſtitio: & fieri vtiles in trimatu referunt, & breui exercitatione egêre &c. *Hæc armentaria cædendæ tempora tradunt.* '*Præparatio verò, & confectio hunc in modum fieri ſolet:* Cùm collegerint Hyeme ſub diuo exponunt ſuis veſtitam tunicis: Vere autem diſpoliatam, adtrituque expurgatam, Soli expandunt: Æſtate poſt hæc conciſam in internodia, rurſum ſub diuo, ad tempus quoddam exponunt, relicto internodiis ſuperiori geniculo. His *longitudo* palmo nunquam minor. Naſcitur plurima inter Cephiſum, & Melanam. Pelacania locus hic nominatur. Huius quædam partes Chytri vocatæ, lacus altitudines ſunt, quibus Harundinem laudatiſſimam prouenire affirmant. Sed omnium optima naſci creditur circa Oxeam, Campen vocitatam. Eſt etiam alius locus Aquilonius, Oxeæ Campæ Boedrias nomine, quo etiam ipſo nobilem Arundinem naſci aſſeuerant. In totumque vbi craſſum, lætum, fœcoſumque ſolum ſit: Cephiſuſque ſe permiſceat, acque etiam altitudo lacus amplietur, Atundinem opimam oriri. Nam circa Campen & Bœdriam, hæc omnia comperiuntur. Quod autem Cephiſus vim magnam ad faciendam Arundinem laudabilem ſortiatur, argumento capiunt, quòd eo loco, ad quem Melas, qui vocatur, influit: quanquam locus profundus, ſolúmque craſſum, atque fœcoſum eſt, tamen omninò nulla, aut vitioſa exurgit. Generationem Arundinis, tibialis. naturam, confectionem, quibuſque differentiis à reliquis diſtet, ſatis dixiſſe arbitramur. Geneta non hæc ſolùm, ſed plura etiam Harundinis etiam intelliguntur, quædam enim denſa, tam carne, quàm geniculis: quædam rara pauciſque geniculis: & alia caua tota, quam *Fiſtulariam* quidam appellant (nihil enim ferè ligni, carníſue habet) alia ſolida, & tota penè intus repleta. Item alia procera, excelſa, craſſaque: & alia gracilis, folioſáque: alia paucis foliis omninò: multæ quidem differentiæ pro natura, vſuque intelligũtur, ſingulæ namque ad ſingula vtiles. Nominibus aliis appellant, ſed *Canna* communiſſima quodammodò eſt, quam & frutetitiam maximè omnium referunt, & apud flumina lacuſque potiſſimùm naſci: plurimùm tamen in quoque genere diſtare inter ſeſe aquaticas, & ſicco naſcentes perhibetur. *Sagittaria* quoque quam Creticam quidam appellant', ſui generis eſt, nodis paucis, geniculata carnoſior omnibus, maximeque flexum recipiens, atque omninò obſequens, quò libeat flecti calefacta. Magnas & folia differentias reddũt, quemadmodum diximus, non multitudine, magnitudineque tantùm, ſed etiam colore, quippe quæ *laconica* cognominatur, verſicolor eſt. Item poſitu ipſo, atque annexu: Genus autem quoddam Harũdinis vel terrenum emigrat, quod non erigit caulem, ſed ſuper terram ſpargitur Graminis

minis modo, atque ita ſe ampliat: maſcula ſolida eſt, fœmina inanis: quippe hoc marem à fœmina diſtinguunt. Quædam magnitudine præſtantes, atque robuſtæ, vt vicem haſtarum præbeant. Hæ circa Aceſiaum amnem oriuntur. Omnis autem Harundo viuax eſt, atque aduſta meliùs reſurgit: itémque ſtirpe craſſa, numeroſaque eſt, ob id mori peruicax. Radix ipſa geniculata, quemadmodum graminis: verùm non omnes ſimili modo informantur. Arundo autem geniculata eſt & corticem habet neruoſum macilentúmque, radicem geniculatam: perpetuò viret: à gelu enim torpere minimè poteſt, vulneratáque facilè coit. *Et hæc paßim ex verſione Gazæ.*

Quinque Harundinum (καλάμων) genera, veluti notiora prodidit Dioſcorides: In harum genere quædam Naſtos, id eſt, plena ſolidáve appellatur: ex qua ſagittæ factitari ſolent: altera fœmina, ex qua tibiis ligulæ conficiuntur. Alia ſyringias, hoc eſt, fiſtuloſa, multa carne prædita, (V. παχύσαρκος) geniculis denſior, ad librorum ſcriptionem accommodata. Alia denique craſſa & concaua, circa amnes naſcens, quæ etiam donax, & à quibuſdam Cypria vocatur. Eſt & alia phragmites, quaſi ſepimentis idonea, gracilior, candicans, (V. ἀπόλεπτος aliter λευκὸς, al. ὑπόλεπτος καὶ λευκός) vulgò nota. Cuius radix contrita, ac tum per ſe, tum cum bulbis impoſita ſpicula, aculeóſque corpore extrahit. Ex aceto verò, luxata, doloréſque lumborum demulcet. Virentia porrò folia tuſa & impoſita tum eryſipelatis, tum aliis inflammationibus medentur. Cortex vſtus & ex aceto illitus alopecias emendat. Cæterùm paniculæ flos, ſi aures intrauerit exurdat. Eadem quoque præſtare valet quæ Cypria Harundo dicitur.

Plinius, qui ex Theophraſto nonnulla mutuauit, lib.16.cap.36. multò plures differentias agnouit. Inter ea, inquit, quæ frigidis gaudent, & aquaticos frutices dixiſſe conueniat. Principatum in his tenebunt Harundines, belli paciſque (belli, ad iacula: pacis ad ſcribendum) experimentis neceſſariæ, atque etiam deliciis (ad tibiarum vſum) gratæ. Tegulo earum domus ſuas Septentrionales populi operiunt (ob id panniculam tectoriam vocat Plautus in Milite:

*Cuius tu legiones diflauiſti ſpiritu*

*Quaſi ventus folia, aut panniculam tectoriam,*

Turner.

Plaut. in rudente:

*Quin tu in paludem is, exigiſque Harundines,*

*Qui pertegamus villam, dum ſudum eſt?* ]

durántque æuis tecta alta. Et in reliquo verò Orbe cameras leuiſſimè ſuſpendunt (ex iis cameræ fornicéſque pergularum quàm leuiſſimi & minimè oneroſi fiunt) Chartíſque ſeruiunt calami, Ægyptij maximè, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Gnidij & qui in Aſia circa Anaiticum lacum naſcuntur. Noſtratibus fungoſior ſubeſt natura, cartilagine bibula; quæ cauo corpore intus, ſupernè tenui inareſcit ligno: fiſſilis, præacuta ſemper acie, geniculata. Cæterò gracilitas nodis diſtincta, leui faſtigio tenuatur in cacumina, craſſiore paniculæ coma; neque hac ſuperuacua. Aut enim pro pluma ſtrata cauponarum replet: aut vbi limoſiore callo induruit, ſicut in Belgis, contuſa, & interiecta nauium commiſſuris ferruminat textus (tabularum compages) glutino tenacior, rimíſque explendis fidelior pice: Calamis Orienris populi bella conficiunt. Calamis ſpicula addunt irreuocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis. Fitque & ex ipſo telum aliud fracto in vulneribus. His armis Solem ipſum obumbrant. Propter hoc maximè ſerenos dies optant: odére ventos & imbres, qui inter illos pacem eſſe cogunt. Ac ſi quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omniáque Parthorum regna diligentiùs computet, æqua ferè pars hominum in toto mundo calamis ſuperata degit. Præcipuus hic vſus in Creta bellatores ſuos præcipitauit. Sed in hoc quoque, vt cæteris in rebus vicit Italia: quando nullus ſagittis aptiór calamus (Harundo ſagittaria ea vocatur) quàm in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, pondúſque (findendo aëri opportunum, volucre: contra flatus quoque peruicax libra. Quippe non eadem gratia Belgicis. Hæc & Creticis commendatioribus: quamquam præferantur Indi, quorum alia quibuſdam videtur natura, quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus. Harundini quidem Indicæ arborea amplitudo: quales vulgò in templis videmus. Differre (de Harundine Epigeio, non de Indica id Theophr. qui maſculam ſolidam eſſe, fœminam verò inanem, etiam ſcribit) mares ac fœminas in his quoque Indi tradunt. Spiſſius mari corpus, fœminæ capacius. Nauigiorúmque etiam vicem præſtant (ſi credimus) ſingula internodia. Circa Aceſinen Theophraſt. cap.12. lib.4. de Calamo tantùm id ſcribit, qui haſtæ vicem præſtat) amnem maximè naſcuntur. Harundo omnis ex vna ſtirpe numeroſa. Atque etiam reciſa fœcundiùs reſurgit. Radix naturâ viuax, geniculata & ipſa. Folia Indicis tantùm breuia. Omnibus verò à nodo orſa, complexu tenues per ambitum inducunt tunicas: atque à medio internodio cùm plurimùm deſinunt veſtire, procumbúntque. Latera Harundini calamóque in rotunditatem bina, ſuper nodos alterno ſemper inguine, vt alterum ad dextra fiat; alterum ſuperiore geniculo ad læua per vices. Inde exeunt aliquando rami, qui ſunt calami tenues. Plura autem genera. Alia ſpiſſior denſiórque geniculis, breuibus internodiis. Alia rarior maioribus, tenuiórque & ipſa. Calamus verò alius totus concauus (Falſum eſſe id apertiſſimè oſtendit Hiſt. Theophr. de Orchomenio calamo. Plinius hæc mirè perturbat. Lego. Calamus verò alius Orchomenius totus concauus &c. Quem verò Auleticon &c.) quem Syringiam (Syring. Theophr: Ita porrò vocant, non quòd vtilis ſit fiſtulis, quemadmodum Plinius expoſuit, ſed quòd fiſtuloſus & inanis ſit:) vocant, vtiliſſimus fiſtulis, quoniam nihil eſt ei cartilaginis atque carnis. Orchomenius eſt continuo foramine peruius, quem Auleticon vocant. Hic tibiis (Tibias à Barbaris inuentas fuiſſe tradunt, ideóque in deſcribendis muſicis inſtrumentis, quibus perſtrepebat furioſa Bachantium cohors, rectè Catullum dixiſſe:

*Barbaráque horribili ſtridebat tibia cantu.*

Apud Hom. Troiani de ſuis rebus proſperis læti, ſeſe vt oblectent, pernoctantes in campo tibias inflant. Olympiad. à Phrygibus inuentas fuiſſe tradit, vsúmque in certamine Marſiam tibia, Apollinem verò cithara, Victorius cap.10.30.) vtilior, fiſtulis ille. Eſt alius craſſiore ligno, & tenui foramine. Hunc totum fungoſa replet medulla. Alius breuior, alius procerior, exilior, craſſiórque. Fruticoſiſſimus qui vocatur donax, non niſi in aquaticis natus: quoniam & hæc differentia eſt, multùm prælata Harundine quæ in ſiccis proueniat. Suum genus ſagittario calamo,

*Harundo ſagittaria.*

*Harundo Indica arborea.*

*Mas & fœmina.*

*Harundinis delineatio.*

*Denſior Rarior.*

*Plinii lapſus.*

*Syringias.*

*Orchomenius, ſeu Auleticus.*

*Craßiore ligno.*

*Alia differentia.*

*Donax fruticoſiſſ. & non aquat.*

vt diximus, ſed Cretico longiſſimis internodiis *[Differentia à foliis.]* obſequentíque quò libeat flecti calefacto. Differentias faciunt & folia, non multitudine, verùm robore & colore. Valida Laconicis, & ab vna parte denſiora, quales in totum circa ſtagna gigni putant, diſſimiles amnicis longiſque veſtiri tunicis, ſpatioſiùs à nodo ſcandente complexu. *[Arundo elegia.]* Eſt & obliqua Harundo, non in excelſitatem naſcens, ſed iuxta terram fruticis modo ſe ſpargens, ſuauiſſima in teneritate animalibus. Vocatur à quibuſdam elegia. Eſt & in Italia naſcens adarca (calamachne ea quoque dicitur cap.10. *[Adarca. Plin. not.]* lib.32. vide cap.22. lib.20. Adarces enim eſt ſubſalſa concretio, humidis & paluſtribus locis, ſicco cælo, ſpiſſeſcens, Arundinis & herbis inhæreſcens: molli Alcyonio prorſus ſimilis, valdè ſpongioſa, &c. Ex hac Dioſcoridis Hiſtoria apparet Plinium Adarces naturam non intellexiſſe, quoniam nec Harundini peculiaris eſt, nec è cortice comâue naſcitur.) nomine paluſtris & cortice (Harundinibus atque herbis inhærens. Dioſc. Ineptè Plinius Adarcen, quæ Salſilago eſt, inter Harundinarum genera commemorat, vide cap. 22. lib.20. & cap.10. lib.32.) tantùm ſub ipſa coma, vtiliſſima dentibus, quoniam vis eadem eſt quæ Sinapi. De Orchomenii lacus Harundinetis accuratiùs dici cogit admiratio antiqua. *[Characias]* Characiam [Phragnitem ipſe vocat cap.10. lib.32.] vocabant craſſiorem, firmioremque, plotiam *[Plotia.]* (plocimon Theophra.) verò ſubtiliorem, hanc in inſulis fluitantibus natam, illam in ripis *[Tibialis, ſiue Auletica.]* expatiantis lacus, Tertia Harundo (In ſequentib. multa Plinius ex Theophraſto malè tranſcripſit. Apud Theopht. locus eſt cap.12. lib. 4.] eſt tibialis calami, quem auleticon dicebant. *[Error quorundam.]* Nono hic anno (Nono anno naſci putabant, quoniam eo temporis interuallo lacus augebatur, ſed magno errore, Theophr.) naſcebatur: Nam & Lacus incrementa hoc temporis ſpatio *[Plin. redarg.]* ſeruabat, [prodigioſum id eſſe Theophraſtus non ait, ſed contigiſſe circa tempus eius infauſti prælii] ſi quando amplitudinem biennio extendiſſet [ſi poſt imbres frequentes aqua biennio copioſa permanſiſſet Theophr.] quod notatum apud Cheroniam, infauſto Athenienſium prælio, & apud Lebadiam ſæpe notatur influente Cephiſſo. Cùm igitur anno permanſit inundatio: proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur Zeugitiæ [Zeugitin aucupato- *[Zeugita]* riam malè Plinius exponit: ζευγίτην enim dicebant eam, quæ craſſitie & longitudine ad compingenda duarum tibiarum paria & coniugia, *[Bombycia:]* τὰ ζεύγη, idonea & apta foret, vt βομβυκίαν, quæ ob ſtrigoſam maciem tibiâ dignum ſonum non ederet, ſed bombum tantùm. Apuleius 4. Aſini nuptiales tibias vocat Zygias, quaſi iugales, ſicut Iu- *[Plin. not.]* nonem Zygiam, iugam ſiue iugalem vocant *cui vincla iugalia curæ*, vt inquit Poeta. Idem l.6. Harundinem muſicæ nutriculam appellat, lepidè quidem, ſed affectatè] Contra bombyciæ maturiùs reciproco graciles, fœminarum latiore folio atque candidiore modica lanugine, aut omninò nulla, ſpadonum nomine inſignibus [inſignes Dal.] Hinc erant armamenta [Tibiæ fiebant, quibus canerent. Armamentum licenter Plinius inſtrumentum vocat: quod Gazam impulit, vt apud Theophraſtum parum aptè ζευγίτην verteret Armamentariam: ] ad incluſos cantus [Incluſos cantus dici volunt, qui in theatris aut templis muro circumſeptis, vel etiam in priuatis ædibus perſonarent, non autem in aperto ederentur, veluti tubis & cornibus. Aldus putat ſcriptum fuiſſe Inclutos pro Inclytos, unde factum ſit Incluſos. Ennius de Cochlite.

*Hic datus eſt occaſus Horatius inculto ſaltu.*
apud Feſtum.]

Non ſilendo & reliquo curæ miraculo, vt venia ſit, argento iam potiùs cani. Cædi ſolebant tempeſtiuè vſque ad Antigenem tibicinem, cùm adhuc ſimplici muſica (Tibia Theophraſt.) vterentur, ſub Arcturo: ſic præparatæ aliquot poſt annos vtiles eſſe incipiebant. Tunc quoque multa domandæ exercitatione, & canere tibiæ ipſæ docendæ, comprimentibus ſe ligulis (conniuenti ore linguarum. Theophraſtus) quod erat illis theatrorum moribus vtilius. (In Theophraſt. eſt quod ad vſum exercitationémq; canendi vtilius fuit.) Poſtquam varietas acceſſit, & cantus quoque luxuria cædi ante ſolſtitia, cœptæ, & fieri vtiles in trimatu, apertioribus earum ligulis ad flectendos ſonos: quæ inde ſunt & hodie. Sed tum ex ſua quánque tantùm Harũdine congruere perſuaſum erat: & eam, quæ radicem anteceſſerat læuæ tibiæ conuenire: quæ cacumen dextræ: immenſum quantùm prælatis, quas ipſe Cephiſſus abluiſſet. Aucupatoria Harundo à Panthormo laudatiſſima, piſcatoria, Abaritana. [Hæc ſunt viginti duo genera: quibus ſi addas Ægyptium, Gnidium, Anaiticum, Italicum, Belgicum, Creticum, Indicum, ſupra memorata viginti nouem comperies, quot ſe recitaſſe ait cap.11. lib. 24.) ex Africa. Harundinis Italiæ vſus ad vineas (ad earum pedamenta & iuga. Vide varr. cap.8. lib.1.) maximè. Cato ſeri eam iubet in humidis agris, bipalio ſubacto priùs ſolo, oculis diſpoſitis interuallo ternorum pedum. Simul & corrudam, vnde aſparagi fiant: concordare enim amicitiã. Harundinis igitur genera viginti nouem [39. CH.] demonſtrauimus (pergit Plinius lib.24. cap. cap.11.) non aliter euidentiore illa natura, quàm continuis noſtris voluminibus tractamus ſiquidem Harundinis radix contrita & impoſita, Filicis ſtirpem corpore extrahit: item Harundinem Filicis radix. Et quoniam plura genera fecimus, illa quæ in India Syriaque naſcitur odorum vnguentorúmque cauſa, vrinam mouet cum Gramine aut Apij ſemine decocta. Ciet menſtrua admota. Medetur conuulſis duobus obolis pota, iocinori, renibus, hydropi, tuſſi, etiam ſuffitu, magiſque cum reſina. Furfuribus hulcerumque manantibus cum myrrha decocta. Excipitur & ſuccus eius, fitque elaterio ſimilis. Efficaciſſima autem in omni Harundine, quæ proxima radici. Efficacia & genicula. Harundo Cypria, quæ donax vocatur, corticis cinere alopecias emendat: item putreſcentia vlcera. Foliis eius ad extrahendos aculeos vtuntur. Efficaciùs & contra ignes ſacros collectioneſque omnes. Vulgaris Arundo extractoriam vim habet & recens tuſa, non in radice tantùm. Multùm enim & ipſam Arundinem valere tradunt. Medetur & luxatis, & ſpinæ doloribus radix in aceto illita. Eadem recens trita in vino pota, Venerem concitat. Arundinum lanugo illita auribus, obtundit auditum. Lib.32. cap.10. de Harundinibus hæc ſubdit. Inter aquatilia dici debet & Calamochnus (Pericalamitis Galeno, & limneſtris calamachne. Vide cap.36. lib.16. cap.22. lib:20.) Latinè adarca appellata. Naſcitur circa Harundines tenues è ſpuma aquæ dulcis ac marinæ vbi ſe miſcent. Vim habet cauſticam: ideò acopis additur contra perfrictionum vitia. Tollit & mulierum lentigines in facie. Et calami ſimul dici debent. Phragmitis

mitis (ad ſepes faciendas vtilis ob craſſitiem & firmitatem. Eum eſſe volunt, quem ex Theophr. loco proximè citato appellauit χαρακίαν.) radix recens tuſa luxatis medetur, & ſpinæ doloribus ex aceto illita. Cyprij verò, qui & donax vocatur, cortex alopecijs medetur vſtus, & vlceribus veteratis, folia extrahendis quæ infixa ſint corpori, & igni ſacro: paniculæ flos, ſi aures intrauerit, exſurdat.

Cæterùm conuenit hoc in loco obiter monere quòd nomine Calami iam ſæpiùs nominati, differens habeatur autorum ſignificatio, atteſtantibus id verſiculis ſubſequentibus.

Virgil. Egl. 3.

*Aut hic ad veteres Phagos cùm Daphnidis arcum*
*Fregiſti & calamos.*

Ariſtob.

*Volgonſi tutti gli altri à quella banda*
*Ond'era vſcito il calamo homicida.*

Mart.

*Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.*
*Texantur reliqua tecta palude tibi.*

Idem:

*Balbula decipitur calamis, & retibus ales.*

Hoc enim in loco Cechinus intelligit per calamum primo loco Cannam ſiue Harundinem ſcriptoriam: ſecundo loco piſcatoriam: Accipitur & pro fiſtula:

Virgil.

*Tu calamos inflare leues:*

Propria tamen τοῦ καλάμου ſignificatione Arundo ſiue Harundo, planta communiter ad amnes naſcens intelligitur. Græcis autem κάλαμος παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι, vt vult Etymologus, dicitur. Arab. *Caſab*, & *Haſab*: radix *Oſul alchaſab*. Germ. Rohr/ deckriedt. Belg. Riet: Gall. *Roſeau*: Ital. *Canna à far ſieppe*: Hiſp. *Cannas*. Angl. Reede: Boh. Treſt.

---

## ARVNDO VVLGARIS PALVSTRIS.

### Cap. CXLIV.

VVlgaris Arundo obliquè geniculatam agit radicem, nouos ſubinde ſurculos, oculóſq; continuo auctu protrudens, ex quibus culmi ſurgunt hominis altitudinem æquantes, aut alterο tantò maiores, minimo digito tenuiores, geniculati, inanes: ex quorum nodis ſingulis ferè, culmum inuoluentia folia exeũt, rigida, & aſpera nonnihil, vncias duas lata circiter, cubito longiora, venoſa, ſcapus ſummus in comatam mollem purpuraſcẽtem iubam, tandem villoſiorẽ molliorémque coloris cinericei redditam, nutabundam effunditur, quæ ventis ludibrium debens ſine ſeminis ſpe abripitur; gluinis videlicet caſſis contenta.



*Matth. non*

Matth. in Dioſc. Arundinis Cypriæ titulo olim poſuit figuram quæ minùs placebat eâ, quam in com. cum mag. fig. Lat. & Ital. nomine Arundinis paluſtris ac etiam (perperàm tamen) pro Calamo aromatico exhibet.

H. Lugd. p. 100. Arundo vallatoria Dodonæi: Item Arundo paluſtris Matthioli. Duæ vnius ſtirpis figuræ.

Geſn. de coll. ſtirp. *Arundo*: Eid. hort. *Arundo alia*: Turn. Hort. Luſ. & Lob. Adu. *Arundo vallatoria*: Lon. *Arundo* aut *Calamus*: Matth. & Tab. *Arundo paluſtris*. C. Bauh. pin. *Arundo vulgaris* 1. & *Arundo vulgaris* ſiue φραγμίτης, Dioſcor. κάλαμος χαρακία Theophr. Lob. Obſ. *Arundo vallatoria*. *Phragmites Dioſc.* Ruell. Corn. & Dod. Lat. *harundo phragmitis*. Amato, *harundo vallaris*: *harundo vallatoria*, Dod. gall. Thal. & Gerardo: *harundinis 5. genus*, Trago. *Calamus* ſiue *harundo vulgaris*, Cordo in Dioſcor. *Calamus* ſiue *harundo gracilis*, Cæſ. *Calamus Arundo vallatoria* ſiue *Phragmites* Lob. Ic. plant. pag. 51. *Canna ſecunda, quæ fœmina Dioſc.* Anguill. epiſt. 4. dicitur etiam *Canna ſepiaria*, κάλαμος φραγμίτης, *Calamus vallaris*, *harundo ſepiaria*, *harundo* aut *calamus characias*. Theophr. & *canna vallatoria*.

Locus.

In maritimis & locis paluſtribus paſſim obſeruauit Gener Cherlerus, ſed ſpeciatim inter Balerucanas thermas & lacum maritimum, ex foſſis vdis & irriguis excerpſit. Naſcitur in aquis reſidibus, veluti in vrbium foſſis, & circa fluminum laxiorum ripas: Iubæ ſub finem Æſtatis exeunt.

Tempus.

Vires & vſus. *ex Galeno Radix.*

Cæterùm quod ad facultates attinet, Calami Phragmitis, inquit Galenus, radicem cum bulbis, aculeos, & ſtipites ex alto extrahere quidam ſcripsêre, ceu trahendi quædam vis ei ineſſet, nos tamen eius rei periculum non fecimus, verùm, quantùm guſtu liceat coniicere, abſtergentem facultatem poſſidet non paucam, minimeque acrem. Quinetiam folia ipſa abſtergentis ſunt facultatis: cortex verò eius combuſtus admodùm tenuium partium, & digerentis facultatis efficitur, adiunctum habens abſterſorium quiddam, vt exſiccet & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plùs tamen deſiccet quam excalfaciat. Vitandus eſt eius flos, quem ἀνθήλην vocant: nam ſi in aures incidat, adeò tenaciter adhærens efficitur, vt auelli non poſſit, auditúmque vitiat: quamobrem ſæpiſſimè exurdat. Reliquas vires ex Dioſcoride, Plinióque lege antè. Nobis (*teſte Trago*) ad varia noſtrâ Arundine vti licet. Sunt enim qui tecta ſua hiſce confarciant, vt interim textores prætercam qui nonnulla pro filis glomerandis inſtrumenta ex illis conficiunt. Cortex vſtus, vt videre eſt apud Tabern. maturat & repurgat, ſicut & folia, quæ admodum ſunt frigida & ſicca. Radix in aqua aut vino decocta & epota menſes & vrinam ciet, atque ſtranguriam medebitur. Hoc verò decocto ſi caput laueris, furfures emendabis. Æſtate verò huiuſce foliis conclauia conſperguntur, in quibus ægri decumbunt, qui febribus ardentibus laborant, quò aër corrigatur, frigidiórque reddatur, atque patientes refocillentur. Recentia porrò contuſa & impoſita eryſipelati commodant, tumoréſque ſcroti diſcutiunt. Radix in ſubtiliſſimum puluerem trita, fiſtulis & vlceribus inſperſa prodeſt. Sed & aceto vini in vnguentum commixta, enit dolorem luxatorum. Si barba alicui defluxerit, ℞. Ciner. Harund. vnc. j. Ciner. ranar. vſtar. drach.

*Folia. Cortex combuſtus. Flos vitandus. Arundo germ. Eius vſus. Cortex vſtus. Radix menſes & vrinam ciet. Furfures. Febres. Eryſipelas. Fiſtula. Barba defluxa.*

vij. ſem.Eruc.drach.v. ſem.Vrticæ drach.iij. Pulueriſentur ſubtili modo & ſuffic.q. ol.Laurin. F. vng.quo pars calua illinatur. Radices minutim inciſæ,& vel ſolæ, vel cum cæpis contuſæ, ac inſtar emplaſtri adminiſtratæ, ſagittas, aculeos, ſpinas,& clauos extrahunt. Sola etiam contuſa cum melle in emplaſtrum redacta, ſi imponatur, ſpicula quæuis & globulos extrahit. Contra venenatos ictus, ne ſc. cordi venenum incommodet. ♃. Rad. Harund. vnc. ij. Rad. Ariſtoloch. ℥.j. Sem.ſinap.ʒ.ſemis, Cæpar. toſt. num.ij. Stercor. columb. vnc. ij. Omnia ſimul cum melle in Emplaſtrum rediguntur, & bis in die imponuntur. Cinis corticum naribus inditus hæmorrhagiam ſiſtit: cum aceto verò aut adipe Leonum, aut vtroque ſimul commixtus, illitu alopeciam ſanat. Radix in oleo communi incocta ſi percoletur aliquoties in die & parum auribus inſtilletur, dolorem eorundem ſedabis. Contra variolarum relicta veſtigia ℞. Succ.expreſſi rad. Harund. ſeui aſin & mellis an. part.æqual.vel q.ſ.f. vngt.quo maculæ illinantur. Recentis Harundinis medullam contundito, eadémque ſinciput & pedes illinito, téque lectui committito, optiméque contegito, quò potenter ſudorem prouoces. Succus Harundinis fiſſuras labiorum & linguæ ſanat, ſi cum melle permiſceatur: & ſæpiùs illinatur. Harundinum radicibus, ex autoritate Aduerſ. tuſis, arefactis & in farinam molitis etiamnum hodie nonnullæ gentes panem non inſuauem conficiunt. Quin etiam gramineo eſt ſapore etiam noſtratis Arundinis radix. Vmbri inopia ſalis naturalis ex Arundinibus vſtione ſalem conficiebant, quo loco naturalis vtebantur.

*Infixa.* *Hæmorrhagia.* *Variolarũ veſtigia.* *Sudorem mouet medulla.* *Succus fiſſuras labiorum ſanat* *Panis ex radicib.* *Salem præbent.*

## ARVNDO MAXIMA ET HORTENSIS. CAP. CXLV.



Deſcript.

STudioſè in varios vſus colitur Hortenſis dicta Arundo, multò maxima, haſtam longiſſimam æquans, calamis pollice craſſioribus, validis, cauis, crebrè geniculatis, flaueſcentibus: comoſa iuba & folia vallatoriam imitantur, maiora. Radix longè latéque ſub terra vagatur, tuberoſa, cuius teneri turiones cum grata dulcedine eſitati poſſunt.

In hortis colitur. Ego propter latitudinem foliorum aliquando Papyrum eſſe ſuſpicabar: nunc verò cum Anguill. Donacem ſtatuo.

*Donax.*

Matth. ſibi perſuadet eſſe Arundinem vallatoriam. Fiunt, inquit, ligulæ tibiarum ex communi hac arundine Dioſcoridi vallatoria nuncupata, quã noſtri in viridariis, ac hortis in topiariis extruendis vtuntur ac palos vitibus aptiſſimos efficiunt. Quod autem vallatoria ſit hæc noſtra communis mihi aliquando dubitandi præbuit anſam Dioſcorides: quippe qui dicat, eam eſſe gracilem, cùm tamen communis noſtra ſit craſſior. Verùm cùm poſtea inuenerim Theophraſtum craſſiorem vel vallatoriam nominare, facilè ſum ad credendum inductus Dioſcor. hunc locũ eſſe deprauatum. Hæc ille, qui in com. cum mag. icon. Lat.& It. habet iconem nomine Arundinis domeſticæ, quam pro ſuo more poſuit pro calamo aromatico, olim poſuerat aliam iconem pro calamo aromatico, qualem etiam poſuerat pro Arundine, quæ Arundinem paluſtrem exprimere videbatur, *hinc apparet quanta fides habenda Matthiolo in plantis peregrinis ac etiam vulgaribus, is ſæpiùs ad deſcriptiones plantas pingendas curauit.*

*Arundo vallatoria Matt.*

*Aru dom Ma xati*

Tabern.Hiſt.& Icon. Arundo domeſtica, Græcè Δόναξ & κάλαμος κύπριος, Arundo Cypria, Harundo domeſtica, Hiſpanica, Canna Hiſpanica, Hiſpaniſchriedt/ Hiſpaniſchrohr & Zamrohr: Item calamus aromaticus. Tabern. habet iconem Matthiolinæ ſimilem, & poſtea Matthiolũ imitatus ponit iconem non differentem pro calamo aromatico, *ex quo apparet quanta etiam fides adhibenda ſit Tab.* dicenti ſe vidiſſe verum calamũ aromaticum: verùm hoc non nouum apud Tabern. & alios qui pro ſuis venditare ſolent, quæ non ſunt, & miſcere ac confundere plantas ſimulatéque ſe vidiſſe quæ non viderunt.

*Ta pre*

Gerard. Harundo Cypria, Cypreſſe cane. Et alibi, calamus Aromaticus. Gerardus ſequitur figmentum Matth.& Tabern.& pro calamo aromatico proponit plantam quam poſuerat pro Harundine Cypria.

*Ge gm*

Caſp.Bauhin.pin. *Arundo inodora* 2. ſiue *Arundo ſatiua*, quæ δόναξ Dioſc.& Theoph. *Arundo* Matthiol. Lac. Caſt. *Amnica* Ruell. *Arundo domeſtica*, Matt. Lugd. Tab. *Arundo Cypria*, Dod. gall. Amat. Ger. *Canna quarta, quæ Donax*, Ang. *Arundo magna*, Geſn.hort. *Italica maior*, Cam. *Arundo donax* ſiue cypria, Dodon. *Arundo donax ſatiua*, Lob.Adu.Obſ.p.28. Ic.p. 51. *Calamus* ſiue *Harundo craſſa*, Cæſ.

Syn

Ex vſta huius radice Arabum ſpodium paratur, tametſi vt non neceſſariò, ita non magno incommodo. Ex hac Romæ fiunt & Colus mulierum,& vinearum ridicæ: in Gallia ſepes.

Vſ

## ARVNDO, PAPYRVS QVIBVSDAM, folio latiſſimo denticulato. CAP. CXLVI.



PApyri nomine, fragmentum rudis nec dum elaborati folii, quale adſeruo, deſcriptũ exhibeo: latitudo eſt quatuor vnciarum, longitudo quanta fuerit, non queam certò affirmare: craſſities triũ quatuorúe foliorum chartę noſtræ: textura fungoſa pedicu-

De

diculorum Nymphew, ſiſtulis ſimiliter directis, membrana vtrinque ſtriata, mediocriter læui, coërcitis, folii margines obiter denticulati, nihilóque ſecius medium percurrentem exemptilem coſtam denticuli quidam armant.

Arundinis huius peregrinæ & pulcherrimæ portionem dedit Pharmacopæus Patauinus ad aquilam, cui congener videbatur Arundini maximæ.

## ARVNDO ANGLICA FOLIIS IN SVMMItate diſſectis C.Bauhini.

### Cap. CXLVII.

ARundo inodora 3. (vt vocat Autor in pin.) vel (vt in prod.) Arundo 2. ſiue Anglica foliis in ſummitate diſſectis: foliis eſt cubitalibus, duarum, triúmve vnciarum latis, neruis aliquot, per folii longitudinem excurrentibus & eleuatis: foliis in ſummo in duos, tres, & quatuor apices diuiſis: hanc D.Gargillus ex Anglia miſit.

## ARVNDO SCRIPTORIA.

### Capvt CXLVIII.

ILluſtris D.Carolus Rym. ab Eckenbeken, nobilis Gandauenſis, vir doctus, ex legitione ad Solimannum magnum, Cæſaris Maximiliani nomine reuerſus, inter alia multa peregrina Conſtantinopoli relata, calamos aliquot mihi (Lobel.) communicauit Arundinis ſcriptoriæ, cuius etiamnum hodierna die ad ſcribendum vſus eſt Conſtantinopoli & in Græcia. Craſſiores hi calami non ſunt anſerinis aut olorinis pennis, prædnri, coloris ruffi, extrinſecus obſcurioris, læuore polito veluti ſplendentes, intus albi, in aſſulas fiſſiles, vbi rumpuntur: internodia dodrantalia aut pedalia, articulis adnaſcuntur albæ ligulæ, Lob.

Lob.plant.icon.p.52. *Fiſtula* vel *Syringa & Arundo ſcriptoria*. Eid.pin.hiſt.Belg.p.71. Riet om te ſchriuen. Anguill.epiſt.4. *Canna* 3. *Calamus ſcriptorius an Syringa?* Tabern. icon. *canna fiſtularis*, Schreiber ried / Schreibrohr. Hiſt. *arundo ſcriptoria, arundo 6. Συριγγίας* aut *κάλαμος συριγγίας*, Arundo fiſtularis, canna ſcriptoria. Gerard. Arundo ſcriptoria Turckie writen Reede.

C.Bauh.pin. *arundo inodora* 4 ſiue *arundo ſcriptoria atro-rubens*: *κάλαμος συριγγίας* Dioſcor. *συριγξ* Theophr. *Syringias fiſtularis arundo* 3. Dod. gall. *Harundo fiſtularis* Amati.

## ARVNDINIS SCRIPTORIÆ INDICÆ GEnus ſpadiceo colore.

### Cap. CXLIX.

INdicæ Arundinis nomine, calamos concauos aſſeruo, Scriptoriæ affines, vt qui in eum vſum pulchrè aptari poſſunt, quemadmodum periculo facto me docuit experientia: internodia dodrantalia: craſſitudo quæ vallatoriæ noſtrati: color foris ſpadiceus ſiue ruffus, intercurſa tibus ſubinde maculis albicantibus, politi læuoris, intus albicant: parietes quàm in Phragmite craſſiores, aſſulosè franguntur.

## ARVNDO NASTOS SIVE FARCTA craſſa & maior.

### Cap. CL.



Synonyma

LOb.Adu.Ic.p.52. & Hiſt. Belg. p.71. *Arundo Naſtos* vel *farcta*, *Toxicos* Theophraſto. Tabern. icon. & Hiſt. *Naſtos* 3. pfeilrohr. Eid. & *Arundo* 5. C.Bauhin.pin. *Arundo inodora* 5. ſiue *arundo farcta maxima atrorubens, qua Principes pro ſcipionibus vtuntur* *κάλαμος νάστος*, Dioſcoridi, *κάλαμος τοξικός*, Theophraſto. *Canna Indica*, aliquibus Papyrus, Matth.Ital. Cannæ prima ſpecies Dioſc.Ang. *arundo Indica & ſeptima*, Dod.gall. *arundo Indica*, cùm teres ſit, Papyrus Antiquorum non rectè ſtatuitur, Guiland. *Iuncus, Papyri Aegyptiæ genus*, Amat. *Naſtos*, vel *farcta*, Lob.icon. *tertia*, Tabern. *Naſtos Cluſii*, Ger.

## ARVNDO NASTOS SEV FARCTA TOxica figurata.

### Capvt CLI.



Deſcriptio

HAnc videre nobis contigit apud Cl. Dom. Platerum, cuius etiam fruſto palmari liberali nos donauit manu. Seſquipedalis eſt bacillus vtrinque ſectus, vt neutiquam integrum eſſe facile fuerit animaduertere, enodis, craſſitudine viti ſurculi mediocris, ſerratis impreſſionibus eleganter donatus, quæ ſerræ eminentiores reliqua parte, ſaturatiores, ac ferè ſpadicei, læues, ſuperficie tenus lucentes. Reliqua pars pallidior eſt. Tota quoque zonulis nigris denſo ordine poſitis cincta eſt. Lignoſa alioqui eius eſt ſubſtantia ac intus circa meditullia ſecundum longitudinem poroſa. Odorem nullum in ſicco & euanido fruſto deprehendimus.

De Arundine Naſto Lobel. hæc ſcribit: Scimus Antuerpiæ & alibi mercatores quodam, qui pro *Arundo naſtos Lob.*

ſcipione vtuntur Arundine quadam pulcherrima, crebris geniculis diſtincta, admodum farcta, lignoſa, dura, recta, leui, micante, ruffa, colore ſpadiceo & obſcuriore ſecundum longitudinem variegata, diſcurſantibus hinc inde lineis criſpis, denticulos ſerræ figurantibus, aſpectu pulcherrimo. Et hanc & præcedentem, pulchritudinis, raritatis, leuitatis, commoditatíſque ergo argento conſueuerunt circumdare. Craſſiſſima æquat Arundinem quæ Donax nuncupatur. Vtramque nobis communicauit, noſtri rerúmque exoticarũ & ſtirpium ſtudioſiſſimus Iohannes Donue, aliàs Vogelſanck, ciuis Antuerpienſis.

Synon: Lobel. Icon. pag. 53. & Hiſt. Belg. p. 72. Indianiſch Riet / *Naſtos* ſiue farcta altera Toxica, crebris geniculis cincta, quà etiam pro ſcipione & iaculis vtuntur. Tabern. Icon. *Arundo farcta*. *Canna* ſiue calamus ſagittalis, Indianiſch gefült Rohr / pfeilrohr. Hiſt. pag. 705. *Arundo farcta* ſeu Naſtos. 1. Arundo 5. Dioſc. *νάστος, κάλαμος νάστος*: Theophr. *κάλαμος τοξικὸς* *Calamus farctus, Harundo farcta, calamus toxicus, Harundo toxica*, ſiue enodis, *Canna farcta*, ſiue ſagittalis. Caſp. B. pin. *Arundo inodora 6.* ſiue Arundo farcta geniculata ſiue ſagittalis: *Naſtos & Arundo prima*, Dod. gall. *Naſtos* ſiue farcta altera toxica, Lob. icon. *Arundo farcta* ſeu Naſtos 1. Tabern. Calamus ſagittalis Ger.

*An Canna ſagittiuoma Inſula Bali?* In Bali Inſula, geſtant Cannas ſagittiuomas, ex quibus teretes exiléſque ſagittulas ex Arundine fabrefactas [an ex prædicta arundine?] in apice verò intoxicatas, efflant: in Hiſt. Ind. Orient. part. 1. c. 39.

*An Harund. verſicolor?* An Harundines verſicolores, quibus, referente Chr. Columb. nauig. cap. 94. in contignationib. ædium Canibalarum pro trabib. vtebantur, mira arte textis complicatíſque.

*An Harundo diuinatoria Incantatorum, regis Tartarorum Chinchis?* An hanc Arundinem intelligit M. Paulus Venet. l. 1 de regn. Or. cap. 53. Chinchis Tartarorum Rex (cùm caſtra poſuiſſet in planitie quadam magna *Tanduc* nomine, proficiſcens hoſtili animo contra regem Vncham) præcepit Incantatoribus & Aſtrologis ſuis, vt illi indicarent qualem euentum prælium futurum eſſet habiturum: Tunc Aſtrologi ſcindentes Arundinem per longum in duas partes, poſuerunt diuiſiones ipſas in terram, vnámque vocauerũt Chinchis & alteram Vncham, dixerúntque regi. Interim quo nos inuocationes legerimus Deorum, nutu ipſorum fiet, vt hæ duæ partes Arundinis ad inuicem pugnent. Et cuius pars ſuper alteram aſcenderit, ille Rex victoriam in prælio obtinebit. Multitudine itaque ad ſpectaculum illud concurrente, cœperunt Aſtrologi murmurare precationes ſuas & legere incantationes, & mox commotæ ſunt partes Arundinis contra ſe pugnantes, donec tandem pars Chinchis aſcenderet ſuper partem Vncham. Quo viſo, Tartari de futura certiores facti victoria, confortati ſunt. Tertia igitur die prælium commiſſum eſt, & multis vtrinque cadentibus, victoria tandem penes Chinchin remanſit. Sicque factum eſt, vt Tartari regnum Vncham penitus ſubiugarint.

*An Harundo quindecim paſſuũ.* An eidem cap. 65. Arundo quindecim paſſus in longitudine habens, & in ſpiſſitudine tres palmos; ex qua fiunt columnæ, tabulæ, & compagines, itémque imbricamenta. De hac Harundine idem lib. 2. cap. 36. hæc ſcribere videtur. Naſcuntur in regione Tebeth maximæ Harundines, quæ habent in longitudine paſſus quindecim: craſſitudo verò in gyro tribus menſuratur palmis. Porrò inter duos viciniores nodos diſtantia eſt trium palmorum. Itaque quando viatores noctu volunt quieſcere; accipiunt faſces magnos de illis Arundinibus, & in vnam ponũt congeriem, ſubiectóque igne ſuccendunt: quæ igne correptæ incipiunt crepitare, tantúſque in eis excitatur ſtridor, & fragor, vt eminus ad aliquot miliaria audiri poſſit, quem terribilem ſonitum animalia cùm audiunt, obſtupeſcunt, fugiuntque tamdiu, donec crepitus ab auribus eorum euaneſcat, illíſque ſic eluſis mercatores & viatores tuti pertrãſcant prouinciam illam. Porrò equi & alia iumenta, quibus mercatores pro itinere vtuntur, hoc audito ſtrepitu plurimùm inhorreſcunt, & multa in fugam conuerſa dominis ſuis elapſa ſunt: ſed prudentiores viatores pedes eorum compedibus ligantes, vi ſecum ea retinent, ne territa aufugiant.

An tandem c. 59. de eadem hæc repetit: in flumine quodam magno ciuitatis Singui canabeis funibus non vtuntur in nauigiis, niſi pro malo & velo, ſed pilorchas ſeu chordas faciunt de Arũ- F
dinibus magnis, quibus naues quandoque per flumen trahuntur. Scindunt autem Arundines illas magnas quæ quindecim in longitudine continent paſſus, & ſciſſuras colligantes, & contorquentes, fũnes longiſſimos faciunt, vt quidam longitudinem contineant trecentorum paſſuum. Et ſunt pilorchæ illæ fortiores funibus canabeis. Cæterùm, remis & malo nauis harundineâ vtuntur circa Calecut. Harundo arcus & teli loco ſuccedit militibus vrbis Indiæ Tarnaſari. In Inſula Zaylon lanceæ, acenſis gladiíque vicem ſupplet Harundo. An de prædicta Arundine ſunt jam dicta intelligenda?

## ARVNDO NASTOS SEV FARCTA, ſiue Toxica, gracilis & plicatilis.

### CAP. CLII.



ANtonius ab Achele (autor eſt Lob. Belg.) Cayro Aegypti reuerſus, inter alia rara, pulchram attulit Arundinem, gracilem, plicatilem, quæ adnecta dicebatur ex Orientali India, per Adem & mare rubrum, Sidonem [Belg. Ziden] propè Mecham, & tandem Cayrum & Alexandriam Aegypti. Recta eſt, læuis, ſplendida, coloris lutei, lignoſa, dura, farcta, haud ſecus ac illa quæ pro ſcipione eſt, craſſitudine calami aromatici, aut Arundinis ſcriptoriæ: genicula duodenis, terdenis & quaterdenis pollicibus inuicem diſtant. Superficies ſquammata ſerpentium dorſum æmulatur: nec odorem, nec ſaporem habet vllum, non magis quàm farcta quæ pro ſcipione vſurpatur: cuius vtriuſque nec radicem, nec folia vidimus.

Lob.

Lob.Icon.plant.p.53.*Naſtos plicatilis*:Eid.Hiſt. Belg. p.72. *Naſtos* ſeu *farcta* ſiue *toxica*, *gracilis & plicatilis*, Anguill.epiſt.4. *Cannæ* (ſiue Arundinis) *ſpecies tradita à Dioſc.* ex Syria allata gracilis & ſolida,& hæc Naſtos dicta. Tab. icon. *Naſtos* ſiue Arundo farcta 2. Indianiſch gefült rohr Rohr gefült mit marck. Eid.hiſt.*Naſtos* 2.ſiue Arundo 4.

C.Bauh.pin.*ſiue arundo inodora* 7.ſiue Arundo farcta flaua Ζευγίτης ἢ ἐυλόγιας Theophraſto. *arundo fœmina & ſecunda*, Dod.Gall. Naſtos ſeu farcta, ſiue toxica gracilis & plicatilis, Lob.icon. *Naſtos ſecunda*, Tab. *arundo farcta*, Ger.

ARVNDO HVMILIS, RARA, AC inuſitata.

CAP. CLIII.

QVæ hoc loco depicta eſt Arundo, Calamus eſt humi ſparſus, graminis modo, quod de Arundine epigeio prodidit Theoph. cortice fuluo contentus, lineis ſquammatim cingentibus diſtinctus, cauliculos alios multos vtrinque producens denſa congerie ſtipatos, ſimili cortice, ſimiliterque ſquamoſo virgatos, qui rurſum & alios gignunt, prominentium veluti nodorum aut oculorum modo exertos, plures ſuperiore parte quâ terram non attingit, pauciores inferiore quâ terræ inſternitur, aſpectu pulcherrima, denſiſſimâ illâ tenuium cauliculorum ſurculorúmque congerie, cùm cæteræ Arundines folia tantùm hinc inde mittant, nullos autem prætereà vel ſurculos vel calamos:folium noſtræ Arundini ſimile à nodis exoritur, ſed numeroſiùs magíſque multiplex,& plures complexu inuolucrorum per ambitum tunicas inducit. Hæc Arundo pumila in ſaccis magnis Coſto arabico & Zinzibere plenis aliquando reperta, veluti rara ac inuſitata, hîc doctis & rei herbariæ ſtudioſis ſpectanda proponitur, inquit Author Hiſt. Lugd. qui Arundinem epigeion p.1000.inſcripſit.

Geſn.hort. dicitur *Arundo humilis*: Item *Copia elegia Ollingeri.* Suſpicatur autem *Copia* vocabulum eſſe corruptum, ac pro eo legendum *Canna*, ideſt, *Arundo*.De hac Plinius lib.16.cap.36.per obliquam Arundinem, non in excelſitatem naſcentem, ſed iuxta terram fruticis modo ſe ſpargentem, ſuauiſſimam in teneritate animalibus, à quibuſdam *Elegiam* dictam, locutum fuiſſe arbitratur. Non interim negat poſſe Chamęcalamum appellari.

C.Bauh.pin. *Arundo inodora* 8. ſiue *Arundo repens*: Cæſ. Arundo 3. in maritimis.

ARVNDO INDICA VERSICOLOR.

CAP. CLIV.

*Canna de Bengala* Luſitanis: in Regno Bengala creſcunt Arundines verſicolores, medullâ plenæ, craſſitudine Arundinibus Hiſpanis ſimiles, paulò tamen tenuiores: virides adhuc lentæ inflectuntur, ad ſtanni modum, aut inſtar Salicis, foris punctis verſicoloribus notatæ ſunt, haud ſecus ac ſi arte ita pictæ forent. Vtuntur iis in Luſitania mulieres vetulæ pro ſcipionibus, quibus greſſus titubantes ſuſtinent, quarum varia genera apud Doct. Paludanum videre eſt: in hiſt. Ind.Orient.part.2.c.18.

C.Bauh.pin. *arundo Indica* 3.ſiue verſicolor. *Arundo Ind. Verſicolor C. Bauh.*

ARVNDO INDICA VERSICOLOR flexilis.

CAPVT CLV.

*Rota* vocant in Bengala, aliud genus eiuſdem Arundinis, quòd gracilius & ſuccinctius eſt, viminis ad modum flexilis, ex quo Calathi & alia multa pulcherrima conficiuntur: ex Hiſt.Ind.Orient.part.2.c.18. *Rota Bengala.*

Caſp.Bauh.pin. *arundo Indica* 4. ſiue verſicolor flexilis. *Arundo Indica Verſ. flexilis, C. Bauh.*

ARVNDO INDICA PVNICEA MOLLIS.

CAPVT CLVI.

ARundo, vel Scirpi potiùs genus puniceicoloris & mollis, quam parumper contortam, arcui pro neruo aptant: naſcitur in Regno Congiano, & in regno Bengala ad Gangem fluuium, hiſt.Ind.Orient.part.1.cap.5. *Arundo punicea mollis, C. Bauh.*

C.Bauh.pin. *arundo Indica* 5. ſiue *punicea mollis.*

ARVNDO INDICA VOLVBILIS.

CAP. CLVII.

ARundo Indica in inſula Sumatra, variè ſe circa arbores vinciens, centum, ducentarum, imò trecentarum, & plurium Orgyarum longitudine, ita vt vix eius origo finíſve deprehendi poſſit, circulis vaſariis conficiendis, valdè accommoda: ad Cluſij curas poſter. *Arundo Ind. Volubilis, C. Bauh.*

C.Bauh.pin. *arundo Indica* 6. ſiue *volubilis.*

ARVNDO INDICA FLVITANS.

CAP. CLVIII.

TRombas ſiue Arundineta fluctuantia in Bali inſula: in Hiſt.Or.Ind.part.3.cap.2.& 40. & part. 4. fig. 10. pinguntur. Arundines longæ ſeu Algæ in ſalo fluctuantes, par.5.Ind.Orient.

ARVNDO INDICA LATIFOLIA.

CAP. CLIX.

HVic primùm vnus, deinde plures ſtolones ex eadem radice prodeunt, cubiti vnius, interdum duorum aut trium altitudine, digiti craſſitudine, geniculatæ Arundinis modo, quos circa genicula ambiunt folia multa, ampla, tranſuerſis filis neruoſa, foliorum Muſæ arboris ſpecie, ſed tenuia, herbaceo virore palleſcentia, & in extremo acuminata, quę cùm primùm erumpunt chartaceorum corniculorum modo conuoluta conſpiciuntur, & guſtata herbaceum quendam ſaporem referunt primùm, qui paulò pòſt nonnihil acrimoniæ admixtum habet. In ſummo caule ſunt flores, gladioli floribus formâ ſimiles, colo- *Deſcriptio*

re phœniceo pulcherrimè nitentes, capitulo cuidam hirſuto inhærentes, quod cum flore nondum aperto cancri ſeu locuſtæ marinæ chelam quadantenus repræſentat, floribus dilapſis aut marcidis, capitula iſta augentur, fiúntque triangula, & veluti ſpinoſa, fructus ricini modo, in quibus ſemen per maturitatem fuſcum & atrum, rotundum: radix nodoſa, craſſioribus fibris ſtipata, ex cuius nodis aliis adnaſcentibus radices aliæ procurantur, matri ſimiles, inquit author Hiſt. Lugdunen. duas effigies proponens. Eſt autem *Arundo*, ſeu *Canna indica* nominata, quoniam ex America primùm delata fuit, & eius ſtolones Cannarum ſeu Arundinum ritu geniculati ſunt, à nonnullis quia eius flos nondum apertus cancri chelas colore & forma refert, flos cancri, ab Hiſpanis & Luſitanis *Cuentas*, à numerando quòd ex iſtius fructu, vt ex tenellis & deciduis malis Arantiis, ſpherulæ precatoriæ fiant, ab aliis *Cannacorus*, ambiguę inter Cannas & Acorum naturæ.

Synonyma Caſp.Bauhin.pin. *Arundo Indica* 9. ſiue *latifolia*: *Canna Indica*, Geſn.hort.Cluſ.Hiſp. [ cui & flos cancri nonnullis ] Cam. Cæſ. *rubra* Eyſt. *Arundo Indica florida*, Adu. Lob. & *Canacorus* quorundam. *Papyrus*, Caſt. *Gladiolus Indicus*, Cam.ad Matth. *Arundo* ſeu *Canna Indica*, Lugd. *Arundo Indica latifolia* ſiue *florida*, Tab. *Harundo florida*, Ger.

Locus. In Luſitaniæ monaſteriis quibuſdam frequentem vidit Cluſius etiam media hyeme florentem. Hodie multis aliis in locis ſeritur & colitur à rei herbariæ ſtudioſis in fictilibus, aut ligneis doliis, vt Soli meridiano faciliùs exponantur: quoniam calore & apricatu valdè gaudet, alſioſáque planta boteæ flatu & frigore maximè læditur. Huius folia eſſe putant, quibus maſſas gummi elemi obuolutas videmus in Seplaſiis.

## ARVNDO INDICA LATIFOLIA, FLOre luteo punctato.

### Cap. CLX.

Deſcr. EX radice nigricante, nodoſa, & fibris craſſioribus donata, aliíſque nodis adnaſcentib., *caules* plures ſeſquicubitales, craſſi, Arundinis inſtàr nodoſi, prodeunt, circa quos *folia* pallidè virentia, expanſa, lata, in acumen deſinentia, neruoſa & tenuia: quæ cùm primùm ante caulium exortum naſcuntur corniculorum chartaceorum modo conuoluta exiſtunt. Cauli, *flores* gladioli floribus forma ſimiles, coloris lutei, punctis aſperſis variegati, capitello hirſuto inhærent, quod flore delapſo augetur, ſubaſperum fit, & ſemen nigrum ſubrotundum continet. Hæc vt omnibus ſuis partibus, ita & ſemine minor eſt quam ea quæ florem minii coloris habet.

Synon. C.Bauh.prod. *Arundo* 3. Eid.pin. *Arundo Indica* 10. ſiue Arundo Indica latifolia flore luteo punctato: *Canna Indica* lutea rubris maculis punctata, vel flore croceo guttato, Eyſt.

Locus Hanc in horto habet C.Bauhinus, in olla colit, hyberno tempore in cellam reponit, quę primo vere plures caules, antiquis reſectis profert, & Iulio menſe floret.

* * *

## GRAMEN LONGISSIMVM,

### Cap. CLXI.

DVorum, triúmue cubitorum altitudinem nōnunquam ſuperat, foliis & caulib. tenuibus, triangularibus pluribus, ex radice craſſiuſcula perenni, nigricante, fibroſa, paniculæ paruæ, vix vnciales, in aliquot veluti paruas ſpicas diuiſæ: floſculi ex apicibus luteolis: ſapor nullus inſignis. D[...]

C.Bauhin.Phyt. *Gramen* 15. ſiue longiſſimum à fratre Io.Bauhino oſtenſum. Non inuenio huius in pin. Caſp. Bauhinum meminiſſe, niſi ſit eius Gramen paniculatum montanum 4. ſiue Gramen ſyluaticum paniculatum altiſſimum, pro Gramine 14. in prod. deſcriptum, de quo alibi. Sy[...]

In montibus circa Geneuam cubitum excedit: Montbelgardi in ſyluis duos & tres cubitos, In Suntgouia reperi in dumeto cum paruis panniculis breuibus florens Aprili. Montbelgardi vtuntur hoc Gramine ruſtici ad equorum torques, quibus aratra trahunt. Efficiuntur etiam ex eo chlamydes paſtorales, quibus opiliones aduerſus pluuiam vtuntur. Lo[...]

## GRAMEN AQVATICVM CVM LONgiſſima pannicula,

### Cap. CLXII.



CALAMI craſſiuſculi bicubitales, fibrarum è geniculis demiſſis radicantur, *foliis* amicti latiuſculis, dodrantalibus, & lōgiorib., vagina longa calamum complexis, à medio verò, ſummo tenus gracileſcūt culmi, panniculam cubitalem, & minores numeroſas proferentes, quarum ſingulares vnciam aut ſeſcunciam æquant, graciles, alterno glumarum ſitu contextæ. De[...]

*Gramen anatum* Trago, germ. Entengraß. *Gramen fluuiatile*, ἄγρωστις ποτάμιος, Flutgraß: Tabern.icon.& Hiſt. *Gramen aquis innatans*, Lob.Ic. pag.12.& hiſt.Belg.p.14. *Gramen* 23. ſiue *paniculatum aquaticum alterum* Caſpar. Bauhin. Phyt. Eid.pin. *Gramen ſpicatum aquaticum* 1. ſiue fluitans multiplici ſpica: *Gramen fluuiatile* Gerardi. Syn[...]

* * *

GRAMEN

## GRAMEN MARITIMVM FLVITANS cornutum, C. Bauhini.

### Cap. CLXIII.

GRamini huic 17.in prod. vel vt in pin.vocat, *Gramini ſpicato aquatico* 3.ſiue maritimo fluitanti cornuto,ex radice exili capillata, culmus tenuiſſimus, geniculatus, cubito longior producitur: ex quolibet geniculo, *folia* iuncea,communiter bina, culmum baſi lata, inſtar veſicæ, ambientia, in latus ſparguntur; indéque cauliculus vnus aut alter educitur, & tandem in capitulum membraneum finit, quod in foliola bina,terna, rariùs quaterna, anguſtiſſima, in latus reflexa, & cornuta deſinit. Tota planta ſtagnis Monſpelienſibus mari finitimis innatat,Gramen hoc ſpicatum aquaticum 3.in pin.17.in prod.

## GRAMEN AQVATICVM GENICVLATVM Tabern.digitatum,atro-purpureum.

### Cap. CLXIV.



RAdice eſt fibroſa, ex qua pluſculi naſcuntur teretes, geniculati, ſeſquipedales circiter calami, *foliis* ad articulos gramineis breuibus,latis, acuminatis, amicti: in calamorum faſtigiis *ſpicæ* naſcuntur longæ, tenues, digitalis Iſchæmi ſpicis ſimiles, breuiores, atropurpureæ Tabern.

Tabern.icon. & Hiſt. itémque Gerard. *Gramen aquaticum geniculatum*, waſſer knoden graß/ Hydragtoſtis.

C.Bauh.phyt.pag.8. *Gramen* 25. *gramen aquaticum geniculatum.* Eid.pin. *gramen dactyloides* 7. ſiue Gramen dactylon aquaticum.

Paſſim in lacuſtribus & paluſtribus naſcitur.

## GRAMINIS DENTIS CANINI SPICA DIuulſa tenuior nigra ſpecies.

### Cap. CLXV.

GRamine *Dentis canis* primo & ſecundo, folia & genienlatos calamos habet ſubtiliores ac renuiores: panicas Iſchæmo non diſſimiles, colore nigras: ſemen externa facie nigrum quidem, ſed cortice detracto intus album.

Lobel.Hiſtor.Belg.pag.15. de derde ſoorte van panick gras. Tabern.icon. & Hiſt. *gramen puniceum.* Item Ic.plant.pag.14. *Panici effigie gramen tertium. Gramen paniceum* 3.Tabern. idem eſſe eum Lobeliano ſatis indicat icon, ſuſpicor ab eo



non diuerſum aut ſaltem valdè ſimile eiuſdem Tabern. Gramen aquaticum geniculatum, de quo antè: deſcriptio mihi conuenire videtur, nec figura multùm diſcrepare.

Caſp. Bauh. phyt.*gramen* 96. ſiue *panicum ſilueſt. ſpica nigra*: Eid.pin. *gramen paniceum* 5. ſiue ſpicis nigris: *gramen paniceum paruum* Gerardi.

## GRAMEN FLORIDVM.

### Cap. CLXVI.

FOliis ad ſummum vſque veſtitus eſt culmus, eum aliquouſque inuoluentibus, à quo vbi receſſerint, duûm vnciarum longitudine ſunt, in gracile acumen deſinentia, læuia & glabra panicula pulchra ſummam ornat ſtipulam, ſeſuncialis, muſcariis amœnis contexta, floſculorum radiatis compluſculis foliolis conſtantium; eminentibus è medio apiculis. Deſcriptio.

## GRAMEN EQVINVM MOLLE, SEMINE ferè Hordei,magnum.

GRamen equinum ſiue Hippagroſtis Geſneri, Roßgraß circa Tigurum vulgò. Gramen albicans,lanuginoſum, molle, duos cubitos cum dimidio attingens: ſemine lato,ſatis magno, vt Hordei ferè.Refert ille in pratis naſci, ſed parcè. Habet hoc Camer. ex horto Nobiliſſ. viri D.Georgij Reteſelij, vbi ſpontè inter cætera gramina proueniebat. Synon.

## GRAMEN ALPINVM RABINVM DIctum,foliis carnoſis, non apparentibus neruis:

### Cap. CLXVII.

GRamen *alpinum* quoddam *Rabinum* cognominant Lactarij, id eſt, præcipuum,foliis breuibus, carnoſis (non apparentibus neruis,) circa radicem radiatis in orbem pluribus Geſ.florem nondum vidit: Pecori eius pabulo lactis copiam plurimùm augeri aiunt, referente Geſnero de hort. *Gramen alpinum Rabinum, Geſn.*

De hoc Lob.in Adu.hæc ſcribit: Gramen Rabinum vel Rauiſium montanum, foliis Veronicæ caryophyllatæ. Saginæ & lactis vbertari omnium laudatiſſimum: Montium accolæ opiliones Sabaudi & Heluetij *Rabis* vel *Rabinum*, quaſi præſtantius & præcipuum, dicunt: foliis autem eſt craſſioribus, carnoſioribus, breuibus, montoſis,vdis Angliæ & Heluetiæ familiare. Lobelius *Gramen Rabinum vel Rauiſium montanum, Lobel.* *Lob.not.*

non ſe explicat in Obſeru. In iconibus proponit figuram cum hac inſcriptione. Gramen ſpicatum foliis Veronicæ Caryophyllatæ. An autem Rabinum intelligat neſcio: Tabern. & frater C. Bauh. ab eo ſeparant.

Synonyma reliqua. Tabern. Hiſt. p. 641. *Gramen Rabinum* Rabiſʒnengras & pag. 463. *Gramen* 24. Rabiß gras Geſnero. Nobis dedit Guill. Turnerus, ei autem miſſum erat ex Heluetia, nec vnquam licuit virens videre ad picturam, folia alioqui ſunt Gramini caryophylleo valdè ſimilia, niſi eſſent maiora & longiora. Item pag. 645. Gramen Rauiſum & Rabinum dictum quia opilionibus magiſtrale Gramen, id eſt, nobilius & melius inter alia pro cibo & impinguatione pecudum.

Caſp. Bauhin. Phyt. *Gramen* 54 & *Gramen Alpinum præcipuum*. Geſnero *Rabinum*. Eid. pin. *Gramen ſpicatum montanum* 8. ſiue *Caryophyllatum alpinum*.

## GRAMEN MONTANVM SPICATVM flore herbaceo, caule enodi.

### Cap. CLXVIII.



Deſcrip. Gramen montanum ſpicatum Cluſio, multis capitibus ex radice digitalis craſſitudinis, bifidâ interdum & trifidâ, multiſq; tenuibus fibris ſupremâ parte hirſutâ, prodeuntibus conſtans, quorum ſingula proferũt ſena aut plura oblonga craſſa & nonnihil carinata folia, Caryophyllæi illius, quod vulgò Gramen marinum maius cognominant foliis valdè ſimilia, infimâ ſede ſeſe inuicẽ amplectentia, guſtu amariuſculo & acriuſculo, ex horum medio dodrantalis nonnunquam & pedalis exit cauliculus, firmus, læuis, nudus & enodis, qui ſummo faſtigio, multos floſculos, ſpicę inſtar, congeſtos, herbaceóque colore præditos, profert.

Synonyma Tabern. icon. *Gramen ſyluaticum* 2. Waldtgraß/ prouenit in pratis montis Herciniæ ſyluæ ſupra Dennersberg.

Caſp. Bauhin. Phyt. *Gramen* 69. ſiue *ſpicatum ſertum & montanum*: Eid. pin. *Gramen auenaceum* 1. ſiue Gramen montanum auenaceum ſpicatum: *Gramen marinum ſpicatum alterum*, *Gerardi*.

Locus. Inueniri inquit Cluſius in montanis quibuſdam pratis, duobus ſupra Badenſes thermas, miliaribus. Similem autem in Flandriæ maritimis frequenter legere meminiſſe, quod vulgus, ni memoria labitur, Suden appellaret.

## GRAMEN HIRSVTVM ANGVSTIFOLium maius, C. Bauhini.

### Cap. CLXIX.

Ex radice exigua fibroſa, ruſeſcente, culmus vnicus, cubito altior, vt plurimùm læuis, exurgit, in cuius ſummitate panicula alba, mollis, leuiter ſparſa, ex multis laminulis compoſita, in quarum qualibet *ſemina* minuta, ſubnigra & ſubrotunda: *foliis* eſt paucis, anguſtis, palmaribus & villoſis, aliquot culmum cingentib.: ipſi verò paniculę, vtrinq; folium tenuiſſimum ſubiicitur, quorum alterum panniculam ſuperat, alterum non adęquat. Prouenit in paludoſis pratis Michelfeldenſibus.

*Gramen* hoc 47. in prod. ſiue *Gramen nemoroſum hirſutum* 5. ſiue *anguſtifolium maius*. *Gramen* 79. (inquit in Phyr.) multùm habet ſimilitudinis cum icone Graminis nemoroſi Dalechampii: plus verò cum eiuſdem Gramine Leucanthemo, & tamen diuerſum vtrumque habeo.

## GRAMINI LVZVLÆ AFFINE flore albo.

### Cap. CLXX.



Perennis vitæ Gramen, foliis eſt ad Graminis Luzulæ ſiue nemoroſi folia accedentibus, conſimiliter piloſis: at culmi maiores, cubitales: florum manifeſtum diſcrimen, ii ſiquidem in ſummo faſtigio albi ſunt, feſtucacei, cùm in altero non in feſtucas, ſed in capitula deſinant, ſeu paruos calyces ſemina claudentes, eoſque nigricantes, cum huius feſtucę albeſcant. Luzulæ modo quoſdam habet pilos, qui etiam facilè decidunt, à noſtro pictore in ſicca planta non obſeruati.

H. Lugd. 426. *Gramen Leucanthemon Dalechampii*. Figura non placet, quia deſunt pili. Caſp. Bauh. phyt. *Gramen* 70. *Gramen hirſutum paniculis albis Aeſchimon Plinii Guillandino*. Eid. pin. *Gramen nemoroſum hirſutum* 6. ſiue *anguſtifolium minus paniculis albis*.

Gramen hoc prouenit Geneuę in nemotibus, vt in colle *la Baſtie* florens Maio & Iunio.

## GRAMEN RORE LVCIDVM NEMORenſe, ſiue Luzulæ.

### Cap CLXXI.

Gramen lucidum, radice nititur magna, fibroſa, geniculata, ruffa, ſapore cum leui dulcedine

cedine adſtringenti, culmo cùm floret dodrantali, folio vno aut altero amplectente donato: ſpicæ, ternæ, quaternæ, aut quinæ breues, ex quibus vna ſeſſilis, reliquæ pediculis ſemuncialibus & vncialibus appenſæ: flores ſinguli foliolis ſex radiatis ſpadiceis, totidémque ſtaminulis luteis, vmbilicóque virente, ſtamen nigrum proferente, conſtantes, quibus capitula ſuccedunt triquetra, ſemina terna minuta continentia. Folia quadrantalia aut palmaria rigidiuſcula, acuta, ſurrecta, extrorſum ſtriata, glabra, at in lateribus longa, canâ, teneráque lanugine in folium etiam totum vtrinque incurrente obſita: iſta lanugo vel pili qui facilè decidunt tacti, colligunt rorem qui ſplendet noctu irradiantibus ſtellis vel Luna, ita vt ſit admirationi videntibus: herbam perquirentes, decidente rore inuenire non poſſunt.

Gramen hirſutum nemoroſum Lob.icon.pag. 16.& Hiſt.Belg. itémque Ger. *Gramen ſyluaticum* 4.ſiue *piloſum* Taber. ic & hiſtor. *Combretum Plinij,& Herba Luzulæ Hetruriæ*, Anguill.epiſt.

An Geſn.hort. Cypirella Cordi? Holoſtium quidam docti, ſed imbecillâ coniecturâ, augurabantur, longè veriùs, Lobelij iudicio, coniecturis ſi Iſchæmon Plinianum dixiſſent.

C.Bauh.phyt. *gramen* 77. Eid.pin. *gramen nemoroſum hirſutum* 1. ſiue *latifolium maius*. Item *gramen nemoroſum hirſutum* 2. ſiue *latifolium minus, magnitudine potiſſimùm differens*: datur & huius maius & minus.

Lugduni prouenit *au bois de la belle Allemande*. Baſileæ Frater obſeruauit in pratis Munchenſtein. Geneuæ incipit florere menſe Martio.

## GRAMEN LVZVLÆ MEDIVM.

### CAP. CLXXII.



Radice donatum fibroſa, pro plantæ portione ſatis craſſa, minùs autem profundè radicatum: calamo recto, geniculato, ſeſquicubitali, in ſummitate cum gramine Luzulæ maximo latam producente Iunci paniculam, in vaginis longioribus, quàm latioribus, ſemen continentem album, acutum: Foliorum manifeſta diſcrepantia: ea ſiquidem quæ ad articulos exeunt, anguſta: quæ verò circa radicem, quæ terrâ emergit, conſpiciuntur, ſemunciam lata ſunt, ſed acuminata ambo, pedémque longa.

Collegimus florens Maij principio in valle Grießbachiana acidorum fontium, vidimúſque inter fratris C.Bauhini plantas ſiccas.

## GRAMEN LVZVLÆ MAXIMVM.

### CAPVT CLXXIII.

Deſcriptio — INfrequentius eſt Luzulæ gramine paruo, radice firmatum, craſſa, obliqua, nigra, numeroſis fibris capillata: folia vnciam ferè latitudine æquant, longitudine cubitali, pilis longis, mollicellis per margines donata: culmus procerus latam ſpargit Iunci paniculam, in capitulis paruis, latioribus quàm longioribus ſemen continentem nigrum anguloſum.



Locus. Hoc obſeruauimus cum flore in monte & ſilua obſcura Griesbachiana ad fontes acidos.

## GRAMEN LVZVLÆ MINVS.

### CAP. CLXXIV.

Deſcriptio. FRequentius eſt hóc Luzulæ gramine maximo, foliis tenuioribus ſurſum eleuatis, anguſtis, mucronatis, pilis & ſetacea lanugine aliquantùm hirtis Calamus exilis admodum, duobus, ditatus articulis, ex quibus folia duo vncias duas longa emergunt, vnum quidem in calami medietate, alterum verò in ſupremitate vbi coma in tres, aut quatuor (ceu capitula) diuiditur partes, Cypero longo inodoro ſyluestri pares. Radice ex libus fibris & capillamentis barbatâ prouenit.



Prædictum Gramen plurimùm accedere videtur ad Gramen exile hirſutum Cyperoides Lob. An idem tamen aſſerere non audemus.

Locus & Temp. Collegimus menſis Maij principio florens in valle fontium acidorum dicta Griesbach.

## GRAMEN EXILE HIRSVTVM, CYPEroides Lob.

### CAP. CLXXV.

Deſcriptio. MInus eſt Gramine aquatico echinato cyperoide, alioqui culmis & foliis, hirſutis tamen, ac ſapore ſimile eſt: at flores breuiores ſunt, confertiores, compactioréſque; Iuncorum modo, coloris ferrugineis: radices item iam dicto non abſimiles.

Synon.



Cum hoc Gramine in multis conuenit Gramen noſtrum Luzulę minus, quod an idem ſit, affirmare adhuc nobis non licet.

Lobel. deſcriptionis autori in Hiſt. Belg. pag. 16. & Plant. icon. p. 15. *Gramen exile hirſutum Cyperoides.* Tabern. hiſt. & icon. *Gramen cyperinum piloſum.* C.Bauh. Phyt. *Gramē.* 71. ſiue *hirſutum cyperi panicula*: Eid. pin. *Gramen nemoroſum hirſutum* 3. ſiue capitulis Pſyllii. *Cyperella Cordi* & Pſeudocyperi ſpecies pumila, Geſn. hort. *Gramen exile hirſutum cyperoides*, Lob. icon. *Gramen cyperinum piloſum*, Tab. *Gramen nemorum Dalechampij* Lugd. *Gramen exile hirſutum*, Ger. Variat foliis latioribus & anguſtioribus.

Locus. Inuenit Lobel. locis ſabuloſis, eoſdémque habet natales, cum Gramine aquatico echinato cyperoide. Tabern. prouenire ait locis humidis, arenoſis, herboſis in Oſtwaldt ſecundum vias & potiſſimùm propè pagum Erlenbach.

## GRAMEN NIGRO-LVTEVM VERNVM

### Cap. CLXXVI.

Deſcriptio



GRamen voco nigroluteum à ſpicis quas habet primùm nigras totas: pòſt expanſo flore, maiore ex parte luteas, binas, ternáſue, vnciales, & quadrãtales, vni culmo angulari ſtriato, tenui, foliis aliquot circa infimum tanquam vagina obuoluto, in ſolo lætiore dodrantali, aliis palmari & minori: *folia* culmo longiora, Cyperi foliis ſimilia, anguſtiora: radice nititur lignoſa, ſatis craſſi, reptante, circa quam quà terrà emergit, denſum quaſi capillitium conſpicitur ex foliis veteribus marceſcentibus, & in fibras tenuiſſimas faceſſentibus: Hoc ſanè Gramen videtur mihi non parum variare ratione loci vbi prouenit, quale deſcripſimus ſicciſſimis prouenit in pratis, non nimiùm humidis maius creſcit, & idem fortè cum Gramine cyperoide.

Sy Effigies Lob. Ic. Plant. pag. 10. ſub titulo *Graminis ſpicati folijs Vetonicæ, Caryophyllatæ*, exhibita, non malè conuenit cum Gramine noſtro nigro luteo, quod inſigniter variat, verùm ſi ponit eam figuram pro *Gramine Rabino*, quod in Adu. dicit eſſe foliis Vetonicæ caryophyllatæ, diuerſum erit à noſtro Gramine: quibus notum erit e-rit Gramen Rabinum iudicent. Tabern. & Frater Caſp. Bauhin. ſeparant à Rabino.

Tabern. Icon. & Hiſt. *Gramen caryophyllæum*, Näglin graß. Eid. Hiſt. *Gramen* 23. Figura apud Tabern. eadem cum Lobeliana: ſi (quod perhibet Tabern.) verum eſt, ſuum Gramen eſſe culmo rotundo, læui, ſine foliis, non erit noſtrum. Sed potuit deſcriptio parari ex icone Lobelii, in qua nec anguli, nec folia in culmo apparent.

Caſp. Bauhin. Phyt. *Gramen* 52. Eid. pin. *Gramen criſtatum & ſpicatum pratenſe* 6. ſiue Gramen caryophyllatæ foliis, ſpicâ diuulsâ. *Gramen ſpicatum foliis Vetonicæ*, Lob. icon *Graminis loliacei octaui* 4. *ſpecies* Thal. *Gramen nigrum*, Lugd. *Gramen caryophyllæum* Tab.

Lo Reperitur maius in pratis humidis, minus in ſiccis.

Geneuæ floret Martio: Montbelgardi etiam Aprili.

## GRAMEN FOLIIS CARYOPHYLLÆI floris, anguſtifolium, C.Bauhini.

De HOc à priori differt [putat à Gramine Gariophyllæo eius latifolio quod 52. Gramen eſt] foliorum anguſtia, dein & cauliculis, qui in hoc & tenuiores & longiores quàm in priori ſunt.

Syn C.Bauh. Phyt. *Gramen* 53. & Gramen foliis Caryophyllatæ (malim Caryophyllæi floris dicere) anguſtifolium.

Lo In montoſis Mutetæ locis Maio florens obſeruauit frater Caſparus.

## GRAMEN CYPEROIDES CVM panniculis nigris.

### Cap. CLXXVII.



De. GEniculatim incedunt, & prorſum radices craſſiuſculæ Cyperi longi radicibus ſimiles, a quibus pendent fibræ craſſiuſculæ: *folia* ſeſquicubitalia & cubitalia, carinata, Cyperi paria, caulis triquetrus, duobus cubitis non rarò altior, enodis, cæteroqui nudus, per

per faſtigia foliis aliquot ipſius cacumen haud paulùm ſeparantibus donatur: à quorum ſinu paniculæ vel ſpicæ quædam emicant, duum triúmve vnciarum, ex obſcura purpura nigricans, triquetris loculis congeſtis ſemen eiuſdem figuræ, durum, nigrum co nprehendens: ſupremæ verò *ſpicæ*, veluti ſummam perfectionem, nondum aſſecutæ, è ſquammis ſpadiceis ſtriatis atque glumis inanibus mollibus contexuntur. In hac planta mihi videtur non parum ludere pro ratione loci, nec certus ſum an gramen noſtrum nigroluteū in hanc degeneret loco humidiore: Hoc enim vt illud reliquias veterum foliorum multas habet, ſunt ambo perennes plantæ.

C.Bauh.phyt. *gramen* 55. ſiue ſpicatum folio triangulo: *gramen vulgò cognitum* Tragi: *gramen triangulum*, H. Lugd. p.1004. Item, *gramen* 56. ſiue ſpicatum latifolium caule triangulo. *gramen cyperoides* Lob.Obſ.p.10. Ic.p 11. Nullum intercedit inter hęc gramina diſcrimen, ideóque non ſeparanda, vel ipſo C.Bauhino ſubſcribente. Gramen cyperoides 1. (inquit in pin.) ſiue gramen cyperoides latifolium ſpica rufa, ſeu caule triangulo, eſt graminis 4. genus Tragi, gramen cyperoides Lob.Cam. Tabern. Ger. & H. Lugd. p.433. cui & gramen triangulum, p.1004. & Carex Tragi, p.1007.

Cæterùm, figuræ, cui apud H. Lugd. titulus eſt gramen triangulum fuit Dalechampij, ita denominantis plantam. Porrò, vbi Tabern. obſeruauit Cyperoidis graminis caulem rotundum, neſcio: niſi fortè in figura Lobelij ita pingatur, quod in multis plantis euenit: nec ita facilè in omnibus iconibus plantarum anguli exprimi poſſunt, neſcio qua in re gramen Tabern. Typhinum ab hoc differat.

Tiguri vidimus florens Maio, Geſnerus vocabat Cyperum adulterinum: maximum obſeruauimus Maio florens iuxta fluuium radicibus craſſis reptantibus, tale quid pinxit Hiſtor. Lugd. habuimus Lugduni à Dalechampio. Montbelgardi abundat.

## GRAMEN CYPEROIDES LATIFOLIVM ſpica ſpadiceo-viridi maius C.Bauh.

### Cap. CLXXVIII.

GRamen hoc 40. C. Bauh. in prod. *Gramen verò Cyperoides* 2. in pin. radice eſt oblonga, multiplici, rufa, mirè capillata, caulibus triangulis, cubito minoribus: *folus* Arundinaceis, pedalibus, & quàm in vulgari anguſtioribus: ſpicis ternis, quaternis, rariùs quinis, alternatim ſuccedentibus, anguſtis, trium, quatuórve vnciarum longis, coloris ſpadiceo-viridis, quarum primæ ſemper folium oblongum anguſtiſſimum ſubiicitur.

Hoc in humidis ad Sellam nouam Monſpeſſuli primùm vidimus: dein ex Luſatia à D. Franco *graminis Spravvaidenſis* nomine accepimus.

## GRAMEN CYPEROIDES ANGVSTIFOlium, ſpica ſpadiceo viridi, minus, eiuſdem.

### Cap. CLXXIX.

ET hoc authori in prod. *gramen* 41. in pin. *gramen cyperoides* 3. in phyt. *gramen* 57. ſiue cyperoides anguſtifolium, differens à Cyperoide Lobelij potiſſimùm foliorum forma, quæ in hoc duplò anguſtiora, acutiora & longiora.

Cæterùm, *radice* eſt breuiore, lignoſiore, parùm fibroſa, & rufa: caule triangulo, pedali, *folus* anguſtis, duris, ſemipalmaribus, in acutiem deſinentibus: *ſpicis* aliquot anguſtiſſimis, oblongis, ſpadiceo-viridibus, alternatim diſpoſitis, & pediculis longis capillaceis inſidentibus, quod Aprili menſe circa Birſam reperitur. Aliquando tamen altiùs exurgit. Deſcriptio

## GRAMEN CYPEROIDES ANGVSTIFOlium, ſpicis longis erectis.

C. Bauh. pin. Gramen cyperoides 4. ſiue anguſtifolium, ſpicis longis erectis: gramen paluſtre maius. Lob. icon. quid?

## GRAMEN CYPEROIDES VVLGATIVS aquaticum.

### Caput CLXXX.



GRamen Cyperoides vulgatius aquaticum tres, quatuor, nonnunquam plures profert *radices*, longas, nigras, vnciam craſſas, Cypero longo ſimiles: *Folia* etiā ſimilia, quæ non ſolùm è radice, verùm è culmi quoque nodis excreſcunt. *Calamum* verò triāgularem, cubitalem: Flores densè ſpicatos, quos ſubſequuntur ſpicæ quandoque ſimul quinque ferrugine claræ, Tabern. Deſcriptio

Gerard. & Lob Icon. p.10. *gramen cyperoides aquaticum*, vulgatius. Tabern. icon. & H. *gramen cyperinum maius*, Groß Cypreß graß: Eid. Hiſt. *gramen cyperinum* 6. C.Bauh. pin. *gramen cyperoides* 7. ſiue panicula ſparſa maius: Variat panicula in altera compactiore & breuiore, in altera magis expanſa & longiore. Synon.

Vbique in aquoſis, paluſtribus, & ſtagnantibus reperitur. Locus.

## GRAMEN TYPHINVM 3. TABERN. SPICA multiplici nigra, accedens ad Gramen cyperoides.

### Cap. CLXXXI.

RAdice firmatum, obliquâ, nodoſâ, vnciam & plus craſſâ, fibris exilibus ceu capillis ornata pluribus, à quibus *folia* prodeunt trina, longa, *culmos* amplectentia geniculatos, minoribus foliolis præditos, ad quorum exortus ſupra me-



diam pennæ longitudinem *ſpicæ* ſurgunt longæ, aſperę, atque nigræ. Sapor acidus, adſtringens.

Synonyma Tabern.] icon. & Hiſt. *Gramen Typhinũ* 3. lieſch-graß. C. Bauhin. phyt. *Gramen* 48. Eid. pin. *Gramẽ typhoides* 7. ſiue ſpica multiplici : *Calamagroſtis prima Tragi deſcript.* Cyperus typhinus Ger. Amans vdorum pratorum.

---

## GRAMEN NEMOROSVM PANICVLIS albis, capi llaceo folio, C.Bauh.

### Cap. CLXXXII.

Synon.: Deſcriptio CEſpitis inſtar Gramen hoc (45. in prod. Nemoroſum glabrum 1. in pin.) exiſtit, quod ex radicibus capillaceis, *folia* copioſa, viridia, pilis tenuiſſimis ſimilia, pedem longa, emittit: inter quæ *culmi* tenues geniculati, cubitales, aliquando ſeſquicubitales, penè nudi in paniculam rariorem, albicantem, palmo minorem, ex glumis paruis ariſtis donatis compoſitam, abeunt: in

Locus. Querceto non longè Michelfeldâ copioſè prouenit.

---

## GRAMEN CYPERINVM NEMOROSVM.

### Cap. CLXXXIII.

Deſcriptio



R*Adice* nititur fibroſa, capillari & ipſa principiò exorta: *folijs* anguſtis, dodrantalib., acuminatis, foliorum Graminis vulgaris inſtar, iuxta quę *caules* prodeunt tres, aut quattuor rotundi, anguſti, pedem longi, quorum quiſque producit *ſpicas* duas, aut tres ex luteo purpuraſcentes, trium vnciarum longas.

Synonyma Tabern. icon. & Hiſt. *Gramen cyperinum nemoroſum* waldt Cypres gras. Eid. Hiſt. *Gramen cyperinum* 5. Caſp. Bauhin. pin. *Gramen nemoroſum glabrum* 2. ſiue Gramen nemoroſum ſpica ſubnigra, recurua: *Gram. cyper. nemoroſum* Tab. & Gerardi.

Hinc inde in ſyluis, vliginoſis locis, herbaceis, & arenoſis inuenitur præſertim autem in dem Oſtwaldt & linden felſer gemarck. L

---

## GRAMINIS CYPEROIDIS GENVS, PSEVdocyperus Lobelio ſpicis vel panniculis pendentibus ex longis pediculis.

### Cap. CLXXXIV.



GRamen de quo quo hic agemus ſolùm viſum apud fratrem Caſpar. Bauh. panniculas fert ſimiles Gramini cyperoidi aquatico ſpica nigra, verùm in eo differunt, quod ex longis pediculis pendent Graminis tremuli modo, non ſurrectæ, ſpicæ pāniculæ- úe etiam non nigræ in ſicca planta latiores, in quibus longiuſculi pili. I

Lobel. Hiſt. Belg. p. 109. & Icon. Plant. pag. 76. Pſeudocyperus wälſche wilde Galigaen. S

Caſp. Bauhin. Phyt. *Gramen* 63. ſiue *Pſeudocyperus primus* ὀλιγόκαρπος : Eid. pin. *Gramen cyperoides* 5. ſiue ſpica pendula breuiore : *Pſeudocyperus* Geſn. hort. Lob. icon. Dod. *Pſeudocyperus* ὀλιγόκαρπος, Thal. *Gramen aquaticum*, Lugd. Maius & minus habetur.

Cæterùm & Pſeudocyperi, ſeu Cyperi ſylueſtris, altero genere hoc ſcribit Thalius. Pſeudocyperum ὀλιγόκαρπον nomino, quod quidem, quoad folia & radicem [quæ huic quoque nigricans eſt, craſſa, & frequẽter capillaceis fibris obſepta] priori ſimile eſt, ſed capitulis ſeminum differens, quæ, licèt vt prius, in ſummo caulis ex nodoſo tuberculo emittit in ſingularibus pediculis oblongis contenta, ea tamen pauciora, rariora, ac flaueſcentia ſunt, & ſquammata. Eſtque hoc rurſus duplicis diſcriminis: Pſeudocyperus enim ὀλιγόκαρπος maior, multis in locis reperitur, foliorum magnitudine ac latitudine, caulis item proceritate τῷ πολυκάρπῳ ſimillimus. Minor verò radice conſtat parua, ſpadicea, fibrata, folia continens Milio breuiora, digitalem longitudinem rarò excedentia: cauliculum emittens, dodrantalem, interdum paulò longiorem, tenuem, paucis minoribus ac tenuioribus foliis ornatum, in cuius ſummo ex tuberculo nodoſo, pauci, tenues, breues, pediculi emergunt, capitula parua, pauca raráque & ſquammata, ſpadicei coloris exhibentem.

GRAMEN

GRAMEN CYPEROIDES SPICA PENDVla longiore & anguſtiore, C.Bauh.

Cap. CLXXXV.

CAule eſt cubitali, anguloſo, ſtriato, foliis oblongis, anguſtis, baſi oblonga, *caulem* inſtar tubi veſtientibus, ex quo veluti tubo, *ſpicæ* ſingulæ, vncias quatuor vel ſex longæ, anguſtæ, prodeunt & propendent, ipſum verò *folium* cuilibet ſpicæ ſubiectum oblongum eſt.

Hoc gramen 42.C.Bauh.in prod.ſeu,vt in pin. vocatur, *gramen cyperoides* 6. ſiue ſpica pendula longiore & anguſtiore, locis humidis circa thermas Apponenſes, Patauinorum creſcit.

GRAMEN CYPEROIDES PALVSTRE triquetrum, ſpica integra.

Cap. CLXXXVI.



TRiquetrũ Cyperi tollit *caulem* cubitalem & ſeſquicubitalem, cuius faſtigium ornat *ſpica*, Panici quodammodo ſimilis, rariore textura, ſeſcũcialis & ſextantalis, in loculis triangularibus nigricantibus, aut ex viridi ruffeſcentibus *ſemen* continens Milio ferè æquale, compreſſius. *Radices* fibroſæ, perplexæ, ex deciduorum foliorum fibris comoſæ: *folia* mediocriter lata, caulem ferè longitudine æquant.

Lobel.Hiſt.Belg.p.20.& 29 water wilde Galgaengras. Gramen cyperoides paluſtre: ſic & in Ic.p.19.& Gerardo. Taber.icon.& Hiſt. *gramen cyperinum paluſtre*, waſſer cypres gras.

C.Bauh.phyt.*gramen* 59. ſiue cyperoides paluſtre: Eid. pin. *gramen cyperoides* 8. ſiue paluſtre maius ſpica compacta: *gramen iunceum triquetrum*, Thal.

Locis aquoſis obſeruaui Geneuæ.

GRAMEN CYPEROIDES SPICIS MINOribus, minùs compactis, C.Bauh.

Cap. CLXXXVII.

EX *radice* fibroſa, lignoſa tamen, *folia* prodeunt anguſta, graminea, palmum longa, inter quæ *caulis* ſeſquicubitalis, triquetrus, ſubaſper, & magna ex parte nudus exurgit: in cuius ſummo *ſpica* parua, diuulſa, & quaſi aculeata conſiſtit, quæ *ſemina* oblonga, ſubnigra, in aculeatum cuſpidem deſinentia continet. Huius tres differentias notauimus: 1. eſt latioribus & longioribus foliis, ſpicis maioribus, & ad riuulum molendinarium vrbis noſtræ trans Rhenum reperitur. 2. à priori rarioribus & minoribus ſpicis differt, & in via Riechana ad ſepes creſcit. 3. foliis eſt anguſtioribus, breuioribus, ſpicis inter duas priores mediis, quod Patauij locis humidis anno 1578.collegimus, & cùm D. Guilandino oſtendiſſemus, Iſchæmon Plinij cenſuit, quod non probamus: idem ſed per o nnia minus anno 1579. Monſpeſſuli in humidis inuenimus, quod Gramen cyperoides nominabant. Et hæc ſunt, quæ de ſuo Gramine (vt in prod. vocat) 43.vel(vt in pin.) de Gramine cyperoide 9. ſiue ſpicis minoribus, minúſque compactis, author prodidit.



GRAMEN PARVVM SYLVATICVM, PANniculis forma pedum auium.

Capvt CLXXXVIII.

NVmeroſas, ſed & prolixas habet fibras, tenues: *folia* multa, nonnihil aſpera, culmum ferè æquantia, qui dodrantalis, enodis, paniculas in ſummo gerit ruffas, partim culmo appreſſas, partim digitatim ab eo recedentes. Deſcriptio

Geneuæ obſeruaui in ſyluis. Idem reperi prope *Machon* in Burgundiorum montibus, florens Maij principio. Locus.

GRAMEN CYPEROIDES EX MONTE Ballon, ſpica diuulſa.

Cap. CLXXXIX.



FOlia ſubinde dodrantalia, & breuiora, pratenſis graminis in morem anguſta: *caulis* triangularis, nullo utriculo donatus, cubitalis & ſeſquicubitalis, paniculam diuulſam gerit in ſummo faſtigio, Cyperi minùs ſpecioſi, corrugulato folio ſubiecto, radicum fibræ graciles, contortæ. Deſcriptio

Lobel. Belg. Hiſt. pag. 19. & 20. Kleyne waterwilde Galgaengras, *gramen cyperoides paruum aquaticum*, ſic & Icon.plant.19.& Gerardo: Tabern.Hiſt.& Icon. Klein waſſer cypergraß *gramen cyperinum paluſtre minus*. Synon.

C. Bauh. phyt. *gramen* 60. ſiue cyperoides paluſtre alterum. Eid.pin. *gramen cyperoides* 10.ſiue paluſtre maius ſpicâ diuiſâ.

Gramen cyperoides obſeruaui in monte Ballon inter Gerarmegni & Lotharingiam cum ſuis ſpicis menſe Auguſto. Locus.

GRAMEN PALVSTRE ECHINATVM.

Capvt CLXXX.

GRamini paluſtri cyperoidi affine, cui tamen magnitudine cedit: ſummo *cauli* ſpicæ ad- Deſcriptio

naſcuntur pauculæ,ſemunciam longæ, viridantes, triangularibus loculis minoribus, *ſemen* triquetrum quoque continentibus, muricatæ, quibus ſupereminet ſummum occupans faſtigium, *imperfecta ſpica* ruſteſcens, longior ferè duplo, vix ſextam craſſitudinis partem æquans, mollis, meris ſquammulis contexta. *Radices* prorſum agit, nigricantes.

Synonyma. Hiſt. Lugd. pag. 1003. Gramen aculeatum. Lobel. Hiſt. Belg. pag. 16. Water-gras met ſteckende aren-gras. Eid. Ic. Plant. pag. 15. Gramen paluſtre echinatū. Caſp. Bauh. Phyt. *Gramen paluſtre aculeatum*: Eid. pin. *Gramen paluſtre aculeatum* vel *minus Germanicum*.



Varietas. Variat ſpicis longioribus, rotundioribus, ſæpè in eadem plāta: Item, *Gramen paluſtre aculeatum Italicum* vel *maius*.

Geneuæ & Montbelgardi in paludoſis occurrit.

## GRAMEN MARINVM CYPEROIDES.

### Cap. CLXXXI.



Deſcr. CRaſſiuſcula *radice* nigra, obliquè profundiùs acta ſerpente, geniculata, fibris capillata firmatur, ex qua *caulis* ſurgit cubitalis rotundus, firmus, cuius cacumini inſidet glomeratum, latius quàm longius, caput verſicolor, partim album, partim ex nigro rubeſcēs, cuius baſi appoſita tria folia caput ſuperantia, porracea, albeſcentia, dura, palmaria: nullo vel ſapore vel odore excellit.

Synon. Lob. in Adu. *Iuncus Cyperoides maritimus*, & *Gramen marinum cyperoides*: Eid. plant. Icon. p. 87. *Iuncus maritimus*: ſic & Tabern. *Iuncus maritimus alius* Penæ. Hiſt. Lugd. pag. 1396. ſine icone: Eid p. 1391. *Gramen maritimum Dalechampij*. C. Bauh. pin. *Gramen cyperoides* 14. *ſiue maritimum*.

In litoribus & arenoſis Narbonæ & Gallo-prouinciæ prouenit.

## CYPERVS IN GENERE.

### Cap. CLXXXII.

CYperus (malè Gaza apud Theoph. Gladiolum conuertit) in lacu Orchomenio prouenit, & vt reliqua radice numeroſa adhæret, nam illa deorſum verſus potiſſimùm vertitur, viréſq; intendit, qua de cauſa vix hæc interit, & omninò genus eius vniuerſum diuturnius eſt. *Radix* plurimùm in æqualitate à cæteris diſtat, quòd pars quædam craſſa, carnosáque ſit, quædam gracilis atque lignoſa. Quin & germinatione generationéque refert: naſcitur enim de ramaceo illo radix altera tenuis, iuxta latus: deinde caro rurſus in eo conglobatur, ex qua ſeſe *caulis* promit, qui æqualitatem quandam peculiarem ſortitur, in quo poſitum germen eſt. In profundum quoque radices eodem modo demittit, quamobrem omnium maximè mori contumax, euellique difficilis eſt. Ei inter frutices, vt cæteris ſimilibus paluſtribus harundinacea ex plantæ geniculis folia prodeunt. At verò odoris contraria fermè natura in loco eſt. Nam quamuis odoratus & ſiccus ſuapte natura ſit, tamen viridis aut nihil olet, aut non æquè: ſed eius etiā vigor intelligi debet. Sapor autem, aut odor, [hæc propter cauſæ cognationem inferre placuit] aut ſuauitas, qua eueniat ratione lege Theophr. de cauſ. lib. 6. c. 16:

Cypero, quem alii Eryſiſceptrum vocant, Dioſcorides folia tribuit Porro ſimilia, longiora tamen & graciliora, caulem cubitalem, aut etiam maiorem, anguloſum, Iunco odorato rotundo ſimilem: in cuius vertice folia parua exoriuntur & ſemen: radices autem ſubſunt, quarum & vſus eſt, oblongæ velut Oliuæ, inter ſe cohærentes, aut etiam, rotundæ, nigræ, odoratæ, amaræ. Naſcitur in locis cultis & cœnoſis. Optima eſt radix quæ grauiſſima eſt, & denſa ac plena, ægrè fragilis, aſpera, odorata, cum aliqua acrimonia. Talis autem eſt Cilicia & Syriaca, & ab inſulis Cycladibus petita.

Bulborum generi quidam [autore Plinio lib. 21. cap. 17.] adnumerant & Cyperi, h. e. Gladioli radicem. Dulcis ea eſt, & quæ decocta panem etiam gratiorem faciat, ponderoſioremque ſimul ſubacta. Non diſſimilis eſt & quæ Theſion vocatur guſtu aſpera. Cæteræ eiuſdem generis folio differunt. Mago & Gladiolum alterum, quem Cyperon vocant, & ipſum paluſtrem, Iulio menſe toto ſecari iubet & radicem, tertióque die Sole ſiccari donec candidus fiat. Quotidie autem ante Solem occidentem in tectum referri, quoniam paluſtrib. deſectis nocturni rores noceant. Quidam (ſubdit Plin. cap. 18.) etiamnum vnum genus faciunt, Iunci trianguli, Cyperon vocant. Multi verò non diſſecarunt à Cypero vicinitate nominis. Nos diſtinguimus vtrumque. Cyperus eſt Gladiolus, vt diximus, radice bulboſâ, laudatiſſimus in inſulis Creta, dein Naxo, & poſtea in Phœnice. Cretico candor odórque vicinus Nardo, Naxio acrior, Phœnicio exiguum ſpirans, nullus Aegyptio: nam & ibi naſcitur. Diſcutit durities corporum. Iam enim remedia dicemus, quoniam & florum odorúmque generi eſt magnus vſus in medicina. Quod ad Cyperon attinet, Apollodorum quidem ſequar, qui negabat bibendum

bendum: quanquam professus efficaciſſimum eſſe aduerſus calculoſos, eos fouet. Fœminis quidem abortus facere non dubitat. Mirúmque tradit, Barbaros ſuffitum huius herbæ excipientes ore lienes conſumere: & non egredi domibus, niſi ab hoc ſuffitu. Vegetiores enim firmioréſque ſic etiam fieri. Intertriginum & alarum vitiis, perfrictionibus cum oleo illitum non dubiè mederi. Cyperos Iuncus eſt, qualiter diximus, anguloſus, iuxta terram candidus, cacumine niger, pinguiſque. Folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ eſt ſemen. Radix Oliuæ nigræ ſimilis, quam, cùm oblonga eſt, Cyperida vocant, magni in medicina vſus. Laus Cypero prima Ammoniaco, ſecunda Rhodio, tertia Thracio, nouiſſima Ægyptia, quod & confundit intellectum, quoniam & Cyperos ibi naſcitur. Sed Cyperos duriſſima, víxque ſpirans. Cæteris odor & ipſis Nardum imitans. Eſt & per ſe Indica herba, quæ Cyperis vocatur, Zingiberis effigie: commanducata Croci vim reddit. Idem lib. 17. cap. 13. de germinatione arborum dicit, ocyſſimum omnium Cyperum & Pſeudo-cyperum inter frutices eſſe, cúmque protinus florere, ſeménque proferre. Et hi ſunt loci, quibus de Cypero egiſſe conſtat, & cum eo gladiolum confudiſſe.

Et hæc forte occaſio eſt, quòd vagum & commune multis nomen ſit Gladiolus. Nonnulli (inquit Hermol.) diſtinctionis gratia Cyperon pro Iunco triangulari, ſiue quadrato nominant. Non deſunt qui Pſeudo-Cyperum vocent Gladiolum, de quo Plinius inter ocyſſimas plantas. Quadratus autem & angularis ad differentiam rotundi Iunci, quem Schænon Græci vocant, cognominatus intelligitur. Penultimam Cyperi quandoque diphthongo longam, quandoque vocali breuem Græci ſcribunt. Dicitur hæc & neutro genere Cyperum à Paulo. Habetur & Cyperus Indica, quam Plinius Cyperin appellat, etiamſi quibuſdam exemplaribus Cypera legatur. Non poſſum non mirari quamobrem Laur. Valla Cyperum in Herodoto Siler conuerterit.

Cyperum Galliæ officinæ nominant: aſt rura, referente Ruellio *Soucheti* nomine norunt, quod Iunio menſe radicitus eruunt, digerúntque ſtipites in manuales faſciculos, quos priùs inſolatos aceti imbre conſpergunt, ſiccatóſque fruſtatim tundunt, vt odoris gratia veſtes interpoſitis commendent. Sunt qui cenſeant Cyperum hunc, quẽ Gladiolum in Theophraſto Theodorus vertit à Dioſcoridis Cypero diſſidêre. Verùm nuſquam à priori finitione poſita ſuperiùs inuenitur deſciſcere, imò Dioſcoridis placita firmare. Siquidem eius radix magna inęqualitate notatur, quòd pars quædam craſſa carnoſáque, quædam gracilis atque lignoſa ſit. Nonne vides radicis tenuitatem ſurculoſam protinus in oliuaria tubercula verticillari? Radices in altum duci, euelli, moríque contumaces quis non videt? Quod ſi reliqua quæ ſparſim à Theophraſto traduntur, proſequi libeat, inuenies huic noſtro Cypero ſuffragari. Nam paluſtrem eſſe idem affirmat author, caule enodi, folio harundinaceo, tam terrenis quàm aquoſis, vliginoſiſque prodeuntem: radice partim tenui, partim carnoſa, neruoſáque, quæ vnguentis expetatur, quæ non de Xiphio, id eſt, Gladiolo poſſunt audiri, cùm meritò debeat vnguentis abdicari, vt pote virus olens, vnde ſpathulæ fœtidæ nomen ei dederunt officinæ: námque ſuâ odoris grauitate lautiorum vnguentorum gratiam aboleret. Vides ergo horum dicta authorum in eandem herbam referri. Plinius alteri iudicio ſubſcripſit, ſed ferè ſuſpicor eum dotes Cyperi cum Gladiolo confudiſſe, vagámque iis & communem nomenclaturam impoſuiſſe. Cùm Theophraſtus per ει diphthongum κύπειρον ſcripſerit, cùm ad nos venit, aliqui e, aliqui i, ex vna retinuerunt, Græci quandoque diphthongo, quandoque vocali breuem, penultimam ſcriptitant. Cypirum tamen Theophraſti, à Cypero Dioſcoridis nullo diſcrimine ſeparari docuimus. Galenus & Paulus in ſimplicium cenſu vnius tantùm meminerunt, non alioquin omiſſuri, ſi aliqua diuerſitate ſecernerentur. Nec Plinio (qui in gladiolo Apollodorum, in Cypero Dioſcoridem, alióſque Græcos ſequitur) gladiolus à Cypero differt odore. Quare cùm mihi Græci omnes aſtipulentur, longe tutius fuerit vnum genus facere, neque diſcernere aut diſtinguere in gladiolum, qui Cyperus dicatur, & Cyperum. De angulis Cyperi, grauis inter Autores diſcordia. Celſus quadrangulum Iuncum vocauit, Plinius Triangularem, Dioſcor. anguloſum, qui litem videtur diremiſſe, & vtriuſque hiſtoriam confirmaſſe. Eſt non longè diſſimilis radix, quæ vocatur officinis recentioribuſque Medicis Galanga, odore Cyperum quadantenus imitante: vnde multi herbarum coniectores Cyperum Babylonicam cognominent: *Et hæc Ruellii de Cypero eſt ſententia.*

*Plin. nos.*

*Gal. & Paulo vnicus Cyperus.*

*Cyperus Gladiolus nullus.*

*Galanga dicitur à multis Cyper. Babylonicus.*

Fuchſius depingit & deſcribit Cyperum longum, ſicuti Tragus, qui dicit hæc nomina κύπερος, κύπειρος, & κύπερις diuerſarum plantarum appellationes quidem eſſe: & tamen indifferenter à pleriſque cypero longo attribui, qui à Dioſcoride Aſpalathum quoque & Eryſiſceptrum cognominatur, licèt & hæ appellationes ad alias quoque pertineant plantas. Hæc Tragus, qui quo modo dicat Aſpalathum vocari cyperum nondum video, id non dicit Dioſcorides.

*Fuchſ. & Trag.*

*Trag. redarguitur.*

Sed his omiſſis videamus quid dicat Cordus. Plinius, ait, inter cyperum & cypirum differentiam facit, ſed magno errore. Reuera enim nihil differunt: quare ſiue cyperum ſiue cypirum pronuncies, aut alicubi ſcriptum reperias, eadem erit planta. Eſt autem cyperus Iuncus odoratus, anguloſus, trianſgularíſue, à quibuſdam etiam quadratus appellatus, ſed malè admodum, non enim quadrangularis illi eſt, ſed triangularis caulis. Eius autem duæ ſpecies: alter longas habet radices, is Græcis vocatur Cyperis, in pharmacopoliis verò cyperus Romanus ſiue longus: alter rotundas habet & ſibi inuicem cohærentes radiculas, quem pharmacopolæ cyperum rotundum appellant: Græci autem ſimpliciter: Germani vtrúmque vocant wilden Galgan. h. e. ſilueſtrem Galangam. Parciùs affertur ad nos longus cyperus. *Hæc Cordus.* Syluius & Matthiolus, ſicut & alii, ajunt reperiri quadrangulum, quod Cordo contrarium eſt.

*Cordus. Plinii error.*

*Cyperus quadratus nullus.*

*Contra Cordum.*

Matthiolus, qui Cyperum longum depingit, hæc notatu digna habet. Tametſi vnum tantùm cyperi genus memoriæ prodiderit Dioſcorides, cuius radices inter ſe cohærentes oblongas referunt Oleas, aut omninò rotundæ ſunt: viſitur tamen cyperus in pluribus Italiæ locis qui radicibus conſtat longis. Et naſcitur hoc cyperi genus laudatiſſimum propè Timaui fontes, circumſtantibus paluſtribus locis in Iaſpidiæ ſinibus, Galangæ vocatæ perſimile, non tantùm facie, ſed etiam odore: commendatur etiamnum

*Matth.*

*Cyperi duo genera contra Dioſc.*

*Locus fecundi.*

odore is, qui in Hetruria prouenit, radicibus ferè Filipendulæ æmulis, ſed non ob id illi fuerit preferendus quem Syria mittit: quandoquidem hic longè odoratior eſt, & ſubamarus, &c. Reperitur cyperus quandoque etiam quadrangulari caule, vnde non mirum, ſi quadratum Iuncū eum vocauerit Celſus lib.3.cap.21. Optimus defertur ad nos ex Syria & Alexandria Aegypti in cuius defectu Italicum ſupponunt Officinæ.

*Cyper. quadrangularis.*

*Delectus.*

*Amato Cyperi tres ſpecies.*

Conſultiùs mea ſententia eſſet [ Amati verba ſunt ] ſi in præſentia cyperi tres ſpecies potiùs deſcriberentur, quàm duæ tantùm, quum reipsâ conſpecta, ita eſſe comperiamus: nā altera ſpecies Iuncus eſt, folia Porri in parte decliuiori habens, longiora tamen & exiliora, in cuius cacumine minuta ſunt, inter quæ ſemen exoritur: cui caulis cubitalis & maior ineſt, qui plerumque quadrangularis conſpicitur, nam radices rotundæ, nonnunquam oblongis oliuis ſunt ſimiles, nigræ, ſuauiter olentes, & guſtu aliquantulùm amaricantes: hanc verò *Celſus, verus Hippocratis imitator*, quadratum Iuncum appellauit, cuius in aquoſis & paluſtribus plerumque naſcentis radices, medico vſui ſeruantur: quibus vniuerſa Hiſpania abundat, nec opus habet Syriacis, quas ſuâ voce præcipuè Salmanticenſes *Auellanada* vocant: nec enim in Italia, præſertim Longobardia deſunt, ſed myropolæ parùm curioſi communioribus radicibus earum loco vtūtur, iis autem radicibus affinis cùm voce, tum figura, alia radix, quam vniuerſa Luſitania iuxta ac Hiſpania *Iunca auellanada* vocant. Secunda autem ſpecies cyperi, vbique in aquoſis comperitur foliis à prima non diſſimilibus, caule tamen triangulari, cuius radices oblongæ, &c. Hanc Plinius triangularem appellauit Iuncum, cuius radices, Hiſpaniæ & totius Italiæ mulierculæ, aceto paratas, pro odoramēto ac ſuaui ſuffitu recondunt. Nec communiores officinæ alias præter has radices, pro vero cypero monſtrant, habéntue, quum tamen illæ primæ, oliuis ſimiles, à Dioſcoride vt præcipuæ commendentur. Hanc verò ſecundam ſpeciem nominari cupimus, cui veluti & primæ Dioſcorides caulem, non quidē triangularem, aut quadratum ineſſe dixit, ſed anguloſum potiùs, vt nos cautos redderet, quod cyperus & triangularis & quadratus reperiatur. Item quod meliùs eſſet, triangulari illo, radices oliuis ſimiles habente vti: quanquam & altero, pro uero dexterrimè vti poſſimus, prout hoc tēpore myropolæ continuò factitant. cyperi ſpecies, quam Dioſcorides ſecundam facit, ex India ad nos vſque fertur. *Huc vſque Amatus.*

*Iunci altera ſpecies.*

*Iunc. quadratus Celſi.*

*Auellanada.*

*Locus.*

*Iunc. triangularis Plinii.*

In ſeplaſiis radices cyperi cognomine longi oſtendunt, ex qua autem planta collectæ ſint, mihi ( inquit Cronemburg. ) incognitum habetur, quandoquidem nemo hactenus eam aperuerit. Indubitatum tamen eſt, omnes ſelapſiarios illis radicibus vti. Sed dum hanc rem diligentiùs inquiro, & has radices per omnes qualitates examino, animus inclinat, vt ipſius cyperi germanas radices eſſe credam, ac prorſum eas, quas in Italia Matthiolus & Amatus naſci memoriæ prodiderunt.

*Cyperi germanæ radices.*

Monachi glorientur ſe collegiſſe veriſſimi Cyperi Dioſcoridis radices in Romano ſolo, ac etiam intus Romam. Eas quidem non excedere Olearum figuram & magnitudinem, & eſſe conuexas ad inuicem, folio mediante, ſicut radices herbæ Filipendulæ. Nullam denique notam à Dioſcoride poſitam deeſſe eis. Plantam etiam ſimiliter conuenire deſcriptioni Dioſcoridis, excepto quòd reſpectu alteriùs plātę, ſc. Cyperi vſualis, hæc minor ſit. Raròequidem Iuncum triquetrum ſupra binum palmum erigi. Supradictā autem cyperi vſualis plantam multoties vltra nonum palmum protendi. Huius igitur dictæ paruæ plantæ cyperi radicibus vtendum eſſe, cōtra communem vulgarem vſum. Et indubiè tenendum, hunc eſſe verum cyperum Dioſcoridis: nec obſtare quod in Italia ſit parua planta, cùm & Dioſcorides dicat caulem eius cubitalem eſſe aut maiorem. Verùm propterea non volunt aſſerere illum magnum ſeu vulgarem non eſſe cyperum. Quia licèt ab ipſo Dioſcoride & aliis authoribus non præcisè ſcribatur, habet tamen [ exceptâ radice ] omnes alias notas cypero attributas. Nec magnitudo eius facit aliquid: vt non ſit cyperus. Fatentur enim ipſum eſſe cyperi ſpeciem: ſed à veritate formæ radicum ipſorum, alterum rotundum, alterum verò cyperum longum, appellandum concludunt: In vſum autem medicum rotundum magis commendant.

*Cyperus Dioſc. Romæ collectus.*

Anguillara, aliter ac alii, videtur exiſtimare cyperum Theophraſti à Dioſc. differre, cùm ait: cyperus tum ille qui deſcriptus eſt à Theophraſto, tum ille Dioſcoridis, notiſſimus eſt in Italia. Vterque eſt in horto publico Patauino. *Hæc Anguillara.*

Dodonæus duarum ſpecierum meminit nempe longi & rotundi. Quod ad rotundum attinet, neſcio de quo loquatur, radicem non exactè deſcribit.

Antidot. Florentinum meminit etiam his verbis: Duorum generum in Italia reperitur: Vnum exiguum, cui radices Oleę ſimiles: Alterum maius, cuius radices inæquales & contortæ. Hodie quæ ex Oriente adfertur melior eſt noſtrate. *Hæc Collegium Florentinum.*

Cyperum ( inquit Corn.) quem Celſus iuncum quadratum appellat, & Plinius triangularē, Dioſc. ſimpliciter angularem dicit, & ſimilem σχοίνῳ. id eſt iunco rotundo ac odorato à Celſo dicto. Nec cyperus alius à cypero eſt, velut Plin. ex Theophraſto putauit, qui tamen eandem quā Dioſcorides deſcriptionem habet. Nec Galenus, nec Aetius, nec Paulus ampliùs quàm vnum cyperum agnoſcunt: cyperis tamen priuatim radix cyperi dicitur. At cyperi ſpecies in India naſcens Zingiberi ſimilis, ea eſſe creditur, quæ tamen hodie Zingiberis radicibus ammixta reperitur, dum ex India illæ afferuntur, & per Italiam ferè, itémque in noſtris Officinis Curcuma appellatur. Reperitur etiam inter Zingiberis radices allata, radix fulua, geniculata, ponderoſa, acri admodum ſapore, quæ Officinis Galanga appellatur minor: nam maiorem diximus eſſe Acorum: & hanc cyperi aliquam ſpeciem eſſe Herbarii ſagaciores coniectant, & Babylonicum cyperum appellant. *Hæc ille.*

De Cypero eiúſque ſpeciebus, hæc Caſp. Bauhin. in pin. κύπειρος aut κύπειρις, à radicis effigie, quæ pyxidulam aut vaſculum puſillum imitatur, nomen accepiſſe videtur. Genera duo Dioſcorides lib.1. recenſuit: alterum radice rotundâ, quod Officinarum cyperus eſt: alterum Gingiberis effigie, quod in Officinis Curcuma dicitur.

Cyperus alius amarus, alius dulcis eſt: amarus, vel odoratus, vel inodorus: vterque vel rotundus, vel longus: dulcis verò vel anguſtifolius, vel latifolius eſt.

κύπερον aut κύπειρος & ἐρυσίσκηπτρον Græcis: Latinis cyperus dicitur, Officinæ Latinum nomen retinent. Inter Dioſc. ſpuria numeratur: Romani

ni uocant *Ianci radicem*, alij *Iuncum*. Germ. wilden Galgaet, & wollriechende eckete Bintzen, hoc eſt ſylueſtrem galangam & iuncum odoratum anguloſum (à caule nimirum) nominant. Gall. *Souchet*, fortè à radice quam Galli *Souche* vocant cuius vis & vſus eſt præcipuus. Arab. *Saberade*, Hiſp. *Iuncia de olor*, & *Iuncia auellanada*, vt ait Matth. Amatus tamen dicit Salmanticæs Pharmacopolas *Auellanada* vocare, & *iunca auellanada*.

Cyperi vetera genera nota noſtro ſeculo ſunt tria, pręter Indicum, quæ cognita fuêre Matthiolo, Collegio Florentino & mihi, Quorum 1. longus, Secundus quem rotundum nigrum Italicum vocamus, qui Dioſcoridis videtur. Tertius eſt rotundus Syriacus magnus.

Cyperi autem nomine aliquot donantur plantæ, in primis cyperi genera, de quibus hoc capite agitur, cuius radices oblongas dicit Plinius vocari cyperida. Secundò cyperus Plinio quæ eſt xyphion & gladiolus de qua ſuo loco. Tertiò eſt cyperus in India Dioſcor. de qua cap. de cypero Indico, apud Plinium cyperis dicitur cap. 13. lib. 21. Officinis *Terra merita*. Quartò cyperi nomine donatur Galanga, ſunt enim aliqui qui cyperum Babylonicum cognominarunt, vt Ruellius & Syluius. Quintò eſt Pſeudo-cyperus Plinio, qui an ſit ex numero præcedentium vel planta diuerſa difficile eſt diiudicare.

## CYPERVS PANICVLA SPARSA SPECIOSA.

### CAP. CLXXXIII.

RAdices importuno reptatu luxuriant, circa Monſpelium: longæ, mox in Oliuares portiones extuberantes, atque ita continuatæ vt in



Filipendula, odore grato, colore fuſco: Culmi triquetri, bicubitales, ſtriati, quos à radice ſtatim comitantur folia multa longa, pediculi palmares, & dodrantales, aut etiam vix vnciales, paniculæ plurimæ, diuiſę. Habent Seplaſię cyperum longam, quæ nec ipſa nodis deſtituitur, ſed qui minores ſint quàm Syriacæ, maiores quàm Creticæ, nec ita rotundi, ſapore & odore ſuaui aromatico cum amaritudine. Hanc cum Monſpeliana eandem autumo. Si figura non fuiſſet ſculpta meliorem curaſſemus parandam.

Hiſtor. Lugd. figuram titulo cyperi noſtratis longi odoratioris poſuit ex Lobelio: & præterea aliam pag. 991. à Matthiolo ſimpliciter nomine cyperi: vna meo iudicio ſufficeret imago: nec duæ diuerſæ plantæ exprimuntur.

C. Bauh. pin. *Cyperus longus odoratus* 1. ſiue cyperus odoratus longâ radice: & *Cyperus officinarum*: *cyperus radice gracili & ſurculoſa* Theophr. *Cyperida*, Plinio. *Cyperus*, Matth. (qui & longum & rotundum vulgarem vna figura exprimit, vt & Lugd.) Ang. Fuchſ. Tur. Lac. Geſn. cat. (cui & Iuncus anguloſus) Caſt. *Cyperus Romanus* ſiue *longus*, Cord. in Dioſc. *Cyperus longus* (odoratior, interponitur in Ic. plant. pag. 75.) Lob. Adu. Eid. Obſ. p. 40. & Hiſt. Lugd. *Cyperus longus*, Cord. Geſn. hort. Dodon. Camer. Tab. Ger. *Cyperi ſecunda ſpecies*, Amat. *Cyperus primus & maior*, Cæſ. *Galanga ſylu. longa*, Germanis.

Nomina linguarum.

Græci κύπειρον aut κύπειρον: Ger. wild Galgant. hoc eo, galangam ſylueſtrem, & wolriechende eckete Bintzen, id eſt, Iuncum odoratum anguloſum, vocant: Belgæ wilde Galgaen, Galli *ſouchet*. Quin & galangam Velcurienſem, quòd ibi multùm proueniat, Corn. appellat.

Locus.

Cyperus noſter longus, de quo loquitur etiam Fuchſius, naſcitur in locis cultis & paluſtribus. In Germania non niſi cultus in hortis prouenit. Minuta folia in cacumine cum ſemine Iunio & Iulio menſe producit. Dodonæus in Flandria tantùm in hortis reperit. Sed licèt aſſerant nonnulli cyperum in tractu Rheni gigni, Tragus tamen nuſquam, quàm in hortis ſatum prouenire vidit. Matthiolo cyperi radicibus longis genus laudatiſſimum naſcitur propè Timaui fontes. Commendatur etiamnum odore is, qui in Hetruria prouenit, radicibus ferè Filipendulæ æmulis: ſed non, ob id illi fuerit præferendus, quem Syria mittit. Longi, habitioris, odoratioris Europæi frequentior multò prouentus & vſus Septentrionalibus regionibus, vt Germaniæ, Belgio, Angliæ & Galliæ quàm Meridionalibus tranſmarinis: Lobelio & Pena teſtibus. Nos etiam cyperum quem deſcripſimus odoratum circa Monſpelium variis in locis obſeruauimus, vt iuxta urbem ad riuulum non longè à portu S. Gille ad ſiniſtram eámque cùm flore menſe Iunio, Obſeruauimus etiam in hortis quibuſdam vt Tiguri Geſneri, Paterniaci Io. Textoris Medici, Patauij, Geneuæ.

## CYPERVS PANICVLA CRASSIORE minùs ſparſa.

### CAP. CLXXXIV.



Deſcriptio.

CVlmum tollit triangularem ad cubiti & ſeſquicubiti altitudinem, quē ſtipant *folia* graminea, ſtriata, carinata, acuto dorſo gibba: in culmi ſummitate folia duo aut tria breuiora, anguſtiora, oriuntur, quorum ſinu *paniculæ* ſe explicāt fuſcæ, *floſculis* pallentibus: *radix* è pluribus oliuaribus glandibus conſtat, colore foris fuſco, intus albo, ſub-

ſtantia dura dulci: hiſce adnata complura filamenta, glandiúmque inter ſe connexus per filamenta fit, culmum craſſitudine æquantia: virens odore deſtituitur.

Synonyma

Lob.Obſ.pag.93.& Ic.pag.75. Plant.Icon. *Cyperus rotundus* vel *Iuncus angulosus*: *Iuncus quadratus. Iuncus angulosus & triangularis* Celſi & Plinii. Qui non deſcribit nec dicit cuius cyperi ſit figura, inodori vel odori, vel vbi viderit. Dodonæus de purg. nomine cyperi rotundi, vt etiã in folio figuram pònit: quæ videtur reſpondere cypero hic à nobis deſcripto.

Caſp.Bauhin.pin. *cyperus rotundus odoratus* 3. ſiue vulgaris. *Cyperus*, Trago. Lob. Obſ. cui & *Iuncus quadrat.* Celſi. *Iuncus anguloſus & triangularis*, Plinio. *Cyperi prima ſpecies*, Ama. *Cyperus rotundus*, Cord. in Dioſcor. Geſn. hott. Dod. Lob.Ic. Lon.Tab. Ger. *Cyperus alter radice oliuari*, Cæſ.

Locus & Tempus.

Montbelgardi ſuo nimio reptatu moleſta, florens Iunio & Iulio. Turnerus attulit nobis aliquando cyperum collectum Heidelbergæ, cum pulchris nodoſis radicibus, quem ſuſpicamur eundem cum eo quem deſcripſimus.

## CYPERVS SYRIACA ET Cretica, rotundáue.

### CAP. CLXXXV.

Deſcrip.

CYperus quam pro Syriaca accepimus Lugduni, delatam à Valerando Dourez ex Italia ad Theriacam, plerumque totoſa, ſolida, farcta, exteriùs ruffa, tranſuerſis liris ſeu Zonulis cincta, interiùs ex ruffa in album vergens, ſapore vegeto, etiam poſt annos triginta, acri & ſubamaro, Zedoariæ ſimili, ſed ignauiore: turbinata, vel globoſa, craſſis filamentis adhæſiſſe appatet.

Pro Cretica mihi data Lugduni cyperus quæ Venetiis: Valerando Dourez miſſa, radix Oliuæ minoris, rugoſa, foris nigra au fuſca, odotata aromatica & amara.



Synonyma

Hos Cyperos referimus ad Theophraſti, quorum meminit lib. 4.cap. 11. & l. 1.cap.8. & lib. 9.cap.7. & 16. Item cauſ.lib. 6.cap.16.&17. Plinius vocat cyperum genus Iunci triãguli, radice Oliuæ nigræ, & cùm oblonga eſt, vocat cyperida. Dioſc. κύπειρον & ἐρυσίσκηπτρον quorundam. Cyperus præfertur à Matthiol. quem Syria & pòſt Alexandria Aegypti mittit: quandoquidem longè odoratior & ſubamarus, in huius autem defectu Italicum ſupponunt officinæ.

Non adeò multi ſunt anni, à quo quidam horti Italiæ rariorem, rotundum vocatum, alebant, Lobeliúſque copiam duorum generum rotundi vocati ex Syriç emporiis Venetias aduchi videbat, ſcil. Dioſcoridis maiorem hũc & minorem rotundum.



Cyperi alterum genus Cæſalpini exile, palmi altitudine, numeroſis eſt radiculis, Oliuæ figura, media quadam fibra, tanquam filo, cõnexis, multùm odoratis: ſimiles radices afferuntur inter externa, longè craſſiores, exteriùs rubentes. Noſtrum cyperum (videlicet longum maiorem & minorem rotundum de quo hic) aliqua ex parte à Dioſcorideo differre patet, licèt viribus fortè non ſit inferior. Theophraſt. cyperum vocat quem Theodorus Gladiolum vertit. Plinius Cyperum differre putauit à cypero; quem Gladiolum eſſe inquit: vnde Theodori error.

Cyperus Hiſp. *Iuncia de olor*, & *Iuncia auellanada*, Luſit. *Iunca de Cheiro*, *Albafor*, Longobard. *Tricola* dictus Amato, eſt caule plærumque quadrangulari, radicibus rotundis, nonnunquam oblongis, oliuis ſimilibus, nigris, Cornelio.

Antidot.Florent. cyperi in Italia genus exiguũ, cui radices Oleæ ſimiles.

Lac. cyperis Oliuis ſimilis Romæ vulgaris: Item cyperus odoratior ex Syria & Alexandria.

Alpin. Aegypt. cyperus rotundus, Aegyptiis *Hedueg* vocatus, cui radices ſunt nigræ, rotundæ, magnæ Oliuæ craſſitudine, multæque vni radicis capillamento appenſæ ſimul cohærentes.

Hiſt. Lugd. pag. 991. cyperus peregrinus, ſiue Syriacus rotundus maior & minor.

Caſp.Bauhin.pin. *Cyperus rotundus odoratus* 1. ſiue *rotundus Orient. maior. Cyperus rotundus Hedueg Ægyptiis*, Alpino. *cyperus Dioſcor. maior rotundus* Adu. *cyperus rotundus Orient. maior* vel *Babylonicus* Rauvv. *cyperus maior Syriacus*, Cam. in Matthiol. *cypero rotundo ſimilis* Cæſ. *cyperus rotundus odoratus* 2. ſiue *cyperus rotundus Orientalis minor. cyperus rotundus minor* Adu. *cyperus minor creticus*, Cam. & Matthiol. Orientalis cortice eſt fuſco: Creticus verò nigro.

Loc

In lacunoſis paluſtribus, & cultis enaſcitur, vt in Cilicia, Syriaca & Cycladibus, autore Dioſc. cyperi minoris radicem duplo minorem eſſe ait Lob. Syriaca, quæ non modò è Syriæ montoſis humentibus, ſed etiam Illyriæ & Apuleiæ conſimilibus natalibus vbi ſpontè prouenit, in Italiã fertur emitúrque magni. Cyperus rotundus niger in Nilo flumine atque in pluribus Aegypti lacubus vel locis paluſtribus copioſiſſimus eſt, teſte Alpino. Cyperi Syriaci radicem elegantem in naturalium noſtro theſauro adſeruamus ab Illuſtri Medico Patauino Hercule Saxonia miſſam,

qui

qui idem pro ſingulari ſua humanitate & munificentia pluribus aliis exoticis Cherlerum donauit.

De huius viribus hæc Dioſcorides: Vis ipſi eſt calefactoria, & apetiendi, vrinam ciendi. Calculoſis & hydropicis potu auxiliatur, itémque à ſcorpione ictis. Eſt ad vteri perfrictiones, & fomentis adhibita prodeſt, menſes ducens. Facit etiam ad oris vlcera & depaſcendo proſerpentia arida trita. Miſcetur & malagmatis calefactoriis. Narratur & alia ſpecies Cyperi in India. Cyperi radices maximè vſui ſunt excalfacientes pariter & exiccantes abſque mordacitate, autore Galeno. Itaque vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt mirificè proſunt: habent enim quiddam etiam adſtringens: quapropter vlceribus oris conueniunt. Quin & incidendi vim quampiam illis ineſſe teſtificandum, quia & calculo vexatis congruunt, & vrinam menſeſque prouocant. Cypero vis in Medicina Pſilothri, vt refert Plinius, illinitur pterygiis, vlceribúſque genitalium, & quæ in humore ſunt omnibus, ſicut oris vlceribus. Radix aduerſus ſerpentium ictus, & Scorpionum præſertim, remedio eſt, vuluas aperit pora. Largiori tanta vis, vt expellat eas. Vrinam ciet, & calculos, ob id vtiliſſima hydropicis. Illinitur & vlceribus quę ſerpunt, ſed his præcipuè quæ in ſtomacho ſunt, ex vino vel aceto illita. Apud Ægyptios maximos ad medicinam vſus habent radices. Sunt verò odoratæ, atque acuti ſaporis. Hæ calefaciunt, exſiccant ſine mordacitate, incidunt, attenuant, oráq; venarum aperiunt. Sed præcipuè ad vlcera oris: & pudendorum ſananda familiariſſimum ipſarum tum puluis, tum combuſtarum cinis, eſt remedium: ex ipſis paratum decoctum, vel puluis, ſtomachum, cerebrum, pulmones, vterum, neruos, articulos, aliquibus diebus ſumptum, plurimùm calfacit, ſiccat, roborátque naturalem calorem: ex quo omnibus morbis à cerebri tum frigida, humidáque temperie, tum frigidorum humorum diſtillatione concitatis, hæ efficaſiſſimum ſunt auxilium: non minúſque ſtomachi cruditatibus, humiditatibus, flatibus, anhelitúſque difficultati, orthophnœæ, tuſſi, nec non hyſtericis omnib. mulieribus ex frigido, humidóque vtero effectis, aliiſque morbis, ab iiſdem vteri cauſis obortis, & articulorum doloribus. Familiare ſatis remedium ad ſuppreſſos menſes eas eſſe ibi expertum eſt. Decocto ac puluere ad frangendum tum in renibus tum veſica lapidem, ac ad ciendam vrinam frequentiſſimè illi vtuntur, quod etiam non minùs in omnibus chronicis febribus ac aliis diuturnis morbis frequentant.

## CYPERVS AQVATICVS SEPTENTRIOnalis Lobelio.

### Cap. CLXXXVI.

Scrobibus item & riuulis ad Scaldæ amœniſſima fluenta pone Nouam Antuerpiam vrbem iiſdem foliis & iubata panicula prouenit. *Radices* nonnullas, ſed paucas, teretes, oliuares, oblongiores inſtar Filipendulæ emittens glanduloſas, guſtu adſtringentes, nulla odoris gratia. Lobel.

Lobel. Obſ. pag. 40. Ic. p. 72. *Cyperus aquaticus ſeptentrionalis* 1. *Cyperus aquaticus* Lobelii. Ca-



mer. hort. *Cyperus rotundus nigras inodoras radices habens.* Caſp. Bauhin. pin. *Cyperus rotundus inodorus,* 3. ſiue *Germanicus.*

## CYPERVS ROTVNDVS LITTOREVS inodorus.

### Cap. CLXXXVII.



IN Angliæ borealis & Belgij fluminum littoreis lene fluentiúmque riuulorum, & maris alluuionibus, Cyperi genus non inelegans, radicum longè latéque ſparſa ſobole multis & bicubitalibus implexarum filamentis cypero rotundo parium oritur. *Folia* anguloſa, *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, nitidus, triquetrus, in quo racemoſa iuba congeſta. Guſtu ſubadſtringit, radix frigida & ſicca odoris & ſaporis expers. Lobelius. Locus.

Lob. Obſ. pag. 40. Ic. plant. 77. *Cyperus rotundus littoreus inodorus.* Hiſt. Lugd. *Cyperus rotundus inodorus Lobelii.* Cæſalp. *Pſeudocyperus*, cuius herbam Noccum in Hetruria vocant. C. Bauh. pin. *Cyperus rotundus inodorus* 2. ſiue. *Anglicus.* Synon.

## CYPERVS LONGVS INODORVS SYLV. Lobelio.

### Cap. CLXXXVIII.

NOſtratis Cyperi altera ſpecies minor inodora, fermè neglecta, quam Theophraſtini in



Heluetia miſcebant ſuis quintis eſſentiis.

Synon. Lob. Adu. *cyperus longus inodorus*. Eid. Icon. pag. 76. *cyperus longus inodorus ſylu.* Caſp. Bauhin. pin. *cyperus longus inodorus* 4. ſiue *Germanicus*.

Locus & Tempus. Cyperus adulterinus Geſn. in aquoſis Geneuæ circa *Arue*, florens menſe Maio.

## CYPERVS LONGVS INODORVS ſyluaticus, vel montanus C. Bauh.

### Cap. CXC.

Deſcriptio. Radices habet oblongas geniculatas, rufeſcẽtes, *folia* plura, palmaria viridia, anguſta, ſubaſpera, ad principium membrana rufeſcente ſimul veſtita: *caulem* hactenus nullum obſeruauimus: In ſyluoſis montoſis humidis, vt in monte noſtro Muteto prouenit.

Synonyma. Hic cyperus *longus inodorus* 5. Caſp. Bauhin. in pin.

## CYPERVS GRAMINEVS.

### Cap CXCI.



Deſcript. Triquetrum cubitalis altitudinis *caulem* ſurrigit, quem *folia* comitãtur, eius imũ mediò tenus ferè complexa, vbi à caule receſſerunt, eius cacumẽ ſuperantia, carinata, duplo Gramineis latiora, alioqui non ita diſſimilia: ſummo caulis faſtigio Miliaceæ in latum diffunduntur *paniculæ*, granis confertis iunci grauidæ, quorũ exortui folia ſubiiciuntur, inferioribus, niſi minora eſſent, ſimilia. *Radix* fibroſa.

Synon. Lobel. in Adu. & Icon. Plant. pag. 79. cyperi *gramineæ* ſiue miliaceæ titulo ponit iconem, quæ non placet.

Hiſt. Lugd. duas dedit imagines, quaſi di- ... ſint plantæ. *Iuncus latus* pag 988. & *cyperus Gramineus*, ſeu *miliaceus* Penæ p. 995.

Caſp. Bauhin. pin. *Gramen cyperoides* 13. ſiue *miliaceum*: *Pſeudo-cyperus* πολύκαρπος, Thalii.

Geneuæ, Baſileæ & Montbelgardi frequenter & copioſè Maio menſe florentem obſeruaui.

## MALINATHALLE THEOPHR. ET Anthalium Plinio.

Inter edules radices quas Aegyptus fert Malinathalles à Theophraſto connumerantur: ait enim lib. 4. cap. 10. Locis autem arenoſis, haud procul à fluuio diſtantibus, naſcitur in terra, quod Malinathalle (μαλιναθάλλη, Malinathalle Gaz.) appellatur, figurâ rotundum, magnitud. verò Meſpili [μέσπιλου, ſine nucleo, ſine cortice: folia vt cyperus, κυπείρῳ, Gladiolus Gaz.] mittit.

Has eaſdem planè notas ſuo Anthalio Plinius lib. 21. cap. 15. tribuit, dicens: Anthalium longiùs à flumine naſcitur Meſpili magnitudine, & rotunditate, ſine nucleo, ſine cortice, folio cyperi.

Mihi autem *Traſi* [de qua mox agemus] conuenire videtur cum Malinathalle, quod idem mecum ſentiunt Cæſalp. Fab. Columna & Cluſius. Contrarium verò tenet Bellonius, qui Malinathallen exiſtimat eſſe *Melantzana* ſiue Mala inſana, cuius opinio nec mihi, nec Dodonęo, nec Cluſio probatur. Nos de Malis inſanis agemus l. 34.

Dodonæus ait Malum quod vocant Aethiopicum cum Malinathala non conuenire. Idem ſentit & Hiſt. Lugdunen. & meritò vt iudicauimus l. 34.

## HABALZELIN SIVE GRANVM Alzelin Veteribus.

### Cap. CXCII.

Habelzelin granum eſt pingue [inquit Serap. cap. 337.] Ciceris magnitudine, citrinum exteriùs, & album exteriùs, & habet bonum ſaporem & defertur ex terris Barbariæ. Auicennæ granum *Alzelin* eſt boni ſaporis, & oritur in partibus Herſur.

Habalzelin porrò eſſe *Traſi* exiſtimant Bellunenſis, Matthiolus, Montuus, Geſnerus, Alexander Bened. Lobel. & Pena, Rauvvolfius, Fumanellúſque. Negant Guiland. & de Traſi paulò poſt agemus.

Matthiol. ſcribit Guiland. Aethiopicum Piper cum Grano Zelin confundere: Geſnerus verò Guilandinum *Croni* vel Piper Nigrorum cum *Alzelin* commiſcere: vide Hiſt. n. g. l. 5.

## TRASI.

### Cap. CXCIII.

Non ſimul depoſitis in terra vuida radicum bulbulis mihi enatũ eſt *Traſi*, *foliis* quidem luxurians cyperinis, acuto dorſo triquetris, minoribus, nec adeò ſtringenti infeſtis: verùm nec caulem quem triquetrum aiunt, nec paniculas quas Cyperinis proximas aſſerunt, produxit: bulbuli verò cyperi modo circularibus Zonulis præcincti, partim æquant Auellanam candida dulci



dulei, compacta, veſca carne, ex radicum fibris penduli.

An verò *Traſi*, Theophraſti ſit μαλιναθαλλη, ſicut & Anthallium Plinij (quod ego quidem teneo) Lectoribus examinandum relinquo. Meam opinionem à Cæſalpino confirmatam inuenio, & poſtea etiam à Cluſio. Bellun. huius meminit in fine Auic. de nominibus Arabicis vocans Gramen *Alzelen* vel *Allezen*, Venetorum *Dulcighini*, & alio nomine Arabico *Hal Alzizi*. Iul. Scaliger huius mentionem fecit, dum ait ἀραχίδνα falsò putarunt eſſe eam, quam terreſtrem Zizipham vocat vulgus. Námque in noſtrati agro ea ſunt Chamæzizipha.

Cord. in Obſ. ſylua, Herbam radice Nucis auellanæ figura & quantitate (ita enim vocat *Traſi*) ſuſpicatus fuit, eſſe xyphion Theophraſti, aut Ornithogalon, aut *Moly* ſiue *Myle*, cùm tamen nec vlli plantarum à Veteribus denominatarum reſpondeat.

Matthiol. in Epiſt. ad Fallop. Oloconitis Hippocr. non eſt Traſum, quod Veneti *Dulcighinum*: perperàm Guillandinus contendit contra Bellunenſem Granum Zelim apud Serapionem non eſſe *Traſum*: Æthiopicum Piper cum grano *Zelim* confundit, perperámque Bellunenſem impugnat: Facultates Grani Zelim Auicennæ reſpondent Dulcighino. Idem in Dioſcor. *Traſi* ſaporis dulcedine caſtaneis proximè accedentes, ſunt radiculæ figura ac forma perſimiles ſericinis Erucis, quæ feruenti balneo elixę contrahuntur, dum ſerica ſtamina inde mulieres conglomerant. Folia farragini ſimilia, cuius radicibus Traſi cohærent: Has verò ſatis repræſentare videntur radices illæ, quas Doronicos vulgus Officinarum nominat. Et in Epit. Traſi ita Veronenſibus appellati, Venetis *Dolzolini*: folia in cacumine mucronata, cyperi modo, quem quidem planta tota plurimùm imitatur. Caules enim edit cubitales & anguloſos, in quorum cacumine folia exiliora in ſtellæ modum radiantur, inter quæ flores ſpectantur ſpicati ſubfulueſcéntesq;. Radices habet numeroſas, è quibus globuli dependent bulboſi, oblongi, ſubrubeſcentes, Fabarum magnitudine, etiam grandiores, alba dulcíque intus medulla, ſcabro putamine. Matthiolus olim Iconem ponebat in qua nulli caules nec flores, ea figura eſt minùs artificioſa, potiſſ. quoad radices: in epitome poſtea & aliis commentariis mutata eſt icon & deſcriptio, additíque ſunt caules & deſcriptio non ex autopſia, ſed fortè ex icone aut deſcriptione miſſa per Calzolarium, quam bene relinquimus iudicio Ioh. Ponæ Pharm. Veronenſis.

Amatus in Dioſc. cypero affinem ait, & in vniuerſa Luſitania ac Hiſpania *Iunca auellana* vocari refert, ſignificantiùs tamen Iuncum Auellanam.

Parum abfuit quin παλινῳδίαν meditaretur Guillandinus *Mamiras* apud Paulum, & Holoconitim apud Hippocr. non modò diuerſorum generum plantas denotare, verùm etiam vtramque vocem ab Italorum Dulcichinis (quæ Veronenſes *Traſe* & *Traſii* vocant, Genuenſes Ziziphas terreſtres, Hiſpani Iuncum Auellanam, Arabes *Habbaziz*) diſcrepare. Eſt idem autor Dulcichina βολβοκάστανον dici non poſſe. Nihil tamen obſtare contendit quominùs Dulcichinum *Mamiras* dici poſſit. Ridet autem Bellunenſem, qui Dulcichinum ab Auicenna Granum *Alzelin* vocari aſſerit. Tandem aſſerit Holoconitin Hippoc. non diſſidere à Dulcichino.

Dulcichinis ſiue Traſi minoris in Africa vbi vocantur *habalzelim* vocatis, & ab aliquibus in Italia Iuncus Auellana, quem Amatus Venetiis vendi ſcribit ex Æthiopia aduectum, Græcè Schœnocaryon nomen finxerit Geſn. hort. Idem hæc ait ad Guilland. inter Epiſt. Matth. Dulcichinum Oloconitim Hippocratis negabas: nunc verò coniugas: dubitaui ego poſſit ne idem Bulbocaſtanon dici, nunc verò tecum ſentio non eſſe: aſſertam à te veram Tralliani lectionem aſſentior. Tu Dulcichinum Mamiram eſſe affirmas, ego nego. Item Bellunenſis Granum alzelei &c. Alex. Benedictus idem ſentit, tu contradicis. Ego Dulcichinum Granum alzelim eſſe ſentiam, Croni vel Piper Nigrorum cum Grano Alzelin contra Serapionis ſententiam confundis; Oloconitis Hippocr. non eſt Dulcichinum. *Geſ. contra Guilland.*

An Leri cap. 13. *Traſi* intelligit cùm ait: Syluestribus Americæ eſt genus fructus quem vocant *Manobi*, in terra prouenieus Tuberum modo & filamentis cohærens, nucleus non maior ſatiuis Auellanis, eiuſdem ſaporis, cinerei coloris, cortice non duriore quàm Piſorum: an folia & ſemen proferat, licèt ſæpiùs comederim, non obſeruaui: nec recordor. In margine *Manobi* ſpecies Auellanæ (*noiſette* Gall.) prouenieus in terra. Multùm ſimilitudinis habet hæc radix cum *Traſi*: an eadem affirmare non audeo.

Bellonij Obſ. lib. 2. cap. 25. *Dulcegum* Italorum, ſiue *Dolceguim*, in Hiſpaniæ Valentino agro *Iuncia abellanada* vocata, cum *Malinathala* Theophraſt. & Plinij, multis notis conuenire videtur Cluſio.

De Dulcichino (vt vocat de purg. & Hiſtor. Lat. in fol.) hæc ſcribit Dodonæus. Dulcichinum cyperum rotundum refert. Folia etenim eius arundinacea, oblonga, dorſo eminente, triangula, cyperidis ſimilia, caulis anguloſus & iuba ſimiliter reſpondent, omnia tamen breuiora ac minora, à tenuibus radicum fibris, Auellanis ferè conformes, ſed tamen aliquantò oblongiores, dependent globuli, veluti exigui bulbuli, ſpecie articulati, colore exteriùs ruffeſcente, interiore verò carne candidi, ſapore grato, dulcíque & caſtaneis proximò. Stirpem ipſam noſtra ætas Dulcichinum, & radiculas *Traſos* ſiue *Tragos* appellat, aut Traſcos. Cyperi ſpecies eſt, ſed dulcis, Theophraſto, vt ſatis apparet, non incognita. Libro ſiquidem de cauſis ſeptimo. Cyperi radices inter dulces atque edules refert. Cyperi, inquit, radix dulcis; vt eorum quæ in fluminibus & paludibus proueniunt. Quod procul dubio, non de alio, quàm de iſto, accipi poteſt: aliorum ſiquidem cyperorum radices amaricant & minimè edules ſunt. Non deſunt tamen, qui Traſos iſtos Arabum Medicorũ Habalzelin ſiue Granum Zelin eſſe conſtanter exiſtimant, quod tamen veritati parùm conſen-

rancum. Nam Alzelin ab auctoribus Arabibus inter Fructus ſiue Grana connumeratur, nequaquam autem inter radiculas. Serapio quidem ſic habet. Habelzelin granum eſt pingue, Ciceris magnitudine, citrinum exteriùs, & album interiùs: & habet bonum ſaporem, & defertur ex terris Barbariæ. Idem affirmat Auicenna cap. 303. Ex quibus, quòd inter hæc diſcrimen ſit, palam fit. *Hus vſque Dod naus.* Dodonæus cudit ſuam deſc. ad iconem Matthioli, ex eodem aſſerens, quod non vidit: duas icones habet, vnam ſine caulibus, quæ placet: alteram cum caulibus & floribus ex Matth. minùs artificioſam: cyperum eſſe dulcem Theophraſti aſſerere nondum poſſumus, nec etiam negare eſſe Habalzelin: non ſatisfacit nobis argumentum eius.

Lobel. in Adu. vocat Traſi Recentiorum, Afrorum *Hab-al Z-lin*, & *Traſi* Veronenſium [vt etiam Obſ. pag. 4. & 42. itemque Ic. pag. 87.] ſtatuens, cyperis congeneres, indeque cognomine cyperos eſculentos.

Cæſalpinus refert aliquos agri Veronenſis *Zizolas* terreſtres vocare, cyperi genus hoc vulgò *Traſi* vocatum, quo Doronici radices adulterant.

Inter edules radices quas Aegyptus fert *Malinathalles* à Theophraſto connumerantur. Ex cuius textu Plinius mutuatus pro μαλιναθάλλη, Anthalium tranſcripſit: quod græcè ἀνθάλιον ſcriberetur, ex ἀνὰ, & θαλέω, vel θάλλω compoſitum, quod eſt regermino, parum diſtans à verbo μαλιναθάλλη, quod ex μάλα aduerbium, & ἀναθάλλω conflatum eſt, ſignificátque valdè regermino, quod etymon proprium eſt huius plantæ, quæ radice vnica ſata ſe propagat, innumeráſque producit, authore Columna.

Nos aſſumpſimus iconem Columnæ, cui flores, quos negat Pena ferre, dicens potiùs eſſe cyperi cum Traſi prouenientis Veronę. Cluſius exhibet iconem ſine caule & flore, quæ nobis placer.

Traſi noſtrum vel eſculentum cyperum Dulcichinum à Guillandino vocatum, collocat Pona inter plantas, quæ nec caulem, nec florem, vt nec ſemen etiam producunt.

Synonyma. Caſp. Bauhin. apud Matthiolum putauit eſſe cyperum radicibus dulcibus Theophraſti, quam ſentētiam videtur retractare in pin. dicēs: *cyperus eſculentus* 1. ſiue *cyperus rotundus eſculentus anguſtifolius* χυπειδεν, Geſn. hort. *Traſi* Matthiol. Caſt. Cæſ. Lugd. Frag. *Herba radice magnitudine Auellanæ*. Cord. Obſ. *Iuncus Auellana*, Ama. *Traſi Veronenſium*, Adu. Lob. *Dulcichinum* Geſn. hort. Guil. Dod. *Holoconitis Hippocr.* Fabric. *Cyperus dulcis Theophr.* Cam. Tab. *Cyperus eſculentus*, Ger. *Malinathalla* (quaſi valdè regerminans) *Theophraſti Aegyptiorum, & Anthalium Plinii* Dalechamp. in Plin. Cæſ. Column. *Margaritæ Aegyptiæ, Autore libri Ariſtotelis de plantis*, Dalechamp. in Plin. *Traſi folio cyperi*. Cluſ. in Garz. *Habaziz* portæ. *Habel aſſis Tripolitanis*: ſiue *Gramen alzelen Arabum*, Rauvvolff.

Autorum diſſenſus. Plantam hanc nec caulem, nec florem, nec ſemen producere, ſed ſola radicum propagatione conſeruari, Geſnerus lib. de hort. & Pona in ſuo Baldo affirmant. Contrà Matthiol. Dodonæus, Lob. Columna cum flore pingunt, & C[illegible]inus, caules, folia & ſemen cyperi, & Frag[illegible] ſpicatos aliquantùm flauos, tribuit.

Locus. [illegible] propria Veronenſis eſt, nullibi e[illegible] præterquam apud nos ſpon[illegible] prope vrbem ad meridiem autore Pona. In Aegypto coli radicem quam Itali *Dolcegum* nuncupant, teſtatur Bellonius. Cluſ. frequentem reperit in agro Valentino in Hiſpania. Rauvvolfius ſcribit Tripoli venalem in officinis proponi ex Aegypto delatam. Planta germinat Vere & Aeſtate. In fluminis Atheſis ſeritur ſabuloſis, vt tradit Alexander Benedictus. Autumno bulbuli leguntur, Vere ſeruntur in plures multiplicandi.

Traſi cremore pectoris & laterum vitia expurgantur, quo fit vt tuſſientibus opem non modicam præſtent, tunduntur enim, macerantúrque carnium iure, deinde per linteolum exprimitur cremor, quem etiam venereis potionibus miſcent Recentiorum nonnulli: Sunt, vt experientia compertum eſſe, & ex dulcedine conijci poſſe, ſcribit Matthiolus in calfacientium & humectantium genere, ſed flatus quodammodo gignunt. Excalfaciunt quidem & humectant ordine primo, leniunt, læuigant, emolliunt, Veronenſes pro bellariis veſcuntur. Capiti non mediocriter conducunt.

## TRASI MINORES.

### Cap. CXCIV.

De herba tota certi nihil adferre poſſum, at radices rotundiores minoréſque quàm Traſi vulgaris Veronenſium, mediocris Piſi magnitudine, foris rugoſæ, nigriores, intus albæ, dulces, ſapore eodem cum Veronenſium Traſi.

An Geſn. hort. *Dulcichini* & *Traſi* minores in Africa vbi Habalzelin.

Anno 1539. accepi Traſi minores, miſſas à Carolo Paludano ſub titulo *fructùs ex capo grati eſui* & poſtea anno 1598. ab eodem cum inſcriptione Traſi Indici.

## CACERAS TRASIVM MODO NAſcens, folia Iridis luteę.

### Cap. CXCV.

Inuenitur in India *radix* Traſiū modo ipſis terræ viſcerib. naſcens, quę deinde per ſiccitates *cauliculum* emittit dodrantalem, *folia* ſimul implicata, virentia, Iridi luteæ aquaticæ ſiue Gladiolo ſimilia. Dehiſcente per ſiccitates terra exilit Tuberum modo, deinde ſiccata caſtanearum ſaporem refert, non ſiccata autem ingrati ſaporis eſt: *Caceras* illic vocant, vt Gar. Arom. l. 2. c. 23. prodidit.

Caſp. Bauhin. pin. *cyperus eſculentus* 2. ſiue *cyperus rotundus eſculentus latifolius*. *Caceras*, Garziæ addit Cluſ. in notis, μαλιναθάλλα Theophr. *Caceras* in Goa, Frag.

## PAPYRVS NILOTICA.

### Cap. CXCVI.

Cùm nobis incognita hæc ſit, nec vnquam viſa, placuit in ea pertractanda eum ordinem obſeruare, quo ab ipſis autorib. eſt manifeſtata. Non corticis igitur, ſiue libri, cui inſcriberetur, vt quidam putarūt eſt Nilotica, ſiue Aegyptia Papyrus [illegible] d plantæ magnitudinis ſpecioſæ admodu[illegible] peri ſimilis, effigie, natalibus, etiámque [illegible] atura Aegyptia, qua in regione ſecus

fluent-



fluenta in Nili paluſtribus, adoleſcit, nec è profundo emergit, ſed tantùm è vadoſis fruteſcit, non procul à ripis, vt etiam diuina pagina narrat Moſen diuinæ ſpei & elegantiæ delicatuſum puellum à matre inuita eiectum propè Nili ripam inter Papyros, vnde diuinitùs iuſſu filiæ Pharaonis eductus, indéq; *Moſes* vocatus, quaſi *aquis ereptus*, fuit. Niloticam Papyrum, vnde & qualem deſcribunt Theophraſtus & Plinius aduectam, hortíque Piſani totius oræ Thyrrenæ, longè amœniſſimi & ruris ſtirpibus ditiſſimi inquilinam factam vidi & florentem legi beneuolentia Profeſſoris in Academia Piſana Andreæ Acroariæ Ciſalpini, quo etiam hortante nonnullos ſtolones Papyri & aliarum rariorum plantarum Geſnero miſimus: quarum oblectatus peregrina elegantia, vt erat incomparabilis modeſtiæ & eruditionis, non ita multò pòſt literis gratulabundis hæc ſignificauit. Rarum ſpectaculum ſui mihi præbuerunt ſtirpes duæ munera tua rariſſima, quarum illam Papyrum Niloticam vocas, altera, mihi tecum ignota eſt: ſed nec illam nouiſſem, niſi tu monuiſſes eſſe Papyrum Niloticam è Piſano horto lectam. Plinio videtur gemina Ægyptia & Babylonia, ex qua præparantur acu chartæ diuiſæ in prætenues, ſed quàm tenuiſſimas philyras. Tua verò an ſic poſſit parati neſcio: Plinianæ premuntur prelis plagulæ & ſecernuntur ſcapo nunquam plures quàm vicenæ. Plurima quæ ibi habet Plinius non aſſequor, nec cum Theophraſto conferre vacat, ſed pervelim ſcire cuiuſmodi tuæ ſint folia, & an non cyperus ſit, ac cùm noſtrum opus in lucem exibit curem depingendas, ac tibi acceptas feram.

Neutiquam mirum doctiſſ. Geſnero viſam eſſe cyperum, cùm illi ſit congener & ſimillima: verùm elegantior multò eſt, Iunceo harundinaceóve triquetro caule, medulla farcto tomentacea, quæ tuſa glutiniſque in ſpeciem ſubacta ducebatur in bactreas Papyraceas, quæ mutuò ſibi appreſſæ folia craſſiora conflabant ſcribendo apta, quemadmodum etiamnum fit ex laciniis linei panni contuſi & in candidum gluten redacti. Medulla verò vtebantur ex præcepto Antiquorum, quemadmodum hodie Chirurgi Itali linamentis & turundis ex medulla Sambucina aut ſpongiæ paratis, quò ſuis poris meliùs ſaniem imbibant, ſuáque qualitate deſiccando fiſtulas latiores faciant, quod factitari ſolitum meminit Dioſcorides. Stipitum numeroſorum proceritas, læuis, nitida, ſurrecta ſenûm ſeptenûmve interdum cubitorum, quibus, nuſpiam niſi ad imum folia inſunt cyperi aut Sparganii repanda: radices autem arundinaceæ, fibroſæ, quas in Ægypto erutas aſſerebant, non illic ortas, propterea quia ſemine caret, tametſi floribus eſt perquàm ſpecioſis & luculentam in ambitu cæſariem effigiantibus: numeroſis, gracilibus thyrſulis denſo & æquabili comarum ſtipatu, & apicibus prominentibus, Ferulæ in modum collectis, non vt cyperi ſparſis, quos circa ortum ambiunt radiatim, ſita folia, multò minora illis, quæ ſunt ad imum, vti in cypero. Idcirco veriſimile ſit hanc veram Theophraſti eſſe, & Papyri deſcriptionem apud Plinium geminam eſſe, ſed mutilam, éque duabus diuerſi generis Papyris confuſam, nempe ex Ægyptia hac & ex Babylonia, cuius etiam alij Scriptores, meminerunt. Nam vt nomen & res indicat, Theophraſti Papyrus non alia eſt, quàm Dioſcoridis, quæ notiſſima omnibus fuit, ex qua præparabantur chartæ, & vtiliſſima Medicis ad ora fiſtularum diducenda, nempe medulla, vt ſuperiùs oſtendimus, etiamq; è Iuncea medulla hodie fieri ſcimus, nam ipſam chartam non eſſe, ſed medullam, indicio eſt, quòd Dioſcorides dicat cinerem crematæ Papyri, præſtantiorem eſſe quam è charta, & ipſos ſtipites neutiquam inſeri ſinibus aut fiſtulis ſolitos, ſed medullam, propter commoda quæ recenſet Dioſcorides. *Idcirco que* aut vſum tum funium, tum chartæ obſcuriùs Plinius tradit, cùm dicit, texuntur omnes tabulæ madente Nili aqua, quod de funibus quis forte interpretetur. *Et mox*: turbidus liquor vim glutinis præbet, cùm primò ſupina tabula ſchedæ illinitur longitudine Papyri, quæ potuit eſſe ſegmentis, vtrinque amputatis: tranſuerſa poſtea crate peragitur, premuntur deinde prelis & ſiccantur Sole plagulæ, atque inter ſe iunguntur, quæ medullæ gluten in chartas duci ſolitum innuere videntur. At vbi in Euphrate circa Babyloniam naſci ſcribit, non eandem videtur deſcribere, ſed eundem vſum habere chartas, quæ diuiſæ acu in prætenues, ſed quam latiſſimas, philyras præparantur. Quare & hæc iſta folia admodum lata, quibus metæ ſaccharatæ adferuntur paſſim inuolutæ ex Auſtrinis trans Æquatorem Inſulis vocari poſſunt Papyraceæ, quemadmodum olim etiam folia Palmæ & aliarum arborum, quibus poterat quippiam commodè ſcribi, tamen non eſſe genuinam certum eſt. Quapropter conſultius eſt, vbi defuerit hæc noſtra Papyrus, cinerem parare ex cyperi vulgaris, aut Iunci magni aquatici medulla vtendum ad de paſcentium vlcerum rabiem feram compeſcendam.

Papyrus, quam *Berd* Ægyptij vocant, Alpino eſt planta fluminis Nili, binis aut pluribus caulibus rectiſſimis ſupra aquam ſeptémve cubitis aſſurgens. Cauliúmque in faſtigiis ſcapus innumeris capillamentis, longis, rectíſque contextus, cernitur. Foliis quoque conſtat multis, rectis, enſiformibus, typhæ aliquatenus ſimilibus, triangularibus, ac mollibus. Chyrurgi foliorum medulla vtuntur, ad vlcerum ora dilatanda. Ex ſcapíque combuſto cinere, recentia vlcera curant, qui etiam maligna augeri (ſi ſæpe aſpergatur) non ſinit. Ex ſcapis recentibus aquam diſtillant, ad oculorum ſuffuſiones, caligines, ac obſcuritates maximè proficuam.

Caſp. Bauh. pin. *Papyrus* 2. *Biblios* vel *Syriaca*, ſiue *Sicilianæ*. *Sari*, Theophraſto. *Biblios ſecundo*, Euſtachio, *Papyri altera ſpecies, quæ Papyrus in Sicilia*, Guilland. *Papyrus*, Cæſ. *Nilotica*, in Adu. & Ic. p. 79. Tab. Ger. *Papyrus Aegyptia*, Penæ, Hiſtor. Lugdun. Synon.

## GRAMEN SPICATVM CVM PERIcarpiis paruis rotundis.

Cap. CXCVII.

Deſcriptio



SVrrectis eſt craſsiſque *folys* Phalangii ſimilibus. *Culmus* verò ſpithameæ longitudinis, *ſpicã* gerit inſtar Plantaginis. Lob.

Lob. Teut. & Ic.Plant. p. 16. Zeeghe aarentgras, *Gramen marinum ſpicatum*: Cluſ. Pann. *Gramini montano ſpicato ſimile in maritimis Flandriæ frequens,* vulgò Suden appellatum. Tab.icon.& Hiſt. *Gramen aquaticum ſpicatum*, Gearhe waſſer graß / Hydragroſtis. C.Bauh.Phyt. *Gramen 68. & Gramen ſpicatum alterum maritimum.* Eid. pin. *Gramen iunceum & ſpicatum* 17. ſiue *Gramen ſpicatum alterum.*

Locus. Copioſè in Zelandia naſci ait Lob. in riuulorum ripis locíſque aqua irrigatis: Vidimus apud fratrem Caſparum miſſum Norimberga.

## GRAMEN TRIGLOCHIN.

Deſcriptio



GRamen triglochin ex capite pendulis fibroſis complicatis *radicibus* nititur: *culmos* tollens nudos, enodes iũceos, cubitales & ſeſquicubitales, interdum locis ſqualidis palmares ferè: *ſpicam* à medio gerunt ſummo tenus: longâ ſerie floſculi turbinati, formâ ferè capitulorum Pyrolæ, delapſis primulùm floribus, nõ item magnitudine: quos excipit ſeries mucronatorum *fructuum*, qui acumine cõtinui, inferiùs ſpectante, in triplicem barbulam alati, inſtar tridentis ſagittęúe, diſſiliunt. *Folia* ab radice orta culmos comitantur palmaria & dodrantalia, peranguſta, plana.

Synonyma Lobel. Belg. Ander zee oft zeelandeſch ghearent gras. Ic.Pl. *Gramen marinum ſpicatum alterum.* Tabern.icon.& Hiſt. Binßengraß 4. *Gramen iunceum* 4. & iunceum ſpicatum geähret Bießgraß. Camer.hort. *Gramen marinum ſpicatum alterum* Lobelii. Maius cuius pictura eſt apud eundem, ad lacus ſalſos naſcitur circa Halam Saxoniæ. Minus verò in pratis latioribus & humectis circa Lipſiam, quod inter Calamagroſtis ſpecies Tragus depinxit.

Caſp.Bauhin.phyt. *Gramen* 67. Eid.pin. *Gramen iunceum ſpicatum* 16. ſeu Triglochin: *Calamagroſtis* 2. Trago, icon Calamagroſtis 4. Hiſt. Lugd. *Carex minus*, Lon. *Gramen mixtum ex Iunco & Gramine*, Thal. *Gramen marinum ſpicatum*, Ger. *Gramen triglochin Dalechamp.* Lugd. *Gramen iunceum* 4. vel *Spicatum*, Tab.

Hiſt. Lugd. iconem habet meliorem, quoad fructum, quàm Lobelius, at flores Tragus rectiùs exprimit, vt & Tabernamontanus.

Inuenitur inter Spiram & Heidelbergam, in pratis locíſue aliis humidis.

## HYACYNTHI PARVI FACIE Gramen triglochin.

Cap. CXCVIII.



OBlongum habet comatúmq; *bulbũ*, Allii Alpini in morem, ſimplicem aliàs, aliàs multiplicem, à cuius imo demiſſis fibris radicatur, *folia* tenuiſſima, glabra, palmaria, interdum maiora, tria, aut quinque, ſtatim à radice oriuntur: *cauliculus*, duriuſcul. teres, gracilis, nudus, enodis, inter folia ſurgit, palmaris & ſeſquipalmaris: longam gerens ſpicam *floſculorum* luteorum, [niſi fallit in ſicca plãta color] exiguorum, è quorum medio protenditur ſtylus longiuſculus, ita vt cum eo flos referat rudimentum capituli Pyrolæ delapſis floribus: hinc ſtylus ille ſatis longo nixus pediculo triquetrus apparet, ínque tria ſpicula ſuperiùs cohærentia, ſubtus dehiſcit, quo modo in Gramine triſulco ſeu triglochine eſt obſeruari.

Lo[cus] In ſqualidis quibuſdam locis maritimis Narbonenſis Galliæ, & ſupra Admirabilem illum Gari fluuii Pontem trigeminum, eruit Gener H.Cherlerus Iunio.

## GRAMEN IVNCEVM MARINVM denſè ſtipatum.

C a p. CXCIX.

D[eſcriptio] RAdice & foliis eſt Graminis marini ſpicati Zelandici ſimilibus, duris & rigidis. Cuius culmi



mi ſpicas gerunt Iunci aquatici. Alioqui maritimo gramine, haud melius eſt aut vtilius.

Lob. Hiſt.B. p.17. Teutſch dick Graßken/ Teutſch dick bieß Graſken. Et Icon. pl. pag. 17. *Gramen iunceum marinum denſè ſtipatum.* Tab.Hiſt. *gramen iunceum* 1. Binzgraß 5. Et Icon. *gramen iunceum aquaticum minus.*

C.Bauh.phyt. *gramen* 72. ſiue *Iunceum tertium*: Eid.pin. *gramen iunceum ſpicatum* 11. ſiue *gramen iunceum foliis & ſpica Iunci minus* : *gramen iunceum marinum Gerardi.*

Ad littus Midelburgicum reperiri refert Lobelius ihn Cambs heymer heyden & in ſuperiori comitatu katzenelebog.

## GRAMEN IVNCEVM EX MONTE Baldo.

### Cap. cc.

IMum culmum amiciunt *folia* pauca, dura, cæteroqui nudum, enodem, dodrantalem, glomeratum è glumis candidis capitulum ſummo cacumine geſtantem, cui ad baſim ſubiecta bina foliola acuta, aduerſa, alterum altero longius, parùm tamen ſemunciam ſuperans. *Hæc ex ſicca*: ſic autem deſcribit Frater in prod. Radice eſt parua, fibroſa, circa quam folia bina, ternáve ſemipalmaria: culmus iunceus, læuis, enodis, & nudus, pedem ſuperans: cuius ſummo capitulum inſtar Phalaridis ſquamoſum in apicem deſinens, ex albo leuiter rufeſcens, inſidet, cui vtrinque foliolum rigidum ſubiicitur, quorum longius, vnciam ſuperans, deorſum vergit, alterum quod triplo breuius, rectà effertur.

C. Bauh. phyt. *gramen* 75. ſiue *iunceum montanum*, Gramini maritimo Dalechampij in multis conueniens, vtpote caule & capite: Eid. in prod. *gramen* 36. In pin. *gramen iunceum* 12. ſiue *montanum capite ſquamoſo*: Prouenit in montis Baldi ſummitatibus.

## GRAMEN IVNCEVM MARINVM CAPItulo ſquamoſo C.Bauhini.

### Cap. cci.

GRamini huic 37. in prod. vel, vt in pin. vocat, Gramini iunceo 13. ſiue minimo capitulo ſquamoſo, capillares ſunt *radiculæ*: *folia* pauca, capillacea, vnciarum ferè duarum: inter quæ *culmi* vnciarum quatuor vel quinque exurgunt, in quarum ferè ſummo capitulum vnicum minutiſſimum ſquamoſum rufeſcens, cui culmi apex ſupereminet:



In aquoſis circa Altorffium Noricorum, vnde D.Doldius miſit: & Françofurti ad Oderam prouenit. Locus.

## GRAMEN IVNCEVM MINIMVM ALTErum eiuſdem.

### Cap. ccii.

GRamen hoc 38. in prod. in pin. verò. Gramen iunceum 14. ſiue minimum alterum, à priore differt potiſſimùm capitulis, quæ & ſummo cauliculo inſident, & ſquamoſa non ſunt: in foſſis Patauinis, aquâ defluxâ, reperitur. Synon. cum deſcriptione.

## GRAMEN IVNCEVM MINIMVM MARItimum C.Bauhini.

### Cap. cciii.

TOta planta dodrantem non ſuperat, ceſpiti ſimilis, ex cuius ſingulis radiculis, ſinguli cauliculi exurgunt, foliolis capillaceis paucis cincti, qui exiguis vtriculis donantur, Gramen hoc 39. in prod. in pin. Gramen iunceum 15. ſiue minimum maritimum in Zelandiæ maritimis, ad oppidum Gous, D.Gillenius collegit & tranſmiſit. Deſcriptio. Synon.

## GRAMEN SYLVATICVM PARVVM tenuifolium, rigidiuſculum.

### Caput CCIV.



RAdice protuberat ab vno principio multiplici [autore Tabern.] fibroſa: foliis anguſtis, vulgato gramini ſimilibus, ſed plùs firmatis, ſolidis, denſò ordine ſtipatis. Culmi procedunt ex his plures, tenues, rotundi, ac duntaxat, ſpithamei. Spicæ in horum ſublimitate molles, capillares, ſubrufeſcentes. Deſcriptio

Tabern. Hiſt.& Icon. Gramen ſyluaticum primum: Gramen nemoroſum. Germ. waldgraß/ Buchß od Boſchgraß. Ital. *Gramen ſyluaticum* Angl. weddegraß. Belg. Boſchgraß. Ger. *Gramen ſyluaticum.*

Caſp.Bauhin. Phyt. *Gramen* 28. ſiue *nemoroſum primum*: Eid.pin. *Gramen nemoroſum glabrum* 3. ſiue *Gramen nemoroſum ſpicâ rufeſcente molli.* Synon.

In humido vliginoſo & arenoſo ſolo colligitur. Locus.

## GRAMEN SYLVATICVM III. TABERN. paruum, tenuifolium, cum ſpica aculeata.

### Cap. ccv.

RAdix ab vna origine multiplex, exigua, filamentis referta: *folia* anguſta, in acumen ab- Deſcriptio



cuntia palmum medium ferè longa: ex his oriuntur *calami* nouem aut octo tenues, aphylli, æquales, ſpithamei. Horum ſũmitates occupant *ſpicæ* paruæ, aculeatæ.

Synonyma Tabern.Hiſt. & Icon. *Gramen ſyluaticum* 2. ſiue nemoroſum, waldgraß 3. Ger. *Gramen ſyluaticum minus.* Caſp.Bauhin. Phyt.*Gramẽ* 23. ſiue *nemoroſum alterum.* Eid. pin.*Gramen nemoroſum glabrum* 4. ſiue Gramen nemoroſum ſpicis paruis aſperis. Variat hoc latiore folio in dumetis & anguſtiore in pratis.

Locus. Locum cum præcedenti eundem adamat.

## HOLOSTIVM MATTHIOLI IVNCVEM.

### Cap. CCVI.



Deſcriptio MAtthiolus Holoſtium vocauit plantulam in paluſtribus obuiam, palmum aut ſeſquipalmum altam, coliculis frequentibus, tenuibus, nonnihil rubentibus, & in ramos plures diuiſis: *folia* acuta duas aut tres vncias longa, anguſta: *floribus* ſecundùm ramulos, adcóque & in extremitatibus crebris, ſuccedunt vaſcula puſillum *ſemen* ruffum pellucidum claudentia. *radices* ſubſunt capillaceæ.

Si Lob.in Ic Plant.p.18.per Holoſtium Matth. eandem intelligit, quam Matthiolus plantam, meliùs placet Lobelii figura. Matth.ſuam plantã non deſcribit.

Matthiolus mutata priore ſententia in poſtr. comm.editione Holoſtium exhibuit pictum, nullà adiectà aut figuræ, aut virium declaratione, inquit H. Lugd. p.[illegible]

Gramen [illegible] videtur Thalio ea plãta, quam Lob.titulo Holoſtii Matthioli inſigniuit.

Synon. Tabern.icon.& Hiſt. *Gramen bufonium*, Krotengraß/Germ. Paddegraß. Fland.& Brab. Todegras Gall. *Herbe aux crapaux* aut *Crapaudine.* Eid.Hiſt.*Gramen iunceum* 6. Ger.*Gramen iunceum.*

Caſp. Bauhin. Phyt.*Gramen* 84. ſiue [illegible]: Eid.pin. *Gramen nemoroſum glabrum* 5. ſiue Gram. nemoroſum caliculis paleaceis: duplex repens & erectum.

Paſſim pratis muſcoſis, aliiſque putridis ac humentibus locis prouenit. L

## GRAMEN HOLOSTEVM ALPINVM minimum C. Bauhini.

TOta planta vnçias tres non ſuperat: foliis capillaceis, vncialibus: cuius culmis capitula paleacea inſident, copiosè in Heluetia in S.Bernardi monte minore prouenit. Gramen hoc in E pin.nemoroſum glabrum 6. ſiue Gramen holoſteum alpinum minimum, 46.in prod.

## GRAMEN SPARTVM PLINII, SIVE Sportularum Ficuum.

### Capvt CCVII.



SPartũ Latinorum & Plinii (inquit Cluſ.) à Sparto Græcorũ frutice differens, I herba eſt graminea, *folia* proferens, numeroſa, tenuia iũcea, viridiáque, cubitalis longitudinis ex eadem radice prodeuntia, quæ, dum nouella ſunt, latiuſcula cõſpiciuntur, & interiore parte caneſcẽtia, ſucceſſu vero temporis contrahuntur & conuoluuntur, fiúntque iuncea, dura, flexibilia tamen, & marginibus ita coniunctis, vt vix rima appareat, niſi diligentiùs obſerues. Inter hæc *culmi* exiliunt ipſis foliis paulò longiores, qui Vere & Aeſtate paruam arundinaceam paniculam ferunt, ſimili propemodum cum illa ratione florẽtem: deinde oblongum *ſemen*, vt nonnulla Graminis genera: *radicibus* nititur fibroſis & perennibus, è quib. multæ ſimul enaſcũtur plantæ contiguæ, Iunci modo, vt interdum vna planta, ſiue multarum ſimul congeſtarum plantarum culmus, duorum pedum ſpatium, vel etiam illo ampliùs in ambitu occupet.

Fuit hoc Spartum poſt Theophraſtum Græcis notum, vt Plinius lib.24.cap.9.teſtatur in quo quæſitum proponit, num Geniſta Græcorum Spartium ſit, de quo Homerus dicit, Nauium Sparta diſſoluta. Cui breuiter reſpondet, certum eſſe, nondam eo tempore Africanum vel Hiſpanum Spartum in vſu fuiſſe, vt credendum ſit, Geniſtam Græcorum Spartum eſſe, noſtrum verò Spartum illis ignotum eſſe, nec de eo vllam poſteritati reliquiſſe memoriam.

Hermol.coroll.[illegible] Spartum alterum in Hiſpania & Africa finibus natum, *Leucea* ſiue *Lygea* dictum ab Athenæo. Amato Spartium aliud à Geniſta. Dodon. frum. Spartum herba à Plinio

lib.19.cap.2.deſcripta. Lac.Spartum vulgare,differens à Geniſta. Cluſ. Spartum herba 1.

Lob.in Aduerſ. *Spartium* vulgò *Elpho Hiſpanica Iuncea*, vulgi *Funiſpartion*, an *Linoſpartion* Antiquorum? Eid.Obſ.p.45.Ic.plant.pag.88.*Spartum Plinii*, Cluſ.

C.Bauh.phyt.*gramen* 3. ſiue *gramen ſparteum* 1. Eid.pin. *gramen ſparteum* 1. ſiue paniculâ comoſâ: *Spartum Plinii Cluſ.* Lob. & H.Lugd. *Spartum herba*, Dod. *Spartum Plinii* 1. Tab. & Ger. *Iuncus Ibericus* ſiue *Hiſpanicus*, Dalech. in Plinium: λινόσπαρτον Theophraſti.

In Bætica regione Hiſpaniæ parte, præcipuè regno Morſienſi naſci tradit Amatus: veluti in Algarbia apud Luſitanos, Aphricæ contermina. Frequens naſcitur, authore Cluſio, collibus arenoſis inter Vaëna & Alcalal-Real, atque e aliis Bæticæ locis: ſed omnium abundantiſſimè ab initio Granatenſis regni, ſiue Bæticæ limitibus, vſque ad Murgim vrbem, vulgò *Murgia* dictam, vt non ſine cauſa totus ille tractus Veteribus appellatus ſit *Spartarius campus*, quo etiam noua Carthago, vulgò *Carthagena*, vrbs maritima continetur: hæc etiam à nonnullis Spartaria cognominata eſt, ob Sparti (vt credibile eſt) eo agro naſcentis abundantiam. Naſcitur & Valentino regno, atque illud quidem ſuperiore longè vberius & lætius.

Porrò, Sparti vſus, inquit Plinius, multa poſt ſecula cœptus eſt: nec ante Pœnorum arma, quæ primùm Hiſpaniæ intulerunt. Herba eſt hæc (Iuncus Ibericus, ſiue Hiſpanicus, ἀχαύδης, ἄκαρπος, ἄφυλλος, ad nexus tantùm vtilis Dal.) ſponte naſcens, & quæ non queat ſeri, Iuncúſque propriè aridi ſoli, vni terræ dato vitio. Námque id malum telluris eſt, nec aliud ibi ſeri aut naſci poteſt. In Africa exiguum & inutile gignitur. Carthaginenſis Hiſpaniæ citerioris portio, nec hæc tota, ſed quatenus parit, montes quoque Sparto operit. Hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc ignes, faceſque, hinc calceamina, & paſtorum veſtis, animalibus noxium præterquam cacuminum teneritate. Ad reliquos vſus laborioſè euellitur, ocreatis cruribus, manibúſque tectis manicis, conuolutum oſſeis ligneiſve conamentis. Nunc iam in hyeme vix. Facillimè tamen ab Idibus Maiis in Iunias: hoc maturitatis tempus. Vulſum faſcibus in aceruo animatum (adunatum) biduo, tertiò reſolutum, ſpargitur in Sole, ſiccatúrque, & rurſus in faſcibus redit ſub tecta, Poſtea maceratur aqua, marina optimè, ſed & dulci ſi marina deſit. Siccatúmque Sole iterum rigatur, ſi repentè vrgeat deſiderium, perfuſum calida in ſolio, ac ſiccatum ſtans compendium operæ fatetur. Hoc autem tunditur vt fiat vtile, præcipuè in aquis mariſque inuictum. In ſicco præferunt è canabi funes. At ſpartum alitur etiam demerſum, veluti natalium ſitim penſans. Eſt quidem eius natura interpolis, rurſúſque quàm libeat vetuſtum nouo miſcetur. Veruntamen amplectetur animo, qui volet miraculum æſtimare, quanto ſit in vſu omnibus terris nauium armamentis, machinis ædificationum, aliiſque deſideriis vitæ. Ad hos omnes vſus quæ ſufficiant, minus XXX M.paſſ. in latitudinem à littore Carthaginis nouæ, minúſque in longitudinem eſſe reperientur, longiùs vehi impendia perhibent. *Hæc ille natur.hiſt.lib.19.c.2.* Virgæ (inquit Amatus) huic ad ſummum cubitales ſunt, ſolidæ, ad frangendum difficiles, vinculorum vſui præcipuè, ex quibus cordæ, funes, Cameli & nauium ornamenta parantur: nec minùs in ipſa Algarbia & Bætica regione, ex iſto Sparto, infinitus ſportularum & corbium calaſthicorum numerus, pro deferendis ficubus, & paſſis, aliiſve mercibus ad vniuerſam Germaniam, Pruſſiam, & Bohemiam, Galliam & Scythicam fiunt, hodie verò Spartum hamato ligno conuolutum eradicatur, veluti quoque Plinij tempore, oſſeis, ligneiſve conamentis euellebatur. Spartum eodem in vſu nunc eſt apud Hiſpanos, referente etiam Cluſio, quo fuit Plinij tempore. Nam ex crudo & exſiccato tapetes ſeu aulæa, ſtorias, corbes, rudentes, alióſque funes conficiunt; corbes etiam illi in quibus ficus, & vuæ paſſæ aduehuntur, ex Sparto contexti ſunt. Sed ex illo aquâ, inſtar lini, macerato, deinde ſiccato & tuſo, calceamenti genus, quod ipſi *alpergates* appellant, paratur, funes etiam & alia ſubtiliora opera. Præfertur autem id quod Valentino regno creſcit,

## GRAMEN SPARTVM 2. CLVSIO.

### CAP. CCVIII.



Deſcriptio. SPartum herba alterum Cluſij naſcitur Murciano regno, humidioribus præſertim locis, ſuperiore tenerius, cuius valdè rarus eſt vſus, vt quod ſtoriis aut huiuſmodi operibus conficiendis minimè ſit idoneū, plurimus autem eius vſus in eâ regione, ad lineos ſaccos, quos lectis ſubſternant, implendos, vt nos ſtramine vti ſolemus, quoniam molliore, tenuioréque ſit iunco, quàm primum: paniculam fert breuem, & pericarpio quodam, ſiue membranaceo folliculo incluſam: vti Narciſſorū & ſimilium ferè flores.

Synon. Lobel.Hiſt. Belg.p.122.& Obſ.p.45: *Spartum alterum Cluſii*. Eid.plant.icon.p.88. *Spartum Plinii & Cluſii alterum*.

C. Bauh. pin. *gramen ſparteum* 2. ſiue *paniculâ breui folliculo incluſ.*: *Spartum alterum Plinii*, Lobel. Hiſt.Lugd. Tab. & Ger. Sparti herbæ alia ſpecies, Dodon.

Locus. & tempus. Naſcitur eodem quo ſuperius illud ad multa vtile, modo: paulò tamen maturiùs flores producit: nam Martio ſuis floribus onuſtū legebat Cluſ.

## SPARTIVM SPICATVM, PVNGENS Oceanicum.

### CAP. CCIX.

Deſcriptio. SPartum herba 3. ſiue Oceanicum aut maritimū Cluſii, nonnullis, Galliæ, Flādriæ que locis & aggeribus illis ſabuloſis, Oceano obiectis inuenitur, *Halm*, ab incolis, præſertim Flandris vocatum: quod, priori Hiſpanico non valdè diſſimile eſt, ſed multò maius & rigidius, cruribus eorum, quibus per eos aggeres ſine ocreis iter eſt, permoleſtum: pungunt enim & cutim penetrant eius folia. Creſcit eodem modo quo ſuperiora, magis tamen latè ſerpit Graminis modo: *Spicam* autem fert Secalis pænè inſtar: eius vſus,



vt latis ſuis ceſpitibus & valdè confertis, atque obliq, ſpargentibus ſeſe radicibus, arenam firmiorem reddat, & colliget in aggerib., ne tam facilè marinis vndis & fluctibus eluatur, & faciliùs reſiſtant tēpeſtatibus, qui in Oceano crebræ.

Ex Plinii l.19 cap. 2. ac lib. 24.c. 9. oſtendi poteſt Geniſtā & Spartium diuerſas eſſe plātas, quanquam obſcurè vtramq; herbam diſcernat, ac dubia prorſus fide tradat: tamen priori loco per Iuncos aculeatos, ſiue virgas, longas, ſine foliis, eas omninò intelligere videtur, quas Holandi Oceani magni accolæ, ob vrgentem dānosúmque maris impetum, atque inundationem, arenoſis montibus inſerunt, ne validiori arena vento promptè defluat aut diſſipetur. Plinius montes his operiri, in citerioris Carthaginenſis Hiſpaniæ portione, ſcripſit. In Holandia 𝔖𝔢𝔩𝔪 vocant, quaſi Galeam. Hanc omninò pinxiſſe Dioſcoridem lib.4.cap.159. arbitratur Cronemburgus. Sed quo modo ad Dioſc. Spartum referri poſſit non oſtendit.

*Cronemburg. Spartium Holandicū*

Synonyma. Caſp.Bauhin.Phyt. *Gramen* 113. Eid. pin. *Gramen ſparteum* 3. ſiue *ſpicatum, foliis mucronatis longioribus*, vel *ſpicâ ſecalinâ*. *Spartum tertium*, Cluſ. Hiſt.Lugd. *Spartum herba* 3. *maritimum*, Cluſ. Hiſt. *Spartum noſtras*, Lob.Obſ.p.45. Ic.89. Hiſt. Belg.pag. 125. *Spartum* 5. & *Plinianum* 3. Tabern. *Spartum Anglicanum*, Ger.

## GRAMEN PENNATVM, ALIIS Spartum.

### Cap. CCX.

Deſcript. PRætenuia è rad. capillatis germinant folia dodrātalia: *Alia* ſuperiùs teretia, inferiùs plana: inter quæ ſurgentes *culmi* in criſtam ſeſquipalmarem lanugine molliceа, vtrinque plumatā, contortámque, deſinentes. *Spartum herba* quintum, ſiue Auſtriacum pennatum, non in locis aurâ marinâ afflatis (autore Cluſ. Pannon. & Hiſt. poſt.) natum, ſed procul à mari, procul ab arenoſis illis aggeribus, ſpontè etiam creſcens. Habet verò id *folia* pedalis longitudinis, gracilia, viridia, numeroſa, plana initiò: ſed quorum limbi tandem coëunt, Iunci modo læuia, teretiáque fiunt, Sparti Hiſpanici foliorum inſtar, quibus nō multùm abſimilia ſunt, ſed minora & graciliora: inter ea *culmi* exeunt graciles, foliorum faſtigiū non ſuperantes, qui *ſpicam* ferunt aliis diſſimilem, ſed tribus aut quatuor oblongiuſculis granis, longa contortáque cauda inſignitis duntaxat conſtantem, quæ in dodrantalem, vnò pe-



dalem, interdum veluti penulam, tenuioribus alarum auis illius *Mamucodiatæ* ſiue paradiſi vulgò nuncupatæ, pennulis fermè reſpōdentem, deſinit: *radix* ſubeſt è multis capillamentis gramineíſque fibris compoſita, Hiſpanici Sparti radicis inſtar.

C. Bauhin. Phyt. *Gramen* 118. ſiue *ſparteum* 8. vel *pinnatum*: Eid. pin. *Gramen ſparteum* 11. *ſiue pennatum*: *Spartum Auſtriacum*, Cluſ. Pann. *Gramen* 9. *vel iunceum* Dod. *Gramen pinnatum Dalechamp*. Lugd. Variat iuba colore: eſt flauo, & etiam candido.

In aridiſſimis tumulis, apricis, lapidoſíſque prouenit. Abundè hoc genus, ut teſtatur Cluſius, naſcitur in monte Badenſibus thermis imminenti, totáque illâ catenâ montium qui inde ad Danubium vſque procurrunt, prætereа ad ſyluulam 𝔏𝔞𝔠𝔥𝔫 aliiſque apertis & Gramineis locis Auſtriæ & Vngariæ: ſed omnium vberrimè in Viuario illo Neapoli Auſtriacæ vrbi conriguo, in quo vberiùs lætiúſque prouenit. Semen maturum Iunio, vel læuiſſimo auræ flatu excutitur, atque cum ſua pennula paululùm volans, vbi decidit, ſtatim per Gramen irrepit & terrā ſe condit.

## GRAMEN SPARTEVM VARIEGATVM, Caſp.Bauhini.

### Cap. CCXI.

GRamen 33. In prod. *Gramen ſparteum* 12. ſiue *variegatum* foliis eſt quatuor vel quinque vnciarum, rotundis, variegatis, quorum alternatim pars vna viret, altera rubet: quod primo Vere in Franckenhuſiis montibus copioſè reperiri, D. Iungermannus anno 1602. ſcripſit, & colorem cultura mutare monuit: Spartique nomine, ſolùm folia, misit.

## SPARTVM MARITIMVM SIVE Oceanicum latifolium.

### Cap. CCXII.

IN ſabuloſis collibus Walcheræ & Hollandiæ, inquit Lobelius, reperitur Spartum. Vnum ſpica, radice, magnitudine, ſemine aceroſo, ad Spartum tertium Cluſii proximè accedit. Diſcrimen in ſolis eſt *foliis*, quæ pulchra Frumentaceis & Graminis ſtriati ſulcati foliis latiora, coloris glauci.

De hoc ſcribit Cluſ. Spartum herba 4. Batauicum ſiue Oceanicum 2. à tertio maritimo ſiue Oceanico

Oceanico primo, minimè differt tota plantæ forma, radicéſque ſub arena condendi, latéque ſpargendi licentiâ: eius tamen ſpicæ breuiores videntur & Phalaridis potiùs quàm Secales paniculas imitari, id Bat̃auis, quibus valdè familiare iiſdémque vſibus ſeruit quibus Oceanicum primum, etiam *Halm* dicitur.

Icon apud Cluſium, quæ eadem cum Lobeliana, monſtrat magnam differentiam à priore Oceanico, in quo folia anguſta pinguntur: verùm reſpondet deſcriptioni Lobelij. Eid. dicitur in H. Belg. p. 133. & Icon. plant. p. 89. *Spartum noſtras alterum.*

C.Bauh. phyt. *gramen* 114. ſiue *Spartum* 4. Eid. pin. *gramen ſparteum* 5. ſiue *ſpicatum latifolium*: *Spartum* 6. *vel Plinianum* 4. *Tabern.*

## GRAMEN ÆGYLOPS, BROMOIDES Tabern. longiſſimis ariſtis.

Cap. CCXIII.



o Radice eſt multiplici (vt autor eſt Tabern. fibroſa, ex qua numeroſum emergit agmen *foliorum* paruorum anguſtorum iunceorum. Inter quæ terni vel quaterni aſſurgunt *culmi* tenues cubitales aut ſeſquicubitales, qui in ſummitate *ſpicas* gerunt glumis auenaceis ſimiles, ſed ariſtis acutis, & longis, quæ ex membraneo folio, velut vtriculo ſpicam infernâ parte complectente, proſiliunt, & in vnum tantum vergunt latus. Glumę verò *ſemmum* ſunt vacuę. Decidentibus verò ariſtis & ipſa ſicca cum glumis ſuis in iubam è tonſilibus cirrhis contextam, inſtárque lini panſam dehiſcit, tandem vaneſcit tota.

Tabern. hiſt. *Aegylops* 4. *Bromoides* 1. habern wacht. Icon. *Aegylops Bromoides* (ſic etiam Gerardo) Nadelwacht.

C.Bauh. phyt. *Gramen* 107. *ſiue Feſtuca longis ariſtis.* Eid. pin. *gramen Feſtuca* 15. ſiue *Feſtuca longiſſimis ariſtis glumis vacuis ſpadicei coloris.*

Arenoſis gaudet locis & ſiccioribus pratenſibus: potiſſimùm verò in viis inter VVormatiam & Frankental Palatinatus ciuitatem obuium eſſe teſtatur Tabernamontanus.

## SPARTVM PARVVM LOBELIO.

Cap. CCXIV.

tio Duras craſſaſque *fibras* demittit: *culmi* numero plures, ima parte foliorum circumiectorum voluminibus craſſeſcunt, alioqui fili inſtar tenues, enodes, dodrantales, quos à medio ad ſummum vſque conſcendunt, altera duntaxat parte erũpentes, eodémque vergentes, *glumæ* duræ, tenues, longiuſculæ: *folia* vbi ſtipulam non ampliùs inuoluunt, admodum tenuia, & ferè rotunda, trium, quatuórve vnciarũ lõgitudine: accepimus apud D. Vldaricum Chelium, Medicum Argentinenſem ex plantis Agerianis ſiccis.



Lobel. Hiſtor. Belg. p. 124. & Ic. plant. pag. 90. Klein *Spartium* van deſen landen. *Spartum noſtras paruum.* Tabern. Spartum 7. vel Plinianum 5. Synon.

Caſp. Bauh. phyt. *gramen* 117. ſiue *gramen ſparteum* 7. Eid. pin. *gramen ſpartium* 6. *ſiue Iuncifolium.*

## GRAMEN SPARTEVM PRIMVM TABERnæmontani.

Cap. CCXV.

Gramen ſparteum primum (inquit Tabern.) *radice* nititur fibroſa, longa: *folia* rigida, tenuia, pedalia, neruo medium percurrente: *culmi* cubitales & altiores, teretes, læues, foliis multis amicti: *ſpica* digitali longitudine, interdum longiores, colore fuſco obſcuriore. Deſcriptio

Tabern. Hiſt. *gramen ſparteum primum* pfrimen graß das erſt. icon. *Iunciſpartium.* Synon.

C.Bauh. phyt. *gramen* 115. *ſiue ſparteum* 5. Eid pin. *gramen ſparteum* 4. *ſiue ſpicatum foliis mucronatis breuioribus, Spartum Anglicum* 2. Ger. tit.

Vberi prouentu, Tabern. annotante, naſcitur in ſqualidis locis inter Hertzogenbuſch in ſabuletis, variiſque aliis Brabantiæ locis. Locus.

## GRAMEN SPARTEVM BASILEENSE CApillaceo folio, C.Bauhini.

Cap. CCXVI.

Ex *radice* fibroſa, *culmi* plures exurgunt, qui ſtatim in folia capilli inſtar anguſtiſſima, in acumen molle faſtigiata, palmum ſæpe, pedémve altiora, abſumuntur: nec paniculam, nec ſpicam obſeruauimus. Tota planta inſigniter viret, & ex multis plantis ſimul iunctis ceſpes conſtituitur: in paludibus Michelfeldæ prouenit gramen hoc Sparteum 7. ſiue Baſileenſe, folio capillaceo, vt autor in pin. vocat, vel, vt in prod. gramen 29. Deſcriptio

## GRAMEN SPARTEVM MINVS, VEL HOlandicum, C Bauh.

Cap. CCXVII.

Gramen hoc 30. vt in prod. vocat, vel, vt in pin. Gramen ſparteum 8. ſiue minus, vel

Holandicum pro *radice* fibras tenuiſſimas albas habet: *folia* copioſa, capillacea, pallida, triũ quatuórue vnciarum, inter quæ culmi tenuiſſimi, palmo altiores, vno, alteróue internodio donati, & penè nudi efferuntur, qui paniculam pallidam diuulſam ſuſtinent: & communiter plures ceſpites conſtituunt. Nomine ſparti Holandici ex ſylua Hagana D. Weckerlinus miſit.

## GRAMEN SPARTEVM MONSPELIAcum folio capillaceo minimum, eiuſdem.

### Cap. CCXIIX.

Synon. Deſcriptio

RAdicem habet Gramen Sparteum 9. ſiue Mõſpeliacum capillaceo foliò minimum [vt ab autore in pin. vocatur] pro 5. in prod. deſcriptum, ex fibris albis, oblongis, capillaceis compoſitam, *folia* capillacea, vncialia: *culmos* tenuiſſimos, nudos, trium quatuórue vnciarum: paniculas paruas ex locuſtis minimis compoſitas & per maturitatem ruſeſcentes: quod Monſpeſſuli in agris æſtiuo tempore reperitur.

## GRAMEN SPARTEVM SETAS EQVINAS referens Caſp. Bauh.

### Cap. CCXIX.

Synonyma Deſcriptio

HOc [quod in prod. 32. eſt: in pin. verò Gramen ſpartum 10.] album eſt, & ex *radice* alba, ſetarum inſtar, *folia* cubitos quatuor longa producit, quæ forma & tenuitate, & robore caudam equinam eiúſque ſetas referunt: ex quibus Iauę inſulæ incolæ rapetia texunt. Cuius fortè mentio fit in C. Cluſii curis poſter. ſub Herba, *Sparto Hiſpanico non abſimili*. Sic ex Inſula Virginea, arboris cuiuſdam cortex candidiſſimus, in pili tenuitatẽ diuiſus adfertur, è quo incolę pãnos texunt: hunc corticem à D. Gillenio, Gramẽ verò à D. Saltzmanno accepimus.

## GNAPHALIVM TRAGI, SIVE IVNCVS Bombycinus.

### Cap, CCXX.

Deſcriptio



*Gnaphaliũ Trago. Linum pratenſe.*

IMplexis fibris radicatur, iũcos tollens rectos enodes, folioſos, in quorũ ſummitate è bifori vagina, longis lentíſque pediculis appenduntur paniculæ tomentoſæ, candida bombycũ opera & mollitie præſtantes.

A Trago inſcribitur Gnaphalion, & Mattẽflachs / h. e. Linum pratenſe, & Wiſen wollen, id, eſt, Lana pratenſis cognominatur, ſtatuitúrque Iuncei Graminis genus. Eiuſdem cum Trago opinionis eſt Cornarius.

Tabern. icon. & Hiſt. *Gramen tomentoſum, Linum pratenſe, Linagroſtis, Erioſchœnus, Linoſchœnus* Angl. Waterleeke & Medowe woulle. Fland. & Brab. Syde Bieſe volckbieſe / Quiſpelbieſe / Mattenſplachß vndt wattenbieſe. Germ. flachſengraß. Errant qui Dioſcoridis Gnaphalium faciunt.

Geſn. de ſtirp. coll. vocat ſimpliciter Matte=flachs: In catal. pl. appellari cenſet Alopecuron, & Frumentum caudatum à quibuſdam, quæ opinio nobis non placet.

An Plinius lib. 19. cap. 1. de hoc ait: Aegyptii quartum Lini genus Orchomenium appellant. Fit è paluſtri veluti Arundine duntaxat (Fit è paluſtris arundinis foliis, vel duntaxat Dalech.) panicula eius.

Caſp. Bauhin. Phyt. *Gramen 122. ſiue tomentoſum.* Eid. pin. *Gramen tomentoſum 2. ſiue Gramen pratenſe tomentoſum panicula ſparsâ. Gnaphalium* Dioſc. Trag. *Typha* Dioſc. Ang. Iuncus bombycinus, Adu. Lob. icon. pag. 87. Obſ. pag. 44. *Gramen eriophorum*, Dod. *Linum pratenſe*. Geſn. coll. Icon. *Gnaphalion Tragi*, Hiſt. Lugd. pag. 116. *Pſeud linum*, Caſt. icon. *Gramen iunceum lanigerum* Thal. *Gramen tomentoſum, & Linagroſtis* Tab. *Gramen tomentarium*, Ger. Nonnunquam contractis pediculis tanquam pappus conſpicitur.

Geneuæ prouenit in vliginoſis pratis quà itur *Colognũ*, cum ſuo tomento Maio. In valle Grieſbachiana vbi fontes acidi, abundat. C. Bauhin. obſeruauit Baſileæ propè Michelfeld. Pleriſque humidis & deſertis Brabantiæ & Germaniæ locis, huiuſcemodi Gramen reperitur: præſertim Iunio ac Iulio menſibus, quando ex ipſis iunceis ſtylis lana candicans dependet.

Vi pollet adſtringente & condenſante, quare in vino nonnulli decoquunt, propinántque alui profluuio, ac colica ab eadem cauſa exorta laborantibus, vires vlteriores & facultates nos latent, Tab.

## IVNCVS ALPINVS CVM CAVDA leporina.

### Cap. CCXXI.



CRebros ex paruis *radicibus* ſurrigit *culmos* dodrantales, interdum cubitales, ſtriatos, *foliis* propter terram ſtipatos, quæ & ipſos culmos aliquouſque inuoluunt, alioqui Iuncea folia in ſtylum exeunt acutum, paullóque ſupra radicem ruffeſcentia, ſæpe in fibras como-

comoſas fatiſcunt : cæterùm ſinguli culmi in turbinatam caudam, caneſcentibus tomentoſis ſquammis, compactilem, faſtigiantur , mollitie holoſericum prouocantem: radicatur denique fibris aliquàmmultis, fragilibus.

Caſp. Bauh. phyt. *Iuncus* 10. ſiue *Schoenolaguros*, miſſus à Fratre Io. Bauhino nomine Iunci alpini cum cauda leporina: Eid. in prod. *Iuncus* 7. ſiue *capitulo lanuginoſo* : Item pin. *Iuncus capitulo lanuginoſo* 3. ſiue *Schoenolaguros*, à capitulo haud multùm leporum caudæ diſſimili.

Prouenit in monte eundo Ribeſſawe ex fonte acido S. Petri Maijo, eodémque menſe in proceſſo monte, itinere Griesbachiano, *Dornſtet* vrbem Ducatus VVirtemb. verſus.

## IVNCVS ALPINVS BOMBYCINVS.

### Cap. CCXXII.

QVi C. Bauhino in prod. *Iuncus* 8. in pin. verò *Iuncus capitulo lanuginoſo* 2. ſiue *alpinus bombycinus* eſt, ei ex radice aliorum Iuncorum ſimili, *folia* iuncea exurgunt, inter quæ *culmi* plures tenuiſſimi, palmo minores , qui capitulum paruum, lanugine alba ornatum, ſuſtinent.

In montibus Morauiæ loco dicto Keſſel, D. Fleiſſerus eruit, & communicauit.

## SCHOENANTHOS SIVE IVNCVS odoratus.

### Cap. CCXXIII.



INter Schœnanthi vulgaris plantas reperiuntur quædam feſtucæ, multæ ſimul innectæ, Gramini ſimiles, in quibus interdum ab vna radice oriuntur multæ veluti ſpicæ, ceſpiteo modo longitudinis palmi, coloris ferè & forma foliorum Tritici circa inferiora, color enim eſt ex luteo pallidus, vt plurimùm , vel quaſi cinereus , interdum tamen etiam rubent : rubent etiam ſuperiores partes foliorum , quæ vbi graciles ſunt circumuolutæ ab ipſa ſtatim radice : *folia* ſæpiùs inter ſe circumvoluuntur & efficiunt veluti caulem. *Caules* habet multos ab vna radice, circa quos conuoluuntur folia in inferioribus, nodis (longè ab inuicem diſtantibus) diſtinctos. A nodis exoriuntur etiam folia, quæ caulem amplectuntur. Caules autem ſimiles ſunt culmis Tritici Auenæ, Graminis &c. qua ratione verò dicuntur καλαμοι, à Dioſcoride, intus non ſunt concaui vt prædictorum, ſed medulla fungoſa farcti ſimili medullæ Iunci vulgaris: *flores* ex purpureo caneſcentes, papposa lanugine obſiti, habent aliquid commune cum Arundinis floribus , ac quodammodo ſimiles ſeminibus Nerij. *Radices* multæ ſunt ſatis longæ, duræ, denudatæ, vtplurimùm, à cortice, quodammodo ſimiles Cirris Hellebori, vel Valerianæ. Interdum adſunt radices paulò craſſiores, denſæ, geniculatæ, guſtu valentiores reliquis , ex quibus tum cirri oriuntur, tum ipſæ veluti ſpicæ quæ videntur veluti per terram repiſſe. Vbi recens eſt hæc planta, qualem ego vidi, manibus confricata iucundi eſt odoris, & ſaporis non ingrati, licet videatur aliqua adeſſe amaritudo cum acrimonia , luculenter linguam mordicante , quæ tamen ſolet efficacior eſſe in quibuſdam foliis remiſtis, gramineis, valdè tenuibus, & carinatis.

Cluſius apud Garciam ſic deſcribit: Natæ ſunt nobis anno 1568. aliquot Iunci odorati plantæ , è ſemine, ex Italia miſſo. Eſt verò Iuncus plāta multis culmis aſſurgens, tenerioribus foliis quàm Gramen, ſeu πόα ( quam pulcherrimè refert ) linguam mordicantibus iucunda & aromatica quadam acrimonia, quæ trita gratum quidem ſpirant odorem, ſed in quo roſæ odor non eluceat: nam manducata potiùs Roſæ , præſertim Saccharo conditæ, odorem æmulari videntur. Nullum protulit florem, quòd ſeriùs prouenerit ; imò primis frigoribus periit, ita vt annua planta cenſenda ſit. Radix eſt numeroſa & capillaris, non nodoſa , vt ait Serapio , guſtu feruido & aromatico. Eius *iconem* ad viuum expreſſam inſerere hîc libuit. *Cluſ. deſc.*

Iunci duplex genus eſt ( vt vult Dioſc. ) Vnus vocatur Iuncus læuis : alter Iuncus acutus , qui in ſummo acumen habet. Duplex autem & huius ſpecies eſt : Alter enim ſterilis eſt : alter ſemen habet rotundum, nigrum : Et huius calami craſſiores ſunt, carnoſioreſque. Eſt & tertium genus, multò carnoſius & aſperius , quàm illa duo, quod vocatur holoſchœnos, hoc eſt, Iuncus totus. Habet & hic ſemen in cacumine, ſimile præcedenti. Cæterùm Æthiopicus ( alij ὑπνωτικὴν ) Iuncus ſomniferum ſemen habet. *Iuncus duplex Dioſc.*

Plinius lib. 2. cap. 18. de Iuncis agens. Tria, inquit, genera eius : acuti ſteriliſque, quem marem & Oxyn Græci vocant : reliqua fœminini, ferentis ſemen nigrum, quem Melancranin vocant. Craſſior hic & fruticoſior. Magíſque etiamnum tertius, qui vocatur holoſchœnos. Ex his melancranis ſine aliis generibus naſcitur. Oxys autem & holoſchœnos eodem ceſpite. Vtiliſſimus ad vitilia holoſchœnos , quia mollis & carnoſus eſt. Fert fructum ouorum cohærentium modo. Naſcitur autem is , quem marem appellauimus , ex ſemetipſo , cacumine in terram defixo. Melancranis autem , ſuo ſemine. Alioqui omnium radices omnibus annis intermoriuntur. *Hæc Pliu.* de libro 4. Hiſt. pl. Theophraſti tranſtulit. Sed mox de ſuo addit. Vſus ad naſſas marinas , vitilium nexus , elegantium Lucernarum lumina , præcipua medulla, amplitudine , iuxta maritimas alpes tanta , vt inciſo ventre impleat penè vnciarum latitudinem : in Ægypto verò cribrorum longitudinem, non aliàs vtiliorem. At verò hic locus haud dubiè corruptus eſt. Deeſt enim vnciarum numerus. Quæ verò puranda eſt cribrorum longitudo? Quanquam autem) inquit Cornar. doctiſſimus quiſque ita hactenus legerit , & locum hunc citauerit : tamen ego ſic lectionem reſtituendam iudico, vt legatur: amplitudine iuxta maritimas alpes tanta , vt inciſo ventre impleant denum vnciarum latitudinem : in Ægypto verò cybiorum

*Iunci genera tria, Plinio.* *Plinii locus corruptus.*

longitudinem, non aliis vtiliorem. Denum vnciarum, id eſt, pollicum latitudinem implere dixit. Sunt enim æquè duodecim pollices in pede Romano, ſicut in libra duodecim vnciæ, velut lib.5. cap. 9. comm. medic. declaraui. Et profectò procliue fuit penè vocem, per denum ſubſtituere. Deinde cybiorum longitudinem implere ait, eámque longitudinem non eſſe aliis, quàm cybiis videlicet, vtiliorem, nimirum vt ipſis excipiantur ac colligantur. Cybium autem appellari conciſam pelamidē Plinius teſtatur. Et hic facilè fuit à cybioru voce, ad cribotum vocē delabi. Vetus noſter codex cimbiorum ſcriptum habet vnde ad hanc coniecturam deuenimus, quam cuiuſque iudicio expoſitam, ſequendam aut reprobandam relinquimus. *Porrò ſubiungit Plinius* hinc vſum Iunci medicum. Iunci radix, inquit, in tribus heminis aquæ decocta ad tertias, tuſſi medetur. Semen toſtum & in aqua potum, ſiſtit aluum, & fœminarum menſes, capitíſque dolores facit. Et hæc conſonè cum Dioſc. niſi quòd in aqua potum, pro μετ' κράματος dixit. Eſt autem κρᾶμα vinum aqua dilutum: deinde rurſus menſes reddit ῥοῦν ἐρυθρὸν ſuo more, velut iam ſæpè dixi. Verùm quod hinc ſequitur penitùs alienum eſt à Dioſc. ſententia. At qui vocatur holoſchoenos, eius folia quæ proxima ſunt radici, commanducantur aduerſus araneorum morſus. In vulgatis codicibus vox folia deeſt, & Dioſcor. ea non commanducari ſed imponi uult. *Et tandem ſubdit Plin.* Inuenio etiamnum vnum Iunci genus, quod *Euripicen* vocant. Huius ſemine ſomnum allici ſed modum ſeruandum, ne ſopor fiat. At hic Euripices vocis lectio doctis ſemper ſuſpecta fuit. Vetus codex Trepicen habet, non minùs incerta lectione. Dioſcoridis codices partim ἀλεπτικὴν habent, partim αἰθιοπικήν. Hos ſequutus iudicium doctis defero.

*Iunci vſus medicus.*

*Euripice Plinii.*

Galenus, iuncus læuis alter, inquit, ὀξύσχοινος, alter ὁλόσχοινος nominatur. Et gracilior quidem ac durior eſt oxyſchœnus, craſſior autem & laxior holeſchœnos. Semen holeſchœni ſomniferum eſt. At oxyſchœni duæ ſunt ſpecies, altera ſterilis, cuius vſus ad medicinam nullus eſt: altera ſemen fert, & ipſum ſomniferum, ſed minùs quàm holoſcœni ſemen. Inducit tamen hoc etiā capitis dolorem. Amborum verò ſemina ſi cum vino bibantur, fluxiones ventris reſiccant, & fluxum rubrum cohibent. Ex quibus clarum euadit temperamentum ipſorum eſſe compoſitum ex terrea ſubſtantia leniter frigida, & aquoſa: leniter calida, vt inferna ſiccare poſſint: & vapores ad caput remittere leniter frigidos, quibus ſomnum inducunt.

*Iuncus odoratus rotundus, Celſo.*

Celſus & Latiniores Iuncum odoratum rotundum vocant, ad differentiam angularis, quem iidem quadratum appellant, Græcè σχοῖνος appellatur per excellentiam, quum aliàs omnes Iunci ſpecies hoc nomine veniant. Hippocrates σχοῖνον εὐόσμον, καὶ εὐόσμον, καὶ εὐώδεα, id eſt Iuncum odoris iucundi, & benè olentem, ac odoratum, in lib. morb. mulier. vocat, h. c. Aromaticum Iuncum, vt Galenus exponit in gloſſis. In Officinis hodie radices raiò habentur. Quæ verò reperiuntur Feſtucę ſiue culmi, Squinanthi nomine appellantur corrupto illo ex σχοίνου ἄνθος. Noſtri Wolrichende binzen vocant, Camelhew / hoſt eſt Fœnum camelorum, velut etiam Galli paſtum camelorum. Et profectò Feſtucæ illæ Officinarum præraſæ apparent ex ſuperna parte, quod ipſis à Camelis contigiſſe veriſimile eſt. Appellant etiam Græci σχοῖνον μυρεψικὴν, quòd in vnguenta recipiatur.

In Mazcate & Calaiate Arabiæ prouinciis, ab incolis *Sachbar* vocatur: à nonnullis verò *haxis cachule*, id eſt, herba lotoria, aut lotionibus idonea: tametſi non negem [inquit Garcias] aliis etiam nominibus apud Arabes inſigniri. Nā Auicenna lib.11.cap.591. cum *Adhar*: Serapio c. 19. *adher* appellant: quos ſequuntur omnes Arabici & Perſici Medici hîc agentes: florem verò vocant *Foca*. Nam quod Syluaticus cap.12. *adcher* & adhecarum vocari ſcribit, corrupta ſunt vocabula. Perſis, qui ad iam dictas, vſque Prouincias pertingunt, *Alaf*, quod herbam ſignificat, vocatur, quo nomine per excellentiam appellari poteſt. Apud Indos peculiare nomen non eſt ſortitus, ſed *herba Mazcatenſis* appellatur. Sunt qui *paleam de Mecha* nuncupent. Nec deſunt qui *Paſtum camelorum* vocent, nec immeritò, ſed tamen Cameli non ſunt iſtic adeò frequentes, vt hoc Gramē cum floribus omninò depaſcere poſſint. Sed ſunt ibidem multi Aſini, Muli, Equi, quos Arabicos vocamus, boues Capræ, & oues, quæ nullum aliud pabulum norunt quàm hanc herbam, ſiue Gramen. Defertur quidem in Indiam in vſum Medicum vſurpandus. Maximâ tamen copiâ per faſciculos colligatum in nauibus adſumunt equarii mercatores ſeu mangones, vt equis ſubſternant, ne ſtercoris & vrinæ pædore offendantur. Nam ſimul atque maduerit. recentem ſubſternunt, & madidum in mare abiiciunt. Sed & nautæ faſciculos aliquot ſecum aduchere ſolent, quos deinde in Italia vendunt. Memini in Inſula *Diu* viſi emiſſe multos Iunci faſciculos, quos in Luſitaniam cum aliis aromatibus mitterem: nullum tamen florem videre contigit. Sed nec aliquo in pretio ab incolis habetur, cùm Gens ſit rudis & ſylueſtris. Nullus eſt huius vſus apud iſtius regionis incolas: ſed nos duntaxat, & Medici Arabes & Perſæ, eo vtimur. Ipſi indigenæ eo ſe & ſua iumenta lauant. *Nunc ad Auctores, qui eius meminerunt veniamus.* Dioſcorides lib.1.cap.16. laudatiſſimū ex Nabathæa, proximum Arabicum, quem aliqui Babylonium vocant, peſſimum ex Africa adferri ſcribit. Floris culmorum, radicíſque eſſe uſum. Eligendum cū qui manibus confricatus Roſæ odorem emittit. Scio in iis quas ſuprà enumeraui prouinciis, quæ Arabiæ nomine comprehenduntur, prouenire. An verò in Nabathæa gignatur (quę à Nabatoch Iſmaelis nepote denominata, prouincia eſt Arabiæ Iudææ conterminæ) diligenter percótatus ſum à Medicis, qui in Hieruſalem, Galilæâ, aliíſque vicinis prouinciis verſati erant: Sed illi reſponderunt, eum, quo iſtic vterentur, ex Cairo aduchi. Interrogati verò an in Cairo naſceretur, an autem ex Mazcate adferretur, ignorare ſe dixerunt, quoniam medicamenta interdum ignota manerent ob indigenarum negligentiam. Quæ cùm audirem, inquirere non volui num Babylone naſceretur, tametſi id fieri poſſe putem. *Cùm verò* Dioſcorides Africanum improbet, non oporter nos admodum ſollicitos eſſe in eo inueſtigando, præſertim cùm non adſcripſerit quâ Africæ regione proueniat. De floribus autem, cùm meam, tum reliquorum Medicorum negligentiam agnoſco qui non iubeamus eum aduchi. Noſtrâ etenim culpa factum eſt, vt eius vſus deſierit. In medicamentis odoratis, Dioſcoridem incertis comparationibus plerumque vti video, quemadmodum & in hoc Iunco. Nam tritus iucundum quidem ſpirat odorem, ſed Roſæ haudquaquam. *Iuncus odoratus*, Cornelio Celſo Iuncus rotundus vocatur, & ad Iunci vulgaris, & cyperi, ſiue

Iunci

Iunci triangularis differentiam : ſed minimè in eam altitudinem excreſcit, quâ Iuncus. Auicenna lib.11.cap.591. duo eius genera conſtituit, Alterum enim Arabicum vocat, qui eſt odoratus: Alterum in *Agiami* natum, per quod vocabulum Damaſcum intelligit. Sed quòd Dioſcoridis teſtimonio, Iuncum fructum proferre nigrum probet, manifeſtus error eſt, cùm Dioſcorides nuſquam fructus meminerit. Serapio lib.ſimpl.cap. 19. ex authoritate Bonif. ſcribit Iuncum habere radicem *Chulem* ſimilem, latiorem tamen, & minoribus modis cinctam , multos calamulos præduros proferentem, qui fructum proferant ſimilem floribus Arundinis , graciliorem tamen & minorem: ſimúlque & in vno ceſpite multas plantas naſci. Huius radix adeò ſimilis eſt Chulem, vt ſub eo nomine à nonnullis appelletur , quemadmodum initiò dixi. Matthæus Siluaticus cap. 12. decem annis conſeruari aſſerit. Credo in ſiccis & mediterraneis regionibus multo tempore conſeruari poſſe, cùm humiditate non abundet. Sed in huius Prouinciæ maritimis , paucis annis in ſuâ odoris fragrantia conſeruari poteſt. Quod ad Braſauolũ & Monachos in Meſuen com. attinet, doctè illorum argumenta refellit Matthiolus, Com. in Dioſc. lib.1.cap.16. quare ſuperuacaneum eſſe iudico quidquam iis addere. Satis tamen Monachorum in Meſ.diſt.1.cap.47. oſcitantiam mirari non poſſum, qui Galangam Iunci odorati radicem eſſe contendunt , cùm Galanga in Sina naſcatur, quæ bis mille ferè leucis ab Arabia abeſt , & plurimùm ab Iunco odorato differat tum foliis , tum radice : nec niſi ſata proueniat Galanga, quemadmodum & Calamus : Iuncus verò ſpontè naſcatur , nec ſeratur. *Hactenus Garcias. Tempeſtiuum nunc eſt, vt ad alios Autores qui de Iunco ſcripſerunt, deueniamus.*

Anguillara ſibi perſuadet Squinanthum non eſſe Iuncum odoratum : quia in Squinantho, non reperiatur caulis qui ſimilis ſit cauli Cyperi , vt videtur voluiſſe Dioſc. Deinde quòd radices quæ exhibentur non ſint ſimiles radicibus Valerianæ. Prætereo quòd in vſu medico olim flos, caulis, & radix Iunci odorati recipiebatur: noſtri autem vſus tantùm ſit foliorum: res quæ non videbatur ſilenda fuiſſe Dioſcoridi: ac etiam quòd odor & ſapor qui in Iunci odorati caule & radice ſentiuntur, in ſquinanthi iiſdẽ partibus non item.

Cùm in libris Arabum legimus (Monachorum in Meſ. verba ſunt) florem Squinanthi, non poſſumus per Squinãthum intelligere florem ſchœni, ſed plantam eius , intelligunt enim per Squinanthum abſolutè plantam ipſius ſchœni. Schœnum autem non ſunt illæ paleæ , quibus vbique in Officinis vtuntur : quia deſcriptio Dioſcor. de Schœno odorato non conuenit illis , vt quilibet videre poteſt : non enim habet radices notabiles ad Medicinæ vſum , ſed quaſi capillaceas paruas , & nullius roboris vel momenti, nec mordicant linguam ipſæ paleæ , & quamuis ſint æqualiter odoratæ, non tamen ſpirant roſæ odorem: &, quod maius eſt, videmus quod non producunt Iuncum, ſed calamum nodoſum, ſicut & calamus hordei aut frumenti : quoniam vtplurimùm exportantur cum parte ipſius calami. Vnde nonnulli rectè exiſtimant ipſum Squinanthum vſualem eſſe plantam calamj aromatici. Reuera Squinanthum non habemus. Sed multorum quidem non ſpernendorum eſt opinio , quòd hæc radix quia communiter pro Galanga vtimur, ſit radix ipſius veri Squinanthi. Etiam à nonnullis qui fatentur ſe vidiſſe viuam plantam iſtius Galangæ vſualis, habuimus quod ad vnguem correſpondet Dioſc. deſcriptioni de Iunco rotundo, odorato. Galanga autem, quæ (vt ſuprà diximus) Græcis incognita fuit, & à nobis quoque minimè cognoſcitur, alia planta eſt, & apud Arabes ſolummodò perquirenda. Vnde tam pro floribus quàm pro ipſo Schœno, (quibus caremus) quàm etiam pro ipſa radice poſuimus, vti vbi oportet hac vſuali Galanga. Poſſumus quoque vti hoc vulgari Squinantho, quod eſſe plantam calami aromatici, opinantur plures , quoniam , vt in Dioſcoride & cæteris fide dignis authoribus videri poteſt, virtutes & proprietates calami aromatici & Iunci odorati, nihil, aut ſatis parum, inter ſe differunt: ex quo benè poteſt alterum pro altero compenſari. *Hactenus Monachi.*

Cord. in Dioſcor. hæc de Schœnantho ſcribit. Contuli aliquoties de Schœnantho cum mercatoribus , nonnulliſque aliis grandæuis & magnis viris , qui viſendæ terræ ſanctæ gratia in Orientem hinc proficiſcebantur. Ij retulerunt, negociatores ex Syria Alexandriam ducere Camelorum greges, quos *Carauanas* vocant , impoſitas merces ferentes , cùm autem in ſolitudines proueniant inter Syriam & Ægyptum ad Arabiam ſitas, neque pabuli, neque aquæ copiam inueniri, naſci tamen ſecus vias vbique aridas velut ſtipulas, eáſque numeroſas, denſas, & ſtipatas ex imo radicum ceſpite, admodum odoratas, quas obiter inter eundum aut aliàs quieſcentes depaſcant Cameli , eámque ob cauſam ſe pabulum hoc **Kamelſtro** & **Kamelsheu** appellare. Referebant etiam illos ſolere tali pabulo Camelos onerare, ne in ſterilioribus deficerent iumenta: quod verò ſuperſit Alexandriæ & Alkani vili admodum vendere. *Hæc Cordus.* *Cord.*

His ſequentia opponit Matthiolus : Flos ad nos non importatur, quod tamen mirum non eſt, cùm etiam Galeni tempore non haberetur. Proinde, inquit lib.1. de Antid. Iuncum odoratum ex Arabia allatum &c. Quæ Galeni (ſi licet nobis dicere quod ſentimus) potiùs ridenda quàm probanda videntur. Arduum quippe fuerit credere, tam ingentem eſſe numerum Camelorum, qui locuſtarum modo in vniuerſum Schœni flores depaſcantur, vt nulla penitus ſuperſit planta , cui flos non deuoretur. Referunt quidam naſci odoratum iuncum etiam in Apulia , quin & in Campania prouenit , vt Braſſauolus inquit Plinij authoritate. Sed vereor ne hallucinentur, quòd nec inde flores adferantur , nec paleæ ; neque etiam id Plinius affirmanter aſſerat. Is, quo Seplaſiarij paſſim vtuntur, non affertur aliunde, quam ex Alexandria. Cæterùm non parua quidem diligentia, dum emitur eſt adhibenda : quandoquidem non deſunt impoſtores, qui ad merces augendas, Schœnum palearum, & herbarum quibuſdam feſtucis adulterent. Præterea videndum eſt, ne vetuſtate exoleuerit. Quod Dioſcoridem oſcitanter legerint, cùm dicunt Schœnum Iuncum proferre non calamum, facilè patet, quandoquidem contrarium ſcribit Dioſcorides, vbi Schœni vſum reddit his verbis χρῶνται δὲ τοῦ ἄνθους ϗ τῶν καλάμων, ϗ τῆς ῥίζης. Præterea quod communis vſus Schœnos acrimoniam non habeat , pariter falſum eſt , palam eſt , Monachos vel nunquam Schœnum deguſtaſſe, vel ſi deguſtarunt , illum adeò vetuſtate exoletum fuiſſe. Quod autem noſtri Schœni radices tenues ſint , nihil ad hiſtoriam refert : ſiue enim tenues ſint , ſiue craſſæ, eas non deſcripſit Dioſcorides, Schœni flores ex Alexandria vnà cum integra planta allatos ego *Matth.*

in manibus habui, qui digitis attriti Roſarum odorem emittebant. Quamobrem non temerè contra Monachorum ſententiam affirmandum putauerim communis vſus Schœnum, legitimũ & probatiſſimum eſſe. Et in poſt.comm.Lat.& Ital.com mag.fig.Fuchſium erraſſe crediderim, qui ſcripſerit ſua in methodo, Schœnanthi ſtipites nullam acrimoniam manſu relinquere: in quo errore eum ſecutus eſt Anguillarius.

Putamus nos rotundum odoratum Iuncum, qui non fuerit exoletus, nunquam deguſtaſſe Anguillarium, vt nec Fuchſium. Nec prætereundum erat quod aliquando monuit Rondeletius præceptor meus, figuram Schœni odorati Matthioli fictam, potiſſ. quoad flores, quod manifeſtè mihi quondam apparuit viſis Veronæ apud inſignem Pharm. Bellicorum ſummitatibus Schœni odorati in quibus erant veluti flocci: Lugduni copioſum habebat Valerandus Dourez pro Theriaca.

*Matth.not.*

*Amatus.*

Monachos quoque refutat *Amatus*, dicens: Schœnos ſiue odoratus iuncus, in Africa & Aſia præcipuè naſcitur, quanquam & in Campania & Apulia reperiri, viribus ſaltem impotentioribus, audio: quem Latiniores rotundum Iuncum odoratum appellant, vt diuerſũ ab illo odorato anguloſo Iunco faciát, quem hodie Officinæ ſub eodem ferè nomine habent, Schinanthum appellantes. Verbum iunci, florem ſignificat, nam Schœnos Græcè iuncus eſt, Anthos verò flos, vnde Schœnanthum, quaſi iuncus flos: quanquam hodie, veluti Galeni tempore, flos ad nos non affertur, vnde ille libro de Antidotis primo, ita inquit, præterea Iuncum rotundum Arabicum immitti præcipit, qui à vulgo, haud ſcio quomodo, Iunci rotundi flos dicitur, quum tamen nos non adeò floris copiam habeamus, tota enim adduhitur herba ſubinde ex parte ſuperiori à camelis eroſa: nã libentiſſimè eam depaſcuntur, & copioſiſſimã in Arabię viis creſcentem habent, *hæc ille.* Hodie quoque ex Oriente ad nos abſque flore portatur, cuius folia, caulis & radix in Officinis habentur quæ vtinam pura eſſent, quum à multis adulteretur, illis varia immiſcentibus, vel recẽtia ſaltem & non vetera portarentur, quum Galeno autore, facilè ſchœnos vetereſcat, quod ex odoris amiſſione deprehenditur. Nonnulli tamẽ opinati ſunt, vt Monachi, qui nuper Meſues antidotarium enarrarunt, quod hodiernum Schœnanthum officinis vulgare, Dioſcoridis Iuncus iſte odoratus rotundus non ſit, quum in eo acutus ille deſideratus ſapor, linguam mordicans non percipiatur, nec quantulúmque odoratum ſit, nec manibus confricatum Roſæ odorem ſpiret. Item quod Schœnanthum hoc, non Iuncum aliquem ex ſe mittit, ſed potiùs calamum, ſimilem illi quem Triticum aut Hordeum facit, vnde inter ſe multùm differre, pro firmo gloriantur: ſed re vera eorum gloria in infamiã vertetur, quum in duplici errore comprehendãtur, primò Dioſcoridis textum non intelligentes, quum Dioſcorides Schœnum, id eſt odoratũ Iuncum, non Iuncum aliquem ex ſe loco caulis mittere, ſed potiùs harundinem, aut calamum tradat vt in ſua legitur lingua, quæ ita habet, χρῆσις δὲ τοῦ ἄνθους, καὶ τοῦ καλάμου, καὶ τῆς ῥίζης, id eſt, floris calami, & radicis vſus eſt. Ex quibus verbis ſatis percipitur, quàm malè Monachi iſti Dioſcoridem intellexerunt, quum Schœnon, non Iuncum, ſed calamum ex ſe caulis vice mittat: Secundò hallucinantur Fratres ij, quia experientiæ contradicunt, affirmantes Officinarum Schœnanthum in guſtu linguam non vellicare, quum re vera recens eam valentiſſimè mordicet, vnde credendum eſt, Schœnanthum ab illis guſtatum, vetus omninò eſſe, à quo non ſolùm odor, ſed & ſapor facilè, vt ex Galeno didicimus, euaneſcit. Sed quod Roſę odorem referat, qui illius flores viderunt, ſimilem odorem habere atteſtantur, vt minimè ambigendum ſit, quod Officinarum Schœnanthum, Iuncus odoratus Dioſcoridis ſit, cuiuſque vires inueſtigat Galenus l.4.ſimpl.

*Monachorum errores.*

Fuchſ.de comp. med. ait iunci odorati flore qui Actuario & aliis recentioribus græcis χοινάνθος appellatur, maxime vtendum eſſe. Hodie tamen florem ad nos minimè deferri, ſed culmos duntaxat eiuſdem, ſuperiore tamen parte à Camelis eroſis: Germ. Camelhew / i.e. Fœnum camelorum, nominari: in offic. vero Squinanthum. Eſſe præterea perhibet qui culmos illos legitimos eſſe negent, quòd ſc. linguam non mordicẽt, nec Roſæ odorem ſpirent. His alios opponit, qui Schœnanthum recẽs & linguam valdè mordicare, & Roſæ odorem referre teſtentur. Nec miratur vetus & odorem & ſaporem amittere.

Anguillara & Monachi, vt ex hactenus dictis patet, præcedentium [ Cord. Syluii, Cronemburgi, Dodonæi, nec non Cornarii, ac Amati, & aliorum, qui vulgarem Iuncum odoratum recipiunt,] opinioni reſiſtunt, negantque noſtrum Schœnanthum, eſſe verum & Antiquorum, *quorum argumenta ſic refellimus.*

Primùm Anguillaræ reſpondeo, me non animaduertere, Dioſcoridem velle caulem Schœni ſimilem eſſe Cypero, vt ipſe ait: nec etiam inuenio vocari Iuncum anguloſum, ut dicit Dodonæus.

Secundò, Dioſcorides cùm comparat Valerianam ſiue Phu Schœno, non totam radicem, ſed partes, videlicet ὑπόῤῥιζα intelligere.

Tertiò, quod ad argumentum deſumptum à viribus & vſu, quod ait noſtri Schœnanthi vſum eſſe tantùm foliorum, dupliciter reſpondeo. Primùm fortè eos vſos adhuc virentibus, & fieri poſſe, vt efficacior hinc ſit recẽs, quàm vetuſtior, qualem vt plurimùm habemus. Apparet enim fibras tectas fuiſſe cortice, & tantùm remanere lignoſas partes, aſt in cortice fortè vis non parua eſt. Secundò laudantur radices à Dioſcor. & Galeno ab adſtrictione, in quibuſdam affectibus, quæ adſtrictio guſtanti apparet, maximè in craſſioribus radicibus proximis caulibus & foliis. Flores laudantur à caliditate, ideò recipiuntur in antidotos, vt Theriaca, iis tamen caremus ſicuti & culmis integris. Pro iis vtimur ſummitatibus foliorum, & meritò, cùm omnia in iis comperiamus, quæ requirit Dioſcorides, & Galenus licet fortè imbecilliùs.

Quartò dicit non ſilendum fuiſſe Dioſcoridi foliorum vſum: reſpondeo non ſiluiſſe Dioſcoridem, nec Galenum, ſed eos loqui primò generaliter de tota planta, deinde ne quis reiiciat vſu florum vel culmorum, vel radicum, vel ignoret vires valentiores in hac quàm in illa parte eſſe, contendunt particulatim in vſu eſſe partes prædictas, & qua in re differunt.

Quintò dicit, ſe non ſentire, neque ſaporem neque odorem in caule & radicibus: ad hoc reſpondeo idem quod iam de radicibus. Præterea cùm obſcuriores ſint vires fortè in culmo & radicibus minùs ei apparuerunt. Addiderim me nuſquam legiſſe efficaciores eſſe vires in radicib. & culmis quàm foliis, niſi in radicib. vt dictũ, ratione

tione, adſtrictionis. Hâc eâdem ratione reſpondeo Monachis, qui reiiciunt noſtrum Schœnanthum, quòd radices non mordicent linguam. Credo equidem eas non ſenſiſſe, cùm nec in foliis perceperint, in quibus manifeſtè tum Matthiolus, tum ego deprehendimus, nec non & Amatus. Præterea non celebratur acrimonia in radice.

Sextò eſt quod reſpondeam Monachis dicentibus Schœnanthum Iuncum non producere, ſed calamum nodoſum. Calamum ferre fateor, Iuncum requiri à Dioſcoride non reperio: interea quo modo Iunco ſit ſimilis poſtea oſtendam in deſcriptione.

Septimò non morabor refutando opinionem Monachorum Squinanthum vulgare non eſſe Calamum aromaticum, vt ipſi volunt, cùm rationibus præcedentibus euertam eorum argumenta, & conſentiam cum iis, qui credunt, nos verum Schœnanthum habere.

Octauò, refutanda eſſet eorum opinio, quâ exiſtimant Galangam eſſe Iuncum odoratum. Verùm hoc factum ſuo loco capite de Acoro.

Nonò miror Matthiolum ridere Galeni rationes, cúmque non meliores adferre, imò hac in parte nullas.

Decimò, illud conſiderandum relinquo an meritò Matthiolus reprehendat Fuchſium, nuſquam enim legi eum ſcribere, quæ, dicit Matthiolus. Recitat quidem loco ſuprà adſcripto opinionem quorundam, qui dicunt culmos non mordicare, non autem ſuam. Quinimò in fine hoc vetuſtati attribuit Fuchſius.

De Iunco hæc notatu digna ſcripſit in ſuo pin. Caſpar. Bauhinus. *Iuncus* à iungendo, Græcis σχοῖνος, à loris & funibus dicitur. Dioſcorides in odoratum & inodoratum diuiſiſſe videtur. Nam lib. 1. de Iunco odorato, quem ſimpliciter σχοῖνον per excellentiam nominauit, egit. At lib. 4. de inodoro tractauit: hunc duplicem fecit, vnum læuem, alterum acutum: hunc ſterilem, & alterum ſemine nigro & craſſiore calamo, & tertium ὁλόσχοινον, prioribus carnoſiorem. Sic Theoph. 4. hiſt. 13. tria ſunt genera ὀξὺς καὶ ἄκαρπος, acutus & ſterilis, qui mas: κάρπιμος, frugifer, quem μελαγκράνον, atriferum vocitat: tertius ὁλόσχοινος dicitur: at de odorato 9. hiſt. 7. egit. Plinius lib. 21. cap. 18. quinque fecit, 1. *Mariſcum* appellatum, 2. *Marinum*, Oxyſchœnum, & huius tria genera: acutum, ſterilem, quem marem & oxym: alterum ſemen ferentē, quem Melancranin vocant, & fructuoſior: magis tertius, qui Holoſchœnos nominatur. Quare Iuncus alius eſt odoratus, inodorus alter, vel alius locis aridis, alius aquoſis prouenit: hic, vel in aquis dulcibus, vel maritimis. Rurſum vtriuſque generis alij ἀπόξεις ἐπ' ἄκρου, in mucronem pungentem deſinunt, alii in faſtigium obtuſius: & ſic alius λεῖος, læuis: alius τραχὺς, aſper: alius faſtigio acutiore, alius obtuſiore. Iuncus læuis & in faſtigio acutus, alius eſt Oxyſchœnos, alius Holoſchœnos. Oxyſchœnos alter mas, ἄκαρπος, nullo ſemine fœcundus: alter fœmina μελαγκρανὶς, nigrum ſemen ferens: ſic ad fœcundum clauatus: petroſus verò ad lapides referendus eſt.

Cæterùm, Iuncus de quo præſenti capite nobis ſermo eſt, vocatur σχοῖνος ἡδύοσμος, καὶ εὔοσμος, καὶ εὐώδης, Hipp. σχοῖνος ἀρωματικὸς καὶ μυρεψικὸς, Græcis poſterioribus. σχοῖνος Dioſc. & Galeno. *Iuncus odoratus*, Plinio, Hermol. Ruell. Matth. Turn. Lac. Lob. in Adu. & Obſ. p. 42. Ic. plant. pag. 82. Cluſ. in Garc. & H. Lugd. p. 1885. *Iuncus rotundus* Celſo. *Iuncus rotundus odoratus*, Marcell. Amato, & Corn. *Iuncus 1. ſiue odoratus ſeu aromaticus*, C. Bauh. phyt. in pin. *Schœnus & Iuncus odoratus teres ac rotundus*, Cordo. *Schœnanthum* Meſuæo, Lon. (cui & Cyperus rotundus.) Tabern. (& *Iuncus aromaticus*) Cam. (& *Iuncus floridus ſiue aromaticus*) Acoſtæ. *Squinanthum* Varroni, Anguill. Guil. & Officinis, quaſi σχοίνου ἄνθος, Iunci flos. *Adhar* & *Adhir*, Arabib. *Sachbar*, Arabiæ incolis. *Palea de Mecha, & Paſtus camelorum*, vulgò, & Germ. Camelſtro, hoc eſt, Camelorum ſtramen, Camelßhew, *Fœnum camelorum*, wollriechende Binzen, Iuncum bene olentem; & Candiſch hew, *Fœnum Candiæ*. Gall. *Paſture de Chameaux*. Ital. *Squinantho*. Hiſp. *Paya de meqa*. Belg. & Angl. Squinanthum. Boh. Sity wonne.

Locus. Σχοῖνος, alius in Lybia naſcitur, alius in Arabia, alius in Nabathæa. Adfertur & ex Ægypto. In Campania & Apulia quoque reperitur. Reponitur vt alia: quotannis mutatur; quamuis etiam decennium ſeruari poſſit.

Vires & vſus. Vſum porrò eſſe floris, & culmorum, & radicis, hiſce Dioſcorides docuit: Vim habet vrinam ciendi, menſes ducendi, flatus diſſoluendi; grauat caput & moderatè adſtringit: habet inſuper vim atterendi, concoquendi, & aperiendi: Flos igitur ipſius in potu commodus eſt ad ſanguinis eductiones, & ad dolores ſtomachi, pulmonis, hepatis, renum: miſcetur etiam antidotis. Radix adſtringit: quapropter etiam nauſeabundis ſtomachis exhibetur: hydropicis item & conuulſis, cum æquali Piperis pondere ad aliquot dies. Decoctum verò ipſius inflammationibus circa vterum commodum eſt ad inſeſſum. Galeno Schinianthos modicè calefacit, modicéque etiam adſtringit, nec planè à tenuitatis natura alienus eſt, Quocirca his de cauſis vrinam mouere, menſéſque ciere perhibet, ſiue in fomentationem, ſiue in potionem adhibitum: prodeſſe & iecoris, & ſtomachi, ac ventris phlegmonis. Magis eo adſtringit radix. Quod verò florem vocant calidius eſt. Porrò in omnibus ſuis partibus, in aliis magis, in aliis minùs, guſtantibus apparet adſtrictio: proinde mediciuis, quæ hæmoptoicis, ſiue ſanguinem reiicientibus exhibentur, commiſcetur. Ex Nabathæa laudatiſſimus, vel Plinio teſte, proximus Babylonius, peſſimus ex Africa & ſine odore. Eſt autem rotundus, vinoſæ mordacitatis ad linguam. Sincerus in confricando odorem roſæ emittit, rubentibus fragmentis. Diſcutit inflationes, ob id ſtomacho vtilis, bilémque & ſanguinem reiicientibus. Singultus ſedat, ructus mouet, vrinam ciet, veſicæ medetur. Ad muliebres vſus decoquitur. Opiſthotonicis cum reſina arida imponitur. *Hæc Plinius.*

---

## IVNCI GENVS EVRIPICE.

### CAP. CCXXIII.

Deſcriptio. ALiud etiamnum Iunci genus ex verſione Hermolai traditur à Dioſcoride, quod Euripicen (εὐριπίκην: pro qua voce Cornarius à nobis recedens αἰθοπίκην legit, vide antè.) vocant: cuius ſemine ſomni alliciuntur: ſed modus in eo ſeruandus, ne ſopor fiat.

Non deſunt autem qui Euripicen Tropicen appellent, inter Recentiores: quorum plerique eruditionis ſuæ periculum faciunt; multíſque partibus rei latinæ officiunt;

Plinii verba de Eutipice,legenda c. præcedẽti.

## IVNCVS PANICVLA ARVNDINACEA.

### Cap. CCXXV.



Deſcriptio Caules ſiue ſtyli huic ex vno ceſpite crebti,cubitales, aut altiores, teretes, firmi, propter terram rubentes, dein obſcure virentes,ſtriati,palmatibus *foliorum* rudimentis circa imũ obuoluti medulla ratiſſima & propemodum membranea, mucrone miticre, ſed plerũque longo & tenui, infra quem *panicula* iubata effunditur, ad Arundinaceam accedens, ſed ei mollitie cedens, *ſemen* fetens tenue & fuluum, oblongis, in tria foliola dehiſcentibus conceptaculis clauſum:*radix* craſſa, multis,craſſis, intus albis,fibris donatut: cuius oculi primùm erumpentes,ſquammis lucidis nigris compactiles conſpiciuntur.

Synon. Trago *Iuncus vulgaris alter*,ſiue tenuior, cineracei colotis: *Iunci tertium genus*: *Holoſchœnos Plinij*: *Virgilij Iuncus mollis & limoſus.*

Dod.gall.*Iuncus ſecundus*: Et ſic lat. in fol. & de frum.ſed ibidem primo loco pingitur: Dicitur & Iuncus læuis, ſiue χοῖνος λεία.

Lobelius in Obſ.pag.43.in Ic.verò pag. 48. figuram habet Dodonæi ſub inſcriptione *Iunci læuis vulgaris paniculâ ſparsâ.* Sed ea non reſpondet deſcriptioni Aduerſariorum.

Caſp.Bauhin.phyt.*Iuncus* 1. *ſiue acutus paniculâ ſparsâ*: Eid.pin. *Iuncus læuis* 4. *ſiue paniculâ ſparsâ maior*: *Iuncus oxyſchœnos*, Anguill. *Iuncus læuis* [ſeu lenis] Cordo in Dioſc.Dod.Hiſt.Lugd.pag. 985. *Iuncus læuis vulgatus* Lob.in Adu.& Thalio.

Locus. Geneuæ & Montbelgardi hic Iuncus à nobis obſeruatus.

## IVNCVS MATTHIOLI.

### Cap. CCXXVI.

Deſcriptio IVncus Matthioli Maximo vt omnibus numeris miuor, ita farctior, medullam habet compactiorem, albam, oleíque iu lampadibus bibulam,& ellychnii ſeu funiculi candelarii ſebo immerſus, detracto magna ex parte cortice læui, Soléque aut fumo ſiccior redditus,vicem ſupplet: flores è lateribus citra ſummitatem erumpentes, ruffeſcentes in orbem glomerantur.

An Lob.in Adu.Iuncus læuis vulgatus?

An Trago Iunci vulgaris genus alterum catnoſius?

Synonyma An Dod. lat.hunc deſcribit pro Iunco primo?

Caſp.Bauhin.phyt. *Iuncus* 2. *ſiue acutus alter paniculâ non ſparsâ*: Eid.pin.*Iuncus læuis* 7. *ſiue panicula non ſparsâ*: Iuncus Matth. Lac. & Caſt. *Iuncus læuis ſiue Oxyſchœnos vulgaris*, Hiſt. Lugd. p. 984. *Iuncus leuis glomerato* flore Lob. Ic. p. 84. *Iuncus paluſtri minor* Tab. An Iúncus rotundus 1.Cæſalpino.



## IVNCVS PVNGENS, SEV IVNCVS acutus capitulis Sorghi.

### Cap. CCXXVII.



DEnsè ſtipatos tollit *culmos* ſeſquicubitales, craſſiuſculos, rigidos, cortice ſpiſſo, medulla ſolidiuſcula, alba, quos ſtatim à radice craſſis fibris contexta, inuoluunt foliaceæ vaginæ rubentes, dodrantem circiter longę, comitantibus pinnatis criſtis Sparti Auſtriaci formá, non .a. colore, qui hîc ruffus, æmulantibus: infra mucronem autem culmorum pungentem tribus quatuórue pollicibus exiliunt *florum ſeminúmque* glomerata capitula, quorum exortui ſubiectum eſt *folium* indidẽ erumpens, ex latiore principio vaginam imitata in acumen deſinens.

Caſp.Bauhin.in pin.*Iuncus acutus* 1. ſiue *capitulis Sorghi*: ὀξύσχοινος Dioſcor. *Iuncus acutus* Anguill. Cordi in Dioſcor.& Caſtoris: *Iuncus acuto cacumine* Geſn. cat. *Iuncus maritimus* 1.Lob.Adu. *Iuncus rotundus alter*, Cæſalpini, quid? Iunco in maritimis naſcente locis, acuto & ad vulnus infligendum infeſto acumine prædito, Oxyſchœno vocato, nos carere dixit Cordus.

Caſp. Bauhin.ad hunc ſuum Iuncum referri poſſe putat *Vluam* paluſtrem, & inuſitatum Caricis genus, cuius folia peracuta, crura & pedes ſaucianti a traduntur par. 6. Ind. Occid. exped. in Floridam.

### IVNCVS ACVTVS MARITIMVS CAVLE triangulo, C.Bauhini.

RAdice eſt ſerpente, fibroſa, à qua aliæ radiculæ, prioribus exſiccatis, naſcuntur: hinc *caules*, quos ad radicem breuia *folia* cingunt, pedales, trianguli exurgunt, & in extremitatem pungentem deſinunt, infra quam è latere *floccus* racemoſus, ruſeſcens exit.

*Iuncus* hic *acutus maritimus caule triangulo*, C. Bauh. in prod. 3. *acutus*, in pin. in littore Veneto, & à Perault via, quà Monſpelio ad mare itur, prouenit: & ad Danubium Lintzij legitur, referente Burſero. An Iuncus exiguus maritimus, Cæſ.?

### IVNCVS FOLIACEVS.

CAP. CCXXVIII.



FOliaceus Iuncus obliqua *radice*, fibras albas demittente, repat: *culmi* habet bicubitales & altiores, Iunco panicula arundinacea mihi dicto ſatis ſimiles, verùm non adeò circa imum rubentes, hec ita denſos crebróſque, medullâ rarâ præditos: quos duo triáve aliquouſque obuoluunt ſeu vagina concluſos *folia*, poſtmodum in ſtylos iunceos teretes abeuntia, è lateris fiſſura *paniculæ* prodeunt ſparſæ magnæ (quarum capitula ſingularia parua) quibus parum altior reliqua ſtyli portio, aliàs etiam breuior.

Noſtra icon minùs dextrè facta, malè exprimit folia obuoluentia.

A Dod. gall. videtur pingi pro primo Iunco, & deſcribi pro tertio, ſicut etiam in hiſt. frum. & Lat. in fol. vbi dicitur Iuncus acutus & Oxyſchœnus: à Germ. Strop bieſen: Belg. Yſeren bieſen.

Dodonæi figuram habet Lobel. in Obſ. pag. 43. ſecundo loco cum alia, quibus titulus communis, ſc. Iuncus læuis vulgatus: Adu. p. 43. & 44. An verò deſcriptio Aduerſariorum huic conueniat, iudicent doctiores.

An Tabern. icon. & hiſt. *gramen iunceum* 2. ſiue gramen iunceum aquaticum maius, Groß waſſer/ bintzin graß: Fland. & Brabant. Groot water bieſgras: Angl. Great water ruſchegraß.

Caſp. Bauh. pin. *Iuncus acutus* 4. ſiue *panicula ſparſa*: *Iuncus* 3. Dod. gall. *acutus* Dod. & Caſtori, *Iuncus acutus vulgaris*, Lob. icon. pag. 85. *Iuncus Oxyſchœnos* Dodonæi, Hiſtor. Lugdun. pag. 985.

### IVNCVS FOLIACEVS CAPSVLIS TRIANgulis.

CAP. CCXXIX.

MAgnitudine non parum variat, aliàs palmaribus, aliàs plùs quàm cubitalibus *culmis*, nodoſis, compreſſis aliquantùm, fungoſis, ramoſis, ſtriatis: *folia* & à radice ſtatim, & ad genicula culmos aliquouſque amplectentia, graminea, acuta: ſurculis è culmo diuiſo exactis, & ad diuaricationem radicum inſidunt capſellæ quinque, ſex, plures, paucioréſve, ſimul iunctæ, triquetræ, oblongæ, mucronatæ, ex rufo nigricantes, nitidæ, *ſemina* claudentes perpuſilla ruffa. Sed & culmulis aliàs perbreuibus, oblongis aliàs, ſpicæ quædam velut excrementitiæ, & ex foliaceo quodam genere ſquammatæ, rubentéſque inſident, vdis præſertim & apricis hoc crebrò euenit locis, vt circa Montbelgardum & Baſileam in paluſtribus Michelfeldenſibus: *radix* qualis Iuncis, fibris admodum capillata, iiſque longis, & iuxta terræ faciem coëuntibus, ſerpit, adeóque ſi culmi terram attigerint, ex articulis fibras demittunt terrâm denuò comprehendentes. — Deſcriptio.



Lob. Ic. plan. pag. 12. *gramen aquaticum alterum*. H. Lugd. p. 1001. *Arundo minima*. Tabern. icon. & hiſt. *gramen aquaticum*, *Hydragroſtis*, Waſſergraß.

C. Bauh. phyt. *gramen* 66. ſiue *iunceum ſemine triangulari*: Eid. pin. *gramen iunceum* 9. ſiue *folio articulato aquaticum*: *gramen iunceum polycarpon Thalii*: Habetur maius & minus: in maiore, poſt fœniſecium, caulis nouus palmaris excreſcit, cui non ampliùs capitula corymbacea inſident, ſed vtriculi vnciales paleacei in capillamenta fiſſi, modò virides, modò purpuraſcentes: rariſſimè cum corymbis vtriculi reperiuntur. *Hæc C. Bauh.* Nos huc Gramen polyſtachion Thalij reuocandum cenſemus.

Locis humidis copioſum obſeruauimus Geneuæ & Montbelgardi, florentem Iulio, & cum capſulis Auguſto. — Locus.

### IVNCVS TRIFIDVS.

CAP. CCXXX.

EX longiuſculis fibroſis *radiculis* ſcirpi producuntur dodrantales, valdè tenues, quorum ſinguli per extrema in tres *ſtylos* palmares, acutos ſinduntur, intérque hos ad exortum ſedentia ſemina pauca, ex ruffo fuſca. — Deſcriptio.

Pro Iunco 5. ſiue acumine reflexo trifido, ſic à C.Bauh. in prod. deſcribitur: Ex radice nigra, ge-



niculatâ & fibroſâ, iunci plures, tenues, palmum ſuperantes, exſurgunt, qui in ſummo in tres, rariùs quatuor, ſtylos, tenuiſſimos, trium, quatuórve venciarum, diuiduntur, in quorum ſummitatibus, poſt Iunci diuiſionem, paniculæ paruæ locatæ ſunt.

Synonyma In pin. eſt *Iunculus acumine reflexo* 3. ſeu *minor*, vel *trifidus*.

Locus. In monte Fracto Lucernatum, in Pyreneis & montibus Morauiæ prouenit.

IVNCVS MAXIMVS HOLOSCHOENOS.

CAP. CCXXXI.



Deſcr. NVdos enodéſq; *ſtylos* omnium altiſſimos & craſſiſſimos promit, medulla pumicoſa & exigua: citra quorum faſtigia è latere erumpunt *paniculæ* ſparſæ, è capitulis turbinatis, magnis, ſquamatim, imbricatímque compactilibus, ruffis, contextę, pediculis nunc longioribus, nunc breuioribus & ferè nullis: *ſemen* in ſquammas deliteſcit triquetrum.

Synonyma Tragus licèt Iuncũ maiorem paluſtrem, germ. groß weyer Bintzen vocet, tamen Harundinis potiùs genus, quàm Iunci exiſtimat, indéque piſcatoriam Abaritanam dicendam affirmat. Videtur alibi etiam Iuncum, Plinio Mariſcum dictum, appellare. Ego autem non video quomodo ad Arundinem referri poſſit.

Locus. C. Bauhin. phyt. *Iuncus* 5. Eid. pin. *Iuncus læuis* 2. *Iuncus maximus*, ſiue *Scirpus* maior, *Mariſcus Plinii*: *Iuncus paluſtris maior*, Tragi & Tabern. *Iuncus grandis, Holoſchœnus Geſn.* cat. & Dod. (cui & *Iuncus* 4. *magnus* in hiſt. gall. in lat. *Iuncus* 1.) *Scirpus, Iunci* 1. *ſpecies*, Lac. *Iuncus* 3. *holoſchœnus* Anguill. & Caſt. *Iuncus & Scirpus*, Lon. *Iuncus aquat. maximus*, Lobel. Adu. & Ic. pag. 85. itémque Gerardo. *Iuncus læuis aquaticus maximus*, Thalio: *Iuncus rotundus* 3. Cæſ. *Iuncus leuis* Ger. icon. *Holoſchœnos*, H. Lugd. p. 987.

Monſpelii in lacubus: Baſileæ & Montbelgardi in Vbis foſſis prouenit. Gaudet enim locis humidioribus, aquas crebrò aut ſemper habẽtibus.

IVNCVS PARVVS CVM PERIcarpiis rotundis.

CAP. CCXXXII.



PAlmares ſæpè, aliquando cubito nequaquam minores profert *culmos* iunceos, *foliis* circa imum mulris gramineis ſtatim è radice obliqua, iũcea, fibrata exortis, donatos, quorum ſcapus in vmbellam inconditam Filipendulæ modo explicatur, cuius capitula ſingularia, polita, rotunda, folliculis nigricantibus, *ſemen* obuolutum geſtant, tandemque in tres exiles carinas dehiſcunt.

*Gramen iunceum maritimum*, Lob. ic. pag. 18. ſic & Ger. *Gramen junceum* 3. Tabern. *Gramen iunceum* 10. ſiue *foliis & ſpica Iunci*, Caſp. Bauhin. pin. Eid. phyt. *Gramen* 69. ſiue *iunceum alterum*.

In pratis & riguis obſeruatur.

IVNCVS HVMILIS.

CAP. CCXXXIII.

FOlia, ſtylóſve profert ſeſcunciales tres quatuórve, teretes, ex radice fibroſa, &, pro plantulæ modulo, craſſiuſcula: vix enim vnciam ſuperat.

Geſnerus, cùm Tiguri prope lacum [ Katzenſee ] Felinum collegiſſem Maio menſe, vocabat Iuncum humilem inutilem & Chamæſchœnum.

Caſp. Bauhin. in prod. eſt *Iuncus tertius*: Eid. in pin. *Iuncus læuis* 9. ſiue *Iuncellus inutilis*. Huc referendum ait Iuncellum omnium minimum Lobelii in Adu.

IVNCVS EXIGVVS MONTANVS, MVcrone carens, Caſp. Bauhini.

CAP. CCXXXIV.

RAdice eſt puſillâ, nigra, capillacea, *cauliculo* quatuor vel quinque vnciarũ, cuius ſummo capitulum paruum, ex fuſco purpuraſcens, quadrifidum, in exiguum rigidiuſculum filamentum ambiens, inſidet: *folia* ad cauliculi principium tria, iuncea, vnciam longa.

*Iuncum* 2. C. Bauhini in prod. ſiue eiuſdem *Iuncum læuem* 8. in pin. D. Burſerus in Taurero Raſtadienſi

ſtadienſi collegit. Suſpicatur autem Caſp.Bauh. hunc eundem eſſe cum *Iunco lychnanthemo tenui*, plures ex radice fibroſa emittente iunceos ſtylos, breues, digitales, ſpicâ perpuſillâ, ſpadiceſcentéque in apice exornatos, Thalij, quem nuſquam quàm in Broccenbergo collegit.

## IVNCVS FOLIATVS MINIMVS.

### Cap. ccxxxv.



IVncus minimus vnciales & ſeſcunciales emittit *culmos*, plures ex ceſpite ortos, enodes, *paniculam* ſingulos gerentes exiguam, glomeratam, *ſemen* glumis rubeſcentibus triangulum occultantem, cui bina appoſita foliacea cornicula, alterum ſurrectum, alterum ſecundum culmos deorſum vergens: *folia* è radicibus fibroſis capillaribus anguſta, vncialem longitudinem circiter adepta.

Nemauſo attulit Gener Cherlerus.

## IVNCVS MINIMVS FONTIS ADMIrabilis.

### Cap. ccxxxvi.

SEgetem de ceſpite vno tollit magnam, foliorum & culmorum, quæ præ tenuitate ſtamina imitantur, lætè virentia, glabra, altitudine plùs minùs palmari: *culmi* autem nudi enodéſque, circa faſtigium (quod acutum) *paniculam* Iuncorum more ex latere emittunt, aliquando vnam, aliquando geminam, ex viridi fuſcam, ſquammatam, exiguam, lenticulæ magnitudine, aut paulò maiorem, turbinatam.

Inuenitur loco humido cum Holoſtio Matthioli propè Eichelberg, non longè à Fonte admirabili.

## IVNCVS PARVVS MONTANVS CVM paruis capitulis luteis.

### Cap. ccxxxvii.

LOngiſſimis fibris Iuncus hic montanus iiſque crebris demiſſis, ſtylos emittit palmares aut dodrantales, tenues, multis foliorum propter terram inuolucris obſitos, qui cæterà æquabiles enodéſque in ſummo faſtigio capitulum geſtant, duplo triplóve breuius quàm Iuncus clauatus, inter ſquammas longiores emicantibus *floſculis* luteis.



Perennis planta eſt, vt apparet ex reliquiis veterum foliorum, Nardo Celticæ ſimilibus.

Obſeruaui in monte, eundo Ribelſavve ex Fonte acido S. Petri in valle Griesbachiana, locis humidis principio Maij florentem. Locus.

## IVNCVS CAPITVLIS LONGIS, SIVE clauatus.

### Cap. ccxxxviii.



SErpente nititur *radice*, multis fibris capillata: *culmi* ſtriati, nõ aſperi, teretes, enodes, ac ſine foliis, cubitum ferè æquant, fungoſi, circa imum rubentes, quorum ſummitas non in ſtylum exit acutum, ſed in *ſpicam* clauatam, ruffeſcentibus ſquammis imbricatam. Deſcriptio.

Lob. Obſ. p. 44. Ic. plant. p. 86. *Iuncus aquaticus minor capitulis Equiſeti*. Hiſt.Lugd. pag.986. *Iuncus clauatus Dalechampii*, ſiue (in contextu) *Iuncus altus fœcundus*. C.Bauh.phyt. *Iuncus* 7. Eid. pin. *Iuncus capitulis Equiſeti 1.* ſiue *maior, varians ſcirpis latioribus & triplo anguſtioribus*. Synon.

Geneuæ in aquoſis circa *Arue*, alibíque in cœnoſis & ſtagnantibus aquis naſcitur: floret Maio & Iunio menſibus. Locus.

## IVNCELLVS CAPITVLIS EQVISETI MInor & fluitans, C.Bauhini.

EX radiculis capillaceis Iuncus recuruus tenuiſſimus (6. in prod. *Iuncus capitulis Equiſeti alter*, in pin.) prodit, qui in plures Iuncellos duarum triúmve vnciarum ſubdiuiditur, quorum aliqui erecti, aliqui reflexi, capitulum minimum ſuſtinent, & Iuncellis ſingulis foliolum tenue capillo ceu adponitur. Synon. Deſcriptio.

In aquoſis Angliæ fluitat, authore Gillenio. Locus.

## IVNCVS LÆVIS, SEV SCIRPVS INDIcus Caſp. Bauhini.

### Cap. CCXXXIX.

IVncus læuis (ὁλόσχοινος) 1. ſeu *Scirpus Indicus*, Caſp. Bauhini in pin. *Iuncus Indicus poroſus*, Cluſ. cur. poſt. nobis notus eſt. Ex hoc autem Iunco parari in Guinea tapetia, par. 2. Ind. Oriét. cap. 4. fortè prodidit Linſchotanus. Forte & ex hoc, ſportulas, ſtoreas, ſtragula, & pileos in Guinea puellæ conficiunt, vt legitur par. 6. Ind. Oriét. cap. 7. & apud Bantanos, pilæ luſoriæ, par. 5. Ind. Or. fig. 11.

## IVNCVS SYLVATICVS, TAbernamont.

### Cap. CCXL.

Deſcrip. *R*Adicibus nititur pluribus, digitali craſſitudine, profundè in terram ſparſis, æqualibus, Iunci paluſtris, multis fibris capillatis: ab his exoriuntur *foliorum* loco, *oculi*, ex latiore principio vaginam imitati, in acumen deſinentes: *culmi* ſunt craſſi, minores tamen Iunci paluſtris culmis, intus albâ, molli, raráque medullâ referti: *flores* in horum ſummitatibus glomerati, ex rubro nigricantes.

Synonyma C. Bauhin. pin. *Iuncus læuis* 3. ſiue *Scirpus medius*: *Iuncus ſyluaticus* Tabern. ic. & hiſt. *Iuncus quintus*. *Iuncus aquaticus maximus*, Ger. icon.

Locus. In ſyluis locis aquoſis inuenitur.

## IVNCI GENVS MEDVLLA PRORSVS niuea Hiſt. Lugd.

### Cap. CCXLI.

Deſcript. HOc Iunci genus Iunco Matthioli proximũ eſt, paulò breuius & craſſius, ex quo medullam prorſus niueam extrahunt, tum ad lucernarum lumina, tum ad candelabra, aliáque id genus confingenda, quòd facilè in ſpiras duci, atque in ſe flecti & complicari poſſit.

Caſp. Bauh. pin. *Iuncus læuis* 5. ſeu *Iunci læuis alind genus*, H. Lugd. ſine icone, p. 985.

In ſtagnantibus & paluſtribus aquis naſcuntur.

## IVNCVS ACVMINE REFLEXO maior.

### Cap. CCXLII.

Deſcriptio *R*Adices capitatas profert, Cæpis & Gethyis ſimiles, non omninò rotundas, ſed quà parte aliæ aliis adhærent & incumbunt, leuiter compreſſas, cortice nigro obductas, quæ infernè & ad latera radiculas emittunt, in vnum ceſpitem, ſicuti in aſparagis, coaceruatas. Inde prodeunt *ſcapi*, ſeu ſcirpi multi, ſeſquicubitales, nigra tunica prope radices contecti, qui infra cacumen pedis ferè ſpatio extumeſcentes veluti clauam concipiunt, deinde pariunt ouo quid ſimile. Id porrò hians petiolos multos emittit, in quorum vertice membranoſa & rotunda vaſcula, obliquè adnexa, in quinque veluti radios fiſſa, fructum continent anguloſum, nigrum, cuſpidatum, minutiſſimis *ſeminibus* & luteis plenum, ſaporis aquei & ſubauſteri.

Hæc diligentiſſimè Theophraſtus expreſſit, vocans Iuncum hunc oxyſchœnon, fœminam, non μελαγχρανισμὸν, vt in vulgatis eius exemplaribus corruptè legitur, ſed μελαγκρανίδα: Gaza atriferum vertit, alii haud feliciùs Atricipitem, inquit H. Lugd. p. 985. vbi Iunci Melancranidis titulo pingitur.

Caſp. Bauhin. pin. dicitur *Iuncus acumine reflexo* 1. ſiue maior: *Iuncus læuis*, Geſn. cat. & Tabern. Dubitat autem an ſit Iuncus lychnanthemos tenuis maior Thalii: nos hunc ad aliam plantam referimus.

Naſcitur in aquoſis & pinguibus locis, ſed pura & præterfluente aqua ferè madentibus.

## IVNCVS ACVMINE REFLEXO ALTER, Caſp. Bauhini.

### Cap. CCXLIII.

C*Aule* eſt ſeſquicubitali, rotundo, læui, aphyllo: *panicula* vmbellæ ſimili, atroſplendente, pediculo carente, filamentis cæruleis, vt in Aphyllonte, donata: quam caulis duarum, triúmve vnciarum, acutus, ſed mollis, parúmque reflexus ſuperat.

In Prouincia Galliæ prouenit Iuncus, qui Caſp. Bauhin. in prod. quartus eſt: in pin. verò Iuncus acumine reflexo ſecundus.

## IVNCVS FLORIDVS.

### Cap. CCXLIV.



FLoribus inſignis Iuncus, nudos caules, rectos, alteram aut tertiũ cubitum altos, minimi ferè digiti craſſitud. erigit, quorum faſtigiũ ex folliculo membraneo emergentẽ amplam ſuſtinet vmbellam, inæqualiter digeſtã: *florum* ex albo purpuraſcentium, (candidorũ, Trag.) ſtaminibus luteis medium occupantibus, quibus ſuccedentia capitula *ſemina* parua continent: *radicem* habet iunceam, craſſiuſculam, fibratam à qua *folia* compluſcula, caule non minora, germinant, carinata, cyperi ſimilia, quadrantem vnciæ lata, vel latiora.

Eum ſic deſcripſiſſe videtur Cordus in hiſt. Gladiolus plauſtris, folia ab vna radice erigit multa, Iridi ſimilia, anguſtiora tamen, triquetra, & ſuperiùs in mucronem deſinentia, è quorum medio caulis duûm, triúmue cubitorum altitudine

dine erumpit, inſigni læuore & æqualitate prȩditus, in cuius ſummo flores multi, longis pediculis, ex vno principio naſcuntur, in purpura candidi, tribus foliolis conſtantes, ſub quorum interuallis alia tria (ſed illis minora) ſunt: ſtamina in ſe flores habent numero plerumque nouem, croceo in ſummitate puluiſculo manus attrectantium inficientia. Habent ſinguli flores in medio capitulum, ſemini ferendo aptum & ſex partibus diuiſum, quibus ſunt ſinguli in ſummo repandi apices: omnibus huius capituli angulis ſingulæ adhærent guttæ, admodum paruæ, cryſtalli modo tranſlucidæ, ſapore & ſubſtantia mellis. Radices habet duas, quarum gracilior & nigrior deſcendit: craſſior verò ſuperiùs ferè in ſuperficie terræ tranſuerſa fertur: vtrique propagines aliquot, & multæ fibræ adnaſcuntur: habent radices ſaporem dulcem & glutinoſum: naſcitur autem pinguibus, limoſis & humentibus locis, quò fluuiorum inundationes peruenire poſſunt.

Sunt qui Gladiolum hunc Cordi, Theophraſto dictum, eſſe ſuſpicantur: ſed Theophr. Cyperum intelligit.

Ad Gramen harundinaceum, & Caricem acutam Virgilij referendum Tragus iudicat, ideóque Graminis tertium genus, & Calamagroſtin alteram vocat: eius autem figura non placet.

Lob. in Adu. Obſ. p. 44. Ic. p. 86. dicitur *Iuncus cyperoides floridus paludoſus*. Dod. gall. σπαργάνιον & ξιφίδιον, hoc eſt, Sparganium & Iris ſylueſtris, ac etiam Scirpus quorundam.

C. Bauh. phyt. *Iuncus* 8. ſiue *floridus*: Eid. pin. *Iuncus floridus* 1. ſiue *maior*: *Calamagroſtis* 2. *Tragi*: *Iuncus floridus Matth. & Caſt.* *Gladiolus paluſtris Cordi* hiſt. *gladiolus aquaticus* Dod. Lat. *Sparganium*, gall. Carex alterum, Lon. *Iuncus cyperoides paludoſus*, Eyſt. *Iuncus cyperinus floridus*, Tabern. *Butomos Theoph.* Cæſalp. *Iuncus floridus Matthioli*, H. Lugd. pag. 989. Eid. pag. 1006. *Calamagroſtis prima*.

Monſpeſſuli in maritimis & lacuſtribus paſſim, inter Iuncos præſertim obſeruatur. Sic & in Italiæ ferè totius lacuſtribus, & vdis pratis maritimiſque, iuncetis potiſſimùm. A Maio ad Auguſtum vſque floret.

---

## IVNCVS FLORIDVS MINOR, C. BAVH.

RAdice eſt candidâ, geniculatâ, fibris plurimis adhærentibus: *caule* palmari: *foliis* ternis, iunceis, oblongis, acutis, duobus caulem ſuperantibus, cuius ſummo, ſingulis pediculis, qui quini ſunt alternatim ſibi ſuccedentes, *flores* (quos non vidit author,) inſident, quos *fructus* gemini rotundi, Orobi Cretici magnitudine, ſequuntur.

In paluſtribus Heluetiæ circa cœnobium Eremitanorum, & in monte Fracto ad lacum Pilati Lucernatum D. Burſerus obſeruauit Iuncum hunc, quem in prod. C. Bauhinus *nonum* fecit, & in pin. *Iuncum floridum ſecundum* ſiue *minorem* vocauit.

## CALAMVS AROMATICVS IN GENERE.

### Cap. CCXLVI.

THeophraſti de Calamo aromatico duplex occurrit locus. Ait enim lib. 9. hiſt. cap. 7. quòd Calamus trans Libanum montem, inter ipſum Libanum, & alium quendam montem paruum valle minima exeat. Non, vt quidam dixêre, inter Libanum atque ante Libanum, inter quos campus ampliſſimus & pulcherrimus eſt, Aulos appellatus. Quà verò proueniat, lacum in amplum ſpatiari, iuxtáque eum paluſtribus ſiccatis, iſtum aſſurgere. Occupare locum plusquàm triginta ſtadia. Viridem nequaquam eſſe videri, ſed ſiccum: forma verò nihil ab aliis (τῶν καλάμων) differre. Locum ingredienti protinus odorem ſpirare, non tamen longiùs, vt quidam referant. In Arabia autem ſpirationem agri odoratiſſimam eſſe inter omnes. Et huius rei cauſam reddit 6. cauſ. 22. dicens argumento hoc eſſe, quòd tractibus æſtuoſis, meliora odoratorum genera proueniant, quòd meliùs ibi concoquatur, & ſiccata oleant, viridia autem nihil, vt Calamus & Iuncus.

Quæ ex Dioſcoride & Galeno hîc adducere poſſemus, vbi de viribus agemus, adſcribemus.

Calamus (inquit Plinius lib. 12. cap. 22.) odoratus in Arabia naſcens (Plutarchus libro, Quod bruta ratione vtuntur, id quoque prodidit, ſed errore manifeſto, Guilland.) communis Indis atque Syriæ eſt: in qua vincit omnes (annis, M.) A noſtro mari centum quinquaginta ſtadiis, inter Libanum montem, aliúmque ignobilem, non (vt quidam exiſtimauére) Antilibanum, in conualle modica iuxta lacum, cuius paluſtria Æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis Calamus odoratus gignitur. Nihil autem à cæteris ſui generis differt aſpectu: ſed præſtantior odore, ſtatim è longinquo (alienâ fide Theophraſtus, ex quo Plinius hæc ad verbum transſcripſit, narrauit, quod minimè verum eſſe Guillandinus teſtatur, qui eam regionem peragrauit. Idem ſcripſit & Vitruuius:) inuitat, mollior tactu, meliórque qui minùs fragilis; & qui aſſulosè potiùs quàm Raphani modo frangitur. Ineſt fiſtulæ araneum, quod vocant florem. Præſtantior eſt, cui numeroſius. Reliqua probatio vt fuluus ſit. Niger aliàs damnatur, (nec legendum, Reliqua probatio, vt niger ſit. Damnatur aliubi.) Melior, quò breuior, & craſſior, lentúſque in frangendo. (malim legi mandendo.) Calamo pretium in libras XI. iunco XV. Tradúntque Iuncum odoratum & in Campania inueniri. Idem lib. 24. cap. 11. Et quoniam plura genera Harundinis fecimus, illa quæ in India, Syriáque naſcitur, odorum, vnguentorúmque cauſa, &c. Lege caput de Harundine, vbi vires traduntur.

*Plinius.* *Plutarchi error.* *Theophr. lapſus.* *Plinii lectio reſtituta.*

Calamus aromaticus ſiue odoratus duplex eſt: alter Syriacus, ad ripas lacûs Geneſaretici, quem alij mare Galilææ, alij mare Tiberiadis vocant, naſcens, à vulgari nihil diſſimilis præterquam quòd, poſt quadrageſimum diem ſiccatus, nonnihil flagrat: alter Indicus, deſcriptus à Dioſcoride olim, nuper à Garcia ab Orta, diuerſiſſimus à Syriaco. Dionyſius de ſitu orbis ἐρυθραῖον vocat, à colore, non vt Euſtathius putat, quòd eius altrix India Erythræo contermina mari ſit. Dioſcorides κιῤῥὸν eſſe tradit. Apud Vegetium lib. 4. de re veterinaria, Abſyrtus in confectione pulueris quadrigarij Calamum Syriacum & aromaticum, id eſt, Indicum, memorat. Et hæc Calami genera plurimùm inter ſe diſcrepantia, Plinius ignoráter miſcuit ac confudit, teſte Guillandino.

*Calamus Syriacus differt ab Indico.* *Plinius.*

Quæ Paulus, Aetius, Plutarchus, Celſus, & Dionyſius de calamo prodiderũt, à Theophraſti,

Dioſc. Plin. & Galeni placitis re ipsà nihil differunt. Quare his neglectis ad Neoter. deuenimus.

Hermol. Legi (inquit Hermol.) & in Meotide odoratum naſci Calamum radice ſubalbidà, & ſine fiſtulis, plena intus & amara, ſpecie Acori, de quo & falſi quidam ſunt, Acorum eum putantes. Quantò autem amarior, tantò & calidior eſt Indico. Vtrumque tamen genus Acorum odore ſuperat. Teredinibus vt Acorum inceſſitur: omninóque vicarium pro Acoro eſt. Ab Ionia & Ponto, & Herculis columnis prorſuſque apud omnes, qui mediterranea colunt Aphricę, vt ſi eadem non ſunt planè, maxima tamen germanitate viſantur, vt autores plerique tradunt.

Non eſt radix Matt. Aromaticus porrò calamus, ſi Dodonæo gall. ſi Trago: ſi Cluſio, præſertim verò ſi Matthiolo in apol. in Amatum credimus, non radix eſt, ſed Calamus pretioſiſſimus, at qui hactenus ad nos non fuit apportatus. Nam [inquit hic] quod Plinius ait efficaciſſimam in omni Harundine eā eſſe partem, quæ radici proxima, quis non videt de Harundine, non de radicibus intellexiſſe Plinium: examines enim partes in vniuerſo calamo, radicibus proximas cæteris præſtare dicit, quod facilè prudens animaduertet Lector. Nec enim aliam ob cauſam Plinius maiori vi pollere eas calami partes, quæ prope radices habentur, quàm quòd eædem vbi craſſiores, vegetiores, robuſtioréſque in omni Harundinum genere reperiantur, quàm in cæteris earundem locis: quo fit vt etiam calami ipſius genicula efficaciora pariter ipſe exiſtimauerit Plinius. Quippe & genicula robuſtiora ſunt, & craſſiora. Quam ob cauſam calamum illum prætulit Dioſcorides, qui densè fuerit geniculatus. Quòd verò Calamum, non radices deſcribat Dioſcorides, apertè quidem cōſtat, cùm ait. Calamus odoratus in India naſcitur, melior eſt fuluus, densè geniculatus, & qui aſſulosè frangitur, plena araneorum fiſtula. *Hæc ille.* Quæ tamen perperàm Luſitanus intelligit. Quippe calamus in primis Harundinem deſignat, non radicem. Præterea proprium Harundinis eſt pluribus conſtare geniculis, & aſſulosè frangi. Deinde fiſtula, in qua quoddam araneæ telæ ſimile concluditur, calamo tantùm debetur. non radici, quæ ſolida, dura, lignoſa & vbique occluſa ſpectatur in omni Harundinum genere. Adhæc fuluus color calamo ſanè debetur, non radici. Quippe quòd radix in Harundine perpetuò albicet. Ad id autem quòd proprium ſit radicis (vt Amatus contendit) vt ipſa geniculata dicatur, calamus verò potiùs nodis cinctus, Dioſcorides ipſe reſpondet. Quandoquidem is non modò quarundam plantarum radices geniculatas facit, ſed etiam caules, & calamos nonnullarum ſtirpium reddidit geniculatos, vt facile quis certior fieri poterit, qui eius codicem legerit in Hydropipere, in altera Cyclamino, in Gentiana, in Panace aſclepio, in Gramine, &c. Conſtat præterea Calami odorati, quo paſſim Seplaſiæ vtuntur, radices ex Lithuaniæ, & Tartariæ finibus, quin etiam ex Ponto, vbi paſſim ferè proueniunt, ad nos conuehi. Quod maximo cuique argumento eſſe poteſt, eos cum Amato prorſus hallucinari, qui eas ipſas radices Calami odorati eſſe contendunt, quòd nullus extet autor qui ſcripſerit odoratum calamum alibi prouenire, quàm in India & Syria. *Et hæc ſunt Matthioli in Amatum argumenta*, quibus docere conatur calamum odoratum communis vſus, legitimum, genuinumque eſſe Acorum: quin concludit calamum odoratum harundinem eſſe non radicem.

Iam dictis adſtipulatur Aloiſius Mundella in Braſſauolum, & hunc in modum argumentatur. Si calamus aromaticus, qui in officinis pro calamo & habetur & venditur calamus odoratus eſt Dioſcoridis: ſtatuendum vtique eſt calami deſcriptionem, vel calami ipſius eſſe, vel radicis, vel vtriuſque apud Dioſcoridem. Quod autem vtriuſque non ſit, colligitur, quia Autor non exprimit, quæ caulis aut radicis ſint propria. Non radicis: primùm, quoniam illius mentionem non facit. Deinde, quia radix, quam pro calamo venditant, non videtur ruffa: acriſque inſuper & amara eſt, velut Acorus. Poſtremò in aſſulas non diſſilit, h. e. per longitudinem aſſulas paruas, dum frangitur, non relinquit. His quoque addit: Non conſtat quomodo fiſtulæ aranearum plenæ exiſtant in hac radice, quemadmodum in ea, quæ eſt calami Dioſcoridis, quas araneas ſecundum Plinium florem cognominat. Quod ſi ergo calami eſt deſcriptio apud Dioſcoridem, huic noſtro vulgari quæ eſt radix conuenire non poteſt. Quare dubitat ne hic officinarum calămus, magis ad acori radicem accedat, quod Manardus, Cordus & alii quoque ſuſpicantur, & Matthiolus omninò genuinum eſſe Acorum credit, & olim Io. Rodericus [Amatus Luſitanus: ſub nomine enim Io. Roderici Luſitani ſuperioribus annis commentarios in Dioſcoridem in lucem euulgauit.] affirmabat. Nunc verò firmiter contrarium aſſeuerat.

*At verò cum huius rei diuerſa penitus ſint aliorum placita. Argumenta quæ pro negatiua parte faciunt, paucis refutabimus, affirmatiuamque rationibus comprobabimus.*

Matthiolo itaque dicenti, quod calamus aromaticus, non radix, ſed calamus Dioſcoridi ſit, primùm reſpondemus, calamum aromaticum ſimpliciter, per ſe, & abſolutè dictum, nec radicem, nec harundinem, nec tale quid eſſe, ſed in hæc, tanquam totum in ſuas partes, diuidi: Et hac ratione æquè radicem, ac calamum, aut tertium quid eſſe poſſe. Quod manifeſtè eius deſcriptio comprobat, quę partim ad calamum pertinet, partim ad radicem, vt patebit. Quod ad nos non fuerit apportatus. Audit Amatum veriora teſtantem: calamum ex India Luſitani noſtri ſingulis annis deferunt per mare rubrum in Cairum & Alexandriam deferentes. Venetias portant, calamis ſimilem, vnde nomen accepit. *Licèt adhæc* Plinius efficaciſſimam in omni harundine eam partem eſſe dixerit, quæ proxima radici ſit, non ideò denegauit radici ipſi excellentiam, ſed Arundinis tantùm ſuperiorem partem non ita efficacem aſſerit. Præterea Theophraſtus & Plinius alibi ipſam calami radicem deſiderant, & eam cæteris partibus anteferunt. *Nunc* ſuo ſe gladio iugulat Mundella. Vtriuſque (calami & radicis ſimul) deſcriptio non eſt, inquit ille: quia autor non exprimit, quæ caulis, aut radicis ſunt propria. Pulchrè ratiocinatur ſi diis placet. Quæ conſequentia: Non exprimit propria, ergo vtriuſque non poteſt eſſe. Si non expreſſit, nec etiam contrarium affirmauit. Quod enim dicit optimum eſſe, qui fuluus eſt, ad radicem referendum eſt: Sicut & illud Plinii, ſubalbidus, in commanducando viſcoſus, ſubacris, adſtringens, ad radicem pertinet, velut ipſum experimentum docet. Quod verò frequentibus geniculis præditum ait, & aſſulosè in multa ſegmenta diffringi, & fiſtulam araneis plenam habere ad calamum. Non radicis (pergit Mundella) quoniam ipſius mentionem non fecit

Dioſc.

Dioſc. Quæ eſt rationis huius neceſſitas? Non meminit radicis, ergo deſcriptio eius non eſt. Dic quaſo Mundella, Quid aliis in locis deſcribit Dioſcorides, vbi nec plantæ foliorum nec radicis, aut aliarum ipſius partium meminit, Dic, quid deſcribit capite de Coſto? Reclamat tandem ipſa experientia verbis, quæ opponit, Radix non videtur ruffa, non diſſilit: Non conſtat Mundellæ, quomodo fiſtulæ aranearum plenæ exiſtant. Reclamat, inquam, ipſa Amati experientia, dum ſcribit, Venetias portant, Calamis ſimilem, album & ſubrufum, crebris geniculis, in aſſulas diſſilientem, fiſtuloſum, araneo albo plenum. Sed iam probatum eſt deſcriptionem non tantùm Calami, verùm & radicis eſſe. *Vltimò* ſi Calamus aromaticus Officinarum Acorus genuinus eſt, vt Matthiolus & alij quidam affirmarunt, fruſtra hi omnes entia multiplicant, ſeparántque à ſe inuicem quod vnum eſt. Diuerſis ſiquidem capitibus, de Acoro & Calamo tanquam de diuerſis tradunt.

Hoc tempore penitus ignotum ſcribitur, quod Calamus aromaticus, cuius Veteres meminerunt, Officinarum communis Calamus non ſit, ſed radix, neque præſcriptis notis inſignita, vt ex Manardo, lib. 6. Epiſt. 1. lib. 8. epiſt. 1. cuius rationes mutuatus Matth. etſi aliorum armis muniatur, feroci admodum aſpectu, ea in Braſauolum tela contorquet, vt ſibi ipſi Vulcanus videatur: magno enim errore Braſauolum duci, ſatis palam eſſe ſupponit: quòd tam facilè ſibi perſuaſerit, legitimum odoratum Calamum, illam eſſe radicem, quæ temerè omnibus in ſeplaſiis illius vicem explet, cuius opera ſi interiiſſent, quis non miſellum hunc Braſauolum cachinnis irritaret? hem quis non admiraretur tot contradictiones? tot lapſus? tantam inſcitiam? tot grauia crimina? quæ tamen ab aſtuto hoc homine, eius ſententias peruertente, corruptis verbis, diminutis clauſulis, ei falsò adſcribuntur: vt per Iouem lapideum iurare cogar, (inquit Apollo) me ſuis lineis depictum Matthiolum, vobis planè indicaturum: ita enim ſcribit Braſauolus, decimus agitur annus, quod Venetias vetus Calamus aromaticus affertur, qui Calamus eſt, & non radix, at communis aromaticus Calamus, qui paſſim venditur, radix eſt, & non Calamus, id verò de quo in præſentia loquar, Calamus eſt, & non radix, qui folia habet circumcirca in aliquibus Calamis, quæ noſtrorum Calamorum foliis aſſimilantur, & niſi putaſſem Galangam eſſe Acorum, non potuiſſem, non arbitrari vulgarem Calamum aromaticum eſſe Acorum, & fortè radix hæc, quæ Calamus aromaticus vocatur, eſt odorati Calami radix: Calamus autem verus odoratus, in Officina Campanæ, Venetiis vendebatur. En igitur Studioſi quibus verbis peritos inſectetur? quàm fideli ſermone candidiſſimos laceret? quàm tumultuoſis rixis, ſe vbique moleſtiſſimum, ac infeſtiſſimum exhibeat? hæ ſunt argutię quibus prægrandem confarcinauit librum, ſolo lepore illos laceſcens, ſuíſque obruens calumniis, non aliam ob cauſam, niſi vt doctiſſimis aduerſari videretur, & quocunque modo in eos argumentũ effunderet, hac importunitate excruciaret, tantùm ſibi arrogans, vt quæ non dixerunt, dixiſſe velit, quæ enim in eius ſententiam pedibus non eunt, tergiuerſatur, ſi quis nodus incidit, ſtatim tranſilit, velut angue conſpecto, aut ſaltem lippis oculis intuetur: etſi clariſſimo ſuorum ſcriptorum teſtimonio ſaniſſimi ingenij videatur, vt quum minimè compertum habet dixiſſe Dioſc. & Galenum Calamo aromatico aliquid ineſſe amaritudinis: quod vel Ruellij verſionem quam ſe imitari pollicetur, in ſui operis initio, paulò ſegnius perlegerit, vel in eam, ſi quid perperam ex Græco tranſlatum, vt ſui moris eſt, aliquid iniicere tenebatur, quòd cum aliquanta acrimonia amarum Calamum tranſtulerit: id quod Secobienſis Lacuna, Græcis, Latiníſque literis eruditiſſimis, qui Ruellium fideliùs reſtituit, corrupta loca reſarcinauit, aucta imminuit, mutata ad priſtinum candorem reduxit, malè huic tributum amarorem nõ annotauit, etſi Marcellus quod ad amaritudinem pertinebat, ſe reliquiſſe aſſerat, quia in melioribus illa vox non legatur. Manardus etiam lib. 3. Epiſt. 2. probans Calamum non eſſe Canellam, inter alias differentias enumerat, quòd in ea canella non ſit amaror, innuere calamo amaritudinem ineſſe, vt hinc Fuchſij ſententiam improbare non poſſit, atque an communis illa radix, calami odorati propria ſit, quæ amariuſcula, necne, nullum eſt in hoc euidens argumentum, quod etſi Harundinis trunculum, cacumini annexum non deferant: folia Iridis ſimilia, harundinacea, quadantenus præ ſe ferunt, ſicca potiſſimùm, an verò Acorus ſit, eo in capite diſcutiendum relinquimus: hic tamen prætetire non poſſumus Amati autoritatem, ne dícam ambitionem, aut inſolentiam, qua calamum aromaticum Officinarum Dioſc. legitimum, ſuis notis repræſentare non ambigit, potiùs, vt credimus, ſomniando, quàm ſenſuum libertate, tam abſurda proferendo? nec Matthiolum contraria aſtruentem, hoc eſt, calamum aromaticum harundinem, ſiue calamum, non radicem eſſe debere, deceptum aſſerere veretur: quòd licet Theophraſt. ac Plinius in calamo odorato calamum, & non radicem, laudare videantur, alibi tamen radices cæteris partibus anteferunt, ídque ex Plinio manifeſtè percipi, lib. 24. cap. 11. quum odorati calami facultates enumerans, inquit: Efficaciſſima autem in omni harundine, quæ proxima radici, efficacia & genicula, ex quibus in omni Calamo radicem efficaciorem eſſe partem contendit: id quod ſi Plinius intellexerit, vel ipſi pedagoguli diiudicent: Quis enim etiamnum mediocris ingenij ita arguerit? Plinius proximas in Harundine radici partes aliis præfert: ergo radix efficacior eſt pars? Quiſnam etiam ex palliotenus Medicis, qui ſtultiſſimum hoc arguendi genus non excludat? qui in re vulgatiſſima illum cæcutire non deprehendat, qui inquam dum ſitim ſedare cupit, ſitim alteram creſcere non videat, vt quantò plus biberint, tantò magis ſitiant Parthi: quum ſcilicet huiuſmodi radix, quæ in multa ſegmenta nunquam aſſulosè frangitur, non fiſtula araneo velo ſimile quicquam occludente, quæ quidem Harundini debentur, non radici, ſit ſaltem Calami aromatici radix: cuius nulla eſt ab Amato probatio: tot autem oculati teſtes ex Manardo, ac Matthiolo contrarium aſſeuerantes, tot ab his rationes, quas hic rurſum inculcare, operæ pretium non eſt, vt quum Braſauolum huic ſuę opinioni aſſentire teſtatur, ſecùs quàm ipſe dictet, vt ſupra: quum Dioſc. calamum odoratum, non radicem, ſed Calamum eſſe debere, ſcriptis mandauerit, quúmque calamos equiſeti, graminis, ac aliorum geniculatos reddiderit Dioſc. non eſt quod radici proprium eſſe geniculatum, Calami autem nodis cinctum aſſerere debeat:

Fuchſii tela.

Amati turpis error.

quum autem calamum aromaticum eſſe officinarum Schœnanthum arbitrantur Calopodiani, qui in Meſuē ſcripsēre, nec illorum ſpernūt opinionem, qui radicem calami aromatici vice acceptam, legitimi calami radicem ſtatuunt, quàm magno implicentur errore, non animaduertunt. Siquidē Schœnāthi Officinarum radices tradūt capillorū modo, tenues, huius verò adulterini calami radices craſſę ſūt, & effatu dignæ: propterea Schœnanthi radices eſſe non poſſunt, & per cōſequens: ſi Schœnanthum vulgare calamus eſt aromaticus, hæ radices non erunt calami odorati radices: quúmque in aſſulas non diſſiliat Schœnanthum id, non fuluum ſit, non in mandendo lentum, meliùs diſcant, ne rudere potiùs, quàm erudire videantur: veri tamen calami loco, radicē hoc nomine vſitatam ſubſtituere malo, etiamſi Acorus ſit, quæ multas calami qualitates obtinet, quàm Sphagnum, latinis muſcus arboreus, Officinarum vſnea: & ſi Auic. cap. de muſco, pro quo Thalcb repoſuit Bellunēſis, muſcum fluuialem, aqueum, terreum, petroſum, maritimum complectatur, & cap. de Vſnea arboreum videatur diſtinguere, aperta ſeparatorum nominum & capitum confuſione. Galen. verò ac Paulus in ſuis ſuccedaneis, pro calamo ſphagnum cum Mathiolo ſupponant: hæc enim in alienam meſſem irruiſſe creduntur, doctorum omnium iudicio, quòd plura his ignota inſerant, aut facultatibus diſſimilia ſuggerant, vt Myrtum pro Cardamomo, &c. quorum eſt ſylua: moſcus verò arboreus, hypnos etiam vocat⁹, hoc eſt villoſa illa cauicies arborum caudicibus adhærens, multiplex eſt, vt ſuo oſtendetur loco.

*Schœnanthum Calami loco ſubſtituitur.*

Nomina linguar. De hiſce ſatis, vela retrahamus: vocatur græcè κάλαμος ἀρωματικὸς, ὀδώδης, καὶ μυρεψικὸς h. e. lat. *Calamus aromaticus, odoratus & vnguentarius.* Arab. vt Serap. *Haſabel derire*: *Alſaharino*, *Alterira*. Bellunenſi *Alderire, Aldarira*, & *Chaſab darirhe*: item *Caratis & Caratim.* Germ. **woलriechendt wurtzriedt/ wolriechendt Rohr.** It. & Hiſp. *Calamo aromatico.*

Aequiuoca *Calam. odor. Ind. Verus.* Præter calamum aromaticum quorundam Indicum & verum, ſunt & aliæ plantæ, quibus calami aromatici nomen attribuitur.

*Calamus Matth. fictitius.* Calamum odoratum Matthiolus pingit, & ex eo Lacuna. Lonic. Acoſta, Durantes, Hiſt. Lugd. Tabern. & Gerardus, Calamum aromaticum nominantes, qui nihil aliud eſt quàm figmentum, nihil differens ab Arundine hortenſi ſiue ſatiua.

Malè in officinis calami aromatici nomine

*Acorum.* Acorum, de quo ſuo loco, venale proſtat.

*Caſſabouſerire* Bellonius cum vulgo Pharmacopolarum Conſtantinopolitanorum calamum aromaticum eſſe opinatur, ſed Qualcebeni quidē & Matthioli iudicio, abſurdiſſimè. Sunt enim calami lapidei: non verò cuiuſdam plantæ.

*Schœnanthos* Schœnantos quibuſdam idem eſt cum calamo aromatico. Quare Colleg. Florent. huius loco Schœnanthon ſupponit. Idem & Borgar.

*Canella.* Opinio Marcelli dicentis calamum aromaticum eſſe Canellam, meritò tanquam erronea damnatur ab Acoſta.

Notat idem Acoſta quoſdā calamum aroma-

*Galanga.* ticum cum Galanga confundere. Et ſanè conſtat Venetos pharmacopœos, Theriacam paraturos, calamo Galangam ſubſtituere.

Antidotarium Romanum calami odorati veri

*Angelica.* loco Angelicæ radices, ſed in minori quantitate commendat.

Calami aromatici nomine Argentoratēſes hortulanæ venditare ſolent Phu maius & nobile: vide Tragum.

Plura de calami aromatici ſubſtitutis dicta antè, vbi Apollinis verba adſcripſimus.

De calami aromatici viribus hæc Dioſcorides ſcripſit: naſcitur in India. Eſt autem optimus, qui fuluus (κιῤῥὸς. Aet. πυῤῥὸς) eſt, & frequentibus geniculis præditus, & qui aſſulosè in multa ſegmenta diſtringitur, fiſtula araneis plena [ἀραχνίων. Plenam habens araneorum fiſtulam, Sarrac. Malè araneorum: oporter enim vertere telâ araneæ, aut re ſimili telæ araneæ, Paſinas Salodianus.] ſubalbidus [ὑπόλευκος. legendum ὑπόλευκον Paſ. Salod.] In commanducando verò viſcoſus (γλίσχρος, leg. γλισχρὸν Paſ. Salod.) adſtringens, ſubacris (πικρὸς Orib. amarus, Ruell.) Potus vrinam mouere poteſt. Vnde cum Gramine, aut Apii ſemine decoctus & potus hydropicis, nephriticis, vrinæ ſtillicidiis, & ruptis conuenit. Ducit etiam menſes & appoſitus & potus. Tuſſes quoque ſanat ſuffitus per ſe ipſum, & cum reſina terebinthina, ſi fumus per fiſtulam ore attrahatur. Decoquitur [ἀφέψεται. Pal. ἀφεψεῖται] etiam ad inſeſſus muliebres, & ad vteri collutiones (vet. caret verbis, καὶ ἐγκλύσματα.) Miſcetur & malagmatis, & in ſuffitus, iucundi odoris gratia. Calamus odoratus, ***authore Galeno***, leuiculam quandam adſtrictionem ac minimam acrimoniam poſſidet: magnā ex parte eſſentia eius terrena eſt & aërea, in caliditatis frigiditatiſque coniugatione temperata. Quamobrem moderatè vrinam mouet, & facultatibus quæ iecori ſtomachóque imponuntur, miſceri poteſt: tum in fomenta quoque vteri, quæ phlegmones gratia, aut irritandis menſibus aſſumūtur, vtiliter admiſcetur. Ponatur itaque habeatúrque ſecundi ordinis eorum quæ excalefaciūt. Ineſt quoque ei quædam partium tenuitas, velut aliis omnibus odoratis ſiue aromatibus. Cæterùm illorum compluribus tenuium partium plurimùm, calamo verò non multùm adeſt.

## CALAMVS AROMATICVS VERVS quibuſdam.

### Cap. CCXLVII.



CAlamum aromaticum creditum à triginta iam annis aſſeruo, vegeto amarore, cum lentore quodam præditum, teretē, craſſitudine pennæ cygneæ, internodiis lōgiuſculis articulatū, rutilanti & ſpadiceo foris colore, aliàs buxeo, ſubtus candicantem, intrinſecus ſubſtantia fūgoſa raraq́; texturæ farctum: ad genicula ſingula, calami ex aduerſo

uerſò ſiti pronaſcunt--, vt calamo primario magnitudine cedentes, ita colore & compoſitione ſaporéque conuenientes.

Similem calamum accepi anno 1598. ab inſigni viro Io. Lurzio Ill. E. VVitt. pharmacopæo. Alium ſic deſcripſit Gener Cherlerus, Calami aromat. veri ſurculus, qui ad C. Bauhinum Argentinâ miſſus bicubitalis erat, Betulæ inſtar ramoſus, in cuius altera biuaricatione folium, vel potiùs folij fragmentum, nullo pediculo, ſed principio anguſtiore hæret, vnciale, tribus neruis inſignibus donatum, facie folij Indi, aut potiùs Plantaginis quinque-neruiæ, vnciæ quadrantem latum.

Pingimus in noſtra tabella calamum vnum cum radice ex Cluſij Garcia: ſecundum & tertium, cui rami ex ſicca planta.

An Cordo in Dioſc. Calamus aromaticus verus, aliquoties in pharmacopoliis inter Squinanthi ſtipulas & ſpicam Indicam intuitus?

An Qaalceb. Iuncus odoratus Matthioli, mira acrimonia linguam guſtantis mordicans, nihílque tamen, præter amaroris plurimùm, inter guſtandum derelinquens?

Lobel. in hiſt. Belg. pag. 73. in icon. Plant. pag. 54. ſub titulo Calami odorati Libani, & calami aromatici ex Alepo miſſi, wolriechender Kiertz/ figuram habet, quæ eiuſdem plantæ, cum ea quam deſcripſimus, videtur.

De calamo ſuo odorato Libani in Obſ. p. 29. hęc ſcribit. Memini me vidiſſe Venetiis ad Angeli ſymbolũ Calamũ aromaticum, quem Alepi Syriæ Sequinus Martinellus doctus & induſtrius pharmacopæus, fortè delatum ex lacu inter Libanum & illum ignobilem montem Plinio memoratum miſerat. Arundo erat geniculata, nitida, craſſitudine paruum digitum æquans: color fuluus, ni labat memoria, ſaturior, odoratus, parum lentus, in mandendo, ſubacris & amarus. Iacobus Vtenhouius generoſus Gandauenſis, ſtirpium & artis Medicæ peritiſſimus, calami aromatici dodrantales cannulas aranearum telis plenas, fuluas, geniculatas, digiti minimi craſſitudine, guſtu planè aromatico, amaricante, Schœnantho præſtantiore, nactus eſt inter Schœnanthi feſtucas, quas Maſſiliam aduectas ex lacu Plinio memorato aſſerebant. Multò maiores habuit præclarus vir Augerius D. de Bousbekę Flander Inſulanus, Cæſareæ maieſtatis Conſtantinopoli Legatus, ſtirpium exoticarum peritiſſimus.

Volunt nonnulli Calamum Officinarum eſſe Acorum Veterum: Ego autem (inquit Garcias) nullius opinioni addictus, liberè dicam, quod ſentio. Calamus aromaticus quo officinæ in Luſitania vtuntur (aromaticum voco, non odoratum, vt plerique alij, quandoquidem aroma odorem non ſignificat, ſed quod vulgò *droguam* vocant, neque etiam calamum odoratum ſcio, ſed Iuncum duntaxat) idem eſt cum eo, qui in India magno eſt in vſu cùm viris, tum mulieribus & iumentis. Vocatur is in Guzarate *Vaz*: in Decan, *Bache*: in Malabar, *Vazabu*: in Malayo, *Dirimguo*: in Perſia, *Heger*: in Cuncam, quæ eſt regio maritima, *Vaticam*: Arabibus *Caſſab & Aldirira*. Serapio lib. ſimpl. cap. 205. eum vocat *Aſſabeldiriri*, ſed corrupto vocabulo: omnes enim Arabes Medici cum Auicenna lib. II. cap. 157. & 207. *Caſſab & Darirbe* appellant. Idem autem ſonat *Caſſab*, quod Calamus, & *Aldirira* ex aromatibus: nam *Dirire* idem quod nobis aroma eſt. Quoniam verò Malayo incolæ eius vſum ab Arabibus qui ex Coraçone erant, didicerunt, idcirco corrupto nomine *Dirimguo* vocarunt. Cæterùm non eſt odoratus, niſi è terra auulſus: quantóque virentior eſt, tantò mihi validioris, tetriorísque odoris videtur, tametſi aliud ſentiat Ruellius. Porrò quoniam Hippocrates & Galenus 1. ſimpl. Indicum hunc calamum vnguentarium appellant. Plutarchus verò calamum Arabicum, & Cornelius Celſus calamum Alexandrinum: videtur etiam extra Indiam naſci. Ego, vt veritatem elicerem, ſciſcitatus ſum à multis Coraçone incolis & Arabibus, ſi apud eos naſceretur calamus: item an eſſet eis cognitus, eóque vterentur: Negarunt omnes apud ſe inueniri, niſi ab Indis aduectum mercimonij gratiâ, probéque ſibi cognitum, vtpote cuius plurimus apud eos eſſet vſus. Non falluntur tamen, qui Arabicum vocant, nam ex India in Arabiam defertur, & inde in alias regiones: neque qui Alexandrinum appellant, quoniam hinc Alexandriam, deinde Barut & Tripolim Syriæ defertur. Quod autem Manardus lib. 3. epiſt. 1. dicit in Pannonia ſe vidiſſe adeò recentem, vt non longè petitus videretur, fieri poteſt vt fallatur: aut, ſi viderit, ſatum fortè in ſporta, aut fictili vidit. Sed illud certiſſimum eſt, hinc auehi Calamum in eas regiones. Is verò, quo vtimur, radix non eſt (puſilla etenim eſt radix) ſed ipſius calami cum aliquantula interdum radicis parte fragmentum. Hallucinantur ergo qui nihil niſi radicem eſſe ſcribunt, confirmandæ ſuæ ſententiæ causâ, quâ contendunt hunc calamum Acorum eſſe. Neque quod in Calamo eſt ſpongioſum & flaueſcente colore, aliqua in re ſimile eſt araneарum telis, vt falsò putarunt Auicenna lib. II. cap. 157. & Serapio ſimpl. cap. 205. quos Græcis & Latinis hæc meliùs noſſe oportebat. Denique quòd calamus Acorum non ſit, nec etiam Galanga, ſatis ex Auicenna & Serapione probari poteſt, qui tria diſtincta capita de Calamo, Acoro & Galanga ſcribunt. Præterea qui Calamum deſcribunt, aiunt eum in India naſci, quod verum eſt: nec enim in alia regione naſcitur, Acorum verò non niſi in Europa naſci tradunt. Adhæc Calamus pallet, acris, calidus & ſiccus eſt in ſecundo ordine: Acorum, albet, amarum, calidúmque & ſiccum eſt ordine tertio: Galanga autem vtroque calidior & odoratior. Demum calamus & Acorum cerebri & neruorum morbis conueniunt. Galanga verò ventriculum roborat, flatus diſcutit, & oris halitum commendat. Galanga item & Calamus medicamenta ſunt in hac regione ab initio cognita, & in Occidentem vehi ſolita. *Huc uſque Garcias.*

*Contra Ruellium.*

*Calam. vnguentarius Hipp. & Gal.*

*Cal. Arabicus, Plut. Alexandrino Celſo.*

*In Arabia non inuenitur.*

*Manard. not.*

*Radix non eſt.*

*Auicenna & Serapionis lapſus.*

*Acorum non eſt nec etiam Galanga.*

Sed quàm eruditè notat Cluſius, dicens: Noſtrarum officinarum calamus longè alius eſt ab ab eo, quem hîc ſatis obſcurè deſcribit Garcias, quippe cuius Calamus legitimus videatur à Veteribus deſcriptus. Noſter verò nihil niſi radix eſt, cum aliquantula interdum foliorum particula. Cui cùm omnes notæ à Veteribus deſcriptæ pulcherrimè conueniant: Manardi & aliorum ſententiam improbare non poſſum, qui Acorum legitimum eſſe volunt. Eo & Germani, & Itali, & Galli vtuntur, aliúmque calamum non norunt. Solebat enim Antuerpiam Vlyſſipone aduehi calami genus vſuali noſtro ſimillimum, ſed tetri odoris & ſaporis horridi: quæ nota illis communis erat cum calamo Garciæ deſcripto: ſolam tamen hanc ob cauſam in vſu apud nos eſſe deſiit, licèt omnes aromatarij multò efficacius eo, quo nunc vtimur, fuiſſe affirment. Cæterùm, cùm tertiò recudenda eſſet Garciæ hiſtoria, innotuit legitimus Calamus aromaticus, quem Paludanus,

*Garcias à Cluſio not.*

ex Syria & Aegypto redux communicauit, qui exactiſſimè ad Dioſcoridis deſcriptionem quadrare videtur. Vmbellifera verò potiùs planta, quàm harūdinacea meo iudicio cēſenda eſt: etenim rectū habet caulē, multis nodis, ſeu geniculis cinctū, leuē alioqui, intus cōcauū, & mēbranulâ, vti Harūdines, præditum, qui aſſulosè frangitur, eſtque ſatis odoratus, gratique ſaporis, amari tamen, & nonnullius adſtrictionis particeps: folia (vt ex veſtigiis colligere licet) bina ex aduerſo ſingulis geniculis ſita caulem amplecti vidētur: radix ſummo capite nonnihil extuberat, deinde in fibras deſinit. Viceſimo quinto porrò anno pòſt quàm nobis communicaſſet calamum illum Paludanus, mittebat ad me Lugduno Allobrogū Ant. Colinus pharmacopœus, ſimilis calami fragmenta, ſignificās ſe eo vſum in Theriacæ compoſitione: ea autem, licèt ſimili prorſus formâ eſſent cum illo, quod à Paludano accipiebam, magis tamen amari ſaporis deprehendebam, nec vllius adſtrictionis prædita, quod forſitan alterius ætati adſcribendum. *Et hæc Cluſius in Garciam.* Ego quoque Garciæ non notum fuiſſe calamum aromaticum vulgarem ſuſpicor: qualis Vlyſiponēſis calamus fuerit nondum mihi conſtat: vmbellifera planta cur potiùs dicatur quàm harundinacea, neſcio, quum notæ adſcriptæ à Cluſio meliùs cum harundinacea planta conueniant, quàm cum vmbellifera.

*Cluſ hallucinatio.*

*Acoſta not.*

Acoſta dum reprehendit Ruellium, Manardum & Monachos, non animaduertit calamum aromaticum vulgarem Europæis pleriſque dictū (quem multi Acorum putant) longè diuerſum à calamo aromatico Indico, quem Garcias deſcribit, in quo malè etiam Acoſta Garciam imitatus eſt.

*C Bauhin. not.*

C. Bauh. phyt. *Arundo* 1. ſiue *odorata*: *Calamus odoratus Libani* Lob. Ic. Plant. pag. 54. *Calamus à Paludano Patauij exhibitus*: An calamus odoratus Matthioli? Sed quid quæſo commune habere poteſt figmentum Matthioli, cum Calamo odorato Paludani? Matth. in lat. comm. editis anno 1559. ſub inſcriptione calami aromatici figuram habet quæ eſt pars figuræ pro Arundine poſitæ, & per conſequens falſam & non factam ad viſum calamum aromaticum Paludani, vel ſimilem. In comm. lat. cum mag. fig. editis anno 1583. & Ital. editis 1568. nouam habet figuram magis artificioſam, quæ etiam pars ſuæ Arundinis. Tabern. vel eius typographus Baſſæus Matthioli poſtremum figmentum aſſumpſit, quæ eſt portio Arundinis quam domeſticam cognominat. Prudenter & doctè Camer. in hiſt. germ. & Epit. Matthiol. pro calamo aromatico, à Paludano delatū calamum figurâ exhibuit: ſicut etiam Cluſius apud Garciam, & nos cum Cluſio quem à Valerādo Dourez accepimus: Eſt autem hic calamus omnino diuerſus à Matthioli imaginatio: Paludani verò calamum fuiſſe Libani, vix puto demonſtrari poſſe, licèt in ea opinione perſeueret C. Bauhinus in pin. vbi inter calamum aromaticum Indicum, & Calamum aromaticum Syriacum, & calamum aromaticum Matthioli, quē fictitium ſuſpicatur, ita diſtinguit: *Arundo odorata* 1. ſiue *Calamus aromaticus*, eſt κάλαμος & κάλαμος μυρεψικὸς, Hipp. & Galeni κάλαμος εὐώδης, Theophraſt. κάλαμος ἀρωματικὸς, Dioſcor. Orib. Aegin. & Aetii: κάλαμος ἐρυθραῖος, Dionyſii de ſitu Orbis: *Calamus Arabicus* Plutarchi: *Cal. Alexandrinus*, Celſi: *Cal. odoratus*, Plinii, Hermol. & Ruellii: *Cal. aromatites*, Manardi: *Cal. aromaticus* Cordi in Dioſcor. Fuchſii: Guil. Garz. Lob. Obſ. Cluſ. ad Garz. Acoſt. Cęſ. & in 4. part. Ind. Orient. fig. 29. & *Diringo Malays*, & *Deringo* par. 3. Ind. Or. 39. *Diringuo* 4. part. Ind. Or. fig. 20.

*Synonyma Calamus arom. Indicus.*

Arundinis odoratę 2. ſeu Calami aromatici Syriaci caulem ſeu potiùs caulis partem anno 1579. à D. Paludano ex Aegypto reduces Patauii accepimus. Verùm cùm totam plantam à D. Doldio habeamus, breuem eius deſcriptionem [cùm ab aliis nō proponatur] adiicere lubet. Ex *radice* inutili, trium, quatuórue vnciarum lōga, ſummo capite nonnihil extuberante, & in paucas fibras deſinente, *caulis*, [modò vnus, modò plures] ferè bicubitalis, tectus, rotundus, læuis, fragilis, multis geniculis diſtinctus, exurgit, qui intus cauus, ſpongioſus & membranula, (quaſi tela alba ſubtenſa,) vti Harundines, præditus, qui aſſulatim frangitur, & in plures ramos diuiditur, hique in tenuiſſimos ſubdiuiduntur, ad modum Liguſtri Aegyptiaci Alpini, vel Lentiſci Peruuiani, ſiue *Molle* Cluſii: qui *flores* paruos, foliaceos, plurimos, ſingulis tenuiſſimis pedicellis inſidētes, ſuſtinent, ex quorum medio apex ſtyli inſtar prodit. *Folia* pauca, ſemper bina, ex aduerſo ad ſingula genicula ſita, caulem amplectuntur, vnciam lata, ſeſquivnciam longa, neruis aliquot per longum excurrentibus. Caulis ſapore eſt aromatico, valdè amaro, quo in Theriaca pro calamo vtimur.

Scritur, teſte Garciâ, per vniuerſam Indiam: plurimus verò in Guzatate & Balaguate. Hic etiam Goæ (vbi multus eius eſt vſus) in hortis ſatus prouenit, ſed perpaucus. Conuehitur ad maritima, quoniam qui iſthic naſcitur non ſufficit. Qui ex Balaguate adfertur, ad Occidentem mittitur. Calamus aromaticus, autore Linſchot. creſcit etiam in Sunda Inſula Iauæ regionis Indiæ Orientalis. Magna copia Chinēſes emunt vt in Chinam portent.

Familiaris eius vſus [ita enim Garcias ſcriptū reliquit] eſt mulieribus in vteri affectibus, & neruorum doloribus. Sed maximè expetitur hieme à mulomedicis: contuſum enim, additis Alliis, Ammi (quod eſt Cuminum ruſticum) ſalis momento, butyro & Saccharo, iumentis aduerſus frigora manè exhibent, vocántque id medicamentum *Arata*.

## CALAMVS AROMATICVS CECHINI Martinelli.

### Cap. CCXLVIII.

Non inuenit Cechinus Martinellus, apud Dioſc. nec Galenum calamum aromaticum fuiſſe Veteribus Cannam (ſiue Arundinem) licèt Neoterici id certò exiſtiment, decepti Plinii opinione, qui dicit calamum, & Iuncum odoratum, non differre ab aliis calamis & Iuncis: addunt id indicare nomen calami nihil aliud ſignificare quàm Cannám: ſuo autem iudicio calamus Latinis diuerſimodè poteſt intelligi: Dicebatur de tenui Canna [ſiue Arundine] ex qua Veteres ſagittas faciebant, qualis erat mos Orientalium licèt non ſit Canna (id eſt Arundo caua) de qua Virg. eclog. 3. & vario vocabulo Arioſtus Dicitur etiam calamus de Canna cum qua ſcribebant Antiqui: calami etiam dicebantur *Canellæ* (ſiue Arundines) paluſtrium aquarum, quibus tegebantur tecta domuncularum ruſticorum, de quibus duobus Martial. in ſuis diſtichis: Metaphoricè pro

pro ſtylo ſcriptorio ſumpſit Virg. Eclog. 1.

*Scribere quæ vellem Calamo permiſit agreſti*

Pro Calamo concauo ad fiſtalas qui dicitur Syringa:

Eclog. 2.

*Pan primus Calamos cera coniungere plures*
*Inſtituit.*

Sub nomine Calami comprehenditur virga cui alligatur filum ad piſcandum, & virgulæ quæ viſco illinuntur pro captura auium.

Interdum Calami dicuntur de paruis Cannis frumenti, quæ *Sepie* vulgò dicuntur.

Sumitur etiam pro omni re conuoluta inſtar Cannæ: communiter dicuntur Calami arborum & vitis.

Canna quoque Zucchari vocatur Canna cùm tamen non ſit, ſed ei ſimilis.

Paulus etiam calamum odoratum vocat corticem. Alius bonus author ait Calamum aromaticum eſſe craſſum corticem cauum, cùm enim colligitur extrahitur lignum: vnde deſumpſit nomen. Cech. Martinellus *mio zio* ait calamum vocari, quæ ita geniculata prouenit, vt hic Calamus, quod prolixè proſequitur. & apud ipſum videre eſt.

Calamus præſentatus per Cechinum Martinellum Aromatarium habeatur pro vero & legitimo calamo aromatico, ac in confectionibus Theriacæ ac Mithridatij cęteriſque medicamentis adhibeatur, & remoueantur ſuccedanea. Sed libellus contra Cechinum incerti authoris oblatus pharmacopœis Mantuanis contrarium omninò ſentit. Nominetur, inquit, κάλαμος Græcè, aut calamus Latinè, aut *calamo* Toſcanè, nullus erit ita ſtultus qui aliud intelligat quàm Cannam, ita etiam Virgilius & Arioſtus nihil aliud intellexerunt &c. & quomodo poteſt eſſe canna quæ non ſit canna &c.

## ARVNDO SACCHARINA, ET SACcharum.

### Caput CCXLIX.



QVæſtio hîc agitatur, notúmne fuerit Antiquis Saccharum, cuius lautitia; tum vtilitas, in culinis, in Pharmacopœorum Officinis, eſu, potu. in ſecunda & aduerſa valetudine, in quauis ætate, ſorte, regione, nunquam ſatis celebrari potuit.

Medius igitur inter miliaceas, atque Arundinaceas plantas videtur Saccharatus Calamus. Septenum octonúmve pedum *Calamos*, pollere craſſiores denſis geniculis, fungosâ, perquàm dulci, ſucculentáque & albidâ medullâ obfarctos promit,



*Folia* binos cubitos æquant, anguſtiora tamen, Donacis (ſiue Arundinis latiuæ,) ſcabra, & ſecundum longitudinem ſtriata, numeroſa: *Stolones* harundinibus cęteris concolores complectentia. Comoſo *flore* & quadantenus Sorghi. *Radix* ad Cannæ radicem accedit, ſed dulcior, ſucculentior, minúſque lignoſa; vnde germinula erumpunt ſationi oportuna.

*Saccharum Dioſc. genus Mellis.*

Σάκχαρον, genus Mellis (μέλιτος) concreti in India & Fœlici Arabia in Arundinibus (ἐπὶ τῶν καλάμων) inueniri prodit Dioſcorides: Salis modo coactum, dentibus vt ſal fragile.

*Sacchar Galeno.*

Galen. 7. ſimpl. *Sacchar* appellat, & ex India ac fœlici Arabia afferri quoque ſcribit, & in arundinibus concreſcere. Eſſe autem & ipſum Mellis genus, & minùs quidem dulce, quàm noſtrum.

*Sal Indum.*

Archigenes ait, Sal Indum eſſe, colore & conſiſtentia Salis communis, guſtu Mellis, magnitudinis Lentis, φακῆς, aut ad ſummum Fabæ, κυάμου.

*Delectus Plinio. Mel arundinum Indicarum, Theoph.*

Saccharon & Plinius Arabiam ferre dicit, ſed laudatius Indiam. Eſſe autem Mel (Mel Arundinum Indicarum vocat Theophr. Ariſt. & Strabo.) in Arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, ampliſſimæ Nucis Auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantùm vſum.

*Cannæ melliſæ.*

Inueniuntur (inquit Seneca) in India Cannæ, quarum humor pinguis, dulciſve in mel abiit. Quoniam verò non apis penſum mel hoc eſt, ſed plantæ excrementum, liquet inde etiam Antiquis notum fuiſſe Saccharum.

Cætera, quæ de Sacchara Veteres ſcriptis mandauêre, inter vires comperientur.

*Locus iuxta Hermolaum.*

Hermolaus ex Neotericis perhibet Saccharum ex Alexandria Ægypti & Cypro adferri commendatiſſimum: Saccharum Græcos vocare *Sacchar.*

*Saccharũ Antiquorũ diuerſum à noſtrate, Manardo.*

Manardus aſtruit nouam opinionem, aliud ſcilicet eſſe antiquorum Medicorum Saccharum, ab eo quod nunc voce parum (vt fieri ſolet) mutatâ, *Zuccharum* vocatur.

*Saccharum noſtrum Veteribus notum, Corn.*

Cornarius, qui Saccharum idem cum Zucchàro eſſe credit, noniſſe perhibet Veteres, à Dioſc. & Plinij ſeculo, Saccharon, ſed concretum quidem, nec ex Cannis expreſſum velùti hodie adferatur magna ex parte, in pyramides ſiue metas, octo plùs minuſúe librarum coactum.

*Sacchari conſideratio ex Matth.*

Manardus & eum ſequutus Fuchſius hunc in modum in Matthiolo refutantur. Non deſunt inter recentiores Medicos, qui diſputent, an Saccharum, quod ſub mellis genere ſcripſerunt Veteres, præſertim Dioſcorides, & Galenus, in India, & felici Arabia naſci, idem cum noſtrate Saccharo dici poſſit. Et quamuis plerique reperiantur, qui dubio procul exiſtiment, ac pro certo affirment, communis vſus Saccharum, & quod ab Antiquis deſcribitur, vnum & idem eſſe, quòd ex eadem proueniant planta, tamen Manardus Ferrarienſis, & Leonardus Fuchſius ipſum ſecutus, maximam inter ea ponunt differentiam, omninò opinantes in alio Arundinum genere concreuiſſe Antiquorum Saccharum, de quo inter Mellis genera ſcripſere Dioſcorides, & Galenus: concreſceréque ad hanc diem vſque ex cœleſti rore, quemadmodum & id, quod mannam vocamus: non autem in iis arundinibus, è quibus in aqua decoctis huiuſce ætatis Saccharum in Madera, Sicilia, Creta, Rhodo & Cypro inſulis, ac etiam in Ægypto exprimitur.

*Manardi & Fuchſij opinio reprobata.*

Qua in re eos viros alioqui doctiſſimos, planè hallucinatos, crédiderim, quòd nullo, vt puto, authorum probatorum teſtimonio ducti ſibi perſuaſerint, Mannæ in modum ex rore concreſcere Antiquorum Sac-

charum ſolis ardore ſuper Harũdinum folia tam in India, quàm in felici Arabia. Quippe quòd nuſquam reperetim ſcripſiſſe Dioſcoridem, Galenum, nec Veterum, vel Recentiorum quenquam, concreſcere Saccharum in Arundinum foliis, ex rore Solis feruore concreto, ſiue potiùs exiccato, quemadmodum in quibuſdam arborum frondibus manna per ſe concreſcit. Quo fit, vt mihi refellenda videatur eorum ſententia. Nam ſi verum illud eſſet, vt ipſi imaginantur, non modò, non eſt credendum, ſed ne cogitandum quidem, Dioſcoridem, qui diligentiſſimè ſimplicium medic. hiſtorias, literis, memoriæque mandauit, ſilentio præteriiſſe tam pulchrum & admirabile, ſcitúque dignum naturæ opus in Saccharo conficiendo. Nec minùs id reticuiſſet Galenus naturæ operum maximus indagator, quemadmodum nec reticuit lib. 3. de alim. facult. aërei mellis hiſtoriam quod nos mannam vocamus, quódque ſua ætate in monte Libano, aliiſque locis ſuper arborum frondes repertum ſcribit.

*Antiquorũ Saccharum*

Quamobrem magis veritati conſonum videtur, vt dicamus, nil aliud Veteribus Saccharum extitiſſe, quàm noſtratis Sacchari Arũdinum lachryma, ſeu liquor, qui nimia ſucci copia aperto in latere calamo perinde ac gummi, exteriùs concreuerit. Huic noſtræ opinioni ſubſcribit Plinius, ex cuius verbis facilè cognoſci poteſt, quòd non ex rore, vt Mannæ euenit, coaleſceret Antiquorum Saccharum ſuper arundinum folia, ſed quòd fractis calamis earũ internodiis cohæreret collachrymás, è quibus vulgare noſtrum conficitur. Quandoquidem, hoc modo reſinæ, gummæque omnes ſciſſo ſui arboris cortice emanant. Alia præterea huc accedit ratio, quæ (vt quidem arbitror) Manardi ac Fuchſii ſententiæ prorſus aduerſatur. Nam quemadmodum in Apulia, & Calabria mãna à Sole tacta, dum arborum inhæret foliis, paruo temporis interuallo in auram euaneſcit [vt libro primo diximus in mannæ mentione,] eadẽ ſanè ratione id Saccharo eueniſſet, ſi ex rore (vt ipſi contendunt) concreſſeret. Siquidem à Sole tactum, rarefactúmque facilè deſiliiſſet in auram, nec gummium modo concreuiſſet. Eóque magis quòd nuſquã legerim in Dioſc. nec Galeno Saccharum è foliis Arundinum colligi, ſed in ipſis calamis concretum reperiri. Quod etiam teſtatur Strabo l. 15. Geographiæ, vbi apertè ſcribit, in India Arundinem mel ſine apibus gignere: non autem quod ex roré in arundine fiat, vt quidam peruicax, ignarúſque Medicus mecum contendere, atque etiam, vt ſuam mordicus teneret opinionem, Strabonis codicem corrumpere non eſt veritus. Præterea cùm memoriæ prodiderint Dioſcorides, Galenus, & Plinius, Antiquorum Saccharum durum eſſe, Salis modo coactum, album, dentibus fragile, ex his coniectare licet, è rore Saccharum nequaquam fieri. Quippe quoniam manna, quæ eodem modo è rore concreſcit, ſal minimè refert, nec dentibus fragilis deprehenditur, ſed potiùs mandentibus tenax, & Ceræ modo lẽteſcẽs. Quare crediderim Antiquis Saccharum fuiſſe tenuiorem, ac præſtantiorem illius partem in arundinũ Sacchariferarum medulla, quæ per internodiorum fiſſuras exiens Solis calore concreuerat, vt & Saccharum noſtrum calore ignis arte concreſcit, & addenſatur.

*Factitii Sacchari inuentio.*

Quod cùm accuratiſſimè perpẽdiſſent homines, liquoríſque præſtantiam agnouiſſent, à natura edocti hoc arte ſe facturos exiſtimarunt. Neque id incaſſum attentaſſe videntur: quandoquidem Sacchari integros calamos aſſumentes, minutím que incidentes, ignis calore tamdiu decoxerunt, donec vniuerſus liquor, abſumptâ igni aquâ, diu efferueſcens in Saccharum Salis modo in vaſis fundo cõcreuerit. Verùm etſi Sacchari arte facti nihil meminerint Dioſcorides, & Galenus: non deſunt tamen qui dicant, hoc etiam ante eos factum eſſe, Solini auctoritate freti, qui in Indiæ paluſtribus arundinem ita craſſam progigni ait, vt fiſſis internodiis lembi vice vectitet nauigantes, è cuius radicibus dulcem etiam exprimunt humorem ad mellis ſuauitatem. Atqui liquorẽ hunc, qui ex harum Cannarum radicibus elicitur, Saccharum noſtri vſus fuiſſe exiſtimant, procul dubio falluntur, quòd Indi non modò ex decoctis Cannarum, ſed aliarum quoque arborum radicibus ſibi potus parent, cùm illius cœli, & Soli clementiâ, frequentiſſimę ſint plantarum radices quæ mellea dulcedine imbuuntur, vt Strabo teſtis eſt loco nuper citato, vbi ſic inquit, Nullus annus in India inuenitur vtroque tempore ſine pluuia. Quapropter contingit annum feracem eſſe, cùm ſemper terra ſit fœcunda: fructus autem arboreos multos gigni, arborúmque radices, præſertim magnarum Arundinum, & natura, & decoctione dulces eſſe, aquâ à Solibus tepefactâ, tam cæleſti, quàm fluuiali. Adeò quòd ea, quæ apud alios & fructuum & ſuccorum maturitas dicitur, apud illos concoctio eſt: quæ tantùm ad dulcedinẽ operatur, quantùm ea, quæ per ignem fit. Sententiæ noſtræ Lucanus quoque ſuffragatur illud explicans, hoc carmine.

*Quíque bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.*

Quin etiam Marcus Varro, qui eodem ferè tempore claruit, his tribus verſibus atteſtatur, dum inquit:

*Indica non magna nimis arbore creſcit Arundo.*
*Illius & lentis premitur radicibus humor,*
*Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.*

Ex iis palam eſt, hos omnes de factitiis Indorum potionibus, quæ iis vini loco ſunt, fuiſſe locutos: non autem quòd ex illis Cannarum radicibus Saccharum aliquod pararetur. Quandoquidem & nos è Glycyrrhizæ radicibus, quin & è decoctis, preſsíſque ſiliquis, ſicut & alii è dactylis, dulces elicimus ſuccos ad varii vſus potationes: quemadmodum & Occidentales Indi è pluribus dulcib. arborum fructibus ſuos ſibi parant potus. Sed non ob id dicendum hos liquores, quòd mellis dulcedinem præſtent, eſſe mel, neque Saccharum. Nec mirum ſanè ſi Indicæ Arundines radicibus dulciſſimum præbeant ſuccum, non modò illæ magnæ: ſed etiam quæ ibi naſcũtur, noſtris fortaſſe non multò grandiores: cùm etiã noſtrates recentes manſæ, quadãtenus ori dulces ſentiantur. Quod autem minores Arundines in India radicibus dulces præbeant potus, ſuperioribus carminibus explicauit abundè Marcus Varro: cui non magna nimis eſt arbor. In hoc tamen à Solino diſſentit: cui arundines, quarum meminit, validiſſimæ ſunt proceritatis. Hinc ergo eorum ſententia explodenda videtur, qui credunt ex illarum magnarum arundinum radicibus, Saccharum noſtro ſimilius factitaſſe Indos, quòd non quidem Saccharum, ſed dulcis inde potus vini loco ſibi conficiant. Sed vt ſuam opinionem auctoritatibus fulciret Manardus Ferrarienſis, vtque lucidiùs comprobaret Antiquorum ſaccharum, perinde ac mannam, ex rore fieri lib. 9. epiſt. 5. Auicennam etiam admittit, quem tamen aliàs vbique reiecit, ac reproba-

tuit, aſſerens, quod cùm ipſe huius fuerit ſententiæ, vltimo capite lib. 2. Antiquorum Saccharum mannam vocauit. Quod manifeſtè declarat Zuccharum *alhaſſer* apud Auicennam huiuſce arboris eſſe mannam, vel gummi, non autem Græcorum Saccharum in calamis concretum. Illud inſuper noſtram comprobat ſententiam, quod eodem loco addidit Auicenna, ſic inquiens. Et in Zucchraro quidem *albuſar* eſt cum abſterſione pauca ſtipticitas, & amaritudo. Siquidem auſteritatis & amaritudinis, quæ in Antiquorum Sacharo fuerint, nuſquam meminere Dioſcorides, & Galenus: nec item quod conferret id pulmoni, & aquæ interceti, vt paulò infrà voluit Auicenna. Qui etſi dixerit deinde Zuccharum hoc oculorum morbis, pariterque renum, & veſicæ vitiis auxiliari: non tamen ob hoc dici poteſt, Zuccharum *albaſſer* eſſe Antiquorum Saccharum. Sed rectè quidem contra Manardi ſententiam, Auicennæ teſtimonio (cùm & ipſe hoc in loco Auicennæ authoritate nitatur) probari poteſt, quod Antiquorum Saccharum gummi modo collachrymans in arundinibus concreſceret, non autem ex rore. Quippe quòd is de Zucchraro agens loco nuper citato, ibíque Antiquorum Saccharum recenſens, inquit: Aſſumptum ſicut gummi ab harundine abſtergit oculum. Quibus palàm fit, Antiquorum Saccharum, perinde ac gummi, ab interiori medulla exteriùs emanaſſe, ibíque poſtmodum Solis ardoribus concreuiſſe. Verùm enimuerò quòd Alhaſſer apud Arabes ſui generis arbor ſit, & ab harundine maximè differat, & quòd eius Zuccharum, quamuis ab Auicenna manna dicatur, quòd fortaſſè granulis concreſcat mannæ ſimilibus, ex rore haudquaquam fiat, ſed gummium modo ab arbore deſtillet, manifeſtè oſtendit Serapio cap. de Sacchraro his verbis. *Alhaſſer* habet lata folia, & habet Zuccharum quod egreditur ab oculis ramorum ſuorum, & à locis foliorum eius, & colligunt de eo homines rem continentem, & in Zucchraro eius eſt amaritudo, & egrediuntur ab hac planta mala quædam, ſicut teſticuli camelorum, è quibus liquor quidam emanat adurens, ſtipticæque facultatis, ad canteria peridoneus. Et lignum quidem Alhaſſer eſt leue, craſſum, rectum, pulchrúmque, & ideò aſſimilauerunt cantilenarij in cantilenis ſuis brachia, & crura dominarum ligno eius: *hæc Serapio.* Ex quibus facilè & Manardum, & Fuchſium, viros alioqui doctiſſimos, hac in re hallucinatos putauerim. Cæterùm Fuchſius, vt probaret Antiquorum Saccharum è roſcido cœli ſucco in calamis concreſcere, vtque illud à noſtrate diuerſum oſtenderet, dicit, quòd cùm noſtri vſus Saccharum perinde ac mel, calidum reperiatur, ſitímque facilè concitet, Antiquorum Saccharum eſſe non poteſt, eò quòd Galenus ſuæ ætatis Saccharum id efficere non prodiderit. Cuius tamen ſententia (pace ſua dixerim) experimento minimè reſpondet: à quo non diſcedit Galenus lib. 7. ſimpl. medic. ex cuius verbis clarum eſt, quòd cùm Saccharum melle minùs ſit dulce, minùs etiam calidum ſit neceſſe eſt. Eáque propter aſſerit Galenus, Saccharum non perinde ac mel, ſitim excitare: non tamen quòd nulla ab eo ſitis excitetur, vti Fuchſius interpretari videtur. Quin etiam idem Galenus lib. 8. cap. 4. meth. med. Saccharum inter ea connumerat, quæ febrientibus exhiberi poſſunt. His igitur rationibus, & authoritatibus adductus ſum, vt certò crediderim Antiquorum Saccharum ab iiſdem arundinibus emanare, à quibus vulgare noſtrum exprimitur:



ſed hanc tantùm inter ſe differentiam eſſe, quòd à natura factum ſit noſtrate factitio longè tenuius. Idcóque Auicenna: Zuccharum (inquit) *tabarzed* frigidius eſt & ſubtilius. Hoc laudibus extulit Paulus, & poſt ipſum Auicenna Archigenis authoritate *Sal Indum* ipſum appellans, ad linguæ ſcabritiem, ariditatémue in acutiſſimis febribus. Sed eo nos hac ætate, caremus, quòd ampliùs non afferatur: quanquam ego non ita pridem à viris fide dignis accepi, qui *Diui Thomæ inſulam*, itémque Maderam luſtrarunt, adhuc iis in locis Saccharum inueniri in arundinibus ſaccharíferis concretum (illi non diſſimile quod arte fit, & candidum cognominatur) poſtquàm ab illis ſpontè emanarit gummi modo. Quòd autem adferri deſierit, non aliud in cauſa eſſe exiſtimamus, quam quòd hodie paucum ad modum proueniat. Siquidem Dioſcoridis, & Galeni tempore, quo ad nos copioſum conuehebatur, cùm adhuc non innotuiſſet exprimendi ratio, neceſſe quidem erat, vt arundines Sacchari liquore prægnantes, cùm annis compluribus adoleuiſſent, & falcem nunquam expertæ eſſent, per ſe liquorem exudarent, veluti innumeris arboribus gummi, & reſinæ emanant. Proinde non mirum, ſi eiùs à natura facti Antiquis fuerit vbertas. Sed poſtquàm lucri dulcedo, fulgentíſque auri ſitis docuit homines artem modúmque, quo Saccharum conciſis, decoctis, preſſiſque arund inibus copioſius elicerent, factum eſt, vt Indi quotannis vniuerſos inciderint calamos, ac iterũ quotãnis ſeuerint. Hinc igitur euenit, vt nullis remanentibus, quę Sacchraro plurium annorum ætate turgeant, naturæ impedita ſit operatio, deperditúmque hac de cauſa ſit Antiquorum Saccharum. Cuius vice eo Recentiores vtuntur, quod Officinæ candidum cognominant, arte factum, pellucidum, Salis foſſitij modo, dentibúſque fragile, vt Antiquorum Saccharum vndequaque referat. Competit perindè ac illud, ſcabritiei linguæ, pectoríſque aſperitatibus. Verùm ad hæc id præſtantius eſt, quod in fictilibus, vbi violaceum Iulapium aſſeruatur, æſtate concreuit: eò quòd violarum diluti facultate humectet, leniátque magis.

*Zuccharum tabarzed.*

*Sal Indum.*

*Arundo ſaccharina Indica Lob.*

Lobel. in Ic. plant. pag. 49. inſcribit Arundinem Saccharinam Indicã, ac de eius Sacchraro in Aduerſ. hæc ſcribit: Non Indico Saccharo hodie prima laus, tametſi ex India primùm in citeriorem Aſiam, Rhodum, Cyprum, aliáque non pauca loca tranſmiſiſſent. Nam hodie Canarium & Maderenſe longè omnibus ſuauitate & candore excellit: quippe rametſi quod Genuam ac Maſſiliam ex India, Alexandria, & aliis Aphricæ emporiis, Liburnicis Venetias aſportant, ſæpiùs excoctum, candore marmoreo Canarium prouocat: multò tamen ſuauitate & dulcedine gratiſſima ſuperatur. Dum enim lixiuio illo acriore, quaſi ſapone ex calce parato, fæculentioris, nigrioríſque pinguedinis ſordes eluuntur & abſterguntur, vber dulcedinis gratioris perit, atque neſcio quid rancidæ acrimoniæ inuritur: vnde bilis gignitur, & ſanguis vritur, caput grauatur. Quod quilibet noſſe poteſt ex eſu vſque *Thomæi, rubri* vocati, *Sacchari*, ex cognomine Inſulæ, ſub ipſo fermè Æquatore ſitę. Antuerpiam enim & Londinum Angliæ, vbi defæcare ſolent quidam induſtrij artifices, ſi guſtes adhuc impurum & rubrum, multò ſuauius & dulcius reperias, quàm excoctum, lixiuiáque & cortinas expertum. Et quia, quâ purius reddant induſtriâ, cœlant Pharmacopœorum plebem: lubitum eſt hic monere. In Cortinam ſeu ahenum, Sacchari Thomæi, vel alterius quantùm volunt, immittunt. Lixiuij fortis ſola ex cal-

ce viua parati, iuſtum modum, & quod ebullitioni deſpumationíque ſuffecturum ſit, affundunt: tum agitatione, ſcopulíſque ſpumas rumidas multorum albuminum ouorum ſenſim affundunt, viciſſim deſpumando, & rurſum inſtillando, donec ſitulam plenam mellea & ſordidiore pinguedine, deſpumando exemerint. Tunc probè limpidum & fuluum factum ſyrupum, lixiuio nondum abſumpto, tranſmittunt per cilicium, colum, vel ſtamen, quò imbi feſtucas, quiſquilitiáſque relinquat. Tum feruet denuò, donec expirarit in vaporem lixiuium. Quod ſi (vt ferè fit) feruens Saccharum impetu, artifice inuito, labrum effuſione, & ebullitione ſuperet; non aquam, nam ſic [vt illi loquuntur] decoqueretur, recrudeſcerétve: ſed butyri momentum illicò addunt, atq; actutùm reſident vndantes ſpumæ. Iam è Syrupo ad duritiem excocto Saccharo, infundibula, figlináue vaſa, (Veneti ænea) quibus ſubtus in anguſtiore loco ineſt foraminulũ, priùs fontanâ imbura, Saccharo adhuc calenre opplẽt, eodem obturato foraminulo: reclũdúntque promo, cella, aut Hypocauſto ſicciore, tepidiore: cúmque indurucrit, Metæ ordine diſpoſitæ latiorem baſim inducunt, luto ex figlina fuſcá aut pulla terra & aqua calida ſubacto dilutiore, ac loricam latam duorum, triumue digitorum. Quæ cruſta vbi partim loci, partim Sacchari tepore ſicco & bibaci aruerit, demitur, noua apponitur: bis terue repetunt: ſed ſingula in mutatione fuſi mucronem in foraminulum mittunt, vt faciliùs effluat craſſamentum pinguius, & ſordidius, quod Syrupum vulgò vocant, Gallis *Melaſſe*: qua quidem improbiores pharmacarii, ſuos ſtercoreos Syrupos condunt. Poſtremò bis aut tertiò ex Metis erutum fontana liquefaciunt: rurſúmque in Metas infuſo, reſerant ſubtus foramen, ſuperneque lutum addunt, cuiuſmodi diximus. Notum fuit Saccharum Antiquis etiam Dioſc. & Galeno antiquiori Theophr. huiúſque pręceptore philoſopho. Paulus receſet inter Sales. Primò è Græcis Actuarius, Medicatos ſuccos Saccharo excepiſſe, noménq, Ioſacchari, Rhódoſacchari commentus fuiſſe putatur. Varto & Strabo etiam ex radicibus ſuccum promi ſuauiſſimum tradunt.

*Arundo ſacchar. & Cal. ſaccharinus, Tab.* Tabern. vocat Arundinem ſaccharinam, & Calamum ſaccharinum, germ. Zuckerrohr / & Zuckerriedt. De Saccharo autem eiúſque ſpeciebus hæc tradit: Veteres vtebantur tantùm Saccharo ſpontè effluente, erat eis ignota parandi ratio per decoctionem. Inter Græcos Medicos qui docuere cõdire cum Saccharo loco Mellis eſt Actuarius, deinde Nicolaus Alexandrinus. Arundo Saccharina dicitur etiam Harundo & Canna. Succus dicitur Σάκχαρ Σάκχαρον, Arriano Μέλι καλάμινον, Paulo Aegin. ἅλς ἰνδικός Mellis genus: Galeno, Paulo, Aphrodiſæo lib. 2. probl. cap. 74. & Straboni. Serap. lib. ſimpl. cap. 50. *Zuchar.* aliis Arabibus *Succhar*, *Zazar*, *Sudur* & *Sutter*, Polonicè Cukier. Noſtro tempore ſunt nobis 7. Sacchari genera.

*Saccharum 1 Madereſe.* Primum genus ad nos adfertur ex Luſitania ex inſula Madera aut Medera: dicitur Saccharum Maderienſe: hoc cæteris omnibus præſtantius & præferendum in vſu Medico.

*Sacch. 2. Canarinũ.* Saccharum 2. Canarium, aut Canarienſe, quod defertur ex inſulis Canarinis: bonitate ſecundũ obtinet locum. Saccharum 3. *Finum*, *Refinatum* & *Valentinum* dicitur, quia Valentiæ Hiſpaniæ repurgatum.

*Sacch. 3. Valentinũ.* Practicis & pharmacopœis hodiernis Saccharum *Tabarzeth*, quod nomen competit Maderiẽſi Saccharo, Arabes enim per *Tabarzeth* intelligunt optimum Saccharum. *Saccharum Valentinum* arte fit ex Maderienſi & Canarino, itaque repurgatur, vt acquirat ſimilitudinem Marmoris albi aut Alabaſtri, & ob ſuam pulchritudinem exiſtimatur præcedentibus duobus pręſtantius: verùm cùm per lixiuium ita præparatum ſit, meritò ab vſu medico reiiciendum, per lixiuium. n. acquirit acrimoniam, aliquomodo amittit dulcedinem, acquirit aliam naturam & proprietatem, ſitim excitat & valdè exſiccat: caueant Pharmacopœi ab huius Sacchari vſu in præparandis Tabellis quę dicuntur Manus Chriſti & aliis, ac etiam in aliis medicamentis. Ex hoc Saccharo parant paruas Metas pyramydéſve, quas inuoluunt papyro cœrulea. Quùm vulgò ſit perſuaſum melius Saccharum inuolui charta cœrulea: mercatores Saccharum viliſſimum Thomaſſinum lixiuio dealbant & repurgant & candidius reddũt, verùm ſemper molle remanet, nec ritè induratur: & quò candidius eſt eò plùs habet Amili, quo adulterant hoc Saccharum dum repurgant, & parant pyramydes libram ponderantes.

Saccharum 4. defertur ex inſula Maltha, Saccharum eſt durum vt Canarinum, ſed magis cinereum, tertium bonitate locum obtinet, præferendum Valentino, eius vſus in cibo, vocatur *Saccharum Maltanum*, *Meliſium* aut *Melitæum* & cibale. Germ. Malis zucker aut Sprußzucker.

Saccharum 5. ex inſula S. Thomæ, eſt omnium viliſſimum, molle eſt & ruffum, dulcius tamen Valentino & ſalubrius: vocatur *Saccharum Thomaſinum*, *Thomæum*, practicis & pharmacopœis rubrum, Arabibus *Zuccharum Sadimenum*. Germ. Thomaszucker.

Saccharum 6. Miſcellaneum dicitur, Germ. Farinzucker/Caſſanzücker / compoſitum eſt ex fragmentis omnium generum Sachari, tam albi, quàm ruffi: defertur in doliis & capſis ad nundinas, eius vſus ad ſyrupos & cibos.

Saccharum 7. eſt liquidum inſtar Mellis aut Syrupi, defertur ex inſulis vbi Saccharum coquitur & in metas reducitur: fit ex ſpuma Sacchari dum coquitur, ſemper manet liquidum; adfertur in doliis, ſatis vili venditur, ad multa vtile eſſet loco Mellis, quia viliori pretio venditur, quàm Mel, ſi non timenda eſſet impoſtura: dicitur *Remel*, *Mel Saccharinum*, aut *Sacchareum*: Gall. *Melaſſe*, Belg. Syróp / Germ. Zuckerhonig vndt Syrup. Multi volunt vulgare Saccharum non eſſe Dioſcor. & Galeni inter quos Manardus & alii qui eum ſecuti: verùm qui diligenter conſiderabit Antiquorum ſcripta, comperiet Antiquorum & noſtrum Saccharum eſſe ex eadem plãta, nempe ex depicta Arundine, & præparatione tantùm differre: Duo autem genera fuerunt Antiquis nota, primum de quo Dioſc. Plinius & Galenus: quod erumpit vi Solis ob copiam ſucci, quo vſi ſunt Veteres tantùm in medicina, quod non adfertur ampliùs, ſed eius loco ſubſtituunt Saccharum Candit, quod arte præparatum ex Arundinibus iiſdem ex quibus Veteres collegerunt ſuum Saccharum. Aliud Saccharum Veterum, quod parãtes, ex recentibus radicibus Arundinis Sacchareę exprimebãt, acvtebãtur eo modoquo vtimur Melle, inde dictum *Mel Cannæ*, quod ex Aegypto, Rhodo, Cypro, Creta & Silicia olim afferebatur, quanquam non eſſet in medico vſu ante Actuarii tempora, nihilominus Galeno non fuit incognitum, meminit enim lib. 4. ſimpl. Arundinum dulcium quæ in Aegypto proueniunt: quomodo fuiſſet Galeno incognitum Saccharũ, liquidum

liquidum, quandoquidem vulgare fuit diu ante Galeni tempora, vt apparet ex Marco Varrone, qui eius meminit, is vixit tempore Cæſaris, ante Aduentum Chriſti, Statius meminit etiam Sacchari arundinacei: Lucanus Poeta meminit etiam Sacchari mollis. Strabo meminit vtriuſque. Scribit etiam Solinus de ſucco expreſſo ex radicibus Arundinis.

Arundinis ſaccharinæ hæc ſunt Synonyma nota. Dicitur C. Bauh. in pin. *Arundo Indica* 2. vel *Saccharifera*: *Arundo* 8. vel *ſaccharata*, Dod. gall. *Harundo ex qua Saccharum*, Cord. in hiſt. *Arund. ſaccharata* Dalech. in Dioſc. *Sacchari Canna*, Geſn. hort. *Arundo Saccharina Indica*, Adu. Lob. Icon. H. Lugd. *Canna mellea*, Cæſ. *Arundo & Calamus Saccharinus*, Tab. *Calamus Indicus*, par. 6. Ind. Or. c. 19. *Calamus Indicus Saccharites*, *& canna Saccharina*, in hiſt. Ind. Orient. part. 4. 5. & 6. cap. 38. & Hiſt. Occid. Ind. part 3. 4. 8. & 9. De Sacchari differentiis & conficiendi modo, in noſtris in Matthiolum notis, & lib. de comp. medic. egimus: Vide & Munſteri Coſmograph. l. 2. c. 91.

Loca in quibus Saccharum prouenit præter ſuprà allegata, hæc paſſim annotantur: Inſula Maderæ, quæ Oceano Atlantico innatat è regione Mauritaniæ: Inſula Hiſpaniola: Inſula S. Mariç, Terra ſancta, Vrbs fœlicis Arabiæ Zibith, Sumatra, Braſilia, & Regnum Conchia. Ex Arundinibus in aqua decoctis huius ætatis Saccharum in Sicilia, Creta, Rhodo & Cypro Inſulis, ac etiam in Ægypto exprimi refert Matthiolus. Arundo Saccharina in noſtris regionibus, (inquit Tabern.) rarò propter frigus perficit florem, cam Arundinem primò vidi Francofurti in horto Pharm. Adami Kechen qui per aliquot annos eam aluit, ſed tandem aſperiore hyeme ei periit: ex eius radicibus & medulla excoquitur Saccharum in India, Arabia, Ægypto, Canarinis inſulis, in Inſula Madera, Malthа, Cypro, Sicilia & S. Thomæ. Lobel. Orbi Europæo iam multis ad Mediterraneum Oceanúmque tractibus inquilina: vt Hiſpanicis, Luſitaniæ atque amœniſſimis Olbiæ in Galloprouincia viretis, non procul & ex Aduerſo Stœchadibus inſulis, quem virentem inibi & alibi habuimus, & in Belgio meminimus. Panguntur taleæ imæ radici abſciſſæ, atque bellè primò proficiunt in Gallia & Belgio, ſed hyemis ſæuitia eneeantur, humentis ſoli, ſed tepidioris aëris. & auræ alumnæ ac amaſiæ.

De viribus & vſu Sacchari ita Dioſcorides, Saccharum aluo eſt idoneum, & ſtomacho vtile, ſi aqua dilutum bibatur: vexatæ verò veſicæ renibúſque auxiliatur: quin & illitum ea diſcutit, quæ pupillis tenebras offundunt Saccharum Indicum & ex Arabia fœlici confectum Galenus minùs ſuo dulce ſtatuit, ſed ſimiles ei vires attribuit, quod ad abſtergendum, deſiccandum, & digerendum pertinet. Quatenus verò nec inimicum ventriculo eſt, nec ſitim adferens, catenus ab illo ſubſtantiâ differre ſcribit lib. 7. ſimpl. medic. Aſt 8. meth. med. cap. 4. Saccharum inter ea connumerat, quæ febrientibus exhiberi poſſunt. Saccharum (teſte Tabern.) temperatæ eſt naturæ, calidum & humidum in primo ordine, primariò quidem *Maderienſe*, *Canarium*, & *Meliſium*, & ad Mel quàm proximè accedit. Similiter & *Finum*, quod non ita dulce, igneam & acrem, ex lixiuio calcis, quo præparatur, aſſumit qualitatem, quâ *Thomaeum* etiam ſuperat, ideóque ſitim cauſat ingentem, ita vt ad internos vſus inutile reddatur, quamuis vulgus Medicorum (quoniam præ cæteris candidiſſimum ſit) magno errore contrarium teneat, optimúmque eſſe diiudicet. Quapropter eligatur ſemper vel Maderienſe, vel Canarienſe. Saccharo cibi auſteri & acidi corriguntur: ſalſi nimiùm attemperantur: craſſi, attenuantur: ingrati verò ſuauiores redduntur. Emendantur, vt paucis multa complectar, Saccharo omnia, quæ medium excellere in culina. Quid námque aciditate & acrimonia præcellit acetum. Attamen nihilominus hocce virtus eius infringitur. Nec Pharmacopœi ſine hoc ſuo (vt vellent & continuò deberent) officio ſatisfacere queunt. Nunc enim Electuaria, Syrupos, Iulepos, potiones, vina, conſeruas, condita, ſuccos, ac omnis generis confectiones, tabulas, panes Martios, & cætera, Saccharum ingreditur. Nunc quantùm requirit omne genus animalium, volucres cœli, piſces maris, & pecora & reptilia terræ, & ſi quę alia excogitari poſſunt, quæ ex Saccharo quotidie efformantur, ac variis coloribus depinguntur. Nunc quantùm ſemina & fructus, Pinei nuclei, amygdalæ, auellanæ, piſtacea, Citreum, Cinnamomum, Coriandrum, Aniſum, Fœniculum & ſimilia, quæ eodem obducuntur. Quæ quidem vt plurimùm luxui, nocturnis potationibus, intempeſtiuis conuiuiis magis abdicantur, quàm ſalutaribus medicinis. Sed quid proſint, experiuntur Magnates, qui grauiſſimis morbis ſubitò nonnunquam corripiuntur, ſymptomatibus periculoſiſſimis continuò vexantur, ſimuláque ſæpiſſimè morte ipſa extinguuntur. De quibus qui in acie & prælis potatorum verſantur, multò certiùs, quàm ij, qui in vmbraculis, & extra ſciphi iactum (ita dicere liceat) vitam degunt, teſtimonium reddere ſciunt. Spontaneæ igitur lachrymæ ſunt, quibus nobiſmet ipſis ventriculum, Heparque afficimus, ipſumque adeò totius corporis temperamentum ſubuertimus, vitámque ipſam antè deperdimus, quàm conſtantem ætatem attigimus. Hac ergo ratione media hæc à Deo Bonorum omnium autore ad vitam conſeruandam conceſſa, non media ad vitam, ſed media ad mortem, efficiuntur.

*Vſus in culina.* *Vſus in medio.* *Luxui etiã dicatur.*

Saccharum Maderienſe moderatè in cibo & potu vſurpatum, purificat ſanguinem, ſpiritus recreat, membra corroborat. Per ſe quoque, aut modo dicto, aſſumptum, ad vitia thoracis & pulmonum vtile. Proficuum arteriæ aſperę contra raucedinem. Commodum quoque internis apoſtematibus, lateris &c. thoracis vlceribus, Tuſſim ſedat, ventrem emollit, præſertim verò infantum. Doloribus thoracis medetur. Bilioſi & Ictcrici, extra medicinam euitent Saccharum, id enim facilè in bilem mutatur. Adhæc obeſt omni vitio quod à bile originem ſuam traxit. Infantes ſi plùs de Saccharo ingerant, lumbrici non rarò in ijs gignuntur. His itaque non niſi vrgente neceſſitate, aut ſaltem minùs adminiſtretur. Non aſſentiendum iis, qui exiſtimant Saccharum inteſtinorum obſtructionem parere, quandoquidem abſtergit & mundificat. Salutare admodum eſt renum, vrinariorum meatuum, & veſicæ affectibus. Non tantam, vt mel, ſitim excitat. Dentibus valdè nocuum. Non enim nigros duntaxat reddit, ſed & putreſcere, vacillare, atque excidere facit. Quare ſibi conſulunt ij, qui aſſumpto Saccharo, os aquâ frigidâ eluunt. Ex frigida quoque hauſtum, raucam emendat vocem, à calore ortam. Contra tuſſim ſiccam, ſitim & aſperitatem faucium: ℞. Sacch. vnc. j. Aq. frigid. menſur. j. Decoq. ad conſumpt. tertiæ partis. De hoc decocto bibe quantùm lubet. Si præſtantiùs deſide-

*Sacchari Maderienſis vires.*

deras. Adde drach.ij.Liquiritiæ minutim inciſę: vnc.ſ.Vuar.Corynth.Buli.mod.dicto, percolentúrque,ſeruetur ad vſum.Saccharum hoc lacti recenti ad Iulepi conſiſtentiam incoctum proficit iis, quibus vitriolum aut alumen fuit propinatū. Noxam enim eorum corrigit, quâ poſt ſe relictâ inteſtinum omne læderent. De hoc bibet quando volet.Medicina hæc,non vulgaris eſt antidotus contra tuſſim etiam infantum, ſi ad ſitis vſq; extinctionem ipſis de hac haurire concedatur. Nunc in puluerem redactum & cum vnc. iij.Ol. Amygd.recent. expreſſ. commixtum ebibitum Colicam ſedat. Oleo verò Roſar.aut Butyro rec. miſtum & epotum ſanat omnes internos affectus ab aſſumpto alumine, Vitriolo, Cantharidibus, eiuſdemque generis acribus & eroſiuis rebus exortos.Aduerſus capitis,cerebri, thoracis & ventriculi dolorem à frigore profectum. ℞. Sacch. Maderienſis vnc. viij. Rad.Ireos vnc. ſ. Zingib. drach. ij. Galang. Maioran. Calam. arom. ana. drach.i.Nucis Moſch.Cubeb.Cardamom.Cinnā. el.Menth.criſp.Garyophyll. ana drach.ſ. Piper. long. ſcrup. i.ſeorſim in puluerem ſubtilem redigatur. Cætera ſimul conterantur quàm diligentiſſimè, traiiciantúrque per cribrum anguſtiſſimum,ac miſceantur. Fiat Tragæa, ſeruetur in ſcatula ad vſum. Huius Tragææ manè ieiuno ſtomacho cochlear vnum pane in vino priùs generoſo madefacto,exceptum,ac commanſum,calefacit refrigeratum caput,cerebrum, thoracem, pulmonem,ac ventriculum, corroborat memoriam, & cor atque principaliora membra, ſenſus adauget. Pectoris anguſtiæ medetur, & tuſſi frigidæ. Anhelitum commendat,hilaritatem inducit,appetentiam excitat,concoctionem iuuat, abſumit humiditates,flatus diſſipat, neruoſo generi conducit, renibus prodeſt, obſtructiones hepatis & lienis reſerat, naturalem colorem inducit. Saccharum Maderienſe ſubtiliſſimo modo pulueriſatum oculis inſperſum obſcuritatem viſus depellit, eóſque lucidos reddit. In fruſtula parua fractum, carbonibus impoſitum, fumúſque naribus exceptus, capitis ſiſtit catharros,emendátque Coryzam. Contra linguæ ranulam ℞.Sacchar.fini,Aluminis, viridis æris ana. vnc.ſ.f.pulu.ſubtiliſſ.quem cum melle in linimentum rediges,quo ſæpiùs illines ranulam etiam inueteratam. Vt dentes conſerues,Saccharum hoc puluerifa, cum melle commiſce, & eò ſæpiùs dentes frica, quo facto aqua frigida os collue.

*Sacch. Canarium.*

Saccharum Canarium cum æquali portione ſalis vſti puluerizatum, & cum oleo communi decoctum,eóque mentum inſtar ſaponis lotum barbam producit longam. Idem in puluerem redactum,vlcera ſanat,bis in die inſperſum. Vinum turbidum ſequenti ratione clarum reddes.

*Ad vinum clarum reddēdum.*

Accipe pro quolibet dolio Sacchari & Aluminis vnc.viij.hæc diligentiſſimè ſimul puluerifa, & in vino clarificando diſſolue, eidémque infunde, bacillóque foraminulento illud agita: hinc vas ad 14.dies occlude,poſteáque in aliud transfunde,& vinum clarum cognoſces. Euaporatum verò ita corrige: ℞ Sacchari pulueriz. ℔.ſ.Raſuræ cornu cerui vnc.iiii.Quæ miſcendo impones in linteum ſacculum. Poſthæc vino ſuperinfunde menſuram vnam lactis recenter mulſi, agitando ſtrenuè vinum baculo iam dicto.Quibus ita peractis ſacculum indito, váſque fortiter obturato. Præſtans in vindemiis ſic effice. ℞. Sacchari iam ſæpiùs dicti vnc.xvi.Polypodii,Macis,ana.vnc.i. Quæ contunde groſſo modo,miſce ac in ſacculo include, vinóque cùm elaboratum eſt ad 14. dies iniice,vas verò diligenter occlude.

Aqua Saccharea in multis morbis vicem potûs ordinarii ſupplens.℞ Sacchari vnc.viii. Aq. frigid.℔.vii.coq.igne lento,ad conſumptionem medietatis,percoletur,ſeruetúrque ad vſum, Aqua hæc pro ſitis vehementia ebibita, medetur Catarrhis,raucedini,tuſſi, Orthopnææ, Pleuritidi, affectibus calidis pulmonum,æſtuanti ventriculo, & eiuſdem generis imbecillitatibus. Prodeſt inſuper febre Ephemera laborantibus.Si infantes quoque laborent, nutrices non alio, quàm de hoc decocto bibant, quod illis admodum ſalutare. *Alia in Catharris*: ℞. Huius decocti ℔.iiii.Succi Granator.acid.vnc.iiii. Vſus eius vt primæ. Tertia cum Cinnamomo,pro iis quibus interdictum eſt vinum. ℞. Sacchari vnc. iiij. Cinamom.drach.ij.Aq.fontis ℔.vij.Imponantur ſimul in cantharum linteo obturatum,ſuſpendatur in aquæ calentis balneo,permittantúrque ad. ad minimùm duabus horis coqui.Demum amoue cantharum donec ex ſe refrigeretur, tandem decoct. percoletur, ſeruetúrque ad vſum. *Alia* peſtilentialis quæ non ſolùm ſitim ſedat, ſed ipſi veneno reſiſtit, facultatémque vitalem reficit. ℞.Sacch.unc.vj. Succ. granat. acid. Cydon. ana. vnc.viij.Aq.font. ℔.viij.Ponantur vnà in vas lapideum in balneo aq.calentis per dimidium horę, coletur ad vſum. *Quinta* ex pluribus compoſita aduerſum diſpnæā, anguſtiam pectoris & obſtructionem pulmonum.℞.Sacch.vnc.v.Vuar. Corynth.bene lot.vnc.j.ſ.Sem.fœnic vnc.ſ. Papau. alb. vnc. j. Sūmit.Hiſſop. Saluiæ,Viol.matt. ana.M.i.Capill.Ven.p.j.Iuiub.rub & nig.ana. nº. xii.Dactyl.mund.Ficus ana. nº.iiij. Liquirit.raſę, Sē.Aniſi,Cinā.an.vnc.ij.Rad.Helē.ʒ.ſ.Incidend. incidātur vaſiq; cum Sacch.indantur, affundantur aquæ duæ vel tres menſuræ, vas quoque ipſū obturetur, ac balneo aq. calentis imponatur ad hores 4. pòſt vbi frigefactum fuerit, coletur ſeruetúrque ad vſum. Hoc quoque in loco vinum illud Saccharatum nobis recludendum venit, quod ℞. vini optimi vel Cretici ℔.iij. Sacchari albiſſimi ℔.ij.Coquantur ad lentum ignem more Syrupi, ſerua & vtere cum duabus partibus aquæ vel aliter,vt vſus poſtulabit. Senibus, frigidis & debilibus conuenit,& quibus humor natiuus, & calor naturalis imminuūtur: nutrit enim & ſanguinem generat, & replet partes principales ſpiritibus. Syrupus ſaccharatus & eodem modo paratur,& iiſdem viribus pollet.

## SACCHARVM CANDVM.

### Cap. CCL.

SAcchari candi duplex genus in Officinis habemus. *Prius* & præſtantius candidum eſt, forma & facie ſalis gemmæ aut Cryſtalli ſplendicans,nec vti Saccharum vulgare ita facilè diſſolubile ſub lingua. *Alterum* obſcurè ruffum eſt, obiter ſplendens & velut per ſcintillas, prædicto fragilius, quippe cui duritie haud paruin cedat, dulcore alioqui non inferius. Sed Saccharum Candi inter reliqua omnia præſtat, cuius confectionem talem docet Tabern. Maderienſis Sacchari puriſſimi libræ viginti plùs minùs in minutiſſima fruſta confringuntur, poſtea teruntur, & in Caccabum aut aliud ſimile vas commodum inmittuntur, ſuperfusáque aqua fonta-

cana quantùm ad diſſolutionem ſufficiat carbonibus accenſis ſuperponitur ad diſſolutionem & ebullitionem,quam celerrimè fieri neceſſe eſt. Etenim ſi diutiùs bulliat, flaueſcit. Quocirca quò parciùs aqua affunditur, eò melius & candidius Saccharum efficitur. Saccharo itaque ſic diſſoluto, ebullito & in Syrupi co nſiſtentiam cocto: ad manum habere oportet arcæ inſtar, vas fictile oblongum,quadratum, coctum, interna parte vitreatum, ab ima parte interna ſumma verſus ſuffulturis prominentibus binûm digitorum diſtantiâ donatum,ita vt propter has veluti ſcalas anguſtiore fundo patentiore ſit ore. His ſuffulturis ſiue ſcalis ſic ordine diſpoſitis baccilli tenues quadrati,duorum itidem digitorum diſtantiâ à ſe inuicem ordinantur atque diſponuntur,iucipiendo ab imo & progrediendo ad ſumma vſque. Mox Saccharum adhuc bulliens, huic vaſi infundirur vt repleatur: Quo facto obtegitur, & prope fornacem collocatur ad decimam ſextam aut vigeſimam vſque diem. Vaſe tum detecto, maior Sacchari pars Cryſtalli inſtar canditata, eleganter baccillis adhæreſcere conſpicitur. Quod reſtat Syrupi, nec dum condenſati,lentè & cautè effunditur in Cacabum, vt denuò bulliat. Sed poſt hanc ebullitionem modicè refrigeratum Saccharum, denuò dictis baccillis, quibus iam Sacchari Candi magna pars hæret ſuperfunditur, & in decimam diem vti priùs ſtare permittitur.. Quibus peractis omne Saccharum, candidum & clarum factum, baculis adhæreſcens deprehenditur. Sed ex nullo alio ligno dicti bacculi parari debent, quàm ex abietino, pinaſtrino, aut tædino. His enim dictis lignis faciliùs adhæreſcit Saccharum quàm reliquis, quod experientia facilè conſtat: Conditæ namque Saccharo radices aut fructus ſi doliolo ex abietino,aut aliquo ex prædictis ligno parato,immittantur. Syrupus facilè adhæret vaſi,condenſatur,atque candeſcit, quod in aliis vaſis haud ita temerè obſeruaueris. Veneti *Saccharum Candi* ex repurgato Saccharo parant:& candore quidem atque claritate præcellit. Verùm quia iſtud Saccharum cum lixiuio decoqui ac depurari (vt illi putant) ſoleat: fieri nequit,quin iſtud Saccharum acrem, adurentem & feruidam quandam qualitatem acquirat, atque ob id haud abſque damno in internis affectibus præſcribi queat. Satius itaque fuerit, ſi ex laudatiſſimo Maderiano Saccharo paretur:quippe quod candore &pulchritudine priori neutiquam cedit,dulcore verò haud parum ſuperat.

*atio* *elio:* A Veneris authore Lobel. ſic paratur *Saccharum Candi*. Primæ notæ Sacchari accipiunt vicenas, tricenáſve libras, pauca aquula fontana, vt liqueſcat, faciunt: & ne multùm in multa aqua bulliat (nam flaueſceret:) & quia parum aquæ ineſt illicò in craſſum ſyrupum abit. Tunc arundinaceos bacillos,aut ridicas puſillas, quas priùs cancellarim,decuſſatímque ad ollæ imum,& latera aptarint,mergũt Saccharo, Syrupóve calẽte,& vas paulò ſuperiùs,quàm medio tenus opplente, multùm inuolutum bombace denſa,vas cella,aut Officina calefacta reponunt ſuper aſſere, ſemi menſe aut viginti pòſt diebus aperiunt os,& nondum concretum ſyrupum priùs effundunt,tepente affuſa calida, ad ſyrupi eluendam pinguedinem.Quâ denuò & illicò affuſa,reponunt quouis calidiore,aut quouis alio loco: effractóque eodem die aut biduo vaſe, pellucidi candoris cryſtallinas bacillis aggeſtas habent glebas, multò duriſſimas, quàs citiùs vres,quàm liquefacies igni,niſi liquore addito.



Noſtrate Candum etiámque vulgatum Saccharum abſtergit, oculíſque prodeſt. *Vires.* Sacchari Veterum vice Recentiores vtuntur (inquit Matth.) quod officinæ *Candidum* cognominant,quod pellucidum Salis foſſitij modo, dentibúſque fragile, competit,veluti Antiquotum,ſcabritiei linguæ, pectoríſque aſperitatibus. Verùm ad hæc id præſtantius eſt, quod in fictilibus, vbi violaceum Iulapium aſſeruatur æſtate concreuit. *Sacch. Violaceum.*

Saccharum Candum, arte præparatũ quo vtimur pro Veterum Saccharo, ignotum fuit (putat ita Tabern.) Veteribus & Recentioribus Græcis Medicis, ac nullus eorum meminit præter Nicolaum Myrepſum, qui nominat καύπον, alij legunt κάνδιον, Lat. dicitur Saccharum Candum, *Pro Veterũ Saccharo vſurpatur.* *Nomina* Candium, Canditum, Cryſtalinum. Hyeronimo Montuo zaccharum & Saccharum lucidum: Hermolao Saccharum Cantium, Germ. Candizücker / candi Eißzucker, & criſtallinzucker: duplex eſt,vnum pulchrum clarum lucidũ inſtar cryſtalli, quod præparatur ex Maderiano aut canarino Saccharo: aliud rubrum, ruffúmve quod ex Thomaſſino Saccharo paratur.

---

## SACCHARVM CANDVM violaceum.

### Cap. CCLI.

PVrpureum violaceum æquè pellucidum, ſed pulcherrimum, nec minùs vtile, ſolis Venetis, *Præparatio* dum illic ageremus, notum, ſic paratur. Sumito, exempli grætia, Sacchari finiſſimi lib. 6. liqueſcant & bulliant quàm fieri poteſt pauciſſimâ aqua, donec ad tabellarum electuarij craſſitiem deducatur. Tunc affuſis vnciis 24. expreſſionis coactæ compendioſæ, & recens eductæ ex frigida & violis contuſis: aut potiùs violacea ſtillaticia (ne vires colórve deleatur) recrudeſcat, ſeu(vt illi loquuntur) decoquatur, vt recedat ad Syrupi ſuperioris ſimplicis Candi craſſitiem. Feſtucis,olla, & eodem loco & modo paretur elegantiſſimum Violaceum. Dum Saccharo percocto miſcetur Violarum dilutum, vel expreſſio purpurea,qualem diximus, addendo aliquot guttas ſucci Limonum, viuidiore colore & limpidiore diaphano placebit. Denique vtiliſſimum ſimul atque fragrãtius, curabimus parandum,additis drachmis duabus Iridis candidiſſimæ lacinia inuolutæ, quæ amica ſocietate, ſolita eſt Violæ fragrantiam & gratiam, tum addere, tum excitare, nec parum ſic Arteriacis commodi adferre. Sic decet nitidum Pharmacopœum parare, nec perpetuò, quaſi miſellus foret ſeruitor, Seraphico Vercellenſi radiato Apollini auſcultare, qui imperat vas condendum & obruendum ſterquilinio, vt fermentando & putrefaciendo (fortè & ipſe perſuaſus à Theophraſtinis ſtercoreis Philoſophis ſuaues imbibat penitus fragrantias & vapores, ſtercoreóſque adſciſcat ſpiritus.

Blaũwer Canditzucker (vocat ita Tabern.) weyel canditzücker. Saccharum Candum cœruleum ſeu violaceum: paretur hoc modo: Accipe Sacch. finiſs. lib.8. Aq. violac. marr. quantùm ad diſſolutionem neceſſe fuerit vt fiat Syr. coq. lenitur ad perfectionem, vt tabulæ fieri poſſint. Dein affunde ſucci violac. abſque pediculis & cũ aq. violar. deſtillata expreſſi lib. 3. Iterum coq. ad conſiſtentiam idoneam. Effunde in vas vitrarum terreum,ad præſens inſtitutum cum bacillis paratum eo modo, quo iam dictum procedendo.

ſi verò pellucidum magis & coloratum violaceũ parare lubeat, Succo violarum adduntur aliquot guttæ ſucci Limonum aut Malorum Granatorum.

Vires — Saccharum hoc tuſſi medetur, ſicut & thoracis atque pulmonum affectibus, à calore exortis.

## SACCHARVM PENIDIVM.

### Cap. CCLII.

Deſcriptio — FActitium & Penidium eſt, quod ex Meliſio fit, commune verò ex Thomæo, optimum verò ex Miſcellaneo. Accipitur igitur Sacch. Miſcellanei ad ℔.iiij. aut quinque, Aq. fottan. q. ſ. coq. leuiore flamma: parata autem habere oportet albumina ouorum quinque optimè priùs agitata, de quibus penicillo quouis ſaccharum calens aſpergitur, permittitúrque aliquamdiu coqui, donec ſordes ouorum albumini adhæreant. His ita peractis Saccharum ab igne remouendũ, à quo, vbi bullire ceſſauit, fæces cochleari tollẽdæ. Hinc iterum coquendum, turſúſque albumine aſpergendum, atque fæces demendæ, quod euſque reiterandum donec à ſpuma & omni impuritate liberum reddatur. Poſthæc coletur, iterúmque lento igne, attamen per gradus æquales, coquatur, vſque dum ampullas groſſas producere incipiat, quibus apparentibus fuſum aut bacillum teretem, & æqualem in aqua frigida madefactum ad vnciam profundè in calens Saccharum mittito, cúmque, vnà quod ei adhæſit, cum Saccharo in frigida refrigerato. Quod tum demum perfectè coctum eſt ſi induratum facilè detrahitur, nec maſticatum dentibus agglutinatur: aut quãdo eius portiuncula aliqua digitis extremis duobus diſtracta, in tenuiſſima quaſi fila abit, quæ perpenſa digito, tanquam vitrum diſſiliunt. Inde amotum ab igne, ampulliſque ſidentibus, ſuper marmor, butyro, oleo amygdalarum, aut oliuarum inunctum effunditur, & manibus vel inunctis, vel amyli polline aſperſis, ne adhæreat comprehenſum, ex alto paulatim comprimendo, & fricando hinc inde demittitur aliquoties: tandem, vbi paulùm refrixit, ferramento vnco parieti infixo obuoluitur, idque tantiſper, dũ bene lentum & candidum efficiatur. Quò autem diutiùs trahitur, eò candidius redditur. Tandem attractum famulis diſtribuitur, vt diſtrahendo torquendóque formetur modo conſueto. Formatum reponatur loco calido.

Nomina — Medici Græci Sacchari huius non meminerũt. Noſtris autem dicitur, *Saccharum penidium*, *Zuccharum penidium*, & in plurali numero *Penidia*, *Penidiæ*, & *Penidii*. Andreæ Bellunenſi *Alfenid*, & Matthæo Syluatico *Alfenid*. Germ. Zuckerpenid/ penid/ & Penidzucker/ ac etiam getreheter zucker.

Vires — Mediocriter calefacit, emollit & humectat. In cibo & potu, aut alio quolibet modo vſurpatum, aſperitati, tuſſi, & raucedini medetur, tumores emollit. Saccharum penidium puluerifatum & in cibis aſſumptum iis conducit, qui ex diuturno morbo macie confecti ſunt, vt etiam phthiſi & hectica febre laborãtibus, ſi vnc. iiij. aut quinque Sacchari cum menſura vna lactis aſinini recenter mulſi ſumant. Quibus pulmones laborãt ſine febre, iis continuò prodeſt Saccharum hoc cum lacte ebibitum. Paratur etiam ex hoc Electuarium pro variolis malè affectis collo, arteria aſpera, & pulmonibus. ℞. Sacch. penid. in pollinem redact. vnc. j. Mucilag. ſem. coton. Gummi Arab. puluer. ana vnc. ſ. Miſc. cum Syrup. Iub. q. ſ. ſubinde ſumant ægri etiam infantes de hoc El. medium cochleare. ℞. Saccharum penidium pulueriſ. cum butyro recenti. f. El. pro iis qui ex Alumine, Vitriolo, aut aliis acribus & croſiuis aſſumptis offenduntur. Saccharum penidium in lacte recẽti diſſolue, eoque in Angina ad tumores emolliendos loco gargariſmi vtitor. Fit quoque aqua Sacchari penidii decocta, hoc modo. ℞. Sacch. penid. vnc. v. Aq. font. l. viij. Decoq. igne lento ad conſumpt. medietatis: coletur, ſeruetúrque ad vſum. Inſeruit autem ariditati arteriæ aſperæ, raucedinẽ emendat, ſitim extinguit, tuſſim ſedat promouet ſcreatum, ventrem emollit, phthiſicis vtilis. — Ex... cu... Sa... ad... na...

Habetur tandem & Diapenidion ſine ſpeciebus calidis apud Nicolaum, quod ℞. penidiorum vnc. ij. drach. ß. Pinearum Amygdal. dulc. Sem. Papaueris albi ana drach. iij. ſcrup. j. Cinnamomi, Caryophyllorum, Zingiberis, Succi Glycyrrhizæ, Tragacanthæ, Gummi Arabici, Amyli, Sẽ. Cucurbitæ, Sem. Citrulli, ſem. Cucumeris, Sem. Melonis ana drach. j. ß. Caphuræ G. vij. Sacchari albi quantùm ſufficit. Fiat electuarium. Valet aduerſus omnem thoracis noxam, tuſſim, vocis iacturam: tabidis denique & purulenta excreantibus ſuccurrit.

## SACCHARVM CANDVM ROSACEVM.

### Cap. CCLIII.

EX Saccharo Maderienſi, aquâ Roſarum diſtillata, & ſucco roſarum Zuccharinarum expreſſo paratur, eadem omnino ratione, quâ Saccharum Candum violaceum, pulchrè rubens & pellucidum, maximè quidem ſi nonnihil ſucci Limonum aut Mali Citrei Saccharo ſuperaddatur. Sedat ſitim, confortat ventriculum relaxatum, & hepar ſupercalefactum, & cor, reſiſtit putredini, peſtilentiæ & ventoſitati: Tabern. — De... & ... rat.

## SACCHARVM CANDVM Cinnamominum.

### Cap. CCLIV.

EOdem penitùs modo fit [inquit Tabern.] quo Saccharum Candum, niſi quod aquæ communis loco, cinnamomea deſtillata recipiatur ad diſſoluendum Saccharum, ac præterea olei Cinnamomi parum immiſceatur. In affectibus frigidis thoracis & ventriculi commendatur, ac cor roborat & ventriculum. — Vſ...

## SACCHARVM ALHEISAR.

### Cap. CCLV.

ZVccharum alhuſar, vt videre eſt apud Auic. eſt Manna cadens ſuper Alhuſar, ſimilis grumis Salis: parum, autem abſtergit, auſterum eſt & amarum: confert pulmoni & aquæ intercuti, Oculorum morbis, paritérque renum & veſicæ vitiis auxiliatur. Aſſumptum vt gummi ab Arundine abſtergit oculum. Sed Alhaſſer, quemadmodum apud Serapionem legimus: — Qu... ein... Au...

habet

habet folia lata, Saccharum verò prodit ex oculis ramorum iuxta folia, quod colligitur, amarúmque eſt: Huic plantæ ſunt Mala quædam, veluti teſticuli Camelorum, è quibus liquor manat adurens, auſteræque facultatis ad cauteria peridoneus: lignum eius eſt leue, craſſum, rectum, pulchrúmque, & ideò aſſimilauerunt Cantilenarii, in cantilenis, brachia & crura dominarum ligno eius.

Manardus vt comprobaret Antiquorum Saccharum perinde ac Mannam ex rore fieri, Auicennam admittit, teſte Matth. At nos qui huic opinioni minimè adſtipulamur dicimus Alhuſar ſiue Alhaſſer (vt Bellunenſis caſtigauit) nullo pacto Arabica lingua, Arundinem ſignificare, ſed aliam Ægypti & Arabiæ arborem. Quòd Alhaſſer apud Arabes ſui generis arbor ſit, & ab Arundine maximè differat, & quòd eius Saccharum, quamuis ab Auicenna Manna dicatur, quòd fortaſſe granulis concreſcat Mannæ ſimilibus, ex rore haudquaquam ſed gummium modo ab arbore diſtillet, manifeſtè oſtendit Serapio.

## TYPHA PALVSTRIS MAIOR.

### Cap. cclvi.

io PAluſtris Typha maior, altitudine procerum hominem æquat, vel etiam ſuperat, *caule* ſæpe ſingulari, eſt vbi pluribus, rectis, rigidis, teretibus, læuibus, longis geniculis articulatis: *folia* cubitos aliquot longa, vnciam lata, ancipiti acie ſtringentem vulnerant, craſſiuſcula ſubſtantia ſpongioſa, longiſſima vagina caulem inuoluentia, ſapore ſubdulci; quorum alia ſtatim à radice oriuntur, alia è caulium geniculis: Cæterùm caulis faſtigium tomento in cylindri formam ruffeſcente in pappos tandem abeunte obuoluitur, morionis clauam imitatus, mucrone paluiari aut longiore præpilatus. *Radix* obliquo actu ſerpit, nouo ſobolis pullulatu ſe propagans, ex albo ruffeſcens extrinſecus, intus verò niuei candoris veluti ex funiculis multis compacta, à qua frequentes dependent fibræ concolores, ſapor denique fatuus eſt. Oculi verò ex radice primulùm emergentes, ſubdulces, tenericaules.

Diximus inter Frumentacea de Typha, cuius Theophraſtus variis in locis meminit. Hic autem de Typha ſermonem habemus, quam prim. Hiſtoriæ 8. ex paluſtribus & in ſtagnis naſcentibus, enodem & planam eſſe ſcribit: quámque 4. hiſt. 2. in lacu Orchomenio naſcentes collocat, ſine folio, radice haud numeroſa. Huius Typhæ & Dioſc. recordatur, cui florum effigies turbinata, quaſi typhonis ſeſe gyrantis turbinē, aut gigantis ſtaturam minacē ſignaret, nomen dediſſe videtur.







Hanc Typham & Plinius (Cornario nobis atteſtante.) C. tamen Bauhinus cum lib. 16. cap. 36. inter aquaticos Calamos de hac Plinium cogitſſe ſcribit) & Galenus, & Paulus, & Ætius in Simpl. cenſu prætericrunt: credo equidem de græcis, quòd multa alia haberent, quæ eū vſum præſtarent, quem Dioſcor. de Typhæ flore prodidit. A Galeno, Paulo, & Aetio omiſſa.

Nota eſt hodie Typha per omnes ferè paludes & ſtagna occurrens, Germ. **Kolben** ſimpliciter vocant, id eſt, clauas, à ſimilitudine videlicet ad ipſas, alii **Moßkolben** à natali loco appellant. Alii **Rörichtkolben**; ab ipſa forma: alii **Narrenkolben**, hoc eſt, clauam ſtulti, alii **Lieſtknoſpen**, Belg. **Lieſchdoden** & **donſen**. Gall. *Maſſe de ionc*, & ſimpliciter *Maſſes* appellant, & appoſitè quidem, inquit Ruellius: Galliæ rura *Maſſas* dixerunt, quòd ſceptra regum *Maſſas* vulgò dictas, perpolitus caulis lanoſa floccorum denſitate ſummatim faſtigiatus æmuletur. Hetruſcis Matthiolo authore *Mazza ſorde* dicitur, quòd eius lanugo, ſi in aures decidat, ſurditatem afferat: Hiſp. *Beordo* ſeu *Iunco Amacorodaro*. Angl. **cattis tayle** & **recde male**. Nomina linguarum

Tragus Typham aquaticam inſcribit, ac Plinium lib. 16. cap. 36. inter aquaticos Calamos huius Typhæ mentionem feciſſe ſuſpicatur; cùm hunc in modum ſcribit: Cæterò gracilitas nodis diſtincta: leui faſtigio tenuatur in cacumina, craſſiore paniculæ coma, neque hac ſuperuacua. Aut enim pro pluma ſtrata cauponatum replet: aut vbi limoſiore callo induruit, ſicut in Belgis, contuſa & interiecta nauium commiſſuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimiſque explendis fidelior pice. Ad hoc autem credendum induxerunt Tragum victores Germani, qui doliorum commiſſuris fideliter & tenaciter coniungendis Typhæ folia adhibent, maximè eius quæ in caulem haud dum exiuit, Vocant porrò ea folia Calamus aquaticus Plinio.

lieſen & Knoſpen. Plantam ipſam ſunt qui Spatulam fœtidam nominatam velint, ſed quam rectè ipſi viderint.

A Dodon. Gall. & Lat. Typhæ paluſtris titulo deſcribitur & depingitur, ibidémque inter cętera hæc de Typha leguntur : à Dioſcoride τύφη appellatur : Recentiores ad differentiā alterius Typhæ, quæ inter fruges eſt, paluſtrem & lacuſtrem cognominant : appellant etiam iidem *Ceſtum morionis*, nec non Typham aquaticam. Theophraſtus Typhæ meminit abſque folio, quæ huic noſtræ parum ſimilis. Plus certè ſimilitudinis Typha noſtra cum φλεῷ Theophraſti habet, eo videlicet, qui in lacubus naſcitur. Ouidius hanc ſtirpem Scirpum nominare videtur; ex ea etenim ſtoreas ſcirpeas *mattas* nominat, vt Faſtor. 6.

*Ceſt. morionis.*

*Phleum Theoph.*

*Scirpus Ouidij.*

*At dominus diſcedite, ait, plauſtróſque morantes*
*Suſtulit, in plauſtro ſcirpea matta fuit.*

*An Dod. gallici Papyri ſpecies*

Nunc quæ ſit Dod. Gallici Papyri ſpecies *Roſeau à faire nattes*, dubius hæreo : niſi fortè intelligat Typham paluſtrem, prius quàm caulem producat. Non tamen id fieret ſine errore, ſi ex vna ſtirpe duas faceret. De ſua Papyri ſpecie hæc ſcibit. Hæc Papyri ſpecies folia habet longiora rigida, & quaſi triangularia, plena intus medulla ſpongioſa. Radix eſt dura, craſſa, alba, pluribus fibris donata, & aliquot juncturis lateralibus conſpicua, à quibus oriuntur flores alij, & aliæ plantæ. Quum radices deſiccantur facilè incenduntur & claram flammam reddunt. Gladioli hæc ſpecies creſcit ſecundum torrentes, fluuios, acceſſus & receſſus aquarum. Videtur ea Papyri ſpecies, quam Strabo *Biblum* appellat, qui grandis eſt Gladiolus, habens folia ſatis larga, radicem ſatis magnam, brachij vnius magnitudine; reperitúrque in Aegypto ad Nilum, ex quo antehac fiebat charta ſcriptoria, qualiter hodie fieri ſolet ex linteis dilaceratis. Aſſimilatur temperamento & facultatibus Papyro, vnde deſiccat ſine acrimonia: præcipuè cineres eius, qui proſunt contra vlcera erodentia, præſertim oris, inſperſi. Folia apetiunt fiſtulas & plagas anguſtas. Eadem ſicca apta ſunt ad mattas ſiue ſtoreas contexendas. Hanc Papyri ſpeciem Dodon. in poſt. ſuis de plant. Hiſt. ſilentio præterit, animaduertens fortè ſe Typha imperfecta primúmque è terra erumpente illuſum fuiſſe. Eadem pingitur ab H.L.p.989. pro Iunco aſpero Dod.

*Negat typhā Dioſc. Anguill.*

Anguill. non admittit hanc pro Typha Dioſcoridis : nullis autem rationibus ſuam ſtabilit opinionem.

*Typha a loco denominata.*

Typham vocauit Geſn. de coll. ſtirp. à loco natali paluſtri qui Græcè τῖφος dicitur per iota, & ſic Typham herbam etiam ſcribi exiſtimauit, niſi fortè differentiæ gratia à Typha, Tritici genere per y ſcriberetur.

Synonyma

Dicitur *Typha* ſiue *paluſtris maior* C. Bauh. *Typha aquatica*, Trag. Lugd. *Typha*, Matth. Fuch. Ama. Lac. Tur. Cord. in Dioſc. Lon. Lob. Caſt. Tab. Ger. *Typha paluſtris*, Ruell. Cæſ. *Aquatica Papyri ſpecies*, Dod. gall. *vlua*, Ang. *Iuncus aſper Dodonæi gall.* Hiſt. Lugd.

Locus.

Typham obſeruaui Monſpelij, Geneuæ, & Montbelgardi in foſſis, in Alſatia in lacubus. Locis paluſtribus, inquit Dodon. in ſtagnantibus aquis, & juxta laxorum fluuiorum ripas exit. Iulio & Auguſto paniculæ vigent, floſculorum ſpicâ iam arida ac decidente. Reſtant ſubinde paniculæ ad alterius anni æſtatem, atque tunc non rarò pediculi in ipſa panicularum lanugine nati reperiuntur: quod admiratione haud caret. Cùm enim caulis tunc omninò ſit aridus, & lanugo adeò ſicca vt vento abripiatur, animalcula huiuſcemodi ſub lanugine iſta gigni ac viuere poſſe mirum eſt.

Typhæ [ τύφης ] herbæ flos ſuillo adipe eloto [ Ruell. Græcè πλυτῷ ] excepto ambuſtis medetur. Ex his Dioſcoridis verbis colligit Tragus Typham moderatum quoddam temperamentum eſſe ſortitam. Petrus Hiſpanus dicit quod radix herbæ Ceſti cum foliis ſæpè data in potu & emplaſtrata curat rupturam, Valeſc. de Taranta, vſum foliorum ſuprà expoſuimus.

## TYPHA PALVTRIS MEDIA.

### Cap. CCLVII.

PEculiare hoc genus Typhæ, veluti medium, obſeruabat Cluſius, copioſè naſcens paluſtri quadam foſſa apud Tyburn Sacellum, primo ab vrbe Londinenſi miliari; erat foliis multò anguſtioribus quàm Typhæ vulgaris folia & graciliore claua, maiore tamen quàm minima illa à Pena Lobelióque expreſſa. Alióqui à maiore non differt pullo illo tomento in clauam compacto & florum oblonga ſpica, tenui flauo polline reſperſa, ſupra clauam enaſcente. Florebat Iunio.

Typha media, Cluſ. pann. & Hiſt. Typha 2. ſiue paluſtris claua gracili, Caſp. Bauh. pin.

## TYPHA MINOR.

### Cap. CCLVIII.



TYpha minor maiori ſimilis, & radice obliqua geniculatim incedente folia promit graminea, longa, anguſta, & inter hæc caulem ſeſquicubiti aut duorum cubitorum altitudine, junceum, rigidum, enodem, cuius ſummus ſcapus geminas ſuſtinet tomenti fuſci extrinſecus, intus albi, clauas cylindraceas, modica inter ſe diſtantes intercapedine, multò & breuiores & ſtrigoſiores quàm Typhæ maioris.

Typha minor Lob. Adu. & Ic. Plant. pag. 81. & Hiſt. Lugd. *Typha minor*, ſiue Typhula, Tab. *Typha minima*, Cluſ. pannon. *Typha* 3. ſiue *paluſtris minor*, C. Bauhin. pin.

In agro Geneuenſi, quà confluunt Rhodanus & *Arue* exit, vbi ego & Lob. collegimus.

SPAR-

## SPARGANIVM QVIBVSDAM.

### Cap. CCLIX.

Deſcriptio NVmeroſis fibris capillata *radice* nititur, folia tum à radice exorta, tum à caule, Typhinis ſimilia, carinata, ſtriata, acuta, elatiori dorſo ſtringentis manum infeſto vulnere ſcindentia, guſtu nonnihil dulci: *caulis* cubitalis & altior, teres, tortuoſus, inæquali ramorum diuaricatione brachiatus: *flores* ruberculis ramorum, nullo pediculo, adnaſcuntur, aſpergillum imitati, radiatis in orbem ſtaminulis albidis apiculos fuſcos ſuſtinentibus conſtantes, nullo relicto fructu ſeminéve caducis, alibi enim naſcuntur pilulæ echinatæ Platani, ex conulis ſingulis ſingulos acinos continentibus glomeratæ.



Plantam hanc à Germanis Riedtgraß appellatam Tragus Sparganium Dioſcoridis eſſe iudicat. Eius figura nobis non placet: pulchriorem habet Matthiol. qui & ipſe in priorib. comm. Sparganium Dioſc. & Galeni conſtituerat: in poſt. tamen comm. Ital. reuocat in dubium an ſit Sparganium, aſt iniquiùs, vt vult in Aduerſ. Lobelius, qui Commentatorem illuſum fuiſſe ſcribit triuiali intellectione literę, ſic habentis: folia ad terram inclinata magis, vel procumbentia. Cæterùm in Obſ. p. 41. & Icon. p. 80. picturam habet ſub titulo Sparganii & Butomi Theophraſti.

Cord. in Dioſc. Sparganium vocat Germ. Degenkraut, dicítque alibi Gladiolum à Veteribus etiam vocari.

Dodon. gall. Butomum inſcribit: Lat. Platanariam ſeu Boutomon. Platanariam quidem à fructuum cum Platani pilulis ſimilitudine nuncupat. Non deſunt qui Calamagroſtin Dioſcoridis eſſe velint, ſed malè.

Sparganij Dioſc. apud Matthiolum bonam figuram eſſe teſtatur Anguillara: verùm quantùm ab eius deſcriptione abſit, vel ſolus pilularum ſitus oſtendit, quæ non ἐπ' ἄκρε τοῦ καυλοῦ, ſiue in ſummo caulis modò, ſed & multò infra eius faſtigium & alibi quoque exoriuntur. Plus ſimilitudinis Platanaria cum βετόμῳ habet, cuius Theophr. lib. 1. & 4. De ſtirp. Hiſt. ſæpiùs meminit, quódque ait locis paluſtribus exire, foliis multis angularibus, Harundini ac Cyperi ſimilibus: caule, qui æqualitatem peculiarem ſortitus ſit, & fructu nigro, Sidæ magnitudine proximo. Huius Butomi mentionem facit Democr. Geoponic. Caſſij Dionyſii lib. 2. vbi ait folia ipſum habere Cyperi, grata boum pabulo: vnde nomen, Ruellio authore, accepit. In Græco exemplari habetur: φύλλα ὅμοια φέρει ἀνειρίοις, ſed pro ἀνειρίοις, reſtituendum κυπειρίοις.

Pro Sparganio hanc plantam admittere videtur quoque C. Bauh. qui in pin. hæc ſcribit: Σπαργάνιον ἀπὸ τῶν σπαργανίων, faſciolis, quòd foliis eius latis & vitilium modo lentis pro faſciis nutrices vtantur: cuius Dioſc. lib. 4. meminit: βούτομος Theophr. 4. hiſt. 8. cui mas & fœmina, & hæc ſterilis. Dicitur hæc ſtirps Sparganium 1. ſiue ramoſum. *Sparganium*, Trag. Matth. Ang. Tur. Cord. in Dioſc. Geſ. cat. Lac. Cæſ. Caſt. Cam. Tab. (cui & Gladiolus paluſtris) Ger. Eyſt. *Butomos* Theophr. Ang. *Butomon*, Ruell. Dod. gall. Geſ. cat. *Platanaria*, Dod. Thal. *Sparganium & Butomos* Theophr. Lob. *Carex*, Lon. *Phleos fœmina*, Lugd. Calamagroſtis ſecunda, Eidem.

Locus & tempus. Locis paluſtribus, perennes aquas habentibus exit, ac iuxta riuulorum quorumdámque fluuiorum margines. Pilulas Auguſto menſe profert.

## SPARGANIVM ALTERVM.

### Cap. CCLX.

Deſcriptio SParganium alterum, non tantùm pediculis hærentes pilulas fert, ſed & caulis alius earum rotatim circumpoſitas tranſadigit, quibus mollities initium barbularum contrectabilior maricatis Sparganii primi echinis: à quibus & illud diſpeſcit quòd in orbem acti flores glomerati, ſubſequentibus capitulis æquales, tremulas ſtaminum luteorum fibras vibrant: eo, in ſummo ſcapo ordine vt verticillorum ſeries appareat.



Sparganium alterum (ſic etiam vocat Ceſ. H. Lugd. & Tabern.) per Lobelium in Obſ. p. 41. & Ic. p. 80. exhibitum, plus ſimilitudinis habere quàm ſuperiorem, cũ Sparganio credidit Dodonęus, qui Platanariã alteram inſcribit. Caſp. Bauh. in phyt. & pin. dicitur *Sparganium non ramoſum: Sparganium latifolium* Gerardi.

Locus & tempus. Florens ineunte menſis Iulij 11. in ſtagno inter S. Coſmum & *Bologne* Caſtellum Suntgouiæ.

## SPARGANIVM MINIMVM C. BAVH.

Deſcriptio SParganium III. ſiue minimum, vt author vocat in pin. ab eo in Prodr. ſic deſcriptum reperitur: plantula eſt vnciarum quatuor, nam radicula ex fibellis oblongis componitur, vnde cauliculus vnciarum duarum effertur, & in capitulum exiguum ſubrotundum, cui aliud minus inſidet, herbacei coloris & formæ, quemadmodum in Sparganio maiore, deſinit: circa quem folia vtrinque quaterna, vel quina, anguſta, cauliculum ſuperantia.

Plantulam hanc D. Furerus anno 1617. tranſmiſit, his aſcriptis: Sparganium minimum & ſe-

, Northuſii in lacunis quibuſdam cœno- ... partes ſuperiores per æſtatem exie- ...

*VT RECTA HVIVS LIBRI OBSERVETVR SERIES, His quæ eius finem conſtituunt locus eſſe debuit poſt Gramen pratenſe paniculatum maius anguſtiore folio Caſp. Bauh. ſicque poſt caput 52.*

## GRAMEN PRATENSE MINVS.

### Cap. CCLIX.

*Gramen minus, Lob.* Locus. GRamen hoc minus (vt vocat Lob. in Adu. & Ic. p. 1.) quod montanus vel decliuis, incultus, exuctus & aridior ager, vt pabulo gratius & vtilius velleri, ſic multò delicatius, & ſemine efficacius eſt.

*Gramen 4. vel minus, Tab.* Deſcript. Tabern. qui in hiſt. Gramen 4. facit, & icon. Gramen minus vocat, ſic deſcribit. Medium eſt genus inter primum (Gramen repens Camerarii intelligo) & ſecundum (Gramen cum ſpica aliquatenus arundinacea:) *radicibus* paruis, albis, multis fibris donatis: *culmis* nodoſis, ſpithameis, aut paullò longioribus, quatuor aut quinque: *folia* ſunt longa, anguſta, quorum mediū neruus percurrit, vtrinque acuta, in acumen deſinentia: *ſpica* quaſi ex feſtucis componitur pluribus, binis ſemper oppoſitis.

Eſt *Gramen pratenſe* 2. Dodon. lat. *Gramen pratenſe minus* Gerardo: *Gramen pratenſe paniculatum* 5. ſiue *medium*, Caſp. Bauhin. pin. latiore & anguſtiore folio.

*Varietas.* An fortè Gramen tenuifolium hirſutum?

## GRAMEN AQVATICVM HARVNDINAceum paniculatum, Tabern.

### Cap. CCLX.

Deſcrip. RAdicem tranſuerſim agit fibroſam: calamos craſſos, nodoſos, Gramine arundinaceo maiores, aſt ipſa Harundine paluſtri minores: *folia* ſimilia harundinaceo Gramini, ſed maiora & longiora: *paniculam* harundinaceam. Author in ſua hiſt. facit *Gramen aquaticum* 4. cognominátque etiam in Ic. *Gramen aquaticum harundinaceum paniculatum*. Gerar. *Gramen maius aquaticum*. C.B. pin. *Gramen. paniculatum aquaticum* 1. ſiue *Gramen paniculatum altiſsimum*.

Synonyma Idem ſuſpicamur cum Gramine maiore aquatico Lobelii. Nec ab hoc ſeparandum putamus Gramen harundinaceum paniculatum eiuſdem Tab. de quo infrà.

## GRAMEN PALVSTRE PANICVLATVM minus, C. Bauhini.

### Cap. CCLXI.

Synon. Deſcriptio GRamen paniculatum aquaticum 3. (vt author in pin. vocat,) ſiue, vt in prod. Gramen 16. ex radice craſsâ fibris albicantibus durioribus donatâ, calamo rotundo, ſtriato, cubitum ſuperante exurgit, quem *folia* pallidè virentia, latiuſcula, pedalia, ſubaſpera inueſtiunt: *panicula* palmaris eſt, rara, ex locuſtis albicantibus, ariſtis oblongis armatis, compoſita.

Hæc in dumetis humidis circa montem Crentzacenſem prouenit: at in vdis Michelfeldenſibus, altiùs exurgit. L

## GRAMEN PALVSTRE PANICVLA ſpecioſa, Caſp. Bauhini.

### Cap. CCLXII.

HOc Gramen paluſtre paniculâ ſpecioſa; quod in prod. 15. eſt, in pin. verò Gramen paniculatum aquaticum ſecundum, ad bicubitalem altitudinem exurgit, *calamo* ſatis craſſo: *foliis* eſt paucis, pedalibus, latiuſculis, per marginem aſperiuſculis, quorum aliqua tubuli initar, calamum mediâ ex parte ambiunt: *paniculá* eſt iubata, ſeſquipalmari, ex elegantiſſimis, paruis & ſubrotundis laminellis compoſita.

In humidis circa Patauium author collegit: & in Haſſiæ ſtagnis reperiri intellexit.

## GAMEN HARVNDINACEVM PANIculatum, Tabern.

### Cap. CCLXIII.

RAdicibus, nodoſíſque calamis Gramini harundinaceo maiori comparauit author: *folia* autem ſunt latiora, maiora & longiora: panicula quoque multiplicior & latior.

Dicitur *Gramen harundinaceum paniculatum*, etiam Gerardo. Gramen maius aquaticum Lob. Icon. Plant. p. 4. Caſp. Bauhin. pin. *Gramen paniculatum aquaticum* 4. ſiue *latifolium*: *Graminis arundinacei alta ſpecies* Thalio: *Lolii nonum genus*, Trago. Idem & nos eſſe concludimus cum Gramine maiori aquatico Lobelii.

In humidis & paludoſis non rarò occurrit.

## GAMEN CARIOPHYLLATÆ FOLIIS ſpica ſquamata.

### Cap. CCLXIV.

C. Bauhin. pin. dicitur Gramen ſpicatum pratenſe 7. ſiue Caryophyllatæ foliis ſpica ſquamata: Graminis loliacei octaui alia perpuſilla ſpecies Thalii, cuius tota plantula palmarē longitudinem non excedit, *radicibus* paruis, fibratis, nigricantibus, *foliolis* oblongiuſculis, ſtrictis, recuruis ac imbricatis: *coliculo* tenui, in ſua ſummitate breuem, ſquamatámque *ſpicam* continens.

Huius figuram Gramini nigro luteo iunxit Lobelius in Ic. Plant. p. 10. ſub titulo Graminis ſpicari foliis Caryophyllatæ.

Naſcitur locis aridioribus & apricis.

## GRAMEN TYPHOIDES MOLLE.

### Cap. CCLXV.

RAdice nititur exiguâ, fibroſâ: *caulis* cubitalem & maiorem adipiſcitur longitudinem, nodiſue diſtinguitur: folia ſunt pauca, eadémque anguſta & acuminata: *ſpica* longa glumis ita D

ita denſè ſtipata, vt caudam vulpinam præ ſe ferant.

Dicitur Tabern. deſcriptionis authori, *gramen alopecurinum* 1. Lob. in Ic. p. 8. *gramen alopecuroides*: Germ. *gramen alopecuroides minus*: Caſp. Bauh. pin. *gramen typhoides* 2. ſiue molle.

Dubitamus an ſit gramen Alopecuro accedens, & Phalaridi ſpica longiuſcula, folio lanuginoſo.

Secus ſemitas paſſim occurrit.

## GRAMEN ECHINATVM DALECHAMPII.

CAP. CCLXVI.

Radicibus multis nititur, gracilibus, candicantibúſque cauliculis, ex vno ceſpite multis huc illuc diffuſis: *folio* arundinaceo, minore: capitulis in ſummo caule oblongis, tactu ſic aſperis, vt echinati videantur: *ſemine* minutulo, glumâ obuoluto. Sapor totius plantæ ex fatuo ſubdulcis. Naſcitur ad ripas Arares,

An Gramen cauda leporis aſpera? C. Bauh. pin. *gramen alopecuroides ſextum, ſpicâ aſpera*: *gramen echinatum Dalechampii*, H. Lugd. p. 432.

## GRAMEN TOMENTOSVM ALPINVM minus, C. Bauh.

CAP. CCLXVII.

Ex *radice* parua, inutili, *calamus* rarò dodrantem ſuperans, *foliis* duobus, tribúſve veſtitus exurgit, cuius ſummitati *pappus* inſidet.

*Gramen* 28. in prod. *gramen tomentoſum* 3. ſiue *alpinum & minus*, C. Bauh. in pin.

Prouenit in Heluetia, in D. Bernhardi monte minore ad lacum: in Rhetia Burſerus collegit.

## GRAMEN PALVSTRE IVNCEVM RACEmoſo ſemine, C. Bauh.

CAP. CCLXVIII.

Foliis eſt paucis iunceis, culmo cubitali, ex cuius ſummitate, inter bina foliola, veluti racemus paruus propendet. Eſt Gramen 35. in prod. In pin. autem Gramen iunceum 7.

In aquoſis circa Francofurtum ad Oderam D. Fleiſſerus collegit, & anno 1605. autori communicauit.

## GRAMEN IVNCEVM AQVATICVM maius, Tabern.

CAP. CCLXIX.

Radicem habet incuruam, minimi digiti craſſitudine, hinc inde in imo multis fibris repentem: iunci ſunt tenues & anguſti, ſeſquipedem alti, quatuor, aut quinque, longis, gramineis, ex nodis prodeuntibus, foliolis conſpicui: flores nigro-lutei, iunci communis. In paludoſis occurrit.

Autori in hiſt. eſt *gramen iunceum ſecundum*: Eid. ic. *gramen iunceum aquaticum maius*, groß waſſer binzen gras, *gramen iunceum aquaticum*, Gerardo. *gramen* 74. C. Bauh. phyt. *ſiue gramen iunceum* 5. & maius. Eid. pin. *gramen iunceum* 7. ſiue polyſtachion.

An fortè Iuncus foliaceus.

## GRAMEN IVNCEVM SYLVATICVM. Tabern.

CAP. CCLXX.

Radix magna, fibroſa: iunci ſiue culmi complures, pedales, nodis diſtincti, intus rarâ medullâ referti, extrà colore ex nigro viridantes: è nodis ſiue geniculis prodeunt exigua, ex nigro viridia, graminea foliola: iunci in ſummitatibus ceu in ramulos abeunt, producentes floſculos ærugineos, ſiue ſpadiceos. Deſcriptio.

Dicitur autori in hiſt. *gramen iunceum* 1. Eid. ic. *gramen iunceum ſyluaticum*, waldbintzen graß. C. Bauh. phyt. *gramen* 73. ſiue *iunceum* 4. Eid. pin. *gramen iunceum* 8. ſiue *folio articulato*: *gramen iunceum* 1. vel *ſyluat. nemoroſum*, Tabern. *gramen iunceum ſyluaticum*, Ger. Synon.

An Iuncus foliaceus capſulis triangulis, & idem cum eiuſdem Gramine triangulo?

Naſcitur in humidis, arenoſis, vmbroſiſque locis, ac in ſiluis ſecus vias, locis graminoſis. Locus.

## GRAMINIS LOLIACEI OCTAVI III. SPEcies, Thalio.

CAP. CCLXXI.

Minor (ſecundâ ſpecie) eſt, breuioribúſque ac tenerioribus *coliculis*: *foliis* breuioribus ac ſtrictioribus, *ſpicis* item paniculatis, ſpadiceis, breuioribus ac tenuioribus: Cúmque ſecunda ſpecies per totum caulem à radice vſque in cacumen ex geniculis emittat ſuas paniculas: hæc cauliculo conſtat in inferioribus partibus enodi, in ſummitate tantùm paucula genicula habente, ex quibus paniculæ binæ, tres, vel quatuor ad ſummum prodeunt. *Paniculæ* autem poſtquam defloruerunt, decidunt, ac eas ſubſequuntur ſquamata capitula includentia *ſemen* nigrum, paruum, acuminato cuſpide præmunitum. Deſcriptio

C. Bauhino pin. *gramen arundinaceum* 4. ſiue *panicula molli ſpadicea minus*: *graminis loliacei octaui tertia ſpecies*, Thalio. Synon.

## GRAMEN ECHINATO CAPITVLO, C. Bauh.

CAP. CCLXXII.

Gramen echinatum 1. ſiue ſpicâ rotundâ echinata, vel gramen echinato capitulo: gramen echinatum tribuloides, Columellæ, C Bauh. in pin. nobis nondum viſum. Synon.

## GRAMEN SPICA PLANA ECHINATA, C. Bauh.

CAP. CCLXXIII.

Plantula palmaris eſt: *radicula* ex fibellis albis compoſita, ex qua *foliola* capillacea, pauca, vnciam longa, & feſtuca tenuiſſima, prodeunt: *ſpicam* habet vncialem, planam, quæ ex vtriculis minutiſſimis ariſtas acutas emittit: ex Hiſpania D. Albinus attulit gramen hoc ſpica plana echinata, ſiue Gramen 49. in prod. Gramen echinatum 2. in pin. Deſcriptio Synon.

### GRAMEN LOLIACEVM MINVS, ſpicâ ſimplici. Caſp. Bauhini.

CAP. CCLXXIV.

Deſcriptio EX *radice* capillacea, *cauliculi* plures, rotundi, duri, duarum vnciarum, & etiam ſemipalmares, *foliis* paucis, anguſtis, & breuibus cincti, exurgunt, quibus ſpica duarum vnciarum, anguſta, Lolio ſimilis, inſidet: in agris Monſpelienſibus frequens eſt hoc Gramen, quod in prod. eſt 61. in pin. verò Gramen loliaceum 4.

### GRAMEN LOLIACEVM MINVS MVLTIplici ſpica, C. Bauh.

CAP. CCLXXV.

Deſcriptio HOc maiori ex parte repit, & *caliculis* eſt multis, vnciarum quatuor, *foliis* paucis, & *ſpica* multiplici: cuius vtriculis *ſemen* paruum, oblongiuſculũ includitur. Et hoc, eſt in in prod.
Synonyma Gramen 26. in pin Gramen loliaceum 5. Monſpelii prouenit.

### GRAMEN LOLIACEVM SVPINVM Lobelii, Caſp. Bauh.

CAP. CCLXXVI.



Synon. GRamen loliaceum 6. ſiue ſupinum C. Bauhini in pin. à Lobelio in altera Aduerſ. parte, Gramen phalaroides exile ſupinum humi ſparſum Danicũ nominatur, & ſic deſcribitur:
Deſcr. Gramen puſillũ, humile, humíq; ſparſum, innumeris duarum triumúe vnciarũ culmis, torulis ſpicatis effusè faſtigiatis, exilibúſque apiculis præditis: *Foliolis* vncialis longitudinis & latiuſculis, craſſioribúſque culmis pro plantulæ magnitudine. *Radix* fuſca, cirroſa: Tota albicat herba per fœniſecium.

Synon. Videtur propè Cronemburgum arcem regiam Selandiæ Danorum, è regione equilis & horti Regii, ſabuloſo ſolo ad latus maritimum pone ruſticos lares.

* * *

### GRAMEN MARITIMVM PANICVLA loliaceâ, C. Bauh.

CAP. CCLXXVII.

EX *radicibus* capillaceis, *cauliculi* plures, rotũdi, recurui, altitudine impares, palmo inferiores, geniculati, *foliis* paucis, anguſtis, oblongis cincti, exurgunt, *paniculam* loliaceam, trium quatuórue vnciarum, ſed ramoſam, ſuſtinentes: locis maritimis circa Monſpelium, vnde D. Saltzmannus attulit, hoc Gramen, quod in prod. 62. eſt, in pin. Gramen loliaceum 7. ſiue maritimum paniculâ loliacea.

### FESTVCA IVNCEO FOLIO SPICA geminâ, C. Bauh.

CAP. CCLXXVIII.

HÆc, quæ eſt in prod. Gramen feſtucę 6. *culmo* eſt ſeſquicubitali, rotundo, geniculato, & ramoſo, cuius ſummitati *ſpicæ*, vix vnciam longæ, molles, rufeſcentes, ariſtis oblongis armatæ, Iſchæmo Gramini villoſo ſimiles, inſident & ſemper duæ ſimul, vni oblongo pediculo inſidentes, iunguntur: *folia* habet iuncea, longa, inordinatè diſpoſita.

### FESTVCA SEXTA, THALII.

CAP. CCLXXIX.

PAſſim in agris prouenit Harcynicis, *foliis* breuioribus *cauliculis* tenuibus, ſtriatis, in cuius ſummo racematim dependent, palmi longitudine, in tenuiſſimis & vix viſu perceptilibus pediculis, parui quidam membranacei & paleacei vtriculi, quorum exteriores membranulæ rubent, quibus dehiſcentibus candidulus *flos* emicat.

C. Bauhin. pin. *Gramen feſtucæ* 9. ſiue *Feſtuca graminea aruenſis minor*.

### FESTVCA PRATENSIS LANVGInoſa, Caſp. Bauhin.

CAP. CCLXXX.

EX *radice* capillacea, rufeſcente, *folia* multa, anguſta, pedalia vnà cum *culmis* tenuibus, bipedalibus, foliaceis, molli & paucâ lanugine [culmi potiſſimùm] aſperſis, exurgunt: *ſpica* eſt oblonga, anguſta, ex glumis oblongis, ariſtis donatis compoſita, & quaſi in *paniculam* paruam expanſa.

Baſileæ paſſim in pratis Gramen hoc, quod autor in prod. 68. conſtituit: in pin. Gramen feſtucæ 10.

* * *

## FESTVCA DVMETORVM, EIVSDEM:

### CAP. CCLXXXI.

GRamini 69. (vt in prod. author vocat) vel (vt in pin.) Gramini feſtucæ 11. ſiue dumetorum, ex *radice* capillacea, nigricante, *culmi* plures, geniculis diſtincti, pauciſſimis pilis aſperſis, duorum, triúmve cubitorum, *foliis* oblongis, anguſtis cincti, exurgunt, in quorum ſummo *ſpica* oblonga, locuſtis raris, oblongis, cauli proximis, & ariſtis armatis conſtans.

Iulio menſe in dumetis circa Birſam haud duntaxat, verùm etiam in vepribus, locis ſiccioribus, prouenit.

## FESTVCA DVMETORVM FOLIIS ANGVſtiſſimis, piloſis, C. Bauhini.

### CAP. CCLXXXII.

GRamini huic 70. in prod. Gramini feſtucæ 12. in pin. *radix* eſt albicans, ex durioribus fibris compoſita: ex qua *calami* aliquot tenues, vno alteróve geniculo diſtincti, & penè nudi, exurgunt: *folia* ſunt breuia, anguſtiſſima: læui, mollíque lanugine hirſuta: calamorum ſummitati veluti panicula, ex *ſpicis* pluribus compoſita, quarum quælibet capillaceo pediculo inſidet, multis glumis ariſtatis & candicantibus conſtans: prouenit in dumetis circa Cliben. — Deſcriptio

*FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI.*

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER DECIMVS NONVS.

### DE HERBIS BVLBOSIS ET HIS AFFINIBVS.

*FRVMENTORVM quibus opes Cereris conſtant, affiniúmque ipſis Graminum, ac his rurſus affinium Iuncorum & Harundinum natura indicata propemodum eſt: ita connexu rebus, vt immenſa herbariæ naturæ ſylua, horreorum diuitia, paluſtrium, maritimorum, pratorúmque, ac ceſpitum moroſa perquirendi ſubtilitas ſimul diceretur. Succedant nunc Bulboſæ plantæ, caulium ſimplicitate, foliorúmque figurâ à dictis haud ita alienæ. Ac in hâc quidem ſpecie differentiarúmque varietate in immenſum propemodum luxurians cernitur natura. Inuexit & hominum cura nouas, omníque priore æuo noſtro huic Orbi incognitas ac inuiſas florum diuitias, Hyacynthos, Bulbocodia, Narciſſos, Tulipanos, Coronas Imperiales, & eiuſmodi tripudiantis naturæ ſpecimina. Non fuerat ſanè hoc decus in maiorum noſtrorum hortis. Creſcit profectò cum hiſtoria ipſa admiratio naturæ diuitiarum: quantóque copia maior dicenda reſtat, tantò magis mirari Dei Opt. Max. in creando potentiam, in largiendo & propagando benignitatem ſubit. Nec dubiè ſuperata hoc modo poſſet videri etiam rerum naturæ ipſius munificentia, ſi humani operis eſſet inuentio. Nunc verò Dei ipſius Protoplaſtu fuiſſe eam apparet, ac certè diuinam, etiam cùm homo artis mangonio eam variare nouit, nullo induſtriæ miraculo maiore, ſi verum fateri volumus: ſique verum quod in Magiæ naturalis inſolentibus illis commentationibus gloriantur. Oſtentemus ergo & hoc naturæ munus, & ſingula, more noſtro, graphicè depingamus.*

## CÆPE SIVE CEPA RVBRA ET ALBA, ROTVNDA AC LONGA.

### CAP. I.



BVLBORVM, quantùm vſpiam eſt in naturæ ditione, notiſſima Cæpa eſt, cuius *radix* acerrima, oculos mordicando lachrymas elicit, ex tunicatum inuolucris contexta, modò rubra [potiſſimùm tunicæ exteriores,] modò alba, interdum orbicularis, aliàs bulbo longo, pendulis ab imo fibris albis. *Folia* pedalia, fiſtuloſa, parum acrimonia videntur radici cedere, ſi recentia fuerint: *caulis* nudus, rectus, duorum, triúmue cubitorum altitudine circa medium in ventrem vtrinque turbinatum turgeſcit, glomeratum in ſummo faſtigio ſuſtinens *florum* caput pugni magnitudine, *ſemen* anguloſum atrum. *Caput florum. Semen.*

Iam olim Theophraſti & Dioſcor. æuo, magnam Cæparum varietatem, è locis, colore, magnitudine, acrimoniâ, teneritudine, varióque mangonio petita fuiſſe conſtat. Ita námque Theophraſt. ſcriptum reliquit. Ceparum [τ κρομμύων, non κρομυων vt Hiſt. Lugd.] genera plura, vt quæ à locis nomina accepêre, Gardiæ, Gnidiæ, Samothraciæ: item Setanicæ, & Fiſſiles, & Aſcaloniæ. Ex his Setanicæ minimæ, ſed largæ, dulces: Fiſſiles verò & Aſcaloniç tum cultu, tum naturâ inter ſe differunt: fiſſilem etenim hyeme ſuâ cum comâ inertem relinquunt, Vere externa folia detrahunt, & reliqua colunt: detractis his foliis, altero germinant, ſimúlque inferiùs finditur: vnde fiſſiles appellatæ ſunt. *Theoph. A loco. Setanicæ. Aſcaloniæ. A cultu & natura. Fiſſ.les.* Quidam vel omnibus detrahenda folia cenſent, vt vim ſuam imo contineant, neque effuſæ ſemineſcant. Aſcaloniarũ peculiaris quædam natura notata eſt: etenim ſolæ fiſſiles, & quaſi ſteriles ab radice conſiſtunt, nec eâ parte creſcere, ac proficere poſſunt: quamobrem non eas deponunt: ſed ſemine ſerunt: cùm deinde germinatum ſit, transferunt. Perficiuntur adeò celeriter, vt cum cæteris, aut etiam priùs euelli poſſunt. Plùs temporis dimiſſæ in terra, putreſcunt. *Aſcaloniæ.*

Plantatæ caulem edunt, ſeménque rantummodò [illegible], cùm exinaniuntur atque inareſcunt. Harum igitur talis natura eſt. Nunc explicatâ Aſcaloniarum naturâ, alias Ceparum differentias Theophr.perſequitur. διαφέρει δὲ ἔνια καὶ τοῖς χρώμασιν· ἐν Ἴσσῳ γὰρ (Sic legit Gaza, non ἐν νήσῳ, vt habent vulgata exemplaria.Plinius legit, ἐν σάμῳ) τὰ μὲν ἄλλα ὅμοια τοῖς λευκοῖς, Differunt & colore nonnullæ: *A colore.* etenim apud Iſum cæteræ quidem candidis ſimiles conſtant, ſed colore candidæ admodum prouenıunt, Sardianiſque ſimiliter ferè affirmant. *Cretenſes.* Cretenſium peculiaris maximè natura notatur, ſed Aſcaloniis quodammodò proxima, ni forté vel eadem dici debeat: eſt enim in Creta genus quoddam, quod ſemine quidem ſatum in radice craſſatur, depoſitum verò in caulem ſeménque totum funditur: ſine capite, ſaporéque dulce eſt: id enim quaſi è contrario cæteris habet: omnes namque depoſitæ meliùs, celeriúſque perficiuntur. *Tempus. Satio.* Omnes poſt arcturum proueniunt, tepido adhuc ſolo, vt depoſitas imbres occupent. Seruntur & toto capite & circumciſo, ſed germinationes haud ſimiles fieri ſoleut: parte namque inferiore Cepæ naſcuntur, ſuperiore herba tantùm erumpit: ſectæ in rectum germinare omninò nequeunt. *Gethyum.* Gethyum dictum ſine capite eſt, & quaſi longâ ceruice conſiſtens, ob id germinatio tota in fronde: ſæpiúſque retundent, vt Porrum, qua de cauſa ſemine ſeritur id nec deponitur. Cepas hiſce ferè differentiis diſcernere licet.

*Plinii differentiæ.* Ex his plurima mutuatus eſt Plinius, de iis ſic ſcribens; Cæpæ genera apud Græcos Sardia, (Sarda Ch.) Samothracia, Alſidena, Setania, Schiſta, Aſcalonia ab oppido Iudææ nominata. Omnibus etiam odor lachrymoſus, & præcipuè Cypriis, minimè Gnidiis. Omnibus corpus totum pinguetudinis earum cartilagine. *Setania.* E cunctis Setania *Tuſculana.* minima, exceptâ Tuſculana, ſed dulcis. *Schiſta.* Schiſta autem & Aſcalonia condiuntur. Schiſtam hieme cum coma ſua relinquunt, vere folia detrahunt, & alia ſubnaſcuntur iiſdem diuiſuris: vnde & nomen. Hoc exemplo reliquis quoque generibus detrahi iubet, vt in capita creſcant potiùs, quàm in ſemina. *Aſcalonia.* Aſcaloniarum propria natura. Etenim velut ſteriles ſunt ab radice, & ob id ſemine ſeri illas, non deponi, juſſere Græci. Præterea ſeriùs circa ver, cùm germinant, [ germinent, CH. germinauerint. TH. ] transferri ita craſſeſcere, & tunc properare præteriti temporis penſitatione. Feſtinandum autem in his eſt, quoniam maturæ celeriter putreſcunt. Si deponantur, [ caulem mittunt, CH. neque legitur, & in M. ] & caulem emittunt & [ ſementant vet. ] ſemen ipſęque euaneſcunt. *Samothracia.* Eſt colorum differentia [ amiſſo CH. ] Samo enim & Sar- *Sardia.* dibus candidiſſimæ proueniunt. *Cretica.* Sunt in honore & Creticæ, de quibus dubitant, an eædem ſint, quæ Aſcaloniæ: quoniam [ ſatæ radices agunt, CH. ] ſatis capita craſſeſcunt: depoſitis, [ caulis & ſemẽ] caules & ſemina. Diſtant ſapore tantùm dulci. *Gethyon.* Apud nos duo prima genera. *Pallanaca.* Vnum condimentariæ, quàm illi Gethion, noſtri Pallacanam vocant. Seritur menſibus, Martio, Aprili, Maio. Alterum capitatæ, quę ab æquinoctio Autumni, vel à Fauonio. *Africana, Gallica, Tuſculana, Amiternina.* Genera eius austeritatis ordine, Africana, Gallica, [ Tuſculana, Aſcalonia, Amitern. CH. ] Tuſculana, Amiternina. Optima autem, quæ rotundiſſima. Item rufa acrior, quam candida: ſicca, quàm viridis: & cruda, quàm cocta: ſicca, quàm condita. *Satio. Tempus.* Seritur Amiternina frigidis & humidis locis, & ſola Allii modo capite, reliquæ ſemine. Proximáque æſtate nullum ſemen emittunt, ſed caput tantùm, quod inareſcit ( increſcit, vt mox, cùm increuit, &c.Dal. ) Sequenti autem anno permutata ratione ſemen gignitur, caput ipſum corrumpitur. Ergo omnibus annis ſeparatim ſemen Cæpe cauſa ſeritur, ſeparatim cæpe ſeminis. Seruantur autem optimè in paleis. Gethyum penè ſine capite eſt ceruicis tantùm longæ, & ideò totum in fronde: ſæpiúſque reſecatur, vt Porrum. Ideò & illud ſerunt, non deponunt. Cæterò Cæpas ter foſſo ſolo ſeri iubent, extirpatis radicibus herbarum in iugera denas libras. Intermiſceri Satureiam, quoniam meliùs proueniat. Runcari præterea & ſarriri, ſi non ſæpiùs, quater. Aſcaloniam menſe Februario ſerunt noſtri. Semen Cæparum nigreſcere incipiens, antequam marceſcat ( inareſcant. CH.) metunt.

Quales verò differentias Dioſcorides agnouerit, ex infrà de viribus dicendis mox patebit.

Cæterùm Plutarchus lib. de Iſid. & Oſir. ſcribit Cæpam Ægyptios Peluſiotas auerſari, quòd lachrymas eliciendo, Feſtos dies celebrantibus, moleſta ſit, & excitata ſiti incommoda iis, qui religionis cauſa potu cibóque abſtinent. Præterea quia Lunâ decreſcente vigeat & augeſcat, ſingulíſque diebus flores promat, minutâ verò deponat, & ad eiuſdem vices redeat. Bias à rege Alyatte accerſitus, regiâ fortunâ ſpretâ, illum iuſſit κρόμμυα ἐσθίειν, τουτέστιν οἰμώζειν. Rhod.c.4. Lucil.lib.5. Sat.

*Flebile Cæpe ſimul, lachrymoſæque ordine tallæ*

Sic enim Feſtus vocat interiores Cæparum tunicas. Aui & Ataui, inquit Varro, noſtri cùm Allium & Cæpe verba eorum olerent, tamen optimè animati erant. Tunicatum Cæpe Perſius eleganter vocat Satyr. 4.

*---tunicatum cum ſale mordens Cæpe*

Lucil.lib.6.

*--lippus edendis*
*Acribus aſſiduè fuit Cæpis lacrumoſis.*

In Priapeis

*Acreiſque Cæpas, Alliúmque fibratum.*

Exiſtimat Tragus Cæpas Aſcalonias Theophraſti eſſe Cepas noſtras magnas, Fiſſiles autem & ſteriles, paruas illas eſſe, quæ plantentur & ſemen non proferant, coquiſque in multo vſu ſint, Gethium tandem eſſe Cepas longas, mulieribus germanis dictas Tlarr, quia magis in herbam quàm bulbum excreſcant. Sed mirum cur Tragus ſtatim ſequenti capite aliam tradat cepam ſterilem ſiue fiſſilem.

Cordus vnam deſcribit ſpeciem nomine cæpę ouatæ, Crommos ab Ariſt. dictam, quòd oculorum tunicam pupillámque mordaci vapore lancinando, conniuere contrahíque cogat, lacrymas eliciendo: vnde Latinis Cepa lachrymoſa. Cepa verò à capitis magnitudine.

A Cęſalp. cepa colore rubro, aut candido, figura aliis ſeſſili, atque oblonga deſcribitur.

Matthiol. in Dioſcor. cepam pingit, & aliquot ſpecies recenſet.

Sunt & cepollæ ab Antiquis appellatæ, Cepis quidem maiores, quas vulgus noſtrum ( inquit Carol.Steph.) appellat *des oignonnettes*: Quæ paulò ſunt maiores ferè ſine capite, ceruicis tantùm longę, & à Græcis tantum Gethy nomen acceperunt, puto à noſtris appellatas *des Ciboules*: Marſica ſimplex quæ ab Hermolao deſcribitur, *Vnio*, à ruſticis appellata, eam puto quam noſtri appellauerunt *Oignon*. Cæpa olim, inquit Turnerus, Latinis dicebatur *vnio*, quòd vnica planta ex vnica naſcatur radice.

Dodon.

Dodon.Gall.& Lat.in fol.Figutam habet Lobelii & ſub titulo *Cepa rotunda* deſcribit.

Aduerſ.Lob.& Penæ tradunt aliquot ſpecies Cepæ.

Nos vnicam tantùm proponimus iconem ex noſtris èmptitiis, quæ exprimir tantùm Cepam rotundam,eamq; ſementem ſeménque proferentem maturum.

Sæpiùs obſeruauimus magnas,latas & ſeſſiles: rubras, vt vocant, ac etiam albas: Ex cultura autem & ſoli ratione exiſtimamus potiſſimùm pẽdere, quòd quædam Cæpæ maneant paruæ & rotundiores, quæ frequentiores ſunt,potiſſimùm rubræ,albæ etiam Cepæ ſolent eſſe rariores,quibus adhuc infrequentiores ſunt longæ albæ in Alſatia à nobis viſæ: per longas ſiue ſublongas Cæpas non intelligimus eas, quas Tragus longas vocat Cæpas,& Theophraſti Gethyum, nẽpe quas mulieres Germ.vocant Narr,id eſt ſtultas, quia magis in herbam quàm bulbum excreſcant,eſt enim pulchrum genus particulare oblongarum.

Cepa & Cepe in neutro genere Latinis & officinis, Græcis κρόμμυον διότι τὰς κόρας μύειν ποιεῖ, teſte Athenæo, quòd odoris grauitate nictare nos faciat. Al. Zwibel & Zibel, nonnulliſque Böllen dicuntur, & Zippelen. B.Aynin. G. *Oignon, Siboula* Fuchſ. It.*Cippollo*. Hiſp.*Cebolla*, *Ceba* & *Ceboba*. Arab. *Baßil* & *Baſſal*. Angl. *Onyon*. Boh.*Cybule*. Huug.*Hagyma*.

Cepas obſeruaui Patauii in hortis magnas, Watvvillæ albas longas,vti & alias latas magnas rubras, quas & Montbelgardi ex Nemauſiano ſemine habui. Cæterùm vbique in Italia,Gallia, Germania, Anglia, Vaſconia prouenit, maximéque hortorum cultoribus. Terram autem deſiderat ſolutam,pinguem,vehementer ſubactã, irriguam, ſtercoratam. Seritur Martio aut Aprili in Italia, verùm etiam Ianuario,ac Februario, Palladio autore, vel etiam Nouembri, vt per vniuerſam Tuſciam, teſte Creſcentio, & fit ſuper ipſarum ſeminarium velut pergularium,de aliquibus ſtraminibus coopertum.

Sola quidem in areis ſubinde ſeminatur,quandoque verò cum aliis herbis,veluti Lactuca.Palladius cum Satureia ſeri probat, quoniã meliùs vt Plin.ait proueniat.Plantãtur.a.in areis per vnũ ſemiſſem,vel Spithamam ab inuicem ſeparatæ,& in area quatuor acies poni debent. Quas verò vis ante maturitatem comedere, plantabis in areis vbi ſunt cucurbitæ, cucumeres, citrulli vel melones. Et cum hæ creuerint ſæpè colliguntur, vbi etiam ſi dimittantur, ad maturitatem proueniunt, licèt non ſint ita groſſæ, ſicut hæ, quæ in areis ſolæ plantantur.

Cùm plantari debent reſcindentur radices vſque ad groſſitudinem vnius,vel medii digiti iuxta Cepam,& per vnum digitum tantùm ſub terra mergentur. Hæc enim planta facilè adeò comprehendit, vt ſi ſolummodò ponatur, vel cadat ſuper terram, vel ad partes longinquas portetur, etiam diſcooperta,in terra quaſi arida, dum tamen optimè pulueriʐata, plantetur,ſumma facilitate,naſcatur & augeatur. Sæpè circumfodi deſiderant, & ab herbis quibuſlibet liberari, quod ſi terra eodem anno ſtercorata non fuerit, dibet plantarionis tempore ſtercorari, vt optimè conualeſcat. Collectis autem Cepis maturis, quod patet cùm ſe ſuſtinere non poſſunt & ampliùs non augentur:meliores earum plantantur menſe Auguſto, vt anno ſequenti ſemen faciant: deteriores verò plantantur vt in quadrageſima virides habeantur, mediocres verò ſeruantur, quæ ſi in augumento Lunæ euulſę fuerint claro vel ſicco tempore exiſtente, meliùs ſeruabuntur in in loco obſcuro & ſicco.

*Semen quando legendum. Duratio. Aſſeruatio.*

Floret Iulio potiſſimùm menſe, deinceps ſemen profert, quod non antè legendum, quàm cùm nigrum colorem præ ſe fert. Is enim color maturitatis eſt index. Earum ſemina durant per annum tantùm. Sed in matri ſuſpenſa per triẽnium ſeruantur illæſa. Bulbi verò Vere plantãdi ſunt, à quibus ſemen ſeparatur,quod Auguſto menſe ad perfectionem venit. Nouellæ autem Cepæ exactis meſſibus colligi ac reponi poſtulant. Quod ſi diutiùs Cæpam inueterari [inueterare CH.] libeat, aqua ſalſa tepida capita intingenda (vnguenda CH.) ſunt. Ita diuturniora fient,melioráque vſui,ſed in ſtatu ſterilia. Alii contenti ſunt (fumo.Vet.) primò ſuper prunas ſuſpendiſſe,abundéque ita profici arbitrantur ne germinent. Quod facere Cæpam extra terram quoque certum eſt,& cauliculo acto euaneſcere. His aduerſantur Nuces leniúntque earum ſaporem.

Vires & Vſus. *Vterus. Hippoc.illuſtratur.*

Cepæ (τ' κρομμύου τὴν κεφαλήν) caput purgatum, ex qua tritum in linteum ligatũ,autore Hipp.ſubdito, ſi vterus pituita laboret. Quo in loco κυκλαμίνου τὴν κεφαλὴν rectè legit Cornarius vt vult Fœſius κοιλίης vitioſè Aldina exemplaria: Caluus iſtud omiſit: Vaticana impreſſio, τ' κονδύλου habet vitioſè quoque. Nobis autem placet legi κρομμύου:licet præcedentibus lineis bis Cyclamini meminerit. Pergit Hipp.m.m. Ad pueri aluum ſoluendam, ſi adultior fuerit, Ceparum interiores partes ex melle tritas indito.Ad quem locum pro τὰ ἔξωθεν, τὰ ἔσωθεν cùm Corn legit: Fœſius idem apud Tragum Cepam oculis prodeſſe cõtra omnes Medicos. Cepa longa acrior eſt Dioſcoridi quàm rotunda: item flaua quàm candida,& ſicca quàm viridis, & cruda quàm cocta, aut ſale condita. Omnes tamen mordent, flatus gignũt, appetentiam inuitant, ſitim mouent, ac extenuant, faſtidium pariunt & expurgant, aluo vtiles ſunt: eæ detractis purgamentis in oleum coniectæ, hæmorrhoïdas reliquóſque excretionum exitus reſerant, ſubditæ pro balanis. Succus cum melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur, anginæ eodẽ perunguntur: ſuppreſſos menſes pellit, caput purgat naribus infuſus: canis morſibus cum aceto, ruta, & melle illinitur: cum aceto autem perunctas in ſole vitiligines ſanat; & cum pari ſpodio, ſcabras lippitudines ſedat: varos cum ſale reprimit: contra calceamentorum, attritus cum gallinaceo adipe vtilis eſt: citæ aluo prodeſt & in auribus ſonitum ac grauitatem emendat:ad purulentas aures & eliciẽdam earundem aquam valet: alopeciæ earum ſucco perfricantur, qui celerius quàm halcyonium pilos euocat: largiore cibo Cepa capitis dolores ciet, coctáque vehementiùs vrinam pellit: eos lethargicos effi cit,qui valetudinibus aduerſis,eâ etiam cocta,plus æquo veſcantur: elixa & cum Vuis paſſis & Ficu illita, tubercula concoquit, & celerrimè rumpit. Galenus ex quarto cenſet eſſe ordine excalfacientium, etſi eſſentia eius potiùs craſſarum ſit partium:vnde etiam hæmorrhoidas aperit, tum appoſita, tum cum aceto inuncta, alphos abſtergit, tum alopeciis attrita pilos alcyonio citiùs reſtituit. Porrò ſi ſuccum eius exprimas,quod reliquum eſt, admodum terreæ ſubſtantiæ eſt, eiúſque calidæ: at ſuccus aqueæ aëreæque caliditatis. Hic igitur iis qui ſuf-

*Ad aluum ſoluendam. Hippoc nót: Vires ex Dioſc. Hæmorrhoidæ. Oculorum morbi. Angina. Menſes. Canum morſus. Vitiligines. Lippitudo. Calceamẽtorum attritus. Aurium dolor. Alopecia. Cæparum noxa. Temperã. Galeno. Hæmorrhoida. Alphi. Alopecia.*

fuſi ſunt, aut aciem oculorum obtuſum præ craſſitudine humorum obtinent, inunctus prodeſt: atque ex huius temperatura tota Cæpa flatuoſa eſt manducata.

*Vlcera oris. Canis morſus.*

Olfactu ipſo (inquit Plinius) & delachrymatione, caligini medentur, magis verò ſucci inunctione: ſomnum etiam facere traduntur, & vlcera oris ſanare, commanducatæ cum pane. Et canis morſus virides ex aceto illitæ, aut ſiccæ cum melle & vino, ita vt poſt diem tertium ſoluantur. Sic & attrita ſanant. Ita vetus Codex, ſed vulgati, tritæ falsò pro attrita habent. Coctam in cinere & *Epiphora. Vlcera genitalium. Oculi.* epiphoris multi impoſuere cum farina hordeacea, & genitalium vlceribus. Succo & cicatrices oculorum, & albugines & argema inunxere: & ſerpentium morſus, & omnia hulcera (vulnera CH.) cum melle. Item auricularum cum lacte mulierum: & in iiſdem ſonitum ac grauitatem emendantes, cum adipe anſerino, aut cum melle *Aqua.* ſtillauêre (inſtillauêre Dal.) & ex aqua bibendum dedêre repentè obmuteſcentibus. In dolore *Dolor dentium.* quoque ad dentes colluendos inſtillauêre, & plagis beſtiarum omnium, priuatim ſcorpionum A- *Pſora. Dyſenteria. Lumborum dolor.* lopecias fricuêre & pſoras tuſis cæpis. Coctas dyſentericis veſcendas dedêre & contra lumborum dolores, purgamenta quoque earum cremata in cinerem illinentes ex aceto ſerpentium morſibus, ipſáſque multipedæ ex aceto. Reliqua inter medicos mira diuerſitas. Proximi inutilia (inutiles Vet.) eſſe præcordiis & concoctioni, inflationémque & ſitim facere dixerunt. Aſclepiadis ſchola, ad colorem quoque validum (viuidum. Vet. pallidum Aliud.) profici hoc cibo. Et ſi ieiuni quotidie edant, firmitatem valetudinis cuſtodiri, ſtomacho vtilia eſſe, ſpiritus agitatione, ventrem molire, hæmorrhoidas pellere ſubditas pro balanis: ſuccum cum ſucco fœniculi *Hydrops. Angina.* contra incipientes hydropiſes mirè proficere. Item contra anginas, cum Ruta & melle. Excitari eiſdem lithargicos. Varro, quæ ſale, & aceto piſta eſt arefactáque vermiculis non infeſtari, autor eſt.

*Cautio.*

Cæterùm, ab omnibus in cibo abſtinendum, maximè ſi cui bilioſior ſit natura: quum ſolis his qui pituitoſum, aut crudum, & craſſum ac viſcoſum humorem collegerunt, eiuſmodi edulia *Dioſc. explicatur.* conueniant. Porrò quod Dioſc. dixit, κέρμμα ὀρέξεως ἐκκλητικά, id eſt, Cepas appetentiam cibi excitare: & mox eadem ἀσώδη eſſe, id eſt nauſeam parere: ita intelligendum eſt, vt prius de moderato, poſterius de nimio ipſarum vſu accipiamus. Sunt autem duplices ἀσώδεις, alteri nauſeabundi, alteri anxij, & nullam decubitûs formam facilè ferentes, admodum perniciosè affecti.

Cæpa (inquit Porta) purpureo flore eſu atram bilem auget, albiflora pituitam medicamento purgat, vmbellifera ad capillos facit teſtes, oſtendunt ad Venerem valere, caule eſt cano, ad tracheam, & fluxus: ſoboleſcit ad fœcunditatem: tumida eſt, ad tumores: alba dulcis, rubra acris, calida, & humida. Sed hæc qui volet experiatur.

*Aer infectus.*

Qui operas exercent, manè cepam crudam cum ſale & pane theriacæ loco eſitare ſolent aduerſus aërem infectum, perſuadentes ſibi, eo die tutos à peſtifera lue fore, qui hoc remedio vſi fuerint, nec illos ſpes fallit, ſiquidem experientia conſtat aduerſus intemperiem aëris vt nihil vulgarius, ita neque efficacius quicquam hac theriaca reperiri: at qui laboribus ac eiuſmodi cibo *Nota.* minùs aſſueti fuerint, nihil illo iuuantur, ſed læduntur potiùs, vt qui inſaniam, dolores capitis, caliginem oculorum, mentis alienationem, ac turbationem, nec non lethargicum morbum gignat. Cæpæ continuò vſurpatæ in cibo aluum emolliunt, vrinam cient, pellúntque. Aniculæ noſtræ crudam cepam conſcindunt, ac in aquam fontanam iniiciunt, pérque noctem in ea macerant, poſtea eam aquam pueris & infantibus potandam exhibent ad eiiciendos ventris lumbricos, ſanè haud infœlici ſucceſſu. Continuo cæpæ vſu genitale ſemen augetur, ad eam verò rem vel maximè ſemen facit. Cepa magna excauata, theriaca deinde repleta & tecta, ac poſtea in calidiſſimo cinere aſſata, demum detractis exterioribus tunicis fuſa, ac cataplaſmatis ritu impoſita, peſtes ac venenoſa vlcera reliquáſque collectiones malas & duritias efficaciſſimè emollit ac aperit. Cepa vt vult Holerius coquit, trahit, diſcutit, aperit. Quærit Langius, propter quod aduſtiones calido ſedantur & ſubſiſtant? & calidum impediat veſicas efferueſcere? Anne imbecille à robuſtiori corrumpitur & marceſcit? Et verum id eſſe comperi, inquit Langius cùm loco aduſto philuræ cepæ ſub cineribus coctæ tepidæ applicantur, aut ſuccus cepæ expreſſus linteolis exceptus adhibetur, impediri ne veſicæ efferueſcant. Ambroſius Paræus ad ambuſta, modò ne epidermide pars ſit ſpoliata vel vlcerata, mirè commendat cæpas crudas cortice liberatas, & cum momento ſalis ſubitò applicatas, empyreuma enim extrahere, veſiculas prohibere. Hoc remedij genus contra calumnias fuſè tum rationibus, tum experientià defendit lib. 12. c. 1°. ſuæ Chirurgiæ, id quod etiam confirmat Fernelius methodi lib. 6. cap. 26. ſcribens: cæpas cum ſale contuſas parti impoſitas ambuſta miraculo ſanare. Scribit prætereà Paręus ſe vidiſſe nobilem excipientem ſupra manus liqueſcens inflammatum lardum illitis priùs manibus cæparum ſucco.

Io. de monte in exper. Sume, inquit, cępas quinque vel ſex, conſcinde optimè, coque in ſartagine cum butyro addito ſale, cùm voles te in lectum componere, comede omnes calidas, manè eundem cibum aſſume, id fac per quatuor dies & noctes, in hydrope mira videbis.

Verùm ad calculum remedium à Domino Caertiſchin duce militari in Iula, communicatum Domino Lazaro à Schuuendi: Ollam nouam accipe, reple cæpis rubris conciſis, affunde aquam, coque: ſuper ollam ſedens calidum vaporem recipe per horam manè & veſperi.

Marantha meminit nonnullos, Dioſcoridem ſæpiùs reprehendentes, quòd cepam ſcripſerit capitis dolorem inducere, quia hanc, quandoque comederint, & tamen caput non doluerit. Sed ſciant Dioſcoridem velle cepam hunc effectum edere, largiùs & frequentiùs cibo vſurpatam. Ad Alopeciam poſt fotus inunctiones præſcribit Fernelius vt manè & veſperi caput confricetur cæpis contuſis, dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis.

Ad vermes puerorum trium annorum exhibet M. Rolandus in potu decoctionem cæparum. Item alibi puero 8. annorum laboranti vermibus, ventris tumore & dolore, febre & ictero.

Felice Platero ſcribente, tempore peſtis ad præcautionem ceparum ſuccus variis modis exhibetur. Calor ignis in aſpectum producit literas ſcriptas ſucco cepæ priùs deliteſcentes.

Ad tollendos fœtores anhelitûs, prouenientes, à cibis quibuſdā Thomas Morus cæpas cōmendat:

Sectile

*Sectile ne tetros Porrum tibi ſpiret odores,*
*Protinus à Porro fac mihi Cepe veres.*

An porrò Cæpæ flatus excitent, & an in febri peſtilentiali laudentur in cibis ad præſeruationem, legantur Io. Matthæi verba poſita capite de Allio.

Sed hîc quæri ſolet, cur Cepæ lachrymas cieant? Reſpondet Cardanus de varietate rerum, non ob acrimoniam, quia nec Allium, nec Piper, cùm ſint acriora. Oleum illitum cit lachrymas, non niſi quia lentum ſit, at Cepa quia acris, oculos ferit: quia lenta, humorem educit. Quid igitur lentor facit (nam hoc de Cepis à Rhodigino ſcribitur) vt lachrymas cieat? Quia oculus multos habet ſpiritus, vnde ex eo multa perpetuò fit reſolutio, quæ cùm impeditur, aut nimis properè prouenit, aut cogitur, lachryma prodit: impeditur a lentis, cogitur à frigore, properè exit vel ob gaudium, vel ob dolorem, vel ob æſtum cerebri: atque his omnibus cauſis oculi lachrymantur.

Cæpas tandem comedere inter dormiendum, ſi Artemidoro credimus, non eſt bonum, manibus verò has geſtare non eſt malum. Ipſis tantùm ægris ſignificant hæ radices duplicia: Si quis enim ægrotus ſomniet, ſe multùm Cæparũ abſumere, grauitérque decumbere, is ſaluus euadit, à ſuóque morbo liberatur. Sin autem parũ edat, mortem ipſi affore præſagit. Qui enim moriuntur parum plorant. Mœſti verò non ita confeſtim doloris ſui obliuiſcuntur, ideóque ipſis ſæpiùs flere contingit, longiòréque tempore. Huius autem rei ratio naturalis cùm nulla ſit, eius dignitatem inter Græculas vanitates meritò reponimus.

## CEPA ASCALONICA, SIVE FISSILIS.



PLures ſimul coniũctos *bulbos*, Porraceis mediocribus ſuppares, oblongos, fibroſos habet, ſapore Cepæ vulgaris: *folia* exeunt fiſtuloſa, teretia, glabra, eodem ſapore prædita.

Hanc Tragus pingit & deſcribit, ni fallor, dicens: Cepa in Alſatia, Leuchel & Eſleuchen appellata eſt ea, quæ Apicio *Cepulla* vocata fuit, Theophraſt. verò ſterilis vel fiſſilis.

Geſner. horti. *Cepa ſterilis, fiſſilis* vel *Aſcalonia quorundam.*

Eſcalotas autem Gallicas, Antiquorum Aſcalonitides ſiue Paleſtinas Cæpas arbitrantur Aduerſ. quas Francigenæ *Apperitz* vocitant. Bulbus fortè eſt Setanius, quem Theophraſt. & Plinius Cæpæ genus quoddam teſtantur. Lob. Obſ. ſcribit Cepam Aſcalonitidem vocari Angl. Scalyon. Icon. pl. Aſcalonitides Antiquorum. Promptum eſt colligere ex Theoph. Turnero, quam ille vocat Cepam fiſſilem, & Græci Crommyon ſchiſton, eam eſſe quàm Angli vocant Hollecke / Germ. Seré aut Siere / in Friſia Sucrley, quod idem ex Plinio confirmari poteſt lib. 19. cap. 6. Nam Cepæ eis Holleckes appellatæ eius ſunt naturæ, vt ſi vna ſeorſim pangatur, breui ex eadem radice multæ propagentur, ſine ſatu: ſique ex racematim cohærentibus (ad 12.) radicibus vnã Autumno detractam depangas ſolam, ea ſequenti anno duodecim tibi pariet, ſi lætum ſit ſolum. Quare cùm planta hæc hyemem in terra perferat, ſatiùs eſſet Angl. winter onyon cepam hybernam quàm Hollecke nominare. Diſtinguit etiã manifeſtè Plinius Aſcaloniam & Fiſſilem. Ex cuius verbis colligimus, vnum ceperam genus radice fœcundum eſſe: ſed cùm nec cepa vulgaris, nec Aſcalonia, radicibus propagetur, neque alia vlla ſpecies, præter Hollecke, ſequitur hanc eſſe cepam fiſſilem.

*Cepa Aſcalonica natura.* *Cepa hybernа.*

Cepam fiſſilem ſiue Aſcalonicam tranſtuli in Hortum E.C. collectam Beffordiæ in horto N. viri piæ memoriæ Ioh. Vldarici à Stadione, & ex Tremoyn, ex horto N. viri Michaëlis à Franckmont, quos audiui vocãtes S. Jacobs Zwiblin. Lugduni & Geneuæ habui cepas quas quidem vocant *ciboll tes*, multæ ſimul iunguntur paruæ longæ, folia fiſtuloſa vt in cepis capitatis. Cæpæ Aſcalonitides Hyemem Gœpingæ in horto Ill. E. C. perferebant. *Locus.*

## PORRVM. Cap. II.



CÆPIS porrò Porra propter affinitatem coniungi deſiderant: adoleſcẽtiùs enim adhuc Porrum *folijs* luxuriat ſemunciã circiter latis, alternatim poſitis, inferiore ſuperius ceu vaginâ aliquouſque complectente: adultis idem poſitus, ſed longitudo cubitalis, latitudo ſextantalis, forma carinata, color ferè glaucus, ſapor Cepaceus. Vbi cauleſcit, *ſcapum* digitalem & craſſiorem ad tres quatuórue cubitos ſurrigit, ſolidum, ſucculentum, glomeratos in pilam, quàm vtraque manu vix complectaris, flo-

*Deſcriptio.* *Folia.* *Color.* *Scapus.* *Floſculi.*

ex craſſiore tritici farina decoquit,oleóque inſuſculos ſuſtinentem, ſuo vnumquemque pediculo innixum,ex albido purpuraſcentem,apicibus ſaturiore tinctis purpura. *Semen* triangulum,atrum, Cepæ: *radix* bulboſa, tunicis albis compactilis, fibrata,ſapore mitiore,quàm Cepæ.

*Semen. Radix. Icones. An Scorodopraſſum Dioſc.Tragi.*

Porri icones duæ ſunt ex noſtris empritiis.Huius iconem ponit Tragus,ni plurimùm fallimur lib.2.cap.68.pro Scorodopraſſo Dioſcoridis.Deſcriptionem autem ponit cap.70. Notandum tamen prope radicem ſiue Bulbum Scorodopraſſi Tragi,appictos nucleos,qui ſũt allii. Scimus aliud ſentire Geſnerum , & ad aliam plantam referre: nec tamen propterea dimouemur à noſtra opinione, quia Tragus nullibi meminit porri: deſcriptio etiam Tragi optimè reſpondet noſtro Porro,quę eſt cap.70.vbi hęc in verba prorumpit: Mediomatrices mulierculæ in hortis Allii genus quoddã plantare conſueuerũt,quod radice,foliis, & caule per omnia vulgare Allium æmulatur,niſi quòd radix huius nequaquam vt illius multiplici nucleo coagmẽtatur,Quanquã autẽ lachrymas eliciat, non tamen tam feruentis & acris eſt ſaporis atque Allium,quin potiùs ad Cepam, quod ad odorem attinet,accedere videtur. Quò verò faciliùs à vulgari Allio Scorrodopraſon diſcerni queat,notandum eſt hoc latiora folia,& grandiores caules fundere, deinde quotannis nigro prægnante ſemine,quod in cacumine fiſtuloſi caulis profert, non aliter atque Cepa. Radix, nec non herba huius plantæ Allio reſpondent, ſed odor ac ſemen Cæpam repræſentant , quare illi natura ineſt promiſcua,Allii inquam & Cepæ, quo nomine à Dioſcoride σκοροδόπρασον,hoc eſt,Allioporrum[ſi ita liceat dicere] vocauit,Germani Aberknoblauch dicunt: poſſet & Großlauch/ hoc eſt, Porrum grande,dici. Ego ſanè hoc Allii genus id eſſe exiſtimo,quod Veteres *Vlpicum, Gallicum, Cyprium,Biticum,Antiſcorodon,Aphroſcorodon,&Punicum* vocauere.

*Natura. Allioporrũ. Allium Vlpicum,Gallicum, Cyprium, Biticum, Antiſcorodon, Aphroſcorodon,& Punicum.*

Dioſc.duorum generum meminit, duobus diuerſis cap. Plinius tria facit. Theophr. vnius meminit.quod nec κεφαλωτὸν ſit,nec ἀμπελόπρασον.Quare apud Theoph tria quoque ſunt genera.1. πράσον κεφάλωτον, lat. Porrum capitatum. Angl. Leke ſimpliciter. Germ. lauch, de quo in præſentia. 2. Porrum ſectiuum. Græc. πράσον κειρόμενον, vt quidam volunt, Angl. frenche leke/ quod genus non niſi in Anglia vidit Turn. de quo mox. 3. Ἀμπελόπρασον, Porrum vineale Germ. Wildlauch. Vnde Anglicè dicere poſſet Wild leke.Cuiuſmodi nunquam vidit Turn.copioſius & pulchrius quàm circa Wormaciam. Quod frequenter reſecatur & attondetur, Porrum ſectiuum ſiue ſectile Columellæ ac Palladio nominatur: Sed quod non reſecatur Porrum capitatum eſt: Græcis πράσον κεφάλωτον. Iſtud autem Diphilus apud Athenæum vocari ait γηθυλλίδα : à nonnullis verò & γήθυον dici.Gethyum autem Plinius Cæpæ ſpeciem facit, &Theoph.frequenter veluti Porrũ attonderi tradit.DePorro capitato ita cecinit Martial.Poëta:

*Porri genera Turner. Porrum. Capitum. Sectiuum. Ampeloproſſum.*

*Gythyllis Diphilo.*

*Mittit præcipuos nemoralis Aricia Porros:*
*In niueo virides ſtipite cerne comas.*

Porri duo genera ſunt hodie omnibus vbique ferè cognita:Sectiuum vnum, & alterum capitatum: Vocat autem capitatum quod in caput increſcat Cornarius.

*Porri genera Corn.*

Matth.pingit, ac dicit Porros Hortorum cultores neſcire capitatos efficere Cæpatum inſtar, quamuis ii apud Veteres in frequentiſſimo vſu fuerint,quòd longis qui propriè ſectiui appellantur, ſapidiores ſint: De his autem tanquam præſtantioribus ſcripſiſſe Dioſc. non tamen quòd à ſectiuis genere differant,è quibus mangonio capitati fiunt: ac Porrum Capitatum & Sectiuum genere non differre , ſed mangonio: capitatum autem è Sectiuo,ſiue longo,fieri, ſubſtratã tegulâ in tranſplantatione, reſectis priùs foliis,annotat. Eum autem mirari ſubit,cur mangonium adſcribat,ſiquidem hortorum cultores, vt ipſe fatetur, capitatos efficere neſciant: fruſtra docet, quod fieri nequit. Quid ſi Matth. ſibi conſcius diligentioribus ſe naturæ indagatoribus inuidioſè negauit?

Πράσον & πράσον κεφαλωτὸν,*Porrum*,&*Porrum capitum* & Palladio maſculino genere,*Porrus* dicitur, Arab.*Curat*,ſeu *Kurat*,Germ.lauch. Belg.paraye/ looch/Gall.*Pourreau* vel *pourrot*,Ital.*Porro capitato* , *Praſ*. Hiſp.*Puerro*. Angl.leeke. Boh. Por/& Woſelegch.Hung.par Hagyma.

Monſpelii maxima habent, vt & Patauii, Porra: Geneuæ & alibi copioſè ſerunt,ad hybernum vſum:Montbelgardi, vbi frequens eius vſus ſerunt, tranſplantant, & reponunt hyeme edendum. Floret & Iulio. De cætero, Porri ſuſtinent ferè omnem aërem,& terram deſiderant mediocriter ſolutam,vt optimè proficiant,& pinguem, & ſtercoratam.Seruntur autem in locis calidis & temperatis menſe Decembri & Ianuario : Februario & Martio in temperatis & frigidis cùm terra fuerit ad æqualitatem redacta. Hæc autem ſatio fit aut ſola , aut in aliis herbis mixtim , in terra optimè culta & deſuper lætamine cooperta.Hęc ſemina ſunt ſpiſſa ſpargendo, deinde euelluntur Porri graſſiores; primò nec auferetur aliquid de ipſarum radicibus,cùm ſulcis plantantur,ſed quando cum palis debent plantari , abſcinduntur radices & ſummitas foliorum , & plantantur menſe Aprili & Maio per totum menſem Iunii , ſed plantari poſſunt menſe Iulio, Auguſto , Septembri & Octobri, & erunt vtiles in ſequenti menſe Martio , & Aprili. Nec in plantatione Porrorum quærenda eſt mollis terra , ſed mediocris eſt optima , & ſatis bona eſt illa quæ fuerit , ferè ſicca. Fit autem duobus modis Porrorum plantatio , vno modo ſubtilis , vt Bononiæ moris eſt,vt ſcilicet per vnam completam ſpithamam vnus ſulcus ab altero diſtet,& ſint ab inuicem in ſulco iacentes poſiti quaternis ſeparati digitis,& cùm ſequentis ſulci terra trahitur ſuper Porros & pedibus molliter conculcatur. Secundo autem modo palo plantantur, ſcilicet vt optimè paſtinatis & diſpoſitis areis fiant foramina cum palo groſſo , ferè vt lancea,& concaua per vnam ſpithamam,& vltra vno ſemiſſe diſtantia, in quibus ponuntur præparatæ porrectæ,foramina verò replentur,aut quicquid terræ in eis ponitur,ſed elapſis tribus ſeptimanis cùm herba in eis naſcitur ſarculantur , & herbis mundantur.Porri autem ſic plantati ſunt meliores aliis,nec poſſunt facilè furtim euelli,ſed hic modus magis laborioſus exiſtit.Item hoc modo plantatur optimè inter Cepas iam quaſi groſſas,& euulſis Cæpis ſarculantur & inueniuntur optimè prouenire : cùm euellentur, aliqui in vno loco relinquentur,vt pro ſeminibus reſeruentur. Cuius quidem ſemina poſſunt per triennium illæſa ſuſpenſa ſeruari.

Hippocratis loci multi ſunt , in quibus Porri vſum præſcribit, quorum aliquos hîc adſcribere ſuperuacuum non eſt. Is igitur m.m. Si lac deficiat Porra trita & aqua macerata potui exhibet. Item ſi ex partu vteri inflammationem conceperint, vmbilici Veneris folia & Porra[πράσα] per

per affuſo exhibet. Ego nolim præſcribere Porrum in prædicto affectu, nec etiam ad fluentem ſanguinem, ſiue ex vtero, ſiue ex naribus. Idem ſi purgatione opus habere videatur, Porrum (πράσα) incoquere iubet, quo in loco Fœſius notat in fine lib. 2. περὶ γυναικ. Porri ſuccum addi. Adhæc ſi vteros expurgare animus eſt: Porri & Cardamomi ſemen conterit ex vino & lacte coctoque maceratum, ac imo ventri illinit. Linimentum componit aliud ex Laſeris drachmæ vnius quantitate & ſucci Porri. At ſi purpurea in grumos concreſcant, & dolor in infimo ventre oboriatur, Porra certa exhibet. In potione ad fluorē muliebrem Porri [πράσα, πρασιν Caluus] ſuccum ex vino albo aqua temperato, propinat. Quod etiam fluentem ex naribus ſanguinem ſedare dicit: quod ſi adhuc fluxus feratur ex vino Porri ſuccum exhibet. Si vterus vſque ad veſicam doleat, ſemen ex aqua tritum bibendum præcipit.

Porrum capitatū, inquit Dioſc. flatuoſum eſt, & mali ſucci, grauia ſomnia facit, vrinam ciet, aluo commodum eſt, attenuat, viſus hebetudinē inducit, menſes detrahit, veſicam vlceratam & renes lædit. Coctum autem cum ptiſana, & in cibo acceptum, quæ in thorace hærent, educit. At coma ipſius in aqua marina & aceto cocta, ad inſeſſus commoda eſt, in vteri concluſione & duritia. Edulcatur & magis flatus exors euadit, duabus in aqua coctu ris, & in frigida aqua maceratum. Semen [ὁ καρπὸς] eius acrius eſt, & vim quandam adſtringentem habet. Vnde ſuccus ipſius ſanguinem ſiſtit cum aceto, & maximè eum qui è naribus fertur, manna aut thure addito, [eis ſc. qui frigidæ ſunt naturæ, Creſc.] Venerē ita ſtimulat, & ad ōnia in thorace vitia cū melle pro eclegmate vſurpatur. Facit & ad tabē in cibo acceptū. Sed & arteriam purgat. Verùm ſi aſſiduè edatur, viſum obſcurat, & ſtomacho incommodum eſt. Succus cum melle potus, aduerſus venenatarum beſtiarum morſus opitulatur. Sed & ipſum Porrum impoſitum prodeſt. Auxiliatur etiam aurium dolori & ſonitui, ſuccus cum aceto & thure & lacte aut roſaceo inſtillatus. Tollūt varos folia cum rhoë obſoniorum impoſita, & epinictidas ſanant, cruſtáſque cum ſale impoſita emarginant. Cæterùm ſeminis drachmæ duę, cum æquali baccarum myrti pondere potæ, veteres ſanguinis è thorace eductiones cohibent.

Meminit Maranth. nonnullos Dioſcoridem ſæpiùs repræhendere quòd Porri ſemen in cibis viſûs obſcuritatem inducere ſcripſerit, quia hoc quandoque comederint, & tamen viſus hebes factus non ſit. Sed non animaduerterunt boni viri Dioſc. velle hunc effectum produci largiori & frequenti cibo eſitatum.

Plinio autore, Porro capitato maior eſt ad eadem effectus quàm ſectiuo: Sanguinem autem reiicientibus ſuccus eius particulatim cum galla, aut thuris farina, vel acacia datur. Hippocrates & ſine alia mixtura dari iubet, vuluáſque cōtractas aperiri putat: fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri. Contritum ex melle vlcera purgat. Tuſſim & deſtillationes thoracis, pulmonis & arteriæ vitia ſanat, datum in ſorbitione ptiſanæ, vel crudum præter capita, ſine pane, ita vt alternis diebus ſumatur, vel ſi purulenta excreentur. Sic & voci, vel Veneri, ſomnóque multùm confert. Capita bis aqua mutata cocta, aluum ſiſtunt, & inflationes veteres. Hæc *Plinius* in veteri codice legit, & ita vulgatus Macri libellus citat. Vulgata tamen Plinii exemplaria caule pro galla falsò habent.

Galen. 2. de aliment. vbi de cepis, allio, ac Porro agit, harū plantarum radices, inquit, edunt ſępè homines, ſed caulem rarò, itémque folia, quę multùm acrem vim ſimilem habent. Calefaciunt autem corpus, & craſſos in ipſo humores attenuant, & viſcoſos ſecant. Bis tamen aut ter cocta, acrimoniam deponunt, attenuant tamen adhuc, & pauciſſimum alimentum corpori præbent. Sed ad pleniorem Porri doctrinam ſcire conuenit, quod Porrus calidus & ſiccus eſt in tertio gradu, ſecūdum cibum illaudabilis eſt, nocet enim ſtomacho, faciens inflationem ac ventoſitatem, & cum ſui acumine neruos eius mordet, habet etiam proprietatem faciendi fumum nigrum melancholiæ generatiuum, qui ad caput ſaliens viſui tenebroſitatem facit, atque ſomnia terribilia & formidoloſa inducit, vnde caueant ab ipſo cholerici, maniaci, & oppilationem in capite habentes. Sed diligentes eos comedere accipiant poſt eos lactucas, & Portulacas, Endiuias, & ſimilia, vt eorum calor temperetur ab iſtis, aut elixentur, deinde bis aut ter lauentur, & eſui poſtea dentur.

*Tempera. Galeni.*

*Noxa Stomachō nocet. Neruis inimica. Viſum hebetat. Quibus cauendum à Porris. Corrigentia.*

Bapt. Codronchius de vitiis vocis ex auctoritate Ariſt. lib. 11. prob. 39. maximè laudat vnà cum Plinio & Dioſcor. Porrum, eò quòd voci ſplendorem adferat & arteriam purget, vitari tamen debet aſſiduus vel multus illius vſus, qui viſus obſcuritatem efficit, ſtomacho aduerſatur, multáque alia incommoda facit, ea propter niſi robuſtis admodum, decoctumque cum melle vel in ptiſana, erit exibendum.

*Vocem iuuat*

Apoll. tribuit ei temperamentum frigidum ac venenatam naturam, ac dicit à nemine edendum, nihilominus tamen commendat in febribus. Sed vtrumque præter omnem rationem. Nonnulli accipiunt (vt Holeriana ſchola probat) Porros nouem aut decem recentes, medios transfigūt filo, folia extrema amputant, vt odorem inſpirēt. circūdant collo obuerſis foliis naribus, & deorſum verſis capitibus. Malim vti qualitate manifeſta operantibus, quàm hoc in quo qualitates repugnant, in Porro enim inſignis caliditas & acrimonia extenuans, ſine vlla aſtrictione: odor etiam caput grauans, videntur potiùs ad mouendum ſanguinem, quàm ad reprimendum facere.

*Apollo reprehenditur.*

*Exploditur quorundā opinio.*

Tradit Alb. Magnus dici in libris Hermetis, quando proiiciatur ſemen Porri ſuper Acetū, redire accoſitatem eius. Creſcentius contrà vt acetum mutetur in vinum in eum ſemen Porri emittit.

*Acetum reſtituit.*

Diligenter notandum eſt Ambroſiū Paræum vti cauliculo Porri inuncto oleo ad deturbandam ſpinam aut oſſiculum hærens in faucibus, vt videre eſt lib. 17. de operat. chirur. c. 24.

*Spina.*

Remedium optimum ad lumbricos, credit Timot. Roſſ. Si folia Porri applicentur regioni vētriculi, æger interea ſedeat in lacte tepido vel aqua mellita.

*Lumbrici.*

---

## PORRVM SECTIVVM ET SCHOENOpraſſon quibuſdam.

Conſertim in faſciculos plures naſcuntur huius plantulæ, implexu mutuo cohærentibus bulbillis albis, odoris Cæpacei, quo etiam prædita ſunt iuncea *folia* fiſtuloſa, Cepæ adoleſcentis: ſeſquipalmum aut dodrantem etiam alta, *flores* ex vtriculo albido vmbellatim prodeūt, quorum ſinguli, foliis conſtant ſenis acuminatis,

*Deſcriptio. Odor. Folia. Flores.*



colore dilutè purpureo, ſtria ſaturatiore medium folium percurrente; ſtamina albida apicibus flori concoloribus.

*Nomina & Synon. Cepa minima.*

Porrum ſectiuum Tragi, minimum eſt Cepæ genus. Quod verò illi in magnitudine deeſt, hoc numero reſarcit. Siquidem vna planta ducentis nonnunquam cõpactis Cepulis conſtat, ita tamen vt à ſe mutuò diuelli, & ſingulæ pargi, aut plures coniunctim plantari poſſint, & fœliciori quidem ſucceſſu: plures namque coniunctæ, terræque inſertæ, hyemis frigora facilè ferunt. Eæ appetente Februario rotunda, fiſtuloſa, & viridia proferunt foliola, minimis Iuncis ſimilia, eademque copioſa & frequentia, quæ Maio menſe aduentante, capitulatis, & purpureis floribus inſtar Cepæ ſatiuæ in cacumine emicant. Sunt qui *Porrum ſectile* eſſe exiſtimant, quorum iudicio ipſe ſubſcribit. Serapio Porrum *Curat*, vocat, Hebræi quidam *Kereſin* appellare videntur. Porrum ſectiuum, Græcis πράσον τὸ κειρόμενον noſtris [inquit Cornarius] Schnit lauch & biſtlauch appellatum, eò quòd coma frondens adhuc ad terram vſque reſecari ſolet, & in cibaria ac obſonia addi. Nouit & hoc Martialis Poëta qui de eo ſic ait in Aeneis:

*Tempus.*

*Porrum ſectile. Curat ſera, ſoni.*

*Sectiuum cur dictū.*

*Fila Tarentini grauiter redolentia Porri*
*Ediſti quoties, oſcula clauſa dato.*

Schœnopraſſum Dodonæi gall. deſtituitur nomine Græco & Latino. Porrum ſectiuum (quod à Dodonæo Schœnopraſſum ficto nomine, & inferioribus Germanicis Bieſloock, aliis brißlauch vocatur ] Geſner. horti Gethyllidem appellauit, quam Nicandri ſcholiaſtes Ceparum genus eſſe dicit. Carolus Steph. Ruellium ſecutus Gethyon Theophraſti interpretatur Porretam vulgò à Gallis dictam & Ciuetam, qua Portaginem & Cæpulam hoc eſt Porrum ſectiuum à Germanis vulgò dictum deſignant, idqne in agro: Idem in horto: Bulbi genus, inquit, vulgus noſtrum vocat *des Porrettes*, vel *Oiggonettes.*

*Gethylles. Cepa Gethyum.*

Auerſ. Schoenopraſſum, Germ. bintzenlauch nominant, non Brißlauch: quam perperàm Commentatur Theophr. Aſcalonitidem ſiue Paleſtinam dicit.

*Aſcalonitis Paleſtina.*

Lobel. Obſ. & Icon. pl. Schœnopraſſon, Aſcalonica Matthioli.

Lonic. *Porrum ſectiuum, Porrum Tarentinum.*

Pars maxima Herbariorum Germaniæ, docet noſtrum Cyue (Turneri verba ſunt) ſeu Germanorum Schnitlauch eſſe Porrum Sectiuum, longè tamen falluntur: ſiquidem illorum Schnitlauch Gethium eſt, inter Cepas à Plinio recenſiſitum, non igitur Porri genus eſt. Vt enim omnia Ceparum genera fiſtuloſa habent folia: ita Porri genera folio ſunt plano carinato.

Porrum ſectiuum non niſi vbique obuium.

*Locus.*

Porrum Sectiuum, ait *Plinius* lib. 20. c. 6. profluuia ſanguinis ſiſtit in naribus, contrito eo obturatis, vel gallæ miſto, aut mentæ: Item ex abortu profluuia, poto ſucco cum lactè mulierum. Tuſſi etiam veteri ac pectoris & pulmonis vitiis medetur. Illitis foliis ſanantur & ambuſta, & epinyctides: ita vocatur hulcus, hulcus aciem habetans & in ang. Alii. Certè in M. hæc verba, quæ & ſyce, deſunt. ] quæ & ſyce, in angulo oculi, perpetuo humore manans. Quidam eo nomine appellant puſtulas liuentes, ac noctibus inquietantes. Et alia hulcera cum melle trito. Vel beſtiarum morſus ex aceto: item ſerpentium. Aurium verò uitia cum felle caprino, vel pari menſura mulſi: ſtridores cum lacte mulieris, capitis dolores ſi in nare fundatur: dormituriſue in aurem duobus ſucci cohlearibus, vno mellis. Succus & ad ſerpentium ſcorpionumque ictus (potus. CH.) bibitur cum mero, & ad lumborum dolores cum vini hemina potus. Sanguinem verò excreantibus & phthiſicis, deſtillationibus lõgis, vel ſuccus, vel ex ipſo cibus prodeſt. Item morbo regio, vel hydropicis. Et ad renum dolores, cum ptiſanæ ſucco acetabuli menſura, Idem modus cum melle vuluas purgat. Eſtur verò & contra fungorum venena: imponitur & vulneribus. Venerem ſtimulat: ſitim ſedat, ebrietates diſcutit. Sed oculorum aciem hebetare traditur: inflationem quoque facere, quæ tamen ſtomacho non noceat, ventremque [mollire εὐκοίλιον. Dioſc.] mollire: Voci ſplendorem affert. Eius frequens vſus eſt verno tempore in cibis, vt acetariis & iuſculis, eo modo quo iuniores Cæpæ: hinc Tragus ait, in noſtris regionibus, id eſt, Germania, Porri ſectiui verno tempore dũ aliæ Culinariæ herbæ adoleſcant, ad placẽtas quas Pfannenkuchen appellãt, vtuntur. Guſtu Cæpã refert, ſed remiſſiore ſapore præditũ, Nos ſanè tum propter ſaporem tũ propter formã foliorũ fiſtuloſorum, potiùs ad Cepæ genus referendum cenſemus. *Tragus* 743. Porrum ſectile ad intinctus, quĩ cibis adiunguntur, admodum vtile eſt, ſi cum aceto folia eius tuſa temperentur. Et Cæpas, porra, & allia pauperum eſſe fercula, ac ſe mutuò conſequi, trito fertur diuerbio. Aſſiduus eius & nimius uſus capitis dolores excitat, ſtomacho, renibus, & veſicæ non ſatis conuenit. Porrum ſectile aluum emollit, exulcerationibus pulmonis cum melle prodeſt, vitia thoracis educit, ſemenque genitale calefacit, & auget. Hinc Baptiſta Fiera ita cecinit.

*Tabida cui cura pulmonis membra & anhelum*
*Pectus, eum Porri torrida cœna vocat.*
*Cura mihi eſt ſtomachus, placidiſſima ſomnia, dentes,*
*Bis licet elixum non tamen illud edam. &c.*

Porrum Sectile ad omnĩs generis ulcera & apoſtemata adhiberi poteſt ſicut Cepa.

---

## ALLIVM VVLGARE ET SATIVVM.

### Cap. III.

EX Cepaceorum delineatione nonnullas Allii notas rectè mutuabimur; *ſcapus* ergo procerus, enodis, concauus, glemaratim congeſtos in magna capita *flores* ſuſtinet Cepaceos, rupto folliculo apparentes, poſt modum & nucleos paruos quib⁹ poſſet propagari. Verùm *folia*, non ut Cepis fiſtuloſa, ſed graminea: bulbus denique non ſimplex, ſed numeroſis nucleis ſub vna comuni tandem membrana collectis conſtat, ſapore peracri, vnde fibræ candidę dependent. D







De Aliis, quæ Cepacei etiam generis ſunt, Theophr. lib. 7. hæc tradidit: Differũt Allia quòd alterum ſit ſerotinum, alterum præcox: eſt enim genus quoddã, quod ſexaginta diebus perficitur. Differunt & magnitudine & paruitate. Magnitudine excellit maximè quòd Cyprium vocatur, quod non decoquunt, ſed ad intrita, quæ *Myttota* appellantur, vtũtur, & cùm teritur in molem ad mirandam flatu intumeſcit. Præterea quædam ex ſpicis non coagmentantur. Dulcedinis autem, odoris, & craſſitudinis Alliorum, quemadmodum & cæterorum ſatorum, cauſa ſũt natura loci & cultus.

Ex quibus hæc ſumpſit Plinius lib. 19 cap. 6. Allium ad multa, ruris præcipuè, medicaméta prodeſſe creditur. Tenuiſſimis & quæ ſeparantur in vniuerſum velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & his ſeparatim veſtitis. Aſperi ſaporis, & quò plures nuclei fuere, hoc eſt aſperius. Tædium huic quoque halitu, vt Cepis, nullum tamen coctis. Generum differentia in tempore. Præcox maturеſcit 60. diebus, tum magnitudine. Et mox. Vlpicum quoque in hoc genere Græci appellauere Allium Cyprium, alii Ophioſcorodon, præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris, grandius alio. Tritum in oleo & aceto, mirum quantùm increſcat ſpuma. Ex his itaque intelligimus, quod Theophr. Cyprium appellari ait Allium magnum, quod Latini Vlpicum dixerunt, & Dioſcor. Ophioſcorodon. Deinde quædam Allii genera nucleos non habere negat, quod ſolum genus Dioſc. in Aegypto naſci dixit.

Duo itaque ſunt Allii genera, ſatiuum & ſylueſtre. Hoc Colum. lib. 11. cap. 3. ἀφροσκόροδον vocat, fortaſſis à ſpuma, quâ increſcit, vt Plinius ait, aut, vt Theophraſt. ἐμπνευματοῦται. Idem Columella non Cyprium, ſed Punicum Allium appellat, vt παρὰ τῶν ἀφρῶν appellatio facta videri poſſit. Verba eius hæc ſunt. Vlpicum quod quidam Allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè maioris eſt incrementi, quàm Allium. *Aphroſcorodon*

Galenus Allium quarto abſceſſu ſiccare & calefacere dicit. Ophioſcorodon autem ſylueſtre Allium ſatiuo validius eſſe, quemadmodum etiam alia ſylueſtria. In Plinio tamen loco ſuprà citato, vulgati codices antiſcorodon habent, pro Ophioſcorodon: & Dioſcor. etiam Elaphoſcorodon vocari ait: vt variæ appellationes vnius rei, pro occaſione factæ videantur. *Ophioſcorodon*

Cæterùm nunc autore Dioſcoride Allium partim ſatiuum eſt & hortenſe, & hoc in Aegypto vnius capitis eſt, quemadmodum Porrum, dulce, ad purpureum colorem vergens, paruum: reliquum verò magnum eſt, multorum capitum, album. Vocant autem acinos in ipſo, aglithas, id eſt, nucleos Eſt & aliud ſylueſtre Ophioſcorodon vocatum, id eſt, Allium anguinum ſiue Viperinum, & Elaphoſcorodon. *Aegyptium* *Aglita.* *Ophioſcorodon.* *Elaphoſcorodon.*

Cordus in hiſt. dicit duo genera Allii, vnum vocat Allium ſatiuum multifidum: alterum, Allium alterum ſatiuum amphicarpon, & poſtea cap. 78. tradit Allium ſimplex, indiuiduum vtrumque.

Allium etiamſi vulgò omnibus notum ſit, tamen affabré, Cornar. teſte, depingitur à Plinio lib. 19. c. 6.

Quas ῥάγας & ἄγλιθας Dioſcor. dixit, Theophraſt. γέλγεις appellauit, Plinius nucleos, Columella ſpicas. Græci item ὄνυχας & σκελλίδας appellant. Allium quod Græci Scorodon, vulgus noſtrum [ait C. Steph.] *des aulx*. Cæterùm caput Alii Antiqui (inquit Galenus) ἄγλιθα nominabant vulgus noſtrum *Teſte d'aulx*: Allii autem comas cum capite ſolo Molyzam appellat.

Camer. apud Matthiolum de Allio ſcribit, ſed in eadem tabella ponit figuram Allii & Ophioſcorodi. Debuiſſet itaque Camerarius indicaſſe, quam figuram pro Allio poſuerit.

Quod σκόροδον Græci, Latini paſſim *Allium hortenſe, domeſticum* ſiue *Satiuum* vocant, Arabes *Chaum, Chairin* & *Thum*. Germ. Knoblauch vel Knobloch, Belg. Loock. Galli *Ail* & *Aulx*, It. *Aglio* & *Aio*, Hiſp. *Aios*, Angl. Garlyke/ Boh. Ceſuceg, Hung. Fok Hagyma. Synonyma

Allium obſeruatur vbique Gentium ferè: Lugduni verò maximum folio ſimili omninò Porro, vt vix odore diſcerni poſſit. Allium non facilè ſeritur, Nam ſi ex ſemine hoc plantare neceſſe eſſet, non ſolùm tardiùs, ſed etiam admodum exiguum prouenirет, ita quidem (Theophraſt. teſte) tertio demùm anno perfectum redderetur. Aſſerit autem Didymus, ſi Luna ſub terris poſita ſeratur, & rurſus altero à ſatu menſe, antequam nouis nucleis conglomeretur bulbus, ſub terris luna latente vellatur, odoris fœditate carere & *Locus, tempus, ſatio, Inſitio. Mãgonia, delectus, repoſitio, adſeruatio*

dulceſcere,vbi verò ad iuſtam maturitatem peruenerit,& perfectionem adeptum fuerit, ac quò plures in eo ſpicas coaluerint,hoc aſperius & acrius ſentiri.Sed vt hiſtoriam Allii abſoluamus, cùm iam maturitatem ſuam conſecutum eſt, id quod plerumque circa Feſtum D.Iacobi fieri conſueuit,Allium euellitur, ac vnà cum Cepitia ſua fronde in locis fumo peruiis ſuſpenſum, ad inſequẽtem vſque annum conſeruatur. Satiuum igitur Allium primoVere,quo ciconiæ ad nos redire ſolent,in terram mediocriter cultam,aut naturâ ſuâ alioquin bonam, nec nimis fortem, aut lentam deponitur. Fiunt autem tum nucleorum eius aut ſpicarum diuortia,ſingulæque tum ſpicæ liratim depanguntur,interuacante digitum longa menſura.Hæ verò ſpicæ intra paucos dies erumpunt.Cæterùm, optimè plantatur in terra maximè alba, foſſata & ſubacta,ſine ſtercore, licèt in alia terra etiam ſtercorata proueniat.Sarculanda ſunt frequenter, ( vt Creſcent. inquit,vt meliùs eorum capita creſcant, ſi benè capitata facere volueris, vbi cœperint eorum ſtipites prodire, proculca,ita quòd ſuccus reuertatur ad ea.Colliguntur cùm eorum ſtipites ſe ampliùs ſuſtinere non poſſunt,in lunæ defectu & claro aëre.In paleis condita,vel fimo ſuſpenſa durabunt.

Ad faciei maculas,ephelidas dictas, Allii cortex,inquit Hiſp.in uterum ſubditur, & poſtridie (poſtero die) ſpectatur, num odor ad os proueníat, quod ſi ſic,concipiet; ſin minùs, minimè. Idem ait m.m. Cùm mulier peperit,neque ſecundis eſt liberata,ea dare præſtiterit ex quibus puerperii purgamenta potiſſimùm expurgantur, Allia cocta aut aſſa ex vino & oleo,cum paruis polypis & Cepiolis.In vapore & fotu vterino, in ollam Allia ſicca iniicienda,eaque minutim magis fracta,quàm quæ contuſa ſunt, & aqua quæ tribus digitis excedat vt macerentur affundenda,vitulique marini adeps infundendus:&c. In coena autem & in cibo,maza panis & Allia cruda & aſſata,& cocta,concedenda.Si uteri ad coxendicem decurrant,menſes cùm craſſi ſint, non eant, dolor ad imum ventrem permeet, & ad lateris inanitatem,morſumque percipiat: cùm ſic habuerit, copioſa & calida lauanda, eique Allia plurima, comedenda,danda.Scabies extenuatur, trito Allio defricto,eodemque remedio,autore Columella,curatur rabioſi canis morſus.

*Ophioſcorodon. Elaphoſcorodon.*

Vim acrem obtinet Allium vt contendit Dioſcor. excalfacit,mordet, flatus pellit, aluum turbat, ſtomachum exiccat, ſitim gignit, inflationemque facit,ſummam corporis cutem exulcerat,& oculorum aciem eſu hebetat. Eadem præſtat eſitatum Ophioſcorodon, quod & Elaphoſcorodon, quaſi Ceruinum Allium, nuncupatur. Sed & latas quoque tineas,in cibo pellit Allium, vrinaſque detrahit: morſis à vipera & hæmorrhoo maximè, ſi quid aliud, confert, dummodò continuò pòſt vinum ſuperbibatur, aut ipſum è vino teratur ac in potione ſumatur. Quin & eoſdem vſus,& contra canis rabioſi morſus vtiliter imponitur. In cibo verò ſumptum contra mutationes aquarum proficit, [ fauces expediendo, eaſdemque aſperas leniendo ] voci ſplendorem affert, veterem tuſſim crudum coctúmue in cibo lenit. Potum autem cum origani decocto, pediculos ac lendes enecat. Combuſtum ac melle ſubactum illitumque,oculorum ſugillationibus medetur,& Alopeciis cum nardino unguento. Cum ſale verò & oleo ſanat papularum eruptiones. Vitiliginem quoque,lichenas, lentigines,ulcera capitis manantia, furfures ac lepras cum melle eximit. At cum thure & tæda decoctum ac in ore detentum,dentium dolorem imminuit.Cum ficulneis foliis & cumino, contra muris aranei morſus imponitur.Comę decoctum foeminarum deceſſionibus additum menſes ſecundaſque partus extrahit. In eundẽ quoq; vſum ſuffumigatur.Cæterùm factũ ex eo & oliua nigra intritum,quod mittoton vocant,eſu vrinã cit,ora venarum patefacit, ac hydropicis quoq; eſt vtile.

Cæterùm,vires Allii largiùs aliquàtò, Plinius exponit quàm Dioſcorides,dum inſit, Allio magnæ vtilitates contra aquarum & locorum mutationes.Serpentes abigit & Scorpiones odore: atque vt aliqui tradidere ex beſtiarum omnium ictibus medetur potu, vel cibo, uel illitu: priuatim cõtra hæmorroidas prodeſt, cum vino redditum vomitu. Ac ne contra areneorum murium venenatum morſum valere miremur,Aconitum, quod alio nomine pardalianches uocatur, debellat: Item Hyoſcyamum; canum morſus, [ inque M.]in quę vulnera cum melle imponitur.Ad ſerpentium quidem ictus potum cum ( radiculis bulbo ſubannexis. Alii veſtibus, id eſt membranoſis corticibus ] reſtibus ſuis efficaciſſimè ex oleo illinitur: attritiſque corporum partibus [ vel ſi veſica intumuerit M. ] vel ſi in veſicas intumuerint.Quin & ſuffitu[hęc eadem ex Plinio tradit Ruellius quem non nominat] eo [ſecundas & partus.Vet.ſecundas à partu.Aliud lego, ſecundos partus,vt infrà cap.11.] ſecundas partus euocari exiſtimauit Hippocrates: cinere eorum cum oleo,capitis vulcera manantia ſanitati reſtituens. Suſpirioſis coctum,aliqui crudũ ( id tritũ dedere M.)id dedere.Diocles hydropicis cum centaurio, aut inter duas ficos exceptũ:vel fico portione dupla addita) fico duplici ad euacuandã alum:quod efficaciùs præſtat,viride cum Coriandro in mero potum.Suſpirioſis aliqui & tritum in lacte dederunt. Praxagoras & contra morbum regium vino miſcuit: & contra ileum in oleo & pulte, ſic illinens ſtrumis quoque. Antiqui & inſanientibus crudum dabant.Diocles phreneticis elixum. Contra anginas tritum imponi, & [ gargarizare CH.] gargarizare prodeſt,dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis [ minuit CH.] imminuit,vel ſi decocti aqua colluantur, addaturque ipſum in caua dentium. Auribus etiam inſtillatus ſuccus cum adipe anſetino: phthitiaſes & [ porrigines Vet. & CH.] prurigines potum, item cum aceto & nitro compeſcit.diſtillationes cum lactę coctum, vel tritum [ permiſtumque Vet.] permiſtumúe caſeo, molli: quo genere & raucitatem extenuat: Vel phthiſim in fabæ ſorbitione.In totum autem coctum vtilius ] eſt crudo,elixumque toſto: ſic & uoci confert:[ Tænias alii:] Tineas & reliqua animalia intercanorum pellit,in aceto mulſo coctum. Teneſmo in pulte medetur: Temporum doloribus illitum elixum, & puſtulis coctum cum melle deinde tritum: Tuſſi cum adipe vetuſto decoctum,vel cum lacte: Aut ſi ſanguis etiam excreetur, [ vel pura CH.] vel purulenta, ſub pruna coctum & cum mellis pari modo ſumptum: conuulſis ruptis cum ſale & oleo. Nam cum adipe tumores [ ne in abſceſſum,vel gangrænam,tranſeant, Alii Canceroſos alii peſtilentes, aut venenatos alii: ] ſuſpectos ſanat. Extrahit fiſtulis vitia cum ſulphure & reſina etiam [ Harundinum infixas aſſulas, nam ex harundine ſagittæ fiebant:] Harundines cum pice, lepras, lichenas,lentigines exhulcerat,ſanátque cum origano, vel cinis eius ex oleo & garo illitus. Sic & ſacros ignes.

Sug-

Sugillata aut liuentia ad colorem reducit,combuſtum ex melle. Credunt & comitialem morbum, [ ſanari M.& CH. ] ſanare, ſi quis eo in cibo vtatur ac potione. Quartanas quoque excutere potum caput vnum cum Lacerpitii obolo in vino auſtero. Tuſſim & alio modo ac pectorum ſuppurationes quantaſlibet ſanat ( factæ CH. ) fractæ incoctum fabæ,atque ita in( cibos CH. ) cibo ſumptum, donec ſanitatem reſtituat. Facit & ſomnos, atque in totum rubicundiora corpora.Venerem quoque ſtimulat cum Coriandro viridi tritum,potúmque è mero. Vitia eius ſunt,quod oculos hebetat, inflammationes facit, ſtomachum lædit,copioſiùs ſumptum (Galeno c. vlt.lib.12. methodi, Allium ſitim prorſus nullam facit.) ſitim gignit, Cæterò contra pituitam, & gallinis & gallinaceis prodeſt miſtum farre in cibo. Iumenta vrinam reddere, atque non torqueri tradunt ( ſi eo trito M.] ſi trito natura tangatur. Apud Plinium porrò per hæmorrhoidas, non ſedis affectionem accipere oportet, ſed ſerpentis genus, in quo mas, hæmorrhus; fœmina verò hæmorrhois vocatur, velut Aëtius 13.c.23.

Maximè omnium in colica affectione apud *Ant. Mariam* Allium eſt in vſu coctum.

Sed hic de allio perdifficilis oritur quæſtio. Allium enim ( inquit Iohan. Matth. ) flatus generare docent Hippocr. com.4. de victus rat.ac tex.90.nec non epid.ſ.8. text.33. Plin.lib. 20. c. 6. Ruell.lib.2.cap.85.Dioſc. verò, Galen. & Aëtius contra flatus præſtantiſſimum eſſe remediũ literis prodiderunt. Hippocr. Plinii & Ruellii ſententiam confirmat quod Cæpas Ægin. & Oribaſius ad generationem flatuum& vomitionem conferre docent: atque hic etiam facit quod cõmuniter expetimur poſt comeſtionem Cæparum & alliorum frequentiſſimorum excitatis flatibus ructus fieri. Verùm cum clariſſ. ſit Galeni doctrina lib.3.de ſympt. cauſſis cap. 2. flatus fieri à ſuccis pituitoſis vel cibis deficientem calorem habentibus: Allium autem & Cepæ, nec deficiẽtem calorem habeant,ſed manifeſtè excedentem. nec pituitoſum humorem gignant, ſed cum qui tota natura pituitoſo humori repugnet,ſequetur abſurdam eſſe Hippocr.Plin.& Ruellii ſententiã. Galenus vt Hippocratis auctoritatem in hac cõtrouerſia tueretur, in com.de vict.acu. inquit librum iſtum non eſſe genuinum Hippocr. Idem de textu qui habetur 6. Epid.reſponderi poteſt. Sciendum autem Allium & cæpe per ſe & ex ſua natura flatus minimè quidem gignere, eò quòd acria ſunt & calida, ex accidenti tamen, quando in corpus crudo phlegmate refertum ingerũtur,eo ipſo dum phlegmata attenuare & reſoluere nituntur,flatus quoque exſuſcitare: quos ſicut accidentaliter exſuſcitant, ſic per ſe etiam ſuáque natura innati caloris beneficio diſſipant & conſumunt. Idem in Diſcurſu de febri Peſtilentiali pag. 24. Ad præſeruationem proſunt Allia, cepæ, Sinapi, Raphanus marinus, quæ non alimenti ſed condimenti loco vtiliter vſurpantur. Mira igitur quorundam curioſitas, qui famoſa hæc ruſticorum antidota ignoranti populo ſuſpecta reddunt,& prorſus vitanda eſſe cõſulunt: ſed ex quo fundamento hoc ipſis liceat, ipſi viderint. Sat equidem ſcio, immodico & frequenti rerum acrium vſu ſanguinem incaleſcere multúmque bilioſi humoris generari: peſtilentes verò febres indè oriri, firmiori probatione indiget. Nonnulli cum viderent cæpas cũ Theriaca ſub prunis aſſatas & tumoribus peſtilentibus impoſitas, venena attrahere, ſuſpicati ſunt eaſdem cæpas intra corpus aſſumptas omnẽ externam malignitatem ad interna viſcera pertrahere. Verùm Gal.lib.3.Temper. cap.3. hæc ſomnia ſatis refutat: non enim quæ foris impoſita attrahunt vel exulcerant, illa etiam intus aſſumpta idem præſtant: acrimonia ſiquidem coctione & variis ventriculi humiditatibus permiſta plurimùm remittit:vnde Matthiolus etiam ipſum cæparum ſuccum expreſſum,peſte laborãtibus propinare minimè veretur. Sic Roſcellus præſtans Medicus eundem ſuccum ex cæpis preſſum pro arcano peſtis remedio exhibet, reliquã verò cæparum pulpam tumoribus peſtiferis imponit. Accedit quod Solion antiquus auctor memoriæ prodidit, cæparum vſum firmam valetudinem conſeruare. Nec Horatius Alliorum vſum ſuſpectum reddere poteſt,quando inquit: *Cæpæ intus ſumptæ*

*Parentis olim ſi quis impia manu*
*Senile guttur fregerit,*
*Edat cicutis Allium nocentius:*
*O dura meſſorum ilia!*
*Quia hoc veneni ſæuit in præcordiis?*

Apparet enim Horatium Poëtarum more ludere, ac id cui fortè aſſuetus non fuit, iocosè reprehendere. Conſtat alioqui Allii vſum contra venena in Vngaria & Italia potiſſimùm æſtiuo tempore, quando meſſoribus & agricolis venenata reptilia nocere poſſunt, vſitatiſſimum eſſe. Vnde Virgilius

*Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertas*
*Theſtylis & rapido feſſis, meſſoribus æſtu*
*Allia, Serpillúmque herbas contundit olentes.*

Eiuſdem conditionis ſunt, Sinapi, Raphanus marinus & ſimilia.Si enim naturam illorum perpendamus,omnia hæc ſuperfluas corporis humiditates conſumere & venenis potentiſſimè reſiſtere ualebunt. Hinc non ſine graui cauſa Sinapi in compoſitionem Electuarii,quod Ouam aureum vocat tanquam principalis pars ingreditur. Nec immoderatum horum omnium vſum cuiquam conſulere velim, ſed quantùm condimenti ratio permittit. Dignum & illud notatu, quod Iac. Rueff. prodit. Si matrix per pudenda prodeat,experimentum valdè vtile. Allium contuſum in aqua ita diſſolue vt nihil ſpiſſitudinis reliquum ſit, eâ aquâ prominens matrix lauetur.Quod Foreſtus l.9. Obſeru. 19.notat,Mercatori cuidam Delfenſi de hydrope periclitanti cum crurum inflatione. Allium comeſtum maximè profuit: quo ſolo aliquando in Gallia hydropicum curau, cui egregiè profuit cùm ad cachexiam & hydropem inclinatus videretur.

Sed nihil æquè ex omni parte beatum. Nam vt Tragus perhibet, unum eſt in Allio deteſtandum, nimirum fœtidus ille ac fortiſſimus odor, quo cerebro officit, caliginem oculorum facit, iram cõmouet, ſitim excitat, ſomnúmque inducit: quæ omnia in gallo gallinaceo videre eſt,qui Allium deuorauerit. Cæterùm mirum alicui videbitur qua ratione fœtentem anhelitum à cepa prouenientem teter Allii odor emendare queat, id quod Thomas Morus in ſuis Epigram. atteſtatur.

*Denuò fœtorem ſi vis depellere Cepæ,*
*Hoc facilè efficient Allia manſa tibi.*
*Spiritus at ſi poſt etiam grauis Allia reſtat,*
*Aut nihil aut tantùm tollere merda poteſt.*

Sed poſterius hoc pentametrum veritate carere Tragus hiſce teſtatur. Si quis poſtquam Allium, eſitauit, non poſſit odoris tetri fœditatem ſuf-

ferre, his folia rutæ recentia ſupermanducet, quâ ratione odor ille fœtidus, maiore ex parte delebitur. Quare meritò os illotum, Thomæ Mori, ſic emendabimus.

*Spiritus at ſi poſt etiam grauis Allia reſtat,*
*Aut nihil aut tantùm tollere ruta poteſt.*

Dydymus quoque edentibus halitus tædium aſſerit aboleri, ſi crudam fabam ſupermanducarint. Verùm ad emolliendam odoris tetri foeditatem, Betæ radicem in prunis toſtam ſuperediſſe ſatis eſt. Eo ſiquidem remedio virus extingui Menander è Græcis pollicetur.

Sunt qui pulmentariis Allium adhibeant, nec non armis aſſandis nucleos eius infigant. Sed quicquid id eſt, Apicianum eſt inuentum. Mulierculæ, quæ in fontes lac ſuſpendere æſtate ſolent, vt dulce maneat, ollarum ſuperiores partes circumcirca ſucco Allij inungere debent; hac enim ratione à ſerpentum iniuria aſſerunt qui alioquin lac admodum expetunt, ita quidem vt in ollas ipſas non rarò incidant. Quod ſi per ſomnum, vt fit aliquando, ſerpens corpus alicuius intrauerit, huic non facilè ſuccurri poteſt niſi continuo Allij eſu, hoc enim remedio ſerpens eijcitur, teſte Eraſmo. Allium ſingulare morborum in pecoribus remedium, quibus non tantùm ſuffitu, ſed & in cibo Allium adhiberi debet, teſte Columella lib.6.cap.4.

Arnoldus de Villa noua ad dolorem capitis à pituita ſcribit: Allium tritum, & calfactum ſupra tegulam, parti dolenti appoſitum dolorem tollit, ac ad Hemicraniam Allium elixum, & in oleo frixum, cum pauco pulegio, & puluere Piperis applicatum loco dolenti, mirabiliter prodeſt. Diſtinguetur, inquit Herc. Saxonia, de lue vener. benigna lues venerea à maligna hoc experimento: quæ malignior fuerit ex aſſumpto Allio vel Cæpis poſt triduum duplicatur, benignior verò eodem eſt ſtatu, præterquam quòd habenda ſemper eſt ratio perſonæ, & præteritorum. Ioh. Bockelius de peſte inquit, tempore peſtis Hungari non habent certius remedium quàm Allium, exſiccat enim corpora humana, & putredinem impedit.

Allium, inquit F. Platerus de febribus, in hydromelite decoctum & ad vncias duas vel paullò plùs exhibitum, potenter ſudores & vrinas elicit in peſte laborantibus. Idem, vt ait Turnerus, ex lacte coctum, & tritum, miſtumque cum caſeo recēti, ſiſtit catarrhos, ſicque prodeſt ad raucedinem. Tres nuclei in aceto triti, dentibus dolentibus impoſiti conferunt. Allium domeſticum claram reddere vocem, eò quòd guttura purget, memoriæ prodidit Dioſcorides, inquit B. Condronchius, ſed quoniam habet certum quid viroſi, & mali ſucci: præſertim ſi crudum eſitetur, iure optimo elixum conferre ſcripſit Plinius: elixatione enim tollitur illa grauitas: animaduertent tamen qui temperamentum habent calidum, & catarrhis obnoxii ſunt, vt eo parciſſimè vtantur, quia nocet capiti, oculis, ac renibus. Allii tamen tutior eſt vſus quàm Porri, præſertim naturis frigidis & humidis, ſi elixum, & cum ſapa conditum comedatur.

Iac. du Veloux de venatione, vt Caniculæ ad Venerem ſtimulentur exhibet Allia additis aliis quibuſdam. Magnetem allio perunctum ferrum negligere vulgò creditur. Sed Guiliclm. Gilbert. de Magnete lib.1. figmentum ait & mendacium eſſe Magnetem non attrahere ferrum, ſi Allio Magnes illitus fuerit, aut ſi Adamas propè fuerit: ſed Matthiolum Allii & Adamātis renouare fabulam. Allium prægnantibus inimicum eſſe ſtatuitur. Quidam Hiſpani liquorem ex Allio expreſſum, ad expellendum venenum quod à ſagittis infectis infligi ſolet, exhibent. Contra viperas, rabidos canes, & venenoſas aquarum mutationes Allium valet.

Si gallinacei galli Allium, vt videre eſt apud Ringelbergium priùs comederint, ferociſſimi fore dicuntur ad pugnam: atque alios omnes ſuperaturi. Ideò & viatores eo veſcuntur, quòd animoſum reddat hominem. Datur & equis eandem ob cauſam ferocioris animi.

## DE AMPELOPRASSO

Dioſc. de Ampeloproſo tractans, ſtomacho, inquit, incommodum magis eſt, quàm Porrum. Sed plus calefacit, & magis vrinam ciet. Menſes item ducit. Et eius eſus his qui à venenatis beſtiis icti ſunt, commodus eſt.

Plinius lib.24. cap.15. ait Ampeloproſon in vinetis naſci, foliis Porri, ructu graue. Contra ſerpentium ictus eſſe efficax. Vrinam & menſes ciere. Eruptiones ſanguinis per genitale inhibere potum impoſitumque. Dari & à partu mulieribus, & contra canis morſum. Ampeloproſon dictum eſt, quaſi Porrum vinearum. Galenus ſylueſtre Porrum dici poſſe ait, & à Porris tantùm differre, quantùm etiam in aliis omnibus eiuſdem generis ſilueſtria ab hortenſibus differunt. Nam & acrius eſt Porro & ſiccius, & propterea etiam ſtomacho magis incommodum. Sicut agria omnia reliqua domeſticis. Sed & craſſos (vt Lobel. Ob. inquit) & lentos humores potentiùs incîdit, valentiuſque infarcta organa obſtructione liberat: atque hac quoque ratione vrinas ſæpè prouocat, vbi à craſſis & lentis retinētur humoribus. Adeò verò eſt calidum, vt, illitum cataphaſmatis modo, exulceret. Dictum eſt autem antè, ea quæ eum in modum ſunt calida, extremi eſſe ordinis.

Cordo, *Ampeloproſon, vineale Porrum*, ſicut & Lonicero, cui præterea *Porrum ſilueſtre, Allium caninum*, & *Porrum vitigineum* dicitur: Germ. Wildlauch & hunderlauch/ Hiſp. *Puero ſaluage.*

## SCORODOPRASSVM DICTVM.



I Allio hîc σκοροδόπρασον ſubdemus, cuius *caulis* tres quatuorúe cubitos altus, infima parte digitalis, paullatim in iunceam tenuitatem definit, foliis amictus Porraceis, lōgis & latis, ſuperiore tamē parte nudus, ferēs in ſummo caput mēbranaceo inuolucro tectum,

ctum, vt Cepa, ſub quo, florum glomer purpuraſcit, ſtaminulis eminicantibus luteis, magnitudine pugillari: *floſculi* Cluſio Cepaceis ſimiles, ſex exalbidis foliolis conſtant: quibus ſuccedũt trigona capitula, in quibus nigrum *ſemen* Cepæ ſemini par eidem Cluſio: bulbus ei inſeſſilis, paruæ Cepæ æqualis, multis albis tunicis conſtans, fibratus, florum glomeri ſuppar, & ſpicis multis, allii ritu cohęrentibus, odore & ſapore remiſſiore, Cluſio graui odore, medióque inter Allium & Porrum: Vetuſtate in alios maiores bulbos ſeſe diuidens, adnatis etiam extrinſecus bulbillis, triangularibus ferè, tunicâ durâ inuolutis, ſeminis vicem ſuppletaris: ſemen adhuc nullum vidimus

Sicut autem nomen Allii & Porri Scorodopraſon refert, ita etiam, Cornario teſte, qualitates & vires vtriuſque poſſidet. Officinæ hinc Alliumporrum vocant: Germ. verò Aberlauch quaſi iterum porrum dicas. Aſt quam Plantam per Alliumporrum intelligat Cornarius conſideratione certò dignum. Cluſ. in Pann. & hiſt. poſtr. Scorodopraſſon primum. Lob. obſ. & icon. pl. pag. 157. Item Camer. apud Matthiol. Germ. Scorodopraſon, Germanicè Acker oder Ackerknoblauch. Gall. *ail pourreau*. Ital. *Agli porro*. Hiſp. *Aato porruno*. C.Bauh. phyt. *Allium tertium* ſiue Sphæricum 1.

An Tabern. icon. & hiſt. Porrum Syriacum, Syriſcherlauch / qui ſola contentus icone non demonſtrat quam plantam intelligat. Compil. Tabern. ſequitur Gerard. qui iconem eius habet plantáque Alpinam facit, quod non placet. Vocat ſiquidem Scorodopraſon, Angl. Great montaine garlick,

Scorodopraſon naſcitur Dioſcoridi, velut magnum Porrum. Cluſio Iunio & Iulio floret, qui Viennæ obſeruauit, cui pauci bulbi Bizantio allati ſunt, poſtquam Viennam veniſſet. Vnicus autem quem ſeruauerat, mirum in modum ſe propagauit, vt ſucceſſu temporis multis elargiri potuerit. Et quidem Iunii initio ſuum caput contorquet: Iulio autem erigit, eodémque menſe, bulbos ad maturitatẽ perducit, qui ſi terræ credantur, ſui generis plantas procreant. Ego Montbelg. copioſum habeo in horto Ill. E.C.

Allii & Porri qualitatis particeps. Vnde etiam mixtas vires habet, & facit quæcunque & Alliũ & Porrum, remiſsè tamen. Olerum modo authore Dioſcor. in cibi vſum venit, & velut Porrum coquitur ac edulcatur. Galen. & in ſapore, & in odore mixtam Allii & Porri qualitatem Scorodopraſon ait habere: & eodem modo etiam in facultate. Ita quoque Paulus, ſicut & Dioſcor. Suum Scorodopraſon apud Turcas eſſe in deliciis, Cluſio aliquando referebat Illuſtr. Augerius de Bouſbecque.

## ALLII GENVS, OPHIOSCORODON dictum quibuſdam.

ALlii genus, Porro & Scorodopraſſo ſimile, cuius bulbum multis nucleis conſtantem, fibríſque numeroſis exalbidis capillatum, ſeſſili parte circumueſtiunt tunicæ Cepaceę binæ aut ternæ ex albo purpuraſcentes: *caulis* ſingularis, minimi digiti craſſitudine, ſeſquicubitalis, aut bicubitalis: *folius* vt plurimùm quinque Porraceis, carinatis donatur: quæ poſtquam caulem aliquouſque inuoluerunt, ab eo abſcedentia reflexa terram ſpectant, medio, autore Cluſio, inter Porrum & Allium odore: ſu-





prema porrò caulis pars nuda, viridis, læuis, in gyrum vnum aut alterum ſpirarum ſerpẽtinarũ more, intorquetur, donec tandem caput erigat, vagina albicans, corniculata, extra volumina protenſa, lõga & roſtrata, qua dehiſcẽte bulbuli apparent, congeſti, initiò purpuraſcentes, poſtea exalbidi, & inter hos *floſculi*: tota planta grauem Allii odorem ſpirat.

De hoc Cluſ. in Pann. & hiſt. poſt. ſcribit, vocans Scorodopraſum alterum. Sunt, inquit, qui ὀφιοσκόροδον appellent quia caput cum ſuprema caulis parte ſerpentis inſtar ſe contorqueat.

Caſp. Bauhin. phyt. Moly tertium ſiue Serpentinum Lobel. Allium 2. ſiue Satiuum 2. amphicarpum Cordi. Allium 6. ſiue capite ex multis bulbis conflato & contorto, Scorodopraſum 2. Cluſii. Sed nunquid entia multiplicat Fr. C.B. qui tres diuerſas plantas ſtatuit? *C.B. not.*

An Cordo in hiſt. pl. Allii ſatiui alterum genus quod Amphicarpon appellat.

Dodon. in ſol. figuram Cluſii habet nomine Ampelopraſi: cap. tamen 12. meminit ἀμφικάρπον Cordi, nec tamen idem cum Ampelopraſo facit.

An Lob. Obſ. & Icon. pl. p. 160. Moly ſerpentinum vocatum.

Camer. in hiſt. Matth. in tabella Allii figuras habet duas notatas numero 3. & 6. quas refero ad noſtrum Allii genus Ophioſcorodon dictum quibuſdam. Idem in horto Allium Creticum vocat ſiue Serpentinum, Scorodopraſum in Pãnonicis Cluſii. Hortus Luſ. *Allium Creticum ſerpentinum Scorodopraſum* Cluſio, *Moly ſerpentinum Anglorum*. H. Welſch knoblauch / ſchlangen knoblauch. *Allium Creticum Moly ſerpentinum.*

Iunii initio ſuum caput contorquet, Iulio verò erigit, eodémque menſe bulbos ad maturitatem perducit, qui terræ crediti, ſui generis plantas procreant. *Tempus.* Eſt à nobis plantatum in horto Ill. E.C. Montbelg. multos bulbos habens, ex cuius bulbulis decidentibus nouæ oriuntur plantæ quotannis. Baſileæ coluit in horto ſuo Cl. D. D. Iacobus Zuingerus. *Locus.*

## ALLIVM SIVE MOLY MONTANVM latifolium.

MVlta, inquit Cluſ. Pann. & hiſt. poſt. etiam in Vngariæ, Auſtriæ, Stiriæ, Morauiæque montibus Moly ſiue Allii ſunt genera, foliis, floribus, vel capitibus inter ſe diſcrepantia: quorum maximam partem ab aliis hactenus minimè obſeruatam fuiſſe exiſtimo. Primum, *caulem* habet duorum cubitorum altitudine excreſcentem, quem, ad medium vſque, ambiunt *folia*, mul- *Deſcriptio*



tò quam in Allii generibus latiora, longa, porraceis proxima: ſummo cauli, qui læuis & junceus eſt, inſidet è multis bulbis ex atro purpureis ſimul cōgeſtis, ſatiſque craſſis conflatum, inter quos in oblōgis petiolis naſcuntur *flores* dilutè purpuraſcentes, quibus ſuccedunt trigona vaſcula, in quibus *ſemen*: *radix* bulboſa, craſſa, ex multis nucleis conſtans, numeroſis albis fibris prædita eſt: ſed & bulbi nudi radici inhęrent, iis ferè pares qui in capite naſcuntur, quique, terrâ excepti, plantas ſui generis producunt. Toti ſtirpi Allii grauis odor ineſt. Iunio & Iulio flores & bulbos fert. Hort. Luſit. Allium ſilu. alterum latifolium Breitt bletterich Wilder knoblauch.

---

## ALLIVM BICORNE, PROLIFERVM, flore intus albeſcente, cum ſtria purpuraſcente externè.

Deſcriptio

DIſſidet huius *radix* ab allii radice, non tantùm odore minùs viroſo, ſed & quòd non è ſpicis conflata, verùm ſimplex Cepacearum tuuicarum inuolucris duntaxat conſtet, ſublonga, candida, Nauci Moſchatæ par, pendulis fibris tenuibus donata, ſuperacris: *caulem* producit cubitalem, bicubitalem & ampliorem, firmum, teretem, nonnihil ſtriatum, quem inuoluunt, ceu vaginâ pedem aut cubitum longâ, *folia*, quæ vbi à caule abſcedunt pedalia, vel etiam cubitalia, Cepaceis ſimilia, fiſtuloſa: ſtriata, ſed ſtrigoſiora multò & compreſſa, in terram reflexa. Cæterùm caulis in folliculos duos deſinit in corniculatum mucronem deſinentes, palmum circiter longos, globum claudentes cauli continuum, Auellanæ rotundæ parem, & multis bulbillis rubentibus congeſtum, inter quos frequentes exeunt pediculi, vnciam vnam aut alteram longi, quibus inſident *floſculi* ſenis foliis contexti, externè viridibus, intus albicantibus, purpuraſcente lineâ ſtriatis, apicibus medium occupantibus ſuperueniunt capitula ſexangula.

Iconem habet Cluſ. Pannnonic. & poſt. hiſt. ſub titulo *Allii* ſiue *Moly montani* (id nos Allium bicorne purpuraſcēs proliferum vocamus) *tertia*, ea nobis placet, vt etiam reſpondere videtur deſcriptio.

*Tragus notatur.* Tragus hoc Allium pingit tertio loco, titulo, *Allium caninum alterum*, hunds knoblauch der ander. Sed ita obſcurè hanc tradit hiſtoriam vt nihil certi affirmare auſim, an hoc Allium deſcripſerit, lectores perpendant quæ ſcribit cap. 71.

*Vt & Fuchſius.* Obſcurus eſt & Fuchſius, figuram eandem cum Trago habet, nec deſcribit, dicitque *Allium ſilueſtre alterum*, Germ. feldtknoblauch.

Matthiol. quoque huius picturam habet, ſed nec is in contextu demonſtrat quā plantā intelligat. An eidem l. 2. c. 144. quamuis ibidem figuram Porri habeat, Agreſte Porrum, ἀμπελόπρασον quaſi vineale Porrum, quod in Herruria *Porrandolo* vocatur. Galenus, inquit is, minùs fortaſſe rectè lib. 6. ſimpl. tribuit Ampelopraſſo quod Scorodopraſo competere videtur, cùm inquit, Si inter Allium & Porrum medium quiddam concipias, facultatem Ampelopraſſi inueneris. Latinis *Porrum agreſte*, *Ampelopraſſum*. Mautitanis *Nabari*. Italis *Porro ſaluatico*: Germ. Wildlauch, Hiſp. *Ayos & Pueros de la vinhas*. Gall. *Porreau de chien*. Tertio epiſt. ad Guill. Nuſquam ſcripſi, inquit, Moly eſſe plantam Italiæ incognitam, hallucinatur cùm credit Allium caninum Tragi eſſe Moly, non conuenit cum deſcriptione Dioſc. μώλυζαν perperàm interpretatur apud Hippocratem. Μῶλυ, falsò aſſerit Galenum Allium interpretari. Cui Geſnerus ad eundem Guillandinum inter epiſtolas Matth. adſtipulatur, dicens: Allium caninum Tragi, Dioſcor. eſſe Moly in præſentia non conceſſerim. An Guill. epiſt. ad Geſn. inter Epiſt. Matth. de hoc egit, cùm ſcripſit: Gal. lib. qui obſoleta Hippocratis vocabula planiora facir μώλυζαν Hipp. vocare ait, quæ cæteris Moly dicitur. Quod Dioſc. Moly nominat, Hiſp. μώλυζαν nuncupat. Moly Dioſc. ignotam eſſe Italiæ plantam dicit Matthiolus. Moly inquit Galen. eodem loco, Allium eſt ſimplex caput habens & non diuiſum in ſpicas. Quem locum ſi Matthiolus legiſſet nunquam in Moly & ſuam & reliquorum ignorantiam accuſaſſet. Nihil Allio iſto ſylueſtri eſſe poteſt notius. Naſcitur locis campeſtribus paſſim. Flores candidi à Trago allium caninum dicuntur, & eo quoque ſub nomine ſecundo loco poſt Allium ſylueſtre depingitur. Mihi ſanè, ſi dicam quod res eſt, ſi obſcura eſt Tragi delineatio, Guillandini adhuc obſcuriot, quia nondum vidi Allium quale deſcribit flore albo.

Car. Steph. deſcribit & vocat *Scorodopraſſum*, *Allium Porraceum* & *porrinum*, qualiter Officinæ vocant. Nouimus autem aliter ſentire Geſnerum de hortis.

Dodon. deſcribit & Iconem Tragi & Fuchſii habet, dicens: ὀφιοσκόροδον. Lat. *Allium ſilueſtre*, Gall. *Ail ſauuage*. Germ. Wilder knoblauch. Belg. wildt loock.

Aduerſ. quæ *Allium ſilueſtre tenuifolium*. Germ. wilderknoblauch, Angl. wilder Garlike vocant, deſcribunt obiter, ac annotant in margine à Fuchſio exhibitum lib. Icon. p. 129. Lobel. Obſ. & Ic. Pl. p. 155. vbi pingitur & deſcribitur Ampelopraſon ἀμπελόπρασον, ſiue Porrum ſilueſtre. Germ. wildlauch. Angl. wildeleke: Hiſp. *Puerro ſaluage* Ital. *Porrandillo*. Sed in figura Lobelii, ſi noſtrum Allium depingit, requiruntur flores & duo folia ſub floribus.

Geneuæ paſſim: Montbelgardi in horto meo flores, & patuos bulbos habet Iulio, vbi ſpontè prouenit omnia minora, vt videre licet *à la Roche de Bauans*, vt vocant, ad Dubium itinere verſus *L'Iſle*, & *à la chau*, in noſtris vitibus.

* * * *
* * * *
*

AL-

## ALLIVM SYLV. BICORNE flore viridi.

ptio FRater Caſp. Bauh. inter ſuas plantas ſiccas attulit nobis Allii ſylueſtris genus, Allio noſtro bicorni *radice & iulis* ſimile, regerminans in radice, cuius bulbum plantauimus in Horto Ill.E.C. in quo prouenit: comam non proferebat cœruleam ſed viridem, copoſiores etiam flores, nec bulbuli ad flores: Nomina hæc erant adſcripta. *Gethyon Theophraſt. Pallacana Plinii*: Guilland. *Allium vrſinum in lgò* Cortuſo. Aliàs vidi, ſed non obſeruaui locum. Conſiderandum an reſpondeat huic Allio, illud quod à *Cluſio* in Pann. & poſt. hiſt. exhibetur pro Allii mótani quarti ſpecie 2. ſiue Moly montano obſoletiore flore, de quo ille ſcribit: Allii mótani quarti alia inuenitur ſpecies pari ferè altitud. excreſcens, ſimilibúſque propè foliis prædita, cuius coma inter laxas, membranaceáſque, & longum mucronem habentes tunicas latè ſeſe explicat, floribus coloris valdè obſoleti plena: radix ſuperiori ſimilis, nucleos etiam in lateribus profert. An *Plantar.* icon. p. 158. Allium rubentibus nucleis.



## ALLIVM SYLV. BICORNE PVRpureum proliferum.

tio TEnui ſed duro, tereti, glabro & ſingulari eſt *caule*, cubitum alto, in quo *folia* tria quatuórue ſeſquipalmaria & dodrantalia, admodum anguſta, craſſiuſcula: ſcapo ſummo inſidet capitulum è bulbillis viridantibus glomeratum, è quorum commiſſuris emicant tremuli *pediculi* numeroſi, ſextantem circiter longi, punicantes, *flores* cócolores ſuſtinentes, ſed dilutiores, è ſenis *foliis*, quorum medium ſtria ſaturatior, percurrit, compoſiti, è medio proſilientibus ſtaminibus purpuraſcentibus, *radices* bulbaceæ plures ſimul cohærent, oblongæ, albæ, fibratæ, ſapore Porri.

Idem exiſtimamus à *Cluſio* Pann. & h. poſt. traditum pro Allio ſiue Moly montano 2. de quo ait: Cubitali aſſurgit caule, læui, rotundo, viridi, in quo terna plærumque folia, ſuperioris folio anguſtiora, & veluti graminea: ſummus caulis caput ſuſtinet duabus laxis membranaceis tunicis longiore mucrone præditis obuolutum, quibus ſeſe aperientibus, multi exigui bulbi ſimul congeſti apparent, inter quos flores ſex, purpuraſcentibus foliolis conſtantes, & oblongis pediculis inhærentes dependent: rotundam, albam, longis candicantibúſque fibris capillatam radicem habet.



An plant. icon. p. 156. Ampeloproſſum proliferum.

Hoc genus Allii inter ſiccas plantas attulit nobis Frater C. Bauh. collectum Venetiis à Lio nomine Allii anguini, quod quàm dudum eſſet repoſitum & exſiccatum, ex bulbis tamen quos ademi Horto Il. E. C. Montbelgardi regerminabat, ferebátque flores Iulio & Auguſto.

Prouenit inter fruteta etiam Baſileæ.

## ALLIVM SYLVESTRE MONSPESSVLAnum albidum Ioh. Bauhini.

MOnſpeſſuli ſpontis ſuæ Allium mihi repertum, *caulem* habet bicubitalem etiam minorem, album, cauum, feſtucaceum ferè, cuius faſtigium in Cepaceum caput, ſed minus, glomeratur, *floribus* ſingulis ad Allii vrſini flores accedentibus, maioribus quàm alterius vllius Allii ſilueſtris, tactu ſicciſſimis, pediculis æqualiter longis hærentibus, albis, quos ſena componunt *folia* apices luteos circumſtantia, non prodeunt, quod obſeruauimus, ex longis vaginulis, ſed breuibus obuoluuntur tunicis pr uſquam erumpant: *folia* magna ex parte caulem complexa, cubitalia ferè, anguſta, graminea. *Bulbus* ſubeſt paruus, oblongus, albiſſimis pelliculis infectus, cui annexæ non tantùm capillares fibræ, verùm & *nuclei* parui adnaſcuntur, odore viroſo Allii. Deſcriptio

Florens repertum Aprili in monte non longè à *Villeneuue* quà itur Frontignanum vno milliari à Monſpelio: Non viſo Moly Dioſc. id ſuſpicabamur. Cæſalp Allium vrſinum alterum.

## ALLIVM FLORE LVTEO ſiue pallido.



CAuli cubitali tereti inſidet vmbella dehiſcente folliculo membraneo ſeſe explicans, *florũ* luteorum, *pediculis* vncialibus longioribus inſidentium, ſenis foliis, totidémque ſtaminulis & ſtylo tenui longiuſculè conſtantium. *Semen* maturat nigrum trique- Deſcriptio

trum: *folia* anguſta, pedem longa. *Radix* bulboſa, fibrata, nucleos quoque parit, vnde propagatur, odore Alii.

De hoc Allio cenſemus Cluſ. Pann. & hiſt. poſt. hæc ſcribere: cùm ait, Allii montani quarti ſpecies prima, terna iuncea folia, caulem cubitalem, rotundum, &c.

C. Bauh. Phyt. *Allium* 12. ſiue *montanum flore pallido odoro.*

Allium pulchrum coma lutea dono accepi Argentinæ ex plantis ſiccis D. Agerii. Vidi etiam pulchrè florens apud D. Fridericum Meier Argentinæ menſis Iulii 8. 1595. Cluſ. Suum Moly montanum flore pallido odorato circa Poſonium & locis Niclaſpurg vicinis in Morauia Iulio florentem obſeruauit.

---

## MOLY LVTEVM BOTANICORVM latifolium allii odore.

Deſcriptio



EXoticum elegãs hoc Moly luteum Botanographis indictum, à N. *le Quelt* Rhiſotomo ẽprum & in Pyrenæis montibus, ni labat (aiunt Aduerſ. parte altera) memoria, erutum: *floribus* eſt luteis ſenis foliis, pluribuſq; ſtaminibus cõcoloribus donati, Ornithogali Arabici floris lactei ſimilibus, minoribus tamen, vno exortu è *pediculis*, quàmpluribus in ſpithamæo cauliculo, binis *foliis* latiuſculis, Tulipæ Bonemenſis ſiue Apenninæ vocatæ ſimilibus prædito: vno latiore, altero vt plurimùm anguſtiore. *Radice* verò pari, ſed breuiore. Hoc anno 1604. nobis floruit Londini in horto Nobiliſſ. V. D. Baronis Zouche, & Franqueuille. Tota planta allii fragrat odorem, eoque Moly propior quàm Ornithogalo luteo; Ornitogali autem lutei nomenclaturà quò cariùs diſtrahatur, à Rhizotomis perperàm donatur.

*Ornithogalum luteũ Moly montanum latifolium flauo flore.*

Hoc quoque deſcripſit Cluſ. Exot. part. 2. Append. 2. Cuius quidem deſcriptionem ideò apponere placuit, vt ſtudioſis rei herbariæ, hæc exoticæ raritatis planta eò faciliùs innoteſceret. Moly igitur montanum, inquit ipſe, latifolium, flauo flore, nunquam antè mihi conſpectum mittebat anno 1601. Ioachimus Vener. Ioanni Hogelandio, in cuius horto inſequente anno flores protulit. Illius iconem, & hiſtoriam, quia à nullo alio hactenus, quod ſciam, tradita, hic adponere libuit. Habebat verò illud bina duntaxat folia, infimâ parte ſeſe mutuò amplectentia, decem aut plures vncias longa, vnam lata, ſurrecta, firma, ſupinâ parte nonnihil carinata, Porracei coloris, at odoris Allium referentis; inter quæ aſſurgebat caulis enodis & ſatis gracilis, firmus tamen, vireſcens, pedem altus, aut paullò amplior, ſuſtinens ſummo faſtigio prodeuntes ex membranaceo folliculo bifariam diuiſo triginta aut plures flores vncialibus vel longioribus pediculis, iiſque firmis, ſubnixos, ſenis foliis ſtellæ in modum expãſis conſtantes, foris palleſcentes, interiore parte prorſus flauos; occupante vmbilicum triangulari capitulo ſex flauis ſtaminibus cincto, quorum apices etiam flaui: qui menſe Iunio explicabantur, ſuccedebant trigona capitula ſemen nigrum inæquale continentia: radix erat bulboſa, gemina, vt Orchidis radicem quodam modo æmularetur. Subſequente anno aliquot ſimiles plantas ab ipſo Venerio etiam accipiebam, & illas quidem vel ſingulari, vel gemino bulbo præditas, quarum ternæ aut quaternæ germinarunt, & florem tulerunt anno 1603. aliquæ quidẽ vno duntaxat folio præditæ, aliæ autem binis, vno ampliore alterum anguſtius amplectente, inter quæ prodibat caulis enodis, flores è folliculo membranaceo emergentes ſuſtinens. Similes etiam bulbos eodem anno, cum pleriſque aliis Plantis in Pyrenæis montibus erutis, venales adferebant in hanc Prouinciam Rhizotomi quidam Galli.

---

## ALLIVM QVODDAM SILVESTRE flore purpureo.

AVellanæ magnitudine radix, multos nucleos membranis inuolutos complectitur, pityidas imitatos: *folia* longa, gramineæ tenuitatis, *caulis* ſeſquicubitalis, iunceus: cuius ſummo capitulum inſidet parui Meſpili ferè magnitudine, *floſculis* purpureis glomeratum. De.

---

## ALLIVM SPHÆROCEPHALVM purpureum Syluestre.

De



ALlii Sphærocephali bulbus è multis contextus eſt nucleis albis, tunicâ alba inuolutis, fibratis odore Allii graui præditis: *folia* tria quatuorue, palmũ longa, interdũ minora pro natalium ratione, vigente flore marcida, *caulem* fiſtuloſa vagina, complectuntur, qui cubitalis aut ſeſquicubitalis, colore & forma iunceus, teres, ſolidus, firmus, in ſummo faſtigio ſphæram gerit, ouo columbino parem, maioremque, purpuream, floribus conſtantem glomeratis paruis, ſex foliolis conſtantibus cum ſtaminibus concoloribus, in pediculis breuibus.

Noſtræ icones fuerunt emptæ, Cluſii meliùs placet, quam ponit ſub titulo allii ſeu Moly montani, qui de eo ſcribens: Altitudine, inquit, cubitali aſſurgit, caule nudo, viridi, paucis foliis viridibus obſito, cuius faſtigio inſidet caput orbiculare initiò è multis floribus breui petiolo prædi-

tis



tis congeſtum, qui ſex foliola, numquam ſeſe prorſus explicātia, habent, ſex in medio ſtaminibus & ſtylo, elegantis purpurei coloris: radix bulboſa, alba, nucleos interdum tenui membrana tectos, & proximè caulé lateribus adnatos habens, ſeſſili parte multas albicātes fibras. Eius odor, Allii inſtàr caput ferit. In Vngaria circa Polonium duntaxat obſeruauerā, quum Pannonicarum ſtirpiū hiſtoriam publici iuris faciebam, ad vinetorum in collibus Danubio imminentibus ſitorum margines, Maio & Iunio florib. onuſtum. Poſtquàm verò Vienna diſceſſi, & Francofurtum ad Mœnū perueni, aliquot ſtirpes inter ſegetes agris illi vrbi vicinis inuentas, in meum hortulum tranſtuli propter florum elegantiam Anno 1599. Tertio autem poſt anno, binos eius bulbos Neapoli accipiebam à Ferdinando Imperato, qui flores duntaxat protulerunt Lugduni apud Batauos, vbi demum quale genus Moly montani eſſet agnoui: paulò tamen præcociùs florere mihi viſum eſt illo, quod in Vngariā, quod Francofurti obſeruabam: nam & illud Lugdunum adferebam. Item Exot. par. 2. Append. 2. Aliud Moly montani genus ab iſto non valdè diuerſum mittebat Venerius Burdegala, quod flores protulit in meo horto menſe Iunio, ſed in honeſti Lopez horto multò ſeriùs, extremo duntaxat Septembri: paucioribus tamen floribus præditum eſſe videbatur, quàm vel Pannonicum, vel Neapolitanum, vel Francofurtenſe, iiſque minùs etiam eligantibus.

Car. Steph. de re hortenſi deſcribens dicit, Allium ſylueſtre, *Aulx ſauuages*: Græcis *Ophioſcorodon*, quaſi ſerpentis Allium.

An Cordo in Dioſcor. Ampelopraſon. Germ. **wildenlauch**. An verò σκοροδόπρασον Geſner. apud Cordum in hiſt. qui Tragi figuram habens, dicit: Tragus Caninum vulgò cognominari ait, & Allium ſylueſtre **Hundsknoblauch** / Ampelopraſon eſſe coniicit: **wilderknoblauch**.

Σκοροδόπρασον, ſylneſtris Allii genus. Germ. **Feldknoblauch**, ſiue **wilden knoblauch**, qua hactenus herba eiúſq; ſemine pro ſcordio vſi ſunt Pharmacopolæ, & adhuc magno errore vtuntur.

Tragus lib. 2. cap. 69. hoc pingit ſub titulo: Allium caninum, ſed id cap. 17. deſcribit ac dicit: Plin. lib. 19. cap. 6. Allium ſylueſtre Vrſinum vocauit, id verò quod in aruis ſpontè naſcitur Allium, Quod in vineis naſcitur ἀμπελόπρασον Dioſcoridi vocatur. Apud Paulum Æginetam Porrum agreſte Germ. **wilderlauch** nuncupatur. Ego, vt verum fatear, non ritè intelligo Tragum: vereor ne non ſeparet Allium noſtrum bicorne ab Allio Sphærocephalo, iudicent Lectores.

Fuchſ. icon. & hiſt. eandem figuram habet cum Trago, ac ſcribit vocâtque Allium ſylueſtre primum ὀφιοσκόροδον, anguinum Allium, **wilder knoblauch**.

Matthiol. in Dioſcor. deſcribit & figuram habet non multùm diſſimilem à Tragi vel Fuchſij figura, dicítque, in errore verſantur Arabes & eos ſecuti, quòd pro Scordio Allium ſylueſtre, quod Græci ὀφιοσκόροδον vocant in paſtillos theriaccos addiderint, & in illius locum ſuffecerint.

Braſſauolus falli deprehenditur libro ſuo de ſimplicium. Examine Romæ priùs excuſo, vbi ſylueſtre Allium ampelopraſon, ſiue Scorodopraſon appellari ſcribit: primùm quod exiſtimarit Allium ſylueſtre Scorodopraſum vel Ampelopraſſum eſſe. Deinde quòd crediderit Ampelopraſſum & Scoroptaſſum vnam & eandem plantam eſſe.

Dodon. etiam huius figuram ex Trago vel Fuchſio habet quam non ritè deſcribit, ac Allium ſylueſtre paruum vocat.

An Plant. icon. Allium ſylueſtre tenuifolium Teut. 195?

An Aduerſ. Scorodopraſon ſiue Allioporrum, cuius deſcriptio manca & imperfecta.

Cluſ. in Pann. Allium ſeu Moly montanum purpureum elegantiſſimo flore.

Cordi deſcriptio conuenit cum planta picta & deſcripta à Cluſio, licet videatur aliam intelligere Geſnerus.

An Caſp. Bauh. Allium 5. ſiue ſphæriceum minus, quod Ophioſcorodi minoris nomine collegimus: An ab aliquo deſcriptum ſit dubitamus.

Allium Sphærocephalū purpureum, pulcherrimum viſu eſt, vbi floret. Florens reperimus iuxta caſtrum Beffordianum menſe Iulio, itidem circa Montbelgardu n in planicie *Becham* verſus *Audincourt*, in ſegetibus, vnde tranſtulimus in Hortum E. C. & olim, ni multùm fallimur, Monſpelii. Geneuæ in vineis & ſegetibus: Frater C. Bauh. reperit in ſegetibus Baſileæ. Allium in aruis ſpontè naſcens in ſummo proceri caulis purpureos flores oſtentat, colore & forma conſpicuos, ac membrana ambiens ſpicas rubeſcit. Locus & tempus.

Corpus (vt Porta ratiocinatur) in meliorem colorem mutat ſanguinem emaculando.

---

ALLIVM SPHÆROCEPHALVM bifolium Italicum.



Vix ſeſquipalmaré altitudinem adæquat. *Radicula* nititur olinari, fibrata, alba, nullo tunicarum foris conſpicuo veſtigio prædita. *Cauliculus* rigidus & pro plantæ proportione ſic ſatis craſſus, teréſque ſurgit, atrouirés, binis *folius* craſſis & canaliculatis veſtitus. In ſummo *flores* Deſcriptio

gerit in glomum congeſtos, eleganti purpura conſpicuos: ex quibus ſtaminula quædam muſcoſa proſiliunt. Sapor Allii haud diſſimilis. Parum abeſt, quin ipſam plantæ magnitudinem & proportionem figura exprimat. Culturâ mutatum magnitudine obſeruauimus.

Locus. tempus. Româ bulbillos aliquot ad nos importauit Cherlerus noſter. Floret toto Maio in horto Ducis. Montbelg. quem colimus. Ingruente tandem æſtu fatiſcit donec planè euaneſcat.

## ALLII GENVS FORTE
Scorodopraſſon alterum Lobelio.



Deſcriptio. ALlii genus inter ſiccas meas plantas inuenio, ſeſcunciali aut lõgiori *bulbo*, fibrato, turbinato, tunicis multis ruffis compactili, ex quo *folia* duo aut tria, tenuia, palmum longa, *caulem* aliquóſque obuoluentia pedalem, firmum, teretem, enodẽ, cui vmbella inſidet parua *florum* pallidorum minorum quàm Alii petræi. Vnde habuerimus hanc plantam non recordamur.

De hoc fortè Lobel. obſ. Gracilioribus nucleis bulbus ſtipatur, membraneis inuolucris atro flauentibus: flos & folia Allii exiliora: odor & ſapor Scorodopraſſi. Hoc in meis Italicis peregrinationibus in ſportulas conieceram.

An Lobel. Scorodopraſſum alterum. *C.Bauh.* Phyt. Allium 4. ſiue Sphæriceum. 2.

## ALLIVM PETREÆVM VMBELLIFERVM.



Deſcriptio. INter *folia* graminea cõplura, anguſta, compreſſa, dodrante longiora, in retuſum mucronem deſinentia, obſcurè virentia, ſapore Cepæ acri, *caulis* ſurgit ſingularis, palmaris, vel pedalis, nudus, enodis, anguloſus & nonnihil cõpreſſus, cuius extremo *flores* inſident numeroſi, terram verſus comantes, colore purpuraſcente, quorum ſingula ex ſenis foliis componuntur, totidẽ apiculis ſaturatioribus interdũ pallentibus, triquetrum in medio poſitũ Conulũ circunſtãtibus. Radix bulboſa, porracea, alba, tuberculis adnaſcẽtibus nouam bulborũ ſoboiem profert, fibris longiuſculis capillata: ac veluti repens, multùm ſe multiplicat, plurimùm affinitatis habet cum Allio noſtro pratenſi vmbellifero, de quo pòſt.

Icon noſtra quam ſculptam emimus demonſtrat ſtrigoſas plantas loco ſicciori erutas: hanc verò pingere exiſtimamus Cluſium Pann. & hiſt. in horto fortè cultam aut loco minùs ſtrigoſo collectã de qua ſic ſcribit: Allii odore, tuberoſa radice Alliũ ſiue Moly Narciſſinis foliis 2. cui quina aut ſena folia primi (ſiue nobis ſequentis) foliis non minùs lata, ſed breuiora, nonnihil ſeſe contorquentia, viridia & ſplendẽtia, inter quę pedalẽ caulẽ promit, ſuperiore graciliorem, ſed non minùs firmum, & ſtriatum, qui in ſummo & ex membranea tunica promit multos floſculos in orbiculare ferè caput ſimul congeſtos, prioribus ſimiles, ſed elegantiore purpura nitentes: capitulis & ſemine ſuperiori reſpondet: ſimiliter & adnatis in circuitu non infeliciùs priore ſeſe propagat. Illius etiam genús inuenitur longioribus & anguſtioribus foliis neque adeò conuolutis, cauliculis paulò infirmioribus, in reliquis ſatis conueniunt.

Allium Petræum Geſnerus aliquando nobis denominauit cùm perigrinarer cum eo in Rhætia *Scorodon Petræum*. Inueniebamus tunc Burmii florentem Iunio, ab eo tempore vidimus Baſileæ in horto D. Fœlicis Plateri, & in monte Paſger Heluetorum, Frat. *C.Bauh.* attulit Patauio nomine Ophioſcorodi minoris. In horto Ill E.C. vbi plantatum florebat Iulio, prouenit autem ex ſemine ab Ill. Landgrauio Guillelmo miſſo nomine Bulbi vomitorii, folio auguloſo. Hoc nobis præterea viſum in Ducatus Wirtemb. vrbe in horto egregii Pharm. Io. Lutz.

Geſn. horti. *Porrum Petræum in ſaxis circa Badam naſcitur*, niſi Allio potiùs cognatum ſit. Hoc Alliũ montanum Petroſcorodon dixeris. Cluſ. in Pann. p. 222. *Allium ſiue Moly Narciſſinis foliis* 2. Item *Moly Narciſſinum minus*. An Camer. horto, *Allium ſaxatile, Bulbus vomitorius, Moly foliis Narciſſi.*

## ALLIVM VMBELLIFERVM PRATENSE.



VDis pratis, Geneuæ vltra flumen Arue oriundum Allium vmbelliferum nobis dictum, *radice* nititur Porri ſublonga, fibrata, alba, ſed quæ ex bulbo radicem obliquam fibratam Valerianę hortenſis radici aliquatenus ſimilem producat, odore Allii: *folia* primùm penè triangula, paulatim

latina compreſſiora euadunt, cubito longiora, *cauli* æqualia, qui nudus, anguloſus, in caput albicans oblongum deſinens, eo dehiſcente vmbellam explicat allii vrſini vmbellę ſimilem, *floſculis* ſex foliis apicibúſque compoſitis colore purpuraſcente: florens menſis Iunii principio.

Frater C.B. attulit nobis nomine allii Plinii ex horto publico Patauino. Ei magna ſimilitudo cum allio vmbellifero Petræo. Conſiderandum an fortè tantùm eius variatio ſit, ratione loci vel an idem cum allio ſiue Moly Narciſſinis foliis de quo Cluſ. Pann. & hiſt. poſtr.

An Lobel. Obſ. Moly foliis Narciſſi, & Icon. pl. pag. 161. de quo ait: Alterum proceritate, & caule non abſimile: ſed floribus cæruleis, & foliis compreſſis, Narciſſi ſimilibus, & ferè paribus, oblongis, & albis radicis bulbis Porraceis ſimul implexis & cohærentibus magno capitulorum ſtipatu: Allium odore præferentibus, cuius aliquot bulbos adhuc habemus munere Raphaelis de Coxia, ſummæ humanitatis & ſtirpiũ magni admiratoris, qui non modò exoticarum ſtirpium haud pœnitendum numerum, ſed & eaſdem affabrè, arguta manu, ſummóque artificio pictas, vt ſi quis alius apud Belgas, nobis dederit. Tabern. hiſt. *Porrum ſilv.* 2. & Icon. *Porrum ſylu.* 1. wild brißlauch. Compil. Tabern. non deſcribit: ſed tantùm ait Porrum ſilu. duplex: vnũ foliis acutis: contrarium tamen eſt in eius figuris: quod enim acutis foliis eſt, latioribus eſt: erant multæ diuerſæ notæ ſi intelligit eaſdem quas nos intelligimus. Vna notabilis à flore vmbellifero. Nós exiſtimamus ei incognitas illas plantas.

Gerard. Angl. Allium ſylueſtre Crowe Garlick Allia ſylueſtria σκόροδα ἄγρια Dioſc. ὀφιοσκόροδον, Anguinum & Ceruinum Allium. Icon apud Gerardum eſt Tabern. Conſiderent Lectores an deſcriptio & nomina conueniant Iconi propoſitæ, & an prouenit planta quæ per iconẽ demonſtrata in planitie Mantels dicta, & in Iſlington prope Londinum.

Cluſ. Naſcitur cum præcedenti in Leytenberg ſupra Manderſtorf vbi tepidæ ſunt aquæ quarum vſu multi valetudinem curant [præſertim calculo obnoxii,] & aliis montibus Vrbi Viennæ vicinis.

## ALLIVM SYLVESTRE PERPVSILLVM iuncifolium moſchatum.

tio ARidis, authore Lobel. Adu. par. 2. Nitiobrigum agri Monſpelio vicinis collibus hic exiguus bulbus, conuictor & alumnus parili bulbo Hyacintho Autumnali. *Cauliculo* palmari, recto, rigidiuſculo, exili: è cuius ſummo ſex circiter erumpunt propagines, è quibus *floſculi* veluti in vmbellam poſiti prodeunt, quinis aut ſenis foliolis conſtantes: paruis, anguſtis & oblongis, Ornithogali floribus ſimilibus, acuminatis, lineis fuſcis in medio per lõgitudinem interſtinctis, Aſphodeli albi inſtar: coloris albi obſcurioris, ſtaminibúſque in medio, Moſchi planè odorem ſuauiſſimum ſpirantibus, præditis: quibus ſuccedunt *capitula* rotunda in quibus tria vel quatuor triquetra, oblonga, nigraque *ſemina* continentur. Bulbi ſubſunt parui, albi, oblõgiuſculi, Allii ſylu. ſimiles, ingratíque odoris. *Folia* emittit Iuncea, exiliora, tenuiſſima: quaterna aut quina numero, vix vnciam longa.



Cum D. Guill. Coys bulbos alimus in horto, munere D.D. Leiſteri Medici clariſſ. è Monſpelio in Britanniam reducis.

Anno 1607. apud Fratrem vidi hanc plantam ſiccam ac pictam nomine *Moly perpuſilli tenuifolij ſylu. odorati.*

## ALLIIS AFFINIS PSEVDOORCHIS Monophyllos.

NOn incommodè forſitan, inquit Cluſius hiſt. poſt. Pſeudoorchis appellari poſſit elegans plantula, quam ex Italia rediens obſeruabat Anno 1593. eruditus vir Guliel. de Mera Batauus Medicus, & mihi Francofurti commmunicabat, paulò antè meum ex eâ vrbe diſceſſum. Habet verò illa vnicum *folium*, ex membranaceo quodam inuolucro prodiens, ſemuncialis latitudinis, duarum vnciarum aut amplioris longitudinis, multis venis ſecundum longitudinem excurrentibus, & medio neruo præditum, valdéque tenue, dum reſiccatum eſt: ex eodem inuolucro prodit & *cauliculus* ſemipedalis, aut minor, gracilis, à medio ad ſummum faſtigium, *floſculis* quibuſdam onuſtus, quorum forma mihi ignota, quia ſiccam plantam duntaxat videre contigit, in qua inhærebant adhuc floſculorum petioli, & bina aut terna capitella, inſtar Capitulorum Orchidis: *radix* bulboſa eſt, aliquot membranaceis inuolucris tecta, præter Orchidum naturam, ſub qua multæ tenues fibræ exeunt, vt in Allii generibus, cum quibus affinitatem quandam habere videtur, radicis ratione, cui plerumque adhuc inhæret ſuperioris anni exſucca, & cauliculum retinens. Cùm porrò mediam quandam naturam habeat hæc planta, & peculiare caput non videretur requirere, Orchidibus ſubiiciendam eſſe exiſtimaui. Per me tamen ſemper licebit aliis, quo velint loco reponere, & nomen illi imponere. Deſcriptio

## ALLIVM VRSINVM BIFOLIVM vernum ſyluaticum.

ALlium Vrſinum *radice* oblonga Porri eſt, tenuiore, longis & frequẽtibus fibris, capillata, membrana mediocris craſſitudinis inuoluta, Allium redolente: à cuius imo ſtatim exoriuntur bina aut trina *folia* odore vehementi Allii, & guſtu feruido, læto virore ſplendentia, ſtriata, tenera, ſeſquipalmum longa, in acumen deſinentia, duas vncias lata, pediculo dodrantali virente, qui pòſt in membranam tenuem, lucidã ſtriatâmque faceſſens floris alteriuſue vicini folii pediculum ad radicis vſque fibras vaginæ in- Deſcriptio



ſtar obuoluit: eodem autem loco cum foliis ſurgunt *pediculi* bini, terni, aut plures, triangulares, Cyperi modo, dilutè vireſcẽtes in *vulgam* fœtam lariuſculam exalbidam, mucrone virente ſtriatam deſinentes, quæ vbi ſe explicauerit vmbellam oſtentat: numeroſis *floſculis*, etiã ad 40. cõſtãtẽ, candidis, in ſtellæ modum radiatis, quos conſtituunt folia ſena oblonga mucronata, intra quæ ſtamina totidem alba, ſtiluſque concolor, ex vmbilico tribus tuberculis virentibus compactili. Solet autem cùm florum tum foliorum pediculos ſimul omnes membranula eximia tenuitate pellucida, alba, ſtriataque obueſtire, quæ expanſis floribus marcida decidit. *Semen* ſuccedit trigeminum, rotundum.

Synon. Eſt hoc *Allium Vrſinum* Cordo in Dioſc. *Syluestre Allium Ophioſcorodon* appellatum. Germ. Raupem, ſiue Reinpſen & Rampſeren/ Vrſinum Plinio Eidem in hiſt. *Allium ſyluaticum*: Germ. waldknoblauch/ Geruſel, hoc Tragus Ophioſcorodon Dioſcoridis eſſe putat: Aliqui vrſinum cognominant, Figura Tragi appoſitâ. Brunf. figuram habet ſub nomine Alii ſyluestris, dicitque: Dioſcorides meminit Allii ſylu. Plinius vrſinum vocat, pro quo exhibemus Heluetis [quod quidem Io. Agricola teſtatur] dictum Ramſeren/ nominatur apud quoſdam eorum Allium agreſte.

Cæſalp. de pl. *Allium vrſinum* vocatur, de quo Plinius, loquens, inquit: eſt & ſilueſtre, quod Vrſinum cognominant, odore molli, capite prætenui, foliis grandibus.

Harchio & Trago Germ. Waldknoblauch. Otho Brunfel. ait vocari Ramſeren hoc eſt Geruſel: vocatur & Schlangen knoblauch: *Allium Colubrinum, Anguinum*, ὀφιοσκόροδον Dioſc. lib. 2. c. 141. poteſt etiam eſſe eſſe Aphroſcorodon Columellæ lib. 13. cap. 3. Serap. *Scordium*. In hiſt. lat. Allium ſylueſtre waldknoblauch.

Fuchſ. *Allium ſylueſtre tertium*, quod *Vrſinum* cognominant: Germ. waldknoblauch. Item in icon. *Allium vrſinum*, Angl. Rammes vel Ramſepen. Matth. in poſt. Ital. comment. *Aglio orſino*, qui depingit: An Anguill. Scorodopraſſum Bononienſibus *Aglio auentino & Vulpico*. Lonic. waldknoblauch/ Bamſeren/ Rampen / Gereinſel, *Ophioſcorodon, Allium Colubrinum, Anguinum, Vrſinum*.

Ophioſcoron Lonic. Geſner. de col. ſtirp. *Allium vrſinum*, de hortis, *Allium ſylueſtre bifolium, Allium Vrſinum*, hodiè nonnullis hoc eſt Arctoſcorodon. Dod. hiſt. Gall. *Allium 3. Allium Vrſinum* Neotericis: Gall. *Ail d'ours*. Belg. Borſlock. Videtur Dioſcor. Scorodopraſſum, vel vt quidam putant Ampelopraſſum. Aduerſ. Lob. & Pen. ſicut & Gerardo *Allium vrſinum*: Abſelin ſiue Moly Hippocraticum. Angl. Ramſens. Poſtea tamen dicunt, An ſit Allium Vrſinum, Hippocr. Moly, cuiuſmodi Galenus interpretatus videtur, haud certum eſt. Lobel. Obſ. *Allium Vrſinum*. Germ. Beerhunds knoblauch. Ital. *Aglio de gli orſi*. Icon plant. pag. 158. *Allium Vrſinum latifolium*. Cluſ. hiſtor. poſt. Cum Victorialis longæ foliis magnam ſimilitudinem habẽt Allii Vrſini folia, licet molliora & teneriora. Frequentiſſimum autem id eſt in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ ſiluis, coniunctim plerumque naſcens cum Lilio conuallium, ſiue Oenanthe, Auſtriacis, vt antè dixi weiſſer baldrian/ Vngar. Zent Giorgi veraga, hoc eſt, S. Georgii flos, dicta & Gewngy wyrag à nonnullis, quod ſignificat vnionis florem. C. Bauh. Phyt. *Allium* 17. ſiue *Vrſinum*. Sunt qui Dioſc. Scorodopr. aut eius Ampelopraſſum, aut Ophioſc. ſed malè, cenſeant. Camer. apud Matt. Germ. & in horto, *Allium vrſinum*, Arctoſcorodõ ſylueſtre flore albo. Quibuſdam *Cornicum Porrum*.

Vidi Bononiæ in horto Cæſaris Odonis, vt & Patauii Martio menſe in horto D. Bernardini Treuiſani, Ferrariæ in horto S. Dominici à l'Angeli. Geneuæ prorumpere incipiebant folia in horto meo in fine Martii; in principio Aprilis à *la Baſtie* incipiebat florere. Baſileæ etiam obſeruaui, & frater Caſparus in Munchſtein iuxta aquas: Inueni circa *Meſeuant* & in itinere verſus Cleremant & non longe à ponte Montbelgardenſi Vauiaucourt ad ſiniſtrum in colle, vnde trãſtuli in Hortum E. C. Lacti inditum, referente Brunfelſio, ipſum coagulare dicunt.

## ALLIVM ALPINVM



ALlio Alpino *radix* eſt obliqua nõnihil in longum bulbum deſinens, multaſque fibras perplexas emittens, inuoluitur multiplici cortice variis fibris tranſuerſim coëuntibus, & quodammodo reticulato: ſingulis annis, autore Cluſio feliciter aliis bulbis circa ipſam adnatis ſe propagat, fibris adeò implicatis, vt difficile ſit bulbos coniunctim natos & cohærentes ſeiungere, huic emergit *caulis* cubitum altus, craſſitudine minimi digiti, propter terram rubeſcens, enodis, læuis, ſuperiùs viridis, ſtriatus, fungoſus, cui inſident glomeratim congeſti *flores*, Ceparum floribus ſimiles, vnciâ longioribus pediculis hærentes, candidi, è ſenis foliis ſinguli cõſtantes, totidemque apicibus & ſtilo: quibus triquetra ſuccedunt capitula, in quibus *ſemina* rotunda, pulla: *folia* duo aut tria vagina ſua caulem complectuntur, formâ foliorum Allii Vrſini, neruoſa,

noſa, ſublonga, & lata, acuminata, ſed maiora, rigidiora: Gētianæ maioris foliis penè ſimilia vt non malè cenſet Cluſius: Noſtra icon quam iam ſculptam emimus exprimit.

Lobel. & Pena Adu. Obſ. & Icon. pl. 159. *Allium latifolium maculoſum* ſiue *Serpentinum. Ophioſcorodon.* Wirſung. Sigwurtz: *Radix victoriæ.* Cluſ. Pann. & hiſt. poſt. Copiosè naſci tradit in Durtenſtein duobus ſupra Gamingam milliaribus, vbi montanis paſtoribus Laulauch dicitur, quibus magno eſt in vſu, aduerſus corrupti aëris, & nebularum exhalationes. Inueniri & in montibus, qui Bohemiam à Sileſia diſterminant, vbi à Germanis Sigwurtz appellatur, quia qui effodiendis metallis operam dant, magnas certáſque illius vires, ſe experiri prædicant, ad ſeſe muniendum aduerſus impurorum ſpirituum inſultus, à quibus frequentiſſimè impetuntur: vnde etiam *Victorialis* nomen ab effectu inditum contendunt. Matthiol. *Allium anguinum* vocauit. Ioſias Simlerus *Allium alpinum* nuncupat, Sigwurtz & Sibenamkorn / ab inuolucrorum, quibus tanquam reticulo radix inuoluitur, multitudine. Vulgus Herbariorum *Victorialis longæ* aut maioris cognomen dedit vt à gladiolo diſcernant, cuius radicem ob corticis quo integitur, cum ſuperiore ſimilitudinem, Victorialem rotundam & paruam appellant. Geſnerus, paſſim: *Allium Alpinum radice reticulata,* vulgò Sigwurtz *Victoria radix*, ſuperſtitione quadam. Victorialis longa. Camer. in horto *Allium Alpinum: Victorialis mas & fœmina.* Mari folia multò ſunt latiora, fœminæ verò anguſtiora. Apud Matthiol. Germ. *Allium anguinū, Victorialis longa.* C. Bauhin. Phyt. *Allium* 18. ſiue *Serpentinum foliis oblongis*, ea Lobel. ſuæ figuræ vt & Matthiol. non depingit: melior ergo Camer. & Lugd. Item allium 19. ſiue Serpentinum foliis rotundioribus, ſiue Alpinum mas Camer. à nemine adhuc pictum. Pingit Porta allium Alpinū, nomine allii anguini: conſiderandum autem an maculatus caulis, & an idem cum Ophioſcorodo. Tabern. *Allium Alpinum, Victorialis mas.* Gerard. *Allium Alpinum latifolium* ſeu *Victorialis* Brode leaned montaine Garlich.

Allium Alpinum collectum in horto veteris amici mei inſignis Medici & profeſſoris in Academia Argentinenſi D. Melchioris Sebitzii plātaui Montbelgardi in horto Ill. E. C. vbi floret & ſemen fert. Geneuæ habebam in horto, allatum ex montibus, folia protendebat in fine Martii. Baſileæ vidi in horto D. Doct. Fœlicis. D. Fridericus Meyer dedit mihi ſemina nomine Victorialis longæ cùm eſſem Argentinæ 1594. Heidelbergæ vidi in horto D. Sprengeri, audio non longè prouenire ſponte.

Perhibetur teſte Wirſung. radicē Victorialis collo perpetuò appenſam arcere contractionem. Et, ſi Portæ fides habenda, crematum vitiligini, lentigini, & ſugillationibus valet. Galenus ſatiuo validius eſſe dixit, ſerpentes abigit odore, beſtiarum omnium ictibus medetur: præcipuè hæmorrhoidibus. Allium alpinum, ait D. Balth. Hamelius pharm. ſe expertū ſedare conuulſionis ſpeciem, dictā krampff: ſe porrò intellexiſſe ſedare dentium dolores.

## MOLY VETERIBVS.

MOly, inquit Dioſcor. *folia* habet graminis ſimilia, ſed quæ latiora ad terram ſunt: *flores* violæ albæ ſimiles, lactei coloris, minores tamen, & cum violæ purpureæ floribus comparandos: *caulem* album longitudine quatuor cubitorum, in cuius cacumine eſt Allii ſpeciem referens quiddam: *Radix* parua eſt, bulboſa. Hæc valdè commoda eſt ad vteri apertiones, trita cum irino vnguento, & in peſſo appoſita. Hæc deſcriptio, inquit Cornar. videtur eſſe veri illius Homerici Moleos, quod Mercurius Vlyſſi contra Circes veneficia dedit: de quo ita Odyſſ. 10. poëta cecinit.

*Sic fatus diuulſam è terra porrigit herbam.*
*Mercurius, ſimul & naturam me docet huius.*
*Radix magna huic, ſed lacti flos concolor exit:*
*Moly vocant ſuperi.*

De hoc Plinius lib. 25. cap. 4. ita ſcribit. Clariſſima herbarum eſt Homero teſte, quam à Diis vocari putat *Moly*, & inuentionem eius Mercurio aſſignat, contráque ſumma veneficia demonſtrat. *Locus.* Naſci eam hodie circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda, nigraque, magnitudine Cepæ, folio ſcillæ. *Scillæ folio.* Effodi autem difficulter. Græci autores florem eius luteum pinxere, quùm Homerus candidum ſcripſerit. *Flore luteo.* Inueni è peritis herbarum Medicis, qui & in Italia naſci eam diceret, afferríque è Campania vidi, aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, radicis triginta pedes longæ, ac ne ſic quidem ſolidæ, ſed abruptæ. *Radix 30. pedes longa.*

Plinius hęc partim ex Theophraſto [lib. 9. c. 19. inquit Tragus,] tranſcripſit, Cuius verba hęc ſunt, Gaza interprete: Moly apud Pheneum exit, atque apud Cyllenem eſſe (quemadmodum Homerus dixit) affirmant: radice rotunda non abſimili Cepæ, folio Scillæ. Vſum eius contra veneficia ſummum, non tamen effodi difficulter, vt ait Homer. Hæc Theophraſt. Plinius tamen Homerum ſequutus, eam difficulter effodi tradit. Naſo quoque Poëa, Homerum ſectans, ait,

*Pacifer huic florem dederat Cyllenius album,*
*Moly vocant ſuperi nigra radice retentum.*

At contra hos omnes Galenus Moly hoc non habet, ſed Mylen appellat, & Dioſcoridem citans ſic ait, Myle radix quæ bulbo paruo ſimilis eſt, conſtringendi vim habet. *Myle Galeno.* Quare cum loliacea farina appoſitam ipſam vterum apertum ſanare dicit Dioſcorides. Hæc Galeni verba nullum alium Dioſc. locum citant, quàm præſentem, quo de Moly agit. *Dioſc. malè interpretatur.* Nam & ipſe radicem paruam bulboſam ei attribuit, & vim conſtringendi apertum vterum aſſignat, dum ait, αὐτὴ σφόδρα ἀγαθὴ πρὸς ὑστέρας ἀναστομώσεις. Non enim accipiendum eſt commodam eſſe ad aperiendos vteros, videlicet concluſos, velut à multis intellectum eſt, ſed aduerſus vteros apertos, vt ſcilicet conſtringātur ac concludantur. Eſt enim συναγωγὴ μήτρας ἀνεστομωμένης, vt Galeni verba clarè habent. Atque ad hanc rem haud ſcio an non magis idonea ſit farina loliacea, quam Galenus illi ammiſcendam eſſe dicit, quàm vnguentum irinum, cum quo tritam illam Dioſcor. in peſſo apponere iubet. Certè lolium in tertio ordine calefacit ac ſiccat, vt ad hiantem & apertum vterum non ineptum eſſe poſſit. Irinum autem vnguentum contrà mollit, & vteri concluſionibus conducit, & hæmorrhoidas aperit, velut lib. 1.

c.53. Dioſc. docuit.Et tamen etiam ſic idoneũ videtur, vt radix cũ ipſo teratur, & in peſſo ſubdatur. Mihi itaque videtur omninò fieri potuiſſe, vt alterum pro altero, vel apud Dioſc. vel apud Galenum, à Librario agnitum ſit, & ob ſimilitudinem ſuppoſitum. Sed cur Moly in Mylen Galenus mutarit, nulla mihi ratio ſuccurrit: niſi & hic Librarii error putandus eſt. In hac autem diſſenſione, faciliùs etiam ferendum eſt nobis Moly hoc in totum ignotum eſſe. Ad quem modum Cluſius Hiſp. ait: Moly quod Plinius in Italia naſci ſcribit mihi incognitum nec quenquam audire vel ſcribere memini, qui ſe vidiſſe diceret.

Cæterùm μώλυ ἀπὸ τοῦ μωλύειν ab amoliendis morbis, C. Bauh. dictum contendit.

## MOLY DIOSCORIDIS PARVVM quibuſdam.



Deſcriptio

FOlia profert graminea, in terram nonnihil reclinata, hirſuta, Allium olentia & reſipientia: *caulis* teres pedalis, læuis, rotundus, cauus, in cacumine diſruptâ, mẽbranâ vmbellam gerit *florum* candidorum, flores Allii Vrſini exprimentium, maiorum paullò, & ſex foliis cõſtantium. *Radix* bulboſa, Allii aut Auellanæ magnitudine, nigricantibus membranis inuoluta, intus candida, ſucculenta, calidiuſcula & ſubingrato odore.

Synon.

Camet. apud Matth. *Moly*, cuius Matthiolus meminit. C. Bauh. Phyt. *Moly ſecundum* ſiue *minus*. Matth. in poſtr. comment. Ital. *Moly* à Cortuſo miſſum, vero ac legitimo. Dioſc. Moly, ſimilima planta: quod Gal. l. ſimpl. 7. *Myle* dicit. Hiſt. Lugdun. *Moly* Matthioli, idem prorſus opinatur, quod Cluſius vidit Gadibus.

Locus. & tempus.

Naſcens hoc Moly, & initio Februarii flores proferens Gadibus, eâ veteris vrbis parte quæ in mare protenditur, eruebam, teſte Cluſio, non procul à ſacello locum occupante, in quo Herculis templum fuiſſe ferunt Moly quod Dioſcoridis dicitur vidimus Patauii apud Iacobum Anton. Cortuſium Nobilem Patauinum, & in horto publico Patauino: odorem habentia Allii: prorumpentia Ianuario & Februario: ab eo etiam ſemina accepimus: Viſum etiam à nobis florens menſe Aprili Bononiæ in horto Nobilis *di Gonzadinis*. Semina accepi Stutgardiâ ex horto Ill. C. VVitt. ferenda Montbelg.

## MOLY MINVS FLORE orbiculato maiore.

MOly Dioſcoridis antè dicto valde ſimile illud, inquit Cluſ. hiſt. poſt. Moly minus,



quod Moerkercæ Flandrorum in cultiſſimo ſuo horto alebat de Dranoutte, Moerkerken, &c. *Caulis* eius palmaris, viridis, denos aut plures ſuſtinẽs *flores* 6. niueis foliolis, non mucronatis, ut ſuperioris, ſed orbiculatis & maioribus cõſtantes, ſenis in medio ſtaminulis, inter bina porracea quodammodò, ſed anguſtiora *folia* aſſurgebat: *radix* erat rotunda, candicans, nucis ponticæ magnitudine, albicantibus fibris prædita. Vnde habuiſſet ignorabat, ſed ſemine peregrè accepto ſibi natam eam plantam augurabatur.

Deſc

## MOLY THEOPHR. MAGNVM



De

DVo aut tria ex *radice* bulboſa, foris nigricante, intus alba, promit *folia*, longa, lata, craſſiuſcula, Scillæ foliis accedẽtia, tria aut quatuor longiora, inquit Cluſius, inuicem amplectentia, *caulis*, nudus, cubito maior, craſſus, concauus, candidicans, rotundus, *foliis* expers, *flores* in ſummitate, quaſi ex vmbella, gerit ſtellatos, albos, ex longiuſculis pediculis, quos excipiunt capitula triquetra *ſemen* continentia nigrũ, Ceparum ſemini ſimile. Addit *Cluſius* iuxta caulem inter folia alius plerumque exit cauliculus planus & foliaceus, ſeu verius folium ſummo veluti Allii nucleum gerens, initiò candicantem, deinde palleſcentem, qui, terra exceptus, germinat, & eiuſdem generis plantam profert.

Anguill. vt exiſtimat, *Moly* Theophr. & non Dioſc. Adu. Lob. & Pen. An hic flos dicatur Moly liliflorum Homericum fortè? Obſ. & Ic. Pl. Moly liliflorum bulbum in lilio gerens Theophr. & Homericum fortè. Videant lectores & perpendant an flos ritè deſcribatur. Differt à Dioſc. Moly quod Theophr. lib. 9. cap. 15. & poſt eum Plinius lib. 25. cap. 4. ex Homero deſcripſerunt. Moly

Home-

Homericum, cuius Theophraſt.& poſt eum Plinius meminere: radicem negat (teſte Cluſio) Theophr. difficulter effodi vt Homerus tradit. C.B.Phyt.*Moly* 1.ſiue *Maius*. Hoc Theophraſt.eſt Moly fortè & Plinii radice rotunda. Sunt qui velint Scillæ 2.genus eſſe quod Pancratiũ Dioſc.

Moly quod Theophraſti quibuſdam dicitur, primò ſiccum vidimus apud Cort.Nob. Patauinum, poſtea virens in eiuſdem horto & [ſiccam plantam quis videns Allii magnum genus dixiſſet.] obſeruauimus ferè florens menſe Aprili: Bononiæ in horto Nobil. di Gonzadinis & S. Saluatoris al burgo di S.Catharina, præterea in horto publico Patauino. Baſileæ quoque in horto D. Fœlicis Plateri Florentem Maio. A Sprengero accepi Heidelberga ſemen Moly maximi quod Montbelg.ſatum in horto Ill. E. C. Alitur hoc apud nos (inquit *Cluſius*) in hortis ab herbariæ rei ſtudioſis, & Maio menſe floret.

## MOLY INDICVM SIVE CAVCASON.





MOLY Theoph. foliis & reliquâ formâ ſimile, nunquã *flores* apud me, neque apud multos alios protulit: ſed eorum loco *caulis* pedalis, ferè planus, adeò infirmus, vt, niſi aliquo fulciatur adminiculo, attolli non poſſit, ſummo faſtigio conglomeratum caput fert, multis velnti Allii ſpicis meſpili vulgaris magnitudine conſtans, initiò viridibus, deinde palleſcentibus, quæ etiam in terra non repoſitæ, germinant, telluri tamen commiſſæ, in maiores bulbos adoleſcunt, *foliáque* & *caules* (non tamẽ ſingulis annis,) producunt: *radix*, vt alterius, çepacea, rotunda, alba, multis tunicis ami-cta, quarum externa fuſca, vetuſtate ſeſe ſeparans, & in alios bulbos pangens. Aiunt apud nos [inquit Cluſ.Hiſp.& hiſt. poſt.] herbariæ rei ſtudioſi aliud quoque Moly genus, quod Indicum vocant (alii barbaro nomine *Caucaſon*,) quoniã ex India primùm in Hiſpanias perlatum eſſe ferunt, & inde ad Italos tranſiuiſſe, ab illis certè Belgæ acceperunt. Lob.Obſ.*Caucaſon*, Moly Indicum vocatum quod nos Lutetiæ vidiſſe meminimus in horto Caſtellani, ſummo caule bulbulos ſphærico pericarpio membranaceo incluſos gerebat: qui depacti facilè propagantur. Folia bulbus & reliqua, cum Moly Liliflore ſiue Theophraſti ſimilia. Suſpicamur nos Lobelio non benè notum Moly Indicum, id quod veriſimile apparebit conſideranti eius deſcriptionem & iconem quam hic proponimus primo loco, ſi quis conferat cum deſcriptionibus & iconibus Cluſii & Imperati cuius iconem proponimus addito folio ex icone Cluſii. Caſp.Bauh. Phyt.Moly 4.ſiue Indicum. Ferd.Imper.Moly Indici & Caucaſo nomine demonſtrata planta, ſpecies eſt bulbi, cui parui bulbuli ſunt pro flore & ſemine, ſinguli ſingulos habentes folliculos:

Creſcit Conſtantinopoli, Viennamque adferri vidit, (dum iſtic viuebat) Cluſius, Zumbul Arabi bulbis permixtum: & inde fortitan, etiam in Italiam: à D.tamen uiro Ferd. Imper. intelligebat, Neapolitano regno ſpontè naſci.

## BVLBVS ESCVLENTVS VETERIBVS

HVc vſque proſequuti ſumus culinariorum bulborum hiſtoriam, graueolentium quippe, Cæparum. Porrorum, & Alliorum, quibus ſuccedunt bulbi ſuauem gratũ nque odorem ſpirantes, qui & ipſi eſculenti & non-eſculenti. Deſcriptio

Theophraſt. lib.7.cap.13. autore, Bulborum plura eſſe genera manifeſtum. Magnitudine ſiquidem, colore, figura, & ſapore differunt. Alicubi enim adeò dulces naſcuntur, vt per ſe ſine condimento alio edantur, quales in Taurica Cherroneſo. *Et paulò inferius*. Quùm & bulboſa plura, nec iis [lanigeris herbis] pauciora notare licet: Leucoion (Violam albam, Gaza) Bulbinem, Pytion [Opitionem Gaza] Coicen [κόιξ, legendum non κύιξ vt Gaza) & Siſyrinchium quodammodo, quæ quidem redigi ad bulborum genus deſiderant, quòd radice orbiculentur. Nam colore quidem penitùs diſcrepant, cãdent enim, nec ſquamis conſtant. *Quæ ſic reddidit Plinius*: Bulborum genera differunt colore, magnitudine, ſuauitate: quippe quum quidam crudi mandantur, vt in Cherroneſo Taurica. *Et paulò poſt*: Genera Græci hæc fecerunt, bulbinem, ſitanion, pyton, acrocorion, ægilopa, Siſyrinchium. In hoc mirum, imas eius radices creſcere hyeme: verno autem quum apparuit Viola, minui ac cõtrahi. Tum deinde bulbum pingueſcere, inquiunt Cornar.& Theophraſt. Apparet locos eſſe corruptos. Nec idem, nec eodem modo dicunt. Idem tamen Plinius eodem loco Catonem Megaricos bulbos maximè celebrare ait. Poſt illos in Taurica Cherroneſo natos ipſe probat. Poſt hos, inquit, in Africa nati maximè laudantur, mox Apuli.

Sed hîc obſeruandum eſt, duo Bulbos propriè appellari, Eſculentum ſcilicet & Vomitorium, Verùm generaliter omnes Olerum radices, quæ ſimilitudinem ad bulbos habent, bulbos appellari. Sic Celſ.lib.2.cap.18. Ex oleribus valentiora Rapa Napíque & omnes bulbi, in quibus Cepam quoque & Allium numero.

Quoad Bulbum ſatiuum, etſi ab annis 28.ma-

gno labore perquiſiuerint, Turnerus in Anglia, Germania, & Italia nuſquam tamen inuenit, neque ex Recentioribus aliquem legit, qui vidiſſe ſe dicat, excepto Amato Luſitano, cui tamen reuera ignotus fuit perinde ac mihi vel Matthiolo. Cepam paruam, Hetruſcis *Cipolla maligia*, Romæ verò Aſcaloniam dictam Bulbi eſculenti ſpeciem eſſe volunt quidam: Sed Amati, Lacunæ, & Matthioli iudicio falluntur: Eorumque error manifeſtè deprehenditur ex Theophraſto qui Aſcalonium fiſſileque Cepe inter Ceparum genera libro 8. cap. 4. de plantarum hiſtoria recenſuit, non autem inter Bulbos, de quibus ſpeciatim diſſeruit lib. 7. cap. 13.

*Amarus.* Sunt etiam qui Hyacinthum comoſum in Bulborum eſculentorum claſſe ponant, ſed eorum ſententiam probare non poſſum. Huius vires Dioſc. in hunc modum proſequitur, Bulbus eſculentus (βολβὸς ἐδώδιμος) quem edimus omnibus notus, ſtomacho commodus, itemque aluo, fuluus, & qui è Libya affertur. Verùm amarus, & ſcillæ ſimilis, ſtomacho commodior & concoctionem adiuuat. Omnes autem bulbi acres ſunt, & calefaciunt, & ad Venerem concitant. Quare Martialis Poëta in Xeniis;

*Scilla ſimilis.*
*Acer.*

*Quum ſit anus coniunx, & ſint tibi mortua membra,*
*Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.*

Exaſperant linguam & Tonſillas, multùm nutriunt, carnes gignunt, inflationes faciunt. Iidem impoſiti faciunt ad luxata, contuſa, ſpicula infixa, & ad articulorum dolores, gangrænaſque ac podagras, cum melle & per ſe. Item ad hydropicorum tumores, & canum morſus, ſimiliter cum melle & Pipere trito impoſiti. Cohibent etiam ſudores, & ſtomachi dolores ſedant, & furfures ac vlcera capitis manantia, cum nitro aſſato detergunt. Purgant & ſugillata & varos, per ſe & cum oui vitello: & lentigines cum melle aut aceto. Contuſas aures & contuſos vngues cũ polenta ſanant. Auferunt etiam ficus, in calido cinere aſſati, & cum mænarum capitibus vſtis. Vſti verò & cũ Alcionio permixti ac in Sole illiti, maculas Solares & cicatrices nigras depurgant. Si verò cum aceto cocti edantur, ad rupta faciũt. Cæterùm copioſum ipſorum eſum vitare oportet, eò quòd neruos lædant. Hinc Ouidius.

*Daunius an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris.*
*An veniat Megaris, noxius omnis erit.*

*Galeni. Bulbi temperamentum.* Marcellus Medicus empyricus. Veretrum inquit cap. 12. id eſt bulbus, quod eſt genus Cepæ, in aceto decoquitur, idque acetum ore continetur, vt mobilitas dentium ſiſtatur. Cæterò vt Dioſc. reiectanea perhibent. Cum polenta & adipe ſuillo coctus, appoſitus, tumores & tubercula compendio ſuppurat & rumpit. Bulbum cibarium velut omnibus notum, non deſcripſit Dioſc. inquit Corn. fuluum eſſe, & à Lybia afferri: dixiſſe contentus, & alterum amarum eſſe, & Scillæ ſimilem. Nec Galenus ſexto Simpl. phar. aliud dixit, quàm bulbum qui editur, frigidiorem eſſe & craſſiorem, & viſcoſum humorem gignere. Nã & ægrè concoquitur, inquit, & flatuoſus eſt, ac venerem ſtimulat. Impoſitus autem, eò quòd amaritudinis & adſtringendi facultatis particeps eſt, adſtringit & glutinat, & nimiùm ſiccat. Idem 2. de aliment. Editur, inquit, bulborum radix abſque foliis, in vere aliquando etiam aſparagus. Habet autem in ſeipſo amaram & auſteram vim manifeſtam. Quare etiam ſtomachum exolutum quodammodo excitat ad appetentiam. Nec aduerſatur his qui ex thorace & pulmone expuitione opus habent, etiamſi naturam corporis craſſiorem & viſcoſiorem habeant. Verùm amaritudo reſiſtit craſſitudini; vt cuius natura eſt ſecare viſcoſa ac craſſa. Vires bulborum diligenter præſcribit Plin. lib. 20. cap. 10. Cæterùm bulbi ex aceto & ſulphure vulneribus in facie medentur. Per ſe verò triti neruorum contractioni, & ex vino porrigini: cum melle canum morſibus. Eraſiſtrato placet cum pice. Sanguinem idem eos ſiſtere tradit illitos cum melle. Alij ſi è naribus fluat, coriandrum & farinam adijciunt. Theodorus & lichenas ex aceto bulbis curat, & erumpentia in capite cum vino auſtero aut ouo. Et bulbos epiphoris idem illinit, & ſic lippitudini medetur. Æquè vitia quæ ſunt in facie, eorum rubentes maximè, in Sole illiti, cum melle & nitro emendant: lentiginem cum vino, aut cucumi cocto. Vulneribus quoque mirè proſunt per ſe, aut (vt Damion) ex mulſo, ſi quinto die ſoluantur. Iiſdem & auriculas fractas curat, & reſtium pituitas. In articulorum doloribus miſcent farinam. In vino cocti illiti ventri, duritiem præcordiorum emolliunt. Dyſentericis in vino ex aqua cœleſti temperato dantur. Ad conuulſa intus, cum ſilphio pilulis fabæ magnitudine. Ad ſudorem tuſi illinuntur. Neruis vtiles: ideò & paralyticis dantur. Luxata in pedibus, qui ſunt rufi ex his, citiſſimè ſanant cum melle & ſale. Venerem maximè Megarici ſtimulant. Hortenſes partum cam ſapa aut paſſo ſumpti. Sylueſtres interaneorum plagas & vitia cum ſilphio pilulis deuoratis ſedant, & ſatiuorum ſemen contra phalangia bibitur in vino. Ipſi ex aceto illinuntur contra ſerpentium ictus. Semen Antiqui bibendum inſanientibus dabant. Diocles oculos hebetari ab iis putat. Elixos aſſis minùs vtiles eſſe adiicit, & difficilè concoqui, ex vi vniuſcuiuſque naturæ.

---

## BVLBVS VOMITORIVS Veteribus.

AT qui ab effectu, Vomitorius Bulbus vocatur, *folia* habet, inquit Dioſc. multò lentiora quàm Eſculentus. *Radicem* autem ſimilem, cortice nigro. Qualis autẽ herba vomitorius ſit Bulbus hodie non cuiuis notũ ait cum Cordo Turnerus: nonnulli verò eundem cenſent cum radice Narciſſi de quo Dioſcorid. lib. 4. cap. 155.

Radix ſi edatur per ſe, & ſi decoctum ipſius bibatur, veſicæ affectiones ſanat, & vomitum mouet. inquit idem Dioſcorides.

Nec miremur cum Marantha Bulbum vomitorium in cibo ſumptum veſicæ malis mederi: namque id quod Grecè eſt αὐτὴ ἐσθιομένη καθ' αὑτὴν Ruellius vertit, ea radix manſa: cùm potiùs eſſet ſic vertendum, Hæc per ſe comedatur, vel, vt Marcellus, quæ in cibo ſumpta: eadem confuſio eſt in Scandice, in Ornithogalo & multis aliis, quæ mandi ait Ruellius: cùm potiùs edi vel in cibo ſumi dicendũ eſſet. Verùm cùm familiare quodãmodò ſit Plinio, vt hoc verbo mandi vtatur pro eo quod eſt edere, vt in Bulbo vomitorio cuius radicem mandi ait l. 19. c. 5. voluit Ruellius magis eſſe cum Plinio confuſus quàm per ſe ipſe diſtinctus. Galenus de hoc teſtatur, ipſum multò calidiorem eſſe eſculento.

* * * *

GYA-

## HYACINTHI HISTORIA EX VETERVM Sententia.

HYacinthus ait Dioſc. *folia* habet bulbo ſimilia: *caulem* palmi altitudine, læuem, paruo digito tenuiorem, viridem: cui incumbit coma incurua purpureo flore plena: radicem etiam ipſam bulbo ſimilem.

Plin. lib. 21. cap. 11. Vernos flores prout citò aut ſeriùs proueniunt, recenſens, etiam Hyacinthi meminit. Poſt hãc Gladiol⁹ comitatus Hyacinthis inquit. Et mox, Hyacinthus maximè durat. Et hæc ex Theoph. lib. 6. Hiſt. ſtirp. tranſcripſit (inquit Cornar.) Sed paulò poſt de ſito addit. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius, quem Apollo dilexerat: aut ex Aiacis cruore editi ita diſcurrentibus venis, vt Græcorum literarum figura, αι, legatur inſcripta. Hanc autem duplicem fabulam Ouidius Poëta in vnam contraxit, & αι, literarum figuram non Aiacem referre dicit, ſed Apollonis luctum. Sed atteſtante Corn Hyacinthum plantam, Ouidius non aliam eſſe cenſet, quàm eam quæ à noſtris Braune lilien appellatur, id eſt, lilium purpureũ. Et ſanè tota Hyacinthi deſcriptio in Dioſc. neque in foliis, neque in caule, neque flore, neque radice, ab illo purpureo appellato Lilio abhorret. Itaque etiam Virgilio ſuaue rubens Hyacinthus dicitur, & mollis ab eodem appellatur, Nouit idem etiam, & in quæſtionem proponit, literarum in Hyacintho figuras, dum in Palæmone ſic ait.

*Dic quibus in terris inſcripti nomina regum*
*Naſcantur flores.*

Et de hoc Hyacintho Plin. l. 21. cap. 26. ſic tradit: Hyacinthus in Gallia eximiè prouenit. Hoc tibi pro cocco hyſginum tingitur. Radix eſt bulbacea, mangonicis venalitiis pulchrè nota.

Quum autem Hyacinthum etiam *Vacinium* appellari, in ſuppoſ. apud Dioſcor. legatur: & aliquibus Vacinii vox, ex Hyacintho facta eſſe videatur, id quod Plinius de Vaciniis lib. 16. cap. 18. tradit, planè ad Hyacinthum pertinet, & locũ illum, quem iam citauimus de Hyacinthi in Gallia tinctura, exponit, quapropter huc transferimus: Vacinia, inquit, Italiæ in aucupiis ſata prouenit. Galliæ verò etiam purpurea tingendi cauſa, ad ſeruorum veſtes. Vult enim Plinius Vacinia quæſtus gratiâ ſeri in Italia. Sic enim ego hunc locum accipio, etiamſi Plinius non apertè Vacinium eſſe Hyacinthum dixit. Eſſe autem Hyacinthũ ſylueſtrem & ſatiuum, Theophraſt. teſtatur his verbis: ὀλιγοχρόνια γὰρ καὶ τῶν ἀγρίων τὰ λοιπὰ πλὴν τοῦ ὑακίνθου, καὶ τῆς ἀγρίας, καὶ τῆς σπαρτῆς: αὐτὴ γὰρ διαμένει. Quin & Verg. dum ait,

*Et nigræ Violæ ſunt, & Vacinia nigra.*

Et alibi,

*Alba Liguſtra cadunt, Vacinia nigra leguntur.*

Et rurſus,

*Mollia luteola pingit Vacinia caltha.*

Non de aliis Vaciniis loquitur, quàm de iis quæ & Hyacinthorum nomine veniunt. Nigra autem dixit purpurea, ſicut Violæ purpureæ, appellantur nigræ. Atque ſic modò Hyacinthi appellatione vtitur, modò Vaciniorum, pro eadem plãta. Sicut quoque Plinius eundem vſum ad tingendum, modò Vaciniis, modò Hyacintho adſcripſit, diuerſis appellationibus in eadem re vſus, tametſi tota Hyacinthi deſcriptio in Dioſc. purpureo huic Lilio velut dixi, reſpondeat: tamẽ ſcio alios aliud Hyacinthi genus agnoſcere, quod noſtri Mertzblumen / id eſt, Martios flores vo- flo-

cant, in multa genera diſtinctos. His itaque nõ repugno, ſed quæ ego produxi ſimul expendenda citra contentionem propono.

Conſtat igitur ex Cornario, Hyacinthũ Dioſc. Theoph. Plinii, Ouidii, Vergilii & Galeni Braune lilien Lilium purpureum eſſe.

Radix cum vino albo pueris impoſita, autore Dioſc. impuberes ſeruare creditur. Siſtit autẽ aluum, & vrinam ducit pota. Opitulatur quoque commorſis à phalãgio. At ſemen maiore adſtringendi vi præditum, & ipſum in theriaca medicamenta aduerſus venenatas beſtias commodum eſt. Morbum regium quoque depurgat cum vino potum. Galen. ſimpl. Hyacinthi radix bulbi ſpeciem præferens, ordinis primi eſt in ſiccando, ſecũdi in frigeſaciendo iam completi; aut etiam tertii initio. Proinde diutiſſimè impuberes pueros aſſeruare creditur impoſita cum vino. Semen leniter exterget & adſtringit. Quare etiam in morbo regio datur cum vino, ſiccans iam tertio ordine, ſed in caliditatis & frigiditatis medio cõſiſtens. Radix ex Plinio in vino dulci illita, pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. Torminibus & araneorum morſibus reſiſtit. Vrinam impellit. Contra ſerpentes & ſcorpiones, morbúmque regium, ſemen eius cum Abrotono datur. Et hæc partim etiam Dioſc. habet. Vires

## HYACINTHVS VERNVS BOTRYOIDES minor, cæruleus, anguſtioribus foliis, odoratus.



BVLBVS huic qualis Hyacintho ſtellari vulgato, oblongus, fibris multis capillatus, tunicis compactus, ſapore viſcido & amaro: *folia* ſena, nouena, dena, iuncea, carinata, ſtriata, viridia, propter terrã purpuraſcentia, *caule* palmo nonnunquam longiora: *caulis* vnus, interdum duo, dodrantales, teretes, læues, propterque terram, vt folia, rubeſcentes, per reliquum herbaceo colore præditi, excepto ſcapo ſaturo cæruleo tincto, qui *flores* ſuſtinet ex breuibus pediculis in racemum duas vncias longum congeſtos, odoratos, in vrceoli modum concauos, deorſum nutantes, purpureo violaceos, oris albidis, crenatis: quorum qui extremum botrum claudunt longè minores, dilutiore purpurâ infecti, nullà tamen albedine oras picti, non ita nutant: ſed vel ſurrecti, vel rectà foras porrecti coma explicata ſubiectos flores inumbrant. Seriùs hic floret quàm Botroydes, qui mox ſequitur. Deſcriptio

De hoc & ſimilibus ſcribit Cluſius Pann. & poſt. hiſt. Spontè pleriſque Pannoniæ locis & copioſè naſcitur Hyacinthus ille Hiſpaniis & Galliæ Narbonenſi vulgaris & paſſim obuius in a-

grorum marginibus & ſecundum vias, quem ego à floribus racemi in modum extremo caule congeſtis *ϐοτρυώδην* cognominò, nonnulli comoſum minorem appellare malunt: nec deſunt qui Bulbinem Plinii eſſe putent: Herm. hunds knoblauch/id eſt, caninum Allium: Belgæ à racemi inſtar congeſta florum ſpica druynerens appellant. Eius duo inueniuntur genera vnum craſſioribus, longioribuſque foliis, florum etiam, racemo longiore, denſiore, & odoratiore; alterum minora omnia habet, & magis vulgare eſt. Iſtorum duorum generum flores ſaturum admodum colorem habent, & quaſi nigrum. Eſt verò & tertium genus breuioribus, latioribus, firmioribuſque foliis quæ humi diffundi non ſolent, nec flexuoſa ſunt vt ſuperiorum, ſed ſurrecta: huius flores licet ſuperioribus formâ ſimiles, longè tamen aſpectu hilariores, dilutioris purpuræ, atque in cæruleum tendentis colore præditi ſunt. Id genus Viennæ, aut vicinis locis ſpontè non naſcitur, ſed ex Tyrolenſi comitatu delatum eſſe fertur. Similes porrò omninò plantæ non modò Viennæ, ſed etiam antè in Belgica è ſemine Hyacinthi botryoidis, lacteo atque è niueo purpuraſcente flore (binæ eius enim inueniuntur differentiæ) natæ ſunt: & inter illas etiam quæ ramoſam tulerunt florum Vuam, hoc eſt, quæ Vuæ in modum plures congeſtos habuerunt racemulos, alios aliis minores & graciliores: quibus ſimiles plantas ſemine albi à me communicati natas habuit plures quàm quadragenas Ill. Balthaſar de Batthyan in Zolonoch ſub Martii finem florentes, Anno 1585.

A Dodon. hiſt. lat. de fl. & in fol. dicitur *Hyacinthus racemoſus* & inter Neotericos. I. folia quaſi rotunda: flores colore cæruleo, aliàs diluto, aliàs ſaturato: ſubinde candido, aut ex albido dilutè admodum purpuraſcentes: Hyacinthum Botryoidem nonnulli cognominant. Ex eſculentorum bulborum genere aliquo eſſe videtur. &c. Verùm hoc notandum, Dodon. non diſtinguere Hyacinthum odoratū ab inodoro, ſiue à Fuchſio exhibito, de candido & albido poſtea agemus.

Lobel. & pen. Adu. *Hyacinthus comoſus minor*, Quidam Bulbinum Plinii veriorem autumāt: vulgus Prouincialium *Barrilitz* vocat, quaſi lagenulas: foliis iunceis. Addit in obſ. dici quoque *Bulbum eſculentum, Hyacinthum ſilu. Cordi. Hyacinthum exiguum Tragi. Hyacinthum Botryoiden Herbariorum.* Item Ic. Pl. p. 107. *Hyacinthum Botryoiden vulgarem.* Et pag. 108. *Hyacinthum cæruleum amoenum.* Nos Hyacinthum ſilueſtrem Cordi non dixerimus, ſicuti Geſnerus, vt & Dod. aliter ſentiunt. Nec etiam cum Lobel. ſentimus, hunc Hyacinthum eundem eſſe cum Hiacintho exiguo Tragi.

*Lobel. notatur.*

Tabern. icon. p. 625. tres Hyacinthos tradit, quorum primus depingitur nomine Hyacinthi cærulei minoris Klein blaw Mertzen blumen, Alter p. 628. titulo Hyacinthi botryoidis incarnati leibfarb trauben hyacinth: Tertius his verbis, Hyacinthus botryoides cæruleus maior Groß veyel braun trauben hyacinth. Fieri fortè fortuna poteſt vt his Tabernæ figuris aliqua conueniat Hyacintho Botryoidi inodoro, id tamen aſſerere non auſim, peritiores de iſtis iudicent, ſiquidem Compilator non deſcribit nec diſtinguit.

Gerard. cæcus, cæci ducis Tabernæ tres figuras ponit: Quarum prima *Hyacinthus Botryoides cæruleus* Blaw Grape flower. Altera *Hyacinthus Botryoides cæruleus maior*, Great Grape flower. Tertia *Hyacinthus botryoides cæruleus amœnus*, Skie coloured Grape flower.

Camer. horto *Hyacinthus botryoides odoratus Pruni odorem referens maior.*

C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus* 22. *racemoſus maior cæruleus Botryoides Cluſii, Cæruleus amœnus Lobelio.* Item *Hyacinthus* 24. ſiue *racemoſus minor anguſtifolius primus Trago. Bulbine* Geſnero. *Hyacinth. vulgi* Lob. quibuſdam *Bulbus coronarius* Theophr. 6. hiſtor. pl. Variat floris colore cæruleo diluto, ſaturato, candido, exalbido, dilutè purpuraſcente ſeu incarnato. Camer. & frater C. Bauh. hac in re longiùs à nobis recedunt, & à verò declinant. Sunt enim occaſiones cur Tragi Hyacinthum & Bulbinem Geſneri huc nō referendū cenſemus, ſed ad Hyacinthum inodorum. Si Hyacinthus de quo hic agitur, ſolo colore ita variat cur non demonſtrant: Scimus Dodonæum ſcribentem de hoc Hyacintho meminiſſe diuerſorum colorum, verùm is comprehendit alias ſpecies quæ ſub aliis titulis traduntur.

Plæriſque Italiæ, Germ. Galliæ, ac etiam Hiſpaniæ locis (experientia Dodon. adſtipulante) hic Bulbus exit: reperitur & in Belgio in Atrebatum ac Marinorum finibus, in ſyluis ac nemoribus: Folia eius qui ex Hiſpania in Belgiū allatus eſt, ante hyemem exeunt, Germanici verò ac Belgici non ante ver: flores Martio vigent aut Aprili. Hyacinthum botryoidem minorem cæruleum foliis anguſtis & longioribus habeo in horto E. C. Montbelg. à me plantatum, qui tardiùs floret ſequenti & diutiùs, ac ita ſe multiplicat vt tandem moleſtus ſit: non differt meo iudicio ab eo qui Monſpelij paſſim prouenit, florétque. Lugduni in agris ſpontaneum vidi florētem Maio ac etiam Parauij, & in montibus Appenninis ſiue Bononienſibus, nec non Baſileæ in hortis. Repertus etiam ad Caſtellum Sponeck Illuſt. E. VV. iuxta Rhenum, vnde in prædictum delatus hortum.

HYACINTHVS BOTRYOIDES, vernus: minor, latifolius, cœruleus, idonorus.



PLanta eſt ſeſquipalmaris, *radice* bulboſa, fibroſaq; ſapore vt præcedēs amaro & læto: *folia* profert bina aut terna ſtriata, carinataque interdū & potiſſ. primò prouenīēs non multùm latiora, quàm iam dicti, ſed multò breuiora, ſæpè potiſſ. culta & vbi adoleuit latiora, qualia figura noſtra Fuchſiana demonſtrat, nec caulis altitudinem attingentia: *caulis* ſingularis, tenuis, ſeſquipalmum altus. *flores* ſuſtinet racematim congeſtos vt ſuperior,

tior,ſed non vt illa,odoratos,rariores,breuiores, minores , magiſque ventrioſos , oris ſimiliter crenatis coloratiſque.

An Cordo Obſ.ſylua. Hyacinthus minor globoſis,concauis,purpureis,deorſum nutantibus , & gibboſam comam conſtituentibus floribus in caule dodrantali breuiore : foliis porro multò minoribus,radice bulboſa : floret poſt Veris initium. Naſcitur copioſiſſ. in Alpium Sueuicarum planis pratis , in Haſſia & Wederauia.

Trag. germ. lib.2.cap.71. vocatur. Klein and knoblauch / Hyacinthus vernalis , klein hunds knoblauch/ klein hyacinth.Et cap. 79. klein früilengzen hyacinth / Et hiſt. lat. *Allii genus aliud,agro Vormatienſi valde familiare &c.* qui ad Rhenum habitant hunds zwibel vocant. Et *Hyacinthus 1.vernus exiguus: omni odore deſtitutus : ſemine nigro.*

Fuchſio hiſt. Hyacinthus cœruleus maior fœmina, Groß blaw mertzen blům weible : qui nō deſcribit nec diſtinguit exactè hunc Hyacinthū ab aliis.

Dodon. Gal. Bulbi eſculenti genus minus, *Petit bulbe de iardin* , fecit,figurâmque Fuchſii exhibuit; qualis noſtra. In poſtremis verò ſcriptis hunc non videtur diſtinguere à præcedenti , vti dictum.

Geſner. horti *Bulbine* flore cæruleo.

Cluſ. in Pann. & poſt. hiſt. Hyacinthus *βοτρυώδης* tertius breuioribus latioribúſque foliis & firmioribus , quæ humi diffundi non ſolent , ſed erecta ſunt : flores aſpectu elegantes , dilutioris purpuræ , atque in cæruleum tendente colore prediti ſunt. Id genus ex Tyrolenſi comitatu delatum eſſe fertur.

Camer. hor. Hyacinthus botryoides alter minor inodorus , cæruleo, incarnato & albo flore. Sic ne? Camerarióne vnum? Hyacinthus albus & cæruleus. Nos quidem cæruleum ab albo ſeparamus,de quo poſtea.

C.Bauhin. phyt. Hyacinthus 23.ſiue racemoſus minor latifolius cæruleus fœmina Fuchſ. Item Hyacinthus 25.ſiue racemoſus latifolius floribus dilutæ purpuræ,Botryoides tertius Cluſio, incarnatus Tabern. Nos quoque Cluſii & Fuchſii eūdem Hyacinthum facimus.

Hyacinthus minimus vernus Botryoides cœrul. Montb. prouenit ſponte, tranſtuli in hort. C. W. citiùs floret præcedenti , folia etiam non retinet tamdiu. Geneuę idem fortè in ſegetibus vltra pontem *Arue* floret Aprili. Ludit hic Hyacinthus foliis quæ interdum latiora , potiſſ. vbi adultiora & culta : folio lato ex hortis Baſil. miſit Fr.C.Bauhinus.

## HYACINTHVS BOTRYOIDES ALBVS.

HYacinthus Botryoides albus ex *bulbo* mediocriter magno & fibroſo , albo , tunicis compacto , guſtu nonnihil viſcido, ſubacri , tandem & ſubamaro, *folia* profert quaterna palmaria aut paulò maiora, latiuſcula,carinata,herbaceo colore virentia , in quorum medio ſtatim à radice ſurgit,Cauliculus palmari rarò maior , teres, læuis,ex viridi luteolus,*florem* ſuſtinens,nonnihil odoratum, in racemi morem congeſtum , ex floſculis multis rotundis,candidis,formâ florū Ericæ , terram ſpectantibus , leuiter deductis oris in ſex labella extrorſum reflexa diuiſis , ex breuiſſimis albis pediculis : in medio ſena *ſtamina* exalbida,breuia,cum ſtilo viridi,vix in conſpectum venientia.

Cluſ. in Pān.& h. ait Hyacinthus *βοτρυώδης* lacteo flore,à ſuperiorib. florū formâ non differt, ſunt n. concaui & tumētes,nulla tamen, vel per quàm exiguâ odoris gratiâ commendabiles. Is etiam in duas ſpecies diſtingui poteſt. Vna enim lacteum omninò florem habet , caulem exalbidum , foliáque dilutiùs virentia, & quaſi pallеſcentia : tota etiam planta tenerior, nec niſi primo vere,folia protrudit. Alterius flos niueo quidem colore præditus eſt,ſed cui perfuſa videatur tenuis quædam & dilutiſſima purpura , qualis in roſis albis nondum planè expanſis, præſertim circa vngues: hæc vetuſtate & marceſcente flore



intenſior redditur : caulis è viridi purpuraſcit,folia viridiora ſūt, & infima parte quodammodò purpuraſcentia. Omnium ſemina in triangulis quibuſdam vaſculis continentur, rotūda,nigra,exigua: omnium etiam radix plurimos exiguos nucleos in ambitu generare ſolet, nulla tamen abundantiùs quàm duorum priorum. Florent vt plurimùm Aprili,interdum etiam Maio , ſi Vernum tempus ob præcedentis hiemis aſperitatem ſeriùs incipiat. Lactei prior ſpecies olim nobis communicata à C.V. Alphonſo Pontio, memini in Baldo monte erutam à Studioſis quibuſdam ex Italia reducibus Viennam adferri: Altera ab ampliſſimo V.Cortuſo Dipcadi albi nomine in Belgicam miſſa.

An Cordo obſ. ſilua. Hyacinthus minor candidus , minori purpureo ſimilis,maior paulò naſcitur in Heſſia & Wederauia, ſed parciùs quàm purpureus.

Lobel. Obſ. pag.55. *Dipcadi candidis floribus varietas gemina.* Dodon. in folio , *Hyacinthus Neotor.1.* flore ſubinde candido aut exalbido dilutè admodum purpuraſcente , Italorum plærique Dipcadi appellitant. An Camer. hort. *Hyacinthus Botryoides minor inodorus flore albo.* Tabern: icon. & hiſt. *Hyacinthus Botryoides albus lacteus.* weißtrauben hyacinth. Caſp. Bauh. Phyt. *Hyacinthus 26. ſiue racemoſus albus tertius,* vel *lacteus* vel *minùs dilutiſsima purpura perfuſa* , vel *ex cœruleo vireſcens.* Gerard. hiſt. *Hyacinthus botryoides lacteus* white Grape flower. Figuram habet Tabern. ac præterea alium habet Hyacinthum, de quo ſub maximo botryoide.

Habeo in horto Il. E. C. miſſum Stutgardiá per Clariſſimum virum Dominum Schwartz horti medici præfectum.

## HYACINTVS AVTVMNALIS minimus, & maior.





Deſcriptio

FOlia vix pollices quinque excedunt, tenuiſſima, tria quatuorue, ex albicante bulbo exorta, *caulis* palmo breuior, tenuis, *flores* à medio ad ſummum patui, cærulei, quos excipiunt concepτacula, parua, talis eſt Monſpelienſis, quem cum maiore fuſiùs deſcribit *Cluſius* Hiſp. & poſt. hiſtor. his verbis: Hyacinthum Autũnalem appellabamas, quia nõ niſi Autumno florebat. Quidã Bulbinem Plinii eſſe exiſtimahant: ſed Bulhines apud ipſum lib. 20. Nat. hiſtor. c. 9. deſcriptio planè refragatur, cui porracea folia & rubicundum bulbũ tribuit. Alii Theophr. τίφυον eſſe æſtimant, quod lib. 7. c. 12. inter eas quæ ante foliorum, & caulis exortum florere incipiunt, reponit. Verùm quidem eſt hanc plantam, florere incipere antequam folia emergant: ſed alio loco Tiphyi inter æſtiuos flores meminit: quæ nota huic non conuenit.

Dodon. de flor. *Hyacinthus quintus, qui ſerotinus eſt. Hyacinthus autumnalis.* In fol. p. 219. *Hyacinthus Autumnalis minor*, & p. 218. *Hyacinthus autumnalis maior.* Geſner. horti ex ſententia Coldembergii. *Hyacinthus Autumnalis.* Lobel. & Penæ Adu. & Ic. pl. p. 102. *Hyacinthus autumnalis minimus ſed pulchellus.* Et C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus. 6. ſiue autumnalis maior Cluſii.* Item *Hyacinthus 7. ſiue autumnalis minor.* Gerard. Angl. *Hyacinthus autumnalis* winter hyacinth. Item *Hyacinthus autumnalis maior*, Great winter hyacinth.

Primum in hortulo duntaxat aluit Cluſius, ſpontè natũ non vidit maturiùs minore florentẽ, interdum uel ſub Iulii finem, vel Auguſti initio. Alterum ante 40. annos in vicinis Monſpelio colliculis florentem ſub initium Septembris eruebat; deinde Madritanâ Pariſiorum ſiluâ eâ parte quâ ad Bononienſe cœnobium uergit, arenoſo ſolo & ſalebroſo: poſtremò Salmanticæ proximis colliculis ad flumen Thormim ſitis, lapidoſo admodum ſolo. E Vetouenſi Agro miſſus fuit Lobelio: plurimus poſtea etiam Lutetiæ Pariſiorum, Narbonæ ad Aquas Matianas, & ad Cellam nouam Monſpelii viſus nobis glareoſis, aſperis, Autumno ineunte, non Vere. Maior in penſilibus Belgii hortis alitur. Florentem circa Autumnum vidimus in ſylua propè Monſpelium. Tiphyum Theophraſti Dalech. nobis viſum Stutgardiæ. Tip

## HYACINTHVS MAXIMVS Botryoides, comâ cærulea.



D

EX cepaceo bulbo *folia* aliquot interdum ſcapo lõgiora, & pluſquam ſemunciã lata, cæſia, per terrã ſparguntur: inter quæ ſurgit *caulis* ſingularis, duas ſpirhamas longus, nondum exiccatis floribus in pyramidalem thyrſum deſinens, qui vbi expanſi fuerint, longiùs inuicem abiunguntur, colore obſoleto, concaui, ab anguſtiore baſi quà pedicello ſemunciali appendũtur, ſenſim dilatati, vix tantillùm hiantes oris in ſex obſcurè partitis, vt difficultet conſpici poſſint latentes apiculi cinerei: faſtigium autem thyrſi in comoſam iubam cæruleo purpuream, longis pediculis concoloribus explicatur: odore nullo excellente, plerumque flores abundant puluere fuliginoſo. Amara eſt hæc planta.

De hoc Hyacintho ſcribit Cluſius. Hyacinthi primi Matthioli, ſiue comoſi maioris à quibuſdam cognominati, qui in multis Orbis Chriſtiani prouinciis ſpontè naſcitur, duo in Pannoniis genera obſeruabam. *Alterum* præcox latiore folio, craſſiore comâ, inelegãti tamen, maioreque bulbo. *Alterum* magis ſerotinum anguſtiore folio, tenuiore comâ, laxiore verò & elegantiore: huius flores comæ proximi, ex cæruleo purpuraſcunt, eiuſdemque cum coma ſunt coloris, quæ nota in priore deſideratur: bulbus etiam minor. Præcox Maio, hoc Iunio, floret. Semine autem ex Hiſpaniis anno 1575. Hyacinthi Orientalis Hiſpanici nomine miſſo [cuius tamen duo eſſe genera ſtatim deprehendi, nam magnitudo diſpar erat] Viennæ Auſtriæ bulbaceæ plantæ mihi natæ ſunt, quæ tandem duo Hyacinthi comoſi maioris genera pepererunt, à vulgaribus nec florum coma, nec foliis differentia, niſi quod alterius folia latiora & Muſcari foliis proxima ineunte Vere duntaxat emergere ſolebant, alterius anguſtiora longioraque, etiam antè hiemem: minutius ſemen Hyacinthi comoſi maioris æmulum erat, alterum craſſius

Muſ-

Muſcari ſemini perquàm ſimile, quæ adeò cauſa fuit, vt ſeparatim ſererem. Illud autem peculiare in nonnullis, vt præmaturi flores excuſſi, nigrum ſiue fuliginoſum pollinem ſpargant vſtilagini ferè ſimilem.

Hyacintho ſylueſtri Cordi addita eſt figura Tragi, cum his verbis Geſneri: idem eſt ni fallor aut planè cognatus Hyacinthus maior Tragi & Fuchſii, cuius iconem addimus quanquam cœruleis floribus, cùm Cordus ſuos purpureos tribuat. In alia annotatione eſt ſcriptum verus eſt Hyacinthus Medicorum. Naſcitur Schenberge bey Hetſteth: vbi Braunlinck appellant. A Cordo in Dioſcor. Hyacinthus, quem medici intelligunt. German. Breuling vocatur. Ibidem quidem annotauit Heluetiis vt quidem aiunt, neſcio quibus Colroſe.

Tragus Germ. lib. 7. cap. 70. Groß hyacinth. Et cap. 79. die vierdten / Bauaris Sew zwibelin: Idē in hiſt. lat. Hyacinthus maior Bauaris Sewzwibel, hoc eſt, *Cepa ſuilla.*

Fuchſ. *Hyacinthus cæruleus maximus.* Et icon. *Hyacinthus cæruleus mas maior* Großblaw Merzenblumen mennle. Denegato vadimonio præceptorem noſtrum vltrò dimittimus, vt qui indiſtinctè de Hyacinthis ſcripſerit, nec certè demonſtrarit, quis verus ſit Antiquorum Hyacinthus, hícne, vel ſtellatus maximus Matthiol. paſſim, Hyacinthus Hetruſcis Cipollæ Caninæ.

Dodon. Pancratium interpretatur herbam quam Fuchſius exhibuit pro Hyacinthi genere, quod Geſn. audit Monſpeſſuli Ophioſcorodon exiſtimari à doctis, & vulgò Allium Caninum nominari. Lacun. *Pancratium & Scilla minor.* Dodon. Gall. βολβὸς ἐδώδιμος, *Bulbus eſculentus*, Germ. hunds knoblauch. Belg. hunds loock. Gall. Hyacinthus comoſus ſpurius, ſiue tertius Neotoricorum. Anguill. vt exiſtimat Bulbi eſculēti ſunt hodiè picti, pro Hyacintho. Cluſ. hiſt. poſt. vulgarem vtrumque (Hyacinthum comoſum maiorem) Vngari appellant Kygio hagyma, *ſerpentu Cepam.* Belgæ Brabanti, Quiſpel, hoc eſt, *Aſpergillum*, propter comam aſpergilli inſtar expanſam, Hiſpani *Aio de cigueñas*, hoc eſt, Alliū Ciconiarum. Non deſunt qui Pericarpum bulbū Plinii eſſe cenſent, cuius duas ſpecies eſſe dicit lib. Nat. Hiſt. 25. cap. 10. cortice rubro alteram, nigro papaueri ſimilem: ſed ex tam mutila deſcriptione, quis ſententiam cōmodè ferre queat? Illud autem verè dicere poteſt Cluſius, nullum vnquam bulbum ſe guſtaſſe, qui maiorem ad vomendum vim ipſi fecerit hoc Hyacintho maiore qui in eſculentorum bulborum claſſem ponitur. Lobel. & Pena Adu. *Hyacinthus comoſus Dioſcor.*

Tabern. icon. & hiſt. *Hyacinthus maior*, Groſſer hyacinth/oder mertzen blumen. *Hyacinthus purpureus magnus peregrinus*, Groſſer purpurbraun frembt hyacinth. Compilator uarietate rerum obrutus nudam proponit figuram cuius Hyacinthi neſcio pro peregrino.

I. *Gerard. Hyacinthus comoſus*, Faire haire Jacint. *Hyacinthus comoſus albus*, Wite haried Jacint. Gerardus quoque more ſuo quæcunque mutans binas figuras Tabern. habet: ſed colorem alium tribuit: ac præterea ponit ex eodem Taber. aliam figuram pro Hyacintho albo de quo pòſt, lector iſta diligentiùs ſcrutetur & lucem adferat.

Camer. horti. *Hyacinthus comoſus maior* ſiue ſerotinus, & *minor* ſiue præcox. Creſcit in aruis paſſim in Italia. Anguill. Bulbū propriè eſſe dictum volebat, & in Græcia adhuc vocari βολβὸν. Ital: *Cepam Bouinam.*

C. Bauh. *Hyacinthus racemoſus maior.* An Bulbine Plinii lib. 20. cap. 9. & lib. 19. cap. 5. Huius, inquit, genera duo. primum procerius latiore folio, craſsâ comâ, maiore bulbo pingit Lob: Obſ. p. 55. alterum anguſtiore folio, comâ tenuiore, minore bulbo pingit idem Lob. icon. p. 106. C. Bauh. vt patet Hyacynthos duos racemoſos tradit ex Lobel. cui tamen prior figura in Obſ. nō placuit, quia in illa non nutabat coma, ideóque aliam curauit parandam & in iconibus priorem omiſit, reſeruatâ poſtremâ, ſi duo exiſtimaſſet genera vtramque vt exiſtimo retinuiſſet. C. Bauh. Apud Matth. Hyacinthus. Hyacin. ſylu. Cordo. *C. B. not.*

*Locus & Tempus.* Lobel. Italiæ, Narbonæ, reliquæ etiam Galliæ tepidiori abundè in ſatis & viarum marginibus prouenit. In agris Monſpelii & Geneuæ in ſegetibus & pratis, ac inter Ferrariam & Bononiam. Bononiæ in horto Nobilis *di Gonzādinis in ſtra maior* florens Aprili. Item ſponte in montibus Apenninis ſiue Bononienſibus è regione portæ S. Mamma. In cacumine montis Vendæ propè Balneum Aponenſe inueni in fine Februarii: vidi etiam Patauii in horto Nobilis à Paſqualigo. Baſileæ in horto D. Doctoris Fœlicis Plateri. Repertum cum flore menſe Iunio inter Chemilli & Veſutium in Burgundia, euulſi & plantaui Montbelgardi in horto Ill. E. C.

## HYACINTHUS ORIENTALIS QUIBUSdam conſtantinopolitanus.

*Deſcriptio.* Hyacinthus quem Orientalem, nonnulli Conſtantinopolitanum, appellant, *radice* eſt bulboſa magna, guſtu viſcido dulci, cui ſubſunt fibræ longæ, teretes, mediocriter craſſæ: A qua exſurgit *caulis* ſingularis, dodrantalis, læuis, teres, *foliis* nudus, ad imum diluto virore palleſcēs, supernè fuſcus, micans: à cuius medio ferè ad ſummum ſcapum prodeunt ſemuncialibus pediculis ex viridi ſubnigris, deorſum nutantibus appenſi *flores* tres, 4. & 5. ad vndecim aut duodecim & plures, odore ſuaui, hilari, cæruleo, aut mixto, aut rariùs albo, omninò ſpectando colore, vnciales, teretes, concaui, campanularū quodammodò æmuli, in ſex lacinias profundiuſculas diuiſi, *ſtaminula* luteo puluere conſperſa ✝ breuia, penitus recondita cōtinentes: *folia* tria, quinque, ſex à bulbo ſtatim exorta, coliculum ad ſummum vſ-

*Hyacinthus Orientalis flore maiore.*



*Hyacinth. minor Polyanthes.*



*Hyacinth. Orientalis Polyanthes foliis.*



*Hyacinth. Orientalis albus.*



que faſtigium nonnunquam comitantur, aliàs citrà deſinunt, latiuſcula, carinata, infernè herbaceo colore, propiùs cacumen ſaturatiùs virentia. Succedit *capitulum* tricoccon ceu Lathyridis ſiue Cataputiæ maioris. Vnum genus fert flores maiores, colore etiam à minore variante, purpureo quidem: aliud minores, vtrumq; modò plures modò pauciores: quod minores, idipſum quoque plures ferè fert, licèt etiã interdum duos aut tres.

Quandoquidem autẽ *Cluſius* horũ Hyacinthorum diſcrimina diligenter obſeruauit, lubet totam hiſtoriam ex eo ponere. Præter Hyacinthum Oriẽtalem inquit, qui omnibus ſatis notus eſt, cuiuſque florem coloris intenſione vel remiſſione admodum variare deprehendi, (nã totus quaſi cæruleus, vel ſubcineraceus, vel dilutiùs purpuraſcens & hilaris, aut ſaturatè purpureus & ad violæ nigræ ferè colorem accedẽs inuenitur) in meo hortulo alebam, cuius bulbus reliquorum magnitudinem non admodum ſuperabat, ſed folia firmiora erant, caulis etiam inter illa prodiens maior, craſſior vicenos aut plures flores proferens, aliis quidem ſimiles: ſed ex cineraceo quodammodò purpuraſcentes, omneſque in vnũ latus propendentes, reliquis non minùs odoratos: ſemen in triangulis capitibus minus altero. Huius ſemine nata mihi eſt planta πολύχλωρος, cuius caulis cubitalis, craſſus, firmus, annno 1585. decem & ſeptem flores habuit, non eiuſdem cum matre coloris, ſed purpureos floridiores, & ſub lis binos ramulos, quorũ ſinguli quinis floribus erant onuſti: ſequente tamen anno nudum tulit caulem paucioreſque flores, cùm longè plures expectaſſem, quandoquidem primo fœtu tam fuiſſet fertilis. Verùm diligentiſſimus & eruditionis non contemnendæ Iacobus Plateau mihi ſcripſit, Hyacinthum alere ſe valdè amplis foliis, magno, craſſo, firmoque caule, multis floribus prædito, colorem non addidit, ſed iconem miſit Hyacinthi polyanthi maioris nomine inſignitã: qualem hic exprimi curauimus. Habeo quidem vnam ſtirpem valdè lato folio & ſaturatiùs vireſcente preditam, cuius caulis etiam craſſus, firmuſque, ſed in ferendis floribus parcior, vt pote qui plures denis non det, eoſque non ad latus vnum ſpectantes & conuerſos, ſed omni latere æqualiter quaſi ſparſos, ſaturatiùs purpuraſcentes, capita enim ſaturatiùs virentia, quaſi purpuræ inſperſo colore. Cæterùm, quod ſilentio minimè premendum duxi, Generoſo Wolfgango Chriſtophoro ab Entzeſtorf, ſemine à me communicato natus eſt Hyacinthi bulbus, qui Aprili menſe anni 1582. florere cœpit, & ſequentibus annis ſimiles primis flores proferre non deſiit. Eius folia aliis ſimilia ſunt, paulò tamen dilutiùs virentia, inter quæ caulis emergit ſatis firmus, ſenos, ſeptenos aut plures (habui enim duodenos & quatuordecim) interdum flores proferens craſſiuſculos, interiore parte omninò niueos, foris etiam albos, ſed quorum externa tria folia ad ὠχρόλευκον colorem quodammodo accedunt, non minùs tamen odoratos quàm ſuperiores Hyacinthos: iis ſuccedunt trigona capita dilutiùs virentia, ſemen etiam nigrum continentia: radix ſatis craſſa, candicans, multis fibris donata. Anno porrò 1587. Bizantio accepit Generoſa D. Vngnadin magni muneris loco, & pro Hyacinthis niueo flore, quatuor exiguos bulbos à reliquis diſcretos, quorum duo candicantes erant, alii dilutè purpurei & coloris admodum floridi: vtriuſque generis vnum mihi dedit: purpureum vtrique ſubſequens hiems corrupit, tametſi mei magnam curam habuerim, alter paucos dedit flores eoſque omninò niueos, altero minores, vt etiam tota planta multò tenerior & infirmior eſt. Diuerſus autem ab vtroque qui pro albo

*Hyacinth. Orient. purpurâ rubens.*



Hya-

Hyacintho hactenus eſt habitus, cuiúſque vnicã ſtirpem à C.V. Alphonſo Pantio miſſam alebat in penſilibus hortis Il.Io.de Brancion, cùm Viẽnã euocatus ſim ex Belgica: cuius poſtea plures bulbos Viennã illi miſſi, nam iſtic ſatis frequens erat, cùm valdè ſit liberalis in ſobole generanda. Sunt verò illius flores antequam explicentur, albi, ſed aperti oras tantùm albas habent, reliquâ parte quaſi carnei coloris, cùm tamen ſeneſcere incipiunt, fere toti niuei fiunt. Turcæ omnes Hyacinthos hactenus acceptos *Zambul* appellatione miſerunt, additâ voce Indi, cùm Indicum, vel alia quapiam, cùm locum vnde acceperint, indicare volunt. Florent omnes Aprili.

Huius itaque Hyacinthi variæ ſunt ſpecies, quarum *vnam* Hyacinthum Orientalem flore maiore vocare ſolemus, quæ modò plures, modò pauciores habet flores purpureos, cæruleóſue. Huius iconem deſumpſimus ex Camer.Epit. *Alterius* autem ſiue Hyacinthi minoris Polyãthes ex Pl.icon.pag.105. *Tertii*, id eſt, Hyacinthi Orientalis Polyanthes foliis, Figura eſt ex Cluſ. hiſt.poſt.pag.175. *Quarta icon* eſt Hyacinthi Orient.albi, quæ extat in Icon.Pl.pag.105. *Quinta* denique eſt Hyacinthi Orientalis purpureo rubei, quem depinxerunt Ic.pl.pag.104. Anguill. Hyacinthus Theophraſti & Dioſcoridis, Turcis *Zembleuder*. *Aliud* Hyacinthi genus quod Orientale appellare placuit miſit [Matth. in Dioſcor.cum magn.figuris] Cortuſus, quod ſibi miſſum ex Orientalibus regionibus fatebatur, quod Hyacinthus Orientalis frembder hyacinth cognominatur. In Epit.cum Camer. Icon. Figuræ ſanè quæ ponuntur à Camer demonſtrant Hyacinthum maiore & minore flore: ſed ſecunda non reſpondet figuræ Matthioli, quæ nihil aliud meo iudicio quàm Ornithogalum maius album, vt ſuo dicetur loco, exprimit.

Dodon. de fl. Hyacinthus quem Italia & Belgium Orientalem nominat, folia habet pinguiora & latiora, caules craſſiores, flores potentiores maioréſque, ac citiùs prodeuntes. Item in fol. Horum vnus maior, plures profert flores: alter minor pauciores. Figuræ, quas proponit Dodon. non diſplicent quamuis minùs exactè diſtinguat plantas.

Lob.& Penæ Adu. Hyacinthi Orientalis Græci varietas quam Indi *Zumbel* vocant, caulem habet Serpentariæ modo maculoſum, & tortilia folia.

Tabern. ic.& h. *Hyacinthus Orientalis cæruleus*, blawer frömbd hyacinth. Item: *Hyacinthus Orientalis maior Polyanthos*: Gefulter frembd hyacinth.

Halepi cùm eſſet Rauvvolf. obſeruauit principio Februarii aliquot Hyacinthi ſpecies, potiſſimùm Orientalis quem vocant *Zumbel*.

Camer. hort. *Hyacinthus Conſtantinopolitanus Dioſc.* *Hyacinthus Orientalis*, albo cæruleo flore, itémque purpureo. Turci vocant *Zembul*. Item *Hyacinthus Arabicus* à D. Aicholſio communicatus. *Zumbal* Arabibus. Nos Arabicum quoque hoc capite ponimus, quia nondum nobis conſtat quantùm differat à cæteris, & quia teſte Rauvvolfio cæteri Hyacinthi Orientales ita dicuntur. Lob. etiam vt antè demonſtratum vt meminit etiam *Zambel*, an idem cum hoc neſcimus.

I. Gerard. *Hyacinthus Orientalis cæruleus* the blew Oriental Jacint. Item *Hyacinthus Orient. Polyanthos* Double Orientalle Jacint.

C.Bauhin.Phyt. *Hyacinthus* 11. ſiue Caule ſerpentariæ inſtar maculoſo, Matthiolo *Orientalis alter*, Lobel. *Orientalis Græcus*. Et Hyac. 12. ſiue Orientalis purpureus Lobel. purpuræ rubens. *Hyacinthus* 13. ſiue Orientalis albus 1. Orientalis albus. Et *Hyacinthus* 15. ſiue Orientalis maximus. Matth. *Hyacinthus Orientalis* Lob. *Orient. maior Polyanthos*. Tandem *Hyacinthus* 17. ſiue *Hyacinthus Arabicus* Cam. Noſtro iudicio ſi quid ſuſpicandum ex nuda Matthioli figura, ſuſpicor Matthiolo Hyacinthum Orient. alterum potiùs cum maiore Lobelii conuenire quàm primum, & primum Matthioli potiùs quadrare cum Lobelii Orientali Græciæ.

Idem C.Bauhin. apud Matth. *Hyacinthus Orientalis*, *Hyacinthus* caule Serpentariæ. *Hyacinthus Orientalis* alter Matth. ſiue maximus [ſed figuræ tranſpoſitæ erant, figuráque mutila. Matthioli figura Hyacinthi Orientalis non demonſtrat plãtam, cuius figuram ex Tabern. ponit: mihi Matthioli Hyacinthus ille eſt Ornithogalum maius album, vt iam dictum, foliola quæ appingit ad ſingulos pediculos longiuſculos, & aliam differentiam manifeſtam demonſtrant ab Hyacintho Orientali maximo, nec figura Matthioli inutilis eſt, vt quis exiſtimet, ſi ſumatur pro Ornithogalo dicto.

Orientalem ſiue Conſtantinopolitanum Hyacinthum cùm eſſemus in Italia vocabant *Zembleuder*, vidimus Veronæ in horto Nobilis di Muſcardo. Ferrariæ in horto Principis menſe Maio nobis oſtendit ipſe Anguillara iam deflore- Locus & tempus
ſcentem, & in quo capitula incipiebant prodire. Bononiæ in horto Nob. Alpaſſel. Parmæ in horto Nob. Antonii Lalatæ, menſe Aprili defloruerat. Hunc etiam vidimus in horto Priuli & Paſqualigo Patauii. Geneuæ in aliquot hortis vt in noſtro etiam menſe Februario flores incipiebat protrudere & folia. Montbelgardi Geneuâ allatum prorupit Ianuario in horto noſtro: trãſtulimus in hortum Il.E.C. Wittemb accepimus etiam à D. Landgrauio flore albo. Baſileæ apud Doctorem Fœlicem: Nunc in horto Ill.E.C. aliquot ſpecies habeo maiorem purpureum cœruleum & album.

## HYACINTHVS BRVMALIS ALBVS.



Louanio ad nos (inquit Lob.) primùm miſſum hoc Hyacinthi Orientalis venuſtiſſimum & rarum genus à D.prof.Regio D. Cornelio Gemma, icone & oratione ſcitè expreſſum & deſcriptum. Eius bulbos Inſulis ad me poſtea miſit amicus ſingularis Ioannes Baillet, Mercator Inſulanus. C.Gemmæ rarum hoc prorſus videtur atque exoticon Hyacinthi genus: nam etſi folio- Deſcriptio

rum fermâ & florum cum aliis plæriſque conueniat, id tamen ſibi vendicat ſingulare, quod ſtatim ſub Solis hibernum tropon ſub tertis erumpat, caulem quoque protrudens interdum per medias niues. *Florem* venuſtiſſimum laxat circa principia Ianuatii, vt apud me iam ter quaterue floruerit à fine Decembris vſque ad medium ferè Menſis Mattii, non ſine maxima pariter admiratione & aſpectantium voluptate. Non gaudet humidis locis, ſed ab humore priùs quàm frigiditate corrumpitur: ideoque & in tecta fideliùs aſſeruatur: ſemen tamen aut bulbi germen hactenus ab eadem planta impettare non potui, quod florum illa nimis præcipitata protruſio facit. Sunt illi *folia* non vt cæteris laxa & mollia, ſed ſucculenta, ſpiſſa, ac ferè ſemper erecta, vt in generibus Aizoi. Nerui in his nulli conſpicui: ſed ſtriæ ſolummodò rectæ ac veluti tenues fibræ. Durant autem virore conſtante vſque ad finem Iulii mẽſis, ac multò diutiùs quàm cæteris vſu uenit. *Flos* læui caule, nonnihil circa faſtigia ad pediculos ſingulos excauata, propendet candidus, nonnihil tamen ſub initia, & circa ſupremas oras quiddam ſubcæruleum præſe ferens, quo quidem euaneſcente ſenſim Februario menſe totus fit lacteus, odore fragrantiſſimus, in ea ſpecie deinceps menſe plus integro perſeuerans. *Radix* bulboſa, intus candida, foris ruffa, circa foliorum exortus maculas quaſdam, quales in Serpentariæ maioris caule ſpectantur, effundit, interfuſa purpura nigra. Verùm id maximè ſub Veris auſpicia, & cùm terræ ruſus mandatà caulem emeritum gerit.

Lobel. append. & Icon. Pl. *Hyacinthus brumalis, Orientalis albus*. C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus* 14. ſiue *Orientalis albus alter*.

HYACINTHVS MINIMVS
ſerotinus floſculis Hyacinthi
Orientalis.

Deſcriptio HYacinthus Lobel. Adu. pat. 2. minimus ſerotinus elegans, facie Orientalis Hyacinthi, ſeſquipalmates & ſpithamæos tenuiſſimos *cauliculos* edit, tribus floſculis è gracilibus petiolis, ex cæruleo dilutis, ſenis cæruleis venis ſtriatis, Hyacinthi Orientalis ſimilibus, ſed longè graciloribus, minoribuſque, ſex partitis oris ſub finem Maij præditos. *Foliola* anguſta, ſparſa, ſpithamum longa, Hyacinthi Autumnalis maioris quadantenus. Paruulus item *bulbus*, albidus. Alitur in fictillibus à D. de Franqueuille ex Gallia delatus, & acceptus ab honeſtiſſima matrona vxore D. D. L'Aouſt, tanto florum amore capta, vt ſibi meritò Floræ nomen vendicarit.

HYACINTHVS ODORATISSIMVS
dictus Tibcadi & Muſcari.

Deſcriptio HYacinthus Tibcadi dictus bulbo admodum magno, albicante, multis tunicis pertexto nititur, guſtu amaro, cui appoſitæ fibræ paucæ quidẽ, ſed craſſæ & longæ, quæ Cluſio perennes, nec ſingulis annis marceſcunt & pereunt, vt Hyacinthorum, Narciſſorum, Tuliparum, Liliorum, & multarum aliarum bulbacearum ſtirpium fibræ: *folia* quinque aut ſex dodrantalia & longiora, latitudine ferè vnciali, ſex ſtriis per longum diſcurrentibus, craſſiuſculis, carinata, ſatis craſſa & ſucculenta: *caulis* ſingularis, teres, ſatis craſſus, nudus, admodum infirmus pro ſua craſſitudine:



hunc à medio ferè ad ſummũ racematim cohærentes ambiunt *flores* botryoides, quorum colores ſic tradit Cluſius: Initiò interdũ purpuraſcentes aut virides, deinde ex purpura virentes, aut ex viriditate albicãtes, nonnunquam ſubcærulei, aliquando nigricantes initiò, ſiue ſaturatè purpuraſcentes, deinde pallidi vel flaueſcentes, vel ab initio pallidi, poſtea flaui, poſtremò vbi tabeſcere incipiunt nigricantes aut pulli, iique mucrone quàm in aliis craſſiore aut obtuſiore interdum, qui marceſcere incipientes, gratiſſimum moſchi ferè aut aromatum odorem referunt, licèt qui flauo colore eſt, grauius quidpiam & Narciſſinum quodammodò ſpiret: intelligo & niueo flore, atque etiam egregiè rubente inueniri. Flores ſequuntur capitula prægrandia triquetra, & veluti pinnata, in quibus ſemen nigrum rotundum. Cluſius ait ſe obſeruaſſe interdum hanc ſtirpem caulem in binos ramos diuidere, quorum ſinguli multis floribus onuſti fuerint.

Matth. in Comment. Ital. & Lat. cum magnis fig. *Bulbus vomitorius*.

Dodon. de floribus, *Hyacinthus alter quidam ſpurius*, Matthiolus pro Bulbo vomitorio depingere videtur, nullis interim notis cum deſcribens, nullis teſtimoniis aut rationibus ſententiam ſuam aſtruens. In fol. *Hyacinthus ſpurius Recentiorum alter*. Dodonæo penè euenit quod reprehendit in Matthiolo, deſcriptio ita ieiuna, vt difficilè ſit agnoſcere de quo Hyacintho tradat niſi in poſt. hiſtor. lat. fig. appoſuiſſet.

Lob. obſ. *Dipcadi Chalcedonicum & Italorum. Bulbus vomitorius Matthioli*. Item Icon. pl. 109. *Dipcadi Chalcedonicum & Muſcari Cluſii*. Tabern. icon. & hiſtor. *Hyacinthus botryoides Chalcedonicus muſchatus*, frembden tauben hyacinth. Gerard. *Muſcari Cluſii*, Ein Colored grapflower. C. Bauh. phyt. *Hyacinthus* 27. ſiue *racemoſus Moſchatus*, *Bulbus vomitorius* Matth.

Cluſius: E vicinis Conſtantinopoli hortis vltra Boſphorum in Aſia ſitis primùm noſtræ Europæ communicata eſt hæc planta. Hyacinthi ſpecies odoratiſſima Nobili viro D. Antonio Cortuſio *Tibcadi* Arabibus dicta. In principio Martii florebat Patauii in horto prædicti. Montbelgardi in horto E. C. per Fratrem C. Bauh. miſſum ex Italia, & per Landgrauium habuimus copioſum.

## HYACINTHVS ODORATISS. TIBCADI luteus.

CLuſius nullam particularem ponit Muſcari flauo flore deſcriptionem, licet iconem habeat.

In Exot. part.2. Append.2.annotat quæ ſequuntur: In illis plantis Muſcari quæ flauum proferunt florem, diſcrimen quoddam obſeruabam.



Nam eæ quæ pallidas ab initio proferũt florum gemmas ante hyemem plerumque germinare ſolent, & præcociores producunt flores, quàm illæ, quarum gemmæ ab initio nigricãt, aut ſaturiùs purpuraſcunt. Ex illis autem ſemine natas mihi eſſe plantas memini, quarum flores colore non referebant matris flores, ſed alium quendam peculiarem nanciſcebantur, ex viridi ſcilicet flaueſcentem: matris tamen florum odorem retinebant.

Tabern.Icon.& hiſt. *Hyacinthus botryoides Chalcedonicus luteus*, frembder gel trauben hyacinth. C.Bauhin. Phyt. *Hyacinthus* 28. ſiue *racemoſus moſchatus luteus*. I.Gerard. *Muſcari flauum* Yellaw muſcod grape flower/ Lobel. ic. Pl.pag. 109. *Dipcadi flauum* ſiue *Muſcari Conſtantinopolitanum* ſiue *Chalcedonicum* Teut.145.

Vidi Studgardiæ in horto Ill.C.Wirtemb.

## HYACINTHI TIBCADI LVTEI VARIETAS ſiue Muſcari lutei præcox.

MEdiocaſtri Mattiacorum (inquit Lob.Adu. part.2.) in ſtirpium exoticarum ditiſſimo viridario D. *Cornelius* Corne alebat, Martio flores laxans, initiò ſubcæruleos: Aprili verò aureos. Folia minimè ſparſa aut procumbentia, vti alterius flaui Muſcari ſed Tipcadi floris cærulei modo erecta. Cætera eadem.

## HYACINTHVS STELLATVS BIFOLIVS ET trifolius vernus dumetorum, flore cærulæo & albo.

EX *radice* bulboſa, oblonga, fibroſa, alba, guſtanti viſcida & ſubdulci, exit *coliculus* iunceus, fragilis, palmaris & pedalis, fuſcus, radicem verſus exalbidus, duobus *foliis*, interdum tribus, longiuſculis, carinatis, à bulbo ſtatim exortis, ſtipatus, qui in *pediculos* pro florum numero plures paucioreſue ad duodecim nonnunquam, nunc breuiores, nunc longiores, teretes diuaricatur, licet aliquando ipſe coliculi ſcapus floſculum ſingularem gerere reperiatur: *flores* pulchri, cærulei, rariùs albi, ſtellati, ſex foliolis diſtinctis, anguſtis, mucronatis, conſtantes, in quorum medio *ſtaminula* ſex diluto cæruleo ſuſtinent capitella ſaturatiùs tincta, piſtillum turgidulum mucronatum concolorem circumſtãtia: at ſi flos albus, tum ſtaminula quoque alba apicibus luteis prædita piſtillum albũ ambiunt: ſuccedit capitulũ, in quo *ſemen* Trago autore fuluum, Milio ſimile. Cluſio in triangulis vaſculis non atrum, vt cætera Hyacinthorum genera, ſed fuſcum duntaxat & ueluti fuligine infectum. Icones quas proponimus ſunt ex Fuchſianis quas emimus, flores in iis non benè picti.





Hyacinthus vulgaris Cluſii, qui à floribus radiatim expanſis, & in ſtellæ formam decuſſatis, ſtellati cognomẽ apud rei herbariæ ſtudioſos inuenit, is videlicet qui cæruleo eſt flore in quo varietatem etiam obſeruabat aliis floribus magis ſaturis & ad violaceum quaſi tendentibus, aliis ad carneum colorem proximè accedentibus. Habet autem ipſa planta vel terna folia, vel plurimùm bina, ut etiam illi bulbi quos Neapoli Francofurtum ad Cluſium mittebat Ferdinand. Imper. Qui albo eſt flore, ſpontè naſcentem nuſquam videre ipſi contigit, ſed binos aut ternos eius bulbos Francofurti accipiebat munere D. Philippi Stephani Sprengeri Pharm. Palatinalis Heidelbergæ: aliũ deinde exalbido & veluti cineraceo ſubcæruleóue flore præditum, Lugduno Batauorum miſſum à N.V.Ioanne ab Hogelande. Superioribus autem generibus maturiùs floret, & in triangulis vaſculis ſemen fert, non atrum, vt cætera genera, ſed fuſcum & tanquam fuligine infectum *Tempus* cui non valdè diſſimile etiam eſt illius ſemen, qui albos profert flores. Viennenſes porrò Matronæ eum qui cæruleum habet florem, Blaw *Nomen* baldrian appellant, quaſi cæruleum Lilium cõuallium: nam Oenanthen vulgò Lilium conuallium dictam, ipſæ baldrian nuncupant: Belgæ à *Oenanthe Lilium conuallium.*

ſtellato flore Sterreken/vocant. Sed & Hyacinthum ſtellatum vulgari alioqui forma ſimilem reperiri audit, quorum alter flores proferat, ſuauiter rubentes & quaſi carneos, alter, flauos: illos autem videre nondum ipſi contigit.

*Hyacinth. ſtellatus ſuaue rubens & flauus.*

Icon Cluſiana ſub titulo *Hyacinthi ſtellati* albo flore apud Lobel. obſ. p. 53. Et icon. Plant. p. 99. eſt ſub titulo *Hyacinthi Germ. Lilii-flori* ſiue Floris Martii ſtellati, Narciſſi cærulei Bockii: ſanè placet icon pro cæruleo & albo, quia quod animaduerterimus non differunt niſi colore. Brūfel. T. 1. Rhapſ. 32. & 4. p. 150. *Narciſſus Martius*.

An Cordo herba Narciſſi, caule dodrantali, flore eſt in lateralibus pediculis cādido, ſtellato, aut cruciformi, odorato: radice bulboſa, Norimbergæ in horto Ollingeri.

Non vult litigare Tragus an hi bulbi, vel Narciſſi cærulei & albi, blo hornung blumen/blo mertzen blumen/ſint referendi ad Bulbos vomitorios aut Narciſſos vel Hyacinthos. Figuram vnicam habet Tragus quæ minùs placet.

Fuſch. hiſt. *Hyacinthus cæruleus minor. Hyacinthus albicans ſeu fœmina.* Item icon. Hyacinthus cæruleus minor mas, klein blaw mertzen blum mennele. Hyacinthus cœruleus minor fœmina, klein blaw Mertzen blum weible. Hyacinthus niueus weiß Mertzen blum.

Geſner. horti. *Bulbus quidam ſylu.* Hyacinthi *ſpecies*, vt multi putant. In cat. plant. *Vaccinium*, *Hyacinthus*, ὑάκινθος, Blaw Mertzen blumen. Item *Hyacinthus*, Latinis (vt quidam volunt) Vaccinium, Blaw hornung blumen / Ein hyacinthen geſchlecht.

Lobel. & Penæ Adu. *Hyacinthus Germ. Liliflorus*, Angl. Our ladies flour. Doctiſſ. quidam cum Fuſchio Poëticum Hyacinthum diuinabant. Sed eius effigiatura congruentiùs multò Dioſcoridis Hyacintho quàm Poëtico foret, flores cærulei purpurei. Item obſ. *Hyacinthus Liliflorus ſtellaris, Flos martius ſtellatus Germ. Hyacinthus bifolius Theophraſti*, Belg. Sterrekens. Et Icōn. Plant. p. 99. *Hyac. Germ. ſtellatus, Narciſſus cæruleus Bockii.* Aduerſ. part. 2. *Hyacinthus Germanicus ſtellaris.*

Cam. horti. *Hyacinthus ſtellatus flore albo & purpureo.* I. Gerard. *Hyacinthus ſtellatus Fuchſ.* Starrie Jacinth. *Narciſſus cæruleus Bockii.*

*C. B. not.*

C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus* 1. *cæruleus* ſiue *trifolius*. *Hyacinth.* 2. ſiue *primus albus Narciſſus candidus* Trago. *Hyacinthus Germ. ſtellaris albicans ſerotinus Lobel.* Et *Hyacinthus* 3. ſiue *cæruleus alter bifolius Tab. icon.* minor: Dodon. Satyrium 2. Dubito an Tragi planta eadem ſit cum Lobeliana, quia Tragi ſolet cum alio florere & flores habere albos, qui ſex foliolis conſtant, Lobelij verò ſerotina flore albicante pingitur cum foliolis 5. tantùm. Nullam prætetea video occaſionem ſeparandi Satyrij ſecundi Dodon. ab Hyacintho ſtellato primo, ipſemet Dodon. in poſtremis non ſeparat.

Locus. & tempus.

Norbonæ montoſis arduis, Geneuæ aut Heluetiæ & Germaniæ in campeſtribus & iuxta ſæpes, Lobelio, naſcitur, flore cæruleo, purpureo. Hyacinthus Camer. ſtellatus flore albo & cæruleo, frequens in Duc. Vvittemb. creber, vt Fuchſius quoque meminit & Cordus Tubingæ in ſiluulis inuenitur. Naſcitur in nemoribus: atque hinc eſt quod Galli apud quos, Plinii teſtimonio, eximiè prouenit, vt Ruellius autor eſt, nemoralem & agreſtem Cepām nominent. Et eius certè magna eſt copia Verno tempore in nemoribus haud procul à vico Luſchnaw iuxta Tubingam ſito, vt vel etiam ex natali ſatis conſtet flores hos quos pictos exhibet Fuchſius eſſe genuinos Hyacinthos. Vere prouenit menſibus nimirum Februario & Martio Theoph. l. 6. hiſt. c. 6. hinc Martius flos dictus, cùm itaque tempus etiam conueniat nemo eſt qui deinceps veros eſſe Hyacinthos dubitare meritò poſſit.

E loco & tempore Fuch. aſſerit non dubitandum de ſuis pictis Hyacinthis, verùm non demonſtrat, qui ſint ex iis, qui in Ducatu Vvirtemb. vel in Gallia proueniant, hinc apparet firmitas argumenti.

Cronemb. Satyrium verum colligitur in tractibus ſabuloſis & arboribus conſitis ex quibus nos olim frequenter eruimus, ac maximè circa Herlen eximium Holandiæ oppidum.

Hyacinthus ſtellatus vernus modò bifolius modò trifolius à me obſeruatus inter Balneum Aponenſe & Arqua & in monte Venda, & Patauii in horto Nob. Paſqualigo florens in fine Februarii; Monſpelii allatus ex montibus circa Gangem menſe Aprili cum foliis latis, radice bulboſa, & floribus cæruleis multis ab inuicem diuaricatis cum pediculis ſatis longis: Geneuæ copioſè in colle circa Caſtellum *la Baſtie* florens Martio menſe, è regione *Champé* vltra fluuium *Arue* in ſyluoſis locis menſe Februario folia protrudens, & circa finem Februarii florere incipiens, ac ibidem non ſolùm colore cæruleo, ſed etiam pulcherrimo niueo: nec video differentiam quàm coloris: inueni etiam Montbelgardi ac habeo plantatum in horto Il. E. C. qui paſſim prouenit, vt in colle eundo Vauiaucourt & in nemoribus verſus Arbouans.

HYACINTHVS STELLARIS
Albicans Serotinus.



SCribit Lobel. in Append. Hyacinthus ſtellatis albicans ſerotinus. Seriùs floret & *folia* exiliora habet, *flos* aſpectu iucundus albicat. In Belgium delatus e Biſcayæ mōtibus, & munere miſſus à Mutone. Item Icon. Pl. p. 100. *Hyac. Germ. ſtellatus albicans*, Tent. 136. Item Aduerſ. part. 2. *Hyacintho Germ. ſtellaris congener Hyacinthus ſerotinus albicans è Cantabriæ montibus delatus*, cuius effigies Icōn. p. 100. exprimitur. Septenis floribus & pluribus aſpectu iucundiſſimis in hortis D. I. Someri & D. Iacobi Knibii: albis floribus variate memini & luxuriare cum Hyacintho Stellati Bizantino à Cluſio deſcripto radice foris nigra, flore præcoci. Item *Hyacinthus ſtellaris albicans Botanicorum* effig. icon. p. 100. A ſtellæ inſtar radiatis floribus ab herbarum cultoribus ſedulis vocatur *Stellaris* aut *Stellatus Hyacinthus*, floribus albis amœniſſimis ſeptenis & pluribus in

horto

horto Someri variat. Lobel. videtur mihi obſcurus: Cur in poſtr. Animad. bis mentionem facit Hyacinthi ſtellaris, Hyacinthi albicantis: cur bis repetit deſcriptionem Hyacinthi ſtellæ cum albis floribus, ſuum albicantem pingit cum floribus quinque, vnus autem flos pingitur quinquefolius, an veraciter neſcimus, ſtellares dicti ſolent eſſe ſex foliis.

C.Bauh.Phyt. exiſtimauit eundem cum Tragi Narciſſo candido, quod nobis non videtur, non tamen negamus eum quem deſcribit in Adu. poſttemis floribus albis eundem eſſe cum Tragi Narciſſo vt antè dictum.

## HYACINTHVS STELLARIS VERNVS paruulus, flore ex cæruleo cinereo.



PErſimilis autore Lob. Adu.part.2. paruulus Hyacinthus ſtellaris Vernus, etiámque ſtellaris Hyacinthis conger pumilio, nouus indictus Hyacinthus, Lódini hoc menſe Aprili 1605. in amœniſſimo & exoticarum ſtirpium ditiſſimo hort. C.V.D. Io. Coys, cuius ſæpe meminimus, *flores* laxauit ternos aut quaternos, ſtellatos, ex cæruleo cinereos, ſenis foliolis, totidémque ſtaminulis & apiculis cæruleis obſcuris conflatos: *piſtillo* in medio cum vmbone aut apice ex cinereo cæruleo. Vix palmaris plantula eſt, *folus* anguſtis, vt cærulei amœni floris paruuli Hyacinthi Botryoidis ſurrectis, minoribus tamen gracilioribúſque, quaternis aut quinis, è quorum medio *cauliculus* prodit. *Radix* parua, alba, oblonga, parum fibrata, quâ vt & pleriſque aliis nouis Plantis ex Galliis delatis Georgius le Seigneur Britanniam ditauit.

## HYACINTHVS STELLARIS MAIOR.

HYacinthus ſtellaris maior, authore Lobel. Adu.par.2. omni ſui parte duplò maior Hyacintho ſtellari Germanico. Mattiacis Medioburgenſibus botanicis Belgis innotuit opera D. I. Someri, quem in hort. Magni Ducis Hetruriæ nactus eſt. Flores intenſioris purpuræ: Radicis bulbus albet.

## HYACINTHVS STELLATVS æſtiuus minor.

QVùm primùm è terra, inquit Cluſ. prodit hæc planta ſeptena aut octona à radice promit *folia* anguſta, plana, viridia, & quodammodò ſplendentia, circiter ſeptem vncias longa, quæ ſeſe humi diffundunt, & in orbem ſpargunt, atque veluti contorquent: inter quæ aſſurgit *cauliculus* teres, breuis, binarum vnciarum longitudinem non excedens, ſummo faſtigio ſenos aut ſeptenos *floſculos* alternatim ferens, veluti ſpicam congeſtos, iis formâ & colore pænè ſimiles, quos profert Hyacinthus ſtellatus æſtiuus, cuius paullò antè memini, ſed longè minores: his ſuccedebant triangula etiam *capitella* extremo mucronata, nigrum *ſemen* continentia: *radix* erat bulboſa, ferè orbicularis, craſſæ Auellanæ Hiſpanicæ magnitudinem æquans, candida ſed fuſcâ membranâ tecta, è cuius infimâ ſede numeroſæ exiliebant fibræ, magnâ ex parte valdè tenues, iis tamen admixtæ ſeptenæ aut octauæ paullò craſſiores. Florebat Maio menſe cum maiore. Vnicam huius generis plantam, eámque ἀνώνυμον accipiebam anno Chriſti 1603. à Nicolao le Quilt ſiue Quelt Gallo rhizotomo cum bulbo vnifolio, & aliis quibuſdam à Luſitania, vt aſſerebat, petitis.

## HYACINTHVS RARVS.



RAdice nititur Hyacinthus nobis rarus dictus, bulboſa, magna, fibris donata, alba, alicubi purpuraſcente, ſapore ſubdulci, viſcido, & nauſeoſo: *folia* à radice quina aut quaterna, per terram ſparſa, vnciam lata, Hyacin. ſtellati ſiue dumetorum latiora [à quo differt, licet affinis) ſunt longitudine cubitali, carinata, ſtriata & ſplendentia: *caulis* tenuis vnus vel duo, interdum quaterni, cubitum alti, alii palmum, ſeſquipalmum, & palmos duos lógi, purpurantes, nitentes, anguloſi, *flores* ſuſtinent in ſummo faſtigio, quaternos, quinos, ſenóſue, à lateribus ex foliis ſex compoſitos, ſublongis, acuminatis, cæruleis, vel potiùs violaceis, vngue albicante, decurrente per longitudinem linea ſaturariore viola tincta, ita à ſe inuicem ad pediculum vſque diſtantibus, vt radiatam ſtellam æmulentur: medium occupat *capitulum* rotundú canaliculatum, Piſi parui magnitudine, album, loculamenti *ſeminum* rudimentum, quod ordine circumſtant *ſtamina* rigidula, ſena, violacea, circa imum albicantia, è medio autem capitulo ſtilus violaceus emicat: pediculi, inferiorum quidem florum plùs quàm duas vncias longi, purpurantes, ſplendidi, ſurrecti, ſuperiorum verò vix culmum latum longi, mediorum medio modo ſe habent. Deſcriptio

Hoc Hyacinthi pulchrum genus attulit nobis Frater Caſp. Bauhinus ex Italia, collectum Patauii in horto Treuiſani: ex bulbis à nobis ſatis in horto Ill. noſtri Principis, flos emicuit Aprili menſe. Frater nobis retulit D. Cortuſum nominare Hyacinthum nondum deſcriptum cum Locus

hoc bulbo magnam affinitatem habere videtur Hyacinthus Stellatus Byzantinus Cluſii: cui an vtriuſque bulboſæ plantæ nota fuerit differentia ſtatuito.

## HYACINTHVS STELLATVS Byzantinus.



Deſcriptio

Hyacintho noſtro raro, in multis correſpõdentẽ tradit Cluſius Hiſt. poſt. nomine Hyacinthi ſtellati Byzantini; de quo ille ait, quaterna aut quina ſunt *folia* humi fuſa, longa, carinata, dilutè virentia, Hyacinthinis adeò ſimilia, ut antè quàm florem conſpicerem, Hyacinthũ eſſe crederem: inter hæc emerſit digitalis ferè longitudinis, gracilis, & infirmus *cauliculus*. priore anno ternos ſuſtinens *flores*, altero quaternos aut quinos, ſex foliis conſtantes, diluti cærulei coloris, inodoros, qui Solis radiis illuſtrati inſtar florum Hyacinthi ſtellati vulgaris ſeſe explicarunt, & exalbida ſex ſtaminula oſtenderunt, quorum apices purpurei, ſtilo in medio eorum aſſurgente: ſucceſſerunt triangula *capitula*, qualia in vulgari, ſed inania, vt *ſemen* obſeruare nequiuerim: *radix* bulboſa eſt, non magna, nigro cortice tecta, & fibris ſubtus prædita. Hunc Bulbum Byzantio acceptum cum aliis ſtirpibus Francofurtum ad me mittebat anno 1590. Generoſ. Domina Vngnadin nomine adſcripto *Suſam guile*, quâ appellatione initiò Lilium Suſianum inſignitum, deinde, Iris illa bulboſa præcox, quam Matthiolus pro Hemodactylo Conſtantinopolitano exibuit, Dodonæus pro Iride tuberoſa. Flores mihi protulit Aprili cum aliis Hyacinthis.

tempus.

Lobel. Adu. part. 2. p. 485. *Hyacinthus ſtellaris Byzantinus à Cluſio deſcriptus.* Videtur idem p. 486. eundem tradere his verbis: Hyacinthus ſtellaris Byzantinus tenuifolius præcox: effig. rar. pl. p. 184. Affinis ſtellari Hyacintho Germanico, foliolis & effigie: ſed minore vnciam longo, paruum digitum craſſo bulbo: flores itidem ſtellatos, obſoletè cæruleos tenui ſuperiore caule fuſos, Martio & Aprili laxat in hortis cultioribus Botanicis. Dubium nobis eſt de quo Hyacintho ſtellari Byzantino ſcribat Lobelius: ille Hyacinthus ſtellaris Byzãtinus cuius meminit Cluſius in poſt. hiſt. p. 184. non eſt tenuifolius: nec Cluſ. ait ei tenui folia.

## HYACINTHVS STELLATVS Bizantinus alter elegantiſſ. ſerotinus, bullatus.

Deſcriptio

Hic præcoci deflorеſcente Hyacintho ſtellato lõgè elegantior, nitidis, ſtellatis, cæruleis, amœnis, ſecundum ſeſquipalmares, ſpithamæos, lucidos, planos, rubentes cauliculos, floribus prodit: Stellati Germanici Hyacinthi latioribus foliis: ſemine in pericarpiis rotundo, albo, lucido, Synapi albi ferè. *Radix* Leucoio bulboſo par, intus alba, foris rubens, quæ nucleis adnatis propagatur. Hic Conſtantinopoli delatus quinquennio floruit in Londinenſi agro in horto exoticarum Stirpium ditiſſimo Nobiliſſ. Baronis D. Eduardi Zouche, Cambriæ magni Præſidis, vnde quidam alii poſtea habuerunt. Lob. Adu. part. 2.



## HYACINTHVS STELLATVS multiflorus cineracei coloris.



Mittelburgi, inquit Cluſ. Hiſt. poſt. in Walachria Zelandiæ inſula, alebat Wilhelmus Iaſparduyn Pharm. Hiacinthum Stellatum ſubcinericium, cuius iconẽ mittebat Doct. vir Tobias Rœlſius illius vrbis Medicus. Is autem multa habet *folia* humi iacentia, inſtar foliorum Hyacinthi Anglici, vel Belgici ferè: inter quæ prodit *cauliculus* palmaris, vicenos, tricenos aut plures interdum *flores*, ſpicæ vel Vuæ inſtar, congeſtos ferens, ſeu foliolis conſtans, medium occupante vmbone ſiue capitello, ex ſex *ſtaminibus*, non ſecus ac in Hyacintho, qui ſtellati cognomen vulgò obtinuit, ſed longè dilutioris, & veluti ex cæruleo cineracei: *floribus* ſuccedunt capitula trigona *ſemen* continentia: *radix* bulboſa eſt, candida, inſtar radicis Hyacinthi Belgici. Floret cum vulgari, hoc eſt, ſub extremum Martium, vel etiam Aprili: paullò tamen ſeciùs vulgari &c. in Exot.

Hyacinthus ſtellarus Bizantinus vel exoticus Someri [inquit Lob. Ad. par. 2.] latã depreſſa ſpicã faſti-

faſtigiatus, Hyac. ſtellatus Cineracei coloris apud Cluſium. Effig. Rario. Plant. pag. 184. Iam ſeptenis & pluribus annis elapſis altera Stellati Hyacinthi exotici noua ſpecies nobis Mcdioburgi innotuit operâ eiuſdem Domini de Somer, qui primus bulbum eius in Belgium attulit. Facie totâ, ſparſis foliis, & cauliculo Spithamæo quadantenus Hyacinthum Belgicum vel Britãnicum æmulatur: ſed vmbellæ inſtar initiò ſtipatim ſtellati ſubcærulei pallidi flores, Plantaginis roſeæ modo in latam expreſſam aut aliquantulùm depreſſam ſpicam, & tandem in longam faſtigiati. Apud Britannos hortenſis hodie, & bulbo propagatur operâ D. de Francque ville in horto Medico Nobiliſſ. Baronis Eduardi Zouch magni Præſidis Cambriæ ſiue Walliæ.

## HYACINTHVS STELLATVS ÆSTIVVS.



HOc Hyacinthi genus [ait Cluſ. Exot. part. 2. Append. 2.] ſuis floribus onuſtum, primùm Maio menſe anni à nato Chriſto 1606. conſpiciebam in culriſſ. horto perurbani & ornati Viri Lopez ciuis Leydani, quod è Luſitania allatum eſſe aſſerebat: deinde illo ipſo anno videbam etiam in hortis Ioannis ab Hogelande, & Chriſtiani Porreti. Quùm autem neque eius iconem, neque hiſtoriam quiſpiam hactenus (quod equidem ſciam) exhibuerit, operæ pretium me facturum arbitrabar, ſi in hoc appendice proponerem.

Erat autem hæc planta quaternis, ſenis aut pluribus *foliis* prædita, viridibus, carinatis, palmum longis, ſatis anguſtis, humíque quaſi in orbem ſtratis, alioqui ſatis firmis, inſtar foliorum Hyacinthi illius ſtellati qui cineraceos flores profert, ſuperiore capite deſcripti, inter quę aſſurgebat palmaris *cauliculus* ſatis firmus, ſuſtinens oblongis petiolis inter appendiculas purpuraſcentes prodeuntibus, denos aut duodenos *floſculos* ex cæruleo purpuraſcentes, nullius aut certè perexigui odoris, ſex foliis conſtantes, vmbilicum occupante vmbone, ſiue *capituli* rudimento mucronato, cincto ſex ſtaminulis ex albo purpuraſcentibus, quorum apices cærulei: fiebant tandem ea capitula triangula & mucronata, qualia ferè in Hyacintho Belgico ſiue Anglico: quæ maturitate dehiſcentia, *ſemen* continere deprehendebantur rotundum, nigrum, ſplẽdens, Hyacinthi Belgici ſiue Anglici ſemini prorſus ſimile: *radix* erat bulboſa, penè orbicularis & candicans, infimâ ſiue ſeſſili parte in ambitu frequentibus & tenuibus albis fibris in latera ſeſe ſpargentibus donata, & interdum vnâ etiam craſſiore digitum penè longâ, atque in profundum ſe mergente, vt aliquoties in aliis etiam Hyacinthorum generibus obſeruare memini.

## HYACINTHVS BIFOLIVS THEOphraſt. Lobel.



Deſcriptio

LOb. H. Belg. *Blawer Meybloomkens.* Et Icon. Pl. pag. 100. *Hyacinthus bifolius Theophr.* Teut. 157. C. B. Phyr. *Hyacinthus 4. ſiue bifolius Theophr. Lobel.*

## HYACINTHVS COMOSVS BYZANTInus candicans cum ſtaminulis purpureis.



Deſcriptio

QVaterna, inquit Cluſius, quina aut ſena interdum habet *folia*, humi vt plurimùm fuſa & expanſa, nonnunquam procũbentia duntaxat, oblonga, Hyacinthi primi Matth. foliis valdè ſimilia, latiore tamen mucrone prædita, & in lateribus veluti tenui lanugine obſita, præſertim infimâ parte, circa eorum exortum, ingrati guſtus & nauſeam facilè excitaturi: ex horum medio pedalis, nonnunquam maior, naſcitur *caulis*, teres & rotundus, nudus, intus fungoſus, foris viridis læuíſque, quem à medio ad ſummum ſexageni plerumque, aut plures ambiunt *flores* oblongiuſculi, oris in ſex laciniolas diuiſis, ſex ſtaminulis purpureis intus præditi, inodori, initiò candicantes, deinde cùm marceſſere incipiunt, fuſci & inelegantis coloris: *pediculi* quibus *flores* nituntur, initiò breuiſſimi ſunt, deinde paulatim marceſcentibus floribus excreſcentes, quatuor vnciarum aut amplio-

rem longitudinem adquirunt, ſic vt totus caulis ſuis floribus ita expanſis onuſtus, aſpergillum nō minùs referre videatur, quam Hippuris quoddam genus: caulis ſuprema pars cum florum pediculis purpuraſcit: incipit florere ab imis: trigona deinde *capitula* fert, exigua, pro plantæ amplitudine, in quibus paucum *ſemen*, interdum in ſingulis capitulis vnicum dūtaxat, rotundum, nigrum, Hyacinthi comoſi maioris ſemine minus continetur, interdum nullum, nam vt plurimùm capitula inania ſunt, nec arbitratur vnquam Cluſius plura collegiſſe ex vnica, quàm habebat, plantâ, ternis ſeminibus, aut [ quando plurima ] quinis aut ſenis: *radix* rotunda, bulboſa, multis candicantibus tunicis conſtat, exteriore ſubfuſca, & baſi multis fibris fultâ.

Nomina Quo nomine à Turcis inſigniatur, me latet: nam Muſcari bulbis ſemper permixtus fuit: ego propter comæ & florum quandam cum comoſo maiore Hyacintho ſimilitudinem, *comoſum Byzantinum* cognominaui. C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus* 21. ſiue *racemoſus albus alter*. *Hyac. comoſus* Cluſ. in Pann. & Hiſt. poſt.

Natales. Circiter annum 1578. primùm allatus eſt Conſtantinopoli cum aliis varii generis bulbis Mag. V. Paulo à Trauthon Cæſareæ aulæ Mariſcallo & à ſecretiore Conſilio, in cuius ſuburbano paucos bulbos videbat Maii initio florentes anno M.D. XX. Ex eodem tempore nullos miſſos meminit Cluſius, præter vnum aut alterum, duntaxat ſemel atque iterum: quia forſitan non expetitur, cùm nullâ floris elegantiâ ſit præditus.

## HIACINTHVS COMOSVS ALBVS cum cæruleis Staminibus.



Deſcriptio HVIVS generis [Hyacinth. comoſi] alius inuenitur [ teſte Lob. Appēd.] in hortis quibuſdam Belgarum, *foliis* quidem ſimilibus, ſed *flore* albo, intus cæruleis ſtaminibus decoratus, radicis tunicæ minimè rubent, Hyacinthus comoſus albus. Item Icō. Pl. p. 107. Teur. 144. Pann. lib. 2. c. 15. & poſt. hiſt. l. 2. c. 28. Hyacintho comoſo Byzantino non admodū diſſimilem & in Belgicâ, & Viennæ aluit Cluſ. nullâ aut perpuſillâ comâ prēditū, cuius flores obſoletioris coloris albicantis, Byzantini floribus ſatis accedunt, pediculi tamē flores ſuſtinētes in longitudinē non excreſcunt, ſemē & radix ſatis conueniunt. Vulgare eius nomen, *Hyacinthus comoſus albo flore*. Niſi Cluſius eandem iconem cum Lobelio haberet, dubitaremus an Lobelii & Cluſii deſcriptiones eiuſdem eſſent plantæ.

Camer. horti *Hyacinthus comoſus leucanthemos*, & ſemine Italico [ Norimbergæ ] natus. C. Bauh. Phyt. *Hyacinthus* 20. ſiue *racemoſus albus* 1. *Lobel. comoſus albus. Narciſſus montanus albus cæruleis ſtaminibus. Narciſſi montani iuncifolii minimi genus alterum Lob. obſ. in appendice ſine icone*. Lobel. non vocat in append. plantam, cui tribuit cærulea ſtamina Narciſſi montani iuncifolii minimi genus alterum, nec eſt ſine icone: Adeſt enim icon ſub titulo Hyacinthi comoſi albi: bis igitur eandem tradit C. Bauh. plantam diuerſis locis.

In Italia agentibus inuenta eſt Hyacinthi ſpecies in monte Gilbi, bulboſa planta foliis prædita Hyacinthi dumetorum quaternis, palmâ longioribus: inter quæ caulis ſurgebat dodrantalis, ſummo cacumine flores multos gerens, quo modo à Lobelio pingitur Hyacinthus comoſus albus, radix bulboſa alba. Similis etiam ex Italia per Fratrem C. Bauh. ex Italia innominata delata. Eandem non aſſerimus.

## HYACINTHIS AFFINIS PLANTA.

*An Bulbus Eriophorus Peruanus.*





CRaſſiuſculus *caulis*, cuius *ſcapus* magnum profert pediculorum quadrantalium, circa exortū viridiū, ſuperiùs purpureorum numerū: quorum vnuſquiſque *florem* fert maiuſculum purpureū, floribus Hyacinthi noſtri rari ſimilem, quinque foliis longiuſculis conſtantem, apicib⁹ mediū obtinentibus. Succedūt tandē *ſeminū conceptacula*, rotunda, craſſiuſcula, in in ſtilum deſinentia: porrò ſingulorū pediculorum exortui ligulæ adnaſcuntur vt in Ornithogallo, longæ, albicantes & pellucentes.

Pulcherrima hæc plāta Lugduni demonſtrata fuit ſicca, per Baronem quendam Germanum redeun-

tredentem ex Hiſpania ex qua curauimus depingendam. Sunt ab eo tempore quo primùm curaui depingendam plantam modò deſcriptam, circiter 40. anni, quum anno 1608. Hyacinthi Peruuiani nomine donata planta de qua mox, à qua non auſimus hanc diuerſam aut eandem pronuntiare: Conſiderandum etiam quantùm noſtra hæc planta à Cluſii Bulbo Eriophoro Peruano in cuius icone ligulę pediculis apparent [quas ipſe Cluſius appendiculas vocat] differat.

Sic autem Bulbum eriophorum Peruanum deſcribit Cluſ. lib. 2. cap. 23. Elegantiſſ. Eriophori genus ab eruditiſſ. Viro D. Simone de Touar Medico Hiſpalenſe anno 1596. accipiebam nunquam antè mihi conſpectum quod iam deſcripto adiungendum putaui. Multa id ex radice promit folia, ſurrecta initiò, deinde in terram ſeſe inclinantia, denſa, carinata, inſtar foliorum Hyacinthi, viridia, ſplendentiáque, quæ minutim confracta, tenuiſſima ſtamina præbent, haud ſecus ac primum genus. Inter hæc folia ſeſquipedalis naſcitur caulis, teres interdum & gracilis, firmus tamen, nudus, vireſcens, qui ſummo faſtigio plurimos fundit flores, initiò quaſi in ſpicam congeſtos, deinde ab infimo ſeſe explicare incipiētes, & in latitudinem expandentes, qui ſex foliolis ſtellatim decuſſatis conſtare deprehenduntur, coloris purpurei, circa vmbilicum autē cærulei, vt & prominens vmbo, atque ſena quæ illum ambiunt ſtaminula lata, flauis ſeu pallidis apicibus prædita, ſingula florum folia per longitudinem ſecante venâ ex atro purpureâ, odor valdè tenuis & exilis: oblongis verò gracilibúſque innituntur flores pediculis ex viridi purpuraſcentibus, quorum ſinguli ex appendicularum candidarum & membranacearum ſinu prodeunt: floribus ſucceſſerunt trigona mucronatáque capitula, ſemen continentia rotundum, nigrum, ſemini Hyacinthi Anglici ſeu Belgici par: bulbus eius craſſus, longiuſculus & quodammodo pyramidalis, ex albo flaueſcens (cuius ſquamę, perinde ac in priore, molli lanugine plenæ) infimâ ſede multis craſſiuſculis fibris præditâ: floruit extremo Maio inſequente. Cæterùm cùm diligenter hanc ſtirpem conſiderat Cluſius, & cū Hyacinthi ſtellati Peruani icone confert, plurimis notis conuenire comperit, & illâ ipsâ icone hanc ſtirpem, aut illi parem, expreſſam eſſe, penè ſibi perſuadet: illud ſolùm intereſt quòd iconi folia non carinata, ſed medio neruo protuberante, & ſubleuata adpicta ſint, tum radix nimis obtuſo mucrone. Hanc ob cauſam Lectori optionem relinquit, vt quo loco volet, iconem adaptet. ἐριοφόρα Laniferi nomen huic bulbo inditum, ob tomenti copiam, quòd lanæ modo in ſtamina diduci poſſit.

## HYACINTHVS PERVVIANVS.

STutgardiæ in horto Iunii principio floruit Hyacinthus Peruuianus dictus ſpecioſus admodum flore, *Folia* ſupra terram ferè ſparſa, digitum circiter lata, penè glauca, vncias quatuor, vel palmum longa, ſapore viſcido. *Caulis* palmo non multò maior, rotundus, craſſus, firmus: *flores* à medio caule innumeri prodibant, cum alternatim ambientes, ex *pediculis* oriundi, trium ferè unciarum, cærulei vel purpuraſcentes, qui conſtant ex ſex foliolis, ſublongis, in acutum deſinentibus: in auerſa parte linea, ſiue coſta magis cęrulea vel purpurea: intus apices cęrulei ſex, in quibus minima capitula lutea, & in medio ſtilus cæruleus, cui ſubeſt rudimentum ſiue *capitulum ſeminum*, Floris ſapor non manifeſtus, niſi fortè nonnihil acris & viſcoſus. An hic Hyacinthus diuerſus ſit ab Hyacinthi affini planta nondum aſſerere poſſumus, magna certè ſimilitudine. Quicquid tamen ſit pictura Hyacinthi Stellati Peruuiani Lobelii Aduerſ. alt. part. benè cōuenit & nobis placet, ex qua duos floſculos tantùm accepimus, vnum apertum & alium clauſum. Hyacinthi ſtellati Peruani, ex Peruano Orbe exemplar ad Cluſium miſit Nob. vir Carolus de Taſſis, quod lata, craſſa (vt ex icone animaduertere licuit) habuit folia, Hyacinthi Orientalis, ſeu potiùs Eriophori bulbi, foliis ſimilia, humi, magnâ ex parte, ſparſa, & viridia, inter quæ prodiit nudus caulis, vireſcens, ſummo faſtigio multis floribus, ſpicæ in modum ſimul congeſtis, onuſtus, qui ab imo ſeſe primùm explicare incipiunt, inſtar Scillæ, Ornithogali & ſimilium: pediculi oblongi, ex atro vireſcentes, ex gracilium & exiguorum foliorum alis orti flores ſuſtinent, ſex foliis ſtellæ inſtar expanſis conſtantes, purpurei foris coloris, intus ex purpurâ cœrulei, vmbone, quemadmodum in vulgari, floris vmbilicum, cum ſex ſtaminibus illum ambientibus, occupante. Fuerit ne aliquo odore præditus is flos, aut in ſemen abierit, nondum intellexi: radix bulboſa, craſſaque inſtar radicis Hyacinthi Orientalis, fuſco colore prædita foris, & multis craſſiuſculis fibris ab ima ſede prodeuntibus firmata. Icon quæ proponitur à Cluſio, antè ab eo etiam poſita fuit pro Eriophoro Bulbo Peruano.



## HYACINTHVS ANGLICVS SIVE BELG.

Deſcriptio.

HVic *folia* quatuor, & plura, caule longiora, repanda, *caulis* è bulbo vnicus, dodrantalis exſurgit, colore & craſſitie Hyacinthi Orientalis: *flores* odorati, cærulei ſeu violacei, penduli, octo aut nouem, non eodem tempore ſe pandētes, non nigri, vt in Orientali, quanquam tales obiter intuenti videri poſſent, ſed ex ſquammatim incumbentibus & ſubeuntibus ſex foliis, oris multùm reflexis, quibus adnatæ ſunt *fibræ* luteæ ad albedinem tendentes, compoſiti: in quorum medio *ſtilus* tenuis, triquetrus, cæruleus, pediculo ferè vnciali, cui appoſita *ligula* violacea pediculo longior, ad medium vſque florem pertingens. *Semen* atrum, reliquorum Hyacinthorum inſtar.



Dodon. ſic deſcribit : Hyacintho nō ſcripto folia ſunt oblonga, anguſta, læuia & ſplendentia : Porri foliis anguſtiora & minora: caulis foliis viduus, glaber, teres, cuius coma florum pondere & mole, cùm primùm dehiſcere incipiunt, grauata, deorſum recurnatur : flores oblongi, teretes, concaui, in latus ſe pādunt, per oras reflexi, colore vt plurimùm cærulei, ſubinde albicantes: aut candidi ſiue niuei, aliquando etiam Violæ nigræ dilutam purpuram referentes: ſemen in ſiliquis triangularibus paruum, rotundum. Radix bulboſa, candida, perennis, lento ſucco, vti & tota herba, plena.

Dodon. Gall. Hyacinthus, *Iacinthe*, quibuſdam Belg. Blaw Meybloemkens. Cluſ. Pann. p. 195. *Hyacinthus Belgicus* ſiue *non ſcriptus* Dodon. Et hiſt. poſt. *Hyacintum non ſcriptum Dodon.* non modò circa Machliniam & Bruxellas non poſtremas Belgicæ vrbes in pratis quibuſdam & ſilnulis naſcentem conſpexi : ſed in Galliæ parte, Belgicæ vicinæ, vulgò Picardia dicta in ſiluulis erui dum Lutetiam proficiſcerer : nuſquam tamē abundantiùs, quàm in pratis herbidiſque locis Londino vicinis, & etiam longiùs ab ea vrbe diſſitis, vbi eruere memini qui cubitali conſtarent caule, & tricenos haberent flores, modò intenſiùs purpuraſcentes, modò dilutiùs, aliquando etiam omninò niueos (quales etiam apud Bruxellas naſci ſolebant) vel mediâ ex parte purpureos, alterâ candicantes : ſed carnei coloris etiam inueniri, non modò ad me perſcripſit honeſtus vir & diligens Pharm. Iacobus Garetus iunior Belga, verùm etiam binos eius bulbos poſtea miſit, quorum alter corruptus, alter elegantē carnei coloris florem tulit an. 1591. deinde mirum in modum prolibus auctus eſt. Iconem à Dodon. & Lobel. propoſitam, Cluſius ponit ſub titulo Hyacinthi Hiſpanici de quo mox.

Lobel. & Pen. Adu. *Hyacinthus Angl. Belg. Hyacinthus Bruxellenſis.* Magna huic cum Fuchſiano aſſinitas, ſed conſpicua florum diſcrepantia. Semen in folliculo herbaceo atrum, Nigellæ, vel Cæpæ. Obſ. *Hyacinthus Anglicus & Belg.* Icon. Pl. p. 103. *Hyacinthus Belgicus candidus.* Adu. 48. Teut. 104. Camer. hort. *Hyacinthus Belgicus*. Tab. icon. & hiſt. *Hyacinthus Anglicus* weiſſer Engliſcher hyacinth. C. Bauhin. Phyt. pag. 47. *Hyacinthus* 8. ſiue oblongo flore cæruleo, Lob. Angl. & Belg. ſubinde albicans aut candidus : aliquando Violæ nigræ colore. Item *Hyacinthus*. 9. ſiue oblongo flore albo, Lob. Belgicus candidus, An autem Hyac. Belg. candidus differat à candido Anglico dubito, facilè mihi perſuaſerim eandem plantam, variantem tantùm colore & effigie. *C.B. not.*

I. Gerard. hiſt. Angl. lib. 4. cap. 70. *Hyacinthus Anglicus*, Blew Engliſch harebels. Item *Hyacinthus Anglicus albus*, white Engliſch harebels. Figura albi Hyacinthi ex Tabern. omninò diſplicet.

Hyacinthi Anglici nomine Toſſanus Carolus Pharm. miſit bulbū qui plātatus in horto Il. principis Montbelgardi floruit eodem anno. I. Gargillus miſit mihi ex Anglia flores ſiccos cum his inſcriptionibus, Hyacinthus Anglicus incarnato flore indictus vt reor. 2. Hyacinthus Anglicus niueus. 3. Hyacinthus Anglicus cæruleus. In Belgio in aruis & iuxta agrorum margines, fructibus aut arboribus conſitos :& præcipuè quidem propè Mechliniam vrbem vbi copioſus naſcitur, floret Aprili & Maio menſe, Dod. Nuſquam terrarum graminoſi ſaltus & prata vberiori ſcatent copia, quàm in Anglia : Lobelius. Loc tem

## HYACINTHVS HISPANICVS.

HYacintho, inquit Cluſius hiſt. poſt. non ſcripto valdè abſimilis non eſt Hyacinthus Hiſpanicus, *folia* tamen profert non adeò ſplendentia, nec humi ſtrata, ſed potiùs ſurrecta, breuiorem *caulem*, *flores* dilutiùs purpuraſcentes, & ad cæruleum colorem quodammodò tendentes, quorum odor etiam magis obſcurus : *ſemen*, *radix*, ferè conueniunt. Hy. ſpa

Floret eodem tempore cum Dodonæi non ſcripto, nempe ſub Aprilis finem & Maio. Hunc in Hiſpanicâ meâ peregrinatione non obſeruaui, ſed paucos antè annos e Belgica miſſum accepi à Generoſo Dn. du Longatre, Hyacinthi Hiſpanici inodori nomine. Vnde porrò ille habuerit, mihi incompertum. Te

## HYACINTHVS STELLARIS CINEREVS.

HYacinthus Stellaris cinereus acceptus à N. le Quelt, Rhizotomo Lutetiano, mihi nōdum floruit: prouenit prope Fonteyn Gallæciæ. Quam plantam intelligat Lobel. Adu. altera parte perpendendum : antè vnum tradidit Hyacinthum ſtellatum Cineracei coloris apud Cluſium in poſt. hiſt. quantùm autem is differat non demonſtrat, quanquam ſuſpicemur, conſideratâ deſcriptione Lobelii Hyacinthi totius albi ſiue Campanillæ, hunc Hyacinthum pertinere ad Hyacinthos Belgicos.

## HYACINTHVS TOTVS ALBVS: Campanilla.

HYacinthus totus albus Campanilla: Congener fortè aut idem cum ſuperiore (cinereo) qui flores ſummo caule vno verſu aut ordine vti Gladiolus profert. Radix alba, Hyacinthi ſtellaris. Oritur iuxta D. Oue Luſitaniæ: Gallis *S. Vual* : nobis nondum floruit. Lobel. Adu. part. 2.

## HYACINTHVS FLORE RVBRO

HYacinthus quidem eſt flore rubro elegans, in Luſitania propè Cogny, flores ſiccatos vidit Lob. Adu. par. 2. operâ Nicolai le Quelt Botanici.

HYACIN-

## HYACINTHVS OBSOLETIOR
Hiſpan. Anglico ſimilis.

HYacinthus obſoleti coloris hiſpanicus ſerotinus Cluſii Pān.& hiſt. poſt. quina aut ſena habet *folia*, oblonga, carinata, ſucci plena, coloris ex cineraceo vireſcentis, Muſcari foliorum æmula ferè, anguſtiora tamen, flexibilia, orbiculato fermè mucrone, candidâ venâ interiore parte per longitudinem excurrente, ingrati ſaporis: prodit *caulis* è medio foliorum, pedalis longitudinis, vel etiam amplior, gracilis, firmus tamen, nudus, duodenos, interdum etiam vicenos, *flores* per interualla ferens, deorſum ſpectātes, Hyacintho Anglico non multùm abſimiles, ſenis foliis cōſtantes, quorū externa exteriora valdè reflexa ſunt, interiora non adeò, ſed veluti tubulum quēdam imitātia: color in his valdè obſoletus, vt qui ex purpureo, pallido & vireſcente permixtus videatur, odor nullus: *ſemen* fert in triangulis capitulis, planū, nigrum, cartilaginoſū, circinatæ ferè rotunditatis, ſcillæ ſemini pænè par: *Radix* globoſa & rotunda, multis candicantibus tunicis conſtat, & numeroſis fibris ſeſſili parte prædita eſt. Spontè naſcitur quibuſdam Hiſpaniæ locis, vnde primùm in Belgicam delatus, nonnullis amicis floruit, à quibus ſemine communicato, natæ mihi ſunt plantæ Viennæ, quæ aliquot annis nullum ſemen tulerunt, anno verò 1582. & ſequentibus abundè, quinimò ſemina 1583. nata, atque ſimul ac maturuiſſent circa matrem ſata, illo ipſo anno germinarunt Septembri, & quædam ex illis plantæ biennio pòſt flores dederunt, deinde capitula ſuum ſemen continentia. Serò germinat, & folia in Autumnum ſeruat. Iunio autem cū Liliis floret, flores etiam, ſemine ex eodem capite excepto naturam ſtirpium variare ſolere obſeruabam, vt alii aliis obſoletiores conſpicerentur, quidam etiam virentes. Cùm in Belgicam amicis primùm mitteret hunc bulbum Franciſcus Hollebeque, Regis Hiſpaniæ Simpliciſta & hortulanus in Aranioez, nomen adſcriptum erat Hyacinthi flore coloris cineracei & terrei. Et ſine dubio inter hyacinthi genera recenſendus eſt.



Meminit huius Lobel. Adu. par. 2. his verbis: *Hyacinthus obſoletior Hiſpanicus ſemine compreſſo Pācratii Monſpeliaci, &c.* C. Bauhin. Phyt. *Hyacinthus* 10. ſiue ex flore purpureo pallido & vireſcēte mixtus. Camer. horti, *Hyacinthus Hiſpanicus obſoleto flore.*

## HYACINTHVS MINOR HISPANICVS
anguſtifolius cæruleus & albus.

*Deſcriptio.*

ACcipiebam, inquit Cluſ. Exot. part. 2. Append. 2. anno 1601. ab Eruditiſſ. viro Ioach. Venerio Burdigalâ perpuſillos Hyacynthi bulbos, quorum nonnullos cæruleum florem geſtare ſcribebat, alios candidum, eóſque in Hiſpania legiſſe, priores quidem apud Pontem de *Suert*, poſteriores in monte *Seoue de S. Tourains*. Duorū autem, qui, de tribus quos conſeruaui, florem tulerunt videlicet illius qui cæruleum illum habet, & alterius qui album, icones in vna tabella exprimendas curabam, quæ hîc adponeretur. *Hyacinthi minoris Hiſp. natales.*

*Hyacinthi minoris Hiſpanici.*

Is porrò qui anno inſequente florem proferebat: ex radice bulboſa oliuæ puſillæ magnitudine, fuſcâ membrana tecta, & & multis fibris donata, quina aut ſena promebat folia, longa, anguſta, ſtriata, & ſupinâ parte carinata, viridia, humi plerumq; ſparſa, infernâ parte quæ telluri proxima, nonnihil purpuraſcentia, nec valdè abſimilia foliis Hyacinthi botryoeidis: inter quæ exiliebat gracilis cauliculus dodrantalis longitudinis, obſoletè purpuraſcens, læuis, ſummo faſtigio ſuſtinens ſenos aut ſeptenos floſculos, concauos, in ſex paruas lacinias per oras diuiſos inſtar florum Hyacinthi Orientalis, ſed longè minores, inodoros, ſubcæruleo, & tandem cæruleo colore præditos, ſex ſubflaui coloris ſtaminulis ex vmbilico prodeuntibus, in quorum medio exiguus ſtilus: his ſuccedebant trigona capitula, mucronata, ſemen continentia. *Cæruleo colore.* Reliquorum verò duorum qui altero pòſt iam deſcriptum anno floruerunt, vnus florem illi cuius modò hiſtoriam dedi prorſus ſimilem habuit: alter verò totum niueum, formâ quidem à ſuperiore non differentem: ſed ipſius plantæ folia paullò anguſtiora mihi videbantur, cauliculus etiam dilutiùs virēre. *Albo flore.* Florebat vterque Maio menſe, ſemen maturum præbuit Iulio: quod in vtroque genere prorſus ſimile fuit, rotundum videlicet, nigrum & ſplendens. Cæterùm illo ipſo anno Nicolaus le Quelt Pariſienſis rhizotomus, varios bulbos in Hiſpania & Luſitania (vt ipſe aſſerebat) erutos huc venales adferebat, inter quæ iſtius etiam Hyacinthi aliquot, quos vel album florem vel rubrum geſtare aiebat: & ſanè cum albi, tum rubri flores ſuis cauliculis adhuc inhærentes inter pagellas repoſitos mihi oſtendebat, quos formâ non differre à modò dictis obſeruabam: cum autem qui dilutè ſuauitérque rubebat, venas quaſdam ſaturatiores obtinere deprehendebam per trium foliorum externorum longitudinem excurrentes.



## HYACINTHVS MINOR
Hiſpanicus obſoleto flore.

MIttebat ( inquit Cluſius Exot.part. 2. in append.2.[Venerius anno 1602.Hyacinthi cuiuſdam bulbos in Cantabris erutos, quorum flores albo cineraceo & ex albicante vireſcentes eſſe ſcribebat:illorum vnus inſequente anno flores dedit, huius obſoleti floribus prorſus forma & colore ſimiles, ſed meâ opinione paullò minores ( quia forſitan bulbi nimiùm afflicti fuerant ) folia etiam ſimilia& valdè longa, quæ ad menſem vſque Nouembrem ferè viridia permanſerunt. Decembri autem ſubſequente quatuor alios ab ipſo accipiebam,quorum flores obſoletos ſcribebat: ſi Deus vitam produxerit,& hiems bulbos non corrumpet, obſeruare poterimus an eiuſdem ſint generis. Sed etiam cum ſuperioribus illis quorum vnum florem protuliſſe dicebam,alios quinos bulbos mittebat, quorum ſcheda quâ inuoluti,inſcriptionem habebat,*Hyacinthus minimus ſerotinus cæruleo flore*: ex his terni folia produxerunt, Hyacinthi minoris Hiſpanici iam deſcripti foliis non diſſimilia, ſed florem nullum: Decembri etiam inſequente alios ab eo accipiebam ſimili nomine inſcriptos: proxima autem æſtas nos certiores faciet [ ſi viuemus ) an eiuſdem ſint generis.

## HYACINTHVS INDICVS
Tuberoſa radice.



Deſcriptio

PLanta rara, cuius primam cognitionem acceptam fert Cluſ. hiſt. poſt. Bernardo Paludano: cuius caulem ab illo accipiebat bipedalem aut ampliorem,firmum, concauum, enodem, quem tamen per interualla ambiebant octo,aut nouem folia inconditо ordine diſpoſita,& ipſum mediâ ex parte amplectentia, vt nodorum quandam ſpeciem præberent, circa imum longiora & latiora,ſupernâ parte breuiora,omnia tamen carinata,dilutiùs virentia, ſatis dura, & ſi quis vel in minimas partes confringeret,veluti tenuiſſima ſtamina, inſtar foliorum Eriophori vulgaris diuulſorum,oſtendentia:ſummus caulis deſinebat in duodenos aut plures flores (quorum vnicus dantaxat apertus, reliqui adhuc clauſi] confertim & in ſpicæ quodammodò formam naſcentes, vnciam longos, ſummâ parte in ſex lacinias aliquantulùm reflexas diuiſos,florum Hyacinthi Aſiatici inſtar, ſed longè craſſiores & magis ſucculentos, non minùs forſan,quàm Mali Citrii flores,ſex ſtaminibus è medio prodeuntibus [ quorum apices pallidi] & illis breuiore ſtilo; odoratuſne ſit, an odoris expers, Cluſium latet,quia ſatis afflictum vecturâ, & mediâ ex parte confractum accipiebat: qualem autem radicem haberet, non erat adſcriptum. Miſſa porrò fuerat Paludano hæc planta cum inſcriptione, *Bulbus Indicus florem album proferens, floris Hyacinthi Orientalis æmulum*: Cluſius propter tenuiſſima illa,inſtar telæ aranearum ſtamina,quæ cauli inhærentia folia,vel minutim confracta reddebant, Eriophori genus aliquod arbitrabatur, tametſi & caulis foliis ornatus,& florum forma refragarentur, nec radix ipſi conſpecta eſſet. N

De hoc ita Lobel.Adu.par.2.p.488.*Hyacinthus Indicus tuberoſus Cluſij*: Peregrinum verò rarum & eximium Hyacinthi genus ab Ill.Comite Arenbergio & C.viro Paludano floribus albis miſſum, deſcripſit Cluſius foliis longis &c.

## HYACINTHVS MAVRITANICVS.

EX eâ Mauritaniæ parte in qua Feza & Marocco vrbes ſitæ,initio anni 1599. cum aliis bulbaceis plãtis adferebatur Hyacinthi genus exoticum, Hyacintho obſoletiori Hiſpanico ſerotino valdè diſſimile, cùm foliis,tum floribus: omnia tamen in hoc paullò maiora Nam huius folia Hyacinthinis, aut Ornithogali Arabici legitimi foliis ſatis reſpondebant: & inter illa prodibat caulis pedalis longitudinis aut amplior, craſſior quàm in Hiſpanico, firmus, impenſè viridis, vicenos,interdum etiam plures flores ſuſtinens ſex foliis conſtantes, quorum externa tria nonnihil explicantur,interna quodammodo coëunt,& tubi cuiuſdam formam exprimunt,extremitate tamẽ aliquãtulùm reflexâ,veluti in Hiſpanico iam dicto, coloris autem magis obſoleti & fuſci: de ſemine nihil pronũciare poſſum,quia nullum tulit: radix bulbacea, alba, Hiſpanici radici non diſſimilis, paullò tamen maior,& ad Ornithogali Arabici legitimi radicem valdè accedens. Flores dabat Maio inſequente : plantas verò omnes corrumpebat cum multis aliis ſingularibus, aſperrima quæ ſubſequebatur hiems. Hunc cum aliis bulbis,è Mauritania acceptum, Wilhelmus Parduyn & Io. Somer ciues Medioburgenſes in Walachria amicis, teſte Cluſio & Lobelio Adu. part. 2. communicabant.

## HYACINTHVS LATIFOLIVS
Dalechampii.



HYacinthus ex Dalechampio latifolius, qui in monte Aureo Aruerniæ ſpõtè creſcit: *radice* corticoſa, Lilio ſimili: *foliis* ſex aut octo, nigricãtibus, craſſis, latis,Lilii ferè : floribus purpureis elegantibus,particulatim ſeſe expandentibus: *ſemine* in capitulis rotundis

…undis herbaceis, Hiſt.Lugd.

C.Bauhin.Phyt.Hyacinthus 18. ſiue latifolius Dalech. Hunc ſemel tantùm vidimus Patauii in horto Clariſſ.Medici Bechar. Triueſani flore albo. In figura Dal. radix non videtur correſpondere deſcriptioni eius, vtinam aliquis nobis ex Arvernia bulbos mittat.

## HYACINTHVS LILIOFOLIVS ſtellatus.



E Biſcayæ Montibus iuquit Lobel. Moutono itidem aſportatus & ab eo mihi liberaliſſimè communicatus hic admodum rarus & perelegans Hyacinthus, quem appoſitè Liliaceum quis dixerit. Radice enim ac bulbo lilii eſt, ſed minore & oblongiore, flaueſcente : vt Lilii cruenti, ſiue Martagonis. *Folia* Lilio candido ſimillima: ſena aut ſeptena, inter quæ medius exilit nudus ſine foliis ſpithameus caulis in cuius ſummo flores Hyacinthi ſtellaris cærulopurpurei.

Hyacinthum ſtellatum Lilii folio cum ſequēte deſcriptione Viennam ad Cluſium mittebat Tornaco Io. Moutonus. Attulit, inquit, qui Pſeudo-Narciſſos iuncifolios communicabat, ex iiſdem iugis erutum bulbum, Liliaceo ſatis ſimilem, ſed oblongiorem, flaueſcentis coloris, vt Martagonis quorundam, ſiue Lilii ſylueſtris & montani purpurei radix : ſena autem vel plura fert folia, Lilii albi [ antè quàm in caulem abeat ] foliis ſimilia, è quorum medio caulis exilis pede breuior, multos flores in ſummo ſuſtinens, Hyacinthi ſtellati vulgò nuncupati floribus, omninò pares, ſex foliis conſtantes intensè cæruleis, ſiue violaceis, eminente ex vmbilico quodam veluti vmbone, cuius causâ Hyacinthū ſtellatum λειωφυλλὸν appellat: flori ſuccedūt triāgula capitula, in quibus ſemen. Mittebat etiam ille anno 1586. eius bulbum ex aliquot palleſcentibus ſquamis imbricatim diſpoſitis conſtantem. Sed cùm toto bimeſtri in itinere hæſiſſet, atque omninò flaccidus ad me perueniſſet, terræ cōmiſſum ſubſequens hyems corrupit. Alterum deinde bulbum ab eo accipiebam, & aliquot poſt annos vnum etiam à Iacobo Plateau: ſed omnes mihi corrupti. Eius porrò iconem à Moutono etiam acceptam in app. ad ſuam Stirp.hiſt.exhibet Lobelius noſter. Sed anno 1595. eius bulbum à N.V.Ioan.Boiſſot accipiebam, qui inſequente anno mihi flores dedit. Similes bulbos ad ipſum ( Exot.par.2.) Append.2. mittebat Burdigalâ anno à Chriſti natiuitate 1600. & eum inſequente Ioachimus Venerius, quos partim in Pyrenæis, partim in monte Galliæ Aquitanicæ, cui nomen *Hos*, eruiſſe ſcribebat, vbi à paſtoribus *Sarabug* appellaretur, qui etiam aſſererēt, animalibus eam plantam depaſcentibus caput intumeſcere, deinde morte in ſubſequi: addebat etiam illis vnicum, quem valdè rarum inuentu ſignificabat, niueos flores proferētē, atq; in mōte *Puiole* in Hiſpania legiſſe ſcribebat. Omnes quidem, præter vnum aut alterum, biennio pòſt germinarūt, ſed nullum florem tulerunt : tertio demùm anno vnus cæruleum florem dedit : eius verò florem qui niueus eſſe debet, nondum videre contigit. Humentibus locis eas plantas gaudere ſcribebat. Eidem Cluſio & aliis aliquot bulbi qui flores cæruleos gerunt, plures flores, vel longiorem florū comam protulerunt, quàm præcedente anno: qui tamen pro eo miſſus, cuius flores eſſent albi, nulli florem tulit quàm illo ipſo anno. Hogelandio planta vna, Porreto planta vna, Honeſto planta vna, Cluſio etiam vnica quam habebat planta: nam quam Venerius anno præcedente ipſi mittebat, hiems corrupit.

Lobel.in append.& Ic. Pl. pag. 101. *Hyacinthus ſtellaris Liliſolius floridus* ſiue *Liriophyllus*. Tabern.icon.& hiſt. *Hyacinthus Liliaceus* ſiue *Liliofolius* & *Hyac.* 7. hyacinth. C.Bauhin.Phyt. *Hyacinthus* 5. ſiue *folio & radice Lilii*. Mihi videtur Hyacinthus Lobelii magnam habere affinitatem cum noſtro Hyacintho raro. I.Gerard. *Hyacin. ſtellatus Liliofolius*, lillie Jacinth. *Hyacinthus bifolius Theophraſti.*

## HYACINTHVS TRIPOLITANVS.



*Deſcriptio.* Foliis eſt longis tenuiſſimis, Phalangio noſtro ſimilibus, *caulis* ſatis magnus, in cuius ſummitate quatuor *flores* ſpecioſi, colore & magnitudine ſimiles foliis tribus erectis in parua Iride cærulea : *radices* formâ, & colore Tulipis ſimiles : florebat Aprili Tripoli vbi obſeruaui, Rauvvolf.

Camer.in Epit.Matthioli: item ad eius hiſt.G. *Hyacinthus Tripolitanus* quem accepi à Domino Rauvvolfio. Rauvv.itin. *Hyacinthi ſpecies* incolis Tripolitanis *Ayur*. C.Bauh.Phyt.apud Matth. *Hyacinthus* 16. ſiue *Tripolitanus*.

## HYACINTHVS EX THRACIA.

*Hyac.ex Thracia.* Hyacinthum florem, qualem Dioſc. deſcribit, in hortis noſtris habemus, quē ex Thracia Venetias tulimus. *Folia* habēt bulbi protinus à radice, *caulem* dodrantalem, leuem, tenuiorémque minimo digito, coloris herbacei, comam procumbentem, incuruam, plenam florum olentiæ iucundiſſimæ, coloris cærulei aliquantulùm ad purpuram inclinātis, primo aſpectu grati, deinde euaneſcentis antequam ſatiet, *ſemine* nigro,

Coriandri magnitudine, *radice* bulboſâ purpurranteque: floret initio Veris cum viola purpurea. Verùm quia poſſit aliquis cauillari, dicens hunc quem deſcripſimus florem non eſſe Hyacinthum, cùm Dioſc. Hyacinthi florem non colorem cæruleum ſed purpureum habere deſcripſerit, qui nec de odore quicquã meminerit: dicimus Dioſc. per purpureum violaceum intelligere, quippe cùm & violam illam quam Ic. prophyrion Græci vocant, cuius colorem violaceum ſiue Ianthinum vocari diximus, vnà cum Plinio coloris purpurei eſſe deſcripſerit: nam & Plinius Hyacinthi colorem violaceum dilutum vocauit: Fran. Maſſar. in 9. Plinii cap. 41.

## LEVCOIVM BVLBOSVM
Hexaphillon cum vnico flore, rarius bino.





Deſcriptio

TOta planta, quàm Leucoium minus Triphyllon, craſſior: *bulbus* multis candidis tunicis [extima tamen fuſca] conſtans, & candicantibus fibris, ſimiliter capillatus, ſapore viſcido, acrimoniâ vix notabili: *Folia* porracea, vt Triphyllo, ſed latiora, ſplendidiora, tria, quatuor, quinque, viridia, admodum & nitida: *caulis* dodrantalis, cùm floret angulоſus, ſtriatus, cauus, nudus, quem ſimul cum foliis inueſtit, etiam ad medium vſque vagina alba: *Flos* plerumque ſingularis, interdum geminus, rarò tertius Cluſio, pediculo longo appẽſus, è vagina peculiari in medio membranea, exalbida, ad latera craſſiore, virente, nutat & deorſum ſpectat, exigui Cymbali modo, maior quàm Triphyllo ex foliis ſæpiùs ſex, interdum ſeptem, & octo, cæterà candidis, mucrone acutiuſculo, extrinſecus macula virente punctato, intrò leniter reflexo: in medio apices lutei ſex modicè inter ſe diſtantes ſtilum intimum candidum ambiunt, odor ei non gratus qui Fuchſio violarum purpurearum prorſus refert, Cluſio Oxyacanthæ vulgò creditæ odorem referens. Succedit flori *capitulum* vt in Narciſſis ſiue membranaceum capitulum, Pyri modo, vt ait Cluſius, turbinatum, *ſemen* ex candido flaueſcens, oblongiuſculum durum.

Duas proponimus icones ex noſtris empticiis quarum vna plantam demonſtrat cùm florere incipit: altera cùm ſemen profert, vti olim à Fuchſio exhibitæ fueruut.

De Leucoio ſuo ita ſcripſit Theophr. lib. 6. c. 7. Leucoium (viola alba, Gaza) inter vernos flores primùm ſe oſtendit, vbi cælum clementiùs ſtatim fuerit, etiam Hyeme nondum exacta. Vbi verò immitiùs, poſtea.

An de hoc Plutarchus in lib. de amore fraterno:

*Inter Echnopodas velut aſperam & Ononin*
*Naſcuntur paſſim mollia Leucoia.*

Mihi quidem videtur potiùs referendum hoc diſtichum ad Leucoium bulboſum quàm ad Leucoia alia propter locum natiuitatis.

Brunf. ſub Narciſſi titulo non ſolùm Leucoium hoc pingit, verùm etiam Bulbocodium ac nomina vtriuſque plantæ cum nominibus Narciſſi confundit.

Trag. Hiſt. Germ. & Lat. weiß hornungs blümlein. Mertzen blumen. Otho vult Narciſſum: Parum refert ſi nominent Narciſſum aut Liguſtrum, weiß mertz violen. Quod autem quidam aſſerunt florere vere & Autumno falſum eſt. Nobis vera eſt ἡμεροκαλλὶς aut ſylueſtre Lilium Dioſc. lib. 3. 120. eidem Hemerocatalactum, Crinanthemon, Porphyrantes, Bulbus vomitorius, Bulbus agreſtis: Etſi Leucoium Theophr. quod quidem Anemonem Limoniam interpretantur, conſtanter credimus.

*Geſner.* de coll. ſtirp. Leucoium bulboſum, weiß hornung blumen. Item in cat. pl. *Viola alba Theophraſt.*

Fuchſ. hiſt. λευκόιον Theoph. diuerſum à Dioſc. Leucoio, quod plærique docti non animaduerterunt, Lat. *Viola alba.* In edit. Lugd. Fuchſii addita hæc annot. Maſſario in lib. 9. Plinio deprehenſum eſt. Et icon. *Viola alba Theoph.*

Viola alba Belgis, weitte Spöckel blumen / ſoomer Sottekens & weitte Zudlooſen. Idem de fl. Leucoium bulboſum, exaphillon, Matthiolo Narciſſi ſpecies.

Matth. in poſt. com. Ital. *Narciſſus* 7. qui non deſcribit.

Aduerſ. Lob. & & Penæ, *Leuconarciſſolirion pratenſe vernum*, viola alba Theophr. vel Moly Rondeletio: An Plinio Lilionarciſſus. & Icon. Pl. 119. *Leuconarciſſolirion paucioribus foliis.*

C. Bauh. Phyt. *Leucoium* 1. ſiue bulboſum vulgare.

Cluſ. pann. & Hiſt. poſt. *Leucoium bulboſum præcox maius*, Rhizotomis mulierculis Meß veyl, quaſi paluſtris viola in Germ. weiß hornungs blumen / id eſt, candidus Februarii flos.

Thal. Hac. *Leucoium bulboſum Theophr.* ſeu *Narciſſus albus.* Schlangen blumen.

Hiſt. Lugd Theophr. lib. hiſt. c. 7. inter vernos flores τὸ λευκόιον, & lib. 7. hiſt. c. 13. bulboſis annumerat Leucoium bulboſum, Fuchſ. violam albam appellat, non ab re. Germ. Weiß hornungs blumen / Lugd. *Campanes blanches.*

Prima florum (teſte Fuchſio) Tubingæ hieme etiamnondum exactâ, Februario nimirum mẽſe & die diuo Valentino ſacro, vbi cælum clementius fuerit, apparet in Aprili, vbi appropinquare iam cæperit Maius, euaneſcit, inter initia Martii ad

tii ad perfectionem venit. Semen in Aprili oſtendit in capitulis. Prouenit in vmbroſis ſyluis & locis,qualis eſt nōn procul à Tubinga paulò ſupra & infra monaſterium Bebenhauſen vocatū, vbi copioſiſſimè naſcitur. Plantatur nunc etiam paſſim in hortis. Dodon. Menſe Maio pereunt caules & folia: ſola radix perdurat vt Narciſſi. Prodit maturè admodum, ſtatimque inter bina folia florem oſtendit vix liquefactis niuibus: Maio menſe ſemen matureſcit & folia marceſcunt. In ſylua quadam [Pannoniæ] non procul Zolonock Ill. Di. de Batthyan oppido vdis locis ſolummodò obſeruabat Cluſius,creſcit etiā plæriſque Germaniæ locis. Copioſè prouenit in monte *Bar* Com. Momb. in dumetis, vnde tranſtuli in hortum Ill.E.C.habent etiam alii in hortis: copioſum inueni florens Menſis Martii principio inter *Audincourt* & *Mandeure*, olim dictum Epamanduodurum in itinere verſus *Dampierre*, ex tranſplantatione interdum flores fert cum octonis foliolis, vel cum duobus floribus ex vno caule. Anno 1598.floruit Montbelgardi, fine Decembris in vno caule. Patauii obſeruaui florens Februario in hortis nobilium, D.Cortuſii & Paſqualigo: Ferrariç in cœnobio S.Dominici à l'Angeli. Bononiæ in horto S.Saluatoris Al burgo di S.Cathatina: Lugduni, Baſileæ, Geneuæ, in hortis,cùm eſſem Monſpelii, reperi propè turrim *de Late* plantam cum pericarpiis duobus, nō multùm diſſimilibus à pericarpiis Narciſſi vnum florem habentis, ſed maioribus multò, in quo ſemina rotunda nigra,magna,huius Leucoii fuiſſe ſuſpicor,ac in catal. horti Bēbi inuenio,Viola alba Fuchſii Verna *latte di Gallina*.

Hoc Leucoium,ut annotauimus in deſcriptione, bulbum habet ſapore viſcido, acrimonia vix notabili: Scribente Fuchſio folia ferè qualitatis omnis expertia, radix autem dulcis & glutinoſa eſt, vt hoc nomine adſtringat & exiccet, ut reliqui bulbi,digerētem leuiter, & cum hoc adſtringentem facultatem, ſicut reliquos bulbos habere ex iis quæ commemorauimus ſatis conſtat,tamen nunc nullus, quod ſciam, eius ſtirpis vſus eſt.

## LEVCOIVM BVLBOSVM MINVS Triphyllon.

TOtum minus Leucoio præcedenti hexaphillo, ex *radice* bulboſa parua, multis tunicis albis conſtans, externa nōnihil nigricante, & ſeſſili parte,multis fibris appenſis: donata guſtu eſt lento,amaro, ſubacri: exſurgit *coliculus* ſingularis,anguloſus, vaginâ albâ ad mediam vſque longitudinem incluſus,tenuis,concauus,nudus, dodrantalis aut paullò maior, quem ferè ad ſummum vſque comitantur *folia* biua, porracea, glauca ferè, nec ita lucida vt Leucoii Exaphylli, vel,vt ait Cluſius,colore æruginoſo & quodammodò cineraceo: extremum caulis tenet *flos* pediculo longo nutante, vaginulâ aliquouſque incluſo, vnicus,paruus,foliolis tribus, penitùs lacteis,nonnihil obtuſis, aliis interioribus, duplò longioribus,latioribuſque conſtans,intra quæ alia tria, alternante ſitu, breuiora anguſtiora, rigidiora,læui cæſurâ,in ſummo, in quo extrinſecus,corculi ex diluto virore,pænè luteolo,effigiatura, intrinſecus diſcurſantibus,per folioli longitudinem, alternatim ſtriis albis, & viridantibus. Totius floris medium obtinent apices lutei, rigidiuſculi,ſex, ſtiluſque exilis, candidus, interioribus floris foliolis, dimidio breuiores. Cluſio odor nullus aut perquàm exiguus: florem ſequitur *capitulum* vt Narciſſis, Oliuæ virentis [inquit Cluſius] formam pænè exprimens, in quo *ſemen* cādidius altero præcedenti: flos noctu ſe contrahit, cū Sole explicatur,etiam extra terram in hypocauſto,& vt dicit Cluſius,radiis Solaribus illuſtratus, aut ſudo cælo explicatus.



Theophraſt.de Hiſt pl.l.7.cap.13. Inter bulboſas Leucoium, vel,vt vertit Gaza, Violam albam recenſet. C.Bauhin. Phyt. *Leucoium bulboſum* 7.ſiue minus. Cluſius Pann. & Hiſt. poſt. *Leucoium bulboſum præcox minus*, Rhizotomis mulierculis weyſſe veyl & Schneetropfē/hoc eſt, alba Viola,& Niueæ guttæ,ab inſigni videlicet candore appellatur. Matthiol. *Narciſſus*.2. Et in poſt. com.Ital. *Narciſſus ſextus*, à quo non deſcribitur, ſed figura tantùm ponitur. Dodon.de flor. deſcribit & depingit,ac vocat *Leucoium bulboſum triphyllon*. Aduerſ. Lobel. & Penæ hunc tradunt ſub *Leuconarciſſolirio pratenſi*. Nonnullis Narciſſus herbaceus Plinii putatur. Obſ.& Ic.Pl.pag. 119. *Leuconarciſſolirion minimum*. Hiſt.Lugd.quæ figuram habet ex Matthiol. vocat *Leucoium bulboſum primum*. Camer.hort. *Leucoium bulboſum triphyllum* vulgò ad Narciſſum referunt.

Locus & tempus

Prodit maturè admodum cum præcedenti, vix liquefactis niuibus quas nonnunquam etiam penetrat: Non modò in Vienneſi & Leytano ſaltibus,ſed etiam pleriſque Pannoniæ pratis: vmbrâ tamen (teſte Cluſio) magis delectari videtur. Florens vidi nunc in fine Februarii paſſim in montibus Enganeis, vt inter Thermas Aponenſes & Arqua,&c. Item Patauii in horto Magnifici Laurentii Priuli. Hoc habemus Mōtbelgardi in hort.Ill.E.C.vbi plantauimus, floret Aprili ac citiùs quàm Leucoium Bulboſum hexaphyllon,obſeruauimus etiam florens in hortulo noſtro Ianuario & Februario ſub ipſis niuibus,& anno 1597.fine Decembris.

## LEVCOIVM BVLBOSVM PRÆCOX Byzantinum.

LEucoium [autore Cluſio in poſt.hiſt.]bulboſum præcox Byzantinum Leucoio minori minori ferè ſimile eſt, ineuntéque Martio bina *folia* promit illi ſimilia,ſed latiora, æruginei etiā coloris, floris gemmam vt in illo complectentia: craſſiuſculus *caulis* tandem ſuccreſcens, vnicum *florem* vaniguâ incluſum ſuſtinet,formâ ſuperiori ſimilem,duplò ferè minorem,tribus externis foliis alarum modo expanſis, prorſus niueis,interioribus verò breuibus,biſulcis, vt in ſuperio-

re, ſimul coëuntibus, & veluti tubulum quempiam efformantibus, foris plerumque circa vngues vireſcentibus, reliquâ parte albis, oras tamen ſecundum crenas virides maculæ inficiunt, interiùs verò aut magna ex parte viridia ſunt, aut octo radiis ab imis vnguibus ſecundum longitudinem ductis prædita: ptioris fragrãtiam vtcumque æmulatur hic flos, & ſuauius quidpiam ſpirare mihi videtur: *radix* ſecundo maior.



C. Bauhin. phyt. *Leucoium 8. ſiue bulboſi minoris altera ſpecies.* Lob. Adu. part. 2. *Leuco-Narciſſo Lyrion*, ſiue *tertium bulboſum Leucoium præcox Cluſii.*

Locus. Byzantio Viennam inferri coepit, Narciſſi bulbis permixtum poſt annum 1592. Sed & ſimile pænè mittebat Cluſ. Doct. Imperatus Neapoli ſub Autumnum anni 1592. è monte Virgineo erutum.

## LEVCOIVM BVLBOSVM Polyanthemum tardiùs florens, floribus minoribus.



Deſcriptio. Leucoium hoc vt reliquis eiuſdem generis ſerius, ita tota mole maius, *radice* craſſa, longè maiore, bulboſâ, quæ multis ſucculentis tunicis ac etiam fibris conſtat, ſapore amaro: *caulem* tollit vnum aut alterum pedalem, cubitalẽ, & ſeſquicubitalem, fiſtuloſum, craſſum, viridem, qui ne planè rotundus ſit impedimento eſt, vtrinque vel altero tantùm latere elata coſta acuta: *folia* Narciſſina, virentia, caulem tanquam vagina inferiore parte complectentia, multa, Cluſio quinque aut ſex, carinata, ſemunciam aut vnciam lata, mucrone obtuſo, quorum alia pari cum caule altitudine aſſurgunt, alia infra ſubſiſtunt: in ſingulorum caulium cacumine ad geniculum è vagina oblonga prodeunt flores, Leucoii bulboſi hexaphilli ſimiles, paullò minores, numeroſi, quini, ſeni, aut duodeni, tintinabuli modo penduli, ſex æqualibus & niueis foliis conſtantes, quorum extimam partem virides maculæ inficiunt, ſenis intus ſtaminibus flauis, medioque lacteo ſtilo, apice viridi inſignito, odorati: pediculis aliquando palmaribus, aliquando vix vncialibus, præſertim antequam flos expandatur; hique non ſimul ſeſe explicantes, ſed aliis expanſis & ferè marcidis, alii primulùm è vagina pullulantes prodire occipiunt. Floribus ſuccedunt magna & trigona angulis obtuſis *capita*, Pyri in modum ferè turbinata (quæ facilè à limacibus apud nos arroduntur priuſquàm ſemen matureſcere poſſit) apud nos Montbelgardi: *Semen* nigrum, Orobaceum, inquit Cluſius, Liliaſphodeli flauo flore ſemini non abſimile continentia.

Dodon. de flor. *Leucoium bulboſum Polyanthemon.* Aduerſ. Lob. & Penæ meminerunt ſub *Leuconarciſſo.* Obſ. & icon. pl. pag. 118. *Leuconarciſſolirion pratenſe*: & p. 65. *Leuconarciſſo pratenſe vernum*, num viola alba Theophr. vel Moly Rondeletio multiflorum. Hiſt. Lugd. Dodonæo *Leucoium bulboſum tertium Polyanthemum, quibuſdam videtur eſſe Narciſſus 2. Matthioli.* C. Bauh. Phyt. *Leucoium bulboſum 6.* ſiue *maius.* Sunt qui Acrocorion Plinij lib. 19. c. 5. qui nil niſi nomen habet, eſſe velint. Cluſ. Pann. *Leucoium maius ſerotinum bulboſum.* Camer. hor. *Leucoium bulboſum Polyanthemum* vulgò ad Narciſſum referunt.

Seriùs ſuperioribus Leucoiis duobus plerúmq; germinare ſolet, atque Maio demum menſe flores proferre. Vno duntaxat interamnis Pannoniæ loco hoc genus obſeruabat Cluſius, vliginoſis pratis ſupra Waraſdinum anno 1579. Meminit & illi ſimile planè duodetriginta priùs annis eruere in pratis Lateræ vicinis cùm Monſpelij viueret. Sed & eius genus quibuſdam pratis ad Danubium ſitis infra Viennam Auſtriæ naſcitur, cuius folia quidem ſimilia, ſed pallidiora, non adeò mucronata, & veluti bifido mucrone prædita: flores item maculis ex viridi magis pallentibus infecti. Alitur hoc etiam in Germanicis & Belgicis hortis. Leucoium bulboſum polyanthemum habemus in horto Illuſtriſſ. E. C. Montb. nobis miſſum per Nobilem virum D. à *Belle fontaine* ex Bizantio vbi videramus in eius cultiſſimo horto: olim etiam viſa fuerat hæc planta Florentiæ in horto Nicolai Ferrarienſis. Accepimus quoque in Maſmunſter ex horto nobilis Viduæ ab Ambringue, floret Aprili & Maio poſt alios duos præcedentes.

## LEVCOIVM TRIPHYLLON flore cæruleo Someri.

Lobel. Adu. par. 2. Violam albam Theophraſti, à D. Fuchſio & Botanicis vocatam, ſiue Leucoion flore cæruleo amœniſſimum, in Albania, iuxta Fritillariam albam, purpuro-phaio teſſulatum Conſtantinopoli rediens eruit prædictus D. I. Somerus, huius ſtudii iucundi apud Mattiacos coryphæus.

* * * *

LEV-

## LEVCOIVM BVLBOSVM AVTVMNALE minus tenuifolium.



Cauliculo eſt palmũ alto gracili, vnicũ, interdũ alterũ & tertium ferens *florem* omninò lacteum, pendulum, ſex foliis conſtãtem, & tintinnabuli modo formatũ, inodorum, ingratíque guſtus, in quo pallida ſtamina: flore iam aperto, demum prodeũt quaterna aut quina, capillaria viridiáque *folia*: (Lob. atronirentia) *radix* bulboſa [Lob. oblonga, alba,] ſatis craſſa, pro plantæ exilitate, è multis glutinoſis tunicis compacta & amara, quæ candicante membranâ integitur.

Cluſ. Hiſp. & poſt. Hiſt. *Leucoium bulboſum minus Autumnale tenuifolium ſiue quintum.* Lob. ic. pl. pag. 120. *Leuconarciſſolicion minimum Autumnale*: Aliam iconem habet in Aduerſ. part. 2. dicens: A foliorum quadam ſimilitudine & exilitate Leucoii Autumnalis genus iſtud ab Egr. viro D. Theodorico Clutio in Lugdunenſi Batauorum Academia horti Medici primo inſtructore cultum, Hyacinthi Autumnalis peregrinum & elegans genus creditum fuit: cuius delineationẽ Petro Clutio fratri ſuo debemus. C. Bauh. Leucoium 9. ſiue bulboſum Autumnale.

Extremâ Bæticâ, quâ Luſitaniæ contermina eſt, non procul Badaioz, quam nonnulli Pacem Auguſtam eſſe exiſtimant, ad flumen Anam ſitã, naſcitur, vbi ſub finem Octobris & Nouembris initio, cum ſuo flore eruebat Cluſius, Vlyſſiponem proficiſcens, vnde in Belgicam cum paruo illo ſerotino Narciſſo amicis mittebat: qui diu in penſilibus ſuis hortis vtrumque aluerunt, nullum tamen, quod ſciat, florem videre potuerunt, & an hactenus bulbos conſeruarint ignorat.

## LEVCOIO BVLBOSO FORTE AFFINIS Bulbus flore intus luteo foris purpureo.

Bulbus ex Hiſpania Cluſio Pann. miſſus per Regis hortulanum flore Campanulæ albæ ſatis magno, terram ſpectante, colore intus luteo foris purpureo. C.B. Phyt. Leucoium bulboſum 3.

* * *

## LEVCOIO BVLBOSO FORTE AFFINIS Bulbus quidam.

Bulbus Cluſio miſſus ex Hiſpania per Hortulanum Regis, quatuor aut quinque flores geſtans, in modum Campanulæ albæ efformatos. C.B. Phyt. 84. Leucoium bulboſum 2.

## BVLBOCODIVM VVLGATIVS.



Bulbocodii *radix* bulboſa, vt Leucoii bulboſi Theophr. vulgò dicti, minor, ex multis tunicis compacta, tactu & guſtu viſcida cũ aliqua dulcedine acrimoniam tandem aliquam relinquens, cui ſubſunt multæ capillares fibræ, nonnunquam vnica, aliàs plures vbi ſe propagat: *folia* Leucoio prædicto ſimilia, longa, caulem ad ſummum faſtigium comitantia, anguſtiora, breuiora, colore diuerſo, Allii ferè, non tamen ex viridi lucentia vt illius, ſtriata, coſtis duabus auerſa parte prædita, terna, quaterna, quina, tunicâ vnâ cum caule ſtatim à radice exorta, aliquouſque inuoluta. *Caulis* palmaris & dodrantalis, compreſſus, ſtriatus, fiſtuloſus, cui inſidet *flos* ſingularis, deorſum nutans, duas vncias longus, ſex pallidis & ſtellatim decuſſatis foliis conſtans, magno, longo, flauóque & fimbriato calice Campanulæ ferè figurà protuberãs, aureus, ſplendens, fimbria comata & laciniata, in cuius medio apices ſex lutei circa piſtillum concolorem intorquentur, & lacinia eſt minimo odore, non, vt aliqui volunt, nullo, qua parte geniculo intermedio cauli flos adnaſcitur, membranula exalbida florem, antequam explicet, inuoluit: paulóque infra floris medium ſex folia pallidula, micantia, mediocriter lata, mucronata, ex ipſo floris codio, rectà foras ſe pandunt. Succedunt pericarpia rotunda, in quibus *ſemen* Camer. nigrum, in principio latiuſculum, temporis progreſſu rotundius. Iag. Garg. Binos flores in eodem caule obſeruauit Baſileæ. Deſcriptio

Brunfel. Tom. 1. Rhapſ. 20. ponit figuram ſub Narciſſo; nec vllam particularem aliam eius mentionem facit. Tragus Germ. Gälhornũgs blumen. Ortho Brunfel. inter Narciſſos recenſet. Matthiol. Narciſſi nomine ponit commodam figuram. Lugduni, quod nos recordamur, vocant *Campanes Iaunes.* Montbelgardi, *Cubere.* Dodon. Gall. *Coquelourde*, Gall. & Germ. geel hornungs blumen / Lat. quibuſdam *Narciſſus luteus* & *Pſeudonarciſſus.* Item hiſt. flor. Et in fol. *Narciſſus luteus ſylueſtris.* Belg. Geel Spocken blumen. Geſner. de col. ſtirp. de hort. & in cat. pl. *Codiaminum*: *Codiaminum.*

Aduer.Lob.& Pen.*Totus luteus Narciſſus montanus Theoph*.Icon.Pl.p.141. & Obſ.*Narciſſus totus luteus montanus Theoph.Pſeudonarciſſus Cluſ.& Dodon.luteus ſylu*.Adu.p.51. *Bulbi codion Theoph. Cordiaminum*,vt vertit Gaza,Hiſp.*Campanilla*.

*Flore aureo.* Cluſ.Hiſp. *Pſeudonarciſſus Belgicus*. Idem poſt. hiſt. *Pſeudo narciſſus vulgaris* : Sunt qui putent Theophr. l.6.c.7. βολβο κώδιον eſſe, cuius meminit Plinius lib.21. cap.11. inter flores qui maturè erumpunt : ac quod bis florere ait Vere & Autumno : Auſtriacæ matronæ gelb beckel,id eſt, flauum caliculum & gelb Mertzblumen / hoc eſt, flauam violam Martiam appellant : Galli nonnulli *Coquelourdes*,alii *Porrion*,à Porraceis videlicet foliis.Reperitur huius genus magis præcox, alioqui non valdè diuerſum à iam memorato,cuius flos non pallidus, ſed aureus inſtar maioris Hiſpanici. nunc verò colorem interdum mutare obſeruaui , hoc eſt calicem illum medium non minùs pallidum habere,quàm ſint ſex illa externa folia ipſum ambientia.

*Calice pallido.* Taber.icon.& hiſt. *Pſeudo Narciſſus luteus* Joſephs ſtablein Geel hornungs blumen. Camer. apud Matth.Germ. *Narciſſus 4.luteus*, Joſephs ſtab : interdum fert duos & tres flores,vt in horto meo ( Norimbergæ.) Item in Epitom.Matth. *Narciſſus totus luteus*.C.Bauh.*Narciſſus 14.ſiue luteus,calice prælongo primus*. Quibuſdam cenſetur βολβο κώδιον Theoph.vbi Gaza vertit Codiaminum ſecutus proculduhio Plinium lib.21.c.11.Cõmuniter cuilibet cauli flos vnicus inſidet, aliquando verò & duo.

*Locus & tempus.* Mulierculæ, vt Trag. ſcribit, hanc plantam in hortis ſui ſerunt , propterea quòd inter Vernos prima floreat.Reperitur non paucis Belgii locis circa margines agrorũ & Veruactorum,humido præſertim ſolo & in ſyluis lociſque arboribus conſitis,& ſimilibus quoque cùm in Germania, tum in Hiſpania , transfertur etiam in hortos. Profert teſte Dodonæo, ſua folia, caules, & flores menſe Februario & floret interdum ſub niue. Semen maturum menſe Martio , ita vt poſtea non ampliùs videatur. Tanta abundantia in pratis Londino ſatis vicinis , creſcere certum eſt , vt in celebri illo vico, vulgò Ceapſide nuncupato, Martio menſe ruſticæ mulieres maximâ copiâ flores venales proponant, & omnes tabernæ eo flore exornatæ conſpiciantur. Creſcit & aliis Angliæ, & pleriſque Germaniæ locis : memini & olim ( inquit Cluſius)cùm Louanii humanioribus literis operam darem, ad ſiluulæ illius,Cœnobio vulgò Perck dicto vicinæ, margines legere ſpontè natum. Nobis verò Mõtbelgardi abundat Bulbocodium,vt in monte *Bar*, vnde tranſtuli in hortum Ill.E.C.Obſeruaui Geneuæ florens Martio, & in mõte Thuiri mẽſe Iunio : Lugduni Februario : Patauii variis in hortis & aliis Martio. Montbelgardi Februario & Martio : floret interdum ſub niue , ſemen maturat Martio, herba perit Aprili & Maio, manentibus bulbis in terra occultatis vſque ad ſequentem annum.Abundat in colle prope *Dampierre* arcem ad Dubim : anno 1597.florebat copioſè Aprili.

Calida & ſicca eſt herba Pſeudonarciſſi,temperamento eodem ferè cum Narciſſo : certa experientiâ inuentum eſt (ſi Dodon.non fallitur)duas drachmas huius radicis adhuc recentis, in uino aut aqua coctâ cùm pauco ſemine Aniſi aut Foeniculi & parua portione Gingiberis exhibitas, purgare pituitam lentam & viſcidam per inferiora. Itaque hæc radix vtilis ad omnes morbos ex

*Têperam: & Vires*

pituita viſcida natos.Non diſſidet â Dioſc. Narciſſo facie vel viribus. Xyridis modo purgare aſſerunt Aduerſ.radicis decoctum,ac ruſticam plebem vomitiones cum eo moliri certum eſt.

## BVLBOCODIVM HISPANICVM



Est ( teſte Lob.Obſ.) Narciſſo montano Theophraſti facie non diſſimili, ſed latioribus foliis,maioribuſque, omninò luteis.Alũt eum Ioh.Baillet Inſulanus & Mutonus. Plant. icon.p.121. *Narciſſus totus luteus mõtanus Theophr.Hiſp*.Pſeudo narciſſi genus inuenitur à Cluſio nonnullis veteris Caſtellæ pratis, & locis montanis humidis Anglico quidẽ ſimile,ſed foliis longè maioribus,magiſque virentibus longiore caule , paulò minore flore , eoque prorſus flauo,& quaſi aureo,videlicet tam externis foliis quàm calice : radix huius craſſior eſt quàm in ſuperioribus. Dodon.lat.in fol. *Narciſſi ſilu.alia icon*,qui non facit duas ſpecies.C.Bauh. Phyt.*Narciſſus* 15.ſiue *luteus calyce prælongo alter*. An Camer.in epit.Matth. *Inuenitur Narciſſus 3. in montibus prorſus luteus ſeriùs florens*.

## BVLBOCODIVM FLORE PLENO.



Narciſſi ẽ multiplici foetura varietas, Belgicis amicorum hortis viſu digna,cæteroquin omnia prorſus eadẽ. Tarnari primùm [vt Lob. obſ. teſtatur] repertus in horto cuiuſdam pauperis. *Narciſſus luteus multiplici flore*,Eidem.

Hic calice pleno, inquiũt Adu. part.2. variat , fimbriatis oris,rugoſis & complicatis foliis compacto ; etiamque tanto copiæ cornu exuberante & dehiſcente, vt florem totum adimpleat , multiplicati Narciſſi lutei, ſpeciemque referat : intermixtis

mixtus tamen pallidioribus nonnullis foliis, & quandoque ex luteo herbaceis: inferioribus ſenis floris, radiatis aut ſtellatis foliis concoloribus, remanentibúſque pariter aliis ſui generis quandoque, in ſingularibus ſpithamæis cauliculis ſimplicibus floribus. Cætera cuncta vulgari luteo Narciſſo haud abſimilia.



Cluſ. Hiſp. *Pſeudo narciſſus multiplex*, qui apud Belgas in hortis alitur, Belgico per omnia ſimile cùm foliis, tum bulbo, ſed flos calice caret, & eius loco innumera habet folia externis ſex ſimilia, colore pallido. Item hiſt. poſt. *Pſeudonarciſſus pleno flore.* An Camer. horti, Narciſſus ex luteo pallidus flore pleno, nullo intus calyce? Dodon. in fol. *Narciſſus ſylu. multiplex, qui mediò calice caret.* C. Bauh. Phyt. *Narciſſus* 22. ſiue *flore luteo multiplici calyce carente.* Taber. icon. & hiſt. *Pſeudonarciſſus luteus Polyanthos,* Geſult Joſephs ſtäblein.

In Viridario quodam ruſtico præfecturæ Wiltelſhire Sarum Epiſcopatus, iuxta tuguriolum Vetulæ pauperculæ D. Ioan. Gerard. fortè fortunâ hoc elegans Narciſſi genus offendit. Mattio cógeneres pleni floris Narciſſo luteos flores laxat iucundos.

BVLBOCODII PLENO FLORE SPECIOſum genus Venerii.



ANNO 1603. ſcribebat ad me Venerius, inquit Cluſius Exot. appéd. 2. ſe obſeruaſſe Pſeudonarciſſi genus quoddam ſibi antè non conſpectum, cuius paucos reperiſſet bulbos: illum autem viuis coloribus depingi curabat, quia verò ſimilis formæ à nemine hactenus obſeruatū eſſe arbitror, in tabella eius iconem exprimendam curabam.

Quantùm porrò ex pictura quam ad me mittebat obſeruare poteram, creſcebat hæc planta Pſeudonarciſſi vulgaris modo, quatuor oblonga viridia *folia* ex bulboſa radice producens, inter quæ prodibat *caulis* læuis, nodis, viridis, pedem altus, ſummo faſtigio membranaceum folliculū ſuſtinens, è quo emergebat *flos* foliis pallidis, geminâ ſerie diſpoſitis præditus, prominente ex eius vmbilico calice ſiue tubo oblongo, oras habente nonnihil reflexas, cáſque criſpas & inciſas; aurei prorſus coloris, veluti Pſeudonarciſſi maioris Hiſpanici tubus, attamen non ſimplici, vt ille, ſed triplici, hoc eſt continente alterum tubum qui tertium comprehendebat: *radix* erat bulboſa, ex multis tunicis conſtans, quarum externa ſubfuſca, multis fibris extimâ ſede prædita. Si vnicam duntaxat plantam reperiſſet, nihil nouum uideretur, quia natura interdum ſic in floribus ludere ſolet: ſed quum aliquot ſimiles obſeruauerit, peculiare quoddam genus eſſe credendum eſt. Scribebat etiam vnam Pſeudonarciſſi vulgaris plantam binos flores in eodem caule gerentem obſeruaſſe, quæ alioqui vnicum ſolummodò proferre ſoleat.

BVLBOCODII SIVE NARCISSI FLORIS lutei multiplicis varietas.

LOndini dilutiore maioréque flore uariat, & in foliorum floris extremitatibus anguſtiore, in horto D. I. de Francque ville. Radix Allii modo nucleis propagatur. Foliis eſt quàm ſuperiorum paulò latioribus & tantillùm recuruatis. Adu. part. 2. Lob.

NARCISSVS CYPRIVS LVTEVS polyanthes flore pleno.



Deſcriptio

DEbetur hoc admodum elegans Narciſſi exoticum genus egregio viro Londinéſi, D. *Leette* negotiatori Conſtantinopolitano: qui eius bulbos cū pluribus aliis è Cypro Inſula delatos, amicis ſuis cómunicauit, & hoc menſe Decēb. 1604. *folia* pedalia, imâ ſede vnciam lata, ſupernè anguſtiora, & *flores* vno *caule* foliis altiore plures, luteos, multiplicéſque laxauit in horto præfati D. de Francque ville, è bulbo Narciſſi craſſiore, coloris Caſtaneæ inuolucro tecto.

Hanc Narciſſum eſſe, ex natura quorundam exoticorum bulborum, valdè ſuſpicor, quibus à natura inſitum eſt, vt non niſi anno primo à quo in Septentrionales regiones algidiores deuecti ſunt, ſoli & cæli natiui ſucco adhuc prægnantes, flores laxent. Huius enim Cyprii Narciſſi folia Autumno germinare inceperunt D.

Leecte, D. Coys & aliis quorum ſæpè mentionem fecimus, [ inquit Lobel. Adu.2. ] ſed nuſquam floruit bruma aut Vere elapſo, in prædicto horto de Franqueuille mediâ admodum manſueta hyeme, vbi flores illicò leuiſſimâ ſæua ſuperueniéte aura marceſcunt. Huius familiæ eſt Narciſſus Polyanthos Byzantinus, & Lilium Alexandrinum Italorum, nec non aliæ Plantæ.

## BVLBOCODIVM MINVS.

Deſcriptio

*Pſeudo-narciſſus minor Cluſii.*



IOhan. Baillet Inſulanus & Muronus alunt Narciſſum montanum Theophraſt. multò minorem vulgari. An Pſeudo-narciſſus minor Hiſpanicus latifolius, qui nouo vere terna aut plura profert folia, maiori, forma coloreque ſimilia, ſed lõgè minora & anguſtiora, florem puſillum, maiori tamen Hiſpanico & forma & flauo colore perſimilem, inſidentem digitali, tenui, viridi *cauliculo* inter *folia* emergenti: flori ſuccedit trigonum, obtuſis tamen angulis, & ferè rotundum capitellum, in quo *ſemen* inæquale nigrum, ſatis magnum pro plantæ proportione: *radix* bulboſa, exigua, foris nigricans. Miſſus mihi hic fuit primùm à Io. Moutono, Narciſſi minimi montani latifolii nomine; deinde à Generoſo Dn. de Longarre pro Pſeudonarciſſo minimo Hiſpanico flauo. Cluſ. hiſt. poſt.

## BVLBOCODIVM MINIMVM coronatum.



PLant. icon. p.122. *Narciſſus minimus coronatus.* T. 122. Lobel. hiſt. Belg. Klein gecroonde Berg Narciſſe. Lat. *Narciſſus mõtanus minimus coronatus.* Muronus nobis miſit.

An Cluſius Pann. *Pſeudo Narciſſi genus admodum exile ex Hiſpania miſſum per Regis Hiſpaniæ Hortulanũ.* An C.Bauh. *Narciſſus* 16. ſiue luteus exilis. Pſeudonarciſſi genus admodum exile Cluſii. *Narciſſus* 21. ſiue *montanus coronatus.*

## BVLBOCODIVM TENVIFOLIVM. flore luteo.

De



NAſcitur, inquit Cluſius, quibuſdam Luſitaniæ, Bætiriæque collibus Pſeudonarciſſi genus cui *folia* non lata vt ſuperioribus, ſed valdè anguſta, ſiue potius iuncea, *caulis* tenuis, nudus, palmum altus, cuius extremitati inſidet flos è vaginula emergens, qui ſex foliis herbido palleſcẽtibus & expanſis conſtat, quorum medium calix flauus, calathi inſtar oblongus, oris præditus non ſinuoſis & fimbriatis, vt ſuperiorum, ſed æqualibus; *radix* exiguo Narciſſo ſimilis, intus candida, foris nigricans. Hiſp. & Hiſt. poſt. *Narciſſus iunceis foliis primus.* Sed Cluſius iconem non habet pro tenuifolio primo, ideò nos ex Lobelio ponimus qui fortè idem cum eo de quo Lobel. in append. Narciſſus montanus iuncifolius minimus flore luteo, palmaris longitudinis, tenuibus foliolis iunceis, multò exilioribus, interdum erectis, interdum ad terram reflexis: inter quæ cauliculus palmaris exeritur, in cuius ſummo ex tenui, inſtar cæterorum Narciſſorum, conſimili membrana, flos ſingularis, vulgato Narciſſo montano ſimilis, & penè par, aſpectu ſuauiſſimo & hilariore: cui ſiliqua Narciſſi ſuccedit. Radicis bulbus quantus nucis ponticæ nucleus. Huius peregrini floris primus me monuit C. V. Aluarus Nonnius Medicus Antuerpianus eruditiſſimus. Poſtea eius bulbo me donauit M. D. Maria de Brimeur, è cuius vrceis florentem plantam delineari curauimus. Paucis pòſt diebus eiuſdem iconem Tornaco ad me miſit noſter Mutonus, ſed erectis foliis ab hac duntaxat variam.

*Narciſſus iuncifolius minimus alter flore luteo* Lob. *Narciſſus* 17. *ſicut montanus luteus minimus:* C.Bauh. phyt.

Florebat Ianuario, cùm Vlyſſipone Hiſpalim Cluſius proficiſceretur, vbi incolæ Campanilla, hoc eſt, Campanulam vocabant.

## BVLBOCODIVM TENVIFOLIVM aliud flore luteo fimbriato.

IN figulinis [vt ſcribit Lobel. in append.] adſeruatur & colitur è Biſcaiæ montibus in Belgium delatus bulbus à quodam à Gallicia redeunte: Narciſſus montanus Iuncifolius minimus alter flore luteo fimbriato reddendus pag. Obſ. 63. Rugoſis



goſis plicis, fimbriatiſq; floribus habuit Mutonus, alioqui non differt à superiore. Narciſſus montanus iuncifolius minimus, alter flore luteo fimbricato Mutoni, Lob. in append. T. 155. C. Bauhin. Phyt. Narciſſus 18. ſiue mõtanus luteus fimbricato flore.

Cluſ. hiſt. poſt. cap. 17. iconem habet qualem Lobel. ſub hoc titulo *Pſeudonarciſſus iuncifolius. 2.* flauo flore: ac addit. Alter Pſeudonarciſſus Iunceis foliis tenuiora paullò, licet ſurrecta, habuit folia, florem flauum, hoc eſt, calicem per oras leuiter & tenuiter fimbriatum, & ſex illa foliola calycem ambientia, ex herbido palleſcentia, in capitulo flori ſuccedente nigrum rotundiuſculum ſemen etiam tulit: radix puſilla, foris nigricans, bulbacea, tenuibus fibris è ſede prodeuntibus firmata.

## NARCISSVS FOLIIS FLORIS ALBIS oblongo calice luteo.

Mittebat [inquit Cluſ. Exot. par. 2. in append. altera] ad me anno 1601. Erud. vir Ioach. Venerius Burdigala, inter pleraſque plantas quatuor Narciſſi bulbos, quos duorum generum eſſe, & vnicũ florem geſtare ſcribebat, è ſingulis videlicet generibus binos. Illorum vnus inſequente Aprili florem tulit. Quum verò ſimilem antè videre nõ meminerim, illius iconem in tabella exprimendam curabam quam Lectoris oculis proponerẽ, atque eius hiſtoriam adiiciebam. Habebat porrò is Narciſſus terna, oblonga, & ſatis anguſta, carinatáque folia, cæſii quodammodo ex viridi coloris: inter quæ prodibat caulis pedalis longitudinis, aut amplior, læuis, enodis, ſatis gracilis, firmus tamen, ſummo faſtigio folliculum membranaceũ ſuſtinens, è quo emergebat vnicus flos longiuſculus, ſummâ parte in ſena folia alba & in mucronem deſinentia diuiſus: cuius vmbilicum occupabat calix flauus, ſemunciam longus, oris aliquantulùm inciſis & quodammodò fimbriatis, habens in medio ſtilum palleſcentem, eiuſdem cum calice longitudinis, cinctum ſex ſtaminibus flauâ veluti farinâ conſperſis, eorum præſertim apicibus. Semen obſeruare nequiui, quia florem carpebam, vt à pictore commodiùs exprimi poſſet: valdè autem ſuauis erat odoris, & Muſcari floris odorem pænè referentis: radix bulbacea, oblongiuſcula, digitalis craſſitudinis, alba, è multis tunicis conſtabat, quarum exterior ſubfuſca, aliquot craſſioribus fibris albis infimâ ſede donata. Alter ab eodem Venerio miſſus, florem dabat etiam Aprili altero poſt ſuperiorẽ anno, illi prorſus ſimilem: calicis tamen eius oræ magis erant croceæ. Vnum etiam non valdè diſſimilem videbam apud Honeſt. virum Chriſtianũ Porretum, qui à Venerio acceperat; illius tamen ſena folia ex albo palleſcebant, aut ὠχρόλευκα erant, calix verò multò latior, & oras planè croceas habens. Iac. etiam Plateau ſimilem habuiſſe eodem anno florentem intelligebam: illum autem à rhizotomis quibuſdam Gallis redemerat cum aliis bulbis è Pyrenæis montibus erutis.

Narciſſum album montanum, calyce magno luteo Botanico Lutetiano N. Quelt debet Lobel. Adu. par. 2. qui eius bulbos, vncias duas longos: & vnam, plùs minùs, craſſitudine æquãtes, in Pyrenæorum montium Souton iuxta *Banniers de Luſſon* monte vocato eruit, nec dum illi floruerat. *Narciſſus albus montanus.*

## PSEVDONARCISSVS ALBO flore Cluſii.

INter Narciſſos reponendam eſſe inquit Cluſ. Exot. par. 2. App. 2. eam plantam quæ Pſeudonarciſſi appellationem vulgò obtinuit, nullum eſſe opinor mediocriter in re herbaria verſatum qui dubitet: Multæ autem ſunt eius differentiæ &c. verùm enimverò nouum quoddam genus repertum eſt quod valdè rarum cenſeo, cuiuſque binos bulbos anno 1604. ab Eruditiſſ. Venerio accipiebam: Horum alter florem mihi protulit inſequente Aprili quemadmodum etiam aliis, Sed & eodem anno menſe Decembri Rhizotomus quidam Gallus ſimiles plantas adferebat: valdè elegans hæc planta, terna è radice bulboſa oblongiore, nigroque cortice ſiue membranâ tecta (à cuius ſede frequentes tenuéſque oriebantur candidæ fibræ) proferebat folia, dodrantem vel paullò amplius longa, Narciſſi anguſtioribus foliis valdè ſimilia, ſupinâ parte carinata, inter quæ nudus prodibat caulis ſatis exilis, non craſſus, dodrantem altus, ſummo faſtigio membranaceum folliculum gerens, è quo propendebat flos totus albus, Pſeudonarciſſo vulgariori, quem Germani Gelbe hornũgs blumen. Belg. verò Geele Tiloosen appellant, formâ quidem ſimilis, paullò tamen minor, ſeſcunciam longus, ſex foliis tubum amplectentibus



ſimiliter conſtans: tubo autẽ paullò anguſtiore, & oras nonnihil fimbriatas habente, in quo ſex alba ſtamina flaueſcente apice prædita, & medius ſtilus longior: nullum verò peculiarem odorem in eo flore obſeruabam, qui aperiebatur Aprili, deinde Iunio ſemẽ proferebat in triãgulari capite ſiue thecâ, orbiculare, nigrum & ſplendens, quale Narciſſi iuncifolii albo flore reflexo, ſed maius.

## BVLBOCODIO FORTE AFFINIS BVLbus flore luteo.

BVlbus ex Hiſpania Cluſio Pann. miſſus per Regis hortulanum flore luteo ſuperiore parte aperto. C.Bauh.Leucoium bulboſum 4. Nec plura habent.

## BVLBOCODIO FORTE AFFINIS BVLbus alius flore luteo.

BVlbus Cluſii Pann. alius flore luteo humili, cui ſemen ſimile Hemerocallidi Valentinæ. Caſp.Bauhin. Leucoium bulboſum 5. Nec plura adiiciunt.

## NARCISSVS IVNCIFOLIVS OMNINO albus calyce longo.

SCribit Cluſius Hiſp.& in poſt.hiſt.ſe intellexiſſe ab Hiſpanis Narciſſi quoddam genus in Hiſpania inueniri quod omninò iunceis etiam ſit foliis, ſed florem candidũ producat, cáque ob cauſam *Iunquillos blancos* ab incolis appellari. Anno 1596. inquit præterea, à D.Simone de Touar paucos bulbos eo nomine inſignitos accipiebam: ſed adeò exiles, vt poſt multos duntaxat annos illorum flores ſint ſperandi, imò illos ipſos nullo modo auctos anni 1600.aſperum gelu, quod Februario menſe valdè apud Belgas ſæuit, prorſus corrupit.Et Pann. Narciſſus iuncifolius flore albo ex Hiſpania miſſus per hortulanum Regis.



Deſcriptio

Item Exot.par.2. App.2. Narciſſi genera duo anno 1605.apud amicos flores protulerunt, nunquam antea mihi conſpecta. Primus Narciſſus Iuncifolius albo flore reflexo, è *radice* bulboſa Nucis ponticæ magnitudine, candida, fuſcâ, membrana obducta, cuius ſedem plurimæ tenues albæ fibræ occupabant, quaterna aut quina exiliebant *folia*, dodrantem longa, anguſta & pænè iuncea,aliquantulùm ſtriata, & ſupinâ parte nonnihil carinata, viridia, inter quæ prodibat dodrantalis *caulis* viridis, læuis, non valdè craſſus, ſummo faſtigio ſuſtinens in mẽbranaceo inuolucro, binos, ternos,interdum quaternos oblongos *flores*,niuei quidem candoris,ſed odoris expertes,deorſum propendentes, ſex longiuſculis in ſatis anguſtis foliis præditos, ſurſum reflexis, florum cyclaminis inſtar,è quorum vmbilico prominebat calix ſemunciam longus, vel etiam longior,inæqualibus oris,continens tria *ſtaminula* alba,quorum apices flaueſcentes, & tenuem longum ſtilum extremas calicis oras multùm ſuperantem: ſuccedebant triangulares *ſiliquæ* ſiue thecæ, exiguo, orbiculari,nigroque & ſplendente *ſemine* plenæ. Florebat autem Aprili. Iſtud Narciſſi genus redimebant biennio antè à rhizotomo quodam Gallo cui nomen N.le Quelt ſiue Quilt,elegantes & raras plantas in has Prouincias quotannis adferre ſolito,quas per ſuos in Pyrenæis & etiam in Hiſpaniis conquirere iubet. Inter eos autem qui redemerunt, nonnulli huius Narciſſi plantas habuerunt paullò latioribus foliis præditas, quarum flores etiam oblongiores erant. Alterius Narciſſi iuncifolii vnicam plantam habuit Chriſtianus Porretus Pharmacop.Leydenſis,à Petro Gaſſano ſiue Plantino miſſam, cuius multò longiora erant folia, quàm præcedentis, & viridia: caulis etiam longior, ſummo faſtigio ſuſtinens binos aut ternos flores diuerſæ tamen à ſuperiore formæ: nam Narciſſi iuncifolii minoris floribus valdè ſimiles erant: horum tamen color albus,tam ipſius calicis quàm ſex foliorum ipſum ambientium. Florebat etiam Aprili: radix erat non valdè magna, longiuſcula, membranâ eam cingente prorſus fuſcâ. Accipiebat etiam ab eodem alios bulbos ſimili nomine inſignitos, craſſiores tamen, quorum folia eius foliis quos Nicolaus adferebat valdè ſimilia erant; ſed florem nondum tulerunt.Ceterùm anno ſuperiore nobis mittebat non ſolùm Venerius, verùm etiam Nicolaus adferebat plantas Narciſſi iuncifolii albo flore nomine donatas: eæ autem quum florem nondum protulerint, nihil de eius forma vel colore pronunciare poſſum: nam bina dumtaxat habuerunt hoc anno folia cùm eæ plantæ quas nactus ſum, tum quas alii redemerunt,& illa quidem anguſta, ſupinaque parte aliquantùm plana,valdè longa,nõ tamen ſurrecta, imò potiùs humi quodammodò procumbentia: illorum item color,meâ opinione non vnus.Nam plantarum quas Venerius mittebat, magis viridis videbatur; earum quas Nicolaus adferebat magis ad cæſium tendens,pænè vt foliorum Pſeudonarciſſi. Si quam porrò dabunt florum differentiam,proximus aut eum ſubſequens annus (ſi viuimus) certiores efficiet.

C.Bauh.Phyt. *Narciſſus* 25.ſiue *Iuncifolius flore albo*. Iuncifolium Narciſſum totis albis floribus ad Lob.Adu.part.2.miſit C.V.D. Kirch Bellenal, horti Medici præfectus in Monſpelienſi ſchola.

## BVLBOCODIVM MINIMVM tenuifolium album.



PSEVDO narciſſus iunceis foliis tertius, Cluſii in poſt. Hiſt. quaterna aut quina *folia* habuit tenuiſſima,& capillaria,viridia,humi procumbẽtia & ſparſa, inter quæ *cauliculus* emerſit infirmus, palmaris,tenuis,nudus, vnicum in ſummo *florem* è membranaceo folliculo-

D

liculo prodeuntem ſuſtinens, tenellum, candidū omninò, & calicis oris fimbriatis: huius *ſemen* non obſeruaui, *radix* ſuperiori ſimilis. Omnes verò has elegantulas plantulas ipſi abſtulit aſperrima illa anni 1586. hiems.

Narciſſus omnium minimus montanus albus Lob. in append. T. 156. C.B. Phyt. *Narciſſus* 20. ſiue *montanus albus minimus.*

NARCISSVS IVNCIFOLIVS ALBVS calyce magno D.Cor.Coorne tortilibus foliis.



Narciſſus Iūcifol. inquit Lobel. Adu. pag. 2. albus tortilibus foliis floris donato, calyce magno & longo nutante, prominulo piſtillo tenui, qui āno 1604. floruit Medio-Caſtri Walachriæ apud D.C. Coorne, cuius floris iconem Londinum ad me miſit. Idē eſſe reor cum Narciſſo Iuncifolio omninò albo, calyce amplo, prope Betam Gallæciæ oriundo, empto à Nic. le Quelt Rhizotomo Pariſienſi, Anno 1603.

NARCISSVS IN GENERE.

Hyacinthis congener eſt Narciſſus, qui (Theophraſt. lib. 6. cap. 6. teſte) etiam Lirion cognominatur. Alii ſiquidem hoc, alii illo nomine appellant, *Folium* ad terram Aſphodeli folio ſimile habet, ſed multò latius, vel vt Lilium: *caulem* ſine foliis herbaceum: & in ſummo *florem*: & in pellicula quadam velut in vaſe, *ſemen* admodum magnum, colore nigrum, figurâ oblongum. Hoc excidens ſponte germinat: ſed & qui colligunt id figunt: & radicem quoque plantant quam habet carnoſam, rotundam, magnam. Sed in Narciſſi deſcriptione Dioſc. ſecutus eſt Theophraſt. ſcribens: Narciſſum aliqui, & ipſum velut Lilium, Lirion vocauerunt. Folia habet Porro ſimilia, ſed tenuiora, & multò minora ac anguſtiora: caulem cauum, ſine foliis, altitudine palmum excedentem: in quo flos eſt albus, intus croceus, in aliquibus purpureus. Radix eſt intus alba, rotunda, bulbi ſpecie, ſemen velut in pellicula, nigrum, oblongum. Nec vlla diuerſitas (ait Cornar.) in folio eſt, quod Theoph. Aſphodeli: Dioſcorid. verò Porri folio ſimile dixit. Nam & Dioſcor. Aſphodelo, Porri folium attribuit. Sunt & purpurea (autore Plinio lib. 21. c. 5.) Lilia, aliquando gemino caule, & carnoſiore tantùm radice, maioriſque bulbi, ſed vnius: Narciſſum vocant: huius alterum genus flore candido, calyce purpureo. Differentia à Liliis eſt & hæc, quòd Narciſſis folia in radice ſunt. Tertio generi cætera eadem, calix herbaceus. Ita Plinius Lilia à Narciſſis diſtinguit. Sed clariùs deinceps de Narciſſis cap. 19. agit. Narciſſi duo genera, inquit, in vſum Medici recipiunt. Vnū purpureo flore, & alterum herbaceum. De purpureo eo Narciſſo Virg. in Buc.

*Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo*
*Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis.*

Ouidius etiam ad adoleſcentem Narciſſum, floris Narciſſi ortum referens, hunc affabrè depingit, ita canens:

*Nuſquam corpus erat, croceum pro corpore florem*
*Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.*

Virgil. purpureum Narciſſum [vt putat Hadrian. Spick. Iſag lib. 1. cap. 31.] nominat, non quòd vndique ſit purpureus: ſed quia medium floris (quod calicem Plinius appellare videtur) purpureum cernatur. Plinius vnum genus Narciſſi purpureo flore recenſet, alterum herbaceo: quod tamen ſi de floris colore intelligat [inquit iam dictus Spick.] falſum eſt. Non enim flori color herbaceus, ſed albus: in medio uerò aut croceus, aut purpureus, aut albus totus. Herbaceum caulem Narciſſo adſcripſit Theophraſt. pro ποώδης. Videtur Plinius legiſſe ποώδες δὲ & ſic ad florem non ad caulem herbaceum retuliſſe. Ex his omnibus colligitur Narciſſum eſſe ex genere florū, qui à Cornario Zeytloſen / & Herbſtblumen / appellantur. Sunt enim multæ & coloribus diuerſæ ſpecies. *Narciſſi multi.*

Cæterùm, quod Plin. ait, à narce Narciſſum, non à fabuloſo puero dictum, reſtatur hoc Plut. in Sympoſ. qui quaſi neruos hebetantem, & torpidas facientem grauitates, refert. Quapropter & Sophocles magnorum ſubterraneorum Deorum coronamentum eum vocat, quòd ſcilicet defuncti, & morte torpidi, torpido flore meritò coronarentur. Appellatur autem etiam, Apuleio teſte ἄνυδρος, βολβὸς ἐμετικός, αὐτογενές. Ἄνυδρος quidem Narciſſus propriè montanus eſt, eò quòd ab aquis remotus proueniat. Βολβὸς ἐμετικὸς nomen ab effectu habet: Dioſcor. ſiquidem auctore Narciſſus etiam vomitum concitat. *Narce. Corona Deorum.*

Græci huiuſmodi flores Ναρκίσσους, Latini ſimiliter *Narciſſos* appellant. Germ. Narciſſen röſzlin. Belg. Narciſſen Spaenſche Jenetten/ Galli peculiare nomen non habent, poſſent tamen, autore Cluſio *Narciſſes* nominare. Hiſp. *Narciſo* vocant. Omnem porrò Narciſſum præter eum, quem peculiari nomine, *Dzeboſbini* (Narciſſum mediopurpureum) Cluſius appellari dicit, Turcæ propriè appellant *Serin cade*, hoc eſt, Regium calicem, quod flauum illud in medio flore, calicis formam quodammodò referat: qui verò mittunt eius bulbos vario corruptóque nomine, vt plurimùm inſcribunt, nunc *Zerem cada*, modò *Zerem cade*, interdum etiam ineptiore *Zaremcatta*, addita voce *bianco*, vel *giallo*, cùm colorem album vel flauum deſignare volunt. At qui pleno eſt flore, plerumque *Zerem cada catamer* appellarunt, additis iiſdem vocibus *bianco* & *giallo*, pro coloris florum, quos mittere ſe putabant, varietate: tametſi ſæpiſſimè nobis impoſitum deprehenderimus: nam multos ſimplici flore hoc nomine accepimus, contrà nonnunquam pleno flore præditos, hac ſimplici *Zerin cada* inſcriptione. Interdum etiam tam plenus, quàm qui amplo ſimplici eſt flore, præſertim craſſo præditi bulbo, Penachio nomine miſſi, *Giul catamer lale* (qua appellatione & Anemonem pleno flo-

re, & alias quaſdam Stirpes accepimus [quæ voces Roſæ plenæ florem ſignificant. Sæpiſſimè etiam eiuſdem generis bulbis diuerſa nomina adſcripta fuiſſe comperimus: vt ſchedis additis minimè fidendum ſit, ſed cuius coloris florem ſint habituri Narciſſi bulbi, ipſa *αὐτοψία* nos docere & certos reddere debeat.

Naſcitur, autore Dioſc. optimus in montanis locis [probatiſſimus in Lyciæ montibus, Plin.] odoratus: reliquus Porrum refert, & herbaceum odorem remittit. Aſt contra naſci odoratum etiam in pratis refert Theocritus Eidyllio 20. vbi Europam cum ſuis prata ingreſſam, bene ſpirantem Narciſſum carpſiſſe, canit his verſibus:

*Florida ſed poſtquam venêre in prata puellæ,*
His *illa, hæc aliis ſe floribus oblectabant:*
*Narciſſo illa quidem bene olente, atque illa Hyacintho.*

Vires & vſus. Narciſſus Theophr. ſerotinus valdè eſt. Nam poſt Arcturum floret, & circa Æquinoctium (Autumni Plin.) Ita quidem Theoph. quod poſtremum etiam reddidit Plinius, & omnibus generibus adſcripſit. Narciſſi omnes ſerotini.

Narciſſi radix (autore Dioſc.) ſiue eſtur, ſiue bibitur, vomitus mouet: prodeſt ambuſtis ab igne cum melle trita: præciſos quoque neruos agglutinat impoſita: luxatis item malleolis, diuturniſque articulorum doloribus trita cum melle, & impoſita ſubuenit: expurgat ephelin & alphum cum vrticæ ſemine & aceto: at cum Eruo & melle vlcerum ſordes expurgat, & abſceſſus qui ægrè maturantur rumpit: educit & aculeos infixos cum Lolii farina & melle. Et in vſu quidem Medico tradendo Plinius non multùm à Dioſc. euariauit. Narciſſus herbaceus vomitorius eſt, ac ideò ſtomacho inutilis: aluos quoque ſoluens, neruis inimicus, caput grauans. Vtriuſque porrò radix mulſei ſaporis eſt. Ambuſtis prodeſt cum exiguo melle. Sic & vulneribus & luxatis. Panis verò cum melle & auenæ [ærineæ vet. lolii ſcilicet] farina. Sic & infixa corpori extrahit. In polenta tritus (trita Dod.) oleoque, contuſis medetur & lapide percuſſis. Purgat vulnera permiſtus farinæ. Nigras vitiligines emaculat. Ex hoc flore fit Narciſſinum oleum (vnguentum Dioſc.) ad emolliendas duritias, calfacienda quæ alſerint. Auribus eſt vtiliſſimus, ſed capitis dolores facit. Cæterùm Narciſſi radix, vt Galenus ait, uſque adeò exiccandi facultate pollet, vt & maxima vulnera glutinet, vel ad inciſiones vſque, quę circa tendones accidunt: habet verò quiddam abſterſorium & attractorium. Narciſſi cuiuſcunque generis radicem præmanſam vomitum ciere Cluſius ſæpenumerò expertus eſt.

## NARCISSVS MEDIO PVRPVREVS.

Deſcriptio. Radix ei bulboſa & fibroſa, ſapore amaricante: *folia* à radice ſtatim exoriuntur caulem tanquam vagina aliquoſque inuoluentia, latitudine ſemunciali, pari cum caule longitudine: *caulis* ſingularis, ſeſquicubitalis, compreſſus nonnihil, vtrinque acutus, fiſtuloſus; in cuius faſtigio *flos* vnicus amoenus, ſuaue olens, candidus, nutans, pediculo per articulum cauli iuncto, vaginâ membraneâ obuoluto, cuius ceruix in triquetram ſaturatè virentem floris quaſi baſin deſinit: hinc canaliculata fiſtula explâtatur, cui ſena illa floris candidi folia cohærent ſubrotunda, quorum tria aculeum mollicellum proferunt, totidem alternatim eo deſtituuntur: florem medium obtinet corona fimbriata, ora rubenti, infra quam circulus exalbidus, aliuſque huic ſubiectus luteus: ſena in fiſtuloſo canali ſtamina lutea, tria modicè elata, reliqua tantillũ apices proferentia. Figura noſtra ex emptitiis non placet.



Narciſſum ſuum medio purpureũ Dodon. ſic deſcribit: Folia habet virentia oblonga, Porri foliis ſimilia: caulem anguloſum, abſque foliis, dodrante aut pede altiorem, & in ſummo florem è membrana erumpentem, vt plurimùm vnicum, ſubinde geminum, mediocriter amplum, odoratum, ex ſex candidis foliolis congeſtum, in quorum medio breuis calix eſt circinatæ rotunditatis, purpurei per oras coloris, intra quem ſtamina breuia, cum apicibus ſubluteolis: capitula inde anguloſa: ſemen in his nigrum: radix bulboſa, quæ nucleos ex ſe demittens, in multos facilè bulbos multiplicatur. Reperiuntur autem huius generis tres, forma, colore, aut odore nequaquam, ſed florendi tempore, differentes: magnitudine etiam nonnihil, ſed parum, diſſidentes. Maiores medii: præcoces & ſeriùs prodeuntes, minores ſunt. *Narciſſus* Dodon. gall. 2. *flore ſingulari*, in cuius medio circulus coloris pallidi aut herbacei cum fimbria rubra. Eiuſdem hiſt. fl. & in fol. *Narciſſus medio purpureus*, cui flos candidus, in cuius medio breuis calyx purpurei per oras coloris. Narciſſus Dioſc. Theocrito, Plut. Sophoc. Apuleio, & Plinio. Narciſſus purpurei floris, cuius etiam Virg. in Bucol. Aegloga 5. & Theoph. l. 7. meminit.

Trag. *Narciſſus Veterum*, qui deſcriptioni Dioſc. & Serap. pulchrè reſpondet: flores niuei in quorum medio teres luteus ac eleuatus apparet circulus, Lunâ quadam flammei coloris circumdatus: Dioſc. dicit nonnullos vocare Narciſſon Anydron, alios Autogenes, alios Bulbon emeticon, aliòs Lirion, Romani Bulbum morbitarium, vel [vt alia legunt exemplaria] Vomitorium vocant.

Narciſſus ille qui Trag. verus: Geſnero verò potiùs Anemone Limonia videtur, quibuſdam *Lilium Diuæ Mariæ* dicitur. Lob. & Pen. Adu. *Narciſſus medio purpureus Dod.* Vulgatiſſ. omnium Poëticus, cuius croceum florem videre eſt, foliis medium cingentibus albis, vt ſcitè canit Metamorph. eſtque idem Dioſcor. Narciſſus. Flores candore micantes lacteo, corolla medium occupante fimbriata ex croceo purpuraſcente. Obſ. Narciſſus Poeticus mediocroceus & (vox, & ſuper flaua eſt) medio purpureus Dodon. Hiſp. *lirio blanco* & Cebolina Adu. p. 5c.

Cluſ. Hiſp. *Narciſſus medio purpureus* Dioſcor. qui nonnullis Narbonenſis Galliæ pratis ſponte prouenit. Idem Pann. & hiſt. poſt. Narciſſum qui medium calycem exiguum & planum, fimbriaque

briâque rubente inſignitum habet vnicum duntaxat ferè ſemper, aut tarò binos flores, eodem caule ferentem, Turcę vocant *Deue bohini* vel *boini*, id eſt, Cameli ſiue caput nuncupant, quoniã floris collum longius quàm cæteri Narciſſi protenſum habet.

Cur Frater ſeparet Tragi & Lobelii Narciſſum à Dodon. nondum animaduertere poſſum, niſi ea diſtinguens particula, Et poſtea, in Obſ. occaſionem ei præbuerit, verùm ſuperfluam eſſe ſatis apparet ex Lob. hiſt. Belgica & Plantini iconibus.

Narciſſus verus non ita pridem viſus Trago fuit, primùm namque è Burgundia in Germaniã deuenit, dein verò Biponti in horto quodam plantatus: Flores initiis Maii menſis emicant. Narbonenſiæ, (tradente Lobel.) Gallóque prouinciæ prata ornat Februario & Martio. Hortis Belg. Germ. & Anglicis inquilinus. Exeunt qui medio purpurei ſunt [inquit Dodon.] plærisque Galliæ locis, & apud Heduos ac Sequanos in Pratis. In Belgio prioris generis præcoces Narciſſi florent Aprili. Circa Monſpelium ſpontè Prouenit in pratis quibuſdam. Idem paſſim in Germania habetur in hortis: Baſileæ habetur florens Maio in hortis. In horto patris mei vidi cũ foliolis ſex ac etiam decem in vno flore. Geneuæ florens in fine Aprilis. In Italia ſpontè pronenientem vidi. In Sabaudia ſpontè naſcentem & Maio florentem inueni propè pagum *Cormon* non longè à S. Mauritio. Mantuæ in hortis. Ferrariæ in horto Principis oſtendente Aloiſ. Anguil. Montbelg. eſt mihi in horto Ill. E. C. Narciſſus mediopurpureus maior, qui interdum fert duos flores ex vno pediculo.

## NARCISSVS MEDIOPVRPVREVS magno flore: folio latiore.

Meminit Cluſ. hiſt. poſt. Narciſſi lat. ſeptimi, quem ſic deſcribit: Latiora reliquis *folia*, æruginei ferè palleſcentis coloris, inter quæ ſatis prodit *caulis*, nudus vt reliquis Narciſſis, paullò infirmior, foris ſtriatus, intus concauus, ſumma parte ſuſtinens magnum, laxum, membranaceum folliculum, quo dehiſcente exit vnicus, vt plurimùm, *flos* magnus, odoratus, ſex albis foliis medium calicem pallidum cingentibus conſtans, cuius fimbria ex pallido purpuraſcit: flori ſuccedit ſatis craſſum triangulare *caput*, nigrum *ſemen* continens: *radix* craſſior ſuperiore & cum maiore illo, quem in Anglia ſponte naſci dixi, comparanda, etiam ſoboles reliquarum Narciſſinarum inſtar, ſatis feliciter procreans.

E Styria allatum Dn. de Heuſenſtein dicebat: ſeriùs etiam reliquis floret, nempe Maio menſe. Id genus deinde ſatis frequens obſeruabam Frãcofortianis in hortis.

## NARCISSVS MEDIOPVRPVREVS minor.

Spontè prouenientem circa Blaumontium arcem Il. CEl. Wirt. obſeruauimus Narciſſum, qui etiam in eius horto Montbelgardi & aliis abundat flore omnibus partibus minore quàm præcedentis, foliolis eius anguſtioribus & acutioribus, tardiùs etiam florens. Cluſio in Pann. pag. 276. ni fallor *Narciſſus ſerotinus montanus*: & in poſt. hiſt. *Narciſſus latifolius* 6. cui quaterna aut quina Martio menſe erumpunt *folia*, oblonga, anguſta, inter ea deinde *caulis* nudus, rotundus, intus fungoſus, in cuius ſummo, è tenui membranâ prodit, vnicus nonnunquam & alter, *flos*, ſex niueis foliis ſtellæ modo decuſſatis cõſtans, paruum calycem pallidum cingentibus, cuius orę rubella fimbria exornatæ, ſex in eo inæqualibus ſtaminulis flaueſcentibus: flori ſuauiter odorato ſuccedunt *capitula*, triangula, craſſiuſcula, in quibus nigrum inæquale *ſemen*: *radix* vt cæteris bulbacea, multis candicantibus tunicis conſtans, extima, quæ reliquas ambit, fuſca, è cuius ſeſſili parte plurimæ ſubfuſcæ fibræ dependent.



Dodon. Gal. Duæ ſpecies Narciſſi planè ſimiles Mediopurpureo, foliis, caulibus, ſemine & radice, niſi minores eſſent, & vna alterâ citiùs floreret, & altera tardiùs. Item Hiſt. Lat. præcoces & ſeriùs prodeuntes minores ſunt. Plant. icon. p. 113. *Narciſſus minor ſerotinus medioxroceus* T. 150.

Lobelius duas habet figuras ſub eodem titulo, minor non placet, in Adu. poſita fuerat pro Lilionarciſſo luteo, verùm apud Plantinum adéptus figuræ vnus è floribus. C. Bauhin. Phyt. *Narciſſus* 5. ſiue *mediolutens minor*, quem Frater videtur ſeparare à Dodon. ſeriùs florente. Tabern. icon. *Narciſſus ſerotinus albus*, weiß ſpat Narciſſen röſlin. In hiſt. Narciſſus 16.

Prouenit magno [inquit Cluſius hiſt. poſtt.] miliari ſupra Gamingã Charthuſ. Monaſt. D. Virgini ad Thronum nuncupatæ, ſacrum, pratis quibuſdam altiſſimo lacui vicinis ad prædium Zerhoff dictum, in quo, curantibus Carthuſiæ moderatoribus, perhumaniter & luculenter excepti ſemper fuimus, dum in ſumma Herren-alben & Durrenſtein iuga tenderemus, aut ex iis iugis Gamingam rediremus. Quo iſthic tempore floreat, mihi non conſtat: Sed illæ Viennam perlatæ, Maio menſe in meo hortulo floruerunt: veriſimile eſt autem natali loco ſeriùs florere. Memini & illi ferè ſimiles in Euganeis montibus inuentos, ac à Studioſis ex Italia reducibus Viennam ad me perlatos.

*Narciſſus medio purpureus minor prolifer & monſtruoſus.*

In horto Bollenſi apud fontem & Balneum admirabile, admodum proliferum obſeruaui Narciſſum ſtellatum cum minori corolla, rubẽte, monſtroſóſque ſuos exerente in hoc florum genere luſus. Inter alios verò in vno caule, quatuor flores geſtabat, eoſdémque omnes foliorum numero differentes, vnus quidem vulgaris & ſexifolius. Alter verò nouem, tribus nimirum

proliferis: at tertius decem, vno hunc excedens conſtabant. Quartus duplicem corollam, & præter duodecim in ambitum ſed temerè diſpoſita folia, gemina adhuc, cornuum inſtar ſurſum è medio ferè floris prodeuntia, quæ duas illas corollas ſeparant, habebat, erat cæteris elegantior. Caulis non rotundus, ſed latus ferè vnciam, denſus aliquatenus, planus, & longus vt reliquorum, eum demum in quatuor diuidunt partes nodi illi, qui, vti in vulgaribus, paulò infra ſeminis repoſitorium vel capitulum adſunt, arida protecti cuticula.

*Narciſſus paruus ſtellatus albus medio ſuaue rubente vertice.*

Exoticus paruus Narciſſus nouus ſtellatus albus medio ſuaue rubente vertice nondum Lob. Adu. p. 2. floruit, acceptus à N. de Quelt Botanico Lutetiano cum aliis Luſitanicis Narciſſinis bulbis.

## NARCISSVS MEDIOPVRPVREVS flore pleno.

Deſcriptio



Narciſſus plenus quintus (Cluſii in poſter. hiſt.) è genere Narciſſi mediopurpurei latifolii ſexti qui ex laxo, membranaceo folliculo exit, proditque nouo Vere cum illo, foliis, aliſque rebus omninò ſimilis, ſolum diſcrimen in flore eſt, qui ſex quidem maiuſculis foliis latè expanſis conſtat, vt ille, ſed in calice illo rubra fimbria ornato, alia ſex folia paulò minora continet, ſingula peculiarem fimbriatum caliculum habentia, è quorum medio, aliquot alia minuſcula folia ſtaminibus permixta prodeunt: ſuauis admodum eſt odoris, ad Muſcati quodammodò accedens. Singulares vt plurimùm ſuſtinet caulis flores, interdum etiam binos, vt qui ſimplici foliorum texturâ conſtantem florem fert.

Locus, & tempus. Floruit mihi Maio menſe anni 1590. præcedente Autumno à Io. Boiſſoto Bruxellis miſſus. Eodem tempore pro plenò etiam Narciſſo accepi ab honeſto viro Io. Mermanno Coloniâ bulbum, qui quidem ſequente vere prodiit & in ſummo caule vaginulam tulit: ſed illa exareſcens floris ſpem præcidit. At annus 91. planè ſimilem ſuperiori eſſe declarauit. Quo etiam anno mihi communicauit N. V. Philippus de Siruy, præfectus vrbi Montibus Hannouiæ, Narciſſi bulbum, qui ſequente anno florem tulit illis ſimilem, ſed viginti, & pluribus foliis conſtantem, intercurſante illa fimbriato calyce, vt iam dicto. At qui Ill. Com. de Aremberg floruit anno 1589. quatuor & ſexagena folia habuiſſe ſcribebat ad me idem Boiſſot, & vnici bulbi, quem ab eodem Comite impetrauerat, prolem ſuperiore Auguſto, cum aliis aliquot raris bulbaceis ſtirpibus ad me mittebat: verùm tabellario, cui pyxidula, quâ incluſi erant, tradita erat Coloniam ferenda, in prædones incidente, cum illi adiunctis periit magno meo dolore.

Dodon. lat. in fol. & de fl. *Narciſſus purpureus floribus multiplicibus.* C. Bauh. Phyt. Habetur Patauii in horto Bembyano multiflorus polyanthes medio purpureus.

## NARCISSVS FLORE SINGVLARI albo pleno.



Narciſſus plenus ſextus albo flore, autore Cluſ. hiſt. poſt. videtur habere folia paulò anguſtiora (quàm quintus de quo proximè ſcriptum) alioqui non diſſimilia, bis floris ſpecimen Viennæ mihi dedit, ſed vitium fecit, Francofurti toto biennio folia duntaxat nouo vere dedit: an id accidat propter fœcunditatem, proles enim ſingulis annis ſatis liberaliter ſubminiſtrat, ignoro: at qui bulbum cum hac icone mittebat hon. vir Iacobus Plateau, mihi ſignificabat vnicum ſummo caule ferre florem ſub Maii menſis finem, totum niueum & multiplici foliorum texturâ conſtantem: huius radix minor eſt quarto genere.

## NARCISSVS MEDIOCROCEVS tenuifolius.



Narciſſus mediocrocei nomine à Lob. Adu. part. 2. pingitur planta ſingulari flore de qua tradit: In Londinenſi ſubvrbano hortulo honeſtiſſimi viri Henrici Caſ fabri egregii, florum & fructuum rariorum ſtudioſiſſimi, Anno 1602. hunc indictum Narciſſum in Belgio nactū, obſeruaui, palmaribus & quinque vncialibus tenuibus, Hyacinthi Autumnalis foliolis, viridibus: Bulbo cæteroque

teroque caule dodrantali & flore præcoci me-diocrocco, Narciſſo non diſſimili, minore tamen.

---

NARCISSVS MVLTOS FERENS FLO-res mediolutcus Narbonenſis.

RAdice donatus eſt bulboſa ſatis ampla, nigricantibus aliquot tunicis ſepta, fibríſque multis capillata, intus omnino alba & ſi præcidatur, lentum quendam ſuccum, vt reliqui bulbi exſtiliante, amara, vnde *folia* producuntur Leucoii bulboſi Exaphylli vel Porri foliis ferè ſimilia. Cluſio virentia, longa: inter quæ emergit *caulis* vnus, aliàs duo aut tres, caui, ſtriati, nudi, vigentibus floribus, dodrantales, iiſdem in ſemẽ abeuntibus pluſquam cubitales, in cacumine ex membraneo inuolucro, *flores*, ex longis collis & pediculis triangulis, promunt nouem, decem, vel duodecim, interdum duos duntaxat: Monſpelii locis humidis [ſed qui magnitudine paucitatem condenſent, niſi fortè alia ſpecies] pulchros, odoratos, quos conſtituunt folia ſex, alba, Cluſio interdum ὠχρολευκά, coronâ luteâ meditullium vnde apices erumpunt ambiente. *Semen* nigrum, obſcurum, rugoſum, anguloſum, ſaporis amari, in pericarpiis minoribus quàm Narciſſi medio purpurei, Cardamomi minoris vulgò dicti, folliculis non multùm abſimilibus.



Lobel. & Pen. Adu. & Obſ. *Narciſſus Medioluteus* Dodon. floribus ſenis, denis, duodeníſque, minùs candidis & circinnato verticis calyculo in luteum langueſcente. Galloprouincia, vbi gramini detrimẽto, *Donas* flores quos corollis innectunt, vocitat. Plant.icon.pag.114. Narciſſus medioluteus *Donas* Narbonenſium. C.Bauhin.Phyt. *Narciſſus* 7. ſiue Medioluteus tertius comoſo flore. Tabern. icon. Narciſſus medioluteus 2. Narciſſen röß=lein. Et hiſt. *Narciſſus* 7. qui nullam ponit deſcr.

Dodon. hiſt. flor. & in fol. ait: Narciſſus medioluteus alter ſiue tertius, foliis non modò quàm primus (ſiue mediopurpureus,) verùm etiam quàm Aſphodelus latioribus longioribúſque: floribus in ſingulis caulibus quatuor aut pluribus candidis, minoribus, medio eorum luteo, calyce eminentiore, multò tamen quàm Narciſſi lutei ſilu. breuiore: radix ſimilis eſt & bulboſa.

De hoc ſcripſit Theophraſt. lib. 6. cui latius, quàm Aſphodeli tribuit folium. Scribit autem Narciſſi florem eſſe luteum, ſiue melini coloris, quod de medio floris calyce accipiendum eſſe, Ouidii teſtimonio iam oſtendimus. Florem etenim ait Croceum, albis tamen foliis cinctum. Exemplaria Theophraſt. pænè omnia μέλανα τῇ χειμᾷ habent, quod Hermol. & Marcello occaſionem dedit, vt Narciſſi florem nigrum eſſe exiſtimauerint, Sed pro μέλανα reponendum eſt μήλινα, Eſt autem Melinus color, idem qui ochræ, ſiue luteus. Putatur autem & hic Narciſſus ſerotinus à Theophraſto haberi, & Autumno demũ florere, propterea quòd in iis quæ extant exemplaribus, huius deſcriptionem mox ſubſequantur hæc verba: poſt Arcturum productio floris eſt, & circa æquinoctium. Verùm ad Narciſſi hiſtoriam hæc non faciunt: inter Narciſſi ſiquidem deſcriptionem & verba iſta, defectus ac hiatus eſt.

Naſcitur (inquit Cluſius) pleriſque Hiſpaniæ, quæ Mediterraneo mari obiecta eſt, locis, & omnibus ferè circa Mompelium pratis. Memini non procul Villâ nouâ oppidulo Magalonæ vicino, bulbum eruere, cuius ſummus caulis decem & ſex flores ſuſtineret, vt meritò πολυανθὲς appellari potuerit. Illum in C.V. Guillelmi Rondeletii, apud quem viuebam, horto, terræ commiſi. Floret in calidioribus regionibus menſe Februario, eruere memini etiam quaſdam plantas Ianuario in pratis Boutoneto ſuburbano vicinis [vt interdum inter eiuſdem generis ſtirpes alia aliis maturiùs germinat,] Apud Belgas verò non niſi Martio aut Aprili. Floret menſe Februario, Martio & Aprili: ſemina durant ad Maium. Geneuæ florentem vidi in hortis in fine Aprilis. Patauii in horto publico cum multis floribus ſimplicibus, vt etiam floribus multiplicatis.

---

NARCISSVS PLVRES FERENS FLORES maiores præcoçior medioluteus.

Deſcriptio.

NArciſſo (Cluſ.Hiſp.& poſt.hiſt.) medio luteo (multos ferenti flores) ſimilis inuenitur, paulò tamen prȩcocior, latioribúſque foliis & amplioribus floribus, cui plerumque bini, terni, quaterni, aut ad ſummum ſeni ſupremo cauli inſident, Adfertur Conſtantinopoli cum plæriſque aliis, & in fictilibus vt plurimùm colitur, vbi floret Aprili, interdum etiam Martio, ſi Veris temperies paulò calidior fuerit, maior odoris fragrantia in hoc nares ferire videtur quàm in ſuperiori: Narciſſo latifolio Byzantino medioluteo 2. Hic Narciſſus conuenit cum Narciſſo medio luteo Narbonenſi quem diximus pauciores ferre flores, ſed maiores. Huius [Byzantini] generis aliquot bulbos, Narciſſo doppio nomine, mittebat ad me (inquit Cluſ. poſt. hiſt.) anno 1590. Ill. Heros I. Vinc. Pinellus, quos flores perlaturos ſperabam, ſed ſubſequente Vereme mea ſpe fruſtratum deprehendi. Nã elegantes quidem flores habui, ſed ſimplici ſex foliorũ ſerie conſtantes, ſuperiore ampliores, omnino niueos, præter medium calicem flauum, odoris frangratiſſimi, ſeptenos & plures ſummo caule ſimul naſcentes: folia carinata, nec minùs lata habuit, quàm qui plenum fert florem, & craſſiorem. Monitus autem quos miſerat bulbos ſimplicem florem tuliſſe, aliis me impertiit minùs craſſis, quorum flores, pleni fuerunt, paullò tamen minores Narciſſo præcoce pleno flore.

Lobel.Obſ. *Narciſſi medioluteí ſpecies*, quam Narciſſum præcocem faciũt Herbarii peritiores Belgæ cum Cluſio latioribus floribus & foliis. Caſp.Bauhin.Phyt. *Narciſſus* 4. ſiue *Medioluteus* maior.

* *
*



Eee

## NARCISSVS ALBIDVS MEDIOLVTEVS cum aliquot floribus.



Deſcriptio PLant. icō. *Narciſſus albidus medioluteus* T.151. Lobel. Belg. witte droene Narciſſe mit ein gelen crātz int midde: prima ſpecies Natciſſi medio lutei in Belgio foliis ſimilibus valdè candido Narciſſo: caule maiore plerūque ferens ſtores 2. aut tres albicātes cum Corolla ochrę modo lutea.

Icon quæ apud Lobelium & Plantinum proponitur Narciſſi albi nomine, eam Cluſ. in poſt. hiſt. poſuit pro Narciſſo latifolio, flore prorſus flauo: Dodon. hiſtor. Lat. & de flor.



*Alter Dioſcorid. Narciſſus medio luteus* folia habet longiora quàm medio purpureus, latiora, & aliquantulùm minùs virentia: caules proceriores, & in ſingulis flores 2. aut 4. prioribus ſimiles: ſed medio calyce luteo: ſemen & radicem bulboſam ſimilia. C. Bauh. Phyt. *Narciſſus 6. ſiue medioluteus alter.* Tabern. icon. *Narciſſus medioluteus.* Narciſſen rößlein. Et hiſt. *Narciſſus. 6.* Tabern. mutuauit figuram Lobelii non indicans quare non deſcribit, ea quæ à nobis ponitur eſt ex iconibus, quas iam ſculptas emimus. An Cluſio Narciſſus præcox ſimplici flore: foliis florum ὠχεέλευκοις, de quo antè, de Narciſſo flore medio luteo Narbonenſi.

## NARCISSVS MEDIOCROCEVS ſerotinus cum aliquot floribus.

Deſcriptio PLant. icon. Narciſſus mediocroceus ſerotinus polyanthos. Lob. Belg. Ghemeine witteſparde bloeynde Narciſſe met veel bloemen. Foliorum latitudo & magnitudo eadem cum magni Narciſſi lutei Hiſpanici, ſed obſcuriùs virentia: Maio profert flores. 2. 3. vel quatuor pulchros,



magnos ex vno pediculo, qui cōſtat plerumque foliis 6. & interdum 7. 8. & 9. vt videantur flores pleni. Conſiderandum an hic Lobelii ſit ille qui à nobis traditur ſub. Natciſſo medioluteo cū duobus aut tribus foliis & quem in horto habemus de quo paulò pòſt.

An Dodon. in fol. Alius Narciſſus tertius, eſt foliis non modò quàm primus (qui medio purpureus,] verùm etiam quàm Aſphodelus, latioribus, longioribuſque, floribus in ſingulis caulibus quatuor aut pluribus candidis, minoribus, medio eorum luteo, calyce eminentiore, multò tamen quàm Narciſſi lutei ſilu. breuiore: radix ſimilis eſt & bulboſa.

De hoc ita Cluſ. hiſt. poſt. Naſcuntur Narciſſi quibus latiora folia & flores ſimplici foliorum textura conſtantes, in Belgicis & plærìſque Germaniæ hortis: de quibus conſulendæ Cl. virorum Dodon. & Lob. obſer. Illud autem dicendum putaui, Maiorem illum amplis foliis, & in eodem caule binos vt plurimùm, interdum ternos & quaternos flores magnos ſuſtinentem, ſex foliis albis conſtantes, & pallidum calicem cingentes odoratos, [etiam qui & duodenis foliis conſtarent,] in Anglia ſpontè naſci, à viris fide dignis intellexiſſe.

AnMatth. G. & Lat. cum magn. fig. *Narciſſus* 1. Et Ital. *Narciſſus* 8. Figuram non artificioſam ponit A
Matth. ſine deſcriptione, more conſueto. Caſp. Bauh. *Narciſſus* 3. ſiue *medioluteus pluribus floribus* Matth. Lat. & ic. 4. *Narciſſus.* 1. Tabern. icon. Narcißen röſlein *Narciſſus 9. Matth.* Et hiſt. *Narcißus 12. Matth. 9.*

Hic Narciſſus fortè eſt qui prouenit in noſtro L
Ill. E. C. horto Montbelg. cui interdum flores iunguntur cum pediculis ſuis, duo vt videantur pleni.

## NARCISSVS MEDIOLVTEVS Piſanus plures flores ferens.

PLant. icon. p. 115. *Narcißus medioluteus Piſanus* D
*ex Italia delatus.* Hæc icon Lobelii eſt poſita à Cluſio poſt. pro Narciſſo latifolio flore prorſus albo ſecundo, de quo poſtea ex Cluſio agemus. Lobel. hiſt. Belg. Narciſſe in de middel geel von Piſe ghebrecht, Narciſſus medioluteus Piſanus ex Italia delatus: Herbarii Belgæ cum noſtro Cluſio faciunt ſpeciem præcedentis Narciſſi [nēpè mediolutei Donacis dicti:] latiora habet folia, & flores multos valdè pulchros, cum corolla lutea in medio, paulò minores quàm in luteo, & color viuacior, miſſus Piſa, quidam dicunt Conſtantinopoli delatum.

Dodon.



Dodon. de fl. & in fol. videtur huius deſcriptionem tradere nomine Narciſſi mediolutei 2. ſiue Narciſſi 3. ſi ſaltem ibi benè legitur floribus minoribus. C. Bauhin. Phyt. Narciſſus 8. ſiue medioluteus. 4.

NARCISSVS ÆGYPTIVS.

NArciſſus [autore Lobelio Adu. par. 2. *d'Argiers* ab aliis Aegyptius nuncupatus, erutus ab eodem N. le Quelt in Luſitania, propè D. *Vue*, bulbo Narciſſi mediolutei Narbonenſis pari & ſimili, ſed externis inuolucris nigrioribus. Flores, caulis, folia, Narciſſo Piſano ſimilia, ſed flores variant, quemadmodum Vere elapſo annotauimus Londini in horto Nobil. Baronis Zouche, aliis minoribus, rotundioribus, & veluti decurtatis: aliis verò vnà pluribus & longioribus.

NARCISSVS CVM PLVRIBVS FLORIBVS plenis corolla lutea.



LAtioribus (inquit Cluſius) *foliis* quàm primus ſimplex [nobis Narbonēſis dictus] & quodammodò carinatis, ternis aut quaternis, *caulis* ſtriatus, nudus, intus concauus, vt in ſuperioribus, pedali altitudine aſſurgit, qui è membranaceo folliculo ſummo cauli inſidente, ternos, quaternos aut plures (nam memini in hortulo meo Viennæ florere qui ſeptenos habuerit) *flores* promit, ſenis albis, ampliſque foliis, vt prioris ſimplicis tertium genus, conſtantes, quibus pro calyce ſex alba alia *folia* ſunt, minora tamen & flaui calicis fragmentis ſic interſecta & diſiūcta, vt nulla calicis forma appareat, ſed veluti apophyſis flaua ad ſingula interiora folia adnata videatur: odoratiſſimus eſt ille flos, & grauedine quadam caput tentās: nullum *ſemen* in hoc genere obſeruaui: *radix* interdum craſſiſſima, multis ſpadiceis tunicis ſepta, & frequentibus fibris donata.

Cluſ. Hiſp. *Narciſſus flore multiplici*, & hiſt. poſt. *Narciſſus pleno flore.* Hunc Lobel. Obſ. deſcribit his verbis. Narciſſus albus Polyanthus. Chalcedonicus elegantior, hilarior & rarior. An Narciſſus 8. Matthiol. non deſcriptus? in deliciis habetur: floribus multiplicibus & foliolis aſpectu iucundis, niueis, peramœnis: corona media lutea orbatis: cuius vicem multiplex florum fœtura ſupplet, quodam tamen lutei ſpecimine permiſto inter foliola diſpersè adſeruato. Plant. icon. *Narciſſus albus polyanthos*, ſiue Chalcedonicus elegantior, & rarior multiplex. Dodon. hiſt. fl. & in fol. inquit. Sunt & Narciſſi multiplicibus floribus, cùm primi (mediopurpurei) tum alterius generis (mediolutei) foliis & bulbis haud diſſimiles. Eandem figuram habet cum Cluſio & Lobelio, noſtra figura non placet, eſt ex iis quas iam ſculptas emimus.

*Narciſſus exoticus* ſiue Conſtantinop. plenis floribus fragrantiſſ. qui primo ſuo anno ex Italia allatus [inquit Camer. horti] floruit (Norimbergæ) ſed poſtea iidem bulbi nunquam, quamuis vireret, & multa prole quotannis augerentur, florem præbuerunt. Turci vocant *Giul catamer lale.* Et apud Matthiol. Germ. *Narciſſus* 2. flore pleno, qui facilè perit. Item in Epit. *Narciſſus* 2. non differt à priore neque facie, neque viribus, quos admodum ſpecioſos proponit, cādidos quoque, ſed quorum medium habet foliola. Miror ita ſimilem facere Camerarium Narciſſum plenum Camer. Matthiol. cum Narciſſo mediopurpureo, a quo not. non ſolùm florum plenitudine differt, ſed etiam florum numero, cū neque potiùs ſit ex genere mediolutei, demonſtrante ipſiuſmet figura ex Matthiol. Idem hor. *Zurimcada Catamer* floribus albis ex Conſtantinopoli.

Caſp. Bauhin. Phyt. *Narciſſus* 13. ſiue albus flore multiplici. Matth. in Dioſcor. cum mag. fig. Lat. lib. 4. *Narciſſus* 2. Item *Narciſſus* 8. In Ital. cap. 162. *Narciſſo*. Item *Narciſſo* 2. In hiſt. Germ. lib. 4. c. 141. Narciſſen rößlin 2. ſiue odoratus Narciſſus. Tabern. icon. pag. 603. & hiſtor. p. 2. Geful̃t Narciſſen rößlein, *Narciſſus* 1. Polyanthos Matthiol. Item icon. p. 604. & hiſt. p. 302. *Narciſſus* 3. Matthioli 10. (Matth. 2.)

Bizantio ſingulis annis Cluſio Viennam mittebatur.

NARCISSVS AMPLO FLORE, CO-rona aurea plena.



DEſcribitur à Cluſio hiſt. poſt. Narciſſus pleno flore ſecundus, qui *folia*, *bulbum*, *caulem* priori [pleno] adeò ſimilia habet, vt neuter ab altero diſcerni queat, ſoli *flores* diſcrimē faciunt, qui etiam è vaginula ſummo cauli inſidente, emergunt terni aut quaterni, priori Deſcriptio

magnitudine æquales, ſeniſque foliis albis conſtantes, amplum aurei coloris calicem cingentes, adeò multipliciter, mirumque in modum implicatum, vt Leucoii flaui polyphyllum florem ſaturiorem quodammodò æmuletur: odor perinde ſuauis ac in priore.

Cluſ. duntaxat in horto Generoſæ Dominæ Vnguadin conſpexit anno 1588. præcedente anno Byzantio illi miſſum.

## NARCISSVS MINORE FLORE corona tota lutea.

Deſcriptio



NArciſſum quendam pleno flore, ſic deſcribit Cluſius hiſt. poſt. *Folia* & *reliqua omnia* ſuperioribus (duobus plenis) ferè ſimilia habet, paullò minora: *flores* in hoc etiam minores, ex albis foliis conſtantes, medium calycem flauũ & plenum habet, emicantibus è medio oblongiuſculis anguſtis foliolis ſtellatim quaſi decuſſatis, albi quidem coloris, ſed cui & viridis foris, & pallidus interiore parte permixti ſint, odor ferè qualis in priore, ſed neſcio quid magis aromaticum ſpirans, medius inter Narciſſi & muſcari odorem.

Cluſ. Pann. *Narciſſus pleno flore, Narciſſus πολύανθος* ſiue multiplex. 2. In hiſt. poſt. *Narciſſus pleno flore tertius.* Plant. ic. p. 15. *Narciſſus albus alter, media fimbriata lutea multiplici corolla.* T. 152. C. Bauh. Phyt. *Narciſſus 9.* ſiue albus corona multiplici lutea.

Deſcriptio

Habui [inquit Cluſius] munere Philib. de Bruxellis Cæſ. dapiferi, cum pleriſque aliis bulbis ſub anni 1575. initium, eodem quidem anno & ſequentibus folia produxit, at nullum florem: toto anno 1579. latuit, vt periiſſe exiſtimauerim. Anno ſubſequente Martio denuò prodiit, & Aprili ternos flores, quales modò deſcripſi tulit: & proximo ſubſequente anno plures dum in Anglia peregrinarer, referentibus domeſticis.

Tempus.

Florent etiam ſuperiores Aprili. At huic antè hiemem folia emergere non ſolent, ſed nouo Vere duntaxat, eo videlicet anno quo florem dabit. Nam ſi ante hiemem illi prodeũt [rariſſimè id fit] proximo anno non florebit. Sæpe etiam in reliquis præcocibus Narciſſis qui Conſtantinopoli mittuntur vel pleno flore vel albo medio luteo, accidit vt ſterilitatis indicium ſit ſi folia ante hiemem emerſerint.

*Narciſſus Conſtantin. quem Zidem ſari vocant.*

Narciſſus Conſtantinopolitanus quem Z*idem Sari* vocant ab amico ex illis locis [*Camer.* horti] tranſmiſſus bulbo anguloſo, tunica tenui, nigra, veſtito. C. B. Phyt. *Narciſſus* 12. ſiue *bulbo anguloſo*.

## NARCISSVS CVM PLVRIBVS floribus totus albus maior.

NArciſſus latifolius Cluſ. totus albus priori (Narciſſo medio luteo Narbonenſi) formâ non diſſimilis: *folia* habet terna aut quaterna, viridiora paullò iam dicto, longiora & anguſtiora: è quorum medio exilit caulis latiuſculus, anguloſus tamen & concauus, cui inſident ſeni, septeni, interdum deni *flores* prioribus ſimiles, ſed oblongiores paullò, & omninò niuei, quorum videlicet calyx ille medi⁹ [qui priore flauus] etiam albus eſt, odor priori ſimilis, vt etiam *radix*.



Cluſ. Hiſp. *Narciſſus totus albus prior.* & hiſt. poſt. *Narciſſus lat. ſimplici flore prorſus albo.* 1. Hiſp. *Lirio blanco* & *Cebollinas*, quibuſdam etiam *Narciſſ. de Seuilla*, id eſt Hiſpalenſis Narciſſus, quòd à me primùm poſtea aliis inde ſit miſſus. Hæc planta ex illorũ numero eſt quas ſtirpium Hiſtoriæ Lugduni expreſſæ: auctor Dodon. tribuit & ab eo me ſumpſiſſe ſcribit. Ego verò non modò hanc, ſed plurimas alias Dodonæum à me habuiſſe aſſero.

Lob. obſ. *Narciſsi mediolutei varietas, Narciſsus totus albus.* Hiſp. *Iunquillos blancos*: Belgicis hortis inquilinus factus opera Cluſii. Plant. icon. *Narciſſus totus albus.* Dodon. hiſt. fl. & in f. *Narciſſus totus albus* ſiue quartus antedictis formâ ſimilis, ſed per totum florem & medio quoque candidus. C. Bauh. Phyt. *Narciſſus* 10. ſiue totus albus maior. An Camer. horti: *Narciſſus albus maior.* Tabern. icon. *Narciſſus albus* weiß Narciſſen röſzlein. Et hiſt. *Narciſſus* 5. *albus.* Item Icon. *Narciſſus niueus ſerotinus*, weiſſpat Narciſſen röſzlein. Fruſtrà nonnihil figuram mutauit neglecta deſcriptione. Hinc quis ſit 2 loco poſitus neſcio, cùm eius tantùm meminerit titulo tenus.

Illius nec capita neque ſemen obſeruare potuit Cluſius, nam Ianuario extremo naſcentem pingui ſolo nonnullis Luſitaniæ & Bæticæ locis & vliginoſis, multaque aqua ſtagnantibus, cum florentem obſeruabat 1565. tum etiam Februarii initio in ſumma Calpe eruebat duntaxat. Eius aliquot bulbi in Belgicam miſſi nondum flores tulerant octennio poſt.

## NARCISSVS FOLIIS CANDICANTIBVS cum pluribus floribus totus albus minor.

NArciſſus totus albus alter ſuperiore minor, firmioribus magiſque candicantibus foliis, qualia ferè ſunt in Narciſſo marino qui Narbonenſibus

nenſibus Scilla ſiue Pancratium dicebatur, caule breuiore,& binos, ternos aut quaternos duntaxat flores proferente. Ex Hiſpania (inquit Cluſius) poſt meum reditum miſſus, reliquis Narciſſis ſeriùs, hoc eſt, Maio, Bruxellæ in quibuſdam hortis floruit.

Cluſ.Hiſp.Narciſſus totus albus alter, Hiſp. *Iunquillos albos.* In poſt.hiſt. Narciſſus latifolius niueus alter. Lobel. Obſ. Narciſſi mediolutei varietas, Narciſſus totus albus paucioribus floribus & folio albido, rigidóque, Belgicis hortis inquilinus factus operâ Cluſii. C.Bauh. Phyt. Narciſſus totus albus minor paucioribus floribus. An Camer. hort. Narciſſus albus minor? In Cluſii icone, plures duplò appinguntur flores, quàm tradat hunc Narciſſum ferre, nempe octo. Huius icon eſt poſita inter Icones Plantini pro Narciſſo medioluteo Piſano ex Italia delato Teut.hiſt.Lobel.de quâ hic antè.

*Narciſſus niueus latifolius Byzantinus.*

Narciſſus latifolius niueus tertius Byzantio, Cluſio Hiſt.poſt.allatus 1587. ſequenti anno *folia* dedit primo generi ſimilia: *caulem* inter folia emergentem, pedalem, qui ternos & quaternos *flores* dedit eiuſdem cum ſuperiore magnitudinis, niuei prorſus coloris, id eſt, calice etiam niueo, è quibus emergebant ſena ſtamina, terna aliis longiora, flaua. Alius præterea adeò illi in omnibus ſimilis, vt vix quiſpiam diſcernere potuiſſet, niſi differentiam feciſſent flores illo minores, & frequentiores in ſummo caule naſcentes, odorem & fragrantiam Iaſmini referẽtes: huius *ſemen* in trigonis capitibus concluſũ, nigrum, inæquale: vtriuſque *radix* minor paullò priore, & nigris tunicis ſepta, *Zerincada catamer bianco* nomine miſſa fuit, vt & quinquennio antè: Floruit Maio menſe.

*Narciſſus latifolius flore prorſus flauo.*

Narciſſo latifolio flauo flore, ſiue quarto Byzantio *Zerincada catamer ſari* nomine, Cluſio allato, *folia* ſunt proximè deſcripto ſimilia, *flos* in illo variat, nam vel totus flauus eſt, vel omnino pallet, præter calicem qui in hoc planè aureus eſt: *ſemen* in trigonis capitibus Narciſſinum, inæquale, nigrum: *radix* tunicis ſpadicei coloris tecta. Icon à Cluſio appoſita eadem eſt quæ apud Lobelium in Obſ.Teut.ſiue Belgicis pag.171. & Icõ. Plantini p.114. ponitur pro Narciſſo albo medio luteo.

*Narciſſus pallido flore medio aureus.*

Tradit Cluſ.poſt.Hiſt.Narciſſum pallidum flore medio aureum ſiue quintum ſibi miſſum 1596. Hiſpali per D.Simonem Touar Hiſpalẽſem Medicum: cuius *bulbus* ſatis craſſus erat extremo cortice, ſpadiceo colore præditus, qui Ianuario ſequente, quaterna protulit *folia*, lata, & quodámodò carinata, vt præcedẽtiũ aliquot, viridia, cubitalis longitudinis, inter quæ prodiit cubitalis aut altior, deinde duorum cubitorum altitudinem ſuperans *caulis* (quam in reliquis Narciſſorum generibus obſeruare non memini) viridis, ſtriatus, intus cauus, ſummo faſtigio ſuſtinẽs membranaceum quoddam inuolucrum, è quo exibant ſuis petiolis innitentes *flores*, quini, ſeni, ſepteni, aut plures, ſenis foliis, inſtar aliorũ Narciſſorum ſimplici foliorum texturâ conſtantium præditi, coloris flaui, nonihil quidem palleſcentis, floridi tamen, quorum medius calix aureus, ſuauis valdè odoris. An porrò prolificum *ſemen* daturus ſit, adhuc ignarus ſum, quandoquidem eo florente eius hiſtoriam concinnabam Martii initio, vt is annus valdè præcox fuit, nullâ, aut perquàm exiguâ præcedente hieme, quę demum extremo Martio valdè aſpera fuit, & multas ſtirpes corrupit. Non multùm diſſimilis erat, qui anno 1586. mihi floruit à Io.Boiſſot præcedente Autumno acceptus, quem Ferrariâ allatum ſcribebat. Miſit & alium cuius florem ex pallido vireſcere aiebat, calicemque anguſtum flauum habere. ſed vtrumque bulbum corrupit hiems illa rigida ſubſequens.

*Narciſſus totus luteus foliis anguſtis Thracicus.* Iam inuenitur [teſte Cluſ.Hiſp.] & alius ex Thracia primùm delatus *foliis* ſiquidem Narciſſo toto albo ſimilibus & anguſtis, ſed *flore* omninò Deſcripio
aut luteo aut pallido, odoratiſſimo: *ſemine* Narciſſino ſimili, *radice* plerunque minore tunicis coloris ſpadicei tecta. Sed qui pallidus eſt, coliculum medium planè aureum vti medio lutuus, radicem æquè craſſam, & folia non minùs lata, habet: C.Bauhin. Phyt. Narciſſus 27. ſiue totus luteus.

## NARCISSVS IVNCIFOLIVS flore luteo.



Cubitalis huic *caulis*, *foliis* nudus, tenuis, in cuius cacumine deſinente vtriculo mẽbranaceo, *flores* emicant; in meo quidẽ horto bini, aliàs plures, pediculis ſextantalibus, Narciſſi vulgaris floribus ſimiles, at minores è ſenis foliis radiatis totis luteis compoſiti. quo etiam colore præditus eſt non tantùm tubulus oblongus, ſed & mediũ florem cingẽs corona. Caulem comitantur *folia* pauca anguſta, tenuitate & virore iunceo. *Radicem* habet bulboſam fibratam. Deſcriptio

Lubet hîc ſubnectere Cluſii ſimiliũ Narciſſorum deſcriptiones: Bina aut terna ſũt oblon-

ga folia, anguloſa,carnoſa & pænè rotunda,iuncis viridioribus & medulloſis, læuore coloreque quodammodo ſimilia,nec minùs flexibilia, inter quæ medius exilit caulis,rotundus,cauus, nullis ornatus foliis,in cuius ſummo, ex tenui quodam membranaceo inuolucro,flores terni, quaterni, aut quini prodeunt oblongi [ gemelli interdum ] forma Narciſſinis ſimiles,odoratiores eo qui medio purpure⁹ eſt,flaui omninò,hoc eſt tā interiore calice quàm ambientibus cum foliis, quæ vel mucronata, vel mucrone nonnihil orbiculato conſpiciuntur: his ſuccedunt triangula capita obtuſis angulis, vt reliquorum Narciſſorum, nigro & anguloſo ſemine plena; minore tamen quàm aliorum: radix etiam minor, candida, nigricantibus membranis tecta. Iſtius genus inuenitur minus, gracilioribuſque foliis, cauliculis è medio prodeuntibus puſillis, vnicum plerūque aut alterum florem duntaxat ſuſtinentibus, flauum & odoratum vt alterius, ſed foliis conſtantem firmioribus & magis orbicularis. Narciſſus iuncifolius alter. A ſimilitudine quam eius folia cum Iuncis habent *Ionquillos* vocant, nos Narciſſum iuncifolium luteum dicere poſſumus ad differentiam alterius qui ex Thracia latiore folio defertur. Et hiſt. poſt Narciſſus 10. ſeu anguſtifolius 2. & iuncifolius primus & 2. minor.

*Bulbus vomitorius negatur cōtra Dodon.*

Dodon. Bulbum vomitorium eſſe contendit: quo autem argumento ipſe & reliqui qui eius veſtigia ſequuntur, id probare poſſint libenter intelligerem: Lobel. & Pena Adu. *Narciſſus luteus Aphricanus*, an Bulbus vomitorius? Item Obſ. p. 62. *Narciſſus luteus iuncifolius præcox.* An bulbus vomitorius? Ibidem *Narciſſus iuncifolius ſerotinus paucioribus foliis & floribus duntaxat diuerſis.* Et p. 462. append. *Narciſſus iuncifolius flore rotundæ circinitatis Roſeo reddenda. obſ. p. 62.* In horto C.D. Mariæ de Dorimon & D. Aluari Nonnii alitur Narciſſi iuncifolii genus ſerotino Narciſſo per omnia ſimile: ſed flos rotundior eſt & latior. Sed & Hiſt. Belg. p. 157. Narciſſe non der fricken. Narciſſus iuncifolius præcox. Adhæc Gele ſpade Narciſſe met bieſe bladers. Narciſſus iuncifolius. Rurſum p. 158. Junquilles met ronde bride bloemen op de vyſſe vam enckel Roosfons. lat. Iuncifolius flore rotundæ circinitatis roſeo. Et Alder meeſte Spaniſche Jonquille, Narciſſus Hiſpanicus iuncifolius quem &c.

Plant. icon. p. 117. Narciſſus iuncifolius ſerotinus Lob. 62. T. 158. Et p. 124. Narciſſus luteus Aphricanus præcox, an Bulbus vomitorius? Camer. horti. Narciſſus iuncifolius maior & minor odoratiſſimo flore, vterque hyemis acrioris impatiens. Dodon. in fol. Narciſſus iuncifolius maior & minor vterque Belgis hortenſis eſt. Dioſc. eſt βολβὸς ἐμετικὸς ſiue bulbus vomitorius. Tabern. icon. & hiſt. Narciſſen Roßlein. Narciſſus. 8. iuncifolius. 5. Et Narciſſus 9. Iuncifolius 2. Item Großgeel Narciſſen roßlein. Narciſſus 10. roſeo luteus maior. Et tandem klein geel Narciſſen roßlein. Narciſſus 11. roſeoluteus minor.

Tab. vel eius Cōpilator de Iuncifoliis Narciſſis duobus primis obiter ex Cluſio pauca proponit, de duobus cum roſeo flore nihil: figuras duas mutat nonnihil, ſed meliores non reddit, tantùm vt perſuadeat ignaris àd viuas plantas paratas figuras: Cur duos roſeo-luteos tradat non video: nec ſcio vnde deſumpſerit figuras cùm nihil iunceis demonſtret in foliis, nec in floribus accedunt Iuncifolio roſeo Lobelii, cui flores duo ex vno pediculo, non ſoli ac etiam multùm differentes: planè hoc loco Matthiolum cum ſuis figmentis imitatur, nec ſatis mirari poſſum aliquem extare qui velit ſtirpium peritus eſſe, & eius næniis & figmentis patrocinari, ac ita veritati fucum facere.

C. Bauh. phyt. Narciſſus 23. ſiue Iuncifolius maior, Cluſio prior, Lobelio Aphricanus. Narciſſus 24. ſiue iuncifolius luteus minor. Lob. ſerotinus: Alterum diceremus (inquit C. Bauh.) apud Cluſium niſi diceret hunc multò pluribus eſſe foliis monente etiam Lobel. obſ. p. 62. Item Narciſſus Iuncifolius flore rotundo, Lobelio roſeo, huius maior & minor datur ſpecies, quarum Tabern. duas icones proponit nomine Narciſſi roſeolutei maioris & minoris. *Hactenus C. Bauh.* Sed dic quæſo Tabern. vbi vidiſti tales duas plantas, phantaſticæ ſunt icones imaginatarum plantarum, dignæ quæ iungantur multis Matthioli figuris.

Prior ſponte naſcitur in montanis pratis non procul Toleto, & circa Guadalupe. Poſteriorem vliginoſis inter Hiſpalim & Gades locis cum ipſo flore eruebat Cluſ. Ianuario menſe, at in Belgicis hortis neuter niſi Aprili floret, vel etiam Maio, licet interdum denuò paulò ante brumam ſi mitior ſit aëris conſtitutio. Ex Bona, & Argeria (Chartaginiſque finitimis locis Aphricæ affertur: Non procul præterea Agathenſi ſinu affirmant inueniri, etiamque ex Hiſpanicis nuper in Belgiam & Franciam delatos audimus. Narciſſus iuncifolius prior flore luteo, mihi in horto Ill. mei Princip. ex bulbis Stuckardia miſſis, florens Aprili, hiemem apud nos facilè profert.

NARCISSVS IVNCIFOLIVS
flauus amplo calyce.



Narciſſo 9. ſeu anguſtifolio 1. Cluſii in poſt. hiſt. bina aut terna ſunt *folia*, pedalis aut maioris longitudinis, craſſa & ſucculenta, inſtar foliorū Narciſſi præcedentis tertii minoris, ſed anguſtiora, & quodammodo media inter illa, ſequentis Iūcifolii maioris folia, carinata tamen & viridi colore prædita proximè ad Iuncifolii Narciſſi foliorum viriditatem accedente. prodit inter folia *caulis* gracilis, inſtar eius qui ſubſequitur firmus, pedalis longitudinis, qui ſummo faſtigio ex mēbranaceo folliculo, binos aut ternos *flores* promit valdè elegantes, maiores & laxiores quàm reliquorum Narciſſorū iunceo folio, ſex præditos foliis flauis, quorum mediū occupat *calix* maior quàm in vllo Narciſſorum genere, ſemunciā namque longus, & per oras veluti ſinuoſus, paulò ſaturioris lutei coloris, continens breuia ſex *ſtamina* flaua, apicibus aureis prædita, & ſtilum flauum extimâ parte

craſ.

craſſiorem: odoratus eſt is flos, perinde atque Narciſſi iuncifolii flores. *radicem* habet Narciſſi ſequentis bulbo æqualem.

An Camet.hort.Narciſſus luteus Polyanthos, id eſt, plures vno caule flores gerens fictili aſſeruandus, brumæ ſæuitiæ impatientiſſ. Lob.Adu. par. 2. Iuncifolius Narciſſus amplo calice flore luteo ſiue primus Cluſii, è montibus D. Iacobo Gallęciæ vicinis à Nic.le Quelt ad nos deuectus. Iuncifolium Narciſſum magno calyce luteo ad me miſit, C.V.D.D. Kirch.Bellenal. horti medici primus inſtructor in alma Monſp.ſchola.

Cluſio demum conſpectus eſt hic Narciſſus anno 1595. Aprili menſe ſuis floribus onuſtus apud Theod.Clutium Acad. horti præfectum Lugduni Batauorum, quo anno bulbi ipſi communicati, cùm ab illo, tum à Cornelio van Hille Eccleſ.Roterodamenſi.

*Narciſſus iuncifolius minor flore pallido.*

A Venerio accipiebam [inquit Cluſius Hiſt. poſt. par. 2.] Narciſſi iuncifolii alterius bulbos, qui minor ad aliorum differentiam vocari poterit. Producebat is Narciſſus, ex *bulbo* aliorum Narciſſorum, iunceo folio bulbis formâ non diſſimili, valdè tamen puſillo, quinque aut ſex *folia* anguſta quidem illa & iuncea, aliquantulùm tamen planiora, dodrantem aut pedem longa, nónihil procumbentia, viridia: inter quæ prodibat vnus aut alter *cauliculus*, gracilis, nudus, viridis, pedalis longitudinis, ſummo faſtigio geſtans folliculum membranaceum inſtar aliorum Narciſſorum, è quo exhibebat vnus aut alter *flos* longo pediculo innixus, formâ iuncifolii vulgaris floribus ſimilis, ſed paullò minor, ſex foliis pallidioribus conſtans, cum medio *calyce* flauo, maiore aliquantulùm & magis patente, quàm in vulgaris Narciſſi iuncifolii flore, è cuius vmbilico pallidula breuiáque *ſtaminula* emergebant, medio ſtilo prominente: odoratus quidem eſt flos: paullò tamen grauior eſt eius odor quàm vulgaris Iuncifolii. Florebat Aprili. Sponte naſci in illa Galliæ parte ſcribebat, quæ vulgò *Rouergue* nuncupatur. Congener cum Narciſſis iũcifoliis Hiſpanicis videtur Lobel.Adu.2. Iuncifolius Narciſſus erutus è Galliæ præfectura *Rouergue* vernaculè vocata, & miſſus Burdegalo à D.Iacobo le Venier, qui nullos tractus Pyrenæorum montium vicinarúmque regionum ſingulis annis ſedulò non perluſtrarit.

*Narciſſus vernus præcocior flauo flore.*

Nos iungimus Narciſſo latifolio Indico alium propter ſimilitudinem iconũ (qui potuiſſet etiam poni poſt Colchicum flore luteo quorũdam,) quẽ Cluſ.in Exot. pingit & vocat Narciſſum vernum præcocem flauo colore, ac ſic deſcribit: Narciſſi genus reperitur ineunte Vere flores producẽs, prorſus nouum, in his præſertim regionibus: mihi certè ante annum à Chriſti natiuitate 1600. videre non cõtigerat: propterea eius hiſtoriam & iconem dignam iudicabam quæ in hac append. adponeretur. Producebat autem ille Narciſſus quaterna aut quina *folia* aliorum Narciſſorum inſtar: plana, digitum pænè lata, ſurrecta, viridia, Narciſſi medio lutei foliorum æmula, in ter quæ prodibat *caulis* ferè dodrantalis, planus, non valdè firmus, læuis & enodis, ſuſtinens ſummo faſtigio membranaceum *folliculum*, reliquorum Narciſſorum modo, è quo emergebat vnicus *flos* coloris flaui, Narciſſi Autumnalis maioris flauo flore præditi formâ non valdè diſſimilis, ſex etiam foliis conſtans ſeſcunciam longis, ſemunciam latis, mucronatis, quorum terna interiora paullò longiora erant externis, totidem ex vmbilico prodeuntibus ſtaminibus candicantibus in flauum apicem deſinentibus, atque illorum quidem tribus breuioribus quàm cætera, cũ medio ſtylo omnib. ſtaminibus lõgiore: *radicem* habebat craſſam, rotundam, è multis tunicis cõſtantem [quarum internæ albæ, externæ verò ex ſpadiceo nigricãtes] & infimâ ſede multis fibris præditam.



Præcox erat hic Narciſſus: nam quum eius bulbum ab Ill. viro Ioanne Vincenrio Pinello miſſum Patauio ſub initiũ Nouembris anni à Chriſti natiuitate 1600. accepiſſem, illicò in fictili terræ committebã, vt à cæli inclementia per hiemem faciliùs præſeruare poſſem: atque inſequente Februario florem producebat, & illum quidẽ nullâ odoris gratiâ præditum: quod an acciderit, quia liberum aërem non habuerit ignoro: nã diligentiùs obſeruare non licuit, propter ſubſequentis anni hiemem aſperiorem, quæ plantam prorſus corrumpebat: tum quia aliam ſimilem poſtea nanciſci non potuerim, tametſi ſummam diligentiam non ſemel adhibuerim.

*Narciſſus flore cæruleo.*

Narciſſus flore cæruleo ex Hiſpania Cluſ Pann. per Regis hortulanum miſſus. C. Bauh. Phyt. Narciſſus 28. ſiue flore cæruleo Cluſ. Lobel. & Pena Adu. Narciſſus purpuro cæruleus: Quibus aſſerebant non poſtremæ fidei amici ſe nactos totis floribus purpureis Narciſſos prope Lanum fluuium, non procul Monſpelio, quos tamen diu, ſæpéque inibi & aliis adiectis pratenſibus fruſtra venati ſunt, ac ſtudioſos ſimplicium & præceptores ſuos, vt indicarent, rogarunt. Monuit quidem Malachias Bernardus Med. Doctor Lobeliũ Adu. par. 2. ſe in horto D.Quintini Narciſſum hunc ſolo flore cæruleo à Mediocroceo diuerſum collegiſſe.

---

## NARCISSVS INDICVS LATIFOL. rubro flore.

Elegantis Narciſſi (inquit Cluſius hiſt. poſt.) (qui inter eos qui latiora habent folia 8. erit) flos cum aliquot foliis mihi mittebatur à D. viro Bernardo Paludano qui Indicum cognominabat: ego eius hiſtoriam pro meo modulo ita cõcinnabam: Sena vel plura habet is Narciſſus fo- Deſcriptio.



*lia*, Narciſſi vulgaris foliorum inſtar lóga, ad quorum latus emergebat *caulis* læuis & enodis, intus concauus, ſummo faſtigio in nodum deſinẽs, membranaceum quoddam inuolucrum purpuraſcẽtis coloris ſuſtinentem, è quo vnicus *flos* ſeſe exerebat ſex longis & anguſtis foliis conſtans. qualia ferè in Narciſſi Autumnalis minoris (de quo cap,16.huius libri) flore conſpiciuntur,non flaui tamen,vt illa, verùm rubri ſaturi & ſplendentis coloris, inſtar floris Arundinis Indicæ vulgò appellatæ,cui non valdè abſimilis eſt, è quorum medio prodibant ſex *ſtamina* eiuſdem pænè coloris, oblonga (quibus inſidebaut apices fuſci coloris quia forſitan ex attritu corrupti) & medius ſtilus,ſub quo rudimentum triangularis capitis, quod haud dubiè *ſemen* dediſſet, fortè etiam maturum, niſi ipſe florem præcidiſſet, vt mihi conſpiciendum præberet: *radicem*, Paludano referente, habet bulbaceam, Cæpis vulgaribus rubentibus prorſus ſimilem. Vnicam autem eius plantam habebat, ipſi miſſam ab Eruditiſſ. viro D.Simone de Touar Hiſp.medico, quæ florem dabat Iunio 1594. alterum expectabat ſequente menſe quoniam præcedente anno eadem planta bis illi florem protuliſſet menſibus Iunio & Quintili. At anno inſequente,ex Indice Touarici horti, & Epiſtolis quas ipſe Touar ab me deinde ſcribebat cognoſcebam Narciſſum Indicum Iacobæum ab ipſo nuncupatum.

Tempus

*Narciſſus Indicus, Iacobæus mihi* indigitatus, vt ſcribit in epiſtolâ Cal.Iunii 1596. ad me data ex Occidentali Indiâ [vbi Azcal Xochilt, quod eſt Bulbus flore rubro,vocatur] nobis delatus: nulli rei herbariæ Scriptori hactenus, quod ſciam,notus,cuius radix bulboſa, Cepæ rotundæ ſimillima, verùm ſupernè tunicâ pullâ: folia primùm emittit craſſa, oblonga, Narciſſi marini,tibi Hemerocallis Valentina dicti, æmula: ſecundum folia verò, atque adeò ex latere, pedalis & longior etiam emicat caulis, plerumque vnus, aliquando verò & alter, nonnunquam pariter, [quanquam hoc rarò] interdum ſucceſſiuè, dilutè rubens, compreſſo tamen ſtilo,cauus, & interiùs ſubalbidus, qui in membraneam deſinit vaginulam ſaturatè rubentem, & ad extremum acuminatam fiſſamque, è qua flos vnicus erumpit,oblongus,pediculo nixus viridiore, qui deorſum inflexus & veluti procumbens (vt in Leucoio bulboſo vel Lilio rubro,tametſi non æquè nutans,) ſex munitur foliis eleganti minii colore rubentibus,tribus ſuperioribus: totidem inferioribus:quorum quod è ſuperioribus mediũ eſt, ſurrectius eminet: reliqua duo ad latera à medio reflectuntur:inferiora autem deorſum curuãtur, cũctis,ita cõcinnatis, vt enſis etiam rubri qui ab ordinis S.Iacobi Equitibus in veſte geſtatur,formã valdè referat,vnde Iacobæi cognomen ipſi à me inditũ. Sunt porrò in hoc elegantiſſimo flore ſtamina ſeptem ſimiliter rubra: quorum medium aliquantò longius in triangularem apicem deſinit: cætera ſex apices tranſuerſi finiunt,interiùs fuſci, ſuperficie verò luteo puluiſculo obducti: cuncta autẽ, ad mediã ferè eorum longitudinem, mediũ ex inferioribus folium ambit: idem etiam à reliquis duobus inferioribus cõplexum: atque vbi hæc deorſum flectuntur,ſtamina ipſa ſurſum eleuantur. Illo ipſo porrò anno floris cum ſuo caule & foliorum iconem ad me mittebat Ill.C. Arembergius, quam ad viuum depingi curauerat,ex planta quæ illi florem protulerat, à D.Touare eodem anno acceptâ: deinde ſequente Februario bulbi ſuis coloribus expreſſi iconem,qui craſſus eſt, tunicâ exteriore fuſcâ tectus,fibriſque infima ſede,nonnihil prominente,frequentibus, craſſis pleriſque & in alias tenuiores diuiſis, & aliis minoribus præditus.

Lob. Adu. par.2. *Narciſſus Indicus rubro flore Cluſii, & Narciſſus Iacobæus D.de Touar.* à C.viro Bernardo Paludano acceptus Mediocaſtri Walacriæ vnicum florem laxauit D. Ioanni Somero. Sed cùm exactior,latéque elegantiſſimi ac amœniſſimi floris extenſi icon Lutetia ex Chriſtianiſſ.Regis Henrici Bourbonii rariſſimis plantarum exemplaribus delineata, enataque in horto D.I.Robini,allata mihi ſit,huc inſerendam operæpretium duxi.

## PANCRATIVM VETERIBVS

PAncratium (παγκράτιον) à vincendis & profligandis morbis omnes denominaſſe videntur.

Scillam, ſunt (vt ait Dioſcor.) qui appellent. Pancratium [vt idem deſcribit] radix eſt, bulbo magno ſimilis,ſubfulua [ὑπόπυῤῥος,] aut ſubpurpurea [ὑποπόρφυρον,] amari ac feruidi ſaporis.Folia habet Lilio ſimilia, ſed longiora. Vim eandem quam Scilla habet. Præparatur & eodem modo, & exhibetur, faciens ad eaſdem affectiones.Mitior tamen huius facultas eſt quàm Scillæ. Vnde ſuccus ex radice huius expreſſus,& ad Erui farinam ammixtus, & in paſtillos efformatus,cum aqua mulſa, & ſplenicis & hydropicis vtiliter exhibetur.*Hæc Dioſc.*

Plinius eadem ferè dicit l.27.c.12. his verbis: Pancration aliqui Scillam puſillam appellare malunt,foliis albi Lilii longioribus, craſſioribuſque,radice bulbi magni,colore ruffo. Aluum ſoluit, ſucco cum farina Erui ſumpto. Vlcera purgat.Hydropicis ſpleneticiſque cum melle datur. Alii decoquunt eam, donec aqua dulcis fiat. Eaque effuſa radicem terentes digerunt in paſtillos Sole ſiccatos.

Dodon.in fol. Plinium reprehendit, dicens: In Plinii verbis,& cõtradictio quædam apparet & à Dioſc. ſententia diuerſa; Si enim radices magni bulbi,quare Scilla puſilla appellatur: Folia Lilii albi craſſiora Plinius, anguſtiora habet Dioſc. Atque vel hinc Plinii exemplaria pleriſque locis corrupta eſſe apparet: proinde & quæ de vtraque Scilla ſcribuntur poſſe vitiata eſſe.

Cord.in Dioſcor.Scillæ ſpeciem facit.Pancratium, (inquit) minor Scilla eſt, quæ hodiè rarò ad medicinæ vſum affertur: quantitate & viribus maiori inferior.

CBauh.

Caſp. Bauhin. apud Matthiol. videtur ſecuriùs eandem dicere cum Narciſſo tertio Conſtant. Matthioli, & Narciſſo marino Dodonæi: quis ex dictis uerbis id poteſt aſſerere?

Scillam vulgarem omnem ruffam multi Pancratiũ volunt, quidam tantùm inter eas minores bulbos. Videtur Caſp. Bauhin. ab hac Scilla vulgari ſeparare Pancrarium Cluſii, quod nòn placet. Dicitur Pancratium quibuſdam [nobis Pãcratium Monſpeſſulanum] nonnullis etiam Pancratium Lacunæ, & Hyacinthus cæruleus maximus Fuchſii, de quo Dalechamp. aliquãdo annotauit eſſe verum bulbum. Pancratium ex Dioſcor. vim eandem quam Scilla habet. Præparatur & eodem modo, & exhibetur ad eaſdem affectiones. Mitior tamen huius facultas eſt quàm Scillæ. Vnde ſuccus ex radice huius expreſſus & ad Erui farinam ammixtus, & in paſtillos efformatus, cũ aqua mulſi ſplenicis & hydropicis exhibetur. Aluum ſoluit [vt Plinius tradit] Succo cum farina Erui ſumpto: vlcera purgat. Hydropicis ſpleniticiſque cum melle datur. Alii decoquunt eam donec aqua dulcis fiat. Eaque effuſa, radicem terentes digerunt in paſtillos Sole ſiccatos, & poſtea vtuntur ad capitis vlcera, & cætera quæ repurganda ſunt, item ad tuſſim quãtùm tribus digitis apprehẽderint, in vino dantes, & ad lateris dolores aut peripneumonicis Eclegmate. Propter Iſchiada in vino bibendum & propter tormina menſéſque ciendos. Radix (inquit Gal. ſimpl.) Pancratii Scillæ ſimilem guſtũ refert: quare eà quidem pro Scilla, ſi ea non adſit, vtuntur: efficit omnia in genere quidem ſimiliter, ſed longè imbecilliùs.

---

## PANCRATIVM MONSPESSVLANVM, multis Scilla alba Parua.

PAncratium Monſpelianum, radice nititur bulboſa, minore quàm Scillæ vulgaris ruffę, Lobelio Obſeruat. cum maxima eſt, quanta maximi Lilii aut Arancii vel Limonii, oblonga, fibris donata, cortice Cepæ obtecta pullo, intus candido, tunicis veſtita Cepaceis, pellucidis, leuiter ſtriatis, aliquot detractis candidiſſimis, etiã in meditullio ſatis craſſis, minùs tamen quàm Scillæ dictæ, albis, viſcidis, amaris ſine acrimonia: *folia* ſeptena vel octona, porraceis ſimilia, cubitalia, pollicem circiter lata, coloris glauci, in obtuſum mucronem deſinentia:. Inter hæc *caulis* attollitur, parum foliis longior, craſſitie Aſphodeli, tenerior, nudus, enodis, qui è faſtigii folliculo membraneo *flores* ternos, quaternóue ac etiam plures profert, magnos, foliorum ferè forma, vncias tres vel quatuor longos, albos, apicibus luteis ſtipatos, quibus ſuccedunt pericarpia aliquot maxima, plena *ſemine* nigro, magno, lato, compreſſo: cui cum Ariſtolochiæ Clematidis vulgaris ſemine aliquid ſimile.

Monſpelii olim vocabant Pancratium, & bulbum marinum: Lugdunenſes & Geneuenſes Pharmacop. plures vocabant bulbos hos *Scillas*, & pro eis vſurpabant: neſcimus quâ ignorantià & negligentia aut auaritia; cùm poſſent veras habere Scillas, tum albas, tum ruffas. Scillæ à Dioſc. & Theophraſt. deſcriptæ non reſpondent, nec florendi modo, nec acrimonia: Cum Pancratio etiam non conueniunt, nec foliis, quæ non ſunt Lilii, nec colore, nec acrimonia, ſiue feruore.

Sunt qui ſuſpicantur Scillam eſſe Epimenidiã Theophraſt. & Plin. Geſnerus putabat Scillam albam, Anguill. eſſe Epimenidiam, de ea autem c. de Scilla.

Quandoquidem autem Cluſius deſcribit plantam noſtrã prout obſeruauit in Hiſp. colore à noſtro variante, lubet eius deſcriptionem hic ſubiicere. Hæmerocallidi Valentinæ quæ inter Narciſſi genera referenda, quina aut ſena ſunt folia,

*Hemerocallis Valent. Cluſii Narciſſi genus.*



oblonga, lata, Narciſſinis ſimilia, ſed planiora, firmioráq; ſubcineracei quodammodò coloris: caulis inter ea aſſurgit, in cubitali interdum altitudine, & Leucoii bulboſi 4. (Leucoii bulboſi ſerotini maioris 1.) craſſitudine, firmior, nudus & ſine foliis, qui cacumine promit membranaceum inuolucrum, & eo dehiſcente quinos aut ſenos, interdum plures, flores Pſeudonarciſſo vulgari ſimiles, Lilii odorem ſpirantes, albos omninò: præter externorum ſex foliorum neruum & extremos mucrones, qui viridi colore nonnihil aſperſi conſpiciuntur: è medio oblongo protuberante calyce per oras laciniato exeunt candida ſex oblonga ſtamina, ſuis apicibus flauis ornato, & medio longo ſtilo, vt Lilio albo ferè: marcidis & defluentibus floribus ſubſunt triangularia capita in craſſitudinem ſucceſſu temporis extuberantia, quibus ſemen cõtinetur nigrum, magnum, compreſſum, fungoſum: radix bulbacea, magna, alba, oblongior, lento humore plena, nigricante cortice obducta, quæ interdum adnatis Narciſſorum modo ſe propagat. Caulis etiam & folia conciſa, aut infracta, lentum humorem exſtillant.

Bulbus littoralis Theophraſt. quod Monſpelii Pancratium interpretantur, Et Pharmacop. vulgò pro Scilla minore habent, alii Hemerocallidem eſſe putarunt, decepti, teſtimonio Geſn. de hort. nomencl. Lilii marini, quæ apud Dioſc. Hermocallidi attribuitur. An eidem Pancratium quod aliqui pro Scilla ſubſtituunt? An apud eũdem Pancratium verum Woiſelli & Scilla minor.

*Bulbus littoralis. Hemorcallis non eſt.*

*Scilla minor.*

Hemerocallis Hiſpanica, meo tempore [inquit Cluſ. Hiſp.] Rondel. Scilla vocabatur, & ex ea trochiſcos, qui theriacã ingrediũtur, Mõpelianī pharmac. parabãt. Poſtea Pancratium flore Lilii vocari cœpit. Quæ in Valentino littore naſcitur Ioh. Placæ Hemerocallis nuncupabatur, qui ſubluteos & palleſcentes flores ferre aſſeuerabat: Hiſpani *Amores mios* vocant. Itali quidam *Gliglio marino*, cæpit etiam Conſtantinopoli adferri, *Con Zambac* nomine, inter varii generis Narciſſos. Idem ſequenti capite ait: Hemerocallis Valentinorum Scilla Epimenidia eſſe non poteſt, vt quidam volunt, quandoquidem eius Epimenidia cibis grata ſit: Valentina verò He-

*Scilla Rondel.*

*Pancratiũ flore Lilii. Hemerocallis flore ſubluteo.*

*Con zambac. Non Scilla Epimenidia.*

merocallis,ſiue Pancratium flore Lilii Mompelianum, præſens ſit venenum. Et hiſt.poſt.Itali quidam *giglio marino* apud quos rubro aut purpureo flore inueniri, præſertim Oſtienſi portu ipſi aliquando relatum eſt: ipſi certè alterius coloris flores videre non contigit quàm albi, quandoquidem non niſi in maris littore ſponte naſcitur, Narciſſum marinum, commodè appellari poſſe arbitratur.

*Venenum.* *Rubro & purpureo flore.* *Narciſſus marinus*

Pancratium Dalech. quod Hiſt.Lugd. curauit depingendum & deſcripſit: foliis eſt κρίνου. (Lilii albi, vt Plinius vertit) longioribus & craſſioribus, caule pedali & nonnunquam proceriore, anguloſo, ſummo faſtigio in quinque foliola candicantia, virgata, acuminata, ſeſe explicante, è quorum medio anguloſæ, breues, & veluti compreſſæ ſiliquæ pediculis ſubnixæ, ex quorum vertice flos albus emicat, oblongus, infernè arctus, supernè latus ambitu ſupremo, in radios velut cuſpidatim diuiſo, pallidis apicibus multis, ſtaminibuſq; intus extantibus: flore delapſo ſemē in ſiliquis adoleſcit & matureſcens grandeſcit: floret menſe Iunio. Ex his perſpicuū eſt Pancratiū Scillā nō eſſe, ſed ſpeciē, flore potiſſimū ab ea diſtantem: Pancratiū iſtud Monſpeſ. Cluſius Hemerocallidem Valentinam vocat. Negligenter ſanè Dalech. icon & deſcriptio facta ad plantam ſiccam, ideoque minùs placent: nec ea planta folia habet Lilii albi.

*Non Pancratium Hiſt. Lugd. notatur.*

Bulbum (inquit Dodon. in fol.] ad Pſeudonarciſſi genus pertinere apparentem, placet aliis eſſe Pancratium, & quidem marinum. Pancratii autem bulbus vt Dioſcor. refert, ὑπόπυῤῥος ἢ ὑποπόρφυρος, id eſt, ſubbruffus aut ſubpurpureus eſt: iſtius verò albidus.

*Pſeudonarciſſus.* *Non Pancratium:*

Matth. quantùm ex icone colligere licet inter Narciſſos numerat & Conſtantinopolitanum cognominat, & præſtat inter Narciſſos retineri, & marinum dici, quàm vel Scillam vel Pancratium temerè affirmare. Aſt nos Narciſſum Matth. ad aliam plantam referimus de qua mox. Narciſſum hunc marinum teſte Cæſalp. quidam Hemerocallen putant, quia id Lilium marinum à Dioſc. vocetur, ſiue Elium vt Theodorus vocat in Theophraſt. alia tamen oſtendit pro legitima Homerocalli.

*Hemerecallis.*

Ad cunctos morbidos affectus, [vt Lobel. & Penæ Adu. tradunt profligandos promittit auxilium, bene ominata nomenclatura Pancratii quæ tamen Scillæ ſpecies, maritimuſque bulbus eſt. Radices omnes Pancratio (Narbonenſi) albæ non rubræ, quod accidit regionis ſitu, & ſuperûm aſpectu. Lob. Obſ. Iconem Cluſii habet, ac dicit, Pancratii marini è floris colore varietas: Adu.p.57. Hemerocallis Valentina Cluſii. Narciſſus Conſtantinop. Matth. non deſcriptus. Ital. *giglio marino.* Hiſp. *Amor mios* & *Squillamenor.* Prorſum Pancratio Monſpelienſi idem; ſed huic flores luteolos Hiſpanica littora dant: qui etiam interdum purpurei, & quandoque punicantes produntur. *Azuſenas de las Indias* Pancratio Monſpeliaco ſimilis eſt ſemine & bulbo: Num eadem ſit aſſerere non auſim, vt cuius flores nondum apparuerint in hortis penſilibus Io. Mutoni Neruienſis pharmacop. exit folio Narciſſi. Icon pl.p.168. Pancratium marinum, Hemerocallis Valentina Cluſii. Item 169. Pancratium floribus rubris, cuius icon eſt apud Cluſium pro Hemerocallide Valentina.

*Flores luteoli & purpurei.* *Narciſſi folio.*

Bellon. dicit Bulbum littoralem Theophr. eſſe Pharmacopolarum Gallorum Squillam aut Scillam; Verùm an de hac loquatur neſcio, cùm aliter exiſtimet Dodon. Videant Lectores.

*Bulbus littoralis.*

C.Bauh. phyt. *Scilla* 3. *minor*, Narciſſus Conſtant. vel 3. Matth. ἡμεροκαλλὶς Theophr. 6. hiſt. c.1. Vbi Elium vertit Gaza & Lilium marinum. Variat floris colore, apud Monſp. flore eſt albo, & aliàs ſubluteo, & palleſcente: apud Italos rubro & purpureo, quandoque punicante. Quare Tabern. huius tres figuras proponit. Idem apud Matth. Narciſſus 3. Conſtantinop. Matthiolo in maioribus figuris, Tabern. Narciſſus 8. Matth. in compend. exprimit Scillam minorem, quam vocat Narciſſum marinum Dodon. fol. Cæſalp. Hemerocallis. Geſner. hort. Hemerocallis Valentina. Cluſ. hiſt. hiſp. Lob. Cam. Pancratium verum Geſner. hort. Pancratium Cordi in Dioſc. Nobis autem videtur vt poſtea dicemus, Narciſſum Matth. potiùs reſpondere Lilionarciſſo Hemerocalli facie Cluſii: nec placet C.Bauh. opinio, dum dicit eſſe Hemerocallen Theophr. cui ſuffrutex eſt, qui non numeratur inter plantarum bulbos. Nec etiam eſt Hemerocallis Dioſcor. quia non habet folia & caulem Lilii. Cæſalp. non recipit pro Hemerocalle Theophr. Geſn. eam opinionem refutat, dicit prætereà Pancratium quomodo aſſeri poſſit non videmus. In Epit. Matth. quam habemus impreſſam 1571. pro Narciſſo 8. nihil eſt ſimile cum Valentina Cluſii, ſed quædam icon, quæ potiùs Tulipam malè effictam demonſtrare videtur.

Plurimùm toto littore illo ab aquis Marianis ad vſque Norbonæ vrbis maritima ſæpiùs viderunt & eructunt, ſabulo arido, vndis alluto, merſum ſeſquipalmum altè. In maritimis circa Valentiam Hiſpaniæ frequens, vt toto illo maritimo tractu infra Mompelium, vbi Maio menſe florentem, Iulioque & Auguſto ſemen maturum ferentem, magna difficultate eruebat Cluſius, tam altè arena maris fluctibus aggeſta merſa erat. Allata eſt etiam Viennam aliquoties dum iſtic viuebat, Conſtantinopoli, addita inſcriptione, Albos ac odoratos flores proferre, medio inter Auguſtum & Septembrem tempore: & certè bis florem dederunt, recens allati bulbi Gen. viro Volfg. Chriſt. ab Enſeſtorff Auſtr. ſed illæ ipſæ plantę, nullum poſtea florem ampliùs tulerunt, quemadmodum nec eæ omnes, quas è Gallia, Hiſpania, & Italia, ſæpiùs in Belgium delatas, vel ſemine natas aliquot annis aluit. Itaque hanc plantam, vt & alias quaſdam, in illarum claſſem reiicit, quæ mutato natali ſolo nunquam, aut rariſſimè florere ſolent, cùm videlicet concepto iam in ipſo bulbo, flore eruuntur, & transferuntur. Cæterùm ex ſemine nobis creuit, verùm nullos flores produxit. Monſpelii quoque ad maris ripam abundare obſeruauimus, & quidem florentem Autumno, vbi Pancratium & bulbos hos Scillam vocabant.

Littoris incolæ piſcatores & prædones, raptu interdum victantes, rati hanc eſſe Cæpe, vorantes ex ſale & pane, quamuis famelici, tamen [teſte Lobelio] nauſeabant. Facultate igitur Pſeudonarciſſo luteo [Bulbocodio] aſſimilis Dodon. videtur: nam & guſtatus tantummodò bulbus nauſeam excitat, vt iam Lobel. auctor fuit. Magis venenatam qualitatem eis Cl. vir Rondel. attribuit, qui referre ſolebat exemplum de duobus piſcatoribus, quorum alter cultrum, Hemerocallidis conciſę ſucco intinctum, ſodali quem oderat, cibo ſumpturo appoſuit, ille bonæ fidei, nec inſidias metuens, carnes propoſitas ſecat,

ſecat, iiſque veſcitur, abſtinente alio, qui ſe fame premi negabat, poſt paucos dies, miſerè ſublatus fuit: arguit hoc vnicum Plinii teſtimonium Hemerocallidem Valentinam Epimenidiam Scillam eſſe non poſſe, quia edulis ſit.

## PANCRATII MONSPELIANI VEL Hemerocallidis Valentinæ facie Lilionarciſſus, vel Narciſſus 3. Matthioli.



LIlionarciſſus Hemerocallidis facie (inquit Cluſius hiſt. poſt.) quanquã cum Hemerocallide Valentina, magnam affinitatem habeat, eodem tamen cap. nõ complectendam, ſed peculiare illi tribuendum, duximus: notas enim quaſdã habet ab Hemerocallide alienas.

Semine ex Italia miſſo nata eſt Io. Bidaut, Canonico Inſulano. Iacob. Plateau ſcribebat ſimilẽ plantam ipſi natam ſemine Florentia miſſo Martagonis rariſſ. appellatione. Eius *bulbus* Muſcari craſſitudinem æquat, vel etiam ſuperat, paulóque longior eſt, multis inuolutus tunicis, quarum extima fuſca, ſequens ſubruffa, tertia candidior: Eius *radices* ſeu fibræ, graciliores & frequentiores, quàm in Muſcari: ſub Aprilis demum finem (nullos bulbos memini adeò tardè emergentes) ſena aut plura producit *folia*, duplò ferè latiora quàm muſcari, ſed illis breuiora, & ſub extremum Auguſtum marceſcentia, ſimili planè ratione, quàm Hemerocallis Valentina, cuius folia Auguſto emergunt, deinde tota viridia hyeme permanent. Ex eodem bulbo bini interdum prodeunt *caules* ferentes ſinguli, circiter Iunium menſem, folliculo incluſos ſex aut 8. flores, paruo Lilio non diſſimiles, mediũ occupante paruo *calyce* albo, in multas lacinias per oras ſecto, odorato, in quo ſex alba ſtamina, flauis *apicibus* prædita, & medius ſtilus albus: *ſemen* in thecis nigrum, minus, & magis rotundum Hemerocallidis ſemine. Iacobus Plateau Lilium Narciſſum Orientalem appellaret, ſed meo iudicio permittit. Illius porrò iconem ex ea quam ipſe Plateau mittebat expreſſam hîc ſubiecimus. De hoc ſcripſit etiam Exot. part. 2. append. 2. his verbis, Narciſſus montanus ſiue marinus alter, qui Matthiol. 3. An Orientalis dici queat valdè dubito, tametſi fieri poſſit, vt in Oriente etiam naſcatur: quotquot tamen illius bulbi in hanc regionem vel etiam in Galliam perlati, non ex Oriente aduecti, ſed in Europa ſpontè naſcentes reperti fuerunt. Nam ante biennium plurimos eius bulbos ex Illyrico adferebat Ioh. van Ophem Bruxellenſis, quos ipſemet eruerat. Hoc verò anno 1603. ſcribebat ad me Bononia Frater Greg. de Reggio. Ordinis Capucinorum ſeſe ab eodem van Ophem literas accepiſſe Florentiæ exaratas, quibus ſignificabat Corſicam & Sardiniam inſulas ſe perluſtraſſe, atque elegantiſſimas plantas reperiſſe, inter quas hunc Narciſſum in altiſſimis Sardiniæ montibus naſcentem, ac in vno eodémque caule quinque & triginta flores gerentem. Dictamnũ præterea Creticum odoratiſſimum, minoribus & candidioribus foliis præditum, & multa elegãtiſſima Crocigenera, & illa quidem locis etiam maritimis: quâ ſanè ratione hic Narciſſus vel montanus, vel marinus nuncupari poſſet.

Matthiol. Lat. cũ magn. fig. & in It. iconem ſine vlla deſcriptione & annotatione à quo acceperit iconem habet tertio loco ſub titulo Narciſſi Conſtantinopolitani, qui nobis videtur meliùs quadrare cum Lilionarciſſo Cluſii modò dicto quàm cum Pancratio Monſpeſſulano.

An 1608. Stutgardiæ vidimus in horto Ill. noſtri Principis ducis Wirtemb. bulboſam plantam quam Narciſſum Matthioli tertium vocant, qui ab annis plurimis eſt in horto peregrinarum herbarum, qui hyeme tegitur & cum hypocauſtis caleſit: *Ficum diuum* vocant: menſe Iulio folia magna ei erant multò latiora quàm in Pancratio Monſpeliano, magis ad Scillæ folia accedentia, colore etiam non glauceſcente, aderant etiam in ſummitate caulis capita plura ſemen continentia nondum maturum. Hanc eandem plantam eodem nomine donatam per Hortulanum vidi Caroloburgi in Il. March. Georgii Friderici Badenſis horto abundanti plurimis plantis.

Hiſt. Lugd. *Narciſſus 3. Conſtantinop. Matthiol.* Scillarum aut bulborũ littoralium ſpecies videtur qualis in Gallia Narbonenſi. Tabern. icon. *Narciſſus Conſtantinopolitanus*, Narciſſen röſlein von Conſtantinopel.

Caſp. Bauhin. ex Tabern. poſuit in ſuo aucto Matth. iconem pro 3. Narciſſo Conſtantinopolitano, idem exiſtimans, cum Lobelii Pancratio. Nos non poſſumus C. Bauh. aſſentiri ſecurè aſſerenti in ſuis Animad. in h. Lug. Narciſſum Conſt. Matth. eſſe Pancratium Dalechampii. *C. B. not.*

## PANCRATIVM INDICVM AVT NARciſſus Cluſii Indicus maximus autumnalis quorundam, non amarus, albus.



R*Adice* eſt [inquit Lob. Adu. par. 2.] ſpithamum longâ, brachialis craſſitudinis, multis Cepaceis ſubalbidis tunicis ſquamoſa, extimiſque cuticulis ex ruffo ſubfuſcis, aut Caſtaneæ diluti coloris: ſeſſili parte maiore mediocrem pugnum æquãte: numeroſis carnoſis habitioribus

*floris*, Pancratii aut Scillæ inſtar, quaſi trunco aut nodo collectis & appenſis fultâ. Opinabatur Lob. Pancratii aut Scillæ ſpeciem, ſed neutiquá, ſapor amarus reſtagatur. Septembri & Octobri octonis aut denis ſtellatis floribus Colchici albi Anglici paribus, ſed longioribus, ſubluteis, ex albo luridis, ſenis, longioribus, ſtaminibus albis præditis, latioribus è membraneis tunicis, Moly Dioſcorid. modo pendulis, breuioribus, ſine *caule* penuria fortè alimenti inhærentibus. Inter plures vnicus *bulbus* ipſi floruit: ſed quia diu naui terrâ deſtituti, foliis vidui erant: tamen rudimenta conſpicua in minore bulbo retuſa apparuerunt, Pancratii Monſpeliaci ſimilia, duas vncias lata, breuiora tamen, fortè nondum prorſus enata aut perfectam longitudinem aſſecuta. Omnes hi bulbi hyemis ſæuioris iniuriâ Anno ſalutis 1600. Londini, Antuerpiæ & alibi amicis communicati periere, quos ipſi dederat amicus ſingularis D. Ioannes Loeus Germanus apud Londinenſes Chirurgus egregius, à naucleris reducibus ex Alta Hiſpaniola Occiduæ Indiæ Teborum *Capo* ſiue portu vocata.

## PANCRATIVM ALTERVM Vernum Indicum.

Deſcriptio. PAncratium Indicum alterum Vernum, ſiue Narciſſus Indicus alter, facie Pancratii Monſpeliaci. Lilio narciſſus Hemerocallidis facie Cluſii aut congener. Narciſſis aſſocianda hæc Pancratii Monſpeliaci facie bulbacea Indica planta, cuius bulbo me (inquit Lobel. Adu. part. 2.) donauit C.V.D. Ioh. Huſſenius Conſil. Ord. & Societatis Præfectorum rei maritimæ Zelandiæ Belgarum, in cuius horto quotannis floruit & floret, è duplici *caule* dodrantali & pedali, quatuordecim *floribus* liliaceis, candidis vno ab eodem, vti prædicti Pancratii, exortu prodeuntibus quatuordecim: altero verò duodecim, ſenis foliolis longis albis conflatis, internè tantillùm ſubflauentibus & calyce medio laciniatis, totidemque ſtaminibus longis, medioque ſtilo præditis. Mihi hoc Londini in horto Nobiliſſ. Baronis Ed. Zouche & D. Iacobo Gareto Myropolæ, rei herbariæ ſtudioſiſſimo, ſenos aut ſeptenos tantùm laxauit, cui caulis ex bulbi latere prodiit. *Foliorum* & *bulbi* fuſci ſimilitudo & patilitas, quodammodo Pancratii Monſpeliaci. Annis elapſis floris fuſci Caryophyllo aromatico concoloris varium alebat Medio-caſtri Zelandorum in horto Michaelis de Lannoy affinis meus. Varias aliorum colorum



differentias reperiri audio.

## SCILLA VETERIBVS.

INter eas radices, [authore Theophraſto] quæ tunicas multiplices corticoſaſque habent, Bulbi, atque etiam Cæpe, à Theoph. l.1.c.10. & Scillæ, hiſque ſimiles reponuntur. Semper enim his aliquid circa eximi poteſt: quæ quidem omnia, duplex quodammodo genus radicis habere, videntur. Nonnullis hoc idem de omnibus capitatis & inferiore capitis parte radices mittentibus placet: Edules autem ſunt non ſolùm Bulbi, & his ſimilia, ſed etiam radix Scillæ (τῆς σκίλλης) non tamen omnis quidem, ſed vocatæ ἐπιμενίδιος, quæ ab vſu nomen accepit: hæc anguſtiore eſt folio & leuiore quàm cæteræ. Floret per partes, vt Aſphodelus. Incipit primò ab inferioribus. Omnia igitur capitata (κεφαλόρριζα) radice, viuacia maiorem in modum ſunt [φιλόζωα,] maximè verò Scilla: vt pote quæ ſuſpenſa viuere poſſit, & quidem plurimùm temporis permaneat. Poteſt autem repoſita ſeruari, vt Malum granatum detracto pediculo. Traditur & ante portas ſata remedio eſſe contra veneficiorum noxam. Omnia hæc conſertim creſcunt. Admirandum inter omnia quod in Scylla & Narciſſo euenit. Cæterorum enim tam recens ſatorum quàm regerminantium, ſuo tẽpore ſolium primò oritur: deinde poſteriùs caulis. In his autem caulis primò. Florum autem prouentus ternos oſtendit (ποιεῖται δὲ τὰς ἀνθήσεις τρεῖς) quorum primus, tempus arandi primum oſtendere videtur. Secundus medium, tertius poſtremum. Quot enim fuerint iſti, totidem & arandi tempora ferè occurrunt. Sed cùm ita ſenuerit, tum foliorum exortus, multis poſtea diebus ineptit &c. Cæterò Ficus ſi in Scylla (Σχῖνος voce vtitur Theophraſtus quæ nunc Lentiſcum nunc Scillam ſignificat: malè autem Gaza hoc in loco Lentiſcum vertit, vt annotat Geſnerus.) plantetur, ocyùs creſcit, minuſque à vermibus infeſtatur. Summatim, omne quod in Scylla plantatur, meliùs germinat & nutritur celeriuſque augeſcit. Habet enim quandam caliditatem & humiditatem, & ſit velut inſitio quædam.

De Scilla & Pancratio hæc doctiſſimè ſcribit vir ſumma doctrina præditus Dalech. Pancratium, inquit, quod & aliqui Scillam vocant, vt Plinius legiſſe videtur & rectiùs, quod non ſimpliciter Scillam vocant, verùm σκίλλαν μικρὰν Scillam puſillam, naſcitur vbiuis in litore maris, radice bulbi magni amplitudine, cortice ſubruffo veſtita, infimè capillata, Cepæ modo: foliis λευκοῖου ſiue Lilii albi, vt Plinius vertit, longioribus, &, quod præter Dioſcoridis literam Plinius addit, craſſioribus: caule pedali, & nonnumquam proceriore, anguloſo: ſummo faſtigio in quinque ſoliola candicantia, virgata, acuminata, ſe explicante, è quorum medio, anguloſæ, breues & veluti compreſſæ eriguntur ſiliquæ, pediculis ſubnixæ, floret Iunio. Ex illarum vertice flos albus emicat, oblongus, infernè arctus, ſupernè latus, ambitu ſupremo in radios velut cuſpidatim diuiſo: pallidis apicibus multis ſtaminibuſque intus extantibus. Flore delapſo in ſiliquis ſemen adoleſcit, & matureſcens grandeſcit. At quoniam affinis eſt Scyllis Pancratii natura, Scyllamque Plinius c.17. lib.21. ter florere ſcripſit: Theophr. uerò c.21. lib.7. hiſtor. ἐκ τρὶς ἀνθεῖν, vt Plinius: ſed

ſed ποιεῖσθαι τρεῖς ἀνθήσεις, præter rem non fuerit lectorem obiter admonere falli multos, qui ex his Plinii Theophraſtíque locis, tribus annis diuerſis temporibus, exempli gratia, Autumno, Vere, Aeſtate, Scyllas florem edere putant. Id porrò quomodo fiat vt cognoſcamus, habendum ſic eſt, inter bulboſas omnes plantas Scyllam & Aſphodelum quàm diutiſſimè florere, ob alimenti copiam & vbertatem, quod Theoph. cenſet c. 11. lib. 4. cauſſ. & κατὰ μέρος ἄνθησιν ποιεῖν non ἄνυσιν, vt in exemplaribus noſtris legitur, particulatim florere, & ab ima parte caulis primùm incipere: Auguſti ergo principio Scyllæ caulem aſſurgere, quod pluries obſeruaui, cubitalem, aut etiam proceriorem, denſiſſimo florum ſtipatu conceptum: imos flores primos produci, ac interim dū aperti vigent, medios turgeſcere, ſupremos gliſcere tantummodò, quę πρώτη ἄνθησις ἐστὶ, primus ad floreſcendum conatus. Exactis aliquot diebus flores qui primi recluſi fuerant, labi, mediósque ſeſe promere, ſupremis tantùm intumeſcentibus, quæ eſt ſecunda ἄνθησις: poſtremò defluentibus mediis, ſupremos ſe explicare: quæ ἄνθησις tertia eſt: hoc floreſcendi ter repetito impetu, terram quoque ter ſubigi oportere denuntiari, priuſquàm fruges ferantur. Flaccido verò & contorto caule folia naſci circa Ianuarii vel finem, vel medium, quæ æſtatis pòſt ſqualloribus exareſcant. De Lentiſco Virg. prodidit poſt Aratum quod de Scylla Theoph. his verſibus:

> *Iam verò ſemper viridis, ſempérque granata*
> *Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fœtu:*
> *Ter fruges fundens tria tempora monſtrat arandi.*

Quomodo autem Theophr. & Plinii corrupti de de Scilla loci reſtituendi ſint docet Idem Dalechampius.

Hac de re hæc Robertus Conſtantinus in ſuo Lexico: Σχῖνος inquit, (vt ſcribendum diſtinctionis cauſa,) vel σχῖνος etiam, eſt herba bulbôſa, Scilla ſiue Squilla Varroni, ἡ σκίλλα, vel eius bulbus, aut Scillæ ſpecies minor, τὸ παγκράτιον etiam à Dioſc. Σχῖνον exponit Gal. in gloſſis Hippocratis οὐ μόνον τὸ θαμνῶδες φυτὸν, ἀλλὰ καὶ εἶδος τι σκίλλης, εἰ μὴ ἄρα καὶ πᾶσις σκίλλης τὸ βολβόν. Plutarchus etiam in Pericle, ipſum ait, ob capitis inſtar Scillæ immenſi & oblongi formam, σχινοκέφαλον appellatum eſſe, quaſi dicas Scillæ capitonem: Lib. 11. cap. 12. περὶ τῆς σκύλλης loquens Theophraſt. ποιεῖται, inquit, δὲ τὰς ἀνθήσεις τρεῖς, ὧν ἡ μὲν πρώτη δοκεῖ σημαίνειν τὸν πρῶτον ἄροτον, ἡ δὲ δευτέρα, τὸν μέσον, ἡ δὲ τρίτη τὸν ἔσχατον &c. Ex quibus Plinius lib. 12. cap 17. de Scilla dixit. Eadem ter floret, tria tempora ſationum oſtendens &c. Quod autem ipſa floreat ter, id intellige de floris triplici nixu: floret enim particulatim, id eſt μερικῶς ſiue κατὰ μέρος: vt idem Philoſophus dixit: In Scilla quod intus tenerum ac molle quaſique adeps, πρικάρδιον σκίλλης dicitur, καὶ στέαρ, καὶ σκίλλης μέσον. Varro Scillæ medium vocat. In eodem ſignificatu μέζον in Lactuca vſurpauit Plutarch. 4. Sympoſ. *Hæc Conſtant.* qui pluribus rem proſequitur vt apud ipſum videre eſt.

De Scillæ æquiuocationibus & ſubſtitutis ſciēdum: Quod Scillam rubram vulgarem, quam quidam nolunt Scillam eſſe, ſed Pancratium, quidam pro ſubſtituto recipiunt. Quod inſuper in dubium vocetur an fortè Scilla alba ſit eadem cum rubra, differens colore tantùm, an aliis foliorum figura etiam differens. Quod autore Cluſio dicatur Ornithogalum maius quod quidā Scillam Epimenidiam vocant. Quod, Plinio teſte, cùm Epimenidia Scilla edulis ſit, Hemerocallis Valentina illa eſſe non poſſit, certiſſimo argumēto eſt exemplum de duobus piſcatoribus Rondeletii. Quod tandem pro Scilla, authore Anguillara, varii bulbi ſupponuntur.

## SCILLA RVFFA MAGNA VVLGARIS.

BVlbum habet Scilla magnum Pomo Adami, vel Citrio maiori ſæpè parem, multis craſſis *fibris* donatum, è laminis tuniceis, rubentibus, viſcidis contextum, ſub bulbo multa fibra, è quo *folia* emergunt, impenſè virentia, cubitum longa, palmum ferè lata, ſucculenta, craſſiuſcula cū multa viſciditate amara: inter quæ ſurgit *caulis* Aſphodeli *floribus* inſignis, ſerie longa diſpoſitis, & ſucceſſiuè ſeſe aperientibus, candidis, Ornithogali ſpicati flores æmulantibus: Fuchſ. caulis vt in croco priùs prolilit, tum ex eo flos in luteo candidus, qui cùm ſenuerit folia demum multis pòſt diebus emicant lata, nullo nixa pediculo, cepitia quadam ſpecie, & pleráque ex iis in terram deflexa: Matthiolo amara eſt Scilla & acris, folia Lilii qualia. *Deſcriptio.*



Dodon. Gall. Hodierno tempore duæ reperiūtur Squillæ, vna foliis anguſtis, quæ vera Scilla, altera latis, quâ vulgò vtuntur pro Scilla. Primæ & veræ Scillæ bulbi ſunt valdè magni & craſſi, candidiores bulbis Scillæ vulgaris. Folia longa & anguſta ſunt, colore cineritio, vulgari Squillæ ſunt etiam magni & craſſi bulbi colore magis ruffo, cortices ſpiſſiores quàm in priore, folia magna & lata, Liliorum foliis ſimilia. Flores parui & lutei, ſecundum ſummitatem caulis, ſuccedit deinde ſemen. Squilla defertur ex Hiſpania ad vſum medicum, quidam plantant in hortis (Belgicis.) Prima ſpecies Cæpæ genus peregrinum dicitur. Serap. Cæpe muris. Secunda ſpecies poſtill. vſurpatur in Offic. pro Squilla, quamuis non ſit vera: ſed Græcorum Pancratium, cui pares vires quæ Scillæ, vnde ſine errore poteſt ſumi pro Scilla. Bellonio exiſtimatur Bulbus littoralis Theophraſt. cum quo magna ſimilitudo. Pancratium Dioſcor. & bulbus Theophraſt. vna & eadem planta videntur. Scilla calida ſecundo gradu & ſicca tertio.

*Scilla duæ.* *Scilla cādidior.* *Scilla vulgaris.* Locus. *Cepe muris.* *Squilla offic. eſt Pancratium.* *Bulbus littoralis Theophr.* Temperā.

Dodon. eandem iconem quam nos ex Fuchſio habet, titulo Scillæ communis & Pancratii: is in poſtrema hiſtoria icones duas, quales Cluſius habet, proponit: Nobis autem videtur Dodonæus ſuas deſcriptiones non ad plantas feciſſe ſibi obiectas, ſed ex Antiquis & Neotoricis compoſuiſſe: conſiderent igitur lectores Dodon: duas deſcriptiones & quæ paulò pòſt dicentur. *Icon Dodon.*

*Cur Cepa marina dicta.*

Cepaceo generi [ vt rectè notanr Lob.&Pena in Aduerſ.) rantoperè eſt compar Scilla: vt multi eam *Marinam Cæpam* vocent. Quia autem inter hanc & marinum reſtaceum piſcem à runicea ſquammarum compactili ſerie Squillam vocatum, tanra ſimilirudo interceſſit, hæc putatur ſic dicta. Potuir etiã à ſabuletis maritimis Sole torridis, cuiuſmodi ſunt in Hiſpania & propè aridæ Luſitaniæ teſqua maritima. Huius duas differentias colore dumtaxat inter Hiſpanicas tam multas animaduertere eſt, quarum exrimæ tunicæ vni rubent, vt Cæpis oblongis, alteri albent, magnitudine pares. Vtrauis maxima Pomũ Aſſyrium nnn ſuperar: è tam multis antẽ millib⁹, quæ quorannis tum Venerias tũ Antuerpiã deuehuntur, nullam meminimus maiorem, eà quæ ſata & perbellè adulta fuit Monſpelii in horto Iacob. Farges Pharmacopæi. Vniuerſa namque folii carina, vel dorſum, palmum fermè lata, pedem alta, craſſitudo minor quàm Aloes, crebra è bulbo pullulant ſquammatim compacta, caulis ſeſquicubitalis, gracilis, floſculos Fragariæ gerit ſimiles ſed minores, in ſpicam poſtremò deficiens.

*Matth reprehenditur.*

Neutiquam mirum Matthiolum, poſt alios Neotericos nuperos, ſententiam de Scilla mutaſſe, cùm neutiquam viſam ſibi genuinam ſed tantùm verbis depictam, fateatur. Quin etiam ſi verum Pancratium vidiſſet, numquam pro illo ſpeciem Scillæ, ſubdidiſſet. Et foliorum gracilitas, à qua ſe deceptum conqueritur, ſanè non aliam ſpeciem conſtituit Scillæ: ſed rantùm contingit habitiora & maiora adoleſcere folia, mutatione cœli, ſoli & cultu.

Lobel. Obſ.& Ic.pl. Scillæ rubentibus radicis tunicis, folio Aloes carinato. Figuram habet ex ex Cluſio, ac dicit Pancratium verum Cluſii.

*Pancratiũ.*

Cluſ. in poſt. hiſt. de hac Scilla ſcribit. Pancratio [ Hiſp. dicto eodem nomine quo Scilla, *Cebolla*] amplitudo maior eſt [quàm Scillæ,] extimæ tunicæ rubent, foliaque ampliora, longiora, magis carinata & quodammodò ſurrecta. Abundè creſcit in Hiſpaniæ mediterraneis: bulbos erui, florentem autem aut ſemen ferentem nunquam conſpexi. Fabiano autem Itgas vt ad me ſcribat in penſilibus hortis non modò caulem protulit, ſed etiam plurimos flores ſpicæ inſtar in eo naſcentes, ſex foliis naſcentes Scillæ ( quantùm ex pictura, quam epiſtolæ coniunxerar colligere licebar ) florum æmulos. Παγκράτιον ἢ Σκίλλα Græcis, Pancratium Latinis dicitur. Hiſpanici eodem quo Scillam [albam] nomine donant, *Cebolla albarrana*.

*Scilla Offic. & vera.*

Scilla, inquit Matthiolus, quam vulgus officinarum Squillam vocitar omnibus vulgaris notitiæ eſt atque vtiliſſima, medicamentis expetita, vtpote ſine qua legitima Theriaca confici non poſſit.

*Scilla puſilla.*

Pancratium, quòd aliquibus puſilla Scilla vocatur, quoniam hodie in medicamentorum vſum non recipitur, ideò Medicis & Seplaſiariis neglectum eſt.

*Locus.*

Vnde etiam pauci fortaſſis ſunt qui vel ipſum nouerint vel animaduerterint: cùm ramen variis in Italia locis gignarur, præſertim in Apuleia, vbi magnus eſt Scillarum prouentus. Verùm etſi id in officinis non habetur, nihil ramen iacturæ in medicina fieri puto, quòd eius vicem maior Scilla valentiùs etiam præſtet.

*Scilla duo genera. Ruellius notatur. Matthiolus repreh.*

Scillæ duo notantur genera, vnum album alterum verò nigrum. Hinc nonnulli vt Ruellius inquit, album mas, nigrum autem fœminam faciunt: quanquam magis rationi conſentaneum videatur vt contrarium exiſtimari & eſſe debeat. Matthiolum decebat demonſtrare qua in re differat Pancratium Italicum à Scyllà: ille in poſtremis com. non ampliùs eius meminit nec locorum vbi prouenit Scilla Officinarum: quare id fecerit ignoramus fortè quia de re non perſpecta ſcripſerat? cenſuram etiam in Ruellium omiſit, & meritò, niſi Plinium etiam velit taxare ex quo Ruellius aſſumpſit.

*Non Arab.*

Quandoquidem autem Matthiolus in poſtr. comment. nullam facit mentionem Scillæ albæ, veriſimile nunquam ab eo viſam, nec etiam flores Scillæ vulgatis quos pinxit cum quatuor foliolis. Scillam porrò vocari tradit in Epit. ab Arab. *Haſpel*, *Hanſel*, *Aſchil* ſiue *Alachis*.

*Flore nesce*

Bulbo niti ingenti ſubrubro, radicibus infernâ ſede numeroſis ſquammis craſſis, lenro ſucco prægnantibus acri & amaro, folia mittere Aloes ſimilia, caulem ſeſquicubiralem, læuem, & flores in ſummitate ſubpurpureos. Idem ait in hiſt. Germ. Scilla multas habet ſquammas ſubrubentes parum, ſed, multò maiores & craſſiores fert ex vtriuſque caulis latere pulchros flores flaueſcentes ( weiß gelbe,) vbi flores exciderunt pluribus diebus pòſt ex bulbo prodeunt lata craſſa folia ſine pediculo, vt in albis Liliis:

*Loc. Ma tat.*

Copioſè prouenit in Apuleia & Sicilia. Matthiolus in Epitome & in hiſt. Germ. non ſibi conſtat, dum vno loco ſcribit flores ſubpurpureos, alio autem flaueſcentes.

*C.B.*

Quàm benè etiam Caſp. Bauhinus in ſuo aucto Matthiolo poſt Scillam Hiſpanicam ſcripſerit, flores in ſummitate eſſe ſubpurpureos, iudicẽt alii: nos albos in vulgari Scilla vidimus prout annotauimus à quadraginta annis.

Cur porrò Scillam ex Græcia & Italia in Hiſpaniam remittat Matthiolus mirari ſatis Guill. nequit, vberrimo eius in Græcia & Apuleia prouentu, nomine rituque veteri in limine ianuæ eam ſuſpendendi, adhæc vſque tẽpora propagaro. Scillam eſſe decernit Guil. ex Galeni ſententia, cui radices ſint candidæ: Pancration cui ruffę; Dioſcor. authoritate. Ille Matth. ſi Scillam terræ ſuæ hærentem conſpexiſſet, rernos eam flores fundere haud negaſſet. Quod cur ex Theophraſt. adnotauerit, nec Narciſſum ter florere, quod ibidem traditur, obſeruauerit, magni eſt apud Guill. momenti. Agnoſcit ſanè, cùm hoc in loco, rum in aliis non paucis, ingenium ipſius vafrum & verſipelle.

Amatus quoque ſimilem Cenſuram contra Ruellium cum Matth. habet, dicens, Pancratium facit Scillam minorem & illam quidem nigram. Ruelliũ arguit eum contra naturæ ordinem nigrã ferè minimam facere cùm ſit Maſculus appellanda. Verùm animaduertit Amatus Ruellium Plinium imitatum.

Scillam ſiue Squillam pingit & Lacuna: Scribitque vocari in Caſtilla *Cebollam Albarranam*. Ibidem dicitur Arabibus *Haſpel* vel *Alaſchil*. Cat. *Ceba marina*. Portugalenſibus *Cebola Albarrana*. Gall. *Oignon marin*, *Charpentaire*: Scillæ flos albicat & ad flauum inclinat. Si ſtirpium diligens indagator fuiſſet, tradidiſſet nobis diſcrimina Scillarum in ſua Hiſpania prouenientium, ille ponit iconem Hyacinthi maioris pro Pancratio nullâ additâ deſcriptione.

Lonicerus qui Scillam, Cepam marinam, & officinarum Squillam vocat, propriam addit figuram, & deſcriptionem, atque caulem & flores prouenire ante folia.

Scilla noſtra( inquit Geſner.) vulgaris, ſiue Pãcratium ſit, ſiue alia ſpecies Scillæ, rectè & vtiliter in Theriacam additur: & vires omnes, quas

Vete-

Veteres Scillæ attribuerunt, egregiè præſtat, vt plurimis experimentis conſtat. Quamuis autem folium Lilii eam habere aliqui obiiciunt, non Aloes, quod Dioſcor. requirit: non idcirco tamē à Scillarum genere excludi, & tāquam venenoſa reiici debet. Matthiolus eam damnat quaſi mitiorem iuſto & parum efficacem. Anguillara cōtrario nomine quaſi nimium vehementem & venenoſam. Ego tanquam bonam & conuenientē Antidotis approbo. Debet enim ad Antidotos quæ in eodem genere efficaciora ſunt, deligi, potiùs quàm leniſſima. Eſto vehementior quàm Scylla alba, eduliſque (Scillæ nomine adhuc in quibuſdam Græciæ inſulis nota, vbi Scillam noſtram Cepulam caninam vocitant, vt Anguillara docet,) at eo medicarior eſto. Eſto venenoſa ſi in cibis, præſertim ſæpiùs & copioſiùs, ſumatur: non tamen venenoſa erit ſi præparetur quo debet modo, & aliis multis miſceatur: ſed iam venenorum & morborum multorum alexipharmacum fiet. Alba verò & edulis ſi ſic præparata antidoto miſceretur, omnem vim medicamenti exueret. Eſto Pancratium, vt vult Anguillara, nō ideò tamen venenoſa erit in antidoto, nec reiicienda: cùm Veteres Græci Medici, Pancratium adeò ſimile fecerint Scillæ, vt ab aliis ſimpliciter quoque Scillam, ab aliis Scillam minorem appellatum, & iiſdem omninò viribus pollere, minoribus tamen, ſcripſerint, quod ſi venenoſius eſſet quàm Scilla, minùs profectò non dici deberet. Et vt veneno eam non carere concedamus, non tamen ab antidotis excludenda eſt.

Certè Plinius quoque vim Veneni Scillæ tribuere videtur, cùm ſcribit lib. 20. cap. 9. Oxymelitis ſcillitici tantam vim eſſe, vt animæ extinctæ ſpeciem momento aliquo præbeat, id quod nos etiam à vino ſcillitico factum obſeruauimus in muliere, quæ eo poto in vteri ſtrangulationē, aut perſimilem ei affectum ad breuiſſimum tempus incidit. Arabes etiam de Scilla venenata, loci natalis præſertim ratione, loquuntur. Authores cùm albam Scillam eligi iubent, præcipuè ad acetum Scilliticum, hoc ipſo oſtendunt, aliquam etiam eſſe ruffam Scillam, quæ quoniam multò acrior & vehementior eſt, præparari debet, vt minore periculo ſumatur aſſando, torrendo vel elixando, alba verò cùm innocentior ſit, præparari aliter non indiget quàm vt in taleolas ſecta ſiccetur in vmbra pro aceto vinóque medicatis ex ea parandis, ad theriacam verò Scillam albam deligere nemo iubet. Iam quod ad magnitudinem attinet Scilla vulgaris noſtra duplex uidetur maior & minor: quod ſi aliter quàm ætate differt: minorem Pancratium dixerim, maiorem verò Schinum, quo nomine Veteres (Hippocrat. Ariſtophanes Theophraſt.) Scillæ ſpeciem nominarunt: etſi Gaza malè Lentiſcum verterit: vt & Cicero ex Arato: niſi forſan & ipſe Aratus homonymia nominis deceptus, transſcriptum ab aliis Schini nomen, pro Lentiſco arbore &c. Hiſpanicā certè Scillā, quā cæteris acriorem eſſe aiunt & maiorem, folio Aloes, ſimpliciter Scillā dicerem: eaque ſi ad manum foret præparata ad Antidotos uterer. Ego ex homine docto & fide digno cognoui, toxicum etiam apud Hiſpanos ex Scilla parari, ſicuti ex Elleboro: quod magnum ipſius vehementiæ argumentum eſt. At Scilla edulis alba quam in Creta & Cephalonia adhuc eſitari Anguillara tradit, non ſimpliciter Scilla, vt ipſe putat, ſed Epimenidia Theophraſti vocari debet. Diuidit autem Plinius quoque Scillam in genus medicatum & cibarium. Quod ſi, vt dixi, Scilla noſtra vulgaris minor, Pancratium eſt: & à maiori ſpecie differt: vulgaris maior, quæ tum ruffa, tum albicans (vt audio) adfertur, (quæ colorum diſcrimina haud ſcio, an in minori quoque reperiantur) non temerè Schinus vocabitur: Galenus quidem dubitat an Schinus Hippocrati idē, quod Scilla ſit, vel aliqua eius ſpecies: ſed ex Theophraſto à Scilla differre, eique cognatum eſſe liquidò apparet. Plutarchus Periclem Schinocephalim agnominatum tradit, ab oblonga & acuminata capitis figura: addítque Schinum pro Scilla accipi. Hæc de Scyllæ generibus habui à me diligentiùs obſeruata: ex quibus etiam conſtat [ornatiſſimè Calceolari] paratam à te nuper theriacam antidotum, è vulgaribus Scillis trochiſcos non temerè recepiſſe. Scilla Theophraſt. ter floret in anno & tria arandi tempora ſignificat: & Arato ſimiliter, etſi is de meſſe loquatur. Sed Aratus primò Schinum ter fructum producere ait: deinde etiam Scillam ter florere. Et quoniam is primùm ab Ilicis ſimul & Schini fructibus, prognoſtica quædam tempeſtatum ſigna exponit, de duabus arboribus ſentire videtur, Ilice & Lentiſco: cùm Schinum veriſimilius ſit, illum quicunque hoc ante eum ſcripſit, à quo ipſe nimirum eſt mutuatus, pro Scillæ ſpecie accepiſſe: ſicut & Theophraſt. alibi accepit. Lentiſcus quidem an ter floreat alicubi, non conſtat mihi: non ſit autem mihi veriſimile. Scillam ter florere minimè dubito: non ubique tamen, ſed in Græcia & notis Theophraſto locis. Σχῖνος igitur per ïota in prima, fœminino genere, Lentiſcum ſignificat, & antiquioribus eorum aliquando ſpeciem Scillæ: Σχοῖνος verò per οι diphtongum maſculino genere, Iuncum.

*Ruffa & albicans.*

*Schinus ſpecies Scillæ.*

*Scilla ter floret.*

*Schinus Arati.*

*Iuncus.*

Vocat Tragus cum Iacobo Manlio Cepam muris Meüßzwibel/ alioqui dicitur Cepa marina, Meerzwibel. *Squilla* in officin. Quæ *Scilla*, Græcis dicitur, etiam apud Latinos nomen ſuum retinuit, Fuchſ. Corn. & Cordo teſtibus, quanquam Varronis exemplo nunc omnibus officinis *Squilla* vocetur. Noſtri Meerzwibel / hoc eſt, Cepam marinam vocant, alii Meußzwibel, id eſt, Cepam murinam.

*Squilla Varroni & Vulgo. Cepa marina & murina.*

Bellon. lib. 1. Obſ. cap. 18. ait: In Cretæ maritimis littoribus proueniunt copioſè radices, quæ Theophraſto littorales bulbi dicuntur, & ab Aromatariis, Gall. venduntur pro Squillis aut Scillis. Quo in loco quamuis Dodon. exiſtimet Bulbos littorales Bellonii eoſdem eſſe cum Scilla vulgari, nihilominus dubitamus: quid ſi Scilla ſit Anguillaræ & fortè Pancratium Monſpelianum vt ſuſpicamur?

*Bulbi littorales Theophr. Dodon. not.*

Camer. in Epitom. Matthiol. nouam figuram addit, in qua flores habent tantùm quatuor foliola, an benè indicent qui viderunt aut videbunt Scillam vulgarem florentem.

C. Bauhin. Phyt. Scilla 2. maior radice rubra: Pancratium Cluſii.: Scilla rubentibus radicis tunicis. Lobel. Obſ. pag. 76. & icon. pag. 152. Florem huius nemo pinxit, Plinio à profligandis morbis omnibus dictum videtur. Si nullus florem pinxit neceſſe eſt iconem Fuchſii, Tragi, Dod. Matth. & aliorum eſſe falſam, quæ exhibitæ fuere ante Cluſianam.

*C. B. not.*

Idem apud Matth. tres ſcillas tradit, de quarū prima dicit: *Scilla maior radice alba* Caſp. Bauh. Brunfelſio. *Scilla ſeu Cepa muris* Trago, Matthiolo. Fuchſ. Cordo in Dioſcor. Geſner. hort. Hiſt. Lugd. *Scilla communis*, Dod. Gal. *Scilla maior* Caſtori. De ſecunda ſcribit: Scilla Hiſpanica, radice eſt alba. Nos de paulò pòſt agemus. De tertia verò ſua Scilla ait: *Scilla maior*,

*radice rubra* C.Bauh.Hæc radice eſt maiore: *Pancratium* Cluſ.Hiſp.Dod. Lugd.Tabern. *Scilla rubentibus radicis tunicis, fol. Aloes carinato.* Non inuenimus quemquam ex iam nominatis Scillam tradere maiorem radice alba, quinimò ii tradunt vulgarem officinarum, quæ ruffa non alba: non igitur tres facimus Scillas cum C.Bauhino, nec Cluſii Pancratium ſeparamus à vulgari Scilla de qua ſuprà nominati.

C.Bau.

Nomina linguarum. Σκίλλα, Offic.*Squilla*. German. Meerzwibel Meuß zwibel Belg.zee Aiuyn. Gall.*Scipoule, Squille, Charpentaire, Oignon marin*. Hiſp.*Ceba marina, Bebela Albarran*. Boh.Cybula Morſka.

Locus & Tempus. Spontè naſcuntur copioſiſſimè in Balearibus Ebuſoque inſulis ac per Hiſpanias. In Sicilia & Apuleia copioſè, maximè apud mare. Scilla ter floret, tria tempora ſationum oſtendens: Non ſolùm Venetiis vidimus Scillas multas rubras magnas, verùm etiam Lugduni, vbi tamen meo tempore apud Pharmacopœos rarus erat vſus, quemadmodum & Geneuæ vbi Scillarum loco alios vſurpant bulbos. Bulbi Scillæ in Offic.non ſati qui conſtant corticibus, craſſis, ruffis, ac viſcidis, folia produnt. Baſileæ pharmacopœos vtentes obſeruaui. Patauii vidi in horto publico. Lugduno mihi miſſa quæ æſtate latitans, tandem Autumno folia produxit Montbelgardi: ſed non diu perdurauit frigore intercempta, in horto E.C.

Delectus. Eligenda bene magna & alba, vt docent tum Democrates tum Dioſc. Secundum Galenum & Meſuem melior eſt quæ alteri connexa eruitur [ſola enim & ſingularis, eſt venenoſa] ſapore dulci, acri, amaro, laminis ſplendentibus, ex agro libero: Auicennas eligit inter humidas grauem & non magnam, mediæ magnitudinis & plenam. Foeſius etiam expetit fœminam candidiſſimam, iuſtæ magnitudinis, non admodum enormem, benè habitam & nutritam, neque putridam, neque gelu flaccidam, ſed recenter ex terra ſumptam, cùm eius caules exactè aruerint, ſeu quando triticum metunt, quæ tum potiſſimùm viget: Idque iuxta regulam Dioſcoridis generalem, quâ ait, radices & ſuccos ipſarum & cortices, auferre oportet quum herbæ folia amittere incipiunt.

Vſus. Colleg.flor.expetit collectam initio Iulii. Datur potio Scillæ à drachmis quinque ad drachmas duodecim: Oxymeli autem ſcillites ab aur. ſex ad vncias tres: Trochiſci autem à drachmis duabus drachmas quatuor.

---

## SCILLÆ MAGNÆ ALBÆ.

Candidæ autem Scillæ, ſiue albæ magnæ, multæ, miſſæ fuerunt Antuerpiâ per D. Pharm.Coldembergium Val.Dourez, differentes à Lugdunenſibus paruis, ſiue Pancratio Monſpeſſulano, quas adhibuimus in conficienda Theriaca Lugduni & Geneuæ. Diſcrimen autem à vulgari rubra, in iis non potuimus animaduertere, præterquam in colore: magnitudo eadem, ſquamæ craſſæ & latæ, ex quibus apparebat folia, æquè lata eſſe, atque rubris. Ea in re multùm differentes ab eorum bulbis, quibus vtebantur pro Scillis, an idem ſit ſapor non annotauimus: non placet igitur duplex deſcriptio quam ante poſuimus Scillę albidę traditæ à Dod. Exiſtimamus enim ſcripſiſſe ex alienis, non iuxta plantas à ſe viſas.

Is hiſt.in fol.pro ea aſſumit iconem Scillæ Hiſpanicæ, hæc de ea ſcribens: Scillæ hiſtoriam plerique dederunt, ſed quia nemo hactenus legitimam eius iconem exhibuit, facere non potui quin meis Obſeruationibus insererem, cùm eam & primùm emergentem, & florentem, ſemineque onuſtam, plerìſque Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis eruerim. Eſt verò Scillæ *caulis* plerunque cubitalis aut maior, rectus, nudus, abſque *foliis*, plurimis candidis & ſtellatis *floribus* ornatus, Aſphodeli minoribus, ornithogali maioribus (quod quidam, Scillam Epimenidiam putant:) explicari incipiunt, quemadmodum Aſphodeli & quarundam aliarum bulbacearum ſtirpium flores: his ſuccedunt triangula *capitula*, compreſſis angulis, & velut inania, in quibus tamen nigrum, planum, paleaceum ſemen: quinque, ſex aut plura demum emergunt *folia* liliacea, lata, viridia admodum, denſa, ſiue carnoſa, humi expanſa: nonnihil carinata: *radix* craſſa eſt, multis tunicis albis lento quodam humore plenis prædita, multiſque craſſiuſculis fibris capillata. Copioſè naſcitur ſupra Olyſipponem, & pleriſque aliis Luſitaniæ & Hiſpaniæ locis. Floret Auguſto & Septembri matureſcit: folia maturo iam ſemine, & exarido caule, emergunt Nouembri & Decembri. Loc tem

Cur Dodon. & Cluſius Scillam albam, veriùs Scillam cenſeant, quam ruffam, non poſſumus adhuc intelligere. Conſtat ſiquidem Veteribus Scillam fuiſſe duorum colorum: Albæ meminerunt inter Veteres Dioſc. Plinius & Democrates in deſcript. Theriac.apud Galenum.

C.Bauh. Phyt. *Scilla* 1. *maior radice alba*. *Scilla* Matth. l.2. c.168. & icon p.344. *Scilla* ſiue *Cepa marina* Lobel.icon.p.73.& Cluſ.Hiſp.l.2.c.16. Sed legimus & nos Matth. & quidem plures editiones, quas indefeſſo ſtudio euoluimus, nullam tamen inuenimus iconem ſimilem iconi apud Lob. & Cluſium exhibitæ, nec etiam deſcriptionem, icon eadem eſt valdè differens à Cluſiana & Lobeliana, quæ licet non vndique placeat, placet tamen meliùs quàm noſtra Fuchſiana. C.I

Idem apud Matth. *Scilla maior radice alba* C.B. *Squilla* Brunfel.Trag.Matth.Fuchſ.&c.de quibus antè. Itē *Scilla ſecunda Hiſpanica*. Cluſ.Hiſp.Caſtori.Lugd. *Scilla* Lonic. Ceſ. *Scylla* ſiue *Cepa marina* Lob.*Scilla*.Dod.fol. Cur à C.B. tradantur hic duæ Scillæ albæ neſcimus, prior enim eſt rubra vulgaris: etiam 2. Hiſpanica Scilla. Nec placet quod dicit Scillam ſuam ſecundam Hiſpanicam Cluſii à Lonicero tradi, vbinam id factum nondum nobis conſtat. C L alii

Scribit Matth. Scillam Hiſpanicam veram acrimoniâ ac virium præſtantia communes noſtras Scillas longè vincere, non demonſtrans cuius coloris, & quâ in re differat à vulgari ruffa, quæ ei Pancratium, præterquam acrimonia.

Amatus Scillæ meminit, vbi quid velit non demonſtrat: ex ſequenti tamen capite apparet eum per Scillam, intelligere hanc albam: quam ipſe fœminam putat, Ruellium reprehendens quòd maſculum appellet, in eo imitatur Matth. Verùm non animaduertit Amatus Ruellium Plinium eſſe imitatum.

Lobel. Obſ.p.75. *Scilla* ſiue *Cepa marina Hiſpanica*. Adv.57. Hiſp. *Cebolla Albarrana* & *Cepa marina*. Hæc ille, qui figuram Cluſij habet. Ic. Pl.p.151.*Scilla Hiſpanica*.

Anguill. Scillæ Candiæ ſiue Cretæ & Cephaloniæ meminit, eamque veram & legitimam exiſtimat, & ait Nicandrum & Dioſc.ac Oribaſium laudare albam Scillam indicantes quo candidiorem

orem eò minùs acrem. Ego interea apud Dioſcor: non inuenio candidam minùs acrem; nec propterea laudatam à quoquam: conſiderandum igitur an hæc Anguill. Scilla diuerſa ſit ab Hiſpanica, alba, & an fortè Epimenidia Theophraſti & Plinii, & quantùm differat à prædicta Scilla & in quibus: item an diuerſa à Pancratio Monſpeliaco.

& Si duri fuerint vteri, ne concipiant, poſt adhibitum fotum Scillæ [τῆς σκίλλης] radicem longitudine ſex digitorum, duorum craſſitudine laxâ conuolutam, Hippoc. ſubdit, tamdiuque apponit, quoad os vteri molle & latum ſit. Aut ipſam Scillã ſine radice tritam eodémque modo laxâ conuolutam apponit. Quibus modis, & vterum, ſi pituitâ laboret, purgat, aperit, & aquã ducit.

De Scillæ vitibus ita Dioſcor. Scilla vim habet acrem & feruentem. Aſſata verò multùm ſui vſum exhibet. Farina (σταιτὶ: quidam vertunt piſtorio opere) ſubacta, aut luteo oblinitur, & in clibanum mittitur, aut prunis obruitur, donec circumſita farina ſatis fuerit aſſata. Quà ablatâ, ſi non flaccida facta eſt, altera farina aut luto oblito, eadem faciemus. Quæ enim non ſic aſſata eſt, interaneis maximè noxia exhibetur. Aſſatur etiam in olla operculo tecta, & in clibanum immiſſa. Sumitur ex ea quod maximè medium eſt, externis circumcirca ademptis. Coquitur item inciſa, ita vt prima aqua diffundatur, & alia affundatur, donec aqua non amara aut acris fiat. Sed & conciſa filo tranſmiſſo ſiccatur in vmbra, ita vt fruſta non ſe mutuò contingant. conciſâ itaque ad oleum & vinum & acetũ ſcilliticum utimur. Ad rimas pedum interna crudę ſcillæ pars cum oleo feruecta, aut cum reſina liquata, imponitur. Commorſis autem à vipera in cataplaſmate cum aceto cocta. Ex aſſata verò contritis ſalis toſti partibus octo, ad vnam ſcillæ partem additis, exhibemus cochlearium vnũ, aut duo ieiunis, ad aluum molliendam. Addimus & in potiones, & compoſitiones aromaticas: (ἀρωματικὰς, quidam legunt ἀραιωτικὰς) & in quibus vrinam mouere volumus, & in hydropicis, ſtomachicis quibus cibi innatant, & in morbo regio, torminibus, diuturna tuſſi, anhelosis, ſanguinem reiicientibus, [ἀναγοεικῶν Ruellius ore reiicientibus:] ſatis autem eſt pondus trium obolorum cum melle delinctum, coquitur etiam cum melle, & editur ad eadem, concoctionem maximè adiuuans. Ducit autem ſtrigmentoſa. Cocta verò ad eadem facit, ſimiliter accepta. Vitanda eſt eius exhibitio, in his quibus exulceratio quędam intrinſecus eſt. Aſſata eadem ad verrucas penſiles, & perniones illita facit. Semen eius tritum carica aut melle exceptum, & in cibo acceptum, aluum mollit. Eſt etiam auxiliare contra veneficia medicamentum, tota præ foribus ſuſpenſa.

De iiſdem Plinius [inquit Hiſt. Lugd.] confusè tractauit his verbis: Prodeſt & gingiuis, & dentibus, vel per ſe commanducata. Tineas & reliqua ventris animalia pellit ex aceto, & melle ſumpta. Linguæ quoque recens ſubiecta, præſtat ne hydropici ſitim ſentiant. Coquitur plurimis modis: in olla quæ conjiciatur in clibanum aut furnum, uel adipe aut luteo illita, aut fruſtatim in patinis. Et cruda ſiccatur, deinde conſcinditur, coquitúrque in aceto, tum ſerpentium ictibus imponitur. Toſta quoque purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur. Vſus ſic coctę ad hydropicos. Ad vrinam ciendam tribus obolis cum melle & aceto potæ. Item ad ſpleneticos & ſtomachicos, ſi non ſentiant vlcus, quibus innatet cibus. Ad tormina, regios morbos, tuſſim veterem cum ſuſpitio. Diſcutit & foliis ſtrumas quadrinis diebus ſoluta, furfures capitis, & vlcera manantia illita ex oleo cocta. Coquitur & in melle cibi gratia, maximè vti coctionem facias. Sic & interiora purgat. Rimas pedum ſanat in oleo cocta, miſta reſinæ. Semen eius lumborum dolori ex melle imponitur. *Hæc Plinius.* In quibus Marcellus, Vergilius & Corn. erroris eum inſimulant, quòd dixerit adipe aut luto illita, pro eo quod eſt apud Dioſcor. σταιτὶ ἢ πηλῷ περιπλάσσεται, id eſt, farina aqua ſubacta, quam paſtam vocamus, aut luto oblinitur: σταὶρ enim & σταῖς hîc non apicem, nec multis aliis locis apud medicos ſignificat, ſed paſtam aut fermentum. Docet itaque Dioſcor. & quomodo aſſãda ſit, & quomodo coquenda, & quomodo cruda conciſa aſſiccanda, omnia clarè & euidenter [inquit Cornarius.] Verùm ea confusè tradidit Plinius lib. 20. cap. 9. Coquitur, inquit pluribus modis in olla, quę conjiciatur in clibanum aut furnum, vel adipe aut luto illita aut fruſtatim in patinis. Et cruda ſiccatur, deinde conciditur, coquitúrque in aceto, tum ſerpentium ictibus imponitur. Toſta quoque purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur. Quod itaque toſtũ purgari dicit, & medium eius iterum in aqua coqui: hoc Dioſcor. non vult, ſed de aſſata ſiue toſta purgata, medium in uſum aſſumi. Totam verò ſcillam item inciſam coqui, permutata aqua donec amaritudo aut acrimonia in ipſa non percipiatur. Ibidem tradit Plin. vim quoque ac vſum medicum Scillæ: & habet id etiam quod Dioſcor. ad finem dixit, eſſe auxiliare contra veneficia medicamentum totam præ foribus ſuſpẽſam, his verbis: Pythagoras Scillam in limine quoque ianuæ ſuſpenſam malorum medicamentorum introitum pellere dicit: quanquam idem quoque de Aſphodelo lib. 21. cap. 17. prodiderit, velut embl. 154. Corn. meminit vbi etiam Theophraſt. locum adduxit.

*Plinius not.*

*Temperi. Galen.*

Quæ verò de aceto ex ſcilla parando exacuẽdóque idem Plinius dicit, infrà expendemus. Verùm hic addemus, ἀναγοεικοὺς à Dioſcor. & reliquis medicis Græcis dici, qui ſanguinem ex infernis partibus ſurſum educunt, & per os reiiciunt. Cæterùm Dioſcoridis modus præparandi ſcillam (ait Lobel. Obſ. ignauiâ & inſcitiâ Pharmacariorum exoleuit. De ſcilla ſic diſſerit Galen. lib. ſimpl. Admodum incidentem facultatem obtinet, non tamen admodum calidam. Sed ſecundum hoc quiſpiam ſecundi ordinis cenſeat excalfacientium. Præſtat autem aut aſſam aut elixam ſumere: ſic enim virium eius vehementia exoluitur. Pauli teſtimonio ſcilla calefacit & ſiccat ordine ſecundo: Meſue autem calida tertio & ſicca propè ſecundum. Dodon. autem tertio. Sed Matthioli ſententiâ, vſque adeò calida eſt & ſicca, vt exulcerare poſſit.

Hoc autem annotandum cum Syluio, Veteres excepto Meſue, non meminiſſe, neque cultri ex ligno Pini vel Cupreſſi, ad diuidendam Scillã, nec acus ligneæ, nec de medio eius abiiciendo, vt Neoterici faciunt. Quinimò Gal. ad Piſonẽ de Theriac. iubet ſumere partes interiores Scillę. De ratione extrahendi ſucci legatur Sylu. lib. 2. Pharmacopœiæ.

Si Scilla reponatur inter fructus arcet eorũ putredinẽ. Aiũt minutim inciſam & in vaſe vitreo melle pleno, per totam æſtatem Soli expoſitam,

deinde collatam, præſentaneum eſſe remedium epilepticis.

Pancratium adeò ruſticis Hiſpanis exoſum vt Cluſium eius bulbos eruentem admonerent ne deguſtaret, præſentaneum enim eſſe venenum: Illi tamen aqua dum illa aſſatur extillante ſcabiem vtiliter illini & curari aſſerebant.

---

## MEL SCILLITICVM.

Mel Scilliticum.

QVidam ætatis noſtræ (verba ſunt Matth.) Medici in cerebri,& neruorum frigidis affectibus Scillam crudam ab inuolucris repurgatam minutim ſecant, & cum melle plurimo in vas vitreum coniiciunt,inſolantque per æſtatem, ardente præſertim Sirio; demum percolato melle vtuntur ad comitiales, & alias cerebri ægritudines, à frigiditate excitatas. Sed alia longè didiuerſa fuit Galeni ad hos vſus Scillæ parandæ ratio. Quippe qui conſciſſam Scillam nunquam melle commiſtam expoſuit inſolandam, ſed vt ab ea ſuccum Sole colliquatum in diebus canicularibus eximeret in fictile, vel vitreum, vas, in quo plurimùm mel fuiſſet,diſſectam Scillam immittebat: deinde tantiſper inſolabat, donec Solaribus radiis ipſa liqueſceret. Ex quo palàm fit, quod plerique à Galeni inſtituto prorſus aberrant,, vt qui Scilliticum mel conficiant Scillæ liquoris vice.

Oxymel Scilliticum.

Tractaremus hic de Oxymellite Scillitico niſi maior eſſet hiſtoria,præterea iam incipit magis compoſitas vires nanciſci,de eo Plin. l.3.c.2. Meſues lib.3.de Antid.cum com.Syluii:vt & alii.

Vinum.

Vinum quoque ex Scilla fit hoc modo, conciſam velut dixi Scillam in Sole ſiccato, deinde ex ipſa contuſa, & anguſto cribro excuſſa, minam vnam linteo raro illigato, & in mulſi boni ac recentis ſextarios viginti mittito, & per menſes tres macerari ſinito. Poſtea vinum in aliud vas transfuſum,diligenter coopertum reponito. Poteſt & humida Scilla in vſum aſſumi,Rapi modo conciſa, & pondere duplicato. Debet autem per dies quadraginta inſolari, & valdè inueterari. Sed etiam hoc modo prædictum paratur vinum. Scillæ diſſectæ & repurgatæ tres minas in Italicam metretam muſti demittito, & ſenos menſes in vaſe obſtructo macerari ſinito: poſt id tempus defæcatum & excolatum vinum reponito. Commodum eſt ad cruditates,& ciborum corruptiones, , & eos qui hos reuomunt. Item quibus craſſi in ventre aut ſtomacho hærent,lienoſis, malo halitu præditis, hydropicis, morbo regio laborantibus, in difficultate vrinæ, tormina ſentientibus,inflatis,reſolutis,rigoribus diuturnis, vertiginoſis, conuulſis. Ducit etiam menſes, & neruos maximè lædit. Melius eſt quod vetuſtius eſt.Vitare tamen eius vſum oportet,tum in febribus , tum in his qui intus ulcus habent.*Hæc Dioſc.* Hic ſubſcribenda quæ Gal.tradit de vino Scillitico lib.3. de paratu facilibus. Vinum fieri è Scillæ radice *Plinius* ita ſimpliciter lib.14.c.16.dicit. Sed quomodo fiat, & quem vſum de ſe exhibeat,neque eo loco, neque alibi vſquam, quòd ſanè ego (inquit Cornar.) ſciam, tradit. *Columella* uerò libri 12.c.33.& vſum,& parandi modum ſic tradit. Vinum Scillites ad concoquendum, & ad corpus reficiendum, itemque ad veterem tuſſim, & ad ſtomachum, hoc modo condire oportet. Primùm ante dies quadraginta, quàm vinum voles vindemiare,Scillam legito, eamque ſecato quàm tenuiſſimè, ſicut raphani radicem, taleolaſque ſectas ſuſpende in vmbra, aſſiccentur. Deinde cùm aridæ erunt, in muſti aminei ſextarios 48. Scillæ aridæ adde pondo libram, eamque ineſſe patere diebus triginta. Poſtea eximito, & defæcatum vinum in amphoras binas adiicito. Alii ſcribunt in muſti ſextarios 48. Scillæ aridæ pondo libram & quadrantem adiici oportere, quod & ipſum non improbo. Alii hoc ipſum Scillæ pondus, quod ſuprà dixi, in muſti duas vrnas adiiciunt, & per 40.dies ineſſe patiuntur. Hæc quantùm conſona ſint his quæ Dioſc. prodidit, conferentibus diiudicare facilè eſt. In vulgatis tamen exemplaribus Columellæ, ad finem legitur, in aceti duas vrnas adiiciunt. Pro aceti autem voce, legendam eſſe vocem muſti non dubium eſt. Sequitur enim aceti Scillitici præparatio mox c.34. ſequenti. Hîc autem de vino Scillite parando agit.

Acet. Scill.

Acetum Scilliticum hoc modo Dioſcor. præparatur.Scillæ albæ purgatæ,conciſæ, & filo traiectæ, vt fruſta mutuò ſe non contingant, & in vmbra ad dies quadraginta ſiccatæ,minam vnam accipito, & in aceti boni ſextarios 12.mittito, & in Sole ad dies ſexaginta macerari ſinito,vaſe diligenter operto. Poſtea exemptam ac expreſſam Scillam ipſam quidem abiicito, acetum verò excolatum vaſis excipito, ac reponito. Quidam minam Scillæ vnam, ad aceti ſextarios quinque ammiſcent. Alii mox purgatam citra reſiccationem, eodem pondere iniiciunt, & per menſes ſex ſinunt. Et tale maiorem ſecandi vim acquirit. Idoneum eſt ſi colluatur, ad gingiuas humore flaccidas, conſtringens ac firmans ipſas,itemque dentes mobiles. Putredines quoque & grauεolentias oris ſatis emendat. Idem abſorptum guttur firmat,& calloſum facit, & ſonum validum ac clarum efficit. Aſſumitur etiam ad ſtomachicos,ægrè concoquentes,comitiales, vertiginoſos,melancholicos,& fatuos. Inſuperque ad vteri ſtrangulationes,& coxendicum affectiones. Refocillat & valdè debiles, & corpus ſanum ac benè coloratum facit. Viſum quoque acuit, & ad auditus grauitatem (vide poſtea Cornarii verba) inſtillari poteſt. Et in ſumma ad omnia efficax eſt,exceptis internis exulcerationibus,capitis doloribus,& neruorum affectionibus. Datur quotidie ſorbendum ieiunis, ab initio modicum,paulatim augendo vſque ad cyathum. Quidam tamen cyathos duos, aut etiam ampliùs exhibent.

Acetum Scillinum inquit Plinius l.23.c.2.inueteratum magis probatur, prodeſtque ſuper ea quæ diximus,aceſcentibus cibis: guſtatum enim diſcutit pœnam eam: & his qui ieiuni vomunt. Callum enim faucium facit,ac ſtomachi,odorem oris tollit,gingiuas adſtringit, dentes firmat,colorem meliorem præſtat. Tarditatem quoque aurium gargarizatione purgat, & tranſitum auditus aperit. Oculorum aciem obiter exacuit. Comitialibus,melancholicis,vertiginoſis,vuluarum ſtrangulationibus, percuſſis aut præcipitatis,& ob id ſanguine conglobato,neruis infirmis, renum vitiis perquàm vtile. Cauendum exulceratis. Hæc Plin.poſt aceti tractationem, de aceto Scillino [inquit Cornar.] ſubiicit. Et in reliquis quidem à Dioſc. non diſſentit, ſed quod neruis infirmis perquàm vtile eſſe dicit,in hoc & Dioſcor.& ſibi ipſi contradicit. Dioſc. enim dum ad omnia efficax eſſe ait, internas exulcerationes, capitis dolores,& neruorum affectiones excipit.

Ipſe

Ipſe verò Plinius paulò antea de aceto agens, Veſicæ & neruorum infirmitatibus ipſum nocere dicit. In hoc itaque diſſenſio eſt, haud ſciò quâ occaſione inducta.

Eius verò parandi hunc tradit modum. Scilla quæ candidiſſima fuerit, inquit, vtiliſſima erit. Huic aridis tunicis direptis, quod reliquum è viuo eſt conſutum ſuſpenditur lino modicis interuallis. Poſtea arida fruſta in cadum aceti, quamaſperrimi pendentia immerguntur, ita ne vlla parte vas contingant. Hoc fit antè ſolſtitium diebus 48. gypſo deinde oblitus cadus ponitur ſub tegulis, totius diei Solem accipientibus. Poſt eum numerum dierum tollitur vas, Scilla eximitur, acetum transfunditur. Hoc clariorem oculorum aciem facit. Salutare eſt ſtomachi, laterúmque doloribus parum ſumptum binis diebus. Sed tanta vis eſt, vt auidiùs hauſtum extinctæ animæ momento aliquo ſpeciem præbeat.

Aqua ex aceto Scillitico diſtillata eſt gratior & efficacior [ Oxymellite, ] vomitu etiam valenter purgat humores in ventriculo craſſos lentos, putres, dando ad ſeſquiunciam cum mellis àut ſacchari rubri vnciis tribus.

De Aqua Scillæ ita diſſerit Matthiol. Squillæ recentes detracto cortice exteriore, cultro inciſę vaſi infernè foraminulento, & ſuprà operculato lutóque munito imponuntur. Huius ollæ fundus immititur in alteram ollam ſubiectam in ſcobe terræ, & luto commiſſura circumdatur. Tum ignis excitatur circa ſuperiorem ollam per noctē vnam, horas decem aut ampliùs, Sic aqua defluit in ollam inferiorem, quæ cum farina vel pane mixta, guſtata mures citò necat: citiúſque ſi lithargyri paucum miſcueris. Scilla in aqua macerata & à muribus pota eos interficit. De trochiſcis ſcillæ Androm. ad Theriacam hæc leguntur.

*Inde capillatam Scillam cum cortice ſumptam,*
*Pulte linas, medio conſtituáſque foco.*
*Ac cineris rutuli cumulos ſuperingere donec*
*Reddatur Scillæ mollius igne caput.*
*Signa dabit, feruet poſitos cùm diſcutit ignes:*
*Excute, & vt laues dempſeris exuuias,*
*Tres Scillæ partes, Erui compone duabus*
*Piſtillóque crepet concaua pila diu:*
*Ac minimos tandem contuſa premantur in orbes*
*Quos procul à radiis mitior vmbra tegat.*

De paſtillo ſcillitico & de præparatione Scillæ ad paſtillum poteſt legi Fuchſ. de comp. med. lib. 2.

Hic autem ponemus rationem conficiendorū paſtillorum Scylliticorum ex Galeno, quæ eadem eſt cum Andromachi præparatione: Verba autē Galeni hæc ſunt l. 1. de Antid. cap. 9. Principio Scillam ſucculentam de terra euelles, cuius folia penitus iam & ſcapus aruerint. Huic deinde cortice detracto duriorem particulā induces ex tritico nouo, quantúmque fieri poteſt exquiſito confectam, ipſe poſtea multo calidóque cineri ſubiectam non priùs extrahes, quoadúſque circumpoſita pulticula cruſta planè fiat. Quod ſi vbi hæc agis furnus aliquis adſit, vnà cum pane Scillam illuc inferre potes, inde cum obducta plùs iam exaruit, ipſam extrahes, & conteres. Satis aſſam verò Scillam intelliges, ſi feſtucam immiſſam admiſerit, ſcilla namque cùm benè toſta eſt, ſurculos facilè excipit. Vbi verò ſcillam diligenter attriueris, candidam Erui farinam admiſce: nam quæ candida non eſt, amara ſupra modum eſſe conſueuit. Cognitum autem vnicuique exiſtimo priùs oportere tenui cribro farinā excutere, ac præterea diligenter eam læuigare. Scilla verò ſeſqui pondere farinam ſuperet opus eſt. Dico autem ſeſquipondere, vt ſi duas farinæ ſumas ſcillæ tres accipias. Quam rem cùm & Andromachus iunior aſſerat, neſcio quâ ratione ductus velit Erui farinæ drach. octoginta eſſe, ſcillæ verò centum viginti, cùm ſatis ſit dicere, ſcillam eruum ſeſquipondere ſuperet. Poſtremò verò ſimulatque rotulas tenues ex hac miſtura conformaueris, in cella, ſicuti paulò antè dicebamus, ad meridiem vergente repones, quas tamen non in ſolis radiis collocabis. Verùm ſicut de paſtillis Viperæ dictum eſt, ita in his quoque cætera perage: *Hæc Galenus.*

*De Scilla venenata & remediis.*

In Scyllarum genere quædam ſuapte natura venenoſa prouenit, quæ ſua malefica vi, etſi quàm parcè deuoretur, illicò tamen hominem torquet, quemadmodum Fungi, qui in lethalium genere habentur. Venenoſa igitur ſcilla [ ut Meſues tradidit ] ſola, nec alteri annexa, prouenit, lociſque oboritur fœdis, ac graucolentibus, vt apud Thermas. Quapropter de hac diſſerens Auic. inter venenatas plantas fen. 7. 4. volum. ſic inquit: ſcillæ malæ vſus ventriculum exulcerat, & inteſtina; ipsáſque Meſaraicas venas, alióſque meatus, qui è ventriculo in iecur permeant: Quo fit vt in viſceribus oriantur punctiones, acutíque cruciatus, & inde dyſenteria. Quibus incommodis ſuccurritur lactis potu, in quo ferrum, quod Græci ſtomoma, nos verò chalybem appellamus, pluries reſtinctum fuerit, deuoratíſque ouorum vitellis, in aceto decoctis. Quinetiam iis frixa cibaria conferunt, pinguia carnium iura, recens, crudúmque butyrum, & extrema iuuenum quadrupedum membra, aliáque permulta.

## BVLBVS ERIOPHORVS.



SVnt huic multa, oblonga *folia*, Hyacinthinis ferè ſimilia, minùs carnoſa, & ſucculēta, duriora tamen, viridia, mucronata, ſapore ingrato, quibus minutiſſimè etiam confractis, tenuia quędā fila inſtar telæ aranearū diduci poſſunt. Ex horum medio *caulis* exit cubitalis aut amplior, rectus, ſcillini caulis æmulus, læuis, nudus, vireſcens, ſuperiore verò parte ad cæruleum colorem tendens: in ſummo veluti oblóngam ac denſam fert *ſpicam* in denos vel plures verſus, antequam explicetur, diſtinctam, primùm viridem, ſed paulatim ( dum ſeſe explicat in flores ) cæruleum colorem contrahētem: *flores* ſenis foliolis ſtellatim expanſis conſtant, triangulo vmbone in medio protuberante; Deſcriptio

Hyacinthi autumnalis floribus promemodū ſimiles, inodori, colore cum ſuis pediculis cæruleo & internis ſtaminibus, quorum apices initiò purpurei ſunt, &, vbi ſeſe explicarunt, veluti palleſcente quadam farina aſperſi. Incipit florere ab imo, vti Scilla ſolet, & reliqui magna ex parte bulbi, qui flores racemi aut ſpicæ in modum confertos habent. *Semen* etiam obſeruare voluimus: ſed flores admodum caduci, ſtatim marceſcere cœperunt, & relictis in caule tantùm pediculis deciderunt. *Radix* craſſa & bulboſa eſt, ex plurimis tunicis contexta, alba, tomentoſa, & veluti aranearum telis obſita, multos circa latera natos bulbos habens, & craſſis oblongiſque fibris nitens.

Hæc eſt Cluſii deſcriptio quam integram ex eo ponimus: potuiſſemus quidem deſcribere, vt qui diu coluerimus & obſeruauerimus veluti fila aranearum, quum franguntur folia, ſed nobis flores non protulit. Liberum per nos eſto cuilibet iudicium aſſerendi an planta quæ exhibetur ſit Bulbus Eriophorus Theoph. ſcribentis lib. 7. Hiſt. pl. c. 13. conſtare Bulborum plura eſſe genera, ſed maximam, peculiaremque præcipuè differentiam lanigerarum herbarum. Eſſe enim tale quoddam genus, in littoribus naſcens, cuius

*Lanam ferens.* inter ſummum corticem, eamque partem, quæ edulis eſt, lana ſit, ex qua mappalia, veſteſque quędam conficiantur. Sed huius bulbi, Theoph. neque regionem in qua id fiat, neque quicquam diligentius, prærerquam Eriophoron id appellari, in exemplaribus, quæ quidem Plinius inuenenerit, tradit.

Bulbus porrò hic Muſcari maioris nomine Conſtantinopoli Cluſio allatus fuit. ἐριοφόρος *Laniferi* nomen ipſi indidit, ob tomenti copiam, quod lanæ modo in ſtamina diduci poteſt.

Dodon. in fol. depingit, ſub titulo *Bulbi Eriophori Viennæ nati*. Lobel. Obſ. figuram Cluſii habet, ac dicit eum veram Bulbi Eriophori Theoph. effigiem exhibuiſſe. I. Gerar. *Bulbus Eriophorus* wolly Jacint. *Bulbus bombycinus commentitius*. falſe bom baſie Jacint. C. Bauh. Phyt. *Bulbus Eriophorus* Theoph. id eſt, *laniferus*.

Locus & tempus. Bulbum Eriophorum primum vidi anno 1578. allatum ex S. Lupo Burgundiæ, Plantatus in horto Il. E. C. Montbelgardi, quum latuiſſet æſtate & exiſtimarem putrefactum, Autumno produxit folia: tandem multiplicatus, verùm multis annis florem non produxit, qui ſanè mihi nondum viſus: D. Martinus Chmielecius Prof. Baſil. Baſileæ in horto ſuo colit, ac in hortum Il. C. Wirt. plantandum dedit 1599 quum periiſſet mihi. Conſtantinopoli rediens attulit Philibertus de Bruxella, qui nonnullos Cluſio dedit, quorum partim ipſe, partim C. V. Ioann. Aicholtzius Medicus & profeſſor Viennenſis aliquot terræ concredidit. Cluſio omnes perierunt, ille verò duos conſeruauit, quorum alter etiam floruit non ſine ingenti eorum lætitiâ. Generoſo D. Longatre Iunio anni 1585. flores dedit.

Flores mihi proferebat inſequente Aprili, quia videlicet, in fictili per hyemem adſeruata: altera minor, quam horto credebam, & totius hyemis inclementiam in illo bellè perferebar, dumtaxat Maio, quemadmodum & illa prior, quæ etiam in horto repoſita, altero anno florebat. Cæterùm hanc plantam cum Narciſſi ſpeciebus quarum icones Matth. exhibuit ſuis in Dioſc. com. hiſtoriam verò non dedit, diligenter conferens, non abſimilem reperio eius Narciſſo 4. qualis ſaltem ſaltem extat in Comm. anno 1570. Venetiis editis.

Matth. Lat. & Ital. cum mag. fig. Narciſſus 4 qui figuram habet cum ſolo titulo: non demouſtrans vnde acceperit iconem.

## ORNITHOGALVM CÆRVLEVM pallens, & ornithogalum Hiſpanicum minus.



Ornithogalis qualibet ſui parte valdè cognatum [teſte Lob. obſ.] & affine, ſed flos cæruleus, Hyacintho Autumnali, penè par & ſimilis. Ex Turnacēſi vrbe primùm D. Brancioni munere miſſum. Idē cum hoc fortè fuerit Ornithogalum Hiſpanicum minus ſiue ſextū, quod [authore Cluſio hiſt. poſt.] ex paruo orbiculari albicante bulbo ſena aut ſeptena, nouo vere profert *folia* Ornithogalo vulgari ferè ſimilia, ſed paulò anguſtiora, nulla vena cancicante per longitudinem ſecta, è quorum medio prodit ſingularis *cauliculus*, interdum & alter, palmaris, teres, ſuſtinēs ſenos, ſeptenos, aut plures *floſculos*, alternatim quidem naſcentes, ſed quaſi vmbellam quandam efformantes, adeò æquali ſunt altitudine, non ſecus atque in vulgari & Arabico, ſenis foliolis ex albo ſubcæruleo umbilicum occupantibus: nulla adhuc capitula vel *ſemen* obſeruare Cluſ. potuit: totâ coma breui à floribus marceſcente. Cōmunicabat Cluſio Generoſ. D. de Longatre *Hyacinthi ſtellaris ſerotini albo flore* inſcriptione, qui ex Hiſpania miſſum dicebat. Floret Aprili.

## BVLBVS MONOPHYLLOS FLORE albo, an Βολβίνη Theoph.



Valdè rara eſt hæc planta (autore Cluſio Exot. cuius certè flos ipſi ante annum 1605. non cōſpectus. Eam autem redemerat cū aliis biennio antè à Gallo rhizotomo Nicolao le Quilt, Lutetiæ Pariſiorum commorante, qui in Luſitania erutam aſſerebat. Vnico autem

autē è terra prodibat *folio* tenui primùm & prorſus iunceo,quod tandem pedalem adquirebat lōgitudinem : duabus autem ſupra terram vnciis paulò maiorem adquirebat latitudinem,& canaliculatū fiebat, extremâ tamen parte manente junceâ : vbi verò latiorem adquirere incipiebat latitudinem,ex eius medio exiliebat triuncialis longitudinis *cauliculus*, tenuis, læuis, dilutiùs virens,in cuius faſtigio alternatim ſiti erant tres *flores* non valdè magni [vt ex icone obſeruari poteſt, in qua voluit florum magnitudinem expreſſā]qui ſex foliis cādidiſſimis erāt præditi, non multùm abſimiles floribus Graminis Parnaſſi Herbariorum,ſiue Hepaticæ albæ Cordi,ſed nullo caliculo,vt illi,incluſi : è quorum medio prodibant ſex alba *ſtamina* flauis *apicibus* prædita,& vmbilicum occupabat *capitellum* triāgulare,ſũmo faſtigio ſuſtinens exilem *ſtilum* album, ſtaminum longitudinem non excedentem. Odoratus autem erat iſte flos,& ſpinæ appendicis florum odorem æmulabatur. Eius *bulbus* orbicularis erat formæ,nec Auellanæ nucis magnitudinem excedebat, fuſcâ membranâ tectus, ſedéque illis multis tenuibus candidis fibris obſitâ. Bina folia, totidémque cauliculos habuit, vt in tabella ad plantæ normam expreſſa videre licet: flores autem aperiebantur medio Iunio : quale *ſemen* prolatura fuiſſet, nihil pronunciare poſſum,quandoquidem plantam è terra eximere coactus fuit,vt pictori exprimendam traderet:& tametſi bulbus poſtea terræ denuò fuerit commiſſus, caulis tamen cum flore breui emarcuit.

Quo nomine appellare debeat hanc plantam dubitat, niſi quis fortè βολβίνην eſſe cenſeat, cuius Theophraſt.lib.7.Hiſt.Plant.cap.13.meminit: ſed quùm eam non deſcribat, & dumtaxat reponat inter plantas quæ bulboſa radice conſtāt, difficile eſt certi quidpiam ſtatuere. Siue autem Βολβίνην, ſiue Βολβὸν μονόφυλλον quis appellare malit,per Cluſium ſemper licebit.

## BVLBVS SYLVESTRIS FVCHSII FLORE luteo, ſiue Ornithogalum luteum.



Veris munus Ornithagalon luteum *radice* eſt bulboſâ, Ornithogali albi bulbum æquante, alba, prætenuibus filamentis fibrata,guſtu viſcoſo & ſubdulci non amaro, & aſtringente, vt anotât Fuchſ. & Dodon. è radice ſtatim *folium* emergit porraceū, ſemunciam ferè latum, dodrantalis circiter longitudinis, in terram caducum, coloris glauci,in teretem mucronem deſinens, glabrum, ſuperiùs læue, inferiùs coſtis plantagineis donatum, modò vnum, modò duo aut tria, plura interdum folia ſunt, pinguinſcula, anguſta, triquetra : comitatur ipſa è bulbo quoque ortus *caulis* ſingularis,anguloſus, foliis breuior, ſubrubens,cæterà nudus, alioqui ſeſcūciā ferè infra ſummum cacumen folio præditum vnico aut altero ſextantali, vel palmari,nonnūquam glabro,aliàs ſubhirſuto, oris paulùm intrò flexis, vt carinam imitetur : è cuius ſinu reliquus caulis pergens,aliàs indiuiſus,*florem* gerit vnum, aliàs ſubdiuiditur pluréſque ad nouem vſque flores ſuſtinet, vnicuique diuiſioni folio appoſito. *Flores* ſinguli ex longiuſculis pediculis Ornithogalo ſimilibus,ſenis conſtant foliis oblongis,foris viridantibus,hirſutis oris luteis, intus penitus flauis, medium occupantibus totidem *ſtaminibus* cum *apicibus* luteis : meditullium obſidet, etiam nondum delapſo flore ſubnaſcens *capitulum* triquetrum,*ſeminis* conceptaculum, cuius ex vmbilico *ſtilus* exit in apicem luteum deſinēs. Suſpicamur à Cordo in ſua hiſtoria Siſyrinchiū dici, cuius radices ſunt foris interdum luteæ,intus verò candidæ,dulces,& Hordeum Piſúmque aqua maceratum ſapore imitantes. *Siſyrinchiū.*

Trag. *Bulbus agreſtis*, *Cepæ ſtellata* genus, Nonnullorum Germanorum Ackerzwibel/ feldzwibel/ & wildtzwibel/hoc eſt, teſte Cluſio, Cepa ſylueſtris. Quia verò nos de ea nihil apud Veteres Herbarios legimus, vocabimus interea Bulbum agreſtem Fuchſ.cui ſimiliter bulbus ſilu.dicitur, ac qui deſcribit & depingit, adaptans ſibi Diſcor.Plini & Galeni verba. *Cepa Stellata. Sylueſtris.*

Apud Amarum Lugduni impreſſum poſita icon huius bulbi, cuius mentionem non facit, quod animaduertam. Geſner.hort.*Bulbus biſolius ſt.ſculis luteis*. Nondum certè cognitum(Dodon. Gall.)quomodo hic bulbus Veteribus dictus ſit,quidam Bulbinam putant : aliis eſt Βολβὸς ἐδώδιμος id eſt,bulbus eſculentus : ille nobis nominatur *Bulbus ſylueſtris*. Belg. Velt aycuen. Gall. *Oignon ſauuage*:hæc Dodon. qui depingit & deſcribit.

Lobel.Obſ. & Ic.Pl.pag.149. *Orinthogalum luteum* Adu.pag. 56. Germ. Geel feltzwibel & Ackerzwibel/ *Bulbus ſylueſtris Fuchſii & Tragi. Siſyrinchion Cordi. Bulbus eſculentus Lacunæ. Ornithogalum* 8. *Cluſii hiſt.poſt.* Vngari Tikmaia vocant, quod quidam περδίκιον Perdicium Theophr. eſſe cenſent,qui forſitan lib.1. cap.3.ſcribit plures illi radices eſſe quàm folia : adiecit tamen craſſas habere radices, quæ ſanè nota huic non conuenit. *Perdicion.*

Caſp.Bauhin.Phyt.*Ornithogalum* 5. ſiue *luteum*, *Bulbina quibuſdam*, aliis *Bulbus eſculentus*, aliis *vomitorius*,nonnullis *Perdicium* Theoph.1.hiſt.11. quibuſdam *Bulbus maialis*.

Hiſtor.Lugd. pag.1502. *Bulbus ſilueſtris Fuchſ. & Dodon.* Sunt qui Bulbinam vocent, alii βολβὸν ἐδώδιμον, id eſt Bulbum eſculentum, nominant, quorum ſententia peritis Herbariis haud placet. Ruellio, *Bulbus ſylu.* non deſunt qui *Bulbum vomitorium* eſſe credant. Item Ornithogalum luteum Lob.ſiue bulbus ſilu. Dodon. Inſignis ignorantia Compilatoris hiſt. qui duas habet figuras & hiſtorias vnius plantæ diuerſis locis. *Hiſt Lugd. Comp. not.*

Tabern.icon & hiſt. *Ornithogalum luteum* ſiue Geelfeldzwibel. Meliùs nobis placet figura quā exhibemus,quę iam ex Fuchſio parata erat quam noua Tabern.

Gerard. *Cepa agraria* Star wilde of Bethlehem.*Bulbine*. *Cepa agraria. Bulbine.*

Baſileæ prouenit circa Wild & Gundeldingen: Fr. Caſp. Bauhinus collectum in Rhætia *Locus & tempus*

circa Curiam attulit: menſis Martii fine defloreſcentem obſeruaui in horto Io. Heitzman pharm.Baſ.circa Lugdunum florentem Februario & Aprili,Montbelgardi etiam prouenit mihi in horto II.E. C.munere prædicti Pharm.florens Martio. Cluſ.In Alpium pratis vbi ſiluæ deſinere incipiunt. Lob.Non ita frequens Italiæ,Norbonæque calidioribus viſitur. In Aruernis & ad Lugduni pomeria. Siſyrinchion primo Vere folia emittit, nec proximo, ſed altero anno,caules floreſque producit. Naſcitur arenoſis,iiſque aliquantulùm humentibus aruis. Qui verò in pingui planoque ſolo,ſub arboribus naſcitur(inquit Cornar.) quò fluuiorum inundationes perueniunt, maior quidem eſt, ſapore & viribus ignanior. Vbique ad agrorum & ſiluarum cæduarum margines in Germania frequens, ſed etiam apud Vngaros circa ſepes & agrorum margines natum vidit Cluſius.

Trago ſilueſtris hæc Cæpa in cibo non vſurpatur. At in Medicina non contemnendi eſt vſus. Siquidem radix [ vt idem Trag. teſtatur] in calido cinere torrefacta, ac cum melle tuſa,inque linteo impoſita,vlcera depaſcentia, & manantia ſanandi, duroſque tumores emolliendi vim habet. C.Bauh. Bulbum maialem contuſum, infantibus lactantibus conuulſione laborantibus in lacte exhibent. Hiſt.Lugd. Dictum autem eſt, *Pedicium*, quòd perdices ad id ſe volutent terramque ſuffodiant. Non deſunt qui vomitorium bulbum eſſe credant,quòd vſu compertum ſit radicis decoctum vomitiones ciere, & aluum valenter ducere, non diſſentiente Dioſc. delineatione, ſcribentis, Bulbum vomitorium folia habere lori modo,latiora quàm Bulbus eſculentus: radicem ſimilem bulbo, cortice nigro. Quæ ſi per ſe edatur, vel decoctum eius bibatur, veſicæ malis medetur & vomitiones mouet.

## ORNITHOGALVM PALLIDO FLORE.

Deſcriptio. EST hoc Cluſio. Hiſt. poſter. Ornitogalum 7. non valdè abſimile Bulbo ſilu. Fuchſii, maiori tamen *folio* conſtat, *cauleque* craſſiore, licet infirmo: binique aut terni, quos ſuſtinet *flores*, maiores, minùs flaui, ſed ex herbaceo, quodammodò pallidi. Obſeruabat in Stiriacarum & Auſtriacarum Alpiũ pratis, vbi ſiluæ deſinere ſolent.



An Tabern. icon. ornithogalum maius Erdnuß/feldt zwibel. Icon Tabern. videtur reſpondere Ornithogalo Cluſii modò dicto, verùm ineptè ponitur pro vero Ornithogalo, cuius eo capite tradit deſcriptionẽ. Gerard. *Ornithogalum luteum*, yellow ſtar of Bethlehen.

### *Ornithogalum minus è Pyrenæis.*

Binos à Venerio exiguos bulbos in Pyrenæis erutos accipiebat Cluſius Hiſtor. poſt. in append. Hyacinthi ſtellati albicantibus floribus appellatione inſignitos, quorum flores, quum anno 1600. conſpiceret, non Hyacinthi, ſed Ornithogali parui eſſe deprehendebat: etenim & ſimilia folia, & flores non diſſimiles Ornithogali minoris ſexto loco deſcripti (Ornith. cærulei pallentis ] c.33. l.2. plant. Hiſt. foliis & floribus habuerunt: in eo duntaxat differre ipſi videbatur, quòd iſtius flores paullò maiores apparent, ſex etiam foliis conſtantes, vt illius, quorum ſingula neruo foris, ſeu vena ſubcæruleâ ſecundum longitudinem per medium eſſent diſtincta, & ſex ſtaminulorum apices, in hoc furui, qui in illo violacei. Florebat Maio.

## ORNITHOGALVM LVTEVM minus.

VNico prodit *foliolo*, duas aut tres vncias longo, anguſto, exalbidi coloris & acidi guſtus: iuxta quod tenuis vncialis *cauliculus*, vnum aut alterum foliolum ſuſtinens, è quorum medio bini aut terni exiliũt *floſculi* ſtellati, intus flaui, foris ex viridi purpuraſcentes, ſex radiolis & totidem ſtaminibus intus præditi: iis ſuccedunt puſilla triangula *capitula*, *ſemine* ruffo, exili & inæquali plena, *radix* alba, rotunda, cineraceo putamine obducta, exigui Piſi magnitudine. Sed & hoc cultura aliquantulùm maius euadit.



Cluſ. Pann. *Ornithogalum Pannonicum luteo flore*. Et hiſt. *Ornithogalum* 10. C.Bauh. Phyt. *Ornithogalum* 6. ſiue *luteum minus*. Lob. Obſ. *Ornithogali ſpecies multò minor foliis longè exilioribus & anguſtioribus: in viridariis noſtris prouenit.*

Aprico magis delectari videtur, abundantiùſque creſcit in apertis Meridiei oppoſitis.

### *Ornithogalum flauum cum ſtaminibus rubris.*

Ornithogalum flauum Alcmarianum, circa Alcmariam Holandiæ vrbem repertum, mihi non conſpectum, inquit Cluſius hiſt. poſt. ſed N. V. Io. ab Hogelande de eo me monuit. Binis duntaxat id præditum eſt *foliis*, anguſtis, longis. Hyacinthi botryodis vulgaris cæruleo flore foliis valdè ſimilibus: *cauliculo* inter illa prodeunti inſident *flores* flaui, duplò maiores, *ſtaminibus* in medio rubentibus: eius bulboſa *radix* adeò vulgari

vulgari iam dicto ſimilis, vt ſi miſceantur vtriuſque bulbi dignoſci non poſſint. Pro Nono haberi poterit.

## ASPHODELVS MAIOR FLORE ALBO, ramoſus & non ramoſus.

COmplures circumquaque ex vno radicis capite Pæoniæ modo propagantur *radiculæ*, ouarib. tuberibus interceptæ, guſtu Monſpelii, vt verum fateamur, dulcibus, nullâque nobis linguam acrimoniâ vellicantibus: *folia* carinata: Lobelio Cyperi, Oenanthes, aut Porri ſimilia, triquetra, viridantia, cubitum ferè longitudine æquant, ſtatim exorta: inter quæ ſurgit *caulis* ſingularis, rotundus, læuis, duos aut tres cubitos altus, robuſtus, à cuius medio ad ſummum vſque faſtigium numeroſi conſpiciuntur flores ſtellati, Ornithogali maiores, foliis albis ſtriâ rubrâ notatis conſtantes, apicibus luteis: quibus decidẽtibus capitula ſuccedunt Ceraſis paria, ſemen continentia copioſum, triquetrum, fuſcum.





Sic nos deſcripſimus Aſphodelum cùm ſtudiis incumberemus Monſpelii ante 40. annos: icon noſtra eſt ex iis quas emimus: quum autem Cluſius ſuum aliter nonnihil deſcribat ſapore diuerſũ, & duos proponat, nos totã ex eo hic ponimus hiſtoriam quę eiuſmodi eſt. Aſphodelus primus multa habet *folia* oblonga, anguſta, triangula, & veluti carinata, fungoſa & lenta, mucronata: *caulem* rotundum læuem, bicubitalem interdum, in ramulos ſupernè fiſſũ, quem à medio ferè ſurſum vergendo exornant multi ſtellati ſex foliorum *flores*, coloris intus albi, foris uerò neruo purpuraſcente ſingula folia ſecundum longitudinem quaſi diſtinguente, [vt Ornithogali flos vireſcente linea diſtinctus eſt,] totidem quot foliola ſtaminibus medium occupantibus: *ſemen* durum, lignoſum, rugoſum, atrum, & figura triquetra, capitulo orbiculari ferè, ſed tribus eminentioribus coſtis prædito, & ex viridi purpuraſcente continetur, quod illo per maturitatem dehiſcente, cadit: floret per partes vt verè dicit Theophraſt. & incipit ab imis. *Radices* ab vno capite numeroſæ exeunt, oblõngæ, exigui ꝰ napis ſimiles, ſed inferiore ſede craſſiores, atque in fibras deſinentes, ſucci plenæ, candicãtes, ingrati & acris guſtus. Iſtius radices videre memini dum Olyſippone Hiſpalim proficiſcerer, aratro erutas, quæ ducentos aut plures ab eodem capite pendentes, eóſque craſſos admodũ, napos haberent, vt quinquaginta aut ampliùs libras totam plantã pendiſſe putem. Itaque nihil mirum, ſi Plinius octoginta ſimul aceruatis ſæpè bulbis referat. Alter huic omnino ſimilis, exceptis caule, qui vnicus eſt, neque ſurculoſus, & flore qui omninò albus: illius etiam radix nõ adeò numeroſa.

Placet in tota Aſphodelorum varietate priuſquam ad certas ſpecies deſcendamus veterem de iiſdem doctrinam more noſtro proponere. Infit autem Theophraſt. lib. 7. Hiſt. ſtirp. ὁ μὲν γὰρ ἀσφόδελος μακρὸν, καὶ στενότερον καὶ ὑπόγλισχρον ἔχει τὸ φύλλον. Id eſt, Aſphodelus longum & anguſtum, & aliquantulùm viſcoſum folium habet. Et paulò inferiùs: Caulem verò habet Aſphodelus maximus omnium. Anthericus enim maximus eſt. Et paulò pòſt: Eſt etiam multi ſeminis Aſphodelus, & ſemen ipſius lignoſum eſt, forma triangulare, figura nigrum. Gignitur hoc in rotundo quodam, quod ſub flore eſt, excidens æſtate vbi id dehiſcit. Areſcit particulatim, quemadmodum etiam in Scilla contingit, & primùm ab inferioribus partibus. At in antherico naſcitur vermis, qui in aliud animal volatile floridum tranſmutatur. Deinde cùm anthericus exaruerit, ipſo eroſo euolat. Videtur autem hoc peculiare habere inter reliqua læui caule prædita, quòd cùm anguſtus ſit, propagines ſupernè habet.

*Folium.* *Anthericus* *Semen* *Scilla modo flores.*

Aſphodeli mentionem teſte Plin. & Homerus fecit. Radix eius napis modicis ſimilis eſt, neque alia numeroſior, octoginta ſimul aceruatis ſæpè bulbis.

Theophraſt. vt ferè Græci, princépſque Pythagoras, caulem eius cubitalem, & ſæpè duum cubitorum, foliis Porri ſylueſtris, anthericum vocauere, radicem verò, id eſt bulbos, Aſphodelon. Noſtri illud Albucum vocant, & Aſphodelum haſtulam regiam, caulis acinoſi: ac duo genera faciunt, albuco eſt ſcapus cubitalis, amplus, paruus, læuis.

*Porri ſilu. folia*

Galenus ſecundo De alim. radicem Aſphodeli Scillæ radici ſimilem eſſe dicit, & magnitudine, & figura, & amaritudine: quæ tamen ſi velut lupini præparetur, plurimùm amaritudinis deponit, & hoc modo Scillæ præſtat.

Sed de hoc ita diſſerit Dioſcor. Aſphodelus [quem alii in eius ſpuriis Anthericum, Romani Albucũ vocant,] planta plurimis nota eſt, folia habens Porro magno ſimilia, caulem læuem, qui in ſummo florem habet Anthericũ appellatum. Radices ſubſunt oblongæ, rotundæ, glandibus ſimiles, ſapore acres, & facultate calfacientes. Dioſcor. plurimis notam eſſe plantam Aſphodelum dicit; & hodie plurimis nota eſt, qui ipſam in Italia viderunt, vbi plurima etiam in hortorum cultu naſcitur.

*Radix Gal Scillæ ſimilis.*

Verùm in Germania pauci (inquit Cornar.) aut nulli veram Aſphodelum nouerunt. Nam ea

radix quam officinis Aphodilum corruptè vocant, bulboſa quidem eſt, ſed ex breui ac humili herba colligitur, quum Aſphodelus caulem maximum habeat, vt inde Haſtulæ regiæ [quod Sylu. inquit] nomen inuenerit. Itaque vt res ignota, nullum apud noſtros Aſphodelus habet, ſi tamen vera Aſphodelus eſt, quæ Aphodilus Officinis dicitur, velut à multis affirmatur, noſtri ipſam Goldwurtz vocant.

Verum Aſphodelum primus [vt interptes Kiberus apud Trag. monet] monſtrauit is Herbarius, qui Latinus ex offic. Egenolphi in lucem prodiit. Vidit aliquando Matth.eius aliquam radicem bulbis vltra centum radici cohærentibus. *Matth.not.* Idem in hiſt.Germ. Aſphodelus albus ſiue mas: olim non deſcribebat: in Ital.cum magn.fig.deſcribir quidem, ſed colorem floris non annotat.

Albucum, ſeu veram Aſphodelum ſemel duntaxat in Anglia vidit Turnerus. Nam quod vulgus illic appellat Affodil, vel Daffodil, ſpecies eſt Narciſſi. Sæpiùs vidit in Italia, & nonnullis hortis Antuerpiæ. Idem verò etiam in Anglia in horto ſuo colit.

Aſphodeli duas ſpecies tradit Anguill. vnam in ſcopulis maritimis & arenoſis locis naſcentem, caule ſurculoſo. Alteram caule ſimplici: vtramque autem ſpeciem notiſſimam.

*Aſphodeli 4.genera.* Maran.inquit Dioſc.deſcribit Aſphodeli vnũ genus: nos tria alia reperimus: flore & radicibus valdè ſimilia, licet folia multò minora habeant.

Geſner.horti Aſphodelus Albus, Aſphodelus maior & propriè Dioſcoridis.

Dodon.Gall.hiſt. Aſphodelus mas, cuius flos Græcis dicitur ἀνθερικὸς, & ſecundum Plinium Latinè *Albucum*. Ait porrò in hiſt.lat.flor.& in fol. & ex eo Hiſt.Lugd.Aſphodeli albi, flores eſſe colore candidos, aut ex valdè diluto rubro modicè purpuraſcentes, radices cum amaritudine leni, ſapore aſtringente.

Meminit huius Aſphodeli Heſiodus in operibus & diebus, vbi ſtultos ait ignorare, quàm magnum bonum ſit in Malua & Aſphodelo. Nam huius præcipuè Aſphodeli radices edules ſunt. Galenus tamen non de hoc Aſphodelo, ſed de bulboſo eum ſcripſiſſe opinatur: eius tametſi bulbos non niſi pluribus elixationibus eſculentos reddi ipſemet teſtetur: quales non eſt veriſimile Heſiodum commendaſſe, qui cibum aliquem paratu facilem inſinuaſſe videtur.

Plinius Aſphodelum [inquit Cluſ.] aliquibus Heroion appellari tradit, & Dionyſio marē & feminam eſſe. Hiſpani priorem *Gamones* vocant.

Lob.Obſ. Aſphodelus maior albus: Aduerſ.p. 45. Hiſp.*Gamones & Gamonites*. Aſphodelus maior albus. Aſphodelus flore ſuaue rubente. Item Tom.2.Aſphodelus ramoſus.

*Tab.not.* Tabern. hiſt. & icon. weiß Affodilwurtz. *Aſphodelus 3.albus*. Item Rott Affodillen, Aſphodelus 6.rubens, cuius folia punctis notata.

Gerard.Aſphodelus ramoſus, white Aſphodil. Aſphodelus ramoſus, Branched Aſphodel. Aſphodelus flore rubente. Rod Aſphodill. Duæ priores icones apud Tabern. ſub titulis tranſpoſitæ ſunt.

C.Bauh.Phyt. Aſphodelus 1.ſiue albus ramoſus mas, Cluſio maior, Lobelio ramoſus. Aſphodelus 2.ſiue albus alter, Matth. Aſphodelus, Lob. albus maior. Aſphodelus 3.ſiue Autumnalis.Cam. Autumnalis ſiue maior. Dodon.flore incarnato, Lob.ſuaue rubente. Aſphodelus 4.ſiue flore purpuraſcente foliis maculis aſperſis. Idem apud Matth. aſphodelus non ramoſus, Haſtula regia Matth.

Græcis ἀσφόδελος, Lat. *Aſphodelus*, & *Haſtula regia*, quòd dum floret prorſus ſceptri regii effigiem referat, & *Albucum*, ſiue *Albucus* vocatur, Officinis corrupta voce *Afrodilus*, Arab.*Cheunce*, *Bhunte*, *Biruach*, *Abg*, ſeu *Axeras*. Germ.Goldwurtz/ weiß Affodil blum/ Brab.Affodilen/ Gall. *Hache royale, ou Aſphodel*. It.*Aſphodelo*, *Amphodilla*. An.Affodil, daffodil.

Floret in meſſe autore Dioſcor. inter ſpuria. Oportet autem album Aſphodelum ſecare circa æquinoctium vernum, autequam ſemen augeſcat. Arida Narbonæ littora Aſphodeli communis feraciſsima ſunt, vt ſcribit Lobel. nec minùs montes à mari diſſiti. Sponte ſua naſcitur vterque, teſte Cluſio editioribus, ſaxoſiſque Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ quóq; Aquitanicæ & Narbonenſis, locis. Apud Belgas non niſi ſatus prouenit, vt neque in Germania. Floret vterque illic Martio & Aprili: in hortis Maio, & etiam Iunio. Prouenit ad vnum miliare à Monſpelio, quà itur Frontignan in colle ſaxoſo, vidi præterea inter Aquas mortuas & Arelaten copioſiſſimè, in ſilua quæ dicitur *la Vignede*. In Italia in hortis colunt. Cortuſius in ſuo & in horto Patauino. Bononiæ florentem Aprili in horto Nobilis di Gozandinis, vidi. Geneuæ in horto D. Coladonis Iuriſconſulti, ſatus in meo horto primùm ſequenti anno produxit folium vnicum, rectum, triangulum. Montbelgardi habemus in horto Ill.E.C. Wirt.delatum Monſpelio, vbi hyemem ferre non poteſt niſi reponatur: Nos curauimus etiam Stutgardiam in hortum Il.E.C. deferendum. Baſileæ habuimus in horto Parentis Bauhini Medici, vbi etiam alii plures. Florentiæ obſeruauimus in hortis, & Parmæ florens Aprili in horto Nobilis Antonii Lalatæ.

Aſphodeli radices (ex Dioſc. authoritate) potæ, vrinam & menſes mouent. Sanant etiam lateris dolores, & tuſſes, conuulſa, ruptaque drachmę pondere ex vino potæ. Facit & ad vomitum magis idoneos radix tali magnitudine in cibo accepta. Datur & commorſis à ſerpentibus vtiliter trium drachmarum pondere. Integere autem oportet morſus, & radice, & floribus cum vino. Sordida item & depaſcentia vlcera, & mammarum & teſtium inflammationes cum polenta. At ſuccus radicis addito vino veteri dulci, & myrrha, & croco, ita vt hæc ſimul coquantur, illinendis oculis commodum fit medicamentum. Ad aures item purulentas idem ſuccus per ſe in oppoſitam aurem infuſus, dentium dolores mitigat. Cæterùm vſtæ radicis cinis alopecias replet. Oleum verò in excauatis radicibus ad ignem coctum, exulceratis pernionibus, & ambuſtis illitum prodeſt. Et aurium dolori opitulatur, ſi in aurem infundatur. Vitiliginem quoque albam cum linteo in Sole præfrictam, radix illita eterit. At verò ſemen & flores excellens remedium ſunt in vino poti, aduerſus ſcorpiones & ſcolopendras. Sed & per aluum infernè erumpunt. Et inter ſpuria dicitur radicem potam, appetentiam Veneris inhibere. Sed & Crateuam radiciſecam eadem dicere, & quod radix drachmæ pondere pota cum vino, podagræ dolores curet. Cæterùm, inquit Theoph.multa ad alimentũ vtilia exhibet. Nam & anthericus leuiter ad ignem toſtus, in cibi vſum venit, & ſemen torrefactum. Om-

Omnium verò maximè radix cum ficu tuſa.

## ASPHODELVS BVLBOSVS DODON.
ſiue Ornithogalum ſpicatum flore virente.





Similis Ornithogalo monſpelienſi ſpicato, pugnum implet huius *bulbus*, albus, ſubdulcis, à quo exeunt præparáda *folia* porracea, carinata, humi ferè fuſa ſapore viſcido: inter quæ ſurgit rectus *caulis*, vnicus, læuis, nudus, teres, duobus cubitis altior, potiſſimùm cultâ, in quo dodrantalis ſpica *florum* Aſphodeli & Ornithogali ſpicati, ex longis pediculis folliculo aliquouſque inuolutis, colore herbaceo, vel ex luteo pallido, odore grato, ex ſenis foliis ſtellatis conſtantium, in quorum medio rectà ſurrectæ fibræ latiuſculæ, foliis numero pares, albiores, in mucronem acutiſſimum deſinentes, apices ſuſtinét ex luteo albidos, *capitulum* ambientes triquetrum, oblongum, Pericarpium tria interſtitia habet plena *ſemine* Ornithogali albi ſpicati ita ſimili vt diſtinguere non poſſimus, paruum eſt nigrum, anguloſum, ſapore leguminoſo, vel potiùs rugoſum, Staphidis agriæ modo ſolidum, intus candidum, ſapore quaſi leguminoſo: ſemine maturo ſe aperiunt in tres partes.

Icon noſtra quæ ex emptitiis eſt, in quibuſdã placet potiſſ. in ſpicato flore: altera quæ per incuriam depicta ex Plantini iconibus in eo diſplicet, quòd pro noſtra deſcripta planta, minùs ſpicata ſit.

Ornithogali maioris nomine meminit Cluſius Pann. & Hiſt poſt. quod ſic deſcribit: Omniũ (Ornithogalorum) maximum, portacea habet folia ſena aut plura, caulem inter ea emergentẽ cubitalem aut ampliorem, rectum, nudum, firmũ, magnam florum ſpicam gerentem, qui explicati ſenis foliis conſtare conſpiciuntur ex albo vireſcentibus, & foris herbaceis omnino: iis ſuccedunt trigona capita, nigrum, magnũmque ſemen continentia: radix ſatis craſſa, bulboſa, multis tunicis candicantibus conſtans.

Dodon. cum hiſt. Lugd. (bulbum fortè potiùs dixerit Geſn. horti,) bulboſum Galeni flore pallido [de quo lib. 1. de Alim. facult. & ſimpl. med.] appellat, cùm tamen nihil commune habeat cum Aſphodelis excepto caule cum florum diſpoſitione. Lobel. Obſ. *Aſph. delus* Hyacinthinus fortè Galen.

C. Bauhin. Phyt. pag. 57. Aſphodelus 7. ſiue bulboſus. Camer. apud Matthiol. Germ. Aſphodelus Galeni bulboſus bulbo & floribus albis, quẽ aliqui ſub Ornithogalo recenſent. Suſpicatur Camer. apud Matthiol. non nouiſſe diſcrimen Aſphodeli bulboſi ab Ornithogalo, flore albo Monſpelienſi.

Dodon. apud Belgas non niſi hortenſis. Floret Maio, & Iunio menſe, aut ſeriùs paulò. Cluſ. ſatis frequentem obſeruabat inter ſegetes agrorum (Pannoniæ) Nemethvvyvvar Ill. Bathiani vicinorum Maio florentem. Ego verò Geneuæ paſſim & copioſè à *la Baſtie*, & in colle iuxta *Arue* fluuium, è regione *Champé*, florens Maio mẽſe. Montbelgardi in Horto E. C. plantatus perdurat. Locus & Tempus.

Radix Aſphodeli (inquit apud Dodon. Gal. de alim. facult. 2.) & magnitudine, & figura, & amarore Scillæ radici quodammodò eſt ſimilis: ſi tamen vt Lupini paretur, maximam partem ſui amaroris deponit; inq; eo à Scilla diſcrepat. Nam Scillæ qualitas difficillimè eluitur. Heſiodus certè Aſphodelum laudat cùm ſic ait: Nec quanta in Malua & Albuco ſint bona, norunt. Equidem noui quoſdam ruſticos, qui graſſante fame, vix tandẽ compluribus elixationibus, ac macerationibus in aqua dulci, eſculentam ipſam reddiderunt. Porrò hæc quoque radix, quemadmodum & Draconrii, facultatem habet tenuandi atque aperiendi. Proinde quidam pro ſummo remedio ipſius Aſparagum ictero laborantibus exhibent. Vſtæ autem cinis calidior, & exſiccantior, ſubtiliórque, ác digerere potentior efficitur: ac proinde & Alopecias ſanat. Vires

## ORNITHOGALVM VETERIBVS.

Voniam verò minùs conſtat quale Ornithogalum Veteres deſcripſerint, rectè nos facturos exiſtimamus, ſi ſeorſim de hoc ex Veterum placitis pertractemus. Autore igitur Dioſcor. ὀρνιθόγαλον, *cauliculus* eſt tener, candicãs, tenuis, ſeſquipedalis, tribus aut quatuor in cacumine mollibus agnatis, à quibus prodeunt *flores* herbacei, qui cùm hiantes ſe pandant lactei viſuntur, inter quos diſſectum, cachryos modo, *capitulum* emicat.

Vires ex Dioſcor. poſuimus ſub Ornithogalo vulgari, vbi Camer. addit radicem dulcem & ſuauem.

Quod διϲπιθαμιαῖον Dioſcoridis dixit, Plinius ſemipedalem habet, fortè ex deſcribentis errore, inquit Cornarius.

Ornithogalon itaque nouit etiam Plinius, ſed Ornithogalen vocat. Theophr. & Galenus, & æmuli eius Aëtius ac Paulus, Ornithogalon non nouerunt. Nec nos ex Dioſcoridis deſcriptione ſatis colligere poſſumus, quæ ſit hodie ea herba.

Cæterùm quod Dioſcor. dixit, inter ipſos flores prodire capitellum velut cachry inciſum: id

amb'guum eſt, an de Cachri, quod velut in auellana nuce iulus, in multis arboribus naſcitur, ſit accipiendam, de quo agit Theoph.lib.3.Hiſt. pl. aut de Canchri roriſmarini ſpecie, quod Græci inſerto γ ſcribunt κάγχρυ: ſicut illud ſine γ κάχρυ. Et ad Cachry quidem nos magis ducit ἐντετμημένον id eſt, inciſum: ad Canchry verò, quod addit vnà cum pane id aſſati, velut Melanthium. Hæc itaque ex αὐτοψία pendent iudicanda.

*Cachry* *Canchry.*

*Ornithogali aquino.* Ornithogalum nos exiſtimamus verius eſſe vulgare Matthiolo incognitum, licet in Italia copioſè proueniat, pro quo neſcimus quam plãtam aut figmentum exhibuit ſua icone: noſtrum duplex eſt. Cornar. authore Ornithogalon eſt ea radix quam Germ. Erdnuß & Foſſel Forn appellant, quam alii Apion volunt: hic ſanè non paruus eſt lapſus Cornarii ac etiam Ruellii eandem noſtro iudicio plantam intelligentis.

*Cornarii & Ruellii lapſus.*

## ORNITHOGALVM SPICATVM albo flore Monſpeſſ.



Deſcriptio

Hvic *radix* bulboſa vnica eſt, magna, cepam imitata, Cluſio candidior quàm præcedentis, flore virenti, & longior interdum in amplã magnirudinem exruberans: *folia* cubitum longa, pollicem lata, & extremo mucrone acuminaro: *caulis* quantùm hactenus obſeruare eſt datum; ſingularis, robuſtus, cubiro longior, ac etiam bicubitalis, teres, firmus, Cluſio vitidior præcedenri flore virente, à medio ferè ad ſummum faſtigium, compluribus ornatur ſenſim ſeſe aperientibus floribus, tam denſo agmine circa faſtigium ſtipatis, vt ſpicam ementiantur, quorum ſingulares tam prope ad Ornithogali albi minoris *flores* accedunt, vt pro iis fallanr decerpri, intus albi, foris herbacei, apicibus in medio luteis, fotis præter oras quę albæ ſunt omninò virides, interiùs veto dum explicati ſunt lactei omninò candoris: *ſemen* in triangulis capitibus alteri ſimile, ſed paulò maius & oblongius, nigrum, rugoſum inęquale, vt in Staphide agria, ſed paruum admodum.

*Matth. not.* Matth. in Dioſcoridem cum magn. fig. & Ital. *Hyacinthus Orientalis alter.* Cuius ſolam ponit figuram cum titulo, ſoliola ad radices pediculi, faciunt differentiam ab Hyacinthis.

Cluſ. Pann. p.188. Ornithogalum maius Mõſpelianum. Et p.191. Ornithogalum maius Mompeliano ſimile, è ſemine, Moly nomine à Raſſio ipſi Lutetiã miſſo, natum. Camet. Epit. Matth. Ornithogalum alterum maius. Et hiſt. Matth. Germ. Ornithogalum Narbonenſe, quod etiam dicitur Aſphodelus bulboſus & appoſuit figurã ex Geſnerianis ad meam plantam. Aduerſ. in titulo Aſphodelus Hyacinthinus fortè Galeni: Ornithogalum ſpicatum quorundam. Monſpelienſium nonnullorum Pancratium. Aliorum Aſphodelus Galeni, & in margine, Aſphodelus fœmina Dodonæi. Ic. pl. p.94. & Obſ. pag.47. Ornithogalum Spicatum Monſp. flore lacteo. Ornithogalum intus foriſque ex albo flaueſcit, neque candore lacteo vt Ornithogali renidet, neque auerſa parte herbidus. Radix verò minor, oblongior, Ornithogali ſpicati. Item.p.48. Ornithogalum ſpicatum minus, ſiue altera ſpecies, omni ſui parte longè minor, Belgica vireta cultiora alunt, cuiuſmodi Liera D.Io.Riffii, & D.Mariæ de Brimon vxoris D. Conradi Schetz. Benè fuiſſet Lob. ſi annotaſſet olim ſe idem exiſtimaſſe cum Aſphodelo fœmina. *Lob.*

C.Bauh. Phyt. Ornithogalum.i. ſiue maius ſpicatum, & huius ſpecies longè minor Lobel. quæ ab Ornithogalo magno ſpicato, tantùm magnitudine diſtare videtur, at verò cum Ornithogalo magno Μῶλι Dioſc. conuenire. An Epimenidium. Theophr.l.7.hiſt.c.11. de quo Plin.l.19. c.5. Epimenidii nomine. Idem apud Matth. Ornithogalum maius ſpicatum, folia modò anguſtiora, modò latiora, in hiſt. Lugd. duabus figuris oſtendit. Sunt qui Dioſc. Ornithogalum cenſeant.

Hiſt.Lugd Ornithogal. Narbonenſe Dod. Ornithogalo Narbonenſi ſimile & magnitudine tantùm diſtare videtur, quod à Mycono habuimus. Ornithogalum magnum Myconi.

Inter ſegeres Mompeliano agro & per Hiſpanias Viennæ etiam Cluſio natum ſemine à Raſſio Luteria miſſo Moly appellatione. Maio florer. Abundat Italia & propè Monſpelium prouenit inter ſegetes. Florens menſe Aprili. Mihi delatum exiſtimo ex Italia per fr.C.Bauh. nomine Aſphodeli minoris albi Cortuſi. Eſt nobis Montbelgardi in horto Ill.E.C.Wirt. vbi repoſitum hieme floret quotannis. *Lo-cus*

### *Ornithogalum maximum floribus prorſus niueis.*

Tametſi ſcripſerim (inquit Cluſ. Hiſt. poſter.) Ornithogalum illud quod Dodonæus Aſphodelum Galeni, omnium maximum eſſe, nunc tamen ſententiam muto. Nam poſtea aliud genus mihi conſpectum eſt illo longè maius: cuius hiſtoriam in hac Append. lectori proponendam cenſui. Mulra id ineunte vere ab radice producit *folia*, longa, diluriùs virenria, latioraque, quàm Narbonenſe & Byzantinum, inter quæ prodit ſeſquicubitalis, & amplior interdum caulis, craſſus, viridis, læuis, magnam, longamque florum ſpicam gerens, vt centenos, aut plures in eadem ſpicâ numerare meminerim, ſex foliis conſtanres, niuei prorſus candoris, & nullo neruo viridi, vt aliorum flores, inſignitos, qui interdiu explicantur, ſexque ſtamina brenia & latiuſcula, alba, flauis *apicibus* prædita, *capitulumque* trigonum cingentia, & vmbilicum occupantia oſtendunt, noctu verò contrahuntur, aliorum inſtar: floribus excuſſis, ſuccedunt trigona capita: *ſemen* rotundum, nigrum continentia. *radix* bulboſa, craſſa, candida, è lata ſede multas fibras emittens.

Floret cum aliis maioribus Maio, interdum etiam Iunio, pro anni præcocioris aut magis ſerotini ratione. Eum bulbum accipiebam Ornithogali Arabici Lilii Alexandrini appellatione inſignitum:

gnitum : quemadmodum etiam Byzantinum eadem appellatione non ſemel ex Italia ad me miſſum.

*Orinthogalum Byzantinum Cluſio.*



ORnithogalum maius Byzantinum (autore Cluſio) paulò humilius Ornithogalo ſpicato albo Monſp. dilutiore etiã caule & foliis, quod cæpit Byzantio deferri aliis bulbis permixtũ nullo addito nomine: noſter pictor minùs benè expreſſit eam iconem.

## ORNITHOGALON CRETICVM ET Pannonicum albo flore.



ORnithogalum Creticum rariorum ſtirpium exoticarúmque, haud poſtrema, liberalitate eximii Medici Cretenſis Honorii Belli ad Fratris, indéque ad noſtras prouenit manus. *Bulbo* eſt nuce Auellana maiore, cuius lateribus noua proles ipſo genitore minor adnata erat: ſapore tantillùm amaricante: fibris tenuibus, vti in Cepis donato. Ex quo *caulis* prodibat pedalis in cacumine *flores* gerens vulgaris Ornithogali maioris, ſed paucos, in ſpicæ morem digeſtos, ſex foliis conſtantes, extrinſecus virentibus, internè albis : in quorum ſinu veluti glomulus ſtaminibus cinctus. *Semen* paruum nigrum rugoſum, ac velut araneoſis punctulis eleganter impreſſum, rotundum, niſi quòd vna parte modicè exacutum ſit, durum intus, candidum : ſapore ſubdulci.

Simile ſi non idem eſt Pannonicum Cluſii Ornithogalon flore albo, quod deſcribit: addens, Illud peculiare habet hæc planta, vt natali loco, vbi ſponte naſcitur magna ex parte, cùm floribus onuſta eſt, ſine foliis conſpiciatur, aut ſaltem iam ferè euanidis & flaccidis. At in hortis culta diutiùs plerumque folia retinere ſoleat, & in maiorem amplitudinem excreſcat, ſpicam aut vicenûm aut plurium florum nonnunquam proferens. Anno 1603. ſub Kal. Decembres accipiebam Burdigalâ paucos Ornithogali bulbos, quos in Pyrenæis montibus erutos eſſe adſcriptũ erat: cuius autem generis ſint, proximus annus [ſi viuemus] nos docebit : quantùm verò ex bulbi forma coniicere poteram, non videbantur diſſimiles Ornithogali Pannonici flore albo iam deſcripti bulbis, quales etiam in aliis prouinciis naſci veriſimile eſt.

Cluſ.Pann Ornithogalum 1.ſiue Pannonicum minus flore albo. Poſt.hiſt.lib.2.cap.23. Ornithogalum quartum. Tabern.icon & hiſt. Ornithogalum Pãnonicum, ſiue 2. Vngeriſch Erdnuß aut feldzwibel. Caſp.Bauhin. Phyt. Ornithogalum 4.ſiue album minus alterum. An Camer.Ornithogalum ſerotinum, folio magis cæſio & minùs pingui. Gerard.Angl.lib.1.cap.85. Ornithogalum Pann. Star Hungaric.

Largiſſimè prouenire obſeruauit Cluſ. aperto illo & latè patente campo ſecundum ſiluulam pagi Lachn imminentem, & in ſiccioribus pratis ſecundum Danubium, in monte Badenſibus thermis imminente, totáque illa montium ſerie, inde vſque ad Calenberg excurrente, & Hamburgenſe monte apertis & gramineis locis. Bulbum & ſemina miſſa à D. Bello ex Cydonia Cretenſi terræ commiſimus in horto Montbelg. quem auſpiciis Ill.D. Wittemb. colimus. Locus

## LILIVM ALEXANDRINVM SIVE ORNIthogalum magnum Syriacum.



SVmmo *caule* florem gerit magnum, Narciſſi mediocrocei parem, quinque radiatis *foliis*, in obtuſum mucronem deſinentibus, cãdidis totis, cõſtantem, cuius medium occupat *capitulum* magnum, pericarpii rudimentum, circumſtantibus acuminatis *ligulis* pluſculis. Deſcriptio

Inter Lilio-Narciſſos [ait Lobel.Obſ.] & Ornithogala media eſt hæc venuſta planta : radice quippe Ornithogali: folia oblonga Narciſſi prodeunt, imum caulem glabrum ſingularem, pedalem & cubitalem ambientia, in ſummo alis diuiſum, quibus liliacei, lactei candoris, calycis inſtar, ſenis foliolis radiati flores, Iunci aquatici, Alii vrſini longè maiores, Tulipæ minores, obtuſi, è quorum fundo glomerulus pullus protuberat. Semen pericardio tereti Ornithogali clauditur. Stamina luteola glomeratum fundum pullum ambientia.

Id fusè deſcribit Cluſius hæc addens : Ex Italia miſſus bulbus Lilii Alexandrini nomine: Cõſtantinopoli verò ſemper *Zimbal arabi*, quod

Hyacinthum Arabicum ſonat. Sed quoniam ad Ornithogali genera potiùs referendus videtur, quàm ad Hyacinthos, Ornithogali Arabici nomen indidit: licet Matthiolus Narciſſis adnumeret. Viennenſes matronæ weiß Jacinthe/ hoc eſt, candidum Hyacinthum appellant.

*Iacintho del padre noſtro.* Nunc Italos hanc plant. *Iacintho del padre noſtro* appellare intelligo [ inquit Idem Cluſ. Exot.pat. 2. Append.2.] ob capitulum, ſiue orbiculum in medio flore conſpicuum, vt opinor. Nonnulli autem (Lob.Obſ Tab.icon & hiſt.cum Hiſt. Lugdun.) Narciſſis, cum quibus nullam affinitate m habet, à Matthiolo adnumerari cenſent, & ab eo Narciſſum quartum appellari: ſed falluntur, *Narciſſus Matth.* In eorum numero me aliquando fuiſſe ingenuè profiteor, ſed iſtam opinionem nunc reuoco: nam alia eſt planta ab hac diuerſa quam pro Narciſſo quatto Matthiolus proponit: ea tamen etiam inter Ornithogali genera referenda.

Lobel. Obſ.& Ic.Pl.p.105. Lilio narciſſus polyanthos, Lilium Alexandrinum Neotericorum. Ornithogalum maius Dodon. C.Bauh.Phyt.Ornithogalum 7. ſiue maximum. Camer. in hiſt. *Ornithogalum maius Dod.* Germ.Matth.Narciſſus 5.Matth. Dod. Ornithogalon maius non facilè ferens ſolum noſtrum frigidum. Item c.82.l.4. Ornithogalum Arabicum *Ornithogalum maximum.* aut maius Dodonæi, ex quo Matth. Narciſſum facit. Et Horti, Lilium Alexandrinum inter Lilionarciſſos & Ornithogala medium, flos ſuauem odorem præbet.

*Dulipa. Hiacinth.* An Cæſalp. Dulipan & Hyacinthus albus de quo dicit: Caule eſt cubitali, craſſo: coma in cacumine, veluti vmbella: floribus candidis, latifoliis: vaſculis nigris: Bulbum fert grandiorem, quàm prædicta genera, cortice nigro: folia quoque maiora, ſed ſimili modo prælonga, & ſtrata, hanc putauerim Bulbum vomitorium eſſe.

Locus & tempus. Belgis primùm communicata hæc planta fuit, miſſis ex Italia eius radicibus Ill.Ioh. de Brãcion, à C.V. Alphonſo Pantio, & ampliſſimo Ia.Ant. Cortuſo, deinde etiam Conſtantinopoli cum aliis raris ſtirpibus accepta. Semel iſtic florentem vidit Cluſius Maio, Viennæ autem perſæpè. Mira autem eſt huius bulbi natura: nam plerumque repertus eſt uix vlla folia promere, niſi ſingulis annis exemptus aliquantò tempore adſeruetur, deinde Autumno terræ denuò concredatur, tum enim demum germinare ſolet etiam antè brumam: nullus autem florere ipſi conſpectus eſt, niſi recens Conſtantinopoli allatus. Nam ex illorum eſt numero, qui niſi iſtic eruti iam conceptum in vtero florem habeant, in frigidiores prouincias tranſlati, nullum dent. Præterea cùm frigoris valdè impatiens ſit, neque Viennæ hyemem in horto ferre potuit: ſed in fictilibus reponendus, vbi bulbis circa matrem adnatis feliciter ſe propagare ſolet.

Toſſanus Carolus Burgundicus Pharm. miſit bulbulos Lilii Alexandrini, quos plantaui in Montbelg.horto Il.E.C. Dominus à *Belle fontaine* miſit mihi Veſuntio anno 1594. bulbos ex Italia, qui non flore albo.

## ORNITHOGALVM VVLGARE ET verius maius & minus.

Deſcriptio. *Radix* bulboſa candida quæ multos bulbulos adhęrẽtes habet, veluti racematim cõpactos,



fibroſos, ſe plurimùm multiplicantes, guſtu amaricante, lenta ſpumoſaque mucagine maſticatos os replentes: *folia* promit anguſta, tenuia, lõga, etiam ad cubitum ipſũ caulem multùm ſuperantia, carinata, per medium eorum lactea diſcurrente linea in terram ſtrata, mollia, & inter hæc caulem dodrantalem, & ſeſquipedalem tenerum, teretem & nudum, qui circa faſtigium *pediculos* emittit, quorum vnicuique ſubiectum *foliolum* oblongum, membraneum, acutum, *flores* ſuſtinentes è foliis ſenis compoſitos, oblongis, lacteo intus candore, foris non niſi per oras, medio herbido: intra quæ ſtamina latiuſcula, ſena, candida, apicibus luteis: in medio *capitulum* canulatum hexagonon ſtilum è ſummo profert albidum, ex quo vaſculum continens, inquit Camerarius, *ſemina* compreſſa nigri coloris. Ornithogalum Dioſc. & Plinii (quorum deſcriptiones antè poſuimus) affirmaremus, ſi crudum mandi obſeruaremus.

Ornithogalum Matth. quod adeò inter ſegetes frequens oritur, vt, ſi Maio menſe in aruis requiratur perpenſis priùs notis illi à Dioſc. attributis, facilè ab omnibus inueniatur. Hiſt.Germ. Erdnuße. Lat.cum fig.& Ital. Ornithogalum.1. Item Ornithogallum ſecundum. Si Matthiolo notum, cur non deſcribit? cur contentus apponere figuram non exprimentem verum Ornithogalum. Mirum in poſt.com. retinere priorem falſam ac etiam ſecundam falſam addere nomine Ornithogali ſecundi, nullum declarans diſcrimen: vel hinc ſolùm ſatis apparet Matthioli imaginaria in ſtirpibus peritia, celebri encomio, attamen à ſtirpium ignaris decantata.

Lonicerus quoque aſſumpſit iconem Matthioli reiiciendam, vt & qui illi patrocinatur.

Dodon Gall. vocat Ornithogalum, Belg. Velt Ayenyn. lib. autem de floribus c.23. vocat, Bulbum Leucanthemon. Ibidem ei dicitur ὀρνιθόγαλον Dioſc. legitimum, & à Plinio Ornithogale.

Lob.& Pena Adu.Obſ.& Ic.Pl.p.148. ὀρνιθόγαλον, Ornithogalum candidum vulgare. Belg. wit Velt aynyn. Gal. *Churles, & oignon blanc champeſtre*. Hiſp. *Leche Gallina.*

Cluſ. Pann. Ornithogalon vulgare flore albo. Hiſt. poſt. Ornithogalum quintum, vulgare omnibus certè, quas pera grauerint, regionibus, obuium in agris.

Hiſt. Lugd. ex Matthiolo, duas Ornithogali plantas exhibet, quòd duo eſſe eius generà exiſtimet. Quorum vtrumque cum caule folioſum ſit, & differat ab eo quod Dod. depingit, quodque legitimum Dioſc. Ornithogalon eſſe cenſet. Ornithogalum.1. & 2. Matth. Ornithogalum Dod. ſeu bulbus Leucanthemus.

Tab.

Tabern.icon.& hiſt.Bulbus Solſequius Weiß=feldzwibel. Compil. Tabern. iconem Ornithogali [ quæ non placet ] cap.de Scilla ſub modò dicto titulo exhibet, quæ erat ponenda folio ſequenti pro ſuo Ornithogalo primo maiore, vbi alterius plantæ, nempe Ornithogali flore pallido, icon malè poſita : Ibidem etiam conſiderandum an benè dicat Ornithogali flori albo folia nonnihil aſpera.

Gerard. Ornithogalum luteum Star of Bethlehen.

C.Bauh. Phyt. Ornithogalum. 2. Ornithogalum 1.Matth. an diuerſum à ſequenti cogitandũ. Item Ornithogalon. 3. ſiue album minus, Matthioli.2.Lob.Ornithogalon. Item apud Matth. Ornithogalum 1. Ornithogalum 2. ſiue album minus.

Copioſè prouenit in pratis circa Dreſdam ad Albim fluuium, vbi vere reperit Camerarius. Cluſ.Frequens eſt vltra Drauum & Waraſdinum in agris,& nuſquam non Cluſio conſpectum vbi fuit. Abundat in Italia propè Patauium & iuxta Villenouam: floret Martio. Hanc apud Geſnerum vidi florentem menſe Maio. Circa Lugdunum copioſè prouenit. Inter Mulinam & Saſeul Caſtellum & oppidum in Italia ſponte. Baſileæ vidi menſe Februario pulchrè prorumpens in horto D.D.Fœlicis, vnde Montbelgardũ tranſtuli virens menſe Decembri. In horto E. C.W. ita ſe bulbulis multiplicat, vt odioſum ſit. In horto Nicolai Ferrarienſis Aprili menſe florens obſeruaui.

Coquitur à Dioſc. cũ pane, vt Melanthium. Radix bulboſa, cruda & cocta manditur. Camer. citans Dioſc.addit: Eſt enim dulcis & ſuauis: vbi hoc inuenerit neſcimus, in noſtro Ornithogalo nullam dulcedinem aut ſuauitatem experimur, imò nobis amaricat.

*Ornithogalo Vulgari ſimile latiore folio.*

Ornithogalum hoc attulit mihi Hortulanus Ill. Celſ.Wirt.Ioh.Manaut iunior, quod mihi primò viſum Montbelgardi, florens anno 1610. Aprilis principio, vulgatiore nondum floris, nec caulis rudimentum demonſtrante. Huius *caulis* erat breuis, *flores* exteriùs virides, interiùs albi: *folia* latiora duplò, lineâ albicante deſtituta. Ornithogalum hoc vulgare aliud, teſte Cluſio, alebat Viennæ in cultiſſimo ſuo horto, Generoſa D.de Heuſenſtein, latioribus foliis, craſſiore caule, amplioribus floribus, paulò maiore bulbo, ex Tyrolenſi comitatu allatum: alioqui cum quinto (vulgari) conueniens. Quale etiam Neapoli ad Cluſium mittebat doct.Vir. Ferd. Imperatus.

## ORNITHOGALVM NEAPOLITANVM.

NOuum Ornithogali genus rectè mihi antè incognitum [ inquit Cluſ. Exot. par. 2. App.2. ] Neapoli ad me mittebat an. 1600. Doctiſſ. Ferdin. Imperatus, & illud quidem non elegãs pro Arabico, quod ab ipſo petieram. Proferebat anni inſequentis primo Vere terna aut quaterna *folia* carinata, longa, Hyacinthinis non valdè diſſimilia, verùm anguſtiora, viridia: inter quæ prodibat *caulis* ſatis firmus, dodrantem altus, læuis, viridis, ſuſtinens ſuperna parte quinos, vel etiam plures interdum *flores*, in anteriorem partem propendentes, tametſi alternis in ſingulis caulis lateribus naſcentes è cuiuſdam mēbranulæ ſinu, internâ parte candidis, externâ autem ex cineraceo viteſcentibus, oráſque albas habentibus: floris vmbilicum occupabat alter floſculus ſex etiam foliis minoribus præditus, quæ extimâ parte quodãmodò coibant, & veluti tubulum formabant, in quo apparebant ſex alba ſtaminula flaueſcentibus apicibus donata, & medius ſtylus albus:



flores porrò erãt prorſus inodori quibus ſuccedebant trigona *capita* craſſiuſcula, in obtuſum mucronem deſinentia, quæ caulem propter grauitatem deprimētia, *ſemen* nigrum rugoſum continebant: *radix* erat bulboſa, candicans, fuſcâ tamen membranâ tecta, in conum ſupernâ parte faſtigiata, in fernâ autem plana, perinde ac Ornithogali Arabici radix, minùs tamen ampla ſede, ſed multis candidis fibris in ãbitu prædita.

## ASPHODELVS MINOR FOLIO fiſtuloſo.

IN Aſphodelorum claſſe & hanc quoque connumerant ſpeciem minorem, quæ ex fibroſis phalangii (cui tota planta ſatis ſimilis) *radicibus* mediocriter craſſis, non nodoſis tamen, *folia* promit, multa, anguſta, rotunda ferè, tres aut quatuor vncias longa: inter quæ *caulis* ſurgit teres, in ramos aliquot fiſſus. *Flores* Aſphodeli minores, ſicuti & capitula. Deſcriptio

Ante 40.annos deſcripſimus plantam repertã menſe Maio in Prouincia per ſtudioſum ſocium Leonhard.Rauvvolf. Auguſtanum Medicũ cùm eſſemus Monſpelii. Huius autem ſemen ni fallimur nobis miſſum eſt ex Italia per Fr.C.Bauhinum quod ſatum Montbelgardi produxit plantam eodem anno, radicibus etiam fibroſis, foliis tantæ magnitudinis vt cubito eſſent lõgiora, ſtriata, fiſtuloſa, in acumen deſinentia: è foliorum medio caules plures ſurgebant teretes, ramoſi: A medio caulium ad ſummum vſque flores expandebant ſenis foliolis conſtantes, colore lacteo linea ferrugi-



nea vnumquodque folium ſecundum longitudinem percurrente, ſtaminibus in medio lacteis, apices ferrugineos ſuſtinentibus: vaſcula ſuboriabantur triquetra ferè: ſemen nigrum triangulum claudentia: florebat Montbelgardi Septembri: teconditus interdum proferebat hyemem, & eodem anno matureſcebant ſemina.

Fiſtuloſum Aſphodelum videramus antè Tiguri, in horto D. Geſneri, florentem Maio, cum capitulis ſe demonſtrantibus. Nobis etiam viſa planta in oppido *L'iſle* in horto præf. D. Friderici Cappler nobilis ſummi amici noſtri: obſeruauimus etiam Stutgardiæ in horto Ill. C. W. florentem Maio.

Cluſium noſtrum Aſphodelum fiſtuloſum ſic tradere arbitramur: Aſphodelus tertius, vt foliis, caule, & floribus ſatis ſimilis eſt ſuperioribus, ita radicibus omninò differt, quæ non glãduloſæ, ſed fibroſæ, craſſæque & numeroſæ, ex vno capite naſcuntur: folia Aſphodeli, minora, multò anguſtiora, lentiora, dilutioriſque ſunt coloris, è quorum medio ſex aut plures eadem radice aſſurgunt caules cubitales, ramoſi, quos ſine ordine naſcentes ſtipant flores, ſuperioribus ſimiles, ſed minores, medium folium purpuraſcente venâ per longitudinem ſecante: floribus ſuccedunt triangula capitula, initiò viridia, deinde exalbida, in quibus ſemen rugoſum, altero minus.

Dod. hiſt. fl. & lat. in fol. Pſeudo aſphodelus quidam non abs re videtur, aut minor Aſphodelus. Geſner. horti ex ſententia Coldembergii, Aſphodelus annuus, & Aſphodeli ſpecies altera radice breuiori. Anne eidem in append. Aſphodelus tertius minor, Aſphodelus maritimus quorundam? Tota Geſneri deſcriptio optimè conuenerit noſtro Aſphodelo minori folio, fiſtuloſo, niſi diceret foliis eſſe non cauis. Aduerſ. Phalangium Cretæ Salonenſis. Lob. Obſ. & Ic. Pl. p. 48. ſicut & Hiſt. Lugd. Aſphodelus minor Cluſii & Dodonæi. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Aſphodelus minor & tertius radice fibroſa, Valentini *Gamoncillos*, id eſt, paruum Aſphodelum, Granatẽſes *Cebolla de culebra*, hoc eſt, Cepam Colubrinam appellant. Patauina ſchola Aſphodelum fiſtuloſum, quòd concaua folia habeat forſitan. Tab. icon. & hiſt. Phalangium Narbonenſe Erdtſpinnen kraut Gerard. Phalangium Cretæ, Candy Spiderwort. C. Cluſio Aſphodelus minor. Pro hoc Phalangio non bene ponitur icon, quia Tabern. poſita eſt pro Aſphodelo luteo paluſtri, & ab ipſomet Gerardo iterum l. 3. c. 64. pro Aſphodelo Lancaſtriæ: non benè etiam interpretari videtur Cretam Salonenſem Lobelii per vocabulum *Candy*. C. Bauh. Phyt. Phalangium 5. ſiue minus foliis fiſtuloſis.

*Gerardi error.*

Locus. & tempus.

Toto Valentino regno, nullus ferè eſt alius Aſphodelus: naſcitur & Gadibus ad ipſum pontem de Suaço cognominatum, quo inſula cõtinenti coniungitur, & pleriſque Granatenſis regni locis: olim etiam campo illo lapidoſo ſuprà Arelatem, Maſſiliam proficiſcens ſecus ſemitas colligere meminit Cluſius, ſemine ex Hiſpaniis à ſe delato: amicis natus eſt in Belgica, ſed cùm frigoris ſit impatiens, peribat hieme, eam ob cauſam annuum cẽſebant, donec ipſo monitore (qui magnas illius plantas hieme virentes in Hiſpania viderat) Ill. Io. de Brancion vnam ex iis quæ poſtea ſemine natæ, fictili inditam conſeruaret, quæ deinde aliquot ſubſequentibus annis florens, maturum ſemen præbuit, quod etiam terræ creditum prouenit. An porrò alicuius in re medica ſit facultatis à nemine hactenus intellexit.

## ASPHODELVS MINIMVS ALBVS



Deſ.

NOuum Aſphodeli genus, inquit Cluſius in Hiſt. appẽd. & à nemine deſcriptum, ſemine natum ſibi eſſe ſcribebat Iacobus Plateau. Minor eſt tertio iam deſcripto, & ab eo plurimùm differt: nam glãduloſas *radices* habet inſtar Secundi generis, licet minores, è quarum *capite* prodeunt quina aut ſena *folia*, valdè anguſta, & longiuſcula, inter quæ aſſurgit *cauliculus* rotundus, dodrantem aut pedem altus, ſingularis, nec vllis ramis præditus, in quo ſpicæ in modum naſcuntur multi *flores* albi, ſex foliis conſtantes, quorum ſingula internè & externè, verâ quadam ſecundum longitudinem ſunt notata, perinde ac Tertii præcedentis flores.

Iulii initio flores proferre incipere ſcribebat, quùm reliqua genera ſuos abiecerut, proptereaq; magis illis ſerotinum cenſendum: hieme folia amittere, & noua denuò adquirere circa Aprilis initium.

## ASPHODELVS LVTEVS.



Deſ.

QVanquã Aſphodeli lutei meminiſſe non comperiuntur Veteres, tamẽ in Aſphodelorum cenſum cooptandum hunc eſſe multa docent. *radices* ab vno capite multæ natæ, ſed longè tenuiores quàm Aſphodeli albi maioris, colore luteo præditæ, exporrectis per tranſuerſum fibris ſe propagantes: *caulis* Aſphodeli albi modo ſeſquicubitalis, ſingularis, à medio ad ſummũ *floribus* ornatus Aſphodeli, ſed luteis: quos excipiunt pericarpia rotunda *ſemen* continentia: *folia*

porrò

porrò vt longitudine folia Aſphodeli iam dicti vincunt, ita iiſdem latitudine cedũt,colore glauco prædita.

De hoc fortè Lobel. Adu. Aſphodelus luteus minor,nuſquam littoreis iiſdem viſitur, tametſi hortis Batauinis & Galliæ familiaris luteus hic Antiquis indictus, generéque diuerſus, eſt enim radicibus prolixioribus,nec ita bulboſis,ſed Corrudæ modo minùs tuberoſis, leniúſque turbinatis,è quibus Cyperi folia complura exeunt,exilia, ſaturo virore. Caulis rectus floribus crebris luteis, alterius ſimilibus, faſtigio tenus ſtipatus: ſemen triangulum pericardiis continetur primi modo.

Lobel.Obſ.& Ic.Pl. pag.91. Aſphodelus luteus minor. Adu.pag.45. Iphyon Theophraſt. Angaill.& *Erizambac* Arabum quorundam. Conſiderandum an figura poſſit conuenire noſtro Aſphodelo minori luteo.

Matth. Ital. cum magn. fig. dicit Vnam Aſphodeli ſpeciẽ proferre florem luteum: ſed non diſtinguit radicibus & foliis ab altero.

Camer.apud Matthiol. Germ.& Epit. Gelb Affodil wurtz. Aſphodelus luteus ſiue fœmina Plinii.

Quid autem ſit Iphyon Theophraſt.certò affirmare non poteſt Anguill. Aſphodelus flore luteo pro eo poteſt demonſtrari. Quod etiam Aſphodelus luteus Recentioribus à Dionyſio fœmina dictus ſit teſtatur Dodon.hiſt.fl.& in ſol. Geſner. hort. Aſphodelus luteus. Præterea Aſphodelus alius radice lutea. Hort.Luſit.Aſphodelus luteis floribus.

Tabern.icon.Aſphodelus luteus: & hiſt. luteus 5. Item ic.Aſphodelus luteus minor,& Hiſt. Aſphod.4. Compilator Tabern. non deſcribit nec demonſtrat qua in re ab albo vel à quarto minore luteo differat: præterea appingit malè radices, quales albo. Icon autem Tabern. Aſphodeli lutei minoris eadem eſt cum icone à Lobelio exhibita.

Gerard.ſequitur Tabern.cuius iconem habet ſub titulo Aſphodeli lutei Gelb Affodil: verùm cap.64.Iconem Tabern.minoris habet ſub hoc titulo Aſphodelus luteus minor The kings ſpeare/ & poſt Xiphium Lat.Aſphodelus luteus ſiue Dionyſius, Haſtula regia. An Gerardus nõ inſipiat, quòd diuerſo capite iconem Aſphodeli Tabern. minoris ponat, iudicent periti: cur etiam Xyphii nomen ei tribuit?

Caſp.Bauh.Phyt.& apud Matthiol. Aſphodelus 5. ſiue luteus & flore & radice. Haſtula regia Trago. Nos Haſtulam regiam apud Tragum non inuenimus.Hiſt.Lugd.duas habet figuras, vnam quidem Aſphodeli lutei Dodon. Alteram verò Aſphodeli lutei minoris Lobelii.

Aſphodelum luteũm Tiguri primò vidi apud Geſnerum,deinde Baſileæ in duobus hortis, florentem Maio: fructu turgentem menſe Iunio. Patauii in horto D. Cortuſii & horto Patauino. Ferrariæ in horto Cœnobii S.Dominici à *l'Angeli*. Bononiæ in horto Nobilis di Gonzadinis Aprili ferè florens. Montbelgardi tranſtuli in hortum E.C.ex meo hortulo: Argentinã etiam attuli ex horto Di.Friderici Meyer. Stutgardiæ vidimus in horto Ill.E.C.florens Aprili anno 1610. Lobel.Hortis Batauinis & Galliæ familiaris.

## ASPHODELVS MINOR RADICE LVTEA.

ASphodeli ſpecies peregrina radice lutea Geſner. Item in Append.Aſphodelus alius mediæ magnitudinis; radice lutea.

Anno 1594.Stutgardia accepi mus ſemen miſſum per Hortulanum Ducis Florentiæ cum hac inſcriptione. *Aſphodelus luteus minor Cretenſis*: ſemen valdè anguloſum & acutum,multò maius quàm ea ſemina, de quibus mentio facta ſub Aſphodelo fiſtuloſo: videndum erit an conueniat cũ planta Geſneri: prouenit mihi, ſed vnicum tantùm produxit ſoliolum menſe Iunio, cùm fuiſſet ſatum in horto E.C. Montbelgardi menſe Aprili. *Locus & Tempus.*



## ASPHODELVS LVTEVS ACORIFOlius paluſtris Anglicus Lobel.



FOlia promit pulchrè virentia, aliquantulùm ſtriata, Iridis aut Gladioli ſimilia,ſed anguſta, & dodrante breuiora: *caulem* rectum,pedalem, Antherico ſatis ſimilem: *flores* è ſenis foliolis, exiguis ſtaminibus in medio, colore luteo pallentes, Aſphodeli lutei æmuli, ſed minores: *ſemen* perexiguum in oblongis acuminatis vaſculis *radix* longa, geniculata, non abſque fibris ſerpit graminis modo. *Hæc ex Dodonæo.* Deſcriptio

Dodon.itaque lat. in ſol. Aſphodelum hunc paluſtrem quemdam vocat, Aſphodelo ſc. luteo caule, floréque ſimilem.Huic refragatur autopſia Cluſ.Hiſt.poſtr.ſcribentis: Pſeudo-Aſphodelum primum potiùs dixeris, quàm Aſphodelũ flauo flore paluſtrem: nihil enim Aſphodelo ſimile habet præter flores,licet Dodon. caulem etiam ſimilem faciat,qui tamen non eſt nudus,ſed multis foliolis ſiue vaginulis illum amplectentibes donatus.

Hic Pſeudo-Aſphodelus maior appellai poſſet, ad differentiam ſubſequentis.

Huius iconem exhibet Gerard. Angl. lib. 3. c. 64. nomine Lancaſthirr Aſphodill / Lancaſtriæ Aſphodeli: Quæ poſtea ab eodem Hiſt. ſuæ

lib.1.c.33.malè reponitur ex Tabern.pro Phalangio Cretæ.

*Gerard.not.* Lobel.Adu.Aſphodelus acorifolius paluſtris, luteus,Angliæ,Flandriæque,vel potiùs Aſphodelus paluſtris, & Pſeudo aſphodelus luteus : Baſtard yellow Aſphodil.Obſ.& Pl.icon.p.92. Aſphodelus minimus luteus, Acorifolius paluſtris, Aſphodelus luteus paluſtris Dodon. in agro Lancaſtri Angliæ. Scribit autem Lobel.Adu.par. 2. Rhizotomos,quoſdam Tabern. Aſphodelum luteum paluſtrem, Batauorum, & Brugenſium, confundere cum Lancaſtrienſi Aſphodelo luteo de quo pòſt : verùm ſi liceat verum dicere ipſemet id facit,in Adu.Obſ.& Ic.Pl.vbi iconem ſub dictis titulis ponit à nobis hîc poſitam ac eandem cum Dodonæi icone.

*Lobel.not.*

Tab.icon & hiſt.Aſphodelus luteus paluſtris. 7.Geel waſſer Affodil wurtz.

C.Bauh.Phyt.Aſphodelus 6.ſiue paluſtris, Geſnero tertius. *C.B.not.* In quo ad ſiniſtram deflectit C.B.A paluſtri ſiquidem longè diuerſus Geſneri, qui nobis eſt Aſphodelus minor folio fiſtuloſo. Dodon. naſci tradit in humidis quibuſdam ac paluſtribus Flandriæ ericetis : æſtiuis menſibus florens. Cluſius eruebat aliquando in paluſtribus illis ericetis Maldeghemo vicinis,ſecundo à Brugarum vrbe Flandriæ celeberrima miliari,menſe Maio.

*Vſus.* Floribus lixiuio maceratis puellæ crinem flauum inficiunt Lob.

## PSEVDDO ASPHODELVS QVIBVSDAM.

*Deſcriptio*



CAulis dodrātalis, aut etiam cubitalis , iunceus , vno aut altero folio gramineo donatus, ſpicam gerens *florum* paruorum,ſenis foliolis conſtantium, ex luteo virētium,quos ſequuntur *capitula* trigona, anguloſa, mitiſſimo ruffo *ſemine* farcta: *folia* circa imum caulem ex fibroſa radice numeroſa,graminea,rigidula,glabra,duarum vnciarum,aut maiori longitudine,acuminata.Cluſio eſt Pſeudo Aſphodeli genus alterum, quod ſic deſcribit. Numeroſa ſunt illi folia , ſeſe mutuò amplectentia,vt in ſuperiore,& Iride,anguſta,breuia, viridia,dura , amariuſculi , & calidi ſaporis : è quorum medio *cauliculus* gracilis egreditur,pedalis interdum , aut maior, aliquot nonnunquam foliolis inhærentibus, ſpicam floſculorum ferens , ſex foliolis conſtantium , alterius inſtar, ſed minorum,palleſcentis ex herbaceo coloris , & odoris expertium : quibus ſuccedunt trigona capitella, interdum tetragona, & pentagona, minutiſſimum ruffum ſemen continentia : radix vix corpus habet, ſed tenuibus aliquot fibris duntaxat conſtat. Pſeudo-aſphodeli minoris ſiue pumilionis folio Iridis nomen indidi ad prioris differentiam.

Lobel.Adu.par.2.Aſphodelus minimus Nortuegicus luteus,paluſtris,Scotticus & Lancaſtrienſis.Anglo Britannæ mulieres apud quas frequens naſcitur , à tingendis capillis , (wayden haire.i Virginum Venerisue capillum vocitarunt: Capillus enim Veneris Anglis , wayden haire dicitur. Non videtur diuerſum à ſecundo Pſeudo-Aſphodelo Cluſii,ſed variare paruitate & magnitudine ratione natalis ſoli. Aliquot menſibus elapſis Nortuegico luteo Aſphodelo parem & ſimilem ex Scotia huc Londinum ad me miſit Iac. Gargillus Botanicus inſignis.Aequè Rhizotomi quidam , florum inſtitores , & vernacula lingua tranſcriptores, mira Metamorphoſi literarum & linguarum inſcitiâ , alienarum lucubrationum interceptores,& perfrictæ frontis depopulatores,falluntur, ac Tabern.cum ſuis aſſeclis, & Typographo ſuo,qui cautè noſtris ſcriptis & iconibus tanquam ſuis abuſi ſunt, dum Lancaſtrienſem Britannicum paluſtrem Aſphodelum luteum,cum Batauo aut Flandrico Aſphodelo paluſtri Dodonæi, vt alia pleraque adumbrant & confundunt. *Si liceat* nobis liberè dicere quod ſentimus, confuſionis ſi quid apud Tabern.in hac planta eſt,autor videtur eſſe ipſemet Lobelius, qui olim non diſtinxit , vt paulò antè dictum.

C.Bauh.Phyt.Holoſtrium glabrum viride.

In Snealpen ( inquit Cluſ.) *Neuberg*,atque aliis pratis montanis,& gramineis collibus,Iunio florens & Iulio ſemen proferens Pſeudo-Aſphodelum Cluſii mihi miſit inſignis Pharmac.Toſſanus Carolus anno 1590.Menſe Iulio, cum ſuis capitulis trigonis quem plantaui Montbelgardi in horto Ill.E.Principis: Eandem plantam habeo inter herbas ſiccas è Gallia allatas puto ex montibus Sabaudiæ. In collibus quibuſdam circa Auenionem & Nemauſum Narbonenſis Galliæ, iiſque vmbroſis & velut pratenſibus obſeruauit idem.

## PHALANGIVM CAP. IV.

VEterum φαλλάγγιον , quæ herba dici mereatur, cùm hodie aſſertu arduum valdè ſit, nemo ( vti quidem ſperamus ) inficias ibit , ſi de hoc , quæ ipſi quondam ſcriptis mandarunt, ſine vllis tamen verborum ambagibus,præmittamus.

φαλάγγιον igitur [ inquit Dioſc.lib.3.c.22. ] alii φαλαγγίτιον [ Phalangitin,alii & hanc ( Λευκάκανθαν , Leucacantham ) dicunt. Ramuli ſunt ei duo, aut plures , inter ſe diſtantes ( διεστῶτες ) in diuerſa tendentes Plin.[διέχοντες.] Flores albi;ſimiles Lilio, multas inciſuras habentes : ſemen craſſum ( Ruell.latum.Matth.græca Exemplaria) non πλατὺ, ſed παχὺ ) nigrum, velut lentis dimidium,multò tamen gracilius, Radicula parua,tenuis, & dum è terra extrahitur pallida , vel ſublutea ( χλωρὰν ] vt vertit Dalech. & non viridem aut herbacei coloris , vt Plin.& cum ſequutus Ruellius. Poſtea autem , cùm herba ſeruatur & contrahitur , albeſcente , quam notam à Dioſc. traditam Ruellius omiſit. Naſcitur in locis terræ editioris. Huius folia , & ſemen , & flos ſi cum vino bibantur , ictis Scorpione , & Phalangio auxiliātur Diſſoluunt etiam tormina. Finit Dioſc.

Plinius lib.27.c.12.de Phalangio planè eadem

habet: Phalangitis à quibuſdam Phalangion vocatur, ab aliis Leucanthemon, vel, vt in quibuſdam exemplatibus inuenio, Leucacātha. Ramuli ſunt ei nunquam pauciores duobus, in diuerſa tendentes: flos candidus, Lilio rubro ſimilis: ſemine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multò tenuiore: radice tenui, herbacei coloris. Huius folio, vel flore, vel ſemine auxiliantur cōtra Scorpionum Phalangiorúmque & Serpentium ictus. Item contra tormina.

Galenus Phalangitin ita nominatam eſſe dicit, quòd commorſis à Phalangio opituletur. Eſſe autem tenuium partium & ſiccantis facultatis. Vnde etiam tormina ſentientibus auxiliari videatur.

Nomine autem Phalangii & Phalangitis plures ſeſe offerunt ſpecies. Quippe *Phalangium primum ſiue ramoſum. Phalangium non ramoſum. Phalangium flore Lilii. Phalangium de Aſphodelo minore fiſtuloſo. Phalangium Tragi*, Lob. & Penæ Adu. p. 18.

## PHALANGIVM QVIBVSDAM PARVO flore, ramoſius.



E *Radice* fibris perenni craſſiuſculis, candidis, ſubdulcibu., glutinoſis, *caulis* ſurgit ſingularis, tenuis, læuis, teres, ſeſquicubitalis, cuius *ſcapus* in ramulos aliquot faceſſens, *flores* ſuſtinet frequentes ſtellatos, è ſenis foliis compoſitos, emaculato candore Lilii cōſpicuos, quibus, *pericarpia* globoſa ſuccedunt, Lini capitulis æqualia, per maturitatem in tres partes dehiſcentia, *ſemine* vt vult Dodon. nigro, veluti Melanthii, non perinde tamen anguloſo, referta: folia graminea, porraceis tenuiora, anguſtiora, carinata, pede aliquando longiora, ac etiam cubitalia, ſtatim à radice exorta in terram repanda parum attolluntur. *Icon* noſtra eſt ex iis, quas ſculptas emimus.

Aduerſ. Lobel. & Penæ Phalangium, an Moly Plinii? Non rectè Dodon. Moly vocat. Nomine enim Phalangii donatur multò ſanè aptiùs quàm Moly, ſeu Dioſcor. ſeu Plinii, vt nonnulli voluerunt. Lobel. Obſ. & Ic. Pl. pag. 47. Phalangium ramoſum. Dodon lat. in fol. Phalangium ramoſum, qui quondam in hiſtor. Gall. pingebat pro Moly Plinii, addens à Belgis in hortis excoli ac Iulio florere.

Phalangium [vt Cæſalp. placet] Aſphodelus paruus dici poteſt: nam in totum Aſphodelo ſimile: multò anguſtioribus foliis breuioribúſque, cauliculis fermè cubitalibus, modò ſimplicibus, modò ramoſis: floribus latioribus, candidioribus & magis patulis: naſcitur in aſperis. Cæſalpinus videtur duo Phalangia ſimul tradere, quorum vnum fortè eſt quod vocamus pulchrius non ramoſum. Quomodo etiam in totum Aſphodelo ſimile, ſi folia anguſtiora, breuioraque? Phalangium ramoſum.

Tabern. icon. Phalangium ramoſum Erdſpinnenkraut / quibuſdam Moly Plinianum, ſed ineptè. *Dod. nol.*

*Locus. & tempus.* Lugduni in collibus accliuibus ad Rhodanum, Eridanoque flumini collibus vicinis: variis Londini & Belgii hortis colitur. Fortè quod colitur diuerſum eſt à præcedenti Lobelii & idem cum ſequenti. In accliuibus collibus nonnullis apud Gallos & alibi gignitur haud procul à fluminibus ac ripis aquarum decurrentium. Iunio ac ſubinde Iulio vigent flores, Auguſto ſemina perficiuntur. Prouenit Phalangium ramoſum Tab. in collibus & montibus Alſatiæ, & in montibus iuxta Rhenum, quidam in hortis colunt. Baſileæ in monte Moutets, vt annotauit frater Caſp. Bauhinus, Burmii Rhætorum, Tiguri Iunio & Iulio florens: in collibus circa Geneuam florens Maio, & Iunio & Iulio: Montbelgardi in planitie ad Dubim inter *Arbouans* & *Audincourt*, & in monte *la Chaut* vbi vires, cum flore Iunio & Iulio, & cum ſemine maturo Auguſto: tranſtuli in Hortum E. C. Argentinæ vidi florens mēſe Iulio in horto Di. Friderici Meieri, qui aſſerebat ſe habere duas ſpecies huius Phalangii ramoſi.

Camer. Laudatur aduerſus multos morbos & affectus, ac contra omne venenum non ſolùm Scorpionum & aranearum venenatarum, vt Dioſcor. & Gal. de ſuo Phalangio ſcribūt, quod aſſere non poteſt, quia non expertus Camerarius.

## PHALANGIVM PVLCHRIVS non ramoſum.



*Deſcriptio.* PHalangiū quod pulchrius dicimus, reſpectu præcedētis, non ſequentis, quod flore Lilii dicitur, *folus* eſt præcedenti penè ſimilib⁹, latiorib⁹ paulò: *caule* eodem, ſed non ramoſo: *floribus* paulò maioribus albis, multis, ſpicā repræſentantibus, & multò pluribus quàm demonſtret icon Lobelii in obſ. & icon. Plantini: ſuccedunt *capitula* ſublonga, in quibus *ſemina* rotunda.

Phalangium hoc [teſte Lob. Obſ.] voluptatis ergo in hortis Belgicis Italicis & Anglicis colitur. Priori Phalangio ei omnia ſimilia præterquam ſummus pedalis cauliculus, quem ſine ramulis in pediculis lacteis ſtellati flores & ſemina in pericarpiis antedicto ſimilia ſed maiora

ambiunt Phalangium non ramoſum Aduerſ.p.18. Ital. *Phalangio*.

Item Icon.p.48. Phalangium non ramoſum, *Liliago* Cordi. Non ſine nota Lobel.in hoc à nobis recedit: nos enim Liliaginem Cordi ab hoc Phalangio ſeparamus.

Dod.in fol.Phalangium non ramoſum.Thal. in Harc.fortè Liliago altera minor. Camer.apud Matt.G.Phalangium maiori flore de quo ante.In horto, Phalangium minus. Tabern.icon.& hiſt. Phalangium non ramoſum Erdſpinnen kraut. An hiſt. Lugd.p.1495..planta quam Myconus ex Hiſpaniis miſit, quam Lilium Polyrrhizon nominauit: Lilium quidem, quòd florum figura, colore, dulci & glutinoſo ſapore Lilium albu refetat: polyrrhizon à radicum copia: rectè, an ſecùs, id peritis Herbariis æſtimandum relinquitur.

C.Bauh. Phyt. Phalangium 2. maius alterum: Lilium polyrrhizon Myconi. Conſiderandum an Myconi Lilium prædictum,quod etiam pingit Hiſt.Lugd.ſit Phalangium pulchrius non ramo-
C B.not. ſum.C.Bauhinus ſeparat à ſuo Phalangio quarto ſiue non ramoſo, nos autem dubitamus an diuerſum ſit id ramoſum quod ei etiam dicitur Liliago Cordi, quæ nobis videtur Phalangium Lilii flore: de quibus paulò pòſt. Gerard. Phalangium non ramoſum, Vnbranched Spider woort. C.Bau.Phalangium 4.non ramoſum. Noſtrum iudicium hac de re, lectores videant inter ea. quæ mox ſequenti titulo dicemus.

Locus & tempus Copioſum vidi ſimile, quod flore minore eſt quam ſequẽtis.Stutgardiæ in horto Ducis florens Maio: transtuli Montbelg. in hortum E.C. hiſt. Lugd. pag.1497. Lilium polyrrhizum Myconi naſcitur in Hiſpaniæ montibus,ſed terrenis humidiſque locis, quandoque iuxta fluenta.

## PHALANGIVM FLORE LILII.

Deſcriptio



RAdix è multis fibris albis longis Phalangii & Ellebori radicibus ſimilibus Liliorũ modo guſtu glutinoſa: *folia* Phalangii: *caulis* cubitalis ac etiam minor, rotundus,læuis,non ramoſus, in cuius ſummitate prodire cernuntur ex breuibus pediculis flores magni duo,treſue vel quatuor, paruis Liliis ſimiles, eodem etiam odore grati, albi,vncias duas ferè longi, ſeminum *capita* ſublonga.

Hanc reperi florentem Iunio an.1561. in peregrinatione mea cũ Geſn.in pratis mõtis Septimi, Burmii propè Kaſeſt: tunc denominaui Lilii vel Phalangii ſpeciem,vt ad meam plantam ſiccam, adhuc aſcriptum eſt, quàm adhuc habebamus anno 1606. Geneuæ cùm eſſem obſeruauimus in Allobrogum monte vinoſo Thuiri florens Iulio: Fuit mihi etiam Geneuam delatum,& cultum in horto meo.

Liliago Cordi ſtatim à radice folia profert Hyacintho ſimilia, anguſtiora tamen: è quorum medio caulis aſſurgit cubitalis, aut aliquando maior,tenuis,tereſque ſuperiùs, vno atque altero interuallo ſingula habens folia, prædictis multò minora: in ſummo caule & adnatis flores producit ſex, oblongis vncialibuſque foliolis conſtantes, è mediis floribus, luteis apicibus, ſtamina prominent, in ſumma Lilio,vel potiùs Aſphodelo vero ſimiles flores ſunt,multò tamen minores, nec ita reſupinatis partibus repandi. Radicibus nititur multis, culmi craſſitudine, lentis, pinguibus, glutinoſis, perennibus,ab vno capite, vt etiam in Aſphodelo in diuerſas partes diſtractis,longitudine dodrantis. Saporem habet glutinoſum & nauſeoſum aliquantulùm. Naſcitur editis apriciſque locis iuxta rara & parua arbuſta.

Geſner. vt antè dictum pro Liliagine Cordi ramoſum exhibet Phalangium, nobis autem videtur Liliago potiùs conuenire Phalangio flore Lilii de quo hic agimus. Idem horti [vt antè monuimus] hoc vocat Phalangium floribus maioribus proueniens in Sabaudia & Rhætia: de collect.ſtirpium p.91. Phalangitis maior montana.Iconem ni fallimur proponit Matth. pro Phalangio, nulla addita deſcriptione, ſolùm ait in montibus prouenire: ea icon non eſt artificioſa,ſed malè exprimens plantam quam intelligimus.

Camer.in Epit.Matth.omiſſâ Matth.icone pro Phalangio ponit iconem Phalangii ramoſioris de quo antè.

Tabern.hiſt. Phalangium 4. Phalangium Matth.qui non deſcripſit, licet diligenter perquiſiuerimus, neminem audiuimus vidiſſe, dubitamus an vnquam fuerit in rerum natura, exiſtimamus nunquam viſum Matthiolo.

Lobel. & Pena Adu. Phalangium Matthiolo, pictum quidem non autem deſcriptum ipſis,nec multis doctioribus viſum, fortè nec Matth.

Icon Dalechampii videtur non malè exprimere Phalangium Lilii flore: an autem id intelligat conſiderandum. Prætereà perquirendum, vbi Pena & Lobelius repreſentarint. Habet hiſt. Lugd.Iconem Matthioli.

Liliago Cordi (quod Thal Harc ſcribit) aliquibus pro Phalangio habita cùm potiùs quantùm ad extremam faciem, aliquam ſylu. Aſphodeli ſpeciem referat: licet radice bulboſa non conſtet. Eius radices hodiè plurimis locis copioſè eruũtur,ac hinc inde pro veri Ruſci radicibus ὑπὸ τῶν ῥιζοτόμων diuenduntur, vnde multa Pharmacopolia non ſine inſigni errore eaſdem pro Ruſco reuendunt,cùm tamen vtriuſque radicum ſapor vniuſmodi non ſit. hoc Medicos quoſdam animaduertere oportebat: nec adeò temerè imperitis Herbariis & Pharmacopoeis pleriſque fidere.

Naſcitur verò planta hæc copioſè circa Gerenrodum,item inter Wernigerodam & Elbingerodam. Eius duæ ſpecies ſunt, Altera maior, folio longiore pauloque latiore, capitulo magis triquetro, in quo ſemina continentur etiam paulò maiora: Altera minor cui omnes partes ſunt minores, ſtrictioraque folia. Nos exiſtimamus

nuus priorem Liliaginem Thalii eſſe noſtrum Phalangium flore Lilii : alteram minorem referimus ad Phalangium non ramoſum: iudicet alii, qui venient in Harcinia Saxonica.

Caſp. Bauhin. Phyt. Phalangium 1. ſiue magno flore, Matthioli & Dalechampii cuius figura melior. Phalangium 4. ſiue non ramoſum, Cordo Liliago. Lobel. etiam Phalangium non ramoſum. Duæ huius ſpecies altera maior, folio longiore, paulò latiore, capitulo triquetro, ſemine paulò maiore : altera minor, cui omnia minora & folia ſtrictiora : Huius radices ſæpè pro Ruſci veri radicibus, magno errore diuenduntur. Idem apud Matthiol. Phalangium primum, & Phalangium non ramoſum: aliud magno, aliud paruo flore.

## CROCVS.

### Cap. V.

CRocum vbiuis orbe terrarum notiſſimum [ſatiuum intellige] at multa ſanè mundi parte, quod natalem concernit verè exulé, accedim'.



Conſtat hic *bulbo* dulci, Auellanæ magnitudine, multis fibris capillato : *folia* quinque aut octo, palmum aut etiã dodrantem longa, admodum anguſta, ſtriata : *caulis* inter hæc oritur breuis, *florem* ſuſtinens vnicum, Cholchici flori ſimilem, ex foliis cæruleis conſtantem, in quorum medio ſunt ſtamina aliquot flammei rubo ris, valdè odorata.



Icones duas quas hic ponimus iam ſculptas emimus. Bulboſi generis itaq; Crocus eſt tam ſatiuus, quàm ſylueſtris. De hoc Theophraſtus atque ex eo Plinius hæc prodidit. Crocum naturâ herbaceum modo prædictorum erũpit, ſed folio anguſto ferè, nãmque in capillamenti modum extenuatur. Radix multa, carnoſa, & in totum viuax. Theod. Dorſt. pro Croco iconem habet Cartami, qui poſtea traditur.

*Cord.* Barbarus, Ruellius, Marcellus, & vetus interpres & Plinius culpa librariorum cap. de Croco, legendo θυίαν pro θυΐαν, mortarium interpretantur malè, cùm Thuiam arborem intelligat. Cordo in hiſtoria, qui nomine Croci deſcribit, Geſnerus figuram addit ex Tragi lib. 2. cap. 77.

Caſp. Bauhin. Phyt. Crocus primus ſiue ſatiuus.

Synonyma linguar.

Tragus qui depingit & deſcribit, vocari ait Hebræis *Karkom*, teſte Elia Leuita : Arabibus verò teſte Serapione *Sahafaran*. Κρόκος Dioſcor. inter reiectanea à quibuſdam κάστωρ, κυνόμορφος & αἷμα ἡρακλέυς. *Crocus* & *Crocum* Lat. Germ. Saffran. Belg. Saffraen, Gall. *Safran*. It. *Zaffarano*, Hiſp. *Açafran*, *Safra*, *Açafraon*. Angl. Saffran.

Locus & tempus.

Crocus nunc in plæríſque Germaniæ locis plantari cæpit, adeò fœliciter, vt [teſte Michael. Neand.] viribus Exotico non cedat. Nos, quidem Crocum colimus in horto E.C. copioſè allatum per Ciuem *Iaques à Salin* Milhuſiã, ei infeſti ſunt mures. Monſpelii florentem reperi in cacumine montis *Eſperon* plantatum menſe Octobri : circa Auinionem propè Caſtellum Papæ vidi agros eo conſitos. Baſileæ habent in hortis, Lugduni etiam & Patauii. Ferrariæ in monaſterio S. Dominici à *l'Angeli*. Geneuæ copioſè paſſim in hortis colitur ac hyeme folia reſeruat, radix eius bulboſa dulcis eſt. Hodie non ſolùm regiones ad meridiem, Africa, Cyrene, Silicia, Gallia, ſed etiam ad Septentrionem ſitæ Anglia, & Hibernia laudatiſſimum ferunt, quo Belgium, Germania, aliiq; vicini cibos condiunt, ac medicamentis miſcent. Matthiolus Crocum ex Aquila Veſtinorum vrbe primum ſibi locum vendicare in Italia ſcribit, eo tamen prꝯſtantiorem eſſe qui ex Vienna Auſtriæ metropoli defertur. Agellos integros Cloſterneuburgii, ac Croneuburgii, nonnulliſque aliis in locis circa Viennam Auſtriæ Croco laſciuientes Ioannes Schvvab magna cum admiratione frequenter intuitus eſt. Crocum, inquit Theophr. tam montanum (quod inodorum eſt) quàm ſatiuum, Autumno florere incipiunt : ſtatim enim primis imbribus florent. *Et rurſus* : ſerò floret, ſeróque germinat, aut præmaturè, vtro ſcilicet modo tempus acceperis: Floret quippe Vergiliarum occaſu, paucíſque diebus, confeſtim Vere cùm folia quoque expellit, quinimò priùs : gaudet calcari, & meliùs ita euadit, radice attrita pede deorſum verſus, ideò iuxta ſemitas, fontéſque pulcherrimum exit : ſatus radice fieri aſſolet. Hoc ſiccatum ad certum vſque temporis ſpatium reconditum, ac inueteratum aerem ſpirat odorem. Vnà enim & quantùm humoris aquoſi eſt, exhalatur, & alimenti ceſſat acceſſio.

Tempus

*Cultura.*

Hæc paſſim Theophraſt. quæ Plin. lib. 21. cap. 6. ferè expreſſit, dicens : Crocum ſilueſtre optimum : ſerere in Italia minimè expedit ad ſcrupula vſque ſingula areis decoquentibus. Seritur radicis bulbo. Satiuum latius, maiúſque & nitidius, ſed multò leuius degenerans. Sed nec vbique fœcundum, etiam Cyrenis, vbi ſemper flores laudatiſſimi. Prima nobilitas Cilicio, & ibi in Coryco monte : dein Lycio, monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ. Aliqui verò Phlegræo (Aegæo, Turner.) ſecundum locum dedêre. Adulteratur nihil æquè. Probatio ſynceri, ſi impoſita manu crepat, (crepitat. CHERLER.) veluti fragile. Humidum enim, quod euenit

adulteratione, cedit [ ſilet. Turn.] Altera probatio: ſi manu prolata ad ora, leuiter faciem oculoſque mordeat. Et per ſe genus ſatiui blandiſſimum vulgò, cùm ſit [ quod ſit. Dal.] medio candidum, dialeucon vocant. Contra Cyrenaico vitium, quòd omni croco nigrius eſt, & celerrimè marceſcit. Optimũ ubicunque quod pinguiſſimũ, & breuibus capillis [ breuis capilli CH.] peſſimum verò, quod ſitum redolet. Mutianus autor eſt, in Lycia anno ſeptimo aut octauo transferri in locum ſubactum, atque ita degenerans renouari. Vſus eius in coronis nuſquam. Herba enim eſt folio anguſto pen[n]æ capillamenti modum. Sed vino mirè congruit, præcipuè dulci, tritum ad theatra replenda. Floret Vergiliarum occaſu paucis diebus, folioque florem expellit: Viret bruma & colligitur. Siccatur vmbra, meliùs etiã hyberna. Carnoſa & illi radix, viuaciorque quàm cæteris. Gaudet calcari & atteri, pereundoque meliùs prouenit [atteri pede quò melius M. atteri pede pereundoque meliùs. Vet.] Ideò iuxta ſemitas ac fontes lætiſſimum.

Mirum igitur alicui videri poſſet (inquit Petr. Victorius) quod tradunt Veteres de cultu croci: cùm ætas noſtro longè alia ratione ferat. Quod Veteres de croci natura cultúq; tradunt, magnoperè diſcrepat à conſuetudine noſtri temporis: curaque, quam nunc in eo tuendo ruſtici homines adhibent: illi namque, ſi fidem habemus iis, qui de agri conſitura ſcripſerunt, loca vbi ſererent eligebant preſſa veſtigiis hominum: arbitrabanturque quantò magis ſolum tereretur, tantò meliùs prouenire: nunc verò nihil tam inimicũ putãt, quàm pedibus terram eam calcari: ſummoque ſtudio inde, & belluas & homines arcent. Plinius quoque id teſtatus eſt, locum vertens Theophraſti è 6. lib. de iis, quæ oriuntur è terra: inquit enim, Gaudet calcari & atteri pede: pereundoque meliùs prouenit, ideò iuxta ſemitas lætiſſimum. Græci autem ſcriptoris verba hæc ſunt. Quibus diligenter animaduerſis ratio etiam, qua Plinius in vertendis ſententiis Græcorum vtebatur, intelligetur. φιλεῖ δὲ καὶ πατεῖσθαι καὶ γίνεται καλλίων καταπατουμένης κάτω τῆς ῥίζης, δι' ὃ καὶ παρὰ τὰς ὁδοὺς καὶ ἐν τοῖς κρηνοῖς κάλλιστον: quod enim Theoph. inquit lætiorem fieri, ſi conculcetur radix terra obruta, ipſe reddidit, rem augens, vel potiùs ludere in hoc volens: pereundoque meliùs prouenit: hoc enim prorſus incredibile eſt, fierique non poteſt: quod enim perit, perditur, nedum meliùs fiat. Vnde Theodorus, qui reliqua verbis Plinii expreſſit in hoc rectè eum ſecutus non eſt: ſed ait. Et melius ita euadit: radice attritâ pede inferiùs. Præterea etiam illic ἐν τοῖς κρηνοῖς, iuxta fontes vertit quia ſolùm propè fontes

Plin. not. ſolidum ac dutum: pedibus namque haurientium aquam animique cauſa illic degentium, calcatur ac premitur. κρηπῖδα verò loca vocantur, quæ pedibus ſaltantium pulſantur, atque ita indureſcunt: hoc autem videtur Lucretius intellexiſſe cùm inquit.

*Principio pars terraï nonnulla peruſta.*

*Solibus aſsiduis: multâ pulſata pedum vi,*

& quæ ſequuntur.

Crocus (vt legitur apud Creſc.) duplex eſt ſcilicet ſylueſtris, qui ſeritur ſicut aliæ herbæ & eſt modicæ vtilitatis: Item eſt bonus crocus domeſticus, qui non ſeritur, quia ſemina non producit, ſed cepulæ eius colliguntur menſe Aprili

Cultura. vel Maio, & dimittuntur octo diebus in aceruo vt maturentur, & tunc mundãtur & ſiccantur in loco calido non tamen ad Solem, ne coquantur, cùm ſint maturæ, quod cognoſcitur, quia tunc folia eorum ſunt ſicca, & ſeruantur vſque ad menſem Auguſti, & tunc vel antè aut poſt vnâ ſeparatâ ab alia in areis paſtinatis plantentur cum radicibus, quas habent, per vnam ſpannam diſtantes quatuor digitis ſubmergantur in ſulcis, vel duobus vel tribus annis dimittantur, & quolibet anno menſe Aprili ſi fuerint tunc folia ſicca, & menſe Maio, Iunio, Iulio, ſi herba naſcitur, in areis immittantur, ſuperando terram per totam ſuperficiem per duos digitos deorſum, vt non tangantur Cepæ. Et ſi plantantur circa finem Auguſti, aut menſe Septembri, raditur terra, vt area ab omni humiditate ſeu viriditate mundetur, deinde naſcentibus floribus colligantur, & crocus ſiccus ſiccetur ad lentum ignem, & aliquo loco clauſo ſeruetur: & elapſis duobus vel tribus annis totus euellatur menſe Aprili, & iterum plantetur, vt dixi. Terram deſiderat cretoſam vel mediocrem, & poteſt etiam quamoptimè plantari, vbi fuerint Cepæ, vbi ſunt euulſæ. Et eſt ſciendum quod crocus non multùm læditur vmbris, ſed plurimùm læditur à muribus, & talpis quæ ſub terra corrodunt cepas eius, Plantatur igitur Crocus viui radicibus, iuxta Conſtantini agriculturam, quum florem abiecerit. Florem autem priùs remittit quàm folium. Flos colligitur vbi bonum colorem indeptus fuerit, cuſpidibus ex medio flore extractis, & ad triduum aut quatriduum perfrigeratis ac ſiccatis, deinde ſumma eius pars purgatur, & album quidem adimitur. Componitur in vaſis quantùm fieri poteſt obturatis. Diophanes in vmbra Crocum perfrigerandum ac aſſiccandum eſſe tradit.

Dioſcoride eligitur optimus in medico vſu, Del[ectus] Coryceus, recens & boni coloris, qui parum de candido in circulum habet, & longus eſt, integer, non fractus, cui nihil deeſt, plenus, dum diluitur manus tingens, non cariem aut ſitum redolens, ſed in odore imitans, & acris. Qui enim talis non eſt, aut vetuſtus eſt, aut madefactus. Secundum locum obtinet qui extra Corycum ad Lyciam naſcitur, & qui Lyciaco Olympo. Deinde qui ex Aegibus Aetoliæ vrbe affertur. At Cyrenaicus, & Centuripinus omnium in Sicilia naſ- Loc[us] centium debiliſſimus eſt viribus: quum omnia eius genera ſint oleracea. Attamen ob ſucci abundantiam, & coloris præſtantiam, qui in Italia Thyiam tingunt, hoc vtuntur: Et propterea magno venditur. Verùm ad medicamẽta præ- In ... deb. ſcriptus commodus eſt. Adulteratur autem Crocomagmatis cõtuſi ammixtione, aut ſapa ſublita. Thy[ia] contrita ſimul ad ponderis grauitatem addendam argenti ſpuma, aut plumbagine. Indicat autem hæc tum puluis inhærens, tum ſapæ odor. Ad... Opera verò & menſas ex Thyiæ ligno, croco centuripino tinctas fuiſſe, mihi [inquit Cornar.] veriſimile fit. Quamquam mirum ſit Plinium eius rei nullam feciſſe mentionem. Tametſi verò lignum per ſe adeò criſpum, croco tinctum inſipet fuiſſe ambigi poſſit, tamen coloris flaui inducendi gratia fieri potuit, vt croco tingeretur. Hoc enim probabilius eſt, quàm quod ad mortaria tingenda Croco in Italia vſi fuerint, quod volunt hi qui hoc loco θυΐαν vocem, pro θύαν legunt, At verò qui Plinium vident dicere, Crocum tritum & ad theatra replenda hi iam pro θυΐαν legendum eſſe θέαν contendunt, & Dioſcoridem, idem quod Plinium dixiſſe, nimirum

rũ per theatra replenda, τὴν θέαν βάπτοντες intelligentes. Ego verò velut dixi θύων lego, & de thyino ligno accipio. Cæterùm Seplaſiarii Crocum perpetuò ſubterraneis, ac per hoc humectis locis ſeruant, quò ponderoſius fiat, maiúſque lucrum inde ſibi comparent. Crocus, quem & ſapor & odor commendat, quíque concoctionẽ iuuat, non Medicis ſolùm Officinis, ſed etiam culinis ad obſonia colore iucundo tingenda plurimùm expetitur.

Crocus aut. Dioſcor. vim habet concoquendi, molliendi, leniter adſtringentẽ, vrínam ciendi: & colorem bonum inducit: & crapulam arcet, ſi cum paſſo bibatur. Fluxum etiam oculorum ſiſtit illitus cum lacte muliebri. Miſcetur etiam vtiliter potionibus ad internas affectiones. In peſſos quoque & cataplaſmata ad vterum, & ad ſedẽ additur. Sed & Venerem ſtimulat, & inflammationes ignis ſacri illitus mitigat, & in compoſitiones auriculares commodus eſt. Tradunt porrò ipſum etiam occidendi vim habere, ſi cum aqua pondere trium drachmarum bibatur. Quò verò facilè conteri poſſit, in calido fictili ad Solem ſiccare (ψύχειν Baſ.cod. ξηραίνειν Dal. quia tũ odorem retinet Corn. in embl.) ipſum oportet, & celeriter verſare, ſed & radix ipſius cum paſſo pota vrinam mouet.

Hæc & alia quædam prodidit Plinius. Diſcurit inflammationes omnes quidem, ſed oculorũ maximè ex ouo illitum. Vuluarum quoque ſtrangulatus, ſtomachi exulcerationes, pectoris & renum, iecinoris, pulmonum, veſicatúmque, peculiariter inflammationi earum vehementer vtile: item tuſſi & pleuriticis. Tollit & pruritus, vrinã ciet: Qui Crocum priùs biberint, crapulam non ſentiunt. Ebrietati eo reſiſtunt. Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. Somnum facit. Caput leuiter mouet. Venerem ſtimulat. Flos eius igni ſacro illinitur cum creta Cimolia. Ipſũ plurimis medicaminibus miſcetur.

Crocus, inquit Galenus, paulùm quid adſtringens habet, quod terreum frigidúmque eſt: ſed ſuperat in eo calfaciens & qualitas, & facultas, vt tota eius eſſentia ſecundi ſit ordinis excalfacientium, & primi exſiccantium. Quare concoquendi vim quandam obtinet, adiuuante ſcilicet in hoc paucula illa adſtrictione: quippe quibus medicamentis, cùm non admodum excalfaciant, paucula adeſt adſtrictio, ea parem facultatem habent eſſentiis emplaſticis vocatis, quas cùm iunctas eſſe caliditati non vehementi contigerit, πεπτικὰς, hoc eſt, concoquentes eſſe oſtendimus.

Scribit Auicenna Crocum Cephalalgiam excitare, & capiti nocere. Id quod non exiguo, ſed nimio vſu efficere poteſt. Vigilias enim copioſius inducit, quæ modum excedentes capiti & ſenſibus obſunt. Moderatus autem Croci vſus cerebro prodeſt, ſenſus vegetiores reddit, ſomnũ & torporem excutit, lætitiam gignit, corroborat cor. Thoracis crudos humores ad cõcoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obſtructione liberat: & ad hæc tam efficax eſt remedium, vt ſubinde phthiſicis in ſummo vitæ diſcrimine, & propemodum animam agentibus, ſpiritum reducat, & vitam aliquot dies proroget: ſcrupuli dimidii, aut ad ſummũ integri põdo, cum paſſo, aut vino dulci propinatus. Quo etiam modo grauiſſimas ſubitò irruentes dyſpnœas citra febrem ſtatim & momento temporis tollere experimẽto compertum eſt. Laudatur ad hepatis & fellis obſtructiones, & ad regium morbum. Croci ſtamina trita carpis, aut ſub mammis admota illitáue, vires ſuas Cordi cerebróque illicò tranſmittunt, quaſíque vertiginem tenebricoſam inuehunt, aciem oculorum præſtringunt, aut hebetant.

Scribit Serapio ex auctoritate Rhazis Crocũ drachmarum duarum pondere partum accelerare, maximèque inebriare, ſi cum vino miſceatur: ac tantã lætitiam parere, vt ex nimia lætitia inſaniam gignat. Quod experimento confirmat Amatus Luſit. aſſerens ſe mercatorem vidiſſe, qui cùm in ollam in qua carnes coquebantur, multùm Croci inieciſſet, poſt earum eſum, in tam profuſum viſum erupit, vt parum abfuerit quin riſu nimio & cachinno è vita exceſſerit. *Ex Serapione*

His addenda Symeonis Sethi auctoritas. Crocus ſtomacho bonus eſt, inquit, ciborúmque cõcoctionem efficit. Obſtructiones tollit. Pituitoſa & lethargica vitia iuuat. Diſcutiendi quoque vim obtinet, vlceribus vtilis eſt, & ad ſpiritus difficultatem conducit. Si quis illo mediocriter vtatur, bonum colorem habebit; ſin verò vltra modum, pallorem contrahet, & capitis dolorem, cibíque inappetentiam faciet. Cum opio & lacte & roſacea pedum doloribus impoſitus vbi dolent, ſummoperè prodeſt, ſuperpoſitis Betæ foliis. Cum porrò Dioſcor. Crocum ad inflammationes valere aſſerit: conſiderandum Crocum concoctoriam & excalfacientem vim habere, & non niſi tranſacto inflammationis initio commodè adhiberi. *Ex S. Sethi.* *Cautio.*

Hic adeò eſt thoracis [inquit Camer. horti] affectibus amicus, vt ſint qui ad ℈s. atque etiam vnum, cum dimidio moſci grano, & vino optimo calido propinando, aſthmaticos curauerint. Ad reſpirationem ex nimio frigore prohibitam, eodem modo plurimùm conducit. Huius extractũ ritè præparatum in minima copia datum per os, difficilem partum promouet, corroborando imprimis vires grauidæ & fœtus.

Crocus (vt confirmat Tragus) cordi conducit, ideóque quibuſuis eius affectionibus auxiliatur, ſanguinem purgat, veneno aduerſatur: quãobrem haud immeritò aduerſus peſtem vſurpatur. Quidam Crocum in occluſa Oui teſta cum Theriaca & Sinapi, aliíſque ſpeciebus igne coquunt, & ex illis demum hoc pacto toſtis electuarium conficiunt, quod ad internam faciat peſtem, venenúmque, per ſudorem exigat. Crocus in cibo aut potionibus vſurpatus, vrinam cit, & morbum regium, ac menſes mulierum educit, trahitque. Hæc radix Croci cum vino Apiano, aut alio quouis dulci efficaciùs præſtat. Crocus paralyticis membris ac induratis neruis apprimè confert: quare Oxycroceum emplaſtrum ex Croco conficitur, ad emolliendam duritiem neruorum accommodatiſſimum.

Infantibus, ſcribit Matth. perpetuò eiulantibus, neque ſurgere queuntibus, arenulâſque meientibus, pauxillum datur Croci cum lacte. Si verò iidem ſe offẽderint, nihil præſtãtius quàm ſi Croci integri nõnihil tamdiu in aceto infũdatur quoad eius colorem cõtraxerit, idque acetum bibatur. Si quis apoplexia correptus fuerit, aut lethargo & aphonia, Crocus cum aceto acerrimo & Caſtorio miſcetur, in quo intincta pluma naribus indatur ex graui enim ſtupore excitat. Ex floribus nondum decerptis ſtaminibus, exſtillatur aqua, quæ duabus à cœna horis aſſumpta, ſomnum conciliat (Camerarius ad eum locum an-

notat, eſſe qui è floribus, poſt adempta ſemina, eliciant eam aquam, cuius ſumma doſis ſit ℥ iiii.) Crocus cum lixiuio & oleo oliuarum miſtus, calidè appoſitus, cōfert in tumoribus vbi metuitur gangræna: ad quam ſingulare remedium eſt emplaſtrum ex Lupinis in lixiuio & vino albo coctis, addito tandem Croco. Stamina omnem mitigant calidum tumorem, cum oui albumine, & vitello impoſita. Sertum ex Croci floribus capiti circumpoſitum, ſomnum inducit. Calidæ podagræ dolores immenſos lenit Crocus cum lacte, oleo roſato & pauco Apio ſimul mixtis. Auic. cephalalgiam facere ſcribit, & capiti nocere: id quod non exiguo, ait Dodonæus, ſed nimio ſuo vſu efficere poteſt. Vigilias ſiquidem copioſior inducit, quæ modum excedentes capiti & ſenſibus obſunt: moderatus autem Croci vſus cerebro prodeſt, ſenſus vegetiores reddit, ſomnum & torporem excutit, lætitiam gignit: corroborat quoque Crocus cor, thoracis crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obſtructione expedit, & ad hæc tam efficax remedium, vt ſubinde phthiſicis in ſummo vitæ diſcrimine, & propemodum animam agentibus, ſpiritus reducat, & vitam ad aliquot dies prorogét, ſcriptuli dimidii, aut ad ſummum integri pondo, cum Paſſo aut vino Pramnio, vel alio dulci, exhibitus: quo modo etiam datus, grauiſſimas ſubitò irruentes, citrà febrim, dyſpnoeas, ſtatim & momento temporis tollere, non ſemel à nobis compertum eſt. Laudatur ad heparis & fellis obſtructiones, nec non ad regium morbum atque hinc bonum colorem Crocum efficere Dioſc. ſcribit: additur eodem authore ad omnes quæ interaneorum cauſſa temperantur potiones: ſed noſtra ætate ad eas potiſſimùm, quæ menſes, fœtus, & ſecundas educunt, oculos ab ecthymatis & exanthematis cum lacte, aut Foeniculi, Roſarúmúe liquore præſeruat illitus, & humorum in eos fluxiones reprimit.

Aduerſar. Affirmant Aduerſaria, Croci ſtamina trita carpis aut ſub mammis admota, illitáue, vires ſuas cordi cerebroque illicò tranſmittere, quaſique vertiginem tenebricoſam inuehere, aciem oculorum perſtringere aut hebetare.

Geſnerus. Crocum. Croci parum iuſculis in melancholica paſſione miſcet Geſn. Dicamus vrgente negotio quædam vt ex præſcripto Dioſ. Ad Crocinū vnguentū præparandum ſpiſſabis antea oleum, velut de Suſino dictum eſt, eo pondere & menſura: & acceptis olei ad Suſinum ſpiſſati libris tribus & dimidia, immittito Croci drachmas octo, & ſæpè per diem commoueto, ita vt hoc aſſiduè facias ad quintam vſque diem. Sexta verò oleum de Croco purè defundito, & ad eundem Crocum olei menſuram vnam affundito, & ad triduum commoueto. Deinde ad defuſum myrrhæ contuſæ & cribratæ drachmas quadraginta ammiſceto, & in mortario commodè moueto, & ſic reponito. Quidam oleo ad Cyprinum aromatis imbuto, etiam ad Crocinum vtuntur. Optimum ex ipſo eſt quod abundè Crocum ſpirat, quod ſanè ad vſum medicum expetitur. Secundum locum obtinet quod myrrham redolet. Vim habet calefaciendi & ſomnum inducendi. Vnde ſæpè phreniticis conuenit, ſi ex eo irrigentur, aut ipſum olfaciant, aut etiam naribus illinant. Gignit item pus, & vlcera purgat. Facit etiam ad vteri duritias, & concluſiones, ad vlcera in ipſo maligna, cum cera & medulla, & duplo oleo. Concoquit enim & mollit, & humectat, & mitigat. Facit & ad glaucomata oculorum, ſi cum aqua ſublinatur. Proportionem verò cum ipſo habet, & id quod Butyrinum appellatur, & Onychinum, & Styracinum, vt quæ nominibus ſolùm differant, verùm præparandi modo & viribus ſimilia ſunt. In Crocino (inquit Cornar.) nihil eſt quod aliquem morari poſſit, ſi noſtram tranſlationem cum Græcis diligenter conferat. Quod dixi ſecundū locum obtinet id quod myrrham redolet, τὸ τῇ σμύρνῃ παρεμφέρον, in Græcis legitur: quod ſimilitudinem ſignificat, ſed non aliam quàm odoris, vt ego puto: quum antea optimum ſpirare Crocum dixerit. Nam ſi quis Myrrham referre dicit, obſcurum relinquit quâ in re ſimilitudo illa poſita ſit. Et poteſt etiam hæc locutio inter eas referri, quas Galenus improprias in Dioſcoride deprehendit. Paulus alium Crocini parandi modum habet, ſed exemplaria Græca eo loco & corrupta ſunt, & tranſpoſita. Nos autem in noſtra Pauli tranſlatione omnia in iuſtum locum reſtituimus, & in Dolabellis noſtris in eundem omnium rationem reddidimus. Quod porrò ad finem dicit, cum Crocino eandem vim & præparandi modum habere Butyrinum & Onychinum & Styracinum: de Butyrino quidem facilè creditu eſt, itemque de ſtyracino: & ex appellationibus etiā aliquo modo conſtat: & de Styracino quoque infrà Dioſc. in Styrace repetit: ſed de Onychino ambiguum penitus eſt, &c.

Cro- ma- quo- fiat tio. Dioſc. ſimiliter, Crocomagna facit ex Crocino vnguento aromatis expreſſis & efformatis. Eſt autem bonum id quod odoratum eſt, moderatè myrrham redolens, graue, nigrum, non lignoſum, dum diluitur croci colorem abundè referens, læue, ſubamarum, & quod dentes ac linguam vehementer ringit, colore ad multas horas durante. Tale verò eſt quod à Syria affertur. Vim habet extergendi ea quæ pupillis tenebras offundunt, vrinam ciendi, molliendi, concoquendi, calefaciēdi. Croci viribus aliquo modo reſpōdet, plurimā enim de ipſo parte obtinet. Crocomagma Dioſc. ex Crocini vnguēti aromatis exprimit [ait idem Cornar.] & in maſſas ſiue paſtillos efformat. Alia verò eſt Crocomagmatis præparatio, quam Damocratis verſibus conſcriptam, Galen. lib. 2. Antid. recenſet: & Aëtius lib. 2. c. 196. & 6. cap. 50. habet, conſtans ex Croci drachmis centum, myrrhæ Traglodyticæ, roſarum ſiccarum, amyli, gummi, ſingulorum drachmis quinquaginta, teruntur hæc cum vino, & efformantur in paſtillos, qui in vmbra ſiccati in vſum veniunt, & ad capitis dolorem temporibus illinuntur. Et in aliorum quoque Pharmacorū præparationes miſcentur. Galenus quoque lib. 2. c. 1. κατὰ τόπους in capitis ex febribus dolore: Illinenda eſt frons, inquit, ex cyphi in frigidioribus, ex Crocomagmate in calidioribus. Hippocrates Crocomagma etiam ἔκμαγμα appellat in libro De ſterilibus.

---

## CROCVS VERNVS LATIFOLIVS ALBO flore interdum purpuraſcentibus venis vario. Alius flore purpureo minore.

Deſc. In poſt. Hiſt. Cluſius ſub titulo Croci verni latifolii albo flore hanc tradit deſcriptionem. Latifolii Croci prima ſpecies, terna & quaterna interdum habet folia latiuſcula & breuia, duabus albis venis per eorum longitudinem ſubtus excurrentibus prædita, inter quæ prodit è membrana flos breui pediculo nitens, ſex foliis conſtans

ſtans albis, imâ parte cum pediculo purpuraſcẽtibus, & in meditullio ſtamina, cum breui trifido ſtilo continens: radix bulboſa, candida, tenui cortice amicta, fibríſque candicantibus infimâ ſede prædita. Nulla inter reliquas Croci verni ſpecies, hac magis fœcunda in edenda ſobole. Eius verò flos interdum variat: nam terna illa exteriora folia, nonnunquam purpuraſcẽtibus venis ſunt aſperſa, interdum ſoli foliorum mucrones purpuraſcunt, aliquando etiam purpureus radius omnia folia ſecundũ longitudinem media ſecat.



Crocum autem vernum latifoliũ purp. flore minore ſic deſcribit. Similibus eſt foliis latifolio albo, paulò tamen anguſtioribus, inter folia promens è membranaceo inuolucro, eiuſdem magnitudinis florem breui pediculo innitẽtem, ſex foliis conſtantem violaceæ ad cæruleum tendentis purpuræ colore, vnguibus & ſummo pediculo ſaturatiore purpura nitẽtibus: radix alteri ſimilis, & in edenda ſobole ſatis fœcunda interdum. Nonnũquam, ſed valdè ratò, fert vtraque hæc rotundũ exalbidum ſemen in triangulo capitulo.


I II

Primæ, ſecundæ, & quattæ (de quo paulò poſt) ſpecierum meminit Ioſ. Simlerus in Heluetiæ deſcriptione, atque iſtic in montanis inueniri, colore purpureo candido, & vtroque mixto: Hutrieff vulgò vocari, & à Iuræ montis incolis (apud quos in ſupremo iugo etiam naſcuntur) Leffrat: addit radicem ſuibus eſſe gratam.

Audio & in Baldo monte agri Veronenſis prouenire. Nonnulli primum genus Crocum vernũ ob foliorum & floris cum legitimo Croco ſimilitudinem vocant: Græcè ὁ κρόκος ἐαρινὸς dici poſſet: alii Crocum montanum appellare malunt, (aliud tamen montanum Crocum poſtea dabimus) Turcæ *Zafran* vocant Crocum, & voces addunt *ak, mor, ſari*, quùm album, violaceum, flauum colorem exprimere volunt.

Croci ſilu. verni tria obſeruauit genera Dalechamp. *Primum* minimum radice bulboſa, exigua, rotunda, multiplici cortice veſtita, infernè Cepæ modo fibrata: cauliculo dodrantali duobus latiuſculis foliis obuoluto, vſque ad floris exortum ferè aſcendentibus, quatuor inſuper, aut quinque foliis ex lateribus vtrinque enatis, oblongis, anguſtis, linea candida quæ media interſecat, diuiſis: flore Croci hortenſis, paruo, ſupernè purpureo, infernè flaueſcente, extantibus in medio ſtaminibus croceis. *Secundum* priori in multis ſimile eſt, in quibuſdam diuerſum: nẽpe quòd radice ſit ampliore, ac denſiùs fibrata: caule proceriore, grandiore, craſſiuſculo: flore maiore & latiore. *Tertium* radice eſt gemina, Gladioli modo, læuiore, integriore, minúſque lacero cortice obducta, parùm fibrata: foliis quatuor, aut quinque, longiſſimis, ſed anguſtiſſimis, linea media candidiſſima diſtinctis: caule foliis vacuo, recto: flore media ſui parte purpura nitente, ſuprà & infrà candido, interdum prorſus albo. Crocus ſilueſtris in pleríſque Galliæ locis; ſed in Allobrogibus potiſſimùm naſcitur, præſertim primus & tertius in niuoſis montibus, terra nigra & pingui. Liquatâ niue, & ſub finem Maii florem & folia ſtatim promunt. Hanc ob cauſam opinatur Cluſii appellandum Crocum Vernum, quòd flore ſit Croci, Veréque floreat. Tres quoque figuras habet Dalechampius, & deſcriptiones, nos priorem & tertiam accipimus, ſecunda minùs placet, quare ex noſtris ſiccis vnam cum latioribus foliis.

Crocum ſanè montanum ſilu. obſeruaui Burmii Rhætorum cum flore ac etiam ſemine Iunio. Locus. Geneuæ etiam cùm eſſem reperi Iulii principio in monte Thuyri, verùm iam defloruerat & aderat ſemen: tranſtuleram in hortum, nos autem illud deſcribere neglexímus, purpureum colorem in ſiccis animaduertimus:

Croci mei vbi primùm erumpunt cum flore, quidam extra terram, vix per quatuor vncias extant, vnciarum ferè duarum inter folia herbacea qui interdum ea ſuperant, in flore ſex folia & apices lutei, quos non animaduerti extra florem eminere vt demonſtrat figura Dalechampii, flos deſinit in capitulum ex breui & vnciarum duarũ aut trium pediculo tenui, in quo ſemina: folia herbacea tantùm terna, anguſta, Croci: quæ ſuperant florem, & potiſſimùm vbi incipit euaneſcere, & tandem ita excreſcunt vt palmum excedant, & latiora euadant multò quàm in hortenſi. Pictor noſter perperàm pinxit quatuor folia pro tribus: membranæ aliquot tenues latæ ambiunt ſimul pediculum floris & foliorum principia, quæ exprimuntur in figura Dalechampii: membranea etiam alia tunica amplectitur cauliculum floris, ad cuius initium vſque, nec pediculus ita nudus eſt, vt pingit noſter pictor, qui per negligentiam eam omiſit: radices plerúmque duplices, vt in Gladiolo, tunicis reticulatis teguntur, ſubſunt deinde capillares radiculæ. C. B. not. Cur Frater Phyt. ſeparet Cluſii vernum maiorem tertium à Lobelii Violaceo toto nondum animaduertere poſſum.

Geſner. hort. Crocus ſilu. flore candido pulchro proſiliente ſub finem Februarii.

An Camer. hort. Crocus vernus purpureus. Et apud Matthiol. Germ. Reperiuntur aliquot ſpecies Croci ſilu. potiſſ. in altis montibus, floribus albis purpuraſcentibus aut cæruleis [blaw/] vt plurimùm Vere floret, in Iura monte dicun-

tur Leffrat, in aliis mõtibus Helueticis hutreiff.

Sæpiùs miratur Cluſius ſe, nec in Auſtriacis, nec in Styriacis, neque etiam in Pannonicis mõtibus, vllum Croci verno tempore florentis genus inueniſſe, tametſi diligenter perluſtrarit, quum Helueticæ Alpes, illis etiam frigidiores, aliquot eius genera ſpontè alant.

Vires & Vſus.

Croci ſilueſt. montani flore albo radice foris duntaxat quidam vtendum cenſent, tam Cluſio, quàm Lobel. teſtibus, intus non perinde: illitus pubi vrinas elicit crebras atque craſſas, tumores Hydropicorum diſcutit, ſpicula euellit. Iſto agreſti faciliùs abigeret è ſuis interulis pediculos Gẽs Hibernica, nam viroſior eſt, & penetrantior. Verùm vulgatior præterquamquod Hibernis miſeris tam importunos hoſpites, quietis & famis hoſtes abigit, etiam colorem floridum, vegetumque calorem, vigorem, & animorum ferocitatem artubus & alit & auget, illuuiéque ſordidas veſtes colore commendat, militiæ idcirco non parùm conducibilis.

## CROCVS VERNVS LATIFOLIVS perpetuus flore maiore.

PErelegans Cluſio in poſt. hiſt. Croci verno tempore florentis Tertia ſpecies latifolia purpur. flore maiore, quam ei mittebat Doctiſſ. vir Ferdinandus Imperatus. Eius verò iam marcidi, & dudum terrâ eruti bulbum vnicum accipiebat, qui ſequente Vere folia quidem protulit: ſed nullum florem. Lugduni porrò Batauorum, cum aliis Croci verni latifolii ſpeciebus *florem* dedit, illis formâ ſimilem, hoc eſt, ſex foliis conſtantem, quorum externa tria paullò longiora, interna tria breuiora amplectuntur, multò tamen ampliora quàm in ſecunda ſpecie, licèt illis colore nec valdè diſparia. nec iniucundi odoris, tria *ſtamina* cõtinentem alba, magnis flauis *apicibus* prædita, & inter illa *Stylum* paullò longiorem, extimâ parte in tres quaſi tubulos laxiores diuiſum, aurei coloris: cum flore, è membranaceo, inſtar reliquorũ, inuolucro prodeunte, exeunt terna, aut quaterna *folia*, proximè deſcripti foliis nõ diſſimilia, paullò tamen lõgiora: *radix* bulboſa: ſuperiore maior, & ad Quintæ ſpeciei radicis amplitudinẽ accedens.

## CROCVS VERNVS ALBVS, CÆRVLEIS oris in latere folii, Lobelio: & Crocus vernus latif. albo verſicolore flore primus Cluſio.

Deſcriptio

LOb. Obſ. & Ic. Pl. Crocus vernus albus 2. cæruleis oris ſparſis in latere folii: ex Italia D. Brãcionus accepit. Hiſt. Lugd. figuram habet ſub Croco ſerotino Lobelii. C.B. Phyt. Crocus 6. ſiue Alpinus vernalis triphyllus, Lobelii albus. 2. Croci verni latifolii albi, verſicolore flore primi *folia* Croci ſatiui & legitimi folia ſatis referunt, niſi breuiora eſſent: inter quæ bini aut terni prodeunt *flores*, primæ & ſecundæ ſpeciei floribus maiores, ſex foliis mucronatis conſtantes, quorum terna exteriora (quæ pallida ſunt foris) tribus radiis ex atro purpuraſcentibus, ab infima baſi ad extremum folium ductis ſtriata, internè alba ſunt, vt & tota interna tria folia, *ſtaminaque* in meditullio habent Croco montano ſimilia, ſed magis pallentem *Stylum*: liberaliùs hæc *ſemen* præbet in triangulis capitibus, rotundum, ex ru-




ſo candicans: *radix* ſuperioribus ſimilis, foris membranâ fuſcâ obducta, fibris infima ſede donata, & intus alba.

Cluſium intelligere eundem Crocum cum Lobelio aſſerere non audemus: eandem iconem habet, quæ à nobis in noſtra tabella notata eſt I. de altera icone notata II. agemus paullò pòſt, ſub Croco verno latifolio albo verſicolore ſecundo ſimplici.

## CROCVS VERNVS LATIFOLIVS albo verſicolore flore 2. ſimplici & duplici.



Deſ

QVarto Croco (inquit Cluſius) verno latifolio albo flore ſimilem, ſed per omnia minorem, antè multos annos in Belgicam nobis mittebat C.V. Alphonſus Pantius, Ducis Ferrar. Med. cuius *florem* interdum octonis & denis foliis prẹditum habui. Iac. Plateau etiam duodenis, illiuſque iconem ad me mittebat, peculiare genus eſſe exiſtimans: ſed inſequente anno ſimplicem ſex foliorum florem tulit.

Cluſius habet in poſt. hiſt. Iconem Lob. ex Plantini iconibus p. 139. quæ in tabella præcedenti, nobis paulò antè poſita ſub Croco verno albo & notatur II. Cluſ. præterea aliam iconem habet, cui titulus Crocus vernus latif. duplici flore.

An Lobel. Obſ. Crocus ſilu. albus duplex maior & minor. Flores illis albis, purpureis, violaceis lineis ſtriati, quos ex Italia præclarus vir Brancionus accepit. Pagina verò ſequenti & Ic. Pl. p. 139. Crocus ſilv. 5 purpureus, obſoletus, pullis lineis ſtriatus, quem D. Brancion Alfonſi Pantii Ferr. munere alit, ſupra figuram, Crocus vernus ſerotinus 1. flore purpureo rubente, violaceis lineis ſtriatus.

Hiſt. Lugd. Crocus ſerotinus Lobelii. C. Bauh. Phyt.

Phyt. Crocus 3. ſiue Alpinus Vernalis purpuro violaceus 1. Lobel. Vernus ſerotinus 3. reperitur flore purpureo, aureo & vario. An Camer. horti Crocus vernus flore vario?

## CROCVS VERNVS PVRPVREIS ſtriis virgato flore.



Folia ex radice bulboſa ſtatim promit, aliquot nonnihil repanda dodrantalia & longiora, culmo anguſtiora, rigidula: *ſemina* in cacumen deſinentia, ſulco candicante aduerſa parte exarata, marginibus viridantibus. Sulco auerſa parte reſpondet porca elatior nitidi viroris, à qua deuexa caniculata latera colore ferè ſunt glauco: inter hęc emergũt, mox à radice *pediculi* palmares & latiores, teneri, infirmi, maiore parte cãdidi, candidâ membraneâ vaginâ diuoluti, ſuperiore parte albis purpureíſque ſtriis diſtincti: ſinguli *florem* vnum ſuſtinentes fragrantis odoris, nudum, ſpiculum antequam explicetur æmulantem, foliis conſtãtem ſenis, vncialibus, acuminatis, quorum extima tria complexu ſuo, reliqua in occluſo flore occultant, colore intus albicante, foris ſtriis purpureis, pallidè flaueſcentibus & albis pulcherrimè virgata: tria verò reliqua, coloris intus foríſque ſunt dilutioris violacei, excepto vngue ſaturatæ violæ externa parte conſpicuo: medium obſident tres fibræ puluiſculo flauo reſperſæ, auiculæ linguam imitatæ, *ſtamina* ambientes totidem ſaturati crocei coloris.

In horto Ill. E. C. Montbelg. licuit in huius foliis luſum obſeruare: ſiquidem extima illa ſtriata floris folia, vna aut alterâ profunda cæſurâ per margines diſſecta animaduertimus: prouenerat autem ex bulbis à Genero Cherlero Romà delatis, florebat circa finem Februarii & principium Martii.

De hoc fortè Cluſ. poſt. hiſt. Ioach. Iungermanus C. V. Ioach. Camer. ex ſorore nepos mihi ſcribebat in herbatione, quam Comite Ioſepho de Caſa buona Sereniſſ. Ducis Flor. ſimpliciſta vt vocant ad Tirrheni maris littora inſtituerat, tres Croci verni differentias inueniſſe. Ex iis elegãtiorem, vel albicantes, vel purpuraſcentes flores proferre, quorum exteriora terna folia craſſiores quaſdam venas purpurâ ſaturâ infectas haberent, quæ mirum flori decorem adderent. Reliquas duas maiores eſſe, Croco ſatiuo non inferiores, & vtrique florem purpureum: ſed in vna Colchici floris inſtar dilutum, in altera à Croci legitimi flore parum diuerſum. Addebat, Ioſephum admonuiſſe, aliud elegantiſſimum genus naſci in iiſdem pratis circa Liburni portum, quod florem proferret ſaturatiſſimâ purpurâ nitentem, quem, vt pote magis ſerotinum, conſpicere illi non licuiſſet.

## CROCVS VERNVS LATIF. PVRPVREVS verſicolore flore.



Deſcriptio. Croci verni quinta ſpecies Cluſ. Hiſt. poſt. ſiue Crocus vernus latifol. purpureo verſicolore flore, quem Alphonſus Pãtius mittebat, florem iã marcidum adhuc retinentem, & ſemen in triangulo capite maturum, ex quo mihi natæ plantæ, quæ tertio anno flores proferre cœperũt: ſunt verò ii ſuperioribus ampliores, ad tertiæ ſpeciei florum magnitudinem proximè accedentes, ſex etiam foliis prædiri, quorum externa tria foris ex candido, quodammodò purpuraſcunt, & ſaturatiſſimæ, quaſique atræ purpuræ, tribus vel etiam quinque lineis ab infima parte ſurſum aſcendentibus inſignita ſunt, internè purpuraſcunt, interiora verò tria, vel dilutioris, vel ſaturatioris purpurei ſunt coloris, circa vngues tamen, ſimilibus, vt exteriora, radiis inſignita: *ſemen* in triangulis capitibus ſubfuſcum: *folia* ſuperioribus ſpeciebus longiora & latiora, Tertiæ foliis non valdè abſimilia, duabus etiam albis lineis ſubtus diſtincta: *radix* paulò amplior: huius florem etiam octonis foliis interdum luxuriantem habui quatuor videlicet internis, totidem externis.

In icone Cluſii non apparent lineæ ſurſum aſcendentes.

## CROCI VERNI TRES SPECIES, FLAVA aurea & pallida.

Deſcriptio. Croci verni Mœſiaci latifolii flore flauo, *primæ ſpeciei* quaterna aut plura *folia* ſunt, ad quintæ ſpeciei folia valdè accedentia, longiora tamen & circa exortum latiora, binis candidis venis ſecundum medium neruum per longitudinem excurrentibus, vt in reliquis Croci ſpeciebus, quæ emergere incipientia, *florem* ſimul oſtendunt, ſex foliis, dum explicatus eſt, cõſtantem, exterioribus mucronatis, internis paululùm orbiculatis, flaui coloris, vtcunque odoratum, tria longiuſcula latiuſculáque *ſtamina* dilutiùs flaueſcentia, intus continentem, & lõgiorem ſtylum ſummo faſtigio in tria ſtamina diuiſum, ſatiui Croci ſtaminibus pænè concolorem: cui ſuccedit, vt in ſuperiore Croci verni ſpecie, membranaceum triangulare *capitulum*, rotundo rufóq; *ſemine* plenum: *radix* cum ſuperioris radice conuenit, vel etiam maior eſt,

ſolida, aliquot candicantibus fibris, ſeſſili parte donata, & aliquot tunicis obuoluta: binos plerumque, ternos aut quaternos, vel etiam plures profert flores: nulla enim Croci verni ſpecies hac liberalior in producendis floribus.

*Croci verni latif. aureo flore.*



Croci autem verni latifolii aureo flore, ſpecici alterius *folia* paullò breuiora, tamen latiora, illius qui niueum fert florem foliis penè æqualia, *flos* magis apertus, ſex etiam foliis conſtat altero breuioribus, ferè orbiculato mucrone coloris prorſus aurei, tria *ſtamina* vmbilicū occupantia breuiora latioráque: *Stylus* alteri ſimilis, ſumma parte interdum in quatuor ſtaminula diuiſus, alterius Stylo concolor: florebat mihi anno 1584. & ſequentibus duobus, paullò maturiùs flauo, & multos etiam dabat flores.

*Crocus vernus latif. pallido flore.* Croci tandem verni latif. pallido flore tertia ſpecies *folia* non minùs lata habet, floreſque ſex foliis magis mucronatis conſtantes, coloris omninò pallidi, viridibus venulis exteriorum foliorum vngues foris diſtinguentibus, cæteræ notæ conueniunt.

Omnes has flaui differentias corrumpebat rigida illa hiems anni 1586. & plures quàm ſexagenos bulbos iuniores earum ſemine natos, præter tres aut quatuor qui flaui genus conſeruarunt.

Crocus vernus latifol. flauo vario flore, Conſtantinopolitanus ſiue 7. Cluſii, dubitat Lobel. Adu. par. 2. an ſit Crocus ſil. vernus verſicolor, aureo rutilo panno concolor, quem Galli *drap dor* vocant: de quo paulò poſt.

C. Bauh. Phyt. Crocus 12. ſiue vernalis flauus. Item 13. ſiue Vernalis pallidus. Camer. hort. Crocus vernus aureo flore.

Tempus. Florent autem omnes, inquit Cluſius, Croci montani differentiæ ineunte Vere, aliæ aliis maturiùs, Martio, & Aprilis initio: nulla autem diutiùs (ob numerum florum ſubinde naſcentium) eâ quæ flauum fert florem, quæ omnium etiam liberaliſſimè ſemen præbet: ea primùm Germaniæ innotuit poſt annum 1579. Stephani van HauſenNotimbergenſis diligentiâ, qui Conſtantinopoli rediens, in Seruia ſiue Moeſia ſuperiore ſub Belgrado florentem eruit Martio menſe: poſtea & alii antè à me admoniti viderunt iſtinc Viennam redeuntes, in Thracia, non modò flauo flore, ſed etiam albo & ſubcæruleo: ſed non eruerunt: Flauæ autem variæ pauci bulbi allati anno 1597. Octobri menſe, iiq; adeò marcidi & exſucci, vt verno tempore erutos appareat: nam & flores & folia adhuc retinebant, emptique fuerant in foro Conſtantinopoli. Vnus aut alter eorum quos redemeram, & terræ commiſeram, prodierunt ſequente Vere, vnicū duntaxat folium proferētes, & anno demū 1590. & ſequentibus, flores quos deſcripſi mihi tulerunt Francofurti ad Moenum, & Lugduni apud Batauos.

## CROCI VERNI LATIF. FLAVI vario flore 1. & 2. ſpecies, vtraque flore ſimplici & duplici.





De Crocus vernus latifolius flauo flore, ſiue Septima ſpecies, Cluſ. Hiſtor. poſter. quinque aut ſex habet *folia*, tenuia, inſtar ferè legitimi Croci, infima parte ex purpura nigricantia, è quorum medio vnum aut alterum *florē* promit aurei ferè coloris, legitimi Croci odorem nonnihil referentem, ſex etiam foliis conſtantem: vt reliqua Croci genera, quorum exteriora tria paullò anguſtiora, & magis mucronata, tribus craſſiuſculis radiis ex atro purpuraſcentibus ab imo ad ſūmum, ſecundum folii longitudinem excurrentibus, & multas interdum venas in latera ſpargentibus, inſignita, terna interiora latiora ſunt, & vngues habent foris etiam ex atro purpuraſcentes, *pediculum* qui florem ſuſtinet, totidem purpurei coloris ſaturi radiis notandum, quot ſunt in flore folia: *vmbilicum* occupant tria flaua *ſtamina*, inter quæ ſtilus eminet extremâ parte trifidus, aurei coloris: floribus ſuccedunt craſſiuſcula trigona capita, adeò ſaturo purpureo colore infecta, vt atra videantur & ſplendentia, quæ maturitate hiſcentia, *ſemen* continere conſpiciuntur ſuperiori æquale, & magis rufum: radix bulbacea, vt in ſuperioribus, ſed præter illorum morem multiplici reticulatoque cortice obducta, & multis tenuibus fibris ſeſſili parte, per reticulati corticis maculas

culas

culas ſe exerentibus,prædita, raro adnatos bulbos proferens.

Iſtius alia eſt ſpecies,quæ nec radice,nec foliis,neque flore differt,exceptis,radiis, qui adeò latè ſeſe ſpargunt , vt præter oras , totum externorum trium foliorum dorſum inficiant,ac pediculus etiam florem ſuſtinens, totus ex purpura nigricante ſplendeat. Vtraque ſpecies aliquoties florem dedit duodecim foliis conſtantem, ſex internis aurei coloris, ſex externis purpureis radiis inſignitis , deinde ſexagona capitula:interdum etiam gemellos flores vni pediculo inhærentes,quibus etiam gemella capita , vtraque ſemine plena.

Lobel. Adu.par.2.Crocus vernus latifolius flauo vario flore, ſiue 2.Conſtantinopolitanus Cluſii. Pleræque ferè Croci ſylu. varietates Anglobritanniæ & Belgio inquilinæ.

*Crocus vernus flore luteo,coronâ Phœniceâ.*

Crocus vernus flore luteo,coronâ Phœniceâ authore Lobel.Adu.Penes D.Somerum quotannis Aprili floret,delato & eruto bulbo ex horto magni Ducis Hetruriæ.

*Croci lutei & aurei varietates.*

Eius ( inquit Lobel. Adu.par.2.) tres differentias alunt Ioannes de Franque ville ſenior & iunior, mercatores Cameracenſes huius amœni ſtudii cultores egregii. *Vnum* quippe flore flauo ſiue fuluo,nitido: radice aliis non diſſimili. *Alterum* rariorem multò, præcociſſimum , flore ſaturo colore fulgente, [ An crocus Vernus latifolius Cluſii flauo vario colore Conſtantin.]aurei ſplẽdoris foris elegantiſſimis violaceis nigris lineis ſtriato, auro texto Serico panno æmulo , vnde [crocus aureo panno concolor] croci concoloris aureo panno nomen , *Goud laken* vulgò Brabantorum,& *Drap d'or* Gallorum. Staminibus intus luteolis : foliis tenuibus erectis : Bulbo ſubtus aliquantulùm fibrato,reticulo obtecto inſtar nucis Myriſticæ inuolucri, Macis vocati. Hoc alui Hacknei figulino vaſe. *Tertium* flore pallido ab aliis diuerſum: cæteris vt vt ſatis reſpondentibus.

Varietas. Crocus vernus aureo flore Cluſii, variat flore intensè , magiſque luteo aut rutilo & aperto. Sed tota planta minor, alioqui omninò ferè ſimilis.

CROCVS VERNVS ANGVSTIFOLIVS floribus cæruleis ſiue violaceis interdum candidis,Hiſpanicus.

CRoci verni anguſtifolii ſpecies prior(inquit Cluſius hiſt.poſt.) terna , quaterna aut plura habet *folia*,longa, viridia, Crocinis longè anguſtiora graciliorâque,rotunda & capillaria ferè,inter quæ prodeunt bini aut terni *cauliculi*, vnciales vt plurimùm,anguloſi,ſuſtinentes flores ſex foliis conſtantes, vt reliquæ ſpecies, imâ parte flaueſcentibus, intus nonnihil candicantibus, cætetà ad cæruleum tendentibus , ſiue violaceis [inueniuntur & toti candidi]odoratos,quibus inſunt *ſtaminula* : his ſuccedunt folliculi,ſiue *capitella* trigona , exile *ſemen* fulueſcens continentia : *radix* exiguæ Auellanæ magnitudine, duro ſpadiceóque cortice ſiue putamine tecta, intus alba, firma, ſubaſtringente guſtu.

Cluſ.Hiſp.& Hiſt.poſt.Appellatur hic bulbus à nonnullis crocus vernus, quòd flore ſit croci , Veréque floreat : folia tamen croci non ſunt,ſed rotunda & capillaria planè.Nomen vulgare Luſitanis Galeriæ vicinis apud quos etiam naſci quidam illius regionis incolæ aſſerebant, *Nozellas pequennas*,id eſt, Auellanæ paruæ.

Lobel.Obſ.& Ic.Pl.pag.141. crocus ſilu. maior Hiſpanicus,flore patulo,vulgò Nozilicha minor & Nozellas.1.Nucula à radicis forma,quam etiã guſtu refert. Crocus vernus minor primus Cluſii. Hiſt.Lugd.crocus vernus minor.1.

C.Bauh.Phyt.crocus 14.ſiue vernalis minor.1.

Frequens inuenitur à Cluſio Gadibus Prior, atque inter Aſindum ( vulgò Medina Sidonia ) & Calpen,locis ſalebroſis & apricis. Floret cum ſequentibus Ianuario & Februario. Locus & tempus.

Anguſtifolii croci verni nullas facultates cuiquam exploratas intellexit Cluſius. Vires

*Crocus Vernus minor alter flore minore ex albo purpureo.*

Croci verni anguſtifolii ſpecies altera , *foliis* & *radicis* externo cortice illi omninò ſimilem in Beturiæ collibus Luſitaniæ finibus obſeruabat Cluſ.hiſt.poſt.paulò minore flore , ex albo purpuraſcente,vixque è terra prominente , atque vnum bulbum eruebat florem habentem è foliolis octo compoſitum, quatuor externis paullò maioribus : radix erat gemina , candida , vna ſuper alteram inſidens , quarum ſuperior firma, dulcis & edulis erat,inferior flaccida. Deſcriptio

Crocus vernus minor alter Cluſ.Hiſp.incolis Cebollina[parua Cepa] dicitur, quo ferè nomine ſolent Hiſpani minores omnes bulbos nuncupare. Lobel. obſ. crocus vernus 2.Cluſii Hiſp. Cebolina 1. parua Cepa. C.Bauhin.Phyt.crocus 11. crocus alpinus gemina radice.

Obſeruauit hunc Cluſius in Beturiæ collibus Luſitaniæ conterminis , florentem Ianuario. Locus & tempus.

CROCVS VERNVS ANGVSTIFOLIVS tertius Cluſio flore multò minore cæruleo.



TERTIA croci verni anguſtifolii ſpecies Cluſio vberioribus & craſſioribus eſt *foliis*,iiſque interdum ſurrectis : *flos* duarum præcedentium flore longè minor , totúſque cæruleus, tribus exterioribus foliis exceptis , quæ foris vireſcẽte colore nõnihil aſperſa ſunt : huius *radix* priori formâ ſimilis : paullò tamen maior eſt , *ſemen* etiam craſſiuſculum. Deſcriptio

Crocus vernus minor tertius Cluſ. Hiſp. Iconem aliam ponit Cluſius in poſt. hiſt. cum titulo Croci verni anguſtifolii violaceo flore, quam autem pro tertio proſuerat in Hiſp. plantarum hiſt. in poſt. ponitur pro Croco tenuifolio, licèt eius deſcriptio non reſpondeat.

Lobel.Obſ.Crocus vernus Hiſp.3.minor Cluſio. Et Plant.icon.p.142.Crocus ſylu. Hiſpanicus vulgò Nozilicha maior, Crocus vernus 3. Cluſii. Hiſt.Lugd. Crocus vernus minor 3. Cluſio. C.B. Phyt.Crocus 14.ſiue vernalis minor.1.

Locus. Hunc Gadibus duntaxat iuxta priorem inuenit Cluſ.eodem tempore florentem.

## CROCVS MONTANVS AVTVMNALIS.



Deſcriptio CRocum montanū primùm, inquit Cluſ. Hiſp.& hiſtor. poſt. *flore* eſt ſatiui Croci, ſed dilutiore & minore, tribus intus croceis *ſtaminibus*, & ſtilo luteo ſummâ parte in aliquot ſtaminula diuiſo: *folia* illi quaterna Crocinis ſimilia, breuiora tamē, interiore parte, lineā quandam candicantem ſecundum longitudinem, exteriore verò, binos tanquam canaliculos ſeu ſulcos vtrinque ſecundum neruum excurrentes habentia. *radix* minor quàm in ſatiuo, candida, plena, & veluti internodiis diſtincta, quia [ quod omnibus aliis Crocis generibus, gladiolis & Siſyrinchio etiam accidit ] plantâ florente, ſuperior radicis pars augeſcit, inferior autem flacceſſit & minuitur, vtraque tamen denſo quodam cortice è multis villis contexto inuoluta & tecta, tenuibuſque fibris per corticem ſe exerentibus, ſeſſili parte donata: ſubdulcis porrò illa eſt initiò, deinde ingrati ſaporis.

Hunc Theoph. lib.6.c.7. κρόκον ὀρεινὸν appellat, Latini Crocum montanum & ſilueſtre. Luſitani *Pie de borro* (pedem aſininum) vocabant. Qua verò de cauſa neſcit Cluſius. An Adu.par.2. Autumnalis Crocus ſilu.ſine foliis vt Colchicum vulgare flores laxat. Item Obſ. Crocus montanus Autumnalis Luſit.& Hiſp.etiamque noſtris, vulgò *Pied de borro*. Plant.ic.p.138. Crocus montanus Autumnalis. Hiſt.Lugd. Crocus montanus Cluſii.C.B.Phyt.Crocus 3.ſiue Alpinus autumnalis.Camer.hort.crocus montanus Theoph.

Locus & tempus Naſcitur in nonnullis Luſitaniæ rupibus, præſertim iis quæ non procul à mari abſunt, vbi Nouembri obſeruabat Cluſius & cum ſuo flore eruebat, anno 1564. & amicis in Belgium mittebat. Iſtic etiam Septembri floruit, Viennæ Auſtriæ & Francofurti ad Moenum, Octobri, interdum matutiùs: Maio tulit craſſa, anguloſa capita, ſemine plena, quale Croci verni latifolii Quartæ ſpiciei ſemen eſt. Belgis, teſte Lobel. hortenſis & inquilinus factus, è maritimis Luſitaniæ collibus delatus.

### *Crocus anguſtifolius 4. flore purpurei ſaturati coloris.*

De Croci verni anguſtifolii quarti ad Cluſium mittebat diligentiſſ. vir Ioſephus de Caſa bona aliquot bulbulos, quorum nonnulli ſequentibus annis verno tempore florem tulerunt. Erant verò illis terna aut quaterna iuncea *folia*, priori anguſtifolio Hiſpanico modo deſcripto ſimilia, inter quæ vncialis, tenuis *cauliculus* prodibat, membranaceum *folliculum* ſuſtinens, ex quo *floſculus* emerſit ſex foliolis conſtans purpurei ſatiui coloris, quibus *vngues* albis venis diſtincti, & *ſtilus* ex vmbilico prodiens: fugax admodum fuit hic flos, vt pote qui vnico duntaxat die apertus manſerit, *radix* Hiſpanici anguſtifolii radici par, multis tunicis, ſiue corticibus duris tecta.

Apud Cluſium eſt icon, neſcimus an pro hoc quarto poſita an pro tertio: In iconibus Plant.p. 141.poſita fuit cum priore Cluſii anguſtifolio ſub titulo Croci ſilueſtris minoris flore patulo.

### *Crocus montanus ſecundus flore purpureo foliis orbiculato mucrone.*

D Croci montani alterum genus.Cluſ.Hiſt.poſt.ferè ſimile primo, *florem* ſine *foliis* promit Septembri, vnciali aut longiore pediculo innitentem, ſatis odoratum, ſex æqualibus foliis orbiculato mucrone præditis, & ſaturatioris purpurei coloris pæneque violacei, conſtantem, tribus ex vmbilico prodeuntibus flauis *ſtaminibus*, & ſtilo extremum mucronem multifidum, craſſiuſculúmque habente: nullum adhuc *ſemen* mihi obſeruare licuit: nec qui bulbum mittebat, vllam eius mentionem in epiſtolâ faciebat: *radix* prioris radici valdè ſimilis, cortice è multis villis contexto inuoluta, oblongos interdum nucleos ſatis procul à matre ſpargens. Hoc [ Alterum ] Croci ſilueſtris appellatione mittebat Nobilis, idemq; Doctiſſ.vir, Ionanes Boiſſot, verere amicitia Cluſio coniunctus, Francofurtum anno 1591.

## CROCVS MONTANVS TERTIVS.



De CRoci mōtani tertii Cluſio Hiſtor. poſt. *flos* inodorus etiā eſt, vel tenuis admodum & euanidi odoris, ſenis, vt reliqua Croci genera, *foliis*, quorum interiora terna paulò breuiora ſunt, omnia autem orbiculato mucrone, albicantis initiò coloris, ſed in quo deinde, temporis ſucceſſu,

ſucceſſu, dilutius quidpiam cæruleum perfuſum videatur: *ſtamina* ex vmbilico prodeunt terna, flaua,& in medio *ſtilus*, ſiue penicillus, in tria vel plura *ſtaminula* diuiſus, flaui etiam coloris: flacceſcente vel iam marcido flore, quina, ſena, rarò plura emergunt in ambitu *folia* ex tenui mẽbrana, quæ florem initiò obuoluerat, Croci verni latifolii foliis pænè ſimilia, hoc eſt, paulò latiora quàm ſatiui, albâ lineâ ſingula folia per lõgitudinem ſupinâ parte diſtinguente, & pronâ binis: *ſemen* hactenus nullum obſeruauit Cluſius licet multis annis aluerit: *radix* digitalis, vel etiam pollicaris eſt craſſitudinis, orbiculata ferè, alba, ſolida, tunicâ ſpadicei coloris obducta, multis albis fibris ſub ea naſcentibus prædita, quæ florum ſatis ferax eſt: nam & ternos, & quaternos, interdum etiam quinos profert flores.

Miſſum eſt hoc tertium Croci genus Byzantio anno 1587. Octobri menſe *Zafran maby*, hoc eſt, Croci cærulei nomine, quod tamen, prorſus cæruleo non eſſe flore, idem menſis declarauit: nã octiduo poſtquam terræ commiſiſſet flores proferre cœpit.

CROCVS SYLV. BYZANTINVS SEROTINUS candidus tantillùm ſubcæruleus.



DEbetur authore Lobel. Adu. par. 2. Perelegans Croci ſylu. autumnalis ſerotinum genus D. Ioãni Parkinſon Londinenſi Pharmacopolæ egregio, & Rei Herbariæ amantiſſimo, qui eius bulbos Byſantio delatos ſedulis doctioribus amicis Herbarum cultoribus Britanniæ ingenuè impertitus eſt: vt Domino Ioan. Naſmith Botanico primario, & Chirurgo Regio præſtantiſſimo, generoſo item viro D. I. Coys harum peritiſſimo, & D. I. de Franqueville.

Vniuerſa planta quinas & ſenas vncias altitudine æquat, In palmari delicatiore *cauliculo*, vaginula prædito, *flores* laxat candidos, aliquantillùm dilutâ cæruleâ vmbrâ mixtos, ampliuſculos, Colchici paulò minores, ſenis foliis conflatos: tribus *ſtaminibus* luteis inferioribus, Croci verni ſylu. ſimilibus, totidémque ternis ſeſe exerentibus exilioribus concoloribus ſtaminulis aut ſtilis. Floruit in hortis prædictorum quorundam Botanicorum per menſem Nouembrem in ſextũ aut octauum Decembris, vnà cum foliis dilutioris viriditatis (obſcurè virent Croci ſylu. mõtani folia) ſparſis, ternûm vnciarum, lineis albis medio exaratis, quæ paulatim marceſcente flore ad palmarem altitudinem & vncias quatuor excreſcunt. *Radix* adulta Nucem Myriſticam æquat, etiámque ſuperat, rotundior tamen Gladioli ſimilis, intus alba, cortice obducta ſubfuſco. Accedere videtur ad Crocum montanum tertium Cluſii.

*Crocus vernus capillari folio.*

Mittebat Venetius Cluſio Hiſtor. poſt. Croci verno tempore florentis genus capillari *folio*, quod Burdegalenſi agro locis deſertis naſci ſcribebat, & duorum generum inueniri, vnum purpuraſcente folio: alterum [quod rarius,] albo. Et certè illius quod cæruleum habet florem aliquos ipſi bulbos ſemel atque iterum miſit. At illius quod albo eſt flore, ne vnum quidem bulbum ab ipſo impetrare potuit: in alios licèt magis liberalis fuerit: certus enim eſt eos, qui illud habebãt ab ipſo accepiſſe. Id autem exiguam *radicem* habebat, bulboſam, duro ſpadiceo cortice tectá, inſtar illius quod in Hiſpania obſeruabat ad Anam flumen, vel eius, quod Caſabonus ei mittebat: è quâ inſequente anno bina aut terna prodibãt quaſi capillaria folia, viridia, ſurrecta, inter quæ *pediculus* veriùs quàm *cauliculus* vncialis lõgitudinis aut paullò maior, ab vnâ parte planus, ſuſtinens ſemuncialis magnitudinis *florem* ſex foliolis conſtantẽ, quorum terna exteriora paullò longiora erant, & purpurei coloris, tribus venis ſaturatioribus ſecundum longitudinem exteriùs diſtincta, tria interna breuiora & dilutiore colore prædita, omnia autem internè dilurè purpuraſcebant, & *vngues* habebant pallidos, ternis venis diſtinctos, prodeuntibus ex vmbilico tribus *ſtaminulis* breuibus, longo apice flauo præditis, & medio ſtylo extremâ parte diuiſo.

Florem proferebat initio Maii, qui Sole ſplẽdente aperiebatur, ſub noctem autem claudebatur, & paucos dies durabat, nullius, aut perrenuis odoris. Tempus

*Crocum montanum Pyrenæum Autumnale.*

Anno 1602. à Gallo quodam ῥιζοτόμῳ, qui multas plantas in Pyrenais montibus erutas adferebat, aliquot redimebam (inquit Cluſ. Exot. par. 2. Append. 2.) inter quas binos aut ternos Croci bulbos: horum vnus inſequente anno Septembri florem ferebat, Primi Croci montani flore ampliorem, colorisque ſaturatioris & quodammodò medii inter illum & alterum in mea Plantarũ hiſtoria deſcriptum, cuius medius ſtylus multifidus ſummâ parte perinde ac illius, magis tamen diluti coloris, & prorſus flaui: huius item folia marceſcente flore, non ſtatim prodibant vt in primo. An porrò alii iſtius generis ſint futuri, dies nos docebit, ſi non peribunt.

*Croco ſilu. ſimilis Bulbus.*

Bulbus montanus ignotus ſimilis Croco ſilueſtri miſſus ex Hiſpania Cluſ. Pann. pag. 194. C. Bauh. Phyt. Crocus 16. ſiue Croco ſilueſtri ſimilis.

*Croci Zizania.*

Croci Zizania, bulbus quidam nuper cum Croco è Valleſia miſſus, ſuperficies Croci, magnis interuallis latet & redit. Geſner.

EPHEMERON NON LETHALE Veteribus.
CAP. VI.

EPhemeron [ἐφήμερον] quod alii Agreſtem Irin [ἶριν ἀγρίαν, Ald. cod. κρίνον Lilium,] appel- Deſcriptio

lant *caulem,foliaque* habet Lilii,ſed hæc tenuiora: *flores* candidos, amaros: *ſemen* molle: *radicem* vnam digitali craſſitudine, longam, adſtringentem. Naſcitur in ſyluis & opacis.

Plin. more ſuo paucis immutatis ita legit. Ephemeron folia habet Lilii, ſed minora, caulem parem, florem cæruleum,[ album Dioſc.]ſemen ſuperuacuum,radicem digitali craſſitudine.

*Ephemeri æquiuocationes. Colchicum vulgare.*

Cæterùm Ephemeron à quibuſdam pro Colchico vulgari habetur. A quibus recedit Lobelius qui Ephemeron non lethale ſuſpicatur eſſe Hermodactylos officinarum. Diuerſum quoque Ephemeron non lethale eſt, quod depinxit Matthiol. ab indigenis *Giglio Matto*, hoc eſt, Lilium ſtultum nominatum. Fuchſius plantam vulgò Lilium conuallium nuncupatam Ephemerum non lethale eſſe contendit. Ephemeri non lethalis radicem dentium doloribus remedio eſſe ſcribit Dioſ. ſi decocto eius colluãtur; Folia verò in vino cocta illitáque, œdemata tuberculaque diſcutere, quæ quidem humidi nihildum contraxerint. Sed hìc Fuchſ. πύον (puris) pro ὑγρὸν [humidi] ex Galeno legendum cenſet. Galeni verba hæc ſunt: Ephimerum non illud lethale ac deleterium, quod & Colchicum nominant, ſed alterum quod & Irin agreſtem cognominant, radicem habet adſtringentem,& boni,ſuauiſque odoris. Ex quibus palam fit, facultatis, temperaturæque eſſe miſtæ, nempe repellentis,& halitu [ non halitu, vt per incuriam Typographi in Hiſt. Lugd. legitur, ] euaporantis. Teſtificantur opera, quæ particulatim edit. Siquidem non inefficaciter radix eius in dentium doloribus colluitur. Tum phymatum augmento & ſtatui folia conueniunt. Oportet autem ea in vino decocta, priùs quàm pus moueas illinire. Liquet igitur ex his Galeni verbis pro ὑγρὸν πύον eſſe legendum. Variat tamen ab hac lectione & Plinius, ſcribens lib. 25. c. 13. Ephemeron habet radicem dentibus præcipuam, conciſam, in acetoque decoctam, vt tepido colluantur. Et ipſa etiã radix mobiles ſiſtit. Cauis & exeſis imprimitur,[imponitur,] Vet. Et ſeq. lib. 26. cap. 12. Folia Ephemeri tuberibus atque tumoribus illinuntur, quo etiamdum (& tantùm CH.) diſcuti poſſunt.

## COLCHICVM VETERIBVS.

### Capvt VII.

De Colchico Theophraſtum ex profeſſo quędam literis conſignaſſe non ita conſtat: Licèt non deſint, qui Narciſſum eſſe Plinii & Virgilii purpureum affirment, apud Theophr. Autumno florentem, poſt Arcturum circa Æquinoctium. Verba Theoph. de Hiſt. pl. lib. 6. c. 6. hæc ſunt: Νάρκισσος aut λείριον (ſunt enim qui hoc, & qui illo nomine appellent) folium Aſphodelo ſimile habet, ſed multò latius & Lilii, [ καθάπερ ἡ λειριωνία quaſi Liliaceum Marc.] modò caulem nudum quidem foliis, veruntamen herbaceum, cui flos in ſummo, ſemen, velut in vaſculo, membrana quadam clauſum, grande, nigrum (μέλανα. legendum, μήλινα, Dod. Ita etiam Cluſ.) figura oblongum: hoc decidens, ſua ſponte germinat: verùm tamen id colligentes etiam in terra depangunt. Serunt & radicem, quam rotundã, carnoſam & grandem habent. Serotinus flos eſt, poſt Arcturum enim & circa Æquinoctium floret. *Hæc Theoph.* Quæ an Colchico Ephemero reſpondeant, quilibet verba iam in medium prolata diligentiùs examinans, abſque negotio facilè iudicabit.

Cæterùm Dioſc. κόλχικον, aliis etiam ἐφήμερον nonnulliſque βολβὸν ἄγριον dici autor eſt. Lat. Colchicũ, Ephimerum, & Bulbum agreſtem, & ſtrãgulatorium. Colchicum autem, vt ille deſcribit, ſub finem Autumni florem edit Croci candicantem: deinceps verò folia bulbi, ſed pinguiora: caulem dodrantalem cum rufo ſemine: radicem cortice præditam è nigro fuluefcente: quæ quidem delibrata candida, tenera, ſucci plena, atque etiam guſtanti dulcis reperitur. Habet verò bulbus eius mediam rimam fiſſurámue, è qua flos erumpit. Plurimùm in Meſſenia & apud Colchos enaſcitur. Et licèt dicat Dioſc. Colchicon radicem habere cùm delibratur candidam, noſtram tamen cum Marantha obſeruauimus temporis diuturnitate rufeſcere: nec minùs cùm eam dulcem eſſe dicit, noſtræ partes ſunt ſcire, hunc ſaporem non niſi per Autumnum retinere: nam cùm folia verno tempore profert amariſſima eſt, quamobrem à nonnullis pro Colchico habita non eſt.

Plinius, Galenus, Ægineta, atque Aëtius huius meminerunt, quamuis non deſcripſerint, appellantes Colchicum hoc Ephemeron venenatum, lethale, deleterium.

Qua de re ſequentibus agit Serapio: *Serugen*, [id eſt Hermodactylus Dioſc.] Eſt herba quæ floreſcit in fine Autumni & eius flos albus, ſimilis in figura ſua flori croci, deinde emittit folia ſimilia foliis bulbi, in quibus eſt humiditas adhærens manui, & habet ſtipitem longitudine vnius palmi porrectum, cuius color eſt albus, declinans ad nigredinem, & habet radicem, cuius cortex eſt niger, ad rubedinem declinans, Sed quando aufertur cortex, apparet radix interiùs alba, mollis, dulcis ſaporis, & plena humiditate. Eſt autem radix ipſa rotunda, ſimilis Cepæ bulbi, & habet radix iſta in medio ſui ſciſſuram, ex qua egreditur ſtipes, ſupra quem eſt flos. Naſcitur multùm hæc herba in loco qui dicitur Karin, & terris quæ dicuntur Gnagna, hæc herba ſi comedatur occidit ſtrangulando, ſicut occidunt Fungi. Conferunt autem illi qui ipſam comederit omnia quæ conferunt illi qui comedit Fungos malos, eſt autem ſummum remedium ei lac bouinum, non egent namque alio adiutorio qui eam ſumpſerunt, &c. *Hæc Serapio*, qui Galenum citat vires enumerans [quas recenſemus ſub Hermodactyli titulo] verum nihil tale apud eum inuenimus; citat etiam Paulum, ſed ex verbis Pauli certò aſſerere non poſſumus, de qua planta loquatur.

Colchici nomine enartatę plantæ ordine ſequentur. *Narciſſus Perſicus* à quibuſdam Colchicus dictus, de quo agimus poſt Colchicum luteũ. Videtur porrò Cluſio Colchicum Syriacum Alexandrinum quorundam, *Tulipæ genus Apenninum* de quo paulò poſt agemus. Scribit Hiſt. Lugd. *Meleagridem* Dodonæi nonnihil accedere ad figuram Colchici Orientalis Matthioli de quo lib. 30.

## COLCHICVM.

Non multis communis florendi modus efficit vt Colchicum priùs ſemina ferre quàm florem vulgus ſibi perſuadeat: ſed quemadmodũ Crocus, ita Colchicum Autumno *florem* promit

*folia*

*foliis* nudo & albido, tenuíque *pediculo* purpurei carneíue coloris in ſena *folia* oblonga diuiſum, *ſtaminibus* in medio croceis: Vere *folia* producit tria aut quatuor Liliacea, ſed longiora, latioráque, in ter quæ vbi in diuerſa abire incipiunt, *conceptacula* oriũtur ſeminum oblonga, Lilii capitulis quodammodò ſimilia, è duob° tribúſue loculis compoſita, marcida & nigricante membrana obuoluta, in quibus *ſemina* ad Raphani accedentia, petiolis breuibus ad mediam lineam vniuſcuiuſque loculis adhæreſcẽtia. *Radix* ſubeſt ruffeſcens foris, intus alba, bulbacea, altera parte compreſſa: inſtar Caſtaneæ.



Diligentem deſcriptionem Cordi lubet hîc adſcribere quam habet hiſt. lib. 2. cap. 152. Colchici inquit [quod hodie Hermodactylum vocant) tres ſunt ſpecies. Primum enim cùm ſiccatum fuerit, foris nigrum, intúſque fuſcum in candido colorem habet. Alterum in flauo ſubrubentem, tertium verò candidum. Ex his nigrum, paullò ante Autumnale æquinoctium florere incipit, vſque quò ſuperueniens gelu ſub ipſis pruinis ſuperbientes flores opprimat. Colchicum itaque Autumno edit quincuncialem, nonnunquam etiã dodrantalem, gracilem, glabrum, candicantem atque egregiæ teneritudinis caulem, in cuius ſũmitate flos Lilio non diſſimilis, ſed minimè repandis & reflexis deorſum foliis, ſex vt plurimùm foliis longitudine ſeſquiunciam aut beſſem æquantibus, latitudine verò vnciâ paulò anguſtioribus, vtrinque acuminatis, glabris, nitidis, pinguibus, in attritu glutinoſis, primùm clauſis & conuolutis, poſtea ſe explicantibus, conſtans, colore in ſubrubente purpura albicans, in medio luteo colore ſtamina, numero ipſa floris folia non excedentia continens: qui poſtquam vnum atque alterum diem durauerint, flacceſcunt, deinde paulò pòſt ſequentis Veris initium folia profert longitudine dodrantali, latitudine verò vnciæ aut ſeſquiunciæ, acuminata, craſſa, Liliaceis forma & ſubſtantiæ lentore ſimilia, ſed longiora, ſub terra coëuntia, & teretem, tenerum candicantémque pediculum conſtituentia: in quorum medio prope terram vtriculus extuberat acuminatus, triquetrus, longitudine ad ſeſquiunciam plerumque accedens, latitudine verò vnciam ad plurimùm æquans: rotundo, milióq; maiori, primum candido, æſtate deinde poſt ſolſtitium matureſcente, ad ruffum in nigro colorem tranſeunte ſemine plenus: quo ſparſo folia flacceſcunt. Inueniuntur nonnunquam duo aut tres vtriculi ſimul conjuncti & ab vna radice prodeũtes, cùm eadem radix totidem flores produxerit, ſed vnus tantùm ex his magnitudine præſtat, alii veluti abortiui ſunt. Radice nititur longitudine ſeſquiunciali, modicè in planum compreſſa, latitudine vnciam plærumque quarta eius parte excedente, ſuperiùs turbinata, inferiùs autem latiuſcula parte veluti in paruum vnguem deſinente, & candidas fibras in terram demittente, & paruis bulbis circa latera enatis ſe propagante: foris multis in ruffo nigris tunicis veſtita: ex quorum numero eius ætatem cognoſcere potes: ſingulis enim annis ſingulas perinduit tunicas, quibus detractis reliqua radicis pars carnoſa, totáque candida, & lacteo ſucco plena eſt, eadem ab vna parte rimam veluti habet, per quam floris coliculus tranſiuit, hunc enim non è ſuperiori & acuminata parte maioris radicis Autumno promit, ſed ab inferiori flacceſcentis vngui, & latiore, contra reliquorum bulboſorum morem. Ea verò radix à cuius mucrone flos & folia emittuntur, ſulco caret, vſque in Autumnum, donec ſubnaſcens paruula alia emiſſo flore priorẽ ſulcet. Hinc eſt quòd radices, quibus Vere & æſtatis principio folia inſident, canalículatum iſtũ ſulcum non habeant. Folia cùm exaruerint, veſtigium quoddam turbini impreſſum relinquunt. Eadem radix quæ priore anno germinauit, ſequenti anno flacceſcit, Autumno ſuccedit alia admodum parua, inferiùs adnaſcens, à cuius ſuperiori parte Autumno flos prodit: nam hic minimè à maiore exit, minor hæc radix vnà cum flore adoleſcit, in Vere autem & Æſtate ſequenti ſimul cum ſemine ad iuſtam magnitudine peruenit, quo tempore prior omninò perit. Siccata radix tam foris quàm intus fuſca fit. Saporem radix habet dulcem ſimulque amarum, tenuem, ſaliuam prouocantem, & aliquantulùm nauſeoſum. Odorem verò omnes herbæ huius partes, grauem & nauſeabundum ſpirant. Naſcitur in pratis tam planis quàm montanis ſolo pingui, plurimúmque in Wirtembergic. Sueuia, vbi Autumno omnium ferè montium decliuia, campi & prata his floribus albicant. Colchicum ſubrubens (quod à colore radicis ſiccatæ ita cognominatur) nigro in omnibus notis & proprietatibus aſſimilatur, præterquàm quòd ſiccata eius radix, quamuis excorticata, rubeſcat. Saporem quoque & odorem nigro ſimilem habet, naſcitúrque eiuſdem naturæ natalibus: rariſſimè tamen iuxta ſe ſimul naſcuntur. *Colchicum ſubrubens.*

Olim quamplurimi cum magno multorum vitæ periculo abuſi ſunt Colchico pro Hermodactylis, illud exhibentes, cuius rei teſtes eſt Hermol. in Dioſcor. dicens. Colchicum haberi modò paſſim prædicant: Hermodactylum Recentiores pro Ephemero accipiunt. Colchicum copiosè in Colchide naſcitur. Eſtque in illis regionibus venenata herba. *Hermodactyli. Ephemeron.*

Quod verò apud nos [*pergit Cord.*] prouenit, amarius eſt, quo ſapore veneni aliqua pars diluitur, nec tamen innoxium redditur. Homines enim quos eo purgauerimus, ſæuiſſima incurrũt accidentia. Colchicon ait alibi, Bulbus agreſtis aut flos Autumnalis, non eſt Hermodactylus, licèt id Serapio velit. Quidam vt Brunfelſius Narciſſum eſſe crediderunt. Sed reuerâ Narciſſus plurimùm ab hac differt. Colchicum aliqui etiam Ephemerum appellarunt. Nobis autem illud conſideratione dignum, an noſtrate Colchicum minùs ſit venenatum quàm quod in Colcho prouenit, vt vult Cordus, cuius argumentum non ſatisfacit. *Narciſſus. Ephemeron. Cordus not.*

Nec placet Ruellium non diſtinguere Hermodactylos vulgares à vulgari Colchico, dum ſcribit: Officinæ Hermodactylon vocant, è quo- *Ruell. not.*

Catapotia ad podagras tantoperè commendantur. Habet & in medicina ſuos vſus, quorundam venenis pro remediis abutendo, quorum medicina maioris mali periculum adfert. Hermodactylos quibus Catapotia tantoperè commendantur ab Aetio & Paulo, Ephemeron non eſſe ſatis mihi conſtat, etſi Recentiores, pro Ephemero vſurpent, cùm Paulus ſeparatim tanquam diuerſorum mentionem fecerit, tradens Hermodactyli radicem alui decoctionem moliri, priuatim in articulariis doloribus, in defluxione decoctum eius dari, verùm ſtomacho aduerſari.

*Pauli & Aetii Hermod non ſunt Ephemeron Caninea. Euch. Roſlin not.*

Euch. Roßlin in Herbar. ſub nominibus Caninecæ Gallorum weiſſen zeytloſen / Ebigerswecf, Colchici, Ephemeri, Hermodactyli [quod Colchicum dicitur] hermodactel wurtz / Spinblumen, confundit multas plantas, ac Colchico malè ſalubres facultates tribuit.

Neoterici duo Hermodactyli genera ſtatuunt (inquit Tagaultius) vnum radice oblonga, alterum rotunda. Qui radice eſt oblonga Ephemeron eſt Dioſc. Galeni, Pauli & Aëtii. Qui verò radicem gerit rotundam, eorundem haud dubiè Colchicon eſt, è quo Catapotia tantoperè ad podagras & arthritim commendata Officinæ conficiunt. Verùm enimverò cùm hoc Græcis omnibus Scriptoribus, atque ipſi etiam Plinio delibutorium ac præſentaneum venenum ſit, non admodum certè tutus eſt eiuſmodi pilularum vſus: niſi fortè dicamus noſtrum hunc Hermodactylum non adeò venenoſum eſſe vti illud Colchicum eſt Ephemeron, id eſt, quod in Colcho inſula naſcitur, Verùm cùm Hermodactyli quibus paſſim hodie vtantur Officinæ in conficiendis huiuſmodi Catapotiis, hæ nequaquam radices ſunt [innocuè enim, præſertim veteres guſtari poſſunt] quas Veteres & Paulus Aegin. in articularibus morbis tantoperè commendarunt: ſecuriùs ſanè fuerit ab eis in totum abſtinere. Quòd autem Hermodactylus de quo ſcribit Paulus lib. 7. res alia ſit ab Ephemero & Colchico, eo argumento conuincitur, quòd dicat Hermodactyli radicem, & per ſe, & ipſius decoctum peculiariter & priuatim articulorum doloribus in ipſis fluxionibus plurimùm valere. Diuerſa tamen capita de Colchico & Ephemero iam conſcripſerat, quibus nullam vim ſanandi arthriticos tribuit. Sed neque Dioſc. neque Galen. neque Plinius, neque Aëtius in Colchico aut Ephemero, verbulum de articulorum morbis loquuntur. Proinde res alia Pauli Hermodactylus ab Ephemero & Colchico eſſe videtur. Porrò tametſi Ephemeron apud antiquos Græcos nomen ſit generis ſignificans idem quod apud Arabes Surugem, apud Recentiores Hermodactylus, dictumque ſit [vt putauit Theoph.] quoniam intra diem iugulet: præcipuo tamen nomine & peculiariter ad Ephemeron dicitur, quod veneno caret, innocenſque eſt, & remedii ratione vimque ſalutiferam habet, tãtùm abeſt vt lethiferum ſit, aut exitioſum. Colchicum verò per Antonomaſiam, id eſt, Excellentiam loci in quo naſcitur, & ob facinora Medeæ veneficæ mulieris ex Colcho, de venenoſo ſolùm Ephemero dictum eſt. Maleficum hoc Ephemeron, Colchicum dictum, exitu Autumni in pratis florem edit ſubcandidum ſiue albicantem: poſteriùs, id eſt, ab eo tempore, folia bulbi pinguiora: caulem palmeum vel ſemipedalem, rufum ſemen, radicem rotundam, foris è nigra rufeſcentem, quæ delibrata diſquamatáue intus albicat, teneraque ac mollis ſpectatur, lacteo madet ſucco, atque guſtata [vt autor eſt Dioſc.] dulcis inuenitur. Bulbo medio rimula dehiſcit, quà flos erumpit. Quæ notæ omnes ad amuſſim Officinarum Hermodactylo conueniunt.

*Colchicum cur dictum.*

Quidam ſuperſtes adhuc hodiè Medicus Ferrarienſis, aſſerit ſe Colchicon guſtaſſe, ac in eo Caſtaneæ ſaporem inueniſſe, ſed paulò poſt ſtricturam quandam circa aſperam arteriam præſenſiſſe, ac ſi manu ſtringeretur: mox vaccinum lac bibiſſe, & nihil incommodi ſenſiſſe. Rura hodiè apud nos plantam hanc Canecam appellant, quòd canes deuorata necet. Officinæ Hermodactylon vocant.

Cæterùm cùm dicit Meſue de rotundo Hermodactylo tanquam de meliore ſe ſermonem habiturum id ſanè intelligendum eſt. Nempe Hermodactylum rotundum, qui Colchicon eſt Ephemeron, meliorem ac perfectiorem eſſe quod ad ea ad quæ valet pertinet, vt puta ad articulatios dolores. Sed iam recitata verba Tagaultii tam diſtincta ſunt, vt magis diſtingui velint. Quicunque enim conſiderabit radices Hermodactylorum & conferet cum Colchici radicibus noſtratibus exſiccatis, inſigne deſcrimen perſpiciet, quicquid dicat Tagaultius de notis quæ conueniunt.

De Colchico quidem nihil prodit Galenus [inquit Cornar.] Nec Plin. Colchici meminit, niſi lib. 28. c. 9. Officinæ Colchicon vocant Hermodactylon, ſequentes in hoc Serapionem Arabem, qui totam Colchici apud Dioſc. deſcriptionem Hermodactylo attribuit. Verùm Paulus Hermodactyli radicem proponens, non addit Colchicum vocari. Et quamuis Colchici ſeorſum non faciat mentionem, tamen de Ephemero agens, nõ de veneno loqui ſe dicit, ſed de eo quod Iris agreſtis vocatur. Per venenum autem nihil aliud ipſum intelligere quàm Colchicum, ex Galeno clarum ſit ex quo Paulus tranſcripſit. Non debuiſſet autem præterire, neque eo loco quo de Hermodactylo agit, Colchici appellationem, ſi Hermodactylus Colchicum eſſet: neque lib. 5. cap. 48. vbi de Colchico verno agit, Hermodactyli appellationem, ſi Colchicum Hermodactylus eſſet. Quare diuerſas res eſſe hinc colligitur. Sed & idem Paulus lib. 7. cap. 5. podagricam ex Hermodactylo compoſitionem recenſens: & mox eandem purgatoriam addens, Colchici appellationis nullam mentionem facit, libenter alias exponere ſolitus, ſi quæ ſunt obſcuriores appellationes. Noſtri Zeytloſen vocant. Quidam etiam Herbſtblumen. Hæc Cornar. Qui ſui oblitus l. 4. c. 140. Collegit Narciſſum eſſe ex genere florum, qui à noſtris Zeitloſen & Herbſtblumen appellantur.

Errat & Tragus qui putat eſſe Moly Homeri, quando ſcribit: Sunt qui putent Narciſſum eſſe Theoph. lib. 6. cap. 6. & Virgilii lib. 4. Georg. inter quos eſt Philippus Melancthon in Syntaxi ſua. Huic ſententiæ ſubſcribo quod ad florem attinet. At radix nec non folia huius plantæ, nobis à Dioſcoride ſub Colchico, Ephemero, ſiue Bulbo agreſti comprehenduntur. Serapioni cap. 194. Surugem, Hermodactylum, Liliũ ſylueſtre, & Achimeron, quod meo iudicio Ephemeron legi debebat. Serapio Hermodactylum venenum eſſe clamat, vti & Meſue, &c. Rurſus cum Serapione, Meſue & Paulo Aegin. ingemino, ac conſtanter affirmo Colchicon quod Arabes, & Officinæ

Her-

Hermodactylum dicunt venenum, nunquam intrò ſumendum. Meſue Hermodactylum Homeri Moly Germanis Pfaffenhoden & Nacktblumē/ Narciſſus Poëtarum fabulis celebratus. Poteſt fieri vt Dioſcor. duobus in locis ſeparatim hanc plãtam explicârit ſub Colchico radicem & folia, ſub Narciſſo florem. Hæc Tragus.

Cæterùm, atteſtante Turnero, prudenter monet Matthiol. non ampliùs Colchici radicibus pro Hermodactylis eſſe vtendum quem errorem Serapio ac Mauritani medici non animaduertẽtes vel negligentes Dioſcoridis monita ac contra Galeni, Pauli, Nicandri & Plinii mentem perperàm inuexerunt.

Caſtor. Dur. pag. 141. Colchicum, Bulbus agreſtis pag. 142. falsò Hermodactylus Pharmacop. in pilulis ad Arthritidem, pro eo non ponant Colchici radices. Item pag. 169. Iris ſylueſtris κολχικὸν ſiue Ephemerum Arab. Zurungem. Miramur cur Caſtor eiuſdem plantæ duo faciat capita & duas ponat figuras: videant etiam lectores an poſtremo loco non confundat cum Colchico, Ephemerum lethale.

Fallop. de purg. Hermodactyli radix, Arabibus eſt radix Ephemeri Colchici. Hæc ille qui non putat venenatum vt poſtea oſtendetur. Non probo cum non diſtinguere vulgatum Colchicum, quod venenatum, ab officinarum Hermodactylis.

Cluſ. Hiſp. Colchicum vulgare Salmaticenſibus, *Quita meriendas*, quibuſdam etiam *Villocita*.

In hiſt. pl. Lugd non bene ponitur Icon Colchici vulgaris ſub titulo Colchici Oriẽtalis Matthioli, demendum igitur vocabulum Orientale, nec placet quod illa ſtatuit Colchici ſeu Ephemeri radicem medicamentis immixtam non eſſe pernitioſam.

Colchicum, autore Thalio, paſſim in pratis. Reperitur locis Septẽtrionalibus, prope Ilenburgum, flore etiam candido.

Tabern. icon. Colchicum maſculinum, Zeitloſen männlein. In Hiſt. Colchicum 8. Item Colchicum fœmininum Zeitloſen weiblein. In Hiſt. Colchicum 9. Non demonſtrat qua in re differant, nec etiam figuræ multùm ſunt diſſimiles.

Græcis κολχικὸν [Colchicum] ἢ ἐφήμερον Dioſc. (Ephemerum) καὶ βολβὸς ἄγριος quibuſdam, *Bulbus agreſtis*. Germ. Herbſtblumen Zeitloſen/quibuſdam wiſen wild ſaffran blumen/Nackethuren/ & Hundshoden/canis teſticuli. Belg. tijtloſen. G. *Mort au Chien*, *Tue Chien*, Moutb. *Des Viollattes*. It. *Colchico*, *Zaffrano Saluatico*. Angl. wild Safron. Boh. Ocun. Hung. Kokorchin/quo nomine aliàs etiam ſtirpes inſigniunt.

Nudus iſte flos quem Colchicon, ſeu vt Officinæ (ſecundum Tragum) vocant, Hermodactylus, Autumni tempore fundit, hiemis aduentantis nos admonet. Quanquam verò exitu Autũni plerumque appareat: tamen non rarò quoque circa Feſtum D. Iacobi primùm in detonſis pratis, ac eo inde tempore vſque ad finem Septembris menſis ſpectatur. Folia autem poſt flores generantur, qui primo ſtatim Vere è terrâ erumpunt. Semen in æſtate Iunio potiſſimùm menſe producitur: Naſcitur paſſim in omnibus pratis Germaniæ. Prata humida (vt notat Geſner.) nuſquam non abundant, Autumno florem Croci prodit nudum, & nullis omninò foliis. Colchicum Cluſii omnibus Germaniæ & Vngariæ pratis obuium. Colchicum ſiue Ephemeron lethale, Baſileæ paſſim in pratis florens Septembri & Octobri, Monſpelii etiam prouenit, Geneuæ folia protrudit menſe Aprili in pratis, Lugduni abundat: in monte Roßberg propè Maſmunſter vidi florens Octobri. Montbelgardi paſſim floret Septembri, & Octobri etiam in Horto Ill. E. C. menſe Februario: in pratis propè Montbelgardum vidi aliquot plantas florentes.

*Vires, venenum & remedia.* Radix in cibo accepta, tradente Dioſcor. necat per ſtrangulationem, ſimiliter vt Fungi. Deſcripſimus ipſam, vt ne quis fallatur & pro Bulbo edat. Præter opinionem enim imperitos illicit, ob ſuauitatem. Auxiliantur his qui ederunt, eadē quæ his qui Fungos ſūpſerũt. *Auxiliat Lac.* Lac item bubulum potũ. Quare ſi hoc adſit, nullo alio opus eſt auxilio. Et rurſus inter Alexipharm. Qui Ephemerum acceperunt, quod aliqui Colchicum, aut Bulbum ſylueſtrem appellauerunt, eos pruritus per totum corpus concomitatur, velut a Scilla aut Vrtica excitatus. *Ephemerũ. Colchicum. Bulbus ſylu.* Internæ partes morſum percipiunt, & ſtomachus cum multa grauitate exæſtuat. *Signa aſſumpti Colchici.* Inualeſcente verò affectione, per aluum feruntur cruenta ramentis ammixtis. *Remedia.* His auxilium ferendum eſt, velut his qui Salamandrā hauſerūt, & per vomitꝰ, & per infuſa per Clyſterem. Antequam verò inualeſcat Venenum dandum eſt ipſis Quercus foliorum, aut glandium; aut Malicorii, aut Serpylli decoctum cum lacte bibendum: Aut Polygoni ſuccus, aut Virgultorum Vitis, aut Rubi, aut Ferulæ teneræ medullæ, aut baccarum Myrti ſuccus cum vino. Sed & ipſæ Myrti, baccæ, tuſæ, tritæ, & in aqua maceratæ, auxiliantur, ſi cremor ipſarum accipiatur. Facit ſimiliter & Caſtanearum quæ Sardianæ glandes appellantur, pellicula media, cruda cum aliquo ex relatis ſuccis accepta. *Caſtanea. Sardinianæ glandiũ pellicula.* Origanum item cum lixiuio potum. Exactè verò auxilium ſentiunt, qui lac Aſininum aut bubulum calidum bibunt, & in ore tenent, vt hi quibus huius copia eſt, alio nullo auxilio opus habeant. Hæc Dioſc. Eadem Paulus Aegin. de verbo ad verbũ lib. 5. cap. 47. Calidum & ſiccum nonnulli Colchicum in ſecundo ordine, ſeu à medio receſſu ſtatuunt. Quanquam radix & flos huius plantæ ad abigendos & enecandos pediculos ſatis conferant, tamen vſus eorum præſertim ſi intrò ſumantur annuente Trago, minimè tutus exiſtit, vt quæ plùs detrimenti quàm veritatis allatura ſint. Admonendi ergo mihi hoc loco ſunt ii quorũ intereſt pilulas pro podagricis præſcribere & conficere, ne ſuis confectionibus Colchicon, ſeu Hermodactylum adhibere velint, quod hactenus magno cum errore commiſſum fuit. Cæterùm articulario morbo & podagra laborantibus vtilem eſſe radicem Colchici Arabes ſcripſere, quod & nos aliqua ex parte experti ſumus, Verùm tum, cùm forinſecus imponitur. Ferunt, legitur apud Hiſt. Lugd. Turcas Colchici floribus; vti cùm inebriari volunt: eos enim vino macerant, quo epoto adeò ſtupidi redduntur, vt in eccſtaſim abeant. *Colchici flores inebriant.* Ad verrucas ani accipit N. L. Ducis Wirtemb. Medicus Colchicum [zeytloſen] tũdit, ſuperligat, excidunt. Ad extirpandos verò pediculos latos pudendorum contundit radices Colchici, coquit cum aqua & locum affectum eâ abluit.

## COLCHICVM ALBVM CVM PVRPVraſcentibus Lineis.

*Deſcriptio.* Colchici picti *radix*, vt & aliorum bulboſa foris in fuſco nigricans, intus alba eſt, & ex

illa parte ( quod à nemine monitum eſt (vnde florum caules erumpunt, in conum deſinens , ad quem in imo *bulbi* fibræ barbæ inſtar dependent: Ex eo bulbo *caules* nudi, molles, ſplendentes, candidi, ſtriati, bini vel terni prodeunt: in quorum ſummo totidem *flores* ( reliquis Colchicis figura ſimiles ) candidi, purpuraſcentibus lineis, & maculis eleganter perſperſi : horum quilibet *foliola* ſex habet ad quorum ſingulorum principium, ſingula



adnata *ſtamina*,vt in Tulipis,croceo puluere aſperſis. *Semen* ſequente anno in veſicariis triangularibus Valuulis fert fuſcum,ſubrotundum,& ex parte anguloſum. Iunio menſe maturum. Iuuenimus in Heluetia in conuallibus ad radicem montis *waſſerfal* & in hortum tranſtulimus Menſe Septembri anno 1598.

*Colchico vulgari ſimiles bulbi.*

Paucos colchici bulbos, vulgaribus bulbis valdè ſimiles Neapoli Francofurtum ad me ( ait Cluſ. Hiſt.poſt.) mittebat Ferdinandus Imper. qui mihi Lugduni Batauorum demum *flores* dederunt, vulgaris floribus non diſſimiles,hoc eſt,vel dilutè vel ſaturatè purpureos. Ex illis tamen , binos habui *bulbos* , quorum ſinguli quaternos aut quinos flores protulerunt anno 1598. & cum inſequente, non adeò altè aſſurgentes vt in vulgari, ſed breuiores , quorumque folia luci oppoſita reſtellatim diſtincta apparebant , perindè ac in dilutiore Fritillariæ flore : *ſemen* etiam abundè præbet id genus , ſed in minoribus breuioribuſque capitibus quàm vulgare.

*Colchicum Neapolit.*

Francofurti ex Italia accipiebam ſemen vulgari Colchici ſemini par cum ſuo laxo capitulo, Hermodactyli Syriaci appellatione, quod terræ creditum necdum germinauerat quum inde diſcederem.

*Hermodactylus Syriacus.*

## COLCHICVM BIFLORVM.

*Deſcriptio*

NOuum & ratum Colchici genus eſt cuius cognitionem acceptam fert Cluſius Doctiſſ. viro Moyſi Quadrato qui monebat Verno tempore ſibi obſeruatum in montano quodam prato, non procul Heydelbergâ,vbi tum domicilium habebat : edoctum tamen antè, ſimilem inueniri plantam, ex Epit.de Plant. C.V.Ioachimi Camerarii inclitæ Reipub. Noribergem. primarii Medici. Io.Mulerus Pharm. Francofurtenſis etiam aſſerebat , ſibi adoleſcenti conſpectum in pratis Halæ Sueuorum viciniis nouo Vere florens. Perinde autem craſſo id conſtat *bulb* ac vulgare Colchicum,ex cuius infimâ parte *colis* emergit quatuor vncias longus , ex membranaceo innolucro *florem* promens oblongo pediculo nitentem , vulgaris flori formâ æqualem,ſex foliis conſtantem, ſed minorem, quorum terna externa maiuſcula, interna autẽ tria anguſtiora & breuiora,ſaturatiùs paulò purpuraſcentia eſſe videbãtur:nec *folia* , nec ſemen [ ſi quod tulit ] obſeruare licuit Cluſio per morbum.



Lobel. Animad. part. 2. Colchicũ biflorum vulgari ſimile , ſaturiore flore Cluſii & Camerarii. Conſiderandum an hoc Colchicum biflorum non ſit idem cum Camerarii verno , licet aliam iconem proponat Cluſius.

## COLCHICVM VERNVM CLVSII.



QVadrageſimo primo capite l.2. meæ Rariorum plant. Hiſtoriæ , inquit Cluſ.Exot.p.2. Appẽd.2. Colchici verno tempore florem proferentis mentionem faciebã, quod tandem biflorum eſſe exiſtimaſſem: quia nouo Vere cum ſuo flore acceptũ, deinde Autumno cum aliis colchici generibus florem conſpexiſſem. Quum autem non niſi Autumno flores geſtare poſtea obſeruarim, iſtã appellationẽ illi conuenire non ſum arbitratus, ſed præter naturam inſolito tempore primum illum florem tuliſſe cenſebam, vt in aliis plantis interdum contingere videmus.

Verumtamen peculiare Colchici genus reperiri, quod nouo duntaxat Vere,cum Croci verni & dentis Canini generibus, non autem alio tempore flores gerat , Doctiſſ. vir Io. Vernerius anno à Chriſti natiuitate 1601. Iulio menſe ad me ſcribebat, & ſex eius bulbos mittebat , quos illo ipſo anno è monte Sotou in Hiſpania eruerat. Horũ quatuor inſequente Vere apud me flores tulerunt:vnius florentis, atque alterius cũ ſuo capite trigono ſemen continente iconem in ſubiecta tabella

tabella exprimendam curabam. Non porrò Vere cum Dente canino, Crocóque verno, vt dicebam, hoc Colchici genus prodire, & vnum aut alterum florem vnà cum foliis producere ſolet, primis quidem diebus, antè quàm ſeſe explicare & pandere incipiat, coloris albi, ſed qui paullò pòſt in purpureum dilutiorem mutetur, breui pediculo ſubnixum, ſex *foliis* conſtantem, minoribus & anguſtioribus quàm in vulgaris flore, & Croci verni albo flori formâ valdè ſimilem, ſingulis foliis ex infima ſede album *ſtamen* proferẽtibus, cuius apex flauus: exteriorum trium foliorũ ſtamina interiorum ſtaminibus ſũt breuiora: è medio floris vmbilico oblongiuſculus exilit *ſtylus*, ſtaminum longitud. ſuperans, albus, in tres partes ſummo diuiſus. Naſcebatur verò flos ille inter terna folia carinata ſeſe mutuò complectentia, Colchici vulgaris foliis longè anguſtiora, montani tamẽ Hiſp. foliis paulò latiora: flori ſuccedebat triãgul. mẽbranaceũ capitulũ haud magnum, *ſemen* continens rotundum, ſubrufum: *radix* Colchici vulgaris radici ſiue bulbo, formâ quidem ſimilis erat, & fuſca pelle obducta, ſed longè minor, multas candidas fibras ex infima ſede protuberante ſpargens. Plures ſimiles bulbos anno inſequente cum aliquot aliis elegantibus plantis ad me mittebat idem Venerius atque ad Hogelandium & Porretum: ſed meos cum iis qui prìus miſſi, & plurimis aliis lectiſſimis plantis ſubſequens hiems corrumpebat: vt pluſquam Cannenſem cladem meus hortulus illa hieme acceperit, tametſi etiam non vulgarem duabus præcedentibus paſſus eſſet.

## COLCHICVM VERNVM CAMERARII.



Colchicum Vere florens, cuius florẽ menſe Aprili nõnunquam inuenit Camer. in Epit. Matthiol. prodeuntem ex foliis breuiuſculis, ternis, herbaceis, quibus antequam emergat inuoluitur. *Flos* ipſe obſoletiore colore purpuraſcit, quàm qui Autumno prodit, apices paruos luteos habet, & totus etiam minor ſtrigoſiórque apparet.

Geſner. annotauit apud Camer. horti, Colchicum ſubobſcuro flore præ altero & minore creſcere circa Tigurum in Heluetia Aprilis initiò, cùm alia omnia in Autumno floreant.

Conſiderandum, an Colchicum vernum non ſit idem cum colchico bifloro Cluſii, vel eius verno, quamuis Icones differant.

*Colchicum Polyanthes ſiue multiflorum purpureum.*

Nihil à vulgatiſſimo Colchico differre videtur, præterquam florum abundantiâ: denos enim, duodenos, & plures purpureos dilutiores Septembri profert flores, quemadmodum Colchicũ Pannonicum polyanthes candidos eodem tempore. In Cameracenſi deuexo agro, miliari paruo ab vrbe, in villa Nierui vocata, quo loco D.I. Frãqueville collegit. Perperàm Pſeudobotanici nuperi nugivenduli Colchicum purpureum Auſtriacum dixere, Lobel. Adu. par. 2.

## COLCHICVM POLYANTHES CANDIdum eleganti rubore varium.

Descriptio

IN delitiis eſt (inquit Lobel. Adu. par. 2.) perelegans Colchici genus in Belgio, etiámque Londini in horto plantarum exoticarum ditiſſimo D.I. de Frãqueville, ob floris amœnitatem qu nque vt plurimùm foliis latiuſculis præditi, nonnullis candidis omninò, aliis verò rubore diluto prorſus tinctis, aliis candore & rubore hilari ſecundum folii longitudinem dimidiatim diſtinctis, aliis denique medio lineis albis ſtriatis. Quos flores edidit congeſtos, quorum vnus quatuor tantùm foliis conſtabat, quàm aliorũ latioribus: totidem item ſtaminibus luteis præditus: at cæteri omnes quinis donati fuere. *Folia* latiora vere erũpunt, cubitalis longitudinis altioríſque, hactenus neque *ſemen*, neque folliculos, iã octauo anno edidit. *Bulbus* Colchico Pãnonico albo maior.



## COLCHICVM POLYANTHES ALBVM.

Descriptio

SIc deſcribit Cluſ. Pann. & Hiſt. poſt. Colchicum, πολύανθες albo flore. Multorũ florum eſt, quod in quibuſdam pratis Viennæ Auſtriæ vicinis, nec procul à Danubio ſitis, inter vulgaris plantas naſcens ante multos annos obſeruabam, vt in hortulũ transferrem, deinde in pratis arci Staren-



bergMagnif. Dn. de Heuſenſtein vicinis, magnâ copia inuentum eſt. Septenos enim, denos, aut duodenos,vel etiam plures interdum promit flores lactei candoris,eleganti ſpectaculo: huius etiam folia,vulgaris Colchici foliis æqualia, ſed dilutiùs virentia, inuente duntaxat Vere exeunt: copioſum fert ſemen ſubrufum in laxis triangulis capitibus: radix, vulgari bulbo maior, ad Secundi tamen,ſiue inſequentis,amplitudinem non accedens. Iſtic & pauci bulbi reperti, quorum flores eleganter rubebant.

*Colchicum rubro flore.*

Camer.epit.Marth.Colchicon polyanthon flores albos proferens. Item horti, Colchicum Pannonicum polyanthum flore albo: quamuis in Germania quoque interdum flore albo reperiatur, ſed non ita referto in vna planta. Plant.Ic. p.144. Colchicum candidum Pannonicum polyanthon Cluſii.Teut.177.

Locus & tempus

Colchicum ſimile Anglico flore albo, Autumno pratis quibuſdam Viennæ Pannoniæ vicinis,non procul à Danubio eruit Cluſ. Hiſp.radicibus magnis, quæ nonnunquam ſenos aut octonos flores ſimul protuliſſent.

Tabern.icon.Colchicum Polyanthos: & Hiſt. par.2.p.311.Colchicum 4.Item p.620. Colchicum album Pannonicum Vngeriſch zeitloſen. Hiſt. Colchicum 7. Ponendæ erant eius duæ icones ſub vno titulo & in eadem pagina, vna enim monſtrat florem ſine foliis, altera folia cum fructu ſine floribus: nec numero diſtinguendæ erant.

*Taber.not.*

Hunc Bulbum clariſſimus F.C.Bauhinus miſit Baſileâ, vegetum admodum menſe Auguſto ann.1608. qui terræ commiſſus, floruit in horto E.C.W.Montbelgardi Septembri.

## COLCHICVM CANDIDO flore Anglicum.

Deſcriptio



Iſtud nuſpiam Herbariis memoratum, quia Anglia copioſiſſimum ſpóntè fundit, nec alibi facilè reperias, Anglicum nuncupauimus. Perpulchra planta,lacteis *floribus* Ornithogali vel Aſphodeli maioribus,Croci montani Syluestris paribus,*caulis* ſeſquipalmaris: radix & folia, alioqui pratenſis vulgaris ſunt: ea tamen foris fuſca,intus candida. Londini hortis merſæ radices Hyemem ferunt,Vere emergunt,non ſecus ac in collibus & montoſis prope Briſtoliam &c. Aduerſ.Lob.Obſ.& Ic.Pl.p.143. Colchicum candido flore Anglicum. An Moly Homericum radice nocua.

*Moly Homericum. Lobel.not.*

Conſiderandum an Lob. verè dicat Colchicum Anglicum candidum,nuſquam memoratum,& an differat à Cordi candido,de quo multis annis antè ſcripſit in ſua hiſt. his verbis: Colchicum album floribus,foliis, ſemine,& radice Colchico nigro & ſubrubenti ſimile eſt, qualitate tantùm ab illis differt: ſiquidem radix etiam cùm ſiccata fuerit foris albicat, quanquam interdum flaueſcat cùm inueteraſcit, intus verò candidiſſima, tenera, in tundendo mitis, mollis & tractabilis exiſtit,quæ tuſa farinam triticeam aſpectu refert. Saporem habet dulcem & valdè ſuauem, nulla amaritudine mixtum,ſpontè in Germania naſcentem nondum vidi,ſed cultam tantùm, & è louginquis allatam lucis.

Veriſimile eſt (inquit Dodon. purg. hiſt.& in fol.) albidi huius peregrini Colchici radices eſſe, quæ in Officinis Hermodactyli nomine veneunt: qui non propriè Colchicum dicitur. Monendi lectores ne conſiderato ſolo colore floris Colchici ſibi temerè perſuadeant vel non venenatum, vel eundem cum Hermodactylo Officinarum: Anguillara & Lobel. volunt Hermodactylos officin.alterius differentis plantæ eſſe radices, nempe Colchici Illyrici.

Cluſ.Colchicum Polyanthemo Pann.affine,ſiue Anglicum albo flore.

Tabern.icon.& Hiſt.Colchicum album Anglicum.Item Colchicum album Germanicum.Duas icones habet Tabern. verùm non demonſtrat qua in re differant plantæ.

Thalio in Harcyn. Colchicum flore candido quod propè Ilſenburgum reperitur. An Camer. hort. Colchicum flore albo,quod in Germania interdum inuenitur? Hiſtor.Lugd. Lobelii Colchicum flore candido Anglicum.

Colchici albi nomine miſſum Heidelbergâ ſemen paruum, magnitudine ferè ſimile Papaueris Corniculati,non omninò rotundum, penè cinereum: ſeui Montbelgardi in Horto Ill. E.C. An idem fuerit cum præcedenti dubii hæremus.

### *Colchicum pratenſe Salmaticum.*

Colchicum pratenſe Salmaticum vulgari minus Salmaticenſi agro obſeruabat Cluſius in altioribus pratis, dilutiore flore, atque in nonnullis plantis, lactei omninò candoris, ineunte Vere folia duntaxat proferens.Hiſt.Lugd. Colchicum vulgari minus, flore omninò lacteo Cluſii in pratis Salmantinis.

## COLCHICVM PLENO FLORE



Elegans eſt Colchici genus,quod apud Belgas inuenitur, cuius quidem cognitionem acceptam fero (inquit Cluſius) Ill. Comiti Arembergio. Is Autumno 1595 bulbum ad me mittebat, vt florem conſpicere poſſem: ſed cùm nullum protuliſſet inſequente Nouembri iconem egregiè expreſſam adiudit. *Flos* vulgari colore perſi-

perſimilis eſt, ſed pluribus foliis conſtans, nempe vicenis aut pluribus, valdè confertis, quorum ſex externa reliquis maiora, vulgaris tamen foliis angustiora, inter quæ *ſtamina*, vt in vulgari, flauis apicibus prædita. Ex alimenti copia plenum florem tuliſſe exiſtimabam initiò, quemadmodum natura interdum ludere ſolet in aliis floribus qui deinde ad ingenium redeunt: ſed ipſe Comes affirmabat, tum etiam Io. Boiſot, ſingulis annis plenos flores id Colchici genus proferre, eóſque plures, maiores, & maiore foliorum numero conſtantes quò bulbus maior & vetuſtior eſt.

Originem ex Germania ducere aiunt, & primùm in Belgium allatum à Rhizotomo, cuius nomen Nicolaus, qui frequenter è Belgio in Germaniam à Nobilibus quibuſdam matronis ablegaretur. Huius autem Colchici plenos flores anno 1599. obſeruabam eſſe verſicolores & folia habere coloribus ſimilibus diſtincta, quibus Colchici verſicoloris alterius flores diſtincti ſunt, hoc eſt, ex albo & dilutiùs purpuraſcente mixtos. Colchicum pleno flore Antuerpiâ Londinum (Lobel. Adu. par. 2.) miſit Clariſſ. vir D. Aluarus Nunnius ſummus Philoſ. & Med. parum à vulgari Colchico, nec niſi concoloris floris multiplicabili incremento diſſidet. Surreptus fuit eius bulbus cum aliis plantis Nobiliſſ. Baronis Zouche.

COLCHICVM BYZANTINVM
latifolium Polyanthes.



COlchicum Byzantinũ πλατυφυλλὸν nouo Vere germinat, ternáq, aut quaterna producit *folia* ampliſſima, Ellebori albi foliis nec formâ, nec magnitudine valdè abſimilia, nec illis minùs neruoſa, magis tamen viridia, & ſeſe mutuò amplectentia: Autumno cum vulgari numeroſos fert *flores*, vt vicenos aliquando obſeruare meminerim [ ait Cluſius Hiſt. poſt. ] ex eodem bulbo prodeuntes, vulgaris quidem floribus forma & colore propè ſimiles ſed ampliores, craſſioreque pediculo ſubnixos, foris dilutiùs, internè ſaturatiùs purpuraſcẽtes, & tanquã venis quibuſdam per folia ſparſis notatos. In quibus *ſtamina* vt in vulgari: ſatis copioſum *ſemen* fert interdum in triangulis laxis breuibúſq; capitulis ſiue folliculis, triplo craſſius vulgari: eius *radix* craſſiſſima, pugnum æquans vel etiam amplior.

Conſtantinopoli ſingulares eius bulbi bis ſũt allati dum Viennæ viuebam: Gen. D. de Heuſenſtein, à qua prolem accipiebam.

*Colchicum Luſitanicum purpurei cum albo mixti coloris.*

Cum Byzantini flore quandam affinitatem, autore Cluſio, habere videtur *flos* eius Colchici, quod Theod. Clutius è Luſitania acceperat: nam ſex etiam foliis conſtat, purpurei cum albo mixti coloris: & velut teſſellatim [vt in Fritillariæ flore ] diſpoſiti, floridioris tamen: vmbilicum etiam occupant ſex alba *ſtamina*, flauis apicibus prædita, & medius *ſtilus* in ſtaminula diuiſus, purpuraſcentis ſupremâ parte coloris: odor aut nullus, aut valde obſcurus. Floret cum reliquis Colchicis. Deſcriptio.

*Colchicum Luſitanicum ſerotinum flore albido cum tantillo rubore.*

Bulbum adnatum ſibi annexum habet, inquit Lobel. Obſ. flos albidus, nitidus, tantillo ſummis foliis rubore conſuſus: alioqui perſimilis effigie & magnitudine vulgato noſtro Colchico, quale Lieræ Brabantorum floruit Septembri & Octobri in amœniſſimo horto Mariæ de Brimeu.

*Colchicum latifolium Boiſoti.*

Quartum genus à Boiſoto accipiebam (pergit Cluſ. Hiſt. poſt.) craſſo etiam Bulbo, quod terræ commiſſum non modò non floruit, ſed prorſus periit. Scribebat autem eius florem purpurei coloris eſſe, qui procul aſpicientibus vulgari par appareret, at diligentiùs obſeruantibus, coloris ex albo & purpureo diſtincti videbatur, ſatis ad Fritillariæ colorem accedens: folia item habere ampla, ad terram inclinata. Poſtea tamen, conſpecto Colchici Byzantini, cuius bulbum ad ipſum mittebam, flore, diuiſum à meo latifolio, ſuum Colchicum eſſe monebat. Forſitan verò idem genus erit, cum Luſitanico Clurii.

COLCHICVM ΠΟΙΚΙΛΑΝΘΕ'Σ
ſiue verſicolore flore.



COlchicũ ποικιλανθὲς ſiue tertium genus [ inquit Cluſ. H. poſt.] habeo munere Generoſi Dn. de Heuſéſtein, quæ in cultiſſimo ſuo horto ſuburbano ad Viennam vrbem, binos aut ternos alebat, quos vnde adquiſiuiſſet, ignorare ſe affirmabat. Non minùs eſt craſſo id *bulbo*, quàm Primũ, vel etiã craſſiore: Octobri, paullò ſeriùs quàm ſuperiora, binos, ternos, aut quaternos, producit *flores*, vulgari breuiores, & breui pediculo innixos, vt vix ſupra tellurem attollantur, quorum interiora tria folia ex pur- Deſcriptio

purâ quodámodò rubent, aut Hiſpanici montani floribus concoloria ſunt, vt plurimùm, exteriora autem tria vel omninò lactei candoris ſunt, vel internè mediâ ex parte purpurea, aut craſſioribus purpureis venis radiatim diſtincta, vel purpureis maculis aſperſa, omnia verò mucrone magis orbiculato & obtuſo quàm in vulgari: huius *folia* ineunte Vere germinantia, ex viridi purpuraſcunt, deinde explicata ſaturiùs virent vulgaris foliis. Semel duntaxat eius *ſemen* legere memini, prioris ſemine minus.

*Colchicum ποικιλανθὲς alterum.*

Aliud (inquit Cluſius) Colchici verſicolore flore genus accipiebam ab honeſto viro Theodor. Coornhart anno 1599. quod *bulbo*, & *foliis*, cum vulgari prorſus conueniebat, & perinde altè aſſurgebat, *flores* proferens vulgaris floribus formâ quidem ſimiles, ſed diuerſo colore, ex albo videlicet & purpuraſcente vario, diſſimili tamen à præcedente, quia in hoc colores magis permixti, & purpuraſcens dilutior: binos vel ternos tulit flores, quibus ſucceſſerunt longa, craſſa, & trigona *capita*, vulgaris capitibus non diſſimilia *ſemen* etiam ſimile continentia. Florebat cum vulgari, paullò maturiùs præcedente.

## COLCHICVM MONTANVM flore purpureo.

Deſcriptio



TERNA, aut quaterna ſunt *folia*, digitalis longitudinis, carinata, firma, humi tamen ſparſa, ſaturatiùs virentia & ſplédentia, vix ſemunciam lata, acidi guſtus, ruſeſcentem colorem contrahentia dum tabeſcere incipiunt: *flos* ſine foliis primùm exilit Septembri aliquando etiam Auguſto, ſex longis, anguſtis, & ex purpura rubentibus foliis, totidem medio *ſtaminibus* conſtans: hunc ſtatim (præter aliorum Colchici generum morem) folia ſubſequuntur, & totam deinde hiemem perdurant, vſque in Menſem Maium, vel etiam Iunium: *radix* bulboſa, non magna, multis ex ruſo nigricantibus tunicis amicta, intus alba, ſolida, & cum quadam adſtrictione dulcis, longiuſculâ ſede, quali in cæteris generibus, & adnaris in lateribus ſe propagans. Et ſic deſcripſit Cluſius, qui paſſim tum in Hiſpanic. tum in Hiſtor. poſter. Colchicum montanum Hiſpanicum, ſiue quintum λεπτόφυλλον, aut tenuifolium, Salmaticenſibus Merenderas vocatum, appellat.

Colchicum minus ſemine prægnans. Item Colchicum minus floreſcens, Colchicum montanum Cluſii: Cuius minorem ſpeciem, olim lariſſimis pratenſibus paſcuis ad montis Lupi Norbonenſis radices, ad diuerſorium publicum, via qua Gangen vrbeculam itur, collegimus [inquit Lobel. obſ.] Septembri floſculus ſtellatus croceus, aut Colchici vulgaris purpurocæruleus erumpit, ſed minor. Idem eſſe audio cum Colchico montano Cluſii noſtri, quod olim ſeuerat in horto Cl. D. Brancionis pro Eryrhroneo, foliis croceis, anguſtioribus, in cauliculo vix palmum æquante, & interdum etiam maiore. Semen ſubrotundum, Colchici vulgaris, in ſiliqua triquetra. Icon. pl. p. 145. Colchicum minus ſemine prægnans Lobel. 70. Teut. 178. Item Colchicum minus floreſcens ſiue Colchicum Cluſii Teut. 178. Obſeruandum apud Plantinum in hoc Colchico titulum, tranſpoſitum, figuræ autem ſunt ex Cluſio.

Hiſt. Lugd. Colchicum montanum Cluſii, & Colchicum montanum minus Cluſii.

Tabern. icon p. 621. Colchicum montanum Cluſii & Hiſt. Colchicum 10. Bergzeitt loſen. Item p. 622. Colchicum minus klein zeitloſen: & Hiſt. Colchicum. 11. Ineptè Compilator ex vna planta duas facit.

An Camer. hort. Colchicum paruum Hiſpanicum.

Collibus Salmanticæ vicinis, ſolo valdè lapidoſo primùm eruebam, inquit Cluſius, cum ſuo caule, dodrantali, firmo, & triangulari capite, in quo ſemen ex rubro nigreſcens, ſiue fuſcum, læue, exiguum, ſubrotundum Maio menſe, anno 1564. Apud Belgas, apud quos, ſemine quod natali loco collegeram, natum eſt, nullum adhuc ſemen dediſſe intelligo. Viennæ autem Auſtriæ, quoties ex meis ſtirpibus ſemen collegi, capite incluſum vix terrâ interdum emergente, & inter folia iam languida latente, aliquando digitali & palmari cauliculo innitente, vti etiam Francofurti ad Moenum, & Lugduni Batauorum.

## COLCHICVM MONTANVM minus verſicolore flore.



Colchicum montanũ minus verſicolore flore (vt ait Cluſ. poſt. hiſt.) Hiſpanico non multũ eſt abſimile, quod Iac. Plateau in ſuo horto Tornaci alere ad me ſcribebat, tum foliis, tum bulbo: flores autem differre, quorum omnia quidem folia longa & anguſta etiam eſſent, interiora verò tota alba, exteriora media ex parte viridia, alterâ carnei quodammodò coloris.

COL-

## COLCHICVM MINIMVM TENVIFOLium Gallæcium

NOuum Colchici pumili genus (inquit Lob. Adu.par. 2.) alimus in horto operâ le Quelt rhizotomi Lutetiani ex Hiſpaniæ regionũ Gallęcia delatum, *foliis* Croci montani minoribus, humi ſparſis, binis, ternis, quaternis aut quinis, carinatis, vncias binas, aut ſeſquiunciam longis (mihi folia duo ſolùm dedit.) *Radice* Colchici, Auellanæ paruæ nucleum æquante: *flore* vnà cum foliis prodeunte, ſenis conſtante foliolis anguſtioribus, purpurantibus: totidémque *ſtaminulis*, & apiculis luteis præditis, è breui *pediculo* parum è terra emergente. Floruit nobis Anno 1403. Hoc etiam alitur in hortis Londinenſibus, exoticis plantis ditiſſimis D. Coys, & D. I. Naſmit Botanici Regii primarii & Chirurgi.



## HERMODACTYLI VETERIBVS.

### Cap. VIII.

QVòd magno & pernicioſo errore Serapio Colchicum & Hermodactylum confuderit, deſcribens hunc iiſdem planè verbis, quibus Dioſcor. Colchicum, confirmat Paulus Aegin. l. 7. de Ephemero & Hermodactylis ſeorſum, tanquam de diuerſis, tractans, ac quidem de Hermodactylo. Hermodactyli radix (inquit) & per ſe, & ipſius decoctum vim habet purgandi: priuatim etiam arthriticis nunc quum humores defluunt exhibetur: verùm ſtomacho nimis quàm aduerſatur. Quidam verò in ipſis exacerbationibus, in omnibus arthriticis purgatione ex Hermodactylo vtuntur, verùm attendendum eſt, quia ſtomacho incommodus eſt Hermodactylus & anxios ac ciborum inappetentes facit. In ſolis igitur his qui negotiis quæ differri non poſſunt vrgentur, ipſo vtendum eſt, Compendio enim & poſt duos vt plurimùm dies ſedat fluxionem, vt quis ad conſuetas functiones obeundas tranſire poſſit. Noui autem quendam qui non ipſam Hermodactyli ſubſtantiam exhibet, neque aliquod medicamentum ex ipſò compoſitum, ſed herbã ipſam coquit, cum aliquo ex conſuetis pharmacis, velut Aniſo, aut Apio, & decoctum bibendũ præbet. Et mirum eſt quomodo per Ventrem euacuati à fluxione liberantur. Oportet autem præterea quòd ſtomacho incommodus eſt, velut dixi, poſtea ſtomacho gratis, & corroborantibus, cum moderata caliditate, oſculum ventris corrigere. Cæterùm Alexander purgationem ex Coronopodio, meliorem eſſe dicit eã quæ ſit ex Hermodactylo, vt quæ eandem euacuationem & doloris ſedationem efficiat cum hoc, nec ſtomacho incommoda ſit. *Hæc Pauli.*

*Coronop. melior.*

Actuarius lib. 5. Meth. Med. cap. 6. de antidot. compoſitionem habet, quam vocat ex Hermodactylo, podagricis & arthriticis, vt quæ ſuccos crudos ex alto detrahit, proficuam: Recipítq; Hermodactyli, Galangæ, Pyrethri, Zingiberis, Zaduaris, Aniſi, Gentianæ, Ariſtolochiæ, ſingulorum quadrantem, mellis ſufficiẽtem modum.

Inter alias quamplurimas compoſitiones purgantes, quas hîc enumerare & longum & tædioſum foret, Nicolaus Myrepſus in aurea Alexandrina recipit Hermodactylum rubrum & album. Quæ quidem compoſitio non inſtituitur ad purgationem.

*Hermod. ruber & albus Nicol.*

De Hermodactylo hæc Meſues lib. 2. cap. 6. de purg. Hermodactylus eſt radix herbæ cuiuſdam montanæ: & ea vel digitum lõnga, vel rotunda, ac eadem præſtantior, ſi multùm eſt alba, intus & foris, magna, mediocriter dura: alter Scillæ aut Raphano proxima, ſi creuit, ſi Vere lecta eſt, & menſes deinde ſex ſiccata eſt. Rubra autem & nigra mala eſt, & quæ in loco pingui & humido prouenit, quòd inde humor eius inflans, & excrementoſus ei largior inſit. Rara verò, laxa, & leuis eſt imbecillior. Calidus eſt ac ſiccus ordinis ſecundi initio, cum humiditate tamen excremẽtoſa, flatulenta, nauſeabunda, quâ ventriculo nocet, præſertim quando in eum ex partibus aliis excrementa confluunt, Pituitam craſſam præſertim à iunctutis trahit, ob id podagræ, & aliis arthritidis differentiis confert, non ſumptus modò, ſed etiam Cataplaſmate admotus, præſertim cum vitellis ouorum, & farina hordei, vel mica panis. Impinguat, ſperma auget, vlceribus confert, quia terget ſordem eorum, & carnem in his putrem conſumit. Cuminum, Zingiber, Piper longum, Libyſticum, Mentaſtrum, Maſtiche, miſta, Hermodactylum prohibent, ne ſuo humore excrementoſo, & flatulento lædat ventriculum, néue flatus craſſos & nauſeabundos, in eo excitet, aut multa in ipſo excrementa colligat. Si verò Hermodactylus cum pauco Zingibere, & ſucco Raphani, vel cum Scilla aſſata, aut Scillæ ſucco & Zingibere, & ſpica in trochiſcos fingatur, purgat celeriùs & pleniùs (per ſe enim tardè & imbecilliter vacuat.) Myrobalani quoque roborando ſtomachum Hermodactylos citò deturbãt, & humorũ in ventriculum affluxum prohibent. Datur ab aureo vno ad aureos duos: annos tres ſeruatur.

*Herba mõtana. Longa & rotunda Alba præſtantior. Scillæ aut Raphano ſimilis Rubra & nigra mala Correctio Purgatio Doſis*

Cæterùm Hermodactylus radice oblonga, Neotoricorum eſt Tagaultio Ephemeron Dioſc. Galeni & Pauli, vt indicatur ſub titulo Colchici vulgaris. De hoc autem [quod à multis dicitur & cenſetur Hermodactylus] ſub ſuo titulo.

Exiſtimat quoque Dodonæus Hermodactylos Officin. eſſe Colchicum flore albo Cordi. Anguill. contrà & Lobelio Hermodactyli officin. ſunt radices Colchici Illyrici luteo ſiue flauo flore.

Brunf. tenet Hermodactylum Narciſſum eſſe Germ. Hornungs blũm.

Hermodactylus Meſuæ quibuſdam eſt Pſeudohermodactylus, qui aliis Satyrium Erythronium cenſetur.

Hermodactylus (inquit Tragus) mihi dicebatur Cyclamini parua ſpecies, ſed falsò.

Hermodactylo tandem non venenato conge-

Hermodactyli æquiuocationes & ſubſtitutæ *Ephemeron Veterib. Colchicum Vulgare. Colchicum flore albo.* Colchicum *Illyricum flauo flore. Leucoium bulboſum Theoph. Satyrum Erythronẽ quorundã. Cyclamen. Iris bulboſa.*

ner Lobelio, videtur Iris bulboſa latifolia Hiſpanica Cluſii.

*Iris tuberoſa.*

Marth. ſuum Hermodactylum haber de quo cap. de Iride tuberoſa, qui non placet Lobel. & Dodonæo, nec nobis.

*Palma Chriſti ſiue Orchis palmata.*

Hermodactyli albi & rubri [Lob. Adu.] Nicolai, Actuarii & aliorum, nō Cathartici, ſed Cordi, Venerique amici: an ſint Behen album & rubrum eadem? Vocem Hermodactyli æquiuocam fuiſſe, & Ephemero Dioſc. comparari potuiſſe, non modò caput Pentaphylli indicat [vt cuius radix Hermodactylus ſit vocata, non tam ſimilitudine, quàm ſuperſtitione & incantatoria expiatione,) ſed etiam quæ extant apud Actuarium & Nicolaum celebres admodum compoſitiones arguūt. Quippe Aurea Alexandrina illa & Diamoſchum Hermodactylo rubro & albo non carent, miſcetútque aliis apud Arabes compoſitionibus cordialibus, &c.

*Hermodactyli vnde dicti.*

Hermodactylum ad verbum interpretantur Mercurii digitum (interpres autem eſt Tagault.) quòd digitorum forſitan imaginem quandam exibeat, quo nomine etiam Pentaphyllon Dioſcorides appellauit. Vnde factum eſt, vt plures Pentaphyllon, Hermodactylon, eſſe arbitrarētur, Verùm Pentaphylli radix rantùm à noſtris Hermodactylis vocatis differt, quantùm lux diſtat à tenebris.

Fuchſ. vir ſua ætate celeber in Nic. Myr. In auream Alexandrinam Hermodactyli rubri & albi &c. Per Hermodactylos hoc loco & aliàs etiam Nicolaus intelligit radices, quas Officinæ hodie vocant Behen albam & rubeam, Quod etiam facit Actuarius. Idem in antid. Eſdræ putat per Hermodactylum intelligi Been. Et lib. 1. c. 8. Actuarius certè, vt ex compoſitione Antidoti Diamoſchi Sole Meridiano clariùs conſpicitur, & Nicolaus Myrepſus multis in locis Behenum album & purpureum, nominant Hermodactylum candidum & purpureum, forſitan quòd digitorum quandam imaginem radix illa exibeat. In antidot. Actuarii è Moſcho nullam mentionem Hermodactyli inuenio, vt dixit Fuchſius, habet enim Antidotum propriam ex Hermodactylo, in qua non videtur loqui de Been, cùm dicat eam antidotum ex alto detrahere. Idem Fuchſius de com. med. l. 1. c. 94. Hermodactylus Meſue radice digitali, eſt Behen.

*Fuchſ. not.*

*Been.*

Quæ autem radix nobis hodie [inquit Matthiol.] Hermodactylus dici poſſit, difficile quidem fuerit diſcernere, quòd ex probatis rei herbariæ Scriptoribus hactenus neminem inuenirim, qui notis vllis eius tradiderit hiſtoriam. Verùm tamen ſi ex vocabuli etymo coniicere licet, nil aliud ſignificare videtur Hermodactylus, quàm digitum Hermetis. Vnde factum eſt, vt aliquando cogitauerim, an illa bulbacea radix, quæ manus humanæ formam refert, quamque vulgò Chriſti palmam appellant, ad Hermodactylum accedere poſſet. quódque ſumpta non modò vomitiones, ſed & aluum cieat, vt teſtis eſt Nicolaus Florentinus, qui hac radice, pluribus factis vomitionibus, Biliorum quendam quaternarium curauit. Hæc in medium proferre libuit, non quòd ita eſſe certò aſſerere auſim, ſed vt rei herbariæ ſtudioſis res hæc melius æſtimanda proponeretur.

*Been. Tormentilla. Paſtinaca.*

Geſner. epiſt. l. 2. ad Occonem. Pro Been albo & rubro, ſi tormentillam ponitis, cur non relinquitis, quod ex maritimis tractibus adferrur Been rubri nomine? id enim à tormentilla colore, odore, ſaporeúe nihil differt: à paſtinacæ autē radice, quam been albo ſubſtituitis, toto genere differt tum forma, tum viribus. Ego pharmacopolis noſtris vt vel radices, vel flores albos & rubros, Saccharo præſertim conditos, pro Been ſubſtituant conſulo. Verum quidem vtrunque facilè haberetur è Syria: eſt enim quod *Allabe* Barbariæ vocat Auicenna. Quæ radix, inquit Bellunenſis, ſimilis eſt Rhaphano paruo, oblongo, aliqui Hermodactylorum ſpeciem quādam eſſe dicunt, & appellari apud Arabes etiam *Buzeiden*. Sic ille. Actuarius etiam pro Been, modò Hermodactylum album & rubrum: modò helenium album & rubrum ſcribit.

Dioſc. [inquit Tragus] nullius meminit in ſcriptis ſuis Hermodactyli, præterquàm in Pentaphyllo, quod alias Tormentillam vocant.

Syluius in antid. pro Hermodactylo in doloribus iuncturarum ſuſtituit folia Anchuſæ & dimidium Bdellii. Quod idem Placot. facit.

Notat Caſtor Dur. quod in pilulis aduerſus arthritidem pro Hermodactylis, Pharmacopœi non ponunt Colchici radices, ſed pro ſuccedaneo vtuntur Centaurio minore.

Radix Hermodactyli habet virtutem laxatiuam, & ſimiliter aqua in qua bullierit, datur autem propriè in doloribus iuncturarum, in tempore fluxus humorum ad eas, verùm ipſe eſt malus ſtomacho. Confert doloti Podagræ, & eſt laudabilis finis operationis eius, verùm nimius vſus eius facit putrificari muſculos. Confert tamen iuncturis multùm. Surugen albus augmentum efficit in ſpermate. Albus eſt bonus podagræ, ſed rubeus occidit, & non eſt frigidus nimis, ita quod narcotizet, quià ſi hoc eſſet, non eſſet laxatiuus. Hermodactylus eſt calidus in primo gradu. Rubeus occidit, & albus confert podagræ, & deſiccat vlcera antiqua, & abſtergit ea, & eſt frigidus & ſiccus in ſecundo. Si Hermodactylus eſſet calidus, mordicaret vlcera. Hermodactylus eſt calidus, multæ caliditatis. Eſt calidus & ſiccus in principio ſecundi gradus, & habet proprietatem ſedandi dolorem iuncturarum & Podagræ, & conferre variolis, & melior ex eo eſt ille qui eſt interiùs & exteriùs albus, & quando frangitur, eſt confractio eius facilis, & non dura. Niger verò & rubeus ſunt ambo interficientes. Errauerunt autem qui putauerunt quod ipſe ſit Lagia agreſtis quæ defertur ab Africa, nam illa Lagia impinguat mulieres, quando bibunt eam, & humectat corpora ſicca, & augmentum efficit in carne, & facit rubere faciem colore bono, quando datur in potu cum Sanich, eſt calida, caliditate forti, & commouet ſanguinem, & acuit eum multùm, & fortaſſis inducet potanti ſe dolores calidos, aduſtiuos, & infert nocumentum magnum, & ægritudines ſicut Eriſipelam in capite & facie, & in membris aliis corporis. Hæc dicunt apud Serapionem varii, qui etiam de Hermodactyli temperamento & facultatibus contratia videntur ſtatuere.

---

## COLCHICVM MINVS MALIGNVM, ſiue Hermodactylus Officinarum.

OFficinarum Hermodactyli, radices referunt noſtri Colchici, ſed quantumuis inueterari D
extento ſunt cortice miniméque rugoſo, fuſco, compreſſa Caſtaneæ figura, in turbinem faſtigiata: imâ parte fibrarum veſtigiis apparentibus, vnde

vnde ad mucronem per longum inſculptus cernitur canaliculus. Subſtãtia ſolida in qua nullum vel veſtigium fibræ vllius appatet, facilè in pollinem teritur, ſubdulcem, emplaſtica pulticula linguam emollientem.



Ruellius exiſtimans Hermodactylos Officinarum eſſe Colchicum, venenum putat eſſe: vti antè dictum.

Tagaultius quoque Differentiam oſtendens inter vulgares Hermodactylos & Colchicum vulgare ſecuriùs ait in totum ab eis abſtinere, ac aſſerit non eſſe Pauli Hermodactylum: eius ſententia in præcedentibus poſita eſt.

Hermodactyli duo faſtigia facit Meſues apud Syluium, vnum radice digitali longitudine, quod Ephemeron eſſe videtur Dioſcor. Galeni & Pauli, radice oblonga. Alterum radice rotunda, & ea foris vel nigra [ quod Colchicum eſt Ephemerũ & deleterium, prædictis autorib⁹ paſſim frequẽs, flore Croci per Autumnum erumpente) vel rubente, vel alba, vt intus, quam eligit ſolam, ſi craſſa ſit ac modicè dura, & ex loco edito lecta: calida ſicca initio ſecundo gradus, ſtomacho aduerſiſſima eſt. Pituitam craſſam à iuncturis pręſertim extrahit, ob id podagræ, & ipſi arthritidi prodeſt, per ſe, vel decocto ſumpta, aut etiam admota cum farina hordei, vitellis ouorum, mica panis. Hæc omninò eſt, quam Paulus Hermodactylum vocat & ab vtroque Ephemero ſe parat, Veteribus indicta radix, vti & quæ rubens Meſuæ dicitur. An verò quæ in officinis oſtenditur, horum ſit Hermodactylus vel Colchicũ, diſcernere non eſt difficile his qui legunt, aut integras habent radices, nam delibratæ ad nos cõuehuntur. Canis tamen largam eius vim per me depaſtus innoxiè, & multorum tutò hac radice purgatorum experientia quotidiana facit, vt credam, vel Hermodactylum hunc eſſe Meſuæ, & Neotericorum Veteribus indictum, vel ſaltem non eſſe Colchicum. Actuarium miror inter purgantia ſimplicia hunc non deſcripſiſſe, cùm toties eius meminerit in compoſitis medicamentis, ἑρμοδάκτυλον λευκὸν καὶ ἄλινον, alicubi appellans. Serapio Hermodactyli nomine principiò Dioſcoridis Colchicum repræſentat, deinde etiam Ephemeron. De omni hoc genere Muſa in examine ſimpliciũ, & Tagaultius ſuis in Meſue ſimplicia annotationibus doctis pariter ac luculentis accuratiùs ſcribunt. Hermodactylus Meſuæ probatur radice rotunda. Quæ in Officinis eſt affirmatur mihi ab his qui legerunt frequenter in Gallia Narbonenſi & Prouincia, eſſe folio nigro, porraceo, flore per Autumnum Croci, ſine Croco tamen, foris nigra radice: quæ res declarat eſſe Colchicum, innoxium tamen, aut ſaltem innocentius experimur: fortè quia ſiccatum eſt, niſi recens nobis vſurpatur.

Tragus Hermodactylos officinarum recipit pro Hermodactylis Serapionis & Meſue verùm quod ait ipſos cum Paulo venenum dicere, putat idem eſſe cum Colchico, & iis abſtinendum in internis, forinſecus eis vtendum, vt fecerunt Arabes.

Fuchſio quoque teſte, Hermodactyli Meſue, duo facit genera: *Vnum* radice digitali longitudine, quod non eſt niſi Behen, & minimè Ephemerũ, non lethale, vt nonnulli exiſtimant. *Alterum* radice rotunda: quod itidem in duo partitur genera. *Vnus* enim habet radicem albam, craſsã, ac modicè duram, atque is eſt, qui in hodiernum diem nomen Hermodactyli in officinis Medicorum retinet. Ac à Paulo quoque Hermodactylus appellatur. Hic alui decoctionem molitur, pituitámque craſſam ab articulis præſertim extrahit. Cæterùm is, Paulo authore, ſtomacho nimiſquàm aduerſatur. Proinde aliqua quæ eius malitiã corrigant ac vehementiam coërceant, illi miſcenda erunt: Vt ſunt Cinnamomum, Maſtiche, Zingiber, aut Piper longum: Datur cum Oxymellite Scillitico, aut melle roſaceo, põdere drachmæ vnius aut plùs aut minùs, pro ſumentis viribus. *Alterum* genus Hermodactyli rotundi, foris nigram aut rubentèm radicem obtinet. Atque is eſt, qui Croci flores per Autumnum paſſim in pratis oſtentat, & vulgò Hermodactylus nuncupatur. Græcis vetuſtioribus Colchicon dicitur: is intra corpus ut pote venenatus, tutò haud ſumitur.

*Behen. Non Ephemerum. Hermodactylus officin. Hermod. Pauli. Hermod. genus alterum eſt Colchicum. Hermod. Vulgò. Colchicon.*

Hermodactylus non minore copiâ reperitur apud Monachos in Meſ. In montanis, inquit, pratis, & aliis locis groſſi, & pulchri ſunt, quod ſi neſciuiſſemus eos eſſe malignos, aliquando comediſſemus ipſos. Quoniã [vt Dioſcor. refert] recentes magnam voluptatem afferunt aſpicientibus, & præcipuè incautis de illorum malignitate, eò maximè quòd dulces guſtatu ſentiuntur. Sed neſcimus deſiccare eos ſicut Orientales faciunt. Pluribus enim modis tentantes experiri ipſorum deſiccationem, numquam effectum deſiderii noſtri conſequuti ſumus. Etenim multos de hoc interrogauimus à quibus varios accepimus modos. Verùm tamen ſemper omni modo efficiuntur duri vt lapides, rugoſi, & vti Carbones nigri, forſan quia alio ſolo & cęlo naſcuntur. Colchicon Græce idem eſt quod Hermodactylus. Latinè etiam Bulbus agreſtis dicitur. Author enim noſter in proprio capitulo duo genera facit. Vnum quod eſt longum, vt digitus, aliud rotundum: Rotundum quippe eſt Colchicon. Pro longo autem putamus intellexiſſe Ephemeron, de quo Dioſcorides ſeparatim capitulum fecit. In quo dixit Ephemeron habere radicem &c. Non obſtante quod dicat Colchicon etiam ab aliquibus Ephemeron, vocitari. Similiter Serapio in vno ſuo capitulo de Hermodactylis, duo cap. Dioſc. conſtrinxit. Scilicet c. de Colchico & capitulũ de Ephemero, vbi per Ephemeron Barbarè Achimeron legitur. De rotundo autem, quod eſt Colchicum, Author noſter ſimiliter, vt Serapio, poſuit tres differentias, ſcilicet, quod Hermodactylorum alius eſt albus, & alius rubens, & alius niger. Et quod albus eſt eligendus, rubens verò & niger ſunt mali. Hermodactyli quidem aromatariis & Herbariis noti ſunt, Sciendum tamen quod recentes non ſunt adminiſtrandi. Teſte ipſo filio Meſuæ, qui

*Locus. Hermodactyli Orientales. Hermod. Meſue longus. Ephemerũ. Serapio duo iungit capita. Hermod. Aromatariorum.*

ſic ait. Et meliores ſunt, in quibus iam præterit medius annus, poſt bonam eorum exſiccationem. Auicenna autem dicit, quod eſt radix plantæ habentis Roſas albas & citrinas: in quibus rebus manifeſtatur vel ipſius, vel interpretis eius mala intelligentia, ſcilicet quòd pro flore Croci albicante (vt in Dioſc. legitur) intellexit florem Croceum, ſcilicet Citrinum, & album. Vnde dixit: Roſas albas & Citrinas.

*Error interpretis Auicen.*

*Hermodactyli 2 ſpecies Dodonæi.*

Secunda ſpecies Hermodactyli Dodon. gall. quæ inuenitur in officinis vocatur à Paulo Aegineta, Meſue, Serapione, & à quibuſdam aliis antiquis medicis Græcè ἑρμοδάκτυλος, Lat. Hermodactylus, ac hoc nomine in Officinis cognoſcitur. Is autem quo in medicamentorum compoſitionibus vtimur (ait idem Dodon. hiſt. purg. & in fol.) ab iſto differens eſt. Bulbus nempe huic magnitudine & formâ ſatis reſpondens, verùm reſiccatus, & albidus permanens, neutiquam rugoſus, modicè durus, túdique facilis, cuius puluis candidus eſt. Valerius Cordus Colchicum quoddam reperiri ſcribit ſuperioribus ſimile, ſed flore candido. Nondum ego auſim aſſerere cum Dodon. Colchicum album Cordi idem cum Hermodactylo Officinarum. Cordus non ſeparat figurâ, ſed colore albo à vulgari Colchico; Colchicum autem Illyricum cuius radices volunt eſſe Hermodactylos Anguill. & Lobel. differunt colore luteo & figura.

*Serapio reprehenditur.*

Dilucidum eſt Cronemb. de comp. med. duo Ephemeri genera ab Hermodactylo Pauli diſcreta exiſtere, & quàm imperitè Serapio dum vnico velut pallio inſcitiam ſuam tegit, de triplici planta prodiderit. Iam ſi ſynceto iudicio, & ad amuſſim, vt dici ſoler, Dioſcoridis atque aliorum Græcorum Colchicum ſpectemus, conferamuſque vulgari Officinarum Hermodactylo, procul dubio eandem omninò radicem comperiemus. Quapropter haud iniuria eſſet, ab conſuetudine medica eliminanda. Et ſi quiſpiam imperitè arrogans mihi quotidianam eius ſecuritatem obiiciat, illi reſpondeo, vel eò miriorem noſtris hominibus videri, quòd in Colchico ſolo non exeratur: Sed in vniuerſum innoxiam eſſe, nemo ſapiens pronunciatit. Ego nulli autor ero, vt temerè periculum ſubeat. Cronemburg. nullam facit differentiam inter Colchicum vulgare & Hermodactylos Officinarum, licèt manifeſtum ſit diſcrimen.

*Reiiciendi Hermodactyl. vulg.*

*Cronemburgius notatur.*

Matth. vt antè oſtendimus cap. de Colchico, exiſtimat Colchicum idem cum Hermodactylis Officinarum; erroris accuſat Serapionem, Fuchſium, & Monachos: denique reiicit omninò Hermodactylos officinarum vt venenatos.

An Anguill. de hoc loquitur dicens: Colchicũ in Græcia & circa Sclauoniã differt ab Italico, radices portantur in Italiam & venduntur pro Hermodactylis. Noſtri [Hiſt. Lugd.] Colchici radices etiamſi pro Hermodactylis à quibuſdam vſurpentur, ſciendum tamen ab Officinarum Hermodactylis plurimùm differre. Hi enim peregrini ſunt, non pernitioſi, vt multis ſeculis plurimùm vſus edocuit. Tabern. Hermodactylus Officinarum Hermodatteln. Gabr. Fallopius tract. de ſimpl. medic. purg. c. 53. tit. de Hermodactylis. Hermodactylus eſt duplex, vnus eſt radix oblonga digiti ſimilitudine, & eſt Hermodactylus Pauli. Hermod. verò Meſues eſt rotundus, & eſt Ephemeron Colchicum Dioſcor. & iſte eſt in vſu in officinis: & quamuis in Colcho ſit venenum, tamen in hac regione non eſt venenum. Vſus ipſius præcipuè eſt conficiendas pilulas de Hermodactylis: pro decoctione autem, & pro infuſione raró eſt in vſu. At empirici probant vſum Hermodactylorum, quia in morbo Gallico exhibent puluerem ipſorum, & vinum etiam quoddam ex ipſis. Sed docti viri non exhibent ſubſtantiam Hermodactylorum, niſi & ipſi vtantur aliquando medicamentis empiricorum: at crebrò exhibent pilulas de Hermodactylis. Doſis Hermodactylorum ait Meſue, eſt à drachma vna vſque ad duas. Sed Fallopius non vtitur Hermodactylis in ſubſtantia: nec vidit vnquam vllum doctum virum ipſis vtentem. Nullo modo aſſentiri poſſumus Fallopio nullam facienti differentiam inter Hermodactylos Officinarum peregrinos & Colchicum noſtrarum regionum: quod non ſolùm in Colchide venenum, verùm etiam apud nos, à quo caueant omnes, quicquid dicat Fallopius: non ſumus etiam vſi Hermodactylis Officinarum, quum non deſint nobis certiora medicamenta.

*Fal... not...*

## COLCHICVM ILLYRICVM SIVE Græcum non venenatum flore luteo.

VEneriis munere Alberti Martinelli Alepo Syriæ euulſas à fratre Cequino habui [inquit Lobel. Obſer.] Colchici Anguillaræ plantas, ptonis palmaribus ſeptenis, denis, & duodenis foliis Colchici, ſtriatis, mucronatis, reflexis, in auguſtum faſtigiatis, imbricatim, & lateratim ſtipatis, è quibus in puſillo pediculo, flores exeruntur lutei, pallentes, terni vel quaterni, Colchici parui minores, ſtaminibus item concoloribus: *Siliqua* non diſſimilis. *Radix* foris Cepæ concretione: intus euanida & vieta: quia in caulem, folia, flores, fructum, & ſemen vis tota eruperat. D



Anguillaræ & Cequino aſſentiendum, quibus acceptam refero: mihi tantùm ſiccata arida que viſa.

Lob. Obſ. & Ic. Pl. p. 147. Hermodactyli non venenati Officinarum. Colchicum Illyricum ſiue Græcum non venenatum Anguillaræ [Lobel. Hiſt. Lugd.] Tabern. icon. & Gerard. Colchicum Illyricum Griechiſch wiſen zeitloſen / Greecke Medow Saffran.

Colchicum quod prouenit in Græcia & partibus Sclauoniæ circa Sebenium Anguillaræ, non illud eſt quod in multis locis Italiæ inuenitur, producit enim folia anguſta, ſimilia bulbo, reflexæ in terram radices euelluntur, ac in Italiam venales feruntur pro Hermodactylo. Profert in Autumno flores ſimiles floribus Croci, ſed multò minores, tres aut quatuor in ſummitate caulis,

lic dodrantalis. Colchicum Illyricum Anguillaræ nunquam Cluſio conſpectum.

## COLCHICVM FLORE LVTEO quorundam.

Subeſt *bulbus* oblongus, mediocriter magnus, vnde fibræ aliorum more dependent, ſapore præditus amaro: *folia* è radice ſtatim exoriuntur, accedentia ad Leucoium bulboſum, carinata, atrouirentia, & ſplendida, in mucronem obtuſum modicè deſinentia, craſſa, vnciam plùs minùs lata, non totum dodrantem longa: inter hæc *caulis* ſurgit palmo breuior, compreſſus, in cuius faſtigio, hiante folliculo membraneo, *flos* apparet totus luteus, Colchici florum forma, ſex foliis, totidémque ſtaminibus & ſtylo luteis conſtans.

Hunc bulbum ſic deſcripſit Cluſius: Narciſſus Autumnalis maior. Perſico Narciſſo valdè affinis eſt Narc. Autũnalis, tametſi neuter flore Narciſſum æmuletur, ſed ſolis foliis & radice. Quina autem & ſena habet folia, oblonga, pollicem lata, præ viriditate ferè nigricantia, ſplẽdentia, humi plerumque ſparſa, inter quæ breuis exit cauliculus viridis, rotundus, vix ſupra terram ſe attollens, cui inſidet flos ſuperiori formâ ſimilis, ſed breuior, flaui omninò coloris, ex membranaceo folliculo emergẽns, cuius exteriora tria folia interioribus maiora ſunt, eáque velut amplectuntur, omnia autem mucrone ſunt magis orbiculato, quàm Perſici folia: ſex ſtamina ſuis apicibus ornata & ſtilus è floris vmbilico emergunt: radix craſſa eſt, rotunda, intus candida, foris vt Narciſſus nigricans. Huius alia ſpecies inuenitur anguſtioribus foliis, in reliquis cum illo conueniens.



Dodon. hiſt. Lat. Narciſſus autumnalis maior, & Narciſſus Marcelli dicitur. Lobel. Obſ. Colchicum luteum, an Ephemerum non venenato Dioſcor. congener? Narciſſus Autumnalis Marcelli Virgilii. Mutono flore luteo pallente. Lirium alterum Theoph. Dod. Adu. part. 2. Colchico Narciſſus Botanicorum: Narciſſus autumnalis peritiſſ. herbariorum, ſiue Colchicum luteum vocatum, cum à floris figura, tum à tempore floreſcendi, verùm de hoc maiore & de minore adhuc certatur & ambigitur num referri debeant ad Colchici familiam aut Narciſſos, quia vires non ſunt exploratæ: quare peritiores multi in dubium reuocarunt, vt Io. Montonus: Carolus de Houcin. Ancipitis vtriuſque naturæ videntur: Radicis ſiquidem concretio & textura Narciſſi familiæ, quàm Colchico proximior eſt: cætera magis Colchicum æmulantur. Folia atrouirentia Autumno cum flore luteo è breui pediculo prodeunt. Proinde liberum cuique erit Narciſſũ, aut Colchicum, vel Colchico Narciſſum nuncupare. Cluſ. Hiſp. Narciſſus Autumnalis quorũdã & maior Hiſp. *Aç' çenas amarillas*, id eſt, Lilium flauum. Idem hiſt. poſt. dicit, Nonnulli vocant hanc ſtirpem Narciſſum Autumnalem, alii Colchicum luteo flore, cùm tamen nihil cum Colchico commune habeat præter florem, reliqua ſunt Narciſſi. Quod ſi Colchicum dicendum, omnia Croci genera etiam Colchicum appellare licebit: E Thracia allatum eſt Cedonſari nomine. Poſſet non incommodè forſitan ad Lirium alterum Theophraſti referri vel νάρκισσος ὀπωρινὸς Græcè dici. *Colchicum. Ex Thracia.*

Tabern. icon. Colchicum luteum. Narciſſus autumnalis maior, Geel wiſen zeitloſen. Et H. Colchicum tertium.

C. Bauhin. Phyt. Colchicum 10. luteum: Lirii alterum genus Theophr. lib. 6. cap. vlt. variat in hortis Belgii anguſtioribus foliis autore Lobel.

Sub Auguſti finem, autore Cluſio, & Septembri, germinare incipit, & plerumque floret. Gaudet montanis quibuſdam Hiſpaniæ pratis, etiam in Italia ſpontè naſci audio, [ ait Cluſius. ] Ex Thracia antè paucos annos etiam adferri cepit, cuius bulbos quòd ſiccitate palleſcerent initiò Perſici Narciſſi eſſe putabam: ſed emergentia illicò, poſtquàm telluri fuerunt commiſſi bulbi, folia, omnem dubitandi occaſionem ademerunt. Colchicum flore luteo accepimus a D. Belle fontaine, plãtandum in horto E. C. Vidi Argentinæ in horto Di. Friderici Meier, à quo bulbos etiam habui: qui in eius horto virentia habent folia Februario, & Martio: anno 1606. in fine Octob. floruit in horto Ill. E. C. *Locus & tempus.*

## NARCISSVS PERSICVS CROCI FLORE melino, Colchicis affinis.



Ἄγχυλος plane eſt Cluſ. in Pann. & in poſt. hiſt. Narciſſus Perſicus & floris duntaxat pediculo præditus veluti crocum Colchicúmque: exilit ergo è mẽbranaceo *cucull*, tanquam ex vaſculo, aut theca *flos* oblongus, Croci aut Colchici floris æmulus, ſex foliis conſtans ex flauo palleſcentib⁹, quorum tria interiora paulò anguſtiora ſunt, externa latiora. & ſummo mucrone nonnihil incurua, ſiue ἀπόφυσιν quandam habentia, quâ interiorum mucronem amplectuntur & comprehẽdunt, ingrati odoris & Pauperis quaſi virus redolentis, *ſtamina* ſex medium florem occupant, in foliorum vnguibus nata, ſed internorum foliorum reliquis *Deſcriptio*

longiora, exilirè medio oblongior *ſtilus*, gracilis,& ſine capite. *Folia* illi ſunt Hemerocallidi Valentinæ non multùm abſimilia,lata,plana, eiuſdemque cum illis coloris, hoc eſt,ad æruginеum rendentis,quæ vt plurimum conuoluuntur, aut ſeſe circumagunt : *radix* craſſa,bulboſa,à baſi ( quæ multis fibris donata eſt ) ſtatim extuberans , intus candida , foris pallidior quidem,ſed aliquantùm etiam nigricans.

Semel duntaxat Conſtantinopoli allatum eſt hoc bulbi genus,mihique ( ait Cluſ.communicatum à Philiberto de Bruxellis , cuius antè memini,anni 1575.initio , quem poſtea variis amicis cùm in Belgicâ tum in Germaniâ diſtribui. Initiò Narciſſum Autumnalem maiorem , ex bulbi forma eſſe coniiciebam, in qua opinione valde me confirmauit flos ſub finem Septembris emergens. Sed poſtquam folia non ſubſequi animaduerti , & ineunte demum Vere prodire obſeruaui, eáque ab illius foliis colore differentia: tum exactiùs collata inter ſe vtraque plantâ , diſpares eſſe manifeſtè deprehendi : æſtate breue inter folia caput pollicem craſſum , breui pediculo inhęrens, & ſumma tellure vix emergens, ferre aliquoties obſeruaui, quod cùm inane eſſet, ſeminis conſpiciendi ſpes omnis ſublata.

Nomina *Lilium alterum Theophr.*

Nomen Schedæ illi additæ inſcriptum erat *Zarem cada perſiani*, id eſt , Narciſſus Perſicus. Multùm verò conuenire videtur , cum Narciſſo uel Lirio altero Theophraſti,cuius meminit Hiſt. Plant.lib.6.c.6.florem amplum illi tribuens, coloremq.ue [ vt eruditiores volunt ] melinum non nigrum,figura oblongum ,ſerotinumque admodum , poſt Arcturum & circa Æquinoctium ſeſe oſtendentem , vel,vt ſequente cap.ait , Autumno primis imbribus,quemque lib.7.hiſt.c.12.caulem tantùm floris habere dicit.

Icon noſtra facta eſt ad iconem quam habebat Cluſius in Pann.eam autem in poſtr.hiſt.mutauit quod folia attinet.

C.Bauh. Phyt.Colchicum 11.ſiue melino flore. Narciſſus Perſicus Cluſii.Quo nomine à Tabern. icon.& hiſt.cum Cam.hort. cognominatur. Frigori noſtro libenter aſſueſcit.

*Colchicum vernum flauo flore.*

Scribebat Iacobus Plateau [ inquit Cluſius Hiſt. poſt. ] Colchicum ſe habuiſſe quod verno tempore flauum florem protuliſſet : ſed bulbum cum eruiſſet corruptum reperiſſe.

Hunc,ni fallor , meminit Lobel. Adu.par.2. Narciſſus luteus vernus D.Leet facie Narciſſi Autumnalis lutei ſiue Colchico-Narciſſi Botanicorum : Narciſſinæ claſſis videtur noua,rariſſima,& elegantiſſima planta,quæ quamuis tota facie Narciſſum Autumnalem ſiue Colchicum luteum vocatum cùm à floris figura,tum à tempore cum Colchico floreſcendi referat,Narciſſo tamē propior, quia vere nouo flores laxat. Nouus igitur hic Byzantinus Narciſſus folia cum floribus luteis Vere laxat , atrouirentia,ſitu initiò bina, deinde vtrinque plura , binûm & ternûm vnciarum , quæ poſtea excreſcunt longiora , Colchici Autumnalis lutei quadantenus : minora tamen paulò, & breuiora : cauliculus compreſſus ternas & quaternas vncias longus,floribus & ſtaminibus luteis faſtigiatus,præd.Colc.lutei ſimilib⁹, ſed minoribus.Bulbus Narciſſo Autumnali huius ſpeciei ſimilis, ſatis magnus pro Plantæ ratione. Hunc debemus D.Leet,inſigni Londinenſi negotiatori ; Conſtantinopoli à ſuis mercatoribus cum *aliis* rariſſimis bulbis tranſmiſſum.

## COLCHICVM PARVVM MONTANVM luteum,aliis Narciſſus.

NArciſſus Autumnalis alter ſiue minor [Cluſ. Hiſt.poſt.] Octobri menſe quemadmodum Perſicus, nudum è vaginula membranacea profert *florem* ſex oblongis & anguſtis foliis conſtantem, non æqualibus , nam exteriora paullò longiora & latiora ſunt,omnia autem mucronata foris flaueſcentia , interiùs flaua, ad maioris colorem magis accedentia,



flaua *ſtamina* medium florem occupát, odoratus eſt hic flos , ſolóque *pediculo* innitens , ſupra terram nó attollitur: flore iam marcido, emergere interdum incipiunt *folia* , vt plurimùm autem , ineunte Vere duntaxat , terna aut quaterna,plana,viridia, & ſplendentia inſtar foliorum maioris, ſed longè anguſtiora , & præter aliorum morem ſeſe contorquentia,& cincinnorum inſtar conuoluentia : *ſemen* plurimum ipſis tulit anno 1591.initiò Iunii in capitulis vncialibus,ferè trigonis , rotundum , nigrum,cui inhærebat albicans quædam & ſpongioſa ab vno latere materia : *radix* puſilla,nigrâ tunicâ tecta, inferioreque ſede tenuibus fibris firmata.Secundus hic Narciſſus poteſt dici Νάρκισσος ὀπωρινὸς ὁ μικρότερος. Mihi miſſus à Generoſo viro Carolo de Houchin Colchici lutei minoris nomine , à Iacobo Plateau verò Colchici montani minimi lutei appellatione.

Lobel.icon pl.p.148.Colchicum paruum montanum luteum D.Io. Monnel Teut.182.Item Aduerſ.par.2.de Narciſſo autumnali minore adhuc certatur & ambigitur,num referri debeat ad Colchici familiam aut Narciſſos.

Tabern. icon. Colchicum montanum luteum minus,Klein geel Berg zeitloſen/ & Hiſt.Colchicum 12.

C.Bauh. Phyt. Colchicum 14. montanum paruum luteum.

## NARCISSVS AVTVMNALIS minor & ſimiles plantæ.

VNicum *cauliculum* , digitalis longitudinis, gracilem , vacuum,habet hic Narciſſus, in cuius ſummo *florem* Narciſſinum odoratum , ſex foliolis albis conſtantem , & in medio exiguum calicem flauum continentem : flori ſuccedit exile

exile trigonum *caput*, exiguum, nigrum, anguloſumque *ſemen* continens: radix Narciſſo Iuncifolio valdè ſimilis, minor tamen, multis candidis tunicis, lentóque ſucco prægnantibus conſtās, ſed nigra quadam membranâ tecta. Tota planta amara eſt, vt ſuperiores Narciſſi, veréque dixit Plinius, odorato ſaporem rarò vlli non amarum.

Icon quam damus plantulæ à Cluſio deſcriptę figuram & magnitudinem affabrè ſanè exprimit.

Cluſ. hiſ. Narciſſus quartus ſiue autumnalis minor. Et poſt. hiſt Narciſſus ſerotinus ſiue Autumnalis minimus: Incolæ in Hiſpania *Tonnada* appellabant.



Plant. icon. pag. 122. Narciſſus autumnalis (vt & Dod. in fol.) paruus Cluſii Lob. 62. Teut. 158. Lobel. B. 158. Clein ſpa- de Narciſſen. C. Bauh. Phyt. Narciſſus 29. ſiue (cum Tabern. icone) autumnalis minor Cluſii.

Naſcitur plurimus ad Anam flumen in Turdalis, vbi (inquit Cluſius) florentem, & ſuis capitulis iam matureſcere incipientibus eruebam ſub Octobris finem, nullis è bulbo natis foliis, nec vlla eorum veſtigia obſeruans, quod ſanè mihi admirationi fuit. Quantùm intelligo per fratrem C. Bauhinum, qui communicauit, prouenit in monte Spiegel.

## SPARGANIVM PLACÆ NARCISSO ſimile flore albo Lilii.

SVpra Valentiam ſalebroſis & petroſis locis naſcitur quædam planta bulbacea, binis *foliis* prædita, humi ſtratis, longis, craſſiuſculis, ex viridi nigricantibus, Narciſſi maioris Autumnalis foliis ferè ſimilibus, ſed quibus interna parte ſecundum nerui medii longitudinem, alba quædā latiuſcula linea ducta eſt: *radix* bulboſa multis tunicis conſtans candicantibus & lenti viſcidiq; ſucci plenis, ingrati amaríque ſaporis, foris nigro cortice obductis. Etiam C. V. Ioan. Plaça Medicus Valentinus, pedalem caulem [nam radicem cum foliis dumtaxat, eruebam, ait Cluſ. Hiſp. & hiſt. poſtr.] læuem, aliquot in ſummo flores Lilii æmulos, candidos ferentem, habere, deinde rotunda *capitula*, in quibus exiguum *ſemen* contineretur, aſſerebat, & Sparganium vocabat.

Caſp. Bauhin. Phyt: Colchicum 12. ſiue Colchico luteo ſimilis (ſupple planta,) Sparganium Placæ Cluſio.

## TVLIPA SIVE LILIO NARCISSVS.

### Cap. IX.

BVlbaceas inter ſtirpes, recenſetur meritò peregrina illa planta, quæ ob inſignem in flore colorum varietatem, omnibus longè gratiſſima eſſe ſolet. Qua de re Io. Poſthius.

*Multiplici vincit florum genus omne colore*
*Huc vſque à Geticis Tulipa miſſa iugis.*

Hanc vulgus Tulipam, doctiores verò Lilionarciſſum appellant. Cùm autem non occurrat nobis, an aliquis de Tulipa verba fecerit, ante Doctiſſ. & diligentiſſimum Botanicum noſtrum Præceptorum Geſnerum, lubet hic ſubiicere, quæ in fine operum Cordi, de hac memoriæ prodidit. *Geſner. de Tulipa.*

Anno à Natiuitate Domini 1559. initiò Aprilis, Auguſtæ, in horto Magnifici viri Iohan. Henrici Heruuarti vidi inquit is, herbam hîc exhibitam, ortam è ſemine quod Byzantio (vel, vt alii, è Cappadocia) allatum erat. Florebat tum tēporis *flore* vno pulcherrimo rubente, magno, inſtar Lilii rubri, octonis condito foliis, quorum quatuor foris ſunt, & totidē *Deſcriptio*



intus, odore ſuauiſſimo, leni, & ſubtili, qui breui euaneſcit. Color interiùs pallidus eſt aut ſubflauus: & *ſtamina* tanquam Croci, in medio intercepta, ceu geniculo, ipſa quoque octona, ex quibus itidem alia exteriùs paulò ſunt, alia interiùs. Calix nullus. *Caulis* eſt circiter pedem altus. *Folia* in eo quaterna albicant, craſſiuſcula, ſolida, duos palmos (id eſt digitos octo) longi, Orcheon ferè foliorum figura, modicè recuruato margine (non adeò quidem vt pictura præ ſe fert, quam antea expreſſam amicus quidam ad nos miſit,) ex his tria inferiora maiuſcula ſunt: ſummum, paruulum. Maculæ nullæ dum erant, quas in adultioribus foliis apparere aiunt. *Radicem* non vidi: ſed aiunt eſſe bulboſam inſtar Hermodactyli ferè, vel Porri formâ & magnitudine, tertio anno florem producere: propagari de radice, bulbo puro adnaſcente, *ſemen* nullum proferre, ſiue naturâ, ſiue noſtri çœli culpâ. Turcico vocabulo *Tulipam* vocant aliqui. Sunt ex Turcis (*inquit Kentmannus,*) qui Tulipam dicunt nomen habere à flore, qui formam refert pileoli Dalmatici. Lilii rubentis genus [*pergit Geſner. h. rt.*] videtur etiam Tulipa Turcarum, cuius picturam, cùm ad virum quemdam Doctiſſ. miſiſſem is Cynorrhodon Plinii [vel vt ipſe legere mauult Crinorrhodon] eſſe putauit. Sed ita dictum à Plinio Lilium in Italia quoque naſcitur: Tulipa verò iſta (nam & alia quendam hoc nomine vocatur herba luteo flore) Italiæ (ni fallor) prorſus pe- *Tulipa. Lilium rubens Cynorrhodon. Crinorrhodon.*

*Satyrium Erytraicum Tulipa rubra Tulipa alba.*

regrina eſt,niſi in horto aliquo conſpiciatur.Cynorrhodi quidem Lilii Hyacinrho ſimilis Heſychius etiam meminit. Satyrium Erythraicum fortè eſt Tulipa à Turcis dicta: quam vidi Auguſtæ in horto Magnifici viri Io. Henrici Heruuarti,quanquam ſemen ferre negant. *Et hæc is de Tulipa.*

*Satyrium triphyllon*

Nos quidem Tulipam flore rubro, ſerere ſemina obſeruauimus, quæ non reſpondent ſeminibus Satyrii à Dioſc.traditi,ideò Satyrium Erythronium dicere non poſſumus: Tulipa tamen alba,multa habet quæ reſpōdent Satyrio triphyllo Dioſc. Suſpicamur præterea priorem Geſneri Tulipam eſſe inter Cluſianas,de quibus poſtea,præcocem rubram dictam, in eo tamen differt quòd Geſnerus tribuat flori octona folia: Cluſius autem tantùm ſex: Secunda fortè referenda eſt ad Bononienſem deinceps tradendam.

*Narciſſus 5 Matth. qui notatur*

Ineptè Matth. proponit quandam iconem ſine vlla deſcriptione ſub titulo Narciſſi 5. quæ ad Tulipam referenda videtur, in cuius caule folia octo ſpectantur, in flore ſex foliola, in epitome verò ſeptem in caule,quinque in flore.

*Lotus herba Homero. Alé Zempul Lotus Dioſ. Lotus*

Notatu digna ſunt quæ Guilland. in Theone de hac planta ſcripſit: De herba non arbore intellexit Homerus in Iliade 3. quando Iouem rem cum Iunone habuiſſe canit, terra ſubter Lotum, Crocum & Hyacinthum gignente. Ac an ea ſit Lotus quam Turcæ *Alé Zempul* vocant, Itali *Tulipa*,nomine barbaro & proinde peregrino, quærendum: quanquam parum referre Autumo,ſi vel

*Lobelii ſententia.*

pro vrbana vel ſilueſtri Dioſc. Loto capiatur. Verùm cùm Plinius tres laudaſſe flores annotet, Lotum, Crocum,& Hyacinthum,nec Lotorum,qui apud Dioſcoridem habentur flores, præſtanti forma commendabiles ſint, vix fieri poſſe

*Pytion Theoph.*

reor, Homerum de iis locutum. Cæterùm Lotus Aegyptia etſi flore conſtet pulcherrimo, nullum tamen hac parte locum occupat, vt pote quæ in ſicco naſci recuſet, Croco & Hyacintho nequaquam in aquis prouenientibus. Nec ſunt aquę ad coitum aptæ, fundum petente corpore. Suſpicari quis poſſet Tulipam [inquit Dodon. qui tres differentes ſpecies agnouit] πυτιῶνα eſſe Theophraſti, ſi edulis bulbus eſſet & cogendo efficax. Nam πυτιῶν quidem à Theophr. inter edules bulbos refertur & herba eſt, quà lac cogitur, vt ait Heſychius.

Geſnerus Tulipam Satyrium eſſe exiſtimauit, an autem conueniat & quantùm, ex Satyriorum deſcriptionibus relinquemus diligentiùs conſiderandum.

Dodonæi icon prior, eſt apud Cluſium pro Tulipa præcoce alba varia. Secunda autem eſt pro Tulipa præcoce rubra: in hiſt. flo. vnica erat icon, quæ à Lobelio exhibetur in Obſ. 2. loco, cui floris foliola non deſinunt in acutum.

*Anemone Limonia. Crinorrhodon Plinii. Satyrium*

Dodonæi ſuſpicioni ſubſcribit C. Bauh. dicens apud Matth. Licèt alii ad Anemonem Limoniam Theophraſti, alii ad Crinorrhodon Plinii: alii ad Satyrium Erythraicum referunt, videtur tamen ad πυτιῶνα Theoph. referenda. Geſnero Anemone Limonia.

*Lilionarciſſus purpuro Narciſſi Plenii Caſe, Lale. Zampul Foliorum numerus. Purpurea.*

Tradit Lobel. in obſ. Lilionarciſſi varietates quamplurimas, inquiens: an purpuro-Narciſſi Plinii, Turcarum *Caſe Lale*, *Zampul*? Omnibus Tulipæ ſiue Lilionarciſſi ſpeciebus foliorum numerus in caule pedali & ſeſquipedali, ternus, quaternus, quandoque quinarius, ſeptenus & octonarius: flores ſenis foliolis, interdum pluribus, quorum vngues flauent, calathum effigiantes, conſtant: quorum alii præcoces, alii autem ſerotini. 1. Flos ſex foliis obtuſis purpurei ſanguinei Lilionarciſſi conſtat: Radix item & caulis perſimilis, in quo quatuor, & nonnunquam plura, folia, liliaceis & porrinis media: interdum innatum bulbum in folio notauimus apud D. Io. van-der Dilf, cuiuſmodi in Moly Homerico. 2. Luculento pandente flore, ſupremis foliorum oris & fundo ad baſim luteis pallentibus, medium cingente ſanguineo ſubfuſco: calyculorum oris & media carina foris luteis: cætera cuncta ſanguineo fuſco exoleto ſimilia: medio intus ſtamine nigro, ſtaminibus croceis obducto. Semina, vti reliquorum, compreſſa in oblongo tripartito membraneo anguloſo folliculo; quæ itidem ſata colorum varias ſubeunt mutationes, & ſæpè degenerant, vt longo vſu diligentiſſimè animaduertit clariſſ. vir. D. Ioannes Boiſſot.

Eriophori vocati radix cepaceo inuolucro obducitur, molli ſericeo tomento farcto, caſtanearum ritu: flos vt reliquorum; ſed calathi fundus ſiue foliorum vngues atri & mediò lutei conſpiciuntur.

Luteo & medio pullo, fundo.

Maculoſo, medio fuſco folio.

Sanguineus toto calathi fundo pullo.

Vngue toto luteo.

Vngue pullo, triangulis luteis:

Flore odorato, aut inodoro.

Totus luteus maior Chalcedonicus, ſanguineo puniceo par, & ſimilis: odoratus Croci æmulatione & inodorus: præcox & ſerotinus aut pallidus.

Niueo candore & rubore confuſus coccineus.

Purpureus ſanguineus, puniceuſue obſoletus, candidioribus oris, carinam intercurſante albo rubore mixta diluta linea, imo ad baſin croceo vngue.

Purpureus coccineus, rubentibus oris, medio folio exteriore candicat, vnguis luteolus, ſummo, medio tenus coccineo luculento cruore.

Coccineus purpureus punicans, tribus exterioribus mucronatis foliis: internis verò retuſis.

Rubellus pandente flore in acutum modicè faſtigiato.

Rubidus candore mixtus, nitidus, niueis oris.

Niueus, extremis & ſummis rubidus oris, vndantibus in caule foliis.

Candidus, ſtriatis ſuauè rubentibus oris.

Parulus, rubidus, candicans.

Rubicundus, rutilans, luteola carina.

Sanguineo, puniceóue ſaturo liueſcens, ſummis candicantibus oris, expaſſus, folio latiore, mucronato.

Obſoleta purpura, ſummo albicans, purpurante medio.

Imo & ſummo luteus amœnus, medio coccineo, ſanguineo.

Luteus ſtriatis rubentibus oris.

Rubellus niueis oris ſtriatis.

Luteus hilaris oris phœniceis.

Niueus totus, fundo tantillùm luteo.

Luteus, phoeniceo confuſè mixtus.

Luteolus phœniceus, dilutus.

Luteus coccineis rubentibus oris,

Candore & rubore confuſis, Roſæ dehiſcentis pallidæ colore.

Luteo

Luteophoeniceus luteouirentibus oris; ſeptenis peramplis foliis.

Purpuroviolaceus.

Hactenus Lobelius apud quem hæc conſideranda. Folia Tuliparum nobis non videntur eſſe virore Liliaceo, nec ſeminis deſcriptio placet, quæ nec plurimùm differt ab Ariſtolochiæ prædictæ ſemine. Dodonæus dicit cartilaginoſum planum. Illud etiam perpendendum venit, quod ſcribunt de Tulipæ nomine aliter ac peritiſſ. ſtirpium Guillandinus: Nec hoc negligendum, tradi in Aduerſ. florem cum quinque foliolis, ac etiam iconem proponi in qua tantùm quinque foliola ſub titulo Lilionarciſſi purpurei: eam autem iconem in iconum l. Plant. iterum proponit hoc titulo, Lilionarciſſus ſanguineus puniceúſue. Teut. 152. In Adu. poſuit præterea alteram iconem ſub titulo Lilionarciſſi lutei, planè diuerſam, ac potiùs alicuius Narciſſi quam Tulipæ, ſi non eſt error typographicus:] de eis dicimus, quod ibidem paulò pòſt dicit aduerſum Matthiolum, pueros pueris pingere & illudere. De cæteris iconibus Lobelii in obſ. & in lib. ic. Plantini poſtea agemus.

Camer. apud Matthiol. in Epit. pro Narciſſo 5. Matthioli ponit deſcriptionem & pulchram iconem, quæ ſummè placet, & pro plurimis ſufficere videtur, ac ideò etiam à nobis propoſita: Tulipa peregrina, inquit etiam, & antè aliquot annos demum cognita apud nos planta, de facultatibus adhuc ambigitur. Helichryſum Crateuæ non adeò malè ad luteum quadrat, quamuis herbam non integrè deſcripſerit, ſed tantùm dicat florem eſſe ſimilem Croco, colore aureo. Tulipæ differentias quod attinet. Pręaliis floribus varietas eſt in *præcoci*: Præcox lutea vel planè aureo colore, vel pallido. Adhæc vel rubris maculis conſperſa, & alia maiore ex parte rubens. Item vel aureo fundo vel nigro. Semina etiam diſcrepant, quæ in nonnullis flaua ſunt, in aliis nigricant. Præcox rubra, eaque vel purpuraſcens, vel coccinea. Item purpuraſcens albis oris decota. Nec non dilutè rubens, vel incarnata, vnguibus vel inferioribus foliorum particulis candidis. Alba, ferè prima omnia florere ſolet, ſed & frigoris vehementiæ aliquando ſuccumbit, ſi non ſatis profundè intra terram abdatur. Eſt verò quædam penitùs candida, excepto fundo qui nonnihil flaueſcit: quædam diluta rubedine inficitur, & tertia violaceis maculis pulchrè diſtinguitur. Media ſiue Dubia, lutea, aurea, pallida: itémque conglobato flore, nō vt reliquarum patulo: & lutea media fuſca, purpureis ſtaminibus, & præter has, quæ virentibus ſtriis variatur. Denique nana ſiue pumilio flore aureo. Rubra coccinea, fundo flauo, nigro, ſubuirente, in cæruleum vergente. Eſt inter has quę nigrum fundum habet & foliorum in flore virentes apices. Præterea paruula admodum ſtrictis foliis colore ſaturo rubro. Incarnata, languidi coloris, nigricantibus ſtaminibus. *Serotina*. Hæc plerumque maxima eſt & pulcherrima, ſed minore colorum diuerſitate commendabilis. Lutea nimirum, aurea, pallida, itemque tenella ſtrictifolia interhaſce, latifolia quoque rurſum, eáque diclonos, nec non criſtata Papaueris modo, ſiue ἀκρογχιδὴς, id quod etiā in rubra admodū grandi notaui. Eſt & ſuaui rubore purpuraſcens, qualis in Pæonia colos. Tandem quæ Solis oculus vocatur, fundo nigro, quem circulus aureus ambit, reliqua floris parte eximiè rubicunda: cuius varietas etiam in odore habetur, qui in quadam planè Lilium conuallium dictum æmulatur. His pleriſque interdum accidit, vt proliferę ſint extra terram, id eſt, vt inter alas foliorū protrudant bulbum, qui ſenſim tabeſcente matris ſuperficie incrementum capeſſit, quemadmodum hoc à C. Cluſio in Pannonicis affabrè depingitur.

Cæterùm miratur Adrian. Spieg. inter Narciſſos relatum eum florem, quem vulgus peregrino vocabulo *Tulipanam* & *Dulipanum* vocat. Ipſi enim inter Lilii genera rectiùs videtur collocādus. Quo nomine Veteribus dicta ſit hæc planta, multi dubitant. Sunt tamen peritiores nonnulli, qui ad Satyrium Dioſcor. quibuſdam τρίφυλλον cognominatum referendum cenſeant, ad cuius ſanè deſcriptionem multis notis accedit.

*Satyrium tryphylon.*

Hactenus autem Tuliparum bulbi nobis [inquit Cluſius qui Liliaceam ſtirpem appellare videtur] Byzantio miſſi ſunt, præcocis quidem *Caſelale*. Serotinæ uerò *Canala lalé*: à locis nimirum vnde primùm Conſtantinopolim illati ſunt appellatione indita: *Caffa* vrbs eſt in peninſula Gazario dicta, quæ inter Propōtidem & Euxinū Pontū ſita eſt. *Canalla* verò in Macedonia vrbs maritima. Sunt qui Tulipam præſertim purpureum Coſmoſandalon eſſe velint, a Veteribus inter Coronarias herbas numeratum: Nos Tulipæ duo primaria genera obſeruauimus: *præcox* vnum, *ſerotinum* alterum, tametſi inueniantur quædam veluti dubiæ, quæ medio inter vtrumque genus tempore florere ſoleant, potiùs tamē inter ſerotinas habendæ, quàm inter præcoces.

*Locus.*

*Coſmoſandalon.*

Præcocior Tulipa vnicum fert caulem, pedalem maxima ex parte, interdum ampliorem, rotundū, virentem, & breui quadam incanáque lanugine aſperſum, non concauum, ſed firmâ medullâ plenum: hunc plerumque terna amplectuntur folia, nonnunquam quaterna & quina, inferiora lata admodum, vt etiam palmarem latitudinem explere viderim, & liliacea, longiora tamen, & craſſiora, carinata, ſupra terram ſeſe pandentia & contórquentia, ſuperiora autem minora, & anguſtiora, éaque vel propendentia & nutantia, aut interdum ſurrecta, omnia autem colore ex cæruleo virente aut æruginco, & veluti farina aſperſo. Summo cauli inſidet magnus flos, vnicus (geminos etiam aliquoties vidi, vel ſummo caule coniunctim naſcentes, vel bifido inhærentes) ſurſum ſpectans, ſex foliis vt plurimùm conſtans [tametſi ſeptenis & octonis conſpexerim] eiuſdem initiò cum caule coloris, & interdum ad terram ſeſe inflectens, illíque incumbens, vt colubri aut ſerpentis caput in terra decumbentis ementiatur, deinde paulatim ſeſe ſubleuans, & colorem mutans, atque tandem ſeſe explicans, & calathi Cyathiúe inſtar in fundo pandens, ex quo ſena aut totidem quot foliis conſtat, ſtamina prodeunt, modò lutea pallida, modò nigricantia, pediculis etiam quæ ſtamina ſuſtinent, mirum in modum variantibus. Excuſſo flore, ſuccedit membranaceum triangulare caput, ſatis magnū, oblongiuſculum, vel breuius ventréque magis prominulo, quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines ſeminis plani, cartilaginoſi, liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis interdum, alterâ tamen parte, quæ capitis centrum & interiōra pertingit, oblongiuſculi vt plurimùm, pallidi, fului, aut rubeſcentis, & ſi imbres frequentiores ceciderint, etiam fuſci. Radix bulbacea interdum, breuior eſt, nōnunquam oblongior, craſſa, inferiore ſede nouni-

*Tulipæ præcocis hiſt.*

hil prominente, vti Colchici radix ferè, fibris aliquot tenuibus donata, & foris fulueſcente, ſed magna ex parte nigricante, membrana obducta, quæ interna parte lanuginoſa eſt, Caſtanearum corticis inſtar, aliquando autem adeò denſo tomento plena, vt molliſſimè recubet bulbus, qui ſolidus eſt, firmus, & velut albumen oui coctũ candidus, guſtantique dulcis, ſaltem non ingratus. Summa autem in præcoce eſt coloris varietas: nec maiorem in vllo alio flore videre memini, niſi fortè in Papauere. Etenim aut omninò luteus eſt, aut ruber, aut albus, aut purpureus: interdum etiam bini vel plures ex his coloribus in eodem flore permixti conſpiciuntur. Non deſunt qui cærulei omninò coloris ſe vidiſſe aſſerant, mihi ſanè hactenus videre non contigit.

## TVLIPA PRÆCOX FLAVA.

*Deſcriptio* LVtea Tulipa vel ad auri fulgorem accedit [pergit Cluſ. in hiſt. poſt.] aut pallet, foliorum autem vngues plerumque aurei ſunt, licet etiam habuerim veluti fuligine aſperſos: odor quaſi Ceræ recentis, ſine etiam Croci, interdum nullus, vel admodum imbecillus.

*Tulipa flaua.* Hic notandum à Cluſio poni in poſtr. hiſt. iconem quæ non erat in Pannonicis, aliam iconem habet pro Tulipa flaua ſiue lutea quam ponit poſtea pro Tulipa præcoce alba, vt iterum monebimus. Quę verò hoc loco proponitur in poſt. hiſt. pro lutea ponitur: ea eſt in libro Iconum Plantini delineata hoc titulo p. 130. *Lilionarciſſus albus.* Lilionarciſſus albus paruus & patulus, medio iuxta carinam rubellus nitens, Lob. Teut. 166. An Schvven. in cat. Sileſ. Tulipa lutea 1. Ανεμώνη λημωνία Theoph. Narciſſus 6. Matthiol. Geeler Tulipan, Gelbe Turckiſche Nareiſſen. Plures ſunt nobis Matthioli impreſſiones, verùm in nulla inuenimus iconem Tulipæ luteæ.



Habeo in horto E.C. Tulipam luteam præcocem, quæ pallet, vngues aurei parui florum, folia quina in cuſpidem deſinunt, floret principio Aprilis.

## TVLIPA PRÆCOX RVBRA.

RVbræ Tulipæ color nunc ſaturatior eſt, modò dilutior, & gratiſſimi aſpectus, interdum etiam inelegans, & obſoletus: *foliorum* vngues uel lutei omninò, aut tanquam leui quadam fuligine in luteo aſperſi, in quibuſdam nigra macula medium vnguem luteum tantummodò inficit, in aliis totum ferè ita occupat, vt nihil niſi lutea quædam linea nigrum vnguem ambiens conſpiciatur: interdum adeò magni ſunt iſti *vngues*, vt dimidiam folii partem occupent. Huius verò odor alias gratus eſt inſtar Mali aurei, magna verò ex parte valde obſcurus, vel Papaueris virus quodammodò referens. Hæc Cluſius hiſt. poſt. D



Cluſ. in Pānon. & Hiſp. eandem iconem habebat. Icon eadem erat apud Plātinum p. 126. hoc titulo Lilionarciſſus purpupureus ſāguineus puniceuſue quintus Lobel. 65. Teut. 162. Hiſt. Lugd. ponit pro Tulipa maiore Cluſii quam ſcribit eſſe Narciſſum quintum apud Matth. Idem ſentit C. Bauh. qui pro icone Matth, ponit ſimilem iconem Cluſianæ. Camerarius in hiſt. Germ. & in Epit. nouam iconē ponit Tulipæ nomine. Schvven. Tulipa præcox rubra. Narciſſus 5. Matth. Roter Turckiſcher Tulipan.

Tulipam rubram primùm vidi Montbelgardi in horto Ill. mei Principis allatam ex Italia, pulcherrimus ſanè flos omnibus admirandus, ex rubro fuſcus cum vnguibus luteis quotidie ſe expandens & recludens, multis diebus integer remanſit mēſe Aprili. Caſp. Bauh. attulit bulbum, ſis non ſe propagauit, & tandem periit.

## TVLIPA PRACOX ALBA.

TVlipæ albæ flos omninò candidus eſt, niſi tria exteriora folia dorſo cineracei vel interdum etiam cærulei quidpiam coloris admiſtum habere viderentur: vngues lutei, nonnunquam veluti fuligine aſperſi, apices & ſtamina pallent. Habui (inquit Cluſius) quibus E vngues prorſus albi eſſēt, apices nigricantes. Iam antè monuimus iconem hoc loco poſitam, in Pann. olim locatam à Cluſio ſub titulo Tulipę præcocis luteæ, erit fortè ex prædicto loco transferenda



rendæ dicta flaua ſiue lutea & quæ hic alba dicitur eò releganda: nobis tamen nouus inde oritur ſcrupulus quòd in Iconibus Plantini pag.128. hæc eadem ſit icon ſub hac inſcriptione Lilio-Narciſſus ſanguineus puniceúſue obſoletus tribus exterioribus mucronatis foliis, internis verò retuſis Lob.67. Teut.165. ſanè icon non reſpondet titulo : interna folia non apparent in icone retuſa. Tulipa alba præcox in horto Ill.E.C.W. multis annis durauit non ſe propagans, ad hâc fortè potiſſimùm referendus Narciſſus Matthioli 5. Lob. etiam in Obſ. meminit Lilionarciſſi præcocis niuei.

## TVLIPA PRÆCOX PVRPVREA.

PVrpurea Tulipa aliàs ſaturatior eſt, & violaceum, ſiue amæthyſtinum colorem habet, aliàs Pæoniæ floris æmula, nonnunquam dilutior, & Damaſcenam ſiue Prouincialem (quam eruditiores Præneſtinam vocant) roſam colore referens: interdum verò adeò diluta, vt albeſcere videatur, aliquando ex purpura nigricat & obſoletior eſt: omnium autem vngues cum apicibus aut pallent, aut lutei ſunt coloris, tametſi nigros etiam apices habeant nonnullæ, & pediculos eas ſuſtinentes quadam veluti fuligine infectos. Inuenitur & odora, & inodora.



Facere verò non poteſt, quin hic adiiciat Cluſius, quæ circa ſimplices has, & vnius coloris Tulipas obſeruauit. Habuit enim anno 1585. & aliquot ſubſequentibus, cuius flos cùm præcedentibus annis elegans ruber fuiſſet, poſtea variè commixtus ex rubro & flauo inter ſe confuſis coloribus, modò flauo medium quaſi folium occupante, modò rubro, vel vtroque radiatim per oras diſcurrente, fuerit. Similiter flauam quæ flauum, & rubrum: & purpuream quæ album & purpureum colores variè inter ſe commixtos, & radiatim folia ſecantes habuerint. At illud etiam obſeruabat, quotquot ſic natiuum colorem mutarunt, ſubinde corrumpi ſolitas, voluiſſe tamen antè, hac colorum varietate heri ſui oculos oblectare, tamquam ipſi extremum vale dicturæ. Quam hîc iconem ponit Cluſius pro Tulipa præcoce purpurea, apud icones Plantini p.129. poſita eſt pro Lilio-Narciſſo purpuro violaceo Lob.67. T.165. In Pann. hiſt. aliam iconem habebat Cluſius pro Tulipa præcoce purpurea, quæ in lib. Ic. Plant. ita inſcribitur, Lilio-Narciſſus ſanguineus puniceúſue 8. Lobel. 66. Teut.163.. Schvvench. Tulipa purpurea præcox, leibfarbner Turckiſcher Tulipan.

## TVLIPÆ PRÆCOCES VARIÆ.

TVlipa varia adeò multiplex eſt, vt difficilè ſit omnes eius differentias verbis exprimere. Nam cuiuſcunque tandem præcocis Tulipæ ſemina excuſſa, & tellure ſepulta germinent, non omnia retinent natiuum matris colorem, in varios colores transformant flores, præſertim Albæ, cuius ſemine prognatas plantas inſignem colorum varietatem præ reliquis nanciſci, experientiâ & diligenti obſeruatione didicit Cluſius. Semina enim in eodem capite nata, à ſemetipſo collecta, eodémque ferè momento terræ Autumno commiſſa [quo tempore, non verno, ſerenda ſunt omnium bulbacearum & tuberoſarum ſemina, vt feliciter proueniant, vel etiam maturiùs, cùm ſpontè defluant] plantulas proximo ſubſequente vere produxerunt, quæ poſt quintum, ſextum, ſeptimum, imò etiam [vt aliæ aliis faciliùs adoleſcunt,] octauum, nonum, & decimum annum flores protulerunt, eoſque aut omninò albos & matrem referentes, aut albos varios, vel purpureos, ac purpureos varios, quorum videlicet purpurea folia albis oris ornata fuêre. Quantùm ad Flauas aut Rubras attinet, pleræq; proles matris colorem retinent : ſæpè etiam in alium commutant.

## TVLIPA PRAECOX LVTEA VARIA.

LVteæ variæ Tulipæ flos explicatus, nonnunquam primis diebus totus luteus apparet, quarto deinde, aut quinto demum die, illius folia rubris virgulis, extrinſecus leuiter per oras diſtinguuntur, interiore parte omninò lutea remanente, præſertim tria externa, & vnguem nonnunquam habent veluti fuligine tinctum, apices interdum luteos, & pediculos eos ſuſtinentes fuſcos. Interdum externa floris folia circa mediũ raris rubris radiis inſignita ſunt, interiora autem frequentioribus, & ad extremum vſque folium ferè excurrẽtibus, atque aureos vngues: pallida ſtamina habent. Nonnunquam exteriorum foliorum oræ foris plane rubent, interiùs à medio ad extremas oras rubris virgulis diſtinguuntur: interiora folia externè omninò rubent, internè autem à medio ad ſummum, rubrum neruum protenſum habẽt: latera verò rubentibus radiis exornata. Sunt etiam quorum exteriora folia dorſo omninò luteo ſunt, per oras verò, dilutioris cinnabaris colore virgatim diſtincta, interiore parte ad vnguem vſque cinnabaris color tota occupat: interiora autem folia



cinnabaris etiam colore omninò infecta conſpiciuntur, niſi duplex neruus luteus ſecundum longitudinem, & luteæ virgulæ in extremas oras excurrerent, illius apices nigricant, pediculi eos ſuſtinentes lutei, nonullâ tamen fuligine infecti, vngues aurei, magni, ſtamina quodammodò ſuperant. Aliorum exteriora tria folia mucronata & lutea ſunt, præter oras, quæ purpurâ rubeſcéte radiatim intercurſante inſigniuntur, deinde extremæ oræ luteæ ſunt, interna parte circiter medium folium, frequentes rubri coloris radios habent: interiora folia, orbiculato mucrone prædita ab infimo ad ſummum oblongis rubris lineis diſtinguuntur, præter extremas oras quæ luteæ ſunt, interior pars minùs radiata quàm exterior, vngues magni lutei, quemadmodum ſtamina cum ſuis apicibus, hi odorati. Eſt & cuius folia extremam cuſpidem orbiculatam habent, foris omninò aurea, luteis oris: intus autem omninò lutea, aurei ſiue potiùs rubri coloris, flauo permixti, linea radiatim medium folium, tranſuerſimque ſecante: pediculi lutei ſunt, apices cineracei: aliquantulùm odoratus eſt. Cuius item folia orbiculatæ prorſus ſunt mucrone, dorſo in extremum vſque mucronem luteo, oris latis, ex aureo rubris, vnguibus luteis dimidium folium occupantibus, ſtaminibus & apicibus luteis: nonnihil etiam odorus. Alii ſimiliter huic pares, ſed dilutiore colore præditi, ſtaminibus & apicibus duntaxat variantibus: ſed nec hi odore carent.

Icon à Cluſ. propoſita iam olim exhibita erat in Pannonicis ſub eodem titulo: eodem lib. icon. Plantini reperitur p.135. cum hac nomenclatura Lilio-Narciſſus luteus coccineus rubentibus oris Lob.67. Teut.167.

## TVLIPA PRÆCOX RVBRA VARIA.



Deſcriptio

TVLIPÆ præcocis rubræ variæ flos, exteriora folia magna ex parte mucronata habet, interiora orbiculata. Aliquando autem vtraque magnis oris auri fulgore ſplendétibus, ſunt prædita, magnis vnguibus luteis, apicibus vel nigris vel obſoletè purpura tinctis & ſtaminibus ea ſuſtinentibus plerumque velut fuligine infectis: huius flos ſatis odoratus eſt. Interdum exteriora folia luteas oras foris habent, interiùs autem dilutiùs rubent, & quaſi radiatim in luteas oras ſatis latas rubedo deſinit: interiora verò ſimiliter rubent, ſed latiores oras habent, rubro colore, radiatim vt in exterioribus deſinente, vngues luteos, ſtamina cineracei coloris: & iſtius flos nonnihil odoratus. Nonnunquam dilutiore minii colore rubent vtraque folia, mediocres oras habentia, foris minii colore interiora folia ferè tota occupante, virgatim tamen in oras luteas deſinente, magnis vnguibus flauis, apicibus cineraceis, pediculis ea ſuſtinentibus luteis, flos vtcunque etiam odoratus. Aliorum exteriora folia, medio dorſo luteo ſanguineis virgulis diſtincta ſunt, reliquâ parte rubrâ, oris tamen luteis: interiora omninò ferè rubra, ſed rubro colore radiatim in aureas oras deſinente, interiore parte totâ propemodum luteâ, niſi circa medium folium rubris radiis diſtinguerentur, vngues cum pediculis luteis, apices nigri. Quorundam folia omnia mucronata, externè dorſo lutei coloris, reliquâ parte ſanguinei, præter oras quæ luteæ ſunt, internè ſanguineis radiis tota reſperſa, extremis tamé oris luteis: interiora foris ſanguinis modo omninò rubent, luteæ ſeu flauæ oræ ſunt, coloribus tamen ſeſe inuicem commiſcentibus, internâ parte omninò flaua ſunt, niſi circa medium crebrioribus ſanguineis radiis inſtar orbis quodammodò inſignita eſſent: vngues, ſtamina, & apices cum ſuperiore genere conueniunt. Sunt aliorum etiã omnia folia mucronata, oris aureis reliqua parte rubris: præter exteriorum foliorum dorſa, quæ aureis quibuſdam virgulis aſperſa ſunt, omnium vngues lutei radiatim in rubro cómixti, pediculi lutei, apices nigri. Nonnullorum externa folia mucronata, interna orbiculata, tota rubra, exceptis oris, quæ aurei coloris ſunt radiatim in rubro deſinentis: exteriora verò folia ſaturatiora ſunt, omnia tamen interiore parte magis aurea ſunt, vngues, ſtamina, pediculi, cum præcedente conueniunt: omnium iſtorum flores ſatis odorati. Inuenitur etiam cuius folia paruas oras aureas habent, elegantiſſimo rubro colore reliqua occupante, vngues flauos, ſtamina veluti fuligine tincta, apices obſoletè purpureos. *Hæc Cluſius.*

Cluſius icones duas ſuas ſub eodem titulo poſuerat in Pann. quanquam antè in lib. icon. Plant. p.133. ſint poſitæ cum his titulis, integra planta pro Lilio-Narciſſo luteolis auerſa parte foliis ſecundum ora ſtriis rubris decorato, intus verò luteo amœno: plantæ non integræ titulus, Lilio-Narciſſus luteus hilaris, oris rubris, ſtriatis, carina ſubuiridi: Teut.167.

## TVLIPA PRÆCOX ALBA VARIA.



De

TVLIPA præcox alba varia aut omnia folia extremâ parte mucronata habet, aut tria duntaxat exteriora, ſed interiora orbiculata. In nonnullis externa folia ad extremũ vſque omninò ferè alba ſunt, exceptis oris quæ elegantis & dilutè admodum purpuraſcentis, ſiue carnei, vt ita dicam, colo-

coloris ſunt : interiora verò magis purpuraſcunt, vngues lutei, deinde exalbidi, ſtamina cum ſuis apicibus flaua. In quibuſdam exteriora folia exalbido ſunt dorſo purpureis virgulis aſperſo, reliquâ parte purpuraſcente aut incarnatâ : interiora folia omninò purpurea ſunt, vngues ſtellatim flaui, deinde albi, apices lutei, pediculi eos ſuſtinentes veluti fuligine aſperſi. Aliorum externa folia albo etiam ſũt dorſo, pluribus purpureis punctis diſtincto, interiore parte diluriore purpurâ nitent: tria interna folia ſaturatioris ſunt purpuræ quã in ſuperiore, vngues flaui radiati ſtellæ inſtar, apices nigri, fuſci pediculi. Interdum externa folia magnas oras carneo colore præditas habent, reliquâ parte alba : interiora verò quaſi carnei ſunt coloris. Nonnunquam externa folia palleſcenre ſunt dorſo, alias omninò alba, præter oras quæ foris breuibus & raris purpuraſcentibus radiis exornantur: interiora tota alba ſunt. Quorundam exteriora folia dorſo & extremo mucrone pallent, alioqui candida omninò, oræ interiore parte paucis purpuraſcentibus radiis diſtinguuntur: interiora folia à medio ferè ad extremas oras purpuraſcentibus radiis foris aſperſa ſunt, intus verò omninò alba, præter oras quæ rarioribus virgulis diſtinctæ ſunt. Aliquãdo externa tria folia prorſus alba ſunt : interiora autem oras nunc paucis, modò multis purpuraſcentibus ſiue carnei coloris virgulis diſtinctas habent : omnium vngues flaui ſunt, apices & pediculi pallent. Inuenitur etiam cuius omnia folia coloribus quidem albo & carneo permixtis prædita ſunt, ſed qui cineraceum carneo colori temerè perfuſum referant, vel ſimilis planè coloris cum tenuiore illo ſericeo panno carnei coloris, cuius ſubtegmen album eſt, Germani Silberfarb/hoc eſt, argenteum colorem vocant : huius vngues exalbidi, apices obſoletè purpuraſcentes, pediculi albi ſunt.

Lobel. Icon. Pl. pag. 127. eadem eſt figura cum Cluſiana [ quam etiam in Pannonicis habebat ] cui titulus eſt Lilio-Narciſſus coccineus, rubentibus oris, mediis foliis candicans, & ad baſim notulis rubris cordis effigie, aſperſis, Lobel. 67. Teut. 155.

---

## TVLIPA PRÆCOX PVRPVREA VARIA.

PVrpureæ Tulipæ variæ flos magnâ ex parte omnia folia mucronata habet, interdum tamen externa duntaxat mucronata ſunt, interiora autem orbiculato & obtuſo mucrone prædita: eſt etiam cuius omnia folia orbiculatum habent mucronem, vt ex ſingulorum deſcriptione videre licebit. Nonnunquam igitur omnia folia mucronata Pæoniæ polyphyllo, & pleno flore, purpureum colorem imitantur, oráſque habent ex albo purpuraſcentes, vngues, ex luteo viridíq; coloribus, ſimul quodammodo permixtis, ſubobſcuros, exalbido orbe radiatim eos ambiente, pediculos flauos, ſed veluti fuligine infectos apices nigros : illius flores magni ſunt & admodum paruli. Mucronata etiam ſingula folia, foris vt plurimùm purpurea ſunt, interiùs mediâ parte carnei coloris, oris ex albo palleſcentibus, vnguibus, ſtaminibus, & apicibus flauis ſiue luteis. Interdum omnia folia mucronata, foris & intus purpurea ſunt omninò, extremaſque oras albas habent, vngues luteos albo orbe circundatos, apices obſoletè purpuraſcentes initiò, deinde vbi obuerſi ſunt ( ſolent enim omnes bulbacei generis florũ apices explicante ſeſe flore ſe aperire & inuertere ) flauo polline aſperſos, flauos pediculos. Aliorum ſingula folia etiam mucronata, & ſaturatiore purpureo colore prædita, omniũ oræ exalbidæ, vngues albi, in imo tamen flaui, apices & ſtamina pallida. In quibuſdam omnia ſimiliter folia mucronata, ſed color purpureus dilutior, magíſque floridus, orę exalbidæ, vngues ex viridi pallentes, pediculi nigricantes, apices pallidi: odoratus eſt plerumque iſtarum Tuliparum flos, reliquarum inodorus, vt etiam ſubſequentium. Reperiuntur quorum omnia folia



mucronata, obſcurioris purpuræ & quaſi amethiſtinæ colore prædita ſunt, magnis autẽ oris albis, vnguibus, ſtaminibus & apicibus flauis. Quorundam contrà florũ ſingula folia orbiculatis ſunt oris, iíſq; magnis & albis, reliquâ parte ſaturatiore, nitentéque purpureo colore prædita, flauos vngues ãbit albus orbis, cineracei apices, flaui pediculi. Nonnullorum interiora folia aliquantulùm orbiculata, dilutiore purpureo colore ſplendent: interiore parte tota ferè alba ſunt, omnium oræ magnæ, albæ, vngues, ſtamina & apices flaui coloris. Reperitur etiam cuius externa folia mucronata & reflexa, exteriore parte obſcurioris purpuræ colore prædita ſunt, interiora verò orbiculata & dilutiùs purpuraſcentia, vtraque autem in magnas albas oras deſinentia, & interiore parte veluti purpureum orbem, totum florem per medium ambientem habẽtia, luteos & flauos vngues albo orbe incluſos, apices obſoletè purpuraſcentes, flauos pediculos. Eſt præterea cuius omnia folia mucronata, & tria externa foris purpurea, omnia autẽ magnis oris albis prædita, interioréque parte omninò alba, niſi mediã eorum partem veluti purpureus orbis ſecaret & varium faceret, eius vngues flauos ambit albus circulus, ſtamina cum apicibus pallent

Sed antequam finem huic capiti imponam (ait Cluſius ) adiicienda putaui, quæ circa Tulipas, ſemine Conſtantinopoli miſſo natas, obſeruabam. Magnum ſeminis illarum cumulum acceperat Ill. vir Augerius de Busbeque cum pleriſque bulbaceis ſtirpibus eo anno quo Viennam veni : hæc, cùm ſequente ãno in Galliã proficiſceretur, mihi reliquit: ea verò demum ãnis 1574. & ſequente 1575. confertim [ quòd vetuſta eſſent, & vieta, víxque naſcitura exiſtimarem ] terræ mandaui. Ex his tamen ingens Tuliparum numerus prognatus eſt, quarum nonnullæ quintò, ſexto, atque etiam ſequentibus annis flores ru-

lerunt inſigni colorum varietate commendabiles. Nam flauos omninò, rubros, albos, & purpureos, vel ex his coloribus inter ſe commixtis, hoc eſt flauam variam, rubram variam, albam variam, purpuream variam, nactus ſum præcoces: ſed inter illas etiam fuerunt, qui diligentiùs obſeruanti, potiùs ad Dubiarum vel Serotinarum Tuliparum claſſem referendi videntur, quàm Præcocium: nam licet æquali cum præcocibus, magnitudine nonnullæ aſſurgant, eodem tamen cum Dubiis, ſiue ſerotinis, tempore florere animaduerti: de iis autem ſuis capitibus. Tulipæ Byzantinæ genus alterum flore bino, rubeſcente & vario, miſſum cum hac inſcriptione *Lalè de duoi fiori*, habet etiam Cluſius, Præcocium ſic concludens tractationem. Hæc ſunt quæ de Præcocium Tuliparum varietate commentare libuit, nec me fugit, quin plures aliæ differétiæ tradi potuiſſent, ſed eiuſmodi, quas ad iã enumeratas, tanquã primarias reduci, atque comprehendi ſub illis poſſe exiſtimo.

Lobel.ic.Pl.p.129. habebat eandem cum Cluſio iconem ſub titulo Lilio-Narciſſi rubelli nitidi, candidis oris Lob.67. Teut.166. Ipſe etiam Cluſ. habuit in Pannonicis.

## TVLIPA PRÆCOX AMETHYSTINA varia.

Deſcriptio



AD præcoces purpureas varias Cluſii nobis videtur referéda præcox noſtra Amethyſtina varia cui Bulbus, cuius folia Amethyſtino colóre & ſaturatiore quadam purpura tinctus, albis hinc inde maculis conſperſa. Oræ pulchrè variant, ſed dilutiores vbique, in extremo etiam ferè candicát, verſus quod purpureæ ſtriæ excurrunt, quoddam quaſi ſtamen repræſentantes. Vngues ſpecioſi aurei, ad tertiam folii partem ſtrias flauas quoque, aureoque nitore ſplendentes, emittunt. Apices flaui, ſtilus vt in aliis triquetrus.

Locus & tempus.

Aprilis initio floruit in hortulo Duciſſæ Wirtemb. quem colit elegantiſſimum in Caſtro Mõtbelgardenſi.

## TVLIPÆ SEROTINÆ.

SErotina Tulipa, maiore eſt amplitudine, cubitalem enim & tripedalem interdum habet caulem, firmiorem, craſſiorem, rotundum, fungoſa materie plenum, & breui etiam incanaque veluti lanugine, ſiue efflorеſcentiâ quadam aſperſum: hunc alternatim amplectuntur quaterna plerumque folia, nonnunquam quina & ſena, carinata, firmiora, quàm in Præcoce, vt plurimùm erecta, non nutantia aut ad terram inflexa, atque oris interdum adeò reflexis, vt ſinuoſa videantur, aliquando omnia æqualia. Summo cauli, qui pedali vel maiore plerumque, imò cubitali etiam nonnunquã lõgitudine, nudus ſupra folia eminet, vnicus inſidet flos magnus & oblongus, cyathi modo concauus ſex foliis conſtans, extremo apice omninò mucronato vel orbiculato, aut tribus exterioribus duntaxat mucronatis, interioribus orbiculatis, vt in Præcoce, & è contra: caput in illa triangulare, membranaceum, craſſius vtplurimùm, & prominulo ventre, quo à ſummo dehiſcente, ſex ordines ſeminis plani, cartilaginoſi, fului, aut rubeſcentis, maioriſque quàm in Præcoce conſpiciuntur: radix præcoci ſimilis, longiore tamen maioreque bulbo conſtat, plerũque in reliquis cum illa conueniens.

*Tulipa ſerotina πολύκλωνος minor.*



*Tulipa Serot. πολυκλαδὴς maior.*



Tametſi autem hęc Tulipa non ſecus ac præcox vnico vtplurimùm conſtet caule, cum tamen interdum πολύκλωνον & ramoſum habet: nam natæ mihi ſunt rubro flore atque etiam flauo præditæ, quibus ex infimi folii ala alter nudus & pedalis ramus, gracilior tamen, & ad ſummi folii exortum tertius, craſſitudine primarium caulem propemodum æquans, eademque altitudine nudus excreſcens, adnaſceretur, ſinguli etiam ſuum florem ſuſtinentes: interdum quaterni, quini, & plures, frequentiùs vero accidit vt vnico ramo donetur, quàm binis aut pluribus. In hac porrò tam inſignem colorum varietatem non deprehendi, ſed flauas duntaxat, vel ad auri colorem inclinantes, & rubras, vnguibus plerumque nigris, orbe aureo cinctis, eaſque vel odorato, vel inodoro flore.

Habebat Cluſius in Pannonicis iconem Tulipæ

pæ polyclonos minoris. Schvvenckf. Catal. Sileſ. Tulipa lutea 2. Tulipa lutea polyanthos, Geler Tulipan mit violen blumen.

## TVLIPA SEROTINA FLAVA CVI quatuor folia in caule.



TVlipa ſerotina flaua eiuſdem ferè coloris eſt cum Præcoce, hoc eſt, dilutioris & quodammodò flaui, vel palleſcentis, vel intenſioris, & quaſi auri modo rutilantis, vidi etiam cuius foliorum oræ ſanguineis guttis aſperſæ eſſent: foliorum vngues plerumque ceræ recentis colorem referunt, interdum nigricantibus quibuſdam venis diſtincti conſpiciuntur, vel nigrâ maculâ notati: apices cum pediculis vel flaui ſunt coloris, aut cineracei, vel fuligine quadam infecti, aut omninò nigri.

Apud Lobelium Obſ. p.66.& in I.icon.Plant. p.135. Figura eſt eadem cum Cluſiana, cui titulus: Tulipan ſiue Lilio-Narciſſus Latifolius obtuſus, phœniceis rubentibus oris Lobel. 66. Teut. 189. Hiſt. Lugd. Tulipa ſiue Lilionarciſſus luteus latifolius.

## TVLIPA SEROTINA RVBRA.

RVbræ ſerotinæ Tulipæ color plerumque ſaturatior eſt, & quaſi nigricat, interdum dilutior & perelegans: foliorum vngues aut omninò flaui ſunt, quales in quibuſdam præcocibus, aut omninò nigri, qui Sole illuſtrati cæruleum quidpiam permixtum habere videntur, vel maculâ nigrâ nunc minore, modò maiore [eâque tenui orbe aureo incluſa, vt oculum quodammodò exprimere videatur, quâ de cauſâ à nonnullis *Occhio di Sole*, hoc eſt, Solis oculus cognominatur] flauum inficiente, nonnunquam etiam totum ferè occupante: apices cum pediculis vel omninò flaui ſunt, vel nigri, interdum apices cinerei coloris, & pediculi flaui. Cæterùm harum Serotinarum Tuliparum quæ vel flaui, vel rubri coloris flore præditæ ſunt, nullæ hactenus varietatem in ſatione Cluſio pepererunt, niſi quòd interdum ex rubræ ſemine, flauæ: contrà ex flauæ ſemine, rubræ, natæ ſunt, vnguibus ſæpenumerò variantibus.

## TVLIPA COCCINEA HOLOSERICEA.

TVlipa Coccinea, per terram ſpargit folia lata, longa, carinata, & crebro flexu reflexaque pulchrè vndulata, colore glauca, alia è caule orta repāda, non ita vndulata: caulis teres, vireſcens, florem ſuſtinet vnicum omnes coccinas amœnitate ſuperantem, foliis ſurrectis calathum effigiantibus coccineo colore tinctis, tribus tamen exterioribus externa parte minùs hilaribus, atque his quidem foris vngues luteoli, intus nigri ſulco croceo ambiti: interioribus, tam extrà quàm intus vngues nigri ſulco ſimiliter croceo circumſcripti: in fundo latent tres apices breues nigri, ex duarum mēbranarum quaſi coitu ſeu cohæſu compoſiti, pulviſculo atropurpureo conſperſi, quorum mediū occupat ſtilus longior triquetrus ex luteo vireſcens, capite triplo latiore, fimbriis multiplici implexu criſpis compactili, florens Aprili in horto Ill.E.C.

## TVLIPA DVBIA.

TVlipæ medio inter præcocem & ſerotinam tempore florentes, videlicet quæ marceſcente præcocium flore ſuos explicant, & ſerotinis florere incipientibus iam ſeneſcunt, imò interdum cum illis etiam florent: *Dubiæ* quodammodò appellari poſſunt, cùm vtriuſque generis naturam referant. Deſcriptio

*Tulipa dubia 1. maior.*



*Tulipa dubia 1. maior altera.*



Sunt verò inter eas nonnullæ, quarum flores & ipſa planta ſerotinarum magnitudinem æquant: aliæ quæ prococes non ſuperant, nec illis formâ ſunt abſimiles, & illæ quidem vel ampliſſimis floribus præditæ, vel præcoce non maioribus: ſunt etiam quædā præcocibus humiliores. Singularum autem differētias quàmdiu lucidè poterimus hîc explicabimus, earū videlicet quæ nobis ſunt cōſpectæ: nam quis reliquarum infinitam varietatem verbis exprimere queat?

*Dubia maior. Pallidus flos.*

Dubiæ igitur maiores, florem non minùs amplum habent quàm ſerotinæ. Illum autem vel pallidum admodum, vel flauum, omnibus foliis mucronatis, & vnguibus flauis inſtar Ceræ recentis.

*Flaua orbiculatis oris flos*

Inuenitur etiam cuius omnia folia omninò flaua, extremas oras orbicularas habent, ad præmaturi aurei Mali colorem accedentes: ſtamina cum apicibus flaua ſunt, illius flos odoratus.

*Aurea.*

Alia item cuius color omninò aureus, externa deinde folia flauo dorſo prædita, oras dilutioris cinnabaris colore radiatim diſtinctas adquirunt: interiora verò folia cinnabaris etiam colorem, atque inſuper binos luteos neruos ſecundum longitudinem, & flauos radiolos in latera excurrentes: vngues huius magni, flaui, altitudinem ſuperant apicum, qui nigri ſunt, pediculi flaui, ſed fuligine infecti.

*Flaua cum rubris venis.*

Nonnunquam omnia folia orbiculato mucrone prædita flaui coloris ſunt, rubris venis ſecundum eorum longitudinem excurrentibus, nunc tenuibus, modò craſſioribus, atque etiam totum dimidium folium interdum inficientibus.

Sunt quibus flores dilutiùs rubent, & cinnabaris colorem quodammodò referunt, omnium foliorum extremis oris mucronatis; vel ſaturiores ſunt, & quodammodò nigricant, exterioribus foliis mucronatis, interioribus orbiculatis: vnguibus flauis, magnis vel paruis, nonnunquam veluti fuligine aſperſis, vel in omnibus foliis, vel in exterioribus duntaxat: apices modò flaui & leuiter nigricantes.

*Alba exoleta.*

Aliarum flores ſunt coloris albi, exoleti, qui ὠχρόλευκος dici queat; nam folia ex albo palleſcunt, eorumque dorſum flaueſcit: interiora folia orbiculata, vngues & apices pallent.

*Orbiculata carnea.*

Nonnullarum flores omnia folia habent extremo mucrone orbiculata, dilutiſſimi purpurei coloris, & quodammodò carnei, maximos vngues albos, quà capiti adhærent flaueſcentes, cum ſtaminibus & apicibus.

*Rubeſcens.*

Quarundam paullò ſaturatiùs purpuraſcunt, & aliquarum prædulcium præcociorumque rubeſcentium vuarum quas Germani Tremmer/ Auſtriaci Muſcateller appellant, colorem referunt: interiora folia orbiculata, vngues cum apicibus flaueſcunt.

*Saturè purpurea.*

Reperiuntur item quarum flores ſaturæ admodum ſunt purpuræ, & nigrorum accidorum Ceraſiorum ſuccum pænè referunt, Auſtriaci weixel farb vocant: harum vngues vel ſubcærulei ſunt, vel ex cæruleo nigricantes, ſtamina fuſca ſunt.

*Lilionarciſſus luteus*

Tulipæ dubiæ primæ maioris Cluſii icon fuit inter icones Plantini p.134. hoc titulo, Lilionarciſſus luteus phœniceus confuſè mixtus Lobel. 65. Teut. 168. Alteri autem Tulipæ iconi titulus fuit, Lilio-Narciſſus phœniceus peramœnis oris luteis Lobel. 65. Teut. 168.

*Lilio-Narciſſus phœniceus.*

## TVLIPA DVBIA SECVNDA media prima.

TVlipæ Dubiæ mediæ, quæ ampliſſimum florem habent, paucæ ſunt à me obſeruatæ. Earum vna valdè pallidi coloris, coctum ſulphur ferè referentis. propterea Auſtriacæ nobiles matronæ Schwebelfarb / id eſt, ſulphurei coloris cognomen illi indiderant: omnia eius folia mucronata, vngues fuligine infecti. Eius vnicum bulbum Byzantio allatum habuit Generoſa Dn. de Heyſenſtein, quæ illius prolem communicauit: floruit quidem illa anno 1586. & bonum ſemen dedit, ſed ſubſequens rigida hiems cum matre corrupit: ſemen anno ſequente terræ cõmiſſum, Viennæ in meo hortulo (inquit Cluſius) relictum.

*Def. Flu.*

Altera flaui elegantis coloris florem habet, cuius omnia folia mucronata, nigri vngues, nigri apices, fuligine infecti pediculi. Hæc anno 1589. florem mihi tulit ſedecim foliis conſtãtem, eius verò proles tredecim: at ſequente anno, mater duntaxat octo, proles ſex.



*Fl. ra. re.*

Tertiæ flos ex flauo & rubro coloribus permixtus, magnis ſex mucronatis flauiſque foliis conſtans, quæ ab ungue omninò nigro, rubras venas per foliorum longitudinem radiatim excurrentes, & in latera ſparſas habet, nunc raras admodum, modò denſas & confertas.

Icon Cluſii eſt in lib. icon. Plantini p.132. cum hac inſcriptione, Lilionarciſſus candidus ſuauè rubentibus oris, Teut. 167.

## TVLIPÆ DVBIÆ TERTIÆ mediæ ſecundum genus, flore præcocibus æquali.

TVliparum Dubiarum mediarum, quarum flores Præcocibus ſunt æquales, & caules intra illarũ magnitudinem nonnunquam conſtituunt, vt plurimùm autem Dubiarum maiorum altitudinem æquant, multiplex eſt genus, cuius differentiæ difficilius diſtingui poſſunt quàm Præcocium, ob variam colorum mixtionẽ per totos flores interdum diffuſam, vt longa & diligente obſeruatione didici, inquit Cluſius, aliquas

*Tulipa Dubia 3. media 2.*



*D*

quas tamen ex his quæ vel mihi floruerunt, vel apud alios creuiſſe ſignificatum eſt, quâ potero perſpicuitate, pro ingenii mei tenuitate deſcribam.

Sunt igitur quædam Flauæ dilutiores vel palleſcentes, quarum externa folia quodammodò foris vireſcunt: aliæ quarum folia orbiculata ſunt, vngues tamen ſubuireſcunt: quarum item folia flaui coloris elegantis, interiora tria ſupernè orbiculata, & quibuſdam ſanguineis guttis aſperſa: Nonnullæ omnia folia flaua habent, vngues cerei coloris, quales alioqui ſerotinę habẽt: aliæ quarum vngues nigrâ & ſplendente maculâ ſunt inſigniti, vel ex fuſco & viridi coloribus commixtis perfuſi.

*Tulipa Dubia media 2. verſicolor.*



Nonnullæ Flauæ variæ ſunt, nam licet omnia folia initiò flaua ſunt, tertio tamen vel quarto die poſtquàm explicati ſunt flores, ſingula folia tenui limbo rubro exornata conſpiciuntur, nõnunquam etiam in prolibus [nam ſatis fœtifica eſt] nullus apparet, vel alteruis duntaxat annis conſpicitur: quædam flaua folia habent, oras autem cinnabaris ferè colore infectas: aliarum folia pallidiora ſunt, & rubris venis ornatas habent oras: quarum item folia etiam pallent, ſed perfuſus eſt Mali aurei præmaturi color, præſertim circa oras: inuenitur etiam verſicolor elegantiſſima, cuius color flauus & ruber ita commixti ſunt, vt è ſericeo pannno flauo, cuius ſubtegmen rubrum eſt, conſtare flores videantur, illius vngues nigri ſunt.

Aliarum flores albi quidem ſunt, ſed in flauũ degenerantis coloris qui ὠχεόλευκος, qualis in Dubia maiore deſcriptus eſt, harum folia vel omnia mucronata, vel interiora orbiculatò mucrone cõſtant, vngues, ſtamina, apîces pallent.

Quarundam flores ὠχεολευκοῦ etiam ſunt coloris, ſed alius color adiunctus, nam cuiuſdam folia omnia mucronata, extremum illum mucronem rubro colore tinctum habent: alia pallidiora ſunt, & oras rubris venis diſtinctas habẽt: in nonnullis foliorum oræ, vel purpureis venis diſtinctæ, vel carnei coloris omninò ſunt, qui etiam media folia occupat.

Vnam habui A.V. ſerotinæ ſemine natã quæ anno 1589. florem prorſus album protulit, licèt initiò vireſcens color perfuſus quodammodò conſpiceretur, ſtaminum apices fuſci fuerunt.

Nonnullarum flores A-V. ſunt octauæ A-V. præcoci ſimiles, iique, vel dilutiores, interioribus foliis quodammodò orbiculatis, vnguibus nunc exalbidis circa ſummum purpuraſcente maculâ inſignitis, ſtaminibus exalbidis, eorum apicibus nigricantibus, modò vnguibus & ſtaminibus candicantibus, vel vnguibus exalbidis ſubcæruleò orbe incluſis, albis ſtaminibus, nigricantibus apicibus: aut ſaturarioribus foliis præſertim exteriore parte, exterioribus mucronatis, omnium oris candicantibus, vnguibus exalbidis ſubcæruleâ maculâ inſignitis, albis ſtaminibus, apicibus eorum nigricantibus: quarundam folia mucronata dilutioríſque ſunt coloris aut ſaturatioris. Inueniũtur etiam quarum flores plurimùm ad A-V. pręcocis ſecundæ & tertiæ colorem accedunt: & alia ſemine à Boiſot miſſo nata elegans in cuius flore purpureæ venę per totum folium diſperſæ ſunt, floruit hæc primùm anno 1590.

Purpurearum flores coloris nunc ſunt dilutioris & magis floridi, foliáque interiora orbiculata habent, exalbidos vngues, purpuraſcentia ſtamina, eorum apices nigricantes: modò quaſi ſimiles Purpureæ dilutiori dubiæ maiori, candicantibus oris, vnguibus vel ex albo flaueſcentibus, vel flauis omninò, aut veluti fuligine infectis, aut ex cæruleo, flauo, & ſubuireſcente coloribus commixtis: modò ſaturatioris coloris, cui albicantes tamen quædam venæ permixtæ ſunt, vnguibus aut ex flauo nigricantibus, aut flauis omninò, aut ex viridi nigricantibus, aut ſubcæruleis, ſiue ex cæruleo flaueſcentibus, aut cæruleis omninò, niſi flaueſcens orbis ambiret: Sunt etiam quarum flores dilutè purpurei illum ferè colorem referunt, qui in Caryophylleis floribus remiſſè miniatis è Sileſia primùm delatis conſpicitur, Viennenſes & Sileſiacæ matronæ Pomerantʒfarb / quaſi aurei Mali colorem illis tribuunt, quia dilutiùs rubenti colori flauus quodammodò perfuſus videtur, horum color vel dilutior, præſertim interiore parte & per oras, vel ſaturatior, interdum internè dilutiſſimus, foris ſaturatior, vngues vel flaui, vel flauum colorẽ fuliginoſus ambit orbis, vel ex viridi nigricant, vel fuſci ſunt: vidi etiam quarum flos ad poſtremam differentiam Secundi generis valdè accederet, rubro tamen colore alium ſuperante: quędam plurimùm accedunt ad eam quę inter Dubias maiores octauo loco repoſita eſt, verùm humilior, foliis interioribus orbiculato mucrone præditis, vnguibus vel omninò albis, vel candicantibus, & ſuperiore parte ad cæruleum colorem tendentibus, ſtaminibus exalbidis, apicibus ad fuſcum vrgentibus, vel vnguibus cæruleis aut ex cęruleo vireſcentibus, vel nigricantibus: aliæ Dubiarum maiorum nono generi ſimiles ferè, licet minores, quarum vngues vel fuſci ſunt, vel ex cęruleo nigricant, vel flaui nigro orbe flauum colorem ambiente. 7. *Purpurea.*

P-V. florum folia vel dilutiore colore purpureo ſunt prædita, vel ſaturatiore, omnium oræ mucronatę, vel interiorum orbiculatæ exalbidæ ſunt, vngues aut albi, aut ſubcærulei, aut albi quidem, ſed quos latus orbis carnei coloris ambit, ſtamina plerumque nigricantia. 8.

Inter reliquas Rubræ mihi natæ quarum folia foris ad purpuraſcentem colorem accedebant, interiùs autem coccinei ferè coloris erant, vngues, ſtamina, apices, flaui: item quarum flores rubri, foliis tamen exterioribus ſecũdum longitudinem flauus color aſperſus: & quarum color ſplendens, ſed obſcurus & ad lateritium accedens, vngues flaui vel nigri: præterea quarum flores R. ſerotinæ ſimiles, quę ab vnguibus nigris, flauo orbe cinctis, *Oculus Solis* cognominata eſt. 9. *Rubra.*

Alia item cuius flos nondum mihi conſpectus dum hæc ſcriberem; verùm pictura à nobili viro Io.de Hogelande Lugduno Batauòrum miſſa anno 1590.deinde illius vnicæ quam habebat bulbus eiuſdem anni Autumno, cuius flos omnia folia mucronata habet : eaque vt ipſe Hogelandius ad me ſcripſit,initiò quidem omninò viridia,deinde oris veluti palleſcentibus, quæ tandem in rubrum colorem mutantur radiatim ſeſe alteri colori commiſcentem,color etiam ille viridis ſeneſcente flore elangueſcit , præſertim interiore foliorum parte : & ſanè ſubſequentibus annis bulbus ille florem mihi dedit,qualem deſcripſerat. Sed & alia ſemine mihi nata eſt, quæ ſimilem florem produxit Lugduni Batauorum anno 1595.

*Ex præcocibus interdum ſerotina.*

Sunt omnes hæ dubiæ mediæ ſecundæ claſſis [ præter poſtremum genus ] mihi natæ ſemine , vel Byzantio allato , vel à Nobil. Viro. Io.Boiſot communicato,vel ( quod magis mirandum ) aliquot etiam præcoces. Nam anno 1586. ex purpurea præcociue florente habui P.ſerotinam elegantem diiutiorem : è P-V.autem præcoce, P.ſerotinam ad rubrum quodammodò tendentem , & P-V.ſerotinam diluriorem elegantem : Anno ſequente rurſus è P.præc. Rub.ſerot. elegantem ad carneum colorem accedentem;vnguibus ex cæruleo nigricantibus: 1588. autem anno è P.præc.ὠχρόλευκον ſerotinam : R. ſerot. vnguibus & ſtaminibus flauis,P.ſerot.nigricantibus vnguibus,& P-V.ſerotinam : ex A.præc. Flauam ſerot.& P-V.ſerotinam.Contrà ex A-V. ſerotinâ natæ ſunt præcoces Alba,Flaua,Rubra,vnguibus flauis; Rubra *Ochio di Sole*,& P.dilutior.

*Colorum in Tulipis ſumma varietas.*

Cuiuſdam porrò R-V.quæ anno 1597. primùm Bruxellæ florem protulit,ſemine,nactus eſt iam dictus Boiſot, & quædam Nobiles matronæ Dubias etiam Tulipas mira colorum varietate ludentes , vt ad me perſcriptum eſt: etenim & flauas & pallentes,ex albo item palleſcentès, ſiue ὠχρολεύκους purpuraſcentes, intenſius aut dilutiùs rubentes,lateritii coloris , atque aliis coloribus inſignitas habuerunt : quibus etiam ſimiles & aliæ elegantiſſimis coloribus variè mixtis poſtea mihi ſemine natæ , & ſingulis annis adhuc naſcuntur , quibus pares numquam antè conſpectæ: *ita Deus in iſtis floribus admirabilem ſuam poteſtatem oſtendit.*

*ſerot. viridis,duplici foliorum in flore ſerie.*

Cæterùm anno 1593. mittebat Iac. Plateau Tulipæ,quæ illi ſemine nata erat,monſtroſæ quidem ſed non inelegantis , iconem, colore à reliquis differentem : eius enim flos,ipſo referente,prorſus viridis, internè ſex parua craſſaque alia etiam viridia complectens , caput ambientia , vt initiò parua Braſſica florida ſiue Cypria videretur. Primo quo florem tulit anno,ſe neglexiſſe ſcribebat, vitium aut naturę ludum eſſe exiſtimans:ſed cùm ſubſequentibus quatuor annis florem non variare animaduerteret,nullum autem probum ſemen prębêre, eius rei pertæſus, bulbum alteri donauit.

*ſerot. viridis,oris pallidis,& albis.*

Sed & mihi biennio pòſt,ex ſemine natis ſerotina mihi florem dedit ſex ſoliis,vt reliquæ, conſtantem , prorſus virentibus , exceptis oris quæ pallidæ erant,& vnguibus,qui ex viridi palleſcebant.Floruit etiam mihi anno 1596. alia viridis cuius oræ albæ fuerunt. *Breuiter,ſinguli anni nobis proferunt nouum aliquod Tuliparum genus,nec ante cuspiam conſpectum.*

* * * *
* * * *
* *

TVLIPA BVLBIFERA.



NOs Tulipæ Bulbiferæ iconē proponimus ex Cluſio,quę verò de ea ſcripſit paulò pòſt, vbi de cultura tractabimus, recenſebuntur.

Schvven. Cat. Sileſ.l.2. Tulipa bulbifera,Lilionarciſſus bulbum ferens in horto. Tabern. icon. Tulipa bulbifera. Narcissen lilien.

TVLIPARVM ICONES EX LOBELIO,
diuerſæ ab iis quæ Cluſius habet
in poſtrema hiſtoria.

MVltæ ſunt figuræ & icones Tuliparum ex Lobel.cum ſuis titulis in lib. icon. pl.quæ non ſunt in poſter.hiſtor. Cluſii, de quibus hic agere ſtatuimus vt illuſtrior ſit hiſtoria Tuliparum.

TVLIPA LVTEA OBTVSIS
foliolis florum.

NOs ſæpiùs obſeruauimus in horto Ill.C. Wirtemb. Montbelg.pulchrum genus Tulipæ flore luteo,cui florum foliola obtuſa, quæ nō ſe multiplicabat : cui optimè reſpondebat [ potiſſimùm quoad florem & folia] icon à Lobel.in Obſeru. p.65. ſecundo loco poſita, cui titulus eſt: *Lilio Narciſſus Chalcedonicus totus luteus, ſanguineo puniceo par*, & ſimilis huic in icone florum cui foliola in acutum non deſinunt: exiſtimamus tradi à Cluſio, pro dubia ſecunda flaua. Dodonæus libr.fl. eam iconem ſolam poſuit pro Tulipa. H. Lugd. Iconem habet



cui flos deorſum inclinat, alioqui non multùm differens à iam dicto : de eo ſcribit ea: Tulipæ genus

Tulipæ genus quidam eſſe arbitrantur plantam quam *Oulondiam* Græcum vulgus appellat.

## TVLIPA PHOENICEA LVTEIS ORIS flore patulo.



LObelius obſeru. iconē Tulipæ habet cū hac inſcriptione, Lilio-Narciſſus luteis oris, flore patulo : huiùs deſcriptio fortè eſt quæ antè poſita eſt Lobelio ſecundo loco. In Icō. Plant. libr. huic figuræ titulus eſt eſt Lilio-Narciſſus phœniceus luteis oris, flore patulo. Hiſt. Lugd. coniunxit hanc iconem cum alia ſub titulo Tulipæ luteæ.

## TVLIPA COCCINEA PVNICEAVE Rutilans.



IN libro Iconum Plantini p. 128. eſt figura cum hac inſcriptione : Lilio-Narciſſus coccineus puniceúſve rutilans, Lob. 67. Teut. 165. Dolendum eſt, quod Lobel. Tulipas ſuas, nō deſcripſerit nec natales earundem aſſignarit, vt rei herbariæ ſtudioſi certioris aliquid concludere poſſent: Ampliùs igitur de his cogitandum.

## TVLIPA COCCINEA CANDIdis oris.

LIbro Iconum Plantini pag. 130. eſt figura cum hac inſcriptione: Lilio-Narciſſus coccineus



candidis oris Teut. 166. Nudam & hîc abſque deſcriptione exhibendo iconem Lobelius, Lectores dubios & incertos relinquit.

## TVLIPA RVBRA, ORIS ET VAginulis albis.

HVic, qualis aliis, radix bulboſa : folia quoque conſimilia, non vndulata: caulis ſingularis, cubitalis, fuſcus. Flos ſenis, itidem vt aliæ, foliis conſtans: ſingula ſanguineo rubore in media maiórēque parte tincta, oris circumquaque & vnguibus albidis : apices crocei : ſtilus vt cæteris triquetrus. Hæc noſtra fortè ad præcedentes dubias Cluſii referenda.

Schvven. in Cat. Sileſ. meminit Tulipæ rubræ candidis oris, Lilionarciſſi rubelli candidis oris Lob. Roter Tulipan mit weiſſen ſpitzen.

## TVLIPA NIVEA TOTA.

SVnt in libro Icon. Plānt. p. 131. figuræ duæ cum hac inſcriptione : Lilio-narciſſus niueus totus, Teut. 166; Deſcriptio



## TVLIPA CANDORE ET RVBORE confuſa.

HAnc iconem inuenimus tantùm in libro



Iconum Plantini p.131.titul. Lilio-Narciſſus cādore & rubore confuſus Teut. 166.

## TVLIPÆ PVMILES.

*Tulipa dubia pumilio.*



*Tulipa pumilio altera.*



Deſcriptio

TVlipa dubia pumilio, pedalem altitudinē non ſuperat, imò vt plurimùm infra eam cōſiſtit, foliis & flore ad Præcocem proximè accedens: floris autem folia omnia mucronata: ſed exteriora multò longiora, foris obſcurè rubra, extremis tamen oris virentibus, interiora omnia folia intēſè rubent & ſplendent: vngues flaui radiati, ſed quos nigerrima macula ſic inficit, vt orbis aureus & radiatus eam duntaxat ambire videatur, & oculum quodam modo emendiatur: ſtamina cū ſuis apicibus nigricāt: huius radix bulbacea interdum eriophora eſt, nam exterior illa mēbrana bulbi ſubſtantiam amplectens & tegens plurimo, denſo, candido, mollique tomento ſuffulta eſt, vt molliſſimè bulbum recubare neceſſe ſit.

Inuenitur etiam alterum pumilionis Tulipæ genus, quod mihi (Cluſii verba ſunt) quidem conſpectum non eſt: ſed iconem ſuis coloribus expreſſam accipiebam anno 1596. ab erudito viro Io.de Ionghe, Eccleſiaſte Middelburgenſi in Matthiacis, addita hac deſcriptione: Mitto ad te Tulipę cuiuſdam iconem, ad ipſius plantæ ſimilitudinem expreſſam, hoc eſt, eadem quâ Tulipa magnitudine, paribus caule, flore, foliis[quæ paullò longiora & anguſtiora: habere debet] & bulbo quem erui, vt pictor commodiùs exprimeret. Tribus iam annis continuis in horto habui florem proferentem, ſed vnicum: nec florem habuit quādiu ſingulari folio prædita fuit, aliarum Tuliparū modo: nā ſuperiore anno habui flore ſuo onuſtam, & aliam vnicum folium producentem, quæ nunc quaterna folia nacta, primum florem demum tulit, alteri protſus ſimilem, vt certum ſit id genus maiorem amplitudinem non adquiſiturum. *Hactenus ille*. Tota verò planta[quantùm ex icone deprehendere potui] palmo maior non eſt, quatuor promens folia anguſta, carinata, Tulipæ Mompelianæ foliis ſimilia, inter quæ cauliculus prodit vncialis aut paullò longior, nudus (præter aliarum Tuliparum morem) ex viridi purpuraſcens, ſummo faſtigio florem gerens ſex foliis conſtantem, foris nonnihil purpuraſcentibus, intus candidis, vmbilicum occupante oblongo capitulo ſex flauis ſtaminulis ſepto, quod an ſemen protulerit, ignoro: florem autem tuliſſe Aprili inde coniicio, quoniam ſub Maii initium picturam mittebat, cuius bulbus exiguus, bulbi tamen aliarum Tuliparum formam referens, ex ſpadiceo nigricante cortice tectus. Icone accepta, Croci verno tempore florentis genus initio exiſtimabam.

Cæterùm non omnes flores diu in ſua coloris elegantiâ & venuſtate perdurant, verùm nonnullarum magis caduci, breui marceſcunt, aliarum firmiores ſunt & coloris gratiam diutiùs retinent, præſertim ſerotinæ & dubiæ, omnes certè nubilo cælo ſeſe contrahunt, & pluuio facilè corrumpuntur, etiam antè quàm expandi poſſint interdum, ſi continui cadunt imbres: contrà temperato Sole illuſtrati, explicantur & diutiùs conſeruantur: at vehemente etiam eius ardore nimiùm excocti, & ſuo humore exhauſti, facilè defluunt.

Neque omnes verſicolores, tam præcoces, quàm ſerotinæ, ſingulis annis eandem coloris gratiam perpetuò retinent, ſed alternis variare ſæpiùs obſeruaui: exempli gratia F.V.A.V. vno interdum anno nitidiſſimæ ſunt, ſequente vix alius color, quàm flauus vel albus in eis conſpicitur, ſic R-V.& P-V. nonnunquam magnas habent oras flauas & albas, ſequente valdè exiguas.

In lib.icon.plant.p.127.Tulipa pumilio, Teut. 164.

Cæterùm tametſi ſeminibus terrę mandatis Autumno[inutilis enim bulbacearum, & tuberoſarum maximâ ex parte verna eſt ſatio] huius plantæ genus conſeruari ſoleat: interdum tamen & nucleis maiori bulbo adnatis propagatur, ſed nulla inter præcoces Tulipas fertilior, rubrâ, & albâ: omnium autem maximè ſerotina rubra, quę adeò foecunda eſt, vt etiam ſemine nata, & vix b ma alias prolęs generet biennio aut triennio ante-

antequam florere incipiat, quod etiam faciunt pleręque dubiæ. Solent enim omnes Tulipæ nondum adultæ,& antequam flores proferre incipiant,vt plurimùm ſingulis annis rectà & quaſi ad perpendiculum in dodrantalẽ & palmarẽ altitudinem profundiùs deſcendere ( Apennineas excipio,& quaſdam alias,quæ non in altum, ſed in latus & obliquum, antè quàm floriferæ ſint: proles è longis venis dependentes ſpargunt, vt proximo capite declarabimus:) ſerotinæ autem illæ & dubiæ iam dictæ:etiã in veteris bulbi exuuio qd ſubſtantiæ relinquere,quæ in aliũ bulbum efformata, ſimiliter in exuuio ſubſtantiæ quidpiam relinquit,quæ in alium bulbum tranſit: vt ſi quis cum dexteritate quadam & induſtria trimos & quadrimos eruat, exuuiorum veſtigia ſequendo, nonnunquam velut catenam aliquot bulborum cohærentium, & ex primo exuuio ortum ducentium inueniat:licèt interdum accidat vt R.ſerotina iam grandior, nondum tamen planè adulta, inſtar Tulipæ Apenninæ ſiue Bononienſis proles in latus ſpargat, vt in meo hortulo, in quo varii generis bulboſas ſtirpes florum elegantiâ & varietate commendabiles alebam & excolebam, dum Viennæ agerem, non ſemel obſeruaui.

Memini & bulbos infimâ alâ, quaſi ſummâ tellure natos, in ſerotinarum & dubiarum generibus, præſertim (licet etiam in A-V, P-V, & quarundam aliarum præcocium alis bulbi mihi nati ſint,) qui telluri commiſſi, eiuſdem coloris cum matre florem ſubſequente anno produxerint: eundem colorem etiam retinent bulbi matri adnati.

Ex ſeminibus verò quæ fit propagatio, planè [vt dixi] incerta eſt, in præcocibus nimirum & dubiis: nam ſerotinæ magna ex parte ſuum genus conſeruare videntur, quemadmodum ſuperiore capite dictum eſt, aut ſi aliquam mutationem adquirunt, exigua ea eſt, & plerumque in vnguium & ſtaminum varietate, aut coloris intenſione vel remiſſione conſiſtit.

Solet caulis è medio bulbo erumpere:ſed ipſo cum foliis iam marcido,& ſiccato, ſi bulbum eruas,ad latus illius enatum conſpicies [quod etiã euenit in Iride bulboſa, Colchico & congeneribus aliis,] nouo bulbo paulatim ſuccreſcente, & totius plantæ ſuccum ad ſe recipiente, quæ tempore commodiſſimè erui poteſt, erutus bulbus diu extra terram adſeruari, & in alia loca etiam procul diſſita ſine noxâ transferri.

Omnes autem cuiuſcunque generis Tulipæ(vt etiam hoc breuiter annotem) quemadmodum longâ experientiâ didici, quamdiu florem non ferunt ἄκαυλοι planè ſunt,& vnicum folium ſingulis annis proferre ſolent:at ſi, dum emerſit,ſeſe explicare incipiens,ſecundum etiam eo incluſum appareat,illo ipſo anno florem prolaturum ſpes eſt,niſi pruina,aut aliud ab inſectorum eroſione incommodum eam intercipiat.

Inutilem ſanè ſationem Vernam Tuliparum obſeruauimus,quia Tulipæ multæ in profunditatem deſcendunt, & ſic perduntur: bulbis nouimus qui ſubſternant tabulas lapideas: in ſolo macro & ſicco fœliciùs proueniunt,quàm in pingui & argilloſo: plurimi fœliciter æſtate bulbos terra eximũt,& per plures ſeptimanas extra terram reſeruant.

Tulipa,ſi quidem fides habenda Lobelio, medio iam Vere floret,non mòdò in Italis,ſed etiam Belgicis & Gallicis hortis. Naturæ luxu & luſu huius quàm multas venuſtiſſimas florum in delitiis habent inter Belgas D. Carolus de Croy, Princeps de Chymey, D.Io.de Brancion, D.Io Vander Dilf, D. Maria de Brimeu. Io. Moutonus. In Thracia etiam,teſte Dodonæo, & Cappadocia Tulipa exit: Italiæ & Belgio peregrinus flos. Aprili menſe florem Belgium videt: Thracia verò etiam Ianuario,veluti teſtis eſt Augerius Buſbequius in itinere Conſtantinopolitano, qui ingentem vbique florum copiam media planè hieme, Ianuario menſe ſeſe inueniſſe refert. Horum florum inſignem varietatem obſeruaui ego Stutgardiæ & Montbelg. in hortis Ill. E.C. Vvirtemb.

An iiſdem facultatibus cum Satyrio Tulipæ præditæ ſint; neminem periculum feciſſe intellexi, inquit Cluſius. Io.Müller Pharmacop. Vienn. multos Tulipæ bulbos condiit, radicum Orchidis inſtar,quibus longè ſuauiores, & palato gratiores deprehendebam: an verò id præſtarent quod Satyrio tribuitur, nondum intellexi. Antuerpianus quidam Mercator cùm horum bulborum non exiguum numerum ab amico cum byſſinis pannis Conſtantinopoli ſibi miſſum accepiſſet,Cepas eſſe exiſtimans,ex illis aliquot ſub prunis aſſari iuſſit & vulgarium Ceparum modo, ex oleo & aceto in cœnam ſibi parari:reliquos,in horto, inter Braſſicas & alia olera defodit. De viribus & facultatibus Tulipæ, nihil compertum habet Dod. aut à quoquam compertum reperit. Vires Tulipæ.

## TVLIPA MINOR LVTEA NARBON.

Minores Tulipæ (inquit Dodon.) foliis ſunt anguſtioribus & ferè porraceis: cauliculis tenuioribus ac breuioribus: floribus minoribus, & minùs in latitudinem ſeſe pandentibus: bulbis minoribus, alicubi in Gallia Narbonenſi ac in Italia naſci feruntur. *Tulipa minor Dod.*

NonnullisHermodactylus flore luteo dicitur, ſed perperàm tamen. Neque enim Hermodactyli ſpecies aliqua eſſe videtur. Narbonenſem Lilio-Narciſſum luteum montanum, Tulipæ ſpeciem, erutam è Seuenæ Narbonenſis iugis à plurimis iam annis,in Belgium deferendã Lob. & Pena Adu. curauerunt amicis Antuerpianis, qui primùm Tulipam illam vocarunt, ipſi verò Narciſſo-Lilium luteum audaciùs fortè (vti ſolent, quò rerum cognitioni diſtinctiori conſulant)indigitauerunt. *Hermod.*



Flos itidem ſingulo bulbo & caule Narciſſi minore, tenuiore,delicatiore, vnicus, luteus, ſenis foliis conſtans, ad Liliũ aut potiùs ad Lilii lutei Aſphodeli florẽ accedens, filamentis luteis è medio enatis. Bulbus exilior multò, nucleum oblongum Allii æquat, ſibique ſæpiùs adnatum Allium exili filo ad- Deſcriptio

nexum habet: folia craſſiora, pauca, è caule *medio*, porracea.

De hac Cluſius: Tulipæ Apenninææ ſimilis penè eſt Narbonenſis è Cebennis montibus à Lobelio primùm eruta, & amicis in Belgicam miſſa: minor tamen eſt in omnibus, flores foris magis virentes, intus flaui, delicatius quiddam ſpirant: radix etiam è tenuibus neruis in latera ſoboles & bulbillos ſpargit.

Hiſt. Lugd. dicitur Tulipa minor Dod. & Camer. in hort. Tulipa minor Narbon. odorata & cum mediis ferè florens.

Nos hanc Tulipam ſiccam habemus ex plantis ſiccis Valerandi Dourez, caule palmari, bulbo ſublongo, ſub quo multæ radiculæ, titulus eſt, Narciſſus luteus: icon quam proponimus eſt ex iis quas ſculptas emimus.

## TVLIPA HISPANICA NARBONENSI paulò minor.

Deſcriptio

TErtia in monte quodam Aranioes vicino nata, in Belgicam a Franc. de Hollebeque Regio hortulano miſſa, Narbonenſi paullò minor eſt: eius florem non vidit Cluſius, ſed Narbonenſi ſimilem eſſe intellexit, qui folia tamen habeat foris non omninò viridia, verùm purpuraſcente etiam colore perfuſa. Illius bulbos aliquando aluit, qui vnico duntaxat folio ſemper germinarunt, adeoque inanes paulatim facti ſunt, vt tandem perierint. Miſerat præterea idem Franciſcus & alios aliquot bulbos (vt Hiſpania bulbacearum, & variarum aliarum elegantium ſtirpium maximè ferax eſt,) quorum maximam partem in Hiſpanica ſuâ peregrinatione non obſeruabat Cluſius, qui tandem Belgicum aërem reſpuentes, contabuerunt.

## TVLIPA LVTEA BONONIENSIS.

Deſcriptio



MEdiocriter magno bulbo prędita eſt hęc Tulipa, oblongo, fibroſo, ſapore dulci & grato, qualis eſt Tuberum terræ, ſpadiceo, vt ait Cluſius, cortice tecta, qui in binas aut plures res ſoboles ſingulis annis diuiditur, proximo anno flores daturas. quin & alias ſubinde obliquè & in latera ſpargit, (præſertim, quæ nondum florem tulit) non in altum rectà mergit: caulem profert cubitalem, & bicubitalem, nonnunquam in ramos binos aut ternos Cluſ. ac etiam plures ab vna radice, vt aſſerit Camer. diuiſum, angulosum; colore herbaceo. faſtigium verſus purpurante: folia dodrantalia aut ampliora, aliqua minora, vnciam lata, partim à radice ſtatim, partim à caule exeũt, nullo pediculo, carinata, colore glauco. Flos vnicuique ramo, odore ſuaui Leucoii Cheiri dicti, ſed imbecilliore, mediocriter magnus, foliis ſex conſtans, interdum octo Cluſ. quorum exteriora tria, extrinſecus à luteo purpuraſcunt aut vireſcunt, intrinſecus lutea: tria reliqua penitùs lutea niſi quòd mucrone tantillùm rubent: in medio apices lutei ſeni cum ſtilo triquetro viridi. Succedit ſiliqua magna. Semen, teſte Cluſio vt in reliquis Tulipis, ſed longè minus.

Lobel. Obſ. & Ic. Pl. p. 145. Bononienſis Lilionarciſſus luteus [ſiue Tulipa] Norbonenſi folio, caule, & flore proximus, omnia tamen vegetiora & grandiora, quandoque flores in caule bipartito geminos ſtellatos, & nonnuſquam ternos videas, iucundo Leucoii lutei odore.

Geſner. in fin. hiſt. Cordi, Tulipa alia Turcica eruditis in Italia, quam Guillandinus Satyrium triphyllum coniiciebat: Louchitis, inquit Cæſalp. cuius opnionem non probamus, à Lanceæ cuſpide cognominata, quidam Narciſſum luteum vocant: folia fert Narciſſi, &c.

Camer. hort. Tulipa Bononienſis, quæ maior Narbonenſi & plerumque polyclonos, odorata. Item apud Matth. Germ. Narciſſus 9. Tulipa Bononienſis: Quæ planta ſit Matth. Narciſſus nonus hic, aut in Epit. Matth. Lat. 8. neſcio, niſi ſit *hæc* Tulipa. Sanè Icon quæ eſt in epi. Matthiol. pro Narciſſo 8. Tulipam aliquam denotare videtur polyclonem non accuratè pictam nec deſcriptam, quod vulgare Matth.

Hiſt. Lugd. Lilionarciſſus luteus Bononienſis.

Schvven. Tulipa Bononienſis Narciſſus 9. Matth. Tulipa minor lutea Italica, welſch geel Narciſſen lilien.

Tabern. icon. tulipa Italico. 1. Narciſſen lilien.

Floret cum ſerotinis aut paulò ſeriùs. Nobis floret Montbelg. menſe Aprili in horto Ill. Princ. cum binis floribus in vno caule, magnis, luteis, qui diu durant, poſtea oriuntur magni calices. Miſſi bulbi ab Ill. Guillelmo Landgrauio nomine Tulipæ Bononienſis, videram alias Bononiæ in horto S. Saluatoris, folia ſunt terna: ea multùm multiplicat, florebat principio Martii: faciliùs cæteris apud nos videtur multiplicari nec facilè perire.

## TVLIPA PVMILIO ANGVSTIfolia alba.

TVlipæ pumilioni anguſtifoliæ flos ſenûm foliorum, albus: internis tribus candidis, latioribus: anguſtioribus verò tribus exterioribus, internè item albis, externè ex fuſco rubentibus, Croci floris lutei ferè paribus & ſimilibus. Tragopogi inſtar folia anguſta, quina aut ſena, humi procumbentia, caulis palmo altior. Radix Monſpelienſis Tulipæ maior. Bononienſis ferè par, ſubfuſca foris. Maximo in prætio habetur & ſedulò colitur (teſte Lobel. Adu.



Adu. par. 2.) in horto amœniſſimo D. Ioh. de Ionghe Meſopoli Mattiacorum concionatoris, huius ſtudii callentiſſimi.

## TVLIPA PVMILIO ALBA ALTERA Luſitanica.



VNcialis aut ſeſquiuncialis hæc plantula hoc anno 1603 à N. le Quelt Botan. Lutetiano egregio accepta, exilioribus breuioribúſque anguſtifoliæ. Tulipæ ſuperioris foliis: flore albo, exili breuíque pediculo: florem ſiccum vidit Lobel. Adu. par. 2. album, ſenis foliolis donatū, ſtaminulíſque totidem: Bulbus valdè paruus effigie aliarum Tuliparum, duriore inuolucrò, externè pullo, ſquamoſo, obductus: interiore autem rubens, quem ſtudioſè in horto alere incepit, vt eius delineationem preſſiùs cum multis aliis exhibere liceat: ſponte in monte iuxta D. Oue ad maris littora.

## COLCHICVM ORIENTALE ET Syriacum quorundam.



COlchicū Orientale Italis, *Zaffaran Orientale* Matth. in epit. minoribus exit foliis, anguſtioribus, & magis acuminatis, caule rotundo, flore grādiori. Radicē bulboſa, euidenter ſciſſa, & lacteo ſucco prægnante. Camer. in Epit. Matthiol. aucta omiſit cum ic. tum deſcriptionem.

Lobel. eam iconem habet Obſ. cum hac inſcriptione, Colchicum Syriacum Alexandrinum, Adu. p. 54. & Ic. Plant. p. 146. Colchicū Syriacū Alexand. Colchicum Orientale Matth. Teut. 179. De eo autem ſcribunt Adu. Colchicū decoctis Guaiaci, ad Luem Veneream, aliiſque ſudorificis magno remediorum compendio & ægrorum commodo; admiſcuiſſe Chirurgum quendā Venetum edoctum illic à plebecula.

Tabern. icon. & hiſt. Colchicum Syriacum; Alexandrinum, Orientale, Syriſch zeitloſen. Gerard. Colch. Syr. Alex. Aſſyrian Medow Saffran. Cæterùm Colchicum Syriacum vel Alexandrinum à nonnullis exhibitum, nihil aliud eſſe Cluſio videtur, quàm Tulipæ genus quale Apenninæum fortè, cui pictor nimis orbiculata folia tribuerit, ipſi verò plantæ nimis lata & breuia.



## NARCISSVS AFRICANVS BIFOlius ſiue exoticus.



Deſcriptio

E Craſſa lētaque vtrinque compreſſa, ſquamoſa, veluti nucleis compacta radice, bina tantùm edit folia, vncias duas lata, latioraque: & vncias quinq, longa, viridia, læuiaque, ſub tellure tamen aliis duobus foliorum rudimētis prēditus hic peregrinus bulbus, paruum pugnum magnitudine æquans, cuius Lobel. Adu. par. 2. copiam fecit præclarus vir D. Iacobus de Keyſer. Frater eius Gouarus de Keyſer, bulbos eruit locis vicinis portui ſiue Capo bonæ Spei, & primus in Belgium detulit.

Narciſſum exoticum appellauimus cui propior eſſe videtur, quoad nomen magis conueniens nobis innoteſcat.

## NARCISSVS AFRICANVS folio rotundiore.

Deſcriptio

LObel. Adu. par. 2. p. 503. Narciſſus Aphricanus folio rotundiore & cōplicato apud Dominum de Keiſer variat.



## SATYRIVM QVORVMDAM Erithronium Bifolium flore vnico radiato albo & purpureo.

### Capvt X.

Deſcriptio

SAtyrium hoc eſt *radice* duas vncias longa, alba, craſſiuſcula, & infima parte craſſiore, ſuperiore verò parte graciłeſcente: *folia* promit bina, rarò terna, inquit Cluſius, oppoſita, primò mutuò ſe complectentia & florem occulentia, per terram fuſa, Lilii conuallium aut Allii vrſini formâ, craſſiora & magis carnoſa, ex anguſtiore principio in ventrē ſextantem latum dilata, dein . ſenſim in mucronem deſinentia, aliquando ſubrotunda & latiora, ſi, quod interdum fit, vnicū habeat folium, longitudine palmari, maculis ex fuſco rubentibus, vel, vt ait Cluſius, ex albo purpuraſcētibus, latis, magnis, variegata: inter quæ ſurrigitur *coliculus* vnicus, læuis, enodiſque, teres, ruber, palmatis, cui inſidet *flos* vnus deorſum nutans, ex ſex foliis oblongis, mucronatis, nonnunquam albis, nonnunquam purpureis cū vnguibus intus albis compoſitis, qui vbi aëris[Solis radijs excalfacti] tepore ſe explicat, radiato poſitu foliorum viſendus ea ſurſum reflectit Cyclaminis inſtar: *ſtamina* in medio ſena atropurpurea ſtilum circumſtant longiorem, album, tricuſpidem: nullâ odoris gratiâ, inquit Cluſius placens, ſed ſolâ elegantiâ cōmendabilis: ſuccedit *ſiliqua* triāgularis, nutās vt flos, in viridi ſpadicea: Capitulū ſiue ſiliqua teſte Cluſ. continet aliquot *ſemina* Leucoii bulboſi præcocis alterius ſeminibus ferè reſpondentia, ſed longiora, gracilioraque, flaueſcentis coloris. Quamdiu nullam florem dat hęc planta, vnico duntaxat exit folio.





Eſt à nobis aliud genus in Italia obſeruatum de quo ſcribit Cluſius: Ei folia longiora, maculas albas diutiùs retinentia, initiò dum exeunt, florem etiam amplectentia, qui ſuperiore maior plærumque eſt, vel lactei omninò candoris, vel miſtis purpuraſcente alboque coloribus conſtans, ſtaminibus albis, apicibus nigricantibus, huic ſuccedit trigonum caput ſemina alteri paria continens: radix etiam longa & ſuperiore craſſior. Hæc ille.

Satyria Dioſc. vera vix adhuc Herbariis benè ſunt cognita, tamen ex Dalechampii cōiectura potiùs, quàm certa aſſeueratione ea hîc exhibet Hiſt. Lugd. Erythronium, montoſis & apricis naſcitur: *radice* bulboſâ, unâ parte fibratâ, oblongâ, Porro non diſſimili, foris ſubrufâ, intus candidâ, nullâ grauitate odoris iniucundâ, veluti Orcheos, tenera, guſtu principiò dulci, qualis eſt Caſtaneæ, deinde acri, Cepæ Aſcaloniæ modo, quam aiunt ſemine perfecto in globoſum caput colligi, mali figurâ, creſcente verò caule extenuari, ac in longum produci, vt cauli quod ſatis ſit alimenti velut de ſuo ſuppeditet, nunc ſimplici, nunc velut è duabus in vnum coëuntibus iunctâ, ſubnaſcentibus aliis perpetuò, & cohærentibus duabus, tribuſue, ac interdum pluribus, quæ exhauſtâ craſſiore, poſtea magis augeſcunt: *caule*, ſi ortum eius à radice conſideres, procero, tereti, supernè rubenti: *foliis* Rumicis, aut Lilii, minoribus, binis, nonnunquam ternis, aliquando quinis, ad terram infractis, virentibus, ſed maculis rubris conſperſis, tā crebris, vt rubêre magis quàm virêre videantur: *flore* purpureo, Lilio rubro, quod Martagon vocant, figurâ ſimili, priuſquàm pandatur, oblongo, dum reſeratus eſt, ſex foliis conſtante, ad radicem candicantibus, reliquâ ſui parte oſtro purpuraſcentibus, apicibus totidem quot ſunt foliola, niueis supernè velut atro capite conſpicuis.



Alterum, trifolium videlicet, inuentu rarius, priori omninò conſimile, niſi quòd guttis & maculis lacteis folia variegantur, flos candicat. Vtrique ſemen oblongum ſiliquis includitur, nunc triangulis, nunc quadrangulis, copioſum. Inuenitur genus quoddam vnico, ac lato folio, ſine flore, ſine fructu. Marem appellant Herbarii.

Florent Aprili & Maio menſibus. Satyriorum hiſtoriæ id repugnare videtur, quòd rotunda & globoſa radice non ſint, qualem requirit Dioſc. At ſi Satyria non ſunt, tamen ob inſignem & venuſtam figuram deſcribenda fuerunt vulgato apud Herbarios ſeruato nomine, quoad verius ſit inuentum, aut è Veterum libris erutum.

Icones quatuor habet Hiſt. Lugd primæ titulus eſt Satyrium rubrum Dalechampii. Secundæ: Satyrium

cytiũ trifolium ſeu album Dal. Tertiæ Satyrium Dalech. fortè Pſeudohermodactylus Matthioli. Quartę autem c.14.PſeudohermodactylusMatth. In icone prima non placent duo caules nec radicum figura: in hiſtoria etiam diſplicet color radicis, & quòd globoſa dicitur, ac etiam numerus foliorum, qui plurium eſt plantarum ſimul prouenientium non vnius ſolius.Non video cur Satyrium cum lacteis maculis & flore albo magis trifolium dicendum ſit, quàm præcedens: quod flore rubro: ac cur id quod vnicũ fert folium dicendum ſit genus quoddam mas neſcimus,quandoquidem potiùs vitium eſt quoddam ſæpiùs quoque in Tulipis obſeruatum.Icon 2.reiicienda non videtur,verùm meliùs placet tertia. Quarta autem ex Matthiolo alio capite omnium peſſima eſt.

Lobel.& Pen.in Adu.innotuiſſe ſcribunt non multis ab hinc annis bulbum perelegantem, cui amici Satyrion nomen fecerunt, quiq; à conſultis Medicæ materiæ peritis Lugdunenſibus ( qui condiendum curaſſent & exploratum habuiſſet) viſus, Dioſcor.genuinus ſit habitus,nullâ deſideratâ nota prætei quam coloris, qui valdè variat loci varietate,vt in Squilla,Cæpis & aliis bulbaceis videre ſit: Folia eum hàbere bina,plurimùm terna: flos ex albo purpuraſcens.

Icon Lobelii nobis diſplicet,nec terna ſolet vt plurimùm folia ferre,ſed bina: noſtræ etiam icones quas ſculptas emimus non placent.

Satyrii Erithronii Lobel. Obſ. ſeu Satyrii & Dentis canini Belgarum,Hermodactyli & Pſeudohermodactyli Italorum Matth.flos aut purpura rubet,aut candore micat,aut purpura & candore confuſis pallet. Hermodactylus & Pſeudohermodactylus Italorum puratus foliis conſtat infernè anguſtis, quà radicis ceruici innituntur.

Dentem caninum Dodon. de purg. Satyrium plærique appellant,& quidem Erythronium dictum,deſiderantur tamen nonnulla. In Matth. huic ſimilis, ( ſi non eadem eadem eſt ) herba, pro Pſeudohermodactylo depingitur. Quod ſi autẽ hæc eſt,perperam,duo addũtur bulbi.Ephemeron.Dioſc.eſſe poſſet,ſi in deſcriptione paucula aliter ſe haberent.

Cluſ. Pannon. Dentalis 1. ſeu purpureo flore. Dentalis 2.ſeu lacteo flore vulgò Styriæ Medicis & Pharmacopæis *Dentali* appellata, à nonnullis ruſticis Schoß wurtz. Ex Italiæ Apennino Pſeudohermodactyli, & Dentis canini nomine miſſa: ex Allobrogibus verò Satyrii Erythronii.Eadem leguntur in poſt.hiſt. vbi Dentem caninum purpuraſcente & albo flore inſcribit. Nos Dẽtem canis C.virum Vlyſſem Alexandrum Bononiæ: D.Geſner. & D.Melchiorem Guilland.Hermodactylum nominare audiuimus.

Camer.in Epit. Matthiol. figuram pulchram habet ſub titulo Pſeudohermodactyli & Dentis canini,qui vulgò It. *Hermodattilo baſtardo*. Lectores huius Satyrii hiſtoriam conferant cum iis quæ Veteres de Satyriis ſcripſerunt, quæ Annotauimus cap.de Orchidibus vbi etiam reperient æquiuoca.

Naſcitur flore purpurpureo copioſè ad quorũdam montium radices ſolo herbido vdo,in Styria non procul Grætzio. Similis planè cum hac coloris, in Allobrogum montibus erutam Valerãdo Dourez ſibi aliquando miſſam meminit Cluſius: ſed & circa Baïonam naſci, vicinis Cantabrorum montibus, referebat C.V. idemque Medicus Regius Io.de la Riuiere. Floret Aprili, interdum etiam maturiùs, in hortis præſertim culta. Flore albo aliquando accepit a C. V. Vlyſſe Aldro. tum à Iac. Antonio Cortuſo Patricio Patauino,& ab Achille Cromero Medico cùm Patauii viueret: verùm ſimiles etiam radices Francofurtum miſit Io. Vincent. Pinellus. Vtraque frigoris patientiſſima. Lugduni florebat Aprili in horto Valer.Dourez,(imò Io.Bauhini) è iura monte, cuius ſedulitate primùm nobis, inquit Lobel.innotuit,eruta Alpibus Lemano finitimis: & poſtea in collibus Taurinenſi Pado,ſeſquileucam diſſitis,eandem eruimus. Florentem in fine Februarii & Martio floribus albis vidi, in Montibus Euganeis inter Aponenſe Balneum & Arqua ac aliis in locis illorum montiũ:Hanc etiam in horto Priuli obſeruaui.Antea ſiccam videram apud D. Geſnerum. Ferrariæ viſa in cœnobio S. Dominici à *l'Angeli*, & copioſè in collibus circa Bononiam. Item Baſileæ flore albo, menſe Martio, in horto D. D. Plateri. Aliud floris genus colore differens nempe rubro ex purpura: album dat in hortis & ſpontè copioſè circa Geneuam florens Martio & in colle *la Baſtie*: Lugduni habebam in horto meo Geneuâ accerſitum. Prouenit mihi Montbelgardi in horto ex radicibus Geneuâ miſſis protrudens folia & florem Martio, & Aprili euaneſcens.

Styriacas mulierculas radicis exiccatæ pollinem pultibus puerorum inſpergere ſolere ad enecandas eiiciendáſque ventris tineas Cluſio relatum eſt. Ex vino autem hauſtum,mirificè coli dolores mitigare expertus eſt D. vir Thomas Hauvvſtein Sereniſſ. Archiducis Caroli primarius Medicus: [qui multos eius bulbos non ſemel Viennam vſque miſit,] inſuper corporis vires reficere & nutrire: ex aqua verò pueros epilepticos iuuare. Ad excitandam, autore Lobelio, venerem magnam vim habere oſtendit, humida & calida ſubſtantia, cum acrimoniæ paululo iuncta.

## MALEAGRIS SIVE FRITILLARIA ſaturatior & dilutior.

### Cap. XI.



MEleagris ex *radice* emergit bulboſa, candida, ſolida, nullis tunicis ſeptâ, Cluſio, ſed veluti in binas, eáſque vt plurimùm inæquales partes ſectâ, è cuius medio protuberat quaſi puluinus quidam, vnde caulis emergit,ſeſſili parte, multis fibris donatâ: caulem promit tenuem, ſingularem, dodrantalem & pedalem,interdum etiam maiorem, foris ex viridi purpuraſcentem vel fuſco obſoleto colore præditum, teretem & Deſcriptio

leuem, intus fungoſum : ad quem ſine pediculis adnata hinc inde, nullo ordine *folia* Tragopogonis purpur. quinque ſex, ſeptem mediocriter longa, anguſta, carinata, ſubacido ſapore prædita: in ſummo caule *flos* ſæpè vnicus aliquãdo bini, interdũ terni, qualem nos exhibemus (omnes autore Cluſio eodem tempore ſe aperientes) ex pediculis vncialibus, cauli concoloribus, incuruis nurantes dependent, pulchri, Campanæ inſtar, magni, ex foliis ſex compoſiti [Cluſius habuit cum 8. & duodenis] teſſellato emblemate, fritilli ſeu tabulæ latrũculorũ diſtinctis, plagis alterno rubore, carneo, ſãguineóue, & albedine pictis, aſpectu pulcherrimo, interiore ſuperficie ſaturatiori purpurâ ſplendente: ſingula folia ab imo coſtam eleuatam habent, ad folii vſque medium abeuntem, in rautillo puniceo, luteolam: in floris medio, *ſtamina* ſex, capitulo farinâ crocea aſperſo, *ſtilum* ambiunt tricuſpidem, coloris herbacei, odoris nullius; florem verò excipit *capitulum*, angulosum, vel, vt tradit Cluſius, triangulare, vnciam plerumque longum, ſupernâ parte craſſius & ſine coronâ, alioqui Narbonẽſis Tulipæ capiti ſimile; quod in ſe continet *ſemen* pallidum, compreſſum, Tuliparum ſemini accedens, vel, vt ait Cluſius, Tulipæ Narbonenſis ſemen quaſi referens membranaceo margine latiore, in quo nullum, contrà quàm in Tulipa, germen conſpicitur.



Ea ex qua curauimus parandam noſtram iconem ſpecioſior eſt & coloratior, paulò citiùs florens; altera, colore dilutiore eſt, minùs ſpecioſa, & nonnihil tardiùs florens.

Flos interdum variat. Floret autem cum præcocioribus Tulipis, interdum etiam Martio in hortis: præcocior videlicet, nã genus etiam inuenitur magis ſerotinum, & cum Tulipis ſerotinis flores explicans, eoſque vel ſaturatiores maculas habentes, vel dilutiores, quemadmodum genus magis præcox, magna autem ex parte, ſaturatiores.

Tempus

Cluſius Icones duas proponit: vni, titulus in Pann.p.173. Fritllaria ſaturatior: p.170. alteri, Fritillaria dilutior. In hiſtor. verò Fritillaria & p.153. Fritillaria dilutior. Is ait ad ſe primùm miſſam hanc plantam à Pharmacopœo Aurelienſi Noële *Capperon* vocato, qui nomen indiderat: quòd eius areolæ verſicolores Fritillum quodammodò æmulentur: vulgò Lilium variegatum antè appellata fuit: Meleagridem alii appellare malunt, quoniam eius foliola variis coloribus picta ſint, vti plumæ Meleagridis auis, quã vulgus Gallinam ſiue Perdicem Barbaricam aut Guineæ vocare ſolet, diuerſis tamen.

Cæterùm, qui latè Narciſſi nomen extendunt [inquit Dodon.] non modò Tulipam, ſed & Meleagridem eò referunt, quæ tamen à Narciſſis differens eſt, Tulipæ ſimilior, ſubinde florem germinans, quam nonnulli Fritillariam vocant.

Lobel. Obſ. & plant. icon. p.136. Fritillaria ſiue Lilio-Narciſſus purpureus variegatus, Meleagris flos Dodonæi Teut.170. Item Aduerſ. par.2. Lilionarciſſus purpureouiolaceus teſſellatus niger, ſaturæúe, dilutæ aut obſoletæ purpuræ, præcociſſimus, præcox, & ſerotinus; ſiue Fritillaria à fritilli ſimilitudine, è Lilio-Narciſſi genere, pratenſibus Aurelianis oriunda iam diu omnium primò in Belgium delata fuit; deinde ex Xantonicis, Pictauienſibus & aliis Galliæ pratis, in Britanniam, áliaſque Boreales plagas ab amicis miſſa &c. Præcox florem Februario ſæpè laxat, obſoletioris purpuræ, nonnunquam dilutioris. Media menſe Martio cum præcociſſimis Tulipis floret, cui flos colore hilarior paulò, pronus propendulúſue Campanulæ inſtar, Tulipæ minor, naturæ admirando opiſicio variegatus, quodam quaſi ẽblemate, ſubalbi, purpuro-violacei ſaturioris, variorumque colorum, pictus, teſſellatus, ſegmentatuſque. Serotinæ Xantonicæ flos pulcherrimus eſt & ſaturiore nitidioreque purpuro-violaceo nigro colore gratiſſimus. Hæc nobis Antuerpiæ iam multis annis elapſis in deliciis fuit. Omnibus ſemen Tulipæ minus, clauditur oblongo triquetro vtrinque ſupernè compreſſo membraneo pericarpio.

Spontè quibuſdam pratis ad Ligerim flumen nonprocul Aureliâ, vrbe Galliæ celebri, naſcitur, vnde primùm ad me (ait Cluſius) miſſa fuit Machliniam, & Belgicæ communicata anno 1572. [naſci etiam in Normanniâ & Britannia minore intelligo.] Deinde Viennę Auſtriæ, aliquot bulbos accepi triennio pòſt, munere Ill. V. Ioh. de Vulcop. Miſit etiam aliquot poſt annos Ill. V. Augerius de Bouſbeque. Anno verò 1579. in quibuſdam pratis quatriduano itinere infra Budam Pannoniæ, ab iis qui Conſtantinopoli redibant, menſe Martio florens obſeruata eſt.

Sed & poſtea pleræque ſemine mihi natæ ſunt, quæ ſeptimo & octauo demum anno, vel etiam ſeriùs floruerunt: quarum aliæ binos, quædam ternos, nonnullæ vel geminos, vel duodecim foliis conſtantes flores tulerunt. Meleagris nobis per aliquot annos floret menſe Martio & Aprili in horto Ill. Principis noſtri, miſſi per Ill. Landgr. Philip. fœlicis recordationis, eam nobis etiam miſit ex Burgundia peritus Pharm. Toſſanus Carolus: obſeruauimus non primo anno nec ſecũdo flores proferre, ac cùm incipit vnicum, ſequenti anno duos, poſtea etiam tertium; ea autem duplex tam coloratior, tum dilutioris coloris, fert flores Martii principio, & ſemine deciduo ſe multiplicat, verùm primo Vere ſolum vnum tenue folium profert. Semina vbi matura committenda ſunt terræ.

---

## FRITILLARIA NIGRA.

FRitillaria quæ nigra aut obſcurior apud Lob. Adu. par.2. vocatur, internè ex luteo vireſcit cum reflexis oris, viridibus lineis ſtriata; à medio ad centrum ſubfuſcâ teſſulata eſt, *flos* vncialis longitudinis, vti aliorum congenerum. Teſſulis à medio interno ſimilibus prædita eſt, cuius flos hilarior purpuraſcens. Obſoletioris coloris

ex luteo

ex luteo magis viridi, parum ſubfuſc a:intus minùs teſſulata,quemadmodum Fritillaria ex fuſco & luteo ſublurida, cuius flos longitudine ſeſquiunciam æquat:omnibus per floris maturitatem, ſena folia reflexa ſunt.

## MELEAGRIS SIVE FRITILLARIA
### Pyrenæa flore minore.

MIttebat Venerius bulbos Fritillariæ cuiuſdam [inquit Cluſ.hiſt.rar. in append. par. 2.) è Pyrenæis montibus erutos, è cuius floribus quos inſequente anno proferebat, diuerſam eſſe obſeruabam ab iis quas cap.11.lib.11. hiſt. Pl. exhibui.

*Bulbum* quidem habebat Fritillariç illo c. deſcriptæ formâ ſimilem, minorem tamen: ex quo prodibat pedalis *cauliculus*, gracilis, viridis, ſenis aut ſeptenis *foliis* ſeptus, ex viridi ciner aceis,qualia ferè ſunt in aliis Fritillariis, in cuius ſummo faſtigio naſcebatur *flos*,aliarum Fritillariarum flore minor,ſex foliis conſtans, quæ extimas oras,nonnihil reflexas habebant, vt parui tintinnabuli formam



exprimeret, quorum terna exteriora, internis erant anguſtiora,omnia obſoleti foris coloris,circa oras tamen (præſertim interiora) venis quibuſdam flaueſcentibus diſtincta,internè verò ex viridi flaueſcentis & ſplendentis, à mediis porrò foliis ad ipſos vſque vngues [qui ſimilem colorem habebant] plurimis maculis ſaturatè purpuraſcentibus teſſellatim diſpoſitis notata : ex vmbilico prodibant ſex breuia *ſtamina* longis apicibus pallidis prædita,triſulco ſtilo è medio illorum procedente : *odor* eius grauis,quaſi Phalli odorem referens, & proximè ad eum, qui in Spatula fœtida percipitur accedens.

In earum porrò Fritillariæ Plantarum quæ è Pyrenæis montibus eruuntur, floribus, non minor obſeruatur diuerſitas quàm in illis quæ vulgares in diuerſis Galliæ Prouinciis reperiuntur: nam licèt omnium quos mihi[loquitur Cluſ.Exot. in app. altera ] quidem conſpicere licuit forma quodammodò ſimilis ſit, ſex videlicet foliis conſtans, eorúmque terna interna folia magna ex parte tribus externis ſint latiora & ampliora, quidam tamen flores illa repanda habent, hoc eſt,illorum extimas oras reflexas habent : nonnullorum verò oræ vel non ſunt reflexæ penitus, vel certè minimùm:rurſus illi flores qui extimas foliorum oras reflexas habẽt: alii aliis ſaturatioris ſunt coloris, quidam etiam adeò ſaturi , vt nigri videantur,præſertim externâ foliorum parte,quæ nec teſſellis diſtincta apparet : at interna purpureis quibuſdam maculis diſtincta, vel frequentioribus vel minùs frequentioribus,aut magis ſaturis, aut dilutioribus,eáque ſplendet. Illi verò flores qui folia repanda non habent,vel quorum oræ paullulùm duntaxat ſunt reflexæ , externâ parte vt plurimùm vireſcentis coloris ſunt, internâ autem ex viridi flaueſcentis & ſplendentis,quali pænè præditus eſt tenuior ille ſericeus pannus vulgò *taffetas* vel *caſat* nuncupatus, ex flauis & viridibus ſericeis ſtaminibus contextus: atque in illis teſſellarum illa diſtinctio obſcuriùs apparet: ſingulorum autem foliorum vngues interni nonnihil caui ſubuiridem maculã impreſſã habent: ex floris verò vmbilico ſex alba ſtamina prodeunt,quorum apices pallidi,inter quæ trifidus exilit ſtylus paulò ſupra ſtamina ſeſe exerẽs. Florent paullò ſeriùs quàm vulgares ſerotinæ Fritillariæ, & ſemen ferunt in thecis ſine capitibus triangulis,vulgaris Fritillariæ inſtar,planum, vulgaris ſemini prorſus ſimile,in quo nullum etiam germen conſpicitur. Interdum hæc planta binos flores in eodem caule profert, quemadmodum vulgaris. Audio huius generis plantas reperiri quæ proferant florem pænè flauũ, quas nondum videre mihi contigit. Lobel.Adu.par. 2.Fritillaria Pyrenæa nigra foliis latioribus,quinis aut ſenis in caule pedali,altioréque. Floruit Londini menſe Aprili.

## MELEAGRIS SIVE FRITILLARIA
### Aquitanica reflexis oris.



NObilis Vir Ioh. Boiſſot genus habebat Fritillariæ magis ſerotinũ,quod toto bimeſtri poſt primũ floruiſſe ad me (ait Cluſ.Pãn. & hiſt. poſt.) ſcribebat binis ornatum floribus, miſſus *bulbus* Autumno : Maii ſubſequentis initio *florem* aperuit ſex foliis, vt in præcociore, conſtantem, quorum extremæ oræ nonnihil reflexç erant, dorſi neruus paululùm extuberabat , atque vireſcebat, interiora terna folia externis erant latiora, omnia autem exteriùs ab imo folio ad extremas oras, obſoletæ purpuræ radiis,ſub quibus nonnihil flaui conſpiceretur,diſtinguebantur, interiùs verò colore ex viridi flaueſcente prædita erant, veluti ſericeus pannus viridis, cuius ſubtegmen flauum ſit: ſex *ſtamina* ex vmbilico prodibant pallidis apicibus obſita,alia aliis longiora. Nullum *ſemen* tulit , proximo anno imminutus bulbus florem non dedit,tandem ſubſequens rigida hyems omninò corrupit.

Deſcriptio

Fritillaria hæc Aquitanica ſiue ſecunda ſpecies commodè Meleagris aut Fritillaria appellari nequit , quandoquidem colorum in eâ varietas ſimili modo non eſt diſtincta,vt in priore:tametſi & caule qui aliquantulùm tenerior, & fo-

liis, quæ in hac paullò anguſtiora magiſque herbacei coloris;videntur , & radice , atque etiam floris formâ nonnihil illam æmuletur.

Fritillaria Aquitanica Cluſii & Boiſſoti ſerotina videtur Lobel.Adu.par.2.quadrare cum varietatibus Fritillariæ nigræ.

---

MELEAGRIS SIVE FRITILlaria flaua.

Deſcriptio



FRitillariæ quoddam genus habuit Ioan. Somer, quod florem produxit ſex quidem foliis conſtantem & nutantem, vt cætera Cluſii genera : ſed quorum folia ſunt flaui coloris rubris maculis diſtincti,illorum medio neruo prominulo & vireſcentis coloris.

Fritillaria lutea Lobelii Adu. par.2. differt ab aliis floris colore luteo, rubris maculis ſegmentato. A Somero Medioburgenſi ſtudioſe colitur : Iconem Londini iam biennio elapſo accepit, ſed minùs affabrè delineatam,vti D.Cluſius monuit.

Huius Fritillariæ luteæ bulbos Lutetia Londinum miſit I.Robinus Botanicus Regius ex Pyrenæis montibus delatos,prouenit autem in Pyrenæorum Canſſaure.

Fritillariam flauo flore ( de qua Cluſ.rar. plant.ſcripſit ) vidimus oblatam Ill.Princ. Sybillæ Anhaltinæ Ducillæ Wirt. florentem Aprili, quæ erat ex horto Steckii , ſtrias habentem internà parte potiſſimùm flauas.

*Fritillaria alba ex phœo purpureo teſſellata.*

Fritillaria alba elegantiſſima ex phæo purpureo teſſellata , collecta in Albania à Somero Conſtantinopoli in patriam redeunte : flos internè rubicundior eſt,vnguibus albis præditus , Lobel. Adu.par.2.

*Fritillaria floribus albis notulis aſperſa.*

Floribus albis notulis item fortuitis aſperſis , apud Pictones Galliæ Aquitanicæ reperiri, Lobelio Adu. par.2. retulit Petrus Naudin Salmurii Pharmacopœus egregius,Fritillariam;non procul ab arduis ſaxoſis viis , *Paſſelourdin* vocatis , iuxta S.Benedicti vicum,miliari à Metropoli Pictauio diſſitis , vbi viperæ commendabiles ad Theriacem,exili collo & caudà,captantur.

---

FRITILLARIA ALBA ALTERA.

FRitillaria alba altera,quam in Luſitaniæ mõte oriundam iuxta vrbem *Porte* vocatam anno 1603.florentem memini ( inquit Lobel.Adu.par. 2. ) in hotto D. Matthiæ Craen Mediocaſtrenſi Mattiacorum aquà mariue actorum Scriba.Anno 1604. huius copiam emit Londini I.de Franqueuille à quodam Botanico Gallo, qui manipulum floribus præditum albis , nullis maculis diſtinctis aut teſſulatis vendidit.

Fritillariæ repertas eſſe plantas intelligit Cluſ. Exot. append. 2. quæ album florem geſtāt, quæ pręcocioriſne generis an ſerotini ſint ignorat, quia nullam ſimilem plantam hactenus videre ipſi licuit,& rariſſimè inueniri intelligit : videlicet inter aliarum myriades interdum vnam ault alteram plantam. Mittebat eruditiſſ. Venerius anno 1603. aliquot Fritillariæ albo flore bulbos amicis.Hogelandus altero poſt anno binas habuit plantas quæ flores tulerunt,notis quibuſdã diſcretas:vnius enim flos totus albus fuit,alterius foris etiã albus, internâ autem parte venis quibuſdam purpuraſcentis diſtinctus: Porrettus vnicam habuit, cuius flos totus albus fuit.



An apud Recentiores medicum in vſum veniat Fritillaria Cluſium fugit.Ob florum tamen elegantiam & venuſtatem expeti & diligenter in hortis coli potiùs exiſtimat.

---

TIGRIDIS FLOS : DRACVNCVLI ſpecies putata.

CAP. XII.



PAri querela cum Dodon. Lobelio, & C. Bauhino, Plantæ huius peregrinæ hiſtoriam aggredimur. Siquidem nec nobis hactenus viſa. Eius tamen Eiconem apud Cl. Alexandrũ, viuis depictam coloribus videre contigit Genero H. Chetlero. Qualem Lobel. affabrè expreſſam à I. de Brancion coloribus ait: viren De.

virentibus oblongis anguſtis & acuminatis *foliis* è pullo *radicis bulbo* : *flore* luteo, exiguis quamplurimis notulis fortuitis punicātibus variato: è cuius medio ſuaue rubens *ſtylus* exeritur: Omnibus herbariæ ſtudioſis ipſam plantam hactenus incognitam: Eiúſque bulbum edulem credi perhibet.

Lob. Obſ. & Ic. Pl. p. 111. Trigidis flos an Dracunculi ſpecies? Tigris autem, cuius florem Dod. videre nondum conceſſum eſt, quò referenda ſit cognoſcere, nec dum potuit, videtur tamen ex bulborum genere: aut, quod veriſimilius, inter Ari genera reponenda, & Dracunculi aliqua ſpecies eſſe, niſi pictura imponat. Hiſt. Lugd. & Gerardo Trigidis flos.

Gener Cherlerus eius partē aliquam, illam potiſſ. quæ floris nondum panſi ſpeciem ferebat apud Robinum Herbarium Regium Lutetiæ vidit: ſaltem ex ſimilitudine eius quidam moti ita cenſuerunt. Verùm ipſammet viridem plantā non vidit. Videant curioſi Rhizotomi an alicūde ad nos inuehi poſſit. Scimus enim à Magnatibus plurimis admodum deſiderari.

## LILIVM ALBVM VVLGARE.
### Cap. XIII.

FLorum deliciæ Lilium, ex *radice* bulboſa nucleis multis conſtante, *caulem* ſurrigit rectum cubitalem & ſeſquicubitalem, vel etiam altiorē, ſingularem, teretem: cui ab imo ad ſummum adnata *folia*, nullo pediculo: *flores* in ſcapo ſerie quadam plures non eodem tempore panduntur, odoris ſuauitate eximiâ, colore lacteo, ſenis pinguibus repandis foliis calathum imitati: in quorū medio *ſtilum* longiuſculum ex albo viridantem triſulcum circumſtant *ſtamina*, foliis numero & colore paria, quibus apices inſident crocei. Lilio adſcribit Cæſalp. *ſemina* rotunda, oſſea ex toto, nullâ conſpicuâ medullâ, ſedentia in angulis &c.



*Lilium Veteribus.*

Lilia quæ coloris differentia inter ſe diſtant, autore Theophraſt. vnicum ferè caulem habent, duplicem rarò: quam differentiam cælum & ſolum efficiūt. Ex ſingulis caulibus aliquando vnū, aliquando plura Lilia emergunt: pars enim ſuprema germinat. Sed hæc rariora. Radice eſt copioſa, carnoſa, rotunda. Fructus detractus germinat, & Lilium emittit, ſed minus. Reddit & lachrymarum confluxum quendam, quem etiam ferunt. Gaza, neſcio qua ratione motus, vertit, Fecit & lachryma cæcum quoddam confluuium quod etiam ferunt.

Cæterùm quod dixit Plinius rubens Lilium Crinon vocari à Græcis, docti quidam legendum cenſent, ἐρυθρὸν κρίνον, vel compoſita voce ἐρυθρόκρινον: nam etiam album Lilium Crinon vocant. Quod autem Lilii florem Cynorrhodon vocari apud eundem legitur, alii ex Heſychio lectionē hanc retinendam, alii falſò ſuſpectam, & Crinorrhodon legendam cenſent. Cynorrhodi etiam appellatio nihil cum Lilio commune habet, verùm id Roſam ſylueſtrem multis aliis locis Plinius vocat. Crinorrhodon verò propriè Lilii roſam & florem ſignificat, quem Hippocrates κρινάνθεμον appellat. *Crinanthemon.*

Lilium etiamſi omnibus vbique ferè notum ſit, [inquit Cornar.] tamen affabrè admodum à Plinio lib. 21. cap. 5. depingitur. Lilium roſæ nobilitate proximum eſt, & quadam cognatione vnguenti, oleíque, quod Lirinon appellatur. Et impoſitum etiam maximè roſas decet, medio prouentu earum incipiens. Nec vllis florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus, effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuíque folio & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Ita odor, colórque duplex, vt alius calycis, alius ſtaminis, differentia anguſta. *Et paulò poſt* de rubente Lilio, itémque de purpureo ſubdit. Eſt & rubens Lilium, quod Græci Crinon vocāt. Alii florem eius Cynorrhodon. Laudatiſſimum in Antiochia & Laodicea Syriæ, mox in Phaſelide. Quartum locum obtinet in Italia naſcens. Sunt & purpurea Lilia, aliquando gemino caule, carnoſiore tantùm radice, maioríſque bulbi, ſed vnius, Narciſſum vocant. Huius alterum genus flore candido, calyce purpureo. Differentia à Liliis eſt & hæc, quòd Narciſſis folia in radice ſunt, probatiſſimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cætera eadem, calyx herbaceus. Quæ de tingendi ratione ſubdit, inferiùs recitabūtur. Et hæc partim de 6. lib. Hiſt. ſtirp. Theophraſt. tranſlata ſunt. *Lilium Plinio. Deſcriptio* *Lilium rubens. Cynorrhodon. Lilium purpureū. Narciſſus.*

Lilia, inquit Dioſcorides, coronamentis ſe dedunt, Liria à quibuſdam vocata, tradunt & purpurea inueniri. Sic Lilii deſcriptionem perſtringens l. 3. c. 119. *Dioſc. not.*

Theophraſt. Lilia etiam vocauit Narciſſos: ac tradit etiam I. Druſius σῦσα, Suſanna & Soſanna dici.

Horatius breue vocat, quia non diu durat. Vnde D. Baſilius in explicatione Pſalmi 44. Nullum florem hoc meliùs exprimere fragilem humanæ naturæ conditionem refert. Idque etiam Theocritus.

Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ.
*Candidum eſt Lilium, tabeſcit verò cùm decidit.*

Hebræis *Scoſcham*: Arabibus *Suſen* & *Alcoſtam*, Ægyptiis *Symphæphon*, aliis *Tialon*? Syris *Saſa*: Aphris *Abliblabon* & Abiblabon. Κρίνον, ϰ λείριον, Græcis: [ Crinon baſilicon, Crinanthemon, Gallyrion, Grallirion alii, inter ſpuria Dioſcoridis] Lat. Lilium, ſiue Iunonia, aut Iunonis roſa, Lilium candidum Officin. & vt Adu. tradunt, Lilium Salomonis. Germ. weiß Lilgen/lilien oder Gilgen. Belg. witte lolie. Gall. *Lis*, *& lis blanc*. Hiſp. *Azucena* & *Licio blanco*. Lob & Pena aiunt *Lirio blanco*. Angl. weithly. Bohem. lilium. Hungar. Fever lilien.

Obſcurus eſt Theophr. l. 2. hiſt. pl. c. 2. locus de Lilii & Hippoſelini generatione, quem cùm nec Theodorus, nec Bodinus [qui malè Æquapium pro Equapio legit, ] ſatisfaciant: ſic intelligendum cenſemus: Propriiſſimam ſcilicet generationem eſſe Lilii & Hippoſelini, quum lachryma ſiue ſuccus ſiccatus fuerit: id quod obſeruatur in Cæpis, Alliis, Croco, Tulipa, Corona Imperiali, & aliis, quæ è terra eximuntur & ſiccantur, per aliquot menſes vt fœliciùs ſequenti anno proueniant & floreant, idque non ſine ratione manifeſta: Illud tamen perueſtigandum an ex caulibus conciſis naſcatur Lilium: quædam ſanè Lilii genera & Moly ex caulibus producunt bulbulos in caulibus, quibus ſe propagant, licèt ex radicibus etiam, ſicuti Lilia alba producunt bulbos.

Cæterùm, Lilia adeò omnibus notiſſima ſunt, vt planè ſuperuacaneum eſſe cum Matthiolo putem, exemplo Dioſc. adductus, vel ex nobis eorum faciem repræſentare, vel alterius hiſtoriam referre: ſed tamen quoniam iis quandoque mos gerendus eſt, qui ſemper hortis nouis ac variis floribus refertis delectantur: idcirco ſilentio præterire non potui, quin hîc infererem, quâ ratione, quóue mangonio alba Lilia [ſi tanta fides priſcis rei herbariæ authoribus adhiberi poteſt) purpurea fieri poſſint. Quod cùm Plinius docuerit lib. 21. cap. 5. vbi de Liliis latiùs diſſerit, ideò eius verba ſubiiciemus. Inuenta igitur eſt, inquit Plin. & in his ratio inſerendi, monſtrificis hominum ingeniis. Colliguntur namque menſe Iulio ſcapi areſcentes, Liliaque ſuſpenduntur in fumo. Dein mundantibus ſe nodulis, in fæce nigri vini, vel Græci, menſe Martio macerantur, vt colorem accipiant, atque ita in ſcrobiculis ſeruntur, heminis fæcis circumfuſis. Sic fiunt purpurea Lilia, mirúmque ita ligni aliquid, vt naſcatur infectum. *Hæc Plinius*.

Lilia (vt Anatolius teſtatum reliquit) totum annum viridia durabunt, ſi cùm occluſa ſilent, nec dum patentia dehiſcunt, decerpta, nouis fictilibus non picatis [lagunculis picatis ne quid aëris ſubire poſſit, An. Mizald.] indito diligenter operculo recondantur: ſic enim clauſa perpetuum annum vegeta manebunt. Sed vt intermedio tempore ad vſum promuntur, ſtatim ad Solem [vel tepidæ aquæ vaporem, An. Miz.] producta, cùm ſenſerint eius calorem, aperta panduntur. Porrò vt viciſſim, & variis temporibus flores pariant Lilia, bulbi ita ſeruntur, vt aliqui duodecim digitorum altitudine obruantur, alii octo tantùm, alii quatuor duntaxat profunditate mergantur, ſic diuerſis diebus dabunt Lilia: quod & in aliis floribus fieri pollicetur. Rubeſcūt Lilia ſi eorum bulbis diligenter apertis puluis aliquis rubri coloris, modò non ſit erodens, iniiciatur, & pingui ſolo committantur. Si verò etiam alio colore quis ipſa oblinat, cuiuſcunque coloris voluerit Lilia gignentur. Camer. & Florentinus rei ruſticæ Scriptor.

In Lilii florente caule reſecto etiam bulbo ſemina prouenire obſeruatum: quod etiam obſeruaui in Iride bulboſa. Lilium plantetur (inquit Creſcent.) menſe Octobri, Septembri, Nouembri in terra pingui & benè ſubacta: ac accipiuntur bulbi eius virides, vel ſicci, ponunturque per vnam ſpannam, vel unum pedem, quod eſt melius, ſeparati: ſicut fit de aliis.

Lilii vires tradidit Dioſcor. lib. 3. c. 99. ſic inquiens: Ex lilii regii flore paratur vnguentum, quod neruos, priuatimque vuluæ duritias emollit: ferueſacta quoque, aduſtis proficiunt: aceto verò condita, vulneribus proſunt. Ex eorundem ſucco in æneo vaſe decocto, adiectis aceto & melle, liquidum fit medicamentum, veteribus vlceribus recentibuſque vulneribuſque vtile. Inaſſata radix & ex roſaceo trita, igni ambuſta ſanat, vuluam emollit, menſtrua ciet, vulceraque cicatrice obducit. Cum melle autem detrita, præciſſis neruis luxatiſque medetur: alphoſque, lepras & furfures emendat. Quin & vlcera in capite manantia exterget, faciemque purgat ſimul & erugat. Eadem trita cum aceto aut hyoſcyami foliis & farina tritici, teſtium inflammationes demulcet. Semen verò potum, ſerpentium morſibus aduerſatur, eryſipelatis autem ſemen & folia trita ex vino imponuntur. Cæterùm in Syria, & Paſidia Pamphiliæ Lilia vnguento conficiendo efficaciſſima naſcuntur. Vi-

His præterea facultatibus pollere Lilium, Galeni quoque comprobatur teſtimonio, qui libro 7. ſimpl. medic. facult. dicato: ita de eo ſcribit: Lilii flos, inquit, temperaturam miſtam obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena eſſentia, ex qua vtrique habet, vt guſtu ſit amaro, partim ex aquea, eaque temperata. Itaque etiam quod ex ea conficitur oleum, citra morſum digerendi, ſimulque emolliendi facultatem habet: vnde fit vteri duritiei aptiſſimum. Porrò radix foliaque per ſe trita deſiccant & abſtergunt moderatè, proinde ambuſtis quoque competunt. Radicem ergo toſtam, deinde cum roſaceo contritam, ambuſtis, quoad obducatur cicatrix, imponunt: quippe cùm alioqui & aliorum vlcerum omnium bonum ſit inducēdæ cicatrici remedium. Quinetiam neruos emollit, menſeſque prouocat. Folia verò præcoquentes, & ipſa ad obductam vſque cicatricem imponunt, non in ambuſtionibus duntaxat, ſed aliis quoque vulneribus. Sunt & qui aceto ea condientes ad vulnera ſuo tempore vtuntur. Plus tamen ineſt abſtergentis facultatis in radice quàm in foliis, quanquam tamen nec in ea ipſa multùm inſit: nam in primi ordinis abſtergentium eſt medicamentum. Itaque cùm aut vitiligines, aut pſoram, aut lepram aut aliquid id genus extergere volumus, commiſcemus ei aliquid aliorum medicamentorum validiùs extergentium, cuiuſmodi eſt mel. Cæterùm ſi id moderatè illi ac conuenienter admiſceatur, & ad neruorum diuiſiones competit, & ad alia vniuerſa, quæ valenter exſiccari poſtulant abſque morſu. Impoſuimus verò etiam quandoque & foliorum ſuccum cum aceto & melle coctum. Quinque partibus ſucci plus vtroque erat, atque inſigne medicamen ad omnia ea quæ

quę exſiccari poſtulant abſque morſu:ceu vulnera omnia ingentia,& maxima quæ in capitibus muſculorum eueniunt, tum ea quæ nimis mollia ſunt & diuturna, atque ægrè ad cicatricem perducuntur.

Porrò medicum vſum Lilii exponit Plin. l. 21. c. 19. vbi inter cætera habetur. Succus qui flore expreſſus eſt,ab aliis mel vocatur, ab aliis Syriũ, ad emolliendas vuluas, ſudoréſque faciendos & ſuppurationes concoquendas. Falsò autem legi, mel vocatur: & legendum eſſe, Phaſelinum vocatur: ex eodem Plinio patet,qui hunc locum citat l.25.c.5.Lirinon,inquit,quod & Phaſelinum & Syrium vocauimus,tenibus vtiliſſimum eſt, ſudoribúſque euocandis,vuluæ molliendæ, concoquendiſque intus. Sed & laudatiſſ. in Laodicea Syriæ,& mox in Phaſelide Lilium eſſe, ipſe Plin.lib.21.c.5.dixit,velut locus ſuprà adductus teſtatur.

Ex Simeone Sethi odoratum frigido capiti prodeſt. Oleum verò quod ex ipſo paratur,vim habet diſcutiendi & emolliendi. Huius autem radice quidam vtuntur ad vulnerum ſanationem.

Tradit Matthiol. elixam Lilii radicem, veteri axungia exceptam & illitam,pedum clauos tollere,ſed ante triduum remoueri non debere. Eãdem ex adipe & oleo adhibitam fluxos pilos replicare: cum mulsò autem potam, ſanguinem extra vaſa concretum per aluum eiicere, ſuppurationes moliri & concoquere, & duritias quaſcunque emollire. Stillatitiam florum aquã dari vtiliter potandam ægrè parturientibus,& ad pellendas ſecundas addito croco & caſſia. Oleũ quod ex floribus paratur, valere ad omnes frigidos neruorum morbos, nempe ad conuulſiones, & reſolutiones: præſtat item ad emollienda articulorum impediméta, & ſcirrhoſos quoſcunque tumores. Illinitur quoque puerperis vteri dolore languentibus, addito oleo è Lini ſemine,præſertim cùm ſuccida lana iis calidis imbuta ventri ſuperponitur. Additur clyſmatibus cùm induratas fæces mollire fuerit opus. Lilia, quæ diu in oleo macerata fuerunt, illita, priùs calefacta, apoſtemata calida citra dolorem maturant ac digerunt, præſertim ea quæ ſunt in articulis.

Huius aqua ſtillatitia ex floribus parata in partu facilitando & ſecundis expellendis ( inquit Camer. hort.) efficaciſſima, vnde non temerè in aliis affectibus danda. Folia incocta vino auſtero & vulneri diuturnò impoſita ſecundũ Galeni doctr.in lib.7.de ſimpl.Med.facult. multùm iuuare,in eundem authorem annotauit Excell. Iulius Alexandrinus Cæſarius Archiater. Si ſerpentium ictibus auxiliare quiſpiam aggrediaturM,aranthæ conſilio Lilii folia illinat: ad vetera vlcera, eius ſuccum:ad ambuſta, eius radicem: nam ſi indifferenter omnibus eius partibus ad omnes hoſce affectus vtatur, ſcopum non aſſequetur.

Lilium (inquit Porta) qui radices ſquammoſas habet lichenes,lepras & furfures in facie emendat,& vitiligines emaculat.

Lonicerus aliorum veſtigiis inſiſtens, Liliorũ vires ità proſequitur: Flores mixtæ ſunt naturæ, radix & folia diſſipant,exſiccant,atque mundificant,plurimùm tamen bulbus. Oleum infimo ventri inunctum, matricem refrigeratam vehementer calefacit,eiúſque humiditates induratas emollit. Radix decocta, tumoribus duris applicata,eos maturat. Toſta verò contuſa, cum aqua roſacea commixta, ac reiteratis abs interuallo vicibus admota ignem ſacrum extinguit. Simili modo vulneribus impoſita ſarcotica habetur. Eadem prægnantis ventri ſuperpoſita partum promouet. Radix Lilii albi domeſtici decocta,tuſa,ac Oleo communi mixta, adhibita tumores emollit. Sed hæc ſuper hanc rem dicta ſufficiant.

## LILIVM ALBVM SYRIACVM Rauvvolfii.

Lilii quoddam genus in Maiori Batzar peregrinum mihi obſeruatum (inquit Rauvvolff. in mercatorũ potiſſimùm officinis, quod in paludibus,ſtagnis, vdiſq; prouenire mihi narratum fuit. *Caulem erigit* oblongũm,colore & craſſitie noſtratium perſimilem,latiorem tamen multò, ſupernâ potiſſimùm parte, quâ trium digitorum latitudiné excedit,ita vt ſparthæ ſenſim in acumé deſinenti conferri poſſit. *Folia* hunc vtrinque ſtipant pluſcula, tenella,ſatis longa, anguſta tamen, decidua.Summa Lilia aliquot occupãt noſtratibus ſimilia. Deſcriptio



Cluſius ſic deſcribit: Caules tametſi vulgari Lilio non ſũt breuiores, ſi quis diligenter contulerit graciliores eſſe deprehendũtur, rarioribúſque & minoribus foliis ſepti, atq; etiam ipſius flores aliquãtò minores, æquè tamen ac vulgares odorati.Nonnullæ verò radices in tãtam molem excreuerunt vt vix vtraque manu comprehendi poſſent: vnã etiam illarum plures quàm ſexagenos flores protulit: caulis autem planus fuit,& tres ferè vncias latus:anno verò ſubſequente ad ingenium rediit.Sic interdum natura in plantis ludere ſolet. Cluſii deſcriptio.



Liliacea radix miſſa Coudenbergio: quæ illi flores huic omninò ſimiles tulit: quam quoniam

plerumpue in extremo caule confertim naſcebā-tur,& interdum vitium faciebāt, ipſe Lilium fatuum cognominare ſolebat.

*Lilium fatuum. Sultan zambach.*

Conſtantinopoli radices miſſæ nomine *Sultan Zambach*, quibuſdam amicis in Belgiam pro Martagone Conſtantinopolitano: Hinc apud Belgas modò *Sultan Zambach* appellatur, modò Martagon Conſtantinopolitanum flore albo, cùm tamen, teſte Cluſio, vnica eademque ſit plāta, non duæ diuerſæ. Sultan Sambach, propter amœnitatem & floris decus, vel fortè quod magno Sultano dicatum, Lilii hoc genus appellatum videtur.

*Martagon Conſtant.*

Lobelio Obſ. Radix illi Lilii cruenti, ſed notulis, labeculiſue purpurantibus variata, nuper Conſtantinopoli miſſa. Martagon candidum Chalcedonicum, Indidem delatum viſendæ venuſtatis, vt ſi quid aliud, iſtud Lilium aſſeritur: folia Lilii albi noſtratis candidiora, & radix itē cognata. Icon. Pl. p. 163. Martagon album, Lilium candidum Byzantinum Teut. 202.

*Martagon candidum Chalced.*

Rauvvolf. itin. Lilii albi genus viſum in magna Batzar de quo Theophr. lib. 4. c. 9.

Hiſt. Lugd. in append. p. 30. Lilium album Syriacum, quidam eſſe volunt Lilium à Theophr. memoratum lib. 4. c. 9. Cæterùm de Stratiote aquatico Theophr. verba intelligenda ſunt, cuius meminere Athenæus lib. 14. & Plinius capit. 15. libr. 24.

Camer. hort. Lilii albi ſpecies Conſtantinopoli allata. Apud Matth. Germ. Sultan Zambach. C. Bauh. Phyt. Lilium 2. ſiue album peregrinum, Cluſii Sultan Zambach. Lob. Martagon album. Lilium 3. ſiue album peregrinum alterum Rauvvolfii. Lilium pulchrum.

*Locus.*

Lilium Byzantinum album oſtendit Nobiliſſ. Frid. Meier Argentinæ menſe Maio, quod nondum florebat.

## HEMEROCALLIS VETERIBVS.

HEmerocallis (vt Dioſc. deſcribit) *folia* & *caulem* Lilio ſimilia habet, viridia velut Porrum: *flores* in ipſo caule ſunt per ſingulas propagines tres aut quatuor, fiſſurâ, Lilio ſimiles, quum hiare cœperint, colore vehementer pallido: radicem v. magnam & bulboſam. Hæc trita pota, & cum melle in lana appoſita, peſſum præbet, qui aquam & ſanguinem ducit, Folia trita impoſita, mammarum ex partu, & oculorum inflammationes mitigant. Sed & radix & folia ambuſtis commodè imponuntur.

Hemerocallis inter ea quæ folio tantùm coronant Plin. numerat. Alio in loco, Hemerocalles, inquit, pallidum è viridi & molle folium habet, radicem odoratam & bulboſam. Quæ de Hemerocallide Dioſc. accipienda eſſe, perſpicuum eſt.

Ex illis verò quæ Theoph. lib. 6. c. 1. de Hemerocallide prodidit, colligere licet, eam à Dioſc. bulboſa diſſidere: Recenſens enim ſuffrutices coronarios, hanc inter illos, lignoſa eſſe radice, & minutis conſtare foliis affirmat.

Quando verò Plin. Hemerocalles folio tantùm coronari tradit, ſibi minùs conſtat: Theoph. enim (vt Dalech. annotat) ſimpliciter has eſſe coronarias ſcribit: ac eius deſcriptioné alibi traditā truncatam & deprauatam eſſe patet conferenti cum Dioſc.

Athenæus ex Theoph. Hemerocalles inter coronarios flores numerauit, dicens lib. 5. Dipnoſ. ex Cratino:

*Paſcitur mihi caput ex charo Hemerocalle.*

Floris Hemerocallis qui noctu flacceſcit ad exortum Solis mox reuiuiſcens, Cratinus in Effeminatis ſic meminit:

*Anemonarum vernis calicibus, Serpillo, Croco,*
*Hyacintho, Elychryſi ramis, Oenanthe,*
*caróque mihi* Hemerocalle.

Notatu ſanè digna quæ Dodon. de Hemerocallide literis conſignauit: Hemerocallidum, inquit, vna frutex, alia flos eſt. Hemerocallis frutex ex genere eſt coronariorum & lignoſorum de quo Theoph. l. 6. Plin. l. 21. c. 21. Alia Hemerocallis flos eſt, cuius deſcriptio apud Dioſc. eſt ſuſpecta: quod enim radicem addit ὁμοίαν βολβῷ εὐμεγέθει, innuit deprauatam: vel enim ſuperfluis videlicet ampliatam: vel duorum Liliorum mutilas deſcriptiones, in vnam contractas, Hemerocallis videlicet & alicuius alterius Lilii. Niſi fortaſſis & bulboſum aliquod ſit Lilium apophiſes faciens, & vnius tantùm diei florem luteum habens: quale tamen nondum conſtat alicubi repertum eſſe.

Cæterùm Hemerocallis Theoph. & Plinii frutex coronarius vulgò creditur.

Dod. & alii quidam Hemerocallidem Dioſc. & Athenæi cenſent eſſe Lilium Aſphodeli radice, & foliis, flore luteo.

Pancratium Monſpeſſulanum, quod quibuſdam Scylla maior alba, noſtro iudicio non benè dicitur Hemerocallis Theophraſti ac etiam Dioſc.

Corona Imperialis Cluſio dicitur Hemerocallis, eſt autem nobis occaſio cur dubitemus, vt poſtea dicitur.

Habetur & Lilium Perſicum Hemerocallis, ſiue Suſianum Pennachio, Perſiano folio purpureo.

Dicitur quoque de Lilio rubro vel croceo minore, vide Lilium rubrum.

Hemerocallis Cornario Lilium flore nutante ferrugineo. Item Lonic. Geſnero Hemerocallis purp. C. Bauhino an Hemerocallis?

Eſt tandem Hemerocallis altera Matth. nobis Lilium flore miniato.

## LILIVM RVBENS VEL CROceum maius



PAr eſt magnitudine Lilio albo; niſi quòd *folia* incondita, minùs ſint lata, at firmiora, neruoſiora, atrouirore ſplendentia, longiora quàm in bulbifero, *caulis* maculatus, bicubitalis, ſummitas in pediculos aliquot faceſſcens, ſingulis ſingulos flores inhærentes ſuſtinet, Liliaceis magnitudine, for-

formâ, foliorúmque numero ſimiles, verùm colore rutilo coruſcantes, ſaturatioribus intus ſtigmatis punctati. *Radix* ſubeſt bulboſa è ſquammis compactilis, alba, ex qua ramuli repentes nouos generant bulbos.

Hemerocallin Matthiol. vulgus Lilium ſilu. nominat, cuius flores colore perquàm pallido, vt Dioſcor. ait, adeò vt fulgentis auri modo rutilent. In hiſt. Germ. Rote Goldlilgen. Hemerocallis. Boh. Lilium zlate.

Figura à Camer. pro hoc Lilio poſita non placet. Facilè crediderim Lonicerum ſub his verbis (Lilium croceum, Gelb lilgen / quod excreſcit interdum ad duos cubitos, læditúrque à nimio Sole) ſcribere de Lilio rubente maiori, quamuis figurâ id minùs exprimat.

Dodon. Gall. Lilium alterum rubrum ab Herbariis Martagon dictum. Item hiſt. fl. & in fol. Lilium purpureum maius, quod Matthiol. Liliũ ſylueſtre in Italia appellari, & Hemerocallida eſſe, ait: quod tamen veriſimile eſt Hemerocallida non eſſe.

Hiſt. Lugd. p. 1493. Lilium purpureum maius Dodon. de fl. Et pag. 1498. Hemerocallis prior Matthiol.

Anguill. de hoc Lilio ait eſſe Martagonis ſpeciem radice alba, floris magnitudinis Lilii, & epiſtola 13. ait: Non inuenitur planta quæ meliùs correſpondeat Hemerocallidi Dioſcoridis, quàm Cinorrhodon Plinii, id eſt, Martagon Liliaceum, Lilium rubens vel croceum alterum, Hemerocallis Matthiolo, quod Italicum cognominat.

Lobel. & Pena Adu. Lilium purpureum ſiue Chymiſtarum Martagon. Gall. *Lis orangé*. Colores Lilio candido quæſitos mangonio fuiſſe, etſi rei ruſticæ Scriptoribus Plinius aſſeueret, tamẽ purpurei Lilii duo genera ſpontè non arte oriri cum Dioſcor. plurimi montes hodiè teſtantur. Senſis vocis huius ignarus, Phœniceum Lilium, valdè alioqui notum, dicit eſſe, colore perquàm pallido Dioſc. falsò teſte adducto.

Tabern. icon. & hiſt. Rot heydniſch Lilien. Martagon rubrum. Figura Tabern. placeret pro Hemerocallide Matthioli, quamuis aliter ſentiat, qui ei patrocinari ſtatuit.

C. Bauhin. Phyt. Lilium 4. ſiue croceum maius, rubens Plinii: Lilium rufum Trago. Aliquando flore pleno reperitur, vidimus & candido. Item apud Matthiol. Lilium croceum maius, rubens. Plinii fortè Hemerocallis Dioſcor. Brunſ. Fuchſ. Geſner. Lilium rubens Dodonæo. Lilium rufum, Lilium purpureum maius Lugd. Camer. Fuchſio & Lonicero. Lilium croceum. Tab. Liliũ croceum maius. Geſnero Martagon. Lilium purpureum maius Cæſalpino: Lilium ſylu. aureo flore. *Tragi Lilium rufum mihi* ad minus referendum videtur non ad maius, Idem etiam de Lilio rubente Fuchſii & Geſneri: Tabern. Liliũ croceum maius mihi videtur potiùs ad minus accedere, nec velim eius figuram ponere pro Hemerocallide 1. Matthioli. Camer. apud Matthiol. nonam figuram ponit pro Hemerocallide. 1. quæ nõ placet, & quæ fortè Lilii rubri minoris. Lilium purpureum maius Lugd. huc non referendum exiſtimo, vti antè dictum, maius pro minus ſcriptum. Martagon Geſner. de hortis f. 204. huc non pertinet. Cæſalpini deſcriptio conuenit minori Lilio rubenti.

Nuſquam non prouenit [teſte Matthiol. [in Italia, quandoquidem circa meſſem in aruis inter ſegetes, in pratis, in montibus, & in vallibus aureo colore emicat. Ego Lilium croceum maius ſiue rubens vidi Baſileæ in horto Di. Doct. Fœlicis Plateri: Montbelgardi habeo in horto Ill. E. C. Wirtemb. delatum ex Marbach ducatus Wirtembergici, vbi florebat Iunio.

Et licet ſecundum Dodon. purpureorum Liliorum in Medicina incognitus ſit vſus, & facultas incomperta. Sçit tamen Lobel. bulbos Lilii puniceì eadem poſſe quæ Dioſc. vult de Hemerocallide. *Tempus.*

## LILIVM RVBENS VEL CROceum minus.

SQuammatus bulbus *caulem* promit anguloſum ſtriatum, altitudine ſeſquicubitali, cui temerè folia numeroſa adnaſcuntur atro virore ſplendentia, perquàm anguſta, ſecundum longitudinem neruoſa: *caulis* faſtigium in aliquot pediculos firmos, punctis rubris variegatos, modicè hirſutos diuiditur: quorum vnicuique *flos* inſidet Liliaceus, colore ex rubro flaueſcente ſeu croceo, folia intus ſulcata & punctis ſaturatioribus notata habens, odore ſuaui, *ſtaminibus* & *piſtillo* flori concoloribus. *Deſcriptio.*

Lilium rufum, Germ. Rot goldgilgen, Plin. & Dioſc. teſtantur Lilia rubra arte fieri poſſe, quod an verùm ſit necne, ii affirmare poterũt, qui hoc experti fuerint. Neque ſatis conſtat Trago, an hoc Lilii genus Plinius Rufum dixit.



Hieronymus Brunſchvveig Narciſſum vocanit, nec temerè quidẽ, cùm & Theophr. ipſe lib. 6. cap. 6. Lilia Narciſſi voce appellarit: Crediderim equidem radicem huius quoque Lilii, ſicut & albi, maturandis & emolliendis quibuſcunque abſceſſibus prodeſſe.

Pingit Brunfel. Germ. Lilium hoc croceum minus, ſub genere alio Lilii Goldwurtz & Goldgilgen / aut Rotgilgen.

Apollin. Gelb lilien / cui tribuit eaſdem vires, quas Lilio albo.

Meminit Anguill. tertiæ ſpeciei Martagonis radice alba: quam exiſtimat Hyacinthum Homeri, Theocriti, & Pauſaniæ, ac Ouidii: ait etiam Dioſcor. & Theophraſtum huius plantæ meminiſſe. Non errauerit (opinatur Geſner. horti.) qui Hemerocallidem alpinam appellauerit. Pingitur ait idem poſtea à Matthiolo pro Hemerocallide altera. In hortis hoc etiam diu viuit &c. Geſnero an hîc aſſentiendum dubitamus. Si enim Matthiolus hoc Lilium intelligit per Hemerocallidem, quod non exiſtimamus, flores malè picti. Dodon. & Lobelius Hemerocallidem ab Lilio rubro minore ſeparant. *Geſn. not.*

Cluſius vocat Lilium rubrum minus non bulbiferum. Hiſt. Lugd.p.1495. Lilium purpureum maius [ ſcribendum, vt iam diximus, erat minus ] Dodon. Item p.1494. Alterum purpureum Lilium minus.

*H. Lugd.*

*Hyacinthus Ouidius.*

Dodon.Gall. Lilii ſecunda ſpecies ...

Lilium rubrum, Lilium rutum. Ouidio Hyacinthus. Belg. roode lilien. Hiſt. Lat. fl. & in fol. Ouid. Huius generis Lilium Hiacinthum appellat ab Hyacintho adoleſcente:

*Flos oritur, formamque capit, quam Lilia, ſi non*
*Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.*
*Non ſatis hoc Phœbo eſt, [ is enim fuit author honoris]*
*Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit: & ai, ai.*
*Flos habet inſcriptum, funeſtaque litera ducta eſt.*

Huius Hyacinthi meminit etiam Theocritus in Epitaph. Bionis Eidyllio 9.

*Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον αἲ αἶ,*
*Λάμβανε τοῖς πετάλοισι.*

Vt & Virgilius in Bucol Æclog.3.

*-----Phœbo ſua ſemper apud me*
*Munera ſunt Lauri, & ſuaue rubens* Hyacinthus.

Dicitur rubens Hyacinthus, qui ab Ouidio purpureus appellatur. Color ſiquidem florum rubeus, ſubinde nominatur purpureus. Exiſtimatur & iſte Hyacinthus ferrugineus cognominari, quòd ferruginis inſtar rubeat. Sed non omnibus hæc ſententia probatur, quibus ferrugineus non alius videtur, quàm ad cæruleum accedens &c. Hyacinthum purpureum ſiue rubentem Recentiorum plerique Hyacinthum Poëticum appellant, at nobis magis placet hunc ſcriptum Hyacinthum dici. Theocr. Eidyll. 10. Hyacinthum γραπτὸν, id eſt, ſcriptum appellat. Pauſanias Corinth. lib. 2. Scriptum Hyacinthum aut ei ſimillimum florem Comoſandalon ab Hermionenſibus appellari, memoriæ prodidit. Sunt inquit, corollæ ex flore contextæ, quem κομοσάνδαλον incolæ appellant. Hyacinthum illum exiſtimo: eſt enim ei tum magnitudine tum colore perſimilis: habet præterea eaſdem luctus indices literas.

Lobel. & Penæ in Obſ. pag. 84. & Adu. pag. 61. Lilium purpureum minus, Chimiſtatũ Martagon. Gall. *Lis orangé.* Ital. *Giglio roſſo.* plant. icon. pag. 164. Martagon Chimiſtarum. Lilium purpureum ſiue Phœniceum vulgare. Lobel. 84. Teut. 204.

An Camer. apud Matth. Germ. Rote Gold-gilgen/Hemerocallis.

*Tab. nct.*

Tabern. icon. & hiſt. Groß gold gilgen. Lilium aureum maius. Quamuis Compilator maius vocet, huc reducimus, quia figura ſatis accedit ad minus: præterea maioris bonam figuram alio ponit titulo, miror eum qui Patrocinium Matth. ſuſcepit, hanc figuram maluiſſe aſſumere primâ Herocallide. Caſp. Bauh. Phyt. Lilium 11. ſiue croceum minus.

Lilium croceum minus, Baſileæ in hortis prouenit; Nos habemus Montbelgardi in horto E.C. id etiam collectum in Paſſauant in horto Dj. ab Andlavv. plantani in horto E.C. Hoc Lilium reptrices propagines ex ſe dimittit multas.

LILIVM PHOENICEVM DILVTVM.



LOb. icon. Pl. p. 164. Martagõ Chymiſtarum alterum: Lilium phœniceum dilutum Teut. 204. C. Bauh. Phyt. Lilium 5. ſiue phœniceum.

LILIVM CRVENTVM LATIFOLIVM.



BVlbo innititur omninò tali, quali Lilium albũ: *caule* verò donatur, non vt cætera Lilia, craſſo, qui *florem* producit unicum, cruentum, ſex foliis latis conſtantem. Cauli folia rara, valdè lata, Plantagini ſimilia.

Tabern. icon. & hiſtor. Breyt bletterich blut gilgen: Lilium cruẽtum latifolium. C. Bauh. Phyt. Lilium 6. ſiue cruentum latifoliũ. Tab.

LILIVM BVLBIFERVM MAIVS.



BIcubitali interdum aſſurgit *caule*, firmo, craſſo, *foliis* ſepto liliaceis, ſubatris, in ſummis alis craſſiores *bulbos* geſtans, & amplos *flores* rubros, Lilio puniceo minori non bulbifero concolores. Teneriores huius plantæ, ante quàm flores ferre incipiãt, bulbis ſecundum caulem inter-

inter folia natis non minùs donatæ ſunt, quàm reliquæ duæ ſpecies: ſed quando robuſtiores ſunt floreſque aliquot annis protulerunt, vix, niſi in ſummo caule, vbi in alas diuiditur, & ſecundum flores, maiores bulbi naſci ſolent.

Liliacea ſtirps, ſeu Lilium bulbiferum 1. ſiue vt Cluſ. appellat cruentum, Martagon bulbiferũ 1. Liliacea ſtirps Cluſ. ſeu Liliũ bulbiferum, ſiue vt appellant, Lilium purpureum ſiue rubrum maius, Martagon bulbiferum maius.

Lobel. Obſ. Lilium cruentum bulbos gerens ſummo alis diuiſo caule: Lilii cruenti varietas Martagon, cui flores rutilant, bulbos nucleis ſtipatos ſummo caule alis diuiſo profert. Icon. Pl. pag. 165. Lilium cruentum Teut. 205.

Hiſt. Lugd. Lilium cruentum bulbos gerens Lobelii.

Caſp. Bauh. Phyt. Lilium 7. ſiue bulbiferum latifolium.

Floret hæc planta Liliacea cum duabus ſubſequentibus Iunio, alia aliâ paulò maturiùs, ſemenque perficit Auguſto, bulbi in alis (inquit Cluſius) hærere ſolent, donec vento aut contactu excutiantur, imò interdum plantæ adhuc inhærentes, fibras deorſum ſpectantes agere ſolẽt, tanquam ad communem matrem terram aſpirãtes, & illâ ſe condi cupientes.

Hæc quidem nullibi ſponte naſcens à Cluſio obſeruata eſt, ſed eã primùm Liræ conſpexit Cluſius in horto Mariæ de Brimeu, quæ deinde bulbis in terram depactis, reliquis Belgicis hortis breui tempore communis facta eſt, atque etiam nunc Viennenſibus ac aliis vicinis, Cluſii operâ: nam ipſa aliquot maiores bulbos è Belgica mittebat.

Solent verò tum hæ, tum aliæ duæ non bulbiferæ, cùm primùm florũ gemmas oſtendere incipiunt, à formicis admodum infeſtari, ſic vt eo tẽpore nunquam immunes ab ipſis conſpicere liceat: non ſecus ac Pæoniæ flores antè quàm explicentur, qui mirum in modum etiam à formicis appetuntur, præſertim qui plenus eſt, & ille etiam explicatus atque apertus.

## LILIVM BVLBIFERVM INCANVM.



Vix cubitalẽ (inquit Cluſius) excedit altitudinem, *caule* etiam eſt firmo, ſtriato, ex viridi nigricãtibus *foliis* prędito, quæ tamẽ cum ſummo caule incanâ lanugine pubeſcunt: eius *flores* igneo rubore non rutilant, vt in ſuperiore, ſed magis palleſcunt, & ad Lilii punicei nõ bulbiferi maioris colorem plurimùm accedunt. Eius adultioris caules paucos etiam bulbos, eóſque ſuperiore minores, niſi in ſummis alis geſtare ſolent.

Liliacea ſtirps, Lilium puniceum, ſiue, (vt Cluſ. hiſt. appellat) cruentum: Lilium bulbiferum, ſiue Martagon bulbiferum 2. Et Pann. Lilium purpureum ſiue rubrum bulbiferum, Martagon bulbiferum incanum. Cluſius proponit figuram quæ eſt Ic. Pl. ſecundo loco Lilii cruenti bulbos maiuſculos gerentis, vbi duæ figuræ ſunt ſub vno titulo.

Caſp Bauhin. Phyt. Lilium 19. bulbiferum incanum.

In montanis pratis Auſtriæ & Styriæ ſpontè creſcit, ſed rarior inuentu. Cæterùm omnium flores terram ſpectant, & per interualla in ſummo caule naſcuntur, foliáque ad pediculum reflexa habent: ſemen etiam in trigonis capitibus duplici ſerie in ſingulis angulis cõtinetur, fuſcũ, planum, cartilaginoſum: radix luteo Ochræ colore infecta eſt, quam ob cauſam à Germanis Goldwurtz, id eſt, aurea radix appellatur. Locus & tempus.

## LILIVM BVLBIFERVM REPENS.



Squammato *bulbo* cum aliis huius generis conuenit: Deſcriptio cæterùm *caulis* firmus, ſtriatus, cubitalis, ac maior multò, maculis nigris notatus, lanuginoſus, in alas diuiſus, *flores* multos profert amœnos, Lilii formâ, nec non aliquatenus, odore, ex ſenis repandis aliquantùm foliis, multo croco tinctis, intrinſecus multis liris aſperatis (qua parte & color folii medii dilutior punctiſq; ſaturatè ſanguineis notatis: extrinſecus lanugine leui perfuſis: quorum non nulla elatiorem, latiorem, ſaturatioremque coſtam, profundo vtrinque ad latera ſulco, habẽt: medium florem obſident reliquorum inſtar ſena *ſtamina piſtillúmque* triquetrum, eodem cum flore colore prædita: *folia* ferè Martagonis, quorum alis bulbi frequentes inſident. Multùm ſe propagat bulbis ac etiam maioribus repentibus.

Lubet hic ſubnectere Cluſii deſcriptionem quæ ſic habet: Inter Lilium purpureum bulbiferum maius & incanum, media eſt magnitudine, nonnunquam etiam primum æquat: ſed caules ſunt infirmiores, gracilioréſque, ipsíque cum foliis dilutiore virore præditi: flores ſecundo generi ſimiles. Hoc perpetuo fœcunda bulborum inter folia naſcentium ſobole onuſtum eſt: eiúſque radix priore minor è lateribus propagines ſpargere plerumque ſolet, quæ ad ſingula genicula in candidos bulbos excreſcentes, ſubinde nouas in circuitu plantas producunt, Lilii rubri minoris non bulbiferi modo: eius bulbi in alis nati, ſecundæ ſpeciei pares, priori tamen magnitudine inferiores: omnéſque terræ commiſſi ſui generis plantam procreant, & ſecundo anno in cau-

lem bulbillis onuſtum excreſcunt. Ferunt tamen omnes hæ plantæ in capitibus triangulis ſemē latum cartilagineum ſubfuſcum,quemadmodum Lilium vulgare,quod non ſterile eſt, ſed ſui generis etiam plantas profert: verùm quæ ex bulbillis in alis natis creſcunt plantæ longè citiùs adoleſcunt.

An Geſner.hort. Lilium rubens ſeminiferum, Lilia crocea quæ ſemina in caule habent? An Cluſ.Pann. Lilium purpureum ſiue rubrum bulbiferum minus, Martagon bulbiferum minus, Martagon bulbiferum pratenſe. In hiſt. Martagon Liliacea ſtirps: Lilium puniceum ſiue (vt vocat) cruentum, Lilium ſiue Martagon bulbibulbiferum 3? An Lobel.Obſ. Lilium quartum Lilio purpureo maiori par: flore Martagonis rutilo: & ſecundum caulem ſeſquicubitalem bulbulis à medio ad ſummum vſque ornatur: Lilium cruentum 4.Icon.Plantar.p.168. Lilium cruentum ſecundum caulem bulbulis donatum Teut.205. An Dodon. Lat. Lilium purpureum tertium, Lilium bulbiferum? Hiſtor. Lugdun. Lilium cruentum aliud Lobelii. Caſp.Bauhin.Phyt. Lilium 9. ſiue bulbiferum minus. Habemus

Locus & tempus. copioſè in horto E.C. quod ſe facilè multiplicat ex bulbulis deciduis, quales etiam Stutgardiæ collectos plantauimus. Bulbulos interdum fert priuſquam florem producat: alioqui in magnam creſcit altitudinem & multa fert Lilia.

## LILIVM CROCEVM.
flore pleno.



IN Iconibus colore depictis Ill. Principiſſæ expreſſa hæc figura anno 1608. colore eſt croceo.

## LILIVM BVLBIFERVM
cruentum anguſtifolium.

LObel.Iconibus Plantarum. p.166. Martagon cruentum anguſtifolium exiguos alis diuiſo caule nucleis compactos bulbos gerens, Teut.166.

C.Bauh.Phyt. Lilium octauum, ſiue bulbife-



rum anguſtifolium, Lobelio Martagon cruentum anguſtifolium.

## LILIVM FLORE NVTANTE
ferrugineo duplex maius & minus.



FVluus huius bulbus ex ſquammis acuminatis cōpactilis, ſubdulci & viſcido ſapore, fibris donatus albidis,aliis in imo, aliis quà *cauli* committitur, quem erigit bicubitalem, teretem, punctis rubētibus maculoſum: cui ex interuallis radiata circumnaſcitur *foliorum* Liliaceorum atrouirentium ſeries: circa caulis etiam ſummum, ſingularia *folia* temerè quà fors tulit apponuntur: caulis faſtigium ornant Liliacei penduli *flores*,ſex foliis pinguibus purpuraſcentibus,ſanguineo ſaturatiore guttatis, reflexis admodum,conſtantes: quorum meditullium occupant totidem ferruginei *apices* cum *piſtillo*,odore graui.

Cordus ſic deſcripſit: Caulem erigit plerumque bicubitalem, teretem,gracilem, & viridem, ſolidumque, inferiùs purpuraſcentibus maculis conſperſum; foliis quincuncialibus longitudine, & duarum vnciarum latitudine, glabris, ex rotundo turbinatis, & pinguibus veſtitum,iiſque iuxta annexum anguſtioribus, supernè nigricantibus, infernè autem viridibus, eminentibus, ramoſiſque, à tergo & in mucrone coëuntibus venis: flores æſtatis initiò proni ſummo cauli adnaſcuntur Lilio figura ſimiles, multò tamen minores:nā ſenis vncialibus conſtant foliis medii digiti latitudine,ſurſum reflexis, colore in pallido rubentibus,intuſq; purpureis maculis cōſperſis,ſubſtātia pinguibus,carnoſis & glutinoſis: ſtami-

ſtamina ferunt ſinguli flores ſena, foliis numero reſpondentia, in quorum extremitate oblongum & tranſuerſum quiddam eſt, colore in ruffo purpureum, rubiginoſo puluiſculo, ſtatímque pereunte conſperſum: è medio ſtaminum prodit incurnus apex in triquetrum rubénſque capitulum deſinens, viridi & triquetro folliculo inſidens, qui defluentibus florum partibus ſolus remanet, & reſupinus ſurſum incuruatur, paulatímque increſcit, donec vncia longior & ſemuncia latior fiat, qui inferiùs anguſtior exiſtit, idẽ ſex eminentibus angulis totidémque lateribus cõſtat, intus autem tribus membranis ceu parietibus in tres camerulas per longitudinem diuiditur, in quibus bini contigui, paruorum, latorũ, planorum, leuium, ſibi inuicem ſuperiacentium & flauorum ſeminum ordines continentur. Radicem habet bulboſam, diuturnam, iuglandis quantitate, pinguibus, craſſis, acuminatis & flauis aut luteis ſquamis, veluti nucamentis ſurſũ ſpectantibus compoſitam: à qua alii exigui prodeunt bulbi, quibus ſe propagat. Saporem habent lentum, glutinoſum & nauſeoſum, tam flores quàm radices, Lilii ſapori reſpondentem. Naſcitur in ſyluis & frutetoſis locis, tam editis quàm planis.

Clutius in poſt.hiſt. duas proponit icones: vna eſt titulo Lilii montani ſiue ſylu. 1. maioris, quæ apud Lobel. Ic Plant. pag. 168. eſt pro Hemerocallide flore rubello, Teut. 207. Alteri verò iconi appoſuit Cluſ. titulum Lilii montani ſiue ſylu. 2. minoris, eam autem iconem Lobel. inter icones Plantini p. 168. ponit pro Lilio mõtano. L. 85. Teut. 207.

Brunf. Germ. Goldwurtz / Goldgilgen. Apud Doctos, inquit, nec apud Dioſc. certum nomen nondum inueni: quamuis aliqui ad Haſtulam regiam & Affodilum aptare velint. Communia Herbaria, Affodilum nominant, quod G. Heydniſche blumen / vel Heydniſche gilgen appellant.

Cord. in Dioſcor. Hemerocallis ſylueſtre Lilium eſt, quod Germ. Goldtpolne / ſiue Goldwurtz appellant. Pharmocopolæ verò Aſphodelum, ſed falsò. Goldt lilgen etiam dicitur.

Geſner. Cord. in hiſt. addit figuram ex Trago dicens: Hemerocallis rubens, quæ Italorum Martagon videtur, quo pro Aſphodeli imperiti quidam hactenus abuſi ſunt. Olim in ea fui [inquit Trag.] ſententia, vt crederem Goldwurtz & heydniſch blumen eſſe Aſphodelum ſeu Haſtulam regiam Dioſcor. ſed animaduerti non eſſe, nec video quò rectiùs referri poſſit hoc Lilii genus, quàm ad Hyacinthum Poëtarum, de quo Virgilius Aecgl. tertia & Ouidius. Idem mecum ſentit Marcus Platearius.

Appollin. fol. 94. vocat Goldwurtz / wildſchwertel quod non placet.

Fuchſ. hiſt. cap. 40. Aſphodelum Officinarum Affodilum, Germ. Goldtwurtz / Aſphodelum fœminam vocat, quam propriè Haſtulam regiam vocari dicit, hanc exhibet pro Aſphod. fœmina, Theophraſt. lib. 3. cap. 12. & pro Aſphodelo Heſiodi, & Galeni lib. 2. de alim. facult. Haſtulam regiam etiam Apulei putat. Verùm in Ic. libro Fuchſius mutata ſententia vocat Lilium purpureum & Goldtwurtz.

Cornar. In Germania pauci aut nulli verum Aſphodelum norunt, nam ea radix quam Officinæ Aſphodilum corruptè vocant non eſt. Noſtris dicitur Goldwurtz. Hemerocallidem Dioſcor. dictam Plinius ex Theophraſt. Hemerocalles appellat lib. 21. cap. 10. & de eo rurſus eodem libr. cap. 21. Galeno Hemerocallis appellatur, Herbariis Lilium ſylueſtre aut marinum. Noſtris Meerlilien aut wilde heydniſche lilien. Quidam tamen hunc Aſphodelum eſſe: Alii & veriſimiliùs, Narciſſi ſpeciem volunt.

*Golius not.* Theophr. Golius in Onom. Hyacinthus, Golde wurtzel / heydniſch blumen. Aſphodelus idem, Haſtula idem. Oportebat ſcribere quem Hyacinthum intelligeret. Autore Matthiol. Inter Lilia meritò annumerari poteſt quod Martagon Chymiſtæ appellant, & Fuchſius Aſphodelum fœminam putauerat eſſe, ſed hanc ſuam mutauit ſententiam, ſui erroris conſcius factus. Item Epit. cum add. Camer. pag. 571. Martagum Chymiſtis.

*Martagon vulgi & Alchim.* Apud Anguill. fit mentio Martagonis vulgi & Alchimiſtarum, radice lutea, de hoc loquentem, vt puto.

*Hemerocallis. Non eſt Aſphodelus Lilium ſilu. Dod. mutauit ſententiam.* Dodon. Gall. ἡμεροκαλλὶς, Lilium ſylu. in quibuſdam Officinis Aſphodelus, quã non ſine magno errore vſurpant pro Aſphodelo. Belg. Lolckens van Caluarien / heydens blumen & wilde lelien. Hiſt. flor. & in fol. Lilium ſylueſtre: Gall. *Lis ſauuage*. Non ampliùs ergo facit Hemerocallidem.

Diligenter inquirendum qua in re differat Hemerocallis hæc Lobelii à ſuo Lilio montano. Oſtendimus autem Cluſium eam iconem ponere pro Lilio montano ſiue ſilu. 1. maiore.

Cæſ. Lilium in ſyluis vulgò Martagon, Liliũ ſilu. Lilium purpureum gerens florem.

*Lilium purpur. Dioſc.* Thal. Harc. Lilium purpureum ſilu. falsò pro Aſphodelo habitum, Goldwurtz paſſim. H. Lugd. Martagon Matth. Camer. hort. Lilium ſilu. Martagon flore ſubrubro & albicante falsò olim pro Aſphodelo habitum. In hiſt. Matth. Germ. dicit flore pænè albo.

Tabern. icon. & hiſt. par. 2. pag. 527. heydniſch lilien männlein / Lilium Sarracenicum mas. Item ic. p. 640. & hiſt. par. 2. heydniſch lilien das weiblein.

Caſp. Bauhin. Phyt. Lilium 19. ſiue montanum noſtrum maius. Cluſio Lilium ſylu. 1. Geſnero purpureum mas. Lilium 20. ſiue Martagon mõtanum minus. Idem apud Matthiol. Lilium 16. ſiue Martagon flore rubello, an Hemerocallis Dioſcor. Huius duas proponit icones Tabern. nomine Lilii Sarraceni maris & fœminæ. Vt verùm fateamur nondum intelligimus diuiſionem C. Bauhini, dubii hæremus an Tabern. Lilium Sarracenicum mas, ſit noſtrum Lilium flore nutante maximum de quo paulò pòſt.

*Locus.* Lilium purpureum Martagon dictum flore inclinante, vidi Ferrariæ in horto Monaſterii S. Dominici à l'Angeli, Patauii in horto Triueſani. Montbelgardi ſpontè copioſè in monte *Bar*. Ex horto meo tranſtuli in hortum E.C. Baſileæ Frater obſeruauit in monte Muterz, vbi etiam obſeruaui. Geneuæ in montibus abundat. Paſſim vtrumque genus Cluſii prouenit in ſiluis & vmbroſis pratis Leytenberg, eorúmq; mõtium, qui à Calemberg Auſtriæ, ad Alpes vſque procurrunt: Naſcitur & in pleriſque Styrię ac Vngariæ ſiluis, atque montibus illis ſiluoſis, qui non procul Francofurto in ripa Mœni ſito, ad Septentrionẽm abſunt. Minus autem olim obſeruare meminit in multis Germaniæ ſiluis, non modò editiore loco ſitis, ſed etiam in plano. Plantatur hodie in hortis hic Narciſſus: (inquit Tragus) ſicut alia quoque florum genera, volup-

tatis gratiâ. Aliàs in altiſſimis ſyluis Heluetionum,& eâ quoque quæ Hercynia dicitur, nec nô monte Tonitrui, qui à Vuaſgoia non longè abeſt,ſponte ſiia prouenit.

Lilii Martagonis Vires. Qui difficulter vrinam reddunt, radicem in vino decoctam bibant: prodeſt id medicamenti mulieribus, inquit Tragus, quibus menſes impediti ſunt. Omnes calidi abſceſſus & tumores radice tuſa emolliri poſſunt, præcipuè verò mammarum & genitaliû. Quidam vini fæcibus priùs concoquendam tradunt. Radix in cinerem redacta, cumque melle temperata, illita alopecias explet. Reliquas cum Lilio albo vires obtinet.

Perhibet quoque Camer. Empiricos vti radice in contuſis membris & vlceribus. Contra Dodon.

Dod.not. dicit: Vſum hoc Lilii genus in medicina nullum habere, cùm tamen olim illi Hemerocallidis vires aſcripſerit. Minimè tandem viribus, quas Apollinaris ei tribuit, fides eſt habenda.

## LILIVM FLORE NVTANTE ALBO.

Deſcriptio. Lilii montani ſiue ſilueſtris tertium genus ſiluoſis montibus ad Francofurti Septentrionem inuentum, humile, Secundo generi proximum: florum tamen colore varium: nam antè quàm explicentur, foris carnei quodammodò coloris ſunt, explicati verò, intus albi, & notis quibuſdam purpureis inſigniti.

Similem ſtirpem habui, inquit Cluſius, munere N.V. Boiſſot veteris amici, quæ tandem adoleuerat perinde ac primi generis plantæ: ſed eius radix Ochræ colore minùs tincta, quàm ſuperioru n. Sed Francofurtenſis quidam ciuis vnam habebat, cuius flores interiore parte omninò niuei, nec vllis notis diſtincti. Habui etiam à Doctiſſ. viro Ioachimo Venerio ſimilis plantæ bulbum Burdigalâ miſſum, cuius forma ab illius bulbo non differebat, ſed eius caulis & folia magis cãdicabant, flores autem antè quàm expanderentur multâ lanngine erant obſiti: explicati verò protſus niuei, nec vllis maculis infecti, ſtaminum apices non ferruginei coloris vt aliis, ſed flaui.

Eſt nobis Montbelgardi in horto Il. C. Wirtemb. Lilium flore nutante, quod cæterà ſimile præcedenti flore lacteo, ſtaminibus herbidis, quibus inſident apices lutei: piſtillus vireſcit florens Iunio. Attulit Gener Io. Henricus Cherlerus Româ ex horto inſignis Parmacopæi Coruini. Floret Montbelgardi Iunio.

## LILIVM FLORE NVTANTE MAXIMVM.

Deſcriptio. *Bulbus* maximus profundè in terra latitans: *caules* aliquot cubitorum: florum ingens numerus, qui videntur minùs maculati: *folia* anguſtiora videntur, multò plura, & quædam verticillatim diſpoſita.

Hoc primùm vidi in Than Alſatiæ vrbe in horto Dj. à Pfirt parte vmbroſa, vnde tranſtuli Montbelg. in hortum Ill. E. C. Wirt. Obſeruauimus poſtea in Duc. Wirtébergici vrbe Marbach in horto Ludimoderatoris florens Iunio.

Hoc genus ſuſpicamur depingi & deſcribi à Lobel. Adu. par. 2. Lilium ſilu. ſiue Hemerocallis moſchata Polyanthes, Mattagon Imperiale nuperorum, Inſulanis noſtris Gallo-Belgis, *Martagon à l'Eſpinete*: Hoc Lilii montani nouum genus à florum fœtura coronata, *Martagonis Imperialis* nomine inſignitum aut vocitatum, conſpexi. Peregrinæ elegantiæ plantâ gauiſus ſum. Elapſis aliquot annis mihi huius bulbos nonnullos munere dedit D. Ioh. de Frãqueuille, ſtirpium & florû rariorum callentiſſimus qui annis plus decem illos Inſulis à quodam Botanico nactus eſt & aluit, fouitque ſtudioſè in horti delitiis; vbi rarâ tranſplantatione florum pyramidatum aceruum, centum viginti & plurium, ſuauiſſimo ſpectaculo, iucundiſſimi Roſæ Moſchatæ odoris æmuli, denſiſſimè bicubitalem ex purpureo fuſcum caulem faſtigiantem.



Flores pares, ſimiles Hemerocallidis ſecundæ nobis modò deſcriptæ; dilutiores & lucidiores, per exortus quinque aut ſex variè & fuſe caulem ornant, fortuitis ex fuſco purpureis maculis latioribus diffuſi, circum agunt & coronant. Semen in vaſculis compreſſum, aliis ferè par & ſimile: Hoc primi ante omnes Botanici Gallo-Belgæ nacti ſunt: ſed vnde delatum neſcio. An icon. Pl. 168. Hemerocallis flore rubello, T. 207.

An Cluſ. Lilium montanum 4. quoddam genus, cuius flores primo non diſſimiles, ſed ſeriùs ſeſe explicare ſoliti, illique non inſuaui odore prædití.

## MARTAGON ALBICANS PICTVM ad iconem cum coloribus.



Martagon flore albicante, qui hoc anno 1608. non floret in horto Ill Princ. ſed picta coloribus icone exprimere curauimus, totus albidus eſt cum colore ſubcæruleo & punctis plurimis notatus, apices cum capitulis longis purpureis, altitudine excedebat quatuor pedes, Anno 1604. Iunii 2. Goldwurtz vti aſcriptum iconi.

LILIVM

## LILIVM FLORE MINIATO NVTANTE, ſiue Hemerocallis Chalcedonica aliquibus.





I II ✱



EX *radice* bulboſa, emergit *caulis* bicubitalis, minimi digiti ferè craſſitudine, ima parte punctis rubentibus guttatus, cæterà vireſcens, cõcauus, paulò poſtquam è bulbo eluctatus eſt, radiatas fibras circumquaque emittens: per quem frequẽtia oriuntur folia indigeſta, Lilii Martagonis, ſtriata, acuminata, per marginẽ nonnihil veluti piloſi oſtentantia, ſapore oleraceo prædita, *flos* cauli ſummo reflexo inſidet plerumque vnus, aliquando duo aut plures, colore phœniceo pulcherrimo, quorum ſinguli Liliaceis ſimiles ſenis foliis conſtant, vtcunque anguſtiorib⁹ quàm Lilii albi, hæc ſtriis notata, quæ extrorſũ reflexæ, ceu Martagonis, apicibus circa caulem coëunt, prominentibus, nudis, miniatis apicibus, quos pallida *ſtamina* ſuſtinent, quorum medium obtinet *piſtillum* apicibus concolor. *Semina*, Cluſio teſte, ſunt in anguloſo capite plana, Martagonis aut Lilii ſylueſtris ſemini ferè ſimilia, ſed nigriora, minora, neque adeò ſpongioſa, terræ commiſſa prodierunt, planáque foliola tulerunt: *Radix* vt plurimùm non eſt adeò magna vt quidam exiſtimant, ſed Lilii ſemeſtris radicem haud multùm ſuperat, coloréque dum recens eruta eſt adeò illi perſimilis [etenim ſi diutiùs extra terram adſeruetur purpurea ferè tota eſt & ſubinde quibuſdã notis ſaturatè rubentibus inſpergitur] vt etiam in ſtirpium cognitione admodum exercitati, niſi eas inter ſe conferant, difficilè diſcernere poſſint: Huius tamen radix è tenuioribus ſquãmis contexta eſt, nec minùs fibris ſuprà & infrà quàm illa donata.

Bulbum accepi (inquit Cluſius) qui primis annis vnicum florem ſemper mihi protulit, tandem quaternos, altero tum inſequente anno ſenos, eóſque omnes ex ſummo extimóque caule ſimul prodeuntes, quemadmodum alteri floruit, tredecim flores extimo caule, eóque vnciam lato, ſuſtinens, ſaturatè rubentes cùm præcedente anno quinque duntaxat extimo etiam ſubrotundo caule vt meus tuliſſet. Sed & Patricia quædam Viẽnenſis aliquot habuit plantas, inter quas vna extimo caule duas vncias lato tres & viginti flores tulit. Gen. Io. Van der Dilf plantam habuit ſemine natam, quæ primo quo flores proferre cæpit anno octonos, proximo autem inſequente quadragenos protulit. Pictura à Raſſio mihi donata vicenos aut plures flores ab extimo caule plano propendentes habebat. Binas habui ſaturatiores flores gerentis plantas, quarum prior quaterna, altera ſeptenos flores tulerunt, omnes ſummo caulis faſtigio æqualiter innaſcentes, nõ temerè per caulem ſparſos, quemadmodum Lilium album aut ſilueſtre ferre ſolent: ſingulæ autem hoc peculiare habuerunt, vt vnus medius inter reliquos ſurrecto pediculo naſceretur, & in alterà quidem ille duodenis foliis conſtans, & quodammodo gemellus, vt in ſecundà ſubiectà icone videre licet. Cæterùm duorum generũ eſſe videtur hæc planta: vna videlicet dilutioribus floribus prædita, altera ſaturatioribus. Ego ſanè longà experientià didici, eas plantas quæ dilutiores ferunt flores, caulem & folia viridiora habere iis quibus ſaturatiores ſunt flores: poſtremis enim caules & folia plerumque ex purpurà nigricant. Deinde mihi conſpectæ ſunt radices Conſtantinopoli allatę, quibus color purpuraſcẽs fuit, dilutiores protuliſſe flores: aliæ contrà ſaturatiores. E florum verò numero, an certa aliqua differentia [vt initiò exiſtimabam] conſtitui poſſit, plurimùm ambigo, cùm eas ſtirpes quæ numeroſos tulerunt flores, ſubſequente interdum anno, paucos, aut vnicum duntaxat, habuiſſe obſeruauerim: at læto & pingui ſolo depoſitos bulbos, plures vt plurimùm proferre flores animaduerſum.

*Zufiniare Garietas,*

Ob floris venuſtatem pleriſque Italię locis *Rizo de la Signora* appellatur hæc planta.

Lob. Obſ. & Icon. Plant. pag. 169. Hemerocallis Chalcedonica purpuro ſanguinea polyanthos, Lob. 85. Teut. 208. wilde lilien vom Caluarien / von Conſtantinopolen mit vole bloemen Belg. Iterùm Hemerocallis Bizantina altera Teut. 208. In indice Hemerocallis flore rubello: Belg. Schoon Claer welle lilie von Caluarie. Lilium Calcedonicum miniatum, ſiue Hemerocallis, admodum elegans hoc Lilii genus ob floris decus coloríſque flammei nitorem: vtriuſque Cinnabaris natiui & factitii, inteuſi aut diluti coloris, miniati tintillatione ſplendidiorem: eius duas va-

ætates aut plures obſeruare licebit. Præcox, quinos, ſenos, denoſque vt plurimùm profert flores: & nonnunquam eius radix excreſcit & luxuriat vt caulem edat duorum ternúmue digitorum latitudinis, qui Lobel. & Penæ in Adu. amicíſque ſæpè triginta & plures flores protulerunt. Serotinum quandoque diu multiſque annis vnicum florem edit: at temporis conſequentis plures, ſed ſeriùs, ſuperioris Martagonis floribus elapſis, erumpunt flores quemadmodum amici noſque iamdiu obſeruauimus. Caulis cubitalis, cætera non diſſimilia. Lilium rubrum, *Zuſiniare*, Lilium rubrum ſiue miniatum Chalcedonicum Conſtantinopoli miſſum, *Sultan Zumbach*, ab aliis denominatum *Corona di Re*, hoc eſt, Corona regia, &c. Habetur præterea Lilium Byzantinum minus ſaturato flore πολυανθὲς. Lilium Byzantinum miniato dilutiore flore. Relatum eſt, conſpectas eſſe Lilii huius Byzantini plantas, quæ florem ferrent prorſus niueum, in cæteris alteri parem.

Hiſtor. Lugdun. p.1498. Hemerocallis altera Matthioli: quæ Lugduni in horto quodam Dalech. induſtriâ creuit.

C.Bauh. Phyt. Lilium 17. ſiue Martagon purpuro ſanguineum polyanthos. Hemerocallis 2. Matth. Chalcedonica Lob. Lilium 18. ſiue Martagon phœniceum vnico flore Cluſio. Lilium rubrum Zuſiniare. Lobelio Hemerocallis Byſantina.

Locus & tempus. Floret Iunio aut paulò ſeriùs, Conſtantinopoli Viennam Cluſio delatum, ex hortis vltra Boſphorum in Aſia ſitis bulbi allati: Nouo Vere ſolet emergere. Lilii genus flore vnico minii coloris inclinato, vt Martagon, habui Montbelgardi in in horto E.C. miſſum Stutgardia, vbi florens vidi Iulio: folia vorare ſolent inſecta quædam rubra: in horto Montb. protulit 2. flores. D. à *belle fontaine* Veſuntio miſit mihi bulbum cum hac inſcriptione: Hemerocallis Chalcedonica. Heidelbergæ ſiccâ plantâ nos donauit Dominus Sprengerus.

*Vires.* De facultate huius comperti habemus nihil, niſi Dodonæo Circumforaneorum aliquis, quorum plena ſunt omnia, pertinaciter reſiſtere conetur.

## LILIVM PRÆCOX NVTANTE flore rubro.

Deſcriptio. HAbebat [inquit Cluſius Hiſt. poſt.] Ampliſſ. vir Io. Martorf. Pat. Franc. genus Lilii rubri ex Stutgard. Ill. D. Wirt. horto acceptum, quod vno ferè menſe maturiùs Byzantino flores proferebat: nempe ſub finem Maii aut initium Iunii, vt mihi referebant qui viderant. Erat autem *floris* color (illorum teſtimonio) minùs ſatur & & longè dilutior eo, qui in floribus præcedente capite deſcriptis apparet: *caulis* ſanè, vt ex planta quam mihi donabat deprehendere licuit, gracilior & breuior erat Byzantinis adultis, cubitalem videlicet altitudinem non multùm excedens: *folia* quæ inhærebant anguſtiora & magis ſaturatâ viriditate prædita: *bulbi* ſquamæ (nam ſquamatam radicem habet perinde ac Bizantinũ) longè etiam breuiores erant: tulerat verò illo anno tres flores ſummo caulis faſtigio æqualiter inſidentes, mihi autem Lugduni apud Batauos ſequente proximo anno vnicum (tam longâ enim in itinere morâ radix valdè afflicta fuerat,) eius, quem ſupra dixi, coloris, proximè autem inſequente binos duntaxat. Licet autem maturiùs altero flores proferret, illo tamen ſeriùs germinare ſolebat. Cæterùm, ſub initium anni 1594. monebat me Thobias Roelſius, Io. Somer varias & elegantes ſtirpes attuliſſe, inter quas bina eſſent Lilia miniato ſeu rubro flore, maturiùs Byzantino flores proferentia, quorum alterum anguſtiora folia haberet illo quod Conſtantinopoli allatum: alterius verò folia multò breuiora eſſent, ac paullò latiora. Horum icones ſuis coloribus expreſſas, ſed radice mutilas, cum aliquot vtriuſque plantæ folijs ſequente Iunio ad me mittebat.

### *Lilium præcox nutante flore rubro, tenuifolium.*

VAldè autem diuerſum eſt Anguſtifolium 3. Cluſij, non quidem floris formâ (nam eius etiam folia circumuoluta & reflexa) ſed colore, qui Lilio cruento maiori, non bulbifero ſimilis eſt, tum ſitu, foliorúmque per caulem ſparſorum diſſimilitudine: multa enim & conferta fert *folia*, cubitalem & ampliorem caulem confusè veſtientia, admodum anguſta, & longa, inſtar penè foliorum Tragopogi: caulis item faſtigium *flores* profert non eodem ortu, vt in Byzantino, ſed in ſummis alis, inter anguſtiſſima foliola παραλλήλως naſcentes: an vtriuſque radix Byzantini radicem æmuletur, me fugit, ait autor noſter: nam neutrius plantam videre mihi contigit. Sed & triennio pòſt iconem ſuis coloribus expreſſam ad me mittebat idem Io. Somer, qualem ille depingi curauerat ad normam eius plantæ quæ ipſi eodem anno quinque & triginta flores protulerat. Illius floris (Exot. par. 2. Append. 2.) colorem plurimùm ad Mali Aurantij præmaturi colorem accedere obſeruabam: odorem autem non adeò ſuauem vt eius quod præcedente capite deſcriptum eſt, ſed potiùs Lilij montani flauo flore odorē referre. Habebat porrò Ampliſs. vir Nic. Vanden Branden Conſiliarius Bruxellenſis plantam ſimilem Somerianæ, quæ anno à Chriſti natiuitate 1602. longè etiam plures tuliſſe fertur flores in vnico, ſed illo plano, caule: anno autem inſequente non minorem florum numerum tuliſſe ad me ſcribebat. Cæterùm aliud eius genus reperitur etiam præcox & anguſtifolium, lōgè niridioribus floribus quàm Somerianum prędictum; nam prorſus miniatos illos fert, vt Byzantinum, certè magis ſaturos quàm Somerianum, nec eos inodoros. Præfectus Curſorum Bruxellēſis ſub extremum annum 1602. puſillum bulbum eius generis mittebat, quem ex Italia recenter accepiſſe ſcribebat: & licet is bulbus Nucis Auellanæ magnitudinem vix ſuperaret, ſequente tamen anno quatuor flores tulit eius quem dixi coloris: eius etiam folia licèt anguſta vt alterius, magis tamen ſaturâ viriditate prædita, & magis ſplendentia mihi videbantur, atque inordinatè quemadmodum flores in caule naſcebantur: obſeruabam etiam eius caulem & folia non adeò breui marceſcere vt alterius, ſed diutiùs perdurare. Vtrúmque genus, ab ijs qui diu aluerunt, Martagon Pomponij vocatur, & hac appellatione ex Italia ſe accepiſſe aſſerunt. Rarum adhuc eſt in his Prouincijs, quia adnatis difficillimè ſe propagat, nec apud quempiam ipſam plantam ſemen præbuiſſe intellexi.

De hoc Lob. Adu. part. 2. inquit. Eximio ornamento decorat Botanicorum paradiſos Hemerocallidis Macedonicę tenuifolię miniati coloris: Liliũ ſilueſtris montani Macedonici, &

Mar-

Martagonis Pomponei,ſplendiſſimi miniati coloris, D.I.Someri: Martagonis Pomponei Someri: Lilii rubri præcocis Cluſii, luculentus flos, intaminatè fulgens,miniati coloris &c. Debetur hæc planta, præfato D. Somero, qui primus eius bulbum è Macedoniæ montibus effoſſum in Belgium detulit,& amicis communicauit. Hanc quoque aliquot annis ob florum decus N.C. Arebergius ſtudioſè coluit, nec non alii Medioburgenſes.

## LILIVM NVTANTE FLORE FLAVO.

Elegans Lilii montani genus à nemine quod Cluſius de ſciat ſcriptum: cuius bulbum miſit Io.Robinus & deſcripſit, florem habere ex aureo flaueſcentem, foliis inſtar Lilii montani, aut Byzantini, vt ſunt Lilii montani ſiue Martagonis Matth.flores. Miſit ad me, inqt, Burdegala erudiſſ. Io. Venerius iſtius Lilii craſſos bulbos, monebat alterum altero magis præcoces flores proferre: addebat inſuper ſe aliud adhuc genus obſeruaſſe, cuius flores nullis punctis interne diſtincti: naſci in *Gageire en barchs* nuncupatis locis,atque Pyrenæorum montium aliis, vnde ipſe retulerat. Ac ſe ſponte naſcentes eruiſſe natos in monte *Campſaure* vocato,& alio in loco qui à Lilio nomen ſumſit.: iſtícque à ruſticis *Conſol* appellari,id eſt, Conſolidam, quòd eius radice contuſâ & impoſitâ, tam hominum, quàm animalium vulnera,mirum in modum curari referant: atque adeò Pyrenæorum montium incolas nullum aliud remedium vſurpare.

Lilium montanum flore flauo Lobel. & Penæ Adu.non diſſimilem vultum, ortum, & natales habet, montium nempe Pyrenæorum, Lilio Bizantino miniato aut ſylueſtri montano Lilio.

## MARTAGON FLORE LVTEO PRÆCOX.



Hemerocallidem ſiue Martagō flore croceo, quod Turckiſchbund vocant, vidi flaueſcentem cum octo floribus infrà reclinatis in horto Stóckii,nódum tamē expanſis Iunii 8. videtur præcocior ea Hemerocallide, quam habent in horto Principiſſæ, in qua nondum apparent flores mēſis Iunii 9. Eius flores ſunt miniati vt ait hortulanus: Martagonis autem crocei flos apertus fuit 11.Iunii, intus punctis notatus,capitula apicum crocea ferè.

## CORONA IMPERIALIS SIVE Tuſai aliis.

Deſcriptio. Radix bulboſa,rotunda, craſſa, diuerſa à Liliorum forma,eſt enim compreſſa ex magnis craſſiſſimis & ſucculentis ſquammis compacta, colore interdum albo,nonnunquam etiam purpuraſcente,ſæpè pallido,odore fœtido & viroſo, vti & foliorum: Colchicum olente, Cluſio verò hircum, nares etiam procul feriente, qui eruit binas & ampliùs libras pendentem. *Caulem* tollit ſingularem, bicubitalem aut etiam altiorem, digitali craſſitudine, inferiore parte pluſquàm pollicari,firmo, intus fungoſo, viridi, rotundo, quidem,ſed ad cubiti altitudinem ſtriato, *foliis* magna parte ſtipatum numeroſis,ſplendore viridanti nitentibus, Liliaceis vel Lilii montani floribus Lob. pluribus indidem ortis, æquali ordine, aliis inconditis,nullo nixis pediculo, ſed latiore ſui parte cauli adnatis, ita vt appendices paulùm eminentes ab iis propagatis caulē reddant nonnihil anguloſum. Supra autem denſius

Odores

Pondus.



hoc foliorum agmen,caulis ad pedem, nonnunquam etiam cubitum protenditur nudus,ſine folus,gracilior quàm inferiùs,& teres,neque ſtriatus & viridis,ſed læuis & purpuraſcentis coloris, Serpentariæ inſtar maculoſus,qui in ſummo totidem penè in angulos deſinit quot *flores* ſuſtinebit,nempe binos,ternos, quaternos, quinos, ſenos,aut plures, omnes Vere quaſi æqualiter,ſed contrario ſitu naſcentes, ſingulóſque inter bina folia inferioribus longè minora & anguſtiora,æquali ferè longitudine, quum *flores* primùm erumpunt,inter folia latent,candicantéſque ſunt, deinde paulatim incrementum ſumunt, vnà etiā ſuccreſcente eâ caulis quæ illos ſuſtinet nudâ parte: florum verò *pediculi* qui ſexcunciales in augmento deorſum inflectuntur è quibus flores penduli ſunt circum circa regum coronas imitati,Lilii candidi,vel Martagonis pares, flammeō colore rutilantes, Lobelio ex phœniceo rubentes,patuli, ſenis conſtant foliis latis, per extremum mucronatis,pulchra ſtriarum ſaturatiorū, ſiue purpurearum Cluſ. diſcurſantium picturâ variegatis,laciniata cæſurâ ſubinde ludentibus, vngue autem,inquit Cluſius, ſingulorum foliorū nonnihil foris eminente, & ex nigro purpurante, quorum vniuſcuiuſque fundum obſcuriore colore pictum obſidet gemmantis liquoris margarita argentea limpidiſſima & dulciſſima, pertinacis durationis,poſt multos etiam dies à reſectione, de quo liquore Cluſius ait: Flos abſolutus & maturus expanditur, tintinnabuli mo-

do propendens, aurei Mali ſiue Citrii colore,ſed pallidiore, venis purpureis ſummam venuſtatem adferentibus: ſingula floris folia interna parte in ipſis vnguibus ſingularibus tuberculis candidis prædita ſunt, quæ meridiano etiam Sole limpidiſſimam dulcemque aquam exſtillant lachrimarum in morem, vt vniones propendentes Lobelio viſci grano ferè pares,videantur, ſed abundantiùs pluuio tempore: ea deinde tubercula, marceſcẽtibus floribus in albas lacunas abeunt. Ex ipſo penitùs floris vmbilico prodeunt pro foliorum numero, ſtamina candida adeò coniuncta, vt pro vno fallant obiter intuentem, apicibus maiuſculis in Ochram vergentibus: breuiore trifido ſtilo inter ea latitante: Caulis reliquus ſuprà nudus eminet ſupra florum coronatum agmen, confertâ duntaxat minorum & anguſtiorum comâ: interdum etiam mihi, inquit Cluſius, nati ſunt ſupra flores non vnicus cauliculus ſiue ramulus, ſed bini terni aut plures, ſuis etiam foliis ſinguli ornati: Creuit porrò Viennæ planta vndenis pluribúſque, aut paucioribus floribus prædita; caulis ſupra ſeptenos æqualiter propendentes denuò nudus, quaſi dodrantali longitudine aſſurgens, reliquos flores ſingulos inter folia naſcentes protulit, longâ,densa, & multifidâ aliâ foliorum comâ ſupra eos fusâ. Sed & intelligebam ab his qui aliquot annis Conſtantinopoli hæſerant caulem nonnũquam ſupra priorem illam florum æqualiter propendentium ſeriem, dodrantali longitudine attolli, aliámque florum ſeriem geſtare, aliquando etiam tertiam, ac tum demum foliorum comam ſupereminentem: eas verò ſtirpes vnicum florum ordinem ſubſequentibus annis plerumque ferre obſerui, vt peculiare genus non ſit cenſendum, ſed Naturæ luxuriantis quidam duntaxat luſus,licet mihi etiam altero anno duplicem florum ſeriem geſtare ſimilem plantam meminerim. Habuit autem Viennenſis quædam Patricia, cuius caulis ſupra terram planus pedali longitudine extabat, deinde in binos ramos findebatur æquali longitudine excreſcente, ſingulos vndenis floribus onuſtos, magnâ etiam fusâ ſupra eos foliorum comâ. Habuerunt & alij & ego ſimiles plãtas in binos caules cubitali pænè ſupra terram altitudine diuiſas, quorum alter octo aut plures, alter quinos aut ſenos flores tulit: mea verò plãta hoc etiam peculiare habuit, quod eminens coma mutlifida fuit. At Viennæ obſeruata Tuſai plãta,reliquas quas poſtea obſeruauerim florum numero ſuperauit: nam quinquagenis aut pluribus floribus onuſta fuit. Ill. Cattorum Principi Wilhelmo floruit planta quadragenis floribus. Iacobus Garetus Ciuis Londinenſis monebat ſe plantam habuiſſe quę binos & ſeptuagenos flores protulerit. Habuerunt & alii ſimiles interdum, in quibus plures flores nati,viceni nempe, triceni aut quadrageni: quotquot autem tam numeroſos flores tulerunt, planos,lateſque & valdè ſtriatos habuiſſe caules animaduerti, atque proximo inſequente anno ad ingenium rediiſſe, hoc eſt,caulem rotundum,ternis,quinis, ſeptenis aut octonis floribus præditum habuiſſe. Nos quoque inſignem luſum in eadem planta notauimus: vno anno vnicum caulem ferentem cum corona multorum florum,alio anno duos caules cum magno florum numero, in vtroque caule coronas: ſæpe nullos produxiſſe flores,nonnunquam adfuiſſe caulem ſine floribus &c. Fœcunda futura capita ſurſum eriguntur magna Dei prouidentia, inquit Cluſius, ne dehiſcentibus ſemina ante maturitatem excidant.

*Vniones.* *Stamina.* *Corona plures.* *Coma multifida.* *Luſus naturæ.*

Cæterùm [inquit Cluſius] aliud genus eſt,nec caule, nec foliis, nec florum forma a ſuperiore differens: nam & illos in extremâ læuis & nudi caulis parte æqualiter ferè in ambitu naſcentes, ſinguloſque inter bina anguſta folia ſuſtinet, vti ſuperius, ſed color variat, nec vt in præcedente flauus,vel verſùs palleſcens,ſed rubet, aut ſandaracæ Sandiciſque colorem refert, inſtar Aſtaci elixi chelarum ferè: ſex etiam latis & mucronatis foliis conſtat, vnguibuſque ex purpurâ nigricantibus,cum ſuis interiore parte candidis tuberculis limpidum rorem ſtillantibus, & ſex ſtaminibus,ſtilóque æquali longitudine propendentibus. Hoc genus ſuperiore magis venuſtum mihi videtur.

Variat item in nonnullis plantis florum color: eſt enim vel medius inter utrumque genus, vel ad prioris, ſecundíue colorem quam proximè accedit.

Sed & quartam quandam differentiam obſeruabam,licèt eius florum color proximè ad Secundum genus accederet: anguſtiora enim folia habebat, illaque & radicem nullo tetro odore, quantùm quidem naribus manifeſtè percipi poſſet, prædita.

Idem Pann.p.122.& Hiſtor.poſt.l.2.c.1. Hactenus nullam plantam obſeruare memini, quæ Hemerocallidem Dioſc. deſcriptam exactiùs (in hoc à Cluſio ſumus alieni) referat: alia eſt Hemerocallis cuius Athenæus meminit: Pancius iconem mittebat, Coronæ Imperialis nomine inſignitam,quam appellationem apud Herbariorum vulgus adhuc retinet: bulbi verò à Cæſaris Oratoribus Conſtantinopoli miſſi, nunc *Turſ-cinachi*, modò *Tuſai*,ſiue *Torſai*. *Turſchai* autem [vt ab iis intelligebam qui Conſtantinopoli vixerant,] lilium regium ſignificat. Interdum etiam bulbi miſſi *Turſani & Turſanda* appellatione: ſed poſtremæ hæ voces à Turcis duntaxat nominibus adiici ſolent, ad rei, cui adnexæ ſunt, magnitudinem exprimendam. Ex Perſia verò Conſtantinopolim delatos illius bulbos omninò mihi perſuadeo,quoniam cùm accipiebam inter reliquas hæc fuit inſcriptio, *Tuſai, fior Perſiano roſſo ò diſcolorito,con la teſta abaſſo*, hoc eſt, Tuſai, flos Perſicus ruber aut decolor nutante capite.

Vidit inter alias rariores ſtirpes hanc etiam nouam plantam noſtra ætas,quã vocant Turcico vocabulo *Tuſai*, nam Conſtantinopoli allata eſt. Alii Lilium Perſicum, à natali loco, vulgò ob ſimilitudinem Coronam Imperialem ſiue Regiam appellant, quam peritiſſimus rerum ſimplicium C.Cluſius, ſummus meus (inquit Camer.Embl.) amicus ad Hemerocallidem Veterum non malè referri exiſtimat. Huius flos maturus expanditur, ac in ſuis propriis pediculis planè deorſum flectitur, at quamprimùm flacceſcere incipit,ſuccedunt illi ſatis magna capita [vt quoque in Lilio rubro fieri ſolet,] quæ excuſſo flore ſtatim ſurſum eriguntur, ne ſcilicet,ſi deorſum dehiſcerent diutiùs,ſemina nondum matura putreſcant ac excidant.

C.Bauh.Phyt. Lilium 13.ſiue Corona Imperiali flore luteo, Lobel.Corona Imperialis. Lilium 14.ſiue Corona imperialis flore rubro, Cluſio Tuſai 2. Lilium 15. ſiue Corona imperialis multiflora, Cluſio Tuſai 3.

Lobel. Obſ. Lilium ſiue Corona Imperialis, Turſani & Lale Herbariorum. Ic.Plant p.171. Lilium

lium ſiue corona Imperialis Teut. 210. Item pag. 172. Corona imperialis phœnicea duplici corona aut ſerie florum. Teut. 211.

Aduerſ. par. 2. pag. 512. Lilium ſiue Corona imperialis Herbariorum, cuius varietates peramœnæ & perquàm ſpecioſæ Belgio & Anglo-Britāniæ iam noſtra ætate inquilinæ, oblectationi oculorum magis, hortorúmque ornamento, quàm naribus dicantur: tetrum namque hircinum halant odorem Imperiales Coronæ, quarum varietates in caule, flore, & folio perſpicuæ. Præcocior quæ ſtatim Martio, nec dum lapſo floret: folio lato eſt, dilutiore viridi, & flore non diſſimili, ſed pallidiore, à frigore fortè. Quæ media, eſt elatior, folio itē pallidiore ſed anguſtiore: & flore item dilutiore. Platicaulos, vt Liliū albū & Martagon ſiue Hemerocallis Byzātina interdū euētu fortuito fit Imperialis Corona numeroſo florum incremento: foliis anguſtioribus, & Minii coloris ſaturiorib⁹, floribus aſpectu iucūdis, quales floruere Londini in horto D. Ioh. de Franqueville Anno 1600. & Hacknei in horto Nobiliſſ. Baronis Eduardi Zouche 1601. Serotina latioribus foliis atrouirentibus: flore autem ex ſaturo phœniceo colore. Multis numeroſiſque latioribus foliis conſtat, ſtipatim bicubitalem caulem ab imo amicientibus, florum elegantiſſimorum ſaturorum duplici ſerie coronâue, nonnulliſque floribus caulis comoſum faſtigium internaſcentibus, aſpectu iucundiſſimo. Hæc variis in hortis alitur & in honore habetur.

Inter ſylueſtria Lilia Dod. Lat. venit & numeranda Imperialis Corona dicta *Lale* & *Turſan*: patriis vocibus appellari affirmatus.

Hiſt. Lugd. Corona Imperialis Dodonæi. Corona Imperialis 1. Königskron / Königslilien. Et Corona Imperialis 2. polyanthos, Gefült Königskron / Lilium Perſicum, *Tuſai*, aut *Touſai*.

Floret Aprili, interdum etiam Martio, ſi aëris temperies paullò calidior fuerit. Semen Iunio maturum. Nuſquam ſpontè naſcentem hanc plātam conſpexit Cluſius, ſed Conſtantinopoli delatam, eo quo ad Maximilianum II. Viennam euocatus eſt anno, primus Belgicæ hortis communicauit: & in Viennenſibus repoſita fœliciter prouenit. Ante ipſius tamen diſceſſum ex Belgio eius iconem [ qualem Dodon. in purg. hiſt. Append. exhibuit ] Ill. V. Ioh. Brancioni miſerat C. V. Alphonſus Pancius Ser. Ducis Fer. Med. Obſeruaui Stutg. in hort. Ill. E. C. vnde tranſlata in eius hortum Montb. floret Martio, ac hiemem fert non repoſita: Viſa etiam Baſileæ florere eodem tempore, ac ſemen maturum proferre Iunio.

An apud Turcas medicum aliquem vſum obtineat, non intellexit Cluſius, arbitratur tamen venuſtatis & ornatus potiùs causâ hanc plantam in ſuis hortis illos alere, quàm ob vllas eius facultates.

Hemerocallis vires licebit videre antè.

## CORONA IMPERIALIS MONSTROSA.

Ex Iconibus coloribus depictis Illuſtriſſimæ Princ. 1608. In magna icone multò plures



erant flores ac folia. Eſt mōſtroſa Corona Imperialis.

## LILIVM PERSICVM SIVE SVSIANVM.



Deſcriptiō

Donauit D. Cherlero meo Nobiliſſ. Cortuſus Patauii inter alia raritatis plena, Lilium, Perſicum ei dictum: cuius *caulis* procerus, non multùm craſſus, cubitalis, rotūdus, *folius* ab ima parte ſurſum vorſum densè ſtipatur, Lilii crocei foliis, anguſtioribus, acutioribus, digitalis longitudinis, longè quàm Coronæ imperialis anguſtioribus, illis ferè ſimilibus quæ in ſummo ipſius capite naſcuntur, vireſcentis ex cineraceo coloris, ſiue quodammodò æruginoſi ( inquit Cluſius,) qualis in Tulipæ foliis conſpicitur, contorquentur verò illa, buxeique ſunt odoris: ſummus caulis longum gerit thyrſum *florum*, ſeſquiuncialibus & longioribus pediculis hærētium, numeroſorū, pendulorum, terrámque ſpectantium, Leucoii bulboſi, Theophraſt. & nolas imitantium, ſenis foliis conſtantium, ſatura purpurâ tinctorum, ſiue, vt ait Cluſius, foris purpuræ valdè obſoletæ colore præditos, internè autem dilutiores, inodoros, vnguibus ſubuireſcentibus. Ex vmbilico ſex inæqualia *ſtaminula* prodeūt purpureis apicibus primùm conſpicua, qui obuerſi, flauo polline conſperſi apparent: tria deinde longiora ſtaminula coëunt, ſtilúmque medium florem occupātem æmulantur. Sequuntur deinde ſexangula *capita* ſiue triangula, quorū ſinguli anguli bis alis ſunt præditi, Coronæ Imperialis capitibus ferè ſimilia, ſed minora & breuiora: *ſemine* etiam ſimili, paululùm tamen breuiore: *Radix* qualem nos habuimus bulboſa, Pomi Arancii magnitudine, ſubrotunda, fiſſa: magnis ſquammis lo-

ricata, ex albo flaueſcens, tenui membrana cincta, ſubſtantia eius qualis in reliquis bulbis: Ima ſeſſilis foramine plurimùm pertuſa caulis veſtigio. Sapor ſubſtantiæ peramarus, horribilis.

*Sapor* Cluſio radix eſt magna, Tuſai radici pænè æqualis, è paucis ſquammis contexta, candidioribus tamen & aliquantulùm longioribus, nullóque tetro aut graui odore nares feriente prædita. *Odor.*

*Nomina.* Miſſi aliquoties pauci bulbi Tuſai bulbis permixti cum inſcriptione Tuſai *Fior Perſiano, ſi domanda Penachio Perſiano*: tandem poſtremò acceptus *Suſam-giule* appellatione, quod è Suſis primùm Conſtantinopolim allatus ſit: hácque adeò causâ Lilium Suſianum nuncupaui (ait Cluſius.) Munere Magnif. V. Iac. Contareni patricii Veneti ex Italia in Belgicam Ill. Io. de Brãcion miſſus bulbus *Penachio Perſiano* nomine, bicubitalem aut ampliorem tulit caulem quinquagenis floribus onuſtum, nullum autem ſemen: imò ne germinauit quidem ſubſequente anno: illius iconem dum florebat ſuis coloribus exprimebat Raphaël de Coxia Regius pictor, & exemplar mihi mittebat, ex qua noſtra icon imitata: flores ſunt magis patuli, quàm in pictura expreſſi. Iconem habeo cum magno artificio depictam munere Nicolai Raſſii Regis Galliæ Chirurgi, qui Hyacinthi nomine appellabat. De hac planta ſcribebat Alphonſus Pancius: *Penachio Perſiano è pianta belliſsima, & e ſpecie di Giglio ò Martagon, diuerſo della Corona Imperiale.*

Lob. Obſ. Adu. par. 2. & Ic. pl. pag. 170. Lilium Perſicum Lobelij, vulgò Pennachio Perſiano. Hiſtor. Lugd. Lilium Perſicum Lobelij. Camer. hort. p. 89. & Tabern. icon. & hiſt. Perſiſche Gilgen/Lilium Perſicum. C. Bauh. phyt. Lilium 12. ſiue Perſicum maius & minus, Lutetiâ ad nos miſit D. Iohan. Henticus Cherlerus. Audimus nos Guillandinum exiſtimaſſe *Pennachio Perſiano eſſe* Hemerocallidem: verùm hæc opinio, mihi non ſatisfacit, multa non reſpondent & in primis color.

*Hemerocallis Guill.* Floret Aprili, ſemen illius maturum cum Tuſai ſemine aut paulò pòſt: Inter bulbos Conſtantinopoli miſſa fuit Viennam: ternos tulit caules, ſingulos ternis floribus preditos, hic vicenis, ille tricẽis, tertius plurib⁹. Bulbos cũ ſelectiſſimis quibuſq; aliis rigida & aſpera hiẽs corrupit. Non modò flores, ſed abundè ſemen maturũ protulerunt Lugduni Batauorum. Veriſimile eſt [autore Cluſio] è Suſa vrbe Suſianæ regionis Perſidi vicinæ primùm delatam fuiſſe Conſtantinopolim.

Camerar. hort. Lilium Perſicum: Ital. *Pennachi del Perſiano* apud nos quidem perdurat etiam in hyeme non nimis acri, ſed bulbus ſemper decreſcit, nec florem quod ego ſciam, in Germania produxit. In Belgio & Germania rarum admodum fuit: Angliæ hodie alienigenarum opera conſeruatur & propagatur, Lobel. Paſſim in hortis Italiæ colitur, vnde à Cherlero elegans allata: ſpecioſos ex Italia ad nos attulit Cl. D. Bierdunpfelius Med. doctor, & ſtudii botanici ſagaciſſimus excultor, quos hortus Ill. Ducis Montbelg. habet. Floret Maio & Iunio, Montb. poſtea periit: vidimus Argentinæ in horto Dj. Frid. Meier.

LILIVM ASPHODELI RADICE
Luteum, ſiue lilio Aſphodelus
quorundam Flore luteo.

AD vnũ vel duos cubitos excreſcit, *caule* tenui ſed rigido, tereti, cauo, læui, abſque foliis in



ſummo in aliquot *ramos* diuiſo, *radice* fibroſa, glandulis appenſis donata, Aſphodeli radicum æmula: multæ oblongæ ab vno capite deſcentes, foris buxea, intus alba, ſapòre ſubdulci, ex earum *annexa* fibræ quædam craſſiores ſerpunt, quibus in plures plãtas multiplicantur. *Folia* ei ſunt numeroſa, Porri aut Aſphodeli, longa, carinata, ſtriolis per longum donata: flores odore planè & formâ Lilii, ſed colore penitùs luteo, poſt flores inquit Dodon. craſſæ, triangulares gignuntur ſiliquæ in quibus ſemen nigrum & ſplẽdens, Pæoniæ paulò minus.

Geſner. de hort. in append. Gladiolus Indicus à Calceolario miſſus Typhæ ſimilis, radicibus nodis Filipendulæ ſimilibus, quẽ iamdiu in horto habet, iiſdem ferè floribus quibus Canna, nempe croceis, Lilii ſpecie, ſed ii ſine ſemine decidunt. Lilium luteum Ephemerum quod Turcicum aliqui vocant, alii Gladiolum Indicum, quem Aſphodelis cognatum deprehendi: &c. Si Geſnerus intelligit, Lilium non bulboſum, comparatio floris cum canna [ſcilicet Indica] non placet.

Lohel. & Penæ: Aſphodelus Lili florus & Lirio-aſphodelus, lilium luteum vel Aſphodelum Pharmacopœis Venetis.

Dod. in poſt. hiſt. non meminit ampliùs Lilii non bulboſi lutei maioris & minoris, ſed tantùm vnum tradit luteum, & aliud obſoleto colore rubens: de quo mox, ſicuti etiam de luteo.

Cæſalp. Liliagines vulgò appellantur duæ Aſphodelis affines, floribus croceis, figura & magnitudine Lilii. Maiori caules cubitales, flores ampli, colore quaſi igneo, qui celeriter marceſcunt. Altera minor in totum non excedens dimidium cubitum, floribus aureis, radices vt in Aſphodelo, maior in Vere tantùm floret, minor diutiùs propagatur. Hemerocalies videtur apud Dioſc. præſertim quæ maior: cui Dioſc. teſte Bulbo ingenti ſimilis, videtur autem accipere globum radicum ingentem. Theophr. inter ſuffrutices coronarios recenſet. Theodorus Elium vertit. Hermol. in Dioſc. non Elium legendum putat, Sed Lilium marinum. Plinii Hemerocallis deſcriptio detruncata videtur ac deprauata vt patet conferenti cum Dioſc.

Hiſtor. Lugd. Lilium non bulboſum, Hemerocallis Dod. Et p. 1590. Liriaſphodilus, Liliflorus Lobelio. C. Bauh. Phyt. Lilium 21. ſiue luteum Aſphodeli radice. Tabern. icon. & hiſt. Geel Aſphodellen, Aſphodelus Liliaceus luteus i. Cluſ. Pann. Liliaſphodelus luteo flore elegant & odorato, Vng. *Zeod Leliom*: Croatis apud quos etiam flore albo inueniri aſſerunt *Illian Zvvet.* Idem hiſt. Liliaſphodelus luteo flore.

Camer.hort.Lilium non bulboſum,ſiue Arundinaceum flore luteo,odorato admodum. Profert interdum germina in ſummitate caulis, vbi flores ſine ſemine deciderunt, quæ terræ commiſſa ſtatim radices agunt.

Peregrinũ Belgio: Floret cũ Lilio purpureo maiore & paulò antè, Lilia candida præcedens,Dodonæus. In Vngaria maximâ copiâ ſponte naſcentem in multis vliginoſis pratis, non procul ab oppido municiſſ.Nemehvvyvvar inueni,Cluſ. Lilium non bulboſum flore luteo plantaui in horto Ill.E.C.vbi facilè prouenit & ſe multiplicat, non ita tamen vt purpureum, ſemina proferens.Montbelgardi nondum vidi: Hanc plantam primùm obſeruaui Baſileæ in horto Di.Doctoris Fœlicis Plateri. Frater Caſp.Bauh. attulit mihi Patauio ex horto Di.Triueſani, qui annotauit dici à Guillandino Aſphodelum Hermaphroditum Recentiorum. *Eriſembach* Arabum.

## LILIVM RADICE ASPHODELI PHOENICEUM, ſiue Lirioaſphodelus quibuſdam.



Non admodum abſimilis eſt hæc planta Lilio Aſphodeli radice præcedenti, ſed in ſingulis partibus maior, *radix* quippe cõſimiliter glandulis oblõgis, filo conuexis, ſtrumoſa, alba,guſtu propemodum fatuo: *caulis* digiti craſſitudine,duos cubitos altus & maior,fiſtuloſus,enodis,cuius faſtigium in aliquot alas diuiditur: *folia* maiora, carinata,latiora,quàm Lutei: *flores* in caulium ramis, altero tãntò maiores, Liliaceis pares,foliis ſenis conſtantes,colore triſtiore rubent intrinſecus, lutea linea per medium decurrente ad vngues vſque totos luteos: extrinſecus verò folia ad luteum, magis deuergunt.

An Camer.hort. Lilium non bulboſum, ſiue Arundinaceum flore ſubcroceo.

Cluſ.Hiſt.Liliaſphodelus puniceo flore quem Hemerocallidem eſſe Dodonæus cenſet. Hemerocallis flos eſt qui nocte tabeſit, Oriente verò Sole pullulat, Athenæo teſte,quale iſtud non bulboſum Lilium, præſertim quod purpureum & fugaciſſimum eſt, hoc enim vno tantùm die viget,matutino ſiquidem tempore exortum veſperi flacceſcit,quamobrem & propriè ἡμεροκαλλὶς ab vnius diei pulchritudine dici poteſt: Cum Dioſcor. etiam deſcriptione conuenir exceptis radicibus. Flores proponit vnius generis Ochræ luteo colore: alterius verò purpureos. Purpurei etenim coloris & Hemerocollidem aliquam eſſe πορφυρανθὲς nomen,inter nothas appellationes repertum oſtendit: Neque obſtat Dod.in fol.quod Dioſcor.Hemerocallidis magno bulbo ſimilem tribuit. Omnia nomina conueniunt exceptà tantùm Bulbi Hæmatici appellatione: πορφυρανθὲς autem vox purpureo propria eſt. *Porphyranthes.*

Lobel.Obſ.Lirioaſphodelus phœniceus.Sunt qui Ephemerum & Hemerocallidem dixerunt Plant.ic.p.95.Lirioaſphodelus Lob.48.Teut.127. An Bellon.Lilia rubra Turcarum?

Geſner. hort. Lilium rubens arundinaceum Turcarum Bellonio. Si quis à radicis forma Cynorrhodon vocare voluerit aut à foliis Cannorrhodon, non abſurdè fecerit.

Dod.de fl.& in fol. Lilium non bulboſum flore rubro purpureo.

Tabern.icon.& hiſt. Aſphodelus Liliaceus rubens Rot Affodil lilien. Hiſtor.Lugd.pag.1590. Lirioaſphodelus phœniceus Lobelii. Et p.1499. Lilium rubrum non bulboſum,radicibus tantùm differt à Lilio non bulboſo luteo, quas multùm fibratas habet. Non ſeparabo à Lirioaſphodelo, donec aliquis me moneat vbi viderit talẽ plantam.

C.Bauh.Phyt.Lilium 22. ſiue rubrum Aſphodeli radice: Hemerocallis Dioſc. Theophraſt.& Plinii non poteſt eſſe Hemerocallis Theophr.eſt enim frutex. *C.B.not.*

Lilium non bulboſum habeo in Horto Ill.E. C.Wittemb.Montbelgardi,quod mirè multiplicat,quotannis floret,ſemen autem non profert. Baſileæ obſeruaui in horto D. Fœlicis Plateri: Suâ autem propagante & reptante radice odioſum, ac multò magis quàm præcedens. Valdè luxuriat(vt Cluſius teſtatur)in omnibus Auſtriç, plurimiſque Germaniæ hortis. *Locus.*

Facultates Lilii non bulboſi incompertæ ſunt, cùm nullius hac ætate in medicina aut cibatu ſit vſus.Hemerocallidis vires tradit Dodon. *Vires*

## GLADIOLVS SIVE XYPHION.
### CAP. XIV.



Cum Iride bulboſa multã habent ſimilitudinem Gladioli, *folia* cultrata,ſtriata,caulem vagina tanquam concluſum aliquouſq; circumplectentia: *caulis* ſeſquicubitalis, ſingularis, teres,geniculatus, nonnihil, circa ſummitatem maximè, purpuraſcens: cui *flores* longâ ſerie è vagina proſilientes adnaſcuntur, quaſi intorti, longi, aliquomodo ſimiles Iridi,ſed minores multò, nunc vno verſu eodem vergentes,nunc duplici,colore ſuauerubenti,formâ Liliacea, foliis ſenis conſtãtes, quorum tria inferiora, Zonam habent per longum decurrentem, modò ſaturatiùs purpuraſcentem,modò in medio albeſcentem, *apicibus* atro purpureis medium occupantibus. *Radix* duobus conſtat bulbis,guſtu acri,altero alteri incumbente,alteroque magis quàm altero vegeto, *Deſcriptio*

adnatis quoque per intermedias fibras ſubinde bulbillis quibus ſe propagat, ſub bulbis ſunt duæ radices ſatis craſſæ, tres vncias circiter longæ, præter fibras quæ deſunt in icone Matth. Noſtra etiam figura iam empta ſculpta diſplicet.

Hunc porrò Cordus hiſt. ſuâ diligenter ſic deſcripſit. Victorialis fœmina, id eſt ſilu. Gladiolus, rectum & mucronatum emittit folium: è quo alia duo aut tria erumpunt, Iridi ſimilia, multò tamen anguſtiora, utrinque ſtriata, & Iridis modo ſibi inſerta: iunceum, teretem, cubito longiorem, & glabrum *caulem* amplectentia: in cuius ſummitate quinque, ſex aut ſeptem egregiæ figuræ & coloris *flores*, Sole cancrum ingrediente, ſe proferunt, à ſe inuicem diſtantes, in vnam partem caulis ſe inclinantes, & deorſum nutantes: conſtant hi ſex foliis, vncia parum longioribus, ſimul ab vno exortu prodeuntibus: ex quibus quatuor ſemuncia paulò latiora ſunt, colore roſeo, ſed multò lætiore & pulchriore: interdiu, cùm Sole tanguntur, ignis & ſcintillarum modo exteriori ſuperficie coruſcantia, & veluti flagrantia, reflexis labris profundioris calathi figuram referentia: reliqua duo foliola prædictis multò tenuiora ſunt, ac intra florem conſtituta, inferiùs aliquantulùm prominent, & candidam, longam, & in medio latiorem maculam habent, quam vndique purpurea linea circumſcribit, & terminat: ſuperiori floribus folio ſtamen ſubeſt trifidum, & inter hoc & folium ſingularis apex. Floret paucis diebus, ab inferiori parte incipiendo: aperiente enim ſe qui in ſummitate eſt flore, inferior flacceſcit & clauditur: floribus ſinguli folliculi ſuccedunt, in rotundo modicè oblongi, tenuibus venulis diſtincti, Nucis Auellanæ quantitate: qui cùm immaturuerunt in tres partes diuiduntur, & tenuia, paleacea, flauaque *ſemina* oſtendunt: in quibus rubens, cartilagineus, & paruus eſt *nucleus*: *radicem* habet non profundam, paruam, rotundam, bulboſam, ab ima baſi verſus germen turbinatam, aliquot crinitis & reticulatis tunicis, veluti loricis veſtitam: quibus detractis duo exigui candidi, carnoſique apparent bulbi vno alteri inſidère, ſuperiori quidem Veris initio, minore ſed vegetiore: inferiore autē maiore & latiore, verùm flaccido & fungoſo: perit enim & flaceeſſere incipit, prioris anni bulbus Veris initio, ſupernaſcente alio: itaque ſimul decreſcentem & increſcentem radicem habet: nonnunquam etiam inferiori ſubeſt tertius bulbus, ſed adeò flaccidus & inanis, vt inter effodiendum (quia non eſt ſpectabilis) negligatur, dum floret ſuperior & minor bulbus increſcit, vincitque ſoliditate & qualitate inferiorem: nam cùm flacceſcere flos incipit, digiti craſſitudinem, & globuli figuram acquirit: fibras ab inferioris bulbi baſe emittit tenues, cādidaſque: ſaporem radix habet præ cæteris herbæ partibus excellentem, nempe dulcem & modicè acrem, relinquit enim in palato aliquandiu linguam & fauces aliquātulùm vrentem & ſaliuam elicientem. [flores & folia idem faciunt] acrimoniam.

Xiphion ſeu Gladiolum cæruleo flore deſcribit Tragus, cuius deſcriptio integra pòſt tradetur ſub Iride tenuifolia Michelfeld.

Geſner. Gladiolus vernus. Gladioli ſegetalis [linguæ ceruinæ Apulei Dodon.] pleriſque dicti, flores [purpurei:] vulgò appellatur *Monacucie*: Arab. *Kaſiflore*. Ital. *Gladiol*. Et quamuis Dioſc. tradiderit quòd ſuperior radix magnitudine inferiorem ſuperet, plerumque tamen contrarium viſitur. Plin. hac in hiſtoria à Dioſc. diſſētit: ſiquidem in paluſtribus & aquoſis inueniri exiſtimat. Ex quo facilè crediderit Matth. Plinium illum vocare Gladiolum quem paſſim Officinæ Acorum nominant. Lobel. & Pena Adu. p. 47. Ξιφιον, Gladiolus, Germ. Schwertel. Gall. *glais*. *Segetalis* Romanis. Hæc ille qui ait Narbonenſe vnum habere florum ordinem, Italicum duos. Item Obſ. & Ic. Pl. p. 98. Gladiolus Narbonenſis. Adu. p. 47. & pag. 99. Gladiolus Italicus binis florum ordinibus.

Idem Adu. pat. 2. Gladiolus minimus, minor quàm vulgaris Narbonenſis Gladiolus: floribus concoloribus, minoribus vno verſu digeſtis in pedali gracili caule: foliis item duplò minoribus. Radix Siſyrinchii aut Gladioli parui. Floret in hortis Londinenſibus D. Guill. *Gois* & D. *de Franqueuille* Maio menſe. Floris omnino albi Gladioli radices & ſemen anno 1601. à D. I. Robino Botanico regio Lutetiâ accepimus. Sata Londini in horto D. *de Franqueuille* viguêre.

C. Bauh. Phyt. Gladiolus. 1. vtrinque floridus Matth. Lob. Italicus 2. Gladiolus floribus ab vna parte caulis digeſtis ſilu. Cordi. Narbon. Lobelii. Item hiſt. Matth. Gladiolus.

Naſcitur Cordo editis, frutetoſis & herboſis locis, magis tamen planis nec adeò altis: ac ſolum amat lutoſum, prouenit copioſiſſ. in ſiluulis frutetoſis circa pedem Lanterbergi, quem hodie montem Diui Petri vocant, vno atque altero ab Hala Saxonica miliaribus. Frequēs in Hetruria & in comitatu Goritienſi, in pratis & in aruis inter fruges, vnde Segetalis pleriſque dicitur, Matthiolo. Paſſim Monſpelii in ſegetibus prouenit. Florentem vidi menſe Aprili, Hanc plantam priùs videram in horto Di. Geſneri Tiguri, poſtea Patauii in horto publico, & Di. Triueſani, & Di. de Muſali *al ponte Molin*, Venetiis, ac ſpontè inter Ferrariam & Bononiam: Lugduni habebam in horto: Geneuæ frequens in hortis florens Maio: in Iulii principio reperi copiosè in prato vbi Gratiola & Oenanthe quædam inter Burdigni & Thuiri florebat & ſemen habebat. Montbelgardi habeo in horto Ill. E. C. tranſplantatam ex hortulo meo, & ex horto Dj. à Morlot ſenioris: D. Agerio teſte, qui plantam ſiccam dedit, prouenit in pratis pallidiore flore, planè albo vidi Stutgard. in horto Ill. C. Wirtemberg.

Nunc Enſis appellati radix dulcis decocta & trita farinæ admixta panem dulcem atque innoxium reddit. Per multas iuxta eam ſcolopendras reperiunt, teſte Theophr. gaudent enim eâ herbâ, frequenteſque congregantur in ea. Poteſt ex authoritate Dioſcor. ſuperna radix cum vino & thure impoſita, ſpicula & aculeos extrahere. Cum farina verò Loliacea & aqua mulſa, panos diſcutit. Vnde eiuſmodi emplaſtris additur. Ducit & menſes appoſita. Tradunt etiam ſuperiorem radicem cum vino potam, Venerem ſtimulare: inferiorem verò ſteriles facere. Quin & ſupernam radicem cum aqua bibendam commodè exhiberi pueris, quibus ex inteſtinorum hernia, inteſtina in ſcrotum delabuntur.

Similes vires ei & Plin. lib. 25. cap. 21. attribuit dicens: Xiphii radicis ſuperior pars cum thure trita, æquo pondere, admixto vino, oſſa fracta è capite extrahit, aut ſi quid in corpore ſuppurat, vel ſi calcata ſint oſſa. Et rurſus de eadem lib. 26. c. 8. Xiphii radix ſuperior vrinam eiet. Infantibus enterocelicis datur ex aqua, & illinitur veſicæ

ſioræ vitiis. Et rurſus c.10. Appetentiam Veneris facit radix è Xiphio ſuperior, data potui in vino.

Galenus Gladioli radix, & maximè altera ſuperna, attrahendi, diſcutiendi, & nimirum ſiccandi vim habet. Et 8. de facult. ſimpl. med. Xiphii radix maximè altera quæ ſuperior eſt, attrahit, digerit, deſiccatque.

## IRIS BVLBOSA LATIFOLIA FLORE cæruleo & candido.



SEna vt plurimùm habet *folia*, lógiuſcula & latiuſcula. Hemerocallidis Dodonæi, ſiue Liliaſphodeli foliis ferè ſimilia, breuiora tamen; alternatim inuicem amplectentia, mollia, in terram prona, ſupernè ex viridi pallentia, infernè verò incana: è quorum medio *flos* exilit, è membranaceo inuolucro, vnicus, odoratus, cæruleus [interdum lactei cādoris] nouem foliolis conſtans, Iridis figurâ, quo marceſcente, vtrinque alii ſingulares ſuccedunt. Nullus eſt illi *caulis*, ſed flos longo duntaxat pediculo inſidet, vt in Croco: *radix* bulboſa, candida, Auellanæ inſtar dulcis, multiplici cortice nigricante inuoluta, cui (præſertim dum floret) aliquot, præter fibras, craſſæ, longæ radiculæ ſubnaſcuntur, vt in Hyacinthi radicibus interdum fieri ſolet.

Huic Cluſ. Hiſp. Iridis latifoliæ purpuræ ſiue cœrulçæ cognomen dedit. Hanc Hiſpani, vel *Lirio* ſimpliciter, vel *Lirio eſpandannal*, Cordubēſes *Lirios azules*, appellant, hoc eſt, Lirium, enſiforme, & Lirium cæruleum. In Hiſtor. verò poſt. vbi eadem repetit, Iridem bulboſam, latifoliam, ſiue primam vocat. In Plant. Icon. pag. 96. Poëtarum Hyacinthus latifolius, Iris bulboſa, Latifolia Hiſpanica Cluſii. L. 50. T. 133.

Inuenitur in Luſitaniæ, Bæticæque collium radicibus, non procul ab Anâ flumine ſitis, & copioſè circa Antequeram & Cordubam. In Luſitania porrò Ianuario, in Bætica autem Februario florentem obſeruabat Cluſius, & erucbat, apud Belgas delata [Cordubâ enim ad amicos Belgas aliquos bulbos mittebat] nondum flores dederat, quum octénio poſt inde diſceſſit, ad Cæſarem Maximilianum 2. profecturus, ideóque nullum ſemen obſeruare potuit: in illis tamen, quas in Hiſpania erucbat, ſtirpibus, infimam partem pediculi, qui primum florem ſuſtinuerat, & inter folia reconditam, in rudimentum longi trianguláris capituli deſinere conſpiciebat, multa candida granula continentis: quo argumento adducitur, ſemen Aprili aut Maio maturum iſtic eſſe poſſe.

## IRIS BVLBOSA TOTA VIOLACEA vel cærulea.



HVic nucleatus *bulbus*, non minùs altum nobis *caulem* protulit, quā Hiſpanicus Poëtarū Hyacinthus, pluribus vtcunque foliis ſtipatū, paullò latioribus, inſigniter tamen acuminatis, carinatis; & interna parte mēbranâ candidâ ſuccinctis, foris ſtriatis: *flores* binos protulit, alterum alteri ſuccedentem; inferiore paullò ortu, ex vagina laxiore quàm Hiſpanicus iam dictus, nouem foliis ſimiliter cōſtantes, ſed extimis repandis multò per omnem dimenſionem maioribus, extrema parte fimbriatâ, modicéque fiſsâ, cæruleo-uiolaceâ, mediáque ſui parte, pro villoſa fimbriâ maculam luteam oblongam minorem, quæque non per ſolii Coſtam, vt in Hiſpanico, decurrat, habente, à cuius lateribus Zonulæ albæ virgatæ excurrunt, vbi verò arctari folium incipit, (quanquam internis altero rantùm latius eſt Hiſpanico) per Coſtam totam punctulis cæruleis albidíſque guttatum eſt, extrinſecus autem ferè vireſcens: hiſce tribus totidem ſuperpoſita ſunt purpurocærulea; anguſtiora quàm in Hiſpanico, nec vt in illo appreſſa, ſed interuallo ſatis magno recedentia, bifido nihilominus extremo, quibus ſubſunt ligulæ, quà repanda ſolia ſpectant, albo purpureóque virgatæ, altera parte violaceæ: tria tandem ſurriguntur violacea, anguſtiore ceruice quàm in Hiſpanico, ſed latiore extremitate. Deſcriptio

Hanc ſic deſcribit noſtro iudicio Cluſ. H. poſt. Craſſiore & latiore folio, ac veluti Cepaceo, viridiore; parte interiore carinato, ſiue ſtriato, multíſque quaſi bulbis argenteis reſperſo: craſſo firmóque caule, quem quaterna aut quina folia amplectuntur: binos ex vaginulis, vt plurimùm; promit flores inuicem ſuccedentes, interdū vnicum duntaxat, nouem foliis conſtantem, violacei prorſus & elegantiſſimi coloris, interdum dilutioris, inodorum tamen; quorum tria maiora ſunt, ad terram inclinata & prona, vt in vulgari Iride, & labrorum inſtar propendentia, tria alia anguſta & extima parte bifida, alatáque iis incūbunt, vſque ad luteam maculam [quæ maioribus pro fimbria eſt] pertingentia, tria alia ſurrecta, ſupremáque parte latiuſcula, infima verò valdè anguſta; floribus ſuccedunt trigona laxáque capita: quibus ſemen rugoſum, fulueſcens, Erui magnitudine, quod maturum, in capitibus crepitat, ſi moueantur: radix magna plurimis membranis tenacibus, nigricantibus circumuoluta, intus alba, & ſeſſili parte fibris prædita, quæ ſingulis annis nucleos circa latera deponit. Hu-

ius folia nouo Vere demùm germinant.

Eſt hæc Cluſ.Hiſp. Iris bulboſa anguſtifolia purpur. Et hiſt.poſt. Iris bulboſa violacea ſiue 2. Lobel. Ic. Pl.p.94. Hyacinthus flore Iridis Theocriti & Poëtarum, in Anglia proueniens Lobel.48. Aduerſ.47. Teut.130. Adu.par.2. Iris bulb. ſa Pyrenæa,quæ prouenit in Souton monte,Anglo-Britanica vocata minor, fortè eadem.

Quia verò Lobel.hanc Iridem primus Belgis communicauerat miſſis ex Anglia aliquot ad amicos bulbis, ſponte iſtic naſci Cluſius exiſtimabat & in Angliam profectus anno 1571.fruſtra in agris & collibus requirebat, donec Briſtolium quùm veniſſet,vbi Lobelium conueniebat, ab eo intelligeret,iſtic primùm illi innotuiſſe, ex hortis,in quibus colebatur, erutam,vnde Londinum amicis miſiſſet. Veriſimile, Hiſpanicis nauibus quæ plerumque Briſtolium commeabant, primùm iſtuc ex Hiſpaniâ aut Luſitaniâ delatam. Multos poſt annos eruditiſſ.vir Io.Venerius, Cluſium Exot.app.2.monebat,hanc plantam maximâ abundantiâ ſponte naſci in Pyrenæi montibus, atque anno à Chriſti natiuitate 1601.ſe inter multas myriades earum quæ cæruleum ſiue violaceum florem gerunt, vnicam plantam reperiſſe, quæ florem prorſus niueum haberet: anno autem inſequente,quùm denuò montes illos conſcendiſſet, venuſtarum plantarum quæ in illis naſcuntur conquirendarum cauſa,paucas ſimiles reperiſſe ſcribebat, quarum vnam Io.Hogelandio, alteram ipſi Cluſio mittebat. Ea præter expectationem [ nam valdè adflicta ] anno 1603.binos flores tulit prorſus niuei coloris,præter paruam maculam flauam, quæ vt in iis quæ violaceum colorem habent, terna repanda folia inficiebat illoſque vt violaceos odoris expertes.

Montbelgardi in horto Ill.E.C.floruit Iunio.

## IRIS BVLBOSA VERSICOLOR

πολύχλωρος.



Deſcriptio HABVI ( inquit Cluſius) anno 1592.plurimas Iridis bulboſæ verſicoloris plantas, quæ propter magnam humiditatem, à frequentibus imbribus, feraces fuerunt proferendis amplioribus *floribus*, binis ſcilicet, vel ternis: binas, quæ quaternis floribus e-rant onuſtæ. Summo,*caulis* faſtigio innati bini ex iiſdē vaginis emergentes, quemadmodum in Secundo genere ſolent,alter alteri ſuccedentes,in nonnullis etiam tertius: Aliæ,præſertim verſicolores,latifloræ ſaturatiores, præter geminos illos flores in ſummo caule naros, ex ſingulari vaginâ infrà illos ſita, & altera ſequente,ſingulares produxerunt ramulos, teretes, geniculatos,ſuſtinenres binas vaginas,è quibus emerſerunt ſingulares flores, primatiis non minùs elegantes, & perinde odorati. Habui etiam anno 97.multas Iridis bulboſæ plantas,quæ quaternos flores tulerunt.

## IRIS BVLBOSA, CÆRVLEO & albo Verſicolor.



RAdix huic bulboſa, adnatis bulbulis ſubinde ſe propagans, colore albo: *caulem* tollit ad cubitum vnum & dimidium, rectum, geniculatum, teretem; cui *folia* adnaſcuntur, carinata, pellucida, argentea membranula intrinſecus obuelata, extrinſecus colore cæſio ſtriato, quorum latera cis faſtigium,quod perquàm acuminatum vix dimidii culmi latitudine eſt nonnunquam,coaleſcunt: *flos* ex vagina glauca emicans,pediculo canaliculato inſidet amoenus, nouem foliis Iridum more conſtans, quorum tria ſurriguntur, non tamen capitibus coëuntia, ſed modicè diſſita,colore, dilutè cærulea: his totidem alternatim interiiciuntur repanda, quorum coſta per longitudinem diſcurrens ex luteo vireſcit ( baſis verò tum horum tum præcedentium lutea eſt, ) extremamque partem,quæ latior & ferè rotundata, magiſque terram uerſus reflexa,albam poſſident; loċoque ſupercilii æmula fimbriæ, crocea decurrit Zona ad ipſius vſque folii cum pediculo commiſſuram, à cuius lateribus interna parte obliquæ lineæ purpuraſcentes excurrunt: atque hiſce quidem tribus totidem incumbunt folia,ex albo cærulea, exactè zonam cum virgatis lateribus obtegentia, eouſque donec repanda folia dilatari incipiant,ibi verò zonæ luteæ finem denudantia, bifida extremitate, introrſum reflectuntur,quibus ſubſunt ſingulis ſingulæ occultatæ ligulæ,quà repanda folia ſpectant lutea: quà verò poſtrema hæc,albida.

Hanc ni fallimur,ſic tradit Cluſius: Ei quinque aut ſex ſunt folia anguſta & tenuia,cubitalis longitudinis,internâ parte ſtriata & candicantia, externâ autem rugoſâ, viridis cum cineraceo cōmixti coloris,caulem amplexantia cubitalem, interdum etiam maiorem, nodoſum, vnicum plerumque florem, rarò binos, è membranaceis vaginulis proferentem,Iridis anguſtifoliæ floribus forma ſimilem,&c.

Tertiam hanc Iridem Cluſ.in Hiſpan. bulboſam anguſtifoliam flore vario Hiſp.*Lirio Illyric.*: In poſt.verò Hiſtoria, Iridem bulboſam tertiam ſiue verſicolorem appellat. Plant. icon.p.95. Hiſpanicus Poëtarum Hyacinthus. Iris bulboſa anguſtifolia flore vario Cluſii, Lob.48.Teut.130.

Copioſam habeo in horto Ill.E.C.Montbelgardi,

gardi, habetur etiam Stutgardiæ: floret Iunio: eâdem attulit Gener Româ ex horto Ill. legati Hiſpani, à Coruino Belga eiuſdem Pharmacopœó experientiſſ. ſicuti alia plura. Sæpiùs nobis prouenit ex ſemine ſato primo anno vnicum proferens florem.

## IRIS BVLBOSA LVTEA.

VErſicolori per omnia ferè ſimilis (inquit Cluſ. in Hiſp.) Iris bulboſa anguſtifolia luteo flore, cui à floris colore, flauæ, ſiue luteæ cognomen indidi,

io



quámque Luſitani *Reyllabuev*, vocabãt: In poſt. verò Hiſt. Iris bulboſa 4. ſiue lutea: breuiore tamen eſt *caule*, gracilioribúſque & ex viridi palleſcentibus *foliis*: *flos* vnicus, interdum bini, cõtractiores, latiores tamen, ex vaginulis ſummo cauli inhærentibus prodeunt, lutei coloris, inodori, mediæ inter ſecundum & tertium genus magnitudinis, quemadmodum & *ſiliqua*, ſeu caput trigonum, in quo *ſemen* ſuperiori ſimile continetur: *radix* tertii generis radici ſimilis, quæ nucleis, non ſecus ac illa, propagatur. Sed hæc in flore quandam etiam differentiam habet, licet exiguam: nam inuenitur latiore aliquantulùm, ſaturatioréque & magis rutilante aureo colore, radice item breuiore, & craſſiore, membranacea præterea illa vagina, vnde primùm folia emergunt, ſanguineo colore, à ſummis vaginæ oris in inferiorem illius partem radiatim deſinente, magis infecta eſt, quàm illius, quæ dilutiore eſt flauo colore: nam illa interdum ſanguineo hoc colore caret. Vtriuſque autem, quemadmodum & Tertiæ, folia ante hiemem germinare ſolent.

Lobel. Icon. Pl. Hyacinthus Poëtarum luteus, Lob. 49. T. 132. Cuius in par. 2. Adu. aliquot tradit ſpecies.

Naſcitur (inquit Cluſius) pingui ſolo, & petroſis collibus ad Tagum ſitis, ſupra Olyſipponem, vbi eam eruebam Decembri Anno 1564. cũ aliquot aliis rariſſimis ſtirpibus, & inde ad amicos in Belgium mittebam. Floret tamen paulò maturiùs Tertio genere, eodem ferè quo ſecũdum tempore: breui tamen ſe mutuò conſequuntur, & interdum ſimul florere conſpiciuntur.

## IRIS BVLBOSA CÆRVLEA LVSITANICA.

io QVinta (inquit Cluſius) Iris bulboſa, mihi primùm conſpecta Lugduni Batauorum. Nihil verò ea differt *caule*, *foliis*, & *forma floris*, ab Iride bulboſa, cuius flores verſicolores, ſolius floris color diuerſus eſt. Nam nouem, vt ille, *foliis* conſtat, quorum terna inflexa & terram ſpectantia, cæruleum habent colorem, venis ſaturatioribus à medio folio in latera excurrentibus diſtinctum, & ab illo ad vnguem vſque, maculã flauam ſatis latam, medium folium per longitudinem ſecantem: terna illis incumbentia & gibboſa eiuſdem etiam coloris, paulò tamen dilutioris: tria ſurrecta folia magis ſatura, odor penè florum Tiliæ: binos autem, ternóſue in eodem caule fert *flores*, qui reliquarum Iridum bulboſarum floribus magis ſunt ſerotini, iiſque marcidis demum aperiuntur ſub initium Iunii. Floribus ſuccedunt triangula oblonga *capita*, vt in verſicolore Iride bulboſa. E Luſitania porrò hoc Iridis bulboſæ genus, paucos antè annos, primùm in Belgicum defertur. Sequente autem anno, è tribus bulbis ab amico acceptis, vnus florem longè elegantiorem iam deſcripto protulit, amplioribus labris nempe conſtantem, tribúſque foliis ſurrectis latioribus, gibbis etiam amplioribus, totúmque adeò florem multa ſaturatiore purpurâ nitentem, & magis expanſum, idem tamen qui in altero odor: caulis præterea circum nodos, quibus folia inhærebant, ex purpurâ nigricabat. Hæc quum mihi ſponte naſcens non ſit obſeruata, nullum nomen vulgare intellexi: ſed qui hortorum culturâ delectantur Bataui, Luſitanicę cognomen dederant. Omniũ porrò iſtarum florib⁹, illius præſertim quę vario eſt flore (quia vt opinatur Cluſius, roſcidum quẽdam ſuccum in lateribus exſudant) formicæ mirum in modum ſunt infeſtæ. Præterea omnium iſtarum, tam illarum quarum mentionem fecimus, quàm ſubſequentium, flores marceſcere iã incipientes, hanc peculiarem notam habent, quòd miluinorum vnguium inſtar contrahantur: quod etiam aliorum Iridis generum floribus euenit.

## IRIDIS VERSICOLORIS CLASSIS 2. Cluſio.

SVnt, authore Cluſio, aliæ Iridis bulboſæ ſpecies non eæ quidem aliunde inuectæ, ſed ſe- Deſcriptio
mine apud Belgas natæ, quarum hiſtoria prætermittenda non videtur, eamque ob cauſam, ſuperioribus ſubnectendam eſſe exiſtimaui.

Prima igitur verſicoloris quoddam genus eſt, à ſuperioribus diuerſum, non foliis, caule, aut radice, his enim cum Tertio aut Quarto genere conuenit, ſed floris colore: quia tria eius folia ad terram inclinata, ſiue labra, flaua ſunt, & Quarti generis foliis propendentibus liliorum inſtar fere ſimili, magnâ tamen aureâ maculâ in prominente & reflexo labro inſignita, ad quam infimo folii vngue intrinſecus excurrunt aliquot venæ quodammodò purpuraſcentes: tria autem gibba & illis incumbentia, dorſo & alis pallent, lateribus candicant: tria verò ſurſum erecta, ex albo ſubcærulea ſunt, hoc eſt, albicantis ſunt coloris, quem ſubcæruleæ ſaturatiores vel dilutiores venæ diſtinguunt.

Alterius terna inflexa folia pallent, & labrum habent flaua maculâ inſignitum, a qua ad vnguẽ vſque anguſtiora ſunt, vt in cæteris generibus, & internè quibuſdam venulis purpuraſcentibus diſtincta ſunt: tria gibba folia ligulam tegentia ὠχρολεύκου ſunt coloris, vel albicant, ſummo tamẽ

gibbo palleſcente: terna ſurrecta exalbida ſunt, neruus tamen per longitudinem excurrens flaueſcit. Vtriuſque flores odorati, Tertii generis ſupra deſcripti florum inſtar: radix etiam non minùs quàm in illo fœcunda producendis nucleis. Illas habui munere Ioh. Boiſſot anno 1586. quadriennio verò pòſt, tres alias communicabat, quæ inſequente anno hos flores protulerunt.

Prior quæ erit illius Tertium genus ab ipſo acceptum, latiore, breuioreque fuit flore, cuius terna inflexa ſolia, lato & propendente ſunt labro, mediâ aureâ maculâ (quam albus orbis ambit) inſignito, per oras criſpo, cærulei coloris, à maculâ autem vſque ad vnguem folii, extenditur neruus extrinſecus vireſcens, intrinſecus pallidus, multis purpureis venis in latera excurrentibus, tria gibba alataque folia purpuraſcentis ſunt coloris, gibbus albicans, alæ cæruleæ, tria ſurſum erecta folia, ex cæruleo purpuraſcunt.

Altera, ſiue eius Quarta, florem habuit, cuius terna folia terram ſpectantia, flaui ſunt coloris, aurea maculâ labrum occupante, à quo ad infimos vngues: interiore parte ſparſæ ſunt quædam venæ dilutiùs purpuraſcentes: folia iis incumbentia exalbida ſunt, præter medium neruum ad extremum folium excurrentem & gibbum, qui pallidi ſunt coloris, ſurrecta terna folia, infimâ parte ex cæruleo purpuraſcentibus venis ſunt diſtincta, ſupernâ candicant.

Tertiæ ſiue Boiſſoti Quintæ flori, terna incurua ſiue inflexa folia, prorſus lactei candoris fuerunt, præter maculam illam medio labro impreſſam, quæ aurei coloris erat: gibba præterea folia illis incumbentia, alba fuerunt, vt & terna erecta, exceptâ illâ infimâ parte circa vngues, quæ tenue quidpiam ſubcæruleum habere viſa eſt. Odorati etiam hi flores erant. Ex cuius generis ſemine natæ ſint hæ varietates, nihil ad me perſcriptum, nec forſitan quiſpiam tam exactè obſeruauit: odor tamen qualis in Verſicolore illâ in Tertio genere ſuprà deſcriptâ, me in ſuſpicionem adducit, ex illo originem ſumpſiſſe.

## IRIDIS BVLBOSÆ VERSICOLORIS claſſis tertia Cluſio.

QVas [inquit Cluſius] Irides bulboſas primę Flauæ-Variæ à Boiſoto primùm mihi miſſæ, ſemine ego nactus ſum anno 1590. duobúſque illum ſequentibus, ſubiiciam.

Vna, quam F-V. hoc eſt Flauam-Variam maiorem, & omnium elegantiſſimam meritò appellare poſſum, caulem non minùs altum habet, quàm Tertium illud genus verſicolore flore à me tertio loco deſcriptum, videlicet cubitalem aut ampliorem, folia latiora & breuiora, media ferè inter illius & Secundi generis folia, florem maiuſculum, cuius terna folia inflexa & terram ſpectantia lutei ſunt coloris, & aureâ maculâ in medio labro inſigniuntur, oris quodammodò purpuraſcentibus anguſtiore foliorum parte quæ gibbo integitur, intrinſecus multis ſubpurpureis venis in latera excurrentibus notata: gibba & incumbentia ſolia diluto purpureo colore ſunt prædita: tria erecta valdè ſaturâ purpurâ nitent, & quaſi violacea ſunt, præſertim medius per longitudinem extenſus neruus.

Altera etiam F-V. & latiflora, ſed paulò humilior terna ad terram inflexa folia flaui coloris habet, aureâ maculâ inſignita. à quâ, ad infimum folii vnguem, multis purpuraſcentibus venis interiore parte ſunt diſtincta: gibba folia quodammodò purpuraſcunt, neruum tamen ſubflauum habent: tria ſolia erecta, purpurei ſunt coloris.

Tertiæ F-V. floris forma eadem, & terna illa folia inflexa flaui coloris, aureâ maculâ inſigniuntur, quâ verò parte bifidis & gibboſis illis foliis integuntur, radiis obſoletè purpuraſcentibus diſtincta ſunt: ſurrecta terna folia ex cæruleo purpuraſcunt, medius autem per longitudinem excurrens neruus flaueſcentis eſt coloris, & tria aliis incumbentia, obſoleti, cui flaui quidpiam permiſtum eſt.

F-V. Quarta, etiam latiflora, terna inflexa folia pallida habet, aureâ maculâ inſignita, quâ autem parte camerato ſolio integuntur, purpuraſcentibus venis ſunt diſtincta: gibba folia, etiam purpuraſcunt: tria verò erectiora folia, cæruleum habent colorem.

Quintæ F-V. quæ anguſtiflora eſt, tria ad terram ſpectantia folia, flaua ſunt, aureâ etiam maculâ medio labro inſignita; & incumbentia illis folia candicant, neruus tamen eminentior quodammodò ὠχρόλευκος: ſurſum aſſurgentia folia exalbida ſunt, imâ parte ſubcæruleis quibuſdam venis leuiter diſtincta.

Sexta F-V. etiam anguſtiflora, & humilior, non valdè abſimilem matri, hoc eſt, Primæ à Boiſſoto miſſæ, habuit florem: ſed quibuſdam notis ſecundæ ab ipſo acceptæ reſpondentem, vt media quædam ſpecies inter vtramque cenſeri poſſit.

Latiflora eſt, & elatior Septima F-V. cuius inflexa folia habent latiora labra, flaui coloris, aureâ maculâ inſignita, quâ verò parte gibbis foliis integuntur, ad vnguem vſque, interiùs ex cæruleo purpuraſcunt: gibba & alata folia etiam purpuraſcentis ſunt coloris, gibbo tamen dilutiore: ſurrecta folia latiuſcula ſunt, & illlis magis purpuraſcunt, cæruleíque quidpiam admixtum habere videntur.

Humilior, latiflora tamen, eſt Octaua F-V. cui terna terram ſpectantia folia flaua ſunt, aureâ maculâ maiuſculâ notata, internâ parte quæ cameratis bifidiſque foliis tegitur, purpuraſcentibus radiis in latera excurrentibus diſtincta: gibba criſtataque ſolia, purpurei cæruleo commixti ſunt coloris, ipſo gibbo ex purpura flaueſcente; erectiora folia, cærulei purpuræ permixti ſunt coloris.

Anguſtiflora, ſed humilior etiam, eſt Nona F-V. cuius trium ſoliorum terram ſpectantium labra longiora ſunt & pallida, oriſque aliquantulùm purpuraſcentibus maculâ aureâ longiore inſignita, reliquâ parte bifidis ſoliis tectâ, internè purpuraſcente, præter medium neruum qui aurei eſt coloris, foris ex viridi palleſcentis: gibba cum ſuis criſtatis foliis, purpurea, gibbus paullò dilutior: ſurrecta terna folia, purpurâ ſaturatiore nitent.

Decima eiuſdem ferè altitudinis eſt cum ſuperiore, eiuſque terna ſolia ad terram prona, palleſcente ſunt labro, breui flauâ maculâ in longos radios deſinente infecto, anguſtior ſolii pars foris vireſcés, internè viridibus venis prædita: alata & bifida folia, exalbida ſunt, ad ὠχρόλευκον colorem tendentia. gibbus palleſcens: terna folia quæ ſurſum attolluntur, alba ſunt, medio neruo circa vnguem palleſcente.

Vnde

Vndecimæ,eadem quidem forma, ſed diſſimilis prorſus color : nam terna inflexa folia alba ſunt, flauâ tamen maculâ inſignita: gibba his incumbentia, purpuraſcunt: tria ſurſum erecta purpurei, ſeu violacei ſunt coloris: breuiter non multùm abſimilis eſt Anguſtifoliæ verſicolori ſaturæ,in prima claſſe.

Media quodammodò inter Latifloram & Anguſtifloram eſt Duodecima,eáque elatior,labris trium foliorum terram ſpectantium ex albo purpuraſcentibus, aureâ maculâ notatis , quæ medium etiam folium per longitudinem ſecans, ad infimum vſque vnguem anguſtior protenditur, eius latera interiùs ſaturatioribus venis purpureis diſtincta: folia criſtata & bifida illis incumbentia,diluti purpurei,& quaſi ad rubedinem tẽdentis ſunt coloris,gibbo paulò magis ſaturo : ſimilis pænè coloris ſunt ſurrecta folia,eorum tamen vngues aliquanrulùm ſaturatiores. Iſtarum porrò omnium flores odorati ſunt, & Tertii generis floribus verſicoloribus odoris gratia reſpondent.

Et hæ quidem ſummæ ſunt differentiæ Iridum bulboſa radice præditarum,quæ mihi ſemine F-V.primæ Boiſſoti natæ : aliæ tamen etiam natæ, ſed quarum colores proximè ad iſtarum colorẽ accederent: propterea minimè huc inferendas putaui.

Illud præterea in iſtarum Iridum plantis ſemine natis obſeruabam,plurimarum vaginam illam initiò emergentem,è quâ vt in primò deſcriptis exeunt folia,rubri ſiue ſauguinei coloris radiis eſſe affectam, non ſecus ac Quarti generis primæ ſpeciei in prima Claſſe vaginulam.

Sed & Decimum tertium genus ſemine mihi natum, quod florem demum tulit anno 1594. quadriennio videlicet poſtquam ſemen telluri creditum. Cubitali verò aſſurgit caule, nodoſo & geniculato,inſtar aliarum Iridum huius generis,quem ambiant longa & anguſta folia,carinata vt in ſuperioribus reliquis: ſummus caulis ſuſtinet florem reliquis formâ ſimilem & nouem foliis conſtantem, ſed colore diuerſum:nam terna maiora labro propendẽte prorſus cærulea ſũt, tumente maculâ,aurei coloris à medio labro ad infimum folii vnguem diſcreta, his incumbentia, fornicataq; & alata folia ſaturæ purpuræ colore ſunt, ligulámq; tegũt,terna ſurrecta,oblonga,anguſta,ſaturâ purpurâ ( cui rubedo leuis admixta) nitent: odor tenuis, nec ad eas quæ verſicolore ſunt flore ſuauitate accedens : capitula trigona longáque inſtar capitum verſicoloris, quę tamen nullum ſemen tulerunt: radix bulboſa vt reliquarum Iridum bulboſarum , pluréſque nucleos ad latera generans. Floruit primo anno circiter quindecim dies ante illas quæ cæruleo & flauo ſunt flore: altero cum iiſdem, Iunio videlicet. Huic prorſus ſimilem Hiſpali accipiebam anno 1596. ab eruditiſſ.viro D.Simeone de Touar Hiſpalenſi Medico,vt ex eius flore, quem inſequentis anni Maio dedit,obſeruare potui:an verò ſemine ipſi nata eſſet, aut aliunde miſſa,nihil adſcribebat.

Superioribus annis vt antè dictum eſt, in Flauæ Iridis bulboſæ ſemine natis plantis nullam varietatem obſeruaueram: at anno 1597. cùm in hac,tum aliis inſignem varietatem habui. Nam anno 1593.ſeorſim in diuerſis puluinis Flauæ,Albæ,F.verſicoloris ſemina terræ commiſi ſub finẽ Nouembris: natæ ex iis plantæ nec loco motæ, quarto pòſt anno flores protulerunt : ex Flaua quidem , aut flauos prorſus , aut flauos quorum ſurrecta folia aut pallebant aut exalbida,vel cærulea erant, vel fuligine infecta cum fornicatis foliis: ex F.verſicolore autẽ, flauos, flauos item quorum ſurrecta folia alba erant, vel initiò labra habentes flaua aureâ maculâ inſignita, deinde flauus ille color maculam ambiens cæruleum colorem prorſus contraxit, folia fornicata &.ſurrecta ſaturâ purpurâ nituerunt : vel etiam alios illis perſimiles,quorum tamen flaua labra oras auream maculam ambientes habuerunt vireſcentis ex cærulæo coloris,& alios matri ſimiles : ex Alba verò pallidos , ſurrecta folia alba aut exalbida habentes, aut ex cæruleo purpurea, aut matri propemodum ſimiles. Quam varietatem producunt reliquæ plantæ illis ſeminibus natæ,indicabit dies.

Idem Exot.par.2.App.2.ait. Cæterùm ex Epiſtola quam ad me dabat Venerius illo ipſo anno quo Iridem illam niueo flore mittebat,varia alia Iridũ bulboſarum genere ab ipſo in Pyrenæis mõtibus obſeruata fuiſſe intelligebam: quæ ſcripto comprehenderat, vt ad me mitteret exactam earum plantarum deſcriptionem : Verùm, dum in variis illorum montium iugis, quæ pænè ſexagena conſcendit,perluſtrandis erat occupatus,ſcriptum illud ipſi excidiſſe & periiſſe magno cum ſuo dolore:ſe enim non probè quænam inter illa eſſet differentia meminiſſe, certò tamen ſe ſcire, viginti ſex generum deſcriptionem feciſſe : eam autem Iridem quæ flauum aut rubrum habet florem,in earum numero non comprehendi,quoniã in illis montibus nullam ſimilis coloris reperit. *Ingens Iridum bulboſ. Varietas in Pyren.montibus.*

## IRIDES BVLBOSÆ ET ALBÆ.

MIro colorum incremento bulboſæ Lobelii Adu.par.2.Irides,ſatu non ſecus ac Tulipæ præcoces ſatæ,ſeminéque ortæ,albæ potiſſimùm, variant,quæ inſigni metamorphoſi, colorum varias ſubeunt differentiàs : In bulbo alioquin folio , caule, cæteriſque plantæ partibus diſcriminis perexiguum. Has differentias alunt cultiora D.Ioh.de Franqueville noſtráque vireta.

De Iridum bulboſarum viribus nihil compertum habet, aut ab aliis traditum accepit Cluſius.

## SISYRINCHIVM VETERIBVS.

### Cap. XVI.

ET hoc quodammodò Theoph.aut l.7.c. 13. de Hiſt.Plant.ad bulborum genus redigi deſiderat , quòd radice orbiculetur. Nam colore quidẽ penitùs diſcrepat,candet enim,nec ſquamis conſtat.Huic peculiare datum eſt, vt ima [ vna,Gaza legit]radix primò augeatur Hieme,tam ineunte Vere,quod in imo excreuerit, contrahatur,ſupernúmque creſcat quod manditur. Radix(vt idem inquit de cauſ.)vt reliquarum generis eiuſdem, dulcis eſt,partes verò ſuperiores ex cauſa ſiccitatis inſuaues & propemodum inſipidæ. *Deſcriptio*

Poſt Theophraſt. inter genera bulborum,quæ Græci fecère,Plin.l.19.c.5.Siſyrinchion numerat: perhibens , mirum imas Siſyrinchii radices creſcere Hyeme: Vere autem,cùm apparuerit Viola, minui & contrahi, tum deinde bulbum pingueſcere.

## IRIDI BVLBOSÆ AFFINE
Siſyrinchium maius.

Deſcriptio



IRides bulboſas proximè, ſine controuerſia,ſubſequi debet planta quædam flore Xyridis,minore tamen, & orbiculata, vt Xiphium, cuius duo genera in Hiſp. peregrinatione à Cluſio obſeruata, Maiu & Minus. Maius ſic deſcribit: oblongis anguſtiſque *foliis*, mollioribus quàm Iridis bulboſæ folia, & ad Allii aut Hyacinthi botryodis folia proximè accedentibus,ſtriatis,viridibus, & humi plerumque fuſis: rotundo, dodrantali, ſtriato, firmoque *caule*: qui ex multis innolucris tanquam è vaginulis, *flores* promit quatuor aut quinque, alternatim prodeuntes, hoc eſt, vt primo marceſcente alter ſuccedat, deinde tertius,& ſic deinceps, Xyridis potiùs florem referentes, quàm Iridis,ex nouem foliolis compoſitos:quorum tria vt in iam deſcriptis Iridibus bulboſis, deorſum inflexa,pro fimbriâ, luteam maculam etiam habent: alia tria ſurſum aliquantulùm attolluntur: tria vero reliqua,quæ in aliis ligulam tegere ſolent,ſurrecta,ſumma parte diuiſa & bifida. Eſt verò totus flos pulcher aſpectu, coloris cærulei, præter maculas illas,& odore quidem præditus, ſed valdè fugaci: floribus ſuccedunt *folliculi*, vaginis quibuſdam cutaceis incluſi, adeò tenui membranâ conſtantes, vt *ſemen* rotundum, paruum,ſubruſum,quod in illis continetur conſpici poſſit: *radix* bulboſa,gemina, planta ipſâ florente,& altera alteri inſidens Xiphii modo, ſuperior, plena,candida dulcis, edulis,& pueris expetita,inferior[flaccida totam nimirum ſubſtantiam ad ſe trahente ſuperiore, vt in Croco Xiphio,] & tandem euaneſcens cum inhærentibus fibris: multiplici verò cortice reticulato, craſſo, nigro integitur, Xiphii radicis inſtar, & adnatis ſeſe propagat: nam quinas, interdum etiam ſenas, aut plures plantas quarum ſinguli bulbi ſuo retiformi tegmine inuoluti erant, alio villoſo capacioreque tegumẽto ſimul compreſſas eruere memini, in collium ſupra vrbem Olyſſiponem accliuitatibus, apud ſuburbanum Magn. & Gen. viri Ferdinandi Corinho, equitis Luſitani, multis peregrinationibus in exteras regiones factis,clari: atque etiam Gadibus, non procul à ponte, qui eam inſulam continenti nunc coniungit: vnde eius bulbos in Belgium ad amicos mittebam.

Locus.

Cluſ. Hiſp.& hiſt.poſt. Siſytinchion maius, Luſitani Nozelhas (quaſi Nuculas ſiue paruas nuces) appellant,quòd pueri iſtic eius bulbo perinde atque Auellanis veſcantur,& in delitiis habeant.Plant.ic.p.97.Siſyrinchium Cordi & Cluſii Lob.50.T.133.Siſyrinchium Cordi nobis, & bulbus ſilu.Fuchſii.

Floret vtrumque genus Martio,natali ſolo:ſed apud Belgas Maio duntaxat: interdum etiam Iunii initiò, idque valdè rarò, vt pote quod alternis vtplurimùm annis, duntaxat prodire ſoleat, imò paulatim plerumque contabeſcens, prorſus tandem ſæpenumero pereat. Te

## IRIDI BVLBOSÆ AFFINE
Siſyrinchium minus.



SIMILE eſt (inquit Cluſius) præcedenti, minus tamẽ,graciliori buſque *foliis*: *flores* è vaginulis prodeuntes,colore ſuperioris floribus ſimimiles, ſed magis odorati; tenuiores etiam *folliculi* minore & exiliore ſemine pleni: *radix* item minor, non minùs tamen,quam ſuperioris, reticulato cortice tecta,& gemina. De

Siſyrinchium minus,ſeu genus alterum, quod Hiſp. *Lirio*, nonnullis *Maçucas* dicitur, ad eum bulbum accedere videtur quem Theoph. l.7.c.13. hiſt. σισυρίγχιον vel σισυρίγχιον cognominauit.

Creſcit Valentino Hiſpaniæ regno,ſed Murciano frequentiſſimum obſeruabat atque eruebat Cluſius, præſertim tribus leucis ſupra eius regni Metropolim, *Murcia* vulgò appellatam, quæ Veteribus *Murgis*,dicebatur,itinere Granatenſi. Lo

Ad ventris tormina (inquit Cluſius) vtile eſſe referebant incolæ ſed deuoratâ radice,illicò corpus ſaltatione eſſe exercendum. Vi

## FLOS PERSICVS SISYRINCHIO
congener.

FLoris Perſici [inquit Cluſius Hiſt.poſt.] ſupremam caulis partem cum flore ſuis coloribus duntaxat expreſſam, anno 1594. Pragâ accipiebam ab Eſaiâ le Gillon,meo ſororis filio:pulcherrimus,ſummo cauli ſatis gracili & vireſcenti innitens,& ex membrananacco inuolucro inſtar folliculorum,qui Iridum flores ambiunt, emergens,tribus tantùm foliis (ſi picturæ fides eſt adhibenda) conſtans,mucronatis, binas vncias longis, minimum digitum latis, dorſo elatiore, cærulei coloris adeò elegantis. vt cum Gentianella cæruleis floribus contendere poſſit: internâ parte ramoſa quædam ſtamina in multas tenues fibras ſecta continere videtur rufi coloris, apicibus verò albis: infra illum addita erat alterius floris gemma ſuo membranaceo folliculo etiam inuoluta. Expreſſa autem fuerat hæc icon Conſtantinopoli à pictore induſtrio, de alterâ, De
quam

quam pictor quidam Perſicus è Perſia attulerat, vbi naſci,& *baié* vocari aſſerebat. Conſtantinopoli verò eſſe ignotam hanc plantam. *Balé* porrò, Turcis florem ſignificare, antè dicere memini.

## IRIS VVLGARIS VIOLACEA SIVE purpurea hortenſis & ſilueſtris.

IRis hortis noſtris vulgatiſſima, *radice* per obliquum agitur craſsâ, rugoſâ, guſtu acri conſumptóque ſuperfluo humore tandem odoratâ: *caules* cubitales & ſeſquicubitales, ramoſi, teretes: *folia* vnciam lata aut latiora, rigida, ſtriata, in cultratum mucronem aut gladii exeūtia: *flores* amœni, violacei, tribus foliis repandis, per oras infimas albo violaceóque variegatis, Coſta interiùs ad medium vſque folium crocatis apicibus villoſa: totidem ſurrectis, obtuſis mucronibus, & ferè rotundis, carinata inclinatione coëuntibus: intra quæ tria longè prædictis ſex minora, dilutiore viola tincta, in ſummo fiſſa, quibus poſticâ parte totidem concolores fibræ, albicantibus apicibus apprimuntur.

Quandoquidem Cordus in Hiſt. ſua nobis diligentiſſimè videtur Iridem vulgarem deſcripſiſſe, lubet eius deſcriptionem ubiūgere, qui ait: Iris quæ apud nos in hortis, vineis ac murorum coronis ſeritur, ab vno cæſpite plura & erecta erigit cubito longiora *folia*, duûm digitorum latitudine, rectiuenia, inferiùs in radicum capitibus coniūcta, ceu ex omnibus vnum fiat, & ſibi inuicem inſerta, ſingulorum aperto & inciſo ventre ceu carina alterius dorſum excipiente, ſuperiùs verò alæ modo in latitudinem explicita, & in mucronem gladii figurâ deſinentia: è quorum medio *caulis* aſſurgit ſeſquicubitalis, rect⁹, teres, & glaber, veluti cinereo polline conſperſus, facilè abſtergentibus cedente, quinque aut ſex geniculis interſeptus, ex quibus ſingula exeunt ſine pediculo caulem amplectentia folia, inferioribus eò minora, quò ſummitati propinquiora: *flores* in ſummitate poſt medium Veris per interualla erumpunt, primùm conuolutis in turbinem membranis, paulatim ſe in nouem folia explicantibus: ex his tria inferiora digitali ſunt longitudine, circa exortum anguſta, reliqua ſui parte vncia multò latiora, deorſum inflexæ linguæ figura, foris liuidi coloris in cinereo, & iuxta principium viridia, intus verò purpurea, latis & lacteis venis ſe violalaceo ſplendori miſcentibus, maximè vbi verſus exortum graciléſcunt: adhæret iis in interiori ſinu inferiùs lutei coloris & in longitudinem exporrecta *lanugo*, oblongis pilis, hirſutæ campæ aliquam ſimilitudinem referens: in ſumma totū folium Iridis omnes colores repræſentat, vnde nomen inuenit, lanuginem cuiúſque folii aliud paruum obtegit folium, in ſummitate in duas partes diſſectum, ab vtroque latere herbacei coloris, in medio liuido extante dorſo: reliqua tria folia, & ipſa linguæ aut cochlearis formam habent, primis tamen latiora, & paullò breuiora exiſtunt: & quemadmodum illa deorſum incuruata aſcendunt, ſic hæc ſurſum verſus reflexa iūguntur: color his eſt vtrinque in cinereo liuidus, quà verò prioribus alterno poſitu adnectuntur purpuræ maculæ luteo colori inſperguntur: durat ferè octiduum flos, deinde contrahitur, exiccatur & decidit, inferiùs oblongum, ac ſexangularem folliculum relinquens, intus in tria loculamenta interſeptum, in quibus rotunda ſunt & oblonga ſemina. Radicibus nititur multis, inuicem in latitudinem ſibi adnatis, duûm digitorum craſſitudine, geniculatis, in tranſuerſum ſtriatis, per ſuperficiem terræ ſparſis, foliis modicè in flauo rubentibus, intus autem candidis, ex inferiori parte longas tenuéſque fibras in terram agentibus, ex his aliquot, quæ adhuc naſcuntur lutei coloris in fine aut capite exiſtunt: grauiter tota herba, vt ſambucus ferè, dum teritur, ſpirat, præſertim radix, quæ etiam guſtata, coccognidii modo fauces exurit.



Silueſtris Iris, inquit idem Cordus, ſatiuæ ſimilis eſt, paucíſque notis a ſatiua diſtinguitur, *foliis* minoribus & hyeme prorſus non apparentibus, cùm ſatiuæ folia hyemis ſæuitiæ contumaciter reſiſtant: *caulem* etiam quàm ſatiua breuiorem fert, è quo *flores* ferè viginti diebus ante ſatiuæ flores erumpunt, colore magis purpureo, quibus defluentibus, pollicari quantitate ſuccedunt *folliculi*, ſex lineis concauis in longitudinem ſtriati, in maturitate tribus commiſſuris ſe aperientes, rotundo & cartilagineo *ſemine* pleni. *Radicem* habet digitali craſſitudine, dodrante breuiorem, geniculatam, tranſuerſam à poſteriore parte, ſingulis annis putredine tantùm ferè amittentem, quantùm ab anteriori parte æſtatibus capiti reſtituitur, nec ſatiuæ in modum denſum cæſpitem conſtituentem. Sapore & odore atque aliis qualitatibus ſatiuæ reſpondet. Naſcitur editis & cliuoſis locis inter arbuſta: Lilium Schyber henſe bey helſtet / quod omnium primò floret. *Iris ſylueſtris Cordo.*

## DE IRIDE VETERVM SENTENTIÆ.

IRis [ Conſecratrix ] Theophraſt. paſſim ita delineante, odoratam adepta radicem: folium non vt Gladiolus, ſed harundinaceum potiùs. Odoratæ autem radicis rationem calori in terra concluſo imputare debemus. Verùm neque limoſam, neque pinguem, neque lentam, glutinoſámque terram eſſe oportet. Hac enim de cauſa Iris melior in Illyride, quàm in Macedonia eſt: *Iris Illyrica cur melior. Macedonica.* in Thracia verò, cæteríſque frigidioribus locis, ac minùs coctioni idoneis, odore penitus caret. *Inodora ſibi.* Ager enim præpinguis, & humor multus & hyems vehemens prohibent. Tepidis tamen atque gracilibus minùs odorata creatur propter mollitiem aëris. Floret & Conſecratrix ( Iris ) æſtate, & Lauaria dicta, flos aſpectu pulcher, ſed caret odore. Odoratorum igitur (quibus ad vnguenta vtuntur) in Europa, vt tractu frigido, nullum præter Irin inueneris, quæ tamen optima apud Illyricos exit: non quidem parte mari- *Illyrica.*

tima,ſed mediterranea,magiſque ad Septentrionem ſita. Verùm loci à locis differunt, ita vt producere meliorem poſſint. Non immeritò ſanè ni reuerentia præſtaret Nos in Theophraſtum inueheremur,In Europa namque multa odorata proueniunt,Nardus Celtica, Phu, Aſarum, & alia quæ hic recenſere non ſtatuimus. *Finit Theoph.*Guſtus nullus ei accommodatur niſi quod ablaqueatam ſoleant reſiccare: radiculæ enim quas Thracia fert, vidilicet quæ odore Nardo ſimiles, & aliæ quædam paruam exilemque odoris gratiam habent. Virides enim aut nihil olent aut non æquè: ſiccatæ nimirum redolent vt Iridis radix.

*Theoph.not.*

Illa quoque non omittenda differentia eſt[inquit Plinius lib.21.c.7.] odoramentorum multa nihil pertinere ad coronamenta: vt Irim atque Saliuncam, quanquam nobiliſſimi odoris vtramque. Sed Iris radice tantùm commendatur vnguentis & medicinæ naſcens. Laudatiſſima in Illyrico.Et ibi quoque non in maritimis,ſed in ſylueſtribus Drilonis & Naronæ. Proxima in Macedonia longiſſima hæc & candicãs,& exilis. Tertium locum habet Aphricana,ampliſſima inter omnes,guſtuque amariſſima. Illirica quoque duorum generum eſt, Raphanitis à ſimilitudine, quæ & melior. Rhizotomos ſubtuſa. Optima, quæ ſternutamenta tractu ( falſò legitur pro tractatu iuxta veteris manuſcripti codicis fidem Cornar. ] mouet. Caulem habet, cubitalem, erectum. Floret diuerſi coloris ſpecie, ſicut arquus cæleſtis, vnde & nomen.Non improbatur & Piſidica. Et foſſuri tribus antè menſibus mulſa aqua circumfuſa,hoc veluti placaméto terræ blãdiuntur,circumſcripta mucrone gladii orbe triplici: & cùm legerint eam,protinus in cælum attollunt.Natura eſt feruens,tractataque puſtullas ambuſti modo facit. Præcipitur ante omnia vt caſti legant. Teredines non ſicca modò verùm & in terra celerrimè ſentit. Optimum antea Irinum Leucade & Elide ferebatur : iam pridem enim & ſeritur, nunc è Pamphylia. Sed Cilicium maximè laudatur atque Septentrionale.

*Radix. Illyrica Macedonica. Africana Illyrica duplex. Sternutamenta mouet. Piſidica Colligendi ſuperſtitioſus modus. feruore Irinum.*

Dioſc.qui vnius duntaxat Iridis meminit,ſic de ea diſſerit : Iris à ſimilitudine arcus cœleſtis nomen habet. Folia profert ſimilia Gladiolo, maiora tamen & latiora ac pinguiora : Flores in caule æquali inter ſe diſtantia ſitos, incuruos, varios. Aut ( hic legitur Attico more ἤ pro ἢ, Lac.) enim albi, aut pallidi (ὠχρὰ Fuchſ. vertit virides quam benè iudicent alii:) aut melini aut purpurei, aut cærulei conſpiciuntur. Vnde ob varietatem cœleſti Iridi aſſimilati ſunt. Radices ſubſunt geniculatæ,ſolidæ,odoratæ, quas poſt ſectionem in vmbra ſiccatas, & filo tranſmiſſo reponere oportet.Eſt autem melior Illyrica & Macedonica:& inter has optima eſt,quæ denſam radicem habet, & aliquantulùm obtuſam & ægrè fragilem,& colore ſubfuluam: & quæ valdè odorata eſt,& guſtu amarior, & odore ſincera, & non ſitum redolens : & quæ dum tunditur ſternutationes mouet. At Africana colore alba, ad guſtum amara, facultate ſecunda eſt. In vetuſtate verò teredines ſentiunt, odoratiores tamen tunc fiunt.

Matth. & Amatus ſcripſerunt, ſe tum Antiquorum tum Recentiorum reperiſſe neminem, qui in ſimplicium medicamentorum libris, Iridis Aſtragalitis meminerit,ideò quid certi hac de re proferendum, ſe non habere.

Cæterùm Gal.lib.1.de comp.med.ſec.locos c. 1.ex Serano tranſcribens meminit Iridis,quæ cognomine Aſtragalitis dicitur.

Alibi quoque [ lib.10. & poſt eum Marcellus Medicus mentionem facit Iridis Chalcedoniæ & alio loco Iridis Illiricæ.Idem lib.5.ſimpl.c.2.

Iris Græcum nomen ( inquit Cornar. ) apud Latinos retinuit,noſtri ab odore **Violwurtʒ** vocant, vulgus Herbariorum Lilium cœleſte, á colorum varietate quæ in floribus conſpicitur, appellat. Sed quam idem vulgus intea Iris & Ireos diſtinctionem facit , iuxta vulgatum verſum : Iris purpureum florem gerit, Ireos album, ea vaniſſima habẽda eſt.At melini flores ſunt,qui Cydonii colorem referunt.Illyrica Iris laudatiſſima eſt,poſt eam Macedonica,quam etiam Galenus lib.7. κατὰ γένη in Aſclepiadeo quodam acopo habet. Sicut etiam Carthaginenſem in quadam ther. lib.2.de antid.recipit, quanquam eam quæ ex Libya magna ſua ætate plurima afferebatur,tantùm ab Illyrica deficere aſſerat quantùm mortuum corpus à viuo : etiam ſi in aliis gentibus non ita multùm Illyrica inferior reperiatur. Sicut hodie de Italica & Gallica ac Germanica teſtari poſſumus.

Athenæus lib.15. Deipnoſoph. teſtis eſt Pliniũ ſcribere Iridis flores Lupos nominari ,quòd Lupi rictui labriſque ſimiles ſint. Iris radix autore Meſue ſimpl.purg.l.11.c.8.] eſt herbæ, quam κερνῶδη,id eſt Lilialem,vocat author Græcus , cuius flos vel cæruleus, ac verſicolor, vt Iris arcus cæleſtis, vnde illi nomen, vel albus. Alterius radix vel optima eſt,ſi magna,dura , denſa, crebrò geniculatata, ex albo rubeſcens,odore ceu viola aromatico, ſapore acri,& mordente. Veris initio collecta ſecundam bonitatis rationem flos obtinet , cæruleus præſertim : albus enim ad omnia eſt imbecilior. Lilium cœleſte , inquit Gorop. Iris eſt.Lilium Francis. Iris ſpei teſſera. Nimis audaces illi fuerunt,qui varia ſingularum herbarum nomina principiis capitum in Pedacio adult.ademerunt. Corrupta eſſe pleraque fateot, vt in Iride factum,vbi legitur θαλπίδα,vel ut Marcellus legi poſſe putat, Talpida. Quid clatius ſi legas ἶρις οἱ δ᾽ ἰλλυρικὴν οἱ δ᾽ ἐλπίδα. Iridem alii Elpida, id eſt, ſpem &c.Iris Iunonis dicta.Ternarii vis in Iride &c.

*L... le... S... ra... In... no... ſu... D. ... cin...*

Iris ſiue Ireos ſiue Iridis in genitiuo caſu profeias [ait Cord.in Dioſc.] eadem eſt,quapropter inepte ,quidam tanquam diuerſas diſtinguunt, Iris & Ireos. Eſt autem Iris Illyrica ea radix quæ in pharmacop. Ireos & Germanic. **Violwurtʒ** appellatur : non quòd vere ſit violæ radix, ſed quòd odore violas imitetur. Ea propropemodum ſola ab Authoribus cunctis aliis eius ſpeciebus præfertur. Sed ſuas habet quibus ab Illyrica diſtinguatur notas. Eſt enim horribilior,odore iniucundior, & multò maiore acrimonia guſtanti moleſtior, fauceſque grani Gnidii modo exurit,quapropter caliditate quidem Illyricam plurimùm ſuperat : ſed quantò hæc illà eſt ſuperior,tantò etiam aromarico odore & ſapore inferior exiſtit. Vehementiùs quoque aluum quàm Illyrica purgat.Eſt etiam in floribus differentia, ſiquidem noſtra Iris purpureum fert florem,in arcus cæleſtis,colorem variãtem, vnde totum Iridis genus nomen inuenit. Illyricum cãdidum verò producit. An Cordus degustarit & viderit Illyricam virentem ancipites hæremus.Noſtra enim Iris odoratior & ſiccata,ac ſiccatione multarum plantarum acrimonia & maligni-

*Co...*

lignitas retunditur : illud etiam perpendendũ an in Illyrica omnis Iris ſit candido flore.

Placet etiam hic ſubiicere deſcriptionem Iridis Tragi, vt Lectores conſiderent, an eaſdem cũ Cordo intelligat : Iris (inquit ille,) quæ Gladiolorum omnium præſtantiſſima cenſetur, radicem habet ſerpentem ac contortam, quæ ſupra terram potiùs quàm intra humum conſpiciendam ſe præbet, nam primaria radix nuda iacet, nec humo contegitur, at radiculæ illi adnatæ intra humum latent, à quibus candida & primaria radix nutrimentum recipit. Maio menſe inter folia quæ gladii formam imitantur, caulis exit rotundus, florum vaſculis ſeu calycibus oblongis & acutis conſpicuus. His oblongis quos diximus calycibus maturitate ruptis, flos exit diuerſicolor. Nam tria illius præcipua folia, eâ parte quâ verſus terram inflectuntur, ex viridi & pallente colore diluta purpura, purpureis ſimul lineis, ſeu venis per hos ipſos colore ductis intus verò purpureo colores admixtis candidis, & puniceis lineis, media denique ſui regione lutea lanugine ſuperciliorum formam repræſentante, emicant. His contraria tria alia in altum globi inſtar coacta ſeſe attollunt, aquei coloris, ex purpura ſimul albicantis & lutei, non aliter atque reflexus ſplẽdoris auri fulgentis, aut cuiuſdam admodum ex variis coloribus intertextis telæ, Germani ein widerſchein vocant. In medio integri floris, tria alia foliola breuia, anguſta, arcus cœleſtis inſtar, coloribus variis tincta apparent. Ex his quæ de floribus Iridis Germanicæ diximus, colligimus illos nouem foliis, totidémque coloribus conſtare. Hi ipſi flores odoratiſſimi cùm marceſcere ac decidere cœperint, nullum poſt ſe vel ſemen, vel fructum (quod ego ſciam) relinquunt: neque etiam paſſim hæc Iris, niſi plantata fuerit, reperitur. Ego námque omnes ferè Germaniæ regiones crebris, herbarum gratia, profectionibus ſuſceptis, perluſtraui, nec vſpiam locorum eam ſpontè naſcentem inueni, niſi in altiſſimo quodam & graminoſo monte non procul à Valentia arce ſito, vnde euulſam in hortulos meos illam tranſtuli. Radix illius non perinde dura ac ſolida eſt, atque illius quam Genuenſem dicunt, neque etiam adeò odorata, licet feruentis ſit ſaporis, & linguam guſtata adurat, non minùs quàm peregrina, quo fit vt in plantis diuerſitas regionum magna conſtituat diuerſitatẽ. Quemadmodum enim frumenta & vina pro ſitu & locis natalibus ab inuicem differunt, ita herbæ & radices pro ratione terræ in qua naſcuntur, & cœli temperie, vel deteriores, vel meliores fieri conſueuerunt. Quanquam hæc noſtra Iris, eâ quâ quotidie vtimur longè ſit inferior, multùm tamẽ affinitatis cum eadem habet, ſi formam & temperamentum conſideres. Quapropter vocamus illam Iridem, non quidem Illyricam, ſed Germanicam. Et alibi: Cæruleus verò, Gladiolus, radice, foliorum forma, caule denique ad Acorũ adulterinum ferè accedit, niſi quod flores huius [qui & ipſi tria folia ſurſum, tria alia deorſum vergentia, & in orbem pulchrè circumacta, obtinent] ex cæruleo colore purpurant, & nullo pòſt ſe relicto ſemine decidunt. Dicimus inſuper vtramque in caput 22.l.4.apud Dioſcor. collocandas, quo loco ξυρὶς, quam nonnulli ἴριν ἀγρίαν, Irim ſyluestrem, Cacos, & Gladiolum vocant, deſcripta eſt. Quod ſi cui videatur ξίφιον [de quo alio loco egimus] vocandum, cum eo minimè cõtendendum exiſtimamus. Gladiolus cæruleus Tragi, fortè idem cum Iride ſylu. Cordi, id tamẽ diligentiùs conſiderandum : neſcimus cur ille non iunxerit Gladiolum ſuum cæruleum potiùs cum Iride quàm cum Gladiolo flore luteo ſiue Pſeudo acoro.

*Præparandi ratio in Gallia.*

Iris nititur radicibus toroſis, odoratis, & geniculatis, quas apud nos in Gallia (inquit Ruellius) adhuc exitu Veris terra erutas deſiccant in orbes, & funiculo traiectas priùs, lixiuio macerãt ad exhauriendam ſucci vim, quo tinearum iniuriis, quibus adhuc hęrentes ſunt oportunæ, minùs pateant : dein ſiccatas recondunt. Plerique curatas ad hũc modum Iris taleas armariis indũt, vt ſuo perquam iucundo odore veſtes commendent: nec iis præparandi Veterum vſus exoleuit: Inuenitur, inquit præterea, apud nos frequenter flos emaculati candoris, cuius radix cum Illyrica de odoris principatu contendit. Quod ſi vires quibus donatur radix libeat conſulere, deprehendes quæ à Doctoribus traduntur, ad amuſſim reſpondere. Cùm ergo tota Dioſcor. pictura huic, quam Lilium vocant cæleſte, ſuffragari cognoſcatur, eam eſſe Irin nemo ibit inficias. Sunt qui pudendo errore aliam aſſignent herbam recto, aliam caſui paterno, vt Iris ab Ireos, tãquam purpureus color à niueo diſtingui poterit Herbariis. Verùm hæc opinio anilibus nugis adnumeranda, nec digna quæ eſibiletur, nedum à pullatis & rudibus explodatur.

Quam vulgus inter Ireos & Iris diſtinctionẽ facit, ait Cornar. iuxta vulgarum verſum

*Iris purpureum florem gerit, & Ireos album*:

ea vaniſſima : Macedonicam Gal.l. 7. κτ̀ γένη habet, ſicut etiam Carthaginenſem in quadam theriaca lib. 2. de antidot. Irin Raphanitin Fuchſii, quæ à ſimilitudine Raphani ſic eſt dicta, Gal. Paulus, Aëtius, Aſtragalitin, quòd radix eius cum Aſtragali radice ſimilitudinem habeat, vocant. Florentinæ quâ tantùm Officinæ vtuntur, Germanica non diſſimilis ſapore acri & mordaci. Iris in vniuerſum ſatiua & ſilueſtris. Hęc duorum eſt generum: altera ſatiua & vulgari ſimilis, foliis tamen, flore, caule, radicéque paulò minoribus.

*Raphanitis. Aſtragalitis. Florentina. Iris ſatiua vulgaris. Iris ſilu. vulg. ſimilis.*

Iridem Illyricam noui præferri [inquit Marthiol.] non quòd genere vel ſpecie à noſtrate differat, ſed quòd cæli ſolíque illius conuenientia prętantioribus polleat facultatibus. Satiua (vt arbitror) ex agreſti originem duxit. Sunt qui putent nullam Iridem domeſticam reperiri, quòd ſcripſerit Theophraſt. nullum Iridum cultum accommodári. Sed ii meo quidem iudicio decipiuntur, quandoquidem Theophraſt. eo in loco non de omni in vniuerſum Iride diſſerit, ſed de Illyrica tantùm : quę cum loci ac cęli clementia in Illyrico tractu optima ſpontè proueniat, non eſt neceſſe vt colatur. Præterea cùm hodie Iris domeſtica paſſim in Italię hortis ſpectetur: ſilu. autem in pluribus montibus ſpontè naſcatur, floribus & foliis ſatiuæ longè minoribus, radice tenuiore, breuiore & aridiore, nulli quidem abſurdum videri debet, ſi nos vtramque depingi curauimus. Sylu. plurima oritur in Goritienſi agro, Saluatino monte, & Iapidiæ collibus inter ſaxa, odore non ingrato, & in campeſtribus non longè à Sontii ripis. Recenti Illyrica deſtituimur. Sibi manifeſtè repugnare videtur Plin. quod lib. 21. c. 7. Raphanitem, quæ candicat, Rhizotomo quæ rufeſcit antepoſuerit : c. autem 2. contrà, Iris ruffa melior eſt quàm candida. Dioſcor. præſtat quæ ſubruffo conſtat colore. Cornarius Irim Aſtragalitem & Aſtrugalum idem eſſe exiſtimat, quin & Plinio per Iridem Rapha-

*Iris Illyrica non differt genere aut ſpecie à noſtrate. Theophr. explicatur. Locus. Sylu. ſiue ſpontanea vbi prouenit. Illyrica deſtituimur.*

nitem Aſtragalum intelligi cenſet: verùm ita Iridem Aſtragalitem à Galeno cognominatam eſſe putauerim, quòd radice referat Aſtragalum: quemadmodum Raphanitis à Plinio dicta eſt, quòd radice Raphanum repræſentet. Iridem memoriæ proditam fuiſſe Galeno in lib.ſimp. med. nuſquam repeti. *Si Iris ſylu. Matthioli* tantùm paulò minor eſt ſatiua, & in eo tantùm differt vt primò dicit, nulla opus erat figura, ſi verò, vt ait, ſibi contradicens longe minor, icon parum eius demonſtrat plantam. Quomodo ſcit an Iris Illyrica differat genere vel ſpecie, ſi non virentem viderit & contulerit cum Italica. Idem in poſt.Com.lat.& Ital. cum magn. fig. Iris capitula edit oblonga Gladioli modo, craſſiora ramen, in quibus ſemen concluditur rotundum Seſamæ magnitudine, quo fit vt in errore ducantur qui Iridem nullum ferre ſemen contendunt.

*Iris Aſtragalitis & Raphanitis non eſt Aſtragalus vt vult Cornar. Iridis non meminit Gal. in ſimpl. Matth notatur.*

*Ireos Offic.*

Iris cuius tantùm radix à medicis commendatur, ea eſt herba, Amato hæc ſcribente, quam hodie officinæ ſub nomine Ireos monſtrant. Reperiuntur varii colores, in vnoquoque flore, candidi, pallidi, lutei, purpurei, vt plurimùm cærulei, vt facilè quis intelligere poſſit Irim dici, non ob diuerſitatem colorum in ſpecie, ſed in indiuiduo potiùs. Quanquam non abs re eſſet quoque dicere, Irim ſic nominari, ob diuerſitatem varietatemque colorum in ſpecie. Quum Iris quædam albos flores habeat, alia luteos, alia verò pallidos, nonnulla autem purpureos, vt Ferrariæ in horto Magn. Marci Pii adnotauimus, & eas diligentiſſimis diſcipulis noſtris indicauimus. Imò hanc ſententiam veriſſimam eſſe, varia Dioſc. Græca exemplaria atteſtantur: cui Plinius ſubſcripſit lib.21. ſuæ Natur. hiſt cap.7. quũ dicit: Floret Iris diuerſi coloris ſpecie, ſicut arcus cæleſtis, vnde & nomen. Cæterùm Iris Illyrica, omnium conſenſu cæteris præfertur, & omnium eſt laudatiſſima, quanquam tamen in multis orbis regionibus, minoris licet nominis naſcitur: nempe in Hiſpania, Germania, Gallia, & Italia, quæ ſi non Illyrica, aut Macedonica, quibus primas & ſecundas Dioſcorides adſcribit: bona tamen cenſenda eſt, & eò magis quantò odoratior fuerit. Illyricæ verò, vt refert Plinius, loco à nobis citato duæ ſunt ſpecies, altera Raphanitis, ob ſimilitudinem ſic dicta quã eius radix cum Raphano habet. Altera rhizotomos, quarum melior habetur, quæ ad ſubruborem tendit, vt in præſenti loco Dioſc. tradit, à quo nec Plinius diſſidet. Matt. Plinium (pergit Amatus) errantem oſtendere nititur, quum tamen Matthiolus ipſe magis reprehenſione dignus ſit. Nam Plinius nihil quicquam à Dioſcoride hac in re variat. Plinium accuſat cùm innuere videatur, quod Raphanitis melior eſt Rhizotomo ſubrufa, adeò vt ſubrufam poſtponat non ſubrufæ, quum tamen Dioſc. Iridem colore ſubrufo maxime laudet, & cæteris anteponat: At hæc tam parua ſunt, vt paucis opus habeant reſponſis, præcipuè ſi literam legerimus, vt in codice antiquiſſimo ad hunc modum legitur: Illyrica quoque duorum generum eſt, Rhaphanitis à ſimilitudine, qua & melior rhizotomos ſubrufa. Sic enim legendo omnis diluitur dubitatio. Nec enim aliud quàm litera vna permutatur: vt facilè loco, qua, perperam poſtea dictio, quæ, ſcripta fuerit. Sed eſto phraſis, vt in Frobenanis habetur codicibus: legatur, ſcilicet, Rhaphanitis à ſimilitudine, quæ & melior rhizotomos ſubrufa, imò contrarium, qui vel mediocriter in lectione doctrinaque Pliniana verſatus fuerit, deprehendet, quum dictio quæ, non referat aliud, quàm Rhizotomos ſubrufa, quæ, & melior. Quod Plinius verò ſic intelligendus ſit, & quod cum Dioſc. ſubrufam iridem laudarit, non aliunde comprobatum iri voluimus, quàm ab ipſo Plinio, qui ſe ipſum declarat, & cum Dioſc. ſubrufam Iridem laudat lib.21.c.20. quo Iridis proſequitur iuuamenta, dicens: Iris rufa melior quàm candida: *Hæc Amatus.*

*Iris flore luteo. pallido. purpureo.*

*Iris Illyrica.*

*Defenditur Plinius contra Matthiol.*

Iris Illyrica figurâ non differt ab Itala, nec alia in ea differentia cognoſcitur, quàm quòd tum Vere tum Autumno floret. Hanc autem plantam eſſe Hyacinthum Latinorum ex Palladio apparet &c. Quod ad verba Dioſc. [pergit Anguill.] ἄνθη δὲ ὅτι καυλῷ παράλληλα &c. ea non ſunt vertenda vt quidam faciunt: Flores in caule æqualibus inter ſe ſpatiis diſtant, vt apparet ſed verterem flores ſummo caule alterno ſitu &c.

Species [inquit in Antid. Meſ. diſt.5. cenſ.11.] Iridis à Meſue dictæ, paſſim reperiuntur: quarum radices in noſtra Italia cùm ſiccantur, ita rugoſæ & paruæ deueniunt, vt vix præter corticem [ſi cum ipſo cortice ſiccentur) quicquam de ſua interiori parte ſeu alba odorata pulpa retineant: Sine cortice verò, quaſi ad nihilum rediguntur, cùm ſiccantur. Quæ autem radices huiuſmodi è plagis Orientalibus deferuntur decorticatæ, & ſiccæ, ſunt carnoſæ, & leues, tanquam ſi tunc recentiſſimè fuiſſent collectæ, quapropter noſtratibus meliores iudicantur. Huiuſmodi enim plantæ, ferè omnibus notæ ſunt. Quæ autem Illyrica dicitur, eſt ſpecies in Illyria, id eſt, in Sclauonia naſcens, & eſt illa quam Dioſc. meliorem eſſe teſtatur. Ipſa autem quam in noſtro horto habemus, florem magis gerit quàm Ireos, diuerſi-colorem, lineatum, viridem, ſiue cæleſtem, & rubeũ, vt eſt cæleſtis arcus, id eſt Iris. Folia enim exiliora, nec non & minores radices, ſed virtutes [vt putamus] maiores, quàm dictum Ireos habet. [Hæc Monachorum Iris Illyrica forte Matth. ſylueſtris minor.] Eſt etiamnum (præter præfatam) in Illyria & altera Iris, noſtrati ſimilis. Apuli vulgò *Spathulam* appellant, ſed nõ fœtidam, & à nonnullis *Lilialis* & Lilium dicitur. Quapropter quandocũque Ireos repetitur ſcriptum, abſolutè ſcilicet, quod non ſpecificatur de albo, ſemper purpureum eſt ponendum. Et ſi haberi poterit de Illyrico adminiſtretur: ſin autem non, Orientale, vel noſtras ſubſtituendum erit. Similiter quandocunque reperitur ſcriptum Ireos, & non ſpecificatur de flore, ſemper radix intelligi debet. Folia enim [quod ſciamus] non habentur in vſu. Item ſi quæratur aqua Ireos, & non præciſè ſcribitur ſublimata, ſemper ſuccus radicum, vel ſaltem decoctio ipſarum (vbi deficiunt virentes radices) debet intelligi: (Idem cenſet Fuch.) Hoc etiam notandum in radicibus Ireos, ſcilicet quòd recentes quaſi inodoræ iudicantur, ſiccæ autem maximum & ſuauem ſpirant odorem.

Dodon. Gall. Iridis prima ſpecies; qui licèt duas proponat deſcriptiones ſatiuæ Iridis, vnam tamen ſolummodò figuram exhibet: per primam intelligit Fuchſii, ex quo deſumpta icon, Tragi & Matth. primam quæ in hortis colitur: per ſecundam intelligit album proferentem florem, quam Iridem Florentinam vocat. Idem de flau: Iridis ſpecies floris colore differentes complures eſſe Dioſc. innuit, non in vno colore, vt Lacuna exiſtimauit: ſed in diuerſis, vt teſtis eſt Muſa, &c. Iris Matth. alia eſt ſatiua eáque ſel cæru-

cæruleis vel niueis floribus. Cùm ſatiua & ſilueſtris in hortis reperiatur, neque hæc opinor in illam cultu degeneret, ſpecie eas differre exiſtimandum eſt. Matthiolus indiſtinctè loquitur qui ſimpliciter Illyricam ab Italica nihil differre dixit: Theoph. verba non intellexit. Iridem Apollonius ex Elide, ac Cilicia probabat.

In Thracia ac reliquis locis frigidis & in Germania[ ait Cronemburg.) odore penitus caret. In Officinis corruptè genitiuum pro recto vſurpant. Vanum quoque eſt, quod aiunt,

*Iris purpureum florem gerit, Ireos album:* cùm vna eadémque herba ſit, licet aliunde inuecta, odoratior habeatur: Qua gratia puluis radicum armariis, & veſtibus inſpergi, non ſine hilaritate, & eximia fragrantia conſueuit. Sed dubitauerit hìc aliquis quâ ratione iſtæ radices vetuſtate odoratiores fiãt, cùm hęc quãtũuis ſicca corrumpere ſoleat? Cui reſpondeo, id per ſiccitatem fieri, humore nimirum exhauſto, ac veluti excocto, ſiccitas ſiquidem, autore Theophraſt. odoribus conuenientior eſt, atque omnia in vniuerſum odorata, eò inclinant. Hodiè promiſcuè Florentina & Germanica pro Illyrica malè vſurpatur. Herbarii Lilium cæleſte nominare malunt. Biennium ſeruatur Meſue, aliis quinquennium. Iridem noſtratem ſine odore eſſe quis dicat? ſiccata enim ſuauiter olet, etiamſi macerata fuerit in lixiuio feruente, quomodo ſolet à mulieribus fieri vt linteis gratum concilient odorem: Florentina Iris vſualis non malè nobis videtur vſurpari pro Illyrica: potiſſimùm pro ea quam obſeruauimus aliquando vendi pro ea: vtraque enim radix, non parum differt à Germanica, quæ ſiccata tota rugoſa.

Ob coloris florum Iridis cœleſtis æmulam varietatem Priſca Gẽs hanc plantam Iridem vocauit, Græca nimirum origine, quibus[vt annotãt Lob. & Pen.] Ἶρις, etiamque Ἶρις, ὀυρανία & θαυμαςὸς dicitur, id eſt, ſacra. cœleſtis, atque admirabilis, qualem arcum fœderis poſt diluuium à Iehoua ſancti narrat diuina pagina. Hodiè cũctæ fermè Gentes deprauatè vocitant, Germ. enim Gilgen / Schwertel / Flandri, Itali, Hiſpani Lilium. Galli etiam *Glayeul*, propter florum cũ Lilio & Gladiolo ſimilitudinem. Quod idem vſu veniſſe Poëtis & impoſuiſſe Hiſtoricis in Hyacinthis & Liliis dicetur. Multiplicem ſortitur varietatem, non modò viribus ſed etiam magnitudine, odore, & potiſſimùm florum colore. Cuius multiplicis venuſta miſtura, non modò in diuerſis plantis, ſed etiam in vnius duntaxat floribus ſpectanda venit. Elegantiæ ſiquidem hortenſis amantes non modò purpuream (quæ vbiuis fermè Europæ ruri oritur, omniúmque frequentiſſima viſitur) ſed etiam quaſdam floribus candidis alunt, non item luteis vt quidam doctus putat.

Ab omnibus authoribus (id atteſtante Lobel. Adu. par. 2.) Iris Illyrica celebrata eſt & primum locum ſortita. Florentina autem paſſim hodie nobis pro Illyrica obtruditur, & pluris fit à mercatoribus quàm Veneta, quia candidior & fragrantior: attamen ex Illyria, hodiè Sclauonia dicta, Iris Venetias deferri ſolet: quare Veneta, Illyrica legitima omnibus vno ore cenſetur: ſubruffi coloris, non candidi, etiam Plinii & Dioſcor. ſuffragio, omnibus præferenda. Non multùm à Luſitanica biflora foliis differre litteris prodidit fidiſſimus ſcriptor Cluſius noſter: pedali caule, rarò ampliore, & flore Iridis Luſitanicæ forma, colore & odore perſimili, paulò maiore tamen: radice nodoſa, & geniculata, odoris dum recens eſt, ingrati, at ſiccata ſatis grati, inſipidi initiò guſtus, poſtea tamen feruidi, faucéſq; vrentis. Secundùm locum ſibi vendicat Macedonica Plinio, longiſſima radice, tenui & albida: In quo quantùm à Dioſcor. diſtet & quomodo inter ſe conueniant fusè proſequitur: cui enarrando ſuperſedemus, cùm iam ex aliis ſuprà de hoc actum ſit.

Iris apud Camer. hort. dicitur: Hyacinthus Virgilii, Columellæ, Palladii, maximè ſecundum Anguill. In Illyria hodierno adhuc die eius floribus vtuntur in corallis quemadmodum Theophraſt. & Athenæus quoque tradunt.

Tab. hiſt. & ic. Iris. Et Iris vulgaris 2. Item Iris ſilu.

Caſp. Bauhin. Phyt. Iris. 1. ſiue vulgaris cærulea, variat colore floris vel cæruleo vel purpureo, cæruleo obſoleto, cinereóve. Iris 5. ſiue ſilu. maior, quæ ſatiuæ vulgari ſimilis. Iris ſilu. Matthiol. in folio Lat. pag. 17. & Icón. 4. pag. 2. Iris ſilu. maior. Item Lacunæ. *Non ſeparo* has tres Irides Tabern. quia non indicat diſcrimen. Matthiol. autem dicit ſilu. ſatiuâ paulò minorem. Iris cærulea vel purpurea, alia vulgatior eſt obſoletioris coloris nec tam grandi flore, foliis & radice, nec etiam tam odorata hæc quàm ſequentes. Iris domeſtica flore cæruleo quæ ab Illyrica non differt niſi quòd Illyrica ſit odoratior & bis floreat in anno. Cæterùm, falſum id eſſe comperimus, quod Adrian. Spieg. placet, Iridi nẽpe florem eſſe ſine fructu. In aliquot ſiquidem Iridibus fructum vidimus. C. B. noſ.

Iris. Ἶρις, θαυμαςὸς, ὀυρανία ab admiranda cæleſtis arcus millecoloris imitatione, ἀγ…ίτης Galeno: *radix Illyrica*: ſic enim legit Hadrian. Iun. apud Dioſcor. pro μάκιρ, lubrico errore in ſcriptura Λ, quod geminatum fit M. Al. Blaw gilgen / blaw ſchwertel / Violwurtz / himmelſchwertel. Belg. Liſch ouerzer Gall. *Flambe, Glayeul.* Ital. *Giglio azurro ò celeſte: irios & Iride.* Hiſp. *Lirio cardeno.* Nomina linguarum

Incipiente foliorum defluuio colligendas radices docet Dioſcorides. In fine Veris Iridem colligit Creſcent. & ſiccat, pérque duos annos ſeruat. Irim Illyricam paruam & tenuiſſimam plantat Conſtant. ex recentibus plantis Ianuario vſque ad Aprilem menſem. Vulgarem & omnium tritiſſimam Iridem in omnibus, quas Cluſ. adiit, Prouinciis obſeruauit, vel hortis, vel muris, aut etiam interdum tectis innaſcentem. Natalitiis gaudet non admodum feruidis vt Aphricæ, neque ita frigidis vt Septentrionum: ſed montoſis temperatis & riguis, cuiuſmodi ex Hiſpania hodie valdè odoratam laudatiſſimam ferunt, & ad fluminum crepidines canit Nicander Neronianam Illyricæ non maritimæ, ſed Septentrionalioris & riguæ à flumine Macedoniæ, ſic vocato. *Ex Hiſp.*

Tranſtuli in hortum Ill. E. C. vbi non ſolùm Vere floret, ſed interdum Autumno. Monſpelii obſeruaui florentem menſe Martiò & Aprili: In Italia non longè à Verona copioſè ſpontè ad ſepes prouenientem: Florentinæ & Lugduni: magna copia *à la roche* in hortis florentem Aprili. Geneuæ & Baſileæ in hortis florẽtem Septembri anno 1571. Prouenit in vicinis montibus radice etiam odorata, unde mihi allata per D. Petrum Turnerum Medicum Anglum. Audio abundè prouenire in Munchſtein. Locus & tempus.

Vis omnibus excalefactoria; extenuans, contra tuſſim efficax: humorum qui ægrè eiiciuntur, Vires

craſſitiem digerunt, vel attenuant : bilem, craſſamque (craſſa & choleras Plin.) pituitam ex hydromelite drachmis ſeptem epotæ purgant. Sõnum conciliant, lachrymas ciunt, torminibus medentur. Eædem potæ ex aceto ſerpentium [& areanorum Scorpionum, in pane vel aqua addit Plin.] ictibus auxiliantur, lienoſis, conuulſis, perfrictionibus, horroribus, & quibus genitura [genituras abſumit, Plin.] effluit. Menſes ex vino potæ pellunt. Decoctum earum fœminarum fotibus vtiliter imponitur, ad emolliendos locos, laxandaque in eis venarum ſpiracula, iſchiadicis (& lumbis cum reſina illinitur Plinio.) infunditur. Fiſtulas ac ſinus carne explet [ſarcotica eſt.] Radices ex melle glandis (glandis modo, ſcitè collyrii modo, vertunt) modo ſubditæ partus extrahunt: quinetiam coctæ & illitæ ſtrumas vetereſque duritias emolliunt. (Succo duritias omnes emollit. Plin.) Siccæ quoque vlcera replent & cum melle purgant (capitis præcipuè ſuppurationes veteres.) Nudata oſſa carne operiunt. Doloribus capitis cum aceto & roſaceo magna cum vtilitate illinuntur. Admotæ cum albo veratro, & duabus mellis partibus, lentigines & vitia cutis in facie à Sole contracta emaculant. Peſſis, malagmatis, & acopis inſeruntur. In vniuerſum, magni ſunt ad omnia vſus.

Dioſc. ergo & Plin. naribus ſubductam ſternutamenta mouere tradunt. Sed hîc (inquit Cornar. ſubdita pro ſubducta falsò legitur: quod vitii etiam in aliis locis occurrit, velut alibi indicatur.

Addit Plin. Infantibus eam circumligari ſalutare eſt. Dentientibus præcipua eſt, tinearúmue vitio laborantibus inſtillata. Contra canum morſus ex oleo imponitur, & contra perfrictiones; ſic & neruorum doloribus. Dolori capitis cum Cotoneis Malis aut Strutheis illinitur. Crapulas quoque & Orthopneas diſcutit. Vomitiones cit duobus obolis ſumpta. Oſſa fracta extrahit impoſita cum melle. Ad paronychias farinâ eius vtuntur. Halitus oris commanducata abolet, alarumque vitia. Sedis rimas & condylomata, omniaque in corpore excreſcentia ſanat. Ex eo quòd conſtet Iridem calidam & ſiccam ac tenuium partium, amaramque cum aliqua tamen dulcedine eſſe, concludit Galenus, Eam vrinas & menſes prouocare, bechicum eſſe medicamentum, pleuriticis, peripneumonicis ac purulentis congruens: conferre item comitialibus ſpaſmis, palpitationibus & tremoribus; ut & ſinuoſa vlcera carne implere, purgareque: lateris, iecoris, lieniſue dolores ſedare, vt & capitis: nec non genituræ profluuio congruere & ad vteri fomenta.

Iris calefactoria & multùm tenuium partium eſt [atteſtante Paulo] extergitque ac concoquit. Ad tuſſim itaque conducit, & humores in thorace eductu faciles efficit, & tormina ſanat & vlcera ſordida purgat. Pota verò cum aqua mulſa aluum euacuat.

Radix (vt nobis autor eſt Meſue) eſt calida ſicca ordine tertio, acris: terget, coquit, reſoluit, lenit, aperit obſtructa, ſedat dolores, pituitam craſſam, & miſtam illi bilem purgat, ac præter hæc aquas ſeroſas, idque clementer. Materiam craſſam, lentam, hærentem in thorace, ac pulmone, coquit, tenuat, ac promptè educit, viſceraque omnia expurgat. Hepatis quoque ac Lienis, & vicinarum partium tollit obſtructiones: affectus ab ea excitatos, hydropem, dolorem, tumorem, duritiem, & ſimiles ſanat aut lenit. Omnes quoque tumores etiam duros, & ſtrumas digerit, præſertim neruorum & iuncturarum maximè cũ Betæ vel Braſſicę ſucco vel vino, & melle, & oleo chamæmelino. Cephalalgiam veterem ſanat: præſertim cataplaſmate impoſita, & ſucco eius in nares attracto. Hic enim ſternutamẽtũ mouet, & per nares detrahit vim maximam excrementorum in partes alias, per meatus occultos alioqui defluxorum. Succus autem ex ea vt abſinthio extrahitur. Cum ſapa autem tuſſim veterem ab humore craſſo, lento, factam, multùm iuuat, & ab eodem ſpirandi difficultatem. Vterum præterea expurgat. Peſſo quoque ſuppoſita vel emplaſtro admota, vteri dolores ſedat, menſes euocat, aborſum facit. Vlcera antiqua, ſordida, putrida purgat, terget, carne proba implet, quali etiam oſſa nuda veſtit. Iſchiadi ſalubriter aut clyſtere iniicitur, aut emplaſtro imponitur. Os ſi colluitur aceto cui incocta fuerit, dentium dolorem ſanat, & rheumatiſmum ſiſtit: ſuppoſita item hæmorrhoidas aperit. Inuitam ſeminis vacuationem ſumpta cohibet. Succus eius cum farina fabarum & cinerum illitus, faciem expurgat, eiuſque maculas deterget. Oleum denique Irinum neruos & iuncturas firmat, ſpaſmum ex repletione, Cephalalgiam, dolorem hepatis, ſplenis, renum, vteri, iuncturarum, thoracis & podagræ, pleuritidem, peripneumoniam, oblitum iuuat, catarrhum coquit, ſomnum conciliat temporibus inunctum: aurium dolores inſtillatum auri, narium graueolentiam ipſis iniectum corrigit. Fit autem *Oleum Irinum* ex floribus Iridis, & radicum dimidio, vt roſatum oleum & violatum. Ne ventriculum lædat, ſumatur ex mulſa & pauca ſpica, vel cũ ſero lactis, melle, & Maſtiche: ad affectus autem thoracis, & pulmonis, cum ſapa, vt dixi, propinatur.

Gladiolus qui cæruleos fert flores [duce Trago] hoc tempore vtriſque corporis partibus adhibetur calidæ temperaturæ herba, & expellentis ac reſiccantis facultatis. Radix lutei Gladioli aſtringit. Aqua cœrulei Gladioli ſtillatitia pota aduerſus omne genus veneni, ad febres ardentes tempore peſtis facit, nec non ad incenſum Epar, & pleuriticum morbum. Radix eiuſdem vino decocta & pota hydropem expellit, mẽſes trahit, & calculum renum ſtillicidio vrinę auxiliatur, aqua eius radicis diſtillata trium aut quatuor cochlearium menſura, aliquoties per diem pota vſu gratior eſt, ſed in expellendo ea mala quæ recenſuimus non perinde efficax. Eadem tamen continuò & frequenter pota, obſtructiones iecinoris ſoluit, vitia thoracis & pulmonis expellit, expurgatque, doloribus lienis & matricis ac torminibus opitulatur, aluúmque ſoluit. In vniuerſum magni ad omnia vſus eſt radix Iridis, nam non ſolùm in vinum, & Ceruiſiam ſuſpenſa, hanc dulcem conſeruat, illud verò iucundo cùm odore, tum ſapore commendat, ſed & piſtoribus ad parandum formentum tritici panis magnoperè vſitata.

Præter vires quas illi adſcribit Dioſc. (ſi Matthiolo credimus) aliis pluribus pollet, quandoquidem compertum eſt, manſam oris halitum commendare: dentium dolores mulcere, ſi radicis decocto iidem foueantur: coquit item, abſtergit, digerit, reſoluit, lenit, reſerat, expurgat, & deiicit: vulnerariis medicamentis immiſta ſarcotica eſt. Radicis expreſſus ſuccus bilem flauam, pituitam, & aquas cutem ſubeuntes pellit: hæmorrhoi-

rhoidas fotu elicit. Radix ipſa contrita, & ex aceto bibita, omnibus aduerſatur venenis. Succus naribus infuſus cerebrum à pituita mirificè purgat: ventriculo tamen nocet, cùm per ſe tantùm bibitur: ideóque à peritis medicis exhiberi non ſolet, niſi ad.niſta mulſa & Indica Nardo.

Illyrica regio [ ait Amatus ] hodiè Sclauonia dicitur ex qua hodie quoque ad nos Iris optima adfertur, quæ calida & ſicca propè tertium gradum temperamenti locatur, & ex ea eclegma in Officinis contra pectoris vitia paratur. Nam tuſſi vtilis eſt, & humores viſcidos & contumaces extenuat: communis autem Iridos (nam Illyrica ſicca ad nos defertur) ſucco contra hydropem vtimur, non contemnendo profectò iuuamento, vt curatione 23. Centuriæ primæ noſtrarum curationum abundè diximus, vbi vnciam integram electuarii è radice cum melle parati, pro aluo ſubducenda propinamus: Imo & ſucci huius noſtratis Iridis, ad vnciam vſque vnam, nonnunquam cum melle roſaceo colato, aliquando verò cum decocto Senæ, vel aqua mellis mixtam præbemus.

Noſtratis ſuccum, aiunt Aduerſ. Hydropicis propinant Medicelli ( ex horum No. Wier. Obſ.) freti quidam: incertum maioréne cruciatu an commodo ægros vexet? Exhibent autem, teſte Fallopio, ℥iij. aut iiij. ſucci (radicis) Iridis, & educit aquam ſatis copioſam, ſed tanto cum dolore vt ſit mirum: ideò hocce remedio vti minimè tutum, quamuis id commendarit Braſſauola. Aquam diſtillatam è purpureis floribus Iridis cũ ſpeciebus Diatrionſantalon & Cinnamomo, vt efficaciſſimam in hydropicis commendant, teſte Camer. Holerus & Geſnerus.

Ad Hydropem valet ſuccus radicis Ireos, debet autem capi agreſtis [inquit Gatinaria] quia fortioris eſt reſolutionis, Hireos etiam hortulanum vtiliter operatur.

Dicit Gordonius quod ſanat eos qui ſunt poſſibiles ſanari.

Vnguentum Irinum Dioſ. ita parare præcipit: Olei lib. 73. & quincunem, Spathæ lib. 6. & beſſem ſumito, & Spatham ammixtis aquæ heminis decem tenuiſſimè contuſam, in ahenum ad oleũ immiſſam coquito, donec odorem contrahat. Deinde in craterem melle oblitum excolato. Ex hoc aromatis imbuto oleo primum Irinum præparatur Iride inſpiſſato oleo, vel vt præſcriptum eſt, macerata. Aut hoc modo. Olei lib. 70. & quincuncem, ligni Balſami lib. 5: & ſextantem contuſi, velut dictum eſt, ſimul coquito. Deinde exempto Balſami ligno, Calami contuſi lib. 9. & dextãtem, Myrrhæ vino vetere odorato maceratæ grumum iniicito. Poſtea acceptis ex ſpiſſati ita & aromatis imbuti olei libris 14. Iridis contuſæ æquale pondus immittito, & ad dies ac noctes duas ſinito, deinde fortiter ac violenter exprimito. Et ſi efficacius hoc eſſe voles, æquale Iridis pondus iterum atque iterum in ipſo macerato, & excolato. Optimum eſt quod odore nihil aliud præter ſolam Iridem redolet. Tale verò eſt quod in Perga Pamphyliæ, & in Elide Achaiæ præparatur. Vim habet calefaciendi & molliendi. Cruſtas vlcerum & putredines ac ſordes repurgat. Et affectionibus circa vterum cõuenit, & inflammationibus & præcluſionibus. Fœtus item eiicit, & hæmorrhoidas aperit. Facit & ad auriũ ſonitus, cum Aceto & Ruta & Amygdalis amaris. Et ad deſtillationes diuturnas, naribus ex eo illitis, & ad ozænas. Purgat etiam aluum cyathi menſura potum. Facit etiam ad vulvoſas affectiones. Mouet quoque vrinas. Et ægrè vomẽtibus opitulatur digitis aut vomitoriis ex eo illitis. In anginis etiam illinitur, aut cum aqua mulſa gargariſatur. Ita etiam in faucium aſperitate. Datur item his qui cicutam, aut fungos, aut coriandrum biberunt. Irini præparatio ſatis clara eſt. Aërius & Paulus idem parant, ſed ſpiſſamentis pluribus inditis, quàm Dioſcor. in duobus parandi modis habet. Hodie ſimpliciter ſine ſpiſſamentis paratum in Officinis habetur. Apud Strabonem libro 12. laudatur Selgica Iris, & vnguentum quod ex ea fit Silgeſium appellatum. Quod dixit Cornar. optimum eſt quod ſolam Iridem redolet, in Græco habetur σπουῶ falſò pro ἶζον. *Iris Selgica*



## IRIS DALMATICA MAIOR FLORE vulgari minùs violaceo.



Spectatæ pulchritudinis, & magnitudinis eſt hæc Iris; *caule* bicubitali, tereti, minimi digiti craſſitudine: alis crebris donato, in quorum extremis *flores* multi; magni, toti cyanei, exceptis paucis in vnguium alis ſtriis obliquis verſicoloribus; alternorúmq; foliorum fimbria crocea, anguſta quidem ſed elata: *folia* verò, quàm in vlla alia in horto Ill. C. E. latiora, vncias tres lata nonnunquam: explicatas Aquilæ alas referunt, vltimo proximum ſinu ſuo ſemper excipiente, colore glauca. *Deſcriptio*

De hac ni multùm fallimur Lobel. Obſ. & Ic. Plant. p. 61. Leut. 87. Iris Dalmatica maior, cuius aſpectus hilaris; peruenuſtus foliorũ exortus, lateratim traiectus, & radiatim alas Pauonis explicatas imitatus: floribus pluribus ex vno caule multis concauo alis, luculentæ magnitudinis, violaceis nitentibus ſenis foliolis, alternatim etiã repandis. Vireta Belgica hanc in delitiis habent; munere Cl. Medici Pancii Ducis Ferrarienſis. Semen profert in ſiliquis anguloſis.

Iris Dalmatica maior Cluſ. Hiſp. vulgari forma & magnitudine ſimilis, ſed flos elegantior & vnicolor, atque in ſummo caulis faſtigio & ramis confertim naſcens: ſemen in breuiore ſiliqua anguloſum, pallidum, & rugoſum: floret Vere, ſed ſeriùs aliis apud nos ſaltem. Et Iridi Aſiaticæ cæruleæ, omnium Iridum ampliſſimæ, Iris maior latifolia tertia Cluſ. Hiſt: poſt. ſiue Dalmatica maior; non valdè abſimilis eſt, quam ante multos annos in Belgicam vſque miſit Alphonſ. Pancius, niſi quòd flores concolores, ſummo caulis faſtigio magis confertos habere videtur, iucundiſſimo ſpectaculo: ſemen etiam in breuiore capite minus, pallidum, anguloſum, rugoſum,

Tabern.icon.Iris Dalmatica maior, Dalmatiſch vielwurtz. In hiſt. Vielwurtz von Conſtantinopel. Iris Chalcedonica altera. Egregius Herbarius Tabern. vel eius Compilator, deſcriptioni Lobelii huius Iridis addit, ex conſideratione figuræ non plantæ, ac præter mentem Lobelii & Cluſii dicit habere folia nonnihil auguſta & acura: titulus in hiſtoria rranſpoſitus competit alteri figuræ.

Tab.not.

C.Bauh.Phyt.Iris 7.ſiue Dalmatica.

Camer.hort.Iris Dalmatica Cluſii, quæ forſitan ad Illyricam nomine loci poſſet referri.

*Iris Aſiatica carulea omnium Iridum ampliſſ.Dalmaticæ affinis.*

Deſcriptio

Sena, ſeptena, octonaque habet Altera *folia*, omnium Iridum ampliſſima, & in latum expanſa, viridis cui ærugo permixta videatur coloris, mutuò ſe amplectentia, è quorum medio *caulem* promit ſeſquicubitalem, interdum etiam bicubitalem vel ampliorem, firmum, craſſiorem ſuperiore, læuem, genicularum, multiſque alis concauum, è quibus copioſi (nullam enim feraciorem conſpexi) vaginuliſque incluſi prodeunt *fl res*, magni, nouem foliis conſtantes, quorum rerna inflexa dilutè purpuraſcentis atque ad cæruleũ tendentis ſunt coloris, multis purpuraſcentibus venis ab infima parte, & ſtamineâ fimbria flaua in longitudinem & latera excurrentibus: bifida folia exalbeſcunt, gibbo ramen illorum dilutè purpuraſcente: ttia quæ ſeſe attollunt folia, anguſtiore & ima parre quibuſdam purpureis breuibus venis diſtincta ſunt, vbi verò ſe in latum expandunt ſubcæruleum habent colorem, dilutiorem adhuc quàm inflexa: & florum Sambuci odorem, grauiorem tamen, quodammodò æmulantur: iis ſuccedunt rariores *ſiliquæ*, ſiue *capita* craſſa, magna, triangularia, & obtuſo mucrone prædita, quæ maturitate dehiſcentia *ſemen* continere deprehendũtur craſſum, anguloſum, durum, flaueſcens, ſuperiori ferè par: *radix* craſſa eſt, magna, nodoſa, multis longis craſſiſque fibris donata, lateribus, vt reliquæ, ſe propagans, & ſi repurgata exſiccetur, odorata.

Cùm Cluſ. petiiſſet à Magn. D. de Vngnad ſibi mitti Conſtantinopoli *Alaia Suſani*, hanc conſequutus eſt, quæ magnam habet affinitatem cum Dalmatica maiore Belgis nuncupata. Eſt in Pann. ipſi Iris 2. Aſiatica cærulea: in poſt. verò Hiſt. Iris Aſiatica cærulea, ſiue latifolia maior 2.

Caſp.Bauh.Phyt.Iris 8. Iridi Dalmaticæ affinis.

IRIS DALMATICA MINOR
flore purpuræ dilutioris.

Deſcriptio

IRidi Luſitanicæ ſeu biflorae ſimilis [inquit Cluſius Hiſtor.Hiſpan.] quam Pancius ad nos miſit nomine Dalmaticæ minoris inſignitam, niſi quòd paulò anguſtiore *folio* videatur: *flores* purpuræ dilutioris, & terni aut quaterni in ſingulis *caulibus*, oblongiori pediculo inhærentes, *ſemen* in breuiore rtiangula *ſiliqua*, anguloſum, pallidum & rugoſum: floret ſeriùs Vere.

Lobel.Obſ.& Ic.Pl.p.62.Teut.88.Iris Dalmatica minor biflorae Iridi facie, omnique ſui parte perſimilis, ſed tota minor & flores dilutiores

aliquantò: Alfonſi Pancii Medici Ferrarienſis munere miſſa, & Belgii inquilina facta.

Caſp. Bauhin. Phyt.Iris 20.



*Iris maior latifolia Byzantina Dalmatica à Pantio miſſæ ſimilis.*

Iris maior latifolia 18. Cluſii Byzantio miſſa foliis quinto generi (Iridis maioris latifol.5. ſiue Aſiaticæ purp.) non diſſimilibus, ſed breuiore aliquantulùm caule, in aliquot ramos diuiſo, qui ſuſtinent flores vaginulis emergentes, iam dictis paullò minores, quorum color medius inter ſecundi & quinti generis flores: radix quinto generi ſimilis. Icon quam Cluſius ponit pro iam dicta Iride eſt Icon Plantini p. 62. ſub tirulo Iridis Dalmaticæ minoris.

IRIS DILVTE CÆRVLEA
inuolucro albo, fortè Dalmatica.



TAbern. hiſtor. & Ic. weilwurtz. Iris dilutè cærulea inuolucro albo.

Proponit Tabern. vel eius Cõpillator figuram non integram ſine vlla deſcriptione, ſi ſtirps noua cur non deſcripſit, cur Matthiolum imitatur: ſi liceat aliquid coniectari, ſuſpicor poſſe ad Chalcedonicam referri, quæ ei non nota, vt apparet ex deſcriprione Dalmaticæ, cui ttibuit folia nonnihil anguſta & acuta, quæ verba addidit de ſuo ingenioſus vir deſcriptioni Lobelii, conſideratâ potiùs figurâ quàm planrâ, cuius nomen in hiſtoria tranſpoſitum vt antè dictum.

C.Bauh. Phyr.Iris 4.ſiue dilutè cærulea inuolucro albo Tabern.

Iris

*Iris maior latifolia ſiue Damaſcena cærulea Cluſio.4.*

Iris maior latifolia quarta ſiue Damaſcena Cluſii, non diſpar eſt foliis & radice Iridi Dalmaticæ maiori, quam N.V.Io. ab Hoghelande miſit Lugduno Batauorum anno 1590. Damaſcenæ nomine, ipſi ſemine natam.

Cubitalem autem biennio poſt aut paullò maiorem protulit illa *caulem*, in quo multi vt in Aſiatica cærulea *flores*, totidem quot ea foliis, nec minùs amplis conſtantes, eiuſdémque pænè coloris, terna tamen inflexa paullò dilutiùs purpuraſcere & ad cæruleum colorem tendere videntur, atque magis complicari: terna bifida & gibba villoſæ fimbriæ incumbentia, anguſtiora & cinerei quodammodò coloris: terna verò ſurrecta dilutioris cærulei ſunt coloris, & latis interdum candicantibus venis externa parte cõſperſa ſunt: odor Aſiaticæ ſimilis. Hoc autem in eius aliquot floribus obſeruabatur, vnum ex illis foliis quæ ſurſum attolli ſolent, ſubtus perinde, atque inflexa albeſcere, etiam aliquantulùm inflecti, ſimilis coloris eſſe, & fimbriam illã multis villis conſtantem habere. An porrò ſingulis annis ſimiles proferat flores, tempus docebit.

*Iris Aſiatica purpurea maior latif.*

*Folia* habet ſimilia Iridi ſecundæ (Inquit Cluſ.) ſiue Aſiaticæ ceruleæ, paulò tamen breuiora, & anguſtiora: inter quæ exit *caulis* cubitalis, rotundus, digitalis craſſitudinis, in aliquot ramos diuiſus, qui promunt è membranaceis thecis *flores* ſuperiore minores, nonnihil odoratos, quorũ labra, ſiue folia ad terram inflexa, ſaturatioris ſunt purpuræ, & infrà circa vnguem, quà videlicet hirſuta illa & pallescens fimbria excurrit, variis venis diſtincta: his incumbunt tria alia latiuſcula bifida folia, quæ candicantes ligulas tegunt: deinde è lateribus ſurgunt terna etiam folia, eleganti purpureo colore prædita, flori Luſitanicæ biflore ferè ſimilia, latiora tamen: ſuccedunt triangulares *ſiliquæ* obtuſo mucrone, in quibus *ſemen* inequale: *radix* tuberoſa, Secundæ ſimilis.

Eſt hæc Cluſ. Pann. Iris tertia, ſiue Aſiatica purpurea, miſſa Conſtantinopoli nomine *Alaia Suſani*. Huius iconem poſuit in poſt. Hiſt. nomine Iridis latifoliæ maioris 5ª. quæ eſt Ic. Plant. pag.59. ſub hoc titulo, Iris noſtras vulg. lib.32. T.85.

Caſp. Bauh. Phyt. Iris 9. ſiue Aſiatica purpurea Cluſii.

Miſſa etiam hæc Conſtantinopoli ab Ill. V. Dauide Vngnad. Florétque Maio.

*Iris maior latifolia flore purpureo cum aliqua rubedine.*

Iris maior latifolia ſexta, quam ad me (inquit Cluſ. hiſt. poſt.) Viennam miſit Io. Boiſſot 1582. congener fuit Aſiaticę purpureæ. Similia enim folia habuit, caulem paullò maiorem, flores ſimiles, aliquantulùm maiores, inodoros, quorum terna ſurrecta folia aliquid rubedinis habere videbantur: radicis amplitudine conueniebant.

*Iris latifolia maior purp. quibuſdam Illyrica.*

Iridis maioris latif. genus 7. in Francofurtenſibus hortis obſeruabat Cluſ. hiſt. cui Illyricæ cognomen dederunt: longa autem latáque folia habebat, Dalmaticæ maiori pænè paria, caulẽ nõ minùs grandem, nec rariores minoréſue flores proferebat, nouem, vt reliqui, foliis conſtantes, quorum terna inflexa & terram ſpectantia, planè purpurei ſiue violacei, dilutioris tamen, ſunt coloris, nullis, niſi circa infimam partem, venis diſtincta, fimbria medium folii neruum occupante, albis ſtaminibus, flauo apice præditis donatã, tria ſurrecta folia eiuſdem ferè, ſed magis diluti coloris, vt & tria bifida ligulam tegẽtia, & fimbriæ incumbentia: odor ſatis ſuauis.

*Iris maior latifolia cui in flore craſſæ venæ purpureæ.*

Iris maior latifolia octaua ſiue vulgatior altera, quam Cluſ. in hortis Francofurtenſibus conſpiciebat, ſimilia habet *folia* præcedenti ſextæ Illyricæ cognominatæ, ab exortu circa *radicem* purpuraſcentia, *caulem* cubitalem aut ampliorem, multos è vaginulis, purpuraſcentibus radiis inſignitis proferentem *flores*, nouem foliis conſtantes, quorum terna incurua multis craſſis venis purpureis ſunt notata, fimbria ad labrum inflexum protenſâ, capillaribus ſtaminulis flauo apice præditis donata, terna erectiora plerúmque bifida ſunt, colorémque habent obſoletum, in quo purpureum quiapiam magis vel minùs ſaturum elucet, alata anguſta folia fimbriæ incumbentia eiuſdem cum ſurrectis ſunt coloris, præter medium neruum in longitudinem excurrentem, qui ex cæruleo purpuraſcit: odor florum Sambuci. Breuiter, Iridi obſoletæ Belgicæ valdè ſimilis eſt. *Latifolia.8.*

IRIS LVSITANICA VERNA VIOLACEA; & Cluſii maior Latif. nona cum venis purpureis.



Iris Luſitanica verna Lobel. Obſ. Dalmaticæ Iridi maiori cùm foliis, tum caule & ternis quaterniſue floribus ſimilis, ſed colore omninò violaceis, ſeu purpureis ſaturatioribus: cuiuſmodi ipſam vidiſſe iuuat hoc Vere in Viridariis Ill. D. Io. van der Dilf, & Mariæ Schetz. Icon. Pl. pag. 63. Iris Luſitanica Verna Teut.89.

Caſp. Bauhin. Phyt. Iris 18. Iconem eandem cum Plant. habet Cluſius pro Iride latifolia maiore nona, cuius deſcriptio eiuſmodi eſt. Mihi miſſam Bruxellis à N.V.Io. Boiſſot, Iridis maioris genus, quod Maio floret, quódque breuiora quàm Iris maior octona habet folia, alioqui non diſſimilia, nec minùs circa radicem, quã inuicẽ amplectuntur, purpuraſcentia: caulem cubitalem & ampliorem, in alas diuiſum, in quibus multi *Deſcript.*

flores, totidem quot præcedentes foliis præditi, quorum terna deorſum inflexa per oras ſubcærulea; circa vngues ex flauo candicant, deinde multis craſſiuſculis ſaturæ purpuræ venis ab imo in longitudinem excurrentibus ſunt prædita, ſtaminum fimbria ſuperiori ſimilis eſt: terna erecta folia candicantis ex cæruleo ſunt coloris, eorum oræ quodammodò flaueſcunt, vngues tenuioribus venis diſtinguuntur, bifida & alata folia fimbriam tegentia ferè ex flauo candicant: odor præcedenti ſimilis.

*Iris maior latif. anguſtioribus foliis, purpureis floribus minoribus Cluſio 19.*

Iris maior latif. 19. Iris maior latif.19.Cluſ.Byzantinæ magnitudine par, anguſtioribus tamen foliis, quam à Boiſſot accipiebam, caule gracili, pedem & ſemiſſem, interdum etiam cubitum alto, in ramulos diuiſo, quibus inſident flores omnibus prædictis minores, tribus foliis ad terram inclinatis, dilutè purpureis, tribus verò erectis obſoleti purpurei coloris, qualis in vulgaris quodam genere conſpicitur: radix non magna, nodoſa. Eius flos mihi primùm conſpectus anno 1590. cæteris florentibus.

*Iris maior latif. Romana cærulea Cluſ.24.*

Iris maior latifol. 29. Iris maior 24.Iridi 23.ſiue Illyricæ par, Viennam mihi miſſa [ait Cluſ.] à I.Boiſſot Romanę maioris cæruleo flore nomine: etenim caulem, folia, radicem omninò ſimilem habuit, anno verò 1585. florem etiam parem, exceptis tribus ſurrectis foliis, quæ ad cæruleum colorem magis tendebant, fimbriaque inferiorum magis flaueſcente, & odore vulgaris Oxyacanthæ qui in præcedente ad bifloram Luſitanicam magis accedit.

*Iris latifolia maior, cui oræ ad flauum obſoletum accedunt.*

Iris maior latif. 10. Iris maior latifolia 10. Cluſio, à Io. Boiſſot miſſa, paulò humilior, quàm nona: flores geſtans, ei forma quidem ſimiles, diuerſi tamen coloris: nam terna inflexa folia, licèt illius foliis non ſint diſparia, oras ad flauum obſoletum accedentes habent, venaſque paullò dilutiores, terna ſurſum erecta obſoleti ſunt coloris, ex flaueſcente & purpuraſcẽte mixti verſicoloris, eius quam à Camerario accipiebam, foliis non abſimilia, paullò tamen dilutiora, circa vngues etiam magis flaueſcentia, & tenuioribus purpureis venis notata, anguſta, alataque folia ſimili colore prædita, præter medium neruum qui magis purpuraſcit: odor etiam florum Sambuci æmulus. Pro Iride modò dicta figura apud Cluſium eſt quæ Icon.Plant.p. 59.ponitur nomine Iridis candidis floribus.

*Iris latifolia maior cum oris purpuraſcentibus.*

Iris latif. maior 11. Iris Cluſio latifolia maior Vndecima, à Iohan. Boiſſot, ſimiliter communicata decimæ paria habet *folia*, inter quæ cubitalis ferè & dictæ æqualis aſſurgit *caulis*, ternos aut quaternos è vaginis viridibus, oras purpuraſcentes habentibus, ferens *flores*, quorum color obſcurior & ſaturatior, quibus nonnunquam inſperſæ luridæ maculæ &c. Odor idem cum ſuperiore. Paulò tamen hæc ſeriùs floret.

*Iris latifolia maior flore verſicolore.*

Irin latifoliam maiorem 12. [quæ Cluſio periit] præcedenti ſatis colore ſcribebat reſpondere Io. Boiſſot, & peculiare id habere, vt inflexa folia duobus diuerſis coloribus ſecundum longitudinem ſint diſcreta, altera videlicet parte reliquorum foliorum colori reſpondente, altera diuerſo: eamque à Bruxellenſi ciue accepiſſe, qui ſemine natam ibi aſſereret, cum aliis Iridibus, quarum nonnullæ vnicum duntaxat folium variegatum habebant, quædam verſicolorem tantùm neruum medium folium ſecantem, eumque vel ampliorem, & latiorem, vel anguſtiorem, vt mirum dictu ſit quomodo Natura in his floribus ludat. Duo Cluſ

*Iris latifolia maior verſicolor cærulea dilutior Cluſ.13.*

Irin latifoliam maiorem 11.Ciui Bruxellenſi ſemine natam ſcribebat Io.Boiſſot inſtar duodecimæ varietate colorum conſpicuam, non adeò tamen elegantem, ſed coloris ex cineraceo palleſcentis, vt verſicolor cærulea dilutior dici queat.

---

IRIS ALTISS. BICOLOR CÆRVLEO obſoleto cinereóue mixta.



RAtior hæc Iris, procceritate vulgarem ſuperans: *folia* non minùs lata: floris autem ſuauiter odorati, & vulgari minoris, non obuia amœnitas, cuius tria extima folia repanda, ſummâ orâ ſaturâ purpureâ tincta ſunt, inde vſque ad fimbriam crocatam humani ſupercilii æmulam, ſaturis lineis purpureis longis campum album percurrentibus, vtrinque autem à fimbriæ lateribus obliquæ ferrugineæ lineæ luteos margines diſtinguunt: terna quoque folia, vt in hoc genere fieri ſolet, introrſum curuata ſurriguntur, colore magna parte ex ferrugineo cinereo obſoleto, imâ parte ridigiuſcula lutea ſatura ferrugine guttata: penitiſſima & vltima terna in coſta foris intuſque leuicula & ſordida purpura pallent, vtrinque lateribus luteo lurido infectis. De

Lobel. Obſ. Item in append. Iris flore cæruleo obſoleto cinereóve. Plant. icon. p.60. Iris flore cæruleo, cinereóve polyflora, Lobel.

Baſileæ in horto D. Fœlicis Plateri vidi Iridem maximam & pulcherrimam, cui flores non multùm differunt à vulgari purpurea ſiue cærulea, folia repanda ſunt cœrulea, ſuperiora neſcio quem ruborem habent, dedit mihi plantam, quam plantaui in horto E. C. vbi nunc abundat florens

flores Maio, cuius mihi videor habere paulò minorem ſpeciem nonnihil variantem.

*Iris maior foliis duobus coloribus diſtinctis, albo & viridi Cluſ. 16.*

Iris maior latifolia 16. quæ ex eorum numero quas Boiſſot miſit, Iridi maiori latifoliæ 15. [ſiue luteæ variegatæ] valdè ſimilis, & illius quidem ſemine natam putat Cluſius: *Folia* tamen illi breuiora & (quod rarum) magna ex parte duobus coloribus deſtincta, albo & viridi, ſic quidem, vt albus per longitudinem excurrat, nonnunquam dimidiatum folium occupans, interdum ferè totum, aliquando eius duntaxat partem: iiſdem etiam coloribus interdum diſtinctæ vaginæ *flores* includentes: qui terna ad terram inflexa folia ſuperiori ſimilia habēt ferè, staminea tamen fimbria tota flaua eſt, bifida folia illam tegentia flaua, cuius etiam coloris ſunt terna illa ſeſe attollentia & tota ferè ſurrecta, vt in præcedente, infimâ autem & anguſtiore parte, purpureis velut maculis internè aſperſa ſunt: odor qualis in præcedente, nonnunquam adeò imbecillis vt vix deprehendatur. Floret Maio cum ſuperiore.

*Iris exotica colore quaſi pallido fuligine perfuſo Camerarii Cluſio 14.*

Cluſ. Pann. Iris 5. exotica Camerarii, ſiue obſoletior, quæ ex Iride varia caulifera Pannonica nata cenſetur. Hiſt. poſt. Iris maior latifolia 14. cui ampla ſunt *folia*, & latiora longioráque quàm in præcedentibus, viridia admodum, rugoſa, aliquantulùm criſpa, mucrone nutante, è quorum medio emergit cubitalis aut maior *caulis*, læuis, rotundus, viridis, in aliquot ramulos diuiſus, qui è virentibus vaginulis ſatis amplos promunt *flores*, nonnihil odoratos, & ad vulgaris Oxyacanthæ floris odorem accedentes, quorum tria reflexa folia pallida multis craſſis purpureis venis à foliis infima ſede, & à fimbria, ad extremas oras ſparſis, prædita ſunt, labris etiam ſatura purpura nitentibus: tria illis incumbentia, ſub quibus occultantur ligulæ, coloris pallidi tanquam fuligine perfuſi, vt etiam ſunt tria erecta, ſed magis luridi: nullum mihi hactenus *ſemen* tulit, tametſi multos annos iam aluerim. Maturiùs paullò floret ſecunda, & color floris aliquando ſaturior, interdum dilutior. Hanc nactus eſt à Ioach. Camerario Reip. Norib. Medico primario, vnde verò ille habuerit ignorat.

Caſp. Bauhin. Phyt. Iris 12. ſiue exotica Camer.

*Iris maior latif. palleſcens ex albo cum purpureis venis.*

Iris maior latifolia 17. Cluſii, quæ à Boiſſot miſſa, pedalem habuit *caulem*, rotundum, geniculatum, binos aut ternos, ex membranaceis vaginis promēs *flores*, quorū terna terrā ſpectantia folia palleſcentis ex albo ſunt coloris, multis purpureis venis ab infimâ foliorum baſi, quæ anguſtior eſt, in latera, tum à fimbriâ, quæ flaua eſt, ad extimas foliorum oras procurrentibus, quibus ſingulares, interdum binæ purpureæ maculæ ſunt aſperſæ: bifida folia fimbriam tegentia ὀχρολεύκου ſunt coloris, cuius etiam terna ſurrecta [excepta eorum anguſtâ baſi, quæ flaueſcens] multis purpureis venis in latera procurrentibus.

*Iris maior latif. purpurea foliis repandis candicantibus, purpureis venis diſtinctis Cluſio 21.*

Iris Cluſii maior latifolia 21. Non minùs minùs ampla habet *folia* quam 20. inter quæ *caulis* aſ- *Iris Cluſ. 21.*
ſurgit pedalis, teres, geniculatus, viridis, ſuſtinēs membranaceas thecas virides, per oras leuiter purpuraſcentes, è quibus emergunt bini aut terni *flores*, iam deſcripto paullò minores, nouem foliis conſtantes, quorum terna terram ſpectantia ab imo anguſtiora, candicantia interiùs, ſaturæ purpuræ venis eleganter diſtincta ſunt, latiore verò parte omninò purpureâ: villoſa fimbria infernâ parte flaueſcit: supernâ purpuraſcit: bifida foliola ſub quibus latet, floridi purpurei ſūt coloris, vt terna folia ſurrecta: flos tenuiter odoratus. Hæc mihi inquit, nata eſt Francofurti ad Mœnum, ſemine ſponte deciduo, & florem dedit anno 1592. Maii initio.

## IRIS FLORE ALBO.



QVi purpuream vulgarem Iridem rectè norit, is nullo negotio hanc albam aſſequetur: nullam quippe in *radicibus*, *foliorum floriúmque* forma differentiā notabilem animaduertimus; in quibus tamen vtriſq; coloris non modicum eſt diſcrimen: *folia* enim colore ad glaucum magis accedūt, flores pauco, ſed eo tamen grato odore prediti, lacteo candore perfuſi ſunt, extimorum coſtis non minùs quàm Purpureæ extra virentibus, quibus intus lutea crocomata reſpondent, imorum autem foliorum margines luteæ ſtriæ percurrunt. *Deſcriptio*

Tradit Ruell. inueniri frequenter Iridis florem emaculati candoris, cuius radix cum Illyrica de odoris principatu contendat.

Cord. in Dioſc. & Obſ. Sylu. Iris Illyrica flore candido. Non placet Cordum Illyricam aſtruere flore albo, vt poſtea dicetur. *Illyrica.*

Brunſch. & Geſn. hort. Iris flore albo.

Eſt autore Matthiol. in ſatiuorum genere, quę niuei candoris flores profert, quam in pluribus Hetruriæ locis vidit, cuiúſque radix fragrantia & virium robore Illyricam ferè æquat.

Dodon. Gall. Iris altera flore albo, Iris Florentina, Officinis Ireos: Gall. *Flambe blanche*, Germ. weiß Viollwurtz & weiß ſchwertel. Belg. witlisch / quæ omninò præcedenti ſimilis, foliis, caulibus, forma florum & radicum, niſi quòd flores non habet diuerſos colore, ſed niueos: Radix paullò minor, & optimi odoris maximè ſicca. Cur Florentina potiùs cenſenda ſit ea quæ albo flore quàm altera, non video, quandoquidē ibidem copioſa, nec etiam radix nobis obſeruata *Iris Hetruria.* *Dod. notē.*

minor, ſed potiùs maior.

*Plantin. icones not.* Plant.Icon.p.59.Iris noſtràs vulgaris candidis floribus. Lob.32. Adu.31. Teut.85. Figura ſtrigoſæ Iridis apud Plantinum non placet pro alba, albá enim non vidi ſtrigoſam, ſed cum craſſis nodoſis radicibus. Lobelius poſuit eam figuram in Belg. pro vulgari ſilu.Iride; hinc fortè accidit vt fr. C.Bauh. duas fecerit Irides albas.

Camer.in hort.Iris alba Illyrica vulgò, vel potiùs Florentina. Item apud Matth. German. Iris Florentina cum floribus albis.

Tabern.hiſtor. & Icon. Iris alba weiß weilwurtz. Item Iris Florentina weiß weilwurtz. Duas proponit figuras Tabern. ſed non demonſtrat in quibus differant.

*Tab. not. C.B. lapſus Garis.* C.Bauh.Phyt.Iris 2.ſiue albò flore, Matth. ſatiua niuei coloris, Lob. noſtras vulg. candidis floribus. Iris tertia, ſiue Florent.alba, Geſnero Florentina: Cordo Illyrica: radices ſiccatæ non corrugantur & differt à præcedenti, quod hæc radice ſit minore: Cur Frater ſeparet Iridem Florentinam albam à Matthioli alba neſcio: quum Florentia ſit in Hetruria vbi obſeruauit Matth. flore albo: Geſnerus non dicit Iridem Florentinam cuius meminit flore eſſe albo: Florentiæ obſeruaui frequenter vtriuſque coloris radices quæ ſolent pro Iride Florentina vendi, ſunt maiores, craſſiores, ſolidiores, candidiores, odoratiores, quàm vulgaris noſtratis: an regio ſolúmne ſit tantùm in cauſa diuerſitatis à noſtra aſſerere non auſim, vel an ſit ſpecies diuerſa, vidi aliquando radicẽ etiã vendi pro Illyrica Iride, quæ ſanè ſolida & odorata, ſed minor Florentina: Cordi verba præcedenti capite adduximus, vbi non dicit an Illyricæ radix ſit minor vel maior vulgari.

Iride alba aliquando primo Vere collem plenum reperit Camer. circa Priuernum vrbem in itinere Neapolitano. Vehementiores hyemes apud nos ægrè ferre poteſt, & in primis à niue liquefacta, & rurſus gelaſcente tutanda. *Locus & tempus* Iris alba in Auſtriæ & Vngariæ hortis rarior, & Cluſii tantùm operâ illis cognita, acceptis è Belgio radicibus.

Baſileæ accepimus datam ex horto inſignis Pharmacop.Ioh. Heitzman, quam plantauimus Montb.in Horto Il.E.C. eam primò videramus, Bononiæ & Florentiæ in horto Nic. Ferrarienſis & aliis flore in totum niueo, exceptis apicibus luteis in medio foliorum: poſtea obſeruauimus Geneuæ & Lugduni. Non videtur nobis propter colorem album particulatim vocanda *Iris Florentina.* Iris Florentina, quum vtráque abundent Florentini, & vtramque indiſcriminatim ſumant: à bonitate autem potiùs vtramque Florentinam denominari, non propter colorem: quanquam vtriuſque radix ſoleat etiam candidior craſſior & ſolidior vulgari eſſe. *Illyrica.* Narrabat mihi olim inſiguis Pharmacop. Valerãdus Dourez, qui in Illyria ſiue Sclauonia fuerat, Iridem ibi dari flore albo potiùs quàm purpureo, ſpontè in montibus prouenire & radicem ſimilem Florentinæ virentem guſtu eſſe, non minùs feruenti quàm noſtras, eam quæ in humidioribus locis naſcitur deteriorem quæ non poſſit ſiccari.

*Iris maior latif. candida cum multis fibris purpureis Cluſio 27.*

*Iris maior latif. 27.* Lata pedaliſque fere longitudinis *folia* habet elegans aliud Iridis genus, Iridis Aicholtzianæ foliis prorſus ſimilia, radicem etiam & *caulem*, qui perinde atque in illa, ad foliorum latus ex radice naſcitur pedalis, tenuis, in quo ſingulares aut gemini *flores* à vaginulis ex pallido vireſcentibus prodeunt, forma Aicholtzianæ ſimiles, ſed colore variantes, nam terna folia propendentia candicant, purpuræ exoletæ venis ab infima eorum ſede per latera excurrentibus vſque ad extimam fimbriam ſubcæruleis villis conſtantem, tria autem incumbentia & ligulam ſiue ſtamina tegentia, alba ſunt, earum tamen gibbo ſubcæruleo: terna ſurrecta etiam candida, & ab infimâ, ſed multis purpureis venis diſtincta, donec in latitudinem expandi incipiant: flori ſucceſſit triangulum *caput* binas pænè vncias longum, craſſiuſculúmque quod maturitate dehiſcens Iulio, *ſemen* oſtendit rugoſum, ſubfuſcum, erui magnitudine: *radix* hieme folia non retinuit.

Floruit Aicholtzio primùm Maii initiò, Anno 1584. vnica quam habuit planta, eadem areola in qua 25. Aicholziana repoſita erat, & quæ etiam oppoſitam areoleam occupabat. Itaque non dubium quin eius ſemine deciduo nata ſit, tametſi huius flos odoris gratia commendabilis non fuerit, qui tamen in altera deprehendebatur. Mirum enim in modum variant quæ ex ſemine naſcuntur Irides, non ſecus ac præcoces & dubiæ Tulipæ, atque Papauera, vt longâ experientiâ didicit. Tem

---

## IRIS LVTEA, FOLIIS FLORVM repandis variegatis.



Amœna eſt florum huius Iridis elegantia, De alterna ex extimis tota lutea ſunt *folia*, nigricante purpura circa imum guttata; alterna pulcherrimè virgata, ſtriis ſuprema folii parte intrinſecus atroſanguineis per album Campũ diſcurrentibus: inferna verò eiuſdem faciei parte ad fimbriæ crocatæ latera vtrinque minùs ſaturis lineis, crebris admiſtis concoloribus guttulis, luteolum campum obliquo ductu pingentibus, extrinſecus verò ex luteo herbida ſunt: intima terna folia bifida penitus lutea, tergo appreſſas habent ligulas herbidas, apicibus lacteis.

Hanc ſic deſcribit Cluſius. Iridi latifoliæ maiori 15. rugoſa ſunt *folia*, minùs tamẽ lata, longa, & viridia quàm in 14. ſecundum radicem omnino interdum purpuraſcentia, è quorum medio *caulem* promit cubitalem, læuem, viridem, aliquot ramulis donatum, quibus inſident *flores* è vaginulis emergentes, magni vel prorſus inodori, vel Oxyacanthæ vulg. florum inſtar odorati, coloris varietate commendabiles: nam tria folia

quæ

quæ ſurſum ſpectant & attolluntur, rarò ſe mutuò amplectuntur, aut cacumine nutant, ſed plerumque (niſi marceſcere incipiant) recta ſunt, vt in Iride bulboſa, nõnihil tamen conuexa, anguſti ora, lutei coloris, quemad. & illa quæ ligulas fimbriamqe ncontegunt: tria ad terram inflexa, circa baſim & exortum pallent, reliqua parte candicant, multis tamen purpureis radiis ab ipſa ſede ad extremas vſque folii (quod plerumque ſaturatiùs purpuraſcit in earum ſtirpium floribus, quæ circa radicem nulla purpura ſunt ſuffuſæ) pallidas oras, eleganti pictura decurrentibus: villoſa fimbria, quâ parte integitur, lutea eſt, extrema verò exalbida, pallẽtes ligulæ, magna triangula & obtuſo aliquãtulùm mucrone prædita capita, *ſemen* Orobi magnitudine, fuſcum, rugoſũ continentia: *radix* nodoſa, vulgaris Iridis inſtar, foris flaueſcens: multis vtrinque naſcentibus fibris firmata, quæ repurgata & exſiccata, odoratiſſima eſt, & cum Illyrica, quæ in Officinis habetur, odoris gratia contendere poſſe exiſtimatur.

Eſt hæc ipſi in Pann. Iris 4. varia caulifera, Pãnonica, ſub quo titulo eam & Tab. exhibet. Lob. Obſ. Iris lutea variegata. Icon. Plant. p. 66. Teut. 91. rara ſpecies. Flores ſunt lutei Chamæiridis Monſpeliacæ tribus repandis foliis peregrinâ elegantiâ ſtriatis, obſcurè violaceis. In Belgii hortis prouenit munere Cluſii.

An Matth. Ital. cum magn fig. Iris flore luteo, quam in multis hortis Bohemiæ vidit, & non vult intelligi Acorum vulgare: Oportebat demonſtrare diſcrimen inter Iridem luteam & Acorum vulgare, ſi poterat.

C.B. Phyt. Iris 6. ſiue ſatiua lutea, Matth. Iris ſatiua floribus auctis. Iris 10. ſiue varia caulifera, vel 4. Cluſ. Iris 16. ſiue lutea variegata Lobel. Iris 17. Variegata Camerarii ſilu. alia.

De hac Camer. hort. ait: Iris variegata è luteo & purpureo obſoleto flore, quem in locis natalibus non promit: in hortum verò tranſlata, contra aliarum ſyluestrium plantarum naturam, altero anno floret, & quotannis poſtea, ac longè latéque ſerpit. Idque verum eſſe experientia me docuit, cùm eius generis plantas ex monte quodam Franconiæ propè arcem Comitum de Caſtello mecum deportaſſem in hortum. Foliis eſt Acori vulgaris, id eſt, Aquaticæ flauæ Iridis, ſed latioribus, & rariſſimè vt aliorum erectis, ſed plerumque mucrone languido & incuruo.

In montanis ſupra arcem Diui Georgii, herbido ſolo, & collibus Stamphen imminentibus, in Vngaria tranſdanubiana, aliquot miliaribus ſupra Poſonium, primùm obſeruabat Cluſius, genus illud cuius folia purpuraſcente colore circa radicem non ſunt perfuſa: deinde frequentiùs vtrumque genus in Leytenberg monte ſupra mãderſtorf, & ſiccioribus pratis Sopronio vicinis. Creſcit etiam in collibus non procul ab Entzeſtorf in Lange-thal, Magnif. D. de Entzeſtorf. Floret Maio: ſub Iunii finem ſemen maturum. Eſt mihi in Horto E.C. pulchra Iris primùm viſa Baſileæ; poſtea Stutgardiæ in horto Ducis Wirtemb. Baſileæ in horto Guarini florentem vidi Maio: folia vulgari Iridi ferè ſimilia, caules magni, flores lutei, qui in repandis foliis pulchras habent ſtrias violaceas: habui Baſileâ & Stutgardiâ.

*Iris maior latifolia Ochroleucos Cluſio 28.*

*...aior* 28. Iris maior lati folia 28. multa habet *folia*, inuicem amplectentia, cæterarum Iridum inſtar, vnciam lata, inter quæ pedalis geniculatus, teres, viridis exilit *caulis*, ſummo faſtigio ſuſtinens binas mẽbranaceas vaginas ex viridi palleſcentes, è quibus emergit *flos* reliquis Iridum generibus forma ſimilis, colore autem diuerſus, nam ex albo palleſcit, ſiue ὠχεόλευκος eſt, & terna repanda folia ab imo ad extimas oras flaueſcentibus venis ſunt diſtincta, fimbriâ albicante, ſed quadantenus à bifidis foliis [quæ ſimili colore ſunt prædita, gibba tamen dorſi nonnihil purpuraſcente] integitur, flaueſcente: ſurrecta folia ab imo gracilia, internâ parte multis in latera ſparſis venis obſoletè purpuraſcentibus ſunt diſtincta, vbi verò ſeſe in latum expanderunt, ὠχεολεύκε ſunt coloris.

Nullum in hoc flore odorem deprehendi: ſed eius ſtirpem Maio florentem obſeruabat Cluſ. Francofurti in Myleri Pharmacopœi horto. Ei ſimilem, nec vlla ferè in re differentem etiam alebat, ſoli flores diſcrimen faciebant, qui paullò candidiores videbantur. Non dubium eſt multò plura inueniri maioris Iridis genera.

*Iris maior latiſ. ſurrectis floris foliis flauis & purpureis lineis diſtinctis Cl. ſ. 20.*

Iris maior latif. 20. Cluſio à Boiſſot miſſa, quæ biennio pòſt duntaxat florem tulit, à Decima nona, nec gracilitate *caulis*, qui in ramos etiam diuiſus, nec anguſtiâ *foliorum*, nec *radice* differt: *flores* ſimiliter magnitudine pares habet, ſed diuerſi coloris: nam terna ad terram inflexa, diluti, & quidem obſoleti purpurei ſunt coloris, multis ſaturatioris purpuræ venis à fimbria ad oras ſe ſpargentibus: fimbria flauis ſtaminibus conſtat: bifida folia illam tegentia obſoletè flaueſcũt: terna ſurrecta infernè anguſta flaua etiam, ſed purpureis venis diſtincta, latiore autẽ parte palleſcentis coloris, quodammodò tamen ſuffuſci, leuiſſimâ, & quæ vix apparet, purpurâ: Sambucinum odorem refert, ſed paulò grauiorem. *Iris Cluſio 20.*

IRIS LATIFOLIA MAIOR SVSIANA VEL Chalcedonica, flore maiore variegato Cluſio prima.



Sena aut octona habet *folia*, Iridis Luſitanicæ bifloræ foliis non abſimilia, mutuò ſeſe vt in aliis Iridum generibus amplectentia: è quorum medio *caulis* exit cubitalis aut amplior, rotũdus, geniculatus, digitalis craſſitudinis, *florem* ſuſtinẽs omnium quos vnquam in Iridibus conſpexerim maximum, nouem, vt reliquorum, foliis conſtantem, colore tamen ab illis differentẽ: Deſcriptio

nam tria ad terram inclinata folia craſſa ſunt, interiore parte omninò nigra, niſi quædam venæ ex purpura candicantes intercurſarent, ab infima baſi ad medium vſque, nigri panni inſtar, medium folium occupante, foris multò dilutiora ſunt: terna illa minora eis incumbentia quæ ligulas tegunt, fornicata & bifida ſunt, & eiuſdem ferè coloris, paullò tamen dilutioris, licèt ad obſcuram purpuram accedentis: tria ſurrecta, palmaris ſunt amplitudinis, & membranaceæ pænè tenuitatis, plurimis lineis ab infima baſi ad extremum vſque folium excurrentibus, partim nigricātibus, partim ex cineraceo candicantibus, vt Americani Pauonis expanſam caudam ferè imitentur, internè circa vnguem nonnihil hirſuta. Nullum *odorem* in hoc flore deprehendi, ſed ſolâ coloris varietate commendabilis eſt. Illi ſuccedunt, ſed rarò admodum, *capita* trigona craſſa, vncias tres, quatuor & quinque interdum longa, numeroſum *ſemen*, rugoſum, fuſcum, Piſi ferè inſtar magnum, continentia.

Nomina Iris maior latifolia 1. ſiue Suſiana Cluſii, quæ ob floris amplitudinem & venuſtatem primum locum meritò ſibi vendicare videtur, Conſtantinopoli miſſa eſt *Alaia Suſani* & *Alaga Suſam* nomine cum hac additione, *fiori belli pintati, ch'anno buono odore*, h.e. eleganter picti flores boni odoris: atque *fa fior bianco & negro*, id eſt, florem fert ex albo & nigro varium: elegantem ſanè florem comperimus ſed nullum gratum odorem deprehendimus. Ego [ ait Cluſius ] quia ex Suſa, Suſianæ Prouinciæ Metropoli, primùm in hortos Conſtantinopoli vicinos vltra Boſphorum ſitos illatam puto (nam id nomen indicare videtur,) Suſianam nūcupo. Hiemis iniurias difficiliùs fert in horto repoſita reliquis Iridis generibus, quod, vt & plerique alii, noſtro damno experti ſumus. Rariùs etiam cæteris floret, & vnicum, vt plurimùm, florem profert, Maio: ſemen maturum Iulii initio.

Lobel. Obſ. p. 34. Iris Chalcedonica maxima variegata, luculētę magnitudinis, maculis fortuitis, tranſuerſis & obliquis, giluis, cinereis & punicantibus, foliis tantillùm, gladii ritu, vndantibus. Cætera cuncta Iridi vulgatæ aut Dalmaticæ ſimilia. Vidimus Bruxellis. Plant. icon p. 67. Iris Chalcedonica variegata L. 34. T. 92.

An Camer. hort. Iris Bizantina à C.D. Io. Aicholtzio communicata, quę hyeme in fictilibus apud nos aſſeruanda eſt.

Tab. nov. Tabern. icon. Iris Chalcedonica variegata weilwurtz mit mancherley farben typfflein beſprenckt. Item Iris Chalcedonica 2. wielwurtz von Conſtantinopel. Quam intelligat Iridem Tabern. vel eius Compilator neſcio, non deſcribit.

C. Bauh. Phyt. Iris 19. ſiue Chalcedonica maxima.

## IRIS BIFLORA LVSITANICA flore violaceo Cluſio 22.

*Iris bifl. Luſit. 22.* IRidi Luſitanicæ ſeu bifloræ 22. *folia* ſunt vulgaris breuiora & anguſtiora: alioqui non valdè diſſimilia: in ſummo pedali *caule flos* è purpuraſcentibus vaginulis prominet, nouem, vt aliarum Iridum flores, foliis conſtans, violacei omninò, ſiue ſaturatioris purpuræ coloris, qui in inflexis & propendentibus foliis intenſiùs nitet, violloſa illa fimbria quâ donata ſunt, prorſus can

didâ. Vnicum autem ſingulares caules plerumque florem ferunt, interdum, ſed rarò, alterum, Deſcr rariſſimè tertium, ſingulari quemque vaginula incluſum, iucundiſſimi odoris, & Oenanthem Lilium conuallium cognominatā ęmulantis: conſpectus aliquando mihi eius flos duodenis foliis conſtās, vt interdum Natura in floribus luxuriat: *ſemen* anguloſum, rugoſum, in triangulari capite ſatis craſſo, ſed rarius fert: *radix* illi ſubeſt, nodoſa, geniculata, ſolida; pollicaris craſſitudinis, gibba, intus candida, ingrati ſaporis initiò, & paullò pòſt feruidiſſimi guſtus, multis fibris ſummâ tellure hærens, & ſubinde in plures propagines è lateribus naſcentes diuiſa.



Naſcitur multis Luſitaniæ locis ſupra Tabum Loc. temp. vel pingui ſolo & in aruis, vt circa Conimbricam, celeberrimam Luſitaniæ vrbem, vbi illam florentem menſe Nouembri eruebam, vel ſalebroſis & lapidoſis locis, vt circa Caxcays maritimam vrbem & portum, vnde delatam Olyſſiponem, ad amicos, deinde in Belgicam miſi, & inter chartas repoſitam cum aliis plantis ipſe detuli: nam licèt integro anno iſtic latuiſſet, terræ tamen commiſſa in horto Ill. V. Caroli Audomari, ſequente Vere floruit, poſtea etiam Autumno, cuius rei cauſâ bifloram cognominaui.

Lob. Obſ. & Ic. Pl. Iris biflora Luſitanica, an Aſtragalites Aetii l. 13. c. 3. noſtro Belgio, Hiſpanico delata ſolo, etiam inquilina facta eſt: Vere & Autumno florem odoratum violaceum, ſingulis caulibus cubitalibus & ſeſquicubitalibus, ſingulum aut alterum, villoſo candore fimbriatum proferens: denſa breuique radice, frangentique contumace, facie & foliis Dalmaticæ ſimilis, ſed magis ſparſis.

C. Bauh. Phyt. Iris 13. Vere & Autumno florens.

Camer. hort. Iris Luſitanica biflora à Cluſio depicta in Hiſpanicis & ad me miſſa.

### *Iris Illyrica biflora ſimilis Cluſio 23. flore purpureo.*

Non multùm à Luſitanica biflora (inquit Cluſius) differre videtur, quam aliquando Venetiis accepit C.V. Io. Aicholtzius Iridis Illyricæ appellatione, in cuius cultiſſimo horto florentem Maio conſpiciebam. Quina enim aut ſena ex ſingulis radicis capitibus promit *folia*, illius foliis ſimillima: *caulem*, rarò ampliorem, qui in ſummo è vaginulis purpuraſcentibus florem promebat Luſitanicæ forma perſimilem, paulò tamen maiorem & teneriorem, nec adeò ſuauis odoris,

odoris,licet ad eum ſatis accederet: nullum *ſemen* obſeruabam: *radix* nodoſa & geniculata vt ſuperioris, odoris, cùm virens eſt, ingrati, exſiccata verò ſatis grati:& inſipidi initiò guſtus, poſtea tamen feruidi,faucéſque vrentis.

Caſp.Bauhin.Phyt.Iris 14. ſiue Iridi biſloræ affinis.

## IRIS FLORE VIOLACEO FOLIO VIRENTE,an Cluſii 25. caule foliis nudo.



IRis quædam eſt, *foliis* latis virentibus, ad colorem foliotum Spatulæ fœtidæ accedentibus, quæ ſtriæ manifeſtæ percurrunt. *Flos* culmo inſidet dodrantali aut pedali, totus violaceus, ſex foliis conſtãs alternatim repandis, iuxta quorum cilia partim alba, partim violacea,ſtriæ albæ excurrunt,ſurrectorum foliorum dorſo ſingulo ſingula apprimitur ligula,extremo bifido. Inter ſurrecta verò & repanda folia *apices* oblongi, cærulei, farinacei, purpureis inſident pediculis. *Radix* craſſa, tranſuerſa,internodiis diſtincta, plurimis fibris craſſiuſculis ad ſummam baſim donata: ſubſtantia molli, aquea, ſapore amarinſculo paulò pòſt fauces vrente,nullo odore notabili virens.

Obſeruata mihi primùm in Vireto Nobiliſſ. D.Baronis ab *Aigle pierre*,cui ex Belgio allata dicebatur. Mihi ab hinc per pluſculos iam annos in horto Ill.E.C.Montb. culta.Floret Aprili.

Conſiderandum an iam deſcripta ſit Cluſio Pann.ſub Iride 7.ſiue caulifera purpurea.Et poſt. hiſt.ſub Iride maiore latifol.25.de qua inter alia hæc habet. Peculiarem autem habet hæc præter cæteras Irides notam, vt nulla folia per hiemem retineat,ſed omnia flacceſcant & exſiccentur,nudáque conſpiciantur, deinde ineunte Vere noua germina proferat.

Caſp.Bauhin. Phyt.Iris 12.ſiue hyeme folia amittens.

*Iris maior latifolia purpurea caule nudo alia Cluſio 26.*

Iris maior latifol. 26. Cluſii, ſine dubio ex eius ſemine,quod cum aliarum Iridum ſeminibus & multarum radicibus,ante aliquot annos in Belgicam ad amicos Viennâ mittebam, prognata eſt elegans Iris, quam ex Anglia rediens florentem conſpiciebam Auguſto in horto Nobilis Viri Io. de Hobòke, archigrammatei Antuerpiani: per omnia reſpondebat 25. niſi quod folia circa radicem ſaturatiùs purpuraſcere mihi viſa ſunt:an porrò hyeme folia amittat,me fugit.

## IRIS HVMILIS LATIFOLIA COLORE violaceo, & ſaxatilis eadem, nec valdè ſimilis,Cluſio primum genus. Chamæiris niuea.





Deſcriptio

IRis hæc puſilla plantula eſt, *radice* craſſa,alba,rugoſa, acri: à qua *folia* exeunt aliquot, Iridis vulgaris foliis ſimilia; ſemunciam lata, duas tréſue vncias longa: *caules* breuiſſimi, quadrantales: *flos* violaceus & purpureus, vt in Iride vulgari,ſed per omnia minor, nec odore aliquo excellens.

Hanc ſic tradit Lobelius: Minima & rariſſima omnium Iridum: radicis plexu, ſubſtantia dẽſa & colore Illyricæ non abſimilis,caule verò nullo, præſertim natalitiis, folio latiuſculo rigido, mucronato, palmum alto,cuiuſmodi Gladioli: flore, ſemine, ſiliqua, Xyridis fœtidæ. Hæc mox quũ è terra aſſurgit humilis remanet, proindéque nonnullis Chamæiris nuncupanda videtur. Ex quo eam è Monſpelienſi agro in Belgium & Angliam tranſmiſi,frigido humentíque ſolo excepta non ſecus ac innumeræ calidarum regionum peregrinæ ſtirpes,ſoli & cæli temperie varias ſubit mutationes. Caulis illi quippe dodrantalis nonnuſquam pedalis,flores albidi aut lutei, aut violacei, alibi caule vidui, dilutè rubentes,violacei,ſtriati,ex luteo pallentes, obſeruantur. Cõmodam habet iconem Aduerſ.Iris paruæ, qualis ſponte prouenit. In Obſ. aliam ad cultam ſiue ſatinam. Vtraque eſt Icon.Pl.pag.64 cum his titulis 1. Perpuſillæ Iridis latifoliæ varietas. Cluſius pro modò dictis Iridibus Iconem aliam ponit,nempe eam quæ eſt Icon.Pl.p.65.ſub hoc titulo. Chamæiris niuea aut candida Lobel.33. Teut.91.De Chamæiride autem Latifolia,de qua hic agimus,ſcribit hæc Cluſius in poſt. hiſt. Iridis genus humilius in Luſitaniæ ſaxoſis & mari-

nâ aureâ afflatis locis ſupra Olyſſiponem obſeruabam,cuius folia eiuſdem ferè cum Luſitanicâ biflora erant latitudinis, ſed breuiora : radix illi ſimilis , geniculata & obliqua : Flos mihi non conſpectus,menſis enim erat Nouember,ſed ſiliquas ſiue capita acuminata, inania in humili & vix ſuprà terram aſſurgēte cauliculo reperiebam triangularia, magna, pro plantæ proportione. Similis verò plantæ ſemen ad Ill.V.Io.de Brancion miſſum eſt à Lobelio è Mompelio : ex quo natæ plantæ ſuperiori ferè ſimiles, quæ florem dederunt vel cæruleum dilutiorem & quaſi cæleſtem, ternis labris deorſum inflexis paullò ſaturatioribus, aut candicantem omninò, aut pallentē,cumque modò dilutioris & quaſi exalbidi, modò ſaturatioris & ad flauū proximi coloris,aut purpureum ſiue violaceum,& illum etiam differentem : nam vnius color planè nigræ violæ, alterius prona in terram terna folia, ab ipſa baſi & exortu,ipſaque fimbriâ flauâ, albas & ſatis latas venas ductas habebant,& variegatum Limacis dorſum ferè referebant: ſemen in triangulis magnis capitibus,Orobi magnitudine,pallidum, rugoſum,oualis formæ. Omnium verò flos inodorus Aprili plerumque aperitur cum ſequentibus.

Pro Iride ſua latifolia Cluſius ponit iconem Chamæridis niueæ aut candidæ Lob.Icon.Plant. pag.65.

C.Bauh. Phyt. Iris 21. Dodon.hiſt. Iris minor. Cluſ.Hiſp. Iris humilis latifolia flore purpuraceo ſiue violaceo. Item Pann.Chamæiris latifolia maior coloris ſaturatioris nigræ violæ. In hiſt.poſt. Chamæiris latifol. genus 1. Iris minor ὀκαυλος plærumque purpurea. Item apud Matth.Germ.Iris ſylu.humilior purpurea maior. An Tabern. Icon.Iris ſiluestris minor latifolia klein breytbletterich himmel ſchwertel, cuius figura non placet.

Locus. Plurima,authore Lobelio,oritur in agro Norbonenſi, locis aridis & ſaxoſis , ſecus ſpecum illam ſeſquimiliare Monſpelio diſſitam , via quâ Frontignanam itur,in cuius, & rupium commiſſuris frequens adoleſcit prope Ferulam.

Eſt mihi in horto E.C.Montbelgardi.

## IRIS HVMILIS LATIFOLIA MAIOR acaulis: Cluſio Chamæiridis latifoliæ genus alterum.



Deſcriptio. Chamæirides [ inquit Cluſius] prorſus ἄκαυλοι, ſiue excaules,nunc deſcribendæ reſtant, quarum videlicet flores nullo caule ſuſtinentur, ſed ſucculentis & infirmis duntaxat pediculis innituntur,vt Croci, Colchici, & ſimilium. Iſtarum etiam duæ differentiæ: Vna enim maioribus latioribuſque eſt foliis , Iridis maioris foliis latitudine vix cedentibus : Altera paullò minoribus & anguſtioribus , tametſi Anguſtifoliæ Iridis,quam deinde deſcribemus , foliis latiora ſint.

Harum igitur maior breuibus eſt *foliis*, interdum tamen etiam pedalibus, Iridis vulgaris modo latis, & ſecūdum radicem magna ex parte purpuraſcentibus ; inter quæ multi *flores* è vaginulis prodeunt ſingulari pediculo dodrantalique fulti, vulgari paullò minores, Luſitanicæ bifloræ æmuli, tum magnitudine, tum colore , qui ſaturatioris nigræ violæ eſt, præſertim tria folia terram ſpectantia, quæ villoſam fimbriam, vſque ad bifida illa , quæ ligulas regunt , folia , ex cæruleo purpuraſcentem habent , ſub ligulis verò , ſiue ſtaminibus , luteam : omnia autem florum folia, tam quæ ſurſum attolluntur, quàm quæ repanda terram ſpectant , inferiore & ſeſſili parte , albis quibuſdam radiis variata ſunt. Sunt autem eius *flores* , vel aliquantulùm odorati , vel inodori : triangula *capita* magna , mucronata , in quibus *ſemen* orobi magnitudine palleſcens, quod exſiccatum rugas contrahit & fulueſcit : *radix* nodoſa eſt, vt reliquarum Iridum, & adnatis ſe propagat. Illius ſemine natū eſt Boiſſoto Bruxellæ Chamæiridis latifoliæ maioris genus, matri per omnia ſimile, præter florem, qui non purpureus, ſed cæruleus elegans fuit.

Icon quam Cluſius exhibet pro Chamæiride latifolia maiore ea eſt Ic. Plant. pag. 65. ſub hoc titulo. Chamæiris latifolia flore rubello Lob. 53. Tent. 91. Non eſt acaulis quamuis talis in deſcriptione dicatur ipſa planta.

Lob. Obſ. Irides Auſtriacas humiles ſpecioſis rubris floribus & violaceis odoratis Clariſſ. viro D. Brancioni Viennâ miſit Cluſ. vnà cum Chamæiride purpureo odorato flore.

## IRIS HVMILIS LATIFOLIA MINOR, & eius varietates quinque.



Chamæiridi latifoliæ minori Cluſio teſte, breuiora anguſtioraque, paululùm ſunt *folia* , qualia Chamæiridis Latifoliæ Hiſpanicæ aut Gallicæ, de quibus initiò huius capitis: *flores* paulò minores: *capita* triangula & mucronata etiam minora: *ſemen* minus. In floribus ſumma varietas : licēt ferè omnes fimbriæ villos ſupra ſtamina cæruleos habeant , infrà verò vt in modò dicta luteos. Ex his verò paucas duntaxat adnotauimus , nam omnes,valdè difficile.

Vna ſaturatioris purpuræ colore nitentem habet florem,interdum etiam dilutiorem, illumque odoratum,hunc minimè : ternis foliis quæ attolluntur

luntur & inflexa quodammodò supernè ſe mutuò contingunt, in vtraque, modò orbiculatis, modò longioribus & bifidis.

Altera odorato eſt flore, cuius inferiora labra nonnihil purpuraſcunt, ſurrecta verò cærulei ſunt coloris.

Tertiæ flos quodammodò rubet, interdum dilutiore & ſuaui quadam rubedine velutíque carneo colore præditus eſt, præſertim foliis ſurſum erectis: villoſæ fimbriæ ſuperior pars albicat, inferior lutea eſt: eſt autem odoratus, aut inodorus. Horum omnium ſtamina cærulea.

In quarta floris color palleſcens, nonnunquã exalbidus: folia ſurſum ſpectantia ab ipſo ſtatim exortu in vtroque genere purpuraſcentibus quibuſdam lineis decorantur, deorſum verò inflexa, in palleſcente exalbida ſunt, in albicante autem viridi colore perfuſa: palleſcens item Oxyacanthæ vulg. floris odorem prorſus æmulatur: alterius etiam odorus.

Quinta ſolo floris colore à Quarta differt: is enim flaueſcit, & ſuperiora folia purpuraſcentibus virgulis ſiue radiis exornãtur, propendentia labra vel nigricante, vel dilutâ purpurâ in medio infecta ſunt: odoratus huius etiam eſt flos. Stamina porrò huius & quartæ alba ſunt. Omniũ verò foliola ſtamina & fimbriæ, magnam partẽ tegentia, bifida ſunt, bináſque pinnas ſurrectas, vt ea quæ in Iridibus bulboſis, habent. Purpureæ præterea, albę, & verſicoliors folia ſecundum radicem plerumque purpuraſcunt.

Naſcuntur omnes in nudis & apertis collibus Pannoniæ & Auſtriæ: Cæterùm tamen inſignem, inquit Cluſius, varietatem ex ſemine deciduo ſpontè gigni non eſt dubium. Nam verſicoloris ſemina à me in hortulo terræ commiſſa (illius enim ob floris elegantiam periculum facere volui) & pallidas, & albas, & verſicolores matri ſimiles protulerunt, & alias præterea ad eam quidem accedentes, ſed leuibus quibuſdam notis inter ſe diſcretas, quales verbis exprimere difficillimum, veréque de iis illud Poetæ dici poſſe exiſtimem:

*facies non omnibus vna,*
*Non diuerſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.*

Cluſ. pro Chamæiride latifolia minore, prima, excauli, iconem proponit cui caulis foliatus, quæ in Iconibus Plant. pag. 62. poſita eſt ſub inſcriptione Iridis violaceæ paruæ Lob. 33. T. 89. Eſt etiam cum caule apud Cluſium ic. cui ſuper ſcriptum, Chamæiris latifolia minor 4. quæ Icon. Plantini pag. 66. inſcripta, Chamæiris altera lutea T. 91.

*Iris humilis latifolia minor tenerrima, Cluſio Chamæiris latifolia minor ſexta.*

Chamæiridem latifoliam minorem ſextam infra Budam in Pannonia Mœſiæ finitima Decembri erutam, dum Conſtantinopoli Viennam rediret Ianuario ſequente mihi (inquit Cluſius) Stephanus von Hanſen dono dedit, quam propter teneritatem fictili credidit, & adeò diligenter fouit, vt Maii ſequentis initio florem dederit: à Latifoliis autem minoribus iam deſcriptis nec radice differt nec foliis, quæ circa radicem non purpuraſcunt: nec eius flos illarum floribus diſſimilis eſt, plurimùm enim ad Quintum genus accedit: labra tamen propendentia obſoletum colorem pallido permixtum habent, & ab eorum ima parte vſque ad extremam fimbriam quæ pallida eſt, purpureæ excurrunt venæ: pinnata terna folia quę alba ſtamina tegunt, ex pallido albeſcunt: ſurſum verò erecta pallida ſunt, circa imum tamen obſoletè purpuraſcentibus radiis aſperſa. Illo quidem anno ἄκαυλος fuit. Sequente tamen breuem admodum caulem, vix ternos digitos ſupra terram eminentem habuit, cui inſederunt bini flores. Eam cum reliquis ferè Iridum generibus, & ſelectiſſimis quibúſque aliis ſtirpibus penitus corrupit anni 1585. aſperrima hyems. Cæterùm apud Belgas multò plura Chamæiridis latifoliæ genera aluntur, ſemine nata, præſertim Bruxellis. Inter cæteros autem Ioh. Meitens, illius vrbis Medicus, diligenti culturâ ſummam in iſta ſtirpe varietatem adquiſiuiſſe perhibetur. Aliquot earum genera communicabat mihi 1590. anno N. V. Io. Boiſſot: ſed cùm quædam perierint, an cum ſuperiùs deſcriptis illarum aliquæ conueniant, nihil affirmare poſſum: duarum tamen quas conſeruaui, & quæ biennio pòſt florem dederunt: vt quarundam etiam aliarum, quæ in meo hortò ſpontè natæ, eodem anno floruerunt, hiſtoriam adiiciam.

IRIS HVMILIS LATIFOL. MINOR ELEgantiſſ. variè picta, Cluſio Chamæiris 7.



Chamæiris 7.

Chamæirin latifoliam minorẽ 7. Boiſſotus ad me mittebat, inquit Cluſius, elegantiſſimam: quæ *radice* quidem neque *foliis* à reliquis differens, neque etiam *floris* formâ: ſed color diuerſus, & adeò variè pictus, vt difficilè ſit, cum exactè verbis exprimere: &c. Flori ſuccedebat longiuſculum triangulare caput, quod pluuiæ corruperunt. Florem cum aliis Chamæiridibus Aprili dedit nulla odoris gratia commendabilem.

Deſcriptio

Cluſius iconem nouam proponit.

*Iris humilis latifolia minor flore vario eius foliis valdè incuruis: Cluſio Chamæiris 8.*

Chamæiris latifolia minor 8. authore Cluſio, aliquam affinitatem habere videtur cum ſeptima ſiue elegantiſſima ei ſpontè nata Fracofurti: *florem* cum aliis dedit Aprili. Nouem autem vt reliquæ folia habet, quorum tria deorſum inflexa & terram ſpectantia, longa, & præter reliquarum Iridum morem adeò incurua ſunt, vt extremo mucrone floris pediculum auerſa parte amplectantur: colorem verò habent infimâ parte flaueſcentem, deinde dilutè purpuraſcentem, ſaturatioribus tamen venis diſtinctum, ab infima baſi & villosâ fimbriâ candicante, flaueſcentibus apicibus donatâ, quàm integit bifidum foliolum exalbidi & palleſcentis ex dilutè cæruleo colo-

ris,quali etiam ſurrecta tria ſunt folia: odor ſerẽ florum Sambuci aut Thalictri.

*Iris humilis latifol. flore pallido, albicante & vario, an Cluſio Chamæiris latif. minor. 9.*

Locus. Eſt nobis Montbelgardi in horto Ill.E. C.Iris parua latifolia flore ex luteo pallido & albicante ac vario, quæ nobis miſſa Vezuntione à D.à *Belle fontaine*: Eam priùs videramus non longè à Marnant in Burgundia in horto Nobilis ab *Aiglepierre* anno 1588. florebat Aprili.

Tempus.

*Chamæiris latifol. Cluſio 9.*

Conſiderandum an hæc non tradatur per Cluſium in poſt.hiſt.pro Chamæiride latifolia minore nona, de qua ait: Quam à Iacobo Plateau accepiſſe ſcribebat Boiſſotus, radice, foliis, floris formâ, cæteris Chamæiridibus erat ſimilis. Eius tria folia terram ſpectantia ὠχρόλευκα erant coloris, ab imo ad extremam vſque fimbriam purpuraſcentibus radiis aſperſi: ſub fimbria verò, quâ folium ſeſe magis pandit, purpureâ maculâ erant notata, radiatim in latera ſe ſpargente, oræ autẽ erant exalbidæ: fimbria ab imo ad folii inflexionem flauis villis conſtabat, vbi verò purpuream maculam attingebat, albis: bifida folia eam tegentia alba erant, quemadmodum & terna folia ſeſe attollentia, ſed neruus medius in vtriſque ὠχρόλευκος, infima pars ſurrectorum foliorum obſoletæ purpuræ radiis diſtincta, ſuprema verò, internè paucis notis leuiter purpuraſcentibus infecta: expers autem licet odoris, coloris tamen gratiâ non carebat. Illi non diſſimilis ſponte nata Francofurti, quæ eodem anno flores dedit.

*Iris humilis latifol. minor flore vario violaceo, Cluſio Chamæiris 10.*

*Chamæiris latif. minor Cluſio 10.*

Deſcriptio.

Chamæiris latifolia minor 10. mihi, inquit Cluſius, Francofurti nata non inelegans, quæ ſemipedalem *cauliculum* proferebat, teretem, geniculatum, ſummo faſtigio geſtantem membranaceum folliculum purpuraſcentes oras habentem: è quo emergebant bini *flores* non magni: nouem etiam foliis conſtantes, quorum tria repanda baſi erant anguſtâ, foris purpuraſcente, internè autem candicante, & ſaturæ purpuræ venis diſtinctâ, vſque ad folii inflexionem: labra verò propẽdentia adeò ſaturi violacei coloris, vt quodam modo nigreſcere viderentur: *fimbria* villoſa flaueſcebat infimâ parte, reliquâ purpurea erat: terna eam integentia purpurei erant coloris, veluti & terna ſurrecta folia: nullâ autem odoris ſuauitate commendabilis.

*Iris humilis latifolia minor flore vario, foliis inflexis candicantibus, Cluſio Chamæiris latifolia minor 11.*

Cluſius ſcribit Francofurti ſibi natam Chamæiridem latifoliam minorem vndecimam non inelegantem, quæ à tuberoſa *radice* dodrantem aut pedem longa producebat *folia*, inſtar eorum quibus aliæ Chamæirides ſunt præditæ, lata videlicet & mucronata: inter quæ aſſurgebat *cauliculus* duas aut tres vncias longus, ſuſtinens ſummo faſtigio, veluti *folliculum* binis membranaceis foliis conſtantem: è quo prodibat *flos* nouem foliis præditus eiuſdem formæ cum aliarũ Chamæiridum flore, quorum terna verſus terram inflexa, latiora, candicantiſque coloris erant, ab infimâ ſede (quæ anguſtior) multis venis ex flauo purpuraſcentibus in latera expanſis diſtincta, vſque ad extimam fimbriam, ſiue ſupercilium, iiſque deinde à ſupercilio ad extremas oras: quæ albeſcebãt, craſſiorib⁹, & coloris purpurei nitidioris: terna verò ſurrecta, quæ inter illa naſcebantur, infimâ parte valdè erant anguſta, veniſq; quibuſdam furui & luridi coloris diſtincta, poſtea in latũ ſe pandebant, tenerrimaque erant, & exalbidi coloris: terna reliqua, quæ breuiora & in fornicem conuexa, biſulcáque erant, aliquantulùm reflexis ſurſum alis, ligulam palleſcentem tegebant, & fimbriæ ſiue ſupercilio trium propendentium & terram ſpectantium foliorum imminebant, coloriſque erant albi, cui ſubcæruleus color nonnihil admixtus, præſertim in ipſo gibbo: *odor* nullus aut ualdè exiguus.

---

## IRIS ANGVSTIFOLIA MINOR Cluſii quarta.

Eſt nobis Iris anguſtifolia ſicca ex plantis Valerandi Dourez, dodrantalis, ac etiam minor & maior: *radice* obliqua roroſa, ſub qua craſſæ fibræ albæ: veterum foliorum veſtigia multa, *folia* autem anguſta graminea in acumen deſinentia: *caulis* ipſis foliis breuior, in cuius ſuprema parte magna capita, ſeu *ſiliquæ*, quales in Xyride ſiue Spathula vulgari, ex tenui vagina prodeuntes:



Quarta Cluſii, nec foliorum, nec florum formâ nec capitibus, ſeminéue, aut caule, & radice differt à Tertiâ: humilior eſt duntaxat, eius etiam flores paulò minores, & anguſtiores, meâ quidem opinione, atque etiam dilutiores. Primæ tamen floribus ſaturatiores. Illi porrò Iridis marinæ minoris nomen eſt impoſitum, quoniam non niſi locis maritimis ſpontè proueniat.

De hac cenſemus ſcribere Lobel. & Pen. Adu. his verbis: Iris maritima Norbonenſis, an Medium Dioſcoridis? &c.

Hæc autem planta eadem videtur cum Xyride maritima Hiſt. Lugd. de qua hæc tradit: Inter permulta & varia purgamenta quæ in littora fluctus eiiciunt, planta hæc ſæpiùs reperitur, quam Xyrim marinam vocant Herbarii. Radice eſt longa, craſſa, geniculata, cortice rufo obducta, multùm fibrata: caule pedali, foliis vndique aggeſtis operto, longis, virgatis, in cacumine mucronatis. In caulis faſtigio tres quatuórue ſiliquę prominent, & ipſę ruteſcentes, anguloſę, ſeminibus farctæ velut compreſſu dilatatis, ruſa membrana contexis, perſpicua tamen vtrinque macula in medio nigra: cùm manduntur lignoſis & duris, guſtu ſubaſtringentibus.

Naſ-

Naſcitur hoc genus Cluſii quibuſdam Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis maritimis, veluti non procul Valentiâ, & monte Setio vnde in Belgium delatum, ſuâ varietate hortos iſtic exornat, non minùs quàm Auſtriacos, Cluſii operâ iſtac è Belgio accerſitum nam illo genere carebant Auſtriaci.

IRIS GRAMINEA CVI PEREVNT quotannis folia.



PVlchrum quoq; ſui ſpectaculum oculis offert in tanta Iridum varietate, & hęc puſilla, ex cuius *radice* inodora, tenuiore & graciliore quàm cæterarum Iridũ; nodoſa, nigro cortice tecta, obliqua, breui tempore magnum cæſpitẽ occupante, vt cum difficultate erui queat, *caules* palmares tenues ſurriguntur: *flos* amœnus è ſubiecto calyce ſex profundis ſulcis, totidémque acutis porcis exarato, emicat, foliis quidem ſenis aliarum more conſtans, ſed multùm diuerſis: primùm enim tria extima folia repanda, extremâ orâ albis violaceiſque ſtriis obliquis variata ſunt, inde contractius folium quaſi ex iſthmo eluctatum paullatim lateſcit purpuraſcens in lateribus, nullâ in medio hirſutâ fimbriâ, cuius locum ſupplet linea lata lutea ſtriis purpureis picta, cui extrinſecus reſpondens coſta ex luteo vireſcit: hiſce iucumbunt ſimiliter repanda tria illa bifida folia, quæ in medio quidem è viola purpuraſcunt, à lateribus autem è diluto rubore ferè cinerea ſunt, quibus auerſa parte apprimuntur ſtamina latiuſcula cultrata coloris ferruginei: hiſce alterno poſitu interiecta ſunt tria reliquis minora duplò folia, colore violaceo, neutiquam in ſummo, reliquarum more coëuntia, ſed apicibus conuolutis à ſe inuicem diſſita. Odor nobis gratus Prunorum, & Cluſio Armeniaci mali. Succedunt capita ſublonga & turgida, valdè eminentibus coſtis prædita: Hanc vocamus gramineam propter folia tenuia anguſta valdè, non rigida, virentia, longa, & quæ hyeme accreſcunt. Cluſius ait ſe huius Iridis duas differentias deprehendiſſe, vnam pedalem interdum adquirere caulem teretem, binóſque aut ternos in eo plerumque geſtare flores, Alterius caulem vix dodrantalem ſuperare altitudinem, & vnicum, magna ex parte florem proferre.

Eſt hæc Iris illa Illytica ab Hermolao viſa Paduæ in horto Fœlicis Sophiæ odore Pruni prę maturi.

Cord. Obſ. ſylu. Herba Irinis foliis Ollingero ex Italia pro Iride Illyrica miſſa. Iris ſilu. altera Matthioli eſt foliis Gladioli longioribus, radice tenui, lignoſa, geniculata, ſubrufa, inodoráque: caule breui, flore cæteris longè minore, odore Armeniaci Mali. Conſtat hic foliis nouem purpureis, quorum extima, ſuperiore rantùm parte aureis pinguntur lineis: ſunt qui hanc legitimam Illyricam putent, in quorum ſententiam etſi iampridem deuenerim, tamen rem longè aliter ſe habere poſtmodum comperi. Quandoquidem præferri Illyricam nouerim non quòd genere vel ſpecie à noſtrate differat, ſed quòd cœli, ſolíque illius conuenientia præſtantioribus polleat facultatibus, quod docuit ante Galenũ Theophr. l. 9. c. 7. Seritur iam Iris ſylu. altera dicta; & in hortis frequens eſt, tum ipſius floris amœnitate, tum coloris præſtantia, tum etiam quòd nouis delectentur homines. Syluestris vtrinque generis plurima oritur in Goritienſi agro Saluatino monte, & Iapidiæ collibus inter ſaxa, odore non ingrato, quamuis etiam ambas viderim in campeſtribus, non longè à Sontiis ripis. Iridem eſſe Illyricam Hermolaus Barbarus exiſtimauit: ſed ab Illyrica & legitima Iride eam differre, Antonius Muza in Examine ſimplicium, ſatis oſtendit. *Illirica differentia.*

Nos (inquit Dodon. h. fl.) Chamæiridem nuncupauimus, antiqua deſtitutam appellatione, niſi fortè Iris ſit Aſtragalites dicta, cui aliquatenus ſimilis eſt. Iris perpuſilla ſilu. anguſtifolia Lob. Obſ. quam iamdiu deſcripſerunt, & vocarunt Chamæiridem Herbarii noſtri, foliis gramineis, rigidis, ſpithameis & pedalibus, puſilli gladioli ſimilibus, floribus expaſſis, cæruleouiolaceis, aliquando purpureouiolaceis, nouem foliolis conflatis: caulis palmaris & dodrantalis: radix gracilis, minimo digito duplò minor, acris, guſtu Xyridis: in Germania & Belgio frequentior prouentus. Chamæiris autem inter Irides minima eſt, folia habet Gladiolo minora, anguſtiora, pinguiora: radices foris ruffæ, intus candidæ, duræ, guſtúque feruentes. Conſiderandum an ſit minima Iris & folia an ſint pinguiora quàm Gladioli, nobis non videtur. *Contra Hermol. Chamæiris* *Dod. not.*

Plant. Icon. pag. 69. Chamæiris anguſtifolia Lob. 34. Teut. 97.

Peregrina Iris Dod. non modò Belgio aut Germaniæ, ſed & Italiæ, vt fertur, eſt: non niſi in in hortis reperitur. Floret Maio menſe: folia hyeme pereunt: Vere erumpunt noua. Prouenit vtraque paſſim in pratis Viennæ Auſtriæ vicinis ad radices montium ſitis, præſertim quæ in altiorem caulem aſſurgit, pluréſq; flores profert, nec differre putat Cluſius (minorem ſaltem) ab ea quam Dodonæus Chamæiridem ſimpliciter, Lobelius autem Iridem perpuſillam ſilueſtrem anguſtifoliam, appellant, Belgicis hortis iamdudum familiarem. *Locus & tempus.*

Eſt nobis in horto Ill. E. C. Iris quædam parua cui folia hyeme accreſcunt. Geneuæ in hortis habent: folia producentem ibi vidimus Martio & florentem Maio: Geneua adferendam curauimus & plantandam in horto E. C. vbi nobis floruit etiã Autumno: Lugduni habebamus in horto, nec non alii: Placentiæ in Italia obſeruaui in hortis, & Baſileæ, audiui qui vocarent Graß-lilgen, Lilia graminea: quibuſdam Coſmoſandalum dicta fuit.

Facultate & viribus hæc Iris acris & impensè calida eſt, aliiſque Iridibus ſimilis.

IRIS TENVIFOLIA MAIOR FLORE cæruleo & ſtriato, Anguſt. 1.

PLurimùm differt huius *radix* ab aliarũ: Eſt enim & compluribus fibris albis, cum non- *Deſcriptio*

Deſcriptio





nulla acrimonia adſtringentibus conflata: *folia* autem cubitum aut ſeſquicubitũ longa, ſemũciam lata, quæ attritu oleraceum quid redolent, acuminata: *caulis* foliis longior, teres, in tres aut 4. ſurculos diuiditur, quorum ſingulis ſinguli inſidẽt *flores*, Chamęiridis herbacea magnitudine, ſed amœniore elegantia: quorum tria folia repanda per extremitatem violacea ſunt, inferiùs paullo albo violaceoque variegata, nullâ fimbria Zonuláue vicariâ donata, ſed pulcherrimis ſtriis lõgis obliquis, violaceis, albidis, ferrugineis picturata: hiſce tria bifida ſupra poſita purpurouiolacea, ligulas atropurpureas occultantia: reliqua tria violacea ſurriguntur.

Plant.Icon.p.69. Iris ſylueſtris Byzantina perramœna. Teut.97. Falluntur qui Irin 11. ſiue anguſtifoliam mediam, ſiue variam Irin anguſtifoliam Pannonicam Cluſii vario flore, Conſtantinopoli collectam putant, & ideò aut Illyricæ maioris, aut ſilu. Conſtantinopolitanæ cognomen illi in Belgica dederunt: cùm Cluſius non inde aduectam, ſed in vliginoſis pratis vrbi Viennenſi vicinis erutam, & ipſius ſemina in Belgicam miſerit.

Iris anguſtifolia altera quæ perelegans eſt nullibi Cluſio Hiſt.poſt. fuit conſpecta antè quàm in Auſtriã proficiſceretur: habetque cubitalia, interdũ etiã longiora, folia, admodũ anguſta, minimi digiti altitudinem nonl excedentia, viridia, nõ tamen ſplendentia, ſummâ parte mucronata, infimâ verò quâ ſub terra latent, purpuraſcentia, nullo ingrato odore, vt pleraque aliarum anguſtifoliarum, prædita: caules habet ſeſquicubitales, nonnunquam bicubitales aut ampliores, rectos, teretes, firmos, licet intus cauos, geniculatos, virides, ſummo faſtigio in binos, aut ternos ramulos diuiſos, quibus inſident bini aut terni flores, Iridis bulboſæ verſicoloris latifoliæ floribus formâ ſimiles, odorati: quorum terna folia deorſum inflexa, infimâ parte, & quatenus bifido alatoque folio ligulam occulente teguntur, furuo colore ſunt, reliquâ verò parte (quæ in nonnullis breuior & latior eſt, in aliis oblongior & anguſtior) nunc candicante, modò purpureo, ſeu violaceo colore, venis ſaturatiore purpurà, nitentibus per folii longitudinem excurrentibus, & fimbriâ ſiue ſupercilio carentes: tria ſurſum erecta anguſtiora ſunt, & cum bifidis illis exalbidas ligulas tegentibus, purpurei ſaturi ſiue violacei ſunt coloris: breues deinde ſuccedunt ſiliquæ, ſiue capita triangula, breuiora quàm in præcedente, neque adeò mucronata, neque geminâ coſtâ eminente prædita, quæ per maturitatem nigricantem colorem contrahunt, & dehiſcunt, ſemen inæquale, anguloſum, nonnihil compreſſum & durum continentia: radix nigra, tenuis, dura, nodoſa, inſtar ſuperioris, fibris duris & tenuibus prædita.

Cluſ.in Pann.& poſt.hiſt. præter modò dictam Iconem aliam habet, cui titulus Iris anguſtifoliæ 2. ſpecies altera, quæ non parum differre videtur, licèt in deſcriptione nulla fiat differentiæ mentio.

Iridis anguſtifoliæ ſilueſtris varietates, Belgarum ſedulitate in noſtris hortis (inquit Lobel. Obſ.) cultæ viſuntur, anguſtifolia & latiore folio ſeſquicubitali Irides: ſed vtrique flores terni & quaterni iuxta cauliculi cubitalis ramulos, cæteroquin cum ſuperiore haud abſimiles. Eas virentes primùm videndi copiam fecit in ſuo viridario peritiſſimus Allardus Ruerius D. Medicus Inſulanus: poſtea Ioh. Douue/ aliàs vogelſang: aliique non pauci. Quas Irides intelligat Lobelius certò affirmare non poſſum.

Primùm illam ſpontè prouenientem, non procul Vienna Auſtriæ in pratis ſupra Himbergam, Eberſtorf ad paludes, atque Auſtriæ pratenſibus locis (ait Cluſius) reperiebam. Mittebat poſtea ad me illam ſiccam, in Sudetum montibus erutam Ludo. Camerarius. Anno verò 1579. frequentiſſimam circa Sackturniam Ill. Comitis de Zrinio arcem, aliiſque pratis vliginoſis inter Muram & Drauum Hungariæ Ciſdanubianæ flumina, quemadmodum etiam in Comitatu Saladienſi inter Lindvva & Muſam fluuium obſeruabam. Floret & ſemen profert eodem quo ſuperior tempore. Iris hæc tenuifolia maior habetur in Horto Ill. E.C. miſſa Stutgardiâ.

## IRIS ANGVSTIFOLIA FLORE ALBO.



IRin candidis floribus anguſtifoliã, Lob. Adu. par.2. Iridi Cluſii vocatæ, ſiue Iridi anguſtifoliæ Cluſii ſecundæ ſimilem in penſilibus Adonidiſque hortis alebat Mediocaſtri Mattiacorum D. Cornelius Cooruc, ſeſquipedalibus aut pede longioribus *foliis*, paruum digitum latis, in ſeſquipedali aut bipedali *caule*,

*caule*: *floribus* albis aſpectu ſuauiſſimis donato, quorũ terna repãda folia latiora venis ſiue neruis ſuauè rubentib. iucundè inſignita ſunt, nec non oris perpolitè breuioribus lineis concoloribus ſtriata: aliis verò incumbentibus ternis, & totidẽ anguſtioribus ſurrectis foliis penitus candidis. *Radice* Iridis Cluſii vocatæ, ſiue anguſtifoliæ ſecundæ non abſimili, multis fibris donata. Francoualle, vulgò *Franckedal* à Nicolao *von Brabãt* in Belgium primùm miſſa.

## IRIS TENVIFOLIA FLORE VIOLACEO, an Cluſii tertia?

HAnc apud D.Platerum vidi, *folio* duriore, folidiore, rigidioréque, quàm Iridis gramineæ, colore glauco Iridis vulgatioris, longitudine cubitali. *Caulis* cubitalis, *flores* gerit intensè purpureos, paucos, foliis non ita vt vulgò videmus, reflexis, inſtar florum Iridis gramineæ: cui etiam ſimiles ſunt ſubſequentes *ſiliquæ* anguloſę. Nos Baſileâ Montbelgardum in hortum Ill.E.C. Wirtemb. tranſtulimus.

Conſiderandum an hæc ſit Iris anguſtifolia tertia Cluſii hiſt.poſt. de qua ſcribit: Ex radice nodoſa multa producit folia firma lõgiora quàm ſecunda, & prioris foliis magis anguſta, ſaturaque viriditate prædita, nõnihil etiam fœtida: inter quæ cubitalis aſſurgit caulis, firmus, aliquot flores proferens, Secundæ floribus longiores, & Primæ floribus pænè ſimiles, ſed longè ſaturatiore purpurâ & quaſi nigrâ præditos: quibus ſuccedunt capita primæ capitibus ſimilia, ſemine etiam ſimili plena: radix, vt dictum eſt, nodoſa, dura, foris nigra, minimi digiti craſſitudine, interna parte ex albo flaueſcens, antrorſum & in latera progrediens, aliarum anguſtifoliarum Iridum inſtar, & tandem veluti in orbem ſeſe ſpargens (quod omnibus Iridibus eſt commune:) multis fibris donata gracilibus, duris, ſiccis, lentis tamen, & fractu contumacibus, quarum anteriores & nouellæ craſſiores, molliores & candidæ. Cæterùm huic ſuæ Iridi tertiæ Cluſius Iridis marinæ maioris nomen indidit quoniam iiſdem in locis cum quarto proueniat.

An Dodon.Hiſt.& in fol.Iris quam minorem ſiue tenuifoliam appellant, aliis quidem ſimilis, ſed minor aut tenuior, quæ folia habet breuiora, anguſtiora, nigrioráque, aut cæſii quaſi coloris, quæ confricata, grauiuſculum reddunt odorem, Spatulæ fœtidæ propemodum perſimilem, ſed tamen minùs graueolentem: caules ſimiliter breuiores, ſæpè vix cubitales: in quibus flores bini, terniue, alterni, colore cæruleo ſaturato, ſubinde Violaceo purpureo, formâ aliarum Iridum propemodum ſimiles niſi quòd ipſius foliola ſingula anguſtiora ſint, & ſuperiora contrà in ſe mutuò nõ adeò recuruentur, ſed ferè erecta cõſiſtant: inferiora verò ac deorſum reflexa fimbriam non habeant; ſed ſolam lineam luteam: quã tamen parte calyci proxima, nonnihil hirſuta eſt: radices quoque obliquæ, nodoſæ, & ſibi inuicem implicitæ, & quandoque quàm aliarum denſiores, lõgas, multáſque fibras inferiùs demittentes, foris ruffæ, intus ſubcandidæ aut ſublutuæ, guſtu feruido, vti aliarum.

Naſcitur in Germania, teſte Valerio Cordo, & non procul. Floret eodem quo aliæ tempore. Videtur nonnullis Plinii Rhizotomos. Sed Rhizotomos Illyricæ eſt ſpecies & quidẽ præſtantior, Plinio auctore: hæc verò contrà aliis odore & potentia inferior, nec in Illyride ſed in Germania reperitur: proinde non Illyrica, aut Rhizotomos, ſed ſui generis Germanica & tenuifolia quædam Iris, quæ Spatulæ fœtidæ ſpecies haberi poſſet ſi ſemen quod in ſiliquis gignitur, non vti aliarum Iridum planum, ſed velut Spatulæ fœtidæ rotundum eſſet.

Cæterùm potentiâ huius radix vehementer calida feruénſque eſt, facultate & viribus aliis Iridibus non inferior: ad eadem, ad quę illę, eapropter, præſertim recens, vtilis.

Vt verùm fateamur Iridem Dodon. non poſſumus aſſerere eandem cum Cluſiana 3. quia ię. à Dodonęo propoſita pro Iride minore, à Cluſio ponitur pro Iridis anguſtifolię 2.ſpecie altera: præterea ignoramus an eadem ſit cum Cordi & Geſneri Iride tenuifolia. *Facultas.*

## IRIS TENVIFOLIA MICHELFELDENSIS ſpontanea: fortè Cluſii Anguſtifolia maior ſiue prima.



FRequens eſt in paluſtribꝰ Michelfeldenſis propè Baſileã ſpõtanea quædam Iris, *caule* duos cubitos ſuperante: *flore* magno ſatis, cæruleo, vel purpuraſcente. *Siliqua*, magna, longa, foliis cubitalibus, anguſtis, anguſtioribus inquam, quàm Gladioli. Hanc nobis Fr.Caſp. Bauhinus loco dicto collectã miſit. *Deſcriptio*

Conſiderandum an hæc ſit Iris tenuifolia Cordi H. pl. [quæ Geſn. annotante, non procul Tiguro naſcitur] tenuior ſatiuâ, ſilueſtri & Xyride, foliis dodrantalibus aut pedalibus, ſemunciã latitudine nunquam ſuperantibus, plurimis à denſo radicum cæſpite aſſurgentibus. Caules ſatiuæ Iridi ſimiles profert, multò tamen graciliores, in apricis pratis cubitales, in frutetoſo verò proceriores, flores foliorum numero poſitu & forma ſatiuæ ſimiles habet, niſi quòd minores magiſq; purpurei ſint, & flaua erucæ ſimili lanugine careant, cuius vices occupant: iuxta ſingula tria inferiora & inflexa folia, totidem liuentis in purpura coloris ſtamina. Radices ſubſunt multę, tranſuerſæ, graciles, in ſuperficie nigricantes, & propter vetuſtas foliorum reliquias villoſæ, intus candidę, ſibi ipſis implicitæ, à quibus prædictarum Iridum modo exeunt fibrę & Cirri: trita, recentis adhuc folia medium inter ſylueſtrem Iridem & gramen odorem ſpirant: Radices verò præſcriptarum more fauces exurunt. Naſcitur in apricis planiſque pratis, & frutetoſis ac humentibus campis &c.

Hęc puto (inqt Geſn. hort.) eſt quę in pratis humidis quibuſdã apud nos creſcit copioſè: & ſemina quoque profert, Illyricæ ſimilis, vt audio: com-

æiuni vrbana vndiquaque minor. Eadem in hortulo meo iam aliquot annos durat. Ab hac differre puto duas ſiluestres à Matthiolo exhibitas, in montibus & collibus ſaxoſis naſcentes.

Tragus, fortè hanc tradit his verbis; In quibuſdam humectis pratis & campis, quæ Rheno prope Vormatiam, & Oppenheimium oppida, adiacent, Gladioli cœrulei quoddam genus inueni, cuius flores aquei penè coloris, ſed cum cæruleo mixti videbantur eſſe, ternis verſus terram inflexis foliolis ſinguli præditi. Cæterùm quod ad reliqua attinet, hoc eſt, folia, caulem, & radicem: Iridi de qua ſequenti agemus capite, per omnia accedit hic Gladiolus, niſi quòd tota ſua ſubſtantia magis exiguus, & anguſtioribus foliis & acutioribus illâ eſſe deprehenditur. Semen fert in oblongis ac triangularibus ſiliquis, non aliter atque Gladiolus luteus. Inter omnes Gladiolos nullus ſanè extat, qui mihi quidem aptiùs ad Xiphion ſeu Gladiolum Dioſc. referri poſſe videatur, quàm hic ipſe Gladiolus cœruleus exiguus, quem Germani klein blaw Schwertel vocant.

Iris anguſtifolia maior Cluſii Hiſpan. Iris 10. Pann. Et Hiſt. poſt. Iris anguſtifolia prima & maior, quæ multa profert folia longa, rigida, anguſta, nigra, quæ compreſſa vel confracta, ingratum tetrumque odorem ſpirant, propemodum vt Spatulæ fœtidæ vulgò appellatæ folia, minùs tamen graueolentem: inter quæ caules teretes, oblongi & cubitales, interdum etiam longiores exurgunt, quaternos aut quinos flores ex vaginulis lateralibus promentes, Iridis bulboſæ verſicoloris floribus formâ non admodum diſſimiles, colore cæruleo ſaturatiore præditos, quibus ſuccedunt oblonga capita trigona ſubrufa, multò firmiora, magiſque cartilaginoſa, quàm latifoliarum Iridum, iis paria quæ in Tripolitana, angulis etiam eminentibus, & quodammodò geminis, quæ dehiſcentia, ſemen duplici ſerie digeſtum, aliquantulùm compreſſum & anguloſum, oſſeæque duritiei, ſubrufeſcente membranâ tectum oſtendunt: radices obliquæ, longæ, nodoſæ, graciliores quàm in latifolia, Tripolitanæ radicibus æquales, foris nigricantes, intus candicantes, aut palleſcentes, ſapore acri & feruido, multas longaſque fibras ſpargentes. Iſtius genus inuenitur, iam deſcripto per omnia ſimile, prætérquàm quòd in eius foliis confractis nullus grauis odor percipitur.

Locus. Primi generis primùm conſpiciebat in Belgicis hortis cultam, deinde anno 1563. plurimam ſponte naſcentem in ampliſſimo quodam prato, flumini Rheno vicino, viâ quæ Mogútiâ Oppenheimium ducit, obſeruabat: aliquot deinde poſt annos, herboſis quibuſdam locis iuxta vias, & ad quorundam pratorum margines non procul à Manderſtorf, quinto à Vienna Auſtriæ milliari, atque etiam apud Walterſtorf: poſtremùm anno 1597. in pratis quibuſdam Hungariæ apud Lindvva Ill. V. D. Banafy arcem.

Floret vtrumque genus Maio, interdum duntaxat Iunio, ſi aſperior hiems præceſſerit: ſemen maturum eſt Auguſto.

*Iris anguſtifolia flore violaceo, reflexis foliis lacteis, & purpureis venis variis. Cluſii 5.*

*Iris anguſt. 5.* Iris anguſtifolia quinta nec *foliorum* forma, nec *radicibus* multùm differt à maiore marina: niſi quòd folia habere non videatur tam atra viriditate prædita: *flores* etiam plurimùm differunt: nam tria ſurrecta folia purpurei ſunt coloris & violacei, tria verò reflexa, & terram ſpectantia paullò latiora ſunt, & multis lacteis purpureiſq; venis alternatim permixtis ab ipſo folii vngue exorientibus, atque ſecundum longitudinem & in latera ſe ſpargentibus, gratiſſimam varietatem efficiunt. Floret cum marinâ, ſeriùs primâ, Iunio videlicet menſe, ſemen maturitatem adquirit Septembris initio. Hanc ſponte naſcentem non vidit Cluſius, ſed in Belgicis duntaxat hortis cultam obſeruabat.

## IRIS TRIPOLITANA FOLIIS longiſſimis flore aureo.

PRoximis annis (inquit Cluſius) Tripoli adferebatur Iridis genus quod 1599. florem protulit Amſtelredamenſi Ciui, qui eius caulem cum flore & ſiliqua ad me mittebat Iunio menſe: ipſam etiam plantam biennio antè mihi communicauerat, quæ quidem etiamnum viget, ſed florem nondum tulit: Eſt verò hæc Iris Tripolitana è celſiorum aut altiùs aſſurgentium genere, *folia* habens reliquis quas cõſpexerim multò longiora, bicubitalia videlicet, mediæ inter latifoliam & anguſtifoliam latitudinis, vnciam videlicet lata, reliquarum Iridum foliis magis viridia, non tamen ſplendentia, vt Xyridis: *caulem* habebat inter folia prodeuntem, quinque pedes longum, vel etiam longiorem, rotundum, firmum, licèt non valdè craſſum, nodoſum, & aliquot breuioribus foliis præditum: in cuius ſummo bini & terni *flores* è vaginis prodeuntes, nouẽ foliis in ambitu quodammodò ſinuoſis, conſtantes, Iridis bulboſæ flauo flore floribus formâ non diſſimiles, aurei coloris, quorum tria maiora verſus terram valdè reflexa, & iis incumbentia tria alia minora alata ligulam flauam tegentia, tria reliqua è lateribus maiorum prodeuntia, aſſurgebant inſtar illorum quæ in Iridibus bulboſis conſpiciuntur, bifidumque mucronem habebant: floribus ſucceſſerunt trigona *capita*, in ſingulis lateribus geminâ coſtâ ſiue neruo ſecundum longitudinem eminente, non diſſimilia capitibus Iridis anguſtifoliæ maioris, ſimilibus etiam ſeminibus plena: radix digitalis craſſitudinis, nigricans, & nodoſa, inſtar radicis anguſtifoliarum.

## IRIS TVBEROSA BELGARVM.



Deſcr. EAndem, inquit Lobel. Obſ. quã noſtri hodiè Iridem bulboſam nuncupant & perperàm Matth. Hermodactylum verum facit, cum Aldroando peritiores Itali pleriq; Dioſc. priorem Lonchitidem ſanxerunt, quod nulla extaret planta propiùs Lonchitidem adumbrans.

brans. *Folia* illi Hyacinthi poëtici, porracea, ſtriata, rigida, quadrangula, in mucronem cuſpidatim faſtigiata. *Flos* quadantenus Iridis, cuius folia repanda, ſeu galericuli hiantibus comicis perſonis ſimiles, obſcurè virentes, fimbriis nigricantes. *Semen* inuolucris clauſum, ( Lanceæ ſimile, triangulum Dioſc.) anguloſum. *Radix* tuberoſa variè depacta: quæ in plures digitatim, flore marcido, propagatur: vnde Hermodactyli nominis occaſio. Quem ad viuum depingi Bononiæ curauit beneuolentia Cl. præceptoris Vlyſſis, ab hac noſtrate tantillùm variare videtur.

Plant. Icon. pag. 98. Iris tuberoſa Belgarum, Teut. 134.

Ad Irides pertinet ( inquit Dodon. in fol. ) & quam tuberoſam cognominari contingit: *folia* ſunt huic oblonga & anguſta, ferè Chamæiridis folia referentia: tenuis cauliculus: flos verò in cacumine erumpit forma Iridis, veruntamen & minor, & anguſtiorum foliorum, qui obſcurè viret, ac, quo Iridis floribus fimbria loco, nigricat: capitulum ſatis magnum perfecto ſemine dependet, in tres rimas fatiſcens: ſemen rotundum, Ochro minus, initiò inalbicat: non vnius formæ radix, ante florem duo aut tres veluti bulbi cohærent, hoc verò enato in plures ſinguli exuberant propagines, quarum nonnullæ digitum referunt. Peregrina ſtirps eſt, quæ ex Orientis partibus, & vicinis Conſtantinopoli regionibus, & in Italiam, & in Belgium illata fertur. Iridis ſylueſtris genus eſſe videtur: atque idcircò à forma radicum, Iris tuberoſa dici poteſt. Matthiolus Hermodactylon eſſe: alius Lonchitim priorem eſſe ſuſpicatur. Cum Hermodactylo, quo Officinæ vtuntur, à Serapione ſic appellato haudquaquam reſpondet. Si autem idcircò Hermodactylus, quòd radix digiti figuram quandoque referat, alium eſſe à Serapionis Hermodactylo oportet. Nam Colchicum Dioſcor. Serapioni eſt Hermodactylus: ab hac Iride autem differens eſt Colchicum. Lonchitim verò hanc eſſe priorem, non ita quoque conſtat: Si etenim ex eo Lonchitis nomen habet, quòd ſemen triquetrum lanceæ cuſpidi ſimile ſit, hæc Lonchitis eſſe nequit: cùm ſemen non ſit triangulare. De facultatibus autem huius Iridis nihil ſcribendum occurrit.

Hermodactylus Camer. apud Matth. ἑρμοδάκτυλος dicitur, Arabibus *Suringen*. Ital. *Hermodattilo*. Folia hic mittit prælonga, binûm dodrãtûm, ac etiam longiora, Porri aut Aſphodeli quadantenus ſimilia, longè tamen anguſtiora: breuiora verò ſunt, quæ circa radicem exeunt. Radices habet quatuor ex vna eademque baſi prodeuntes, digitorum figura, colore ſubrufeſcẽte, albis in ſummitate vnguibus: caulis è medio profilit tenuis, in cuius ſummitate oblongum prominet capitulum Pyri figura, Ephemeri Colchici modo.

Oritur in Orientalibus regionibus, & in Arabia.

## SPATVLA FOETIDA, PLERISQVE XYRIS.

### Cap. XVI.

NOlentibus volentibus ab Equo ad Aſinum, ab odore, inquam, grato, ad fœtidam, plæriſq; Xyrin vocatam deſcendentibus, hoc ſolatii occurrit, Deum & naturam nihil vnquam fruſtra feciſſe. Quemadmodum enim Aſinus ad iter perficiendum, quàmuis non tanto, tam celeri, ramque expedito curſu, vt Equus accommodet, attamen ad meliùs eſſe ſaltem neceſſarius eſt. Simili planè modo Spatula fœtida licèt non ita iucundè ad curſum mundi huius faciat perficiẽdum, ad mala tamen plurima præcauenda & corrigenda multùm præſtat.

*Radix* itaque incurua, Dodon. in nouellis plãtis, rotunda & veluti Bulbi aut Cepæ alicuius caput, ex qua fibræ dependent craſſiuſculę, veteribus & multorum annorũ plantis, multæ, longę, geniculatę, ſibi inuicem implicatę, magnum veluti cæſpitem cõſtituentes, deniquc vt forma, ita & acrimonia intenſa ad Iridẽ accedit: *folia* multa cubitalia & ſeſquicubitalia in cultratũ mucronem deſinunt, anguſtiora quàm vulgaris Iridis, atro virore ſplendentia, fœtidum Cymicum odorem attritu obolentia: inter hæc *caules* plures glabri, craſſitie mediocri per media folia rectì aſſurgũt, quorum ſinguli canaliculato calyci inſidentem ferunt *florem* Iridis, ſed minorem, nouem foliis conſtantem, quorum tribus repandis ex purpura obſoleta albicantibus, virgatis, nulla fimbria villoſa donatis, terna, modico interuallo impoſita, fuliginoſo colore, bifida, ligulas concolores occultantia: reliqua tria modicè erecta, ab exortu ad medium vſque circiter fuſca, deinde ex albido leuiter purpuraſcentia: Lobelio flores dicuntur Iridis ſilu. ternis foliolis ſurrectis nec reflexis, purpura ſaturatiore Violæ Martiæ, & in medio venis nulliòs luteis, & phœniceis: floribus ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ, ( vel vt ait Cordus ſilueſtris Iridis folliculis ſimiles vtriculi, ſed paullò maiores & triquetri,) quæ per maturitatem Pœoniæ inſtar dehiſcentes *ſemen* oſtẽtant rotundum, rubrum, minoris Piſi magnitudine, guſtu feruido: figuræ adpoſitæ, quas iam Deſcrip.





ſculptas emimus non placent : *radix* non benè picta; apud Fuchſium & Matth.quoq; non placet.

Hanc his verbis lib.4.cap.22. delineauit Dioſcorides : Xyris folia haber Iridis,& latiora , & in cacumine acuminata : quorum è medio caulis erumpit cubitalis , ſatis craſſus , in quo ſiliquæ ſunt triangulares , & ſuper ipſis flos purpureus, medio puniceo : ſemen in folliculis ſimile fabis, rotundum,rubens,& acre : radix crebris cincta geniculis,longa ac rufa.

*Xyris vera Cordo. Spatula fœtida. Floret contra opinionem quorundam. Gladioli ſpecies. Anguil. dubitat.*

Xyris apud Cordum,ſine dubio eſt illa Iridis ſpecies quæ ab Italis Spatula fœtida nominatur, quam al qui ſine flore eſſe male crediderunt.Producit vero Xyris ſiluestris Iridis ſpecies , folia caules, flores,& radices ſatiuæ æqualia & ſimilia,niſi aliquid impediret , nam flores magis ſaturatâ arrident purpurâ.

Xyris ea Gladioli ſpecies eſſe videtur Corn. quam officinæ ſparulam fœtidam appellant.

Si Spatulæ fœtidæ radix colore vti & flos reſponderent deſcriptioni Xyridis Dioſcoridis , Xyridem aſſereret Anguillara.

Sparulam foetidam vulgò dictam Cordus & alii Xyridem Dioſcoridis faciunt. Sed Dioſc.Xyridi caulem craſſum cubitalemque dedit,qui non eſt, inquit Geſner.in Spatula.

Lobelii & Penæ Adu.deſcribunt, & Xyridem adſtruunt,ac putant legendum apud Dioſc. μικρὰν pro μακρὰν, radicem paruam. Iis porrò teſtibus ſeueriores iſti notarum exactores , vt plurimùm indicant ſe nec multas plantas vernaculis natalibus eruiſſe , neque virium periculum multũ feciſſe. Dum enim neſcio quid coloris & magnitudinis deſiderant in radice & flore, nõ meminerũt vtrãuis harum , vt pleraſq; alias facilè nonnihil , non ita magna de cauſa,mutari. Etenim ſi Iridis radices & flores colore,magnirudine, denſitate , bonitate & odore adeò variãt , vt cũ Florentina ſi noſtrã cõponas longè aliã colore & odore putes, quid ni poſſit tantilla mutatio Xyridi contingere.

Lobel.Obſeru. & Ic. Plant.p.70. Xyris agria Theophr. Teut.98. Ξύρις ſiue ἶρις ἀγρία Theoph. Adit. χγκὸς, ſiue καλὸς appoſitè quidem ξύριδα ob folii ſimilitudinem, quaſi raſorium cultrum aut nouaculam dixere. Eſt enim illi folium,ancipiti nouaculæ ſimilius, acutiore acie , & tenuiore ridigioreque quàm Gladiolus aut Iris mucrone. Lat.plerumque Xyris,Iris ſilu.& Spatula fœtida, tum ob eandem folii figuram ( Spata enim gladium ſignificat ) tum quòd grauem exhalet odorem,vulgò nuncupata eſt. Germ.welſch ſchwertel & wantleuß kraut/ à cimicibus necandis.Belgic.wantluyßweyt, wildtliſch & ſtinckende liſch. Gall.*Spatule ou Glayeul puant*.Hiſp.*Ciris ſpadaual*.

**Locus & tempus.**

In Hetruria & aliis Italiæ locis ſpontè exit: apud Belgas [ autore Dod.] vix aliis locis, quàm in hortis reperitur : florem edit Iulio & Auguſto, ſemen Autumno maturatur. Spontè naſcens quibuſdam præſertim Gallo-prouinciæ & Angliæ, vbi quàm vberrima, prope vda prata & littoreos maris aggeres inſpicere licet Lobel. Flores apparent Iunio & Augusto in Anglia. Paſſim Monſpelii prouenit inter dumeta ſecus vias. Florentem vidi Maio, eadem mihi viſa in horto Cl. V. D. Fuſchii. Geneuæ habui etiam in horto ſemine turgentem Octobri. Patauii vidi in horto Ieſuitarum & D.Triueſani, & Paſqualigo. Venetiis in hort. Nob. Cornari. Veronæ in horto D.Alexandrini Serratii Medici & Nobilis , dicti Muſardo. Ferrariæ in horto Monaſterii S. Dominici à L'Angeli. Baſileæ in hortis D. Doctor. Fœlicis Plateri & Zvvingeri cum fructu menſe Iunio. Habeo in horto E.C. cuius Stugardiæ in horto Ill.Ducis collegi ſemina.

Ea vi & acrimonia prædita eſt radix , tametſi Corulam aut Cimices olear , vt contra capitis vulnera [Dioſc.quidem teſte] faciat & fracturas: educat aculeos & omne telum extrahat citra dolorem : admixta floris æris tertia parte, radicis Centaurii quinta , & melle,ſanet tumores & inflammationes cum aceto impoſita. Radix cum paſſo contuſa bibitur ad conuulſa, rupta, coxendicum dolores , vrinæ ſtillicidia , & alui profluuia. Semen ad ciendam vrinam efficaciſſimum eſt trium obolorum pondere in vino potum. Idem & lienem abſumit cum aceto potum. Lobel.Ad alui profluuia bibitur non ſecus ac Rhabarbarum & Aſarum : ventris fluores,materiam per vrinas deducendo & auertendo , ſupprimit : cæterùm opilionibus & ruſticorum plebi in præfectura Sõmerſeti Angliæ , huius radicis decoctum, aut etiam infuſum purgationes,Iridis modo, molitur. *In omni* alui profluuio nolimus experiri hanc feruidam radicem, fortè poſſet tolerari vſus in profluuio alui pituitoſo.

## IRIS PALVSTRIS LVTEA SIVE acorus adulterinus.

### CAP. XVII.



IN obliquũ & complicatas *radices* agit multùm fibratas , quæ propter foliorum veſtigia & venenoſas reliquias foris villoſæ nigręque ſunt , intus verò rubentes , ſubſtantia poroſæ, & ceu filis quibuſdã venoſæ , ſapore adſtringentes ſtrenuè: nouis , quotannis oculis, inſtar Typhæ aquaticæ gemmæ : *Folia* Gladioli, vel Iridis potiùs, longa, mucronata, quorum ea quæ propè radicem ſita ſunt ſubrufa nonnunquam apparent : *caulis* duos cubitos æquat , & interdum ſuperat,rectus,læuis,teres , ſpongioſus & interdum aliquouſque inanis , in alas diuiſus: *flores* Iridum formâ ferè, lutei,inodori : quorum tria folia reliquis ſex maiora , extrorſum repanda,lutea , fimbriæ ſupercilium imitantis loco , & vtrinque adiacentibus folii marginibus lineis nigris variegata : hęcce intercedunt terna,alterno poſitu,ſurrecta , valdè anguſta & breuia,tota lutea : ſicut & intima quæ criſta bifida reliquaque forma cum iride violacea vulgari conueniunt,ſolo colore illo luteo quo fulgent excepto, quibus à dorſo appreſſa ſemina,ex luteolo rubedine quadam prædita : ſapore eſt flos totus feruidiſſimo,

din. ...uno, non quidem primo occurſu, verùm paulò pòſt fauces omni Pipere ardentiùs vrit: *ſiliqua longæ*, vt in Spatula, *ſemen* continent ruffum, compreſſum Lupini inſtar. Odorem tota herba non ſpirat. Tragus ſemen tribuit luteum latum quod formâ viciam compreſſam referat, ſaporis ingrati planè.

Perſuaſum eſt omnibus Acorum eſſe quæ Cordo Gelbſchwertel, ſed à veritate diſtat hæc opinio. Hermolao Barbaro, Acorus falsò vocatur Iris lutea ſiue Pſeudoacorus. Noſtri Seplaſiati (inquit Tragus cum Brunfel. & Manardo) & Magiſtri illorum contendunt Gladiolum luteum, Acorum eſſe à Dioſcor. lib. 1. cap. 2. deſcriptum, ſed non conueniunt: Germ. Gål waſſer gilgen / Lilium aquaticum luteum, & Drackenwurtz & Gålſchwertel / hoc eſt, luteum Gladiolum vocant, dicimus inſuper in cap. 22. lib. 4. apud Dioſcor. collocandum quo loco ξυρὶς quam nónulli ἶριν ἀγρίαν, Irin ſylueſtrem, Cacos, & Gladiolum vocant, deſcripta eſt. Qui Syluio frequens oſtenditur, paluſtris Acorus eſt, inſipidus, inodorus, non vtendus niſi Medicus imperauerit.

Apollin. qui vocat Gelbilien, malè cum Hier. Brunſch. Acorum putat, & deteriùs vires confundit vtrarumque plantarum, quæ multùm inter ſe diſcrepant. Figura quam habet eſt apud Tragum pro ξυρὶς ſeu Gladiolo cæruleo minore.

Fuchſ. Icon. pag. 6. Gladiolus luteus, vel Acorus vulgaris, Geelſchwertel. Gladiolum luteum ſeu Irim luteam Officinæ perperàm Acorō appellant: & maiore cum errore radicibus eius pro legitimo Acoro vtuntur: Plerique hac occaſione Pſeudo-Acorum nominant: Dodon. Iridem luteam ſylu. aut potiùs Pſeudo-Iridem nuncupare mauult, Iridi pro Acoro ſimiliorem.

Geſner. hort. Acorus falſa, id eſt, Lilium aquaticum flore luteo.

Lobel. & Pen. Adu. Obſ. & Icon. Pl. Acorus noſtras paluſtris, id eſt Lilium aquaticum luteum Matthiol. 22. Butomon Theoph. Valerando Pſeudoiris & Iris lutea Dod.

Cluſ. poſt. h. Iris paluſtris nonnullis, peritiores veriùs Butomon appellant.

Tab. Ic. & h. Iris paluſtris lutea, Geelwaſſerſchwertel.

Iris paluſtris lutea, Pſeudo-Acorus, ſiue Acorus adulterinus, Geel Gilgen / geelſchwertel / geelwaſſerlilgen / geelwaſſerſchwertel / Drackenwurtzel / Belg. Geelliſch & Boex boonen. Gall. *Glayeul & Flambe baſtarde*, Angl. Gladdon or falſe Acorus.

Naſcitur vbique in paluſtribus aut his coniūctis ac vicinis locis cuiuſmodi ſunt rigua prata & fluuiorum margines: Pſeudoacorus paſſim locis paludoſis circa Montbelgardum, prouenit copioſè etiam in hortis quod maturum obſeruaui Septembri. Monſpelii vbi abundat circa aquas floret Martio & Aprili. Bononiæ ad montes Apenninos florentem vidi Aprili, vt etiam in horto S. Saluatoris. Baſileæ & Lugduni Maio, ſicuti & Geneuæ vbi abundat circa *Arue*. Tiguri aliquando deguſtaui flores, qui mihi tantum ardorem & feruorem excitarunt in faucibus vt ſummam acrimoniam vix potuerim mitigare Oxycrato: radix autem inſigniter aſtringit.

Radix lutei Gladioli, autore Trago, vino decocta & pota, continuas alui fluxiones ſiſtit, dolores veſicæ & coxendicis mitigat, & ad omnis generis ſanguinis profluuia facit. Acorus Offici. rarò intra corpus aſſumitur. Sunt qui è floribus eius aquam deſtillent, ad inflammationem oculorum. Alii Eclegma è radicibus aduerſus calculum conficiunt. *Nulli* ſuaſerim cum Trago vſum tam acris floris ad inflammationem oculorum, nec tam adſtringentis radicis ad calculum, non benè etiam percipimus quomodo dolores veſicę & coxendicis mitigare poſſit. Abſurdum videtur quod Tuſſ. Duckerus ait radicem Acori vulgaris cum caliditate aliquid adſtrictionis habere, ſiquidem inſignem habet. An verò habeat caliditatem nobis nondum conſtat. Inueteratus eſt [inquit Turn.] error Medicorum & Pharmacopœorum, herbam ſumentium pro vero Acoro formâ quidem ſimilem, ſed plurimùm viribus differentem. Acorus càlidus eſt in tertio. Gladiolus paluſtris (quem pro Acoro ſubſtituūt) frigidus eſt, mirúmque in modum obſtipans & adſtringens. Guſtus abundè monſtrat eius radicem immenſam adſtringendi facultatem obtinere: hinc eſt quod diuerſam planè à Veri Acori radice vim ſortita ſit: nam vt hæc tenuium eſt partium & facultate calida, atque adeò detergit, extenuat, atque diſcutit; ita illa conſiſtentia craſſarum partium, & facultate frigida conſtringit, dēſat, cogit & cōtrahit. Quare vrinam non cit, vt verum Acorum, nec menſes euocat, ſed potiùs ſupprimit: ſanguinem etiam vndecunque manātem cohibet: proinde rectè Pandect. author ſcribit, eum qui ſecum Acori radicem geſtet, à nullo ſanguinis profluuio corripi: & ex Recentioribus aliqui hanc facultatem Acori noſtri obſeruarunt: atque hinc adeò tradunt eius ſuccum igne expreſſum, menſes nimiùm promanantes conſtringere poſſe, id quod certè de Acoro vero affirmare vaniſſimum erit.

*Tragus not.*

*Non eſt Acorus Turn.*

Notatu digna hiſtoria occurrit apud Cluſium, de Medico Viennenſi magnæ autoritatis viro: Cluſii verba hæc ſunt: Viennæ magnæ autoritatis Medicus magnoperè ſe mirari ſcribebat, me in Acori hiſtoria non adſcripſiſſe eius radicis vſum, ſterilitatem mulieribus inducere: ego reſpondebam me magis adhuc mirari quod hæc ſcriberet, quum non ignoraret, neminem à Veteribus hoc Acoro tribuere. Sed bonus vir adhuc in vulgari multorum opinione verſabatur, qui exiſtimabat Butomon, cuius radice nonnulli magno errore pro Acoro vtuntur, legitimum Acorum eſſe, quum tamen prorſus diſſimiles ſint vtriuſque facultates. Ex hac Hiſt. Cluſii patet quanta in hæreſi verſentur omnes Iuniores Medici (vt quondam Nic. Lonicerus ad Hieron. Monochium ſcitè verèque ſcripſit) qui herbarū & aliorum ſimplicium medicamentorum indagationem, non ad medicos, ſed ad pharmacopolas pertinere opinantur, fata interim hominū non ſuâ ſed aliena fiducia gubernantes. Nos interim non exiſtimamus Pſeudoacori radicem ſterilitatem mulieribus inducere, quinimò vtilem putamus ad promouendam conceptionem mulieribus nimiùm humidis ac gonorrhœa laborantibus. Radices [inquiunt Aduerſ.] vt Doctus Belga ait, tantoperè adſtringunt, & planè Iridis facultatibus aduerſantur, vt neutiquam futilis autor literis mandarit, haſce vel duntaxat appenſas appreſſaſque corpori quemlibet ſanguinis fluxum ſiſtere.

*Butomon.*

* * *

## ACORVS VETERIBVS. CAP. XVIII.

APud Theoph.nihil obſeruauimus, quod Acoro Dioſcoridis reſpondeat, legitur quidem vox Acori hiſtoria ſua lib.1.cap.22.vbi Gaza vertit Veneria,non bene noſtro iudicio.

Acorum depinxit Plin.lib.25.c.13.dicens: Acoros Iridis folia habet, anguſtiora tantùm & longiore pediculo, radices nigras minuſque venoſas,cæterò & has ſimiles Iridis,guſtu acres, odore non ingratas,ructu (ruptu Vet.erutu) faciles. Optimæ Ponticæ,dein Galaticæ, mox Creticæ, Sed primæ in Colchide iuxta Phaſin amnem, & vbicunque aquoſis. Recentibus virus maius [magis.M.fortaſſis, vires magis] quàm vetuſtis. Creticę candidiores Ponticis.Siccantur tribus in vmbra digitalibus fruſtis. Nec non inueniuntur, qui Oxymyrſinæ, radicem Acoron vocant: ideoque quidam hanc Acorum agrium vocare malunt.

*Acoros. Iris.*

Acorum folia Iridi ſimilia habet [inquit Dioſcor.lib.1.cap.2.] ſed anguſtiora, & radices non diſſimiles ſed perplexas, & non in directum productas, ſed obliquas vt plurimùm, & ſuperficie geniculis diſtinctas, ſubalbas (ὑπόλευκοι, id eſt, interprete Ruellio, albicantes: poteſt tamen vocabulum, vt quidam volunt,ſignificare,nonnihil intus vel ſubtus albicantes, Turn.) guſtu acres, & odoris non iniucundi. Præſtat autē Acorum denſum & album. incorroſum, plenum & odoratum. Hoc autem

Delectus

eſt quod in Colchide (κολχίδι) & Galatia Aſpletion appellatur.

Flores addit Serapio,& dicit eſſe Croceos.

*Aſpletion. Chorus Aphrodyſius Venerea. Piper aqueum.*

Cæterùm in Dioſc.ſuppoſ.[Cornario teſte] dicitur, Aliis etiam Chorus,aut Aphrodiſius: Romanis Venerea,nonnullis Radix nautica, Gallis Piper aqueum.

Vires Acori ex Veteribus quod attinet, tradentur ex poſt Calamum Aromaticum vulgarem.

Neceſſarium ſanè non ſanè non ſolùm,aſt etiā ſcitu iucundum Æquiuocum Acori & ſubſtitutum.Nam Calamus aromaticus Officinarum plurimis eſt Acorum, quamuis Garcias & Acoſta Calamum aromaticum verum ſiue Indicum non fuiſſe malè cenſeant. Habetur & Acori nomine Galanga maior & minor, & Acorus Qualcebeni in Epiſt.ad Matth.Camer.apud Matth.Germanic.loco Acori habet Acori vulgaris particularem ſpeciem,in Thuringia: Lobel.autem Obſ. Iridem luteam in Bohemia. Gladiolum cæruleum ſiue Pſeudoacorum Tragus. Perperam quoque olim Pſeudoiride lutea vſi ſunt pro acoro. Hæc à nobis traditur ſub Iride paluſtri lutea, ſeu Pſeudo-acoro. Ἄκορον Theophraſti, Veneria,& *Herba di venere* Anguill.Vbi Acorus apud Theoph.l.1.c.22.legendum ἄχαρνα vel ἄκορνα,quod non animaduertit Anguill. nec Scaliger apud Theophr.obſeruauit, nec Lobel.& Pena,nec Robert. Conſtant. Acorum ſyluaticum dicitur de Achillea. Millefoliæ ſtriatioti attribuunt nomen Acori ſyluatici.Acorus ſyluaticus Græcis Myriophyllon Apuleo: de quo ſub Millefolio aquatico Matth. Non deſunt, qui Acorum (inquit Ruell.p.283.) Oxymyrſinæ radicem vocent,

*Achillea Millefolia ſtratiotes. Millefoliū aquaticum Matth.*

*Anagallis.*

hanc verò Acorum ſilueſtre. Alii verò Acori ſylueſtris nomen Anagallidi communicarunt. Acoro deficiēte,radix Azari ſubſtituitur:Gal. Fuchſ. Borgar. quod non placet propter vim purgantem per inferiora & ſuperiora, quæ non tribuitur Acoro. Acori defectu ad flatus & hepar & lienem iuuandum, Cumini par pondus, & tertiā partem Ariſtolochiæ ſubſtituūt Auicenna, Syluius & Placotomus, Borgar. Fayardus in Gal. de ſimpl.lib.6.c.12. Pro Acoro, Radix Acanthi. Tract. quid pro quo ex Galeno.

## CALAMVS AROMATICVS vulgaris multis Acorum.

QVam nota Seplaſiis *radix*, & antiquum nomen,tam ignota multis ſæculis extitit plāta totius facies.

Ea igitur radix, quæ olim ſola erat in Officinis admodum vulgaris, habebat figuram plantæ ſub terra repentis, quæ nonnunquam excedebat longitudine palmum,quæ tamen compreſſior erat, quàm rotundior, geniculata (attamen non craſſa vt in Iride) intus alba, odore grato prædita, ſatis amara & acris. Multæ *foliorum* partes ſiccæ, mutilæque reperiebantur, adhærentes, Iridis arundinacea folia quadantenus præ ſe ferentia: ex hortenſi autem plantam ſic deſcribemus.

Deſ



Radix longa, multis geniculis inęqualis,ſummâ terrâ obliqua ſeu tranſuerſa hærens: externa parte candicans, quum ſub terra latet: ſupra terram extans, vireſcens: interna parte candidiſſima, firma, atque amara, innumeris infernâ parte adnatis fibris craſſis & albicantibus,etiam odoratis donata: ſerpit autem & ſumma tellure ſeſe diffundit,è lateribus,& ſingulis ferè articulis ſeu geniculis propagines alternatim in obliquum ſpargens,vt breui tempore magnum ſpatium occupent: *folia* ſurgunt cubitalia & ſeſquicubitalia aliquatenus Spatulæ fœtidæ, anguſtiora,colore herbaceo,margine ſubinde rubente,& propter terram penitus rubentia,mediâ coſtâ clariore, (Cluſio Iridis tenuifoliæ maioris ferè,ſed multò longiora, ſapore ſubamaro acri & aromatico, tritaque iucundo & aromatico ſpirant odore, quem etiam reſiccata & exſucca, vel poſt multòs annos, inquit Cluſius, retinent, ſub hiemis initium marceſcunt & ſiccantur, ineunte autem Vere noua germinant,vt in Iride anguſtifolia: pro *flore* iulum ſeu nucamentum profert rigidum & obliquè ſurrectum,teres,ſenſim in acumen deſinens, ſquammulis imbricatis virentibus compactile, apicibus exertis multis, luteis,prodiens è ſinu medii folii ſtatim à radice cum aliis exorti, vt reliquis anguſtioris breuioriſque, ita & craſſioris: Iulus vnicus[aliquādo teſte Cluſio,) ſed rariſſimè geminus: floſculis,dum ſe explicat pallidis, muſcoſis, inodoris, qua-

quatuor foliolis conſtantibus, plenus: is paulatim deinde incrementum ſumit, donec humani ferè digiti longitudinem, craſſitudinémque adquirat frequentibus tuberculis viridibus tam eleganti ſerie diſpoſitus, vt recentem Pinaſtri conum æmulari videatur.

Legit & in Mæotide odoratum naſci Calamũ Hermolaus, radice ſubalbidâ, & ſine fiſtulis: plena intus & amara, ſpecie Acori: de quo & falſi quidam ſunt, Acorum eam putantes. Quantò autem amarior, inquit, tantò & calidior eſt Indico. Vtrumque tamen genus Acorum odore ſuperat. Teredinibus vt Acorum inceſſitur: omninóque vicarium pro Acoro eſt, ab Ionia, & Ponto, & Herculis Columnis, prorſuſque apud omnes, qui mediterranea colunt Aphricæ, vt ſi eadem non ſunt planè, maxima tamen germanitate viſantur, vt autores plerique tradunt. Sed fallitur Hermol. dum noſtrum Calamum aromaticum vulgarem Dioſc. putat.

Fallitur & Marcell. qui odoratum calamum, ſuâ ætate adeò notum eſſe ſcribit, vt non ſit lõgiùs de eo agendum. Apparet ergo Marcello non fuiſſe notum verum calamum, qui non erat tunc vulgaris, nec etiam nunc.

Hinc veriùs ait Syluius: Qui in Officinis calamus eſt, non Calamus, ſed radix eſt, neque ea Calami, ſed plantæ alterius: neque ex India videtur afferri, quia vili venditur, & ſæpè recens multùm cernitur, ſubalbus, non puluerulentus inter frangendum, ac viribus pollere iudicant odor & ſapor aromaticus. Acorus: quibuſdam Calamus aromaticus: ignotus quibus adhuc eſt verus Acorus, eius loco vtuntur interdum Calamo odorato. Verus Acorus multorum iudicio nihil aliud eſt quàm radix quæ hodie in omnibus totius Europæ pharmacopoliis, Calamus aromaticus appellatur.

Illi autem ſententiæ ſubſcribit Cordus in Dioſcor. Vulgò, inquit, in omnibus Pharmacopoliis Calamus aromaticus eſt, ſed nihil habet cum vero Calamo ſimilitudinis, eam opinionem etiam ante nos oppugnarunt Manardus & parens Eur. Cordus: Vocatur in pharmac. abſolutè Calamus, aut cognomento aromaticus, neque geniculatas harundinis modo ex interuallo radices aut culmos, habet, neque iubatam in ſummitate panniculam, ſed magnum florem Iridi æqualem, colore luteum, caulémque & radices ſolidas: in ſũma Iridi cognata eſt plãta, nihilq; aliud quàm verus Acorus. Nihil mouet nos Hermolai Barbari authoritas, ſcribentis ſe legiſſe in Mæotide etiam odoratum naſci Calamum radice ſubalbida &c. Calamus quem Barbarus deſcribit idem cum vocato vulgo Calamo aromatico exiſtit, idcóque non meritò eos reprehendit qui Acorum eſſe putant. *Hæc Cordus*, quem miramur Calamo vulgari aromatico tribuere florem Iridi æqualem, luteum, quum nullum tamen florem ferat, ſed veluti Iulum Iulo Coryli ſimilem.

Brunſ. germ. Tragus & Manardus Acorum eã eſſe radicem ſentiunt, quæ Germ. Calmus / Lat. & Officinis Calamus aromaticus dicta fuerit, ſed perperàm.

Calamus Aromaticus ſeu odoratus verus (air Fuchſ.) in officinis noſtris non habetur. Nam qui hoc nomine venditur Calamus non eſt ſed radix. Neque habet eas notas quæ illi à Dioſcor. tribuuntur. Siquidem Arundini ſimilis non eſt, nec odore fragrantiſſimo præditus eſt: fiſtulis denique totus plenus nequaquam eſt, nec ex India affertur. Qui igitur in officinis proſtat, radix eſt, non quidem veri odorati Calami, ſiquidẽ vili pretio venditur, & ſæpè admodum recens cernitur, ſed eius qui in Mæotide naſcitur. Porrò cùm hæc radix in commanducando glutinoſa ſit, linguam adſtringens, amara & ſubacris, eíque propemodum omnes veri Calami Indici notæ quadrent, profectò tutò, & citra vllius reprehenſionem pro vero Seplaſiæ in eius penuria vti poſſunt. Argumentum Fuchſii ab odore non placet, quia non videtur nobis deeſſe in vulgari Calamo odorato, in eo præterea adſtrictionem non animaduertimus qualem Fuchſius aſſerit.

*Subſtitutũ veri Calami.* *Fuchſ. not.*

Cornar. hæc de Calamo ait. Calamus aromaticus ſiue odoratus officinarum genuinus eſt & non Acorum Dioſc. vt quidam aſſerit, qui etiam hodie in officinis nomen retinet, & verus habetur, & noſtri, ſicut eſt, wolrüchende Calmus wurtzel vocant. Quare non audiantur qui Calamum odoratum ſe nunquam vidiſſe aſſerunt, & non calamum, ſed radicem, eámque magis albicantem quàm fuluam, ſiue ruffam, velut ipſi κιῤῥὸν vocem interpretantur, pro Calamo vulgò vendi aſſerunt. Nam radicis Calami vſus eſt, nõ ipſius calami. Verùm deſcriptio Calami odorati, qua ab aliis calamorum generibus diſtinguitur, partim ad Calamum, id eſt, harundinem ipsã pertinet, partim ad ipſius radicem. Quod enim dicit optimum eſſe qui fuluus eſt ad radicem referendum eſt: quod frequentibus geniculis prædiium ait, & aſſulosè in multa ſegmenta diffringi & fiſtulã araneis plenam habere, [ad Calamũ:] quemadmodum etiam in noſtris Calamorum generibus videmus: hodie ſubalbidus maximè probatur, quum aliàs ferè ad fuluum colorem declinet. Nos Cornarii diſtinctionem non probamus: Dioſcoridem omnia de Calamo dicere, non de radice exiſtimamus. Veriſimile Cornarium nunquam vidiſſe verum Calamum aromaticum, nec etiam Calami aromatici vulgaris plantam integram, in qua nullus Calamus: Calamum verum habemus qui ſimilitudinem habet cum arundine.

*Cornar. labitur.*

Non tamen probamus figmentum Matthioli in Calamo aromatico. Radiculæ enim (vt cum Theophraſt. loquar) quas Thracia fert, videlicet quæ odoris Nardo ſimilis ſunt (*χαδάφ τότε τῇ Νάρδῳ προσεμφερῆ τὴν ὀσμὴν ἔχον*) & aliæ quædam, quæ paruam exilémque odoris gratiam habent: videntur eſſe radices illæ, aut eiuſmodi quas *Air* vocant Incolæ: nos falsò Calamum aromaticũ. Naſcuntur enim in Thracia & Ponto. Calamus autem trans Libanum. Qui non ampliùs conuehitur ad nos.

*Matth not. Radicula Thracia Theoph.* *Air. Calamus Aromat. falsò.*

Bachanell. de conſenſ. med. dicit Verum Calamum non haberi, & pro eo accipi radicem Acori.

Acorum Dioſcor. facit Lonic. officinarum Calamum, próque Acoro in El. Diacori ſumit, quoniam ſanè reſpondeat deſcriptio Acori Dioſcoridis. Sed Lonicerus non contentus figura vna, iterum aliam ponit, quæ olim poſita fuerat à Matthiolo pro Acoro, & vocat Acorum Apothecariorum quaſi differrent.

*Acorus non Calamus.* *Lonicerus not.*

Helfricus: Acorus, Calamus Acori, Calamus, ἄκορον, μυρεψικὸς κάλαμος, Galanga. Si Galanga eadem cum Acoro cur ſeparat Helfricus.

*Helfrici error.*

Falluntur Monachi ſuſpicantes Calamum Aromaticum vulgarem eſſe radicem veri Calami: Calamus aromaticus officinarum [aiunt hi] non eſt calamus, ſed ſi quis dixerit quod hæc radix quæ recipitur in Officinis pro Calamo eſt radix ipſius Calami: hoc fortaſſis poterit eſſe. Ve-

*Monach. error.* *Calamus vulg fortè. Calami veri radix.*

rumtamen cùm petitur Calamus non eſt accipienda radix, niſi vrgente neceſſitate in ipſius Calami penuria.

*Non verus Calamus.*

Calamum Aromaticum qui in Officinis pro Calamo venditur non eſſe Calamum odoratum Dioſc.ſuſpicantur Manardus lib.6.epiſt.Fuchſius in paradoxis: & Hermolaus,qui hunc Acori vicarium fecit.

*Acorus.*

Equidem non video [ inquit Aloiſ.Mundell.] quomodo quorundam deſcriptio Calami apud Dioſc.vulgari conuenire poſſit,tanquam ab eo longè aliena. Quare plurimùm dubitamus ne verus ſit Dioſc.Calamus, ſed magis ad Acori radicem accedat,quemadmodum etiam Manardus & alii nobiſcum ſuſpicati ſunt. Pergit *Qualceben.* ad Matth. Calamum vulgarem, quem Acorum in tuis Com.affirmas nec malè,ſi florem Iridis ſimilem in Acoro requiras ( cuius tamen non meminit Dioſc.)omninò metuo ne verus ſit Acorus, quia ad virginei floris modum effloreſcit. Huic reſpondet Matth.Sole clarius Calamum vulgarẽ noſtrũ nil aliud eſſe quàm legitimã Dioſc.Acorũ. Crediderim cum Manardo aliiſque nonnullis id omninò legitimum Acorum eſſe,quod non modò Seplaſiæ, ſed omnes in vniuerſum Calamum falſò odoratum vocant: Folia quæ integra ad nos vnà cum radicibus [ vt hæc pictura demonſtrat] è Conſtantinopoli allata ſunt,fermè Iridis.Retulit mihi Io.Merula, qui pluribus annis degit apud Lithuanos, frequentiſſ. in Lithuania & circa Tartarorum fines: foliis Iridi æmulis: flore etiam ſimili, colore roſeo purpuraſcente nulla ex parte vario: vocatur ab incolis ſuo idiomate *Tartarſcht Zelit*, id eſt, Tartarica. Non potui non maximè Braſſauolum admirari,quòd ſibi tam facilè perſuaſerit vulgarem Calamum legitimum & Calamum odoratum eſſe à Dioſc. Theoph.Galeno & Plinio deſcriptum. Idem in Com. Lat. cum magn.fig. & Italicis: Acorum legitimum quod falsò Calamum aromaticum vocant foliis Iridi anguſtioribus, radicibus haud in rectum deſcendentibus,ſed in obliquum actis,in caulium cacuminibus,vt affirmabat Qualcebenus, nucamenta, legitimæ Acori plantæ imaginem damus, quam Conſtantinopoli ad me miſit Cl. Augerius de Buſbecke,è Nicodemia petitã. Veritati ſe opponunt qui dicunt Calami aromatici radices Iridi non eſſe ſimiles: delirant cùm contendunt nihil aliud eſſe vulgaris Calami odorati radices, quàm generis cuiuſdem Iridis. Inſaniunt cùm dicunt recentes calami radices omni prorſus ſapore & odore deſtitui, & paulò pòſt affirmant eaſdem recenter effoſſas eſſe amariſſ.& odore admodum ingrato: minimè hoc credendum iudico, vt qui recentiſſi.haſce radices deguſtauerim, ac etiam Tartaros compertum habeam ſapidiſſimè pro obſonio cum pane deuorare: Legatur Anguillarii libellus. Hiſt.quoque Germ.Kalmus/Acorum,Bohemicè pruſt worec. Braſſavoli porrò

*Calamus arom.falsò. Flos ſimilis Iridis.*

*Tartarica. Contra Braſſau. Vage Arab. Vgi Non genus Iridis.*

*Obſonium. Matth. argumenta non eſſe Calamum verum.*

ſententiam refutat Matth. his argumentis: Primùm ex ipſa Calami appellatione,deinde ex eo quòd dixerint Theophr. & Plinius non differre hunc forma à reliquis ſui generis,id eſt,ab omni Arundinum genere, vtique conſtat odoratum Calamum genere & forma Arundinem præ ſe ferre,odoratum tamen, non autem eſſe radicem. Quocirca Plinius Dioſc.fortaſſe ſecutus dixit.Fiſtulæ ( hoc eſt cauitati ) ineſt araneum,quod vocãt florem:non autem radici,vt contendit Braſſauolus araneum illud inueniri in vulgari illo Officinarũ.Præterea vulgare calami radices quas Acori eſſe cẽſemus aſſuloſè nequaquã frangi poſſunt: ſed tranſuerſim, quemadmodum & Iridis. Cæterùm has radices non eſſe calami, euidenter intuentibus apparet, quandoquidem etſi complures illius Acori radices habeantur, quæ ſicca gerunt in cacumine folia, Iridi omni ex parte ſimilia: nulla tamen vſquam inuenta eſt, quæ ſecum Arundinis trunculum cacumini annexum deferat: nempe Acori proprium, non odorati Calami eſt, Iridis folia ferre. His itaque rationibus Fuchſii quoque ſententia improbanda mihi videtur. Porrò minimè compertum habeo Dioſc. nedum Galenum dixiſſe aliquid odorato Calamo ineſſe amaritudinis, quam tamen in Acoro haberi Galenus prodidit. Præterea maior ineſt vulgari Calamo acrimonia quàm ſuo referat Galenus.

Cronemburg.de comp.med. ſentit cum Matth. non eſſe vulgarem Calamum verum & nos eo deſtitui. Nihilominus tamen concedit ſubſtituere vulgarem eius loco non eſſe piaculum.

Amat.Luſit.ſe opponit Matth.his verbis: Poſt longam inueſtigationem firmiter aſſeuero, communem Calamum aromaticum verum eſſe Acorum. Ex India Luſitani noſtri ſingulis annis adferunt, veluti Mercatores ex ipſa India per mare rubrum in Chairum,& Alexandriam deferentes. Venetias portant, Calamis ſimilem, vnde nomen accepit,odore ſuaui,& aromatico,album & ſubrufum,crebris geniculis, qui quum frangitur in aſſulas multas diſſilit, fiſtuloſus, araneolo illo albo plenus, nam quum manditur glutinoſus cum quadam adſtrictione ſubamara ſentitur, vt facilè iudicare debeamus,Calamum odoratum vulgarem Officinis verum eſſe.Matth.credidit Calamũ aromaticũ harundinem ſiue Calamũ,non verò radicem, eſſe debere: At mea ſentẽtia decipitur Matth. quum licèt Teoph.& Plinius in Calamo odorato calamum & non radicem laudare videantur, alibi tamen Calami aromatici radicem deſiderent, & eam cæteris partibus calami anteferant: Vt apud Pliniũ eſt l.24. c.11. In quo, quum Calami odorati iuuamenta enumerat, inquit: efficaciſſima autem in omni harundine,quæ proxima radici: efficacia & genicula.Per quæ verba manifeſtè percipitur, quod ex omni Calamo ſiue harundine radix efficacior eſt pars: qua de cauſa Calami odorati radix quàm Calamus potiùs in opus trahenda eſt, vt meritò hactenus pharmacopolæ,hac prætioſa & exotica radice pro vero & germano Calamo odorato, vſi ſint. Nec enim eſt quod alium deſiderent,modò vulgarem recentem,minimè verò inueteratum habeant, quem ex odore & ſapore facilè diſcernere poſſunt Quantùm verò ad Dioſco tidem attinet,ſi quis introſpiciens eum accuratiùs expenderit,inueniet illum potiùs de radice loqui quàm de Calamo, quum radix geniculata dicatur, calamus verò potiùs nodis cinctus.

Amato reſpondet Matth.in Apologia his verbis.Quod Plinius ait efficaciſſimam in omni harundine eam eſſe partem, quæ radici proxima, quis non videat de harundine non de radicibus intellexiſſe Plinium. Namque examinaturus quænam partes in vniuerſo Calamo cæteris præſtent,partes radicibus proximas cæteris præſtare inquit: quod facilè prudens animaduertet lector. Nec enim aliam ob cauſam putat Plinius maiori vi pollêre eas Calami partes quæ prope radices habentur,quàm quòd eædem ibi craſſiores,vegetiores,robuſtioreſque in omni harundinum

genere reperiantur, quàm in cæteris earundem locis: quo fit, vt etiam Calami ipſius genicula efficaciora pariter ipſe exiſtimauerit Plinius. Quippe & genicula robuſtiora ſunt & craſſiora. Quam ob cauſam Calamũ illum prætulit Dioſc. quin densè fuerit geniculatus. *Quod* Calamum, non radices, deſcribat Dioſcorides, apertè quidem conſtat, cùm ait: Calamus odoratus in India naſcitur, melior eſt fuluus, densè geniculatus, & qui aſſulosè frangitur, plenâ araneorum fiſtulâ. Hæc ille. Quæ tamen perperam Luſitanus intelligit. Quippe Calamus in primis harũdinem deſignat non radicẽ. Præterea propriũ harũdinis eſt pluribus conſtare geniculis, & aſſulosè frangi. Deinde fiſtula, in qua quiddam araneæ telæ ſimile concluditur, calamo tantùm debetur, non radici, quæ ſolida, dura, lignoſa, & vbique occluſa ſpectatur, in omni harundinum genere. Adhæc fuluus color Calamo ſanè debetur, non radici. Quippe qùod radix in harundine perpetuò albicet. Ad id autem quod proprium ſit radicis (vt ille contendit) vt ipſa geniculata dicatur, calamus verò potiùs nodis cinctus, Dioſcor. ipſe reſpondet. Quandoquidem is non modò quarundam plantarum radices geniculatas facit, ſed etiam caules, & calamos nonnullarum ſtirpium reddit geniculatos, vt facilè quis certior fieri poterit, qui eius Codicẽ legerit in Hydropipere, in altera Cyclamino, in Gentiana, aliiſque nonnullis. Plinius tritici culmis genicula quaterna, farris ſena, hordei octona tribuit. Hinc libro ſenect. Culmo geniculato inquit Cicero. Conſtat præterea haſce radices ex Lithuaniæ, & Tartariæ finibus, quinetiam ex Ponto, vbi paſſim ferè prou eniunt, ad nos conuehi. Quod maximo cuique argumento eſſe poteſt, eos prorſus hallucinari, qui eas ipſas radices Calami odorati eſſe contendunt, quòd nullus extet autor (quod viderim) qui ſcripſerit odoratum Calamum alibi prouenire, quàm in India & Syria.

Sed de his quid nobis videatur, intellige. Figura & deſcriptio Calami vulg. Acori poſtremò a Matthiolo exhibita, ſatis demonſtrat iconem non fuiſſe factam ad plantam miſſam Conſtantinopoli (vt ipſe ait, ſed potiùs arbitrio, vt quondam plures alias plantas: ſatis id indicant folia ad Iridem nimiùm accedentia. Non eſt quod cum furore (eius verbo vtimur) Anguillaram delirare dicat, qui dixerit generis cuiuſdam Iridis, quandoquidem ipſe olim ſcripſit ex Io. Merulæ autoritate flore eſſe Iridi ſimilem; quæ ſanè verba in poſtremis commentariis non debebat omittere ſi vera, ſi falsò addita, corrigenda erant: Nolimus tamen dicere cum Anguillara Iridis ſpeciem, quamuis habeat non pauca cum Iride communia, & meritò Iridi ſubnectatur, licèt flores, iulis Corylorum ſimiles, multùm differant ab Iridis floribus. Argumentum Matthioli à trunculo Arundinis infirmum erat, quia deeſt etiam Iridis caulis: Matthiol. dicit partes mutilatas ſiccas reperiri: adhærentes Iridi ſimiles, Apollo autem arundinacea folia quadantenus præ ſe ferre: nos vtrunque non malè dici poſſe exiſtimamus. Theophraſt. lib. 7. cap. 12. ſcribit Harundinaceum potiùs conſtare folium Iridi.

Argumentum præterea Anguill. ab odore gratiori in ſicco Calamo aromatico vulgari vt demonſtret Iridis ſpeciem & non Acorum, minùs firmũ eſt: Theophr. enim l. 6. de cauſ. cap. 17. non ſolùm radices Iridis ſiccatas reddere ait, ſed etiam Arundinum & Iuncorum, & Gladioli.

Amatus Luſit. Matthiolum temerè reprehendit, & aſcribit radici vulgaris Calami notas, quas Dioſcor. vero Calamo attribuit: ſuſpicor etiam non verum quod ait has radices ex India deferri.

Calamum vulgarem aromaticum exiſtimauit Manardus eſſe Acorum, cum quo non ſentit Anguill. credens potiùs aliquam ſpeciem Iridis, ob quaſdam partes quas habet conuenientes cum Iride: nempe quòd hæc radix ſit coloris carnei (incarnati) internè, & quòd habeat folia quæ ei videntur ſimilia: quòd quò magis ſiccatur, eò meliorem acquirat odorem, & cùm carie corroditur odorem habeat gratiorem, id quod dicit Dioſcor. cõuenire Iridi. Recens verò eſt ingratiſſimi odoris & ſummè amara. *Amatus repreh. Anguill. non Acorũ.*

Aduerſ. Acorus Dioſc. & Acoros Theophraſt. Officinis falsò Calamus.

Radicem quæ inter aromata ex Oriente allata venditur vulgò pro Calamo aromatico ſperabat Cæſalp. flores & fructus, quales in Iride viſuntur, daturam vt folia, cùm potiùs conuenire cum iuncis reperta ſit, huic ſatis conuenit Coſti Arabici deſcriptio, quamuis paucæ eius notæ ab Autoribus tradantur. Sunt enim inæquales Coſti radices & tuberoſæ, vt patet ex Helenio quo adulteratur, & ex radice Rhodia cui Dioſcor. Coſtum comparat.

Noſtrarum Officinarũ Calamus (inquit Cluſ. apud Garc.) nihil niſi radix eſt cui omnes notæ Acoro à Veteribus adſcriptæ pulcherrimè conueniunt: Solebat Antuerpiam Vlyſſipone aduehi Calami genus vſuali noſtro ſimillimum, ſed tetri odoris & ſaporis horridi. Quale genus tetri odoris fuerit conſiderandum: de eo verò quædã capite de Calamo aromatico vero *Coſtus Arabicus. Acorus Calami genus tetri odoris.*

Bernard. Palud. in extrema Lithuania *Tartarſki* ab incolis appellari aſſerebat, quòd à Tartaris illius vſus primùm ipſis eſſet demonſtratus.

Indocti practicantes pro Calamo aromatico Antiquorum, inquit Tabern. vero Acoro falsò vtuntur, quem errorem confirmauit Cornarius.

Gerard. Angl. Acorus Officinis falsò Calamus; Baſtard or falſe Calamus.

Caſp. Bauhin. Phyt. Acorus 1. ſiue Officinarum Calamus aromaticus, huic volunt aliqui conuenire Coſti Arabici deſcriptionem apud Dioſcor. lib. 1. cap. 15. Alii Iridi volunt cognatum, alii cum Iuncis magis conuenire ſtatuunt. *Acorus vnde dictus. Coſtus Arabicus Iridi cognatus. Iuncus.*

Viret hodiè planta, teſtis eſt Cæſalp. apud Sereniſſ. Magnum Ducem foliis valdè odoratis: gaudet aquis. Anno 1574. Cluſio primùm conſpecta eſt Viennæ Auſtriæ legitimi Acori planta virens, munere Ill. V. Augerii de Bouſbeque, Dauidis Vngnad, & Caroli Rym, qui õnes Legatorũ officio apud Turcarum Imperatorem defuncti fuerant. Hanc porrò, cùm frigoris patientiſſima, hiemis intemperiem non reformidet, quamplurimis communicabam, adeò vt nunc vulgatiſſima facta ſit. Ingenti quodam lacu ad radices præcelſi montis iuxta Pruſam Bithyniæ vrbem ſpõtè naſci intelligebant, & humidis locis gaudere, & ſecundum fluenta longè feliciùs prouenire quàm ſiccis experiebantur. Sed & C. V. Bernard. Paludanus, copiosè admodum ſupra Vilnam vrbem in paludibus, extremâ Luthuaniâ Moſkouiã ſpectante inueniri referebat. Habeo in horto Ill. E. C. Montb. vbi ſe multiplicat, & iulos fert; à me apportatum Stutgardiâ ex horto Ill. Ducis. *Locus & Tempus.*

antè etiam attulerat Ill. meus Princeps ex Pfortzeim Marchionis Badenſis. Vidi Lutetiæ in horto Io. Robini regii hortulani: Argentinæ in horto Di. Melchioris Sebitzii Medici, Stutgardiæ in horto Ducis Pharmac. inſignis hanc plantandi rationē docuit: Calamus plantandus ſolo humido & arenoſo & non remoto ab aqua: quotannis ex terra eximēdus & abſciſſis radicibus ſummitates in terram reponendæ, diſtantia palmi: hac ratione valdè multiplicantur atque vt plurimùm floret ſecundo anno à tranſplantatione, iulus adeſt Iunio, Iulio & Auguſto.

Vires Vim habet Acori radix calefactoriam, decoctum ipſius potum vrinas mouet, ad lateris & thoracis ac hepatis dolorem, ad tormina item & rupta ac conuulſa commodum. Lienes conſumit. Prodeſt & vrinæ ſtillicidio, & ad virulentarum beſtiarum morſus & ad inſeſſus velut Iris ad menſes ducendos. Succus radicis depurgat ea quæ pupillis tenebras offundunt. Radix autem & in Antidotos vtiliter ammiſcetur, Dioſc. Acori radice vtitur Galen. quæ guſtu acri & modicè amaro, odoreque non iniucundo, ordinis tertii in calefaciendo & exſiccando. Vnde conſtat quod facultatis calidæ eſt, & conſiſtentiæ tenuis. Huic conſentaneum eſt, vt vrinam moueat, & lienes induratos iuuet. Acorum in ſua natural. h. paſſim commendat Plin. ad pectoris dolores, ad Teneſmum, ad duritias & collectiones omnes, ad contuſa & euerſa, & ad interiores fœminarum morbos. Cùm radix Calami aromatici vulg. inquit *Fuchſius*, in commanducando glutinoſa ſit, linguā aſtringens, amara, & ſubacris, eique propemodum omnes veri calami Indici notæ quadrent, profectò & citra vllius reprehenſionem pro vero Seplaſiæ in eius penuria vti poſſunt. Lectores conſiderent quæ Fuchſius de glutinoſitate & aſtrictione in Calamo aromatico vulgari dicit. Acorus (autore Matthiolo) in vino aut hydromelite coctus, aut eius puluis inſperſus & hauſtus, tollit à frigida pituita aut flatibus ortos morbos, quales ſunt dolores colici, laterales, tuſſes, conuulſiones, obſtructiones hepatis & lienis: prodeſt iis in quibus ex ictu, aut contuſione ſanguis coiit, & difficulter vrinam reddentibus, difficulter concoquentibus datur quotidie Acori pulueriſati ʒi. cum pari portione Cinnamomi ex vino abſinthite calido. Vbi recentis Acori copia eſt, conditur Saccharo aut melle, quo modo ad nos importari ſolet, etiamque in Germania & Italia eadem ratione condiri conſueuit, ad omnia prædicta efficax. Ex Acoro fit Oxymel ventriculo & frigidis inſigniter vtile, hoc modo; In puluerem craſſiuſculū teritur, affunditur acetum, operculatur, poſt triduum ad dimidias coquitur, perque linteum tranſmittuntur; dein additur mel pro arbitrio: iterum coquuntur ad aceti conſumptionem. De hoc Oxymelite datur quotidie vncia vna cum ſuprà dicto Acori decocto. Dodonæi ætate eclegmatis non abſque fructu additur quando craſſi, crudi, frigidique humores pulmonem & pectus occupant. Referebat Cluſio Bern. Paludanus Tartaros plerumque circumferre hanc radicem, & aquam non bibere, quin priùs Acori radix in ea fuerit macerata. Simile quidpiam de huius plantæ nomine etiam tradit Matthias à Michovv Sarmatiæ lib. 2. cap. 12. Recentes verò radices ſuo cortice delibratas & diligenter repurgatas condire ſolent Conſtantinopoli, atque in vſum adſeruare: manè enim ieiuni plerumque manducare ſolent aduerſus corrupti aëris contagia, vt referebat N. V. Philibertus de Bruxella. Condiunt etiam nunc in Germania Nobiles aliquot matronæ in domeſticum vſum, & plerique Pharmacopœi, quorum nonnullos [adeò nunc vulgaris iſtic eſt planta] ſingulis annis ad centenas libras colligere intelligit, & non contemnendum ex ea quæſtum facere.

## GALANGA MAIOR

GAlanga maior *radix* eſt duorum pollicum, maioréue craſſitudine, crebris pollicaribus apophyſibus ſubinde donata, cortice ſatis extenſo, circularibus zonis cincto, fuſco, aut rubente, ſubſtantia ſolidiuſcula, cinerea, albicantéue, punctulis (quæ extrema ſunt fibrarum) notata, mattice magis fuſca, fungoſaq;, odore grato acuto, ſed qui cedit Minori, vt & ſaporis acrimonia.

*Galanga Cluſii.*



Binum ferè cubitorum, inquit Garcias, altitudine attollitur, foliis mucronatis in modum Lanceæ, radice craſſa, nodoſa, flore candido, ſeminifera eſt.

*Galanga Acoſti.*



Coſta autem ſic deſcribit: Duorum cubitorum altitudine ereſcit, nonnunquam amplior: *folia* habet Orchidi Dioſc. ſimilia, longiora tamen & latiora, supernè ſaturatiùs. inferiùs dilutiùs virētia: *caulem* ex foliorum inuolucris cōſtantem vti in Orchidum generibus: *florem* candidum, inodorum ſemen exiguum neglectum: *radicem* ſecundum caput craſſam & bulboſam, reliqua ex parte Zingiberi ſimilem, ſed maiorem, nonnunquam capitula Haſtulæ regiæ modo proferentem.

Euch. Roſl. pro Galgan (Galanga) habet neſcio quam fictitiam iconem.

Lonic. ſub his verbis: Groſſen Galgan/ Galanga

langa maior &c. Figuram plantæ non viſæ ponit, quæ potiùs nonnihil ad Calamum vulgarem accedere videtur.

Galangam maiorem [ ait Anguill. ] Acorum eſſe cenſet Lonicerus, quæ opinio veriſimilior quàm Manardi. Turcis & Arabibus adhuc hodie dicitur *Vaere*,(legimus nos à Serapione *Rhulungen* dici,ſicut ab Auicenna *Caſurudar*)quo nomine Serapio Acorum appellauit : color qui attributus à Plinio Acoro lib.25.cap.13. in Galanga reperitur : cur vocata fuerit hęc radix Galanga neſcio, quia non eſt Arabum Galanga.

Scribit Matthiol.epiſt.ad Qualcebenum, Toto cælo errare eos qui Galangam Acorum eſſe contendant. Braſſau. Aſſerere Acorum Dioſc. aliud non eſſe, quàm radicem,quam Offic.Mauritanos ſecutæ,Galangam vocent : adeò vt maluerint cum Lonicero errare,quàm cum Manardo benè ſentire. Braſſauolū ſecutum eſſe Fuchſium : Eumque cùm ſibi nimis pumilæ viderētur prioris Galangæ radices quàm vt Acori referrent, ac propterea Braſſauoli ſententiam non probandam duceret,in ſuis de ſtirp.comment.alteram craſſiorem Galangā,quæ iam pridem in Italiam fertur Acorum contendiſſe, verùm eam non eſſe Iridi ſimilem. Maiorem Galangam minore ignauiorem,colore etiam dilutiorem, minúſque odoratam. Explodendam Monachorum in Meſuen ſcribentium opinionem, qui contra Braſſauolam & Fuchſium quaſi velle vidētur Galangam potiùs odoratum Iuncum eſſe quàm Acorum, quod tamen planè falſum. In poſtr. Com. cum magn. fig. Lat. & Ital. addit aduerſus Anguillaram, leuem eorum rationem eſſe qui velint vno tantùm inſpectu Galangæ folio eſſe Acorum: tametſi concedant facilè folium illud fuiſſe Galangæ, quòd ſciat hanc folio eſſe Cyperi latiore, vegetioréque,Iridi non omninò diſſimili : Ait porrò in hiſt.Germ. Galangam Dioſcor.& veteribus Græcis ignotam, eámque eſſe duplicem maiorem & minorem. Matthiolus olim aſſerebat Galangam non eſſe Iridi ſimilem, nunc ait folia Iridi non admodum diſſimilia: nō puto illi vnquam viſam virentem fuiſſe.

Neque Acoſta,neque Garcias ab Hort.Cluſio ſatisfaciunt in Galangæ maioris deſcriptione, præſertim ſi ea quâ Europæ Officinæ vtuntur legitima eſt Galanga maior : etenim eius radices multò maiorem habent ſimilitudinem cum Iridis, quàm cum Aſphodeli aut Zingiberis radicibus. Et certè omninò ſibi perſuadet Galangam noſtram maiorem Iridis genus eſſe,huic fortè ſimile quod in ſua Pannonicarum ſtirpium hiſtoria primum eſt, nihil tamen ſtatuit.

Hiſt.Lugd. Galanga maior Penæ. Item Galanga maior Acoſtæ.

Caſtor.Durant.figuram Coſtæ habet, quam etiam nos ponimus, licèt non placeat, quia inſignem demonſtrat varietatem ſi benè facta : quod vix puto.

Galanga maior ſeritur in Indiæ Iaua, duntaxat radice vt Gingiber non ſemine, licèt apud Auctores aliud reperiat Garcias. Sed tamen & ex ſemine ſata prouenit in India,in hortis; ſed exigua quantitate, quanta videlicet acetariis & huius Gentis vſui medico ſufficit.Cùm eſſem Patauii Galangæ maioris nomine plantam vidi in horto Nobiliſſ.viri Iac.Cortuſii,Iridi valdè ſimilem foliis & radice.

Calida eſt ſiccáque tertio gradu: ideóque confert phlegmaticis & Stomachi humiditatibus, digeſtionem calore ſuo iuuat, cruditates flatúſque diſſoluendo. Colicæ opitulatur, anhelitus ſuauitatem conciliat. Renes calefacit, ſemen, virgæque erectionem concitat,Serapio. Galangæ puluis naribus inditus, Cerebrum confortat: Confert etiam Cordis palpitationi. Syncopas abigit. Vertiginoſis ex plantaginis ſucco auxiliatur. Omnibus denique morbis à frigiditate ortis confert, Lonicerus. Inſigne Pharmacum, quo nos [inquit Io. Agricola] intolerabilem cruciatum ſedare adſueuimus, qui nonnunquā circa vngues digitorum pedis cuiuſpiam dolore inæſtimabili affligit, vt Paronychia dici poſſet. Accipio autem Scobem Croci Martis, ſic Chymiſtæ Cuprum appellant, collige illam ſub incude fabri eius metalli, miſce ferè cum tantundem læuoris Galangæ, adpone dolenti loco, & illicò ingentem illum dolorem ſedabis.

Adeò autem vulgaris eſt, teſte Acoſta, apud Malabarenſes huius radicis vſus,vt non modò in medēdis morbis eā vſurpent, ſed in farinā etiam conuertant,ex qua,ſeu nucis Indicæ lacte, nonnunquam Sura,aut Iagra exceptā, certum quoddam panis genus pinſunt in tenuium placentularum formam,quod *Apas* vocant : in delitiis eſt hic panis,præbéntque iis qui ventriculi debilitate & frigiditate laborant in alui, doloribus, vteri affectibus,& vrinæ difficultatibus : ac miram eius efficaciam experiuntur,ſiue ob humores craſſos & pituitoſos, flatúſve aut arenulas in vreteribus aut collo veſicæ congeſtas, vrinæ difficultas orta ſit, vel etiam ex carnis excreſcentia in ipſo veſicæ collo aut meatibus nata. Præbent verò edendum hūc panem,deinde hauſtum *Nimpa*(quæ veluti aqua ardens eſt) concedunt : in inguinibus verò ſupráque pubem & collum veſicæ,folia Nymphææ decocta in aqua & macerata; atque adhuc calentia applicant. *Nimpāi*

---

## GALANGA MINOR.

TAleolæ [quâ ſcilicet forma importari ſolet] minoris Galangæ digitalem, & minorem *radicis* craſſitudinem arguunt,vnde ianceæ craſſitudinis apophyſes pronaſcuntur, eâ ferè formâ quâ Cyperi radices conſpiciuntur, Zonulíſq; circularibus,perinde vt maior,cinguntur,cortex exterior ruffeſcens, at multò odoratior : ſubſtantia interior, vt rubricam æmuletur, dura,compacta matrice parua ſolida, ſapore & odore longè vegetiore generoſioréque quàm Maior, & feruore aromatico totas fauces abundè implente. *Eicon cum præcedente habetur.* Deſcriptio

Garcias hanc dicit duorum palmorum altitudine fruteſcere,foliis Myrti,radice nodoſa.

Euchar. hoc titulo. Galanga, Galgan / figuram habet falſam,quam etiam poſuit pro Cypero. *Roeſl.not.*

Geſn. in cat.pl.Cyperus Babylonicus Γαλάγγα, Galgantwurtz/Galengal. *Cyperus Babilon.*

Matth.Galanga minor: Cyperus Babilonicus.

Lonicerus ſub nomine Klein Galgan/ fictam habet figuram,quæ nonnihil ad calamum Aromaticum accedere videtur. *Lonicer. not.*

Aſſerit Garcias Galangam veteribus Græcis ignotam; Arabibus non ſatis perſpectam: His *Caluegiam*;licèt omnes Mauritani & Serapio corruptè legāt *Culungen* aut *Galangen*:eſſéque duplicem, Alterā minorem in China Lauandoa. Alteram maiorem in Iaua Lantuaz. In India vtramque Lancuas appellari. Auic. & Serapionem exactam huius plantæ notitiam non habuiſſe hinc factum putat vt duo diuerſa capita de

ea [quod etiam annotant Aduerſ.] ſcripſerint. Antonium Muſã Leonceni teſtimonio, velle Galangam eſſe Acorum Veterum, ſed non eſſe. Explodendam Monach. diſt. 1. c. 47. in Meſuem, opinionem, qui Galangam Schœnanthi radicem velint.

*Acorum nõ eſt. Monach. opinio Schoenant. Cauelgia. Iunci odorati. radix Monach.*

Galanga (inquit Acoſta ex verſ. Cluſii) medicamentum vſibus humanis valdè neceſſarium eſt, dignumque vt Pharmacopolæ in ſuis Officinis perpetuò habeant: vna minor, altera maior. Arabibus dicitur *Cauelgian*, de ea confuſè Auicenna, videntur Gręci & Arabes, vt Auic. & Serapio, non habuiſſe perfectã eius cognitionem: Bellunenſis in ſuo Dictionario ait Auicennã ſcribere de duabus, licèt tantùm una. Opinio Monach. dum ſcribunt Galangam eſſe Iunci odorati radicem, à ratione longè abeſt, quam etiam redarguit Amatus in Dioſc. Galanga minor adfertur ex China. Hác aliqui dicunt eſſe Acorum: ſed folia gladiolo non ſimilia, Galanga non eſt radix Schinanthi vt voluerunt Monachi.

*Acorum. Galanga minor & ſurpanda.*

*Cyperus. Folia Myrthi.*

Gariophyl. Galanga minore vtendum in omnibus compoſitionibus ſuadet Cordus in Diſp. in Arom. Garyophyl.

Galanga minuta ſiue minor quam vocant Officinæ, an ſit Cyperi ſpecies potiùs quàm Galangæ aut Acori, eſt Lobel. & Penæ in adu. difficile ſtatuere. Folia ſi ſunt Myrti, ut quidam affirmant, non parum ab vtroque illorum etiamque maiore Galanga diſſidebit. Veriſimile, aut diuerſas putatas fuiſſe Arabibus vtramque Galangam aut non admodũ notas Auic. & Serap. ac propterea eos caput duplex de ea inſtituiſſe: Lob. Obſ. vbi figura ex Cluſio Ic. pl. p. 58. H. Lugd. quæ abſurdiſſimum eſſe dicit, Galangam Iunci odorati ſpeciem ſtatuere: & Tab. icon. Galanga minor.

Locus. Minor cum Rhabarbaro ex Chinarum regione in Indiam aduehitur.

## RADIX S. HELENÆ GALANGÆ ſpecies.

Deſcriptio



Ex Florida *radices* quædam rotundæ, ad nos importantur. Sunt eæ longæ, nodis diſtinctæ, quibus diſſectis perforatiſque fiunt Sphærulæ præcatoriæ, quæ ſiccatæ rugantur, oſſeamque acquirunt duritiem. Extriuſecus nigræ, intus candicant. Cortex adeò adhæret medullæ, vt vnum fiat cõtinuum. Sapor eius aromaticus eſt & gratus vt Galangæ quædam ſpecies eſſe videatur: pollicari ſunt craſſitudine aut circiter. Herba verò parum habet *caulis*, & humi ſpargit ramos: *folia* fert ampla admodum viridia.

Naſcitur communiter locis humidis in Florida.

Monard. par. 2. Ind. occid. l. 1. c. 4. *Pater noſter de S. Helena*, quia portu quondam proueniat ita dicto. In Cluſii verſ. Radix S. Helenæ, qui annotat ex deſcriptione facultatibuſque huius plãtæ colligere licere, ad Cyperi genus aliquod referri poſſe, ſed videant Lectores quæ Cluſius de Drackena ſcribit cap. ſequenti. Loc.

Hiſt. Lugd. Pater noſter, vel Radix S. Helenæ Monardi.

Calida eſt in fine gradus ſecundi, ſicca in primo, aut aliquid magis. Herbam Indi lapidibus terunt, eáque vniuerſum corpus balneaturi fricant: aiunt enim cutem adſtringere, membraque roborare odoris gratia. Hocque ſæpiùs faciunt, ob inſignem vtilitatem quæ inde ipſis reſultat. Puluerem tenuiſſimum eius tam Indi, quàm Hiſpani in vino infuſum ad ventriculi dolores fœlici cum ſucceſſu hauriunt. Vir.

## DRACKENA RADIX.
### Cap. XIX.

Radix Drackenæ ita benè deſcriptæ & depictæ apud Cluſ. de pereg. & Exot. vt nihil addendum videatur.

Loudini (inquit) mihi donabat Gen. Eques Fráciſcus Drake quaſdam radices, cum tribus aut quatuor lapidibus Bezaar Peruanis, quas Autumno præcedente [abſolutâ nauigatione, quâ totum Orbem, ſuperato Magellanico freto, circumiuerat) ſecum retulerat, illas ſummæ apud Peruanos æſtimationis eſſe aſſerens, propterea, illius qui mihi eas donabat gratiâ, huic radici Drakenæ cognomen indebam, & ipſam in tabella expreſſam lectoris oculis proponebam.



Semunciali autem hæc, magna ex parte, erat craſſitudine, & prælõga, ſubinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in ſummis capitibus, veluti è craſſis ſquãmis contexta, Dentariæ τετράφυλλα, ſiue veriùs ἑπτάφυλλα, [quam cap. 22. lib. 5. meæ Rarior. Pl. hiſt. deſcribebam] ferè inſtar, foris nigricans, rugoſa & dura, quia reſiccata, interiore parte alba: tenues fibras hinc inde adnaſcentes habebat, quaſdam craſſiuſculas, & maiuſculas, duras & lentas, à quibus alii nodi dependebant: nullo manifeſto odore præditam eſſe obſeruabam, ſed ſaporem habere deprehendebam nonnihil adſtringentem & linguam exſiccantem initiò, diutiùs verò manducatam, tenuem ſuauémque acrimoniam in ore relinquere. Magnam quidem affinitatem habere videbatur cum radice S. Helenæ, de qua Nicolaus Monardes lib. Simpl. med. ex Occidentali India delatorum.

Sed

Sed cùm N. Eliot, qui Drake in ea nauigatione comitatus fuerat, Hiſpanos in Peru maximo in pretio habere, nec niſi difficulter redimi poſſe, referret, ab iiſque didiciſſet, folia præſens venenum eſſe, ipſam autem radicem, non modò illius veneni, ſed etiam aliorum antidotum eſſe, & cor ac vitales facultates roborare, ſi pollinis in modum trita manè ex pauxillo vino ſumeretur, ex aquâ febris ardores mitigare: earum facultatum ratione, valdè conueniret cum radicibus, veneno aduerſantibus, de quibus eodem libro Monardes, in his tamen aromaticum ſaporem, & coloris gradum deſiderabam, quem illis radicibus tribuit.

Hiſt. Lugd. Drakena radix. Tabern. Icon. Bezoardica radix. Noſter Gener Io. Cherlerus anno 1606. ex Anglia Londino rediens, munere celebris Pharmac. Iacobi Gareti attulit radices Drakenas, quas cùm aliquandiu maſticarem, acredinem moleſtam adhuc ſentiebam, quam poſtea etiam deprehēdebam, & in iis, quibus anno 1609. Baſileæ Cl. V. D. Iacobus Zvvingerus me donabat.

## DRAKENÆ AFFINIS RADIX.



Drackenę radici quodammodò affines videbātur [ inquit Cluſ. Exot.] eæ radices, quæ in ingente illa Prætoria naui Proregem ex Orientali India reuehente, & ab Anglicis Naucleris occupata, repertæ fuerant. Etenim tuberoſæ erant, & quantū ex earū forma colligere licebat, ſummâ terræ ſuperficie repentes, multiſque villis & fibris obſitæ, fuliginoſo colore præditæ, nōnihil tamen ad flauum tendente, ſaliuam, dum manducabantur inficientes & amaræ, foliorum quidem aliquos pediculos adhuc retinentes: qualia verò illa fuerint, nemo facilè dixerit. Cęterum magni vſus apud Indos fuiſſe, veriſimile erat, quandoquidem prorex eas referret cum nobilibus aliis medicamentis in Orientali India natis. Iacobus Garetus cum ſequente plantula reſiccata mittebat.

*Contrayeruæ radix.*

Ex Charcis prouincia Peruana *radices* quædam venenis reſiſtentes ( inquit Manard. apud Cluſ.) aduehuntur, Iridis radicibus valdè ſimiles; ſed minores, & ficulnei folii odore. Hiſpani Indias inhabitantes *Contrayerua* appellant, quaſi dicas alexipharmacum, quoniam earum puluis ex albo vino ſumptus, aduerſus omne venenum cuiuſcunque tandem ſit generis, præſentiſſimum eſt remedium, vino ſublimato excepto, quod ſolâ lactis potione extinguitur, vomitione illud reiicere faciens, aut per ſudores euacuans. Sed & amatoria pocula, eo puluere hauſto, educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Guſtata radix aromaticum quiddam ſapit cum acrimonia coniunctum: quare calida videtur ſecundo gradu.

## ZEDOARIA.

### Cap. XX.

Zedoaria duarum circiter vnciarum longitudine, minimo digitò minor, foris cinerea, extenſa, intus ex cinereo fuſca, duriuſcula, ſolida, tanquam concretus quidam ſuccus, paucis apparentibus per ſubſtantiam fibris, ſapore amaricante, & acri aromatico. Huic per omnia ſimilis altera, figurâ duntaxat breuior, craſſior, tuberoſa. Deſcriptio

Radicis peregrinam naturam indagantibus Veterum notæ ſe primùm offerunt annotandæ.

De Zurumbet igitur, id eſt, Zedoaria, Serapio ex variorum autoritate ita ſcribit. Zurumbet ſunt radices rotundæ, ſimiles radicibus Ariſtolochiæ rotundæ, in rotunditate earum, & ſunt ſimiles in ſapore & colore Zinziberi, & afferuntur de Zeni. Zurumbet eſt calidum & ſiccum in ſecundo gradu, & impinguat, impinguatione cōuenienti, & aufert ventoſitates. Et de proprietate eius eſt, quod aufert odorem Alliorum, & Ceparum & vini: proprietas eius eſt quod confert morſui venenoſorum, & retinet ventrem, Reſoluit apoſtemata propriè quæ ſunt in matrice, & retinet vomitum & confert ventoſitati colicæ. *Zurumbet Arab.*

Ex Auicenna ſi roges, Zedoaria quid eſt? Reſponderis: Portiones ſimiles Ariſtolochiæ, minores tamen eæ, & eſt in ſua virtute. Et melior quidem eſt illa, quæ cum Napello creſcit, & eius vicinitas debilitat plantam Napelli. Item Zurumbet *quid eſt?* Eſt lignum ſimile Cypero ſed eſt maius & minus odoriferum. *Natura*: Calida eſt & ſicca in tertio. *Operationes & proprietates*; Reſoluit Ventoſitates. *Decoratio*: Eſt impinguatiua, & abſcindit odorem vini, & Alliorum, & Ceparum. Membra anhelitus & pectoris. Eſt lætificatiua confortans cor. Membra nutrimenti. Retinet vomitum. Membra expulſionis, ſtringit naturam, & confert ventoſitatibus matricū. *Venena*: Confert mordicationi venenoſorum vermium valdè, ita ut propinqua ſit Zedoariæ. *Permutatio*: Ponitur loco eius in venenoſis, quantùm ipſa & medietas eius durungi, & duæ tertiæ ponderis eius de taraxacon ſylueſtri, & medietas ponderis eius de granis Citri.

Auicenna igitur eaſdem vires recenſet, quas Serapio ex diuerſis autoribus ſuo Zurumbet aſſignat. Hoc tantùm diſtant, quod Auicenna calidum & ſiccum ordine tertiò ſtatuit. Serapio autem ex Aben Meſue calido & ſicco duntaxat. Hic conferre morſibus venenatorum, ille valde conferre morſibus venenatorum vermium, ita vt ad Zedoariā proximè accedat. Quibus verbis innuit (inquit Hiſt. Lugd.) aliquid eſſe inter Zurūbet & Zedoariam diſcriminis.

Serapio de temper. ſimpl. cap. 261. Zurumbet aliud deſcribit. Ex Galeno tradens id eſſe ex ſpeciebus odoriferis, ac propterea admiſceri in confectionibus aromaticis, & eſſe calidum & ſiccum prope tertium gradum, & in virtute ſua ſimile Caſſiæ ligneæ & Cubebis. Et ex Poſſidonio Ci- *Zurumbet.*

namomo Cubebam ſubſtitui poſſe: Et Paulum eadem quæ Galenus iiſdem efferre verbis. Malè autem pro Caſſidonio legit Poſſidonium. Zerumber verò cum Pauli Arnabone

*Serap. mt.* idem facit: ac eiuſdem deſcriptionem ſubiungit authore Iſaac, Meſarugiâ & aliis, inquiens: Eſt arbor magna quæ naſcitur in montibus Lubnem, id eſt in Oriente, nullum faciens fructum, habens folia longa, quorum color eſt inter viriditatem & Citrinitatem, ſimilia foliis ſalicis, & ita color eſt ramorum etiam, & habet odorem ſicut odor Cirri, eſt calida & ſicca, & & ſtyptica, reſoluit & ſtringit ventrem. Virtus eius eſt ſicut virtus Nucis Muſcatæ, verùm eſt ſubtilior ea. Quum fit ſternutatorium cum eo, & oleo violaceo, confert dolori capitis feruido & humido, & confert ſtomacho & hepati propter ſuam aromaticitatem. Ex quibus perſpicere licet Serapioni Zerumbeth & Zedoariam eaſdem eſſe radices, niſi deprauata ſint eius exemplaria; item aliud Zerumbet arborem. Auicennæ verò diuerſas eſſe plantas, vt qui Zedoariæ radices Ariſtolochiæ radicibus compararit, Zerumbeth lignum Cypero: niſi hic ſit Interpretum error, qui Zurumbeth Ariſtolochiæ radicibus, Zedoariam Cypero comparaſſe debuiſſent: præſertim cùm ei quæ Cypero ſimilis eſt, eaſdem prorſus tribuerit vires quas Serapio Zedoariæ, vt oſtendimus. *Hæc Arabes* de Zedoaria & Zerumber literis mandarunt. Ex quibus expendere oportet, an duæ radices, quæ in Officinis Zedoariæ & Zerumbet nomine veneunt, eæ ſint quibus vſi ſunt Arabes. Sed hic quid dicendum, ex ſequentibus colligemus.

*Zadura.* *vſus* *Arnabo.* *Coſtus* *Zurumbet.* *Zedoaria rotunda.*

Zaduræ, alii Zeduariæ radice [de qua Serapio cap. 172.] nunc ferè noſtræ ætatis [inquit Ruellius] Medici contra peſtilentis cæli contagia vtuntur. Officinæ & Medicorum vulgus Zedoariam nominat. Zadura permultis Recentiorum medicamentorum compoſitionibus expetitur. Arnabo Mauritanis nomine Zurumbeti venit, qui de ea re parum ſibi conſtantes Zedoariam alibi interpretantur, nomenclationis aucupio planè nobis imponentes.

*Zurumbet Serap.*

Vulgaris vſus Zedoaria Anguillaræ eſt Coſtus. Zerumbet & Zedoaria rotunda res eædem ſunt ſecundum Serapionem, hodiè poteſt videri Venetiis, quò ſatis adfertur. Zurumbet (vt ſcribit Syluius) Serapioni, Auicennæ, aliiſque, & Zedoaria, ζάδυρ Actuario in aurea antidoto dicitur, ζάδυαρ eidem in διακυμίνων, & in diantho, alibi ζάδερα & ζάδυαρ: res eſt ac nomen barbarum Græcis prioribus incognitum. Eſt autem Zedoaria radix Ariſtolochiæ rotundæ æmula, ſapore & colore zingiberis, calida ſicca gradu ſecundo, eadē Serapioni dicitur zerumbet ſine h.

Idem ſentire videtur Fuchſ. qui de comp. medicam. ita ſcribit zadura, zaduaria, zudar, zadera & zaduar poſterioribus Græcis appellatur, officinis zedoaria, Serapioni zerumbeth. Sapore ac colore

*zedoaria.* *zarumbet* *zurumbet.* *zarnabū.* *Carnabadium.*

ferè zinziberis. Quod Mauritanis zurūbet nominatur, id recentiorib' Græcis zarnabū zarnabadū, vel Carnabium & Carnabadium. Paulo autem Arnabo dicitur. Serapioni eſt rotunda & globoſa, Ariſtolochię rotundę radici ſimilis. Hæc hodie inter zedoarias longas ex India & Oriente affertur. Hinc eſt quod plerique zurumbet interpretantur zedoariam ſimpliciter, ſed minùs rectè, nam adiiciendum erat rotundam, vt diſcrimen à vera & longa zedoaria hac adiectione innueretur. Quapropter pro zurumbeth, rotunda illa nobis vocata zedoaria accipienda erit. Faciem Gingiberis repræſentat, inquit Matthiolus, radix illa quam Mauritani, & Officinæ zedoariam appellant, odoratior tamen, amariuſcula, neque adeò vt Gingiber acris. Huius nuſquam, quod ſciam, meminere veteres Græci, etſi Recentiores ab Arabicis edocti, nempe Aëtius & Actuarius, eam ſuis medicamentorum compoſitionibus admiſceant. Zedoaria [vt cap. 172. teſtis eſt Serapio] conuehitur è Sinarum regione vltra extremas Indiæ oras. Non deſunt qui crediderint, quod Arnabo, de quo ſcribit Paulus, & Mauritanorum zedoaria vnum & idem referant medicamentum. Verùm Serapionis teſtimonio cap. 271. Arnabo apud Græcos nihil aliud deſignat, quàm zurumbet apud Arabes: quippe quòd hoc loco de zerumber eadem ſcribat Serapio, quæ de Arnabo ante ipſum adnotauit Paulus. Eſt autem Arnabo, vt ex Serapionis autoritate memoriæ prodidit Iſach, arbor procera in Oriente proueniens. Quibus facilè patet, Arnabo non modò zedoariam non eſſe, ſed nec in Europam ad nos aduehi. Quo fit vt Cordus aberraſſe deprehendatur: quippe qui zurumbet zedoariæ genus exiſtimet. Hunc fortaſſe ſecutus Fuchſius in lib. de comp. medic. non ſine magno errore putat zurumbeth & zedoariam idem eſſe.

Cæterùm zingiberi aroma aliud ſimile Amato videtur, quod zedoariam Officinæ: Arabes verò, zurumber vocant, à Græcis prætermiſſum, quia Carpeſum Cubeba eſt, non verò zedoaria.

Diu exiſtimauit Garc. zedoariam quæ celebrior L
eſt, eam eſſe quæ zerumba dicitur, & medicamentum eſt Perſis expetitum, quod hinc [ex India] Ormuz defertur, inde Aſiā in minorem & Venetias: zerumbet appellatur Arabibus, Perſis & Turcis zeruba: in Guazarate, Decan, & Canara *Cacheraa*: in Malauar *çua*. Copioſè prouenit in Malauar, Calecut videlicet & Cananor ſiluis ſponte. Si autem pangatur aut ſeratur, plurimis etiam locis: inde à multis Gingiber ſilueſtre appellatur, nec id ſine ratione, quoniam eius folia Gingiberis foliis ſimilia ſunt, longiora tamen & magis aperta: eius item radix Gingibere maior. Radix eruta, conſcinditur & ſiccatur, deinde in Arabiam, Perſiamque defertur, in Gida & Alexandriam; vnde poſtea Venetias & in alias regiones transfertur. Conditur etiam Saccharo, & Gingibere præſtantior eſt.

Auicenna lib. 2. cap. 745. duntaxat Zerumba aut zerumbet nouit. Sed quoniam eam vidit in fruſta rotunda, interdum verò in oblonga, conciſam ad Sinum Perſicum vehi, duo genera eſſe exiſtimauit zerumba & zerumbet. Hac etiam de cauſa folia, quæ non viderat, prætermiſit: & quemadmodum ipſa radix ex India in alias regiones transferatur, duntaxat expreſſit. Et certè etiam hodierno die diuerſum eſt prætium eius quæ in rotunda fruſta reſecta eſt, ab illius quę in oblonga conciſa eſt, vt minores Gingiberis radices vilioris æſtimantur quàm prægrandes. Quod verò iuxta Napellum naſci optimam ſcribit, planè fabuloſum eſt: quandoquidem Napellus vix hic reperitur [non ſunt enim huius regionis ſiluæ procreando Napello aptæ,] & zerumba plurima, vt diximus, naſcitur ſiluoſis Malauar locis: tum etiam aliis multis ſata prouenit: nec quemquam [tametſi diligentiſſimè perquiſiuerim] hanc radicem iuxta Napellum vidiſſe intellexi. Præterea ex reliquis Auicennæ iam adductis locis manifeſtum eſt, quàm ſibi parum

conſtet,

conſtet; vt facilè hinc iudicari poſſit eum Zurumbet hiſtoriam planè ignoraſſe.

Serapionis autem legitimi Codices non habent additam expoſitionem Zerumbet,id eſt,Zedoaria,ſed ab interprete inſertam veriſimile eſt, qui differentiam inter Zedoaria & Zerumba ignorabat. Id ex ſequentibus facilè deprehenditur,cùm ait,è Chinarum regione aduehi,rarámque apud Indos inueniri.Zerumba verò abundè in India naſcitur.

Non defuerunt qui crediderint, Aruabo, de quo Paulus lib.7.cap.3.ſcribit,idem eſſe cum Zerumbet, Verùm ex vtriúſque hiſtoria, ſatis manifeſtum eſt,diuerſas eſſe plantas. Siquidem Arnabo Pauli arbor eſt procera, ſuaui odore fragrans:Zerumba verò graminea eſt planta,vt modò diximus.

Cæterùm minùs ſunt audiendi, qui aut Ben album & rubrum,aut Carpeſium eſſe volūt: quoniam hoc vtrumque medicamentum huc non ſine quæſtu conuehitur. Zerumba verò hinc in exteras regiones exportatur. Præterea longè diuerſa eſt vtriuſque facies à Zerumba.

Cluſius apud Garciam ait Zeruba ſiue Zerumba forſitan erit ea radix, quam capite de Coſto Venetiis adferri dixi,Zingiberi adeò ſimilem,vt nihil ſuprà,plerúmque tamen maiorem, & intus palleſcentem. Inuenitur Antuerpiæ apud quoſdam aromaticos Zedoariæ quoddam genus illis Bloczevval,id eſt,tuberoſa Zedoaria nuncupatū, rotundum inſtar Ariſtolochiæ rotundæ,foris nigricans, interdum cinerei coloris, intus candicans,guſtu vſualis Zedoariæ. Idem in append. hiſt.Dodon.Gall.cap.28.Zedoaria rotunda Arabibus Zurumbet (quamuis Serapio deſcribat aliud Zurumbet arborem) recentioribus Græcis Ζαδύρα, Offic.Galliæ Zurumbeth. Belg. Zedoar block.Interdū reperitur cum Zedoaria vulgari, verùm ignari Pharm.reiiciunt vt inutilem: Ex deſcriptione Iſaaci apud Serapionem apparet Zedoariam Arabum diuerſam à vulgari Officinarum. Rondel.opinatur eſſe Dioſcor.Coſtum 1.ſiue Arabicum: paucæ notæ deficiunt.

Zeduaria ſiue Zadura herba & Zerumbet: Proſtant [vt volunt Lobel.& Pena in Adu.] peregrinæ duæ radices in officinis,neutra Græcis memorata:& vtraque & nominis ſic radicis eiuſdem meritò putatur. Eidem Lobelio alibi: Zeduarium Officinarum, Belgic. Blockzedoar videndi & habendi copia fuit Antuerpiæ.

Hiſt.Lugd.Zerumbet Serapionis & Zedoaria eiuſdem radicis partes. Zerumbet Serapionis Cluſio.

Caſp.Bauhin.Phyt.Zedoaria 1. ſiue longa quæ ad Coſtum Syriacum Dioſcor.referenda.Zedoaria 2.(quæ Græcis recentioribus Ζαδύρα) rotunda. *Vnam* tantùm radicem cenſemus, licet formâ differant,ſed eiuſdem radicis partes diuerſas. Zedoaria 3. ſiue tuberoſa foris niricans, Zerumbet Serap. Cluſio. *Vnam* Zedoariam exiſtimo non tres: neminem inuenio qui duas rotundas faciat.

Vſus ad colicos cruciatus, præſertim aduerſum venenata,certiſſimus.Lob.& Pena Adu.

## ZEDOARIA GARCIÆ.

QVod nos hîc [inquit Garc.lib.1.Arom.Hiſt. cap.42.] Zedoariam appellamus, Auicennę lib.2.cap.752.(tametſi non nouerit) *Geiduar* dicitur, aliud nomen ignoro, quia naſcitur regionibus Chinenſium prouinciæ vicinis. Magno verò emitur *Geiduar*, nec facilè inuenias, niſi apud Circumforaneos quoſdam & circulatores, quos Indi *Iogues*,Mauritani *Calandares* appellant, hominum genus quod peregrinationibus & ſtipē emendicando vitam ſuſtentat. Ab his enim & Reges & Magnates *Geiduar* emunt. Eſt verò Geiduar magnitudine glandis,eiuſdémque ferè formæ, colore ſublucido. Vnicum huius Geiduar fragmentum, quod circiter dimidiam vnciam pendebat,à Nizamoxa ſemel impetraui:ſed id in Luſitaniam cum inſigni lapide armenio miſſum, vnà cum naui periit. Oſtenderam id priùs Pharmacopolis in Chaul & Goa: ſed nemo illorum nouerat quid eſſet. Aliud pauxillum apud iſtos circulatores vidi: ſed non emi, quòd fraudem metuerem. Vtile eſt autem iſtud Geiduar ad plurima,ſed præſertim aduerſus venena,& virulentorum animalium ictus,morsúſque.

*Geiduar rarum admodum.*

*Iogues, Calandares.*

*Geiduar facultates.*

Porro hoc medicamentum Dioſcoridi incognitum fuit, tum etiam Auicennæ. Incognitum etiamnum Europæ eſſe putat Geiduar Cluſ. hic deſcriptum, & difficulter cognitum iri credendū eſt, ob eas rationes quas noſter Author in medium profert. Nam quam Zedoariam vocamus, nihil minùs eſt quàm Geiduar: ſed ex Zerumbæ forſitan erit generibus,quam ſequenti capite noſter Auctor deſcribit. Tametſi non deſint, veluti in Coſto diximus, qui eam inter Coſti genera Dioſc.deſcripta referendam cenſeant.

*Zedoaria noſtra.*

*Coſtus.*

Hiſt.Lugd.Zedoaria Garciæ.

Caſp.Bauhin. Phyt. Zedoaria 4. quæ Geiduar Auic.

## ZINGIBER ET EIVS SILIQVA.

### CAP. XXI.



ZIngiberis *radices* pluribus tuberibus planis, vnciam aut ſeſcunciam longis, digitali craſſitudine, anguſta ceruice commiſſis conſtant eâ ferè ratione quâ Anemones radix, veſtigiis foliorum ceu Zonis præcinctæ, cortice extenſo, ex cinereo fuſco, ſubſtantia intus cinerea, albicante,ſolidiuſcula, fibris longis & crebris intertexta, ſapore feruido aromatico,Piperis æmulo. Prior noſtra *icon* eſt ex Lobelio parata, quam tamen reiecit, aliam vt veriorem ponens.

*Deſcriptio*

Zinziber ſic deſcribit Garcias.Eſt ſimilibus Iridi aquaticæ aut Gladiolo[non Arundini]foliis, magis tamen nigricantibus: caule cum foliis duorum aut trium palmarum altitudine, radice etiam Iridis,non ſerpente, vt voluit Ant. Muſa exam.ſimpl. At nec admodum acris eſt, præſertim eius quod in Baçaim natum eſt, ob nimiam, quæ dominatur humiditatem.

Zingiber ſui generis planta eſt, autore Dioſc. in Troglodytica Arabia magnâ ex parte naſcens: cuius radices Cyperi modo paruæ ſunt, candicantes & odoratæ, atque Piper ſapore imitantur.

Non eſt [ inquit Plin. ] huius arboris ( Piperis ) radix vt aliqui exiſtimauêre, quod uocant Zimpiberi, alii verò Zingiberi, quamquam ſapore ſimile.

*Gingiber. Dioſc. not.*

Gingiber, vt in Plinii Codice legitur, herba eſt nomenclatura Barbara, antiquitati viribus quàm facie notior: vt cuius Dioſc. radicellas duntaxat paruas ut Cyperi memorat, cui tamen non ſimiles admodum & multò maiores ſunt. Effigiem quæ eſt tota Iridis aut Xyridis, ex virore nigricantibus foliis ſurrectis, hic damus, aiunt Lobel. & Pena Adu. nulli dum depictam, qualem alebat Antuerpianus Pharm. Guill. Drieſch. cuius munere accepimus: tametſi flores vt pote Septentrionali rigidoque cælo, nullos prompſit. *Siliqua.* Siliquam perelegantem habemus Morgano recens allatam ex Indiis Occiduis, puſillæ Melegettæ parem: ſed triplici carina triquetra graciliorem, & admodum Xyridis ſiliquæ accedentem: ſed cortice capillulis obductam, albidam, intus oppletam ſemine pari, lucido, Melegettas manſu facili, & multò gratiore, Gingiber prorſus teſtante: ſuhtus etiam quâ ſiliquâ hæſit ſcapo arguit Gingiberis ſtipitem: quare omnes iſtas ſiliquas, Cardamomi eſſe plantarum conſimilium, nec Gingiberi abſimilium, non abs re quidam peregrinator narrabat.

*Cardamomi ſiliquis ſimiles. Iconem ſuã priorem falſam ſatetur Lob. Linſcotani icon illegitima. Icon noua Lobelii.*

Huic Lobel. in Obſ. tribuit ſemen aromaticum ſubaſtringens guſtu, Zingiberis colore, album, Cardamomo maiori ferè par, ſed oblongius, minuſque feruidum, in triquetra item ſiliqua, rugoſa, duriuſcula, villis quibuſdam & citris obducta, chamçiridis puſillæ ſiliquæ non diſpari. Libello autem de Balſamo ait, viſo Zingibere legitimo, perſpicuè percepi Zingiberis iconem munere miſſam à Dreiſch Commentitiam & effictam è quodam veteri Botanico Germano eſſe. Nouus variarum rerum, rariorumque Indicarum ſtirpium author Io. Hugo Linſcottus Batauus non niſi illegitimam zingiberis effigiem dedit, nos legitimam effigiem damus. *Radicis deſcriptio. Folia Arundinacea.* Arundinem Vallatoriam præ ſe fert nuper enatam. Calecut ager profert zingiber, vt notat Vartomannus, quod haud dubiè radix eſt, eruiturque nonnunquam pondo vnciarum duodecim. Nec omnibus eſt eadem amplitudo. Plus non agitur in profundum radix, quàm ad ternos vel quaternos palmos, Harundinum modo. Cùm eruitur Zingiber, relinquunt internodium radicis in ſcrobe, vnde erutum eſt Zingiber, terramque radici aggerunt, ſeu ſemina eius radicis, proximo anno eruturi fructum, id eſt, Zingiber. Qui Zingiber viderunt in India, hac facie [ id nos docente Ruell. ] repræſentant. Radix geniculatis ſerpit internodiis, crebróque ex iis & ex acumine nouas radices ſpargit: folia bis térue in anno fundit arundinacea, ſed quæ in breuiorem exilitatem faſtigiantur: in totum Gramen dicunt æmulari, nec quicquam in ea regione frequentiùs inueniri. Subdunt nonnihil ſubeſſe diſcriminis in ſapore quod maximè ſentitur cùm præcox vel intempeſtiua fuit meſſis. Oportunum legendi tempus cùm folia inaruerint, alioquin & teredinibus obnoxium eſt, & carie tentatur: Cæterùm [ inquit Cornar. ] quod Dioſcorides radiculas Zingiberis paruas eſſe dicit, quales ſunt Cyperi, id eſt Iunci quadrati: id etiam hodie in pleriſque apparet. Secundum notandum eſt ( monentibus Monachis, ) quod Meſues in fine ipſius deſcriptionis docet nos cognoſcere qualitates & notas boni zingiberis, dicens. Et ſit zinziber album & mundum, & recens: dicit autem album ad differentiam illius quod videtur eſſe rubei coloris: quod quidem non eſt putum ſed tinctum cum quodam bolo, non Atmeno ( vt dicunt ) atque vtinam eſſet, quoniam inde minus malum proueniret: ſed cũ bolo Apuleiæ, ſeu alterius loci noſtræ regionis. Tingunt autem ipſũ, non vt bonificetur, ſed vt ſit magis ponderoſũ, & vt impleantur foramina vermiculorum, ne videatur perforatum, & non recens. Excuſantes enim malitiam dicunt, quod ad meliorem ipſius conſeruationem hoc faciunt, Attamen nos experti ſumus, quod ita corroditur à tineis tinctum. Primum nempe zinziber eſt album, & quod quærit in præſenti & ſequenti deſcriptionibus, & aliis locis. Vnde ſequitur, quod tinctum ſiue rubrum, & non album zinziber, non eſt admittendum ad medicinę vſum.

*Zingi... album... Rubr... Bolo... leten... gitm...*

*Tinb... non... dit c...*

Aduehitur, inquit Mathiolus, Gingiber in Italiam copioſum ex Calecut magno Indiæ emporio, atque ex Traglodytica Arabia non ſolùm tractu temporis exiccatum, ſed & ſaccharo recentiſſimum aſſeruatum, vel quodam mellis genere, quod quibuſdam è ſiliquis exprimunt. Id ſanè longè magis Veneto præſtat: cùm hoc Officinarum mangonio ex aridis fiat radicibus, longo temporis tractu, modò acerrimo lixiuio calce, quernoque cinere parato: modò muria: modò dulci aquâ maceratis & edomitis, quibus odor non modò deperditur, ac euaneſcit: ſed & ſapor & acrimonia ſubtrahitur. Illud verò ſtatim cum è terra effoſſũ nulla ferè maceratione cõdiatur, Vires & facultates non exuit, ſed eas ſeruat. Quanquam Braſſauolus non rectè velle videatur, quod Venetiis magonizatum Gingiber guſtantibus plus acrimoniæ relinquat, quàm illud quod recentiſſimum in India ſiliquatum melle, aut Saccharo conditum aſſeruatur, & cum aliis aromatum generibus ad nos conuehitur. Quod quantùm à veritate & ratione diſſonet, ii iudicare poterunt, qui diu in myropoliis verſati, rem omninò exploratam habent. *Monachi* de Carie contrarium aſſerunt contra Amatũ dicentem: Aduehitur porrò zingiber ex Inſula Cananoris. Radix alba, quæ ne euaneſcat, ac vermibus corrodatur, terra quadam rubra aqua diſſoluta inficitur, ac ſic infectam, rubrum zingiber appellant. Recentes radices, ſaccharo aut melleo quodam liquore ab Appolline condiuntur, natali ſolo delicatiores, & fictilibus in Italiam apportantur, vt idem fit Venetiis & Mediolani, officinarum mangonio, ex aridis veteraſcentibuſque radicibus: Veruntamen facillimè deprehenditur ex Braſſauolo, quoniam ex recenti zingibere conditum, minùs acre eſt, & guſtu delectabile, ex veteri autem mordicat, nec ita guſtum ſatiat, ac in fine nonnihil, velut filamentum, in ore relinquitur. Huius Matth. verba corrumpit, nec ſynceram hominis mentem aſſequitur, potiſſimùm quòd acrius illum dixiſſe notet, Venetiis mangonizatum Gingiber, dulce autem viride propria in patria conditum, quod ſi ſcripſerit prædicta legentes diiudicent: Enimuerò minùs acre legitimum cenſet, id eſt minoris acrimoniæ, ſophiſtico comparatum, quod tum acerrimo lixiuio, ex querneo cinere, calcéque maceratũ, modò muria, modò dulci aquâ

*Bra... repr...*

*zing... radi... tingi... rubr... zing... rubr...*

macc-

modò muriâ maceratũ, modò dulci aquâ macerarur: in his etenim etſi odoris, ac natiuæ acredinis parte ſpolietur, non poteſt tamẽ tẽporis curriculo, nõ extraneã, ac intima ſubeũtẽ induere acrimoniam, ex macerarione præter naturam imbuta, eáque acquiſititia, acrius quàm recẽs aſſeruatũ appellari, quod ſi aridum, non præmaceratum, condituram ſufferret, maiori profectò acumiue guſtum vellicaret: Sicque Matthiolum etiam impugnaret, quòd humiditas aquea in viridi Zingibere de qua Gal. 7. ſ. acrimoniam heberat: ac niſi alios ſales, recentioráue afferat, anagyrum mouebit, & à probatiſſimis viris facilè refelli poterit.

Maximil. Tranſ de Molucis inſulis Gingiber hoc modo (teſte Cluſ. apud Garciam cuius deſcriptionem iam antè poſuimus) deſcripſit. Gingiber verò paſſim in ſingulis Inſulis huius Archipelagi naſcitur: aliud ſeminatim, aliud ſpontè prouenit, ſed quod ſeminatur nobilius eſt. Heiba ſimilis illi quæ Crocum (Indicum intellige, ſiue Curcuma) fert, & eo modo eius radix ferè naſcitur, quæ Gingiber eſt.

Nunc Gingiber [vt Acoſta ex verſ. Cluſ. delineat] trium aut quatuor palmorum magnitudine aſſurgit, foliiſque eſt Milio maiori, quod lachryma Iobi vulgò nuncupatur, admodum ſimilibus, caule verò Aſphodelini craſſitie, ex multis foliorum inuolucris conſtãte, vt veluti exigua quædã arundo appateat: radicibus quodammodò Iridi ſimilibus. Mirabilis eſt figura Acoſtæ, quæ non reſpondet deſcriptioni, eãq; ideò omittimus: Cõpil. H. L. ſcribit foliis Lachrymæ Iob, ſeu Milii Solis: meliùs verò Cluſius vertit, Milio maiori.

Hiſt. Lugd. Zingiber Penæ. Item Zingiber Acoſtæ. Anton. Zigafetra narrat in inſula Thidore naſci Zingiber, ídque recẽs panis modo, quòd recens acre non ſit veluti eſt ſiccum, paruã plantam quæ caules ferat palmum altos, folia item ſimilia, ſed anguſtiora & breuiora, quorum nullus vſus.

Plant. Ic. p. 70. Zingiber Lob. 37. Adu. 33. Teut. 99. Et p. 71. Zingiberis ſiliqua cum grãs ſuis Lob. 37. Teut. 99.

Zingiber Græcis ζιγγίβερι: Germ. Imber/ Ingber. Belgis, Gengeber/ Gengber/ Gember/ Gingebar: Gallis, *Gingembre*, *Zingembre*. It. *Gengeuo*, *Zenziero*. Hiſp. *Gengeure*, *Gengibre valadi*. Anglis Genger. Appellatur Arabibus (vt ait Garc.) Perſis & Turcis *Gengibil*, non Lengibel [vt corruptè legunt Serapionis lib. ſimpl. cap. 336. exemplaria] in Guzarate, Decan, Bengala, cùm adhuc recens & viride eſt, *adrai*: ſiccatum verò, *Stutte*: in Malauar, tam viride quàm ſiccũ, *imgi*: in Malayo, *aliaa*.

Pharmac. Guill. Drieſch alebat Antvverpiæ: Succulentę recens conditæ ex Indiæ variis locis, nec non Aphricæ finitimæ in Europam vltimam Septentrionalem & Meridianam vænum feruntur. Fliſſelingæ Zelandorum vidit Lobel. Obſ. in horto Ill. Principis Mauritii à Naſſavv, vbi alebat, ſolo leui, lateritiis fragmentis rubris quo gauder permixto. Perſimilis aut eiuſdem Zingiberis radices ibidem duo Pharmacopœi. Naſcitur Gingiber in omnibus Indiæ prouinciis Garciæ cognitis, ſemine aut radice ſatum. Nam quod ſpontè prouenit, exigui eſt momenti. Optimum & frequentiſſimum eſt Malauaricum, Arabibus & Perſis maximè experitum. Secundum locum obtinet quod in Bengala inuenitur. Tertium quod in Dabul & Beçaim, totáque eâ ora maritima naſcitur. In ſolitudinibus & mediterraneis vix creſcit, neque inde ad nos adfertur. Inuenitur etiam in Inſulis Diui Laurentii & Comaro, quæ Aethiopiæ ſunt conterminæ. Inde ſumpſerunt occaſionem nonnulli, vt ſcriberent apud Troglodytas & Arabes naſci. Colligitur & eruitur Decembri & Ianuario, deinde aliquã- *Troglodytæ* tulùm ſiccatum limo obducitur, non quò maioris ſit ponderis, ſed vt foraminibus obturatis, diu- *Gingiberis meſſis.* tiùs ſine corruptione in ſua humiditate naturali conſeruetur. Nam non probè obductum, teredini obnoxium eſt: Galen. lib. 6. ſimpl. è Barbaria conuehi ſcribit. Si per Barbariam Indiam intelligit, benè quidem, at ſi eam Africæ partem quæ nunc Barbaria dicitur, malè. Dioſc. autem lib. 2. c. 151. in Troglodytica Arabia naſci tradit: (Plin. in Arabia & Troglodytica:) Naſcitur quidem apud Troglodytas & Aethiopes, ſed adeò exigua quantitate, vt ipſis incolis vix ſufficiat. In Arabia verò non naſcitur, quandoquidem ad Arabes exportatur.

Radices Zingiberis præceptore Dioſcor. eligi debent, quæ teredinem non ſenſetunt. Celeriter *Delectus.* enim, atteſtante Plinio, cariem ſentiunt, quamuis in tanta amaritudine.

Viridi herba ad multa vtuntur, quemadmodũ nos (inquit *Dioſcor.*) ruta, in potionibus quæ cibo præmittuntur coquentes, & aliis cocturis am- *Vires & vſus* miſcentes. Vim habet calefaciendi, concoquendi, aluum molliendi, moderatè ſtomacho cõmodam. Facit etiam ad ea quæ oculorum pupillis tenebras offundunt. Ammiſcetur quoque antidotis. Et in ſumma Piperis facultaribus quodammodò ſimile eſt.

Zingiberis radix [teſte Galeno] vtilis eſt, quam vtique ex Barbaria ad nos conuehunt. Excalfacit fortiter ſed non ſtatim primo occurſu velut Piper: vnde ſanè & ipſum minùs eſſe ſubtiliũ partilium partium quàm Piper exiſtimandum, ſiquidem in tenues ſolueretur partes, & celerrimè actu, vt illud, fieret calidum. Apparet enim illaboratam & craſſiorẽ adhuc quandam ei ineſſe ſubſtantiã, nec eam ſiccam & terreſtrẽ, ſed humidã potiùs atque aqueam. Quo fit vt facilè perforetur, cùm ſcilicet recremẽtitia inſit humiditas. Neque enim quicquam eorum quæ aut planè ſicca ſunt, aut humida, ſed elaboratam & familiarem continentia humiditatem, huic vitio obnoxia ſunt. Idem vſu venit Piperi longo: Atque hinc eſt quod diutiùs perſeuerat quæ proficiſcitur à Zingibere aut Pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo aut nigro. Nam ſicut ab aridis calamis flamma ſimul celerrimè accenditur, & vndequaq; diſpergitur: eundẽ in modũ quæ à ſiccis poteſtate medicamentis editur caliditas. At quę prodit ab humidioribus, ceu ligna ſunt viridia, & tardiùs accenditur, & durat diutiùs. Ex quo fit vt vtriuſque medicamenti diuerſus ſit vſus. Siquidem vbi totum corpus celeriter excalfacere conſilium eſt, ea tunc exhibenda ſunt quæ & celerrimè à caloris noſtri contactu incaleſcant; celeriter quocunque ferantur. Verùm vbi partem quamvis refrigeratam recalfacere ſtudemus contrà agendum, nimirum quæ tardè caleſcentia plurimo tempore perdurant, ea præbendo. Cæterùm licèt Zingiber & Piper album hac ratione [alii legunt longum] à nigro Pipere differant, non magna tamen eſt differentia: at Naſturtium, Sinapi, Thapſia, & agreſtium Columbarum ſtercus maiori tempore perdurant. Radix Gingiberis condita ad affectus ventriculi frigidos confert, ſumpta manè jejuno ventriculo. Corrigit omnem ventriculi humiditatem, ac om-

nem corruptionem generatam in eo ob nimium eſum fructuum. In Syrupo aut Saccharo condita confert tuſſi & reſtigerationibus: pectus purgat, atque maturat pituitam viſcidam & lentam. Valet contra obſtructiones hepatis, generatos à frigiditate & humiditate, memoriam iuuat. Sperma auget & ad Venerem incitat. Denique Gingiber calefacit ac vtile eſt in cibis, datum cum purgantibus vehementioribus, vt Colocinthide, Homodactylis & ſimilibus, eorumque malitiam corrigit.

Calidum eſſe 2. gradu & nonnihil humidum Dodonæus ſtatuit.

Imbecillo ſtomacho [aiunt Aduerſ.] vires inſtaurat, calorem fouet, aluumque emollit Dioſcoridi: nempe ſi maturæ, ſed teneræ, recenteſque radices comedantur, nondũ exhauſto humido lubricante & purgante, vti vidimus in Iride, quæ vetuſtiores ſiccant potiùs & ſiſtunt aluum. Succulentæ autem recens conditæ, multa commendatione ex Indiæ variis locis, nec non Aphricæ finitimæ in Europam vltimam Septentrionalem & Meridianam vænum feruntur: tametſi iam vi emolliente exoletà: maceratas lixiuio condiunt ſaccharo etiam noſtrates Veneti, Antuerpienſes, & alii Inſtitores paſſim.

A multis, vt teſtatur Plin. ob. id, quòd teredinem facilè ſentiant, radices Zingiberis condiri ſolitæ ſunt. Quem ad finem Fuchſ. & Cronemburg de comp. med. zingiber conditum Meſuæ

*De Zingibere condito.*

ita conficiunt. Recipiunt zingiberis recentis, ſi habere poſſint, aut ſaltem arte humectati, partem vnam, cum Sacchari partibus tribus, & coquunt. Sunt tamen qui zingiber humectatum cum ſaccharo clarificato triplo condiunt. Humectandum autem zingiber album, purum, recens, aqua frigida offuſa. Qua ratione non ſolùm radices, ſed & fructus ſicciores recentibus ſimiles redduntur. Biduò enim ſine coctione, in aqua frigida macerata hæc omnia intumeſcunt. Sunt qui zingiberis & aliarũ radicũ librã vnã coquunt in aqua, donec tenereſcant, deinde tritas per cribrũ ſetaceũ traiiciũt, & denuò cum Sacchari libris tribus ad mellis conſiſtentiam coquunt. Zingiber verò conditũ intemperiem ventriculi frigidam & humidam ſanat, & ab ea tardam ac deprauatam concoctionem, quæ cibos in acidam cruditatem corrumpit. Viſcerum lubricitatem corrigit, flatus diſſipat, alimenti in iecur & vniuerſum corpus diſtributionem accelerat.

*Zingiberis ſpecies Mechinum dicta.*

Descriptio

Eſt mihi zingiber, colore externo magnitudine & figura ad vulgare zingiber proximè accedens, quemadmodum & ſaporis feruore. Verùm conſiſtentià eſt compactiori, duriori, paucioribus fibris intertexta, coloris ex cinereo nigricantis: de quo ni fallor Lob. Conditur etiam & proſtat in Officinis alia radix Mechinum hodiè dicta zingiberi cognata, à quo nec maturitate aut improbitate differt, vt parum verè ſcripſerunt, ſed potiùs ſpecie & concretione, (caret quippe fibris & filamentis) perſpicuitate, fuſcedine, ſoliditate, & acriore guſtu, nec teredine exedi ſolita.

Lobel. & Pena Adu. & ex iis Hiſt. Lugd. *Mechin* & zingiber fuſcum Officinarum.

Secacul [inquit Rond. de cur. morb. in paraly.] eſt quod vulgò Mequicum appellant, radix ſimilima zingiberi, & conditur vt zinziber, ſed eſt calidius, ſine humiditate, quæ tamen reperitur in zinzibere. Ob id zinziber patitur cariem non Mequinum, qua nota diſtinguitur à zz. ſicut etiam filamentis & villis quibus caret Mequinũ, non autem zz.

## ZINGIBERIS MECHINI RARA varietas.



NEc vnquã nobis viſa antea hęc quam icone exhibemus Mechini ſpecies, nuper adferri cœpta, cuius Morganus aliquot emit libras. Vulgatum zingiberem aut Mechinum refert, ſed elegantiore aſpectu, colore Mechini, cortice zingiberis albi, ſed ſquãmatim geniculato, & ferè articulato veluti Doronicum: aſpectu pellucido: guſtu quàm zingiberis multò acriore, & ſicciore: carie non exeſa.

Lobel. & Pen. Adu. & Ic. Plant. Mechini rara varietas.

Hiſt. Lugd. Mechinum Penæ. Rara Mechini ſpecies.

## CVRCVMA SIVE TERRA merita Offic. radice Crocea.

### Cap. XXII.



CVrcuma duûm generum promiſcuè in myrotheciis reperitur: vna breuior, craſſior: altera gracilior, longior: maxima longitudo vix duas excedit vncias, minima plùs quàm dimidio minor: in vtroque genere oculi ſubinde conſpiciuntur & radicum nouæ propagines, adhæc zonæ circulares. Superficies rugoſa, coloris crocei, qui in penitioribus partibus intentior apparet, quo & aquam in qua maceratur aut ſaliuam ſi maſticetur,

tur aut ſaliuam ſi maſticetur, tingit. Subſtantia ſolida & compacta, nec ita teredini obnoxia vt Zingiber, ſapor amarus cum acrimonia aromatica, nonnihil ad zingiberis ſaporem accedens.

Garciæ radix recens, intus crocea, foris Gingiberi perſimilis: vehementi amaritudine & acrimonia, dum recens eſt, caret: ſiccata verò acris eſt, ſed non adeò vt zingiber, putóque ſine noxa poſſe ſumi: foliis eſt Milii maioribus, cauléque foliaceo.

Acoſtæ, maiora latioráque habet Crocum Indicum folia quàm Orchis Serapias dicta, colore foliorum Scillæ, dilutiora tamen & tenuiora.

Quid Plinio Dioſcoridíque fuerit Cyperus Indica herba, non facilè fuerit oſtendere, cùm ſuo nomine nec Officinis, nec Herbariis quibuſcũq;, ſed quodam potiùs aſcititio & vulgari noſcatur.

Defertur ad nos ( Ruellii ſermo eſt ) ex India radix, quam officinæ Terram meritam appellant. Ea Gingiberi permiſta ſæpiùs inuenitur, & prorſus effigiem eius refert, manducatáque magnam Crocati liquoris vim reddere cognoſcitur, pictoribus ideò optimè cognita, & iis, qui pro phaleris equorum ea vtuntur. Siquidem inducta verum auri fulgorem mentitur, quare auri loco ad exornandas æneas laminas opifices vtuntur. Hanc igitur Plinii Cyperidem, ſiue Dioſc. Indicum Cyperum id eſſe, quod terram meritam officinis appellari modò diximus, non ambigimus: cùm ex India cum Gingibere deferatur, cæteræque dotes ei ab iis Autoribus attributæ reſpondeant, nec effectu reclamante. Namque ſi libeat vim eius experiri, inuenies partes piloſas ea perunctas confeſtim glabreſcere, tam apertè pilos detrahit. Hæc Ruellius à cuius opinione nõn videtur diſcrepare Sylu.

Hoc interdum inter Zingiberis radices inuenitur ( ait Fuchſ. de comp. medic.) & Curcuma Seplaſiis nominatur. Porrò Serapionis Curcuma, vt ex vtriuſque Hiſtoriæ collatione patet, non eſt niſi Chelidonium maius. Quapropter de Serapionis ſententia Chelidonii potiùs radice, quàm Cyperi Indici Pharmacopœis vtendum eſſet. Nihil autem refert vtro vtantur, quòd Cyperus quoque Indica præſentem Dioſc. atteſtante, pſilothri vim illita exhibeat. Idem Monach. in Meſ. Cronemburg. de comp: med. lib. I. Apollo. & Cluſ. in fine Dodon. Gall. cui κύπερος ἰνδικὸς græcè dicitur, Lat. Cyperus aut Cyperus Indicus Dioſc. Offic. Curcuma, & Cornar. Colleg. med. Florentin. idem facit, quanquam videantur contrarii omnibus ferè reliquis cùm dicunt de hac radice: Illud Curcuma Veterum eſſe non abs re plerique exiſtimant. Idem cum ſuperioribus ſentit Amatus, qui dicit: Ruellius Cyperum Indicum, radicem quandam eſſe, quam Officinæ Terram meritam appellant, ait, quam niſi Curcumam Officinarum intelligat, procul dubio errat.

Curcuma, quæ à Veteribus Cyperus Indica dicitur, Cordo in Hiſt. duplicis eſt differentiæ, videlicet longa & rotunda &c. Idem in Dioſc. ait, Cyperus Indicus cui à Dioſcor. tribuitur amaritudo, quam vbique Curcumam in Pharmacopoliis vocant, quidam etiam Terram meritam.

Officinarum Mauritanos ſecutarum Curcuma ( ait Matth. ) præ ſe fert omnes notas, quas Indico Cypero reddidit Dioſcor. Quandoquidem Gingiberi ſimilis, eius odorem fermè redolet, guſtu ſubamareſcit, & manſa Croci modo inficit. Quibus etiam illud accedit, quod depilatoriis medicamentis quibuſdam admiſcetur. Veruntamen ſciendum eſt hanc non eſſe Curcumam à Serapionis Interprete pro Chelidonio deſcriptam: ipſe enim nihil aliud pro Curcuma intelligit, quàm Dioſcoridis Chelidonium: quó fit, vt non deſit ſuſpicio erroris vel Interpretis vel Scriptoris, cùm Curcuma neque Mauritanum, neque Græcum ſit vocabulum: Aphri enim Chelidonium Kauroch appellãt, vnde palàm eſt Curcuma pro Kauroch in Serapione deprauatè legi. Quo factum eſt, vt priores tum Medici tum Seplaſiarii, qui nunquam hæc perpenderunt, fuerint hallucinati: quippe cùm eos lateret, cuiuſnam plantæ radicem, Indica Cyperus referret, Chelidonii maioris radicem eſſe crediderunt, ob Crocei ſucci ſimilitudinem. Itaque Serapionis deprauatam lectionem ſecuti, Indicum Cyperũ Curcumam vocauere. Indici Cyperi meminit Serapio Dioſcoridem ſecutus, proprio capite de Cypero. Ex quo apertè conſtat, Curcumam Serapioni deprauatè inſcriptam, Seplaſiarum Curcumam, quæ procul dubio Indicus eſt Cyperus eſſe nequaquam. Crocum Indicum, inquit Garc. in Canara appellatur *Alad*: ſic etiam in Malauar; ſed propriè *manjale*: in Malayo, *cunhet*: à Perſis, *darzard*, quod lignum luteum ſonat: ab Arabibus *habet*. Huius mentionem facere videtur Auic. lib. 2. cap. 200. & Caledſium ſiue Chaliduninm appellare. Fieri autem poteſt, vt corruptum ſit vocabulum, vocatáque ſit hæc radix initiò Arabibus Aled, quemadmodum & Indis, poſtea verò corruptè Calcdſiam. Vt autem hoc faciliùs credam, me impulit, quòd eum, caput de Curcuma ſiue Cucurmani lib. 2. c. 166. [quod etiã huic radici ſimile eſt,] ſcripſiſſe videam. Solet enim Auicenna de ſimpl. aliquo medicamento dubitans, diuerſa ſcribere capita. Neque eorum auctoritas me mouet, qui per Curcuma Chelidonium intelligi dicunt, quoniam crocea ſit radice, ſcribátque oculis perutile eſſe, quæ notæ etiã Chelidonio conueniunt.

*Aled.*

*Curcumani*

*Chelidoniũ*

In noſtris exemplaribus ( inquit Cluſ. apud Garciam) Auicenna lib. 2. cap. 200. Chelidoniũ deſcribit. Capite autem 166. de Chotcumani ſiue Chorchumina agit, cum hac interpretatione: Et eſt fex olei de Croco. Officinarum Curcuma, Dioſcor. Cyperum Indicum volunt Recentiores. Præter nomina ab Orta enumerata ait Acoſta ex verſ. Cluſii, Crocum Indicum, Arabibus etiam *Curcum*, Turcis *Saroth* appellari.

*Corchũmã.*

H. Lugd. append. p. 11. Crocus Indicus Acoſtæ: Terra mer̃ta.

Tab. ic. Curcuma, Cyperus Indic⁹, Gilbwurtzel.

Plant. Ic. p. 72. Terra merita, Curcuma Pharmac. Cyperus Indicus Dioſc.

Cæterùm Curcumam ſeu Terram meritã Offic. nos verum Indicum Cyperum ſtatuimus. Nec illorum ſententia nos mouet qui Galangam, Cyperum Babilonicum eſſe tradunt. Sicuti nec eorum, qui per Cyperum Indicam, radicem Chelidonii intelligi volunt.

*Aequiuocationes.*

Naſcitur plurima in regionis Malauar parte, videlicet in Cananor, & Calecut. Prouenit etiã hîc Goæ, ſed exigua quantitate. Magna eius copia ad Arabes, Perſas & Turcos defertur: qui omnes apud ſe non naſci, ſed ex India adferri fatentur.

*Locus*

De viribus hæc prodidit Dioſc. Narratur & alia ſpecies Cyperi in India naſci, zingiberi ſimilis: quæ commanſa crocea & amara reperitur: illita autem, pilis corpus denudat. Eſt per ſe, ait Plin. Indica herba quæ Cyperis vocatur, Gin-

*Vires*

giberis effigie : commanducata Croci vim reddit. Cypero vis in medicina pſilothri. Illinitur pterygiis. Plinius non diſtinxit vires vt Dioſc. quæ enim Dioſc.attribuit primo Cypero, hic etiam ſecundo attribuit.

Hæc & nonnulla alia ſic tradunt Auerſ. At vires perquàm ſimiles quaſdam habet[præter Croceum ſuccum quem manſu remittit] cum zingibere,tametſi guſtu ignauiore, ingratiore, dote autem reſerandi viſcera potiore: ideoque hodie plerique cum zingibere miſcent ad Icterum. Vis autem philothri illa feruida videtur elangueſcere,longa temporis & locorũ intercapedine,atque teredine,cui eadem obnoxia eſt, ſed minùs quàm zingiber. Pictoribus & Chymiſtis hodie frequens eſt. Croco indigeno [inquit Garcias] vulgò vtuntur ad tingẽdos condiendoſque cibos, cùm hîc, tum apud Arabes & Perſas,ob eam nimirum cauſam, quòd viliori ematur,quàm noſter *Crocus noſter.* Crocus, qui apud eos etiam prouenit: huius tamen etiam in medicina vſus eſt,præſertim autem in ocularibus medicamentis: tum etiam ab pſoram, ſi cum Mali aureæ ſucco & Cocci, ſiue Nucis Indicæ oleo miſceatur. Ad eoſdem affectus commendat etiam Auicenn.Curcuma.

## COSTVS.
### Cap. XXIII.

OMiſſa deſcriptione Coſti, genera & delectum ita delineat Dioſc. Ex Coſto præſtat Arabicus, qui albus eſt & leuis, & plurimum ac iucundum habet odorem. *Coſtus Arabicus.* Secundum locum obtinet Indicus qui plenus eſt & leuis,& niger, *Coſtus Indicus.* velut Ferula. Tertius eſt Syriacus,grauis,colore *Syriacus.* buxeus, odore nares percellens, Optimus autem recens,albus,plenus per totum,denſus, aridus,non corroſus à teredinibus,non graue olens, *Delectus* ad guſtum mordax ac feruens. Vim habet calefaciendi,vrinam ciendi,menſes ducendi,& ad vteri affectiones auxiliarem,& in peſſis & perfuſionibus ac fomentis. Contra viperarum morſus ſextantem bibere prodeſt: & ad thoracis dolores,& ad conuulſa ac inflationes,cum vino & abſinthio. Sed & Venerem ſtimulat ex vino mulſo: Ducit etiam lumbricum larum cum aqua, illinitur quoque cum Oleo in rigoribus ante fe- *Adulteriũ.* brium acceſſionem,itemque reſolutis. Purgat & maculam Solarem illitus cum aqua aut [pro ἢ legit ἢ Marc. quod ad me attinet malo legere ἢ quum ita legerit Gal.de ſimpl.] melle. Ammiſcetur etiam in malagmata & & antidotos. Sunt qui admiſtis Helenii Comageni radicibus adulterent. Quod deprehenſu facile eſt. Neque enim ad guſtum feruens eſt Helenium, neque odoris gratiam validam & nares percellentem exhibet.

Coſtus leuiculam,planè amaram, plurimam autem acrem calidam in ſe qualitatem ſimul & *Temperã.* facultatem continet,autore Galeno, adeò vt e- *Exulcerat.* tiam exulceret, cùm ex oleo corpus eorum qui- *Ad Iſchiadem.* bus per circuitũ rigor inuadit,ante acceſſionem illo confricatur: ſic verò etiam in reſolutis & Iſchiadicis, atque in ſumma in quibus excalfacere partem quamuis, aut ex alto in ſuperficiem extrahere quippiam eſt opus, ad Coſtum confu- *Ad lumbricos.* gitur. Eadem de cauſa vrinas menſeſque prouocat,& ad rupta, conuulſa, ac laterum dolores congruit. Porrò ob amaritatem quæ illi ineſt lumbricos necat,ob eandem & ad contractas vel ex Sole maculas, ἐφήλεις Græci vocant,cum aqua aut melle vſurpant. Ineſt item flatuoſa quædam illi temperiei humiditas, per quam & Venerem excitat cum vino mulſo. Hactenus Galenus. Libro verò de ſimpl.ipſi attributo quatuor Coſti traduntur ſpecies, Ægyptius, Arabicus, Indicus, & Syrius.

Cæterùm Theophr. inter ea [quibus ad vnguenta vtimur] Coſtum reponit. Amaracinum enim ex hoc fieri ſcribit. Acredinem quandam, inquit,cum caliditate moderatam habet.

Plinius de Coſto ſic paucis agit: Radix & folium Indis eſt maximo pretio. Radix Coſti guſtu feruens,odore eximio, frutice aliàs inutili. Primo ſtatim introitu amnis Indi in Parale inſula, duo ſunt eius genera, nigrum, & quod melius,candicans. Pretium in libras 16. *Nig… Alb…*

Auicennæ ſpecies tres ſunt. Arabicus eſt, inquit, albus,leuis,aromaticus. Alter eſt Indus, qui eſt magis leuis. Tertius eſt amarus, grauis odoris, qui nominatur garyophyllata. In quo à Dioſc.diſſentit, ſcribente tertium eſſe Syriacum, grauem,colore buxeo,& odore feruentem.

Serapio de Coſto omnia ex Dioſcoride & Galeno exſcripſit.

Officinæ Arabes ſecutæ Coſtum fecêre duplicem, dulcem & amarum. Dioſc. tamen & Plinius neque dulcis,neque amari mentionem vllam fecerunt.

Horat. Achæmenium Perſicum dicit. Achæmenii enim Perſæ dicti ab Achæmino Rege, vnde Coſtum venit.

Coſtus verus (ſi Bacch.credimus) non habetur,ſed pro Coſto quædam vulgaris radix venditur,nec inuenitur dulcis & amarus,vt vulgus putat, ſed albus & niger, nunc Venetiis optimus venditur. *Coſ… bus… ger… ner… Coſ… cies.*

Coſtus amarus, ſiue Coſtus amara, ſiue Coſtum amarum (omnis enim generis Monachorum teſtimonio legitur) in Meſu. Antid. & in in multis aliis locis dicitur ad differentiam dulcis. Nec conniuendum cum aſſerentibus dulcem Coſtum in rerum natura non reperiri, cùm Coſti ſint plures ſpecies, & quòd aliqua ipſarum dicatur dulcis probetur per plures non ſpernendos authores. Nos autem non poſſumus determinare de Coſto, quoniam adhuc nec Coſtum *Coſ… gar… eſt…* Amaram,nec Coſtum dulcem(ſupple veram) vidimus: quia hæc radix, quâ communiter hodierni aromatarii pro Coſto vtuntur,non eſt Coſtus, nec Coſti ſpecies: Etenim quilibet legens ſcripta doctiorum de Coſto,clarè percipit, hanc Officinarum radicem,non eſſe veram Coſtum. Dioſcor.quidem,Serapio & Auicenna tres deſcribunt Coſtos, Arabicam ſcilicet, Indicam & Syriacam: ſed cùm loquuntur de coſto Arabica, dicunt, quod eſt alba,leuis & Aromatica, & nihil de amaritudine tangunt. Quod autem ſubticuerunt, Macer & Conſtantinus apertè dixerunt, quod nõ eſt amara. Vnde Coſtus Arabica,quia non eſt amara,rectè dulcis poteſt appellari. Sed quia nec amara, nec dulcis vera habetur Coſtus,loco eius ſecundum Auic.ponitur medietas ponderis eius de optimo Pyrethro. Et ſecundum alios, loco eius ponitur Helenium, id eſt Inula vulgò dicta.

De Coſto velut de re nota [ait Cornar.] Dioſc. tradit,vt cuius radicem ſolùm experi conſtet, id quod Plinius quoque dixit. Radix Coſti guſtu feruens,odore eximio, frutice aliàs inutili. &c. Diuerſa ab hoc (ait præterea) herba eſt itidem coſtus appellata hortenſis, Piperitis aut Siliquaſtrum potiùs cenſenda. Ac quod in po-

in potu auxiliari coſtum à Vipera morſis ſemunciæ pondere dixi, in Græcis corruptè habetur, βοηθεῖ οὐγγίας ϛ. πλῆθ. , id eſt auxiliatur ſextantis, hoc eſt duarum vnciarum pondere. Pro ϛ. ergo lego notam ἥμισυ, nimirum hanc Ϛ. quã etiam οὐγγίας vox requirit : & ſextantis pondus aliàs nimium eſſe apparet. Reliqua nota ſunt in hoc capite. Et de lumbrico lato in Com. medicis agemus.

*Sy- in Ger. ib.*

Veri autem Coſti( Cord.loquitur) in antiquis & bene inſtructis per Germaniam Pharmacopoliis,ſpecies deprehendimus duas, quarum alterã Syriaci,alterã Arabici Coſti hiſtoria repræſentat. Altera enim radix eſt duûm vt plurimùm digitorum latitudine, per tranſuerſum in taleolas ſecta,colore candida,pondere leuis,guſtu acris, aromatica,acrimonia ſuâ diu palatum obſidens, odore acris,iucunda,oríſque halitum ad longum temporis ſpatium bonitate odoris commẽdans. In ſumma, nihil deeſt quod ad Arabici hiſtoriam attineat. Altera craſſitudine iam dictam æquat: ſed buxeo colore, & pondere differt,odore tamẽ ac ſapore Arabico omninò ſimilis. Tales quidem ſunt Arabicus & Syriacus Coſtus. Indicum verò nondum nobis videre licuit.Interim Pharmacopolas hortamur vt verum Coſtum emere ſtudeant, & repudient tandem adulterinũ. Vulgare illud Coſtũ grãde, teterrimum & rancidum ſaporem habens ex Heluetiorum alpibus & Italia ad nos adfertur.*Hactenus Cordus.*

Illi autem contrarius eſt Matthiolus, dicens: Qui in myropoliis paſſim habetur Coſtus adulterinus eſt : quippe nec vlla odoris ſuauitate cõmendatur: nec guſtu adeò acri depræhenditur,vt admotus exulceret,vt Galen.inquit.Proinde medicamentis, quæ Coſtum excipiunt non erit meo iudicio,imponendus,cùm præterea nos planè lateat cuiuſnam plantæ ſit radix. Cæterùm Seplaſiarii,ſi legitimum conſequi nequeunt,à pſeudocoſtis abſtineant, & Galenum, vel auctorem illũ ſequantur:qui ſi Coſtus defecerit,ammoniacum, vel helenium ſupponi iubet. Sunt inſuper, qui Coſti loco Angelicam Recentioribus vocatam ſupponendam exiſtimẽt:quorum ſententiam magis probandam cenſerem,quàm eorum,qui Pſeudocoſtis vtuntur. Coſtum enim hæc radix non obſcurè refert: quandoquidem eximia illa odoris ſuauitate tam iucundè ſpirat,vt Angelicæ nomen ſibi meritò vendicaſſe videatur. Acris præterea eſt, nec amaroris omninò expers. Quapropter eos haudquaquam damnandos putauerim, qui Angelicam Coſti genus eſſe crediderunt. *Hæc Matth.*

Huic poſtremæ opinioni de Angelica conſentit Collegium Med.Florent.

Extant.[id ſcribente Fuchſ.]in officinis Medicorum ſub Coſti appellationibus dulcis & amari radices duæ,ſed à Veri Coſti notis plurimùm diſtantes. Nam nec candidæ,nec leues, nec guſtu feruentes,nec odoratæ ſunt. Suſpicio eſt Menthæ Sarracenicæ,alteram ſaltem eſſe radicem. Nos vt ſperamus veras Coſtos dulcem & amaram in altera noſtrarum ſtirpium hiſt. Comm. editione pictas dedimus. Nicolaus quoties citra adiectionem Coſti mentionem facit, ſemper amarũ appellatum intelligit, vt qui guſtu feruidus ſit. Cùm paucis adhuc vera Coſtus nota ſit, eius ſumendum ſuccedaneum cum Galeno in ſuis antiballemonis, nempe Helenium, cùm vtriuſque idem temperamentum ſit, nec viribus inter ſe diſcrepent, vt ex ambarum ſtirpium hiſtoriç collatione omnibus ſit manifeſtiſſimum.

*Coſtus vulgaris. Coſtus vera. Succedanea. Ammoniacum. Helenium.*

Noſter vulgaris Coſtus (inquit Cronemburg.) mendax eſt. Quando autem verum habere non poſſum[quem tamen in Officina Ioannis à Galẽ, cùm Mithridatium conſarcinarer anno L. omnibus notis ſuprà ſcriptis,& vidi & guſtaui] tum ex ſuccedaneis Galeni tantundem Ammoniaci, vel Helenii ſuſtituo. Vſum Pſeudocoſti planè interdico. Hodiè verò in Officinis & myropoliis,vt habet Amat. dulcis & amarus dicitur Coſtus,quũ tamen amarum tantùm exhibeant,& pro eo herbæ cuiuſdam radicem capiant, quam hortulanã Romanam,ſiue Mentham Romanam aut Sarracenicam Seplaſiarii vocant.

*Mentha hortulana.*

*Aequiuocationes Coſti.*

Multi ſanè Sunt, qui ſtatuũt Zedoariã vulgarẽ eſſe Coſtum. Sic enim Cæſalp.inquit: Coſti genus tertium quod colore buxeo traditur fortè Zedoaria fuerit vulgò appellata. Sed quod nobis videtur cum Calamo aromatico vulgi ſatis conuenit Coſti Arabici deſcriptio. Adulteratur (Brunfel.in Onom.) Coſtus Enulâ campanâ. Hodie pro Coſto (inquit Cæſalp.) venditant Ferulæ radices, conciſas in taleolas, ſapore quidem feruente,ſed ſine odoris gratia : vt neque Coſtum nigrum dici poſſit quamuis Ferulæ ſimile. Coſtum Tragi eſt Petaſites quam opinionem reprobat Cordus Coſtus niger quibuſdam dicitur Angelica. Demum cœpit iam circumferri [notantibus in Monachis] & alia radix alba, amaráque,quam nonnulli Medici Romæ Coſtum iudicauerunt, atque pro Coſto vera medicinis admiſcent. Sed an vera Coſtus ſit ignoramus. Helenium Comagenum nihil aliud eſt ( vt vult Zvving.)quàm coſtus dulcis & albus Officinarũ, quæ & alium habent amarum & nigrum, qui quid ſit vix ſcire poteſt. Quidam pro coſto nigro exhibent Thapſiam radicem quæ vitanda.

*Coſtus falſus radice alba.*

## COSTVS ARABICVS ZZ. SIMILIS.



*Deſcriptio*

Radices ſunt,quales à triginta annis penes me habeo, pollicari craſſitudine, longitudine ſeſcunciali, aut duarum vnciarum & ſemis,tuberibus extantibus hinc inde inæquales, Zingiberis in morem, interdũ digitatim fiſſæ : colore foris intúſque Zingiberis albi dicti, cõcretione non ita etiam diſſimili, ſolidiuſcula, fibris reſperſa; ſapore amaricante grato,cum acrimonia ſub finẽ non ignaua,qui cum Zingibere Lugduni ſolebat reperiri.

Coſtus hodie Lugduni frequens eſt Arabicus, qui Syluio miſſus eſt inde à Carolo Paludano Medico: non tamen quem Arabici Scriptores dulcem & amarum ſoli inuexerũt. Matth. legitimus coſtus Arabicus apud Calceolar. Apud

Garciam: Venetiis adfertur Coſti quoddam genus Gingiberis radicibus adeò ſimile, vt nihil ſuprà, intus etiam fibroſum ſed palleſcens, & eximiæ amaritudinis. Non deſunt qui Zedoariam vſualem inter coſti genera referant: & primum apud Dioſc. deſcriptum Coſtum eſſe autument, quòd multas notas habeat, quæ Arabico illius Coſto pulchrè quadrent.

Hiſt. Lugd. Coſtus Syriacus & Arabicus.

Camer. hiſt. Germ. ad Epit. Matth. Coſtus Arabicus omninò zingiberi cognata radix, not. G.

Lob. & Pen. Adu. zingiberis effigie Coſtus Arabicus & Syriacus: Item radix quæ cæpit è Syria & Aegypto Venetias aſportari zedoariæ effigie: primus omnium Valerandus Dourez verum Coſtum eſſe cenſuit, cui Geſnerus primum fruſtum inter magnam copiam zingiberis ſortè repertum ſpecimen futurum Venetias ituro dederat. Turcæ inſtitores perſæpè venditabant Valerando rati eſſe zingiberem ſylu. Ea Venetorum Medicorum collegio oblata adeò placuit vt dignam cenſuerint quæ Theriacæ insereretur anno 1563. Si cui propiùs zeduariam videtur exprimere noſter Coſtus Syriacus Ziugibetis radice ſimili & maiore, ſua ſanè opinione fruatur: nam & hanc dicunt ab vſque vltimis Oceeani Otientalis Chinarum plagis in Perſiam & Syriam, vbi etiam ſed pauca oriatur, tranſmitti.

Tabern. Icon. & hiſt. Syriſch Coſtenwurtz/

Caſp. Bauh. Phyt. Coſtus 1. ſiue Arabicus Dioſcor.

---

## COSTVS INDICVS CLVSII, quibuſdam Iocoſtus.

IOcoſtus nobis cognitus eſt radix pollicari craſſitudine, cortice tectus craſſo, rugoſo, & inæquali, fuſco foris, intus candicante, qui etiam color eſt reliquæ radicis, ſubſtantia verò ſolida; ſapor amaricans cum acrimonia, quem manſu promit, vnà cum odore violaceo vel Iridis Florentinæ. Adhæret fruſtum caulis ferulacei, ſtriati, fũgoſa, & ex albido fulueſcente medulla copioſa farctum.

Deſcrip.



Lobel. in Obſ. Coſtus cum caulis ferulacei fruſtulo, radice pulla, num Dioſc. Indicus Coſtus? Et Coſtus facie radicis Cẽtaurii maioris. Iam decem & quinque annis elapſis Venetias adferri cœpit. Coſtus ille nigrior eximia Iridis ſuauitate, mixta tamen cum tantilla hirci graueolentia. Antidotis minimè excludendus, etſi guſtu peramarus & ingratus.

Plant. Icon. p. 74. Coſtus facie radicis Centaurii maioris cum caulis ferulacei fruſtulo, radice pulla. Num Dioſc. Indicus coſtus? Coſtus Indicus Cluſii. Lob. 38. Teut. 104.

Garc. in ea eſt opinione, vt vnum duntaxat coſti genus eſſe credat. Coſtus, inquit, Arabibus dicitur *Coſt* aut *Caſt*: in Malaca vbi eius plurimus eſt vſus, *Pucho*, & inde, vehitur in Chinarum regionem. Græci & Latini ab Arabibus nomen mutuati ſunt. Nam quod Serapio lib. ſimpl. cap. 318. *Choſt* appellat, corruptum eſt exemplar, legendumque *Caſt*; & quotquot conueni Arabes, eum nunc *Caſt*, nunc *Coſt*, nunc *Coſti* vocant. Deſcribitur autem Coſtus ab iis, qui viderunt, Sambuci effigie, & Arbuti aut Azimbri magnitudine, florem odoratum proferens. Porrò quod Arabes eius duo genera faciant, amarum & dulce: factum eſſe puto, quod hoc medicamentum cùm recens eſt & incorruptum, nullius amaritudinis ſit particeps, candidiuſque perſiſtat: vbi autem vetuſtate corrumpi incipit, amaritudinem contrahit, fitque nigricans.

Non videtur Cluſio in Garciam huius Coſti deſcriptio cum Veterum Coſto conuenire. Nam ex Dioſcoride, inquit, ſatis manifeſtum eſt, illorum Coſtum radicem fuiſſe, cùm ait: Sunt qui admiſtis Helenii Comageni præduris radicibus adulterent. Veriſimile enim non eſt, fruticis ramum tantam habere cum radice affinitatem, vt radice adulterari poſſit. At noſtri authoris Coſtus minimùm radicis habet, & ferè nihil niſi lignum eſt ſuo cortice contectum. Quare aut Veterum Coſtum ignoraſſe dicendum eſt, aut Arabum Coſtum (ſi is quem deſcribit illorum Coſtus eſt) à veterum Græcorum Coſto diuerſam eſſe plantam. Coſti genus Antuerpiam è Luſitania inuehitur ſolidum, cortice cinereo, intus candicans, interdum verò cinerei coloris: odorata eſt admodum radix, violaceum ſiue irinum ſpirans odorem, præſertim dum manditur: ei caulis fragmentum quod è terra extat, plerumque inhærere adhuc conſpicitur, ferulaceum quiddam referens, & fũgoſam medullam continens, vt facilè appareat Coſto noſtri Auctoris plurimùm conuenire.

An Amatus in Dioſc. de hoc ait, dicens, Franciſcus Luſit. qui Anconæ agit, mihi aliquot radices dedit, quas ſub nomine Coſti allatas eſſe dicebat, vt erant Venetias amicis miſi, qui omnes verum Coſtum eſſe ſenſêre &c.

Hiſt. Lugd. Coſtus Indicus. Matth. in poſt. com. Ital. Coſtus delatus ex India, vbi ipſis Indis *Coſt* dicitur quem exiſtimo verum Indicum Dioſc.

Camer. ad Hiſt. Germ. & Epit. Matth. Coſtus Luſitanicus qui Iridem redolet.

Tabern. Icon. & Hiſt. Indianiſch Coſt würtzel. Coſtus Indicus.

C. Bauh. Phyt. Coſtus 2. Coſtus Iridem redolens, an Indicus Dioſc?

Naſcitur circa Guzarate, inter Bengala, Delli, & Cambaya, in Mandou & Chitor: Inde multi currus onuſti *Vplot* aduehuntur in vrbẽ primariã regni dictam Amadabar, quæ in diſertis ſita eſt, & in Cambayete non procul à mari ſitam vrbem: vnde poſtea per maiorem Aſiæ, nonnullam Africæ partem, & vniuerſam Europam deuehuntur. Loc.

Præcellit qui intus candidus eſt, cortice cinereo: inuenitur tamen etiam colore buxi, cortice palleſcente. Tanta eſt odoris fragrantia præditus, vt pleriſq; nares feriat, & capitis dolorem excitet: guſtu nec amaro, nec etiam dulci, tametſi iam ſeneſcens interdum amareſcat. Nam recens acri Vire

acri guſtu eſt, vt reliqua aromata. Hoc vtuntur in multis medicamentis Indici Medici.

## COSTI MOLVCENSES DVO.

RVpellenſis Medicus Louanicus duas radices peregrinas Coſtum admodum ſimulantes, Lob.&Pé. Adu. impertiuit quas acceperat à Naucleris è Molucis Inſulis, quarum altera maior corticem referebat Sambuci adultioris & ciner acei, rugis & plicis frequentibus, ſapore & odore vehementi: altera minor radices Solani furioſi effigie, colore diluto pullo, guſtu vrente, vt vix ardorem lingua ferre aut ſuſtinere queat. Illis iam perſuaſum erat Coſti eſſe ſpeciem, tametſi parum odorum eſſet, has autem ambas Molucenſes, minùs odoras iudicio ſtudioſorum ſubdidimus.



Plant.Icon.pag.73. * Coſtus Molucenſis corticoſus, rugoſus: †, Coſtus effigie radicis Solani furioſi. †. Molucenſis lignoſus feruidior Ad. 35. Teur.105.

Caſp.Bauh. Phyt. Coſtus 3. ſiue alius corticoſus. Coſtus 4. lignoſus feruidus. Coſtus 5. ſiue effigie radicis Solani furioſi. An à Caſp.Bauh. Ex duobus coſtis Molucenſibus Lobelii in Adu. benè tres fiant conſiderandum.

Hiſt.Lugd. Coſtus Molucenſis corticoſus.

## COSTVS HELENII FACIE OFFICIN.





MOnuit Cordũ Dioſcot. quoſdam pro coſto Comageni Helenii, hoc eſt Inulæ in Comagene Orientis regione prouenientis, radices vendere. Sunt enim noſtrâ Campanâ Inula denſiores, quapropter facilè hodie imperitis pro vero coſto ſubſtituuntur, ac hodie non minùs quàm olim adferuntur. Et præter hunc nullum alium habent Pharm. vero coſto ſimiliorem. Noſtrati Inulæ per omnia eſt ſimilis, niſi ſoliditate tantùm differret: colorem habet in cinereo candicantem, ſaporem amariuſculum vt noſtra, non tamen adeò acrem, idque adeò quoniam inueteraſcit antequam ad nos perferatur.

Lobel.& Pena Aduerſ. Fuſca, grauis, & inodora radix Helenii, compacta, concretione ignota, quâ Officinæ hodiè abutuntur Pro coſto.

Plant.Ic.p.73. Coſtus Comagineus adulterinus Officinarum, Teut.102.

Caſp.Bauhin.Phyt. coſtus 6. ſiue amarus Officin. ſeu Helenium Comagenum Dioſc.& Cordo Helenii Comageni radix: & Lobel.Ic. coſtus Comagineus.

An Tabern. Coſtus Officinarum amarus, Bitter coſten wurtz.

## COSTVS DVLCIS OFFICINARVM

Centaurio magno cognatus.



RADIX apud Camer. in Epit. notata D. Coſti pharmac. ſpecies maior, ſolida, pòderoſa & craſſa *radice*, lineis à cẽtro radicis ad ſuperficiem ductis apparentibus multis, ſpecies videtur Centaurei maioris, etſi odorem eius non habet, ſaporem verò ſubdulcem. Deſcript.

Conſiderẽtur quæ dicũtur à Camer. de odore Cẽtaurii maioris: illud etiam notetur: ad hiſt. Germ. ponit figuram notatam D. ſed radicem non ſeparari à Coſto notato B.C. nec ibi fieri huius maioris Coſti mẽtionem; vnde igitur tanta diſſonantia.

Tabern.Icon.& h. Coſtus Officinarum dulcis Süß Coſtenwürtz, ita dictus, quia nullum ſingularem ſaporem aut odorem habet, ponderoſior & ſolidior eſt amaro coſto, contortus & rugoſus: Non auſim aſſerere, coſtum Camer.& Tab. eundem. Vna tabella vtriuſque figuras, proponimus.

C.B.Phyt. Coſtus 7. Coſtus dulcis Offic. Tab. Ic.p.904. Coſtus Offic. dulcis. Camerario litera D. coſti Pharmac. ſpecies maior.

## COSTVS INGRATVS SIVE

Thapſiæ ſpecies.

NVper vendi cœpit ( autore Cordo in Dioſc.) coſti vice *radix* per tranſuerſum in taleolas ſecta, craſſitudine plerumque manum complens, foris fuſco, intus candicante colore, cortice craſſo, ſubſtantia rara & leui: odore, cùm teritur, rancidam aliquam pinguedinem olens. Deſcriptio

guſtu ſupra modum acris, nauſeoſa, rancida, ſaliuam creans & ſtrangulationem comminans: non ſine vitæ periculo ſumitur: eſt enim Thapſiæ ſpecies in mõte Gargano effoſſa, vt ipſi ex Agyrtis audiuimus, qui ſemen eius nobis attulerunt, in vmbellis, fœniculi aut Anethi modo, enarum, craſſum, nigrum, magnitudine & figura Tritici, ſapore radicis ſuæ, quam Agyrtæ corrupto nomine vnà cum Italis *Coſtones*, quaſi Coſtum amarum vocant: foris impoſita efficaciùs etiam vero Coſto, & profundiùs attrahit ruborem, tumoremque excitat & exulcerat.

C.Bauh.Phyt.Coſtus octauus.

An Camer.ad Epit.Matth. Figura notata A. Coſtus eſt amarus Pharm.leuis, albus, intus medulla per medium magna, lineis in cortice tranſuerſis, ingrato admodum & vitioſo ſapore, medicato tamen.

## CANNA SIVE ARVNDO INDICA, quibuſdam flos cancri.

### CAP. XXIV.



Deſcriptio

INquilina Orbi noſtro, *caule* geniculato cubitum & ſeſquicubitum alto ſurgit: *Foliis* quam pro plãtæ modo maioribus, cornicula chartacea conuoluta primo pullulatu æmulantibus, quæ ubi explicantur inſigniter apparent ampla, duorum palmorum latitudine, triũ quatuórue lõgitudine, tenera, membranea, modicè in acumen deſinentia, à neruo medio ſecundum longitudinem decurrente, exporrectis in margines agmine prædenſo venulis obliquis: caulem ſummum ornant *flores* minio ſaturatiore tincti, Gladioli haud ita abſimiles, capitello verrucoſo inſidentes, quod delapſo flore grandeſcit, triangulumque fit & veluti ſpinoſum (inquit Cluſius,) vt Ricini fructus, in quo continetur ſemen per maturitatem fuſcum atrum, & rotundum, Fabæ Veterum, ſiue fructus Loti magnitudine: radix nodoſa & craſſioribus fibris ſtipata, alios radicis nodos adnaſcentes habens, qui ſtolones etiam matri ſimiles proferunt. Hanc etiam deſcribit Cluſius, nec ferè aliter.

Flos Cãcri.

Quo nomine Veteribus dicta ſit hæc planta Cluſ. ſe ignorare ingenuè fatetur. Nonnulli hac ætate, quia illius flos nondum apertus, cancri vulgò dicti chelas, formâ & colore referat, Florem Cancri nuncupatunt: alii Cannam Indicam, quia ex America primùm delata ſit, & eius ſtolones Cannarum ſiue harundinum modò nodoſi ſint; appellare maluerunt: Hiſpani & Luſitani *Cuentas* dicunt, à numero, quòd ex huius granis ſpherulæ ad numerandas preces idoneæ,

Cuentas.

fieri ſoleant, non ſecus ac ex tenellis Malis Aurantiis.

Lob.Obſ.p.29. Arundo Indica, florida, Cannacorus quorundam. Et p.639. Folia Cannæ Indicæ, quibus G.Elemi inuoluitur. Aduerſ.Lobel. & Penæ, Arundo Indica florida, ambiguæ inter Cannas & Acorum naturæ & figuræ. Parum mihi videtur habere ſimilitudinis cum Cannis ſiue harundinibus & Acoro, niſi id propter radices dicatur nodoſas.

*Cann... rus.*

Geſn.paſſim Canna Indica: Gladiolus Indicus, iiſdem ferè quibus Canna, floribus, nempe croceis, Lilii ſpecie, ab Hiſpanis *Chentæ* vocata, Arundo Indica. Non placet comparatio Gladioli Indici cum Canna Indica, longè diuerſus flos: Gladiolus autem Indicus Geſnero eſt Lilium non bulboſum flore luteo quibuſdam dictum.

*Glad... Indi... In ſpe... Chen... Hiſp... Geſne...*

C.Bauh.Phyt.Arundo Indica latifolia.

Hiſt. Lugd. Arundo ſeu Canna Indica Cluſii & Dalechampii.

Canna Indica Montbelgardi pulchrè mihi prouenit, ſata in Horto E.C. ac floruit Septembri, eam habui Lugduni in horto, vidi etiam menſe Septembri Baſileæ paruam plantam in horto D. Fœlicis antè multos annos, & poſtea anno 1592. menſe Nouembri repoſitam pulchrè florentem: mihi etiam antehac obſeruata erat folio lato & oblongo menſe Aprili Bononiæ in horto ad S. Saluador. Doctus vir Georgius Perſburger Pataui annotarat ex Di. Guillandini colloquiis, in horto Patauino Cannam de India eſſe Caſſiani Baſſi Meſtocalanum: Frater etiam C.Bauh. annotauit ſe ita audiuiſſe Guillandinum nominantem. Nos Elemi reſinam huius foliis aliquoties vidimus inuolutam.

Loci... temp...

*Meſt... num... Elem...*

Luſitaniæ quibuſdam monaſteriis valdè frequentem videbam, inquit Cluſius, ſub ſtillicidiis ad muros ſatam, etiam ipſa brumâ florentem: nunc paſſim à rei herbariæ ſtudioſis alitur in fictilibus, ornatus gratiâ, raro tamen apud Belgas ad frugem peruenit, quòd ſerò admodum germinet, nec hiemem ferre iſtic potis ſit, vt in ſequentem annum ſeruetur. Viennæ autem Auſtriæ, multis annis in fictili alebamus, ſingulis annis flores proferentem, & probum ſemen interdum dantem, licèt non adeò nigrum, vt quod in calidioribus regionibus creſcit, ſed fuſci duntaxat coloris, mirificè etiam ſeſe radice propagantem, adeò vt alternis annis fictili eximere, & nodos diuellere cogeremur, eâ ratione, plures plantas ex vna adquirentes: verùm hieme in hypocauſtum ſeu vaporarium recipienda erat, & proximo feneſtræ vitreæ loco, vt aëre externo per rimulas ingrediente nonnihil refici poſſet, frigidioris aperti aëris, atque etiam cameratæ cellæ impatiens, ſemel autem aut bis ad ſummum, ſingulis hebdomadibus, adfuſa leniter aquâ riganda. Illud etiam in hac planta obſeruabam, è vetuſtis ſtolonibus, cùm marceſcentes in vaporario præſcinduntur, lachrymam exſtillare albam, Tragacanthæ æmulam, ſubdulcem & lentam, atque in ipſis foliis iſtic etiam ſeneſcentibus, tenue quoddam excrementum nitri ſapore.

ORCHIS

## ORCHIS SIVE TESTICVLVS in genere.

### CAP. XXV.

CVm bulbis, Cæpa ſc. Porro, Allio, Hyacintho, Aſphodelo, Croco, Colchico, Tulipa, Lilio, Iride, atque alii shis affinitate quadam cognatis, & Orchides cenſêre conueniat. De quibus *Theoph.* hæc ſcripſit. Quod ſi vera ſūt, quæ[mirabilia & rara]de Scorpione[herba]narrātur, iā & reliqua huiuſmodi haudquaquā incredibilia dici conuenit, quæ aliarum plantarum viribus attribui videntur. Humanis ergo corporibus vltra illa quæ ſanitatem, morbos, mortémque ſpectāt, herbas quoque alias ſuis viribus quid conferre poſſe affirmant, vt puta generandi ſeminis facultatem, atque ſterilitatem, & quoſdam ex eodem valere vtrumque facere, ſicut qui teſticulus(ὄρχις) appellatur. Cùm enim gemini ſint, alter magnus, alter autem paruus, magnum efficacem ad coitum datum è lacte caprino tradunt, minorem verò obeſſe, ac inhibere. Habet foliū ſcillaceum (σκιλλώδες) Laſeris, verùm læuius atque min⁹: caulem ſimillimum (ἀκάνθῃ) ſpinæ, quam Pirum vocant Mirum ergo eſt, ab vna eadémque natura, diuerſitatem tantam vitium proficiſci. Nam vim eiuſmodi eſſe duplicem, abſurdum putari minimè debet. Tum enim alii quidam, tum Ariſtophylus Pharmocop. plataicus, vires quaſdam compertas ſe habere dicebat, partim vt quis magis coire valeat, partim vt nihil penitùs valeat. Id quoque ſe prorogare plùs, minúſve tēporis poſſe, ceu bimenſe, aut trimenſe: qua quidē herba vel ad temperandos, caſtigandóſque adoleſcentes aliquādo ſe vti aiebat.

Orchis, quam Græci Cynoſorchin vocant, folia habet (ita deſcribente Dioſcor.) per terram ſtrata, circum caulem & fundum, oleæ molli ſimilia, anguſtiora tamen & læuia ac longiora: caulem palmi altitudine: in quo flores purpureos: radicem bulboſam oblongam, duplam, anguſtam velut olea, alteram inferiùs: & alteram plenam, alteram mollem & rugoſam. Orchis autem altera, quam alii Serapiadem vocant, velut etiam Andreas (ὃν καὶ σεραπιάδα καλοῦσιν ἔνιοι ὡς καὶ Ανδρέας, Matth. exempl.) ob multiplicem radicis vſum. Folia habet Porro ſimilia, oblonga, ſed latiora & pinguia, in alis incurua: cauliculos palmum altos: flores ſubpurpureos. Radix ſubeſt teſticulis ſimilis.

Cynoſorchin, inquit Plin. aliqui Orchin vocāt, foliis Oleæ mollibus, ternis, per caulem ſemipedis longitudinis, in terra ſtratis: radice bulboſà, oblonga, duplici ordine, ſuperiore, quæ durior eſt, & inferiore quæ mollior. Idem etiam de altera Orchi Dioſcor ſententiam exponit, partim item Theophraſt. Sed inter pauca mirabilis eſt, inquit, Orchis herba, ſiue Serapias, foliis Porri, caule palmeo, flore purpureo, geminâ radice; teſticulis ſimili. Quidam folio Scillæ eſſe dicunt, leuiori ac minori, caule ſpinoſo.

Cæterùm Theophraſt. locum mendoſum eſſe teſtatur Plinius, vt rectè Hermolaus annotauit. Non enim Silphii, ſeu Laſeris folium habet Serapias, vt Gaza conuertit, σιλφώδες pro σκιλλώδες legens, licèt id vulgata exemplaria habeant. Etenim Silphio folium eſt Apii, non Scillaceum, aut porraceum, vt Serapiadi.

Deinde quod ſequitur de caule, & Gaza ſic reddidit: caulem ſimillimum ſpinæ, quam Pirum vocant: penitùs falſum ac corruptum eſt. Siquidem ſpinoſus huic herbæ caulis, Apio (Raphano ſilu.) inquit Hermol. non Piro ſimilis eſt.

Cornarius tamen legendum arbitratur, τὸν δὲ καυλὸν ἀκανθώδη. ὄρχιν δὲ ὁμοιότατον ἀπίῳ. Sed nihil pronunciat, ſtudioſos ſaltem admonuiſſe vult, & ἀκανθώδη Plinium legiſſe: & radicis ſiue teſticuli, ad ἀπίῳ radicem, quæ Pyri figuram habet, ſimilitudinem eſſe: & ἀπύρῳ vocem temerè ἀπίῳ accreuiſſe ſibi videri.

Orchis [inquit Apul.] Græcis dicitur Satyrion, aliis Cynoſorchis, aliis Extaticos, Erythron, Panion, Serapion, aliis Orchis, Aegyptii Menem, Galli Vram, Itali Priapiſcon, alii Orminalem, alii teſticulum leporinum nominant.

Multa [teſte Rob. Conſt.] Orchidis genera deprehenduntur, inter quæ, quod Laſerem refert odore, vulgò dicitur Benion. *Orchis odore Laſeris, Benion.*

Orchis Fuchſio dicta herba eſt, quòd radices ſibi inuicem haud ſecus atque duo teſticuli cohæreant. Cynoſorchis verò quòd canum teſticulis ſimilem radicem habeat. Nota eſt herba vtraque Orchis & Herbariis & Officinis.

Noſtri (ait Cornar.) priorem Knabenkraut appellant: poſteriorem Ragwurtz / vtrāq; ab efficacia ad Venerem excitandam. Officinæ Teſticulum canis vocant & cum Satyrio confundūt. Lectores ex ſequentibus facilè cognoſcere poſſunt an duæ Orchides Dioſc. ita notæ vt ſibi perſuadet Cornarius. *Teſticulus canis Satyrium.*

Errant (Matthioli quidem ſentētia) omnes ferè huius ętatis Seplaſ. quippe quòd Canis teſticulis legitimi Satyrii vice paſſim in medic. vtantur. Nam hæ plantæ[ſi Dioſcoridi credimus] notis ac facie maximè inter ſe diſtant, quamuis viribus & facultate non longè ſint diſſimiles. Verū autē Satyrium hactenus in Italia videre Matth. non licuit. Teſticulorum porrò in Ananienſibus montibus aliiſque compluribus locis non modò duo inueniuntur genera: ſed alia quoque longè plura, quibus & illud addendum eſſe exiſtimauerit, cuius radix humanæ manus ſimilitudinem refert. In eo erraſſe videtur Fuchſius quòd Satyrium triphyllum, perinde atque canis teſticulos cum duabus radicibus pictura expreſſit contra Dioſcor. delineationem. Hallucinantur præterea, inquit ille, vnà cum Meſue Patres illi reuerendi, qui eius antidotarium commentati ſunt: quippe qui malè ſibi perſuaſerint, tot eſſe Satyrio radices, quot Cani teſticulos. Verùm ii Dioſcoridem conſulant, & hinc quàm apertè decipiantur, intelligent. Sed his facilè errandi occaſionem potuit dediſſe Plinius, quem lib. 26. cap. 10. Orchin, id eſt, teſticulum, cum Satyrio turpiter confudiſſe conſtat. Matthiol. proponit aliquot icones Teſticulorum ſine deſcriptionibus quas difficilè diſcernere & potiſſ. ex magnis iconibus. Multa ſanè Orchios & Satyrii genera in noſtris regionibus (infit Tragus lib. 2. cap. 82.) naſcuntur, quæ vno vocabulo Germ. Margendrehen vocant, propterea quòd nonnulla eorum folia maculata, ac lituris quibuſdam ſugillata appareant: Aniculæ alias, quæ plerumque variarū peritæ artium Stendelwurtz / Knabenkraut / & Creutzblumen / appellant. Theophraſt. omnes ſub ὄρχεων voce comprehenduntur. Dioſc. duo Orchios proponit genera, quorum alterum κυνὸς ὄρχιν vocat, hoc eſt, Teſticulum canis, alterum verò σεραπιάδα cognominari tradidit. Neſcio quid in hiſt. Germ. lib. 1. cap. 122. faciat figura Orchios, cùm in contextu eius nullam faciat mentionem,

ea meritò in hiſt. Lat.omiſſa fuit.

Orchis ſiue Teſticulus,&Cynoſorchis ſatis notus eſt ( vt ſibi perſuadet Anguill. ) diciturque Herbariis Teſticulus canis & *Cogltoni di canine:* alterum genus dicitur Satyrium. Huius plantæ multa ſunt genera : vni generi ſunt tres teſticuli

*Herba Serapias.*

cuius meminit Paulus Aeg.l.4.c.4.ac vocat herbam Serapiadem & Triorchim.

Orchin herbam i.teſticulum,multi vulgò Satyrion vocant non rectè inquit Geſn.in cat.pl. Orchis verò altera ( ὄρχις ἑτέρα ) Serapias nominatur. Idem hort. ait, Teſticulus vel Orchis alba, ſpecies quamplurimas complectitur : Radices omnium è gemino quaſi bulbo conſtant : qui in aliquibus palmatus ſeu digitatus eſt: reperitur ſpecies vna minor bulbo ſingulari. In hortos tranſlatæ vix vltra annum mihi durarunt aut ad duos ad ſummum.

Caſt. Dur. ὄρχις & σεραπίγονον. Teſticulus,Arab. *Shaſi Alchelb.* Primus, vel ſecundus, vel vterque Cynoſorchis eſt a Dioſc.deſcriptus,in cuius deſcriptione deprauatè in Græcis exemplaribus legitur ἐλαία μαλακῇ pro σκίλλῃ μαλακῇ. Confirmat hanc Dodon.de fl.lectionem,Theophr. & ſimiliter Plin.vt antè dictum.Eſt tamen in vtroque autore huius Orchios deſcriptio deprauata. Pro σκυλλώδης ſiquidem, vt Marcellus legit,in nõnullis Theoph.exẽplarib⁹,quę Gazæ malæ cõuerſionis occaſionẽ dedere, perperàm legitur σπαρτώδης. Sequitur deinde,τὸν δὲ καυλὸν ἴσμεν ὁπότερον ἀκίφ,ἤτοι ἀπύρ,ἤτοι ἀκάνθ,quod penitus corruptũ videtur. Apud Plinium legitur,caule ſpinoſo, & ſimiliter deprauatè: Cornarius tamen hac Plinii lectione fertur,ac Theophraſti locum hoc modo putauit reſtituendum : τὸν δὲ καυλὸν ἀκανθώδη ὄρχιν δὲ ὁμοιότατον ἀπίῳ. Quomodo autem hæc Theophr.& Plinii corrupta loca reſtitui debeant expendendum relinquimus.

*Plinii & Theoph. lectio deprauata.*

Eadem in generis tribu cum bulbis (teſtibus Lob.& Pena Adu.)Cæpaceis,Hyacinthis & aliis pleriſque reponendæ Teſticuli differentiæ atque Satyrii,quæ longè plures ſunt,quàm quot Priſcis memoratæ : omneſque ab effigie radicis *Orchis*, ab effectu nonnullæ *Satyria* vocatæ,quòd Veneris incentiui eſſent præ ceteris bulbis , vti poſtea apud Latinos Plinium & Apuleium Venerei dicerentur : è radicis tamen bulbo inita eſt diſtinctio. Vnicus namque bulbus Satyriis eſt,geminus vel didymi ſpecie Orchidi , quorum Caninus,Vulpinus , & Hircinus,& inſigniores indidẽ petitæ varietates.

*Teſticuli Satyria. Venerei bulbi.*

Cornelius Gemma profeſſor regius in celeberrima Louanienſium Medica ſchola ſex & triginta Teſticulorum icones arguta & propria manu affabrè effigiatas Lobelio vt videre eſt in Obſ. communicauit.

*Orchidum genera. Ex Corn. Gemma.*

Primum genus,inquit Gemma, eſt *Cynoſorchidum* : ſecundum *Serapiadum*: tertium verò *Dactylidum*, vel digiti vnius atque alterius ſpeciem aptiùs præ ſe ferentiũ.*Cynoſorchides* voco duobus ordinibus præditos pectinum ritu, vt ſinguli veluti ſingulas manus,præ ſe ferant, interdũ duobus digitis,interdum pluribus; qui ſi à radice reliqua prę ſe ferantur,tanquã proceſſus meri vel apophyſes, optimè congruent Dioſc.notæ , vt Cynoſorcheos vel Canini teſtis,nomen imponi poſſit: atque ad hoc vnicum genus infinitæ ſpecies relegantur, quanquam quæ ſub eodem inſigni militant,potiùs fœminei ſexus ideam quàm maſculam, repræſentent. *Serapiades* autem exactè virilis teſtis imaginem referunt,atque in hac præcipuè animalculorum diuerſiſſimorum ſpecies mirabili Naturæ fœcunditate atque ludibrio depinguntur. *Medium* inter hæc genus eſt à Dioſcor. quoque ſub Cynoſorchide comprehenſum, quòd etiam oliuis oblongioribus ſiue compreſſis bulboſæ partes illarum optimè congruant, niſi non ſimiles eſſe putemus, quia in oblongiores digitos enerueantur. Eorum etiam ſummorum generum ſpecies fusè & exactè tradit idem Gemma, quibus recenſendis hic ſuperſedemus,ſpeciatim de Orchidibus eorumque differentiis deinceps acturi.

Ait Hiſt.Lugd. ad correct.Dodonæi : Priorem in Dioſcoride lectionem agnouit Plin. Orchi Oleæ mollia aſſignans folia,& Theophr.vt ex eodem Plinio colligere licet, non de Cynoſorchi, ſed de Orchi Serapiade hîc verba facere videtur. Orchios genus Serapias ab Antiquis cognominatur autore Dioſc. quoniam radix ad multa vtilis ſit. Sunt qui â Serapi Alexandrinorum Deo ſic cognominatum velint,inquit Fuchſius,propter laſciuiam impudentem quâ is Deus Canopi , vbi Templum & cultu & religione excellens habebat, colebatur , vt videre eſt apud Strabonem lib. Georg.17.

Eadem H. Lugd. ex Dodon. hæc tradit : Officinæ Orchies, Satyria nominant,& eorum bulbis legitimi Satyrii vice vtuntur. Præbuiſſe occaſionem videtur Apuleius , qui nullam inter Satyria & Orchies differentiam facit, ſed vtrunque Satyrium cum vtroque Orchi , canis videlicet dicto,& Serapiade,confundit.

Orchis, Cynoſorchis & Teſticulus canis , Camer. horti. Maior flore dilutè purpuraſcente, ſine incarnato. Medius purpureo flore , Minor guttato ſanguineo.

Ὄρχις aut ὄρχης Rob. Conſt. Κυνὸς ὄρχις & σεράπιας ; Orchis , & Cynoſorchis. Teſticulus canis , Offic. Arab. *Chaſi alkelb* , ſeu *Chaſi alchelb.* Germ. Knaben kraut/ Stendelkraut/ Ragwürtz & Vnſer frawen trächen. Gall. *Satyrium* , *ou Couillon de Chien.* Ital. *Teſticolo di cane.* Hiſp. *Coyon de perro*, Boh. reſtawac.

Naſcuntur in pratis, collibus, ſiluis, montibus, vmbroſis,apricis, ſiccis, humidis, aliæ atque aliæ ſpecies ; In lapidoſis & arenoſis locis Orchis ſeu Cynoſorchis Dioſc. Legit eas Apuleius menſe Iunio,vel Iulio. Varia genera Orchidum, in pratis circa Monſpelium florentia verno tempore conſpeximus : Circa Lugdunum etiam diuerſa proueniunt : nos particulatim deſcribere neglexirmus.

Quæ Theophr. de viribus annotat vide antè. Orchios ſeu Cynoſorchios radix Dioſcor. editur cocta vt bulbus.Et de hac narratur, maiorem radicem ſi à viris editur, mares generare : minorem verò ſi à fœminis edatur,fœminas. Illud inſuper narratur , etiam mulieres in Theſſalia teneram cum lacte caprino bibendam dare , vt Venerem excitent , aridam verò ad inhibendam ac exoluendam Venerem : exoluique alteram ab altera ſi bibatur. Serapiadis verò radix impoſita vim habet diſſipandi tumores , repurgandi vlcera, & cohibendi herpetas. Abolet & fiſtulas,& inflammata mitigat impoſita. Eadem arida nomas ſiſtit, & vlcera putredinoſa , & in ore maligna ſanat. Siſtit etiam aluum cum vino pota. Narrantur autem & de hac quæcunque de Cynoſorchi.

Eadem & Plin.tradit , Cynoſorchis radices eduntur vt bulbi cocti, in vineis ferè inuenti. Ex his radicibus ſi maiorem edant viri, mares generari dicunt : ſi minorem fœminæ,alterum ſexum.

In

In Theſſalia molliorem in lacte caprino viri bibunt ad ſtimulandos coitus: duriorem verò ad inhibendos. Aduerſatur alter alteri. Orchis alterius radix maior, ſiue vt alii dicunt durior, ex aqua pota excitat libines: minor ſiue mollior è lacte caprino inhibet. Eiuſque radices ſanant oris vlcera, thoracis pituitas. Aluum ſiſtunt è vino potæ.

Orchis, inquit Galenus & Cynoſorchis eadem herba nominatur. Vis radicis eius, quæ bulboſa eſt & dupla, humida eſt & calida, & guſtantibus dulcior (duriuſcula Hiſt. Lugd. malè) apparet. Verùm maior radix multam ſuperfluam & flatuoſam humiditatem habere videtur. Quare etiam pota Venerem excitat. Altera verò minor vice verſa, ſatis elaborata eſt, vt temperamentũ eius ad caliditatem & ſiccitatem repat. Vnde non ſolùm ad Venerem non excitat, ſed etiam in totum contrà inhibet & reprimit. *Et mox ſubdit.* Orchis quam Serapiadem vocant, ſicciorem vim habet quàm prior. Vnde ad Venerẽ non ſimiliter idonea eſt: Sed impoſita tumores diſcutit, & vlcera ſordida purgat, & herpetas ſanat. At ſiccata multò adhuc magis ſiccat, vt etiam putredinoſa & maligna vlcera ſanet. Nam & ſubaſtringens quid habet. Et propterea cum vino pota, aluum ſiſtit.

Camer. Radix Orchidum in vino ſtiptico cocta & rurſum exiccata non læui ſucceſſu datur in dyſenteria.

## SATYRIVM VETERIBVS IN GENERE.

SAtyria duo tradit Dioſcor. Vnum, quod ſimpliciter Satyrium vocatur ab ipſo, quódq; alii Trifolium (τρίφυλλον) dixerunt, quoniam vt plurimùm folia tria (Marc. ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Lac. verò legit in antiquo ἐπειδὴ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ φύλλα τρία φέρει ἐπὶ γῆς κεκλασμένα. Sic & Serap. & Orib.) ad terram refracta profert, Lapatho, aut Lilio ſimilia, minora tamen & rubicunda. Caulem habet nudum [ψιλὸν] longitudine cubitalem, florẽ Lilii ſpecie, album: radicem bulboſam, magnitudine (ἴσον) Mali (num quantitate, num alia ratione ſimilem Malo velit Dioſcor. valdè ambiguum, Gemma,) fuluam (πύῤῥαν, fuluam potiùs, quàm rutilam dici putat, idem Gemma) intrinſecus albam, velut ouum, guſtãti dulcem & ori gratam. Alterum, quod Satyrium Erythronium aut Erythraicum cognominatur, quódque ſemen habet Lini ſemini [quis ſcit an deprauato codice Græco pro λινοσπέρμῳ ſit legendum λιθοσπέρμῳ, vel κενοσπέρμῳ] ſimile, ſed maius, robuſtum (ῥωμαλέον) ſplendens, & læue. Eſt radicis eius cortex ſubgracilis [Orib. πυκνὸς id eſt, denſus Matthiol.] & fuluus: interna verò pars alba, guſtãti dulcis, & ori grata. Naſcitur in apricis, & mõtanis locis. Et hoc inter ſpuria Dioſc. alii Melium aquaticum vocant, alii Extaticon, alii Priapicum, aliis autem eſt Satyriſcus, aliis Orchis, id eſt Teſtis Satyri. Romanis Molorticulum Veneris.

De Satyrio ita Plin.: Duo Satyrii genera: vna longiorib. foliis quã Oleæ, caule quatuor digitorũ, flore purpureo, radice gemina ad formam hominis teſtium, alternis annis intumeſcente ac reſidente. Altera Satyrion Orchis cognominatur & fœmina eſſe creditur. Diſtinguitur internodiis & ramoſiore frutice, radice faſcinis vtili. [ego ſanè hîc pro virili mẽbro faſcinum dictum accipio: vnde Horat. Ode 8. epod. Minúſue lãguet faſcinũ. Naſcitur ferè iuxta mare. Græci Satyrion, foliis Lilii rubri minoribus, & tribus non ampliùs è terra exeuntibus tradunt, caule leui, cubitali, nudo, radice gemina: cuius inferior pars & maior mares gignat, ſuperior ac minor fœminas. Et aliud genus Satyrii (Erythraicon appellant) ſemine viticis maiore, leui: dure radicis, cortice rubro intus album includi, ſapore ſubdulce: ferè in mõtoſis inueniri.

*Satyrium Erythraicũ.*

Subiecit (inquit Corn.) & hoc genus Satyrii Plinius ad præcedens. Galenus verò & poſteriores Græci Satyrium Dioſc. poſterius omiſerunt. Dalechamp. ait Plinium miſcuiſſe Orcheon, Satyriorúmque deſcriptiones. Planta quæ Græcis σατύριον Latin. quoque Satyrion dicitur [inquit Matthiol.] Arab. *Gaſi alchaleb, Chaſi altraleb* ſiue *Tatarith*: Ital. *Satirio* & *Satirione*. Germ. Stendelwurtz: Hiſp. *Satyrion*, & *Supinos de Rapoſa*. Gall. *Satirion*. Sed quum Matthiolus antè dixerit verum Satyrium videre ſibi non licuiſſe, cur tribuit illi inaniter vulgaria nomina.

*Plin. not. Matth. cẽſ.*

Dolet Anguill. ſibi incognitum Satyrium primum & ſecundum: Nec vix adhuc Herbariis vera Dioſcor. Satyria benè cognita ſunt. Nec ita obuium eſt, quam plantam per Satyrium Baſilicum, cuius ſemen ad Epilepſiam commendat, intelligit.

Amatus ait veros Satyriones adhuc deſiderari.

Fuchſium reprehendit Matthiol. quòd Palmas inter Satyri genera depingat, cùm potiùs inter canis teſticulos ſint repræſentandæ.

Idem notat Meſuem & Monachos, quod Satyriis duos tribuant teſticulos. Franciſ. Alexand. verò ait contra Matth. Meſuem non dixiſſe Satyrium ſiue teſticulum vulpis duos habere teſticulos.

Satyrium autem Matthioli primum à Calceolario ei miſſum, teſte Pona in deſcriptione mõtis Baldi Phallon Hollandicum eſt, cui adaptata tria folia Lapathi, de eo agemus lib. 40. de Fungis, ſub Fungo Phalloide. Satyrium quidem Erythronium dictum, volebat Val. Dourez eſſe medullam Nucis Cuciophoræ, vt monimus lib. 3. Eſt & Satyrium Erythronſum quorundam bifolium flore vnico albo aut purpureo radiato, de quo hoc libro poſt Tulipas egimus. Tulipa tandem rubro flore fortè eſt Satyrium Erythraicum authore Geſnero: nos hanc opinionem improbauimus. Satyrium tamen triphyllon Dioſcor. habet, quod conuenit cum Tulipa alba. Nunc Hyacinth. ſtellaris dumetorum quibuſdam Satyrium verum dicitur, & Satyrium Erythronium: quam opinionem Dodonæus in fol. reprobat. Vltimò habetur Satyrium Erithronium Matthioli à Cerhino miſſum, autore Lobelio. Corn. Orchis ſpeciem, Satyrium primum exiſtimat dicens: Satyrium noſcunt & nominant etiam Officinæ, etiamſi cum Orchi confundant. Noſtri Stendelwurtz dicunt. Syluius Orchis ſpeciem ſomniat Satyrium, idem Monachi in Meſ. idem Cordus in antid. ac propterea eum ſuperbè reprehendit Franciſc. Alex. Satyrium Trifolium Fuchſ. in Hiſt. pl. eſt Orchis ſpecies: De comp. verò medicam. ait nullum Satyriorum cognitum: Tragus ſub Satyrii & Orchios nomine 19. plantarum ſpecies, ni fallor, comprehendit. Matth. ait omnes ferè Medicos huius ætatis & Seplaſiarios errare, quòd canis teſticulis legitimi Satyrii vice paſſim in medicamentis vtantur.

*Satyrii æquinoca. Fungus Phalloides. Cuciophoræ Nucis medulla. Hyacinth. ſtellaris dumetorũ.*

Pro Satyrio quidam Manu Chriſti & Palma Chriſti vtuntur, Fuchſio teſte de comp. ſed malè,

*Antiballomena.*

... ait, ad libidinem nullum impetum excitat. Pro Satyrio ſubſtituit Fuchſius radices Orchios vel Cynoſorchios. Cronemb. ait ſolere Seplaſiarios Colonienſes ſumere Orchin Fuchſii marem anguſtifolium. Satyriorum vice ſolent ſuſcipi canum teſticuli, vt ait Amatus.

Operæ prætium ducit Tragus, paucis commemorare, vnde Satyriones primam ſuam originem trahere videantur. Non enim ex ſemine proprio, vt ſua fert opnio, hæ plantæ primam originem ducũt, ſed ex alieno potiùs, hoc eſt, ex ſpermate Turdorum & Merularum. Cùm namque Vere appetente antequam Turdi terra noſtra excedant, aues commiſcentur, mira videas, maximè cùm in Iuniperorum montibus, & pratis conuenerint, ita vt veriſimile ſit ex ſpermate horum, ſi quando in terram fortè deciderit, Satyriones primùm naſci. Nam quemadmodùm ex hiſtoria illorum videre eſt, tertio demum anno Satyriones primos proferunt flores, quos nullum vt diximus ſemen conſequitur. Deinde conſtat, Satyriones, nuſquam lætius prouenire, quàm in montibus Iuniperorum & pratis, in quibus locis auiculæ eſcas ſuas quærere aſſolent.

Vires Satyrii Triphylli radicem bibere oportet in vino nigro auſtero ad Opiſtothonum. Vtere (præceptore Dioſc.) etiam ipſa, ſi voles cum muliere coire. Dicunt enim ipſam impetum ad coitum concitare: Erythronium vero fertur non ſecus atque Scincus libidinem excitare. Proditur etiam, ſi modò radix manu teneatur Venerem ſtimulare, eóque magis ſi bibatur in lacte Ouis colonicæ (in lacte Ouino M.) data, neruos intendit: eadem ex aqua remittit. Altera tumores & viria partium earum erumpentia, cum polenta illita ſedat, vel per ſe trita. De Erythronio ait: Venerem etiam, ſi omninò manu Erythraici radix teratur [teneatur alii Cod.] ſtimulari narratur, adeoque ſi bibatur in vino auſtero. Arietibus quoque & hircis ſegnioribus in potu dari, & à Sarmatis, equis, ob aſſiduum laborem pigrioribus in coitu, quod vitium proſedamum vocant. Et paulò poſt. In totum quidem Græci quum concitationem hanc volunt ſignificare, Satyrion appellant. Hæc Plinius.

Idem de Indi herba apud Theoph. Prodigioſa ſunt quæ circa hoc Theoph. autor alioqui grauis, ſeptuageno coitu durare contactu herbæ cuiuſdam, cuius nomen ſpeciemque non poſuit. Poſſit itaque & hæc Satyrium appellari: ſicut idem Plin. Ariſtolochiam Polyrhizon eſſe dixit.

Satyrium, aut Triphyllum (inquit Galen.) humidum & calidum temperatura eſt. Quamobrẽ guſtu quoque apparet dulce. Attamen recrementitiam & flatuoſam humiditatem poſſidet: quocirca ad Venerem concitat. Hæc verò & herbæ ipſius radix præſtare poteſt. Porrò, vt quidam aiunt, ex vino nigro auſtero potum ſanat opiſthotonum. *Hæc de Veterum Satyriis.*

## ORCHIS BARBATA FOETIDA.

HIſtoria Orchium vſque adeò obſcura eſt propter inſignem varietatem, vt neſciamus, quæ nobis præmittenda ſit: videtur tamen Orchis quam Barbatam fœtidam vocamus, à cæteris Orchidibus tot manifeſtis ſignis differre, vt facilè a quolibet, à cæteris diſtingui poſſit, quæ occaſio vt ab ea incipiamus Orchidum differentias recenſere:

Eius igitur *bulbi*, & reliquæ plantæ partes, ſi cum congeneribus conferantur plerumque maiores videntur: quippe cùm *bulbos* iuglandem vnà



cum ſuo callo carnoſo ęquâres magnitudine obſeruauerimus: *folia* multa, magna, Liliacea, læuia, & à radice, & in caule, ad ipſam vſque ſpicam ferè nata: *caulis* craſſus ſpicam denſam ſuſtinet *florum* fœtidorum: quorum ſinguli pediculo viridi [cui appoſitum foliolum ſextante longius] intorto, ventricoſo inſident, calcari admodum breui, & viridi, galea & alis foris ex albo virentibus, intus purpuraſcentibus punctis & ſtriis notato: à labello exteriùs albido, interiùs purpurâ punctato aruncus demittitur triplici cincinno viridanti compoſitus, quorum laterales criſpi breuioreſque, & conuoluti interdum, medius longior bifidus propendet: odor grauis & viſcoſus: *ſemen* in capſulis puſillum, vel vt ait Dodon. in valuulis oblongis ſtriatis perexiguum. Deſc...

Hanc cognouit Dodon. ſcribens in Hiſt. Gall. τραγόρχις, Teſticulus hirci, Gall. *Couillon de Bouc*: Bocxcûllekens / vocatur etiam Teſticulus leporis: ſine iudicio in Officinis vſurpatur etiam pro Satyrio. Item hiſt. fl. & in fol. Tragorchis cui folia maiora quàm aliorum Orchium. Teſticulum leporis plerique appellant, nos ab odore, quo hircum dum in flore eſt, refert, τραγόρχιν, & Hirci teſticulum, dicere maluimus.

Lobel. Obſ. Teſticulus hircinus Adv. p. 62. Orchis Saurodes vel Scincophora, lacertarũ æmulatione, Corn. Gemmæ: ſiue Tragorchis altera, vulgaris teſticulus hircinus ſeu Tragorchis, & Leporis teſticulus noſtras Adv. p. 62. Lobelius duas icones propoſuit vnius plantæ, cur autem diuerſis locis poſuerit neſcimus. In iconibus Plantini vnicam, eamq; ponit quæ poſterior p. 90. Lo...

Hiſt. Lugd. Orchis Saurodes vel Scincophora Gemmæ, Teſticulus Hircinus vulgaris. Ta...

Tab. Ic. & Hiſt. Orchis hircinus 1. & 2. Bocks hódle 1. & 2. Duas proponit icones: non tamen demonſtrat qua in re differant: videntur ſanè duæ icones vnius plantæ.

C. Bauh. phyt. duas facit diuerſas plantas: vni titulus, Teſticulus 14. hircinus longiore anguſtioreque folio. Alteri autem, Teſticulus 15. hircinus breuiore, latioreque folio. Addit inter vtramque non magnam eſſe differentiam: An ipſe eam an inaduerterit conſiderandum. C.

Solo pinguiſſimo naſcitur, Lobel. Floret circa finem Maii ac ferè vſque ad medium Iunii: prouenit in collibus muſcoſis, prælertim inter vmbroſas conualles. Circa Montbelgardum ſæpiis vidi etiam in horto Ill. E. C. priuſquam adornare Lo... Te...

nare curarem,ſponte enim multis in locis proueniebat: Inibi floret Maio.

Dodon. in hiſt. Gall.dicit: odor multùm olfacientibus capitis dolorem creat. Radix Teſticuli ſucci plena, potiſſimùm Teſticuli hircini ſi edatur, aut cocta cum lacte caprino bibatur, Venerem excitat,roborat & corpus nutrit: Hecticis & iis qui alimento egent ſingulare remedium. Eum verò in Hiſt. Lat plæraque omittere placet, ait autem: Noſtra ætas omnium Orchium bulbis ad Venerem excitandam vtitur: & pharmacopœi compoſitionibus eò facientibus indifferenter quoſuis admiſcent: præſtantiores ſunt Tragorchios bulbi. Aſſumendi autem non ſunt ambo bulbi,ſed durior, plenior & ſucci plus habens: flaccidior ac rugoſior minùs idoneus eſt. Eſt autē plenior, non ſemper qui maior, ſed non rarò minor, ſi videlicet bulbi colligantur priuſquàm ſtirps deflorucrit: aut cùm primùm caulis erumpit. Nec etenim ſucculentior,alterum magnitudine ſuperat, priùs quàm ſemen maturari cœperit. Nam alternis annis vnus bulbus intumeſcit, alter verò reſidet ac perit, ac cùm durior ac ſucco plenior creſcere incipit, alter flacceſcit rugáſque contrahit, donec maturato ſemine vnà cum foliis & caliculis ſubinde totus ſubſideat ac pereat: eo qui interea creuit vegeto ac ſucci pleno: & viciſſim. Cur Dodon. eligit potiùs fœtidos, an quia fœtent,vt Hirci qui ſalaces ſunt?Quod ad nos attinet,nos exiſtimamus odoris boni & grati potiùs roborare corpus, alere, & ſperma augere quàm fœtida.

Omnia Teſticulorum & Satyriorum genera [vt Trago placet] quæ Germ. Stendelwurtz appellant,calida ſunt & humida. Nec debent niſi neceſſitas id poſtulauerit intrò ſumi.Foris cataplaſmatis inſtar imponuntur. Radices rotūdæ & pleniores (ſunt enim vt diximus nonnullæ vacuæ marcidæ & rugoſæ) omnium Satyrionum, in cibo vel eclegmate vſurpatæ, ad Venerem ſtimulos addunt ſegnioribus. Vtilis eſt hæc medicina ad conſetuandum & augendum genus humanū, modò ritè & quo debet modo vſurpetur. Rurſus aridæ & marcidæ Satyrionum radices Venerem inhibent, quo nomine cœnobitis qui caſtitatem vouerunt (vt hi loquuntur) vtiles fuerint. Paucos tamen in eo ordine hominum reperias qui id medicamentum expetant. Radices plenæ in lacte caprino bibi poſſunt, aut cum albo Pipere & melle,inſtar Eclegmatis, confici ac aſſumi. Radices Satyrii maximè eius quod odoratum eſſe diximus cum vino & melle decoctæ, vlcera oris & quæcunque eius vitia ſanant. Radices cædem tuſæ,& illitæ, inflammationes leniunt,tumores diſcutiunt,vlcera fluentia purgāt, ſanántque veluti Aron & Dracunculus maior.

## ORCHIS GALEA ET ALIS ferè cinereis.

HVic *bulbi* fibræque appenſæ haud aliis abſimiles: *folia* duas vncias lata,quatuor aut ſex longa,quaterna aut quina: *caulis* dodrantalis *flores* ſuſtinet in ſpicam digeſtos, odoratos; quorum ſinguli pediculis ſemuncialibus inſidentes,calcar breue exprimūt: *galeā aliſque* foris cinereis, intus rubentibus & ſaturatioribus puniceis lineis ſtriatis, quibus interiecta bina foliola oblonga,valdè anguſta,rubentia: labellum oblongum,in bis binas alas rubentes diſſectum, intus albidum, punctis rubris pictū, foris ex albo ad purpuram declinans: in rictu apices herbidi. Circa Montbelgardum abūdat in collinis pratis florens Maio; Geneuæ itidem copioſè.



Fuchſ.hiſt. Orchis mas in vniuerſum maior quàm fœmina, próceriórque, vt pictura ipſa pulchrè declarat. Icon. dicitur G. Breit ſtnabenkraut mennle. Is autem pro deſcriptione ſuæ Orchidis ponit deſcriptionē Dioſcorideam, non tamen indicans ſe Dioſcor. deſcriptionem ponere,quæ ſanè non reſpondet iconi,folia enim non ſunt Oleæ ſimilia. *Orchis mas latifolia.*

An Trago, Satyrium mas quorundam, primum idémque vulgatiſſimum, Maio menſe florens,quod in pratis reperitur,ternis aut quaternis plerumque foliis veſtitum, Lilii ſimilibus. Porrò in duas ſpecies hoc genus, quod ad florem attinet dirimitur. Aliud namq; flore comat purpureo,aliud niueo, eóque Ariſtolochiæ vulgaris flori conſimili, &c. Eius autem Icon Fuchſianæ ſimilis eſt. *Satyrium mas.* *Aliud flore purpureo, Aliud Aliud.*

An Matthiol.in Dioſcor.picturam habet nomine Teſticuli,poſtremo loco. Camer.in Epit. hanc iconem omiſit, & aliam ſubſtituit mutatā nonnihil deſcriptione: de planta autem,cuius iconem Camerarius exhibet ſub Orchide albā calcari longo agemus.

De noſtra Orchide Dodon.Gall.Orchios primum genus, *le premier coüillon de chien maſle* ὄρχις, Orchis, Cynoſorchis, κυνὸς ὄρχις, Teſticulus,Teſticulus canis: Officinis Satyriones,quamuis parua ſit ſimilitudo. Foliis Lilii conuallii,flores odorati atque variegati Dodonæus eandem iconem ex Fuchſio habet quam nos: verùm lib. de flor. & in fol.mutauit iconem & numerum, & dicit: Cynoſorchis altera foliis læuibus,oblongis & latis eſt, ſed quàm antecedentis (Cynoſorchios prioris Dodon.)minoribus & anguſtioribus, quinque aut ſex, nonnullis caulē āplectentibus,qui dodrātalis eſt: ſpicâ denſâ,breui, in qua flores multi, colore ex candore purpuraſcentes, multis purpureis punctis,& interiore partes obſcurioribus copioſis exiguis lineis ornati: formâ galeam aut hiantem cucullum quoque referentes, dependente ex ſingulis veluti animalculi quadrupedis,aut homunculi extenſis brachiis & diuaricatis cruribus abſque capite corpuſculo,eodem ferè modo,quo ex Saturni ore depingi ſolent dependentes pueruli: radices ſubſūt duæ globoſæ,nuclei Nucis Myriſticæ magnitudine: adhærentibus ad annexum fibris aliquot craſſis:

Lobel.Obſ.Cynoſorchis maioris ſecunda ſpecies Aduerſ.pag.62. Cynoſorchis altera Dodon. Angl. Doggis coddes. Alia icon eſt in Planti-

ni iconibus p.175.hoc titulo, Cynoſorchis maioris ſecunda ſpecies : & Cynoſ. altera Dodon. T.214.

H.Lugd. not. Hiſt.Lugd.Orchis 1.ſpecies Dod.5. Matthioli. Ic.ex Matth.quam non audemus dicere priorem Dod. lib.fl. nec in poſt.hiſt. ſuſpicamur potiùs ſecundam,cuius deſcriptionem etiam ponit hiſt. Lugd.ſed malè noſtro iudicio ad alteram iconem refert.

Tab.Icon.& Hiſt.Cynoſorchis maior.2.Groß⸗knabenkraut 2. Et pòſt, Teſticulus latifolius 5. Matthioli , Breyt Stendelwurtz. Duas figuras vnius plantæ.

C.B.Phyt.Cynoſorchis tertia latifolia hiante cuculo.

Thal.Harcyn. Orchidis Dodonæi ſecundum genus.

## ORCHIS STRATEVMATICA MAIOR.

SVnt & Strateumaticæ vel Anthropinæ dictæ quæ iudicio plurimorũ cæteras pulchritudine vincũt:flores vt galeę vel galeati homunculi trũcis duntaxat manibus pedibuſque. Prior



Deſcriptio eminente *caule*, *folio* ampliſſimo,id eſt, lõgo ſimul & lato , & ſubrotundo inter initia, *flos* intus candidus , maculis purpureis interſtinctus, foris velut fibris purpureis, ac cirrinis,impenſiùs rubẽs: huius prouentus vberior in ſylaula Floridæ vallis : erũpit menſe Decembri , floret à Maii auſpiciis ad finem vſque.

Lob.Obſ.& Ic.Pl.p.184. Orchis Strateumatica,vel ſtratiotes maior,ſiue Militaris C.Gemmæ, quam meritò Baſilicam tertiam vocitare licet.

Hiſt.Lugd.Orchis ſtrateumatica maior Baſilica tertia Gemmæ.

Tabern.Ic.& hiſt.Teſticulus 5. militaris Stendelwurtz.

Orchin latifoliam alteram , quæ haud dubiè genus Orchidis ampliſſimis foliis eſt,Cluſius non modò in ſiluis Nemethvvivvar oppidi vicinis, ſed etiam in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf obſeruabar,foliis quidem magnis & latis, ſed infra ſuperiorum amplitudinem , caule penè cubitali,magnis floribus ſpicatim congeſtis, eiuſdem cum aliarum Orchidum floribus formæ , purpureis maculis aſperſis,exalbidâ galdâ flores ſingulos tegente, radicibus geminis, craſſis , ſuperiore tamen breuioribus.

C.B.not. C.Bauh.Phyt. Orchis 18.bifolia altera Cluſio, Orchis latifolia altera. Cur C.Bauh.vocat bifoliam? Cluſius non ſcribit talem eſſe,quinimò iconem , cui multa folia in poſt.hiſt.ponit quæ à Lobelio Strateumatica dicitur : eam autem ipſe C. Bauhin.ſeparans à Cluſiana latifolia altera facit Orchidum 34.ſiue militarem maiorem.

## ORCHIS STRATEVMATICA MINOR.



Deſc. COgmatũ Strateumaticæ alterum genus ( inquit Corn.Gẽma,) *folio* quidem lato, ſed breuiore,comâ magis propendulâ, propiuſque cõfertis floribus , & ad vnum latus nutantibus galeis:color foris ex albo & cæruleo nonnihil cineritio miſtus: habet maculas coloris puniceischi ad nos è montoſis & aſperis non procul à Bruxellenſi ciuitate mittũtur. Flos apprimè venuſtus vtrique generi,ſed inodorus.

Lobel.Obſ.p.92.& Ic.Pl.p.184.Orchis ſtrateumaticam inor C.Gemmæ. Deſcriptionem Gemmæ poſuimus, quæ reſpondet noſtræ Orchidi galeâ & alis cinereis, pro qua tamen Lobel. etiam videtur habere iconem : diligentiùs hæc hiſt. examinanda.

Hiſt.Lugd.Orchis Strateumatica minor Gemmæ.

Tabern.Icon.& Hiſt. Teſticulus ſtrateumaticus minor 10.Stendelwurtz.

C.B.Phyt.Orchis 34.ſiue militaris minor.

*Strateumatica folio Lilii-foliis quàm ſimillima.*

Præter iam dictas Strateumaticas, vel Militares, vidit aliquando Corn.Gemma & tertium genus folio lato,Lilii foliis quàmſimilimo,oblongo ſcilicet,& in mucronem ſubrotundum deſinente, cui flos Lilii lacteus planè columbarum effigiem alis exporrectis pedibuſque quàm optimè repræſentans. Gaudet montoſis & aridis: floret eodem tempore cum Anthropinis.

## CYNOSORCHIS PRIOR DODONÆI.



De. CYnoſorchios prima ſpecies, Dodon.hiſt.fl. & in fol. *folia* habet lata, pinguia, Lilii foliis propemodũ ſimilia: *caulem* pedalem,aut altiorem , anguloſum ; & in eo *flores* copioſos , ſpicatim digeſtos,colore rubentis dilutæ purpuræ, cucullo aut galeæ patenti ſimiles , ex qui-

quibus parte inferiore laciniosum quiddam, canis aut alterius animalis quadrupedis exuuio ſimile dependet, dilutè & ipſum purpuraſcens, pũctulis magis purpureis reſperſum: pro *radicibus* præter fibras ſuprà adhærentes, gemini ſunt bulbi veluti teſticuli, formâ aliquantulùm oblongi, quorum vnus plenior ac vegetior alter rugoſior.

Cynoſorchis inquiunt Adu. omniũ notiſſimus magnitudine, in pratis frequentiſſimus riguis, primò pilularum ſpeciem habet Elleboris erumpentis, vel Colchici, deinde Lilii conuallii aut vulgaris: folia exerit terna aut quaterna, lenta, craſſa, & mucore turgentia. Caulem verò ſeſquipedem longum, glabrum, nitidum, cauum in ſummo: ſpicato flore conſpicuum, odoratum, purpureum, maculis albicantibus, atque pullis variegatum: radix geminis conſtat bulbis effigie teſticulorum, quos quaſi pubes ſupernè multæ ambiunt fibræ, quibus, non ſecus atque ipſa planta ſuperior, bulbi alimoniam adipiſcuntur, & alternis perennem: alteri nempe iam flaccido & vacuo, altero ſuccedente turgido & ſucci viſcidi limpidi pleno, albuminis Oui, quaſi foret ſemen genitale, magnitudo quanta maioris dactyli, interdum Nucis iuglandis adulto: victo verò, & rugoſo multò minor, & ſitus inferior. Dulcis ſapor, mucagineus, emplaſticus, inſulſus, odor candidus, pellucidus.

Lobel. Obſ. Serapias Dioſc. Cornelio Gemmę: ſiue Baſilica Syderites vel Erythræa floris omninò purpurei, & aliarum omnium facilè princeps. Cynoſorchis noſtra maior p. 62.

Icon. à Lob. & Dod. propoſita ſimilis admodũ eſt Cynoſorchi maiori alteri Lobelii & Cynoſorchi tertio Cluſii: neuter tamen certum aliquod diſcrimen tradere videtur: Lectorum præterea erit perquirere an hæc ab aliquo alio Botanico tradatur deſcriptione vel icone.

Hiſt. Lugd. Cynoſorchis maior 3. Lob. Serapias Dioſc. Gemmæ.

Tabern. Ic. & H. Cynoſorchis maior. 3. Groß knabenkraut: Icon eadem cum Dodonæo & Lob. deſcriptio autem diuerſa à Dodonęi deſcriptione, quam Tabern. poſuit pro ſuo Cynoſorchide priore, vt dictum.

C. B. Phyt. Cynoſorchis 2. latifolia, altera Lilii folia.

Thal. Harc. Orchidis Dodonæi primùm genus. Eiuſdem alia ſpecies foliis quatuor vel quinque multò longioribus, dodrantalibus.

## ORCHIS ORNITHOPHORA FOLIO MAculoſo Lob. Ic. Plant. p. 183. Teut. 219.

ORrchios Ornithophoræ foliis maculoſis C. Gemmæ ſunt, teſte Lob. Obſ. differentiæ accidentales plurimæ. *Floribus*: purpureis, purpuraſcentibus, albis. *Foliis*: prægrandibus, paruis, oualis figuræ, ex lato in acutum deſinentibus, ex acuto in amplum & rotundum.

Floret medio Aprilis ferè, & quandoque ſub initium Aprilis vel finem Martii menſis.

Hiſt. Lugd. Orchis Ornithophora, foliis maculoſis, Gemmæ.

Tabern. Hiſt. & Ic. Teſticulus 15. Ornithophorus ſatis latis foliis, ſtriatis, valdè maculatis, diuerſorum colorum floribus, purpureis, albis, & ex purpureo pallido. Teſticulus vulpinus, Füchſ-



hödlein. Folia lata cum neruis apparentibus, multis maculis aſperſa, flores aui volanti ſimiles, purpurei. Lectores coſiderent, an duæ icones & deſcriptiones vnius plantæ: non videmus occaſionem cur Compilator ſepararit capite.



C. Bauh. Phyt. Orchis 31. de qua Lobelius.

## ORCHIS MAGNA LATIS FOLIIS, GALEA fuſca vel nigricante.



Deſcriptio

FOlia habet quatuor aut quinque, magna, Liliacea, palmaria, & ſeſquipalmaria, vncias circiter tres lata, ſtriata, nitida, & præter hæc duorum foliorum in terra rudimẽta: *caulis* ſtriatus, ſeſquicubitalis, ſuperiora verſus purpuraſcens, in quo *florum* thyrſus maiuſculorum, galeâ breui atropurpureâ ſtriata, quibus apprimuntur binæ alæ concolores, calcari paruo, ad pediculum longiuſculum contortum angulosúmque appreſſo: ex pediculo pendet labellum exuuias martis aut zebellini expanſas, egregiè exprimens, vnà cum cruſculis & cauda aduerſa parte ex albo purpuraſcens: intima floris penetralia rubro candidóque variata ſunt: *odor* leuis non ingratus: *ſapor* viſcidus inſuauis.

Hanc obſeruauimus in Ducatu Wirtembergico cum contenderemus per montem ex vrbe Dornſtet ad vrbem Nagel, florentem mẽſis Maii medio.

Icon quam proponimus ex iis quas ſculptas emimus quod radices & folia attinet, non malè conuenit plantæ deſcriptæ, verùm flores non placent: conſiderandum an ab aliis Botanicis ſit deſcripta.

## ORCHIS ALIVS PVRPVREVS, ALIVS ex roſeo candidus Trago ſiue quartus.



*Satyrion primum Dioſc. Trago.*

ORchidis hęc icon quò ſit referenda conſiderandum, nos iam ſculptam emimus; huic ferè ſimilis eſt apud Tragum, cui titulus Satyrion primum Dioſcoridis, das 4. Stendelwurtz Mennlin. Eidem Trago eſt alia icon cui titulus, Cynoſorchis mas quarto loco deſcripta. Hæc icon accedit ad iconem à Trago inſcriptam, Satyrion mas quorundam, de qua egimus ſub titulo Orchidis galea & alis cinereis.

*Teſticulus 4 purpureus alius roſeo candidus.*

Tragus autem ſic deſcribit: Quartus Teſticulus duum eſt generum ſi florem, quem alius purpureum protſus, alius verò ex roſeo candidum, purpureiſque ac exiguis maculis notatum profert, conſideres. Planta eſt omni ex parte ſatis magna, cuius viridia & mollia folia Lilium ferè referunt: Radices illius quæ ſucculentæ ſunt & dulces binis oblongis auicularum ouis, aut veteris galli gallinacei teſticulis, conferri poſſunt.

Conſiderandum an alius quiſpiam botanicus huius Teſticuli meminerit, & inquirendum an Tragus fortè intellexerit Orchion maiorem totum purpureum, licèt noſtra icon ac etiam icones ambæ Tragi minùs reſpondere videantur.

## CYNOSORCHIS DELPHINIA MACVloſis foliis flore purpuro-violaceo.



CYnoſorchis Delphinia Lobel. Icon.Pl.p.174. ſeſſilibus eſt & maculoſis, obtuſioribuſque *foliis: flore* purpuro-violaceo; *caule* ſeſquicubitali maiuſculo, oliuari gemino bulbo T. 214. Vide H. Belg. Lob.p.214.

C.B. Phyt. Teſticulus 8. morionis foliis ſeſſilibus maculatis.

Icon noſtra ex emptitiis an conueniat conſiderandum.

## CYNOSORCHIS MINIMIS SECVNDVM caulem maculoſis foliis, floribus purpureis.



Deſcri

CYnoſorchis.Lob. Ic. Pl. minimis & ſecundum caulem pedalem maculoſis *foliis: floribus* purpureis, Lob.Ic. Plant. p.175.Teut.214.

C.Bauh.Phyt. Teſticulus 7. morionis minor foliis maculatis.

## ORCHIS MAIOR TOTA purpurea non maculata.



GEmino bulbo magno donata eſt hæc Orchis, altero oblongo: *folia* quaterna aut ſena, longa, lata, læuia, ſpleudentia: *caulis* dodrantalis & cubitalis craſſus, in ſummitate purpuraſcens: *flores* confertim multi purpurei, & interdum albicantes, odore ferè nullo: *labello* tripartito, medio ſegmento protenſiore, raris punctis purpureis in viridi albicantéue notato, alis foris intuſque purpureis, calcari ſatis longo purpurante. Hæc etiam folio maculato reperitur de qua antè.

Fuch

Fuchſ. Orchis fœmina minor. Icon. p.119. Orchis foemina altera, Sed mal knabenkraut weible das ander, Minor eſt vt figura demonſtrat. Non placet Fuchſium iconem 4. loco ponere nec demonſtrare quâ in re ea Orchis differat à præcedentibus, quæ noſtro iudicio non erat ſeparanda à ſecunda ſiue maculata Orchide.

Dodon.Gall. Orchios 4. genus, *Second couillon de chien femelle*, valdè ſimile foliis ſecundo (nobis dicto, Orchis maior tota purpurea folio maculato:) flores carnei coloris cũ maculis paruis fuſcis (*brunes*:) Radices rotundæ, ſublongæ, ſimiles ouis auium, minores radicibus ſecundi. Dodon. Iconem Fuchſii habet, an eandem plantam quam nos intelligat affirmare non poſſumus.

Mat-

Mathiolus multos Teſticulos deſcribit, ſed tantùm icones proponit,& primo loco in vna tabella duas quæ differre videntur, quò autem referendæ,nobis certè incertum, ſi licet coniecturari,accedere videtur vna ad Fuchſianam antè dictam: De altera icone eiuſdem tabellæ vix habemus quod dicamus, confeIatur tamen cum Cynoſorchi de tertio Dodonæi.

Hiſt. Lugd. Iconec Matthioli duas in vna tabella proponit ſub hoc titulo: Orchis 4.& quinta Dodonæi 1. Matth.

Tabern. icon.& Hiſt. Cynoſorchis maiot prima Groß knabenkraut/ deſcribitur à Dodonæo & Matthiolo foliis latis pinguibus,Liliorum foliis valdè ſimilibus: caule anguloſo palmum alto vel paulò maiore: flores ſpicæ modo purpurei,galeam apertam referentes, labrum inferius punctis purpureis notatum:radix conſtat duobus globulis. Icon deſcripta eſt ex Matthiolo: deſcriptio autem ex Dodonæo de floribus[ nulla icon] ſed diuerſa à Matthiolo: Deſcriptionem Dodonæi conuenire cum icone Matthioli dicere non audemus,nec etiam ſcimus an extet Orchis caule anguloſo.

Item: Teſticulus vulpinus 3. Füchshödlein. Compil.ponit iconem valdè folioſam per totum caulem[qualem habet Matthiol.ſub prima Teſticulorum ſpecie] hanc non deſcribit,ea enim deſcriptio quæ eſt tertio loco non pertinet ad Orchidē cui numerus tertius aſcriptus: Iconum p. 665. pro teſticulo 12.poſuit iconem (ſine deſcriptione) folioſo admodum caule.

Caſp.Bauhin.Phyt.Teſticulus 6. morionis fœmina alter.

Hanc Orchin florentem Aprili in pratis obſeruaui propè Maſſouium Abbatiam: & prope *pont de Roide* Burgundiæ, præcedentem folio maculato, & non maculato, de quâ hoc capite: vt & hanc cum ſequenti in eodem prato. Maculatam collectam in monte *Bar* tranſtuli in hortum Ill. E.C. Circa Montbelgardum & Beffordiam,circa dumeta floret adhuc Maio.

## ORCHIS ORNITHOPHORA FLORE colore herbaceo.



IAm & quinta (inquit Dodon.) Cynoſorchios quædam ſpecies reperitur *foliis*, vti ſecūdus (nobis dictus Orchis galea & alis cinereis)canis teſticulus:*caule* pedali: *ſpica* longa: *floribus* colore herbaceo ſubuirentibus, ex quibus quod laciniæ ſimile dependet, oblongum eſt, & quaſi quadrangulum.

Dodonæus omiſſa icone & deſcriptione quam habebat in hiſt.Gal.pro quinta, aliam in hiſtor. flor.ponit,cui in fol.iconem addit plurimùm differentem, de qua Lobel.Ic. Pl.pag.182. Teut.219.

Et Obſ.Orchis Ornithophora, vel Ornithes folio læui C.Gemmæ. Teſticulus noſter papilionis alas expanſas referens,Adu.p.62.

An Lob. Adu.p.63. Teſticulus vulpinus foliis latiuſculis & toto caule appreſſis, floribus Papiliones volantes, aliſue paſſis ſe librantes æmulantibus.

Hiſt. Lugd. Orchidis Dodonæo quinta quædā ſpecies reperitur: floribus caule herbaceo ſubvirentibus &c. Pro hoc quinto Orchide fortè malè poſuit Hiſt. Iconem Matth. primam quam poſtea Iconem Lobelii & Dodonæi ponat ſub titulo hoc:Orchis Ornithophora folio læui,Gēmę.

Caſp.Bauh.Phyt. Orchis 30.ſpicâ ex herbaceó ſubuirente.

## ORCHIS ORNITHOPHORA CANDIDA.



PLant Icon. p. 183. Ornithophora candida Teut.219. Vide h. Belg Lobel.

C.Bauhin.Phyt. Orchis 32.

## ORCHIS MINOR PVRPVREA ET ALIorum colorum cum alis virentibus.



*Radix* in teſtes duos rotundos,alterum ſuperiorem, alterum inferiorem,diuiſa,cum fibris aliquot adnatis: *folia* octo aut vndecim nonnullis, magna, duas vncias aut paulò plus lōga, anguſta: *caulis* palmum aut ſeſquipalmum altus vel altior: *Flores* ſuaueolentes, vna vice ſe pādentes, rubentes, labello latiore,quàm præcedens, fimbriato, calcari etiam breuiore, ſaturatioribus punctis puniceis in albo carneóue diſtincti: *alæ* media parte virentes, magis tamen intus quàm foris Deſcriptiō

reliquá rubentes,ſtriati,ſingulorum florum pediculis appoſitum folium purpuraſcens.

In hoc genere duplex florum varietas reperitur præter iam dictam : vni enim labellum albicat, vix tantillùm purpurei habens, purpura fugiente punctatum, per reliqua cùm iam deſcripta conueniens : alteri flos totus cum calcari albet, nonnihil ad luteum inclinans : alas cum ſuperpoſito folio ſtriæ virides percurrunt ; folium quoque floris pediculo appoſitum vireſcit. Hæc Orchis multùm ludit magnitudine & colore.

*Orchis Serapias. Triorchis. Triorchis mas.* Fuchſ. Hiſt. ὄρχις σεράπιας aut τρίορχις, Paulo & Aetio teſtibus, Græcis dicitur: *Serapias* Latinis: Germ. Ragwürtz/ Gall. *Satyrium à trois couillons*. Triorchis Serapias mas. Triorchis manifeſto ex ea appellatione argumento,quòd non duabus, ſed tribus teſticulatis radicibus in terra nitatur. Quo facilè à prioribus diſcriminatur Orchidi-*Fuchſ. not.* bus. Item Ic. Triorchis mas minor. *Fuchſius* ponit deſcriptionem Dioſc. pro ſua,non demonſtrans eſſe Dioſc. quod non parum diſplicet. Si Orchis de qua hic agimus reperitur cum tribus bulbulis ſiue teſticulis , id euenit propter iuniorem plantam adiunctam & primùm prouenienté.

Diſplicet & Dodon. qui in hiſt. Gall. huic Or-*Dodon. repreh.* chidi, in ſua deſcriptione tribuit tres bulbos, licèt non viderit, quod patet ex lib. eius florum & poſtrema hiſtoria,vbi ſcribit in nulla Orchide nō contigiſſe plures videre quàm duos bulbos.

Matth. in Dioſc.quarto loco Teſticuli ſpecies: In epit. pro tertio ſine deſcriptione. In hiſtor. Germ. pro ſecundo.

Poterit conſiderari icon Cynoſorchis morionis fœminæ Dodon. & Lobelij de qua antè: quæ videtur exprimere Orchidem de qua hoc loco agimus, multa reſpondent, eadem eſt etiam in Hiſt. Lugd. vt antè dictum.

An Tabern. Icon. & Hiſt. Cynoſorchis morio 2. Geſprengt Knabenkraut : Hæc poſtrema Cynoſorchis habet folia læuia, anguſta, ſtriata,ſimilia anguſtæ Plantagini. Flores valdè expanſi, retrò pẽdet veluti corniculum: eis foliola quædam auriculis Morionis ſimilia.Icon Tabern. eadem eſt cum icone Cynoſorchios Morionis fœminæ Lobelii in Obſ. & Icon. Plant. de qua antè proximo titulo egimus.

Tabern. icon & hiſt. Triorchis mas minor Klein Ragwürtz Mannlein. Icon modò dicta eſt ex Fuchſianis,qualis noſtra,cuius deſcriptionem non ponit,& non benè ſeparat capite proprio ab aliis Orchidibus : nullam ponit deſcriptionem conuenientem.

An Cluſ.in Pann.& hiſt.poſt. hanc tradit,cùm ſcribit: Orchis colore vario, ſiue quinta, quatuor aut plura habet folia, ſummâ tellure iacentia, Belgicæ Orchidis quæ paſſim in pratis maturè purpureum florem fert, ſimilia, ſed nullis maculis aſperſa: caulem palmarem, aliquot minoribus foliis ſeptum: cuius ſummum, multi flores, exigua galeâ duobus foliolis conſtante,tribúſque aliis foliolis galeam ambientibus, latiore barbâ propendente, & obtuſiore calcari præditi, & in ſpicam naſcentes exornant, coloris aut purpurei Saturatioris, aut dilutioris, aut ferè carnei, atque etiam omninò albi, barbâ tamen plerumque vel exiguis,vel maioribus maculis ſaturè purpuraſcentibus aſpersâ, interdum etiam prorſus nullis, præſertim in lacteis floribus : ſemen vt in reliquis contortis vaſculis continetur : geminas radices, vnam ſuperioris ànni flaccidiorem, alteram recentiorem, ſucculentam, tegunt mul-tæ candidæ craſſiuſculæ fibræ. Inueniuntur paſſim in pratis Viennæ vicinis.

Cluſius pro ſua Orchide quinta,ponit iconem Teſticuli morionis maris Dodon. Hiſt fl. & poſtremæ, ſiue Lob. Obſ. & Ic.Pl. Cynoſorchidis morionis cui folia maculata : Conſiderandum an ſit eadem cum noſtra purpurea minore, cui alæ virentes ,quamuis C.Bauh.ſeparet.

C.Bauh. Phyt. Teſticulus 9.morionis fol is ſeſſilibus non maculatis.Orchis colore vario Cluſii. Teſticulus 5. morionis fœmina Matthiolo Icon.p.559. Teſticuli ſpecies tertia.Lob. Cynoſorchis morio fœmina.

Hunc Orchin minorem cum præcedenti maiore obſeruauimus florentem ex primis Aprili in pratis humidis circa Montbelgardum : & propè Moruillars flore albo & cæruleo & albido, hos etiam florentes Maio circa Montbelgardum tranſtoli in hortum Ill.E.C.Eſt ex primis ſpeciebus Orchis vere florentibus, ac cum magno toto purpureo floret : Geneuæ quoque obſeruauimus. *Locus Temp.*

---

## ORCHIS SIVE CYNOSORCHIS
### tertius Dodon.Lobel.maior alter.

NOs Iconem quam hic ponimus cum aliis ſculptam emimus, de qua Fuchſ. icon.p.318. Orchis fœmina anguſtifolia, Schmal knabenkraut. In hiſt.Orchis fœmina maior, vt pictura ſatis demonſtrat. Fuchſius iconem ponit tertio loco, ſine vlla deſcriptione, non demõſtrans qua in re ab aliis differat.



Dodon.Gal. Orchios tertiũ genus, *premier couillon de chien femelle*, magna & lata habet *folia*, Liliorúm foliis penè ſimilia: *flores* cærulei [*perſes*: ] *radices* rotundæ & ſublongæ forma Ouorum auium: ſuperior rotunda & parua, inferior nonnihil longior & craſſior,vtraque ſaporis valdè dulcis. Dodonæus iconem Fuchſianam habet in ſua hiſt. Gall. Quo nomine tradat in hiſt.fl.c.61. aſſerere non audemus, nullam ibi figuram habet,conſiderandum an deſcribat his : Tertia Cynoſorchios ſpecies folia edit anguſta &c. Dodonæus in fol. eandem hiſtoriam habet & iconem,quam inſcripſit Cynoſorchis tertius. Hæc autem Icon eſt apud Lobel. Obſ.p.89. cum hac inſcriptione Serapias Dioſc.ſecunda C.Gemmæ,&c. Icon poſtr. Dodon.& Lobelii tantam habet ſimilitudinem cum Cynoſorchide maiore Lobelii & priore Dodon.in poſt.hiſt.vt inſigne aliquod diſcrimen ſtatuere non poſſimus.

Hiſt. Lugd. Serapias Dioſcor. 2. Gemmæ. Orchis Baſilica altera, Cynoſorchis altera maior Lob.

Hiſt.

Tabern. Icon. & Hiſt. Cynoſorchis maior 4. Groß knabenkraut. Icon Tab. eſt eadem quæ Lobelii & Dodonæi in poſt. hiſt. ſed ſine deſcriptione.

C.B.Phyt. Cynoſorchis 1. latifolia floribus puniceis intus albicantibus.

## ORCHIS MAIOR TOTA PVRPVREA maculoſo folio.



ORchis maior tota purpurea *folio maculoſo*, qua in re differat dēptis maculis nigris in foliis conſiderandum ab ea quam maiorem totam purpuream non maculatam diximus: dicitur Fuchſ. Icon. & hiſt. Orchis mas anguſtifola, Schmal knabenkraut Mennle / Alterum genus anguſtioribus foliis quàm Orchis mas latifolia, & maculoſis magis, floribúſque purpureis conſtat.

An Trago Cynoſorchis mas, Teſticulus quartus duûm generum, de quo paulò antè ſcripſimus, alius roſeo candidus.

Matth. Teſticuli penultima figura ex Fuchſio ſine deſcriptione. Figuræ tamen ex Plantino meliùs placent quàm Fuchſii quas hic habemus.

Hiſt. Lugd. Iconem habet ex Matthiolo cum hac inſcriptione, Teſticulus morionis mas Dodonæi, ibidem deſcriptio ex Dod. de floribus: additque, Orchios ſecundum genus facit Dod. Matt. Teſticulum quartum.

Apud Dodon. Gall. Icon Fuchſiana: Orchios ſecundum genus primo (ſiue ei cui galea & alæ ferè cinerea) nonnihil ſimile, foliis tamen anguſtioribus, tenerioribus, cum maculis nigricantibus: Flores modò cærulei obſcuri (*pers obſcur.*) modò niuei candoris, Radices oliuarum modo rotundæ: vna noua & plena, altera fungoſa rugoſa & flaccida. Idem hiſt. fl. & in fol. Teſticulus Morionis mas, cui folia ſunt quinque, aut ſex, longa, lata, læuia, Lilii foliis ſimilia, quædam minora, ſuperiùs maculis aliquot ſubnigricantibus ſignata: quorum vnum & ſubinde alterum caulem quoque circumplectitur: caulis dodrantalis: flores in ſpica purpurei, circa vmbilicum albidiores, odorati, & aſpectu grati, poſteriùs corniculum habent propendens, ſimile ferè corniculo Regii floris: anteriùs verò cucullum auriculatũ & criſtatum Morionis referunt. Nam cuculli cuiuſdam & patentis galeæ modo floſculus hiat, & anguſta foliola, quæ à lateribus ſurgunt, auriculas: quod verò è medio attollitur, criſtam refert: radices gemini ſunt globuli nucleo Nucis Myriſticę ſimiles, ſuprà quos fibræ exeunt. Si Dodon. eandem quam nos intelligit, conſiderandum an icon benè reſpondeat.

Tab. Hiſt. & Ic. Cynoſorchis maculata Marientreher Mänlein. Cynoſorchis morio mas, Geſprengt knabenkraut: Quintæ ſpeciei folia ſunt craſſa & lata, multis maculis aſperſa. Flores prioribus ſimiles, coloris nonnihil viridis, huic ſimilis ſexta foliis maculatis: quæ maculæ ſunt ex nigro virẽtes, flores albi & purpurei grati odoris, ſimiles capitiis Stultorum. Icon prior Tabern. accedit ad iconem Matthioli, ſecunda ad iconem Dodonæi: quas autem plantas intelligat nón aſſerimus adhuc.

C. B. Phyt. Teſticulus 4. morionis mas foliis maculâtis.

*Orchis fœtidiſsima Cluſio.*

Similem quintæ (Orchidi colore vario) obſeruabam [inquit Cluſius in Pannon. & Hiſt. poſt.] in pratis vrbi Londinenſi in Anglia proximis, vbi etiam eruebam grandiore paulò florum purpureorum ſpicâ teterrimi fœtoris.

Caſp. Bauh. Phyt. Orchis 13. fœditiſſima Cluſii.

## ORCHIDIS GENVS PARVVM FLORE prorſus purpureo odoris ſuauiſſimi.



QVintum Teſticuli genus Trago bipartitum eſt, vtrumque *folio* veſtitum Lilio ſimili: *Flore* emicans purpureo prorſus, nec enim illas oſtendit lituras, eóque inſtar frumentorum in ſpicatũ deſinente cacumen: quod in hoc genere minimum exiſtit ſuauiſſimo cõmendatur odore, & ad Gariophyllæam accedente. Naſcitur vtrumque in aſperis plerumque montibus ſubter Iuniperos, terrá forti & alba gaudens. Orchis quinta odorata, Das 5. wolriechend Margendrehen. *Gariophyllæ odor.*

Tragus propriam huius habet iconem: conſiderandum an icon noſtra ex emptitiis pro ea poni poſſit, vel an aliquam potiùs denotet Orchidem.

Perpendendum etiam an à Cluſio in poſt. hiſt. ſic tradatur: Orchidis genus elegantiſſimum ſiue tertium binis craſſis bulbis præditum, vno ſucci pleno, altero flaccidiore, quod in Orchidibus vulgare eſt: foliis longis, anguſtis: caule interdum pedali, ſpicâ florum elegante, odoratâ, quorum galeola obſcurà purpurà nitet, hiatus cum propendente labro candicant, purpureíſque maculis inſigniuntur. Inuenitur in pratis Nemeth-vvyvvar Dn. de Batthyan vicinis, ſupra Rabam & inter flumina Muram & Drauum.

C. Bahin. Phyt. Orchis decimaquinta obſcurè purpurea.

## ORCHIS MINOR FOLIIS TENVIORIBUS reflexis flore punicante.

Orchidis minor ſpecies Thalii, *foliis* eſt tenuioribus in terrâ reflexis, quinis, ſenis, ſeptenisue: *cauliculo* breui, digitali, quandoque dodrantali, tenui, ſpica breuior florum punicantium pauciorum. Naſcitur locis apricis circa Gerenrodam.

## ORCHIS PARVO FLORE RVBRO ſiue phœniceo.



Deſcrip. ORchis hæc palmo maior *foliis* pluribus non magnis, *caulem* multùm amplexãtibus: *floribus* veluti in ſpica ſexunciali longa, & penè vnciali lata, paruis, rubris, & penè vnius coloris: an fortè Teſticulus morio tertius Dodonæi?

Icones ſupra poſ. 12. Icon quam ponimus eſt ex iis quas emimus, quę aliquatenus exprimit noſtram plantam.

Conſiderandum an de hac ſcribat Cluſ. H. poſt. Orchis 2. cui folia ſunt plura, quam latifoliæ alteri, anguſtiora: caulis gracilior, pedalis, flores rubri pulcherrimi, quales ferè in Belgico illo Orchidis genere videre memini, quod è pratis Louanio vicinis eruabatur. Creſcit in eodem iugo Greben pone arcem, & pleriſque gramineis locis, inter flumina Muram & Drauũ, tum apud Sackturnya Ill. Comitis de Zrinio arcẽ. Tradidit autẽ hanc priùs iiſdem planè verbis in Pannon. ſub hoc titulo; Orchis flore rubro elegantiſſimo.

C.B. Phyt. Orchis 19. flore rubro elegantiſſimo rubro. Montbelg. menſe Iunio florẽtem vidi.

## TRAGORCHIS MINOR FLORE fuliginoſo.



LOb. obſ. p. 90. & Ic. Pl. p. 177. Tragorchis minor & verior C. Gemmæ, ſiue Corioſmites, vel coriophora flore inſtar cimicũ: *Flore* eſt fuliginoſo, figura, color & odor Cimicis, *foliũ* non abſimile minori Delphinio Satyriſco: gaudet irriguis: floret cum Delphiniis.

H. Lugd. Tragorchis minor & verior Gemmæ.

C.B. Phyt. Teſt. 16. ſiue hircinus minor.

Tab. Ic. Teſticulus hircinus 3. minor, klein Bocks hödle. Icon quam his poſuimus an reſpondere poſſit Tragorchi minori conſiderandum.

## ORCHIS BATAVICA



DOdrãtali aſſurgit *caule*, quem terna aut quaterna ambiũt anguſta folia: ſũmus *caulis* ſuſtinet breuiorẽ ſpicam florum elegãtis interiùs rubri coloris: triſido labro propendente.

Orchis 6. ſiue Batauica (Cluſ. Pann. & H. poſt.) ingrati odoris eſt, quam nõ ineptè Tragorchin minorem nuncupari poſſe cenſet Io. Hoghelãdius.

Rara inuentu creſcit in marinis aggeribus, interdum etiam reperitur circa Hagam Hollandiæ. In hortos autem tranſlata, latiùs explicat florum comam, in metæ quaſi formam deſinentem.

## ICONES ORCHIDVM QVARVMDAM.



Deſc. ICones propoſitæ, ſunt ex iis quas ſculptas emimus, conſiderãdum an ſint plantarum diuerſarum à iam traditis: inſignis enim varietas eſt Orchidũ. Sunt nobis ſanè aliquot Orchidũ differẽtię, quas accepimus, Argentinâ à D. Vldario Chelio inſigni Medico ex plantis vt exiſtimamus D. Aggerii ſtirpium diligentiſſimi inueſtigatoris, ac ab aliis, quas deſcribere nũc non valemus, nec pingere lubet, quia nihil certi proponere poſſumus, ac ignoramus vbi collectæ, & an ſint iam deſcriptæ.

ORCHIS

ORCHIS MINOR ANGVSTIFOLIVS IN ſuprema parte longis foliis.



TEſticuli 16. minoris (klein Knabenwurtz) Tabern. more ſolito nullam exhibet deſcriptionem. Si Icon ad plantam facta, notabile eſt Orchis genus, in eo differens à cæteris, quòd folia ſuperiora iuxta flores ſint longa, cùm aliis ſint breuia.

C.B.Phyt.Orchis 29. Tab. 16. minor.

ORCHIS PARVIS FLORIBVS, MVLTIS punctis notatis, An Cluſio Orchis Pannon. 4.



BVlborum altero oliuari, altero rotundiori fibræ adnaſcuntur vt in cæteris: *caulis* ſeſquipalmaris & dodrantalis, cui circũiecta folia quina ſeptenáque, ſeſquiunciali latitudine, longitudine palmari, quorum aliqua repanda, alia caulem inuoluunt: *flores* in ſpicam ſatis breuẽ confertim digeſti, ferrugineum conum in faſtigio caulis antequam explicentur æmulantes, odore melleo: flores ſingulares exigui, calcari herbido breuiſſimo, galea ferruginea, alis vel totis herbidis, vel ex dimidio purpurantibus, intus rubro punctatis: *labellum* ſimile quodammodò animalculo quadrupedi tripartito vel quadripartito, alato, foris penitus albicante, intus creberrimis punctis ſaturatè purpureis notato: apicibus in rictu luteis.

An Trago,: Tertium peculiare quoddam Satyrii genus, caulem proferens teretem & mollẽ: folia Lilio ſimilia: radices gemellæ & rotundæ, exiguæ, flore copioſo, ac racemi inſtar coacto, foris ſpadiceo, intus verò candido & minutiſſimis maculis aſperſo plenum. Gaudet humo argilloſa naſcitúrque tam in pratis quàm montibus. Proinde Iunio menſe florere incipit.

Nos iconem Fuchſianam proponimus [quæ non placet] de qua ille Icon. p.320. Orchis anguſtifolia fœmina tertia: Schmal knabenkraut weible das dritt. Verùm quam Orchidem intellexit Fuchſius propoſita icone perquirendum, quandoquidem nihil annotauit præter nomina.

Dodon. in hiſt. Gall. Iconem Fuchſii habet ſub hoc titulo Orchios quintum genus, *le tiers couillon de chien femelle*: Valde ſimile eſt foliis ſecundo (quod vocamus Orchin purpuream maiorem maculatam,) flores parui, ſimul conglomerati, externè coloris Caſtanearum, internè albi, plurimis maculis notati: radices duæ ſimiles duabus Nucibus longis & rotundis, vna maior alterâ.

Dodon. in Hiſt. fl. & in fol. omiſit hanc hiſtoriam & iconem, quaſi de planta incognita & quę non extaret olim ſcripſiſſet.

Cluſ. Pann. & Hiſt. poſt. ſic deſcribere videtur: Quina aut ſena ſunt Orchidi quartæ ſolia: ſpicâ elegantium puſillorum florum purpuraſcẽte galeâ tectorum, prominulo labro & in quatuor barbulas diuiſo, albo, purpureis punctis diſtincto; paruo calcari à tergo prominente, tenuis odoris, ſub quo, vt in reliquis Orchidibus toroſum & contortum eſt capitulum exiguum ſemen ſcobis inſtar continens: geminas radices habet teſticulorum modo efformatas, vnam plenam, alteram marcidam, ſupra quas ex imo caule ortæ fibræ expanduntur. Naſcitur ad montis Gleſenfeld imminentis radices, binis ſupra Neapolim Auſtrię miliaribus, abundantiùs tamen in montium tenui gramine ſectorum decliuitatibus, ſupra Radaun, Medeling, Baden, & plerîſque aliis editioribus ſiccioribúſque locis Viennæ vicinis. Illi ſimilem eruebam montibus Greben proximis, ſed longè ampliorem, craſſioréque & longiore ſpicâ præditam. Locus.

Icon quæ proponitur ab Hiſt. L. ſub Orchide quinta Dodonæi exhibita eſt à Dodonæo vti dictum, & Fuchſio. Verùm an ei conueniat deſcriptio appoſita ex libro florum pro Tertia Cynoſorchidis ſpecie, conſiderandum: quia Dodonæus in fol. pro ea longè aliam iconem proponit, nec ſcimus an deſcriptio ex libro florum Dodon. ei iconi quam nos etiam habemus reſpondeat.

An Camer. hort. Orchis minor. Cynoſorchis. Teſticulus canis minor flore guttato ſanguineo. Locus, tempus.

Circa Montbelg. abundat ac floret Maio: Geneuæ Obſeruaui florentem Maio: Frater Caſp. B miſit collectam in pratis propè Dornacum.

ORCHIS ROTVNDVS DALECHAMPII.



EſT nobis inter plantas noſtras ſiccas Orchis rotundus Dalechampii cognominatus: quem Hiſt. Lugd. ſic deſcribit: *radice* conſtat gemina, teſticulis ſimili, carnoſa, ſupernè fibrata: *caule* vnico, cubitali, rotundo: *foliis* ad ſummum tribus vel quatuor, latis, venoſis, pallidis, Arundinis in- Deſcriptio

ſtar è caulis amplexu ſeſe explicantibus: *flore* puniceo in capitulis globoſis & aliquantulùm compreſſis, non aliorum generum modo in thyrſo longo & ſpicato emicante capituli vertici velut de induſtria affixo: Cliuoſis pratis frigidorum montium gaudet.

Thal. ſic deſcribit: Orchidis ſpecies teſticulatas radices minores obtinens: folia etiam aliquantulùm minora quàm cæterarum ſpecierum, quatuor ferè, læuia, ſplendentia: cauliculum rectum, pedali non multùm maiorem, in cuius ſummo faſciculus florum paruus conſpicitur, non quidem ſpicatus, ſed in vmbellæ paruæ ferè modum explicatus: figura Schænopraſi.

C.Bauh.Phyt. Orchis 39. lutea globoſo flore. Orchis rotundus Dalechampii. *Orchis rotundus* Dalechampii non eſt flore luteo, ſed flore puniceo: nolim Orchidem Dalechampii locare inter pusillam [38.] Cluſii & Friſiam (40.) Lobelii: Dalech. enim planta magna eſt, differunt praeterea 38. & 40. colore. C. B. not.

## ORCHIS SIVE TESTICVLVS maximo flore.



APud Matthiol. ſine deſcriptione extat in Cõm. cum magn. fig. Lat. & Ital. ſub titulo, Teſticuli tertii, Icon quædam cum maximo flore: in eadem tabella alterius plãtæ icon cui calcaria longa, quę fortè ad Orchidem aliam calcari longo referenda. Apud Hiſt. Lugd. ſub titulo tertiæ ſpeciei Matth. [vbi dictarum plantarum icones] extat iam dicta.

Tabern. Icon. & Hiſt. Teſticulus 13. Stendelwurtz, knabenkraut.

C.B.Phyt. Teſticulus 36. Tabern.

Pulchrum hoc genus Orchidis attulit nobis ex Italia Gener Cherlerus

## ORCHIS FVCIFLORA, GALEA & alis purpuraſcentibus.

FOliorum huius, quæ Plantaginis anguſtifoliæ foliis reſpondent, alia reflectuntur, alia *caulem* ambientia ſurriguntur: in caule palmari & dodrantali flores rari calcaris expertes, *galeâ* & alis purpuraſcentibus, linea vireſcente à ſummo ad imum decurrente: quod, labelli loco eſt, amplum exiſtit & pingue folium, fucum pulchrè exprimens, colore fuliginoſo & ad obiectum lucis hilariori vel triſtiori, eleganti luteolarum linearum diſcurſu variatum, ſic vt areolæ tres circulos, medio ferrugineo deſcribant: rictu concauo, viridi, ſupra quem in roſtello latent *apices* lutei, ima Labelli ora luteola, ceu cauda, ſurſum reflexa, auerſa parte albet, in ambitu ad ferrugineum declinans: *pediculus* incuruus, ventrioſus, cui appoſitum folium ſurrectũ ſeſquiunciam circiter longum, anguſtum. Deſcri



Triorchis fœmina *Fuchſii*, Ragwurtz weible. Orchidis Serapiadis ſeu Triochidis alterum genus flores obtinet diuerſis coloribus diſtinctos, purpureo videlicet, càndido, viridi, & nigricante: inferioreque parte fuci planè effigiem exibet.

Orchis ſexta Tragi. das 6. Margendrehen. Teſticulus ſextus. Satyrium alterum Dioſc. prouenit in aſperis plerumque montibus ſubter Iuniperos, terrâ forti & albâ gaudens, radice gemella ſatis magna, binas Nuces Myriſticas repræſentãte, dulci, ſucculenta, flore diuerſicolore, nam conſtat is purpureo, luteo & viridi, qui tamen commiſcentur. Forma floris ita ſe habet vt inferior illius pars crabonem, ſuperior verò quæ capitulata & alata quodammodò eſſe cernitur, auiculam, repræſentet. Exiguum huius Teſticuli genus (eſt enim hìc magnitudine foliorum, caulium, & radicum differẽtia,) folia Allii fert, maius. verò Lilii.

C.Bauh. vult Teſticulum 6. Tragi eſſe Orchidem Melittiam, de quo mox.

Triorchis Dodonæi Gall. Orchis Serapias fœmina. *Triple couillon de chien femelle, ou Mouſche.* Germ. Ragwurtz. Belg. Rhagwortel. Is in eadem Hiſtoria Gal. afingebat & tribuebat tres bulbos in ſua deſcriptione, quaſi ipſe obſeruaſſet, & iconem Fuchſii proponebat: in hiſt. fl. aliam poſuit, & in poſter. duas nouas: illi quæ in lib. florum præponitur titulus, Orchis Serapias ſecundus minor: alteri, Orchis Serapias ſecundus maior.

An Lobel. & Penæ Adu. Vulpinus teſticulus minor foliis binis aut ternis caulem ſpithamæum imum ambientibus, ſummum verò floribus luteo-fuluis paucis, Fucum colore & effigie præ ſe ferentibus: exigui bini ſubſunt teſticuli.

Teſticulus Vlpinus ſecundus Lob. Obſ. p. 88. videtur Sphegodes Gemmæ. Neſcimus cuius culpa in iconibus Plantini hęc figura omiſſa ſit, & alia poſita p. 179. ſub titulo iam dicto: de hac icone poſtea ſub titulo, Sphegodes hirſuto flore. Item Obſ. p. Sphegodes C. Gemmæ, Gall. *Mouſche guespe*, Belg. weſpe. Teſticuli vulpini varietas Adu. p. 62. Huius è ſola magnitudine & foris intenſi & remiſſi colore varietas gemina conſpicua. Icon. Pl. p. 18. Teſticulus Vulpinus maior & Sphegodes Teut. 217.

Hiſtor. Lugdunenſ. Orchis Serapias ſecundus

dus Dodon.Matth.Teſticulus ſecundus. Sub dicto titulo Hiſt.Lugd.eſt icon & ex Fuchſio. Eſt & alia eiuſdem plantæ ſub titulo,Orchidis 2.ſpecies, eſt & Orchis Spherodes Gemmæ.

Tabern.Icon.& hiſt. Teſticulus 7. Sphegodes Stendelwurtz.Teſticulus vulpinus 2. fuchsʒödlin.In deſcript.3.Folia quinque aut ſex ſtriata latiuſcula, Plantagini anguſtifoliæ nonnihil ſimilia,quædam reflexa,caulis palmaris,cum florib⁹ quinq; vel ſex,qui foliolis aliquot cõſtat,in quib. partes inferiores habent aliquid nigri, quod refert imperfectam apim. *Non placet* Compilatorem ponere Teſticulum modò ab eo deſcriptum, capite diuerſò à Sphegode, quem non deſcripſit: ſi enim hic non idem, ſaltem erit valdè ſimilis. Huc etiam referendam cenſemus ineptã figuram cum flore quadripartito ſine deſcriptione Tabernæ iconum & Hiſt. cui titulus Triorchis fœmina, Ragwurtz weiblein.

Caſp.Bauhin. Phyt. Orchis 23.Fucum referẽs maior,foliolis ſuperioribus candidis & purpuraſcentibus.

Montbelgardi abundat florens Maio,etiam in horto Ill.E.C.

## ORCHIS MELITTIAS.



Lob. Obſ. & Icon. Plant.pag.180. Orchis Melittias,ſiue Apis cadauerulum exprimens Belg.Bienn Teut.217.

Hiſt. Lugd. Orchis Melittias Gemmæ, quæ videtur referre Orchin Serapiã Dod. in hiſt. ſtirp. Gall.

Tab. Hiſt. & Icõ. Orchis Melittias,Bienblumlick Gylwurtz.

Caſp.Bauh.Orchis 24. Fucum referens minoe foliolis ſubuirentibus: vel Orchis apem referẽs. Orchis 6.& Satyrium alterum Dioſc.Trago: Orchis Melittias Lobelio.

Orchidis tertiæ Tragi meminibus, nomini Orchidis Fucifloris, vbi eius deſcriptionem propoſuimus, conſideretur an & icon: perpendendum etiam an noſtra icon ex emptitiis eò referenda,vel eadem cum præcedenti ad ſtrigoſiorem plantam minùs concinnè pictam.

## ORCHIS SIVE TESTICVLVS SPHEgodes hirſuto flore.

*Aleam* aláſque expandit virentes, triſtioríq; & obſoletiore fuliginoſo colore fucum potiùs aut veſpam quàm apem præfert: *folium* infimum hirſutum,quod pro labello eſt, in quo nõ lutearum linearum,vt in illa,diſcurſus vllus conſpicitur, ſed ſolummodò liuidæ duæ reliquo folio læuiores, depreſſioréſque tranſuerſa lineola coniunctæ H. maiuſculam Romanorum efformant: aliàs verò duobus locis coëuntes inſulam Ouali figura, lignoſam hirſutámque circumſcribunt.

Plant.Ic.pag. 180. Teſticulus Vulpinus ſecundus ſphegodes Teut. 217. Lobel. Obſ.p.88. nomine Teſticuli vulpini aliam poſuit iconem, quæ apud Dod. in h. poſtrema eſt nomine Orchidis Serapiadis ſecundi minoris.



C. Bauh. Phyt. Orchis 25. Fucũ ferens tertia.

## ORCHIS MYODES GALEA ET ALIS herbidis: & Orchis Serapias tertius Dodon.& Myodes.1. Lobelio.



*Folia* tria, quatuor aut quinque, vnciam lata nonnunquam anguſtiòra, longitudine circiter palmari: *caulis* tenuis, palmaris, bipalmaris & maior: *flores* ſuſtinet ex pediculo ſurrecto, ventrioſo, cui appoſitum folium ad ipſius floris cacumẽ vſque pertingens, raros, nullo calcari; *galea & alis* colore herbaceo, reliqua parte muſcæ corpuſculum affabrè exprimente, prona parte albidâ oris ferrugineis, ſupinâ verò colore fuliginoſo, Zonâ ſubcærulea ſeptum cingente, in rictu geminis corniculis ſtipato *apices* lutei occuluntur. Deſcriptio

Lobel.Adu.pag.62.Teſticulus Vulpinus floribus muſcam, ſed colore rubigineo obſoletóque & inamæna fuſcedine purpuraſcente Fucum exprimẽtibus. Conſiderandum an hæc conueniat cum icone ſequenti de qua Lobel. Ic. pag. 181. Item Obſ.Orchis myodes prima C.Gemmæ, floribus muſcam exprimens.

Hiſt.Lugd.Triorchis Serapias tertius Dodonæi. Malè impoſitus titulus Triorchidis, cùm Dodonæus dicat duos teſticulos non tres viſos. Hiſt.præterea ait: Orchis myodes prima Gem- H.L.nōt.

mæ videtur referre Orchim Serapiam fœminam Dodon.in hiſt.ſtirp.(Gall.) Conferenti non videtur nobis reſpondere.

*Tab.not.* Tabern.icon. & Hiſt. Teſticulus muſcatius 1. Stendelwurtz. Icon eſt eadem cum Lobeliana: verùm neſcimus cur Compilator hunc teſticulum & cæteros ſeparet capite proprio.

C.Bauh.Phyt. Orchis 26. muſcæ corpus referens.

Circa Montbelgardum abundat florens Maio.

## ORCHIS MYODES FLORE grandiuſculo.



Lobel.Obſ.& Ic. Plant. p. 182. Teut. 129. Orchis Myodes altera C.Gemmæ folio læuiore & flore grandiuſculo. An Lob. & Pena Aduerſ. vulpinus teſticulus foliis Plantagineis, venoſis, reflexis,&c.

Hiſt.Lugd.Orchis Myodes altera Gemmæ.

Tabern. Hiſt. & Icon. Teſticulus muſcarius quartus Stendelwurtz.

C.Bauh.Phyt. Orchis 28. muſcam referens maior.

## ORCHIS MYODES LVTEA.



Qvadruplicem vulpinum teſticulum meminerũt Lobel.& Pena floribus quæſitum: Papilionis nempe,Fuci, Muſcæ, poſtremi è colore qui luteus totus & cæteris rarior multò nec deſcriptus.Eruerunt hunc Norbonæ æſtuoſis & aridis ſterilibus, decliuibus inter Ciſtum marem & Ilicem Cocciferam,atque in herbidis Gramuntiæ ſiluæ vicinis.

*Dubium de ſeme.* Lobel.in Obſ.habet iconem multis annis antè à Dodonæo de flor.exibitam pro Orchide Serapiade tertio, ea omiſſa eſt à Lobelio inter icones Plantini : neſcimus igitur an Lobelius benè poſuerit Dodonæi iconem pro ſua Orchide lutea : Dodonæus non tribuit ſuæ Orchidi florem luteum : An conuenire poſſit ea quam hic poſuimus dubitamus , nos eam cum cæteris iam ſculptis emimus. Apud Plan.Ic.p.181.alia icon eſt non parum diuerſa à Dodonæi & noſtra cum hac inſcriptione : Vulpinus teſticulus ſiue Orchis Myodes lutea Narbonenſis congener cum minimo Teſticulo Vulpino , floribus muſcam colore & effigie præ ſe ferentibus,Teut.218. In hoc titulo nos non intelligimus quid luteum dicat, & muſcam colore præ ſe ferre , muſcæ enim vulgares non ſunt luteæ. *Locu*

Obſeruauit Dalechampius apud Hiſt. Lugd. in editis montibus Orchios genus humile,rarum,flore luteo, tribus aut quatuor foliolis conſtans, cæterà vulgò cognitis ſimile , propè oppidum Monſpelio vicinum Veganium nominatum,id genus naſcitur.

Tabern.Hiſt.& Icon. Teſticulus muſcarius 3. luteus, Geel Stendelwurtz.Tabern. imitatus eſt Lob. aſſumpſit figuram Dodonæi,an bene iudicent alii.

C.Bauh.Phyt.Orchis 2.muſcam referens Lutea Lob.icon.p.181.Vulpinus Teſticulus Myodes luteus Norbon.

## ORCHIS PARVA AVTVMnalis lutea.



*Deſ.* Dvobus aut tribus *foliis* Plantaginis quinqueneruiæ ſimilibus, venoſis,glabris,imũ *caulem* complexis, donata eſt : ipſe verò caulis iunceus, pedalis, interdum dimidio minor thyrſum gerit longum *floſculorum* puſillorum,ex herbido colore in luteum vergentium, ſuaui moſchi ferè odore fragantium, è caule appreſſo veluti calyce prominentium:*bulbus* cauli imo adhæret vnicus exiguus, à quo fibræ propagantur quibus vnicus aut alter bulbus pendulus adhæreſcit. Hoc Orchidis genus attulit nobis,non recordamur vnde,Gener Cherlerus:Talem Orchidem attulit nobis Guillelmus Vaiſſant Chirurgus ex *Meſche* in montibus Burgundiæ, *franches montagnes* dictis , vbi Burgundicè *paſſeniles* vocant: Icon noſtra quam iam ſculptam emimus non malè exprimere videtur: nos exiſtimamus hanc depictam apud Lobelium Obſ.& Icon.Pl.p.187.Teut.222.

An

An Cluſ.Pann.Orchis puſilla,pallida,odorata: & Hiſt.poſt.Orchis ſeptima.

Tabern.Ic.& H.Triorchis lutea 1.& 2. Geel Ragwurtz 1. & 2. An Geſner.Hort. Teſticuli ſiue Orchidis ſpecies minor bulbo ſingulari, de qua priùs aiebat, Satyrii ſpecies an Orchidis herba,quæ reperitur bulbo ſingulari ſemper ſimilis alioqui cæteris, ſed minor,foliis binis,conſiderandum:Monorchin dixeris. C.Bauh. Phyt. Orchis 38. odorata, radice vnica, rotunda, Piſi magnitudine, Teſticuli ſpecies minor bulbo ſingulari Geſn. Orchis puſilla pallida odorata Cluſ. Orchis 41. Triorchis lutea foliis oblongis & glabris: Triorchis lutea C. Gemmæ Lob. pag.94.Obſ.& Icon. pag.187. vbi bina iungatur figura at ſecunda intelligenda.Orchis 42. Triorchis altera lutea. Orchis minor Leodienſis Lob. Obſ. p.90.& Ic.p.187. C.Bauhinum tres ſtatuere plantas conſtat, vnam ex Cluſio, duas ex Lobelio, perpendendum quot ſint. *Suſpicamur* apud Lobelium duas icones vnius plantæ nec ſcimus an Cluſii Orchis pallida diuerſa ſit, quamuis vnius tantùm bulbi meminerit, vti etiam in icone noſtra vnicus bulbus appictus.

## ORCHIS SIVE TRIORCHIS LVTEA tertia oblongioribus radicibus.



Lobel. Obſ. pag.93. Triorchis lutea tertia C. Gemmæ oblongioribus radicis oliuaribus bulbis,Plant. icon. p.186. Triorchis lutea tertia Geelragwurtz 3.

C.Bauh. Phyt. Orchis 43. ſiue Triorchis lutea radice oblonga fibroſa.

## ORCHIS FRISIA HIRSVTA.



Lobel. Obſ. & Ic. Plant. pag.186.& Hiſt. Lugd. Orchis Friſia littoralis Gemmæ.

Tabern. Ic. & Hiſt.Teſticulus luteus, Orchis lutea, Geel knabenkraut / quam Lobelius deſcribit in ſuis Obſ.& nominat Orchidem Friſiam littoralem, duo habet folia, bifolio ſimilia, paulò minora quàm Plantago anguſtifolia, aſpera & hirſuta tactu:caulis palmum altus: Floſculi multi ex luteo virides, vt in Hyacintho maiore: radices duæ paruæ rotundæ. Icon eſt Lobeliana.

C.B.Phyt.Orchis 40.lutea,hirſuto folio. Friſia littoralis Lobelio, vbi duas iungit,ac prima figura huic conuenit.

*Orchis ſiue Triorchis lutea altera nonnihil hirſuta.*

Triorchis lutea altera C. Gemmæ Lobel. Obſ. & Hiſt.Lugd.folio eſt rotundiore & latiore quàm ſuperioris,virentiore trifolia, & nonnihil hirſuta: videtur eadem aut congener cum Orchide Friſia Orientali: quæ gemina inferiora folia Bifolii, Plantaginis latifoliæ anguſtiora edidit, & in dodrantali cauliculo herbaceos ſiue luteo virentes floſculos in horto D.Brancionis.

## ORCHIS SPIRALIS ALBA ODORATA.

Deſcriptiõ

Duplici *radice* nititur bulboſâ, oblongâ, villoſâ, ima verſus acuminatâ, aliquot fibris donatâ. E cuius ſummo folia, vaginato pediculo vnciali ſurgunt viridia, pinguia, ſemunciam lata, vnciam aut ampliùs longa, dorſo craſſo auerſa parte,quâ ex atro virentes venulæ. ab imo ad ſummum conſpiciuntur. Iuxta hæc coliculus quoque erigitur dodrantalis aut pedalis,teres,foliolis acuminatis ceu vaginis veſtitus,iiſdem tamen vix ac ne vix quidem prominentibus. Floſculorum odoratorum thyrſus, albidorum, clauiculatímque hærentium ita nutat,vt ſpirarum inſtar ſumma verſus circumagatur.Hi interna parte ex luteo virent,ad latus verò duo foliola candida veluti alæ hærent: Vtriculi ſuccedunt vt in reliquis ferè Orchidibus, parui puluerulento ſeminio referti. Thyrſus florum amaricat & iucundi odoris eſt.

An Trago Satyrium 7. minimum daß kleinſt Saturion / quod ait prouenire locis humidis Septembri. Reperiuntur, inquit ille, bina Satyrii genera admodum exigua, quorũ floſculi auiculas volantes imitãtur, coloris ex viridi lutei. Caules horũ haud temerè digiti longitudinem excedunt. Naſcuntur partim in apri-



cis montibus Iunio menſe, partim verò Autumno appetente in vliginoſis campis & pratis. Tragus habet iconem reſpondentem noſtræ Orchi-

*Trag. not.* di ſpicatæ albæ, in ſuá deſcriptione intelligit fortè etiam luteam, quamuis non diſtinguat aut particulatim deſcribat.

Brunf. Tom. 1. Satyrion odoriferum.

Cordus hiſt. Teſticulus candidus odoratus minor. Et ſupra figuram, Teſticulus pumilio Tragi.

Teſticulus odoratus Dodon. Gall. vocatur, *Couill. a odoriferant*: Belg. **wolriechende Standel cruyt** & **klein Standel cruyt**. Eſt hic Dodon. hiſt. fl. & in fol. Teſticulus quintus odoratus ſiue pumilio nuncupatus, omnium foliis minimus.

Lobel. & Pena Adu. Teſticulus odoratus, minimus omnium floſculis, odore Lilii conuallii. Obſ. Teſticulus odor. Orchis ſpiralis C. Gemmæ. Icon. Pl. pag. 186. Teut. 221. Et Obſ. Tetrorchis alba ſpiralis vel autumnalis C. Gemmæ. Teſticuli odorati varietas: non aliud à ſuperiore, ſed vt plurimùm oliuaribus oblongis bulbis donatur. Icon. Plant. pag. 136. Teut. 226.

Orchidem flore albo, odorato vel Spiralem C. Gemmæ ad Camer. hort. miſit ex Sileſia D. Fridericus Sebizius.

H. L. Teſticulus odoratus Dodonæi. Tetrorchis, vel Triorchis alba Gemmæ.

*Tab not.* Tabern. Icon. & Hiſt. Teſticulus minor, odoratus, klein wolriechend knabenkraut, cui folia inter Orchides omnium minima Plantagini nonnihil ſimilia: ſed valdè anguſta & parua, colore viridi, caulis tenuis: flores multi parui, albi benè olentes: floret Auguſto & Autumno. Et Triorchis odorata, Groß wolriechende knabenkraut. Non erat ſeparanda capite hæc Orchis à præcedente.

C. Bauh. Phyt. Orchis 44. Triorchis alba odorata oblonga radice Lob. Orchis 45. Orchis alba odorata minor. Satyrium odoriferum Brunfelſ. Satyrium exiguum & 7. Trago. Teſticulus odoratus ſpicalis minor Lob.

Locus. Editis incultis & aridis locis plurimùm reperitur: Auguſto aut Septembri flores promit, Dodon. Sabuloſis arentibus atque ſquallidis locis Norbonæ maritimis & Angliæ mediterraneis naſcitur, Lob.

Tempus Autumno ante Vergiliarum occaſum in arenoſis, ſiccis & accliuibus pratis interdum etiam humidis floret. Montbelgardi nobis occurrit Auguſto & Septembri non longè ab horto ferarum, Vnde in hortum Ill. E. C. tranſtuli. D. Turnerus Medicus Anglicus dedit nobis collectam Heidelbergæ. Circa Baſileam ad Byrſech caſtrum haud ita infrequens.

Vires Radix Orchidis potiſſimùm odorati cocta in vino & pauco melle ſanat vlcera putrida oris, inquit Dodonæus, qui cur huius facultatis non meminerit in poſtrema hiſtoria neſcimus.

## ORCHIS RADICE REPENTE.

Deſcriptio PVlchram Orchis ſpeciem radice repente miſit inſignis Medicus D. Doldius, quem ſic deſcribit Camer. hort. Orchis minor *floſculis* albis, *foliis* craſſis nigris, *radice* repente geniculata, & vbi folia emergunt, apparent puſilla rudimenta tanquam naturæ teſticulos effingere conãtis. Naſcitur ſpontè in opacis ſiluis, in ramentis arborum, quæ longa vetuſtate emarcuerunt.



Ad hortos trãſlatus durat, ſed colorem acquirit magis pallidum, nec tam craſſa manent folia.

Camer. hort. & Icon. p. 35. Orchis minor radice repente.

C. B. Phyt. Orchis 46. radice repente Camer.

## ORCHIS LILIFOLIVS MINOR Sabuletorum Zelandiæ & Batauiæ.



ORtu & facie, cõpactiliq; ſquamarum ſerie ſimilimus Eriophoro Bulbo, fibrillis, impactus ſolo; eminentibus *bulbis* ſubuiridibus. Cauliculus palmaris, *flores* non annotati fuere à Guillelmo N. mercatore Batauo, qui hanc deſcriptioné dedit Teutonicè, & prouenire ait iuxta maritimos ſabuloſos aggeres Hardemo proximos, in ſilua Terrea vulgo **Erdenboſch**. *Idem ſanè* reor (inquit Lobel. Adu. par. 2. cum noſtro nouo Satyrio Zelandico infra ſcripto, in herbatione olim reperto, elapſa æſtate 1603. iuxta aggeres ſabuloſos Walachriæ inter Pyrolam naſcente, quod omnes quadam foliorum ſimilitudine ducti, nec non floſculorum herbaceorum (ni labat memoria) & longiuſculi ſeminis fuliginoſi inuolucri, Orchidis Littoralis Friſiæ, Orchin ſabuletorum maritimorum diximus. Radix illi gemina; quandoque terna, ſed raró, altera alteri innata, foliaceis albis inuolucris tecta, intus viridis, guſtu ſuauis. Infima fibrillis impacta ſabuletis, arida, inutilis & flaccida. *Cauliculi* binûm, ternûm vnciarum: *folia* bina Liliacea duas vncias longa. E regione pagi *Ooſt-Capel*, id eſt, ſacelli Orientalis, à me vltimùm collecta. In Batauis eſt Chamæ-Orchidis nouum genus aggerum Zelandiæ.

*Bul ophe sli.*

*Saty nonu land.*

Figura non reſpondet deſcriptioni, potiſſimùm quoad radices, quæ nihil ſimile habent cum

cum Orchidibus,in quibus fibræ tenues ex bulbis prodire non ſolent, ſed ſupra & iuxta bulbos.

*Orchis ampliſſima foliis binis ſplendentibus.*

1. Orchis prima ampliſſimis foliis, quæ à nemine (vt ſuſpicatur Cluſ.) obſeruata, bina habet *folia*, Ellebori albi foliis amplitudine non cedentia, aliquot venis à pediculo ad extremum vſque folium productis inſignita,ſupernè virentia, infernè dilutiora,prorſus tamen ſplendentia: *caulem* cubitalem,paucis foliolis ſiue inuolucris præditum, pentagonum: *flores* in ſummo ſpicatim cohærentes, cuius autem coloris,cuiúſve formæ ignorat, cùm antequam aperirentur, plantam duntaxat obſeruauerit: *radices* binas, craſſas & parui Napi modo oblongas, ſupra quas infimo cauli inhærent aliquot fibræ ſatis craſſæ.

Solùm conſpecta eſt hæc Orchis Maio menſe anni 1579. in decliuitate montis, in quo extructa eſt arx Ill.V. Balthaſaris de Batthyan p. m. Greben nuncupata, inter Drauum & Saum amnes,binis vltra Waraſdinum miliaribus.

C.Bauhin.Phyt.Orchis bifolia latiſſima.

ORCHIS ALBA CALCARI LONGO.



Hermaphroditicâ Orchidê hanc haud temerè dicas,vt quæ Cynoſorcheis & Serapiades dictas, quod quidem ad radicum formam attinet, medium quiddam obtineat. *Radix* enim duplici conſtat bulbo ſublongo,pyriformi, productiore demiſſa fibra, quæ in capite alias plures æquè craſſas quaquauerſum exerit. A qua in imo ſtatim *folia* inſignia prodeunt duo vel tria,lata, plantaginea, minùs tamen neruis inſignita ſuperna parte, læuia,ſaturè virentia. Reliqua verò octuplò vel decuplò minora,anguſtioráque *caulem* nullo ordine decorant pedalem aut ſeſquipedalem, anguloſum,ſtriatum: Cuius ſumma *flores* ſpicatim occupant odoratiſſimi, albi, Papilionem expanſis alis æmulantes, quorum foliorum ſupremum leuiter erectum obtuſo mucrone ſub ſe bina in ſummo, inclinatione quadam coëuntia,herbaceo colore prædita comprehendit: lateralia duo alarum inſtar expanduntur: propendet autem longum folium,minùs reliquis, album, & ferè herbidum, linguæ caninæ exertæ inſtar,quod,vt in priore ſimilitudine maneamus, papilionis corpus referre dixeris:auerſa floris parte prominet calcar longiſſimum,prope floris baſin album, cætera viride: vnicuique autem pediculo intorto herbidóque appoſitum eſt folium acuminatum: ſapor foliorum amarus: Radicum aqueus inſipidus.

De hac Dodon.Hiſt.fl.& in fol. Teſticulus ſiue Orchis Serapias 1. folia profert duo aut tria, læuia, latiuſcula, at Lilii foliis multò minora: caulem dodrantalem aut altiorem: flores in eo raros,candidos papilionibus expanſis alis quodammodò ſimiles: &c. Eius icon eſt bifolia, olim in Hiſt.Gall.lib.2.cap.46.ex Fuchſio erat trifolia, ac ei dicebatur Teſticulus Vulpis: Gall. *Couillon de renard* Germ. groß Stendelkraut. Belg.Groot Stendelcruyt. *Dod. inconſtantia.*

Σατύριον τρίφυλλον Græcis, Satyrium trifolium Latinis, Officinis noſtris (inquit Fuchſ.) incognitum aut inuſitatum: vulgò Teſticulus Vulpis aut ſacerdotis. Germ.Stendelwurtz: Gall. *Satyrium à trois feuilles*, nominatur. Satyrio autem nomen fecerunt Satyri, qui primi ſyluestres dii colludentes nymphis per ſyluas & antra ad firmiorem Venerem herbam hanc inuenerunt. Trifolium verò,quoniam tria fert folia ad terrã verſa. Folia tria fert Rumici aut Lilio ſimilia, minora tamen & rubentia. Caulem nudũ,longũ, cubitalem. Florem Lilio ſimilem,album. Radicem bulbo ſimilem, mali modo extuberantem, foris rufam,intus oui modo albam, guſtu dulcẽ, & ori gratam. Quod verò hic dicimus Lilio ſimilem: non ſic intelligendum venit quaſi quantitati & tota figura Lilio ſimilis flos ſit, quando euidentiſſimum ſit Lilium quantitate ſua Satyrii florem multis modis ſuperare. Denique nec figura etiam per omnia reſpondet:quare hæc ſimilitudo ad colorem & floris eſſentiam referri potiùs debet,quæ planè eadem eſt cum Lilii colore & eſſentia, id quod conferenti hos duos flores manifeſtum fiet. Icon.pag.408.Satyrium trifolium weiß Stendelwurtz. Fuchſius non deſcribit plantam cuius iconem exhibet,ſed detorquẽdo accommodare conatur deſcriptionem Dioſcor. ſuæ iconi,quam hic ponimus trifoliam, vt, eam ſculptam emimus, quod ei non commune. *Fuchſ. not.*

Matthiol.in Dioſcor.cum magnis Icon. Lat.l. 3.cap.126.picturam ſolam habet ſine deſcriptione ſub Teſticuli ſpecie tertia. In Ital.cap.137. Ei appingit tantùm duo folia: ſub eo tamen titulo in eadem tabella icones duarum plantarum.

Dicitur Lobel.Obſ. Teſticulus Vulpinus primus Anglis Hores Bellokes. Hiſp. *Satyrion.* Icon. Plantar.pag. 178.Teſticulus vulpinus primus cuius flores culices exprimunt. Lobelius in ſua icone duo tantum habet folia: is præterea aliam habet iconem parum differentem nomine Orchis Hermaphroditicæ de qua mox: conſiderandum in quibus differat.

Hiſt Lugd.Teſticuli tertii ſpecies Matthioli in ea tabella ex Matthiolo duæ icones diuerſarum plantarum, præterea Hiſt. Lugd. ponit eiuſdem plantæ iconem alteram ſub hoc titulo: Orchis Serapias primus Dodonæi: ponit & tertiam trifoliam, cum hac inſcriptione: Teſticulus vulpis Dodonæi,tres igitur icones vnius plantæ ſub diuerſis ponit titulis. *H. L. error.*

An Thal.Harc.Orchis bifolia, flore purpureo & candido etiam in montibus paſſim ac pratis. Triplici autem differentia reperitur. Altera latifolia eſt, foliis orbicularibus ferè, vnciarum ſex longitudine,quatuor latitudine: tertia breuiora omnia continet. *Flos purpureus.*

Camer.horti. Orchis bifolius, qui nonnunquam trifolius naſcitur, vnde Fuchſ. Dioſcoridis Satyrion eſſe placuit.

Tabern.Icon.pag.667.& Hiſt. lib.2. pag.394. Teſticulus Vulpinus latifolius, Füchshödlein/ flec-

genblůmen / Item Icon. p.674.Hiſt.355. Satyrium trifolium, Bocksgeyl.

Tabern. in iconibus & hiſt. ſui immemor quatuor diuerſas tradit huius icones: ac Commentum videtur quod Ic.pag.67?.& hiſt.355.habetur ſub hoc titulo, Satyrium Triphyllũ Stendelwurtz.

C.Bauh Phyt. Orchis Serapias 19. bifolia minor flore Papilionem referens. Satyrium trifolium Fuchſii. Teſticulus vulpinus primus Lob. variat, communiter quidem eſt candido: reperi-
*C.B.mt.* tur & purpureo. Huius binæ icones apud Tab. nomine Teſticuli Vulpini latifolii & Triorchis maioris. *Nos* in hoc genere purpureo flore non obſeruauimus, neſcimus etiam cur C.Bauhinus Orchidem 19. iam dictam à 21. ſepararit, de ea ſcribit: Orchis trifolia maior. Satyrium trifolium Fuchſii: Huius duæ icones apud Tabern. Satyrii Triphylli nomine & ſub Triorchi trifolia: inter hanc & Orchidem bifoliam minorẽ, parua niſi ratione numeri foliorum differentia.

*Locus & Tempus.* Non longè Montbelgardo eundo Hericuriam. Obſeruauimus præterea variis in locis, nominatim in valle montium aridorum dicta Grießbach, vbi florebat & Iunio odoratiſſima.

## ORCHIS HERMAPHRODITICA BIFOLIA.



ORchis Hermaphroditica ſecunda C. Gemmæ, Lobel. Obſ. ſiue Orchis Pſychodes (id eſt flore Papilionis) diphylla: oblongis cutibus, ſolo gaudet paluſtri: flos erumpit menſe Iulio, omnino candidus, tenet, qualis Oreadum. Icon. Pl. p.178. Sphecodes: fortè legendum Pſychodes Teut. 216. Quantùm & in quibus hæc differat à præcedente perquirendum.

Hiſt. Lugd. Orchis Hermaphroditica Gemmæ, ſiue Orchis Pſycoides diphylla.

*Tab not.* Tabern.icon. & Hiſt. Teſticulus vulpinus 4. hermaphroditicus, Füchshödlin. Non placet Compil. non ſubiungere hunc Teſticulum Teſticulo Vulpino latifolio ſuo. C.B. Phyt. Orchis 20. bifolia minor altera, vel Hermaphroditica.

## ORCHIDIS GENVS QVIBVSDAM Satyrion caſtratum.. Item aliud genus cum quatuor radicibus.

LOb. Obſ.p.97. Satyrion caſtratum vel Eunuchum ex genere Cynoſorchios C.Gemmæ.Ic. Pl.p.192.Teut.225.

Hiſt.Lugd.Satyrium caſtratum Gemmæ.

Tab.Ic.& Hiſt.Teſticulus ſextus, Caſtratus.

C.Bauh.Phyt.Satyrium 15. cuius radix in dua



tantùm oblongas partes diuiditur.

Eſt nobis neſcimus vnde Orchidis genus *caule* palmari & pedali, cui *radices* quatuor craſſæ vnciales, & ſeſquiunciales, folia plura, vncias tres longa, anguſta, in acutum deſinentia. *flores* parui, ſpicati, ſub ſingulis foliola longiuſcula.

## ORCHIDES, CVLICES MINORES triphyllæ.



ICon. Plantini p.178. poſita Icõ cum hac inſcriptione, Culices triphyllæ Teut. 217. Caſp.Bauh. Phyt.Orchis 22. trifolia minor, Culices minores triphyllæ Lobel. Icon.179. Vide deſcriptionem in hiſt.Belgica Lobelii.

## ORCHIS BATRACHITES.



LObel. Obſ. Orchis Batrachites vel Batrachoides C.Gemmæ. Lobel. Obſ.Belg. vorſkens.1. Ranula à floris figura: Ex eorũ genere quæ ſexus ambigui ſunt, vt & Hermaphroditicũ Teſticulum nõ malè appelles. Sunt enim media inter Serapiades & Cynoſorcheis, maximè quoad formã radicũ.

Hiſt.

Hiſt.Lugd.Orchis batrachoides Gemmæ.
Tab. Ic. & Hiſt. Orchis batrachoides **freſch-blumlicht Geylwurtz.**
Caſp. Bauhin. Orchis 37. ſiue Hermaphroditica.

*Buzeiden ſiue Buzidam Arabum.*

Ait Auic. Buzeidem eſſe medicinam ligneam Indam, in qua ſit virtus ſimilis virtuti Been. Et Serapio, Buzeiden, inquit, eſt ſpecies Satyrionis. Salomon Ebẽhaſem.] Buzeiden ſunt radices duræ, albæ, ſimiles behen albo, confert podagræ, & doloribus iuncturarum. Et eſt medicina Indiæ, quâ nos parum vtimur. Quidam verò detulere eam ad nos, & vidimus eam ſæpe. Aben Meſuai] Melius quod eſt ex buzeiden, eſt album, habens lignum groſſum, & multas rugas. Illud verò quod eſt ſubtilis ligni, habens ſuperficiem lenem, paruæ albedinis, eſt non bonum, nullius iuuamenti. Habix dixit ſicut iſte. Et dixit cum hoc, quod iuuamentum eius eſt ſicut iuuamentum hermodactylorum, ad remouendos dolores iuncturarum, & ad conferendum podagræ. Meſarugiæ.) Buzeiden eſt calidum, auget in ſpermate. Et de proprietate eius eſt, quod laxat aquam citrinam. Sed illud eſt malum teſticulis. Et rectificatio eius eſt cùm Sinapi, & melius ex eo eſt nouum. Et doſis eius, pondus eſt drachmamarum duarum.

*Digiti Citrini Arabum.*

Aſahaſafra ſiue Digiti Citrini ſunt, autore Auic. figuræ volæ manus colore mixto ex citrinitate & albedine duri & nonnihil dulces, quidam ſunt citrini & puluerulenti abſque albedine. Digiti crocei, vt exemplaria habent; ſunt gummi ſeu vena tinctorum: Rhaſis.

---

## PAMATA SATYRIA IN GENERE.

## CAP. XXVI.

*Σατύειον βασιλικὸν* Græcis, Satyrium regium Latinis. Offic. Palma Chriſti. Arab. *Bucheiden*: Auic. Digiti Citrini. Germ. Creutzblumen. Gall. *Satyrium royal.* Palmam Chriſti propter ſimilitudinem quam eius radix cum humana habet manu dixerunt. Verum Satyrium, inquit Matthiolus, hactenus in Italia videre non licuit. Palmæ Chriſti radices, Auicenna Digitos Citrinos nuncupat, etſi eas Digitos citrinos eſſe perperàm, nullàque, quod libro ſuo legerim, ratione ducti, negent Monachi illi.

Fuchſius Palmam Chriſti non rectè inter Satyrii genera depinxit, ſiquidem ea potiùs meo iudicio inter Canis teſticulos erat repræſentanda.

Palmis duabus Chriſtiadibus & Serapiadibus (aiunt Lobel. & Pena Adu.) accenſet Triorchim Serapiada Aegineta (addere enim tertiam quandam videtur,) terno donatam didymo, quam aliàs Palmam Chriſti opinabamur: tum quia ſucculenta minùs, ſicciorque eſt, & vehementer deterget, intrò foriſque vlceribus admota: tum etiam quòd Melancholicis, Quartenariis, Epilepticis, neruorum offarctu, & pituitoſa ſaburra oppreſſis miram præter opem, fluxum dyſentericũ ſiſtat, quot qualéſque facultates Palmæ Chriſti Recentiores vendicant, [ ne cuiquam imponat Palmæ Chriſti vehementer purgantis homonymia,] dignandas ſanè Aegyptiis Venerandæ Serapiadis deæ Auguſto cognominæ: alioquin nihil attinuit à cæteris ſecreuiſſe, & Serapiadas nuncupaſſe. Rationibus hiſce fauebat ex lectione coniectura, nam vbi *πολύχρηστον* multi vſus, legendum *πολύχιστον* multifidam radicem: & fortè vtrumque, multifidum multíque vſus radicem innuebat, & mox inferiùs vbi Dioſcor. *ῥίζα ὑπεστι ὀρχιδίοις ὁμοία*, id eſt, Radix ſubeſt teſticellis ſimilis, aut puſillis teſticulis, legebam multifida leniore metatheſi multò, quàm in ſuperiore capite, vbi pro Olea ſuffecerunt meritò quidam Squillã teneram Pancratium. Verùm tamen ſi cui hæ minùs allubeſcant Serapiades, exploret ſuperiorum Orchium facultates, quæ multò tamen ignauiores & mucore elumbes magis videntur, aut alias aptiores adducat, & lubenter vltrò indictas iſtas Palmatas Antiquis profitebimur. *Serapiades. Orchidis facultates.* Herbidos pratenſéſque colles frigidiores amant tum minor tum maior, legimus etiam in Alpinis Rauiſburgi & Nozoreti Germaniæ. Maio flore & foliis exit: maior foliis ſimilibus, ſed latioribus Porri, mucronatis, ad terram reflexis, craſſis, interdum maculatis fuſcis, & nigricãtibus notulis: flores purpuraſcentis Cynoſorchis adeò ſimiles ſunt, vt niſi propiùs ſpectes eaſdem putes. Radici item geminus eſt bulbus, altero euanido, altero prægnante & ſucculento, vtroque tamẽ oblongiore, nonnihil compreſſo, & ima ſui parte in fibras inæquales ternas aut quaternas veluti digitatas abeunte. Hunc marem appellant. *Palma mas.* Fœmina verò floribus candidis, vel e purpura rubẽtibus, dilutéue cæruleis, cuculatis, crebriores maculas purpureas & rictum oſtentantes habentibus: foliis minoribus, & inſperſis punctulis: radice conſimili. *Palma fœmina.* Sunt vt hiſt. Lugd. notat, qui vocant Palmam Chriſti Buzeiden, ſiue Buzidam Arabum. *Non ſunt Bezeidam.* Satyrii autem huiuſce radices nihil minùs quàm ligneæ ſunt, nec ex India petuntur, vt voluerunt Auicenna & Serapio. Matthiolus Satyrium Baſilicum ſiue Palmam Chriſti Auicennæ Digitos Citrinos eſſe vult: At Satyrionis Baſilici radices duræ non ſunt neque croceæ, neque ad tingendum vtiles. Quare id à Digitis citrinis Auic. & Rhaſis perſpicuè differre videtur.

Thalius Harcyn. pag. 112. Satyrium recentiorũ Græcorum iuxta Dodonæum mas, aliàs Palma Chriſti: Serapias mas Anglis, Orchis autem fœmina Tragi. Atqui Satyrii huius maris cuius videlicet folia maculis deſtituuntur, diuerſæ aliquot differentiæ in Harcynia occurrunt, quæ ſub duobus præcipuè generibus comprehendi poterunt, quorum alterum ſit latifolium, alterum anguſtifolium: quorum etiam vlteriorem tradit diſtributionem.

Orchis Serapias Lobelii Camerario horti, ſeu Satyrium baſilicum aliorum, flore candido, dilutè rubeſcente & rubello. Ex his tertium folia interdum maculis cruentis aſperſa gerit, interdum (An Plantini icon. pag 188. Palma Chriſti mas?) ſine maculis. Priora verò duo maculis in horto meo nunquam carent, neſcio an alibi etiam.

Satyrium Baſilicum mas & fœmina amarum eſt, referente Fuchſio, magis tamen amarũ quod maculoſis conſtat foliis. Ideoque non perperàm cenſent Auicenna & alii quidam ex recentioribus medicis, qui calidum eſſe & ſiccum in ſecũdo ordine tradunt. Vſus eius ad erogandam cutem, ad neruorum dolores, & contra noxia medicamenta. Fertur & amuletum eſſe radix guſtata. Semen ex vino ſumptum nouem diebus, co-

initiales ſanat. In eundem effectum vinum diluitur herbæ decocto. Scobs radicis propinatur in vino ad arcendam quartanam, quam & vomitione curat paulò ante acceſſionem pota. Plura in præſentia reſcire de huius facultatibus non licuit. Satyrii Baſilici radices, Orcheos radices ſapore & guſtu referunt, quare & facultatibus ſimiles exiſtimantur. Nicolus Florentinus capite de quartanæ curatione vim habere ait & per ſuperiorem & per inferiorem ventrem purgandi, & aduerſus quartanas febres inueteratas, poſt purgationes radicis partem pollicis longitudine tulam cum vino ante acceſſionem vtiliter exhiberi, hocque remedio ter ſumpto Biliotum quendam poſt 44. aut 45. acceſſiones, à febre quartana fuiſſe liberatum.

## PALMATA NON MACVLATA.

Deſcriptio PEdalem hæc *caulem* erigit, in quo *folia* oblonga ſeſquiunciam lata, læuia, nullis admodum obſcuris fugientibuſque notis maculoſa: *flores* ſpicati, purpuraſcentes, alas pandunt vtrinque purpurantes, interiectum autem folium galeæ æmulum non item: labellum dilutè purpuraſcens, guttatum, tripartitũ demittunt: calcar paulò vltra mediam pediculi longitudinem protenditur: vnius verò cuiuſque floris pediculo intorto adpoſitum eſt foliũ mucronatum, ſemunciale & ſeſquiunciale, nonnihil rubeſcens. *Radix* ſubeſt gemino digitato bulbo conſtans cum fatua dulcedine aliquantulùm amaricans.



Lobel. Obſ. Serapias mas læui folio, floribus dilutè purpureis notulis conſperſis. Satyrium Baſilicum primum Dod. Palma Chriſti Herbariorum: Belg. handekens cruyt, Germ. Creutz blum Icon. Plant. p. 188. Teut. 22; Satyrium Baſilicum primum, ſiue Satyrium baſilicon maius Dodon. de fl. quod pleri que marem appellant, floribus eſt dilutę purpureis cum punctis. Palma Chriſti vulgò dicitur: Germ. Creutz blumen: Belg. handekens cruyt / Gall. *Satyrion royal*. Sunt qui velint Buzeidem vel Buzidan Arabum eſſe: ſed abſunt. Matth. Satyrium Baſilicum Digitos citrinos Auicennæ eſſe vult: & Monachos dubitantes eâ de cauſa reprehendit. Dodonæo tamen magis placet Monachorum hæſitatio quàm Matthioli aſſertio. Satyrium baſilicum vulgò vocatum à Digitis Citrinis Auicennæ & Rhaſis differunt.

Tabern. Icon. & hiſtor. Palma Chriſti mas. 1. Hendtlenswurtz Männlein / Creützblům.

*Dodon. à Matth. diſſenſit.* C. Bauh. Phyt. Satyrion 4. baſilicum pratenſe latifolium: Satyrion fœmina Brunſ. Palma Chriſti mas læuifolio Lobel.

Obſeruaui Geneuæ foliis non maculatis. Floret menſe Maio in pratis circa *Arue* fluuium. Locus tempus.

## PALMATA SPECIOSIORE THYRSO, folio maculato.



CAulem pedem altum & ſeſquicubitalem aliquando erigit ſubpurpureũ, in cuius faſtigio ſpicatim diſpoſiti *flores* rubentes, vel dilutè purpurei, calcari trientem pollicis circiter longo, criſtis duab⁹ erectis: galea è duobus foliis cui tertium appreſſum incumbit compoſita; labello in tres lacinias diuiſo, ſaturatâ purpurâ guttato, pediculo purpuraſcente, cui ſemper appoſitum acuminatum folium è viridi nigróue purpureum: huius flores obſeruantur & intentiùs purpurei & penitus quoque albi, folia plura qualia Orchidum vulgatiſſimarum, & à radice orta caulem ambientia, & è caule ipſo nata, inferna, ſublonga, ſatis lata, ſuperna anguſtiora, alterno ſitu poſita, crebris maculis nigris notata; *radix* ex gemino bulbo compoſita, quorum alter maior, effœtus alter albus, vegetior, in quatuor aut quinque digitos abit, ad quorum coniunctionem propagantur fibræ. Sapor radicis aqueus, viſcidus, non ſine lęui amaritudine, folia multò amariora. Huius è foliis non maculoſis petita varietas, nullo alio diſcrimine conſpicuo, de qua antè: Altera quoque varietas ex bulbo maiore tridactylo.

Icon noſtra ex emptitiis non in omnibus placet: eam autem Fuchſius poſuit pro Satyrio Baſilico fœmina, & Digitis Citrinis Auicennæ: eius deſcriptionem recitamus ſub Palmata anguſtifolia purpurea. In Iconibus Fuchſii p. 410. figuræ titulus eſt, Satyrium baſilicum mas alterum Creutz mennle das ander.

Conſiderandum an Tragus huius iconem habeat, hoc titulo, Orchis fœmina altera, Creutzblum / weiblin / de qua ſcribit, Satyrii alterum genus, radix quæ formam repræſentat binarum manuum inuerſo ordine inuicem ſuperpoſitarum, quarum recentior natu cum flore augmentum capit, altera marceſcente. Naſcitur hoc genus Orchios in quibuſdam pratis & nonnullis gramineis montibus. Radices tam huius quam ſuperiorum Teſticulorum ferè dulces guſtatæ.

An Matth. in Dioſc. Palmæ Chriſti, cuius radices Digitos citrinos appellat Auicenna, genus maius, quod Ananiæ Vallis montibus inuenitur, & folia ferè Lilii habet læuia, patula, maculis quibuſdam nigris reſperſa: caulem rotundum, læuem: florem ſpicatum, varium, in purpura albi-

albicantem, odore non ingrato : radices duas, quę ſanè teſticulos referrent, niſi ramis quibuſdã, quaſi digitis, humanam manum exprimere viderentur. Icon à Matthiolo propoſita non reſpondet eius deſcriptioni, potiùs videtur Icon noſtræ Palmatæ cum longis calcaribus rubellis.

Dodon. de fl. Satyrium alterum maius : quod fœminam vocant, Satyrium alterum Baſilicum dicitur.

Lobel. Obſ. (& ex eo Hiſt. Lugd.) Serapias fœmina pratenſis, foliis notulis inſperſis, ſiue Palma Chriſti : Adu. pag. 63. Satyrium Baſilicum alterum Dodon. Icon. Pl. pag. 188. Palma Chriſti Serapias fœmina pratenſis, Teut. 223.

Tabern. Ic. & Hiſt. Palma Chriſti maculata.

C. Bauh. Phyt. Satyrium 5. Baſilicum pratenſe maculoſum.

Thal. Harc. Satyrium fœmina, foliis maculatis paſſim.

Paſſim ſecus vias & in dumetis obſeruatur : Cuiuſmodi in locis vtcunque obuiam per comitatum Montbelgardenſem obſeruauimus Maio & Iunio florentem. Eadem obſeruata nobis in valle Grieſbachiana ad thermas acidas. Baſileæ quoque dulcis in locis occurrit. In hortum Mótbelgardenſem tranſlata maximo & lætiſſimo florum Thyrſo prodiit, qui & palmum altitudine ſuperaret. Cùm eſſemus Geneuæ obſeruauimus Florentem menſe Maio.

## PALMATA MACVLATA.



NOn in eam altitudinem excreſcit in quã præcedens, *radicibus* tamen tetradactylis conuenit, nec non *foliis*, niſi quòd euidentiùs maculoſa ſint. *flores* verò purpureo colore præditi, ſaturiſque punctis notati, criſtas duas erigunt, alarum expertes : vnicuique autem flori appoſitum folium acuminatum ſaturatè purpureum.

Plant. Icon. p. 188. Palma Chriſti Serapias fœmina pratenſis Lob. 95. Teut. 223.

Dod. de fl. Satyrium Baſilicum alterum.

## PALMATA ALBA.

PAlmatæ maculatæ flore albo antè meminimus quæ à præcedenti fortè ſolo colore differt. Icon quam his ponimus, ex eſt iis quas emimus iam ſculptas, quæ accedere videtur Lobelianæ albæ, qui eam ſeparat à præcedenti : de ea legitur Lob. Obſ. & Icon. p. 179. Serapias candido flore montana maculatis foliis. Cynoſorchis mõtana, folio maculoſo C. Gemmæ, pratis item eadem niueó flore crebra viſitur, cætera haud abſimilia.



Hiſt. Lugd. Serapias candidó flore Lobel. cætera haud abſimilia Satyrio Baſilico altero Dodónæi.

Tabern. Icon. & H. Palma Chriſti maculata mõtana **ħendeřens wurtz.**

C. B. Phyt. Satyrium 6. baſilicum montanum maculoſum.

## PALMATA SIVE SERAPIAS PALVSTRIS latifolia flore albo ſubpurpuraſcente.



SErapias paluſtris latifolia, Cynoſorchis paluſtris platyphylla folio læui, latóque flore albó ſubpurpuraſcente C. Gemmę, Lobelio Obſ. Præcocior eſt Violaceá Cynoſorchi Icõ. Pl. pag. 190. Teut. 224.

Hiſt. Lugd. Cynoſorchis paluſtris platyphyllos Gemmæ.

Tab. Icon. & Hiſt. Palma Chriſti paluſtris 3. **waſſer handlens wurtz.**

C. B. Phyt. Satyriũ 2. baſilicũ maius latifolium.

## PALMATA, SIVE ORCHIS PANNONICA floribus exalbidis, & alba Grieſbachiana.



LIlii primùm enaſcentia *folia* tria, aut quatuor habet Orchis 7. Cluſii in Pann. octaua in Hiſt. poſt. ſiue Pannonica, dilutioris & quaſi pallentis viriditatis, nullàque macularum aſpergine notatis, ingrati ſaporis : Palmarem *caulem* amplectuntur aliquot foliola : in cuius ſummó faſtigio *flores* ſpicatim digeſti

naſcuntur, exalbidi & quaſi palleſcentis coloris, nullis punctis diſtincti, anteriùs morionum hiantibus cucullis ſimiles, vtrinque auriti, & latiuſculo pallido labro propendente, poſteriore verò parte corniculum habentes, vt Conſolida regalis, aut Linaria, ſed latius & obtuſum, grauiter odorati, florum Sambuci odorem referentes: ad horum exortum ſingula foliola naſcuntur pallentia, & floribus colore reſpondentia: *radices* geminæ, veluti palmæ, in binos, aut plures digitos diſtributæ ſunt, quarum vetuſtior fungoſa, nigrior, & flaccidior eſt, altera candida, vegetior ac ſolida, paucis ſupra earum exortum naſcentibus fibris.

Aliud genus eſt formâ, magnitudine, cæteriſque notis illi par: ſola varietas in floribus, qui in hoc purpurei ſunt, foliola ſub floribus naſcentia etiam purpuraſcunt. Inuenitur vtrumque genus non modò in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf, aliiſque Auſtriæ inferioris ſiluis: ſed etiam editioribus quibuſdam pratis Viennenſi ſaltui proximis. Floret autem Aprili, nonnunquam etiam Maio, pro mitiore videlicet aut rigidiore vernalis aëris conſtitutione.

Locus & tempus. C.Bauh.Phyt.Satyrium 13.flore Conſolidæ regalis Sambuci odore. Collegimus Palmatam florentem Maio & Iunio, in valle fontium acidorum Griesbachiana ad Herciniam ſiluam cui radices & folia reſpondent iconi propoſitæ ex Cluſio: Eadem eſt cum iam à nobis deſcripta Palmata flore albo circa Montbelgardum obſeruata.

*Palmata & Serapias Batrachites.*

Lobel.Icon. Pl. p.193. Setapias Batrachites vel Myodes Teut.226.

C.Bauh.Phyt Satyrium 14.batrachites. Vide Hiſt.Belg.Lobelii.

PALMATÆ CVIVSDAM ICON.



Non occurrit nunc ad quam ſpeciem Palmatæ hæc icon ſit referenda, ea eſt ex iis, quas emimus iam ſculptas.

PALMATA SERAPIAS PALVSTRIS leptophylla, violacea, maculata & non maculata.

Cynoſorchis paluſtris altera C.Gemmæ, Lobel.Obſ.ſeriùs florens, comâ violaceâ, foliis interdum læuibus, interdum maculoſis. Icon.Pl. p.190.Teut.224.Icon Lobelii non demonſtrat folia tenuia, vel anguſta eſſe.



Hiſt.Lugd.Sepias paluſtris altera leptophylla, Gemmæ. Itẽ Serapias paluſtris 3. Gemmę. Miror Compilatorem ex duabus iconibus à Lobelio propoſitis ſub vno titulo, duas ſtatuere plantas, vna ex iconibus repręſentat plantam iuuenem, quæ caulem non protulit. *Hiſt. L. error.*

C.Bauh.Phyt. Satyrion 3.baſilicum maius latifolium alterum.

PALMATA ANGVSTO FOLIO viliſſima paluſtris.



Cynoſorchis paluſtris læui folio & anguſto, ſeu leptophylla omnium viliſſima C.Gemmæ, Lob. Obſ.quæ Icon.Pl. 193.T.226. Figura Lobelii non demonſtrat folia anguſta.

Hiſt.Lugd. Cynoſorchis leptophylla Gemmæ.

Tabern. Icon. & H.Palma Chriſti paluſtris 2. waſſer hendlen wurtz.

C.B.Phyt.Satyrium 16. paluſtre folio læui.

PALMATA SERAPIAS MONtana folio læui.



Serapias montana folio læui. Cynoſorchis montana folio læui C.Gemmæ, Lobel.Obſ.& Ic. Pl. p.191. Teut. 225.

Hiſt.Lugd. Serapias montana folio læui Gemmæ.

Tabern.Icon. & Hiſtor. Serapias montana Berg knabenkraut.

C.Bauh.Phyt. Satirium 11. baſilicum montanum bicubitale.

Serapias montana folio læui Lob.

## PALMATA FLORIBVS IMPENSE RVBRIS.



LObel. Obſ.& Ic.Pl.pag.191. Cynoſorchis Dracontias foliis & floribus impéſè rubris C. Gemmæ, floret circa finem Aprilis, aut initia menſis Maii. Naſcitur in humidis, & vliginoſis, præſertim vbi nigrior terra eſt.

Hiſt.Lugd.Cynoſorchis Dracontius Gemmæ.

Tabern.ic.Tragorchis Bocks geyl. Malè ponit Compil. hanc iconem ſine deſcriptione capite ſeparato ab aliis palmatis.

C.B. Phyt. Satyrium 18. paluſtre foliis & floribus rubris.

## PALMATA PALVSTRIS NEPHELODES



CYnoſorchis paluſtris, Lophodes vel Nephelodes C. Gemmæ. *Flos* illi communis ferè cum cæteris maculoſis, proinde huic cómunem appinximus defloreſcentis Satyrii formam, vnà cum corniculis quibus ſemen atomon prorſus includitur, Lobel. Obſ. & Icon Plant.p.195.

Hiſt. Lugd. Cynoſorchis paluſtris altera, Lophodes Gemmæ.

Tabern. Icon.& Hiſt.Palma Chriſti paluſtris. 1. waſſer hendlen wurtz.

Caſp.Bauhin.Phyt.Satyrium 17. paluſtre alterum maculatum.

## PALMATA, SIVE CYNOSORCHIS MAcrocaulos galericulata C.Gemmæ.

CYnoſorchis macrocaulos, vel Conopſea, ſiue galericulata C.Gemmæ. Floret circa mediũ finémque menſis Maii vſque ad Iunii ferè medium. Lob.Obſ.Flores in hac icone multù non habent ſimilitudinis cum præcedenti noſtra Palmata calcaribus longis.

Hiſt.Lugd.Cynoſorchis Conopſea.



Tabern. Icon. & Hiſt.Teſticulus galericulatus, Knabenkraut. Compilator ponit palmatam hanc extra ordinem aliarum cum Orchidibus, cui bini teſticuli, nulla addita deſcriptione.

C. Bauh. Phyt. Satyrium 12. móntanum bicubitale.

## PALMATA CARYOPHYLLATA.



PLant. Icon. p.194.Orchis Serapias Caryophyllata femine prægnans. Et T.2. p. 277. Flos Orchidis Serapiadis Caryophyllatæ ſiue odoratæ deſcriptę p.226.

C.Bauh.Phyt. Satyrion 1. baſilicum maximũ. Vide Hiſt. Belg. Lob.

## PALMATA ANGVSTIFOLIA MACVLAta purpurea.



PAlmatam quam obſeruauimus in valle Grieſbachiana acidorum fontium, florentẽ, Iunii principio, *foliis* eſt anguſtis, maculatis & non maculatis, quinque vel ſex alternatim per *caulem* prouenientibus, inferiora latiuſcula, vnci i tamẽ multò anguſtiora, retrò Deſcriptio.

flexa, quatuor vel quinque vncias longa, ſuperiora, breuiora & valdè anguſta: caule cubitali, aliàs maiore, interdum etiam minore: *flores* multi, ſpicam breuiorem exprimentes, purpurei: *radices* pluribus digitis conſtant.

Icon quam proponimus eſt ex iis, quas iam ſculptas emimus, quæ aliquo modo exprimunt noſtram Palmatam anguſtifoliam.

---

## PALMATA RVBELLA CVM longis calcaribus rubellis.

Deſcriptio Duplici nititur *radice* palmata, vigore viciſſitudinario annuatim in iis pulcherrima obſeruatione ſe exerente; nam ea quæ cauli pabulum pariter & fulcrum ſubminiſtrat, tota flaccida apparet effœtaque, quæ verò ſequenti anno caulem productura, plena ſucculentaq; ſapore viſcido: plurimis alioquin digitis vncias longis prædıtæ ſunt. Obſeruati ſanè nobis in vtraque ad viginti quatuor: infrà ſupraque palmatas radices aliæ, craſſitudinis fibrarum Hellebori: folia prodeunt palmum longa *caulem* amplectentia, anguſta, qui cubitalis, ſeſquicubitalis, atque etiam altior, quem parua & anguſta quædam foliola ſtipant, ſuprema verò thyrſus occupat peramœnus dodrantalis plùs minùs, *flosculorum* rubellorum, calcari prælongo, & vnguiculis auium recuruo, prędıtorum, quibus dehiſcentibus ſuccedunt vtriculi ſtriati, *ſemine* puluerulento ferrugineoque: odor non vehemens nec ingratus.



Icon noſtra eſt ex iis, quas iam ſculptas emimus, quæ non malè reſpondet noſtræ Palmatæ, & à Fuchſio exhibita, nomine Satyrii Baſilici maris primi.

Matth. not. Matth. in Dioſc. Palma Chriſti. Deſcriptio non reſpondet iconi: in comm. cum Iconibus magnis Latinis, Palma Chriſti maior. Item Epit. p.561. vbi etiam deſcriptio non conuenit cum icone.

Cam. not. Camer. in Epit. aliam poſuit iconem quam non diuerſam à noſtra ſuſpicamur, in ea tamen non benè exprimuntur calcaria, deſcriptio quoque non conuenit. Item in Hiſtor. Germ. Matth. 4. Teſticulus, Palma Chriſti.

An Lobel. Obſ. & Plant. icon. p.189. Serapias minor rubello flore nitente, anguſtifolia, nullis inſperſis punctulis, Lob. 95. Teut. 224.

H. Lugd. not. Hiſt. Lugd. p.1562. Serapias minor rubra Gemmæ. Item p.1568. Satyrium Baſilicum maius Dodon. Planè diſplicet quod hiſt. ponat iconem ex Matthiolo & deſcriptionem ex Dodonæo diuerſæ plantæ.

Tabern. Icon. & Hiſt. Palma Chriſti minor mas, klein hendlens wurtz Männlein, Creutz blum. Palma Chriſti fœmina hendlens wurtz weiblein. Prima icon eſt ex Lobelio, altera eſt ex Matth.

C. Bauh. Phyt. Satyrium 7. baſilicum anguſtifolium, Palma Chriſti maior Matth. Orchis fœmina Trago. Satyrium 9. baſilicum anguſtifolium tertium, Serapias minor rubello flore Lob. *Nobis* dubium an duæ plantæ, ſuſpicamur vnam.

Palmatam quandam cum paruis floſculis rubellis & longis calcaribus in longis veluti ſpicis inueni Iunii principio in prato inter Maſmunſter & S. Germain. Tranſtuli Montbelgardum in Hortum Ill. E. C. Item inter Raupach & Beffordiam Iulii principio, prouenit etiam circa Montbelgardum: olim collegi Tiguri. Locus. Temp.

---

## PALMATA MINOR ODORATISS. purpurea ſiue nigra.



PALMÆ Chriſti, ſiue Digitorum Citrinorum Auic. genus minus Matthiolo quod in Ananiæ montibus habetur foliis conſtat Croci: *caule* dodrantali, iūceo, læuíque: in cuius cacumine *flos* emicat purpureus, amaranthi æmulus, qui recens odorem quàm ſuauiſſimum reddit.

Dodon. ex Matth. Satyrium baſilicum minus. Satyrium baſilicum alpinum, flore ex purpura nigro, tanquam aduſto (vnde Brandlein nomen impoſitum:) odore omnium ſuauiſſimo, ſeu Styracis: quem etiam aridus & in pollinem tritus, diutiſſimè retinet.

Nos [ait Geſner. horti) etiam aliquando plantauimus Lauſannæ: ſed vix vltra annum puto in hortis durare, & ſemen inutile eſſe, ſicut reliqua Orchis genera.

Bened. Aret. Palma Chriſti minor Matthiolo. Satyrii ſpecies odorata, & præſtantiſſima Brandlin.

Minùs modeſtè, inquiunt Adu. facit Senenſis, qui hærentibus Citrinos digitos Auicennæ eſſe haſce Monachis conuiciatur, nullamque allatam rationem conqueritur: cùm ipſe ne vmbram quidem adferat vllius. Et vires Digiti Citrini huic aſſerit, magno incommodo eorum, qui fidem illi adhibituri forent.

Hiſt. Lugd. Palma Chriſti minor, Matth. Satyrium Baſilicum minus Dodon.

Tabern. icon. & Hiſtor. Palma Chriſti minor fœmina, klein händlens wurtz weiblein.

C. Bauh. Phyt. Satyrium 10. Baſilicum anguſtifolium Alpinum, flore ex purpura nigro.

An Camer. horti. Orchidis Serapiadis ſiue Satyrii

tyrii Baſilici odoratiſſimo flore minimo quædam ſpecies alpina, coloris ex puniceo nigricantis, quem Dyſentericis præbent frixum cum Ouis, vel in puluerem redactum ex vino propinant.

Satyrion baſilicon minus odoratum in peregrinatione noſtra Rhætica per Vallem Telinam inuenimus in monte Burmio, tunc nominatū fuit nobis G.Breenle, & Italicè ibidē *Morete*. Cùm eſſemus Mōſpelii delata hæc planta ex mōtib. circa Gangen. Geneuæ cùm tempore peſtis inſeruiremus, inuenimus in monte *Saleue*. Huius exſiccati puluis (inquit Matthiol.) ex aqua ignitum chalybem experta, epotus (vt perhibent ii qui ita eſſe experimento comprobarunt,) dyſentericis maximè prodeſt. Idem aquam præſtare aiunt, quæ per vitrea organa ex iis elicitur. Radices huic ſimiles, ſed quæ alteri magnitudine cedunt. Excalfaciunt vtræque (vt author eſt Auicenna) ſiccantque ſecundo receſſu. Craſſa corporis excrementa pellunt, faciémque detergunt. Dantur maniacis magno iuuamento: quin & in neruorum affectibus. Seminis puluis drachmæ pondere ex vino potus, comitialibus ſubuenit. Item radicis decoctum vino diutiùs commiſtum, quod bibendum paratur tam in prandio, quàm in cœna. Radices, Nicoli Florentini teſtimonio, febrē quartanam fugant: is namque earum tantùm vſu Biliotum quendam curatum retulit.

## SATYRIVM ERYTHRONIVM MATTH.



SAtyrii Erythronii vocati *radice*, Mali effigie, *cortice* tenui & rufo: candidâ intus pulpâ, ſapore dulci, oríque non ingrato, Damaſco Syriæ miſit ad me [Cluſiū] Cechinus Martinellus Rauēnas Pharmac. præſtantiſſ. & rei herbariæ admodum ſtudioſus, cuius imaginem excudi curaui-mus.

Hiſt. Lugd. Satyrium Erythronium Matthioli. Hanc, inquiunt Adu. oſtentabat nobis (quaſi nunquam vidiſſimus) & penè inuitis riſum excutiebat Iacobus Corruſus, dicens, ſe manibus duntaxat attrectando totum turgêre Venereis libidinibus.

Nos annotauimus hiſtoriæ noſtræ lib. tertio Valerandum Dourez exiſtimaſſe Satyrium Erythronium Matthioli eſſe medullam Nucis Cuciophoræ.

## OROBANCHE ET HÆMODORVM
Veteribus & in genere.

### CAP. XXVII.

DVplicem eſſe Veterum Orobanchen ex mox tradendis colligere licet. Vnam quę legumen ſit, aut leguminum, Erui præſertim, virium & peſtis. Alteram quæ cauliſculus tantùm ſit ſubruber.

Hanc Dioſcor. deſcribit his verbis: Orobanche (Ὀροβάγχη) cauliculus eſt ſubruber, ad duos dodrantes (ſeſquipedalis,) & interdum maior, inſurgens, foliis ſubpinguibus, hirſutus, tener, floribus ſubalbicantibus aut melini coloris præditis. Radix ſubeſt digiti craſſitudine perforata, vt inde caulis reſiccetur. Videtur naſci inter legumina quædam, & ipſa ſtrangulare. Vnde etiā nomen accepit. Editur oleris modo crudus & coctus, ex patina velut aſparagus. Quin & cum leguminibus coctus facere putatur, vt ipſa citiùs coquantur. *Vſus in cibo*

Inter reiectanea, Alii legunt κυνομόριον: alii λέοντα [Leonem:] Cyprii θυρσίνην vocant. In communi λύκος [Lupus] nominatur. Sed ne ſtateram, quod dicitur, tranſgredi videamur, Theophraſtum, qui primam & ſecundam Orobanchen ſeu legumen depingere videtur, adorimur. Quædam autem ſunt [inquit lib. 8. c. 8.] perſpicuè multorum communia, ſed quia in quibuſdam maiorem vim habent (ἰσχύειν, ſic legendum ſenſu ita poſtulante, non ἀσθενεῖν, vt in publicis exempl. legitur,) horum exiſtimantur, veluti Orobanche (Eruanga Gazæ) Orobi, Aparine Lentis. Sed Orobanche quidem Eruum vincit propter imbecillitatem, Aparine autem inter lentes benè nutritur: & ea quidem Orobanche quodammodò ſimilis eſt, quia totam plantam aggreditur & veluti brachiis amplexatur: ſic enim ſtrangulat, vnde ei nomen. Quod autem ſtatim à radice Cumino & Fœnugræco (βουκέρῳ) ſubnaſcitur Hæmodoron [λιμόδωρον, αἱμόδωρον legendum vult Hiſt. Lugd. Gaza Hæmodorō.] vnicaule eſt, nec diſſimili caule, verùm breuiore multò, & ſupernè quoddam veluti caput habet, radicem autem ſubrotundam. Idem de Cauſ. 22. de iis ſcribens, quæ vicinas plantas interimunt, ait: Orobancha vocata Eruum necat amplexu compreſsúque ſuo: & Limodoron (αἱμόδωρον legēdum Hiſt. Lugd.) Fœnugræcum interimit protinus radici adnaſcens. *Cynomoriō. Leo Thyrſine Lycos. Orobanche. Eruanga. Orobanche. Limodorō Hæmoderō.*

Orobanches quoque leguminis in diuerſis locis meminit Plinius. Eſt, inquit, herba, quæ Cicer enecat & Eruum circumligando ſe, vocatur Orobanche, quam alii Cynomorion appellant, à ſimilitud. canini genitalis: cauliculus eſt ſine foliis [quod malè, vt dicetur,] pinguis, rubens. Editur & per ſe, in patinis cùm tenera eſt decocta. Et necatur cuminum ab imo dorſo (legendum ab Hæmodoro Hiſt. Lugd.) *Cynomoriō*

Illius & Galenus recordatur ſimpl. 8. & Alim. 1. his verbis. Aparine non modò non eſculenta eſt, ſed plantæ Lentis dum aſſurgit, vndique implexa, ipſam ſtrangulat, ſuffocat & detrahit, non aliter quàm Orobanche Eruum. Siccæ frigidæq; eſt temperaturæ primo ordine. *Orobanche in genere.*

Sed Cornar. in Dioſcor. teſte, Plinii locus prior de Orobanche ex Theophraſt. lib. 8. hiſt. tranſcriptus. Quod porrò lib. 22. dixit ſine foliis, nos φύλλοις ὑπολίπαρον in Dioſc. legimus, & foliis ſubpinguibus connectimus. Non enim penitus ſine foliis eſt, ſed in ſummo caule folia habet & inter ipſa flores prodeuntes. Nec ignota herba eſt, ſed nomine peculiari caret, niſi quod vnkraut der Wicken noſtri eam appellant. Cornario ſubſcribit Dodon.

Ὀροβάγχη Græcè, ſic & Latinè Orobanche, Erui angina [à Theod. Eruanga] ab Erui ſtrangulatu nomen adepta eſt, nempe quod ὄροβον ἄγχει, id eſt, quòd Orobum ſiue Eruum ſtrangulat. Ne-

ga etiam vulgò (quaſi Necam dicere vellent) appellatur, rapiendo enim leguminum inter quæ naſcitur, alimenra, ea ſuffocat & necat.

Orobanche æquiuoca.

*Cuſcuta Helxine ſemine triãgulo.*

Hæc cùm Thymo adnaſcatur, ait Maranrha, Epithymi nomen ſortita eſt. Orobanche Theophraſti an ſit Cuſcuta, ut vult Marantha conſiderandum. Orobanche Theophr. & Galeni fortè Conuoluulus niger Geſn. qui nobis Helxine ſemine rriangulo dicitur. Videtur ſanè Trago, quod præſens virium, Angina, ſeu Orobancha, alter Cuſſus Serapionis ſit, de quo cap. 41. ita ſcriptum reliquerit. Eſt ſecunda [Cuſſi ſc. ſpecies] eſt nigra, & nominatur ſic propter ſui nigrediné, & habet ſemen nigrum &c. Nomina hæc adſcribit Lebleb, & Volubilis minor. Cùm verò Orobanchæ deſcriptio, quæ apud Dioſc. extat, huic non per omnia quadret, iudicium candido lectori committit. Eſt præterea Orobanche Galeni & Theophr. fortè Helxine Ciſſampelos. Orobanche Dioſc. Geſn. quad. p. 42. Aegoletros Plinii [ni fallitur Geſn. quad.] Ruſticis Malus flos, aliis Malus Henricus dictus, perquàm ſimilis eſt Orobanchæ.

## OROBANCHE FLORE MAIORE.





Deſcrip.

CVbitali altitudine exſurgit & maiore, *caule* recto, tereti, hirſuto, pallido, aut luteolo aut ſubruffo, concaua: in quo non tam *folia*, quàm foliorum rudimenta, anguſta, longiuſcula, ſeu ligulæ, celerrimè marceſſentes raræ: quorum etiam ſingulæ ſingulis floribus ſunt ſubiectæ: *flores* in Thyrſo Orchidum more, ſed ex longioribus interuallis, Meliſſę Fuchſii, magni, hirſuti impenſè, colore ex purpureo obſolero pallido (ſubalbido Matthiol.) rictum effigiantes, è quo promınẽt apices nigricantes ſtaminum albidorũ: *labrum* autem quod demittunt in tres lacinias eſt diuiſum: ipſeque floris fundus melleo ſucco viſcido madet. *Radix* bulboſa è ſquammis compactilis, non admodum altè demergitur. Sapot eius admodum amarus. Flores verùm odorem ſpirant haud ita ingratum.

Orobanche, quam vidimus [inquit Matth.] omnibus notis legitimæ reſponder: etſi ſcriptis mandarit Theoph. lib. 8. de hiſt. & 5. de Pl. cauſis; Orobanche Eruum necare amplexu: ea tamen quæ à Dioſc. repręſentatur, & à Plinio lib. 22. cap. vltimo, nullo ſanè amplexu, ſed ſua tantùm præſentia legumina, ſegetes, Cannabin, & Linum interimit, quæ prope ipſum oriunrur: quam ob cauſam Ananienſes, quòd vicinas ſtrangulet, *Herbam Lupũ* vulgò appellant: nonnullis *Coda di leone* appellatur: aliis verò *herba tora* quòd vaccę eâ deuoratâ [vt paſtores facto periculo teſtãtur] ſtatim Taurum adeant. Sunt qui [vt loco citato ſcribit Plinius] Cynamorion eam appellent à ſimilitudine canini genitalis: non inconcinnà repræſentatione: nam ſi quis eam contempletur, glabro ſingularique caule proſilientem, confarctos inter ſe flores, & quaſi in glomum collectos monſtrantem, genitalis canini effigiem referre perſpiciet, quod in ſummo craſſius, & veluti galericulo contectum cernitur. Ex quibus omnibus non temerè dicendum exiſtimauerim, vel Theophraſtum hac in re deceptum eſſe, vel aliam à Dioſc. & Plinio Orobanchen concepiſſe. In poſtremis mutata figura. Fruſtra Matthiolus repetit Dioſc. deſcriptionem nihil addens de ſuo, quaſi non nota ei fuerit planta.

Orobanche, inquit Turnetus, in multis Angliæ locis prouenit, Variis quoque Germaniæ locis obſeruaui. Inueni quoque ſæpenumero radicibus Geniſtæ vulgaris pertinaciter implexam. Item iuxta Trifolium pratenſe marcidum quod enecauerat, vt ex foſſione comperi, reliquis omnibus circumcirca Trifoliis vegetis &, vernantibus. Orobanchen interpretari licet Angl. Chokefitſche vel Strangleweede. Falluntur, qui Cuſcutam credunt eſſe Orobanchen Dioſc. Alii ſine cauſſa nuper Orobanchen noſtram inter Satyria retulerunt. *Quod Matth.* contra Theophraſtum ſcribit (dicentem Orobanchen amplexu ſuo cõplexuque legumina enecare) ſolâ præſentiâ ſuâ id efficere, non placet. Quomodo enim legumina necet, ſolâ ſuâ præſentiâ cùm venenata non ſit? cùm etiam ne venenatæ quidem plantæ eas inter quas naſcuntur, interimant: Theoph. quoque & Dioſc. repugnat. Fortè Matthiolus, quoniã nulla in Orobanche folia aut capreolos ſupra terram obſeruauit, arbitratus nihil habere, quod ſtrangulare poſſit, exceptâ ſolà præſentia: neque perplexas radicum fibras animaduertit, quibus non ſine errore caret figura ab illo propoſita; Tragus ramen rectè fibras expreſſerat, titulo Satyrii Erythronii.

Reperitur planta Rapo Geniſtæ omninò ſimilis, caulibus fuſcis [brunaſtres] & coloris liuidi, altitudinis pedis, floribus formæ & coloris Rapi Geniſtæ: Rapum Geniſtæ ſine dubio ſpecies eſt Orobanches [ait Dodon. Gall.] & Limodori: ei autem ſimilis planta eſt Dioſc. ὀροβάγχη Lat. Orobanche & Eruangina, non tamen Orobanche Theoph. ſed λιμόδορον, Limodorum aliis vt Phocioni, ὀσπρολέων, id eſt, leguminum Leo. Idem Hiſt. legum. Limodorus cauliculus eſt pedalis aut maior, ſubrubens, fiſtuloſus, fragilis: flores ſubcandidi aut ſublutei vrticæ immixtis floribus haud multùm abſimiles: floribus ſuccedunt

cedunt oblongi caliculi, in quibus ſemina minutiſſ. candicantia & inutilia. Radices ſubſunt rotundæ, turbinatæ, digiti aut pollicis craſſitudine, foris ſquamis nigricantibus contectæ: intus verò ſubcandidæ aut ſubluteæ: aridæ verò cornu modo dureſcunt. Theophraſtus huiuſmodi vitium λιμόδωρον appellat, veluti λιμὸν hoc eſt famem adferens, frugum enim alimentum ad ſe trahit, & perfectè adoleſcere non ſinit. Item Hiſt. in fol. Limodoron, ſeu Rapum Geniſtæ, tota facie Orobanchen Dioſc. refert, hoc ſolo ab ea differens, quòd non inter legumina exeat: ſed ex fibris radicum Geniſtæ quibus adhæreſcit.

Lobel. Icon. Pl. pag. 268. T. 2. Orobanche Hypogeniſta, & Rapum Geniſtæ à ſimilitudine. Icō eadem cum icone à Dodonæo propoſita pro Limodoro ſiue Orobanche. Orchidibus quodammodò cognatum eſt λιμόδωρον, ſiue αἱμόδωρον Theophraſt. vel ὀροβάγχη Dioſc. & Cynomorion Plinii, cuius varia genera inueniuntur multis prouinciis communia. Orobanches ſiquidem legitimæ illius Dioſcor. ſiue αἱμοδώρου Theophraſt. variæ ſunt ſpecies. Aliæ enim latiores ſunt, aliæ humiles, albæ, exalbidi coloris, aliæ flaueſcentis, aliæ fuſci, aliæ ſubcærulei: nonnullæ aliarum radicibus adnaſcuntur, plurimæ per ſe ſubſiſtūt, & ſolæ inter alias plantas & gramina naſcuntur: pleræque autem omnes vnico ſimplicique caule ſunt præditæ, interdum ramoſum & multifidum illum habent. Omnium verò maxima paſſim in omnibus Europæ ſiluis naſcitur, vt exiſtimo: certè nullas adii, quin ipſam non repererim: eam, quia apud Belgas ſæpiùs vulgaris Geniſtæ radicibus innaſcitur, Herbariorum turba Rapum Geniſtæ appellat, Belgæ Brem Raepe, Hungari, quia rectà aſſurgit & firma eſt, *Misé gyerthya* miſſalem candelam, ſiue cereum appellant, quæ ſubcæruleo eſt flore, Cardui vulgaris inter ſegetes naſcentis radicibus inhærentem olim eruere memini cum Mompelii viuerem.

Eandem habet iconem Cluſius nomine Orobanches primæ quam nobiſcum propoſuerunt Dod. & Lob.

Ruellius Plinium ſecutus Orobanchen alteram Dioſc. ita deſcribit, vt cum leguminoſa hanc confundat.

Ex emendato Theophraſt. inſigne in Plinio mendum corrigendum. Legimus enim lib. 20. c. 10. Et necatur Cuminum ab imo dorſo, cùm legendum ſit ab Hæmodoro.

Tab. Hiſt. & Icon. Orobanche 2. Eruenwurger. Sommerwurtz.

Schvv. Orobanche Dioſc. λεοντοβοτάνη. Sommerwurtz/Schmerwurtz.

Prouenit in agris conſitis Auena, Piſis, Fabis, Lentibus, & aliis vbi Geniſta non prouenit. In Belgio & arenoſis maris littoribus non rarò reperitur Dodon. Naſcitur in ſegetibus inter legumina: Etiam in ſylu. ſub Fagis. Maio & Iunio floret, Schvv.

Montbelgardi multis in locis vidi Orobanchē: Geneuæ florentem vidi Maio & Iunio paſſim *au plain palais*, & pratis: Baſileæ etiam florentem Maio, vbi copioſè prouenit. Monſpelii cùm eſſem offendi florentem menſe Aprili in monte propè Caſtelneuf, vt & alibi.

Orobanche, inquit Matthiolus, dicitur aliquibus herba tora, quòd vaccæ eâ deuoratâ (vt paſtores facto periculo teſtantur) ſtatim taurum adeant. Orobanches maioris Rapum Geniſtæ nuncupatæ, reſiccatæ & tritæ puluerem ex tepido vino hauſtum, præſens eſſe ad Coli dolores remedium Belgæ prædicant, Cluſius.

## OROBANCHE FLORE MINORE.

Orobanches vulgari ſimilis eſt, *caule* ſimplice dodrantali, purpuraſcente, hirſuto, *foliorum* acuminatorum ſquammatim incumbentium, præſertim circa imum, rudimentis veſtito: *radicum* fibras habuiſſe vulgari ſimiles adhuc in planta ſicca apparet. *Spica* floribus conſtat confertis cucullaris, labello apem referente, calyce hirſuto multifido, eiuſdem cum caule coloris, ſubiecto ſemper vnicuique flori, folio oblongo, acuminato, hirſuto.



Hanc Orobanches ſpeciem vbi collegerimus nō recordamur: deſcribim⁹ ex planta ſicca: huic ſanè conuenit figura Taber. noſtrá quæ iam parata erat minùs placet. Fortè ad hanc Orobanchen referenda quā Monſpelii obſeruauimus. Locus

Tabern. Icon. & Hiſtor. Sommerwurtz/Orobanche prima Orobanche Matthioli floribus ex luteo pallidis, Eruenwurger dicitur German: Theophraſt. λιμώδορον, Cauda Leonis, Mala herba, Herba Tauri, & Herba Vaccæ.

## OROBANCHE MINOR PVRPVREIS floribus ſiue ramoſa.



Ramoſo eſt *caule*; ſæpè verò etiā plures dodrātales, aut breuiores, emittit *caules*, multò tenuiores, quàm Orobanches vulgaris, rigidioreſque, duros; ruffeſcentes, hirſutos, in ramos ſubinde diuiſos, *foliorum* duntaxat veſtigiis quibuſdam ornatos: *Flores* ſpicati, minores, purpurei, oblongi, hiantes; è multifido calyce emergunt, cui Deſcriptio

ſingulo ſingulum appoſitum foliolum acutum : ſequùtur *capitula* turgida puluiſculo plena; *radix* tuberoſa Auellanæ magnitudine; fibrarũ propaginibus donata. Sapor plantę aliquantulùm amarus. Cæſalp. Orobanche altera ramoſa.

Locus & tempus.

Camer. in hiſt. Matth. Sommer wurtz/ Erzuenger, Orobanche.

Vidi Montbelgardi propè C.*urcelle* pagum in agro florentem Septembri, & primò propè Mõſpelium, vbi in ſegetibus menſe Aprili proueniebat. Baſileæ etiam vidi, præcipuè in agris Cannabi conſitis. Non vbique vulgaris eſt, multis tamen in locis reperitur, vt in Thuringia: Camer.

## OROBANCHE MAGNA PVRPVREA Monſpeſſulana.



Deſcriptio

ORobanche affinis; planta florens prope Monſpelium mẽſe Aprili in ſilua Gramont, cui digitalis craſſitudinis altitudinis autem bicubitalis *caulis* adoleſcit totus purpuraſcens, cui ſerie quadam ſurſum vorſum apprimuntur *folia* ſatis breuia, amplexicaulia. Scapum obſident flores purpurei, Orchidis floribus ſimiles, calcaribus breuibus, ſinguli foliolo intecti: *radix* ſuperiorem refert partem radicum Orchidis, nullis teſticulis tamen aut bulbis donata. Sapor amarus, teterrimus.

Lobel. (cuius icon non placet) calcaria nulla appingit. Eidem dicitur Orobanche maior è Gramontio luco Monſpelienſium.

Conſiderandum an Cluſ Hiſtor. pl. rar. huius meminerit nomine Pſeudoleimodori Mompeliani, eius verba ſequuntur cap. de Pſeudoleimodoro Auſtriaco Nido auis affini.

## OROBANCHE AFFINIS NIDVS AVIS.



DE Nido Auis ſcribens Tragus, ait flore eſſe & folio viduum, nihilque aliud eſſe quàm pinguẽ & rectum Aſparagũ. Qualis verò nobis perfectior repert⁹ *caulẽ* ſurrigebat modò ſingularẽ, modo duos vel tres pedales, aut cubitales, albicantes: foliis veſtitos concauis, pellucidis, ſtriatis, neutiquam acutis, vt Lob. figura docet, ſed obtuſis, ſuperna parte quodammodò cordis figuram exprimentibus. Quorum ſumma *florum Thyrſus*, Orchidum modo & formâ, occupat, coloris heluí aut pallidi, qualis & foliorum tabidorum. Ac occluſi quidem ex breuibus pediculis, vt Tragus pingit: ad quorum exortum foliola parua ſingula ſeſe exerunt. Vbi verò ſe aperiunt, Orchidum more hiant. *Galea* exigua, ſub qua piſtillum breue cum apiculis albicantibus: quod vtrinque ad latus bina foliola cingunt. *Labellum* magnum ima floris occupans cauum intus. Nullus odor notabilis. Dehiſcentibus floribus, vtriculi puluiſculorum ſuccedunt ſtriati, anguloſi, reſiduis florum foliolis marcidis inſigniti. *Radix* craſſis fibris, ſucculentis, fragilibus, tota perplexa, nidorum auium ſtructuram imitans, quorum extrema haud acuta obſeruauimus, vt Lob. pingit in ſuo Nido auis, ſed obtuſa, vt Tragi & noſtra exprimit. Sapor radicis ac totius plantæ amarus, horridus.

Dod. n... Nidu... uis. L... dori ...

Dodonæus conſiderata fortè icone Tragi tribuit floſculos, denegat folia. Dicit namque in hiſtor. Gall. quibuſdam Belgis Vogelneſt/ *Nid d'oiſeau* eſt ſine foliis, flores cum caule coloris ligni. Lobel. Icon. Plant. Nidus auis ex ſpeciebus Satyrii abortiui, Orchis abortiua, Satyrium abortiuum, ſpecies Hypociſti.

Non dubium eſt Cluſio quin Leimodoris adnumeranda ſit, ea quam Lob. Orchidem abortiuam Germ. Morgendrehen / Belg. Vogels-neſt appellant, quamque nonnulli Coagulum Plinii eſſe hariolantur.

Locu... temp...

Nidum auis inueni florentem menſe Maio in monte *Bar* quod medio miliari à Montbelgardo diſtat, inuenimus etiam Maio in ſylua Abietum, itinere Montbelgardo Porentruum ad radicem Abietis. Audio prouenire Baſileæ verſus Auguſtam ad Rhenum: Tiguri cubitalem collegimus. Lobel. reperit in altis montibus *Seuenes* in Gallia Narbonenſi cũ ſpeciebus Dentariæ, prouenit etiã in Belgio in ſyluis humidis. Hinc rectè Tragus; In Vliginoſis & vmbroſis ſyluis naſcitur Maio mẽſe.

## OROBANCHE ET NIDO AVIS affine Pſeudo λειμόδωρον Auſtriacum violaceum.



Λειμόδωρον Auſtriacum Cluſii in Pannon. Pſeudoleimodoron in poſt. Hiſt. congenerem plantam Orobanche, quæ ſuperna parte ipſam æmulatur in mõtanis ſupra Badenſes thermas obſeruabat, quę nuſquã antea, quod meminerit, ipſi fuit cõſpecta. Pedali aſſurgit illa *caule*, frequentibus ſecundum radi-

radicem *foliolis*,tanquã vaginulis,inuoluto:ſpicã geſtãs *florum* quatuor foliis cõſtantium, ſuperiore in corniculum deſinente,& promuſcide quadam inter media folia prominente, cui adnatæ ſunt duæ tenues barbulæ: floribus ſtriata & longa ſubſunt capitula,ſemine exili & Orchidum ſimili plena: ſubrotundam radicem non habet, qualem ſuo hæmodoro tribuit Theoph.l.8.Hiſt. Plant.cap.8.ſed craſſas,longas,& obliquas fibras habet,quemadmodum ea planta quę vulgò Helleborines nomen obtinuit. Tota ſtirps ſaturo purpuræ & planè violaceo colore prædita eſt. Floret Iunio.

Lobel.Belg Ic.Pl. Vogelneſt/ Nidus auis ex ſpeciebus Satyrii abortiti,Orchis abortiua. Satyrium abortiuum, ſpecies Hypociſtl.

Conſiderandum an Lobelius malè ſuo Nido auis eam iconem adaptarit, quam etiam miramur diuerſis locis & nominibus propoſitam ſine deſcriptionibus,quaſi icone tenus tantùm ei fuerit nota planta,vel perpendendum an duas plantas confundat.

## DENTARIA APHYLLOS MINOR Tabernamontani.



Tenella eſt plantula Spithameæ altitudinis, ſucculẽta, alba, ſine foliis:*cauliculus* articulorum quibuſdam veſtigiis diſtinctus videtur. Cuius ſumma *floſculi* tenelli aliquot occupant, ad Orchidis flores quàm proximè accedẽtes.*Radix* alba eſt denticulata. In montibus creſcit Auguſto.

Hæc Tabern. Icon. & Hiſtor. klein kaal kraut/ Dentaria aphyllos minor. Videndum quantùm differat ab Orobanche noſtra alba.

## ANBLATVM CORDI, SIVE APHYLLON.

AD Orobanches ſpeciem quandam accedere videtur,hæc planta: quæ ex *radice* multiplici, mira ſquammarum denticulatarum congerie ſtipata,alba,molli,& ſuccoſa, *caulem* erigit minimi digiti ferè craſſitudine,dodrantalem aut altiorem,teretem, ſucculentum, fragilem, tenui membrana veſtitum, aquea pulpa abundantem: Iuxta quem ex longis interuallis auriculæ quædam membraneæ *foliorum* æmulæ prodeunt, aduerſæ quidem,ſed alterã tantillùm eminentiore. Tertiam & ſupremam coliculi partem *flores* occupant plures hiantes, eodémque modo,nutantes,& antrorſum ſpectantes omnes, breui pediculo appenſi, à quorum tergo pediculorum quoque exortum foliola muniunt. Floris colorem ex ruffo vel purpura candicantem dicunt: mihi hactenus non viſus. Illis ſuccedunt vaſcula A-uellanæ ferè magnitudine, à pediculo ad mediũ calice foliaceo ſubhirſuto, tenello, ſucceſo & quadripartito veſtita,lineis quibuſdam ac canaliculis quadripartita, ſemine rotundo oua piſciũ minima æmulante.denſiſſimè farcta,quod maturum totum nigrum eſt, papauerinum, ſed ſextuplò maius.Tota cæterùm planta guſtu eſt aquoſo acerbiuſculo,non ſine aliquo amaritudinis ſapore, quæ tamen in ſemine magis conſpicua.

Cordo hiſt.lib.1.cap.10.addita hæc annotatio à Geſnero vt puto. *Anblatum* Germ.id eſt Aphyllon. Orobanchen aliqui putant, non tamen ea, ſed ei ſimilis. Nos aliquando Plinii Aegolethrõ (quam herbam ni fallimur noſtri ruſtici die böß blům & den böſen heinrich.) eſſe putauimus.

*Aphyllon.* *Aegolethrõ*

Vult Dod.lib.frum. ad Limodori genus referendum Valerii Cordi Anblatum. Anblatum verò etiam Dentariam aliquã vocari ſcribit Matthiolus. Cæſalpinus Dentariam vult eſſe Arachidnæ ſpeciem: ſed cum Theoph.Arachidna iudicio meo nihil cõmune habet: de qua inter Legumina ſub Arachnida Honorii Belli.

Copioſè reperi Anblatum in Montbelgardẽſi monte *Bár*: Medio Maio comperi in montibus vmbroſis ſub arboribus eundo Porentruo S.Vrſanum: flores prætererunt & ſemina erant pènè matura,transtuli in Hortum Ill.E.C.

Præſtans eſt ad rupturas, ſi in pollinem redacta herba drachmarum duarum pondere in iuſculo in quo Symphytum bullierit quadraginta diluculis continuis ſumatur. Imponenda quoque herba ipſa fracturæ, debitéque liganda pars. Eadem ratione hauſta vulneribus internis, variiſque affectibus à defluxione ortis prodeſt. Magnus vſus aquæ deſtillatæ in fluxionibus & Epilepſia, Camerarius. Adſtringit, refrigerat & abſtergit: Datur puluis in potu,ad effectus matricis & colicos,Cæſalp.



## A R V M. Cap. XXVIII.

*Deſcriptio*

BVlboſa Allii *radice*,bulbulis adnatis, nititur, cãdida: à qua *folia* exeũt,oblonga,triangula, ſagittæ dictæ,ſed latiora,minúſque alata, ſuprà infrãque ſplendẽtia, ſed hinc minùs, inde magis viridãtia,maculis nigris interdum reſperſa, guſtu, vt & radix, acerrimo,& linguam cultelli inſtar tranſadigente: inter quæ *caulis* ſurgit palmaris,teres,ſtriatus,in cuius faſtigio è membranea vagina longa prominet *piſtillum* atropurpureum,infimâ parte apicularũm corona arctè cinctum, ſub qua racemus baccarum,per maturitatem miniato colore pictarum,denſo ſtipatu confertarum.

*Arum Antiquorum.*



Ari folium, inquit Theophraſtus, quod admodum amplum ſpargitur, eſt cum latitudine cauũ atque Cucumeraceũ, caulis, vt etiam flos, nullus. Radix inter Olerum genera multò magis carnoſa, læuis & craſſa: altera tenuis atque neruoſa, vt ſanè quiſpiam dubitauerit, an inter radices hæc poni de-

*Lupha.* beat: Ἄρον quod autore Dioſc. apud Syros Lupha dicitur, folia emittit Dracunculi, longiora (codex Baſ. μακρέτερα. Anguill. ex cod. antiquo, Oriba. & Crat. μικρότερα. Matth. omnia exempl. microtera) paucioribus diſtincta maculis (ἀσπιλότερα .i. immaculata) caulem dodrantalem, ſubpurpureum, piſtilli ſpecie: à quo croceum ſemen [Dracunculo minori conuenit fructus croceus Cæſalp.] radicem Dracunculi albam: Hoc autem

*Alimos Thymos. Draconitas Colocaſſion* inter Dioſc. ſpuria, alii ἄλιμον, alii θύμον, Alii δρακοντίαν, Cyperii etiam κολοκάσιον dicunt.

Plinius de bulbis agens, Arum omninò ſic deſcribit. Eſt inter genera, inquit, quod in Aegypto Aron vocant, Scyllæ proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto duûm cubitorum, baculi craſſitudine, radice mollioris naturæ, quæ edatur (eſtur CH.] & cruda.

Hermol. cui ſimpliciter Aros dicitur, quam dlantam pro Aro intelligat non demonſtrat. Hęc à ſimilitudine illa ad Dracuntium, ab Officinis Serpentaria minor appellatur: itemque Iarus & Aron.

*Plin. not.* Plinium notant Marcellus & Cordus: ille quòd Aron cum Dracunculo confundat: hic verò quòd radicem magnam habere ſcribat.

Tragus tres tradit ſpecies: Vnum, Ari primum genus & vulgare. Alterum, inuolucro & piſtillo ex albo luteolo. Tertium Ari genus cum nigris maculis. Deinde ait: Omnes vno

*Nõ Arum. Colocaſſion. Ariſarum. Dracunculus exiguus.* conſenſu Herbarii, tradunt eam herbam, quam Germani Aron vocant, Arum eſſe Dioſc. lib. 2. cap. 162. quod ille Lupham, Alimon, Thymon, Dracontium & Colocaſion cognominat. Mihi verò non Aron ſed ἀρίσαρον videtur eſſe. Arum quod ſugillata lituris folia profert fortaſſe exiguus Dracunculus fuerit. Arum nonnulli, Ser-

*Serpentaria. Colubrina. Iarus.* pentariam, Colubrinam, Dracontium minorem nominant. Dicitur apud Simonem Ianuenſem, Iarus, Barba Aron, & Pes vituli.

Figura Matthioli fictitia ex Biſtorta Rumice & bulbo.

*Dracunculus minor Dioſc.* Fuchſio, cui Dracunculus minor Dioſc. videtur Aron & Aris, Iarus Officinarum, Pes vituli, Serpentaria minor, & quorundam Sacerdotis virile. Anguill. aſſerit noſtrum Arum eſſe Dioſcoridis, ac apud illum legendum μικρότερα & non μακρότερα.

Arum, ait Amatus in Dioſc. non vbique acre, inite Galeno; Dioſcoridi candida radix, Plinio nigra.

Arum deſcribit Dodon. eiuſque figuram exhibet, ac ſecundò pro Dracontio minore proponit, quod quomodo factum ſit, non occurrit.

Dioſc. videtur, ait Turner. oſtendere Aron in ſua patria, non fuiſſe adeò acre ac apud nos comperitur. Galenus quoque ſcribit Aron candidum & ſiccum eſſe in primo: Quod autem apud nos prouenit, calidum certè eſt in tertio, vnde fortè dixerit quiſpiam, noſtrum Arum, non eſſe Dioſcoridis & Galeni. Verùm Galenus ſeq. verbis lib. 2. de alim. fac. duo eſſe teſtatur Ari genera, alterum mitius, alterum acrius. *Aron plex.* *Dracõ*

Aron vulgare, [aiunt Lob. & Penæ Adu.] eſt plebeculæ Barba Aronis, & Sacerdotis veretrum aut mentula, racemo purpura punicante miniatulo: foliis maculis nonnullis nigricantibus inſignitis, vnde etiam Dracontium vocantur.

Gicherum ſeu Gigarum Cæſalpino vulgò appellatum, foliis maculoſis, maculis candidis vel nigris, corniculo palleſcente fœdi odoris, fructu croceo in æſtate: radix tactu puſtulas excitat. Dioſc. hanc Dracontium paruum appellat, quanquam quædam ſuperflua in eius deſcriptione leguntur, aſſumpta ex altera Draconia, iis reſecatis apertiſſ. erit hiſtoria. Plinius Dracunculum vocat, diuerſum ab eo, quem vidit in Luſitania radice ſubrutila, quam quidam ab Aro non diſtinguunt. *Gicheri ſeu G rus Dracon paruum Dioſc Superf in Di deſcrip*

Arum vulgare, inquit Camer. horti. Aliud duriore folio, virente per totam æſtatem, & aliud grande, piſtillo albicante, rotundiore folio, itidem durante in multam hyemem.

Obſeruauit C. Bauhinus Phyt. Aron vulgatum, aliud folio maiore & acutiore, aliud rotundiore, aliud duriore per totam æſtatem virente. Sic eius quod maximo eſt folio, ipſius folii venæ omnes albicant, quod apud Italos frequens, aliquando maculis albis aſperguntur. Reperitur quod nigricantibus lituris, aliquando purpureis ſignatur: quod verò apud nos vulgatiſſimum nullis maculis notatur. Sic & piſtillus colore variat, alteri purpureo, alteri ex albo luteo colore eſt.

Arum. ἄρον offic. Germ. Aronkraut / pfaffenpint / Teutſcher Ingber. B. Calsvoet. Gall. *Pied de veau, Vit de chien.* Ital. *Aro* & *gigaro.* Hiſp. *yaro, ioia de yaro.* Angl. Cocholbpint vel Rampe / vel Aron. Hung. Natragulya quibuſdam. *Nomi lingua*

Arum in Hetruria & in agro Goritienſi frequentiſſ. prouenit in campeſtribus, in vineis, in ſemitis propter ſepes, præſertim in maritimis Senenſibus. In Bohemia in montibus quibuſdam copioſum admodum prouenit minus, Matthiol. Arum cum maculis nigricantibus vbique viarum, vix dum hieme exacta folia edit, Lobelius. *Locus*

Aron Monſpelii menſe Martio & Februario prouenit: Menſe autem Iulio fructũ vidi ferentẽ ad formam racemi. Baſileæ etiã abundat. In Italia habẽt tres ſpecies Ari, vnã cũ maculis nigris, aliã luteis, tertiam ſine maculis, vt Patauii, vbi Ianuario, Februario, Decembri, Martio: Ferrariæ cum maculis nigris in monaſterio S. Domin. à L'Angeli, Bononiæ menſe Aprili cũ maculis pallidis in monte Apennino è regione S. Mammam: Geneuę paſſim in ſepibus quà itur *Lanci* virens Martio. Montbelgardi paſſim in ſepibus virens Martio, Aprili producens florem. Collectum in *L'iſle* ſpontaneum. Cum nigris maculis plantaui in hort. II. E. C. *Tempus*

Quærit

Quærit Io. Fabr. quid cauſę ſubſit, quod Aron, vulgaris alioqui herba in vicino illo (Curię Rhericę) tractu nuſquam reperiatur, cùm tamen inde ad vnum milliare in maxima naſcatur copia, reſpondet has aliáſque cauſas ad occultā naturæ vim reiiciendas, vel potiùs ad ipſum naturæ magiſtrum & artificem.

Ari autem radix, autore Theophraſto, cibo idonea eſt: & folia eiuſdem (decocta in aceto mādi nimirum poſſunt,) ſuauis profectò, & ad fracta vtilis.

His addit *Dioſcor.* Radix etiam decocta eſtur, quippe quæ minùs acris ſit. Folia verò ad eſum condiuntur, & arida per ſe decocta manduntur. Radix, ſemen, & folia eaſdem cum Dracunculo vires obtinent. Priuatim tamen radix cum fimo bubulo podagricis impoſita prodeſt. Cæterùm eodem quo dracunculi radix modo reconditur, ac in ſumma ob mitiorem quā prædita eſt acrimoniam eſui aptior eſt.

*Plinius* Ari vires medicas per longum exponit, quibus ex ipſo recenſendis ſuperſedemus, eadem quæ habet ex aliis pleniùs tradituri.

Galenus ex terrea & calida eſſentia Arum cōſtare dicit, & propterea extergendi vim habere, ſed non fortem velut Dracontium. Eſſe igitur in ſiccando & calefaciendo primi ordinis. Radices autem eius maximè vtiles ſunt, inquit, & in cibo acceptæ craſſos humores moderate ſecant, vt expuitionibus ex thorace idoneæ ſint. Sed Dracontion ad hæc commodius eſt. Idem 2. de aliment. radicem Ari ſimiliter vt Rapi edi ait, ex aqua coctam, cum Sinapi aut aceto, oleóque ac garo: cū quibuſdam item inrritis, tum aliis, tum quę ex caſeo parantur.

Radix Ari, vt vult Tragus, eius maximè quod maculata habet folia, ſiue ſicca ſiue recens tuſa, ac ad minùs drachmæ pondere ſumpta, remediū eſt præſentiſſimum ac minimè fallax aduerſus venenum & peſtem: quidam tantundem adiiciunt theriacæ. Succus herbæ expreſſus menſura cochlearis, aut maiore, potus, eaſdem habet facultates: quod ſi illi parum aceti admiſcueris, quóminus linguam vellicet efficit: Aron in puluerem redactum, ac interdum drachmæ pondere cum binis ſacchari drachmis ſumptum, ſuſpirioſis prodeſt, craſſam enim & lentam pituitam incidit, excreationes iuuat, pulmonum & pectoris vitia purgat & ad tuſſim eſt maximè vtile: idē remedium ſtomachum phlegmate, & atra bile infectum purgat: radix Ari ſiue recens ſiue arida, tuſa ac ſumpta, mulieres à partu validè purgat, poteſtque hoc pacto & iumentis purgandis exhiberi: eadem ſuccus expreſſus & aqua deſtillata poſſunt. Tradunt etiam aquam Ari deſtillatam ramices ſanare, ſingulis vicibus binis vnciis aut minore menſura potam: ad peſtem ac anthracē vix præſtantiorem ac ſalubriorem herbam noui, ac folia Ari recentia impoſita: eadem ſiue arida, ſiue viridia, ad inueterata & putrida pedum vlcera faciunt: aqua Ari & ſuccus, quæuis vetera vulnera purgat ſanátque. Ari folia cum radice in vino & oleo decocta, inſeſſionibus calidis ficus ſanant, & ſedem procidentem retrahunt: nonnullæ mulierculæ folia Ari caſeis vermiculis ſcatentibus imponunt, quî fit vt abactis vermibus caſei hac ratione à corruptione vindicati diutiùs durare poſſint.

Non deſunt, inquit Matth. qui radicibus Ari Calzolarii vtantur ad arcendos a ſuis menſis Paraſitos, & voraces Lurcones, earum puluerem delicatis epulis admiſcentes: nam vbi fauces occupauerit, tam contumaci ardore afficit, ne poſthac quicquam vorare queāt, niſi bubulo caprillóue lacte diutiùs gargarizato, aut recenti butyro ſenſim deglutito. Abſtergit Arum, attenuat, aperit, incidit & prouocat. Decocta radix melle excepta, medetur pectoris morbis omnibus pituitoſis, expectorat enim valentiſſimè craſſas lentáſque excreationes, ideóque aſthmaticos maximè iuuat. Datur elixa, vel feruentibus cineribus toſta, vtiliter tuſſientibus, ex amygdalino oleo. Idque belle quoque præſtat lac potum, in quo radix ipſa fuerit incocta. Illinitur eadem, aqua priùs elixa, epiphoris, ſugillatis, inflammatíſque tonſillis, fabacea farina addita, & defruto ſubacta. Subigitur quoque oleo, & tumentibus hęmorrhoidibus cōmodè illinitur: Radicis ſuccus excedentia & contumacia vlcera curat, quemadmodum & narium polypum (omnia vlcera ſuccus, Plin.) folia ambuſta ſanant. Dantur vtiliter ſeminis drachmę duæ ad menſes educendos, & ſecundas pellendas ex vino. Noſtrates mulieres ex Ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandam illuſtrandamq; magnis laudibus efferunt. Id quod etiam efficaciter præſtat inſolatus radicum ſuccus, ceruſſæ ſpeciem referens, quem Gerſa vulgò nominant, is ſiquidem mirum in modum carni ſplendorem, & candorem conciliat.

Nunc quid Porta importet videamus: Aron folia diſtincta maculis habet, dehoneſtantium Lunę macularum imaginē. Dantur vtiliter ſeminum drachmæ duæ ad ciendos menſes. In Aro ſagacis naturę artificio multiplici membrana munitus fœtus. Partus omnium animalium extrahit, naturę oſtio circumlitum (idem Plinius,) & ſeminis vel radicis drachmę duę in vini cyathis duobus ſufficiunt, ſi à partu non purgatur, ad ſecundas trahendas. Effigies Ari fructus ibidem. Calculoſis confert (Io. de Mont. expert.) Ari herbę & radicis contuſę ſuccus cum vini cochlearibus tribus, quinquies ieiuno ventriculo aſſumptus.

Patet autem ex hactenus dictis falſum eſſe, quod ſcribit Fallop. tract. de med. purg. ſimpl. dicens: Neuter Dracunculus, ſcilicet nec Aron, nec alter, qui noſtris Serpentaria dicitur, eſt purgatorius, quamuis ſecundum opinionem Meſues purgēt. Sed vtcūque ſit non ſunt in vſu. Sed liceat hîc ſubiungere, quod Odūr. verū eſſe contendit: Vrſum, inquit, tempore ſui latibuli nihil edere certum eſt: quippe quòd neque exeat: & captus ventre inteſtinóque inani videatur. Narrant eius inteſtinum, per inediam ita conuenire, vt adductum propè cohæreat: Itaque Vrſum latebrā egreſſum, primum herbam Arum dictam deguſtare, ut inteſtinum laxetur, & hiet. *Fallop. not.*

## ARVM BYZANTINVM.

Cùm ante aliquot annos huius Ari tuber cum aliis tuberibus bulbíſque Conſtantinopoli allatis, Viennæ acciperem, inquit Cluſius, hærebam, vtrum ad Ari, an Ariſari genus referrem: deinde cùm folia profetre cœpit, primis duobus annis pro Ariſaro latifolio habui; ducente me in eam ſententiam foliorum quadā ſimilitudine. Nam ea conſpiciebam ſatis ad Ariſari latifolii folia accedentia, nec valde mucronata, ſed potiùs orbicularem figurām referentia; nec radicem valdè diſſimilem. Verùm poſtquam ea augeri cœpit, digitalem longitudinem adqui- *Deſcriptio*



ſiuit, multis tuberculis inæqualem, & vncialem aut ampliorem craſſitudinem, multaſque proles adnatas habuit: folia item protulit longè maiora, ad Ari foliorum accedentia, nec illis minùs ſplendentia supernè & infernè: eius autem florem duntaxat videre contigit anno 1596. licet toto octennio antè aluiſſem, ſingulis annis nouo Vere emergentem, atque interdum etiam ante brumam. In Vernis tamen foliis quandam differentiam obſeruabam, non quod ad formam & figuram attinet, ſunt enim illa prorſus ſimilis formæ, ſed inæqualis magnitudinis & [quod valdè mirabar] in quibuſdam plantis, licèt ex eadem matre abruptis, (vnicum ſiquidem tuber Conſtantinopoli accipiebam) folia erant nigris aliquot exilibus maculis diſtincta, alia minimè: tum etiam flos colore variat, nam plantæ maculis nigris notata folia habentes, penicillum purpureum folliculo incluſum habuerunt, aliæ verò candicantem Maio menſe anni 1596. Atque poſtrema folia ante brumam plerumque germinare ſolent, alterius nouo Vere duntaxat.

## ARISARVM LATIFOLIVM quibuſdam.

### CAP. XXIX.



Deſcriptio

DVorum, teſte Cluſio, eſt generum Ariſarũ, tametſi Veteres vnici tantùm hiſtoriam poſteritati reliquerint, Anguſtifoliũ ſcilicet & Latifolium. Hoc Hederæ aut Smilacis ferè *folia* habet tria, aut quatuor, viridia, mollia, ſatis tamen carnoſa, acris ſaporis, oblongo pediculo innixa, anteriore parte, quâ pediculo adhærent vtrinque pinnata, Ari foliorum inſtar, ſed obtuſioribus & quaſi orbicularis angulis: inter quæ *pediculus* duas vncias longus, multis rubris maculis diſtinctus emergit, cui oblongus *flos* inſidet, monachalis cuculli, ſiue Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extremâ parte fuſci coloris qui deorſum radiatim tendit, in cæteris albus, caninum olens, *piſtillum* obtuſum, incuruum, & veluti ex cucullo proſpiciens continens: *radix* rotunda, globoſa, Aro minor, foris nigricans, intus alba, aliquando etiam tuberoſa & oblonga, initiò dulcis, deinde acris, minùs tamen Ari radice (licèt Veteres contra ſentiant) fibris aliquot ſupra eam expanſis, vt in Orchidibus. *Aliud* eius genus etiam inuenitur paulò amplioribus foliis, & rotundioribus aliquantulùm atque mollioribus, pluribus tuberculis ſe propagans, oblongaſque & craſſas radiculas ſæpiùs in latum & obliquum ſpargens.

Ἀρίσαρον [ex Dioſc. ſententia] exigua herbula eſt, cuius radix Oliuæ magnitudinem implet. *Ariſar. Veter.*

Eius mentionem fecit & ipſe Plinius. Aris [inquit] in Aegypto naſcitur, ſimilis Aro, minor tamen, minoribuſque foliis, & vtique radice, quę tamen Oliuæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera, vnum tantùm emittens.

Ariſaron multò minus Aro eſſe Galenus ait, ſed eodem acrius, radicem verò Oliuæ magnitudinem habere: eadem verba vt aſſolet, tranſcripſit Paulus, nec plura de ipſo tradiderunt.

Apud Hippocratem in l b. de articulis, legitur vox ἀρὶς, ſed non pro herba, verùm pro inſtrumento ſcobina appellato. Galenus autem in gloſſis Hippoc. inquit ἀρὶς, οὐ μόνον τὸ ὄργανον, ἀλλὰ καὶ βοτάνη τις οὕτως ὀνομάζεται. Dicit itaque Galenus, non ſolum inſtrumentum, ſed etiam herbã eſſe, quæ ἀρὶς appelletur. Nec intelligendum eſt vllo aliquo loco, ἀρὶς vocem, pro herba apud Hippocratem reperiri. Hęc igitur ἀρὶς βοτάνη an ſit eadem quæ ἀρίσαρον, pro certo affirmari non poteſt.

Ariſarum nihil aliud, quam Aron paruum eſſe putat Cornarius, quid autem per Arum paruum intelligat non demonſtrat.

Corrupêre, inquit Hermolaus, nomen Ariſari herbæ Medici, vt ab ipſis iam non Ariſaros ſed Aſarus dicatur. Eſt & Aris herba Hippoc. nec qualis ſit, & an pro Ariſaro capienda ſit, non conſtat. Ariſarum Plinius Erim [Arim,] ſed, vt credit Marcellus, corrupta ex Ariſaro voce, appellat. Dubitauit in Plinian. caſtig. Barbarus diminutiua ne forma non Ariſaros ſed Aris, quaſi paruum Aron vocanda planta hæc ſit. Sed vocandam Ariſaron eſſe Paulus teſtatur. *Arum... uum. ... Aſſara. Aris h... Eris ...*

Ariſarum Veronenſium Plinii Aris. Virentis Ariſari magna copia Lobel. & Penam donauit Franciſ Calceolarius. Iidem in Adu. quod mirum ex Matthiolo iconem aſſumunt: ac applicant Ariſaro ſuo Veronenſium: Matthiolus tamen non dicit ſuum Ariſarum à Calceolario miſſum eſſe, cur igitur Matthioli figuram adaptant ſuo Ariſaro Veronenſium, an quia Matthiolus dixit Arum minus miſſum per Calceolarium: cur in Belgio ſatum deſcribunt, aliter quàm viderint: flores tribuentes, quos non viderunt, quandoquidem eæ radices quas dedit Calceolarius aliam formam aſſecutæ ſunt progreſſu temporis, indicium eſt Lobelium & Penn. ſuam deſcriptionem concinnaſſe ad iconem Matthioli, quam pro ſua ponunt prætcrito eius nomine, & non ad plantam quæ creuerit in Belgio: nec placet ſanè libro Iconum Plantini, figuram Lobelii ex Adu.

Quęrit Io. Fabr. quid cauſę ſubſit, quod Aron, vulgaris alioqui herba in vicino illo ( Curię Rheticę) tractu nuſquam reperiatur, cùm tamen inde ad vnum milliare in maxima naſcatur copia, reſpondet has aliáſque cauſas ad occultã naturæ vim reiiciendas, vel potiùs ad ipſum naturæ magiſtrum & artificem.

Ari autem radix, autore Theophraſto, cibo idonea eſt: & folia eiuſdem( decocta in aceto mãdi nimirum poſſunt,) inauis profectò, & ad fracta vtilis.

His addit *Dioſcor.* Radix etiam decocta eſtur, quippe quæ minùs acris ſit. Folia verò ad eſum condiuntur, & arida per ſe decocta manduntur. Radix, ſemen, & folia eaſdem cum Dracunculo vires obtinent. Priuatim tamen radix cum fimo bubulo podagricis impoſita prodeſt. Cæterùm eodem quo dracunculi radix modo reconditur, ac in ſumma ob mitiorem quã prædita eſt acrimoniam eſui aptior eſt.

*Plinius* Ari vires medicas per longum exponit, quibus ex ipſo recenſendis ſuperſedemus, eadem quæ habet ex aliis pleniùs tradituri.

Galenus ex terrea & calida eſſentia Arum cõſtare dicit, & propterea extergendi vim habere, ſed non fortem velut Dracontium. Eſſe igitur in ſiccando & calefaciendo primi ordinis. Radices autem eius maximè vtiles ſunt, inquit, & in cibo acceptæ craſſos humores moderate ſecant, vt expuitionibus ex thorace idoneæ ſint. Sed Dracontion ad hæc commodius eſt. Idem 2. de aliment. radicem Ari ſimiliter vt Rapi edi ait, ex aqua coctam, cum Sinapi aut aceto, oleóque ac garo: cũ quibuſdam item intritis, tum aliis, tum quę ex caſeo parantur.

Radix Ari, vt vult Tragus, eius maximè quod maculata habet folia, ſiue ſicca ſiue recens tuſa, ac ad minùs drachmæ pondere ſumpta, remediũ eſt præſentiſſimum ac minimè fallax aduerſus venenum & peſtem: quidam tantumdem adiiciunt theriacæ. Succus herbæ expreſſus menſurã cochlearis, aut maiore, potus, eaſdem habet facultates: quod ſi illi parum aceti admiſcueris, quominus linguam vellicet efficit: Aron in puluerem redactum, ac interdum drachmæ pondere cum binis ſacchari drachmis ſumptum, ſuſpirioſis prodeſt, craſſam enim & lentam pituitam incidit, excreationes iuuat, pulmonum & pectoris vitia purgat & ad tuſſim eſt maximè vtile: idẽ remedium ſtomachum phlegmate, & atra bile infectum purgat: radix Ari ſiue recens ſiue arida, tuſa ac ſumpta, mulieres à partu validè purgat, potéſtque hoc pacto & iumentis purgandis exhiberi: eadem ſuccus expreſſus & aqua deſtillata poſſunt. Tradunt etiam aquam Ari deſtillatam ramices ſanare, ſingulis vicibus binis vnciis aut minore menſura potam: ad peſtem ac anthracẽ vix præſtantiorem ac ſalubriorem herbam noui, ac folia Ari recentia impoſita: eadem ſiue arida, ſiue viridia, ad inueterata & putrida pedum vlcera faciunt: aqua Ari & ſuccus, quæuis vetera vulnera purgat ſanátque. Ari folia cum radice in vino & oleo decocta, inſeſſionibus calidis ficus ſanant, & ſedem procidentem retrahunt: nonnullæ mulierculæ folia Ari caſeis vermiculis ſcatentibus imponunt, qui fit vt abactis vermibus caſei hac ratione à corruptione vindicati diutiùs durare poſſint.

Non deſunt, inquit Matth. qui radicibus Ari Calzolarii vtantur ad arcendos a ſuis menſis Paraſitos, & voraces Lurcones, eorum puluerem delicatis epulis admiſcentes: nam vbi fauces occupauerit, tam contumaci ardore afficit, ne poſthac quicquam vorare queãt, niſi bubulo caprillóue lacte diutiùs gargarizato, aut recenti butyro ſenſim deglutito. Abſtergit Arum, attenuat, aperit, incidit & prouocat. Decocta radix melle excepta, medetur pectoris morbis omnibus pituitoſis, expectorare enim valentiſſimè craſſas lentáſque excreationes, ideóque aſthmaticos maximè iuuat. Datur elixa, vel feruentibus cineribus toſta, vtiliter tuſſientibus, ex amygdalino oleo. Idque bellè quoque præſtat lac potum, in quo radix ipſa fuerit incocta. Illinitur eadem, aqua priùs elixa, epiphoris, ſugillatis, inflammatiſque tonſillis, ſabacea farina addita, & defruto ſubacta. Subigitur quoque oleo, & tumentibus hęmorrhoidibus cõmodè illinitur: Radicis ſuccus exedentia & contumacia vlcera curat, quemadmodum & narium polypum (omnia vlcera ſuccus, Plin.) folia ambuſta ſanant. Dantur vtiliter ſeminis drachmę duæ ad menſes educendos, & ſecundas pellendas ex vino. Noſtrates mulieres ex Ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandam illuſtrandamq; magnis laudibus efferunt. Id quod etiam efficaciter præſtat inſolatus radicum ſuccus, ceruſſæ ſpeciem referens, quem Gerſa vulgò nominant, is ſiquidem mirum in modum carni ſplendorem, & candorem conciliat.

Nunc quid Porta importet videamus: Aron folia diſtincta maculis habet, dehoneſtantium Lunę macularum imaginẽ. Dantur vtiliter ſeminum drachmæ duæ ad ciendos menſes. In Aro ſagacis naturę artificio multiplici membrana munitus fœtus. Partus omnium animalium extrahit, naturę oſtio circumlitum (idem Plinius,) & ſeminis vel radicis drachmę duę in vini cyathis duobus ſufficiunt, ſi à partu non purgatur, ad ſecundas trahendas. Effigies Ari fructus ibidem. Calculoſis confert (Io. de Mont. expert.) Ari herbę & radicis contuſę ſuccus cum vini cochlearibus tribus, quinquies ieiuno ventriculo aſſumptus.

Patet autem ex hactenus dictis falſum eſſe, quod ſcribit Fallop. tract. de med. purg. ſimpl. dicens: Neuter Dracunculus, ſcilicet nec Aron, nec alter, qui noſtris Serpentaria dicitur, eſt purgatorius, quamuis ſecundum opinionem Meſues purgẽt. Sed vtcúque ſit non ſunt in vſu. Sed liceat hîc ſubiungere, quod Odũt. verũ eſſe contendit. Vrſum, inquit, tempore ſui latibuli nihil edere certum eſt: quippe quòd neque exeat: & captus ventre inteſtinoque inani videatur. Narrant eius inteſtinum, per inediam ita conuenire, vt adductum propè cohæreat: Itaque Vrſum latebrã egreſſum, primum herbam Arum dictam deguſtare, ut inteſtinum laxetur, & hiet. *Fallop. not.*

## ARVM BYZANTINVM.

Cùm ante aliquot annos huius Ari tuber cum aliis tuberibus bulbiſque Conſtantinopoli allatis, Viennæ acciperem, inquit Cluſius, hærebam, verùm ad Ari, an Ariſari genus referrem: deinde cùm folia profetre cœpit, primis duobus annis pro Ariſaro latifolio habui, ducente me in eam ſententiam foliorum quadã ſimilitudine. Nam ea conſpiciebam ſatis ad Ariſari latifolii folia accedentia, nec valde mucronata, ſed potiùs orbicularem figuram referentia: nec radicem valdè diſſimilem. Verùm poſtquam ea augeri cœpit, digitalem longitudinem adqui- *Deſcriptio*



ſiuit, multis tuberculis inæqualem, & vncialem aut ampliorem craſſitudinem, multaſque proles adnatas habuit: folia item protulit longè maiora, ad Ari foliorum accedentia, nec illis minùs ſplendentia supernè & infernè: eius autem florem duntaxat videre contigit anno 1596. licet toto octennio antè aluiſſem, ſingulis annis nouo Vere emergentem, atque interdum etiam ante brumam. In Vernis tamen foliis quandam differentiam obſeruabam, non quod ad formam & figuram attinet, ſunt enim illa prorſus ſimilis formæ, ſed inæqualis magnitudinis & [ quod valdè mirabar ] in quibuſdam plantis, licèt ex eadem matre abruptis, (vnicum ſiquidem tuber Conſtantinopoli accipiebam) folia erant nigris aliquot exilibus maculis diſtincta, alia minimè: tum etiam flos colore variat, nam plantæ maculis nigris notata folia habentes, penicillum purpureum folliculo incluſum habuerunt, aliæ verò candicantem Maio menſe anni 1596. Atque poſtrema folia ante brumam plerumque germinare ſolent, alterius nouo Vere duntaxat.

---

## ARISARVM LATIFOLIVM quibuſdam.

### Cap. XXIX.

Deſcriptio



DVorum, teſte Cluſio, eſt generum Ariſarũ, tametſi Veteres vnici tantùm hiſtoriam poſteritati reliquerint, Anguſtifoliũ ſcilicet & Latifolium. Hoc Hederæ aut Smilacis ferè *folia* habet tria, aut quatuor, viridia, mollia, ſatis tamen carnoſa, acris ſaporis, oblongo pediculo innixa, anteriore parte, quâ pediculo adhærent vtrinque pinnata, Ari foliorum inſtar, ſed obtuſioribus & quaſi orbiculatis angulis: inter quæ *pediculus* duas vncias longus, multis rubris maculis diſtinctus emergit, cui oblongus *flos* inſidet, monachalis cuculli, ſiue Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extremâ parte fuſci coloris qui deorſum radiatim tendit, in cæteris albus, caninum olens, *piſtillum* obtuſum, incuruum, & veluti ex cucullo proſpiciens continens: *radix* rotunda, globoſa, Aro minor, foris nigricans, intus alba, aliquando etiam tuberoſa & oblonga, initiò dulcis, deinde acris, minùs tamen Ari radice (licèt Veteres contra ſentiant) fibris aliquot ſupra eam expanſis, vt in Orchidibus. *Aliud* eius genus etiam inuenitur paulò amplioribus foliis, & rotundioribus aliquantulùm atque mollioribus, pluribus tuberculis ſe propagans, oblongaſque & craſſas radiculas ſæpiùs in latum & obliquum ſpargens.

Ἀρίσαρον [ ex Dioſc. ſententia ] exigua herbula eſt, cuius radix Oliuæ magnitudinem implet. *Ariſar. Veter.*

Eius mentionem fecit & ipſe Plinius. Aris [ inquit ] in Aegypto naſcitur, ſimilis Aro, minor tamen, minoribuſque foliis, & vtique radice, quę tamen Oliuæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera, vnum tantùm emittens.

Ariſaron multò minus Aro eſſe Galenus ait, ſed eodem acrius, radicem verò Oliuæ magnitudinem habere: eadem verba vt aſſolet, tranſcripſit Paulus, nec plura de ipſo tradiderunt.

Apud Hippocratem in lib. de articulis, legitur vox ἄρις, ſed non pro herba, verùm pro inſtrumento ſcobina appellato. Galenus autem in gloſſis Hippoc. inquit ἄρις, οὐ μόνον τὸ ὄργανον, ἀλλὰ καὶ βοτάνη τις οὕτως ὀνομάζεται. Dicit itaque Galenus, non ſolum inſtrumentum, ſed etiam herbã eſſe, quæ ἄρις appelletur. Nec intelligendum eſt vllo aliquo loco, ἄρις vocem, pro herba apud Hippocratem reperiri. Hęc igitur ἄρις βοτάνη an ſit eadem quæ ἀρίσαρον, pro certo affirmari non poteſt.

Ariſarum nihil aliud, quam Aron paruum eſſe putat Cornarius, quid autem per Arum paruum intelligat non demonſtrat.

Corrupêre, inquit Hermolaus, nomen Ariſari herbæ Medici, vt ab ipſis iam non Ariſaros ſed Aſarus dicatur. Eſt & Aris herba Hippoc. nec qualis ſit, & an pro Ariſaro capienda ſit, non conſtat. Ariſarum Plinius Erim [ Arim, ] ſed, vt credit Marcellus, corrupta ex Ariſaro voce, appellat. Dubitauit in Plinian. caſtig. Barbarus diminutiua ne forma non Ariſaros ſed Aris, quaſi paruum Aron vocanda planta hæc ſit. Sed vocandam Ariſaron eſſe Paulus teſtatur. *Arum ... num. ... Aſaru. Aris h... Eris a...*

Ariſarum Veronenſium Plinii Aris. Virentis Ariſari magna copia Lobel. & Penam donauit Franciſ. Calceolarius. Iidem in Adu. quod mirum ex Matthiolo iconem aſſumunt: ac applicant Ariſaro ſuo Veronenſium: Matthiolus tamen non dicit ſuum Ariſarum à Calceolario miſſum eſſe, cur igitur Matthioli figuram adaptant ſuo Ariſaro Veronenſium, an quia Matthiolus dixit Arum minus miſſum per Calceolarium: cur in Belgio ſatum deſcribunt, aliter quàm viderint: flores tribuentes, quos non viderunt, quandoquidem eæ radices quas dedit Calceolarius aliam formam aſſecutæ ſunt progreſſu temporis, indicium eſt Lobelium & Penn. ſuam deſcriptionem concinnaſſe ad iconem Matthioli, quam pro ſua ponunt prætcrito eius nomine, & non ad plantam quæ creuerit in Belgio: nec placet ſanè libro Iconum Plantini, figuram Lobelii ex Adu.

ex Adu.vel potiùs Matthioli, & iconem Cluſii poni ſub vno titulo, ita vt ſint vnius plantæ duæ icones. C.Bauh. Phyt. Ariſarum Dioſcor. Aris Plinio. Ariſarum.1. latifolium maius, Ariſarū latifolium alterum Cluſii hiſt. Hiſp. quod foliis eſt amplioribus, mollioribus. Ariſarum 2. latifolium: Ariſarum latifolium primum Cluſii. Ariſarum latifolium Cluſii,num idem cum Narbonenſi Lob.Obſ. Idem apud Matth. Ariſarum Matthiol.Dracunculus alter,ſeu Hexicophyllos Cordi. Cordi Dracunculus nobis diuerſus eſt ab Ariſaro Matth.& eſt Arum Mathioli,de quo capite de Aro.

An Cæſalp.Aron paruum quod in locis aſperis naſcitur, & inter ſaxa plurimùm in monte Sancti Iuliani prope Piſas: &c.

Ariſarum latifolium in collibus Luſitaniç frequens ſalebroſis & lapidoſo ſolo, in ſepibus & iuxta vias: vbi Nouembri & Decembri floribus ſuis præditum erueram,inquit Cluſius, atque etiam nonnullis Beturiæ locis ſolo fœcundo & pingui,ſecundum publicas vias & hortorum aggeres, vbi Ianuario & Februario.

Ariſari herba,autore Dioſc.longè maioris eſt acrimoniæ,quàm Arum. Vnde impoſita nomas ſiſtit. Collyria item ex ipſa fiunt ad fiſtulas.Corrumpit eadem indita cuiuſuis animalis pudendum.Medetur vtraque[Aris Plinii]vlceribus manantibus. Item ambuſtis ac fiſtulis, collyrio immiſſa. Nomas ſiſtūt decocta folia iu aqua,& poſtea trita roſaceo addito. Sed vnum miraculum ingens cōtacto genitali, cuiuſq; fœminini ſexus animal in perniciem agi. Amatus addit,multos tanquam pretioſiſſimo ſecreto apud Germanos inferiores contra peſtis contagia vti, quod ſatis mirari non poteſt Cluſius, quandoquidem eius tempore toti Belgio fuerit incognitum.

## ARISARVM ANGVSTIFOLIVM.



Folia huius longa ſunt, & anguſta, inſtar ferè Plantaginis anguſtifoliæ foliorum, viridia, ſplendentia, quina, aut ſena, poſt quæ *flos* ſeu cucullus longior & mucronatus, retrorſum inflexus & albicans prodit, è cuius rima oblongus veluti vermis exilis, ſpithamæ interdum longitudine, inflexus,coloris aut purpuraſcentis, aut ex purpureo vireſcentis, non ille quidem obtuſus extima parte,ſed mucronatus: *fructus* racemi inſtar confertus,albus(non ruber,vt quidam; qui non obſeruarunt, prodidêre) vix terrà emergens ſuo tempore ſubſequitur.

Huius picturam Matthiol. ſub titulo Ariſari alterius exhibet,non quòd probet(non enim verum putat) ſed vt de hoc aliorum etiam ſit iudicium. *Lonic.* Dioſc.ἀρίσαρον: Hiſp. *Fraylilos yerua*,id eſt Fraterculos: Mundhoden, vulgò genitale Monachorum. *Caſt. Durant.* Pſeudoariſarum. *Cluſ.*Hiſp.Ariſarum alterum & Ariſarū anguſtifolium. *Geſner.*de hortis,Ariſarum. *Anguill.*epiſt.11.p.176.Ariſarum foliis anguſtis. *Lobel.*Ariſarum anguſtifolium cum fructu racemoſo albo & corniculo purpuraſcente. Icon. Pl.p. 559.Ariſarum Anguſtifolium. *C.Bauh.*Phyt. Ariſarum 4.anguſtifolium. Idem apud Matthiol. *Cæſalp.* Ariſaron, corniculo cum ſua theca purpureo.

Lobel.in hortis Belgicis,Gallis,& Anglis colitur. In Ericetis & Filicetis Liguriæ prouenit. Anguillarius Matthiolo Patauio miſit, qui teſtatus eſt plurimum naſci in agro Romano: Hinc confirmatur quod Cæſalpinus ſcribit,inter ſepes non longè ab vrbe Roma inueniri. Cluſius ſpōtè naſcens,(vt ego qui ſiccum ſolùm habeo foliū, quod Cortuſus Patauii communicauit,) non vidit,ſed delatum in hortis aluit,vbi floret Veretat Iulio & Auguſto ſine foliis fructum profert. Viuax magis eſt latifolio Ariſaro,neque tanta curâ indiget. Locus. & tempus.

## DRACONTIVM SIVE DRACVNCVLVS Veteribus & in genere.

### Cap. XXX.

Δρακόντια μεγάλη (inquit Dioſc.) aliis Aron, aliis Iſaron,aliis Iaron,aliis Hieracium, [ ἱεράκιον ] aliis Biaron, aliis Harmagrion, aliis Cyperis, Romanis Colubra, aliis Mauraria, aliis Singingialios: Caulem habet lęuem,rectum, bicubitalé, baculi craſſitudine,varium colore,vt Draconi ſimilis ſit,purpureis maculis abundè reſperſus.Folia fert Lapathi figura inter ſe implicita. Fructū producit in ſummo caule racemoſum, cinerei primùm coloris,vbi verò maturuit croce: ac punicei. Radicem habet magnam, rotundam, albam,cortice tenui obductam.

De minore verò Dioſcor.ſequentia prodidit: δρακόντιον, Dracunculus (alter Marcell.Dracunrium minus Hermol.)folia habe: Hederæ figurâ, magna,maculas albas habentia, caulem rectum, bicubitalem, varium, anguem referentem, purpureis maculis reſperſum; craſſitudine baculi: [quæ de caule hîc poſita,ſuperflua ſunt. Cæſalp.] fructus in ſummo racemoſus,colore primùm quidem herbaceo, maturus autem croceo, guſtum mordens. Radix quodammodò rotunda eſt, bulbi ſpeciem referens,Aro ſimilis,corticem habens tenuem. *Dracunculus alter.*

Plinius,qui Arum cum Dracontio confundit, plura eius genera facit. Nec ſanè caret difficultate,ni quoque confuſione ſcatet, quod ſparſim Aëtius de Dracontio prodidit.

Diſſonant aliquantùm in hoc genere Scriptores. Alii Dracunculum ab Aro ſeparant, Alii idem exiſtimant:Theophraſtus Aron putauit genus eſſe ſub quo ſpecies plures continerentur: Dioſcor. quatuor videtur feciſſe genera. *Dracunc.maior. Dracunc.minor. Aron. Ariſarum*: Serpentariam ſunt qui vocent: Eſt & herba apud Hippocratem Ophis vocata cuius ſemen mulieribus medicinis vtile dicit. Quæ an eadem ſit cum Dracuntio ſatis non conſtat. Idem Hippocr. Candidam radicem cùm nominat Dracuntii radicem,vt Gal.vult,intelliges. Galenus,Paulus, Apuleius,Serapio, non nouerunt alterum & mi-

norem Dracunculum. Ac credit Marcell. vnum tantùm à Dioſcorid. traditum,quamuis in cunctis & antiquiſs. Græcorum codicibus vtrumque eius caput legatur. Nos vnum tantùm Dracunculum nouimus & qualem exceptis foliis Dioſc. in vtroque capite deſcribit: nouimus & Aron. Quum Plinius triplex Dracontium ſibi demonſtratum eſſe dicat, Galenus autem vnum tantùm norit,idque Aro ſimile:videtur Cornario in Dioſc. ſuppoſititium eſſe alterum caput, quod Dracunculum maiorem deſcribit, ideoque ipſum hoc loco exemit. Nam omninò de eodem eadem traduntur,ſed diuerſis verbis,vt ex alio Scriptore id caput adſcriptum eſſe appareat. Multi apud omnes tandem momenti ſit,quod vt Lugd. refert,in vetuſtiſſimis Latinis codicibus,vnicum duntaxat habeatur Dracunculi caput, alterius veſtigium nullum.

*Dracunculus vnus Dioſc. ſuppoſititius.*

Dracontia duo,præter tertium,quod in aquatilibus locis gignitur, facit Dodon.maius & minus,& pro minore, quod non conuenit,Ari figuram proponit.

Apuleius Dracontion Draconteam appellat, & multa eius peregrina adfert nomina, quæ an maiori vel minori aut vtrique conueniãt,non explicatur: vt Pythonion, Aſclepias, Anchomanes, Sauchromaton, aut Sauctomaton, Therion, Schoenos, Dorcadion, Thyphonion, Crocodilion, Theriophonon, Eminion.

Alterum caput, Dracontii maioris nomine inſcriptum, quod meritò à nonnullis inter Dioſcor.notha repoſitum eſt, tanquam legitimum agnouerunt, Oribaſius, Marcellus. Matthiolus & Amatus Luſitanus; ac illud quidem priore loco collocant, hoc verò poſteriore. Ego verò [Anton.Sarrac.]cum Serapione illud alterum,quãuis in codicib' nonnullis occurreret,cõſultò prætermiſi,tãquam ſuppoſititium,& ex Crateuę, aliuſue fortaſſe cuiuſpiam ſcriptis perperàm contextui Dioſc.adiectum: maximè cùm in vtroque capite diuerſas quidem vtcunque voces,& vnam tamen eandemque hiſtoriam animaduerterem. Si etenim ſingula expendamus, vix aliud occurret diſcrimen,quàm quòd Dracuntii folia Dioſc. hederæ comparat,ille quiſquis ſit, lapatho: Itemque colorem fructus à principio herbaceum agnoſcit Dioſc. [falsò enim in Aldino exemplari & apud Orib. χλοώδη legitur, ἀντὶ τοῦ χλοώδη] ille σποδοειδῆ,hoc eſt cineraceũ.Sed fortaſſe Dioſc. ad folii colorem,læuorem,firmitatémue: ille ad eiuſdem longitudinem reſpexit.Cætera, ſiue deſcriptionem ſiue vires ſpectes, ferè conſentiunt.

Porrò ſi duplex eſt Dracontium, quemadmodum Veteres teſtari videntur inſcriptiones,maius inquam & minus:maius Dracõtium id agnoſcere poſſumus,quod in pleriſq; hortis viſitur,Autoris noſtri deſcriptioni aptè conueniens: minus verò, Aron paſſim circa ſepes naſci ſolitum: Sic enim Serapio Dracontii duo conſtituit genera, vnum quod Dracontium ſimpliciter, alterum quod Aron appellaretur: ac idipſũ innuere quoque viſus eſt Theoph.dum tradidit Dracontii genus quoddam Aron appellari. Attamen quoniã cognatæ ac congeneres ſunt hæ plantæ,ac viribus etiam iiſdem prędıtæ,earum nomina nihil mirum apud Plinium & alios rei herbariæ Autores ferè omnes paſſim confundi: quod vel ante ſua tempora factitatum teſtatus eſt ipſe Plinius, lib.24.cap.16.

Δρακόντιον & δρακοντίαν ſiue ἴσαρον Dioſc. Lat. quibuſdam Serpentaria, Dracontium & Colubrina: Arab. *Luf, Alluf*, Germ. Schlangenkraut/ Natterwurtz & Drachenwurtz Belg. Speerwortele,drachenwortele / Gall. *Serpentaire ou Serpentine.* Ital. *Dragontea, Serpentina*: Hiſpan. *Dragontia.*

Nomen quidem Schlangenkraut (Serpentariæ) à figura ſumpſit: caulis enim glaber purpureisque reſperſus maculis, verſicolori facie corpus anguinum repræſentat: vel à cauda,quę illi ſubtutila eſt & Draconis intorti modo, inquit Hermolaus.

Dracunculus maior & minor Dioſcoridis in vmbroſis circa ſepes & macerias gignitur. Colligitur dum matureſcit, & ſuccus exprimitur ſiccaturque in vmbra. Radix quoque meſſibus (Hordeo matureſcente, Luna creſcente Hermol.) elotáque particulatim concidi,& funiculo tranſfixa ſiccari in vmbra, atque ita recondi, ſolet. Locus

Maior Dioſc. Dracunculus excalefacit cum commixto vino. Elixus & toſtus è melle in eclegma datur Orthopnoicis, tuſſientibus,ruptis, conuulſis,diſtillationibus pituitæ. In vino ſumptus cupiditates ad Venerem mouet. Vlcera cacoëthe:phagedenaſque ſanat ſubactus cum melle aut illitus: maximè ſi cum vite miſceatur alba. Collyriis quoque vtuntur ex eo factis ad fiſtulas cum melle. Item ad partus eliciendos. Vitiligines cum melle abigit. Polypos in naribus & carcinomata omnium generũ diſſipat.Succus ipſe oculorum medicamentis aſciſcitur: caligines,nubeculas, & albugines diſcutit: herba & radix grauidis,quæ recens conceperint,abortum olfactu inferunt. Idem præſtãt triginta ſeminis granar,vtique ſi bibantur in poſca. Quidam ſuccum infudêre cum oleo aurium dolori. Folia ſeu ſpiſſantia impoſuêre vulneribus etiamnum cruentis, ſicut in vino decocta perniones habentibus. Eum qui folia manibus contriuerit feriri poſſe à ſerpentibus negant. Radicem quoque omninò habentem effoſſam animalia eadem fugiunt. Vires

Expreſſus verò è minoris Dracunculi ſemine ſuccus cum oleo inſtillatus,aurium dolorem mitigat: naribus etiam ex lana impoſitus, polypum abſumit: carcinomata illitu ſiſtit: triginta eius grana,ſi in poſca bibantur, abortus inferunt, odorem aiunt poſtquam flaccidi flores emarcuerunt,conceptus adhuc teneros enecare: radix excalfacit: orthopnoicis, ruptis, vulſis,tuſſi,deſtillationibus, auxiliatur: humores pectoris excreatu faciles reddit, ſiue cocta toſtaque cum melle, aut per ſeſe edatur, ſiue farina eius ex melle delingatur: vrinam pellit, Venerem excitat, cum vino potus, Phagedænas vlcerum, & quæ cacoëthe vocantur,tritus cum melle & Bryonia alba, expurgat,& ad cicatricem perducit: collyria ex ipſo ad fiſtulas & eiiciendos partus fieri ſolent: qui radice ſuas manus perfricuerunt, à Viperis feriri negantur: illita ex aceto vitiligines emaculat: folia recentibus vulneribus linamentorum vice, conuenienter imponuntur: decoctus in vino pernionibus appoſitus prodeſt: caſeus foliis inuolutus, à putredine defenditur. Succus radicis ad nubeculas, albugines, & oculorum caligines conuenit. Radix cruda coctáue, ad ſanorum vius, pro olere recipitur: in Gymnaſiis inſulis, quæ Baleares vocantur, coctam radicem cum melle multo in conuiuiis placentarum loco offerunt.

Dracuntium teſte Galeno,quiddam Aro perſimile obtinet tum foliis tum radice: cæterùm illo tum acrius, tum amarius: ac proinde calfactorium magis & tenuiorum partium: habet etiam

leui-

leuiculam quandam adſtrictionem: cæterà ad eadem ferè eum commendat ad quæ Dioſcorides: addens fructum valentiorem eſſe non foliis tantùm, ſed & radice.

Idem Gal.2.de Aliment. Dracunculi æquè atque Ari radices bis terue elixatas, iis interdum in cibo offerri tradit, quibus craſſorum lentorúmque humorum copia in pectore pulmonibúſue congeſta eſt. At Theophraſt.lib.7.hiſt.ſtirp. Dracontii radicem ad cibum ineptam ac prorſus medicamentoſa facultate præditam eſſe tradidit, hiſce verbis: Radix Dracontii, & eſui inepta & medicamentoſa exiſtit.

## DRACVNCVLVS MAIOR VVLGARIS.



DRacunculo maiori profunde in terra depacta *radix* eſt ferè orbiculata, volam implēs, cuius lateribus parui *bulbi* plures, quibus ſe propagat, adnaſci conſueuerūt, foris colore buxeo, intus candido, ſapore feruido: *caulis* vnicus, rectus, pollicaris & craſſior, cubitos duos altus, miraculoſa colubri tergora affabrè mentiens, è runicis conuolutis conſtans: ipſa verò *folia* pediculis dodrantalibus fungoſis donata, in ſegmenta digitata finduntur, læuore & ſplendore Ari, craſſitie & colore pari: è quorum medio eluctatus *caulis* vix digiti minimi craſſitudinem æquat, è cuius ſcapo vagina pedalis exit, colore foris herbaceo, intus in purpura rubente, è ſinu *piſtillum* promens nigrum Ari piſtillo maius, in mucronem acutiorem deſinens: ſubſequitur *fructus* racemoſus, granis per maturitatem rubentibus: Odor *floris* valdè fœtidus.

Vtrumque (ſi Diis placet) Dracunculum Tridenti & Venetiis vidit Matth. Alterum quidem ſeu minorem & omnibus vulgarem, dicit eſſe foliis Hederaceis, albis quibuſdam maculis conſperſis. Nihil video ſimilitudinis cùm foliis Hederæ in Dracunculo maiori vulgari, quicquid dicat Matthiolus, repetens Dioſcor. verba pro re à ſe viſa, idque ſuo more.

Amato addita eſt per Conſtantinum icon Dracunculi Fuchſii, non tamen exiſtimo Amatum hunc tradere, quin puto neſcire quid ſcribat.

Scribit Anguill. Veteribus fuiſſe duo genera Dracunculi, ex Crateua additum Dioſcoridi caput de maiore, quod non ſit ex textu demendum vt adulterinum. Dracunculum hunc maiorem eſſe Serpentariam noſtram communem, nec hanc eſſe Dracunculum minorem Dioſc. Videri Theophraſt. de hac Serpentaria communi loqui lib.7. cap.11.

Dracunculi ſeu Dracontii aut Serpentariæ Species duas ſtatuit Geſner. hort. cuius vnam in appendice tradit, quam vocat Dracunculum minorem. *Theophr. Dracunculus.*

Dracuntia, Serpentaria maior quin ſit Dioſc: Dracontium maius (aiunt Lob. & Pena) nullus inficias ibit. Nec vniuerſo tractu Græco vlla alia Serpentaria &c. Nouellæ plantæ potuerunt Plinio perſuadere plures vt conſtituerit ſpecies Dracūculi, miſceretq; Ari ac Ariſari cognatas differentias, vt in Bechio aliíſque locis illi contigit. Nec alterius plantæ videtur geminata deſcriptio apud Dioſc. ſed ab alio quopiam, paulùm diuersè deſcripta. *Dioſc. geminata deſcriptio.*

Tabern. icon. Dracunculus minor. klein Drachenwurtz/aut Schlangenwurtz.

Gerard. Angl. Dracontium maius, Great Dragens.

B. Bauh. Phyt. Dracunculus.2. polyphyllos, qui Dioſc. maior videtur & Plinii. Apud Matt. idem.

Dracunculus maior apud Flandros & Gallos, Italóſque, procerè creſcit, inquit Amatus. Nos variis locis obſeruauimus.

Teſtis eſt Lobelius in Anglia aquam è foliis Dracunculi ſtillatitiam cum aqua Dracunculi eſculenti, graſſante peſte, in vſu eſſe ad ſudores prouococandos, ſi vtriuſque ℥jß. cum Theriacæ ℥j. ſumatur. Dracontium calidum & ſiccum in ſecundo ordine eſſe dicit Amatus, & aluum quoque tentare, idque experientiam quotidianā indicare, ideóque Manardum minùs benè Meſuem taxare certum eſſe. Dracunculum vim habere aduerſus ſerpentes ſcribit Io. Fabr. cuius rei argumento eſſe poſſit, caulis eius leuis, verſicolor, maculis purpureis diſtinctus, ita vt angui ſimilis videatur, quin & florem habere mirabilem, ori hianti exertæque linguæ ſimilem, ſicut & Aron. Reliquæ vires antè traditæ fuēre. *Vires.* *Manardus repreh.*

## DRACVNCVLVS AQVATICVS.



NOn bulbo ſam alior im Dracūculorum Aríque more, *radicem* habet; ſed digitalis craſſitudinis, prælongam, geniculatam; tranſuerſo ſitu limoſo paluſtrium locorū ſolo incumbētem, cui figitur ex articulis demiſſa fibrarum ſobole numeroſa, boſtrychi ſeu cincinni inſtar. *Folia* ex iiſdem enaſcuntur geniculis dodrantalibus hærentia, Hederaceis paria, figura quoque ſimilis, nullis per ambitum angulis, in acumen deſinentia, polita, venoſa: in folii ſinu, quòd ſummo cauli innaſcitur, racemus comprehenditur, ei ſimilis quem Aron profert. *Deſcriptio.*

Bellon. Obſ. lib.1. cap.18. Dracunculus folio hederæ. Apud Cordum in Dioſcor. quidam an-

notat : Eſt ex alia ſpecies Dracunculi. Plinio waſſer aron. Cordus in hiſt. lib. 1. c. 28. Dracunculus paluſtris. Fuchſ. Icon. Dracunculus Plinii tertius, waſſer Schlangenkraut. Matth. Epit. cum Camer. addit. Dracunculus aquaticus, Italis *Serpentaria aquatica* : Germ. waſſernatterwurtz. Turn. Dracuntium tertium variis in locis Germ. prouenit, vbi vocatur klein Schlangenkraut / in Anglia verò minimè. Geſner. hort. Aron paluſtre Coldenb. Camer. Hort. Dracunculus aquaticus Plinii. . Caſtor. Dur. Dracunculus aquaticus Italicus: *Serpentaria aquatica.* Dodon. Gall. Dracunculus paluſtris, quibuſdam Arum paluſtre. Gall. *Serpentine d'eau ou aquatique.* Belg. Drakenwortele. Germ. waſſer Schlangenkraut / waſſer Drakenwürtz / hiſt. Lat. in fol. p. 329. Dracunculus aquatilis & paluſtris non abs re. Perperàm verò Hydropiperi rubens dicitur. Deſcribitur iſtud Dracuntium à Plinio l. 24. c. 16. & tertia eius ſpecies eſt. Lob. & Pena Adu. Aquarica Anguina ſiue Dracũculus. Ic. plant. Dracunculus arundinacea radice Plinij. Hiſt. Lugd. Herbariis Dracunculus paluſtris, quem Arum paluſtre alij vocant. Gall. *Serpentaire d'eau ou aquatique.* Tabern. Ic. Dracuntium paluſtre, waſſer Drackenwürtz. Gerard. Angl. Dracunculus aquaticus, watter Dragons.

*Dracunculus aquaticus.*

C. Bauh. Phyt. Dracunculus 3. paluſtris, arundinacea radice Plinij. Item apud Matth. Dracunculus aquaticus.

*Locus & Tempus.* Dracunculum aquaticum vidi anno 1595. menſe Iunio in horto D. Sprengeri, poſtea habui Argentinæ ex plantis ſiccis D. Aggerii. Fr. etiam C. Bauh. miſit pulchram plantam ſiccam, quam accepit Hamburgo, Naſcitur vliginoſis paluſtribuſque locis, & in ipſis paludibus ac pigris camporum riuulis : ſolo macro & putrido maximè gignitur : pingui verò & lutoſo nondum mihi viſa eſt naſci: Cordus. Iuxta riuulos & labentes aquas frigidarum & calidarum regionum, ut in Belgio, Northmannia, Apuleia, & Hiſpania Granata, ſponté emergete aſſerebãt nobis, qui in hortos ſuos tranſplantarunt : Lobelius.

*Vires* Facultas huius Dracuntii aquarici, aliorum, atq; ipſius Ari ſimilis eſt, ſed minùs potens, minuſque efficax videtur, Dodonæo & Matth. in Epitom. autoribus.

## COLOCASIA. Cap. XXXI.



*Deſcrip.* Radix tuberoſa duplex, altera alteri impoſita intercedẽte ceruice, vt lagenam imitari videatur, alba, veſca, fibris adnatis ſe propagans ; *folia* terna aut quaterna, Nymphææ foliorũ figura & magnitudine, lõgis vtrinque ſubrotundis alis, ſimiliter donata, craſſa læuia, ſed auerſa parte nerui obliqui in margines excurrunt craſſiuſculi, à neruo per longum diſcurſante producti, quos venulæ intercedunt vndatim, pediculus autem craſſus non extremo folii, ſed aliquot digitos integro folio inſeritur.

Meminit huius Theophraſtus lib. 4. cap. 10. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcribit. Faba Aegyptia in paludibus, ſtagniſque exit. Caulis eius, qui longiſſimus, quaterna cubita perficit : craſſitudo digitalis eſt, ſimilis calamo molli, non geniculato. Rimas intrinſec⁹ habet tendẽtes per totũ, lilii modo. Caput in cacumine orbicularũ, veſparum fauo non abſimile, Inque ſingulis cellis ſingulæ fabæ continentur, paulò ſuper id eminẽtes, multitudine plurimùm terdenæ. Flos papauere duplò maior colore roſeus in plenum caput. Super aquam folia ad ſingulas fabas amplexa exeunt. Fabam quamque conterenti amarum illud, ex quo pilula fit, inflexum pateſcit. Fructus ita ſe habet. Radix illi craſſiſſima, harundine plenior, rimas ſimiliter atque caulis habens : manditur & cruda, & elixa, & aſſa : eoque cibo, qui incolunt paludes, vtuntur. Naſcitur itaque ſponte vel plurima, cæterùm & ſeritur in limo paleis largè admixtis, vt deſcendat, incorruptaque maneat ſicque fabeta faciunt. Si autem ſemel apprehenderit, perpetuò manet. Radix enim valida eſt, nec procul harundinum ſtirpibus, verùm ſpinis ſubhorrẽs. Quamobrem eam Crocodilus refugit, ne occurrens oculo offendatur, quoniam acutè non videt. Naſcitur hæc etiam in Syria, Ciliciáque. *hactenus Theophraſtus.*

Hanc ampliſſima emittere folia tradidit Plinius libro 21. cap. 15. vbi ſic inquit. In Ægypto nobiliſſima eſt Colocaſia, quam Cyamon vocant aliqui. Hanc à Nilo metunt : caule cùm coctus eſt araneoſo in mandendo : thyrſo autem, qui in folia emicat, ſpectabilis : foliis latiſſimis, etiam ſi ad arbores comparẽtur, ad ſimilitudinem eorũ, quę Perſonata in noſtris amnibus vocam⁹. Adcóque Nili ſui dotib⁹ gaudent, vt implexis Colocaſiæ foliis, in variam ſpeciem vaſorum potare gratiſſimum habeant. Seritur iam hæc in Italia. *hæc Plinius.*

Aegyptia Faba [ut Galenus autor eſt libro primo de alimentis.] ſicuti noſtratem magnitudine longè præcellit, ita & naturam humidiorem, magiſque excrementitiam ſortita eſt.

Colocaſiam quæ Aegyptiis *Culcas*, nemo floribus vel fructibus vnquam præditam vidit: vnde ſemper multùm miratus eſt Alpinus Dioſcor. Aegyptiam Fabam flores atque fructus ferre, & eam item Colocaſiam eſſe prodidiſſe. *Culca[s] Dioſc. Faba[...] ptia [...] Coloc[...]*

Arum Aegyptium, Ægyptiis hodierno die Colocaſia miſſa, Camer. hort. Viennâ, in alterum annum egregiè virebat, totaque planta acerrimi erat ſaporis.

Fabam Aegyptiam Matth. eandem cum Colocaſia vulgò dicta noſtro ſeculo non dubitamus eſſe, quamuis Matth. duas aſſerat diuerſas plantas. In Faba eius Aegyptia flores & ſemina ad deſcriptionem picta eſſe aſſerimus, donec nobis aliquis oſtendat plantam cum foliis Colocaſiæ vulgaris & cum ſimilibus floribus & ſeminibus.

Arum Aegyptium Geſner. horti eruditiores quidam, vt Guillandinus & Marantha eſſe docent, quod aliqui nuper pro Colocaſia habuerunt. Matthiolus hanc Fabam Aegyptiam exiſtimauit. *Aru[m] Ægyp[tium]*

Ari ſpeciem illam [ inquit Marantha ] quam Aegyptium Arum eruditiores appellant : Colocaſiam

caſiam bona pars materiæ medicæ Profeſſorum eſſe omni aſſeueratione affirmat, quæ cùm in Aegypto, nec non in Sicilia (vt audio) perfectiſſimè creſcat, omnéſque ſui partes compleat: in Italia tamen neque ſemen, neque florem, neque etiam caulem vnquam [quãuis diuerſis locis cõſita à multis ſit] vel certè raro proferre eſt viſa: hinc effectum eſt, vt eos multi acriter damnarẽt, qui illam eſſe Colocaſiam contenderent: niſi hoc ſolùm argumento, quòd hæc planta caulem non proferat [quod non loci ratione, vitióque, in quo hæc formatricem vim debiliſſimam habet, neque vlteriùs quàm ad folia ædenda extendi poteſt, ſed ſuapte natura euenire exiſtimabãt,) quaſi verò ſi caulem proferret, Faba Aegyptia dici debeat. Ergo hi rectè quidem [vt mea fert opinio] illos reprehendunt, vt qui in errorem delabantur: ſed non recta reprehenſione vtuntur: quando illa planta inter Ari ſpecies recenſenda omninò ſit: quod ex foliis & flore, quem nobis licuit videre, à Luca Ghino viro nobis inprimis chariſſimo, dum viueret, miſſum: qui, præter magnitudinem, nullam ab Ari flore diſſimilitudinem habebat.

Anguillar. qui Colocaſiam noſtram aſſerit Fabam Aegyptiam Theophraſti: eorum argumẽta refutat qui aliter ſentiunt: ridet aliquos qui attribuunt ſemini quæ Dioſcorides radici &c. De radice ſpinoſa aliter ſcribit quàm Bellonius Obſ. cuius verba hæc ſunt: Colocaſia in Creta & in Alexandria proueniens nominatur etiam Lotus & Faba Aegyptia. Perquiſiuimus cur Veteres vocarint Fabam Aegyptiam cùm nullas Fabas ferat. Erroris occaſionem inuenimus, nempe quòd Herodotus de duabus plantis locutus ſit ad Nilum prouenientibus, quarum vna radicem habebat rotundam quæ erat Colocaſia: Altera in capite quodam ferebat quiddam Oliuarũ nucleis ſimile: reliqui poſt eum authores alter alterius veſtigia ſequentes ad arbitrium deinde deſcripſerunt. Nam quod Theophraſt. radicem illi ſpinoſam tribuit, rem aliter ſe habere experiẽtia ipſa docet. Dioſc. Fabam Aegyptiam deſcribens Theophraſtum ferè ſecutus eſt, & vtrumq; interpretatur Plinius. Faceſſant, inquit, Cluſius qui Colocaſiam ſiue Fabam Aegyptiam eſſe negant, quia flore & fructu caret, ſed Arum Aegyptium eſſe cerebroſè & pertinaciter contendunt. Item apud Garciam: Inhame Luſitanis vocatur planta quædam ampliſſimis foliis, etſi nonnulli Arum Aegyptium eſſe cenſeant, Colocaſia potiùs nobis videtur.

Lobel. & Pena Adu. Fabam Græcam & Aegyptiam apprimè olim innotuiſſe Theophraſto & Dioſcoridi certum eſt. An vero ſit iſta quam Commentator ſibi perſuaſit, fides ſit penes Bizantiam picturam, quam ſubſannant aliqui. Nos flores (legendum folia) & bulbi, Aronis ſpeciem eſſe monuerunt. Et vtinam otium non defuiſſet Matthiolo, quum illi oſtẽdebatur vera Colocaſia, næ ille accuratiùs ſtirpem verbis expreſſiſſet. Lobel. Obſ. figuram habet hoc titulo, Colocaſiæ ſiue Fabæ Aegyptiæ ſpecies, Arum Aegyptium Dodon. & Recentiorum, Hiſp. *Manta de nueſtra Sennora*, Icon. Pl. p. 59. Teut. 706.

Hiſt. Lugd. Lotus Aegyptia Dodon. Bry fratres Ind. Orient. par. 4. Icon pag. 15. *Talaſſe*, Arum Aegyptium *Colcaz*.

Dodon. in fol. pag. 326. & pag. 563. eam ſub Aro Aegyptio & ſub Loto Aegyptia pingit & deſcribit, inquit C. Bauh. apud Matthiolum.

In Creta ad magnos riuos copioſam reperit Bellon. Colocaſiam ſponte ſine culturâ prouenientem. Aegyptii quotidie ferè veſcuntur radice Colocaſiæ, quæ per totam Aegyptum magni eſt reditus: nihil venalius, inter Gazaro & Rama: inuenit idem Colocaſiâ abundantem planitiem quam aquâ ex puteo rigabant. Et hæc quidem ſparſim traduntur à Bellonio. Apud Aegyptios non ſecus quàm noſtri (inquit Alpinus) Rapis, agri Colocaſiis pleni, ibi ſpectantur. Belgio ſatam hiemis ſæuitia deleuit. Frequens eſt multis Luſitaniæ locis circa riuos, ex Africa primum eò delata: vidit Cluſius etiam omnium maximam & ampliſſimis foliis Hiſpali in horto arcis Regiæ, vbique tamen & florem & fructum ferre negabant. Rauvvolf. qui illam toto anno venalem Tripoli Syriæ conſpexit, vt quâ incolæ frequenter veſcantur, & tanta copiâ in Halepo coli aſſerit, vt eius radice, non minor numerus hominum alatur, quàm in Germania rapis, licèt illis, & flauâ paſtinacâ non careant: addit in riuulis ſponte naſcentem obſeruaſſe, florem autem vel fructum nunquam vidiſſe. Nullis etiam blãditiis florem poſſe prolici tradit Lobelius. Colocaſia eſt nobis in horto Ill. E. C. Mouthelg. Stutgardiâ delata, quæ facilè ſe propagat, verùm Hieme reponenda.

*Florem ferre negatur.*

Aegyptii Culcas radices in iure coctas atque aliis multis modis in cibis paratas aſſiduè eſitãt, & eas tum crudas, tum coctas libentiſſ. Veneri indulgentes mandunt, quia putant tum ſemen multum gignere, tum libidinem prævalidè excitare, Alpinus. Per Luſitaniam valdè à mancipiis Aethiopibus experitur, eáque crudâ & coctâ veſcuntur.

Vires & Vſus

*Ad Venerẽ*

*Aquam coaceruans planta.*

Apud Siberos nationem Americanã inuenitur radix quæ ſupra terram eminens, ampliſſima habet folia, in quibus aqua continetur, non ſecus ac ſi in vaſe aliquo aſſeruaretur, vt emanare facilè non poſſit. Quin & ex radice dimidium ſæpè cantharum aquæ expreſſit, Benzo.

*Radices aquam reddentes.*

In regione Saboris reperit Vlr. Schmidel. de nauig. Amer. nõ paucis in locis radicẽ extra terrã protuberantem, quæ magna lata gerebat folia, aquâ referta, quam continent in tempus nec facilè effluit. Singulæ radices ſingulas ferè menſuras dimidiatas continebant.

Locus

## HETICH THEVETI. CAP. XXXII.



Hetich *radicis* craſſæ autore Theuero de Gallia Antarctica c. 53. duo reperiuntur genera: alterum coctura flaueſcit, mali Cydonii inſtar; alterum verò albeſcit: vtrique *folia* ſunt Maluacea: *ſemen* verò nullũ fert: quo fit vt ſylueſtres iſti Americani in taleolas diſciſſis radicib. & terræ denuò commiſſis propagent.

Deſcr.

Americano ſolo frequentes ſunt hæ radices. Non aliud ferè Americanis in vſum cibarium cedit: itaque æquè vulgaris illis ac nobis panis.

*Oetum Plinii.*
*Vingum.*

Hetich Americum, Oetum eſſe Plinii lib.21.c.15. putat Dalech. apud Hiſt. Lugd. pro quo apud Theoph. lib.1. hiſt. cap.11. mendoſè legit Vingum. Sic Plinius: Mandunt & Oetum, cui pauca folia minimáque, verùm radix magna. Theophr. verò Folia eius magna, germen breue, ϐραχὺς [non vt Gaza puſillum] radix longa, ſapore præſtanti cibo idonea, quæ pro fructu colligitur, cùm amnis in alueum redierit, eoque Deorum aras coronant. Quæ autem Theophr. folia ampla, Plinius pauca & minima dixit.

Robert. Conſt. in Theoph. vocem *Hetich* corruptam dicit à voce οἴτον Theophr. ac depingi in Americæ Obſ. quomodo deſcribit Theoph.

C. Bauh. Phyt. Rapum Americanum.

## FAALIM THEVETI HELENIO foliis ſimilis. CAP. XXXIII.



AVthore Theueto Helenio, foliis prę ſeſtim; ſimilis eſt herba quę *Faalim* vernaculâ linguâ nuncupatur in Mombaze inſula, quæ olerum optimorum & ſimplicium med. omnis generis feraciſſ. atque eorum potiſſ. quæ venenis ſerpentium omnium, quibus regio hæc abundat, aduerſantur. Huius herbæ experimentum ſe vidiſſe ait in duobus commorſis à ſerpente, partim in terra degente, quã illic *Alefah* vocant: cuius morſus adeò lethalis eſt, vt niſi ſtatim ſuccus huius herbę admoueatur neceſſe ſit hominem interire.

Hiſt. Lugd. Faalim Theuet.

## BATATAS. CAP. XXXIV.

TRia huius plantæ ſunt genera, quæ Bæticam peragrans obſeruabam (inquit Cluſius hiſt. poſter.) colore externo inter ſe differentia, etiam guſtus ſuauitate: nam aut cortex externus quodammodò rubeſcebat, ſiue purpuraſcens erat [& hoc genus præſtantiſſimum indicabatur,] aut palleſcebat, aut albus erat: ſingula tamen genera albam interiùs carnem habebant. Producunt autem illa Cucumeris ſilueſtris modo *ſarmenta* humi diffuſa, ſatis craſſa: ſucculenta, læuia, quibus inhærent *folia* vtcunque carnoſa, ex viridi caneſcentia, Ari foliis, ſeu potiùs Spinachii, haud diſſimilia: *florem* an *fructum* ferat, è nemine intelligere potui; *radice* autem fit ſatio: ea plerumque dodrantalis eſt, grandis raphani nonnunquã amplitudine, nam memini Londini me ineunte



anno 1591. recentes admodum, & optimi quidem generis emere, quarum vna libram & amplius pendebat, inæqualis, cui raræ & breues adnatæ ſunt veluti fibræ: binæ autem, ternæ, vel plures ex eodem ranquam capite dependent aliquando radices, Siſeris radicum inſtar, vel etiam ſingulares, imâ parte obtuſiores, deinde ſurſum progrediendo graciliores. *Deſcri*

In Hiſpania [Indiæ] inſula, vt Cardan. ſcribit, Batata folio eſt Hederę, radix admodum vtilis ſegetis loco: creſcit altitudine Erythrodani.

Anton. Pigafetta in lib. Nauig. *Battades* in Braſilii inſula.

M. Fumee in Hiſt. gen. Ind. Occiduæ, Batatas radices dulces.

Vt Lobelio Obſ. fidus Cluſius teſtis eſt, Batatas Hiſpanorum, ſiue Camotes, aut Amotes, foliis eſt ſcabris, & reptantibus, multis, Cumeris aſinini æmulis. Plant. Ic. p. 647. Batata Hiſpanorum, Camotes ſiue Amotes.

Quidam Igname putant eſſe Theoph. lib.1. hiſt. cap.11. τὸ ἀρακοειδὲς ſiue ἀράκῳ ὅμοιον, non, vt apud Plinium legitur, Aracos. Satis conuenit hiſt. radicis Theoph. niſi Theophraſtus ſcriberet folium non habere, neque foliis quicquam ſimile. *Arac. Cam. Amot. Ates,*

An Veteribus, inquit idem Lobelius, fuerit cognita hæc planta Cluſius hæret ac propterea nullum nomen Græcum aut Latinum addit: Hiſpani *Batatas*, *Camotes* etiam nonnulli, aut *Amotes*, quidam etiam *Ates* vocant, tametſi nonnihil, vt aiunt, inter ſe differant, ſitque *Batatas* radix longè tenerior & ſuauior. Qui plura de hac radice volet conſulat Scaligeri exerc. 181.

Nunc adeo frequentes ſunt in Hiſpaniis, inquit Manardus apud Cluſium, vt ſingulis annis è Velez-Malaga decem aut duodecim longæ naues, quas *Carauellas* appellant, iis onuſtæ Hiſpalim inuehantur. Seruntur verò aut minores integræ, aut maiores in fruſta conciſæ, ſolo benè culto, & in ſuos ſulcos ducto, fœliciterque naſcuntur: nã intra octauum menſem in eam craſſitudinem excreſcunt, vt edi, & in alios vſus parari poſſint. Ipſo verò Cluſio authore ſponte naſcitur in nouo Orbe, viciniſque Inſulis, vnde primùm in Hiſpaniam delatam ferunt: nunc in multis Bæticæ maritimis locis ſeritur, vel integra, vel in taleolas ſecta, principatum autem obtinet Malacæ nata, quæ & Gades & Hiſpalim, imò Vlyſſiponem etiam vſque deferri ſolet. Habuit is aliquoties in Belgio ſatis recentes, ſed quæ germinare noluerint, imò breui corruptæ ſint, frigidiore nimirum regione. Sed & quas Londini eruebat, diuturniore morâ [nam Viennam deferre volebat] antequam telluri committere poſſet, corruptæ ſunt. *Locus Batat. Hiſpa. frequent.*

Bata-

caſiam bona pars materiæ medicæ Profeſſorum eſſe omni aſſeueratione affirmat, quæ cùm in Aegypto, nec non in Sicilia ( vt audio ) perfectiſſimè creſcat, omnéſque ſui partes compleat: in Italia tamen neque ſemen, neque florem, neque etiam caulem vnquam [quãuis diuerſis locis cõſita à multis ſit] vel certè rarò proferre eſt viſa: hinc effectum eſt, vt eos multi acriter damnarẽt, qui illam eſſe Colocaſiam contenderent: niſi hoc ſolùm argumento, quòd hæc planta caulem non proferat [quod non loci ratione, vitióque, in quo hæc formatricem vim debiliſſimam habet, neque vlteriùs quàm ad folia ædenda extendi poteſt, ſed ſuapte natura euenire exiſtimabãt,) quaſi verò ſi caulem proferret, Faba Aegyptia dici debeat. Ergo hi rectè quidem [vt mea fert opinio ] illos reprehendunt, vt qui in errorem delabantur: ſed non rectè reprehenſione vtuntur: quando illa planta inter Ari ſpecies recenſenda omninò ſit: quod ex foliis & flore, quem nobis licuit videre, à Luca Ghino viro nobis inprimis chariſſimo, dum viueret, miſſum: qui, præter magnitudinem, nullam ab Ari flore diſſimilitudinem habebat.

Anguillar. qui Colocaſiam noſtram aſſerit Fabam Aegyptiam Theophraſti: eorum argumẽta refutat qui aliter ſentiunt: ridet aliquos qui attribuunt ſemini quæ Dioſcorides radici &c. De radice ſpinoſa aliter ſcribit quàm Bellonius Obſ. cuius verba hæc ſunt: Colocaſia in Creta & in Alexandria proueniens nominatur etiam Lotus & Faba Aegyptia. Perquiſiuimus cur Veteres vocarint Fabam Aegyptiam cùm nullas Fabas ferat. Erroris occaſionem inuenimus, nempe quòd Herodotus de duabus plantis locutus ſit ad Nilum prouenientibus, quarum vna radicem habebat rotundam quæ erat Colocaſia: Altera in capite quodam ferebat quiddam Oliuarũ nucleis ſimile: reliqui poſt eum authores alter alterius veſtigia ſequentes ad arbitrium deinde deſcripſerunt. Nam quod Theophraſt. radicem illi ſpinoſam tribuit, rem aliter ſe habere experiẽtia ipſa docet. Dioſc. Fabam Aegyptiam deſcribens Theophraſtum ferè ſecutus eſt, & vtrumq; interpretatur Plinius. Faceſſant, inquit, Cluſius qui Colocaſiam ſiue Fabam Aegyptiam eſſe negant, quia flore & fructu caret, ſed Arum Aegyptium eſſe cerebroſè & pertinaciter contendunt. Item apud Garciam: Inhame Luſitanis vocatur planta quædam ampliſſimis foliis, etſi nonnulli Arum Aegyptium eſſe cenſeant, Colocaſia potiùs nobis videtur.

Lobel. & Pena Adu. Fabam Græcam & Aegyptiam apprimè olim innotuiſſe Theophraſto & Dioſcoridi certum eſt. An vero ſit iſta quam Commentator ſibi perſuaſit, fides ſit penes Bizantiam picturam, quam ſubſannant aliqui. Nos flores ( legendum folia) & bulbi, Aronis ſpeciem eſſe monuerunt. Et vtinam otium non defuiſſet Matthiolo, quum illi oſtẽdebatur vera Colocaſia, næ ille accuratiùs ſtirpem verbis expreſſiſſet. Lobel. Obſ. figuram habet hoc titulo, Colocaſiæ ſiue Fabæ Aegyptiæ ſpecies, Arum Aegyptium Dodon. & Recentiorum, Hiſp. *Manta de nueſtra Sennora*, Icon. Pl. p. 59. Teut. 706.

Hiſt. Lugd. Lotus Aegyptia Dodon. Bry fratres Ind. Orient. par. 4. Icon pag. 15. *Talaſſe*, Arum Aegyptium *Colcac.*

Dodon. in fol. pag. 326. & pag. 563. eam ſub Aro Aegyptio & ſub Loto Aegyptia pingit & deſcribit, inquit C. Bauh. apud Matthiolum.

In Creta ad magnos riuos copioſam reperit Bellon. Colocaſiam ſpontè ſine culturâ prouenientem. Aegyptii quotidie ferè veſcuntur radice Colocaſiæ, quæ per totam Aegyptum magni eſt reditus: nihil venalius, inter Gazaro & Rama: inuenit idem Colocaſiâ abundantem planitiem quam aquâ ex puteo rigabant. Et hæc quidem ſparſim traduntur à Bellonio. Apud Aegyptios non ſecus quàm noſtri (inquit Alpinus) Rapis, agri Colocaſiis pleni, ibi ſpectantur. Belgio ſatam hiemis ſæuitia deleuit. Frequens eſt multis Luſitaniæ locis circa riuos, ex Africa primum eò delata: vidit Cluſius etiam omnium maximam & ampliſſimis foliis Hiſpali in horto arcis Regiæ, vbique tamen & florem & fructum ferre negabant. Rauvvolf. qui illam toto anno venalem Tripoli Syriæ conſpexit, vt quâ incolæ frequenter veſcantur, & tanta copiâ in Halepo coli aſſerit, vt eius radice, non minor numerus hominum alatur, quàm in Germania rapis, licèt illis, & flauâ paſtinacâ non careant: addit in riuulis ſpontè naſcentem obſeruaſſe, florem autem vel fructum nunquam vidiſſe. Nullis etiam blãditiis florem poſſe prolici tradit Lobelius. Colocaſia eſt nobis in horto Ill. E. C. Monthelg. Stutgardiâ delata, quæ facilè ſe propagat, verùm Hieme reponenda.

*Florem ferre negatur.*

Aegyptii Culcas radices in iure coctas atque aliis multis modis in cibis paratas aſſiduè eſitãt, & eas tum crudas, tum coctas libentiſſ. Veneri indulgentes mandunt, quia putant tum ſemen multum gignere, tum libidinem præualidè excitare, Alpinus. Per Luſitaniam valdè à mancipiis Aethiopibus expetitur, eáque crudâ & coctâ veſcuntur.

*Vires & Vſus*

*Ad Venerẽ*

### *Aquam coaceruans planta.*

Apud Siberos nationem Americanã inuenitur radix quæ ſupra terram eminens, ampliſſima habet folia, in quibus aqua continetur, non ſecus ac ſi in vaſe aliquo aſſeruaretur, vt emanare facilè non poſſit. Quin & ex radice dimidium ſæpè cantharum aquæ expreſſit, Benzo.

*Radices aquam reddentes.*

In regione Saboris reperit Vlr. Schmidel. de nauig. Amer. nõ paucis in locis radicẽ extra terrã protuberantem, quæ magna lata gerebat folia, aquâ referta, quam continent in tempus nec facilè effluit. Singulæ radices ſingulas fere menſuras dimidiatas continebant.

Locus

## HETICH THEVETI. CAP. XXXII.



HEtich *radicis* craſſæ autore Theueto de Gallia Antarctica c. 53. duo repериuntur genera: alterum coctura flaueſcit, mali Cydonii inſtar; alterum verò albeſcit: vtrique *folia* ſunt Maluacea: *ſemen* verò nullũ fert: quo fit vt ſylueſtres iſti Americani in taleolas diſciſſis radicib. & terræ denuò commiſſis propagent:

Deſcr.

Americano ſolo frequentes ſunt hæ radices. Non aliud ferè Americanis in vſum cibarium cedit: itaque æquè vulgaris illis ac nobis panis.

*Oetum Plinii.* *Vingum.*

Hetich Americum, Oetum eſſe Plinii lib. 21. c. 15. putat Dalech. apud Hiſt. Lugd. pro quo apud Theoph. lib. 1. hiſt. cap. 11. mendoſè legit Vingum. Sic Plinius: Mandunt & Oetum, cui pauca folia minimáque, verùm radix magna. Theophr. verò Folia eius magna, germen breue, βραχὺ [non vt Gaza puſillum] radix longa, ſapore præſtanti cibo idonea, quæ pro fructu colligitur, cùm amnis in alueum redierit, eoque Deorum aras coronant. Quæ autem Theophr. folia ampla, Plinius pauca & minima dixit.

Robert. Conſt. in Theoph. vocem *Hetich* corruptam dicit à voce οἶτον Theophr. ac depingi in Americæ Obſ. quomodo deſcribit Theoph.

C. Bauh. Phyt. Rapum Americanum.

## FAALIM THEVETI HELENIO foliis ſimilis. CAP. XXXIII.



AVthore Theueto Helenio, foliis præ ſertim; ſimilis eſt herba quæ *Faalim* vernaculâ linguâ nuncupatur in Mombaze inſula, quæ olerum optim[or]um & ſimplicium med. omnis generis feraciſſ. atque eorum potiſſ. quæ venenis ſerpentium omnium, quibus regio hæc abundat, aduerſantur. Huius herbæ experimentum ſe vidiſſe ait in duobus commorſis a ſerpente, partim in terra degente, quã illic *Alefah* vocant: cuius morſus adeò lethalis eſt, vt niſi ſtatim ſuccus huius herbæ admoueatur neceſſe ſit hominem interire.

Hiſt. Lugd. Faalim Theueti.

## BATATAS. CAP. XXXIV.

TRia huius plantæ ſunt genera, quæ Bæticam peragrans obſeruabam (inquit Cluſius hiſt. poſter.) colore externo inter ſe differentia, etiam guſtus ſuauitate: nam aut cortex externus quodammodò rubeſcebat, ſiue purpuraſcens erat [& hoc genus præſtantiſſimum iudicabatur,] aut palleſcebat, aut albus erat: ſingula tamen genera albam interiùs carnem habebant. Producunt autem illa Cucumeris ſilueſtris modo *ſarmenta* humi diffuſa, ſatis craſſa: ſucculenta, læuia, quibus inhærent *folia* vtcunque carnoſa, ex viridi caneſcentia, Ari foliis, ſeu potiùs Spinachii, haud diſſimilia: *florem* an *fructum* ferat, è nemine intelligere potui; *radice* autem fit ſatio: ea plerumque dodrantalis eſt, grandis raphani nonnunquã amplitudine, nam memini Londini me ineunte



anno 159.. recentes admodum, & optimi quidem generis emere, quarum vna libram & amplius pendebat, inæqualis, cui raræ & breues adnatæ ſunt veluti fibræ: binæ autem, ternæ, vel plures ex eodem tanquam capite dependent aliquando radices, Siſeris radicum inſtar, vel etiam ſingulares, imâ parte obtuſiores, deinde ſurſum progrediendo graciliores. Deſcr.

In Hiſpania [Indiæ] inſula, vt Cardan. ſcribit, Batata folio eſt Hederæ, radix admodum vtilis ſegetis loco: creſcit altitudine Erythrodani.

Anton. Pigafetta in lib. Nauig. *Battades* in Braſilii inſula.

M. Fumee in Hiſt. gen. Ind. Occiduæ, Batatas radices dulces.

Vt Lobelio Obſ. fidus Cluſius teſtis eſt, Batatas Hiſpanorum, ſiue Camotes, aut Amotes, foliis eſt ſcabris, & reptantibus, multis, Cumeris aſinini æmulis. Plant. Ic. p. 647. Batata Hiſpanorum, Camotes ſiue Amotes.

Quidam Igname putant eſſe Theoph. lib. 1. hiſt. cap. 11. τὸ ἀρακῶδες ſiue ἀράκῳ ὅμοιον, non, vt apud Plinium legitur, Aracos. Satis conuenit hiſt. radicis Theoph. niſi Theophraſtus ſcriberet folium non habere, neque foliis quicquam ſimile. *Aracos* *Cam.* *Amot.* *Aies.*

An Veteribus, inquit idem Lobelius, fuerit cognita hæc planta Cluſius hæret ac propterea nullum nomen Græcum aut Latinum addit: Hiſpani *Batatas*, *Camotes* etiam nonnulli, aut *Amotes*, quidam etiam *Aies* vocant, tametſi nonnihil, vt aiunt, inter ſe differant, ſitque *Batatas* radix longè tenerior & ſuauior, Qui plura de hac radice volet conſulat Scaligeri exerc. 181.

Nunc adeò frequentes ſunt in Hiſpaniis, inquit Manardus apud Cluſium, vt ſingulis annis è Velez-Malaga decem aut duodecim longæ naues, quas *Carauellas* appellant, iis onuſtæ Hiſpalim inuehantur. Seruntur verò aut minores integræ, aut maiores in fruſta conciſæ, ſolo benè culto, & in ſuos ſulcos ducto, fœliciterque naſcuntur: nã intra octauum menſem in eam craſſitudinem excreſcunt, vt edi, & in alios vſus parari poſſint. Ipſo verò Cluſio authore ſponte naſcitur in nouo Orbe, viciniſque Inſulis, vnde primùm in Hiſpaniam delatam ferunt: nunc in multis Bæticæ maritimis locis ſeritur, vel integra, vel in taleolas ſecta, principatum autem obtinet Malacæ nata, quæ & Gades & Hiſpalim, imò Vlyſſiponem etiam vſque deferri ſolet. Habuit is aliquoties in Belgio ſatis recentes, ſed quæ germinare noluerint, imò breui corruptæ ſint, frigidiore nimirum regione. Sed & quas Londini eruebat, diuturniore morâ [nam Viennam deferre volebat] antequam telluri committere poſſet, corruptæ ſunt. *Locus* *Batat.* *Hiſpa[nia]* *frequ[ens]*

Batatas in omnibus Indiæ prouinciis admodũ communes, cibum multi alimenti eſſe exiſtimat Monardes, mediæque veluti eſſe ſubſtantiæ inter carnes & fructus, flatulentas tamen: ſed aſſatæ flatus deponunt, præſertim ſi cum generoſo aliquo vino edantur: ex iis etiam fiunt Conſeruæ non minùs gratæ, quàm Cydoniorum carnes, morſelli, placentulæ, & alia edulia gratiſſimi ſaporis: idoneæ enim ſunt ad omnis generis Conſeruas conficiendas, & edulia. Temperatæ ſunt, & coctæ vel aſſæ ventrem emolliunt: at crudæ eſui non ſunt aptæ, quoniam admodum flatulentæ ſunt, difficiliſque digeſtionis. Eſtur, teſte Cluſio, ab ipſis incolis, aut cruda, aut cocta: nunc Hiſpanis etiam in deliciis, ob ſaporis gratiam & teneritatem, præſertim ſi ſub cineribus cocta, & exteriore tenello cortice repurgata, deinde in orbes conciſa ex pauxillo vino, ſtillatiíque roſatũ liquoris & Sacchari momento edatur. Sunt qui ex oleo & aceto, & ſale eſitẽt: nec deſũt qui radices recentes coctas & repurgatas Sacchara condiant, & in vſu m ſeruẽt. Sed & radix nõ cocta, dum corrumpi incipit, ſi cultro ſecetur, non ſecus roſam olet, quam ipſa Rhodia radix. Quocunque modo condiantur aſſæ vel elixæ, nulli cruſtulo, aut alio cuiuis edulio cedunt dulcoratã mollitie, cutis aliquantò tenacior, quàm tuberibus aut Napis. Comeduntur & crudæ, viridis caſtaneæ guſtum tum imitantes.

## BATATIS AFFINIS IGNAME ſiue Inhame.



Lectori non ingratum fore exiſtimauit Cluſius ſi Batatarũ hiſtoriæ, alterius cuiuſdam craſſæ radicis deſcriptionem ſubiiceret, quandoquidem Indiæ Occidentalis & inſularum quarundam incolis familiari in vſu eſt.

Variæ autem interdum eſt formæ radix illa, & *Igname*, ſiue *Inhame* appellatione ex D. Thomæ inſulâ, ſub Æquatore ſitâ, non procul à prouinciæ Manicongo continente, delata anno 1596. radices habuit, quarum nonnullæ pedalem aut ampliorem longitudinem æquabant, brachialem autem craſſitudinem, vel etiam quarum diameter eſſet quatuor vnciarum: pleræque dodrantalem longitudinem vix attingerent, nec earum diameter binas vncias excederet: aliquot etiam breuiores, ſed craſſas, & in aliquot quaſi breues napos infimâ parte protuberantes, tectas omnes ſcabro & inæquali cortice, vt Ariſtolochiæ longæ legitimæ radices, & multis exiguis fibris ſparſim naſcentibus præditas: ipſa radicis ſubſtantia alba, lenta, & ſucculenta eſt, atque veluti grumoſa, tenera tamen, nec ingrati ſaporis, exiguo autem pòſt momento nonnihil aſperi & acriuſculi: aſſa verò, tenerior eſt caſtaneâ, & pyri inſtar, cui grumoſa ſuſtantia, edulis. Qualem caulem, aut folia habeat, non intelligebat.

Extat figura apud Cluſium in poſt. Hiſt. duplex, titulo Inhame Luſitanorum, quarum minorem ponit Pl. Icon. pag. 647. ſub titulo *Ignames*, & ante eũ Lobel. & Pena Aduerſ. de eâ ita ſcribentes: Siſaro Anglico non parum accedere videntur Battades ſeu *Ignames* radices, quæ in Inſulis non procul nouo Orbe diſſitis, ſuapte ſponte oriuntur.



*Poſtades* vernaculè tum indigenæ, tum Hiſpani illic vocant, quibus hæ in patinâ & Veneris illicia frequẽtes veniunt: ſinguli bulbi, teretes, oblongi, Napum vtrinque obtuſum æquant, color pullus illis foris, albidus intus, ſapor gratus valdè & tener, quaſi Milii delicatioris, aut Fabæ freſæ, eóque guſtu inſulſæ ſunt niſi condiantur. Quæ de verbo ad verbum recitat Hiſt. Lugd. ſub Batatis Cluſii, neglectâ interim Lobelii & Penæ Aduerſ. mentione.

Pet. Aluares Nauig. Igname radix ex qua fit panis. Munſt. Coſm. de Noua Africa, Igname.

Diui Thomæ inſulanos eâ aſſâ & elixá veſci intelligebat Cluſius, eiúſque rei gratiâ Luſitani quidam, qui multos iſthic cùm viros, tum fœminas & pueros emerant, vt Vlyſſipone pro mancipiis venderent, iſtas radices in naues intulerãt, in miſerorum alimentum. Sale, aiunt Aduerſ. aceto & oleo interdum eduntur, & vino perfunduntur, nonnunquam coctæ prunis. Vires

### *Igname genus aliud.*

Accipiebam inquit Cluſius h. poſt. à Wilhelmo Parduyn radicem cum præcedenti *Igname* ſiue Inhame, ei nec forma, nec colore, nec magnitudine diſſimilem, quam *Igname* etiam vocabat Luſitanus, qui illam ipſi dabat, licèt aliud genus eſſe non inficiaretur: ſed totius radicis cortex magis inæqualis erat, & veluti quibuſdam tuberculis obſitus: è quibus tenues fibræ emergebant, præterea radix ſummo capite, paullò craſſioribus, duriſque, & pedalis ſiue palmaris longitudinis, fibris, ſeu veriùs viticulis, magna ex parte ſpinoſis, erat prædita. Nonnulli *Yeam Per*.

Conſiderent lectores quantùm differat à Manihot & Iucca de quibus mox.

## AGES.

### CAP. XXXV.

Agiũ ſpecies innumeræ ſunt apud Hiſpaniolæ incolas, quarum à foliis & floribus varietas dignoſcitur: harum ſpecies vna dicitur *Agiorum ſpecies.*

*Guanaguax.* *Guaraguei.* *Ages Zazauetos.* *Squiuetes.* *Tunna Hobos.* *Aribumeix.* *Guacaracca.*

*Guanaguax*, hæc eſt intus foriſque albida : alia *Guaraguei*, colorem habet violaceum foris, intus autem candidum, appellant alias Ages *Zazauetos*, hi rubeſcunt foris, intus candeſcunt, alias *Squiuetes*, intus foriſque albidi ſunt. Eſt *Tunna* vbique violaceus. *Hobos* flaueſcit pelle carnéque. Eſt alia dicta *Aribumeix* pelle, violacea, carne cãdidua. *Anguamar* cute violacea eſt, interiùs albeſcit. *Guaccaracca* pelle cãdeſcit, violaſcit carne. Sũt multa præterea, quæ nondum ad nos delata ſunt. Ages colunt in inſula Cuba. Magis pro ferculis aut fructibus vtuntur, quàm ad vſum conficiendi panis : vti noſtri rapis; raphanis, tuberibus, Napis, Paſtinacis. & huiuſcemodi rebus : Hanc Agium breuemHiſtoriam Pet. Martyr, lib. Ocean. pluribus in locis tradidit.

## MANIHOT THEVETI, IVCCA & Caſſaui.

### Cap. XXXVI.

*Deſcriptio.*



PAnis genus, vt tradit Benzo, habent Indi Occidentales, quod *Cazabi* vulgò appellant Id ex *Iucca conficitur*, radix eſt Napi craſſitudine, quæ nullũ ex ſe ſemen fundit, ſed cãnas tantùm quaſdam nodoſas & ſolidas, viridibus foliis, vt Cannabis.

*Gazabi.*

*Manihot.* Theuet. de Gallia Antarctica cap. 114. ſub Manihot, habet quædam de Arbore ſucco venenato, ex qua farina & panis fit, vt videre eſt ſub Arbore farinifera ſucci venenati.

*Yucca. panis.*

Leri hiſt. Amer. cap. 9. Manihot radix bona in farinam reducta & benè cocta, ſi aliter comedatur venenum eſt.

M. Fumee hiſt gen. Indiæ Orient. lib. 1. c. 28. In Hiſpaniola parant panem ex Yuccę radice, cuius venenatum ſuccum exprimunt. Item lib. 2. c. 71.

Yucca in Inſulis Cuba, Hayri, & aliis, cruda lethalis eſt, in Inſula S. Marthæ, ſalubris, comedunt crudam, roſtam & coctam.





Ex S. Dominici vrbe accepi [inquit Manard. ex verſ. Cluſ.] folia herbæ ex qua *Caſaui* fit. Caſaui autem panis eſt, quo Indi tot ſeculis vitam ſuſtentarunt & hodiè etiam veſcũtur noſtri Hiſpani : fit verò ex herba ab Indis *Yucca* nuncupata: cuius deſcriptionem, vires & noxas . pluribus proſequitur, vt & Gomara Hiſtor. gen. cap. 71. ſimilia propemodum cum Manardo de Yucca referens.

Communis inſulæ Canariæ incolis paſtus ſiue victus arborea radix quædam eſt [inquit Veſput.] quam in farinam ſatis bonam comminuunt. & hanc radicem quidam eorum *Yucca*, alii verò, *Ignami* vocitant.

Cæterùm multa dicuntur eſſe Iuccarũ genera. Vnam altero ſuauius, atque aliud alio pretioſius eſt, quo Regulis edulium paratur. Sunt quibus veſcuntur nobiles, ſunt & quibus populus.

Lugd. hiſt. duas habet figuras, vnam ex Theueto, nomine, Manihot qualem exhibemus : Alteram, nomine Yucca, de qua nihil præter figuram & nomen. Gerard. Anglus in ſua hiſtoria cum Yucca, vt vult Lobelius, confundit aliam plantam de qua mox.

Braſilianis frequens eſt hæc radix Manihot, totíque Americæ, inquit, Theuetus.

Radices, ait idem, Manihot Americani aut in mortario contundunt, tam ſiccas quàm virides, aut radula ex amplo arboris cortice, lapillis duris vndique obſita, vt nos dentatis laminulis ferreis Nuces myriſticas, in farinam redigunt, quam cribro excretam, adiecta aqua, igni ſuperpoſitam in vaſe calfaciunt, quoad Mannæ granatæ inſtar grumeſcat, cuius mirifica bonitas & nutriendi vis, potiſſimùm ſi ea recens fuerit : vtunturque vt nos pane, tam cum carnibus quàm cum piſcibus. Loc

FINIS LIBRI DECIMINONI.

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER VIGESIMVS.

### DE RAPVNCVLIS, CAMPANVLIS ET HIS AFFINIBVS.

*IAM de Rapunculis dixiſſe conueniet, ſi iuſtus ordo ſeruari debeat. Rapunculos dicimus, à radicum formâ, quibus, quia bulboſa nonnihil æmulantur, illis & ſubiungendos duximus. Habent & id ferè commune inter ſe Rapunculi, quòd Campanaceos flores, venuſtos ſanè tanquam arrham communis familiæ gerant.*

### RAPVNCVLVS VVLGARIS CAMPANVLATVS.

CAPVT. I.

ſcriptio

VERNIS acetariis expetitus Rapunculus vulgaris, *radice* minimi digiti ferè craſſitudine, Napi parui ſimilitudine, alba, dulci: *folia* ex oblongo per extremum rotunda, per terram ſparguntur, nonnihil inciſa, hirſuta: *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, hirſutus, lacteſcens, foliis veſtitus acutioribus, pediculorum expertibus: *flores* nolas imitantur, per oras laciniati, cærulei, quos *vaſcula* excipiunt oblonga.



ins

Tabern. Ic. & hiſt. Rapunculus, i. e. Rapüntzel. C. Bauh. Phyt. Rapunc. i. ſiue eſculentus. Item apud Matth. Rapunculus 4. ſiue eſculentus, fortè Rapum ſilv. Dioſc. & Plinij. Cæſalp. Rapunculus vulgò. In hoc genere videtur apud Plinium Iaſione ſeu Laſſine, vt quidam perperam legerunt, teſte Hermolao. Fuchſium manifeſto errore putare Rapum ſilv. eſſe Rapunculum vulgò dictum rectè annotant Matthiolus & Lacuna. Sed figura Matthioli nihil valet, nec per Gloſſatorem melior eſt repoſita. Camer. apud Matth. Rapunculi, Pes locuſtæ Auic.

Schvv. Cat. Sil. Rapunculus aruenſis. Rapum hortenſe, Germ. Rapüntzel vocatum, Tragus interpretatur, Siſer & Siſarum, de quo Columel. lib. 11. cap. 3. & Iacob. Manlius ſuper Theriacam Auic. qui quidem putet, & non malè, minimum Naporum genus. *Pes locuſtæ Siſer S. ſiſarum. Rapum ſilv.*

Geſner. de coll. ſtirp. Rapum ſilueſtre 3. flore Calathi cœruleo, die rädchen Rapüntzel. Item Rapum ſilv. Rapüntzeln, commune proceriſſimum. Idem de hort. ait eſſe Rapi ſilv. multa genera, quod tamen Dioſc. ſimpliciter ſic vocet videri ſibi id, quod Tigurini vulgò Rapunculum nominent.

Lobel. & Pena Adu. Rapuntium paruum, Rapulum vulgò, Pes Locuſtæ Auic. Lob. in Obſ. ſcribit quod albis floribus variet ſecus *Brugellette* Hannoniæ oppidulum.

Lonicer. hiſt. lib. 5. cap. 241. Rapüntzel, Rapunculum.

Dodon. Gall. picturam habet, ac ſcribit γογγύλη ἄγρια, Rapa ſylueſtris, Neotericis Rapontiũ, Rapunculum paruum: Gall. *Raiponce*: Ger. klein Rapüntzel. Belg. cleyne aut ghemeine Raponcelen. Et in Lat. de flor. Quintum genus Rapi ſylueſtris facit, ac vulgò Rapunculum nominari tradit, quaſi paruum Rapum. Anguill. *Raponcioli*. Fuchſ. Rapum ſilu. vulgò Rapunculus Germ. Rapoüntzeln. Gall. *Reſponce*, aut *Reponthon*. Cluſ. in Pann. & Hiſt. poſt. Rapunculus vocatur vulgaris. Brunfelſ. Tom. 2. p. 56. Raponcoli, ſine deſcriptione.

Rapunculus vulgò dictus, etiam ſi tum homi-

nibus ſub primum Ver ad eſum, cum aceto & oleo ac ſale, effodientibus: tum ſuibus, quibus gratiſſimus cibus eſt, eruentibus, rarò comperiatur ad eam altitudinem progreſſum, quam ipſi Dioſc. attribuit: & ſi perueniat, à paucis cognoſcatur, tamen à pleriſque verum & genuinum ſylueſtre Dioſc. rapum eſſe creditur. Nec nos (inquit Cornar. in Dioſc.) nunc refellere volumus, quum aliud quod pro eo oſtendamus, non habeamus. Rapunculus non reſpondet Rapo ſilu.

*Cornar not. & Fuch.* Dioſc. licèt crebrò & plerumque ad cubitalem altitudinem progrediatur, ac etiam excedat, quicquid dicat Cornarius. *Ruipontes* confundere Fuchſium cum Rapo ſilueſt. teſtatus eſt Lacuna. Eorum autem ſententiæ, qui putant Rapunculum, Rapum eſſe ſilueſtre Dioſc. repugnat Theophraſtus lib.7.c.6. de plant. hiſt. quippe qui ſilu. Rapum radice conſtare longa Raphani modo, breuique caule conſiſtere ſcribit.

Locus & tempus

Rapunculus paſſim prouenit etiam in Horto E.C. Montbelgardi, ac tota hyeme viuit. Geneuæ obſeruaui colligentes Februarii principio. Monſpelii florentem vidi Aprili & Baſileæ quà itur Moutets Octobri: vt & Patauii: Naſcitur in aruis non cultis, in collibus & pratis, quin etiam in hortis iam ſeritur, vt grandiores edat radices, Matth. Non modò hortis & ſatis familiare vbiuis, ſed etiam ſiluoſis & ſæpibus tum frigidarum tum calidarum regionum, Lobel. Inter ſegetes prouenit. In hortis etiam ad acetariorum vſum ſeritur. Æſtate floret & ſemine prægnat, Schvv.

Vires & vſus.

In caliditate & frigiditate [ait Matth. in Epit. Cam.] radix non longè abeſt à temperatis, imò nec in aliis qualitatibus. Eſitur cruda radix, ac pariter cocta in acetariis, quòd maximè guſtui placeat, & appetentiam excitet. Creditur quòd radix elixa, & cum longo Pipere deuorata, lactis vbertatem in nutricibus faciat. Radix, teſte Lobelio, candida, tenera, acetatiis Vernæ quadrageſimæ longè quàm Rapo aut Raphano delicatior. Lactis copiam augeri quædam nutrices elixa radice, ex Pipere ſumptâ exploratum habent. Montbelgardi & Geneuæ hyeme ſi non rigidior ſit, vt & Vere, non ſolùm radices in acetaria aſſumunt, ſed etiam folia.

---

## CAMPANVLA PARVA, ANGVILLARÆ Cantabrica.

Deſcriptio

CAmpanula, quam Anguillara facit Cantabricam, *radice* eſt alba, craſſiuſcula, modicè fibroſa, ſubdulci, à qua exeunt *cauliculi*, non ſurrecti, teretes, virides, aut ſubpurpurei, quorum *folia* primo ortu aliquatenus Violæ Martiæ primis minoribus foliis ſimilia, minora, ex ſemuncialibus & vncialibus pediculis, quæ mox laciniata fiunt Hederaceorum inſtar in latúmque magis proficiunt: at progreſſu temporis, ea potiſſimùm quæ ſuperiorem caulis partem obſident, formam multùm diſſimilem acquirunt, quantúmque iis de latitudine decedit, tantùm & plùs longitudine proficiunt, ſic vt duos digitos longa euadant, vix culmum interdum lata: denſo autem agmine caulem ſtipant, acrimonia nonnulla & amaritudine prædita.

Cluſius ſic deſcribit. Alunt etiam ſumma illa iuga præſertim in rupibus & præcipitiis, Campanulæ vel Rapunculi genus, cuius radicales fibræ valdè ſerpunt, & vicina loca occupant, ſubinde germinantes, & nouas ſtirpes procreantes: habent illæ initiò orbiculata ferè folia, deinde ſtatim alia anguſta confertim naſcentia, Caryophyllei ſecundo loco ſuprà deſcripti foliis adeò ſimilia, vt incautos plerumque fallat, qui interdum cum ſuo cæſpite eruunt, Caryophylleum collegiſſe exiſtimantes. Emergit deinde ex horum medio gracilis cauliculus, in multos tenues ramulos diuiſus, oblongioribus foliis, nullo ſeruato ordine naſcentibus, ſeptus: floſculos è ſingulis ramulis dependentes proferens Campanulæ, ſiue Rapunculi vulgaris floribus formà ſimiles, vel eleganti cæruleo colore præditos, vel ſaturato purpuræ colore, ſiue violaceo nitentes, vel dilutiore purpureo colore & quaſi cineraceo, conſpicuos, interdum etiam niueos:



capitula deinde Rapunculi vulgaris capitibus ſimilia, aut potiùs illi Campanulæ minori, quæ cùm in Belgica, tum pleriſque Germaniæ locis, ad agrorum, aut ſiluularũ margines, ſub fruticibus ſecundum profundiores & conuexas vias in vmbra prouenit. Floret Iulio, interdum etiam Auguſto. Tota etiam lacteſcit.

Campanula ſilueſtris minima ſiue 2. putari poſſet fortè Rapi ſilueſtris eſſe ſpecies, ſed quia radix edulis non eſt, ideò Dodonæo aliò referenda videtur. An eidem in hiſt. Gall. Campanula cærulea minor & ſylueſtris.

Cluſius Pannon. Campanula minor Alpina, vel Trachelii genus. In fol. Campanula minor Alpina rotundioribus imis foliis, capitulo Campanulæ minori quæ in Belgica & Germania eſt. Quam Campanulam ſecundo loco intelligat Cluſius nondum nos intelligere fatemur pro Campanula minore Alpina rotundioribus foliis.

C. Bauh. phytop. Campanula minor rotundifolia prima. Rapi ſylu genus minus quod Campanula cærulea Geſn. de hort. Campanula minor rotunda: aliis Phyteuma, aliis Cantabrica Plinii lib.25. cap.8. alii Rapi ſilueſtr. genus: floribus eſt communiter cœruleis, ſubinde candidis.

Cluſ. in poſt. hiſt. Iconem eandem proponit quam Lob. & Dodon. Schvven. etiam non facit diuerſam Cluſii Campanulam à Lobelii Campanula, quæ occaſio vt hoc capite ponam Cluſii deſcriptionem nec ſeparem, vt facit C. Bauhinus, donec quid rectius fuerimus edocti. *Phyteu. Cant.*

Schvv. Cat. Sil. Campanula minor rotundifolia Dod. Campanula ſilu. minima, Cluſ. Pann. Campanula minor Alpina.

Tabern. Rapunculus ſilu. minor 2. Kleine Milchglöchlin/ kleine Weiſſe Rapüntzcin: Tota lacteſcit. Item Campanula minor rotundifolia niueo flore, kleine weiſſe Milchglöcklin. *Rapun. ſilu. m.* *Albo f.*

An

An Gerard. Angl. Campanula rotundifolia, Roundt leafed Bollflower. Campanula minor alba. Little white Bollflower.

s & pus. Campanulam paruam quæ Anguillaræ dicitur Cantabrica, vidi Patauii in horto D. Cortuſii, Geneuæ ad radicem montis Saleuæ, incipientem folia producere in principio menſis Februarii. Baſileæ vltra Rhenum in ſylua quà itur Bintzo florentem adhuc Octobri, Lugduni cum flore Septembri. Montbelgardi paſſim in vrbe abundat in Arcis muris & portis, florens Iunio & Iulio. Menſe Auguſto obſeruauimus non longe à pago Cron redeundo Porentruo Campanulam paruam ſiue Cantabricam Anguill. cum flore albo.

*Campanula minor rotundifolia altera C. Bauhini.*

C. Bauh. Phyt. Campanula 6. minor rotundifolia altera. Cluſ. Campanula minor alpina: flos nunc purpureus aut violaceus, modò colore dilutiore & quaſi cinereo, interdum niueo. Cluſius in hiſt. poſt. in folio pro Campanula minore alpina habet iconem Lobelii & Dod. quæ occaſio vt Cluſii deſcriptionem reliquerimus capite præcedenti: Schvven. quoque non diuerſam facit plantam Campanulam Cluſii & Campanulam Lobelii, vt antè demonſtratum. Nos adhuc ignoramus quam plantam intelligat per ſuam 6. Campanulam, nec ſcimus de qua ſcribantur ſequentia, Schvv. Cat. Sil. Campanula minor nh. pratenſis Caſp. Bauh. Campanula minor. 2. wieſen glöcklin/Schhelcen. Hæc integra ſæpe tegit prata. Succus ex flore cæruleo expreſſus viridem efficit colorem.

*Campanula Linifolia cærulea, vel Rapunculus Campanulatus Linifolius.*

ptio Campanulæ tertiæ Linifoliæ cæruleæ C. Bauh. in phyt. ex *radice* tenui, emergunt *caules* quini, ſeni, plures, paucioréſque, palmares & ſeſquipalmares, graciles, rotundi, in ramulos non diuiſi, *foliis* oblongis, anguloſis, lino ſilv. ſimilibus, confuſo ordine infernè, at supernè ferè nullis, ſepti, *floſculi* è caulium ſummitate dependent, cærulei, Campanulæ formâ, quibus ſuccedunt *capitula* Rapunculo vulgari ſimilia. Hæc alunt potiſſimùm rupes & ſumma iuga montis waſſerfall/ vbi eam ante annos quatuor collegimus.

Rapunculus 7. ſiue Campanulatus linifolius Thalii, coliculos profert non admodum rectos ſed procumbentes, folioſos, brachiatos, adnatis refertos. Folia ei primò prodeuntia ſunt vncialia ferè, ſubrotundiora, in mucronem tamen producta, in ambitu leniter dentata, ſimilia foliis quibuſdam violæ tricoloris, quam vulgò Florem trinitatis vocant: cætera, quæ caulem frequenter ambiunt, longiora euadunt, ſed tamen ſtrictiora exiſtunt, lini foliis quodammodò affinia. Flores plures, cærulei, plicati, in ambitu diuiſi in hoc cernuntur. Vbiuis autem hæc ſpecies frequens eſt.

Schvv. Rapunculus ſilv. Campanulatus linifolius, kleine Rapuntzeln/ kleine Glöcklin/ Aſperis & petroſis oritur. Quantùm differat Campanula Linifolia à noſtra Campanula parua neſcimus, nobis quidem conſtat eam depoſitis prioribus foliis rotundis acquirere folia Lini & penè diuerſam videri. Rapunculum 7. ſeu Campanulati Thalii deſcriptio, non videtur malè quadrare noſtræ Campanulæ paruæ. Schvvenck. tamen diuerſum facit.



## CAMPANVLA FOLIO HEDERACEO, ſpecies Cantabrinæ Anguillaræ.



Deſcriptio. Tenella eſt plantula, *coliculis* tenuibus palmaribus aut ſeſquipalmaribus, ramoſis: per quos *folia* tenera, hilari virore perfuſa, Hederę vel Cymbalariæ, ſed quorum laciniæ ſint acuminatæ: *floſculus* pediculo fili inſtar tenui longiuſculo inſidet, vni vnicus, gracilis, oblongus, per ſummas oras laciniatus, cœruleus, cæteroqui pallidus.

Locus. A Fr. C. Bauh. accepi nomine Campanulæ Hederaceo folio: Gener Cherlerus ait ſe collegiſſe iuxta Aureliam in ſiluula paluſtri. Hanc ad nos (inquit C. Bauhin.) Lutetiâ Io. Henr. Cherlerus Philoſ. D. & nunc in Academia Nemauſana Philoſophiæ profeſſor, vnà cum pluribus aliis miſit.

## CAMPANVLA ROTVNDIFOLIA minima.

Deſcriptio. Campanulâ 7. ſiue rotundifolia minima C. Bauh. in phyt. herba eſt vix quatuor digitos alta, quæ ex *radice* exiguâ, oblongâ, albâ, *ramulos* profert aliquot exiguos ſubrubentes & ſubhirſutos, cortice aſpero veſtitos, quos ambiunt *foliola* ex rotunditate oblonga, ſerrata, rigidiuſcula, quorum inferiora latiora: cuilibet ramulo qui ſæpè vnus, plerumque terni vel quaterni, *floſculus* inſidet vnicus, ſubcæruleus, deorſum ſpectans, formâ calathi ex vno folio ſexangulo, cui *capitulum* foraminulis pertuſum, vt in Campanulâ anguſtifoliâ, ſuccedit, in quo *ſemen* minutum.

Hanc in Rhæticis montibus, cùm Italiam Anno 1577. peteremus, Septembri menſe, adhuc floribus onuſtam inter ſaxa copioſiſſ. vidimus, nec maiorem inuenimus, quam cùm Patauii Nobiliſſ. Iac. Antonio Cortuſo Patritio Pataüino oſtenderemus, Cantabricam Plinii nominauit.

## CAMPANVLA LINIFOLIA RARA, flore cæruleo.

Deſcriptio. Rara admodum videtur eſſe planta, *caule* eſt cubitali ſtriato, *foliis* non ita multis veſtito, tenuiſſimis & quouis gramine anguſtioribus, duas vncias longis, supernâ parte breuioribus temerè poſitis, quo loco prouenêre quædã propagines exoriuntur in minutiſſima foliola deſi-

nentes. In ſummo rami veſtigio *flores* ſurſum ſpectantes in vnum quaſi glomerem congeſti ſunt, Campanulæ planè ſimiles, in extremo diſſecti. cœrulei, vt ſicca Plateriana inſinuat, ipſeque Cl. D D.F.Platerus adſerit. Hos flores Calyculi foliacei minimi ſuſtinent.

## RAPVNCVLI GENVS FOLIO
ſerrato rotundiore.

Deſcriptio



COmplures ſtatim à *radice* tollit *caules*, cubito altiores, nonnihil anguloſos, ſubhirſutos, ſimplices, qubus ab imo ad ſummum adnaſcunrur alternatim *folia* nonnihil hirſuta, vncialia & ſeſcuncialia, ſemunciâ circiter lata, pauca vnciam attingunt, in acutum mucronem deſinentia, per ambitum ſerrata, obliquis venis à medio neruo in margines exporrectis. Summus ſcapus *flores* ex interuallis profert, Rapunculi vulgaris floribus ſimiles, calyculo exiguo pinnato perſimili, ex pediculis vncialibus & ſeſcuncialibus tenuibus. *Radix* alba Rapunculi vulgaris craſſitudine, multifida, longiuſcula.

Rapunculum vocaui plantam deſcriptam, vnde autem habuerim non recordor, ſimilis, ſi non eadem, Argentinæ 1599. Iulio ſicca per Dum. Agerium demonſtrata nomine Campanulæ propè Geſtin in Styria collectæ, in floribus ſiccis dicebat colorem fuiſſe dilurè cæruleum, piſtillus longus extra florem apparebat: Folia in principio caulium rotunda fere, ſatis profundè crenata, breuiſſimis & vix conſpicuis pilis obſita.

## ERINOS, ERINEOS, VEL ECHINOS
Veteribus & in genere.

Deſcriptio ἜρινΘ, quod aliqui Ocimodes [ὠκιμοειδὲς] alii Hydreron [ὑδρηρὸν] quaſi aquaticam herbam, Romani Ocimum [ὤκιμον] appellant, naſcitur, autore Dioſcoride apud fontes & fluuios, *foliis* Ocimi [ὠκύμοις ὅμοια] ſed minoribus (μικρότερα) Tragus putat legendum (μακρότερα,) parte ſummâ diuiſis: *ſurculis* quinis, ſeniſve dodrantalibus: *flore* candido, ſemine nigro & acerbo: folia & caules lacteo ſucco turgent (ita Ruell. quam lect. probat Matth. & Dalech. Cod. meus Baſil. & Pariſ. ὀποῦ δ᾽ μεστὸς ἐστὶν, liquore plenus:) Huius ſemen *Semen purgat.* drachmarum duarum pondere ad mellis cyathos quatuor ammixtum, ad oculorum fluxiones ſi- *Ad oculos.* ſtendas illinitur. At ſuccus aurium dolorem ſedat, *Ad aures.* cum ſulphure viuo & nitro inſtillatus.

Herba quoque quam Græci Erineon vocant, inquit Plinius, videtur reddenda in hoc loco [ poſt Caprificum ] propter gentilitatem. Palmum alta eſt, cauliculis quinis, ferè Ocimi ſimilitudine, flos candidus, ſemen nigrum, paruum: tritum cum melle Attico oculorum Epiphoris medetur [ duabus drachmis cum cyathis mellis Attici quatuor. Cumulatim decerpta: Hæc vetus lectio Com.] vtcunque autem decerpta manat lacte multo & dulci: herba perquàm vtilis aurium dolori, nitri exiguo addito. Folia reſiſtunt venenis.

Echinos acerba eſt & repellendi ac ſiccandi vi prædita, ait Galen. de ſimpl. & ex eo Paulus: *Echinos* qui præterea aquaticam eſſe ſcribit, cuius ſeminis drachmæ, cum mellis drachmis quatuor illitæ, oculorum fluxionem ſiſtant. Succuſque ad aurium dolorem faciat. *Ad ocu* *Ad au*

Paulus bis eandem proponit plantam vt monet Cornar. primò ex Dioſc. ſecundò ex Galeno: in eo, noſtro iudicio, demonſtrans ſibi non cognitam plantam: facili lapſu apud Galenum per Amanuenſes ſcriptum crediderim Echinos pro Erinos, quod non animaduertit Paulus, quanquam Matthiolus Ruell. & Maſſar. dicunt in venuſtis aliquot Dioſcor. codicibus legi Echinos: addit prætereà à Nicandro in antidotis Erinon inſcribi. Hinc non refragatus fuerim Io. Agricolæ, cui herb. Erinos eadem eſt, cum Echino, licèt Paulus diuerſas faciat. ἔρινον Dioſc. propter ſimilitudinem, poſt Ocimaſtrum deſcripſit. *Paulus* *Erinos dem c Echino* Sed quia lacte manat vt Caprificus, eodémque cenſetur nomine, ipſi ſubiunxit Plin. ipſamque Erineon vocans, ait eius folia venenis reſiſtere. Quod vt doctè Conſtant. in Lexico notat, ſumpſit ex Nicandri Theriacis. Quin Scholiaſt. ex Diocle ἐρῖνον καὶ ἐρινεὸν dici oſtendit. Galenus de Erino tacens, Echino omnia tribuit, vbi καὶ πρὸς ὦτα [ addendum χυλῷ] ἐρίνε & ἐρινεῦ & ἐχίνε voces, idem in hac herba exprimenda ſignificant.

Quæ Plinio Lactoris dicitur, quamque vulgò notam ſcribit, hæc & Lactaria & Anabula *Lactor Anabu* nunc dicitur. Eandem aut ſimilem aliqui volunt, illi quam Militarem vocant. Et licèt non *Milita* *Erinos* deſint, qui Dioſc. Erinon faciant, attamen Geſnero in catal. pl. congeneres non eædem videntur.

Eſt autem Erinos herba appellata Cordo in Dioſc. quòd Caprifici modo lacteum liquorem remittat, hodiè autem incognita eſt: quamuis Ruellius eam cognouiſſe videatur, qui hæc ſcribit. Eſt & apud Hippocratem Echini herbæ mentio. A Recentioribus Herbariis herba lactis appellatur, à quibuſdam Lactoris, & militatis, aliis Ocimum aquatile. Lactariam rura vocant, trientalibus ramulis, quinis, ſeniſve foliis, Ocimo longioribus, parte supernâ diuiſis, albo flore, ſemine atro, puſillo, acri, duro. Herba ſucco manat, lactis tum colore, tum dulcedine, vnde Lactariæ nomen apud vulgus inualuit. Secus fontes & fluuios inuenitur. Has inſuper ei vites præter eas, quas Dioſc. Plin. & Galenus Erino ſuo adſcribunt, aſſignat. Succus cum ſulphure, nitróque inſtillatur, diſcutit oculorum caligines, vomitionéſque ciet. Folia in cibo ſumpta pariendi præſtant facultatem. Vulnus ferro factum intra paucos dies impoſita ex oleo ſanant.

Cæterùm obſcurus eſt Dioſc. inquit Anguillara cap. de Erino, cùm ait ὀποῦ δ᾽ μεστὸς ἐστὶν ὁ καυλὸς καὶ τὰ πέταλα, an intelligat ſimpliciter ſucco plenum, aut ſucco lacteo: de Tithymalis ſolet dicere ὀποῦ μεστὸς λευκοῦ, quicquid ſit, nullam noui plantam quæ Erino reſpondeat. *Erinos*

Nunc quod reliquum eſt, Erini & Erinei nomen

men ſequentibus tribuitur plantis.

Matthioli Erinon volunt aliqui eſſe Hieracii ſpeciem, de qua nos agimus lib. 24. ſub Hieracii Sabaudi genere.

Dalechampius habet ſuum Erinum, quem hoc libro poſuimus inter Rapunculos.

Erinum quidam exiſtimant eſſe Eſulam ſiue Tithymalum dulcem, de qua l. 34.

Quærunt aliqui, an Noli me tangere ſit Erinos; de qua lib. 21.

Rapunculus dicitur Erinus Nicandri & Dioſcor.

Videntur aliqui exiſtimare Rapunculum comoſum eſſe Erinon.

Erinos Columnæ ad Rapunculos referenda, cùm eiuſdem Erini ſiue Rapunculi genere minimo, de quibus libro præſenti.

Credit C. Bauhinus Elatinem Polyſchidem H. Lugd. eandem cum Erino minimo Columnæ, verùm fallitur vt demonſtratum lib. 29. ſub titulo Alſine folio oblongo, hirſuto.

Erineon quidam putant eſſe Scrophulariam maximam radice fibroſa, de qua hiſt. l. 28.

Inter Dioſc. aſcriptitia Epimedio Erinei nomen tribuitur, Erineos pro Acino apud Plinium lib. 21. c. 15. quam Epitetron vocant, vt apud Dioſcor. Epimedium vbi Erineos, Fab. Columnæ, cui Epimedium eſt Lunaria minor botryoides. Vide de his hiſt. l. 35.

Erineos, Erinos, Erineon, Erinia, Frina de Caprifico, vnde Erinos herba nomen accepit, vide hiſt. l. 1.

## ERINOS MAIOR FAB. COLVMNÆ, Rapunculo affinis.

Deſcriptio



Radice conſtat carnoſa non magna, paruum Raphanum æquãte ad ſummum, candida, guſtu ſuaui, ex dulci acerba, acetariis expetita, lacteſcente, in medio, vel imo, parum extuberante, à qua *folia* exeunt primo Vere, Ocimi foliis ſimilia, minora verò, medii Ocimi foliis æqualia, per ambitum ſerrata, ſupernè hirſuta parum, atque viridia, infernè verò læuia, atque polita, albidioráque: *caules* poſtea ab radice emittit plures, ſecundum loci annique temperiem, pedales, vel maiores, anguloſos, hirſutos: quos folia abſque petiolis alternatim circumdant, longiora admodum, anguſtioraque, minuſque ſerrata, ita vt qui viderit plantam ſine caule, atque poſtea caule præditam, diuerſam abſque dubio eſſe cenſeat, niſi domi cultam obſeruauerit: folia quidem, quæ, antequam caules ederet, habebat terram tangentia, marcida euaneſcunt, nec in illa ampliùs inueniuntur. Ex foliorum alis *ramuli* exeunt, in quibus ſicut in caulibus *flores* Maio exeunt petiolis paruis hærentes, caui, quinque diuiſuris in extremo diſſecti, colore albicantes, & etiam purpuraſcentes, intus thyrſum habentes qui in tres curuas partes diuiditur: quibus ſiccatis florum baſis extuberat, quæ hirſuta eſt, & in quinque viridia foliola deſinit, *ſemen* perficiens Iunio & Iulio, fuſcum, minutum, compreſſum, guſtu acerbum, quod cùm perfectum & ſiccatum eſt, per baſis foramina quæ tunc peruia ſunt, decidit. Tota planta ex radice, ad florum calyces vſque lacte manat dulci, diſrupta. Tempus

In locis aquoſis, fluuiorum ripis, ac vallibus, ad fontes: & in Montium radicibus vbique frequentiſſima. Locus.

His igitur videtur, natali, loco, formâ foliorum, lactis copiâ & ſapore, quæ notæ priuatæ ſunt, delineationi Erini Antiquorum reſpondere.

## ERINOS FABII COLVMNÆ MINOR.

Deſcriptio.



Erini, ſiue Rapunculi minimum genus, noua eſt plantula atque pulchella ex D. Mariæ Virginis monte aduecta: quæ *radicẽ* habet paruam admodum, fibris diuiſam, teneram, atque Rapunculo ſiue Erino à me depicto ſimilem ſapore, lacteſcẽtemque: *folia* emittit parua admodũ, digiti longitudine, parũ hirſuta, oblonga latioraque in ſummo, & per extremum ſerrata raris diuiſuris, nam quæ proximiora ſunt radici octo dentes circum habere videntur; ſuperiora verò minùs, atque floribus hærentia binos, *caulem* emittit ab radice, ex ſingulis foliolis alis duiſum, ita vt fruticoſa videatur, anguloſum hirſutum, tenuem: *floſculos* edit Aprili menſe & Maio, inter folia, ex calyce parũ hirſuto, in quinque folia deſinente, vt in Rapuntio & Campanula pyramidali dicta viſitur, exeuntes, oblõgos, cauos, ſimiles Tracheliorũ flori, purpureos, intus apicem vel thyrſulum luteum in ſummo triplici diuiſura intortum, vt in congeneribus, continentes. *Semen* perficit Iunio, & Iulio, minutum admodum, fuſcum. Tota planta lacteo ſucco turget dulci, vti Rapuntium, ita vt gratus ſapor palato.

An Erinos Cæſalpini, qui in ædificiis naſcitur riguis, palmi altitudine ramoſa: foliolis breuibus anguloſis, vnguis latitudine, floſculos in alis fert, figura Rapunculi, exiles, ſubcandidos, aut purpuraſcentes: vaſculum paruum figura Rapunculi, in quo ſemen minutiſſimum, lacte madet dulci.

C. Bauh. phyt. Erinon Columnæ refert ad Alſinem, verùm ibi non reponendam capite de Alſine demonſtrabitur.

## AVICVLARIA SYLVII QVIBVSDAM.

Deſcriptio.



MOx è *radice* ſæpè plures fundit *caules* infirmos dodrantales & cubitales, *foliis* veſtitos mollibus, oblongis, per extremum rotundis, nonnihil ſerratis, criſpis: è quotū ſinu *flores* inconditi exeunt pulchri, purpureo violacei, quinque conſtantes foliis, quæ Occidente Sole in turbinatum apicem coëunt, apicibus in medio luteis, longis viridantibus foliis radiatim floris baſi circumpoſitis, quæ ſummum poſtmodum coronant faſtigium clauæ quadratæ vncialis quam delapſi flores relinquunt: *radix* ſingularis, tortuoſa, ligneſcit.

Lobel not. Dodonæus qui in hiſt. Gall. hanc noſtram præſentem plantam Onobrychin appellauit, ait de flor. tertiam quandam Campanulam humilem Anonymon non eſſe Onobrychin, quod quandoque ſuſpicatus fuerit ſatis conſtare. Et hinc patet, quàm malè Lobel. Obſ. ſequutæ ſint Dodonæum, vocando eius & Belgarum Onobrychin alteram. Geſner. de col. ſtirp. ſanè melius inſcribit Auiculariam Sylui, Violam quandam anonymon. Iac. Theod. Icon. par. 2. p. 304. dicitur, Viola aruenſis Fraûwen ſpiegel: Item p. 316. Pentagonion, Viola pentagonio fünffeckte Veyeln. Duas habet figuras vnius plantæ, prior mala, ſecunda bona, non debebat ſeparare.

*Iac. Theod. not*

*Hiſt. Lugd. not* Malè etiam ab Hiſt. Lugd. Onobrichidis primæ Dodonæi nomine exhibetur.

Locus & Tempus. Audiui qui vocarent Auiculariam Sylui, herbam cubitalem, cui flores pulcherrimi anguloſi, violacei, folia parua, ſubrotunda, mollia. Copioſè in ſegetibus prouenit, Monſpelii vidi florentem Maio, Baſileæ Iunio & Iulio: in agris inter Baſileam & Hagene: Fr. C. Bauhinus obſeruauit inter ſegetes propè S. Iacobum. Geneuæ habebam in horto pulchrè virentem menſe Aprili, florentem Maio & Iunio. Patauii obſeruaui primò orientem inter ſegetes medio Februario. Attuli Argentina ſemen datum à D. Friderico Meier ſeminandum Montbelgardi in horto E. C. quod ſatum Martio, prouenit & floruit Iunio. *Maſſa ferrata* Cortuſo in agro Patauino, aſſerente D. Ranzio Medico apud Fontem admirabilem.

*Maſſa Ferrata.*

## TRACHELIVM MINVS MVLTIS.

Deſcriptio. TRachelus, τράχηλος à Græcis appellatur collum, atque adeò tota ſpina à vertice vſque ad os ſacrum, παρὰ τῆς τραχύτητος, hoc eſt, ab aſperitate: quæ nominis ratio & huic plantæ conuenire poteſt: niſi ob dotes nonnullas quibus Trachelo profieua ſit, Trachelium dicenda videatur.

*Rapum Vuular.* Trachelio autem minori *radix* ſapore grato, *caulis* ramoſus, hirſutus, ſed tenuis, breuior, *folia* breuiora, anguſtiora, crenata, hirſuta parum, *flores* in ramulorum extremis, ſimul multi confertim, pulchelli, cærulei aut violacei, tanquam Campanulæ, oris in quinque lacinias diſpertitis.

Geſner. de hortis ait, Ex Rapi ſylu. generibus eſſe Vuularias quibuſdam dictas in pratis naſcentes.

Dodon. lat. de flor. & in fol. ſcribit, Rapi ſylu. tertium genus plæriſque Ceruicariam minorem dici. Gall. autem Tracheliū minus, *Petite Gantelée* vocat.

Trag. Ceruicaria & Vuularia exigua, Zapffenkraût/halßkraût.

*Ceruic. exig. Vuularia m.* Lobel. & Pena Adu. Trachelium minus ſiue Ceruicaria minor, cui folia aſpera Rapuntii aut Saluiæ, piloſa: flores denſi, pulcelli. Obſeru. Trachelium minus. Adu. p. 139. Trachelii varietates, Paſſim iſtud etiam aſperis ſaxoſis Angliæ & Gallobelgii ſiluoſis fruticat: ſed ſtrigoſius, hilari minùs & amœno aſpectu: alioqui perſimile & congener. Item Trachelium minus. Radice fibroſa purpurantibus floribus ſtipatur, alioqui *Trachel. minus* cæteris haud ſimile. Icon. Pl. p. 326. Trachelium minus Lob. 176. Teut. 400. Lobel. nobis obſcurus videtur. Iconem habet Trachelii minoris ramoſi, qualem habet Dod. & Cluſius.

*Lobel not.* Camer. Icon p. 8. Rapunculus ſilu. vmbellatus p. 94. [ videlicet apud Thalyum, ] cuius tres differentias depinxit congeneres iis quas author [ Thalius ] deſcripſit, quamuis non eaſdem. Quarum vna, nempe elatior ſignata 1. reſponder iconi à nobis propoſitæ, quæ eſt ex iis quas eminimus iam ſculptas.

*Rapun. ſilu. vmbellatus* Tabern. hiſt. & icon. Steingenſel/Symphytum petræum. 1. Conſolida petræa prima.

Thal. Harcyn. Ceruicaria minor Dod.

Cluſ. in fol. lib. 5. cap. 55. Ceruicaria Sphærocephalos. Trachelij genus floribus ſummo caulis & ramorum faſtigio confertim, & quaſi pilæ inſtar, in orbem naſcentibus, cuius etiam ſecundum genus eſt paulò minus, flores ſingulares per caulem ſparſos habens, præter ſphæras illas ſummo caulis faſtigio innaſcentes.

*Symph. petræa. Conſol. petræa ma. Ceruic. minor. Ceruic. ſphærocephalos*

C. Bauh. phyt. Campanula 13. ſiue pratenſis.

Schvv. Trachelium minus pratenſe vmbellatum, Ceruicaria minor, klein halßkraût.

*Campanula pratenſis. Trachel. minus* Abundat paſſim in pratis Montbelgardi, etiam in horto Ill. E. C. ſponiè, vbi copioſè floret Iunio, Septembri & Octobri, Baſileæ quoque & Geneuæ obſeruaui. Argentinæ vidi in horto D. Frid. Meier, Iulio florens, flore purpureo cinereo & albo. Trachelio minori iidem natales [cum maiore Lobelii] (qualidorum marginum & montium pratorum Germaniæ & Angliæ ſunt. Ceruicaria minor Dod. Thalio paſſim locis apricis maximè. In Sileſiæ agris & pratis aridioribus frequentem ſcribit Schvv.

*Locus tempus*

*Vſus.* Trachelii minoris folia Rapuntii ſapore primo Vere acetariis etiam adduntur, Lob.

TRA-

TRACHELIVM RAMOSVM FLORIBVS pleriſque ſingularibus.



Eſt nobis neſcimus vnde planta ſicca, ex Tracheliorum minorum genere ſpecioſa: *radix* craſſiuſcula, vncias quatuor longa parum fibroſa: *folia* ad radicem multa ex breuibus pediculis vnciam vnam vel duas longa, mediam lata: *caulis* hirſutus pedales in ramos diuiſus, qui deſinunt in folia breuia, lata, ex quorum medio oriuntur magnæ Campanæ purpureæ, plerumque ſingulares.

TRACHELII MINORIS SPECIES DVÆ, ſiue Rapunculus ſilu. vmbellatus maior & minor Thalio.

Lacteo eſt ſucco, ſicut reliquæ Rapunculorum ſpecies. Duplex verò reperitur: maior, quæ rariùs obuiam fit, ex vna *radice* numeroſiſſimos profert *coliculos*, tenues, teretes, ſcabros, hiſpidos, ſeſquipedales, foliis plurimis, oblongiuſculis, anguſtis, fimbriatis, ac hiſpidis præditos, in vmbella parua *flores* cœruleos continentes: *ſemine* fuluente exiguo. Minor ſpecies locis aridioribus ac Soli expoſitis, maximè verò arenoſis frequentior eſt, foliis & caulibus breuioribus, vt & vmbella ſua cœrulea.

Thal. Harc. Rapunculus ſilu. cœruleus vmbellatus maior & minor.

C. Bauh. phyt. Rapunc. 5. ſiue vmbel. latifol. Thalio, Rapunculus ſilu. cœruleus vmbellatus minor. Camerario Hort. Icon. 8. Rapunculus 6. ſiue vmbellatus anguſtifolius Thalyo. Rapunculus ſilu. cœruleus vmbellatus maior.

Schvv. Rapunculus ſilu. cœruleus vmbellatus anguſtifolius, quem C. Bauh. Nabelicht walde Rapuntzel vocat, dicitque Auguſto flores ferre in montanis receſſibus ad Quiſſum fluuium. Quæ ſit hæc planta nobis nondum conſtat: Germanicæ linguæ periti conſiderent an vmbellatus bene dicatur Germ. Nabalicht.

TRACHELIVM MINVS ALBVM.

Obſeruabam anno 1596. Auguſto menſe in cultiſſ. horto Domini Friderici Meier, Trachelium minus *floribus* albis non magnis, multis ſimul in extremitate *caulis*, cubitalis, læuis: *foliis* longo pediculo vncias tres longis, duos latis, non in acumen deſinentibus, vt cæterorum Tracheliorum, ſerratis, vix aſperis, glabris.

Hoc ex ſicca deſcribimus. Idem verò ſuſpicor



fuiſſe quod anno 1600. adhuc florens Septembri obſeruaui in prædicti horto; cuius flores albi vbi exſiccati ſubcœruleum colorem acquiſiuerun.

TRACHELIVM ALTISSIMVM HIRSVTVM ASPERIVS, FOLIIS ANGVſtis, floribus paruis.



Radice craſſa nititur & ſubdulci, *caulem* erigit bicubitalem vel tricubitalem, craſſiuſculum, hirſutum: foliis ornatum anguſtis, longis, ad Echii folia accedentibus, aſperis: *flores* confertim conglomerantur, vt in Trachelio minore, campanulati, ſed minores, cùm tamen planta maior.

Hoc Trachelii genus inuenimus 1592. menſe Iunio florens, inter Sultz Alſatiæ & Zenne vrbes, attuli plantandum in hortum Ill. E. C. Montbelgardi.

TRACHELIVM MAIVS PETRÆVM.

A *radice* lignoſa, & rugoſa colore pallido purpuraſcente exeunt *cauliculi* multi ſtriati, ſubhirſuti, cubitales, & cum rubore virides, qui inordinatè emittunt *folia* oblonga, crenata, nigricantia, ſuâ pariter hirſutie communita, parte pronâ potiſſimùm, vbi etiam albicant, & Saluiæ folia referunt, magis tamen anguſta & mucronata, inter quæ paruula quædam foliola prodeunt: in ſummo caule ſunt *flores* multi aceruatim congeſti, quemadmodum in vmbellata Ceruicaria Penæ: & inferiùs ex eodem *globuli* quidam, at minori numero, & inferiùs magis inter caulem, & folia, alii, & adhuc pauciores, formam repræſentant illorum iam dictæ Ceruicariæ, ſed minores, albi, & in quinque, & quandoque



ſeptem mucronatas ſciſſuras diuiſi: è quorũ centro multa exeunt *ſtamina* ſublutea, quorũ vnum modo Proboſcidis egreditur, verſus cacumen ſatis craſſum, quod dum maturatur bifurcatum & aduncatum euadit: decedente Auguſto florens conſpicitur atque talis per plures dies cõſeruatur. Vnde Pona hactenus ſemen minimè obſeruare potuit: inter rimas illorum aſperrimorum lapidum Baldi, ſolùm circa Coronæ Templum pullulat.

Vires & vſus. Trachelium hoc non acre, non amarum, ſed tantùm adſtringens eſſe ſenſu dignoſcitur, multoque magis ipſa Ceruicaria.

## TRACHELIO MAIORI PETRÆO
Ponæ ſimile, ſi non idem.



Deſcriptio. NOua hæc nec hactenus nobis viſa planta *caulem* ſurrigit [ vt in ſicca quam habemus appatet] cubitalem aut altiorem, craſſum, firmum, lignoſum, incano tomento pubeſcentem, in ramos nullo ordine diuaricatum: *foliis* alterno ſitu veſtitum crenatis, itidem tomentoſis, ſed magis parte aduerſâ quæ & incana. Ipſa porrò cauli hærentia folia quædam vncialia, longiora etiam, ſemunciam ferè lata, quædam breuiora, præſertim & anguſtiora quæ in ſummo conſtituta. Quæ verò ramis hærent prædictis multis numeris minora, ramorum ſummitatem florum occupat glomer denſus atque craſſus, colore in ſicca non ſatis apparente, facie quodammodò florum Petaſites, è quibus ſtamina emicant prælonga, & quantùm conijcere licet, nullus maniſeſtus nec odor neque ſapor.

Hanc plantam accepimus à Fratre C. Bauhino nomine Criſtæ Galli Recentiorum ex monte Baldo: Longè tamen diuerſa eſt à Criſtis Galli quia Campanulas fert, vt primùm animaduertimus 1609. ex pulchra planta Veronâ miſſâ per inſignem Botanicum & Pharmacopœum Petrũ Ponam. Nos quidem tenemus eſſe idem cum Trachelio maiori petræo Ponæ, qui in monte Baldo eius iconem propoſuit minùs artificioſam, nam in ea pro foliorum crenis longi pinguntur pili.

## TRACHELIVM TRAGOPOGI
folio montanum Fab. Columnæ.



Deſcr. NOn è florum forma, natali loco, annique tantùm tempore quo floret, ſed & lactis copiâ, ſubſtantiâ foliorum, & ſapore totius plantæ, Tracheliorum varietati, ſic à Recentioribus, quia tracheæ locisque vicinis medeãtur, vt dictum, appellatarum, reddenda eſt hęc noua planta, in D.M. Virginis Monte, ſic vulgò dicto, exoriens. Locus.

*Radicem* quidem habet craſſiuſculam albidam lacteſcentem, & ex ea plures propagines habentes *folia* anguſta, longa, duriuſcula, Croci aut Tragopogi formâ, & magnitudine. Veris fine *caules* pedales edentes ſubrubentes, atque hirſutos, quibus *folia* alternatim, raráque hærent, in quorum ſummo ſex aut ſeptem ſimul *flores* purpurei Nolæ forma, Trachelii vulgaris modo, ex baſibus ſingulis quinque foliolis viridibus conſtructis, exeunt: *fructus* atque *ſemina* Trachelio etiam ſimilia Aeſtate perficit. *Radix* perennis eſt, atque dulcis, eſui apta, ſicuti vulgare Trachelium, & Rapuntium.

Cluſ. in fol. Trachelij genus elegans obſeruatum à Fab. Columna.

## TRACHELIVM SIVE VIOLA
Calathiana Herb. Angl.



CVr nulla præſentis plantæ deſcriptio à nobis adferatur, ratio eſt quòd ad herbã icone expreſſam, eam temerè more aliorũ effingere noluimus. Siquidem nec viua in noſtrũ conſpectum vnquã venerit, nec nos, quod equidem ingenuè fatemur, linguã Anglicanã quã à Gerardo pag. 365. deſcribitur, calleamus, nec quiſpiam alius præter eum, Trachelium hoc delinearit. Vocat autem hanc Violam Calathianam, Angl. The true Calathian Violet.

CAM-

## CAMPANVLA LYCHNIDEA.



RAdice fibrata eſt, palmum longa, nigricans, neruum intus habens, in profundum acta, ſapore dulci cum adſtrictione. Ex ea *ramulos* fundit multos, rotundos, villoſos, incanos, vix palmum excedentes, in quibus *folia* anguſta, piloſa, incana, per cauliculos incerto ordine diſtributa, leuiter adſtringentia: in ſummo caulium vertice *flores* exeunt Campanelię ſimiles, quales in conuoluulo, rotundi, ex candido nonnihil purpurei.

Lychnidis ſpeciem, Myconus appellauit, à foliorum figura, & florum quadam ſimilitudine: quanquam non tam calida ſit, ac reliquæ Lychnides à Dioſc. & Galeno traditę.

H. Lugd. Lychnidis ſilv. ſpecies Myconi.

C. Bauh. Phyt. Lychnis 14. ſiue ſilv. Campanulæ flore.

In montibus & locis maximè ſiccis prouenire Myconus ait, nec alibi à ſe viſam quàm in montibus D. Mariæ à Monteſerrato. Floret Maio menſe.

## CAMPANVLA ANGVSTIFOLIA cærulea & alba.

PRocera eſt ad cubitos duos, *caule* anguloſo, rigido, ex atro virore ſplendente: *folia* ſtricta, non multùm culmo latiora, palmo longiora, rigida, leuiter denticulata, proximè cauli alternatim adnaſcuntur, éque eorum alis pediculi prodeunt, vnum, duos, aut plures *flores* ſuſtinentes, Campanæ vel Calathi figura, vt in Rapuntio, ſed magis patulos, in quinque acutiores lacinias dehiſcentes, colore plurimùm cæruleo, rariùs albo, à picibus concoloribus: ſuccedunt capitula, tribus foraminibus pertuſa, ſupra vmbilicum ſeſe tollentibus quinque foliolis. *Radix* quàm Rapuntio mi-





nor, magis fibroſa tortuoſaque. An Theophr. l. 1. hiſt. pl. c. 21. Iaſone. An Plin. l. 21. c. 22. Iaſone. olus.

Autore Geſnero hort. Germanis quibuſdam inferioribus, Campanula cærulea, quā Coudenberbius Rapi ſilv. quod Rapunculum vulgò dicunt, ſpeciem minorem facit, eamque hortenſem, *Belle videre*, ſiue *Beluedere*, vocatur. *Belle videre.*

Non deſunt, annotante Matthiolo, boni Simpliciſtæ qui volunt plantam cuius figuram exhibet, eſſe verum Phyteuma: qua de re tamen adhuc aliis iudicium relinquit. Figura Matthioli depicta eſt ad ſiccam herbam. *Phyteuma.*

Campanulam cæruleam ſatiuam Dod. in hiſt. Gall. vocat, Germ. Blaw Clocken: lib. de flor. & in fol. Campanulam hortenſem maiorem, eoque nomine depingit: dicens: ſilueſtrium Raporum ſpecies vulgò Campanula nominatur, plæriſque *Beluidere.* Matthiolus Phyteuma eſſe exiſtimat, ei tamen Iaſione Theophr. & Plinii ſimilior videtur. Non ſanxit autem Matthiolus Campanulam horrenſem eſſe Phyteuma, vt Lob. & Pena aſſerunt his verbis. Noſtrates Campanulæ duæ hortenſes, Perſicifoliæ, lacticinoſæ, flore volubilis: eis nolæ, cæruleæ, albidæ: Putantur meritò Theophraſti Iaſione, capitula inſunt foraminulis peruia, quod impoſuit Commentatori, qui idcirco putauit & ſanxit Phyteuma. *Lobel & Pen. not.* *Matth. not.*

Cluſ. hiſt. poſt. Campanula Perſicæ [ Mali ] folio nunc cœruleum, modò album florem proferens, alibi verò Campanula anguſtifolia, ſiue Matthioli Phyteuma.

Tabern. Icon. & hiſt. Campanula anguſtifolia klein glöcklein. An eidem Icon. & Hiſt. Rapunculus 6. nemoroſus 2. waldt Rapüntzel. Item Rapunculus 7. nemoroſus 3. waldt Rapüntzel.

Gerard. p. 367. Campaula Perſiciflora peach leafed Bellflower. Item Campanula lutea liniſolia yello w Bellflower. Falſus hic titulus pro Rapunculo nemoroſo 3. Tabern. cuius icon à Gerardo proponitur.

An C.B. phyt. Rapunculus 8. ſiue nemoroſus folio oblōgo crenato, Tab. Nemor. 2. Rapūculus 9. ſiue nemor. breui folio crenato Tab. Nemor. 3. Huius aliquot ſpecies obſeruare licet, vt & Thalius in ſua Harcynia monet, huc enim eius ſecundus, quartus & quintus pertinent. Rapunculus 10. ſiue anguſtifolius non crenatus, Thalyo campanulatus neriifolius 2. Item Campanula anguſtifolia, Lobelio Perſicifolia.

Rapunculis annumero, ait Thalius, ſtirpes illas lacteo ſucco præditas, ac Rapunculorum modo oblongioribus & lacteſcentibus radicibus, ſupernè protuberantibus conſtantes, & Campanulatos flores edentes, vnde Campanularum nomine communiter Herbariis vocatę veniunt: quibus omnibus folia ſunt Nerio ſimilia, lon-

giora ac latiora in quibuſdam ſpeciebus, in quibuſdam etiam breuiora ac anguſtiora. Hincque eas rapunculos νηριοφύλλους appellant. Harum aliquot ſpecies facilè admodum induſtriore herbariæ perſcrutatori patebunt, Ego verò recenſebo hîc tot, quot illo in genere hactenus per Hercyniam noſtram mihi obſeruare licuit. Rapunculus ergo Campanulatus Neriifolius *primus* caulem habet ſeſquipedalem, teretem, parum ſtriatum, inter folia adnata quædam ſeu brachiola explicatum: *folia* autem Nerii quincunciali longitudine, vncialique fermè latitudine: *florem* Campanulatum, cœruleum, in ambitu orificii parum diſſectum. Secundus folia obtinet priori crebriora, paulóque anguſtiora, longioráque multò, vtpote dodrantalia: caulem item craſſiorem: florem priori maiorem. *Tertius* & ipſe quoque folia exhibet anguſtiora, ſecundo tamen breuiora: flores verò ampliores maioréſque, Cymbali alicuius patentioris in modum, in extremis oris diuiſos. *Quartus* caulibus breuioribus, foliis item minoribus, quorum ea quæ radici propinquiora ſunt, vnciarum fermè trium ſunt longitudinis, dimidiæ autem latitudinis: quæ verò per reliquum caulis conſpiciuntur, iis breuiora ſunt: floribus eſt autem admodum patentibus repandiſque, ſed tertii minoribus. *Quintò* caulis eſt pedalis, pauló ve procerior, aſper, non admodum folioſus: folia verò ſunt nigriora, vncias quatuor, aut quinque longa, vnam verò penè lata: flores cymbalares, minores, apert, ventre tamen eius non in rotundam cauitatem expanſo, vt in illarum ſpecierum floribus, quas iam recenſui, videre eſt, ſed plicato. *Sextus* Rapunculus Campanulatus aut Neriifolius minor, caules erigit pedales, angulos, ſcabros: folia eius, ea videlicet, quæ radici proxima ſunt, vnciarum quatuor longitudinem aſſequuntur, vnius verò latitudinem: reliqua quæ cauli appenduntur, triuncialia ſunt, & breuiora etiam: caules huic ſpeciei in ſummo in brachiola diuiduntur crebriora, tenuiora, flores exhibentia Campanulatos, cœruleos, plicatos, in ambitu ad orificium diuiſos.

Schvv. Campanula anguſtifolia cœrulea maior Matth. σίπτυμα Dioſc. Lob. Campanula Perſici folia noſtras Waldglöcklein / wald Cymbeln / Taubeglocken, Groſſe Schellen. Campanula minor anguſtifolia flore albo, weiſſe waldglöcklin. Item Rapunculus νηριόφυλλος aut Campanulatus. Thal. wald rapüntzel / wald Glocken. Miror non annotaſſe Schvvenck. quem Neriifolium Thalii ex iam recenſitis intelligat.

Locus & Tempus. Campanula anguſtifolia flore cœruleo & albo copiosè prouenir in horto Ill. E. C. flore cœruleo inueni ſpontè florentem Iunio in Alſatia inter Sultz & Zenne Vrbes, al bi præterea flore modò cœruleo, modò albicante variis in locis inter dumeta inueni. Geneuæ cùm eſſem abundantem vidi circa Montem Saleuæ, & virentem ibi principiò Februarii inueni, prouenit etiam copiosè non longè à Geneua in colle *la Baſtie*. Campanula anguſtifolia maior Schvv. in collibus apricis & frutetis Iunio & Iulio floret, vſus neglecti.

Vires & vſus. Horti voluptatis cauſa habent, tametſi in olere mandi queat, Lobelius.

## VIOLA MARIANA DODONÆI, QVIbuſdam Medium.

Deſcriptio. **R**Adix veſca, dulcis, alba, longa, craſſa: quæ *caulem* emittit pluſquam bicubitalem, teretem, hirſutum, aſperum, in ramos diuiſum: *folia* Trachelii ſiue Campanulæ maioris, anguſtiora,



longiora, hirſuta, crenata, & modicè per margines criſpa: *flores* ramulorum extremitatibus inſident, calathi ſeu Campanæ forma, maiores quàm Trachelii, ventrioſi, oris in quinque laciniis diuiſis, colore cœruleo ſeu violaceo, purpureo aut albicante, in quorum medio *ſtamina* latent lutea ſtiluſque e-, rectior, luteo puluiſculo reſperſus: inſidet autem totus flos *calyculo* crebris thornlis hirſutis inæquali, in quinque acuminata foliola floris lateribus appreſſa diſſecto. *Semen* exiguum, ſpadiceum.



Rapunculi alterum genus grandius Dioſc. Medió vocat: apud quem autore Cæſalpino, legendum Seridi [folia ſimilia] vt legit Oribazius [ac etiam Ruell. & Marcell. & Matthiol.] non Indi, vt vulgati Codices habent. Dioſc. emend.

Geſn. Rapi ſylueſtris genus maximum, quod aliqui Medion vocant.

Tabern. Hiſt. & Icon. Weiß Marien glöcklein, Viola Mariana alba: & Braün Marien glöcklein, Viola Mariana purpurea: Medium, Germ. Glockenbüun.

C. Bauh. Campanula 17. Viola Mariana. Sunt qui Rapum ſilu. Dioſc. alii eiuſdem [Dodonæus] Dod. n Raphanum ſilu. alii Medion Dioſc. ſed malè, autumant. Variat flore nunc purpureo, cæruleo: nunc ſuballido aut lacteo: Reperitur quoque flore pleno.

Gerard. Viola mariana, Mercuries violets Couentrie Rapes / Marietes blaw & white Couentric bels, & Viola Mariana flore albo. Rapum ſilu. Græcis γογγύλη ἀγρία

Violam Marianam Recentiorum plærique Medion eſſe volunt, quamuis Viola Mariana, Dod. Medion teſte, non admodum reſpondeat Medio à Dioſ. deſcripto. Quare non Medium, ſed potiùs verum Dioſcoridis Rapum ſilu. videtur (γογγύλη ἀγρία Rapum queGræcis dicitur) cùm cuius deſcriptione magis

conuenit. Cuius tamen deſcriptio ſuperfluorum quorundam acceſſione corrupta.

Violæ Marianæ varietates tradit Cluſius. Violæ Marianæ quibuſdam Medium creditæ, vt plurimùm quidem Violacei coloris flores geſtant: ſed tamen etiam albos, interdum exalbidos, nonnunquam cineracei coloris, atque etiam verſicoloris, hoc eſt, ex albo & violaceo, vel maculatim vel radiatim commixtos.

s &
s.

Violam Marianam Dodon. ſiue Medium quorundam habui Geneuæ in horto. Baſileæ vidi in horto D. Fœlicis Plater.: Patauii in horto D. Cortuſii, Ianuuarioas vocabat Medium: Bononiæ in horto di S. Saluador, al burgo di S. Catharina: Montbelgardi ex ſemine mihi fœliciter prouenit in Horto E. C. flore penè candido & purpureo copioſiùs: primo anno non fert caules, vbi autem fœmina caules tulit perit, & ſemine deciduo ſe propagat. Naſcitur, vt aiunt, in ſiluis & montibus, nec non in opacis quibuſdam tractibus vt Matth. refert, plæriſque Italiæ ac Germaniç locis: apud Belgas in hortis colligitur. Iunio, Iulio & Auguſto menſibus floris eius productio: ſemen interea ad maturitatem peruenit, neque enim ſimul ſed particulatim floret.

Cæterùm, quod ad facultates attinet, ſi Dodonæo credimus, radix Violæ Marianæ refrigerantis & nonnihil adſtringentis eſt potentiæ: eſui, vt aliorum ſylueſtrium Raporum, apta eſt, & non incommodè acetariis additur.

## MEDIVM DIOSC. RAVWOLF.

ptio



INter frutecta ſepeſque in altum exurgit. Violæ Marianæ Dodon. perſimilis eſt planta, nec ita obuia cuiuis differentia apparet, præterquam in *foliis* quæ in hac diuiſa magis, Cichorii inſtar. *Flores* etiã magis panduntur, octo foliolis in orbem diſpoſitis conſtantes: *radicis* auſteritas maior quã capitulorũ ſeminum, quę tamen nondum erant matura: Rauvvolf.

Rauvvolf. Medium verum Dioſc. & Mindium Rhazis, cuius icon apud Rauvvolf. par. 4. N°. 284.

*gd.* Medium Dioſ. vel Mindium Rhazis foliis Plantagnis minoris, Hiſt. Lugd. Quæ malè conuertit Wegwart vocabulum Germ. Plantaginem, cùm ſit Cichorium.

C. Bauh. Phyt. Campanula 18. Viola Mariana laciniatis ſoliis, peregrina.

In profunda tenebroſa & aſpera valle Libani: Rauvvolf.

## CAMPANVLA MAIOR ET ASPERIOR folio Vrticæ.



MVltùm ad Violam ſeu Mediũ quibuſdam dictum accedit: *radix* alba, Rapunculi, ſapore non minùs grato, caules cubitales & altiores, hirſuti, in quib⁹ alternatim naſcuntur *folia* Vrticæ, piloſa, acutiora: *flores* ex foliorum alis cærulei, violacei, aut albi, nolæ ſimiles, Marianæúe Violæ, ſed minores, calyce paruo, nec vt in illa tortilis cannulato, in lacinias quinque, ſicuti & flores, diuiſo: ſtilus triceps, colore purpuraſcente, albido, vel herbaceo, ſurrectior, ſtaminulis circumſtipatur luteolis. *Deſcriptio*

Fuchſ. Campanula Germ. Halßkraut, hoc eſt, Ceruicaria. Gall. *Gands noſtre Dame, ou Gantelée.*

Dodon. de flor. Rapum ſilueſtre 2. Belgis Halßcruyt. Ceruicaria maior, Græcè τραχήλιον, plæriſque Vuularia. In hiſt. Gall. Ceruicaria. Item Lat. in fol. Ceruicaria maior, cuius flores aut colore candidi, aut dilutè purpurei, vel ad cæruleum inclinantes. Huius ſpecies quędam eſt foliis aliquantò læuioribus: floribus elegantioribus coloris purpureo cærulei, cuius radix aliquot annis viuax reſtat, & Vere regerminat.

Cluſ. in Pann. & hiſt. poſt. Trachelium foliis vrticæ, & Trachelium aut Campanula vulgò dicta. Campanula quibuſdam Herbariis vocata Archangelica. *Ceruicariæ alia ſpecies*

Lobel. & Penæ τραχήλιον, ſiue Ceruicaria & Vuularia, Belg. & Germ. Halßkraut. Trachelium ſiue Ceruicaria: Vuularia Tragi & Herbariorum. Campanula Fuchſii & Archangelica quorundam. Trachelii varietates. Paſſim iſtud etiam aſperis, ſaxoſis Angliæ & Gallobelgiæ ſiluoſis fruticat: ſed ſtrigoſius, hilari minus & amœno aſpectu alioqui perſimile & congener.

Thal. Harc. Ceruicaria maxima, foliis vrticæ maioris, caule ſæpè tricubitali, floribus magnis cœruleis, quandoque etiam albis.

Tab. hiſt. lib. 2. & Icon. p. 412. 413. & 414. Ceruicaria, Vuularia, Campanula maior 1. Halßkraüt. Maior 2. Groß halß kraût. Tertia alba, klein halß kraût. Ponit Taberna quidem icones: ſed diſcrimen non tradit. *Tab. not.*

C. Bauh. phyt. Campanula 11. folio Vrticæ. Variat flore candido, dilutè purpureo, vel ad cœruleum inclinante. Reperitur & ſtrigoſior. Campanula 12. foliis Vrticæ, ſed læuioribus, Dodon. Ceruicaria maior altera.

Gerard. Angl. Trachelium 1. maius. cantabürie belß. Trachelium 2. maius albo flore. Trachelium 3. maius Belgarum Lobelii, dürch Trote voort [ Tab. Ceruicaria 4. alba.] Trachelium 4. minus Small canterbürie bels. Tabern. Ceruicaria 3. alba.

An Geſner. hort. Rapi ſylueſtris genus mas

foliis ferè vrticæ.

Schvv. Trachelium maius purpuro-violaceum Braüne Glocken / Braün finger hütlin. Trachelium maius albo flore. Ceruicaria alba Trago, Weiſſe wald glocken, zapffenkraut. Trachelium alpinum maximum. Ceruicaria maxima, ad hominis proceritatem ſæpè aſſurgit.

Locus & tempus

In Pann. Auſtria, teſte Cluſio, nullæ montoſæ ſunt ſiluæ, quæ Trachelium vrticæ foliis ſubcæruleo flore non alunt: ſublimiora iuga, vt Schneeberg & alia ſimilia, itidem quod albo flore eſt. In Sileſiæ pratis & ſiluis cæduis ſaltuoſis inuenit Schvvenckfeldius: maius flore albo in conuallibus ad Boberum vmbroſis Iulio floret. Alpinum maximum, ſæpè in foueis niualibus vdis herbidis aſſurgit, Iulio flores campanulati prominent.

Paſſim in comitatu Montbelg. prouenit Campanula Fuchſii flore dilutè purpureo, vel ad cæruleum inclinante, vidi etiam candido propè *l'Iſle* Burgundiæ, vnde tranſtuli in hortum Illuſt. Principis. In monte Roßberg propè Maßmunſter inueni florentem menſe Octobri, Geneuæ etiam florentem Maio, Baſileæ menſe Iunio extra portam Stein in colle ad ſiniſtram, & aliis locis multis, radices ſimiles Aſphodelo, in ſylua quà itur Baſilea in Bintze Marchionatus florens Octobri: Vidi Patauii in horto Domini Cortuſii. Campanulam Fuchſii flore omninò albo vidi in dumetis eundo Baſileam prope Feuray pagum, menſe Iulio 1607.

Alba

Vires & Tẽperam.

Guſtu adſtringit, vt hinc exſiccandi illi vim eſſe quiſque conijcere queat. Adſtringendi habet facultatem, ideoque decoctum illius vnicè ad oris exulcerationes, aliaque eiuſdem mala, quæ adſtrictione indigent, confert. Vtilis etiam haud dubiè ad alia quæuis vlcera, ob inſignem quam obtinet in exiccando facultatem, Fuchſius. Radices porrò omnium horum refrigerantis potentiæ ſunt & nonnihil adſtringentis, poſſunt autem omnes vnà cum aliis in acetariis edi. Sunt etiam qui Ceruicariæ radicum decoctum aduerſus incipientes oris & tonſillarum inflammationes conferre affirmant, Dodon. Radix alba tenera in acetariis apta ieiunio verno præſertim, Lob.

## CAMPANVLA SIVE CERVICARIA MAIOR læuior, flore albo magno.

Deſcriptio



NObis dedit Dominus Agerius plantam nomine Ceruicariæ maioris *flore* albo, *foliis* glabris, differt multùm à noſtra Campanula maiore & aſperiore, ea enim vix apparentes habet pilos, ſerraturæ etiam minores, nec ita inæquales, flos Campanulæ alioqui magnus, albus. Tota planta prædicta minor atque tenerior apparet.

## CAMPANVLA ALPINA GLABRA FLOre diluuiſſimo cæruleo.



Deſcr.

PVlchra Campanula eſt, quæ nobis à Domino Agerio Medico Argẽtinenſi data: *flore* coloris dilutiſſimi cærulei, is collegerat in vertice montis Tyrolenſis: nihil hirſuti, aut aſperi, nobis in hac planta apparet, paruus ramus eſt ferè pedalis: folia aliquid habent ſimilitudinis cum Hieracio Sabaudo, in circuitu ſerrata, minora ſunt quàm Campanulæ noſtræ minore flore, *flores* etiam paulò minores videntur in vnum latus verſi, ex breui pediculo nutantes.

## CAMPANVLA SIVE CERVICARIA BOnonienſis paruo flore.



INſignis & diligens Botanicus Dominus Doctor Agerius Medicus Argentinenſis pulchram plantam dedit nobis nomine Ceruicariæ Bononienſis, vtpote quæ Bononiæ copioſè proueniat. Ea licèt non integra, bicubitalis erat, *caulis* rotundus, fungoſus, nonnihil aſper, *folia* per caulem ſine pediculis hærent, eum ferè amplectentia, in quo differt à noſtra Campanula repente flore minore, ſunt etiam iis latiora, latitudinis penè trium vnciarum, longa quatuor, plùs minùs, ſerrata, infernâ parte albicantes pilos habent valdè exiguos: ſummitas quæ *floribus* veſtita pedalis eſt, & quamplurimis abundat Campanulis, quibuſdam ex breuibus *pediculis* cauli hærentibus, aliis ramulis breuibus duarum aut trium vnciarum.

## CAMPANVLA REPENS FLORE MINOre cæruleo.

Deſcri

CAmpanulę Fuchſii aſſimilis, ſed *radix* importuna petulantia reptat, alba, craſſa ſic ſatis fibrata,

fibrata; guſtu dulci, ſuaui: *caules* cubitum vnum aut alterum alti, brachiati, ſubrubentes, ferè glabri in quibus *folia* alternata, ſerrata, minimùm hirſuta, nec aſpera, vt Campanulæ iam dictæ, & anguſtiora, quæ in caulibus quidem carent pediculis, at inferiora, vt latiora ſunt ita longis pediculis ſunt appēſa: ex foliorum alis *Campanulæ* ſingulares prodeunt, violaceæ, magnitudine & formâ Rapunculi ſatiui, *apicibus* chloris, ſtilo tricipiti, *calyculo* in quinque lacinias, quot ſcilicet ſunt floris laciniæ, diuiſo. *Floris* verò ſectæ laciniæ piloſæ conſpiciuntur. Nondum expanſus flos pentagonus eſt, interque angulos pulchrè carinatus: Figura quæ Fuchſiana eſt, nec prima folia habet, nec in cæteris nimis affabrè picta. Tolerabilis ramen.



Geſner. de coll. ſtirp. Rapum minus ſuis radiculis ſerpens.

Dodon. de flor. & in fol. Rapi quartum genus.

Cluſ. in Pann. & hiſt. poſt. Trachelium aliud mollioribus foliis, radice mirè ſerpente, cuius rei causâ rei herbariæ ſtudioſis eſt exoſa.

Montbelgardi in Horto Il. E.C. prouenit mihi Campanulæ genus, radice reptante, quæ ita replet areas vt vix eradicari poſſit: eandem vidi in horto Di. Daucurtii in *Audincourt*, & aliis pagis vt *Ran*. Floret Auguſto, Septembri & Octobri. Baſileæ copioſè prouenire obſeruauit Frater.

Similes facultates ac temperamentum huic Dodon. tribuit quod tribuebat Campanulæ Fuchſii, dicens, refrigerantis potentiæ & nonnihil adſtringentis, ac radices edi poſſe in acetariis.

## CAMPANVLA SIVE CERVICARIA MEDIA THALIO FLORIBVS CÆruleis paruis.

Cervicaria Media Thalii, locis montanis & Soli meridiano expoſitis nonnunquā prodit, *caule* tereti, aſpero, *foliis* plurimis amicto, minoribus multò, viridioribus ſuperiùs, inferiùs candidis, lanugine veſtitis, quali folia Althææ, ſicut & folia mediam figuram inter Vrticæ maioris breuiora folia & althææ referunt. *Caulis* vt plurimùm vnicus eſt ſine ramoſis adnatis, ſæpenumerò tamen in plures diuiditur brachiatas virgulas. Circa medium ferè caulis vbi maiora folia exoriri deſinunt, frequentes προσφύους adnaſcuntur, ordine per certa interualla vſque in apicem caulis conſequenter, ac ex alis peculiaribus ad latera erumpentes, tenuibus quibuſdam foliolis iiſque incriſpatis parum ac agminatim denſeque ſibi cohærentibus conſtitutæ, ex quibus longa ſerie in ſcapo flores crebri prodeunt eleganter cærulei, ſimiles prioribus, ſed multò minores.



## CAMPANVLA PVLCHRA à Toſſano Carolo miſſa.



Deſcriptio

Hvius *radix*, non altè quidem vt illa demittitur, ſed innumeris tamen fibris latè cæſpitem occupat, candicātibus, lactifluis, dulcibus, *caules* cōplures duorum aut trium cubitorum altitudine concaui ſunt, minimi digiti craſſitudine, ſtriati, minimùm hirſuti: *folia* Vrticæ, Campanulæ maioris quidem formâ, hirſuta, palmari & ſeſquipalmari longitudine, latitudine palmari, in ambitu ſerrata, alternatim ex certis interuallis cauli apponuntur: ex quorum alis ſingulis ſinguli *flores*, partim ſurſum vergentes, & partim deorſum inclinantes ex breui pediculo purpuraſcente, albidi cum cœruleo, calathi effigie, ſiue Campanulæ, in quinque lacinias longas acutas partiti, foris glabri, intus hirſuti, oriuntur: *apicibus* totidem luteis, *ſtilo* dilutiore qui in ſuprema parte in tres partes finditur, quæ circumflectuntur: Calix quinque cuſpides longos habet: flore marceſcente ſuccedit magnum *capitulum* Meſpilo ſimile, deorſum inclinatum, in quo *ſemen*. Folia inferiora erant in icone noſtra pingenda latiora.

C.Bauh. Phyt. Campanula 10. ſiue foliis Vrticæ latiſſimis, quam in horto Ill. Ducis Vvirtemb. Montbelg. collegit. Cluſius hiſt. poſt. & Lobel. Obſ. & Icon. plant. tom. 2. hanc videntur exprimere nomine Trachelii maioris Belgarum.

Locus & Tempus

Toſſanus Carolus Pharmacop. Stirpium ſtudioſiſſimus pulchram hanc Campanulam ex Burgundia miſit: quæ quotannis Montbelgardi in horto Ill. E.C. floret Iunio & Iulio.

## TRACHELIVM CANDIDVM ANGLICVM MAIVS, FOLIIS FERE DIgitalis vel Campanulæ.

Deſcriptio

Semina venuſtæ & rariſſimę plantæ ad Lobelium miſit D. Thomas Penneus Medicus Londinenſis: ex boreali Angliæ tractu delata, vbi copioſa & nuſquam alibi, vel à quoquam obſeruata. Tota facie Ceruicariæ maioris iam deſcriptæ abſimilis, ſed *folia* ferè digitalis: *Flores* item Trachelii vel Violæ Marianæ, candiſſimi & maiores & longiores. *Caulis* binûm & ternûm cubitorum ſurrectus. *Radix* fibrata, craſſiuſcula, lacteſcens, variè diuaricatur. *Semen* Trachelii, ſed maius.

Lobel. Obſ. Anglicum Septentrionale maius Trachelium candidum.



GErard. Hiſtor. Angl. p.365. Trachelium Giganteum Anglis Giants Throte woort.

PYRAMIDALIS VALERANDI HIRSVTA.

Deſcriptio



PRimo anno mihi *caulem* non produxit, qui ſequente demum anno in tantam excreuit altitudinem, vt facilè lanceam æquaret, hirſutus, medulla alba fartus, *foliis* veſtitus infernè & supernè hirſutis, acuminatis, ſerratiſque, Campanulæ Fuchſii accedentibus: *flores* lõga ſerie, Campanulas imitati, Rapunculi vulgati haud maiores, cœrulei, per oras laciniati, ex vno pediculo plures.

Locus Pyramidalis

Quum Lugduni Medicum agerem prouenit mihi in horto meo, ex ſemine per Valerandum Dourez aſſinem ex Sclauonia delato, ipſe Pyramidalem nominabat.

PYRAMIDALIS LÆVIS.

Deſcriptio

LActe turget *radix*, Rapunculi ſimilis, teſtibili fertilitate, ſe multiplicans, etiam ex fruſtulo repullulaſcens: ex qua *caules* trium quatuórve cubitorum ſurgunt, leues: *foliis* veſtiti glabris, oblongis, fortuitis crenis inciſis, verùm inferiora folia palmum aut ſeſquipalmum longa, palmo latiora, per extremum ferè obtuſa, & ea quoque glabra, raris admodum cæſuris diſſecta, & vix dum ſerrata: *flores* à medio caule ad ſummum vſque faſtigium cœrulei campanulas oris laciniatis exprimunt.

Videtur nobis Hiſt. Lugd. Pyramidalis noſtræ læuis duplicem & deſcriptionem & iconem proponere. Ac primam quidem pag.642. ſub hoc titulo: Pyramidalis Rapunculi genus Dalech. Alteram, p.827. quam Campanulam lacteſcentem maiorem Lobelii, ſeu Pyramidalem Lutetianam inſcribit.

Campanulam maiorem ſiue maximam, teſte Dodonæo, ſũt qui Columnarem & quidem Plinii iudicent, cùm tamen herbæ Columnaris nomen apud hunc non reperiatur, Alii Anthemum eiuſdem faciũt: ſed legendum lib.26.cap.8. Eranthemum, quod Anthemidis ſpecies eſt multùm à Campanulis differens. Columnar Anthemu



Camer. hort. Campana pyramidalis ſiue lacteſcens κατ' ἐξοχὴν, præ reliquis plurimo lacte ſcatens.

Lob. Obſ. Lacteſcens Campanula maior. Pyramidalis Lutetiana. Icon. Plant. pag.397. Teut. 402. Tabern. hiſt. & Icon. Campanula Lactaria ſiue lacteſcens Milchglöcklein.

Gerard. Campanula lacteſcens pyramydalis Steeple milkie Bellflower.

C. Bauh. phyt. Campanula 2. lacteſcens.

Pyramidalis nomine ante plures annos, herbam vidi Baſileæ in horto Domini Doct. Zvvincken, vnde ſemen habui, quod ſatum Montbelg. in horto Ill. E. C. prouenit, & ſequenti anno ſemen tulit, hæc autem Pyramidalis differt à Valerandi Dourez Pyramidali, hanc enim ad tantam altitudinem prouenientem non vidi, præterea folia differunt, in hac glabra, in alia hirſuta, quæ etiam in hac non ita ſerrata: radices vt Rapunculis, quæ facilè ſe multiplicant. Locus tempu

RAPVNCVLVS MONTANVS, SIVE Trachelium montanum.



FOlia multa propter terram in quibuſdam duabus vnciis longiora, in aliis quadruplo ad Echium accedentibus, ex anguſto principio ſenſim lateſcentia, ſenſimque deinceps in acumen deſinentia, vtrinque hirſuta, nonnihil crenata, coſtà medium ſecante. Inter hæc ſurgit *caulis* ferè cubitalis, hirſutus, enodis, vno aut altero foliolo exiguo donatus: *flores* in caulis ſcapo ſuperiore, quinque aut plures, ſinguli in ſingulis pediculis non admodum longis, magni, Campanulæ Fuchſii ſimiles, ex cœruleo albeſcentes, calyce hiſpido baſin complectente: *radix* craſſiuſcula & longiuſcu- Deſcri

giuſcula, eſui gtata.

Hiſt. Lugd. Trachelium montanum.

C. Bauh. phyt. Campanula 15. ſiue foliis Anchuſæ.

us & pns. Inueni in peregrinatione mea Rhætica, cum D. Geſnero Burnonii, florentem Iunio. Hahui etiam Argentinæ ex plantis Agerii, qui collegit in montibus Styriæ prope Celticam Nardum.

## TRACHELIVM PVMILVM ALPINVM, lanugine pubeſcens, ſingulis floribus ex ſingulis ramulis ſatis magnis.

riptio. Trachelium pumilum Alpinum Cluſii, dodrantalis eſt plantula *cauliculo* ſtriato, in plures ramulos diuiſo, quorum ſinguli ſuſtinent *florem* ſatis magnum, cauum, Campanulæ inſtar efformatum, in quinque angulos deſinentem, quemadmodum vulgaris Trachelii, aut Campanulæ vulgò dictæ flos, cinereo colore præditum: floribus ſuccedunt *capitula* ſatis magna, trigona, nutantia, ſeu deorſum ſpectantia, quę continent *ſemen* vulgaris Trachelii ſemini non diſpar, ſed minus & exalbidum: *folia* quæ per cauliculum ſparſa ſunt, latiuſcula baſi eum amplectuntur, & in oblongum mucronem deſinunt: quæ verò ſummâ tellure ſtirpi inhærent, latiuſcula ſunt, & longiore pediculo innixa: *radix* pro plantæ exilitate ſatis magna, candicans, ſupernâ parte in pluta capita extuberans, & quibuſdam fibris hirſuta: Tota planta lanugine pubeſcit, lacteóque ſucco abundat.

C. Bauh. phyt. Campanula 16.

s. Naſcitur in Schneeberg, aliarúmque vicinarum Alpium iugis. Flores profert Iulio.

## ALOPECVROS ALPINVS QVIBVSDAM Echium montanum Dalechampii.

iptio Pollicaris craſſitudinis habet *radicem*, ſenſim gracileſcentem, palmo longiorem, in apophyſes aliquot abeuntem, teneram, ruhentem: *caulis* ſeſquipalmaris aut dodrantalis, craſſitie reſpondet radici, cauus, ſingularis, hirſutus, crebris *foliis* veſtitus, aliis palmum ferè longis, aliis breuioribus, potiſſimùm ſuperioribus, latitudine ſemunciali, hiſpidis, ad Echii folia accedentibus: thyrſum trium vnciarum, aut palmarem, ſi maiuſcula ſit planta, gerit, *florum* inter folia emergentium ex cœruleo palleſcentium, oblongorum, & per oras laciniatorum, erumpentibus è medio *ſtaminulis*.



Hiſt. Lugd. Echium montanum Dalechampii: aliis Alopecurum montanum. Trachelium θυρσοειδὲς, Cluſ. Pann. Ceruicaria maior tenuifolia, Thalio. Trachelium θυρσοειδὲς, Cluſii, & Ceruicaria maior tenuifolia, Camer. hort. Campanula 14. foliis Echii, ſiue Ceruicaria martenuifolia Tragi. C. Bauh. phyt. cuius iconem expreſſam nondum vidit.

Locus. Alopecuram Alpinam quibuſdam dictam, aliis Echii ſpeciem, quod non placet, cùm Geneuæ eſſem, audiui reperiri in altiſſimis Sabaudiæ montibus.

## RAPVNCVLVS SPICATVS SIVE COmoſus albus & cœruleus: itémque folio maculato.





Deſcriptio Quaſi paruum Rapũ dicas, Rapuntium, vel Rapunculum vulgus plantam indigitat, ob folius *radicis*, quã ſapore & magnitudine cum culini Rapunculo habet, ſimilitudinem: alioqui *folia* ſunt Violæ Martiæ, longis appenſa pediculis, nonnunquam nigrâ maculâ notata, quanquam videas & ſtricta oblongaq; in *caule* bicubitali, inani, anguloſo, lac manante: in cuius faſtigio ſpicatus pulcher *flos* cœruleus aut purpurouiolaceus, ex multis corniculis circa baſin in ſegmenta arcuata fiſſis compactus. Huius flos albus cinereúſve quoque reperitur.

Plant. Icon. p. 329. Rapuntium maius Alopecuri comoſo flore, Lob. 178. Teut. 403.

Tabern. Icon. & hiſt. Rapunculus nemoroſus. i. Wald Rapuntzel.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Rapunculus 2. ſiue ſpicatus albus, foliis maculatis mas, & non maculatis fœmina, floribus albis cinereis. Rapunculum 3. ſiue ſpicatum purpur. Dod. Rapum ſilu. maius Lob. Rapuntium maius Alopecuri comoſo flore. Rapunculum 4. ſiue ſpic. cœruleũ. Trago Rapunculum ſilu.

An Cæſalp. l. 9. c. 30. Duæ floſculos ferunt veluti in ſpica diſpoſitos denſè, quarum vna foliis Rapunculi conſtat: Altera Archangelicæ minoribus.

Dodon. Gall. Rapum ſylueſtre maius, Rapuntium maius & ſecundum. Gall. *grande Raiponce:*

Germ. Groß Rapüntzel. Belg. Grote raponcelen, quod ſine dubio eſt ἀλωπέκουρος & Cauda vulpis à Theophraſto deſcripta, Lat. de flor. Rapi inquit, ſilueſtris ſextum quoddam genus. Rapunculum ſextum, colore aliàs candido, aliàs cæruleo, aliàs purpureo, nonnulli Alopecuron appellant: Sed alia eſt. Tragus deſcribit flore cæruleo: vocatque Rapunculum maius & Rapunculum ſylueſtre, Germ. wald Rapûnzel. In hiſt. Germ. Die andere vnd gros Rapuntzel.

Lonic. ſpeciem globoſam habet flore purpurante. wald rapuntzel/ groß wald rapuntzel/ Rapunculum ſylueſtre.

Lobel. & Penæ Adu. Rapuntium maius Alopecuri comoſu flore: Lobel. Obſ. pingit cum longa ſpica.

Geſner. hort. Rapi ſylueſtris genera in ſyluis ac montibus, quorum flores ceu in ſpica ſunt, alii cærulei, alii pallidi. An eidem de col. ſtirp. Rapum ſylu. floribus vnguium inſtar recuruatis? Item Rapunculi ſylueſtris genus floribus cæruleis in ſe recuruis?

Cluſ. in Pann. & Hiſt. poſt. Rapunculus Alopecuroides longiore ſpicâ, aut breuiore, coloris albi vel violacei.

Schvv. Rapunculus montanus albus, Rapunculus montanus cæruleus.

Thal. Rapunculus ſylu. communior, foliis Cervicariæ mai. mucronatis, caule cubitali, læui, tereti, flore ſpicato, ex viridi leniter albente: paſſim in pratis & locis quibuſdam montanis. Mihi vocatur Rapunculus ſilu. ſpicatus albens: licèt eius ſpeciem in Thuringiaca ſilua, floribus prorſus candidis viderim. Eiuſdem ſpecies floribus cæruleis, &c.

Camer. hort. Rapunculus flore purpureo, candicante: ſpicato purpureo & albo.

Locus & Tempus. Geneuæ albus cum longa ſpica, variis in locis & prouenit, vt inter Vrbem Montbelgardum Charmontey, & in ſylua le Cheſnoy: habui etiam in Horto E. C. à me plantatum, Rapunculum flore purpureo & albo globoſo, ferè vt in ſcabioſa, foliis minoribus, quale Geneuæ etiam vidi, vbi prouenit aliud genus cum longa ſpica plena floſculis albis in monticulo la Baſtie. Hoc genus coctum comedi in acetariis Montbelgardi: tale reperit Frater in monte Mutenſi Baſilienſium, Rapunculum ſpicatum reperi menſe Februario in montibus Euganeis Italiæ. Rapunculum flore globoſo Dalech. vocabat, ni fallor, Aphyllantes genus, eum qui globoſum habet florem: Ex vicinis Montbelgardo locis magnum Rapunculum ſpicâ longâ tranſtuli in Hortum E. C. Rapunculum flore albo folio maculato obſeruaui florentem Auguſto, apud Fontem aridum S. Petri. Minùs hæc eſt Lobelio obuiàm multis locis necniſi montoſis aut alſioſis pratis & cõuallibus, vti ſunt Mindeni & Norbonæ Aquitanicæ vicinis pinguibus, etiam Belgii & Angliæ nemoroſis. Natales eius, inquit Schvv. montoſa & alſioſa prata, conuallesque nemoroſæ. Iunio ſpica viget.

Vſus. Radix, vt ſcribit idem Schvvenck. priuſquam caulem protrudat, elixa cum ſale, aceto & oleo macerata, cibi appetentiam parit, ſtomacho prodeſt & vrinas elicit.

## RAPVNCVLVS FLORE GLOBOSO purpureo.

Deſcriptio. Cubitali aſſurgit altitudine *caule* ſatis gracili, parte inferiore purpuraſcente quodammodù, supernâ viridi cui inhærebant aliquot *folia*, quatuor vncias longa, in ambitu ſerrata, dodrantali *pediculo* innixa, & ea quidem quæ infimæ parti caulis adnata erant, ſecundum pediculum, vnciâ aut pollicem lata, deinde ſenſim in mucronem deſinentia, quę verò medio cauli, & ſummmæ eius parti inhærebant, longè erant anguſtiora, & breuiore petiolo fulta, non minùs tamẽ lõga: ſummum caulis faſtigiũ deſinebat in breuem & quaſi orbicularem *florum* ſpicã, quæ ſolis ſtaminibus ex purpurâ cæruleis, conſtare videbatur: quibus deciduis apparebant *caliculi* pentagoni: *radicem* non adferebat, qui in itinere obſeruabat, quia eruere non potuerat, inter ſaxa & confragoſis locis naſcentem. Tota autem planta lacteo ſucco abundabat, non ſecus ac reliqua genera.



Rapunculus Alopecuroides orbiculari penè ſpica Cluſ. Hiſt. poſt. ſine icone.

Locus. Geneuæ collegimus globoſum purpureum radice longâ.

## RAPVNCVLVS MINIMVS FOLIO TEnui gramineo.

Deſcrip. Omnium Rapunculorum minimum in montibus Rhęticis inuenimus, cui *radix* craſſiuſcula: *coliculus* tenuis duûm vnciarum comoſum gerit *florem* cæruleũ, Rapunculi ſpicati: *folia* caulem comitantur, ipſo penè longiora, fili inſtar tenuia, numeroſa.



C. Bauh. phyt. Rapunculus 7. ſiue vmbellatus folio gramineo.

Florentem obſeruaui Iunio in Rhætia.

## RAPVNCVLVS ALPINVS paruus comoſus.

criptio.



RAdice ſquammis veluti compactili, ex veteribus foliis reſiduis, vt in Nardo Celtica penè videre eſt, craſſiuſcula, ſenſim attenuata, præditus eſt: *folia* fundente numeroſa, vnciam vnam aut alteram longa, culmum lata, ad Nardum Celticam accedentia, longis nixa pediculis: inter quæ *cauliculus* ſurgit, duum vnciarum, non ſine foliis quæ anguſtiora: cuius cacumini *flores* inſident Rapunculi comoſi, qui cærulei, quantùm ex ſicca planta colligere licet, *ſtylis* longis recuruis prominentibus: picta ſecundum eius magnitudinem, ſunt tamen nobis plantulæ quædam paulò maiores. Hæc planta videtur habere nonnulla ſimilia cum Rapunculo mõtis Baldi, cuius etiam vaſcula hîc pingenda curauimus, quia iam ſculpta erat eius figura, vt paulò antè dictum.

s & us Habui ex plantis Di. Agerii pro Rapunculo alpino Cam. flore cæruleo collecto, in Styriæ montibus.

## RAPVNCVLO COMOSO SPICATO aliquatenus affinis ex Baldo.

riptio



PAlmaris eſt *caulis* ad imum ſquammatus, *foliis* infimis Buttonariæ Bellidis cæruleæ dictæ ſimilibus, ſuperioribus Bellidis maioris profundè ſerratis, latioribus quàm inferiora, qualia etiam in ſummo caule radiatim crebra *flori* ſubiiciuntur, qui caulis comoſus: ſingulares flores etiam maiuſculi, vtrem inflatum referentes, imâ parte laxiores, albicantes, ſenſim tenuantur in cerulœm violaceam per extremas oras crenatam, vnde longè florem ſupereminens, *ſtamen* tenue nigricans in tortiles veluti capreolos deſinens emicat.

Hanc eandem plantam ni fallimur collectam in Baſſauenſibus montibus accepimus à D. Agerio, in qua folia vndique ſerrata & latiora cum vaſculis ad Rapunculi vulgaris vaſcula accedentibus, quæ curauimus appingenda in tabella Rapunculi parui Alpini comoſi, qui nondum erat ſculptus.

De hac planta hæc tradidit Ioh. Pona in deſcriptione montis Baldi. Trachelium petræum minus in ipſius Baldi altioribus ſummitatibus, cuiuſuis alius plantæ ſteriliſſimis, inter præcipites illas caures ab eiſdem veluti cadentibus pendens, germinat. Eam fusè deſcribens, ac addens perennem & adſtringentem eſſe plantam.

C. Bauhino, ::ùm Rapunculum II. ſiue Alpinum ſpicato ſimilem collectum in Baldo D. Guillandino oſtendiſſet, is Rapunculum montanum, at Nobiliſ. Cortuſus Cantabricam alteram Anguillaræ nominauit. Eundem à Dre. Io. Neudorfſero accepit, vt apud Matth. ſcribit. cuius vna radix, quæ tuberoſa, eſt inæqualis Rapunculo vulgato triplo maior: Ab eodem & duas alias Rapunculi ſpecies ex monte Sumano, necdum deſcriptas habet. *Rapuncul. montanus. Cantabrica 2.*

Icon noſtra ſicuti & deſcriptio factæ ſunt ad plantam ſiccam, quam adhuc habemus, quæ delata fuerat ex monte Baldo per Abrahamum Bechium Medicum, quamque Frater C. Bauhinus Baſileâ miſit.

## RAPVNCVLVS SONCHI FACIE vmbellatus.

GVilland. de Mera Medicus rediens ex peregrinatione Italica communicabat Rapunculum numquam antè Cluſio conſpectum, qui abruptus ſimilis erat, vt Rapunculus flore globoſo purpureo, & ſine radice, quam eximere non potuerat. In pedalem autem excreuerat altitudinem, vel etiam breuiorem: plura, quàm Primum habebat *folia*, breuiore pediculo, eoque plano ſubnixa, ſupernè viridia, infernè exalbida, inſtar foliorum Sonchi, quibus valdè forma reſpondebant, erant enim, vt illa, in ambitu dentata, ſed minora: ſummo *cauli* innitebatur veluti vmbella, longiuſculorum calyculorũ ſtriatorum, in quinque angulos deſinentium, in quibus *flos*, coloris non comperti, quia neque ipſe Mera referebat, neque vllus, in rotâ plantę umbellâ, reſtabat, ex quo coniecturam facere licuiſſet. Deſcripti

Conſiderandum quantùm Rapunculus Sonchi folio Cluſii differat à Rapunculo, montis Baldi antè dicto.

## RAPVNCVLVS CRETICVS PETROmarula.

HErbam teneram lacte turgentem floribus cæruleis viſui gratam Imperati, ſic deſcribit Honorius Bellus. *Folia* profert cichoracea, magna, profundè inciſa, in orbem diffuſa, ſaturè virentia, infernè ſplendentia, ad purpuram aliquando tendentia, vt Cyclaminus, læuia, cùm autem ſemine nata prodit, prima eius folia Violæ nigræ foliis ſimillima ſunt, rotunda, & aut nihil, aut parum duntaxat ſerrata: *cauliculos* autem multos habet, rotundos, ſtriatos, bicubitales, aut tricubitales: quibus innaſcuntur *flores* copioſiſſimi, purpurei, hyacinthi Orientalis florum æmuli, denſè compacti, vt ſpicam, eamque magnam referre videantur: quibus

ſuccedunt *ſemina* minutiſſima : *radice* firmatur magna alba, in alas diffuſa, eduli, ſapore rapunculi radicem imitante. Tota planta lacte abundat.

Rapunculus quem Creticum ac in acetariis gratum dicit Imperatus, herba eſt Cretæ ſiue Candiæ propria dicta ibi *Pietra Marola*.



*Pietra Marola.*

Rapunculi ſpeciem à Nobiliſſ. Cortuſo *Petra. Marulæ* nomine accepit C.Bauhinus.

*Lactuca Petræa.*

Vocatur vulgò πετρομάρουλα hoc eſt, Petræa Lactuca, licèt [teſte Hon.Bello in epiſt. ad Cluſ. ex Cydonia Cretæ] cum Lactucis nihil aliud commune habeat, quàm quod lacte abundat. Et quia radix manducata, tum etiam caulis adhuc tener, Venerem ſtimulare vulgò dicitur, ideò nomine obſcœno πετρογαλὶ vocatur.

*Rapunculi genus.* Rapunculi genus videtur Cluſio.

Hanc exhibet Io. Pona in deſcriptione Baldi, nomine Petromarulæ, ſeu Lactucæ Petræ Creticæ Belli.

Locus & Tempus. Cretica planta eſt, & nuſquam alibi quod ſciat Hon. Bellus, ſpontè prouenit, ea reperitur vbique in aruorum marginibus, ſecus vias læto ſolo, inter ſaxa & ſuper parietes. Floret verò & æſtatis principio, Maioque & Iunio areſcit tota, præter radicem, quæ Octobri folia proferre incipit, & viret tota hyeme.

## ERINVS DALECHAMPII.



Deſcriptio

Locus.

Erinon quod Dalechampius propè Lugdunum collegit in riuo ſubterfluente extremos ſuburbiũ veteris pontis fornices, quo Rhodanus iungitur, *radice* eſt in multas fibras diuiſa, *caulibus* multis, palmũ altis, anguloſis, ſurculoſis, cùm ſtranguntur lacte manantibus, guſtu valdè acerbis, canâ lanugine propè verticem ohductis, *foliis* ocimi, minoribus tamen quàm in primo genere, quod ocimum citratum Serapio vocat, in ambitu minimè inciſis, nec crenatis, iuxta caulium faſtigia, τῶν ἄνωθεν μερῶν ἐσχισμένα, inquit Dioſcorides, in longum & anguſtum veluti fiſſis penè inſtar Pinaſtri.

*Ocimum citratum.*

Quæ ſit Erinus Dalechampii, vt verum cum Fratre C.Bauhino in phyt.p.427. fatear, nondum mihi conſtat : hoc mihi valdè, quod Dalechampius flores & ſemina pingere curarit, nec deſcripſerit : figura præterea non videtur reſpondere deſcriptioni, vnum enim habet caulem, cùm Dalechampius dicat multos habere. Sed & Fabio Columnâ teſte, non eſt Erinus quam poſtremò Dalech. hiſt.lib.9.cap.171.proponit, foliis minimè inciſis. Ac an rectè ſuprà citata Dioſcoridis verba verterit, & vera ſit ab ipſo depicta planta, quilibet ex ſupradictis iudicabit.

*Dalech. ... tatur.*

## DIGITALIS PVRPVREA.

### Cap. II.



Deſcrip.

Eſt vbi cubitos duos ſuperat Digitalis purpurea, *caule* pollicem craſſo, anguloſo, hirſuto, ſubrubente, concauo, ex *radice* fibroſa, amara: *flores* in thyrſi longioris morem : frequentes ab vno caulis latere, penduli, breuibus hirſutis pediculis, quorum ſinguli s eſt appoſitum foliolum acuminatum, calathi aut digitalis ſartorii munimenti effigiatura, colore foris coccineo, excepta inferiore parte quæ propter non nullam admiſtam albedinem carneo eſt, intus verò ſimiliter purpurei, inferiore parte (quæ & pilis longis obſita eſt) verſicolores, albis maculis nigro guttatis : *floris* baſi penitiùs adnaſcuntur *ſtamina* alba, aut purpuraſcentia, contorta, quæ apices didymos croceos guttatos ſuſtinent : *ſtilus* tenuis purpuraſcens ex hirſuti oblongique pericarpii mucrone protenditur, cui poſtea incluſum continetur *ſemen* minutum. *Folia* Verbaſci opinionem rectè ſuſtineant, oblonga, in acutum deſinentia, hirſuta, in ambitu ſerrata, ſupernè atrouirentia, infernè incana.

Digitalis purpurea Anguill. Fuchſio, quem miror non diligentiùs eam deſcribere. *Fuchſ...*

Hanc pulchrè deſcribit Dodon. Gall. non tamen additâ figurâ dicens : hæc herba vocatur Digitalis, Campanula ſylueſtris & Nola ſylueſtris : eſt, vt quidam ſcribunt, ſpecies Verbaſci, Græcis dicta λυχνῖτις & φλόμις cum qua magnã habet ſimilitudinem : de flor. autem, ſatis commodè depingit & deſcribit, dicitque : Fuchſius appoſitè Latinè Digitalem nuncupauit, deſcriptio autem Lychnitis non conuenit.

Digitalem flore luteo & purpureo vna figura [quæ ad luteam videtur pertinere] & deſcriptione Tragus comprehendit, non diſtinguens plantas niſi colore florum, ac ait. Quod ad caules & folia attinet, poſſet hæc planta Verbaſcis adiungi:

iungi: At ſi vel florem vel eius facultates ſpectes, videtur ſanè ad Galiopſin referenda, de qua Dioſc. lib.4. cap.90. Nos Campanulam ſeu Nolam ſilv. nuncupamus.

An Ruell. lib.3. hiſt. cap.37. Baccharis herba, noſtrates Officinæ non norunt, rura apud nos Diuæ Mariæ Chirothecas appellant.

C.Bauh. phyt. Digitalis 1. ſeu purpurea. Digitalis, inquit is, dicta à florum ſimilitudine, qui digitale referunt: Sunt qui ad Verbaſcum, alii ad Aliſmatis alterum genus apud Plinium referunt.

Digitalis purpurea Δακτυλῖνς Tabern. Germ. fingerkraut/ fingerhütt/ braun fingerkraut/ braun fingerhütt/ waldglöcklin & wald ſchell. B. Vinger hoet cruyt. Gal. *Digitale, doigtier, gands noſtre Dame*. It. *ganteili*. Angl. foxe gloue. Hung. Vy fiu gyʒeu fiu.

Digitalem purpuream habeo in Horto Exc.C. quam plantaui & ſeminaui, collectam propè Girarmegni vbi fodinæ argenti, copioſè etiam reperi inter Maſmunſter & S.Thamarix in monte Roſsberg, vbi etiam collegi ſemen, menſe Octobri florebat adhuc ſub arboribus, altitudinis hominis, ni etiam maior, cum foliis latis & valdè hirſutis: non longè à Lutea prouenit, & in montibus circa Thermas Plumbarias florens Iunio. Geneuæ habebam in horto, Bizantii vidi in horto Domini Doctoris Chiffleti, Baſileæ in horto Domini Doctoris Fœlicis Plateri: Bononiæ in horto S.Saluatoris al burgo di S.Catharina. Montbelgardi in Horto E.C. floret Iunio, Iulio, & Auguſto, flore purpureo & pænè rubello. Semine maturo Iulio: prope Caſtellum Paſſauant Ludrenſis ditionis. Flore albo in horto Montbelg.

## DIGITALIS FLORE MAGNO CANDIDO

Bicubitalis eſt planta, cui *radix* digiti craſſitudine, alba: *folia* Digitalis purpureæ, hirſuta: *florum* magnitudo par, ſed color lacteus, inferna parte intrinſecus punctis fuſcis aſperſis.

Icon.Plant.p.572. Digitalis alba. Teut.674. Digitalem flore albo à ſe viſam Baſileæ ſcribit Fr.Caſparus Bauhinus: Eam ego cum pulchro magno flore purpureæ ſimilem habeo Montbelgardi in horto Ill.E.C. florentem Iunio & Iulio.

## DIGITALIS LVTEA FLORE MAIORE, folio latiore.



Minor huic quàm Purpureæ magnitudo: nec diſſimilis *radix*: *caules* anguloſi, nonnihil hirſuti: *folia* anguſtiora, longa, infernè neruis hirſutis rugoſa, ſupernè penitùs glabra, atrouirentia, in ambitu crenata, ſapore ſubamaro & acri: *flores* Digitalis purpureæ pares, foris intúſque hirſuti: ſed colore, extrà quidem dilutè luteo, intùs verò croco ſaturatiore, languidéque luteo verſicolores.

Figuram Fuchſii Dodon. Gall. habet, non autem deſcribit: ſed tantùm colore floris luteo diſtinguit à purpurea, licèt foliis multùm differat. Digitalis tertia eidem de flor. *Dioſc. not.*

An Digitalis lutea Anguill. Digitalis Fuchſii minor flore maiore, Geſner. hort. Digitalis maior flore grandiuſculo pallido, Cæſalp. Digitalis lutea, Geelfingerhütt, Fuchſ. Thal. ac Tabern.

Caſp. Bauh. phyt. Digitalis 2. ſiue lutea magno flore. Sunt qui Calathianam Violam apud Plin. lib.21. cap.6. cenſeant. Hæc non ſolùm floris colore à purpurea variat, ſed & foliis, quæ in illa Verbaſco ſimilia, in hac verò ex viridi nigricantia, ſed lanuginoſa.

Locus & tempus

Digitalem luteam flore maiori luteo reperi copioſè florentem Iunio inter Montbelgardum & Meruelize, eandem habeo in horto E. C. per me ſatam, vbi ex luteo pallido & albicante florens Iunio & Iulio: Bononiæ in Italia vidi in horto S. Seruatoris al burgo di S. Catharina: Quum eſſem Geneuæ reperi in monte *Thuiri* menſe Iunio cum ſuis magnis floribus, foliis latis & hirſutis: prope Caſtellum *Paſſauant* in Ludrenſi ditione flore ex luteo albicante copioſè florentem Iulio vidi.

## DIGITALIS FERRVGINEA FOLIO anguſtiore.



Deſcriptio

Tres aut quatuor cubitos altus eſt *caulis* mediocriter craſſus, teres, læuis, cuius *ſcapus* ſummus in alas aliquot ſcinditur: *folia* Digitalis ſubluteæ anguſtifoliæ foliis proxima, longa, anguſta, acuminata, atrouirentia, neruoſa, auerſa parte ſubhirſuta, leui crenarum veſtigio per ambitum inciſa, alternatim cauli adnaſcuntur: *flores* longa ſerie thyrſoeide diſpoſiti, Digitalis purpureæ, breuiores, rigidiores, foris toti hirſuti, ferruginei, intus eodem colore ſaturatiore & ſtriis variegato picti, labro productiore villoſo dependente, in medio rictu hiante latentibus ſub ſuperioris folii margine apicibus luteis: inſidet autem floris recurua baſis calyci ſtellato quinque radiis conſtante.

Digitalis giluo flore aliàs ferrugineo, anguſtiore calatho, foliis atrouirentibus Lob.Obſ. Digitalis ferruginea Ic.plant.p.573. Teut.675. C.Bauh. phyt. Digitalis 4. ſiue anguſtifolia flore ferrugineo.

Locus & tempus

Anno 1592. primùm à me viſa Digitalis quam Ferrugineam exiſtimo vocari: floruit pulchrè in horto Ill.E.C. per me plantata: miſſa autem fuit planta per Inſignem Medicum D. Chriſtopho-

rum Schvvartz ex horto Ill. Ducis Wirtembergici Principis mei, cui præeſt, pulchra ſanè planta quæ floruit Iunio & Iulio.

Vires

Tragus cùm Digitalis amara ſit herba, facilè colligi poſſe autumat, illam naturâ ſuâ calidam & ſiccam eſſe. Itaque vſum illius extare poſſe in iis, quæ excalfactionem, extenuationem, abſterſionem, & purgationem expoſtulant. Fuchſius aſſeueranter ſcribit, herbam hanc haud dubiè cùm opus eſt extenuatione, abſterſione, purgationis & obſtructionis liberatione, efficacem admodum eſſe. Nam, vt teſtatur Galenus lib. 4. ſimpl. fac. cap. 17. amari ſapores abſtergunt, & expurgant, & quæ in venis eſt, craſſitiem incidunt: quamobtem menſes etiam quæ amara ſunt mouere poſſunt, vt ex thorace & pulmone pus educere: poteſt ergo hæc herba ferè omnia quæ Gentiana. Plurimi verò fit vulgatior illa & purpurea ad omnia vulnera ſananda, inquiunt Aduerſaria: de qua etiam in Obſ. Lob. Somerſeti Angliæ ruſtica turba huius decocto febricitantibus purgationes & interdum ſuperpurgationes & vomitiones, humidioribus aluo, molitur.

## DIGITALIS FLORE MINORE, SVBLVTEO, anguſtiore folio.

Deſcriptio



Dvorum cubitorũ altitudinem æquat vel etiam ſuperat, *caule* digitali, ramoſo, læui, ex *radice* pollicari emicante: cui alternatim adnaſcuntur *folia* ſpithamam lõga aut breuiora, duas aut tres vncias lata, acuminata, in ambitu crenata, supernè glabra, atrouirentia, infernè herbida, ſubhirſuta: *flores* tanquam thyrſum longa ſerie effigiantes, quanquam ortu diuerſo, eòdem tamen ferè omnes vergunt, dimidio minores Digitalis purpureæ floribus, colore luteo in herbaceum languente, idque tam intus quàm foris, labro intrinſecus villoſo, quorum vnicuique ad pediculum folium acuminatum penitus glabrum eſt appoſitum. *Semen* in loculis aliarum huius generis more.

Geſner. de col. ſtirp. Digitalis flore minore, albiore: Eidem hort. Digitalis maior flore maiore, cui fortè attribuendum nomen quod citat Gpitʒ wũnd kraũt. Dodon. de flor. Digitalis quarta flore ſubluteo. Digitalis lutea, Aduerſ. C. Bauh. Digitalis ſeu lutea flore paruo. Duas Lobelius Icon. pingit. Hanc enim noſtram minore ramo expreſſit, quæ ad bicubitalem altitudinem apud nos excreſcit, folioque eſt longiore, & latiore, pallidioreq; quàm ſit Digitalis Luteæ flore magno. Quam verò pingit oblongis anguſtiſque foliis, necdum vidimus. Hæc cenſetur Damaſonium Dioſcoridis, & primum Plinii. Fiſtula paſtoris Auicennæ.

Locus & tempus

In petegrinatione noſtra Rhætica cum Geſnero Digitalem cum floribus minoribus reperi, cui aſcripſi flores huic albos eſſe odoratos, folia ſatis ſolida, glabra, bicubitalem caulem & floruiſſe Iunio circa Walſtatt. Digitalem hãc Geneuæ ex vicinis montibus in hortum tranſtuleram, virebat menſe Ianuario, florebat Iunio. Baſileæ quà itur Moutets, in monte Moutets, & iuxta Baſileam extra portam S. Albani, florens menſe Iulio. Frater obſeruauit etiam in monte Munchſtein vicino. Montbelgardi quà itur *Dun*, & eundo *Abevillars*. In monte Roſsberg prope Maſmunſter inueni adhuc florentem Octobri, altitudinis trium circiter cubitorum, flores tamen minores multò quàm in Lutea quæ minor, huic folia glabra. Montbelgardi in Horto Il. E. C. menſe Iunio, & Iulio & Auguſto, florent pulcherrimè flores ex luteo ferè albi.

## IESMINVM MEXICANVM, SIVE FLOS mexicanus multis.

### CAP. III.

Deſcr.



IAſminũ Mexicanum à natalibus dixeront plantam *radice* nitentem, craſſa, Mãdragoræ ſimili, cubitalem longitudinem ſæpè excedente, paucis fibris donata, circulos Mechoacæ inſtar ſi tranſuerſa ſecetur oſtentante, foris nigra, intus alba, ſapore primùm fatuo, deinde nonnihil acri, & ſauces vexante: quæ terram verſus in ceruicem paullò minorẽ, rugoſam deſinens, *caules* deinceps plures producit proceros, quadrangulos, nitidos, nonnihil hirſutos, ſucculentos, qui in ramos diuiduntur, non illos quidem oppoſitos, ſed ἀζύγως tuberoſo ad ortum & veluti geniculato principio, mox alios alioſque eodem modo parituros, caulis inſtar quadrangulos: *folia* ramorum origini ſubiecta aduerſæ parti ramo vacuę foliis reſpondent, foliis Solani Bellæ donnæ ſimilia, acutiora, auerſa parte nonnihil candicantia, vtrinque glabra, ſapore feruido & virente: *flores* Solis impatientes ex ramorum alis, eorumque faſtigiis ex breuibus pediculis Conuoluuli maioris ſed minores, itidem vt illi integri, in calathum latiuſculum, plicas quinque habentes diffunduntur, ſenſimque in tubulum gracileſcentes, globulo paruo folliculis multifidis amplexo inſeruntur, colorum feſtiua & hilari varietate ludentes, iam lutei, iam puniceі, alias puniceo luteóque confuſis verſicolores [quam varietatem in eadem planta eſt obſeruare] fibratum cirrhis è tubulo prominentibus, odore.

odore non inſuaui. Vnicuique flori ſuccedit *ſemen* pulchrum magnum, Ciceris ferè, pentagonum, rugoſum, nigrum medullâ alba, quod relicto folliculo ſuo facilè excidit.

Et licet nunc adeò vulgaris ſit notitiæ, vt nulla ferè ſit opus acuratiori deſcriptione, Cluſii tamen Hiſtoriam, vt qui plura notatu digna obſeruarit aſſumere libuit. Primùm igitur emergit Ocymi quod Cereale nonnulli cognominant, aut Circeæ Lutetianæ ferè modo: deinde caulem promit cubitalem vel etiam interdum ampliorem, pollicari craſſitudine, ſucculentum, firmum, ex viridi flaueſcentem, frequenter vti Balſaminæ caulis geniculatum, & in multos ramos eoſdemque ſimiliter nodoſos diuiſum: qui ex ipſis prodeunt, non bini vtrinque, & ex aduerſo oppoſiti, ſed ſingulares duntaxat, alternatim modò in vnam, modò in alteram partem vergentes, & quem primùm ſeruarunt ordinem aut ſeriem, perpetuò ferè retinentes, hoc eſt, vt tertius, quintus, & ſeptimus ramus in eandem partem ſpectent in quam primus: quartus verò, ſextus, & octauus [ ſi modò tot primariis ramis planta ſit prædita ] eodem latere naſcantur quo ſecundus: folia in ſingulorum ramorum nodis bina aduerſis pediculis ſemper naſcentia, Siliquaſtri foliis pænè ſimilia, viridia, ſatis carnoſa, ſucculenta, circa pediculum ampla, extremo mucronata, quæ trita, Siliquaſtri grauem odorem, guſtata verò, ingratum ſaporem, & tandem illius, vel foliorum Tabaci etiam acrimoniam propemodum referunt: flores in extremorum ramulorum alis ſinguli, longi, concaui, in quinque ſinus, antequam aperiantur, complicati, explicati verò Tabaci floribus non valdè diſſimiles, non tamen in mucronatos angulos, vt illi, deſinentes, ſed in obtuſos, Conuoluuli florum inſtar, Tabaci etiam floribus ampliores, elegantiſſimâ interdum purpurâ, ſiue Kermeſino colore nitentes, nonnunquam Lateritii, aliquando flaui, aut pallentes, interdum prorſus albi, vel exalbidi duntaxat, non nunquam obſoletè rubentes aut flaueſcentes, ſæpiſſimè binis coloribus ſimul eluceſcentibus, vel purpureo mediam floris partem occupante, aut radiis modò purpureis alternatim totum diſtinguentibus, vel interdum magnis, nonnunquam exiguis purpuraſcentibus maculis vario ſitu & mixtura per totum florem, vel flaueſcentem, palleſcentemue, aut album, candicantemue, vel obſoletum, aſperſis, odoris ſatis ſuauis, & Narciſſinum quidpiam referentis, ſex oblongis ſtaminulis, ſtiloque paulò longiore è medio flore emergentibus: *valde* autem caduci ſunt hi flores: nam cùm noctu explicari incipiant poſtridie ſub horam octauam antemeridianam [ per æſtus præſertim ſeſe contrahere incipiunt, florum conuoluuli modo: at temperatiore aurâ, integro nonnunquam die expanſi permanent, & ſub noctem duntaxat contrahuntur: ſingulis tamen diebus alii recentes aperiuntur, qui ſi integri quotidie decerpantur, & inter chartas reponantur [ diu enim colorem retinent ] atque deinde inter ſe conferantur, iiſdem quidem coloribus conſtare deprehendentur: ac eorumdem ſitu & mixtione, inter ſe variare, quiſquis diligenter obſeruauerit, animaduertet. *Quæ* ſanè inſignis varietates, quotquot iſtum florem obſeruant in ſummam admirationem, non immeritò rapere debet: etenim diutiſſimè viret, & à Iulio menſe ad Octobrem vſque [ niſi pruinæ interueniant] numeroſâ florum ſobole luxuriare ſolet: caliculi flores amplectentes, & in quinque mucronatas lacinias ſunt diuiſi, virides & quaſi membranacei, in quibus vnicum ſemen, nullâ membrana ſiue pericarpio incluſū, mucrone, cui flos inſedit obtuſo, infima verò, quâ caliculo adhæret, parte, tanquam exiguâ coronâ ornatum pentagonum ferè, baccæ myrti propè magnitudine, initiò viride, maturitate fuſcum, & quibuſdam veluti tuberculis obſitum, ſpontè, vel tenui vento, vel leuiſſimâ cōmotione decidens, nucleūque continēs album, qui tritus in candidiſſimam, & amyli inſtar niueam friabilemque pulpam reſoluitur: *radix* ſatis craſſa & ῥαφανώδης eſt, intus alba, foris nigra, aliquot fibris prædita, guſtu nonnihil acri, cui admiſta ſit ſuperficiaria quædam dulcedo. Eam licet annoſam initiò cenſeremus [ nam ſingulis annis nobis erant ſerenda, hyeme radicem in horto relictam corrumpente ] viuacem tamen eſſe, ab optimo & peritiſſimo viro Sebaſtiano VVolmario Ill. D. VVirtemb. Pharmacopœo, & horti Medici tum temporis Præfecto, ſumus admoniti. Is enim cùm ſub Autumni exitum aliquot plantas eruiſſet, & caule præciſo, ex illis vnam, propter formæ elegantiam exiccandam ſeruaſſet, initio autem Martii ſequentis cuidam amico oſtendere vellet, eam ſucculentam & quaſi reuireſcentem deprehendens, terrâ in fictili obruit, & paucos poſt dies folia proferre cœpit, deinde circiter Cal. Iulii etiam flores. Cuius rei poſtea nos etiam aliquoties periculum fecimus, atque etiam alii noſtro exemplo. Sed exigui momenti eſt compendium illud conſeruandarum hyeme radicum: nam nouo Vere terræ commiſſæ, forſitan flores proferent quindecim diebus antè quàm illæ plantæ, quæ ſemine terræ eodem tempore credito, ſu[n]t natæ. *Aliud* autem genus habuimus, quod licèt à ſuperiore, caulis magnitudine & craſſitudine, ramorúmque ſitu & foliorum formâ non differret, color tamen ſtolonis & florum diſſimilis eſt: nam dum primùm terrâ emergit, cauliculi foliorúmque pediculi, vti Betæ rubræ iam recens naſcentis, purpuraſcunt, manétque is color in adultæ etiam caule & ramis: flores verò rubente nitidiſſimáque purpurâ infecti videntur, ſex etiam tenuia ſtaminia longiorémque ſtilum continentes, eiuſdem cum ſuperiore odoris. Hi verò non mutantur, ſed vnius perpetuò ſunt coloris, & quem primi habuerunt, reliqui deinceps retinent: ſemina in caliculis ſingularia, ſuperioribus reſpondentia: radix non diſſimilis. Hoc genus è ſuperioris ſemine, cui rubri flores inſederant, originem trahere non eſt dubium, quia proximo anno & aliis ſubſequentibus, vtriuſque generis ſemina ſeorſim terræ ma[n]dauimus, vt diligentiùs iſtam varietatem & colorum diſtinctionem obſeruare poſſemus, & comperimus ex rubri floris ſemine nullas alias ſtirpes prognatas, quàm eas, quæ rubros flores darent. *Idem* periculum fecimus de granis flauo flore genitis, è quibus prouenire obſeruauimus, quæ nullos alios flores darent, quàm flauos. Simile etiam de alborum florum ſemine factum periculum, ex quo natæ plantæ, albos quidem initiò flores dederunt: ſed qui ſub Autumnum primùm explicabantur duorum colorum euadebant, commixtis in eodem flore albo & purpureo, minùs tamen quàm in verſicolore primù[m] deſcripta. *Illud* præterea obſeruabam in iſta diſtincta ſatione, ex ſolis plantis rubræ ſemine natis, ſtatim ab exortus initio agnoſci poſſe, quos flores ſint daturæ: ex verſicolorum autem, flauorum & alborum ſemine prouenientibus, nullum certum indicium, ſi mixtæ ſint ſatæ, ſumi

Margin notes:

*...na co- / ...inflo / ...retas.*

*Admior.a-lis 2. rubro flore*

*Admir. flauo flore*

*Admir. albo flore*

poſſe, quia eiuſdem omnes ſunt coloris in tenera ætate. *Aliud* porrò Rubræ genus mihi Viennę natum, ſemine ex Italia allato *Iaſmin roſſo*, hoc eſt Iaſmini rubri, nomine: in fictilibus quidem natæ plantæ, puſillæ & humiles erant, latè nihilominus ramos fundentes: quæ autem in horto ſatæ, ſuperiori generi rubros flores gerenti longè ampliores, & latiſſimè ramos ſpargentes, eadem ſerie quâ in ſuprà deſcriptis alternatim naſcentes, eundémque ordinem ſeruantes, vt videlicet alternis in idem latus ſemper vergerent, atque ſpectarent, ipſi ſimiliter cum ſuo caule admodum ſucculenti, & frequentibus nodis ſiue geniculis præditi, atque magna ex parte purpuraſcentes: folia in hoc genere magis atra, magis ſplendentia, interdum maiora, altera parte magis prominula, & inferiùs ſuum exortum in neruo habentia, ſimilis tamen cum ſuperioribus & odoris, & ſaporis: flores aliis forma pares, eodémque modo ex poſtremarum alarum ſinubus naſcentes, oblongiores tamen, tenuiores, & colore dilutiùs rubente, extremâ etiam parte minùs ampli, ſex ſimiliter ſtaminula cum ſtilo in meditullio continentes, ſuauémque odorem ſpirantes: ſemen in caliculis, rubro alteri ſimile, hoc eſt, anguloſum, & tuberculis obſitum, ſed breuius & magis craſſum: radix etiam breuior & craſſior alterâ, interdum in binos aut ternos ramos craſſos diuiſa. Magis ſerotina eſt reliquis, & niſi Solem valdè apricum habeat, vix ad frugem peruenit in frigidioribus regionibus. Ex radicibus tamen, per hyemem in fictili ſiccâ terrâ pleno, conſeruatis loco calido, plantas Viennæ habui, quæ maturum ſemen protulerunt: ſed cùm per meam abſentiam, ex horto non eſſent erutæ ſæuâ illâ hyeme anni 1586. corruptæ ſunt, & genus illud mihi intercidit: Lugduni verò apud Batauos ſemine peregrè accepto, denuò natum 1599. *Sed* illud mirum in omnibus his plantis & obſeruatione dignum, quod, cùm tabe ſcere incipiunt, primùm folia, deinde integri ramorum articuli ſimul decidant, & circa nudos iam remanentes nodos, candida quædam effloreſcentia interdum adnaſcatur, quæ temporis ſucceſſu concreta, ſalis guſtum referat: cuius poſtremæ notæ C. V. D. Ioach. Camer. pro noſtra amicitia primus me admonuit.

Nomina. *Cæterùm* peregrina & venuſta hæc planta, varia pro regionum diuerſitate obtinuit nomina: Etenim ex Hiſpaniis ſemen primùm miſſum eſt, *Marabillas del Peru* appellatione, propter admirabilem florum in eadem ſtirpe varietatem: deinde *arreboleras* nomen inditum: ex Italiâ nunc Indici, nunc Mexicani *Iaſmini* nomine, ob ſuauem videlicet eius florum odorem: Belgæ *Solanum odoriferum*, à foliorum cum Solani foliis ſimilitudine, & florum odoris gratiâ vocarunt: Peruanos, à quibus initiò ſemen ad Hiſpanos peruenit, *Hachal indi*, craſſâ & in palato formatâ pronuntiatione, nominare intelligo: Mulierculæ Viennenſes, apud quas etiam in deliciis eſt, Geſchecket Indianiſche blůmen, id eſt, verſicolores Indicos flores nuncupant.

Clus. not. *Hactenus ille*, qui videtur nobis fructus huius Mexicani floris malè Arbori triſti quondam appinxiſſe: eius autem figura meliùs placet quàm Plantini.

Gelſeminum rubrum nuperrimè viſum floribus puniceis putat Cæſalp. Mandragoram apud Theophr. vocari. Sed non placet Cæſalpini opinio, quandoquidem comperitur in hac plāta fructus racematus, vinoſúſque ſuo ſapore, qualem requirit Theophr. vires etiam non videntur cōuenire. Meliùs ſentit Camer. de hac plāta in horto-ſcribēs: Gelſeminum ſiue Iaſminum Indicum, ſub quo nomine cùm primùm fuerit ex Indiis aliis communicatum, ſemper poſtea hoc nomen retinuit, quamuis ſit planta ſui generis, & pauca habeat cū Gelſeminis communia. Magis propriè Flos Mexicanus à loco natali: θαυμάσια quidam ex Hiſpanico Marabillas.

Hiſt. Lugd. Iaſminum rubrum Dalechampii, Flos coccineus.

Locus. Tempus. Habui ſemina à Fratre C. Bauhino cum hac inſcriptione: ſemen Indicæ plantæ pulcherrimæ. Habui à Volmario inſigni Parmacopæo Ill. Ducis Vvirt. A. D. D. Fel. Platero, qui vocauit *Taumanthin Peruuianum* & *Flaquetin Indorum*. A Do. à Pfeffer lap ex ſemine collecto in Si Fz. Accepi ſemen Stutgardiá quod miſſum fuerat ab Hortulano Ducis Florentini cum hac inſcriptione *Merauiglia di Peru maggior*. Item *Merauiglia di Peru* flore àlbo. Accepi à Toſſano Carolo ex Burgundia cum hàc inſcriptione, *Flaculi Indii*. Semina hæc in horto Montbelgardico Ill. Ducis Vvirt. ſata plantas aliquoties proferebant, quæ ſemen maturabant Septembri & Octobri, cuius plurimùm, vbi nigreſcebat, ſpontè cecidit. Monitus à D. Camerario ramos in terram depoſui qui apprehenderunt.

Vires. Scripſit ad Cluſium Patauio ampliſſimus Vir Iac. Antonius Cortuſius, eius quæ vario eſt flore radicis binas drachmas intrò ſumptas egregiè aquas educere. Quod è ſapore iudicare poteſt autor H. Lugd. aquoſa & humida eſt quædam eius portio: ignea verò, calidaque & ſicca altera, quæ diſcutere valenter poſſit tumores frigidos.

## CAMPANVLA SERPYLLI FOLIA Ioh. Bauhini.

### Cap. IV.



Deſcriptio. *Viticulas* habet fruticoſas Serpylli, longas, multas, in varios ramulos tenuiores diuiſas: in quibus *folia* ex aduerſo coniugatim poſita, Serpylli æmula, iis tamen quædam maiora, alia minora, crenata, nonnihil piloſa, breuiſſimis pediculis adnexa. Ex ramulorum extremitatibus *pediculi* oriuntur palmares ferè, foliis nudi, in quibus flores bini terníue, deorſum nutātes, Campanularum formâ, minimi digiti vngui magnitudine cedentes, colore, ſi rectè recordor, cæruleo.

C. Bauh. phyt. Campanula 9. ſiue Serpyllifolia Io. Bauhini.

LINIFO-

Hanc in Rhætia florentem æſtate inuenimus. Frater indidem ſiccam ſine flore miſit anno 1592. Genet Io. Henr. Cherlerus ex monte Gotthardo attulit.

## LINIFOLIA CAMPANVLA lutea.

### Cap. V.



Folia per caules ferè ſeſquipalmares alterno ſitu, oblonga, anguſtaque, Lini ſatiui foliorum æmula, læuia: *caules* ſuperiùs in ramos abeũt qui *flores* geſtant inſignis magnitudinis, vnciâ longiores, croceo colore micantes, calyce in quinque lõgas ariſtas fiſſo, capitulo ſequente Lini, ſed magis turbinato: *radix* longa, craſſa, lignoſa, in plura *capita* tuberoſa diuiſa.

Depingunt & deſcribunt Adv. ac ſic denominant: Campanula lutea Linifolia Montis Lupi, flore volubilis. Hæc Lobel. Obſ. videtur Viola Calathiana Plinii, flore luteo.

Hiſt. Lugd. Hyſſopus nemorenſis & lutea. Sciendum autem nos iconem ſolùm H. Lugdunenſis, huc referre, non item deſcriptionem, quæ non congruit figuræ.

Plant. Icon. pag. 414. Campanula Linifolia, Teut. 500.

C. Bauh. phyt. Campanula 4. ſiue Linifolia lutea.

Cùm eſſem Monſpeſſuli mihi allata ex proximis montibus Linifolia Campanula lutea. Gener Cherlerus attulit collectam in planitie propter montem Lupi.

## SOLDANELLA MONTANA quibuſdam.

### Cap. VI.

Obliquam agit *radicem*, nigram, craſſiuſculam, tuberoſam, multas longas fibras quibus terræ hæret, demittentem, *folia* tria, quatuor aut quinque pediculis è radice ortis duum aut trium vnciarum nituntur, vncialia aut paullò maiora, circinatæ rotunditatis, craſſa, ſolida, atro virore ſplendentia, in quibus nerui vix niſi ſiccis apparent obliqui: *caulis* inter folia ſurgit vnicus vt plurimùm, vel duo, dodrantales, nudi, qui ſuperiùs in ramulos paucos diuiſi *flores* gerunt duos tréſve, nutabundos, nolam imitantes, cæruleos, fimbriatos, ſtylo longiore prominulo. Succedunt *cornicula* vnciâ breuiora,



ſtriata per ſupremam oram crenata, *ſemen* continentia.

Hanc ſic depingit Cluſ. Sena habet, aut octona folia, craſſa, in orbem ferè circinata, Braſſicæ marinæ, quam vulgò Soldanellam vocant, æmula, ſed duriora, ſupernè viridia, infernè dilutiore viriditate ſplendentia, guſtu primùm exſiccante, deinde acri & ingrato: flores gerit in læui, nudo, gracili, ſubrubro, palmarique cauliculo binos ternos aut plures, purpuræ vel ſaturæ, vel dilutæ colore, inodoros, Campanulæ modo efformatos, deorſum ſpectantes, & propendentes, vnico folio in quinque profundas crenas (quæ aliquantulùm laciniatæ ſunt) & totidem alias ſingulares, diuiſo, conſtantes è medio protuberante veluti quodam vmbone in longum ſtilum deſinente, qui in vaſculum, vel corniculum potiùs euadit, oblongum, durum, membranaceum, mucronatum, paruum, durum, vireſcens, ſimul congeſtum ſemen continens: radices fibroſæ, candicantes, ex vno veluti capite dependent, quod adnatis ſe propagat.

Eſt & aliud genus minore folio; neque circa pediculum, qui breuior graciliorque eſt, adeò circinato, ſed ſenſim ab ipſo in latitudinem excreſcente.

Inueniebat etiam in aſcenſu montis Herrenalben in quibuſdam vmbroſis locis quoddam genus amplis foliis, ſed tenellis admodum, quæ parte inferiore non virebant, ſuperiorum modo, verùm non minùs rubeſcebant, quàm Cyclamini flore odorato folia. Soldanellam montanam Aduerſ. ſine flore pingunt, licet illi florem Gentianellæ minoris cæruleum aſſignent. Dalech. apud Hiſt. Lugd. florum picturam habet, ſed malam. Vocat Lunariam minorem & Aſclepiadem quorundam. Ic. Plant. p. 602. Soldanella montana. Teut. 715. Camer. apud Matth. Soldanella alpina. Violam alpinam foliis Aſari minoribus hanc inſcribit Geſner. hort. C. Bauh. Phyt. Soldanella tertia ſiue alpina rotundifolia. Et altera ſiue 4. folio minùs rotundo. Variat prior foliis & floribus: alia foliis ſupernè virentibus, infernè dilutiore virore ſplendentibus: alia foliis infernè virentibus: flos purpureus, nunc ſaturatior, nunc dilutior, flore etiam niueo reperitur.

In arduis montibus & celſis Alpibus quæ Inſpurgum & Rauiſpurgum ambiunt colligi: ac in quibuſdam montibus Auenione non diſſitis magna gliſcere copia audiunt Aduerſ. Copioſè naſcitur in Auſtriæ & Styriæ Alpibus, perpetuâ niue obſitis, nuſquam verò latiorem, aut vberiorem conſpiciebam, ait Cluſius, quàm in iugo Vvechſel nuncupato, ſupra Aſchpang Magn. viri Eraſmi à Khunigſperg m. liberi Baronis: vbi Locus & tempus

anno 1576. vnicam plantam lactei prorſus candoris flore inueniebam. Floret iſtic Iunio, interdum Iulio, & Auguſto, niuium maturiùs aut ſeriùs liqueſcentium ratione. In hortos autem tranſlata, etiam Aprili, vel cum Primulâ veris rubrâ floret: difficulter autem cicurari poteſt. Hanc herbam pulcherrimam florentem vidimus in montibus Rhæticis dictis Chempſeche & Albula, Iulio menſe 1601. Tunc fuit mihi denominata Cyclaminis ſpecies. Habuimus anno 1595. in Horto Il. E. C. Montbelgardi, allatam Argentina ex horto D. Friderici Meier.

Ex Theophraſtinis illis æruſcaſtoribus nonnullos huius foliis, cuticulâ ſummâ deglubitis, aſciticíque abdomini admotis, aquas educere, & vulnera illicò mirificéque carne & cicatrice claudere, tradit Lobelius, quod non vidimus. Folium craſſiuſculum eſt, & ſubadſtringens, amaricante ſapore, Soldanellę planè ſimillimum.

## FINIS LIBRI VIGESIMI.

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

### HERBÆ SILIQVOSÆ, PLERÆQVE ACRES, INTER QVAS MVLTÆ CVLINARIÆ.

*POST Rapunculos, quid potiùs ſubiungi mereatur quàm Rapa, ac his conſimiles Napi, Braßicæ, & huiuſmodi aliæ? quas ſi pleraſque in culinas accitas quis dicat, vt rumen impleant, vt ille ait, nulli reluctabimur. Illud potiùs Herbariæ Studioſis oſtenſum volumus, omnes infrà dicendas plantas id habere commune, vt ſemina ſiliquis incluſa gerant, acria ſanè pleraque ſicut & ipſæ plantæ.*

---

## BRASSICA VETERIBVS ET IN GENERE.

### CAPVT. I.

HORTIS & culinæ familiaris Braſſica [ῥαφανός] quam Theophraſt. trifariam diuidit hiſt. pl. lib.7.cap.4. Ac primùm quidem in eam, quę criſpa οὐλοφύλλα: dein in eam quæ læuia [λειοφύλλα] habet folia: & tertiam agreſtem [ἀγρίαν.] Videtur autem priorum [duarum) Braſſicarum ſimilitet & hæc eſſe differentia, quòd harum quædam nullum, quædam malum ſemen habent. In vniuerſum autem criſpa [οὔλη,] & meliore ſucco, & maioribus foliis eſt, quam læuis [λείας.]

Notandum autem non hîc ſolum Braſſicam τὴν ῥαφανὸν à Theophtaſto nominari, & ita à Theodoro conuerti, ſed aliis etiam in locis ſæpiſſimè, in quibus Scaliger τὴν ῥαφανὸν pro Braſſica vſurpat, & non pro radice neque radicula, quæ ῥαφανὶς quoque à Græcis vocatur. Ipſe etiam Ariſtoteles Braſſicam interpretatur. Scribit enim lib.5.cap.19. hiſt. Naſcuntur Erucæ ex virẽtibus foliis, maximè Raphani, [ῥαφάνου] quam nonnulli κράμβην [Braſſicam] vocant.

Adhæc & Athenæus lib.9. ῥαφανὸν Theophraſt. κράμβην eſſe dicit, ita ſiquidem illic ait. Theophr. verò ad hunc modum ſcribit. [τῆς δὲ ῥαφανοῦ] (λέγω δὲ τὴν κράμβην) ἡ μέν ἐστιν οὐλόφυλλος, ἡ δὲ ἀγρία: Raphanus, Braſſicam dico, altera criſpis eſt foliis, altera ſilueſtris [lęuis Dalechampius.]

Antiquos Raphanum Braſſicam vocaſſe monſtrat Apollodotus Caryſtius.

*Raphanum ſcio vocare nos: at hoſpitis*
*Vos Braßicam.*

Plinius negligentiùs legit, imò nec animaduertit quidem, quæ Theoph. ac Atiſtoteles de Braſſica ſcripſerunt, ipſe ſiquidem lib.19. cap.5. Raphano radici tribuit, ac rurſus eiuſdem libri c. 8. ad Braſſicam quoque retulit, Catonem, qui illa ex Theophr. tranſcripſit, his verbis citans. Sed Cato Braſſicę miras canit laudes, quas in medendi loco reddemus. Genera eius facit tria: vnam [latis Cato] extentis foliis, caule magno: alteram criſpo folio, quam Papiniam vocat: tertiam minutis caulibus, lenem, teneram minimè probat.

*Catoni Braßicæ 3.*

Idem Plinius eadem tria genera libr.20.cap.9. reperit. In tres, inquit, ſpecies diuiſere Græci antiquiſſimi. Criſpam quam Selinada [legendum videtur Selinoidea, ſiue Selinoiden, ex Catone c.157. vocauerunt, à ſimilitudine Apii foliorum, ſtomacho vtilem, aluum modicè mollientem. Alteram leam, latis foliis è caule exeuntibus. Vnde caulodem quidam vocauere, nullius in medicina momenti. Tertia eſt propriè appellata Crãbe, tenuioribus foliis & ſimplicibus denſiſſimiſque, amarior, ſed efficaciſſima.

Quò verò Catonis ſententiam de Braſſicę generibus clariorem reddam, verba eius ex cap. 157. adſcribam. Nunc vti cognoſcas genera earum, prima eſt leuis, quæ nominatur λεία, grandibus, & latis foliis, caule magno, validam hæc habet naturam, & vim magnam habet. Altera eſt ctiſpa, quæ à ſimilitudine Apii σελινοειδὴς vocatur. Hæc eſt & aſpectu, & natura bona ad curationem, validiorque eſt quàm ſuprà ſcripta eſt. Item eſt tertia, quæ κράμβη vocatur, minutis caulibus, tenuioribus foliis, & acerrima, omnium eſt iſtarum tenui ſucco vehementiſſima.

*Læuis. Criſpæ.*

*Crambe.*

Atque hæc tria genera Braſſicæ agnoſcit etiam Eudemus Athenienſis libr. de oleribus apud

*Halmyrida Leiophyllon ſiue Selinuſium*

Athenæum lib.9.nimirum quod Halmyrida[quia niſi in maritimis non prouenit]Leiophyllon,& Selinuſium.

Diphilus Septinius contra, videtur duplicem Braſſicæ ſtatuere differentiam, ſpecioſiſſimam, ſeu dulcem, quæ Cumis: & amaram,quæ in Alexandria oriatur. Quod autem ſemen in Alexandriam è Rhodo fertur in annum efficere braſſicam dulcem ,ſed quæ poſt id tempus pro natura loci amareſcat. Nicander in Georgicis:

*Læuis quidem Braßica, interdum verò ſylueſtris obuia,*
*Cùm ſeritur folioſa,in areis hortorum pubeſcit:*
*Criſpa verò, fruticoſa, Tyrio colore foliis nitentibus,*
*Aut Phœniceis,& Halmyridi ſimilis,*
*Cymis decolor,& aſpera,ſimilis eſt*
*Soleis,quas aſſuunt mutatoriis calceis.*

Cæterùm, tria iam dicta genera complectitur Dioſc.ſub Braſſica ſatiua, ſub qua etiam Ægyptiam haber, quæ propter amaritudinem in Ægypto non eſtur, ait Plinius. Addunt autem Dioſcor. & Plin.adhuc genera duo, ſylueſtrem alteram, de qua paulò pòſt: & alteram marinam,de qua Hiſt.n. lib.15.

Sed & cætera genera complura ſunt, pergit Plinius,Cumanũ ſeſſili folio,capite patulum. Aricinum altitudine non excelſius, folio numeroſius,quàm tenuius. Hoc vtiliſſimum exiſtimatur, quia ſub omnibus penè foliis fruticat cauliculis peculiaribus. Pompeianum procerius caule ab radice tenui,intra folia craſſeſcit. Rariora hæc anguſtioráque, ſec teneritas in dote, ſi frigora non tolerat: quibus etiam aluntur Brutiani prægrandes foliis, caule tenues, ſapore acuti. Sabellico vſque in admirationem criſpa ſunt folia:quorum craſſitudo caulem ipſum extenuat,ſed dulciſſimi perhibentur ex omnibus. Nuper ſubiere Lacuturres ex conualle Aricina, vbi quondam fuit lacus turriſque quæ remanet: capite prægrandes, folio innumeri. Alii in orbem porrecti, alii in latitudinem toroſi. Nec plus vllis capitis poſt Tritianum cui pedale aliquando conſpicitur, & cyma nullis ſerior.

Ex omnibus itaque generibus quæ ex cultu, locis & forma nomen adepta apud Plinium,duo noſtris vulgò notiſſima ſunt, inquit Cornarius: Alterum ſeſſili folio, atque ita conflexo, vt omnia ſimul vnum caput efficiant. Quare etiam Kapuskol, id eſt,caulem capitatum vocant: ſicut etiam Græci κραμβὴν κεφαλωτὴν dicunt: Alterum extentis foliis, caule magno,quod partim Schlaû-chen, partim Koſen, partim Staûden appellant. Caulium itaque & coliculorum appellationem, de Braſſica etiam noſtri habent, in eo quod ipſam Kôl vocant,quamuis aliqui etiam Kraût nominent, id eſt olus, quomodo item Latinè appellatur,ob excellentiam.

Etſi plurima ſint Braſſicæ genera, vt ex veteribus rei ruſticæ Scriptoribus liquet, quatuor tamen duntaxat, quas hodie vſitatas eſſe ſcribit Fuchſ. producit: quarum vna Græcis λεία [læuis] nominetur, grandibus & latis foliis, caule magno:& Germ.Breiten oder groſſer Kôl vocetur, Gall ſimpliciter *Choulx*. Altera criſpa,quæ à ſimilitudine Apii σελινοειδὴς,id eſt, Apiana nuncupetur, vulgò criſpus caulis, Germ. Kraûſer Kôl, Gall. *choulx creſpés*. Tertia quæ propriè Crambe, minutioribus caulibus,& tenuioribus foliis, flore luteo. Germ. Kleiner Kôl, vt ab aliis diſcernatur, nominari poſſit, aut ſimpliciter, & ſine adiectione Kôl, Gall. *Choulx rouges*. Quarta, quæ ſeſſilis ſit folio,& capite patula.

Braſſicarum nobis notæ hæ, inquit Geſner. hort. Alba, nigra, criſpa, hirſuta & rubra, quæ non multùm differt à nigra, ita vt ſæpiùs vna in alteram mutetur, quod Olitores teſtantur. Item: capitata Braſſica hortenſis vbinam ſpontè naſcatur neſcio.

Tragus præter ſylueſtrem, has recenſet Braſſicas. Braſſicam ſatiuam maiorem. Braſſicæ ſatiuæ maioris ſpeciem alteram. Braſſicam criſpam, & capitulatam,de qua ſeparatim egit.

Matthiolus ſua Braſſicæ genera Veterum accommodare ſtudens ita ſcribit. Satiua Braſſica, Theophr. & Plinio authoribus in multiplici recenſetur genere. Id quod & horti in Italia atteſtantur: nam in iis multiplex & varia creſcit Braſſica. Inter quas nominatim & ea (Braſſica criſpa) quam Plinius Sabellicam appellari tradidit, quæ criſpis admodum foliis, Lactucæ modo in ſe concluditur,intus albicans,tenera, ſubdulcis,& quæ hac ætate omnium præſtantiſſima habetur. Eſt & capitata conglomeratis vndique in orbem foliis,Plinio Lacuturris appellata,quæ vulgò *Capucei* dicitur. Eſt inſuper ex iis,quæ noſtris Italiæ hortis proueniunt, alia quædam [ Braſſica rapoſa ]cuius caulis Rapi in morem extuberat, manditúrque ſubinde medulla, pingui iure incocta raporum modo. Huius non reperio meminiſſe Plinium,nec eo vetuſtiores alios, qui de hortorum ſationibus ſcripsêre,ſicuti nec illius,quę foliis admodum per ambitum laciniatis, minutímque interciſis aſſurgit.

Ex multis Braſſicæ ſpeciebus quatuor recipere videtur Camer.horti:Cypriam, ſiue Pompeianam[multifloram,]quam vulgò *caulifiori* vocant: Rapicaulem, Apianam criſpam, & Albam Genuenſem quæ nobis Braſſica ter.uter ſecta.

Lonicerus meminit Braſſicæ albæ,latæ,criſpæ, capitatæ, & ſeſſilis, ſed,quod mirum,nullam deſcribit. *Lonic. r*

Simili modo Ryffius oſcitanter & ieiunè nimis de Braſſica ſolis nominibus certat.Quatuor, inquit,earum genera. Prima læuis [ λεία] Breiter Kôl: altera criſpa, à ſimilitudine Apii σελινοειδὴς, Kraûſer Kôl, vocata: tertia κράμβη, Kleiner Kôl/ & quarta κράμβη κεφαλωτὴ, Latinis Braſſica Lacuturris, vel tertia aut ſeſſilis,ſiue capitulata, Germanis Cappis Kraut, Gallis, Capini vel Cabini coles,nonnullis albi vocati, reliqua Braſſicæ genera Galli communi vocabulo Chouls [ caules ] appellant. Facit & quatuor genera Amatus, quę non deſcribit. Horum genus alterum Lacuturrem & Caputium vocat. Hiſp.Repolho,Colhes Morcianas: *Caputio*, Gall.*choulx pommés*: Germ. Cappes kraut. Hæc in orbem porrecta ait, clauſa & apprimè dura, per medium ſecta, innumero cernitur folio. Amati verborum teſtis fuerim, ſi ea de quarta,& non de ſecũda ſpecie tradiderit. *Ryff. n.*

Noſtra ætas, vt ait Dodon. non paucas quoque obſeruauit,vel colore, vel forma differentes, Braſſicas. Quædam enim ſeſſili folio patulæ ſunt: alię contracto capitatæ, nigræ nonnullæ, pleræque albidæ, vel etiam ſaturato colore virentes. Iam & læui folio iſtæ: illæ verò criſpo, aut laciniato. Eſt & in caulibus differentia. Nos de eius octo ſpeciebus [ Braſſica ſc. vulgari, ſatiua,rubra capitata, criſpa, ſelinoide, ſilueſtri Crambe dicta, capitata albida,Sabauda & cauliflora,] quas depingit & deſcribit, ſeorſim tractabimus, vti & de ea quæ ſilueſtris ab ipſo inſcribitur,& ſilueſtri perfoliata, quam Perfoliatam ſiliquoſam vocamus.

Commemorat Aug. Gall. Braſſicam, *Cauoli o Verzi, criſpi, capucciati, Verzi fiori, Verzi rapi, & capucci ſerrati.*

De braſſica duplici campeſtri Cluſii agemus ſub titulo Perfoliatæ ſiliquoſæ; Caules ſiue Braſſicæ, quas Aduerſaria tradunt diuerſas, ſunt hæ:

Braſſica
- Alba, Seſſilis, glomeroſa, aut capitata, Lactucæ habitu.
- Eadem conuoluta & arctè occluſa, apud Belgas, rubro colore, enematibus aptior.
- Sabauda, vulgò *Sauoye*, patula & minùs occluſa, foris virens, intus albicans.
- Racemoſa non globoſa, vulgò Italicè *Cauli flore*, ſiue florida Pompeiana.
- Laciniosa alba, & Rubra Cumana vulgatior.
- Nigra, vndantibus, criſpis & lacinioſis foliis.
- Marina multiflora, Sylueſtris, monoſpermos.
- Caulorapa, braſſica peregrina, medio caule turbinata & rapata.

Obſeru. Braſſica vulgaris ſatiua, capitata, florida: botrytis tenuifolia, laciniata. Et Icon. Plant. Lactuca ſatiua ſeſſilis, ſiue capitata: vulgaris ſatiua, alba, ſeſſilis, glomeroſa, aut capitata, lactucæ habitu: patula criſpa Sabauda æſtiua: Sabauda hyberna, florida botrytis, marina ſilueſtris multiflora monoſpermos: Rapa Braſſica peregrina, caule rapum gerens, tenuifolia, laciniata, & fimbriata. Dalech. apud Hiſt. Lugd. Braſſicæ tria prima genera facit. Braſſicam ſatiuam, ſilueſtrem & marinam. Nobis relictis duabus poſterioribus de ſatiua hîc tantùm ſermo ſit. Diuidit autem ſatiuam in albam & rubram. Albæ ſeptem tradit ſpecies. Albam vulgarem ſeu læuem ſatiuã: Albam criſpam, Capitatam albidam, Capitatam polycephalon, Pompeianam aut Cypriam, Braſſicam floridam Dodonæi, Aſparagώden, & Rapoſam. Rubræ agnoſcit ſpecies 4. Rubræ ſpeciem primam, quam Cumanam vocat, & Braſſicam læuem Catonis, eamque primam omnium à Fuchſio deſcriptam eſſe dicit: ſecundam, quam Dodon. Braſſicam Lacuturrem appellet: Tertiam, Dodonæo σελινοειδῆ Lat. Apianam dictam: & quartam quam Dodon. nigrã, ſed Fuchſ. Criſpam & σελινοειδῆ Apianam à ſimilitudine Apii cognominet. Huic inſuper adiungit Criſpam Tragi, & Tenuifoliam laciniatam Lobelii, cuius gemina varietas. Braſſicas ſuas Taberna in duo primùm diſtrahit genera: in domeſticum ſiue ſatiuum, & ſilueſtre, de quo pòſt. Satiui aliud eſſe læue, idemque duplex, ex viridi album, & rubrum. Aliud criſpum, capitatum aliud: aliud proliferum floridum, Italicè Caulifiori dictum. In ſpecie quidem recenſet has. Braſſicam 1. Kôlkraût 1. Braſſicam 2. Kôlkraût 2. Braſſicam rubram, Rotter kôl. Braſſicam capitatam, Cappes/kraût / Cappes kôl. Braſſicam capitatam rubram. Rott Cappes. Braſſicam criſpam krauß kôl kraut. Braſſicam proliferam, Büſchelkôl kraut. Braſſicam cripſam proliferam, Buſchel krauß kôl. Braſſicam proliferã floridam, Blûmen kôl. Braſſicam Anglicam, Engliſch kôlkraût. Braſſicam Sabaudam Saphoyſch kôl/ de qua dubitamus an eadem ſit cum Braſſica capitata rubra: Braſſicam Sabaudam criſpam, Saphoyſch kraût kôl kraut. Braſſicam tophoſam, Bückel kôl. Braſſicam Seliniſiam latifoliam, Breyt krauß kôl. Braſſicam Seliniſiam anguſtifoliam Schmal krauß kôl. Caulorapum, ſiue Rapocaulem, Rûben kôl, & Caulorapum longum, Langrûben kôl, quas nos non ſeparamus, & Braſſicam rapicaulem inſcribimus. De quibus omnibus ſuo agemus loco, vt & C. Bauhini 26. ſpeciebus, ac etiam Hadriani Iunii ſex, inter quas & marinam numerat.

Braſſica olus eſt vulgatiſſimum, ait Cæſalp. flores pallidi aut candidi, color aliis virentior eſt, aliis candicans: aliis ad purpureum vergens: criſpitudo & læuitas tum in genere virenti, quod nigrum vocatur, tum in candido reperiuntur. At purpureum nequaquam criſpum adhuc viſum eſt. Omnium criſpiſſ. inter nigra reperitur: Plinio Sabellicum: Theoph. Criſpum. In hoc genere Selinida & Apiana Plinio. Candida & purpurea breuiore caule, ſed qui magis creſcit in caput foliis rotundioribus: Criſpa inter candidas creſcit in caput oblongum, candida, tenerrima. Læuis non niſi ex iure pingui paratur. De hac Plinius inquit, læuis conſtat foliis è caule exeuntibus: vnde Caulodis dicta eſt, nullius in medicina momenti: hinc ſumptum vulgare nomen *Cauoli* apud nos. Quædam in caput rotundum creſcunt *Caputios* vocant. Plinius Cumanum vocat. Quibuſdam caulis in caput extuberat Rapi ſimilitudine vulgò *Torzutos* vocant &c.

Κράμβη (hraſſica) Græci, quaſi Κοραμβέλη, inquit Suidas, quòd pupillas oculorum, quas Græci Κόραι vocant, hebetet: In qua ſententia fuit Columella cùm ſcribit.

*Nunc veniat quamuis oculis inimica Corambl e:*

Et melius κράμβη quaſi κορἄμβη dicta eſt, quòd τὼ κορῶ ἀμβῇ: vel rectiùs ἀντίβη, id eſt, quòd crapulæ ſatietatique aduerſetur, vt dicitur. Græci veteres etiam (vti dictum) ῥάφανον vocarunt, ob mutuam quandam amicitiam & affinitatem vtriuſque ſeminis, vetuſtioris præſertim, vtramuis plantam generandi. Nicander Colophonius in Gloſſis apud Bœotos γαστέρας Braſſicas nominari ait. Hoc tamen Dalech. non ad alias, quàm capitatas, vel eas, ad quarum radices velut Rapum extuberet, refert. Braſſica à Latinis appellatur, quaſi præſeca, inquit Varro, quòd huius ſcapus minutatim præſecatur: ſiquidem nunc tonſili, nunc cymoſo caule ſpectatur. Sunt qui dictam exiſtiment quaſi paſſicam, quòd ex caule minutim præſecetur vt paſſa fiat, vel ἀπὸ τοῦ βρᾶξαι, id eſt à vorando dictam veriſimile eſt. Eſtur enim tota à plebecula, tum cruda, tũ cocta, vel muriâ ſeruata: à Germ. Kôl. Belg. Kool: Gall. *Choux*. Ital. *Cauli, Cauolo*: Hiſp. *Verça Colbos*: Angl. Cole/Colwurtes: Hungar. Võrõs kapûſta: Boh. kapoʒta & Kely. Nomina linguarum

Cæterùm, Olus hoc Lachrymis Lycurgi à Libero patre vitibus adalligati natum prodidit Neſtor, in eo libro qui Alexicepos inſcribitur: perniciali forſitan cum ea (Viti) odio flagrare hiſce ſabularum inuolucris innuens. Vitis enim & Braſſica tantâ laborant diſcordia, vt ſi in agris olus hoc aſſitum Viti proſiliat, vel vinum exilius proferat, vel ipſa confeſtim marceſcat, vel certè ſarmenta eius contabeſcant. Tam pertinax inter has plantas inimicitia, vt ſi defluxionis impetu vua procidat, aut laxior in fauces decumbat iniecto capiti Braſſicæ crudæ ſucco in excelſum oris protinus reſiliat. Si Braſſicæ fuerit vicina Vitis, luxuriantes eius palmites potiùs repandi curuabuntur, quàm recti velint propiùs accedere inteſtinæ non immemores diſcordiæ. Similiter ſi quis ferueſcenti in olla Braſſicæ vini paululum guttatim inſtillauerit ne ampliùs quidem excoquetur, ſed ſuis viribus defuncta ad perniciem

trahetur. Vitem viuam oleris huius odore fugari Theophr. affirmat, aſſitámque ad olus diffugere Varro tradit. Quin & Braſſicâ corrumpitur in dolio vinum ſapore & odore, quod Betæ foliis demerſis reſtituitur. Braſſicam inter olera, vt legere eſt apud Athenæum Mantin [vatem] Priſci vocarunt. Non autem ſolus Menander Braſſicam appellauit Sacram. Eſt enim apud Hipponactem in Iambis dictum huiuſmodi:

*Elapſus ille ſupplex Braßicam adorabat*
*Septifoliam, aut eam ſuccoſam Pandoræ*
*Sacrificabat Thargeliis, antequam Pharmacum biberet.*

Iones iureiurando poſt Braſſicam ſuam fidem adſtrinxiſſe, conſtat ex ſequentibus, Ex multis nominibus per Braſſicam, te maximè diligo, inquit Ananius Teleclides in prætoribus, per Braſſicas hoc iuro, dixit, Epicharmus in terra & mari, itidem per Braſſicam hoc aſſeuero. Eupolis in Baptis, Per Braſſicam ita eſt. Iuſiurandum verò Ionicum hoc videbatur: nec abſurdum fuit per Braſſicam deieraſſe quoſdam, cùm Zeno Citienſis, qui Stoicam ſectam condidit, imitatus iureiurandum Socratis per canem conceptum, per Capparim iurauerit, vt Empodus autor eſt in ſuis commentariis.

Locus & tempus. Braſſicæ in hortis paſſim coluntur. Frigidis verò & pluuioſis poſitio earundem optima. Salſis etiam aquis iuuari Braſſicam, & iis rigatam meliorem fieri tradit Theophraſt. quare nonnullos nitro aquæ permiſto aſpergere Braſſicam, vt Aegyptios, atque ita multò dulciorem teneriorémque effici, ſicuti & ſi priuſquam coquatur, ſale commaceretur, Martialis nitrata aqua viriditatem conſeruari ſcribit his verſibus.

*Ne tibi pallentes moueant faſtidia Caules,*
*Nitrata viridis Braßica fiet aqua.*

Palladius non nitratam aquam, ſed nitrum ipſum inſpergi iubet his verbis: Celeriùs coquitur virore ſeruato, ſi dum eſt trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum cribello deſuper ſpargas, vt ſpeciem pruinæ candentis imitetur. Braſſica aunem Plinio ex Columella toto anno ſeritur, quoniam & toto ſecatur. Vtiliſſimè tamen ab æquinoctio Autumni. Transfertur cùm quinque foliorum eſt. Cymas à prima ſectione præſtat proximo Vere. Hic eſt quidam ipſorum caulium delicatior teneriórque cauliculus, Apicii luxuria, & per eum [perinde] Druſo Cæſare faſtiditus [blanditus Vet.] non ſine caſtigatione Tiberii patris. Poſt Cymam ex eadem Braſſica contingunt æſtiui, autumnaléſque cauliculi, mox hyberni, iterúmque Cymæ. nullo æquè genere multifero, donec ſua fertilitate conſumatur. Tertia circa Solſtitium, ex qua ſi humidior locus eſt, æſtate, ſi ſiccior, Autumno plantatur. Humor fimúſque ſi defuêre maior ſaporis gratia eſt: ſi abundauêre, lætior fertilitas. Fimum aſininum maximè conuenit. Eſt hæc quoque res inter operaganeæ, quapropter non pigebit verboſiùs perſequi. Præcipuus fit caulis ſapore ac magnitudine, primùm omnium ſi in repaſtinaro ſeras: dein ſi terram fugientes cauliculos ſeces, à terráque proceritate luxurioſa attollentes ſe, exaggerando aliam accumules, ita ne plùs quàm cacumen emineat. Tritiarum hoc genus vocatur, bis computabili impendio tędióque. Cuicunque autem generi pruinæ plurimùm ſuauitatis conferunt: & niſi obliquo vulnere defendatur medulla, plurimùm nocent. Semini deſtinati non ſecantur. Eſt etiam ſua gratia nunquam plantæ habitum excellentibus: halmyridia vocant, quoniam niſi in maritimis non proueniunt, nauigatione quoque longinqua viridibus adſeruatis. Statim deſecti ita ne humum attingant, in cados olei quàm proximè ſiccatos, obturatóſque conduntur, omni ſpiritu excluſo. Sunt qui plantam in transferendo, alga ſubdita pediculo, nitróve trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putent. Sunt qui ſemen trifolii nitrúmque ſimul tritum aſpergant foliis. Nitrum in coquendo etiam viriditatem cuſtodit: aut Apiciana coctura, oleo ac ſale, priùs quàm coquantur maceratis. Eſt inter herbas genus inſerendi, præciſis germinibus caulis, & in medullam ſemine ex aliis addito [abdito M.]

Quid autem ſit Cyma in Braſſica declarat idem Plinius. Cymas, inquit, à prima ſectione præſtat proximo Vere. Hic eſt quidam ipſorum caulium delicatior, teneriórque cauliculus. Et paulò pòſt. Poſt Cymam ex eadem Braſſica contingunt æſtiui, autumnaléſque cauliculi, mox hyberni, iterúmque Cymæ. Celſus lib. 17. c. 27. Cymas, inquit, ſeu cymata præteneros dicimus in Braſſica præcipuè coliculos. Vere appetente progerminantes, velut κυήματα planè ſint, id eſt, fœtus, ducta tranſlatione à ventrem ferentibus fœminis ad Braſſicam, quę ineunte Vere, turgens ſucco, & cumplurimùm cymoſa ſobole grauida coliculos enititur. Cymæ, inquit Ruellius, ſunt quidam ſcaporum delicatiores tenerioréſque coliculi, quos à prima ſectione præſtant. Nec me fugit recentes quorundam olerum germinatus, turionéſve, velut Armoraciorum, Sinapi, Naporum, Rapi, Cymas claſſicis Authoribus appellari. Cyma quoque, licèt muliebri ſexu frequentiùs ſoleat vſurpari, nonnunquam genere neutro Græcorum imitatione legitur, vt apud Columellam in carmine, quod hortorum cultui nuncupauit. Cyma

*Tunc quoque conſeritur, toto quæ plurima terræ*
*Orbe virens, pariter conſeritur plebi, regique ſuperbo:*
*Frigoribus caules, & Veri Cymata mittit.*

Et quod Galenus adnotauit κῦμα καλοῦσί τινες, κατὰ συναίρεσιν τοῦ διὰ τριῶν συλλαβῶν ὀνόματος, λεγομένου τοῦ κυήματος, &c. i. e. Braſſicæ igitur germen, quod [Braſſicæ germen] nõnulli κῦμα nominant, per contractionem nominis triſſyllabi κυήματος, &c. Eadem cymata prototomi caules appellantur à Galeno, quo loco etſi corrupta ſint vulgaria exemplaria, quæ habent πρωτομῶ καυλῶ ἀφεψήματος κυάθους β΄ νήστει διδομένους ἐπὶ ἡμέρας θ΄, non dubium eſt quin legendum ſit πρωτοτόμου καυλοῦ, & cætera, Id eſt, Prototomi caulis decocti cyathos duos ieiuno ad dies nouem exhibitos. Cuius auxilii ab Archigene ad renum affectiones præſcripti efficacia, & prototomorum caulium lectio à Dioſcoride confirmatur τὸ δὲ αὐτῆς (κράμβης) κῦμα, inquit, εὐστομαχώτερον μὲν, δριμύτερον δὲ, καὶ οὐρητικώτερον. Id eſt, Braſſicæ Cyma ſtomacho commodior quidem eſt, ſed actior, & magis vrinam ciens.

Eorumdem caulium meminit & Martialis.

*Et faba fabrorum, prototomique rudes.* Item,

Quum mihi boleti dederint tam nobile nomen.

*Prototomis, pudet heu! ſeruio cauliculis.*

Appellantur autem prototomi à prima ſectione ac cæſurâ, quando videlicet ad ſeminis generationem augeſcentes ſucciduntur, & in ciborum vſum veniunt. A Marcello caules Haploſiles à teneritudine, Græca appellatione, dicti ſunt.

Quod autem Plinius ait. Sunt qui ſemen Trifolii, aſpergant foliis: hoc dudum ex Conſtantino Cæ-

no Cæſare & Palladio Cornar. declarauit, parum animaduertentis fuiſſe, vt τρίφυλλον γενομένην κράμβην, in Trifolii ſemen conuerteret.

Braſſica decimo à ſatu die ſe demonſtrat, niſi ſemina quæ ſolo mandantur, vetuſtate ſint exucta: tum enim in aliam degenerare ſtirpem Marcus Varro tradidit. Semen vetus tantùm valet in quibuſdam rebus, vt naturam commutet. Nam ex ſemine Braſſicæ vetere ſato, naſcuntur Rapa, & contrà ex raporum Braſſica. Secari non debet quæ ſementi deſtinatur. Sed occurrit ingens diſcordiæ miraculum. Hoc olus vitem fugare diximus: Cyclamino & Origano, perareſcit.

De Braſſicæ ſatione hæc Colerus: Ante hiemem excolitur terra & benè adæquatur, menſe Februario ſeratur ſemen Braſſicæ, etiamſi congelata ſit terra ac etiam tecta copioſa niue, poſtea ſparge ſuprà fimum Gallinarum: prouenient Braſſicæ plantæ pulcherrimæ & optimæ ad tranſplantandum, quæ non corrumpentur. Item circa diem à Matthia denominatum bonæ matres familiæ ferunt Kapſamen aut Kholſamen, ſi terræ poſſunt committere, vel antè terram colunt, deinde circa diem Matthiæ ſerunt, etiam ſupra niuem. Quædam in Martiis terram madefactam miſcent cum ſemine & ſerunt in hypocauſtis ſub ſcamnis: vbi gelu præteriit in terra ſerunt. Ait idem, in Martio, Braſſica alba capitata [weiſſen Khöl,] ſeritur in Martyrum ſeptimana, circa S. Vrbani diem tranſplantantur, ager bis arandus: vnaque planta diſter ſeſquipede, tribus ſeptimanis pòſt ad radicem cumulanda terra & fodienda: plantando loco vbi meridianus Sol parum luceat, non enim facilè Solem tota die perfert.

Braſſica ſatiua, vt ſcribit Dioſc. aluo commoda eſt, ſi leuiter feruefacta edatur. Percocta verò aluum ſiſtit, & magis quæ bis cocta, & in lexiuio cocta eſt. Stomacho autem incommoda eſt. Et æſtiua acrior eſt. Quæ verò in Ægypto eſt, ob amaritudinem edi non poteſt. Cæcutientibus tamen & tremulis in cibo auxiliatur: & noxas ex crapula & vino, à reliquo cibo ſumpta extinguit. At Cyma ipſius ſtomacho commodior eſt, ſed acrior eſt, & magis vrinam ciet. Eadem condita, ſtomacho incommoda eſt, & aluum turbat. Cæterùm crudæ ſuccus cum Iride & nitro deuoratus, aluum mollit. Cum vino verò potus, morſis à Vipera opitulatur: cum fœnigræci farina & aceto, podagricis & arthriticis, ſordidiſque ac veteribus vlceribus, impoſitus prodeſt. Idem per ſeipſum naribus infuſus, caput purgat. Cum Lolii farina appoſitus menſes ducit. Folia impoſita per ſe, aut trita cum polenta, faciunt ad omnem inflammationem, & tumores. Ignes item ſacros, & puſtulas nocturnas, & lepras ſanant. Cum ſale verò carbunculos emarginant. Continent etiam defluuium capillorum in capite. Eadem elixa (ἑψόμενα) & melli ammixta ad gangrænarum nomas faciunt. Si verò cruda cum aceto edantur, ſpleniticis proſunt. Sin commanducentur vt ſuccus deuoretur, vocem interceptã [ἀποκοπὴν & non retuſam vt malè Ruell.] reſtituunt. Decoctum ipſius potum, aluum & menſes mouet. Flos in peſſo appoſitus poſt partum, conceptionem impedit. Græcè legitur τὸ δὲ ἄνθος ἀτόκιον μετὰ τὴν ἀποκύησιν προστεθὲν ἐν πεσσῷ, quæ ſic Ruellius, flos poſt conceptionem in peſſo ſubditus, partum abortu vitiat. Semen maximè eius quæ in Ægypto naſcitur potum, lumbricos expellit. Ammiſcetur etiam in antidotos Theriacas. Et faciem ac lentigines depurgat. Caules virides vnà cum radicibus vſti, & adipe ſuillo vetere excepti ac impoſiti lateris diuturnos dolores ſedant. Hæc *Dioſcorides*, in quibus quæ de foliis manducatis tradit: Aſclepiades, Galeno teſte, de cauliculis ad vocem interceptam præſcripſit. Braſſicæ viridis, inquit, cauliculos abſterſos manducandos præbe, & quod inſtar palearum exuccum eſt, expuere iube, ſuccum verò delingere. Alia, Braſſicæ ſuccum cum melle coctum delingendum exhibe, auxiliabitur confeſtim.

Braſſicam Athenis cibo parari ſolitam fuiſſe pro puerperis mulieribus commemorat Athenæus, velut idoneum medicamentum quoddam, & aptam nutriendo corpori. Ephipp. in Geryon.

*Oleoque Braßicam in faſciculos collectam incoquere.*

Antiphanes in Paraſito Braſſicam memorat tanquam vilem cibum his verbis.

*Braßicam tamen vnctam coquunt, ô dij!*

Diphilus in Inſatiabili:

*Adueniat, quæcunque bona ſunt afferamus ſtatim:*
*Braßicam vnctam.*

Apud Ægyptios in cænis ſtatutum eſt, inquit Athenæus, ante omnem cibum braſſicam elixam (ad arcendam ebrietatem) comeſſe, & ad compotationes ita ſeſe præparare. Multi ſanè, vt ab ebrietate vindicentur, præſumunt Braſſicæ ſemen: quamobrem Sybaritæ, vt inquit Timæus, antea quàm potarent, Braſſicarum eſu ſe muniebant. Alexis.

*Heri bibiſti plus ſatis: nunc graue caput,*
*Sentis, medendum eſt huic malo ieiunio:*
*Deinde Braßicam tibi dabit quiſpiam*
*Elixam.* Eubulus alicubi:
*Vxor mihi Raphanum ſi tu afferas,*
*Hanc crapulam è veſtigio diſcuſſeris*
*Ni fallor omnem.*

Anaxandrides:

*Si Lauabitis,*
*Raphanumque multum editis, hæc mox deſinet*
*Vexare vos capitis grauedo: frontibus*
*Nubem inſidentem triſtibus diſpergite.*

Nicochares:

*In craſtinum Raphani loco nos balneum*
*Quod crapulam ſanet tuam parabimus.*

Amphis:

*Nullum remedium eſt ebriis paratius,*
*Quàm ſi moleſti quidpiam fortè accidat*
*Subitò etenim mirum in modum illud diſsipat;*
*Raphanus vt non magis*
*Ad id valeat.*

Braſſicæ hanc facultatem Literis mandauit Theophraſtus, & hoc preterea, vitem etiam, dum viuit, odorem Braſſicæ auerſari.

Cur autem crapulam ſedet, id cauſæ ſubdit Ariſtoteles in probl. quia eius ſuccus crudos humores & vinoſos in aluum attrahit, ac ipſa in ventriculo remanens refrigerat corpus, quo refrigerato tenues humores in veſicam ferũtur. Vnde cùm humores vtrinque abigantur, refrigerato corpore, illo crapulam ſedari perſpicuum eſt; præſertim quum ſequax vini vapor humoribus deorſum conuerſis deuocetur, & præceps ad ima deuoluatur, qui ſeſe efferens in caput, mentis arcem obſidet, & temulentiam grauitatemque creat.

Galenus ex Apollonio in dolore capitis ab ebrietate ad refrigerandum repellendumque, roſaceum per ſe & cum acero, aut hederæ, aut Braſſicæ ſucco præſcribit. Quin & ipſa Braſſicæ folia calida macerata, capitique circumpoſita, ac obli-

gata naturaliter ebrietati reſiſtere ait.

Apud Græcos porrò adeò frequentis fuit in cibo vſus Braſſica, maximè quæ κραμβὴ dicitur, vt bis coctæ faſtidiri cœperit, & apud Apicios in prouerbium abietit, δὶς κράμβη θάνατος, quo etiam hodie vtimur, cùm rem iterum atque iterum repetitam, non ſine moleſtia, ſignificare volumus.

Quid ſi hæc eadem illa ſit, quæ tot exercuit, imò ferè occidit, Grammaticos, illo Satyrici ſenariolo vaticinante quantùm crucis noſtris olim Criticis poneret.

*Occidit miſeros Crambe repetita magiſtros*

Antequam autem Medicos populus Romanus reciperet Braſſicâ ſexcentis annis ita vſus eſt, vt nullus morbus oriretur quem non hoc olere, Marco Catone id annotante, curaret. Ex quo vires eius perſequi par eſto.

Braſſica omnibus oleribus antè ſtat. Eam eſto, ait Cato, vel coctam, vel crudam. Crudam ſi edas, in acetũ intingito, mirificè concoquit, aluum bonam facit, lotiumque promouet, ac ad omnes res ſalubris eſt. Si voles in conuiuio multùm bibere, cœnaréque libenter, ante cænam eſto crudam, quantùm voles ex aceto. Et item vbi cœnaueris, comeſto alia quinque folia, reddent te quaſi nih l comederis, biberiſque, bibeſq; quãtùm voles. Vt aluum deiiciat quomodo praparanda & danda ſit docet. Si verò ægrè lotium it. Sumito Braſſicam, inquit, coniicito in aquã feruentẽ, coquito paulſper, vti ſubcruda fiet, poſtea aquam defundito non omnem: eò addito oleum, & ſalem, & Cymini paulùlum: infernè facito pauliſper, poſtea inde iuſculũ frigidum ſorbere, & ipſam Braſſicam eſſe oportet, vti quamprimùm excoquat, quotidie id facito. Quæ vocatur σελινοειδὴς hæc ſeptem habet bona in comeſtura. Et primùm ſcito: de omnibus Braſſicis nulla eſt Crambe tertia medicamentoſior. Ad omnes tumores, ad omnia vulnera eam contritam imponito. Hæc omnia vlcera purgabit, ſanaque faciet ſine dolore, tumida concoquet, vulnera putrida cancroſque purgabit, ſanoſque faciet, quod medicamentum aliud facere non poteſt. Verùm priuſquam id imponas, aqua calida multa lauato. Poſtea bis in die contritam imponito. Ea omnem putorem adimet. Si cancer ater eſt, is olet, & ſaniem ſpurcam mittit. Si albus, purulentus eſt. Sed ſi fiſtuloſus, ſubtus ſuppurat ſub carne. In ea vulnera huiuſcemodi tere braſſicam, ſanum faciet: nam optima eſt, ad huiuſmodi vulnera. Et luxatum ſi quid eſt, bis die calida foueto, braſſicam tritam apponito, citò ſanum faciet. Si bis die apponitur, dolores auferet, & ſiquid contuſum eſt, erumpet, ſi braſſicam tritam appoſueris, & ſanum faciet, & ſi quid in mammis vlceris natum, & carcinoma, braſſicam tritam apponito, ſanum faciet. Et ſi vlcus acrimoniam eius ferre non poterit, farinam hordeaceam miſceto, ita apponito. Huiuſmodi vlcera omnia hæc ſana faciet quod aliud medicamentum facere non poteſt, nec purgare. Et puero, & puellæ ſi hulcus erit huiuſcemodi, farinam hordeaceam addito. Et ſi voles eam eſſe, conſectam lautã ſiccam, ſale ac aceto ſparſam eſto, ſalubrius nihil erit. Quò libentiùs edas aceto mulſo ſpargito, mentham addens ſiccam, & rutam, & coriandrum ſale ſparſam: paulò libentiùs edes. Id benè faciet, & mali nihil ſinet in corpore conſiſtere, & aluum bonam faciet. Si quid antea mali intus erit, omnia ſana faciet. De capite & de oculis omnia deducet, & ſanum faciet, Hanc manè eſſe oporret ieiunum. Et ſi bilis atra eſt, & ſi lienes turgent, & ſi cor dolet, & ſi iecur, aut pulmores, aut præcordia, vno verbo, omnia ſana faciet quæ intrò dolitabunt: eódem ſilphium inradito, bonum eſt. Cùm venæ omnes, vbi ſufflatæ ſunt ex cibo, non poſſunt perſpirare in toto corpore, inde aliqui morbi naſcuntur, vbi ex multo cibo aluus non it, proportione Braſſicâ ſi vteris (vti te moneo) nihil iſtorum vſu veniet ex morbis. Verùm morbum articularem nulla res tantùm purgat, quantùm Braſſica cruda, ſi eam edes cum ruta, & coriandro conciſam. Sic & Laſerpitium inraſum cum Braſſica ex aceto oxymelli, & ſale ſparſa. Hac ſi vteris, omnes articulares morbos poteris expellere. Nullus ſumptus eſt, & ſi ſumptus eſſet, tamen valetudinis cauſa experirer, eam manè oportet ieiunum eſſe: Omnis qui inſomnioſus eſt, hac eadem curatione ſanum facies. Verùm aſſam Braſſicam, & vnctam caldam ſalis paululùm dato homini ieiuno. Quàm plurimam ederit, tam citiſſimè ſanus fiet ex eo morbo. Tormina quidem moleſta erunt, ſic facito. Braſſicam macerato benè, poſtea in ollam coniicito, deferuefacito benè, vbi cocta erit benè, aquam defundito. Eò addito oleum benè, & ſalis paulùm, & cuminum, & pollinem polentæ. Poſtea bene feruefacito, vbi ferbuerit, in catinum indito. Dato edat ſi poterit ſine pane, ſi non, panis parum ibidem madefaciat, & ſi febrim non habebit, dato vt vinum atrum bibat, citò ſanus fiet. Et hoc, ſi quando vſu venerit, vt quis debilis fiet, hæc res ſanum facere poteſt, ſi braſſicam edet ita vti ſuprà ſcriptũ eſt. Et hoc amplius: Lotiũ conſeruato eius, qui Braſſicam eſitauerit, id calefacito, eò hominem demittito, citò ſanum facies hac cura, exper um hoc eſt: Item, pueros puſillos ſi laues eo lotio, nunquam debiles fient: & quibus oculi ſunt parum clari, eo lotio inunguito, plus videbunt. Si caput aut ceruices dolent, eo lotio caldo lauito, deſinent dolere. Et ſi mulier eo lotio locos fouebit, nunquam ii viroſi fient. *Hæc inter alia Cato*, quæ maluimus formali eius Minerua reddere, ne quid verborum eius deperiret, aut aliquid in detrimentum ſententię omitteretur, aut mutaretur, quod dum nitori orationis conſultum volunt, fieri conſueuit.

Braſſicæ laudes, inquit Plirius, longum eſt exequi, cùm & Chryſippus Medicus priuatim volumen ei dicauerit per ſingula membra hominis digeſtum, & Dieuches: ante omnes autem Pythagoras & Cato non parciùs celebrarint. Cuius ſententiam vel eò diligentiùs perſequi par eſt, vt noſcatur qua medicina vſus ſit annis DC. Ro. populus. Cato criſpam maximè probat, dein leuem grandibus foliis, caule magno. Prodeſſe tradit capitis doloribus, oculorum caligini ſcintillationibúſque, vel ſtomacho, præcordiis, crudam ex aceto & melle, Coriandro, Ruta, Mentha, Laſeris radicula, ſumptam acetabulis duobus matutinò: tantámque eſſe vim, vt qui terat hæc, validiorem fieri ſe ſentiat. Ergo vel cum his tritam, ſorbendam, vel ex hoc intinctu ſumendam. Podagræ autem, morbiſque articularis illini cum Rutæ, Coriandri, & Salis mica, ac hordei fatina. Aqua quoque eius decocta, neruos articulóſque mirè iuuari. Si foueantur vulnera, & recentia & vetera, etiam catcinomata quæ nullis aliis medicamentis ſanari poſſint. Foueri

ueri priùs aqua calida iubet, ac bis die tritam imponi. Sic etiam fiſtulas eluxatas, & tumores euocari, quæque diſcuti opus ſit. Inſomnia etiam, vigiliáſque tollere decoctam, ſi ieiuni edant quamplurimam ex oleo & ſale. Tormina ſi decocta iterum decoquatur, addito oleo, ſale, cumino, polenta. Si ita ſumatur ſine pane, magis profuturam. Inter reliqua bilem detrahi per vinum nigrum potâ. Quin & vrinam eius qui Braſſicam eſitauerit, aſſeruari, calefactámque neruis remedio eſſe. Verba ipſius ſubiiciam, ad exprimendam ſententiam. Pueros puſillos ſi laues ex vrina, nunquam debiles fient. Auribus quoque ex vino ſuccum Braſſicæ tepidum inſtillari ſuadet. Idque etiam tarditati audientium prodeſſe aſſeuerat. Et impetigines eadem ſanari ſine hulcere. Græcorum quoque opiniones iam & Catonis cauſâ poni conuenit, in iis duntaxat quæ ille prætermiſerit. Biles detrahere non percoctam putant. Item aluum ſoluere, eandémque bis còctam ſiſtere. Vino aduerſari, vt inimicam vitibus. Antecedente in cibis caueri ebrietatem: poſtea ſumptâ crapulam diſcuti. Hunc cibum & oculorum claritati conferre multùm: ſuccum verò crudæ vel anguliſ tantùm tactis cum Attico melle, plurimùm. Facillimè concoqui, cibóque eo ſenſus purgari. Eraſiſtrati ſchola clamat, nihil eſſe vtilius ſtomacho neruiſque, ideò & paralyticis, & tremulis dari iubet: & ſanguinem excreantibus, Hippocrates cœliacis & dyſentericis bis coctam cum ſale. Item ad teneſmon, & renum cauſa: lactis quoque vbertatem puerperis hoc cibo fieri iudicans, & purgationem fœminis. Crudus quidem caulis ſi mandatur, partus quoque emortuos pellit. Apollodorus aduerſus fungorum venena ſemen aut ſuccum bibendum cenſet. Philiſtion Opiſthotonicis ſuccum ex lacte caprino cum ſale & melle. Inuenio & à podagra liberatos edendo eam, decoctæque ius bibendo. Hoc & cardiacis datum & comitialibus morbis addito ſale. Item Spleneticis in vino albo per dies 40. Ictericis, nec non & phreneticis radicis crudæ ſuccum gargarizandum bibendúmq; demonſtrat. Contra verò ſingultus cum Coriandro & Anetho, & melle ac Pipere ex aceto, Illitam quoque prodeſſe inflationibus ſtomachi. Item ſerpentium ictibus, & ſordidis vlceribus, ac vetuſtis, vel ipſam aquam cum hordeacea farina: ſuccum ex aceto vel cum Fœno Græco. Sic aliqui & articulis, podagriſque imponunt. Epinyctidas ac quicquid aliud ſerpit in corpore, impoſita leuat. Item repentinas caligines: has & ſi manditur ex aceto. Suggillata verò & alios liuores pura illita. Lepras & pſoras cum alumine rotundo ex aceto. Sic & fluentes capillos retinet. Epicharmus teſtiū & genitalium malis hanc vtiliſſimè imponi aſſerit. Efficaciùs eandem cum Faba trita. Item conuulſis cum ruta. Contra ardorem febrium & ſtomachi vitia cum rutæ ſemine: & ad ſecundas. Et muris aranei morſus, foliorum aridorum farina alterutra parte exinanit. Ex omnibus Braſſicæ generibus ſuauiſſima eſt cyma, etſi inutilis habetur, difficilis in coquendo, & renibus contraria. Illud quoque non eſt omittendum, aquam decoctæ ad tot vſus laudatam fœtere humi effuſam. Stirpium Braſſicæ aridorum cinis, inter cauſtica intelligitur. Ad coxendicum dolores cum adipe peruetuſto. At cum Laſere & aceto in vicem pſilothri euulſis illitus pilis: naſci alios prohibet. Bibitur & cum oleo ſubferuefactus, vel per ſe elixus ad conuulſa & rupta intus, lapſúmque ex alto. Nulla ergo ſunt crimina Braſſicæ? imò verò apud eoſdem animæ grauitatem facere, dentibus & gingiuis nocere: & in Aegypto propter amaritudinem non eſtur.

Sed de Braſſicæ facultatibus diſſerit Galenus his verbis. Braſſicæ ſuccus facultatem habet purgatricem, corpus autem ipſius communi ſiccantium ratione ſiſtit magis, quàm ad deiiciendum incitat. Quum igitur quæ in ventre continentur excernere voluerimus, è propinquo cacabo in quo cocta cum aqua fuerit, extractam ipſam protinus in vaſa, in quibus oleum cum garo paratum fuerit, coniicere conueniet: nihil autem retulerit, ſi ſalem loco gari ſumpſeris. Quod ſi humentem aluum ſiccare voluerimus, priorem aquam, vbi Braſſica mediocriter cocta videbitur, effundentes, aliam calidam mox iniiciemus: ac deinde rurſum Braſſicam, quoad conbiberit, ei incoquemus, quod non facimus cùm ventris deiiciendi gratia ſumitur: volumus enim hoc caſu proprium ipſius ſuccum omnem non deponere, ſed quoad maximè fieri licet, retinere. Porrò nihil quod coquitur proprium ſuccum ſeruare omninò poteſt: quin potiùs omnem abiicit, ſi coctum diutiùs fuerit: Braſſica paucum habet alimentum, & edulium eſt non firmum, ſed laxum. Succum habet non probum, vt Lactuca, ſed prauum & graueolentem. Quod verò ad vrinas attinet, nihil ipſas, quod ſciam, inſigniter neque prouocat, neque moratur. Braſſicæ germen quod nonnulli κύμα nominant, minùs quàm Braſſica ipſa ſiccat: tametſi aliorum olerum caulis temperaturâ vt plurimùm eſt quàm folia ſiccíore, potiſſimùm quum iam propè eſt, vt ſemen profundant. Et, Braſſica eſculenta deſiccandi vim habet, tum eſa, tum foris impoſita, non tamen etiam admodum acrem. Alioqui & vlcera glutinat, & maligna vlcera ſanat: præterea phlegmonas iam induratas, ac ægrè ſolubiles, & id genus quoque eryſipelata. Eadem facultate epinyctidas & herpetes ſanat. Habet quiddam etiam in ſe abſterſorium, quo lepras curat. Porrò ſemen eius potum lumbricos interficit, maximè Braſſicæ Ægyptiæ: quantò ſcilicet ea temperatura ſiccior eſt. Sanè amaræ qualis ſemen particeps eſt: ſicut videlicet alia omnia medicamenta, quæ ad lumbricos idonea ſunt. Eadem facultate ephelidas & lendes, & quæcunque modicam abſterſionem poſtulant, adiuuat. Porrò caules Braſſicæ combuſti cineres efficiunt admodum deſiccantes, vt videlicet iam & cauſticam vim participent. Hac ratione ei veterem adipem commiſcentes: ad inueteratos laterum dolores, & ſi quid eiuſ fuerit generis adhibent: nam valenter digerens medicamentum efficitur. *Hæc Galenus*.

Simeon Sethi: Malum, inquit, & melancholicum ſuccum Braſſica procreat, viſum hebetat, & ſomnum per tumultuoſa inſomnia interturbat. Succus eius aliquatenus purgat: corpus verò eius ventrem ſiſtit. Quapropter in quibus humectam aluum ſiccare volumus, ipſam modicè decoquentes, aquámque primam abiicientes, confeſtim alteri aquæ feruenti indimus: nihil enim neque aëris, neque frigidæ aquæ quod bis coquitur tangere debet. Aeſtiua Braſſica peioris ſucci eſt quàm hyberna. Vrinam ducit, lumbricos interficit, & iis qui ex vino crapula laborant auxiliatur. Fertur autem ab humiditate ortam hebetudinem ſanare. Cocta cum pingui carne, plurimùm noxæ atque vitii amittit. Flos eius proprietate quadam ſemen genitale corrumpit

vtero impoſitus, & mulieres concipere prohibet. Pulmonem lædit. Tradunt quoque ſi ante alios cibos aſſumpta fuerit, ebrietatem arcere. Et quod eius ſuccus cum melle ſumptus, magnificè defectiones vocis iuuat. Vulneribus impoſita ea conglutinat, & maleſica vlcera & induratas inflammationes ſanat.

Braſſicæ ſemen craſſiuſculè contuſum, inquit Matthiolus, & in carnium iure feruefactum, potúmque vnà cum ipſo iure colico dolore laborantes præſentaneo remedio iuuat. Braſſica tormina diſcutit, ſi bis edatur cocta, addito Cymini ſemine, Sale, Oleo, & hordeaceæ farinæ polline: præſertim ſi ſine pane deuoretur. Idem facit ius decoctæ cum vetere gallo. Idem prodeſt iecinoroſis, lienoſis, & renum calculo laborãtibus. Prodeſt percocta tabidis, ſi frequenter edatur. Succus ex melle coctus viſum clarificat, angulis tantùm oculorum illitus. Datur ſuccus vtiliter potandus aduerſus fungorum venena. Cocta, & longo pipere aſperſa vnaque cum iure ſumpta nutricibus lactis vbertatem præbet. Caulium medulla ex cremore amygdalino decocta, & cum melle in eclegmate parata, datur lambenda magna vtilitate anheloſis.

Braſſica, vt ſcribit Cardanus, triplici nobilitate præſtat, nam cibus eſt & medicina, adeò vt Romani non aliam nouerint tam in externis, quàm interioribus morbis: Vi tam egregia, vt incocta vaſis in quibus aquæ feruere ſolent, cruſtas ab illis auferat: partibus enim tenuibus & nitro ſimilibus prædita eſt. Sapore adeò ſuaui, vt à plæriſque nobilioribus edulijs præferatur.

Cæterùm ſcribente Dodonæo, Braſſica omnis reſiccantem & adſtringentem facultatem habet: atque vnà nitroſam quandam vehementiùs abſtergentem qualitatem: hanc autem ſuccus aut decoctum eius ſibi vendicat: ſubſtantia ſiue braſſicæ corpus adſtringentem & reſiccantem retinet. Deponit etenim braſſica decoctione nitroſam hanc qualitatem quæ ſucco ac humido eius inſidet: quam omnem aqua in qua primò decoquitur, ad ſe pertrahit. Quam ob cauſam decoctum eius aluum mouet: veluti & ſuccus ſi bibatur. Abiecto autem primo iure in quo decocta eſt, aluum braſſica ſiccat & adſtringit: alimentum autem corpori præbet exiguum: ſuccum verò ingenerat non probum, vt pote craſſum ac melancholicum, minùs tamen craſſum aut vitioſum, quæ albidæ ſunt: quæ idcirco & alijs præſtant.

De Braſſica Baptiſta Fiera ſic cecinit.

*Iam veniat folio Chryſippi Braßica criſpo,*
*Vel patulo & leui, vel glomerata comas.*
*Prima ſalutifera, & ventrem lenire parata,*
*Bullierit modico ſi tamen igne, placet.*
*Omnibus ardor ineſt grauior tum & eſca ſecundis,*
*Ne capiti noceant vina ſuperba premunt.*
*Extumidam referant veſicam, ægrumque lienem.*
*Hepar & obſtructum fœmineumque fœmur.*
*Arida Socraticam pareret ni Braßica bilem,*
*Iure erat in morbis omnibus illa ſatis.*

## BRASSICA CAPITATA ALBA.

SIcuti vſu frequentiſſima eſt Braſſica alba capitata, ita in hoc genere prima nobis deſcribetur.

*Caulem* ergo hæc producit craſſum, albicantem, craſſo cortice tectum, medullà parum acri &



ſubdulci: *Folia* quæ primùm erumpunt lata habet & ampla, ſubrotunda, nullis effatu dignis lacinijs ſinuata, longis craſſis pediculis hærentia, coſtis neruiſque albicantibus intertexta. Quorum inferiora auulſa, aut fortè decidua, *ſtipitem*, relinquunt denſa veſtigiorum ſerie rugoſum & inæqualem: Superna verò quæ remanent lata quoque & ſubrotunda, & ex viridi albicantia & cæſia, mutuo incubitu in *caput* maximum duriſſimum conglobantur: tam arcto complexu, vt difficilè ſeparentur. Horum interiora planè albicant. Porrò *glomer* appetente Vere, quo tempore ſeminij ergo tranſplantari ſolet, parum dehiſcens, è medio caulem erectiorem profert *floribus* luteis aut luteopallidis, quibus delapſis *ſiliquæ* longæ naſcuntur teretes, acuminatæ: ſemina parietum medulloſorum interſeptu claudentes rotunda. Hyemem non durant, niſi contra frigus muniantur. Rei familiari potiſſimùm hæc expetita, propter vſum, & quia diutiùs in cellis adſeruari ſolent. Hæc interdum elegantiſſimâ naturæ varietate ad 50. Capitula minora fert, magni illius glomeris loco, vt inferiùs ſpecialiùs tradetur.

Caputium hodie dictum olus, Germ. Capütz, Braſſicæ genus eſt, inquit Cordus, quod Cumanum Plinius vocat: ſeſſile folio & capite paululùm, non tamen vbique ſimiliter prouenit: tritianam, imperialem, κραμβην κεφαλωτην, ſuſpicatur eſſe H. Iun. quam Nicander γαστρα nominat à tumidi ventris figura.

Fuch. Icon. Braſſicæ 4. genus: & hiſt. Braſſica 4. ſeſſilis, quam vulgus Caputos caules quaſi Capitulatos appellat. Nonnulli Braſſicam albam & caules albos.

Dodon. Gall. Braſſicæ prima ſpecies alba: & Lat. in fol. Braſſica 6. inter albidas 1. quam vulgò Capitatam nuncupari ait: & à nonnullis Braſſicam Imperialem, Braſſicam Tritianam Plinij, quem appoſitè notat quòd eius Caput terræ aggeſtione, tale fieri affirmet: quod non aggerando vel accommodando terram tale [ pedale ſcilicet interdum ] naſcitur, ſed ſua natura, ſi tempore & loco idoneis tranſplantetur, capitatum efficitur. Ipſe autem Dodon. olim Fuchſianam figuram habebat quam nunc ponit pro rubra, & nouam habet pro alba.

Caulem capitulatum [ quem Germani Cappes vocant ] ego [ Tragus lib. 2. c. 53. ] ſatiuæ Braſſicæ genus eſſe exiſtimo, Quibusdam Caulis Imlis Imperialis dicitur. Alij Caputium capitatum, Caulem capitulatum, & ſimpliciter Caulem vocant, Auicenna *Cannabari* [ quam vocem ego ad Betam pertinere ſuſpicor, ] Serap. *Cormub* vocat. Petrus de Creſcentiis, Sambuſium, Stephanus de Coruo, Carnebum appellat. Apollin. weiß kôl & kappis kraut vocat, ac confundere videtur

tur

tur Braſſicam cum beta.

Geſner. hort. Braſſica capitata.

Monach. in Meſ. Caules Caputii.

Lobel. & Pen. Aduerſ. Braſſica alba ſeſſilis glomeroſa. Obſ. Braſſica capitata. Icon. Plant. p. 243. Teut. 293.

Eſt Matthiolo in Dioſc. capitata conglomeratis in orbem foliis, Plinio Lacuturris appellata. Braſſicæ capitatæ, quæ vulgò *Capucci* dicuntur. Item hiſt. Germ. Cappes / Braſſica capitata, quædam viridis, quædam alba.

Tabern. Icon. & hiſt. Cappens aut Cappes kraut / Braſſica capitata Caulis capitatus.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Braſſica 1. ſiue capitata alba, Lacuturris Plinii videtur: aliis Cumana eiuſdem: aliis Tritiana. Braſſica 3. ſiue pluribus capitibus conglobata. Hæc non videtur ſeparanda à priore, cuius videtur monſtrum.

Cæſalp. Caputii.

Hiſt. Lugd. Braſſica capitata albida, Tertia albæ Braſſicæ ſpecies: Gal. *Chou capu*, id eſt Caulis capitatus. Plinio Lacuturris eſt Braſſica vt vult Matth. & Dodon. Braſſica Tritiana. Sed veriſimilius eſt Lacuturrin noſtram eſſe Braſſicam capitatam candidam. Tritianam verò noſtram eſſe Braſſicam capitatam viridem. Eſt & alia Braſſica capitata polycephalos, Quidam id terræ, cui ſemen creditur, vbertati aſcribunt, quæ tam copioſum alimentum præbet.

Braſſica capitata, Græc. *κραμβὴ κεφαλωτή*. Germ. Cappes & Cappes kraut / weiß kölkraut. Belg. witte Sluiſt koolen & Cabuiſkoolen. Gall. *Choux cabuz*. Ital. *Cabuzzo. Caulo Capuccio, Cappuzzino*. Hiſp. *Repolho, Colhes morcianos*. Angl. *Cabbuge*. Hung. *Feyes Kapozta*.

Copioſè colitur in horto E. C. ac aliis Montbelgardi Braſſica capitata: longè maximam vidi Argentinæ: Baſileæ abundanter colunt etiam in agris & in Alſatia, habent etiam Lugduni: ſemel uidi Geneuæ congelatas Ianuario. In Ducatu Vvirtembergico vt circa fontem Admirabilem agri eâ conſeruntur, menſe Octobri oſtendit mihi DS. Dr. Rontzius in Kircken Braſſicam hanc in qua erant ad 50. capita parua magnitudinis Ouorum, qualem curauimus depingendam: ſimilem polycephalon dicebat ſe habere Il. Cel. Vvirt. Hortulanus in Göppingen / tales mihi etiam aliquando in Alſatia Hartenſchwiller demonſtratæ in horto Nobiliſſ. viri D. Io. Iac. Vvaldner à Freudſtein compatris mei. Hoc genere in plæriſque Germ. partibus, Bauaria potiſſimùm, autore Fuchſio per integrum anni curriculum quotidie victitant. Albæ & rubræ nuſquam maior prouentus & fœtura quàm apud Belgas, vt teſtatur Lobel. viſitur, qui naues onuſtas in vicinas Germaniæ, Angliæ & Hiſpaniæ regiones deuehunt.

Semen Caulis capitulati teres & fuſcum, quod non perueruſtum ſit, tempore quadrageſimæ Martio menſe terræ mediocriter pingui committitur, è qua ſexto aut ſeptimo die erumpit, ac niſi frigoribus aut pulicibus terreſtribus opprimatur, breui tempore augetur noua illa eruptio. Quamprimùm verò recentes illæ & teneræ plantulæ [Germani Setzling appellant] quatuor aut quinque produxerint folia, id quod in Solſtitio æſtiuali circa Feſtum D. Medardi fieri ſolet, tum euelluntur, ac in faſciculis colligatæ aliis regionibus in quibus ſemen aut perinde prouenire ſolet, communicantur. Deinceps verò rurſus plantantur eæ plantulæ, in terra pingui & probè ſtercorata. Semen huius oleris peculiari quoque arte Hortulani elicere ſolent. Nã capita ſeu caules capitatos vnà cum radicibus euellunt, inque cellis vinariis ſumma cura conſeruant in Martium vſque menſem, quo tempore capitulatum olus ad collum vſque, hoc eſt, craſſus ille ac calloſus caulis, humo rurſùs inſeritur. Hoc vbi æſtatis vim & calorem ſenſerit, nouos emittit coliculos per capita ſupernè erumpentes, viridibus & anguſtis foliis veſtitos, Apriliſque menſe cùm & arbores florent, copioſo, luteo, & violis ſimili flore comantes. Porrò flos in longas tandem abit ſiliquas, rotundo & fuſco ſemine refertas.

Vires & Vſus. Hoc olere in Germania in cibo, & hominibus & iumentis nihil frequentius eſt, Quin ita vſus eius inualuit in pleriſque locis, vt vulgus hominum maximè eorum qui amplam familiam alere neceſſe habent, vino potiùs quàm hoc cibi genere carere velit. Non ſolùm enim ſtomacho ſatis facit, ac famentes probè alit, meliore ſui & interna parte, præſertim eos qui eiuſmodi cibo aſſueuerunt, ſed & exteriora eius folia, cæteræque partes pabulo bubus exhibentur non ingrato. Quamobrem quod ad me [Tragum] quidem attinet, quiquid alii dicant, nolim ſanè hoc genus oleris planè contemni, neque etiam facilè omnibus indifferenter eum cibum interdicere conſultus velim, maximè iis qui illo aſſueuerunt, neque alio per inopiam victitare poſſunt. Conſuetudo enim quæ in naturam ſæpenumerò tranſit, repentinas mutationes omninò non poteſt ferre, teſte Hippocrate. Hæc tenuioris fortunæ hominibus ſcribimus quibus per vitæ rationes ſplendidioribus epulis veſci non licet. Meo certè iudicio Caulis capitulatus benè paratus, conditus & coctus, multò ſalubrior eſt, condimentis illis peregrinis, & ſumptuoſis, Oliuæ inquam, Capparis & Citrorum, quæ omnia ad eos potiùs pertinere videntur, quibus nihil niſi peregrinum placet, aſpernantibus domeſtica, quæ vt paſſim obvia ſunt, ita dubio procul magis ſalutaria. Sed vtut palato ſuo iſti blandiantur certum tamen eſt apud pleroſque Caulem capitulatum ita in cibo expeti & vſurpari, vt ab eo ſe diuelli non patiantur, vt qui vtilitates eius, haud obſcurè deprehenderint, Nemo igitur non nouit caulem capitulatum coctum, maximè cum pinguibus carnibus & ſuillis, ſtomachum latrantem compeſcere, quanquam & in medicina vſum ſuum non contemnendum habeat. Braſſica capitulata [vt moris eſt Germanis] in cibo ſtomacho æſtuanti prodeſt, quare illâ eos qui operas exercent veſci conuenit. Vtilis eſt & ſpleneticis, cibi appetentiam inducit, ſitim ſedat. Folia huius inflammationibus & tumoribus vtiliter imponuntur, non aliter atque Betæ. Ius conditæ braſſicæ ſacris ignibus ſingulari experimento illitum medetur. Quod ad reliqua attinet vide ſuprà. (Tempor.)

---

## BRASSICA ITALICA TENERRIMA glomeroſa flore albo.

Deſcriptio. Hæc caule & foliis adeoque tota inter albas candidior, teneriorque videtur: *Folia* quoque quæ ampla ſunt atque rotunda per ſe dilutiùs virentia candicantibus venis intertexta ſunt, quædam etiam eorum modicè criſpa ac vario contortu nonnihil rugoſa. Foliorum quoque pediculis breuibus auriculæ quædam foliaceæ adhærent. *Flores* albi quadrifolii vti cæterorum quos nonniſi tepidiore Sole illuſtrata profert, quippe algidi frigoris impatiens, minùs arcto ſo-

tum implexu glomerem laxiorem minoremque efformans. *Eius* ſemina ſunt vti reliquarum. Lautior hæc, quippe tenerior, delicatioribus expetita, eorum potiſſimùm qui eius norunt gratiam menſis apponitur.



De hac ni fallor Dodon. Alia capitata, albida quam Sabaudam vocant, oblongioribus capitibus, minúſque arctè concluſis, quæ ſi Vere explicentur, caules emittunt ramoſos, floribus albidis ſpecioſos.

Dodon. Gal. Braſſicę 2. ſpecies, quæ Sabaudica dicitur Plinio Braſſica Lacuturria: Gall. *Chou de Sauoye*. Belg. Sauoy kolen. Lat. in fol. Braſſica 7. Brabantis Sabauda braſſica. Lobel. & Pena Adu. braſſica patula, Sabauda vulg. intus albidis, foris virentibus foliis, floribus albis. Icon. pl. p. 244. Braſſica Sabauda hiberna Teut. 294.

An Matth. in Dioſc. braſſica criſpa: Plinius eam Sabellicam appellari tradidit, quæ criſpis admodum foliis, Lactucæ modo in ſe concluditur, intus albicans, tenera, ſubdulcis, & quæ hæc ætate omnium præſtantiſſima habetur. Item Hiſt. Germ. Kraûß kôl kraût/Braſſica criſpa.

Figura à Camerario poſita, aliam braſſicam denotare videtur.

Tabern. icon. & hiſt. braſſica criſpa kraûß kôl kraut. An eadem braſſica Sabauda Saffoyſch kôl. Figura eſt Matthioli.

C. Bauh. phyt. braſſica ſecunda ſiue alba capite oblongo, non penitus clauſo.

Hiſt. Lugd. Braſſica alba criſpa, braſſica Sabaudica, *Chou de Sauoye*. Dodon. Lacuturris, Catonis criſpa, Plinii Sabellica.

H. Iun. Braſſica Lacuturria Plin. B. Sauoyſche kôle. Gall. *Chou de Sauoye*.

Tempus & locus. In horto Montbelgardi Ill. E. C. VVirt. excolimus, in quo florentem vidimus Septembri & & Octobri. Hanc frigoris admodum impatientem tradidit Lobelius. Hyemis vigorem non ſuſtinet, inquit Dodon. neque ad Ver peruenit, niſi admodum clemens hyems fuerit.

## BRASSICA SABAVDA RVGOSA.

Deſcriptio. HVius *folia* rotunda, rugoſa valdè, ac ita quidem rugis inæqualia ſunt, vt ſingula ceu ex veſicis aut valuulis quibuſdam conſimilibus congeſta videantur, ſubtus extuberantibus atque prominentibus auerſa parte, cauis, ex breuibus pediculis hærentia, color foliorum ex luteolo quodam & atro viret, quæ pallidè viridantibus coſtis quoque intertexta ſunt. Eadem etiam in denſum globum coguntur, ſed paruum, & candicantem, dum extremitates interim obſcuriùs virent: *Flos* luteus, *ſemen* vt in reliquis. Hyemem non fert.



An Dodon. Lat. Braſſica Sabauda cuius nomine figuram poſuit, quæ non videtur reſpondere deſcriptioni.

Tabern. Icon. & hiſt. Saphoyſch krauß kôl/Braſſica criſpa.

Lobel. Icon. p. 224. Braſſica patula criſpa Sabauda æſtiua Teut. 294.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 9. ſiue alba criſpa, Matthiolo criſpa, Lobel. Sabauda æſtiua. Quibuſdam cenſetur Lacuturris Plinii: aliis eiuſdem Sabellica, Matth. Geſner. hort. Lac. Braſſica criſpa Lugd. Braſſica alba criſpa Lobel. Braſſica patula criſpa. Sabauda æſtiua Dodon. Braſſica Sabauda Tabern. In hac magnam colorum varietatem obſeruauimus: eſt niuea tota: eſt quæ candidiſſima, &c. *Hæc Frater.* Matthioli criſpa an ſit eadem cum Sabauda rugoſa dubito propter deſcriptionem à Matthiolo poſitam quæ reſpondere non videtur, alii diiudicent, mihi affirmo: Pręterea varietatem colorum tantam non exiſtimo cadere in braſſicam Sabaudam ęſtiuam, ſed potiùs ad braſſicam criſpam lacinioſam referendam.

Eſt mihi Montbelg. in horto Ill. E. C. hyemem difficulter proferens: obſeruaui quoque Gœppingæ in horto Ill. E. C. Vvirt. & in Nörſenſteig in horto Ill. Comitis. Locus.

## BRASSICA RVGOSA, LONGIORIbus foliis.

FOlia ampla ſeſquicubitalia ex longis pediculis, inferiore parte amicta. Hęc quàm Sabaudicæ ſcriptæ dilutiore virore candidiorumque Coſtarum interceptu, candidior apparet, totaque rugoſa, ac veluti ſacculis referta eſt. Tenera quoque magis videtur, nec in capita cogi ſolet, vt Sabauda flore luteo hiemem vix fert. Deſcript.

Montbelgardi in horto Ill. E. C. Vvirtemberg. Locus

## BRASSICA MVLTIFLORA.

PRęampla hæc quoque fert *folia*, cubitalia, longiora quàm braſſicæ capitatæ albæ, nec ita lata, nulla inſigni laciniarum diuiſurâ, dilutè virentia, quædam etiam colore magis glauco, exteriora præſertim, neruis candicantibus conſpicua, per ambitum ex longiuſcula diſtantia denticulata, & veluti ſerrata. In *caput* glomeratur, ſed mollius, minùs denſo foliorum incubitu formatum. Intra quorum ſinum *flores* denſiſſimo ſtipatu prodeunt exigui, pallidi aut candicantes, velut in vmbella poſiti, qui cum Cauliculis ſuis Deſcript.

aſpara-



aſparagorum tenellis teneritudine & gratiâ certare videntur, atque ob id lautioribus tantùm patinis expetiti: Et ipſæ quoque Erucæ, huic apprimè concolores, ſæpè eam depaſcuntur, vt pro Braſſica, Braſſicę cadauer relinquant.

Dodõ. Gall. Braſſica 3. ſiue Pompeiana: NeotericisCypria:Ital.*Caulifiori*:Gal. *Chou fleuri*, Belg. Bloem koolen. Idem hiſt. Lat Braſſica 8. Caulifloram nonnulli Cypriam vocitant, ea autem cum Plinij Pompeiana conuenire videtur.

Lob. & Pena Adu. Braſſica florida aut potiùs racemoſa, vel Botrytis Pompeiana. Obſ. Braſſica florida botrytis: Icon. Pl. p. 245. Teut. 295.

Cam. apud Matth. G. Blům kõl/Italis *Caulifiori* optima adfertur Genuâ, aliis Braſſica Cypria, qui exiſtimant Pompeianam Plinii: eſui optima delicata, diu poteſt hieme in cellis reſeruari. Caulis floridus. Idem horti, Braſſica Cypria, ſiue Pompeiana. Tabern. Icon. & hiſt. Blümen kõl/ Braſſica proliſera florida.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Braſſica 7. ſiue cauliflora, Pompeiana Plinio: Theophr. videtur meminiſſe, dum ſcribit genus eſſe quod nullum aut paruum ſemen producat.

H. Iun. Braſſica Pompeiana Plinii. Cypria Remberto. B. Bloem kõle. G. *Choux fleuris*. Ital. Cauli flores.

Hiſt. Lugd. Braſſicæ albæ quinta ſpecies. Braſſica Pompeiana aut Cypria. An Geſner. hort. Braſſicæ genus quod è Syria deſertur, *Conabit* ſeu *Conauit* vulgò dictum.

Cæſalp. Genus capitatæ Braſſicæ à flore cognominatum, Cauli flores. Theophr. videtur nullo ſemine aut paruo.

Polyflora Braſſica ſæpiùs nobis prouenit Montbelgardi, in horto Ill. E. C. Vvirt. ex ſemine peregrino: verùm hieme reponenda, & vix ſemen maturum profert. Stutgardiæ in eiuſdem C. horto copioſè excolitur, & editur, vti etiam in E. C. hort. Gœppingæ: Vidi & in horto Ill. C. in Wieſenſteig.

## BRASSICA ALBA VVLGARIS.

Deſcriptio. *R*Adix tophoſa eſt, ex qua ſtipes qui *foliis* neruorumque diuiſura, atque intertextu, rubræ quodammodò reſpondet: *folia* tamen ſubrotunda, ex longis craſſis pediculis delicatiora videntur, in quibus in circuitu præſertim ſerraturæ quædam apparent. Tota planta albicat, & cæſio quodam colore obducta eſt, auriculas habet vti prędictæ. *Flos* albus eſt.

Huic altera ſimilis ſi non eadem quam hortulanus diuerſam putat, vt pote cuius folia magna,



nonnihil criſpa, interna verò quæ ad vmbilicum plantæ magis candicantia, aut certè maculis albis inſignita, quædam etiam per ambitum leuiter ſerrata.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Braſſica 6. ſiue alba vel viridis. Trag. Braſſicæ ſatiuæ maioris ſpecies altera. Alterum genus purpureo affine forma foliorum candidorum ad caulem accedit capitulatum, ſed quæ in caput minimè extuberent. Hoc quoque genus hyemem contemnit: Caulem fundit admodùm procerum, vt qui vnicus tot folia ſuppeditare queat quot ad ferculum requiruntur. Tragus Germ. deſcribit cum rubra. Geſner. hort. Braſſica alba. Monach. in Meſ. Caules albi. Lob. & Pena Adu. Braſſica laciniosa alba, Braſſica vulgaris & vulgatiſſ. ex albido & pullo albicans. Matth Germ. Braſſica læuis alba, Grůnweiß kõl. Hiſt. Lugd. Braſſica alba vulgaris, læuis, ſatiua Theophr. Catonis & Plinii: foliis ex viridi cæſio candicantibus, flore tum luteo tum albo. Cæſalp. Braſſica læuis, Plinio caulodes. Hort. Luſit. Braſſica alba, weiſſer kõl. Scl. Seſada Byle kaal.

Geneuæ Braſſica alba hyemem ferebat in horto, in fine Nouembris anno 1569. in ea apparuerunt adhuc Erucæ. Monſpelii Braſſicam albam cum flore albo copioſè in hortis colunt. Locus & tempus Flore albo.

## BRASSICA ALBA EXPANSA.

*A*Lbæ vulgari in multis adſimilis eſſe videtur. Verùm folia hæc fert ampla, ex longis & auritis pediculis, duorum aut trium ferè cubitorum, læuia, vix vllis laciniis diuiſa, ſed tantùm nonnihil complicata aut conuoluta. Tota planta adeò expanſa eſt ac patula, vt ampliſſimæ tabulæ conſerti poſſit. Italicam putamus, nec exiſtimamus hyemem perferre poſſe. Deſcriptio

In horto Ill. E. C. Montbelgardi colitur: Octobris fine nondum caulem, nedum principium eius apparuit. Locus & tempus.

## BRASSICA CAVLORAPA.

*A*T rarior multò Braſſicæ illa ſpecies, quæ patulis foliis glomerem nullum facit, verùm, quo ſolo ſigno facilè ab aliis ſeparetur, breuis caulis, quà foliorum comæ ſubeſt, in rapum eſculentum extuberat. Deſcriptio

Dod. Gall. Braſſica 4. hodie dicta Rapæcaulis. Gall. *chou raue*. Belgic. raepkoolen. Et Lat. in

fol. Braſſica 9. Rapocaulis vulgò. Braſſica caule rapum gerens. Braſſicæ cuius caulis Rapi in morem extuberat, manditúrque ſubinde medulla, pingui iure incocta Raporum modo, non reperit Matth. meminiſſe Plinium, nec vetuſtiores alios.



Camer. Germ. Matth. Rüben kol / Caulorapum. Italorum *Torzutos* Plinii Lacuterres. Idem hort. Braſſica rapicaulis.

C.Bauh. phyt. & apud Matth. Braſſica 8. ſiue gongylodes, Rapitius colis, Catoni fortè.

Caulorapi cinnum vtriuſque naturæ vidit Scaliger, ſed Braſſicę radix ſub terra condita fuit, Rapum ſupra terram in ſtipite turgeſcebat

Cæſalp. vulgò *Torzuti*, Plinio Lacuturres, capite prægrandes. Putat Geſner. hort. Braſſicam hirſutam Monachis in Meſuem eſſe genus illud cuius Matth. meminit, tanquam Veteribus ignoti, cuius caulis, inquit, Rapi in morem extuberat. Conſiderandum an Monachi non intelligant aliam.

Lobel. & Pena Aduerſ. Caulorapa, Braſſica peregrina, medio caule turbinata & Rapata. Icon. plant. p. 246. Rapa braſſica peregrina, caule Rapum gerens.

Hiſt. Lugd. Braſſica 7. ſiue Rapoſa, Veteribus incognita [niſi ſit Rapitius colis Catonis] γογγυλοκράμβη nominari poteſt.

Tabern. Icon. & Hiſt. Rüben köl, Caulorapum. Item lang rüben köl / Caulorapum 2. Nos vnam eandémque plantam facimus, ideóque non ſeparamus.

Locus & tempus. Braſſica pulchra quæ ad radicem magnum habet rapum, eſui commodum. Non vſque adeò crebra eſt. Baſileæ primùm vidi in horto Doctiſſimi mei Præceptoris Cælii Secundi Curionis. Albam hanc Braſſicam habui Geneuæ in horto pulchrè virentem Ianuario. D. Dalechampio dicebatur Braſſica rapoſa & γογγυλοκράμβη: Montbelgardi ſata in Illuſt. E.C. VVirt. horto prouenit. Obſeruaui cùm eſſem apud fontem admirabilem in wiſen ſteig in horto Ill. Comitis.

## BRASSICA MONOSPERMOS ANGLICA.

Deſcriptio. MVnere Domini Friderici Meyeri ex Anglia vſque adlata *ſemina* habeo, Braſſicę monoſpermæ Anglicanæ, alia nuclei Ceraſi magnitudine, alia altero tantò maiora, figura vtrinque turbinata, & acuminata, & thorulis quibuſdam ſecundum longitudinem donata, vel aliàs tuberculis aſperata, colore cinereo.

Locus. De hac Aduerſ. inquiunt, locis eſt oriunda Angliæ maritimis ad Portlandiam Inſulam, ſed quia inculta, neglecta, hiſpidior multò, cibo tamen toleranda: cuius ſemine iamdiu Medicus Anglus hac parte exercitatiſſimus Turnerus nos donarat, eámque μονόκαυλον, & μονόσπερμον, vocandam à ſemine ſingulari volebat. Sunt enim in florum pallentium alborum congerie eleganti, denſa, & vmbelloſa, multis in ramis *ſiliquæ* breuiores craſſiuſculæ, quibus ſingulis ſingularum ineſt ſemen. *Folia* eadem fermè quæ Braſſicæ nigræ, ſed craſſiora & lætiore aſpectu, & fimbriis vndulatis plicíſque admodum artificioſis.



Lob. & Pena in Aduerſ. Braſſica marina ſilueſtris multiflora monoſpermos. Tabern. icon. & hiſtor. Engliſch kölkraut Braſſica Anglica.

C.Bauh. phyt. Braſſica 12. ſiue Angl. Tab. Braſſica 18. ſiue ſilu. maritima. Lobelio marina.

Hiſt. Lugd. Braſſica marina ſilu. Monoſpermos Penæ.

Prouenit mihi in horto Ill. E.C. Montbelg. ex ſemine miſſo ex Anglia per D.I. Gargillum Scotum, vbi multis iam annis durat ſe propagans etiam ſurculis, folia valdè craſſa, quæ interdum rubent: ſapor non ingratus. Locus

## BRASSICA TOPHOSA.



Tabern. TAbern. Icon. & hiſt. bückel köl / Braſſica tophoſa. Compilatori more ſuo peſſimo ſufficit nudam iconem omiſſa deſcriptione proponere. Natalem ſaltem annotaſſet, ac ita medium eam inueſtigandi rei herbariæ ſtudioſis reliquiſſet, nec ſe ſuſpectum figurarum furtorum reddidiſſet.

## BRASSICA ANGLICANA MINIMA niuea.

Deſcript. MEminerunt Aduerſ. Lobel & Penæ, etiam in Anglia horto puſillam Braſſicellam, totam niueam, præterquam extremas oras lacinioſas fimbriatáſque plicis criſpantibus, & vndulis

rugoſis,purpureis aſperſas maculis, quas etiam ad corollas & olfactoriola nectenda dum tenella adhuc eſt in hortis colunt.

## BRASSICA NIGRA DICTA.

DOdon. Gall. braſſica 5. qui ait, ſub braſſica alba comprehenditur braſſica peregrina valdè,quæ dicitur nigra, *chou noir.* Caulis niger. Ital. *Negre caules*, Belg. Schwoerte koolen. Lat. braſſica 10. nigra cognominata , de qua dubitat an ad Brutianum Plinii referenda ſit. tianum

Figuram ponit Fuchſianam,quam olim poſuerat pro Criſpa,idem facit Hiſt. Lugd. quæ braſſicam nigram Dodonæi vocat.

## BRASSICA CAPITATA RVBRA.

criptio



QVod *folia* attinet albæ ſimilia quodammodò ſũt. At colore magnâ varietate ludunt. Quædam enim atropurpurea, quædam atrouirentia, aut etiam dilutiùs virentia: nonnulla quoque cæſio nebulæ aſperſu glauca ſunt: At omnes rubris coſtis ac neruis intertexta. In *caput* quoque cogũtur. *Flores* lutei. Hyemem fert.

Dodon. Gall. braſſicæ rubræ 2. ſpecies: braſſica Lacuturris, Gal. *Chou cabu rouge.* Belg. Rooſkens & Roode Sluyt koolen. Lat. in fol. braſſicæ altera ſpecies, Brabant. Rooſkens vocant: Latinè Roſaceam braſſicam dixeris. Dodonæus pro hac ponit figuram quam olim habebat ex Fuchſianis pro alba.

Lobel. & Pena Adu. braſſica cõuoluta & occluſa apud Belgas rubro colore enematibus aptior.

Matth. Germ. Tabern. Icon. & hiſt. & Hort. Luſit. Rott Cappes kraût, Braſſica capitata rubra.

C.Bauh. Phyt. braſſica 4. ſiue capitata rubrà.

Hiſt. Lugſt. braſſicæ rubræ 2. ſpecies.

ùs & pus. Braſſicam capitatam rubram habui ex Sultz, ex horto D. Claræ à Rinack vxoris præfecti, quæ plantata in horto E.C. Mõtbelgardi tulit pulchra capita colore rubro vario tincta, potiſſimùm hieme repoſita. Hiemem facilè perfert. In Belgio magnus eius prouentus teſte Lobelio.

## BRASSICA RVBRA VVLGARIS.

riptio. PRocerior hęc reliquis eſſe videtur. *Stipite* namque veluti arboreſcit alto , duorum, trium, aut quatuor pedum, aut etiam cubitorum,





craſſo, atropurpureo , ima parte verrucoſo : aliàs ſingulo , aliàs in ramos diuaricato. Quem *folia* fortuito poſitu ſtipãt lata , ex viridi rubentia, aliàs ſanguineo rubore aut obſcuriore etiam tota perfuſa , non ſine obductu nebulæ cuiuſdã glaucæ : crebro craſſarum venarum diſcurſu rugoſa, patula, ſinuataque. *Flores* lutei cauli erecto hærent: quos *ſiliqua* excipiunt palmates , in quibus *ſemen* ruffum, rotundum. Huius folia patula manent, ac expanſa. Hyemem perfert: ac ſæpè præſertim culta, arboream acquirit proceritatem firmitatemque, ac ita in plureis durat annos. Sæpè etiam laterales producit ramulos. Hyemè potiſſimùm culinis expetita , vbi frigus extrinſecus præſenſerit. Ramorum extrema aduentante Vere delicationibus in acetaria expetuntur.

Trago Lat. & Germ. braſſica, koel kraut , braſſica ſatiua maior, braſſicæ ſatiuæ primum genus.

Fuchſ. Icon. & Hiſt. braſſicæ 1. genus , braſſica læuis : λεία Germ. breiter aut groſſer koel. Gallis *Choux* ſimpliciter dicta.

H. Iun. braſſica Cumana , læuis , rubra , λεία λειόφυλλος : Al. Breiter Rotter koel. B. Groote roode kol Sloore. Gal. *Chou rouge.*

Dodon. Gall. Braſſica rubra prima Catoni, Græcè κράμβη , Plinio braſſica Cumana : Gall. *Choux rouge* & *poly*: Germ. Breiter roter koelen/ Belg. Groote roode koolen. Lat. braſſica vulgaris ſatiua ſiue prior. Theoph. λειόφυλλον: Plin. vno loco λείαν , alio Cumanam cognominat : eandem & caulodem quoſdam vocitare ait : Cato hanc læuem, appellat, vulgò *Rubra Caulis.* Dodonæus Gal. Fuchſianam habebat figuram , quam nunc ponit pro braſſica minore : pro rubrà verò nouam iconem proponit.

Lobel. & Pena Adu. Braſſica laciniosa rubra Cumana vulgatior. Obſ. & Icon. pl. braſſica vulg. ſatiua, Anglis Reale & Cole: Gal. *Choux verds, ou collets.*

Matth. Ger. braſſica læuis , Glatt oder Schlecht koel kraût/ rubra.

Hiſt. Lugd. Braſſicæ rubræ prima ſpecies, florem ferens altero anno , ſicut & caulis capitulatus. Hæc hyemis frigoribus rariſſ. læditur , guſtu aliquantulùm amara ac ſalſa , maximè vbi adoleuerit hiememque attigerit.

Monach. in Meſ. braſſica ſiue caulis rubea, ſiue nigra.

Geſner. de coll. ſtirp. braſſica. Taber. Icon. & Hiſt. Roter koel, braſſica rubra.

C.Bauh. Phyt. braſſica 5. ſiue rubra.

Hort. Luſit. braſſica rubra, Brûner koel/rotter kôl Roemiſch koel. Scl. Boly Schalck / Wodre Kâal.

Copioſè ſeritur quotannis paſſim in hortis vt etiam in horto E.C. Hanc braſſicam per ali- Locus & tempus

quot annos ex ſemine deciduo in muro è regione feneſtrarum ædium in quibus moror durantem vidi.

## BRASSICA CRISPA LACINIOSA

Deſcriptio



OMnium hæc elegãtiſſima fert *folia*, ex longis pediculis auritis, oblonga, cubitalia, altiora, neruis albidis elegãter picta, atque multiplici eorum diuaricatione intertexta: ambitu quoque ſuo multiplicibus conuolutionum ſpiris ſinuato, ita criſpa vt ſtrutii auis plumas, militibus glorioſis criſtarum loco expetitas quodammodò repræſentent. *Coſtæ* plerumque etiam dilutè purpureæ ſunt, ſicut & ipſi caules *flos* luteus. In cibo rubris non inferiores.

Fuch. hiſt. braſſica altera criſpa, quæ à ſimilitudine Apii σελινοειδὴς, id eſt, Apiana nuncupatur, vulgò Criſpus caulis: Germ. kraüſer kôl: Gal. *Choux creſpés*. Icon. p. 2. 234. braſſicæ 2. genus.

Dodon. Gall. braſſicæ rubræ quarta ſpecies, braſſica Sabellica. Neoter. Braſſica criſpa, Gal. *Chou creſpu*, Belg. ghecronkelde kôlen. Et Lat. in fol. Braſſica 3. Criſpa: Theophr. οὐλοφύλλον nominat, atque inter Braſſicas primo loco refert: Catoni 2. eſt, Plinio Sabellica. Olim figuram Fuchſii proponebat quam nunc pro nigra ponit, & nouam exhibet iconem pro Criſpa.

Lob. & Pena Adu. Braſſica nigra vndantibus criſpis & lacinioſis foliis: Obſ. braſſica fimbriata. Icon. plant. p. 247. Non reperit Matth. meminiſſe Plinium, nec eo vetuſtiores alios, braſſicæ quæ foliis admodum per ambitum laciniatis, minutimque interciſis aſſurgit.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 13. ſiue foliis laciniatis Fuchſ. 2. Lob. fimbriata. Apud Matth. videtur mihi Frater ſub braſſica criſpa Sabauda tradere varietatem colorum inſignem, noſtre braſſicæ criſpæ latifoliæ.

Hiſt. Lugd. Figuram Fuchſii ponit pro nigra Dodonæi: braſſicæ rubræ 4. ſpecies: Nigram Dodon. vocat Fuchſius braſſicam criſpam: Gal. *Chou creſpu noir*.

Tempus & locus.

Montbelgardi habemus in horto Il. E. C. Wirtemb. eam obſeruaui cùm eſſem apud Fontem admirabilem in Vviſenſteig in horto Il. Comitis.

Braſſica criſpifolia præſtantior eſt læui, inquit Porta ex Theophraſt. quia ſiccior eſt, ob id ſapidior.

## BRASSICA LACINIATA RVBRA.

A Vulgari rubra deſcripta vixdum magnitudine variat. *Folia* potiſſimum faciunt differentiam, quæ profundis laciniis ſinuatis nonnihil variant, iiſdem modò in latiores, modò in minores rurſus ſectis, vt tota penè criſpa videatur: idque potiſſimùm propter minorem laciniarum contortum. Huius quoque *flos* luteus eſt. *Vaſcula* & *ſemen*, vt in reliquis. Hyemem & hæc ſuffert Montbelgardi in horto Ill. Ex. C. Vvirtemberg. haud ſecus ac vulgaris illa ſcripta, eòque potiſſimum tempore menſis expetitur.

## BRASSICA LACINIATA ALBA.

Deſcriptio



RVbra laciniatæ haud multùm abſimilis proportione eſt, non penitùs alba, caule interdum purpuraſcente: cui *folia* pallidè viridãtia, glauca quadam nebula obducta ſunt. Foliorum quoque laciniæ profundè quidem diuiſæ, minùs tamen criſpæ. Fert & hæc hyemem Montbelgardi in horto E. C. eſtque vt illa flore luteo, ſed minùs in cibo accepta, vt hortulanus perhibet.

Tabern. Icon & hiſt. vocatur kôl kraût 2. braſſica 2.

## BRASSICA TENVISSIMA LACINIATA.



HAdr. Iun. Braſſica Apiana Plinii, Sabellica eidem criſpa Plinii: οὐλὴ Nicãd. οὐλόφυλλος Theophr. σελινοειδὴς Catoni: σελινουσία Atheneo, σελινάς Plin. Al. Kraûſer kôl. B. Gheroucelde oft gehackelde koel. Gal. *choux creſpus*.

Tabern. Icõ & hiſtor breyt kraûß kôl, braſſica Selinuſia latifolia. Item, Schmall kraûß kôl, braſſica Selenuſia anguſtifolia.

C. Bauh. phyt. Braſſica 14. ſiue Apii folio anguſtifolia. Braſſica 15. ſiue Apii folio latifolia.

Trag. Germ. & Lat. das ander kôl kraût, cuius tria aut quatuor genera, kraûß kôl. Plinio Apiana aut criſpa. Braſſica criſpa ſeu Alpina, Tertia braſſicæ ſatiuæ ſpecies, cui folia criſpa & per ambitum

tum inciſa: in hoc genere quædam frequentioribus & profundioribus, aliæ rarioribus & magis exiguis inciſuris diſſectæ apparent, ita vt plura eius faſtigia conſtituere liceat.

Monach. in Meſ. Caules criſpi.

Dodon. Gall. Braſſica 3. rubra: Græcè σελινοειδὴς, Lat. Braſſica Apiana: Belg. ghehackelde koolen. Gall. *chou à feuille dechiquetée.* Et Lat. in fol. Braſſica quarta foliis fiſſis. Græcis σελινοειδὴς, Latinis Braſſica Apiana dicta. Plinius Criſpam ſic dictam vult à ſimilitudine foliorum Apii: ſunt autem Apii folia haudquaquam criſpa, ſed in varias partes diſſecta. Icon. plant. pag. 246. Braſſica tenuifolia laciniata: Teut. 197.

Camer. hort. Braſſica Apiana criſpa.

Hiſt. Lugd. duas habet figuras, vnam ſub titulo, Braſſicæ rubræ 3. ſpecies Dodon. σελινοειδὴς: alteram verò ſub Braſſicâ criſpâ Tragi, & Braſſicâ tenuifoliâ laciniata Lobelii.

is & mpus. Braſſicam habemus Montbelgardi in horto Ill. E.C. VVirtemberg. tenuiſſimè diſſectam, quæ hyemem perfert.

## BRASSICA THYRSOIDES.

ipio E rubræ Braſſicæ genere eſt, patulis ex viridi atrorubentibus *foliis*, ſubinde laciniatis, per quæ paſſim ſupinâ parte noua criſporum *foliolorum* ſoboles conſurgit, pulchris lemniſcis, naturæ luſu ſpectando, hincinde exorientibus, nunc breui amento tenuique appenſis, nunc latiuſculo petiolo hærentibus, atque etiamnum in alia deinceps ſertula ſtruppóſque luxuriantibus, *flores, ſiliqua, ſeménque* ad Braſſicam rubram vulgatiorem accedunt.

Taber. Icon. & hiſt. Buſchel kôl kraut, Braſſica prolifera. Item Büſchel kraus kôl/ Braſſica prolifera.

Mira eſt 6. Braſſicæ ſpecies Hiſt. Lugdunenſis, quam Aſparagodem eſſe Herbarii cenſent, cuius mentio fit in Geoponicis Caſſiani Conſtantino attributis. *Caulis* & *radix* eadem quæ in cæteris Braſſicæ generibus. *Folia* nunc ſunt laciniata, & frequentiſſimis diuiſuris inciſa, qualia Braſſicæ, criſpæ, nunc planè lata, & expanſa. Eadem nonnunquam tota virent, nonnunquam venis per ipſa folia diſperſis, & media coſta rubent. Huic verò id peculiare eſt & inſigne, quod ex foliis ramuli multi breues, toroſi, folioſi naſcuntur, florentes ſuo tempore, & ſemen edentes, nôn aliter quàm in reliquis plantis, ex caule, vel ſtipite, quorum ramulorum cùm aſparagis ſimilitudo fecit, vt hanc Braſſicam aſparagoden Græci vocauerint. Hi tenelli aſparagi in iure aliquo pingui, vt Capi, aut Veruecinæ eduntur.

Caſp. Bauhin. phyt. Braſſica 10. ſiue ex cuius foliis ramuli naſcuntur. Dalechamp. Aſparagodes. Braſſica 11. ſiue Aſparagodes criſpa. Tabern. criſpa prolifera. Vnam tenemus eſſe plantam, non duas.

Vidi in horto Admirabilis Fontis, & in Kirchen vrbe VVirtembergica in horto D. I. Lutz Pharmacop. dicebatur Feder kôl/ ſatis ampla mihi prouenit Montbelgardi in horto Illuſtr. E.C. VVirtemberg.

## BRASSICA RVBRA MINOR.

BRaſſica tertia propriè vocatur Crambe à Fuchſio in hiſt. minutioribus *caulibus*, & tenuioribus *foliis*: *flore* luteo, Germ. Kleiner kôl vt ab aliis diſcernatur, nominari poteſt. Gall. *choux rouges.* Icon. p. 235. Braſſicæ tertium genus.



Dodon. Gall. Braſſicæ rubræ quinta ſpecies minor. Germ. kleiner kôlen. Gal. *petit chou.* Belg. Slooren; Catoni propriè κράμβη. Omniũ minima ſilueſtri penè ſimilis, foliis primæ rubræ, multò minoribus, alioqui omninò ſimilis, ſeritur propter ſemen, ex quo oleum paratur, quod venditur prò Napi ſeminis oleo. Dod. Gall. Figuram non habet, ſed eam pro ſilueſtri poſuit ex Fuchſio. Dodo. Lat. braſſica 5. minor natura ſua ſilueſtris: idcircò nec in cibatu deſiderara: ſeminis autem cauſa præcipuè ſeritur, ex quo ſubinde non exiguus quæſtus accedit. Hæc eſt Veteribus 3. quam Plinius propriè κράμβην dici affirmat. Pro hac in hiſt. Lat. ponit Iconem à Fuchſio poſitam pro braſſica 1.

C. Bauh. phyt. braſſica 17. ſiue ſilueſt. Trago, Syln. Fuchſ. 3.

Hiſt. Lugd. Poſtremum braſſicæ rubræ genus Dodonæi. Braſſica ſilueſt. Item Braſſica agreſtis κράμβη ἀγρία, cui planè ſimilis eſt tertia braſſicæ ſatiuæ ſpecies Fuchſii. Figuræ ambæ ſunt valdè ſimiles.

Trago Germ. Crambe vulgaris Rauchwald kôlkraut/der 4. kôl. Lat. Braſſica ſilu. foliis vulgari ſatiuæ penè conſimilibus, ſed magis exiguis & aſperioribus, guſtúque amarioribus. Braſſicæ vulgaris ſeu ſilueſtris.

## BRASSICA SILVESTRIS.

BRaſſicæ trifariam dari digeſtionem ſuperius dictum eſt. In *Satiuam* quippe, *Silueſtrem*, & *Marinam.* Et quia de Satiua hactenus actum eſt, ſequitur vt Silueſtris tractationem ſuſcipiamus.

Silueſtri, inſit Theophr. plant. hiſt. lib. 7. cap. 4. folium leue, ſed paruum atque rotundum. Hæc ramis foliiſque permultis condita eſt: adhæc ſuccum aſperum & inſtar medicamenti habet, quamobrem eo Medici ad aluum purgandam ſæpè vtuntur. Et rurſus cap. 6. Nunc de ſilueſtri, ſeu ea quam aruenſem vocamus, pariter indicare tentandum eſt. Hæc aſpectu vicina vrbanæ eſt, præterquàm quòd foliis minoribus, caulibúſque ſcabrioribus conſtat, & ſucco (quia ſiccior) potiſſimùm acriori, vehementiorique conditur: caules ſortitur rotundiores, leuioréſque quàm ſatiua: & foliorum appendicem illa lata, hæc habet rotundiorem, vt folium ipſum minùs angulatum: nam cæterà quidem ſcabrior tum caulibus, tum foliis conſtat.

Braſſicam ſilueſtrem ſatiuæ ſimilem ſcribit quoque Dioſc. ſed candidiorem, hirſutiorem & amaram.

Celebrauit & ſilueſtrem braſſicam ſiue Erraticam Plinius. Hanc,inquit, alii Petræam [ quia in maritimis præruptis naſcitur,Dioſc.]vocant,inimiciſſimam vino, quam præcipuè Vitis ſugiat, aut ſi non poſſit fugere, moriatur. Folia habet bina, parua, rotunda,læuia: plantis oleris ſimilior,candidior ſatiua & hirſutior. Sed Plinius hîc vt notat Dalech. Marinæ & ſilueſtris hiſtoriam confundit. Folia rotunda, parua, læuia marinæ ſunt. Nemo bina eſſe tradit. Res ipſa falſum hoc eſſe monſtrat. Similitudo cum braſſica hortenſi,folia candidiora, & hirſutiora quàm in ſatiua,& (quod ait Dioſc.) amara ,ſilueſtris braſſicæ ſunt. Videtur tamen Cæſalpino Plinius potiùs interpretandus, quàm confuſionis hoc in loco arguendus. Ita namque ſcribit.Syluestris braſſica ſpontè naſcens, guſtui ingrata, in maritimis aſperis,qualis in ſcopulis Iluæ naſcitur, foliis eſt ex candido purpuraſcentibus, ſimilis ſatiuæ purpureæ,tantùm minor, nec hirſuta, vt Dioſcoridis.Hanc Plinius Petræam vocat, eíque ſolia bina tribuit, per quæ binas foliorum appendices rotundas intelligit. Theophraſtus, vt ex eius verbis colligere licet, hirſutiem negat. Deſcribit alibi Braſſicam ſilv. Plinius, Theophraſtum imitatus Tertia,inquit. propriè Crambe vocatur, tenuioribus foliis, & ſimplicibus, denſiſſimiſque ſed efficaciſſima. Alibi Raphanum vocat, cùm inquit, Græci tria genera ſecere foliorum differentia, criſpi, læuis, tertium ſilueſtre: nam ſic Theophr. Græcè vocat quam Dioſc. Cramben, & Latini Braſſicam. Sed vt noſtram hac de re dicamus ſententiam. Theophraſtum & Plinium nomine Raphani & Braſſicæ ſilueſtris, maritimam deſcripſiſſe Braſſicam exiſtimamus, vt ſuo dicetur loco.

Braſſica ſilueſtris traditur à Matth. in Dioſc. foliis domeſticæ ſimilibus, ſed Hyoſcyami modo hirſutis, amaro ac inſuaui guſtu.

Syluestris Dioſcoridi nuncupata Braſſica, ſatiuarum minori quinto loco deſcriptæ [ braſſicæ noſtræ rubræ minori]ſimilis eſſet,ait Dodonæus, niſi hirſutior,albidior,ac ſapore amarior foret:folia ſiquidem,flores, ſiliquæque ſatis reſpondent. κράμβη ἀγρία à Dioſc. græcè dicitur à quibuſdã Hamilridia: Lat. braſſica ſylu.& braſſica ruſtica: Gal. *Chou ſauuage ou ruſtique.* Germ. Zee kolen/& Wilde zee kolen: à Neotericis Caulis braſſica marina, differens tamen à braſſica illa, quam Dioſc. hoc nomine inſcribit, & Recentiores Soldanellam appellant, de qua ſuo loco. Aſſumit autem pro braſſica ſilu. Dioſcor. Dodonæus figuram,quam pro tertia, vel minore exhibuit Fuchſius.

Tabern. Icon. & hiſt. Wilde koel, braſſicam ſilu.vocat. Nullam autem ponit deſcriptionem, ſuſpicor factam figuram ad Lobel. in Adu. Braſſicam monoſpermon.

Locus. Naſci autem hanc in maritimis præruptis Dioſcorides tradit: reperitur verò ait Dodon. & in multis Zelandiæ altioribus tumulis iuxta mare. In maritimis Senenſibus, Argentario promontorio, aliiſque tum Tyrrheni,tum Adriatici littoribus frequens naſcitur. Hanc non longè à Terracina vrbe,viâ quâ itur Neapolim plurimam vidit Matth.

Vires Huius cyma, inquit Dioſc. in lixiuio cocta ori non eſt inſuauis. Illita verò folia vulnera conglutinandi, ac tumores inflammationeſque diſcutiendi vim habent. Braſſica, autore Catone, erratica maximam vim habet, eam areſacere, contereque oportet benè minutim. Si quem voles purgare, pridie ne cœnet, & manè ieiuno dato braſſicę tritæ,decoctęque aquę cyathos quatuor, nulla res tam benè purgabit, neque helleborum neque ſcamoneum, & ſine periculo, & ſcito ſalubrem eſſe corpori. Quos diffidas ſanos facere, facies. Qui hac purgatione purgandus erit, ſic eum curato. Sorbitione liquida hoc per dies 7. dato, vbi eſſe volet, carnem aſſam dato. Si eſſe non volet, dato braſſicam coctam, & panem, & bibat vinum lene dilutum, lauet raro,vtatur vnctione: qui ſic purgatus erit, diutina valetudine vtetur,neque vllus veniet morbus niſi ſua culpa. Et ſiquis hulcus tetrum,vel recens habebit, hanc braſſicam erraticam aqua inſpergito, apponito, ſanum facies. Et ſi fiſtula erit, turundam intrò trudito, ſi turundam non recipit, diluito, ſuccum exprimito, eum in veſicam indito, veſicæ calamum alligato & ita premito, vt in fiſtulam ſuccus introeat. Ea res ſanum faciet citò. Et ad omnia vetera vlcera, & noua, contritam cum melle apponito, ſanum faciet.Et ſi polypus in naſo introierit, braſſicam erraticam aridam tritam in malum coniicito, & ad naſum admoueto. Ita ſubducito ſurſum animam quamplurimùm poteris, triduò polypus excidet,& vbi exciderit, tum aliquot dies idem facito,vt radices polypi perſanas facias. Auribus ſi parum audies, terito cum vino Braſſicam, ſuccum exprimito, in aurem intrò tepidum inſtillato, citò intelliges te plus audire. Deinde impetigini parcè braſſicam apponito,ſanam faciet,& vlcus non faciet.

Braſſicæ ſilu. ſiue erraticæ,inquit Plinius, immenſo plus effectus laudat Cato, adeò vt aridæ quoque farinam in olfactorio collectam,vel odore tantùm naribus rapto, vitia earum graueolentiamque ſanare affirmet.Hanc inflationibus mederi, melancholicis quoque ac vulneribus recentibus,cum melle ita ne ſoluantur ante diem: ſtrumis, fiſtulis,in aqua contritam,Chryſippus autor eſt. Et alii verò compeſcere mala corporis quæ ſerpant: nomas vocant. Item excreſcentia abſumere. Cicatrices ad planum redigere.Oris hulcera & tonſillas manducatam & coctam ſucco gargarizato cum melle tollere. Item pſoras & lepras veteres ipſius tribus partibus cum duabus aluminis in aceto acri illitis. Epicharmus ſatis eſſe eam contra canis rabioſi morſum imponi.Meliùs ſi cum laſere, & aceto acri. Necari quoque canes ea, ſi detur, ex carne. Semen eius toſtum auxiliatur contra ſerpentes, fungorumque venena, tauri ſanguinem.Folia cocta ſpleneticis [ſplenicis CH.] in cibo data, & cruda illita cum ſulphure & nitro proſunt. Item mammarum duritiæ. Radicum cinis vuæ in faucibus tumenti tactu medetur:& parotidas cum melle illitus reprimit: ſerpentium morſus ſanat.

Braſſica agreſtis, vt notat Galenus, quodammodò calidior, ſicciorque eſt quàm domeſtica: ceu alia propemodum omnia agreſtia ſui generis domeſticis vtraque facultate valentiora ſunt. Quamobrem neque intra corpus citra noxam ſumitur, vt quæ longiùs ab humana receſſerit temperatura. Eadem de cauſa & guſtantibus amarior eſt quàm domeſtica: quanquam domeſtica quoque acrimoniæ nonnihil & amaritudinis contineat: ſed vtramque agreſtis habet validam: quare etiam exterget, & digerit,quàm domeſtica valentiùs.

Eſt,ait Dodonæus, braſſica ſilueſtris calida, & quia amara, extergens quoque.

ACHA-

in has ſpinas de fiſſe, cùm in ſummitate nullæ conſpiciantur.

## ACHANACA INDORVM BRASSICÆ foliis.

ſcriptio



HVius folia biſurcata & acuminata ſunt, Braſſicæ amplioris foliis ſimillima, ſed non ita craſſa, & tenuiore coſta, in horum medio fructus naſcitur oui magnitudine, colore luteo, quem Alfard nuncupant, alii Lefach, nomine ſerpentis concoloris. Fructus is magno apud eos eſt in pretio. Tota planta tibiæ hominis craſſitudine.

Ius Al-
ib.

Hiſt. Lugd. Achanaca Theueti.

C. Bauh. phyt. Braſſica 19. ſiue Braſſicæ folia peregrina.

In regnis Mely & Tombotu ad fluuium Senega ſitis, Medici, *Biſrains* appellati, áduerſus morbum, qui illic frequentiùs graſſatur, *Borozail* nominatus, aut *Zail* Æthiopum lingua, qui ex immodica Venere, cui multùm obnoxii ſunt, ortum habet, herbæ Achanacæ dictæ decocto, vt refert Theuerus, potiſſimùm vtuntur. Morbus autem is genitales partes plurimùm occupat, quæ in homine *Aſab*, in fœmina *Aſſabatas* nominantur.

*Braſſica folio Nymphea* Caiou-a.

VIdi, inquit Leri hiſt. Amer. cap. 73. Braſſicæ genus, quod ſilueſtres homines vocant *Caiou-a*, quo in iuſculis interdum vtuntur: folia ſunt ei lata & pænè Nympheæ ſimilia.

## BRASSICA SPINOSA.

ptio



EST hæc C. Bauh. Phyt. Braſſica 16. [apud Matth. 6.] ſiue ſpinoſa, quam cùm integram Patauii in horto Cl. Bembi non viderit, eam vſque dum integra offeratur, ſic deſcribit. Ramulus eſt ſine foliis, aut ſaltem obſcuris prope caulis exortum, in ſummo caulis faſtigio ſpinæ tenues, cauli concolores digiti articuli lõgitudine, ita vt videantur folia in has ſpinas de fiſſe, cùm in ſummitate nullæ conſpiciantur.

## PERFOLIATA SILIQVOSA.





SEſquicubitalis & altior eſt, *caule* tereti, tenui, & in alas diuiſo, ex foliorum ſinu prodeuntes: *folia* non diuiſa, oblonga, ſubrotunda, Napi, colore glauco, rigidula, pinguia, fragilia, à caule videntur quaſi tranſadigi, ſapore oleraceo: *flores* exalbidi, Braſſicæ: *ſiliquæ* perquàm longæ, anguloſæ *ſemen* continent, *Radix* tenuis, alba, guſtû Braſſicæ. Deſcriptio

Trago Germ. & Lat. perfoliata altera, daß ander durchwachs. Et hæc, ait i, hauddubiè ſecùndum Dioſcor. Cotyledon, ſeù vt Marcell. vocat, Acetabulum, aut Vmbilicus Veneris, [frawen nabel/ & quorundam Cymbalion: Sed ego nunquam hanc admiſerim cum Trago pro Vmbilico Veneris, Cotyledonéve.

Braſſicæ agreſtis ſpecies alia [ſic enim propoſitam à nobis plantam inſcribit Cordus, & ex eo H. Lugd.] cubitalem habet *caulem*, teretem, glabrum, aliquantulùm concauum, & in ramulos diuiſum: *folia* ex interuallo ſingula profert ſecus ramulorum eruptiones, trium aut quatuor vnciarum longitudine, paulò anguſtiora, ſubrotunda, glabra, & Braſſicæ modo carnoſa (in repetitione verborum Cordi in Hiſt. Lugd. malè ſcribitur corroſa:) *flores* Veris exitu candidos & oblongos fert, quibus ſingulæ ſuccedunt *ſiliculæ*, digito longiores, anguſtæ, & quadrangulares, oblongo, nigroque *ſemine* plenæ. *Radice* nititur exigua, lignoſa, ſemeſtri & inutili: Folia Braſſicam guſtu imitantur: ſemen verò amarius eſt, & aliquantulùm acre. Naſcitur pinguibus aruis, lento & glutinoſo ſolo. *Hiſt. Lugd. not.* *Flos candidus*

Dicitur autem Cordo Braſſicæ agreſtis ſpecies alia, quia iam antè lib. 1. c. 31. alterius meminit, de qua paulò pòſt, ſub Glaſtifolia Cichoroide, ſiue Turriti 2. Cluſii.

*Hiſt. Lugd. not.* Et licet contetur Hiſt. Lugd. Cluſii Braſſicam campeſtrem i. diuerſam facere à Braſſicæ agreſtis ſpecie alia Cordi, cùm ait Cluſius aliam pingit & deſcripſit: Id tamen contra mentem Cluſii tentat, cuius verba hæc ſunt, *Braſſica cãpeſtris.* Braſſica campeſtris [addit in poſt. Hiſt. flore albo] pedales habet caules, candicantes, rotundos, aliquot ramis præditos: folia ex interuallis, Perfoliatæ foliis non valdè diſſimilia, albicantia, & colore ferè Braſſicæ viualis: caulem ſic amplectentia, vt tenellæ plantæ ad Perfoliatam plurimùm accedant, guſtu feruido: ramulos è lateribus prodeuntes, ſuſtinentes flores aliquot albos, Braſſicæ floribus ſimiles, deinde cornicula longa, quadrangula, in quibus continetur ſemen Braſſicæ ſemini minus, ex ruſo fuſcum: ita nuncupaui hanc & ſequentem, tum quia in agris & campeſtribus naſcentes cõſpiciebam & menſe Martio florentes, in Murciano agro, iuxta vias ad Eliocretam vrbem vulgò Lorea dictam, vbi Martio florebant: tum quia quid *Locus & tempus.* Murciani *Colleion* appellabant, id eſt Braſſiculas. *Colleson Hiſp.* Cordus hanc primam ſpeciem non ignorauit: nam Braſſicam Campeſtrem vocat, quam veriſimile eſt apud ſuos in agris naſcentem obſeruaſſe, ac propterea agreſtis nomen indidiſſe: non deſunt qui Braſſicam ſemine quadrangulo vocent ineptè: à corniculo potiùs, in quo ſemen, nam ſemen quadrangulum non eſt. Sed & hoc genus ſpontè creſcens obſeruabam magna copia in aruis Viennenſis agri, Maio florens.

Plant. Icon. p. 396. Perfoliata Napiſolia Anglorum ſiliquoſa. Lob. 215. Teut. 482.

Taber. Icon. & hiſt. Perfoliata napiſolia Durchwachs mit Stockruben.

Dodon. Braſſica ſilv. perfoliata, quam alteram campeſtrem Braſſicam nominant: nonnulli etiam montanam, vel perſoliatam. Huius etiam meminit Camer. apud Thal. quando inquit: In aruis Thuringiæ non admodum diuerſa Braſſica ſilv. folio Betæ Thalii naſcitur, quæ cum Braſſica campeſtri deſcripta à Cluſio in Hiſp. obſeruationibus planè congruit.

Hort. Luſit. Braſſica campeſtris Cluſii. H. Perfoliata ſiliquoſa, wilder Kôl.

A me ſata in horto Ill. E. C. quotannis ſe renouat ſemine deciduo, eodemque maturo Auguſto. Spontaneam magnam obſeruaui in ſegetum agris Ducatus Vvirtemb. circa Marbach, vbi Romanorum olim erant limites, menſe Iunio florentem cum ſiliquis longis.

Eius acrimonia proximè ad Braſſicæ facultates hanc plantam accedere indicio eſt, autore Cluſio, & illâ valentiorem forſitan eſſe. De huius facultatibus compertum nihil habet Dodonæus, à nemine enim in cibum admittitur.

### *Perfoliata ſiliquoſa purpurea Cluſio.*

Firmioribus eſt *virgis*, nec adeò ramoſis, cuius *folia* in ſummo aliquantulùm ſerrata, reliquis notis à Prioris foliis non differunt, & feruido ſunt etiam guſtu: *flores* Prioris floribus ſimiles, maiores tamen, Leucoii aut Heſperidis floribus magnitudine pares, colore autem Lunatiæ græcæ flori, purpureo videlicet: *cornicula* ſuccedentia prioribus ſimilia & ſimile *ſemen* continentia. *Radix*, licèt dura fibriſque quibuſdam prædita ſit, viuax tamen non eſt, ſed prolato ſemine perire ſolet.

Cluſ. Hiſpan. & ex eo Hiſt. Lugd. Braſſicæ campeſtris aliud genus, ſiue ſecundum. Hiſt. verò poſt. Braſſica campeſtris 2. flore purpureo.

### *Braſſica ſilv. maior latifolia Thalio.*

Radicibus conſtat inutilibus, lignoſis, candidis: *caule* ſeſquipalmari, non admodum recto, rotundo, ſimplici, nonnunquam etiam brachiato, *foliis* mollibus, læuibus, ſubflauis, integris, ſine inciſuris aut ſinuoſis criſpatutis, mucronatis, duas vncias longis, vnciam latis. In ſummitate in exiguis pediculis racemus *florum* candidorum exiſtit, ex oblongis vaſculis Braſſicarum ſatiuarum modo prominentium: quibus deperditis *ſiliquæ* oblongæ pronaſcuntur, *ſemina* Braſſicæ ſatiuæ minora continentes.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 25. ſiue ſilv. maior latifolia Thalio.

### *Turritis vulgatior.*

Naſturtio ſilueſtri adiungitur planta, quæ Turritis vocatur: inquit Taberna, *radice* fibroſa, vt in Plantagine videre eſt: Ima ipſius *folia* per terram hinc inde ſparſa iacent, Saluiæ foliis conſimilia: ex *radice* caules aliquot rotundi, exiguis, acuminatiſque, & læuibus foliis donati, emergunt, quæ acetoſæ foliis comparari poſſunt, in ſummitate caulium, multa exigua tenellaque foliola conueniunt, ſicuti in [Taubenkropf] Hippuride, quæ velut ex ariſtis compoſita ſunt. In caulis culmine exigui *floſculi* ſunt conſpicui, qui ſi deciderint, tenellæ acuminatæque reſiduæ manent capſulæ [täſchlin]. Cur autem hæc planta Iberidibus annumerata fuerit planè me fugit, niſi fortè ob acrem ipſius guſtum contigerit. Concinnator credidit ſe hîc demonſtrare valdè induſtrium, cùm tamen ex icone, malè conſiderata, malè fingat deſcriptionem. Ex floſculis enim fingit perulas ſiue capſulas, ac ex ſiliquis facit folia quod facilè eſt animaduertere ex ſequenti Cluſiana deſcriptione. *Tabern. d. arg.*

Sic autem Cluſ. de Turrita vulgatiori. Drabæ 2. & tertiæ congener videtur planta illa, quæ vulgò apud eos qui ſtirpium cognitione & ſtudio delectantur Turritæ nomen obtinet, ab extremorum caulium forma, qui in metę aut pyramidis effigiem deſinunt: habet verò prima, quæ & frequentior & vulgatior, conferta circa radicem folia, binas vncias longa, ſucculenta, hirta, & aſpera, ſaturatiore colore viridi prædita: inter quæ pedales, aliquando etiam cubitales promit caules quos inordinata ambiunt folia, circa pediculum latiora, deinde in mucronem deſinentia, ſucculenta & hirſuta: ſummo caule confertim naſcuntur multi exigui flores, quatuor foliolis albis conſtantes: quibus diſcuſſis, alii apparent. caulis faſtigio ſenſim, veluti in metæ formam, ſeſe attollẽte, vt tandem frequentibus longiuſculis corniculis cinctum conſpiciatur, quæ puſillum, ruſum, acre ſemen continent: radix illi alba, multis fibris prædita, quam tamen viuacem eſſe non puto. *Turritis.*

Tabern. Icon. & hiſt. Gerardo & Icon. pl. p. 220. Turritis. Teuton. 262. Turrita 1. vulgatior.

Spontè prouenit in plæriſque Auſtriæ collibus lapidoſis & ſalebroſis. Floret Maio, ſemen maturum eſt Iulio.

## GLASTIFOLIA CICHOROIDES IOH. Bauhini: & Turritis ſecunda Cluſio.

Radice eſt annua mediocriter craſſa, alba, nonnihil purpuraſcente, fibroſa, ſubacri: *folia,* *Deſcrip.* germi-

germinatione prima antequam caulem proſerat partim laciniata, Cichorei vulgaris inſtar, vel Hieracii, alia nullo modo inciſa, glauca, Iſatidis ſoliis ſimilia, palmo ſæpe longiora ſemunciam lata lanuginoſa, ſapore acri & amaro: adulta & quæ in caulibus ſunt integra nulla diuiſura inciſa, glabra, vtrinque glauca, oblonga, ita pinnis alarum coëuntia, vt à caule perforari videantur, ſapore Braſſicæ vulgaris. *Caulis* cubitalis, & bicubitalis, tenuis, colore herbaceo, admiſta aliqua purpura, multis ramis longis tenuibuſque brachiatus: ex alis & ſummis ramis *flores* prodeunt multi ſimul iuncti ex pediculis ſemũcialibus; ex luteo in albidum languentes, odore nullo manifeſto, quaternis foliis conſtantes, quæ totidem foris circumſtant, ſed longè minora & vireſcentia, mucronataque, cùm illa ſubrotunda ſint, in medio crocata ſtamina multa, cum ſtilo viridi. Succedunt tandem *Siliquæ* longæ, rectæ, graciles, in quibus *ſemen*.

*ica Virga.* An Cordo hiſt. Plant. Braſſica ſilu. virgata: 5. Si tamen noſtram plantam intelligit, omiſit in ſua deſcriptione folia inferiora Cichorio ſimilia.

*ica ngifo.* An Thalio Harcyn. Braſſica ſylueſtris longifolia?

Huic ſimilis eſt, ait Camer. in addit. Thalii, ſi non eadem, quæ in Thuringiæ ſaltubus locis æditis paſſim naſcitur ab incolis Schoßkraůt vocata, quâ tamen voce alibi aliæ plantæ appellantur.

An Cluſ. Hiſt. poſt. Turritis maior ſiue altera? Rariùs, inquit, inuenitur priore, & vmbrâ magis delectari videtur, quare faciliùs in cæduis ſiluis quàm apertis collibus (quibus prior gaudet) naſcitur. Floret Aprili & Maio. Huic valdè ſimilis [niſi eadẽ ſit] nata Iacobo Plateau, ſemine neſcio vnde accepto. Illius ad me iconem etiam cum variis aliis mittebat. Non videtur abſimilis Braſſicæ virgatæ Cordi. Deſcribit & hanc Hiſt. Lugd. ac depingit ſub inſcriptione Sinapi albi. Hæc autem ſunt eius verba: In aſperis & ſaxoſis hoc Sinapi adoleſcit, radice dura & ſolida, candida, brachiata, & nonnihil fibroſa, foliis proximè radicem in orbem ſparſis, multis inſectis Cichorii modo, adulto caule pereuntibus, & exareſcentibus, in caule numeroſis, læuibus, craſſis, in cuſpidẽ mucronatis, quâ caulem attingunt lunatis, caule cubitali, nonnunquam altiore, rotundo, infernè rubente, in ramulos multos ſupernè diuiſo, floſculis multis ſcatentes, candidis, quibus ſuccedunt graciles & prælongæ ſiliquæ, multo ſemine grauidæ, acris & feruidi guſtus, eleganti ſpecie ſiliquarum tanquam vallo quodam circa caulem & ſurculos erectarum. Floret Maio menſe. Quidam Thlaſpeos, alii Drabæ genus eſſe uolunt. Placet deſcriptio Hiſt. Lugd, quamuis in floris colore nonnihil differat: ac Icon, licèt folia inferiora quodammodò Cichorio accedentia habeat, nihilominus melior eſt noſtrâ emptitiâ.

An Iacob. Theod. Tabern. hanc intelligit per Vaccariam, ſuam par. 2. p. 298. Kuhblůmen/ Ein art Marien Rößlin. Icon Tabern. malè reponitur inter Lychnides, malè etiam dicitur German. Marien rößlin, quandoquidem nihil habet cum iis commune: ſunt enim huic ſiliquæ longæ & flores minimi, vt demonſtrat eius icon, an ſit autem noſtra planta aſſerere non auſim, folia Cichorii inferiora appicta non habet quæ reſpondeant noſtræ plantæ.

*ca rg.* C. Bauh. Phyt. Braſſica 20. ſiue ſilv. foliis circa radicem Cichorii modo inſertis. Cordo Braſſica ſilv. virgata, Sinapi album Lugdun.

*& s.* Glaſtifolia mea Cichorioides abundat Montbelgardi in Horto Ill. E. C. Vvirtemb. ſpontaneâ florens Aprili, & ſiliquas habens Iunio: tota hieme viret cum ſoliis Cichorii. Gargillus obſeruauit circa Baſileam in ſabuletis ad Rhenum itinere Grentzachiano.

## TVRRITIS PVLCHRA NOVA.



*Deſcriptio* CAule ſurgit tricubitali, ſtriato, hilari virore perſuſo, ſubhirſuto: *foliorum* inferiorũ quædam tres vncias longa, anguſta, circumquaque integra, pediculo longo, alià longiora, quatuor aut quinque vncias colligentia, pediculũ verſus proſũdiuſculè inciſa: at enim quæ per caulem conſpiciuntur latiora & breuiora ſunt, ſextantalia circiter, caulem pinnulis complexa, Myagri ſoliis aliquatenus ſimilia, ſapore nullo euidente. Color omnium viridis, porrò ex folii vniuſcuiuſque per caulem, cubitali ſerie ſurſum verſus, ramulus prodit, vt in Glaſtiſolia Cichoroidè noſtra, cuius extremum occupant conferti *floſculi* exiles, foliolis oblongis albis conſtantes, fatuo ſapore. Succedunt *ſiliquæ* longæ.

*Locus & Tempus* Hanc Argentinæ in horto Dj. Friderici Meyeri florentem collegimus menſe Maio, qui Turritim pulchram nouam denominabat.

## BRASSICA SILVESTRIS PROcera Thalio.

*Deſcriptio* HÆc *radice* fulcitur multifida, candida, lignoſa, iuxta cuius caput in terra reclinantur *folia* quincunciali ſæpe longitudine, vnciali latitudine, hiſpida, integra, *caulem* erigit vnicum, plerumque ſæpe etiam in duos tréſve aut plures alios iuxta radicem diuiſum, bicubitalem, rectum teretem, flexibilem, iuxta radicem etiam parum hiſpidum, deinde tota reliqua parte læuem: cui *folia* appenduntur ſextantali longitudine, vnciali latitudine, ſubcinerea, læuia, non hiſpida, vt priora, mucronata: quibus ceſſantibus, poſtea longo ordine, caule videlicet ſubindè procerius excreſcente, in ſingularibus exiguis pediculis *floſculi* paruuli, candiduli protenduntur, iiſque euaneſcentibus ſubnaſcuntur *ſiliquæ* ad latera compreſſæ, tenues, digiti longitudine, quibus numeroſa *ſemina* paruaque continentur. Ex foliorum autem ſingulis alis non infrequenter noua adnata progrediuntur, & ipſa copioſos flores ac ſiliquas proferentia. Naſcitur montibus apricis ac locis cæduis, éſtque ſapore amaro.

*C.B. nōt.* C. Bauh. phyt. braſſica 21. ſiue ſilu. foliis circa radicem integris & hiſpidis, Thalio ſilu. procera.

Lobel. Turritis. Aliquando & huius folia ad radicem, Cichorii inſtar, inſerta ſunt. An Turritis eadem ſit cum Thalii Braſſica, vt vult Frater, adhuc dubius ſum, de Turriti ſecunda dicit Cluſius folia nonnihil criſpa & ſinuoſa, non tamen ait Cichorii inſtar inſerta, de prima nihil etiam tale dicit, nec icon demonſtrat: tamen, vt verum fatear, Turritim ſecundam malim referre ad Thalii Braſſicam ſilueſtrem longifoliam.

*Braſſica ſilv. foliis membranaceis Thalio.*

IN Ienenſibus montibus aliquoties, hanc obſeruauit Thalius: Iam verò dictis minor eſt, *radice* parua, candida, ſuperuacanea, *caule* breui, geniculato, qui densè ambitur ſuis *foliis*, quæ membranaceæ ſunt ſubſtantiæ, ſubflaua, ſplendentia, læuia, vncias duas longa, vnam lata.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 22. ſiue ſilv. foliis membranaceis Thalio.

*Braſſica ſilv. folio Betæ Thalio.*

Deſcriptio NAſcitur hæc, inquit autor noſter, copiosè in Hainleitta ſylua non procul à Sondershuſio ſub ſagineto. *Radice* conſtat lignoſa, multifida, fibroſaque: *folia* betæ, rotundiori ambitu in terræ ſuperficie multa diſperguntur, plumbei fuſciue coloris, læuia, durioris membranæ inſtar, ſextantalia, *caules* eriguntur teretes, ſeſquipedales, ſplendentes, fuſci, pauca, oblongiuſcula, ac mucronata folia continentes, *floreſque* candidos proferentes, exiguos, ſed *ſiliquas* longiores cæteris ſpeciebus.

*Braſſica ſilv. media Thalio.*

Deſcriptio BReuiora continet *folia*, numeroſa circa radicem, vncialia, oblongiuſcula, in obtuſum mucronem finientia, mollia, ſemunciali latitudine: quæ *cauli* appenduntur dodrantali, ea parte quâ adhærent vtrinque velut alares pinnulas prominentes habent.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 23. ſiue ſilv. media Thalio.

*Braſſica ſilv. minor Thalio.*

FOliolis multò minoribus, canis, coliculis quadrantalibus, ſiliculis anguſtis paruiſque, Thal.

C. Bauh. Phyt. Braſſica 24. ſiue ſilueſtris minor Thalio.

## RAPVM SATIVVM ROTVNDVM & oblongum.

### CAP. II.



Deſcriptio RApis *folia* per terram ſparguntur ampla, ad Braſſicæ rubræ folia quodammodò accedentia, atrouirentia, aſpera, & ad coſtam vſque ferè laciniata, ſaporis holeracei: *flores* lutei: *ſemen* in ſiliquis ruffum, rotundum, Braſſicæ proximum: *radix* ſeſſilis in ventrem ampliſſimum, capiti humano interdum paullò minorem extuberat, tenuem fibram alimentum ſucturam demittens, aliàs pugillari par, aut etiam ſuppar, quibus vtriſque caro candida, firma ſatis, ſapore acri, magis minúſue vegeto prædita: eſt etiam vnum genus longa craſſa radice, non in ventrem extuberans.

Rapum Veteribus. Raporum tam Veteres, quàm Recentiores duo prima conſtituunt genera Satiuum & ſilueſtre. Theophraſti quidem verba de Rapo ſatiuo hæc ſunt. Rapæ (γογγυλίδες) alii eſſe, alii non eſſe diuerſitatem generis putant, ſed mare tantùm, fœminâque differre, naſciq; ambas ex eodē ſemine: ſed vt effœminentur, raras deponere oportere: nam ſi denſæ poſitæ ſint, omnes maſculeſcere. Quod idem futurum ſit ſi in terra vitioſa ſerâtur. Quâ de cauſa ſemine ſatas plantas transferentes deponere. Semen quoque deterius, meliúſve viſu percipi poſſe: quod enim probum ſit, tenue ſentiri, quod vitioſum, craſſum. Gaudere & frigoribus Rapam, & ſic eam dulceſcere putari, ſimúlque incrementum in radicem, non in folia verti. Auſtrinis atque ſerenis temporibus celeriter cauleſcere.

Plinius Theophraſti ſententiam repetit his verbis. Raporum genera Græci duo prima fecere, maſcul. fœmininúmq;, & ea ſerendi modo, ex eodem ſemine. Denſiore enim ſatu maſculeſcere, item in terra difficili, ſemen præſtantius quò ſubtilius. Species verò aut in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari: tertiam ſpeciem ſilueſtrem appellauere. Sed de Rapis &c. abundè dixiſſe poterat videri Plinius, niſi Medici maſculini ſexûs facerent in his rotunda: latiora verò & concaua fœminini. Præſtantiora ſuauitate & ad condiendum faciliora, quæ ſæpiùs ſata tranſeunt in marem.

Quod verò Galenus inter Rapum, quod γογγυλὶς eſt, & Napum qui βουνιάς, non diſtinxerit, factum putat Cornarius, quòd Theophraſt. (vt apud Athenæum habetur) Buniada non nominet, marem quidem vocet quoddam Rapum, & fortaſſis hoc Bunias ſit. Galeni verba hæc ſunt. Siue Γογγυλίδα vocare volueris, ſiue Βουνιάδα hanc plantam, oleraceum in ipſa eſt id, quod è terra eminet, quod verò in terra continetur, radix. Rapi porrò ſatiui duplex eſſe genus planum fecit Nicander lib. 2. Georg. apud Athenæum:

*Rapi, aduerte animum, genus duplex eſt, vt & Radiculæ:*
*Oblongum alterum, alterum rotundum, in areis hortorum conſpicitur.*

Dioſcorides rectè diſtinxit Rapum, & noſtri, inquit Cornar. adhuc hodie vtrumque agnoſcunt ac habent, latum & rotundum.

Tragus Rapa depingit & deſcribit, dicens, Rapum vulgare cum oblonga figura maſculinum, cum rotunda fœmininum ex vno & eodem ſemine gignuntur.

Ex Theophraſto colligere eſt, inquit Turnerus, Rapum ſatiuum 1. inſigniter magnum eſſe fœminam, alterum verò ſiue longiùs & ſtrigoſius,

ſius, quod Plinius ait in latum creſcere Marem. Rapum maius, orbiculatum ſeu turbinatum, Aduerſariorum variat radice terete atque rotunda, oblongiore, & Napo ſimiliore effigie, ſed maiore triplò. Hæc eadem, aut certè ſimillima Venetis olitoribus venum fertur in forum. Hyeme purpura nitida & pellucida radice, guſtu teneriore, ſuauiore, in acetariis cruda cum Eruca, Lactuca & aliis illic eſitari ſolita.

Lob. Obſ. p. 98. & Icon. plant. p. 197. Teut. 235. figuram habet Matthioli figuræ ſimilem. Item aliam ex Matthiolo cui titulus, Rapum tereti rotunda oblongaque radice, Aduerſ. p. 66.

Tabern. Icon. & hiſt. Rapum orbiculatum, Scheibe rübe. Rapum orbiculatum minus, klein ſcheiben Nappen/ klein Scheiben rüben. Rapũ longum, lang rüben. Rapum longum minus lang Stopffel rüblin.

Gerard. 1. Rapum maius Great Turnepe. Item Rapum minus, Smal Turnepe, Icones habet Tabern.

Sic & Cæſalpinus inquit, Rapæ quædam ſeſſili rotunditate conſtant iucundiores: quædam in rotunditate oblongæ ſunt: aſt color omnibus candidus. Theophraſto mas & fœmina. Plinius Græcos ſecutus duo prima genera fecit maſculum & fœminam.

Contra communẽ ſententiam decernit Matth. dicens: Rapum ſatiuum in triplici differentia, ſeſſile, longum, & rotundum: tametſi Plin. literis mandauerit longum erraticum eſſe. Quędam colore purpurea. Matthiolum autem tunc non animaduertiſſe quid aſtrueret manifeſtum fit ex eius poſt. com. cum magnis fig. Lat. & Ital. Item. hiſt. Germ. quibus in editionibus Rapa duo tantùm commemorat, Rapum rotundum ſiue ſeſſile & Rapum longum.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Rapa 1. ſiue ſatiua rotunda ſeu mas Theoph. & Plinio: variat radice, reperitur vel viridi, vel candido, vel puniceo colore, ſic paruitate & magnitudine: communiter tuberoſa eſt, tarò globi inſtar orbiculata: frequentiùs in latitudinem effuſa, quare Tabern. quatuor habet figuras: Hibentur nunc quæ foris & intus flaueſcunt: ſic & Bernæ quæ obſoletæ nigræ, vtplurimùm rotundæ, rariùs oblongatæ, quæ vulgatis dulciores ſunt. Rapa 2. ſiue ſatiua 2. oblonga, ſeu fœmina Theophraſt. & Plinio. Tabern. duas habet figuras. Hæc Caſp. Bauh. Ego quidem Tabern. duas priores figuras refero ad Napum, ac ſeparo à Rapo.

Schvv. Rapum longum vulgatius, Rapum oblongius Dodon. Rapum orbiculatum.

Quæ γογγύλη & γογγυλὶς, item ῥάφυς & ῥάπυς Græcis. Latinis *Rapum* & *Rapa* dicitur, vnde diminutiuum nomen apud Horatium *Rapulum*. Hebræis [teſte nomenclatura Eliæ Leuitæ, Trag.] *Lephet*, Arab. *Seliem, Selgem, Selgiem*, ſiue *Alſegiem*. Germ. Rüben. Belg. Rapen. Gall. *Raue* & *Naueau*. It. *Rapo*: Hiſp. *Nabo*: Angl. Türnepe. Hung. Repa. Bohem. Rzipa.

Græci quidẽ γογγύλης aut γογγυλίδος vocabulum à figura quæ plerumque rotunda eſſe ſolet, detorſerunt: nam quod in rotunditatem circum actum eſt γόγγυλον, hoc eſt στρόγγυλον dixerũt: Et Hippocrates gongyli vocabulum pto globulis orbiculíſue, qui deuorantur vt catapotia, vſurpauit. *Rapa* verò quòd ex terræ rure, quaſi ruapa, Varrone teſte, nominata eſt. Alii quòd paſſim rapiatur, rapi nomen inditum eſſe putant. A Græcis tamen manaſſe id nomen facilè videri poteſt, qui chaphyn & rapyn auctore Athenæo dicunt. Rapas Lacedemonios γαστέρας id eſt, ventres vocare Apollas apud eundem Athenęum tradidit. Sed Nicander Colophonius rapas Zaceltidas appellari voluit. Amerias & Timachides non Rapas, ſed Cucurbitas ita dici arbitrantur. A rapo rapina, Gallis *Rabiere* & Rapitium deflectitur, vnde rapitios caules dixit Cato.

Locus & tempus

Rapum in hortis & aruis cultis potiſſimùm æſtate, Iunio ac Iulio menſibus, copioſiſſimè Geneuæ ſerunt pro alimento tum hominum, tum pecudum, Baſileæ maxima habent & abundanter veſcuntur. Conſeruntur etiam agri rapis Montb. & in Horto Il. E. C. Vidi Gœppingæ Rapas allatas Vlmâ venales, quæ parte ſuperiore rubebant menſe Auguſto. Sed & Octobri fine nactus ſum alias ex horto Ill. E. C. Gœppingâ allatas, longitudinis cubiti & ſemis, ad palmum rubentes, quam partem dicebant ſupra terrã extare. In Italia notiſſima pręſertim apud Inſubres, vbi ſtatim poſt meſſem æſtate Iunio ac Iulio [teſte Matth.] menſibus in aruis ſecundo ſeritur: deinde menſe Octobri è terra eruitur: radix in aliquibus locis tam magna gignitur, vt plùs quàm centenas libras pendeat. Ad librarum triginta pondus nos ſæpiùs innumera Rapa vidimus in Ananienſi agro, longa, & colore purpurea.

Cultura.

Rapa quamuis in vniuerſum in omni aëre habitabili proueniant, attamen ſolum putre & ſolutum pluribus iterationibus aratri, vel raſtri, largoque ſtercore ſatiatum poſtulant. Nam id plurimùm refert, non ſolùm quòd meliùs ea proueniunt, ſed quòd etiam poſt fructum eorum ſic tractum ſolum ſegetes optimas facit, deſiderant, nec denſa naſcuntur humo, ſed campis & locis humidis lætantur. Loci proprietas horum ſemina commutat. Namque in alio ſolo Rapa biennio ſata conuertitur in Napum, & viciſſim ex Napo fit Rapũ. Semen Raparum trium annorum producit Braſſicam, & contra Braſſicæ Rapas. Riguis locis rectè à Solſtitio ſeruntur: ſiccis vltima parte menſis Auguſti, vel prima Septembris. Iugerum agri non ampliùs quatuor ſextariis Raparum ſeminibus obſerendum eſt. Rapa igitur duas ſationes habent, ſed meliorem menſis Auguſti: Satio
Si æſtate ſerantur ne Culex tenera adhuc prorepētia folia conſumat, puluis etiam, qui ſupra Cameram inuenitur, vel etiam fuligo quæ ſupra focos tectis inhæret, colligi debet: deinde pridie quàm ſatio fiat, cõmiſceri cum ſeminibus, & aquâ conſpergi, vt tota nocte ſuccum trahant. Nam ſic macerata poſtero die rectè ſeruntur. Veteres quidem autores, vt Democritus, præcipiunt ſemina omnia ſucco herbæ, quæ ſedum appellatur, medicare, eodemque remedio aduerſus beſtiolas vti, quod verum eſſe nos experientia docuit. Sed frequentiùs tamen, quoniam eius herbæ minùs larga eſt facultas fuligine: & prædicto puluere vtimur, ſatiſque commodè tuemur his incolumitatem plantarum. Rapæ ſemina Higinius putat poſt trituram iacentibus adhuc in area paleis inſpergi debere, quoniam fiunt vaſtiora capita; cùm ſubiacens ſoli duritia non patitur in altum deſcendere. Nos iſtud ſæpè fruſtra tentauimus; itaque Rapum, & Raphanum, & Napum meliùs exiſtimamus ſubacta terra obrui. Locis frigidis, vbi timor eſt ne Autumnalis ſatio hyemis gelicidiis peruratur, arundinibus humiles canterii fiunt, iiſque virgæ tranſuerſæ imponuntur, & virgis ſtramenta ſupra iaciuntur, & ſic à pruinis ſemina defenduntur. Vbi verò apricis regionibus poſt pluuias noxia inceſſerunt animalia, quæ à nobis appellantur Erucæ, græcè autẽ κάμπαι nominan-

tur,vel manu colligi debent , vel matutinis temporibus frutices olerum concuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore , ſi deciderint, non ampliùs in ſuperiorem partem prorepunt. Id tamen ſupervacaneum eſt facere, ſi ante ſationem ſemina , vti iam prædixi , ſucco herbæ ſedi macerata ſunt: nihil enim ſic medicatis nocent Erucæ. Sed Democritus in eo libro , qui græcè inſcribitur περὶ ἀντιπαθῶν affirmat has ipſas beſtiolas enecari, ſi mulier , quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus & nudo pede vnáquamq; aream ter circumeat , poſt hoc enim decidere omnes vermiculos,& ita emori. *Hactenus Columella.*

Rapæ ſi ſerantur diebus calidis, autore Theophr. celeriùs cauleſcunt , ſemenque ocyùs reddunt. Item, ſi raræ ſerantur, magis grandeſcunt, ideoque vbi nimis ſpiſſæ eius plantulæ natæ fuerint , cùm aliquod robur acceperint, euelluntur aliquæ , vt cæteræ roborentur. Naporum medicina eſt,inquit Plinius , ſiliquas vnà ſeri, ſicut Olerum Cicer : arcet enim Erucas. Quo ſi omiſſo iam natæ ſint, remedium eſt abſynthii inſperſus, & aizouũ &c. Nebulis & pruinis,inquit idem,ac frigore vltrò aluntur amplitudine admirabili. Quare non ſunt in Gallia quàm in Lemouicis copioſiora, ſuauioráque , affatim ſuppeditante eius regionis cœlo nebulas, frigora, pruinaſque. Frigore enim dulciora fieri exiſtimantur , & grandiora. Folia quò plura adimuntur , eò maiores manent radices : Rapæ maledictin, vt in iis agris quibus ſanè nunquam proueniat bonum frumentum, etiam ſi fimo multo emendetur. Colliguntur menſe Octobri , cùm radix ſummoperè extuberauerit : quod Nicander in Georg. hiſce teſtari videtur:

*Rapa collige Boreæ frigoribus iam domita,*
*Hyemi grata,famuliſque,tum domi otioſis.*

Vires Rapæ demum quia tenui & diluto cortice integuntur , facilè exſiccantur , imbecilleſque ad perdurandum penitus ſunt , ideò ſi terra cooperiantur , vſque ad æſtatem , vt vult Theophr. durare & creſcere poſſunt. Quæ verò corruptæ & marcidæ videntur calente aqua madefactæ reuiuiſcũt,& ad eſum aptæ redduntur. Rapi cocta radix , inquit Dioſcorides , alit , inflationem parit, humentem ac fluxam carnem creat, Venerem ſtimulat. Decocto podagræ pernioneſque fouentur: contritoque Rapo atque impoſito iuuantur. Si excauatæ radici roſaceum ceratum adigatur,& feruente cinere eliqueſcat, exulceratis pernionibus proficiet. Cymæ eius decoctæ manduntur,& vrinam cient. [ Græcè habetur, ὁ δὲ ἐξ αὐτῆς ἀσπάραγος βιβρώσκεται ἑφθὸς : ἐστὶ δὲ διουρητικός Id eſt , ipſius Aſparagus , &c. Plinius cymas dixit , vterque autem turiones ſiue thyrſos caulis inter folia ex ſummo Rapo emicantes intelligit.] Semen antidotis & theriacis, præſertim quæ ſenſum doloris auferunt, anodyna vocant, idoneum eſt, [ τὸ δὲ σπέρμα εἰς ἀντιδότους καὶ θηριακὰς ἀνωδύνους εὔθετον. Id eſt , ſemen antidotis & theriacis , quæ dolores leniendi vim habent admodum vtile eſt.

Ruell.not. Quare Ruellius minùs rectè ἀνώδυνα quæ ſenſum doloris auferunt, interpretatus eſt: ſunt enim ea ναρκωτικὰ , id eſt , ſtupefacientia , quæ ſenſum, non propriè dolorem, tollunt eximia ſua frigiditate. Anodyna verò quæ non extinguendo ſenſum aut ſtupefaciendo , ſed partes relaxando , & demulcendo dolorem leniunt & mitigant.] potum contra venena ſalutare eſt: Venerem concitat. Rapum muria conditum minùs alimenti ſufficit, ſed multò magis appetentiam recreat. Diphilus Silphinius Medicus, Rapum, inquit apud Athenæum , extenuat , acre eſt, ægrè coquitur, flatuſque gignit. Aſſum verò faciliùs coquitur, & valentiùs extenuat. Huius meminit Eubulus in Ancylone hoc pacto : Aſſandum hoc Rapum aſſero: Item Alexis in Fanatico : Alloquor Ptolomæum dum fruſta Raporum aſſo.

Rapum ſale conditum magis extenuat , quàm elixum , ac præcipuè ſi addatur Sinapi , vt ait Diphilus. Veteres autem , vt auidiores cibi forent vſus Rapis fuiſſe aceto & Sinapi conditis, planum facit Nicander libro 2. Georg. his verbis:

*Abſcinde radices Raporum, & corticem nondum*
*exuccum ,*
*Illaque purgata minutim ſeca, & inſolatu*
*Exiccata paululùm , in feruentem cum demerſeris*
*Aquam,& abraſeris, obrue multa muria :*
*Nonnunquam verò muſtum album ſimul cum*
*aceto metitor.*
*Par pari,& in ollis ſtipata Rapa ſale tege:*
*Sæpiùs autem inſperſis vuæ paſſæ acinis, piſtillo*
*tritum*
*Sinapi mordax ſemen additur, cui ſi accedit*
*Aceti fæx , halitu caput tentabit vel robuſtiſſimum.*
*Sic condita Rapa è muria tu hauries , & , cùm*
*tempeſtiuum erit, præbebis cibo indigentibus.*

Porrò eundem ferè Rapi vſum cum Dioſc. tradit *Plinius.* Eſt & Rapo, inquit, vis medica. Perniones feruens impoſitum ſanat. Item frigus vellit ex pedibus aqua decoctum. Et ius feruens podagris etiam frigidis medetur. Et crudum tuſum cum ſale cuicunque vitio pedum. Semen illitum & potum in vino , contra ſerpentes & toxica ſalutare eſſe proditur. A multis verò antidoti vim habere in vino & oleo. Democritus in totum ea abdicauit in cibis propter inflationes. Diocles magnis laudibus tulit , etiam Venerem ex eis ſtimulari profeſſus : item Dyoniſius , magiſque ſi Erucâ conditentur. Totum quoque articulorum dolori cum adipe prodeſſe. De Rapis verò vt cibis idem ita ſcribit. Aliis vſus præſtantior quàm his non eſt. Ante omnia namque cunctis animalibus naſcuntur , nec in nouiſſimis ſatiant turis alitum quoque genera , magiſque ſi decoquantur in aqua. Quadrupedes & fronde eorum gaudent. Et homini non minor rapaciorum (meliùs ex vetere codice legas Rapitiorum) ſuis horis gratia , quàm Cymarum: flaccidorum quoque , & in horreis exiccatorum , vel maior quàm virentium. Ipſa verò durant & in ſua terra ſeruata : & poſtea paſſa penè ad alium prouentum , famemque ſentiri prohibent. A vino atque meſſe tertius hic Tranſpadanis fructus.

De iiſdem ſic Galenus. Huius plantæ oleraceum quidem eſt quod terrâ extat, radix autem quæ terra continetur , dura quidem eſt niſi coquatur , & non eſculenta : aquæ autem incocta nulla plantarum congenerum minùs nutrit. Hanc quoque variè vulgò apparant, adeò vt aceto vel muria condientes , in totum annum ipſâ vtantur. Succum autem in corpus diſtribuit mediocri craſſiorem. Proinde ſi quis ipſâ liberaliùs veſcatur, ſuccum crudum aſſeruabit, potiſſimùm. ſi ipſam minùs iuſto in ventriculo confecerit Quod verò ad ventrem attinet , nemo ipſam , neque deiicere , neque ſiſtere dixerit, præſertim cùm cocta bellè fuerit. Coctionem enim diuturniorem poſtulat : eaque eſt laudatiſſima , quæ cocta bis fuerit , Quod ſi ſumpta crudior fuerit , concoctu eſt difficilior , ac ac flatulenta , ſtomachóque noxia. Nonnunquam

quam autem & ventrem mordicat. Præterea ſcribit Galenus Rapi ſemen Venerem excitare, vt pote ſpiritum flatulentum procreans. Sic & radicem coctu difficilem eſſe, inflare, & ſemen generare.

His adiungenda Symeonis Sethi de iiſdem ſententia. Rapa admodum nutriunt, inquit, vrinam ciunt, inflant, genitale ſemen gigunt, fauces leniunt atque thoracem. Crebrior illarum vſus craſſum humorem generat, & obſtructiones iecoris parit. Ventrem nec ſiſtunt, nec mouent. Si cum aceto & ſale edantur, appetentiam excitant. Horum ſemen tritum, & hauſtum magna copia Venerem ſuſcitat. Aiunt enim qui hoc ipſum ſemen cum calamintha & lemnia terra ſumpſerit, eo die neque veneno, neque venenati animalis morſu lædi. Appenſum inguinum morbis peculiari quadam proprietate medetur.

Rapi domeſtici, authore Matthiolo, radix excalfacit & humectat. Semen verò calidum eſt, & ſiccum: cùm autem etiam ſit amarum, abſtergit, aperit, digerit, atque flatus gignit. Conſtat experimento, ſemen valere ad variolas & morbillos: nam potum ſemidrachmæ pondere, morbillos latentes ad cutim expellit.

Valet, inquit Schvv. ſemen Rapi longi ad faciliorem Scabiei, Morbillorum & variolarum eruptionem. Nam humores ad cutim propellit ʒ.1. pondere potum. Rapi orbiculati ſub cinere calente aſſi infimus orbiculus calidiſſimus, poſt aures applicitus magnâ efficaciâ reuellit, capitiſque & dentium dolores citiſſimè ſedat magno ſecreto. Raporum longorum aſſatorum ſuccus cum Saccharo ad tuſſim infantium vſus non contemnendi.

Rapæ non ſolùm omnis ſtatus hominibus cibo & alimento, ſed & quadrupedibus & cunctis animalibus pabulo naſcuntur. Quid? quòd & Anſeres, Anateſque fronde eorum gaudent. Decocta per ſe radix ſatiat, inflationem parit, flatuſque, humentem ac fluxam carnem creat, modicumque alit. Quamobrem vt id vitii emendetur, ſolent nonnulli eam cum lacte decoquere, vt palato magis arrideant, & efficaciùs nutriant. Nec deſunt qui Rapa condiant, ſicuti & Braſſicas capitulatas.

Baptiſta Fiera de Rapis, & Napis ita cecinit.

*Sunt calida & rigido gaudentia frigore Rapa,*
*Humidus hinc illis turgiduliſque liquor.*
*Gloria Nurſinis, ſitientes cedite Napi*
*Educet ipſe licèt vos Amiternus ager.*
*Cùm ſapiant Veneri magis hæc ſi craſſa & obeſa*
*Cœna ea poſtremo lenta ſub orbe ferat.*

Ex Rapis, apud Creſcentium fiunt compoſita cum aqua, vt pro coquina tempore hyemis & quadrageſimæ habeantur: vt etiam alia cum Aceto & Raphano, Sinapi, fœniculis & ſale: quæ apud ipſum videri poſſunt.

## RAPVM SILVESTRE γογγύλη ἀγρία Veteribus.

### CAP. III.

RApum ſilueſtre [ γογγύλη ἀγρία ] in aruis naſcitur, inquit Dioſcorides, frutex altitudine cubitalis, ramoſus, in ſumma parte læuis: folia habens læuia, digiti latitudine, aut etiam maiora: fructum in ſiliquis [λοβοῖς:] verùm apertis ſeminum inuolucris [ περικαρπίων, alia intus ſiliqua capitis ſpecies eſt [ κεφαλοειδὴς λοβός, ] in qua ſunt ſemina nigra, ſed intus alba. Ammiſcentur in ſmegmata faciei & reliqui corporis, quæ ex farina Lupini, aut Tritici, [πυρίνων,] aut Lotii, aut Erui fiunt. Hanc autem Dioſcoridis deſcriptionem ...ctio
corruptam eſſe ſcribit Dodonæus; ſiquidem ea quæ de læuitate caulium ac foliorum, & ſeminis nigredine, ac interiore eius medulla candida traduntur, aliò pertinere dicit. Ast ego cur ſententiam Dodonæi probem non video. *Dod. not.*

Syluestre Rapum ſiue Raporum 3. ſpecies, autore Plinio, in aruis maximè naſcitur, fruticoſum in longitudinem radice procurrente, Raphani ſimilitudine, folio anguloſo, ſcabroque, ſemine candido, duplò maiore quàm papaueris, ſucco acri: qui circa meſſem exceptus oculos purget, medeaturque caligini admiſſo lacte mulierum. Hoc ad læuigandam cutem in facie, totoque corpore vtuntur, miſta vrina pari menſura. Erui, Hordei, Tritici, & Lupini radix ad omnia inutilis. Quæ poſtrema in publicis exemplaribus depravatiſſima ſunt: ea enim verba, miſta vrina pari menſura & cætera, ad ea de quibus hic agitur nihil prorſus faciunt. Quare ex Dioſcoride ſic corrigenda. Hoc ad læuigandam cutem in facie totoque corpore vtuntur, admixto in ſmegmata, quæ ex Erui, Lolii, Tritici, aut Lupini farina fiunt. *Semen candidum* *Plin. corr.*

Placent quæ Cæſalp. de Rapo ſylu. prodidit his verbis: Plinius tertiam inquit eſſe Rapi ſpeciem, quod idem Theophr. innuit. At Dioſc. longè aliter deſcribit Rapam ſilu. quam in hoc genere nequaquam adhuc vidi. Nec vllam adhuc Turn. comperit plantam, quæ per omnia Rapi ſilu. deſcriptionem expleret. Etſi enim Præceptores ſecutus, Rapunculum vulgatum eſſe, Rapiſtrum, ſeu Rapum ſilu. Dioſcoridis putarit, penitiùs tamen perpensâ deſcriptione, in multis non conuenire deprehendit, Quocirca cogitur & Matthiolus Fuchſii ſententiæ refragari, qui manifeſto errore putat Rapum ſilu. eſſe Rapunculum vulgò dictum: quippe quod illi minimè reſpondeat. Nondum noui, ait Anguill. Rapum ſilu. licèt ſit, qui dicat ſe ſcire in Italia prouenire; ego nunquam vidi. *Matth. not.*

Quod autem Matth. aſſerit ſilu. Rapis ſcatere vbique Hetruriam, nullis reclamantibus notis: Cur obſecro eas notas non clariùs oſtendit? Cur in poſt. com. non patefecit? cur aliud Rapum ſilu. tradidit. Sed hæc Rapa ſilueſtria qualia ſint, videamus.

## RAPVM SILV. MATTHIOLI.

### CAP. IIII.



RApi ſilu. imaginem, quam hîc (ait Matth. in poſt. com. Italic. cum mag. figuris, vbi *Rapo Saluatico*: & Lat. ac Epit. vbi Rapum ſilu. Sed non Dioſc. Et H. Germ. vbi waldrüben vocat) appingi curauimus, etſi ſylueſt. Dioſc. Rapum non referat; refert tamē plurimùm domeſticum. Rapum ſylu. noſtrum, frequens in Bohemia in agrorum *Deſcriptiò & Synon.* *Rapum ſil. non Dioſc.* *Locus.*

marginibus naſcitur: exit *folio, caule, flore, ſemine,* domeſtico ſimile, ſed agreſtioribus foliis. *Radix* illi ineſt Raphani modo longa, craſſaque, ſed ſapore per omnia domeſticum refert. Legitimum naſci copioſum in Hetruria diximus non quòd ipſum vſquam à nobis viſum ſit, ſed quòd id ex aliorum relatione intelleximus. Noſtri ſemen cùm inſigniter amarum habeatur & abſterſoria ſit facultate præditum, alterius loco ſecuriùs illini poterit, vbi cutem detergere fuerit opus: quin etiam necandis vermibus vtile quoque fuerit. *Hæc ille.* Sed quantùm fidendum ſit picturis, aſſertionibus & deſcriptionibus Matthioli, vel vnicus hic locus ſatis demonſtrat, non viſam plantam dicit nullis reclamare notis à Dioſcoridea: quæ occaſio, vt ſuſpicor, eius Rapum non differre ab eius Lampſana, ac etiam ab Eryſimo [per quæ intellige Rapiſtrum noſtrum] ei non benè notis: quam opinionem augent, quòd Gloſſatores, Patrocinatores & Simiæ Matthioli verbotenus eius duntaxat meminerint, nec demonſtrarint veras notas quibus poſſit diſcerni à Rapiſtro. Vix etiam puto Lacunam ſcire quod ſcribat, quando dicit, *Nabo ſilueſtre* ſunt craſſi & corpulenti, non tantùm quantùm ſatiui.

Vires.

Matth. not.

Lobel. & Pena Adu. Rapum ſylu. non bulboſum. Eſt frequentiſſimum præſertim apud Flandros, Germanos, qui ſerunt hoc, quò folia bobus pabulo cedant. Luxuriat enim tanto foliorum numero, vt radix iam non tuberoſa aut Rapoſa, ſed exilis nec ventrioſa, vſpiam ſit, alioqui ſatiuæ rotundæ turbinatæ non diſſimilis, ſed diſcretu facilis, criſpiore, rugoſioreque folio &c.

Lobel. Obſ. Rapum ſilu. non bulboſum, Hiſp. *Nabo ſaluage.* Adu. p. 66. & Icon. 198. Teut. 236. Licèt Lobelius aſſumat figuram Matthioli Rapi ſylu. aliter paulò tamen ſylueſtre aut aruotum Rapiſtrũ diſcribit: quę tamẽ de Rapo ſylu. ſcribit poſſunt conuenire Rapiſtro, quod an ei bene notum reuocauimus antè in dubium.

Tabern. Icon. & hiſt. Rapum ſilu. Wild Rüben: Figuram habet Matthioli nonnihil mutatam, & nihil præterea particulare.

Gerard. Angl. l. 2. c. 2. Rapum ſilu. Wilde Turnepes. Tabern. iconem babet Gerardus.

C. Bauh. in phyt. Rapa 3. ſilu. & apud Matth. Rapum tertium, Rapa ſilu. non bulboſa, Rapum ſilu. Matth. Rapa ſilu. Cæſalpino. Ego igitur aliò refero Cæſalpini Rapum ſilu. nempe ad Sinapi Echinatum.

## NAPVS.

### Cap. V.

Deſcriptio

NApus ſatiuus *caule* aſſurgit cubitali & altiore, multis alis concauo: *folia* parte infima pinnis caulem ramoſque amplectuntur, pediculis deſtituta, aut iis membraneis hærentia: & inferiora quidem ſinuata, ſuperiora verò non item in acumen deſinunt: *flores* lutei Braſſicæ: *ſemen* quoque ſimile aliquatenus in ſiliquis longis, at *radix* rapitia eſt, minus tamen in ventrem extuberans, altiuſque demiſſa, ſapore carnis compactioris candidæ acriuſculo.

Bunias

Napum Buniadem Græci nominant, omnibus olim cognitam, nunc Medici, pace tamen eruditorum dixerit Ruellius, prorſus ignorant: Sed mirum cur Ruell. non deſcribat, & plantam, vt dicit, prorſus ignotam, notis ſuis non manifeſtet.

Ruellius not.



Apud Athenæum habetur, Theophraſtum βουνιάδα quidem non nominaſſe, cùm Nicander eo antiquior eius mentionem fecerit, ſed quoddam Rapum malẽ vocaſſe, quod fortaſſe Bunias ſit.

Nuſquã porrò, quod legerim, Napum deſcripſit Dioſc, neque Plinius. licèt hic ex Theophr. genera eius quinque faciat, de quibus ſub Raphano. Raphanidas enim Theophr. Plinius Napos eſſe putauit, atque ita tranſtulit. Plinius porrò velut horum quinque Naporum generum oblitus, duas rurſus differẽtias facit, vt alter βούνιον de quo lib. 27. agemus, alter βουνιὰς appelletur, vtrumque confundens. De hoc inquit: Naporum alterum genus Buniada appellant, & Raphano & Rapo ſimile, ſeminis præclari contra venena. Ob id in Antidotis vtuntur ipſo. Plin. not.

Quia autem Napi in Raporum genere videntur eſſe, & Rapo ſimiles (foliis enim & radice Raphanos referunt, caule verò floribus & ſemine Rapum æmulantur,] ideò opinor Galenum, inter Rapũ quæ γογγύλις vocatur, & Napum quæ βουνιὰς nullum ſtatuiſſe diſcrimen, vt fuſiùs iam ſuprà dictum.

Huc accedit autoritas Turneri, dicentis. Galenus Napos ſub Rapis videtur conprehendere, nuſquam enim in lib. de ſimpl. facult. factam inuenio mentionem, Præterea Paulus Rapum & Napum coniungit. Et hinc fortè Cordus Napos Rapis congeneres eſſe ſcribit, denſiores tamen, acriores, & minores. Inueniri etiam luteo & croceo colore Napos in Bordueldiano Brunſuicenſis Ducatus agro, quibus præcipua laus & autoritas attribuatur.

Trag. Alterum ſatiui Rapi genus, planè à vulgari diuerſum, Rapum ſatiuum alterum oblongum [prælongum dixiſſet, ſi memoria labi non voluiſſet] ſiue Napus, Steckrüben, Baũmholder Rüben/ Stickelrüben/ Brotfeldiſche rüben [malè, ab oppidulo enim Bortfeld / vbi naſcuntur, Brunſuicenſes Borfeldiſche nominant:] Verus Napus Veterũ, Græcè βουνιὰς, Serap. Selien dictus. Napi.

Matthiolo & Fuchſio genera duo ſunt, variè interim diuidunt. Fuchſius enim in ſatiuũ & ſilueſtre diſtrahit. Napi, inquit, ſiue Buniadis, quem Galenus & alii Veteres in Raporum cenſum reponunt, duo ſunt genera, ſilueſtre & ſatiuum. Satiuum quod forma proximè ad Braſſicam tertiæ ſpeciei accedit, radicémque longiorem obtinet: Germani huius generis Napos Trŭcken ſteckrüben nominarunt. De ſilueſtri mox agemus. Matthiolus in album & flauum his verbis: Napi Theophraſto (vt ſomniat Matth. non enim recordatur Naporum Theophr.) & Plinio plura produntur genera, quanquam ego mea tempeſtate duo tantùm repererim, nempe album & flauum. Matth. not.

Flaui

Flaui tametſi albos craſſitudine ſuperent, magiſque colore placeant: ſunt tamen inſipidiores, & guſtui odıd minùs grati.

Matthiolum ſequitur Lacuna, qui duas quoque tradit ſpecies, albam, quam præfert in Italia, & luteã, quam in Hiſpania, vt teneriorem, qualis eſt ea quæ prouenit in Somoſſierra.

Dodon. Gall. Napus hortenſis, ſiue domeſtica, Lat. Napus.

Napus quem *Naſonem* vocant, inquit Cæſalpinus, radix eſt in longitudinem extubetans, acrior rapâ, amarior raphano: color aliis candidus, aliis buxeus.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Napus 1. ſiue ſatiua. Napum radice nigra legimus in horto Montbelg. Ill. D. V Virtemb. quem colit Frater Io. Bauhinus.

Gerard. Iconem Rapi rotundi Tabern: poſuit pro Buniade. Iconem autem alteram Tabern. Rapi minoris, ille poſuit pro Radicula ſatiua minore.

Græcis, Βυνίας, non Βύνιον, Lat. *Napus*, Germ. Stickrüben / Stickelrüben / Saxon. & Brunſ. Bordfeldiſche rüben. Belgis, Parüſche rüben. Gall. *nauet* & *naueau*, Ital. *nauoni* & *napo*. Hiſp. *nabicas, naboltengo ò del gado*. Angl. Nanew. Hung. Raro repa. Βυνιάδος appellationem à tumente figura, quam præ ſe fert hæc planta, Græci deflexerunt: namque radix eius in amplitudinem excreſcit, & in rotundum extuberat. Cliuos, colles, verrucoſaque loca βουνοὺς nominant.

Napus deuexam amat, & ſiccam, tenuíque propiorem terram. Itaque glareoſis ſabuloſiſque aruis melior exit. Plinius pro Rapa de Napis hæc meo iudicio ſcripſit. Napi verò Amiterni, quorum eadem ferè natura, gaudent æquè frigidis. Et alio in loco. Palma Romæ Amiterninis datur, inde Nurſinis, tertia noſtratibus. Et Martialis Murſinas pilas appellat his verſibus:

*Nos Amiternus ager fœlicibus educat hortis.*
*Nurſinas poteris parcius eſſe pilas*

Seritur, transfertur, ſemenque perficit, eodem quo Rapum tempore. Rapum etenim transferri, & in alium locum defigi debere ex cuius ſemine naſciturum exſpectatur Rapum, certum eſt: eodem modo & Napus tranſlationem deſiderat. Nota tamen [vt cap. de Rapis iam annotatum] ex Plinio, quod Naporum medicina ſit, ſiliquas vnà ſerere. Quo ſi omiſſo iam natæ Erucæ ſint, remedium eſt Abſinthii vſus, decocti inſperſus, & Sedi quod Aizoum vocant. In horto ſatus celerrimè naſcitur: tertio enim die erumpit, De Napis vide plura capite de Rapis, vbi quæ ex Columella citantur, his omnia conueniunt.

Buniadem habemus in Horto E. C. nec frequens aliàs eſt Montbelgardi. Monſpelii copioſum vidi florentem Vere: Lugduni & Geneuæ Aprili copioſè in cibis vtuntur, vti & Patauii vbi *Nauoni* vocant.

Cocta Napi radix inflat, vt rectè ſcripſit Dioſcorides, modicum alit. Semen eius potum venenorum vires hebetat, ob id & antidotis admiſcetur. Conditur muriâ radix. Galenus medicamenta ſimplicia, quæ in theriacam adduntur expendens, ſilueſtris Napi ſemen ex Creta ſumendum eſſe ait. Cui omninò adſtipulandum eſſe cenſet Matthiolus, quoniam Andromachus, nec ſatiui, nec ſilueſtris meminit, ſed dulcis ſeminis Napi, quod de ſatiui ſemine potiùs intelligendum videtur, quia in agreſti nulla dulcedo inſit, ſed potiùs acris quædam amaritudo: in ſatiuo verò contra. Præterea Iunior Andromachus, item Democritus Napi tantùm ſemen requirunt. Quibus accedit Dioſcoridis autoritas, ſcribentis Napi ſemen ſi præbibatur, lethalia venena inefficacia reddere, & antidotis admiſceri. At fortaſſe Galeno compertum erat ſilueſtris ex Creta ſemen peculiari quadam virtute aduerſus venena pollere, atque ob id in theriacam addendum, quo tamen ſi deſtituamur ſatiui ſemine vtendum in antidotis eſſe cenſet Matthiolus. Id ſemen etiam, eodem Matthiolo authore, necat interaneorum animalia ex limonum aut arantiorum ſucco potum: ex adianthi ſiue lentium decocto cùm alia exanthemata, tum ſublimia illa, quæ vulgò Morbillos vocant, ad cutim pellit, tum quòd ab imis corporis partibus ad extimas partes morbificam materiam ducit, tum quòd propria vi morbi malignitati reſiſtit. Datur vtiliter cochlearis menſura ex vino, addita ſeminis lini drachmâ, ad ciendam vrinam. Ventriculi cruditates vomitione extrahit, ſi ex oxymelite & tepête aqua hauriatur. Summoperè etiam prodeſt multis diebus eius ſeminis drachmam ex marrubii decocto propinare ictericis, & aquæ intercuti incipienti. Externè Naporum idem vſus, qui Raparum. Napus in ſecundo ordine calidus eſt, & in primo humidus.

---

## NAPVS SILVESTRIS.

### CAP. VI.



*Deſcri*

FLores, *ſiliquæ*, *ſemina*, Satiuę proxima ſūt: folia crebriùs diſſecta, laciniatáque, nullis itidem pediculis cauli annexa. Verùm *radix* ſylueſtrem naturam ſapit; minor, & pollicis articulum parum ſuperans, turbinata, ſaporis acris.

De Napo ſilu. hæc Ruellius. Medici nunc ſuffecto quodã ſylueſtris Rapi ſeminio, Buniadis vice abutuntur. A ruribus tamen quædam herba colitur Rapo, radicique ſimilis, quam *Nauetam* appellant, foliis Rapi, læuioribus, poſt adoleſcentiam Erucæ modo laciniatis, cubitali ſcapo aut interdum altiore, radice minuſcula, floribus eidem proximis, Rapitio caule cubitali vel altiore, cuius foliis non ſecus atque rapaceis veſcuntur agri, præſertim cùm ruſticos olerum inopia premit. Ea tum cocta tum cruda aceto & ſale condita deuorant. Nec eam crebro frondium auulſu coërcent, quominus in caulem erigatur, quod in Rapis fieri certum eſt, vt in radicem incrementa capeſſant, ſed in ſcapum attolli patiuntur: nam vberiore ſeminis prouentu non mediocrem quęſtum faciunt. Semen huius calfactum truſatilibuſque molis preſſum magnam olei vim remittit, quò non ad obſonia modò, ſed ad lumina quoque lucernarum vtuntur. Auiculas caueis recluſas, Cardueles, Miliarias, Frigillas, & id genus ſimiles, ſemine huius apud nos aucupes alunt.

*Rapi ſilu. ſemen pro Buniade vſurpatur* *Naueta* *Cibus.* *Seminis ſuccus. Oleum.* *Aues*

Fuchſ. Napi alterum genus ſilueſtre, Germ. Raß ſteckrüben, foliis ſuis Erucæ non diſſimile eſt, radice ampliore & rotundiore.

Tragus Rapum 3. ſiue ſilueſtre, Wild rüben/& feld rüben / ſine icone, cui eadem tribuit, quæ Ruellius Nauetæ. Tertium, inquit, Rapum vulgaris ſatiui ſylueſtris eſt ſpecies, quæ cibo non vſurpatur. Seritur illa quibuſdam in locis, maximè apud Mediomatrices [ his enim nuces è quibus noſtris regionibus oleum conficitur, non in magna copia naſcuntur, ] ſeminis è quo oleum iſti conficiunt gratia. Quod ad formam attinet, æquat hoc Rapi genus ſylueſtrium Pyrorum magnitudinem, guſtu amarum. Hortulani noſtri in Autumno ſerunt, Aprili deinde menſe, veluti & ſatiuum Raporum genus, caules illius longi proſiliunt, flore comantes violis ſimili, luteo, copioſo, Sinapis inſtar. Folia eius antequam excauleſcit ſatis molliora ſatiuo genere, & viridiora, qui fit vt Martio menſe inter cætera olera decoquantur. Semen habet nigro Sinapi perſimile.

Dodon. Gall. qui depingit, Napus ſilueſtris. Lat. qui iconem omittit, Napi ſilu. ſpecies, Galliæ ruribus Nauita, Ruellio teſte, appellata. Quæ ex non tranſplantati ſemine naſcitur & foliis & caule, reliquiſque Napum æmulatur, ſed radice non craſſa, oblonga quidem, & haud magna.

Aduerſ. Lobel. & Penæ fuerit fortè Bunias ſiue Napus ſilu. quæ conquerantur deceptos Plinium ac Matth. quaſi cum Bunio confuderint. Plant. Icon. 200. Bunias ſilu. Napus flore luteo T. 238.

Gerard. Bunias ſilu. Lobelii Wilde Nauew. Icon poſita à Gerardo eſt apud Tabern. iconum p. 406. pro Rapo longo minore Lang Stopffel rüblin.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Napus 3. ſiue ſilu. ex non tranſplantatorum ſemine etiam naſcitur.

Camer. apud Matth. Si Napi non tranſplantantur, vt Rapæ ſilueſtres fiunt, & poſsũt vocari ſilu. Napi. Hactenus non obſeruaui lectione vel auditu Napos tranſplantari.

*Rapum ſilu.* Schvv. Rapum ſilu. Rapaceum ſemen, Oriſamen. Autumno ſeritur ſeminis cauſa. Aprili floret

Tempus ſuccreſcente ſemine copioſe. Ex ſemine oleum

Vſus extunditur pauperum culinis inſeruiens. Auiculæ eo paſcuntur etiam. Ego ſuſpicor intelligi Na-

Locus pum.

Seritur in agris ad oleum, habemus etiam in horto E.C. In agris Montbelg. & vicinis pulchrè florere conſpicitur menſe Aprili & Maio: radices ſubrotundæ ſunt, modò longiores, quæ non ſolent ad cibum aſſumi, ſapore Rapi. Folio autem magis accedit ad Napos vel Braſſicas.

---

## RAPISTRVM FLORE LVTEO.

### Cap: VII.

Deſcriptio

TAnta Rapiſtri lutei, vbi adoleuit, cum Sinapi affinitas vt obiter intuentem fallat: *radix* alba lignoſa: *caulis* cubitalis & bicubitalis, in ramos crebros diuiſus: *folia* Rapitia, ſed quæ attrita non acri illo Sinapis odore nares feriant, ſed oleraceo penitus: *flos* luteus, minimè diuerſus: at in ſiliquis longè maximum diſcrimen: ſiquidem eæ in Rapiſtro duplò longiores conſpiciuntur, quàm in Sinapi, nec vt illæ quadrangulæ compreſſæ, ſed multangulæ & turgidulæ: quibus dehiſcentibus *ſemina* comparent ſimiliter membranulæ mediæ adhærentia, ſed numero



plura, eaque lucida & nigra, cùm Sinapios ſint ruffa nec vllo nitore perpolita, quibus tamen acrimoniâ parum admodum cedunt. Noſtra figura Fuchſiana non in omnibus placet, priora folia ſinuata non benè demonſtrat.

Ex Plinio & Theophr. ipſaque adeò qualicunque Dioſcoridis deſcriptione colligit Cornar. Irionem non eſſe aliam herbam, quàm eam quę inter ſegetes, Hordei maximè & Auenę, naſcitur, & à noſtris Hederich vocatur, reſpondens deſcriptioni Eryſimi ( Irionis) Dioſcor. vt patebit conferenti cum ea quam ponemus poſtea poſt Erucas. Lampſana à Dioſc. nullis notis deſcribitur, inquit Matthiolus, quare dixerim cum Plinio inter ſilv. Braſſicas Lampſanam eſſe, pedalis altitudinis, hirſutis foliis, Napi ſimillimis, niſi candidior eſſet flore. Naſcitur hæc frequentiſſima in Hetruria, Apulia, atque plæriſque Italiæ locis, iis præſertim campis, qui aratrum eo anno minimè ſenſere, tametſi nobis hac tempeſtate non fuerit, niſi vrgente annonæ penuria in alimentorum vſum recepta. In Hiſt. Germ. Wilde Köl Lampſana floribus pallidis quales Braſſicæ aut Rapæ. Egregii interpretis Dioſcor. officio fungitur Commentator qui ait Dioſc. non deſcribere Lampſanam: ipſe etiam nullam deſcriptionem exhibet contentus figurâ, de qua dubitant Gloſſatores & Patrocinatores nec quicquam certi proponunt, quod non mirum. In Com. dicit Matth. flore eſſe Napi candidiore ex Plinio: In hiſt. Germ. flore pallido: Gloſſator appingere videtur flores & ſiliquas Rapiſtri flore albo, idem facit Patrocinator, non tamen intelligit plantam, ſed eandem nobiſcum nempe Rapiſtrum flore luteo. Matthiolus præterea videtur capite de Irione ſeu Eryſimo eandem plantam confundere in icone, folia enim & flores ac nomen Germanicum videntur cõpetere Rapiſtro: ac talem fuiſſe opinionem Gloſſatoris ſatis apparet: diuerſa Patrocinatoris vt dicetur ſub Eryſimo. *Matth. C B na… Camer… notanta…*

Camer. ad hiſt. Matth. Germ. Hederich. Eryſimum vel Irio i. Figura ex Fuchſio non competit deſcriptioni Matthioli.

Lonicer. Hederich / Heidenrettich, wilder Senff. Armoracia, Raphanus ſilv. officin. Rapiſtrum, λαμψάνη, Cheria, Ponticis Armon, Leucon: flore luteo interdum albo. Meminit idem c. 195. lib. 5. deß gelben wilden ſenf [Sinapi ſilv. Lutei,] quod quò referamus non videmus, niſi ſit Rapiſtrum hoc luteum, figura tamen non placet pro Rapiſtro. *Eryſim… Vel Irio. Lampſa… Sinapi ſ… luteum.*

Geſner. hort. Rapiſtrum paſſim in aruis naſcitur, idem quod Lampſana, vel cognatum agreſte olus. Item in cat. Eryſimum. Raphanus ſilv. Græcis Cheria, Latinis Armoracia, aliis Leucon, officinis *Cheri…*

cinis hodiè Rapiſtrum, ἡ κίχα apud Theophr. Hedrich.

oracia. Sunt autore Cæſalp. Armoraciæ radices ſilueſtres paruæ ac prædurę floribus luteis, cæteris iiſdem cum Radice ſiue Raphanide.

An Anguill. Eryſimum vulgare? An eidem Lampſana notiſſima nomine: apud Mediolanenſes *di Landri*, & Abruſſios *di Laſana*, & in Græcia maximè in Creta vocatur Lampſagida.

Dodon. Gall. Rapiſtrum Neotericis, quibuſdam Sinapi ſilueſtre. Gall. *Velar* aut *Tortelle*, Germ. Hederich: Belg. herich. Videtur Eryſimum Theophraſti, quod Gaza verrit Trionum: non autem Eryſimum aut Irio Dioſcoridis. Lac. in fol. Rapiſtrum, nonnullis Sinapi ſilv. Germ. Hederich. Figuram Fuchſianam retinet, nec ampliùs Eryſimum Theophraſti dicit.

Rapiſtrum (aiunt in Aduerſ. p. 66. Lobel. & Pena) aruorum vulgò vocatum è Raporum cenſu eſt, paſſim viarum margines & ſegeres ornans, vbique præſertim Septentrionalium, floribus luteis numeroſis Braſſicæ aut Rapæ, in caulibus ſeſquicubitalibus folia inſunt Lampſanæ aut Rapi ſilv. Braſſicæ virore & læuore non Erucæ, vt debentur Irioni Dioſc. radice tenui, neutiquam fibroſa, guſtu item Rapi ſilueſtris, cuius facultates prope ſortita eſt, ſed vehementiores, tametſi vſus neglecti aut ignoti. Neutiquam eſt Eryſimum Dioſc. certè admodum affinis eſt Napis & Sinapi: tuſum namque ſemen Sinapi ementitur & vſus explet ruſticis. Item pag. 69. Item p. 70. λαμψάνα [Italis *di Landri* & *di Laſana*: Gallis *Sauues blanches*, quaſi Sinapiſtrum album] Napum ſilueſtrem vocarunt olim. Olus ſylueſtre Plinii quo vixerunt Iulij Cæſaris milites, perperàm Theophraſti Eryſimum putatum à Dodo- n not. næo. Columella hanc intellexit Lampſanam. . not. Senenſis inſertis alienis plumis ambigenus euolat: *Miramur Nos* Aduerſaria dicere Rapiſtrum folia habere Lampſanæ, cùm ipſis autoribus ſit Lampſana: Præterea ea dicere folia non eſſe Erucæ, cùm dixerint Rapum habere folia lacinioſa Erucæ: Neſcimus etiam cur ſcribant habere folia Braſſicæ virore & læuore, conſiderent quibus nota planta, an talia ſint folia: Hinc nobis oritur dubium, an Rapiſtrum diuerſum ſit ab eorum Rapo ſilv. non bulboſo.

Hiſtor. Lugdunenſ. Lampſana Matthioli. Et Lampſana vera, falsò Theophraſti Eryſimum Dodonæo. Item Irio Matthioli. Tres figuræ vnius plantæ, prior inepta ex Matthiolo, & tertia ex eodem, quæ videtur compoſita ex Rapiſtro.

Tabern. Icon. & Hiſt. Lampſana flore melino: Acker kôl mit bleich geelen blûmen. Tabernamontani Compilator non demonſtrat qua in re differat Lampſana eius ab Armoracia ſiue heiden rettig.

Icon. Armoraciæ Tabern. per Gerardum Anglum poſita eſt pro Raphano ſilv. wilde radiſch/ flores ferens luteos, verùm, vt poſtea dicemus, Tabern. dicit de ſua Armoracia, vocari Rapiſtrum album: Gerardus præterea pro Lampſana & Docke creſſes ponit iconem Lampſanæ Tabern. verùm ille ſatis indicat ſe ignorare quod ſcribat. In deſcriptione tradit flores eſſe Hieracii, in Icone verò & in planta quam repræſentat flores non ſunt ſimiles Hieracio: hoc etiam annotandum, Lampſanam quorundam flore Hieracii non eſſe referendam ad Naſturtium ſiue Creſſes Anglorum, vt ipſe facit.



C. Bauh. Phyt. Rapiſtrum i. ſiue luteum: Matth. Lampſana: variat foliis, aliquando habet ſinuata, aliquando non inciſa, vnde quidam duas ſpecies conſtituere volunt. Apud Matth. Quæ pro Lampſana à Matthiolo pingitur, Rapiſtrum eſſe aruorum ex eius epiſtolis ſatis liquet. Hoc Rapiſtrum à ſimilitudine cum foliis Rapæ dictum videtur: eſt flore luteo, eſt albo, aliquando etiam purpureo: i. Rapiſtrum luteum, Lampſana Matthioli. Frater ponit figuram Matth. à Camerario auctam ſiliquis & floribus vt mihi perſuadeo Rapiſtri flore albo.

Schvv. Rapiſtrum luteum: Ἐρύσιμον Cordo & Raphanus ſilv. Lampſana Matth. Lampſana Dioſcor. Tabern. Geelhederich Heidenrettig/ Schnödſenf/ wildſenf/ E Raporum ſilv. cenſu eſt. An huc referenda ſit Armoracia Schvvenckfeldii dubitamus, (quamuis icon Tabernamontani poſſit conuenire,) quia Tabern. dicit vocari Rapiſtrum album.

Rapiſtrum flore luteo, Lugduni obſeruauimus, florens menſe Maio, Geneuæ Decembri, Baſileæ cum flore & ſiliquis menſe Octobri, in vineis ad montem Moutets. Montbelgardi abundat in ſegetibus florens Iunio & Iulio, Auguſto cum flore & ſemine maturo, prouenit etiam in horto Ill. E. C. Plurimùm, inquit Schvvenck. inter ſegetes hordeaceas & Rapaceas inuitis Agricolis luxuriat, vt interdum totos agros cooperiat Iunio & Iulio. Locus & Tempus.

Reſiccantem autem ac extergentem, nonnihilque digerentem facultatem obtinet, Galenus apud Dodonæum hanc eſam malos ſuccos procreare ſcribit: Dioſcorides verò plus alere ait quàm Rumicem, & ſtomacho vtiliorem: Coquuntur autem, eodem auctore, caules foliaque, & in cibum recipiuntur. Acrimonia pollet vt & Naſturtium. Semen feruens & acre guſtu, vrinam prouocat. Vires.

## RAPISTRVM MONOSPERMON.



Deſcriptio. Rapiſtri monoſpermi ramum à D. Rychnero Medico Baſilienſi habemus cui flores lutei. Frater Caſparus eandem apud Matth. & Phyt. talibus deſcribit: Rapiſtro Monoſpermo ex *radice* longiuſcula albicante, parum fibroſa, *caules* pedales, quandoque altiores, rotundi, tenues, ramoſi, eleganter virentes, leuiterque hirſuti exurgunt: *folia* humi ſparſa craſſa ſunt, Rapi foliis ſimilia, ad principium laciniata, dein ſubrotunda, leuiter ſinuata & ſubhirſuta: *flores* ſecundum cauliculos palmares & tenues, velut in ſpica diſpoſiti: quadrifolii, eleganter lutei aureiue, quibus *ſiliquæ* ſuccedunt rotundæ [eleganter propter ſtrias, per eas quemadmo-

Bbbb 2

dum in ſemine Coriandri diſcurrentes ] in filamentum oblongum abeuntes: quæ quaſi geminę ſibi inſident, parte tamen ſuperiore maiore, cum in ea ſemen paruum, oblongiuſculum, ſed vnicum [vnde ei nomen] contineatur.

C. Bauh. apud Matth. Rapiſtrum 2. Phyt. quartum ſiue Monoſpermon. Huius ſemen nomine Lampſanæ monoſpermi D. Doldius miſit, & hîc Baſileæ in horto D. Zuingeri Maio menſe floruit.

Locus & tempus. Hoc ipſum poſtmodùm, ſed multò ſtrigoſius [illud enim culturâ elegantius] in agris quà Auguſtam Rauracorum itur, ad rubram domum obſeruauimus: idem ſed humilius & valdè ramoſum, foliis paruis, eleganter virentibus, in agris circa Huningen ad ſyluam inuenimus: & ſimile Monſpelio vbi quoque ſpontè creuit habemus.

## RAPISTRI GENVS AVSTRIACVM

Folia à radice ſpargit, hirtis pilis vndique obſita, ſed potiſſimùm & vel magis in auerſa parte, profundis ſegmentis laciniata, quæ & ipſa crebris denticulis ſerrata ſunt. *Caules* verò omni hirſutie carent. *Folia* item ſuperiora quæ ad ramorum exortum hærent tota glabra ſunt, non tot nec tam profundis ſegmentis diſſecta, inferioris quoque multò minora. *Flores* in ramorum extremis vmbellati, lutei, Rapiſtri vulgatis, ſed minores: Quos *ſiliquæ* excipiunt. Hanc ſiccam nobis communicauit Agerius collectam in Auſtria inter ſegetes, non curauimus pingendam, quia non integra planta & quia nobis non benè notum Rapum ſilv. Matthioli, cuius figuræ non malè conuenire videtur.

## RAPHANVS.

### Cap. VIII.



Deſcriptio Folia proximè ad Rapi folia accedunt, ſic vt facilè verſatiſſimis imponere poſſint: paulò tamen magis ſunt ſinuoſa: cætera etiā minùs conueniunt. Raphano enim *flos* purpuraſcens, quadrifolius, apicibus luteis: *ſiliquæ* craſſiores, pulpoſæ, in loculos tuberoſos, conuallibus interceptos, diſtinctæ, in quibus *ſemen* rubrum, acre: *Radix* craſſa, longa, magnitudine varia, alba, vel rubra, guſtu acri & mordaci, recto vix ſurgit *caule*, cubitum vnum aut alterum alto.

Dioſcor. duo Raphani genera facit ſilueſtre & ſatiuum. Hoc alii Polyides Eryngium, Romani Radicem noſtratem, Aphri *Thorpath* appellant.



Raphanus Raphanis, Radix Veteribus Theophr. in plura genera Raphanum diſtribuit. Diſtinguunt hæc, inquit, foliis, radicibus, coloribus, ſaporibus, reliquiſque eiuſmodi. Vt Radicis genera Corinthium, Cleonæum, Liothaſſium, Bœotium. Ampliſſimè Corinthia adoleſcit, quæ vel ſtirpe conſtat detecta: hæc enim ſurſum verſus protruditur, nec vt cæteræ in terram ampliari ſolita eſt. Liothaſſia, quam Thraciam vocant, validiſſima aduerſus frigora traditur. Bœotia dulciſſima eſt, & figura rotunda, nec vt Cleonæa, prælonga. Quibus folia læuia, dulciores ſuauioréſque ſunt, quibus autem ſcabra, acriores. Genus præterea redditur, quod foliis Erucæ ſimile conſtet. Radicis genera hæc notauerunt.

Athenæus Theophraſti locum hunc citat his verbis: Theophr. lib. de plantis quinque Radicularum (ῥαφανίδων) genera eſſe tradidit: Corinthiam, Liothaſiam, Cleonæam, Amorrheam, Bœotiam. Dicitur verò à quibuſdam Liothaſiam Thraciam eſſe: Bœotiam dulciſſimam omnium, rotundam figurâ: in vniuerſum dulciores eſſe, quarum læuia ſunt folia.

Cæterùm, quoniam quæ Athenienſibus ῥαφανὶς dicitur, aliis nonnullis, vti & Calbæ apud Athenæum ῥάφανος (quod autem Raphanum Radiculam dixerit ex Ariſtophane perſpicuum eſt) appellatur: id obiter admonitum Lectorem velim, ῥαφανὶς vocem pleroſque antiquiores Græcos, vt ex Apollodoro Caryſtio docet idem Athenæus, libro 1. pro Braſſica vſurpaſſe: vnde Plinio erroris anſa, qui variis locis Raphanum cum Braſſica confundit, Raphano tribuens quæ Veteres illi de Braſſica prodidêre, quemadmodum & lib. 19. cap. 15. napis tribuit, quæ Theophraſtus lib. 7. hiſt. cap. 4. περὶ ῥαφανίδων, hoc eſt de Raphanis, tradidit his verbis: Iidem (Græci) Naporum quinque genera fecêre, Corinthium, Cleonæum, Liothaſium (non Liothaſſium, vt in vulgatis Theophraſti exemplaribus exaratum eſt) Bœotium, & quod per ſe viride dixerunt. Ex iis in amplitudinem adoleſcit Corinthium, nuda ferè radice. Solum enim hoc genus ſupernè tendit, non vt cætera in terram. Liothaſium quidam Thracium appellant, frigorum patientiſſimum. Ab eo Bœoticum dulce eſt, rotunditate etiam breui notabile, neque vt Cleonæum prælongum. In totum quidem quorum tenuiora folia ipſi quoque dulciores: quorum ſcabra & anguloſa, & horrida: amariores. Eſt præterea genus ſilueſtre, cuius folia ſunt Erucæ ſimilia.

Cæterùm, Raphani radix (autore Theophr.) quaſi ex carne & cortice conſtat. Contrà Plinius ait: Cortice & cartilagine conſtant Raphani: multiſque eorum cortex craſſior etiam, quàm quibuſdam

dam arborum. Amaritudo plurima illi eſt pro eius craſſitudine. Cætera quoque aliquando lignoſa. Scripſit Moſchio Græcus vnũ volumen de Raphano.

Vulgare & rotundum Raphani genus nobis eſſe videtur, inquit Tragus, quod Theophraſtus Corinthium, Plinius Syriacum, vocauit. Quanquam & Bœotius Raphanus rotundus ſit, teſte Theophr. guſtúque dulcior. At Raphanus prælongus quem Metenſis ager fundit, Theophraſti noſtrâ ſententiâ radix eſt Cleonæa, Plinio Algidenſis appellata.

Fuchſ. Raphanus ſatiua, Raphanus minor Officinarum.

Lonic. Raphanus, alius longus, alius rotundus.

Matth. Radix illi varia, nam nonnullis longa, alba, teres, tenera, fragilis, nec admodum acris, quæ cæteris in Hetruria præſtantior habetur: aliquibus craſſa, Napi penè figura, altera longè durior, acrior, & guſtui ingratior. Differunt quoque colore. Námque & alba & nigra, vbique ferè habetur. Sed hæc altera minùs frequens. Raphanus 1. Raphanus 2. Icones duæ apud Matth. vix mihi diſcrimen monſtrare videntur.

Habet Camer. horti præter vulgarem Raphanum alium radice nigra, qualis frequens eſt Argentinæ. Et alium radice luteâ.

Duæ ſunt Raphani ſpecies ait Lacuna: Domeſtici, teneri, delicati, quibus vulgò veſcimur: Silueſtres, duri & aſperi, Plinio Armoracia, Romæ dicti Ramoracii. *. not.*

Oſcitanter ſanè ac turpi errore Geſner. horti, cum Bern. Deſſenio Plinium ſecutus tria Raphani genera, criſpum, læue, & campeſtre ſtatuit: Braſſicæ hæc Theophraſtus aſſignauit. Sed quod à Plinio Algidenſe dicitur, longum, ſuccoſum, ac tranſlucidum rectè in Raphanorum numero recenſuit & eſſe ſcribit, in hortis inferioris Germaniæ tam frequens, vt nullum ferè aliud norint: hoc apud Batauo-Phryſios in eam magnitudinem creſcit: vti viderit quod triginta libras penderet. Quamobrem minimè mirandum, in Germania infantium puerorum magnitudinem æquare, Plinium ſcripſiſſe. Vulgaris eſt Raphanus, qui virilis brachii amplitudinem non excedit. Sunt autem hi tranſlucidi: & adeò fragiles, vt in taleolas abſque ferro confringi queant. Multùm ab acredine illa ac ſaporis vehementia, quâ ſecundum genus pollet, recedunt: & ſalſugine imbuti, linguam vſque adeò non vellicant. Alterum genus Rapi figurâ Syriacum appellatum, in ſuperiori ſolùm Germania prouenit: vehementiſſimum & tenerrimum, nec multâ humiditate redundans: quapropter parciùs editur. Nam qui affatim ingerunt, præter frequentes ructus, roſionis quendam ſenſum in ſtomacho experiuntur.

Raphanum, inquit Amatus, Columella Radiculam appellat oleris vulgatiſſimum genus, herba caule vno arboreo ferè vt in Ruta conſpicitur, aſſurgens: quare multorum Græci, δενδρολάχανον, quaſi olus arboreum nominant. Nec Gaza Theophraſti interpres aliter vertit. Huius tria Plinius memorauit genera, læue, criſpum & campeſtre. Dioſc. quoque trium mentionem facit, hortulani, ſilueſtris, atque alterius Apios dicti. Amatus prælicenter in Raphani hiſtoria hinc inde oberrans diuagatur. Nunc enim falſis illis tribus Raphani Plinii generibus talpæ inſtar cæcus incedit: oculos mentis aperire debuiſſet, & conſideraſſe hæc Theophraſtum à quo Plinius ſua mutuatur, Braſſicæ tribuiſſe. Præterea Dioſcorides non tria, ſed duo Raphani genera fecit, quod per ſe clariùs eſt quàm vt oſtendi debeat. Dioſcor. enim lib. 4. Apium, montanum aut ſilueſtrem Raphanum, ab aliis ſolùm ita vocari, tradit. Quæ occaſio vt etiam ipſe tanquam de toto genere diuerſis, non tantùm capitibus. ſed libris egerit diuerſis. *. not.*

Cæterùm non minùs turpi cæcitatis notâ corrector eius, ſeu cenſor ſeuerus Rob. Conſt. inurendus eſt, vt qui errores hos non annotarit.

Cæſalpin. Radix vulgò à quibuſdam Radicula Græcis, quaſi radix perſpicua: eſt enim tenella ac fragilis, candida, fermè tranſlucida, flores purpurei aut candidi. Radicis plures differentiæ: nam quædam in longitudinem creſcit, quædam in rotunditatem, has vulgò *Rauanellos* vocant, quorum alii cortice nigro conſtant, alii candido. Longarum quædam vaſto cortice craſſo, qui gratior eſt interno corpore: Hæc Armoracia vocamus, omnes ſatiua. Theophraſtus Raphanida vocat, Theodorus Radicem vertit. Plinius, Raphanos vocat.

Turner. Genera ſatiui Raphani duo, *Radice longa*, paſſim in Anglia & Belgio, quibuſdam: *Radice rotunda*, Rapo non abſimili, frequentior circa Argentinam, nonnullis Radix Bœotia, aliis radix Syriaca, Angl. Roũnde radice / Rape radice / rarò in Anglia conſpicitur.

Theod. Dorſt. Raphanus minor vel communis radice interdum magna & oblonga, interdum verò rotunda & nodoſa, flores fert candidos.

Aduerſ. Rhaphanus magnus & paruus purpureus. Lobel. Obſ. duas habet figuras ex Matthiolo, vna hoc titulo Raphanus magnus Aduerſ. p. 67. primus Matthioli: alteri Raphanus minor purpureus Aduerſ. p. 67. ſecundus Matth. Figuræ mihi apud Lobelium videntur tranſpoſitæ.

Tabern. Icon. & hiſt. Raphanus rotundus, Runder rettig / Raphanus orbiculatus, Scheibel rettig. Duas icones ponit non indicans diſcrimen: Rapum referunt, potiſſimùm ſecunda orbiculatâ radice.

Gerard. Pro Raphano orbiculato, Rond radiſch ponit Iconem Tabernamontani: eandem & iconi Raphani rotundi inſcripſit, Raphanus pyriformis, peare faſſion Radiſch: Præterea pro Raphano ſatiuo, Garden radiſch ponit iconem Tabern. Rapi longi: pro Radicula ſatiua minore Schmal garden Radiſch. Icon. Tabern. Rapi rotundi minoris ſiue Rũnde Nappen ei dicti.

Brunſel. Matth. in prior. comment. Ryffio, Camer. hort. Anguill. Geſner. de coll. ſtirp. & cat. *Raphanus*. Dodon. *Raphanis*, ſiue Radicula ſatiua, Radicula ſatiua minor. Hiſt. Lugd. Raphanus ſatiuus: Raphanus 2. Matth. Raphanus purpureus minor Lobelii.

C. Bauh. Phyt. Raphanus 1. ſiue maior, floribus purpureis aut candidis. Raphanus 2. ſiue oblongus: colore variat, noſter albo eſt cortice: Italis tubello, cuiuſmodi eſt etiam Montbelgardi. Raphanus 3. ſiue niger. Raphanus 4. ſiue lat. Raphanus 5. ſiue Byzantinus. *Apud Matth.* Raphanus præcox, alius ſerotinus: hicque albus & niger & rubens: albus, oblongus: ruber oblongus, qui fibras rubentes per ſubſtantiam diſcurrentes obtinet, habetur & radice lutea. Raphanus 1. Raphanus 2. *Hæc Frater*, cuius icones non mihi videntur monſtrare differentiam. *C.B. not.*

Nicol. Abr. à Framboiſ. Raphanum, *raifort*, & Rapum, *raue*.

Theophraſto, Dioſcoridi, ac Galeno, aliiſque Veterum Græcè ῥαφανὶς dicitur: poſteriores ῥάφανον appellant: Antiquiores autem & Attici, Braſſicam ῥάφανον vocatunt. Latinis autem ῥαφανὶς Radix & Radicula dicitur: Offic. verò Rapha-

nus. Serapioni, annotante Trago, *Fugal*, ſiue *Fugiel*, Auerrhoi *Alphagel*, Hebr. *Zenon*, Rabinis & Thalmudiſtis *Fugla*, & conuerſis literis *Pilga*. Germ. Rettig, Belg. Radys. Gall. *Radi, Raifort*: It. *Raphano & Radice*: Hiſp. *Rauano & Rauanillo*, Angl. Radiſch: Boh. Rzetkew. Radiculæ *ſemen* Cælius à Marcello Empirito Bacanon dici affirmat: ſimiliter ab Aëtio. Cornarius tamen Cacanon legit. Raphanus quidem ἀπὸ τοῦ ῥᾷ φαίνεσθαι authore Athenæo, id eſt, quòd facilè appareat, ſibi nomen aſciuit: nam tertio à ſatu die proſilit. Radicis vocabulum, vt author eſt Varro, è Græcia venit in Latium, cùm Veteres Græci radicem dixerint, quam nunc Rhaphanum. Niſi quis forſitan arbitretur nomen accepiſſe, quòd cæteras amplitudine ſuperet, vel quàm pauciſſimis magnitudine cedat.

Satio

Seri vult Raphanus, qualiter videre eſt apud Plinium, terra ſoluta, humida. Fimum odit, paleâ contentus. Frigore adeò gaudet, vt in Germania infantium puerorum magnitudinem æquet. Seritur poſt Idus Febr. vt vernus ſit: iterúmque circa Vulcanalia, (Aliis circa ortum Caniculæ, aliis Calendis Auguſti,) quæ ſatio melior. Multi & Martio & Aprili ſerunt & Septembri. Incipiente incremento, confert alterna folia circumobruere, ipſos verò accumulare. Nam qui extra terram emerſit, durus fit atque fungoſus. Ariſtomachus detrahi folia per hyemem iubet, & ne lacunæ ſtagnent accumulare: ita in æſtatem grandeſcere. Quidam prodidêre, ſi palo adacto cauerna paleâ insternatur ſex digitorum altitudine, deinde in ſemen fimúnque & terra congeratur, ad magnitudinem ſcrobis creſcere. Præcipuè tamen ſalſis [De braſſica hoc Theophr. cap. 7. lib. 2. Cauſſ.] aluntur. Itaque etiam talibus aquis irrigantur, & in Ægypto nitro ſparguntur, vbi ſunt ſuauitate præcipui. In totum quoque ſalſugine amaritudo eorum eximitur, fiúntque coctis ſimiles. Ægypto mirè celebratur propter olei fertilitatem, quod è ſemine eius faciunt. Hoc maximè cupiunt ſerere, ſi liceat: quoniam & quæſtus plùs quàm à frumento, & minùs tributi eſt, nullúmque copioſius oleum.

Gaudet autem [authore Theophraſto] frigoribus Radix [ῥαφανίς,] & ſic eam dulceſcere putant, ſimúlque incrementum in radicem non in folia verti. Auſtrinis atque ſerenis temporibus celeriter cauleſcit. Hyeme cùm maximè viget radix terrâ obruta, vt nullum imbrem admittat, ac direptis quibuſdam foliis mira craſſitudine diſtenditur. Sed Raphanus quia nullam vim germinandi ab imis obtinet, alimentúmque capit, quod non ſurſum tranſmittere apta ſit: idcircò ſubtus craſſatur, ampliſſimáque efficitur. Cauſa verò, vt nulla putredo, nulla corruptio accederet, humo congeſtitiæ datur, quæ aquam arcet, & in totum, omne quod alienum eſt, admitti non patitur. Poſt æſtatis Solſtitium Iunio ac Iulio commodiſſimè ſeritur.

Tempus & locus.

Raphanum vidi florentem Aprili flore cæruleo: Geneuæ Nouembri, flore cæruleo & albo, ibidémque cum pauca cærulei parte Maio. Baſileæ Raphanus eſt in vigore Auguſto & Septembri. Lugduni principio Maii habent edules. In pago Fempo (inter Baſileam & Otmersheim ad Rhenum ferè ſito) vidi Raphanum radice rotunda Rapi inſtar: ita vt non facilè quilibet diſtinguere poſſit, niſi guſtu, quem cùm menſe Septẽbri deguſtarem, non videbatur differre à longo allato Argentinâ, vbi eum Raphanum quoque obſeruaui: talem quoque vidi in Maſmunſter, qui loco humido creuerat, non poterat manu amplecti, ac ſapore erat non admodum acri. Patauii habent rotundum, breue, album, non vſque adeò acrem & rubrum, ſicut & nigricantem oblongum, ſatis magnum, valdè acrem. In Paſſauant Abbatis Luttrenſis in horto Domini VValther ab Andlavv, vidi craſſiſſimum & maximum ad magnitudinem cruris excreſcens: talem habemus in horto Ex. C. Hortulanus hyeme reponendum ſeminat, huius radix ſub terra tota latet, ac totâ hyeme ad cibum adaptari poteſt vſque ad Ver: vt & alterum longum, tenerum, album, extra terram eminentem: cuius radices habentur edules Iunio. Et hic poteſt dici longiſſimus & præcedens craſſiſſimus. Longiſſimi habemus genus cuius pars extra terram eminens rubet. Raphanum nigrum attulit mihi hortulanus Ill. E. C. ex horto Gœpping. duplicem, vnum paruum qualem aliquando vidi Argentinâ miſſum, & qui Montbelgardi etiam prouenit in horto Ill. Ex. C. magnus craſſus eſt. Viderentur diligentiùs non indaganti duo genera, verùm tempus ſationis tantùm differentiam facit in radicis forma: vterque menſe Octobri datus. In omnibus autem probandis, Plinius maximè ſpectat caules. Immitium enim rotundiores, craſſioréſque: folia verò triſtiora & angulis horrida.

Locus & Tempus.

Raphani ſiue Radiculæ vires, Dioſc. declarat his verbis: Flatus gignit & excalfacit: ori quidem grata, at ſtomacho minimè commoda: ructus præterea mouet, atque vrinas ciet: aluum quoque bonam facit, ſi quis ipſam ſummo cibo ſumpſerit, quippe quæ tum diſtributionem magis adiuuet: præſumpta verò cibum ſuſpendat: quare & ante cibum vomituris conuenit; quin & ſenſuum aciem excitat. Elixa verò ſi ſumatur, valet ad eos qui tuſſi diuturnâ infeſtantur, quíque craſſiores ſuccos in pectore cumulant. At cortex ipſius ex aceto mulſo ſumptus, vomitiones potentiùs mouet, hydropicis accommodatus: impoſitus etiamnum lienoſis eſt vtilis. Cum melle verò nomas ſiſtit, & ſub oculis ſugillata tollit. Auxiliatur & à Vipera commorſis, necnon & Alopecias denſas atque lentigines cum Loliacea farina exterit. Eſt & auxilio tam cibo quàm potu iis qui à fungis ſtrangulantur, menſtruáque pellit. Semen vomitiones excitat, vrinas eiicit, & lienem ex aceto potum extenuat. Decoctum anginoſis cum aceto mulſo calente gargarizatu prodeſt, & contra Ceraſtæ morſum ex vino potum auxiliatur. Cæterùm ex aceto illitum gangrænas etiam valenter emarginat.

Vires & vſus.

Raphani vis mira [rectè hæc Plinius de Raphano tradit) colligẽdi ſpiritum, laxandíque ructum. Ob id cibus illiberalis, vtique ſi proximè olus mandatur, ſi verò cum Oliuis drupis, rarior ructus fit, minúſque fœtidus. Cocti dulceſcunt & in Naporum vicem tranſeunt. Crudos medici ſuadent ad colligenda acria viſcerum dandos cum ſale ieiunis eſſe, atque ita vomitionibus præparant meatum. Tradunt & præcordiis neceſſarium hunc ſuccum: quando phthiſin cordi intus inhærentem, non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Ægypto, regibus corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus: Atque vt eſt Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeò cæteris cibis prælatus raphanus, vt ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum è plumbo. Scires non ibi genitum M. Curium Imperatorem, quem Samnitium Legatis aurum repudiaturo afferentibus, rapum torrentem in foco inuentum Annales noſtri prodidere.

re. Scripſit & Muſchion Græcus vnum de Rhaphano volumen. Viliſſimi in cibis hyberno tempore exiſtimantur: iiſdemque dentibus ſemper inimici, quoniam atterant. Ebora certè poliunt. Satiui decocti manè poti ad ternos cyathos, comminuunt & eiiciunt calculos. Iidem in poſca decocti contra ſerpentium morſus illinuntur. Ad tuſſim etiam manè ieiunis rhaphanus prodeſt cum melle: Semen eorum toſtum ipſumque commanducatum ad Lagonoponon [Ilium cruciatus è flatu, & calculo:] Aquam foliis eius decoctis bibere, vel ſuccum ipſius, cyathis binis contra phthiriaſes, phlemoni ipſos illinire tuſos, liuori verò recenti corticem cum melle, veternoſis [Veternum, ſiue animi, ſiue corporis ſtupiditatem & ignauiam vocant: ſtolidum Catullus, graue ac funeſtum Horat. appellat: Catullus.

*Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,*
*Si pote ſtolidum repentè excitare veternum.*]

autem quàm acerrimos mandere, ſemenque toſtum dein contritum cum melle ſuſpirioſis. Iidem & contra venena proſunt. Cæterò & ſcorpionibus aduerſatur: vel ipſo, vel ſemine infectis manibus impunè tractabis: impoſitoque Rhaphano Scorpiones moriuntur. Salutares & contra fungorum aut hyoſcyami venena æquè, vt Nicander tradit. Et contra viſcum quoque dari Apollodori duo iubent. Sed Citicus ſemen ex aqua tritum. Tarentinus ſuccum. Lienem item extenuant: iocinori proſunt, & lumborum doloribus. Hydropicis quoque ex aceto aut ſinapi ſumpti & lethargicis. Praxagoras & ilioſis dandos cenſet: Pliſtonicus, & cœliacis (ſtomacho tamen aduerſari Dioſcorides teſtatur. Verùm cœliacis prodeſt, quoniam vrinas ciet.) Inteſtinorum vlcera [illa detergendo, alioquin irritant:] ſanant: purulenta præcordiorum, ſi cum melle eduntur. Quidam adhæc coquere eos in luto illitos malunt: ſic & fæminas purgari. Ex aceto & melle ſumpti, inteſtinorum animalia detrahũt. Item ad tertias decocto eorum poto cum vino, enterocelis proſunt, ſanguinem quoque inutilem [In veſica concretum & inteſtinis: ex mariſcis, & vtero,] ſic extrahunt. Medius adhæc & ſanguinem excreantibus coctos dari iubet: & puerperis ad lactis copiam augendam. Hippocrates capitis mulierum defluuia defricari rhaphanis, & ſuper vmbilicum imponi, contra tormenta vuluæ. Reducunt & cicatricem ad colorem. Semen quoque ex aqua impoſitum, ſiſtit hulcera quæ phagedænas vocant. Democritus Venerem hoc cibo ſtimulari putat: ob id fortaſſis voci nocere aliqui tradiderunt. Folia quæ in oblongis duntaxat naſcuntur, excitare aciem oculorum dicuntur.. Vbi verò acrior Rhaphani medicina admota ſit, hyſſopum dari protinus imperant. Hæc antipathia eſt. At aurium grauitati ſucccum Rhaphani inſtillant. Nam vomituris ſummo cibo eſſe eos, vtiliſſimum eſt: (Dioſcorides vomituris dat ante cibum: à cibo verò vt roboret ventriculum & cibi diſtributionem adiuuet: hic itaque obliuioſè Plinius vomituris ſummo imperat cibo.)

Sed Galenum audiamus de Rhaphano tum vt cibo, tum vt medicamento, loquentẽ. Vrbani, inquit, homines ſolam radiculã crudã vt plurimùm ante alios cibos cum garo alui deiiciendæ gratia mandunt, quidam autem aceti quidpiam admiſcent. Ruſtici verò cum pane ſæpenumerò veſcuntur, vt aliis obſoniis quæ ſua ſpontè proueniunt. Radiculæ autem caulem etiam ac folia mandunt, ſed coacti potiùs quàm voluntarii. Radix autem ex iis eſt quibus aſſiduè veſcimur, eſtque obſonium magis quàm alimentum: nimirum quæ & ipſa cum manifeſta calfactione attenuandi habet facultatem. Nam qualitas aëris in ipſa ſuperat. Vere autem caulem quendam, qui in altum aſſurgit gignere conſueuit, quemadmodum & alia omnia quæ caulem ſunt productura: quem caulem elixantes mandunt cum oleo & garo & cum aceto, vt Rapæ caulem, ac ſinapi, & lactucę, nutritque magis caulis iſte, quàm cruda radicula, vt qui in aqua acrimoniam omnem ponat: pauciſſimum tamen & ipſe habet alimẽtum. Quidam autem non caulem modò, ſed & radiculas ipſas elixantes mandunt, non aliter ac Rapa. Et alio in loco, Raphanus, excalfacit quidem ordine tertio, deſiccat verò ſecundo. Quin & ſemen ipſum plantâ efficaciùs eſt, facultas ei ineſt digerendi. Itaque ad ſugillata, & alia id genus liuida, ob talem facultatem accommodum exiſtit. Cæterùm, cùm Medicos, tum idiotas illos mirari ſubit, qui à cœna crudos eos concoctionis iuuandæ gratia edunt. Ipſi quidem ſe experientia id abundè compertum habere dicunt, nullus tamen exemplum illorum ſine damno potuit imiri. *Hactenus Galenus.* Cuius equidem verba eò libentiùs recitauimus, quòd non ſolùm vulgi, ſed etiam Medicorũ errorem lepidè notare videatur, qui crudas Radiculas à cœna eſitabant, iuuandæ concoctionis gratia: quibus quidem verbis Dioſcoridem obiter carpere videtur, quippe qui hoc loco ita ſenſiſſe videatur, idque tum roborandi ventriculi tum cibi diſtributionis adiuuandæ gratia.

*Dioſc. Medici & vulgus not.*

Simeon Sethi diſcrepantes haſce ſententias adhibita diſtinctione componere nititur: dum quibus aluus facilè ſubducitur, quique flatibus caret, iis vult exhibendas ante cibum Radiculas: contrà verò à cibo, iis qui flatibus laborant, quibúſque cibus in ventriculo ſupernatat, ac etiamnum difficilis eſt aluus. Verumtamen neque hoc ipſum quenquam citra damnum experiri poſſe, cum Galeno crediderim.

Rhaphani recens minutim inciſa radix (vt ſcribit Matth.) albo meraco inſperſa, & in ſartagine calfacta, pubique admota, remoratam vrinam pellit: Idem præſtat eiuſdem ſuccus duarum vnciarum pondere ex vino Cretico hauſtus. Corticis vncia cum mercurialis pari pondere, croci granis quatuor, pulueris caſſiæ odoratæ drachma, ſucci ſabinæ drachmis duabus, omnibus ſimul in mortario contuſis tenuiſſimo linteolo exceptis, vterique ceruici admotis, ægrè parturientibus mirificè ſubuenit. Eiuſdem radicis ſuccus cum oleo dulcium aut amararum amygdalarum, & vini albi & colocynthidis momento aurium ſonitus tollit, ſi calidus inſtilletur.

Raphano autem comeſto lacticinia eſſe vitanda, quòd corrumpantur & vitium inde contrahant, monent: Raphanus à cœna manducatu grauem reddit anhelitum, ſi quis ſtatim ab ea ſumpta ſomnum cæperit. Grauidis vt apud Dorſthenium legimus, non conducit, expellit enim fœtum, trahit menſes, educitque ſecundas. Succus eius inueteratis vlceribus illitus, ea renouat gangrænamque in eis erodit. Idem præſtat puluis eius. Succus Raphani cum melle decoctus, atque modico aceti admiſto, percolatus, prodeſt contra febrem quartanam, & contra oppilationem lienis, ſi in potu ſumatur, Cutem ſubeuntibus a-

quis,lienoſiſque vtiliter Raphanus emplaſtri modo imponitur,vt Dioſcorides teſtatur.

Raphanus domeſticus eſculentus,ait Fernelius, ſine offenſione vlla vomitione purgat, atque ventriculum blandè exinanit: quæcunque nimirum in eo craſſa ſunt attenuat, quæ lenta ſunt detergit, ac demum ſtimulatâ expultrice vi ſurſum extollit,nulli ætati neque prægnanti infenſus.Teruntur autem radicis eius conciſæ vnciæ duæ, affuſaque mulſa ſuccus exprimitur tepidus offerendus.Seminis[quod efficacius fit] ſemuncia vel ℥iii ſimiliter teruntur addita mulſa aut ſero lactis aut aqua hordei.

Radicem cum ſale tritam in malignis febribus ſub pedibus ligari teſtatur Schvvenckfeldius. Scribit Camer.apud Matthiolum Germ.ſi in excauatum Raphanum aqua Maioranæ immittatur, & pet aliquot dies ſub terra defoſſus detineatur, aquam illam viſus debilitati mederi. Si in Raphanum cauatum veretrum immittatur,lapidem [teſte Font.]ni magnitudo obſtet,trahet.Quidam in Raphano cauato crocum adiiciunt. Nec ſolùm calculi cauſa hoc fit: ſed etiam in difficultate vrinæ ob craſſum viſcidum & glutinoſum humorem, aut ſanguinis trombum meatum obſtruentem. *Aqua* Raphani[ radicis, hæc enim minutim conciditur, ac diſtillatur] per triginta dies mane ac veſperi ſingulis vicibus tribus aut quatuor vnciis pota medetur calculo, facitque ad aquam intercutem, modò ægrotus à nimio potu abſtineat. De cætero vtilis ad omnes hactenus recenſitos affectus. Fit & ex ſucco Raphani expreſſo cum Saccharo aut melle *Syrupus*, apprimè idoneus calculoſis lienoſiſque. *Oleum* quoque ex hoc parant ad dolores aurium,ſpinæ dorſi,atque renum,à frigiditate ortos.

## RAPHANVS BYZANTINVS.

*Deſcriptio*

Raphani Byzantini ſemen habuit Camerar. horti Conſtantinopolitani, qui poſtea tamen degenerauit in communem, ac ſolos flores ac ſemina protulit radice penitus ligneſcente.

## RAPHANVS RAMVLA CRETENSIBVS dicta.

*Deſcriptio*

Raphani vulgati ſeu noſtratis modo *ſcapum* erigit cubitalem aut ſeſquicubitalem,itidem brachiatum. *Folia* poſitu & ordine vt in prædicto, ſed læuia, tenera, & præ glabritie nonnihil ſplendicantia,figurâ vt in illa varia. Quędã nãmq; diſſecta magis,quędã magis integra & ſubrotũda: ſuprema ad Lãpſanæ quodãmodò accedẽtia. E ramorum ſupremis alternato poſitu ex vnciali ferè pediculo flores dilutè purpurei emicãt, raphani noſtratis ſimiles. Succedunt *vaſcula*, aliàs μονόκοιλα, aliàs gemina, aliàs longa teretiáque, ſed omnia in exacutum mucronem faſtigiata, *ſemen* continentia Raphani,rotundum, in pulpa fungoſa deliteſcentia, ſapore grato, minimùm, aut etiam nihil,acri, ita vt ad auellanarum nucleorum etiam ſaporem quodammodò accedere videatur, quatenus ex ſicco deprehendere licuit. *Radix* tenuis,fibroſa, candicans,qualis quidem hactenus nobis obſeruata.

Ramulæ Cretenſis nomine à fratre C.Bauhino ſemen accepimus quod ſatum in horto Ill.Ex C. VVirtem.Montbelgardi non prouenit: poſtea Daniel du Vernois Medicinæ candidatus attulit nobis ſine nomine plantam collectam Baſileæ in horto clariſſ. viri Domini Iacobi Zvvingeri pro Raphani ſpecie rata: Nobis quoque ſiliquas cum ſeminibus nomine etiam Ramulæ Cretenſis Baſileæ in prædicto horto collectas, communicauit Doctus Vir Conradus Pfiſtherus Baſil.

## RAPHANVS SILVESTRIS VETERVM.

De hac ſeorſim agendum duximus,eâ potiſſimùm de causâ, quòd qualis ſit, hodie non conſtet.Radicula igitur ſilueſtris [ῥαφανὶς ἀγρία] quam Romani apud Dioſc. Armoraciam vocant: *Folia* habet ſatiuæ [ Erucæ Theophr.qui Raphani quintum genus facit & ſilueſtre vocat]ſimilia,ſed quæ ad Lampſanam propiùs accedant. *Radix* eſt gracilis, longa,ſubacris. Eſt [inquit Plinius libr. 19.c.5.] etiamnum vnum ſilueſtre [ Raphani genus,] Græci Agrion vocant, Pontici Armon, alii Leucon, noſtri Armoraciam, fronde copioſius, quàm corpore. Idem lib.20.c.4. Raphanum ſilueſtrem eſſe diximus. Laudatiſſimum in Arcadia quanquam & alibi naſcitur.

*R.phanus ſilu.* *Eruca fo.* *Lampſan. folio.* *Radix.* *Agrion.* *Armon,* *Leucon,* *Armorac.*

Porrò tam folia, quàm radix, authore Dioſc. olerum vice decoquuntur. Excalfacit autem, vrinam ciet, æſtuoſaque eſt. Vtilior,tradente Plinio, Raphanus ſilu. vrinæ duntaxat ciendæ. Cæterò, bilem detrahunt cortices in vino. Præter ea,quæ circa eos dicta ſunt, ſtomachum purgant, pituitam extenuant, vrinam concitant. Eſt & ſatiui [legendum ſilueſtris] vſus in Italia, & Armoraciam vocant.

*Vires*

Agreſtis Raphanus, teſte Galeno, in tertio ordine calefaciendi,& in ſecundo deſiccandi ſatiuo efficacior eſt.

## RAPHANVS SILV. MATTHIOLI.

*Deſcript.*

Matthiolus, vt præ cæteris ſe,non dico Rhizotomum, ſed quarumlibet ſtirpium Rhizorichum[eradicatorem] ac Numen quaſi omniſcium oſtenderet, ita de Raphano ſilu. in ſuis in Dioſc.com.differit. Romani ſuam antiquam Raphani ſilu. appellationem retinent,qui ipſum primæ literæ Metatheſi Ramoraciam appellant. Cæterùm, cùm ſylueſtris ſatiuâ longè durior,acriorque deprehendatur, Dioſc.codex hîc etiam mendi ſuſpicione non vacat, vt pote qui Armoraciæ radicem reddat teneram,mollémue & ſubacrem. Fuchſ. eam eſſe ſtirpem putat quam Raphanum ruſticum nonnulli vocauêre. Si is Romam vnquam profectus eſſet, nunquam [ vt arbitror ] in errorem incidiſſet, ſpontè namque [ ait in Epit.] prouenit in campeſtribus in agro Romano. Anguill. Raphanus ſilu. vocatur Romæ Aramoraci & Remolaci è Mazorchi. Per *Rauanos*[Raphanos] ſilueſtres Lacuna intelligit duros aſperos qui Plinio dicuntur Armoratia, & nomen antiquum conſeruant, ac Romæ dicuntur *Ramoracci*.

Lat. Armoracia: Caſtil. *Xaramago*.Ital.*Ramolacci*: *Matthiolus* qui temerè nimis Dioſc.codicem mendo laborare ſcribit, non demonſtrat quam plantam intelligat,nec eius Gloſſatores patron i & Simiæ: meliùs ſibi conſuluiſſent, ſi icone,aut ſaltem

ſaltem deſcriptione, quam plantam intelligerent, indicaſſent. Lacuna quidem videtur intelligere Raphanum ſatiuum longum, craſſum, duriorem, qui per hiemem reſeruari poteſt.

## RAPISTRVM FLORE ALBO STRIATO, Sinapi agreſte album Trago.



Rapiſtrum flore albo ſtriato *folia* habet Sinapi Erucæue diuiſura ſimili, hirſuta, ſapore oleraceo: *caules* ramoſos, hirtos: *flores* albidos, Erucæ maioris, ſtriis cæruleis variegatos, apicibus luteis, *ſiliquas* pulchras, longitudine ferè digitali, vbi maturuêre nodis inſtar caudę Scorpionis diſtinctas, ſtriatas: in quibus pro nodorum numero *ſemina*: *radix* ſatis tenuis, alba, aliàs ſimplex, aliàs multifida.

An Trago ſinapi ſylueſtre ad aquas proueniens flore albo?

An Dod. Gall. Sinapi ſylueſtre [σίναπι ἄγριον?] quod idem cum Tragi Sinapi ſuſpicor eſſe, quamuis figura ad Erucam maiorem pertineat.

An Turn. planta VVeiſſenburgi weiſʒederich, & quibuſdam wildrettig dicta? Is quidem exiſtimat eſſe Radicem ſilueſtrem Dioſcoridis. Hæc eò loci ſemper inter Rapas naſcitur, Rapiſtro ſimillima, breuior, flore albo, radice exili, ſapore aliquatenus & forma Raphani longi: folia inciſa ſeu laciniata Raphani ſatiui modo, læuiora nonnihil quàm Rapiſtri. Videtur Plinius hanc pro Lampſana ſumere lib. 20. cap. 9. & falsò inter Braſſicarum genera reponere: cùm inter Raphanos collocare debuerit. Siquidem Plinius multis locis Radicem appellat, Braſſicam appellandam, vt lib. 11. c. 23. & lib. 27. cap. 24. atque ita vtramque plantam videtur confundere. Eius verba, quæ huc me inducunt, ſunt iſta, inter Braſſicas ſylu. & Lampſana &c.

Cæſalp. Lampſana, flore candido, Dioſc. olus ſylu. Plinio inter ſylueſtres Braſſicas Lampſana, quâ Iulius vixit apud Dyrrachium. Lonic. Gelber wilder Senff [Sinapi luteum ſilu.] cuius figura, qui ſuo more neſcit quid ſcribat, videtur demonſtrare Rapiſtrum, de quo hoc capite agimus. Plant. Icon. pag. 199. Rapiſtrum flore albo, Erucæ foliis Teut. 237. Tabern. Icon. & hiſt. Armoracia Heiderettich, quod quidam volunt Lampſanam, alii Raphanum ſilu. alii nominant Rapiſtrum album, quidam Armoraciam. Et alibi Rapiſtrum purpureum, Brain hederich. An Rapiſtrum flore albo fuerit benè notum Compil. Tabern. nos latet, quia album non deſcribitur apud eum nec an colore floris tantùm differat purpureum, annotatur: ille alioqui pro ſua inſigni prudentia ſolet icones diuerſas exhibere plantarum ſolo colore differentium: Lectores tamen conſiderent, an extet purpureum & diuerſum ab albo, aliis notis quàm colore. Schvvenck. Armoraciam Tabernæ ad Rapiſtrum flore luteo refert, quod non improbamus, ſi conſideretur icon: verùm nomen Rapiſtri albi non videtur conuenire, vt antè dictum, Item Rapiſtrum album, Raphanus ſilu. Lampſana ſeu Braſſica ſilu. Matth. weiſʒ hederich. Ad iconem purpurei Rapiſtri Tabern. ſcribit Gerardus, Rapiſtrum aruorum Charlock aut Chardick, quam plantam intelligat perpendendum. C. Bauh. phyt. Rapiſtrum 2. ſiue album: hoc flore purpuraſcente etiam reperitur.

Floret paſſim in agris Iulio & Auguſto, obſeruaui etiam Monſpelii, Geneuæ, Baſileæ, Montbelgardi paſſim in agris. Campis rapaceis cultis & incultis, ſed rariùs occurrit Schvvenckfeldio. *Locus & tempus*

Semen, autore eodem, excalfaciendi, ſiccandi, abſtergendi, & digerendi vi pollet. *Vires*

## ALSINE NODOSA DALECHAMPII.



In agro Monſpelienſi plurima gignitur, *radice* ſimplici, longa, parum capillata, ex cãdido flaueſcente: *foliis* propè terram multis longiuſculis, anguſtis, Alſines haud multùm diſſimilibus: *caulibus* multis, pedalibus, *flore* albo, ex quinque foliolis cõpoſito: *ſemine* in nodoſis ſtriatiſque globulis multis, ſeſe ordine conſequẽtibus, & quaſi veruculâ transfixis, peculiari omninò figurâ. *Deſcriptio*

Hiſt. Lugd. Alſine nodoſa. C. Bauh. phyt. Alſine 23. ſiue ſemine globoſo.

## RAPHANVS SYLVESTRIS, SIVE ARMORACIA multis.

Radix craſſa, ſurculoſa, repens, ſapore feruidiſſimo: *caules* ſingulares bicubitales, concaui, ſtriati, recti & rigidi: *folia* inferiora, antequam caulem proferat ampla, Lapathi, rugoſa, vbi caulem autem profert, in eo folia palmum longa, vnciali latitudine aut paulò maiore, in ambitu profundè ſatis ſerrata, guſtu minùs feruido quàm radix: ex quorum alis *ſurculi* tenues prodeuntes *flores* ſuſtinent poſitu & formâ Naſturtii paluſtris cum apicibus luteis. *Deſcriptio*

Habent (inquit Turner.) Dioſcor. & Plinius Raphani genus, quod Græcis dicitur ῥαφανὶς ἀγρία, Lat. *Armoracia*. Ital. *Ramoracia*, teſte Matthiolo. Tradit Dioſcor. Radiculam ſilu. folia habere Raphani hortenſis, niſi quòd ad Lampſanæ folia



propiùs accedant. Quod ſi verum eſt, errarunt quicunque plantam illam folio Rumicis, radice acerrima, Germ. Meer rättich & Angl. Redcole dictam, Armoraciam aut Radicem ſilueſtrẽ putant. Nihil enim ſimile habent, Rumicis & Raphani domeſtici folia. Scribit idẽ Dioſcor. Raphani ſylu.radicem eſſe gracilem, teneram, ſubacrem, vt vulgati Codices Græci habent, quanquam emendatiores legant μακρὰ pro μαλακή. At Germ. Meerrettich,radicem haber admodum acrem & mordacem. Quare nequit eſſe Radix ſilu.Dioſcoridis.

Thlaſpi maius, inquit Cordus in Dioſcot. ſine dubio eſt ea herba quam ego Meerrettich appello & Arabes Naſturtium album.

Brunſelſio: Armoracia aut Raphanus maior. Matth.paſſim in ſuis Commentariis. Thlaſpi Crateuæ, Raphanus vulgaris, Raphanus ruſticanus, Raphanus ruſticus ſiue maior, vt vulgò. Cam. apud Matthiolum Raphanus ſylu. Raphanus montanus, rarò reperitur ſemen, vnde Petrus Creſcentius ſcribit ſemine omninò carere: docti vocant Thlaſpi Crateuæ, & multi vocant Thlaſpi magnum. In horto, Raphanus ruſticus, vulgò Armoracia.

Geſner. in cat. plant. Armoracia vulgò Rapiſtrum χρία ἢ κέρα Theophr. ſylu. Braſſica, quibuſdam Lampſana. Raphanus ſylu. Ponticis Armon, aliis Leucon: Officinis hodie Rapiſtium vt quidam volunt, ego autem exiſtimo Meerrättich eſſe Thlaſpi alterum.

Tabern. Icon. & hiſt. Raphanus marinus meerrättich, Thlaſpi alterum Dioſc. Sinapi Perſicum, Raphanus maior, Raphanus cõdimentorius, Raphanus oblonorum Arab. Naſturtium album.

C. Bauh. phyt. Raphanus 6. ſeu Thlaſpi alterum Dioſcor. Apud Matth. Raphanus ruſticanus ſiue ſilu.

Gerard. Raphanus ruſticanus.

Schvv. Raphanus ruſticanus, Raphanus magnus, & ῥαφανὶς ἀγρία Dodon. Armoracia Plinii. Raphanus ruſticanus, Lapathi folio, videtur Lobelio & Penæ in Aduerſ. capite proprio Molypdena Plinii. Sinapi Perſicum. Poteſt dici hydropiper etiam hęc, quam nõnulli Lepidium Pauli & Plinii dixerunt. Raphanus ruſticanus plebeculæ.

Lobel. Obſ. figuram habet ac ſcribit, Raphanus ruſticanus Thlaſpi & Sinapi Perſicum, Armoracia Tragi, Thlaſpi Crateuæ Dioſc. Lobel. in Obſ. in Append. p. 495. Craſſa radice Raphanus ruſticanus florens, Aduerſ. pag. 135. & Obſ. 173. Plant. Icon. p. 320. Raphanus ruſticanus, craſſa radice, Lapathi folio, Lobel. 173. Lobel. in Append. Teut. 304.

Nomina linguarum. Raphanus ſylueſtris, ſiue Armoracia multorum vocatur Hipp. de morb. mulier. ῥάφανος μακρή. Geſner in Cat. χρία ἢ κέρα Theophr. Germ. Meerrättich: Gall. *Raifort ſauuage.* Angl. Horſe Radiſch, Mountaine Radiſch Great/Raifort/Red-cole Gerardo.

Locus. Tempus. Copioſè alimus in horto E.C. ob eius multum vſum in coquina hyberno tempore: abundat propè Lute ſpontè in agrorum quorundam marginibus, abundat extra portam Helicurianam iuxta agros Canabinos, quà itur ad ædes carnificis: odioſus in hortis ſuo reptatu. Geneuæ in hortis floret Maio, Baſileæ abundat in multis hortis, itidem Lugduni: vidi Patauii & Veronæ in hortis: paſſim humidis & vmbroſis hortorum locis, Schvvenckf.

Vires. Extremæ planè eſt acredinis, annotante Schvvenckfeldio: Aperit, pellit, incidit, prouocat, attenuat, abſtergit. Teritur cum vino, aceto & melle condimenti vice. Appetentiam facit. Verùm caput lædit, & nidoroſas eructationes mouet. Bilioſis & caput dolentibus noxius. Vrinam & arenas valenter pellit, Menſtrua prouocat. Io. de Monte Exper. Senex Monachus cùm ſentiret ſe calculis vexari Raphanum ruſticanum Meerrättich tenuiter inſecabat, in linteolum reponebat, & in vino macerabat, & mane & veſperi cùm vellet ire cubitum poculum ebibebat per triduum, hoc ſolo remedio vſus non vexatus ampliùs fuit à doloribus ob calculos & arenas.

## SINAPI VETERIBVS ET IN GENERE

### Cap. IX.

Sinapi licèt nec à Theoph. nec à Dioſc. in genera diuidatur, aut deſcribatur, Plin. tamen triũ generum eſſe dicit. Vnum gracile: alterum Rapi foliis ſimile: tertium Erucæ. Sed alia adhuc poteſt ex ſemine deſumi diuiſio, quod colore vel eſt albo, vel atropurpureo, vel rubro.

Cæterùm, tria ſe obſeruare genera ſcribit Ruellius, & ex eo Carolus Stephanus, quem ſequitur Geſner. hort. Silueſtre vbique ſpontè naſcens, exilius, quod vulgus gallicum à minori proceritate *Sanelam* vocet. Alia autem duo numeroſioribus, altioribuſque ramulis brachiari, Rapo ſimilia, ſed folio minori & aſperiore. Verùm ſemen variare, in vno rufeſcere, in altero candicare ex toto. Hanc *Blancham Mouſtardam*, illam *nigram* ruſticos vocare, vtramque verò communiter *Seneue.*

Trag. Tragus capite de Sinapi ſatiuum [ cuius alterum fuſco ſeu pullo, alterum verò albicãte prægnat ſemine] & ſylueſtre recipit, ibidemque plures plantas confusè tradit.

Amatus. Lacuna. Fuchſius quoque & poſt eum Ryffius, genera duo agnouit, non ſemine tantùm, ſed & foliis & floribus diſtantia. Primùm ſiquidem rapitiam frondem exprimere videtur, floremque luteum obtinere, ac ſemen album proferre: Alterum verò in Erucæ folium laciniari, floreque albicante, & ſemine feſco pulloque conſtare, ſcribit.

Trium Plinii Sinapis generum meminit Matthiolus, eaque in Italia obſeruari ſcribit. Horum autem vnum [Sinapi eius tertium] quod tum folio, tum etiam ſemine tenui dicit, erraticum [H. Lugd. quæ Matthioli genera & figuras recepit, Sinapi ſilu.] facit. Videtur hoc nobis Sinapi Eryſimi folio. Alterum verò [ſecundum] quod Rapi fronde conſtat, cæteris maius hortenſe [ſatiuum H. Lugd] vocat. De hoc dicetur ſub Sinapi ſiliquâ

hirſuta

hirſuta albo, non reſpondente deſcriptioni. Tertium [in inſcriptione primum] & ipſum ſatiuum [hortenſe H. Lugd.] ſtatuit, ſemine albo, minuſque acri. Dicimus & hoc Erucam maiorem.

C. Bauhinus vt & Camer. apud Matth. Germ. eaſdem Sinapis exhibuit ſpecies, niſi quòd hic pro ſilueſtri, aliam plantam dederit, quæ nobis videtur Eruca quorundam ſilu. repens.

Lonicerus aliter diſtinguit: in Luteum enim & album à flore ſumpta varietate diuidit: Illud duplex rurſum tradit, hortenſe & ſilueſtre, ambo ſeminibus albis. Exhibet autem pro hortenſi luteo, Sinapi album. Syluestre exiſtimamus eſſe Rapiſtrum flore albo ſtriato. Sinapi album, quod Græcè Euzomon, Latinè Erucā vocari ſcribit, ſimiliter in ſatiuum & agreſte dirimit. Satiuum album ſatiuo luteo: agreſte album, agreſti luteo, inquit præter flores in omnibus reſpondent. Pro Sinapi ſilu. albo ponit iconem Erucæ ſatiuæ.

Brunfel. duo Sinapis genera agnoſcere videtur. Album & nigrum. Ita namque ſcribit. Eruca album Sinapi eſt, nigro virtute calorificâ ſimilis, adeò vt ſine damno in vſum venire vix poſſit, ni lactuca addatur, à cuius frigore ad temperamentum adducatur.

Dodon. Sinapios tria genera eſſe tradit: ſatiua duo, & ſilueſtre tertium. Satiuo priori flores eſſe dicit cum ſemine luteos: alteri flores quidem luteos, ſed ſemen è nigro ſubruffum, interiore medullâ è luteo vireſcens. Sinapi ſatiuum Dodonæi priùs, quoad figuram, Erucam maiorem ſatiuam flore albo demonſtrat: Alterum Sinapi album exprimit. Silueſtre, cum Sinapi Eryſimo Tragi cognatum credimus.

Lobel. & Pena in Adu. præter duplex Sinapi ſatiuum, Erucæ & Rapifolium, duplex quoque Agreſte conſtituunt. Primum Apii, aut potiùs laueris folio, quod quale ſit, fatemur ingenuè, nos adhuc ignorare. Et alterum Sinapi ſilu. minus, Irionis veri folio, aut Burſæ paſtoris. Hoc ſi ex figura Lobelii Obſ. & Icon. Pl. coniectari liceat, Sinapi Eryſimo ſimile fuerit. Lob. Obſ. & Ic. plāt. ſub titulo, Sinapi ſatiuum Erucæ aut Rapi folio Adu. p. 67. iconem falſam exhibet, Erucam enim maiorem potiùs ex Matth. exprimit. Sub Sinapi etiam agreſte Apii aut potiùs Laueris folio Adu. p. 68. malè adaptat figuram Sinapi albi, vt dicetur ſub Sinapi ſiliqua hirſuta, albo.

Cæſalp. Sinapis triplicem differentiam aſſignat. Rapæ folio, floſculis luteis, ſemine fuluo, ſatiuam & ſilueſtrem. Tertiam, folio laciniato, floribus quidem etiam luteis, aſt ſemine ex flauo candicante. Eſt hoc nobis Sinapi album illud vulgare, ſemine ruffo.

Atque has Sinapi differentias, vt & eas, quas C. Bauhinus in Phyt. inter Erucas recenſet, cum noſtris mox ſeorſim diſtinctiùs trademus. Plurimæ ſanè præterea extant plantæ, quæ paſſim apud Autores Sinapis nomen ſibi vendicarunt, vt Sinapi Perſicum, Alliaria, Capparis, Lepidium, Erucæ, & alia plura, de quibus ſingulis ſuo quoque pertractatur loco.

Apud Athenæum dictione Sinapi vſus eſt Nicander Colophonius in theriacis:

*Eſt vel Cucurbitulam æneam, vel Sinapi.*

Idem in Georg.

*Mordaxque ſemen Sinapi.* Et alibi.

*Naſturtium vernum, foliis nigriſque Sinapi.*

Græci plærique σίνηπι & σίνηπι, Attici verò, vt apud Athenæum legitur νάπυ dixerunt, ſic Galenus appellat, Paulus & Aetius. Dioſcorides vtroque modo vocat, Latini *Sinapis* & *Sinapi*. Arabe *Cardel*: Hebr. *Chardal*, quemadmodum in Cant. cap. 7. Rabi Salomon teſtatur. Germ. Senff. Belg. Moſtaert: Gall. *Mouſtarde, Seneue*. Ital. *Senape*, Hiſp. *Moſtaza*: Caſtal. *Moſtalla*: Port. *Moſtarda*. Angl. Muſterd & Seuberye. Boh. Horcice Hung. Muſtar.

Notandum autem his nominibus & condimentum, quod ex huius plantæ ſemine conficitur appellari. Plinius Sinapi etiam à quibuſdam Thapſi: ab aliis Saurion dici refert. Eſt autem tam Sinapi, quàm Napy ſua ratio ac interpretatio. Νάπυ etenim dicitur, autore Athenæo, quaſi νάφυ, quia φύσεως ἐστέρηται, ſine natura ſit: velut Aphia, quia ob paruitatem natura priuatum ſit. Quòd ob puſillam molem non eſſe, aut vix eſſe credatur. Alii Napi per priuationem, videlicet Νήπιον, quaſi immite dici volunt, quoniam acrimoniæ vehementis particeps ſit. Σίνηπι verò, ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀσμῇ, quia olſactu oculos lædat. Et hinc fortè meritò à Poëtis, fletum factura, lachrymoſa & triſtis cognominatur, apud Athenæum Crates Cleonem ira percitum, contracta fronte, & indignabundum, excandeſcentemque innuens dixit:

*Sinapi conſpexit, & frontem contraxit.*

Quod verò Gallis *Mouſtarde* vocatur, ex eo factum videtur, quòd cum muſto Sinapi ad intinctus conteri ſoleat. Camerario tamen apud Matth. germ. Muſtarda dicta placet quaſi Muſtum ardens, quòd ignea vi ſemen nares & cerebrum apprehendat, lachrymas excutiendo, nullo aſperrimi ſaporis præuio odore. Vnde natum apud Francos diuerbium, quo, cùm inſignem veteratoris aſtutiam indicare volunt, inquiunt, Callidiorem eſſe Sinapi.

Terram, vt inquit Palladius, diligit aratam, & ſi fieri poteſt, congeſtitiam, quamuis vbicunque naſcatur: ſarculari debet aſſiduè, vt reſpergatur puluere, quo fouetur: non minùs gaudet humore: de quo ſemen legere diſponis, ſuo loco eſſe patieris: quod ad eſcam parabis, robuſtius facies transferendo. In Sinapi vetus ſemen inutile eſt, ſationi, vel vſui: quod dentibus fractum, ſi intus viride videbitur, nouum eſt, ſi album fuerit, vetuſtatem fatetur.

Sinapis ſementem auſpicantur Autumno, Vere perficiunt, quinto die poſt ſatum comparet. Acerrimum, inquit Plinius, ſapore, ignei effectus ac ſaluberrimum corpori Sinapi, nullâ culturâ prouenit, meliùs tamen planta tralata. Quin è diuerſo vix eſt ſato ſemel eo liberare locum, quoniam ſemen cadens protinus viret. Eligere præcipit Dioſc. quod non obaridum ſit, & fuluum, & adultum: ſed quod fractum intrinſecus viride, & velut ſucculentum ſit ac cæſium colore. Tale enim recens eſſe & in vigore conſtitutum. Porrò Antiphanes excellere putat Sinapi Cyrium: optimum commendat Ægyptium Plinius, probat Alexandrinum Galenus, Pythagoras principatum habere ex his quorum in ſublime vis feratur, iudicauit: quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret.

Sinapi in medicina multæ & magnæ vires: Nam, autore Dioſcoride ad calfaciendum, attenuandum, attrahendúmque efficax eſt. Commanducatum autem valet ad pituitam capitis eliciendam. At ſuccus ex aqua mulſa, contra tonſillarum præduros tumores, veteréſque & calloſas arteriæ ſcabritias gargarizatu prodeſt. Ipſum verò Sinapi tritum & naribus admotum ſternutamenta ciet. Comitialibus quoque auxiliatur, & vuluæ ſtrangulatu oppreſſas excitat. Quin & le-

thargicorum capiti deraſo illinitur. Ficis autem admixtum & impoſitum donec rubeſcat locus, valet ad coxendium cruciatus, lienes, ac in vniuerſum ad quemuis diutinum dolorem, cùm ex alto in ſummam cutem quidpiam extrahere eſt in animo, trāſlato ſcilicet in alteram partem affectu. Alopeciis etiam illitum medetur, faciem purgat, & oculorum ſugillata tollit, cum melle, adipe, aut cerato. Cum aceto verò, lepræ & feræ impetigines eo perunguntur. Sed & contra febriles circuitus aridum bibitur, polentæ modo potui inſperſum. Emplaſtris quoque extrahendi vi præditis, iiſque quæ ad pſoram faciunt, vtiliter ammiſcetur. Succurrit & auditus grauitati incertiſque ſonitibus cum fico tritum, auribuſque inditum. Ipſius verò ſuccus cum melle ad oculorum hebetudines genarúmque ſcabritias conuenienter iungitur. Cæterùm exprimitur recenti adhuc ſemine ſuccus, atque ita in Sole ſiccatur. Vſus eius, vt ſcribit Plinius, etiam pro pulmentario in patillis decocto, vltra intellectum acrimoniæ. Coquuntur & folia ſicut reliquorum olerum. Ad ſerpentium ictus & ſcorpionum tritum cum aceto illinitur. Fungorum venena diſcutit. Contra pituitam tenetur in ore [manſum capitis pituitam elicit, ἀποφλεγματίζει, Dioſc.] donec liqueſcat, aut gargarizatur cum aqua mulſa. Ad dentium dolorem manditur. Ad vuam (ad tonſillas, diuturnaſque & calloſas arteriæ ſcabritias ſuccus mixtus cum mulſa gargarizatur,] gargarizatur cum aceto & melle. Stomacho vtiliſſimum contra omnia vitia, pulmonibúſque. Excreationes facilè facit in cibo ſumptum: datur & ſuſpiriofis. Item comitialibus tepidum cum ſucco cucumerum. Sternutamentis caput purgat, aluum mollit, menſtrua & vrinam ciet. Hydropicis imponitur: Cum fico & Cumino tuſum ternis partibus comitiali morbo. Et vuluarum conuerſione [ſtrangulatu Dioſc.] ſuffocatas excitat odore, aceto miſto: item lethargicos.

Calefacit & ſiccat ordine quarto, Galeno aſſerente.

*Plinius corrigitur.* Vox (inquit Cornar.) lithanicos, falsò pro tetanicos apud Plinium ſuppoſita. Nulli enim ſunt lithanici, ſed tetanicorum affectio media eſt inter Opiſthotonicorum & Emproſthotonicorum affectionem, vtramque complectens: quando diſtentio aut rigor neruorum, antè & retrorſum contingit.

Symeon Sethi ſcribit Sinapi vim habere diſſoluendi, & diſcutiendi humiditates quæ in capite & ſtomacho ſunt. Conſerre etiam lienis affectibus ab humiditate & flatu procreatis. Item quartanis morbis, qui ex adnſta pituita contracti ſunt. Adhæc & podagris à pituita factis. Officere verò viſui, & calido capiti, & iecori. Adiuuare concoctionem & diſtributionem ciborum craſſarum partium. Minuere quæ in ventriculo ſunt humiditates. Illitum lepris eas in meliùs mutare. Linguas etiam humiditate grauatas ſiccare. Si cum melle ſumatur, tuſſes reſoluere. Cum caricis verò iſchiadicis illitum, & lienoſis vtile eſſe: trahere enim quæ intus ſunt ad corporis ſuperficiem. Suffitum verò & incenſum ſerpentes fugare.

Sinapi in ſcorbuto, inquit Marcel. Kitſch. Tranſylu. vtiliſſimum eſt. Hinc nautæ in magnis nauigationibus copiâ Sinapi ſeſe munire ſolent, eo tanquam præſentiſſimo prophylactico Theriacæ vtentes. Habet enim vim calfaciendi, extenuandi, diſſoluendi & diſcutiendi humiditates in ventriculo & lienis affectibus, adiuuat concoctionem & diſtributionem ciborum craſſarum partium.

Qui ex Tridentino agro in Germaniam muſtum comportant, authore Matthiolo, Sinapi albo cadis impoſito, dulcedinem muſti, conſeruant. Folia (de vulgari Lobel. loquitur) tenera Sinapi in acetaria veniunt.

Quomodo porrò Sinapi ad condituras Salgamorum & ad Embammata præparari debeat docet Columella, in hunc modum. Semen Sinapis diligenter purgato, & cribrato, deinde aqua frigida eluito, & cùm fuerit bene lotum, duabus horis in aqua ſinito, poſtea tollito, & manibus expreſſum in mortarium nouum, aut bene emundatum conijcito, & piſtillis conterito, cùm contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, & comprimito manu plena: deinde cùm compreſſeris, ſcariſicato, & compoſitis paucis carbonibus viuis aquam nitratam affundito, vt omnem amaritudinem eius, & pallorem exaniet: deinde ſtatim mortarium erigito, vt omnis humor eliquetur. Poſthoc album acre acetum adiicito, & piſtillo permiſceto, colatóque. Hoc ius ad Rapa condienda optimè facit. Cæterùm ſi velis ad vſum conuiuiorum præparare, cum exanimeris Sinapi, nucleos pineos quàm recentiſſimos, & amylum adiicito, diligentérque conterito infuſo aceto. Cætera, vt ſuprà dixi, facito. Hoc Sinapi ad embammata non ſolùm idoneo, ſed etiam ſpecioſo vteris: nam eſt candoris eximii, ſi ſit curioſè factum. *Hæc ille.*

Noſtri autem muſteum ſemen nocte macerant aqua, deinde manibus expreſſum adiecto aceto pilâ terunt, acerrimo ciborum condimento. Alij per vindemias cùm muſto maduerit ſemen conterunt, ita magnam acrimoniæ vim exuit, totóque anno ſeruatur. Nec hodie quicquam hyeme ad intinctus vbique cibis frequentiùs immiſcetur, gratiſſimo obſoniorum condimento: nihil quoque frigidis diebus magis epulas videtur commendare. Quod ſi vel aſſidua conſuetudine, vel eſu, gratia ciborum exoleſcit, huius acrimoniâ faſtidioſis guſtum reuocant, & hoc velut irritamento elangueſcentem appetentiam inuitant, quo velut igniculo moroſiùs palatum titillante, vorandi moliuntur auiditatem. Sed huius vis confeſtim in ſublime fertur, vt ex Plinio diximus, nec aliud magis in nares ac cerebrum penetrat. Quare ſi modus abſuerit, huius odor naribus raptus, ſtatim ſternutamenta ciet, & vellicans ſenſum lachrymas elicit, quod & teſtatur Columella canens:

*Séque laceſſenti fletum factura Sinapis.*

Ad dolorem capitis ſæpè recurrentem, caput & tempora, cum oleo & Sinapi parato pluries illinit VVirt. Empiricus. Sed aboleuit oleum Sinapinum, etſi vbi ad ſummum excalefacere opus fuerit, maximam opem præſtare valeat. Hoc autem nonniſi collachrymantibus oculis exprimi poteſt: tanta enim eſt vaporis acrimonia, vt concepto vapore illicò prodeant lachrymæ. Miſcetur quandoque cum eo, quod è piſtaceis nucibus elicitur: perunguntúrque eò genitalia in frigidis, vt feliciùs coeant, addito Laſere, & Moſcho. *Aqua* Sinapis ex herba florente Iunii principio deſtillata, pellit vlcera gingiuarum, ore ſæpiùs ex ea colluto. Conducit ad membrorum Phthiſim, ſi ſæpiùs inde fricentur, inde enim vigorem, & carnem recuperant. Medullam oſſium calefacit, ſi ſæpiùs ex ea fricentur, & per ſe iterum ſiccentur. Prodeſt contra frigidum morbum articulorum, ſi inde

ſi inde fricentur & iterum per ſe ſiccescant.

## SINAPI SILIQVA LATIVSCVLA GLABRA ſem.ruffo, ſiue vulgare.

ſcriptio AD cubitos aliquot excreſcit, *caule* imâ parte hirſuto, ſuperiore glabro, frequentibus ramis brachiato, eóque tereti & fungosâ medullâ pleno: *folia*, inferiora quidem lata, diſſecta tamen, Rapitiis ſimilia, hirſuta, ſuperiora verò tenuiora & glabra, odore ſi terantur eodem qui in ſemine percipi ſolet: *flores* Erucæ minores, & Rapiſtri lutei, ex quatuor ſoliolis apicibúſque mediū occupantibus compoſiti, quos quatuor foliola pallido herbaceo colore prædita obuallant, odore ſuaui: hos excipiunt *ſiliquæ* glabræ, ſatis breues, Erucæ maioris ſimiles, ſed minores, ex breui pediculo, quæ commiſſuræ ratione, vt in illa, dehiſcunt, *ſemina* claudentes plùs minùs octo, cùm in Eruca multò ſint plura, colore minùs obſcuro, & paulò maiora, in hoc à Rapiſtri ſeminibus differentia, quòd ruffa ſint nec lucida, cùm illa nigra ſint & nitida, cæterùm Sinapios huius ſemina tenui membrana ſeparantur, cui ordine adhærent, ſapore acri: *radix* candida, lignoſa, fragilis, fibrata. Nullus, quod ſciam, bonam iconem exhibuit Sinapi de quo hic agitur, vixque ab aliquo ritè deſcriptum videtur: propterea placuit id, & de nouo deſcribere, & depingere.



Brunfel. Sinapi. Cord. in Dioſc. Sinapi hortenſe, herba cum ſemine ſuo omnibus nota. Notat ibidem Geſner. ſatiuum à ſilueſtri culturâ ſolùm differre. Fuchſ. Sinapi vulgare omiſit.

Tragus Sinapi ſatiuum, Gemein Senff ſam, vndt garten Senff mit braünen ſamen. Miror Tragum alioqui Botanicum diligentem nec figura nec deſcriptione hoc Sinapi ritè deſcripſiſſe aut diſtinxiſſe à Sinapi albo. Ait quidem Sinapi ſatiui duo genera, quorum vnum ſit ſemine pullo ſeu fuſco, de hoc loquens. g.not:

Lacuna proponit plantam Erucæ facie pro Sinapi primo, & deſcriptionem, quæ mihi non videtur competere Sinapi vulgari, ſed potiùs Erucæ. vna er-

Dod. Sinapi hortenſis ſecunda ſpecies. Neotericis Sinapi commune, Gallicè *Seneue de iardin, ou Mouſtarde*: Germ. Zamer ſenff. Belg. ghemein Moſtaert: Item Sinapi ſilueſtre. Lat. in fol. Sinapi alterum ſatiuum ex quo condimentum conficitur, quo ad ciborum intinctus vtuntur σίναπι κηπαῖον. Item ſilueſtre. Non eſt Dodonæo in hiſt. Gallic. figura pro Sinapi ſecundo ſiue vulgari, in Lat. habet figuram Sinapi albi. Quid per Sinapi ſilueſtr. intelligat neſcimus, niſi tradat ſpontaneum: Is enim ſibi non conſtat: in hiſtor. Gall. proponit figuram Erucæ ſub titulo Sinapi ſilu. in Latina verò appingit Iconem ſilu. Matthioli, figuræ ſanè duæ non parum differentes.



Aduerſ. Lob. & Penæ, Sinapi ſatiuum Erucæ, aut Rapifolium, Gall. *Seneue domeſtique*, Germ. Senff. Angl. Muſtdſter & Senbrye. Magis abeſt Sinapi à Napo virium acrimoniâ, quàm ſpecie, facie, vel nomine. Napi enim immite aut vehemens interpretantur, ſiliqua rapacea, ſemine minore, acerrimo, oleoſo. Item p. 68. Sinapi agreſte Apii, aut potiùs Laueris folio, Gall. *Seneuè ſauuage*, Germ. wilder Senff/ Belg. wilden Moſtart, ruribus ſemen nigrum penuriam ſatiui reſarcit, quod oſtendit flores & ſiliquas, ad ſatorum viarúmque riuulos & depletas foſſas luxuriare ſolitum.

Hiſt. Lugd. Sinapi hortenſe cæteris maius & vulgatius nigrum Galli dicunt, ſiliquæ hirſutæ plenæ ſemine ruffo, nigreſcente, calido & acri. Malè dicit ſiliquas hirſutas, malè etiam Erucam repræſentantem figuram ponit.

C. Bauh. phyt. Eruca 8. Sinapi Apii folio: Sinapi gracile Plinio: Sinapi Brunſelſio: Sinapi luteum ſatiuum alterum pullo ſeu fuſco ſemine Trago. Sinapi agreſte Apii aut potiùs Laueris folio Lobelii. In ſemine differentia apparet, aliud enim ſubruffo aliud albo eſt. *Item apud Matth.* Sinapi 2. Apii folio, gracile Plinio: Sinapi Brunf. Sinapi ſat. luteum Trago: Sinapi alterum Matthioli, Lac. Cæſalp. Sinapi primum Caſt. Sinapi hortenſe Fuchſii: Dodon. Gall. & eidem in folio. Sinapi 2. ſatiuum: Sinapi ſatiuum Lugdun. Sinapi ſilu. luteum Lonic. Si *Frater* non tradit locis citatis, Sinapi vulgare ſemine ruffo, neſcimus vbi eius meminerit aut quale intelligat, Brunſelſius ſanè de vulgari ſcripſit: Tragus meminit eius in deſcriptione, nomine ſeminis pulli ſeu ſatiui, non item cùm in titulo iconis poſuit, Sinapi luteum ſatiuum Gäler ſenff, titulus enim hic & icon ſunt Sinapi albo ſemine. Lobelii Sinapi agreſte Apii folio deſcriptum in Aduerſ. an huic iungendum neſcimus, niſi dicamus eum intelligere vulgare Sinapi non cultum: figura quam Lob. eo titulo poſuit eſt Sinapi ſemine albo. Vulgare autem Sinapi ſemine albo reperiri non exiſtimamus, quod ſemine eſt albo, flauòve diuerſa eſt ſpecies à ruffo, non colore tantùm, verùm etiam figura. Sinapi luteum Tragi cum vulgari non confundendum. Matthioli figura poſita pro Sinapi 2. non conuenit cum vulgari: Cæſalpini primum eſt vulgare: Lacuna per ſuum Sinapi 2. non intelligit vulgare, nec deſcriptione, nec figura. Fuchſius non tradit Sinapi vulgare: Dodonæo in hiſt. Gall. Sinapi hortenſe eſt album, diuerſum à vulgari, in hiſt. Latina Sinapi vulgare dicitur ei ſecundum, ſed figura non conuenit. Lugdun. hiſt. ſatiuum Sinapi eſt album. Loniceri ſylu. luteum non eſt vulgare, nec deſcriptio nec figura conueniunt, Lonicerus ſuo more omnia confundit. Figuram Sinapi vulgari conuenientem apud nullum Matthiolum, nec per C. Bauhinum auctum, nec in cæteris editionibus video. C. Bauhini lapſus Gar.

Conſiderent Lectores an Gerard. lib. 2. c. 9. per Sinapi ſilv. wilde Muſtard intelligat Sinapi vulgare: quamuis icon non reſpondeat, quam Tabern. poſuerat pro Eruca paluſtri minori, quæ alioqui parum conuenit cum Sinapi. Sinapi ſyl. Gerard. nor.

Hoc Sinapi obſeruaui Geneuæ, florens Maio & Iunio, Auguſto, Monſpelii, Lugduni, Baſileæ, & aliis locis. Montbelgardi ſemine maturo Iulio, proueniens etiam in Horto Il. E. C. ac alibi non ſatum: ſed ex ſemine variis locis ex improuiſo delapſo. Tempus & Locus.

## SINAPI ALBVM SILIQVA HIRSVTA ſemine albo & ruffo.

Deſcriptio



RAdix candida digitali eſt craſſitudine, longitudine palmari, & ſeſquipalmari, multas longas à lateribus fibras obliquas emittens: ex qua *caules* ſurgunt aliquot, duos aut tres cubitos alti; craſſitudine pollicari, multis alis concaui, hiſpidi, inanes: *folia* Rapæ profundè ſinuata, pilis ſpinuliſue ſuprà infráque donata: *flores*, ſuaueolentes, Braſſicæ, colore luteo: *ſiliquæ* ex pediculo vncia longiores, aſperæ, hirſutæ, in hoc ab Eruca differentes, cui glabræ, in latam cuſpidem deſinentes, qui excidentibus duabus ſiliquæ partibus remanet appenſus, cum interiecta membrana lucida, quæ ſolet ſeparare *ſemina* pauca, rotunda, alba vel flaueſcentia, maiora quàm Erucæ, & Sinapi vulgaris, nec ita acria vt Sinapi vulgare: Sinapi iam deſcriptum reperitur etiam ſemine ruffo.

Plant. Icon. p. 205. Sinapi agreſte Apii aut potiùs Laueris folio, Lobel. 100. Teut. 241. Figura aliquomodo reſpondet non item titulus.

Brunſ. Eruca, weiſſer ſenff/ malè noſtro iudicio.

Cord. in Dioſc. εὔζωμον, Latini Erucam: Germani weiſſen ſenff vocant, quoniam ſimile per omnia Sinapi ſit præterquam ſemine candido. Geſnerus ibidem ait: Errat Cordus nam quod Sinapi album Germani vocant, omnino Sinapi ſpecies eſt: Huic adſtipulatur Theop. Par. in Anato. viuo. Sinapium pro Eruca hactenus, ſed falsò, accepiſti.

Fuchſ. Hiſt. Sinapi primum genus rapitiam frondem exprimens, flore luteo, ſemine albo, quod Germ. geelen garten ſenff nominant, Ic. Sinapi hortenſe, Zamer ſenff.

Trag. Sinapi luteum ſatiuum, Gäler ſenff, Zam vnd garten ſenff mit weiſſen Samen. Sinapi albicante ſemine. Hoc, inquit, quibuſdam Eruca eſt, Dioſcoridi εὔζωμον. Atqui vt ingennè dicam, inquit is, quod ſentio, ego Erucæ nomen vbicũque offendo, de Rucula, Germ. Raückeh, & non de albo Sinapi intelligo, neque quid hac in re Seplaſiarii & Doctores ipſorum pronuncient, magnoperè ſollicitus ſum.

Lacuna not. Lacun. Sinapi ſecundum, foliis Raphani paulò minoribus, floribus luteis, ſiliquis hirſutis, ſemine albo, pharmacopœi interdum confundunt hoc Sinapi cum Eruca. Quod in Pharmacopœis culpat Lacuna, ei euenit, confundit Sinapi cum Eruca, vt ſuis dicetur locis. Figura quam ponit quadrat deſcriptioni, & in eo meliùs quàm Matthiolus docuit.

Matth. not. Matth. Sinapi tertium & ipſum ſatiuum eſt, ſemine albo, minuſque acri. In poſt. com. Ital. idem tradit, addens hoc ſemen dici *Roccheta*. Figura Sinapi albi eſt apud Matthiolum poſita pro Sinapi 2. is non videtur agnouiſſe diſcrimen inter Sinapi & Erucam. In hiſt. Germ. in deſcriptionibus omnia confundit, in deſcriptione primi Sinapi, meminit ſiliquarum hirſutarum quod noſtro Sinapi albo competit, verùm eiuſmodi ſiliquæ hirſutæ ſunt in figura Sinapi eius ſecundi. Deſcriptio ibi nulla quæ in omnibus conueniat cum Sinapi vulgari ſemine ruffo, nec figura poſita pro Sinapi tertio reſpondet Sinapi ſemine albo.

Idem In Epit. cum addit. Cam. Sinapi alterum Græcis σίνηπι ἕτερον. Italis *Senape*, ſiue *Senauro ſaluatico*: Germ. Gelber Senff. Cornicula ei hirſuta. Item Sinapi tertium. Italis *Sinape bianca* ſiue *Roccheta*: Gallis *Mouſtarde blanche*. Semine eſt albo. Ex epitome Matthioli apparet, eum confundere Sinapi genera & eorum nomina: Camerarius omiſſa figura Matthioli aliam ponit pro tertio Sinapi huc non pertinentem, eſt enim Erucæ ſylu. repentis. Effigies à Camerario ad hiſt. Germ. poſita quæ mutata, pro ſecundo cum ſiliqua hirſuta non diſplicet pro Sinapi albo, ac meliùs placet quàm Patrocinatoris, qui glabram appinxit. Sinapi illud, ait idem Matth. quod tum folio, tum etiam ſemine tenui naſcitur; erraticum eſt. Item in poſt. edit. cum Additamentis C. Bauhini. Erraticum folia habet tenuiora plura ex vno ramuſculo prodeuntia, caulem rectum, firmum, aſperum, hirſutúmque, à medio ramoſum: corniculis numeroſis atque hirſutis. Naſcitur locis incultis, in campeſtribus & inter rudera. Poſſit quis exiſtimare Matthiolum per Erraticum Sinapi intelligere non cultum, ſi non diceret corniculis hirſutis, præterea figura poſita pro Sinapi primo Erucam potiùs denotat, præferenda tamen figuris nouis Gloſſatoris & Patrocinatoris Matthioli, qui ſiliquas hirſutas appinxêre quæ non ſunt hirſutæ, nec in Eruca, nec in Sinapi vulgari ſemine ſubruffo. Icon à Matthiolo poſita pro Sinapi 2. non conuenit cum vulgari, ſed eſt Sinapi ſemine luteo ſiue albo, eadẽ cum Tragi & Fuchſii figura. Matth. in Hiſt. Germ. Sinapi primum, Gartenſenff. Rapis ſimile, flore luteo, ſiliquæ hirſutæ in quo ſemen Schwartz rot; id eſt ſubruffum, Raporum ſemini ſimile. Secundum Sinapi hortenſe, non ita altè creſcit, foliis Sinapi ſimilibus, flores interdum albi interdum lutei; ſemen rörleechter/ id eſt, rubellum. Sinapi ſilu. prouenit in agris flore luteo, ſatiuo ſimile niſi minus ſemen Rotſchwartz ſubruffum. Matthiol. in ſua hiſt. Germ. omnia obſcuriora reddit: mutato ordine in deſcriptione & non in figuris, prima enim eſt quæ Erucæ ſimilis, cui Camerar. in hiſtor. German. & Epit. & C. Bauhinus addiderunt ſiliquas hirſutas: prius Sinapi conuenit cum vulgari ſi non diceret ſiliquis hirſutis: poſſet & ſilueſtre aliquomodo quadrare cum non culto Sinapi. Secundum Sinapi ſatiuum quò referendum non videmus, confuſa deſcriptio videtur: Figura reſpondet Sinapi albo.

Camer. not.

Aduerſ. Lobel. & Penæ Sinapi alterum ſatiuũ Gallis *Seneue* blanc: Belgis Wyt moſtaert: Germ. Weiſſer ſenff. Exiſtimo Lobelio non fuiſſe notas differentias Sinapi, nec ſciuiſſe quid eſſet Sinapi album: figura quam exhibet Obſ. & Ic. pl. pro Sinapi agreſti, Apii aut potiùs Laueris folio Adu. p. 68. aliquatenus conuenit noſtro Sinapi albo, non item titulus. Ceſalp. Sinapi 1. folio Rapæ, floſculis luteis; ſiliqua breui, ſemine fuluo. Sinapi 2.

folio

ſolio Erucæ, floribus luteis, ſiliquis in latera inclinatis, ſeminibus ex flauo candicantibus maiuſculis, vulgò Rucum vocant.

Lonicer. Sinapi. Gelber Garten ſenff. Item Weiß garten ſenff/oder Zame Rancken: Euzomos: Lat. Eruca. Confundit Lonicerus ſuo more Sinapi album cum Eruca: ac Sinapi albi duas proponit figuras ignorans quid ſcribat.

apí hortenſe. Dodon. Gall. Sinapi hortenſe. Sinapi album, σίνηπι κηπαῖον. In Officinis Belgicis Eruca. Gall. *Seneue blanc*, Germ. Weiſſer ſenff/Belg. Wit Moſtaert. Item hiſt. in fol. Sinapi ſatiuum prius in deſcriptione, in figura Sinapi Satiuum alterum, Sinapi ſatiui ſemẽ quod luteum & maius Belgii Officinæ pro Erucæ ſemine exponunt: vulgò tamen Wit moſtårt ſåt nominatur. Meliùs Dod. in hiſt. Gall. lon.not. poſuit iconem, quàm in Latina, vbi pro hoc Sinapi ponit figuram demonſtrantem potiùs Erucam, & ea Icon quæ huic Sinapi conueniebat malè ponitur pro Sinapi ſatiuo altero.

C. Bauh. Phyt. Eruca 7. Sinapi rapi folio, luteo ſemine, fortè Dioſc. & Theophr. alterum Plinii: Sinapi primum Matthioli lib. 2. cap 148. Sinapi ſatiuum Erucæ aut Rapi folio Lobel. Obſ. p. 100. & Icon. p. 202. *Item apud Matth.* Sinapi Rapi folio, luteo ſemine, & Sinapi alterum Plinii. Sinapi. 1. Matth. Lacun. Cæſalp. Sinapi Matth. in Ic. Geſn. hort. Caſt. Sinapi 2. ſpecies Dodon. Gal. Sinapi ſatiuũ. 1. fol. Sinapi hortenſe luteum Lonic. Sinapi hortenſe Cordo in Dioſc. Lugd. Sinapi ſatiuum Erucæ aut Rapi folio Lob. *Dioſcorides dicit* Sinapi ubini. eligendum valdè rufum, is ergo album vel luteum uVa- non intelligit: cur hoc potiùs ſit Theophraſti non videmus: nec etiam cur Plinii alterum Rapirii fronde, id enim magis conuenit vulgari: Cur Matthioli primum dicatur non animaduertimus, quod Matthiolus tradit primo loco non dicitur ſemine luteo vel albo: figura etiam poſita pro Sinapi primo potiùs Erucam demonſtrat. Noſtrum verò album in deſcriptione eſt tertium, & inter figuras Sinapi. 2. Lacunæ quoque non eſt primum: pro eo enim poſuit figuram Erucam referentem, deſcriptione autem quid tradat neſcio, puto eum confundere Sinapi cum Eruca. Sinapi verò ſemine luteo vel albo proponitur à Lacuna pro ſecundo. Cæſalpino non eſt primum ſed tertium ſemine ex flauo candicante, eius enim primum eſt noſtrum vulgare. Apud Geſnerum non primum putat, ſed illud Sinapi quod candicat. Dodonæo in hiſt. Gal. non eſt ſecundum ſed primum. In hiſt. Lat. Quidem eſt primum quoad deſcriptionem: quoad figuram verò alterum. Icon quę poſita pro primo, potiùs Erucam refert, quàm Sinapi noſtrum luteum ſiue album. Loniceri luteum eſſe concedimus. Cordum per Sinapi exiſtimamus intelligere vulgare, non hoc de quo hic agimus. Lugdunenſium Sinapi hortenſe eſt ſemine rufo nigreſcente: ergo non huic conuenit deſcriptio, nec etiam figura quæ Erucam imitatur. Sinapi verò noſtrum album exhibet pro Sinapi ſatiuo ſemine. Quod Lobelius ponit in Obſ. pro Sinapi ſatiuo, non poteſt eſſe hoc, id conſtat ex Adu. p. 67. & 68. vbi deſcribit vulgare: figura etiam à Lobelio poſita non conuenit, quæ priùs Erucæ ſimilis.

Gerard. Sinapi ſatiuum Garden Mouſtard. Malè pro Sinapi albo ponit iconem Barbareæ maris Tabern.

Sinapi album ſiliquâ hirſutâ habebam Genevæ in horto ſemine maturo Iulio, hoc etiam colo Montbelgardi in horto Ill. E. C. VVirt. vbi ex ſemine deciduo iterum viret Auguſto. Semine ruffo ſemel tantùm obſeruaui, nempe Anno 1600. in horto prædicto, vnde nactus fuerim non recordor.

## SINAPI ERYSIMO TRAGI COGNATVM ſiue ſimile.

Deſcriptio. CVbitalis eſt planta, *radice* nixa, craſſiuſculâ candida, paucis fibris donata. *Cauliculos* ſurrigit pedales, cubitales, altiores, teretes, cana & mollicella lanugine pubeſcentes, in ramos longos diuaricatos: *Folia* inferna Eryſimi Tragi, profundis laciniis diuiſa: ſuperna anguſtiora, ſagittæ minoris inſtar alata, paucis aut nullis laciniis diſſecta. Per cauliculorum extrema ex pediculis *flores* prodeunt lutei quadrifolii, Eryſimi prædicti floribus maiores. Quibus *ſiliquæ* etiam longiores ſuccedunt trientales ferè, anguſtæ, teretes, caulibus non appreſſæ: *ſemen* continentes exiguum, fuſcum, acre.



Locus. In Auſtria ſecus viàs obſeruata & lecta à D. Agerio Botanico egregio & medico inſigni Argentinæ.

Matth. Sinapi 3. Idem in com. cum magnis fig. & editione vltima cum addit. C. Bauhini. In hiſt. Germ. wilder ſenff. Sinapi ſilu. *Mihi* non benè conſtat quam plantam exprimat Matth. icone propoſita, pro Sinapi tertio: quia eius tertium in com. quoad deſcriptionem attinet, eſt noſtrum Sinapi ſemine luteo ſiue albo.

An Lobel. & Pena Aduerſ. Sinapi ſilu. minus Irionis veri folio aut Burſæ paſtoris, aridis locis iuxta margines & rudera, prope vrbes naſcitur, foliis laciniosis, admodum Burſæ paſtoriæ ſimilibus, ſed acutioribus, minutioribúſque laciniis: Vmbelloſi flores & ſiliquæ ſecundum ſummitates Irionis Dioſcor. caulis pedalis, ſed tota planta guſtu Sinapi feruidiſſima.

An Lobel. Obſ. & Icon. Pl. Teut. 244. Sinapi ſilueſtre minus Burſæ paſtoris folio, Hiſp. *Moſtaza ſaluage*. Aduerſ. pag. 68. Lobelius aſſumpſit figuram Matthioli.

C. Bauh. phyt. Eruca 9. Sinapi burſæ folio, Eruca ſiue Rucula marina minor, & Sinapi 9. Trago p. 103. lib. 1. cap. 32. Sinapi ſilu. minus, Burſæ paſtoris folio, Lob. Obſ. p. 101. & Icon. p. 203. Luteo & albo flore eſt. Item Eryſimum 2. ſiue ſiliqua Erucæ? *Cur Erucam* Tragi hic ponat neſcio, ea enim eadem eſt cum ſua Eruca 3. ſiue luteo flore, quæ non reſpondet Lobelii Sinapi, vnde colligit luteo & albo flore.

Hiſt. Lugd. Sinapi ſilu. Sinapi tertium Matthioli erraticum quod Lob. & Pena appellant Sinapi ſilueſtre minus Burſæ paſtoris folio.

Dodon. in fol. Sinapi ſilueſtre. Figura eſt Matthioli, an reſpondeat eius deſcriptioni neſcio.

Tabern.hiſt.& Icon.Wegſenff 2. Eryſimon 2.

*Gerard. notatur.* Gerard. Angl. Erucæ ſatiuæ nomine proponit Iconem Tabern.ſed malè.

## SINAPI SYLVESTRE MONSPESSVLANum lato folio, floſculo luteo minimo, ſiliqua longiſſima

Deſcriptio. PEr huius *caules* ſeſquicubitales, nonnihil ſtriatos, teretes ferè, & ſolidos, *folia* conſpiciuntur Dentis Leonis foliis reſpondentia tum magnitudine tum laciniatâ diuiſurâ, glabra aut nullis certè obſeruatu dignis pilis donata, odore & ſapore acri prædita: *flores* lutei, parui: *ſiliquæ* dein oriuntur denſiſſimæ & longiſſimæ, admodum acri ſemine refertæ.



An Cæſalp. Irionis ſpecies altera amplior.

Locus & Tempus. Hanc eandem plantam aut ſaltem valdè ſimilem attulit mihi Frater ex horto Patauino nomine Eryſimi. Floret & ſiliquas fert circa Monſpelium menſe Martio locis ſiccis.

## SINAPI GENEVENSE SYLVESTRE



Deſcriptio. ITa appello ſpontaneum quoddam Sinapi Geneuæ à me obſeruatũ, cui ex *radice* ſimplici alba, ligneſcente, multi ſtatim exoriuntur *caules* propter terram nonnihil hirſuti, ramoſi: per quos *folia* Erucæ ſimilia, diuiſurâ non minùs frequenti diſſecta, verùm latitudine Monſpeſſulano maiori cedentia, diuiſurâ etiam diuerſa: inèt *flores* Monſpeſſulani floribus ſint maiores: ſiliquæ ex pediculo mediocriter longo graciles, tres vncias longæ, *ſemen* bipatentibus valuis claudunt tenuiſſimum ruffum.

Idem fortè eſt quod vidi apud Dominum Iacobum Zvvingerum in horto flore luteo, foliis tamen multò maioribus, culturâ fortè id cauſante.

## SINAPI MONSPESSVLANVM SILIQVA aſperâ hirſutâ.



Deſcriptio. STatim è *radice* lignoſa *folia* exeunt frequentia, ſimilia ferè Erucæ minoris foliis, acria: intérque hæc *caules* aliquot palmares aut etiam cubitales, in ramulos aliquot diuiſi: *floribus* Sinapeos luteis, paruis, decidentibus *ſiliquæ* ſuccedunt, crebræ, vnciam lõgæ, teretes, aſperæ, aliquæ ſecundum caules ramóſve aſcendentes, aliæ longè ab iis abſcedentes & veluti rectâ foras protenſæ, *ſemen* claudentes minutiſſimum, ſaturatè ruffum.

C.Bauh Phyt. Eruca 13. ſiue Sinapi paruum ſiliquâ aſperâ Fratris Io.Bauhini.

Locus & Tempus. Menſe Autumno inueni inter Monſpelium & Montem *Eſperon*: nos paruum obſeruauimus, magnum obſeruauit Gener Cherlerus in vdis foſſulis inter Monſpelium & Thermas Bellelucanas.

## SINAPI ECHINATVM.



Deſcriptio. SEgetibus circa Monſpelium familiare eſt Sinapi Echinatum, cui *caulis* ſeſquicubitalis, teres aſper & pilis rubtis hirſutus, multis alis concauus: *folia* ad Cichoreæ ſylueſtris folia accedunt, ſiue Hedypnoidis, vel Hieracii, interdum eiuſdem magnitudinis, aliàs maiora: *flores* per ramos copioſi, Erucæ floribus ſimiles lutei, è quatuor foliolis compoſiti: quos excipiunt *ſiliquæ* breuiſſimæ, trientem pollicis vix æquantes, ſed craſſæ, & quatuor coſtis criſtatis, in medio lacuna donatis pinnatæ, *ſemen* continentes. Hæc herba acrimoniâ non caret.

C.Bauh.Eruca 15. ſiue echinata ſiliqua.

Hiſt. Lugd. Sinapi echinatum.

An Cæſalp. Sylueſtris Rapa, de qua ſcribit: ſpontè in aruis naſcitur: radice non craſſa, nec

rotunda, ſed tenui, & longa; vt Raphani ſylueſtris: foliis Rapæ minoribus, hirſutioribus, ſimiliter anguloſis: caule breui, ramoſo: floribus aureis, capitulis Fabæ magnitudine, anguloſis: intus oſſeum quid continetur: vnico ſemine ob ſiliquæ breuitatem. Mihi omnia videntur conuenire cum Sinapi Echinato, quamuis Frater ex ſilu. Cæſalp. Rapa faciat Matth. Rapum ſilv. verùm deſcriptio capitulorum ſem. Cæſalp. non conuenit cum ſiliquis egregiè à Matthiolo pictis.

Floret in ſegetibus circa Monſpeſſulum, menſe Martio, Aprili & Septembri.

## ERVCA MAIOR SATIVA ANNVA flore albo ſtriato.

### Cap. X.

Alba, lignoſa, tenui *radice* eſt donata, ſapore acri: *caules* ſubhirſuti cubitales & ſeſquicubitales: *folia* Sinapi albi, minora, tenera, glabra, eiuſdem cum radice ſaporis: *flores* quadrifolii, è cæruleo albidi, ſtriis nigricantibus picti, quales Sinapi albo agreſti Trago, ex calycibus hirſutis, *ſiliquæ* ex breuibus pediculis glabræ, quales in Sinapi ſiliquâ glabrâ, ſed longiores à lateribus ſe aperientes: per membranam diſtinctæ, cui adhærent multa *ſemina* flaua, maiora quàm Sinapi iam dicto, minùs etiam rotunda.



Theophr. Erucæ meminit ſatiuæ inter olera, cui tribuit radicem lignoſam.

Dioſcorides εὔζωμον [ita enim Eruca græcè vocatur] domeſticum non deſcribit.

Plinius de Eruca inquit, tantam ineſſe in condiendis obſoniis ſuauitatem, vt Græci εὔζωμον appellauerint.

Cord. Hiſtor. Erucula maior, cuius commoda deſcriptio. Geſnerus addidit figuram ex Trago. Trag. Eruca ſiue Rucula marina maior, Graßraucken/ Sinapi 8. Fuchſius huius figuram habet pro Sinapi altero genere, cuius etiam deſcriptio non malè quadrat: vocat Germanicè weiſſen garten ſenff, ait etiam eo loco perperam eos agere qui altero genere Sinapi pro Eruca vtuntur. Conſiderent autem Lectores an ritè diſtinguat Erucam à Sinapi. Is enim cap. 100. huius iconem iterum habet nomine Erucæ ſilu. & wilder weiſſer ſenff/ vti etiam in Iconum libro. Eius tamen deſcriptio Erucæ ſilu. nullo modo conuenit.

Apollin. Weiß ſenff. Pro eo pingere videtur Erucam ſatiuam, an eam intelligat neſcio. Anguill. Eruca Dioſcoridi Iberiæ dicta ſylueſtris.

Matthiol. in Dioſcorid. pingit titulo Erucæ ſatiuæ, cuius in com. Ital. poſt. aliam habet figuram, ac eadem tradit. Idem rurſum eandem habet figuram ſub titulo Sinapi primi: quod in textu vocat Sinapi ſatiuum tertium. In poſt. quoque com. Italicis cap. 142. eandem retinet figuram quam olim habebat pro Sinapi primo, ac addit, Sinapi tertium vocant Erucam. Item in hiſt. Germ. Weiſſer garten ſenff/ oder Raucken: Eruca ſatiua. Idem etiam Erucæ figuram habet hoc titulo Gelber aut Roter Senff/ Sinapi. *Matthiolus mirè* confundit hiſtoriam Sinapi albi cum Eruca maiore, vt & aliorum Sinapi generum cum Erucis, vt nullus ſe ex eo extricare poſſit.

Si apud Matth. in Epit. & addit. Camer. ſemen minus pingeretur, & nihil hirſuti in ſiliqua, figura benè placeret: præterea figura poſita pro Sinapi 1. Erucam meliùs refert quàm Sinapi. Gloſſator & Patrocinator Matthioli pro Sinapi primo Matthioli figuram ponunt accedentem ad Erucam, ſed non conuenit ſiliqua hirſuta appoſita, neque Sinapi neque Erucæ. *Camer. not.*

Lonic. Weiß wilder Senff/ oder Wilde Rauckeu. Sinapi ſilu. album, ſiue Eruca ſilueſtris. *Stirpium* imperitus Lonicerus Erucam à Sinapi non nouit diſtinguere. *Lonicer. not.*

Dodon. Gall. Sinapi ſilu. *Seneue ſauuage.* Item alibi Eruca Romana, *Roquette Romaine*, Roomſche Raketten. Lat. in fol. Eruca ſatiua, floſculi ſubluteì. *Non exiſtimo* Dodonæo notam Erucam ſatiuam, quia eius figuram poſuit in hiſt. Gall. pro Sinapi ſilu. licèt non reſpondeat deſcriptioni eius Sinapi ſilu. Erucam Romanam non abſolutè deſcribit, nec figuram apponit. In hiſt. Lat. Laudabilem figuram habet: ſed non benè tribuit flores luteos: Præterea p. 694. pro Sinapi ſatiuo priore figuram habet multùm accedentem ad Erucam ſatiuam flore albo, quę non reſpondet deſcriptioni quam ibi ponit Sinapi ſatiui prioris. *Dodon. lapſus varii.*

Lacun. Eruca ſatiua, flores lutei. *Quamuis* Lacuna ponat figuram Erucæ, exiſtimo nihilominus ei incognitam, quia tribuit flores luteos: prętorea ſimilem ferè figuram ponit pro Sinapi primo: in deſcriptione dicit Sinapi habere flores albicantes cum forma crucis, quæ Erucæ videntur competere: vt verùm fatear, puto illum confundere Erucam cum Sinapi. *Lacunæ not.*

Geſnero paſſim Eruca, Eruca flore albo. Eruca hortenſis.

Dorſth. Eruca ſatiua fermè ſimilis vero Sinapi.

Camer hort. Eruca maior.

Brunfelſ. & Cæſalp. Eruca.

Lobel. & Pena Adu: Erucæ ſatiuæ duplicis meminerunt, quæque illis Eruca noſtras dicitur vulgaris notiſſima, eam cum Hiſpanica compararunt, tanquam ex qua hæc faciliùs percipiatur. Lob. Obſ. Eruca ſatiua, Eryſimum Geſneri. *Miror* ſi nota fuerit vulgaris cur non demonſtrarint diſcrimen in colore floris inſigne: tribuunt enim Hiſpanicę colorem luteum: nec video cur in Obſ. poſita huius Erucæ figura ex Matthiolo deſumpta ſub titulo Sinapi ſatiui Erucæ aut Rapi folio, Adu. pag. 67. Hiſp. Moſtaza. Figura poſita pro Eruca ſatiua demonſtrat noſtram vulgarem: apud Geſnerum per Eryſimum, intelligo Erucam perennem flore luteo cultam. Plant. Icon. ſatiua Lob. 101. Teut. 242. Apud Plantinum p. 202. eſt etiam alia figura ex Matthiolo malè poſita pro Sinapi ſatiuo Erucæ aut Rapi folio Lobel. 100. Teut. 241. *Lobelii lapſus varii.*

Hiſt. Lugd. Eruca ſatiua. Similem figuram Erucæ habet Hiſt. Lugd. ſub titulo Sinapi Hortenſis, quæ non reſpondet deſcriptioni. *H. Lugd. not.*

Nec placet Gerardum iconem alterius plantæ aſſumere ex Tabern. pro Eruca ſatiua. *Gerard. not.*

C. Bauh. phyt. Eruca 1. Eruca latifolia alba ſatiua Dioſc. Idem apud Matth. Eruca Cordo Dioſcor. Cæſalpino Eruca. Cordus olim apud Dioſc. per Erucam intelligere videbatur Sinapi album, quemadmodum etiam vult ibidem Geſnerus.

Nomina linguarum. Εὔζωμον Græcis: Eruca Romanis: Ægyptiis *Ethrecice*: Afris *Aſiris* nominatur: Arab. *Iergir*, *Ergir*, ſeu *giargir*: Germ. Raucken, Belg. Rochet/ Rakette, Gall. *Requette*, Ital. *Ruchetta* & *Rucula*: Hiſp. *Oruga* & *Aruga*. Hæc autem noſtras Germ. Groß Raucken: Trago weiß ſenff, Belg. Roomſche Rakeren/ Angl. Great Rocket. Boh. Zyhr horcice.

Εὔζωμον dictum volunt, quòd iura commendet, habeátque peculiarem in eis gratiam: quod dixit Plinius, in condiendis obſoniis tanta eſt Erucæ ſuauitas, vt Græci εὔζωμον appellauerint: Erucam verò, quòd erodat: nam ſi deguſtaueris, os & linguam ſatis acriter vellicabit: Alii ſic appellatam putant, quòd vrendi licentiam nanciſcatur, quaſi dicas Vrucam, u.in e.versâ litera. Eſt etiam Eruca apud Latinos beſtiola, quæ Græcis Campe dicitur. Weiß ſenff vocant noſtri (ait Cornar.) quaſi dicas Sinapi album, eò quòd ſilu. maximè Erucæ ſemine, Hiſpani pro Sinapi vtantur. Quibus encomiis Poëtæ hanc adornarint, infrà de viribus patebit. Theophr. meminit Erucam ſatiuam celerrimè prouenire, Columella:

*Iténque Eruca ſalax fœcundo prouenit horto.*

Plinius Æſtate & Hyeme facillimè naſci, frigorum præcipuè contemptricem eſſe.

Frigorum contemptrix. Locus & tempus. Erucam maiorem ſatiuam vidi Monſpeſſuli, Lugduni, Baſileæ, & Geneuæ in hortis florentem Nouembri, & tota hyeme virentem. Montbelgardi in horto E.C. vbi à me ſata ex ſemine deciduo ſe renouat. Veronæ, florentem Martio obſeruaui. Nemauſi ſtudioſè coli à quibuſdam obſeruauit Gener I. Henr. Cherlerus, qui memores (vt illi mei referunt) verſus illius:

*Excitat ad Venerem, tardos Eruca maritos.*

Vires. Cruda Eruca, vt ſcribit Dioſc. coitum largiore cibo concitat: ac ipſius quoque ſemen eiuſdem eſt effectus. Vrinas mouet, concoctionem iuuat, aluóque eſt accommodata. Semine in condiendis obſoniis vtuntur: quod vti diutiùs perennet, aceto lactéve ſubactum in paſtillos digerunt, atque ita reponunt. Erucæ facultatem & vſum medicum, Plinius explicat his verbis. Diuerſæ eſt quàm Lactuca naturæ, conciliatrix Veneris: idcircò iungitur illi ferè in cibis, vt nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet. Et alio in loco. Erucæ ſemen Scorpionum venenis & muris aranei medetur. Beſtiolas omnes innaſcentes corpori arcet, Vitia cutis in facie cum melle illitum: lentigines ex aceto. Cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt verbera ſubituris potum in cibo, duritiam quandam contra ſenſum inducere. Putant ſubtrita Erucâ ſi fricentur oculi, claritatem reſtitui. Tuſſim infantium ſedari. Radix eius in aqua decocta fracta oſſa extrahit: Tria folia ſilueſtris Erucæ ſiniſtra manu decerpta, & trita in aqua mulſa ſi bibantur, regio morbo medentur. Galenus quoque ſcribit hoc olus manifeſtiſſimè calefacere: quare ſolum ipſum mandere, niſi Lactucæ foliis miſceatur, non eſſe facilè. Semen autem generare, & coëundi appetentiam excitare. Capiti etiam dolorem inferre, præſertim ſi quis ipſo ſolo veſcatur. Non ſolùm autem ſupradictorum anthorum, ſed Poetarum etiam teſtimonio Eruca ſtimulandæ Veneri nata videtur. Martialis.

Reuocant Venerem *Et Venerem reuocans Eruca morantem.*

Columella:

*Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,*

*Excitet vt Veneri tardos Eruca maritos.*

Salacem Ouidius nominauit:

*Nec minùs Erucas iubeo vitare ſalaces,*

Item Laur. Lyppius 2. Salax

*Deuorat Erucas, qui cupit eſſe ſalax.*

Foliis, vt author eſt Matthiolus, coctis, additóque Saccharo, tuſſientibus pueris propinatur iuſculum, quod tuſſim ſedat, ſemen contuſum ex vino potum, lumbricos interimit, tumentem lienem minuit. Folia contuſi palpebris impoſita, viſum acuunt: ſemen cum melle miſtum, maculas omnes & næuos faciei illitu tollit, efficaciùs verò addito ſelle vaccino aut bouino. Oſſium fragmenta extrahit radix in aqua decocta & impoſita. Ego præfero folia radici quicquid ſcribat Matthiolus. Sunt qui pro certo, inquit Camerarius, aſſerant multos ſeſe annos ab apoplexia & eiuſmodi affectibus immunes præſtitiſſe puluere ex Erucæ & Cymini partibus æqualibus.

## ERVCA ROMANA SEV GENTILIS SILIquà anguſtâ, folio lato.

NOtimberga à Domino Doldio pro Eruca Romana ſeu gentili quondam accepi herbam noſtræ Erucæ, *flore* albo ſimilem, *foliis* latis, *caulibus* hirſutis, *ſiliqua* diuerſæ admodum, ſunt enim tenues valdè & longæ, flores in ſicca albicant. De ea ſcribit Doldius: Eſt & Eruca alia ab Anglicana in horto Camerarii, latiore folio rugoſioréque, Verbenæ ſupinæ quoad inferiora ſimilior, ſed floribus albis, annua, quam Romanam vocant, an ſit dubito: facerem hanc eandem cum Hiſpanica Lobelii ſi ſiliquæ non impedirent.



## ERVCA SATIVA HISPANICA MAIOR flore luteo.

Deſcriptio. SAtiuæ duæ cibis gratiores & nobiliores: Maior Hiſpanica vocata, à noſtrati maioribus foliis Siſymbrii & ſemine nigro, floribus luteis, corniculo Sinapi maiore diſtat: hæc quia in condimentis lautior, vel ad Venerem vegetior erat, Gentilis vulgò vocata fuit: quo vocabulo Hiſpanica & Itala gens deſignat quamlibet rem aptam reddere hominem lætum. Monachi in Magalonæ inſula maris Narbonenſis, huius Gentilis Erucæ ſemine à Fratre quodam Hiſpano donati, quotannis hocce ſerebant & in menſis cuilibet vel maximo gulæ irritamento vel blandimento præfere-

ferebant. Non eget vtrâtis fuſioris deſcriptionis; quum vulgaris ſit notiſſima, & ex illa facillimè percipiatur Hiſpanica, Lobelius.

Lobel. & Pena Adu. Eruca maior ſiue Hiſpanica & Gentilis. Miror non demonſtrari diſcrimen inſigne in floribus: qui vulgati non lutei, ſeminum etiam color diuerſus: eandem hanc facerem Erucam cum Romana deſcripta ſi ſiliquæ non impedirent: Monſpelienſes Monachi hanc non habebant in hortis, quod animaduerterim: ſed vulgarem præcedentem flore albo ſtriato.

Magalonæ in monaſterio noſtro tempore, inquit Lobelius, ſupererat copioſiſſima Eruca.

## ERVCA ANGLICA FOLIIS LATIS, FLOribus minutis luteis ſiliquis ſtrictiſſ.

ERuca Anglica *foliis* latis, ſimilibus Verbenacæ vulgò dictæ, ſed lætiùs virentibus; *floribus* minutis luteis & paruum relinquentibus poſt ſe *ſemen* in ſtrictiſſimis ſiliquis, Camerarius.

Camer. hort. Eruca tertia Anglica.

C. Bauh. phyt. Eruca 2. ſiue latifolia Anglica.

## ERVCA TENVIFOLIA PERENNIS flore luteo.



Deſcriptio. SYlueſtris Eruca *radice* alba, craſſa, ſatis longa, ex qua multi prodeunt *caules*, crebris alis cõcaui, ſtriati, parum hirſuti: *folia* crebris inciſuris Dentis Leonis, aut argutioribus Hieracii minoris diuiſa, aliàs Naſturtii, cuius etiam folia colore atrouirente & glabro imitantur, ſapore feruido Satiuæ: cuius & *flores*, ſed colore præditi luteo, ſerie ſimili diſpoſitos gerit odoratos: *ſiliquis* ſuccedentibus longis, angulofis.

Icon noſtra quæ ex Fuchſio, in quibuſdam non placet: & multò minùs Lobelii & Camerarii Erucæ ſylueſtris quæ videtur potiùs conuenire cum Eruca noſtra inodora.

Dioſc. εὔζωμον ἄγριον [Erucam ſilu.] nominat, dicitque maximè in Iberia, quæ Occidentem ſpectet, naſci. Sed de ſilu. Eruca tam ex Dioſc. quàm ex Plinio vide plura inter vires.

Fuchſ. Hiſt. Eruca hortenſis ſeu ſatiua: In Iconibus vocat etiam Erucam ſatiuam Zamer weiſſer ſenff.

Dodon. Eruca ſatiua & hortenſis, Belgicè Wilde Rakette. Lat. in fol. Eruca ſilu. Eruca ſiue Rucula marina minor, klein rauckẽn. Sinapi nonum.

Matth. (qui figuram ſolam ſine deſcriptione proponit.) Camer. in eiuſdem Epit. Lob. & Penæ Adu. Obſ. Ic. Plant. Teut. p. 144. & Lacunę, Eruca ſilueſtris.

Anguill. Eruca in Italia *Rucola* & *Ruchetta*.

Geſner. hort. Eruca flore luteo, Eryſimon hortenſe puto. Sylueſtris Eruca ab hoc Eryſimo genere differre non videtur, Eruca ſylueſtris Carolo Stephano. Item in cat. plant. Eryſimum, apud Italos Nobilis Eruca: ἐρύσιμον Eruca generatiua.

Hiſt. Lugd. Eruca ſilu. Et alibi Eryſimum verum. Lugd. Hiſt duas figuras vnius herbæ mihi videtur habere, prior eſt ex Matthiolo ſine deſcriptione, altera eſt noua. *H. Lugd. not.*

Cæſalp. Eruca altera fruticoſa.

Lonic. Waſſer ſenff/Sinapi aquaticum. Figura quæ apud Lonicerum eſt, conuenit cum Tragi Eruca, verùm non nouum Lonicero ſine iudicio de plantis ſcribere. *Lonic not.*

Tabern. Icon. & hiſt. Eruca ſilu. Wilde Rauken/ Wilder Weiſſer ſenff. Si Compilator intellexit vulgò dictam Erucam ſylu. vt omnia indicare videntur, indiſtinctè dicit ſuæ priori valdè ſimilem nulla facta coloris mentione, in primo enim dixit coloris eſſe albi, vulgaris autem eſt lutei: figura præterea non placet, quæ potiùs conuenit Erucæ noſtræ inodoræ. *Taber lapſus.*

Gerard. Iconem habet Tabern. dicens, Eruca ſilu. flore luteo.

C. Bauh. Phyt. Eruca 3. ſiue flore luteo maior ſylu. an Dioſcor. ſylueſtris? Item apud Matth. Eruca maior ſylueſtris Matthioli, Eruca ſylu. Cur Erucam Tragi minorem ſiue eius Sinapi nonum ab hac ſeparet & ponat nono loco ſub Sinapi Burſæ folio, neſcio. Non placet cum aſſumpſiſſe figuram Tabernamontani. *C B not.*

Eruca tenuifolia perennis flore luteo, ſiue ſilueſtris Græcè εὔζωμον ἄγριον, Germ. Wild ſenff/wilde raucken/klein Raucken, Wilde Rakete. Gall. *petite Roquette & Roquette ſauuage*. Ital. *Ruchetta gentile & Rucula ſaluatica*. Hiſp. *Oruga ſylv*. Angl. Wilde Rocket. *Nomina linguarum.*

Paſſim prouenit circa muros & in muris ac ruderibus, florens Geneuæ adhuc copiosè menſe Nouembri: Lugduni & Monſpeſſuli Martio & Februario. Baſileæ in hortis Iulio & Auguſto. Montbelgardi à me ſata in hortulo meo, ac etiam in Horto E.C. muros occupauit, in quibus durat, & præterea ſemine deciduo ſe multiplicat, hiememque patitur, floret Iulio & Auguſto. *Locus & tempus.*

Sylueſtris Erucæ ſemine tradit Dioſcór. Iberiæ incolas, maximè qui Occidẽtem ſpectent, pro Sinapi vti, Eſſe porrò, quàm ſatiua, ad mouendam vrinam efficaciórem, & multò acriorem, quod facilè crediderim, ſiquidem feruido magis eſt ſapore. Sed hîc contra mentem Dioſcoridis ſentire videtur Matth. vt qui omnia ea, quæ de ſatiua, ſiue priore Eruca à nobis tradita ſunt, efficaciùs præſtare ſcripſerit. Magis, inquit, excalfacit, ſiccat, attenuat, aperit, incidit, extrahit, extergit, prouocat, quàm ſatiua, valentiùs tamen. Cocta & deuorata infantium tuſſi medetur, addito ſaccharo: Proditum adhæc tria ſilu. Erucæ folia, ſiniſtra manu decerpta, illicoque deuorata, auriginoſos ſanare, quo nolim vti remedio, quia ſuperſtitioſum & vanum exiſtimo. *Vires*

## ERVCA SYLV. ANGVSTIFOLIA flore luteo.

*Deſcriptio.* PRomit inflexis cubitalibus *cauliculis flores* luteos Erucæ ſylueſtris. Cornicula *ſiliquarum* Sinapi ſunt aut Naſturtii ſylueſtris, vbi *ſemen* acre, vti *folia* anguſtiora, Erucæ ſylueſtris conco-



loria, ſed minimè diuiſa, Taraconis ferè paria, quæ Erucam aut Trionem ſapiunt, quibus idcirco affinis naturâ putatur. In horto Coldembergii noſtri (inquit Lobel. Obſ.) non vulgaris peritiæ viri oritur.

Lobel. Obſ. & Icon. Pl. Eruca ſilv. anguſtifolia.

C. Bauhin. Phyt. Eruca 14. ſiue anguſtifolia.

Hiſt. Lugd.

Eruca ſilueſtris anguſtifolia.

## ERVCA MINIMO FLORE Monſpel.



HAnc nos Monſpelii florentem circa Aeſtatem in quibuſdam muris obſeruauimus: *folia* accedit ad Erucam luteam ſilueſtrem, quæ in noſtra icone non benè in acumen deſinunt: *Flores* ſunt minimi lutei: *ſiliquæ* vnciam longæ.

## ERVCA INODORA.



Deſcriptio

ERuca inodora mihi dicta, longâ nititur *radice*, ſimplice, cum paucis fibris lignescente, ſatis gracili: *caulis* cubitum æquat ramoſus: *folia* dodrantalia ferè, Erucæ luteæ ſilv. cultæ, quodammodò diuiſmâ, quamquam inferiora Iacobeæ penè modò laciniant: *flores* ex luteo pallidi, quatuor foliolis conſtant: *ſiliquæ*, vncias duas longæ graciles. Nullum ego in hac planta ſiue odorem ſiue ſaporem inſignem animaduerti.

Tabern. hiſt. & Icon. Eruca ſilv. Wild Rauckẽn/ wilder weiſſer ſenff. Figura Tabern. exprimit noſtram Erucam inodoram, ſed deſcriptio Tabern. & nomina cætera non conueniunt noſtræ Erucæ inodoræ. Sed hoc non nouum Compilatori figuras non ponere ſuis locis, quanquam icon etiam Lobelii & Camerarii pro Eruca ſilueſtri poſita, hanc nobis meliùs exprimere videtur quàm Erucam ſilueſtrem ab iis traditam. Tabern m

Erucam inodoram voco herbam à me repertam florentem Iulio in terra argilloſa vitium quę ſunt vltrà Rhenum ad Burckheim generoſi Baronis à Schvvende, vno milliari ab vrbe Briſaco.

### *Eryſimo ſimilis herba S. Alberti.*

HErba Sancti Alberti (inſit Cæſalp. c. 65. libri 8.) vulgò appellatur quædam Irioni ſimilis: *caule* ſtriato, recto, cubitali, altioríque: *foliis* magis laciniatis, læuibus: *floſculis* luteis, in ſummis ramulis rectis: *ſiliquas* fert grandiores, ac firmas: in quibus *ſemen* ſimile prædictis: eo vtuntur ad fiſtulas:

C. Bauh. Phyt. Eryſimum 4. ſiue Eryſimo ſimilis, læuis, laciniata, floribus luteis, Herba S. Alberti Cæſalp. Cæſalpini deſcriptio videtur conuenire in multis cum noſtra Eruca inodora, eandem tamen aſſerere non auſim.

### *Eruca Vrbeuetana floribus albis, ſiliquis hirſutis.*

FOliis donatur maioris Erucæ, ſed hirſutis: caulibus dodrantalibus: floribus albis: ſiliquis Rapi ſimilibus, hirſutis: tota planta à tertio genere Sinapis (Sinapi albo) diſtat ſolùm paruitate, & florum albedine, Cæſalp.

Genus hoc Erucæ, inquit noſter autor, ſpontè naſcitur in parietibus, & rudetibus, frequens in agro Vrbeuetano.

## IRIO, SIVE ERYSIMVM Veteribus.

### CAP. XI.

DE Eryſimo [quod aliqui Chamæplion, Magi Herculis Alphita, h.e. polentam, Ægyptii Erethmu, Romani Irionem vocant] Dioſc. licèt ſatis clarè ſcribat, dicatque hoc eſſe foliis Erucæ ſylueſtris: cauliculis in lori modum ſequacibus, & flexilibus, floribus luteis, ſiliquis in cacumine corniculorum figura & gracilibus, vti Fœnogræco, quibus exigua concludantur ſemina, Naſturtii ſimilia, feruidoque guſtu. Attamen *Plinius* Eryſimum, herbam iamiam à Dioſcor. deſcriptam, & inter plantas acres ab eodem recenſitam, folio Erucæ ſilueſtris, cum Irione, quam à Græcis Eryſimon vocari dicit, & Theophraſtus inter legumina connumerat, & Seſamo ſimilem facit, Trionémque Gaza vertit, admodum inconſideratè confundit. Irionem, inquit, inter fruges Seſamæ ſimilem eſſe diximus & à Græcis Eryſimon vocari. Galli Velarum [vetus codex Cornarii Velum habet.] appellant. Et addit: Eſt autem fruticoſum, foliis Erucę anguſtioribus paulò, ſemine Naſturtii. Plin. ...

Quia

Quia porrò, Galenus quoque & inter ſimplicia Irionis ſemen facultate feruidâ ac calida Naſturtio acrimoniâ & igneâ facultate prædito comparat: & inter alimenta Irionem corporis eſſentia ferè eiuſdem generis cum Seſamo eſſe dicit, ſed eſu iucundiorem, minùs etiam alimenti corpori præbere, & omninò deteriorem eſſe: Perſpicuum fit, hæc Eryſima inter ſe multùm differre, etſi Plinius ea non diſtinxiſſe, ſed pro eadem planta accepiſſe, videatur, quamuis idem medicamentis annumerandum potiùs, quàm frugibus lib. 22. contendat.

…oca …d. Eruca ſilueſtris anguſtifolia Lobelii, vt apud Hiſt. Lugd. videre eſt, Lugdunenſibus Eryſimum verum videtur, ſed malè. Eſt & ſuum Eryſimon cum aliis Trago, quod Verbenam fœminam vocat. Hermolaus & Ruellius ſilueſtrem illam Erucam, quam Nobilem vocant Itali, Eryſimum eſſe dixere: quorum ſententiam Matthiolus improbat, & duo alia Eryſimi genera, attamen falſa, propoſuit. Priori notas ferè omnes à Dioſcoride traditas competere putat. Alterum, cui folia ſunt minora, cornicula paulò vegetiora, magis genuinum eſſe cenſet. At Matthiolum reprehendunt Pena & Lobelius, quòd Rapiſtrum vulgò à Rapi ſapore & aliqua foliorum ſimilitudine ſic dictum, loco Eryſimi prioris acceperit, quod neque Dioſcoridis Eryſimo reſpondet, neque cum Matthioli Erucæ ſilueſtris foliis ſimilitudinem habet. Tū odor, & ſapor rapi non adeò vt in Eryſimo acris reclamant: præterea Eryſimi vires, de quibus mox dicemus. Eſt & Eryſimum Theophraſti quorundam, quod nos Fagotriti cum lib. 23. inſcribimus.

…ha …rum Ἐρύσιμον Græcis dicitur, quod Lat. Eryſimum & Irio, German. Hederich wilder ſenff, Belg. witte Moſtaert. Gall. *Velar, de la torrelle*, Ital. *Irione*. Hiſp. *Rinchauo*. Hung. Keſerew fiu, hoc eſt, amara herba.

Ἐρύσιμον quidem ἀπὸ τοῦ ἐρείκειν, id eſt à multiplici foliorum ſectione: nam Erucæ modo laciniata conſpiciuntur. Alii ab oleris præſtantia dictum volunt, quaſi ἐρίτιμον, quod eſt pretioſum & notabile. Nonnulli ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quòd ob ſuam caliditatem maxima trahendi facultate præditum ſit. Irionem autem Latini ab irruendo nuncuparunt, quòd igneâ vi & feruido ſapore irruat in guſtum.

Eryſimum circa vrbes, domorum areas, authore Dioſc. hortóſque naſcitur. Eryſimi ſemina ſi cum melle delingantur, tradente eodem, contra thoracis fluxiones, purulentas excreationes ac tuſſes, morbum regium, & iſchiadem, efficacia ſunt. Bibitur & ſemen contra venena. Ex aqua verò aut melle illitum, prodeſt carcinomatis occultis, duritiis, parotidibus, ac teſtium mammarúmque inflammationibus. In ſumma attenuat & calfacit. Cæterùm ad eclegmata redditur mitius & accommodatius, ſi aquâ maceratum torreatur, aut linteo illigatum ſubactáque farina oblitum inaſſetur.

De Eryſimi viribus Galenus ſic ſcribit. Eryſimi ſemen ſicut guſtu Naſturtio appatet ſimile, ita facultate igneum eſt & calfaciens. Porrò vbi in eclegmate vti ex vſu eſt, præſtat aquâ maceratum refrigerare, aut linteolo inuolutum, & cruſta piſtoria circumlitum torrere. Vtile eſt cum eclegmate ad promouendas craſſorum lentorúmque pectoris pulmoniſque humorum expuitiones. Quin & parotidas induratas, & duritias antiquas vberum & teſticulorum iuuat. Refert Dioſcorides quod cum aqua & melle cataplaſmatis modo illitum occultis proſit cancris. Eadem tradidit Plinius, & præter ea quædam alia habet. Eryſimum vtiliſſimum tuſſientibus cum melle, & in thoracis purulentis excreationibus. Datur & regio morbo, & lumborum vitiis, pleuriticis, torminibus, cœliacis. Illinitur verò parotidibus & carcinomatum malis. Teſtium ardoribus ex aqua; aliàs cum melle. Infantibus quoque vtiliſſimum. Item ſedis vitiis & articularis morbis cum melle & fico. Contra venena etiam efficax potum medetur, & ſuſpirioſis: item fiſtulis cum axungia vetere, ita ne intus addatur.

## ERYSIMVM TRAGI, FLOSCVLIS LVteis iuxta muros proueniens.

RAdix minimi digiti eſt craſſitudine, lignoſa, alba, acris, & Rapæ ſapore: *caulis* rubeſcit, hirſutus, ſeſquicubitum altus, *foliorum* ortu alterno ſtipatus, quorum forma ad Erucas aut Burſas accedit: ſunt enim altè ſinuata, hirſuta; & Burſæ foliis non paulò maiora, ſapore oleraceo: *floſculi* puſilli, luteoli; quatuor foliolis conſtant: *ſemen* in ſiliquis longis atque rectis continetur puſillum, feruidum. Deſcriptio



Cordo in Dioſc. ἐρύσιμον & Irio: Germanis ſchnödſenff, alìàs ſchlittſenff/ ſteinſenff, & imperitis, Irio, qui à Dioſcoride hoc loco deſcribitur & fœmina Verbena etiam, verùm, vt ait, magno errore. Nam Irio Sinapi cognata eſt herba. Eryſimum. Irio Verbena fœmina malè

Tragus Germ. Eiſenkraut daß weiblin/ das Sibent ſenffkraut. Ei quidem non placet nomen Eiſenkraut, exiſtimat enim eſſe Dioſcor. & Serapionis Eryſimon aut Irionem. Quare conſiderandum proponit, an non Irioni meliùs conueniat quàm Verbenaca ſupina. Sinapi cognata

Fuchſius præſentem hanc noſtram plantam exhibet titulo Verbenacę rectæ ſiue Maris, quam in contextu alio nomine Criſtam Galli vocari ſcribit. Eyſenkraut das mennle. Item Sinapis alterum genus ſylu. Groſſer wilder ſenff. Verbenaca. Verbenaca recta

Dodon. Gall. Eryſimon Dioſcoridis & non Theophraſti, Latinè Irio, quibuſdam χαμαίπιτυς.

Lonic. Eiſenkraut weiblin/ numeratum inter Sinapi genera: Lat. Verbena fœmina. Item Irio & Eryſimon. Verbena fœmina non rectè.

Geſner. hort. Eryſimum Tragi vel Dodonæi, Verbena fœmina non rectè dicta à quibuſdam cùm Sinapis ſylueſtris potiùs genus ſit.

Brunfelſ. Verbena fœmina. Hierobotane fœmina. Verbena fœmina

Matth. paſſim in com. Eryſimon, Irio. Et hiſt. Germ. Irio, i. Hederich. Fuchſium apertè erraſſe exiſtimat, qui Verbenacæ rutę florem luteum tribuat: Errorem autem Fuchſii Brunfelſium forte Fuchſ. & Brunfel. reprehen.

ſecuti facilè deprehendi poſſe putat, quòd in ſuis com.pl.primò editis pro Verbenaca fœmina eam plantam depinxerit, quæ à Dioſc.cæteriſque an-
*Erygeron. Senecio* tiquis Scriptoribus Erigeron ſiue Senecio nuncupatur, tametſi mutata ſententia lib.1.de comp. med. Verbenacam perperàm Sinapi alteram ſpeciem eſſe contendat. *Matthiolus* ſuo more propo-
*Matth. lapſus varij Icon compoſita ex duabus plantis* nit figuram plantæ ſibi incognitæ, quam puto compoſitam ex duabus plantis: priora ſolia & flores videntur facti ad Rapiſtrum, hinc fit vt Camer. proponat pro eo iconem Fuchſianam, quæ Rapiſtri flore luteo: nomen Germ. Hederich eam etiam plantam notat: verùm ſiliquæ non conueniunt quæ Eryſimi Tragi videntur: interea egregius Commentator eam figuram propoſuit ſine deſcriptione, in com. anni 1559. & anni 1583. quæ verò dixit in comm. Ital. cum mag. fig. & in hiſtor. Germ. quadrant Eryſimo Tragi, cuius figuram C. Bauhinus appoſuit Matthioli, [ea in parte multùm diſſidens à Camerarii ſententia.] Non vi-
*Senecio* deo quomodo Verbena flore luteo Brunfelſii & Fuchſii poſſit eſſe Senecio ſiue Erigeron, vt vult Matthiolus, ego mihi perſuadeo [quod ei conſuetum] non intellexiſſe quid ſcriberet.

Lob.& Pena Aduerſ. Irio, ſiue Eryſimum Dioſcor. Angl. Cadlocke/ Kedlocke Hi dicunt eſſe Irionem quem Medici docti notis & experimentis commendent his verbis: Dum poſtremò in Iriones commentabatur Senenſis Dictator, augurabatur non defuturos canes [ſic ſe doctiores ſoli-
*Matth. not.* tus nuncupat] qui ſe ſuæ imperitiæ allatrarent; Vtinam habuiſſet ille canes ſimiles non ad latrandum, ſed veſtigandum Eryſimum, quod vel Pharmacopœorum Monſpelienſium lixæ poſſint illi hodie in triuiis & ruderibus paſſim indicare: eſt enim ibi doctis & indoctis vt vſu frequentiſſ. ita multiplici & felici ſucceſſu notiſſimum, ſed in Anglia non item, quamuis non minùs obuia. Nam ne Medicis quidem aut Pharmacopœis peritioribus certum ſtat, quęnam ſit Irio: hoc factum, aut quia in vſum Medicum nondum fuit hic deductus, aut quia à Matthiolo, cuius commentaria pleriſque ſunt veluti Sybillæ folia, Rapiſtrum vulg. à ſapore Rapæ, & nonnulla foliorum ſimilitudine loco Irionis acceperunt.

Tabern.icon.& hiſtor. Eryſimum, Irio 1. Wegſenff/ hederich.

Gerard. Eryſimum Dioſcor. Lobelii, Bauken Kreſſe.

*Matth Irio* C.Bauh.phyt. Eryſimum 1. ſiue Irio vulgatum. *Item apud Matthiol.* Irionis nomine Matthiolum Rapiſtrum proponere, ſunt qui ſtatuant, verùm ex verbis, quæ ex ſecunda editione adiecimus, colligere eſt eum intellexiſſe id quod vocamus 1. Eryſimum, ſiue Irio, vulgatum: Irio Lacunæ, Caſtori, Cæſalp. [Lacunæ etiam Eruca ſa-
Locus & tempus. lax.]

Eryſimum Tragi obſeruaui Geneuæ cum flore menſe Maio: Monſpelii, Lugduni, Baſileæ, Montbelgardi paſſim & circa cancellariam in caſtello. in compitis, ſepulchretis, & ruinoſis, vt Aduerſ. perhibent, locis frequens, multis Galliæ regionibus notiſſimum, ſed in Anglia non item quamuis
Vires. non minùs obuium.

Lobel.& Pena, tantas attribuunt ei dotes, quę aſthmaticis & farctui pulmonum, vocique raucæ etiam diuturnæ & propè inuictæ, ſunt adeò præſenti præſidio, vt fidem fermè ſuperent. Eſt enim inquiunt, moderata quædam tenuis ſubſtantiæ & incidentis, cum humidis abſtergentibus partibus, permixtio, cuius beneficio craſſæ pituitæ citrà exſiccationem nimiam inciduntur, & inciſæ propter flatum nonnihil commixtum non magno conatu expectorantur & abſterguntur: arteriacum igitur eſt laudatiſſimum, nempe vnum & idem præparans & educens: exempla ſuccurrunt quamplurima, quæ ſecundiſſimè tum præceptoribus, tum nobis poſtea ſucceſſerunt. Phonaſcos memini tum iuuenes, tum ætatis prouectæ, quibus fermè iam amiſſa voce & ſpiritu, limpida ſonoraque vox pauculis diebus reſtituta fuit. Vno Eryſimo & opera eximii præceptoris Rondeletii, qui primus vſum monuit. *Syr. de Eryſimo efficaciſsimus*: cuius beneficio iuuenculæ decennio raucedine laborantes, percuratæ. ℞. Eryſimi totius recentis M.6. Radicum Helenii, Tuſſilaginis ſucco adhuc prægnantium, glycyrrhizæ an. vnc. ii. Borraginis, Cichorii Capillorum Veneris an. M.i.ſ. florum cordialium, Anthos, Stoechadis vel Betonicæ an. M.ſ. aniſi ʒvj. paſſularum mundatarum ℥ij. inciſis & contuſis fiat omnium decoctio ex arte in ſufficienti q. aquæ hordei, hydromelitis, & ℥vj. ſucci Irionis, ad lib. duas vel tres: expreſſioni diſſolue Sacchari q.ſ. fiat Syrupus: quo diu & continuò vtendum purgato corpore.

## ERYSIMON ALTERVM MATTHIOLI ſiliquis paruis quibuſdam Dentaria.



Lentas cubitóque lõgiores tortuoſas *virgas* proiicit: *folia* inferiora quidem Irionis Tragi foliis aliquomodò ſimilia, profundè ad neruum vſque propemodum diſſecta: reli- *Deſcrip.* qua verò, quæ per ramos crebra, leuiter laciniata, vnciam plùs minùs lõga: ex quorum alis *floſculi* lutei emicant quibus delapſis ſuccreſcunt *ſiliquæ* crebræ, modicè in arcum curuatæ, ſemunciâ longiores, plures ex eodem puncto oriundæ, biſores: *ſemen* continentes copioſum, perparuum, ruffum: *radix* alba ligneſcit, paucis fibris donata.

Pictor & Sculptor non bene imitati ſunt Iconem quam imitandam propoſueramus. *Icon.*

Matth.in Dioſc. Irio alter, ſiue Eryſimum aliud omnibus Irionis notis præditum. In Hiſt. Germ. *Matth.* Irio 2. Hederich/ qui ipſi videtur meliùs conuenire cum deſcriptione Irionis. Sed Irionem hunc, ſi benè notus fuiſſet Matthiolo, meo iudicio deſcripſiſſet.

Camer. ad Matth. Germ. ſcribit abundare propè mare Venetorum: exiſtimaſſéque primò Anguillaram Irionem eſſe Veterum. Geſner. hort. Dentelaria alia (Irio quibuſdam ſeu Eryſimum putata) in Italia ſic dicta, quòd ſiliquulas ferè dentibus ſimiles toto caule emittat. An. Anguill. Eryſimum ſiue Irio.

Matthioli

Matthioli æquanimitas, aiunt Aduerſaria quaſi ſuæ imbecillitatis conſcia, primo ſuo Irioni ſubdidit alium in poſtremo auctario, quem potiorem primo putat, quia folia minora, & cornicula paulò vegetiora ſint, ut ex iconibus, inquit Commẽtator, patet. Sic nos auidos diſcendi huius mutatę ſententię cauſam aliquã, vt ſolitus eſt, in ſicco deſerit. Quid hîc folia minora, & cornicula vegetiora agant neſcimus: vt vt ſit nos benignè omnia interpretamur, nempe tantum Virum [ vt conſtantis animi opinionem, quam de ſe doctis viris ſuis Commentariis excitauit, retineret & foueret] noluiſſe quicquam demere, aut demendum eſſe ſuſpicionem dare, ſed humano more & prudentiâ tacitè meliora, quæ à meliore tum ſuo, tum aliorum iudicio profecta eſſent, deterioribus ſubdere, quaſique vniuerſum opus de integro recoquere: Magni Ciceronis exemplo, qui ſe dedit recoquendum Moloni Rhodio oratori. *Hæc Aduerſ.* ex
not. quibus apparet nondum fuiſſe illis notum illud Eryſimum.

Hiſt. Lugd. Irio altera Matthioli. An eidem præterea Saxiſraga aurea Lobelii. Cæſalp. Irionis ſpecies tertia parua.

C. Bauh. Eryſimum 3. ſiue plurima cornicula iuncta habens. Apud Matth. Eryſimum 2. ſiue plurimis corniculis iunctis. Videtur H. Lugd. Saxifragiæ Romanæ nomine proponere.

Irionem D°. Cortuſio dictum vidi in horto Di. Geſneri, qui dicebat ab Italis vocari Dentelariam. Geneuæ & Montbelgardi habui in horto: fortè Dentelaria dicta eo modo quo Dens Leonis, à foliis, cui ſimilia vel Burſæ paſtoriæ, aut Cichorio ſiluestri, ita enim ſunt dẽticulata, maximè prima, ſed multò minora, Floret & ſemen profert Iunio & Iulio. Frater C. Bauhinus habuit Baſileæ in horto patris. D. Cortuſus miſit mihi ſemen quod in Horto E.C. ſatum hanc habebat inſcriptionem: Irion ſeu Eryſimum. Gener Io. Henr. Cherlerus aſſerit creſcere circa Monſpelium copioſè.

## DELPHINIVM MINVS CÆSALP. FLORE albo, ſiliquis longiſſimis.

CAuliculo ſimplici conſtat [inquit Cæſalp. libr. 8. cap. 67.] vltra dodrantem; in quo ſolia vſque ad medium ſine pediculo hærentia, non laciniata, vt reliquis, ſed tantùm in ambitu ſerrata, dorſo incuruo, vt Delphinium ob id dici poſſit, ſubhirſuta: in cacumine floſculi inſunt candidi, & ſiliquæ longiſſimæ, numeroſæ, rectæ, tenues: in quibus minuta ſemina: oritur in aſperis, ſed tamen riguis. Idem lib. 6. in fine c. 69. Parua planta, ſoliis Delphini effigie, curuo dorſo. Fortè minus Delphinium inter affines Irioni deſcriptum.

## ERVCA PVRPVREA, ALIIS CÆRVLEA, ſiue viola Petræa.

RAdice nititur Eruca cœrulea mihi dicta rectâ, palmari, alba vel ſubrubra, tenui, ſubacri, fibris aliquot capillata, matrice lignoſa: *folia* per terram ſpargit plurima oblonga, hirſuta, Burſæ paſtorię diuiſurâ profundâ, crebrâ, ſapore oleraceo quodammodò, colore viridi, aliquando inferna parte rubente: *caules* modò ſingularis, modo terni, quaterni, ſeni & plures, palmum nonnunquam ſuperantes, interdum cubitales, hirſuti, ſtriati, propter humum purpurantes; supernè virentes; concaui, brachiati: in quibus ex interuallis ſolia, infimis aliis breuiora, latitudine iis parum cedentia nec tam altè vt plurimùm laciniata; *flores* ex ramorum lateribus & ſummo faſtigio alterno ſitu multi inſident pediculis ſemuncialibus tenuibus, tantillâ lanugine obſitis, odorati ſuauiter, cærulei aut purpurei, vel purpuroviolacei, albíve, ſuaueolẽtes, quaternis ſoliolis latiuſculis conſtãtes, ſtaminula lutea cũ ſtilo cõtinentes: quib: decidentib. ſuboriuntur *ſiliquæ* oblongæ, glabræ, in quibus *ſemen* minutum, acre. Variat hæc ætatis ratione, nec non loci, prout læto ſolo ſurgit, vel ſquallido & ſabuloſo naſcitur, ac ſæpè iiſdem in muris modò maior modò minor, foliis valdè varians. A plurimis annis hanc plantam Erucam denominauimus purpuream propter aliquam ſimilitudinem ſoliorum cum Eruca, & quia in muris primò inueneramus. Inter plantas ſiccas Domini Agerii comperi dici Violam Petræam Domini Hardero. *Viola petræa*



C. Bauh. Phyt. Eruca 6. ſiue paluſtris cærulea maior & minor. Apud Matth. Eruca tertia ſiue cœrulea. *Locus & tempus*

Obſeruaui hanc Erucam verno tempore, vt Martio, florentem in muris circa templum & Caſtellum Beffordienſe, item Biſantii in muris. Item circa S. Suſannam pagum Ill. mei Principis circa rupes. Septembri florentem vidi Beffordiæ, & Claræuallis muris: In *l'Iſle* abundat in Vineis, in Sancti Hippoliti oppidi muris. Frater C. Bauhinus miſit repertam Baſileæ propè S. Iacobum atque Münchſtein. Vidi etiam flore rubeſcente & albo.

## VELLA ERVCÆ FOLIIS FLORE violaceo.

IGnota hodie Vella, quæ in lib. ſimpl. med. ad Paterniacum Galeno attributo ſequentibus deſcribitur: Vella herba eſt *foliis* quidem minor; quàm Eruca, ſed non diſſimilis, *flore* violaceo: *ſemen* habet velut in folliculis oblongis, ordinis ſtipati, prout Naſturtii: & guſtu calefactoria eſt; ſubmordens, & viribus relaxans, vnde ad tuſſem veterem, & ad regium morbum cum melle optimè facit. Ex his autem manifeſtum fit hanc nec Plinii Gallorum Velarum (aut Velam, vt vetus Cornarii codex habet) quod Irionem inter fruges & quidem Seſamæ, ſimilem eſſe, ac à Græcis Eryſimon vocari dixit, eſſe poſſe. Nec (quod Naſturtium aquaticum Anguil. vult,) Siſymbrium ſecundum à Fuchſio pictum. Vella ſiquidem ſe- *Vires*

re violaceo eſſe dicitur. Irio autem flore luteo, vt & Naſturtium aquaticum albo. Nec, quam Vellæ Galeni Guilandino aliquando nomine exhibuit nobis Frater C. Bauhinus. Hæc enim nobis videtur Siſymbrium Cardamines ſpecies quædam inſipida.

*Siſymbrij cardamines ſpecies quædam inſipida.*

SIMAPI AGRESTE FLORE PVRPVREO,

Deſcriptio

RAdice firmatur paruâ, tenui, fibroſâ, parum ſub terram deſcendente, albidâ, ex qua *folia* exeunt Chelidonii maioris inciſurâ, diſtant quòd nec ſuccum luteum edunt, nec cæſia, ſed viridia, ſunt, aſpera hirſuteque obſita, atque extremum folium non retuſum, vt Chelidonium; ſed acutum habent, atque mi[illegible]ora ſunt: *caulis* anguloſus eſt atque alis multis diuiditur: *flores* edit purpureos, vmbellatos, ferè quatuor foliolis conſtructos, Chelidonio pares: *ſiliquas* poſtea alternatim, frequentéque hærentes, rectas, quarum extremæ partes cœlum verſus tendunt, quibus ſpica confici videtur ſiliquarum duorum digitorum, quæ cum exiccari incipiunt, flaueſcunt, atque vento flante, vel aliquo illas tangente, diſrumpuntur ab imo, atque ſemina iaculantur flaua Cardaminæ modo, parua, guſtu acri: ſicuti etiam folia.



Fab. Col. Sinapi agreſte, Sinapi alterum agreſte noſtras.

Caſp. Bauh. phyt. Eruca 10. ſiue Sinapi flore purpureo vmbellato.

Locus

In valle ſupra ædem Diuæ Mariæ vitæ, inter Rubos, Cynocramben, Leonis dentes, & Ranunculos, oritur noua hæc, & elegans planta, nec alibi oriri ſcit, nec ſe in Herbariis hanc vidiſſe ait Fab. Columna.

Tempus.

Floret Martio, & Aprili menſe perficitur: niſi diligens ſit cultor, huius ſemina non colliget.

ERVCA QVIBVSDAM SILVESTRIS REpens floſculo purpureo luteo.

Deſcriptio

SPithamam vnam aut duas altos habet *caules*, ſtriatos; modicè pertuſos interdum rubentes: quibus *folia* adnaſcuntur Naſturtio vel Erucæ paria, conſimiliterque crebris diuiſuris inciſa, latiora in inferioribus partibus, guſtu oleraceo, colore atrouirente: *flores* parui lutei, quadrifolii, acri ſapore: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* cylindraceæ, breuiores quàm in Eruca, longiores quàm in Radicula ſylu. Dodon. cum qua magnam habet affinitatem: *ſemen* continentes minutum. Radix inſigniter repens, albet, ſapore magis ignauo quàm Raphanus.

Fuchſ. Icon. Sinapi primum genus ſylu. Kleiner wilder ſenff. In hiſt. Eruca ſylu. In hiſtor. Fuchſii deſcriptio conuenire videtur, ſed figura eo loco poſita longè diuerſa à deſcriptione. Thal. Harc. Iberis Naſturtii folio altera floribus luteis. An Geſn. de hortis, Naſturtium aliud paluſtre floribus luteis Sinapi fortè adnumerandum?



Dodon. qui Erucam ſilueſt. vocat, eandem cum Fuchſio figuram habet.

Camer. in epit. Matth. Sinapi tertium. Ad Hiſt. Germ. wilder ſchiff, Sinapi ſylueſtre. *Cur* Gloſſator relictâ figurâ Matthioli aliam proponat valdè differentem neſcio.

Tabern. Hiſt. klein waſſer Rauckẽ. Eruca paluſtris minor. An Taberna intelligat Erucam noſtram repentem aſſerere non auſim, quia Compilator non indicat cuius coloris ſit flos: me etiam latet quæ ſit eius maior cui tribuit flores albos.

Gerard. Iconem Tabern. ponit pro ſilueſtri Sinapi, wilde Muſtard, an bene inquirant alij.

C. Bauh. phyt. Eruca 4. ſiue flore luteo minor ſylu. Eruca 5. ſiue paluſtris luteo flore; Eruca paluſtris minor Tabern.

Locus tempus

Hæc copioſè prouenit Geneuæ *en plain palais*: Montbelgardi ad ripam fluminis quà itur *Courcelle*, & ad pontem, etiam in horto Ill. E. C. ſponte, odioſa ſuo reptatu hortulano. Inueni etiam prope Porentruum loco arenoſo ad fontem mirabilem dictum *Cruſenis*, qui veluti è puteo proueniens profundo, vbi interdum parum aquæ, ita interdum fons efferueſcit, vt torrentem magnum conſtituat, qui Porentruum fertur, fons viſu dignus. Obſeruaui Erucam hanc Baſileæ, quà itur Nevvhaus, Lugduni in prato *Bellecourt*. Circa Beffordiam copioſè florens Iulio: Eruca ſylueſt. Fuchſii copioſè prouenien[s] & florens in horto Ill. E. C. Iunio 160[illegible]. propè hortum arborum peregrinarum ſponte Stutgardiæ.

*Fons [illegible] dignus*

RADICVLA SYLV. SIVE paluſtris.

Deſcr.

ERucæ ſylueſtri aliquatenus ſimilis locis non aquoſis prouenienti: pro diuerſitate loci multum *foliis* ludit, quædam enim lata & ſerrata tantùm, caule vnico, ſubinde rubente, modò cubitali, modò tricubitali craſſiore, in ramos diuiſo, maiore quàm Erucæ ſylueſtris: foliis etiam latioribus, longioribus, quanquam nonnunquam ſatis tenuiter diſſectis, ſapore Raphani, ſed leuiori: *flores* lutei, minimi, multis numeris minores quàm Erucæ ſylueſtris, *ſiliquæ* itidem breuiores & craſſiores, teretes: *radix* interdum vnica cum ſuis fibris. Hæc planta affinis eſt Sinapi meo aquatico Patauino.

Tabern.



Tabern. Icon. & Hiſt. Rapiſtrum aquaticum.

C. Bauh. in Phyt. Rapiſtrum 3. Gerard. Rapiſtrũ aquaticum.

Dodon. hanc depingit & deſcribit: ei dicitur Raphani ſecunda ſpecies. ῥαφανὶς ἀγρία. Radicula ſylueſtris, quibuſdam Radicula paluſtris. Gall. *Raifort ſauuage, ou Raifort d'eau*, Germ. Wilder Rättig. Belg. wilder Radics/ & watter radics.

...us. & ...mpus Hanc obſeruaui florentem Maio Geneuæ: Mõtbelgardi in pago *Courcelle* cum flore Iulio & Auguſto: circa pontem Vauiaucourt, nec non in Horto E.C. Aquatica eſt planta. Frater C. Bauhinus vidit Baſileæ in ſiluis. Ex ſemine deciduo multùm ſe propagat.

## RAPHANVS AQVATICVS Tabern.



RAphanus aquaticus, waſſer rättig/ Tabern. icon. & Hiſt. multùm differt à Raphano vulgari ſuâ radice rotunda, longâ, incuruâ, & foliis acutis profundè inciſis, Raphani tamen generi aſſignatur propter acrem ſaporem.

Gerard. Raphanus aquaticus, watter Radiſch / flore luteo.

Conſiderandum quæ planta hæc, & an ab alio aliquo autore tradita ſub alio nomine.

## ERVCA PALVSTRIS MAIOR flore albo.

...ſcriptio *R*Adice nititur craſsâ, lignoſâ, aſperâ: *cauliculis* donatâ pluribus, magnis, rotundis, mediocriter altis: quibus inſident *flores* multi, exigui, candidi, quatuor ſoliolis conſtantes: his decidentibus ſuccedunt *ſiliquulæ* oblongæ, tenues: *ſemen* acris ſaporis includentes: *folia* eius magna, profundè ſerrata, acuminata.





Taber. Icon. & Hiſt. Eruca paluſtris maior, Groß waſſer raücken.

Gerardus perperàm iconem Tabern. ponit pro Sinapi ſatiuo altero. *Gerardi error.*

## SINAPI AQVATICVM Patauinum.



QVòd in aquis & propter aquas inuentum Sinapi referat, ita indigitauimus; *folia* quidem minutim diſſecta, diuiſurâ Chondryllæ à Matthiolo exhibitæ: quæ autem iuxta radicem ſunt, latiora minúſque diſſecta exiſtunt, per ſegmentorum oras ſerrata: *radices* parui ferè digiti craſſitudine, ſeſquipalmũ longæ, teneræ, albæ, paucis fibris donatæ, ſapore acri & amaro, quo & folia ſunt prædita. Deſcriptiõ

Talem obſeruaui Patauii repertam ad Portàm Liuianam in aqua & iuxta aquam, menſe Februario: eius caules, ni multùm fallor, attulit poſtea Fr. C. Bauh. nomine Siſymbrii aquatici D. Cortuſo cauos, in varios ramos diuiſos, cubitales, craſſos, in quibus ſecundum diuaricationes folia ſimplicia, longa, anguſta: in extremitatibus flores multi lutei non magni, quibus videntur ſuccedere ſiliquæ. Cum Radicula ſylueſtri Dodonæi aliquid ſimilitudinis habere videtur, potiſſimùm quod folia inferiora attinet, non tamen eadem eſt. Locus & Tempus.

## CAKILE QVIBVSDAM, ALIIS eruca marina, & Raphanus marinus.

QVamuis tenuis, longa tamen ſatis eſt huius *radix*: numeroſos *caules* proferens dodrante Deſcriptiõ



altiores; *folia* Reſedę, minora, pinguiora, guſtu acri, ſubſalſo: *flores* peculiaribus ſurculis lateralibus inſident, Erucæ aut Braſſicę poſitu & forma, colore purpureo: *ſiliquæ* craſſiuſculæ, breues, bina *ſemina* ſingulæ concludunt.

*Cakile Serapionis. Eruca folio. Napi flore. Eruca marina. H Lugd. not.*

Anguill. & Lobel. Obſ. Cakile Serapionis. Adu. & Icon. Plant. Cakile Serapionis, Erucæ folio, Napi flore, vulgò Eruca marina.

Hiſt. Lugd. tres figuras vnius plantæ habet: Primæ quidem titulum fecit, Naſturtium marinum. Alteram inſcripſit Erucam marinam. Hanc autem Myconum ita vocaſſe dicit quòd ſapore Erucam æmuletur, & non niſi in maritimis naſcatur: Catalanos *Rucas de Mar* appellare. Tertiam, Cakile Serapionis Synonymon fecit. Et quia hanc eandem planè, vel certè ſimilem dixit cum Eruca marina Myconi, magis mirari ſubit, cur fruſtra tam ſuo, quàm emptoris impenſu tot icones propoſuerit.

C. Bauh. Phyt. Eruca 16. ſiue marina, ſiliquâ haſtæ cuſpidi ſimili. Cakile herba, quam olim nominaui Raphanum marinum, propter odorem, ſaporem, & acrimoniam, quam cum hoc omnes ferè partes communem habent.

*Locus & Tempus.*

Apud mare cùm eſſem Monſpelii florentem vidi, & ſiliquas ferentem menſe Auguſto. Geneuæ in horto meo floruit Maio. Montbelgardi prouenit mihi in Horto E.C. Vidi Heidelbergæ in horto D. Sprengeri florentem Iunio.

*Vires*

Myconius frequenti ſe experimento obſeruaſſe & compertum habere ſcribit, aquam huius [Cakiles] ſtillatitiam tepidam, quatuor vnciarum pondere mane potam, colicis doloribus, nephriticis, & calculoſis, mirè conferre.

CAKILE SIVE ERVCA MARINA Latifolia.



NObis dedit D. Agerius nomine Erucæ marinæ foliis non inciſis collectę iuxta alteram apud mare Adriaticum, folia huic laciniata quædam, ſed non in partes paruas diuiſa, vt in vulgari: ſunt enim lata, & pleraque tantùm ſinuata.

## SCOPA REGIA VETERVM.

### Cap. XI.

SCopæ regiæ, Plinius de Violis verba faciens, grauem odorem aſſignat, non leuiorem ei, quam Calatham appellat, quanquam folia eius oleant, non flores. Idem vbi de Siderite ſermonem habet, ait: Noſtri eam, quæ latiſſimo (lætiſſimo vet.) eſt folio, *Scopas regias* vocant. Medetur anginis ſuum. Hæc Plinius de Scopis regiis, quem non regias, ſed potiùs *diſſolutas ſcopas* tradidiſſe dixerim. Quod enim genus ei ſit inter Violas Scopa regia, parum liquet. Eſt quidem Scopa regia, ſecundum Hermol. in Coroll. Sideritis prima Dioſc. de qua H.n. lib. 28.

*Scopa regia. Odor Calatha. Folia olent. Sideritis. Vſus Angina ſuum. Plin. obſcurus. Viola. Sideritis. 1. Dioſc.*

Scopam regiam, faciunt Dioſcoridis Bunium, Ruellius, Geſnerus ex aſcript. Dioſc. & Brunfelſ. in Onomaſtico. De Bunio agetur lib. 27.

*Bunium. Tagetes Indicanum.*

Scopa regia dicitur de Tagete ſiue Caryophyllo Indicano, autore Geſnero in cat. de hoc lib. 25.

*Hypericum*

Scopam regiam Plinio Sideritim latifoliam dictam eam eſſe Ruellius crediderit, quæ *Herba Carpentaria* vulgò dicitur: Et hæc eſt Barbarea noſtra, de qua mox dicemus.

Scopa regia Pand. eſt herba S. Iohannis quam Hypericum lib. 29. inſcripſimus.

Scopa regia, quæ apud Plinium demonſtratur, ramis oblongis, foliis ex interuallo, lactucinis, ſed rigentibus & lanuginoſis: flore luteo, radice promiſſa, tenui iuxta Geſneri opinionem, fortè Pulmonaria Gallica fuerit, ac etiam Sideritis illa Plinii, Scopa regia appellata.

*Pulmonaria Gallica.*

Scopam regiam Sideritim quidem eſſe putat Dalech. apud Plinium, ſed Achilleam cuius folia odorem multùm ſpirant, non inſuauem, verùm medicatum, autore Dioſcoride, vt pro latiſſimo folio cap. 5. l. 25. legendum ſit tenuiſſimo, vel quod magis placet, lætiſſimum folium intelligamus totius plantæ comam latiſſimè ſe ſpargentem. Nam multis virgis multúmque ſpatii occupantibus ea planta ſurrigitur. Coronis autem expetitur flos ex albo aureus. Quamobrem inter luteos flores hic à Plinio recenſetur.

*Achillea Sideritis. Flos ex albo aureus.*

Scopam regiam quam Plinius inter Sideritides connumerat, Cæſalp. Sclaream vulgi eſſe contendit. Videtur hæc nobis Gallitrichum ſatiuum de quo lib. 28. Hiſt. n. Sed quod nos in tanta Veterum & Iuniorum diuerſitate nihil habeamus, quod certò concludamus, nullus equidem mirabitur, ſiquidem ab his nullâ ſatis certâ hiſtoria ſit deſcripta.

*Gallitrichum ſat. Sclarea.*

## BARBAREA.

### Cap. XII.

*Deſcriptio*

R*Adice* albâ donata eſt, mediocriter craſſâ & oblonga, ſapore acriore: *caules* dodrantales & altiores, ſtriati, multis alis concaui: in quibus *folia* Raphanis minora, laciniâ extremâ Naſturtii folium extremum æmulante, atro virore ſplendentia, ſapore minùs vegeto quàm radix: *flores* parui, lutei: *ſiliquæ* conſimiles, multæ, tenues, teretes, in quibus Dodonæo autore, exiguum & colore ruffum ſemen.

*Carpentariorum herba. Sideritis folio latiſſ. Scopa regia.*

Hanc vocauit Ruellius Carpentatiorum herbam, & Gallorum Carpentariam, exiſtimans Plinii Sideritim, folio latiſſimo, ſiue Scopam regiam. Fuchſ.



Fuchſ. Diuæ Barbaræ herba [S. Barbaren kraut] Herbariorum.

Trag. qui herbam S. Barbaræ vocat, ac Sinapi 5. facit flore luteo, Senff kraut/ waſſer ſenff. Sylueſtre genus Naſturtii aquatici & Sinapi rectè ſtatuitur.

An Anguill. Pſeudo-buniū? An eidem Scopa regia quæ inuenitur in libris falſò Galeno attributis.

Geſner. hort. S.Barbaræ herba, Carpentaria, Gallis vulgò dicta, Noſtris [Tigurenſibus] Rāb kreſſich/aliquibus Scopa regia. Ait hic ſibi videri Matthiolum herbam S.Barbaræ vulgò dictam pro Eryſimo pingere. Eidem in cat.pl.Bunium:quod quidam interpretantur Wild kreiſſig/ S Barbará kraut: *Herbe au charpentier.* Item Sideritis Plinii latiſſimo folio.

Dodonæo, qui Barbaræam, ac etiam Naſturtium, & Cardamum hybernum vocat, ψευδοβούνιον [falſum Bunium]Dioſcoridis videtur, nec eſſe Sideritis latifolia, aut Scopa regia, vt aliqui putent.

Aduerſ.Lobel. & Penæ voluntBarbaream non eſſe Pſeudo-bunium vocandum, ſed potiùs Pſeudobuniadem. Et ſic Lobel.Obſ.& Icon. Plantin. ſcribit.

Videtur Hiſt.Lugd. Erucis annumeranda herba illa quam alicubi in hortis colunt & acetariis immiſcent,& quam vulgares herbarii S.Barbaræ herbam appellant.

Tabern.Ic.& H.Barbarea mas & fœmina. Compilator ponit duas icones vſque adeò ſimiles vt nullam demonſtrent differentiam, nec etiam in deſcriptione vlla traditur. Gerardus pro Barbarea poſuit iconem Barbareæ fœminæ Tabern.& præter omnem rationem, pro Sinapi ſatiūa iconem Barbareæ maris Tabern.

Quam plantam Franciſcus Indiæ, de qua mox, inter vires intelligat per Scopam regiam, neſcimus niſi velit Barbaream.

Ad Scorbutum laudat Marcus Mirſch. plantam quæ Pſeudobunium Dioſcoridis iudicatur, nec non Naſturtium aquaticum maius.

In campeſtribus paſſim,teſte Fuchſio, naſcitur. Maio & Iunio menſibus floret, ac ſubinde in ſiliquis ſemen profert:in campis, ait Dodon. ac hortis in quibus Olera ſeruntur, tum alibi veluti ſecundum ſemitas ac vias quandoque naſcitur: Tota hieme viret. Locis incultis,vt vult Hiſt. Lugd. maximè vliginoſis & aruis humidis. Barbarea prouenit Monſpelii, Baſileæ florens menſe Maio, Iunio,& Octobri ad ripam fluminis Bierſe & in parua Baſilea ad portam Riementhor in pratis: Patauii & Bononiæ in horto S. Saluatoris al burgo di S.Catharina. Geneuæ virebat menſe Martio in horto meō, & florebat Maio. Montbelgardi paſſim floret Aprili; ſemen maturum Iunio: in horto E.C.quotannis ſe renouat ſeminé deciduo. Barbaream flore pleno circa Baſileam repertam, & à fratre C. Bauhino datam, demonſtrauit mihi Arnold.Gillenius.

Fuchſio guſtanti primùm ſubacris eſſe, dein parum etiam adſtringere videtur, vt calidam & ſiccam eſſe nemo dubitare debeat. Vulnerariam herbam eſſe & temperamentum eius & experientia docet. His verò potiſſimùm vlceribus medetur, quæ impura ſunt, & in quibus caro ſupercreſcens fuerit:nam quia valenter ſiccat, ideò ſordes extergere, & carnes minuere poteſt. Valdè ait Dodon. excalfacit ac reſiccat, vtpote ſapore acris, & Naſturtio facultate aſſimilis,acetariis verò additur hyeme præſertim, cùm Naſturtii copia deeſt: Medetur verò & eadem Scorbuto non minùs quàm Naſturtium.Semen admodum quoque acre, calidum ac ſiccum, adeóque tenuium partium, vt vrinas euocet, & cohærentes calculoſas arenulas diſſoluat ac expellat. Calida & ſicca ſecundum Lobel. initiò ſecundi exiſtit: terreæ ſubſtantiæ nonnullius particeps, ideò gargarizatur ad anginas pituitoſas & Vuas relaxatas. Succus commodè Clymeni vice & ritu exterſoriis ſiue mundificatiuis vulgò vnguentis ad ſordida vlcera miſcetur. Vrinam ciet,calculos & farctus Veſicæ decocto aut cibo pellit, vti Lauer, cuius ferè par guſtu. Inexplicabili cum ægrotantium iuuamento apud Franc. Indiæ de Gutta, vomitorium medicamentum paratur, cum aqua ſtillatia Arantiorum immaturorum tepida,& ſufficienti quantitate pulueris Scopæ regiæ, hoc quidem medicamentum mirabile eſt atque diuinum, & à pauciſſimis Medicis probè cognitum, quod podagricis, Gonagricis, ac Iſchiadicis affectibus præcipuè præſentaneo, & maximo eſt iuuamento. Bilem enim præſertim, & alios poſtea humores per ſuperiora & per inferiora iucundiùs abſque comparatione expurgat,quàm Thlaſpi ab Aëtio adeò in hoc caſu celebratū, nullum imprimit calorem, fœtum non perimit,neque educit,vt efficit Thlaſpi, nullamque acrimoniam & mordacitatem habet: quare hoc eſt medicamentum longè ipſo nobilius,tutius, atque iucundius; vt experientia ſæpiſſimè à me fuit comprobatum.

Temper.

Vires.

Vomitoriū. Aqua ſtill. Arantiorū.

## BARBARÆA MVRALIS IOH. BAVHINI

BArbaræa muralis *radice* lignoſa,albida tenuiſſimis fibris capillata,ſapore oleraceo eſt:*caulis* teres, hirſutus,interdum rubeſcens,rectus,pedalis vel cubitalis,ac etiam maior; ramoſus aliquando: ad cuius imum *folia* multa circumquaque procumbentia, vt plurimùm, vnciam longa, aliquando longiora,trientem vnciæ ferè lata,ſubrotunda, hirſuta aſperiuſcula, ſerrata,pediculis breuibus aut nullis, interdum vbi caulеſcere potiſſimùm incipit, ſatis longis pediculis adhærent: in caule minora nullo pediculo annexa, pinnata, ſapore eodem cum radice: *flores* in ramulorum extremitate multi ſimul iuncti, candidi, quatuor foliis conſtantes,apicibus in medio luteis,quibus ſuccedunt *ſiliquæ* copioſæ,longæ, teretes, ſecundum caulem ſurrectæ. Deſcriptio.

C. Bauh. Phyt. Eryſimum 5. ſiue Eryſimo ſimilis hirſuta non laciniata floribus albis, quam cùm Patauii D. Guillandino oſtendiſſet Dryophanon Plinii (cuius lib. 28. cap. 9. meminit] & Drabam alteram nominauit: at Nobil.Cortuſus Eryſimum tertium vocabat.

An Lobel.Obſ.Barbarea, Herba S. Alberti Bononienſium. Hanc licèt frater C.Bauh. ſeparet à

mea Barbarea murali, vocetque eam in phyt. Barbaream 2. ſiue minorem, quam icone expreſſam nondum viderit, meo tamen iudicio, eſt vna eademque planta, ideò minimè ſeparanda.

Locus & tempus.

Floret Vere Monſpeſſuli: Geneuæ maior in horto meo virebat tota hieme, nec primo anno caulem aut flores ferebat: at pòſt ſemina proferebat Iunio: Copioſum inueni menſe Iulio in monte Thuiri cum ſiliquis plurimis longis in caulibus tectis. In *l'Iſle* Burgundiæ omnium maximam vidi in muris quibuſdã & radicibus caſtelli, virens Ianuario & Februario: Montbelgardi in muris quibuſdam Caſtelli inueni, nunc ſata in Horto Ill. E. C. occupauit nouos muros & ſeipſam in illis propagat. Fr. C. Bauhinus obſeruauit Baſileæ in muris mœniorum: attulit mihi Patauio.

## DRABA LVTEA QVIBVSDAM.

Deſcriptio

Ignoſa eſt *radix*, alba, minimo digito minor, ſapore Raphani ruſticani, minùs feruido: ex qua *caules* aliquot attolluntur, recti, rigidi, cubitales & maiores, ramoſi: quibus *folia* ab imo ad ſummum crebra alternatim adnaſcuntur, omnia vniformia, longitudine quadrantali & maiore, latitudine circiter vnciali, acuminata ex anguſto principio, quà pedicello breui adnectuntur, hirſutà, ſerrata, ſapore remiſſiore quàm radix: *floſculi* Eryſimi, luteoli, quadripartiti: quibus ſuccedunt *ſiliquæ*: quæ in ſicca illa (quam Pet. Turn. Angl. Heidelbergæ ad Neccarum collectam mihi attulit) ſemen claudebant tenue, longum, ſtriatum, ruffum.

*Solidago*

Camer. apud Matth. Germ. & in horto dicitur Arabis quorundam floribus luteis, quam commodè referri poſſe putat ad Solidagines, quo nomine aliquando ex Anglia miſſa fuit.

C. Bauh. phyt. Draba 5. lutea ſtrictiſſima longiſque ſiliquis.

Locus & tempus.

Viridem vidi in montibus Rhæticis: Burmii Iunio menſe florentem altitudine duorum cubitorum cum dimidio: quæ quia videbatur odorem habere Raphani, tunc nominaui Raphani odorem habentem plantam: Stutgardiæ in horto Ill. E. C. floret Iunio, vnde attuli plantandam in hortum eiuſdem Celſ. Montbelg.

## DRABÆ LVTEÆ ALIQVATENVS SIMILIS pro Spiræa miſſa ex Luſatia.

Planta iſthæc pro Spiræa Theophraſti fortè Cluſio (lib. 1. plant. hiſt. cap. 53.) miſſa fuit Baſileam C. Bauhino, inde ex Luſatia: cui iam ſiccatæ, *caulis* tenuis erat, fungoſus, fractúque facilis non ligneus, vt hac quoque ratione cenſeamus, non fruticem eſſe vllum, ſed ex plantarum genere habendum, Drabæ iam dictæ luteæ aliquatenus ſimilem, formâ porrò *caulis* rotunda, nerui ſecundum eius longitudinem decurrentibus inæqualior reddita, modò albido, modò verò puniceo aſperſus colore: *folia* per continuum caulis ductum, nullo ordine ſparſa, duas vncias longa, in ambitu altrinſecus ſerrę in morem aſperata, supernâ parte paulò ſaturatiore virore, vt infernâ dilutiore, tincta: neruóque ſubpuniceo per folii medium ſpatium conſpicuo ſatis donata, tenera ſiue admodum fragilia, ramus deſinit veluti in ſpicam, aut vuam floſculorum exilium muſcoſam, anguſtam, duas circiter vncias longam, albidam, guſtu amariuſculam: Si ſpica ſiue Vua in ramo quem habuimus lata eſſet, non malè exprimeretur per iconem Spiræ Theophraſti f[illegible]è Cluſio: Lectorum erit rem diligentiùs examinare: ramum quem habemus dedit nobis Baſileæ 1608. diligentiſſimus Botanicus Gillenius Haſſicus Medicinæ D. cui dono dederat Frater C. Bauhinus. Hiſtoriam autem & Iconem Spiræ Cluſii poſuimus Promptuarii noſtri ſiue Hiſtor. gen. lib. 5.

## SINAPI PVMILVM ALPINVM FOLIO Bellidis Cluſio.

Sena aut ſeptena, humi ſecundum radicem expanſa, habet illa *foliola*, Bellidis foliolis non diſſimilia, teneriora tamen, & leui acrimoniâ prædita: è quorum medio, tenellus & gracilis prodit *cauliculus*, raris foliolis ſeptus, palmaris, aut paulò altior, in cuius ſummo ſeni aut ſepteni erant *floſculi*, quatuor albis foliolis conſtantes, in quibuſdam plantulis totidem ſine flore *ſiliquæ* ſiue *cornicula* ſatis magna pro plantulæ ratione, duplici ſerie, quemadmodum in Cardamines alterius & ſimilium corniculis: *ſemen* continentia exiguū, planum, rufeſcens, nonnullâ acrimoniâ praeditū: *radix* ſumma tellure ſerpens, noua germina ſubinde profert.



Plantulam Cardamines æmulam, Sinapi pumilum alpinum, an ad Cardamines, an ad Sinapi genera referri debeat, nondum apud ſe conſtituit Cluſius.

Caſp. Bauh. phyt. Sinapi 12. ſiue alpinum marinum.

Obſeruabat eam Cluſius in Eiſcheriano iugo ſcopulis inhærentem.

## BVRSA PASTORIA, SIVE PILOSELLA ſiliquoſa.



Deſcriptio

Affinis eſt hæc Burſæ paſtoriæ minimæ: *radix*, vt illius, tenuis, & fibroſa, vbi minima non fibroſa: *folia* ſimiliter per terram ſparſa, nonnihil hirſuta, viridia, interdum nonnihil rubra, in minima minora, quàm Alſines minor. in aliis vulgaris Alſines magnitudinis, vel maiora, ſunt etiam nonnunquam maxima Burſæ paſto-

paſtoriæ non laciniata: *caulis* interdum adeò exiguus vt vnciam non excedat, aliàs etiam dodrantalis & maior, iuxta terram nonnihil hirſutus & ruber, ſuperiùs glaber & viridis, & nonnunquam foliis nudus, aliquando vno aut altero donatus, ramoſus vel non ramoſus: *floſculi* aliquot albi ordine nullo, Burſæ vulgaris: *ſiliquæ* longæ, teretes & tenues, ex ſatis longis pediculis.

Ad Myagros referendam cenſebat Geſnerus, vt patet ex annotatione ad plantam meam ſiccam. Exiſtimo dictam fuiſſe Dalechampio Aizoon thelyphonum.

An Thalio, Piloſella ſiliquata maior & minor? Acrem habet (ait Camer. ad Thalii hiſt.) hęc plantula ſaporem inſtar Naſturtii, eam Geſnerus inter Myagri ſpecies retulit. Hæc ille, qui eius iconem habet in fine horti, ſub titulo Piloſellæ ſiliquatæ. Ea facta eſt ad plantam ſiccam meam quam rediens Monſpelio Geſnero miſeram. Eiuſmodi icones & deſcriptiones paſſim Camer. habe, quæ Geſnero præceptori meo communicaram, mei tamen non meminit.

C. Bauh. phyt. Burſa paſtoris 7. ſiue Burſæ paſtoris ſimilis ſiliquoſa. Piloſella minor Thalio & Icon. Camerarii.

Schvv. Burſa paſtoris Myagri folio, Nagelkraut.

Monſpelii in agris viridioribus florentem obſeruaui Vere: Geneuæ menſe Martio & Aprili: Bononiæ in muris palatii atque in iis locis mediocris magnitudinis, vt pingitur à Camerario. Montbelgardi mediocrem & ad muros horti ferarum maximam: inter S. Thamarim, vrbem & Than ad Alſatiam, in ægris mediocrem. Beffordiæ in arce ſupra murum obſeruaui omnium minimam, ita vt deſcripſerim aliquando pro planta particulari.

## DE LEVCOIO EX VETERVM SENTENTIA.

### CAP. XIII.

LEucoium (λευκόϊον) notum eſt, ſiquidem Dioſcoridi fides habenda eſt, ſed eſt in flore differentia. Námque aut albus, aut luteus, aut cœruleus, aut purpureus reperitur. *Hermolaus & Marcellus* in hoc Dioſcor. contextu iſta verba, aut cœruleus, in Leucoio abundare exiſtimant, putántque aſcititia eſſe, ideóque extirpanda. *His* adſimulatur Fuchſius, ac Plinii autoritatem adducit; qui lib. 21. cap. 6. Violæ plura genera enumerans, purpureæ, luteæ & albæ duntaxat meminerit. Marcello (inquit Matthiolus) Dioſcoridis interpreti ſubſcribendum puto, qui Leucoium cœruleum hoc loco accreuiſſe ſuſpicatur, vetuſtiſſ. Dioſcoridis Longobardis literis ſcripti teſtimonio nixus, in quo nullum planè de cœruleo Leucoii colore verbum legebatur. Suſpicionem hanc augent, eámque comprobant Oribaſius & Serapio, quos item id verbum hoc loco non habere comperit in ſimplicium cenſu, cùm alioquin reliqua Dioſcoridis referant. Cœruleum Leucoïon (repetit Cæſalp.) in hoc genere non viſum, à ſolo Dioſcor. poſitum, niſi ſuperfluum fuerit id verbum, vel fortè Cyanus flos intelligendus. Cæterùm, dum (ῥίζαν τοῦ μέλανος λευκοΐου) radicem Leucoii nigri in lib. de nat. mul. in vino bibendam præcipit Hippocrates, μέλανος nomine purpureum haud dubiè deſignat, nam hic color proximè ad nigrum accedit. Sic & ἰόμελαν Theophraſto dicitur, Viola martia, à nigricantis purpuræ flore. Sic & cœruleus non alius indicatus à Dioſc. eſſe videtur Cornario, quàm albus, qui leui rubore ammixto cœli colorem refert. Supereſt vt quod noſtrum hac de re ſit iudicium, liberè dicamus. Verba igitur illa, aut cœruleus, nullo modo penitùs aſcititia credimus, eam vel ſolùm ob cauſam, quòd in cunctis Dioſcoridis Græcis codicibus legantur. Ad autoritatem Plinii reſpondetur Fuchſio, Plinium non loqui de Leucoio loco citato, aut ſi loquatur, Leucoia à Violis non bene diſtinguere, & per purpuream Violam Martiam tantùm intelligere: per albam verò, Leucoium bulboſum Theophraſt. florum primum dictum. Quod verò Matth. in Italia naſci non ſciat, ac ideò Marcello ſubſcribat, ineptè facit, non enim vna fert omnia tellus. Latè ſiquidem pater naturæ vis, & admirabilis eius Maieſtas, quâ poteſt multa quandocunque & vbique variare & quæ nobis, noſtro orbi, & ſæculo negauit, aliis dediſſe. Oribaſium & Serapionem in deprauatum exemplar incidiſſe potiùs dixerim. *Matth. not.* Dioſcoridem porrò per cœruleum Leucoion Cyanum non intellexiſſe, quod Cæſalp. poſt Hermolaum & Marcellum ſomniat, tum vtrorumque florum differentia, tum folia, tum caulis, tum tota denique plantæ facies, clarè demonſtrat. Cur denique Dioſcorides voce diſiunctiuâ vſus eſſet, ſi, quod Cornario videtur, per cœruleum album indicare voluiſſet. *Corn. not.*

Stat igitur quatuor eſſe Dioſcoridi genera, ſolâ florum colore diſcrepantiâ. Nec hoc mirum videri debet, cùm & apud Tragum recentiorem, quinque diuerſa Leucoii genera extent, à diuerſitate colorum apud Germanos ſortita nomina, luteum ſc. album, purpureum [braun] roſeum, [leibfarb] & rubrum. *Sed de his Iuniorum & noſtris obſeruatis differentiis ſeorſim tractabimus.*

Leucoii [τοῦ λευκοΐου] nomen quamuis propriè Violam albam ſignificet, ſi eius græcam vocabuli compoſitionem ſpectes, attamê quotquot de his ſcripſerunt, omnia Violarum genera cuiuſcunque tandem ſint coloris vnica hac Leucoii appellatione deſignarunt. Non eſt tamen quod per purpuream hic intelligas eam, quæ Græcis ἴον & Latinis propriè Viola dicitur: nam earum alia ab his de quibus hic agimus familia eſt, hîſque tum qualitate tum facultate, adde etiam forma contrarię. Homines enim illorum florum capti venuſtate & fragrantiâ, inquit Pena, vt vſum ad coronamenta ſic nomen commune ſanxêre, poſteáque magis conſuetudinem, aut florum ſimilitudinem quàm rationem ſecuti, multos & varios flores violas nuncuparunt, idem nomen variis atque longè diuerſis plantis quales ſunt Violæ & Leucoia imponentes. Eſt & Leucoium bulboſum. Quæ omnia ſuis locis declarantur.

Hoc porrò Violarum genus, ait Dioſc. alii Regium ſiue Baſilion, Romani Violam albam, alii Auguſteam, nonnulli Violam matronalem, aut Paſſerinam, aut Polyphuram vocant.

Hermolaus Barbarus teſtimonio fretus Columellæ, Liguſtriam Romanis hanc Violam vocatam tradit.

Dicitur Arab. nunc *Cheiri*, nunc *Alcheiri*, præpoſito articulo: Germ. Veielen. Belg. Violeren. Gall. *Violettes*, It. *Viola*. Hiſp. *Violettas*. Quidam verò Violam albam [Leucoium] appellant, à foliorum canicie, non à florum colore, qui, vt dictum, aut albus eſt, aut purpureus aut luteus, aut, quod cum nonnullis Adrian. Spieg. negat, cæruleus. *Nomina linguarum*

Tarentinus apud Ruellium Violam purpuream poſt Idus Martias, item Calendas Maias ſeri iubet: ſed violam qui ſaturus eſt terram ſtercoratam & repaſtinatam pedis altitudine in puluinos redigat, atque ita plantas hornotinas, ſcrobiculis pedalibus factis ante Calendas Martias, diſpoſitas habeat. Semen autem Violæ, ſicut olerum, duobus temporibus in areis ſeritur, Vere vel Autumno. Colitur eodem modo quo & cætera olera, vt iunœtur, vt ſarriatur, vt interdum etiam rigetur. Naſcitur vitis modo è ſupernis quaſi è puppi dicas non prorâ.

Vires & Vſus.

Ad ſecundas educendas, & ſanguinem ex vteris pellendum, Leucoii ſemen tritum, cum vino bibendum exhibet Hipp. de nat. mul. & ad eadem eodem modo radicem ſumendam tradit. Eſt autore Dioſc. ex Leucoiis commodum ad medicum vſum cui color melinus, huius flores aridi decocti ad inſeſſus, ad vteri inflammationes, & ad ducendos menſes faciunt. Excepti verò cerato, rimas in ſede ſanant: cum melle feruida oris vlcera.

Leucoium melinum.

Semen.

At ſemen ipſius duarum drachmarum pondere cum vino potum: aut cum melle appoſitum menſes, ſecundas, & fœtus ducit. Radices cum aceto impoſitę, lienem reprimunt & podagricis proſunt. Leucoium frutex vniuerſus extergentem facultatem poſſidet, plus tamen flores, & inter hos qui ſint ſicciores magis etiam quàm virides, adeò vt oculorum cicatrices craſſas extenuent. Tum menſes quoque eorum decoctum mouet, & lochia, partúmque emortuum elicit: ac ſi bibatur abortum facit. Eſt ergo id medicamentum, vt ſi quod aliud, amarum. At ſi quis vitium eius vehementiam multâ aquâ admiſta retundat ac mitiget, aut certè id genus aliquo, habebit & ad phlegmonem non malum medicamen. Sic decoctum eius ſi non merum fuerit vteri phlegmonas, identidem perfuſum ſanat, potiſſimùm quæ diutino tempore ad ſcirrhi modum induruere. Sic cum Cerato vlcera ægrè ad cicatricem prouenientia curat. Sunt verò etiam qui cum melle & ad Aphthas adhibeant, ſemen cùm eiuſdem ſit facultatis aptiſſimum eſt duarum drachmarum menſurâ potum, tum menſibus ciendis impoſitum conuenire creditur partumque viuentem interficere ac mortuum eiicere. Radices ſimilis omnoue facultatis, niſi quatenus craſſioris ſunt eſſentiæ, & magis terrenæ: cum aceto lienes induratos ſanant. Nonnulli verò & phlegmonas induratas iis curant. Extenuant, menſtrua & vrinam ciunt. Sed, teſte Plinio, minor vis eſt recentibus, ideoque aridis poſt annum vtendum. Lutea dimidio Cyatho in aquæ tribus, menſes trahit. Radices eius cum aceto illitę ſedant lienem. Item Podagrâ & oculorum inflammationes, cum myrrha & Croco. Folia cum melle purgant capitis vlcera, cum cera rimas ſedis, & quæ in humidis ſunt. Ex aceto verò collectiones ſanant.

Inter omnia Violarum genera, luteas calido ferè temperamento præditas eſſe; præſertim aridas, teſtatur Tragus. Floſculi harum recentes in aqua decocti & poti, contra vuluæ inflammationes valent. Succus oculis inditus purgat illos, eiuſque maculas & caligines diſcutit. Idem ſi è vino bibatur, non ſolùm menſes, ſed & ſecundas, & emortuos partus extrahit. Neque debet exhiberi, niſi ſumma in neceſſitate conſtitutis. Aqua deſtillata, per diem bis pota, quatuor aut quinque cochlearium menſura, vitiis hepatis & renum apprimè conducit, & Venerem ſtimulat. Per aliquot dies continuè vſurpata, omnia interna membra roborat, ſanguinem & ſpiritum exhilarat, dolorem ſedat & quietem inducit. Cum melle oris vlcera ſanat. Confectua huius cum aqua eius ſtillatitia crebrò ſumpta (vt rei huius teſtis eſt Camer. horti) præſeruat ab apoplexia & iuuat paralyticos. Meſues Oleum de Keiri, ex floribus Lutei Leucoii conficit, vt Chamæmelinũ, ac quod tenuet, digerit, ob id dolores thoracis, renum, neruorum ſedet.

Oleum Cheirinum.

## LEVCOIVM LVTEVM VVLGO Cheiri flore ſimplici.



Deſcriptio.

NOtiſſimũ parietinis quod Cheiri cum Arabibus vocant Officinę, *radicibus*, *ſurculiſque* ſeu *ramulis* vbertim fruticantibus, lignoſis, quos obſident *folia* nullis appenſa pediculis, crebra, vnciali & ampliore lõgitudine, ex anguſto principio ſenſim dilatata, virentia, aut canelcentia, idque maximè prona parte, ſapore ſubacri: *flores* crebri, lutei, valdè odorati, ſapore mihi ingrato, quatuor foliis conſtantes, ſtaminibus ſenis ſtiloque chloris in medio penitus ferè latentibus. Succedunt *ſiliquæ* longæ in quibus *ſemen* latum, ruffum, guſtu acri & amaro.

Matthiolo in prior. com. *Leucoium*: in com. cum mag. fig. vt & apud Bauh. *Leucoium aureum*: in hiſt. Germ. *Leucoium luteum*, Gelb negel vieln / *Cheyri Arabum.* Trago. Fuchſ. hiſt. Gerard. *Viola lutea* Dodon. de flor. & in fol. Lob. Adu. Icon. M. Schvv. *Leucoium luteum.* Obſ. *Leucoium floribus luteis.*

Hesperis.

Geſner. in cat. pl. Heſperis, Viola lutea, Barbaris Cheti, nonnullis Herba Gallica, Leucoion. Viola alba & Leucoium Dioſc.

Hiſt. Lugd. Leucoium aureum Matthioli, Plinio Viola lutea: veriùs dici ἴον φλογινὸν Theophraſti periti Herbarii autumant.

Cluſ. Pann. Leucoium luteum ſatiuum.

Camer. horti. Leucoium flore luteo ſimplici.

Tabern. Icon. & Hiſt. Viola petræa lutea.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 10. ſiue luteum foliis virentibus, Brunfelſio in 4. p. 49. Leucoium. Quibuſdam φλόγιον Theophr. quòd totus flos flammei, id eſt, lutei ſit coloris.

Nomina linguarum.

Λευκόιον μήλινον, Leucoium luteum, Leucoium luteum flore ſimplici, Arab. & Offic. vulgò *Cheiri*, ſiue *Keyri.* Germ. Geele Veyelen / Geele Negel Veilchen. Belg. Geel violieren Stein violieren / parietinas, aut ſaxatiles Violas dixerit Dodon. Gall. *Violettes iaulnes*: Montb. *Violettes de S. George* It. *Viola giatta.* Hiſp. *Violettas amarilhas & Alhelis.* Angl. Walle Gyllofer, walbe louer & Stockgelouer. Hung. Sarga Viola.

Leuco-

Leucoium luteum floret Monſpelii tota hyeme. Paſſim, vt Baſileæ & Montbelgardi in muris copioſè prouenit, florens Aprili, Maio, Iunio, & Iulio, & Auguſto vidi etiam in Horto E. C. Claraualiæ Septembri.

## LEVCOIVM LVTEVM PLENO FLORE.



NOn videtur differre ab eo cui flos ſimplex, niſi quòd diutiùs durat, & magis arboreſcit, quod cultura facit nimia florum luxuries ei non permittenda, alioqui facilè periret, vti ſolet Leucoium ſimplex, poſtquam ſiliquas pertulit, quæ in hoc interdum leuiter apparent, ſed ad frugem non perueniūt, quod hactenus obſeruauerim, licèt Pictor noſter non viſas ſiliquas noſtræ iconi appinxerit.

Viola lutea multiplex vel polyanthos quam H. Lugd. ſpectandam proponit, eſt flore denſiſſ. foliolis ſtipato & congeſto, ſuauiſſimi odoris, nullis ſiliquis, nullo ſemine, abeunte in floris amplitudinem eo ſucco quem ſiliquarum & ſeminis eſſe oportebat, cultu & mangonio talem euadere aiunt, præſertim ſi tenellæ plantæ antequam floruerint ſæpiùs transferantur.

Dodon. de flor. Leucoium flore multiplicante.

Lobel. & Pena Adu. Leucoium luteum duplis floribus.

Icon. Pl. & Schvvenck. Leucoium ſiue Keiri duplici flore multiplex Gefült geel Veiel.

Gerard. Viola lutea multiplex: Double Wall flower.

Camer. hort. Leucoium flore luteo pleno.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 11. luteum pleno flore.

Leucoium luteum flore pleno, Vidi Biſantii in variis hortis, vt in horto Di. Abbatis de Van Prioris in Telpach. Sturgardiæ in horto Ill. Ducis, plantaui in horto E. C. Montbelgardi. Baſileæ obſeruaui in horto Di. Dis. Felicis Plateri, & D. Iacobi Iſele, vnde Montbelgardum attuli, floret Aprili & Maio: ramulis depactis in terram propagatur.

### *Leucoium luteum arboreſcens*

LEucoium accepimus Stutgardiâ ab Illuſtriſſ. noſtra Ducissa Sybilla Anhaltina vxore Ill. Ducis Wirtemb. Principis mei Clementiſſimi, antehac non viſum ſcribunt, ac florem ſimplicem interdum peruenire ad amplitudinem monetæ quam Iuliam vocant: nos adhuc tantæ magnitudinis non vidimus, licèt plantæ noſtræ Montbelgardi floreant & ſiliquas ferant. Quamuis ex ſemine proueniant, propagatur etiam ex ſurculis, vt quod flore pleno eſt.

## LEVCOIVM LVTEVM SYLVESTRE Cluſii.



*Deſcriptio.* SYlueſtre autem *caules* fundit multos dodrantales & ferè cubitales, anguloſos, ſtriatos, multis alis concauos: *folia*, alia quidem ſinuata, ſemunciā lata & anguſtiora, vnciam & ſeſcunciam longa, anguſta, nulló que modo inciſa, viridantia, in hortis cultu multò magis luxuriant dupla latitudine longitudineq;: *flores* multi coaceruati leucoii lutei ſatiui, colore item luteo præditi, minores quatuor conſtantes foliis, odore grato: poſtmodum *ſiliquæ* naſcuntur tenues Cluſio, plano ſemine plenæ.

An Lobel. Obſ. Keiri ſiue Leucoium marinum flore luteo, facie Keiri vulgò lutei: folia item viridia: ſed maiora, latiora & flauentia ex viridi, in Belgii hortos tranſlata.

Cluſ. Pann. Leucoium ſilv. Rhizoromæ mulierculæ, Wild gelbe Veyl vocant.

An Camer. Hort. & apud Matth. Germ. Leucoium ſilu. quod Norimbergæ paſſim in locis montanis prouenit, cuius pulchram & raram ſpeciem reperit Bononiæ? Thal. Harc. Leucoii lutei ſilu. ſpecies, foliis dodrantalibus tenuioribus hortenſi, &c.

Tabern. Icon. & Hiſt. ſicut & Gerard. Leucoium ſilu. 4.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 12. luteum ſilu. anguſtifolium.

Leucoium luteum ſilu. ſatum in Horto E. C. ex ſemine collecto in Gallia fœliciter prouenit: florens Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto. Tale etiam collectum à Genero Cherlero in Lio Venetorū, & horto Patauino: D. Agerius attulit Bononiâ Leucoium ſilueſtre folio valdè anguſto. Inuenit Cluſius in montibus ſupra Badenſes thermas & in Leytenberg, locis Meridiei obuerſis & ſalebroſis florens Maio. *Locus & Tempus.*

## LEVCOIVM LVTEVM SILV. PANNON. ſerrato folio, obtuſo & acuto.

*Deſcriptio.* LEucoium luteum ſilu. ex Pannonia per D. Agerium delatum *caules* habuit ferè ſimiles præcedenti: folia in obtuſum deſinunt, in extremitate ramulorum flores multi glomerati lutei, quales in præcedenti: An huius ſit alia ſpecies vel varietas tantùm aſſerere non audemus, Quum iconem noſtram curauimus parandam nō erat nobis iam deſcripta planta: ſed tantùm ramus iam depictus, in præcedenti tabella.

## LEVCOIVM HYEMALE ET DIV DVrans purpureum & roſeum, ac etiam album.

Deſcriptio. NOn tam florum, quàm caulis & foliorum color Leucoio nomen fecit: ſiquidem *folia* incondita ſemunciam aut vnciam lata, palmum vnum aut duos longa, tota albent, obfuſco mucrone, incana mollique lanugine pubent: *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, lignoſus, in ramos multos fiſſus, incanus ſimiliter & tomentoſus: *flores* extremis ramulis hærent, ex oblongo calyce piloſo erumpentes, è quatuor foliis compoſiti, colore vel albo, vel coccineo, vel ſaturatiore viola eo prædi[ti]: vnde *ſiliquæ* naſcuntur palmum circiter longæ, quæ duos continent *ſeminum* verſus: quæ compreſſa, orbiculata, ruſſa, ſapore prædita ſunt acriuſculo: *radix* lignoſa, alba. Porrò ex eo genere, quod florem gerit purpuraſcentem, ſpecimen habeo quod flore multiplici inſigne.



Figura noſtra Fuchſiana non vndique placet, quia non arboreſcens picta.

Dioſcor. λευκοΐον, flore purpureo & albo. Plin. Violæ purpureæ & albæ. Tragus Germ. winter Violen. 4. Matronalis, weiß perſilgen braün. Violæ hyemales 4. albæ, incarnatæ, rubræ, purpureæ. Lat. Leucoium ſiue Viola purpurea, cærulea, roſea, candida, Braün/rot, leibfarb Violaten, quæ altero demum anno florent.

Dodon. de flor. & Hiſt. in ſol. Leucoii genus candidum maius à foliorum non florum colore nuncupatum, Belg. Stockviolleren nominat, flore rubenti, candido, aut ex purpureo puniceo, aut cineri candidiori proximo, ſubinde vario.

An Violæ matronales Veteribus Græcis & Latinis cognitæ fuerint necne nondum compertum habet Fuchſius, Germ. dicitur welſch veiel, Gall. *gyroſlées*. Tria ſunt genera, candida, punicea, & purpurea, nec differre admodum niſi ſolis floribus videntur. Ibidem apud Fuchſium Lugduni excuſum quidam addidit. Violæ matronales ibi dictæ, nobis Bacchares videntur. Fuchſius qui tres figuras poſuit, non annotauit vllum diſcrimen inter hyemalia & æſtiua Leucoia, ponit tres icones quæ potiùs demonſtrare videntur æſtiua quàm hyberna, quas fruſtrà fortè curauit pingendas ſi colore tantùm differant: nos eam quam proponit pro Viola matronali purpurea huic capiti præpoſuimus, quia iam erat inter eas quas emimus & paulò meliùs accedit ad hyemalem quàm aliæ duæ quas ad æſtiuas relegauimus. Quam hic poſuimus Hiſt. Lugd. non bene ponit pag. 804. errore fortè typographi pro Viola matronali alba, quam nos Heſperidem vocamus.

Violæ ἀπὸ τοῦ ἴου. Leucoium, non à florum albedine, ſed foliorum canitie, cinereóve colore dictum album Lobel. & Penæ in Aduerſ. videtur. Etiamnum hodie, vti Dioſc. æuo vulgatiſſ. cognitionis illa triplex è floribus varietas: vbiuis propemodum Gentium: ſed alba & purpurea cærulea non niſi ſatu. Obſ. Leucoium purpureum & album, Leucoia Dioſcoridis. Icon. Plant. Viola alba & purpurea Teut. 329.

Tabern. Icon. & Hiſt. Leucoium album. 1. purpureum 2. violaceum 3. welſche Veieln/ weiß/ Braün/ veyel braün. Tres ponit icones, nec demonſtrat in quibus differant, indiſtinctè de iis etiam ſcribens, Compilator Tabern. Hæc prætereà Leucoia potuiſſet relinquere iuxta Leucoiū luteum.

Camer. hort. Leucoium album hortenſe fruticoſum. Item rubrum & purpureum nec non verſicolor. Diſcrepant etiam quòd æſtatem vnicam durent quædam plantæ, quædam aliquot annos. Atque inſunt etiam purpureo ob colorem dilutiorem & ſaturatiorem aliquot differentiæ. Frutice[ſum] flore al[bo]

Geſner. in cat. pl. Viola alba, Leucoion Dioſc. purpureum & cæruleum.

Corn. Leucoium nigrum Hippocratis.

Matth. in com. cum mag. fig. Leucoium album & purpureum. In hiſt. Germ. weiß/ rot/ braün Veyel/ Leucoium album, rubrum & purpureum.

Hiſtor. Lugd. Leucoium album & purpureum Matth.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 1. folio incano maius flore albo, cinereo, purpureo, rubro luteo, verſicolore. In hoc genere non puto extare luteum.

Gerard. Leucoium album, purpureum, violaceum, white purple violet colour Stocke flower.

Leucoium hiemale & diu durans flore roſaceo, Montbelg. in horto E. C. quod hieme reponere oportet. Monſpelii habent Leucoia mixta ex albo & purpureo, alba & purpurea quæ in herbis tota hyeme florent, vti & menſe Martio & Maio. Geneuæ in hortis vidi florentia Octobri & Nouembri alba Leucoia & purpurea, & interdum in hortis hyemem perferentia, Maióq; florentia: Lugduni varia habent genera, vbi etiam variegatum vidi. Bononiæ flore purpureo, in horto di S. Saluator al burgo di S. Catharina. Leucoium prouenit Montbelgardi in hortis, folio cineritio cum quibuſdam laciniis, vt in marino Monſpeliano ſpontaneo, Iunio & Iulio flores albos odoratos & ſiliquas proferens. Loco: Temp[ore]

## LEVCOIVM PVRPVREVM FLORE pleno.

SPecioſus eſt admodum *flos* Leucoii purpurei ſiue violacei pleni, in cæteris non differentis à præcedenti hyemali purpureo ſimplici, de quo Aduerſ. Lobel. & Penæ: Mangonio holitorio, repetitáque crebriore tranſplantatione Leucoii purpurei, flores magnitudinem luculentam aſſequuntur: multiplici ſinguli prægnanti *foliorum* fœtura, Roſam moſchatam æquante: ſed *ſemine* orba fit. Purpu[reum] plenum

Icon. Plant. Leocoium ſiue Viola purpurea flore pleno. Rubrum Leucoium flore pleno, magno, pulchro, admodum iucundi odoris colitur, teſte Camer. apud Matth. Germ. in Belgii Valentiana & Monte Henaut: inde in alia loca transfertur, difficulter hyemem perfert, ac ex ſurculis propagatur. Viola purpu[rea]

Vidimus

Vidimus Lutetiæ menſe Auguſto florens in cultiſſ. horto Robini hortulani regii. Nobis prouenit Monrbelgardi Leucoium purpureum flore pleno ex ſemine miſſo Argentinâ per D. Fridericum Meierum, creuit etiam ex ſurculis, is etiã ſiccam plantam miſerat.

## LEVCOIVM ÆSTIVVM FLORE purpureo & roſeo ac albo.



riptio

Binis *foliis* emergunt, hyemalibus Leucoiis ſimilibus, minoribus, teneriori- bus, *flore* nunc purpureo, & roſeo, nũc albo. Leucoii cãdidum genus minus quòd Belgæ **hette violeren** vocant, à maiore non forma, ſed magnitudine ſoia differt: *caules foliáque* haber ſimilia, ſed minora: *flores* etiam non vnius coloris: ſed vel candidos vel rubentes, vel punicantes, vti maioris: *ſiliquas* etiam & *ſemina* ſimilia. Vocatur autem & hoc candidum à foliorum canitie, vti dictum.

Tragus Germ. **Sommer violen/** Violæ æſtiuales, Violarum tertium genus. **Leibfarb/rot/braün purpurfarb/ weiß**: Lat. Violæ diuerſicolores alſioſæ flore aliæ albo, aliæ roſeo, nonnullæ rubro, quædam purpureo.

Lobel. & pena Adu. Viola annotina, flores exoleti coloris in cœruleum vinaceum langueſcentis ferens.

nub: C.Bauh. Phyt. Leucoium 2. ſiue folio incano minus, floribus candidis, rubentibus, punicantibus, vti maius, à quo ſolà magnitudine differt. Sed quod Frater ex Dodon. hæc duo genera ſolâ magnitudine differre ſcribit, id approbare non poſſum. Differunt enim etiam in eo quòd non arboreſcat: folia etiam prima differentiam aliquam ni fallor habent.

Alteram ex Fuchſii Iconibus ponimus, quæ pro ambabus eſſe poſſit cùm etiam eas nonniſi colore differre tradat.

Hiſt. Lugd. Leucoium album & poſtea Leucoium puniceum Fuchſii rectiùs ſic appellatum quàm Viola matronalis punicea, quo nomine Fuchſius pinxit.

Leucoium æſtiuum flore purpureo & roſeo in multis hortis ſeritur, vti etiam in E. C. Horto. ex ſemine variis ex locis conquiſito: Stutgardia nomine Violæ Lombardicæ: Vere ſatum floret Iulio, Auguſto, Septembri: Autumno perit, nec hiemem perfert etiam repoſitum, quod flore albo marceſcendo acquirit aliquid purpuraſcentis. Floret hoc genus, non quidem Vere apud Dodonæum, ſed Iunio, Iulio, aut Auguſto, & eodem quidem quo ſatum eſt anno: hyeme perit.

Violam matronalem albam, puniceam & purpuream admodum calidas eſſe ſapor foliorum & radicis, qui acris eſt, abundè docet Fuchſium. Humiditatem autem multam, Galeno lib. 4. cap. 18. de ſimpl. medic. facult. teſte, eò quòd amaræ non ſint, admiſtam habent. Incidendi & digerendi per habitum vim obtinent. Ideoque radix vt & folia decocta in aqua, conuulſis, difficultate ſpirandi laborantibus, & veteri tuſſi auxiliantur. Vrinam & menſes ducunt, ſudoreſque ciendi facultatem habent.

## LEVCOIVM HIEMALE DIV DVRANS, flore albo, folio viridi & liuido glabro.



Pari cũ Leucoio, cui folium incanum, magnitudine eſt, ſiue caules, ſiue ramos, ſeu folia ſpectes: huic tamen *folia* glabra, atro virore ſplendent: *flores* ſuaueolentes albent, Leucoii iam dicti formâ: nec diſſimiles bipatentes *ſiliquæ ſeminibus* plenæ. Deſcriptio

An Lobel. Obſ. Leucoii maritimi ſpecies albi floris colore duntaxat varians, & folii exilitate à Leucoio marino luteo, cui folia viridia in Belgii hortos tranſlata.

An eidem Icon. Plant. Keiri marinum flore candido? Ic. enim non malè conuenire videtur.

Dodon. in fol. Leucoia nonnulla, quorum herbæ folia haudquaquam candida, mollia aut lanuginoſa, ſed virentiora, ad lutei Leucoii foliorum læuitatem & colorem accedentia.

Camer. hort. Leucoium rarius, folio planè viridi, flore albo admodum odorato, quod per aliquot annos durat, ſed hyeme eſt in cella aſſeruandum. Item apud Matth. hiſt. Germ.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 9. ſiue maritimum candidum.

Gerard. Leucoium marinum flore candido Lobelii.

Leucoium folio viridi, glabro, flore albo in horto Fœlicis Plateri, quod plantaui in horto Il. E. C. Montbelgardi, primo à ſatione anno rarò caulem profert: apud nos hieme ſub tectum reducendum: quaſdam plantas obſeruaui eodem anno ſatas Montbelgardi florentes Auguſto: ſed flore minori & minus ſpecioſo: Baſileæ 1609. in horto fratris C. Bauhini hiemem pertulit, plantas attulimus Montbelgardum. Tempus & Locus

## LEVCOIVM MARITIMVM MAGNVM Latifolium.

Leucoii maritimi *radix* priuſquam cauleſcat, mollis, tenera, longa, craſſa, alba, guſtu acri non ingrato, Raphanum æmulante: *folia* lata multa è radicis capite funduntur, foliis leucoij Deſcriptio



ſatiui hortenſis, paria, longa, laciniata, vnciam penè lata, caulis craſſiuſculus: quinque vel 6. vnciarum: *flores* quadrifolii purpurei.

Tale Leucoiũ obſeruatũ Monſpelii, idem etiam attulit mihi Frater caule cubitum excedente, craſſo, cum ſiliquis longis & latiuſculis villoſis, omnium prima folia (vti in ſatis obſeruaui) ſunt anguſta, nõ laciniata, talia etiam ſuperiora, ſed breuiora Cluſio, flores odorati, coloris dilutioris purpuræ, ſed quodammodò obſoletæ, in ſiliquis duplex ordo ſeminum planorum, ſubruforum, intercurrente membrana: radix multifida, non perennis, ſed poſtquam planta florem & ſemen protulit [quod ſecundo plærumque anno, interdum & tertio fieri ſolet,] perit.

Lobel. & Pena Adu. & Icon. Pl. Leucoium maritimum maius.

Cluſ. qui in Hiſp. & Hiſt. poſt. in fol. Leucoium marinum maius vocat: Aſſumpſit iconem Lobelii, cui ille Icon. Pl. p. 332. titulum fecit Keyri marinum flore candido: verùm ea icon diſtituitur foliis diuiſis qualia ſuo Leucoio in deſcriptione Cluſius tribuit.

Camer. hort. Leucoium marinum Cluſii maius. Et apud Matth. germ. Leucoia iuxta mare reperta.

Pictura Hiſt. Lugd. quæ Leucoium maritimum maius vocat, facta eſt ad plantam ſiccam & agglutinatam, quam habemus ex Valerandi Douréz ſtirpibus: inferior pars plantæ erat acaulos Leucoii (vt nobis videtur) maioris, rami autem cum floribus & ſiliquis adiuncti ex minori Leucoio marino.

C. Bauh. Phyt. Leucoium. 5. maritimum purpureum ſinuato folio. Tabern. Icon. & hiſt. Leucoium marinum, maius purpureum 3. Groß braün Meer veyel. Gerard. Leucoium marinum purpureum Lobelii, purple Sea ſtock gilloflowers.

Locus & tempus

Obſeruauimus ad mare Mediterraneum prope Monſpelium florens Aprili, vbi etiam Frater vidit florens Maio & Iunio. Gener Cherlerus annotauit in toto Narbonenſi littoreo tractu obuium: In Stutgardiano Ill. E.C. Vvirt. horto, obſeruaui florens adhuc Nouembri. Baſileæ in horto Di. Zvvingeri cum ſiliquis & flore Septembri. Ex ſemine prouenit Monthelg. in horto quod excolimus pro Ill. E.C.VV. quod anno 1597. non tectum hiemem pertulit, ac ſaporis erat acris accedentis ad Raphanum, flore purpuraſcente vario, id etiam reponimus hyeme.

## LEVCOIIS AFFINE TRIPOLIVM ANguillaræ, & Leucoium maritimum Camerarii.

Deſcriptio.

Prouenit Tripolium inter Scillam & Caribdim circa S. Georgium. *Folia* ſimilia Plantagini, anguſtiora, & craſſiora, exilit è medio *caulis* palmum altus, in tres ramos diuiſus: *flores* ſimiles Violæ matronalis: *radix* alba acris, odore Raphani, craſſa, non odorata vt vult Dioſcor. quia Crateuas legit παχύτερα ſimpliciter, quemadmodum & Plinius, vox igitur ἄοδμη eſt ſuperflua: Anguil.



Camer. hort. Leucoium marinum aliud, Tripolium Aloiſii ſiue Crucigera. Icon. p. 24. Leucoium marinum. *Tripolium Crucigera*

Icon Leucoii marini Camerarii non mihi videtur reſpondere deſcriptioni Anguillaræ, non enim ſunt folia Plantagini ſimilia.

## LEVCOIVM MARITIMVM anguſtifolium.



E *radice* craſſa, lignoſa, alba, cui plures craſſæ fibræ & plura capita eſſe ſolent, multi *caules* exoriuntur ſingulares vel ramoſi, multò tenuiores & candidiores quàm præcedentis, palmares, dodrantaléſve: *folia* breuia, parua, candida, nullo aut obſcuro laciniarum veſtigio inciſa, quę, vt ait Cluſius, mollia & incana, neque adeò craſſa aut diuiſa: *flores* in ramulis ſuperiori [ſiue maiori] minores, coloris pulcherrimè rubentis, & dum flacceſcere incipiunt ſaturatiores, quales Leucoii vulgaris rubri flores, & odorati quidem illi, verùm minùs ſuperiore: *ſiliquulæ* ſuccedunt tenuiores multò, & breuiores quàm in præcedenti, teretes: *ſemine* copioſo minutiſſimo ruffo refertæ. Deſcrip

Lobel. & Pena Adu. Leucoium marinum minus, vehementiùs acredine linguã vellicans quàm maius. Obſeruat. Leucoium marinum minus flore purpurante. Heſperis Theophr. quorundam. Icon. Leucoium maritimum minus anguſtifol. Teut. 400. Cluſ. Hiſp. & hiſt. in fol. Leucoium marinum minus, quod ob coloris in flore mutationem nonnulli Mompeliani, dum iſtic eſſem Tripolium vocare ſolebant. *Tripoliu*

Hiſt. Lugd. Leucoium maritimum minus, radice

dice parua, breui, candida, foliis multis. Leucoium maritimum minus Hiſt. Lugd. facilè nobis perſuademus idem eſſe cum minori de quo hoc capite agimus, quamuis figura multùm differat: quæ fortè facta ad plantam primò florere incipientem, prima enim folia non videmus, nec ſcimus an à quoquam picta: quæ occaſio vt ad noſtram iconem addiderimus ſeparatim, folia ex Hiſt. Lugd. Hoc præterea notandum Leucoii huius minoris ſuperiores ramos pictos ſub figura Leucoii maioris, vt antè dictum.

Tabern. Icon. & Hiſt. Leucoium marinum 1. kleine röttlechte Meer Veiel. Item Leucoium marinum minus luteum 5. klein geel Meer Veiel: primo Leucoio ſimile, excepto colore luteo. Compilator pro Leucoio luteo marino minore ponit iconem propoſitam à Cluſio & Lobelio, qui colorem non tribuunt luteum: præterea Compilator vidit luteum, quod alii alio colore viderunt: oportebat annotare locum vbi viderit, ac cur duas ponit figuras cùm colore tantùm differre dicat.

C. Baub. Phyt. Leucoium 5. maritimum latifolium: Lugd. Hiſt. maritimum minus. Leucoium 8. maritimum anguſtifolium, Cluſio & Lobelio marinum minus, flore dilutè purpureo, quandoque rubro & luteo. Cur non ſeparemus Leucoium maritimum Hiſt. Lugd. à maritimo anguſtifolio antè diximus.

Gerard. Leucoium marinum flore candido Lobelii, White Sea ſtocke gilloflowers / & poſtea Leucoium marinum minus, Lob. & Cluſ. Small yelow ſea ſtocke Gilloflower. Gerard. icones Tab. habet: verùm per priorem intelligit fortè Keiri marinum flore albo Lob. Icon. Pl. p. 332.

Dodon. de flor. Sylueſtre quoddam Leucoium humile & paruum, quod in Zelandia locis exit maritimis, ac iuxta Monſpelium quoque vti Gelnerus ſcribit. Lat. in fol. Leucoium ſylu. anguſtifolium, quod ſub noctem odoratius eſt, & Heſperis eſſe creditur: quæ, Plinio autore, nocte odoratior. Camer. hort. Leucoium marinum minus.

Monſp. cùm vidimus eſſemus iuxta mare Mediterraneũ florens Auguſto, frater C. Bauh. Maio & Iunio. Floret, autore Cluſio, Iulio & Auguſto eodem quo ſatum eſt anno, deinde perit: Naſcitur Mediterranei maris littoribus per Hiſpanias & Narbonenſem Galliam multò frequentiſſ. Non modò Zelandiæ maritimis ſponte naſci tradit Dodon. verùm & in Narbonenſi Gallia, ac pluribus per Hiſpanias locis maritimis Mediterraneis, cuius odor apud Hiſpanos ſub noctem Occidente Sole intenditur, qui aliàs per diem exiguus.

## LEVCOIVM MARINVM PARVVM folio virente craſſiuſculo.

PAruum ſanè eſt Leucoium mihi marinum denominatum à D. Friderico Meyer ſtirpiũ ſtudioſiſſimo: cuius caules obſeruaui tenues, palmares, folia per illos rara, quædam vncia digiti paullò longiora, nonnihil ſinuoſa, ſucculenta, & craſſiuſcula, glabra, virentia: flores ſatis magni pro herbæ proportione, purpuraſcentes, ſuc-



cedunt tenues ſiliquę: florens vidi Argentinæ in horto prædicti menſe Iulio, & menſe Octobri. A. Thoma Platero Medico etiam datum eſt.

## LEVCOIVM MARINVM CRETICVM duplex.

IOſephus Caſabonus, ex peregrinatione Cretica redux, ſemen ad Cluſium mittebat Leucoii marini appellatione, è quo tres diuerſæ plantæ ortæ Earum maxima & prima, caules habuit procumbentes, rotundos, duriuſculos, multis ramis donatos, in quibus floſculi quatuor foliis conſtantes, initiò rubentes, deinde ex cœruleo purpuraſcentes, extremo bifidis, & cordis, vt vulgò pingitur, effigiem propemodum referentibus, quaſi ex vmbellâ, Ironis vulgaris inſtar, ſenſim prodeuntes, qui [vbi floris folia coniungebantur, radiantem imitabantur flauam ſtellam: floribus ſucceſſerunt duarum ferè vnciarum ſiliquæ ſiue cornicula teretia, in quibus ſemen oblongiuſculum caſtanei coloris. Ipſius verò plantæ folia longiuſcula fuerunt ; à Thlaſpi foliis non valdè differentia, nullis [in caule præſertim] euidentibus crenis donata, craſſiuſcula, & aliquantulùm amara. Altera priori ſimilis erát, niſi floſculos habuiſſet dimidio minores, & initiò prorſus albos, deinde tamen paulatim purpureum quidpiàm contrahentes, ſed nihilominus magis ad albedinem inclinantes. Floruit vtraque Iulio, medio Vere, hoc eſt, Aprili ſata. Tertia promebat initiò præcedentibus duabus longiora folia, euidentibus & conſpicuis crenis ſecundum oras donata, Leucoii Dioſcoridis Lobeliani inſtar, è quorum medio exiuit cauliculus rectus palmari altitudine minor: quum florere incipit, nempe Auguſto, à latere verò plures fundebat ramulos, in quibus flores, ſecundo generi amplitudine pares, colore tamen differentes. Nam propiùs accedebant ad Leucoii marini Lobeliani latifolii colorem, magiſque purpuraſcentes erant, quàm in primo genere.

## HESPERIDES FLORE PVRPVREO, ALbo & vario.

### CAP. XIV.

RAdicibus aliquot paruis, lignoſis, & albis nititur: *caules* erigens cubitum & pluſquam ſeſquicubitum altos, hirſutos: in quibus alternatim *folia* Erucæ, ſed non ita laciniata, in ambitu ſerrata, acuminata, hirſuta, in virore nigricantia,

ſapore acriuſculo : ex foliorum alis erumpunt ramuli, in quibus *flores*, formâ ad Leucoium luteum accedentes, odoris ſuauiſſimi, colore nunc albo, nunc purpureo, aliàs confuſis cum albedine maculis purpureis variato : *ſemen* in ſiliquis longis continetur, ipſum oblongum, ruffum, acre.

*Leucoium. Viola purpurea*

Fuchſ. λευκόϊον, Viola alba, *Cheiri*; *Keiri*: Germ. Veiel, Gall. *violier*, Leucoium Dioſcoridis. Hæc ille, qui duas figuras habet, alteram nomine Violæ purpureæ. Fruſtra duæ figuræ : præterea mirum eum has vſque adeò diſſimiles plantas à Leucoio luteo, Leucoia facere.

Trag. Germ. & Lat. vocat Germ. lingua winter Violen, eò quod hyemem ferre poſſint, aut ad diſcrimen aliarum, Groß Violen: ſcribitque Hermol. Perſicam, Parthicam & Peregrinam vocare. Quod ſi præterea hæc Viola radicem haberet nigram & inſtar cornu duram, facilè dixerit Æthiopida Dioſcor. Verùm cùm & in Arcadia Aethiopis naſcatur tanquam peregrina planta, nihil ſtatuere poteſt. Inſignis ſanè error Tragi exiſtimantis Violam Perſicam Hermolai, quandoquidem is ibi Gelſeminum tradit.

*Trag. not.*



Geſner. hort. meminit nomine Violæ matronalis Fuchſii [ſed ficto ab eo nomine,] Violæ hyemalis, Brabantorum moſt⸗bloomen, Tigurenſium vſinſt Negele/ & Violæ Hiſpanicæ Solerii: Aliquos interpretari Heſperidem Veterum: flores ferre anno ſecundo, albos, interdum roſeos, aut quod rariùs ſubrubentes.

*Eruca*

Dodon. de flor. Viola matronalis, coloris candidi aut rubentis, dilutáve purpurea, Erucæ ſpecies videtur.

Camer. hort. Heſperis noſtras. Lobelio non placet dici Violam marinam.

*Locus.*

Conſultè, inquit Lobelius, non faciunt, qui iſtam plantam Marinam Violam Damaſcenam & Exoticam vocitant, cùm in Nitiobrigum montoſis & ſiluoſis locis, etiámque in Anglia pratis fruticet. Obſ. Viola matronalis & Damaſcena, Viola alba Tragi. Et alia, quam ſuauiſſ. odoris totámque minorem & floribus albis alit in horto Ioh. Mutonus. Icon. plant. Viola matronalis ſiue Damaſcena Teut. 398

*Heſperis*

Cluſius in Pann. & Hiſtor. in fol. eandem cum Lobelio iconem habet pro Heſperide inodora Pannonica ſilu. De odorata autem alibi in lib. citatis ait : Heſperidi nomen inditum authore Theophr. lib. 6. de cauſis plant. cap. 25. quòd nocte plùs redoleat, quàm interdiu, cui ſuffragatur Plinius lib. 21. cap. 7. Communis opinio obtinuit, vt ea quam nonnulli matronalem Violam vocant, & quæ inter Leucoii genera referri debere videtur,

*Leucoium*

Heſperidis nomen ſibi proprium adſciſceret: quoniam eius flos, ſub veſperam præſertim grato odore feriat, interdiu aut nullum aut leuiſſimum ſpiret. Matronalis Viola dicitur quòd matronis atque virginibus ſit in deliciis.

*Viola Matron.*

Violam matronalem vel Violam Damaſcenam & marinam, quorundam Violam moſchatellam vocatam, albam & purpuream Erucam, Thlaſpi aut Rapunculum guſtu ſapere ſcribit H. Lugd. quibus idcircò affinem naturâ & facultatibus proximam putat : cùm tamen cum Rapunculo nihil commune habere videatur. Non bene præterea ſub titulo Violæ Matronalis albæ poſita Icon Leucoii purpurei Fuchſii, vt antè de Leucoio æſtiuo monuimus.

*H. Lugd. not.*

Caſp. Bauhin. phyt. Viola matronalis ſiue Heſperis prima hortenſis : variat colore floris, modò candido, modò dilutè purpureo, modò rubro: habetur & minor floribus albis.

Schvv. Heſperis alba, Heſperis purpurea,

*Locus temp.*

Prouenit ſponte in Sequanorum vallibus quà Rhenus fluit ſub ſepibus, floret Aprili, Maio & Iunio menſibus. Heſperides vbique in hortis, Tiguri, Baſileæ, Ferrariæ obſeruaui : Lugduni & Montbelgardi copioſè, florentes adhuc Septembri, vbi hyemem ſolent perferre: Patauii virentes Decembri & Ianuario : Februario florentes flore purpureo. Geneuæ virentes Ianuario. Notatu dignum Heſperidem purpuream ſeneſcentem interdum mutare colorem, & varium pulcherrimum acquirere ex albo & purpureo ſtriatum.

In Syrupo Magiſtrali Comitiſſæ, præſcribit Wiet. de Scorbuto, ſuccum è floribus Heſperidis expreſſum, cum aliis vocans Damaſtblümen. Sunt autem harum Violarum folia, guſtu quidem acria & calida, Erucæ, cuius ſpecies videntur Dodonæo ſapore & facultate proxima. Matronalem porrò Violam, tuſſi, conuulſis, & difficulter ſpirantibus mederi traditur apud Cluſium : vrinas inſuper & ſudores propellere, incidere, abſtergere, & digerere. Semen acre, fuſcum aut ruffeſcens, Erucam, Thlaſpi aut Rhapuntium [Rapunculum H. Lugd.] guſtu tota ſapit, inquit Lobelius, quibus idcircò affinis natura putatur.

*Eruca*

## HESPERIS PANNONICA INODORA.

*Deſcr.*

SYlueſtre hoc Heſperidis genus, cubitali aſſurgit altitudine, duûm generum *foliis* donatum, infima ex anguſta ceruice mox dilatantur, tandémque in acumen deſinunt, ſinuatis neruis prædita, alia lata, ſeſſilique baſi *cauli* adnaſcuntur, vtraque ſerrata, hirſuta, candidiora, molliorá que quàm in Heſperide noſtra vulgari : *flores* ex quatuor compoſiti foliis, colore exalbicante, vel purpuraſcente, formâ tamen vnâ cum ſubſequen-



quentibus longis toroſis ſiliquis, *ſemin*é*que* ruffo, cum vulgari Heſperide conueniunt.

De hac Cluſius: Vulgari Matronali Violæ adeò ſimilis eſt, vt ex vtriuſque collatione vix diſcrimen conſpici poſſit. Flores in extremis ramulis copioſi exalbidi, qui ætatis ſucceſſu purpuraſcunt: cornicula, ſemina, radix etiam ipſa cum vulgari omninò conueniunt: ſolo floris odore, cuius in hac nullam gratiam percipere potui, differunt.

Camer. hort. & Icon. Heſperis Pannon. à Cluſio exhibita. An Geſner. hort. Viola matronalis ſilueſtris? Cluſ. Pann. Heſperis altera Pannonica inodora ſylu. hiſt. in fol. Heſperis tertia, Heſperis ſilu. Cluſii icon eſt eadem cum Lobelii icone Obſ. quam pro Viola matronali poſuit.

C. Bauh. phyt. Viola matronalis, ſiue Heſperis 2. ſilu. inodora.

Argentinæ Dominus Vldaricus Chelius dedit plantam ex Agerii ſtirpibus ſiccis, cuius inſcriptio erat, Viola matronalis ſeu Damaſcena Auſtriaca. Solet altero plerumque à germinatione anno, & à maturo ſemine, perire. Creſcit paſſim Viennenſi agro ad montium radices, & vinetorum in collibus ſitorum margines. Floret cum vulgari, nempe Maio & Iunio.

## HESPERIS FLORE VIRIDI.

Deſcriptio IN horto quodam Baſileæ legit Frater C. Bauh. Heſperidem, quæ magnitudine quoad omnes ſui partes à vulgata differt, dein floris colore qui viridis eſt, & ſine odore. Inſcribitur ideò ab ipſo in Phyt. Heſperis 3. ſiue hortenſis flore viridi.

An Schvv. Heſperis viridi flore, Viola matronalis viridi flore, Grün winter Violen, Iunio & Iulio florens.

## HESPERIS COLORE INELEGANTI.



Deſcriptio Baſileæ in horto D. Chmielecii collegi Heſperidem quam Cluſi Alpinam primam denominabat. *Folia* ferè ſeſquipalmum longa, duarum vnciarum & ſemis latitudine, nonnihil ſinuata, mucrone obtuſo, hirſuta & aſpera: *flores* quales in Heſperide vulgari, ſed non expanſi, coloris minimè hilaris ſed pallidi, multis venulis diſtincti.

Sic deſcribit Cluſius, cubitali excreſcit altitudine, multiſque ramis prædita eſt, quos confuſo ordine ambiunt folia, Matronali Violæ ſimilia, paullò tamen latiora, & craſſiora, aridiuſculo primùm guſtu, poſtea acri & ſaluam ciente, extremis ramis in oblongis pediculis inſident flores ſimiles, quatuor foliolis, vtilli, conſtantes, coloris admodum inelegantis & obſoleti, & fului, infinitis venulis ex atro purpureis intercurſantibus, odore interdiu nullo, aut adeò tenui, vt vix naribus percipi poſſit, ſed ſub veſperam gratiſſimo & ſuauiſſimo: flori ſuccedunt oblonga, toroſaque cornicula quadrangula, in quibus duplici ordine ſemen continetur, vulgari Heſperidi ſimile, ſubruffum: radix fibroſa.

C. Bauh. Phyt. Viola matronalis ſiue Heſperis 4. montana pallida odoratiſſima.

Heſperis colore ineleganti prouenit in Horto Il. E. C. Montbelgardi Anno 1588. ex ſemine quod collegeram Stutgardiæ in horto Ducis: florem protulit Auguſto eodem anno quo ſata: & Septembri. D. Iacob. Mieg Medicinæ candidatus Baſileæ nomine Keyri marini: Baſileæ etiam obſeruaui florens Septembri, in horto D. Dris Martini Chemelecii Poloni.

Radix vt plurimùm biennium non ſuperat, ſed poſtquam defloruit & ſemen tulit, perire ſolet, ſi tamen præciſis caulibus ad frugem peruenire non ſinatur, noua germina interdum producit. Spontè naſcentem & ſemine prægnantem primùm inueniebat Cluſius in Prellenberg Hamburgenſi monti vicino, Vngariæque extremo quà Auſtriam ſpectat, menſe Iunio anni 1576. Eius deinde ſemen terræ commiſſum ſubſequente Vere, plantas protulit, quæ altero anno duntaxat floruerunt Maio, & ſequente hieme perierunt. Solent verò quæ ſemine naſcuntur plantæ, floris colore multùm variare, nonnullis maternum colorem retinentibus, aliis aut dilutiùs palleſcentibus aut magis obſoletum adquirentibus, omnia tamen folia crebris venis ex atro purpuraſcentibus diſtincta habentibus.

## HESPERIS SYRIACA.



DOdrantalia *folia*, aut minora, palmum lata, valdè aſpera & hirſuta longis nixa *pediculis*, obtuſo mucrone nonnihil in ambitu ſinuata. *Flores* in breuibus *caulibus* figurâ quidem noſtratis & vulgaris Heſperidis, ſed colore fuſco & lurido, multis venulis per eorum folia diſcurrentibus. *Siliquæ* inſignis longitudinis ſequuntur recuruæ, toroſæ, ſemen duplici ſerie continentes. Deſcriptio

Cluſius dicit Heſperide iam deſcripta [ quam nos flore ineleganti diximus ] multò vegetiorem, ampliora habentem folia, craſſiores caules maioreſque flores, quatuor tamen foliis etiam conſtantes, eiuſdem planè coloris, ſub noctem valdè odoratos, interdiu odoris expertes: Cornicula multò craſſiora, ſemen paullò craſſius: Radicem non multùm abſimilem.

Camer. hort. Heſperis Syriaca, quam alio no-

mine vocant Leucoium Syriacum, Pannonicæ ſimilis,ſed craſſior & minùs procera,ſiliquis rotundis,& quaſi geniculatis.Item Leucoium Syriacum, rectiùs Heſperis Syriaca.

Cluſ.Hiſt.in fol. Heſperis Syriaca.

C. B·mot. C.Bauh. Phyt. Viola matronalis ſiue Heſperis 5.peregrina ſiliquis geniculatis. Camer.Heſperis Syriaca. Huius iconem proponit, & aliam etiam Heſperidis Syriacæ nomine Tripoli ſponte prouenientis addidit: verùm non videntur diuerſæ, vt & ipſemet Camerarius innuere videtur.In horto Cl.D.D. Fœlicis Plateri legimus.

Locus & Tempus. Menſe Iulio florentem vidimus & ſiliquas habentem Pfotzhemiæ Marchionatus in horto D. Grienningeri Pharmacopæi inſignis. Obſeruauimus etiam in Ducatus Vvirtemb. Greutzen in horto D. Braun præfecti pagi. In Syriæ maritimis creſcit, teſte Cluſio, cuius ſemen in Italiam allatum,deinde Viennam miſſum plantas produxit. Semen matureſcere non potuit, quia ſeriùs floruerunt. Altero etiã anno perire ſolet eius radix.

## HESPERIS SYRIACA ALIA.

Deſcriptio. HAnc Tripoli ſpontaneam inuenit Rauvvolfius, & Camerarium quoque aridæ plantæ fecit participem. Videtur autem ob locos natales & exiccationem nonnihil ſtrigoſior præcedente, alioquin parum diuerſa.

Camer.Icon. Heſperis Syriaca, ſiue Leucoium marinum D Rauvvolfii. C.Bauh. Phyt. Non videtur diuerſa à præcedenti Syriaca.

## LEVCOIVM MARITIMVM latifolium flore cæruleo purpurante.



Deſcriptio. ALterum Leucoiũ marinũ quod alunt horti quidam Belgii natiuis maritimis natalitiis, non ita diuerſis eſt *foliis*, ſed latioribus, hirſutioribus: *flores* cærulo-purpurãtes in palmaribus & ſeſquipalmaribus coliculis: *ſemen* in *ſiliquis* minoribus multò Leucoii lutei.

Lobel. Obſ. [cuius & deſcriptio eſt] Leucoium marinum alterum latifolium, Icon. Plant. Purpupuro-violaceum.

Hiſt.Lugd. Leucoium marinum alterum latifolium Lobelii.

C.Bauh.Phyt. Leucoium 6. ſiue maritimum latifolium alterum.

Tabern. Hiſt. & Icon Leucoium marinum cærulo-purpureum, Blaw pũrpũr braũn / Gros Meer veielen.

Gerard.Leucoium marinum latifolium, Broad leafed Sea ſtocke Gilloflower.

## HESPERIS ALPINA SIVE MVRALIS minor repens.

Deſcriptio. RAdix Alpinæ Heſperidis ſerpit obliquè,ſummo ferè cæſpite hærens, fibras crebras ſubinde demittens, capita etiam plura habet: *folia* in orbem multa per humum ſparguntur, ex anguſto principio ſenſim lateſcentia, ſinuata, & ſerrata, candicantia,& hieme quædam rubentia, piloſa, Barbareæ murariæ foliis accedentia, ſapore acri prædita, at quæ per *caules* cernuntur,lata baſi eos complectuntur, non minùs iam dictis dentata: cæterùm *flores* in dodrantalis caulis ramulorúmque faſtigio multi coaceruati albicantes, quatuor foliolis cõſtãt, quos longa ſerie ſequuntur *ſiliquæ*, duas tréſue vncias longæ, aliàs ferè ſeſquipalmares, anguſtæ, compreſſæ,in quibus duplex, interuentu membranæ, verſus *ſeminum* foliaceorum ruforum, ſaporis acris.



Noſter pictor non expreſſit pro arbitrio iconem noſtram,potiſſimùm radicem repentem.

Cluſ. Pann. & Hiſt.in fol. Draba altera, ſiue 2: miſſa ab Alphonſo Pancio Leucoii montani nomine. Drabæ foliis foliorum formâ & colore ſimilis,ſubacido ſapore initiò, deinde acri: ramulis ſerpentibus.

C.Bauh.Phyt.Draba 2.ſiue alba ſiliquoſa. Draba 2.Cluſii. Draba 3. ſiue alba ſiliquoſa repens Lob. Obſ. app.463. & Icon.p.261. tom.2. Fratri Ioh. Bauhino heſperis alpina minor.

Hiſt.Lugd. Eruca muralis Herbariorum, ſapore primo fatuo,tandem ſubacri & mordaci.

Locus & Tempus. Heſperidem alpinam collegi Septembri in rupibus inter Claraualllim & Ran:Semen etiam maturum in muris horti Caſtelli Claræuallis: vidi etiam Salinis in muris horti Nobilis Vanferrant minorem florentem Aprili. Frater Caſparus Bauhinus miſit Baſileà repertam in monte Blauwen. Lugduni nobis prouenit in horto noſtro,Geneuæ etiam florebat Ianuario & Aprili ac Nouembri. Florens Maio copioſè in muris S. Vrſanæ, vnde tranſtuli in hortum Ill.E. C.& floruit Martio.In parietinis, murorúmque rimis & inter ſaxa naſci tradit Hiſt.Lugd. Inuenit in Tauro monte Cluſius:meminit & Ferrariã in Belgicam ei miſſam: floret Aprili.

## HESPERIDI ALPINÆ SIVE MVRARIÆ affinis Draba ſucculenta.

Deſcriptio. FRequentibus etiam ramulis conſtat, ex eadem *radice* prodeuntibus,tenuibus,deinde in caput



capuт extuberantibus : ex quo aliquot *folia* quaſi in orbem diſpoſita prodeunt, craſſa, ſucci plena, atrâ viriditate ſplendentia, Auriculæ vrſi *flore* carnei coloris & folii magnitudine ac forma fermè reſpondentia, ſed nonnihil in lateribus dentata, acri guſtu, & illicò linguã vellicante : ex horum medio pedalis aut maior exit *caulis*, gracilis, quem per interualla ambiunt & amplectuntur *folia* ſuperioribus minora & ad petiolum latiora : *flores* ſpicæ inſtar ſupremum caulem ambiunt, vt in Priore, & quatuor albis foliolis conſtant : quibus ſuccedunt teretia & oblonga *corniculа*, duplici ordine, ruſum, puſillum, & planum *ſemen* continentia : *radix* tenuis & repens latè ſeſe diffundit, & nouas plantas ſingulis annis producit, viuax, & totâ hyeme virens.

Cluſius & Lobelius eandem habent iconem, verùm an de eadem planta ſcribant aſſerere non audemus, diximus autem iconem Cluſii & Lobelii non malè exprimere noſtram Heſperidem alpinam ſiue murariam, verùm Cluſii deſcriptionem non reſpondere Hiſt. Lugd.

Arabis ſeu Draba altera Penæ & Lobelii.

Cluſ. Pann. & Hiſt. Draba tertia ſucculento folio.

ocus & mpus

Creſcit, inquit Cluſius, in decliui montis Hernalhen, ſupra Zeehof, villam Cœnobii Gamingenſis, vbi ſerò floret: at in hortos tranſlata, maturiùs, cum præcedente, nonnunquam etiam ante hiemem. Luxuriat in hortis vbi ſemel ſata. Lobel.

## HESPERIDI ALPINÆ, MVRIARIÆVE ſimilis ſurrecta & magna.

ſcriptio



IN montibus inter S. Hippolytum & *Meſche* menſis Aprilis fine obſeruaui plantam trium penè cubitorum, ex *radice* craſſiuſcula fibroſa, ſapore aliquantùm acri, exoriuntur aliquot *caules* craſſi, hirſuti, recti, ſupernè ramulos rectos alternatim inter folia proferentes: *folia* iuxta terram ex craſſo pediculo dodrantalia ad Heſperidem vulgarem ac etiam murariam accedentia, ſinuata, & nonnihil laciniata, Drabæ modò vtrinque hirſuta, alternatim lato principio caulem penè amplectentia, breuiora præcedentibus, odore accedente ad Lepidium Pauli, ſapore amaricante : in extremis ramulis multi *flores* cum quatuor foliolis albis ad luteum nonnihil vergentes, in medio apicibus, externè minimis foliis viridibus ambientibus, *ſiliquis* ſuccedentibus duabus vnciis longioribus, nondum maturis.

Hæc eadem eſt fortè cum Heſperide alpina maiore aut valdè ſimilis, quæ Lugduni & Geneuæ nobis prouenit in hortis noſtris, in qua ſiliquæ plurimæ Leucoiorum ac Heſperidum, ſex ſeptemque vncias longæ, latiuſculæ, compreſſæ, glabræ, ſemine compreſſo, latiuſculo & penè quadrato.

In Icone noſtra folia prima nimis anguſta & acuta depicta ſunt.

De hac fortè hæc tradit Lobel. Communes inter Sinapi, Buniadem & Thlaſpi figuram & vires habet. Prouenit ea non procul Magdalenæ fano, & caulibus illis celſiſſimis Galloprouinciæ, floréſque Auguſto promit luteos, Eryſimi, nec ſiliquas diſpares : in gracilibus ramis ad ſummum & imum vnâ è radice, digitum craſſa, fibroſa, pedem longa Rapiſtri folia, Thlaſpi aut Drabæ, leuiter laciniata, albida & hirſuta, ſapore Eryſimi, aut Buniadis Barbareę.

An Lob. & Pena Adu. Icon. Plant. & Hiſtor. Lugd. Sinapi & Thlaſpi media Prouincialis planta. *Sinapi & Thlaſpi media*

C. Bauh. Phyt. Draba 4. Eryſimi flore & ſiliquis Aduerſ. Sinapi & Thlaſpi media. Fratri Io. Bauhino Heſperis alpina.

## LVNARIA MAIOR SILIQVA ROtundiore.

BVlbonac *caule* aſſurgit bicubitali & tricubitali, in ramos diuiſo, ſatis craſſo, colore glauco aut rubente, hirſuto : *folia* Vrticæ, maiora aliquando duplò & triplò, hirſuta, ſerrata, oppoſita interdum, aliàs ad ramulorum propagationes ſingularia, ſapore oleraceo : ramis inſident *flores* multi ſimul iuncti, vt in Braſſica vulgari, pulchrè rubentes aut carneo colore præditi, ſtriati, odore debili, vngue intus conſpicuo & albicante, extrà enim flos totus rubens, ſine vllo vnguis veſtigio : *ſtamina* quatuor vireſcentia apicibus luteis ſeu chloris : hæc omnia excipit *calyculus* oblongus phœniceus è quatuor foliolis, duobus maioribus, totidem minoribus compoſitus : *ſiliquæ* oblongæ, latæ, figura ſuaui, compreſſæ, filum ſumma parte emittentes argenteâ bracteolâ exteriores vtrinque laminas intercedente : *ſemina* tria aut quatuor orbiculata, compreſſa: *radix* ſtrumoſa ſeu glanduloſa.

An Cordo Obſ. ſylu. Herba hederaceis aut Cucumeraceis foliis. Ibi annotatum, Lunaria Græca fortè. *Lunaria Græca*

Geſner. hort. Lunaria Græca rotunda & longa Ollingeri. Rotundam, inquit, intelligo, cuius ſiliquæ ſunt rotundæ : longam verò ſiliquis longis. Naſcitur in montibus quibuſdam, cùm alibi, tum Heluetiorum circa Glaronam & Curiam: ſpecies duæ ſunt, vna floribus inodoris : altera odoratis : & hæc quidem editioribus tantùm locis, nullo alio diſcrimine. Facilè ſemine prodit, durátque in hortis noſtris; & folia [ Violæ nigræ *Locus*

ferè ſimilia maiora ] per hyemem retinet. Anno ſecundo caulem ſundit ( & circumquaque fruticans lætiore ſolo ad tres cubitos aſſurgit ) cum floribus & ſiliquis latis, argentei nitoris cùm maturuerunt. In ea læuitate Lunæ faciem noctu repræſentari aiunt : inde nomen. Quo Veteres nomine plantam hanc dixerint, nondum conſtat, herbarii quidam *Bolbonac* , alii *Bulbonach* nuncupant , neſcio quâ dialectico aut ſignificatione, Heſſi ſatteren vocant. Græca vnde ſit cognominata neſcio, niſi aut nomen aut res è Græcia in Italiam fortè primùm illata ſit. Semen latum , compreſſum , ruffum, & cum aliqua amaritudine acerrimum eſt: vnde Thlaſpi generibus adnumerarim, & Thlaſpi montanum appellarim: ad indicandum ſimul formam, ſiliquæ præſertim ac ſeminis, facultates & natales, poterit & Lunare cognominari. *Accedit* ſententiæ meæ Dodon. qui Thlaſpi, præſertim Crateuæ, hoc eſſe putat.



*Thlaſpi montanum.*

*Thlaſpi non eſt* Non eſſe Thlaſpi Crateuæ contendunt in Aduerſ. Pena & Lobel. his verbis : Lunaria vulgò nuncupata Raphanitis à nonnullis Crateuæ Thlaſpi credebatur, ſed eius acrimonia ad Iſchiadicos multò inefficacior : Et rurſus alibi : Bulboſa foliata , Officinarum Bolbonac, Lunaria Græca Recentiorum, non eſt Armoracia , ſiue ſylu. Raphanus Dioſc. aut Thlaſpi latifolium Crateuæ.

Lunaria maior , inquit Camer. hort. Bolbonac aliorum , flore cœruleo vel purpureo , Thlaſpi Crateuæ Dodonæi.

Tabern. Icon. Viola Lunaris. 1. Monſieyel.

Schvv. Lunaria Græca Recentiorum , Silber blůmen/ſlitteren.

Hiſt. Lugd. Viola latifolia.

*Heſperis. Viola Bulbonax. Lunaria Raphan.* Heſperidibus affinis eſt ( inquit Adr. Spieg. ) ea quam Violam latifoliam, alio nomine Bulbonacam , & Lunariam Raphanitim vocant : item quam Lunariam odoratam & regiam & Græcam. Vtrique folia lata ſunt : ſed Bulbonacę aſperiora Raphani modo, & crenata. Græcæ verò molliora & per ambitum ſerrata. Vtrique flos quoque Leucoii quadrifolius , purpureus , aut ſubcœruleus: ſed fructus latus , foliaceus , feréque rotundus.

C.Bauh. phyt. Lunaria 1. ſiue maior ſiliquâ rotundâ : varians floribus purpureis & ſubcœruleis. Lunaria 2. ſiue maior altera Dodon. Lat. minor præcedenti & flore albo.

Locus & Tempus. Creſcere copioſè in ſaltibus Thuringiæ ſiluæ teſtis eſt Camerar. hort. In Sileſiæ autem hortis Maio & Iunio florere, Schvvenckfeldius. Lunariam maiorem in Alſatia VVatvvillæ in horto vidi cum ſiliquis rotundis , ſemine maturo : Patauii in horto Triueſani. Veronæ in horto Domini Alexandri Serratii Medici : Ferrariæ in Monaſterio S. Dominici à *l'Angeli* florentem Martio: Bononię in horto di S. Saluator al burgo S. Catharina Lunariam maiorem flore purpureo cum quibuſdam ſtriis albis. Baſileæ in hortis , Florentiæ in horto Nicolai Ferrarienſis florentem Aprili : Lugduni habui in horto Maio menſe florentem & ſiliquas proferentem : Montbelgardi in horto Ill. eius Celſ. abundat & ſeipſam ſuo ſemine propagat , primo anno non fert caules nec floret: ſecundo vbi ſemen maturuit perit.

Vires. Calido acrique & amaro , vt tradit Lobel. guſtu eſt, præſertim ſemina , ſed tamen radices acetariis, vt Rapuntia, manduntur, nec perinde ſunt acres, vt Crateuæ Thlaſpi radices traduntur. Abſtergit modicè, calfacit, vrinam cit, vti Rapunculus. Semen tritum cum aquis appropriatis exhiberi Epilepticis ſcribit Schvvenckfeldius.

## LVNARIA MAIOR SILIQVA LONgiore.

Deſcriptio. Latis hæc eſt Lunariæ præcedentis *foliis*, ſerratis , acuminatiſque : *flos* conſimilis purpureus : at quæ eum excipit *ſiliqua* , oblonga eſt , & quæ prædictæ Lunariæ ſiliquis latitudine multùm cedat , binis vtrinque membranis mediam argenteam ſpontè per ſeminis maturitatem relinquentibus.



*Lunaria folio rotundiore ſiliqua longiore* Huius ſpeciem cum ſiliquis longis oſtendit Dominus Agerius cum hac inſcriptione. Viola latifolia odorata foliis exquiſitè rotundis. Vlmæ proueniens Viola Lunaris ſeu latifolia 2. Tabern. Hæc ſanè videtur differre à præcedenti, folia Tiliam maiorem exprimunt, ac mihi læuiora videntur quàm cæterarum. Is etiam demonſtrauit aliam titulo Violæ latifoliæ non exquiſitè rotundæ ſed oblongæ : illi ſanè folium multò longius Lunæ modo , qualis autem ſiliqua ſit mihi non conſtat , videtur tamen diuerſa ab ea cui nomen indidi à ſiliqua rotundiore. *Lunaria folio longiore.*

Lob. Icon. Lunaria Raphanitis, ſiue Bolbonac radice rediuiua p. 396.

C.Bauh. phyt. Lunaria 3. ſiue maior ſiliqua oblonga.

Tabern. Icon. & Hiſt. Viola Lunaris. 2. Monſieyel 2. Violæ Lunariæ. 2. radix.

Geſner. hort. & de Lunariis , Lunaria longa ſiliquis longis. Exiſtimo ea quæ ex Geſnero capite de Lunaria maiore ſiliqua rotundiore exſcripſimus huc referenda eſſe.

Schvv. Lunaria Græca perenni radice , Walds veielen, Sileſ.

Cluſ. in fol. Viola latifolia, Lunaria odorata.

Camer. hort. Lunaria maior alia flore albicante odorato, perennis Heluetiis, vbi quoque copioſè prouenit.

Thal.

Thal.Hatc.Lunatia Græca, Viola latifolia ſiliquis non orbiculari ambitu circumſcriptis, ſed oblongioribus: ſcribit apud eundem Camerar. perenni eſſe radice,& floribus albicantibus,odoratis.

In monte Saleuæ, non longè à Geneua abundat cum longis ſiliquis: tranſlata in hortos hiemem perferebat, & virens Ianuario,florebat Maio.In monte circa Lacum Seben Abbatiæ inſignis nobilium Dominarum quarum ſum Medicus, reperi cum ſiliquis Auguſto. Spiræ anno 1595. Iunii 2. D. Teugenagel mihi denominauit & demonſtrauit Lunariam, quam vocat perpetuam radice, floribus cæruleis, ſiliquis longis. Argentinæ in horto Friderici Meier vidi ſiliqua longa Octobri. Baſileæ in horto Dom.Zvvingeri Septembri eandem obſeruaui. In montanis ſiluis Auſtriæ & Styriæ vicinarumque ſiluoſis locis, atque etiam in Pannonia interamni, autore Cluſio, ſpontè magna copia prouenit.

Semen abſtergit & vrinas prouocat. Quidam in Heluetiis Chirurgus ex Lunariæ perennis contuſis foliis & Saniculis parabat vnguentum Vulnerarium non contemnendum. Puluis ſeminis amariſſimi, cum aqua appropriata exhibetur in Epilepſia, Camer.

## ALLIARIA.

### CAP. XV.



EX *radicula* tenui, lignoſa, alba, Allium obolente, *caules* promit cubitales & ſeſquicubitales, tenues, ſubhirſutos: *folia* primùm rotunda, Hederæ terreſtris modo: mox nonnullum acumen aſſequuntur, ſerrata, ſapore & odore Allii, mitiore: ex foliorum alis ramuli erumpũt, in quibus *floſculi* multi albidi, quatuor foliolis conſtantes, in quorum medio apices ex viridi flaueſcentes: *ſemen* in ſiliquis longis angulofis, nigrum, oblongum.

Ruell.& Fuch. Alliaris & Alliaria. Sunt[inquit is] qui putẽt Scordotim hanc eſſe, falſi quadã odoris cognatione: ſiquidem Scordotis foliis eſt ſimilitudine Quercus. Alliaria verò frondibus Vrticæ modo fimbriatis: Illa quadrangulo caule, hæc rotundo: illa flore ſubrubro, hæc luteo: Illa tantùm ſubolet Allium, hæc ita repræſentat, vt iuſto Allii odore nares impleat.

Trago, pingenti & deſcribenti dicitur Thlaſpidium ſecundum Crateuæ, videtut poſſe dici Cornuta Thlaſpi ſpecies.

Autor Pandectarum Ranam marinam, Alliariam, & Pedem Aſininum vocat.

Anguill. Rima Maria.

Lonic. vulgò Alliaria, Alliatis, Thlaſpi Cornutum.

Geſner. hort. Alliaſtrum vel Alliaſtris Recentiorum.

*Alliaſtrum. Scordotis. Criſta Galli. Pes Aſini. Alectorophos.*

Dodon. Gal.& Lat. Alliaria quorundam Scordotis, non tamen vera, quæ etiam Scordium dicitur. Quærunt Adu. Lobel.& Penæ. Num Criſta Galli Herbariorum ſit 'Αλεκτορόλοφος? an num potiùs Alliaria Recentiorum? & poſtea Alliaria, Pes Aſini Pandectarii, an Alectorolophos Plinii?

Matth. Lacun. Lob. Obſ. & Icon. Plant. Camer. hort. & Epit. Matth. Tabern. Caſt. Hort. Luſit. *Alliaria.* C.Bauh. Phyt. *folio latiſſimo & ſubrotundo.* Camer. apud Matth. Germ. *Alliaris.*

Nomina linguarum

Alliaria Lat. Germ. knoblauch kraut / leuchel, leuchel kraut / Salßkraut. Belg. loock / Sonder loock / Gall. *L'herbe des aulx, Alliaire*: It. *Alliaria.* Boh. Geſenkowa byliua. Alliaria autem dubio procul dicta, quòd folia digitis comminuta Allium redoleant, ſeu Porrum ſectiuum cum Naſturtio.

Locus & Tempus.

Alliariam copioſè florentem vidi Monſp. menſe Martio & Baſileæ. Geneuæ virentem Decembri verſus Cologni, & Februarii principio, quà itur *Saleue*, florentem menſe Martio in colle iuxta Rhodanum, & Maio ſiliquas ferentem Iunio cum ſemine maturo. Monthelgardi paſſim ſpontè prouenit etiam in horto E.C. virens Februario. Obſeruaui Bononiæ & Patauii menſe Martio. In Ducatu Vvirtemb. non longè à fonte & Balneo mirabili circa pagum Boll / & Eychelberg / ſemine maturo Auguſto.

Vires & vſus.

Vrinam cit, teſte Ruellio, ſi recens in potu teratur. Sicca in vino coquitur, ad ſerpentium morſus, & venena omnia efficax. In roſionibus ſtomachi, dyſenteria, contumacibus vrinis, ex mulſa duobus denariis datur bibenda. Lentam pectoris craſſitiem digerit. Contra veterẽ tuſſim ex reſina & melle ſicca lingitur. Longis præcordiorum inflammationibus cerato collecta prodeſt. Podagras acri aceto circumlitas mulcet. Impoſita menſes excit. Vetera vlcera purgat & ad cicatricem ex melle perducit. Recentia quoque vulnera cogit farinæ conſperſus. Excreſcentia in corpore compeſcit. Alliaria commodè tortiuis ſuccis, quæ embammata ſeu intinctus vocant, adiungitur: debet autem aceto, ſale, & gingibere condiri. Eiuſmodi certè embammata, quæ hoc pacto vt diximus ex Alliaria conficiuntur, non ſunt nimiùm feruentia, & Tragi quidem iudicio gratiora ac etiam vtiliora iis quæ ex Sinapi fiunt, multò tamen illis mitior & vſu commodior exiſtit. Vis plantæ huic à Matth. aſſignatur calfactoria & deſiccatoria, verùm non adeo vehemens, vt in Allio. Attamen hinc certò colligi poteſt. quòd ea craſſos humores extenuare, & lentos incidere valet. Semen emplaſtri modo impoſitum, vuluæque admotum mulieres vteri ſtrangulatu oppreſſas liberat, & excitat. Semen tritum, naribuſque impoſitum ſternutamenta excitare cerebrumque purgare Tab. prodit. Herbam in oleo & aqua decoctam potã Aſthmaticis ſubuenire ſcribit Cam. Sunt, Dod. teſtimonio, qui folia enematis incoquant, quæ vel ad coli, vel nephriticos dolores iniiciũtur: in quibus non modò flatus inſigniter diſcutere, ſed ex calculo dolores mitigare ac ſopire feruntur. Excalfacit autem & reſiccat ſecundo ordine intenſo aut tertio remiſſo. Alliaria ſingularem vim ac proprietatem, quâ putredini aduerſatur, habet. Eademque vlcera putrida ac ſordida abſtergit & mundificat, minori tamen cum efficacia quàm verum Scordium, Mirum igitur nemini videri debet, ſi nonnulli antiquorum Arabum præcipuè pro Scordio vero Alliariam ſub-

ſtituerint. Cauſa fortè fuerit quòd Scordium in illis regionibus minimè creuerit, neque niſi ſiccum & vt plurimùm obſoletum haberi potuerit, & Alliaria apud ipſos prodierit. Sed quia in exiccata herba parum facultatis & virium remanet, idcirco ipſis in fine Aprilis aut ineunte Maio colligi, & poſtquam per diem vnum in vmbra exiccata fuerit, minutim incidi contundique in mortario, & prælo ſuccus exprimi ſolet, qui in vitreis ampullis, ſuperinfuſo pauco Oleo, etiam ad tres vſque annos reſeruatur. Idem quoque ſartagini ſuccus infuſus lento igne inſpiſſari poteſt & ad eundem vſum in multos annos reſeruari. Magma deinde exiccatum & in cinerem reductum, aut ex eo Sal extractum maximo cum fructu mundificatiuis admiſcetur. Succus verò ſiue ſimplex inſpiſſatus vnguentis cataplaſmatibuſque inditur ad Gangrænam aliaque vlcera, putrida, ſordida ac maligna, vti in tractatu Fabritii Hildani de Gāgræna & Spacelo videre eſt: Abſtergit enim, vt antea monitum, mundificat & putredini reſiſtit, parumque à vero Scordio diſcrepat.

*Locus.* — *Colligendi tempus.* — *Succi præparatio & reſeruatio* — *Sal ex ea* — *Vſus*

## SISYMBRIVM CARDAMINE, SIVE NAſturtium aquaticum.

*Deſcriptio*

ERucæ facie *folia* profert viridia & atronitentia, ſapore hortenſis Naſturtii, mitiore: *caules* procidui ferè, ſtriati, concaui, ex viridi rubentes nonnihil: *flores* quadrifolii, albi, apicibus luteis: *ſiliquæ* oblongæ, bene habitæ: in quibus exigua *ſemina*, fulua, guſtu acria: *radicis* vicem ſupplent, capillares fibræ candidæ, quas à caulibus imis demittit.



Variat, inquit C. Bauh. hæc prout humidioribus, aridioribúſque locis enaſcitur: illud foliis ferè Terebinthini magnitudine: hoc triplo minoribus, quamuis viribus non diſcrepent: ſic & tenuioribus foliis & ſimplicibus cauliculis locis ſiccis repetitur.

*Naſturtiū* — *Senecio*

Σισύμβριον ἕτερον, teſte Dioſcoride, ſunt qui Cardaminen, alii Sion etiam appellant. Eſt verò herba aquatica, quæ in iiſdem quibus Sion locis prouenit, Cardamine ideò nonnullis dicta, quòd guſtu Cardamum, id eſt Naſturtium, repræſentet. Folia primùm rotunda prodeunt: augeſcentia verò Erucæ modo finduntur.

Plinio (qui cum Siſymbrio priore Dioſcoridis confundit, vt videre eſt H.n.g.lib.28.) vocatur Siſymbrium in riguis natum, ſimile Naſturtio. Paſſim verò ab omnibus hæc planta traditur.

Ruellius magnâ confidentiâ ſcribit neminem negaturum fore Siſymbrium Dioſcoridis, eſſe Naſturtium aquaticum Officinarum & vulgi *Creßionem*.

Cordus tradit Siſymbrium hoc alterum Dioſcoridis ſolo nomine priori ſimile. Nam Naſturtij potiùs quàm illius ſpeciem eſſe. Quapropter etiam à Græcis καρδαμίνην Naſturtiariam & à German. Brün kreß vocari, monétque Recentiores maximo errore Senecionem appellare.

Naſturtium aquaticum (referente Trago, Germ. & Lat. lib. 1. cap. 26.) ἀγριοκαρδάμινην quidam appellant, quamuis ad pratenſe videatur hæc appellatio referenda. Iacob. Manlius Naſturtium agreſte, Saturagi, Senation, & Lepidion vnius & eiuſdem plantæ nomenclaturas eſſe cenſet. Non deſunt (inter quos Simon Ianuenſis eſt) qui Naſturtium hoc Thapſiam Indam, Sceſſabram, Ozimū, Carmenū, Hoalmatā, nūcupatā velint, Lombardi (teſte Mālio) Criſonū nominât. Meſue Sciſſabram, Ozimum maius, Serapioni cap. 73. Ozimum carmenum dicitur. Sunt qui Naſturtium aquaticum, Naſturtiariam Cardaminem, Siſymbrium, Sium & Lauer appellent. *Tragus* autem eorum ſententiæ ſubſcribit, qui Siſymbrium alterum Dioſcoridis, Naſturtium aquaticum aut certè eam plantam eſſe affirmant, quam is Sion non odoratum, Crateuas autem σίον, & Plinius Thymbræum appellauit, quî fit vt Sion exiſtimet. Sed malè. Eſt enim Sion ipſius non odoratum, Anagallis aquatica, de qua ſuo agemus loco.

*Trag. notę*

Authoribus Monachis, alterum Siſymbrium à Dioſcoride deſcriptum quod eſt aquaticum, quódque vulgò *Creßionem & Creſcionem*, & Naſturtium aquaticum nominant, aliqui Cardaminem quaſi Naſturtiariam ſtatuunt. Nonnulli etiam [vt Dioſcorides tradit] Sion.

*Creſio*

Auicenna vocat illud Pupillam oculi, & Erucam aquæ, & Apium aquæ, & facit de eo caput quod eſt de pupilla oculi. Sed exiſtimauit idem eſſe cum Sio: quia fecit aliud caput quod inſcribitur de Sumio, vbi Bellunenſis pro Sumio vertit Sium, & pro pupilla oculi *Charealbaim*: vt ſupra quod eſt pupilla oculi: Et ſequitur: exiſtens in aquis ſtantibus, & in ipſo eſt bonus odor, & dicetur in cap. de Caſ. &c. In cap. de Caſ. autem ſcribendum Charealbain præſatum, quod eſt Pupilla oculi. Ergo ipſa duo capita ſunt vnum & idem, vt legenti non eſt dubium.

*Sion* — *Pupilla oculi*

Quibuſdam hoc Siſymbrium aquaticum falſò Lauer dicitur.

Errant Simon Ianuenſis & Pandectarius ſcribentes Creſcionem eſſe Dioſc. Senecionem.

Ioubert. in Pract. ſua vocat Senecionem aquaticam.

*Senecio aquatica*

Falli dicit eos Matth. qui pro Sio herbam *creſcione*, vulgò vocatam, tam ſcilicet dulcem, quàm acrem, ac ſubamaram, in medicamentis vſurpant. Quippe quòd ea non alia ſit planta quàm Siſymbrium aquaticum, quod, Dioſcoride teſte, aliqui Cardaminum, alii Sium appellent. Picturam huius Siſymbrii, vel Naſturtii aquatici habet Matth. ſine floribus & ſiliquis, huiúſque ſummitates videtur appinxiſſe ſuo Sio. Camerarius ad hiſtor. Germ. aliam poſuit figuram cum ſiliquis & floribus.

*Sium* — *Creſcione dulcis, acris ac ſubamara.*

Anguill. dicitur Vella (cuius mentio fit in lib. ſimpl. Gal. attributis) nihil aliud eſſe, quàm Siſymbrium 2. à Fuchſio pictum, quod eſt 3. Matthioli, Sium Crateuę, Siſymbrium 2. Dioſcoridis, quòd notum ſit in Italia ſub nomine Creſcione) & Senecion Serapionis. Conſiderandum tamen in Naſturtio aquatico florem eſſe album, Vellæ verò tribui florem violaceum, vt monuimus cap. de Vella.

*Vella Galeni.* — *Siſymbrium 2. Dioſc.*

Dodon. Gall. σίον, Sium, Lauet, Gall. *Creſſon aquatique*. Lat. in fol. Naſturtium aquaticum. Sion Crateuæ. Lonic. Siſymbrium, Cardamine Græcorum

rum, Naſturtium aquaticum, Offic. Lacun. Siſymbrium tertium, Siſymbrium Cardaminon: Cronemb. de comp. med. Alterum Siſymbrii genus, Cardamina. Io. VVeyer. Naſturtium aquaticum maius. Marc. Hirſch. Naſturtium aquaticum minus, Græcis σισύμβριον καρδαμίνη, dictum Scorbuti ἀντιφάρμακον: Euch. Roeſl. Naſturtium aquaticum, Senecion. Cæſalp. ſymbrium aquaticum.

Hiſt. Lugd. Siſymbrium Cardamine 1. Creſſio vulgaris Matthioli.

Crateuæ Sion Erucæ folium, Naſturtium vulgi [ſic enim Adu. Lob. & Penæ inſcribunt,] quia non perinde odorato eſt guſtu, vt Dioſcoridis Sion, minúſque medicato & acri ſapore, idcirco Plebecula Naſturtium aquaticum, Crateuas etiam ὀλίβω, id eſt, parui faciendam dicit. Huius varietas duplex, vna minor æqualis fermè Dioſcoridis Sioni ſiue Laueri, cui conuictor, & ſimilis eatenus, vt non rarò ruſtici vtramuis pro vtralibet accipiant. Hoc Siſymbrium ni fallor vocant alibi Adv. Cardaminem aquaticam & Berulam. Icon. Plant. p. 209. Teut. 150. Tabern. Hiſt. & Icon. Siſymbrium aquaticum, Græcè καρδαμίνη. Lat. Sion aquaticum, Naſturtium aquaticum, Anagallis aquatica, Siſymbrium Cardamine, Lauer: Ital. *Gorgoleſtro*, Gall. *La Berle*. Hiſp. *Rabacas*. Mirum Iac. Theod. tot miſcere nomina diuerſarum plantarum: confundit cum Naſturtio aquatico nomina eius plantæ, quæ à plæriſque Anagallis aquatica dicitur, quę Germ. Bachpüngen: & Gall. *la Berle* dicitur.

Gerard. Sium minus, Smal water Creſſe. Græc. σίον. Lat. Sium alterum & Siſymbrium, ſaporis eſt Naſturtii ſatiui. *Neſcimus* quid venerit in mentem Gerardo vt poneret iconem Siſymbrii aquatici. 1. Tabern. cum dictis nominibus Tabern. quod deterius, eum mox tribuere nomina Naſturtii aquatici Sio medio ſiue Paſtinacæ paluſtri Tabern. ac id denominare malè Naſturtium & Siſymbrium aquaticum.

C. Bauh. Phyt. Naſturtium aquaticum primum σισύμβριον ἕτερον aut καρδαμίνη Dioſc. & Plinii fortè lib. 20. cap. 22.

Σισύμβριον ἕτερον ſeu καρδαμίνη Dioſ. Siſymbrium, Cardamine, ſiue Naſturtium aquaticum: Germ. Brunkreß/ oder waſſer kreß: Belg. waterkerſe: Gall. *Creſſon*. Ital. *Siſembro aquatico* & *Creſcione*. Hiſp. *Berros*, aut *Agriaos*. Angl. Watter creſſes. Boh. Ricricha potocny.

Siſymbrio montes plærique ſcatent, inquit Plinius, ſicut in Thracia, vbi aquæ deferunt ex iis auulſos ramos, ſerúntque. Item Sicyone ex ſuis montibus, & Athenis ex Hymetro. Simili modo & Siſymbrium ſerunt. Lætiſſimum naſcitur in puteorum parietibus, & circa piſcinas, & ſtagna. In fontibus calidioribus aquæ ſupernatare, ac Maio menſe ingruente floſculos admodum exiguos & candidos proferre, teſtatur Tragus. Siſymbrium Cardamine ſiue Naſturtium aquaticum abundat circa Geneuam, vt *en plain palais*, vbi tota hieme viret iuxta fontem, ac eo in acetariis vtuntur. Obſeruaui in Italia inter Veronam & Caſtelfranc. Monſpelii vidi cum flore Martio menſe. Montbelgardi multis in locis prouenit ac tota hieme viret, floret Iulio & Auguſto.

Excalefacit, autore Dioſc. vrinas mouet, ac crudum etiamnum eſtur. Purgat etiam lentigines ac vitia cutis in facie à Solis ardore contracta, nocte tota impoſitum & matutinò detractum. Efficax eſt teſte Plinio, aduerſus aculeata animalia, vt ſunt crabrones & ſimilia. Sedat capitis dolorem: Item Epiphoras. Alii panem addunt, alii per ſe decoquunt in vino. Sanat & epinyctidas, cutiſque vitia in facie mulierum intra quartum diem, noctibus impoſitum, diebúſque detractum. Vomitiones, ſingultus, tormina, ſtomachi diſſolutiones cohibet, ſiue in cibo ſumptum, ſiue in ſucco potum. Non edendum grauidis, niſi mortuo conceptu. Quippe etiam impoſitum eiicit. Mouet vrinam cum vino potum. Quos vigilare opus ſit, excitat infuſum capiti cum aceto.

Galenus Siſymbrium Cardaminem dictum, ſiccum quidem, tertii ordinis calefacientium ac ſiccantium eſſe dicit: humidum verò & viride ſecundi.

Cum Raphano & Petroſelini radicibus ſerto, ex albo meraco & butyro calefacto, calidóque pubi admoto, vrinas educit ac trahit, Matth. Sincipiti illito veternoſos iuuat & præſertim foliorum ſucco. Quod Plinius ſcripſit: quos vigilare opus ſit excitat infuſum capiti, cum aceto; Matthiolus ait ſuccum cum aceto naribus impoſitum id facere: dicit ex ſententia Plinii vitandum grauidis, quia nimiùm pellat. Plebecula vt tradit Lobelius in quadrageno veris ieiunio multùm in acetariis vorat, ac potionibus ad calculum accipit, nec malè cedit. Hæc herba ait Camer. in hiſt. Matth. eſt ex iis, quarum vtilis vſus eſt in obſtructionibus & putredine Hepatis & lienis, ideò non ſolùm Hydropicis valdè vtilis, ſed multò magis iis qui laborant Scorbuto morbo vulgari Saxonibus & Septentrionalibus, ſi per aliquot dies in potu detur.

## SISYMBRIVM CARDAMINE, SIVE Naſturtium aquaticum flore maiore elatius.



Deſcriptio

NAſturtium hoc aquaticum *caules* habet infirmos graciles, canaliculatos & veluti intortos, cubitales & bicubitales, in ramulos aliquot circa ſummitatem diuiſos: in quorum extremis *flores* ſimul multi vt in Naſturtio pratenſi, eadémque ferè magnitudine, pediculis ſemuncialibus & longioribus, inodori, albi, quatuor foliis conſtantes, apicibus purpurantibus, ſtilo viridi: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* longæ, in quibus *ſemen*: *folia* ex interuallis alternatim in caule & ramulis diſpoſita odore & ſapore Naſturtii vulgaris, nonnihil amaricante, alata, quorum ſingularia ſegmenta interuallo diſtantia, oblonga ſunt & ſinuata, Atriplicis ſylueſtris ferè modo, infima verò vbi primùm prodeunt, rotundiora, vt in Iberide Fuchſii. *Radix* repit, hinc inde demiſſis fibris tenuibus.

Figura niſi iam facta fuiſſet meliorem curaſſemus parandam: Hanc autem plantam propter

magnam ſimilitudinem cum Siſymbrio, Siſymbrium & Naſturtium aquaticum vocamus. De hac fortè Thal. in Harc. ſequentibus agit: Siſymbrii alterius ſecunda ſpecies, ſeu Naſturtiũ aquaticum, amarum, priori omninò ſimile eſt: niſi quòd grandius paulò aſſurgat, ac folia magis acuminata, longioraque habeat, & nigriora: ſaporis vehementer amari, ita vt prioris modo in menſas recipi non poſſit, niſi decoctum, iuribus tamen prioribus abiectis tamdiu donec amaritudinem omnem deponat. Hoc autem antequam caulescat folia exhibet rotunda, ampla admodum, duarum ferè vnciarum. Ac vtraque ſpecies non rarò iiſdem in locis ſimul & ſemel reperitur.

*Naſturtium aquaticum amarum*

Sion alterum [ ſic vocante & ſcribente Camer. ad Hiſtor. Germ. Matth. ] abundat iuxta riuulos & locis humidis, potiſſimùm in ſiluis, vbi vt plurimùm reperit, caule tenero. lato, Naſturtii fontani tenuiore & delicatiore. Item in lib. Icon. ſiue Epit. Matth. Sium vulgare. Italis *Sio falſo*. An Matth. intellexerit per Sion quod olim pro vero exhibebat & poſtea pro falſo, eandem plantam quam Camerarius, conſideratione opus habet. In icone Matthioli flores minimi, ſolia Apiorum modo diuiſa. In icone autem Camer. ( quæ quoad folia potiſſimùm, minùs placet) non ita diuiſa, flores etiam maiores: nos igitur quod antè diximus, Iconem Matth. figmentum ex diuerſis plantis cenſemus. Hoc etiam hîc notandum, deſcriptionem Camerarii poſſe conuenire cum Siſymbrio Cardamine minore.

*Camer. notaur* — *Matth. figmentum.*

*Sinapi.* An Trago Naſturtii aquatici genus, Sinapi ſextum flore albo in littoribus & ad foſſam guſtu ſubamaro.

*Naſturtium riuale.* An Geſner. hort. Naſturtium aliud riuale circa ſaxa riuorum Stein kreſſich. Alterum Naſturtii aquatici genus ſiccius duriuſque & acrius. Item in cat. Naſturtium ſylv. καρδαμον ἄγειον, Stein kreſſich?

*Cardomon agrion. Lethalis. Sion.* An Lacunæ Siſymbrii aquatici alia ſpecies maior, vulgò dicta Borrazas, quæ reformidanda, quia aliqui eius eſu mortui.

C. Bauh. Phyt. Naſturtium aquaticum flore maiore. Sium vulgare Matth. Sion Matthioli & Italorum Lobelii.

C. Bauh. apud Matth. Naſturtium aquaticum alterum, quod amarum eſt & vltra cubiti altitudinem aſſurgit, foliis magis acuminatis, de quo Thalius.

*Locus & tempus,* Naſturtium prædictum obſeruaui copioſè ad riuos vallis Griſbachianæ, vbi fontes acidi, & apud fontem acidum Bibelſaw, aliquid amaritudinis & hirſutiei ibi obſeruaui. Vidi præterea inter Rötlingam & Pfulingen in Ducatu Vvirtembergico: inter Maſmunſter & Raupack: inter Beffordiã & Daniutin ad ripam fluminis, florens Aprili & Maio. Frater Caſparus miſit aliquando collectum Baſileæ ad riuos: Semel etiam vidimus, non longè à Molendino Montbelgardi, iuxta flumen.

## SISYMBRII CARDAMINES SPECIES quædam inſipida.

*Deſcriptio* CAules multi cubitales ac maiores, ſtriati, glabri, caui: *folia* dodrantalia alternata, foliolis conſtant in alæ propemodum formam digeſtis, aliis aduerſis, aliis alternatis, ad communem coſtam geminâ pinnâ caules complexâ annexis, vncialibus, ad Siſymbrii Cardamines flore maiore folia accedẽtibus, ſed Apiorum modo inciſis, ſapore nullo manifeſto: *floſculi* per ſummos ramos conſerti, parui, albi, apiculorum numero muſcoſi viſi: quos *ſiliquæ* excipiunt longæ, vnà cum floribus inſipidæ.



*Vella Galeni.* Hanc plantam C. Bauhinus collectam Patauii in monte Caſtelli, dedit nomine Vellæ Galeni Guillandino, fortè apud Matthiolum hanc intelligit per Vellum Anguill.

An Cæſalpino Accipitrina altera ſimilis primæ (ſiue Seriphio Germanico:) foliis craſſiùs diuiſis, ad Naſturtium accedentibus, minoribus: floſculis candidis, ſiliquis prælongis & tenuibus. Deſcriptio Cæſalpini in quibuſdam conuenit cum noſtra planta.

*Locus. tempus.* Vidi in horto D. Friderici Meyer Argentinæ, vbi pluribus annis ad murum durat, florens Maio, vti Montbelgardi in horto Il. E.C. vbi plantaui.

## SERIPHIVM GERMANICVM SIVE SOphia quibuſdam.



*Deſcriptio* ALta eſt cubitum aut ſeſquicubitum, compluribus *ramis* fruticans, duris, lignoſis, in alas multas diuiſis, teretibus, ſubhirſutis: *folia* tenuiter inciſa, Abſinthii Pontici officinis dicti, ſapore oleraceo, leui acrimonia prædita: *floſculi* crebri, parui luteoli, quadripartiti: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* vnciam circiter longæ, fili inſtar tenues, *ſeminum* loculos foris oſtentantes: ipſum verò ſemen minutum, ruffum: *Radix* alba.

De hoc Tragus. Nihil refert, inquit, ſiue ſpecies Abſinthii ſit, ſiue Abrotoni. Si Dioſc. non diceret Seriphium in Ægypto prouenire, exiſtimarem eſſe noſtram Wormkraüt, ac hoc pro eo vterer, vocabo Seriphium Germanicum, & Lumbricorum herbam. In Bauaria & Haſſia ſemen hoc Woll ſamen appellant.

Geſner. hort. Naſturtii genus ſylu. quod Wolſamen vocant.

C. Bauh.

C. Bauh. phyt. Naſturtium ſylu. Monophyllon latiore & anguſtiore ſolio reperitur, quare duas figuras habet Tabern. Thalictri nomine, ſed Dioſc. non eſt: nec etiam Seriphium Abſinthium vt aliqui volunt.

Tabern. Icon. & Hiſtor. Thalictrum, Herba Sophia latifolia, Sophienkraüt Mänlein. Thalictrum, Herba Sophia anguſtifolia, Sophienkraüt weiblin. Hactenus aliqui Sophiam exiſtimarunt verum Seriphium, aut Abſinthium marinum, ſed errarunt. Eſt verum Thalictrum aut Thalietrum Antiquorum. Herba Sophia quibuſdam dicitur Eruca geratina.

Dodon. Gall. Thalietron, Thalictron & Sophia.

Aduerſ. deſcribunt ac dicunt, ſitne Sophia Chirurgorum Thalietrum Dioſc.? Sophia vulneraria apud Septentrionales. Paracelſiſtæ nullum non vlcus, ſe ea percuraturos pollicētur, ꝙ didicerunt à Chirurgis practicis, qui ætate Guidonis & Petri Argelatæ vixerunt. Quærit & Lob. Obſ. Eruca Geratina dicta Italorum an Sophia Belgarum: an num potiùs Matthioli Eryſimum? Idem alibi figuram habet hæc ſcribens, Sophia Chirurgorum ſitne Thalietrum Dioſcor. Aduerſ. p. 329. Thalietrum Dodon. vel num ſit Eruca geratina Italorum? Perperàm Seriphium germanicum Tragi, Fuchſii, & Cordi, Icon. plant. p. 735. Teut. 901.

Apud Fuchſ. in Hiſt. Lugd. impreſſa pictura eſt ſine deſcriptione cap. 123. hoc titulo: Naſturtium ſylueſtre. Oportebat apud Fuchſium relinquere figuram cap. de Abſinthio, exiſtimabat enim eſſe Abſinthium Seriphium quod apparet ex ſiliquis, quas attribuit Seriphio, qua in re meritò reprehenſus Matthiolo. Lonicer. würmkraüt/welſamen/habichs kraüt/Seriphium, vulgò Accipitrina, Officinis Santonicum, Ital. *Seme ſanto*, Gall. *mort des vers*, Hiſp. *Semiente lumbrizes.* Sophiam deſcribit & depingit ſi contuliſſet Santonicum Officinarum, ſiue ſemen Gal. & Hiſpanicè ab hoc denominatum, vidiſſet ſe confundere duas plantas.

Hiſtor. Lugd. huius figuram habet ſub titulo Thalietri Dodonei, confundens hoccum Thalietro Antiquorum. Cæſalp. Accipitrina vulgi.

Seriphium germanicum, quibuſdam, ſiue Sophiam copioſam, obſeruauit Tubingæ & Stutgardiæ Ducatus VVirtembergici, vbi præceptor meus Fuchſius vocabat Naſturtium ſylu. Baſileæ etiam florens Iunio, propè S. Iacobum prouenire annotauit Frater C. Bauhinus: Semine maturo Octobri abundè vidi iuxta Caſtellum *Florimont* ſiue Blümberg. Geneuæ multam & ex ſemine deciduo virentem menſe Martio. Montbelgardi eſt mihi ſata in horto Ill. E. C. florens Iulio. In Sabaudia frequens circa muros & rudera vidit Geſnerus. In veteribus maceriis, locis ruderatis, lapidoſis, ac non rarò arenoſis, ac aliis incultis exit, vbi ſemel nata ſingulis facilè recurrit annis. A Iunio in Autumnum vſque, & quidem particulatim, floret: ſemen interea perficiens.

Facultate, eodem tradente, Sophia reſiccans & adſtringens eſt, & particeps alicuius frigiditatis. Semen huius aſſumptum ventris fluores ſiſtit: aduerſus dyſenterias commendatur: ſanguinis profluuia reprimit. Cæſalp. ait: Semina laudas ad lumbricos necandos, ab iis puto, qui ad Seriphium referebant.

## SIVM SEV LAVER MATTHIOLO ſiliquoſum.

### Cap. XVII.

QVandoquidem Matthiolus videtur habere Sium, quod fictitium, lubet particulatim omnia recenſere quæ in ſuis in Dioſc. Commentariis annotauit.

Sium legitimum Dioſc. in ſcaturientium fontium riuis, quorum aquæ hyeme calent, æſtate verò frigeſcunt, plerumque naſcitur, à noſtratibus Senenſibus vulgò vocatur Gorgoleſtro, pinguis eſt planta, caule recto, foliis latis, in ambitu ſerratis, Oluſatro ſimilibus, ſed minorib⁹ & odoratis, florib⁹ candidis, ſemine corniculis incluſo. Rari admodũ ſunt fontiũ riuuli, quib⁹ aquaticum Siſymbrium innatet, qui Sium etiã non habeant. Plin. Sium cum aquatico Siſymbrio confudiſſe videtur: quòd Sio Siſymbrii aquatici vires aſſignauerit, nominis fortaſſe communitate deceptus. Nam Dioſcor. teſtimonio Siſymbrium hoc, quod aliqui Cardaminam vocant, nonnulli etiam Sium vocant, vnde, quòd fortè exiſtimauerit Plinius Sium & Cardaminam vnam & eandem plantam eſſe, vni tantùm Sio vtriuſque facultates reddidit. Serapio Sium Senacion vocat: Græcis σίον: Lat. Sium, Mauritani *Rot cathalmi* & *Inhamehanella*, ſeu *Hamehanella*. Germ. waſſerkerck: Hiſpani *Rabacas*, Galli, *Berle*. Item in Epit. Lat. edita anno 1571. eadem Icon cum ſequenti titulo & deſcriptione. Sium vulgare, Italis *Sio falſ.*, caulem edit ſtriatum, ramoſum, inanem, teneſum, fragilemque: folia gerit Apii, non inſuauia, floſculos in ſummitate albos, ſemine corniculis incluſo, paruo, minutóque: radice ſuperuacanea. Prouenit tantùm in aquis decurrentibus, atque, vt Sion verum excalfacientis eſt facultatis, quæ tamen imbecillior illi eſt, quàm legitimo Sio.

Matthiolus præter modò dictum Sium ſiliquoſum, in ſua Epitome iam dicta aliud proponit vmbelliferum, cui tribuit nomina, quæ Siliquoſo Sio tribuebat. De vmbellifero autem ſuo capite agemus: Sium ſiliquoſum cum deſcriptione retinet Matthiolus anno 1583. in com. cum magn. fig. quanquam icon ſit nonnihil mutuata, folia minùs rotunda, nec ita ordine ſerrata, præterea non addit Sium vmbelliferum: *In com. Ital. cum magn. figuris* 1568. icon eſt Sii ſiliquoſi, ſub titulo Sii vulgaris: mutauit nonnihil deſcriptionem, omiſit enim quæ ſcripſerat de corniculis, & aliam præterea poſuit iconem Sii vmbelliferi ſub titulo Sii veri. *In Hiſtor Germ.* 1563. cum magnis figuris, Sii ſiliquoſi iconem nonnihil mutatam habet, de qua modò dictum, additis his nominibus Bachpüngen/waſſer merck: Sium. Ital. *Sio & Gorgoleſtro.* Gall. *Berle.* Boh. patoc ruk. Deſcriptio eius non conuenit cum icone, tribuit enim in ea vmbellas. Nomen Bachpüngen ſolet attribui Anagallidi aquaticæ ſiue Beccapungæ quorundam. *Si liceat nobis* candidè dicere quod ſentimus, Iconem cum corniculis ac ſiliquis falſam cenſemus, & tres plantas per Matthiolum confundi, & Matthiolo euenire quod reprehendit in Plinio & aliis, & confundere Naſturtium aquaticum cum Beccapungo & Sio vmbellifero. *Matthioli errores plures.*

Camer. ad epit. Matth. pro Sio vulgari Matthioli ponit iconem noſtri Siſymbrii Cardamine dicti floribus maioribus, & in Hiſt. Germ. pro

*Camer. notatur.* Sio altero: quod non probamus, vt paulò pòſt dicemus: prætereain Hiſt.Germ. pro Sio & waſſermerck [omiſſo nomine Bachpüngen,] & in Epit.pro Sio vero poſuit Sium vmbelliferum, de quo inter vmbelliferas.

*C.Bauh. not.* C. Bauh. apud Matth. pro Sio vulgari ſiue ſecundo, ponit iconem Tabern.quæ Matthioli iconem imitatur, verùm eam plantam dicit eſſe Vellam Galeni, Anguillaræ, quæ nihil aliud eſt quàm Naſturtium aquaticum vulgare, de quo antè egimus & poſtea agemus. *Vella Anguill.* Is præterea pro Sio vero iconem ex Tabernam.poſuit quæ Sii vmbelliferi, de quo dicto loco. Ad hæc quid Lobelius dicat, videamus: Sion Matthioli & Italorum, inquit in Obſ.prouenit riguis & riuulis, vbi Cardamine folio ad Naſturtium hortenſe & Cardamine accedente. Cauliculi pedales & interdum cubitales. Flores albi, & Cornicula Sii Crateuæ, guſtanti acres: Plurima hæc Taurinis Pedemontanis collium & montium riuulis, vbi collegimus cum Petro Rapalino pharmacopœo Triuerenſi ſimplicium peritiſſimo. Hæc Lobelius. *Lobel, not.* Sed quam plantam intelligat, neſcimus, is habet iconem Matthioli, quam nos fictitiam cenſemus, ut antehac dictum à nobis, nullam ſanè nouimus plantam affinem Cardamini, cui folia ſint Apii modo, qualia demonſtrantur in icone Sii ſiliquoſi Matthioli. *Siſymbrii Cardamines ſpecies inſipida.* Noſtra Siſymbrii Cardamines ſpecies inſipida accedit quidem ad iconem Matthioli, ſi folia Apiorum eſſent diuiſa: præterea deſtituitur ſapore aliquo inſigni aut manifeſto.

## SISYMBRIVM CARDAMINE HIRSVTVM minus flore purpureo.



*Deſcriptio* Radices profert multas capillatas, tenues, folia ferè ſimilia Naſturtio aquatico, mollia, pilis ornata, ſapore Naſturtii: *caules* multos dodrantales ac etiam minores, in principio nonnihil hirſutos, *floſculos* paruos albos, quibus ſuperueniunt *ſiliquæ* multæ longæ, tenues, in quibus tenue *ſemen* fuſcum: Reperi: etiam, ni fallor cum cubitalibus caulibus, inferiùs rubentibus, ſtriatis, hirſutis, maioribus etiam foliis videtur in humidioribus locis variare.

*Naſturtii aquatici tertia ſpecies.* Conſiderandum an Thalius de hac ſcribat. Siſymbrii alterius ſeu Naſturtii aquatici tertia ſpecies, nullam habet figuram: offendi extra aquas, loco opaco, vltra Vualkenridam, radice candida, lignoſa, cirris plurimis obſepta: circa quam in terræ ſuperficie denſa, foliorum rotunditſculorum, nigroriúmque prioris ſpeciei paulò minorum, congeries latè diſpergitur, ex quorum medio caules oriuntur plures, cubitales fermè, folia oblongiuſcul: continentes, ac flores frequentes, candidos. *Semina* Semina huic fulua ſunt in oblongiuſculis ſtrictiſque ſiliculis. Hæc ille.

*Locus* In peregrinatione Rhætica collegi plantulam quam nominabam Naſturtiolum, longa ſiliqua, folio rutaceo, florebat & ſiliquas longiuſculas incipiebat proferre Iulio, duas vncias circiter alta, radicibus tenuibus fibroſis: quæ ſanè planta an ſit diuerſa vel eadem cùm præcedenti aſſerere non auſim. *Naſturtium alpinum* De ea autem hæc Frater Phyt. Naſturtium 8. ſiue alpinum matinum 2.ſiliqua longa obſeruaui inter plantas Fratris Io.Bauhini. Doctor.Theod.Collado Lauſannenſis Medicus ex Rhætia attulit quod palmi altitudinem æquat, foliis Rheſedæ vulgaris. *Naſturt. aquat. 3* Naſturtium 3. aquaticum minimum. Cardamine 49. Dalech. variat magnitudine fortè ratione loci, nam in aquaticis maior eſt, in Vinetis verò Wilenſibus riguis, vbi copioſè obſeruauimus, minor multò, vt & Patauino.

*C.Bauh.* C.Bauhinus apud Matth.in Dioſc.addita noua icone ſub titulo Naſturtii aquatici minimi, diuerſum facit à Siſymbrio aquatico altero Matthioli, ac mutatâ, ni fallimur ſententia, quæ erat in ſuo Phyt. vbi tradebat Naſturtium 8. alpinum minimum ſecundum ſiliqua oblonga, pro duabus plantis: vnam tantùm nunc facit, ac ſic de ea tradit. Naſturtium minimum ſiliqua longa, quod ex radice tenui, fibroſa, caules rariùs palmares, ſed minores, tenues, ſtriatos emittit, circa quos folia oblongis pediculis donata, pleraque tripartitò diuiſa, quædam tamen in partes quinque, vel Reſedæ vulgaris modo diuiduntur. Flores obtinet albos, tenues, in ſummo comantes, quibus ſuccedunt ſiliquæ longæ, anguſtæ, exiguo & ſubacri ſemine refertæ. Variat ratione loci in aquaticis namque planis maius, in Vinetis riguis Wilenſibus miliari Baſileâ, longè minus reperitur, cuiuſmodi & Patauii obſeruauimus. Prouenit etiam in alpibus locis humidis. Dicitur Cardamine quarta Dalechampio, Siſymbrium aquaticum minus, Camer.apud Matth.

*Siſymbrium aquaticum alterum.* Matth. in Dioſcor.edit. anni 1554. Siſymbrium aquaticum alterum: vbi icon ſine deſcriptione. Epit.Siſymbrium aquaticum minus, Ital. *Creſcione minore*, *Locus* *Vires* *ſubſtitut.* folia & caules edit longè minores ramulis numeroſis: floribus puſillis, tenuibus, albicantibus, in cacumine tantùm comantibus, non ſolùm in riguis & aquoſis prouenit, ſed etiam in hortis & ſecus vias. Imbecillius eſt altero: namque minùs calfacit & ſiccat: vbi verò alterum non ſit ad manus, hoc vti præſtabit. In com. cum magn. fig. addit eſſe ſapore acuto. Idem in Ital. cum magnis Icon. In Hiſt. Germ. Naſturtium aquaticum 2. brun Freß 2. *Matth. n.* *Si Matth.* eandem plantam nobiſcum intelligit ſummitates in pictura non placent, & denique tota icon.

Camer.in hiſt. Germ. Matth. & in Epit.omiſſâ Matthioli icone aliam ſubſtituit pro Naſturtio 2. aquatico. Placet autem hæc Camerarii meliùs quàm Hiſtoriæ Generalis ideò, aſſumpſimus.

*C.Bauh. not.* C.Bauhinus, vt pòſt dicetur, Matthioli Siſymbrium aquaticum hoc alterum idem facit cum Iberide Fuchſiana, quod nobis non ſatisfacit.

An Lobel. & Pena Aduerſ. Cardamine ſiue alterum Siſymbrium Dioſcoridis. A Cardamo, cuius acrimoniam veſcentibus refert, dicta Cardamine fuit, veluti Helleborine ab Helleboro, tametſi propiùs accedit Crateuæ Lauerì, ſiue Naſturtio vulgari aut vero, quàm Dioſcoridis Sio, aut etiam quàm Siſymbrio: etſi Dioſcorides Siſymbrii fecerit ſpeciem tribuerit que idem nominis plantæ menthæ hortenſi ſimillimæ, atque hinc

huic aquaticæ; ansámque Plinio confundendi vires Laueris atque huius Siſymbrii, quod Sion etiam vocarint. Eſt enim fontium limpidorúmque riuulorum ſectatrix hæc vbi Sion, ſed tota tenella, gracilíſque: folia promens ima, ſtrata latiùs, in nerueis cauliculis rotundæ Erucæ, aut aquatici Naſturtii vulgaris: quæ autem in caule ſeſquipalmari vel pedali anguſtiora multò ſunt, etiamque hortenſis Naſturtii diuiſura: floribus ſummis albidis, acri guſtu, ac in acetariis tamen minoris commendationis. *Dubii ſumus* quam plantam intelligat Lobelius: apud Matthiolum quem citat, eſt icon Siſymbrii aquatici alterius cum flore minuto & copioſiſſ. vmbellam penè referente, verùm Lobelius in obſeruat. icones longè diuerſas proponit floribus paucis & magnis, quæ Iberidem Fuchſii exprimunt de qua paulò pòſt.

Gerard. Cardamine latifolia, Great lodie ſchmock. An Geſner. Naſturtium in vineis naſcens quod Räbkreſſich appellant, folioſum, acre, Februario florens.

Lacun. in Dioſc. figuram habet Matthioli ſub hoc titulo, Siſymbrium Cardaminon.

Hiſt. Lugd. Siſymbrium Cardamine 2. Matthioli. Item paulò pòſt: Cardamine 4. Dalechampii, Cardamine minima aquatica. Figura Cardamines Dalechampii quodam modo placet, & meliùs quàm Matthioli, verùm melior Camerarii quam exhibemus.

An Iacob. Theod. Icon. & Hiſt. Siſymbrium aquaticum 2. Brunkreß. 2. Figura eſt Matthioli in qua ſummitates non placent, vt dictum, ſi eadem ſit cum noſtra.

An Gerard. qui iconem habet Matth. ex Tabern. Cardamine latifolia, Great ladie ſmocks.

Paſſim Monſpelii prouenit, vbi flores & ſiliquas profert menſe Februario & Martio. Patauii quoque copioſè prouenientem obſeruaui, & Geneuæ [vbi in acetariis vtuntur,] paſſim & maximè inter pontem *Arue* & *Lanci* florens Aprili: Plantas ſimiles ſiccas habui à D. Tho. Platero Med. Baſileæ collectas. Hanc quoque Cardaminem reperi, aut ſaltem ſimillimam maiorem prope Maſmunſter loco vmbroſo iuxta aquam ad muros, & in propinquis montibus ſecus torrentes, vt in monte Roſsberg virentem menſe Octobri: Fuerit eadem, ni fallor, reperta Iulio cum ſiliquis in peregrinatione mea Rhætica redeundo Burmio, & in monte Vveſen Heluetiæ, cuius odor tunc mihi videbatur eſſe Alii.

## IBERIS FVCHSII, SIVE NASTVRTIVM pratenſe ſilueſtre & flore pleno.

### Cap. XVIII.

E *radice* tenui & alba multiſque fibris capillata, *caulem* profert ſingularem dodrantalem, rectum, teretem, glabrum, & quaſi contortum, iuxta terram rubentem, qui in *ramos* diuiditur, in quorum ſummitate *flores* ſimul multi vel albidi purpuraſcentes, quatuor foliis obtuſis venoſis conſtantes, in quorum medio *ſtamina* lutea ſena cum ſtilo: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ, atropurpureæ, *ſemen* continentes: folia duum generum, inferiora enim per terram ſparguntur, rotunda, ex longis & tenuibus pediculis, in quatuor quinque aut ſex foliola rotunda diuiſa, ad coſtam per interualla adhærentia: ſuperiora verò quæ in caule ſunt, quaterna aut quina, ſine pediculis cauli adnexa, in tenues portiunculas quinas, ſeptenas, & terdenas ad coſtam vſque diſſecta. Sapore eſt tota Naſturtii aquatici.





Trago inſcribitur Naſturtium pratenſe, Gauchblům, Naſturtium 3. Ait porrò poſſe vocari Agriocardamum & Naſturtium agreſte: non autem quod Drabam ſuſpicatur, multò minùs quod ſibi perſuadet ex Naſturtio aquatico ſiue Siſymbrio procreari, vbi ſemen eius per inundationes in prata reiicitur: quot ſunt obſecro prata & viridaria quę non aluntur fluminibus, & tamen eâ plantâ abundant. *Tragus not.*

Fuchſius aſſerit, quod vocetur Gr. ἰβηρὶς, καρδαμαντική, ἀγριοκάρδαμον, Galeno & Paulo alio nomine Lepidion: Hiberis, Naſturtium agreſte Latinis, Germ. Gauchblům, Gall. *paſſe rage* aut *Naſitor ſauuage*: non aliâ ratione quàm quòd pleroſque, qui in illius notitiam nondum peruenerunt infatuet: poſſe etiam commodè Germ. dici, wilder kreß: Dicit præterea manifeſtum fieri ex flore lacteo, hoc eſt, ex albo purpuraſcente, herbam cuius picturam exhibeat eſſe Iberida. *Fuchſium autem falli* facilè cognoſcent, quibus nota erit vera Iberis, & qui hanc contulerint cum Veterum Iberide. *Fuchſii error.*

Dodon. Gall. figuram habet ac deſcribit: dicens, σισύμβριον καρδαμίνη. Lat. Siſymbrium Cardamine, quibuſdam etiam Sium, Gall. *paſſe rage ſauuage*, aut *petit creſſon aquatique*: Germ. Gauchblům/wilder kreß, & wiſenkreß/ Belg. Coeckoexbloemen & Cleyn water kreß. Herbariis quibuſdam flos Cuculi. Naſturtium aquaticum, non eſt Iberis, vt quidam exiſtimant.

Geſner. hort. Dodonæi Iberis, Naſturtium pratenſe quoddam ſylu. Item in cat. plant. Hiberis, Agriocardamon καρδαμαντική, fortè Steinkreſſich.

Gualtero Ryffio eſt Iberis, ſed planta quam icone exhibet, non placet, nec nomen additum Steinkreſſich.

Lobel.Obſ. duas habet parum differentes icones: Vni hæc aſcribit: Cardamine ſiue Siſymbrium alterum Dioſcoridis, Adu. p.71. perperàm Naſturtium agreſte ſiue Iberis Fuchſio, Cardamum Apulei & Naſturtium Italicum, Naſturtium ſylueſtre Cordi,& pratenſe Tragi,German. Gauchblům: Alteri autem iconi, Cardamine altera, ſiue Siſymbrium Cardamine ſecundum,Iberis & Agriocardamum Fuchſii, Gauchblům & wilder kreß. Flos Cuculi Dodon. Belg. klein watter kreſſe, & Coeckcoex bloeme, Gall. *paſſerage ſauuage*: à coloris acrimonia. Exit hæc altera Cardamine pratis vdis Angliæ,Belgii,Germaniæ & frigidarum regionum, vbi Cardamine, quam foliis tmis refert. In pedali caule vtplurimùm angularia folia exiliora Naſturtii hortenſis ſiue Cardami ſimilia. Flores lactei purpurantes Erucæ aut Napi, Cardamines prioris maiores, guſtu vti vniuerſa planta, & viribus Siſymbrium referentes clyſteribus & cataplaſmatibus, Lepidii, Naſturtii, Sinapi, & congenerum herbarum ritu,coxendicorum commodè miſcetur. *Obſcurus nobis videtur* Lobelius valdè, non demonſtrat qua in re differant duæ ſuæ icones:præterea in titulo ſecundæ iconis remittit ad pag.71. Aduerſ. vbi non fit mentio Iberidis Fuchſii, quinimò fit ibi mentio Iconis Matthioli plurimùm differentis ab icone Fuchſii: apud Fuchſium præterea vnica icon & deſcriptio Iberidis: Lobelius nihilominus hic in Obſ. ſub duobus titulis diuerſis Iberibis meminit Fuchſii,quaſi duarum meminerit,videlicet minoris & maioris. Eædem iam dictæ binæ icones proponuntur in Icon. Pl.cum his inſcriptionibus, Cardamine ſiue Siſymbrium alterum Dioſc.Lob.106.Teut.252. Item Cardamine altera ſiue Siſymbrium Cardamine ſecundum Lob.106.Teut.252.

*Cardamũ Apulei.*

*Flos Cuculi.*

Hiſt. Lugd. vnius plantæ duas ponit & figuras & deſcriptiones, ſub titulis: Siſymbrium Cardamine 3.Dodonæi.Cardamine altera,ſiue Siſymbrium Lobelii.

Tabern.Icon. Cardamine 1. Siſymbrium alterum Dioſc. Gauchblum/Wilder kreß 1. Cardamine 2.Gauchblům/Wilder kreß 2. Cardamine 2. ſpecies altera floribus lacteis, Weiß gauchblum. Figuræ duæ priores iuxta Lobelium,3ª. additi, ſufficiebat fortè vna. Figura Tabern.1. Lob.2. & quæ Lobel.1.Tab.2. Diſcrimen harum figurarum oſtendit in Hiſt. quod primæ flores albicantes. Secundæ folia paulò maiora, nonnihil curuata, & quaſi cochleata. Tertiæ flores nonnihil carnei coloris adſcribit.

Gerard.l.2.c.17. Cardamine 1. Cockowe flowers (Lob.1.). Cardamine altera, ladies ſmockes[Lob. 2.] Cardamine 3ª. lactea Milke White ladie ſmocks. *Cur Gerardus* quinto loco ponat plantam quam alii tertio loco poſuere,neſcimus,nec etiam placet,cùm colore differat tantùm: fortè etiam ei hæ plantæ incognitæ.

*Gerardus notatur.*

C.Bauh.Phyt. Naſturtium 4.ſiue pratenſe vulgatius, variat flore qui communiter ex candido leuiter purpuraſcit, aliquando prorſus albus eſt. Figura Tragi,Fuchſii & Matthioli in quarto, cum ea, quæ apud nos prouenit meliùs quàm Lobelii & Dodonæi conuenit: Non tamen differentia inter Tragi ſeu Matthioli & Lobelii conſtituenda, vt fecit Tabern. Flore etiam pleno habetur. Item Naſturtium 5. ſiue pratenſe alterum, Cardamine, ſiue ſiſymbrium alterum Dioſc.Lobel.Et hæc florum colore variat: cuius nomine Tabern. duas icones nomine Cardamine 2. poſuit. *Item apud Matth.* Naſturtium pratenſe vulgatius: Fuchſii Hiberis. Siſymbrium aquaticum alterum Matthioli: Cardamine altera Lobelii,Lugdunenſi,qui huius tres proponi,licet vnius ſint plantæ.*Quamuis folia* in Icone Matthioli reſpondere videantur Iberidi Fuchſii non tamen meliùs conuenire dicemus cum planta Iconem Matthioli, quàm Lob. & Dodonæi, nec etiam eandem dicemus Matthioli plantam cum planta Tragi vel Fuchſii, niſi dicamus ineptam admodum & falſam tum iconem Matth.tum deſcriptionem: ſcribit enim epit.p.à C. Bauhino citata, quod etiam demonſtrat icon,flores tenues puſillos: Conſiderãdum etiam an Iberis Fuchſii proueniat eo loco vbi ſiuum Siſymbrium aquaticum minus prouenire ait quæ antè ex eo recenſuimus.

*Tabern.not.*

*C.B not.*

Naſci tradit Fuchſius, Iberin incultis locis circa itinera & prata: Verno tempore apparere, Aprili potiſſimùm menſe & Maio, durareque ad æſtatis initia, quo potiſſimùm tempore lacteum florem fundit: initiò enim purpureo colore maculatus videtur, efficacioremque vſum obtinet, quòd tum ſemen etiam in ſiliquulis proferat.

*Locus & tempus.*

Iberidem Fuchſii,ſiue Naſturtium pratenſe obſeruaui Baſileæ in multis locis: frater C.Bauhinus extra portam S. Albani ad Birſam: in Maſmunſter:Geneuæ inter *Lancy* & *Pont d'Arue* in ſæpibus menſe Aprili. Montbelgardi abundat etiam in Horto Ill.E.C.ſpontè. Anno.1595.Iulii 8.D.Fridericus Meier dedit Argentinæ in ſuo horto Iberidem Fuchſii, quam dixit pleno flore, miſſam Biſantio per D.à *Belle fontaine*.qui Naſturtii aquatici ſpeciem faciebat, plantata Montbelgardi in horto Ill.E.C.pulchrè floruit ſæpiùs.

IBERIDI FVCHSII AFFINIS TRIFOLIA Cardamine.



CArdamine alpina trifolia nigricantibus ex purpura ramulis per terram ſerpit, in quibus oblõgo eiuſdem coloris pediculo terna perpetuò *folia* immittuntur, circa pediculum anguſtiora, per oras latiora & quaſi orbiculata, in ambitu nonnihil crenata, initiò tenella & viridia, deinde dura, nigricantia, acidulo primùm guſtu, poſtea acri: *cauliculi* teretes inter folia erumpunt ex purpura nigricantes, palmares, nullis aut rariſſimis (quæ terna etiam eidem inhærent) foliis prædıti: *flores* extremis ramis inſident, candidi, quatuor foliolis conſtantes, Cardamines pratenſis,quam Fuchſius Iberidem nuncupauit,perſimiles: his ſuccedũt tetroſæ & oblongæ *ſiliquæ* Dentariarum Corniculis ferè ſimiles, ſed minores:*ſemine* etiam minore,licèt ſimili,plenæ: radix ſumma tellure ſerpit, & ſubinde paruulas candidaſque fibras agit, ſic vt facilè ramulis terrâ obrutis pangi poſſit.

*Deſcrip.*

Carda-

Ad Cardamines ſiue Siſymbrii alterius genera referendam meminit Cluſius ante multos annos ab Alfonſo Pancio miſſam Machliniam *Sanicula fo-liæ* nomine.

Eam commodiùs Lobelius inter Cardamines recenſuit, trifoliámque cognominauit, de qua in Obſ. hæc ſcribit: Cardamine trifolia, quibuſdam hortis cultiorib. repertu facilis, Naſturtii Cardamines guſtu & facie plantula palmaris Siſymbrii Cardã. ſed poſitu terno, Oxys Plinianę ritu, humi procumbente. Flos in pediculis albus Iſopyri vulgaris aut Cardamines. Radix multùm fibroſa.

Inſcribitur à Cluſio Cardamine alpina 1. trifolia: à Lobel. Hiſt. Lugd. & Gerard. Cardamine trifolia: Tabern. Icon. & Hiſt. 3. C. Bauh. Phyt. Naſturtium alpinum trifolium.

Inuenit Cluſius in ſiluoſis montibus, nudo ſolo potiùs quàm herboſo, ad Abietum & prælta-rum arborum radices, totâ hyeme etiam virentem. Floret Iunii, in cultis verò etiam Aprili.

Anno 1571. Iulii 7. inter plantas ſiccas Aggerii Argentinæ reperi plantam [nullo tamen aſcripto nomine] quæ optimè reſpondet figuræ Cluſii poſitę inter Pannonicas pro Cardamine alpina trifolia.

## IBERIDI FVCHSII ALIQVATENVS SIMILIS Cardamine Dalechampii odorata.

Cardamine odorata *radice* eſt, craſſiuſcula, ſenſim graciléſcente, dodrantali, granulis plurimis candidis, & Coriandri ſemine non maioribus, tuberoſa, albæ Saxifragæ modo, multùm fibrata, *foliis* Siſymbrii Cardamines Dodonæi, humi ſtriatis, amplioribus, nigricantibus, guſtu acribus, ſed odore cùm manduntur tam ſuaui, vt ad Cinamomum accedat: *flore* ac *fructu* eſt Naſturtii.



Hiſt. Lugd. Cardamine odorata 5. Dalechampii: ſeu Naſturtium odoratum, quidam Callitrichon Plinii lib. 25. cap. 11. eſſe putant.

In Sequanorum ſiluis, Abietibus & Piceis conſitis, Cardaminem odoratam vidit Dalechampius muſcoſo ſolo.

## IBERIDI FVCHSII VEL NASTVRTIO aquatico affinis Cardamine alpina media Cluſii.

Cardamine alpina media, ſiue 2. Cluſii ſine figura, habet *folia* in orbem diſpoſita; duorum digitorum tranſuerſorum longitudine, profundioribus crenis inciſa, & laciniata, vti in Siſymbrio cardamine, ſiue Naſturtio aquatico vulgò nuncupato, hirſuta & aſpera, ſupernè veluti cinereo colore aſperſa, infernè verò viridiora, ſapore primùm acido aliquantulùm, deinde calidiuſculo: ex quorum medio prodit *cauliculus* dodrantalis aut amplior, tenuis, albos *floſculos* in ſummis ramulis ferens: deinde *ſiliquas* teretes, paruas: *ſemen* obſeruare non licuit: *radix* longiuſcula eſt, alba, quibuſdam fibris capillata.

Naſcitur in Styriæ inferioris ſcopulis ad Monaſterium Neuberg [quod Alpium iugo illi imminenti nomen impoſuit] in Styria inferiore. Florebat Auguſto.

## MYAGRVM VETERIBVS.

### Cap. XIX.

Myagros, quem aliqui, Dioſcoride dictante, Melampyron vocant, herba eſt ſurculacea. (φρυγανώδης, è cremiorum genere Sarrac. legit. Plin. ναρθηκώδης ferulacea) bicubitalis, foliis Rubiæ ſimilibus, pallidis: ſemen verò gerit Fœnogræco [ſic Ruell. & Sarrac. in verſ. Lat. Sed hic in Græca pro πίλει Fœnogræco, malè σφυχίλῳ εἰκὸς, collo ſimile, retinet,] ſimile, pingue. *Herba ſurculacea. Diuerſa lectio. Folia Rubiæ. Semen Fœnugraci. Sarrac. error.*

Non eadem omninò Plinius tradit: Myagros herba ferulacea eſt, foliis ſimilis Rubiæ, tripedanea, ſemen oleoſum, quod fit ex eo. *Herba ferulacea.*

Paulus Ægin. lib. 7. locis duobus diuerſis de hac eadem planta egit: ac priore quidem Μύαγρον [quaſi Muſcipulam diceret; ſiue Muſcariam, quæ inſidentes, ſiue præteruolantes muſcas glutine ſuo implicet) appellat: poſteriore verò μιαρὸν (quod impurum ſignificat & ſordidum, cuiuſmodi Melampyrum eſt) nominat: hic quidem Dioſcoridis, illic verò Galeni ipſiſſima verba referens. Quare Cornarius hoc Pauli loco Myagron vbique meritò legendum cenſet, & non Miaron; quòd alia non ſit herba à Myagro, ordinémque lectionis hîc perturbatum eſſe, vt primùm habeatur Myagri ſemen, deinde interpoſitis quibuſdam ſequatur Miaros, quæ eadem ſit cum Myagro, & ſic reſtituendum eſſe ordinem. *Paulus not. Myagri etymon. Miaron.*

Cæterùm Melampyri nomen dubium puto, ac ei euenire, quod multis aliis nominibus, vt vnum de pluribus plantis dicatur:

Præterea hoc loco fortè etiam legendum; vt admonet Cornarius, μελαμπυκνον, vt etiam habet Paulus Ægineta libr. 7. cap. 3. Vel dicendum Melampyrum aliud Dioſc. aliud Galeni, cuius meminit lib. 1. de alim. & Theophraſt. quod vocatur à Cornar. brandtweitzen, Triticum nigrum. Incertum eſt, quid intelligat Dioſc. lib. 3. cap. de Cratęogono, per μελάμπυρον, vbi Plin. habet lib. 7. c. 8. ſpicæ Tritici, & Theophr. λίνον πύξινον, quod Ruellius lib. 3. cap. 64. ſuſpicatur corruptum, Cornario idē aſſerēte, reponúntq; Melampyron. Fortè non intelligit de Myagro, quod mihi videtur veriſimile; communius enim, vt puto, nomen appoſuiſſet, videlicet Myagri; ſed de Melampyro Theophr. & Galeni, quam meam opinionem auget Plinij verba cùm dicit. Cratæogonum ſpicæ Tritici ſimile eſt, multis calamis ex vna radice emicantibus, multorúmque geniculorum, *Melampyri icon dubia. Melampyrum. Cratæogonum. Linum pyrinum,*

Myagri ſemine, inquit Dioſc. torrefacto & tuſo, virgas oblinunt, iiſque Lucernarum vice vtuntur. Cæterùm, hoc pingui (oleo) corporis ſcabritias expoliri, læuigaríque conſtat. Galenus ſcribit Myagri ſemen pingue eſſe: nam, ſi tundatur, oleoſum quid effundere, quod emplaſticam vim habeat. Diuerſam ab his facultatem tribuit *Vires.*

Plinius huic oleo, nempe quòd medeatur oris vlceribus eo perunctis.

## MYAGRVM DICTVM CAMELINA.

Deſcriptio EX vno *caule* cubito altiores rami, tenues, teretes, recti, ſubhirſuti, ſungoſa medulla farcti, ramoſi: quibus alternatim latiore baſi adnaſcuntur *folia* Drabæ, oblonga, mollia, non aſpera, & Rubiæ cui Myagrum Dioſcor. comparat, pallida, pinnis caulem amplectentia, leuiter in ambitu ſerrata, ſapore oleraceo: Ex pediculis ſatis longis, *flores* puſilli luteoli, quadrifolii: quorum ſingulis ſingula ſuccedunt pericarpia gigartis Vuarũ aliquatenus ſimilia, turgidula, oblonga, cum quatuor angulis vel coſtis, *ſemina* continentia multa, oblonga, triangula, Naſturtio minora, coloris ferè Fœnugræci, ſaporis Naſturtii, quæ in ore retenta contrahunt mucilaginem quandam: *Radix* vbi adoleuit lignoſa nonnihil & fibroſa.



Noſtra figura oſcitanter deprauata per Sculptorem: malè enim omiſſæ pinnæ caulem amplectentes: flores nimis magni.

Tragus Linariam veram vocat, Linariam quintam, ſeu Quintam Linariæ ſpeciem facit, ſcribens eam paſſim inter Lina reperiri, ac Lino adeò ſimilem exiſtere, vt ab illo vix ſeparari poſſit. Hanc porrò à Ger. Dort i.e. Zizaniam, communi omnium vitiorum, quæ inter ſegetes enaſcuntur nomine appellari: eſſe Pſeudo-linum: Ruri in agro Vormatienſi Doller kraût / & in Alſatia Krimmel & Kluel dici.

Idem poſtea lib.2.cap.25.ait. Plantam ſuperiori libro inter Lunarias quinto loco deſcriptam: Seſami genus eſſe ſtatuo. Tametſi deſcriptio Seſamæ, quæ apud Theophr.lib.9. extat, huic noſtræ plantæ non per omnia reſpondeat, vt rarò ſtirpem inuenias, quæ vno & eodem modo à diuerſis Scriptoribus depingatur, hæc tamen obſtare non poteſt quominus Seſamam noſtram agnoſcamus. Hæc ille, qui etiam innuit Plinii Seſamum, ac etiam Columellæ, nec non Dioſcoridis vti & Theophraſti: Titulus in Hiſt. Lat. figuræ eſt Seſama, Germ. flachs Dotter/In Germ. Daß recht. vnd gemein flachs kraût / Dz fünfft flachs kraût/

Tragus not. Linaria vera, ſiue quinta. *Sed quæ Obſecro* tanta ſimilitudo Seſamæ Tragi cum Lino vt vix ſeparari poſſit: ipſa figura Tragi monſtrat magnum diſcrimen, qui viderint Seſami plantam & ſemen, nunquam concedent Trago, hanc plantam eſſe Seſamum Dioſcoridis, Theophr. & Plinii, vt ipſe ſibi falsò perſuadet. Præterea Tragus non animaduertit non vbique neglectam hanc ſtirpem, quod infra patebit ex Ruellio.

Anguill. Myagron Dioſc. in Italia quibuſdam in locis *Sezenzina*, in aliis *Durella* dictum.

Lobel. & Pena Aduerſ. quibus Myagrum, Germ. & Gall. *Cameline* dicitur, quod quidam minus Seſamum putarunt, ſcribunt inepiire Senenſem, dum doctis nullâ melioris hiſtoriæ commentatione aduerſetur, Pſeudo neſciunt quid intrudens, quæ Vacaria videtur. Matth. not.

Dodon. frum. deſcribit dicens: Camelina, Germ. flachs Dottern & Lein Dottern, Gallis *Cameline*. Officinæ plæreque Seſamum appellant, oleoque huius pro Seſamine vtuntur: eſt cereale Eryſimum, quod à Galeno ac à Theophraſto ἐρύσιμον appellatur. Eadem quoque tradit in ſol. vbi Camelinam ſiue Myagrion vocat, ſiue Theophraſti Eryſimon, & Myagrion Dioſcoridis. In Hiſt. Gall. lib.4.cap.35. depinxerat & deſcripſerat, ibi vocabat λίνον πύρινον Theophraſti, Linum triticeum.

Falli autem eos qui Myagrum Dioſcoridis non agnitum, arbitrantur eſſe Seſamum, teſtatur Geſner. horti, qui primus mihi hanc plantam pro Myagro monſtrauit, nec video quidquam quod magnopere repugnet.

Lacun. Seſamum. Lonic. lein Dotter aut flachs Dotter, Græcè Pſeudolinum, Officinis Seſamum.

Vt autem eò clariùs oſtendatur, quàm cæcè Ruellius in Hiſt. Myagri circumagatur, potiorem eius hiſtoriæ partem duximus aſcribendam: Melampyron, inquit, etſi Tritici vitium eſſe Galenus fateatur, eius tamen exortu degenere, nihil incommodi ſentit. Hoc Siculo Tritico peculiare fecit Theophr. Granum tamen innocens, nec ſicut Lolium graue, ac caput tentans. Herba proſilit tripedanea, ſurculoſa, foliis Rubiæ pallidis, ſemen colli figura, oleoſum: toſtum hoc vt Dioſcoridi placet, tundunt &c. frequens Sueſſionibus meis ſemine in colli ſpeciem exporrecto: rura noſtra Camelinam vocant, de quo in Myagro nonnihil etiam erit dicendum. Myagrum ſiue Melampyron herba ſurculoſa, ſemen Fœnugræci &c. Myagron herba Plinio ferulacea &c. Hanc ruſtici in Gallia ſerunt quamuis & ſuæ ſpontis inter ſegetes inueniatur: Melampyron ideò Græcis quaſi nigrum Triticum dici crediderim. Noſtri vocant Cameliam aut Camaminam, ſemen fœniculo ſimile in vtriculis conceptum. Fateri cogit oculata fides, ſemen τήλιδος hoc eſt Fœnugræci, non τραχήλου i.e. colli, vt in quibuſdam legitur exemplaribus] ſimilitudinem referre &c. *Conſiderent lectores* an Ruellius non confundat duas diuerſas plantas. Quod enim Camelina Myagros ſit [inquit Cornar.] nondum ſatis probauit Ruellius. Melampyrum eſſe illa non poteſt. Manet Myagros herba adhuc ignota, ſiue Melampyrum ſiue Melampicnon, eadem etiam vocetur. Mirum Ruellium priore loco ſemen colli figura dicere: deinde poſteriore refellere. *Meretur* ſanè Ruellius reprehenſionem Cornarii: dum tribuit ſuæ herbæ diuerſas figuras ſeminis.

Eſt hoc Matth. in prior. comm. Seſamum quorundam. Cæterùm etiam hanc plantam pro Seſamo exhibuit, quòd varia herbariorum de eo ſit ſententia: Sibi quidem, vt ingenuè fatetur, pro legitimo Seſamo non placet quòd hiſtoriæ refragetur, quam de Seſamo Theophr. & Plinius tradiderunt, ſed eâ ſaltem ratione depingi curauit, vt lectores admoneret, quod ea notis veri Seſami non reſpondeat, quódque in manifeſto errore verſentur, qui ſecus opinantur. Eadem repetit in poſt. com. latinis cum mag. fig. omiſſâ tamen icone. Ait præterea in poſt. comment. Ital. ſcribere quidem Ruellium, Myagrum naſci in Gallia,

à ſuis vocari Camelinam & Camaminam, ſe tamen non audere Ruellio ſubſcribere, quia hactenus non viderit Myagrum in Italia. Cæterùm eos haud dubie falli crediderit, qui putant vulgare illud aurei coloris ſemen, quod aliqui Drodam, Drodellam alii, nonnulli verò Dorellam dicunt, legitimum referre Myagrum. Is figuram ex prioribus com. ademptam huc reponit, ac præter iam dicta ſubdit. Non deſunt præterea qui plantam, quam Pſeudomyagrum appellauimus, legitimum eſſe contendunt. Verùm hæc Rubiæ folia non gerit, ſed Glaſti, & ſemen Naſturtii. Figuræ titulus, Myagro falſo. Idem in Hiſt. Germ. dicit: Quidam exiſtimant Seſamum eſſe Lein Dotter aut flachs Dotter/ quod mihi non placet, quia exiſtimo lein Dotter eſſe verum Myagron, de quo in in 40 libro. Idem in eadem Hiſt. Germ. figuram prædictam habet, ac dicit, lein Dotter aut flachs Dotter ſumunt aliqui pro Seſamo, ſed malè, vti diximus, meliùs cum Myagro conuenit, de quo Dioſc. lib. 4. cap. 112. Vocatur etiam Pſeudolinum.

atth. not. *Me ſilente* ex allegatis locis apparet Matthiolum non nouiſſe Camelinam Ruellii. Drodellam ſuam & ſuum Seſamum quorundam, vnam & eandem plantam eſſe, ac eum eâ figura malè picta dixiſſe habere folia Iſatidis, ac hinc putaſſe Aduerſaria Matthiolum Vaccariam intellexiſſe ea figura, quod tamen ex prædictis non ſit veriſimile: Figura etiam Matthioli, quanam in re accedit ad Linum vt mereatur dici Pſeudolinum?

Camer. apud Matth. Germ. Myagrum quorundam: in Epit. Matth. Pſeudo-Myagrum.

C. Bauh. apud Matth. Myagrum 1. ſiue ſatiuum. Myagrum 2. ſiue ſylueſtre, aut Pſeudo-Myagrum *Idem in Phyt.* horum meminit his verbis: Μύαγρο Dioſc. lib. 4. cap. 112. meminit, quod aliqui volunt idem cum Myagro vulgò dicto, at Rubiæ folia ſuo tribuit Dioſcorides: & Plinius lib. 27. cap. 12. cui Myagros dicitur. Quibuſdam tamen noſtrum ſecundum *Myagrum* eſt Theophraſti & Galeni Eryſimum: aliis Seſamum ob ſeminis ſimilitudinem & olei vbertatem. Myagrum 2. hortenſe: Myagrum Dodonæi, Cameline Myagrum Lob. icon. p. 224. *Item*: Myagrum tertium ſiue Myagrum ſylueſtre. Seſama Trago, Pſeudo myagrum Matth. Hoc ſatu tantùm à ſuperiore differre volunt, cùm tamen illud foliis ſit ſinuatis, hoc verò

.not. Glaſti folio non ſinuato. *Qui conſiderabit* varietatem foliorum Camelinæ, & aliqua conferet cum Rubiæ foliis, aliquam ſimilitudinem inueniet. Paruam inuenio affinitatem ſeminis Camelinæ cum vero Seſamo. Ex figura malè picta Matthioli & ex eius verbis de Glaſti foliis in ea iudicare non poſſum diuerſitatem. Si ſtatuendum propter figuram diuerſum genus ſeparandum etiam erit Tragi Seſamum, in quo folia non Glaſti, ſed ad Linum potiùs accedentia, & vt ipſe ait, Lino adeò

tth. not. ſimilia, vt ab illo vix ſeparari poſſint. Ego igitur non ſeparo: ſed figuram Matthioli non placere dico ac eſſe plantæ ei non benè perſpectæ & cognitæ. Tragi autem Seſamum factum ad ſtrigoſam aliquam plantam ſpontaneam & ſicco loco natam: non propterea aliam.

H. Lugd. vnius plantæ duas habet figuras. Vni titulus eſt, Myagrum Dodon. Hoc, inquit, Ruell. & eum ſequutus Dodonæus, atque alii Dioſcoridis Myagrum, quod & Melampyron vocari tradit, eſſe putant. Altera inſcribitur, Pſeudo-myagrum Matthioli. Nec hoc, ait, Matthiolus ſine ratione intruſit. Sunt enim, qui legitimum Myagrum eſſe contendant, aſt cùm folia Rubiæ non habeat, ſed Glaſti potiùs, & ſemen ei ſit Naſturtii, non Fœnugræci, ab eis diſſẽtit Matth. & non Myagrum, ſed Pſeudo-myagrum appellat.

Taber. Icon. Myagrum 1. Hiſt. Myagrion, Chamælinum.

Gerard. myagrum Golde of pleaſure.

Locus & tempus. Primùm vidi Tiguri in horto D. Geſneri: vidi Baſileæ conſitum agrum ante 30. annos in quo florebat & ſiliquas habebat Maio. Geneuæ in horto meo pulchrè virebat & adhuc florebat Nouembri ex ſemine deciduo, hiememque perferebat. In Italia copioſè vidi, vt Patauii in horto publico: florens Martio & virens Februario & inter Vicentiam & Villanouam: Monſpelii abundat in agris. Circa Montbelgardum Myagro conſitos agros habent ad oleum, quod dicunt caput grauare, vidi prope *Granges* quod quotannis ſemine deciduo ſe renouat, quodque maturum Iunii prinicipio. Agros benè ſubactos (inquit Ruellius) ſtercoratoſque hoc ſemine perinde quaſi Napis ſerunt. In tanta eſt apud nos [Gallos] nobilitate, vt ruri nemo non conſpiciat: Et iam ſuæ ſpontis inter ſegetes inuenitur. Affatim inter ſegetes Lini vbique locorum, maximè verò in Alſatia, & tractu Rheni, Tragus.

Vires. Ruſticis noſtris (inquit Ruell.) Camelina aut Camamina, oleo diſtringẽdo, quàm optimè cognita. Eius ſemen in areis pauitis rura flagris decutiunt, & vannis in auram vento ſilentem iactant, dum ſiliquarum recrementa vaneſcant: tum truſatilibus molis ſubiiciunt verſandóque ſubinde oleum exprimunt, quo non ad lumina tantùm Lucernarum, ſed & ciborum quoque condimentis pauperes vtuntur, magno huius olei prouentu. Vix quicquam aliud adeò ab auiculis inuaditur, atque hoc ſemen, quod animaduertentes quidam, id colligere ac alendis auiculis reſeruare ſtuduerunt. Oleum ex hoc ſemine conficitur longè præſtantiſſimum, éſtque Tragi iudicio gratius & iucundius Oleo Oliuæ. Sed non video ego quomodo præferri debeat, huius Seſami oleum, Oleo Oliuarum, vt Tragus præfert, dum ſibi perſuadet verum Seſamum, ac vires Seſami attribuit. Audio hoc oleum frigore non concreſcere. Modicè, vt Matth. annotauit, calefacit atq; humectat. Accedit omninò ad Seſami vires ſemen auiculis gratiſſimum. Paratur & ex eo oleum ſimilis facultatis.

## MYAGRVM TVRCICVM.



Deſcriptio. HOc longè tenerioribus virgulis, quàm præcedens, naſcitur, ſed culturâ fruticoſior fit [ait Camer.] ſemen minus in vaſculis vegetioribus profert. Herba eiuſdem eſt ferè naturæ cum Myagro.

Camer. ad hiſtor. Germ. & Epit. Matthioli. Pſeudo-Myagrũ alterum, ſpecies prima Myagri putati, quæ quia rarior eſt Mya-

gri Turcici nomẽ ſortitur ab hortulanis. Turckiſcher leindotter tenuis. C.Bauh.phyt. Myagrum 4. ſiue ſylueſtre alterum.

## CAMELINA MYAGRVM ALDROANDO.

Deſcriptio

EST hæc ex ſeminibus, quæ ab Excellentiſſimo Aldroando ex Italia nobis attulit Illuſtr. Dux Wirtemb. Creuit in horto Montbelgardenſi ſata: *Folia* numeroſa à *radice* exeunt, longo pediculo hærentia, repanda, principio ſubanguſto, oblonga, laciniata, qualia ferè ſunt Barbareæ, coſta inſigni pallidè virenti donata, à qua nerui ſaturatiori colore exeunt. *Caules* inter hæc prodeunt multi, pedales, teretes, ac craſſi ſatis, lentique, quibus folia præcedentibus ferè ſimilia, ſed superius nullo pediculo hæret. Summitatibus *floſculi* inſident candidiſſimi tetraphylli, quales Scorodothlaſpi velut in vmbella diſpoſiti. Succedunt *vaſcula* ſublonga. *Radix* alba eſt, ſimplex, fibs tenuibus capillata. Odor foliorum herbidus, ſicut & ſapor, gratus tamen ſatis: Radicis verò ad Naſturtii ſaporem quodammodò accedit, ſed minùs acris, ac mitiùs palatum & linguam vellicat.

Nemini hactenus quod conſtet cognita aut deſcripta planta nomine *Cameline Myagro*, à D. Aldroando donata, ſi Amanuenſis vel hortulanus bene ſcripſit.

Locus & Tempus.

Sata in horto Ill. C. VVirtemb. Montbelg. Aprili, floruit Iulio.

## MYAGRO AFFINIS PLANTA, SILIquis longis.

Deſcriptio

HVius plantæ *radix*, lignoſa, alba, ſimplex, fibris aliquot donatur, *caulis* plurimùm variat: eſt vbi vnciam parum excedit, frequentiùs altior, cubitalis vel bicubitalis, ſingularis, firmus, ſtriatus, ſubhirſutus & nonnihil rubeſcens, medullâ Sabmucinâ plenus, in ſurculos aliquot diuiſus: *folia*, Camelinæ ſimilia, alternatim poſita, vnciam lata, tres quatuórve longa, ex anguſto principio ſenſim dilatata, ſenſim deinceps in mucronem deſinunt, tactu aſpera, viridia, ſapore amaro prædita: *flores* parui, multi, conferti, lutei, quatuor foliolis conſtantes, apicibus itidem luteis, breuibus pediculis inſident: quibus delapſis, alternatim ſuccreſcunt ſiliquæ tenues, vnciâ longiores, quadratæ, ſemen copioſum, tenue, oblongum, amarum, claudentes.



Icon.pl.Camelinæ, Myagrum alterum Thlaſpi effigie.

Hiſt.Lugd.ſunt duæ figuræ vnius plantæ. Prima, Sinapi amarum Dalechampii vocata. Altera, Myagron aliud Thlaſpi effigie Lobelii: nec tres nobis videntur ſtirpes.

C. Bauh.phyt.Sinapi 11. ſiue Hiſſopi folio, Sinapi amarum Dalecham. Myagron 1. ſiue ſiliqua longa: Et Leucoium 13. ſiue luteum ſylu. exiguis floſculis. Viola lutea ſylu. Tragi, ſed vna. *Sed ſic boni viri ſua ditant opera.* C B. not.

Tragus Lat. & Germ. Silueſtres Violæ Luteæ. An Geſner.hort.Leucoii ſylu.genus minus?

Myagrum alterum Thlaſpi effigie Lobelii Obſeru.&Icon.Plant.

Compilator Tabern.duas quoque vnius plantæ ſub diuerſis titulis icones propoſuit. Ac primam quidem Hiſtor.lib.2.& Icon.plant.449.Eryſimon 3. wegſenff 3. Huius iconem Gerardus ponit pro Eruca ſylueſt. anguſtifolia Narrow leafed/wilde Rocket. Alteram verò Icon. p.866. Hiſt.538. Myagron 2. leindotter. Addit & ſecundam Gerard. quam Camelinam vocat Treacle wormiſeed, Eryſimum Galeno & Theophraſt. Hanc plantam non obſeruauimus à quoquam dictam Camelinam. Gerardus iconem ex Tabern.habet, ac ei euenit, ni fallimur, quod illi, vt duabus iconibus vnius plantæ, diuerſos tribuat titulos & diuerſas deſcriptiones. Aſt horum ſaltem in ſtirpium ignorantia meretur veniam.

*Eryſimum 3. Eruca ſilu. anguſtifolia Myagron 2. Tabern. Compilator notatur. Camelina. Eryſimum. Gerardus not.*

Floret Iulio & Auguſto, inueni propè Chaſtenoy ad ripam aquæ propè Molendinum quà itur Montbelgardo Beffordiam, poſtea alibi locis ſiccioribus, tranſtuli in hortum, vbi quotannis ex ſemine deciduo ſeipſam propagat. Inueni copioſè in pago Courchaton florentẽ menſe Octobri. Sata in horto Ill E. Celſ. ſemine deciduo ſe propagat quotannis.

## MYAGRON MONOSPERMON.

Deſcriptio

CRaſſa & alba eſt *radix*: quæ *caules* profert aliquot, cubitum aut ſeſquicubitum altos, glaucos, teretes, læues, ſolidos, medullâ candidâ farctos, multis alis concauos: *folia* Glaſti ſatiui ſuperioribus foliis nonnihil ſimilia, nonnunquam laciniata tamen, præſertim inferiora, ſimiliterque illis cæſia, nullo pediculo, pinnis ſuis caules amplectentia, ſapore oleraceo: *flores* lutei, quadrifolii, minores multò quàm Braſſicæ, paullatim nec eodem tempore ſeſe explicant, aliis primulùm à calyce erumpentibus, aliis in *ſemen* abeuntibus, quod ſingulare in ſingulis ſpiculatis burſulis, ſurſum ſpectantibus, & caulibus, ramuliſque appreſſis.



Caſp.Bauh.Phyt.Myagrum 5. ſiue monoſpermon.

Locus & Tempus.

Apud Fratrem C.Bauhinum vidi plantam nomin

mine Myagri monoſpermi quam deſcripſit. Baſileæ anno 1595. menſe Auguſto obſeruaui brachiatam cubitalem totam ſiccam ſeminibus onuſtam in horto Domini Doctoris Fœlicis Plateri, vnde accepi ſemina ſerenda in Hortum Ill. E. C. Montbelgardi. Sponte obſeruaui ſpontaneam in agro inter Dampierre & S. Mauritium.

## MYAGRO AFFINIS HERBA, CAPItulis rotundis.

Deſcriptio

MVltos ex *radice* ſimplici, lignoſa, producit *caules*, cubitales & bicubitales, hirſutos, fragiles, multis ali. dodrantalibus concauos, per quos, floribus tenuiſſimis, minoribus quàm in Myagro, pallidis, longa ſerie ſuccedunt alternatim diſpoſita *capitula* exigua, Coriandro minora, ſemuncialibus pediculis hærentia, per maturitatem nigra, in apiculum deſinentia, à quo quatuor coſtulæ minimùm alatæ ad pediculum vſque porriguntur: in ſingulis capitulis *ſemen* ineſt vnicum, flauum, oleaginoſum, nullo ſapore manifeſto: *folia* Myagro ſimilia, minora, hirſuta, aſpera, nonnihil ſucculenta, quæ per caules & ramos diſpoſita, nullo pediculo, amplexicaulia, alas vtrinque pinnatas proferunt, ſapore viſcido, & niſi obſtet leuiuſcula acrimonia, fatuo, infima ex longis pediculis leuiter ſinuata ſunt.



Sunt autem plurimi anni, ex quo hanc plantam vocaui Myagro affinem cum capitulis rotundis. Semen huius miſſum à Domino Doctore Schvvartzio Myagri nomine.

C. Bauh. Phyt. Myagrum 6. ſiue Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, quæ Io. Bauhino creuit.

Camer. ad Matth. Germ. Myagri ſpecies cum rotundis capitulis, ferè eiuſdem naturæ cum Myagro. Et Epit. Pſeudo-Myagrum 3. ſpecies 2. Myagri putati, exilior, vaſculis rotundioribus, alicubi in arnis ſponte naſcens.

Locus & Tempus

Annua planta flores & ſemina fert matura cum Myagro, Iulio, & Auguſto, ac quotannis ſe ipſam ſeminat. Myagro affinis cum capſulis rotundis & flore luteo in Ill. Princip. horto florens & virens cum ſuis capſulis Iunio 1608. Stutgardiæ.

## MIAGRO SIMILIS FLORE ALBO.

Deſcriptio

NVmeroſa ſtatim à *radice* fundit *folia*, glabra, vncias tres longa ad Iberidis folia accedentia, laciniata nonnihil: Inter quæ *caules* ſurgunt, medullâ farcti, alis concaui: Quarum exortum, folia ambiunt alata, & veluti denticulis laciniata. *Floſculi* in faſtigiis candidi, exigui, quos *vaſcula* ſequuntur ſubrotunda, acuminata, longo pediculo hærentia, ad Myagrum cum rotundis ſeminibus accedentia. *Radicula* longa, alba, ſimplex, vel cum paucis fibris.



Locus.

Inter Bononiam & Florentiam reperi cum floribus & capitulis. Dominus Agerius quoque Bononia delatam communicauit.

## SESAMVM VETERIBVS.

### CAP. XX.

Radix

Caudex Caulis

SEſamum, vt Theophr. ſparſim habet, pingue eſt, *radice* ſingulari cohæret, numeroſiore tamen, quàm Milium: *ſtirpe* aſſurgit ſimplici, altâ, ſurſum vires ſuas omnes intendente: *caule* ferulaceo, multiplici quoque magis, & craſſiore, quàm Milium, calamo conſtat, vnde omnium, quæ ex æſtiuis ſementibus ager recipit, Seſamum terræ moleſtiſſimum eſſe, plurimúmque poſſe emaciare putatur. *Flos* etiam foliis conſtat. Tota quadraginta diebus à ſatu conſummatur. Sua proprietate cernitur: nam *ſemen* gerit in *ſiliqua* magnopere circumſeptum, modo peculiari quàm legumina. Seſamum viride nullum animal mandit, propter amaritudinem & grauitatem ſaporis, ſed ſiccatum acceptius euadit, fructúſque eius ſuauis efficitur, candidus dulcedine præſtat, nam genus quoddam candidum.

Flos

Semen. Sapor

Genus candidum. Folia, Semen, Color

Plinius tribuit folia ſanguinea, caulem ferulaceum: ſemen in vaſculis, ab Indis venire ait, ex eo oleum confici, colorem eius candidum: Simile hinc eſſe in Aſia Græciaque Eryſimum, idemque fore, niſi pinguius eſſet quod Irio vocetur, medicaminibus annumerandum potiùs, quàm frugibus. *Et paulò inferiùs*, Seſamam in calida maceratam exporrigi iubet, deinde confricari, frigidæ immergi, vt paleæ fluctuent, iterúmque exporrigi in Sole ſuper Lintea. Quod niſi feſtinatò peragatur, lurido colore muceſcere. *Dioſcorides* omiſſâ deſcriptione, vires eius inter fruges ita perſequitur. Seſamon ſtomacho nocet, & animæ grauitatem facit, ſi quando commanducata dentium commiſſuris inhæſerit. Admota verò neruorum craſſitiem diſcutit, aurium fracturis & inflammationibus, ambuſtis item, & coli doloribus ac Ceraſtæ morſui medetur. Capitis autem dolores ex ardore contractos cum roſaceo lenit. Sed & herba in vino decocta eadem præſtat, ſed maximè oculorum inflammationibus doloribuſque prodeſt. Ex ipſo quoque ſemine fit oleum, quo Ægyptii vtuntur. Sententiam verò verborum Dioſcoridis ferè explicat, inquit Cornarius, Plinius lib. 22. c. 25. his verbis, Seſama trita in Ouo ſumpta, inhibet vomitiones. Aurium inflamma-

Irio

Seſamū Virg.

tioni illinitur, & ambuſtis. Eadem efficit & dum in herba eſt. Hæc ampliùs oculis imponitur decocta in vino. Stomacho inutilis cibus, & animæ grauitatem facit. Stellionum morſibus reſiſtit. Item vlceribus quæ cacoëthe vocant. *Hoc Plinii loco* vulgata exemplaria vino, pro Ouo habent quod veriſimilius vetus Codex noſter legit. Deinde in vulgatis eſt, amplius hoc, quod vetus habet, Hæc amplius, vt de herba accipiamus. Quod autem Stellionum morſibus reſiſtere dicit, Dioſc. non habet, niſi Ceraſten Stellionem reddidit. Aetius certè lib. 13. cap. 12. ad Stellionis morſum, Seſamum vtiliter imponi tradit. Ita etiam Paulus lib. 5. cap. 10. Sed & aituum doloribus conuenienter imponi poſſe apparet, κῶλον cum per ω legi debet non κόλον per o, quod inteſtinum craſſum ſignificat. *Plinius notatur.*

Galen. lib. 7. Simpl. Pharm. Seſamum, inquit, non parum viſcoſi ac pinguis in ſe habet. Vnde meatus obducit ſimulque mollit, & moderatè calidum eſt. Eandem vim habet & Oleum ex ipſo. Sed lib. 1. De aliment. ait, Pingue eſt Seſamorum ſemen. Quapropter etiam repoſitum citiſſimè oleoſum fit. Ob id igitur citò replet eos qui ipſum edunt, euertitque ſtomachum, & tardè concoquitur & pingue alimentum corpori præbet. Hinc clarum fit vigorem & robur ventris partibus addere non poſſe: quemadmodum neque aliud quid de pinguibus. Eſt autem & craſſi ſucci & ob id neque citò tranſit. Edunt autem ipſum ſolum non ita valdè, ſed cum melle cocto in placentas efformant, quas Seſamidas plerique vocant. Inſpergunt etiam ipſum panibus. *Oleum.*

Oleum Seſaminum, vt tradit Meſues, impinguat, ſemen auget, aſperam arteriam lenit, & vocem ob id claram reddit.

Cæterùm, vires, quas Seſamoidi Dioſc. aſcripſit. Plinius, dictatore Cordo, Seſamo aſſignauit, malè Seſamum pro Seſamoide in hoc auctore legens. Plinium autem, quod idem miratur, ſecutus eſt Ruellius. *Plinii error*

*Ruellius not* Memorabile illud eſt, quod Q. Curtius refert, militem, qui cum Alexandro Caucaſum tranſiret, ac inopiâ frumenti, cuius nihil, aut admodum exiguum reperiebatur, propè ad famem veniret, ſucco ex Siſama expreſſo haud ſecus, quàm Oleo artus perunxiſſe. *Siſama*

Seſamum quoniam à Dioſc. non deſcribitur, fit vt in eo demonſtrando plurimùm erretur. Si quis loca expendat de Seſamo apud Theophr. Dioſcor. & Plinium, colligere eſt, nullam earum plantarum, quæ pro Seſamo paſſim ab Authoribus accipiuntur, eſſe verum Seſamum. Prior quidem Seſami nomine vulgò recepta, de qua hoc capite agimus vera videtur, ſed vera certò affirmari non poteſt. Seſamum, qui arbitrantur Myagrum Dioſcoridis non agnitum decipiuntur. In Seſami & Myagri explicatione, ait Guilandinus, mirum quàm Matth. cæcutiat, quando Myagrum eſſe, Seſamum primò à ſe loco locatum, neſcit. Seſamum Cordi & Tragi, Seſamum Matthioli quorundam, dicitur nobis Myagrum Cameline. Non ſolùm Officinis notum eſt hodie Seſamum, ſed etiam quibuſdam locis apud noſtros [inquit Cornat.] naſcitur, & in cibi vſum venit, Lentis modo coctum: Appellant autem Schwaden. Sed decipiuntur, aiunt Cord. in Dioſ. & Geſn. hort. qui Seſami loco accipiunt Schwaden. Multùm rei herbariæ conſuluiſſent, ſi, quod decuiſſet, indicaſſent quid per Schwaden intelligerent. Dicere quis poſſet eos ignoraſſe quid ſcriberent, aut ſaltem inter ſcribendum dormiuiſſe. *Æquiuoca. Seſamum Myagrum. Myagrum Cameline. Corn. Cord. & Geſnerus taxantur.*

Seſamines flores [Itali *Ieſeminos* vocant] Sunt qui à Seſamino ſemine diſtinguere non valeant, Cordus. De hoc lib. 15. ſub Gelſemino. Seſaminum cum Seſamoide confundit Plinius, vti dictum, & eum ſecutus Ruellius. *Gelſeminū Seſamoides*

Quale porrò ſit illud oleum de Soſyma (cuius meminit M. Paulus Venetus) paruulos nigros faciens, conſiderandum aliis relinquimus, nos nihil tale de oleo Seſami annotatum inuenimus, fortè oleum Seſami miſcebatur cum aliis. *Soſima oleum.*

Officinæ pleræque Myagrum [Flechdotter] Seſamum appellant, ac malè eo, eiuſque oleo, pro Seſamo vtuntur, nobis atteſtantibus Matth. & Dodonæo. Seſami olei vice, quod exhibebat. Haly pueris quamprimùm erant nati, nos feliciter vti conſueuimus oleo lini, quod etiam faciebat Valembertus. Seſamo deficiente ſubſtituit Tract. qui pro quo, Semen Lini. *Subſtituta Myagrum. Oleum Amygd. Semen Lini.*

SESAMVM.



SEſamū per *caulem* cubitalem *folia* habet ſemuncialibus pediculis hærentia, craſſiuſcula, ex atro virore nōnihil rubentia, oblonga, acuminata, ſubinde quoque ſinuata: ex quorum alis *flores* emicant, calathi formâ, oblongi, albi, hinc naſcuntur *ſiliquæ* rectâ ſecundùm caulem aſcendentes, quatuor coſtis donatæ: in quibus *ſemen* dulci albâ medullâ præditum. *Deſcriptio*

Accepi à Cl. Paludano Seſami Indiæ Orientalis nomine, ſemina, alba, oblonga atque compreſſa, modicè acuminata, qualia præcedentis, quæ vix diuerſa exiſtimarim. Quædam eorum pullo ſunt colore, quædam fuſco, ſapore dulci.

Tametſi Seſami ſemen, à quo copioſum exprimitur oleum, Officinis notiſſimum ſit: pauci tamen reperiuntur Seplaſiarii, qui Seſami plantas viderint vnquam, cùm nullum, vel rariſſimum, quòd agros ſteriles reddat, feratur in Italia. Siquidem quod in Myropoliis habetur, ex Græcia & Peloponneſo ad nos conuehitur. Hæc Matthiolus, qui in prioribus com. figuram exhibet hoc titulo, Seſamum aliorum, in poſt. verò hoc, Seſamum. Ait autem is: Mihi planta, quam pro Seſamo hîc depingi curaui, quamque miſit ad me Piſis Lucas Ghinus, ſi verùm fateri debeam, non placet, quòd Hiſtoriæ refragetur, quam de Seſamo Theophraſtus & Plinius tradiderunt. Quare non auſim ego affirmare hanc germinum eſſe Seſamum, quòd in primis culmum non gerat milio craſſiorem, altiorem, numeroſioremque, nec radices longè plures, ſed ſcapum fabæ æmulum, in quo fabarum more ſiliquæ gradatim exeunt triquetræ, aut quadriquetræ, in quibus ſemen: Deinde quòd eius folia non rubeſcant, nec flos *Seſamum aliorum.*

herbaceo

herbaceo ſit colore. Hanc autem plantam depingi curaui, ea ſaltem ratione, vt illud lectores admonerem, quod ea, meo iudicio, notis veri Seſami non reſpondeat: quodque in manifeſto errore verſentur, qui ſecus opinantur. Non auſim [inquit idem in Hiſt. Germ.] dicere herbam hic pictam eſſe verum Antiquorum Seſamum, vt quidam exiſtimant, poteſt verò meritò dici Pſeudoſeſamum.

*udo-ſe-ſamum.*

Aſt dixit ſententiam ſuam Matth. videamus nunc alios, an hæc planta pro legitimo Seſamo ſit recipienda. Semen Seſami officinarum [ordiuntur in Adv. Loh. & pena] perpetuo nomine & vſu Seſamum fuit, quod ſatum vidimus adultum. Si ruborem deſiderat in Seſamo Senenſis, docti in illo pudorem, vt qui vnius plantulæ fortè aridæ animaduerſione, de Seſamo aduerſus omnium iudicia ſtatuerit. Seſamum vocatur Dodonæi hiſt. frugum, & in Ital. Camer. in Hiſt. & Epit. Matth. Lob. Icon. Pl. Tabern. & Anguill. cui & *Suſimani*, & in Sicilia *Giugiulena*. Quam benè verò Wirſung. in ind. ſuæ med. vocat, Leindotter ſemen Iaſminum, Seſſaminum, perpendant lectores.

*tth. car-ur.* *amum tthioli* *irſung uitur*

Proſper. Alpin. (*Sempſen, Sempſem & Seſamum* dicitur) Hiſtor. Lugd. vt & Camer. horto Seſamum verum. An Tragus de hac (ſibi fortè non ritè cognita,) Seſamus peregrina & ipſa iam pridem ad nos adportata eſt, noſtrati per omnia ferè ſimilis.

*mina guarum* Seſamum & Siſamum, Seſama Latin. Σήσαμον Græc. Leindotter/ flachsdotter. Germ. Gall. *Iugoline.* Ital. *Seſamo.* Hiſp. *Iorgilim* & *Alegria.* Arab. *Sempſem*, ſiue *Senſera*. Offic. vulgò *Gingolena*, Camer. Epit.

*us.* Seſami ſemen acceptum Lutetiâ à Chirurgo inſigni Raſſio, ſeminaui in Horto E. C. Habui etiam ſemen à Fratre Caſparo Bauhino & à D. Doctore Io. Schvvartz. Vidi etiam Venetiis. Baſileæ in horto Di. Dis Iacobi Zvvingeri, à quo etiam ſemen habui.

*mperam ires.* Oleum quod Ægyptii *Sitis* appellant, ad cibos in frequentiſſimo eſt vſu. Plantæ decocto vtuntur in fotu ad Ophthalmias, ad tuſſim, anhelitúſque difficultatem, pleuritidem, perimeumoniam & tumores duros ſcirrhoſos: mulieres pro vteri duritie inſeſſiones faciunt, & vtuntur ad capitis furfures, liuoréſque faciei: & ad tumores ſcirrhoſos: planta & ſeminibus coctis cum melle; ad exiccatos neruos, ad combuſtas partes, ad calidas inflammationes: Decocto in clyſteribus ad colicos dolores, & ad emolliendam aluum: Ad mouendas menſtruas purgationes. Seminis ad cibum vſus eſt antiquus, pauci eſt nutrimenti. Oleum fæcémque eius bibere, vt impinguefcant mulieres in balneis familiariſſimum habent. Oleo etiam ad multa alia Ægyptii vti conſueuerunt quippe ad cutis puſtulas, aſperitatem, atque omnem defœdationem ex humore melancholico comitatam, tum epoto, tum in cibis frequentato, vel ipſis affectis partibus inunctis. *Secretum* apud quoſdam ad cutis pruritus, eius quatuor vncias multis diebus bibendam exhiberi, ad anhelitus difficultatem, pleuritim deſperatam, peripneumoniam, ad mouendos menſes, atque ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum, vteríque dolorum cruciatus demulcendos, intus & extra. Non ſolùm hæc Ægyptiis manifeſta fuerunt, ſed multi alii ferè eadem memoriæ prodiderunt, vt eſt Rhaſis, Auicennas, Haly, Serapio, atque alii.

*men-* *inguef. utim.*

Seſami vires ex Antiquis antè ſunt ſcriptæ.

## TELEPHIVM VETERIBVS.

### Cap. XXI.

TElephium, inquit Dioſcorides Portulacæ ſimile eſt & *foliis* & *caule*: alas verò binas habet ſingulis foliorum geniculis inhærentes. A radice ramuli [addit Matth. Codex ϛενὰ, λεπτὰ, id eſt, anguſti, tenues,] ſeni, ſepteníve prodeunt, foliis referti cœruleis (κυανοειδῶν, quam vocem Plinius non expreſſit, craſſis, lentis, atque carnoſis: *flores* denique lutei, aut candidi (Vet. tantùm λευκά. Sed vulgatam lectionem rectiorem vult eſſe Goupylus, quòd in Telephio flores lutei ſpectentur, Sarrac.) Naſcitur in vineis & locis cultis Vere. *Folio Portulaca.*

Dioſcoridis Notha tradunt, quibuſdam ſemperviuum ſylu. dici, Eſſe & qui Portulacam ſylu. appellent, Romanos illecebram, Aegyptios Anoth, Aphricos Atirtopurin.

Telephium ita deſcribit Plinius, vt ex Dioſcor: tranſtuliſſe videatur. Verba eius hæc ſunt: Telephium Portulacæ ſimile & caule & foliis. Rami à radice ſepteni, octoníve fruticant, foliis craſſis, carnoſis. Naſcitur in cultis & maximè inter vites.

Folia, authore Dioſc. ad ſex horas impoſita, vitiliginem albam ſanant: verùm poſtea hordeaceam farinam adhibere oportet. Tollunt & vitiligines, ex aceto in Sole illita: ſed vbi inaruerint, abſtergi ea oportet. Eadem & Plinius, niſi quod in vſu ad vitiliginem diſſentiunt, & hac parte rectiùs Cornarii iudicio videtur hoc quod Plinius tradit: Illinitur lentigini, & quum inaruit, deteritur. Illinitur & vitiligini ternis ferè menſibus ſenis horis noctis, aut diei. Poſtea farina hordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fiſtulis. *Vires.*

Telephio ſiccantem & extergentem facultatem adſcribit Galenus, non tamen manifeſtè calidam, ita vt primo quidem ordine calefaciat, ſiccet autem ſecundo intento, aut tertii initio: proinde ad putrida vlcera conuenit, & leucas, & alphos cum aceto ſanat.

Veniunt autem nomine Telephii plures plantæ: Ac primùm quidem Telephium Guillandini, quod nobis placet & Telephium Scorpioides vocamus, de quo mox. Eſt & Telephii genus fruticoſum peregrinum. An hæc Hiſt. g. lib. 11. Colutea Scorpioides minor. Nec eſt Telephium, Fabaria ſiue Faba pinguis, vt quidam volunt apud Matthiolum. Eſt enim hæc Anacampſeros, de qua dicemus Hiſt. noſt. lib. 35. Telephium Gal. in Gloſſis Hippocr. diuerſum puto à Dioſcoridis Telephio propriè dicto, & idem cum Semperuiui ſiue Aizoi tertia ſpecie lib. 4. Dioſcor. quæ etiam Telephium dicitur: nos igitur non dicimus cum Cornario ſimpliciter Telephium eſſe Fatzenträublein, vt dicemus capite de Sedo paruo ex flore luteo. *Telephii æquiuocationes.* *Teleph. Scorpioides.* *Colutea Scorpioides minor.* *Anacampſeros.* *Sedum ſiue ſemperuiuũ paruum acre.*

## TELEPHIVM SCORPIOIDES.

EX gracili *radice* aliquot emittit ramulos, palmares & ſeſquipalmares, tenues, teretes. folia rara, breui pediculo annexa, Portulacæ minùs ſucculenta, læuia, indiuiſa, candicantia Cæſalp. quibus ſubſunt bina exigua, circinata, Coluteæ Scorpioidis, forma & magnitudine. Mihi *Deſcriptio.*

Monſpelii videbatur vix habere ſapotem manifeſtùm, niſi fortè paululùm amareſcentem: Iac. Gargillius Scotus, tamen annotauit eſſe ſapore acriuſculo, & aromatico, & manſu odorem in nares Abrotoni ęmulum exhalantia: in ſummis ramulis *floſculi* exigui, lentis floribus minores, perſimili tamen forma, colore luteo: quibus *ſiliquæ* ſuccedunt Scorpionum caudas imitatæ, crebris internodiis interceptæ, intortæque, authore Cæſalpino, Meliloto vulgati ſimiles. Nobis videtur cum Doctiſſimo Melchiore Guillandino hæc planta optimè conuenire cum deſcriptione Telephii Dioſcot. & Plinii, quam antè poſuimus.



*Scorpioides*

Iconem huius nomine, Scorpioides ſc. ſed ſine deſcriptione ponit Matth, ac ait: Suis notis veram Scorpioidem referre putamus: etſi non deſunt Viri Doctiſſimi, qui aliter ſentiant, volentes, Nicandri Scholiaſt. authoritate hanc ipſam Telephium appellari debere. At ego horum ſententiam prorſus nihili facio, quod nõ prohibeat nomenclatio illa apud Scholiaſten, quin rectiùs Dioſcoridi Scorpioides appellatur.

*Telephium*

An de hac Anguill. loquitur, quando ait: Telephium Crateuæ nihil aliud eſt, quàm Dioſcoridis Scorpioides, aut Scorpiurus. Item, Scorpioides vocant herbarii Bononienſes Lunariboriſſam. Hinc noſtræ dubitationi anſam præbet Geſnerus hort. qui dicit, Lunaria buriſſa Æmilii (ſic enim Herbarii quidam Scorpioides Matthioli nominant, ſi benè memini) herbula eſt floſculis luteolis: ſiliquis gracilibus, longis, articulatis, inflexis. Quæ Telephio noſtro Scorpioidi quàm optime conueniunt.

*Lunariboriſſa*

*Scorpioides Matth.*

Lacun. Loh. Icon. Plant. Lonic. qui & Scorpium Nepam à Dioſc. vocari ait: Camer. in Hiſt. Germ. Matth. & Epit. Caſt. *Scorpioides.* Dodon. Gall. & Lat. in fol. H. Lugd. Camer. hort. qui & Telephium Anguillaræ vocat, *Scorpioides Matthioli.*

Quærunt Lobel. & Pena Aduerſ. Scorpioides [Matthiolo depicta, non deſcripta] an Crateuæ Telephium? Ratio cur dubitent, eſt quòd vagum & pluriuocum Telephii nomen ſit ex Crateua & Dioſcoride. Aiunt autem Crateuæ notas, vti recentiores doctores ſcitè monuerint, Scorpioidem Dioſcoridis lib. 4. calce penultima exprimere videri: nec ſanè abs re, nam facultates illi ineſſe eximias ad diſſepulotica & inuicta vlcera, quod & animaduerſio facti periculi crebra teſtetur. Recentiorum verò & Monſpelienſium Portulacæfoliam Scorpioidem, vulgò ſic dictam, qui Telephii ſpeciem coniectent, non infimâ niti ratione.

*Herba amoris*

Cæſalp. Telephium vocat, ſcribitque ab Italis *Herbam amoris* cognominari, ac à quibuſdam Scorpioidem cenſeri. Huius folium cum ſaliua applicatum cutim rubificare: aliquandò & puſtulas excitare: vnde nunc iocus puellaris in amore explorando: ſi enim cutem rubefaciat, tantùm amoris putari indicium: ſin autem puſtulas excitet, odii. Et hunc vſum Antiquos Poetas Telephio tradidiſſe, conſtare apud Theocritum, qui ob id philtron appellarint. *Scorpioides iocus puellaris*

C. Bauh. phyt. Telephium 5. ſiue Dioſcoridis, ſeu Scorpioides, ob ſiliquarum ſimilitudinem.

Scorpioidem veram, vt arbitratur Matthiolus, vidit primùm in Foro-Iulienſi agro in ciuitate Auſtriæ, quodam in hortulo Cl. Medici Iuliani à Maroſtica Teruiſſenſis. Spontè in agris cultis Monſpelii circa Caſtelneuf prouenit. Florentem autem obſeruaui menſe Aprili, Maio & Iunio, ſiliquas verò ferentem menſe Octobri. Florens & ſiliquis adhuc abundans in horto meo Geneuæ menſe Nouembri: menſe Aprili ex ſemine deciduo iterum prouenions, flores & ſiliquas habens menſe Maio, Lugduni habebam in horto, Baſileæ prouenit in horto Domini Doct. Plateri: Montbelgardi in horto meo, & in Horto Ill. E. C. florens Iunio & Iulio.

## SCORPIOIDES EX SENTENTIA Veterum.

### Cap. XXIII.

Σκορπιοειδὴς herbula eſt, inquit Dioſcorides, foliis paucis: ſemine caudæ Scorpionis effigie. Illita Scorpionum ictibus præſentaneo eſt auxilio. Ita Plinius: Ex argumento nomen accepit Scorpius herba, ſ. men enim habet ad ſimilitudinem caudæ Scorpionis, folia pauca. Valet aduerſus animal nominis ſui.

Galenus verò excalefacere quidem ordine tertio, deſiccare verò ſecundo ſcribit.

Cæterùm breuis hæc delineatio Antiquorum facit, vt aliam atque aliam pro Scorpioide Herbarii exhibeant. Eſt ſuum Scorpioides Matthiolo, quod nos ad Telephium referimus, de eóque iamiam egimus. Eſt ſuum Scorpioides Dodonęo & aliis, nobis Scorpioides, ſiliquâ campoïde hiſpida de quo mox. Scorpiuri nomen, authore Dioſcoride, ſibi vendicat Heliotropium magnum, quod à nobis H. n. g. lib. 35. maius inſcribitur. Scorpioides ſpecies à quibuſdam fit calendula: ſed falluntur, teſte Matthiolo: eſt Hiſt. n. g. l. 25. Caltha. *Telephium Scorpioides. Scorpioides ſiliquâ Campoide hiſpida. Heliotropiũ maius. Caltha. H. n. g. l. 25*

## SCORPIOIDES SILIQVA CAMPOIDE hiſpida.

EX *radice* plerumque ſingulari, ferè buxea, exili, recta, longiuſcula, dodrantales vel pedales ramulos paulùm humo ſurgentes emittit, vel per terram ſparſos, anguloſos, ſubhirſutos, ex quibus enaſcuntur *folia* Bupleuri, pinguiòra, minùs neruoſa, albida, locis calidis, mediocriter ſpiſſa, nonnihil hirſuta, longiuſculis pediculis appenſa, ſapore ſubacido prædita, Iacobo Gargillio Scoto, mihi autem videtur habere aliquam acrimoniam: & ex eorundem alis *pediculi* palmares & ſeſquipalmares, tenues, quorum ſummitati inſident *floſculi* duo aut tres, vel quatuor, ſimiles Meliloto Germanicæ Fuchſii, minores, luteoli, quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ hiſpidæ, per maturitatem fuſcæ, Erucæ, villoſæ, in ſe conuolutæ, ſpiras imita- *Deſcriptio.*



imitatæ, tuberculis ſemen falcatæ Lunæ effigie continentibus, gibboſæ.

Dodon. Gall. Scorpioides. Belg. Scorpion fruÿt, quibuſdam haſenoore. Gall. *Aureille de Lieure*, Lat. in ſol. Scorpioides prior: ad Scorpioides accedit ac legitima Dioſcoridis apparet: à Plinio Latinè Scorpius herba appellatur. Lob. Adv. Obſ. & Icon. Pl. Scorpioides repens Bupleuri ſolio Dodon. effig. 48.

Tabern. Ic. & Hiſt. Scorpioides Bupleuri folio, Raupenkraût. C. Bauh. Phyt. Scorpioides. 1. ſiue Bupleuri folio. Eſt hoc quibuſdam Clymenum Dioſc. & Clymenum alterum Plinii, aliis Catanance.

Scorpioidem ſiliqua ſimili Erucæ primò repertam Monſpelii prope patibulum & Caſtelnau, in colle iuxta viam ad ripam fluuii: Folia videntur habere aliquam acrimoniam: ſiliquas fert cum floribus menſe Aprili: hanc denominaui Scorpioidem, non quidem Dioſc. priuſquam vidiſſem à Dodonæo depictam, poſtea obſeruaui Tiguri in horto Petri Trigulacei Chirurgi inſignis. Geneuæ prouenit in horto, floruit & ſemen protulit, quod Autumno germinans hiemem pertulit, virens adhuc menſe Ianuario, poſtea emortuum nouo frigore ſuperueniente. Baſileæ in horto D. Felicis Plateri florens & ſiliquas habens Iunio menſe, in horto Patris à Fratre ſatum Baſileæ. Patauii in horto Cortuſii pulchrè virens menſis Martii principio. Montbelgardi ſatũ facilè prouenit ſed hiemem vix perfert, multò maius quàm Monſpel. euadit: habeo in Horto E.C. vbi etiam in maiorem prouenit altitudinem quàm Monſpelii. In Oliuetis & aridis montoſis Monſpelio vicinis, frequens Lobelio occurrit hæc, alibi rara planta, nec niſi in hortis viſitur.

## SCORPIOIDES MONTANVM.

SCorpioides montanum Herbariis quibuſdam dictum in altis & aſperis montibus naſcitur, *radice* craſſiuſcula, nigra, in fibras multas & breues ſe diducente: *foliis*, multis, longis, anguſtis, lanuginoſis, Leucoio purpureo ſimilibus, ſed margine non inciſis: *caule* palmum alto, foliola pauca mittente: *floſculis* tribus vel quatuor, cæruleis, in exiguum, rotundumque *capitulum*, ſiue Corymbum conglobatis. Rara hæc planta eſt, montiúmque ſolitudinibus inacceſſis tantùm familiaris.



Quum rara ſit planta oportebat annotare locum particularem vbi prouenit.

C. Bauhinus Phyt. Scorpioides 2. ſiue montanum Hiſt. Lugd. quid?

## HYPECOON VETERIBVS. CAP. XXIII.

HYpecoon Dioſc. autore, aliqui Hypopheon vocant. Naſcitur in frumento & aruis. *Folium* habet Rutæ ſimile: *ramos* paruos. Vim habet reſpondentem Papaueris ſucco, Scribit Plinius Hypecoon in ſegetibus naſci, foliis Rutæ. Naturam eius eandem quæ Papaueris ſucco. *Hypecoon Rutæ folio.*

Galenus: Hypecoon, inquit, frigefacientem vim habet, ex tertio ordine frigefacientium, vt à Papauere parum abſit: Ita etiam Paulus. Non ſatis, inquit Cornarius, notum eſt hodie quæ herba ſit, de qua hic ſcribunt prædicti. *Temperamentum.*

Hypecoum Dodonæi, quod in purg. exhibet, cuiſque hiſtoriam Hypecoi Dioſcoridis âſcribit, Hypecoum ſiliquoſum dicimus. Plantam verò Hiſt. Lugd. titulo Hypecoi demonſtrat, eámque falsò Dodonæum in purg. Hypecoum Dioſcoridis facere ſcribit. Thalictrum paruum eſſe dicetur lib. 30. Nihil tamen minùs eſt quàm Hypecoum Dioſcoridis, quod Matth. in com. Ital. & Lat. cum magn. fig. & ex eo Camer. ad Hiſt. Germ. & Epit. Matth. Hypecoi nomine pingit. Alcæa hæc eſt, vt videre licet Hiſtor. noſt. gen. lib. 23. *Hypecoi æquiuoca. Hypecoum ſiliquoſum. Thalictrum. Alcæa.*

## HYPECOVM SILIQVOSVM.



PLurimos ex *radice* ſimplice, Geranii Robertani vel potiùs moſchati æmula, rubeſcente, caules emittit læues, pedales, in alas frequentes, circa ſummum diuiſos: *folia* maiore ex parte fundit quoque radix, Rutæ ſylueſtr. tenuifoliæ aut Fumariæ ſimilia: *flores* lutei è ſenis componuntur foliis; *Deſcriptio.*

duobus aduerſis magnis, neruo viridi donatis, ex ſublongo quadrangulis, quatuor reliquis interiectis multò minoribus, in quorum mediò apices. *Semen* oblongum fert, *ſiliquis* incluſum articulatis, tres, quatuorue vncias longis, rotundis, multumque falcatis.

Matth. in poſt. com. Ital. picturam habet nomine Cumini ſilu. alterius ſine deſcriptione.

Aduerſ. quæ deſcribunt & depingunt, Cuminum alterum Dioſcoridis ſiliquoſum vocant.

Aduerſariorū figuram & ſitulum retinent Icon. Plant. & adhuc exhibent alteram, quam Cuminum ſilu. alterum ſiliquoſum Lobelii inſcribunt. Is autem Obſ. eandem cum Cluſio figuram habet, cui titulum facit. Cuminum ſilu. alterum Dioſcoridis: Italorum Hypæcnum Cluſii & Dodonæi. Cluſius porrò, qui meliùs deſcripſit quàm alii, potiſſimùm florem, ait. Cùm primùm hanc plantam obſeruarem, illicò mihi viſa eſt plurimùm ad Hypecoi Hiſtoriam accedere, quod Græcis ὑπήκοον & ὑπόφορον dicitur. Non deſunt tamen qui ad Cuminum ſylueſtre alterum Dioſcoridis referre malint, licèt facultates ſint diſſimiles. Vocatur hæc Granatenſibus & Murcianis *Adoriia.* Cur tandem planta, quæ Græcis ὑπήκοος & à nonnullis ὑπόφορος teſte Dioſcoride, dicitur, pro Cumino ſylueſtri ſit habenda, nulla occurrit ratio: pro hac tamen ad ſe miſſam Matthiolus refert, ſi Dodonæum non fallit pictura.

Camer. hort. Cyminum ſyueſtre alterum Matthioli vel potiùs Hypecoum Cluſii. Camer. in Hiſt. Germ. & Epit. Matth. Cuminum ſyueſtre alterum, Græcis, κύμινον ἄγριον ἕτερον. Ital. *Cimino ſaluatico ſecundo.* Huius effigiem Camerarius ex noſtra planta ſicca, olim Geſnero cum aliis plurimis communicata, depinxit.

Tabern. Icon. Cuminum ſilv. 2. Hypecoum Dioſc. Groſſer horn kummel. Item Cyminum ſiliquoſum minus, klein horn kummel.

Locus & tempus. Hypecoum Cluſii, Monſpelii cùm eſſem reperi cum flore & ſiliquis propè Lacum, non longè à Balneo, quod à Baleruch cognominatur: quod non magnum: aquâ ſalsâ & ita calidâ vt vix quis calorem pati poſſit. D. Dalechampius cùm ei demonſtraſſem tranſeundo Lugduno ex planta mea ſicca curauit depingendum: Geſnerus ad meam deſcriptionem adſcripſit. *Securidaca* Securidacis aliquos malè adnumerare. Florens Iunio vidi Baſileæ in horto Domini Doctoris Fœlicis Plateri. Inter ſemina quæ Hortulanus Ducis Florentini Stutgardiam miſit accepi nomine Hypecoi Can- *Hypecoum Candiæ* diæ: quod ſeminaui in Horto Illuſtr. Exc. C. Montbelgardi.

## DENTARIA QVINQVEFOLIA.

### Cap. XXIV.

Deſcriptio R*Adicem* habet Coralloides prima, è ſquammatis denticulis compactam, albam, nitidam: *caules* cubitum alti, tenues: *folia* quina in idem punctum coëunt, Pentaphylli modo, oblonga, acuminata, circumcirca ſerrata, paucis neruo medio obliquis in marginem exporrectis venis: *flores* ſummo caule herent Heſperidum ex albo purpuraſcente colore, quibus & non abſimiles ſuperueniunt *ſemen* continentes *ſiliquæ.*

Hanc ſic deſcribit Cluſius. Eſt dentata radix, ſiue inæqualis & pluribus craſſis ſquamis exaſperata, & raris fibris inter illas naſcentibus, prædita, ex qua prodit caulis rotundus, pedalis, in quo per interualla quina folia longiuſculo pediculo



ſubnixa, longa, in ambitu ſerrata, molliora quàm in ſuperiore, neque adeò ſaturâ viriditate prædita: flores in ſummo faſtigio iam dictæ floribus perſimiles, quatuor videlicet foliis, Leucoii florum inſtar, conſtantes, colore diſpari.

Dodon. de purg. in append. Violam appellat propter florum cum Leucoüs ſimilitudinem.

Camer. ad Hiſt. Germ. Matth. Dentaria dicitur: in Epit. Dentaria minor, ſiue Sanicula quinquefolia. Ital. *Dentaria minore.* Germ. Zankraut. Eidem in hort. Dentaria bulbiſera Pentaphyllos. Cluſio Dentaria 7. ſiue pentaphyllea 2. à foliorum vni pediculo inhærentium numero, non ineptè fortaſſe dici poſſe videtur.

Huius meminit Ioſias Simlerus ad finem Commentarii de Alpibus his verbis, wilder ſenff/ herba eius nominis prior vno pediculo ſeptena habet folia, ſupremo caule multos flores purpureos, & partim albos [albos ego, inquit Cluſius, duntaxat conſpexi] poſt quos cornicula ſubnaſcuntur ſemen continentia minutum [non ſatis exactè obſeruaſſe videtur, nam Heſperidis ſemini diſpar non eſt] compreſſum: radix ſubeſt alba alabaſtri modo ſplendens, ſquamea. Nos Dentariam vulgò nominamus à forma radicum, quòd ex pluribus ſquammis, quaſi dentibus componatur. Dodonæus ad Leucoium referre poſſe putat.

Mackliniæ naſcentem conſpiciebat Cluſius in cultiſſ. horto Ill. V. Io. de Brancion ex Allobrogibus & Italia acceptam. Ad cubiti altitudinem creſcit cum Coralloide altera ſeptiſolia, vmbroſa loca amat, & latices, primo Vere ſtatim emergit. Simlerus. Locus & tempus

## CORALLOIDES PRIMA, QVINquefolia.

### Cap. XXV.

A *radice* nodoſa, & in plurimos articulos diſtinctâ, tenuibúſque aliquot fibris, ex articulorum diſtinctorum prodeuntibus donatâ, exeunt aliquot *folia*, longis pediculis nixa, in quinque profundas & ad pediculum vſque ſectas lacinias, in ambitu crenatas, diuiſa, ſcabra, & tactu aſpera, ſaturè virentia: *caulis* pedalis aut amplior, rotundus, ſummo faſtigio, quinos aut ſenos *flores*, bulbiferæ floribus ſimiles gerens, colore tamen paulò magis ſaturatè purpuraſcente, qualis ferè in floribus Violæ latifoliæ non viuacis, quam nonnulli Lunariam Græcam appellant: ſuccedunt capitula longiora *ſemine* plena. Deſcrip.

Geſner.in Hiſt.Cordi, figuram ponit è Kent-*er. not.* manno acceptam,dicens: Aliqui, ni fallor,Coralloidem Cordi,Saniculam albam vocant,alii temerè Aconitis adnumerant. Hæc ille, qui ſi plantam hanc noſtram intelligit, figura non placet. Cordum etiam aliam intellexiſſe exiſtimarim. Idem de hort. ſcribit eſſe Saxifragæ montanæ ſpeciem, ac rurſus eandem nomine Saniculę foliis Pentaphylli maioris ex Matthiolo indigitat. Ibidem quoque Saniculam albam appellat, & Heſſiacam ac Italorum Dentariam.



Matth. in Dioſc. lib. 4. cap. de Symphito, hanc deſcribit dicens: Recenſetur à Germanis inter Symphiti genera quædam foliis Pentaphylli maioribus. In poſt. com. Ital. non ſolùm deſcribit, ſed depingit quoque, titulo, Dentariæ alterius.

Aduerſ. picturam habent non vſque adeò commodam, hoc titulo: Nemoralis alpina herbariorum Alabaſtrites, Coralloides Cordi: Meliorem hoc nomine habet Lob. Icon. Plant.

Cluſius in Pann. hanc ita inſcribit: Dentaria Matthioli, Pentaphyllos 4. Eſt hæc inibi ſine deſcriptione. Eandem exhibet Hiſt. poſt. cum deſcriptione, quam hoc in loco poſuimus, ſub hoc titulo: Dentaria 6. Pentaphyllos 1. Sextam, inquit, Coralloidem alteram dixiſſe Cordum, nonnulli arbitrantur. Matthiolus Dentariam minorem: mihi Dentaria πεντάφυλλ☉ prima à foliorum vni pediculo inhærentium numero, non ineptè fortaſſe dici poſſe videtur: quemadmodum nec Dentaria πεντάφυλλ☉ altera.

C. Bauh. phyt. Dentaria 1. ſiue Pentaphyllos: *n. la-* Dentaria minor Matthioli.

*varis* Ni imperitior Taberna foret, grauem ſanè cenſuram mereretur. Tres quandoquidem vnius plantæ figuras proponit Quarum, quam 1 in hiſt. facit, in ic. Dentariam quinquefoliá, & Conſolidam Dentariam vocat. Cui in Hiſt. 2. titulum tribuit in ic. Dentariam alteram Matthioli appellat. Cuius in Hiſt. tertio loco meminit, ea ab'ipſo in Icon. Dentaria corallina altera nuncupatur. Egregius, mehercle, Botanicus:

*Qui variis titulis lectores ludere nouit.*

Cæterùm, hæ & aliæ, quia radices habent Coralli æmulas, ideò Coralloides & Alabaſtrites cognominantur. Sunt autem qui has ad ſolidagines referant & Symphita, alii inter Saxifragas, alii inter Saniculas recenſeant. Nobis in hac controuerſia, hic collocare integrum eſto, donec vel tu, vel alius aptiorem perquirat locum.

Ad Allobrogicarum Alpium radices ſupra Lemanum lacum, cum ſequente ſpontè naſcentem, obſeruare memini (inquit Cluſius) ante quadraginta annos, dum per Heluetios, è Gallia Narbonenſi, in patriam redirem, præcluſâ per reliquam Galliam viâ, feruente bello inter Imp. Carolum V. & Galliæ Regem Henricum II.

## CORALLOIDES ALTERA SIVE SEPtifolia.



Altera Coralli aut alabaſtritis marmoris politi æmulam habet *radicem* obliquam, tuberibus inæqualem: *caules* cubitales: ex quibus orti pediculi *foliorum* ſuſtinent duas aut tres coniugationes, quibus ſuperadditur ſemper extremum inſtar: ſingularia verò folia oblonga, ſerrata, Coralloidis præcedentis foliis ſunt proxima, paullò maiora: *flores* ſimiliter extremo cauli ex longis pediculis hærent magni, Leucoii aut prædictæ Coralloidis ſimiles, è quatuor foliis compoſiti, colore niueo vel purpuraſcente, hoſce ſequuntur in longis ſiliquis *ſemina* compreſſa. Deſcriptio

Cluſii deſcriptio hæc eſt. Huic aliquot è radice exeunt folia, quina interdum, ſed maximâ ex parte ſeptena, longæ coſtæ inhærentia, foliorum Fraxini inſtar digeſta, hoc eſt, vt ex aduerſo bina ſemper reſpondeant, folium impar extremam alam occupet, omnia in ambitu ſerrata, dilutiùs virentia quàm Sextæ [Dentariæ 1. quinquefoliæ] folia, & ſubtus candicantia: caulem etiam pedalem, rotundum, binæ aut ternæ foliorum alæ, iis quæ à radice prodeunt non diſſimiles, ornant: eius autem ſummum, flores ſuperioris floribus pares, quatuor videlicet foliis conſtantes, candidi tamen coloris: cornicula quæ ſuccedunt, etiam paria, ſimile ſemen continentia: radix minùs ſquamata, quàm præcedentis, Quintæ (Coralloidis Enneaphylli) radici fermè reſpondens, & paucis craſſioribus fibris firmata.

De Coralloide hac & minore bulbifera hæc Cæſalpinus tradit: Duæ in montibus naſcuntur frequentes in ſyluis, quas vulgò Dentarias vocant, diſtant inter ſe magnitudine: nam maior Folia fert ab radice diuisâ in ſeptem vt plurimùm partes, Ellebori nigri modo, mollia, anguloſa, Cichorii modo, inferiùs ſubcandida: caulem ſimplicem, cubitalem aut paulò breuiorem, in cuius cacumine vnicum folium, ſimiliter diui- *maior. ſeptifolia.* ſum ſuſtinet, è cuius ſinu ramulus attollitur, in quo flores candidi, vt Leucoii, & ſiliquæ ſimpli- Deſcriptio ces, quod in hoc genere paucis contingit: radicem digiti craſſitudine ſummâ tellure obliquè *Alabaſtrites.* tendentem, frequentibus geniculis pulchrè dearticulatam, colore candido, ſplendentem alabaſtri modo, quaſi dentes, vnde nomen aſſumpſit, quæ tamen vetuſtate nigreſcit, ſobolem à lateribus Locus. candidam ferens: hæc tantùm in altiſſimis naſcitur. Minor ad decliuiora etiam loca deſcendit,

*Dentaria minor bulbifera*

minoribus multò foliis, & in pauciores partes diuiſis, in caule pluribus per interualla diſpoſitis: radices ſimili figura tenues fert, nigricantes: floſculos purpureos: ſiliquas exiles: peculiare huic in foliorum alis ſingulis ſobolem gignere, quæ ſunt radiculæ ex duobus aut tribus geniculis conſtantes; nigræ veluti parua Mora, quæ in terram decidentes germinant, idcircò rarò in hac reperiuntur flores & ſiliquæ, cùm ſobole apta nata ſit faciliùs quàm ſemine propagari. Altera etiam eſt huic ſimilis, breuior, non ferens ſoboles ſupradictas. Lycoctonum Ponticum Dioſcorides vocat inter Aconiti genera.

Dodon. append. purg. Dentaria altera. Et in fol. vbi exhibitam repetit: Viola dentaria altera.

Lobel Obſ. & Icon. plant. Alabaſtrites altera, Dentaria altera Herbariorum: Coralloides altera Cordi. Hiſt. Lugd. Dentellaria altera Dodonæi. Hi omnes pingunt cum quinque & cum ſeptem foliis ſub modò dictis titulis. Apoll. rad. i. Sanicula alia. Geſnero hort. Saxifragiæ montanæ ſpecies altera cum ſeptenis foliis in vno pediculo. Circa Sabaudiam [de vtraque loquitur] Pulmonaria vocatur.

Camer. hort. Dentaria bulbifera heptaphyllos:

Cluſ. Pann. Dentaria heptaphyllos 5. Hiſt. poſt. Dentaria 8. ſiue Heptaphyllos, à foliorum numero, quæ in eodem pediculo naſcuntur, nominata. Huius etiam meminit loco citato Ioſias Simlerus his verbis, wilden ſenff, herba eius nominis altera quinquefolia habet vno pediculo florem qui Heſperidis purpuraſcente flore, vel Lunariæ Græcæ inodoræ eſt, non vidiſſe [inquit Cluſius] exiſtimo, aliàs ſuperiori non diſſimilis: tota ſubſtantia vtriuſque acris eſt, Sinapi æmulans, aut Raphanum.

C. Bauh. Phyt. Dentaria 1. ſiue Heptaphyllos.

Locus & Tempus

Coralloidem ſiue Dentariam Patauii vidi Martio; quo tempore iam defloruerat. Montbelgardi in monte *Bar* Maio defloruerat: Septemfolia nunc in Hort. E. C. eſt. Baſileæ Frater obſeruauit in monte Mutenſi Septifoliam. Prope *Neufchaſtel* Burgundiæ menſe Septembri in colle iuxta pagum Dembelio virens adhuc cum foliis ſeptem: Geneuæ florebat Aprili & Martio pulchro flore cœruleo in horto meo: Copioſè prouenit in monte *Saleue*. In monte Thuiri vidi cum foliis ſeptem, & cum foliis quinque menſis Iulii principio cum ſiliquis. Quidam ruſticus Rizotomus vocabat *Re du poulmon*, id eſt, radicem pulmonis, à forma ni fallor: Dalechampius faciebat Aconiti Lycoctoni genus.

## CORALLOIDES ENNEAPHYLLOS Cluſii.

Deſcriptio

PEdalem profert *caulem*, firmum, rotundum, læuem, quem in ſummo ferè ambiunt tres pediculi (rariſſimè quatuor,] ſinguli terna *folia* ſuſtinentes, ampla, mucronata in ambitu ſerrata, ſaturatè virentia, guſtu feruido: ſummum caulem exornant quini aut ſeni *Flores*, quatuor foliis conſtantes, Dentariæ Heptaphylli florum æmuli, deorſum ſpectantes, & propendentes, colore ex herbaceo palleſcente: flores ſequuntur oblonga *cornicula*, toroſa, mucronata, qualia ſunt Dentariarum Pentaphylli & Heptaphylli cornicula, & in his etiam ſimile *ſemen*, hoc eſt, Heſperidis ferè, ſed craſſius atque vireſcens, quod diſſilientibus corniculis exilit antè quàm probè maturum videatur: alia præ-



terea *folia* à radice profert, terna tantùm in ſingulis oblongis pediculis naſcentia, ſuperioribus multò ampliora, ſed breuiora: *radix* nouella alba eſt, vetuſta nigricat, multis articulis ſic diſtincta; vt è plurimis dentibus coagmentata videatur, Dentariæ ἀφύλλου radici non valdè abſimilis.

Lobel. Obſ. Dentaria altera ſine icone.

Cluſ. Pann. Dentaria 2. ſiue ἐννεάφυλλος: Dentaria coralloide radice. Hiſt. poſt. Dentaria 5. ἐννεάφυλλος:

C. Bauh. Phyt. Dentaria 4. triphyllos, quæ ſemper tria folia iuncta habeat. Dentaria puſilla, Enneaphyllos.

Exit in vmbroſis Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Pannoniæque ſiluis, non modò ad montium radices, ſed etiam circa mediam eorum regionem, vbi præaltarum arborum ſiluæ vt plurimùm, in Alpibus huiuſmodi, deſinere ſolent. Inueniebat Cluſius, & vltra Drauum, in monte Greben imminenti, cum Quarto genere bulbifero (Coralloide minore bulbifera) atque etiam Herciniâ ſiluâ Bohemiam ambiente. Locus

Floret Aprili, vicinis Viennæ Auſtriacæ ſiluis, & aliis humilioribus: ſemine prægnans eſt Maio. At in montibus ſeriùs. Tempus

## CORALLOIDES MINOR BVLBIFERA.



MInor Coralloides obliqua *radice* geniculatim incedit, candida, tenui, ſquammata: *caulis* ſeſquicubitalis ferè, tenuior quàm vllius præcedentium: vnde exorti rari pediculi *folia* quina ad rachin adnexa ſuſtinent, modò rectà è regione poſita, modò alternatim, ſeſcunciam aut duas vncias longa, ſemunciâ latiora: cæterùm quæ circa caulis faſtigium conſpiciuntur, nullum talem obſeruant ordinem, ſed ſingularia fortuito poſitu, longè iam dictis magnitudine concedunt, non minùs reliquis ſerrata: extremus caulis in pediculos multos abit, quibus hærent Deſcript.

flores

*flores*, cuiuſmodi ſunt præcedentium, purpura (quam magna ex parte ſicci amittunt) dilutiore nitentes: *ſemen* & *ſiliquæ* vt heptaphyllæ. Verùm & præter hæc omnia ad foliorum alas bulbi quidam, veluti in Lilio croceo bulbifero, adnaſcuntur, per maturitatem nigricantes, ex quibus non ſecus ac ex ſemine propagatur.

Lobel. Obſ. & Ic. Pl. Dentaria Bulbifera. Cluſius Pann. Dentaria 1. Hiſt. poſt. 4. ſiue baccifera. Cæſalpin. Dentaria minor Lycoctoni Pontici Dioſc. & Theophraſti Aconiti genus. Vide antè verba Cæſalp. capite de Coralloide ſeptifolia

Tabern. ver. Tabern. Hiſt. Dentaria 4. Icon. Dentaria ſeptifolia. Eccur vocat Septifoliam, cùm plerumque quina proferat, vt pictura eius & aliorum demonſtrat.

C. Bauh. Phyt. Dentaria 3. ſiue baccifera.

Coralloidis pulchram ſpeciem attulit Frater collectam in monte Caſtello Patauii. Anno 1595. Iunii 6. eandem ni fallor vidi Heidelbergæ in Horto Di. Sprengeri cum bulbis in caule, quos accepi plantandos Montbelgardi in Horto Il. E. C. Miſit etiam nomine Dentariæ bulbiferæ: Habui etiam Argentinâ à Friderico Meyer.

Cæterùm, nullas harum plantarum facultates Cluſius comperit.

## ACONITVM LYCOCTONVM DODONæi ſiliquoſum, ad Coralloides fortè referendum.

Deſcriptio non. EIus icon in peruetuſto manuſcripto Græco codice reperitur qui Viennæ Pannoniæ in Bibliotheca à D. Maximiliano 2. Imp. Aug. inſtituta aſſeruatur. *Folia* ei ſunt non omnino vt Platani, ſed lata: *caulis* tenuis & læuis: *ſiliquæ* tenues & oblongæ: *radices* non modò cirros, verùm ipſas Squillas marinas referre videntur. Lycoctonum tertium Ponticum cognominatum Dioſcoridi eſſe poteſt Dodon. Hiſt. Lat. in fol. 436. *Mihi videtur* figura à Dodonæo ficta aut peſſimè expreſſa; ac exiſtimo à Barbaris ita effictam plantã partim ad deſcriptionem, partim ex aliqua plantà ineptè, vt ſolebant Barbari: ſi conſiderentur ſiliquæ & flores, fortè videbitur habere aliquid commune cum Coralloide: Dodonæi deſcriptio eſt fortaſſis ex figura. C. Bauh. Phyt. 332. Aconitum 3. ſiue Lycoctonum foliis ſerratis, ſiliquis oblongis: an tertium Dioſcoridis?

## LYSIMACHION VETERIBVS.

### CAP: XXVI.

LYſimachia, quam aliqui Lytron appellant, inſit Dioſcorides, *caules* emittit cubitales, aut etiam altiores, tenues, fruticoſos, à quorum geniculis *folia* prodeunt ſalignis ſimilia, guſtu aſtringentia: *flos* eſt fuluus aureúſue. Naſcitur in paluſtribus & ſecus aquas.

Inuenit & Lyſimachus herbam Lyſimachiam quæ ab eo nomen, teſte Plinio, accepit, celebrata Eraſiſtrato. Folia habet Salicis, viridia, florem purpureum, fruticoſa, ramulis erectis, odore graui. Gignitur in aquoſis.

Hæc Græcis Λυσιμάχιος & Λυσιμάχιον dicitur, Latinis Lyſimachia, à Lyſimacho Rege inuentore: vel à pugna dirimenda: id enim eſt λύειν τὴν μάχην certamen dirimere. Eſt enim ei vis etiam belluarum animos feroces, & mutuos hoſtiles congreſſus placandi.

Foliorum ſuccus quâ pollet adſtringendi vi, vt refert Dioſcorides, ſanguinis reiectiones ſupprimit: valet etiam ad dyſenteriam, ſeu potui datus, ſeu etiam clyſtere infuſus: fluorem quoque muliebrem ſiſtit, ſubditus in peſſo. Sed & herba ſanguinis è naribus profluuio ſubuenit, iiſdem indita. Eſt & vulneraria, ſanguinemque ſupprimit. Acerrimum verò nidorem ſuffita reddit, adeò vt & ſerpentes abigat, & muſcas enecet. Vires.

Vim & vſum medicum ſparſim proponit Plinius: Vis eius tanta eſt vt iumentis diſcordantibus iugo impoſita, aſperitatem cohibeat. Lyſimachiæ odorem fugiunt ſerpentes: Si ore ſanguis reiiciatur, ſiue fœminarum vtero, Lyſimachia pota, vel illita, vel naribus indita, ſiſtit: atque etiam recentibus plagis medetur. Capillum Lyſimachia flauum facit.

Galenus. Lyſimachia, inquit, adſtringentem qualitatem prædominantem habet, ob quam & vulnera glutinat, & ſanguinis è naribus eruptiones ſiſtit, ſi nares eâ obturentur, & medicamentum eſt quod etiam alias ſanguinis eruptiones cohibet, tum ipſa, tum adhuc magis ſuccus ipſius. Quin & pota, & per clyſterem infuſa, dyſenterias & ſanguinis reiectiones & fluxum muliebrem ſanat. Temper.

## LYSIMACHIA LVTEA.



SVbrubente *radice* reptrice, ſummo ceſpite hærente nititur: *caules* autem profert ſeſquicubitales & bicubitales, ſtriatos, hirſutos: quibus ad genicula adnaſcuntur *folia*, terna aut quaterna, rariùs bina, Salicis latifoliæ, acuminata, supernè atrouirentia, infernè magis candicantia, lanuginoſa: *flores* in extremis ramorum faſtigiis lutei, Hyperici acidi ſaporis, ex quinque foliis componuntur, totidem ſtaminibus medium occupantibus, odore nullo. *Semen* Coriandro par, ſapore haud ſegniter adſtringente. Deſcriptio.

Fuchſio, Tabern. Turn. & Camer. ad Hiſt. Germ. Matth. pingentibus, *Lyſimachia lutea*. Dodon. Gall. *Lyſimachium verum*, ſeu *luteum*: Lat. fol. *Lyſimachium legitimum*. Matth. Lacun. Cæſalp. Anguill. Camer. in Epit. *Lyſimachia*. Geſn. hort. & Thalio *Lyſimachium luteum*. Lonic. Geel Weiderich, Salicaria, Lyſimachium Græcè.

Agnoſcere officinas & herbarios duo Lyſimachiæ genera, purpureum & melinum ſcribit Corn. ſed à Salicis foliis Salicariam appellare. Contra Anguill. negat eſſe duas Lyſimachias diuerſorum colorum.

Lobel. & Penæ Adu. Obſ.& Icon. Pl: Lyſimachia lutea, ſiue ſalicaria.

Ruellius modò hanc Lyſimachiam aſſerit, modò aliam. Vnde eum neſciuiſſe quid ſcriberet, coniicimus.

Caſt. Lyſimachia ſalſa. C.Bauh.Phyt.1.Lyſimachia ſiue lutea maior : Lyſimachia Dioſcoridis.

Lyſimachia lutea, Λυσιμάχιον, vulgò Salicaria. Germ. Geel Weiderick. Belg. Geel Wederick. Gall. *Corneille, Soucy d'Eau, perce boſſe, ou Chaſſe boſſe.* Italis & Hiſpanis *Lyſimachia.*

Locus & Tempus. Lyſimachiam flore luteo Monſpeſſuli obſeruaui : Geneuæ copioſè *au plain palais* propè *Arue* fluuium : Baſileæ florentem vidi menſe Iulio extra portam S.Albani. Montbelgardi variis in locis, vt è regione arcis in foſſis: Item extra portam Helicurianam quam *Rechette* vocant. Eſt etiam in Horto Il. E.C. à nobis plantata.

Vires. Pro Suchaa Arabum ſumunt Bononienſes in ſuo antidotario ſemen Lyſimachiæ, præſertim luteæ, cùm ſit præſtantius quàm purpureæ ſemen eſt. Serpentibus & muſcis Lyſimachiam aduerſari certum eſt.

## LYSIMACHIA LVTEA
minor.



Deſcriptio. IN Pannonia collectam aſſeruo Lyſimachiam luteam minorem cubitum altam, hirſuto *caule*, in quo ex certis interuallis terna radiata *folia*, quàm noſtræ vulgaris minora, leuiter acuminata, vncias tres lõga, vnam plùs minùs lata: ex quorum alis inæquali longitudine exeũt pediculi, aliàs non totam ſemunciam æquantes, hirſuti, quibus hærent *flores* lutei in quinque lacinias diuiſi, apicibus totidem in medio luteis: *folia*, auctore Cluſio, recentia acida ſunt, deinde ſaliuam cient, infimaque parte nigris punctis diſtincta ſunt: *flores* cum grauitate odorati: radix geniculata, ex ſingulis vt plurimùm geniculis nouas propagines producens, & ſubinde agens, quibus telluri firmiter inhæret.

Cluſ.Pann. Lyſimachia prima, Lyſimachia altera flauo flore.

C. Bauh. Phyt. Lyſimachia 2. ſiue lutea minor.

Argentinæ anno 1595. habui ex plantis D. Agerii Lyſimachiam luteam minorem.

## LYSIMACHIA ALTERA LVTEA
Lobelio, flore quaſi ſpicato.

PLant. icon. Lyſimachia lutea altera, aut Lyſimachia ſalicaria? Onagra quorundam.



C. Bauhin. Phyt. Lyſimachia 3. ſiue bifolia, floribus globoſis luteis.

Locus. Lyſimachiam ſecundam pictam apud Plãtinum, vidi apud Fratrem C. Bauhinum, Baſileę anno 1594. ſiccam eandem habeo.

## LYSIMACHIA PVRPVREA
quibuſdam ſpicata.



Deſcriptio. PLures ſpargit *radices*, digitales, lignoſas, albas, *caules* ad hominis altitudinem lætiore ſolo adoleſcunt, rigidi, in alas diuiſi, anguloſi, ſubrubentes : *folia* vt plurimùm bina ex certis interuallis, aliàs terna, Saligna, quàm luteæ Lyſimachiæ ſtrictiora, acuminata, ſicco guſtu : *flores* in ſpicis dodrantalibus, aut breuioribus, hilari purpura oculos perſtringunt, quorum ſinguli ſenis foliis conſtant, ſtaminibus concoloribus medium occupantibus, ex calyculis oblongis ſtriatis, ſubpurpureis.

Icon noſtra ex Guariniana non multùm placet, dubitamus etiam an hic ponenda.

An Trago Germ. Ein heidniſch wundkraut/ optima vulneraria herba reperta in equo per Lupum dilacerato. An Lat. Solidaginis ſpecies Bernadino de Rentzingen?

Matth. Lyſimachia altera flore ſpicato : Centaurium magnum à quibuſdam putatum. Lyſimachia altera Lacunæ. Camer.Hort. Lyſimachia purpurea, Tabern. Camer. ad Matth. Germ. Caſtor. Lyſimachia flore purpureo Anguill. Cæſalp. Camer.hort. Lyſimachia 3. Turnero. Geſner. hort. Lyſimachium purpureum cognominatum flore rubro, non colore ſolùm, ſed ſpecie totâ diuerſum à luteo. Dodon. Gall. Lyſimachium ſecundum : Lat. fol. Pſeudo Lyſimachium purpureum alterum. Falluntur, inquit, qui pro Hepatorio colligunt : ſed multò magis, qui ipſum Centaurii ſpeciem eſſe rentur.

Lobel. Obſ. & Icon. Pl. Lyſimachia purpurea,

forte

fortè Pliniana. Lyſimachia altera Matthioli. Hiſt. Lugd. Lyſimachia altera Matthioli. C. Bauh. Phyt. Lyſimachia 13. ſiue ſpicata purpurea, fortè Plinii.

[...]rus & [...]mpus. Lyſimachiam purpuream quibuſdam flore ſpicato vidi Monſpelii & Geneuæ ac Baſileæ florentem ad Birſam menſe Iunio & Iulio. Monthelgardi abundat propè *Adincourt* & iuxta viam quâ itur *Souchaur*.

## LYSIMACHIA PVRPVREA Pannonica.



[...]criptio NOſtrę Lyſimachiæ purpureæ ſpicatæ affinis. Pānonica Lyſimachia, *caule* quadrato, in oppoſitos ramos diuiſo, ſed tenuiores: in his *folia* anguſta acuminata, ex aduerſo ſita, neruo ſecundum longitudinem decurrente: in ſummo caule *flores* in longa ſpica cohærent, quaterni ferè, aut ſinguli etiam alternatim è graminei folioli ſinu prodeuntes, colore purpureo præditi, foliis ſenis contexti, è calyce oblongo mitiore quàm in purpurea ſpicata noſtra, ſtriato, ad Calamenthæ calyces accedente. Rarò cubitalem altitudinem hanc Lyſimachiam ſuperare teſtatum reliquit Cluſius, foliáque ſi mordeantur gummoſa, deinde nonnihil acrimoniæ & amaritudinis exerere: radicem duram lignoſam, multos caules ſingulis annis proferre, & ſubinde lateribus ſe propagare & multis fibris inhærere.

Cluſ. Pann. Lyſimachia 2. Lyſimachia minor rubro flore. Caſp. Bauh. Phyt. Lyſimachia 4. ſiue rubra non ſiliquoſa.

[...]s & [...]us Accepi plantam ex Agerii ſiccis Argentinæ 1595. quæ colore florum valdè placet, qui mihi cæruleus ferè videtur, inſcriptio erat, Lyſimachia purpurea Pannonica Cluſii.

## EPHEMERON MATTHIOLI.

[...]iptio PRodiit *foliis* oblongis, latis, duriuſculis, veluti Iſatidis, ſed tamen minoribus, *cauliculis* compluribus rotundis, cubito altioribus, non abſque adnatis: quos ſuperiùs Quinquefolii candidi conueſtiunt *floſculi*, haud magni, ſucceſſiuè prodeuntes, *ſemen* ſuccedit in rotundis *capitulis* exiguum, craſſis & multis fibris capillatæ *radices*.

Ephemerum quod ſilv. Irin appellant in Ananienſibus montibus tam in pratis, quàm in ſiluis copioſè naſcitur, vbi Indigenis vocatur vulgò *Giglio Matto*, hoc eſt, Lilium ſtultum. Huic certè, niſi me fallit iudicium [inquit Matth.] omnes prorſus notæ conueniunt, quæ alteri Ephemero à Dioſc. tribuuntur, & Gal. lib. 6. Ephemerum non



lethale ſiue alterum, & Irin agreſtem cognominat. Idē Hiſt. Germ. vocat Ephemerum non lethale flore albo Dioſcor. Plinii verò cæruleo. *Quandoquidem* autem Matthiolus ſuum Ephemerum non deſcribit: nec plantā Camerario occurrit eiùs figuræ reſpondens, omiſit donec aliquid certi reſciſcatur. *Mirum* Matthiolum non deſcripſiſſe plantam vulgò non notam, ſi eam benè agnouit.

Plant. Icon. Lob. & Obſ. Ephemerum Matth. vel potiùs Ephemerum ſpurium. H. Lugd. Ephemerum non lethale. Matth.

Tabern. Icon. Ephemerum Matth. Wiſen Zeitloſen, rechtblumen.

Matthiolus aliud Ephemerum exhibet, quod in hortis Belgii aliter, quàm ab eo depingitur enatum eſt; verùm illud cum Ephemero Dioſc. patum, immò nihil conuenit: Dioſcorides Ephemerum ait à nonnullis appellari ἴειν ἄγειαν. Aſt mauult Dodon. de purg. legere κρίνον ἄγειον. Nam ſi folium cauleſque Lilii, citiùs Lilium ſilv. quàm ſilueſtris Iris videtur nuncupandum Ephemeron Matthioli.

C. Bauh. Phyt. in app. Ephemerum 1. ſiue Matth. Ephemerum 2. ſiue Matthioli, vel potiùs ſpurium Lobelii. *Vix credimus* eaſdem eſſe, cùm illi folia Lilii & radix vnica digitalis tribuatur: huic verò folia & radix Iſatidis aſcribantur: imò figurarum nulla ſimilitudo: verùm cùm neutram viderimus nihil ſtatuere licet. Idem tradit apud Matth.

## LYSIMACHIA SILIQVOSA HIRSVTA, maiore flore purpureo.



MVltis fibris capillatâ *radice* nititur, *caules* emittens tenues, teretes, rubentes, ſubhirſutos: *folia* ſæpe bina, nō exactè aduerſa, Salicis, crenis rubentibus inciſa, glabra, guſtu viſcido, aliquod coloris veſtigium relinquente: *flores* longis, quadratis, hirſutis rubentibus ſiliquis in qua- Deſcriptio

tuor foliola fatiſcentibus inſident, dilutè purpurei, ex quatuor ſoliis cordatis ſtriatis compoſiti, in quorum medio fibræ ex luteolo herbidæ: *ſiliquæ* præpropero ortu flores antevertentes *ſemen* continent puſillum, lanugine candida involutum.

Trago Salicaria altera purpureas ferens Violas Anderc wederich mit braunen Violen.

Fuchſ. Lyſimachia purpurea.

Meminit huius Geſner. in fine Hiſt. Cordi cap. de Chamænerio, dum Chamænerii ſpeciem deſcribit, quam Delphinium eſſe putat: Herbarii quidam [inquit] putant eſſe quam *Filium ante patrem* appellant, quòd ſiliquam & intus ſemen ante floris exitum oſtendat, rectiùs ſi *Partus ante conceptum* ab eis appellaretur. Iam aptiùs à tereti, ſiliquulæ per extremum in expanſum florem exeunte, Buccinariam dici audio. Ruellius Bellium cum Antipatre confundit, Delphinium non exiſtimo. Filius ante patrem vocatur, ab aliis (in Germania inferiori præſertim) Antoniana vel S. *Antonii herba*: Noſtri Schoßkraût appellant: Dodonæus inter Lyſimachias deſcribit. Appelletur, ſi lubet Epilobium. Idem de hort. ſcribit Antonianam vel S. Antonii herbam, ab aliquibus Filium ante patrem, & aliis Lychnidem maiorem & hirſutam appellari.

Dodon. Gall. Lyſimachia 2a. Filius ante patrem, Lyſimachium purpureum primum. Lat. in fol. Pſeudolyſimachium purpureum 1. Quæ porrò de hoc tradit, cùm ad intelligentiam verborum Geſneri iam dictorum conferre videantur, ea adſcribere placuit. Lyſimachiæ ſpecies habetur. & à Fuchſio ante nos, inquit, pro Lyſimachio purpureo deſcripta: non eſt tamen legitimum Lyſimachium, ſed ſpurium ac Pſeudo-lyſimachium. Qua de cauſa & aliis maluit ipſum nominibus Geſnerus compellare, & Epilobion, aut Chamænerion vocitare: ἐπιλόβιον quidem, quòd flos ſit Leucoio ſimilis ſuper ſiliquam natus, χαμαινήριον verò à ſimilitudine aliqua cum Nerio ſiue Rhodendro, præſertim altiùs aſſurgens, cuiúſque flos è latioribus ſoliis compoſitus exiguam roſam æmulatur. Idem verò & Antonianam dici à nonnullis refert: ſed tamen & aliam ait Antonianam eſſe, quæ dentium dolori medeatur. Nominatur verò & paſſim Filius ante patrem, propterea quòd ſiliquæ appareant priùs quàm flos. Cenſetur etiam à quibuſdam Onagra Veterum, quæ & Oenothera ſiue Onuris. Dioſcorides verò hanc ait eſſe fruticem prægrandem arboris inſtar: Lyſimachium verò iſtud purpureum non niſi herba eſt, hyeme etiam inareſcens tantùm abeſt vt frutex ſit, aut arborem æmulari queat.

Onagra

Aduerſ. Lob. & Penæ Lyſimachia ſiliquoſa, Filius ante patrem. Lobel. Obſ. & Icon. Plant. Lyſimachia ſiliquoſa, Delphinium Dioſcoridis Dalechampio. H. Lugd. Lyſimachia purpurea 1. Dodonæi. Tabern. Hiſt. & Icon. Lyſimachia ſiliquoſa 1. C. Bauh. phyt. Lyſimachia 5. ſiue ſiliquoſa hirſuta magno flore.

Nomina Lyſimachia ſiliquoſa hirſuta maiore flore purpureo. Germ. Rott & Braun weiderich. Geſn. Schoßkraût. Eidem Epilobium, Filius ante patrem, Antoniana, vel S. Antonii herba, Lychnis maior & hirſuta aliquibus, Gal. *Lyſimachie rouge*, Dodon.

Locus & tempus Filius ante patrem maior ſolio hirſuto, variis locis prouenit, circa Montbelgardum menſe Auguſto florentem vidi inter *Dale & Audincourt*, paludoſo loco, ac etiam in horto E. Cel. Prouenit Monſpelii: Baſileæ propè Moutets, & propè Birſam intra vrbem, & extra portam S. Albani ad Birſam eandem florentem vidi Iunio, Iulio & Octobri. Frater obſeruauit ad Rhenum extra portam Riehen. Ferrariæ in Cœnobio S. Dominici à *l'Angeli* vidi. Guillandinum vocare Delphinium mihi indicatum. Iuxta ſcrobium, foſſarum, fluuiorum, riuulorúmque margines, aliiſque humidis locis reperitur: quandoque tamen & in ſiccioribus exit, præſertim quod latioris folii florem gignit. Tota ferè æſtate floret. Dodon.

Vires. Cæterùm, vſum in Medicina [eodem referente] cùm nullum habeat; vires quoque eius ac temperamentum cognoſcere non contigit: Geſnerus tamen calidam & ſiccam ſecundo gradu iudicauit eſſe, atque ex diuerſis conſtare partibus, nonnullis euidenter adſtringentibus; aliis verò modicè abſtergentibus.

---

## LYSIMACHIA SILIQVOSA HIRSVTA flore minore.



Deſcriptio Bicubitalis ferè eſt, aliàs vix cubitum ſuperans, *caule* rubente, rotundo; ſtatim ferè à radice in ramos plurimùm oppoſitos brachiato: *folia* hirſuta, oblonga, crenata, modicè in acumen deſinunt: *ſiliquis* verò longis inſident *floſculi* exigui, longè minores quàm deſcriptæ ſuprà ſiliquoſæ hirſutæ, coloris ex rubro pallentis, vel albidi: *radix* multis fibris eſt capillata.

Dod. Lat. fol. Pſeudolyſimachium purpureum minus.

Tabern. Hiſt. & Icon. Lyſimachia ſiliquoſa 2.

C. Bauh. phyt. Lyſimachia 6. ſiue ſiliquoſa hirſuta paruo flore.

Locus Lyſimachia hirſuta ſiliquoſa flore minore, prouenit Montbelgardi, vt in Horto E. C. ſponte.

---

## LYSIMACHIA SPECIOSA QVIBVSDAM Onagra dicta, ſiliquoſa.

Deſcriptio Lyſimachiæ ſpecies reliquas proceritate ſuperat hæc quibuſdam putata Onagra, tres, quatuórve aut plures cubitos alta, *caule* glabro, canaliculato, ſubrubente, copioſa medulla alba fungoſa pleno, *foliis* multis ab imo ad ſummum, ſicut & in ramis, donato, ad Salicis aut Nerii folia accedentibus, oblongis, mediocriter anguſtis, acuminatis, vtrinque glabris, rara quædam per ambitum crenatim veſtigia oſtendentibus, obliquis ad latera venis, à neruo medio ſecundum longitudinem decurrente deductis, ſapore ſubadſtringente & glutinoſo, non ſine aliqua obſcura acrimonia: in ramis tuberibus longa ſerie naſcen-



naſcuntur *ſiliquæ* longæ, quadratæ, (ceu in Lyſimachia cui Filius ante patrem nomen) rubentes aut ex rubore in cinereum declinantes, ſubhirſutæ, biuolutæ, in quibus *ſemen* papposo tomento delicatiſſimo inuoluitur, perpuſillum, oblongum cinereum, ſiliquarum porrò faſtigia in quaterna folia anguſta explicantur, *flores* ſuſtinentia ſpecioſos Leucoii, purpuraſcentes, quorum medium occupant *ſtamina* candida, apicibus rubentibus aut luridis, piſtillo longiore, in quatuor cruſcula deſinente. *Radix* alba, longè latéque repit, guſtu inſipido viſcosóque.

De hac Hiſt. Lugd. ὀνάγρα, ὀνοθήρα, ὀνουρὶς Dioſcoridi, ὀνοθήρα Theophraſto, ὄναγρον, οἰνοθηρὶς Galeno, Latinè ſimiliter Onagra, ſiue potiùs Oenagra, & Oenotheris, Oenuris à vino dicta. Frutex eſt arboris ſpecie, ita deſcribente Dioſc. admodum magnus, folia habens amygdalæ ſimilia, ſed latiora, & Lilii foliis ſimilia, flores roſarum ſpecie, magnos, radicem albam, longam, quæ ſiccata vini odorem reddit. Naſcitur in montanis locis. Eadem Plinius tradit.

Franc. Calzol. inſignis Phamacop. dicit in ſua montis Baldi deſcriptione, prouenire ibi Onagram, hanc fortè intelligens. Onagram quidem ſiue Mulcibrutam in Veronenſi Baldo Lobel. & Pena ſciſcitati ſunt: ſed id reſponſi tulerunt, nullam repertam plantam quæ quadret Onagræ.

Nullum inquit Matth. in Dioſc. licuit reperire qui mihi Onagram, ſiue Oenotheram, aut Onurin Dioſcoridis, ſiue Oenotheram Theophraſti oſtenderet. Ad me ſcripſit Lucas Ghinus, ſæpiùs à ſe ex Apennino tranſlatam, foliis Amydalæ. Quæ ſanè omni ex parte Onagram referre videtur, etſi ipſe quoque pro certo non auſit aſſerere hanc legitimam eſſe Onagram.

Geſner. in fine Hiſt. Cordi, depingens & deſcribens vocat Elobii quintam ſpeciem, quam priuatim Chamænerion nuncupat. Aliqui verò Feür Fraut/Igniariam. Nec aſſentitur illis qui Lyſimachii ſpeciem hanc eſſe ſuſpicantur. Idem tamen rurſus de hort. Antonianam herbam, S. Antonii, Filii antè patrem, ſpeciem maximam facit.

C. Bauh. phyt. Lyſimachia 10. ſiue Chamænerion dicta, latifolia, flore cæruleo & albo, ſed rariùs.

Lyſimachiam ſpecioſam ſiliquoſam, Dalechampio Onagram dictam, vidi Baſileæ ſponte & in hortis cum flore Iunio. Frater C. Bauhinus obſeruauit in monte Moutets. Menſe Octobri reperi in monte *Balon*, florentem Auguſto. Abundat circa Montbelgardum quà itur Adincourt, vnde tranſtuli in Hortum Ill. E. C.

Aqua in qua radix maduerit in potu data, auctore Dioſc. feras mitigat & cicures reddit: illita quoq; maligna vlcera mulcet. Adiecit Cratetas, inquit Plinius, Oenotheridē, cuius aſperſu è vino feritas omnium animaliū mitigaretur. Et per ſe Oenothera efferantia ſeſe vlcera ſanat, ita θηριώδη ἕλκη Dioſcoridis exponens. Huius radix, inquit Galenus, arefacta vinoſum quiddam redolet: Sed & facultatis vini eſt maximè.

## LYSIMACHIA LÆVIS.



Descriptio

LÆuis nomen meruit, nō quòd nullis penitus pilis ſit obſita ſed quòd vſq; adeò tenuibus tam in *caulibus* bicubitalibus, altioribuſque, teretibus, rubentibus, ramoſis, quàm in *foliis* (quæ bina oppoſita, ex interuallis, latiuſcula ſerrata) donata ſit, vt oculorū aciem ferè fugiant. Sunt autem ſubadſtringente ſapore folia: *flores* ſiliquis longis Lyſimachiæ ſiliquoſæ hirſutæ ſimiles, ſed foliorum inſtar læuibus, quibus flores inſident minores dilutioreſque, quàm in iam dicta Lyſimachia: *ſemen* ſimile: *radix* multis fibris intertexta, ſquammoſis ſtolonibus ſe propagat.

An Aduerſ. Lyſimachiæ ſiliquoſæ altera ſpecies?

An Dodon. Gall. Lyſimachia ſecunda alia ſpecierum minima.

Locus & tempus

Lyſimachia, ſiue Filius ante patrem, lenis, floret menſe Iunio. Eadem nomina à Geſnero huic, ni fallor, attribuuntur, quæ alteri hirſutæ quam læuem maiorem vocat. Baſileæ in ſyluis obſeruauit Frater. Montbelgardi florens & ſemine maturo Auguſto.

## LYSIMACHIA SILIQVOSA ſpecioſa, anguſtifolia.



Deſcriptio

SVperiori tota quidem facie ſimilis, *foliis* eſt confertim multis ſimul coaceruatis, Linariæ foliis & longitudine & latitudine paribus: *flores* conſimiles purpurantes, longis incanis iam dictæ corniculis inſident, minores: *radix* repens cum præcedentis radice conuenit.

Planta hæc vt refert Hiſt.

Lugd. quæ Linariam rubram vocat, Herbariorum quorundam iudicio Therionarca eſt Plinii, fruticoſa, foliis ſubuiridibus, flore roſeo. A plæriſque etiam an Delphinium ſit Græcorum non ſine cauſa ambigitur, quòd huius folia inciſa non videantur, qualia Delphinii à Dioſcoride deſcribuntur. At ſi diligenter notas à Dioſcoride memoratas expendamus, à Delphinii hiſtoria parum diſtat.

Lobel. Obſ. & Icon. Pl. Chamænerion Geſneri, Delphinium Buccinum Dioſcor. Lyſimachiæ ſiliquoſæ varietas.

An Geſner. hort. Antoniana, Filius ante patrem minor, Schoß kraût.

C. Bauh. Phyt. Lyſimachia 11. ſiue Chamænerion dicta anguſtifolia. Epilobium [ἴον ἐπὶ λοβῷ, Viola ſuper ſiliqua] ſextum Geſner. ad Cordum.

Lyſimachiam ſiliquoſam ſpecioſam anguſtifoliam reperi Genevæ iuxta fluuium Arum. D. Dalechampius vocabat Therionarcam Plinii lib. 25. cap. 9. & aliorum Delphinium. Frater Caſp. Bauhinus attulit ex Italia nomine *Herba mora* Cortuſo, & Chamænerii Geſnero.

Et quia dubitatur an ſit Therionarca Plinii & Delphinium Dioſcoridis, ideò vires etiam adſcribendæ earum plantarum veniunt. Therionarca Magica omnes feras torpeſcere, nec niſi Hyænæ vrinæ aſperſu recreari auctor eſt Plinius. Et alio in loco, Serpentes necat, inquit, & cuicunque admota feræ torporem adfert. At cùm Therionarca dicatur, quòd ſit τῶν θηρίων νάρκη, hac admota non feras omnes torpeſcere & ſerpentes necari ſed venenatas tantùm beſtias, & morſu ictúve noxias; meliùs fortaſſe dixiſſet Plinius. De Delphinio verò ſcripſit Dioſcorides, ſemine nihil vtilius bibi poſſe à Scorpione percuſſis. Aiuntque obiectâ herbâ Scorpiones reſolui, atque ignauos torpeſcere: ſemotâ verò eâ ſeſe recolligere.

## NOLI ME TANGERE.

### Cap. XXVII.

Deſcriptio.



SVmmo cæſpite *radices* figit fibroſas: à quibus *caulis* ſurrigitur cubitalis, dilutiſſimè virens, inanis & diaphanes, copioſum ſuccum inſipidum preſſu remittens, per interualla geniculis, ad quæ tophorum podagricorū æmula ſubinde tubera, interceptus: *folia* Cynocrambes, latiora, obtuſiora, in ambitu ſerrata, mollicella: ex quorum alis pedicelli teneri, in quibus ex duobus foliolis ſeſe explicāt *flores*, Naſturtii Indici floribus aſſimiles, minores, corniculo intorto, ex flauo rubentes punctulis rubris ſaturatioribus guttati, in quorum medio exalbida *ſtamina*: his ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ Chelidonii maioris, anguloſæ, quæ maturescente *ſemine* leui contactu ſemine excuſſo diſſiliunt, multis terrorem incutientes, Vermiculorúmque inſtar conuoluuntur: Vnde *Noli me tangere nomen* inditum. Non in omnibus placet figura noſtra Guariniana.

Trag. qui in Hiſt. Germ. Springkraût / ein wild Kingelkraût & wolffſkraût vocat, ac in Lat. Mercurialem 4. ſiue ſilueſtrem alterā, & Eſulam 7. ſeu dulcem ſtatuit, Leptophyllum Tithymalum appellat. Verùm hæc opinio penitùs damnanda eſt, cùm vix quicquam commune habeat cum Tithymalis: nec enim folia, nec flores, nec ſemina reſpondet, quod mecum Geſner. pluribus in locis ſentit: Apocynon eminus appellans.

Lob. & Pena Adu. Perſicariam ſiliquoſam vocant, cauendúmque etiam præcipiunt, ne quis Mercurialem putet, eamque in eos vſus legat, vt nonnulli hallucinati fuerunt. Negantque eſſe Senenſis Phyllon: Statuentes potiùs eſſe alteram Eſulam ſylueſtr. Tragi: nec agnoſcentes ſe Eſulam iſtam Tragi tradidiſſe pro Perſicaria ſiliquoſa.

Hiſt. Lugd. Perſicaria ſiliquata: An eidem Chryſæa? Ac certè: Si Chryſæa Hiſt. Lugd. non eſt Nolimetangere, erit ei valdè affinis.

Recordor à me hanc herbam primò viſam in valle Leborana, inter Rapelſtein & S. Mariam, vbi fodinæ argenti, cùm eſſem adhuc puer, cuius ſemen ſubito ſuo ſaltu horrorem mouit. Inueni in mōte propè *Eſt. b. n* Ill. mei Principis, ac tranſtuli in hortum E. C. Tubingæ cùm eſſem Fuchſius præceptor meus Mercurialis ſpeciem faciebat: Baſileæ vidi ad Pontis finem quà itur Balmæguen: in itinere ex Morat Baſileam copioſè reperi inter Balſtätt & Wällbürg/ loco humido florentem menſe Septembri cum ſeminibus maturis: Baſileæ in horto D. Theodori Zvvinckeri obſeruaui florentem Iunio. Frater Caſp. Bauhinus annotauit prouenire in Múnchſtein. Tiguri in horto Geſneri vidi. Inueni florentem cum ſemine maturo Auguſto menſe in aſcenſu montis *Ballon*. *Dn.* Melchior Sibitzius Medicus Argentinâ mihi ſcripſit quoſdam vocare Hydropicam à turgentibus ſolliculis. Viennę Auſtrię in ſiluula Wolff dicta reperitur.

Diſtillatam aquam ex herba Springkraût vel hirſchmelden dictam Vraſtilauiæ in calculo renum mirificè eradicant: Noli me tangere, articuli turgiduli viſuntur, ceu demonſtrante natura in promouenda vrina eius vſum plurimùm valere. Hanc quoque in Oleo Liliorum aut alio decoctam applicari Geſnerus non putarit inutile. Folia eius aliquot viro ſtranguriâ laboranti vtiliter impoſuit, ac miram etiam vim habere dicit in cienda vrina, ac aquam diſtillatam præſertim: quæ ſi copioſiùs hauriatur vel diabeten inducit. Folia quinque in poculum vini nuper impoſuit mulieri στραγγουρῶσα, & vino epoto meliùs habuit. Canis, cùm dediſſet iuſculum in quo manipulus eius decoctus erat, per ſeſqui horam poſtea copioſiſſimam reddidit vrinam, pluribus verò horis pòſt etiam aluus copioſè mota eſt: cùti impoſita φοινίσσει. Impatiens herba facultate fertur pernicioſà ac inter deleteria habenda Dodon. Vires.

BALSAMINA

## BALSAMINA FOEMINA PERSICI folia, vel Salicis folio.

### Cap. XXVIII.

riptiö. BAlſamina, quam Fœminam vocant, *radice* fibroſa & candida nititur: *caulem* autem habet enormis craſſitiei, cùm altitudo cubitum ſæpè vix æquet, raró autem & parum ſuperet: eſt is verò cortice aut ruffo aut rubeſcente, aut herbido tectus, ſucco fatuo prægnans, glaber ferè, cùm interim *rami*, quos nullo ordine emittit, tomento leui veſtiantur, *foliis* densè ſtipati, Salignis aut Perſicæ, acuminatis, per ambitum ſerratis, ſucculentis, ſapore amaricante præditis: è quorum alis *flores* ſimul plures, Impatientis herbæ Dodonæi [ἀ'θικτε] proſiliunt, calcari longo ex carneo colore herbaceo, reliquus verò flos rubeſcit: *fructus* qualis Balſaminæ mari, acuminatus, verrucoſus, in quo *ſemen* clauditur.

Matth. in poſt. com. Lat. & Ital. cum mag. fig. Camer. in Epit. Balſamina altera. Ital. *Balſamina maggiore*, ſiue fœmina. Germ. Balſam kraut weible. Balſamina fœmina Perſici folia, Perſicaria nonnullorum, Aduerſ. Lob. & Penæ. Anguill. Balſamine altera, Italorum *Herba di Sancta Catharina.*

Geſner. hort. Balſaminem vulgò dictam, Herbæ noli me tangere cognatam ſuſpicatur.

Trag. Balſaminæ alterum genus.

Cord. Hiſt. Balſamella, cui Geſnerus addit figuram, vocans Balſaminem peregrinam, alteram Fuchſii, Dodonæi fœminam.

Dodon. in fol. qui deſcribit & depingit ſub titulo Balſamina, ait, vulgò Balſaminam nuncupāt: & quandoque neutro genere Balſaminum.

Plant. Icon. Balſamina fœmina Perſicifolia.

Tabern. Iconib. & Hiſt. Cam. apud Matth. Germ. & Hort. C. Bauh. Phyt. Balſamina fœmina. Hiſt. Lugd. Balſaminum, ſeu Balſamina Matth. Balſamina Fuchſii: duas proponit Icones.

is & us. Balſamine fœmina folio Salicis Montbelgardi facilè prouenit in Horto E. C. non matureſcit quotannis ſemen, licet ſæpè. Baſileæ habui in horto Patris, apud D. Doctorem Fœlicem Platerum vidi florentem Iunio: obſeruaui Eſlingæ & Patauii.

Putant quidam [id quod etiam ſcribunt] & hanc iiſdem eſſe cum altera Momordica viribus. Verùm Matth. nullam eius experientiam habet.

## ISATIS, SIVE GLASTRVM SATIVA ET ſpontanea.

### Cap. XXIX.

POllicaris huius *radix* albida, & lignoſa ad cubitum aut ſeſquicubitum deſcendit: *caules* tenues, rigidóſque ſurrigit, ramoſos: *flores* in ramulis lutei, crebri, exigui, ex foliis octo, maioribus, alternante ſitu cum minoribus poſitis: *ſtamina* lutea: *capſulæ ſeminum* nigricantes, linguæ auis ſimiles, ſed multò breuiores, anguſtioréſque, coſtâ longitudinem percurrente, ſecundum quam etiam aperiuntur. *Folia* ad Cynogloſſum accedentia, nonnihil glauca, longa; ad cubitum etiam, glabra, quædam ex prioribus interdum hirſuta, ac etiam nonnunquam ſinuata ad Heſ-





peridis folia accedentia, quæque in caulibus & ramis ſunt, nullo pediculo interueniente adnaſcuntur, pinnatis barbulis ad baſin donata, glabra.

Duo Iſatidis genera traduntur à Dioſcoride: ἰσάτις ἥμερος. Glaſtum domeſticum, ἰσάτις ἀγρία, Glaſtum ſylueſtre. De domeſtico inquit: Iſatis ſatiua[ἥμερος caret Vet.] quâ Lanarum Infectores vtuntur, folium habet Plantagini ſimile, verùm pinguius nigriúſque: caulem altitudine duos cubitos excedentem. Siluestris jam dictæ ſimilis, ſed folia habet maiora, ad Lactucæ proximè accedentia: caules verò tenuiores, multifidos quadantenus rubentes, è quorum cacumine folliculi multi dependent, quandam linguarum effigiem referentes, in quibus ſemen: florem melinum & tenuem. *Dioſc. genera duo* *Iſatis domeſtica* *Folium Plantagini ſimile* *Iſatis ſilu. folia Lactucæ proxima*

Sciendum autem, quod ſecundum Dioſcoridis deſcriptionem, quæ hodie apud nos domeſtica eſt, ſilueſtris ſit apud Dioſcoridem: & è contrà, quæ in aruis naſcitur, domeſtica, anguſtioribus enim foliis conſtat, & paucioribus ramis, non tamen ea in vſu eſt apud Infectores noſtri temporis, neque caulem adeò altum gerit.

Verùm, prædictas deſcriptiones erroneas eſſe & mendoſas atteſtatur Cornarius. Ait enim melinum florem, & tenuiores ac multifidos caules, & in cacumine folliculos illos linguarum quandam effigiem repræſentantes Iſatin habere ſatiuam, non ſilueſtrem. Contineri autem in iis ſemen nigrum Melanthio (ait Cæſalp.) ſimile. Sed & caulem duos cubitos excedentem, & non, vt quidam dixerunt, vnum ſolùm cubitum ſuperantem producere. At ſilueſtrem Iſatin nigriora ferre folia, cauliculum minorem & craſſiorem, florem purpureum, aut cæruleum: fructum aſperum, cruciformem, ſemen includentem foliis paruis, & aſſiduè per interualla quinis diſtinctum.

Hoc modo legentibus, vt Hermolaus legit, noſtrum Glaſtum, teſte Cæſalpino, ſatiuæ Iſati ad amuſſim quadrabit: ſilueſtris autem Iſatis, ea

*Herba S. Antony*

planta fuerit, quæ vulgò herba S.Antonii vocatur ob effectum. Nos de herba S.Antonii agimus lib.22.titulo Dentellaria Rondeletii.

*Lactucæ genus. Braſsica ſilu.*

Plinius vtramque Iſatin inter Lactucas ſilueſtres recenſet, cùm autore Cæſalpino, aptiùs inter Braſſicas ſilueſtres numerari debuiſſent.

*Luteum Vitruuii falsò. Vaccaria*

Victorinus (& eum ſecutus Cordus in Dioſc.) ait Dalech.in annot.apud Plinium, falsò putauit glaſtum eſſe luteum Vitruuii: Iſatis adhæc à Lobel. depicta non alia eſt, quàm Vaccaria, de qua lib.29. Anil quod Fragoſus deſcribit, quódque in Occidentali India coli aſſerit, nil niſi Iſatidem Cluſius dixerit. Glaſtum, vt ait Cornar. Gallica vox fuit Iulii Cæſaris ætate, hodie & Itali & Galli *guadum* vocant. Marcel.Medicus Empyricus Vtrum appellari dicit herbam, quam Græci Iſatida vocant. Si igitur Vtrum vox rectè legitur, vt Iſatidem ſignificet, vox Ruta, aut vt alii habent, gluta, in ſuppoſititiis vtique falsò legitur, & fruſtra laborarunt qui pro ipſa Luteam (quam Holler. Geldam vocari ait) ex Plinio & Vitruuio ſubſtituere conati ſunt: ſed ſunt hæ voces omnes meritò nobis ſuſpectæ.

*Guadum. Vtrum. Ruta. Gluta. Lutea*

*Glaſtum. Guadum, Gualdum. Paſtellus. Indum. Egne. Igne Hippocr.*

Iſatin ſatiuam, inquit Ruellius, ſiue Glaſtum, quo Infectores lanarum vtuntur, Glaſtum olim Græci dixêre, nunc *guadum*, vel potiùs *gualdum*, nonnulli S.Philippi herbam, alii Indicum, alii Paſtellum. Cæruleam ſpumam cortinis innatantem, Indum noſtri vocant Infectores. Dioſc. Egnen quoque vocari tradit, quam ſuſpicor Ighen ab Hippocrate dici.

*Vitrum apud Cæſalp. Nitrum. Marcelli error. Paſtellus, Piſtellus. Nil Auicē. An Indicũ 2. Dioſc.*

Sunt id perhibente Dodonæo, qui apud Cæſarem & Plinium non Glaſtum, ſe Vitrum legendum eſſe exiſtiment, nec deſunt qui in Nitrum commutent. Veriſimilius Marcellum pro Glaſto voce Gallica Vitrum perperàm ſcripſiſſe, quàm Cæſarem aut Plinium pro Vitro Germanorum Glaß, aut ab hoc formatum Glaſtum ſuppoſuiſſe. Extat Paſtelli ſiue Piſtelli nomen apud Plinium Valerianum lib.2.cap.3. Ab Auic. cap.512. dicitur Nil. Natantem autem ſpumam, quàm Iſatidis dilutum, cùm panni lanæve tinguntur eructat, ſunt qui Indicum & quidem alterum Dioſc. eſſe exiſtiment, quod tamen non omninò manifeſtum, nam ex Iſatide efferueſcente Indicum efferri Dioſc. non aſſerit, ſed ex æreis vaſis attolli tantummodò habet.

Dioſcorides, ait Conſtant. ſub Iſatidis nomine duas plantas complectitur, tantùm ſylueſtris aut ſatiuæ appoſita differentia. Vtramque ſuo nomine diſtinguit Plinius, ſatiuam glaſtum vocans, ſylueſtrem verò Iſatin: quem imitari potiùs deberent Interpretes, quàm nomina confundere nullius authoritate vtramque plantam Glaſtum vocantes.

Iſatin ſatiuam & ſylueſtrem, ferè omnes vno ore nominant, ſed pingunt Fuchſ. Matth. Lacun. Lonic. qui etiam Lytrum vocari ait: Ryffius qui ſatiuam Glaſtum vocat ſimpliciter, ſilueſtrem verò, ſilueſtre Glaſtum: Amat. Dodon. Camer. in Hiſt.Germ. Matth. & Epit. C.Bauh. apud Matth. Tragus pingens ſatiuam tantùm, ſilueſtrem nihil differre ait, niſi quòd non vbique locorum plantetur. *Contra* Tabern. Icon. & Hiſtor. ſilueſtrem tantùm exhibet. Lobel. & Pena in Adu. Glaſtum ſatiuum, & Glaſtum ſiue Iſatin ſilu. nominant & deſcribunt, ac in Obſ. & Icon. Plant. iiſdem nominibus pingunt.

Ἰσάτις ἥμερος, Lat. Glaſtum ſatiuum, & Iſatis domeſtica. German. Weid & Endich Ryff. Belg. weedt/ Gall. *gueſde*, ou *Paſtel cultiuee*: Ital. *guado domeſtico*: Hiſp. *paſtel*: Angl. Wede & wade. Ἰσάτις ἀγρία verò Glaſtum, ſeu Iſatis ſilu. & ſpontanea, Germ wild weid, Belg. wild weed. Gall. *paſtel ſauuage*: Ital. *guado ſaluatico*: Hiſp. *paſtel ſaluage*: Angl. wild wade. Vtramque vocant Mauritani *dili*, *dileg*, *veſme*, *chate*, *chatis*, *alchat*, *alden*, aut *adhlen* & *nil*, Sic & Græci ἰσάτιν; Lat. Glaſtum & Guadum Ryff. Iſatin. Germ. weidt Endich: Belg. weed: Gallic. *du gueſde*, *paſtel de Languedoc*: Ital. *guado*: Hiſp. *paſtel*: Angl. wede & wade: Boh. waydt indifferenter vocant. In Tholaſana regione, inquit Lobel. virens herba *guede*, glebæ tabefactæ herbæ *paſtel* vocantur, cæruleus verò ille color, qui inde conficitur *Indicum* Germ. Indich. Carol.Steph. in domo ruſt. Gall. *gaude* & *gueſde* idem eſſe ſcribit, quod Veteribus Glaſtum & Iſatis. *Nomina linguarum*

*Locus*

In Ducatu Wirtembergico Marbaci & Tubingæ vidi ſponte prouenientem Iſatidem: obſeruaui etiam Baſileæ: Frater annotauit prouenire ad Rhenum extra portam Kichen: Vidi prætèrea ſpontaneam in agris Alſatiæ: Satiuam vidi Patauii in horto publico, Baſileæ in Horto Dn. D. Fœlicis Plateri. Montbelgardi vidi ſerentes & tranſplantatos agros integros, habeo in Horto Il.E.C. quę ſeipſam propagat, ſemine deciduo: neſcio an ſatiua differat à ſpontanea, præterquam ratione culturæ, primo anno non ſolet cauleſcere, caulem vbi produxit plærumque perit: floret Maio & Iunio. Briſaci ad Rhenum ſpontanea pulchrè virens Octobri & Nouembri. *Tempus*

Cæterùm ſeritur in lætis & pinguibus agris, copioſiſſimum in Gallia Narbonenſi & in Italia, vt in Vmbria, circa Nocetam, vbi oppidum eſt Guadum ideò appellatum, quòd ibi Iſatis copioſiſſima ſeratur, ſicut & in Germanię agro Erphordiano. Ea permagnum quæſtum iis regionibus adfert. Sylueſtre Glaſtum locis incultis & pinguibus prouenit. Maio & Iunio menſibus ambo florent. Vt olim ita & nunc Glaſto ſatiuo Infectores lanarum vtuntur. In Neuſtria quoque Galliæ, & apud eius Prouinciæ Bellocaſſios Glaſtum ſeritur, & colitur, dilutiùs quidem in pannis tingendis quàm quod prouenit apud Tectoſages, vulgò [en Loregeois,] indigenis tamen valdè fructuoſum, & vtile. *Satio*

Illita folia Iſatidis, teſte Dioſc. tumores omnes diſcutiunt, cruenta vulnera glutinant, ſanguinis profluuia ſiſtunt: ignem ſacrum, Phagedænas, putreſcentia vlcera, & quæ ſerpunt, ſanant, Sylueſtre Glaſtum eadem præſtat: potu & illitu lienoſis auxiliatur. Plura vide ſub finem. P. lib.22. *V. fac.*

*FINIS LIBRI VIGESIMI PRIMI*

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

### CAPSVLAS, SEV VASCVLA FERENTES HERBÆ, ACRES & calidæ ferè omnes, vt Naſturtia, Thlaſpi & ſimiles.

*A Siliquoſis herbis haud ita longè recedunt, quæ minuta quædam vaſcula ferunt pro ſeminii theca ſeu burſa: quarum multæ in ſuperiori libro dici poterant, niſi hac ipſâ ſeminum receptaculi notâ manifeſtâ diſtinctæ fuiſſent. Proinde peculiari libro illas comprehendere libuit, quem tamen ſi quis volet appendicem facere prioris, vt omnium ſit vna Claßis, & illam rationem adducere poßit, quòd & hæ quoque pleraque acres ac calidæ ſint.*

### NASTVRTIVM VETERIBVS.

#### CAPVT. I.

HOc tanquam notum non deſcribunt Authores: tantùm ex attributis colligere licet aliquas notas. Dioſcorides Iberibem foliis & radicibus duabus (odore) Naſturtio comparat: Eryſimum ſemine flauo: Siſymbriũ aquaticum ſapore acri. Galenus viride inquit venire in obſonia cum pane, quoniam eius mordacitas humiditatis admixtione moderata ſit, non exurens, vt ſi ſiccum eſſet; ſemen quoque adurens, vt Sinapis. Theophraſtus innuit ſatiuum eſſe, quandò ait: menſe Iulio Naſturtium ſerere aſſolent: exit à ſatu die quinto: ſemen autem vetus celeriùs prouenit: conſtat acri ſucco. Genera huic minimè plura: diuerſitatem enim generis ei deeſſe omninò volunt: Sed & Dioſcorides vnius tantùm meminit. Plinius duo tradit, ac alterum album, & alterum nigrius facit, ſed nequaquam deſcribit; meminit & ſiluestris, cui effectum maiorem ad omnia tribuit.

Κάρδαμον Dioſcoridis ſpuria, nunc Cynocardamum, nunc Iberim, nunc Cardaminaceum ſeu Cardamanticam vocant; Ægyptii *Semeth*: Romani & officinæ *Naſturtium*; Barbari quidam Herbarii *Creßionem hortenſem*, Apuleius Cardaminam, Serapio *Norph, Alchep, Marchita*: Auerrhoes *Alcharf*: Mauritani *Naſ, Alchef*, ſeu *Narf*: Germ. Kres/ Gartenkreß: Belg. Kerſe/ haff Kerſe. Gall. *Creſſon, Creſſon de iardin, Creſſon alenois ou Naſitort* Dodon. Ital. *Naſturtio*, & *Agretto*: Hiſp. *Naſturcyo* & *Malpica*. Angl. Gerdin Creſſys, & Towre Creſſys. Boh. Rzericha.

Nonnulli κάρδαμον Græcis dictum putant, quaſi κάρηδαμον, quòd caput domet: nam arcem mentis obſidens ſua ferit acrimonia, & ignea vi præditum caput tentat. Aliis παρὰ τὸ κόρας μύειν, id eſt, quòd pupillas coëuntibus oculorum palpebris abſcondat, ita dici aiunt: nam luminibus admotum ſubinde cogit conniuêre. A quo καρδαμύττειν verbum declinarunt, quod conniuêre dicimus. Nec deſunt qui dictum arbitrentur ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd cor foueat, & in ſyncope cardiaca plurimùm valeat. Id innuere videtur Ariſtophanes, cùm ait, ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα, τί καρδαμύττεις; Edi heri Naſturtia. Quid Naſturtiaris? Et, ὀξυθύμων καὶ δικαίων, καὶ βλεπόντων κάρδαμα, id eſt, qui acri ſunt animo, iuſtique, quíq; Naſturtia tuentur, id eſt, acutũ cernunt. Naſturtium verò Plinio auctore nomen accepit à narium tormento. Et inde vigoris ſignificatione Prouerbium id vocabulum vſurpauit, veluti torporem excitantis. Quæ vulgarium Plinii codicum lectio cùm vix tolerari poſſit, voce excitantis ad præcedentem gignendi caſum non rectè relata, cùm potiùs excitans ſcilicet ſignificatio, ſiue prouerbium, legi debere videatur, Cornarius multò emendatiùs locum hunc legiſſe videtur, hoc modo. Et inde vigoris ſignificatio prouerbio eius eſum vſurpauit, velut torporem excitantis. Eſt enim re uera prouerbium, ἔσθιε κάρδαμον, Ede Naſturtium, quod in ſocordem, ignauum, & hebetem dicebatur, propterea quòd vim Naſturtio ineſſe credebant animi vigorem excitandi, vt ex Plinio dicemus. *Creſſon* fortè dicitur, quia perenni ſobole, ſummis feruoribus, vel etiam Brumæ rigoribus ſpretis, creſcit. Francigenæ etiam *Creßon d'Alenois* ab alendo fortè vocant.

Omnis eſt tẽporis, loci, & cæli, teſte Palladio, fimum non deſiderat: humorem, quamuis diligat, tamen deeſſe non curat. Si cum Lactucæ

ſeratur, naſci fertur egregiè. Semen per quinque annos ſeruatur.

Locus

Naſturtium, inquit Plinius, in Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni. Idem cum Dioſcor. optimum eſſe dicit Babylonicum. Ariſtophanes apud Athenæum Mileſium excellere putat.

Vires & Tempus.

Omnium ſemen Dioſcoride autore eſt acre, excalfacit, ſtomacho aduerſatur, aluum turbat, tineas excutit, lienē imminuit, partus exanimat, menſes cit, venerem ſtimulat, Sinapis & Erucæ ſimile intelligitur: lepras & impetigines abſterget. Illitum cum melle lienem extenuat, fauos expurgat: pulmonum vitia extrahit, ſorbitionibus incoctum: ſerpentium venenis potum reſiſtit, atque eas ſuffitu fugat: capillorum defluuia cohibet: carbunculos ad ſuppurationem perducit & rumpit: coxendicibus cum polenta commodè ex aceto illinitur: tumores collectionéſque diſcutit: ad ſuppurationem perducit furunculos, illitum cum muria. Herbæ ad omnia eadem effectus, licèt minor.

Plinius diffuſiùs Naſturtii vires declarat, & in quibuſdā à Dioſcoride diſſentit. Naſturtium, inquit, venerem inhibet, animum exacuit. Aluum purgat, bilem detrahit potum ex aqua decem denariûm pondo. Cum lomento ſtrumis illitum opertúmque Braſſica præclarè medetur. Nigrius capitis vitia purgat. Viſum compurgat, commotas mentes ſedat ex aceto ſumptum, lienem ex vino potum, vel cum fico. Tuſſim ex melle, ſi quotidie ieiuni ſumant. Semen ex vino omnia inteſtinorum animalia pellit, efficaciùs adhibito mētaſtro. Prodeſt & contra ſuſpiria, & tuſſim cum origano, & vino dulci. Pectoris doloribus decoctum in lacte caprino. Panos diſcutit cum pice, extrahítque corpore aculeos. Et maculas illitum ex aceto. Contra carcinomata adiicitur Ouorum album. Et lienibus illinitur ex aceto. Infantibus verò è melle vtiliſſimè. Sextius adiicit vſtum ſerpentes fugare, Scorpionibus reſiſtere. Capitis dolores contrito, & alopecias emendari addito Sinapi, grauitatem aurium trito impoſito auribus cum fico. Dentium dolores infuſo in aures ſucco. Porriginem & vlcera capitis cum adipe anſerino. Furunculos concoquit cum fermento. Carbunculos ad ſuppurationem perducit & rumpit. Phagedenas vlcerum expurgat cum melle. Coxendicibus & lumbis cum polenta ex aceto illinitur: item Licheni: item vnguibus ſcabris: quippe natura eius cauſtica eſt. Silueſtri verò ad omnia ea effectus maior. *Hæc Plinius.*

Dioſcorides tradidit Naſturtii ſemen *συνουσίαν παρορμᾶν*, id eſt, Venerem ſtimulare. Plinius contrà Venerem inhibere. Cui aſſentitur Florentinus in Geoponicis Conſtantino attributis, *φασὶ δὲ*, inquit, *τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον, ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι*. Et addit *ἀφροδισίων ἐφεκτικώτερον εἶναι*. Sed quum hæc tum Dioſcoridi, tum experientiæ repugnent, dicendum aut eos Naſturtii virtutes nō rectè intellexiſſe, aut Codices eo in loco deprauatos eſſe.

*Plinius & Conſtantinus à Dioſcor. diſſentiunt.*

Galenus perſpicuè eius vires & facultates explicat. Naſturtii ſemen, inquit, adurentis ſeu cauſticæ facultatis particeps eſt, velut Napy. Proinde coxendicis & capitis dolores lenat, atque adeò rubrificationem efficit & excalfacit ſicut Napy. Miſcetur quoque remediis iis, quæ exhibentur aſthmaticis, tanquam ſcilicet id, quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat, velut & Napy. Nam per omnia ei ſimile eſt. Porrò & herba arefacta ſimilem ſemini vim poſſidet. Humida verò adhuc ac viridis, propter aqueæ humiditatis mixtionem, multò ſemine inferior eſt, adeóque tunc mordacitas eius moderata eſt, vt cum pane eo vti liceat. Hæc Galenus.

## NASTVRTIVM VVLGARE.

Descript.

GRacilis eſt *radix* paucíſque donata fibris: ex qua primulùm enata *folia* minutis inciſuris diſſecta, Erucæ minoribus, adulta vel Erucæ modo diuiduntur, vel integra in margine duntaxat ſerrata crenatáue conſpiciuntur, ſapore acri acetariis expetita: *caulis* ſingularis in alas multas diuiſus, colore eſt glaucò, rotundus, pede altior, ac etiam cubitalis: *floſculi* albi vel purpuraſcentes quatuor foliolis conſtant: *Semen* fuluum, vel, vt ait Dodon. ruffo colore rubens, feruido guſtu in *ſiliquis* vel valuulis paruis rotundiuſculis, Thlapſi vulgatiſſimi, compreſſis.

*Dorſth. Lapſus.*

Theod. Dorſth. cap. de Naſturtio, tantùm de hortenſi ſcribit, Naſturtii licèt aquatici iconem ſub his nominibus habeat: *κάρδαμον*, Naſturtium, Cardamum, Naſturtium agreſte, Naſturtiū aquaticū, Senacion, Kreſſe/ Garten Kreſſe/ wild Kreſſe/ Brunkreſſe. *Cauendum* igitur imperitioribus ne vires, quas ibi tradit Dorſth. Naſturtio aquatico, quod inibi pingit, aſcribant. *Is præterea* diuerſarū plantarum nomina confundit.



Simili modo Domus ruſt. Car. Stephani & I. Liebault confuſè de Naſturtio ait: *Creſſon de cailler & alenois & la Berle*, amant loca humida & fontium ripas & riuulos, nullam requirunt culturam in hortis præter continuam rigationem & aquam ad radicem: vtrique magna virtus. Quid ſit *cailler* neſcimus, videtur tamen intelligere Naſturtium aquaticum: Quid etiam ei *Berle* dubiū. Naſturtium aquaticum non alitur. Naſturtium hortenſe non requirit multam aquam & continuam: Vt paucis dicamus Liebaultius nobis videtur non intelligere nominatarum plantarum differentiam & culturam.

*Liebaultius not[...]*

Geſner. hort Nauſturtium maius album & minus nigrum. Sylueſtre perſimile hortenſi puto me in altis quibuſdam montibus olim reperiſſe. Item in append. Naſturtium hortenſe, foliis valdè diuiſis: hoc duplex ni fallor: minus ſcilicet ac maius, quod ad Ranunculi pratenſis folia tum forma, tum magnitudine accedit. Naſturtium alpinum hortenſi minori perſimile: minus iam altero anno mihi durat & ſemina protulit.

Naſturtium antequam cauleſcat, folia habere modicè lata, diuiſáque Marantha tradit: at cum caulem ediderit folia mutare, eſſe enim tunc oblonga, tenuia, digiti longitudinem æquantia.

*Suſpicor*

*Suſpicor* Maranthæ non notum Naſturrium latifolium,quamobrem conſiderandum quam Iberidem intelligat de qua agit p.91.quam Dioſc.dicit Naſturtii foliis. *...ranth.*

C.Bauh.Phyt. Naſturtium 11. ſiue hortenſe commune: Naſturtium album Plinio. Aliud eſt foliis ſimplicibus, quod læue & albius,vel ſubhirſutum,minus que album:aliud foliis valdè diuiſis, hoc maius & minus,aliud criſpum & non criſpum. *Subhirſutum* Naſturtium hactenus non vidimus: Meminit olim Geſnerus Naſturtii ſubhirſuti,vt videre eſt ex eius verbis poſtea poſitis ſub Naſturrio latifolio,

*...urtiũ ...tum.* Ruell. Cord.in Dioſcorid. Corn. Brunſch. Matth. Lacun. Lonic. Ryff. Amar. Anguill. Euch. Roeſl. Brunfelſ. Carol. Steph. Geſner. coll.ſtirp. Gerard. Dodon.Gall. Lob.Obſ. Tabern. Cæſalp. Apollin. Camer. ad Hiſt. Matth. Germ. & Epit.*Naſturtium.* Camer.horr. *Naſturtium noſtras.* Trago, Fuchſ. Dodon.Lat. Hiſt. Lugd. *Naſturtium hortenſe.* Lobel.Icon. Plant. *Cardamon,Naſturtium hortenſe.*

*...us & ...pus.* Nomina & Synonyma linguarum, vide antè. Naſturtiũ vulgare vidi Monſpelii florens Martio, Patauii virens Februario: Geneuæ tota hyeme virens. Lugduni ſemine maturo Iunio, Baſileæ florens Octobri.Montbelgardi abundat etiam in hortis,vt in Horto E.C.tota hieme viret: vere tamẽ ſeritur ad acetaria quod tenerius multò.

Duo Naſturtia quæ recenſebimus poſtea ab hoc vix differre viribus exiſtimamus: facilè patiemur etiam nobis perſuadere huic ac eis conuenire vires à Dioſc.& Galeno attributas, quas antè tradidimus. Vſurpatur paſſim ad ciborum condimenta & intinctus, & venit quoque per æſtatem cum Lactuca atque aliis herbis oleo, aceto,& ſale in menſis.Attenuat, inquit Matth. mundat, apetit,prouocat,incidit, vrit & & reſoluit. Naſturtium hortenſe in cataplaſmate reſoluit carbunculos,arthritidem,iſchiadicam, furunculos,& omnis generis apoſtemata, potiſſimùm ſi admiſceatur fermẽtum.Succus Naſturtii inſtillatus auri, curat dolorem dentium à cauſa frigida. Semen maſticatum & retentum in ore vtile ad paralyſim linguæ: in paralyſi aliorum membrorum applicantur cum ſacculis ſemina in vino cocta: idem remedium confert, colica Laborantibus. Honeſtus quidam Mercator bibliopola Lugdunenſis ætate conſiſtente cùm crudeli dentium dolore cruciaretur,& inſomnis eſſet à triduo,lecto remedio modo ſcripto: ſuccum Naſturtii calidum curauit in aurem inſtillandum: inde ſentit magnum ſuſurrum,ſine dolore obdormiuit, à longo ſomno excitatus nullum ampliùs ſenſit dolorem: licèt hoc medicamentum ſucceſſerit, nolimus tamen temerè cuiquam præſcribere, veriti, ne dum pellere vellẽmus dolorem hunc, alium deteriorem excitaremus, nempe inflammationem aliquam in aurẽ & potiſſimùm membranæ extenſæ ſupra calcem quæ eſt in tympano, vereremur etiam attractionem humorum in eas partes ſine inflammatione: in cauſa tamen frigida non improbaremus ſacculos ſemine calidos, vel ex ipſa herba, ac etiam maſticatoria & collutiones. Belgæ Naſturtio cum pane & butyro menſe Maio frequenter veſcuntur. Facit ad graue illud malum,quod Scorbutum appellant: nec minor eſt huius, quàm vel Cochleariæ, aut Naſturtii aquatici in hoc morbo vis & facultas. Ex alto delapſis aut præcipitatis datum confert: ſanguinem coagulatum diſſoluit; & ne alicubi in corpore coëat aut coaguletur præcauet: ſudorem etiam mouet, vt Recentiorum experientiâ inuentum ac comprobatum. Cardamomi loco ponit Naſturtium Colleg.Florentinum. Aqua in fine Maii diſtillata, cum melle permiſta, lineis pannis in ea immerſis variolis imponitur. In quem vſum etiam manè ac veſperi cum aqua Fragorum permiſta bibitur. Eadem quatuor vnciis pota diſcutit tumorem,pollit lumbricos ventris; Vlcera & tumores reprimit, ſi ſæpiùs inde fricentur.

## NASTVRTIVM CRISPVM IOH. Bauhini.



Deſcriptio. Facies reliqua, ſiue *caulium*, ſiue *florum* alborũ *ſeminumque*, cũ Naſturtio vulgari conuenit: at *folia* plurimùm differũt, miris modis laciniata, & criſpis oris fimbriata; ſapore & odore vulgatioris Naſturtii.

C.B. Phyt. Naſturtium 12. ſiue hortenſe criſpũ in fratris Io.Bauhini horto collectum.Naſturtium criſpum primò vidimus in pago *Tremoin*, in horto concionatoris I.Aran, qui dicebat ex Belgio allatum, à quo etiam habuerat Nobilis Vir D.Michael à Franckmont,ex iis hortis attuli plantandum in Hortum Ill.E.C. vbi viret Montbelgardi, ſemine turgens Auguſto, floret, Iunio, ſe mulplicat ſemine deciduo. Tempus.

## NASTVRTIVM LATIFOLIVM Dioſcorideum Io.Bauhino.



Deſcrip. Sinapi craſſitudinis *radicem* habet,albam, lignoſam,quàm plurimas rigidas à lateribus fibras emittentem: *caulem* erigit craſſitudine digitali; cubitalem,ſtarim à radice in crebros ramos diuiſum denſéque fruticãtem: *folia* infima per terram ſparguntur quinque vncias longa,ſeſquiunciã circiter lata:crenata,ſubinde circa pediculum nonnihil ſinuata, & auriculata, quanquam hoc ra-

xiùs,ſuperiora folia anguſtiora exiſtunt,aliquando tamen infimis longiora: *flos*, *ſiliqua*, *ſemen*, *ſapor*, *cd‸r*, cuiuſmodi in Naſturtio vulgari: flos interim ſuauem odorem ſpirat, cum.nimirum quem Sinapios.

An Geſner. hort.in appēd.Naſturtium Hiſpanicum. Item paulò pòſt: Naſturtium hortenſe aliud eſt foliis ſimplicibus, pollicem latis, tres longis, idque vel læue, vel albius, vel ſubhirſutum,minúſque album.

Camer. apud Matth. Germ. folium depictum habet nomine Naſturtii latifolii, qualiter & in hort.vocat.

*Tab. not.* An Iac.Theod.Tabern.Icon.Naſturtium Hiſpanicum, & Hiſt.vbi figura tranſpoſita, quæ nō multùm placet ſi noſtrum Naſturtium latifolium intelligit vt ſuſpicot.

C.Bauhin.Phyt.Naſturtium 10. hortenſe latifolium.Naſturtii Dioſcoridei nomine à Ioh.Bauhino miſſum. Fortè hoc Naſturtii Hiſpanici nomine Tabern.exprimere voluit: at figura non conuenit.

Tempus Naſturtium latiſolium ſimile formâ & guſtu vulgari,demptis foliis inferioribus,quę lata vt in Iberide vera Monſpelii prouenięte,primò habui Lugduni in horto,deinde Geneuæ: poſtremò introduxi in Hortum Ill.E.C. vbi nunc viret totâ hieme foliis latiſſimis, neminem ſcio qui deſcripſerit: nec recordor vnde ſemen habuerim,à triginta annis in hortis colo: hiemem facilè profert.

THLASPI ANGVSTIFOLIVM FVCHSII, Naſturtium ſylueſtre Ioh.Bauh.



Deſcriptio QVod Naſturtium ſylueſtre voco, dodrāte maius eſt ſatiuo, ſimile forma,& odore, & ſapore, ni minore eſſet *radice* ſatis craſſa, lignoſa, fibris donata, alba, ſaporis feruidi: ex qua *caules* emittūtur plures, craſſitudine radici ſuppares, perquàm ramoſi, duri: *folia* infima, caduca, Naſturtii vulgaris foliis ſimilia, laciniata, multò tamen minora: ab Iberide huic abſimili differunt, vt pote cui folia infima per extremam oram ſerrata duntaxat aut crenata exiſtunt & latiora: nā ſuperiora,tenuia, anguſta, Iberidis pænè ſunt odore & ſapore vehementer acri: *floſculi* minimi albidi, viſum ferè fugiunt,ad Iberidis flores accedentes: quos nec dum delapſos *ſiliquæ* numeroſiſſimæ excipiunt ex lōgiuſculis pediculis, paruulæ, rotundæ, compreſſæ, & ſupremo margine fiſſæ: quibus dehiſcentibus duo *ſeminula* ruffa oblonga cum valuulis excidunt,relictâ membranulà alba diſſepiente: Dodonæus acre & feruēs ſemen dicit. In figura Fuchſiana hìc poſita deſunt folia inferiora.

Brunfelſ.Burſa paſtoris minor, klein Deſchel kraut/ Germ.communiter Seckel abſchneiden dicta,qui ex ea ludicrum faciant. *Burſa paſtoris minor.*

Fuchſ.Icon.& Hiſt.Iconem tantùm proponit, ſine deſcriptione, titulo, Thlaſpi anguſtifolium.

Trago pingenti Thlaſpidii genus, deſcribenti Naſturtii quintum genus.

An Braſſau.in exam.pil.aggreg. Iberidis ſpecies? Cornar. in Dioſcor. Thlaſpi alterum genus.

Matthiol.in poſt.Ital.com.in Dioſcor.figuram habet Iberidis nomine, quam ſuſpicōr eſſe hoc Thlaſpi anguſtifolium, quam opinionem confirmat nomen wilden kreß in Hiſt. Germ.poſitum, vbi eadem figura, & præterea deſcriptio quadrans potiùs Thlaſpi, quàm veræ Iberidi.

Retinuit idem nomen Germ. & eandem figuram Camer.in Hiſt.Matthiol.Germ.Iberidis nomine,vt & in eiuſdem Epit.quam poſtea in Epit. malè iterum exhibet pro Lepidio. *Camer. not.*

Dodon.Gall.cuius deſcriptio valdè ieiuna figuram Fuchſii habet, vocátque Thlaſpi 3. Thlaſpi anguſtifolium, & Thlapſi minus. Lat.in fol. Thlaſpi minimum. Foliola inferiora non pingit Dodonæus,nec etiam habet figura noſtra,quę iam facta erat. Non placet quoque eum dicere ſemen valdè exiguum, non tamen minus quā ſuperiorum: Thlaſpi eius antè dictum latius ſemina habet rotunda multò maiora,ſicuti eius alterum,oblongum etiam maius. *Dod not.*

Oſyridis folio Thlaſpi minus hortenſe vulgare acerrimum vocant Adu.Lob.& Penæ,& luteum ac album tradunt etiam in Icon.Plant.aiúntque: Paulò diligentiores Pharmocopœi & Herbarii Angliæ & Germaniæ minorem ſpeciē Thlaſpi vocant & alunt in hortis ad medicum vſum, quia ſit feruidioris guſtus. Eius cæteroquin tota facies, ramulis multis, floribus, & foliolis Thlaſpi fatetur,catenúſque differre videtur, quia tota minor & tantoperè ſarmentoſa,vt ſcoparum vice ſit ad verrendum non ſecus ac Iberis, cuius etiam floribus albidis,crebris.paruis. Eadem in horto Morgani noſtri, etiam luteis floribus viſebatur menſe Iunio. Item Hiſt.lib.2.cap.37. Iberis 2. Item cap.38.Thlaſpi minus Germ.ſiue 16. Locus.

Apud Tabern.tam in Icon.quàm in Hiſt.ſunt duæ icones vnius plantæ: vna Iberidis nomine, altera Thlaſpi minoris Germanici titulo. Nulla autem perfecta, nec deſcriptio alicuius momenti: cur etiam Iberidem Germanicè groß Beſemkraut vocet, nulla eſt ratio. *Tab. n*

C.Bauhin.Phyt.Thlaſpi 29.ſiue Oſyridis folio. Burſa paſtoris minor Brunfelſ. Minus hortenſe vulgare Lobelio pag.214.luteum eſt & album. Icon Lobel.apud Plant.videtur repræſētare Thlaſpi Fuchſii de quo hic agimus: verùm non intelligimus cur Lobelius dicat Oſyridis folio, flore etiam luteo non vidimus.

Schvv.Thlaſpi minus Oſyridis folio, Lobel. Thlaſpi Oſyridis folio acerrimum & album, Cluſ.Alyſſum minimum, Thlaſpi minus Germ. Steinkraut/ wegkreſſe / klein Beſemkraut. *Mihi* videtur Schvvenckf.eam plantam intelligere, quam nos hoc capite tradimus: verùm non cōuenit cum Alyſſo minimo Cluſii, diuerſa admodum planta figurâ & temperamento, ſubacidum habere ſaporem dicit Cluſius: dubitamus an bene notum ei fuerit noſtrum Naſturtium ſylueſtre. Thlaſpi anguſtifolium Fuchſii, quod Naſturtium

ſturtium ſilu. voco, Brunfelſ. Burſam paſtoris minorem, klein Geſchelkraut / Germ. communiter Seckel abſchneiden Fuchſ. Trag. Beſem kraut Dodon.

Baſileæ copioſum obſeruaui cum ſiliquis menſe Octobri & Nouembri ad horræum Noſodochii & verſus papyracea molendina, ad fontem propè textorum panni foſſas, & aliis locis, menſe Iunio florentem & ſiliquas habentem. Geneuæ verſus Noſodochium & S. Geruaſium, folia prima omninò vulgare Naſturtium imitantur, ſuperiora ad Iberidem accedunt: florebat & capſulas proferebat Maio. Et in Butcken ad muros ſpontaneum: A me Vere ſatum in Horto Ill. E.C. floruit Auguſto eodem anno: Inueni propè Beffordiam cum floſculis & ſemine maturo Septembri, Stutgardiæ ſponte iuxta muros Ill. E.C. horti florens ex valuulis Maio menſe. In Alſatia in hoſpitio propè Bercken ſemine maturo Iulio.

Non placet Brunfelſium huic plantæ eaſdem tribuere vires quas Burſæ paſtoris vulgari, huic enim plantæ ſapor inſigniter acris. Calefacere & ſiccare quarto gradu ſemen, ſcribit Schvv. & cauſticę facultatis, eſſe, & ad calculum laudari.

---

## IBERIS ET LEPIDIVM.

Veteribus & in genere.

### CAP. II.

QVoniam in dubium magna verborum contentione reuocatur, an Iberis & Lepidium Veteribus ſit vna eadémque herba, ideò hac de re vno capite ambas haſce plantas complectentibus problematicè agere libuit. Ac primùm quidem, eorum opinionem, qui à nobis recedunt & affirmatiuam tenent, adducere viſum fuit.

Herbam igitur, inquiunt, quæ à Græcis Iberis dicitur, Paulus Lepidium, & ἀγριοκάρδαμον, id eſt, ſiluestre Naſturtium appellari ſcripſit. Aëtius Cardaminem, quia odorem, ſaporem, & figuram Cardami, hoc eſt, Naſturtii habet, & Galenus odore & viribus Cardamo ſimile Lepidium eſſe dicit. Quare in Dioſcoride ἰβηρὶς ἤτοι καρδαμαντικὴ pro καρδαμίνη falsò legi Cornarius exiſtimat. Galenus etiam Lepidium eandem eſſe herbam cum Iberide, declarat his verbis. Damocratis extat libellus Clinicus inſcriptus, in quo verſibus Iambicis de tribus diſſerit medicamentis. Ac primò quidem eo, quod ex herba, quam ipſe Iberidem appellat, conſtat. Mox ſubiungit Galenus. In Iberide medicum quendam amicum ſuum hac herba curatum eſſe, quam ipſe Damocrates Iberidem appellat, vt qui ipſo viſu herbam cognorit, nomen autem eius nullum audierit, quinetiam idipſum ignorarit is, qui eum viſum eius docuit. Verùm ex ſignis quæ ſcribit, videtur Iberidem appellare, quæ à Græcis Lepidium appellatur, à regione in qua amicus eius curatus eſt, appellatione ducta. Damocratis autem verſus Iambici quibus eius effigiem depinxit, hîc Galenus ſubiicit.

*Herba hæc vbique multaque frequens naſcitur,*
*Monumenta iuxta antiqua, muros & veteres,*
*Tritaſque quondam publicè pedibus vias,*
*Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola.*
*Semper vireſcens, foliis Naſturtii,*
*Florentibus vere, attamen maioribus:*
*Caulem cubitalis longitudinis gerit,*
*Paulò minorem, aut rurſus ampliorem, ab hoc*
*Aeſtate pendent folia, donec multa hyems*
*Sarmentitiam deducat hæc ad imaginem, &*
*Deiecta & exſiccata depereant gelu.*
*Adnata radici tamen cernes alia.*
*Aeſtate florem fert colore lacteo*
*Multum, tenuem, variumque valde, cauliculis.*
*Ad quem ſequitur ſemen penitus ſic exiguum,*
*Viſum ferè vt fallens, oculos quoque effugiat.*
*Odorem habet radix inde acerrimum,*
*Vero ſimilem quàm maximè Naſturtio.*

*Addit rurſus* his Galenus. De hac Iberide etiam Archigenes ſcribit, Lepidium ipſam appellans. Dicit autem & ſplenicis, & iſchiadicis ipſam conuenire. Ad iſchiades & perfrigerationes Hygieni Hipparchi authoritate Herbam Iberidem quam aliqui Lepidium vocant aut Agriocardamum (Naſturtium ſyluestre) colligito &c. Cùm igitur Iberis & Lepidium eadem ſit herba, perſpicuum eſt Iberidis caput calci primi libri Dioſc. à nimis curioſis Librariis vel Medicis, non à Dioſcoride adiectum fuiſſe; cùm is Iberidi locus non rectè aſſignetur, ſed libro ſecundo, in quo cum permultis plantis quæ acri facultate præditæ ſunt, de Lepidio tractat. Neque enim duobus locis de eadem herba dicere potuit Dioſcorides. Adhæc in eius deſcriptione corruptus eſt locus, μῆκος δὲ ὅσον πηχυαῖον, ἢ ἔλαττον, id eſt, caulem cubitalem aut minorem: Deeſt enim vox καυλοῦ & πλέον, vt ſic legatur μῆκος δὲ καυλοῦ ὅσον πηχυαῖον πλέον ἢ ἔλαττον, id eſt, caulem longitudine cubitalem, maiorem aut minorem, ſic enim Damocrates habet. Sic & Ætius verſum Damocratis, ſed lege carminis ſoluta recitans, & Archigenes in Epiſtola ad Ariſtonem referente Aëtio, in qua iiſdem planè verbis Iberidem deſcribit, vt vel ex Dioſcoride exſcripſiſſe videatur, vel ex ipſo Archigene ad finem libri primi Dioſcoridis caput de Iberide aliquis attexuerit. Vidimus (ait etiam Matthiolus) primùm Iberidem extra ciuitatem Tridenti, vbi vulgò dicitur *alle Liſte*, effigie mirum, qua deſbitur à Dioſc. ac aliis pluribus Græcis autoribus. Huius Gal. in ſimpl. cenſu nuſquam ſeparatim meminit, ſed hanc & Lepidium non niſi nomine differre prodid r. Quod idem etiam ex Damocrate & Hygieni Hyparchi autoritate lib. 9. de comp. med. ſecund. locos, circa finem, vbi de coxendicũ curatione agit, teſtatur his verbis: Si coxendicum dolores leuare eſt animus, herbam Iberidem quam aliqui Lepidium vocant, aut Naſturtium ſiluestr. colligito: Ex eius certè ſententia aſſerere non dubitauerim, Iberidem apud Græcos eandem eſſe cum Lepidio Vnde perſpicuum eſt, hoc Iberis caput huiuſce primi voluminis calci accreuiſſe nimiâ vel librariorum, vel medicorum curioſitate. In quam ſententiam cum antedictis cauſis, ea ratio me potiſſimùm deducit, quòd conſtet, huius primi voluminis calcem, non eſſe legitimum locum, in quo Iberidis hiſtoria fuerit collocanda: quandoquidem eiuſmodi herbas Dioſcorides lib. 2. ordinatè diſpoſuit, ac de eis diſſeruit, vbi priuatim Lepidio, quod Damocrati Iberidem exiſtimamus, propriam aſſignauit ſedẽ. Quare apertè hallucinari deprehenduntur Monachi illi venerandi, qui in Meſ. comm. ſcripſere, cùm expreſſè contra Gale-

leni & Pauli auctoritatem, & contra rationes, quas ſuperiùs adduximus, aliud à Lepidio Iberidem eſſe contendant. Manifeſtè etiam aberrarunt Barbarus & Ruellius, cùm Lepidium illud eſſe putauerunt, quod vulgus Herbariorum Raphanum ruſticanum appellat.

*Barbari & Ruell. lapſus.*

*Et hæc illi qui affirmatiuam tenent*: Sed antequam negatiuam, quam amplectimur, & veriorem adducamus, paucis de his duabus plantis Veterum placita examinemus. Iberis igitur, ſiue Cardamine Dioſcoridis (Cardamantica aliis,) folia habet Naſturtii, Vere virentiora. Caulis longitudo cubitalis eſt, plùs minùſue: locis incultis naſcitur. Aeſtate porrò lacteum florem promit, ac tum quoque efficacior eſt. Radices binas habet Naſturtio ſimiles. Lepidium verò, quod aliqui Gingidium vocant, herba nota eſt, quæ muriâ cum lacte conditur: folia habet non tam mollia & candida vt Draba. *Plinius* de Iberide hæc habet. Inuenit nuper, & Seru. Democrates è primis medentium, quam appellauit Iberidem: quanquam ficto nomine inuentioni eius aſſignato carmine. Naſcitur circa vetera maximè monumenta, parietináſque & inculta itinerum. Floret ſemper folio Naſturtii, caule cubitali, ſemine tam paruo, vt vix aſpici poſſit. Radici odor Naſturtii. De Lepidio ait. Peregrinum fuit Lepidium. Seritur à Fauonio. Deinde quum fruticauerit, iuxta terram præciditur Tunc runcatur ſtercoratúrq;. Per biennium hęc. Poſtea iiſdem fruticibus vtuntur, ſi non ſæuitia hyemis ingruat, quãdo impatientiſſimum eſt frigorum. Exit & in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, ſed mollibus. *Apud Galenum* in curatione doloris Iſchiadici legitur ſuprà poſita elegãs deſcriptio ex Damocrate carmine conſcripta in hanc ſententiam. Iberis dicta à regione, in qua ſanatus Medicus, herba frequens vbique iuxta muros & vetera monumenta, ac vias, ſemper vireſcens: ſed vere foliis Naſturtii minoribus: caulis cubitalis, paulò maior, vel minor: à quo æſtate pendent folia vſque ad multam hyemem, donec gelu pereant: flos æſtate lacteus: ſemen exiguum, vt vix cerni poſſit: radix odore acerrimo, vt Naſturtium.

*Iberis.* Locus Vſus

*Lepidium. Cultura.*

*Laurini folia*

Recenſitis ita Veterum placitis, Lepidium idẽ eſſe, cum Iberide non conceſſerimus Cornario & aliis: Ex Plinio enim Dioſcoridis fortè coætaneo apparet magnum diſcrimen. Iberis inculta, Lepidium verò peregrinum colitur: Iberidi folium Naſturtii, Lepidio folia Laurina: Iberidis radix tunditur difficulter Plinio, Lepidio conditur Dioſcor. Et quamuis dicat Galenus Iberidem Lepidium etiam vocari, non ſequitur propterea eſſe vnam & eandem plantam, nec legimus quenquam ex Veteribus id aſſeruiſſe. Idem nobis euenire videtur in Iberide quod in Criſanthemo, quod cõpetit Elichryſo & vero Criſanthemo, quod deinde vocatur Buphthalmum, nomine alterius plantæ dictæ Buphthalmum. Cur remouendum ſit vnum caput ex Dioſcor. vt vult Cornarius, non video, niſi remoueatur etiam ex Plinio & Paulo: Quam plantam intelligat per wildkreß inueſtigandum: Si Iberis eadem cum Lepidio Dioſcor. vt vult Matthiolus: Draba quam pingit Matthiol. non poteſt eſſe Draba, vt bene annotauit Anguillara & Guilland. cùm dicat Dioſcor. φύλλα ὥσπερ λεπιδίου, ἁπαλώτερα δὲ καὶ λευκότερα, Maluimus igitur exiſtimare Lepidium Pauli, Plinii, & Dioſcoridis & Galeni idem eſſe.

Iberidem autem apud Dioſc. Plinium, & ex Damocrate Gal. & Paulum & alios, eandem plantã, quæ dicatur etiam Lepidium, diuerſam à Lepidio modo dicto. *Putat Galenus* Iberidem eandẽ cum Lepidio eſſe, ait Cęſalpinus, quod & Agriocardamon [ſilueſtre Naſturtium] appellatum eſt, ſed apud Dioſcor. diuerſa eorum mentio repetitur. Lepidium fortè appellatur, quia Lepidas (ſquamas leproſorum) auferat. Patet autem ex Dioſcor. Lepidium diuerſum eſſe ab ea quam Iberidem vocauit: nam Iberidi vires in radicibus: Lepidio in foliis: huius præterea vſus in cibis: Iberidis nequaquam. *Error* autem putãtium eaſdem eſſe fluxit ex communitate nominis, & virium. Paulus Aegineta rem aperuit inquiens. Iſchiadicos in totum reſtituit ſanitati Iberidis herbæ vſus, quam Lepidion quoque, alii Nauſturtiam appellant. Quæ verò apud nos fruticoſa naſcitur: foliis Lauri ſimilibus, & multò amplioribus reſpondere, multa experimenta teſtantur, non ſolùm in coxarũ, ſed in aliis quoque diuturnis affectibus, & quæ ſequuntur. Columella Lepidii duo genera facit, ſylueſtre, & ſatiuum, fortè Iberidem pro ſylueſtri accipiens. Solùm anſam dubitandi præbet, quod Dioſcorides Lepidium herbulam dixit eſſe, quod Iberidi magis quàm Lepidio conuenit. *Sed* tamen Dioſcoridis Lepidium idem eſſe cum Plinii & Pauli Lepidio, ac longè differre ab Iberide colligi poteſt ex Draba, cuius folia Lepidio comparantur à Dioſcoride. *Iberida* qui cum Lepidio eandem eſſe exiſtimant, capútque de Iberide tanquam ſuperuacaneum à Dioſcor. volumine reſecandũ eſſe aſſeuerant: non ita fortaſſe licenter (autore Marantha) hoc pronuntiaſſent, ſi quæ cap. de Draba habentur, animaduertiſſent. Hanc enim vult Dioſcorides folia habere Lepidii, ſed molliora & candidiora, ſed nulla eſt conuenientia in foliis inter Iberidem & Drabam: huic enim lata ſunt, illi ſatis anguſta, & Naſturtii more inciſa: ſi veram Drabam exiſtimemus [vt certè vera eſt] plantam illam quæ ab omnibus ipſa exiſtimatur, & ab Andrea Matthiol. perbellè depingitur. In Iberide folia in prima germinatione eorum videtur deſcripſiſſe Dioſcor. cùm Naſturtii foliis ſimilia eſſe dicit: nam poſtquam caulẽ ædidit, nullam cum Naſturtio retinere ſimilitudinem videntur: ita vt hanc ſolùm ob cauſam multis diu incognita fuerit, & [vt verùm fatear] mihi etiam non propter id ſolùm incomperta diutiùs fuit, ſed etiam quòd folio in eadem ætate variare ita ſoleat, vt vna eiuſdem ſpeciei plãta alteri diſſimilis penitus videatur. Scribit Dioſc. Iberida duas radices habere, ſed pluribus inueniri, non ſolùm à nobis obſeruatum eſt, ſed à Damocrate ſcriptum, cùm inquit:

*Iberis. Lepidium diuerſum*

*Draba.*

*Adnata radici tamen cernes alia.*

*Et hæc paſſim:* Marantha, qui quam plantam per Iberidem, cùm ait: nam poſtquam caulem edidit &c. intelligat, mihi nondum conſtat. Lepidium Serapioni Setragi, ex Dioſcor. herbula eſt vulgò nota, Damocrati Iberis appellata, ex Gal. vt etiam ab Archigene, in Epiſt. ad Ariſtonem, ex Aëtio. *Quum* verò ſola nominis appellatione differre credantur Lepidium & Iberis, ideò vel Librariorum, vel Medicorum curioſitate, quod in fine primi voluminis legitur, Dioſcoridi accreuiſſe putauerint Ruell. Manard. Marcell. ac Matthiolus. *Cardanus tamen* 3. contradicentiũ ita arguit: Lepidium tanquam Iberida deſcribit Galenus, ergo &c. quale autem ſit argumentum,

*Lepidium ſetragi Iberis. Iberidis caput apu. Dioſc.*

cum, nullâ liuoris lentigine, ſuis diiudicandum ſcholaſticis relinquit Apollo.

*Quum autem* Lepidium ex Dioſcoride herbula ſit, Iberis autem cubitalis (ſiquidem veritati magis, quàm autoritatibus credendum ſit) nec poſſunt, nec debent, Autores probi & eruditi Apollinis opinionem non candidè amplecti, videlicet Lepidium, ab Iberide diuerſum ex Aëtio, olus eſſe in Syria folia habens Seridis anguſtifoliæ. Nullâ propterea fulciuntur ratione, quâ Iberidis caput imprudenter arborum aceruo Dioſcoridi irrepſiſſe tueri credunt, & quod diſſonâ inſitione eum his ſocietatem, conſortiúmque inierit, propterea vel expungendum, aut quo diſſilierat reſtituendum. Quod verò Galenus, atque Aegineta, priuatim huic Iberidi caput aliquod nõ dicarint à Lepidio ſeparatum, ſciendum, quod Galenus Dioſcoridi in ſimplicibus vbique non reſpondet.

Eſt autem ab hoc Lepidium Plinii diſſimile, in cubitalem exiens altitudinem, foliis Laurinis, non autem Naſturtii.

Plantæ, quæ ἰβηρὶς, καρδαμαντικὴ, καὶ ἀγριοκάρδαμον Græcis dicitur; nomen Latinum eſt Iberis, & Lepidium: Arab. *Sietaragi, Aſcitaragi*, ſeu *Sitharegi*, & *Hauſab*: Ital. *Iberide*, & *Lepidio*: Germ. wilder freſs: Hiſpan. *Naſturtio monteſino*, Gallic. *Chaſſe rage, paſſe rage: & Naſitort ſauuage.*

De viribus Iberidis & Lepidii dicamus. Radices Iberidis binas Naſturtio odore ſimiles, calefaciendi & adurendi vi præditas, ſed æſtate cum caulis lacteum florem promat, efficaciores eſſe, prodit Dioſcorides. Et hinc Iſchiadicis vtiles, ſi cum axungia ſuilla ſalſa emplaſtri modo, quaternis horis impoſitæ fuerint: deinde verò in balneum deſcendant, ac poſtea oleo ac vino cum lana locum affectum perungant. Idem hoc auxilium de Iberis radice præſcripſit Damocrates hoc Iambo.

*Hanc erutam larga ſatis cape copia*
*Aeſtate, nam tunc optima & fortiſſima eſt*
*Adhuc recens: ſiccata fit, ſed debilior.*
*Tuſam hinc probè (nam difficulter tunditur)*
*Paucâ ſubactamque excipies axungiâ.*
*Cruríque toti, & maximè coxendici*
*Adhibebis, & ligabis, & ſines duas*
*Horas mulieribus, viris ſed quatuor.*
*Hinc balneo inductos, nec vllo ex vnguine*
*Nec ſmegmate vllo pinguiore collines.*
*Sudore ſed modico exiliente, in ſolium*
*Merges, iubens perferre: nam mordacitas*
*Ingens, caloris ſenſus atque exoritur.*
*Verùm hinc rigatos leniter perducito.*
*Illati enim quamuis manibus ſint plurium,*
*Exibit attamen pedibus ſuis valens,*
*Quicunque conſilium hoc bonum ſuſceperit.*
*Ad multum oleum miſcebis hinc vinum modicum,*
*Et concuties, & illines lotos eo,*
*Ac mox madore terſo & pinguedine*
*Totum teges crus mollibus tu velleribus.*

Hos verſus apertè declarat Plinius his verbis: Radici Iberidis odor Naſturtii. Vſus æſtate efficacior, & recenti tantùm. Tunditur difficulter: coxendicibus, & articulis omnibus cum axungia vtiliſſima, viris plurimùm quaternis horis, fœminis minùs dimidio adalligata, vt deinde in balneis deſcendatur in calidam, & poſtea oleo ac vino corpus perungatur: diebúſque vicinis interpoſitis idem fiat, ſi qua admonitio doloris ſuperſit. Hoc modo rheumatiſmos omnes ſanat occultos. Imponitur non in ipſa inflammatione, ſed imminuta.

Galenus eadem ex Damocrate refert. Radix Iberidis, inquit, odore acerrimo eſt, vt Naſturtium, hæc tuſa in magna copia (difficulter autem tunditur, æſtate & recens, nam tunc fortiſſima) cum modica axungia adhibetur toti cruri & maximè coxendici, ſinitur per quatuor horas in viris, minùs in mulieribus, deinde aufertur, & crus in balneo ponitur, poſt inungendum ex oleo & vino, ac demum terſa pinguedine, & ſudore, tegendum molli lana, vt æger ambulet, & ſuis pedibus obeat munia: ſi opus fuerit, repetendum poſt dies viginti.

Hoc ſanè vtendi modo, & inueteratos capitis dolores, & alias omnes quacunque corporis parte inueteratas & ægrè ſolubiles affectiones ac reſolutiones ſe curaſſe Damocrates, & omninò vitia in quibus alii remedio ex Thapſia vtuntur ſe hac herba perſanaſſe ait. Idem omninò ad Iſchiadas remedium Aëtius bis habet. Lepidium, inquit idem Galenus, ex quarto eſt ordine excalefacientium, ſimile Naſturtio, tum odore, tum guſtu, tum viribus: ſed minùs eo deſiccat. Cæterùm apud Dioſcoridem legit Cornarius, Καὶ ἐλαίῳ μετ' ἐρίου τοῖς τόποις ἐπιχριέσθω, & poſtea oleo cum lana locus perungatur, pro καὶ ἔλαιον μετ' οἴνου τοῖς τόποις ἐπιχεέσθω, hoc eſt, oleum cum vino locis illinatur: ſic enim habent Damocrates & Plinius, vt ex ſuperioribus intelligitur. Sic & Aetius: ἐξελθὼν δὲ εἰς ἐλαίῳ λιπαρῷ περὶ αὐτὰ ἀνθεῖς, καὶ περιαξάμενος, σκέπε τὸ ἰσχίον ἐρίοις καθαροῖς. Egreſſus autem vino & oleo multo perfuſus ac deterſus, coxendicem lanis puris tege. Et alio in loco. A balneo ad oleum multum paucum admodum vinum admiſceto, & illinito.

Iberidem porrò à Lepidio diuerſam eſſe plantam, vel vſus ambarum clarè demonſtrat. Auctores enim locis iam adductis Iberidis radices ſolùm præſcribunt, ceu folia Lepidii duntaxat. Vis foliorum acris & excalfaciens, inquit Dioſcorides, quapropter trita iſchiadicis præſentiſſimum eſt auxilium, ſi cum Helenii radice, quarta parte horæ illinatur: lienoſis ſimili modo prodeſt: lepras eximit. Radix appenſa collo, dolore dentium liberare exiſtimatur. In quibus verba illa, ſi quarta parte horæ illinatur, quæ Grçcè leguntur ἐπιτιθέμενον πρὸς τέταρτον ὥρας, mẽdo nõ carere ſuſpicatur Cornarius. Cùm enim cæteri omnes Auctores, vt diximus, emplaſtrum ex Lepidio impoſitum, quatuor horas ſinendum præſcribant, credibile non eſt rectè hîc legi, vt quartam horę partem imponatur: neque enim tam breui tempore vires ſuas exerere poteſt: & fieri potuit, vt τέταρτον pro τέσσαρας ſit ſuppoſitum, quod facilè euenire potuit, ſi quaternarii numeri nota δ, interpreti fuit exprimenda.

Porrò reliquum Lepedii in medicina vſum, & ex eius radice amuletum, Plinius aliter quàm Dioſcorides refert his verbis, Vſus eius non ſine lacte. Lepidium inter vrentia intelligitur. Sic & in facie cutem emendat exulcerando, vt tamen cera & roſaceo facilè ſanetur. Sic & lepras & pſoras tollit ſemper facilè, & cicatricum vlcera. Tradunt in dolore dentium adalligatam brachio quà doleat, compeſcere dolorem.

## IBERIS.
### Cap. III.

Descriptio STatim è *radice* alba, lignoſa, mediocriter craſſa, paucis fibris donata, crebros profert caules dodrantales & altiores, duros, frequentibus alis concauos: *folia* quidem prima longis pediculis appenſa, ſemunciam lata, duas tréſue vncias longa, per extremum ſerrata: ſuperiora verò & quę in caulibus ramíſque, Linariæ foliis paria, anguſta, acuta, nullo pediculo donata, nec crenâ vllâ inciſa: ſapor omnibus feruidus Naſturtii: *flores* extremis ramulis coaceruati hærent, candidi, Naſturtii floribus ſimiles: *ſemen* continetur minutum in paruis thecis oblongis, quarum valuulas diſſepit membranula.

Quam Fuchſ. & ex eo Amatus, hoc titulo exhibet, non ſimpliciter Iberis, vt præſens, ſed Iberis Fuchſii à nobis cognominatur. Hãc Matthiol. in Dioſcor. neglecta deſcriptione picturâ exprimit priore, Iberidis nomine: poſteriore Lepidii Dioſcoridis, ac Dioſc. & Galeni Iberidem dicit, vt & Lepidium. Lacun. figurã Matthiol. Iberidis nomine retinet. Idem in poſt. com. Ital. & Lat. cum magn. fig. eadem ſcribit. Figuram tamen aliam habet, quæ fortè non Iberidis: ſed Naſturtii noſtri ſyluestris ſiue Thlaſpi tenuifolii Fuchſii. Plantæ illius iconem eſſe magis adhuc indicat Hiſtor. Germanic. eius, vbi deſcriptio videtur eſſe Thlaſpi tenuifolii & non Iberidis, præſtitiſſet Matthiolum retinuiſſe figuram priorem licet non exactam.



*Matthioli lapſus.*

Geſner. Iberis (ſic ſcribendum ſine aſpiratione) à Matthiolo depicta.

*Dod. not.* Dodon. Gall. figuram Iberidis titulo exhibet non adeò commodam, potiſſimùm quod inferiora folia concernit: quare meritò Lat. in fol. meliorem paulò reſtituit. Ait autem Galeno ἰβηρίδιον à Plinio lat. Hiberin, Naſturtium ſilu. & ſimiliter etiam Lepidiam vocari. Exiſtimari etiam herbam eſſe Grias dictam, de qua Apul. cuius ad *Grias Apul.* Iſchiadicos vſus quoque commendetur.

Aduerſ. Lepidium herbula Dioſcoridis, Damocratis & Galeni. Iberis Cardamantice Naſturcifolia: quæ irrepſit alieniſſimo loco Dioſcoridis codici lib. I. cap. vltimo. Paulus l. 3. cap. de coxendice eam Iberidem, Lepidium, vel Naſturtium agreſte nuncupari ſcribit. Lobel. Obſ. Iberis Cardamantica: Gal. *Creſſon ſauuage & Paſſerage ſauuage*: Anglis Sciatica / creſſe & wilde kreſſe. Germ. wilder Kreß. Hiſp. *Maſturco ſaluage*. Italis *Naſitor ſaluatico*. Icon. Pl. Iberis Cardamantica, Lepidium, Iberis Plinii.

Hiſtor. Lugd. pingenti, Iberis ſiue Lepidium Matthioli, quod in contextu, doctiſſimorum, vt ait, Herbariorum iudicio, Iberin veterum Græcorum, ſiue Lepidium eſſe dicit, *Naſturtio ſaluatico* Italorum: *Paſſerage ſauuage*, *& Creſſon ſauuage* Gallorum.

Iberidis nomine pingit Camer. in Hiſt. Matth. Germ. & Epit. Thlaſpi anguſtifolium Fuchſii, ſiue Naſturtium ſilueſtre noſtrum.

Taber. Icon. & Hiſt. Iberis 1. cuius figura mala.

C. Bauh. Phyt. Iberis.

Iuxta veteres muros & inculta itinerum in Italia alibíque prouenit: apud Belgas non niſi hortenſis eſt. Ab Herbariis colitur in hortis. In Italia tamen & Gallia Narbonenſi locis incultis ſpontè naſcitur, Hiſt. Lugd. Iberidem obſeruaui ſecus vias in muris & marginibus agrorum Monſpelii: Arelatæ & Florentiæ in Autumno floret & ſemen fert, toto anno durat. Lugduni ſpontè proueniens abundat, virens adhuc & florens menſe Septembri & Octobri. Tiguri in horto Geſneri ſatam vidi. Heidelberga mihi attulit Petrus Turnerus Anglus Medicus: ibidem etiam ſpontaneam obſeruaui: Patauii paſſim circa mœnia virentem adhuc Decembri obſeruaui.

*Tab. not.* Locus Tempus

## NASTVRTIOLVM ALPINVM CAPS.
### Naſturtii vulgaris Ioh. Bauhin.



VIx tres vncias altum eſt mihi dictum Naſturtiolum, *radice* lignoſa, paucis fibris donata: *Coliculi* duo aut tres, per quorum ſumma capſulæ Naſturtii vulgaris, non diſſimili ordine poſitę: *folia* parua, ſimplicia, craſſa, anguſta, vnciâ, quantùm animaduerti, breuiora: *floſculi* parui, albi, vt exiſtimo. Deſcriptio

C. Bauh. Phyt. Naſturtium 9. ſiue alpinum minimum 5. capſula Naſturtii hortenſis, quod habet Ioh. Bauhinus.

Naſturtiolum mihi dictum inueni in Rhætiæ monte *Nombre*, propè Balnea Wurmbs: æſtate florebat & ſiliquas habebat. Ex herba ſicca deſcripſi.

## NASTVRTIOLVM ALPINVM
### tenuiſſimè diuiſum.

NAſturtiolum tenuiſſimè diuiſum, aliàs trium vnciarum plantula, aliàs ferè dodrantalis (Cluſ. vncialis,) *foliola* habet minutiſſima, terna, quina, ſeptena ad coſtam annexa [Cluſio viridia, guſtu acri & feruido,] ſic vt tota interim ala ſemunciâ interdum non ſit longior, aliàs vncias duas excedat, ſapore feruido Naſturtii: *coliculos* habet plures, nonnunquam vnicum: in cuius faſtigio *flores* multi ſunt coaceruati, candidi pro Deſcriptio

plantæ



plantæ proportione magni, è quatuor folijs paſtoriæ minimæ: radix alba, craſſiuſcula, longa, fibris longis donata.

Cluſ.Pann. & Hiſt. poſt. Cardamine 3. ſiue alpina minima, quã Geſnerus ni fallitur in Epiſtolis Naſturtiolum appellat. Hiſt.Gen. plant. p. 1180. Thlaſpi montanum minimum Dalech.

C.Bauh.Phyt.Naſturtium 7. ſiue alpinum minimum primum.

Tabern.Icon.Cardamine alpina Alp Gauchblum.

In ipſis ſcopatis ſummi iugi Schneberg, dum per niuem glaciali duritie conſtrictam ferreis vncis ad pedes alligatis Cluſ. delaberetur inuenit menſe Auguſto florentem, vbi niues iam primùm diſſolui incipiebant. Inuenitur autem & in Tirolenſibus atque Saliſburgenſibus montibus teſte D.Ioach.Camer. Ex Geſneri epiſtolis apparet etiam in Helueticis alpibus naſci.

## CORONOPVS RVELLII, SIVE Naſturtium verrucoſum.



TErræ apprimit *caules*, nunquam ſurgentes, ſpithamæos, ramoſos, rigidulos; per quos *folia* laciniata, cæſura foliorum Naſturtii, nec ita diſſimili aut odore aut ſapore: *floſculi* ſecundũ caules minuti, albi; *ſeminum* loculi ſcabri, inæquales, lappulas imitati, quaſi echini parui muricati, quorum ſingulis *granum* vnicum nigrum gigarto vitigineo ferè par: *radix* longiuſcula, ſatis craſſa.

Matth.in poſt.com.It.& Lat.cum mag.fig. aſſerit, Ambroſiã (hanc non deſcribit, quaſi non ritè viſam) à Cortuſo miſſam genuinam adeò referre, vt nihil in ea deſiderari poſſit: aſt decipitur. Cùm eſſem Bononiæ D.Vlyſſes Aldroand.denominabat Holoſtium Dioſcoridis, Herbam Canoram, eiuſdem etiam opinionis erat Robertus Conſtantinus.

Camer. in Matth.Germ.Ambroſia, falsò dicta Wartzenkreß. Ambroſia à Matthiolo in com. Lat.picta, quæ à Cortuſo miſſa, non poteſt bene agnoſci ex figura: pro Ambroſia prima Matthioli miſſa eſt ex Italia planta quæ nihil aliud eſt, quàm Naſturtii ſylueſt. genus: fieri poteſt Matthiolum ſuam ex hac planta adulta & ſeminibus abundante curaſſe depingendam. Eidem Epit.Ambroſia: hort.Coronopus repens Ruellii: Cornu ceruinum vulgò dicta herbula, quænam apud Veteres haberetur non audet aſſerere, niſi forſitan, Pes ſit miluinus, cuius Columella meminit, cuius ſententiæ & Dalech. eſt, ita enim nobis præſentibus vocauit. *Naſturtium autem* noſtrum verrucoſum, de quo Ruellius hoc loco agit non poſſe eſſe Coronopum Veterum ſic probamus: Primùm videntur non poſſe dici folia oblonga, cùm ſint multùm diſſecta & ſimilia Naſturtio. Secundò non audiui eius vſum eſſe in oleribus [quamuis fortè poſſet eſſe cùm ſit herba mollis.] Tertiò non adſtringit huius radix, ſed eſt odoris & ſaporis Naſturtii. Quartò nihil habet ſimile cum Pſyllio. Quintò folia non ſunt ſimilia Holoſtio [ſi verum eſt Holoſtium quod exhibet Ruellius] nec gramini. Sextò nihil ſimile habet cum ſpinis. Septimò longa meliùs poſſunt dici folia Cornu Cerui quàm Naſturtii verrucarii, lõga autem eſſe dicit Dioſcor.cap. de Catanance.

Lobel.& Penæ Adu.Coronopus Ruellii, multò meliùs Coronopi ſpecies habita; quàm illa Serpentaria Matthioli. Item Cornu cerui alterum vulgi, Coronopus repens Ruellii, echinato ſeminum inuolucro, de quo dubitant an Coronopus Theophraſti? Sed iam clarum quid reſpondendum Lob.Obſ.roganti, Coronopus repens, an Pes miluinus Columellæ Ruellio? Ic. Pl.Coronopus repens Ruellii, & Cornu cerui alterum vulgi. Et poſtea Obſ.& Icon.Pl.Ambroſia ſpontanea ſtrigoſior. *Has etſi* diuerſas faciat Lob. nos tamen cum C.Bauh. vnam eſſe cenſemus. Quamuis & ipſe in Phyt. duobus diuerſis in locis eandem proponit; nunc enim Coronopum 3.ſilu.repentem Naſturtii folio vocat: nunc Ambroſiam 2. ſilueſtrẽ: *Præterea* non video cur Ruellii Coronopus, quæ ad Naſturtium accedit meliùs habenda ſit Coronopi ſpecies, quàm Serpentina, vt vult Lobelius, quam quæſo ſimilitudinem cum Coronopo maiorem habet quàm Serpentina. *Is demum* aſſumit figuram Matthioli, & titulum ei facit Ambroſia, quã in re inter nos non conuenit: eſt enim nobis illa Icon Coronopi Ruellii. Lob.lapſus.

Secundam ſpeciem Pedis coruini facit Dodon. Gall. aſſeritque proximè accedere deſcriptioni Coronopi Dioſcoridis, quamuis Ruell. non poſſit induci, vt credat verum Coronopum: Et quia pulchrè hanc plantam deſcripſit Ruellius, nominauit Coronopum Ruellii, Belg. Crayen Voet aut Rauen Voet/ Gall. *Pied de Corneille de Ruel*. Hanc ſuam opinionem tanquam errorem retractat in Hiſt.Lat.his verbis: Cornu cerui alterum repens: Ruellius qui hanc antè nos lib.2.cap.64.& cap.134. deſcripſit, Cornu cerui quoque appellari ait, & Pedem Miluinum Columellæ eſſe ſuſpicatur: ad Coronopi deſcriptionem aliquo modo accedere videretur, niſi quem Codex Cæſareus exhiber differens multùm ab hoc Cornu ceruino eſſet, ac manifeſtè oſtenderet legitimum Coronopum hactenus fuiſſe incognitum. Quam ob cauſam Coronopus dici non debet, ſed Cornu cerui alterum ac repens nomi-

nandum: poſſet verò & Pſeudocoronopus dici, ſi modo hæc appellatio retinenda.

Hiſt. Lugd. vnius plantæ tres figuras habet. Primam titulo, Ambroſiæ primæ Matthioli: alteram Coronopi Ruellii ex Dodonæo: tertiam Coronopi repentis Lobel.

Tabern. Coronopus repens, Coronopus aruéſis, Kriechender / Kreſſenfuß / feldt hirtzhorn / Acker hirtzhorn. Poſteriora hæc Tab. nomina Germanica non placent.

Locus & tempus. Montbelgardi ſpontè copioſè prouenit circa vrbem, vti etiam in Horto Ill. E.C. ſemine deciduo quotannis ſe renouat: vidi in Alſatia in Caſtello Eiſenheim ſpontè, vbi Floret Iunio & Iulio, audio copioſè prouenire inter Baſileam & Argentinam, & Baſileæ in horto D. Dis Felicis Plateri. Lugduni habui in horto. Horbugi in Il. E.C. in Alſatia arce obſeruaui. Geneuæ copioſè.

## NASTVRTIVM SYLV. VALENtinum Cluſio.

Deſcriptio. VNico hæc planta aſſurgit *caule*, ſed ſtatim à radice, ſupra ſolum, multis alis diuiſo, hirſuto & aſpero, virente, rotundo, pedalis longitudinis: inferna *folia* qualia ſint pronuntiare non poſſum, quia iam in ſemen magna ex parte euaſerat planta cùm obſeruabam, inquit Cluſius, quæ tamen ſub alis cauli inhærebant, tenuia erant & multifida, Naſturtii vulgaris, & legitimi, foliorum pænè æmula, tenuiora tamen & viridia, acri guſtu, vt Naſturtium: extremis ramis fert multos,



ſpicæ in ſpeciem, congeſtos *floſculos*, quatuor foliolis palleſcentibus conſtantes, in quibus totidẽ *ſtamina*, quibus euaneſcentibus, ſuccedunt *ſiliquulæ* breues, duabus valuulis ſiue vtriculis conſtantes cum lingula prominente, non quidem ſurſum erectæ, vt reliquarum congenerum, ſed deorſum inflexæ, in quibus Naſturtii æmulum *ſemen*: *radix* eſt ſingularis, candicans, ſatis craſſa, non tamen viuax, ſed quæ ſingulis annis perit. *Eodem loco*, eodémque tempore, nempe Martio, florentem hanc plantam & ſemine iam plenam inueniebam, quo Alyſſon Galeni, Valentino videlicet regno & quia pleraſque notas cum Naſturtio communes habere conſpiciebam, Naſturtii nomen indidi: cui [quantùm ex guſtu iudicare licet] perſimiles facultates habet. *Hactus*, meâ ſententiâ, nomen immutare non debuerat Lobelius, qui ipſam ſtirpem nunquam conſpexit: nam plantis mihi antea ignotis & primùm obſeruatis, feſtinanter, & tumultuario quodammodò impetu nomina dare non ſoleo, ſed priùs omnes illarum notas & reliqua neceſſaria maturè perpendo, antè quàm aliquã ſtirpem certo nomine donare aggrediar, vt facilè animaduertent, quotquot meas lucubrationes diligenter & ſedato animo legent: malo enim interdum ipſas plãtas ἀνωνύμους relinquere (vt mihi adhuc vſu venit in his commentariis) cùm incommodo nomine applicando mihi ipſe non ſatisfacio, quàm temerè nomen aliquod, naturæ plantæ non ſatis reſpondens donare. Sed quam quæſo maiorem affinitatem habet hæc planta cum Erucâ, quàm cum Naſturtio? Si quis vtramque ſtirpem ſano iudicio conferet, inueniet profectò me, non ſine probabili cauſa, Naſturtii ſilueſtris nomen huic plantæ dediſſe.

Cluſ. Hiſp. & Hiſt. poſt. Naſturtium ſilu. Valentinum.

Lob. Obſ. & Icon. Plant. Eruca Naſturtio cognata tenuifolia.

Caſp. Bauhin. Phyt. Naſturtium ſilu. Erucæ affine.

### *Naſturtium Peruanum foliolis Lenticulæ.*

Herbam habet Monardes ex Peru allatam Naſturtium appellatam, exiguam, foliáque habentem rotunda, Lenticulæ foliis paullò maiora. *Deſcript. & Synonyma Naſturtii Peruani*

Huius tritæ ſuccus recentibus vulneribus inſtillatus, ipsáque herba ſuperimpoſita, ea curat, & ad cicatricem perducit, haud ſecus quàm Tabacum. Naſturtii eſt ſapore, & valdè calidæ temperaturæ eſſe videtur. *facultas.*

## THLAPSI VETERIBVS ET IN GENERE.

## CAP. IV.

Θλάσπι, herbula eſt, referente Dioſcor. anguſtis foliis, digitali longitudine, ad terram conuerſis, in ſummo fiſſis (ἀνεσχισμένον Matthiol. ait, ſuſpicor in Dioſc. mendam ſubeſſe & hanc notam de folliculis legendam) ſubpinguibus: caulem autem remittit tenuem, duorum palmorum altitudinis, qui propagines paucas habet, & circa totum ipſum fructus eſt ſublatus è ſumma parte (diuiſus Matth.) in quo ſemen eſt ſimile Naſturtio (καρδάμῳ,) diſci figura (δισκοειδὲς Ruellius legiſſe videtur φακοειδὲς quod vertit Lenticulæ effigie) velut compreſſum [ἐντεθλασμένον,] ex qua re nomẽ habet. Florem verò habet ſubalbidum: & in viis ac parietibus & ſepibus naſcitur. Semen eius acre (δριμὺ) eſt, & calefacit, bilémque ſurſum ac deorſum purgat, acetabuli menſura potum. Infunditur etiam per Clyſterem in coxendico morbo. Ducit etiam ſanguinem potu & internos abſceſſus rumpit. Mouet item menſes & fœtus perdit. Crateuas etiam aliud Thlapſi recenſet quod aliqui Sinapi Perſicum (σίνηπι περσικὸν) vocant. Habet hoc folia lata & magnas radices: ſed & hoc infuſis ad coxendicum morbum admiſcetur. *Locus. Vires. Thlaſpi aliud. Sinapi Perſicum.*

Cornarius in finis in Dioſc. ſuppoſ. refert hoc alios Thlaſpidium (θλασπίδιον,) alios Sinapi Perſicum (σίνηπι περσικὸν) alios Sinapi ſylueſtre (σίνηπι ἄγριον,) alios Myiten (μυίτην,) alios Myopteron (μυόπτερον,) alios Daſimophon (δασιμοφῶν,) alios Bitrum (βίτρον,) Aegyptios Suitempſon (σουιτέμψον,) Romanos ſcandulacion (σκανδουλάκιον,) alios Capſellam, alios Pedem gallinaceum vocare.

Plin. Thlaſpi duo genera facit: *Vnum* anguſtis foliis digitali longitudine, in terram verſis, in cacumine diuiſis, cauliculo ſemipedali, non ſine

ramis

tamis peltarum ſpecie, ſemine incluſo [ fructu, fortè deeſt Corn.] Lenticulæ effigie [ Cornar. videtur Plinius legiſſe φακοειδὲς,] niſi quod infringitur [τὸ ἐντεθλασμένον ] vnde nomen. Flos albicat. Naſcitur in ſemitis & ſepibus. Semen aſperi guſtus, bilem & pituitam vtrinque extrahit. Modus ſumendi, acetabuli. Prodeſt & iſchiadicis infuſum, donec ſanguinem trahat : menſes quoque ciet, ſed partus necat. *Alterum* Thlaſpi aliqui Perſicum Napy vocant, latis foliis, radicibus magnis, & ipſum vtile iſchiadicorum infuſioni. Thlaſpi ferè omnes in Theriacam immittunt, inquit Galenus, id quod ex Creta affertur & quod vbique naſcitur, colore ex pallido flauum, figura rotundum, admodum paruum, vt Milio multoties cedat. Melius autem eſt quod à Cappadocia affertur immittere, quod colore ad nigrediné multùm diſcedit, figurà autem non exactè rotundum eſt, & magnitudine multò maius quàm prædictum, habetque quadam ſui parte, velut paruam quandam compreſſionem [ ἔνθλασμα ] à qua etiam Thlaſpi nominatum eſt. Naſcitur autẽ, vt hoc, ita etiam alterum in Cappadocia plurimum. Quare non ſimpliciter id quod à Cappadocia affertur optimum eſt, ſed quod peculiariter in Sauro naſcitur, diſſimileque eſt Cretico & paſſim naſcenti.

Thlaſpi ſemen [ ait idem de ſimpl. med. facult.] habet & ipſum facultatem acrem, adeò vt internos [ [inteſtinos Paul. ] abſceſſus potum diſrumpat, menſes prouocet, & ( quod Paul. omiſit] fœtum necet: ab inferioribus partibus iniectum iſchiadicos dolores finit, ſanguinolenta euacuans : Eſt alioquin & ſupernè & infernè bilioſorum humorum oxybaphi menſurà (acetabuli inſtar, Paul.) potum, euacuatorium.

Colligi ſcribit Corn. ex Galeno duplex eſſe prius Thlaſpeos genus, & tertium eſſe quod Dioſc. & Plin. alterum fecerunt. Cæterùm quod Plinius ſemen lenticulæ effigie dixit, tum de lenticula legumine, tum de vaſe fictili ad lenticulæ ſimilitudinem efformato, accipi poteſt : hoc & φακὸς & φακωτὸς, & πυελατήειον φακωτὸν Græcis appellatur, & fomenti gratia adhibetur, velut lib. 9. c. 1. comm. medicorum oſtenſū. Dioſc. δισκοειδὲς dixit, quod Plinius videtur φακοειδὲς legiſſe. Thlaſpi etiam à Lacertis, quæ iiſdem incultis locis quibus hoc naſcitur frequentes inueniuntur, Saurion præter alias ab hoc numeratas appellationes poſteriores Gręcos nominaſſe apud M. Virgilium legimus, quaſi non ſatis à ſeminis figura, quod infractum & veluti contuſum videtur, indicaſſe id fuerit: niſi à notiſſimo inſecto quod frequens in hac herba inuenitur adhuc indicaretur. Thlaſpion Galeni & Thlaſpoſis ſecundum Hipp. Robert. Conſt. in lex. gręco diſtinguit θλάσπιν: & θλάσπι, ης, Sinapi Perſicum vocat, & Pedẽ gallinaceum; θλάσπι autem εως, Thlaſpi, genus herbæ Dioſc. Sunt, inquit, qui vocent eam herbam, Thlaſpidion, forma diminutiua. Gal: genere fœm. θλάσπιν Hipp. etiam θλάσποσι vocat. Apud Gorræum, cui herbula eſt ſemine Naſturtii, acri, quòd manſum Sinapis modo linguam & os vellicet, Sinapi ruſticum dictum fuit a plæriſque, ab herbariis autem Naſturtium tectorum. Guill. Rhegin. Naſturtium erraticum appellat, ac Synapi ſylu. eſſe negat, carpitque Manardum, dicens : ignotum adhuc nobis exiſtimat Manardus, quod paſſim quidem in ſemitis frequens, vt apertè Dioſcorides docet, quale noſtrum reperitur: vulgatiſſimúmque quibuſuis colligitur; acre ac mordax ſemen eſt, & vires habet cauſticas: miſceturque in Theriacis veneno quouis profligando idoneis.

Thlaſpi nomine tandem venit Tlaſpi vulgatius, de quo mox dicemus. Thlaſpi etiam aliud genus faciunt eam plantam quam Germ. apud Corn. Beſemkraut vocant. Et in hoc etiamſi ambigua res ſit, tolerari poſſunt, quâ de re vide antè. Thlaſpi alterum Crateuas tradit, quod aliqui Perſiconapy vocant, latis foliis, alii Paſtoris Burſam vulgò dictam. Sunt & qui Thlaſpi tertium genus, Sinapi Perſicum dictum, Rhaphanum maiorem, ſylueſtrem, & priuatim Armoracion vocatum, eſſe volunt: Sed in eo palàm falli videntur. Neque enim Dioſcorides & Plinius de hoc ſiluiſſent.

*Thlaſpi æquiuocationes.*

*Burſa paſtoris.*

## THLASPI VVLGATIVS.





*Deſcriptio.*

Ex *radice* ſatis craſſa & fibroſa, lignoſa, alba, ſubacri, *caules* exſurgunt hirſuti, teretes, rigidi, brachiati; quibus *folia* ſine pediculo adhærent, longa, ſenſim anguſtiora reddita, ſerrata, ſiue crenata, gemina pinnulla caulem amplectentia, ſapore cum morſu acri: *floſculi* minuti, albi, multi; vt in Burſa paſtoria diſpoſiti, quatuor foliolis, conſtantes, totidem viteſcentibus ea ſuſtinentibus; apicibus candidis : *capſellæ* præmaturo ortu flores occupant, foliaceę, ſubrotũdæ, infractæ in ſummo, fiſſæ ; in quibus *ſemen* acre, Sinapi aut Naſturtii, inquit Lobel.

Ruell. ita deſcribit: Thlaſpi, ſiue vt aliis placet, Thlaſpidion, quod Dioſc: & Plinius tradunt, eſſe nemo inficiabitur eam plantam quam vocant Herbarii Naſturtium tectorum, quòd ſubinde naſcatur in parietinis: alii ſylueſtre: vulgus noſtrum Sinapi ruſticum appellat, quoniam digitis friatum Sinapi ſubolet. Hæc in ſcrobibus, ſemitis & ſepibus inuenitur,

foliis in terram ſe conuertentibus, digitum longis, anguſtis, & quadantenus pinguibus, per extrema leniter inciſis, caule ſeſquipedem alto, agnatis in eo paucis calycibus capitulatis, breui pediculo nitentibus, quadam ligularum vel Cochlearium effigie, in quibus ſemen continetur Naſturtio ſimile, ſed latius & velut infractum, Lunata plantarum ſpecie. Calyx cum petiolo ligulæ formam exprimit, quæ tumidior vna parte ſit, & altera preſſior. Id quod in ſummo fructum in latus pandi deſignauit Dioſcorides. Imò is repando dorſo prominulus extuberat, aduerſa parte funditur in latum. Folia colis decumbunt in radicem. Semen acerrimi guſtus deprehenditur, ita vt manſum Sinapis modo linguam & os vellicet. (Quare vt Galenus ſcriptum reliquit, potum rumpit, hærentes menſes ciet, partus enecat. Iſchiadicis auxiliatur, ſubter per ſedem aluo dimiſſum, vt pote cruenta deiiciens ſtrigmenta, quippe cùm eximiè purget, bilem vtrinque detrahit. Modus ſumendi acetabuli menſura.)

C. Steph. not. Eadem quæ Ruellius Car. Steph. tradit, quem tamen nominare non dignatur, ſed pro ſuis venditat.

Cordus in Dioſcor. Thlaſpi minus, Deſchelkreſſen / vel groß Deſchenkraut / & wegkreſſe vocat. De hoc ait in Hiſt. Thlaſpi Cardamoides, ſiue Naſturtiarium ſemen habet copioſum, rotis ramulis adnaſcens in ſingulis pericarpiis, iiſque inferioribus connexis, ſuperiùs aliquantulùm concauis & compreſſis, geminum: figurâ & quantitate Naſturtii, colore ruffum. Folia guſtu vehementer acria ſunt &, Naſturtium æmulantur. Semina autem glutinoſum lentorem acrimoniæ commixtum habent.

Geſn. not. Cordo per Geſnerum adaptata eſt icon ex Trago qui aliud tradit, Thlaſpi nempe latâ ſiliqua.

Fuchſ. not. Fuchſius qui Thlaſpi latifolium cognominat, non ſatis demonſtrat quam plantam per Thlaſpi, vt vocat, Thlaſpidiu, Sinapi agreſte, Capſellam, Scandulaceum, Gall. *Seneue Sauuage*, quod quidam Naſturtium tectorum, Sinapi ruſticum & Burſam paſtoris nominent, intelligat. Eius deſcriptio eſt repetitio penè deſcriptionis Dioſcor.

Ruellius vt Cornario placet, primus eã herbam quæ ab Herbariis Naſturtium tectorum appellatur, Thlaſpi eſſe cenſuit, & à vulgo Gallico Sinapi ruſticum vocari dixit. Hoc ex Germanis nõnulli ſecuti, eam herbam Bauren ſenff (Sinapi ruſticorum) appellant.

Thlaſpi tertium deſcriptum à Dioſcoride ex Crateua videtur Anguillatæ, optimè dici poſſe illud, quod depictum à Fuchſio & Matthiolo, notiſſima in Italia planta.

Quæ Herba θλάσπι Græcis, Thlaſpi quoque Latinis dicitur Matthiol. pingenti, Barbaris Naſturtium tectorum: Italis *Thlaſpi*: Germ. Beſem kraut: Hiſp. *Puniqueſo de flor blanque*: Gall. *Seneue ſauuage*.

Scandulaceum. Sinapi. Lacun. in Dioſc. qui Græcè θλάσπι & Σίνηπι ἄγριον, Lat. Scandulaceũ & Sinapi ſylueſtre: Caſt. *Moſtaza ſaluage*. Franc. *Mouſtarde* aut *Seneue ſauuage* vocat, per totam Italiã legitimum Thlaſpi cenſeri ſcribit.

Dodon. not. Dodon. Gall. & Lat. Thlaſpi alterum, Neotoricorum Naſturtium tectorum, & Sinapi ruſticum: Germ. Baurẽ ſenff / aut Baurenkreß: Belg. Beeren moſtaert / aut Boerrenkerſe. Hæc ille, qui videtur Thlaſpi verum intelligere, quamuis ieiuna deſcriptio & figura.

Geſner. hort. Thlaſpi verum.

Lobel. & Pena Adu. Obſ. & Ic. Pl. Thlaſpi vulgatiſſimum Vaccariæ folio aut Myagri pinnato, omnibus Thlaſpi vocatum & receptum. In officinis in vſu eſt, & ad antidota pro vero accipitur Thlaſpi.

Digna ſanè Cæſalpini verba, quæ adſcribantur. Folia fert ab radice Iberidi ſimilia, longiora, ac ſimiliter diuiſa, in caule autem ſolùm anguloſa, pollicis latitudinis, caulis propè cubitalis, tamis in ſummis tenuibus, patulis: floſculi candidi in cacuminibus: fructus ſpecie & magnitudine Naſturtii, in extremo diuiſi: ſemina intus ſubrotunda, nigricantia, acria: &c.

C. Bauh. Phyt. Thlaſpi 3. ſiue folio acuto. Hoc Matth. Lob. Dod. edit. Latina, pingunt foliis non crenatis: At Tragus, Fuchſius, Lonic. Dod. edit. Gall. Tabern. foliis ſerratis, quemadmodum apud nos prouenit, nec licuit hactenus figurę Lob. ſimilem videre.

Schvv. Thlaſpi latifolium, Thlaſpi officinatũ Groß ſeckelkraut / Groß Teſchelkraut.

Locus & tempus. Thlaſpi vulgare circa pontem *d'Arue* Geneuæ habebam in horto cum ſemine & ſiliquis Maio, ſemine maturo Iunio. Baſileæ in horto D. Plateri, Patauii in horto Triueſani, & alibi obſeruaui.

Montbelgardi multis in locis ſpontè, ceu etiã in horto Ill. E. C. ex ſemine deciduo ſe propagat. In Alſatiæ agris inter Baſileam & Mulhuſam abundat florens Iunio. In foſſis, ſemitis & ſepibus prouenire ſcribit Fuchſius, Maio & Iunio menſibus, floribus & ſemine prægnans. Thlaſpi Cardamoidi tribuit Cordus radicem ſemeſtrẽ. Naſcitur lutoſis & pinguibus aruis, ſecus vias inter ſegetes, copioſiſſimúmque inter Goſlariam & Hildeſheymium in Saxonia legitimum reperiri in Italia certum eſt ex Matthiolo, ſiquidem eo maximè abundant & Goritiẽſis ager & Coradiſcæ mœnia in parte quà Sontius alluit. Naſcitur & frequentiſſ. & acerrimum Pago S. Petri non longè à Goritia, aliiſque circumſtantibus locis ſemine perquàm acri. Multò vberrimè prouenit cultis & incultis aruis Italiæ, Germaniæ & Angliæ: ſub æſtatem florens, ait Lobelius.

Temperã & Vires. Vires à Fuchſio attributæ huic Thlaſpi ex Dioſcor. Paulo, Galeno & Plinio antè ſunt à nobis ſcriptæ: Is autem ſcribit ſemen huius calefacere & exſiccare in quarto gradu: ſemen acre eſt, calefacit, ſiccantis eſt naturę, attenuat, prouocat, incidit, vrit perinde vt Naſturtii ſemen, Schvvenkf.

## THLASPI CAPSVLIS HIRSVTIS.



Deſcripti. FRequentes ſtatim è *radice* ſimplice lignoſa fundit *caules* humi ſparſos, teretes, hirſutos, dodrantales, aut etiam cubito maiores, in alas aliquot fiſſos: *folia* infima quidem longis appenduntur pediculis, Erucæ latifoliæ diuiſurâ, ſuperiora verò per caules crebra, nullo interueniẽte

te

te pediculo lata baſi hærent, Thlaſpi vulgaris formâ, cui & flores albi ſimiles, idemque adeò eſt ordo numeroſarum capſularum infractarum, per ſumma fiſſarum, niſi quod paullò videntur maiores, pilis denſis incanis oblitæ, ſingulæ bina *ſemina* continentes ruffa, quæ liquore imbuta mucū lentum viſcidumque ſaliuant: quod à vulgari Thlaſpi quomodo diſtinguam non video.

Camer.hort. ni fallimur, Thlaſpi ſecundum ſupinum hirſutum.

C.Bauh.Phyt.Thlaſpi 9.ſiue villoſum, Thlaſpi piloſum Guillandini, cuius ſemen referente Cortuſo, olim in Italia pro veri Thlaſpeos ſemine vſurpatum fuit.

Anguil.Thlaſpi Dioſc.& Creticum Galeni.

An Lobel.& Pen.Adu. Thlaſpi Syriacum, vel Græcum alterum, anguloſo bifori pericarpio lentifolio, quod habuerunt Venetiis &c. neſciens ſit ne illud tertium Matthioli, quòd ille nulla apta deſcriptione genera diſtinxerit, ſed in chartas tantùm negligenter picturas congeſſerit. *Matth.not.*

Thlaſpi cum capſulis hirſutis in horto meo Mótbelgardi ſatum ſe propagabat ex ſemine deciduo itidem tranſlatum in Hortum Ill.E.C. Frater C.Bauhinus attulit ex Italia pro Thlaſpi piloſo Guillandini. *Locus.*

## THLASPI CVM SILIQVIS LATIS.



*Deſcriptio.* Vulgaris notitiæ eſt hoc Thlaſpi, *radicula* obliqua alba, lignoſa, ſapore oleraceo, randem ſubamaro: *caulibus* ſeſquipalmaribus & cubito altioribus, anguloſis, ſtriatis, alatiſque; *folia*, ſine pediculo adnaſcūtur ſinuata, pinnulis acutis productioribꝰ in atro virentia, ſapore inter Braſſicā & Cepas, odore ad Allium accedente: *flores* puſilli, Burſæ paſtoriæ, albidi, quatuor conſtant foliolis: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* latæ, rotundæ, compreſſæ, ſeu foliaceæ, glabræ, ſupremâ orâ fiſſæ, in medio magis eminentes propter *ſemina* contenta, rotunda, cum ſtriis circularibus. Dodonæo authore nigricans, acre & feruens guſtu, Milium etiam ſimul nonnihil reſipiens.

Eſt hoc Trago pingenti Thlaſpi, deſcribenti autem, vulgaris Thlaſpidia, & inter nomenclaturas, Thlaſpi alterum, ſiue verum, quod ait Dioſcoridem, θλάσπι, θλασπίδιον, σίνηπι ἄγριον, Sinapi perſicum, Myſten, Daſmophon, Myopteron, Bytron, Suitempſum, Scandulacium, Capſellam & Pedem gallinaceum vocare. Porrò meâ inquiris, ſententiâ, Thlaſpi & Allaria, Naſturtium tectorum Serapionis fuerit, quod ille Græcè Talaphion vocari tradit. Ei rotundæ, latæ, ac veluti conquaſſatæ crumenulæ vt in Atriplice, in quibus ſingulis, plerumque & nigra, & acri ſaporis ſemina, forma & guſtu non multùm à Naſturtio diſtantia. Non placent quæ dicit de forma ſeminis, quandoquidem multùm differt à Naſturtii ſemine: Tragi icon adaptata eſt Thlaſpi Cardamoidi Cordi, licet diuerſum ſit illud Cordi Thlaſpi: vt verum fatear icon Tragi non vndique placet, ſi is, vt nobis videtur, intelligit Thlaſpi noſtrum latis ſiliquis: is fortè tunc ignorabat differre à Thlaſpi vulgari ac cum eo confundit icone & deſcriptione. *Trag.not.*

Dodon.Gall. θλάσπι ἢ θλασπίδιον, ἢ σίνηπι ἄγριον. Lat. Thlaſpi, Capſella, & Scandulaceum, quibuſdam Myitis, Bytron, Daſmophon & Myopteron. Germ. wilder Kreſſe & weiſſelcruyt: quibuſdam Scorodothlaſpi verum Dioſcoridis, Lat. Thlaſpi latius & primum; Græcis Thlaſpi à fructu, qui ſcutum exiguum infarctum refert: Recentioribus Naſturtium tectorum, & Sinapi ruſticum dicitur, Germ. Baurſenff, Baurkreß.

Matth. in poſt.comment. Thlaſpi alterum vocauit, quòd eius ſemen Thlaſpi haud abſimile videatur, naſcique tradit in agro Pragenſi, locis ſaxoſis & aſperis, ac florere medio Vere & Iunio menſe. Figura quidem Matthioli mihi ſatis probatur: ſemen minùs ſimile Thlaſpi eſt: non facile in ſaxoſis & aſperis obſeruaui, ſed in agris & cultis locis. Is in Hiſt.Germ.non poſuit figuram nec eius meminit. *Naſturtiū tectorum. Sinapi ruſticum. Locus. Matth not.*

Camer.ad Matth.hiſt. Germ. & Epit. nouam poſuit figuram pro Thlaſpi 2. quod ait habere latiſſimas ſiliquas.

Lobel.& Penæ in Aduer.dicitur Thlaſpi, ſiue Naſturtium tectorum, Naſturtium ſylueſtre, Scandulacea, Capſella, θλάσπι, θλάσπιον, ἢ σίνηπι ἄγριον, Germ. Baurſenff & Kreß / Beſemkraut: Italis Thlaſpi: Gallis *Senene ſauuage*, Belg. boeren kerſe.

Lobel.Obſ.Thlaſpi Drabæ folio, Icon. Plant. Thlaſpi Drabæ & Chamælinæ folio. Aduerſaria quoniam dicebant ſuum Thlaſpi Drabæ folio habere ſemen oblongum, nigrum Naſturrii, ego de alio Thlaſpi intelligebam, donec Lobel. figurâ demonſtrauit plantam quam intelligit, quæ profectò non habet ſemen vlla ratione ſimile Naſturtio, nec oblongum, ſed rotundum cum ſtriis circularibus: *vt verum* fatear ſuſpicor Lobelium confundere duas plantas, nec ei aſſentimur, Thlaſpi quod exhibet ſiliqua lata meliùs conuenire cum Antiquorum Thlaſpi quàm vulgare, quod poſtea vocat Thlaſpi vulgatiſſimū. *Lobel. not.*

C.B.Phyt.Thlaſpi 2. ſiue foliis & ſiliquis latis.

Schvv.Thlaſpi latius maius, Σίνηπι ἄγριον, Thlaſpi Dioſc. Aduerſ. Thlaſpi Cardamoides Cord. Naſturtium ſilueſt. Scandulaceum, Breit deſchel kraut / Teſchelkreſſe / Bawrenſenff. *Si Schvv.* meliùs contemplatus fuiſſet Cordi Thlaſpi Cardamoides, dubio procul aliter ſenſiſſet. *Schvv. not.*

Thlaſpi cum latis ſiliquis rotundis, foliis mollibus, glabris, obſeruaui Baſileæ in agris, quà itur Moutets cum floribus menſe Octobri. Geneuæ cum ſiliquis & flore Nouembri, ſemine maturo Iulio. Hoc Thlaſpi Allium olere videtur. Lugduni habebam in horto. Montbelgardi in Horto Ill.E.C. vbi ſeminaui, ſe conſeruat ſemine deciduo, prouenit etiam in agris. Maio, Iunio & Iulio cum ſemine in aruis Sileſiæ vigere tradit Schvvenckf. *Locus & tempus.*

Vtrum Schvvenckf. vires obſeruarit quas ſcribit neſcimus, dicit ſemen acre eſſe, bilem extrahere, potum internas ſuppurationes rumpere.

## DRYOPHONON PLINII.

AVtoris nomen meritò ſibi vendicat, vt qui id primò his verbis depinxerit. Dryophonō ſimilis herba eſt (Dryopteri) cauliculis tenuibus, cubitalib', circūdatis vtrinq; foliis, pollicari amplitudine (vel latitudine, & lōgitudine. Latitudine potiùs intelligit Dal.) qualia Oxymyrſines, ſed candidioribus, molliotibúſque, flore candido Sābuci. Edunt cauliculos decoctos. Semine verò eius pro Pipere vtuntur.

Hæc paucis immutatis ita reddit Ruellius: Dryophonum olus ſylueſtre Filiculam ſpecie æmulatur, ramulis ſeſquipedalibus, quos circundant vtrinque folia, pollicari amplitudine, Ruſco ſimilia, niſi quod teneriora ſunt, & candidiora, flore Sambuci lacteo, ſemine guſtu mordaci, vnde eo vice Piperis vtuntur, conquuntque cauliculos in cibis admodum gratos. Dryophonon Plinius Dryopteri ſimilem fecit.

*Myrtus nemoralis, Vitis Idæa anguloſa.* Idem Officinis Gallorum Myrtum memoralē appellari ſcribit, ſed nullo modo cum Dryophono conuenit Myrtus memoralis. Nos de hac egimus lib. 15. hoc titulo: Vitis Idæa anguloſa.

*Thlaſpi Creticum* Cordus Creticum Thlaſpi putat, quod pro Draba Dioſcoridis quidam monſtrāt, vt etiam annotat Dalech. apud Plinium. *Verba Cordi hæc ſunt.*

Quædam exemplaria Arabam, alia Drabam, quædam etiam Arabidam appellant. Cæterùm non malè ait Virg. Macc. nullam eſſe apud alios Authores herbam hoc nomine. Plinius tamen eius mentionem facit ſub nomine Dryophani. *Dryophoni ſiue Dryophani æquiuoc.* Arabis ſiue Draba ſecundum Dodonæi opinionem eſt Dryophonon Plinii: Thlaſpi Candiæ vulgi. Eſt nobis Arabis Dodonæi Thlaſpi Creticum quorundam, de quo mox dicemus. *Thlaſpi Creticum ſiue Candiæ quibuſdam. Rhus Plinii quorūdam Barbarea muralis Filix florida.* Dryophonum Plinii peritiores arbitrantur Rhus Plinii nonnullorum: Cluſius: qua de re vide H. n. lib. c. Authore Guillandino vt teſtatur, Caſp. Bauhin. Barbarea muralis, de qua priori libro dictum, erat Dryophonon Plinii. Pro Dryophono tandem Plinii quidam [ ait Dal. in annot. ad Plin.] Filicem floreſcentem monſtrant. Conſule lib. 37. H. n. generalis.

## THLASPI CRETICVM QVIBVSBAM flore rubente & albo.

Deſcriptio



CAule quidem pedalis altitudinis aut proceriore vnico adoleſcit, ſed crebro alarum ſtiparu vbertim fruticāte, duro, lignoſo, glabro, viridante: *foliis* tum caulis tū rami amiciuntur lōgis anguſtis, ex anguſto principio ſenſim dilatatis, Iberidis folia æquantibus, nonnihil interdum crenatis, potiſſimùm inferioribus, ſapore feruido & ſubamaro: *flores* vmbellatim congerent dilutè rubentes, vel, vt ait Dodon. è cæruleo rubróque permixtis, vtriſque dilutis, eleganter purpuraſcentibus, foliis quaternis, duobus maioribus, totidem minoribus, conſtantes: quos *ſiliquæ* vel thecæ excipiunt Thlaſpios bifidæ, infractæ, è fiſſura ſtilum proferentes, quibus *ſemen* continetur, Dod. acre veluti Naſturtii. *Radices* plures, craſſiuſculæ, duræ, albę.

*Thlaſpi Cappadoc.* An Anguill. Thlaſpi Cappadocicum Galeni? Matthiol. in poſt. com. Ital. depingit ſine deſcriptione, ſub titulo, Thlaſpi 4. figura non admodum probandâ. Dod. gall. Δράβ.: Lat. Arabis & Draba, Plinii ſecūdum quorundam opinionem, Dryophonon, Neotoricorum Thlaſpi Candiæ, vocari etiam addit Δράβη, vel Ἄραβις, lapſu facili ex δ in α.

Thlaſpi Creticum ſiue Cappadocicum quorundam, ſi benè meminit Geſn. epiſt. quadam ad Occon. acrius amariúſq; eſt cæteris, ſiue Naſturtii, ſiue Thlaſpios generibus. Is in horto habet herbam floribus & ſeminibus eiſdem [ flores vtriuſque quaternis conſtant foliolis: quorum duo ſemper latiora ſunt, & alia duo minora,] foliis verò multifidis, quam Seſamoidis nomine accepit: Ac dicit Dodonæum Thlaſpi Creticum Arabam vel Arabin facere.

Lob. Obſ. & Icon. Plant. Thlaſpi Candiæ vmbellatum Iberidis folio.

Camer. ad Matth. Germ. Thlaſpi 4. Hort. Thlaſpi Creticum flore purpureo & ſubalbido, amariſſimo folio.

*Thlaſpi Creticum. Dryophanō Draba.* Caſp. Bauhin. Phyt. Thlaſpi 15. ſiue vmbellatū Creticum Iberidis folio, quorundam Dryophanon Plinii, aliorum Draba Dioſcor. Et ſanè, inquit, deſcriptæ in multis conuenit, flore eſt purpureo, aliquando ſubalbo & luteo: habetur in horto Bombiano.

Schvvenckf. Thlaſpi Creticum.

*Propagatio.* Propagatur, inquit Camer. non ſolùm ſemine, verùm etiam ramulis depactis in terram: *Repoſitio.* Teneræ plantæ priùs quàm flores produxerint, in cella aſſeruatæ, altero anno florent egregiè.

*Locus & tempus.* Iulio & Auguſto menſibus florem ac ſemen profert, Dodon. In Sileſiæ hortis ſemen Auguſto & Septembri maturum, Schvvenckf. Thlaſpi Creticum vulgò dictum vidi florens Baſileæ in horto Theodori Zvvingeri & aliis, florens Iulio menſe & adhuc Septembri. Geneuæ ſatū in horto meo ex ſemine miſſo per Zvvingerum, florebat Iunio. Sturgardiæ copioſum vidi: Satum Montbelgardi in Horto Ill. E. C. facilè prouenit, floret Auguſto, Anno 1608. Iulio in horto Il. Duciſſæ florebat Thlaſpi Creticum flore rubente, quod vulgare, & albo, quod nondum videramus, dicebat ſe habere flore mixto. *Flore albo & mixto.*

*Vires* Feruentis guſtus: ac potenter, idcircò excalfaciens huius non minus quàm Thlaſpios ſemen, autore Dodon. qui prætereà vires tribuit Drabæ, quæ poſtea recenſebuntur ex Veteribus cap. de Draba.

*Thlaſpi Creticum foliis indiuiſis ceu Lini amarum.*

Thlaſpi Creticum appellatur herba, quæ etiam apud nos reperitur locis aſperis in monte S. Iuliani: *ſurculis* dodrantalibus: *foliis* anguſtis, indiuiſis, ceu Lini: *capitula* fert cacuminibus: in quibus *flores* ſtipati, ſubrubentes: & *fructus* in eodem capitulo ſtipatos, profundiori ſectione, quam Thlaſpi nigrum: *ſeminibus* intus flauis, amaris

maris & actibus: herba quoque amara eſt. Galenus meminit Cretici Thlaſpios.

### THLASPI VMBELLATVM aruenſe amarum.

*[De]ſcriptio*

SEſquipalmaris eſt & altior plãta, *coliculis* pluribus, ramoſis, ſtriatis, ſubhirſutis; quibus *folia* adnaſcuntur oblonga Iberidis, ex anguſto principio ſenſim dilatata, & circa extremitatem crenata, craſſiuſcula, ſubhirſuta, ſapore perquàm amaro, ſubacri: *flores* tanquam in vmbella diſpoſiti, quanquam inæquali ortu, ex albo purpuraſcentes, aut etiam penitus albi, quatuor conſtant foliis, quorum duo maiora longiora, ita vt ex iis vnum, ſimul vtrunque inferius æquet, aut etiam ſuperet, capſulę fiſſæ, infractæ, Naſturtii vulgaris *ſemen* cõtinent minutum, acre, C.Bauh. *Radix* lignoſa, albida, fibroſa. Hæc planta accedit ad Thlaſpi Creticum vulgò dictum.



Eſt Trago Thlaſpidii aliud genus ſine icone.

Tabern.Hiſt.& Icon.Thlaſpi amarum ſiue 10. Bitterbaurenſenff/ caule tenui, ſed robuſto, flore albo inſtar Coronæ.

C.Bauh.Phyt.Thlaſpi 14. ſiue vmbellatum aruenſe Iberidis folio.

*[Loc]us & [tempus]*

Baſileæ in agris, menſe etiam Octobri, & menſe Iunio. Cùm eſſem Geneuæ inueni circa Thuiri copioſè florentem Iunio, idque inter ſegetes. Montbelgardi variis in aruis, vt eundo ex *Arbois Audincourt*, & in agris circa *la Chaux*: tranſtuli in Hortum Il.E.C. floret Auguſto, Stutgardiæ colunt in horto Ill.E.C. Iunio & Iulio copioſum obſeruaui inter ſegetes flore albo & purpuraſcente in agris inter pagum *Longeuelle* & celebrem Sanum ſiue Salubrem fontem Il.E.C. Wirtemb.in comitatu Montbelgardenſi.

### THLASPI PARVVM VMBELLATO flore niueo odorato.

THlaſpi 4. (lege 5.) paruum odorato *flore*, quod Iacobus Plateau mittebat, inquit Cluſius Hiſt.poſt. humile eſt, ex ſemine natum, ſingularibus virgis aſſurgit, rotundis, in plures ramos diuiſis, per quos vt per caulem, ſparſa erant anguſta & extremo mucrone ſerrata *folia*, Cretici foliorum æmula, acri guſtu prædita: ſummo caule & extimis ramis, naſcebantur veluti quædam in vnum caput congeſtæ vmbellæ *florum* niueorum, odoratorum, quibus ſucceſſerunt *thecæ* Cretici Thlaſpi vaſculis ſimiles; in quibus *ſemen*: *radix* etiam Cretici inſtar, non viuax.



*Deſcriptio*

Thlaſpi hoc ab eiuſdem Cluſii Thlaſpi in Allobrogibus inuento, flore niueo, quantùm differat cogitandum.

### THLASPI VMBELLATVM TENVITER diuiſo folio amarum Narbonenſe.

*Locus.*

THlaſpi ſpeciem, vel vt alii volunt Naſturtium ſylueſtre, quod cum Thlaſpi vmbellato aruenſi amaro pictum eſt, Anno 1561. & 1562. inueniebam Monſpelio eundo ad montem *Eſperon*, & verſus oppidum Gangen, florentem inter ſaxa menſe Octobri, & propè *Caſtelnau* inter *Perous* & Monſpelium in marginibus agrorum menſe Maio, & veniendo Lugdunum menſe Iunio, ſi benè recordor: Planta autem eſt multùm accedens Thlaſpi vmbellato aruenſi amaro: foliis craſſiuſculis cum aliquot paruis laciniis ſiue portiunculis, ferè floribus iiſdem ſed paulò minoribus. Eſt ſemiſpithamea: *cauliculi* aliquot firmiuſculi in ramulos diuiſi: *radix* ſingularis craſſiuſcula, in fibras diſtributa: hæc verba aſcripſit Geſnerus: Seſamoides ſpecies minima, quæ in meo horto mihi nata: verùm in eo fallitur: *Eſt mihi* alia planta inter meas agglutinatas ſtirpes, pedalis, cum pluribus caulibus ramoſioribus, cui in ſummitate ramulorum flores copioſi, radix craſſior. Scribit Geſnerus iuxta eam; quæ ſequitur Thlaſpidium quoddam videtur, ineſt ſemen tenue, latiuſculum, ruffum, ſubamarum. *Eſt mihi* adhuc hoc anno inter ſiccas cum prædictis alia plantula monoclonos, altitudinis quatuor vnciarum, per totum cauliculum folioſa, in quatuor ramulos diuiſa, tum copioſè vmbellato flore: eam Monſpelio detulit Frater C.Bauhinus ac miſit cum hac inſcriptione, Thlaſpi Candiæ vmbellatum Iberidis flore ex monte Ceti, florens Maio & Iunio: Hæ autem tres plantæ ſunt tantùm vnius, ſed varietatis occaſionis loco. Hoc verò Thlaſpi non mihi ampliùs vſum niſi inter meas plantas ſiccas, donec hoc anno 1607. conſpectum, ſed non agnitum antè florem emiſſum, in horto Theobaldi Noblot generi mei Pharmacop. Il.E.C. quod prouenit ex ſemine Monſpelio miſſo Doctiſſimo Medico, D.D. Danieli du Vernoy, nomine Thlaſpi vmbellati, quod præcedẽti anno terræ commiſſum (multùm euarians, vt ſolent plantæ quæ ex calidioribus locis in frigidiores transferuntur) per hyemem edurauit, & hos ſequenti ineunte Aprili menſe cauliculos primùm protrudere cœpit ex vna radice plurimos, ſtriatos,

*Deſcrip.*

*Seſamoides ſpecies.*

*Thlaſpidium quoddam.*

*Thlaſpi vmbellatũ.*

*Locus.*

longa ſerie foliorum ad extimam vſque prominentiã caulis donatos, folia autem ima ſuſtinentur petiolo vnciali, ſupernè in quatuor portiones craſſiuſculas, latiuſculas, mediaq; ſui parte ſulcatas deſinente, media porrò folia ſummáq; petiolo duas circiter vncias plus minúſue longo producuntur, crenarúmque imparili numero pro petioli longitudine breuitatéque differũt, ita quidè vt longiores pediculi 4. vel quinq; portionib. à ſe inuicem impari interuallo è regione collocatis diſſitiſque conſtent: breuiores verò modò duobus, ſed rariſſimè, modò tribus, trifolii in modum, modò quatuor, modò quinque quoque, ſed rariùs, diſparique longitudine dotantur. Florere porrò cœpit iam declinante Maio, erant verò floſculi in vmbellæ circinnatæ morem numeroſiores diſpoſiti, vel intra caliculos adhuc condiri latenteſque, vel iam ſeſe in apertum florem pandentes explicantéſque, albidi, quaternis conſtantes foliolis, quorum externi ad inſtar amari Naſturtii duobus aliis longioribus foliis in ambitum ſparſis, duobus verò aliis interioribus breuioribus abſoluuntur, in media verò regione ſtaminibus aliquot croceis decorantur. Folia deguſtata ſaporem amarum acrémque ſenſui offerebant, vt & flos manſus, remiſſiori tamen gradu. Superueniunt capſulæ & ſemen.

*Thlaſpi vmbellatũ minus. Lobel.* Pena & Lobel. Aduerſ. & Icon. Plant. Thlaſpi hoc, Thlaſpi alterum vmbellatum Naſturtii hortenſis folio, Narbonenſe, inſcribunt. Lobelii autem deſcriptio: vt & eius icon non in omnibus placet.

*Dalech.* Ic. Dalechamp. videtur paulò melior, de deſcriptione taceo, quæ ſic habet: Naſturtium ſylueſtre Dalechampii radice eſt longa, tenui, candida, fibrata: caulibus multis fruticat dodrantalibus, & ſi pinguius ſolum fuerit pedalibus, folio eſt ſatiui, copioſo, denſiùs per annos congeſto: flore in vmbella ex albo purpuraſcente: ſemine in latis vaginis, Thlaſpeos modo bifidis, guſtu acri, & ſatiuum Naſturtium odore imitante. In agris frumentariis prouenit, & lapidoſis macríſque.

*Thlaſpi Naſturtii folio.* C.Bauh. Phyt. Thlaſpi 1. ſiue Naſturtii folio peregrinum. Thlaſpi alterum minus vmbellatũ Naſturtii hortenſis folio Narbonenſe Adu. *Cur primum* Thlaſpi dicatur neſcio, mihi potiùs videtur locandum poſt Thlaſpi vmbellatum aruenſe quod ego amarum cognomino: quibus benè

*C.B. not.* cognita fuerit hæc planta conſiderent quantùm ſimilitudinis habeat cum Naſturtio hortenſi.

Tabern. Icon. & Hiſt. Thlaſpi Narbonẽſe vmbellatum, **Thlaſpe von Langedock mit vielen geharff blümlein.**

## THLASPI FOLIIS GLOBVLARIÆ.

*Deſcriptio* Longè latéque ſerpit *radiculis* longis craſſiuſculis in aliquot capita diuiſis nixum, quæ ſubinde reptando demiſſis fibris denuò radicantur: *folia* per terram ſparſa, aut in eam reclinata, ſatis crebra, Globulariæ foliis quodammodò ſimilia, pediculo vnius aut duarum etiam vnciarum, ad exortum rubente nitentia, vix totam vnciam longa, ſubrotunda, craſſiuſcula, atrouirentia, potiſſimùm hyberna, ſapore amaro: *caules* palmares aut etiam longiores, teretes, glabri, per quos alternatim naſcuntur *folia* coloris ferè glauci, pediculorum expertia, imâ parte caulem cõplexa, quo ferè modo folia Burſæ paſtoris Perfoliatæ folio acuminata. Summum caulis cacumen confertos ſuſtinet *flores*, Iberidis Fuchſii in morem, nec ita diſſimiles, maiuſculos, ſingulos quatuor foliis coloris lactei conſtantes, pluſculis etiam apicibus in calyce viridante latentibus. Quibus ſuccedunt *ſiliquæ* latiuſculæ compreſſæ, burſularum paſtoriarum æmulæ, ex ſinu ſuo apiculas exiguas emittentes. *Semen* complectentes ſubruffum, exiguum, acriuſculum, & ſubamarum.

Cluſius Pann. & Hiſt. poſt. Thlaſpi montanum 2. ſiue Thlaſpi Badenſe.

Viſa planta florente, niſi iam ex Cluſio figurã haberem ſculptam me abſente, aliam proponerem, quandoquidem ipſimet Cluſio non placet nec nobis.

C.Bauh. Phyt. Thlaſpi 8. ſiue Bellidis cæruleæ folio.

Tabern. Icon. & Hiſt. Thlaſpi album ſupinum. 1. **liegent weiß Bauren freß.**



*Locus & Tempus.* D.Dr. Martinus Chemnitius dedit Baſileæ collectum in montibus prope **Delſpurg**: florentem vidi Martio in horto Ioan. Heitzman Pharm. Menſe verò Maio reperi propè *S. Viſane* lapidoſis locis cum flore & ſiliquis penè maturis. Cluſius obſeruauit in decliui montis illius glabri, qui vrbi Badenſi imminet, quarto à Vienna miliari, florens Aprili, ſeménq; proferens Maio & Iunio.

*Thlaſpi folio rotundo.*

Quod à Camer. hort. Thlaſpi 7. rotundifolium Thuringiæ: & C.Bauh. Phyt. Thlaſpi 7. folio rotundo nuncupatur: eius nullam adhuc reperi deſcriptionem: conſiderandum an ſit Thlaſpi noſtrum foliis Globulariæ.

## THLASPI FOLIIS GLOBVLARIÆ AFFINE ſiue Alſinefolia cum Myagri foliis.

*Deſcripti.* Ad Thlaſpi Globulariæ foliis nobis dictum nonnihil accedere videtur, ſed hoc quàm illa exilius. Nam & *radix* longa, craſſa, in plura capita diuulſa, & *foliola* numeroſiſſima quibuſdam albidis pilis obſita, quędam interdum ſinuata: ſucculenta, craſſiuſcula, & oblongiuſcula, humi ſparſa, atrouirentia: quibus præteritorum foliorum filamenta ſubſtrata. Ex quibus *ſurculi* emergunt palmares aut altiores, teretes, alterno foliorum anguſtiorum ſubpinguium atrouirentium quoque ex ima parte coliculum amplectentium poſitu donati. In ſurculorum diuiſorum cacuminibus, *floſculi* quoque plurimi, lactei, quadrifolii, dictæ plantulæ foliis ſimiles. Sapore eſt acri.

Huic

Huic plantæ accedit multùm ſi non idem Thlaſpi petræum, Myagrodes Penæ.

Quodnam ſit Matthiolo Thlaſpi tertium, non poſſum [inquit Camer. ad Hiſt. Matth. Germ.] diuinare, niſi illud ſit, cuius ſemen noſtris Officinis in vſum venit. Similia enim habet folia & radicem, quemadmodum ab eo pingitur: caules verò frequentioribus foliis ſunt ſtipati, ramulis verò in orbem pulchrè digeſti floſculi inſidēt, neque etiam ſaxoſa amat, quod de ſuo Matthiolus ſcribit, ſed pingui ſolo naſcitur. Quod & Pennæus Londinenſis Medicus in monte *Saleue* propè Geneuam in ſaxorum crepedinibus, reperit: foliola habet longiora, minora, iuxta radicem paulùm crenata & aſpera, atrouirentia. Semen ruffum quemadmodum Naſturtii vaſculis clauditur. Prouenit etiam in monte Ammam Heluetiorum. Idem in Harc. Omiſſa Matthioli ſaxatilis Thlaſpeos icone aliam ſubſtituimus ex ipſa plantula depictam, quam antehac nemo arbitror exhibuit, donec Matthiolæū illud Thlaſpi [tertium] nobis quoque innoteſceret. Idem in Epit. Thlaſpi tertium inſcripſit. Sed neſcio cur Thlaſpi Officinarū non potiùs referatur ad primum Matthioli quàm ad tertium: nec etiam inuenio Matthiolum dicere tertium ſaxoſa amare, pro tertio placet: nec illa planta Camer. reſpondet tertio Matth. cùm mutabat iconē, oportebat etiam deſcriptionem Matth. in Epit. mutare. (not.)

C. Bauh. Phyt. Thlaſpi tertium ſaxatile Camer. in Epit. Matth. Quod enim Matthiolus Icō. pro Thlaſpi tertio pingit, non rectè exprimit folia, quæ nimis longa & acuta: Quare Camerarii figura nobis probatur ex plantæ viridis cum figura collatione. Nos eius imaginem exhibemus in tabula Alſines-foliæ cū Myagri capitulis.

In peregrinatione Rhætica cum D. Geſnero, anno 1561. Burmii cùm eſſemus in monte Nombre reperi cum vaſculis menſe Iunio. Anno 1591. Frater C. Bauh. ſine nomine ad me miſit, qui ſcribit, ſe in monte *waſſerfall* copioſè collegiſſe. In altiſſimo monte trans Sanctum Vrſinum ex præruptis rupibus, quas Rupes Sambræ vulgò vocant, loco cæterùm aprico Maio florens, nec dum ſemen proferens, ex quo noſtra deſcriptio.

## THLASPI CAPSVLA cordata peregrinum.



Pulcherrimum Thlaſpeos genus hocce, primùm Henr. Cherlero in Clariſſ. Zvuingeri obſeruatum, pedalem altitudinem adſequitur. *Caulis* in aliquot ramulos diuiſus, *foliis* ſtipatur lini facie, in ſummo obtuſis, glaucis, temerè oppoſitis. Cuius vt & ramulorum eius extrema *floſculi* ornant exigui purpurei, quos (Deſcriptio) excipiunt ſiliquæ foliaceæ, cordatæ, eleganti virore conſpicuæ, minimi digiti vnguem latæ, lineâ quadam bipartitæ, & vt vno verbo dicam ſiliquis Thlaſpeos latiſſimâ ſiliquâ dicto figurâ perſimiles. *Radicula* duriuſcula eſt & alba. Plantæ ſapor ſubamarus non ſine acrimonia quadam. *Semen* eius paruum, oblongum, luteolum, acriuſculo eſt ſapore, minimè ingrato.

De loco in deſcriptione. Floruit ibidem Iulio & Auguſto quo iam ſiliquæ & ſemina matura à Cherlero in hortum Mompelgardenſem coniicienda collecta. (Locus & tempus.)

## NASTVRTIVM VEL THLASPI maritimum.



In ſeſquipalmarem & ferè cubitalem plantam fruticat, lignoſis, ſatis fragilibus, hirſutis ſubrubentibus *ramulis*, per terram ſparſis: per quos *folia* vncialia, perangusta, incanâ hirſutie obſita, ſapore Naſturtii: *floſculi* extremis ramulis congeſti, albi, cum partibus quibuſdam cyaneis, odorati, Naſturtii ſimiles: quibus, ſuccedunt *capſellæ* paruæ, oblongæ, vtrinque acuminatæ: in quibus *ſemen* puſillum ruffum: *radix* maiuſcula, craſſa, alba. (Deſcriptio.)

Et hoc illud eſt, quod Lobel. & Pena in Aduerſ. & Icon. Plant. Thlaſpi Norbonenſis, Centunculi anguſtifolii, & Alyſſi Italorum nomine proponunt, de quo aiunt. Fecerant iamdiu Itali Alyſſon quodpiam, eoſque Commentator ſequitur, lubenter, inquit, poſuiſſem ſi habuiſſem: igitur factum benè, quod non habuerit, quippe doctiorum omnium Monſpelienſium ſuffragio Thlaſpis hæc annumeranda non Alyſſo. Suſpicor Naſturtium noſtrum maritimum non per Lobelium diſiunctum ab Alyſſo ſiue Thlaſpi multorum. Icon & quædam in deſcriptione Lobelii conueniunt cum Noſtro Naſturtio vero, quædam cum noſtro Alyſſo minore quorundam, Monſpelienſes id diligentiùs perpendant.

Thlaſpi maritimum Dalechampii ſic deſcribit hiſt. Lugd. Thlaſpi marinum idque minimum in maritimis proſilit, radice lignoſa, longiuſcula, in ſurculos diuiſa, candida: caulibus multis, dodrantalibus, ſimplicibus, foliis multis, exiguis, anguſtis, longis: flore in ſummis caulibus copioſo: ſemine flauo, lato, Thlaſpi ſimili, acri, in loculis turbinatis concluſo. Idem hoc Thlaſpi alibi habet hoc titulo. Thlaſpi Narbonenſe Penæ. Eadem etiam ſub Alyſſo Matth. ita ſcribit: Hanc Plantam Itali fecerunt Alyſſum, vel Alyſſi genus, quos ſecutus Matthiolus lib. 3. At doctiorum omnium Monſpelienſium ſententiâ Thlaſpios generibus adnumeranda eſt, non

Hiſt.Lugd. not.

Alyſſi. *Sed* Hiſt.Lugd.illo cap.Narbonenſe Thlaſpi idem facit cum Matthioli Alyſſo à quo non parum diuerſum: capite autem 45. pro Thlaſpi Narbonenſi ex Adu.Lobelii & Penæ tranſcribit quæ ſcripſit,& iconem illorum ponit, hac ratione diuerſas confundẽs plantas: culpa Compilatoris ignari ſtirpium.

C.Bauhin.Phyt.vocat Thlaſpi 22.ſiue Alyſſon, dictum alterum & maritimum, aitque: etſi Lobelius velit Thlaſpi Narbonenſe Centunculi anguſti folio, idem eſſe cum Italorum Alyſſo, variat tamen. Hoc enim ab Italico differt folijs anguſtioribus, rarioribus, ſiliquis minoribus, longioribus, quod optimè exprimitur ab auctore Herb. Lugdunenſis.

Tabern.Icon.& Hiſt.Thlaſpi Narbonenſe Cẽtunculi anguſti folio: Alyſſon Italorum.

Locus & tempus.

Toto anno videtur florere. Vidi florentem apud mare & locis arenoſis & ſalſugine abundantibus, vt vno miliari à Monſpelio menſe Auguſto & Aprili,& iuxta aquas mortuas menſe octobri. Frater C.Bauhin. attulit mihi Monſpelio cum hac inſcriptione Thlaſpi marinum florens Maio & Iunio.

## THLASPI MINVS QVIBVSDAM, ALIIS Alyſſon minus.



Deſcriptio

NOn vna ſemper facie occurrit hæc plãta, aliàs puſilla admodum, aliàs dodrante maior, crebris virgultis duris fruticans, aſperis & incanis, in ramos fiſſis, & in terram aliquãdo reclinatis: *folia* infima, cùm caulem non fert, oblonga, vncialia aut ſeſcuncialia, culmo latiora, admiſtis ſæpè aliis latitudine & longitudine iis cedentibus, quæ vtraque caule ſcẽte plantâ ferè decidunt: ſuperiora autem, quæ in caulibus & ramis ſatis ſunt frequentia, admodum ſunt anguſta: omnibus porrò communis color incanus, magis tamen parte inferiore, ad tactum aſperitas, neruus vnicus folium biſecans, ſapor fatuus: *flores* creberrimi, Thlaſpeos montani lutei, multò minores: colore aliàs luteo, quam varietatem eſt vbi in eadem planta obſeruare liceat: quibus ſerie longa, vt in hoc genere fieri adſolet, capſulę ſuccedunt lenticulæ grano formâ & magnitudine pares, circumacto ſulco in medio protuberantes, vbi ſemina ſubſunt puſilla, quaterna, ſingulis locellis membranulâ diſcluſis bina, ruffa, quæ humore madida mucaginem reddunt, radix demittitur lignoſa, alba, plerumque ſimplex: annua ſtirps.

An Trago Naſturtii genus quartum Germanis dictum klein Seckelkraut vel Teſchelkraut/quod aliter deſcribit, aitque ſub Thlaſpidio comprehendi?

An Dodon.Gal.Thlaſpi 4.cui folia longa, anguſta, aſpera, caules lignoſos, rotundos, flexiles, floſculos paruos, albos, ſiliquas latas, ſemina fuſca, guſtu valdè calido, Naſturtii inſtar, adſcribit? Hoc Thlaſpi cur Dod. Lat. omiſerit miror.

Hiſt.Lugd. Alyſſum minus Dalechãpii vocat, de quo ait: In ſabuloſis creſcit radice candida, parum fibrata, ſatis longa, cauliculis multis, rotundis, lanuginoſis ſupra terram parum extantibus: foliis multis albicantibus & tanquam cinere conſperſis, Aizoo minoribus, ſimilibus, ſi non lata forent, guſtu fatuis cum paucula adſtrictione: flore in ſummis virgis copioſo, luteo, ſemine Lini, minuto, ruffo, in loculis ſcuto ſimilibus, duplicibus, membrana tenui & pellucida diſtinctis. Si Dalechampii Alyſſum idem eſt cum noſtro Thlaſpi minore quorundam, icon in Hiſtor. poſita non placet.

Thlaſpi generibus quodammodò congener eſſe videtur Cluſio Alyſſum minimum, foliolo guſtûs ſubacidi, ſed ſaliuam quodammodò cientis, floſculis luteis quinque foliolis conſtantibus. An verò nomen aliquod vulgare obtineat apud eos populos vbi naſcitur non intellexit, affinitatem autem habere videri ſcribit cum ea planta, quæ à vulgo Dioſcoridis Alyſſon eſſe creditur. Nos ſuſpicamur Alyſſum minus, ſiue Thlaſpi minus de quo agimus à Pena & Lob.in Adu.non diſtinctũ à noſtro Naſturtio, ſiue Thlaſpi maritimo.

Thlaſpi [inquit Camer.& Matthiol.Germ.] ſimilis eſt plantula quæ quibuſdam Alyſſum dicitur, flore albo, in ſummitate luteo, hirſuta, &c. Idem ad Epit.Matthiol. ait. An veterum autorũ hoc ſit Alyſſon, cum aliis adhuc ſubdubito. Hæc ille. Proponit autem iconem ex Geſneri Iconibus, quam eandem eſſe plantam quam Matthiolus exhibet nondum concedo.

C.Bauhin. Phyt.Thlaſpi 23.ſiue Alyſſum dictũ tertium luteum.

Tabern. Icon. & Hiſt.Thlaſpi minus clypeatũ 2. klein Schild Beſemkraut. Figura Thlaſpi ſeu Alyſſi quorundam minoris malè ponitur à Tab. pro Thlaſpi clypeato minore Lobelii, quæ nobis dicitur Lunaria biſcutata minima. Tab. …

Confundit Schvv. hoc Alyſſum minus cum Thlaſpi anguſtifolio Fuchſii, quod nos Naſturtiũ ſylueſtre eſſe dicimus. Alyſſu Matthioli,& minimum Cluſii, Steinkraut, Hort.Luſit. idem facit, at malè.

Locus & Tempus.

Geneuæ & Lugduni abundat florétque menſe Maio: in Ducatu VVirtembergico propè fontem Admirabilem in monte Eichelberg flore luteolo albeſcente, vbi marceſcit Septẽbri. Mõtbelgardi copioſè in mea vinea, flore albo. Nuſquam non creſcit Viennenſi agro ad aruorum, vinetorúmque margines quibus à publica via ſeparantur, quin etiam ſiccis & gramineis agris nõ modò Auſtriæ, ſed etiam Morauiæ,& Pannoniæ. Floret toto Aprili, interdum etiam Maio.

## THLASPI MONTANVM LVTEVM.

NOn pauca huic cum Thlaſpi quarto Dodonæi communia, potiſſimùm verò *folia* oblonga, incana, maximè infernâ parte, aſpera, ad oleæ formam nonnunquam accedentia: *radix* longa, lignoſa, multifida, numeroſos, humi fuſos, lignoſos *caules* profert, cinericeos, dodrantales & longiores: ac *flores* copioſi eo ordine digeſti quo in iam dicto Thlaſpi, multò maiores & & ſaturatè lutei: *capſellæ* quoque non diſſimiles, ſtilum è capite proferentes vmbilico prominulo

*ſemen*



*ſemen* claudentes. In planta ſicca nullus ſapor inſignis apparet, aliquandiu maſticata, poſtea tamen habere videtur aliquam acrimoniam linguam ſiccans.

Lob. Icon. Pl. Thlaſpi 20. ſiue montanum luteum.

Shvv. Thlaſpi luteum repens Lobel. Thlaſpi luteum ſupinum montanum / klein kriechent Thlaſpi/ Arenoſa proreptat loca.

Thlaſpi montanum flore luteo voco herbam, quam fr. C. Bauh. ſcribit ſe inueniſſe propè Baſileam circa Bürſecken ſuper rudera in monte. Hanc eandem plantam mihi miſit cum flore Iulio menſe ex Champagnole Burgundiæ inſignis Pharmacopœus Toſſanus Carolus, quam curaui plantandam in horto Ill. mei Principis, ſed folio multò maiore ad Oleam accedente, de qua planta ſcribebat floribus eſſe Keiri ſiue Leucoii lutei, eiuſdemque odoris, florere vere. Floruit Montbelgardi toto Iunio & Iulii principio, quo tempore ſiliquæ apparuerunt.

---

THLASPI MONTANVM MINIMVM Monſpelienſium folio laciniato.

Lignoſis, albis, prolixis, multifidis *radiculis* nititur, ex quarum capite *ſurculi* emergunt numeroſi, interdū vix vnciales, aliàs trium quatuórue vnciarum altitudine, ramoſi, congeſti, exiles, albi: quibus paullatim delabentibus ſenſim ſuccedunt longiore interuallo diſſitæ *ſiliquæ*, Milii grano æquales, ex rotundo oblongæ, in duos loculos interueniente candidà membranulâ diuiſæ, ex pediculis longiuſculis pendentes: *ſemina* minuta, ruffa: folia tum ex radice ſtatim, tum ad caulium, ramorúmque diuiſiones, vncialia vel ſemuncialia, in profundas anguſtiſſimas lacinias ad coſtam vſque inciſa. Sapor acer.

In Bouttonet iuxta Monſpelium, à Genero Cherlero collectum.

*Leucoium luteum montanum ſupinum Ponæ.*

Plantam nobis miſit diligentiſſimus Pona, Anno 1609. cui inſcriptio Leucoii lutei montani ſupini, ea ſanè habet ſimilitudinem quandam cum Thlaſpi noſtro montano, ſiue Thlaſpi ſupino luteo Lobelii, folia tamen omnia rotundiora; iuuenis eſt planta quam miſit, in qua pauci rami, vix duas vncias longi; radix craſſiuſcula qualis in prædicto Thlaſpi, cum fibris quibuſdam.

---

THLASPI CAPSVLIS SVBLONGIS incanum.

Ex *radice* ſatis craſſa: cubitum longos ac etiam longiores, lentoſque *ramos*, & planè lignoſos, rubentes, erectos producit, in ramulos aliquot diuiſos: *folia* priora longa quatuor vncias, & vnam lata, ſuperiora Leucoii lutei, incana aut in nigro virentia, ſubhirſuta, ſapore oleraceo, ſubacri; *flores* inæquali licèt pediculorum tenuiſſimorum ortu in vmbella diſpoſiti, albi, quatuor foliis cordatis conſtantes, ſtaminibus in medio luteolis: *capſulæ* ſuccedunt ſublongæ, hirſutæ. Deſcriptio



An Matth. in poſt. com Lat. & Ital. cum magn. fig. Thlaſpi tertium? Figura ſola ſine deſcriptione.

Thal. in Harcyn. Thlaſpi Matthioli tertium. Camer. ad deſcriptionem Thalii addit: Paſſim quoque naſcitur apud nos hoc Thlaſpi, ſed videtur parum congruere cum Matthioli pictura 3. Thlaſpeos, quod in ſaxoſis naſci ipſemet aſſerit: hoc verò nunquam eiuſmodi locis inueni, ſed potiùs circa ſepes & alibi ſtrigoſo gramine obductis areis: ideò in noſtra editione, omiſſa Matthioli ſaxatilis Thlaſpeos icone, aliam ſubſtituimus ex ipſa plantula depictam; quā antehac nemo, vt arbitror, exhibuit, donec Matthiolæum illud Thlaſpi nobis quoque innoteſceret. *Hæc Thalij* deſcriptio benè conuenit cum Thlaſpi noſtro incano: an idem Matthioli, aſſerere non auſim, ſiliquæ etiam non vndique placent: præterea Matthiolus ponit tantùm titulum Thlaſpios tertij cum figura: nec video eum eius meminiſſe in contextu, aut dicere in ſaxoſis naſci: de ſuo Thlaſpi altero id dixit; quàm benè, dicetur ſub hiſtoria Thlaſpios cum lata ſiliqua: de Thlaſpi ſaxatili Camerarij ſub nomine Alſinefoliæ cum Myagri capitulis.

An Camer. hort. Thlaſpi 6. incanum fruticoſum Franconiæ?

An Lobel. Icon. Thlaſpi album ſupinum. Icon. Lobelij mihi videtur non vndique vera.

Lobel. Obſ. & Icon. pl. Thlaſpi incanum Mechlinienſe, finitimo Mechliniæ ruri fruticat Oleæ foliis, multiſque ſummo diuiſis hirtis ramulis, pedem & ſeſquipedem longis, flos albus & in pericarpiis rotundiuſculis ſummum caulem ambientibus exiguum ſemen minus cæteris.

Cluſius in Pann. & hiſt. poſt. Thlaſpi incanum Machlinienſe, Thlaſpi genus à nonnullis Machlinienſe cognominatum, folia habens vnciam longa, dimidiam lata [inæqualiter & inordinatè amplectentia caulem pedalem aut ampliorem,] cineracei coloris & acris ſaporis: caules in ramulos diuiſi, extremis albos flores proferunt, quatuor bifidis foliis conſtantes, in caput cōgeſtos & quaſi vmbellatim naſcentes, quibus decuſſis, paulatim illa capita ſuccreſcunt & producuntur, vaſculáque oſtendunt mucronata, breuia, ſemen continentia: radix albicans, fibris, quibus prædita eſt, ſub terrâ latè ſerpit; Drabæ inſtar.

Tab.Ic.& Hiſt.Thlaſpi duodecimũ,ſiue album ſupinum 2.ligendt weiß bauren ſenff. Icon Tabernæ ferè eadem quę Lob.apud Pl.cui nomẽ reſpondere non videtur: pingit enim plantam ſurrectam non ſupinam. Compilator mihi videtur deſcripſiſſe ſecundum iconem.

*Taber & Lobel. not.*

An Schvv.Thlaſpi album ſupinum: Tab.Thlaſpi album 1.& 2. Lob.Thlaſpi album ſupinum, weiſſer weg aut Bauren Senff/ Vratiſl. weiſſe weg kreſſe/vbi ſecus vias extra pagos paſſim provenit: Aeſtate floreſcit & ſemen fert. Calefaciẽtis & ſiccantis naturæ. Herbâ incenſâ peſtis tẽpore aëris vitia corrigere vulgus credit. *Miror* cur dicat primum & ſecundum Tabern.primum enim album,eſt montanum vt annotauit Cluſius, ac nos etiam obſeruauimus,parua planta,non ſupina,nec apta igni, vt eſt ſecundum: ſi Tabern. eandem intellexit [quod nos ſuſpicamur eſſe] is habet iconem Lobelii mutatam nonnihil: titulus quo ſupinum dicit non placet, id non demonſtrat icon. C.Bauhin.Phyt. Thlaſpi 9.ſiue album ſupinum Lobelii. A Fratre non ſcribitur an ei notum. Conſiderandum an eius 17. folio incano, flore albo, ſit idem cum noſtro Thlaſpi capſulis oblongis.

Locus.
Vſus.
*Schvvenck. not.*

A D.Sprengero habui Heidelbergâ ſemen pro Thlaſpi incognito, ſatum Montb. in horto Ill.E. C. primo anno floruit ac hieme periit, quod in ciſta repoſitum ſequenti anno floruit per plures menſes,ac ſecundo anno durauit. Hoc idem reperi ſpontaneum iuxta Gemersheim cum flore & ſiliquis Iulio,vbi in quibuſdã plantis in multos caules,in aliis in pauciores excreſcit, ad tres cubitos eandem etiam reperi. Naſcitur plæriſque Auſtriæ & Morauiæ locis,ſecus vias,& agrorum margines,gramineiſque incultis locis non minùs quam in Belgica Thlaſpi genus illud,quod nonnulli Machliuienſe cognominant,quia iuxta Machliniam Belgicæ celebrem vrbem plurimùm naſcatur publica via quà Antuerpiam itur.

Locus & tempus

*Thlaſpi arboreſcens folio viridi.*

Spiræ vbi Camera Imperialis, in horto cultiſſ.raris plantis D.Tengnagel Adſeſſoris,Thlaſpi vidimus anno 1595.menſe Iunio arboreſcens,fruticoſum, folio Linariæ,verùm non acuminato,ſed in extremitate obtuſo,ſucculento, craſſiuſculo, glabro:ſapore acri,floſculi coloris non recordamur.

## THLAPSI SEMPER VIRENTIS ſpecies candida.



Deſcriptio

Miſit mihi inſignis Medic⁹ Chriſt. Schwartz anno 1591.menſe Aprili plantã ex horto Ill.D. VVirtemb.cui præeſt, quam vocat ſpeciem Thlaſpeos ſẽper virentis, quam plantaui Montbelg. Ea erat ramoſa cũ multis *foliolis* oblongis,incanis ſiue candidis, *flores* in vmbellis albi, *ſiliquæ* paruæ ſubrotundæ.

An Camer.hort.Thlaſpi 4. ſemper virens biflorum, folio Leucoii.

Hiſt.Lugd.Thlaſpi montanum candidum Dalechamp.alterum. C. Bauh.Phyt.Thlaſpi 16. ſiue Leucoii folio incano, quod inter fratris Ioh. Bauhini plantas tantùm obſeruauimus.

## THLASPI FRVTICOSVM ALTERVM LOB.



Deſcript.

Qvum eſſemus cum Ill.noſtro Principe Duce VVirteb. Heidelbergæ anno 1595.inſignis & diligentiſſimus ſtirpium indagator & Pharmacopœus D. Sprengerus dedit nobis *ramũ* plantæ pro Thlaſpi fruticoſo Lobelii altero, palmo longiorem, tenuem,cuius folia alternatim diſpoſita,vnciâ breuiora, vix culmum lata,in acutum deſinentia,& albida ſiue cinerea, in ſuperiore *caulis* parte ex longiuſculis pediculis alternatim *capſulæ* ſublongæ, in quorum extremitate cuſpis, in extremitate *flores* plurimi vmbellam repræſentantes: *vaſcula* ſimilia Thlaſpi quod vocamus ſiliquis ſublongis incanum, ſimiles *flores*, eadem vtrorumque diſpoſitio: folia autem diuerſa. Nos curauimus pingendum noſtrum ramum iuxta Lobelii iconem, qui ſuum ſic tradit: Folio eſt Thymbræ hirſuto: cauliculos emittit plures pedales fruticis ſpecie, è quorum ſummis flores albi & ſemina in compreſſis folliculis.

Cluſius iam dictum vel valdè ſimile ſic deſcribit: ſtatim à radice multas emittit virgas inæquales, frequentibus ramis donatas: folia illius anguſta, mucronata,nullo ſeruato ordine, caulem & ramos ambiunt, ſatis manifeſtæ acrimoniæ: extremi rami multos albos floſculos in caput ferunt, quibus excuſſis, ſubſequuntur plantæ thecæ in ſpicæ ſpeciem naſcentes, ſuperioribus ſimiles, duobus vtriculis conſtantes, in quibus ſemen: radix craſſiuſcula,dura,non viuax.

Lobel.Obſ.& Icon. Plantar. Thlaſpi fruticoſum alterum. Miror ita ieiunè deſcriptum,nec anuotatum locum vbi proueniat, ego vt antè dictum, Heidelbergæ accepi à D. Sprengero ſiccæ plantæ ramulum,dicebat eſſe Thlaſpi fruticoſum Lobelii: folia rara,anguſta,vncia digiti breuiora, acuta,cinerea: capſulæ oblongæ cum cuſpide,ſimiles Thlaſpi incano ſiliquis oblongis, floſculi maiuſculi,albi in ſicca planta.

C.Bauhin.Phyt.Thlaſpi 27. ſiue Thymbræ folio fruticoſum.

Tabern. Icon. & Hiſt. Thlaſpi fruticoſum 2.

Cluſ.H poſt. Thlaſpi 5.[legendum 6.] Hiſpanicum flore albo.

## THLASPI FRVTICOSVM FOLIO Leucoii marimi minoris.



ſcriptio Virgæ numeroſæ ſparſæ, crebris Leucoii minoribus *folius*: *flores* candidi, copioſi, & *ſemen* compreſſum Thlaſpi parui. *Radix* lignoſa, fibroſa, in Belgii hortis.

Lob. Obſ. & Icon. Plantar. Thlaſpi fruticoſū folio Leucoii marini.

C. Bauhinus Phyt. Thlaſpi 26. ſiue Leucoii folio fruteſcens.

Tabern. Icon. & Hiſt. Thlaſpi fruticoſum folio Leucoii minoris, Baumſchter Baur ſenff.

## LEVCOIVM CVM SILIQVIS rotundis flore luteo.



riptio Plures ex *radice* candida, fibrata, mediocriter craſſa, *caules* proferr cubitum altos, teretes, leuiter hirſutos, & in multas alas diductos: *folia* ſemunciam plùs minùs lata, palmum longa, ſubhirſuta, & nõnihil incana: *flores* extremis ramis copioſè congeſti hærent, parui, lutei, quadrifolii: quibus ſuperueniunt vtriculi turgidi medium diſſepiente membranula tenui, cui adhærent *ſemina*, foliacea, orbiculata, ruffa, Leucoii granis ſimilia.

Cluſ. Hiſp. & H. poſt. Eruca peregrina, Leucoium ſemine rotundo vulgò quorundam.

Lob. Obſ. & Icon. plant. Patauinum Leucoium marinum.

Tabern. Hiſt. & Icon. Leucoium marinum luteum maius. Groß geel Merveyeln.

Hiſt. Lugd. Eruca peregrina Cluſii, Patauinum marinum Leucoium Lobelii.

C. Bauh. Phyt. Leucoium 7. ſiue maritimum luteum, ſiliquis rotundis.

Gerard. Leucoium marinum latifolium Broad leafed Gilloflower.

us & Leucoium cum ſiliquis rotundis denominaui hanc plantam, quia foliis ſubhirſutis, albidis, & ſemine compreſſo magis accedit ad Leucoia quàm ad Erucas, à quibus diſſidet non parum. Lugduni habebam in horto, Ibi etiam curaui depingendum. Montbelgardi in horto Ill. E. C. ſatum mihi prouenit, ac primo anno floret, hiemem perfert, nec perit poſtquam tulit ſemen. Argentinę vidi virentem Octobri in horto Friderici Meieri. Valerandus Dourez annotauit, Aprili menſe florere & in maritimis Iſtriæ & Illyriæ paſſim prouenire, D. Iac. Zvvingerus miſit mihi anno 1595. ſemen cum hac inſcriptione, Leucoium Patauinum Lobelii quod mihi prouenit & repoſitum hiemem pertulit, floruit Iunio, Iulio, & Auguſto, quo etiam tempore ſemen maturum. Creſcit quibuſdam Caſtellæ locis incultis, & ſecus vias, vbi Maio floret. In Belgiam allata non niſi Iunio & Iulio.

## LEVCOIVM SPINOSVM, SIVE Thlaſpi ſpinoſum aliis.



Dodrantali ferè eſt *radice*, craſſiuſculâ, contorta, lignoſâ, foris propemodum fuſcâ, intus buxeâ, in plura capita faceſſente. *ſtolones* lignoſi, crebri, duarum, triúmue vnciarum, aut paullò longiores, fuſco, aut incano, porraceóue corticē veſtiti, in *ramos* frequentes diuiſi, alii in ſpinas longiuſculas, rigidas, mordaces, rectáſque abeunt, ſitu & formā Pimpinellæ ſpinoſæ: *folia* per imos ramos pauca, per ſuperiores conferta, incondita, Thlaſpios montani lutei, ſemuncialia, atque vncialia, vix culmum lata, mucrone obtuſo, craſſa, incana, ſapore Braſſicæ acriuſculo: extremis ramulis hærent ex mediocribus pediculis, gemino ordine viridantes *capſulæ* capitulis Myagri ſimiles, bifores, diſſepimento membranulæ lucidæ in duos loculos diſtinctæ, *ſemen* continentes ruffeſcens, rotundum, compreſſum, guſtu acri. Deſcriptio

Lobel. Obſ. Icon. Pl. & Hiſt. Belg. Thlaſpi fruticoſum ſpinoſum Narbonenſe.

C. Bauh. Phyt. Thlaſpi 28. ſiue ſpinoſum.

Tabern. Icon. & Hiſt. Thlaſpi ſpinoſum, Stechender Thlaſpi/ oder Baurē Freß.

In ipſis præruptis montis Lupi ſaxis & cautibus G. Cherlerus collegit Iulio ſiliquas ferentem: dudum habui, verùm exiſtimabam eſſe Leucoium Patauinum ſpontaneum, conſideratis capſulis & non ſpinis.

Huc non malè poſſet reponi Galaſtiuida quam Honorius Bellus dicit ſpinoſam, foliis eſſe Leucoii albi, floribus albis, ſiliquis rotundis. Verùm de ea lib. 11. circa finem.

## LEVCOIVM LVTEVM SPINOSVM.



Deſcriptio

LEucoium ſpinoſum Creticum, quo nomine appellem, inquit Cluſius, dubius ſum. Nata autem eſt hæc planta etiam Iacobo Plateau, ſemine peregrè accepto. Illam certè naſcentem non vidi, ſed iconem ipſius manu delineatã ad me mittebat cum breui deſcriptione idem Plateau. Eam videlicet creſcere ad cubitalem aut maiorem altitudinem, & in multos *ramos* duros & lignoſos ſpargi, quos cingerent *folia* confertim naſcentia, incani & cineracei coloris, per oras nonnihil dentata: & ſparſim in ramis multos *flores* naſci, flauos, quinque foliis conſtantes: eos autem ramulos initiò ſatis tenellos eſſe, paulò pòſt tamen, duros & ſpinoſos euadere. Quale *ſemen* eius eſſet, non adſcribebat, ſed duntaxat ſciſcitabatur an Hippophæſtum Dioſcoridis eſſe poſſet. Sed cùm Dioſcorides ſuum Hippophæſtum, humilem herbam eſſe aſſerat, ſine caule, ſine flore, inanib. tãtùm capitulis, foliiſq; ſpinoſis, radiculas habere molles & craſſas, è quibus, foliis etiam & capitulo ſuccus exprimatur, & in vſum adſeruetur, non video quâ ratione hæc planta eius deſcriptioni accommodari queat.

Hippophæſtum.

Quoniam porrò folia, Leucoii marini foliis non valde diſſimilia habuiſſe videbatur, Leucoii ſpinoſi appellationem obtinere poſſe arbitror, donec aliud magis aptum, & ipſi plantæ conueniens reperiat, tametſi flores eius pluribus foliis quàm Leucoiorum flores præditi ſunt.

Miror apud Cluſiũ titulo Leucoii ſpinoſi additum Creticum, quandoquidem in deſcriptione non dicit Creticam ſtirpem, ſed aliud ibidem tradit Leucoium Creticum, quod non ſpinoſum.

## THLASPI FOLIO ALLIARIÆ.

Deſcript.

HVic *folia* infima lata & rotunda ſunt: quæ autem ſuperiùs in *caulibus* quos à fibroſa, obliquè acta, ſerpente, alba, tenui, lignoſa, Alliúmque oboléte *radice*, plures emittit, teretes, leues, & cubitales, altioréſque, *folia* inferiora ſunt Alliariæ ſimilia, alia ad Napy folia quodammodò accedunt, oblonga, auersa parte cæſia, aduersâ in luteo vireſcentia, duabus pinnulis ſubrotundis caulem amplectentia, ſapore oleraceo, nonnihil ad Cepas quoque accedente, è quorum alis *rami* enaſcuntur, ſimiliter foliati: *flores* Naſturtii aquatici, albi, quadrifolii: *ſiliquæ* vno loculo donatæ, ſubrotundæ, nulli fiſſurâ, *ſemen* continent ſingulæ ſingulum, flauum.

Lobel. icon. Plant. Camer. hort. *Thlaſpi Pannonicum.* Cluſ. Pann. & Hiſt. poſt. *Thlaſpi 1. montanum* peltatum. Icon non adcò feliciter in Belgica expreſſa vt neceſſe erat. C. Bauhin. Phyt. Thlaſpi 4. ſiue Glaſtifolio.



Locus Tempus

Thlaſpi Pannonicum primò vidi Argentinæ apud D. Fridericum Meyer, deinde Stutgardiæ in horto Ducis vnde attuli plantandum in Hortũ Ill E.C. vbi fœliciter hiemem pertulit & floruit tota æſtate, ac deinceps ſe propagat, folia inferiora ſimilia ſunt Alliariæ. Inuenitur vmbroſis locis ad arcem Stichenſtain, & quà iter eſt ex ea arce ad Snееberg, nuſquam alibi Cluſ. obſeruatum: nunc verò eius operâ, miſſis Viennâ eius Plantis, & ſemine ad amicos, Belgicis & Anglicis hortis inquilinum factum. Floret Iunio, ſemen Iulio & Auguſto ad maturitatẽ peruenit.

## SCORODOTHLASPI VLYSSIS Aldroandi.



SCito, hercle, nomine Scorodothlaſpi plantã hanc vocauit Cl. Vlyſſes Aldroandus rerum Naturæ ſagaciſſimus veſtigator, & apud Bononienſes Phyſicus celeberrimus: Hic Illuſtriſſ. Principẽ D.D. Fridericũ Ducem VVirtemb. & Teccenſem, Comitem Montbelg. &c. Dominum meum Clemẽtiſſ. cùm Italiæ illas oras luſtraret, multis perelegantibus ſeminibus exoticarum plantarum donauit, inter quæ & hoc fuit, quod ſequenti anno in horto Montbelgardenti dicti mei Principis conſitum in talem excreuit plantam, qualem modò deſcribam:

Deſcrip.

*Radice* nititur ſingulari, albâ, paucis fibris donata: ea veluti in capita diuaricatur numeroſo *foliorum* ſtipatu longis pediculis prædita, quæ ex principio anguſto ſenſim ouatam figuram acquirunt, & ſubrotundo ambitu finiuntur, quorum priora foliis Bellidis quodammodò reſpondent, quædam leuiter laciniata, quædam paucis denticulis, alia ferè nullis donata. Color virens eſt, pluſculis ex coſta neruis excurrentibus. At quæ

alterno

no poſitu cauliculis hærent *folia*, præſertim ſuprema, minimis ceu alis *caules* amplectuntur. Cauliculorum faſtigio *floſculi* inſident albi, parui, Burſæ paſtoris vulgaris, quatuor foliolis conſtantes, cum apice in medio, quos burſæ ſequuntur obliquæ, ſubrotundæ, cordatæ, non multùm compreſſæ, ad Thlaſpeos cordati burſulas accedentes. Tota cæterùm planta Allium redolet manifeſto odoratu, ac etiam non tacta. Radicula & folia oleraceo guſtu prædita ſunt, grato, & vel tantillùm acredinis ſapidæ in faucibus relinquente, non ſine halitu Alliariæ, vnde apto nomine inſignita ab excellentiſſimo Aldroando, cui viro hoc nomen obſeruantiæ ac memoriæ μνημόσυνον lubentes reliquimus, eiuſdemque veſtigia hiſtoriæ noſtræ, tum alibi ſæpè, ex merito tanti viri imprimere voluimus. Noua eſt hæc plantula, nec à quoquam, quantùm nobis quidem conſtat, hactenus prodita. Vnde nec aliis celebrata nominibus quàm iam prælibato.

s & ius. Montbelgardi in horto Ill. C. Wirt. quem excolimus ſata produxit flores & ſiliquas Iulio.

## THLASPI ALEXANDRINVM Cortuſi Ioh. Bauhino.



riptio MIſit ad me aliquando Cl. V. Dn. Cortuſus plantam hoc titulo, *Thlaſpi Alexandrino, bella pianta*. Eſt autem herba dodrantalis, ex *radice* ſingulari quaternos *caules* emittẽs, teretes, glabros, multis alis cõcauos: ad quorum diuaricationes propagationeſque, ſuperiore præſertim parte, *folia* ſingula velut Perfoliatæ, ramos amplectuntur, ſubrotunda: ramorum extremis longa ſerie vtrinque ex breuibus pediculis appenduntur *ſiliquæ* circinatæ, quales ferè Thlaſpios tenuifolii Fuchſii, maiores, in mucronem leuiter obtuſum deſinentes, quas ſecundum longitudinem percurrit coſta, à qua vtrinque valuulæ bipatentis ſiliquæ dehiſcentes abſcedunt, diſſepimento medio relicto, inque ſingulis valuulis ſingula *ſemina* compreſſa, ruffa, ex latiore baſi in acutum deſinente, videtur habere aliquid commune cum Thlaſpi Hederaceo Lobelii.

C. Bauh. Phyt. Tlaſpi 12. Alexandrinum Cortuſi. Io. Bauhin.

## THLASPI HEDERACEVM.

riptio IN Portlandiæ peninſula, Cornubiæ vicino portu Plimmouwe / aliiſque maritimis Angliæ cautibus, repens herbula, dodrantalibus & ſpithamæis gracilibus *cauliculis*, ſtriatis, puni-



cantibus: *foliis* ſinuoſis, hederaceis, carnoſis. *Floſculi* candidi & *ſemen* exile, in quibus guſtu & habitu Thlaſpi exprimunt.

Lobel. Obſ. & Icon. Plant. Hederaceum Thlaſpi.

Caſp. Bauh. Phyt. Thlaſpi 11. ſiue repens Hederę, quod nondum videre licuit.

## ALISSVM VETERIBVS ET IN GENERE.

### CAP. V.

VAria eſt apud auctores Alyſſi hiſtoria. Et quidem ex Dioſcoridis ſententia ἄλυσσον frutex paruus [φρυγάνιον: Ruellius addit vnicaulis] eſt, ſubaſper, folia habens rotunda, circa quę fructus, duplicis ſcuti figura, in quibus ſemen eſt aliquantulùm latum. Naſcitur in montanis & aſperis locis. Locus.

Hoc, vt opinor, ab Alyſſo Plinii diſcrepat, is namque videtur Rubiam minorem Alyſſum facere, cùm enim de Erythrodano, ſeu Rubia maiore, dixiſſet, ſubiungit. Diſtat ab eo, qui Alyſſon vocatur, foliis tantùm, & ramis minoribus.

Aliud inſuper & Aetius deſcribit his verbis. Alyſſon aiunt eſſe Sideritin heracleam appellatam, quæ iuxta vias naſcitur vbique, purpureum florem habens, & folia craſſiora. Aetij opinionem tuetur etiam Paulus. Cornarius autem diuerſas herbas rectè ſtatuit Sideritim heracleam, & hanc quę propriè Alyſſon vocatur: quum illa impropriè, & tamen ab affectu, idem nomen adepta ſit.

Galenus quoque de diuerſo ab his Alyſſo ex Aſclepiadis authoritate loquitur. Alyſſos, inquit, herba eſt Marrubio ſimilis, ſed aſperior & magis ſpinoſa (aculeata,) circa pilulas (orbiculos) florem ad cœruleum vergentem profert.

Cæterùm, ἄλυσσον Græcis, ſimiliter Alyſſum Latinis dicitur, quòd morſos à cane rabido mirificè iuuet, autoribus Galeno, Aetio, Paulo, Plinio & Pauſania.

Alyſſi decoctum, inquit Dioſcorides, potum ſingultus qui ſine febre ſunt ſoluit. Idem facit & detentum, aut naribus admotum, At cum melle tritum, lentigines & maculas Solares depurgat. Putatur & canis rabiem ſanare, cùm cibo contuſum & exhibitum [λύσσαν κυνὸς ἰᾶσθαι, συγκοπὲν ἐδέσματι καὶ δοθὲν. Lat. ex vet. cod. λυσσοδήκτους ἰᾶσθαι συγκοπὲν ἐν ἐδέσματι καὶ δοθὲν, commorſos à à rabidis ſanat contuſum & in cibo datum.) Sed & id domo ſuſpenſum ſalutare eſſe dicitur, tum hominibus tum aliis animalibus, ne faſcino lædantur. Quin & puniceo paniculo alligatum, pecorum morbos abigit.

Quod verò de ſingultu ille, idem Plutarchus

ſcripſit, τὴν δὲ ἄλυσσον καλουμένην βοτάνην καὶ λαβόντες εἰς τὴν χεῖρα μόνον, οἱ δὲ καὶ προσβλέψαντες, ἀπαλλάττονται λυγμοῦ: Id eſt, Alyſſum herbam manu tenentes ſolùm, alii verò intuentes, ſingultu liberantur.

Galenus dilucidiùs eius facultates declarat. Mirificè iuuat morſos à cane rabido. Sed & iam rabienti data ſæpè ipſum ſanauit. Et hæc quidem facultas ex ſimilitudine totius naturæ conſtat, experimentóque ſolo cognoſcitur, nec ratione percipitur. Alioqui ex vſu comperitur moderatè ſiccare ac diſcutere, & aliquantulùm extergere. Hac ratione & vitiligine m & maculas faciei à Sole prognatas expurgat.

A cane commorſos, Plinio etiam teſte, rabiē ſentire non patitur, potus adalligatúſque. Mirū eſt quod additur, saniem conſpecto omninò fruticee ſiccari. Inſaniā ſanari ex veteri codice Corn. legit, qui tamen non inſaniam, ſed ſingultum legendam ex Plutarcho putat. Ex Galeno, inquit is, & Plinio clarè patet, commorſis à Cane rabioſo fruticem ſiue herbam Alyſſon auxiliari: Verùm Dioſcor. verba ita iacent, vt ipſius canis rabiem ſanare dicere videatur: δοκεῖ δὲ καὶ λύσσαν κυνὸς ἰᾶσθαι, πυγνομὴν ἐδέσματι καὶ δοθὲν: niſi λύσσαν κυνὸς eam rabiem quæ ex Cane homini inducta ſit accipere velimus.

## ALYSSON SILIQVA LATA ASPERA
quibuſdam Lunaria flore luteo.

Deſcriptio



ALyſſon Dioſcoridis putata herba, *radice* ſimplice & lignoſa, candicantíque nititur, ſapore prædita feruido: ex qua plures eriguntur *caules*, recti, rigidi, incanâ lanugine hirti, qui cis faſtigiū in ramos aliquot abeunt, in quibus *flores* numeroſi, patuli, melini, Eryſimi floribus magnitudine & formâ ſimiles, ex quatuor foliolis contexti: quibus delapſis *ſiliquæ* oriuntur ex oblongo rotundatæ, villo aſpero tectæ, compreſſæ, *ſemen* claudentes ſimiliter compreſſum: *folia* germinatione prima ex oblongo rotunda, poſtmodum in longum protractiora, in obtuſum mucronem deſinunt, nonnihil ſinuata, Leucoii foliis ſimilia, albicantia, hirſuta & tactu aſpera, ſapore oleraceo prædita.

Dodon.Gall. Alyſſon Neotericorum, quorundam Lunaria maior.

Geſner hort. Alyſſos Dioſcoridis Dodonæo: Lunariæ maioris ſpecies aliquorum. Lunariæ Græcæ ſimiles producens ſiliquas herba Alyſſo cognata. Et de coll.ſtirp. Lunariæ ſpecies. Lunaria lutea. Alyſſos quorundam. Lunaria à Gratarolo miſſa. Item de Lunariis. Ab Vlyſſe Aldroando herba miſſa, Lunaria appellata. Alyſſon Dioſcoridis exiſtimatum.

Lobel.& Pen.in Adu. Alyſſon, & nonnullorum Lunariam appellant, vt dicunt, nullā meliùs Alyſſo Dioſcoridis quadrare. Iidem cap.de Thlaſpi Narbonenſi, Alyſſon Belgarum & Francorū vocant. Lobel.Obſ.& Icon.Plant. Alyſſon Dioſcoridis putatum.

Cæſalp. Lunaria tertia, Alyſſon Dioſcor.

Hiſt.Lugd. Alyſſum Dodonæi, Recentiorum quorundam Lunaria maior. Alyſſum Dalechampii.

Caſp.Bauh.Phyt. Lunaria 4. ſiue lutea aſpera: ἄλυσσον Dioſcoridis.

Hort.Luſit. Alyſſum Dodonæi, Lunaria lutea ſiue Græca.

Alyſſon ſiliqua lata, aſpera, Lugduni mihi erat in horto. Baſileæ in hortis ſiliquas fert Iunio menſe, Septembri ſemine maturo: mihi etiam obſeruata eſt in hortis Parauii Bernardi Triueſani: Ferrariæ Monaſterii S. Dominici à l'Angeli. Bononiæ vt S.Saluator al burgo di S. Catharina. Florentiæ: & Parmæ Nobilis Ant. Laudatæ florens Aprili. Montbelgard. in horto II.E.C. hiemem perfert, ſemenque abundat Auguſto & Septembri, florens adhuc Octobri. Locus Tempus

## ALYSSON ANGVILLARAE.



HOc nomine inter Valerādi Dourez plantas herbam Maenio fruticoſam, ramis, duris, lignoſis, teretibus, hirſutis: *folia* ſimilia Thlaſpi minori, vel Alyſſo minori quorundam, latiora, aſperiora hirſuta, ſubrotunda, in obtuſum acumen deſinentia, *ſiliq.* e eâ ſunt diſpoſitę ſerie quâ in iam dicto Thlaſpi, hirſutis pedicellis hærentes, compreſſæ, circinatæ rotunditatis, in vmbonem modicè protuberantes, triplo maiores quàm Thlaſpi modò dicti, multùm aſperæ, ſtilum exiguum è ſummo proferentes, membranulâ lucidâ valuulas diſterminante. *Semen* quale ſit, nequeo animaduertere: nec quales fuerint *flores* auſim, licèt adhuc victi adſint, aſſerere: videntur tamen lutei vel pallidi fuiſſe. Deſcriptio

Matthiol. in poſt. com. Ital. pingit hoc Alyſſum ex ſicca procul dubio planta, ac ait. Cùm ſciam multos bonos Simpliciſtas plantam, cuius figurā apponimus, verum Alyſſum exiſtimare, apponere volui: quamuis non reſpondeant omnes notę.

• An Lobel.& Pen.æ Adu.& Icon. Plant. Thlaſpi Græcum propinquius fortè Dioſcoridis Poligonati (Poligoni) folio aut Oleæ, Lentis ſemine?

Conſiderandum ſanè quantùm differat hoc Thlaſpi ab Alyſſo, de quo Anguillara epiſt. 12.pag.217. An Cæſalp. Thlaſpi quoddam genus in monte S.Iuliani in Piſano, floribus luteis: fructu lato ac valdè depreſſo, diuiſo ſpecie duorum nummorum?

An

An C.Bauhin.Phyt. Thlaſpi 21.ſiue Alyſſon dictum primum. Matthioli Alyſſon Icon. 4 p.498. Thlaſpi Græcum propinquius Dioſc. Polygogonari folio aut Oleæ, lentis ſemine Lob.icon. p.213.floſculis albis interdum luteis ? *Apud* Lob. in Adu.& Pl.Icon. legendum Polygoni folio & Typographi errore poſitum eſſe Polygonati ſatis apparet,quæ obſecro ſimilitudo Polygonati cum olea ? in deſcriptione præterea dicuntur folia puſilla, glauca,albidáue,Leucoii lutei, ſed multò minora: quæ ſanè nihil commune habent cum Polygonato : Miror hoc non correctum. Quiſnam ſcripſit de duplici colore florum? B. not.

## LVNARIA BISCVTATA.



Deſcriptio. BIſcutata Lunaria *caules* habet exiles, pedales, & cubitales, tenues, teretes, in alas aliquot diuiſos, paucis foliis donatos: ea enim magna ex parte ſtatim ex *radice* mediocriter craſſa [ Burſæ aut Maluæ Lob.] exorta per terram ſparguntur , palmum longa,& breuiora , paullò ſemunciâ latiora,ſinu ata,aſpera , hirſuta , cra ſiuſcula [ Lobelio albent, Hieracii aut Leucoii,ſed minora:] alarum extremis *flores* coaceruati tenuiſſimis hærent pediculis , luteoli, parui: at quæ hos ſequuntur *pericarpia* pulcherrima, foliacea , peltata [ fermè pellucida Lob.] didyma , ad ligulam extra ſcutulam quoque prominulam adnexa, quorum ſingulis ſingula clauduntur *ſemina* latiuſcula, orbiculata, compreſſa,ruffa ( Leucoii purpurei & albi ſapore & effigie potiùs quàm Naſturtii Lobel.)

Et hæc eſt illa , quam Lobel. & Pena Adu. Thlaſpi paruum Hieracifolium, ſiue Lunariam luteam Monſpel.& Leucoium luteum marinum ( Biſcutellam , addit Lobel. in Icon.Pl. ) Lunariam minorem alteram vocitant. Huic nullus locus certior quàm inter Thlaſpi omnium iudicio putatur. Hæc primùm culta in hortis Italicis vocabatur Leucoium marinum non ita magnâ ſimilitudine.

Cluſ. Pann.& Hiſt. poſt. Thlaſpi clypeatum. Thal.Leucoium montanum.

Camer.hort.Thlaſpi biſulcatum,vel Lunaria biſulcata à Cluſio & Lobelio depicta. Creſcens copioſè propè Capuam, foliis aliquantulùm diuerſis,ferè Napi vel Rapiſtri,altitudine ſeſquipedis non multò minor.

Tabern.Icon.& Hiſt. Thlaſpi minus clypearum 1. Klein Schildt Thlaſpi.

C.Bauh. Phyt. Thlaſpi 24. ſiue biſcutatum maius folio craſſo hirſutiſſimo.

Lunariam biſcutatam ſeu Didymi,vt nominabat Geſnerus, obſeruauimus Monſpelii cùm eſſemus ſecus viam quâ itur Frontignanum & ad montem propè *Caſtelneuf* non longè à fluuio: hanc eandem priùs videramus in peregrinatione noſtra Rhætica cum Geſnero in monte Burmio vicino , cum ſemine maturo Iunio menſe. Geneuæ ſata in horto noſtro primò pullum caulem protulit,tota hyeme integris foliis abundauit & ſequenti anno maio Maio menſe floruit. Frater C.Bauhinus Monſpelii florentem etiam Maio & Iunio obſeruauit. Montbelgardi in hor- Ill.E.C.Wirt. eodem anno quo ſata, floruit & ſemen maturuit Auguſto & Septembri, hiemem pertulit: ſemen fuit miſſum per fr.C.Bauhinum cum hac inſcriptione, Thlaſpi ſpecies Bononiæ. Baſileæ vidi florentem cum ſemine maturo Auguſto in horto D.Dis.Iac.Zvvingeri. In pratis Monſpelienſibus hoc Thlaſpi collegit Lobel. & minorem Lunariam alteram vocitabat. Hæc primùm culta in hortis Italicis & peregrina credita. Supra Badenſes thermas , viciniſque collibus, adeoque totâ illâ collium catenâ, quę per Leytenberg & ſupra Manderſtorff ad Danubium vſque verſus Orientem excurrit , copioſè authore Cluſio naſcitur. Locus & tempus

Cum Leucoio,purpureo præſertim & albo,in foliis & viribus nonnulla hinc communia Lob.

## LVNARIA PELTATA MINIMA quibuſdam ad Thlaſpi referenda.



INter Valeraudi Dourez plantas ſine nomine plantulam pulchram reperimus quam etiam Gener Cherlerus attulir collectā in Nemauſenſi agro: Ea palmo breuior plātula , *radice* ſimplice , lignoſa, vnde plures pullulāt *coliculi*,ſimplices aliàs, aliàs etiam alis concaui,in terram repandi , tenues, aſperi,ex rubore obſcuro incani : per quos *foliola* alternata,aſpera,& inferiore præſertim parte incana , Thlaſpi minoris foliis ſimilia, ſed multis numeris minora: *floſculi* luteoli ſummis hærent coliculis & ramulis , quos denſo agmine ſtipati conſequuntur orbiculi foliacei, glabri, maiores quàm Thlaſpi dicto : ſub quorum vmbone minimùm elato *ſemen* coërcetur ſingulare,minutum,ruffum. Deſcriptio

Thlaſpi alterum minus Clypeatum Serpilli folio Narbonenſe ; nuſpiam Lobel.& Penæ viſum , niſi in agro Norbonenſi Monſpelienſique, locis ſquallidis, ſabuloſis , prope puſillas Anchuſas.

Caſp.Bauhin. Phyt. Thlaſpi 25. ſiue Clypeatum minus.

## BVRSA PASTORIA.

### CAP. VI.

Descript. BVrſa paſtoris nonnunquam palmaris, pedalis,& cubitalis interdum planta, *radice* nititur recta,alba,fibroſa, ſapore ſubdulci & nauſeoſo: à qua prodeunt *folia* oblonga, modò integra, aliàs profundè in ambitu laciniata, nonnihil hirſuta,pediculis ferè vncialibus, cùm ſuperiora in caulibus nec pediculum quidem habeant,immediatè adhærentia,inter folia exſurgit *caulis* vnus, terni,quaterni,qui rurſum in *ramulos* diuiduntur, qui à medio ferè ad ſummum vſque faſtigium *floſculos* nullo ordine emittunt,pedicello tenui ſemunciali, paruos, albos, ex quatuor foliolis conſtantes, & in medio *ſtamnula* aliquot lutea habentes, interdum corymbatim in ſumo caule quaſi vmbellam conficiũt: quibus ſuccedunt ſeminum receptacula ex acuto principio in latiuſculam bifidam crumenulam deſinentia, *ſemina* Brunfelſio parua & nigra. Hæc magnitudine & foliorum diuiſura mirè ludit,vt quis diuerſas poſſit ſuſpicari ſpecies.



*Guido not.* Guido, nimis licentioſè Galeni locum interpretans ait Polygonum eſſe virgam vel Burſam paſtoris: Polygonum & Burſa paſtoria multùm differunt.

Euchar. Rœſl.Burſa paſtoris & Pera paſtoris.

Brunfelſ.Burſa & Pera paſtoris maior, cui deſcriptiones Dioſcor.de Polygonia & Sanguinali minimè quadrant.

Cord.in Dioſcor.Burſa paſtoris, klein Daſchelkraut/id eſt,Burſa paſtoris minor.

Trag.Burſa paſtoris, Burſa paſtoris maior & vulgatiſſima.

Cornar.in Dioſc.credit Burſam Paſtoris vulgi Medicorum eſſe Herbam Medicam. Sed Deſcriptio Medicæ Cornarii non conuenit cũ Burſa paſtoris vulgi Medicorum,ſuſpicio mihi aliqua oritur de Criſta gallinacea, vel Cornarium ne-
*Cornar. not.* ſcire quid ſcribat, ſtirpium enim non fuiſſe peritum ſuis ex libris ſatis apparet: vulgi autem Burſa paſtoris vel Chriſta gallinacea nullo modo cõuenir cum deſcriptione Medices.

Matthiolus qui ſine deſcriptione pingit, ait non defuiſſe,qui Thlaſpi & Burſam Paſtoris vulgò dictam,vnam & eandem eſſe plantam exiſtimarint ſed eorum ſententiam prorſus explodendam meritò cenſet. Licèt enim figurâ ſimilis eſſe concedatur, attamen quod Lacuna monet, viribus & temperamento multùm differt.

Cæſalp.qui Burſam paſtoris vulgi inſcribit fo-
*Semen ſubacre* liis Erucæ, ſemine exiguo & flauo, ſapore ſubacri: at totâ herbâ inſipido & glutinoſo, ait apud Antiquos inter Thlaſpi genera numerari. Id au- *Thlaſpi genus:*
tem Thlaſpi deſcriptionem Dioſcoridis partim oſtendere: nam folia in cacumine diuiſa, & fructus in extremo latos huic plantæ magis conuenire. Ex Galeni hiſtoria colligere licere Burſam paſtoris eſſe Thlaſpi deterius. Ac Burſam noſtram paſtoris Capſellam dici inter cætera nomina Dioſcoridi aſcripta.

Fuchſ.hiſt.& Icon. Dodon.gall.& lat.in fol. Burſa paſtoria. Geſner.hort.Burſa paſtoris maior & minor. Burſa paſtoris, Thlaſpi fatuum. Lobel.Obſ.& Icon. Plant. Burſa paſtoris. Cam. hort. Burſa paſtoris eleganti folio inſtar Coronopi repentis. Eidem in Matthiol.hiſt. Germ. & Epit.vt & H.Lugd.Burſa paſtoris. Tab.Icon. & Hiſt. Burſa paſtoria maior. Item Burſa paſtoria minor.

C. Bauhin. Phyt. Burſa paſtoris prima maior folio ſinuato. Secunda Burſa maior folio non ſinuato, Burſa paſtoris folio integro. De qua ait: Naturæ luſum tantùm exiſtimabamus, verùm cùm aliquot annis idẽ obſeruauerimus, à priori diſtinguendam cenſemus. Tertia Burſa paſtoris media, Tabern. Burſa paſtoris minor.

Schvv.Cat.Sil. Burſa paſtoris maior, Sileſ.Teſchelkraut / Daſchenkraut / Bluttkraut. Nominà

Burſa paſtoris, vulgò Officin.& It.*Burſa paſtoris*, aliquibus *Pera paſtoria*, & *Pera paſtoris*, nonnullis *Herba Cancri*, *Criſpula*, *Sanguinaria* & *Sãguinalis* dicitur, nec iniuriâ, [vt videtur Trago] cùm ſanguinis eruptiones ſiſtere poſſit. Videtur tamen ipſi non Sanguinalis ſed Sagminalis eſſe legendum,quod ſi firmum eſſet, certè hæc planta non procul à Verbena prima Dioſcor. diſtaret. Nihil tamen affirmat. Inuenimus nos manuſcriptum per Leodigarium Ritzianũ Burſam paſtoris eſſe Io.Friſio in Dictionario Lonchitim alteram Plinii, Germ. Seckelkraut / Teſchelkraut / Bluttkraut / & hirtenſeckel: Belg. Borſekens cruyt. Gall. *Bourſe de paſteur ou Berger & Tabouret.* Geneuenſ. *l'herbe d'Eſpinglier.* Caſtil. *Pan y queſillo.* Hung. *Paſtor* & *Zenye.* Boh. Kodoſſka.

Burſam paſtoriam vidi florentem Martio, Patauii Februario. Geneuæ paſſim Ianuario, Martio, Maio, Nouembri. Baſileæ florentem adhuc Locus & tempus
Octobri,Lugduni abundat. Montbelgardi floret Martio, ac interdum tota hieme etiam in horto Il.E.C.ſpontanea, ad hortum ferarum vidi florentem Aprili,folio non ſinuato,an perpetuo talis nondum obſeruaui. In Ducatu VVirtembergico circa fontem Admirabilem florens Auguſto, In monte Teck Octobri. Secus vias locis deſertis & incultis, ac in ruderibus vt plurimùm ſponte prouenit: & quandoque maior, ſubinde verò minor,& omninò exigua. Floret, viget, ac ſemen perficit totâ æſtate.

Vires huius non vulgares celebrantur, ex a- Vires
ceto enim, id ſcribente Fuchſio, trita collectionum inflammationes refrigerat, ac eò confluentes humores cohibet: imponitur ſacris ignibus & quibus ſtomachus æſtuat. Succus eius purulentis auribus infunditur: cruenta ſanat vulnera, mirè efficax eſt in comprimendis omnibus ſanguinis eruptionibus. Burſa paſtoris ſiccata, ait Tragus,vino rubro vel aqua pluuiali,in qua chalybs cãdẽs extinctus fuerit,decocta,ac pota,dyſẽtericis ac lientericis,fluxiones alui cohibet,vrinę ſanguinolentæ medetur, ſanguinis excreationes, menſiúmque abundantium profluuia ſiſtit,omni-

umque

umque internorum viſcerum quaſuis eroſiones ſanat: eadem aqua deſtillata per aliquot dies continuos menſurâ quatuor aut quinque cochlearium pota efficit. Errhinon ex lineo panno factum, ſuccoque herbæ madefactum ac naribus inditum, ſanguinem ſiſtit: idem ſuccus, vel aqua etiam deſtillata, vulneribus recentibus colluendis vtiliſſima ſunt: Multi in ea ſunt ſententia, vt credant, ſanguinem è naribus aliiſue vulneribus manantem cohiberi, ſi herba ſaltem, apud eum hominem incaluerit.

Burſa paſtoris, autore Matthiolo, ex refrigerantium eſt, exſiccantium & adſtringentium genere. Quapropter prodeſt trita & emplaſtri modo impoſita inflammationibus & ſacris ignibus, decoquitur pluuiali aqua: cum Plantagine & Armenio luto, bibiturque eius decoctum ad inteſtinorum difficultatem, & ad cruentas excreationes. Siſtit menſium abundantiam, ſi eius & Perſicariæ decocto inſideant mulieres: eſturque ad idem, & contra denique omnes fluxiones efficax eſt, tenui pulticula circumlita & in oleo frixa: additur in emplaſtris, quæ ad capitis vulnera componuntur, & in vnguentis cōpluribus: ad gonorrhæam accipitur vncia vna ſucci è recenti herba expreſſi, cuius ſi copia non detur, duplum iuris decoctæ ſiccę herbæ, additis camphoræ granis tribus, bibitúrque diebus aliquot continuis. Succus cum Aeizoi ſucco aut aceto miſtus partium calidas collectiones, & ſacros ignes extinguit. Sunt qui ſcribant Burſam paſtoriā Icterum profligare, ſi ſimul folia, flores, & Thecæ calceis indantur; vt nudum pedē cōtingāt, eoque modo deambuletur: decoctū in collutione omnes ſanat fauciū tumores. Succus vtiliter podagræ calidæ pudendorúmque fetuidis tumoribus illinitur. Celebris ad ſanguinē ſiſtendū & fluxiones repellendas, ſucco poto in ſputo ſanguinis & dyſenteria, trahitur & ſuper varos ad ſanguinem inde fluentem. Cæſalp. Herbam ex aceto terit & carpo adhibet vt fluxum ſanguinis ſiſtat, & rigorem tertianæ compeſcat. Burſam paſtoris frigidam & ſiccam in tertio gradu cenſet Lacuna, ac ideò reſtringere omnem partem, & reprimere omnis generis fluores.

Lacunæ bellum mouet Lob. eumque cum pluribus aliis taxat, dicens: Guſtu non perinde vt Thlaſpi acri, ſed exiccante potiùs quàm refrigerante. Nam qui quia ſanguinem ſiſtat (ſiſtit autem ſtrenuè) frigidam faciant, infelici argumento vtuntur, etenim vmbellæ, floreſque guſtanti aliquid acrimoniæ inuruut, indicioque ſunt ſiccando colligendoque ſiſtere, vt porri ſuccus, vitriolum, vrtica: non réfrigerando: trita carpis imponitur, additâ Plantagine, ad tertianas ſpurias, purgato priùs corpore. Ad hæmorrhagiam ſanguinis ex quacunque parte fluat Burſam paſtoris contuſam, cum aqua frigida applicat Timot. Roſl. parti vnde fluit, & ſubitò ceſſat. Si è naribus fluit aut ex alio capitis loco, apponit capitis pulſibus, ſubitóque ſupprimit. Aquam deſtillatam Burſę paſtoris aut decoctum eius menſtruos fluores & dyſenterias rubras potam compeſcere ſcribit Brunfelſ. Sic & peſſum ex cotone factum & ſucco eius intinctum naribus inditum ſanguinem inde fluentem ſiſtere. Herbam geſtatam cùm naturali calore tepefacta fuerit, idem quoque facere perhibet, quod difficulter credimus, & quia res herbaria certè infinita eſt, id aliorum obſeruationibus iudiciis & experientiis conferendū relinquimus.



## BVRSA PASTORIS PARVA folio glabro, ſpiſſo.



Deſcrip. Bvrſula iſta parua eſt, *radice* vnicâ, ſed in tenuiores ſubdiuiſa: *folium* primum ſimplex, rotundū, paruum, alia Burſæ maioris more aliquatenus laciniata, craſſa, glabra, vix ſextātalia: *cauliculi* ſinguli vel plures, dodrātales, ac etiam minores: *floſculi* multi ſimul, albi: *ſiliquæ* rotundiōres quàm in vulgari. In foliis nullum manifeſtum ſaporem animaduerto, in ſummitatibus ingratus eſt.

Plant. Icon. Paſtoria burſa minima.

C. B. nō. Tabern. Icon. & Hiſt. Naſturtium petræum, C. Bauh. Phyt. Burſa paſtoris 4. ſiue minor: Burſa paſtoris 6. Tragi ſine icone. Huic autem Burſæ paſtoriæ cùm non ſint vaſcula, vt vult Tragus, acinis peponum ſimilia, meritò exiſtimo Tragi Paſtoriam burſam 6. huc non referendam, ſed ad ſequentem.

Locus & tempus. Itinere Maſmūſter, Than, & Fraugmatten inueni menſis Aprilis fine Burſam paſtoriam hanc, antehac non viſam; reperi quoque in muris quibuſdam inter Remiremont oppidum Lotharingiæ & Plumarias Thermas, paruam, ſingulari caule. Nobis etiam data ſicca Argentinę à D. Vldarico Chelio Medico inſigni. Baſileæ ad margines aruorum vtcunque rarò, præſertim extra ſyluam propè Wyl pagum obſeruauit Gener Cherlerus.

## BVRSA PASTORIA MINIMA, oblongis ſiliquis, verna, loculo oblongo.



Deſcriptio. Bvrſa hæc minima, *radice* eſt tenuiſſimâ & tādem fibroſâ: à qua per terrā ſparguntur *folia* multa in circulum oblonga & anguſta, & mucronata, vix vnciam longa interdum rubentia, hirſuta, virētia modò, modò rubēria, oris per extremū aliquot crenis inciſis, ſapore pri-

mùm ſubaſtringente, tandem acri,nitroſo & vellicante: inter quæ *caulis* nunc vnus,aliàs bini,terni & plures teretes,palmares,aliquando vix ſextantales , *floſculos* ſuſtinent ſimul multos albos, aliquando purpuraſcentes Burſæ paſtoriæ vulgaris maiores, quatuor foliolis bifidis conſtantes, ex pediculis pluſquam vncialibus: *loculo* oblongo compreſſo nullâ lacunâ vt in Burſa vulgari , nulloque diſſepimento intrinſecus diſtincto: *ſemen* continente minutum , rotundum : Semine maturo & decidente remanet tenuis membranula alba,qualis in Lunaria maiore.

Hanc deſcribens Tragus , Burſam paſtoriam 6.& poſtremam fecit , quam fr. C. Bauhinus in Phyt.ad præcedentem refert contra meam ſententiam vt iam antè annotatum.

Brunfelſ. picturam exhibuit nomine Genß-blum/ quæ meliùs placet quàm Lobelii. Huic autem in Aduerſ.& Obſ.& Icon. Plant. Paronychia Alſine folia.

Dodon.Lat.in fol. Paronychiæ vulgaris titulo depingit & deſcribit , ac dicit : Veram & legitimam hanc eſſe non conſtat, vt enim Dioſcor. παρωνύχια ἐστὶ θαμνίσκιον ὅμοιον πέπλῳ, τῷ δὲ μήκει ἐλαττον, τοῖς δὲ φύλλοις μείζων: id eſt, Paronychia fruticulus eſt ſimilis Peplo, longitudine minor, foliis verò maior. At vulgaris Paronychia nec fruticis in modum veluti Peplus aſſurgit , nec maiora ci, ſed minora quàm Peplo ſunt foliola.

Tabern.Icon.& Hiſt.Alſine minima.

Camer.qui ad hiſt. Thalii Piloſellam ſiliquoſam minimam omnium vocat , inter figuras iconem ſub Piloſella ſiliquata ponit pictã ad meam plãtã, quam cum deſcriptione Geſnero miſeram.

Hiſt.Lugd.Myoſitin paruam Dalechampii inſcribit.

C.Bauhin.Phyt.Burſa paſtoris 5. ſiue oblongo loculo minor dicitur. Hæc, inquit,non ſolùm magnitudine & paruitate variat,ſiquidem etiam minima vnciam & ſeſquiunciam longa reperiatur : verùm & foliorum formâ diſcrepat : habetur namque foliis integris,vt Lobelius, Dodonæus,Lugdun.pag.1214.lib.11.cap.5.& Tabern.Icon. pag. 708. pingunt: datur & latioribus laciniatíſq; foliis quemadmodum Lugd.pag.1318.l.11. cap.54. nomine Myoſotidis paruæ exprimit. Similem poſteriori ex monte Sfrigel/ quà itur in Italiam habemus, quæ tamen non ſolùm folia in orbem humi ſtrata habet , ſed paulò altiùs quina ſenâue obtinet lata laciniata , & in cauliculi ſummo vnicum quod in ſummitate tripartitur , capſulam quin etiam obtinet priore duplò maiorem, cámque non oblongam,ſed ſubrotundam.

Schvv. Burſa paſtoris minima, Sileſiis Hungers blümlin (flos famelicus) dicta. Credere enim vulgus ait eius vberem prouentum annonę caritatem denotare.

Locus & Tempus

Geneuæ *en plain palais* , floret principio Martii & Aprilis , paſſim ſecus vias & in ſegetibus. Montbelgardi florens Martio in muris in Horto E.C. Monſpelii florebat Vere. Propè Beſtordiam medio Aprili inueni cum membranulis tenuibus remanentibus à ſemine deciduo. Frater Baſileæ obſeruauit. In Sileſia [inquit Schvvēck.] Aprili floret in multam æſtatem,ſuccreſcente interim ſemine. Arenoſis agris & hortis plurimis.

## BVRSA PASTORIA FOLIIS Perfoliatæ.

BVrſam paſtoriam Perfoliatæ folio, voco pulchram herbulam, cui *radix* tenuis,ſuprà vnica,mox fibroſa, aliquot coliculos palmares & breuiores (interdum vnicum) emittens. colore ex fuſco leuiter rubente & virente, veluti glauco , leues , teretes , ex foliorũ alis ramulos nonunquã producentes : *folia* ſuperiora alternatim caulem ſine pediculis amplexantur , alis eorum ferè concurrentibus , vt à caule perforari quodammodò videantur, vnciali longitudine,dimidio anguſtiora,denſiuſcula, glabra,glauca vt Perfoliatæ : *floſculi* poſitu florum Burſæ vulgaris,parui,albi,quatuor foliolis conſtantes inuolucro totidem foliorum in fuſco viridium circundati , ex pediculis tenuiſſimis ſemuncialibus , in medio *ſtamina* crocea : decidentibus floribus, imò antequam ii etiam in totum decidant , ſubnaſcuntur *ſiliquæ* paruæ Burſæ paſtoriæ, formâ cordatâ, veluti infracta,vt in Thlaſpi , *ſeminâque* continent parua compreſſa,rotunda,ſubruffa : Sapor plantæ ſubacris.

Camer. in fine hort. ex plantis meis ſiccis ſub titulo Piloſellæ figuram habet.

Hiſt.Lugd. ſub Thlaſpi primo genere à Dalechamp. obſeruato.

Tabern. duas figuras habet tam in Icon.quàm Hiſt. Ac primã Thlaſpi oleraceu Baurenſenff , inſcribit : alterã Thlaſpi minimu Cluſii , kleinſt Thlaſpi. Deſcrip



Cluſii Pann. & Hiſt. poſt.Thlaſpi pumilũ,Thlaſpi 3. Thlaſpi mõtanum minus,feminibus acris ſaporis. Fortè eadem cum noſtra, ſed minor ratione loci vbi prouenit.

C.Bauh. Phyt. Thlaſpi 5. ſiue Perfoliatæ ſiue Braſſicę cãpeſtris folio , maius.

Schvv.Burſam paſtoris minorem appellat.

Burſam paſtoriam folio Perfoliatæ inueni in Burgundia iuxta Oppidum Inſulam in vitibus ad dextram quà itur ad Tres Reges,florebat Aprili. Hanc Monſpelii vidi,vbi florebat & capſulas ferebat menſe Martio. Montbelgardi in Horto Il. E. C. copioſè ſponte prouenit : & florere Martio & Aprili , Geſnerus ad meam plantam ſiccam adnotauit: Ad Myagrios retulerim. Offendimus capſulis maturis menſe Maio in Ducatu VVirt.inter Leuwenberg & Stutgardiam.

## BVRSAE PASTORIAE SVBLONGO LOculo affinis pulchra planta.

PEr terram ſpargit *folia*, Barbareæ muralis aliquatenus ſimilia , breuiora , latiora , magíſque rotundata , duas vncias lata , per ambitum ſerrata, hirſuta,aſpera nonnihil , cuiuſmodi etiã per caules ramóſque,ſed portione minora , cernuntur ſine pediculis, ſtatim autem è *radice* tenui plures emittit *caules* , alios aliis fœliciùs adoleſcentes , cubitum altos & ampliores, nonnunquam in ramos plures diuiſos, quos non , vt Deſcript

Barbarea,



Barbarea, cauli apprimit, ſed abſcedentes diducit: *flores* ſingulis ramis multi cohærent, patui, albi, quos excipiunt ſerie longa *loculi* burſæ paſtoriæ ſublongo loculo ſimiles, bifores, qui in medio ſtriam habent, quorum altrinſecus abſcedentibus valuis *ſemen* apparet minutum, relicta diſſepiẽte membranula.

Hanc plãtam cùm ſiccam ante 30. annos miſiſſem D. Geſnero, ad eam annotauit, videri referri poſſe ad Myagri ſylu. ſpeciem. Sed perinde eſt ſiue ad Myagron, ſiue ad Burſam paſtoris referas, inquit C. Bauh. in Phyt. qui hunc inter Burſas paſtoris ſextum locum dedit, ac Burſam paſtoris loculo oblongo maiorem appellat.

is & ous Monſpelii Martio florentem & ſiliquas ferentem legi, quo menſe etiam Baſileæ locis campeſtribus ſiccioribuſque prouenire ſolet.

*Burſæ paſtoris affinis herbula foliolis Thymi.*

Humilis quædam herbula affinis Burſæ Paſtoris, copioſa in Sicilia & in Plumbinenſi agro ſecus vias: *ramulis* dodrantalibus multis humi procumbentibus: *foliolis* Thymi, rotundioribus, candicantibus, ſubhirſutis: quæ *floſculos* fert totà hyeme candidos, veluti in capitula aceruatos, in ſummis ramulis, odore quaſi ſimilimo flauo mellis, *fructus* minutos Iberidi ſimiles: Planta inſipido ſapore conſtat, vt Burſæ paſtoris, Cæſalp.

## DRABA VETERIBVS.

### CAP. VII.

AVthoritate Dioſcoridis Δράβη, herba in cubiti altitudinem aſſurgit tenues ſpargens *virgas* & ab vtroque latere *folia* veluti Lepidii, teneriora (ἁπαλώτερα, quod etiam ſignificat molliora,) tamen & candidiora. In ſumma verò parte vmbellam quemadmodum Sambucus [ἀκτῆς] quæ *flores* habet albos (ἄνθη λευκά. vulg. λεπτά (tenues,) ac ſic etiam Manardo legi placet:) Huius herba coquitur cum priſana, maximè in Cappadocia. At fructus [καρπὸς] ipſius aridus, Piperis (πεπέρεως) loco obſoniis miſcetur. Et quoniam hæc poſtrema, *At fructus &c.* Plin. de Dryophono tradit, Cordus coniectura ductus (non quidem ſat probabili noſtro iudicio,) Drabam Dioſcoridis cum Dryophono Plinii vnum & idem eſſe exiſtimat.

Serapio Drabam, Oribaſio Braben dictam (inquit Sarrac.) Naſturtii generibus annumerat, & Naſturtium Orientale appellat. Cæterùm inter notha Aldini exemplaris, hoc ipſum caput, vt Hermolaus habet, cum Arabidis herbæ inſcriptione reperitur, ita vt Arabis & Draba vnius & eiuſdem plantæ diuerſa nomina fuiſſe videantur.

Aſt ab hac opinione alienus eſt Cornarius ac Drabam herbam ſuppoſititiam eſſe in Dioſc. & ab aliquo adſcriptam exiſtimat: eò quòd bis in hoc libro habeatur, tum hoc loco, tum ad finem poſt Glaſtum ante Telephium intruſa. Sed iſtic Arabis appelletur, & aliàs eadem de ipſa tradantur, iiſdem etiam verbis: vt nec de nomine, nec de re ſatis conſtet: maximè quum apud nullum alium Scriptorem, neque Drabes, neque Arabidis herbæ mentio fiat, altero ſanè ex altero corrupto. Quare non videt, quantùm fidei debeat haberi his, qui Naſturtium Orientale, vel Babylonium eſſe Drabam dicunt: aut etiam Cuminum ſylueſtre.

## DRABA MVLTIS FLORE ALBO.





VIx cubitũ ſuperat Draba, *caule* rotundo, ſtriato, ex *radice* lignoſa ſurgente, multiplice: quem *folia* alternatim baſi imà amplectũtur, oblonga, vnciam & ſeſcunciam lata, ſinuata: *caulium* faſtigia in creberrimos abeunt ſurculos, & ipſos quoque folioſos: quibus vmbellatim inſident *floſculi* candidi, quib⁹ delapſis *capſulæ* ſuboriuntur, corculum imitatæ ex cono ſtylum exiguũ promentes, quæ binis ſuis loculis totidẽ *ſemina* parua ruffa continent. Deſcriptio

Naſcitur, inquit Matth. in Ananienſi agro planta foliis Lepidio non diſſimilibus, & vmbellà ferè Sambuci, Drabam ad amuſſim referens, quemadmodum & in Galliis naſci Ruellius teſtatur.

Camerarius cui ad Hiſt. Germ. Matth. & Epit. Arabis ſiue Draba dicitur, habet folium in ſua icone valdè hirſutum, nos talem hirſutiem non

obſeruauimus. Pannonica ſanè Draba hirſuta eſt, verùm pili breuiſſ. eáque non ſolùm ſerrata, ſed etiā laciniata, vt obſeruauimus in planta nobis per Agerium data pro Pannonica in Auſtria collecta. Monſpelienſi concolor nobis videtur & eiuſdem formæ. Eidem in horto Arabis verior.

Lobel.& Penæ Adu.Obſ.& Icon. Plant. Arabis ſiue Draba. Hiſt. Lugd. Arabis ſeu Draba Matthioli. Cæſalp. Draba. Cluſ.Pann.& Hiſt. poſt.Draba vulgaris 1. folio in ambitu dentato ex viridi cinereo, ſapore actiuſculo &c.

C.Bauhin.Phyt.Draba prima vmbellata: quā ait Matthiolum, Lonic.& Lugd.dentatis pingere foliis, quod hactenus in ipſa planta obſeruauerit: at Lobelium, Caſtor. Cluſ. [licet hic dicat dentata,] foliis integris delineare.

Nomina — Draba multis flore albo, græcè Ἀραβὶς, Ἀράβη & Δράβη, Arabis ſiue Draba, nonnullis Naſturtium Babilonicum & Orientale. It. *Draba*. Ger. Turfiſch freß: Gall. *Draue*.

Locus & Tempus. — Drabam Monſpelii in marginibus quorundā agrorum iuxta vrbem: Patauii in horto publico & apud Cortuſum florére vidi menſe Martio: Frater florentem obſeruauit Maio. Nulli ferè agrorum margines circa Viennam, totáque adeò inferiore Auſtriā, hac plantā, non ſunt obſiti, quę ſubinde in ipſa etiam arua latè irrepit. Floret Maio & Iunii initio, ſemen ſub Iunii finem maturum eſt. Meminit Cluſius etiam hanc plantam legere in Inſula illa quā facit Rhodanus in duo cornua diuiſus inter D.Aegidii Fanum & Arelatem, dum Maſſiliam proficiſceretur.

## DRABAE SPECIES GLABRA.

Deſcriptio — PRo Drabæ ſpecie dedit nobis plantam D. D. Agerius Argentinenſis Medicus, collectam in horto Bononienſi, quæ multa habet ſimilia cum Draba ante deſcripta, excreſcit tamen penè ad duos cubitos, quantùm colligimus ex plantis ſiccis, an vnum vel plures ferat *caules* ignoramus, ii tamen ſunt concaui, glabri: per illos alternatim caulem amplectentia *folia* ſerrata vel laciniata, ſed minora multò longitudine & latitudine, in ramos ſuperiores partes diuiduntur, qui longiores quidem: ſed minùs ſe expandunt: *floſculi* minimi albi: quibus *capſulæ* ſuccedunt paruæ.

## DRABA MINOR CVM ORBICVLA-ribus capitulis.

Deſcriptio — DRaba minor: Drabæ genus minus Cluſii ſine icone, multa promit à ſummo *radicis* capite *foliola*, longis pediculis nixa, aliquantulùm anguloſa, villis quibuſdam obſita, inter quæ gracilis exilit *cauliculus*, palmaris, paucis foliolis longioribus præditus, qui à medio ferè ad ſummum orbicularibus capitellis onuſtus eſt, membranulā in binas partes diuiſis, *ſemen* exile, fuſcum, continentibus: *radix*, pro plantæ exilitate, ſatis craſſa, pauciſſimis fibris donata: viuax vt arbitratur, nam præcedentis anni cauliculum adhuc retinebat ea planta, quam Gulielmus de Mera Medicus, in itinere obſeruatam, & inter chartas repoſitam, floribus tamen carentem, Cluſio Francofurti donabat Anno 1593.

## LEPIDIVM PAVLI.

### CAP. VIII.

EX *radice* digitali repente ſurgit *caulis* ſingularis, rectus, gracilis, læuis, fungoſa medulla farctus: bicubitalis & altior: *folia* Mali Citriæ, ſæpiùs maiora, in ambitu crenata, rigida, ex viridi in luteum vergentia, ſapore Sinapios: *floſculi* puſilli, copioſi, albidi, apicibus herbidis.

Ambæ noſtræ icones ſunt ex Guarinianis, quam autem plantam denotet ſecunda, nondum nobis conſtat.





Facilè autem nobis perſuademus plantam quam hic tradimus, nempe Piperitin, eſſe Lepidium Plinii Dioſcot. Galeni, & Pauli, diuerſā plantam ab Iberide Dioſcot. Plinii & Democratis, vt monuimus antè capite de Iberide: in quo nobiſcū ſentiunt plures, vt Marantha. — Deſcrip

Quæ autem Veteres tradiderunt de Iberide & Lepidio, item æquiuocationes, nos tradidimus antè.

*Lepidium Columellæ Satiuum Plinii peregr.* — Herm. hanc fortè exiſtimat in Dioſc. Lepidiū Columellæ ſatiuum, Plinii peregrinum Lepidiū, Raphanum in Pannonia dictum, Pauli Lepidium. Ruellius ad radicem ſiue Raphanum retulit. — *Raphanus*

*Lepidium Piperitis.* — Lepidium Antiquorum, Piperitis & Siliquaſtrum Plinii multis putatur, quam ſecutus ſententiam aliquando eſt Braſſauolus: nunc verò mutauit, & Pauli & Plinii Lepidium exiſtimat, ac etiam Dioſcoridis, diſtinguit enim ab Iberide eiuſdem. — *Siliquaſtr. non eſt.*

*Sceiteragi Arabum. Auicennæ error:* — Serapionis & Arabum etiam Sceiteragi facit, oſtendens Auicennam poſtremo loco de Sceiteragi confudiſſe Iberidem & Lepidium. Vocat præterea Penerellam. — *Penerella.*

A Cordo deſcribitur & vocatur Lepidium ſiue Hiberis maior. Item Piperina & Zinziberina. — *Piperina, Zinziberina.*

Lepidiū

Lepidium, inquit Tragus, eſt Germanis dictum pfefferkraut/ hoc eſt, Piperitis Senffkraut: nam ad Sinapi referri poſſe neminem latêre puto.

Matth. in Dioſc. non poteſt nō admirari, quòd tam facilè crediderint Hermolaus, Manardus, ac Ruellius illos ſecutus, Lepidium eam plantam eſſe quæ vulgò in Italia appellatur *Raphano*; niſi noſtratem Piperitim, quæ proculdubio Plinianum refert Lepidium, Raphanum vocauerint.

Fuſchſ. ab Iberide diſtinguit Lepidium, vulgò herbariorum Piperitim.

Lepidium Dioſc. & Piperitim Anguill. diuerſam facit à Galeni Iberide & Lepidio.

Lacun. in Dioſc. vocat Lepidium Plinianum & Pauli, & Piperitim vulgi.

Geſner. hort. Lepidium Æginetæ, Senffkraut, Romæ *Crapinella* dicta.

*apinella*

Apoll. rad. 1. in Triphera Saracenica magna, Lepidium Plinii, Iberidem Pauli ſecundam. Idem cum Piperite maiori, vulgò *herba Piuera* [ ſi herbulæ nomine dignaretur, ſique Actio non reclamaret ] cum Anguillario Dioſcoridis Lepidion concluderet.

*erba pe-ra.*

Piperitis Neotericorum ſeu quorundam ſilueſtris Raphanus, Gall. *Paſſerage*, Germ. pfefferkraut / Belg. peper cruyt/ Videtur Lepidium Pauli & Plinii, non item Dioſcoridis: Non eſt etiam Piperitis Plinii, licet interdū ita vocetur.

*phanus u.*
*on eſt pi ritis Plin.*

Lobel. & Pena in Adu. meritò tuentur Ruellium aduerſus Matthiolum cap. proprio de Lepidio, dicentes: Piperitis, Galliæ plebi *paſſerage*, Pauli etiamque Plinii Iberidis ſiue Lepidii notas explet: futiliter Senenſis Barbaro & Ruellio inſultat quum lapſos dicit, vt putarint *Raphano* Italis dictum Lepidium eſſe: perſpicuè Ruellius hunc errorem detexit. Hodierna die vocatur Raphanus aggreſtis Officinis & mulierculis Belgis: Gallica plebecula etiam nomine Raphani ſylueſtris Piperitim ſeu Lepidium vocitat, vt monet Ruellius Matthiolum decipiens, neutiquam deceptus. Lobel. Icon. Plant. Raphanus ſylu. offic. & Lepidium Æginetæ vocatur: Idem ait & in Obſeru. vbi etiam Lepidium maius Cordi & Tragi nominatur.

*ell. & rbarus uſantur ſenſura atth.*

Hiſt. Lugdun. Lepidium Pauli & Plinii, Lepidium à Dioſc. prorſus diuerſum. Lepidium Pauli & Plinii primum, ſiue maius, à Recentioribus Piperitis nuncupatum.

C. Bauh. Phyt. Lepidium 1. ſiue latifolium.

Hort. Luſit. Lepidium Pauli Ægin. & Piperitis cùm Brunfelſio, tum ( non eſt autem Piperitis Plenii acerrimo guſtu linguam vellicante ) ab Offic. Raphanus ſylu. [ non ille quidem de quo poſt ſatiuum diximus, neque Raphanus ruſticus ] ſed qui à Gall. *Paſſerage* nominatur.

Lepidium ſiue Piperitis Geneuæ in hortis copioſè prouenit & ſerpit admodum: in horto meo pulchrè, denique tota hieme virebat, florebat menſe Iunio. Spontè prouenit apud fluuium Monſpelii. Lugduni, Baſileæ, & Montbelgardi in hortis meis & aliorem florens Iunio & Iulio, ſuo reptatu in areis infeſta hortulanis, Patauii in horto Muſati, vidi & Ferrariæ in Cœuobio S. Dominici à L'angeli.

## LEPIDIVM NON REPENS.

RAdix fibrata, ex qua *folia* oriuntur primùm palmaria & ſeſquipalmaria, anguſtiore principio, penes pediculum ſextantalem aut quadrantalem, ſenſim dilatata ad ternas circiter





vncias, ſenſim denuò in obtuſum mucronem deſinentia, nullis per ambitum crenis dentata, ſapore Lepidii Pauli feruido.

Icones noſtræ duæ ex Guarinianis nobis videntur mediocriter exprimere Lepidium non repens.

Lobel. Obſ. & Plant. Icon. Lepidium annuum.

C.B. Phyt. Lepidium 2. ſiue Glaſtifolium.

Lepidium non repens aliquando annuam plātam exiſtimaui, quia ſæpiùs in Horto Ill. E. C. hieme periit ſemine deciduo ſpōtè iterū proueniens, tandem comperi etiam hiemem perferre poſſe. Idem vidi Argentinæ pulchrè virens Octobri in horto Friderici Meyeri.

*Locus & tempus*

*Lepidio Pauli aliquatenus ſimilis.*

Per lignoſos *ramos*, inæquales, buxeos, variè diuaricatos, *folia* Ocymi foliis reſpondentia, acuminata, hirſuta, ſapore acriuſculo: *flores* extremis ramulorum confertim congeſti.

*Deſcriptio*

## DENTILLARIA RONDELETII.



*Deſcriptio*

S*tolones* multos, ſeſquicubitales emittit, ſtriatos, nigricantes, in alternos ramos crebrò diductos: *folia* pinnis caulem cōplectuntur, glabra, atrouirentia, feruidi ſaporis, Conyzę foliis paria, per extremos ramulos multis numeris minora: *flores* cacuminibus hærent

aceruatim congeſti, oblongi purpurei, calyce hirſuto. *Semina* magna, nigra, acria.

Geſner hort. Dentelaria Monſpelii dicta, & alio nomine Flammula: An de hac loquitur etiam Geſnerus in fine hiſt. Cordi cap. de Chamæneriis? Cluſ. Hiſp. Antonii Nebriſſenſis Lepidium. Quorundam Molybdena, hoc eſt, Plumbago Plinii putata, vulgò Herba S. Antonii dicta. Narbonenſium ſuo tempore Dentilaria appellata, Granarienſi vulgi *Beleza*. Lob. & Penæ Adu. Obſ. & Icon. Plant. Dentaria vel Dentillaria Rondeletii & Narbonenſium: Æginetæ Lepidium itidem putatum: Molybdæna Plinii. Cæſalp. Iſatis ſyluestris Herba S. Anthonii. Camer. hort. Molybdena ſeu Plumbago Plinii, Dentilaria Rondeletii: Romæ, herba S. Antoni, Italis *Crepanella*, In Illyria *Cucurida*. Tabern. Ic. & Hiſt. Plumbago quorundam, Rockkraut / waſſer pfeffer / cui plantæ non conueniunt nomina Germanica. Clariſſ. Vir. D. Vlyſſes Aldroandus, cùm Bononiæ eſſem, vocabat Plumbaginem Plinii. C. Bauhin. Phyt. Lepidium 3. ſeu Dentillaria.

Sunt 28. anni, quum ſtirpis huius (cuius tum florum & fructus accuratam picturam à me deſiderabat, méque adhortabatur vt gnauiter in hocce Herbario pergerem, ſicut & ipſe in ſuo faciebat, addens bonam eſſe inter mortales eiuſmodi contentionem) deſcriptionem cum ipſa planta miſi D. Geſnero nomine Dentilariæ Rondeletii, vti tunc vocabant Monſpelii, vbi florentem obſeruabam menſe Septembri. Vidi præterea circa Arelatam, & vno circiter miliari ab Auenione, iuxta caſtellum Papæ. Lugduni habebam in horto. Mihi etiam viſa Baſileæ in horto inſigni D. D. Fœlicis Plateri, vnde tranſtuli in Hortum Ill. E. C.

Vires — Herba acris. Radix ad dentium dolorem commendatur.

## COCHLEARIA.

### Cap. IX.



Deſcriptio — Cochleariæ *radix* ſubeſt craſſiuſcula, recta, cui adnatæ fibræ aliquot longæ, albæ, à qua ſtatim oriuntur *folia* multa, pediculis ſecundum terram purpurantibus, duas vncias longis, craſſa, ſucculenta, modicè in cochlearis ferè modum caua, ſaturato virore prædita, ſupina parte profundo neruorum diſcurſu ſulcata, rotunda, aliàs angulosa: at quæ in caulibus naſcuntur, oris reflexis magis ſunt laciniata, longioráque & ſine pediculis, gemina ala, libera tamen caulem amplectentia: *caules* à radice plures, anguloſi, ſubpurpurei, in ramulos ſubdiuiſi, dodrantales & minores, maiores verò cùm ſemen proferunt: *flores* multi, candidi, quaternis foliolis conſtantes, multiſque ſtaminulis croceis cũ ſtilo viridi: ſuccedit in *ſiliquis ſemen*. Totius plantæ ſapor acris, Naſturtium reſipiens, ſicut & odor.

Dodon. gall. cuius figura non placet, Latinè Cochlearium vocat, Germ. Löffelkraut: Gall. *Herbe aux cueilliers*: Belg. lepelcruyt. — *Cochlearia*

Britannicam veram, Britannicam Plinii, Scimus, inquiunt Lobel. & Pena in Adu. viſam eſſe Herbam Cochlearis, verùm neutiquam Plinianæ deſcriptioni congruit. Lobel. Obſ. Cochlearia Batava: Telephium Lacunæ, Thlaſpis & Naſturtiis affinis. Icon. Pl. Cochlearia Batava.

Geſner. hort. Cochlearia, vt & Io. VVierq, quam Telephium aut Britannicam eſſe negat.

De hac Hadr. Iun. in nomencl. rei herbariæ: Britannica Plinii, Herba Batauiæ peculiaris: quam Friſios monſtraſſe Romanis militibus tradit, vt putat, quòd confines Oceano Britanniæ velut propinquæ eius nomen dedicauerint: in quo linguæ imperitia falſum puto, quum vocis originem referendam exiſtimem ad Breitten / ita dicuntur cæſpites è quibus aggerum moles aduerſus maris impetum ſurgunt, in quibus copioſè prouenit. — Britannica

Hodie Cochleariam indigitamus, quòd in oblongis foliis extremitas in Cochlearii formam rotundetur. Hollandi inde lepelcruyt / & lepelbladen appellant. Non deſunt qui Telephii nomine eam deſignari malunt. — *Plin. not.* *Cochlearia* *Telephium quibuſdam*

C. Bauh. Phyt. Cochlearia folio ſubrotundo.

Marcus Hirſcherus in theſ. Cochleariam duplicem facit Britannicam & Batauam.

Cochleariæ ſemen accepi anno 1590. à fratre Caſparo Bauhino, quod Autumno ſatum & hyeme repoſitum in cella pulchrè virens remanſit, & Maio cœpit florere, folia ſimilia primis foliis Barbareæ: remanet in horto, hiemem profert & quotannis ſe ſemine deciduo propagat, & primo Vere caulem producit, florens Martio & Aprili in horto Ill. E. C. Montbelgardi. — Locus & tempus.

Cæterùm facultatem habet, teſte Dodonæo, calidam euidenter & ſiccam, virenti Naſturtio ſapore & qualitate perſimilem. Malo quod Scorbuch Germania nuncupat, efficaciter medetur, in lacte aut vino decocta, & aliquot continuis diebus epota. Tales plantarum ſpecies in quaque regione à Deo creantur, quales hominibus & animalibus ibidem natis maximè cõueniunt. Quod oculatus teſtis multis documentis monſtrare poſſem, inquit Solenander. Imò tam confidenter hoc nixus comperimento ſæpenumerò probaui, ex plantarum naſcentium frequẽtia me ferè animaduertere poſſe, quibus morbis popularibus, nimirum ἐνδημίοις, quælibet Regio ſubiecta ſit. Obſeruamus hoc ipſum apud Danos, Phryſios, Hollandos: quibus Scorbutus dictus morbus frequens, iſtius quaſi proprium medicamentum, Cochleariam ſcilicet, copioſè prouenire. — *Scorbutus.* *Cochlearia*

*Cochlearia minima.*

Domin⁹ Hochſteter Medic⁹ oſtẽdit mihi Pfortzhemiæ in horto Dj. Soceri Grüningeri Pharmacopœi Cochleariæ genus paruum, florens cum ſiliquis menſis Maii 20. anno 1595. quod dicebat ſibi miſſum nomine Britannicæ, ac diuerſum putabat. — *Britannica*

tabat à præcedenti genere: folia autem non multò maiora quàm in Alſine vulgari proferebat.

## PIPER INDICVM, SIVE CAlecuticum, ſiue Piper Siliquaſtrum.

### CAP. X.

*Piper Calecuticum, ſiue Capſicum oblongius.*



*Capſicum ſiliqua latiore & rotundiore.*



Deſcriptio

PIper Indicum ſiliquoſum *caulem* profert ſingularē pedalem aut cubitalem, anguloſum, hirſutum, ſolidum, cæterà virentem ſaturatiùs, eâ dūtaxat parte quâ folia oriuntur rubentem: exeunt autem *folia* è dimidiatis geniculis, Perſicariæ latiora, acuminata, atrouirētia, aut ex viridi in flauum vergentia, craſſiuſcula glabra, nerno ſecundum longitudinem decurrente, à quo ad margines obliquæ venæ deriuantur, pediculo vnciam vnam aut duas longo appenſa: ex horum alis *ramuli* propagantur, foliis conſimilibus ornati: *flores* verò tum ex foliorum alis, tum ad ramorum diuaricationes pediculo longiori, canaliculato, ſaturatâ rubedine tincto, deorſum contorto, inſident exalbidi, ſeptenis foliis ſtriatis conſtantes, medium occupantibus violaceis apicibus, totum autem florem in ea parte amplectente *calyculo* viridi in mucrones aliquot acuminato. *Siliquæ* ſuccedunt, nunc longæ corniculorum inſtar habentes, vel rectæ, vel incurnæ: nunc breues & contractæ, per maturitatem punicantes, vel atrorubentes, nitidæ: *ſemen* copioſiſſimum continentes compreſſum, rotundum, foluum. *Radix* breuis nec caule craſſior, numeroſiſſimas à lateribus fibras circumquaque ſpargens: nulla eſt plantæ pars quæ acrimoniâ non ſit prædita, ſed præter reliquas indomitus eſt ſeminum & ſiliquarum feruor vrentiſſimus.

Siliquaſtrum, Fuchſii ſententiâ, conuenientiſſimo nomine à Plinio lib.20.cap.17. dicta eſt herba hæc, à ſiliquis nimirum magnis & oblongis quas producit.

Eadem etiam ab eodem Piperitis, quòd ſemen eius guſtatum Piperis ſaporem & acrimoniam præ ſe ferat, nominatur. Alia tamen eſt ab ea quam vulgò Piperitim appellant, vt monuimus. Sunt qui Piper Hiſpanum, alii Piper Indianum, nonnulli etiam Piper *Chalechut* vocant & Breſilicum. Auicennæ zingiber caninum Fuchſio, Trago, atque aliis videtur eſſe: Dodonæo Actuarii Capſicum, fortè quòd ſemen comeſtum mordeat, à κάπτω mordeo. Siliquaſtrum autem Plinii eſſe, herbam cuius picturam damus, vel inde conſtat, quòd Plinius Caſtore Siliquaſtrum demonſtret, caule rubro & longo, denſis geniculis, foliis Lauri: ſemine albo, tenui, guſtu Piperis. Et alio in loco: Panax Piperis ſaporem reddit, & magis etiam Siliquaſtrum, ob id Piperitidis nomine accepto. *Piperitis Vulgo.*

Hanc Piperitidem cum Fuchſio in quatuor diſtinguimus genera: In Piper ſcilicet Calecuticum nigrum & rubrum, ſeu maius & minus. Præter quæ, alia ſunt bina, quorum primum, maioris diſcriminis gratia, Piper Calecuticum ſiue Capſicum oblongius; alterum Capſicum ſiliquâ latiore & rotundiore inſcribimus. Alii alias differentias notant in ſiliquis, ratione formæ & coloris. Formæ quidem, quæ tum longa, eaque vel craſſa, vel gracilis & incuruata: tum breuis, eaque lata, vel rotunda, & denique (vt prodit Camer. hort.) piloſo caule, pilis albis prædito, latioribus foliis, fructu longo, plerumque in acuminatam longam appendicem deſinente, flore quoque quàm in aliis maiore: Color aliis initiò niger, aliis viridis, in maturitate autem, aut croceus aut rubicundus. Cætera in his omnibus non valdè diſſimilia ſunt.

Monard.ex verſ. Cluſ. Axis ſeu Capſicum (-ri verſ.Ital. Axies aut *Pepe d'India*,) Piper Indicum (Americum potiùs Cluſ.cuius omnia genera aliquandò vidit colore flaueſcente,) folio viridi, Ocymo latifolio ſimili, flore albo; fructu diuerſæ formæ, oblongo, rotundo, Melopeponis formâ aut Ceraſiorum.

Credidit cum Ruellio Geſnerus id omnino eſſe Mauritanorum Cardamomum vel Cardumenum maius, quod nos Piper Indicum appellamus, atteſtante Matthiolo (pertinaciter nobis contrariāte Lacuna,) cùm nec ſit Serapionis, nec Auicennæ Cardamomum.

Matth. German. Piper Indicum ſiue Calecuticum: ſiliquâ vnâ digitum longa: rotundâ alterâ.

Camer. ad Hiſt. & Epit. Matth. duæ figuræ: priori titulus Siliquaſtrum ſiue Piper Indicum, alteri, Siliquaſtri varietas triplex.

Apud Cordum, qui Peperitim, ſiue ſiliquaſtrum Peruuianum cognominat, eſt annotatum, eſſe Capſico fortè, aut Cardamomo Arabico cognatam plantam. Ibidem Geſner. ex Trago figuram appoſuit.

Idem Geſnerus paſſim, Capſicon recentiorum Græcorū, Piper rubrum, Piper Indicum, & Cardamomum Arabum, eius opinio, vel aſſerente Cluſio, ſufficienter refutatur à Matthiolo.

Lobel. & Penæ Adu. Capſicum Actuarii, ſiue Caninum 22. Auicennę, Calcuticum Piper recen-

ribus. Lob. Obſ. vnam habet figuram hoc tit. Capſicum [Tab.Ic.Siliquaſtrum,] Piper Indicum: & alteram, Capſicum breuioribus ſiliquis. Et poſtea Capſicum, Piper Indicum longioribus ſiliquis: Piperitis Cordi. Siliquaſtrum Plinii & Tragi: perperàm longum Dioſcoridis. Icon. Plāt. Capſicum Actuarii, ſiue Caninum Zingiber Auicennæ Calecuticum Piper, ſiue Piper Indicum longioribus ſiliquis.

Nomina linguar. Caſp.Bauh.Phyt. Capſicum 1. ſiue ſiliquis longis recuruis. Capſicum 2. ſiue ſiliquis oblongis. Capſicum 3. ſiue piloſo caule. Capſicum 4. ſiue ſiliquis latis, cordatis.

Piper Indicum, Calecuticum, Braſilianum, Americum, ſiue Capſicum καὶ ψιχον, Siliquaſtrum Plinii, & Piperitis: Germ. Indianiſcher oder Calecutiſcher pfeffer / Schottenpfeffer / Perſiſchen pfeffer: Belg. Breſilie peper. Gall. *Poiure d'Inde, & Poiure d'eſpagne, & de Breſil.* Ital. *Pepe d'India.* Boh. pepe Judyanſky aut Tureckỳ.

Locus & Tempus. Piper Indicum ſiue Calecuticum, ſiue Piper ſiliquaſtrum vidi Baſileæ in hortis menſe Nouēbri cum pulchris longis ſiliquis: Geneuæ etiam. Montbelgardi in Horto E.C. prouenit mihi cum fructu magno longo, & cum fructu magno breui.

Capſicum hoc ſeu Piper Indicum diligentiſſimè colitur tota Caſtella cùm ab Hortulanis, tum à mulieribus in ædium ſuarum penſilibus hortis. Meminit etiam videre Cluſ. anno 1586. maxima copia cultum in ſuburbanis Brunnæ vrbis celebris in Morauia, quo cultores non contemnendum quæſtum faciunt: eſt enim apud vulgus frequenti in vſu. Sed & hæc omnia genera aliquādo vidit colore flaueſcente in Luſitania, monaſterio quodam circa Olyſiponem.

Vires & Vſus. Vtuntur eo tota Caſtellâ per totum annum cùm virente, tum ſicco pro condimento & Pipere. Valenter excalfacit atque deſiccat, inquit Fuchſius, id quod ſeminis inſignis acrimonia, & foliorum amaritudo euidentiſſimè monſtrant, vt certè non temerè plerique hoc ſemine loco veri Piperis vtantur, vt quod eaſdem facultates haud dubiè habeat. Dodonæus hoc Piper Indicum calidum ſiccúmque eſſe ordine tertio, eadémque quæ Fuchſius de eius viribus tradit, quibus addit eos cibos quibus miſcetur, croceo colore infici, ventriculum excalefieri, ciborum coctionem promoueri, ſtrumas, cæteráque œdemata diſcuti, eodem cum melle illito maculas faciei lentiginéſque deleri, frequentem tamen eius vſum noxium eſſe, quòd malefica quædam vis eáque occultà præditum ſit, quà canes, ſi id comederint, interimit. Piperitis, inquit Plinius, quam & Siliquaſtrum appellamus, contra morbos comitiales bibitur: vtilis gingiuis, dentibus, oris ſuauitati & ructibus. Auicenna Zinzibet caninum, canes interficere ſcribit: calidum eſſe ordine ſecundo, ſiccum primo, recens cum ſemine tritum cutis & faciei maculas lentéſque abſtergere, duros tumores digerere. Particulatim conciſum (inquit Monard.) & iuſculo maceratum, meliorem ſaporem eduliis conciliat, quàm Piper vulgare: ideóque eius vſus eſt in omnibus in quibus aromata ex Moluccis inſulis & Calecutio delata commendantur: in eo ſolùm differens, quòd illa multis aureis emuntur, hoc ſola ſatione adquiritur: nam in vna planta colliguntur aromata in totius anni vſum, minore diſpendio, & maiore commodo. Flatus diſcutit, vtile pectori & perfrictionibus, calefacítque & roborat partes internas. Caliditatis & ſiccitatis in quarto ferè gradu particeps, ſiliquarum decoctum ritè paratum aquas hydropicorum educit. Indi nonnulli vnguentum quoddam ad confirmandos dentes conficiunt ex vnionum feracibus conchis & huius plantæ foliis crematis vnà, & aqua maceratis, donec calcis candorem referant. Eo illitos dentes aterrimos reddunt, ſimúlque abſque dolore ſemper conſeruant, vt tradit apud Camer. hort. Benzo Mediolanenſis lib.1.c.3. hiſtoriæ noui Orbis.

## PIPER SILIQVA PARVA BRASILIANVM



Deſcriptio. FRuticoſum hoc Capſici genus, obſeruatum à Cluſio apud Monardem, cubitalibus *ramis*, virentibus, *foliis* hortenſis Solani ferè, aliquantulùm anguſtioribus: *flore* candido, exiguo, vt Solani hortenſis, fructu in longis pediculis paruo, per initia viridi, deinde nigricante, vbi maturuit, rubro, continente multa *ſemina* latiuſcula alterius Capſici modo, tam feruidi guſtus, vt fauces aliquot dies incendat guſtatum.

Idem eodum loco figuram exhibet, cui titulum fecit, Capſicum Braſilianum, atque hoc Luſitanos vocare *Pimienta de Breſil*, hoc eſt, Piper Braſilianum.

Lobel. & Penæ Aduerſ. Capſici varietas, multò breuiores, rotundas, turbinatas, eodem ſemine prægnantes, Auguſto & Septembri maturans ſiliquas.

Lob. Obſ. Capſicum breuioribus ſiliquis. Pl. Icon. Capſicum, Piper Indicum breuioribus ſiliquis.

Matthiol. Hiſt. Germ. lib.2. cap.87. Piper Indicum paruum & rotundum.

Hiſt. Lugd. Capſicum Braſilianum Cluſii.

C.Bauh. Phyt. Capſicum 5. ſiue ſiliquis rotundis Ceraſi formà, aliquando latioribus, aliquando anguſtioribus eſt foliis, hoc pingit Tabern. Ic. pag.859. Siliquaſtri rotundi anguſtifolii nomine. Hocque plerumque ſurrectis eſt cauliculis.

Locus & Tempus. In nonnullis Luſitaniæ locis floret, & fructū profert toto Autumno, & in calidioribus regionibus etiam hyeme. In Braſilia abundanter, multiplicíque in vſu eſſe intelligebat deſcriptionis auctor.

*Piper ſiliquoſum magnitudinis baccarum Aſparagi.*

Deſcriptio. Parua ſunt *grana*, Aſparagi vix maiora, ſed oblonga, quippe ouata, cuticulâ contecta miniata, ſplendēte, vti Pſeudocapſici fructus. Intus penitus *ſeminibus* ſcatet oblongis, flauis, compreſſis, per ambitum anguloſis, quæ ſi vel linguæ adhi-

beas

beas quemadmodum & ipſas baccas tritas aut diſcerptas, mitum quàm inſigni acredine eam adoriautur ac vellicent. Sanè Pſeudo-capſici aliquod genus nouum & peculiare eſſe facilè crediderimus. Thomas Plarerus Medicus perdoctus, attulit nobis ex Hiſpania, aliaque permulta exoticæ elegantiæ cauſa gratiſſima, ſeuimus Montbelg. in horro Ill. C. Wirt. quem curamus excolendum.

*Piperis Indici paruum genus ſiliquis oblongis.*

Baſileæ in horto D.D. Fœlicis Plateri, menſe Nouembri obſeruaui cum flore & ſiliquis penè maturis paruum genus Piperis Indici ſiue Capſici, cui *folia* ſimilia Alſine maiori, non multò longiora vnciâ digiti, ſi pediculum demas ſubrotunda, *ſiliquæ* paruæ eiuſdem longitudinis.

Deſcriptio

Idem eſt vt exiſtimamus, cuius accepimus ſiliquas rubras à D. Friderico Meyer, cui titulus, Piper ſurrectum minus, quod repoſitum in Hypocauſto hoc anno 1605. durat cùm frugis ſpe.

## ANIL SIVE NIL INDORVM COLOR.

### Cap. XI.

Deſcriptio

ANil Arabibus Turcis, omnibuſque iis Nationibus dictum, vocatur in Guzarate vbi fit, *Gali*, nunc verò plæriſque *Nil*: Herba eſt, quæ ſeritur ſingulis annis, Ocymo ſimilis, eodemque modo colligitur, & ſiccata maceratur. Hanc deinde probe contuſam & in panes coactam, per aliquot dies ſiccandam exponunt: & ſiccata viridi colore prædita videtur: quoque magis exſiccatur, eò magis ad cæruleum tendit, donec tandem in cæruleum exſaturatum ſiue Venetum colorem euadat. Id Anil probatur quod maximè purum eſt, quodque vſtum arenæ modo non remanet, ſed in tenuiſſimam farinam diffunditur. Alii id præferunt, quod in aquam coniectum fluitat; Lene igitur eſſe debet & benè coloratum.

*Fragoſus reprehenſ.*

Pro Ocymo Mangiticam habet auctor [Garcias,] inquit Cluſius, quod vocabulum quotquor Luſitanos conſului Baſilicum ſeu Ocymum interpretari ſunt. At mihi iniqua admodum iſta compatatio videtur, ſiquidem non ſolemus ex Ocymo paſtillos conficere, ſed potiùs ex Iſatide quæ huius plantæ deſcriptione multò elegantiùs quadrat. Sed hîc Fragoſi inſcitiam mirari licet qui in Rhapſodia ſua (quam ex Orta meaque in eũ annotatiuncula, tum etiã ex Monarde, maxima ex parte contexuit, malignè ſuppreſſo omnium nomine) nugarur me velle Mangiricam eandem plantam eſſe cum Iſatide, quam exiſtimo pluribus notis cum Anil Garciæ deſcripto potiùs conuenire, quàm Ocymum, cuius fol is ſuum Anil depingit. Sed an quæſo Anil quod ſic calumniator poſtea deſcribit, quodque in Occidentali India coli aſſerit, cum Ocymo peculiare quidquam habet? Imò ipſum nihil niſi Iſatidem deſcribere, vel mediocriter in re herbaria verſatus facilè iudicabit.

*Loci.*

Coſtæ Ital. Anil Arabum, Turcarum quorundam mercatorum Nil, Herba; ex qua fit color cæruleus.

Camer. Hort Nil ſiue Anil egregia planta ex qua fit Indicum.

C.Bauh. apud Matth. & Phyt. Iſatis 4. ſiuè Indica.

Herba eſt in Inſula Iaua, ait Linſchot. de hac verba faciens, quam Indi *Enger* vocant, ex qua ſuum Anil parant. Creſcit ea in locis ſylueſtribus ſine omni cultura. Eadem contuſâ Bombabacem quoque ringunt. Folia habet ea herba Roſmarini ſimilia, ſed non tam longo eſt virgulto, ſurrecto interim velut Thymi.

Nos Hiſt. noſt. l. 11. arborem quandam foliis Coluteæ, nomine Anil exibuimus. Anil nomine miſſa planta Cluſio eſt Seſbam Alpini de qua libr. eodem.

*Appendix ad Caput vltimum Libri XXI.*

Cùm per loci anguſtiam nobis inibi non licuerit Iſatidis abſoluere hiſtoriam, quędam & hic de ea ſubſtituimus: nec abs re, cùm etiam cum *Anil* aliqua ſit illi conuenientia, & hic liber præcedentis ſit velut Appendix.

Præter igitur vires quas ex Dioſcoride tradidimus, quædam ex Plinio, Galeno, & aliis ſubſtituemus.

Glaſtum, inquit Plinius, ſanguinem ſiſtit: phagedænas & putreſcentia vlcera quæ ſerpunt ſanat: item tumores ante ſuppurationem. Contra ignem ſactum radice vel foliis prodeſt, vel ad henes potum. Simile Glaſtum, inquit Plin in Gallia vocatur, quo Britanorum coniuges, nuruſque toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris & nudæ incedebant, Aethiopum colorem imitantes.

Omnes verò, Cæſar air, ſe Britanni Glaſto inficiunt, quòd cæruleum efficiat colorem, vt ea ratione truculentiores viſu, & aſpectu formidabiliores & horridiores hoſti ſeſe ingerant in prœliis: Propterea Martialis cæruleos Britannos indubiè dixit, ait:

*Claudia cæruleis cùm ſit Rufina Britannis*
*Edita.*

Horat. Epodon. 16.

*Nec fera cærulea domuit Germania pube.*

Cæruleam vocari dicunr interpretes, ob cœruleum oculorum colorem, omnibus ferè Germanis communem.

*Turpis Romano Belgicus ore color.*

Antiquos verò Germanos herba Glaſca ad tingendos crines vſos fuiſſe prodidit Ouid. de arte.

*Fœmina caniciem Germanis Inficit herbis,*
*Et melior verâ, quæritur arte dolus.*

Iſatis ſatiua Galeno, quâ vtuntur Tinctores, facultatis eſt valenter exſiccãtis, nondum tamen mordentis. Eſt enim ſimul amara, atque adſtringens: proinde magna vulnera corporum durorum glutinat, etiamſi in capitibus muſculorum fuerint, vel ſanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter illinitur: tumores œdematodeis mirificè digerit, ſimul ac reprimit, & aduerſus omnia vlcera maligna, & cacoëthe mirabiliter reſiſtit, etiamſi putreſcant, exedantur ac erodantur. At ſi nonnunquam pro ægri natura valentior appareat, foliis eius tritis miſcere, aut panẽ, aut hordeaceam farinã, aut triticũ, aut polentam, pro vincente nimirum in vno quoque affectu. At Iſatis ſylueſtris manifeſtè iam acre quiddam tum guſtu, tum affectu profert. Valentiùs enim quàm ſatiua ſiccat, valentiuſque humidis etiam putredinibus reſiſtit, ad cætera iam dicta deterior, quoniam moderatiùs & minùs mordaciter ſiccat. Vlcera namque talia

irritantur his remediis, & phlegmone inflammātur. Cæterùm ob potentiorem facultatem lienoſis quoque vtilis fuerit, cùm altera imbecillior tantùm prodeſſe non poſſit.

Fernelius Meth.med. lib.7. Glaſtum ponit in ſuo Emplaſtro ad Herniam.

Vtramque Iſatin vino decoctam & potam iecinoroſis vtilem eſſe ſcribit Tragus, ita tamen vt ſimul extrinſecus decocto foueatur Hepar.

Quo.a. anno Glaſtum primùm terræ mādatur, præſertim ſi tempeſtiuus ſequatur imber, quater exſcinditur, ſarculo duobus digitis ſub terra adacto, quo tempore foliis naſcitur Plantagini ſimilibus, partim ſupra terram nonnihil extantibus, partim humi procumbentibus. Anno deinde proximo Triticum eidem agro mandatur, qui Glaſtum aluit, non enim Glaſti prouentu is emaciatur, ſed lætificatur potiùs: & ex radicibus quas firmas & altiùs impactas aratri culter nequit proſcindere, ac extirpare, cum ſegete pullulant Glaſti caules, qui in alteram ſectionem ſemen præbent, maioris quàm Triticum pretii.
*Hæc illis ſubiicienda quæ ante de eius Satione dicta ſunt.*

Paſtillos è Glaſto hac ratione fieri teſtatur Carol. Steph. Decerpta folia in piſtrino ſubigūtur, preſſa inuertuntur, & ſeorſim in vaſe collocantur, inclinato, vt ſanies effluat: denuò eadem molæ ſubduntur, & tum demum in globos digeruntur viginti aut 24. vncias pendentes, in Sole, aut ſi id per aëris inclementiam non licet, in clibano ſiccandos: hoſce globos quidam in diem D.Martino ſacrum in horreis aſſeruant, poſt in puluerem redigunt, & in aceruos aggerunt: quoniam verò ſæpenumerò acerui calorem concipiunt, ſæpiùs commouendi erunt, & recenti aquâ affusâ quantùm opus videbitur, probè humectandi: vt enim nimiâ aquæ proluuie ſubmergūtur, ita viciſſim parciùs affusâ aquâ comburūtur: his igitur factis, iidem illi pulueris Iſatidis acerui in longas porcas digerendi, & quarto aut ſexto quoque die inuertendi, quoad probè refrixerint, extráque omnem concipiendi caloris metum fuerint poſiti: quâ in re ſumma eſt adhibenda diligentia, alioqui ſi incaluerit Iſatis viribus exuitur: atque hæc quidem omnia poſtquam executus fueris, in arcam rectè pauitam inferes, quoad vendendi tempus ſeſe offerat, quo autem diutiùs in aceruos aggeſta fuerit Iſatis, euadit præſtantior. Tholoſates autem, quorum ager vberem Iſatidis prouentum reddit, non cōſueuerunt globos in puluerem redigere, ſed folia in dolium capacius coniecta prælo ſubiiciunt, vt ſaniem herbaceam excludant: ex relicto magmate globos cogunt, Solíque exponunt æſtiuo ſiccandos: ex quibus in cortinas coniectis Lanæ cæruleum colorem ſaturatiorem dilutiorémue pro Infectoris arbitrio imbibunt.

Alium modum conficiendi paſtillos tradit H. Lugd. his verbis: Exciſa folia & in aceruos congeſta poſt biduum aut triduum, in rotundo pauimento, quadratis ſtrato lapidibus, dētatæ molæ ligneæ ſubduntur, quam oculis pāno tectis verſat equus: Sequitur equum circumeuntem villicus, qui palâ herbam à mola diſſectam in lapides referat, & conuertat, vt à prætereunte denuò molâ frangatur. Vbi ſatis obtritum Glaſtum videtur, ruſtici manibus comprimentes, ſanies ſuccoſa vt eliciatur, quæ principiò nigra attamenti ferè modo, in cæruleum pòſt colorem abit, globos ex herba tuſa conficiunt, quantùm capere & amplecti vtraque manu poſſunt, & eos partim inſolatu, ſi cœlum ſudum eſt, ſiccant, propè molam, & arcam vicinam: partim, ſi pluit, aut obſtat tempeſtas humidior, in perticis ſub tecto ædibus ruſticorum affixis, & ad Orientem vel Septentrionem verſis, ordine diſpoſitos, quos duratos & exiccatos condunt ſaccis, & ad vſum eius tincturæ ſeruant, quæ nigro colore pannos inficit. Semine Glaſti manſo, vel aliâs trito, & ſaliua vel alio liquore madido, apparet ſtatim color è cæruleo purpuraſcens quo indigenæ manicarū coriū nondū ſordidū tingunt. Eſt enim illis vt & olim Britannis, gratiſſimus eius coloris aſpectus. Cæruleam ſpumam innatantem, quam igni ferueſcentes eructant cortinæ, *Indum* noſtri vocant Infectores, & ad pictorum vſus ſiccant.

*FINIS LIBRI VIGESIMI SECVNDI.*

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

## MOLLIENTES ET HOLERACEÆ PLERÆQVE.

*MEnſaria & culinaria beneficia in vnam claſſem cogere haut ſinit Botanicus noſter ordo. Congenerum & aſſinium ſocietatem à formæ & fructus ſimilitudine æſtimamus. Dictæ ſunt multæ holeraceæ in præcedentibus. Dicentur & plures inſequentibus. Aſt hoc libro Maluaceas & his quodammodò ſimiles, certè pleraſquè holeraceas, aut non valdè ab iis alienas enarrabimus. Vbique ſtudioſis Rhizotomis conſultum volumus. Si quis meliùs digerere poſsit, faciat.*

### DE MALVA SIVE MALACHE VETERIBVS, & in Genere.

### CAPVT. I.

MALVA [ de herba, non de arbore nobis ſermo eſt] ex opinione Theophraſti, in altum ſe attollit, atque menſibus ſenis, aut ſeptenis in arborem tranſit, ita, vt longitudine, craſſitudinéque haſtæ inſtar grandeſcens, commodè ad vſum baculi veniat: tempore verò longiori exacto pro ratione magis quoque incrementa capeſſit. Alibi de Malua inquit: Annuo caule conſtat, inter olera non niſi cocta manditur: Maluæ folia à Sole atque Sideribus affici ſentiuntur. Aſſiduè namque circumaguntur cum Sole, ſeque eódem inclinant, quò Sol perfertur. Cauſa verò in detractione humoris eſt: Eódem namque inclinantur, quò Sol humorem ferueſaciens prouocauerit.

Lucius Columella idem hexametro hoc teſtatur.

*Et Moloche prono ſequitur quæ vertice Solem.*

Quo loco obſeruandum eſt, cùm dicit Maluam Solem ſequi, id in minori Malua maximè videri. De ſilueſtri ait, à Medicis Althæam vocari: Theodorus Hibiſcum vocat, de qua infrà dicemus.

Dioſcorides Maluam ſatiuam [ χερσαίαν] recenſet inter olera, Malachen [μαλαχην] vocans, ad cibum magis idoneam, quàm ſilueſtrem. Sed neutram deſcribit, tanquam notiſſimam.

Apud Plinium non vnum ſatiui genus, ſed duo eſſe traduntur, totidemque ſilueſtris: hæc amplitudine foliis diſcernuntur. Maiorem Græci Malopem vocant in ſatiuis: alteram ab emolliendo ventre dictam putant Malachen. E ſilueſtribus, cui grande folium & radices albæ, Althæa vocatur ab excellentia effectus, à quibuſdam Ariſtalthæa: reliquum genus ſilueſtris non deſcribit. Ex his colligere licet noſtram vulgarem Maluam quamuis non colatur, in genere domeſticæ apud Antiquos extitiſſe: Alterum verò genus quod ſpectaculi gratia ſeritur in hortis, Malopen eſſe apud Plinium, quam videtur intelligere, cùm àlibi de Malua loquens inquit: in Arabia tradunt authores Maluas ſeptimo menſe arboreſcere, baculorum vſum præbere extemplò. *Malope*

Deprompta autem hæc ſunt ex Theophraſto, de ea quæ cultu arboreſcit. Ex Theophr. igitur colligimus, id quod apud nos ſeritur, ſatiuum alterum genus fuiſſe apud Antiquos. Quod verò Theophr. ſtatuit Maluam in arborem tranſire, hoc non concedimus, ſed omninò dicimus eſſe particulare genus, nec vnquam culturâ in arborem abire. Sume quam voles Maluam; cole, proceriorem quidem, at nunquam arboreſcentem, nec ſpecie à priſtina differentem efficies. *Theoph. refut.*

Galenus ſilueſtris & hortenſis quoque meminit, ac priuatim eius, quæ ἀναδενδρομαλάχη nuncupatur.

Sunt ergo Maluæ plura genera. Eſt enim Malua κηπευτὴ, id eſt, hortenſis; ſiue ſatiua: & Malua ſilueſtris, non quæ in ſiluis, aut aſperis locis, ſed quæ in incultis ſua ſponte naſcitur, quam χερσαίαν Dioſcorides vocat, quæ vox incultam & inelaboratam terram ſignificat, qualis in ſemitis, pratis, aliiſque huiuſcemodi ruris & agri partibus eſt. Et ſilueſtrem hanc Maluam, vulgarem hoc capite intelligimus, non Althæam, nec Alceam, de quibus poſtea dicemus. *Authores de Malua*

Differentiæ quoque multæ, ex florum figura & vario colore. Alia enim rubras, alia candidas, alia in purpura albicantes Roſas producit. Et has rurſus atque illas, vel multiplici foliorum te-

turâ conſtantes. Ex ipſis Maluæ foliis. Vna ſiquidem folio ſinuato, altera rotundo, nonnulla etiam criſpo cernitur. Vna rurſum altiùs attollitur, altera pumila eſt & humi iacet, de quibus poſthac agemus.

In genere omnis Malua à Græcis μαλάχη dicitur, à Lat. Malua, ab Arab. *Chubeze* ſeu *Chubas*: & ſemen illius *Bizeri Chubeiz*: Trago, Germ. papelen. Belg. Maluwe/ keeſkens cruyt: Gall. *Maulue*: Hiſp. *Maluas*, Angl. Mallow/ Boh. Slyz Hung. Malua.

Vt porrò Malua Latinis, quaſi Molua quòd aluum molliat, dicta eſt, auctore Varrone, ita Græcis μαλάχη ab emolliendo ventre, quia μαλάττειν mollire ſignificat.

Plinius maiorem à Græcis Molopen vocari in ſatiuis, alteram Malachen, ſcripſit. Athenæus μαλάχην Atticè dici, in multis autem Antiphanis & Epicharmi exemplaribus μολόχην per ο ſcriptum reperiri memoriæ prodidit.

*Vires & vſus* — *Aluum ſubducit*

Antiquos Maluis cæterorum olerum modo veſci ſolitos fuiſſe, ſubducendæ alui gratia, vel ex Theophr. conſtat. Vnde Martialis:

*Exoneraturas ventrem mihi villica Maluas:*
*Attulit, & varias quas habet hortus opes.* Et
*Veſcere lactucis, & mollibus vtere Maluis,*
*Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.*

*Ex Dioſc.*

Quare ſcripſit Dioſcorides, Malua ſatiua eſui longè aptior eſt ſilueſtri, ſtomacho aduerſatur, aluum iuuat, ſed multò magis caules: interaneis & veſicæ vtilis. Cruda folia cum ſalis exiguo manducata ægilopas ex melle ſanant: verùm cùm cicatricem trahere cœperint, eâ demum citra ſalem vtendum eſt. Contra aculeatos apum veſparúmque ictus illita efficax eſt: eadem cruda cum oleo trita perunctì non feriuntur: vlcera manantia in capite, furfuréſque cum vrina ſanat. Sacris ignibus ex ambuſtis decocta folia tritáque vtiliſſimè ex oleo imponuntur. Eius decoctum vuluas inſeſſione mollit: prodeſt eroſionibus veſicæ, & inteſtinorum, vuluæ, ſediſque, clyſtere infuſum. Ius decoctæ cum radice ſua contra omnia venena auxiliatur, ſi continuò à bibentibus reuomatur. Contra phalangiorum morſus remedio eſt. Lac euocat. Semen in vino potum, addito Loti ſilueſtris ſemine, veſicæ cruciatus lenit.

*Ex Galeno*

De hac perſpicuè diſſerit Galenus his verbis. Quemadmodum θριδακίνη, quæ Lactuca agreſtis eſt, ab hortenſi, ita Malua agreſtis à ſatiua diſfert. Plantæ enim congeneres eò inter ſe diſſident, quòd agreſtis quidem ſiccitate, ſatiua verò humiditate ſuperat. Porrò ſucco Maluæ lentor quidam ineſt, quod Lactucæ non ineſt, à refrigerandóque abeſt perſpicuè. Id quod etiam an equam edas intelliges, ſi vtrumque olus viciſſim calido alicui affectui, vt eryſipelati, cataplaſmatis modo applicueris, quòd etiam vulgò faciunt, tenera folia diligenter ad exactum læuorem conterentes. Senties enim in hoc cataplaſmate Lactucam quidem manifeſtè refrigerare: Maluam autem calorem quendam habere moderatum ac tepidum. Cæterùm hoc olus facilè ſubducitur, non modò propter humiditatem, verùm etiam propter lentorem, & potiſſimùm quando quis cum oleo & garo copioſam ipſam ſumpſerit. Nutrit autem & ipſa mediocriter. Et rurſus, Malua agreſtis digerentis paululùm & emollientis leniter eſt facultatis. Hortenſis quantò plus habet aqueæ humiditatis, tantò facultate imbecillior eſt, fructus eius tantò validior eſt, quantò & ſiccior. Porrò huius generis eſt quæ Dendromalache nuncupatur, ſed efficaciſſima comprehenſarum in digerendo.

*Vires ex Plinio.*

Plinius diffuſiùs virtutes Maluarum explicat. In magnis laudibus Malua eſt vtraque, inquit, & ſatiua & ſilueſtris. Omne ſolum in quo ſeruntur pinguius faciunt. Huic contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè Scorpionum, veſparum, ſimiliumque, & muris aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum perunctì antè, & habentes eas non feriuntur. Folium impoſitum Scorpionibus torporem adfert. Valent & contra venena. Aculeos omnes extrahunt illitæ crudæ cum nitro, potæ verò decoctæ cum radice ſua leporis marini venena reſtinguunt, & vt quidam dicunt, ſi vomatur. De iiſdem mira & alia traduntur. Sed maximè ſi quotidie quis ſucci ex qualibet earum ſorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. Vlcera manantia in capite ſanant cum vrina putrefactæ, lichenas & vlcera oris cum melle. Radix decocta furfures capitis, & dentium mobilitates. Eius quæ vnum caulem habet radice circa dentem qui doleat punge, donec deſinat dolor. Eadem ſtrumas & parotides panoſque, additâ hominis ſaliuâ purgat citra vulnus. Semen in vino nigro potum à pituita & nauſeis liberat. Radix mammarum vitiis occurrit, adalligata in lana nigra. Tuſſim in lacte cocta, & ſorbitionis modo ſumpta, quinis diebus emendat. Stomacho inutiles Sextius niger dicit, Olympias Thebana abortiuas eſſe cum adipe anſeris. Alii purgari fœminas foliis earum manus plenæ menſura, in oleo & vino ſumptis. Vtique conſtat parturientes foliis ſubſtratis celeriùs ſolui, protinus à partu reuocandum ne vulua ſequatur. Dant & ſuccum bibendum parturientibus ieiunis, in vino decocta hemina. Quin & ſemen eius adalligant brachio, genitale non continentium. Adeóque ex Veneri naſcuntur, vt ſemen vnicaulis aſperſum genitali fœminarum auiditates augere ad infinitum Xenocrates tradat. Item tres radices iuxta adalligatas teneſmo & dyſentericis vtiliſſimè infundi: Item ſedis vitiis, vel ſi foueantur. Melancholicis quoque ſuccus datur cyathis ternis tepidus, & inſanientibus quaternis. Decoctæ comitialibus heminæ ſucci. His & calculoſis; & inflatione, & torminibus, aut opiſthotonico laborantibus tepidus illinitur. Et ſacris ignibus, & ambuſtis decocta in oleum folia imponuntur, & ad vulnerum, impetus cruda cum pane. Succus decoctæ neruis prodeſt, & veſicæ, & inteſtinorum roſionibus. Vuluas & cibo & infuſione emollit in oleo: ſuccus decoctæ pori meatus ſuaues facit.

*Mira de eius facultate.*

*Ex Simeone Sethi.*

Scribit Simeon Sethi, Maluam ventriculum facilè ſubire, non ſolùm propter humiditatem, verùm etiam propter lentorem, atque imprimis ſi cum oleo & garo offeratur, vino quo editur tempore irrorata. Veſicam, thoracem, pulmonemque iuuare, & raucam vocem linire. Silueſtris Malua, vt ferunt, comeſta dolores ex veſparum ictu tollit. Si quis morſus à veſpis aut apibus, ſucco Maluæ præſertim ſilueſtris perungitur, confeſtim dolore leuatur: Dicitur etiam huius decoctum potum lapides conterere, ſomnum conciliare, facilémque partum præſtare, ſi mulier eâ crebriùs vtatur. Illita inflammationes lenit, & quę indurata ſunt mollit. Illud Maluæ peculiare eſt, vt veſparũ & apum ictibus impoſita, dolores leuet.

Maluæ herbæ nomine ſequentes inſignimus plantas. Vulgarem flore maiore & minore, ſeu folio ſinuato & rotundo. Maluam Stellatam: Maluam trimeſtrem cum vnguibus purpureis.

Malux ſpeciem Cobes. Maluam roſeam, ſiue hortenſem. Maluam Criſpam. Maluam arboream: de quibus ordine. Sed plures adhuc (de quibus ſuo loco) apud Botanicos Maluæ titulo habentur plantæ. Ait enim C.Bauhinus in Phyt. Altera Malache è ſilv. cui grande folium & radices albæ, Althæa vocatur. Sic Harch. in Euch. Althæam à Galeno Anadendromalachen [arboreſcentem Maluam] vocari teſtatur. Scribit Camer.hort. Paſtinacam (Germ. addo) agreſtem in pratis naſcentem, Malachen agriam dici.

Et Cæſalp. per Maluam caule altiori ferè ad Malopen accedentem, Althæam, quæ Sida cognominatur, intelligere videtur. Sed & Malua Theophraſti Tabernæ. & aliis nihil aliud eſt, quàm Althæa Theophraſti, vel lutea. Nec Malua Hiſpanica, aut Malua ſilueſtris alia eſt ab Alcea. Sic penitùs nihil differt Malua querna ab Alcea tenuiſſimè ſecta. Eadem quoque eſt Malua Veneta cum Alcea Soliſequa. Matth.in com.It.titulo Maluæ quartæ, quam non deſcribit, Geranium maluatum exhibet. Tandem quam alii Maluam equinam vocant, Petaſites mihi dicitur. Cur demum cum Ruellio & Lonic. Anagyridem nõnulli Maluam terreſtrem vocent, mihi non conſtat.

## MALVA VVLGARIS DVPLEX, VNA Flore maiore, altera minore: vna folio ſinuato, altera rotundo.

QVàm vulgaris eſt hæc Malua, tam eſt vtilitate multùm commendata: *radicem* ſortita ſatis tenuem, eximii candoris, dulcem guſtu & lubrico lentore viſcidam: *caules* ad cubitum interdum excreſcunt hirſuti, ſubrubentes, per humum reptantes: *folia* rotundata, nonnihil lacinioſa, piloſa, atrouirentia, in ambitu crenata, in caulibus folia laciniata: *flores* parui inter folia exeũt ex pallida purpura albicantes, purpureis lineis ſtriati, quinquefolii, citris purpuraſcentibus medium occupantibus: *ſemen* compreſſi orbiculi vmbilicati inſtar habet, guſtu perquàm viſcido, fatuo. Altera procerior dicta in hoc à præcedenti differt, quòd flores ſpecioſiores, Alceæ, purpurei, maiores. Semen, radix, conſimilia.



Eſt mihi Malua data per D. Agerium Bononiæ collecta cum hac inſcriptione, Malua vulgaris maior floſculis minimis, *Cobel* Plinii: hæc pilis longioribus & calycibus nonnihil differre videtur, quæ varietas fortè eſt à natura loci.

Quemadmodum Cord. in Dioſc. Maluæ ſilu. tantùm mentionem fecit, ſic in hiſt. vnã ſolùm deſcripſit, quam Maluam ſilv. rectam vocat, cui per Geſnerum figura cõueniens addita.



Erraticam, ſeu ſiueſtrem (χερσαίαν) Maluam in duas diſtribuit ſpecies Fuchſius: in ſylueſtrem pumilam, & ſilv. elatiorem. In figuris autem eius diſcrimen non ritè apparet, ac videntur vnius eſſe plantæ potiùs quàm duarum.

Et licèt Tragus vnicam habeat figuram, nempe eandem cum Fuchſii pumila, hoc titulo, Malua vulgaris, Gemein käß pappeln. In deſcriptione tamen diſtinguit vt Fuchſius, eam autem pingere videtur quæ magnum florem fert.

Cornar. in Dioſc. Malua ſilu. alia altior.

Dorſth. ſub his nomenclaturis: μαλάχη ἀνθεμίς, Malua, Malua minor, Lien capræ [Porta ſcribit Maluæ folia Magos Lien capræ appellare, ob eam quam cum liene ſimilitudinem habet,] Muris vrina, duas habet icones, quarum vna refert Maluam minorem flore maiore: prior verò videtur diuerſæ plantæ quippe Calthæ aquaticæ.

Malua quam Antiqui *Omnimorbiam* appellauerunt vulgaris adeò notitiæ eſt, inquit Matth. vt nulli ferè reperiantur qui eam non nouerint. Bellum ſanè dictum. Nulli non ferè nota Malua Matthiolo, illò excepto, qui non nouit in vulgari Malua vnam maiori flore, alteram minori, qui ſibi perſuadet Italicam arboreſcentem cultorum mangonio talem eſſe: quum ſit diuerſa, vt poſtea dicetur: tueantur Matthiolum Gloſſatores & Patrocinatores ſi poſſunt.

Lacun. ſolam minorem videtur pingere ex Matth. cùm tamen vnam humilem, alteram elatiorem ſtatuat.

Geſn.hort. Malua agreſtis maior & minor.

Dodon Gall.& Lat. vtramque Fuchſii figuram, iiſdem titulis exhibet.

Lob. & Penæ Adu. Malua ſilu. vulgaris procerior: Item Malua ſilu. minor. Lob.Obſ.& Icon. Plant. pingit ambas, ac vocat, Maluam vulgarem proceriorem: Item Maluam ſilu. repentem pumilam.

H.Lugd. Malua vulgaris Matthioli: Malua ſilu. pumila repens: & Malua ſilu. maior.

Tabern. Icon & hiſt. Malua ſilu. maior, & Malua ſilu. minor.

Camer. hort. Malua vulgaris duplex, maior & minor. Eidem ad Hiſt. Germ. Malua minor. Et Epit. Malua, Malua maior & minor.

Schvv. Malua ſilu. pumila albo flore μαλάχη ἀγρία. Malua officin. Malua ſylu. procerior Μαλάχη χερσαία, ἱππομαλάχη. Malua ſilu. recta Cordi.

C.Bauh.Phyt. Malua. 1. ſiue ſylu. folio rotundo. Malua Brunſels. Trago prima, Lob. pumila. Malua 2. ſiue ſilv. folio ſinuato. Brunſelſ. equina.

Marginalia (left): ...haa. | ...ſtinaca ...m.ſilv. | ...haa lu... | ...ea | ...ea te... ...ſſime ſe... | ...ea Soli... ...ua | ...anium ...luatum | ...aſites | ...agyris | ...ſcriptio | ...lix ...lue ...ules ...a | ...es | ...ietas. | ...onyma. | ...el | ...ua ſilu.

Marginalia (right): Fuſch. not. | Lien capræ | Muris vrina. | Dorſth. lapſus | Omnimorbia: | Matth. ... prch. | C.B. not. | Lacun. not.

Trago altera ſpecies. Lob procerior: hæc in genere domeſticarum fuiſſe apud Veteres videtur: *Et apud Matth.* Malua 1. ſiue ſylu. folio rotundo quam Theophr. coqui & cibo idoneam, eſſe ſcribit. *Figuram ponit* ex Tabern. quæ cum minore flore, cur autem potiùs eam quàm quæ cum maiori flore, ignoro, ſatis magni videntur flores in figuris Matthioli.

C.B. pot.

Nomina linguarum

Malua folio ſinuato flore maiore Græcis *μαλάχη ἀγρία*, à Dioſc. *μαλάχη χερσαία*, à nonnullis *ἄκοπος*, quaſi doloris mitigatiua: item & *ἡλιοτρόπιος*. Oſiriaca. Dodon. Germ. Roßpappeln/ S. Joh. pappeln/ wilde rothe pappeln Sileſ. Gall. *Maulue ſauuage.* Aut Malua folio rotundo flore minore, Genß käß/ aut haſen pappel/ klein vndt gemein pappel. Belg. klein Maloüwe/ Gall. *petite Maulue*, Montb. *des fourmagets*, Hung. Kóz malua.

Locus & tempus

Sylueſtris Malua prior incultis locis exit, ſolo tamen fœcundo, non ſterili, iuxta vias, hortorum ſepimenta, agrorum margines, locis nonnihil humentibus. Proxima non rarò in ruderibus, ac aliis perinde incultis ac neglectis locis reperitur. A Iunio menſe in multam æſtatem flores profert, interea tamen ſemen ratum ad maturitatem peruenit. Malua pingui delectatur loco, & humido, gaudet lætamine hortorum. Malua Monſpelii frequens: Baſileæ florentem vidi Maio & Iunio ac Octobri extra vrbem & intra vrbem. Lugduni & Geneuæ proueniunt. Montbelgardi paſſim ac etiam in Horto Ill. E.C. vtraque prouenit ſponte ſupra fimum, aut culta in horto.

Vires & Vſus.

Vires ex Dioſcor. & Galeno videant Lectores, quas referendas exiſtimamus ad modò prædictas noſtras Maluas. Maluæ radix ſicca [calida & humida, Port.] inquit Matthiolus, die vna in aqua macerata, & deinde madida papyro circumuoluta, & ſub cinere feruenti decocta, & iterum ſiccata, vtiliter vſurpatur ad dentrificia: mundat enim affricta dentes, & gypſeam materiam ſoluit. Foliorum & radicum decoctum gargarizatu exaſperatas fauces lenit, mucago verò acrimonias emendat: Feruefacta folia in cibum appoſita raucedines expediunt, ex oleo autem, ſale, & recenti butyro aluum citant. Fit è foliis cum ſalignis frondibus tritis præſtantiſſimum medicamentum ad venenoſorum morſus. Succus auribus inſtillatus dolorem ſedat. Decocta vnà cum radice ad lentorem vſque datur potanda ægrè parturientibus magno iuuamento: id quod etiam præſtat ſuccus ſelibræ pondere hauſtus. Semen ex vino rubro potum nauſeam tollit. Cauliculi molles decocti delibratíque comeduntur ex aceto, & oleo, & ſale, Aſparagorum in modum, prima ſtatim menſa, ad citandam aluum. In ſumma, Malua ad multa vtilis eſt: ideóque non immeritò Antiqui Maluam *Omnimorbiam* [omnium orbicem] appellauerunt. Datur vtiliter ſuccus potandus melancholicis ſex vnciarum pondere, at inſanientibus vnciæ octo propinantur.

*Temperamentum* · *Dentes* · *Fauces exaſperatæ.* · *Raucedo* · *Aures* · *Partum promouet* · *Purgat* · *Omnium orbex.* · *Malua omnimorbia.*

Ad raucedinem recipit Bapt. Codronch. aq. ſtillatitiæ Maluarum ℥vi. Aceti ſcyllit. ℥iii: cuius portiunculam ſingulo die per horam vnam vel alteram, non ſemel ægrum per nares attrahere iubet. ſed etiam bis, prout opus ſit. Et hoc errhinum à ſe experientià comprobatum ſcribit. Maluam vulgarem maiorem & minorem cum Allio vino incoquunt ad tertias & bibunt contra ſtranguriam: Hodie Maluarum decocto vti ſolemus in Clyſteribus ad aluum ciendam & vrinas. Aelianus farinâ Maluæ ſucco ſuffuſâ lacertis & ſimilibus inſectis perniciem afferri perhibet.

*Raucedo* · *Stranguria* · *Pernicies inſectorum*

## MALVA STELLATA.

Descriptio

MAluæ pulchra ſpecies, cui *caules* tenues, cubitales vel bicubitales, ramoſi: *folia* priora in tenella planta ſunt ex longis pediculis parua, rotunda, ſerrata, vbi autem adoleuit per ramos ex breuioribus foliis, in ſatis magna, in tres partes diuiſa, quorum quædam ſagittam exprimunt: *ſapor* ingratus, nónihil viſcoſus: *flos* magnus purpureus ſtriatus, quinque foliis cordatis conſtans: in medio piſtillus albus ex multis apicibus conſtans: eius calyx prior membraneus vti & ſecundus, in quo cuſpides tres ſtellam quodammodò exprimentes: *ſemen* quale vulgaribus Maluis. Tota planta hirſuta.



Locus & tempus · *Malua ſtellata*

Argentinæ primùm vidi florentem & cum ſemine maturo Septembri, in horto D. Friderici Meier Argentinæ, qui Maluam ſtellatam nominabat, is ſemen à Domino Agerio vt audio acceperat.

## MALVÆ TRIMESTRIS FLORE CVM vnguibus purpureis.

Deſcriptio

PEdali altitudine creſcit hoc Maluæ genus, *caule* rotundiuſculo, tereti, viridi, lanugine tamen aliquantulùm obſito, quem rara & nullâ certâ ſerie diſtributa ambiunt *folia*, tenella, viridia supernè, infernè dilutiora infimo cauli adnata, circinatæ fermè ſunt rotunditatis, in ambitu ſerrata: ſupremum caulem & ramulos amplectentia angulofa ſunt, ad foliorum Althææ formam pænè accedentia: *flores* ſummis ramulis inhærent ſatis magni, quinque foliis extimâ parte lunati, conſtantes: purpuraſcentis coloris, vnguibus ſaturatiore purpurâ inſectis, prodeuntibus ex vmbilico ſtaminibus pallidis, villis purpureis: *ſemen* in foliaceis capitulis planum: *radix* eſt parua, candicans, tenui-




bus

bus fibris prædita ; annua tamen, aut potiùs trimeſtris, quam ſubſequens hyems corrumpit.

Huius ſiccam plantam ſuis floribus onuſtam & charræ implicatam mittebat ad Cluſium N. V. Ioannes Hoghelandus anno 1592. ex qua ſubiectam iconem delineari curabat.

## MALVÆ SPECIES COBES.

*Deſcriptio & Synon.*

COBES, Maluæ ſpecies non inelegans futura, quantùm ex rudimento colligere Camer. hort. poterat, ſi ad frugem perueniſſet, Clar. V. D. Paludani ex Syria reducis munus. *Semen* reliquarum Maluarum ſemine minutius.

Cobes etiam ſemē ego quondam recepi, quod ſatum in horto Ill. E. C. Montbelgardi, ſed non prouenit.

C. Bauh. phyt. Malua nona Syriaca, Cobes Camer. quod Paludanus ex Aegypto allatum, Kobes nomine Patauij communicauit.

## MALVA ROSEA SIVE HORTENSIS.

*Deſcriptio*





HÆC ſi, vt Roſæ, nares conciliaret, nulli dubium quin de præſtātia & pulchritudine cum ipſis Roſis certare poſſet. Cæterùm Arbuſculæ magnitudinē aſſequitur, *ſtipite* craſſo, ſolido, hirſuto, recto, rariùs ramis aliquot brachiato: *folia* alternatim longis mediocriter & lanuginoſis pediculis ex caule oriuntur, ſingula, lata, quinque ferè diuiſuris obiter inſecta, in ambitu crenata, ſuprà atrouirētia, infrà albidiora, vtrinque piloſa : ex quorum alis *flores* emicant ſucceſſiuè plures, Roſæ magnitudine & colore, id eſt, rubro, aut puniceo, aut ſaturo ſanguineo, aut carneo, aut albo: iique modò ſimplices medium occupante cono apiculis ſubluteis & purpuraſcentibus prædito, in multa foliola flori cōcoloria ſeſe explicante: modò multiplici foliorum fœtu luxuriantes: inſident hi autem calyci geminato, canâ lanugine pubeſcenti, *ſemenque* poſt ſe relinquunt, in paſtilli formam compreſſum. *Radix* longa, alba, lentum mucorem remittit, non alio quàm Maluæ ſylueſtris ſapore. *Radix.*

Huius etiā ſpecies inuenitur ſolio amplo, ficus profundè laciniato. *Varietas.*

Cordo Malua hortulana, rara viſu, ac quaſi ignota, & Romana Malua dicitur. *Malua rarò viſa.*

Trago in inſcriptione Malua Romana, & inter nomenclaturas, Roſa nobilis, Hortenſis Malua, Metenſium Roſa vltramarina, Malua Theophraſti & Dioſcoridis (apud quem huius nomina hæc ſint) Μαλάχη, Anthema [à Pythagora, Dodon.] Diadema [à Zoroaſte:] Chocortem [ab Aegypt.] Capræ lien [αἰγὸς σπλήν,] Muris cauda [Vrina, κραμυὸς, Dodon.] Malua hortenſis:) Moloche Veterum (quod videre ſit in Aulularia Plauti:) Malua Romana Arabum, aliorum Molochia, Maluchia aliorum arborea (cuius ſemen Kizeri Katmi vocat:) Hebræorum Chalmuth, & Harni, teſte Atuch Monſteri. Eſt, inquit in deſcrip. colore floris candido, roſeo, rubro, & ex rubro nigricante, ſimplici & multiplici foliorum textura. Hæc Tragus, ego non auſim aſſerere hanc eſſe Maluam Theophraſti, inclinat animus in aliam. *Malua Romana. Roſa nobilis. Roſa vltramarina. Malua Theophr & Dioſc. Anthema. Diadema. Chocortem. Capræ lien. Muris cauda. Moloche Veterum. Molochia, ſeu Maluchia arborea. Chalmuth Harni. Trag. not.*

Fuchſ. Malua hortenſis Dioſcor. & Galeni. Corn. Malua χηπαῖα Dioſc. Malua hortenſis. *Malua Dioſc.*

Matth. Malua ſolio nigro flore Roſarum effigie rubente, candido, vel ſubrubro: Malua arborea. Et in hiſt. germ. vt & poſt. com. cum magn. fig. Malua maior, & Malua maior altera. Benè ſibi conſuluit Matth. qui in poſt com. ceu & Camer. in eiuſdem Hiſt. Germ. quod in Epit. fecerat, Maluam roſeam non ampliùs vocant arboream, ac meliùs, quàm eius Patrocinator. *Malua folio nigro. Malua arborea. C. Bauh. not.*

Lacun. Malua hortenſis, flore purpureo, & albo: Græcorum Dendromalache, Lat. Malua arborea. *Sed* vt iam dixi, hanc Maluam nec arboream, nec Dendromalachen ſenſerim.

Dodon. gall. pingenti Malua ſatiua: Lat. Malua hortenſis, & Malua hortenſis multiplici flore: de qua ait. Ad differentiam aliarum Μαλάχη κηπευτὴ [Malua hortenſis:] dicitur à nonnullis verò Roſa vltramarina, & Roſa hyemalis. Atque hæc eſt illa, quam in Maluaceo caule ſundi Plinius tradit: ſolia oleracea (perperàm in plæriſque exemplaribus, Oleæ, aut oleacea) habens, quam *Moſcueton* vocant. Appellari autem hanc Maluam nominibus ex Trago adſcriptis inter ſpuria Dioſcor. reperitur. *Roſa hyemalis. Plin. emendatur. Moſcueton.*

Geſn. hort. Malua Romana quorundam, Haſtula regia Apulei, flore candido & rubro, ſimplici, vel multiplici. Et in cat. pl. Haſtula regia Apulei, Roſa Autumnalis vulgi, Maluæ genus δενδρομαλάχη, quod non concedimus ipſi. *Haſtula regia. Roſa autumnalis. Geſn. not.*

Rectè meo iudicio dubitant Lob. & Pena in Adu. Malua roſea fruticoſa, an Galeni Ἀγριαδενδρομαλάχη? Lob. Obſeru. & Icon. plant. duas ponit figuras his titulis. Malua roſea fruticoſa: Malua roſea multiplex.

Camer. hort. Malua hortenſis ſiue Romana, Biſmalua vulgi, flore ſimplici & pleno, multiplici colorum differentia. Reperiuntur enim candido, dilutè purpureo, ſiue vt vulgò vocant incarnato, rubro, puniceo, nigricante. Atque hæc poſterior differentia primo anno rarò floret, & vix durat vltra triennium. *Biſmaluæ*

Hiſt. Lugd. quinque proponit figuras, licèt tot non erant neceſſariæ, ſub his titulis: Malua maior 1.2.3. Matthioli, Malua roſea ſimpliciore flore: Malua roſea multiplex Lobelii. *Hiſt. Lugd. reprehen.*

Totidem & Tab.habet. Quarum 1.Malua arborea,ſiue hortenſis.2. Malua arborea alba multiflora. 3. Malua arborea flore nigro multiplici. 4.Malua roſea multiplex. 5. Malua roſea ſimplex.

C. Bauh.Phyt. Malua 5.ſiue roſea folio ſubrotundo flore ſimplici, Malua hortulana Brunfelſ. Romana Trago,Roſea Lobelio: Hæc Malua ſatiua eſt apud Antiquos: Malua quæ cultu arboreſcit Theoph.Plinio Malope: flores candidi,rubentes, & hi modò ſaturati, aliàs purpuræ modo relucentes, non rarò omninò diluto colore: ſic & ex rubro, nigricantes. Malua 6. ſiue roſea folio ſubrotundo,flore pleno,Lobelio Roſea multiplex,in flore multiplices differentiæ,hinc tres icones apud Tabern. Malua 7.ſiue roſea folio Ficus, Tabern.peregrina. Item Malua 8.ſiue arborea Veneta dicta,Arborea. Matth Icon.quoad iconem: & Malua maior eidem fol.Lat. Malua maior vnicaulis Matth. icon. quoad deſcriptionem: & Malua maior, altera eidem Lat in folio. *Eadem* apud Matthiolum Malua 2. maior ſiue roſea folio ſubrotundo, flore ſimplici quæ Malua ſatiua eſt apud Antiquos. & quam cultu arboreſcere ſcribit Theophr. Malua 3. ſiue roſea folio ſubrotundo, flore pleno. Malua 4. maior altera ſiue arborea Veneta dicta flore cæruleo. *Quis obſecro* credet Maluam vulgarem ſilueſtrem ſatione in Roſeam mutatam, quis præterea vidit roſeam in arborem tranſiiſſe: aliam ego cum Theophraſto,Plinio, & Matthiolo vidi, non hanc. — *C. B.not.*

Nomina linguarum — Μαλάχη χερσαία Dioſcor.& κηπευτή, D. don. Lat. Malua roſea,ſeu hortenſis, Germ. Gerten: vnd Römiſch pappeln [Romanæ] herbſt vnd winter Roſen[Roſa Autumnalis, vindemialis,ſiue hyemalis] Ernroſen / ac ſi Roſam honoris diceres, Belg. winter Rooſen / herbſt roſen. Gallis *Roſe d'outre mer, Maulue de iardin,ou ceſtinee.* Ital. *Malua maggiore.* Matth.in com. Ital.Angl. holy hocke.

Locus & tempus — Maluã roſeam ex ſemine variis in locis collecto,ac etiam nobis miſſo,ſeuimus in horto E.C. Montbelgardi, cuius diuerſos habemus colores. Geneuã habui flore candido ſimplici [rubro ſimplici,candido multiplici,& rubro multiplici, florentem Iunio ac etiam Nouembri. Baſileæ etiam in hortis vidi, Patauii in hortis,vt Muſati. Bononiæ in horto S.Saluator al burgo di S.Catharina. Primo anno caules non profert ſed ſecundo, poſtea vt plurimùm perit, fert alioqui hyemem. Stutgardiæ in horto Ill.C.V Virtemb. & in horto ad ſontem admirabilem cum variis coloribus pleno & ſimplici flore obſeruaui. Apud Frider. Meier florentem Septembri folio Ficus,flore cæruleo ſimplici, quam ex Italia miſſam dicebat. Folii ſapor viſcoſus.

Vires & vſus. *Porrigines. Eryſipelas* — Maluæ hortenſis flores coquunt in vino veteri,vt legimus apud Camer.hort.quo porrigines abluunt & ſanant. Vtuntur etiam ad eryſipelatis rubores compeſcendos, imprimis rubentibus Roſis,imitati coloris ſimilitudinem. Ego florum decocto fœliciter vtor in ſiccitate & ardore linguæ & faucium. Et quia in dictis floribus nullam agnoſco adſtrictionem, nondum intelligo,quo ſucceſſu Io. Liebaut ad fluxum menſtruorum nimium Maluæ roſeæ flores præſcribat. — *Io. Liebaut not.*

## MALVA CRISPA.

Deſcriptio — ALtitudo huic plantæ, licèt breuioris vitæ, quanta homini *caule* craſſiuſculo, nonnihil anguloſo, viridanti, glabro, rigido, aliquantùm concauo, & in ramos fiſſo: *folia* palmaribus & dodrantalibus pediculis, alterâ parte hirtis, alterâ glabris appenſa,latitudine memorabili, breuibus pilis donata, non tantùm laciniata ſunt, verùm etiam crebro flexu reflexúque per oram criſpa: *flores* conferti, ad pediculorum, quæ folia ſuſtinent, exortum,breuibus plerumque petiolis inſident, haud maiores quàm Maluæ ſylueſtris pumilæ ſeu prouolutæ, colore ex dilutiſſimo rubore albicante, ex quinque foliis compoſiti,calyce hirſuto, vireſcente, quinquepartito, in quo ſuccedunt in orbem congeſta *ſemina*,Maluæ iam dictæ: *radix* ſubeſt dodrantalis aut longior, alba,mediocriter craſſa,ſapore,vt & reliqua planta,glutinoſo. — *Color*



Synon. *Malua criſpa* — Lob.Obſ. Malua criſpa vulgi, &, vt etiam Pl. Icon. Malua criſtatis oris. Dodon. Malua criſpa. Tabern.icon.& Hiſtor. Malua criſpa,kraüß pappeln. Caſp.Bauhin.phyt. Malua 4.ſiue foliis criſpis.

*Malua laciniosa* — Camer. hort. Malua criſpa ſiue laciniosa Cordi, Arboreſcere videtur, quamuis tantùm ſit planta ſemeſtris,de qua ſcribit hæc,Malua Oriente Sole hiat. Occidente clauditur. Pythagoras,vt refert Ælianus τῆς μαλάχης φύλλον ἱερώτατον [folium Maluæ eſſe ſanctiſſ.dixit lib. 4. variæ hiſt.] nimirum quia myſteria ſua in hoc olim ſcriptitabant ſacerdotes. Geſn. hort. Malua criſpa, Malua Romana quorundam: Althæa criſpa & maior Ollingeri. — *Malua Romana. Althæa criſpa.*

*Malua hortenſis* — Cordo in Dioſc. Malua hortenſis, Malua Romana: Malua ſinuosâ criſpitudine, Malua Dioſcoridis. Hanc idem deſcribit in hiſt. ſub titulo Maluæ hortenſis laciniosæ, cui Geſn.appoſuit figuram inſcriptione Maluæ hortenſis criſpæ.

Locus & tempus — Geneuæ mihi prouenit in horto, virens Octobri & Nouembri, poſtquam ſemen pertulit emortua, ſemine deciduo quotannis ſe propagat, ac è ſemine deciduo prouenientem ibi vidi hyemem perferre.Baſileæ vidi in horto D.Dis Theodori Zvvinkeri, Montbelgardi in horto E.C. florentem vidi Iunio & Iulio.

Vires. — Maluæ criſpæ magnam emolliendi vim præ aliis tribuit Camerarius.

## MALVA ARBOREA.

Deſcriptio — MAlua arborea *ſtipite* adoleſcit craſſo,ligneo quaternûm aut quinûm cubitorum,perenni, *folia* ampliſſima, Maluæ repentis modo ſinuata,ſed lanuginosâ Altheæ mollitie, *flores* ſecundum ſtipitem Maluacei,parui.

Et hæc illa eſt Malua arborea,quam Rauvvolff. Halepi ab incolis veteri Arabico nomine *haur* dici ſcribit,ſub cuius gratioſa vmbra deambulare liceat. Idem meminit Maluæ arboreſcentis alte-

rius



terius, qua Alceam arboreſcentem folio virente, inferiùs inſcripſi.

*…naden-dromalache*

Galenus noſtro iudicio hanc ἀναδενδρομαλάχην vocauit, cuius verba ante recitauimus, vt & Plinii & Theophraſti.

Cæſalp. Malua quædam arboreſcens, & Aradendromalache Galeni.

Camer. hort. Malua arboreſcens, δενδρομαλάχη interdum ad 8. vel 10. cubitos aſſurgens. Tum alibi in Italia, tum frequens in itinere quo itur Piſâ ad portum Liburni ab eodem aliquando inuenta.

*…endromache*

Geſn. Malua arborea. In Append. Malua Arboreſcens. Dendromalache Galeni.

*…atth. taxatur*

Maluam quæ in aliquibus locis in Italia arboreſcit, nil aliud eſſe quàm ſatiuam cultorum mangonio in tantam magnitudinem aſſurgentem ignoranter ſibi perſuadet Matth. dũ dicit: Maluam quæ in arborem degenerat vidi Grignani ad Benaci ripas in quodam Monachorum cœnobio, vbi eorum otio & cultu tantam ſibi aſciuerat amplitudinem. Hæc ille. Ego verò facilè dederim alicubi Maluam arboream ita humilem eſſe, vt in altum ſe non attollat, ſed culturâ deinde arboreſcat: verùm nunquam conceſſerim Maluam vulgarem ſiue magno, ſiue paruo flore arboreſcere: colant Gloſſatores & Patrocinatores Matthioli, videbunt quid impetrabunt: culturâ maior euadet & eſui aptior: ſed arborea nũquam fiet, nec etiam eundem florem nanciſcetur; vt rectè etiam ſtatuunt Lobelius & Pena.

*…troni …atth. not.*

*…beus & …mpus.*

Primò vidi Eſlingæ apud inſignem Pharmacopœum Volmarium: poſtea Monſpelii in quibuſdam hortis. Creuit mihi Geneuæ in horto: Baſileæ Frater C. Bauhinus habuit in horto. Montbelgardi à me ſata in horto E.C. primo anno creuit, ad altitudinem quinque cubitorum circiter: repoſita, floruit ſequenti anno: flores parui: aliquot annis durat, modò diligenter reponatur.

## ALCEA VETERIBVS.

### Cap. II.

QVæ inter ſe affinia ſunt, quaſi catenâ quadam meritò connectuntur, atque hinc Alcea & Althæa ſeu Biſmalua de neceſſitate Maluarum tractationem quoque conſequentur.

*…oſc. de …cea.*

Alcæa igitur, authore Dioſcoride, & hæc ſilueſtris Maluæ ſpecies eſt, habens *folia* fiſſa, ad verbenacæ foliorum ſimilitudinem: *caules* tres aut quatuor [foliorum plenos addit Plin.] qui corticem Cannabi ſimilem habent: *florem* paruum Roſæ ſimilem: radices albas, latas, quinque aut ſex, cubitales, obliquas adiungit Plinius, qui eam naſci ſcribit in pingui ſolo, nec in ſicco.

Radices, inquit Dioſcorides, cum vino aut aqua potæ, dyſentericis ruptiſque medentur. Plinius: Vſus radicis ex vino vel aqua dyſentericis, aluo citæ, ruptis, conuulſis. Et Alceæ radix collectiones diſcutit. Et paulò poſt, Spaſticis, tremulis, opiſthotonicis Alceæ radix bibitur ex aqua mulſa. Sic & rigores excalfacit. Et, Alceæ ſiccæ farina torminibus pota cum vino reſiſtit. Galenus Alceam in ſimplicium catalogo prætermiſit. Paulus ex Dioſcoride, Alceam ſilueſtris Maluæ ſpeciem eſſe dixit, quæ cum vino pota dyſenterias & roſiones ſanat, & magis ipſius radix. In hoc tamen Paulus à Dioſcoride & Plinio diſſidet, quod δήξεις, id eſt, roſiones, habet pro his quæ ῥήγματα, id eſt, rupta, Dioſc. & Plinius appellauere, vt fortaſſe ῥήξεις in Paulo, pro δήξεις legere oporteat. *Pauli lectio ſuſpecta* *Paulus corrigitur*

## ALCEA VVLGARIS.

SEſquicubitalem & maiorem altitudinem vbi aſſequitur, eſt *caulibus* hirſutis, aſperis, fungoſa medulla farctis: *folia* Maluæ vulgaris ſurrectæ, maiora, ad pediculum vſque plerumque in tria, quinque, aut ſex ſegmẽta diuiſa, atrouirentia, hirſuta: & ex eorũ alis, pediculis quadrantalib. hirſutis appẽduntur *flores* roſei ſpecioſi, purpuraſcente carneòve colore, quinque foliis ſtriatis compoſiti, quorum medium occupat racemulus *apicum* albicantiũ: *ſemina* coniuncta compreſſi caſeoli formam æmulantur, ceu vulgaris Maluæ: radix digitalis longa. *Deſcriptio*



Cordo, Trago, Fuchſ. Matth. Apollini, Lacunæ, Harchio, Lonic. (cui etiam Herba Simeonis, ſed eius icon mala,) Dodon. gall. & Lat. in fol. vbi & ſpeciei minoris meminit, & Cæſalp. *Alcea*. *Synon. Herba Simeonis Lonic. not. Alcea.*

Brunfelſ. Alcæa Dioſcoridis, & Herba Simeonis dicitur: Ruellio, Ruſtica Althæa, vel Biſmalea ſilueſtris. Trago Alcea, ſilueſtre Maluæ genus, Malua altera, Malua ſilueſtris. Barbari Cauda Leonis, & Periſterion quorundam. Corn. Alcæa Officinarum & Herbar. Malua, & Malua ſilueſt. ſpecies. Io. Agric. Vngarica herba, Theod. Dorſth. Dens Leonis, Hermanni Comitis à Nouenare Lagopoda Dioſcoridis. *Alcea Dioſcor. Althæa ruſtica. Malua ſilu. Malua ſilueſt. Cauda Leonis Periſterion. Malua officin. Herba Vngarica. Dens Leonis Lagopoda Dioſc.*

Alceam, inquit Matth. paſſim ferè in Italia, aliqui Biſmaluam, alij Maluam ſylueſtrem, nonnulli etiam Maluauiſcum agreſte nominant: Alcææ Galenum meminiſſe non reperio, niſi lib. 7. ſimplic. vocet Maluam ſylueſtrem. *Biſmalua. Malua ſilu. Maluauiſcũ agreſte.*

Ait Cronemburg. de comp. med. Alceam Dioſcoridis quoſdam perperàm Maluam Theophraſti exiſtimaſſe. *Error quorundam*

Amat. in Dioſc. Alcea, Herba Hungarica. Item cent. 2. curat. 53. Alcea, Malua Vngarica. *Herba Hũgarica.*

Anguill. Cannabin ſylu. facit, ac dicit, Herbarij vocant Hungaricam, alii Alceam: quamvis autem non ſit Alcea, conantur tamen demonſtrare deſcriptionem conuenire.

Cæterùm, καννάβις ἀγρία ſiue Cannabis ſylu. dicitur, quòd (vt Dodon. vult) ex cortice, Cannabino perſimili, funes intorqueri queant. *Cannabis cur dicta*

Lobel. & Pena in Adu. Vulgaris Alcea, & Malua ſylueſtris. Lobel. Obſ. & Icon. Plantar. Hort. Luſit. & Cluſ. hiſt. poſt. *Alcea vulgaris.*

Hiſt. Lugd. Alcea Matthioli : Alcea vulgaris Lobelij.

C. Bauh. Phyt. Alcea. 1. ſiue vulgaris maior.

Schvv. Maluam ſylueſtrem, Alceam dictam ſcribit ἐρυθρὰν ἀλκέαν à colore, quòd firmiter dyſenteriæ & ruptis medeatur, Rothe pappeln / hertz leuchte.

Nomina linguarum. *Ἄγρια* Græcis & Alcea Latinis. Germ. Sygmars wurtz / Sigmunds wurtz / Hächleuchten / wilde pappeln / Schvvaugen pappeln / Brunkel. felrit; Cordo, vulgò Herba Simeonis, Belg. Sigmarts cruyt. Gall. *Bimaulue* vel *Guimauue ſauuage.* Ital. *Biſmalua, Malua ſilvatica, Maluauiſco ſaluatico, Buon viſchio.* Hiſp. *Malua monteſina,* & *Malua di Vngria.* Boh. Felryß lowen Zan.

Locus & tempus. Alcea vulgò prouenit Montbelgardi extra muros horti Illuſt. E. C. & prope pagum *Nommai* in Comitatu Montbelgardenſi, inter pontem *Vautaucourt,* & *Dampierre* florens Iulio; copioſè circa *Matthai* Caſtellum : Mihi viſa eſt etiam Monpelij ac Geneuæ. In Ducatu VVirtembergico ad fontem Admirabilem florens Auguſto menſe.

Ruri notam dicit Schvv. incultis campeſtribus, agrorum, ſcrobiúmque marginibus, iuxta vias ſepes, & ſemitas; floret Iunio & Auguſto.

Vires. Ex emplaſticorum medicamentorum numero eſſe Alceam, & folia quæ glutinoſum quid ac lentum habent, & etiam radix ipſa, quæ glutinoſa, dulcis & modicè adſtringens apparet guſtantibus, abundè monſtrant. Hinc ſatis conſtat Alceam citra inſignem, tum calidiratem, tum frigiditatem ſiccare, ac planè emplaſticorum conſiſtentiam obtinere. Celebratur ad caliginem oculorum ab empiricis, vt non deſint qui credant radicem Alceæ, è collo ſuſpenſam aciem oculorum ſupra modum acuere, & tueri poſſe. *Caligo oculorum.* Et hinc fortè nomen indeptum germanicum Hochleuchten : Sylueſtre Maluæ genus, quam Alceam vocari Tragus dixit, ſi herbæ & radicis vino vel aquâ decoctum bibatur, torminibus inteſtinorum remedio eſt, ruptis & conuulſis conducit, & opitulatur. *Inflammationes.* Breuiter, Malua Romana, Alcea, Malua vulgaris, & Ibiſcus, omnibus calidis doloribus totius corporis apprimè conducunt.

---

## ALTHÆA SIVE BISMALVA.
### Cap. III.

Deſcriptio. EX Maluarum familia prærogatiuam tulit Althæa, vtilitatis multiplicis nomine commendatior, *radicibus* multis nixa, benè habitis, albis, mucagine lentâ, quam manſu maceratione ue deponunt, turgidis : *caules* bicubitales & proceriores, teretes, tenues, hirſuti, anguſto tubulo peruii: in quibus *folia* alternata Maluæ vulgaris, longiora, ſinuoſa, ſerrata, mollicello tomento incana, ex alis *flores* proferunt, Maluæ vulgaris ſurrectæ, colore albo tantillùm ad carneum declinante, quinque foliis conſtantes, in quorum medio *ſtylus* 4. apicibus purpurantibus & obſoletis floridus erigitur : *ſemen* paſtilli compreſſi ritu vt in vulgari relinquitur.

*Althæa Dioſcoridis.* Dioſcorides Althææ folia tribuit, vt Cyclamino rotũda, lanugine caneſcentia : florem roſeum: bicubitalem caulẽ : radicem lentam, intus albam.

*Hibiſcus Theoph.* Theoph. de Hibiſco inquit: Folio Maluæ, maiori tamen, piloſiorique: caulibus mollibus guſtu Maluæ: flore melino : fructu Maluæ : radice fibroſâ, alba.

*Malua ſilu. Plinio.* E ſylueſtribus (Maluis,) inquit Plinius, cui grande folium, & radices albæ, Althæa vocatur.

*Synonyma vt & alia nonnulla in appendice huius libri tradentur.*

Nomina linguarum. Græcis ἰβισκομαλάχη & ἀλθαιομαλάχη dicitur: Arabibus, *Chitimi, Chatmi, Chalthime,* & *Roſa Zamini* : Germ. Ibiſch Eybiſch / heylwurtz, Stockwûrtz & Sammetpappeln. Belg. witte hüemſt / runde witte Malüe : Gall. *Guimaulue,* quòd glutinoſa ſit Malua :; Ital. *Maluauiſco*: Hiſ. *Hierua cannamera & Marmaie*: Angl. Mârſche Mallow : Boh. wyſoky Slez: Hung. Feyer Malua / h. e. alba Malua & Mazola.



Locus & tempus. Copioſa nũc eſt Montbelgardi prorumpens Maio, florens Iunio, in Horto E.C. noſtra opera, habetur etiam in aliis. Monſpelii obſeruaui ſpontè prouenientem prope mare : Baſileæ, Geneuæ & Lugduni in hortis. Naſcitur locis vliginoſis & pinguibus, humentibus, & paluſtribus pratis, & in foſſis. Floret Iulio & Auguſto menſe.

Vires. Multiplicem eius in medendo vſum ac vtilitatem declarat Dioſcor. his verbis : Decocta Althæa in vino aut aqua mulſa, aut per ſe pota efficax eſt contra vulnera : item ad ſtrumas, parotidas, abſceſſus, mammarum inflammationes, contuſiones ſedis, inflationes, neruorum rigores : *Vulnera. Strumæ.* ſiquidem diſcutit, & excoquit, rumpit, & ad cicatricem perducit. Cocta, vt dictum eſt, adiecto ſuillo adipe, aut anſerino, terebinthinàve, vt malagmatis lentor fiat, facit ad vuluæ inflammationes, præcluſionéſque in peſſis ſubdita. *Vulua.* Decoctum eodem fungitur munere : onera vuluæ, reliquiaſque à partu extrahit. Decoctæ ſuccus ex vino potus ſuccurrit vrinæ difficultati, calculoſorum cruditatibus, dyſentericis, iſchiadicis, tremulis, ruptis.

Plinius Maluarum vſum Medicum (de quo iam diximus) fuſiùs perſecutus, tandem addit, Althææ in omnibus ſupradictis efficacior radix, præcipuè conuulſis ruptiſque. Cocta in aqua aluum ſiſtit. Ex vino albo ſtrumas & parotidas & mammarum inflammationes tollit. Panos illita. Eadem arida in lacte decocta, quàmlibet pernicioſæ tuſſi medetur. Hippocrates vulneratis, ſitientibuſque defectu ſanguinis, radicis decoctæ ſuccum bibendum dedit : & ipſam vulneribus cum melle & urina, item contuſis, luxatis, tumentibus, & muſculis, neruis, articulis impoſuit: & aſthmaticis ac dyſentericis in vino bibendam dedit. Mirum aquam radice ea addita addenſari ſub dio, atque lacteſcere. Efficacior autem quò recentior. *Hæc Plinius,* quorum quædam etiam Dioſcorides habet. Verùm quod aquam radic

Althæ

Althææ addenſari atque lacteſcere dixit, id iam ex Dioſcoride atque Theophraſto protulimus, vt ex iis non immeritò dubitet Cornarius an lacteſcere rectè in Plinio legatur, & non potiùs lenteſcere, aut coaleſcere. Idem Plin. qui illa de Althæa prodidit ſeorſum aliquot locis de Ibiſco, vt ab Althæa diuerſo ſcripſit. Hibiſcum, inquit, à paſtinaca gracilitate diſtat, damnatum in cibis, ſed medicinæ vtile. Et Paſtinacæ ſimile Hibiſcum, quòd Molochen agriam vocant, & Ariſtolochiam, vlceribus cartilaginis, & oſſibus fractis medetur, folia eius ex aqua pota aluum ſoluunt, ſerpentes abigunt. Apum, veſparum, crabronum ictibus, illita medentur. Et mox, Celſus & podagris, quæ ſine tumore ſunt, radicem eius ex vino decoctam imponi iubet. Et medetur lichenibus Hibiſci radix cum glutino & aceto acri decocta ad quartas. Qua in re Plinio apertè refragantur Dioſcorides & Galenus, cæterique Græci, qui Althæam Ibiſcum ſiue Ebiſcum vocauerunt. Sic enim Galenus. Ebiſcus ſiue Althæa, eſt autem Malua agreſtis, facultatem habet digerendi, laxandi, phlegmonem leuandi, mitigandi, concoquendi difficiles coctu abſceſſus. Radix portò eius & ſemen cætera quidē pari foliis modo agunt, verùm tenuiorum partiū, magiſque ex ſiccatoriam, adhæc magis extenſoriam facultatem, oſtendunt, vt & vitiligines detergant, & ſemen renum calculos confringat. At radicis decoctum ad dyſenteriam, diarrhœam, & ſanguinis reiectionem aptum eſt, nempe cùm adſtringentem quandam facultatem habeat. Et de Maluis agens. Huius generis eſt & ea quæ Dendromalache nominatur: ſed efficaciſſima prædictarum in digerendo, appellatur etiam Althæa.

*Moloche agria. Ariſtolochia. Lichenes. Plinius Dioſcor. & Galeno contrarius. Dendromalache. Althæa.*

Aquâ deſtillatâ Althææ eroſiones inteſtinorum ex dyſenteria, aliaſue choleræ cauſſa profectas perſanat, Tragus: aſthmaticis propinatur vtiliter: Radix minutim conciſa, inque lacte aut aqua decocta, quouſque in pultem euadat, & emplaſtri ritu impoſita emollit, & maturat quæcunque vlcera, quæ ſponte ſua ſuboriuntur, quale id eſt quod in manibus ſæpenumerò naſcitur, & à Germanis **Das Nittel** nuncupatur, nec non alia huic ſimilia, quacunque corporis parte oriantur. Oleum ex foliis Althææ compoſitum; omnes apum & veſparum aculeatos ictus perſanat, illitu. Idem poſſunt folia per ſe. Semen in puluerem redactum & cum rore, qui Maio menſe excipitur, temperatum, vitiligines & maculas faciei emendat. Radix aut ſemen in aceto decocta ac calida in ore retenta, dolori dentium auxiliatur: proinde apud Medicos equarios magni nominis & vſus eſt hæc radix. Hæc ille. Tumores duri ſi ſint minores tolli tradit Saxonia impoſitâ radice Altheæ maceratâ in aqua ardenti, aut Oxymelite.

*Aqua. Radix. Vlcera. Oleum. Semen. Tumores.*

## ALTHÆA PROFVNDE SERRATO ſiue dentato folio.

*Deſcriptio.* NOmine Altheæ Thuringiacæ accepi Baſileà à Richnero Althæam [de qua iam habebam portionem nomine Althææ Thuringiacæ Camerarii, ni fallor, inter Cherlerianas Baſilea aſportatas] *folio* molli, hirſuto, vulgaris æmulo, pulchrè tamen laciniato, profundè & tenuiter ſerrato: *flore* maiuſculo, rubente, ſtilo apicibus ornato purpureis vel nigricantibus.

An Cluſio Pannon. Althæa laciniato folio ſiue tertia: & Hiſt. poſt. Althæa Pannonnica 4. cuius folia ſunt incana & mollia, in tres lacinias maiores diuiſa: flores etiam paulò minores [quā in Pannonica] Belgicæ floribus magnitudine reſpondentes; ſed colore differentes, nempe qui toti carnei ſunt ſiuē incarnati, multis intus ſtaminibus nigricantibus: cæterà vulgari ſimilia: gaudens humilis (in Pānonia) locis & ſecundum riuulos ſitis, florenſque Iulio.



Caſ. Bauh. Phyt. Althæa tertia, ſiue laciniato folio, tertia Cluſio.

## ALTHÆA FLORE GRANDI ALCEÆ, Thuringiaca Camerario.

DE hac Althæa flore grandi Alceæ; ſeu, vt in iconibus ab ipſo inſcribitur, Althæa Thuringiaca, dubitat Camer. hort. an altera ſit fortaſſis, aut tertia ex Pannonicis Caroli Cluſii? Sed dubii ſumus & nos, relinquimuſque aliis liberum certiora perquirere. An igitur Cluſii Althæa Pannonica 2. ſeu Altheæ aliud genus, quod licèt foliis totaque reliqua facie cū vulgari conueniat, maiuſculos tamen flores habere videtur? An verò Althæa Pannon. 3. vel tertium Althææ genus, de quo ſub præcedente diximus? *An Althæa 2. aut 3. Cluſii.*



Caſ. Bauh. Phyt. Althæa 2. ſiue flore maiore. Althæa altera Cluſii. Althæa Thuringiaca Camer. Hanc D. Doldius Norimbergâ miſit: ac ſimilem Monſpelio à Io. Henrico Cherlero habemus.

## ALTHEÆ SPECIES VVLGARI ſimilis.

ALthæa Pannonica tertia Cluſii hiſt. poſt. forma non valdè diſſimilis Pannonicæ 2. (ſiue flore grandi,) ſola in floribus differentiā, qui minores ſunt, vulgaris tamen floribus aliquantulùm maiores: *Deſcriptio.*

## ALTHÆA ARBORESCENS

Deſcriptio



IN arbuſculæ proceritatem excreſcit Althæa, ob id arboreſcens dicta, *ſtipitibus* lignoſis firmis, cortice tomentoſo veſtitis: *folia* Maluarum minorum magnitudine, aliàs leuiter ſinuata, aliàs Althææ modo, in nonnihil oblongas lacinias cæſa, candicantia, lanuginoſa, pediculo ſatis longo, villoſo, nixa: ex quorum alis exoriuntur *flores* Maluæ vulgatioris ſuccedæ pares, purpuraſcentibus vnguibus & ad radicem hirſutis, folioſo hirſuto calyce, in quo poſtea orbiculis circumactorum *ſeminum* nigricantium pellicula alba contectorum ſuccreſcit.

Synon.. *Althæa frutex Cluſii*

Lobel. Obſ. Althæam arboreſcentem, ſeu Althæam fruticem Cluſii eandem ſanè exiſtimat, cum Althæa arboreſcente in Aduerſariis deſcripta. Cluſius autem ſuam Althæam fruticem 1. ſeu Althæam fruticantem, à Lobelii Althæa arborea

*Lob notatur*

differre ſcribit, ac ait. Quam Lobelius Althææ arboreæ nomine exhibet, ea nobis aliquando Mechliniæ ſemine peregrè miſſo prouenit, ſtolonibus ſingulis annis Hyeme marceſcentibus, &c. Aſt ſemen quod miſſum Cluſio, non fuit Althææ arboreæ Lobelii, ei enim ſtolones non pereunt Hyeme. Ea de qua loquitur Cluſius eſt Alcea Cannabina. Scio ipſum perſeuerare in ſua opinione & Cannabinam ſuam ab ea ſeparare, quam Lobelii putat arboream: an benè iudicent alii, de Cannabina plura ſub Alcea.

*Alcea cannabina Cluſius reprehenditur*

Idem rurſus Lobel. in Icon. plant. diuerſas ſtatuere videtur, ſiquidem eas ſeparat, ac ſub diuerſis titulis ſculptas proponit. Nunc enim Althæam arborem Olbiæ in Gallo-prouincia: nunc fruticem Cluſii, vocat.

Conſuluit ſibi hac in parte Compilator Hiſt. Lugd. qui Cluſii Althæam fruticem 1. & Penæ & Lob. Althæam arboream, eâdem tabellâ comprehendit, ac Althæam lignoſam Dalechampii cognominat.

*C. B. not.*

Contrà, ſed malè Caſp. Bauh. Phyt: Althæam 4. ſiue fruteſcentem folio rotundiore incano: Althæam fruticem Cluſii & Lobel. in Obſeru. Althæam lignoſam Dalechampii, ab Althæa ſua 5. ſiue Althæâ arboreſcente folio acuto, Althæâ arborea Olbiæ Aduerſ. ſeparat, ac dicit: Hanc licèt Lobelius cum præcedente eandem faciat, diuerſa tamen eſt: vtramque habemus: huius enim flores minores, folia etiam non vt præcedentis mollia nec rotunda, ſed acuminata &c. quod ex figura facilè eſt colligere. *Sed ſi* C. Bauh. figuram Lobelii in Aduerſariis diligentiùs conſideraſſet, deprehendiſſet vtique eam non eſſe bonam, ſicuti plures minùs bonas habet. Sunt nobis rami ab ipſo Lobelio dono dati nomine Althææ lignoſæ propè Hieres ad iuſtam arborem prouenientis, in quibus folia ſuperiora in tres partes acutas diuiſa, in cæteris non differentia: mihi data etiam per Valerandum Doutez, & ea, quam hactenus obſeruaui, ita vt mihi perſuadeã, ac cum ipſo Lobelio, cui potiùs credendum ſe interpretanti; eandem Lob. in Aduerſ. & Cluſii: variare autem arboream Althæam etiam in eadem planta vt faciunt cæteræ Altheæ ac Maluæ. Flores in pictura Aduerſ. ex ſicca planta malè picti ſatis demonſtrant non minores fuiſſe, quàm in Cluſii figurâ: nec etiam ſi rami ex planta quæ in Prouincia prouenitſet paulò minores haberet flores, ac folia minùs mollia, ſed paulò rigidiora, hoc faceret differentiam: vidimus quotidie quantùm immutentur apud nos plantæ, quorum ſemina ex calidioribus regionibus delata: anni quoque tẽpus facit mutationem.

Aliquando recepi Lutetiâ à Domino Raſſe ſemen cum hac inſcriptione: Althæa frutex, ex quo aſſeres magni ex Oriente flore rubro: fortè floris color, præter magnitudinem aliud genus à præcedenti denotat.

Tabernæ Hiſt. & Ic. in quibus mutata eſt nonnihil prior icon, vnius plantæ, Althææ arboreſcentis Lobelii, & Altheæ arboreſcentis Cluſii, duas habet figuras, cùm tamen vnica ſuffeciſſet.

*Tabern not.*

Collegi Stutgardiæ in horto menſe Nouembri ſemina, quæ Montbelgardi in horto Ill. E.C. ſata, ex quibus excreuerat ad altitudinem duorum hominum pulchra ſanè arbor quæ hieme domo tecta conſeruatur, & folia retinet, & denuò Maio floret. Eam etiam vidi Pfortzemi D. Grüningeri in horto pharmacopœi. Baſileæ apud Dominum Zvvingerum: Lutetiæ in horto Robini noſtri: Quibuſdam in locis, teſte Lobelio, & feruidiore cœlo [quale in marinis Gallo-prouinciæ ad Olbiam] prouentu tanto fruticat, vt ad ſepes conſtituendas ſatis ſit. Tantùm iuxta vrbem Horiuelam extremis limitibus Valentini regni Murciano finitimi obſeruauit Cluſius, Martio florentem, an verò perpetuâ eſſet fronde, cùm Hiſpanicarum ſtirpium hiſtoriam ſcripſit, ignorauit. Multis autem pòſt annis, ex ea ſtirpe, quæ à Ioh. de Caſabona miſſa Francofurti ad Mœnum nata eſt, deprehendit plantam folia non abiicere niſi aliis nouis enatis; vt pleræque ſtirpes perpetuâ frõde virentes facere ſolent. Frigidioribus etiam locis hyemem perfert.

*Locus & Tempus*

## ALTHÆÆ SPECIES, QVIBVSDAM ARborea altera, vel Bryoniæ folio.



ANno 1601. prouenit nobis in horto Montbelg. foliis rotundis quæ repoſita hiemem pertulit & excreuit anno 1602. ad altitudinem hominis, foliis & floribus paulò minoribus: caule ex viriditate lucẽte: ramis veluti farina aſperſis, quibuſdam ex ſuperioribus foliis ſubtùs magis candicantibus, quibuſdam

quibuſdam longiuſculis ſiue laciniis.

Anno etiam 1602. verno tempore ſata, ad altitudinem penè cubiti excreuit, cui folia ex longis pediculis rotunda, coloris Althææ, inſerna parte candidiore, caulis tomento candidus.

Althaa ... ex Clu- De hac fortè Cluſius hæc ſcribit. Nata forſitan hæc planta [ Althæa frutex 3. ] ſemine, quali me donabat ſuperiore anno Ioſeph. à Caſabona, Althææ arboris duorum generum appellatione, recens ab ipſo in Creta inſula collecto. Vni ex amicis quibus communicabam, prouenit planta, quæ ſequente anno, valdè adoleuit: nam ramos protulit bicubitales, cortice viridi tectos, cui inſperſa eſt plurima incana lanugo, ſeu potiùs tomentum, vt in priore quod deſcripſi genere: folia etiam habet incana, anguloſa, & per oras dentata, illis tamen maiora: flores minores, Althææ vulgaris florum magnitudinem vix ſuperantes, quinque foliis cōſtantes, inſtar reliquarum Maluarum, coloris rubri valdè diluti, & ad carneum (ſi ita vocare licet) inclinantis, multis ſtaminibus ex albo palleſcentibus, in oblongiuſculo & craſſiuſculo ſtilo naſcentibus, & vmbilicum occupantibus: floribus defluentibus ſuccedunt plana capita, vt in vulgari Malua, ſemen in orbem ſerie quadam diſtributum continentia.

...on. ...mer. not. An Camer. Hort. Althæa arboreſcens, vel potiùs fruticoſa perennis planta, alia ab Hiſpanica Cluſii, & fortaſſis eadem cum Prouinciali Penæ, ſed non exquiſitè picta. *Ego* Hiſpanicam Cluſii & Penæ eandem puto, diuerſam ab hac, nec hanc etiam ad Tabernæmontani arboreſcentem refero, ſub cuius inſcriptione eam anno 1595. Heidelbergæ communicatam memini.

C. Bauh. phyt. Althæa 6. ſiue ſruticans foliis Bryoniȩ perennis. Ramum ex horto Domini Camerarii ad nos miſit, inquit is, Doctor Doldius arboreſcentis ſemperuirentis nomine, cuius etiam fit mentio in horto Camerarii p. 12. Altheæ arboreſcentis nomine: at ne quis cenſeat eandem cum Althea arborem Olbiæ Lobelii.

...tus & ...mpus. Mihi miſſum ſemen per Dominum Chriſtophorum Schvvartz Stutgardiâ inter ſemina quæ pro Creticis miſerat: Dominus Caſabona idem mihi tranſmiſit, cui titulus erat, Althæa arborea 2. ex Candia, ſoliis ad ſatis amplam magnitudinem excreſcentibus. Argentinæ vidi in horto D. Friderici Meier florentem Septembri, Montbelgardi in horto Ill. E. C. prouenit, & repoſita ſequenti anno floruit Auguſto, Septembri, & Octobri, ſed ſemen non maturuit propter Aeſtatis & Autumni pluuioſam conſtitutionem.

## ALTHÆA SIDA DICTA QVIBVSDAM.

...criptio. Sidæ nomine planta folium habet circumſcriptione Abutili putati, ex rotundo in acutum mucronem deſinens, delicatum, molle, villoſum, & per ambitum ſerratum. Flos magnus Maluæ roſeæ florem æquat, oblongus in ſicca planta, ſtaminibus in medio longis, colore præditus, vt volunt Aduerſaria, purpureo, ſaturatiore quàm Pæoniæ aut Maluæ ſatiuæ, aut Cytini, iuxta & in ſummis *cauliculis* viſuntur tempore vindemiarum vtriculi rotundi, oblongi, phęo, vel pullo colore, Ariſtolochiæ effigie, prægnantes Smyrnii ſemine, aut Milii colore & magnitudine. Radix hortenſis Maluæ: *caulis* cubitorum duorum.

...am Dodon. Lat. in ſolio, Althea 2. Altheæ peregrina quædam ſpecies apud Belgas tantùm hortenſis: fructu tuberoſo, totundâ ferè ac globoſâ, quinquangulari tamen ſpecie: radice quali Althea. Nonnulli, inquit, Sidam eſſe volunt. Sed quia Sida aquatilis eſt ſtitps, capite quàm papaueris maiore, vt Theopht. teſtatur lib. 4. ideò Sida Theophraſti ad Nymphæam referenda. Sida non eſt!



Lob. & Pena Adu. Althæa paluſtris. Cytini flore, Sida Theophraſt. exiſtimata. Obſeru. Althæa paluſtris Cytini flore. Et: Althæa hortenſis Dodon. Sidæ Theophraſti propior paluſtris planta. Ic. Plant. Althæa paluſtris Cytini flore, Ariſtolochiæ vtriculis. Althaa paluſtris

Figura Lobelii nullam plantæ quam hîc tradidimus partem benè exprimit, Lobelium tamen intelligere plantam de qua agimus ſatis apparet, cùm ait, Althæam eſſe hortenſem Dodon. apud quem figura mihi placet. Lobelius taxatur

Nec meliorem Lobelio Tabern. Icon. & Hiſt. nomine Altheæ paluſtris, Waſſer Eibiſch/ exhibet. Tabern. not.

Caſp. Bauh. phyt. Althæa 7. ſiue paluſtris. Sida Theophraſti maior Bembi.

Nobis prouenit in horto Ill. E. C. Montbelgardi: verùm non floruit: aliquot annis repoſita durauit, quotannis caulibus exſiccatis. Locus

## ALCEA ARBORESCENS GLABRA; Ketmia dicta.

Fruticis modo aſſurgit, *ſtolonibus* lignoſis, cortice nigricante obductis, quali etiam veſtiti rami, in quos ſtolones diuiduntur: his nullo ordine diſtributa adnaſcuntur *folia*, anguloſa, in paucas lacinias diſſecta, in ambitu ſerrata, ſupernè admodum viridia, infernè quodammodò palleſcentia: ſummis ramis innaſcuntur *flores* Roſæ inſtat ampli, elegantes, quinque foliis conſtantes, albis, quę multis purpureis venis prædita ſunt vngues purpura floridiore, quàm in Deſcriptio



Sabdariſæ flore, ſ in ſecti : ex vmbilico prodeunt multa *ſtamina* flaua, & ſtilus albus multifidus. *Semen* non vidimus. *Radix* craſſa, longa, intus, vt & caulis albicans.

Synonyma Camer. hort. Alcea arboreſcens, cuius duplicem inter icones figuram habet eodem nomine, ac eius Rauvvolfium meminiſſe dicit in ſuo itiner. nomine, Maluę arboreſcentis: Ego autem huc non refero Maluam arboream Rauvvolfii, ſed ad veram Maluam.

*Sida minor.* C. Bauh. Phyt. Althæa paluſtris ſeptimæ altera, flore minore cæruleo &c. Eidem Alcea 3. ſiue arborea. Alcea arboreſcens Camerarii, quorundam Keſmia Syrorum dicta. Item: Alcea 7. ſiue Syriaca Lutetiâ habita à Robino. Hæ mihi vna planta non tres, donec demonſtretur diſcrimen.

Imper. *Chetmio* planta Syriacè dicta ſpecies Alceæ, fruticoſa, quæ in Syria colitur ad oculorum oblectationem. Chetmio planta Syriaca & Cretica ſpecies Alceæ arboreſcentis. Cluſ. Althæa frutex 2. Ratum & elegans, ſeu tertium Althææ fruticantis genus.

Locus & Tempus. Pulchram hancce plantam primùm vidi Lutetiæ in horto Ioh. Robini hortulani regii. Poſtea nomine Ketmiæ in horto D. Frid. Meyer Argentinæ. Vidi in horto D. Iacobi Zvvingeri Baſileæ: ac eius ramum habeo cui Frater Caſp. Bauhinus

*Sida minor* aſcripſit nomen *Ketmia* & *Sida* minoris Theophr. Bembo.

## ALCEA PENTAPHYLLI FOLIO vel Cannabina.

Deſcriptio. 

HErba hæc hominis altitudinē excedens, *coliculis* eſt aſperis, lentis, in plures ramulos diuiſis : *folia* Cannabinis ſatis ſimilia, ex pediculis breuioribus, in tres partes ſecta longas, mediam longiſſimam, reliquas vtrinque breuiores, quæ ſæpè iterum in minores ſubdiuiduntur: ſic non tantùm tripartita, ſed modò quinquepartita, diuerſimodè crenata, hirſuta, nigricantia, minùs aſpera Cannabinis, ſapore viſcido : *flores* interdum ſinguli, interdum bini ex longis pediculis vel ramulorum potiùs extremitatibus, Alceę vulgari ſimiles, minores tamen, quibus excidentibus ſuccedunt *capitula*, qualia in Malua vel Alcea, parua, foliolis obuoluta, in quibus *ſemina* Maluæ criſpæ, nigra: *Radix* perpetua, cuius pars vna maior, aliæ minores, extrà & intùs alba, guſtu admodum viſcido.

Synonyma. Quamuis Alceæ alteri ſatis conueniat Alceæ deſcriptio apud Dioſc. & Plinium, magis tamen videtur Cæſalpino conuenire Cannabis ſylueſtris.

Camer. hort. Alcea Cannabina, ſecundum nonnullos Cannabis ſilu. Dioſc. *Cannabis ſilu.*

Lob. & Penæ Aduerſ. & Icon. Plant. Alcea fruticoſior Pentaphylli folio. *Alcea cannabina.* *Alc. Pentaphylli fol.*

C. Bauh. Phyt. Alcea 6. ſiue Cannabina, Cannabis ſilv. Dioſcoridis.

De hac Cluſ. in Hiſp. & Hiſt. poſt. in fol. ſcribit, nomine Althææ arboreæ Lobelii. Quam doctiſſ. inquit, Lobelius Althææ arboreæ nomine exhibet, ea nobis aliquando Machliniæ nata ſemine peregrè miſſo, feliciter prouenit, atque ex radice craſſâ lentâque, qualis in Althæa vulgari, duriore tamen & quodammodò lignoſa ſummâ parte, aliquot ſtolones protulit humanæ proceritatis, qui adueniente brumâ marceſcebant, ſingulis deinde annis nouo vere plures protrudebant: flores Auguſto demum producentes, ſemen Septembri: quo à ventis excuſſo & deciduo, aliæ etiam ſtirpes ſpontè renaſcebantur. Quod verò non ſit Lobelii Althæa, quod ſibi falsò perſuadet Cluſius, vel ex eo manifeſtum ſit, quòd in Lob. Althæa ſtolones non marceſcũt, niſi tota plãta ſimul pereat. Et licèt ab hac Alceam fruticoſam cannabino folio capite ſequenti ſeparet, ei tamen aſſentiri non poſſum, quamuis quod de flore maiore ſcribit noſtræ plantę non conueniat. Cæterùm Icon, quàm proponit Cluſius, eſt eadem cum icone Cannabinę Alceę Lobelii. *Althæa arborea Lobelii Cluſio.* *Cluſ. taxatur.*

Nata mihi eſt in horto Ill. F. C. Montbelgardi, ex ſemine Patauio à Cl. viro D. Iac. Antonio Cortuſo miſſo, nomine Cannabis ſylueſt. quorũdam addente, nec Altheam, nec Alceam eſſe. Semen maturat Auguſto & Septembri, quo tempore florentem adhuc obſeruaui. Miſſum eſt & eius ſemen Stutgardiâ nomine Alceę Venetę. Primùm autem viſa mihi eſt in horto D. Cortuſi. Locus & tempus.

## ALTHÆA THEOPHR. FLORE LVTEO, quibuſdam Abutilon.

Deſcriptio. 

CVm Althęa vulgari de mollitie palmâ certat, quod *Abutilon* vocat, *radice* paruâ, albâ, fibris aliquot adnatis donatâ, ſubdulci : *caulis* foris tomento molli totus eſt obſitus, pingue quid attrectantis manibus allinens, incanus: cortici, qui facilè delibratur, ſubeſt lignum Saligni inſtar, candidum & durum, medullam ſucculentam viridem continens. ex caule *folia* nullo ordine naſcuntur, pediculis palmaribus, & minùs lata, circinatæ rotunditatis, niſi in mucronem acutiorem deſinerent, lanugine incanâ & inſigniter molli obducta : ex horum alis rami producuntur : indidem *flores* itidem prodeunt, Garyophyllatę aquaticæ, intensè crocei, ſtriati, è quinque foliis compoſiti, medium occupante apiculorum

radice duntaxat expreſſus. Ipſa verò decocta pernionibus occurrit. Albæ ſuccus epiphoras ſedat fronti illitus: aluminis pauco admiſto ignem ſacrum, ſine oleo trita ſcilicet, aduſtis medetur. Et contra eruptiones papularum, coctâque eadem contra vlcera quæ ſerpunt, illinitur, & alopeciis cruda, & vlceribus quæ in capite manant. Succus eius cum melle naribus inditus caput purgat. Coquitur & cum lenticula addito aceto, vt ventrem molliat. Validiùs cocta fluxiones ſtomachi ſiſtit, & ventris.

Vires ex Galeno

Galeno verò authore ſuccus Betarum tergendi vim habet manifeſtam adeò, vt ventrem ad excernendum incitet, & ſtomachum interdum mordicet, præſertim quibus naturâ ſenſu exactiore præditus eſt: ob idque edulium id ſtomacho eſt noxium, ſi largiùs ſumatur: corpori autem ab ipſa, vt ab aliis oleribus, paucum alimentum accedit. Verùm obſtructum hepar Maluâ magis aperit, & multò magis ſi cum Sinapi aut omninò ſaltem cum aceto mandatur. Lienoſis item eodem modo ſumpta eſt vtile medicamentum. Et, Beta nitroſæ facultatis particeps eſt, quâ tum digerit, tum exterget, & per nares purgat. Cæterùm cocta nitroſitatem omnem exuit, fitque leuiter diſcutiens. Porrò ad detergendum digerendúmque validior eſt Beta alba: nam nigra adiunctum habet quidpiam adſtrictionis, & magis in radice quàm in aliis partibus.

Obſtructio hepatis

Ex Simeone Sethi Betæ ſuccus mediocriter abſtergit, ventrem etiam ad effluxum proritat, & ſtomachum aliquando vellicat, eorum præſertim, qui hûc valdè ſenſibilem habent. Quapropter edulium eſt ſtomacho infeſtum, ſi plurimum comedatur. Exiguum eſt eius alimentum ſicut cæterorum olerum. Vtilis verò eſt ad iecoris obſtructiones cum aceto comeſta. Pari modo ſi edatur, & lienis obſtructionibus bonum fit medicamentum. Conſtat autem Beta ex contrariis facultatibus: ſuccus enim eius calidus eſt, ventrem conſtringit, & ſitim adfert. Eius verò corpus craſſarum partium, flatuoſum, concoctu difficile, & frigidum, ventrémque ſiſtit: maximè ſi aqua in qua coctum eſt, ſubinde abiiciatur.

Ex Simeone Sethi

Obſtructio lienis

Ad Betarum coctùram vinum & piper expeti ſcribit Martialis his verſibus:

*Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ*
*O quàm ſæpè petet vina pipérque coquus.*

Frigentia ...

Præterea eiuſdem Betæ radicibus conditis vtuntur. Conditur autem Beta in aceto hac ratione, cum foliis & radicibus integrum eradicandum Betæ olus, aquâ deinde benè, necnon etiam cultro mundandum: In aqua ex hoc ebulliendum; & tranſuerſim in particulas ſecandum, poſito verò in vaſe aliquo figulino, aquâ reiectâ, ſale carni vel granis Iuniperi condies, his ſuperinfuſo aceto, cyato vno atque altero pleno, pro Betæ quantitate.

Betæ condienda ratio

Nihil in culinis Beta hortenſi frequentius eſſe teſtatus eſt Tragus. Nam in cibo vſurpatur. Temperamento calida eſt Beta, maximè quod ad radicem attinet, id quod hinc manifeſtum fit, cùm enim ſuccus naribus excipitur, adurit, & ſternutamenta proritat. Beta in cibo ſicut Spinachia parata facillimæ eſt concoctionis, iiſque inprimis conducit qui ſtomachi imbecillitate laborant. Betæ hortenſis plantulæ recentes cum radicibus leuiter bullitæ, & ex aceto poſtea deuoratæ cibi appetentiam adferunt, ſitim compeſcunt, choleram in ventriculo reprimunt. Debet verò eiuſmodi cibus æſtate potiſſimùm vſurpari.

Temperā.

Bayrus emplaſtro è radicibus Betæ curat achores.

Emplaſtrū

## BETA CRETICA SEMINE SPINOSO.



BEtæ Creticæ *folia* noſtrati non multùm diſſimilia, niſi quòd vix ad eam magnitudinem quantùm obſeruare licuit, proueniunt, cęteroqui ſatis carnoſa, per extremum rotunda, aut ſaltem obtuſa, iuxtà pediculum anguſtum nonnihil alata: *floſculi* parui, lutei, ſpicati in ramorũ extremitatibus: *echini* circa caulem naſcuntur ex foliorum alis in tres ſpinas radiatas deſinentes, coſtis pulchris donati, tranſuerſiſq; cancellis reticulati, quorum vnicuique *ſemen* ineſt vnum oblongum, pellicula ruffa tectum, medulla alba. *Rami* multi cubitales vel minores ex radice annua ſupra terram ſe extendunt.

Si hæc non iam vſurpaſſet nomen Betæ, ad Lapathum vel Spinachiam potiùs referrem. Caſp. Bauh. phyt. Beta 6. ſiue Cretica ſemine aculeato. Lapathum

Betam Creticam ſemine ſpinoſo vidi Baſileæ 1595. Auguſti fine ſemine maturo in horto Domini Iacobi Zvvingeri, quod attuli ſerendum Montbelgardi in horto E.C. quod prouenit. Accepi etiam à D. Phil. Seb. Sprengero nomine Betę ſpinoſæ Candiæ. Locus & tempus

## BETA LATICAVLIS MONSTROSA.

ADmirandæ Betæ πλατύκαυλος, quam H. Lugdun. picturâ exprimere curauit, cuius caulis eſt quatuor digitos latus, circa quem parua ſunt folia, & quem totum ſemen operit, ſed in eius faſtigio ita denſum: vt caulis proſpectum adimat. Aliquando propè D. Ramberti oppidulum Allobrogum in pingui quodam prato talem vidit Dalechampius ſilueſtris Cichorii caulem. Deſcriptio

C. Bauh. phyt. Beta 7. ſiue lato caule.

Nos quia in monſtroſis plantis numeranda eſt, eam meritò à præcedentibus ſeparauimus; nec pingendam quidem eſſe duximus.

## SPINACHIA MAS ET FOEMINA.

FAtuo guſtu tota eſt planta: *radix* tenuis, alba, *folia* Dentis Leonis, latiora, profundè ſinuata, minùs tamen crebris laciniis, pinguiuſcula, & farina tenui Atriplicis modo reſperſa: *caules* fiſtuloſi, ſtriati, in alas diuiſi: *flores* in alis & caulibus, à medio ferè vſque ad faſtigium, creberrimi Deſcriptio

ſi, ex herbido purpuraſcentes: *ſemen* aculeatum, &, vt nomen docet, ſpinoſum: aliàs Lentis modo compreſſum, orbiculatum & innocens.

*Veteribus incognitum olus*



Hoc olus Veteribus (quod mirum eſt) incognitum fuiſſe videtur, cùm de eo nihil illi, quod legatur, literarum monumentis tradiderint: vel forſitan quòd cibo, quàm medicinæ potiùs natum eſſet, nec quicquam illuſtre ſortitum, ob id ingenii ſegnitie obſcurum, vel quòd, vt conjici poteſt, nondum in vſum vulgi, literatorúmque cognitionem eo ſæculo venerat, qui eorum quæ ſuâ fuerunt memoriâ, prorſus intactum nihil intentatúmque reliquerunt. Non enim ſilentio tam frequens olus abolêre voluiſſent, ſed potiùs celebratum in lucem prodere. Monſpelii præceptor Rondeletius, Blitum Veterum vocabat, quæ opinio mihi non penitùs diſplicet.

*Blitum Veterum*

*Olus Hiſpanicum*

Trago Hiſt. Germ. & Lat. vocatur Olus Hiſpanicum, Spinachia altera ſeu vulgaris. & Spinachia ſilueſtris. Seutlomalachen, inquit Ruellius, recens Græcia fecit olus, quaſi dicas Maluaceam Betam, quòd, vt reor, parentum adulterio natum exiſtiment, Veteribus inauditum, fortè quòd figura, & dēticulato ſeminis habitu Betam, & mollitia Maluam mentiretur. Sed fortè Seutlolapathum, ait Geſn. hort. hoc eſt, mediæ inter Betam & Rumicem naturæ, potiùs quàm Seutlomalachen appellandum. Spinachiam manifeſtum habere ſexum ſcribit Scaliger. Conjicio autem marem ab eo intelligi illum, cuius ſemen ſpinoſum eſt: fœminam ſine ſpinis. Ab his non penitùs diſſona ſunt, quæ apud Camer. hort. & Hiſt. Lugd. leguntur. Spinachiæ genera duo, ſatiuum, & ſilueſtre. Satiui item duo, mas & fœmina, Mas ſemen fert, Fœmina floret quidem, ſed ſeminis infœcunda ſterileſcit.

*Seutlomalache Ruell.*

*Seutlolapathũ Geſ.*

*Sexus Spinachiæ*

*Genera Spinachiæ*

Spinachia deſcribitur & pingitur à Lob. & Penâ Adu. Obſ. Ic. plant. Dod. Hiſt. Lugd. Fuchſ. qui & Spinacium olus vocat. Brunfelſſio. Camer. in Hort. & Hiſt. germ. Matth. qui Spanachiũ inſcripſit. Tabern. Ic. & Hiſt. Amato, atque Matthiolo.

*Rumex domeſticus*

*Lapath. hortenſe*

*Amatus & Cæſalp. hallucinantur*

Amatus quidem domeſticum Rumicem ſiue hortenſe Lapathum, Spinachiam noſtram eſſe ſibi falsò imaginatur, quod & Cæſalp. ſentire videtur. Quare meritò Robert. Conſtant. eum hallucinari ſcribit dum ſine autoritate aut ratione hoc contendit: Conſtantino in eo adſtipulantibus Grapaldo & Matthiolo.

*Boulapathũ non eſt*

Falluntur & ii, qui Plinii Boulapathon apud Dodonæum eſſe exiſtimant: Lapathi ſiquidem genus Boulapathon eſt: radicis tantùm altitudine ab aliis differens, vt ipſe refert. Nec quoque Hippocratis Blitum eſt, quod veluti linguam eſſe ſcribit lib. 2. de morbis muliebr. Nam inter ſubdititia iſtud refertur, quæ rubrum fluxum muliebrem reprimunt ac ſiſtunt. Talis autem Spinachiæ facultas haudquaquam eſt adſtrictione omni carens. Nec eſt Chryſolachanum, vt vult Monardus.

*Non eſt Blitum Hippocratis*

C. Bauh. Phyt. Lapathum hortenſe alterum, ſeu Spinachia ſemine ſpinoſo. Idem apud Matth. Atriplex 2. Lapathum hortenſe alterum, Spinachia mas quibuſdam. Item Phyt. Lapathum 4. ſiue hortenſe alterum, ſeu Spinachia ſterilibus. In Matth. Spinachia 3. ſterilis.

*Nomina linguarum.*

Spinachia ſiue Spinacia & Spinaceum olus, quod Latini appellant, σπανάχιον recentioribus Græcis dicitur, ab Arab. & Serap. Hiſpanac: à Germ. Spinet oder Binetſch: Belg. Spinagie: Gall. *Eſpinoches ou Eſpinars*: It. *Spinaci & Spinace.* Hiſp. *Eſpinaca*: Angl. Spinache: Boh. Spinak:

Spinacia quidem & Spinaceum olus ab inſigni ſeminis ſpiculorum nota, quòd tam glabræ, & mollis herbæ ſemen in ſpinas occaleſcat. Σπανάχια verò ſumpto nomine à raritate, quòd rarò illo medici vterentur. Quibus hæc vocabula diſplicent, Atriplicem Hiſpanienſem vocant, Mauritani *Hiſpanach*, id eſt, Hiſpanicum olus, fortaſſe quòd inde primùm duxerit originem, ad cæteras tandem nationes tranſlatum: quidam Seutlomalachen.

*Locus & tempus.*

Spinachiam colimus Montbelgardi in horto E. C. marem & fœminam. Paſſim in hortis ſeritur nullum ſolum reſpuens, cùm Martio & alio tempore, tum Septembri menſe, exeuns ſeptem à ſatu diebus, folio primùm triangulo, molli, mox intubaceo, non horrens Hiemis frigora, quæ ſi iniqua nimis, Iuglandis foliis conſeruantur: vt Vere cibum ſuppeditet, quo tempore ſemē profert: Hieme enim reſtat: Martio verò ſatum intra duos menſes perficitur, hinc Iunio & Iulio flores & ſemen edit.

*Cultura*

*Vſus*

In culinis, teſte Trago, nihil ferè frequentioris eſt vſus, pultibus ex Spinachia recenti confectis. Temperamento illa frigida & humida eſt, cibo & medicinæ accommoda. Pultes Spinachiæ aluo aſtrictiori proſunt, poteſtque id oleris in omni pene ægritudine cibo deligi, nam meo iudicio inter omnia culinaria olera Spinachia laudatiſſima eſt, & gratiſſima. Spinachia aluum emollit, gutturis aſperitati medetur, & aridæ tuſſi confert, teſte Conſtant. Succus & aqua diſtillata Spinachiæ pota, calorem reſtinguit, ſtomachi roſiones mitigat, & lac elicit. Spinachia cataplaſmatis inſtar ſtomacho & epati impoſita, inflammationibus illarum partium prodeſt, doloremque tollit. Eadem ictibus ſcorpionum, & aranearum impoſita ſuccurrit. Spinachia primæ refrigerantium & humectantium claſſis, nec omninò vacat nitroſa qualitate Camer. Aluum emollit, melius Atriplice ſuppeditat alimentum, ſed aluo parum hærens facilè exigitur. Flatus colligit, & vomitiones concitat, niſi excrementitius humor abiiciatur: ventrem decocti iure proluit. Citra aquam coquitur hoc olus, quòd magnam vim humoris inter coquendum remittat, & veluti proprio contentum iure alienum aſpernetur. Bibitur eius ſuccus ad ſcorpionum & aranearum ictus, ac etiam vulneri illinitur: quinetiam cocta lenit exaſperatas fauces: ſed nauſeam facilè parit, niſi Zinzigere, aut alio conſimili condiatur: Recipitur & inter cruda acetaria recens enata.

*Temper.*

*Vomitum mouet.*

SPINACHIA SEMINE NON PVNGENTE, Folio maiore rotundiore.

*Deſcriptio*

Longè maior maioribuſque eſt *foliis*, quàm Spinachia vulgaris, nec non rotũdioribus, cæteroqui

cæteroqui

Beta candida.



Deſcriptio

Beta nigra.



Beta radice rubra craſſa.



...t.a nigra
...bra
...ta rubra
...dice craſ-
...ia ſpecies

ctenus recenſitis externæ faciei neceſſitudo intercedit. Verùm cùm & ipſę emollientes ſint & holeraceæ hîccollocare voluimus.

Beta quam ex radicis & foliorum argumento *cãdidam* vocãt, *radicem* lignoſam habet minimi digiti craſſitudine, mediocriter lõgam, candidam: *folia* dilutiùs virent, Lapathi, craſſa & ſucculenta, ſapore nitroſo: *caulis* duos cubitos altus, aut etiam maior, gracilis, ſtriatus, multis alis concauus: in quibus longa ſerie *floſculi* exigui, ex foliorum alis, apicibus luteis conſtantes, quinis calycum foliolis obuallati: *ſemen* rotundum, & criſpa ſuperficie aſperum, fuſcum. Huic perſimilis *Nigra* dicta, foliis breuioribus, atrovirentibus. Itemque & ea quæ vulgi *Rubra* eſt, foliis rubentibus. At *Rubra* alia non tantùm foliorum diſcrimen agnoſcit, ſed & radice quę ventrioſa, Napi inſtar, intus foriſque ſangui-

neo colore ſatuto infecta eſt. Reperitur & *Lutea* à iam dicta radice buxeâ ſolùm differens. Ornant præter has Ill. E. C. Vvirt. hortum duæ aliæ: *Vna* albis, latiſſimiſque coſtis ornata: *altera* verò rubris, quarum ſemen Argentinâ miſſum, quæ facilè pereunt.

Dioſcorides & Galenus duo genera tantùm faciunt, *nigram* & *albam*. *Dioſcor. & Gal. genera*

Theophraſtus candidam ſapore præſtantiori eſſe tradit, pauciorúmque ſeminum, quam Siculam quidam appellauerint: caule carnoſo: radice ſingulari, & carnosâ, longâ, craſſâ & rectâ, vt Rhaphani: ſuaui, vt crudam nonnulli mandant. Silueſtris etiam meminit in genere Carduorum aculeatis foliis non conſtantis. *Candida Theoph. Sicula*

Beta hortenſiorum, inquit Plinius, leuiſſima eſt. Eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, *nigram & candidam*, quam præferunt, parciſſimi ſeminis, appellantque Siculam, candoris ſanè diſcrimine præferentes, vt Lactucam. Noſtri Betæ genera faciunt, Vernum & Autumnale, à temporibus ſatiuis: quanquam & Iunio ſeratur. Et mox rurſus, Mira differentia ſi vera eſt, candidis ſolui aluos modicè, nigris inhiberi. Item lib. 20.cap.8. Eſſe & Betam ſilueſtrem idem ſcripſit, quam Limonium [vt Theophr.] vocari tradit, & Neuroidem, multò minoribus, tenuioribuſque foliis, ac denſioribus, vndecim ſæpè caulium. Sed hanc Dioſc. non nouit, Limonium à Betis valdè diſiungens. Et Galenus ſilueſtrem non eſſe dicit, niſi quis Lapathum ſeu Rumicem ita nominare velit. Quibus verbis Galenus tam plauſibilem ac receptam Platonis ſententiam in Timæo ambiguam nobis effecit, ſatiuas omnes plantas olim fuiſſe feras, neque à ſe ipſis cultu differre. Cùm enim, inquit Scaliger, Lapathum à nobis multò ſtudio huius rei gratia cultum, nunquam induerit Betæ faciem, aut ſaporem, etiam nunc hæremus in illius ſententia, non omnem plantam mitem, fuiſſe priùs agreſtem. *Ex Plinio* *Bet a nigra & candida Sicula* *Limonium Beta ſil.* *Plin. refutatur*

Cæterùm, videas hodie qui ſe peritiſſimos vocari cupiunt, qui quid interſit inter Betam & Blitum, nec legendo in libro, nec in horto oculis manúue contrectando diſcernere queant. Apud Monachos in Meſuëm ita ſcriptum habetur. Herba quædam [Blitum Indicum] habet folia Betæ, ſiue, quod idem eſt, Bliti. Hos igitur Betam cum Blito confundere dubitationi nullus eſt locus. *Error grauis plurimorum* *Blitum*

Porrò varii varias ſilueſtris Betæ nomine inſcribunt plantas. Nam Limonium Tragi, quod Germanos Betam pratenſem [Wiſen Mangolt] vocare ſcribit, eſt Trifolium paluſtre Dodonæi, de quo lib.17. diximus. Betæ ſilueſtris ſpeciem facit Dodon. Lampſanam: eandem Lobelius Lampſanæ nomine depinxit. Betam ſilu. Biſtortam eſſe Geſner. in cat. pl. iudicat. Sunt etiam, qui Betæ ſilu. ſpeciem Pyrolam facere non verentur. Alii, vt Lonic. confundunt Betam ſylu. [Limonium Tragi] cum Pyrola altera. Myoſotis, Auricula muris, vt tradit Geſn. in cat. pl. exiſtimatur à Medicis Germ. Beta ſilueſtris. Aliis, vt Cæſalp. Beta ſilu. Plantago [maior] vocatur. Nonnullis, teſte Anguill. Plantago aquatica. Geſner. adhæc in cat. pl. Betæ ſilu. nomen Potamogeto adſcribit. Lapathum ait Galenus, licet appellare Betam agreſtem. Sed & Carduum pratenſem multi Betam ſilu. faciunt. *Trifolium paluſtre* *Lampſana* *Biſtorta.* *Pyrola* *Pyrola altera.* *Myoſotis* *Plantago* *Plantago aquatica* *Potamogeton.* *Lapathum* *Carduus pratenſis*

*Betam* primam nobiſcum appellant *candidam* Matth. [qui tamen hoc titulo nigram proponit, ex tranſpoſitione & incuria Typographi, & ex Matth. H. Lugd.] Trag. qui hanc agreſtem ſeu er- *Beta candida:*

raticam Betam cenſet:) Fuchſ. Dod.gall. & Lat. in fol. Cord.in Dioſcor. Lacun. Hiſt.Lugdun.& Schuvvenckfeldius. *Betam albam* Turn. Geſner. hort. Lonic. Lob.Obſ.& Ic.plant. Hort.Luſ. Camer. hort. Epit. & Hiſt. Matth. germanic. *Betam alteram* Cæſalpinus. *Betam* Brunſelſ. & Tragus pingens. *Betam* 1. *ſiue albam* Caſ.Bauh.ad Matth. in Phyt.4.

*Beta nigra 2. Matth. & Trag. not.* *Beta nigra* nominatur à Matth.(qui vti dictum hoc nomine albam pingit.) Trag. (apud quem perperam ſilueſtre Betæ genus creditur:) Fuchſ. Dodon. gall. Geſn.hort. Lacun. Caſtor. Hiſtor. Lugd. (quæ cum Matth. eam tranſpoſuit, ac candidam dicit:) Caſp. Bauh. phyt.& hort. Luſatiæ. Schvv. vocat *Betam nigram* à foliorum colore ex obſcuro magis virentium: Betam vulgatiorem: Betam rubram Dod.Lat.in fol.Lonicerus. *Betam* Taberna.

*Beta rubra 3.* *Rubra* meminerunt Brunſelſ. Tragus.Hanc inſcribit Lob.Obſ. Ic.plant.& Hiſt.Lugdun. Betam rubram vulgatiorem, Betam 2. ſiue rubram vulgarem. C.Bauh. phyt. & apud Matth.pro Beta 2. ſeu nigra pingitur.

*Beta rubra 4 radice craſſa* Beta rubra radice craſſâ ea eſt, quam Matth. nomine Ruſæ ita exprimit: In Germania tamen habetur & Rufa, non modò ſolijs, ſed etiam radice,quæ illi Raporum oblongorum magnitudine extuberat:colore adeò ruſeſcente, vt eius ſuccus viuum ſanguinem referat. Hanc Lob.Obſ.& Icon. Caſt. Geſn.hort. cui & Seutloſtaphilinum: Camer.hort.Epit.& Hiſt.Matth.Germ. & Schvv. cui etiam Rapum rubrum dicitur, *Betam rubram* vocant, Dodon.gall. & Lat.in fol. Betam nigram Romanam: C.Bauh.phyt. & apud Matth. *Betam 3.ſeu rubram radice craſſâ*: Corn.in Dioſc. Rapum ſatiuum rubrum.

Hiſt. Lugd. rectè vnicam deſcriptionem duabus figuris accommodat, non enim eæ ab inuicem differunt, licèt diuerſis titulis inſcripſerit. Vocat nunc Betam Erythrorhizon Dodonæi, nunc Betam rubram Matthioli. Fuchſius, inquit ea, inter Raporum genera recenſet, & Rapum rubrum vocat,cùm tamen Rapi ſpecies non ſit.

*Beta lutea 5.* *Beta lutea* traditur à Camer. hort. Eſt hæc ea, quam Geſn.hort.flauam nuncupat, Cæſalp. Betam 4.radice buxeâ. C. Bauh. Phyt. Betam 5. ſiue luteam.

*Corn. lapſus* Manifeſtè veritati contrariatur Corn. qui ſolùm ex radicibus, & non etiam ex foliis Betam albam & nigram dignoſci poſſe falsò contendit. Hoc quidem facilè verum foret, ſi omnes in re herbaria, vt ipſe, cæcutirent.

*Dorſth. taxatur.* Dorſthenium Betam nunquam guſtaſſe, ne dicam vidiſſe,credimus. Braſſicam ſiquidem pro Beta monſtrat.

Nomina linguarum. Quod olus Græcis ſimpliciter τεῦτλον, vel σεῦτλον vocatur, id Latinis Beta dicitur: Arab.*Decka* & *Celb*,Hebr.*Teradin*, Germ. Mangolt/pieſſen/Rómiſchkól/pießkól/ & Romgraß: Belg. Biete: Gall.*Bete,porree,reparee,& Iotte*,Ital.*bietola*, Hiſp. *Aſelgas*, Angl. Betis, Bohem. Manholt.Hung. Czekla.Cum adiectione verò, Gr. λευκὸν ἢ μέλαν τεῦτλον, Lat.Alba vel rubra aut nigra Beta, Germ. Rot oder weis mangolt: Belg.witte oder Roode Beete: Gall.*blanche ou rouge bete.* Angl.white oder Redde Betis. Particulatim verò Beta radice rubrâ,craſſa, Græcis τεῦτλον ἐρυθρὸν. German. Rott Mangolt/Rott Rüben, quaſi Rapum rubrum dicas, Beyeriſch Rüben. Rapa Bauarica, fortè quòd copioſa inibi aut creſcant,aut aliis præſtent, & Rotte Seclatwürtzen. Gall. *des Bendes rouges*, Ital. *Bietola roſſa.* σεῦτλον porrò Græci ab impulſu nominarunt: etenim cultus ratione quadam incrementum capeſcit arboris, neque vlli hortenſium latitudo foliorum maior. Betæ nomen ſibi adſciuit,quoniam figuram β literæ græcæ dum ſemine turget,referre videtur.Nam ſummitatem in cacumine reflexam obtinet. Id quod teſtatum nobis reliquit Lucius Columella in ſuo carmine de cultu hortorum ita canens:

*Nomine tum Graio,ceu litera proxima prima,*
*Pangitur in cera docti mucrone magiſtri:*
*Sic & humo pingui ferratæ cuſpidis ictu*
*Deprimitur,folio viridis pede candida Beta.*

Et quamuis Siculæ cognomēto Beta ſolummodò candida veniat, vt Theophr. & Plin. memoriæ prodiderunt, tamen nunc extritâ literâ vnâ, ferè omnibus noſtri ſæculi Medicis Sicla, omnis Beta nominari cœpit. *Sicla*

Betam ex cultu arboreſcere ſcribit Theophraſtus,germinare radicem à latere: Iulio, vt cætera, quæ Sementis poſtera vocent, ſerendam: æſtate ſexto, hieme decimo die erumpere: ex ſemine paucas prouenire anno primo, ſed longo tempore pòſt pullulare,anno ſc.ſequente & tertio, eas aquis ſalſis iuuari,& iis rigatas meliores effici. *Cultura*

Monſpelii colunt Betas valdè magnas albas & nigras, ſed vbique paſſim in hortis ſeruntur. Rubra verò radice craſſâ multùm in Germania prouenit: Omnes recenſitas differentias Montbelg.in horto Ill.E.C.VVirtemb. quondam colebant. *Locus*

Beta nigra, vt ſcribit Dioſcorides, coquitur cum Lenticula,vt ventrem ſiſtat, quod magis radice eius præſtatur (genus id cibi τευτλοφάκην Veteres appellarunt.) Candida aluo vtilis eſt. Vtraque tamen propter nitroſum humorem, quem habet in ſe, noxii eſt ſucci. Vnde ſuccus earum cum melle naribus inditus, caput purgat,aurium doloribus auxiliatur. Decoctum radicis & foliorum,furfures lendéſque deterget: perniònes fotu mitigat. Crudis foliis vitiligines nitro antea perfrictas, alopeciarum inanitates, ſcalpendo priùs exaſperatas, atque depaſcentia vlcera illini prodeſt.Eruptionibus papularum,igni ſacro,ambuſtiſque cocta medetur. *Vires & vſus* *Caput purgat ſuccus.* *Lendes* *Alopecia.* *Vlcera.*

Plinius de Betis, vt de olere & alimento hæc tradit. Vſus iis & cum Lente ac Faba,idémque qui oleris, ſed præcipuus vt lænitas excitetur acrimoniâ Sinapis: Medici innocentiorem quàm olus eſſe iudicauêre. Quamobrem appoſitam non nemini deguſtare etiam religio eſt, vt validis potiùs in cibo ſint. Gemina iis natura & oleris,& capite ipſo exilientis bulbi. (Nam cum foliis humi ſparſis caulis ex illorum medio prodire incipit, eius caput guſtu & calloſa quadam firmitate bulbo ſimile eſſe videtur.) Et paulò pòſt. Mira differentia ſi vera eſt, candidis ſolui aluos, modicè nigris inhiberi. Et cum Braſſica corrumpitur in dolio vini ſapor, odore Betæ foliis demerſis reſtitui. Sed idem alio in loco vſum medicum ex Beta præſcribit, tum ea quæ Dioſcorides, tum alia recenſens. Nec Beta ſine remedio eſt, vtraque. Siue candidæ ſiue nigræ radix recens & madefacta, ſuſpenſa funiculo contra ſerpentium morſus efficax eſſe dicitur.Candida Beta cocta,& cum Allio crudo ſumpta,contra tineas. Nigræ radices,ita in aqua coctæ porriginem tollunt, atque in totum efficacior eſſe traditur nigra. Succus eius capitis dolores veteres, & vertigines, item ſonitum aurium ſedat, inſuſus iis: ciet vrinam.Medetur dyſentericis iniecta, & morbo regio. Dolores quoque dentium ſedat illitus ſuccus. Et contra ſerpentium ictus valet, ſed huius *Vires ex Plinio* *Vinum odore Betæ reſtituitur.* *Serpentium morſus* *Tineas* *Vertigo* *Dyſenteria. Morb. regius*

radice

radice duntaxat expreſſus. Ipſa verò decocta pernionibus occurrit. Albæ ſuccus epiphoras ſedat fronti illitus: aluminis pauco admiſto ignem ſacrum, ſine oleo trita ſcilicet, aduſtis medetur. Et contra eruptiones papularum, coctáque eadem contra vlcera quæ ſerpunt, illinitur, & alopeciis cruda, & vlceribus quæ in capite manant. Succus eius cum melle naribus inditus caput purgat. Coquitur & cum lenticula addito aceto, vt ventrem molliat. Validiùs cocta fluxiones ſtomachi ſiſtit, & ventris.

*Vires ex Galeno* Galeno verò authore ſuccus betarum tergendi vim habet manifeſtam adeò, vt ventrem ad excernendum incitet, & ſtomachum interdum mordicet, præſertim quibus naturâ ſenſu exactiore præditus eſt: ob idque edulium id ſtomacho eſt noxium, ſi largiùs ſumatur: corpori autem ab ipſa, vt ab aliis oleribus, paucum alimentum accedit. *Obſtructio hepatis* Verùm obſtructum hepar Maluâ magis aperit, & multò magis ſi cum Sinapi aut omninò ſaltem cum aceto mandatur. Lienoſis item eodem modo ſumpta eſt vtile medicamentum. Et, Beta nitroſæ facultatis particeps eſt, quâ tum digerit, tum exterget, & per nares purgat. Cæterùm cocta nitroſitatem omnem exuit, fitque leuiter diſcutiens. Porrò ad detergendum digerendúmque validior eſt Beta alba: nam nigra adiunctum habet quidpiam adſtrictionis, & magis in radice quàm in aliis partibus.

*Ex Simeone Sethi* Ex Simeone Sethi Betæ ſuccus mediocriter abſtergit, ventrem etiam ad effluxum proritat, & ſtomachum aliquando vellicat, eorum præſertim, qui hũc valdè ſenſibilem habent. Quapropter edulium eſt ſtomacho infeſtum, ſi plurimum comedatur. Exiguum eſt eius alimentum ſicut cæterorum olerum. *Obſtructio lienis* Vtilis verò eſt ad iecoris obſtructiones cum aceto comeſta. Pari modo ſi edatur, & lienis obſtructionibus bonum fit medicamentum. Conſtat autem Beta ex contrariis facultatibus: ſuccus enim eius calidus eſt, ventrem conſtringit, & ſitim adfert. Eius verò corpus craſſarum partium, flatuoſum, concoctu difficile, & frigidum, ventrémque ſiſtit: maximè ſi aqua in qua coctum eſt, ſubinde abiiciatur.

*Corrigentia Betam* Ad Betarum cocturam vinum & piper expeti ſcribit Martialis his verſibus:

*Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ*
*O quàm ſæpè petet vina pipérque coquus.*

*Betæ condiendæ ratio* Præterea eiuſdem Betæ radicibus conditis vtuntur. Conditur autem Beta in aceto hac ratione, cum foliis & radicibus integrum eradicandum Betæ olus, aquâ deinde benè, necnon etiam cultro mundandum: In aqua ex hoc ebulliendum, & tranſuerſim in particulas ſecandum, poſito verò in vaſe aliquo figulino, aquâ reiectâ, ſale carui vel granis Iuniperi condies, his ſuperinfuſo aceto, cyatho vno atque altero pleno, pro Betæ quantitate.

*Temperã.* Nihil in culinis Beta hortenſi frequentius eſſe teſtatus eſt Tragus. Nam in cibo vſurpatur. Temperamento calida eſt Beta, maximè quod ad radicem attinet, id quod hinc manifeſtum fit, cùm enim ſuccus naribus excipitur, adurit, & ſternutamenta proritat. Beta in cibo ſicut Spinachia parata facillimæ eſt concoctionis, iiſque inprimis conducit qui ſtomachi imbecillitate laborant. Betæ hortenſis plantulæ recentes cum radicibus leuiter bullitæ, & ex aceto poſtea deuoratæ cibi appetentiam adferunt, ſitim compeſcunt, choleram in ventriculo reprimunt. Debet verò eiuſmodi cibus æſtate potiſſimùm vſurpari.

Bayrus emplaſtro è radicibus Betæ curat achores. *Emplaſtrũ*

## BETA CRETICA SEMINE SPINOSO.

Betæ Creticæ *folia* noſtrati non multùm diſſimilia, niſi quòd vix ad eam magnitudinem quantùm obſeruare licuit, proueniunt, cæteroqui ſatis carnoſa, per extremum rotunda, aut ſaltem obtuſa, iuxta pediculum anguſtum nonnihil alata: *floſculi* parui, lutei, ſpicati in ramorũ extremitatibus: *echini* circa caulem naſcuntur ex foliorum alis in tres ſpinas radiatas deſinentes, coſtis pulchris donati, tranſuerſiſq́; cancellis reticulati, quorum vnicuique *ſemen* ineſt vnum oblongum, pellicula ruffa tectum, medulla alba. *Rami* multi cubitales vel min[?]s ex *radice* annua ſupra terram ſe extendunt.



Si hæc non iam vſurpaſſet nomen Betæ, ad Lapathum vel Spinachiam potiùs referrem. Caſp. Bauh. phyt. Beta 6. ſiue Cretica ſemine aculeato. *Lapathum.*

Betam Creticam ſemine ſpinoſo vidi Baſileæ 1595. Auguſti fine ſemine maturo in horto Domini Iacobi Zvvingeri, quod atruli ſerendum Montbelgardi in horto E.C. quod prouenit. Accepi etiam à D. Phil. Seb. Sprengero homine Betę ſpinoſæ Candiæ. *Locus & tempus*

## BETA LATICAVLIS MONSTROSA.

Admirandæ Betæ πλατύκαυλ☉, quam H. Lugdun. picturâ exprimere curauit, cuius caulis eſt quatuor digitos latus, circa quem parua ſunt folia, & quem rotum ſemen operit, ſed in eius faſtigio ita denſum: vt caulis proſpectum adimat. Aliquando propè D. Ramberti oppidulum Allobrogum in pingui quodam prato talem vidit Dalechampius ſilueſtris Cichorii caulem. *Deſcriptio*

C. Bauh. phyt. Beta 7. ſiue lato caule.

Nos quia in monſtroſis plantis numeranda eſt, eam meritò à præcedentibus ſeparauimus; nec pingendam quidem eſſe duximus.

## SPINACHIA MAS ET FOEMINA.

Fatuo guſtu tota eſt planta: *radix* tenuis, alba, *folia* Dentis Leonis, latiora, profundè ſinuata, minùs tamen crebris laciniis, pinguſcula, & farina tenui Atriplicis modo reſperſa: *caules* fiſtuloſi, ſtriati, in alas diuiſi: *flores* in alis & caulibus, à medio ferè vſque ad faſtigium, creberrimi *Deſcriptio*

ſi, ex herbido purpuraſcentes: *ſemen* aculeatum, & , vt nomen docet,ſpinoſum: aliàs Lentis modo compreſſum, orbiculatum & innocens.

*Veteribus incognitum olus*



Hoc olus Veteribus (quod mirum eſt) incognitum fuiſſe videtur, cùm de eo nihil illi, quod legatur, literarum monumentis tradiderint: vel forſitan quòd cibo,quàm medicinæ potiùs natum eſſet, nec quicquam illuſtre ſortitum ,ob id ingenii ſegnitie obſcurum , vel quòd, vt conîici poteſt,nondum in vſum vulgi, literatorúmque cognitionem eo ſæculo venerat, qui eorum quæ ſuâ fuerunt memoriâ,prorſus intactum nihil intentatúmque reliquerunt. Non enim ſilentio tam frequens olus abolêre voluiſſent, ſed potiùs celebratum in lucem prodere. Monſpelii præceptor Rondeletius Blitum Veterum vocabat,quæ opinio mihi non penitùs diſplicet.

*Blitum Veterum*
*Olus Hiſpanicum*

Trago Hiſt.Germ.& Lat.vocatur Olus Hiſpanicum,Spinachia altera ſeu vulgaris,& Spinachia ſilueſtris. Seutlomalachen, inquit Ruellius, recens Græcia fecit olus, quaſi dicas Maluaceam Betam,quòd,vt reor,parentum adulterio natum exiſtiment, Veteribus inauditum, fortè quòd figura, & denticulato ſeminis habitu Betam,& mollitia Maluam mentiretur. Sed fortè Seutlolapathum,ait Geſn.hort.hoc eſt,mediæ inter Betam & Rumicem naturæ, potiùs quàm Seutlomalachen appellandum. Spinachiam manifeſtum habere ſexum ſcribit Scaliger. Coniicio autem marem ab eo intelligi illum,cuius ſemen ſpinoſum eſt: fœminam ſine ſpinis. Ab his non penitùs diſſona ſunt,quæ apud Camer.hort.& Hiſt.Lugd.leguntur. Spinachiæ genera duo,ſatiuum, & ſilueſtre. Satiui item duo, mas & fœmina, Mas ſemen fert, Fœmina floret quidem, ſed ſeminis infœcunda ſteriléſcit.

*Seuthlomalache Ruell.*
*Seuthlolapathũ Geſ.*
*Sexus Spinachia*
*Genera Spinachi*

Spinachia deſcribitur & pingitur à Lob.& Penâ Adu.Obſ.Ic.plant. Dod. Hiſt. Lugd. Fuchſ. qui & Spinacium olus vocat. Brunfelſſio. Camer.in Hort.& Hiſt.germ. Matth. qui Spanachiũ inſcripſit. Tabern.Ic.& Hiſt. Amato,atque Matthiolo.

*Rumex domeſticus*
*Lapath hortenſe*
*Amatus & Cæſalp. hallucinantur*

Amatus quidem domeſticum Rumicem ſiue hortenſe Lapathum, Spinachiam noſtram eſſe ſibi falsò imaginatur, quod & Cæſalp. ſentire videtur. Quare meritò Robert. Conſtant.eum hallucinari ſcribit dum ſine autoritate aut ratione hoc contendit: Conſtantino in eo adſtipulantibus Grapaldo & Matthiolo.

*Boulapathũ non eſt*

Falluntur & ii, qui Plinii Boulapathon apud Dodonæum eſſe exiſtimant: Lapathi ſiquidem genus Boulapathon eſt:radicis tantùm altitudine ab aliis differens,vt ipſe refert. Nec quoque Hippocratis Blitum eſt,quod veluti linguam eſſe ſcribit lib.2.de morbis mulicbr.Nam inter ſubditi-tia iſtud refertur,quæ rubrum fluxum muliebrem reprimunt ac ſiſtunt. Talis autem Spinachiæ facultas haudquaquam eſt adſtrictione omni carens. Nec eſt Chryſolachanum,vt vult Monardus.

*Non eſt Blitum Hippocratis*

C.Bauh. Phyt. Lapathum hortenſe alterum, ſeu Spinachia ſemine ſpinoſo. Idem apud Matth. Atriplex 2. Lapathum hortenſe alterum,Spinachia mas quibuſdam. Item Phyt. Lapathum 4. ſiue hortenſe alterum, ſeu Spinachia ſterilibus. In Matth. Spinachia 3.ſterilis.

*Nomina linguarum.*

Spinachia ſiue Spinacia & Spinaceum olus, quod Latini appellant, σπινάχιον recentioribus Græcis dicitur, ab Arab.& Serap. Hiſpanac: à Germ. Spinet oder Binetſch: Belg. Spinagie: Gall. *Eſpinoches ou Eſpinars*: It. *Spinacci & Spinace.* Hiſp.*Eſpinaca*: Angl.Spinache: Boh.Spinak:

Spinacia quidem & Spinaceum olus ab inſigni ſeminis ſpiculorum nota, quòd tam glabræ, & mollis herbæ ſemen in ſpinas occaleſcat. Σπανάχια verò ſumpto nomine à raritate, quòd rarò illo medici vterentur. Quibus hæc vocabula diſplicent, Atriplicem Hiſpanienſem vocant, Mauritani *Hiſpanach*, id eſt, Hiſpanicum olus, fortaſſe quòd inde primùm duxerit originem, ad cæteras tandem nationes tranſlatum: quidam Seutlomalachen.

*Locus & tempus.*

Spinachiam colimus Montbelgardi in horto E.C.marem & fœminam. Paſſim in hortis ſeritur nullum ſolum reſpuens, cùm Martio & alio tempore, tum Septembri menſe, exeuns ſeptem à ſatu diebus,folio primùm triangulo,molli,mox intubaceo, non horrens Hiemis frigora, quæ ſi iniqua nimis, Iuglandis foliis conſeruantur: vt Vere cibum ſuppeditet, quo tempore ſemẽ profert: Hieme enim reſtat: Martio verò ſatum intra duos menſes perficitur, hinc Iunio & Iulio flores & ſemen edit.

*Cultura*

*vſus*

In culinis, teſte Trago, nihil ferè frequentioris eſt vſus,pultibus ex Spinachia recenti confectis. Temperamento illa frigida & humida eſt, cibo & medicinæ accommoda. Pultes Spinachiæ aluo aſtrictiori proſunt,poteſtque id oleris in omni pene ægritudine cibo deligi, nam meo iudicio inter omnia culinaria olera Spinachia laudatiſſima eſt,& gratiſſima. Spinachia aluum emollit,gutturis aſperitati medetur, & aridæ tuſſi confert,teſte Conſtant. Succus & aqua diſtillata Spinachiæ pota, calorem reſtinguit, ſtomachi roſiones mitigat, & lac elicit. Spinachia cataplaſmatis inſtar ſtomacho & epati impoſita, inflammationibus illarum partium prodeſt,doloremque tollit. Eadem ictibus ſcorpionum, & aranearum impoſita ſuccurrit. Spinachia primæ refrigerantium & humectantium claſſis, nec omninò vacat nitroſa qualitate Camer. Aluum emollit, melius Atriplice ſuppeditat alimentum, ſed aluo parum hærens facilè exigitur. Flatus colligit,& vomitiones concitat,niſi excrementitius humor abiiciatur: ventrem decocti iure proluit. Citra aquam coquitur hoc olus, quòd magnam vim humoris inter coquendum remittat, & veluti proprio contentum iure alienum aſpernetur. Bibitur eius ſuccus ad ſcorpionum & aranearum ictus, ac etiam vulneri illinitur: quinetiam cocta lenit exaſperatas fauces: ſed nauſeam facilè parit,niſi Zinzigere,aut alio conſimili condiatur: Recipitur & inter cruda acetaria recens enata.

*Temper.*

*Vomitum mouet.*

---

SPINACHIA SEMINE NON PVNGENTE, Folio maiore rotundiore.

*Deſcriptio.*

LOngè maior maioribuſque eſt *foliis*, quàm Spinachia vulgaris, nec non rotũdioribus, cæteroqui



cæteroqui mollitie & fatuo ſapore ſimilibus: quemadmodum & *floribus* proximè circa caulem ad pediculorum exortũ muſcoſis: at *ſemina* ſubſequuntur conglomerata multa veluti in racemulum, lenticulis ferè paria, rotunda, nullis ſpinis horrida, cinericei coloris.

Trago eſt hæc Olus Hiſpanicum 1. nobiliſſimum, ſiue Spinachia 1. nobilis. Spinachia ſatiua folio Lapathi ſeu Boni Henrici, caule Betæ, ſeminio nequaquam ſpinis horrente.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Lapathum alterum ſemine non ſpinoſo, tertia Atriplex. Spinachia ſemine non ſpinoſo.

Spinachia ſemine non pungente, folio maiore, rotundo, rarior habetur, cùm Hiemem non facilè ferat. Paſſeres & aliæ aues ſeminum huius valdè auidæ.

## BONVS HENRICVS.

*Deſcriptio*



OXylapathi buxea craſſâ *radice* nititur: ſed tenuiores complures *caules* emittit, ſtriatos, partim erectos, partim ſupinos: *folia* triangula, Atriplicis, atrouirentia, farina tenui reſperſa, ſapore nonnihil nitroſo: *floſculi* in thyrſo, muſcoſi, herbidi, *ſemen* rotundum Raphanino ſuppar.

*Synonyma*

*Rumex vnctuoſus dictus & vulgaris vulneraria. Serpentium & Colubrina radix*

Trag. quem Bonum Henricum cum Fuchſio inſcribit, & Rumicem vnctuoſum, [Schmerbel, propter vnctuoſa folia] vulgarem vulnerariam herbam Germanos [gemein wundt kraüt/] nonnullos etiam Serpentium vel Colubrinam radicem [ob folia, quibus veſtitur, Ari aut Vngulæ aſininæ ſimilia,] vocare dicit: Rumicem tertium ſilueſtrem Dioſcoridis quem ille Plantagini ſimilem, & in terra iacentem dicit cum Fuchſio eſſe iudicat, ac pro Spinachia ſylu. lubens habet.

*Tota Bona. Bonus Henricus*

Totam Bonam, Spinaciç facie, ſeu Bonum Henricum magni ducunt Aduerſ. Lob. & Penæ, ita namque de ea loquuntur. Sed Tota bona pertquàm optima, magiſque vſu quàm vllâ peritiâ recepta, Mercurialis credita ſuit iamdiu à plebe mulierculàrum, aut illis non multò peritioribus Pharmacopœis Anglis, quam adhuc inſcitiam magis pertinàcia quàm vlla ratione fouent, quia fauit illis euentus. Siquidem eſt huic plantæ deterſoria facultas multò quàm Mercuriali tutior in morbis feruidis, nec tamen eſt ignauæ in attrahendo facultatis, cibis verò multò Mercuriali gratior, tametſi pluſculùm flatuum habet, & non ita procul à Spinaciis natura abeſſe videtur. Lob. Obſ. Tota bona, Spinachiæ facie, Rumicis 3. genus Fuchſii, 2. Turneri. Eidem Icon. plant. Tota bona, ſiue Bonus Henricus. *Rumex*

Dodon. gall. & Lat. in fol. qui ſub Tota bona deſcribit & depingit: Ait Bonum Henricum à ſingulari quadam vtili facultate vocari: veluti & pernicioſam quandam plantam Malum Henricum appellent, de quo alibi dicendum. *Bonus Henricus vnde dictus*

Camer. Epit. & Hiſt. Matth. Germ. Tabern. Icon. & Hiſt. Brunfelſ. & Hort. Luſit. *Bonus Henricus.* Thalyo *Tota Bona* Dodonæi. Atriplicis genus intermedium. Cluſio *Tota Bona.* Geſn. coll. ſtirp. Lapathi ſeu Rumicis genus, vulgò Bonus Henricus vocatum. Atriplicis ſilu. ſpecies. H. Lugd. Lapathi ſilu. 2. genus.

C. Bauh. Phyt. Lapathum 5. ſiue vnctuoſum folio nonnunquam maximo inſtar Aaronis. Se ignarum Botanicum oſtendit Dorſth. dum ſub Colubrinæ nomine ponit iconem Boni Henrici & khũ würtz nominat. *Lapathum vnctuoſum. Dorſth. not.*

Bonus Henricus, G. Gûtter heinrich, Schmerbel. Belg. Algoede & Cammekens oore. Gall. *Toute bonne* 1. Tota bona, vti vocant Lob. & Dod. *bon Henry.* Ital. *Herba infarinata*, Angl. Engliſch Mercury. *Nomina linguarum*

Bonum Henricum multis dictum vidi Monſpelii, allatum ex montibus circa Gangen, florentem menſe Maio. Geneuæ quà itur ad montem *Thuyri* copioſè offenditur: Baſileæ inter portam cineream & lapideam menſe Octobri florens, Montbelgardi copioſè Iulio. *Locus & Tempus.*

Vulneraria herba eſt Bonus Henricus, ac mirificè ad ſordida purganda, ac glutinanda vlcera confert, ſicut appenſa etiam ac trita vulneribus impoſita, vermes qui in iis nati ſunt excidere faciat. Hæc Fuchſius, quæ Camer. in Matth. Germ. tribuit Atriplici fœtidæ. Sed Fuchſio ſubſcribit Dodonæus: ac inſuper Dodonæus teſtatur folia cum oleribus cocta, atque eſitata, lubricam reddere aluum. Præfertur, vt videre eſt apud Matth. ad venenoſorum animalium ictus. Radicis ſuccus illitus ſcabiem ſanat, & cutis maculas extergit, præſertim ſi cum aceto miſceatur. *Vires Vlcera. Vulnera Ictus venenati Scabies*

## DE BLITO IN GENERE.

### CAPVT. IV.

THeophraſtus olus hoc ſcribit vtraque parte fructificare, ſcilicet cacuminib., & lateribus, ideò copioſiùs, protinus enim nodis ſingulis, ſemen inſidens, racematim gerit: caret radice illa ſingulari, quæ in rectum tendit, ſed continuò ab extremo multas craſſas, prolixiores quàm Atriplex gerit, lignoſas.

Quamuis autem Dioſc. Plin. & Galenus nullas Bliti proponant differentias, attamen plures eſſe cùm ab aliis, tum à nobis obſeruatum eſt, de quibus poſthac dicendum erit.

*Nomina linguarum. Echetoripa. Biola. Bles*

Βλῖτον olus hoc Græci dixêre, Latini *blitum*: Ægyptii, vt inter Dioſc. notha legitur, *Echlotoripam*, alii *Xiplam*, Daci *Bles* vocant: Arabes *bachala famenia*, & *bahale aliemanie*, Germ. Meyer Blůt würtz Apollinari, vnnd Rothmeyer: Galli *blette d'Eſpagne*, Fuchſ. *du blit*, *breyon* Sabaudis: Ital. *blito biedoni*, & *bietelone*, Hiſp. bredos & *bledos*: Angl wilde fine Orrage: Boh. Blyt.

Plinius Bliti nomen ad ignauiam & fatuitatem referre videtur. Blitum iners videtur, inquit, ac ſine ſapore, aut acrimonia vlla. Vnde conuicium *Adagium* fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Dicuntur etiam ſæpè Hippocrati βλῆτοι οἱ ἀπόπληκτοι, ſiderati, ſtupidi & attoniti.

Feſtus à βλάξ deducit. Eſt autem nomen cuiuſdam piſcis omninò inutilis, & qui nulli animanti eſt eſui: licèt & inertem, ſtolidum, ſtupidúmque deſignet, & Antiqui βλῆτας, murcidos, ſtolidos, bardos, fatuos, bliteóſque dicant: indéque conuicium apud Gallos in vulgus emanat: *Belitres vnde* ſocordes, nulliúſque momenti homines *belitres* & *blitres*, Græcâ imitatione nominantes. Videntur Latini, Betam pro ſpecie Bliti, aut pro Blito ipſo accipere, niſi, vt ait Lobelius, lepidiſſimus Martialis non bene noſcat diſcrimen illo diſticho:

*Vt ſapiant fatuæ &c.* de quibus antè.

*Locus* Blitum non tantùm in incultis prouenit, ſed & in hortis ſeritur, quod cùm ſemel natum fuerit, ipſum ſe per multa ſæcula ſeminis deiectione reparat, vt, etiamſi velis, vix poſſit aboleri: ſatúmque ſemel pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit, nec runcari, nec ſarriri flagitat. Martio men- *Tempus* ſe ſeritur, florétque media æſtate & Autumno ſeminéque prægnans eſt.

*Vſus ex Dioſc.* Blitum eſtur oleris modo, inquit Dioſcorides. Aluo vtile eſt, nullius in medicina vſus. Blitum & Atriplex authore Galeno, aliis oleribus ſunt aquoſiora, & qualitatis expertia: quo fit, vt non ex ſolo oleo & garo ipſa madant, ſed acetum etiam iniiciant: nam alioqui ſtomacho ſunt noxia. Olera autem huiuſcemodi ad facilem deiectionem ſunt propenſa, præſertim ſi cum humiditate lubricum quiddam habeant: Porrò alimentum *Temperam.* corpori præbent exiguum. Et, Blitum olus eſt eſculentum, humidæ frigidæque temperaturę in ſecundo maximè exceſſu à temperatis. Hippocrates contrà, βλῖτον ſcribit eſſe θερμὸν καὶ διαχωρητικὸν, id eſt, calidum eſſe, & ad excernendum non incitare: Imò fluxum muliebrem reſiccare.

*Ex Plinio* Plinius inutile ſtomacho eſſe ait: ventrem adeò turbare, vt choleram faciat aliquibus. Dicit tamen aduerſus ſcorpiones potum è vino prodeſſe, & clauis pedum illini, item lienibus, & temporum dolori ex oleo. Hippocratem menſtrua ſiſti eo cibo putare.

Blitum album Tridentina rura *Bredone* vulgò appellant, vt ſcribit Matthiolus, & à nonnullis in cibum admittitur. Primùm aqua decoquunt, dein affuſo oleo, vel butyto, in ſartagine frigunt, additis Allio, & Omphacio, vel aceto, ſed is cibus, *Vomitum mouet. Aluum ciet* vt is vſu ſeſe comperiſſe teſtatur, vomitiones mouet, ventriculi & inteſtinorum tormina facit, & alui fluxiones ciet excitata bile. Mirum igitur, ſi *Dioſc. not.* Hippocrates, Galenus, Plinius, Matthiolus, vera ſcripſerunt, quod dixerit Dioſcorides Blitum aluo vtile eſſe, nullius in medicina vſus.

*Blitum rubrum & album maius & minus Blitum erectius.* Blita hæc numerantur. Blitum pulchrum rectum magnum rubrum. Rubrum minus. Pulchrum magnum, album. Album minus. Erectius, ſiue 3. Tragi Maximum, ſiue Amaranthus maior, ſemine albo. Sed & hæc ad Bliti genera referuntur. Amaranthus purpureus. Amaranthus panniculâ ſpecioſâ criſtata. Simphonia Dalech. ſiue Amaranthus tricolor.

*Maximū, ſiue Amaranthus maior. Purpureus panniculâ ſpecioſa. Tricolor. Duplex pes anſerinus. Atriplex fœtida. Spinachia. Beta. Cynocrambe*

Eſt præterea nobis Blitum 4. Tragi, Atriplex, Pes anſerinus dicta. Item & Blitum 5. eiuſdem, nobis Atriplex, dictus Pes anſerinus alter, ſiue ramoſior. Blitum illud fœtidum à quo apud Plautum Blitea meretrix cognominatur, dicemus Atriplicem fœtidam. Nec eſt vt quidam falsò putant Spinachia Blitum. Officinæ quoque non rarò cum Blito Betam confundunt. Errant demùm qui putant Cynocramben eſſe Bliti genus.

---

## BLITVM PVLCHRVM RECTVM MAgnum rubrum.

*Deſcriptio* FAcilis adoleſcentiæ, *radice* pollicari fatuâ, vt & tota planta, *caule* fiſtuloſo, intus extráque ſanguineo rubore perfuſo, concolorémque ſuccum preſſu remittente. *folia* Betaceis minora, magis rugoſa, quà cælum ſpectant ex rubro nigreſcunt, pronâ parte hilariùs rubent: *fioſculi* muſcoſi ſecundùm caulem, apiculis pallidis conſtant, *ſemen* Atriplicis ſylueſtris, vel Amaranthi nigrum, nitens.



*An Lob. blitum rubrum* An Aduerſ. Lob. & Penæ, Blitum rubrum intensè rutilis ſanguineis caulibus, foliis ex rubro liuentibus, & Icon. plant. Blitum rubrum: An Dodon. gall. Blitum magnum rubrum ſine icone? An Lat. pingenti Blitum rubens: Eſt Apollinari ſub nomine *Apollinaris notatur* Blůt würtz pictura mala, quæ videtur aliquatenus Blitum maius exprimere. An Hermol. quod *Fuchſ. not.* Fuchſius affirmat: Blitum ſiue Blitus [Græci etiam Bleton] rubens? An Matth. Blitum rubrum, qui in poſt. comm. It. pingit hoc titulo, Blito roſſo: in Lat. Blitum rubrum: in Hiſt. Germ. Rotter meyer/ aut Blůtkraut? An Lob. Obſ. cum Matth. *Lob. not.* hoc pingit hoc titulo, Blitum? An Anguill. Blitum nigrum, cuius meminit Alexander Trallianus lib. 8. cap. 7? An Ruell. qui partem ſuæ hiſtoriæ & *An Poreta rubra Ruell.* Hermolao ſumpſit: Blitum rubens & rubrum olus, vel poreta rubra vulgò? Sed videant Lectores ne fortè Poreta rubra Gallis ſit Beta rubra. An Geſn. hort. Blitum peregrinum, vel Blitum ſatiuum rubtum, vel Blitum vulgi.

Taber. ic. & Hiſt. Blitum. C. Bauh. phyt. Blitum 3. ſiue rubrum maius. Hort. Luſat. Blitum rubrum.

*Locus & tempus* Vidi Baſileæ in horto D. D. Fœlicis Plateri, cuius ſemina Montbelgardi terræ commiſi, quæ plantas protulerunt Iulio & Auguſto menſibus florentes, ſeminàque Octobri matureſcentes, ſéque ipſas quotannis ex deciduis ſeminantes.

BLI-

## BLITVM RVBRVM MINVS.

Deſcriptio

SAtis magnam *radicem* pro plantæ ratione habet, rubentem, fibroſam, ex cuius capite plures *caules* oriuntur, ſupini, rubentes: & in his *folia* multa. Solani hortenſis, minora, neruoſiora, colore atrouirente, ſapore fatuo: ex quorum alis ſecundum caulem numeroſi naſcuntur *floſculi*, ex herbidis & muſcoſis fibris compoſiti, obtutum ferè eludentes.



Synonyma

Tragus, à quo cap. de Blito primùm deſcribitur, vocat Blitum nigrum, Atriplicisque ſilu. genus facit: & dicit poſſe vocari Atriplicem fimariam [Miſtmilten.]

Atriplex atriplex fimaria. Blit. minus rubrum. Blit. rub. ſupinum

Aduerſ. Lob. & Penæ Blitum minus rubrum. Lob. Ic. pl. Blitum rubrum ſupinum. Dod. Gall. Blitum rubrum paruum. Camer. Hiſt. Matth. Germ. Blitum rubrum: & Epit. Blitum ruhrum minus. C. Bauh. Phyt. Blitum 4. ſiue minus penitus rubrum.

Locus

Seritur in hortis, ac etiàm in iis ſpontè prouenit, vt & præſertim in iis locis in quibus fimus pecorum aliquandiu aſſeruatus fuerit.

## BLITVM PVLCHRVM MAGNVM, album.

Deſcriptio

EST hoc ſimile rubro, nec ab eo niſi colòre differens, *caule* vt illud aſſurgens vnico, magno, firmo, ad duos tréſve cubitos erecto, albo: ſed *foliis* maioribus, niſi locus interdum aridior diuerſitatem faciat.

An Blitũ candidum? Hermol. taxa. Turgõ

An Hermol. Blitum candidum? An Ruellio, qui partem ſuæ Hiſtoriæ deſumpſit ex Hermol. cuius tamen non recordatur, Blitum candidum, quod Turgon in Narbonenſi Gallia eſſe ſcribit, aſt malè, meo iudicio, videant Lectores. An Matth. Blitum album? cuius figura ex Fuchſio deſumpta videtur, ac alterius eſſe plantæ.

Bel. not.

Quam Aduerſaria Lob. & Penæ Blitum maius album vocant, vereor ne cum Blito 3. Tragi confundant, cui folia Ocymi tribuit. Dodon. Gall. ni fallor, hanc deſcribit primo loco, ac vocat Blitum magnum album, figurà autem, quam ponit, Blito 3. Tragi debetur: Lat. fortè in fol. ſub Blito maiore, iconem Lobelii, quæ meliùs conuenit, proponit.

Geſn. hort. Blitum ſatiuum album. Hiſt. Lugd. Bliti albi maioris titulo Blitum 3. Tragi ex Matth. depinxit. C. Bauh. phyt. Blitum 1. ſiue album maius. Hort. Luſ. Blitum album.

Locus

In Burgundiorum *Vaucluſe* vidi: ac plantaui Montbelg. in horto F. C.

*Blitum album minus.*

RAdicem agit profundam, craſſam, fibris multis conſtantem, euulſu difficilem, albam, in ſuperiori parte nonnihil rubeſcentem: *caules* plures, in principio aliquantùm rubentes, ad dodrantem, pedémue plurimùm per terram ſparſos fungoſos, ſucci plenos, albos, ferè rotundos, nonnihil ſtriatos, fractu faciles, foliis alternatim diſpoſitis: inferioribus, breuiore pediculo, ſuperioribus maioribus longiori hærentibus, oblongis, ſubrotundis, in extremitate obtuſis & fiſſis, ex viridi nigricantibus, ornatos: ex quibus ad cubitalem vel ampliorem altitudinem pro ratione loci vnus eleuatur, deſinens veluti in ſpicam, principiis florum Bliti, vel Amaranthi maximi ſimilem, floribus & ſeminibus plenam. Ramulis etiam in foliorum exortu inſident flores ſine pediculis, racematim cohærentes, virides: odor ex viridate quodammodò grauis: ſapor quoque viſcidus. Herba inter hortorum vitia valdè odioſa, quia ſe expandens alias ſuffocat.

Trag. Blitum 2. ſeu Atriplicis ſilu. genus alterum: Atriplex fimaria propter rationem iam dictam. Lob. & Penę Adu. Blitum minus album. Dodon. gall. Blitum minus [*à la tige verde*] Camer. ad Epit. & Hiſt. Matth. germ. Blitum album. Hanc Geſn. mihi Corchorum vocabat. *Atriplex ſilu. ſiue fimaria.* *Corchorus*

Montbelgardi abundat paſſim Blitum minus album vel potiùs viride. Geneuæ quoque frequens: Tubingæ, ac Tiguri, in agris non cultis ſecus itinera, in hortis & areis. Locus

Blitum nigrum ſeu Sanguinaria illa, à mulierculis nonnullis in dyſenteriis & ſanguine ſiſtendo vſurpatur. Succo eius expreſſo minii vice in ſcriptione vſurpaſſe ſæpè in puerili ætate ſe meminit Tragus. Refrigerat, inquit Matth. humectat, & emollit. Menſes remorantes prouocantur, molę & ſecundę educuntur, ſi fœminę vapore decocti calidi ſuffiantur, adeò vt vapor ad vterum aſcendat. Vires. *Dyſenteria* *Succus ad ſcribendum* *Facultates* *Menſes*

## BLITVM ERECTIVS, SIVE 3. Tragi.



PLurimis *fibris* radicatur, parum altè demiſſis, nonnihil rubentibus, quo etiam colore prędití ſunt *caules* quadrati, dodrantales aut cubitales, exſucci, ramoſi: in quibus naſcuntur *folia* ex interuallis modò aduerſa, modò Ocymi, aliàs acuta, aliàs obtuſa, minùs crebra quàm in aliis Blitis, ex quorum alis & in ramorum extremis racemati *floſculi* coherent purpuraſcentes: ſubſequente paruo *ſemine* nigro Portulacę, ſanguineo florido colore ex aſtrictu tingente. Fi- Deſcriptio

gura Fuchſiana non in omnibus placet.

Synon. Hanc pingit Tragus hoc titulo, Blitum Maier: ac pro Blito 3. [Dritte Miſt Milten] deſcribit, ac addit: Eſt & hæc Atriplicis ſilueſtris ſpecies, herba innoxia, quæ inter cætera olera non rarò legitur, poteſt fieri vt bliti ſit ſpecies.

*Fuchſ. not.* Fuchſ. Hiſt. & Icon. figuram Trago ſimilem habet, verùm deſcriptio ex Hermolao ad aliam plantam pertinere videtur.

*Dod. not.* Dodon. gall. figuram Fuchſii habet ſiue Tragi hoc titulo, Blitum, *blette*. Deſcriptionum autem quas Dodonæus poſuit nulla conuenit. Latin. in fol. eandem ponit & deſcribit, ſub titulo, bliti minoris.

*Mat. not.* Matth. picturam habet quæ videtur facta ad imitationem figuræ Fuchſii, cui titulum facit, blitum: videtur tamen non reſpondere deſcriptioni aut plantæ quam exiſtimamus eum intelligere. In comm. Ital. eandem figuram habet ſub titulo bliti albi: Item in Hiſt. Germ. Mirum cur ponat duas figuras, cùm dicat Blitum album iiſdem foliis prouenire quibus rubrum.

H. *Lugd. not.* Iam dictam Matth. figuram proponit etiam H. Lugd. ſub hoc titulo: blitum album maius, aſt eius deſcriptio non conuenit.

An Geſn. hort. Luius meminerit nomine bliti ſilueſtris lectoribus conſiderandum relinquo.

*Polyſporon* *Polyſpermō* Anguill. & ex eo H. Lugd. & Lobel. Obſ. Polyſporon Caſſiani baſſi. Ic. Plant. Polyſpermon, à ſeminis, vt in Obſ. contendit, floriſque muſcoſi botrydi non diſſimili fœturâ, quibus onuſti numeroſi cauliculi.

Locus & tempus. Geneuæ proueniebat in hortis: Montbelgardi ſatis vulgatis: ſpontaneus etiam in Horto E.C. ſemine maturo Auguſto. Monſpelii quoque obſeruaui.

## BLITVM MAXIMVM, SIVE AMARANthus maior, ſemine albo.

Deſcriptio



BLitum maximum in hominis altitudinem excreſcit, *caule* craſſo, canaliculato, ſubrubente, ramis crebris ſtipato: *folia* Amaranthi, acuminata, ſed maiora, ex viridi purpuraſcentia, rugoſa, inſipida: *flores* tum è ſummo caule extremiſque ramis, tum è foliorum alis emicant, in ſpicas palmares & ſeſquipalmares digeſti, eaſque frequentes, & iubæ inſtar nonnunquam in larum luxuriantes, colore fuliginoſo, aut purpuræ obſoletioris, ſtaminulis luteis, quibus *ſemina* ſuccreſcunt minuta, alba, Milii excorticati æmula.

Synon. Et hoc eſt illud, quod Matth. in poſt. comm. cum mag. fig. It. & Lat. Blitum maius vocatur. Hiſt. Germ. apud Camer. Blitum Vngaricum & Epit. Blitum. Et Icon. Blitum rubrum maius. Dodon. Lat. in fol. Amarãthus maior floribus obſoleti coloris: Lobel. & Pena in Adu. Blitum maius Matthioli vocant. Lobel. Ic. plant. Amaranthus maior floribus panniculoſis, ſpicatis, purpureis. *Blitum maius* *Blitum Hūgaricum.* *Amaranthus*

Geſn. hort. Amaranthi ſpecies maxima, ſemine albo, *Pennachia* Italorum fortè. An eidem ex Monachis, Blitum Indicum vel Topiarium, planta ex Indiis nuper inuentis allata.

Tab. Icon. & Hiſt. Blitum Indicum. An de hoc Pet. Cieca c. 40. par. 1. Chronici, *Quinua*, [vt vult Cluſius] ex qua potionem parant, aut elixâ veſcuntur. *Pennachia Italorum*

Cæſalp. Bliti genus aliud, ſiue peregrinum, de quo ait: Seritur hodie in hortis non ſolùm ad cibos, ſed etiam magis pulchritudinis gratiâ, ob coloris venuſtatem, grande eſt, ſpecie ferè arborea: folia ſunt Blito longiora, rubentia, caulis craſſus, ſtriatus, ruberoſuſque, ad quaterna cubita accedens, ex alis, & ex ſummis ramis paniculæ longiſſimæ exeũt ac tenues, colore nigricantis Roſæ, ſpecie floris Amaranthi, ſine odore: ſemina in iis multa continentur, candida, Panico exiliora, quæ in cibos veniunt. An hæc Eryſimum fuerit apud Theophraſtum inter ſruges, quod Trionum vertit Theodorus, Plinius Irionem vocat? *Blitum peregrinum* *Eryſimum*

H. Lugd. & Caſt. Blitum rubrum maius. Caſp. Bauh. Phyt. Amaranthus 1. maximus, ſiue criſtatus: Apud Matth. Blitum maius Matthioli. Hort. Luſ. Amaranthus purpureus maior. *Amaranthus criſtatus*

Locus & tempus. Blitum maximum ſiue Amaranthus maior ſemine albo ſimili Milio excorticato, Geneuæ interdum excedebat altitudinem hominis: Lugduni etiam in horto meo florebat Septembri & Octobri: Maſſileæ in hortis variis vidi florens Iunio. Montbelgardi in hortulo meo, & Horto E.C. ſatum facilè prouenit. Aliquando accepi nomine Amaranthi Indici: floret Auguſto, ſemina matura Septembri. Habetur etiam in fictilibus ad feneſtras opacandas. Vſus

## AMARANTHVS PVRPVREVS.

Deſcriptio. FLori eximiæ venuſtatis Amarantho purpureo, *radix* craſſa, Bliti, ſucculenta, è rubore candicans: *caulis* ſingularis, purpuraſcens, potiſſimùm propter terram, ſtriatus, alternis alis concauus, cubitum, aut ſeſquicubitum altus: *folia* Bliti, acutiora, minùs vt plurimùm rugoſa, atrouirentia, per margines nonnihil rubentia, ſapore fatuo: è quorum alis magnæ gratiæ *flores* coccinei pediculis ſuis inſident tactu læues, modò cui ſpicæ ſingulares, modò coniunctę plures, quorum ſi ſingulares ſumas floſculos, quinis foliolis totidēq; *apicibus* conſtant, *Semen* per maturitatem nigrum, paruum, nitidum





cæteroqui mollitie & fatuo ſapore ſimilibus : quemadmodum & *floribus* proximè circa caulem ad pediculorum exortũ muſcoſis : at *ſemina* ſubſequuntur conglomerata multa veluti in racemulum, lenticulis ferè paria, rotunda, nullis ſpinis horrida, cinericei coloris.

Trago eſt hæc Olus Hiſpanicum 1. nobiliſſimum, ſiue Spinachia 1. nobilis, Spinachia ſatiua folio Lapathi ſeu Boni Henrici, caule Betæ, ſeminio nequaquam ſpinis horrente.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Lapathum alterum ſemine non ſpinoſo, tertia Atriplex. Spinachia ſemine non ſpinoſo.

Spinachia ſemine non pungente, folio maiore, rotundo, rarior habetur, cùm Hiemem non facilè ferat. Paſſeres & aliæ aues ſeminum huius valdè auidæ.

## BONVS HENRICVS.

*eſcriptio*



OXylapathi buxea craſſâ *radice* nititur: ſed tenuiores complures *caules* emittit, ſtriatos, partim erectos, partim ſupinos : *folia* triangula, Atriplicis, atrouirentia, farina tenui reſperſa, ſapore nonnihil nitroſo : *floſculi* in thyrſo, muſcoſi, herbidi, *ſemen* rotundum Raphanino ſuppar.

*onyma*

Trag. quem Bonum Henricum cum Fuchſio inſcribit, & Rumicem vnctuoſum, [ Schmerbel , propter vnctuoſa folia ] vulgarem vulnerariam herbam Germanos [ gemein wundt kraut/ ] nonnullos etiam Serpentium vel Colubrinam radicem [ ob folia, quibus veſtitur, Ari aut Vngulæ aſininæ ſimilia, ] vocare dicit : Rumicem tertium ſilueſtrem Dioſcoridis quem ille Plantagini ſimilem, & in terra iacentem dicit cum Fuchſio eſſe indicat, ac pro Spinachia ſylu. lubens habet.

*umex ctuoſus dictus? lgaris neraria. pentium Colu. na radix*

Totam Bonam, Spinacię facie, ſeu Bonum Henricum magni ducunt Aduerſ. Lob. & Penæ, ita namque de ea loquuntur. Sed Tota Bona perquàm optima ; magiſque vſu quàm vllâ peritiâ recepta, Mercurialis credita fuit iamdiu à plebe muliercularum, aut illis non multò peritioribus Pharmacopœis Anglis, quam adhuc inſcitiam magis pertinacia quàm vlla ratione fouent, quia fauit illis euentus. Siquidem eſt huic plantæ deterſoria facultas multò quàm Mercuriali tutior in morbis feruidis, nec tamén eſt ignauæ in attrahendo facultatis, cibis verò multò Mercuriali gratior, tametſi pluſculùm flatuum habet, & non ita procul à Spinaciis natura abeſſe videtur. Lob. Obſ. Tota Bona, Spinachiæ facie, Rumicis 3. genus Fuchſii, 2. Turneri. Eidem Icon. plant. Tota Bona, ſiue Bonus Henricus.

*æ Bona. us Henus*

*Rumex*

Dodon. gall. & Lat. in fol. qui ſub Tota Bona deſcribit & depingit : Ait Bonum Henricum à ſingulari quadam vtili facultate vocari : veluti & pernicioſam quandam plantam Malum Henricum appellent, de quo alibi dicendum.

*Bonus Henricus vnde dictus*

Camer. Epit. & Hiſt. Matth. Germ. Tabern. Icon. & Hiſt. Brunfelſ. & Hort. Luſit. *Bonus Henricus.* Thalyo *Tota Bona* Dodonæi. Atriplicis genus intermedium. Cluſio *Tota Bona.* Geſn. coll. ſtirp. Lapathi ſeu Rumicis genus, vulgò Bonus Henricus vocatum. Atriplicis ſilu. ſpecies. H. Lugd. Lapathi ſilu. 2. genus.

C. Bauh. Phyt. Lapathum 5. ſiue vnctuoſum folio nonnunquam maximo inſtar Aaronis. Se ignarum Botanicum oſtendit Dorſth. dum ſub Colubrinæ nomine ponit iconem Boni Henrici & kbû würtz nominat.

*Lapathum vnctuoſum. Dorſth. not.*

Bonus Henricus, G. Güter heinrich, Schmerbel. Belg. Algoede & Cammekens oore. Gall. *Toute bonne* 1. Tota bona, vti vocant Lob. & Dod. *bon Henry.* Ital. *Herba inſarinata*, Angl. Engliſch Mercury.

Nomina linguarum

Bonum Henricum multis dictum vidi Monſpelii, allatum ex montibus circa Gangen, florentem menſe Maio. Geneuæ quà itur ad montem *Thuyri* copioſè offenditur : Baſileæ inter portam cineream & lapideam menſe Octobri florens, Montbelgardi copioſè Iulio.

Locus & Tempus.

Vulneraria herba eſt Bonus Henricus, ac mirificè ad ſordida purganda, ac glutinanda vlcera confert, ſicut appenſa etiam ac trita vulneribus impoſita, vermes qui in iis nati ſunt excidere faciat. Hæc Fuchſius, quæ Camer. in Matth. Germ. tribuit Atriplici fœtidæ. Sed Fuchſio ſubſcribit Dodonæus : ac inſuper Dodonæus teſtatur folia cum oleribus cocta, atque eſitata, lubricam reddere aluum. Præfertur, vt videre eſt apud Matth. ad venenoſorum animalium ictus. Radicis ſuccus illitus ſcabiem ſanat, & cutis maculas extergit, præſertim ſi cum aceto miſceatur.

Vires *Vlcera. Vulnera.* *Ictus Venenati Scabies*

## DE BLITO IN GENERE.

### CAPVT. IV.

THeophraſtus olus hoc ſcribit vtraque parte fructificare, ſcilicet cacuminib., & lateribus, ideò copioſiùs, protinus enim nodis ſingulis, ſemen inſidens, racematim gerit : caret radice illa ſingulari, quæ in rectum tendit, ſed continuò ab extremo multas craſſas, prolixiores quàm Atriplex gerit, lignoſas.

Quamuis autem Dioſc. Plin. & Galenus nullas Bliti proponant differentias, attamen plures eſſe cùm ab aliis, tum à nobis obſeruatum eſt, de quibus poſthac dicendum erit.

*Nomina linguarum. Echlotoripa. Kipla. Bles*

βλῆτον olus hoc Græci dixête, Latini *blitum*: Ægyptii, vt inter Dioſc. notha legitur, *Echlotoripam*, alii *Kiplam*, Daci *Bles* vocant: Arabes *bachala famenia*, & *bachale aliemanie*, Germ. Meyer Blůt würtz Apollinari, vnnd Rothmeyer: Galli *blette d'Eſpagne*, Fuchſ. *du blit*, *breyon* Sabaudis: Ital. *blito biedoni*, & *bietelone*, Hiſp. bredos & *bledos*: Angl. wilde fine Orrage: Boh. Blyt.

*Adagium*

Plinius Bliti nomen ad ignauiam & fatuitatem referre videtur. Blitum iners videtur, inquit, ac ſine ſapore, aut acrimonia vlla. Vnde conuicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Dicuntur etiam ſæpè Hippocrati βλῆτοι οἱ ἀποπληκτοι, ſiderati, ſtupidi, & attoniti.

Feſtus à βλάξ deducit. Eſt autem nomen cuiuſdam piſcis omninò inutilis, & qui nulli animanti eſt eſui: licèt & inertem, ſtolidum, ſtupidiſſimque deſignet, & Antiqui βλῆτας, murcidos, ſtolidos, bardos, fatuos, bliteóſque dicant: indéque conuicium apud Gallos in vulgus emanat:

*Belitres vnde?*

ſocordes, nulliúſque momenti homines *belitres* & *blitres*, Græcâ imitatione nominantes. Videntur Latini, Betam pro ſpecie Bliti, aut pro Blito ipſo accipere, niſi, vt ait Lobelius, lepidiſſimus Martialis non bene noſcat diſcrimen illo diſticho:

*Vt ſapiant fatua &c.* de quibus antè.

*Locus*

Blitum non tantùm in incultis prouenit, ſed & in hortis ſeritur, quod cùm ſemel natum fuerit, ipſum ſe per multa ſæcula ſeminis deiectione reparat, vt, etiamſi velis, vix poſſit aboleri: ſatúmque ſemel pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit, nec runcati, nec ſarriri flagitat.

*Tempus*

Martio menſe ſeritur, floretque media æſtate & Autumno ſeminéque prægnans eſt.

*Vſus ex Dioſc.*

Blitum eſtur oleris modo, inquit Dioſcorides. Aluo vtile eſt, nullius in medicina vſus. Blitum & Atriplex authore Galeno, aliis oleribus ſunt aquoſiora, & qualitatis expertia: quo fit, vt non ex ſolo oleo & garo ipſa madant, ſed acetum etiam iniiciant: nam alioqui ſtomacho ſunt noxia. Olera autem huiuſcemodi ad facilem deiectionem ſunt propenſa, præſertim ſi cum humiditate lubricum quiddam habeant: Porrò alimentum

*Temperam.*

corpori præbent exiguum. Et, Blitum olus eſt eſculentum, humidæ frigidæque temperaturę in ſecundo maximè exceſſu à temperatis. Hippocrates contrà, βλῆτον ſcribit eſſe θερμὸν καὶ διαχωρητικὸν, id eſt, calidum eſſe, & ad excernendum non incitare: Imò fluxum muliebrem reſiccare.

*Ex Plinio*

Plinius inutile ſtomacho eſſe ait: ventrem adeò turbare, vt choleram faciat aliquibus. Dicit tamen aduerſus ſcorpiones potum è vino prodeſſe, & clauis pedum illini, item lienibus, & temporum dolori ex oleo. Hippocratem menſtrua ſiſti eo cibo putare.

Blitum album Tridentina rura *Bredone* vulgò appellant, vt ſcribit Matthiolus, & à nonnullis in cibum admittitur. Primùm aqua decoquunt, dein affuſo oleo, vel butyro; in ſartagine frigunt, additis Allio, & Omphacio, vel aceto, ſed is cibus,

*Vomitum mouet. Aluum ciet*

vt is vſu ſeſe comperiſſe teſtatur, vomitiones mouet, ventriculi & inteſtinorum tormina facit, & alui fluxiones ciet excitata bile. Mirum igitur, ſi

*Dioſc. not.*

Hippocrates, Galenus, Plinius, Matthiolus, vera ſcripſerunt, quod dixerit Dioſcorides Blitum aluo vtile eſſe; nullius in medicina vſus.

*Blitum rubrum & album maius & minus. Blitum erectius.*

Blita hæc numerantur. Blitum pulchrum rectum magnum rubrum. Rubrum minus. Pulchrum magnum, album. Album minus. Erectius, ſiue 3. Tragi Maximum, ſiue Amaranthus maior, ſemine albo. Sed & hæc ad Bliti genera referuntur. Amaranthus purpureus. Amaranthus panniculâ ſpecioſâ criſtata. Simphonia Dalech. ſiue Amaranthus tricolor.

*Maximū, ſiue Amaranthus maior. Purpureus panniculâ ſpecioſa. Tricolor.*

Eſt præterea nobis Blitum 4. Tragi, Atriplex, Pes anſerinus dicta. Item & Blitum 5. eiuſdem, nobis Atriplex, dictus Pes anſerinus alter, ſiue ramoſior. Blitum illud fœtidum à quo apud Plautum Blitea meretrix cognominatur, dicemus Atriplicem fœtidam. Nec eſt vt quidam falsò putant Spinachia Blitum. Officinæ quoque non rarò cum Blito Betam confundunt. Errant demùm qui putant Cynocramben eſſe Bliti genus.

*Duplex pes anſerinus. Atriplex fœtida. Spinachia. Beta Cynocrambe*

## BLITVM PVLCHRVM RECTVM MAgnum rubrum.

*Deſcriptio*

FAcilis adoleſcentiæ, *radice* pollicari fatuâ, vt & tota planta, *caule* fiſtuloſo, intus extráque ſanguineo rubore perfuſo, concolorémque ſuccum preſſu remittente. *folia* Betaceis minora, magis rugoſa, quà cælum ſpectant ex rubro nigreſcunt, pronâ parte hilaritùs rubent: *floſculi* muſcoſi ſecundùm caulem, apiculis pallidis conſtant, *ſemen* Atriplicis ſylueſtris, vel Amaranthi nigrum, nitens.



*An Lob. blitum rubrum*

An Aduerſ. Lob. & Penæ, Blitum rubrum intensè rutilis ſanguineis caulibus, foliis ex rubro liuentibus, & Icon. plant. Blitum rubrum? An Dodon. gall. Blitum magnum rubrum ſine icone? An Lat. pingenti Blitum rubens: Eſt Apollinari ſub nomine

*Apollinari notatur*

Blůt würtz pictura mala, quæ videtur aliquatenus Blitum maius exprimere. An Hermol. quod

*Fuchſ. not.*

Fuchſius affirmat: Blitum ſiue Blitus [Græci etiam Bleton] rubens? An Matth. Blitum rubrum, qui in poſt. comm. It. pingit hoc titulo, Blito roſſo: in Lat. Blitum rubrum: in Hiſt. Germ. Rotter meyer/ aut Blůtkraůt? An Lob. Obſ. cum Matth.

*Lob. not.*

hoc pingit hoc titulo, Blitum? An Anguill. Blitum nigrum, cuius meminit Alexander Trallianus lib. 8. cap. 7? An Ruell. qui partem ſuæ hiſtoriæ &

*An Poreta rubra Ruell.*

Hermolao ſumpſit: Blitum rubens & rubrum olus, vel poreta rubra vulgò? Sed videant Lectores ne fortè Poreta rubra Gallis ſit Beta rubra. An Geſn. hort. Blitum peregrinum, vel Blitum ſatiuum rubrum, vel Blitum vulgi.

Taber. ic. & Hiſt. Blitum. C. Bauh. phyt. Blitum 3. ſiue rubrum maius. Hort. Luſat. Blitum rubrum.

*Locus & tempus*

Vidi Baſileæ in horto D. D. Fœlicis Plateri, cuius ſemina Montbelgardi terræ commiſi, quæ plantas protulerunt Iulio & Auguſto menſibus florentes, ſemináque Octobri matureſcentes, ſéque ipſas quotannis ex deciduis ſeminantes.

BLI-



fibroſa. Nec alia Atriplici ſatiuæ rubræ facies, niſi quòd ſanguineo colore tota picta eſt.

Dioſc. Atriplicem, Chryſolachanum vocat, & olus cognitum, idque in ſatiuum & ſilueſtre, vt etiam Plin. & Galenus, diuidit.

Theophraſtus radicem lignoſam tradit, vnam altè deſcendentem, vnde aliæ exeant, copioſè fruticare, nam protinus nodis ſingulis ſemen inſidens racematim gerit à latere & in ſummis, ſemen foliatum, vt in Laſerpitio.

*Atripl genera Veterum & Recentiorum*

Sed licèt Atriplicis duo genera tantùm tradant Dioſc. Plin. & Galenus, ſatiuum & ſilueſtre, attamen dari & tertium, quod eſt Maritimum, nemo inficiabitur: cùm teſte Marantha, ex frondium, ſeminum, radicíſque ſimilitudine liquidò appareat, non habere aliam differentiam, niſi quòd ſalſo guſtu ſit, propter maris contiguitatem, foliaque ſubalbida habeant, quod omnibus maritimis euenire ſolet. Sed miſſo ſilu. & maritimo, de ſatiuo hoc cap. tractabimus.

*Fuchſ. Atriplex duplex Trago triplex*

Fuchſius itaque videtur vnicâ deſcriptione & figurâ, quam Atriplicem hortenſem ſubſcripſit, ambas proponere. Tragus Atriplicis ſatiuæ tria faſtigia facit. Scribit enim quandam proferre folium rubicundum: aliam ex luteo langueſcens, poſtremam nigricans.

*Tabern. not.*

Videtur Iac. Theod. Tabern. cum Hort. Luſit. in eadem ſpecie rubræ ponere três colores, aliter quàm Tragus: certum eſt albam permanere albam, & rubram rubram, quicquid dicat Theodorus. Nos ponimus duas figuras quia ex Fuchſianis erant ſculptæ.

Matth. qui aliàs ſolùm domeſticam nominat, in Hiſt. germ. Atriplicis Graminis modo virentis, rubræ vt ignis, & pallidè luteæ meminit. Anguill. Atriplex domeſtica. Lonic. cuius figura diſplicet, rubram, albam & virentem tradit. Geſn. hort. Dod. gall. Atriplex ſatiua, alba & rubra. *Non eſſe* autem cum Trago Matth. Lonic. & aliis Atriplicis ſatiuæ tria conſtituenda faſtigia docet Dodon. Lat. in ſol.

*Lonic not.*
*Error multorum Atripl ſatiua non tria faſtigia*

Lob. & Penæ Adu. Atriplicis ſatiuæ duplicem conſtituunt ſpeciem. Vnam, quam Chryſolachanon vocarint Dioſcoridis tum Antiquiores tum Poſteriores, cui folia marceſcentia à luteo vel flauo in aureum vergant. Alteram, folio & flore purpuream, liuentem.

Cæſalp. Atriplex, folio colore ex viridi palleſcente. Camer. hort. Atriplex purpurea grandis, ſemel ſata poſtea decidente ſemine proueniens.

*H. Lugd. not.*

Hiſt. Lugd. vnicam licet Atriplicis ſatiuæ exhibeat iconem, albam tamen & rubram recipit. Albæ, inquit, folia cùm tenella ſunt, candicant, cùm adoleuerunt, colore ex viridi in luteum elangueſcunt. Alterius folia, caules, flores in rubro fulueſcunt.

Alph. Moreſch. Atriplicem impropriè ſanè Chryſanthemum vocat, quod hactenus apud neminem me legiſſe memini.

C. Bauh. Atriplex 1. hortenſis alba. Atriplex 2. hortenſis rubra: *ad Matth.* Atriplex 1. hortenſis rubra. Atriplex domeſtica: & ab hac differens, colore potiſſimùm, hortenſis alba.

*Gerard. not.*

Gerard. Atriplex ſatiua alba: Atriplex ſatiua purpurea: pro qua ab ipſo malè ponitur icon pedis anſerini 2. Tabern.

*Nomina linguarum*

Præſens planta Latinis in genere dicitur Atriplex. Græcis, ἀτράφαξις καὶ χρυσολάχανον [aureum olus] Arab. *Cataf*, ſeu *Caraf*. Germ. Molten/Multen. Belg. Malde: Ital. *Atriplice*, & *Armola*, *Trapeſe Reppice* & *Treppice*: Gall. *Arrouches*, *Bonnes Dames*, *preudes femmes*. Montb. *des Arables*. Bizont. *Des Armoue*. Geneu. *Folestes*, Hiſp. *Armolles*: Angl. *Orrage* ſeu *Oreche*: Boh. lebeda.

*Atriplicis Etymon*

Atriplexum, vt Feſtus refert, appellabatur ab atro, vt aliqui putant, colore. Verùm à voce Græca potiùs quàm ab atrore fluxit nomen. Nam Atriplicis olus ἀτράφαξιν Græcis dici Columella teſtatur; Hippocrates ἀδράφαξιν appellat. Heſychius ἀδράφαξυν, quòd ἀδρῶς αὔξει, & Suidas ἀτράφαξιν [Atticis, d literam in t mutare frequenter amantibus] εἶδος λαχάνου, ὃ ταχέως εἰς μέγεθος αὔξεται, id eſt, quòd ſtatim in amplitudinem adoleſcat: ſiquidem octauo à ſatu die proſilit, confeſtimque incremento proficere conſpicitur: fidem celeris augmenti facit ereptum in confinio cæteris herbis alimentum. Ac ne in hortis quidem iuxta eam naſci quicquam tradunt, niſi languidum: χρυσολάχανον, id eſt aureum olus græci appellant, quòd auri colorem repreſentet. Alij tradunt ab aureo ſiue luteo flore nomen hoc inueniſſe.

*Locus & tempus*

Atriplex alba & rubra hortenſis, non niſi ſata prouenit, aſſiduóque humore ſatiari amat. Frequens Montbelgardi etiam in Horto E.C. Geneuæ obſeruaui paruas plantas virentes, ex ſemine deciduo Ianuario, & florentem vt aliàs conſueuit Iunio & Iulio: Porentruti magnas areas Atriplice ſerunt, & maiori in vſu quàm Montbelg. In Hetruriæ hortis rara admodũ Atriplex, frequentiſſima autem apud Inſubres ſeritur, à ruricolis in hortis & in campis. Hæc inter coquinarias herbas ocyſſimè aſſurgit, nam poſt quindecim dies à ſatione vſurpatur in coquinis & tantùm Vere edulis.

*Vires Ex Dioſc.*

Atriplex, vt ſcribit Dioſcorides, cocta eſtur vt olus, aluum mollit: panos diſcutit ſiue cruda, ſiue cocta illinatur. Semen cum aqua mulſa potum regium morbum ſanat.

*Morbus regius*
*Temperam. ex Galeno*

Atriplicis, vt oleris, in cibis vſum cum Blito declarat Galenus, qua de re antea diximus. Vſum medicum & temperamentum alibi ſic explicat. Atriplex frigida & humida temperie eſt, humida quidem ſecundi ordinis, frigida verò primi, quam vtique tepidam eſſe caliditatem poſuimus, cuiuſmodi Roſis ineſt: non tamen adſtrictionis eſt particeps, ſed aquea eſt, & minimùm terrena, ſimiliter ac Malua. Quin & ventrem ſimiliter permeat vt illa, ob lubricitatem. Hortenſes autem Atriplices & Maluæ quàm agreſtes tum humidiores, tum frigidiores. Quare phlegmonis & phygethlis incipientibuss, gliſcentibúſque & mollibus etiamnum, ac velut feruentibus hortenſes: vigentibus autem ac declinantibus, & indureſcentibus commodiores ſunt agreſtes. Semen eius abſtergendi vim habet. Itaque ad morbum regium ex hepate obſtructo obortum vtile eſt. Ex quibus ſanè verbis tota Dioſcoridis ſententia declarata eſt.

Atriplex & ſilueſtre eſt, inquit Plinius, & ſati-

*Noxa ſecundum Pythagoram* uum, accuſatum à Pythagora tanquam faceret hydropicos morbóſque regios, & pallorem, coqueretúrque difficillimè: ac ne in hortis quidem iuxta id naſci quicquam, niſi languidum culpauit. Addidere Dionyſius & Diocles plurimos gigni ex eo morbos: nec niſi mutata ſæpiùs aquâ coquendum. *Solon notatur* Stomacho contrarium eſſe, lentigines & papulas gignere. Miror quare difficulter in Italia id naſci tradiderit Solon Smyrnæus. *Vuluarum vitia Cantharida* Hippocrates vuluarum vitijs id infundit cum Beta. Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendum dedit. Quibus ſubiicit ea quæ Dioſc. & Galenus tradiderunt. Syluestri, inquit præterea, capillos tingunt, & ad ſuprà dicta vtuntur.

Hippocrates quibus genitura in vtero immoratur, ibique putreſcit, & moleſtiam excitat, Atriplicis agreſtis ſemē [ἀνδράφαξιος ἀγρίης καρπὸν] vel ſuccum cum melle delingendum offert.

Scribit Serapio Rhazim vidiſſe hominem quēdam, qui ex Atriplicis ſemine duarum drachmarum pondere ſumpto, tam crebris vomitionibus tum alui eiectionibus, adeò vexatus fuit vt ad extremam virium imbecillitatem deuenerit.

*Matth. not.* Et Matthiolus pharmacopœum quendam ſe nouiſſe ait, qui ad ruſticos purgandos Atriplicis tantùm ſemen exhibebat, quod iis non ſine moleſtia magna aluum ciebat abundè, ac ſimul etiā crebros vomitus prouocabat. Quam facultatem quum ſcribat Matthiolus, paucis hactenus cognitam, ea tamen à Plinio non prætermiſſa l.20. cap.20.

## ATRIPLEX SYLVESTRIS.

*Deſcriptio* QVi ſatiuam Atriplicem nouerit, is nullo negotio & hanc ſiluaticam nouerit ſpontis ſuę Atriplicem: quæ *caule* anguloſo ſtrigoſior non ita adoleſcit: *foliis* ferè rhomboïdæis, ſinuatis, quæ inferiora, ſuperiora verò longiora, quædam parùm ſinuata, alia in totum ſinuata, xerampelinis, per margines ſubinde rubentibus, puluiſculo farinaceo reſperſis: *flores* racematim muſcoſi per ramos viſuntur, quibus *ſemina* ſuccedunt parua, rotunda, compreſſa, læui nitore nigricantia. Figuræ ſunt Fuchſianæ, nec admodum placēt vnam etiam ex illis habet Dodonæus.

*Synon. Atriplex ſtercoraria Atriplex exigua* Corn. Atriplicem ſiluestrem, eò quòd cacationes inducat, ſtercorariam [Scheiß Milt vnnd ſcheiß molten cum aliis] cognominat. *Icones* Trago eſt hæc Atriplex agreſtis & exigua, Item acker milt. Fuchſ. Anguil. Geſn. hort. Dodon. gall. & lat. in fol. (quā ſucco etiam rubente reperiri ait, ita & albam adſtruit.) Lacun. *Atriplex ſilueſtris.*



*Matth. taxatur.* Atriplicem ſylu. hortenſi omnibus propè notis reſpondere ſcribit Matth. præterquàm foliis, quæ albidiora ſpectentur. Is olim ſolam iconem habebat Fuchſianæ ſimilem, nunc in com. cum mag. fig. & Germ. Hiſt. omiſſis prioribus verbis d. as icones ſine deſcriptione pro vna ponit, nec earum vlla mihi videtur reſpondere præmiſſæ.



*Atriplex ſylu. ſinuata* Lob. & Pena Adu. Atriplicem ſiluſ. ſinuatū non diſtare ſpecie à domeſtica aiunt. Lob. Obſ. Atriplex ſilu. vulgatior (hoc vocabulum in Ic. plant. non habetur) ſinuata. Is autem iconem penè eandem habet cum Matthiolina poſtrema cui ſummitates cum lappulis. Videndum an referenda potiùs ad noſtram Monſpelianam cum lappis.

*Atriplex ſimetaria An Cynocrambe* Thal. Atriplex ſimetaria maior. An Cæſalp. quod C. Bauh. affirmat; Cynocrambe ramis cubito minoribus, candicantibus: foliis veluti cinere aſperſis, alioqui Atriplicis ſilu. ſed minoribus, ac ſerratis, Mercurialis modo, ſeminibus racemoſis, ſine flore, exiguis & rotundis?

*Tabern. not.* Tabern. perm. figuram ſine deſcriptione, hoc titulo: Atriplex ſilu. 1.

*Gerard. not.* Gerardum pro Atriplice ſilu. ponere polyſpermon Tabernæ non placet, & præterea pro Atriplice marina iconem Atriplicis ſilueſtris eiuſdem, ſed excuſandus vt qui non exactè nouerit, ac ideò miſcuerit.

Lonic. Atriplex ſilu. maior. Hiſt. Lugd. Atriplex ſilu. 1. Matth. primæ editionis. Hort. Luſit. Atriplex ſylu. vulgatior ſinuata. *C.B. not.* C. Bauh. Phyt. Atriplex 4. ſiue ſilu. altera. *Eccur* Frater apud Matth. non immediatè eam poſt ſatiuam collocat? cur cum Lapatho hortenſi commiſcet. An Atriplex Lapathum: & è contra Lapathum Atriplicem quis vnquam dixerit?

*Nomina linguarum* Ἀνδράφαξις ἀγρία, Atriplex ſilu. Germ. Scheiß Milten/ wild Melten / Acker Melten. Belg. Welde Melde. Gall. *Arrouches ſauuages.* It. *Reppice ſaluatico.* Angl. Wilde Areche/ Sclau. Plorea Loheda. Nunc in Græcia ſecundum Anguillaram ſilu. & domeſtica indifferenter Atrepſi & Chryſolacano vocatur.

*Locus & tempus.* Atriplex ſylu. Montbelgardi etiam in horto Ill. E.C. Monſpelij, Geneuæ, Baſileæ & alibi, vias, ſemitas, ſcrobes, agrorum margines, vrbium mœnia, & fimeta, vbique locorum occupat, florens vt ſatiua Iunio ac Iulio; & ſubinde Auguſto, quo menſe & Septembri ſemē maturat paruum, nigrum, ſuperueniente gelu quotannis perit.

## ATRIPLEX ANGVSTIFOLIA
lacinata minor.

TAbern. Icon. & Hiſt. Atriplex ſylueſtris 2. Si Tabern. collegit & nouit, cur non deſcripſit

*Camer. not.* ſcripſit. Nec placet Camerarium Atriplicis ſilv.3. titulo appoſuiſſe iconem ſine deſcriptione: præterea Matthiolus non meminit Atriplicis tertiæ. Si figura facta eſt ad plantam, de qua hic agimus, vt ſuſpicor, folia oporteret eſſe ſinuata non aculeata.



*An Atriplex fimetaria* An Thal. Atriplex fimetaria minor, quod Caſparus Bauhinus Phyt. aſſerit, ac Atriplicem ſilv.5. facit, ſiue minorem.

## ATRIPLEX SILV. FOLIIS INTEGRIS racemoſa.



*Deſcip. & Synonyma* Camer. ad Hiſt. Germ. Matth. Atriplex ſilv. 2. Icon autem propoſita à Camerario non parum differt à Matth. icone: appingit enim racemulos non lappulas, vel potiùs latiuſculos folliculos: is non deſcribit.

Caſp. Bauh. Phyt. Atriplex 3. ſiue ſylueſtris folio ſinuato. Apud Matth. Atriplex 5. Atriplex ſilv.2. Matth. Lug. Taber. Atriplex ſilv. Cordo in Dioſc. Cæſal. Atriplex ſinuata Lobelii. *Frater* aſſumit figuram Tabern. quæ mihi diuerſa videtur à Matthioli ſilv.2. ac etiam Hiſt. Lugd. & Lobel.

*Locus* Obſeruauimus variis in locis in Sundcouia circa fimos.

## ATRIPLEX VVLGARIS ANGVSTIfolia cum folliculis.

*Deſcriptio.* OBſcuriùs huic virent *folia*, vt pænè atra ſint, ad Polygoni folia proximè accedentia, latiora, acuminata, ſubinde [quanquam rariùs] læuiſſimè ſinuata: excreſcit autem ad cubitalem & ſeſquicubitalem altitudinem: *flos radix*, Atriplicis ſilueſtris ſinuatæ: folliculacea fert *pericarpia*, ſæpè etiam rhomboidea, conferta, quæ dehiſcentia *ſemen* oſtentant, ſingula ſingulum, rotundum, compreſſum.

Eſt hæc Matth. (qui non deſcribit, nec diſcrimen oſtendit) in comm. cum mag. fig. *Matth. icon* Lat. Atriplex ſilv. Ital. *Atriplice ſatiuo.* 1. Hiſt. Germ. Atriplex 2. Wilde melten. Lob. Adv. & Ic. Plant. Atriplex ſilv. Polygoni, aut Helxines folio. Dodon. gall. Atriplex ſilv. minor: Lat. in fol. Atriplex ſilu. humillima, ramoſior, foliis anguſtioribus; floribus; ſeminibúſque prioribus reſpondens. Cæſalp. Atriplex ſilv. breuior ſatiuâ, folio ſimili, ſed minore, ac nigriore; eoque circa ſummum caulem tenuiore, & ſenſim longiore, ſeminibus ſimiliter depreſſis, nigris. Camer. hort. Atriplex ſilv. Polygoni folio. Hiſtor. Lugd. Atriplex ſilv. 1. Matth. Polygoni folio 2. editionis.





C. Bauh. Phyt. Atriplex 12. ſiue anguſto centinodiæ folio, Dod. Silv. altera Lob. Polygoni aut Helxines foliis. Foliis communiter oblongis, anguſtis, non ſinuatis: reperitur tamen aliquando foliis ad principium duabus alis donatis. Apud Matth. Atriplex 7. ſiue anguſto Centinodiæ folio. Atriplex ſilv.1. Matth. inter maiores figuras, inter minores enim non expreſſit. Dodon. Atriplex ſilv. humillima & quarta.

Montbelgardi & Baſileæ prouenit in vinetis & agrorum marginibus. *Locus*

## ATRIPLEX SYLV. MONSPESSVLANA cum pulchris inuolucris.

FOlio eſt breuiore (quo multùm differt ab Atriplice Matth. 1.) albicante, ſinuato, Atriplicis vulgaris, breui pediculo conſtante: inuolucris *ſeminum* anguloſis; quodammodò Cynogloſſæ noſtræ topiariæ ſimilibus, intra ramulos & foliorum pediculos prodeuntibus; *ſemen* includentibus paruum, compreſſum, nigrum: lappis etiam multò maioribus; nec velut in ſpicas deſinentibus: ita vt habere aliquid videatur ſimilitudinis, quod lappas attinet, cum Atriplice prima ſilv. Matthioli in poſt. figuris, melius tamen accedit ad ſecundam, quam facilè exiſtimarim. *Deſcriptio*

*An Atripl. ſilu.2. Matth.* An Matth.in comm. cum mag.fig. Lat.& Ital. Atriplex ſylu.2. ? In hiſt.Germ. Atriplex ſylu.1. Wilde Melten 2? An Lobel.Obſ.& icon. Atriplex ſilu.ſinuata ? Camer. in Epit.& Hiſt.Germ. Matth. Atriplex ſilu.1. Hiſt.Lugd.p.536. Atriplex ſilu.2.

An C.Bauh.Phyt. Atriplex 3.ſiue ſilu.folio ſinuato ? Hanc, inquit, Atriplicis ſylu.hiſpidæ paruæ rectæ nomine à D. Doldio accepimus : eandem Monſpelii Auguſto menſe frater Ioh. Bauhinus collegit. Apud Matth. Atriplex ſilu.lappulas habens, à nobis primùm deſcripta, cauliculi leuiſſimè hiſpidi. Hæc frater. *C.B. not:* *Ego* quidem anno 1561. Monſpelii collegi, & deſcriptionem miſi Dò. Geſnero cum ipſa planta, aſt nihil hirſuti aut hiſpidi obſeruaui. Conſiderandum an D9. Doldius ſuam hiſpidam dixerit à capitulis & inuolucris angulo-ſis ſeminum.

## ATRIPLEX HALIMOIDIS LOBELII.

Deſcriptio

Synonyma

ATriplex halimoidis Aeſtiua eſt, *caules* edens ternûm & quaternûm cubitorum, & *folia* Halimi: *flores* & *ſemina* racemoſa cæterarum more. Mihi primùm viſa in viridario Ioh. Mutoni Neruienſis Pharm. Semitas & rudera amat, Lob.Obſ.

Locus

C.Bauh.Phyt. Atriplex 11. Halymi folio.

## ATRIPLEX ARBORESCENS.

Delineatio SEmen quoddam ad nos miſit Lutetiâ Robinus Botanicus Regius, nomine Atriplicis arboreſcentis inſulæ Calix dictæ. Iſtud ferè magnitudine Milii eſt, cinereum, rotundum ac modicè compreſſum, hylo candicante, ſapore faruo, nec effatu digno.

Scribit hanc plantam ſemper virêre: à nobis ſeminata eſt Montbelgardi in horto Ill. E.C. Vvitembergi quem colimus.

## ATRIPLEX MARITIMA.



Deſcriptio ATriplex maritima humi ſpargit *caules* cubitales numeroſos, ex craſſa ſatis *radice* exortos, totos albicantes, per quos & *folia* candicantia ſinuata, Pedis anſerini ſimilia. *Floſculi* per extrema poriſſimùm ramulorum racematim congeſti, flores Portulacæ marinæ imitantur. In icone à nobis prepoſita radix picta nimis craſſa.

An Cordo in Obſ.ſilua, Atriplicis ſylu.genus, guſtu ſalſum? Matth.in com.lat & It.& Hiſt.germ. (qui dicit Dioſc. & Galen. huius non meminiſſe:) Dodon. Lat. infol. H. Lugd. Atriplex marina, Meer Melten.

Lobel.& Penæ Adu. Atriplex marina repens &c. Lob.etiam Obſ.& Ic. Plant. Atriplex marina repens. Sed repentem dicere non conuenit: ſparſa eſt ſupra terram, non repit. *Lob. not.*

Camer.hort.[qui ait rubro & herbaceo ſemine inueniri] Epit. & Hiſt. Matth.germ. Atriplex marina.

*An Cynoctambe 3. Caſalp.* An Cynoctambes 3.genus, in maritimis viſum; ramis humi procumbentibus, candidis foliis, veluti puluiſculo argenteo aſperſis, rotundioribus?

*Gerard. not.* Gerard. vt antè dictum, pro Atriplice marina Matth. figuram Atriplicis ſilu. demonſtrat, quid pro quo.

C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Atriplex 9.ſiue maritima.

Locus. Atriplicem maritimam habeo à Valerando Dourez. Iac. Reinaudeto, fratre C.Bauh. qui Venetias attulit ex Lio. Frequentem offendi ſcribit Matth. Tergeſti ad ſalinas in maris litore: Lob.in maritimis mediterraneis & Adriaticis nuſquam non obuiam, humi ſtratam.

Vires Vis Atriplici marinæ quæ cæteris Atriplicibus, ſed propter ſalſedinem, quâ referta eſt magis quidem aluum citat, *Aluum ſol. uit.* magiſque abſtergit ſi è carnis iure decocta edatur, Matth. His addit Camer. Digerit, incidit, attenuat, liquat, à putredine vindicat, aperit, & abradendo expurgat. humentem ventriculum ſiccat, *Hydrop.* hydropicos iuuat, pingues extenuat. Atriplex marina primùm creſcens in Aeſtuariis Veneris, vnde quandoque cinerem parant ad conficienda vitra. *Vitra*

## ATRIPLICIS MARINÆ SPECIES Valerando.



ATriplicē aliā marinā habeo datam à iam dicto Valerando Dourez Pharmacopœo cui hæc aſcripſit. Atriplicis marinæ ſpecies, Polyſperon Caſſiani Baſſi quorundam. *Polyſperon Caſſiani Baſſi quorundam* Hęc valdè ſimilis Atriplici ſylueſtri vulgari, niſi eadem:

## ATRIPLEX FOETIDA

Deſcriptio VIx humo tollit *caules*, vt plurimùm, ramoſos, dodrantales, aut etiam maiores : quos veſtiunt *folia* ex rotunditate modicè in acumen deſinentia, potiſſimùm ſuperiora, in inferioribus quædam ſinuata, farinaceo puluiſculo aſperſo candicantia, odoris viroſi inſolerabilis, vt qui



qui vel attactu leui manus ita inficit vt longo tempore vix poſſit elui. *Floſculi* racemoſi Atriplicũ aliarum ſylueſtrium modo. *Radix* gracilis fibrata.

*Synonyma. Garoſmum Vuluaria*

Cord. hiſt. Giroſmum, Agreſtis Atriplicis mima (fortè minima) ſpecies, Vuluaria. Garoſmon autẽ dubio procul ex eo dicit, quòd Γάρον, ſiue liquamen piſcium redoleat.

*Atriplex canina. Bonus Henricus. Vitium Atriplicis.* Tragus Atriplicem caninam & fœtidam, & Blitum fœtidum, & Bonum Henricum appellat: Germ. gût oder ſtoltz Heinrich / hundsmilten. Vitium, inquit, Atriplicis potiùs eſt, quàm quidquis aliud.

*Error Tragi, ac Lonic.* Sed & Lonic. hanc Boni Henrici [Gûter Henrich] nomine deſcribit, nullam cum Trago ponens figuram, ac nomina Boni Henrici malè aſcribens.

*Tragium germanicũ.* Dodon. gall. Tragium Germanicum, quorundam Vuluaria: Lat. in fol. Garoſmus, Atriplex fœtida.

Geſn. hort. Atriplex altera, Garoſmon.

*Atriplex hircina. Garum olens* Lob. Icon. Plant. Atriplex puſilla, olida, Hircina, Vuluaria vocata. Garum olens. De hac aiunt Aduerſaria: Eſt in Nitiobrigum agro, aliiſque locis quàmplurimis herbula Atriplici accenſenda, ſecus vias frequentiſſima, tenera, paruula: humi demiſſa folia candore micant, quaſi polline interſperſa. *Infamis odoratu.* Hanc notiſſimam fecit odor, & fermè infamem: odoratu namque hircus teterque ſpiritus opplet nares, quo imbuti querũtur permulti ſe meretricum impuros loculos ſubodoratos eſſe: planéque referre odorem illum viroſum quem proſtitutæ libidinis ſcorta ex impura colluuie congeſta ſpirant. *Futuaria* Inde vulgò *Futuariam* dictitant: atque autumant: hac illitas veſtium muliebrium plicas canes ſagire, atque arrecto veretro Veneris æſtu actos, illas amplexas cupere inire, præſertim in templis vbi tetriùs odor ſpirat, & minùs ventis difflatur. Hæc vulgi ſunt, tota cibis abdicanda. *Atriplex olida Cynocrambe.* Lob. Obſ. Atriplex olida, Vuluaria, Garum olens, Garoſmum Cordi.

*Conyza 3. Dioſcoridis, Cæſalp. lapſus.* Cæſalp. Cynocrambe affinis herbula folio minimè ſerrato: ſine flore: ſemine racemoſo, exiguo, rotundo: vulgò *Connina*, nam redolet muliebria: videretur Conyza tertia apud Dioſcoridem. *Sed quòd* huic plantæ Cæſalp. florem negat, errore ſ atet.

Vuluariam apud Hiſt. Lugd. à fœtido odore Tragium vocauit Dodonæus. Gall. *Herbe de Bouc.* Quia verò duo ſunt alia Dioſcoridi Tragii genera, ad horum diſcrimen Tragium Germanicum cognominauit. Alii Atriplicem caninam dixerunt, quia eam ex vrina canum naſci putant.

Hanc Tabern. Vuluariam (Schamkraût / Maützenkraût) appellauit, dicta nomina in Hiſt. ferè omnia adſcribens. Gerardo, Atriplex olida dicitur. Angl. Stinkin Geach. C. Bauh. Phyt. Atriplex 10. ſiue fœtida.

*Locus* Atriplex fœtida, quæ à nobis Montbelgardi, Geneuæ, Baſileæ & Lugd. obſeruata eſt, iuxta parietes prouenire dicitur, & locis ſabuloſis, præſertim quæ lotio canum ſæpiùs aſperganıur. *Tempus* Æſtate media floret, editque ſemen. Vbi ſemel ad hortos tranſlata diutiùs recurrit.

*Vires Vulua ſtrangulatus Vlcera putrida* Ex vtero laborantibus grauitate odoris prodeſſe poſſe teſtatur Dodonæus. Fœminis ſtrangulatu vuluæ oppreſſis, conferre creditur, maximè ſi vmbilico imponatur. Bonus hic Henricus, inquit Tragus, vermes in vlceribus putridis animantium quadrupedum natos excutit certiſſimo experimento, ſi herbà tuſa vlceribus imponatur id quod non ſemel ipſe vidi. Sunt qui vermes enci dicant, ſi herba ſolùm adalligetur iumento.

## ATRIPLEX, DICTA PES Anſerinus.



*Deſcriptio* PErſimilis eſt Atriplici ſylueſtri ſinuatæ vulgatiori, ſed huius *folia* ampliora laxiùs & rariùs ſinuata, atrouirentia, caput grauante odore prædita: *flos* racemoſus Atriplicis iam dictæ. *Semen* exiguum, rotundum. *Radix* ligneſcit fibroſa: caulis craſſiuſculus, rectus, cubitalis.

*Synonyma Sola num venenoſum* Tragus hanc inter Solana renſet, & Solanum 4. venenoſum & furioſum, Schweins todt/Mortem porcorum, Sewplag, ſupplicium ſuum, ab effectu expertas vocare tradit aniculas. Idem & cum eo Fuchſ. Dod. gall. & Lat. in fol. Tab. Gerard. & Geſn. de coll. ſtirp. (qui tres & Chenopodium Plinij vocant,) pedem anſerinum nominant. *Chenopodiũ*

*Matt. not.* Matth. in poſt. com. It. & Lat. cum mag. fig. Atriplex ſylu. 3. Icon ſine deſcriptione.

*Atriplex ſilv. latifol.* Lob. & penæ Adu. Atriplex ſylu. (ſiue pes anſerinus) latifolia. Obſ. Atriplex ſylu. latifol. Ic. plant. Atriplex ſylu. (ſiue pes anſerinus,) latifolia, laceris laciniis.

*H. Lugd. not.* Hiſt. Lugd. fruſtra duas icones proponit, ac deteriùs diuerſis capitibus. An Thal. Atriplex fimentaria grandior? Cæſalp. Cynocrambes genus alterum, quod Hermol. teſtatur apud Plinium Chinopum eſſe: i.e. Herbam ſimilem Anſerino pedi. C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Atriplex 6. ſiue ſilu. latifolia, Cynocrambe, non autem Dioſcoridis. *Cynocrambe.*

*Nomina linguarum* Atriplex dicta Pes anſerinus, cognominatur à Germanis Gänß fuß / quibuſdam Sew oder Schweins todt / & Sew. plag. Belg. Ganſen vot. Gall. *Pied d'oye.* It. *Pede di Ocha.* Ang. Goos ſe foote.

*Locus* Secus veteres parietes, vias, ſemitas, alibíque incultis ac deſertis humentibus nonnihil locis

frequens exit, viget ac floret vnà cùm Atriplicibus reliquis. Hanc Lugduni, Geneuæ, nec non Montbelgardi obſeruaui.

Vires.

Herba planè lethalis & peſtifera maximè ſi à ſuibus deuoretur, Fuchſio & Trago auctoribus. Facultate frigida & humida eſt, & quidem non minùs Atriplice: ſed vti apparet, etiam ampliùs refrigerans, ſecundo ordine.

## ATRIPLEX DICTVS PES ANSERINVS alter ſiue ramoſior.



Synon.

Blitum 5. & Atriplicis quintum genus Tragi eſt ſimile 4. [id eſt Pedi anſerino] à quo ferè nihil differt, niſi quòd folia habet acutiora & magis nigricantia.

*Chenopodium Pes anſerinum.*

*Error Gerardi*

Taber. Icon. & Hiſt. Chenopodium, Pes anſerinus 2. Gänß füß 2. Gerard. Atriplex 2. ſatiua purpurea purple Orach. Qui malè pro Atriplice purpurea ponit pedis anſerini 2. figuram. C. Bauh. Phyt. Atriplex 7. ſiue ſylu. latifolia altera acutiore & nigriore folio.

Locus

In antiquis areis & foſſis fimi ac pagis inuenitur.

## PARIETARIA.



*Etymon*
Deſcriptio

Vulgaris notitiæ eſt à natalibus dicta Herbariis Parietaria, hirſutis *caulibus*, ramoſis, donata: *folia* Mercurialis, hirſuta, atrouirentia & nitentia: *floſculi* cõferti circa caulem ex foliorum alis floccos coccinei ſerici imitantur primulùm è nodulo emicantes: poſt ſe *ſtamina* oſtendunt obſcurè, ex albo purpuraſcentibus apiculis, inuoluta, quæ ſi ſtilo euoluere coneris, ſubſultim excuſſo puluere cùm impetu ſpectaculo iucundo, ſe expandunt repanda, in medio *ſeminis* rudimentum circumdantia. *Radix* fibroſa. Eſt hæc maior & minor.

*Dioſc. illuſtratur.*

Hanc noſtram parietariam Helxines nomine delineat Dioſcorides his verbis. Cauliculos profert tenues ac ſubrubentes, folia Mercurialis, hirſuta: circa caules velut exigua ſemina, aſpera, veſtibus adhærentia.

Synon.
*Parthenium*
*Perdicion*
*Helxine*
*Parietaria*
*Herba venti*

Matth. Brunfelſ. (cui & Parietaria, & ſeptima Parthenii ſpecies:) Anguill. Fuchſ. Dod. gall. Geſn. hort. Lacun. Lob. Adu. Obſ. & Ic. Plant. Turn. (cui & perdicion) Caſtori. H. Lugd. Cæſalp. Camer. *Helxine.* Trago. Lonic. Cord. in Hiſt. Dod. Lat. in fol. & Tab. *Parietaria. Helxine altera & Muralium*, Cord. in Dioſcoridem. Per *Herbam venti* Fuchſ. Adolph. Occo. Cord. Apollo. Luminare maius, & alii Helxinem, ſiue Parietariam intelligunt.

*Perdicaria*
*Paritaria*
*Muralis.*
*Sideritis*
*Heraclea*
*Herculana*
*Vitriaria*

Ἑλξίνη & περδίκιον Græcis, Helxine, Perdicium & Perdicaria Lat. vulgò autem & officinis Parietaria, aut corrupta voce Parietaria appellatur & Muralis: Extant verò eius & alia nomina, cùm apud Dioſc. & Plinium, tum apud Apuleium & paſſim alios, vt Sideritis, Heraclea ſeu Herculana, Vitriaria, Vrceolaria, Veratrium, Ixine ſilueſtris, Clibadium, Polyonymon, Elitis aut Alitis, Amelxine, Euſine, Amorgine, Sucotachon, Pſychuacon, Melampeton, Cittampelon, Anatetamenon. Dioſc. Plinius & Apuleius Parthenium quoque appellant. Sed animaduertendum eſt Plinium huius nominis homonymià deceptum, duas herbas diuerſiſſimas confundere, nimirum Parthenium Dioſcoridis, & Helxinem hanc noſtram, ſiue Parietariam:

*Plinii lapſus*

*Helxine vnde*

Dicta autem eſt Helxine, quòd asperà foliorum hirſutie, aſperoque ſemine, tenaci nexu veſtimentis obuiis adhæreat. Perdicium, à perdicibus, quæ eam elitare ſolent: Parietaria, quòd in parietinis exeat, atque eadem de cauſa Muralis & Muralium. Herba vitri, Vitriaria, Vrceolaris & Vrceolaria, quòd tergendis vrceolis, vaſiſque vitreis efficax ſit. Dicitur Germ. tag vnnd Nacht, non tamen ea, quæ luteis purpureis & ſimilibus floribus inſignis eſt (S. Peters kraut / Maur kraut: Belg. Glaß cruyt. Gall. *Parietaire*: Hiſp. *Yerua del muro*: It. *Parietaria*: Angl. Pellitory of the Wal.

Nomina linguarum

Locus & tempus

Naſcitur iuxta muros, parietes, ſepes, in ruderibus, ac ſubinde in vinetis, ac ipſis muris. In hortis etiam plantata ita prouenit, vt inde vix abigi poſſit: Maio menſe exit: Iulio, ac Auguſto ſemen profert: radix hieme ſolà reſtat. Introduxi in Hortum E. C. ac etiam in meum, vbi hiemem perfert ac non ſolùm ſe radice multiplicat verùm etiam ſemine: Patauii paſſim prouenit: Monſpelii toto anno viret in muris: Montbelgardi verò pereunt folia & Martio menſe prorumpunt. Lugduni vidi virentem Septembri & Octobri. Geneuæ non longè à Porta *Riue* in ſepibus & in variis hortorum muris.

Vires.
*Inflammationes*
*Succus*
*Tuſſis*

Vim habent folia Helxines refrigerantem, auctore Dioſcoride, & adſtringentem, quare impoſita ſanant ignes ſacros, condylomata, ambuſta, panos incipientes, omnem inflammationem ac tumores. Succus eius Ceruſſa admixta illitus eryſipelata & herpetas ſanat, & podagras cerato cyprino, aut adipe hircino exceptus: prodeſt & tuſſi diuturnæ ſuccus cyathi menſura hauſtus. Tonſillis quoque inflammatis vtiliter gargarizatur & illinitur, aurium dolori cum roſaceo inſtillatus prodeſt.

*Plin. reſtituitur*

Helxine inficit lanas, inquit Plinius, ſanat ignes ſacros & vlcera quæ ſerpunt (in vulgatis exemplaribus verba hæc, & tumores collectioneſque

perperam

perperàm leguntur ex priore verſu repetita) & guttura incipientia turgeſcere. Item veterem tuſſim cyatho hauſto, & omnia (in ore tumida, ſic enim legendum) ſicut tonſillas: Et aurium dolores cum roſaceo. Eadem exemplaria habent varices cum roſaceo, nullo ſenſu. Helxine enim cum roſaceo in varices nihil agere poteſt, nec eius facultatis meminerunt Dioſcorides, neque Galenus. Vetus codex arietes vocem habet, ſed itidem corruptam & nihil indicantem. Quare locum ſic, vt poſuimus, Cornarius emendauit ex Dioſcoride.

*Ex Aetio Alopecia*

*Error multorum*

*Adſtringit*

*Guſtus*

*Calculus*

*Vrinam mouet*

Abſtergendi & leuiter adſtringendi vim cum ſubfrigida humiditate illi tribuit Galenus ad prędictos affectus etiam commendans. Facit, inquit Ætius, ad alopecias & impetigines herba ipſa per ſe aſſiduè affriccata. Aperit & hæmorrhoidas ſedis, & fiſtulas ſanat, & ſinus occludit cum modico ſale trita, & cataplaſmatis modo impoſita. Ex his intelligere licet multos melxine abuti, qui eam in frigidis vitiis pro fomento vſurpant, cùm refrigerandi conſtringendique vi prædita ſit. Cæterùm cùm adſtringendi facultas ei quoque inſit (eſt enim guſtu nitroſo, bliteo, & ſuperficie abſtergente,) poteſt etiam calculoſis, & iis qui difficultate vrinæ laborant exhiberi. Succus enim eius trium vnciarum pondere hauſtus auctore Matthiolo ſuppreſſam vrinam mirè prouocat, eademque ſuper tegula calefacta, vinoque Cretico irrorata, & pubi illita, calculoſis & vrinæ difficultate laborantibus mirè auxiliatur. Potiſſimùm, inquit Fuchſius, ſi aliquid quod maiorem abſtergendi vim habeat, admiſceatur. Sic Aëtius hęmorrhoidas aperire tradit, ſi cum ſale cui detergendi vis ineſt, trita apponatur. Multi hodie vſus eſt in enematibus ad ventris & vteri dolores paratis, & ad balnea, abſterſioni accommoda. Eiuſdem vis magna eſt ad recentia vulnera ſananda. Si enim recens ſemi contuſa vulneri alligetur, tertioque die ſoluatur, non erit opus alio vti medicamento. Succus in ore detentus dentium dolores mulcet. Stillatitia eius aqua faciem abſtergit, & nitorem addit.

*Hemorrhoi-*

*Vulnera*

*Dolor dentium*

## OCIMASTRVM VERRVCARIVM.

*Deſcriptio.*

EX *radice* tenui, fibroſa, fuſca, *caulis* ſurgit ſingularis, teres, ſubhirſutus, geniculatus, ex viridi rubeſcens, nitidus: *folia* ex articulis aduerſa, Solani vulgaris, acutiora, atrouirentia, aut ex viridi purpuraſcentia, per ambitum leuiter ſinuata: *flores* in thyrſulis pulchelli, quadrifolii, colore carneo, bifori inuolucro, antequã pateſcant, cõditi, ſtaminulis concoloribus medium occupantibus ſubiectis, hirſutis globulis, poſtmodum in lappulas abituris: quorum ſingulis modò vnum, modo bina *ſemina* oblonga recluduntur. Noſtra icon facta eſt ad plantam ramoſam.



Trago germ. Lappula ſilueſtris. Ocimi foliis herbam, Heliotropii genus, Geſn. aliquando putabat: nunc de hortis Ocimaſtrum verrucarium appellat. Lob. Obſ. & Ic. Plant. Circæam Lutetianam dicit. Tabern. Ic. Herbam Diui Stephani. Hiſt. Lugd. Circæam Dalechampii. Sed non placet planta hæc pro Circæa Dioſc. In deſcriptione etiam Dalechampii ſunt, quæ in ipſa planta non obſeruo. Schvv. eſt Circæa domeſtica, Ocymaſtrum verruc. Item, Circęa ſiluatica, Helxine ſilu. ſiue fluuiatilis Tab. [Thal. legendum] vald tag vnd Nacht: minor eſt tota & tantillùm rubens. Solani naturam æmulatur.

*Ocimaſtrũ Verruc.*

*Circæa Lutetiana.*

*Herba S. Stephani.*

*Circæa*

*Helxine ſilv.*

C. Bauh. Phyt. Parietaria 3. Helxine ſilv. ſeu fluuiatilis & riualis maior & minor Thalyo quid eſt? Item Solanum 9. Solanifolia, Circæa dicta, ratione loci variat. In monte Fracto multò minor eſt vix palmi dimidium æquans.

*Helxine riualis.*

*Locus & Tempus.*

Ocimaſtrum verrucarium Montbelgardi in ſylua *le Cheſnoy*: item in ſylua inter *Eſtobon* & Meſgni *Danigon* [vnde in hortum E.C. tranſtuli:] Baſileæ in ſyluis, nec non Geneuę, & propè Maſmunſter, riuis & vliginoſis gaudet, locis opacioribus frequens. Inueni etiam ad putridos arborum truncos. In hortis ſeptatu ſuo odioſa.

## MERCVRIALIS MAS ET fœmina.

### CAP. V.





*Deſcriptio*

MErcurialem marem à Fœmina *folia* minimè diſtinguũt, quę inter ſe ſimillima, ad Parietariæ folia accedunt, ſed glabra, atro virore ſplendentia, & in ambitu ſerrata, ſapore nitroſo calidiuſculo & nauſeoſo: *caules* vtrique anguloſi ſpithamæi, ac etiam maiores, geniculati, læues: ex foliorũ alis fœminæ quidẽ ligulæ rectæ emicant, tenues, quas verticillatim ceu in ſpica ambiũnt *floſculi* glomerati, muſcoſi, qui in quatuor foliola herbida ſeſe explicantia, cirrhos apiculorum, luteolorum aut herbidorum oſtentant (nullo ſuccedente ſemine pereuntes.) Mari autem ex iiſdem

alis breues pediculi oriuntur, quotum ſingulis teſticulata burſula, nonnihil compreſſa, hirſutáque inſidet, gemina *ſemina* recludens [ Dodonæo ad Aparines & forma & aſperitate accedentia, compreſſiora tamen.] *Radix* vtrique tenera & fibroſa.

*Mercurialis ſatiua & ſilueſtris Mas & fœmina*

Eſt Mercurialis ſatiua & ſilueſtris. Vtraque mas & fœmina. Nos hoc capite vulgò receptam ſiue ſatiuam proſequemur: ſilueſtrem, ſeu repentem, quæ Cynocrambe dicitur, ſequenti capite tradituri.

*Mercur. Dioſc.*

Mercurialis, vt tradit Dioſcorides, folia Ocimo ſimilia habet, Helxinæ cognata, ſed minora, ramulos duplici geniculorum nodo cinctos, alarum caua multa, denſa: fructum fœmina copioſum, racemoſum, mas è foliorum ſinu dependentem, paruum, rotundum, ceu binos teſticulos vnà cohærentes: frutex eſt dodrantalis aut minor.

*Ex Plinio Linozoſtis. Partheniũ Plinio. Hermupoa. Genera duo*

Plinius de eadem re paulò aliter ſcripſit. Linozoſtis ſiue Parthenium Mercurij inuentum eſt: Ideò apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem. Duo eius genera, maſculus & fœmina, quæ efficacior.

Synon.

Fuchſ. Matth. Dod. gall. & Lat. in fol. Geſn. hort. [qui de coll. ſtirp. Linozoſtin vocat: ] Anguill. Lob. Obſ. Lacun. Lonic. Caſtor. Tab. Camer. hort. epit. [ vbi Mercurialis ſimpliciter inſcribitur] & hiſt. Matth. germ. Hiſt. Lugd. *mercurialis mas.* Trago, Mercurialis 2. vel teſticulata aut teſſeculata. Lob. Ic. plant. Linozoſtis, Mercurialis mas. Cordo in Dioſc. [cui & Phyllon Arrhenogonon] & Turn. Mercurialis maſcula. Brunfelſ. Mercurialis, & ſexta Parthenii ſpecies. Cæſalp. Mercurialis fructum ferens. C. Bauh. phyt. & ad Matth. Mercurialis 1. ſiue teſticulata. Schvv. Mercurialis ſatiua mas, teſticulata.

*Mercur. ſimpliciter. Mercurialis mas*

*Phyllon Arrhenogonon Partheniũ*

*Mercurialis fœmina*

Matth. Fuchſ. Turn. Dod. gall. & Lat. in fol. Lacun. Geſn. hort. Lob. Obſ. & Ic. plant. Cord. in Dioſc. Caſtor. Tabern. Camer. hort. epit. & hiſt. Matth. germ. Hiſt. Lugd. *mercurialis fœmina.* Trago, Mercurialis vulgaris & 1. Cæſalp. Mercurialis florens. Cord. in Dioſc. Phyllon Thelygonon Theophraſti. C. Bauh. phyt. & apud Matth. Mercurialis 2 ſiue ſpicata.

*Matth. hallucinatur*

Matth. ait non deeſſe, qui velint Phyllum à Linozoſti [ Mercurialis non differre. Verùm ſe non poſſe cum illis liberè conſentire. Sed hanc tanquam erroneam opinionem in poſtremis comment. Ital. & Lat. meritò omiſit.

*Anguill. not.*

Anguill. Dioſcoridis caput de Phyllo corruptum eſſe ſcribit [ quod tamen non demonſtrat ] admiſcens, quæ Theophr. dixit de Arrhenogono & Thelygono, quæ duæ plantæ; ſunt Mercuriales duę.

Tragus & Dorſth. vtramque vnà icone exprimunt.

*Ryff. taxatur*

Apud Ryff. in Dioſc. figura Cynocrambes poſita pro Mercuriali mare, & fœminæ, Mercurialis pro Cynocrambe, Mercurialis maris pro fœmina.

*Brunſch. not.*

Hier. Brunſch. ineptam habet figuram, in edit. anni 1595. quæ poſtea iterum ponitur pro Conſolida media. Aduerſ. Penæ & Lobelii marem & fœminam agnoſcunt, Linoſoſtidémque, ſeu Parthenium, & Mercurii herbam appellant.

Nomina linguarum

Græcis λινόζωστις, παρθένιον, ἑρμοῦ βοτάνιον [ Hermubotane, aut vt Manlius legit, Herm potana ] vel ἑρμοῦ πόα [Hermupoa, id eſt, Mercurii herba,] Latinis Mercurialis [ Mercorella Patern. ] quòd à Mercurio inuenta ſit, vt ait Plinius. In Oribaſii Med. compendio Lineum coſteum habetur, pro quo tamen Linozoſtis ſit legendum; vt Tragus prudenter monet. Sic & Linoſoſttia ſuper El. de Sebeſten & El. lenitiu. reperitur. *Alibleb* Auerrh. Phyllum Theophr. Dod. Germanis Bingelkraut/Kůwartz, Mercurius kraut. Trago winter-grün. Belgis Bingel cruyt, Mercuriaeß. Gallis *de la Mercuriale.* Ital. *mercorella.* Hiſp. *mercuriale* & *Vrtigua morta.* Anglis French Mercury, Mas Theophr. Græcè ἀῤῥενόγον☉, Fœmina verò θηλυγόν☉ appellatur. Notandum autem eſſe adhuc & aliud Parthenium, & apud Dioſcoridem quoque aliud Phyllon.

Reperitur Mercurialis in hortis olitoriis, vineis, aliiſque locis humentioribus ac vmbroſis, ſecus hortorum aruorumque ſepimenta. Tota Æſtate vtraque viget: Auguſto menſe ſemine prægnans eſt mas: In fœmina enim nondum vidi ſemina, ſed tantùm flores. Hyeme plurima parte intercidit. Locus & tempus

Vtraque Mercurialis Medicis, Seplaſiariis omnibus, atque etiam mulierculis notiſſima eſt ſubnitroſo ſapore, & nonnihil viroſo ſucco purgante & medicato, ad multa perquàm vtili. Vtraque enim, auctore Dioſcoride, aluum mouet, olerum modo comeſta, cocta in aqua, & ea epota bilem & aquoſa ducit. Creduntur præterea fœminæ folia trita & pota, poſt purgationem pudendis appoſita, vt fœminæ concipiantur efficere; maſculæ verò ſimiliter adhibitis, mares generari. Vires.

Plinius de medico vtriuſque vſu paulò aliter quàm Dioſcorides tractauit, eundemque fuſiùs ex Hippocrate declarauit, qui etiam hodie in libris illius extat, maximè eo qui de ſterilibus inſcribitur, & in duobus de morbis muliebribus. Verba Plinii hæc ſunt. Mirum eſt quod de vtroque genere eorum proditur, vt mares gignantur, hunc facere, vt fœminæ, illam. Hoc contingere ſi à conceptu ſuccus protinus bibatur in paſſo, edantúrque folia decocta ex oleo & ſale, vel cruda ex aceto. Quidam decoquunt in nouo fictili cum Heliotropio, & duabus aut tribus Allii ſpicis, donec percoquatur. Decoctum dari iubent, & herbam ipſam in cibo altera die purgationis muliebris per triduũ, quarto die à balneo coite eas: Hippocrates miris laudibus in mulierum vſu prędicauit has. At hunc modum medicorum nemo nouit. Ille eas vuluæ cum melle, vel roſaceo, vel irino admouit. Item ad ciendos menſes, ad ſecundaſque. Hoc idem præſtare potu fotuque dixit. Inſtillauit auribus olidis ſuccum, inunxitque cum vino vetere. Aluo folia impoſuit & epiphoris. Stranguriæ & veſicis decoctum eius dedit cum myrrha, & thure. Aluo quidem ſoluendæ vel in febri, decoquitur quantùm manus capiat, in duobus ſextariis aquę ad dimidias: bibitur ſale & melle admiſto, nec non cum vngula ſuis aut gallinaceo decocta. Salubriùs purgationis cauſa putauere aliqui vtramque dandam per ſe, ſiue cum Malua decoctam. Thoracem purgant, bilem detrahunt, ſed ſtomachum lædunt. *Mira facultas* *Vulua* *Menſes. Secũda* *Stranguria*

Mercuriali, inquit Galenus, vtuntur omnes, ad ventris purgationes duntaxat. Verùm ſi quis eius periculum facere voluerit in cataplaſmate; ſanè admodum eam eſſe digerentis experietur facultatis. Hæc Galenus. Eius hodie in enematibus frequentiſſimus eſt vſus. Et multis in locis Pharmacopœi multùm vtuntur melle quod Mercuriatum vocant. Succi expreſſi libris tribus incoquunt mellis boni libram vnam cum ſemiſſe, vel libras duas ad enemata, & muliebria encanthiſmata: Obſeruatum eſt Verrucas omnis generis vtriuſque Mercurialis foliis tolli vel earum ſucco. Item *Thorax* *Ex Galeno* *Enema ingreditur* *Mel mercuriatum* *Obſeruatio* *Verrucæ*

vtriuſque

vtriuſque ſemen cum Abſinthio decoctum icte-ricos mirificè iuuare, malis quæ ſerpunt ſuccum cum aceto mederi. Quæ antè M lum literis mandauit Ruellius.

## CYNOCRAMBE VETERIBVS.

### Cap. VI.

*Cynia Mercurialis ſilv. Mercur. maſcula. Hederæfolio. Vires.*

CYnocrambe ſiue Cynia, quam aliqui Mercurialem [λινοζωστιν] ſilu. maſculam vocant *cauliculum* duorum palmorum altitudine emittit, tenerum [τρυφερὸν mollem Sarrac.] ſubalbidum: *folia* Mercuriali aut Hederæ ſimilia, ex interuallis ſubalbida: *ſemen* foliis adhærens paruum, rotundum. Vim habet caulis & folia, tum pota; tum olerum modo in cibo accepta, aluum mouendi. At decoctorum iuſculum, bilem & aquoſa ducit.

Verùm huius Cynocrambes cum neque Theophr. neque Galenus, neque Paulus, neque Aëtius meminerit, videtur Cornario hoc totum caput ex præcedenti temerè repetitum Dioſcoridi accreuiſſe & ſuperuacuum eſſe, ac redundare. Adulterinum caput eſt, inquit Marcellus, maximè cùm in vetuſtis codicibus minimè repetiatur. Cynocramben autem Ruell. eandem cum Atriplice ſylu. facere videtur, ſed malè, præſertim, quòd Dioſc. de ſilu. Atriplice lib. 2. de Cynocrambe verò ad finem quarti, tanquam de diuerſis plantis tractauerit.

*Atriplex ſilv. non eſt contra Ruell.*

Sed Galenus, Paulus & alii; atque etiam Dioſc. alterius Cynocrambes mētionem fecêre ſub nomine Apocyni de quo ſuo loco.

*Cynocrambe Galeni eſt Apocynum.*

Eſt verò Cynocrambe Honor. Belli & Caſp: Bauh. nobis Alſine fœtida de qua Hiſt. n. g. l. 29.

*Alſine fœtida.*

Cynocrambe Gerardo Anglo non benè dicitur de Phyllo Hiſt. n. libro præſenti. Eſt tandem alia Cynocrambe ſiue Mercurialis ſilueſtris, de qua iam agendum.

*Phyllon foemineum incano Monſpeſſ.*

## CYNOCRAMBE MAS ET FOEMIMA ſiue Mercurialis repens.

*Deſcriptio*

PLurimis fibroſis radiculis perennibus & lentis, ſapore nonnihil dulci ſed faſtidioſo, per terram repit Cynocrambe tam mas quàm fœmina, neruo duro fibrarum Hellebori inſtar farctis: *caules* ſurriguntur aliquot, teretes, concaui, longis internodiis geniculati; pedales, propter terram purpuraſcentes: *folia* ad articulos, bina oppoſita læuiſſima, lanuginoſa, foliis Mercurialis vulgaris ſimilia, tenera; duas aut tres vncias longa, inferiora tamen multò minora





ſunt, acuminata, in ambitu ſerrata, pediculis breuibus, guſtu nauſeoſo, ex foliorum alis pediculi exeūt, in mari quidem breuiores, quatuor vel quinque, vnciales aut ſemunciales ac maiores, breuiores alios interdum à latere proferentes, quib. inſidēt *floſculi* herbaceo colore præditi ternis foliolis cōſtantes, quorum medium occupat loculamenti *ſeminum* rudimentum, ex cuius cacumine emicant apiculi bini corniculati extrorſum reflexi: loculi hirſuti compreſſi, in geminos teſticellos, Lentis magnitudine diuiſi, *ſemina* bina continent diſſepimento membranulæ diſtincta in vno pediculo tergemina: At in Cynocrambe fœmina ex foliorum alis pediculi ſurrigūtur tres 4. aut quinque vncias longi tenues, ſtriati, in quibus floſculi in ſpicam digeſti, muſcoſi, ternis foliolis herbaceis compoſiti, in quibus ſtaminula aliquot herbacea: qui nullo ſuccedente ſemine intereunt. Dodonæo tota herba viroſi odoris ingratum redolet.

Anguillara ait Cynocranbem ſibi incognitam.

Caninæ Braſſicæ, κυνικῆς; ſiue cum Matthiolo, Cynocrambes nomine, Cord. in Dioſc. Mercurialem ſilv. & quidem cum Matthiolo Trago, Amato, Aduerſariis & H. Lugd. maſculam tantùm proponit; In hoc enim genere inueniri fœminam negat, ſed non abſque errore. Eum autem falli ac fœminam haberi, ipſemet in Hiſtoria palam facit. Inibi namque errorem ſuum agnoſcit, ac duas deſcribit, Vnam quidem titulo Mercurialis maſculæ ſylueſtris, alteram verò fœminæ, cui Geſn. figuram addit. Is præterea in Dioſc. in hac herba demonſtranda Ruellium erraſſe ſcribit, id quod Matthiolus clarè demonſtrat. Videtur, inquit, Ruellius exiſtimaſſe Cynocramben eandem herbam eſſe cum Atriplice ſilueſtri. Qua in re (ſi ita credidit) apertè erraſſe deprehenditur. Differt enim ab Atriplice ſilv. non modò foliis & facie, ſed etiam caulis proceritate. Siquidem Atriplex ſilv. quandoque ad duûm cubitorum altitudinem aſſurgit. Cynocrambe verò binûm palmorum longitudine contenta eſt.

*Error Cordi.*

*Ruellii error.*

*Atriplex ſilv. non eſt.*

Cynocrambe nihil aliud eſt, inquit Corn. quàm ſilueſtre Linoſoſtidis genus. Hanc Officinæ falsò Atriplicem ſilv. vocant, vnde quidam, Wildtmelden/Scheißmelden nominant.

*LinoZoſtis, Officin. error.*

Dodon. Gall. quamuis ſolùm marem pingat, tamen Cynocrambes fœminam quoque ſtatuit. Lat. autem in fol. duntaxat vnius meminit, ac figuram Plantini ſub titulo Cynocrambe, Mercurialis ſilueſtris ponit, ac deſcribit, aitque eam habere ſemina maſculæ Mercurialis: attamen in eius icone ſunt picti flores fœminæ, quaſi eſſent flores maris. Ego ſanè hactenus non obſeruaui ex

*Dodon. taxatur.*

fœminæ floribus, maris ſemina prouenire.

*Geſn. lapſus. Caſtagnaria. Caſtrāgula*

Fallitur Geſn. hort. qui Mercurialis agreſtis marem duntaxat eſſe aſſerit, ac ab Italis *Caſtagnariam*, vel *Caſtrangulam* vocari tradit. Idem præterea in cat.plant. Cynocramben Braſſicam caninam, Cyniam Officinarum, Atriplicem ſilu. & Springkraût vocitat. Quod nomen germanicum ita conuenit, ac ſi prunum ſilu. Acaciam dixeris.

*Error alius*

*Atriplex fœtida Lob. repreh.*

Lob.Obſeru. & Ic.plant.figuram habet cynocrambes marem & fœminam exprimentem, an verò laudabilem iudicent alii. Is.aliàs priuatim nec maris, nec fœminæ meminit.

*Ryff. icon tranſpoſita*

Ryffius in Dioſc.malè habet pro cynocrambe figuram Mercurialis fœminæ proprio errore vel Typographi. Cynocrambes enim maris figura eſt ſub titulo Mercurialis maris.

Matthiolo cynocrambe, cuius Galenus non meminit.

*Cynocrambe ſiue Mercurialis repens mas*

Fuchſ. Amat. Dodon.gall.& Lat.in fol.Lobel. Obſ.& Ic.plant.Caſt.[qui nullius momenti figuram habet.] Hiſt.Lugd. Euch. Fab. Columnæ, Apollini, *Cynocrambe.* Fuchſ.icon. Camer.hort. Epit.& hiſt.Germ. *Cynocrambe mas.* Eidem hiſtor. Germ. Thal. *Mercurialis ſilueſtris mas.* Trag. Lonic.*Mercurialis ſylueſtris.* Cæſalp.*Mercurialis altera vel montana.* C.Bauh.Phyt. Mercurialis 3.ſiue ſilu.teſticulata, apud Matth. cynocrambe 1. ſiue Mercurialis montana teſticulata. Schvv.Mercurialis ſiluatica κυνοκράμβη Dioſcor. cynocrambe Matth.& Dodonæi.

*Cynocr.2. ſiue Mercurialis repens fœmina.*

Camer.hort.epit. & hiſtor.Matth.germ. Thal. cynocrambe fœmina. C.Bauh.phyt. Mercurialis 4.ſiue ſilu. ſpicata. Apud Matth. cynocrambe 2. ſiue Mercurialis montana ſpicata.

Nomina linguarum

Κυνοκράμβη, κυνία, καὶ Λινοζῶστις ἀγρία Græcis, Latinis cynocrambe, Braſſica canina, cynia & canina etiam ſimpliciter, ac paſſim Mercurialis ſylueſtris: Aphris *harmas*, aliis *aſumeslabon*: Germ. hunds kól/ hûnds kraut, vnd wildt Bingelkraût. Belg. wildt Mârcuriael/ wildt Bingelcrûyt. Gall. *chou de chien & Mercuriale ſauuage*: Ital. *Mercorella baſtarda.* Hiſp. *Verça perruna.* Angl. wild Mercûry.

Locus & tempus

In ſyluis ac aliis perinde vmbroſis gignitur, viret, vigétque eodem quo altera Mercurialis anni tempore.

Cynocrambem marem & fœminam obſeruaui Geneuæ prorumpentem Martio & Aprili: Baſileæ cùm eſſem in monte prope Moutets virentem adhuc Octobri, & menſe Iunio iuxta Leurack, & in monte waſſerfal: Abundat mas cum ſemine Maio in Montbelgardenſi monte Mohbar.

Vires

Facultate Mercuriali alteri reſpondet, ſi præſtat quæ Dioſcor.ſcribit[vide antè.]

---

## PHYLLON EX VETERIBVS.

### Cap. VII.

Phylli meminit Theophr.de plant. hiſt. lib.9. cap.19.vbi ita ſcriptum reliquit: Quædam ad procreandum marem, aut fœminam valêre traduntur: eámque ob cauſam herbam aliam [φύλλον quod nec Plin.nec Gaza agnouit, hic verò herbam quandam ſimpliciter reddidit,] marificam & fœminificam facientes, marem & fœminam dixerunt, ſibi inuicem ſimiles, & Ocymi figuram habentes ambas: fructus fœminificæ muſcoſo flori Oleæ ſimilis, pallidúſque. Alterius figura nuper ex muſcoſo flore incipientis Oliuæ cohærens ſibi, geminûmque teſticulorum hominis modo.

*Plin. & Gaza repreh.*

*Ocimum repræſentant.*

*Fructus Oleæ*

*Dioſc genera duo. Elæophyllon Bryonia*

Dioſcorides ex Crateua tradit Phylli duo genera. Phyllon, inquit, quod alii Elæophyllon, Bryoniam nominant [ſunt qui βρύον legant, quòd muſci modo exeat, qui βρύον Græcis dicitur] in ſaxoſis naſcitur. Ac illud quidem, quod Thelygonôn (quaſi Fœminiparum) dicitur, folium veluti Bryon, Oleæ pallidius gerit, ſed colore magis herbaceo: caulem tenuem, breuem: radicem gracilem: florem album: ſemen Papaueris maiuſculum. Arrhenogonon (Mariparum) iam dicto ſimile, niſi quòd ſemen differt: habet enim racemoſum, ei quodammodò ſimile, quod poſtquam defloruit Olea, primùm emergit atque conſpicitur. Perhibetur autem, Arrhenogoni potu mares generari: Thelygoni verò fœminas. Hæc memoriæ prodidit Crateuas: quanquam talia mihi videtur hiſtoria tenus, tanquam famâ auditionéue accepta, proponere.

*Theligonon*

*Arrhenogonon*

*Crateuas not.*

Plinius eadem ferè prodit: in codicibus tamen eius non Arrhenogonon, ſed Arſenogonon corruptè legitur.

*Plinii locus corruptus*

Galenus, Paulus, & poſteriores Medici Græci, inter ſimplicia, Phyllon non recenſuerunt, fortè quòd nullum eius vſum, vt Cornario videtur, Medicum viderent, & ei, quem priores de ipſo tradiderunt, parum fidei haberent: Aut, quòd non ſecuſſiſſis ac nobis fuerit incognitum. Quo fit, vt mirari non liceat, ſi adhuc quoque legitimum nondum ſit compertum.

*Galenus & Paulus Phylli non meminerūt*

Videtur quidem Ruellius exiſtimaſſe Perſicariam, quam maiorem cognominant, eſſe Phyllon. Qua in re apertè fallitur: ſiquidem Perſicaria illa humentibus ac vliginoſis locis prouenit: Phyllum verò in ſaxoſis naſcitur, vt Dioſc.teſtatur. Qui tamen & ipſe, vt eius verba accuratiùs expendenti liquet, nullam huius herbæ cognitionem habuiſſe deprehenditur, niſi eam, quam ex Crateuæ hiſtoria habuit. Non deſunt tamen, qui velint Phyllon à Linozoſti (Mercuriali) non differre, quòd pluribus tum notis, tum facultatibus ſibi inuicem reſpondeant. Verùm cum iis conſentiendum non eſt, quòd, vt iam antè quoque dictum eſt, Mercurialis folia habeat Ocimi, Helxinæ cognata, non autem Oliuæ: florem herbaceum non album: quòd naſcatur paſſim in hortis etiam & vineis, non ſaxoſis tantùm: quòd de his denique ſeorſim diuerſiſque capitibus ſcripſerint Dioſcorides & Plinius, vtpote de rebus inter ſe differentibus.

*Ruell error*

*Mercurialis non eſt*

Ex Theophraſti porrò verbis colligit Matthiolus, Dioſcoridis codicem eſſe deprauatum, quandoquidem Theophraſto Theligonum non naſcitur muſci modo, neque folium habet Oleæ viridius, vt in Dioſc.ſcriptum legitur: ſed fructum quidem fert in modum muſci Oleæ, pallidiorem tamen.

*Dioſcoridis codex deprauatus*

Suſpicantur quidam apud Hiſt. Lugd. duarum herbarum eandem & repetitam eſſe delineationem, quare Dioſc. caput de Phyllo vtramque Mercurialem marem & fœminam exprimi, quod vtrumque omninò erroneum eſt.

*Error quorundam*

Alii alia Phylla adinuenerunt. Eſt enim Phyllon quoddam Arrhenogonon, & Theligonon folio incano Monſpeſſulanum quod Dioſcoridis putatur Dodonæo & aliis, vt paulò pòſt videre eſt.

Eſt vt ſuum Phyllon Dioſcoridis Agerio, de quo dicemus hiſt.n.g. lib.19. ſub Garyophyllo holoſteo tomentoſo.

Phyllon, ea planta, quam Matthiolus in Saluatino monte inuenit, nobis Cynocrambe fœmina eſt. Non enim cum Penæ & Lob.Adu. Noli me tange-

tangere eandem ſuſpicamur.

*Noli me ...angere Ophyoglosſum* Phyllon Amatus cenſet ni multùm fallimur Ophyoglosſon, de quo lib. 18.

*Bifolium minus. Sedum ſerratum. Sedum alpinum minimis foliis, cinereum* Folium [φύλλον] herbam, marem & fœminam [ἀρρενόγονον καὶ θηλυγόνον] eſſe putat Geſn. in cat. pl. quam Einblat vocant. Hanc nos Bifolium minus, ſiue Ophryn eſſe dicemus lib. 31. Meritò autem de hortis Germ. eos increpat Geſn. qui Sedum ſerratum cum Cęſalp. & H. Lugd Phyllum cognominant & ſtatuunt. Quod autem idem Geſn. in deſcr. montis fracti in fine lib. de Lunaria, Sedum alpinum minimis foliis cinereum, Phylli genus facit, minùs conuenit.

*Phyllum Dalech. muſci genus* Alia adhæc duo Phylla Dalechampius apud Hiſt. Lugd. pingit & deſcribit, vocatque primum ſimpliciter Phyllum arrhenogonum: Alterum verò Arrhenogonon maius quod nos Phyllum Dalechampii, muſci genus inſcribimus, de quibus lib. 37.

*Silphium. Olera* Phyllon Hippocratis Libycum & Aethiopicum Silphium eſt, quod tradetur lib. 27. φύλλα idem vocat olera condimentaria; Rutam, Mentbam, Apium, quæ aliis dum emebantur, adiici ſolebant. *Malabathrum* In Aëtio ſæpè Phylli voces leguntur, pro Folio, & foliis Malabathri.

*Leucacantha* De Leucacantha in genere dicetur, quod notha voce Phyllon adpelletur. Eſt tandem Leucacantha aliqua quam Phyllon alii cognominant, *Carduus marianus* nos verò, ceu lib. 26. patet, Carduum marianum appellamus.

## PHYLLON ARRHENOGONON ET Thelygonon folio incano Monſpeſſul.



*...eſcriptio* CVbitalea & pedales habet *caules* multos totos candido tomento pubeſcentes & per ætatem ligneſcentes qui in ramos ex aduerſo poſitos ordine certos abducuntur: *folia* oblõga ſubrotunda, craſſiuſcula, neruoſa, mollia, lanuginoſa, incana; ad articulos oriuntur: *floſculi* minimi, in mare quidem ad iuncturas breuibus pediculis nixi, vix apparentes ante fructus, ſunt duo apices ochræ colore pallido. *Fructus* autem ſunt gemelli, teſticulati, vt in Mercuriali mari, Cynocrambe & Aparine, villoſis loculis comprehenſi: *femina*, inquit Lobelius, vti minoris Heliotropii exiliunt, immatura albida, matura verò Cyaneo nitent colore, rotunda & quàm Papaueris maiora, guſtu feruida, & nonnihil pinguia. *Radix* lignoſa, exilis: In fœmina flores ſpicati racemoſique, veluti in Mercuriali fœmina.

*...on. ...llon ...ſc.* Monſpelienſibus hæc planta meritò Phyllon Dioſcoridis appellata eſt, quamuis Ἐλαιόφυλλον vocari tradit propter ſimilitudinem fortè quandam cum Olea: folia enim habet oblonga & candicãtio vt Oleæ: Item βρυωνίαν propter florem muſcoſum.



Ab Aduerſariis ambo pinguntur his titulis: Phyllõ mas, ſeu Arrhenogonum Mariparum & Theligonum Phyllon, ſiue Fœminiparum. Lobel. in Ic. Plant. eandem figuram retinet, licèt non valdè bonam ac Phyllon theligonon & Phyllon arrhenogonon inſcribit. Sed in Obſ. planè omiſit, Arrhenogonon, Phyllon marem, Theligonon fœminam vocans.

Matth. in poſt. comm. non dubitat, quin Phyllon à Cortuſo miſſum ſit verum Phyllum. Eum autem mirari ſubit, ſi is Phyllum nouerit, cur non deſcribat, ſed tantùm pingat. *Phyllum verum. Matth. notatur.*

Dodon. Lat. in fol. fœminam pingit, ac idcircò Phyllon Theligonon meritò aſcripſit. Duorum, inquit, generum Phyllon eſt; mas & fœmina, veluti Mercurialis.

Phyllum duplex eſt Veteribus, inquit Cluſius, Quod Theophraſtus mariſicum [ἀρρενογόνον] id Dioſc. Fœminificũ [θηλυγόνον] facit. Præterea Theophr. [cuius ſententiam potiùs ſequimur] Phyllo Ocimi folia tribuit: Dioſc Oleæ. Illud inter alia ei cum Mercuriali, Cynocrambe, & Heliotropio minori commune eſt, vt erutæ radices temporis ſucceſſu cæruleum colorem contrahant.

Icones noſtræ quæ ex Cluſio deſumptæ nobis abſentibus (licèt non deeſſent plantæ ipſæ) corruptæ fuere per pictorem & ſculptorem.

Camer. in Epit. & hiſt. Matth. germ. ambo pingit vocans in hiſt. Phyllum marem & fœminam, Welſch Bingelkraut. In Epit. φύλλον θηλυγόνον καὶ ἀρρενογόνον. Sed temerè nimiùm, meo quidẽ iudicio, Dioſcoridis contextum huic Phyllo aſcripſit, quaſi abſque controuerſia atque errore Dioſcoridis Phyllum diceret. Figuræ autem poſitæ à Camer. ſunt Geſn. cui miſeram ante multos annos plantas ſiccas cum deſcriptione vtriuſque. Sed quæ tanta Camerarii ingratitudo, vt nec mei, nec Geſneri mentionem fecerit. Cuculum fermè dixiſſem ingratum. *Camer. temeritas. Ingratitudo*

H. Lugd. Compilator non animaduertit ſe duas vnius figuras plãtæ proponere. Phyllũ enim Theligonũ Matth. & Phyllũ Theligonũ Theoph. quod cum eiuſdem Theophr. Phyllo Arrhenogonõ ponit, eſt eiuſdem plantæ. *H. Lugd. not.*

Tab. icon. & hiſt. Phyllon mariſicum, Welſch Bingelkraut Das männlein. Phyllon fœminificum, Welſch Bingelkraut Das Weiblin.

Gerard. Cynocrambe Dogs Mercurie. 2. Phyllon Theligonon, Chil Drens Mercurie. Icones duas Phylli habet ex Tabern. Quis autem ex Phyllo teſticulato fecit Cynocramben, vt facit Gerardus. *Cynocrambe*

Caſt. Durant. Phyllum.

C. Bauh. Phyt. Phyllon 1. & 2. ſiue teſticulatum & ſpicatum. Arrhenogonon & Thelygonon.

Naſcitur vtraque, vt ſcribit Cluſius, multis Hi-

ſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis ſecundum vias, vbi Aprili, interdum maturiùs, floret. In Belgio verò non niſi æſtate: & ſingulis annis ex ſemine deciduo germinat apud nonnullos rei herbariæ ſtudioſos. Has plantas vidi circa Monſpelium virentes, florentes, & ſemina ferentes menſe Aprili, Maio, Iunio & Auguſto. Phyllon vidi in horto D. D. Fœlicis Plateri Baſileæ, quod culturâ maius euadit, Geneuæ mihi prouenit in horto.

*Vires*

Arrhenogoni potu maſculi ſexus fieri partus, vt Theligoni fœminei, Theophraſtus & Dioſcorides ſcriptum reliquere. Salmanticenſes vtriuſque decoctum omnibus animalibus à cane rabido demorſis propinant, magno ſucceſſu, vt inquiunt. Granatenſibus verò, Mauritanis præſertim, ad muliebres morbos magno in vſu eſt.

*Canis rabidi morſus*

## CORCHORVS VETERIBVS ET in genere.

### Cap. VII.

COrchorum oleraceis adnumerat Theophraſtus, qui ob ſui amatorem in prouerbium (quod alii ſic, *Corchorus inter Olera*) abiit, cuiúſque folium Ocimum æmulatur: Plinius iis, qui ſponte naſcuntur, quibus pleræque gentium veſcuntur in cibis. Corchorum, inquit, Alexandrini cibi herba eſt, conuolutis foliis ad ſimilitudinem Mori. Præcordiis, vt ferunt, vtilis, alopeciiſque, & lentigini. Boum quoque ſcabiem celerrimè ſanari eâ inuenio apud Nicandrum & ſerpentium morſus antequam floreat. Sed cùm Theophraſt. Corchorum Ocimi folio eſſe dixerit, mirum eſt Plinium ex alio fortaſſe autore ſcripſiſſe Corchorum herbam eſſe conuolutis foliis ad ſimilitudinem Mori. Quare quidam legunt, (ii ſcil. qui corchorum Piloſellam maiorem eſſe concludunt, de qua ſuo loco) commaculatis foliis, ad ſucci Mori ſimilitudinem, quæ in ea perſpicere liceat.

*Alexandrini cibi herba*

*Plin. taxatur*

Sed varia lectio eſt Corchori. Suidas enim, quod magis probo, Κόρχορος habet, κόρκορος Heſych. & Varinus. Notat etiam Hermolaus Κέρκυρος ἐν λαχάνοις apud Græcos multos legi, verùm id mendosè.

*Lectio diuerſa: Corchoros, Corcoros. Cercouros malè*

Cæterùm multis hac ætate cum Plinio Anagallis Corchorus dicitur, quorum opinionem non probo. In Anagallide enim folium non eſt ὠκιμῶδες. Corchori cuiuſdam (non tamen Veterum) nomine Angelicæ 3. ſpeciem, quam repentem inſcripſimus, intelligit Geſn. horti. Idem Bliti ſpeciem quandam (Blitum 1. & 2. Tragi) facit. Dalechampius Corchorum eſſe ſuſpicatur plantam eam, quam pro Myoſotide (auricula muris) maiore Tragus depinxit ac deſcripſit, quámque nos Piloſellam maiorem quorundam vocauimus. Lycophron falſus eſt, κόρκορον putans eſſe piſciculum quendam, Eratophone teſte: Eſt enim vti dictum, olus quoddam agreſte, & vile in Peloponneſo. Diuerſum ab his prorſus Corchorum, Molochiam Serapionis quorundam multi ſtatuunt, quibus & nos facilè ſubſcripſerimus. De hoc igitur agendum.

*Æquiuoca*

*Anagallis*

*Angelica 3 repens*

*Blitum 1. & 2. Tragi*

*Piloſella maior.*

*Piſciculus quidam.*

*Corchorus ſiue Molochia*

## CORCHORVS SIVE MELOCHIA.

*Deſcriptio*

CVbitali læui *caule* hanc plantam obſeruaui, *foliis* Cynoctambes ferè vel Mercurialis maioribus, duarum aut trium vnciarum longitudine, ſeſcunciam latis, per ambitum ſerratis, quæ parte imâ barbulam vtrinque vnam, ſeu apophyſin ligulæ inſtar tenuem poſſident. *Siliquæ* breui pediculo hærent, ſingulares, quatuor aut quinque vncias longæ, ſtriatæ, ſenſim ad mucronē vſque attenuatę, complures ſecundum longitudinem portiones dehiſcentes, *ſemen* claudentes copioſum, cinereum, anguloſum, paruum, guſtu viſcidum. *Flores*, teſte Alpino, parui ſunt, crocei, Leucoii minores.



Proſp. Alpin. pl. Ægypt. Melochia. Camerar. hort. Corcorus ſiue Melochia. | Olus Iudaicum. Hic inter icones ex Geſneri typis ſemen & folia cum barbulis exhibet, quæ in Loheliana pictura fuerunt omiſſa. Lobel. Obſ. & Ic. plant. Corcoros Plinii, Molochia Serapionis quorundam. C. Bauh. phyt. Corchorus.

Melochiam ſeminaui in horto E.C. ex ſemine miſſo per Fratrem C. Bauhinum qui mihi etiam ſiccam plantam attulit. Auguſti fine nondum floruit. Creſcit copioſè in hortis Halepi.

*Locus*
*Tempus*

Semina Melochiæ ſunt in maximo vſu apud Ægyptios ad omnes affectus, quibus ſemina Altheæ conducere compertum eſt. Nam Melochia facultate planè ſimilis Altheæ videtur, proinde ad ſuppurandos, reſoluendos atque emolliendos tumores duros, eius maximus vſus eſt, habet etiam maiorem viſciditatem eius mucilago quàm Althæę. In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius, decoquunt in aqua vel iure carnium, ex eius cibo multi malè ſe habent, parum nutrit, & ſuccum viſcidum gignit ex quo difficiles viſcerum obſtructiones. Foliorum decoctum eſt pectori amicum, ipſum enim humectat, ex quo ſiccis aſperiſque tuſſibus præſentaneum cum ſacchato candido eſt auxilium, atque ægrè ſpirantibus. Semina pondere duarum drachmarum ſumpta copioſiſſimè purgant omnes humores. Alpinus. Ravvolffius acidi ſaporis herbam dicit, cui ſi credendum prædictis contrarias habet facultates.

*Temperã. Vires. Facultas Altheæ*

*Tumores*

*Cibus Ægyptiis*

*Decoct. fo. Tuſſis ſicc.*

*Semina purgant.*

## DE LAPATHO, OXYLAPATHO, & Hippolapatho, Veterum ſententiæ, & in genere.

### Cap. VIII.

EX inſtituto hoc in loco de Lapathis agemus, cū Beta enim, & Blito his intercedit affinitas, in ſemine, foliis, atque adeò tota planta. Adde quod emolliens eſt & holeracea.

Lapathi generis eſt, inquit Dioſcorides, quod ὀξυλάπαθον dicitur, in paluſtribus naſcens, durum, & aliquantulùm in extremis acuminatum. Eſt & alterum

*Lapathum Oxylapat. Lap. hort.*

alterum hortenſe, primo non οὐχ ὅμοιον Orib. legit οὐχ ἅπαν, non in omnibus, cui lectioni ſubſcribit Plinius & Matth. nec legerim οὐκ ἀνόμοιον non diſſimile cum Hiſt. Lugd. ſimile. Tertium ſilueſtre eſt, paruum, ſimile Plantagini, molle, humile. Eſt & quartum genus, quod aliqui Oxalidem, aut Anaxyridem, aut Lapathum (ἄγριον, ſilu. Lat. ex vet. cod. addit) vocant. Cuius folia ſilueſtri & paruo Lapatho ſimilia ſunt: caulis non magnus: Semen ſubacutum, rotundum, acre, in caule & propaginibus. At verò Hippolapathum, olus magrum eſt, in paludibus quoque naſcens. *Dioſc. hactenus*, qui quinque Lapathi genera, non eo quo ſolet, ſed perturbato ordine deſcripſit.

*Lapathum ſilueſtre. Oxalis Anaxyris. Hippolapathum.*

Plinius ſibi minùs conſtans modò Lapathum ſatiuum, modò ſilueſtre Rumicem vocat.

*Plin inconſtans.*

Lapathum, inquit Galenus, poteſt quis ſilueſtrem Betam dicere, cum ſimile ſit, non tantùm guſtu, ſed facultate, hortenſi Betæ. Quandoquidem verò Beta iucundior eſt Lapatho, ob id magis homines ipſam edunt. At Oxylapathi, & qualitatem, & facultatem, nomen ipſum indicat: Eſt enim Lapathum acidum. Hippolapathum autem in paludibus naſcitur. *Confundere videtur Galenus* Oxylapatha, quorum hoc eſt ab ὄξος [aceto ſeu acido ſapore] illud ab ὀξύς, acutus, propter folia acuta. Tria autem Lapathi genera Gal. ex toto agnoſcit, Lapathum ſimpliciter dictum, Oxylapathon, & Hippolathon.

*Galeni lapſus.*

Theophr. qui duo Lapathi genera tradit, ſilv. & vrbanum, Oxalidem cum Oxylapatho quoque confundere videtur.

*Theoph. notatur.*

Aetius breuis eſt & obſcurus in Lapathi generibus annotandis. Vlcus, inquit, canis rabidi perfundatur radicis Lapathi, quod Oxalidem vocant, decocto. Silueſtre Lapathum eſt foliis in acutum tendentibus, radicem habens oblõgam, veluti Raphanum paruum.

*Aetius not.*

Auicenna & Serapio Lapathum omne ſine diſcrimine Acetoſam nominant, perperam ſubſcribente Matthiolo, ad ſaporem referẽtes, quod ad foliorum figuram retulit Dioſcorides.

*Auic. & Serapionis lapſus.*

Λάπαθος & λάπαθον [vt videre eſt apud Hiſt. Lugd.] Græcis dicitur, qui Rumex Latinis, Barbaris Lapathion. Lapathus autem ἀπὸ τοῦ λαπάζειν dictus eſt, quod valet exinanire, & pro ventrem leuare vſurpatur. Lapathum Arabes *Humadh, hundh*, ſeu *Hamad* appellant: Itali *Rombice & Lapatio*, Germ. Ampffer. Hiſp. *Labaca*. Cæterùm Oxylapathum non ab acore & acido ſapore, ſed ab acumine foliorum appellatum aſſerimus. Oxalidem autem propriè Romani Rumicem appellarunt, forſitan quòd ab ea ſuccus non aliter atque mamma, quam Rumem Veteres dixère, ſitientibus exugi ſoleat, nam foliorum acor à quibuſdam hauritur, vt lac ab agnis, qui in ſuis matribus ſubrumantur. De quo Virgil.

*Nomina linguarum. Oxylapathum vnde dicatur. Oxalis.*

*Fœcundusque Rumex, Maluæ, Violæque virebant.*

Niſi quis à teli ſimilitudine ductum nomen exiſtimet, quod Sparo cognatum in modum pedis recuruatur, cuius meminit Lucilius:

*Tum ſpara, tum Rumices portantur, tragulá porro.*

citante Nonio. Adſertur tamen & hic verſus à Feſto, ſed pro Rumices habet Murices. Hippolapathon Græci quaſi grande Lapathum dicunt, magnis amplisque rebus Bu & Hippo præponere ſoliti, à boue & equo excellentis magnitudinis animalibus magnitudinem mutuantes, velut etiam in Hippomarathro & Hipposelino: & apud Plinium in bumaſto Vua & Bumelia Fraxino: itemque apud Theophraſtum.

*Hippolapathum & Lapathũ.*

Lapathorum hiſtoriâ ex Veteribus relatâ, ſupereſt vt ex iiſdem eorum virtutes adſcribamus. Omnium olus decoctum, inquit Dioſcor. aluum mollit. Crudum illitũ cum roſaceo aut croco Melicerides diſcutit. Semẽ ſylueſtris & Oxylapathi & oxalidis cum aqua aut vino vtiliter contra dyſenterias, cœliacos affectus, ſtomachi faſtidia, ſcorpionúmque ictus bibitur. Si quis etiam in potu præſumat, nihil ictus patietur. Radices ipſarum ex aceto & crudæ illitæ, lepras, impetigines, ſcabroſque vngues ſanant. Sed antea locus aceto & nitro in Sole perfricandus eſt. Pruritus decoctum earum ſedat, ſi eo foueantur. Coctæ in vino ſi cum iure colluantur, aurium dentiumque dolorem mulcent. Strumas parotidaſque diſcutiunt, ſi cum uino decoctæ illinantur. Lienes autem cum aceto. Aliqui vtuntur radicibus contra ſtrumas, vinculo collo eas appendentes. Tritæ & appoſitæ fœminarum fluxiones ſiſtunt. Decoctæ cum vino & potæ regio morbo correptos emendant. Calculos veſicæ comminuunt. Menſes cient. Scorpionum ictibus auxiliantur. Hippolathon eaſdem cum antè dictis Rumicum generibus vires obtinet.

*Vires & vſus in genere. Ex Dioſcor. Aluum mollit. Melicerides Dyſenteria. Lepra. Struma. Morbus regius. Calculus. Menſes.*

*Eadem ferè & Plinius.* Vbi autem iure exiguo habet, lego ego thure exiguo: Et vbi melicerias, lego melicerida: Vbi poto vino, lego ſemine ex vino poto.

*Plinius corrig.*

Lapathum, referente Galeno, nemo crudum ederit, ſicut neque Betam. Oxylapathum verò crudum edunt rurales mulieres picâ laborantes, aliquando etiam pueri guloſi. Sed hæc de Oxalide dicta credimus, cum qua Gal. Oxylapathum confundit.

Nunc ſcito Lapathi varias eſſe ſignificationes: Ac primò quidem denotat ſimpliciter ſumptum quodcunq; Lapathum. Quale eſt Lapathũ acutũ noſtrum ſiue Oxylapathum: Lapathum vulgare folio obtuſo: Lapathum ſylv. magnum vulgare: Lathum acutum minimum: Lapathum ſatiuum: Lapathũ maius. Hippolapathũ ſiue Rhabarbarum Monachorum: Lapathum maximum aquaticum, ſiue Hydrolapathum: Lapathum aquaticum minus, Lapath. folio rotundo alpinum: Lapathum anthoxantum: Lapathum acutum criſpum: Lapathum marinum ſinuatum: Lapathum fluitans longo ſerrato folio: Lapathum ſanguineum, ſiue Sanguis Draconis herba, *de quibus ſingulis ordine iamiam venit agendum*. Eſt & Lapathum Oxalida nuncupatum, nobis Oxalis maior folio longo. Docti quidam Acetoſam rotundam (Oxalidem folio rotundo) Lapathum eſſe tentur, aſt indoctè. Lapathi ſpecies minor geſnero, Oxalis minima. De Lapatho Perſicaria vulgò dicta vide lib. 38. Vocant Lob. & Pena in Adv. Fontalem criſpam, puſillum Fontilapathum & Lapatiolum terrellum, inconſideratè. Hallucinantur, qui cum Amato contendunt Spinachiam eſſe Lapathum ſatiuum. Lapathum Dioſcoridis tertium, non eſt Bonus Henricus, vt quidam volunt. Apud Geſn. in aſcript. Dioſc. falsò habetur Phyllitin eſſe Lapathum ſilueſtre.

## LAPATHVM ACVTVM SIVE Oxylapathum.

AD cubiti & ſeſquicubiti altitudinem excreſcit, *caule* multis alis concauo, ſtriato, ſubru-



bente: *folia* Betæ, lõgiora; rugoſiora, & nonnihil in ambitu criſpa, modò acuminata; aliàs ſubrotunda, ſapore ſubacido: *flores* muſcoſi, copioſi ex fibris compoſiti: quibus *ſemen* triquetrum ſuccedit, membraneis foliis ternis ex virore rubeſcentibus concluſum. *Radix* dodrantalis circiter, craſſitudine digitali, crocea, ſapore amaro.

Geſn.hort. Lapathum ſilv. Oxylapathum vocatum, à foliorum figura acutiore, non quidem omnibus Lapathis, ſed nonnullis. Et de coll. Lapathum cuius radicis vſus eſt ad ſcabiem.

Cord. in Dioſc. Lapathi 3. ſpecies; Oxylapathon, Rumex acutus, Lapathum acutum, ſilueſtri ſimile, niſi anguſtiora & acutiora haberet folia.

Lob. & Penæ Adv. Lapathum acutum, ſiue acutiſolium, nuſquam non in pratis. Lob. Obſeru. & Ic. Plant. Lapathum acutum; Oxylapathum, qui figuram habet, quæ non multùm placet. Noſtram emimus iam ſculptam ex Fuchſianis quam etiam retinet Amatus.

*Icones*

Dod.gall. Oxylapathon, Rumex acutus, Lapatium acutum Offic. Et Lat. in fol. Lapathum 1. Lapathum ſilv. ſiue Oxylapathum.

*Oxylapathi ſignificatio dubia*

Fuchſ. Lapathum 1. Dioſc. ſiue Lapatium acutum Officin. Oxylapathum cuius quamuis anceps in acidum ſaporem, vel acutam figuram, videatur ſignificatio, tamen nomen à foliis, quæ in muctonem deſinunt, accepiſſe videtur.

Brunfelſ. Hiero.Brunſch. & Apollini, Lapathum acutum, Oxylapathum. Helſrico, Rumex ſylueſtris, λάπαθον ἄγριον. Witſung. Rumex, Hippolapathum, Officinis Lapatum acutum.

*Oxylapath. Dioſc. Lapathum acutum*

Hiſt.Lugd. Oxylapathum Dioſc. primum Lapathi genus, Offic. Lapatium acutum. Ætio, Sylueſtre Lapathum 2. in aquoſis naſcens, folio admodum acuto, quod Oxylapathum Dioſcoridis rectè opinatur.

C.Bauh.Phyt. Lapathum 7. folio acuto, Oxylapathum Dioſcoridis, & Plinii. Apud Matth. Lapathum acutum, & Sida ſylueſtris Auicennæ.

*Sida ſilu. Auicennæ.*

Schvv. Lapathum acutum, ὀξυλάπαθον Dioſcor. Lapatium acutum Offic. Gelb ſpitz / Ochſenzünge Spitz. Hort.Luſ. Lapathum acutum, Oxylapathum acutum, Gelb Ochſenzung / Gündtwurtz.

Nomina linguarum

Lapathum acutum, ὀξυλάπαθον, Germ. Grindwürtzel Trag. Spitz ampffer / wilder ampffer, mangelwürtz, wilder mangolt, Streiffwürtzzitter würtz, Belg. patich & paerdich / Gall. *parelle*, Ital. *Rombre lapatio*, Hiſpan: *paradella, Lapacca*, & *Romaza*, Angl. dock.

Locus & tempus

Montbelgardi Oxylapathum ſiue Lapathum commune paſſim prouenit etiam in horto E.Cel. ſponte: obſeruaui Monſpelii: Baſileæ cum ſemine menſe Octobri, Geneuæ, virens menſis Februarii principio. Martio menſe, vt habet Tragus, folia emergunt, appetente Iunio floret, ſpontè ſua gignitur in humectis hortis, paluſtribus locis, pratis & circa foſſas.

Vires. & vſus. *Aqua. Cutis vitia Faciei macula Decoctum.*

Ex Oxylapathi radicibus aqua deſtillatur, quæ ad puſtulas, alphos, ionthos, vitiligines, lichenas, omnéſque denique cutis, præſertim faciei, maculas delendas plurimùm facit. Decoctum Oxylapathi ex vino diebus aliquot potum auriginem pellit & cutim priſtino nitori reſtituit. Credunt quidam (ex ſuperſtitioſis) lippite nunquam eos qui Rumicis ſylu. radicem Lunâ decreſcente effoſſam ſecum portauerint: Hiſt.Lugd. Radix Lapathi acuti foris ad lotiones, fotus, & linimenta, etiamque intrò in decoctis, vſurpari Officinis ſolita, vt & ramuli & folia.

*Superſtitio. Radix Lapathum acutum totum*

## LAPATHVM VVLGARE FOLIO obtuſo.

Deſcriptio

Foliis ſupernè retuſis, breuioribus quàm in Lapatho acuto, rotundioribus, à quo, teſte Lobelio, ſemine, caule, flore & radice vix diſcernendum.



Lectores perpendant quale deſcribat Matthiolus; in poſt. comm. cum magna fig. Lapathum ſpõtaneum, an deſcriptio fortè non facta ad plantam, ſi ad plantam facta an poſſit conuenire Lapatho cui folium retuſum.

Deſcriptionem Matthioli Hiſtoria Lugd. poſuit pro Lapatho ſatiuo Tragi, & figuram Matthioli Hippolapathi pro eo Lapatho cõtra mentem ipſius Matthioli.

*H. Lugd. not.*

An Anguill. Lapathum ſilueſtre; foliis cæteris rotundioribus: C.Bauh.phyt. Lapathum 6. folio ſubrotundo, Lapathi tertia ſpecies Dodon. Hiſt. Gall.

*Lapath. fol. ſubrotundo.*

Iiſdem locis naſcitur, quibus vulgatiſſimum; circa rudera & areas.

Locus

## LAPATHVM SILV. MAGNVM vulgare.

Deſcriptio

Lapathum Rumex agreſtis quidam qui à Pharmacopolis Lapathum nunc dicitur, à Germ. haſen ampffer / Gaſſe würtz / & Butter ampffer / Butter lattich, quoniam ruſtici Butyrum eius foliis inuolutum in vrbes venale ferant: non deſunt etiam qui Bugloſſum eum vocent, Miſſenorum & Wittenbergenſium Saxonum Germanico vocabulo decepti, autore Cordo in Dioſc.

Tabern. Icon. & Hiſt. Hippolapathum ſilueſtre, wild Mengelwürtz, aut Meüwen wurtzel.



*Lapath Officin*

Schvv. Lapathum vulgatiſſimum, Lapathum Officinatum. Ochſenzünge, Butterbletter / Ohmbletter / Grindwurtz. Herba vulgaris notitiæ.

Locus

Hippolapathum non ſolùm in paluſtribus prouenire vidit Matth. ſed etiam in montibus, iis præſertim in locis, vbi pecudes diutiùs ſtabulari ſolent, & vbi eorũ fi no pingueſcit ſolum, illi plantæ omninò reſpondens, quæ ſub Rhabarbari nomenclatura, paſſim hodie in hortis ac viridariis colitur. Loc s humidioribus in areis pagorum ad ſtabula plerumque reperiri tradit, Schuvvenchf.

*Rhabarbarum*

Locus

Vires & vſus

Radices, eodem autore, tritæ illinuntur contra ſcabiem aliâſque cutis infectiones. Addunt vnguentis quibus capillos flauos reddunt, capitiſque ſurfures abſtergunt. Folia calidis defluxionibus vtiliter imponuntur. Pares obtinet cum Oxylapatho vires: nec ab eo diſtinguere videtur Dioſcorides.

## LAPATHVM ACVTVM MINIMVM

Delineatio



OMnibus partibus minus eſt Oxylapatho vulgato cæterà ei ſimillimũ: interim hoc peculiare habere videtur, quod ſtatim à *radice* ferè *caulis* in alas incipit diuidi, in quibus *flores* ex certis interuallis verticillatim naſcuntur muſcoſi, luteoli, ſingulis ferè verticillis appoſito foliolo ligulæ inſtar: quo verticilla tamen extrema carent.

*Lapath. acutum*

Lob. Icon. Plant. Lapathum acutum minimum. Tab. icon. & Hiſt. Hort. Luſit. Lapathum minimum. C.Bauh. Phyt. p. 185. Lapathum 8. ſiue minimum.

Locus & Tempus

Circa Montbelgardum prouenit locis humidis florens Iulio & Auguſto.

## LAPATHVM SATIVVM LAPAS.

Deſcriptio

VEta hortenſis Rumex, quam Lauſannæ Sabaudiæ oppido prouenire ſcribit Tragus, Lapatho maiori, ſiue Rhabarbaro Monachorum, quadantenus ſimilis eſt, at folia tenuiora ſunt pinguiora & molliora, ac etiam magis exigua; quare inter olera reliqua ob dulcedinem ſuam in culinas recepta eſt. Rumicem domeſticum, Sabaudienſes Lampe & Lampade vocant. Geſn. hort. Lapathum hortenſe in Sabaudia tantùm vidit circa Lauſannam & alibi, vbi Lampe vocatur vulgo, Lapathum maximum eſt, quod aliqui apud nos in hortis ſerunt: Rhabarbarum Monachorum. Cord. in Dioſc. Lapathum, Rumex ſatiuus Garten ampffer.

*Lampe & Lampade Sabaudorum*

*Lapathum max Rhab Monachorum*

C.Bauh. Phyt. Lapathum 1. hortenſe ſiue ſecundum Dioſcoridis, Rumex hortenſis, vel ſatiuus Tragi, quem Hippolapathi ſilu. nomine pingit Matth. Ital. & ex eo Lugd. p. 606. Lapathum ſatiuum Lugd. 601.

*Hippolathum*

C. *B. not.*

Cur dicatur à fratre Lapathum ſatiuum Tragi pingi per Matthiolum pro Hippolapatho animaduertere non poſſum. Tragi Lapatho folia ſunt magis exigua, Matthioli autem Hippolapathi folia Rhabarbaro omninò reſpondent: in eo imitatus eſt Hiſt. Lugd. vbi Lapathum ſatiuum Matthioli & Lapathum Tragi idem eſſe traduntur, & confunditur cum Hippolapatho Matth.

*H Lugd. not.*

*Compil. not.*

*Conſarcinator Hiſt. Lugd.* Lapathi deſcriptionem ponit ex Matthiolo, deinde ei iungit Tragi & Geſneri ſententiam de Lapatho ſatiuo: præſtitiſſet poſuiſſe deſcriptionem ex Trago, vel dare nouam herbæ quam dicit dn Lapas vocari: Cur icones eiuſdem plantæ Matthioli diuerſis locis poſuit? cur pro Lapatho ſatiuo Matthioli, cuius aſſumpſit deſcriptionem, ponit iconem à Matthiolo non propoſitam pro Lapatho ſatiuo ſed Hippolapatho? cur dicit Lapas rura in hortis colere: deinde in hortis non ſeri? Cùm hic tr ſignis confuſio appareat, nos lectoribus iudicandum relinquimus an vtræque icones Matthioli non ſint referendæ Lapatho vulgari ſylu. maiori, deſcriptio autem ex Matthiolo, Lapatho folio obtuſo: Nomen *Lapais* in hiſtoria Lugd. amphibologiam habere videtur; Sed vt liberè dicam quod ſentio: ſuſpicor Tragum & Geſnerum pro Lapatho hortenſi Lauſannenſi obſeruaſſe Rhabarbarum Monachorum primo anno ſatum, quod tunc delicatius eſt quàm ſequentibus, ſi quis nos aliter doceat rem gratam faciet

## LAPATHVM MAIVS SIVE RHABARBArum Monachorum.



Deſcriptio

HOminis proceritatem interdum aſſequitur, *caule* ſurgens ſtriato, rubente, ſuperiora verſus in numeroſos ſurculos diuiſo, *floribus* ſerie longa per totos ferè ramos muſcoſis & *ſemine* ſubſequente anguloſo, folliculis membraneis circumdato: *folia* pedalia & ſeſquipedalia, lata, acuminata, dura, rigida, rubentia

ſurſum aliquando reflexis oris nonnihil, vt Canalem quendam imitentur, pediculis rubentibus longis. *Radix* prolixa, craſſa, multis adnatis fibris donata, intensè crocea.

Synon. *Rhabarbarum hortorum*

Quod vulgus Europæ [ait Sylu. de ſimpl.) pro Rhabarbaro paſſim in hortis ſerit, Lapathi genus omninò videtur, licet radicis colore Rhabarbaro nonnihil ſit affine, viribus tamen plurimùm abeſt. At cum reliqua Rhoi vtriuſque hiſtoria nemini ſcribatur, conuincere nequeas, congenerem plantam, vel degenerem & diuerſam, niſi ex partis vnius natura.

*Differentia Rhab Monachorum. à cæteris Rumicibus*

Tragus in Hiſt. Germ. Rhabarbarum Monachorum ait eſſe herbam peregrinam, primùm in Harcinia ſilua repertam, ac poſtea in cœnobiis Monachorum excultam, vocatque Hippolapathum & Rumicem grandem, ab aliis Rumicibus in eo tantùm differre tradens, quòd folio & caule magis rubeat & proceriore ſit.

*Hippolapath. Rumex grãdis*

Geſn. hort. Lapathum maximum, Rhabarbarum Monachorum dictum: idem aut omninò proximum Hippolapatho in paluſtribus locis, aut montanis naſcenti.

Lapathi vel Rumicis ſpeciem, quam in plurimis Germaniæ locis ſerunt, magno errore, ait Cord. in Dioſc. verum Rhabarbarum eſſe credunt.

*Rhab. verum magno errore*

An de hoc Monardes de ſimpl. noui orbis lib. 3, ex verſione Cluſii. Planta quam multi in Hiſpania Rhabarbari nomine ſeuerunt Rumicis folia obtinens, cuius genus illam eſſe exiſtimo, quoniam ſecundus Rumex rubentem habet radicem.

*Patientia vulgi*

Lob. & Pena Adu. Satiuum Hippolapathum latiſolium vulgi, & Rhabarbarum Monachorum, Obſ. Hippolapathum ſatiuum latifolium, Rha Monachorum, *Patientia vulgi*. Icon. plant. Hippolapathum ſatiuum latifolium & Rhabarbarum Monachorum.

Dodon. gall. Lapathi 2. ſpecies λάπαθον ἥμερον, Rumex ſatiuus, Rhabarbarum Monachorum Neotericorum quorundam, & Galeni Hippolapathum. Et Lat. in fol. Hippolapathum, Rhabarb. Monachorum.

Fuchſ. Lapathi 2. genus Dioſcoridis: Lapathũ hortenſe, Oxylapatho diſſimile, non quidem in vniuerſum, ſed duntaxat in foliis, quæ, Serapione teſte, multò ſunt latiora Rhabarbaro Monachorum.

*Lapathi latifolium longâ & rotundâ formâ*

Lapathum latiſolium [inquit Camer. hort. ]tam longâ quàm rotundâ formâ vocant, Rhabarbarum Monachorum, quod Veteres Hippolapathum, in dupla doſi exhibitum nihil purgat. Item Lapathum ſatiuum: Et alibi: Rhabarbarum Monachorum. *Conſiderent* autem Lectores, quâ in re differat Lapathum rotundâ formâ à Lapatho rotundifolio: præterea perquirant diſcrimen Rhabarbari Monachorum à Lapatho ſatiuo.

*Camer. not.*

*Patientia*

Goropio in Vertumno, Patientia vulgò, cui nomen de Græca voce λαπάζω i. vacuo, factum. Eſt eidem Hermath. lib. 9. Lapathi genus, delicatius & tenerius cæteris, quod vulgus Patientiam nominat, de quo tritum prouerbium: *Lapathum non in cuiuſuis horto prouenire.*

*Prouerbium*

*Hippolapathum.*

Taber. icon. & hiſt. Hippolapathum ſatiuum.

*Rhabarbarum. Purgat.*

Rhabarbarum hortorum, à peregrino non abſimile, quod [vt à medicis fide dignis Matthiolo relatum eſt] bilem deiicit, quamuis peregrino ſit longè infirmius. Ait is præterea in poſt. commen. Ital. eſſe aliud Rhabarbarum potiùs falſum, quàm verum, quod vulgò vocant Rhabarbarum Monachorum. Sed nullam facultatem veri Rhabarbari habere, licèt contrarium crediderint aliqui. Idem in hiſt. vocat Hippolapathum verum ſiue Rhabarbarum Monachorum.

*Rhab. falſum. Rhab Monachorũ*

C. Bauh. phyt. Hippolapathum 14. ſiue latifolium Rhabarbarum Monachorum dictum, Hippolapathum Dioſcor. Gal. & Plinii. Rumex vrbanus Theophr. Rhapontico ſubſtituunt.

*Rumex Theophr.*

Nomina linguarum

Lapathum maius, ſiue Rhabarbarum Monachorum: Germ. Münch Rhabarbarum. Galli, *Rheubarbe des Moines, la Patience*. Belg. Patientie Burg. *Chou laſchou.*

Locus & Tempus.

Folia menſe Martio emergunt, appetente Iunio floret: & ſponte ſemine ſe propagat. Hippolapathum hortenſe Matthioli ſeritur à pluribus ſpectaculi cauſa in hortis & viridariis: ſilueſtre ſponte naſcitur in paluſtribus. Nos in variis Germaniæ, Galliæ & Italiæ locis obſeruauimus.

Vires & Temperamentum.

Rumicis, qui Rhabarbarum monachorum vocatur, radix purgandi vim obtinet autore Fuchſio, ſi in puluerem redacta drachmæ pondere ſumatur. Neque id mirum admodum, cùm etiam Dioſcor. ipſe omnium Rumicum olus decoctum aluum mollire, atque decoctas eorundem radices cum vino, regio morbo correptos emendare, ob bilis nimirum per inferna eductionem, teſtetur. Quomodo verò eâ vti deceat, Tragus te docet. Magnarum virium, inquit, hæc radix cum pauxillo Zingiberis ſumpta, phlegma & bilem per inferiora euacuat, hoc modo. Rad. aridæ drachmam, Zingiberis ſcrupulum, in puluerem redige, ſume ieiunus in iure calido. Pro Rhabarbaro qui ſubſtituunt, duplici doſi vtuntur. Radix digerit, abſtergit, prouocat, mundat, aperit, nonnihil adſtringit. Bilem flauam & ſeroſos humores educit. Folia tenera in oleribus eduntur ad emolliendam aluum. Radicis ſuccus, ait Matthiolus, cum ſulphure illitus ſcabiem ſanat, cum Lupinorum verò farina lentigines, alphos, & alias cutis infectiones exterit. Radicis dilutum, ex vino paratum præſtat ad pellendos renum calculos. Idem facit ſiccæ radicis puluis: drachmæ pondere ex meraco potus: quin etiam ex marrubii decocto hauſtus auriginem curat.

*Rhabarbari ſuccedaneũ.*

*Folia. Radix. Succus rad. Dilutum rad.*

LAPATHVM MAXIMVM AQVATICVM ſiue Hydrolapathum.

Deſcriptio

MAgis huic in fibras diducta eſt *radix*, quàm vel Oxylapatho, vel Hippolapatho, foris nigra, intus buxea: cum notabili adſtrictione amaricans: *caules* ſurgunt ad cubitos duos, *flore & ſemine* Lapathi acuti, cui & *folia* ſimilia, ſed longitudine ferè ſeſquicubitali, læuiora, minuſque rugoſa, leuiter criſpatis oris, ſubacida, & ſtrenuè adſtringentia.

Dodon. gall. Lapathi quinta ſpecies, Hippolapathum magnum aut Rumex paluſtris: Gal. *Grãde Parelle, ou Parelle des Maretz*: Germ. Waſſer ampffer: Belg. Grotte patick / aut watter patick. Et lat. in fol. Lapathum, ſiue Rumex 3. Hippolapathum dictum folio ampliore ac maiore ſatiuo. Idem poſtea Hydrolapathum vocat, in foſſis ac ſcrobibus requirendum. Eum autem Hydrolapathum non nouiſſe, commonſtrat figura, quam pro Lapatho ſatiuo propoſuit. Hippolapathum etiam vocant Cordus, Tragus, & Lobelius. C. Bauh. Lapathum 11. aquaticum folio cubitali. Apud Matth. Hydrolapathum ſilv. Matth. & Caſt. Lapathum. paluſtre Tabern. Schvv. Lapathum paluſtre maximum ὑδρολάπαθον μέγα. Hippolapathum ſilv. Matth. Rumex

*Dod. Belg.*



aquaticus, Groß waſſer oder weicher ampffer/ wild Münch Rhabarbarwurtz.

Locus & tempus.

Maximum Lapathum aquaticum prouenit in foſſis vrbis, id exiſtimo variare à vulgari Oxylapatho propter ſitum, qui facit vt diuerſa videatur planta ob inſignem foliorum amplitudinem. Naſcitur aquoſis paluſtribus, ac ſtagnantibus locis & foſſis humidioribus.

Vires. *Erro r quorundam.* *Icterus.* *Vlcera.*

Quidam Antuerpiani & Galli audaculi Seplaſiatii ad medicos vſus ſufficiebant Behen rubro, cuius facultates & notas non minùs adumbrata, teſte Lobelio, quàm Limonium. Radix craſſa, crocea lenit aluum. Icteritiam diſcuit. Folia Podagricis calidis, & vlceribus vtiliter imponuntur fluentibus, Schvvenckf.

## LAPATHVM AQVATICVM minus.

Locus.

HVic etiam aquæ ſunt natales, aiunt in Adv. Lob. & Pena, ſed non niſi limpidæ & fontanæ, trans quas è fundo exerit cauliculos teneriuſculos, flaccidos, graciles, non abſque hinc inde filamentis, vt cæteræ aquaticæ, ſtipantibus & dendulis: *folia* ſunt item admodum tenuia & mollicella, nec tamen aquæ innatantia ritu Potamogetonis, ſed erecta, viridantia ex atro, Lanceolæ, anguſtiora multò quàm Potamogetonis. Lob. & Pena Adv. Puſillum Fontilapathum, & Lapathiolum vocatum tenellum.



*Fontilapathum. puſillum Lapatiolū tenellum.*

Lob. Tabern. & Hiſt. Lugd. C. Bauh. Phyt. Lapathum 12. aquaticum minus. An Geſn. hort. Lapathi genus ſilv. quod circa lacus Tigurenſis ripas naſcitur in ipſa etiam aqua. Schvv. Lapathum paluſtre minus Hydrolapathum minus.

*Vſus.*

Folia miſcenda colligebant ſedulò quidam Phatmacopœi Narbonenſes, præſertim Nemauſi ad vnguenti Martiati nominum & rerum farraginem confuſiſſimam, tuebanturque ſemper idem, non aliud generis Lapathii, miſcendum eſſe illi vnguento.

## LAPATHVM FOLIO ROTVNDO Alpinum.

*Deſcriptio*



LApathum iſtud *radice* ſurculoſa & longa nititur, cuius ſinguli ſurculi pluſquā pollicarē craſſitiem facilè aſſequuntur, rugoſi, & fibroſi, flaneſcentes intensè, ſapore amaro: *caulis* bicubitalis & tricubitalis, cauus, profundis ſulcis exaratus, rubeſcens, aliſ multis donatur: *folia* Bardanæ, notabilis latitudinis, rotunda, glabra, pediculo rubente & ſtriato appenduntur: *flores* muſcoſi copioſiſſimi alas ferè totas obſident, ex herbidis tribus foliolis apicibuſque multis luteis compoſiti: quibus *ſemina* ſuccedunt triangularia, nonnihil rubentia.

*Synonyma* *Lapathum rotundum.*

Geſn. hort. Lapathum ſilueſt. circa Friburgum Heluetiorum, foliis ferè rotundis. In app. Lapathum rotundum, Rhabarbarum appellatum propter ſimilitudinem aliquam. Anguill. Lapathum rotundum, quod non vult dicere Rhabarbarum. Lob. & Pena Aduerſ. Obſ. & Ic. plant. Hippolapathum rotundifolium, Pſeudo Rha Recentiorum. Figura non multùm placet. Camer. hort. Lapathum rotundifolium, quod nonnulli Rha perpetam exiſtimant. H. Lugd. Hippolapathum rotundo folio Lobel. Pſeudorhabarbarum Recentiorum. C. Bauh. phyt. Lapathum 15. Hippolapathum rotundifolium. Schvvenckſ. Lapathum domeſticum rotundifolium.

*Pſeudo Rha quorundam.* *Lapathum domeſt. rotundifol.*

Locus.

Naſcitur, autore Cluſio, in omnibus iugis Alpium Stiriacarum & Auſtriacarum, præſertim circa humidiora illa loca, ad quæ armenta ſtationem iſtic habentia æſtiuis menſibus aquationis gratia conuenire ſolent frequentiſſimè. Olim in peregrinatione mea Rhætica cum D. Geſnero inueni in Rhætiæ alpibus, habui etiam Geneuæ in horto allatum ex vicinis montibus vbi durabat cum foliis amplis rotundis. In horto Ill. E. C. plantatum ſe propagat.

Vires.

Nomine Rhabarbari vtebatur Lazarus à Schvvende, qui aiebat purgare, ſi ad duplum Rhabarbari exhibeatur.

## LAPATHVM ANTHOXANthum.

*Panaces Chironium*

LApathum ſilu. 4. Dalechampii, eam plantam quidam eſſe putant, quam nonnulli Panaces Chitonium folio Lapathi, flore aureo, à Plinio dictum eſſe arbitrantur. *Radice* eſt breui, ſurculoſa, fibrata, dura, lignoſa: *caulibus* duobus,

aut tribus, angulofis, palmi altitudine: *foliis* Oxypalathi, oblongis, anguſtis: flore in ſummis ramis aureo. Vnde Antoxanthon, id eſt, lutei floris Lapathum nuncuparent.



Caſp. Bauh. phyt. Lapathum 10. ſilueſtre flore aureo.

Locus — In foſſis & vliginoſis locis prouenit. Nam & C. Bauhino hoc ad paluſtria circa Norimbergam collectum tranſmiſit D. Doldius.

## LAPATHVM PVLCHRVM BONONIENSE ſinuatum.



Deſcriptio — PVlchrum ſanè eſt Lapathū quod à diligentiſſ. ſtirpium indagatore D. Agerio Medico Argentinenſi accepimus collectum Bononiæ, ex craſſâ *radice* multa *folia*, pleraque duarum vnciarum pediculis tenuibus eiuſdem penè longitudinis proferens, vnciam lata, in medio profūdo vtrinque ſinu reſpondente, ſubrotunda: *caulis* palmaris: in eo calices hiſpidi geniculatim diſpoſiti.

## LAPATHVM ACVTVM criſpum.

Synonyma — TAbern. Icon. & Hiſt. Lapathum acutum criſpum, Krauß Spitz mengelwürtz.

Caſ. Bauh. phyt. Lapathi folio acuto folia ſæpè anguſtiſſ. oblonga & criſpa. Schvvenckf. Lapathum acutum criſpum, ὀξυλάπαθον, Spitziger krauſer ampfer.

Locus — Humectis gaudet.

## LAPATHVM FLVITANS LONGO ſerrato folio.



Deſcriptio — EIus *radix* eſt geniculata ex ſingulis geniculis fibras emittens, quibus vado inhæret, primis internodiis rubeſcens: *caules* edit multos, rotundos, quinque aut ſex cubitos longos, in aqua fluitātes: *folia* palmū atque eo ampliùs longa, anguſta, in ambitu crenata, alternatim per caules naſcentia, guſtu fatuo & ſicco. In caulium vertice thyrſus eminet eâ prorſus ſpecie, quà in Potamogeitone viſitur. Naſcitur in vadis amnium pigriorum, vt Araris.

Oxylapathum aquaticum Dalechampii. Caſp. Bauh. Phyt. Lapathum 13. in aquis fluitans foliis crenatis. Lapathi genus ſilv. Geſneri.

## LAPATHVM MARINVM SInuatum.



ELegans hæc Lapathi ſpecies, *cauliculos* emittit humi procumbentes, aliàs obliquè erectos, dodrantales, in ramulos diuiſos angulofos, atque ſtriatos, quibus *folia* vncialibus ferè pediculis hærent, alternatim poſita, laciniata, duabus inſignibus laciniis imam partem in totidem appēdices diuidētibus, figurâ oblongâ, è quorum ramulis ramulorum exortus eſt: qui velut in ſpicas longas ex ſemunciali interuallo, *floſculos* minimos aggeſtos habent, obſoleti coloris & ex luteolo virente, quodammodò albicantes. *Radix* rufeſcens, ſimplex ferè pauciſque fibris donata.

Gener Cherlerus Iunio florentem collegit prope *Aiguemortes*.

## LAPATHVM SANGVINEVM, SIVE ſanguis Draconis herba.

Deſcriptio — FAcilis eſt huius à Lapathis reliquis diſcretio, ſanguineo ſucco quo ſcatet, neruis per *folia* Lapathi minoris, acuminata, crebris diſcurrentibus, varioque implexu ruborem atroſanguineum virentibus foliis conciliantibus: quorum ſuccus

& manus



& manus & alutam primùm purpureo, mox in cæruleum degenerante colore tingit, quo ſimul & pediculi foliorum turgent. Reliqua effigiatura non abſimilis Lapatho acuto, niſi quod magnitudine ſuperatur.

*Synon.* Dodon. gall. Lapathi quarti ſpecies altera, parua & ſilueſtris, tota rubra, floribus & ſeminibus.

*Varietas* Reperiri autem in hoc genere totã cãdidã inſtar niuis affirmat. Rubram autem à Latinis Lapathum nigrum appellari ſcribit, à modernis Sanguinem Draconis: Gall. *Sang de Dragon*, Germ. Drackenbluet. Et Lat. in fol. Lapathum 8. ſiue rubens: Lapathum nigrum & niger Rumex. Perperam, inquit, faciunt, qui ſuccum huius, qui ex hoc inſtar vini rubentis exprimitur, Sanguinem Draconis vel eſſe ſuſpicantur, vel nuncupant,

*Lapathum & Rumex niger Eir. r quo. nuncupant.*

H. ſt. Lugd. Lapathum ſilueſt. tertium: Tertium Lapathi ſilu. genus Dioſc. indictum, Lapathum nigrum & Sanguis draconis. Lobel. & Penç Aduerſ. Obſ. & Icon. plant. Lapathum ſanguineum. Camer. hort. Lapathum ſanguineum ſiue Sanguis Draconis, Græcis ἐρυθρολάπαθον.

*C. B not.* C. Bauh. Phyt. Lapathum 9. rubens. Apud Matth. Lapathum ſanguineum. *Cur* ſeuerus cenſor iconum H. ſt. Lugd. non potiùs imitatus ſit iconem Camer. quàm Lobelii neſcio.

Hort. Luſit. Lapathum ſanguineum, Sanguis Draconis herba.

*Locus & Tempus.* Sanguineum Lapathum à me ſatum Montbelg. in horto Ill. E C. facilè prouenit & ſecundo anno caulem profert, ſemine deciduo ſe multiplicat & propagat, floretq; Iunio: Baſileæ & Lugduni habui in hortis. Bononiæ vidi in horto di S. Saluador al Borgo di S. Catharina: Tubingæ cùm eſſem apud Fuchſium ei dicebatur Sanguis draconis. Septentrionis hortis ſpontè etiam oritur, rariùs in calidis plagis.

Folia aluum cient in iuſculo, aut expreſſus ſuccus ſanguineus totius plantæ, Lobelius. Guſtu nitroſiore quàm Oxylapathum eſſe deprehenditur. Reliqua ſunt cum eodem communia. Semen pulueriſatum & in aliquo decocto aſtringente potum ſingularem habet efficacitatem in ſiſtendis nimiis menſibus & ſimilibus fluxibus, Camerarius.

## RHAPONTICVM.

### Cap. IX.

*Deſcriptio* RHapontici radix, quam oſtendunt Seplaſiæ, Raphani mediocris craſſitudine eſt Rhabarbaro grauior, compactior, rugoſo; fuſcoque cortice obducta, ſecta per tranſuerſum ſpiras oſtendens, colore vario, minus que rubro quàm Rhabarbarũ, amarore vix euidente & ferè dulci ſapo-





re prædita, cum adſtrictione admiſta, ſputum etiam tingit commanſa.

*De eo plura ex Veterũ & Recentiorum Sententia in huius ſecundi Tomi Appendice.*

## RHABARBARVM.

### Cap. X.



*Deſcriptio Cortex* CRaſſæ radicis taleolæ ſunt, quas vtraque manu interdum vix cõplectaris, cortice nigricante obductæ, circularibus Zonulis rugoſę, valleculis tuberibuſque inæquales, mediocriter graues

*Subſtantia* etſi ſubſtantia nonnihil interim ſit fungoſa, crocea, criſpo linearum rubentium diſcurſu veluti vndulata, non ſine albedine aliqua admiſta,

*Sapor.* ſapore amaricante haud ingrato nec vehemente, cum euidente adſtrictione. Liquorem cui infunditur colore croceo tingit.

*Hic Rhabarbarum tantùm deſcribimus, plura de eo* ἐυπόρως *ex Veterum & Recentiorum ſententia in huius Secundi Tomi Appendice tradituri.*

## OXALIS VVLGARIS FOLIO

### Cap. XI.

*Delineatio* HVic libro Oxalides finẽ imponant. Quantùm enim accedant ad Lapatia, vel hortulanis notum eſt, à quibus pleriſque Lapatij nomine veniunt. Oxalis igitur vulgaris folio longo, cubito altiores promit *caules* ſtriatos, concauos, in alas diuiſos: *folia* Biſtortæ minora, acuminata, quà pediculo adhærent falcata pinna, áve, ſucculenta, atrouirentia, ſapore acido: *flores & ſemen* Lapathi acuti: *Radix* fibroſa, lutea, ſtrenuè ſiccante & adſtringente ſapore.

Brunf. Acetoſa & Lapathum acetoſum.



*Synonyma Acetoſa, Lapathum acetoſum.*

Apud Hier. Brunſch. in edit. anni 1550. malè cum Acetoſa iungitur Vnifolij figura.

Lonic. Tabern. Dod. gall. & Lat. in fol. Cæſalp. *Oxalis, Acetoſa*, & Cordo in Dioſc. cui etiam Lapathi ſiue Rumicis quarta ſpecies. Fuchſ. hiſtor. Lapathi quartum genus Oxalis.

*Anagyris agreſtis.*

H. Lugd. Oxalis maior, Lapathi ſylu. genus 4. Dioſcoridis [vt & Trago] alijs Oxalida, alijs Anaxyrida, aut Lapathion agreſte [ἄγριον] vocatum. Plinij ſilueſtre genus [Lapathi] Oxalis dicta, Latinis Rumex, nec alia Lapatha Ætio, Lapathum Oxalis vocatum.

Lob. & pena Adu. & Ic. Plant. Oxalis ſiue Lapathum, Oxalida, Acetoſa. Obſeru. Lapathũ, Oxalida. Anguill. Lapathi ſiue Rumicis ſpecies, ὀξαλίδα vocata, aliquibus Lapathum acutum. Caſt. Acetoſa maior. Adolph. Occo Sup. vng. mart. Lapathiolum 1. Acetoſa. Geſn. hort. Lapathorum ſpecies minima, Oxalis dicta maior, pratenſis, longioribus foliis. Item Append. Lapathi genus minus, acidiórque Oxalis dicta, cuius ſemẽ difficulter colligitur, nam ſubitò decidit, priuſquam probè matureſcat.

*Lapath. acutum.*

Amat. Oxalis, Acetoſa, Oxylapathum Galeni, hortenſe, latum. Camer. Epit. Matth. Thal. Oxalis maior. Hort. Luſ. Acetoſa maior vulgaris.

C. Bauh. Phyt. Acetoſa 1. Pratenſis. Lapathi quartum genus Dioſc. & Lapathum ſilu. Plinij. Apud Matth. Acetoſa pratenſis ſeu Lapathum 4 Dioſc. Aliquando media foliorum parte per longitudinem candidâ: nonnunquam vtrinque ab exortu duplici ſagittali figura.

*Oxalis candida.*

Schvv. Acetoſa maior vulgatiſſima ὀξαλὶς Dioſc. ἀνάξυρις, Acidus Rumex, Lapathum, Oxalida.

Matth. in Dioſc. Oxalis vulgò offic. Acetoſa appellata. Illud Lapathum quod ab acido ſucco ὀξαλὶς Græcis dicitur (etſi id ſilentio inuoluat Dioſc.) duorum eſt generum, maius nimirum & minus. In com. cum mag. fig. Oxalida.

*Maius & minus.*

Oxalis, Græcis ὀξαλὶς & ἀνάξυρις. Gal. etiam ὀξυλάπαθον i. acidum Lapathum, ſiue acidus Rumex. Offic. Acetoſa. Germ. Sauwrampffer. Belg. Sürckele/ Zurinck. Gall. *Ozeille, & Oxaille*, à nonnullis *Aigrette & vinette*, à Lugd. *Saliette*: Ir. *Azederas.* Angl. Sorrel. Hung. Solka/ Solau/ Laspuch, Reiſalitza Szawi.

*Nomina linguarum*

Vbique & pratis & hortis quolibet anni tempore vigere ſcribit Lobelius: vt & nos obſeruauimus.

Recentiores Acetoſam ſtatuunt eſſe frigidam & ſiccam in ſecundo, inquit Fuchſius. Digerit, addit Schvvenckf. aperit, incidit nonnihil humores lentos. Ventriculum æſtuantem refrigerat, appetitum ciborum excitat, Iecinoris calorem contemperat. Bilioſis ac peſtilentibus febribus aduerſatur. Radix Hepatis ac Meſaraicarum ſoluit obſtructiones, in febribus vtilis. Semen medicamentis additur cordialibus. Aqua deſtillata & ſuccus in frequenti ſunt vſu febrientibus contra æſtum, ſitim & lapſam appetentiam. Aeſtiuis menſibus Acetoſa ciborum multorum vtile condimentum.

*Vires. Temperamentũ*

*Ventriculo commoda.*

*Febres bilioſ.*

*Semen. Aqua. Succus*

## OXALIS CRISPA.



*Deſcriptio*

HÆc natali loco, tempore, & creſcendi modo à priori nihil planè variat, quàm quòd natura foliis criſpis in hac mirè ludat. Eam autem icone expreſſam exhibere ſtatuimus, ne Hiſtoriæ generali temerè quid deſit.

*Synon.*

Taber. Icon. Oxalis, Krauſer ampffer. Caſp. Bauh. Phyt. Acetoſæ pratenſis folia criſpantur aliquando vt pingit Tabern.

## OXALIS SILVATICA maxima.

*Deſcriptio*

DVorum cubitorum circiter altitudine eſt *caulis*, ſtriatus, *foliis* ex interuallis certis amictus, ſingularibus, ſeſquipalmaribus, vncias tres latis, acuminatis, glabris, inferioribus verò duplò maioribus, acido ſapore præditis.

*Synonyma*

Oxalidem maiorem Broccenbergenſem, nihil à communiori differre ſcribit Thal. niſi quòd loco vliginoſiore nata paulò amplior exiſtit, quod neutiquam Thalio conceſſerimus. Eſt enim in noſtra quædam differentia, quæ non à ſolo loco pendet.

*Thalii lapſus.*

An Camer. Acetoſa Hiſpanica grandiſſ. foliis?

*An Acetoſa Hiſpan Camer.*

C. Bauh. phyt. Acetoſa 2. montana maxima, foliis maioribus & rugoſioribus quàm pratenſis. Oxalidem maiorem Thalius appellare videtur. Oxalis 5. montana, Oxalis altera Cæſalpini. Montana ſcilicet, foliis ad Spinachiam accedentibus.

*Oxal. montana max.*

Schvven. Acetoſa alpina ſiue maior montium, Bergſam ampffer, vulgari eſt ſimilis præter folia, quæ latiora & magis ſucculenta, nonnihil amaricantia.

*Acetoſa alpina.*

*Locus & Tempus*

Oxalidem ſyluaticam maximam Montbelg. in horto Ill. C. Vvirt. plantatam habui, ex ſyluis delatam: priùs videram cùm eſſe Geneuæ in monte *Thuiri* maiorem & rugoſiorem pratenſem, quæ ibi etiam prouen iebat. Frater in montibus Helueticis & Sabaudicis prouenire dicit, Schvvenc. plurimam ad riuulos montium altiſſimis locis herbidis.

*Vſus*

Oxalidis maioris radicibus mulierculæ ignaræ imponunt, quòd croceę admodum ſint, pro Rhabarbaro vulgari eas obtudentes, Thalius.

OXALIS

## OXALIS FOLIO AMPLISSIMO GENICVLIS tuberoſis.

Deſcriptio. OXalidis genus in iugo Wechſel Cluſius obſeruabat, ſatiuo multò maiꝰ, foliis valdè ampliſ? cui hoc peculiare erat, vt in caulis nodis & geniculis, ſubinde veluti tubera quædam adnaſcerentur, è quibus folia tandem ſeſe explicarent: quæ tubera tellure obruta [periculum enim fecit] ſui generis plantas protulerunt.

Synon. Cluſ. Pannon. & Hiſt. Oxalis ampliſſimo folio. C.Bauh. phyt. Acetoſa 4. geniculis nodoſis.

## OXALIS TVBEROSA RADICE.



Deſcriptio. OXalis tuberoſa, terram ſuprà, Oxalidē pratēſem refert: *foliis* paris magnitudinis & formæ, aliis *caulem* aliis ſuis complexis, aliis longiore pediculo nixis. *Flos* ſtamineus, luteolus, racemoſus. Lobelio teſte, radicibus tuberoſis Filipendulæ vel Oenāthes perquàm ſpectabilis Oxalis exotica, foliis, caule & ſemine hortenſis, quam toto habitu præſert.

Synon. Lobel. Obſeru. & Ic. Plant. Camer. hort. Hiſt. Lugd. Tabern. Oxalis tuberoſa. C.Bauh. Phyt. Oxalis 3. tuberoſa radice.

Locus & tempus. Heidelbergæ in horto Di. Sprengeri vidi florentem Iunio ſolio longiore. In Belgiis rara & Generoſis D. Brancioni à Do. Pancio Ferrarienſi medico miſſa, Lob.

## OXALIS FOLIO ROTVNDIORE repens.



Deſcriptio. LVdit ſubinde hæc *foliis* modò rotundis, ferè Cochleariæ vel Chelidonii minoris proximis, modò alarum appendicibus donatis, aliàs Sagittæ inſtar mucronatis pinnatiſque, veluti Spinachiæ foliorum extremum, colore glauco, pinguiuſculis delicatoq; acore præditis: *caules* inanes, cubito longiores: *floſculi* è fibris componuntur ex luteo rubentibus, vt in aliis, quibus & *ſemen* reſpondet. *Radix* tenuis reptat vt & caules, ſapore minùs acido, ſed magis ſicco quàm folia.

Hiſt. Lugd. Lapathum alterum ſilueſtre, tertium Dioſcoridis Lapathi genus, paruum, plantagini proximum, quód docti quidam vulgi Acetoſam rotundam eſſe rentur. Synon. *Lapath. fol.*

Ruellio lib. 2. c. 49. Acidula aut minuta Oxalis, vulgò dicta Gallicè *Ozeille menue*: Oxalis altera Hederæ foliis. Oxalis hortēſis minor, *Ozeille ronde, Ozeille franche & Ozeille Romaine*, Oxalis rotunda. *Acetoſa rotunda* *Oxalis Hedera fol.*

Lobel. & Pena Adu. Obſ. & Ic. Plant. Oxalis ſatiua franca rotundi folia repens, Romana vocata, quia præfertur cunctis guſtu & aciditate delicatiore. *Oxal Romana*

Amat. in Dioſc. Oxalis 3. ſolio hederaceo, Biſacuta Recentiorum. Huius, inquit Rob. Conſt. apud Amatum, hortenſis Oxalidis aliud eſt genus cuius nec Dioſc. nec Amatus meminit folio ſc. rotundo & carnoſiore. Sed Roberto non aſſentior dum dicit Amato non cognitam Oxalim folio rotundo, niſi mihi demonſtretur diuerſam eſſe quandam ſolio hederaceo Oxalidem. *Biſacuta*

Geſn. hort. Oxalis rotundioribus foliis, Lapathi ſpecies minor, ſiue Oxalis alteri minori cōgnata quam aliqui Acetoſam Gallicam vocant.

Camer. hort. Acetoſa rotundis foliis.

Cæſalp. Oxalis tertia mediæ magnitudinis rotundioribus foliis.

C.Bauh. Phyt. Oxalis 7. rotundifolia, aliquando ſunt quędam folia non anguloſa ſed in acutum deſinentia: habetur & grādiſſimis foliis, quæ Acetoſa Hiſpanica Camer. Camerarius non ſtatuit varietatem vt Frater, ſed ſeparat interpoſitā aliā ſpecie. Tab. icon & Hiſt. Oxalis rotunda, ſiue rotundifolia. Hort. Luſ. Acetoſa rotunda franca. Schvv. Acetoſa Sabaudica, Oxalis Gallica Romana, Oxalis rotundioribus foliis Geſneri. *Acetoſa rotunda*

Locus. Plantaui in horto E.C. ac prouenit etiā in aliis. Obſeruaui Baſileæ in hortis, Lugduni, Geneuæ, aliiſque locis plurimis: in quibuſdam verò in muris.

Vires. *Aqua.* Sapidiſſima eſt, & aqua inde deſtillata retinens acidum ſaporem in febribus vtiliter datur. Succus eius acidus embammatis præcipuè vtilis.

## OXALIS MINOR ACVLEATA Candiæ.



Deſcriptio. RAmulos cōplures dodrantales & cubitales humi fuſos, vndatim flexuoſos, graciles ſtriatos, producit, colore propter terram rubente, alioqui viridi: *folia* pauca, Oxalis veruecinæ, pinnis mutila: *flores* ex interuallis per totam ramorum ferè lōgitudinem muſcoſi, luteoli: quibus *ſemen* ſuccedit triquetrum, purpura

ſcēs, triplici membranula aculeata circumclusum, contorto latiuſculo ſucculento pediculo appenſum, *radix* purpurea gracilis ſummâ terrâ hæret.

*Acetoſa Cretica* C.Bauh. Phyt.& apud Matth. Acetoſa 10.ſiue Cretica ſemine aculeato: In horto Illuſtr. Ducis Vvittemb: qui Montbelgardi colitur.

**Locus & tempus** Inter ſemina Stutgardiam miſſa per Dominum Ioſephum de Caſſa bona fuit ſemen cum hoc titulo, Acetoſa aculeata minor Candiæ, ea ſata in Horto Ill.E.C.Montbelgardi Aprilis fine dodrantales cauliculos produxit cum foliis paruis longis ſiue auriculis, floruit Iunio, ſemina matura Iulio, quæ aliquid habent ſimilitudinis cum Tribulo terreſtri, ſed multò minora, nec ita pungentia: præterea adeſt pars longa incurua tenuis vt in Caltha.

## OXALIS PARVA AVRICVLATA repens.

**Deſcriptio** OXalis minima prolixas habet lignoſáſque *radices*, valdè fibroſas, rubentes, huc illuc reptantes, in plura ſæpè capita diuiſas, quæ *folia* emittunt oblonga ſemunciam aut vnciam longa, ad imum auriculata, guſtu reliquorum inſtar acido. *Floſculi* longos efficiunt racemos, triangulo ſemine ſubſequente.



**Synon.** *Lapathum Ramen* Cord. in Dioſcor. Lapathi ſiue Rumicis 6.genus Acetoſæ forma & ſapore ſimile, multò tamen minus, in agris naſcens.

*Oxalis minima* Trago Germ.& Lat. Oxalis minima, Lapatiolum, & Acetoſella, radice & ſemine aſperi & acerrimi ſaporis, caule & folio acido vt vulgaris.

*Acetoſella Oxalis ouina* Lonic. Acetoſella. Tab.icon.& Hiſt. Oxalis ouina, Schaff ampffer. Adhæc Oxalis minima 1. klein Saůwer ampffer. Item Oxalis minima 2. Gar klein Saůwer ampffer. Dod. Lat. in fol. Oxalis minima, Acetoſella.

An Cæſalp. Oxalis quæ ſpontè naſcitur gracili ſolo, tenuis herbula? Camer. Epit. Matth. Oxalis minor. Hort. Luſ. Acetoſa minor ouina. Item Acetoſa minima.

*Oxalis lanceolata* C.Bauh.phyt. Oxalis 8.aruenſis lanceolata. Hæc ratione loci maior minórve reperitur: hinc Tabern. duas pingit icones p.446. Oxalidis Ouinæ & 441. Oxalidis minimæ 1.nomine. Harum minor etiam in montibus Euganeis reperitur. Oxalis 9. aruenſis minima non lanceolata. Oxalis minima 2.Tabern. Qui cenſuerit [inquit Frater] hanc referendam ad præcedentem minorem facilè aſſenſerimus.

*Oxalis nobilior* Schvvenckf. Acetoſa Lanceolata minor. Oxalis minor nobilior Schaff ampffer / Spieß ampffer / klein edler Sawer ampffer: palato gratior quàm vulgaris: Acetoſa lanceolata minor, Oxalis aruēſis felder ampffer / Acker ſawer ampffer: quæ ſemine cùm prægnat tota rubra apparet.

Hiſt. Lugd. Oxalis minor Matthioli. Oxalis minor tenuifolia ſinuata, veruecina nuncupata, omnium acidiſſima, *ozeille menue, & ozeille de brebis* Gallicè.

Lob.& Penæ Adu.Obſ. & Ic.plant. Oxalis tenuifolia ſinuata veruecina. Belgis Scaeps ſurckel, id eſt, Acetoſa veruecina, quia guſtu acido pecori non ingrata.

Geſn.hort. Oxalis altera minor, Lapathi ſpecies minor. App. Oxalis oblongioribus foliis & pratenſi ſimilior, ſed tenerior.

Matth. in Dioſc. Lapathum minus, Oxalis altera, ſuccoſa, foliiſque maioris acidior. In hiſt. Ital. cum magnis fig. *Oxalide minore.* In epit. Oxalis minor, ὀξαλὶς μικρά. Ital. *Acetoſella, Sacciola & Sannicicla.*

Minima auriculata multis in locis prouenit: ac habeo plantatam in horto E. C. ſuo reptatu odioſam. Tanto luxu, ait Lobelius, ſabuloſis Brabantiæ, Picardiæ, Nortmanniæ, & Angliæ importuna, vt ſegetes enecet, vires aut incrementum præpediat, fuſco purpureo ſeminum, caulium, & foliorum colore ſolum ipſum operiens. Sabuloſis & incultis agris florentem Maio obſeruauit Tragus. circa Glaronam Geſn. locis ſiccis, & lapidoſis ad pedes montium circa ripam Limagi. **Locus & tempus**

Refrigerat, autore Matthiolo, ac ſiccat perinde ac altera: digerit, & incidit. Omnia bellè poteſt; quæ maior, nec infirmioribus pollet viribus. **Temperat. Vires.**

---

## OXALIS AFRICANA.



**Deſcriptio** ELegantiſſimè hæc planta præ reliquis Oxalidibus, tum varietate, tum raritate conſpicua eſt. Vix cubitalem adſequitur altitudinem, ramis oppoſitis ſucculentis brachiata. Ad quorum exortum *folia* exeunt gemina, oppoſita (aliquando etiam ſingularia,) Atriplicis ſiue ſpinachiæ figurâ, ſed longè, & vel portulacâ ipſa, craſſiora. *floſculi* ſummitatibus hærent ex luteolo virentes & rubello quodam, figura Oxalidis vulgaris, ſolâ magnitudine differentes, quippe maiores, ex recuruo pediculo penduli. Quibus *vaſcula* ſuccedunt magna, vncialia, ferè triquetra, pinnata, rutilo quodam conſperſa, triangulare *ſemen* Oxalidum intergerinis parietibus continentia: *radix* ſimplex, alba, paucis fibris donata. Tota cæterùm planta guſtu & aciditate delicatiore reliquis congeneribus præferenda.

An de hac Proſp. Alp. de pl. Ægypt. Zacinth-

Oxali

Oxalidem, qua eius inſulæ Pharmacopœi ad medicinam vtebantur, inſpexi, admodum à noſtris Oxalidibus omnibus diuerſam, quippe exilis herba ipſa eſt, foliis paruis, craſſis, oblongis, Calthæ foliis æmulis, guſtum vt noſtra acido ſapore feriens.

C.Bauh.Phyt.Oxalis 6.Calthæ folio peregrino Alpini.

Locus & Tempus

Martii fine ſata Monthelgardi ſub finem Maii adoleuit, paulóque pòſt ad magnitudinem peruenit. Miſſum erat ſemen Lutetiâ à Robino Herbario regio nomine prædicto.

## HERBA IOHANNIS INFANTIS OXALIS folio.

HIc prætermittenda non videtur ea planta, quâ vſi ſunt ii qui Hiſpaniam nouam primi ſubiugarunt, in curandis vulneribus. Cuius vſum Monardi primus oſtendit Indus quidam Hiſpani famulus, nomine Ioannis Infantis, à quo hęc planta denominata eſt. Eſt autem exigua, foliis Oxalidis, aliquantulùm villoſis, ſiue hiſpidis.

C.Bauh.Phyt.Herba Iohannis Infantis, Monardis. At Caſtor Durantes p.228.iconem habet.

*Vires Vulnera*

Viridis exigua præmanſa aut trita, vulneribuſque impoſita, ſanguinem ſiſtit, eaque conglutinat. Neruorum aliarumque partium vulnera digerit, & mundat, & demum ad cicatricem perducit. Iiſdem viribus pollet ſicca in pollinem redacta: quæ ad vulnera carne explenda viridi etiam præfertur.

## FAGOTRITICVM.

*Deſcriptio*



CVm Oxalide & Fagotriticū propter foliorum & ſeminum ſimilitudinem, quam cum illa habet, coniungi deſiderat. Rubente caule ad duos pedes aut altiùs ſurgit, ſtriato, læui, & in ramos aliquot diuiſo: folia ex longis pediculis rubeſcentibus, hederacea, atrouirentia, ſapore fatuo: ex quorum alis ſingulares exeunt pediculi trientales, aut quadrantales, tenues, qui floſculos in muſcariis ſuſtinent primùm colore carneo, deinde albo præditos, quorum ſinguli quinis conſtant foliolis, apicibus rubentibus. Semen triquetrum, nigra gluma obductum, farinam candidiſſimam continet, inſipidum. Radix lignoſa, alba, longa, multis fibris donatur.

*Synonyma Frumentum hederaceum ... Ocymum veterum*

Cord.in Dioſc. Frumenti genus folio hederaceo. Tragus Ocymum Veterum Dioſc.Plinii & Platinæ facit, ac ab ὠκὺς [citò] teſte M.Varrone dictum ſcribit, ſed quàm benè, oſtendunt Matth. & Dodonæus.

*Formentone*

Exiſtimauit aliquando Anguill. Formentone eſſe Gramen Parnaſſi, ſed meritò mutauit ſententiam, agnoſcens (ſed & hoc malè) eſſe Ocymum M.Varronis.

*Frumentum vaccinum Lonic. not.*

Lonicer. cui Frumentum vaccinum dicitur, duas exhibet figuras, cùm tamen vna ſuffeciſſet.

*F. tum Sarracenicum Tragi & aliorum lapſus*

Matthioli itaque iudicio, Dodon. Tabern. Camer. & noſtro, Frumentum Sarracenicum (ita enim illi in Hiſt.germ.inſcripſit) Veteribus eſt incognitum. Quare errant quicunque cum Trago & Anguill. Ocymum veterum eſſe ſcribunt. Explodenda Loniceri opinio, teſte Matthiolo, in ſuis in Dioſcor.comment, quòd Frumentum Turcicum, ſiue vt aliis [inter hos Caſtor, Camer.in Epitom.& Hiſtor.germ.Matt.] placet, Sarracenicum quod Tridentina rura vulgò appellant Formentone, & Foro Iulienſes *Sarracino*, Ocymum eſſe exiſtimat. Quinetiam aberraſſe deprehenditur, quòd huic plantæ omnes odorati Ocymi facultates reddiderit.

*Lonic. opinio exploſa*

*Error alius Ocymum Veterum non eſt*

Apud veteres quidem nullum habere nomen, nec Ocymum quidem eſſe, ſiue illud Dioſcoridis, ſiue alterum Varronis & Columellæ, vel inde conſtat, quòd, atteſtante Dodonæo (qui in Hiſt. gall. Tragotrophon, de Frument. autem & Hiſt. Latin. Fegopyron vocat) Ocymum Dioſcoridis herba eſt odorata: Fagotriticum verò planta ſapore & odore fatua. Sic & Varronis, aliorumque rei ruſticæ Latinorum Scriptorum Ocymum, non alicuius herbæ genus, ſed pabuli nomen eſt, ex ſegetibus videlicet, ac leguminibus, veluti Varro lib.2.cap.31.de Ocymo ſcribens, teſtatur. Id genus pabuli ſunt, inquit, ſegetes virides ſectæ antequã ſiliquas ferant. Item & Plinius lib.18.cap.16. Apud antiquos, ait, erat pabuli genus, quod Cato Ocymum vocat. quo ciebant (exemplaria pleraque minùs benè ſiſtebant) aluum bubus, id erat è pabulis, ſegete viridi diſſecta antequam gelaret. Sura Manlius id aliter interpretatur, & tradit Fabæ modios decem, Viciæ duos, tantundem & Eruiliæ in iugero Autumno miſceri & ſeri ſolitos meliùs & Auena Græca, cui non cadit ſemen admixta: hoc vocitatum Ocymum, boumque cauſa ſeri ſolitum, Varro appellatum à celeritate proueniendi ait. Ex quibus ſanè euidentiſſimum eſt, Fegopyron propriè Ocymum non eſſe: ſed frugem nouam, veteribus vel non cognitam, vel non vſitatam, vel neglectam.

*Lob. notatur Lampſana Non Eryſimum Theoph.*

Fruſtra quærit Lob.in Adu. & Obſ. (vbi Lampſanam veram quorundã aſſerit, malè,) An Belgarum Boucwey [Triticum Sarracenicum] ſit Eryſimum Theophraſti, id quod in Ic.Plant. non abſque errore manifeſto inſcriptione ſuâ concludit.

*Error Geſneri & H.Lugd.*

Lobelium ſequitur Geſn.in cat.pl.& H.Lugd. eodem errore Frumentum Sarracenicum Eryſimum Theophr. & Irionem Plinii cum impetitioribus eſſe ſcribentes, Qua de re lib.21.

Tabern.Icon. & Hiſt. Ocymum cereale & Tragopyrum. Formentone Cæſalp. C.Bauh. Phyt. Panicum 6. ſiue Frumentum Sarracenicum, ceu etiam apud Matth. vbi inter Tritici genera reponit & quintum facit.

*Nomina linguarum Triticum faginum*

Græcè φηγόπυρον [Phegopyrum, Fegopyrum, aut Fagopyrum, quam vocem laudat Had.Iun. Latinè Fagotriticum dixeris, ſeu Triticum faginum quòd faginã glandem, & formâ triquetrâ & colore ſordido, licèt quantitate multò minus, quodammodo refert: Et ſanè meliore ratione, quàm ſi Etymon vocis ad hirci pabulum, Tragotrophon, Tragopyrum, & Triticum hircinum retuleris. Alii frumentum Sarracenicũ appellare malunt, Germ.

Heydenkorn/ Bockweitzen / Buchweitzen/vndt Grütz. Belg. Bockweydt Bückentweyden / vnnd Boeck Weete. Gall. *De la Dragee aux Chevaux & Blé*, It. *Fromentone. Saracino.* Angl. Beckwheate Vnndt Bokwheate. Bohem: Poſacku.

*Locus* Naſcitur qualicunque ſolo, neque vllum quantumuis aridum, macrumque reſpuit: gaudet imbribus. citò prouenit, celeriter matureſcit. *Tempus* Bis in anno ſeri poteſt: Nempe Vere Martio aut Aprili: ac Autumno poſt meſſem pabuli cauſâ. Pleriſque Germaniæ locis & Brabanticæ Campaniæ vulgare: Italiæ etiam non incognitum. Fagotriticum ſæpiùs feliciter in horto Ill. E. C. prouenit florens Iunio, Iulio & Auguſto. Copioſè obſeruaui in Ditione Marchionatus Badenſis Rœtelana in agris inter Baſileam & Binzen pagum. Monſpelii & Tiguri florens Septembri.

*Vires* Autore Matthiolo calefacit, & humectat, verùm non multùm à temperatis diſtat. *Inflammatio biliosa.* Farina ex lacte decocta præſtat illita ad bilioſas inflammationes. *Polenta* Rura non ſolùm ex ea panes pinſunt, ſed pultem quoque conficiunt, quam polentam vocant, quæ non ingratus eſt cibus, vbi rectè fiat, & caſeo & butyro aſpergatur. *Ptiſſana.* Ptiſſanam quoque exutis granorum putaminibus, è granis parant & ex carnium iure decoquunt ad eſum. *Vſus Pulmenta. Placenta* Fegopyron, ait Dodon. Tritico, Secali ac Hordeo minùs nutrit, plùs tamen quàm Milium aut Panicum. Pulmentaria ac placentæ quæ ex eius farina conficiuntur, facilè concoquuntur, citò deſcendunt, alimentumque corpori adferunt, exiguum quidem, non tamen malum aut vitioſum. *Panis* Panis qui ex eo aliquando, cogente annonæ penuriâ, coquitur, aut farinam eius admixtam habet, humidus eſt, citiuſque deſcendit, ac flatulenti plùs obtinet, quàm ex Secali toctus. *Pabulum iumentorũ herba viridis.* Herbam viridem priuſquam ſemen maturuerit, boues iumentaque paſcuntur. *Semen pabulum generis gallinacei.* Semine gallinaceum genus paſtum ciſſimè pingueſcit.

## LVNARIA MAGORVM Arabum.

*Deſcip. & Synonyma. Lunaria. Locus.* A foliis ſinuatis [inquit Lobelius Obſeru.] Lunæ creſcenti ſimilibus hæc rara planta Lunariæ nomen adepta, à peritis rei herbariæ, quam non niſi conuallibus Allobrogum inter montem illum præcelſum, vulgò *Mont Senis* vocatum, & D. Io. Maurum vernaculè *S. Iean de Morienne*, collegi, nominéque Lunariæ donaui, *Inſcriptionis ratio.* alii quò diſcernatur ab aliis Lunariis, Lunariam Magorum Arabum dixêre. Exeunt Martio tenella *folia* à radice lignoſa flexuoſa, cinerea, Oxalidis francæ rotundifoliæ primulùm erumpentis ſimilia, Thlaſpi Hederaceo ferè paria: *flores* & *ſemina* necdum nobis viſa.



Icon. Plant. Lunaria Magorum Arabum.

C. Bauhinus Phyt. Lunaria Oxalidis rotundæ folio, quam nondum videre licuit.

FINIS LIBRI VIGESIMI TERTII.

# HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

## LIBER VIGESIMVS QVARTVS:

### LACTVCACEÆ, INTYBACEÆ, CÆTERÆQVE ID GENVS, quarum flos in pappum abit.

*PRoximè dicentur Papposæ, & ipſæ non parua holeracearum ſocietate ſtipatæ. Semen lanuginis eſt quam Pappum vocant. Nomen Græci dedêre, quia naſcentia florum capitula numeroſâ diuiduntur lanugine, ipſis ſeminibus inſidente.*

---

## LACTVCA, THRYLAX VETERIBVS.

### Cap. I.

IN Veterum ſcriptis cùm plurium Lactucarum mentio fiat nec etiam pauciores Neoterici aſſignent, de his in genere quædam præfari Botanicus noſter ordo nos coëgit.

*Etymon. Dioſc. generalis Lactucæ*

Lactuca igitur à lactis copia nomen adepta gratiſſimum olus eſt, teneritudine, ac dulcedine cæteris prælatum: numeroſis conſtat ab radice *foliis*, ac latis, ſe inuicem cõpactili ſerie amplectentibus, idcircò quæ in meditullio clauduntur, albidiora ſunt, ac teneriora: quia ab iniuriis externi aëris & Solis proteguntur: cùm cauleſcit amara redditur, & lacte madet: *caulis* aſſurgit denſis foliis, rectus, & craſſus [aculeis quibuſdam horrens, id quod & foliis, quà terram ſpectant, vſu venit, maximè vbi aliquantulùm conſenuerint, addit Trag.] qui in cacumine funditur in ramos candidos, in quibus pauca ſunt foliola, ſubrotunda, ac viridia: *floſculos* gerit in cacuminibus pallidos, qui in pappos tranſeunt: *ſemina* ſubſunt oblonga, & compreſſa, aliis candida, aliis nigra.

*[...]o ſum[...] Lactu[...] faſtigia [Di]oſcoridi. [La]ctuca [ma]rina ſi[ue] Solda[nel]la*

Lactucam in ſatiuam & ſilueſtrem diſtinguit Dioſcorides. Satiuam quidem, ceu nemini non notam, non delineat, ſed medicum eius vſum duntaxat adſcribit, de quo infrà, vt & Braſſica ſylueſtri. Nominat verò idem & Lactucam marinam, quæ à ſatiua prorſum diſſidet, ac Soldanella hodie à Medicis & Pharmacopœis nuncupatur: de hac egimus libro 15.

*[Gen]era [Theo]phr.*

Theophraſtus lib. 7. ac 4. cap. plura genera eſſe ſcribit. In genere Lactucarum, inquit, candida dulcior, atque tenerior, cuius tria genera reddunt, Laticaule, Rotundicaule, & Laconicum: huic folium Carduo ſimile: & recta, ampla, & caule minimè brachiata eſt: inter latas adeò quædam laticaules fiunt, vt pro valuis hortorum hiſce nonnulli vtantur. Quæ verò lactis admodum copioſa, & folio puſillo, & caule candidiori conſiſtit, ſilueſtri ſimilis eſt.

*Laconica. Laticaulis.*

Plinius Theophraſtum ſequutus inquit: Lactucæ Græci tria genera fecêre: vnum laticaulis, adeò vt hoſtiola olitoria ex his factitari prodiderint: folium his paulò maius herbaceo, & anguſtiſſimum, vt alibi conſumpto alimento: alterum rotundi caulis: tertium ſeſſile, quod Laconicum vocant. Alii, inquit, coloris & temporis ſatus genera diſcreuêre: eſſe enim nigras, quarum ſemen menſe Ianuario ſeratur: albas, quarum Martio: rubentes, quarum Aprili: ac omnium earum plantas poſt binos menſes differri: diligentiores plura genera faciunt, purpureas, criſpas, Cappadocicas, Græcicas: longiora his folia, cauléſque lati: præterea longi & anguſti, Intubis ſimiles: peſſimum autem genus, cum exprobratione amaritudinis appellauêre Picrida: eſt etiamnum alia diſtinctio Atræ, quæ Meconis vocatur, à copia lactis ſoporiferi: quanquam omnes ſomnum parere credantur. Apud Antiquos Italiæ hoc ſolum genus earum fuit, & ideò Lactucæ nomen adeptæ: purpuream maximę radicis Cæcilianam vocant: rotundam verò ac minimæ radicis Aſtylida [Aſtylida Athen. quaſi vrbanam,] quidámque Eunuchion: quoniam hæc maximè refragetur Veneri. Eſt [hæc omiſit Cæſalp.] etiamnum quæ vocatur Caprina (Marina ex Corn. Hiſt. Lugd.) Lactuca. Ecce cùm maxi-

*Genera Plinio. Laticaulis. Rotundi caulis. Seßile ſeu Laconic. Nigra. Alba. Rubentes. Purpurea. Criſpa. Cappadocica, Græca. Picris. Meconis. Cæciliana. Aſtylis. Eunuchion. Caprina.*

mè cæpit irrepere ſatiuis admodum probata quæ Cilicia vocetur, folio Cappadociæ: niſi criſpum, latiuſque eſſet.

Quod de laticaule ſcribitur, aliquando hortorum valuis eius caules vtiles ob amplam latitudinem, non videatur mirum: vidit enim Cæſalpinus inter Anchuſas caulem aliquando in ſpecioſam latitudinem creuiſſe: paucis foliis, vt pote nutrimento in caulem abſumpto: multò autem magis id Lactucæ contingere poteſt: habitior enim multò eſt eius caulis.

*Matth.not.* Satiuam Lactucam in tria diduxit genera Tragus. Eorum primum eſt, Lactuca ſatiua maior: alterum Lactuca criſpa: tertium, quæ & ipſa criſpa dicitur, pulcherrima eſt.

Matthiolus in priorib. comm. plura quidem ac *Excaulis, ſiue ſeſſilis.* diuerſa agnoſcit genera, qualia verò illa ſint non docet, ac ſi non cognita. Meliùs certò in poſt. comm. cum magn. fig. & Hiſt. germ. ac etiam *Cypria. Romana.* Epit. cum addit. Camerarii doctrinæ ſuæ conſulit, dum criſpam conglobatis in orbem foliis, teneramque inueniri ſcribit, ac etiam duram, patulam, lacteſcentemque haberi, eſſe etiam quam à lato caule Laticaulem, & à rotundo Rotundicaulem, & quam Seſſilem (excaulem Ryff. qui triplicem hanc differentiam habet) quod humi procumbat, appellauerint Græci: ſe verò in Capitatam, Rotundam & Criſpam (ita etiam Fuchſ. diſtinxit & Lonicer.) diuidere: differre etiam foliorum colore, nam aliam ſaturatè viridem eſſe, aliam ſubuiridem, aliam ſubcandicantem, aliam cruentis maculis reſperſam, è Cypro allatam: eſſe & quartum quoddam genus, cui in cibo prima laus ſit, Romanum vulgò vocatum.

Dodonæus gallicus Lactucæ ſatiuæ quinque tradit ſpecies, dicitque earum primam abſolutè Lactucam vocari: ſecundam à Plinio Lactucam criſpam appellari: tertiam verò Lactucam Laconicam & ſeſſilem ab eodem Plinio; à *Capitata, ſeu Seſſilis* Columella Beticam, à modernis autem capitatam nominari: Quartam ſpeciem, eſſe Cecilianam Columellæ: quintam tandem eiuſdem Cypriam ſeu Plinii Græcam: & has duas ſpecies modernis eſſe incognitas. Aſt Dodon. Lat. alias differentias habet: ait enim culturæ mangonio non rarò folia Lactucę hortenſis in aliã ſpeciem *Lactuca folio obſcurius virente* transformari: vel enim criſpari & Criſpã à Plinio, Cecilianam à Columella cognominari: aut ita in ſe in orbem contrahi, vt capitatam Braſſicam æmulari videatur, & vulgò Capitatam, *Fuſca.* Seſſilem, Plinio Laconicam, Columellæ Bæticam, Creſcentio Romanam vocari: atque huius quidem media ac interiora folia ex diluto admodum luteo colore inalbicare: præter has verò & aliam quandam Lactucam eſſe folio obſcuriùs virente, aut, vt Columella dicat, viridis coloris: quam Plinius Nigram appellet, Iam & quandam fuſci, ac veluti purpurei, coloris, ſiue ex albido rubicundam, hanc Rubentem, ni fallatur, Plinium nominare: ac addit paulò infrà: Purpurei folii, ſiue ex albido rubentis, Cypriam eſſe Columellæ, Plinii Græcam. *Vides* *Dod. taxat.* *Dodonæi* varium & mutabile caput. Is in Hiſtor. gall. Criſpam Plinii, à Ceciliana diuerſam ſtatuit, nunc in fol. Lat. vnam & eandem pronunciat.

Lob. in Adu. quatuor adſcribit Lactucæ ſatiuæ varietates. Satiuam folio Scariolæ: Seſſilem ſiue Capitatam, rugoſis criſpi Braſſicæ foliis (harum duarum ſolùm meminit in Obſeru.) Romanam dulciorem, nigriore & Scariolæ hortenſis folio, ſemine nigro: & Criſpam, non capitatam.

Has quatuor differentias agnoſcit etiam Schvvenckfeldius: additque quintam Lactucam fuſcam, nigram Cæſalpino cognominatam.

Plures his differentias adfert Tabern. Lactucam abſolutè inſcriptam, capitatam, criſpam primam [hanc nos eandem facimus cum eiuſdem intybacea criſpa,] criſpam ſecundam, Intybaceã Intybaceam criſpam, & marinam, quæ eſt capitata, priuſquam cauleſcat. *Differens. Tabern.*

Hiſt. Lugd. videtur recipere Lactucam ſatiuam, Criſpam, Capitatam, & Romanam. Sed cur illam ſolùm ſatiuam inſcribit: nonne & cæteræ tres ſatiuæ ſunt? *H. Lugd.*

Cæſalpinus has differentias ſtatuit. Semina, inquit, aliis Lactucis candida, aliis nigra: differentia quoque & in foliis: quædam enim latiore folio conſtat: quædam longiore, quædam *Scarola* criſpo: quædam plano: quædam in ambitu ſinuato, ac valdè criſpo, quam priuatim Scarolam vocant: à cuius ſimilitudine Lactucas & Scarolas vocant, Tunicarum plexus intricatos, ceruicem, & carpum ornantes: Alia Capu- *Caputia* tia cognominatur, cuius folia clauduntur ad capitis effigiem: differunt quoque colore, quędam enim alba, quæ frequentior eſt: Alia rubra, ac ſi vinum foliis eſſet aſperſum: Alia nigra: ſemina autem nigra & huic, & rubræ, cæteris autem candida. Harum autem expoſitionem cum Veterum Lactucis partim claram eſſe, partim curioſiorem [laborioſiorem intelligo,] videri ſcribit.

C. Bauh. Phyt. ex Cæſalp. ſua mutuaſſe nobis videtur, cuius verba hæc ſunt. Diuidimus Lactucam ſatiuam in Criſpam, Rotundam, Capitatam, Romanam, Cypriam: folio enim alia eſt latiore, alia longiore, alia criſpo, alia plano, alia ſiuuato, alia colore rubro, alia purpureis maculis aſperſo, alia obſcuriùs virente. Sic & Capitata colore differt: alia enim alba, alia rubra, ac ſi vinum foliis eſſet aſperſum, alia nigra: hiſque duabus poſterioribus ſemina ſunt nigra: aliis verò candida.

Et hæc in genere dixiſſe ſit ſatis: ab vniuerſalibus ad particularia deſcendamus.

Lactucæ ſimpliciter dictæ nomine duplex intelligenda venit. *Satiua* & ſilueſtris. Satiua quędã *Æquiuoca* eſt vulgaris capitata & nõ capitata & alia rubra: *Vulg. cap. & non cap.* alia Romana dulcior: alia longo, & valdè angu- *Rubra* *Rom dulcis* ſto folio: alia criſpa diſſecta. *Sylueſtris* quædam *Sylueſtres plures.* folio lato, ſucco viroſo, quædam folio lato, ſucco viroſo, quædam Endiuia dicta folio laciniato, dorſo ſpinoſo, alia murorum flore luteo: alia purpureo, & his affines, de quibus ordine.

Deſcribitur ab his diuerſa Lactuca ſyluatica purpurea ſylueſtris ſc. ἐρυθροάνθεμος Thalii. Eſt hęc ſiluatica noſtra Lactuca purpurea. Lactuca erratica, ἱεράκιον τὸ μέγα Dioſcoridis eſt, ſi Trago credimus, qui eam ab Apuleio Lactucam ſiluaticam dici ait: Hæc à nobis Hedypnois Fuchſii inſcribitur. Idem Tragus Lactucam minorem ἱεράκιον τὸ μικρὸν Dioſcoridis, ad Lactucam ſilu. pertinere ſcribit: Vocatur hæc à nobis, Hieracium minus Fuchſii præmorſã radice. Per Lactucam Leporinam Apulei intelligimus Sonchum læuẽ & aſperam Fuchſii: In Syr. de Cichorio Lactucæ ſylu. nomine ſumit Ioub. Pharm. Sonchum aſperum. Eſt Lactuca Leporina Apulei Trago Hieracii ſpecies parua. Lactucam ſiluaticam Apulei credimus eſſe Sonchum tertium ſiue repentem.

*Hierac. minus 1. Primula Veris odorata* pentem. Lactuca minor Dod.gall.eſt nobis Hieraciũ minus primum. An Cãpanulę ſpecies, Lactucę ſilu.genus in muris Geſn.de coll.ſtirp. Primulã veris odoratam Italorũ vulgus Lactucã ſilveſtrẽ vocat : l.30. Accedere vult Dod. Olus albũ λευκολάχανον, quod Valerianæ campeſtris ſpeciẽ facit Camerarius, Lactucæ generibus: vocatur à nobis Locuſta herba. Hiſt.n.g.lib.27. *Locuſta herba. Rapunc. Cretica. Galega. Anchuſa.* Lactucam petræam Creticam Belli inſcripſimus Rapunculum Creticum Petromerulam, l.10. Lactuca caprària quorundam eſt Galega de qua lib.17. Lactuca Aſini, Pandectario, Muſcellina herba, procul dubio eſt Anchuſa. H.n.g.l.33. *Lathyris* Lactucæ nomen attribuitur etiã Lathyridi, vt videre eſt ex Trago lib.H.n.g 17. *Tithymalus* Lactucam caprinam Latini, Plinio autore, Tithymalum nominant, H.n.g.lib. 34. *Tithym. myrſinit.* Herbam lactariam fœmiinam Græcos Tithymalum myrſiniten vocare ſcripſit Veſalius, l.34. *Tithym. paralyus.* Lactuca marina Latinorum & præcipuè Corn. Celſi eſt Tithymalus paralyus lib. 34. *Helioſcopius* Lactuca Soliſequia eſt Tithymalus Helioſcopius lib.34. *Muſcus marinus* Bryon Lactucæ foliis, eſt muſcus marinus, dictus Lactuca.

## LACTVCA SATIVA VVLGARIS CAPItata & non capitata.





*Deſcriptio* Lactucas teneras admittunt noſtrarum menſarum principia ſubdulces, *folio* Endiuiæ amplo, rugoſo, lacte prægnãte, per primã adoleſceriam grato, tandem amato & cibis abdicato, quod fit vbi cauleſcit plãta : *Varietas.* cæterùm folia aliàs in caput conglobantur, aliàs patula dehiſcunt : *caulis* in ramos finditur crebrò deinceps diuidendos: quorum extremis *floſculi* hærent lutei, parui, ex ſquammato capitulo proſilientes, quibus in pappos faceſſentibus *ſemen* ſuccreſcit paruum, vtrinque acutum, oblongũ, compreſſum, coloris cinericei.

*Synonyma* Tragus figuram habet eandem cum ea quam hic poſuimus, cui titulum hunc fecit. Lactuca criſpa & lata, krauß vndt breytter Lattich. Eſt autem ipſi ex tribus ſatiuæ Lactucæ generibus primum & maximum, latiſſimis foliis, ex viridi nigricantibus, quemadmodum Beta maior, ac verſus medium coëuntibus, non aliter quàm Braſſicæ capitatæ : ſemine ſubalbido : hanc vocat in margine Lactucam 1. ſiue ſatiuam maiorem. Eſſe etiam in hoc genere ſcribit nonnullam foliis candidis, quæ & ipſa in caput quoddam coëat. Alterum Tragi genus, Lactuca 2.ª ſiue criſpa, folia acquirit ſatis longa, quercinis ſimilia, inciſa, herbacei coloris : ſemine nigricante.

Lactuca ſatiua cuius imaginem dat Fuchſ. folia Intybo ſatiuo haud diſſimilia habet: hanc rotundam vocat, Germ. Breitter lattich. *Lact. rotunda.* Alteram foliis, quæ criſpa admodum ſunt, duntaxat à priore variare tradit, aliàs per omnia ſimilem, Latinè criſpam vocari ait *Criſpa* Germ. Krauſer lattich, *Laictue commune & creſpue*, à Columellà lib.11.cap.3. Ceciliana η & Beticam. Fuchſ. autem duo hæc genera vna icone complexus eſt: & tertiam capitatam non niſi foliis ſuis, ídque dum paululùm creuerunt, à prioribus differre ſcribit, ac Latinè Lactucam capitatam: Germ. Groſſen weiſſen lattich nominat.

Nos figuram ex Fuchſianis quæ placet pro vulgari hic ponimus. talem etiam propoſuerat *Iconi* Tragus : quam proponit pro Capitata, licèt etiã conuenire poſſit pro vulgari, & pro capitata poni vbi cauleſcit, eam autem (capitatam) ponimus poſtea pro Romana, quamuis pro ea non ſit poſita à Fuchſio, qui eaſdem habet figuras ſub iiſdem nominibus.

Dodon.gall. Lactuca prima foliis longis, planis, latis, ſemine albo : Lactuca ſimpliciter dicta. *Lactuca.* Secunda foliis ſimilibus vituli meſenterio, Plinio Lactuca criſpa, Gallicè *Laictue creſpue*, Belg. *Lact. criſpa.* Ghecroncfelde lettewe. Tertia glomeratis foliis, Plinio Lactuca Laconica, Lactuca ſeſſilis Columellæ. Lactuca Bœtica, Neotericis Lactuca capitata: Gal. *Laictue pommee ou teſtue.* Is *Dod. not.* vtramque Fuchſii figuram habet : quam autem pro Criſpa ponit, propriè criſpa non eſt: nec etiam Fuchſ. pro ſola criſpa poſuit. Nos illam figuram, quam ſatiuam inſcripſit, pro Lactuca Romana, non quod de ea Dod. ſcribat, exhibemus. Dodon. Lat. in fol. Hortenſis ſiue ſatiua Lactuca folio oblongo, lato, læui: quæ culturæ mangonio folia ita mutat, vt vel criſpentur, aut ita in ſe contrahantur, & capitatam Braſſicam æmulari videantur: Lactuca ſatiua Galeno θριδακίνη dicitur, à nonnullis μαρούλλιον : à Pythagoricis εὐνουχίον : Belgis Salect. *Thridacinẽ Marulliũ. Eunuchiõ.* Huius generis cùm folia criſpantur, Criſpa Plinio, Ceciliana Columellæ: foliis in vrbem coactis, Plinio Laconica, Colum. Bætica, Petro Creſcentio Romana, Belg. Crop ſalaet.

Prior figura quam ſatiuam inſcripſit non malè conuenit vulgari, cùm cauleſcit, amiſſis prioribus foliis poſſet fortè accommodari & Romanæ noſtræ. *Dod. not.* Quam ponit pro Criſpa non probo: folio enim eſt laciniato deſcriptioni non reſpõdens. Tertia figura eſt Capitatæ priuſquam cauleſcat.

Matthiol. in prioribus comment. has noſtras Lactucas intelligit, cùm è pluribus ac diuerſis *Matth. not.* generibus, quandam conglobatis in orbem foliis, criſpam, tenerámque nominat, & alteram duram, patulã ac lacteſcentem. *Figura autem* quam vbique proponit Matth. pro criſpa, mihi videtur non criſpam demonſtrare, ſed eam quam

rotundam in poſt.vocat, eadem etiam in poſtremis pro Lactuca floreſcente ponitur: ea etiam icon quam olim proſuerat pro florida,quamque in hiſt. German. floreſcentem facit, reſpondet Fuſchſianæ, quæ pro Romana Matthioli [de qua pòſt] poni poteſt.

Lonic. has pingit nomine Lactucæ rotundæ, & Lactucæ ſeſſilis.

Corn.criſpam ac rotundam Lactucam vocat, & alteram Capitatam candidiorem illa.

De præſentibus Lactucæ ſpeciebus loquitur *Ennuchion Aſtylis.* Geſn.de hort. cùm ait, Eſt lactuca criſpa (ni fallor) eadem quæ ſeſſilis & capitata: excaulis, Pytagoricis Eunuchion, mulieribus Aſtylis (ſic enim legendum,) Cilicia aliquibus, & Latifolia criſpa, latiorque Cappadocia, admodum probata. Capitatæ quidẽ genus minus, in hortis noſtris eſt, maius Baſileæ, præſertim apud Cæl.Secundũ.

Lobel.Obſ.& Ic.Plant. Laćtuca ſatiua (vocabulum hoc omiſit in obſ.) folio Scariolæ. Item Adu.& Ic.Plant. (vbi iconem ponit quæ poſſet conuenire Lactucæ Romanæ.) Lactuca criſpa non capitata, quæ eadem cum iam dicta eſſet, niſi illi eſſent folia reductiora, contractiora, & bullatis rugis criſpata: vnde tota tenerior & olere gratior habetur. Semine alioqui & reliquis partibus, à ſuperiore non differt. Et rurſus Adu.Obſ.& Ic.Plant. Lactuca ſatiua ſeſſilis, ſiue [tria vltima vocabula in Obſ.non habet] capitata, rugoſis [deſideratur hæc vox in Obſ.] criſpis Braſſicæ foliis: & hæc ſupplenda ſunt in Icon.Plantini.

Cæſalp. Lactuca folio latiore: quædam longiore: quædam criſpo: quædam plano: alia capucia: quædam alba frequentior.

H.Lugd. tres icones habet: priori titulus Lactuca ſatiua. 2. Lactuca criſpa Matthioli. Prior verò floridæ Matth. altera eſt etiam Matthioli vulgaris nondum florentis. 3. Lactuca criſpa Dod.& Fuchſii, eâ figurà comprehenditur vtraque Matthiolina: éam autem ex Fuchſio propoſuimus.

Tabern. Hiſt. & icon. Lattich, Lactuca, ſiue *Tab. not.* prima Kopfflattich. Lactuca capitata ſiue 2. Lactuca tertia ſiue criſpa 1. à prima tantùm differens foliis criſpioribus. *Figura* quam poſuit Cõpilator mihi non videtur competere deſcriptioni, eſt enim folio laciniato.

C.Bauh.Phyt. Lactuca 1. ſiue ſatiua lactuca floreſcens Matth. icon. Item Lactuca 6. ſiue capitata. Apud Matth. Lactuca criſpa quæ capitata & non capitata: eſt illa criſpa Matthioli &c. Item Lactuca tertia, Lactuca ſatiua Dod. gall. & fol.Lugd.Cord.in Dioſc. Lactuca floreſcens Matth.Lacun. Lactuca ſatiua Lobel. Lactuca Geſner. Cæſalp.Camer.Tabern.

Gerard. Anglo Lactuca 1. ſatiua, Garde lettue. Lactuca 5. capitata Cabbage lettuce.

Schvv. Lactuca lata, Lactuca criſpa, & Lactuca capitata.

**Locus & tempus** Lactuca vulgaris non capitata & capitata paſſim, frequens præſertim Geneuæ, Baſileæ, Lugduni, & Montbel. vbi vna mihi candidiori, alia viridiore colore vulgatior: copioſe coluntur Lactucæ in Horto E.C. vbi interdum hiemem perferunt: Monſpelii Lactuca non capitata abundat, capitata tantæ magnitudinis, vt vna patinam ſatis amplam repleat. Tota hieme ibi in vſu. Porentruti in horto D.Ritneri optimas & magnas conglobatas deguſtauimus Iulii principio, dicebat ſe habere cum pluribus capitibus: anno 1609. habemus cum tribus capitibus, quæ vix differre videntur à cæteris capitatis, capita tamen minora; alteram tamen ſpeciem exiſtimarim, quandoquidem ex particulari ſemine nobis prouenit quod Hortulanus accepit.

## LACTVCA RVBRA.

CÆſalp. eſt Lactuca rubra, ac ſi vinũ foliis eſſet aſperſum: hoc gen⁹ latiſſimis *foliis* cõſtat ac patulis, dulcius cæteris, ſed durius: idcirco recentia tantùm folia ſecant, regerminat enim diutius antequam cauleſcat: *ſemina* ei nigra. **Deſcriptio**

C.Bauh. Phyt. Lactuca 3. ſiue maculoſa; Lactuca 5. Dodonæi, Lactuca rubra Cæſalpini. *In* **Synon.** errore verſatur Dodonæus, ait enim Lactucam foliis rubentibus Neotericis incognitam, quæ *Dod taxat.* Cypria dicatur & Plinio Græca; *Dodon. verò* notam non fuiſſe exiſtimo.

Lactucam habemus rubram in horto Ill.E.C. **Locus & Tempus.** quæ interdum hiemem perfert: aliquando attuli ex Sultz Alſatiæ: prouenit nobis etiam ſemine Italico nobis per Illuſt.C.Wirt.dato cùm ex Italia rediit.

## LACTVCA ROMANA
longa dulcis.



EO enim nomine hortis noſtris innotuit, *folio* dulci, oblongo, modicè laciniato, & infernâ parte ſecundum coſtam ſpinulis armato: *flore* & *caule* Lactucæ noſtræ, ſed *ſemine* ſuccedente nigro. **Deſcriptio** *Figura* quam poſuimus ex Fuchſianis mediocriter exprimere mihi videtur Romanam, ideò etiã parandam non curauimus.

Lobel. & Pena Adu p.86. Lactuca Romana dulcior, nigriore & Scariolæ hortenſis folio, ſemine nigro.

Tabern.Hiſt.& icon. Endiuien lattich, Lactuca Intybacea.

C.Bauh.Phyt. Lactuca 2. ſiue foliis Endiuiæ. Lactuca 2. Tragi, Lactuca Intybacea Tabern. Item Lactuca 4. ſiue folio obſcuriùs virente. **Synon.** Lactuca nigra Cæſalpini. *Lactuca* Tabern. conſideratâ figura mihi videtur eadem cum Romana à me dicta: à quâ mihi videtur Tragi ſecũda diuerſa, quia ait foliis eſſe Quercinis incitis: talia folia *C. B., not* non repræſentat figura Tabern. Cæſalpini nigra non male conuenit cum Romana.

An Tragus hanc ſub nomine maximæ Endiuiæ comprehendit non diſtinguens à Lactuca ſilueſtri lato folio, neſcio, ignoro etiã an culturâ poſſit mutari in Romanam, quæ cum ſilueſtri communes

munes habet ſpinas in dorſo & alia quædam.

Cæſalp. hanc Lactucam nigram vocat, eique folium anguſtius adſcribit ac productius, planũ, colore viridi, qualis in Cichorio: non ſurrigi hanc in caput ait, niſi vinculo alligentur folia: ſic enim candidiſſimam reddi, & fragili teneritudine cæteras vincere: ſemine rubro.

An Dod. Lat. Lactuca quædam folio obſcuriùs virente, aut, vt Columella ait, viridis coloris, quam Plinius nigram appellat.

Geſn. hort. Lactuca Romana Baſileæ in quorundam hortis educari ſolita.

Matthiol. in Dioſcor. cum mag fig Lat. & Ital. Quartum Lactucę genus, cui in cibis prima laus, Romanum vulgò vocatum, foliis maioribus, pinguioribus, viridioribúſque: id in ouatum caput extuberat, vbi in cacumine ligetur, & cæteris tenerius albiúſque euadit, & præſertim ſi terra circumducatur ad acumen vſque.

Gerard. l. 2. c. 34. Lactuca Intybacea, lumbard lettuce.

Lact. Intybacea. Schvvenckfeldii nobis videtur Lactuca Intybacea Endiuien lattich / Roman Salat / à vulgari diſtãs folio nigriore, nec perinde ſcabro, ſemine nigro: tota tenella, guſtu dulcior, eáque gratior, aptior ventri mouendo. Videtur & eiuſdem Lactuca fuſca, Lactuca nigra Cæſalpini. Schwartzer Salade / florentiner Salad. Sed illud miramur, cur dicat minùs palato ſapere, vt Lactucam capitatam ſeu ſeſſilem, quam tamen ait primæ in acetariis commendationis. Non video ego quomodo poſſint ſimul & ſemel in codẽ ſubiecto ſubſiſtere, eſſe primæ commendationis, & minùs ſapere. Quis niſi homo deprauati guſtûs ei, quod palato minùs ſapit, primas tribuit? (Schvvenkf. not.)

Locus. Lactucam Romanam longam dulcem primùm vidi Baſileæ, poſtea Geneuæ obſeruaui copioſam in hortis, vnam candidiorem, alteram nigriorẽ, vtrãq; dulcem cum paruis quibuſdam ſpinis in coſta: vidi etiam in Watt-viller: ſemen ſolet eſſe nigricans: Montbelgardi in Horto E.C. prouenit nobis vtroque colore, nempe foliis ex viridi nigrioribus & ex pallido candidioribus.

## LACTVCA LONGO ET VALDE' ANGVſto folio.



Deſcript. HVic Lactucæ *folia* à radice ſtatim oriuntur multa, palmum aut ſeſquipalmũ lõga, vnciam vnam aut alteram lata, ſuperiora verò vt breuiora, ita anguſtiora, ſpinulis quibuſdã per margines donata, vtraque verò acuminata: *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis ramoſus: *flores* & *ſemen* cum Lactucis vulgaribus eadem, ſed ſemini color fuſcus.

Synonyma. C. Bauh. Phyt. Lactuca 5. ſiue longifolia à fratre Io. Bauhino accepta. Et alia quædam huic valdè ſimilis, quam Caſt. Durantes pingit, ac Lactucam Gallicam nominat, non tamen eandẽ.

Locus & Tempus. Obſeruauimus hanc Lactucam quibuſdam in hortis inter Beffordiam & fodinas argenti in Girardmegni, ac alibi, vt in pago Tremoyn: Plantata Montbelgardi in horto Ill. E.C. ſe propagat ſemine deciduo, quod maturum Auguſto.

## LACTVCA CRISPA LACINIATA.



Synonymã. DOd. Lat. in folio quoad figurã non autem deſcriptionẽ, Lactuca criſpa.

Tab. not. Tab. Hiſt. & Icon. Krauſſer lattich, Lactuca criſpa, prima. Item Krauſſer Endiuien lattich Lactuca Intybacea criſpa. *Duas* figuras habet meo iudicio vnius plantę Compilator: prior figura non reſpondet deſcriptioni: Altera figura deſtituitur deſcriptione.

C.B. not. C. Bauhin. Phyt. Lactuca 8. ſiue criſpa altera, Intybacea criſpa Taber. Item Lactuca 7. ſiue criſpa latioribus foliis varians. Recedit à me Frater. Separat enim ille, quam ego non ſeparo, iungit autem quam ego ſeparo. Ei autem apud Matthiol. Lactuca non capitata dicitur, Lactuca criſpa Tragi, Dod. gall. & Lat. Lugd. Caſt. Tab. Fuchſio, Lob. Icon. Cæſalp.

Proponit hîc Frater iconem Tab. Lactucæ criſpæ 1. ad quam an ſit referenda criſpa Tragi, Dodon. Gal. Lugd. Fuchſii & Cæſalp dubito.

Lob. Icon. Lactuca criſpa non capitata.

Gerard. Lactuca 2. criſpa. Curled lettewre. Lactuca 4. Sabauda criſpa Sauoie lettuwe.

## LACTVCA CRISPA ET TENVITER diſſecta.

Deſcriptio. POtiſſimùm in *foliis* eſt diſcrimen, quæ obſcurè virentia, non vt præcedentium Lactucarum integra, ſed laciniis tenuibus inciſa, iiſque vndulatim intrò foráſque flexis reflexíſque criſpa. *Flores* conueniunt.

Tabern. Hiſt. & Icon. krauſer lattich. Lactuca criſpa ſecunda.

C. Bauhin. Phyt. Lactuca 7. ſiue criſpa. Lactuca criſpa Trago. Lobel. Icon. pag. 242. Latioribus & paulò anguſtioribus foliis variat, quare duas icones proponit Tab. icon pag. 422. & 423. *Nos contra* Fratrem non ſeparamus Tabern. priorem criſpã ab Intybacea, vt antè mõſtratum: Lobelii etiam criſpã potiùs ad præcedentem referimus.

*Scarola.*



An Trago Lactuca criſpa & tertia, Frauß lattich / in deſcriptione tertio loco exhibita?

Cæſalp. Lactuca quædam in ambitu ſinuata ac valdè criſpa, quam priuatim Scarolam vocant: à cuius ſimilitudine Lactucas & Scarolas vocant, tunicarum plexus intricatos ceruicem & carpum ornantes.

Lonicerus huius ſolo nomine meminit, & vocat Frauß lattich.

Gerard. Lactuca 3. criſpa altera, Small curled lettuce.

*Locus & tempus.* Lactuca criſpa Geneuæ prouenit in hortis: Montbelgardi habemus in horto C. Wirtemb. hiemem ferentem. Watvvillâ attulimus ſemina. Baſileæ quoque obſeruauimus.

*Nomina linguarum in genere.* Quæ à Lat. Lactuca vocatur, à Græcis θρίδαξ dicitur, à Recentioribus, vt Simeone Sethi, μαρούλιον vel μαρίλιον, & θριδακίνη, quanquam ſiluestre olus quoddam propriè θριδακίνην appellari Galenus ſcripſerit, Pythagoticis εὐνοῦχον, Enuchum, quòd cocta coitum [illegible]erat, mulieribus verò Aſtylida: Hebræis, teſte Aruch Monſteri, *Chaſaret*, Mauritanis *Cherbas*, ſeu *Chas*: Auic. *Alchace*: German. Salat lattich / & Schmaltz kraut / Belg. lattouwe, Salaet; Gall. *Laictue*; Hiſp. *Lechuga*, *hettuga*, & *abſace*: Ital. *Lattuca* Angl. lettes: Boh. Salat & locyka. Hung. Salata.

*Satio. Locus* Lactuca, vt Creſcentius credidit, ſeri & trāſplantari poteſt ferè toto tempore anni in terra pingui benè ſubacta per ſe vel mixta cum aliis herbis, & quæ ſata fuerit Autumno vtiliter plātatur menſe Decembri circa areas aliarum herbarum quæ tum ſeruntur. Ipſa enim non timet gelu, ſed roboratur ex eo, & erit bona poſt hiemem cum aliis herbis quouſque ſemen producet. *Quæ tranſplantentur.* Sed quę de naturâ paruarum, non tranſplantantur. Quæ verò ſunt ex magnis quæ *Romanæ* dicūtur, quę habent alba ſemina, tranſplātari debēt, vt creſcant & dulcedinem habeāt, multùm iuuātur irrigatione tēpore ſiccitatis. Seritur Lactuca toto anno, *Tempus ſationis.* ſed Martio & Aprili menſibus potiſſimùm, binis menſibus inter ſemen plantamque & maturitatem. Prouenit à ſatu, inquit Theophraſtus, die quarto vel quinto, reciſa regerminat, cuius regerminati caules ſuauiores: nam dulciores, quamdiu teneri ſunt: quidam hos magis lactuoſos eſſe: primos autem magis amaros, & minùs concoctos: radix breuis, maximè vniſtirps; quia caret multiplici radice; ſed tantùm fibris cohæret: tranſlata breuioris eſt radicis, quàm ſata: quia ex lateribus magis mittit: ſemen lanugine continetur. Transferri autem debet, authore Columella, cùm ſex foliorum erit. Locis quidem apricis, & maritimis optimè Autumno ponitur: mediterraneis, & frigidis contrà, hyeme non æquè commodè diſpergitur: ſed & huius quoque radix fimo liniri debet, maioremque copiam deſiderat aquæ, ſicque ſit tenerioris folii. Sunt autem complura Lactucæ genera, quæ ſuo quæque tempore ſeri oportet: *Sationis tēpus particulare.* Ea enim quæ fuſci, & velut purpurei, aut etiam viridis coloris, & criſpi folii, vti Cæciliana menſe Ianuario rectè diſſeritur. At Cappadocia, quæ pallido, & pexo, denſoque folio viret, menſe Februario: quæ deinde candida eſt, & criſpiſſimi folii, vt in prouincia Bætica eſt finibus Gaditani municipii, menſe Martio rectè pangitur. Eſt & Cyprii generis ex albo rubicunda, leui & tenerrimo folio, quæ in Idibus Aprilis commodè diſponitur. Ferè tamen aprico cœli ſtatu, quibus locis aquarum copia eſt, penè toto anno Lactuca ſeri poteſt: quæ quò tardiùs caulem faciat, cùm aliquod incrementum habuerit, exiguam teſtam media parte accipiat, eo enim quaſi onere coëcita in latitudinem ſe diffundit.

*Cultura & mangonium.* Si verò & bona ſpecie habere velis Lactucas duob⁹ diebus antea quàm es ablaturus, comas ipſarum, h. e. ſupernam partem, iuxta Conſtantinum Cæſarem, ligato: ſic enim albæ & ſpecioſæ erunt. *Inalbatio.* Inalbat ipſas etiam arena ſupernè infuſa. Si verò velis Lactucas facere concauas & folioſas, & in caulem non excreſcere, ſed humiles, & ad terram depreſſas eſſe, tranſplantatas rigabis: quum autem altitudinem palmi habuerint, circumfodies ipſas vt appareant radices, & ſtercore bubulo recenti oblitas obrues, & ſtatim rigabis. *Seſſilis. Odor alienus.* Vbi autem increuerint, germen acutiſſimo ferro finde, & teſtam non picatam impone, quò in latitudinem, & non in longitudinem augmentum capiant.

Vt autem Lactuca habeat in ſe Apium, & Erucam, & Ocymum, & alia huius generis ab eadem radice, caprinum aut ouillum ſtercus Didymus accipit, & quantumuis paruum ſit perforat, & induſtriè euacuat, ſeminaque dicta, aut quæcunque velis, in euacuatam partem denſè indit, & in profunditatem non minorem duorum paruorum deponit, ſtercore tenero ac raro præſubſtrat, deinde tenui terra aggeſtâ, & ſenſim aquâ rigat, atque etiam vbi enatum fuerit ſemen irrorat, aſſiduè ſtercus inſpergendo, & poſtquam in caulem excreuerit, multò plus diligentiæ adhibet, naſciturque Lactuca cum iniectis ſimul ſeminibus concreta. Alii duas aut tres caprini aut ouilli ſtercoris pilulas confringunt, & ſemina ipſis admiſcent, eaque ſimul in linteolum mittunt & rigata defodiunt, aliaque item curâ adhibitâ Lactucam multiplicem & variarum ſpecierum habent.

Reddetur Lactuca odorata, ſi Citrii ſemen in eius ſemen imponatur, & ſic ſeratur.

*Vires & Vſus in genere. ex Dioſc.* Lactucæ ſatiuæ, vt ſcribit Dioſcorides, refrigerant, ſtomacho gratæ habentur, ſomnum conciliant, aluum emolliunt; lac euocant (augent Corn.) verùm decoctæ magis alunt. Stomachicis illotas eſſe prodeſt. Epotum ſemen aſſiduas libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, & Veneri refragatur (at ſemen ipſius potum, his qui aſſiduè ſemen per ſomnum effundunt, auxiliatur: & coëundi appetentiam auertit. Corn.) *Dioſc. varia lectio* Ipſa verò frequentiores in cibo claritati oculorum officiunt [ſi aſſiduè edantur viſus hebetudinem inducūt:] Muria condiuntur, cùm in caulem exierunt, vim quandam nanciſcuntur ſucco lactis ſiluestris Lactucæ ſimilem.

Eſt, inquit Plinius, quidem natura omnibus refrige-

refrigeratrix, ideò æſtate gratæ ſtomacho faſtidium auferant, cibíque appetentiam faciant. Diuus certè Auguſtus Lactuca conſeruatus in ægritudine fertur prudentiâ Muſæ Medici. Somnum faciendi, veneremque inhibēdi, æſtum refrigerandi, ſtomachum purgandi (roborandi Dalechamp.) ſanguinem augēdi vim habent, quoniam & inflationes diſcutiunt, ructúſq; leues faciunt, concoctiones adiuuant. Cruditatem ipſæ nequaquam faciunt, nec vlla res maiorem in cibis auiditatem incitat inhibetque eadē: in cauſſa alterutraque modus eſt.

*Ambuſta.* Ambuſtis proſunt recentibus, priuſquam puſtulæ fiant cum ſale illitæ.

*Vlcera.* Vlcera etiam quæ ſerpunt, coërcent initiò cum Aphronitro, mox in vino tritæ.

*Ignis ſacer.* *Luxatio* Igni ſacro illinuntur. Conuulſa & luxata caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida leniunt: eruptiones papularum cum vino & polenta. In cholera quoque coctas patellis dederunt, ad quod vtiliſſimæ quàm maximi caulis, & amaræ. Quidā lacte infundunt. Deferuefacti ii caules, & ſtomacho vtiliſſimi traduntur, ſicut ſomno, & ſatiua maximè Lactuca, & amara lacténſque, quam meconidem vocauimus. Hoc lac & oculorum claritati cum muliebri lacte vtiliſſimum eſſe præcipitur: Semen ſatiuarum contra ſcorpiones dari: Semine trito ex vino poto & libidinum imaginationes in ſomno compeſci. Quidam tamen frequentiores in cibo officere oculorum claritati tradiderunt.

Sed de iis accuratiſſimè *Galenus*. Plærique Medicorum, inquit, hoc olus, vt Ficus Autumnalib. fructibus prætulerunt. Nam inter ipſa aliud melioris ſucci non inuenias. Quod porrò nonnulli vitio verterunt, id ei in præcipuam laudem cedit, dicentes ſcilicet eam ſanguinem & quidem

*Error quorundam.* multum generare. Et ſi ita rē verâ haberet, nō modò nulli olerum, ſed ne optimi quidem ſucci, ac maximi nutrimenti eduliis eſſet ſecundum. Si verò quia permultùm è Lactuca ſanguinis cōgeratur, idcirco damnandam eam cenſeant, facillimè huic malo occurri poteſt: quippe quum veſcentibus, & liberaliùs exerceri, & eâ parciùs vti integrum ſit. Hæc ergo aduerſus eos qui olus hoc non rectè vituperant. Illud porrò ſcire cōuenit, omnibus aliis oleribus pauciſſimum ſanguinem & vitioſum generantibus, ex ſola Lactuca non multum quidem, nec vitioſum, haud tamen omni ex parte laudabilem gigni. Vt plurimùm quidem crudâ ipsâ veſcuntur: æſtate autē cùm iam in ſemen proruptura eſt, in aqua dulci præcoquentes cum oleo, garo, & aceto aſſumūt, aut cum aliquo ex condimentis, obſoniiſue, prȩſertim iis quæ caſeo conſtant. Plȩrique etiam antequam excauleſcat in aqua elixa vtuntur, vt ego iam facio, ex quo dentes mihi deteriores eſſe cœperunt. Nam amicus quidam meus cùm olere hoc à longo tempore, me vt familiari cibo vſum fuiſſe ſciret, viderétque pòſt mandi à me citra magnam moleſtiam non poſſe, cocturæ rationem indicauit. Etenim in iuuentute quoniam os ventriculi bile efferueſcebat, æſtus moderandi gratiâ Lactucâ vtebar. Cùm autem ad prouectam ætatem perueniſſem, olus hoc contrà quàm in iuuentute, ſomnum iam omni ſtudio & induſtria accerſenti auxilio fuit. Quippe qui etiamnū

*[G]aleni lucubrationes* iuuenis lucubrandi gratia vigiliis deditâ operâ me aſſueféceram. Declinante iam ȩtate ipſa ex ſe inſomni, grauiùs hoc incommodo afficiebar. Aduerſus quod vnicum mihi præſentiſſimum remedium Lactuca veſpere commanducata fuit. Frigidum ergo humidúmque ſuccum profert, non tamen vitioſum.

*Succi temperamentū* Itaque, ſicut alia olera, à iuſta concoctione non excidit, neque aluum cohibet, vti neque impellit, Atque hæc illi non immeritò accidunt, quum nec auſtera, nec acerba ſit, quibus facultatibus in vniuerſum aluus ſiſtitur, quemadmodum à ſalſis, acribus, & omninò abſtergendi vim habentibus ad excretionem concitatur, quorum nihil lactucæ ineſt. *Et alio in loco.* Lactuca humidum eſt frigidúmque olus, non tamen extremè, ſiquidem edendo non foret, verùm maximè ſecundum aquæ, vt ſic dicam, fontanæ frigiditatem. Proinde ad calidas

*Phlegmone* phlegmones accommodum eſt, & parua & leuia eryſipelata, non tamen ad maiora. Eſt etiam edulium ſiti aduerſum. At ſemen potu geniture profluuium cohibet, quamobrem iis datur qui libidinis ſomniis vexantur. *Præterea* Galenus alibi ex Archigene recenſens olera, quæ ſtomachicis in cibo conueniunt, in iis habet Lactucas; & μηκωνίδες, quas meconides lactucas conuertit Cornarius. Appellatur meconis quoddam Lactucæ atræ genus, à copia ſucci, & lactis ſoporiferi, ſimilitudine quadam cum Meconio, hoc eſt, papaueris ſucco: μήκων enim Papauer Græcis dicitur.

*Ex Matthiolo* Lactucæ ſuccus, authore Matthiolo, ex roſaceo fronti & temporibus illitus, non ſolùm

*Febris.* febrientibus ſomnum conciliat, verùm etiam capitis dolorem mulcet. Gargarizatur vtiliter ex Punici mali ſucco, ad colu mellæ inflammatiō.

*Columellæ inflammatio* Teſticulis illitus ſeminis profluuium cohibet, præſertim addito caphuræ momento, ſed venerē extinguit. Idem præſtat epotum ſemen ex Papauerini ſeminis cremore hauſtum, atque etiam ardoribus vrinæ opitulatur. Cauendus Lactucarum

*Succus quibus noxius ſit* ſuccus ſuſpirioſis, ſāguinē excreātib⁹, pituitoſíſq;, & iis maximè qui liberis dant operam.

*Lactuca editur poſt & ante cœnam* Huius itaque diuerſas ob cauſas, diuerſo etiā tempore varius fuit vſus. Antiquitus enim quòd ebrietati obluctaretur, eámque prohiberet, in cœnȩ fine ſumebatur: pòſt verò ad conciliandā appetentiam, in cœnæ principio ſumi cœpta eſt, vnde illud Martialis extat.

*Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat auorum*
*Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?*

Hac nunc quoque æſtiuo tempore plurimùm vtimur in acetariis. Herba multùm ſalubris, Vnde Columella in carmine.

*Iámque ſalutari properet Lactuca ſapore,*
*Triſtia quæ releuet longi faſtidia morbi.*

Et Paulus Aegineta l.1. ipſam optimi ſucci ſanguinem facere teſtatur. Lactucæ caulem, ſeu truncum in vſu eſſe ſaccharo conditum integrū prodidit Ioubertus.

*Caulis ſaccharo conditus* *Superſtitio.* Confectura ſæpiùs eſt ſicca, demulcendæ ſiti optima. Si quis (ait Conſtant.) vini-radicem Lactucæ ſatiuæ euulſam ex terra ante Solis exortum, latenter ſub ſtratū ægri ponat, ipſi ſomnum inducit. Ipſa ſimiliter quoque folia quinque numero, aut tria, aut vnum, ſomnū adferent ægroto, clanculùm ſub puluinar poſita, ita vt partes à caule auulſæ ad pedes ægroti ſpectent, ſupernæ verò ad caput ægri vergant.

*Noxas aquarum auertit* Qui ieiuni præſumpſerint Lactucam, aquarum varietatibus in peregrinationibus non conſternabūtur, neque offendentur: neque verò ab ebrietate tentabitur, quiſquis ipſam præſumpſerit. Cȩterùm Lactuca aſſiduè comeſta viſus hebetudinē cohibet, & viſus claritatem inducit, præſertim ſi ſit dulcis: & multȩ quidem in cibum acceptȩ, ventrem ſoluunt, paucȩ verò ſiſtunt, & grauedinem mitigant.

## LACTVCA SYLVESTRIS LATO folio, ſucco viroſo.

Deſcriptio

EX *radice* minimi digiti craſſitudine, candidâ, paucis fibris capillatâ, *caule* tricubitali & altiori adoleſcit, tereti, læui, inani, ramoſo, lac perquam amarum, & tetrum ſaporem ex radicis & caulis vulnere fundens: *folia* infima lata, Intybo ſatiuo proxima, nigricantia, in ambitu leuibus ſpinulis quaſi ſerrata, ſuperiora, Lactucæ ſylueſtris modo, Fuchſio & aliis ſinuata, quà terram ſpectant ſpinulis per coſtæ longitudinem hiſpida: *flores* conferti, Lactucæ colore luteo, calyce ſquammato, ſubrubente: *ſemen* ex papposo tomento pendulum, nigrum. Sculptor picturam noſtram corrupit.



Θριδακίνη [ſilu. Lactuca] folio breuiori (βραχύτερον) quàm ſatiuæ eſt, ait Theophraſtus, idque conſummatum aculeatur, & caule ſimili modo breuiore perficitur, ſuccum acrem ac medicatum habet. Naſcitur in aruis, carpitur ſuccus per meſſes. Aiunt eo purgari hydropem, caliginem ab oculis atteri, & argema tolli cum muliebri lacte.

An Endiuia maxima.

Ἀγρία θρίδαξ Dioſcoridis ſimilis eſt ſatiuæ. ſed ampliorem caulem habet, & foliis candidiorem (λευκότερα, fortè cum Theophraſto legendum (βραχύτερα breuiora vel μελανότερα nigriora) & graciliorem & aſperiorem: eſt verò ſapore amara. De Lactucæ ſpontè naſcentis primo genere Plinii, quam Caprinam vocant, plura dicentur inter vires. Hæc fortè eſt illa maxima Endiuia Tragi, ſiue 1. ſeu maior, foliis Lactucæ quadantenus ſimilibus, linguam referentibus minimè inciſis: ſemine omnis Lactucæ ſemine magis nigricante: &c.

Tragi figura ponitur apud Cordum in hiſtor. lib. 2. c. 134. pro Lactuca agreſti, quamuis Cordus inibi de hac non ſcribat.

Lonicerus eandem figuram habet ex Trago hac inſcriptione Endiuien (Endiuiæ,) de qua ait. Endiuien/aut Antiffien/ & Ganßdiſtel & leber diſtel, vulgò Endiuia, ſpecies Lactucæ, quã quidam volunt eſſe Lactucam ſilueſtrem, Gallis *Laicteron* dictam.

Lob. Adv. Lactuca agreſtis, Scariolæ hortenſis folio, Lactucæ flore, opii odore vehementi, ſoporifero & viroſo: Norbonæ apricis locis: Lactuca altera ſilueſtris Rondeletio: & Lactuca ſilv. vera. Icon. Plant. Lactuca agreſtis.

H. Lugd. Endiuia Tragi: Theſion Dalechampii: Item Lactuca ſilv. vera Dalechampii, cui adſcripſit ſaporem inſigniter amarum.

Lactucæ ſilv. veræ Dalechampii deſcriptioni [inquit C. Bauh.] ſubiungit H. Lugd. alterius Lactucæ ſilv. hiſtoriam ex Pena, ſine icone tamen: quæ tamen Penæ Lactuca ab hac diuerſa non eſt. Eandem & tertiò pingit additâ deſcriptione ſub Theſio Dalechampii.

Camer. hort. Lactuca ſilv. Anglica, grandis admodum & alta, odore prorſus Opii.

C. Bauh. phyt. Lactuca 12. ſiue ſilu. odore viroſo, Theſium Theophraſti creditur.

Locus & tempus.

Lactuca ſilueſtris vera Dalechampii in rupibus lapidoſis ſaxoſiſque locis naſcitur, vbi durum ſolum paucâ terrâ contegitur: nonnunquam ex rupium ipſarum rimis exilit. Vidi Geneuæ, & in Than Alſatiæ, ac habeo Montbelgardi in horto Ill. C.

Vires & Vſus.

Nunc de huius Lactucę facultatibus dicendum. Viribus aliquantulùm Papaueri ſimilis eſt, inquit Dioſcorides, vnde lacteum eius ſuccum aliqui Meconio permiſcuerunt. Aquam per aluum elicit potus in aceto mulſo ſuccus ad duos obolos: argemã, caliginemque repurgat: contra aduſtiones efficaciter illinitur cum lacte mulierum. In ſumma ſomnum allicit, doloris leuamentum præſtat, menſes trahit: contra ſcorpionum, & phalangiorum ictus bibitur: Semen non aliter quàm ſatiuæ libidinum imaginationes in ſomno amolitur, ac venerem arcet. Succus ad eadem valet, ſed viribus infirmior. Reponitur in in fictili nouo lac eius, antea, vt in aliis liquaminibus moris eſt inſolatum.

Succus. Somnum conciliat. Menſes. Semen.

Ex Plinio

De hac Plinius ita tradit. Lactucæ ſpontè naſcentis primum eſt genus eius, quam Caprinam vocant (marinam,) quâ piſces in mare deiectâ protinus necantur qui ſunt in proximo. Huius lac ſpiſſatum mox in aceto pondere obolorum duûm, adiecto aquæ vno cyatho hydropicis datur, quibus verbis exprimere voluit illa Dioſcoridis καθαίρει δὲ μετ' ὀξυκράτου ποθεὶς &c. Aquam per aluum elicit potus in aceto mulſo, &c. *Eiuſdem* ſucci vſum medicum Theophraſtus habet eo loco, quem ſuprà citaui. Ex quo & hæc Plinius deſcripſit, additis quibuſdam aliis. Succus omnibus [ſiluaticis] candidus, viribus quoque Papaueri ſimilis: carpitur per meſſes inciſo caule: conditur in fictili nouo. Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, aduſtioneſque omnes, præcipuè caligines. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras. Idem ſuccus aluum purgat in poſca potus ad duos obolos. Serpentium ictibus medetur in vino potus. Et folia toſta, thyrſique triti ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur, maximè contra ſcorpionũ ictus. Verùm contra phalangia commiſto vino ex aceto. Aliis quoque venenis reſiſtunt, exceptis quæ ſtrangulando necant, aut iis quæ veſicæ nocent: item Pſymmithio excepto. Imponuntur & ventri ex melle & aceto, ad detrahenda vitia alui. Vrinæ difficultates ſuccus emendat. Crateuas eum & hydropicis obolis duobus in aceto & cyatho vini dari iubet.

Hydrops. Plin. not. Collectio ſucci. Oculi.

Vrinæ difficultas. Ex Galeno

Hæc verò Galenus tradit. Iis qui venereis ſomniis vexantur agreſtis Lactucæ ſemen exhibetur, cuius colligitur ſuccus, argema caligineſque expurgans, tum aduſtiones cum lacte muliebri inunctis.

Somnia venerea.

Quæ argema Theophraſtus, Dioſcorides, & Galenus dixerunt, Plinius cicatrices videtur conuertiſſe. Ad Theophraſtum Dioſcorides addidit, ἢ πρὸς ἐπικαύσεις ſuccum illini, Galenus πρὸς ἐπικαύματα, quod idem eſt. Sunt autem ἄργεμα & ἐπικαύσεις,

σεις, ſeu ἐγκαύματα oculorum vlcera. Cæterùm, per aduſtiones hoc in loco qui igne, vel quouis alio modo ambuſta accipiũt, vehementer errant. Auctor εἰσαγωγῆς Galeno inſcriptæ definit ἔγκαυμα eſſe, cùm ſuperior tunicula in ſuperficie inuſta vlceratur, aut etiam paulò altior vlceratio fit, ob magni fluoris influxum. Vnde non malè adeò inuſtio dici poteſt.

## LACTVCA SILVESTRIS SIVE ENDIVIA multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo.



Deſcript.

INcondita habet per caulem *folia*, Sonchi diuiſurâ, laciniata, & ſerrata, ſpinis ſecundum coſtam auerſà parte donata, amaro lacte prægnantia: *caulis* verò bicubitalis & maior, in principio ſpinoſus: qui in ſumo in multos abit ramulos, quos *flores* ornant parui, lutei, lactucacei, in pappos degenerantes. Huius Lactucæ quædam mihi ſpecies obſeruata folio non laciniato etiam per caules.

*[V]arietas*

*[A]n Olus agreſte Galeni Thridacine dictum?*

Olus illud agreſte, quod præter Lactucam ſatiuam (θριδακίνην) apud Pergamenos in Aſia, θριδακίνης nomine in viis ipſis naſci: & locis foſſarum eminentioribus, & prætereà riguis ac pleriſque incultis, inueniri tradit Galenus, ſitne Lactuca hæc ſilueſtris, nec ne, cui integrum erit diligentiùs perquirere, per nos licet. Nobis ſatis ſit ea de Thridacina illa Galeni, hoc loco adſcribere, quæ ab ipſo de ea apud Cord. referuntur. Exiguum autem id olus eſt, inſtar Lactucæ hortenſis nuper enatæ, amaroriſq; quippiam præ ſe fert, & multò magis dum adoleſcit: vbi autem caulem iam produxerit, ſaporem amarum habet, vel manifeſtum. Hactenus Galenus.

*[E]ndiuia [fa]lſo.*
*[...]t. agre. [...] Gal.*

De noſtra planta loquitur Cord. in Hiſt. cap. de Lactuca falsò Endiuia vocata, dicens: Lactucam agreſtem Galeni tempore Græcis Thridacinen appellatam hodiè vbique in Germania à veritate aberrantes Intybum & Endiuiam tã Medici, quàm Pharmacopolæ vocant. Eius caulis folia profert ſtatim à terra ferè in profundos ſinus excauata, quorum anterior pars in mucronem definit. At Bremæ in Saxonia, ea folii portio nõ in turbinem faſtigiatur, ſed in rotunditatem exit. Figura quæ Cordo per Geſnerum ex Trago addita eſt, non conuenit deſcriptioni, ſed potiùs Lactucæ ſilueſtri folio lato, ſucco viroſo.

*[...]ſn. not.*

*[La]ct. ſilu. [...]oſci [C]ondrilla [...]l. [En]diuia*

Tragus lib. 1. cap. 86. figuram non multùm diſſimilem habet à Fuchſii figura, vocátque Lactucam ſilueſtrem, & Lact. ſilu. primam, θριδακίνην ἀγρίαν Dioſcoridis, & Condrillam Galeni. Eadem eidem Trago cap. 89. dicitur vulgaris Endiuia, Dioſcor. Seris & Intybus altera anguſtiori folio, aítque poſſe germanicè vocari zamen Endiuien & Genßzügen / Scariolam autem & Seriolam à Serapione dici c. 143. ac de ea ſcripſiſſe Plinium.

Crediderim ego Appollinaté per Genßzügen & Endiuien intelligere hanc Lactucam ſilueſtrẽ: verùm ille pingit Sonchum nomina quoque fortè confundens in alia impreſſione. *Apollinar.*

Lonic. hanc pingit l. 5. cap. 69. ſub titulo wilder lattich, aítque veteribus Medicis & Apotecariis dici Endiuiam. Eius poſtea ponit deſcriptionem c. 70. quamuis figura non reſpondeat, quæ Sonchi non aſperæ Fuchſii eſt. Hanc appellat Sawdiſtell / aítque eſſe Endiuiam ſilueſtrem. Figura autem quam ponit pro Lactuca ſilueſtri non placet, nec etiam deſcriptio ſatis demõſtrat, quid velit: confundit omnia ſuo more. *Lonic. reprehen.*

Fuchſ. Hiſt. & Icon. Matthiol. in prioribus comm. in Dioſcor. itémque in poſtrem. cum mag. fig. lat. & It. In Hiſt. germ. ac Epit. Camer. Dod. gall. & Lat. in fol. *Lactuca ſilueſtris.* *Lactuca ſilu.*

Corn. in Dioſcor. lib. 2. cap. 121. Lactucæ ſilu. genus, adeò Intubum, aut potiùs Serin Lactucæ ſimilem, referens, vt officinæ ipſam Endiuiam appellarint.

Lob. & Pena in Aduerſ. Seris domeſtica, altera Lactucina Dioſcoridis amara, anguſtifolia, officinis iam olim ſola Endiuia agnita & recepta, perperam Recentioribus Lactuca ſilueſtris putata. De hac inibi ſcribunt. Speciem hanc incultam Seridis ſatiuę, non varietatem facimus. Eſt enim foliis, dum primùm pullulant & emergunt altiùs, Scariolæ hortenſis: poſtea adultiora in effigiem Dentis leonis ſinuantur dentatis oris, & nonnullis quaſi in dorſi ſpina aculeis, vti in noſtra vera ſilueſtri Lactuca: Caulis quaternũ cubitorum, hiſpidus, vnicus, rectus, lacte turgidus, floribus luteis, pallidis Lactucę donatus: amaro guſtu, & pręſertim vetuſtioris, acri radice, puſillâ, fibroſâ, Seridis hortenſis, Syrupo de radicibus miſcenda conſuetudine Practicantium; quos doctiſſimos Barbaros, tam proteruè quàm inſcitè, quidam declamatores putidi rident, & ſpurcis conuitiis lacerant, quòd hanc plantam Endiuiam veram putarint, & etiamnum vſurpẽt non modò ad Syrupos de radicib., de ſucco Endiuię & alios Nicolai, ſed etiã ſtillatitias aquas ex ea cõficiant, quib. ſuas Rhabarbari macerationes parent. Eſſe quippe nimis calidam, amaram, ingratam, quidam illorum reprehenſorum, alii autem eſſe ſilu. Lactucam, nec aliam ſe noſſe dictitant. Sed enim qui inſtitutum perpenderit veteris Barbarorum noſtrorum ſcholę, animaduertet illos magna ratione & experimento neutiquam contemnendo fultos. Quippe non ſolùm hanc Endiuiam, aptiorem eſſe decocto ſucco, & ſtillatitia ad intemperies, obturationes hepatis, & primarum venarum, ſed etiã macerationes Rhabarbari, Myrobalanorum, & ſimilium medicamẽtorum: cùm enim ſit paullò tenuiore & minùs excrementoſo humido, meliùs reſerat & abſtergit: tum etiam intima rerum macerandarũ peruadit, nec calore exuperat, aut amarore nocet, cùm eius amaror non ſit à calido, aut ſaltem non calidus, vt norunt cultioris Philoſophiæ periti, & ſtudioſi cõciliare apud Galenum, & Auerrhoëm, quęſtionem de Opio, Meconio, Papauere, Lactuca, & non parum multis aliis amaris, multùm tamen frigidis. Quin Dioſcoride docente Serides ſilueſtres ſtomacho meliores ſatiuis, quia ipſũ ęſtuantem & tenore reſolutum refocillent: in ci-

*Seris domeſtica.*
*Error Recentiorum.*
*Radix ſyrupo miſcenda*
*Endiuia vera*
*Lactuca ſilu*
*Inſtitutum Veterum approbatur.*

bis voratæ, & foris admotæ:Et notæ huius melius congruunt Endiuiæ ſiue Seridi amaræ anguſtifoliæ, quàm Lactucæ ſilueſtri. *Iidem* poſtea dicunt cap.de Lactuca agreſti. Seridis ſpecies, *Sonchus arborea. Endiuia ſylu.* quam Sonchum arboream, ſilueſtremque quidam putarunt, nihil Lactucæ ſimile habet, præterquam lac & ſemen. Pharmacopœi hanc vbique pro ſilueſtri Endiuia agnoſcunt & vſurpant. *Capite* tandem de Soncho aiunt. Propinqua adeò eſt ſonchi natura Endiuiis, vt multi etiam *Endiuia ſpinoſa.* hodie putent ſpinoſam Endiuiam noſtram eſſe Sonchum aſperam: verùm tres cùm notiſſimas habeamus Sonchos, illam Endiuiam officinarum retinuimus.

Lob.Obſ.Endiuia vulgatior officinarum, Seris domeſtica, altera Lactucina Dioſcoridis amara, anguſtifolia. Icon.Plant. Seris domeſtica, Lactucina Dioſc. Offic.Endiuia.

Thal.Lactuca ſilu.Cordi ac Tragi.

H.Lugd.Lactuca ſilueſtris Matthioli. Hanc *Lactucina Dioſc.* [inquit Hiſt. Ruell.lib.2.cap.69.paſſim ab offic. Endiuiam dici tradit, id quod etiam Fuchſius Matth.& Dod. perhibent: verùm non ſine magno errore Lactucam hanc ſilu. Endiuiam dicit, ac pro ea medicamentis immiſceri. Deſinant quæſo [inquit Fuchſ.] hac pro Endiuia vti Medici, ſi modò rectè conſultum ægris cupiunt.

Cæſalp.Endiuia ſilu. de qua Nicol. Florentinus, qui eam recipit in ſyr.de Cicherio cum Rhabarbaro.

C.Bauhin. Phyt.Lactuca 11 ſiue ſilu.coſtâ ſpinoſâ.

Nomina linguarum. Græcis in genere θρίδαξ ἀγρία, Lat. Lactuca ſilueſtris, Endiuia multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo,& à quibuſdam *Serriola.* Serriola per duplex rr. quòd ſerræ modo acutas ſpinas folii coſta à tergo habeat: à Zoroaſtro vt memini legere apud Dod.gall.Pherumbrum appellatur:German. *Pherumbrū* wilder lattich: Belg.wilde lattouwe: Gall. *Laictue ſauuage*: It.*Lattuca ſaluatica*: Hiſp.*Lechuga ſaluage*.

*Locus & tempus.* Naſci hanc ſecus vias, agrorum & pratorum margines, tum & iuxta ſcrobes, autor eſt Dodonæus; repetiri & in vineis, ac hortis, in quibus olera ſeruntur; facillimè autem, vbi ſemel ſata ſit, ſingulis annis recurrere. Lactucam noſtram hanc Geneuæ vidi virentem hieme ex ſemine deciduo. Monſpelii incipit prouenire menſe Martio ac ibi abundat, ſicuti & Baſileæ: Lugduni verò, vbi ad altitudinem hominis excreſcit, Februario & Martio. Ibidem obſeruaui foliis non laciniatis prioribus longiuſculis.

*Vires & Vſus.* Recentior ætas,vt Dod. perhibet,loco Intybi hac non infœliciter vtitur: Nam ad iocinoris inflammationes & morbum regium confert; calorem ſiquidem contemperat, & meatus expurgando aperit. Semen huius idem, quod Lactucæ ſatiuæ poteſt, & Veneri reſtagatur.

## LACTVCA SILVESTRIS MVRORVM flore luteo.

*Deſcriptio.* AFfatim lac fundit tota planta, quæ ex *radice* digitali, amarâ, *caules* perquàm tenues exigit, cubitales & ſeſquicubitales,læues, ſubrubentes, ſubinde inanes, aut certè medullâ fungoſâ plenos: ad quorum genicula oriuntur *folia* profundè laciniata, extremâ laciniâ triangulâ hederaceum folium referente, colore quà terrâ ſpectant purpuraſcente, interdum floſculi in ramulis exigui, Lactucæ, plures congeſti, colore luteo, quinque foliis conſtant, totidemque concoloria ſtamina in medio exigunt, poſtmodum aliorum more in *pappos* abeunt.

Anguill.Herba Scariolæ ſilueſtris ſpecies, cuius meminit Galen cap.de Lactucis. Geſn.apud Cord.lib.2.cap.61.Lactuca ſiluatica luteis floribus. de hort. *Floſculi* 



Lactuca ſilu. flore luteo: alia in ſiluis humidis creſcēs ad quatuor aut quinque cubitos. Sonchus fortè arboreſcēs Dioſcoridis: *Synon.* ſpecies vna folio oblongo,ſubdulci & grato guſtu,anguloſo,floribus luteis. In append. Sonchi genus læue, Lactuca illa [vt doctiſſ.iuuenis Iohan. Bauh.nos monuit] ſilu.Anguillaræ, cuius meminit Galenus. *Lact.ſilu. Anguillar. Sonchus*

Lob Obſ.& Icon.Plant. Sonchus alter folio profundis laciniis ſinuato,hederaceo.

Tabern. Icon. & Hiſt. Sonchi genus 11. Sonchus ſiluaticus 4.

Cæſalp.Herba quædam in ruderibus naſcens, à Plinio inter Lactucas ſilueſtres Hieracia vocat.

Camer.hort.Sonchus luteus varius.

C.Bauh.Phyt Sonchus 5.ſiue læuis alter, vel Lactuca murorum lutea. Item: Lactuca 10. ſiue Lactucæ ſpecies ſilu.Geſnero.Et Frater has quidem ſeiunxit, ego autem (quia Geſnerus non ſeparat,& quia ignoro quæ ſit) ambas iungo.Eidem apud Matthiol.Sonchus læuis alter,vel Lactuca murorum lutea: Intybus ſilueſtris 3.Trago: Sonchus læuis altera Matt.Caſt.& Lugdunenſis. *Intybus* 3.Tragi,cuius nos deſcriptionem poſuimus ſub Soncho non laciniato, folio eſt prælongo, anguſto, flore luteo & multiplici ac maiori duobus ſuis Intybis ſilueſtribus, ſiue Sonchis. *C.B.not.* Hæc non conueniunt Lactucæ murariæ: proponit Frater iconem ex Tabern. quæ probanda pro Lactuca muraria, ſed quæ nihil mihi videtur habere commune cum Soncho læui alterâ Matthioli: nec cum vlla iconum à Matthiolo propoſitarum pro Soncho.

Lactuca murorum ſilu.prouenit Montbelgardi in muris Caſtelli,& ſiluis vmbroſis,florens Iulio.Baſileæ obſeruaui itinere Dornacum in waſſerfall ad duos tréſue cubitos excreſcentem Auguſto cum ſemine maturo,ceu etiam prope portam lapideam dictam.Frater C.Bauh. qui neſcio quâ occaſione Chondrillam 2.Dioſcoridis nominat, Geneuæ in tectis, & parietibus menſe Decembri virentem conſpexit. *Locus & tempus.*

## LACTVCÆ MVRORVM AFFINIS Sonchus Dendroides Dalechampii.

RAdicem habet craſſam, nigricantem, ex qua radiculæ multæ prodeunt: *caules* bicubitales

les

les, atque interdum altiores, teretes, foliis ſtipatis ſinuoſis, ſeu per oras ex interuallo inſectis, latis, Quercui haud abſimilibus, lacte diſſluentibus. *Rami* in caulibus nulli ſunt, ſed ab imo ſcapo ad ſummum vſque non procul à ſingulorum foliorum exortu, ſinguli naſcuntur petioli, tenues, qui multos *flores* ſuſtinent luteos, quales ſunt aliorum Sonchorum, aut Lactucæ, qui tandem in *pappos* abeunt.

*Sonchus Dendroides Dalechampij Sonch. arboreſcens Dioſc.*

Hic Sonchus Dendroides, i. e. arboreſcens Dalechampii, eſt tertium illud Sonchi genus, inquit H. Lugdunenſis, cuius capite de Soncho tertio loco Dioſcorides meminit. Sed hîc ſcrupulũ ac dubitationem rei herbariæ ſtudioſis præſens deſcriptio Dalechampii iniicit, cùm dixerit, ramis nullis, ſed foliis tãtùm & floribus huius Sõchi caules ornati. Dioſcoridis autem Sonchus tertius, ſiue arboreſcens [δενδρώδης] latis conſtet foliis, quæ quidem caulem in ramos exeuntem diſtinguant, ceu quidem in Dioſcor. latino legatur. Sed hunc ſcrupulum ex Græco codice ita eximendum eſſe iudicat, ὁ δ᾽ ἕτερος σόγχος, ὁ δ᾽ τρυφερὸς, δενδρώδης δὲ, καὶ πλατύφυλλος: τὰ δ᾽ φύλλα διεῖλε τὸν καυλόν. Quæ ſic fideliùs conuertiſſet Ruellius. Alter Sonchus, etiam tener eſt & arboreſcens, & latifolius: ſed caulem folia diſtinguunt.

*Ruell reprehen.*

Sonchus hic Dalechampii habet multa communia cum Lactuca murorum: verumtamen ſi deſcriptio & icõ Dalechampii vera eſt, neceſſariò differũt. Vtinam Dalechampius particularem locum, vbi reperit, annotaſſet: poſſet ibi perquiri. Lactucam ſanè murariam ſæpiùs obſeruaui in ſaxoſis frigidorum montium cliuis, vbi Dalechamp. ſuam Sonchum dendroidem prouenire ſcribit.



C. Bauhin. Phyt. Sonchus 10. ſiue arboreſcens, Dendroides Dal. multùm cum Lactuca murorum conueniens.

## LACTVCA SILVATICA PVRPVREA.

*Deſcriptio*

Lactuca ſiluatica purpurea, *caule* eſt bicubitali & altiore, glabro, tereti, medullâ alba pleno: quem *folia* ex interuallis alternatim veſtiunt, ſinuata, glabra, tenella, ſubtus glauca, ſuprà virentia, nullo aut breuiſſimo pediculo donata, anguſto principio, mucronéque, inferiora quidem, vncias duas circiter lata, palmum longa, ſuperiora vix vnciam ſæpè lata, & quà cauli adhæret interdum latiora quàm inferiora, pinnatáque, ſapore nullo excellente: caulis in *ramos* aliquot diuiditur, atque hi rurſus in alios minores, qui *flores* ſuſtinent Lactucæ pares, è quinque foliolis contextos, ſed colore hilari purpuraſcente; qui in *pappum* faceſſunt, *ſemine* oblongo, gracili: *radix* ſubeſt pollicaris, à qua multæ longiſſimæ dependent fibræ, ſapore grato, dulci, cum leniuſculo amarore præditæ.

*Synonyma. Lact. ſilu. purpureo flore.*

Geſn. apud Cordum lib. 2. hiſt. cap. 61. (vbi pulchra figura) dicitur, Lactuca ſiluatica purpureis floribus. De hort. Lactuca ſilu. in ſiluis naſcens, purpureo flore, Sonchus Dioſcor. fortè. Item: Sonch. arboreſcens Dioſcor. puniceo flore.

*Sonch. purp flore.*

Cluſ. Pannon. & Hiſt. poſt. Sonchus 2. Sonchus læuis purpureo flore.

*Libanotis Theoph ſterilis.*

Tabern. Icon. Libanotis Theophraſt. ſterilis. Sonchus ſiluaticus, waldlattich. Hiſt. wald lattich / an Libanot. Theoph. ſeu Roſmarinum infrugiferum: item Hiſt. ſine icone, Sonchi 10. genus.

Camer. hort. Sonchus cæruleo flore. Trago, Lactuca flore purpureo, lattich mit braũ rot blumblein. Thal. Lact. ſilueſtris ἐρυθρανθεμος.



Caſp. Bauh. Phyt. Lact. 9. ſiue montana purpurocærulea maior. Huius generis, inquit, eſt Sonchus 2. Cluſii, quem cubitalem dicit, noſtra verò Lactuca ad tres & etiam ad quatuor cubitos exſurgit: quare hæc Cluſii Lactuca montana purpuro cærulea minor dici poterit.

*Error Gerardi*

Gerard. Anglo, Eryſimum ſilueſtre. Pro Eryſimo Gerard. habet iconem Tabernamontani, cui titulum fecit Libanotis, de qua antè: ſed malè: nihil habet commune cum Eryſimo.

*Locus & tempus.*

Lactucã ſiluat. flore purpureo obſeruaui Mõtbelgardi in monte *Eſtobon*: aliquoties ſeminaui & plantaui in horto Ill. E. C. Abundat circa Maſmunſter & Rotenburg. Geneuæ mihi viſa in mõtibus *Salene & Thuiri*; & plantata in hortis florens Iulio, ceu & in montib. circa Tigurum. Baſileæ in montibus circa Dornacum, waſſerfall / & Moutets, florens Auguſto & Septembri. D. Doldius miſit Norimberga nomine Lactucæ ſilu. Erythrantemi Thalii. Monte quodam prope Stolbergam (iugum harcynicum quod vocãt, die hartzhöhe) copioſa eſt. Vidit Thal. eandem crebram montes Semanæ ſiluæ in principatu Hennebergenſi habere.

## SONCHVS CÆRVLEVS LATIFOLIVS.

*Deſcriptio*

Aſurgit Sonchus cæruleus latifolius *caule* bicubitali & altiore, craſſiuſculo: *folia* laciniata, in triquetram laciniam Hederacei folii æmulam, in ambitu ſerratam deſinunt: ſummus caulis hirſutus, thyrſum geſtat *florum*, Sonchi ſimilium, ſed cæruleo colore nitentium, in *pappos* celeriter fatiſcentium: hunc dedit frater C. Bauh. ſiccum ex Alſatia delatum. Eundem autem

cum Soncho cœruleo Cluſii ſuſpicamur, cuius hæc eſt deſcriptio.

Cubitali, aut ampliore exiſtit caule, rotundo, ſtriato, lanugine obſito, intus cauo: quem ambiũt multa folia, ampla, aliquot profundis laciniis vtrinque diuiſa, extremo mucronata, latiore pediculo caulem amplectẽtia, in ambitu nonnihil dentata, ſubtus aliquantulùm incana, lacteo ſucco plena: plurimos in ſummo caule flores profert,



purpuraſcentibus & villoſis petiolis inhærentes, vicenis foliis, vt plurimùm conſtantes, elegantiſſimi coloris cærulei, qui per maturitatem in pappum cum ſemine cinereo exiguo euaneſcunt: radix pollicaris eſt craſſitudinis, oblonga, non in profundum acta, ſed obliqua, candicans, dura, veluti internodiis diſtincta, multas circumquaque fibras craſſas agens, & viuax, ſingulis annis nouos ex latere caules profert.

Synon. *Sonatio læuis cærul. flore* — Cluſ. Pannon. & Hiſt. poſt. Sonchus læuis cæruleo flore 1.

C. Bauh. Phyt. Sonchus 8. ſiue alpinus cæruleus.

*Soncho-Cichorium. Icon.* — Camer. hort. Sonch. cæruleo flore: Soncho-Cichorium. Camer. non deſcribit ſuum cæruleum, figura tamen artificioſa eſt, exprimens plantam ſiccam, quàm à Fratre accepi, quæ occa-

*Camer. not.* — ſio, vt potiùs ex Camerario euulgauerimus parandam noſtram iconem, quàm ex Cluſio, cuius vnicum florem exhibemus. Camerarium per alterum cæruleum intelligere putamus Lactucam ſiluaticam purpuream: luteus verò varius quis ſit nobis nobis nondum conſtat.

Tabern. ic. & hiſt. Sonchus læuis 4. flore cæruleo, blawer haſenköl.

Thal. Intybus πλατύφυλλος hercinica, cuius folia referunt imaginem aliquam Sonchi læuis, floribus cæruleis, interdum prorſus candidis: foliis tamen in plures lacinias quàm prior diſciſſis.

Locus. Abundè naſci vidit Cluſ. variis locis vmbroſis, in quibus florebat Iulio & Auguſto, quo menſe etiam ſemel ad maturitatem peruenit. In

Tempus. hortos tranſlatus, maturiùs multò, imò interdũ menſe Iunio denuò floret. Thalius quibuſdã Hercinię locis reperit. In Alſatiæ montibus altiſſ. Iulio & Auguſto florere, ſemenque proferre Caſp. Bauhinus ſcribit.

### *Lactuca foliis Peruuiana.*

Delineatio rudis. Folia huius erant, quaſi Lactucæ primùm enatæ & adhuc tenellæ, ſimilique virore prædita, quæ guſtata inſipida deprehendebantur.

Synonyma. Monardi ex verſ. Cluſ. & H. Lugd. Herba ad renum morbos vtilis. C. Bauh. Phyt. Lactuca 15. ſiue Lactuci folia renalis.

Admodum vtilis eſt ad renum affectus à calida cauſa prouenientes, eius ſucco cum roſaceo vnguento mixto, parti dolenti illito, & ipſius plantæ foliis ſuperimpoſitis: in eryſipelate autem & inflammationibus ſuccus illitus valdè conferre dicitur; nam inflammationem tollit & dolorem mitigat. Ex foliis coniecturam facit Monardes perfrigidam eſſe herbam. Renes. Temper.

### *Lactuca ex Peru.*

Lactuca ſilueſtris vocata apud Monardem, cuius folia Lactucæ foliis erant ſimilia, ex atro virentia, ex Peru mittebatur. Delineatio

Monardi ex verſ. Cluſ. & H. Lugdunenſi dicitur Lactuca ſilueſtris pumila. C. Bauh. Phyt. Lactuca 13. Synon.

Huius foliorum decoctum diutiùs in ore, quâ parte dentes dolent, retentum, dentium dolorem tollit. Idem præſtat foliorum ſuccus dentiũ cauis inſtillatus, herbâ ſuperimpoſitâ. Sapore admodum amaro eſt: calidiorem exiſtimat auctor, quàm in primo gradu. Vires. Temper.

### *Lactuca Hiſpanica nomine miſſa, laciniata.*

Lactuca hæc ex ſemine in capſulam ligneam terrâ oppletam coniecto ſuccreuit anno 1609. Iunio, Iulioque menſibus. *Radix* eius vnica, longa, in imo tenuiſſima, ſenſimque ad ſummum vſque craſſeſcebat, pluribus non procul à ſumma eius parte lateralibus radiculis, capillaceis fibris donatis conſtabat: *caulis* poſt hanc triqueter, digitalis craſſitudinis: *folia* omnium primo ex imo naſcentia, breuiora, laciniis potiſſimùm duabus latioribus conſpicua ſunt, ſecunda longiora, etiam præter alias profundas lacinias duas obtinent, cæteris longiores, alarum ad inſtar altrinſecus expanſas, ſicque ſubinde folia amplexicaulia, ſuccedentia foliis iuxta caulis ductum progerminare ſolent, in ſui medio longo neruo conſtantia, donec in ſummo caule poſt folia maxima ſenſim minora multò viſantur, tenerrima, leuique attactu lacteum ſuccum reddentia: folia cæteroquin omnia ſimul cum caule concolore in luteam palliditatem deuergunt, ſapore donata ſimili, quo Lactucæ capitatæ, nec dulci vt Romana, nec amaricante, vt quædam Lactucæ. Deſcriptio

Eiuſdem Lactucam hactenus non vidimus, prouenit nobis anno 1609. ſata ex ſemine per Fratrem chariſſ. miſſo, titulo, Lactucæ Hiſpanicę veræ. Eadem etiam prouenit in eius horto Baſileæ, vbi à nobis conſpecta hoc anno.

Egregius vir D. Fridericus Meier Argent. in cat. Plant. ſui horti notat Lactucam Hiſpanicam pro planta non vulgari. Locus.

---

## INTYBA, SERIDES, ET CICHORIA ex Veteribus.

### Cap. II.

DE Intybis, Seridibus, & Cichoriis Veterum actum, eorum valdè deprauatam, & præſertim Dioſcoridis confuſam lectionem ita reſtituimus. Σέρις διοσὴ [ἀγρία καὶ ἥμερος, ſic Ald. (ita etiam vult Lacuna:) at in Pariſienſ. iſta deſiderãrantur. Sarrac.] ὧν ἡ μὲν ἀγρία, πικρὶς, ἡ καὶ κιχόριον λεγομένη: &c. Deſcriptio

Hunc autem Dioſcor. locum ſic verto. Seris duplex

duplex, quarum vna quidem ſilueſtris, Picris (ſiue amara) quæ Cichorium nominatur. Alia verò (ſilueſtris ſc.) eſt foliis latioribus, & ſtomacho gratior, quàm hortenſis. Huius verò (hortenſis ſcilicet) duplex genus. Vnum Lactucæ ſimilius, & lata folia habens. Aliud anguſtifoliũ & amarum (vel ſubamarum:) Omnes ſunt adſtringentes, refrigerantes, & ſtomacho commodæ, &c. Poſtea ait. Et maximè ſilueſtres (Picris ſeu Cichorium, & alia latioribus foliis, &c.) ſtomacho commodæ.

*Corn. lectio improbatur* Mirum Cornarium ſic vertere. Seris duplex eſt, Ex quibus ſilueſtris, quæ Picris & Cichorium nominatur, latiora folia habet, & ſtomacho magis commoda eſt quàm hortenſis. Et huius duæ ſpecies ſunt, Altera enim Lactucæ &c. Cornarius tria tantùm Seridis ſtatuit genera ſuâ verſione, vnum ſilueſtre, duo hortenſia.

*Hermol.* Hermolaus quatuor ſtatuere videtur ſuâ verſione, vti etiam Anguill. & nos fecimus noſtrâ. Ait enim Seris ſatiua (ſilu.) quam Picridem aliqui vocauerunt, Aegyptii Agon, Romani Intubum ſilueſtrem. Duûm & ipſa generum traditur: quorum quod ſilueſtre eſt, Picris, eademque Cichorium dicitur. Alterum folio extenſiore, guſtúque gratiore, quàm hortenſis. Iterúmque hoc (ſcilicet hortenſe) in ſpecies binas diſtrahitur, vnam Lactucæ ſimiliorem &c.

*Ruellii verſio.* Ruellius aliter vertit. Seris duûm generum eſt. Altera ſilueſtris, quæ Picris & Cichorium vocatur. Altera ſatiua, latioribus foliis conſtat, ſtomacho quàm hortenſis vtilior. Quæ (hortenſis ſc.) iterum in duas ſpecies digeritur, vna folio latiore, &c.

Hoc loco malè εὐστομωτέρα pro εὐστομαχωτέρα habet Matthiolus ex libro ſimplicibus Oribaſii dicato: in quo etiam errauerunt Sarracenus, & Hermolaus. Veriſimile enim eſt hortenſia ori gratiora eſſe, quia minùs amara ſilueſtribus. Prętereà infrà ait Dioſcor. αἱ ἄγριαι εὐστομαχώτεραι.

Cichorii deſcriptio poteſt deſumi ex deſcriptione Chondrillæ apud Dioſcoridem, de qua pòſt.

*Matth. not.* Serapionis verſio habet affinitatem cum verſione Cornarii: conſtituit enim tres ſpecies tantùm Endiuiæ, vnicam tantùm ſilueſtrem, non tot ſilueſtres, quot domeſticas, vt aſſerit Matthiolus.

*Ex Plinio Cichorium* Intybi hiſtoriam illuſtrare videntur, ea quæ ſcripſit Plinius lib. 20. cap. 7. Cichorium refrigerat, inquit, in cibo ſumptum, quod quidem propter ſingularem ſalubritatem aliqui Chreſton *Chreſton. Pancratiõ. Hedypnois.* appellant, alii Pancration. Et ſilueſtre genus, alii Hedypnoida vocant, latioris folii. Diligentiores plura genera faciunt [Lactucæ:] purpureas, criſpas, Cappadocicas, Græcas. Longioris hoc folii, caulíſq; lati: prętereà lógi & anguſti, Intubi ſimilis. Nec ex eodem genere (Lactucæ) poſſunt dici, neque ex alio Intubi, hiemis impatiétiores, virúſque præferentes, ſed caule non minùs grati. Seruntur verno plantæ eorum, vltimo Vere transferuntur. Eſt & Erraticum Intybũ, quod in Aegypto Cichorium vocant, de quo plura aliàs. Intubi quoque (pergit Plin. lib. 20. cap. 8.) non extra remedia ſunt. Erraticum apud nos quidam Ambugiam [quædam exemplaria & Celſus Ambubeíam, Corn.] appellauêre. In Aegypto Cichorium vocant, quod ſilueſtre ſit. Satiuum autem Serim, quod eſt minus & venoſius. Et ſilueſtre genus, alii Hedypnoida vocant, latioris folii. Seris & ipſa Lactucis ſimillima, duorũ generũ eſt, ſilu. melior. Nigra iſta & æſtiua. Deterior hyberna & candidior: vtraque tamen ſtomacho vtiliſſima. De Cichorio in genere loquitur lib. 21. cap. 17. ita ſcribens. Cichorion & ſimilia circa terram folia habent, germinantibus (germinant, vet.) ab radice poſt Virgilias.

*Serĩs Picris Cichorium.* Seridem ſubamarum eſſe olus, & magis quod ſilueſtre eſt, ac ob hoc ipſum Picrida ab aliquib. appellatum, à quibuſdam verò Cichorium nominarum, teſtatur Galenus. At ambas, Seridem ſatiuam & ſilueſtrem, adſtringente qualitate participare, velut etiam Chondrile, quam & ipſam *Condrile* Seridis ſpeciem eſſe tradit. De viribus plura infrà.

Sed & Seris appellatur etiam à Græcis (Conſtantino, Paulo, & Aetio τρώξιμον. Officinæ autem & barbarum Medicorum genus τρώξιμον vocem in Taraxacon corruperunt. *Taraxacõ.*

1. Seridis, Intubi, Cichorei, Endiuiæ, & Scariotæ nomine exhibentur Cichorium ſilueſtre & ſatiuum. *Aequiuocũ Cichorium.*
2. Intubum ſatiuum latifolium, anguſtifolium, & criſpum. *Intybum*
3. Hedypnois, Cichorii genus ſilueſtre Plinio. *Hedypnois*
4. Condrilla quam aliqui Cichorion, aliqui Serim appellant. *Condrilla*
5. Chondrillæ altera ſpecies à Matthiolo ad Cichorium etiam refertur.
6. Lactuca ſilueſtris, quâ hodie ſub Endiuiæ voce vtuntur, quamuis non ſit vera Endiuia. *Lactuca ſilu.*
7. Intubi nomine, malè in Virgilio quidã auem intelligunt, authore Hermolao. *Auis.*
8. Cichorii nomine veniebant ſolùm ſilueſtria olera, Iulio Polluce authore: quæ & gracilia & tenuia cognominantur in Ouidio. *Olus ſilu.*
9. Cichorium tertium ſiue ſilueſtre floribus exiguis luteis, inquit Dodonæus, non abs re Hyoſiris, aut (vt quędam exemplaria) Hyoſciris eſſe exiſtimatur. *Hyoſiris*
10. Endiuiam ſuam maiorem, ſiue Serim, aut Intubum latifolium habet Tragus, quam nos Lactucam Romanam longam, dulcem noſtram eſſe ſuſpicamur. *An Lactuca Romana dulcis?*
11. Intybum ſilueſtre duplex Tragi, Scariola ſeu Serriola dictum, Sonchus aſpera à nobis inſcribitur. *Sonchus aſpera*
12. Præter iam commemoratas Intybi ſilueſtris ſpecies, aliam quandam ad muros repẽtem commemorat, & hanc Sonchum radice repente nominamus. *Sonch. rad. repente*
13. Cichorea candida & roſea Tragi à Cichorea cærulea (Cichorio ſilueſtri) ab eo primo loco deſcripta, colore tantùm differt. *Cichorea candida & roſea*
14. Cichoream tertiam habet Tragus luteam, quæ eſt Hieracium maius. *Hieraciũ maius*
15. Cichorea quarta eiuſdem quæ ſit nondum mihi appatet. Eius tamen tertiæ varietatem ſolùm eſſe credimus.
16. Cichoream quintam Tragi, nos Chondrillam vimineam fecimus. *Chondrillã viminea.*
17. Pro Endiuia ſeu Lactuca ſilueſtri poteſt vſurpari Lactuca leporina Apulei, inquit Tragus, eámque inter Cichoreas & Intyba refert, deſcriptam cap. de Lagopo tertio loco cap. 88. lib. 1.. *Lactuca leporina*
18. Matthiolus Endiuiam criſpam, vt vocat, diſtinguit ab hortenſi latifolia in ſua hiſt. plant.
19. Intybaceo generi ſunt, teſte Matthiolo, qui adſcribant Cyanum, de quo agimus l. 26. H. n. g. *Cyanus*

## CICHORIVM SILVESTRE ET ſatiuum.

R*Adice* pollicari, lacte pręgnanti; quæ tortuoſos ſuos *caules* profert eodem ſucco tur-



Deſcriptio gidos, hirſutos, varieque in *ramos* diuaricatos: *folia* Dentis leonis, profundè inciſa, aliàs integra, aut quàm leuiſſimè diſſecta, criſpa, piloſa: *flores* ſucceſſiuè emicāt ex foliorum ſupremorū alis & cauliū lateribꝰ, Dētisleonis, ſed colore cæruleo, interdum albo: tota planta amara inſigniter deprehenditur: radix, caules, folia, flores: per culturam maius & mitius euadit; in ſpontaneo interdum caulis monſtroſam acquirit altitudinem.

Eſt, inquit Marc. Virgilius, Cichorion peregrina Græcis vox, quæ omnia Inty- *Cichorion vox generalis.* borum genera ſimul indicat. Etſi ab aliquibus ad amarum Intybum contracta fuerit. Nec quicquam videtur in antiquis ſcriptoribus circa congeneris plantæ huius appellationes certum. Ac certè ex eo facile eſt colligere, nullam in his, nec Græcis, nec Latinis, certam perpetuamque appellationem eſſe: ſed in Græcis Cichorium nunc agreſte, nunc ſatiuum Intybum indicare: Picridem ſemper agreſte: quemadmodum Serim plerumque ſatiuum. In Latinis Intybum modò ſatiuum, modò agreſte: Ambubeiam autem agreſte ſemper. Nec fore antiquos auctores legentibus aliquid vtilius, quàm præcedente rei coniecturâ, contra quàm in cæteris fit, non ex vocibus res, ſed ex rebus voces intellexiſſe. Solus Celſus lib.2. cap.29. de vtroque genere agens, ad certas voces in medecina rem contraxiſſe videtur: ſatiuumque Intybum, ſilueſtre Ambubeiam appellaſſe. Cenſéretque Marcellus, quoniam graui periculo in medicina hæc variantur, ſatiuum in Græcis Serim, in Latinis Intybum. Agreſte in Græcis Picrida aut Cichorium in Latinis Ambubeiam ſemper appellari: vt certa nominum ratio certam legentibus rem indicaret, niſi in medicæ materiæ nomenclatura audacior videri aliquibus timeret.

Luminare maius vocat Endiuiam alteram & Cichoream, & Endiuiam magis amaram Auicen- *Synon.* næ: Intubum quorundam, aliorum Solſequium, Sponſam Solis, Intubum erraticum Plinii, Roſtrum porcinum: videtur etiam nominare Scariolam agreſtem & Bartiſeſcere.

Cronenburg. in ſyr. de ſucco Endiuiæ Serim ſiue Intubum erraticam, vel ſilv. Picridem Ætii, & Cichorion Celſi, Latinorum quorundam Ambubaiam & Ambubeiam, offic. Cichoream nominat, dicitque Tragum lib.1.cap.91. in ſex differentias hanc plantam digeſſiſſe, vbi poſtremam iure ſatiuam aſſerat, ſiquidem in Hollandia & alibi, vt retur, omnes pharmacopolæ in hortis eam diligenter curent, hiemis patientem: foliorum ſtipitibus lanugine molli veſtitis. Sed errat Tragus non loquitur de Cichorea culta, ſed Intubo ſatiuo, à Cichorea culta differente, de qua verba facit Cronemburgius. Tragus loco citato dicit. Erraticum Cichorium cæruleo flore, Cichorea 1. ſiue cærulea [in quo genere, rariſſimè tamen, inueniuntur plantæ, quæ partim *Error Cronenburg.* candidum, partim roſeum gerant florem) eſt herba ſolaris, quæ Varroni Solſequium, Heliotropium, & Ægyptiis Agon dicitur: Cichorea ſatiua & erratica [hinc pingit ſolo Cichoreæ *Cich. cærulea* nomine: pro illa Intybum exhibet ſatiuum,] per- *Cichorea candida & roſeo.* tinent ad caput Dioſcoridis de Seride, poteſtque *Heliotropium.* fieri, vt apud Theoph.lib.7.cap.7. & 11. Intyba & Porcellia vocentur.

Recedit à Trago Cordus in Dioſc. lib.4.cap. *Agon Ægyptiorum.* 19;. ita ſcribens: wegwart herba dicta Germa- *Plin. not.* nis, vulgò creditur eſſe Heliotropium, ſed fal- *Seris not.* sò, cùm ſit Cichorium, i.e. Intybum agreſte: *Porcellia Theoph.* erroris cauſam protulit Plinius, qui cæruleum florem Heliotropio tribuit. Idem lib.2.cap.160. ait. Intybum ſilueſtre, quod Cichorium & Picris ob amaritudinem vocatur, & Amarago à Gaza in Theoph. interpretatur, in pharmacopoliis Cichorea nominatur: flores habet cæruleos, qui ferè ſemper Solem verſus inclinantur, vnde etiam à quibuſdam Solſequium ſiue Heliotropium appellatur, quamuis Heliatropium diuerſa ſit ab Intybo ſiue Cichorio, & ſuis generis, herba. Deſcribit hanc Cord. hiſt. ſua lib.2.c.66. de Cichorio ſiue Agreſti Intybo cui appoſuit figurā Tragi Geſnerus, cui de hort. etiam Intybum agreſte dicitur: In cat. pl. Ambubeia, Intybus agreſtis & erraticus, Seris & Picris.

Subſcribit Cordo Amatus, qui hanc lib.2. enart.126. titulo de Endiuia [plures enim dicto loco ac diuerſos titulos habet,] intelligit, vbi græcè σέεις ἀγρία, κιχώειον, ἢ πικρὶς vocatur; latinè Cichorium, Intubum agreſte, & Ambubeia. Is autem pro Seride ſilueſtri, Intybū ſatiuum exhibet.

Brunfelſ. tom.3. Rhapſod.33. Solſequium Cichorium facit, ac ex Intyborum genere eſſe pronunciat, quàm bene autem Solſequium faciat etiam ex Fuchſio patet. Rudiſſimus, inquit, error quorundam, qui hanc [Intubum ſilu. ſiue Cichorium inſcribit] Heliotropium eſſe contendunt: cùm tamen primùm folia repugnent, quæ non ſunt Ocymo ſimilia, neque candida, ſed nigricantia magis: deinde non (ſemper) candidum, ſed magna ex parte cæruleum florem habet. Radix denique eius, vt Heliotropii, non inutilis, ſed experientiâ teſte, mirè efficax. Quibus omnibus accedit manifeſta cum aliis ſatiuis Intubis ſimilitudo, quæ vna ſatis docet Intubum eſſe ſilueſtre: & non Heliotropium: vt quorundam temeritatem non ſatis mirari queam, qui contra apertam veritatem, & omnium Medicorum conſenſum, ſecus pronunciare audent. Siquidem ſpecies eſt erratici Intybi, à Plin. lib.20. cap.8. memorati, quæ Græcis πικρὶς dicitur ἢ κιχώειον, Lat. Ambubeia, vulgo herb. & offic. Cichorea; ſilueſtris (addit Dod. gall. qui eam hoc titulo pingit: Intubum ſilu. Cichorium, facitque Cichoreā & Seridem tertiā) gall. *Cichorée ſauuage*, Germ. wild wegwart / Belg wilde Cicoreye. Cichorium & Intybum (inquit Dod. lat. in fol.) eiuſdem generis ſunt, Sed Intybum ſatiuum, Cichorium verò ſilveſtre. Et hoc duplex eſt: Vnum latioris folii, Hedypnois Plinii: alterum quod amatius eſt, ac πικρὶς Dioſcoridi dicitur; Lat. Intubum ſilueſtre, Intubum agreſte, Intubum erraticum, & Chicorion; offic. Cichorea, Germ. wegwart [quaſi viarum cuſtos, vel wegweiß [quòd peregrinis quaſi viam indicare videatur, Fuchſ.) hindleüff / & Sonnenwirbel, Cordo:

Belg.

Belg. Cicoreye: Gall. *Cichorée*, It. *Cichorea*, Tornaſole, Lob. Giraſole, Radicula, Radichio, & Radechio, Tabern. Hiſp. *Almerones* & *Cichoria*: Angl. Cycorye: Boh. Sterbak & Czakalka: his addit Nomenclator Pannon. Intybum ſilu. cæruleo flore Hungaricè *Napra nező ſiu* vocari: Polon. Podroſuyk, Tabern. Arab. *Dumbebe*.

Matthiol. in Dioſcor. lib. 2. cap. 125. duas figuras ponit, quarum alteri titulus eſt, Intybus ſilueſtris, ſiue Cichorium: alteri Cichorium ſatiuum. Seris ſatiua, dicit is, in Italia in hortis colitur, folio erraticæ ampliore: in Seridum ſilueſtrium genere ea etiam Seriola dici poſſet, quę paſſim in hortis colitur: Plinio Cichorium ipſũ propriè Ambugia, vel Ambubeia dicitur. Idẽ eodem capite, Chondrillæ titulo Cichorium proponit, vt & in comm. cum mag. fig. lat. & ital. ac præterea aliam iconem Intybi minoris, ac aliam Cichorii domeſtici, & aliam Cichorii ſilueſtris. In Hiſt. germ. ſimiles figuras priorum commentariorum habet: vnam quidem ſub hoc titulo: Garten wegwart / wilder Scariol: Intubus erraticus, ſiue Cichorium hortenſe: Alteram ſub hoc: Feld wegwart: Intubus erraticus, ſiue Cichorium ſilueſtre: dicit etiam vocari Sonnenwirbel / Heliotropium.

*Icon Authorum.* Nos Cichorii iconem vnam proponimus tantùm, & hanc ex Fuchſianis, quæ iam erat parata, videturque ſufficere pro Cichorio ſilu. & ſatiuo. non enim ita mutatur culturâ, quin ſimilitudinem magnam retineat cum ſpontaneo: nobis ideò non multùm atridet icon Matthioli Cichorii ſatiui ſiue domeſtici: *Matth not.* placeret potiùs pro eo planta, quæ proponitur in comm. cum mag. fig. pro Intubo minore. Diſplicet quòd Chondrillã *Error Matth.* ſuam 1. confundat cum Cichorio, quod ſatis patet ex icone, quam poſtea in Hiſt. germ. reiecit non ſubrogatâ meliore.

Corn. in Dioſcor. Silueſtris & erraticus Intubus dicitur. Lonic. wild wegweiß, Cichorium agreſte. Lacunæ, Turn. (cui & Intubum ſilu. 1.) Cord. hiſt. Geſn. cat. pl. Eur. Cordo. (cui & Intybũ ſilu.) Cichorium.

*Seris duplex ſilu. Anguill.* Cichoria noſtra intelligit Anguill. per Dioſcoridis Serides duas primas: vnam, quæ Picris & Cichorium vocatur. Alteram latiorem: ambas ſilueſtres: primam ſpontè naſci tradit, quæ ſi colatur, facere folia latiora, & in Italia dici *li Radichi*. Idem cap. de Chondrilla ait, Taraxacum idem eſſe cum Cichorea: id patere ex Auicenna.

Lob. Adu. Seris ſilu. Picris, Cichorium. Item: Cichorium ſatiuum cæruleum, Picris eadem. Obſ. Seris ſilu. Ambubeia. Item: Seris ſatiua. Icon. Plant. Seris, Picris, ſilu. Cichorium. Item: Cichorium ſat. cæruleum.

Tabern. Icon. & Hiſt. Cichorium. Item: Cichorium ſatiuum. Et: Cichorii ſatiui altera icon. Et tandem: Cichorium album ſatiuum. Cichorium (inquit is in Hiſt.) vocatur in genere à Dioſcoride, Theophraſt. Gal. & aliis, πικρὶς, κιχώριον, κιχώριον ἄγριον, σέρις ἄγρια, Conſt. πράζιμον, Plinio Intubum erraticum, Chreſton, Ambugia, & lib. 2. de remed. Citroximum, Marc. Emp. Intybus ruſticus, Gazâ Amarago & Ampulla: Nic. Myrepſo Heliotropium cęruleum, Celſo Ambubeia, Guil. Placentino Roſtrum porcinum, Petro Creſc. Sponſa Solis, aliis Amica Solis, Solſequiũ cæruleum, Endiuia ſilu. Seris erratica, Serap. lib. de remp. ſimpl. cap. 143. Taraxacon: Auicennâ Taraſcun, aliis Arab. Taraxaten, Taraſequi, Tarſequi, Taraxacoron, Alteraxacon, quę nomina Arabes à verbo græco Troximum mutuarunt: dicitur aliàs etiam à Steph. gloſſographo Haliabbatis, & à Serap. Hundebe, Humdebe & Suaſben, Dundebe & Dumdebe, quæ nomina orta ſunt ex græca appellatione Intybi, quæ quidem tam hortenſe quàm ſilueſtre Cichoriũ denotant. Arabes enim ſilueſtre Cichoriũ Taraxacon & Altaraxacon ſolùm nominant. Cichorium flore eſt cæruleo, qui ſecundum Solem cõuertitur, qui manè oriente Sole ſe paulatim aperit verſus Orientem, circa Meridiem planè apertus, ſurſum Solem reſpicit: poſtea ſe conuertit ad occidentem, & occidente Sole omninò occluditur, & clauſus noctu manet donec oriatur Sol. Et licèt cœlum nubibus ſit obductum, attamẽ poſſunt ex hoc flore diei partes obſeruari. Vt enim nubes Solis curſum impedire nequeunt, ſed lumen ſolùm terræ tollunt: ita priuatio radiorũ Solis quidem impedit quominùs flos recludatur, ſed curſum eius herbæ minimè retardant, quod inter naturæ miracula reponendum, & hinc Solſtitialis herba meritò nuncupatur. Secundum Cichorium eſt flore albo. Tertium eſt pulchro flore, colore rubello, leibfarb, Cichorium purpureum. Quartum eſt Cichorium cultum vulgari ſimile, niſi quòd culturâ maius & cibo commodius, flore cæruleo. Cichorium ſatiuum zam wegwart / Cichorii ſatiui altera icon. Quintum Cichorium album ſatiuum. *Compilator Tabern.* abſque neceſſitate multiplicat figuras, quatuor non erat opus: color enim nullam facit differentiam, quæ figura exprimi queat: Verum quidẽ eſt culturâ nonnihil variari Cich. erraticum.

*Hundebe. Humdebe. Suasben. Dundebe. Dumdebe. Solem ſequitur. Herba ſolſtitialis. Compil. Tab. not.*

Camer. apud Matth. germ. Cichorium ſatiuũ, vel hortenſe. Item: Intubus ſilueſtris.

Hiſt. Lugd. Intubum ſilu. anguſtifolium. Et: Hypochæris Dalechampii. Duæ figuræ apud H. & dua deſcriptiones vnius plantæ. *H-L. not.*

Et hoc à Caſp. Bauh. etiam annotatum. Sed is non animaduertit Hiſtoriam inſuper aliam figuram proponere, cui nomen fecit, Intubum ſilu. latifolium, Cichorium latifol. Matth. Seris ſatiua Lobelii. Huius quidem folia ſunt integra, qualem differentiam in deſcriptione noſtra tradidimus.

Gerardo Anglo Hieracium latifolium quoad figuram, non autem deſcriptionem. Is figuram Cichorei, ſiue Intubi erratici Tabernamontani malè ponit pro Hieracio. *Hieracium latifol Error Gerardi* Item: Cichorium ſatiuum, Garden Succorie. 2. Cich. ſat. latifol. Broade garden Succorie. Item poſtea: Cich. ſilueſtre, wilde Succorie. Gerardus ex Tabern. Cichorii & ſatiui altera icone facit Cich. latifolium, quaſi alia ſit ſpecies: Cichorii ſatiui albi iconem Tabern. ponit pro Cichorio ſilueſtri. *Gerard. not.*

C. Bauhin. Phyt. Cichorium 4. ſiue ſatiuum: Cichorea ſatiua Tragi lib. 1. cap 91. flore albo & cæruleo, quare huius tres icones apud Tabern. Item: Cich. 5. ſiue officinarum: Seris, Picris Dioſc. Cichorea Theophraſt. Intybum erraticum Plinii. Eidem apud Matthiol. Cichorium domeſticum flore cæruleo & albo. Item: Cichoriũ ſilu. offic. ſeu Picris. *Ego cum Fratre* Cichorium ſat. non ſeparo ab erratico, qui culturâ tantùm mutat nonnihil: ſi non colatur, quod fuit ſatiuũ, iterum fit erraticum. Tragi autem Cichoream ſatiuam huc non refero, ſed ad Intubum, ſiue Endiuiam ſatiuam, quod demonſtrat etiam figura. *C.B not.*

*Chreston. Ambugia. Citroximũ. Intyb ruſticus. Ampulla Amica ſolis. Taraxacõ.*

Thal. Intybus ſilu. ſeu Cichorium ſilu. flore cæruleo, duplicis differentiæ. Altera enim conſtat folio prorſus integro: Altera in lacinias diſrupto. Iſtius ſpecies, rariùs tamen, aliquando flo-

re candido ſeſe offert, vt ad Harcyniam circa Wernigerodam.

Schvvenchf. Cichorium ſilu. albo flore, Cichorium album.

*Locus.* Cichorium ſilueſtre, inquit Dodonæus, non modò in hortis ſeritur, ſed & per vniuerſam Germaniam, tum & alibi ſecus vias ac locis incultis exit: ac potiſſimùm folia habens profundioribus inſuris laciniata; quod & reliquis amarius eſt. *tempus.* Iulio & Auguſto menſibus præcipuè cum floribus reperitur: ſemen interea perficitur. Cichorium obſeruaui Monſpelii florens Iunio; Baſileæ, quà itur Moutets Octobri inter portam cineream & lapideam intra & extra vrbem, & ad ripam fluminis Birſech & alibi. Vidi Lugduni & Patauii, quibus in locis copioſus *Vſus radicum* vſus radicum elixarum in acetariis menſe Ianuario & Februario. Tanta eſt Cichorii ſimilitudo cum Dente Leonis Veris principio, vt difficile ſit diſcernere has plantas. Cychorium flore albo cultum Montbelgardi hab[e]o in horto E. C. ex ſemine Stutgardiâ miſſo, ſeipſum ex ſemine deciduo multum propagans, & non cultum ab erratico non differens, licèt in loco culto proueniat.

*Naturæ miraculū.* Flos Solſequii, vt Brunſelſ. annotat, ſeu Cichorii, iniectus formicarum cumulo in rubrum vertitur colorem, idque magno naturæ miraculo.

*Vires & vſus* De omni Seride Dioſcorides hæc prodidit. Refrigerat vtraque & adſtringit, ſtomacho vtiliſſima: aluum ſiſtit cocta, ſi cum aceto aſſumatur. *Syluestres Cardiacū Herba.* Silueſtres ſtomacho meliores: quandoquidem æſtuantem ipſum, & quem imbecillitas vexet, cibo leniunt. Cardiacis per ſe aut cū polenta, vtiliter illinuntur podagris, & oculorum inflammationibus auxilio ſunt: herba cum radice illira, percuſſis à Scorpione ſubuenit, igni ſacro cum polenta medetur. *Succus.* Succus cum ceruſſa & aceto, valet ad illitus eorum, quæ refrigerationem deſiderant.

*Ex Plinio de Seride.* De Seride eadem ferè Plinius. Vtraque ſtomacho vtiliſſima, præcipuè quem humor vexat. Cum aceto in cibo refrigerant, vel illitæ, diſcutiuntque vel alios morbos quàm ſtomachi. Cum polenta ſilueſtrium radices ſtomachi cauſâ ſorbentur, & cardiacis illinuntur ſuper mammam ſiniſtram, ex aceto. Omnes eæ & podagris vtiles; & ſanguinem reiicientibus. Item quibus genitura fluit: alterno dierum potu. At de Intubis & Cichorio. Intubi quoque non extra remedia ſunt. Succus eorum cum roſaceo & aceto capitis dolores lenit. Idem cum vino potus iocinoribus, & veſicæ, & epiphoris imponitur. Et mox: Cichorium refrigerat in cibo ſumptum: & illitum, collectiones, ſuccuſque decocti ventrem ſoluit: iocinori, & renibus, & ſtomacho prodeſt: Et paullò pòſt. Quod quidem propter ſingularem ſalubritatem aliqui Chreſton appellāt, alii Pancration. Et ſilueſtre genus, alii Hedypnoida vocant latioris ſolii. *Chreſton.* Stomachum diſſolutum adſtringit cocta, crudaque ſiſtit aluum. Et dyſentericis prodeſt, magis cum Lente. Rupta & conuulſa vtroque genere iuuantur. Item [illegible]bus genitura valetudinis morbo effluat. Ita [illegible] & nomina & facultatem clarè diſting[illegible].

[illegible]

mo exceſſu. Porrò domeſtica Seris magis etiam, quàm agreſtis refrigerat, ſed & humiditatis multæ admiſtio ſiccitatem extinguit: verùm vtraque adſtringētis qualitatis eſt particeps. Et alio in loco. Cichoria & Seris cibarii generis ſunt: nam apud nos ruſtici hæc edunt & crudi & cocta. Vtitur etiam iis Eraſiſtratus abundè in affectionum circa aluum curatione. Facultas horum olerum ſuffrigida eſt, & ſubamara, ac modicè adſtringens. *Cibus.* Et propter has facultates optima ſunt pharmaca calidis temperaturis hepatis: nam præterquàm quòd moderatè refrigerant, robur etiam viſceri addunt per ad- *Temper.* ſtringentem facultatem. Præterea commiſſuras oſculorum venarum in ſima viſceris parte, ac eas quæ in gibba ſunt, extergens. *Viſcerum obſtructiones.* Neque verò frigidas intemperies magnoperè lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem abſque adſtrictione aut amaritudine habent, facere ſolent. *Aqua deſtillata.*

Cichorii decoquitur herba & radix, apud Traguin, vino aut aquâ, & calidum bibitur id decoctum, aduerſus obſtructiones iecoris, lienis, ſed in principio hydropis, & malo corporis habitu, *Ardens febris.* [Græcis καχεξία dicitur] hoc remedio vti conuenit: ad eadem valet aqua diſtillata, imprimis verò æſtuanti ſtomacho, & ardentibus febribus, *Abſceſſus. Tumores.* imbecillitatique cordis vtilis eſt. Folia Cichorii cærulei abceſſibus, tumoribus & inflāmationibus, nec non pudendorum puſtulis impoſita, dolorem mitigant; ardorem extinguunt, calidæ podagræ commodiſſima. Verùm aduerſus iam commemoratas affectiones aqua deſtillata maioris eſt momenti, ſi ea in linteolis lineis excepta affectis partibus imponatur, maximè verò hoc pacto vſurpata anthraci auxiliatur. Aque è floribus cæruleis deſtillata, inflammationibus & caligini oculorum impoſita, potentem remedium adfert.

*Anthrax.* Coniunctim quoque de omni Seridis ſpecie Matth. agit. Intybus, ait, & Cichorium ſelectiſſimum præbent medicamen immodicè calenti hepati, quocunque tandem modo vſurpata, ſiue foliis recentibus crudiſque aut coctis comeſtis, ſiue ſucco, aqua ſtillatitia, aut decocto hauſto, ſiue, ſiccorum foliorum puluere aſſumpto: modicè enim refrigerant & adſtringunt, robur & tonum iecinoris conſeruant, eiuſque venulas obſtructas expediunt, idque amaroris cauſſa: totâ ſubſtantia hepati familiaria ſunt, non tantùm in calidis eius affectibus, verùm etiam frigidis ex vino albo cum Petroſelino, aliiſque ſimilibus calidis plantis diureticis decocta & pota: ſolia cocta ex aceto comeſta gonorrhæam reprimunt. Decoctum Cichorii Ictericorum fœdos colores delet bibitum: ſemen confractum, & vino hauſtum ante inſultum febrilem, cum mitiorem reddit, & tandem percurat. Ego huius ſolius plantæ ex aqua decoctum egenis ſæpè propinaui in febribus vtiliter: efficacius erit remedium, ſi Cichorii cum floribus ſumas M. j & minutim conciſum ex vini albi generoſi lib. 1. decoquantur ad medias, bibatur colamen manè calidum, quatuor aut quinque horarum ieiunio ſequente: eodem modo diebus aliquot iteretur. Quibus natura calidius hepar, dolores capitis & catharros generat, vinum aquâ ſtillatitia diluunt: radix eiuſdem ſaccharo, condita, hepatis calorem temperat. Aqua Cichorei cum linteis impoſita ſingulare creditur ad [illegible] pestifera remedium. Foliorum eius [illegible] o eo roſato & aceto roſaceo cepha[illegible] appicatus lenit. Scabiem tollunt & cu-

tem

tem emaculant, ex contuſa Cichorii radice offulæ cum aqua roſacea.

*Aqua è floribus.* Cichoreâ appoſitâ ſedat Bayrus dolorem capitis, & æſtuationes à Sole factas. Flores Cichorii ad calculum deſtillari meminit Geſnerus. Ioã. de Monte exper. commendat ad oculorum calorem & ruborem aquam ſtillatitiam: de qua vide plura cap. de Linaria lib. 29. Idem teſtatur radices coctas cum carne & eſas certum remedium eſſe contra omnes fibras. Radix Cichorii ſilu. flore albo, ſi certo tempore effodiatur ab obſtetricibus peritis, creditur partum accelerare ſubſtrata parturientibus, vt ſcribit Schvvenckfeldius. Plura de viribus qui ſcire volet, legat Matthiol. germ. & hiſtoriam Tabernamontani.

## INTYBVM SATIVVM TRIPLEX.

*Intyb. ſativ. latifolium.*



*Intyb. ſativ. anguſtifolium.*



AEſtiua eſt planta, hiemis apud nos haud facilè patiens, *radicibus* fibroſis, lacte prægnantibus: *folia* per terram ſparſa, antequã caulescat, longa, lata, nonnunquam anguſta, Lactucæ foliis ſimilia, in ãbitu ſubinde crenata, ſubamara, quę hortulanorũ mãgonio criſpa aliquando conſpiciũtur, & alba: *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, læuis, ſtriatus, inanis, multis ramis brachiatus, tortuoſus, vulnere lac fundit: *flores* ex foliorũ (quę in caule hederacea ſunt, minora) alis emicant cærulei, Cichoreæ ſilueſtris: *ſemen* quoque cõſimile. Huius ſpecies prouenit nobis Italo ſeſemine, folio laciniato, quod differt à Cichorio culto.

Corn. Dioſc. Intubum ſatiuum lata folia habens, corruptâ voce Endiuia vocatum. Et alterũ anguſtis foliis, Scariola appellatum. Satiuus Intubus, quem priuatim Plinio teſte lib. 20. cap. 8. Serin nominarunt Veteres, in duas à Fuchſio diſtrahitur ſpecies. Quarum vnam latiore folio conſtare ſcribit, ac Lactucæ ſimiliorem facit, Intubúmque ſat. latifol. ſiue Endiuiam in hiſt. & icon. inſcribit, quã air in omnibus pro vera Endiuia deberi vſurpari officinis. Nam quã hodie ſub hac voce vtãtur non eſſe verã Endiuã, ſed Lactucam ſilu., vt ſuo dictum loco. Alteram, quã Intubum ſatiuum anguſtifolium, ſiue Scariolam inſcribit, anguſtiora habere folia, & ſubamaram eſſe tradit, ac diminutiuo à Seris nomine Seriolam dici teſtatur. Nos Fuchſii binas admittimus icones, non enim diuerſam ab Intubo criſpo ſtatuimus, licèt non paruâ, ratione culturæ, in his reperiatur varietas. Suffeciſſet quidẽ vna ex Fuchſianis, ſed quia iam erant ſculptæ, eas Lectorum oculis nobis ſubiicere placuit.

*Intyb. ſatiu. criſpum.*



Exhibet eas quoque & Amatus, ac quidem ſub Seride ſilueſtri, Intubum ſatiuum latifolium proponit: ſub Seride autem ſatiua, eiuſdem Fuchſii Intubum ſatiuum anguſtifolium. Nomina autem quæ Seridi ſuæ ſilueſtri adſcribit, ei non conueniunt, ſed Cichorio, de qua re antè. Amatus autem de ſuis Seridibus à ſe icone exhibitis loquitur, quando ait. Domeſtica verò Endiuia duplex eſt, altera latifolia, hortis familiariſſima, & quæ terrâ obruta, alba reddita, hibernis menſis, oxelæo & ſale, cruda, & cocta anteponitur, quanquã vniuerſa Hiſpania, ſic paratam eam nunquam, quòd ſciam, viderit. quam aliqui Endiuiam, alii verò Cichoriam vocant. Altera verò arctioribus foliis Endiuia, à Seri Seriola, pòſt verò Scariola nuncupata eſt. Cæterùm ab Intybo, ſiue Intyba corruptè Endiuia deducta eſt.

Hæc eſt illa Cichorea ſatiua Tragi, Seris ſatiua anguſtifolia Dioſcoridis, quo nomine & Intybus vocari meruit, poteſtq; fieri vt apud Theophraſt. lib. 7. cap. 7. & 9. Intyba & Porcellia vocetur. Cordi in Dioſcor. Intybum ſatiu. ab Italis Endiuia ſatiua vocatum. Cordi in hiſt. (cui figura Tragi addita) Cichor. ſatiuum ab Italis Endiuia hortenſis, ſeu ſimpliciter Endiuia nuncupata. Matthiol. in Dioſcor. Intybus hortenſis. Et: Intybus hortenſis alter. In comm. cum mag. fig. Lat. & It. Intubus maior, & Intubus minor. *Endiuia maggiore & Endiuia minore.* Intubus criſpa. Et quoque tertium Intybi hortenſis genus, amplo, folioſóque ceſpite proueniens, foliis magnis, ſed vbique in ambitu criſpis ac fimbriatis, caule cæteris maiore, craſſiore, tenerio-

reque, in acetariis expetitum reliqua cum cæteris paria ſunt. In Hiſt.germ. Intubus ſatiuus maior, ſeu Endiuia, Endiuien. 2.Intub.ſatiu.minor Garten Scariel/ vera ſatiua Scariola. 3. Endiuia criſpa, Groſʒe krauſe Endiuien.

Matthiolus ponit[Fuchſium imitatus]duas icones valde ſimiles pro diuerſis plantis, eiuſdem exiſtimarim,nec demonſtrat, qua in re differat Intubus alter à Cichorio ſatiuo:cuius icon etiam ſimilis: in comm. lat.& ital.cum mag.fig.pro Intybo ſiue Endiuia minore ponit diuerſam iconem: folia enim laciniata appingit, ea placet pro Cichorio.

Dod.gall. Intubum ſatiuum latifolium, Cichorea domeſtica 1. Endiuia aliorum,offic. Scariola. Intub.ſat.anguſtifolium, Cich.ſat.& hortenſe offic.Cichorea domeſtica.Lat.in fol.Intub.ſatiuum, σέρις prior, σέρις ἥμερος:ab Auic.ac Serap. Taraxacon:ab Italis Scariola nuncupatur, quam appellationem pleræque O.fic.ſeruant, quæ & Seriolam ipſam quaſi Seridem haud perperam vocitant, ſed minùs rectè Serriolam per duplex rr:nam Serriola Lactuca ſilueſtris eſt. Dodon.non ampliùs meminit Intybi ſatiui anguſtifolii, quod mirum. *Dod. not.*

Geſn.hort. Intybum( Endiuia vulgo) Italicum latifoliũ, quod ad acetaria hiemis terra obruitur: Cichorium ſatiuum.

Lob.in Adu. Seris,ſiue Intybum ſatiuum latifolium,Endiuia,& Scariola officinis.A Cichorio nõ tantùm cultu,ſed etiam genericâ differẽtia diſtat: nullo enim neglectu,tranſmotione,alióue incommodo viſa fuit vnquam in ſilueſtrẽ aut Picrim Cichorium degeneraſſe, aut hæc ad ſpeciem huius Seridis promouiſſe. Et manifeſta radicum differentia,eſt enim Cichorii bene habita,carnoſa admodum, grata: Endiuiæ verò fibroſa, penè nulla, nulliuſque vſus in cibis,alicubi tamen in quibuſdam compoſitionibus. Lob. Obſ.& Icon. Plant. Intybum ſatiuum latifolium, Endiuia & Scariola. Omiſſa hæc poſtrema vox eſt in Ic. Plantin.

*Seris hortenſis.* Anguill.Seris hortenſis 2.Dioſc.Endiuia noſtra [Italica] alba.

*Cichorea ſatiua* Lonic. Scariola ſatiu.latifol. Intub ſat.latifol. Cichorea ſat.latifolia.

*Intybus maior.* *Intybum* *Endiuiol a. Romana.* Tabern. Icon.& Hiſt. Intybus maior, Groſʒ Endiuien. Σέρις, σέρις ἥμερος & κιχόρειον κήπευτον,Plinio & Latinis authoribus Intybum, Intubum, Intybus aut Intubus, Intybum ſatiuum aut domeſticum,Seris ſatiua & Cichorium domeſticum,Herbariis Endiuia, Endiuia maior, End. ſatiua ſiue domeſtica Romana. Serap. & Arab. Dunbebe, Dumbebe Humbebe, Hundebe & Endela, Boh. Serbak / Polon. Volertʒ & Welertʒ/ in Candia Endiui.2.Intybus criſpa,Krauſʒ Endiuien/Endiuia criſpa: Belg. Ghecrolde Endiuie: criſpitudine foliorum à præcedenti tantùm differt. 3. Intybus minor, klein Endiuien: cui nomina græca priori ſimilia, hodie vocant σέριον, Serium & Seriola, Herb.Cichorium ſat.minus,Seris minor, Endiuia minor, intybum anguſtifolium,Endiuiola,practicis Scariola,Neapoli dicitur *Scarola*: Hiſp. *Seraya Enuida*. Primo ſimilis niſi foliis eſſet longioribus & amarioribus. 4.Intybus minor flore albo,Serriola alba,& Scariola alba:à præcedenti ſolo flore albo differt. Monuimus antè plantam ſolo colore differentem non mereri propriam figuram.

Camer.ad Matth.germ.Endiuia,Intybus ſatiuus 2.Endiuia criſpa. Groſʒe krauſe Endiuien. In Epit. Intubus maior. Item:Intubus criſpa: Camer. proponit tantùm duas icones nouas non tres vt faciebat Matth.quaſi vna ſit ſuperflua.

Gerard.Anglo, Intubus ſatiua Garde Endiuie. 2.Endiuia criſpa,Curled Endiue. Item: Intybum ſilu.wilde Endiue. 2. Intybum ſilu. latifol. Medowe Endiue. *Gerardus* omnia confundit. *Gerard reprehens.*

Tabern. ſatiuum facit ſilu. & minus album ſat.ſilu.latifolium: Tabernamontani icones ſunt plantarum ſolo colore differentium.

*H. Lugd. not.* H.Lugd.Intubum ſatiuum latifol. Item: Intub. ſatiuum anguſtifolium Matthioli. Et: Intub.ſat. anguſtifol. Dodonæi [ hæc duo ſunt vnum:] Item: Intubum criſpum.

C.B.Phyt Endiuia 1. ſiue vulg.latifolia: Seris domeſtica latifol.Dioſcoridis: Intubum &Seris hyberna Plinio quę Theoph.ὑπόχοιρις cenſetur:ac cuius etiam meminit Plinius lib.21.cap.15.floribus eſt cæruleis, raro candidis. Endiuia 2. ſiue criſpa. Endiuia 3. ſiue anguſtifolia, floribus cæruleis, aliquando albis, cuius cauſa Tabern.duas habet figuras. *Apud Matth.*1. Intubus maior. 2.Intubus minor. 3.Intub.criſpa.Endiuia ſiue Intybum ſatiuum, ceu antea quoque monuimus, propter ſolum & culturam maius & minus efficitur: criſpa verò tranſplantatione & mangonio hortulanorum.

*Cichoreum Italicum.* C.Schvvenck. Cichoreum Italicum, Cichorea ſatiua.

*Nomina linguarum* Intubum ſatiuum,à nonnullis Endiuia,ab Italis Endiuia & Scariola, quam appellationem pleræque officinæ ſeruant, dictum, à Græcis σέρις,σέρις ἥμερος appellatur; à German. quibuſdam Scariol, vulgò Endiuien; Lonic.breyt oder groſʒ wegweiſʒ oder wegwart; Belg. Endiue/ Endiuie; Gallic. *Endiue ou Scariole*, Hiſpan. *Endiuia*, & vt Dodon. ait, *Serraye*; Angl.Endiue / white Endiu/ vel garde Endiue. Intybum criſpum: Germ. Krant Endiuien, Belg. Ghecrolde Endiuie/ Gall.*Endiues creſpues*; It. *Endiuia creſpa*, Angl.Curled Endiue.

*Locus & Tempus.* Seritur Intybum in hortis, & quod Vere ſatum celeriter adoleſcit,ac ipſa Æſtate florens ſemina profert, ac deinde intercidit. Iulio verò ſatum in Hiemem reſtat, Septembri aut Octobri terrâ obrutum, colligatis priùs foliis, niuis inſtar candidum redditur, ac deinde menſibus hybernis menſis aliorum acetariorum loco infertur. Id quod Plinius [ ait Dod. ) haud ignoraſſe videtur lib.20.cap.8.vbi Seridem duorum generum eſſe tradit: nigram æſtiuam deteriorem; & hibernam candidiorem. Omnes Intybi ſiue Serides in Italia vulgaris ſunt notitiæ.Lætior multò exit,inquit Lobelius, è ſemine Italico,aut cuiuſpiam regionis meridionalis, vnde ſolent ferè quidam Brabanti, Angli, & Germani Olitores: ſimul ac terna, quaternáue foliola eruperunt, in ſolum pinguius lætamine multo trãſmouetur,lateritioque fruſto media onerantur folia, quò latiùs ſe porrigant luxurientque, quâ induſtriâ amarorem exuit, gratiamque init cum hibernis menſis ad acetaria, ſeruatur obruta terrâ, fimeto,ſtraminéque. *Satio.* *Cultura, & mangonium*

Hoc olus vt Hieme tota albis & carnoſis foliis ſuis in acetaria veniat, ſapore gratiſſimo, colere ſit debes,authore Geſnero. Circa finem Iunii ſeres non admodum anguſtè: deinde cùm ad duos palmos,ſeu digitos octo excreuit,tempeſtate ſiccâ, euelles cautè ita vt manu radicem inferiùs, i.e. remotiùs à capite apprehendas,& ſimul corrupta folia ſi quæ ſunt ſeparabis, & rurſus plantabis, ita vt vndiquaque duobus palmis minimùm diſtent: & folia etiam principio ſui nonnihil

nihil in terram mergantur. Poſtea initio Hiemis, antequam nix ingruat, rurſus euulſas plantas in cella vinaria ſeruabis, hoc modo. *Repoſitio* Soli aliquod ſpatium ad duos digitos terrâ recenti operies, huic plantas Intybi impones duabus aut tribus radicibus ſimul iunctis, donec ſpatium iſtud repleueris: tum rurſus eas terrâ operies, & ſic alternis. Aliqui in vili aliquo vaſe ligneo, cum terra vti dictum eſt, alternis inſtrata, ſeruant in hypogeo. Galli & Itali in hortis terrâ obruere & ſeruare ſolent: ſed apud nos in hortis & gelatur facilè, & pluuiis deinde putreſcit.

*Baſileæ* primò vidi in horto præceptoris mei Cælii Secundi Curionis, tandem habui in horto Geneuæ, vbi in tranſplantatum partim ferebat ſolia lata, partim diſſecta, florebátque Iunio & Iulio, non facilè ferebat Hiemem, ideóque arenâ obruebam. Colmariæ in Alſatia vrbis Medicus D. Iacob. Weckerus nō euellebat è terra, ſed inuoluebat ſtramina & circumaggerabat terrâ. Montbelgardi tardiùs ſerunt, tranſplantant, ligant & Hieme in arenam reponunt.

Vires Magis quàm agreſte refrigerat.

## CICHORIVM VERRVCOSVM, SIVE ZAzintha Hieraciis adnumerandum.



Deſcriptio PAullùm admodum humo tollit *caules* graciles dodrantales, aut etiam cubitales, intus fungoſos, ramoſos ad quorum latera ſeſſiles adnaſcuntur rari *floſculi*, alii etiam ramulorum extremis, luteis: quibus in pappos euaneſcentibus, ſuccedūt *pericarpia* pulcherrima verticillatim radiata, Lupini ſeminis magnitudine, in quibus *ſemen* copioſum, Lactucæ par, non ita cùmpreſſum. *Folia* oblonga Dentis Leonis, laciniata, multa per terram ſparguntur, in ramis pauca: *radix* longa, multis fibris donata.

De hoc Cichorio loquitur Matthiol. in poſt. Synonyma *Cichorium* comm. cum mag. fig cùm ait. Eſt & alia Cichoracei generis planta, quam quidam Zacintham vocauere, nobis autem ab effectu Cichorium ver- *Zacintha. Cichor. Verrucariū* rucarium appellare licuit. Radice hæc nititur Rapunculi figurâ, ſubnigricanti colore, adnatis circumquaque capillaceis fibris. Folia habet Cichorei, verùm paulò aſperiora: caules cubitales & quandoque maiores, tenues aſperiuſculóſque, in quorum ſummitatibus flores oriuntur aurei, cichoraceâ ſpecie, quibus flacceſcentibus ſemen remanet ſubnigrum, capituli inſtar, circumquaque ſecundum longitudinem ſecti, Melopeponis modo.

*Verruca Chōdrilla* Lob. in Adu. Verruca Condrilla: de qua ait: Condrillam Cichoriumue illud ſilueſtre, quod Zacyntham, vſque peregrinitatem affectans, vocat Commentator, certum eſt oriri in Italia, ne igitur è Zacyntho inſula græca eam euocet. Cæterùm, dum Lobelius hoc in loco Matthiolū carpit, ipſe ridendus reprehendúſque videtur, vt *Matth. excuſatur* cui non fuerit Zacintha Matthioli nota: perperam enim putat eandem cum Chondrilla priore *Lob. reprehē.* Cluſii, id quod in Obſ. ſcriptum reliquit, dicens. Verrucaria Chondrilla, Chondrilla prior Dioſc. Cluſii, Zacyntha Matth. It. *Cichoria verrucaria*, & *Mazza di caualliero*, & *Mazza ferrata*, Angl. Gummie Succory.

Cluſ. Cichorium verrucatum, Zacintha, de qua ait. Zacyntha Matthioli, ſeu *Mazza di caualliero* Italorum nihil commune habet cum Condrilla noſtra priore, Dioſcoridis legitima (Hedypnoide Monſpeſſulana) vt quidam cenſent, Zacynthæ, ſiue Cichorii verrucarii, iconis, *Cichorium Verrucatū. Non eſt Condrillæ prior Dioſc. Cluſio contra Lobelium* quæ apud Matthiolum ineptè expreſſa eſt, facie decepti &c. Quæ res adeò me cogit, vt Cichorei verrucarii legitimam iconem proponam, omiſsâ Matthioli falsâ. *Matth. icō falſa*

Gamer. hort. Zacintha ſiue Verrucaria Matthioli, Cichorium verrucarium Geſneri:

C. Bauhin. Phyt. Chondrilla 8. ſiue verrucaria.

Cichorium verrucoſum ſatum Montbelgardi anno 1581. prouenit. Hoc acceptum refert Calzolario Matth. qui plantam ad ipſum miſit.

Mira huius plantæ facultas eſt ad tollendas Locus. verrucas. Siquidem ſcimus [inquit ex Calzolario Matthiol.] nos nonnullos, quorum manus verrucis admodum numeroſis ſcatebant, ſanatos eſſe, deuoratis in acetario ſemel tantùm huiuſce Cichoraceæ plantæ foliis. Idem præſtat eius Vires & Vſus *Verruca.* ſemen, tribus diebus drachmæ pondere deuoratum, dum ſe cubitum recipiunt verrucoſi. Parū certum eſt, authore Lobelio, ſemel voratā, quod ait Commentator, & multi de aliis plurimis fabulantur, delêre verrucas: illita verò poſſe certū, & commune illi eſt cum quamplurimis, quarum *Matth. not.* ſucco exuruntur aut exſiccantur verrucarum radices & appendices, tum calidis vt Tithymalo, tū frigidis vt Plantagine, Equiſeto, intermediis vt Heliotropiis, de quo nomen verrucariæ teſtatur idem.

## CICHORIVM SPINOSVM.



CIchorio ſpinoſó *folia* indidem plura, ceu ex eodem puncto, alternatim oriuntur, Cichorii, anguſtiora, ſinuata, virentia: *caulis* glaber in ramulos Deſcriptio diuiditur rigidiuſculos incōditos, multifariam diuaricatos, in duras abeuntes ſpinas, Tragacāthæ aut potiùs Aſpalathi Mōſpelienſis imitatione: *flores* ad ramorum diuaricationes, ipſorúmque adeò ſurculorum cacuminibus impoſiti, cærulei, denticulatis foliis conſtantes, duplò triplóue quàm

Cichorei vulgaris, minores: cui *ſemen* ſimile: habemus Cichorium hoc tanta copiâ caulium pedalium ſe diffundens, vt caput penè ambitu æquet.

Deſcriptio *Belli.* Chicorium ſpinoſum, ait Honor. Bellus, frutex eſt in maritimis proueniens, ſiccisque collibus, & arenoſis locis: folia ferens Cichoracea, profundè diuiſa, craſſiora tamen & minora, magiſque amara, quàm Cichorei vulgaris: caules dodrantales, albos, in orbem diffuſos, crebris albis ſpinis ſcatentes, erinaceum quemadmodum Echinopoda totâ facie repræſentans: flores inter ſpinas Cichorio ſimiles profert, colore cyaneos: quibus ſuccedunt ſemina Cichorei: radice firmatur ſingulari, magnâ vt Cichorium. Recens ſemine natà, antè quam in caulem abeat, in acetariis manditur, ſed durior & amarior eſt Cichorio. Vocatur vulgo σταμναγκάτι, h.e. Hydriæ ſpina, quia vulgariter in tota Creta fictilibus hydriis vtuntur ad hauriendam aquam è fontibus, quas hâc herbâ obturant, ne mures aliùdue animal intus penetrare poſſit, videtur enim ad hoc munus iſta planta à natura formata: nam ſemper rotundâ figurâ cernitur. Hydria vulgò dicitur στάμνη & ἀγκάτι ſpinam ſignificat, nomine ab ἄκανθη corrupto: quibuſdam inſulæ locis dicitur etiam ῥαδικοστοίδα h. e. Radichium ſtiuidam, ob ſimilitudinem, quam cum Cichorio habet, quod in Græcia vulgariter ῥαδίκιο vocatur, & ſtœbe, quæ dicitur στοίβα. Huius vſus in defectu Cichorei.

*Locus* · *Caules.* · *Flores* · *Semina*

*Chondrilla ſpinoſa Cich. ſpinoſum.* C. Bauh. phyt. Cichorium ſpinoſum. Apud Matth. Chondrilla ſpinoſa, Cich. ſpinoſum D. Doldii. Ferd Imper. Cicoria ſpinoſa, Cichoreæ omninò ſimilis, ſi excipias caules ſpinoſos: herba Cretica. Io. Ponæ in Baldo, Cichorium ſpinoſum Creticum Belli.

Locus. Semen in horto Ill. E.C. terræ commiſi quod dederat Frater Neapoli ab Imperato Pharmacopœo miſſum. Gener Io. Henric. Cherlerus attulit Patauio, vbi colebant Cortuſus & Bembus nomine Cichorii ſpinoſi. Verùm ea planta nondum protulerat flores, ſuaque habebat folia. Floret Iulio & Auguſto, folia amara non lacteſcunt, & citò pereunt, etiam reliquis plantæ partibus eleganter virentibus.

## HIERACIVM STELLATVM.



Deſcriptio. AD cubitalem altitudinem aſſurgit, tenuibus coliculis & ramoſis, tantillâ lanugine, ni ſi propter terram, vix hirtis, non ſine foliis multis: *folia* primùm erumpentis Hedypnoidis, & pingui ſolo palmari & pluſquam ſeſquipalmari longitudine, ſextantali & quadrantali latitudine, nonnihil ſinuoſa, hirſuta: *flores* ſimplices, parui, Lampſanæ, lutei: quibus ſuccedunt *ſeminum* ſtellæ radiatæ hirſutæ, quæ poſtmodum falcis in modum incuruantur: tota planta lac manat.

Hieracium hoc ſtellatum mihi mittebatur aliquando per D. Doctorem Schuuarzium Stutgardiâ pro Aſtragalo Plinii. Synon.

A Lobelio in Obſ. inſcribitur Hieracium Narbonenſe ſiliquâ falcatâ. In Icon. Plant. Hierac. Narbon. falcatum. A Tabern. Icon. & Hiſt. Hierac. Monſpeliacum & Narbonenſe, Habichkraut von Mompelier oder Languedock: Hierac. 10. A Gerard. Anglo, Hierac. falcatum Lobelii, Groſs-fod hankeweде. A C. Bauh. phyt. & apud Matth. Hierac. 19. ſiliquâ falcatâ.

An Cæſalp. Ragadiolo ſimilis, cuius ſemina ſtellam repreſentant.

Abundat in loco pingui Monſpelii ac circa Bononiam; Montbelgardi in horto E.C. Iunio, Iulio & Auguſto.

### *Hieraciis affinis Ragadiolus edulis.*

*Foliis* conſtat tenuioris Cicorii, ſine lacte, & ſine amaritudine: *floſculos* fert luteos in alis foliorum, & *ſemina* longa, & adunca: repræſentantia auium pedes: ipſa herba dodrantalis, humi procumbens, ramoſa: floris foliola ex medio ſemine videntur erumpere; cùm tamen ex ſummo oriantur: nam reliqua pars vagina potiùs eſt ſeminis.

Cæſalpino deſcriptionis authori dicitur vulgò Ragadiolus, *Ragaggiolo* in Hetruria, qui aſſumitur in cibis crudus, vt Cichorium.

### *Cichorio ſimilis Spagnin Americanorum.*

In Americæ inſula Madagaſcar, ſiue S. Laurentii, authore Theueto, prouenit cordialis herba, quã Spagnin vocãt, ſimilis Cichorio ſilueſtri noſtrati [Galliæ videlicet,] quam applicant vulneribus, & morſui viperarum, & aliorum animalium, venenatorum educit venenum.

## SONCHVS MINVS LACINIOSA mitior, ſiue minùs Spinoſa, & aſperior ſiue ſpinoſior,

### CAP. III.



Deſcrip. LActe tota planta turget amaro, *caulis* inanis, cubitum altus & maior, hominẽ interdum altitudine excedens, ramoſus: *folia* parum laciniata, tenera Endiuiæ ferè, ſpinulis in ãbitu donata, ſed parũ aut nihil pungentibus, cauli immediatè adnaſcuntur *flores* lutei, Hieracii, ſed calyce

calyce glabro,qui celeriter in pappos abeunt,*radix* longiuſcula, multis fibris donata : Huius ſimilis parum aut minimùm laciniata acutis &, rigidulis horrens ſpinulis.

Theophraſtus Sonchum in genere nominat, cúmque inter ſpinoſa foliata numerat, in cuius caule cum ramulorum prouentu vna floſculus quoque quidam emergit : peculiaris inter Acanacea : qui conceptus non ſpinoſus.

*..ra Dioſcoridis* Dioſcorides poſtquam duo Sonchi genera facit, deſcribítque: in fine capitis tertium addit. Vnum, inquit, ſilueſtrius, magis aculeatum : alterum mollius, (τρυφερώτερον,delicatius,)eſculetum: caulis angulo ſus,cauus (κενὸς,quæ dictio quidem in vulg.codicibus non legitur,ſed eam habent vetuſti codices & Orib.Ergo non erit,vt aliqui putant,ex Plinio duntaxat repoſita,Matthiol.) aliquando ſubrubens: folia habet per interualla in ambitu diuiſa: eorum facultas refrigerandi, modicè ſub aſtringens:vnde conferunt ſtomacho æſtuanti , & inflammationibus, & quæ ſequuntur: in fine autem addit: Alter Sonchus,qui,& mollis,arborea ſpecie conſtat ,& lato folio: folia autem caulem cingunt : & hic quoque eadem præſtat.

*Dioſc. reſtituitur.*

*Error quorundam*

Sed & Plinius duo genera facit album & nigrum, Lactucæ ſimilia ambo,niſi ſpinoſa eſſent, caule bicubitali anguloſo,intus cauo,ſed qui fractus copioſo lacte manat.

Galenus ait Sonchum poſtquam perfectè abſolutus fit , ex ſpinoſis plantis eſſe.

*Sonchi duo herbariorum.* Sonchi genera duo agnoſcit Herbariorum pars maior,id quod ex iam dicẽdis clarè demonſtramus.

Quia autem Cornar,duo tantùm Sonchi genera ex Dioſcor.agnoſcit,textum Dioſcoridis ita legit. Sonchi duo genera ſunt. Alterum agreſtius & ſpinoſius : alterum delicatius & quod editur, & quæ ſequuntur. At Sonchus delicatus ille ar borem refert, quæ lata folia habet : Priorem noſtri Genßdiſtel (Carduum Anſerinum dixeris,) vocant : poſteriorem haſenkôl, id eſt, olus Leporinum. Quidam Palatium leporis,quòd ſub eo lepus in æſtu latebras quærat. Sed quàm benè ita legat, videant doctiores.Ego præterea palatum Leporis exiſtimo dicendum non palatium, quia leporibus gratus cibus. Corn. etiam ſuo more Sonchum diſtinguit.

*Tertium Sonchum ..gat ..orn. ..arduus ..nſerinus ..lus leporinum ..alatium ..poris ..orn.refu- ..tur ..alatus ..poris*

Cord.hiſtor. Sonchus aſper maior & Sonchus aſper minor, caule pedali, foliis per ambitum maioris modo ſpinulis horrido. ſapore amaro.

*Trag. ..ntur* Miror autem Tragum diligentem ſtirpiũ Germanicarum indagatorem ita negligenter deſcripſiſſe Sonchũ vt difficilè ſit intelligere quid velit. Quæ dicit de radice ſerpente non cõueniũt Sonchis aſperis dictis multis, quia eis non repunt : ſed illi qui multis dicitur Hieracium: cui Soncho multa etiam conueniunt quæ in poſtrema deſcriptione ponit. Sunt(inquit Fuchſ.)qui Lactucellam & Lacteronem appellent,à copioſo lacte, quo caulis eius diſſectus diffluit.

*Fuchſ. & ..mat. not.* Fuchſius ( quem ſequitur Amatus , cuius figuram etiam exhibet) ſuo more non deſcribit particulatim, nec diſtinguit Sonchi alterum genus ſilueſtrius,aculeatius & nigrius, quod Sonchum aſperam in Hiſt.& Iconibus inſcribit , à Soncho non aſpera: Icon quam proponit eſt Sonchi folio minùs lacinioſo, quam etiam nos ex eo proponimus.

*Dod. not.* Dodon.gall. Sonchus ſilueſtrior, aſpera. Sonchi ſpecies 1. *Laiteron.* Lat.in fol. Sonchus aſper: ſpinoſior alter aſperior ac ſilueſtrior cognominatus. Item Sonchus 3. aſperior marinus. Figura Dodonæi gallici eſt folio non laciniato Fuchſii , cui non reſpondet deſcriptio. Latino eſt Sonchus aſper, qualis Lobelio, non laciniatus.

Cæſalp.Sonchus latiore folio ac minùs fiſſo.

Geſn.eat.pl.Sonchus ſilu.niger, ſpinoſior, σόγχος τραχὺς, wilder haſen kôl / Seudiſtel. De coll. ſtirp.Sonchus agreſtis marginibus foliorum aculeatis. Item Sonchi genus ſilu procerum , luteis floribus, ſubdulce , foliis non diſſectis,anguloſis, totum læue , ſine aculeis. Item Sonchus pinguis caulibus & neruis rubicundis. *Sonchum* nigrum Geſneri potiùs repono ſub non laciniato, quia mihi in Sonchorum genere ſpinoſior & nigrior videtur non laciniatus. *Geſn. refellitur.*

Lob.Aduerſ.Sonchus aſpera vulgi, flore Hieracii, foliis Dentis Leonis: aliàs Dipſaci & Lactucæ,an Dioſcoridis arboreſcens Sonchus tenerior latifolia? Gal. ..oitam Latini & Itali etiamnum vocant; .. ..ini ſpinam anſerinam. Spinoſæ namque ſunt omnes Sonchi,ſed quædam horridiuſcula aculeis,quædam perpuſillis aut nullis ferè viſitur. Quarum duę freq ..ent.ores maiores ſponte cultis & incultis ſeg ..bus & vinetis: minimis ..bais .. ..oti. Aſp .. ..e vocatur, caulem erigit quaternûm & ſenûm cubitorum : vni folia lacinioſa Dẽtis Leonis, alteri verò Lactucacea. Obſ.Sonchus læuis tenerior latifolia. Icon.Pl.Sonchus aſpera vulgi flore Hieracii foliis Dentis leonis,aliàs Dipſaci & Lactucæ. Itẽ Sonchus tenerior aculeis aſperior aut horridiuſcula. Icon.Pl.Sonchus læuis tenerior Icon propoſita à Lob. in Obſ. reſpondet Fuchſianæ à nobis propoſitæ. *Spina anſerina.* *Lob. reprehe.*

Hiſt.Lugd.Andryala maior Dal. Item Sonchus læuis latifolius Lobelii. Item, Sonchus aſperior Lobelii. Non placet Hiſt. diuerſis capitibus ſcribere de Andryala & de Soncho. *Andryala maior Dal.*

Andryala maior Dal. (inquit Caſp.Bauh.)Icon Sonchi aſperi Fuchſii, & Sonchus læuis latifolius Lobelii ſunt idem.

Thal. Harcyn. Sonchus læuis maximus ſeſquicubitalis, foliis dodrantalibus,cretatis parum,ſed non profundè diſſectis,in ambitu ſpinoſis,ſinuatis.

Schuvenckf. Sonchus aſper, σόγχος τραχὺς, Carduus ſuillus, Cichorium porcinum. Endiuia ſpinoſa ſtechend ſewdiſtel.

Sonchus aſpera folio non laciniato , ſpinoſa valdè: Geneuæ Iunio : Baſileæ quoque prouenit & Monſpelii,florens Aprili. Montbelg. frequens in Horto Ill. E.C. Wirtemberg.cum ſpinulis mollibus,ac etiam hominem altitudine excedens loco humidiori,florens Iulio. *Locus & tempus.*

## SONCHVS LACINIATVS NON SPINOſus & ſpinoſus.

PArua,fibroſa,albáque *radice* nititur: *caule* cubitali & ampliore , intus concauo , purpuraſcente: *folia* longa, læuia, ferè glauca , Dentis Leonis diuiſurâ, latiora, teneriora,lacte prægnãtia, alternatim prodeunt,aliàs pediculo longo,aliàs nullo,ſed latiore baſi caulem amplectentia , in circuitu quaſi dentatæ , in quibus vel nullę ſpinæ,vel molles : *flores* folioſi lutei , Dentis leonis minores,quorum extima folia auerſa parte purpuraſcũt,& in pappos abeunt.*Semen* paruum oblongum , & in fuſco rubens. Sonchus laciniata ſæpè ſpinis horret ac multùm variat,vel *foliis* amplioribus,ſpinis minùs rigidis,vel minori- *Deſcriptio*

bus *foliis*, rigidioribus ſpinis.

Deſcribit autem Cordus hac Soncho leni aut

Deſcriptio læui, Sonchum noſtrum laciniatum non ſpinoſum ſiue mitiorem. Tragus Sonchum laciniatum comprehendit vt exiſtimo ſub Soncho aſpera. Fuchſius Ic. & Hiſtor. & ex eo Amatus, Sõcho non aſperâ, Sonchum laciniatum exprimunt. Eſt autem Fuchſio Sõchi alterum gen⁹, tenerius, eſculẽtumque, ac minùs nigrum, Apulei Lactuca leporina.

*Sonchus laciniatus non ſpinoſus.*



Sonchus in Hetruria vbi Latinum nomen, authore Matthiolo, adhuc perdurat, Cicerbita vulgò vocatur. Viſuntur in hortis [Italiæ] campis & vineis duo Sonchi genera (Sonchus eius ſc. aſperus, & Sonchus planus,) ſed tertium illud genus; de quo in fine capitis diſſeruit Dioſcorides, non ſolùm non inuenitur in Italia, vbi non recordor me hactenus vidiſſe plãtam quæ Sonchũ arboreſcẽtem referat: ſed neque etiam de eo quicquam, quod equidem legerim, memoriæ prodiderunt Theophraſtus, & Plinius. Ait idẽ in comm. cum mag. fig. lat. & Ital. Folia vtraque Sonchus profert Cichorii modo laciniata in aſpero criſpa, aſpera, & pungentia, ſubrubentiaq;. In læui verò læuia, & ſpinis nullis rigẽtia. Huius duo habentur genera: quæ tantùm foliis aliquatenus differunt, nempe eorum alterum læuioribus habetur foliis, minùs quoque laciniatis, ac etiam magis extenſis. 1. Sonchus aſpera. 2. Sonchus læuis. 3. Sonchus læuis altera. *Hic opus* haberet Matthiol. ſpongia maxima gloſſatorum & patrocinantium pro expungendis erroribus. Quam olim poſuit pro Soncho aſpero ſine deſcriptione, ac in poſtremis retinet, eſt laciniatus Sõchus mitior non ſpinoſus, cui tamen in poſtremis tribuit

*Sonchus laciniatus ſpinoſus*



*Læuis duo genera.*

*Matthioli errores plures.*

folia aſpera & pungentia. Quid proponat pro Soncho plano in primis com. & poſtremis pro læui altera aſſerere non auſim: Lectores conſiderent an intelligat Sonchum læuem Lob. de quo agemus ſub Soncho Terracrepola. Quam proponit in poſtremis pro Soncho læui neſcio, niſi ſit noſter Sonchus radice reptatrice, de quo poſtea, quem etiam pro Hieracio maiore exhibere putamus. Matthiolus non ſibi conſtat: nec diſtinguit benè ſuos Sonchos.

Lac. in Dioſc. Sonchus aſperus, Sonchus læuis: proponit duas ſimiles icones, nõ poſſum animaduertere qua in re differant, ſunt autem Sonchi laciniati non ſpinoſi. Lac... not.

Lonic. Sawdiſtel, Endiuia ſilu. Item Chondrillæ alia ſpecies Dioſcoridis, quorundam ſawdiſtel. Lonicerus neſcit ſuo more quid pingat, ſcribátque. Duas icones habet Sonchi laciniati: primo loco deſcriptio non reſpondet iconi, deſcribit enim Lactucam ſilu. *Lonic. ignarus.*

Dodon. Gall. Sonchus tenerior non aſpera. Sõchus læuis prior, Braſſica Leporina, Sonchus tenerior. In Hiſt. Gall. eſt icon Fuchſii folio laciniato ſpinoſo, cui non reſpondet deſcriptio: In fol. Lat. Sonchi læuis figura qualis Lobelio, folio laciniato non ſpinoſo. *Dod. not.*

Sonchus (inquit Cæſalp.) quæ vulgò Cicerbita vocatur & alicubi Creſpinulus; Quædam in vineis frequens & in aruis locis cultis: Alia in ruderibus naſcitur: Quædam in collibus vmbroſis & ſiluis naſcitur. Quædam in montibus caule bicubitali.

Camer. ad Hiſt. Matth. germ. & Epit. eiuſdem tres nouas icones proponit à Matthioli diuerſas. Primæ titulus eſt in Hiſt. Sonchus aſpera (Sonchus in Epit.) Alteri Sonchus læuis: Tertiæ Sonchus læuis altera. Harum prima, quæ meliùs placet, eſt foliis laciniatis, acceditque ad noſtrã laciniatam læuem, ſiue minùs ſpinoſam: quæ verò læuis inſcribitur ſpinis pluribus ſcatet: tertia quæ ſit, adhuc me latet. Hanc ait Camer. vulgò vocari Cicerbitam, & in Italia Criſpinum & Creſpinulam. *Camer. id*

Geſn. cat. pl. Sonchus candidus tener & eſculentus, σόγχος ἐδώδιμος, quem Dioſc. Cicerbitam à Romanis dici prodiderit, quod nomen adhuc hodie in Hetruria ſeruetur, ab Herbariis nonnullis Leporis palatium vocari, quod fortaſſis eadem Apulei Lactuca Leporina fuerit. Item Sonchi genus 3. tenerum, arboreſcens, à ſolo Dioſcoride deſcriptum. σόγχος ἕτερος ὁ καὶ τρυφερός. Iſt auch ein haſen kól/ latiore folio. De hort. Sonchus aſper & læuis, Lactucæ quædam ſpecies ſilueſtris.

*Cicerbita. Criſpinus Creſpinula*

*Palatium leporis.*

*Lact. leporina Apulei.*

Lob. in Adu. Sonchus læuis laciniatis foliis, Germ. haſen kól: Belg. haſen latawe nude. It. *Cicerbita liſcia.* Oleracea tametſi eſſe poteſt, tamen quia non colitur non manditur. Obſ. & Ic. pl. Sonchus læuis vulgaris foliis laciniofis, Dentis leonis.

Cluſ. Hiſt. poſt. Sonchus læuior vulgaris prima (eſt eadem cum Lobelij icone,) Sonchus læuior vulgaris ſecunda. Cluſius has binas læuioris vulgatiſſimi Sonchi ſpecies non deſcribit, ſed eas in hunc finem tantùm in illo capite rarioribus Sonchi generibus præfigit, vt hæc ab illis commodiùs ab inuicem ſecerni & diſtingui poſſent.

Hiſt. Lugd. Andryala minor Dalechamp. Sõchus Fuchſ. & Dodon. alter humilior, tenerior & ſpinis carens. Item Sonchus læuis laciniatis

foliis

foliis, Lob.1. Sonchus Aſper Matth.1. Sonchus læuis 3. Sonchus læuis altera, Matth.4. *H. Lugd. not.* Quod antè dixi iterum nunc dico, diſplicere hiſtoriam ponere Andryalam alio capite, quàm capite de Sonchis. Icon pro Andryala minori eſt Fuchſii quæ non caret ſpinis, indicante ipsâ icone: carent ſpinis Sonchus Lobelii læuis, & Matthioli aſper, quas duas icones eiuſdem plantæ exiſtimo. Cur duas Icones ex Matthiolo ponat neſcio, cùm ſit tantùm ea quam olim pro læui primo, & poſtremò pro læui altero pingit.

Tabern. Icon. & Hiſt. Sonchus aſper. Cicerbita aſpera, Gänßdiſtel / Säuwdiſtel / wilder Haſenköl. Item Sonchus læuis latifolius, Breyter haſen köl. Sonchus læuis alter flore luteo, Geeler haſenköl. Sonchus læuis tertius flore niueo, Weiſſer haſenköl. Non diſplicent Icones tres Tabern. pro Soncho laciniato minùs ſpinoſo: foliis variè ludit hęc planta.

Frater C. Bauh. pro Soncho aſpera Matthioli, ponit iconem Tabern. folio laciniato ſpinoſo, pro læui læuem Tab. laciniatum.

*Schvvenckf. not.* Schvvenckfeldius vt ſtipatus Synonymis incedat, idem bis ponit, & quidem primò græcum, σόγχος ἐδώδιμος: Secundò Latinum, Sonchus eſculentus. Et hæc ab inuicem more ſuo ſeparat, tanquam diuerſa ſonent. Tautologiam cómittit, numquid doctè ſentit?

*Locus & Tempus* Sonchum non ſpinoſum laciniatum vidi Môſpelii: vt & Baſileæ adhuc florentem Octobri, extra vrbem inter portam Stein & Eſchen. Geneuæ, paſſim in hortis florens Nouembri. Montbeigardi paſſim ſpontè, etiam in Horto E. C. folio laciniato ſpinoſo.

*Nomina linguarũ in genere* Sonchus in genere vocatur à quibuſdam Cicerbita, & Lactucella, teſte Cordo in Dioſcor. Germ. Sewmelcke & Haſenköl 1. Braſſica leporina, item Säwdiſtel / Genßdiſtel / Moßdiſtel. Belg. haſé lattouwe / Ganſendiſtel / Melckweye. Gall. *Laiſſeron & Laicteron, Palau de Lieure.* Ital. *Lattucella, Soncho, Cicerbita* ſeu *Creſpine, Cripini & Latiſuoli* Lob. Hiſp. *Corayas, Cerrayas, Cerralhas.* Cicerbita & Säwhiſtle. Boh. Mles. Hũg. Sonchus aſper, Katich, Sonchus, lęuis Pie kek. *Sonchi Etymon.* Σόγχος Græcis dicitur, ſic & Lat. Sonchus, ἀπὸ τοῦ σῶν χέειν, id eſt, quòd ſalubrem fundat ſuccum. *Cicerbitæ nomen Dioſcoridi attributum.* Cicerbitam à Romanis vocari, quo vocabulo etiam hodie Hetruria vtitur, in quibuſdam Dioſcoridis exemplaribus legitur. Sed nomen id recens Dioſcoridi attributum putat Ruellius, cùm nuſquam à Latinis vſurpatum inueniatur. A Recentioribus etiam Lactucella, eadémque fortaſſe quæ ab Apuleio Lactuca leporina nominatur; quòd cùm leporem animus deficit æſtu hâc ſibi ſolet mederi, Galli *Laicterons* à lactis copia nominant, & leporis palatum, *Palais au lieure,* quòd hoc animal vt ab æſtu vindicetur, & caloris propulſet incommoda, ſoleat ſub ramis eius decumbere.

Hi Sonchi naſcuntur in hortis, campis, & vineis, Aeſtatéque florent.

*Vires & Temperã: Ad inflammationes & Venenatorum ictus.* Vtriuſque vis refrigerat, inquit Dioſcorides, modicè adſtringit, æſtuanti ſtomacho, & inflammationibus illiti proſunt. Succus eorum ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat: lac elicit, in vellere appoſitus ſedis ac vuluæ collectionibus opitulatur. Tam herba quàm radix illita vibratis à ſcorpione ictibus ſubuenit.

Galenus de Sonchi viribus hæc ſcripſit. Sonchus vbi adoleuerit, ex ſpinoſis plantis eſt. Cæterùm viridis etiámnum & tener eſtur, perinde vt cætera olera ſilueſtria: Temperamentum eius quodammodò miſtum eſt: Nam & adſtrictionis cuiuſdam eſt particeps, & ſiue cataplaſmatis modo illinatur, ſiue edatur, apertè refrigerat: poſtea verò quàm planè reſiccatus fuerit, terreſtre eius temperamentum redditur, modicam habens caliditatem. *ex Plinio* Quæ præterea Plinius ſcripſerit ſcire operæ pretium eſt. Eſtur & Sonchus, vt quem Theſeo apud Callimachum apponat Hecale, vterque albus & niger, Lactucæ ſimiles ambo, niſi ſpinoſi eſſent, caule cubitali, anguloſo, intus cauo, ſed qui fractus copioſo lacte manat. *Albus* Albus cui eſt lactis nitor vtilis orthopnoicis, Lactucarum modo (ex embammate addit Cornarius ex vetere Pliniano codice.) *Plin. illuſtratur.* Eraſiſtratus calculos per vrinam pelli eo monſtrat, & oris *Calculus* graueolentiam commanducato corrigi. *Succus* Succus trium cyathorum menſura in vino albo, & oleo *Partum iuuat* calefactus adiuuat partus, ita vt à partu ambulẽt grauidæ. Datur & in ſorbitione. *Lac generat caulis* Ipſe caulis decoctus facit Lactis abundantiam nutricibus, colorémque meliorem infantium: vtiliſſimus iis quæ lac coire ſibi ſentiant. Inſtillatur auribus *Stranguria* ſuccus, calidúſque in ſtrangurìa bibitur cyathi menſura, & in ſtomachi roſionibus cum ſemine Cucumeris nucleíſque pineis. Illinitur & ſedis collectionibus. Bibitur contra ſerpentes ſcorpionéſque, radix verò illinitur. Eadem decocta cum oleo in Punici Mali calyce, aurium morbis præſidium eſt. *Hæc omnia ex albo.* Cleomporus *nigro* prohibet veſci, vt morbos faciente, de albo conſentiens. Agathocles etiam contra ſanguinẽ tauri demonſtrat ſuccum eius. Refrigeratoriam tamen vim eſſe conuenit nigro, & hac causâ imponendum cum polenta. Sic enim Cornarius ex eodem vetere codice.

*In acetariis* Soncho noſtri vtuntur hyeme in acetariis, inquit Matthiolus, præſertímque eius radicibus, quæ cùm teneræ ſint & dulces, menſis expetuntur. *Stomachus* Lacteus liquor è caule manans datur potãdus [Lectores conſiderent quomodo liquor lacteus excipiendus & potãdus,] ægrè ſpirantibus, & aſthmaticis. Idem auribus inſtillatus dolorem tollit, præſertim in malicorio cum oleo decoctus. Tam herba quàm ſuccus ad æſtuoſas ſtomachi lancinationes & Hepatis bilioſas obſtru- *Obſtructiones bilioſa. Febre putrida.* ctiones vtiliſſima: ob id Tertianis & putridis febribus conuenit. Sonchus læuis vulgaris non differt facultatibus. Ex vino ſtomachi fluxionibus medetur. Suſpitioſos & Aſthmaticos iuuat & ſtranguriam ſanat. Succus auribus inſtillatus earum dolores mulcet.

---

## SONCHVS REPENS MVLTIS HIERAcium maius.

*Deſcriptiõ* SOnchum repentem voco, quem multi Hieracium maius, cuius *radices* longè latéque repentes non niſi difficulter euelli poſſunt, perennes, lactifluæ: *caulis* bicubitalis vel longior inferiore parte glaber, ibi demum piloſus, vbi in ramulos diuidi occipit: *folia* & per terram ſparſa & quæ cauli adnaſcuntur, Sonchi læuis foliis ſimilia, palmaria & pluſquam bipalmaria non admodum lata, profundis laciniis inciſa, ſpinis mollicellis donata, colore ferè glauco: *flores* quàm Sonchis reliquis paullò maiores, lutei, hirſuta foliorum atrouirentium compage coërciti, qui tandem in *pappos* abeunt. In icone noſtra Fuchſiana *radix* repens deeſt.

An Cordo in Dioſc. Hieracium maius, Intybi agreſtis species, Germ. wilde ſewdiſtel?

*Hierac. maius Fuchſii.*



Fuchſius cùm Hieracii maioris figuram ponat in Hiſtoria, itemque Iconibus ſine ſufficienti deſcriptione, indicamus eius Hieracium idē cum noſtro Sōcho repente.

Picturam eandem, quam nos ex Fuchſio habemus, exhibet Dod. gall. pro Hieracio maiore, ſiue primo, quod græcè vocari tradit ἱεράκιον τὸ μέγα à Lat. quibuſdam Sonchiten, Lampſucam, & Sithelean.

*Matth. repeh.* Sed & Matth. in prioribus comm. figuram Fuchſii habet pro Hieracio maiore, ſine tamen deſcriptione. In poſt. lat. & It. item Hiſt. Germ. & Epit. [ hic vox maius omiſſa ] Camerarii, eadem figura eodem titulo ponitur.

An Lob. in Adu. Sonchi tertia ſpecies à Matthiolo picta ? Idem in Obſ. & Icon. Plant. imaginem figuræ Fuchſii ſimilem habet, inſcriptione, Hieracii maioris.

Figuram quoque ferè eandem cum icone Fuchſii habet Lonic. hoc titulo: habichß kraut, aut *Lacun. not.* wilde ſawdiſtel. Græci, inquit, Hieracium maius h.e. Accipitrinam, Apuleius Lactucam ſiluaticam, Pharmac. Cichoream luteam, vocant.

Hiſtor. Lugd. Hieracium minus Dalech. maius Matthioli.

Sonchi noſtræ repentis ſub Hieracio maiore ſolam picturam ſine deſcriptione exhibet Lacuna.

Cluſ. Pannon. Sonchus 3. Sonchus læuis altiſſimus, ceu & Hiſt. poſter. vbi Sonchus læuior Auſtriacus quintus altiſſimus inſcribitur.

Tabern. Hiſt. & Ic. Sonchus 2. ſiue læuis anguſtifolius, ſondchenkraut, haſenköl mit ſchmalen blettern. Item: Sonchus arboreſcens, Baum ſondchenkraut.

Thalio Hieracium maius, ſiue Sonchites.

Camer. hort. Hieracium latifolium Matthioli. An Camer. per hoc intelligat plantam quam demonſtrare videtur figurâ Matthioli, dubito. Lectores perpendant. An Cæſalp. Hieracium magnum.

C. Bauh. Phyt. lib. 3. Sonchus luteus calyculo hirſuto: Sonchus tertius, vel Sonchus læuis altiſſimus, Cluſio: Sonchus arboreſcens Tabern. Item poſtea Hieracium maius primum, Hieracium maius Fuchſii, Lobel. Obſ. & Icon, *mihi* vna planta & non diuerſæ.

Schvv. Sonchus arboreſcens, σόγχος τρυφερὸς Dioſcoridis, à vulgari magnitudine differens.

*Nomina linguarum* Sonchus repens, multis Hieracium maius, ἱεράκιον aut σογχίτης, Germ. Groß habichkraut: Gall. *Grande Cichorée iaulne*: Belg. Grot hauicks kruyt Dod. & conyuenkruyt Tabern. Angl. hawke weede Lobel.

*Locus & tempus* Inuenitur Sonchus læuis altiſſimus Cluſii in paludoſis ſalicetis & harundinetis, iuxta piſcinas, ſtagnantes aquas ſupra Badam Auſtriæ vrbem, via quæ Napolim Auſtriæ ducit, & ſupra Triebſvvinckel pagum, Floret Iulio. Sonchus repens, moleſta ſuo reptatu Montbelgardi in horto Ill. C. W. & in agris prope *Audincourt* ad Dubim abundat, & paſſim alibi. Geneuæ quoque obſeruatur, florens Iulio & Auguſto.

*Facultates* Cùm porrò hæc planta Sonchi ſit haud dubiè genus, iiſdem etiam facultatibus præditam eſſe veriſimile eſt.

## SONCHIS AFFINIS TERRACREPOLA.

*Deſcriptio* RAdicem habet Intubo ſimilem, parum fibratam, candidam: *caules* multos, cubitales, foliatos: *folia* Intubo ſimilia ſunt, candidiora, minùs inſecta ac laciniata, ſucco lacteo manantia, guſtatu ſuauia, licèt nonnihil amara ſint: *flos* luteus in pappos euaneſcens.

*Crepis Dalechampii.* H. Lugd. Crepis Dalechampii. ἐπιφυλλόκαυλος (inquit Hiſtor.) eſt Theophraſto, i.e. in caule foliata, cuiuſmodi cùm ſit hæc planta, & eam ſeruato adhuc Crepidis nomine Crepalo vocent Itali, & Terracrepalo, Crepidem eſſe Theophraſti indicauit Dalechampius. Olus ſilueſtre, in Hetruria, autore Cæſalpino, Terracrepolum vocatum, Dioſcorides Hieracium paruum appellat, Plinius & Theophraſt. Crepidē vocant.



*Terracrepolus. Hieraci paruum.*

*Locus & tempus* Naſcitur ſponte in aggeribus terrenis agri Monſpelienſis, ſatu verò cultu in hortis noſtris ( Lugdunenſibus) inquit Dalechāpius. Oriri eam ſcribit Cæſalpinus in collibus ſaxoſis & in ædificiis: florere tota Æſtate: Hieme nequaquam perire: nam regerminare à latere. Vidi ego Auinioni, & Lutetiæ in horto cuiuſdam Monachi.

*Vires* Herba Terracrepolus in cibis cruda ex oleo & aceto [ vt ipſemet Auinioni vidi ) expetitur, nam dulcis eſt & ſubaſtringens.

## CHONDRILE VETERIBVS.

### CAP. IIII.

ALiqui, vt Dioſcorides tradit, Chondrilen Cichorion, & aliqui Serin vocant. Eius duo ſunt genera: Prior quidem folia & caulem, & flores Cichorio ſimilia habet: vnde & ſpeciem Seridis ſylueſtris eſſe ipſam quidam dixère: ſed in totum tenuior eſt. At circa ramulos ipſius reperitur gummi ſimile Maſtichę, magnitudine Fabæ. Hoc cum Myrrha tritum, magnitudine Oliuæ in linteo appoſitum, menſes ducit. *Cichorium. Seri.*

Herba

herba ipſa unà cum radice contuſa, ammixto melle in paſtillos efformatur, qui diluti nitro addito, vitiligines deterunt. Gummi verò etiam pilos agglutinat. Sed & radix recens ad eadem facit, ſi in ipſam acus tingatur, & pilis admoueatur. Commoda eſt etiam ad viperas cum vino pota. Et ſuccus ipſius aluum ſiſtit, coctus cum vino & potus, aut per ſeipſum. Eſt & alia Chondriles ſpecies. Folium habet circumroſum, oblongum, per terram ſtratum. Caulem ſucco plenum. Radicem tenuem, acutam, lęuem; rotundam, ſubflauam, ſucco plenam. Vim habent concoquendi & folia & caulis. Succus autem pilos in palpebris agglutinat. Naſcitur in terræ cultæ locis.

*Chondrile alia.*

Vires

Condrilem ſpeciem Seris eſſe, Galenus in Seris tractatione dixit: quam etiam, vt & Dioſc. & Cichorion, & Serim vocari tradit.

*Plin. not.*

Plinius vtraſque ſpecies inter ſe confundit, & quæ Dioſc. duabus, ipſe tanquam vni attribuit. Præter vires autem à Dioſcoride recenſitas quas etiam habet, tradit: Aliquos fœminis & oculis, generationique virorum contrariam putaſſe. Inter vulgares in cibo herbas etiam Chondrillam recenſeri. Chondrillam amaram eſſe, ac acri in radice ſucco.

Condrilla, iuxta Rob. Conſtantini mentem, eſt herba Cichorio ſimilis, ob ídque ϗ κιχώριον ϗ σέρις quidam vocarunt: apud Gal. & Paulum χονδρίλη ſcriptum, apud Dioſc. χονδρίλλη, apud Plin. Cōdrillon ſiue Condrille, & alybi Condrylla, quæ meliùs ſcribitur per ιωτα monente Geſnero, qui ſuſpicatur apud Theophr. pro Andryalia legendum Chondrilla Hæc dicta fuit, ἀπὸ τοῦ χόνδρου, quod eſt grumus, & ἴλλειν quod continere ſignificat, quaſi continens grumos, quos Maſtichæ ſimiles eſſe ait Dioſcorides.

*Theophr. corrig.*
*Chondrilla Etymon.*

*Chondrilla ſpecies plures.*

Chondrillaceorum generis plantas plurimas paſſim, eáſque diuerſas admodum ſpecie reperire licet apud Authores, quæ vix quiſquam facilè & dextrè certis nominibus Thalio teſte, à ſe inuicem diſtinxerit: præſertim cùm rei herbariæ Scriptores, Intybaceorum ac Chondrillaceorum [quorum tamen vbiuis fermè locorum ac terrarum ingens copia ſeſe offert] hiſtoriam nondum accuratè examinarint: Solis enim aut nominibus propoſuerunt; aut etiam ſolis nudiſque deſcriptionibus delinearunt, non adhibitis iconibus: aut ſaltem appoſitis figuris & nominibus deſcriptiones earundem neglexerunt. Solo nomine proponit C. Bauh. Phyt. Chondrillam 16. ſiue ſpinoſam. Hanc, inquit, integram cùm nondum habeam, eã nominaſſe ſufficiat. Nec dum ſcio quæ ſit Chondrilla illa, ein wild Endinien art Geſneri in cat. pl. Item Chōdrilla altera, ein Gänß-zugen art, quas ſolùm nominat.

*Aequivoca Chondrilla cærulea. Lutea. Viminea.*

Cæterùm è diuerſis diuerſorum Authorum Chondrillis, eſt nobis quædam, quam cæruleam inſcribimus. Eſt & alia lutea cognominata. Sed & Chondrillam vimineam à iam dictis diuerſam ſtatuimus. Occurrir præterea Chondrillis affinis quædam laciniata, an Trinciatella Camerarii; Chondrilla adhæc quædam exiſtit hirſuta rubente flore. Sed & Chondrillæ Creticæ nomine quædam nobis miſſa eſt ſemine criſpo, de quibus nunc ordine dicam. His ſubiungimus Chondrillas quaſdam ex Thalio, quas ex ſolis nudiſque deſcriptionibus, non adhibitis iconibus diſcernere admodum eſt operoſum. Tragus inſuper lib. 1. cap. 91. duas tradit Cichoreę luteæ ſpecies, tertiam & quartam, quas Chōdrillas Dioſcoridis facit: Nos Hieracium minus hirſutum. Chondrilla Thalii σταχυοπωγωνάνθεμον duplex, maior & minor, ac rurſus alia ſpecies cui folia magis in lacinias diuiſa exiſtunt, An Hieracium 1. Dod. minus, & longius radicatum Lobelii? Galenus, inquit Anguillara, meminit cuiuſdam Chondrillæ de qua non locutus Dioſcorides, quæ nihil aliud eſt, quàm planta quibuſdã dicta Taraxacon, Hedypnois noſtra, ſiue Dens leonis, Chondrilla altera Dod. Thalio. Chondrilla prior Cluſio plurimùm accedere videtur ad primam Dioſcoridis Chondrillæ ſpeciem. Eſt hæc nobis Hedypnois Monſpeſſ. Chondrilla ſecunda Dioſcoridis Rauvvolfii, eſt nobis Conyza marina. Chondrillæ alterius Dioſcoridis genus aliud eiuſdẽ Rauvvolfii, eſt Conyzæ marinæ affinis. Chondrillam alteram Dioſcoridis Fabii Columnæ, exhibemus pro Cichorio bulboſo. Chondrilla Galeni, ſi Trago non ſit contradicendum, eſt θρίδαξ ἀγρία Dioſcoridis, Lactuca ſilueſtris Fuchſii. Chondrillæ alteram ſpeciem Dioſcoridis, ſawdiſtel Loniceri l. 5. cap. 74. (qui eandem antea poſuerat pro Endiuia ſilueſtri) diximus ante Sonchum non aſperam. Quidam curioſi apud Monardem volunt Tragopogonem Hiſpanicum ſiue Scorzoneram, Chondrillæ eſſe ſpeciem, cuius mentionem faciat Dioſcorides, verùm multùm differunt. Chondrillæ nomen ſibi vendicat Cichorium verrucoſum: Item Cyanus, Catanance quorundam, & Cyanus folio Ceterach quorundam. Eſt tandem Chondrilla à nobis inuenta folio non diſſecto.

*Laciniata quædam. Chondrilla rubente flore. Chōdr. Cretica ſemine criſpa. Chondrilla Thalii. Hieracium minus hirſutum.*

*Hedypnois ſiue Dens Leonis. Hedypnois Monſpeſſulana. Conyza marina. Conyzæ marinæ affinis. Cichorium bulboſum. Lactuca ſilu. Sonchus non aſpera. Scorzonera. Cichor. verrucoſũ. Cyanus, Catanance.*

CHONDRILLE VEL CHONDRILLA cærulea.



*Deſcriptio*

CHōdrylla cærulea *caules* erigit cubitales, teretes, lęues, fungoſâ medullâ refertos, *ramis* ſatis frequentibus brachiatos: *folia* priora palmaria aut dodrantalia, laciniis ad Cichoreum accedentia, glabra, & pene glauca, ſuperiora autẽ profundioribus laciniis inciſa, leuiùs etiam aliàs diſſecta, glabra: in ſummis ramorum *flores*, crebri, radiati, cærulei, ex calyce lōgo ſquãmato, in quo *ſemen* nigrum longum latum: *radix* perennis ſimplex, longa, digirali craſſitudine, paucis fibris donata foris tenui & nigro cortice veſtita: intus candida, carnoſa, tenera, & admodum fragilis. Tota herba lacteo turget liquore, & guſtu dulcis eſt.

Chondrillam noſtram cæruleam Cordus in hiſt. inſcribit Chondrillam teneram.

Matthiol. in ſuis comm. Chondrilla 1. & Chōdrilla 2. De prima ait. Silueſtris (veri, in comm. Ital. cum mag. fig.) Cichorii ſpecies Chondrilla eſt: gracilioribus tamen foliis, caule, floribus, ac

ſemine. Frequentiſſima hæc non modò in Hetruria: & ſecus vias vireſcere, ac ſuo tempore floreſcere conſpicitur: nec minùs etiam quàm Cichorium in acetariis recipitur, quamuis amarior ſit. Viſitur & alterum genus (ait de ſecunda) huic [primæ] non longè diſſimile, foliis tamen non ita in ambitum laciniatis, nec adeò in mucronem deſinentibus. Hæc à lactis vbertate, quo in omni parte, præſertimque radice redundat, à noſtris vulgò Lattaiuola vocatur. Rura eam ſuis acetariis pro Cichorio indifferenter admiſcent. Gal. l. 8. ſimpl. Chondryllã Intybi ſpeciem: libro autem 2. alim. nec Intybo nec Cichorio, ſed Lactucæ ſimilem fecit. *Vtinam* Gloſſatores & Patrocinantes Matthiolo ac eius Simiæ lucem aliquam attuliſſent, vel errores Matthioli detexiſſent, ſi potuerunt intelligere aut animaduertere, ipſe nunc lubens tacerem: nec veritatem detegendo odium mihi crearem fautorum Matthioli: vt dicam quod ſentio, Matthiolum ſuo more de incognitis ſuo nomine ſcripſiſſe mihi perſuadeo. Figura quam exhibet in com. citatis Lat. & Ital. pro Chondrilla 1. Cichorium planè demonſtrat ſilueſtre, ſicut & ipſa deſcriptio: [ex Cichorio fortè elicita planta quales plures habet] quod idem putauit cum Chondrilla: In hiſt. verò Germ. longè aliam exhibuit iconem quæ Hieracium repræſentat. Quod 1. figuram attinet ea vbique ſimilis. Verùm deſcriptio multùm variat, in co. mm. tum Lat. tum Ital. dicit folia non ita laciniata nec in ambitum deſinentia, quæ verba non conueniunt iconi propoſitæ: meliùs reſpondet deſcriptio Germ. Falſum quod dicit ex Dioſc. Chondrillam eſſe ſpeciem Cichorii, ita enim ait Dioſc. εἶδος αὐτὸ πεὶς ἔνιοι σέριδος ἀγρίας λέγουσιν.

Lattaiuola. Intybus. Lattuca. Matth. error.

Camer. hort. Chondrilla purpureo flore, radice craſſa, naſcens in montanis locis Miſniæ ſiue Hermundurorum propè vrbes metallicas. Item: Chondrilla flore cæruleo, Italis *Caccia lepore* cognominata. Quæ autem ſit Chondrilla purpurea Camerarii à ſtirpium ſtudioſis auidè ſcire deſideramus, per cæruleam exiſtimamus Camerarium intelligere eandem quam nos de qua hoc capite agimus, quamuis apud Matthiolum in Hiſt. Germ. eiuſdemque Epitome nullam proponat iconem hanc referentem. Chondrilla eius prior eſt Matthioli referens Hieracium. Chondrillæ alterius nomine exhibita icon, iconem Matthioli non repræſentat, cuius autem ſit plantæ nondum mihi conſtat.

Caccialepore. Cam. not.

An Lonic. malam figuram exhibenti, Chondrilla, quam Endiuiæ ſpeciem dicit? An Anguill. Epiſt. 7. Chondrilla Patauii Caccialepore dicta?

Dod. gall. Condrilla, Condrillæ ſpecies 1. Condrillon & Condrillis Plinii, Cichorion & Seris nonnullorum. Modernorum Condrilla maior. Lat. in fol. Chondrilla altera. Caſt. Dur. Condrilla etiam Italis & *Terracrepolo*, Arab. *Candarel*, flore modò cæruleo, modò albo: Condrilla prima. Item, Condrilla altera.

Condrillis Plinii. Terracrepolo.

Lob. & Pena Adv. Belgarum Condrilla cærulea, Cichorii ſilv. aut Erucæ ſilv. duriura. In Tabella, Condrilla Belg. Taraxacon Offic. Obſ. Chrondrilla cærulea. Ic. Pl. Condrilla cærulea Belgarum.

Cæſalp. Condrilla in aſperis ſaxoſis naſcens Lactucæ ſilueſtri maximè ſimilis, floribus cæruleis, qui color in nullo alio genere ſilueſtrium adhuc viſus: Condrilla à Dioſcoride primo loco deſcripta, Chandras Theophraſti, Chandralia Theodori.

H. Lugd. Chondrilla 1. Matth. Chondrilla 2. Matthioli, an Chondrilla rara Lobelii? Proponit Hiſtoria iconem Matthioli Cichorio ſimilem, & alteram valdè laciniosam: nullam lucem adfert, ſed ineptè inquirit an Chondrilla rara Lobelii, quæ planta plurimùm differt, nec eius generis dici poteſt.

H. Lugd. reprch.

Tab. icon. & hiſt. Chōdrilla cœrulea 2. Chondrilla latifolia cœrulea. Alba ſolo colore albo differt à cœrulea. Latifolia differt magnitudine radicum & caulium, & quòd folia latiora, non ita profundè ad neruum vſque inciſa. Chondrilla dicitur Serap. l. ſimpl. c. 43. Candarel, Amiron, & alibi Cadaron. Non erat opus icone albæ ſi tantùm colore differt, vt ait Tabern. ſuſpicor non diuerſam ſpeciem latifoliam, quia non annotat vbi obſeruarit, fortè luſus tantùm naturæ.

Tab. not.

Caſp. Bauh. Apud Matthiolum pro ſecunda ponit latifoliam cæruleam Tabern. quæ in Phyt. eſt 3. Quam cur ſubſtituat Matthiolinę ſecundæ ignoro, ei enim ſimilior, ſi non eadem Chondrilla cærulea prior Tabern. Quę etiam occaſio vt ſecũdam chondrillam Matthioli dicat latifoliam non video, cùm folia ſint in icone Matth. tenuiùs laciniata, quàm in prima.

C. B. not.

Chondrille vel Chondrilla, χονδρίλλη: Germ. klein ſonnenwirbel/aliquibus ſteinwirbel, Cord. Blaw Condrillen kraut. Tab. Gall. *Letteron*; Hiſpan. *Lettugas* & *Lechugas* & *Lietugas* & *Liechugas dentre los planos*, Lob. Ital. *Terracrepolo*, Condrilla, Matth. Boh. Focy Lecek.

Chondrillam cæruleam primùm reperi in mõte prope Tubingam prouenientem cùm eſſem apud Fuchſium qui tunc Chondrillam mihi nominauit. Vidi copioſè Biſantii paſſim in muris. Ex ſemine Bizantio allato prouenit Montbelgardi in horto E. C. florens & ſemen proferens Iulio. Eodem anno quo ſata. Prouenit in colliculis vbi terra argilloſa propè Baſileam. Naſcitur & alibi editis apriciſque vineis & montibus, ſolum amãs albicans, pingue & calcario lapidi mixtum: vt annotat Cordus.

Nomina linguarum

## CHONDRILLA LVTEA.

Deſcriptio



Lactco ſucco abundans, in læui & glabro *caule* folia habet, ad Sonchum læuem accedentia, multò minora, diuiſurâ ferè Condryllæ cęruleæ, extremę laciniæ paſſis alis librantem ſe in aëre ciconiam exprimunt, per ſegmentorũ ambitum denticulata, quod notatu dignũ, hacque notâ non florens facilè à Chondrilla cærulea diſcernitur.

tur : ex horum ſinu *ramuli* exeunt, quorum ſingulis *flos* vnicus inſidet, Sonchi, luteus, in pappos euaneſcens.

*Condrilla Coronopi tenuifolia lutea. Condrilla 2. Dioſc.* Lob. in Adu. Condrilla Coronopi aut Cyani tenuifolia lutea vinearum, quam nonnulli alteram Condrillam Dioſcoridis eſſe putarunt, nec ſanè ita abſimilis? Ego cùm Monſpelii eſſem anno 1562. Condrillæ, vel Sonchi ſpeciem feci, ac quidem per plures annos mihi perſuaſi eſſe Chōdrillam Matthioli ſecundam, quia in Hiſt. Germ. *Matth. not.* ſcribit eam flore luteo conſpici : verùm pauca fides habenda figuris & deſcriptionibus Matthioli. An Thalio Condrilla altera Matthioli in tenues lacinias profundè diſſecta, floribus luteis, duarum ſpecierum maior & minor? Hęreo vti dictum, quid Matthiol. pingat pro Chōdrilla altera, mutauit figuram & aliam repoſuit.

*Locus & Tempus.* Monſpelii floret menſe Februario & Martio in muris nata. Spontè totâ Æſtate calidiorum regionum vinetis & oliuetis glareoſis paſſim obuiam eſſe ſcribit Lobelius.

## CHONDRYLLA VIMINEA.



PVllulant primùm per terram in orbem ſparſa *folia* magna, Hedypnoïdis laciniis, glabra, quæ in *caulem* ſurgente planta marceſcunt : ipſe verò *caulis* propter terrã denſis ſpinulis totus horret, atque ad cubitos duos aut tres aſſurgit, frequentibus ramis vimineis variè diuaricatis fruticoſus, foliis aut nullis aut raris, iiſque gramineæ tenuitatis : flores extremis ramulis hærent lutei, Lactucaceis pares, nec formâ diſſimili, *ſemine* ſuccedente itidem Lactucæ pari, verùm nō compreſſo, ſed rotundo ferè, ſtriato, oblongo, cinereo, cum tomento villoſo appenſo. *Radix* ſubeſt ſimplex, pollicatis & craſſior, glutinoſiſſimo lacteo ſucco abundè prægnans, cubiti aut ſeſquicubiti longitudine, non ingrata dulcedine prædita. Totam plantam amaro eſſe guſtu tradit Columna, eam fusè deſcribens.

*An de hac loquitur Cæſalpinus?* De Chondrilla viminea Cæſalpinū loqui crediderim, cùm, inquit, ad Condrillas reduci poteſt quædam in collibus & vineis, & aliquando in ædificiis vetuſtis frequens: radice valdè ſuccoſa, & acri : foliis ab radice Cichorii tenuioris, hirſutis: caule recto, cubitali, propè radicem aſpero, ſupernè læui : ramulos fert rectos : in quibus foliola tenuia, non inciſa, quaſi Poligoni : floſculos pallidos non in ſummo, ſed à lateribus, qui euaneſcunt in pappos : in huius ramis aliquando viſuntur tuberculi nigri, ex concreto lacte geniti.

*An Ixopus Cordi.* An Cordo in Dioſcor. Chondrilla altera, G. ſeẅdiſtel? An eidem in Hiſt. Ixopus intybacea herba quam ibidem deſcribit, propè Ienam plurimam prouenire tradens.

*Ixopi Etym.* Ad eius hiſtoriam à Cordo traditam adſcribit Geſnerus nomen à liquore, quem Græci opon vocant, quem Ixi, i. e. viſci inſtar, viſcoſum habet, confingere : ſe ſimilem herbam in ſolo argilloſo ad pedem montis vidiſſe, foliis ferè Plantaginis minoris : radice, cùm arida ſuffitur, Iuniperum ferè olente.

*Cichorea maxima. Condrilla Dioſc.* Trago Cichorea quinta & maxima ſiue procera, κονδρίλλη Dioſcoridis. Lob. & Pena Adu. & Ic. Plant. Condrilla viminea viſcoſa vinearum. Cluſ. Hiſp. Condrilla 2. ſiue viminea. Hiſt. poſt. Condrilla 2. ſiue viminalis, Cōdrilla viminalibus virgis, Condrillæ genus alterum vimineum, *Iunquerina* Salmaticenſibus vocatum, aliis *Atuniera*. H. Lugd. Condrilla viminea viſcoſa Penæ. Tab. Ic. & Hiſt. Chondrilla iuncea, viminea, aruenſis, Bies condrillen / Acker condrillen. An eidem in H. Condrilla lutea quinta ſine icone? C. Bauh. Phyt. Chondrilla 1. ſiue iuncea, viſcoſa, aruenſis : prima Dioſc. Fab. Columnę Cōdrilla, Chondrilla 1. Dioſcoridis : nam tota viſcoſo, atque albo ſucco eſt referta, & ſi quamlibet partem flectas, radicem, folia, caulem, ramos, flores etiam, ex rima vi orta lacteus ſuccus exit, qui concreſcit paulò pòſt Maſtiches duritie, & colore, (imò & odore, quod mirum, nec vllis aliis Condrillis euenit : ) ſed poſtea longo tempore nigreſcit.

*Locus & tempus.* Circa Monſpelium prouenit florens Æſtate & Autumno. Baſileæ apud Rhenum quà itur Crentzach florentem vidi Maio, & Octobri in agris ad portam D. Ioannis. Briſaci copioſè floret, & ſemen maturat Octobri & Nouembri. Prouenientem plurimam, ac Iunio & Iulio florentem vidi cis pontem Caſtri noui Monſpelii. Cōſpexit naſcētem Cluſ. Salmāticenſi non modò agro, poſt meſſes in aruis, & ad eorum margines, ſed plurimis aliis regionibus : copioſè per vniuerſam Pannoniam, & variis Germaniæ locis.

## CHONDRILLIS AFFINIS QVÆDAM laciniata an Trinciatella?



*Deſcriptio.* CHōdrillis vel Hieraciis affinis, cui è *radice* craſsâ lōga prodeunt aliquot capita, ex quibus multa *folia* vncias duas, longa, laciniata, quorū pars extrema ſubrotunda, leuia, & ſatis craſſi, ſpiſſáue *caules* iuncei, ramoſi, cubitales, interdū multò minores : in eorum extremitatibus *flores* ſingulares maiuſculi, lutei, in pappos deſinentes : Hæc herba lacteſcit ſine amarore.

An Camer horti, Trinciatella, quo nomine ex Italia accepit?

Synonyma

C.Bauh.Phyt.Denti leonis ſimilis Trinciatella Camerarii. Item Sonchus 6.læuis anguſtifolius Lob.læuis Matth.De Sonchis confuſè ſcripſit Marthiolus, maximè verò de læui.

Locus & tempus.

Noſtram obſeruauimus Monſpelii & eius ſpeciem minorem propè Gigam florentem Aprili. Trinciatella Camerarii eo ipſo quo ſeritur anno flores & ſemen producit, & ſi per hyemem in fictili ſeruetur etiam in plures annos perdurat: alioquin radices, quæ dulces quoque ſunt, vt vniuerſa planta, primo frigore læduntur & intereunt.

## CHONDRYLLA HIRSVTA. rubente flore.

Deſcriptio



PLures ex eadem *radice*, ſimplice, alba, dura, fibris donata, lac fundente, *caules* attolluntur pedales & cubitales, ſolidi, lactiflui, tenues, ſtriati, ſingularibus foliis donati: quorum ſingulis ſinguli inſidet *flores* monocloni, colore ex albo purpuraſcente, denſè foliis per extremam oram crenatis ſtipati, ex calyce thorulis hirſutis caniculato, cui ad baſin haud ſecus atque in Hedypnoïde prominula appoſita folia, eáque glabra: ea porrò florum ſubinde eſt præmatura fœcunditas, vt vix ſemuncialem longitudinem aſſecuti caulium rudimentis, iam tum capitula florum præludia innaſcantur: *folia* vel à radice ſtatim vel ab imo caule per terram ſparguntur, [nam in caule reliquo rariora ſunt] Hedypnoidis laciniis, quibus magnitudine tamen cedunt, vtrinque hirſuta, odore graui: ſuccedunt *ſemina* longa, tenuia, cum pappo.

C.Bauh.phyt. Chondrylla purpurea fœtida. Chondrilla 6. Chondtilla hirſuta rubente flore apud fratrem Io.Bauhinum viſa: An Chondrilla tota hirſuta Camer.de hortis? Huius & altera ſpecies duplò ferè maior, caule ramoſo, folio latiore, flore eodem. Duæ ſunt in Phytopinace eiuſdem plantæ deſcriptiones.

Variis in locis vidi: in horto verò E.C.W. ſata Aprili floruit Iulio & Auguſto menſibus, anua eſt planta, Frater C.Bauhinus obſeruauit Baſileæ in horto D.Zvvingeri.

## CHONDRILLÆ CRETICÆ nomine miſſa ſemine criſpo.

R*Adix* Dentis leonis: *caules* ſpinulis horridi, variè nulloque ordine in alas diuiſi: *Folia* lactucæ ſylueſtris: *Flores* Sonchi. Semen pulchrū, incuruum, ex ceruice denticulata in roſtellum pulchrum deſinens, per maturitatem ruffum.

*Hieracium. Creticum. Endiuia lutea. An Hieracꝫ Intybaceū C.Bauh.*

An camer.hort. Hieracium Creticum, pro Endiuia lutea miſſum, ſemine curuo, aſpero, vnguium modo. An Geſn.hort. Hieracium maius Creticum ſatiuum Patauio miſſum? An Caſp. Bauh. Phyt. Hieracium 10. Intubaceum flore magno albido?



Locus & Tempus.

Breuis æui planta ante hyemem, imò antè Autumnum etiam, perit: floret Iunio & Iulio: Semen iiſdem menſibus maturat in horto Montbelgardi. Monſpeſſuli florentem obſeruaui Octobri.

*Condrilla foliis hirſutis, flore vnico, magno, luteo.*

Deſcriptio

CHondrillę hæc ſpecies eſt *foliis* ſeſquiunciam latis, longioribuſque, in terræ ſuperficie ad radicis ſummum diſperſis, hirſutis, in ambitu laciniatis, *caule* cubitali, amplioreque, tereti, ſtriato, recto, *florem* vnicum proferente, magnum, luteum, in alabaſtrino velut calyce detentum.

*Chondrilla radice candidulâ, floribus luteis paruis.*

Deſcriptio

CHondrillæ ſpecies *radice* candidulâ, exiguâ, parùm fibratâ: *folia* priora circa radicem diſpergens, tria, quatuorue, oblonga, ex tenui pediculo protenſa, integra, non diſſecta, paucis ac exiguis quaſi ſpinulis in ambitu prædita: quibus ſuperadduntur mox alia tria, quatuor, quináve, longiora, in lacinias [quæ tamen maiore interuallo à ſe inuicem dirimuntur, atque in altera Matthioli ſpecie,] diuiſa, hæcque rurſus conſimilia alia, ſed breuiora, pauciora & aliquantulùm tenuiora per caulem [qui obliquè diſtorquetur ac teres quidem eſt, ſed euidenter ſtriatus, cubitalis fermè] conſequuntur: *flores* huic ſunt lutei, parui. Reperitur in locis pratenſibus montium.

*Chondrilla maior & minor, flore Tragopogonis luteo.*

Deſcriptio

Chondrillarum generis ſpecies quædam maior, *caule* procero, ſtriato, bicubitali, qui in ſummo in aliquot brachia diuiditur, quorum quodlibet *florem* ſingularem profert luteum Tragopogonis floris inſtar. *Folia* caulis exerit pauca, longo interuallo ſe conſequentia, longa, lata: quorum inferiora in ambitu patum ſubinde exſcinduntur, ſuperiora verò profundiùs circumroduntur, infrequentiùs tamen id quàm in Chondrilla ſecunda Dodonæi accidit. Huius repetitur & alia ſpecies

ſpecies flore conſimili, caule item, ſed foliis deſtituto: ea verò pauciora numero humi recumbunt, quorum prima lata quidem aliquantulùm ſunt, ſed ſubrotundiora, reliqua longiora conſpiciuntur, ac in ambitu circumroſa, ſed non profundè, nec admodum crebrò.

*Minor alia* Huius generis & minor reperitur ſpecies, *radice* parua, lignoſa, fibris paucis conſtâte: *caule* unico, recto, cubitali, ac aliquantulùm procerìori, tereti, tenui, læui, foliis carente, quæ ſolummodò humi reclinantur, numero ſex, ſeptem, octo, nouem, decem, paulóque plura, quandoque quadrantalia, in ambitu circumroſa modicè. *Florem* itidem hæc Tragopogonis æmulum profert & vnicum.

*Chondrilla caule hiſpido, nodis multis prædito.*

*Deſcriptio* Chondrillę alia ſpecies, paulò ab hinc iam dictę minoris (huius ſcilicet generis) ſpeciei fermè æmula: *radice* paruâ, fibratâ, nigricante: *caule* craſſo, ſtriato, parum hiſpido, nodis multis prædito, ex quibus emergunt *folia* oblongiora, viridiora, circumroſa aliquantulùm, ſcabra, hirſuto dorſo prædita.

*Chondrilla caule cubitali aſpero, floribus pappaceis.*

*Deſcript.* Chondrillæ ſpecies *caule* cubitali, aſpero, ſtriato: *foliis* quadrantali longitudine, humi ſparſis, quaternis, quinis, ſenis, ſeptenísue, in ambitu circumroſis modicè: iis verò, quæ caulem conſcendunt, excisis, ita vt in ambitu euidenter laciniæ inde relinquantur: *floribus* paruis, pappaceis, agminatim in ſummo caulis conſtitutis, quorum ſingulus peculiari petiolo innititur.

*Chondrilla minor foliis in dorſo rubentibus.*

*Deſcriptio* Chondrillæ cuiuſdam minoris ſpecies, *radice* ſingulari, quandoque & bifidâ, mediocriter craſsâ, digiti parui longitudine, fibratâ, nigrâ: *folia* exerit parua, læuia, carnoſa, oblongiuſcula, integra, recurua, anguſta, in dorſo rubentia, numero quaterna, quina, ſena, ſeptena, octona etiam quandoque. *Coliculum* producit incuruum, rubicundū, digiti minoris longitudine, vnico donatum *flore* luteo, Tragopogonis fermè alicuius modo. In pratis pinguioribus naſcitur.

*Chondrilla parua, flore ſingulari, caule foliis prorſus deſtituto.*

*Deſcriptio* Chondrillæ paruæ ſpecies, *radice* paruâ, fibrata, ex nigro ſubrubente: *foliis* quadrantali longitudine, humi procumbentibus, aſperis, mediocriter latis, viridibus, confractu facilibus, ſenis vel ſeptenis, nonnunquam octonis: *caule* palmari, paulóne longiore, tenui, tereti, aſpero, modicè cacumen recuruante, foliis prorſus deſtituto: *flore* ſingulari, ſimili Chondrillæ Dodonæi alterius.

*Chondrilla foliis in ambitu quaſi ſpinoſulis.*

*Deſcript.* Chondrillæ alterius alia ſpecies, *radice* candida, lignoſa, inutili: *caule* cubitali, minoréque vt plurimùm, tenui, ſtriato: *foliis* donato paucis, viridibus, oblongiuſculis, mollibus, integris, in ambitu quaſi ſpinoſulis, flore luteo. In Stolbergenſibus apricis montibus.

## HIERACIA VETERVM.

### CAP. V.

Hieracii, vel Hieraciæ fœm. gen. vt apud Aetium & Homerum legitur (referente Hermol.) magni & parui meminit Dioſcor. his verbis. Hieracium magnum *caulem* producit aſperū, ſubrubrum, ſpinoſum, cauum: *folia* habet ex interuallis rariùs fiſſa, Sŏcho per ambitum ſimilia: *flores* melinos in oblongis capitibus. Vim habet refrigerantem modicè adſtringentem. Quare ſtomacho æſtuanti, & inflammationibus commodè imponitur. At ſuccus ſi ſorbeatur, ſtomachi roſiones mitigat. Herba ipſa cum radice impoſita, à Scorpione ictis auxiliatur. Hieracium paruum folia etiam ipſum ex interuallis fiſſa per ambitum habet: caules producit teneros ac virides, in quibus flores melini circulum abſoluentes. Vim habet & ipſum eandem cum prædicto. *Hierac. magnum Dioſc. Soncho ſimile* *Vires* *Paruum.*

Plinius lib. 20. cap. 7. de Lactucæ ſpontè naſcentis generibus agens. Ex his, inquit, rotunda folia & breuia habentem, ſunt qui Hieraciam vocēt quoniam accipitres ſcalpendo eam, ſuccóque oculos tingendo, obſcuritatem quum ſenſêre diſcutiant. Eſt igitur ex Lactucæ generibus Hieracium. *Lactuca ſpontanea Plinio. Hierac vnde dictum.*

Galenus in ſimpl. cenſu id præteriit, velut ſub Lactuca comprehenſum. Ita etiam Aëtius & Paulus. *Lactuca*

Ἱεράκιον Dioſcoridi (inquit C. Bauh. Phyt.) Accipitrina, ab accipitre qui ἱέραξ nomen habet, cognominatur. Dicitur & σογχίτης. Hieracium quidem ab accipitre nomen habere teſtatur Turnerus, ſed propterea fortè quod pappi eius vtiles ſint ad vomitum accipitribus ciendum. *Accipitrina. Sonchitis*

Hieracii nomine plures donantur plantæ, facie & facultatibus admodum diuerſæ. Plinius enim (teſte C. Bauhin.) hoc inter Lactucam ſiluaticam refert, & cum ea confundit. *Æquiuoca*

Quam nos Lactucam muralem luteo flore inſcripſimus, Cæſalp. Hieraciam vocat. Condrillam Creticam Geſn. de hortis Hieracium maius Creticum ſatiuum appellat. *Lactuca ſilu. Lactuca muralis Condrilla Cretica*

Bugloſſum luteum an ſit Hieraciū maius Creticum, quærunt nonnulli: verùm fruſtrà. Eſt Hieracium cum capitulis Cardui benedicti. *Hierac. cum capitulis Cardui benedicti*

Reperitur Hieracium quoddam Sabaudicum montanum, cuius meminit Lob. in Adu. Obſ. & Ic. Plantar. Item Camer. hort. & Caſp. Bauhin. Phyt. Hieracium grandius apud Belgas Cluſii, Cichoreum luteum montanum anguſtifoliū hirſutie aſperum C. Bauhin. Phyt. eiuſdémque Cichoreum luteum pratenſe hirſutum, eſt Hieraciū maius noſtrum hirſutum aſperum. *Hieracium Sabaudum*

Eſt Hieraciis affine Cichorium luteum. Hieracium maius Fuchſii, Dodon. Lobel. Lonic. Camer. Thalii: Caſp. Bauh. & aliorum, eſt Sonchus repens noſtra. *Sonchus repens*

Hieracium magnum venenatum à Pona miſſū, an eiuſdem in Baldo Hieracium Intybaceum flore carneo? *Hieracium magnum venenatum*

Hieracium foliis & facie Condrillæ Lobelii, eſt Hieracium minus quorundam. *Hierac minus quibuſdam*

Hieracium minus alterum ſeu Morſus diaboli, à nobis inſcribitur, Hieracium minus radice præmorſa. *Hierac. minus radice præmorſa.*

Piloſellam maiorem Gallorum Pontani Thalio, ſeu Coſtam herbam in Italia, alibi *Ingraſſiam di Porci* vocatā, vt arbitratur Camerarius, depinxit Cluſius inſcriptione Hieracii latifolii (huic titulo nos addimus) ramoſi, hirſuti. *Hierac. latifolium ramoſum hirſutum*

Qui vulgo in Hetruria Terracrepolus vocatur,

nobis,Sonchis affinis Tetracrepola.

Hieracium longius radicatum Lobelii, eſt Hieracium noſtrum minus Dodon.longâ radice.

Hieracium intybaceum Tabern.dicitur nobis Hieracium macrocaulon iunceum.

*Hierac. macrocaulon iunceũ.*

Haberur & Hieracium maius latifolium Cluſii, & alterum genus anguſtioribus foliis.

*Hieracium maius latifolium Cluſii.*

Hieracium Britannicum Cluſii, quod Londini Cichorium montanum nuncupabant, an Hieracium latif. montanum Geneuenſe.

*An Hieracium latif.montanum Geneuenſe.*

Hieracium monranum latifol. minus Tabernamonrani, appellamus Hieracium larifol. glabrum ex valle Grieſbachiana ramoſum.

Hieracium eſt nobis 5. alpinum hirſuro folio, Cluſio quodammodò incano.

*Hieracium montanum*

Hierac.montanum vel ſextum Cluſii,& aliud genus foliis nonnihil laciniatis.

*Hieracium florem inclinans*

Hieracium minimum vel octauum Cluſii, eſt Hieracium noſtrum florem inclinans: Hierac. Lobelii facie Hedypnois.

*Hedypnois*

Hieracium maius Dioſcoridis Tragi, Hieraciũ minus Geſn.de hort.coll.ſtirp.& in Car.pl.Lonic. Cordi in Dioſc.& Euch.Roeſlin.rectè a nobis inſcribirur Hedypnois,ſiue Dens Leonis.

*Hieracium Narbonenſe.*

Inrer alia Hieracia eſt nobis Narbonenſe rotundifolium monoclonum.

Hieracium foliis & floribus Denris leonis Lobelii, Hierac.7. ſiue montanum laciniaro folio Cluſii, an Hieracium monoclonum hirſurum.

Hieraciis affines Intybi Species rredecim tradit Thalius.

Cluſius quoque dubirat in Pann.an eius Scorzonera 4.ſiue humilis fibroſi radice ſir referenda ad Hieracii genus aliquod. Inſcribirur hæc à nobis Trogopogonis ſpecies,ſiue Scorzonera &c.

Hieracium Narbonenſe falcatâ ſiliquâ nominamus Hieracium ſtellatum.

*Hierac. ſtellatum*

Sed & Cichorium balboſum in Aduerſariis Lobelii Hieracium marinum Dioſcoridis alterum cognominatur.

*Cichorium bulboſum.*

Geſnerus tandem inter aſcriptitia Dioſcoridis Dracunculum Hieracium appellar.

*Dracunculus.*

---

## HIERACIVM MVLTIS, ALIIS Cichoreum lureum, hirſurum & glabrum, vel minus hirſutum.

*Hieracium luteum hirſutum.*



Deſcriptio

FAcie tota Cichoreo ſylueſtri proximum, *radices* craſſas habet & longas, fibratas, lac fundentes amarum: vnde *caules* plures ſurgunt cubitales & pluſquam bicubitales, mulris alis concaui, canaliculari, rubentes, aliàs admodũ hirſuti, aliàs ferè glabri, inanes: *folia* ortu primo tam Cichoraceis ſimilia, vt diſtinguere ſit difficile, præſertim in eo genere quod folia habet hirſuta: fit enim nonnunquam, vt, præterquam per nerui longitudinem, reliqua folii pars glabra ſit: ſunt ea autem Cichorii modo ſinuoſa, aliàs Dentis Leonis ritu profundiùs inciſa: *flores* pediculis ſinguli donati, Lampſanæ florum forma, nonnihil maiores, ſimilirer lutei, ex capitulo canaliculato hirſuto, qui in pappos abeunr. *Semen* relinquitur minutum, ſtriatum, fuſcũ. Icon prior à nobis propoſira eſt ex Fuchſianis: ſecunda Lobelii ab eo pro Hedypnoide Plinii exhibita.

*Hieracium luteum glabrum, ſeu minus hirſutum.*



*Icon.*

Synon. *Hedypnois.*

Dodon.gall. Hedypnois, Intybi 4.ſpecies, Hedypnois Plinii, German. Geel wegwart, Gall. *Cichoree iaulne.* Belg. geel Cicoreye. Deſcriptio Dod. cõuenit cũ noſtro Hieracio, vbì locis cultis & humidioribus prouenir, licèt figuræ flos maior videatur, & in deſcriptione minor dicatur flore Dentis Leonis.

*Dod taxat.*

*Hedypnois Plinii.*

Lobel.in Aduerſ. Hedypnois Plinii, Cichorium luteum pratenſe, Dentis Leonis flore, Hieracii folio: & an eadem ſit Verrucarium Cichorium, lureo flore, & ſulcatis capitulis? Obſ. Hedypnois Plinii, Aphaca Theophraſti. Lobelium neſciuiſſe de qua planta ſcriberet ſaris ex eo apparet quòd dubitat in Aduerſ. an ſit Cichorium verrucoſum, & in Obſeru. cùm putauit Zacintham eandem planram cum Condrilla Cluſii. Figura quam aſſumpſit pro Hedypnoide Plinii eſt ex Dodonæo. Plant.icon. Hedypnois Plinii & Aphace Theophraſti: Cichorium lureum prarenſe Dentis Leonis flore, Hieracii folio. Item Hieracii folio. Item Hieracium foliis & facie Condrillæ. Prima figura eſt Dodonæi minus hirſutum demonſtrans & cultum.

*Aphaca Theoph.*

*Lobel. not.*

Matth. in hiſt.Germ.& Epit. iconem habet hapro Chondrilla 1. klein Sonnenwirbel / quã retinuir Camerarius quæ nobis viderur exprimere poriùs Hieracium, de quo hic agimus quod penè glabrum.

*Aphace.*

An Cam.hort. Chondrilla tota hirſuta frequens in Haſſia, quàm in cibo coctam, & acerarii quoque inſtar conditã, auidè comedunr? Item Hieracium foliis & facie Chondrillę Lobelii? An Chondrillę nomine intelligat Hieracium hirſutius aſſerere non auſim: lectores diiudicent.

An Thal Intybi ſilueſtris ſeu Cichorii ſylu.flore luteo ſpecies quarta.

Lectoribus conſiderandum relinquo an Tabern. Dens leonis terria de qua in Icon.& Hiſtor. non ſir eadem planra cum Dodonæi Hedypnoide. Is autem in hiſt. per Hieracium Chondrilloides

idem

idem fortè intelligit quod Lob., verùm exactam deſcriptionē non habet, quâ diſtinguat ab aliis, nec iconē, ſed pro icone, ſub N. 11. neſcio quo errore ſcriptum, Blauw habichtkraut Hieracium cæruleum: in deſcriptionibus nullius coerulei Hieracii fit mentio.

*Cichorium luteum*

C.Bauh.Phyt.Cichorium 9. ſiue luteum alterū, vel Hieracium minus glabrum. Hedypnois Dod. Hedypnois Plinii. Item Hieracium 14. ſiue Chondrillæ folio maius: *Apud Matthiol.* Hieracium maius Matthiol. Fuchſ. Dod. gall. Lac. Lob. Caſtori, Tab. Hieracium magnum Cæſalp. Hieracium minus Dalemchampii: Lugd.

*C.B.not.*

Taraxacon maius Lonicero. *Frater* proponit pro Hieracio maiori Matthioli iconem Tabernamontani Hieracii maioris: verùm ea differt multùm à Matthioli icone, à Fuchſiana, à Dodonæi, à Lacunæ, à Lobelii, à Dalecham. & Loniceri: hi enim omnes proponunt iconem Sonchi noſtri repentis. Deſcriptio apud Cæſalpinum non videtur malè conuenire Soncho noſtro.

*Dens leonis*

Gerard. Dens leonis Cichorizata, Succorie den de lion. Item Hieracium maius Dioſcor. Great hawke weede. Iconem habet propoſitam à Tabern. pro Dente leonis tertia, ſicuti etiam Hieracii eo titulo exhibiti: cur titulos mutat abſque figuris?

*Gerard. not.*

Lonic. habichskraut/ wilde ſawdiſtel ἱεράκιον maius, Accipitrina, Apulei Lactuca ſilu. Pharmacopœorum Cichorea lutea. Lonicerus Hieracii hiſtoriam habet, quæ noſtro Hieracio mahis hirſuto conuenire poſſe videtur, licèt figura non reſpondeat, eſt enim Sonchi repentis.

*Lonic. taxatur.*

An Cluſio in Pann. & Hiſtor. poſt. Hieracium grandius apud Belgas. An Thalio Intybi ſilueſtris, ſeu Cichorii ſilueſtris flore luteo, foliis integris, ſpecies quarta? Hieracium multis, hirſutum valdè, Geneuæ abundat florens mēſe Maio. Monſpelii Martio & Aprili. Montbelgardi abundat in Horto E.C. florens Iunio ſpontaneum, ſemine cum pappis decidentibus Iulio. Id etiam Baſileæ inueni cū flore menſe Octobri quà itur Mouters, & propè fluuium Birſam, hoc glabrum eſt, aut ſaltem non ita hirſutum vt aliud quod maius hirſutum dicimus, modò paruum modò magnum. Hieracium vulgare glabrum copioſè naſcitur in agris Baſileenſibus, vbi florere ſolet adhuc menſe Nouembri.

Locus & tempus.

## HIERACII PARVA SPECIES HYOSERIS anguſtifolia aſpera.

Deſcriptio



Exiguâ, ſed craſſiuſculâ donatur *radiculâ*, ſuccisâ nonnihil, ac ſi præmorſa eſſet, pluribus fibris ornatâ: *foliis* longis & anguſtis, hirſutis, in terra ſparſis: *caulibus* duobus aut tribus, glabris, è radice prodeuntibus, nō multò plùs palmum longis, verſus ſuperiora, vt plurimùm; in binas alas diuiſis; quarum extremitatibus inſidet *flos* vnicus luteus, plenus, ſatis magnus: tota planta amaricantis eſt *ſaporis*, Tabern.

Tab.icon. Hyoſeris anguſtifolia: Hiſt. Hyoſeris altera, klein ferckleín kraut/ Hyoſeris anguſtifolia. Hyoſeris fœmella. C.Bauh.Phyt. Hieracium 22. ſiue minimum anguſtifolium.

*Synonyma. Hyoſeris anguſtifolia ſiue fœmella*

Lucos multùm amat: frequens etiam in ſolo arenoſo, gramineo, & ſecus vias.

## HIERACIVM PVLCHRVM.



Deſcriptio.

Ad Dentem leonis laciniis & Cichoriū ſilueſtre accedūt huius *folia*, formâ & hirſutie, prima verò minùs laciniata, alia alternatim per caulem, at ſaporem nullum manifeſtum guſtanti offerunt; quóque altiora eò minora redduntur: *Caulis* vnicus, rectus ſtriatus, cubitalis hirſutus, *foliis* alternatim orientibus amictus, quæ ſine pediculo latam habent baſim cum alis: *flores* in cacumine numeroſi, ex pediculis propriis, Hieracii ſimiles, lutei, in pappos faceſſentes: *radix* non magna cū fibris aliquot craſſiuſculis. Hoc Hieracium vidimus monſpelii florens Maio.

## HIERACIVM ERVCÆFOLIVM hirſutum.



Deſcriptio.

Hieracium à Genero Cherlero nobis delatum, quod vt Hieracium noſtrum pulchrum ſingulari aſſurgit *caule* ad altitudinem pedalem, penitùs hirſuto, *foliis* veſtito etiam hirſutis, vncialibus, aut ſextantalibus, cineracei coloris, laciniis Cichorii Erúcæue circumroſis, extremò folii ferè triquetro. *Flos* in ſummo caule vnicus aureus maiuſculus.

## HIERACIVM PVLCHRVM RAMOSVM Sprengerianum.

Inter ſiccas meas herbas plantam perelegan-

tem adſeruo ſeſquicubitali altitudine, necdum integram, piloſam, aliis minoribus ramis, alterno ſitu ex longa diſtantia brachiata, ad quorum alas *hærent* infernè quidem ex principio anguſto longa, ac dodrantalia, ferè ſeſcunciam lata, profundis & amplis inciſuris ordine quodam ſerrata, ac penè laciniata, neruo inſigni per medium excurrente: supernè verò *folia* breuiora lato principio ac veluti alis caulem amplectuntur perfoliatæ inſtar. *Flores* in ſummitatibus lutei quales in Hieraciis in ſingulis ramis quini, ſeni, plùs minùs, qui temporis progreſſu in *pappos* fatiſcunt. Tota planta piloſa potiſſimùm in extremis ramis in quibus pili longiores: Pictor non ſatisfecit nobis, pauciores pinxit flores. — Deſcrip. — Icon.



Hanc plantam collegimus Heidelbergæ in cultiſſimo horto inſignis Pharmacopœi & Botanici D. Sprengeri, florentem Iunio. — Locus & tempus

## SONCHVS LANATVS Dalechampii.



IN cubitalem altitudinẽ & ampliorem excreſcit, *foliis* per *caulem* craſſiuſculum piloſumque fortuitò diſpoſitis, duarum triúmue vnciarum longitudine, culmi latitudine, nonnihil ſinuatis & ſubinde veluti corroſis, ad cyani folia nõnihil accedentibus neruo vnico ſecundum longitudinem excurrente, tomentoſis, nullo pediculo nixis, ad quorum radices ramuli enaſcuntur: ſuperior pars caulis ramoſior in plurimos ſurculos molli lanugine obſitos diuaricatur: *flores* gerens aureos Erigerontis, tandem in *pappũ* fatiſcentes, calycibus circumdatos, tomento delicato & molli pubeſcentibus: *radice* nititur ſatis craſſâ & longâ, non multùm fibroſa, planta ſicca nonnihil amarâ: Interdum hæc palmaris eſt foliis minoribus laciniatis. — Deſcriptio — Varietas.

Hiſt. Lugd. Sonchus lanatus. Quidam Molluginem appellant, quamuis à Plinii Mollugine diuerſa ſit. — Mollugo.

C. Bauh. Phyt. Sonchus 11. villoſus luteus.

Monſpelii propè Peraux inueni, in ſaxoſis & apricis, florens Iunio menſe. — Locus & Tempus.

Tota planta lacteo ſucco turget, Cichorii more, guſtuque amaro prædita eſt, ſed minùs quàm reliqua Cichorea, quorum & facultatem obtinet, licèt imbecilliorem.

## HIERACIVM LATIFOLIVM MONTAnum Geneuenſe folio Conyzæ maioris Monſpeſſ.



CAules edit plures cubitales, ac etiam maiores, cauos, craſſos, hirſutos, qui ſuperiùs in aliquot breues ramulos diuiſi, *flores* gerunt luteos, magnos, Hieracii capitulis aſperis pares: tandem in *pappos* euaneſcentes: *folia* infima Conyzæ Monpeſſulanæ maioris foliis paria, palmari circiter longitudine, vnciam lata, ſinuata nonnihil, & quaſi ſerrata, per caulem alternatim ſunt diſpoſita, caulem modicè amplectẽtia, hirſuta, potiſſimùm parte inferiore, minùs tamen aſpera quàm Hieracium aſperum. *Radices* fibroſæ, craſſiuſculæ, nigricantes & craſſis capitibus. Suſpicamur hoc traditum à Cluſio pro Britannico. — Deſcriptio

C. Bauh. Phyt. Hieracium 6. ſiue Conyzæ folio caule purpuraſcẽnte. Hieracium Britannicum Cluſii. An Hieracium montanum maius latifolium Tabernamontani? *Hieracium* Tabern. ſeparo à Cluſii & noſtro Geneuenſi: quia Tabern. folia non habet Conyzæ: ſunt etiam Tabern. autore folia tenuia & mollia, ſiue non rigida. — Hierac. Conyzæ folio. — C. B. not.

Hieracium latifolium inueni in montibus circa Geneuam folio Conyzæ Monſpeſſulanæ maioris. Hieracium Britannicum Cluſii, impensẽ amara eſt planta, nuſquam ſponte naſcens ipſi conſpecta: ſed Londini duntaxat, in hortis Doctiſſ. virorum Ioannis Richæi & Hugonis Morgani Pharmacopolarum Regiorum, ex borealibus Britanniæ regionibus, in quibus ſponte creſcit, delata. Floret Iunio & Iulio, ſemen Auguſto maturum. — Locus.

## HIERACIVM PANNONICVM LATIFOLium 1. Cluſio, Piloſellæ maiori, ſiue Pulmonariæ luteæ accedens, maculatum & non maculatum.

HVIC quina aut ſena ſunt *folia*, humi ſtrata, lata, Intybo ſatiuo latifolio non multùm diſſimilia, per ambitum nonnihil ſinuoſa, interdum etiam laciniata, mollia, hirſuta, nigricantibus — Deſcriptio

bus maculis ſæpiſſimè infecta, interdum minimè, lacteo ſucco turgentia: è quorum medio



*caulis* exit cubitalis, cauus, raris foliolis ſeptus: in quo plerumque vnicus (interdum alter & tertius) *flos* ex craſſiuſculo calyce, nigráque lanugine hirſuto emicat Hedipnoidis flori ſimilis, ſed pallidior, plenus, aliquárulùm odoratus: *ſemen* oblongiuſculum, fuſcum, papposâ comâ, vt in Tragopogo, præditũ, quod maturum leuiſſimo flatu diſpergitur: *radix* illi minimi digiti craſſitudine, nigro atque craſſo cortice obducta, lactei ſucci plena.

Cluſ.in Pann.& Hiſt.poſt. Hieracium Pannonicum ſiue latifolium primum.

*Coſta. Ingraſſia di porci. Piloſella maior Gallorum.* Camer.hort.*Coſta* herba in Italia alibi *Ingraſſia di porci*, & quantùm ex icone cognoſcere poſſum, conuenit cum Hieracio latifolio Cluſii. Item Hieracium latifolium Pannonicum. Item apud Thalium, Piloſella maior Gallorum Thalii, quam vt arbitratur, depinxit in Pann.Cluſius cum inſcriptione Hieracii latifolii.

An Thal.Harc.Piloſella maior Gallorum, ſicut plantam nominabat?

*Hierac. phlomoides.* Tab icon.& Hiſt.Hieracium phlomoides wůl habichkraut: is macularum non meminit.

Aſſumpſimus figuram Cluſii, in qua 4.tantùm folia, quia defuit nobis virens, poſtea Deo fauẽte melior icon proponetur.

C.Bauhin.Phyt.Hieracium 2. ſiue latifolium hirſutum maculatum.

Gerard. Hieracium 1.Cluſii, The firſt haukeweede of Cluſius.

Locus. Inuenitur pleríſque Hungariæ, Auſtriæ ſuperioris, atque Morauiæ montibus, gramineis & ſimul apricis locis, ſiccioribúſque pratis. Inueniebam etiam (inquit Cluſ.in poſt.Hiſt.) & maculis liuidis, & nullis maculis inſignito folio, ſiccioribus circa Francofurtum pratis. Floret Maio, ſemen plerumque maturum Iunio.

*Hieracium maius latifolium Pannon.2.Cluſii.*

Deſcriptio. Cubitales atque etiam bicubitales interdum ſunt huic *caules*, firmi, rotundi, quadam lanugine obſiti: quos inordinata, ſiue confuſo ordine naſcẽtia, multa ambiunt *folia*, tres vncias aut ampliùs longa, vnum lata, mollia, in ambitu dentata, lacteo ſucco plena: ſummus caulis in aliquot ramulos finditur, ſuſtinentes imbricata capitula, è quibus prodeunt *flores* lutei, denis, duodenis, aut pluribus foliolis, extimâ parte inciſis, conſtantes: medium occupantibus multis luteis fibris: *radix* minimi digiti craſſitudinem æquat, multíſque tenuibus fibris capillata, ſingulis annis augeſcit, & ad latera nouos, frequentioréſq; caules profert.

Genus aliud. Eius genus inuenitur graciliore caule, anguſtioribus, & vix ſemunciam latis foliis: in reliquis conueniunt.

Synonyma. Cluſ.Pann.& Hiſt.poſt. Hieracium maius latifolium ſiue Pannonicum ſecundum.

C.Bauhin.Phyt.Hieracium 3. latifolium foliis mollibus & dentatis.

Locus. Naſcitur cum ſequenti in extremitatibus ſicciorum pratorum inter vepres, etiam ad cæduarũ ſiluarum margines.

*Hieracium maius anguſtifolium Pannonicum 3. Cluſio.*

Deſcriptio. Cubitales & huic aſſurgunt *caules*, rotundi, ſuperioribus minùs craſſi, & frequentiore aſperioréque lanugine obſiti: quos ſimiliter ambiunt cõfuſo ordine multa *folia* ſuperioribus anguſtiora, breuiora; atque etiam dura, nec minùs lacte turgentia, ſummus caulis diuiditur quoque in ramulos imbricata capitula ſuſtinentes, è quibus exoriuntur *flores* ſuperiori ferè ſimiles: *radix* non adeò craſſa quàm ſuperioris, ſed non minùs fibroſa, nec in nouis prolibus educandis minùs fertilis. Varietas. Illius etiam genus alterum obſeruauit author anguſtioribus foliis & multò lõgioribus, licèt non minùs duris, quod alioqui tota quodãmodò facie ipſi reſpondet.

Synonyma. Cluſ.Pann. & Hiſt poſt. Hieracium maius anguſtifolium, ſiue Pannonicum tertium.

C.Bauhin. Phyt. Hieracium 4. anguſtifolium caule aſpero.

*Hieracium alpinum hirſuto folio 5. Cluſ. quodammodò incano.*

Deſcriptio. Aliquot ſunt huic *folia* è radice prodeuntia, vncialis ferè latitudinis, oblonga, molli criſpáque lanugine admodum hirſuta, & quodammodò incana, lacteo ſucco prædita: è quorum medio *caulis* pedalis plerumque emergit hirſutus, quem per interualla ambiunt *folia* ſuperioribus breuiora, at triplo latiora, & in mucronẽ deſinentia, non minùs quàm illa hirſuta, aut lacteo ſucco prægnãtia: vnicum in ſummo fert capitulum



è multis hirſutis & incanis foliolis compactum (nonnunquam in lateribus alterum & tertium) quod in *florem* ſeſe explicat Hieracii floribus ſimilem, multis foliis luteo colore præditis conſtantem, qui deinde in pappos cum ſuo breui & nigro *ſemine* euaneſcit: *radix* nigricat, multis cãdicantibus fibris prædita eſt, & ſingulis annis nouos caules profert. Tota planta admodum amara eſt.

Synonyma. Cluſ.Pann.& Hiſt.poſt.Hieracium 5.alpinum

hirſuto folio. An porrò (inquit Cluſ.in poſt.hiſt.) ea planta quam Dalechampius Sonchum lanatum appellat?

C.Bauh.Phyt. Hieracium 5.montanum hirſutie incanum. Camer.hort. Hieracium 5. Pannonicum. Gerard. Hieracium 5. Pannonicum. Cluſii, kind of hauk weede. Tabern.Ic.& hiſt.Hieracium la..chum montanum.

Locus & tempus. Inuenitur i.. herboſis Alpium iugis, vbi Iulio, interdum etiam Auguſto floret: at in hortis Maio, ſemen verò Iunio perficit. Prouenire obſeruauit Tabern. in Veſchgeburg, & in Schwartzwald [Harcynia] iu ſupremis montibus inter Greyßbach, Autegaſt & Ribelsawer fontes acidos.

## LAMPSANA VETERIBVS.
### CAP. VI.

Lampſana (ita tradente Dioſcoride) ſilueſtre olus eſt, plus alens, ſtomachóque vtilius, quàm Lapathum. Huius *folia & caulis* cocta eduntur. Hanc Romani Napium, Ægyptii Euthine vocant, Græci, inquit Hermolaus, Lamſanem. *Napium. Euthine.*

De Lampſana Plinius lib.19.cap.8.hæc ſcribit. Nec non olus quoque ſylueſtre eſt trium foliorũ, Diui Iulii carminibus,præcipuè iocis militaribus celebratum. Alternis quippe verſibus exprobrauere Lapſanâ ſe vixiſſe, apud Dyrrachium, præmiorum parſimoniam cauillantes. Eſt autem id Cyma ſylueſtris. *Et rurſus* de eadem lib.20.cap. 9. Inter ſylueſtres Braſſicas & Lapſana eſt,pedalis, hirſutis foliis, Napi ſimillimis, niſi candidior eſſet flore. Coquitur in cibo: aluum leniter emollit. *Lapſana.*

Galen. lib.2. de alim. de Lapſana nihil dixit, velut ſub Braſſicæ generibus comprehenſa. Verùm 7.ſimpl.Pharm. Lapſana,inquit,ſi edatur malum ſuccum gignit. Si verò imponatur,extergendi ac diſcutiendi vim quandam habet.

Aequiuocá. Lapſanæ porrò nomine plures non ſolùm,imò penitùs diuerſas meminimus diuerſos Autores referre plantas.

*Lampſana Dodon.* Dodonæus Lampſanam ſtatuit plantam, quæ teſte Lobelio potiùs Hieracii congener, aut Sonchis cognata videtur.

*Braſſica* Pro Lapſana Cornarius exhibet Braſſicã, quæ opinio non placet, vt indicatum eſt lib.1.H.n.g.

*Rapiſtrum flore luteo.* Veram Lapſanam Lob.Geſn.& alii Rapiſtrum flore luteo eſſe exiſtimant,poſt Rapas à nobis lib. 21.deſcriptum.

Rapiſtrum album Lampſanam vel lapſanam vocant Riff.in Dioſc. Turn.in Herb.Angl. Geſn. de coll. ſtitp. & in cat. pl.ac Schuenckfeldius.

*Fagotriticum.* Lampſana vera quorundam, Ocymum Veterum Tragi Lob.Obſ.eſt Fagotriticum noſtrum.

*Apium.* λαμψάνη Rob.Conſt.in Lexico eſt Apium.

*Galla.* Lapſana cur dicatur Euſtach. & Euchario Roeſſlin de galla, mihi non conſtat.

Lapſana agreſte olus Cordi, ex Braſſicæ genere, Germanis Rinköl appellatum, quo ſe apud Dyrrachium victitaſſe milites Cæſari in triumpho exprobrauerunt,quid?

## LAMPSANA DODONÆI.

Lac fundit amarũ vulnerata, ſiue *radice* quàm habet albam & digitalem,ſiue *caulibus* quos ſupra cubitum erigit, hirſutos rubentes,ramoſos, concauos: ſiue *foliis* denique, quæ Barbareæ dictæ inſtar formata habet, ſed mollicella,hirſuta: *flores* autem ſtellati,lutei, Hieracii,ſed parui: qui in *pappos* illi ſimiliter abeunt. Deſcriptio

Synonyma Dodon.gall. Lampſana,ab aliquibus Napium appellata. Ruellio,ni fallor dicitur Chryſolachanum Plinii. *Napium. Chryſolachanum Plinii.*



Geſn.hort. Sõchis cognatum olus, Tigurenſibus Milchey vocatum. *Sonchis cognatũ olus.* Lobelio in Aduerſ. Lampſana Dodonæi, qui ait perperam à Dodonæo Lãpſanæ nomine eſſe exhibitam, quia neutiquã Sinapi, Napis, aut Braſſicis congener, ſed potiùs Hieraciis. Obſ.&Ic. plant. Lampſana. *ſed* hoc mirum cur Lobel. nunc faciat Lampſanam, cùm in Aduerſariis negarit, nec ſine ratione.

Camer.hort. Lampſana Dodonæi, lacteſcens planta, paſſim obuia, in Pruſſia Papillaris nominata.

Tab.icon. & Hiſt. Sonchus ſiluaticus 1.wildt Sonchenkraut: Sonchus ſiluaticus 2. Sonchus ſiluat.3.

Gerard.Sonchus ſiluaticus woed Sowthiſtle.

C.Bauh.Phyt. Lampſana 1.varians foliis, aliquãdo prorſus integris,aliquando in lacinias aliquot diuiſis: an hanc Dioſc. intelligat cogitandum. Item: Lampſana 2.ſiue ſiluatica, Sonchus ſilu.2. Tabernamontani. *Ego* has duas non ſeparo: luſum enim naturæ duntaxat eſſe exiſtimo: quod de Tabern.tribus ſpeciebus etiam dictum ſit.

Schvv.Lampſana, λαμψάνη Dioſcor.papillaris, wild Sonchen kraut / Rein köl / Milchen. Foliis integris & lacinioſis. *C.B not. Ge & Tab.*

Parietinis, ruderibus, aruorum & hortorum marginibus frequentem tradit eſſe Schvvenckfeldius: quod & ego obſeruaui.

Efficax eſt in ſanandis papillis exulceratis,vnde & nomen Papillaris ſortita eſſe videtur. Reſiccat,abſtergit, & digerit. Papillas exulceratas impoſita ſanat.

## HIERACIVM CAPITVLIS CARDVI benedicti, maximum Bugloſſum echioides quibuſdam.

Multifidâ *radice* nititur, craſſitudine digitali, albâ,lac amarum fundente: *caulis* bicubitalis radicis craſſitiẽ æquat,ſtriatus,rubens,denſiſſimis ſpinis acutis, rigidis,ſed facilè caulem relinquentibus horrens,ſuccum itidem lacteum è vulnere fundens, ramis compluribus brachiatus: *folia* Bugloſſæ, ſinuoſa, longa, multò magis ſpinis minacibus horrida: *flores* Hieracii, crocantes,in pappum faceſſentes, è calyce,thorulis hiſpidis Deſcriptio

ſpidis canaliculato. Noſtram iconem meliùs pictam ſculptor corrupit.

*Hierac. echioides. Bugloſſum luteum*

Tabern.Icon.& Hiſt. Hieracium Echioides, Bugloſſum luteum, habichkraut/ Geel Ochſenzung genant.

Lobel.in Adu.Bugloſſum Echioides luteum, quod pluris faciunt mulierculæ Anglæ, quàm Bugloſſum Echioides luteum Hieracio cognatum.



*Lingua bouina lutea*

Caſp.Bauh. Phyt. Bulgoſſũ 5.luteum: An Hieraciũ maius Creticum ſatiuum Geſn.

*An Hierac. Creticum C.B not.*

*Fruſtra* quærit Frater, non eſt Hieraciũ Creticum ſatiuum Geſneri vt ſatis apparet ex hiſtoria Chondrillæ Creticæ ſemine criſpo. Hieracium capitulis Cardui Benedicti maximum mihi prouenit Montbelgardi in horto E. C. Eodem anno quo ſata planta caulem produxit, floruit Auguſto, Septembri & Octobri: Annua

Tempus

eſt planta ſeipſam ſeminãs, floret Iunio & Iulio. Baſileæ in horto D. Fœlicis Plateri collegi ſemina matura ſine menſis Auguſti. Heidelbergę vidi in horto Electoris.

HIERACIVM ASPERVM MAIORI flore in agrorum limitibus.



Deſcriptio

SAtis craſſæ *radices* multifidæ, compluribus fibris donatæ, colore ad buxeum inclinãte, lac fũdentes amaro ſapore, verùm non inſigni præditum: *caules* ex eadem radice multi ſurgunt, teretes, ſtriati, rigidis pilis aſperi, ramoſi, lacteum ſuccum manantes, cubitales, bicubitales & altiores: *folia* inferiora quidem duobus palmis interdum longiora, ſeſquiunciam lata, acuminata, primùm atrouirẽtiã, pòſt de coloris intentione nonnihil remittentia, hiſpida, acuminata, ſinuata per margines, & aliquantulùm criſpa: ſuperiora verò alternatim caulibus adhærent, minora, acutiora, cæteroquin ſimilia: ſapor vtriuſque ſubamarus: *flores* ſuis ſinguli pediculis modò longis, modò breuibus, poſteriores prioribus, vt in Impia Plinii, altioribus inſident, Tuſſilaginis floribus pares, lutei, foliola exteriora maiora, crenata, ex capitulo ex longis foliolis multis ſquammato, ſubaſpero, quod delapſis floribus inferiore parte in ventrem canaliculatum turgeſcit, *ſemen* claudens lanugine obſitum. Cum Hieracio maximo capitulis Cardui benedicti multa communia habet hoc Hieracium, quod aliquando Cichoriũ aſperum vel ſpinoſum credideram. Figura noſtra ex Fuchſianis non in omnibus placet pro noſtro Hieracio aſpero: folia non ſatis ſinuata.

*Cichorium luteum. Icon.*

*Synonyma Cichorea flore luteo.*

Trago Cichorea (wegwart eidem in hiſtor. germ.) tertia & quarta flore luteo, foliis aſperioribus ſpinulis horrentibus: radice longa luteum ſuccum manante, qui in gummi quaſi glutinoſũ coagulatur, ſemine ſubluteo: ad Condrillam Dioſcoridis referenda.

*Intyb. ſilu. fl. luteo.*

Thalio in Harc. Intubus ſilu. ſeu Cichorium ſilu. flore luteo, paſſim fermè in tota Harcynia vulgare, duplex. Aliud foliis integris: quod rurſus foliorum ratione ſubdiuitur in quatuor ſpecies: Aliud diuiſis.

*Cichor. luteum*

Tab.Ic. Cichoreum luteum, Geel wegwart: Hiſtor. Cichoreum luteum primum. Eidem in Hiſt. Cichoreum luteum ſecundum. Item Icõ. Hieracium Intybaceum aſperum, Rauch wegwarten habichkraut. Hiſt. Hieracium nouum. *Collata* deſcriptio & figura Cichorei 1. lutei reſpondere videtur cum noſtro Hieracio, quod Fuchſius, cùm Tubingæ eſſemus vocabat Intubum luteum tertium. Quale ſit Cichorium luteum 2. quod non depingit, ſed tantùm deſcribit, aſſerere non poſſum. Si quis tamen duo hæc Cichoria lutea Tabernamontani, ad Hieracium de quo c. ſequenti agemus, velit referre, id eius iudicio committimus. Hieracium eius Intybaceum aſperum huc collocatum volumus.

*Intubus luteus*

*Hyoſeris Plinio*

Gerard. Cichorium luteum yellow Succorie/ Hyoſiris Plinio, Lobel. Hedypnois. Item Hieracium aſperum, Scharpe haucke weede. Gerardus iconem Tab. habet Cichorii 1. lutei: verùm an intelligat noſtrum Hieracium aſperum maiori flore, vel ſequens, lectoribus conſiderandum relinquo. Aſperum eius idem eſt cum eo quod ex Tab. proponimus.

*Gerardi icones*

*Cichorea lutea*

C.Bauhin. Phyt. Cichorium 7. ſeu luteum pratenſe hirſutum. Cichorea lutea vel 3. Trago. Cichorium luteum Tabern. foliis variat, aliud integris, aliud diuiſis: illius ratione foliorum quatuor ſpecies, qua de re Thalius. Item: Cichorium 8. ſiue luteum montanum anguſtifolium, hirſutie aſperum, quod Intubum tertium Fuchſius fecit, Scariolam tertiam Cortuſus, Hieraciũm Intybaceum aſperum Tabern. *Non ſeparo* adhuc Cichorium 7. & 8. Bauh. donec mihi conſtet aliqua certa differentia inter hæc duo: & an vnaquæque ſuam differentiam ſemper ſeruet, nolim tamen negare duas ſpecies, iudicent alii.

*C. B. not.*

Locus & tempus

Hieracium quoddam aſperum vel ſpinoſum mihi aliquando Cichorium luteum nominatum, prouenit paſſim in agrorum marginibus circa Montbelgardum, ac etiam in horto Ill. E. C. florens Iulio, Auguſto, Septembri, & Octobri menſibus. Frater C. Bauhinus miſit Baſileâ nomine Scariolæ tertiæ Cortuſi. Prouenit in Roßberg propè Maßmünſter. In Ducatus Wirtembergici, monte Teck & Bol in agrorum limitibus. In Alſatiæ aſperis collibus ſecus agros & vineas, apud Mediomarrices verò in montanis pratis vbertim gigni ſcribit Tragus.

## HIERACIVM RECTVM RIGIDVM, quibuſdam Sabaudum.



Deſcriptio. AD cubitos duos aſſurgit, interdum procerius, *caulibus* rigidis, hirſutis, rubentibus, lacte prægnantibus, qui in ſummitate in aliquot ſurculos faceſſunt, quorum ſinguli ſingulos *flores* ſuſtinent luteos Hieracii vulgaris, *folia* præ omnibus Hieracii, rigida, oblonga, rigidis denticulis ſinuata, hirſuta, attouirentia, alternatim poſita: *radix* dura, longis fibris donata.

Synon. Lob. Adu. Hieracium Sabaudum montanum. Obſeru. Hieracium Sabaudum. Iconib. plant. Hieracium alterum grandius. Tubingæ cum eſſem præceptor meus Fuchſius faciebat Intybi ſpeciem.

*Intybus.* C. Bauh. Phyt. Hieracium 18. ſiue anguſtifolium fruticoſum. Hieracium Sabaudum Lobelio. Hoc Patauii latioribus & hirſutioribus foliis & caule reperitur, quod D. Guillandinus Erinum Matthioli eſſe aſſerebat, & apud Galenum Militarem, apud Plinium Lactaridem, dici.

*Militaris Lactaris.* Camer. hort. Hieracium alterum grandius Lobelii, rectum & fruticoſum.

*Hierac. mont. anguſtifol.* Tab. icon. & hiſt. Hieracium montanum anguſtifolium 1. Berg habichkraut mit ſchmalen blettern. Hieracium 15. Sabaudum dictum.

Gerard. Hieracium intybaceum Endiues hauke weede. Eccur propoſita icone Tabern. mutat titulum Gerardus?

Locus & tempus. Hieracium dictum Sabaudum quibuſdam, in Sabaudia obſeruaui. Montbelgardi abundat propè vites & in pratis, floret Iulio & Auguſto, plantaui etiam in Horto Ill. E. C. Paſſim reperitur in montibus ad Rhenum & circa Heidelbergam & in Oſtwalt, ſabuloſis & petræis locis, potiſſimùm circa montanas arces Starckenburg & Schönenburg in Harcynia.

## HIERACII SABAVDI varietas duplex.

Deſcriptio. ACcepimus à fratre C. Bauhino Lactaridis ſiue Erini Matthioli nomine plantam ſiccam accedentem ad Hieracium Sabaudum, ſi non idem: in foliis tamen diſcrimen, vel luſus: in caule cubitum excedente, folia, priora, alternatim diſpoſita, vncias duas longa & pollice anguſtiora, oualia ferè, non crenata, qualia à Matthiolo pinguntur ſuperiora, quoſdam dentes habent, hirſuta ſunt: flores ſimiles *Hieracio* Sabaudo, lutei, in pappos euaneſcentes. Idem nobis miſit cum hac inſcriptione Plantam cuius etiam iconem damus, Lactaris & Militaris Plinii, Erini Matthioli ſpecies, Guillandino Patauii. Hæc ſanè multùm variat ſi non diuerſa planta in caulibus cubito altioribus hirſutis, folia alternatim quaſi ſita, auerſà potiſſimùm parte hirſuta, tres pollices longa, duos lata, in acumen deſinentia, pulchras habent lacinias acutas, quæ in ſuperioribus ramis breuia ſunt & lata, in ramorum extremitatibus flores quales præcedenti.

Synon. An Erinus Matthiolo? Non eſt Erinus, teſte Columna, quę à Matthiolo depingitur, mutila planta, ſine floribus, quam nemo niſi ab eodem depictam vidit, præter ipſum, qui ſe manus lacte infeciſſe eâ extirpatâ aſſerit. Sed certè folia ab ipſo depicta Dioſcoridis Erinum non referunt, verba quidem illius non percepit, nam folia inciſa in ſuperiore parte, foliorum ſcilicet intelligitur, nó caulis vt perperam ficte depinxit. Commentatoris inquit in Adu. Lobelius, impudentiuſculũ commentum licet deprehendere & ridere. Is namque quum ſibi viſam & lectam ad riuulos aquarum, adeò lacteo ſucco manantem, vt eo manus inficere poſſet: palam & audacter legitimum Erinum aſſeueraſſet, nó verbis auſus fuit deſcribere: ſed pingendam curauit planſibili in vulgus Pharmacopœorum icone, quinis, nec pluribus, erectis de ceſpite caulibus: Ocymi folio, bino, nonnihil crenato, per interualla donata, nullâ additâ prorſùm, quæ dubiam vel fidem, plantam fulciret, hiſtoriâ: cuius picturæ quum eum puduiſſet, poſtremò de vltimis Commentariorum interpolationibus curauit expungendam, nullam interea in huius miſellæ ſubreptitiam locum ſuffecit: ac ne verbulum quidem ſubdidit, quâ id de cauſa dempſiſſet.

*Matth. opinio explodetur.* *Dioſc. explicat.* *Matth. carpitur.*

*Hieracii Sabaudi varietas 1. Erinus quibuſdam Matt. dicta;*



*Hieracii Sabaudi varietas altera.*



Lacu-

Lacuna Matthioli exhibet figuram falſam aitque vocari Erinum: barbarice Herbam lactis, & Lactariam, nonnulloſque per Erinum Balſamitam maiorem intelligere.

Caſt.Dur.Erinus, Baſilicum aquaticum. II. Lugd.Erinus Matthioli. Sed & Lonic.figuram malam Matthioli habet lib.5.cap.341. vbi waſſer Baſilien / Erinos & Echinos Dioſcoridis, Ocymum aquaticum vulgi, Lactor, Herba lactis, Militaris, & Anabula cognominatur.

C.Bauhin.Phyt.& apud Matth. fatetur ſe ignorare quid ſit Erinus Matthioli, pro eo autem ipſi oſtendebat Guillandinus Hieracium quod Sabaudi nomine Lobelius propoſuit.

## HIERACIVM MINVS PRÆMORSA radice, ſiue Fuchſii.



*Deſcriptio* PEr terram ſpargit *folia* longa quædam, ad radicem parum laciniata, ſic vt interdum laciniæ oppoſito ſitu reſpondeant, aliàs verò non item, idque ex breuioribus, vel longioribus interuallis, hilari virore ſplédentia, ſapore & ſucco lacteo cum eiuſdem claſſis aliis cóueniens, ſi quibus donata pilis, ii rari ſunt: inter hæc *caulis* erigitur modò vnus, modò plures, cubitales & ſeſquicubitales, nudi, ſtriati, inanes, circa ſummum in alas aliquot diuiſi: quarum ſingulæ ſingulos ſuſtinent *flores* luteos folioſos, è calyce oblongo, modicè ſquammato, incano, lanuginoſo. *Radix* fibrata, imâ parte præmorsâ nigricat, per cætera candicans, lacte turgida. Hæc ſanè planta inſigniter variat magnitudine & laciniarum diuerſitate. *Varietas*

*Synon.* *Trag.not.* Fuchſ.hiſt.Hieracium minus. Tragus nullam habet figuram ſui Hieracii minoris, Morſus Diaboli appellati, eandem autem figuram, quam Fuchſius & Dodonæus habent, ponit cap.88. ſub titulo Lagopi haſenſtrauch, vnde tranſpoſitionis ſuſpicio: inibi enim deſcriptio non videtur quadrare figuræ. *Lagopus*

*Matth. taxatur.* Sed & Matth.in Dioſcor.eandem habet figuram, cui inſcriptio eſt, Hieracium minus: interea pro ſuo more nón deſcribit. In com.Ital.& Lat. cum mag. fig. ceu & Epit. Camer. eandem quoque retinet, deſcriptionem quidem apponés, ſed quæ non quadrat figuræ: folia enim non ſũt aſperiora quàm in Cichorio. Nec ea mutat in Hiſt.germ.Camerarius, ſed deſcriptionem inibi diuerſam addit, quæ non facit mentionem aſperitatis foliorum. *Cameri not.*

Hæreo an Hieracium minus præmorsâ radice benè fuerit notum Geſnero de hortis, dicenti: Pro Hieracio minori Matthiolus herbam Sóchis cognatam exhibet, quod ad vires parum intereſſe puto à Dente Leonis. *Sonchus Dens leonis*

A Lonicero pingitur ſub titulo haſenkól/ vocatúrque in deſcriptione haſenlattich / Lactuca leporina, haſenſtrauch / oder Sewnelck/ Sóchus non aſpera, Lactucella, Cicerbita, & *Laicteron* Gallorum. *Lact. leporina. Cicerbita.*

Lacuna nomine Hieracii minoris, quod quoſdam Dentem Leonis vocare ſcribit, ſolam proponit figuram. Verùm Hieracium hoc non ſolet dici Dens Leonis ſed è contra Dens Leonis quibuſdam exiſtimatur Hieracium minus. *Lacun.not.*

An Anguill.Lactuca leporina Apulei, *Cazzalepre*, & Hieracium minus Dioſcoridis. Item poſtea. Hieracium minus, Romæ & in Hetruria *Cazzalepre*, quo in cibis & potiſſimùm in acetariis vtuntur. *An Cazzalepre Anguill.*

Lob.Aduerſ.[vbi & morſus Diaboli vocatur:] Obſ. (vbi ipſi Lagopus & Lactuca Leporina Tragi videtur:) & Ic.Pl. Hieracium minus præmorſa radice.

Taberu.Icon.Hieracium minus Dioſcoridis: Hiſt.Hieracium ſecundum: & poſtea inter nomina, ἱεράκιον ἕτερον ϗ ἱεράκιον μικρὸν Dioſcoridis, Accipitrina minor Herbariorum, Sithileſade & Sitheſſade Africanorum, Hiſpanorum *Coyon de Galbo Hierua*, i.e. Herba teſticuli galli, It. *Hieracio minore*, Angl. lytle hawke wede / Belg.havickecruyt / Germ. klein habichkraut. Item Icon.Hieracium nigrum, ſchwartz habichkraut, Hiſt.Hieracium tertium. Adhæc Icon. Hieraciũ minus, Lactuca leporina haſenſtrauch / haſenlattich: Hiſt. Hieracium quartum. Tandem Icon. Hieracium aphacoides, habichkraut: Hiſt. Hieracium quintum, quod Aphacæ Theophraſti ſimile ſit. *Accipitrina minor* *Coyon de Galbo Hyerua* *Teſticuli galli* *Hierac. Aphacoides Icones 4. Tab.*

Camer.hort.Hieracium minus Matthioli, ſpótanea herba: Gerard.lib.2.cap.31.proponit icones Tabern. ſub his titulis, Hieracium minus Dioſcor. Hieracium nigrum, Hieracium leporinum, Hieracium aphacoides. *Figura 4. Gerardi* *Hieracium minus* *Hierac.nigrum.* *Leporinum* *Aphacoides.*

C.Bauh.Phyt. Hieracium 16.ſiue minus, Itẽ Hieracium 15. ſiue Chondrillæ folio minus, Hieracium Aphacoides Tabern. Apud Matthiol. Hieracium minus. *Picris Theoph.* *Amarago Gaza.*

Hort. Luſ.Hieracium minus præmorsâ radice, Lactuca leporina haſenſtrauch / haſenlattich.

*Locus & Tempus.* Hieracium præmorsâ radice inueni Geneuæ in pratis circa *Arue* fluuium, floret Iunio, Iulio & Auguſto. Frequentiſſimè circa Baſileam. In Ducatu Wirtembergico, ad fontem Admirabilem floret Auguſto, Septembri & Octobri.

## HIERACIVM MACROCAVLON IVNCEum ſiue minus primum Dodonæo.

*Deſcriptio* EX *radice* craſsâ, albâ, amarâ, ſucco lacteo prægnante, complures exeunt *caules* cubitales, interdum tricubitales circiter, anguloſi, læues, atrouirentes, concaui, in ramos aliquot diuiſi: *flores* ſingulis circulis inſident ſinguli, Hedypnoïdis, lutei, ex ſquarroſo modicéque hirſuto capitulo emicantes, *ſemine* ſuccedente ruffo, longo, ad tactum nonnihil aſpero, cum papposo tomẽto: *folia* plæraque omnia ex radice ſtatim orta per terram ſparguntur, Sonchi laciniati, interdum plùs minúſue laciniata, in obtuſum mucronem deſinentia, tenera, hirſuta raris & longiuſculis pilis, nonnihil amara.

Dodon.gall.Hieracium minus primum inſcripſit, dixítque appellari à nonnullis Intybum agreſte, aut Lactucam minorem, Germ.klein habichkraut/ Belg. Clein havichscruyt.

Lob.Adu.Obſ.& Icon.plant. Hieracium longiùs radicatum.

Tab.Icon. Hieracium Intybaceum. wegwarten/ habichkraut : In hiſt. Hieracium ſextum. Item Hieraciũ machrorhizó, habichkraut: in hiſt. Hieracium ſeptimum. Item icon. Hypochæris, Porcellia, ſörcklein kraut: hiſt Hypochæris:



*Her. Dent. leonis folio. C. B. nor.*

C.Bauh. Phyt. Hieracium 8. ſiue Dentis leonis folio, radice oblonga. An Apargia Theophraſt. 7. hiſt. 9. Hieracium 9. ſiue Dentis leonis folio alterum vnicaule. Hieracium 6. Tabern. Hieracium 11. ſiue dentis leonis folio minus, Hypochæris Tabern. Antè dixi curiungam prædictas plantas, verùm neſcio quare Hieracium 6. Tabern. dicatur vnicaule, quandoquidem in deſcriptione ramoſum faciat, & figura quoque id indicet.

Gerard Hypochæris, Porcellia, Swines Succorie. Item Hieracium longiùs radicatum, lang rooted haukе weede. Icones Tabern. habet.

Locus & Tempus.

Monſpelii obſeruaui florens menſe Maio ad ripam fluminis propè Caſtelneuf, vbi in pratis ſolet prouenire. Geneuæ in muris. Montbelgardi etiam in horto Ill.C. Witt. ſponte, ſemine maturo Iulio, ac florens Auguſto. Frater C.Bauh. Baſileæ collectum miſit nomine Hieracii longiùs radicati.

## HIERACIVM FLOREM INCLINANS.

Delineatio



Radix compluribꝰ fibris donata lac manat ſubamarum: *folia* in orbem per terram ſpargit multa, Dentis leonis, hirſuta, aſpera, ſpithamæa & longiora, alia *caulibus* adnaſcuntur: atque hi plures ex radicis capite oriuntur, nonnúquam in ramos diuiſi & foliis donati, alii nudi, tenuiores, ſimplices ſeſquipalmares & bipalmares: ſed enim tum hi, tum illi terram verſus nutant repandi, ſpinulis rubentibus, vt & foliorum dorſi coſta, aſperi, *flores* Hieracii, lutei, nutant, in pappos abeuntes: ad radicem florum caules craſſeſcunt interdum quâ parte ſe contorquent: *ſemina* longa ſunt, nigra, inuoluta quibuſdam partibus ſimilibus ſeminibus longioribus Calthę.

*Hier. facie Hedypnois*

Lobel.Icon.Pl. Hieracium facie Hedypnois. Teut.288.

C.Bauh.Phyt. Hieracium 17. ſiue minus alterũ capitulo inclinato. Hieracium 21. ſiue minimum latifolium. Hieracium minimum, vel 8. Cluſio.

*An Hier. minimum Cluſio. An Hyoſeris latifol. & maſcula Tabern.*

An Cluſio in Pann. Hieracium 8. ſiue minimũ: Hiſt.poſt. Hieracium 9. ſiue minimum?

An Tab.Icon. Hyoſeris latifolia, Hyoſeris maſcula, klein ferckleın kraut? In Hiſt. Hyoſeris. 1.

Gerard. Anglo Hyoſeris maſcula Male Swines Succorie.

Locus & tempus

Prope Monſpelium obſeruaui florens Aprili & Maio vbi caules ſolent eſſe ſimplices: Montbelgardi in horto Ill. C. à me ſatum, folia maiora, minùs laciniata, caules diuaricantur, floret etiam Iulio. Baſileæ collegi ſemen maturum Auguſto in horto D. Iacobi Zvvingeri.

## HIERACIVM MONTANVM maius latifolium.

Deſcriptio



Radice nititur breui, nigro-incanâ, ſucciſâ, digitum minorem craſſitudine equãte fibris multis, albis, in extremitate bifurcatis donatâ, lacte prægnante, ſaporis multùm amari: *foliis* lõgis, latis, criſpis, ex albo incanis, rigidâ lanugine obductis, Hieracii Echioidis folii in modum effigiatis, ſed duplò latioribus, breui petiolo hęrentibus, caulem amplectentibus, præſertim inferioribus, breui petiolo hærentibus, acuminatis. Inter folia ad finem Auguſti procedit *caulis* rotundus, aſper, piloſus, ſpithamam vnam & mediam lõgus, quandoque in duas aut tres alas diuiſus, in quibus *capitula* craſſa exoriuntur, multis foliolis conſtantia: *florem* producentia luteum, plenum, qui ceu alii huius generis in floccum abit, ac unà cum ſemine nigro ventis diſpergitur. Tota planta lacte turget.

Synonima

Tabern.icon. Hieracium montanum maius latifolium: hiſt. Hieracium 13. ſiue montanum maius latifol Groß Berg habichkraut mit breitten bletteru ſecundum.

Gerard. Chondrilla Hiſpanica, flore purpureo. Quam plantam intelligat Gerard. neſcio: icon eſt Tabern. qui non deſignat Hiſpanicam ſed Germanicam plantam floris lutei, Icon hæc erat ponenda c.32. pro Hieracio latifolio, Broad leafed haucke weede/vbi pro eo malè ponitur figura Cichorii Tabern.

Hort.

Hort.Luſ. Hieracium montanum maius latifolium Groß bletterich hapichkraut.

*Locus* Harcyniç ſummis montibus incola, inter Grießbach/ Antegaſt/ vnndt dem Ribelßawer/ Saurbrunnen.

## HIERACIVM LATIFOLIVM GLABRVM ex valle Grieſbachiana.



*Deſcriptio* PRiorē hæc æmulatur, licèt *radix* minor ſit, & *folia* anguſtiora, & paulò breuiora, inferiora etiam longiori prædita ſunt pediculo, cætera verò pediculo carēt, caulem amplectētia, ad exortum anguſtiora quã prioris, tenera, mollia: *caulis* ambit in quinque, ſex, aut ſeptem ſtamina, quibus ſingulis *flos* inſidet vnicus, luteus, præcedentis floribus par, ſed paulò minor: tota planta amara eſt.

*Hier. latifolium minus.* Tab. Icon. Hieracium montanum latifolium minus, klein Berg habichkraut mit breitten blettern: In hiſt. Hieracium 14. Hieracium latifolium montanum minus, Hieracium 7. ſiue latifolium glabrum.

Gerardo Hieracium montanum latifolium, Great leaued hauke weede.

*Locus & Tempus.* Hieracium latifolium glabrum obſeruaui in valle Griſbachiana Maio florens, vt & Tabern. deſcriptionis author.

## HIERACIVM LATIFOLIVM PRÆMORſa radice, caule ſingulari, Piloſellæ maiori affine.



*Deſcriptio* SYluas amat, *foliis* palmaribus, quibuſdam breuioribus, aliis longioribus, vix vnciã latis, quædam dētata in margine, breuiſſimis pilis, & quibuſdam cōſpicuis donata, aliis manifeſtis, quædam in acumen deſinunt: *caulis* dodrantalis ac etiam cubitalis, vnicus ramus, nullis ramis diuiſus, ſine foliis, multos in ſummo cacumine cōgeſtos *flores* luteos ſuſtinens, ad inſtar Pulmonariæ Gallicæ, qui tandem in floccos abeūt, ad ſingulas diuiſiones foliolum tenue anguſtum. *Radix* fibrata & præmorſa.

Hoc noſtrum Hieracium videtur habere multa communia cum Intybo ἀφυλλόκαυλῳ Thalii in Harcinia de quo paulò pòſt.

Hieracii ſpeciem nunc deſcriptam, accepi Baſileâ à Fratre in ſiluis inuentam, qui Hieraciũ latifolium præmorsâ radice nominabat. Habui etiam ab Vldaricho Cholio Argentinâ ex plantis D. Agerii.

## PILOSELLA MAIOR QVIBVSDAM, ALIIS Pulmonaria flore luteo.



*Deſcriptio* HVic *radix* geniculata, rubra, fibrataque, lac manans ſapore amarum: à qua *caulis* ſurgit lacte ſimiliter prægnans cum foliis, cubitalis, tenuis, hirſutus, in cuius alis ſummitatem verſus ortis, *flores* inſident lutei, Hieracii, qui in pappos marcidi faceſſunt: *Folia* à radice ſtatim exoriuntur, ſinuoſa, ſupernè virentia & hirſuta, infernè denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro & nitroſo, pediculis ſubrubentibus, villoſis, lōgis quibuſdam, aliis breuioribus.

*Synonyma* Inſcribitur hæc à Trago (qui non meminit macularum) Auricula muris maior, Groß Meüßor: & quibuſdam Germanis dicitur heidniſch wundkraut / hoc eſt, Solidago Sarracenica. *Auricula muris maior. Solidago Sarracenica*

Pingitur à Lonicero Pulmonaria, quæ à quibuſdam Gallica dicitur ſub inſcriptione, Groß Meüßhor / Auricula muris, μυὸς ὦτα, Piloſellæ vulgi, ſed deſcriptio non ſatisfacit.

Lob.Adu.Obſ.& Icon.Pl.Pulmonaria Gallorum flore Hieracii, Auricula muris maior Tragi.

Geſn. in cat. Hyoſeris Plinii, hodie fortaſſis Auricula muris: De hort. Pulmonaria Gallica, Lactucarum generi cognata: Scopa fortè illa regia Plinii ramis oblongis: Et forſan eadem Sideritis illa Plinii, Scopa regia appellata. Robert.Conſt.in Amat.Pulmonaria.

Tabern. Icon. Pulmonaria Gallica ſiue aurea. Hiſt.Pulmonaria Gallica mas. Is non meminit foliorum maculatorum.

C.Bauh.Phyt.Pulmonaria 1. ſiue Gallorum folio piloſiſſimo, Hieracii flore: Theophraſti lib.7.cap.7.& Plinii lib 21.cap.15. nonnullorũ Corchorus.

Naſcitur Alſine, ſiue Auricula muris maior Tragi in vmbroſis nemoribus, nonnunquam etiã ex antiquis muris in perpetua vmbra ſitis prorumpit: Iunio menſe appetente caulem emittit

foliis deſtitutum. Piloſella Tragi quæ quibuſdam Pulmonaria Gallica dicitur, aliis Hepatica, quam Auriculæ muris nomine Lonicer[9] ſatis benè pinxit, Monſpelii creſcit in muris & ſiccis locis, florens menſe Aprili. Geneuæ vidi virentē in radice montis Saleuæ Februarii principio. Baſileæ floret Iulio cum pulchris maculis in foliis.

Tempes. Galenus, inquit Tragus, lib. 6. hanc ſtirpem deſcribit, atque illam frigidæ & humidæ naturæ eſſe, ideoque cōmodè ſacris ignibus adhiberi poſſe.

PILOSELLÆ MAIORIS SIVE PVLMOnariæ luteæ ſpecies magis laciniata.



Deſcriptio. PRoximè dictæ eſt hæc à *radice* ſimilis: *folia* autem maiora, latiora, longiora, & profundiùs laciniata, in angulos profundos acuminatos ad pediculi finē diſſecta, ſtellam mediam repræſentantia, quorū quædam rotunda quædam acuminata, piloſa, lanuginoſa: *caulis* cubitalis vnicus, vnico folio in media ſui parte, magis laciniato præditus, in alas aliquot diuiſus, ad quarum exortum, foliolum admodum exiguum, acuminatum, anguſtumque exoritur: flos in fine Iunii apparet, in Iulio explicatur ac perficitur, luteus plenus, in pappū abeuns. Tota planta lacte madet.

Tabern. Hiſt. & Icon. Buch weiblein, Pulmonaria gallica fœmina.

C. Bauh. Phyt. Pulmonaria Gallica 2. ſiue latifolia laciniata.

Locus. In ſiluis denſis & opacis Fagorum non adeò frequenter occurrit.

PILOSELLÆ MAIORIS SIVE PVLMOnariæ luteæ laciniatæ ſpecies minor.



Deſcriptio. RAdix huic craſſa adeò, multis craſſiuſculis fibris donata, vt non niſi lacerata euelli poſſit: *folia* ex pluribus ceu capitibus vncias ſeptem lōga, quædam breuiora: quædam parùm aut vix laciniata, eaque minora, maiora autem profundè laciniata, parte ſupernâ vix hirſuta, in auerſâ pili manifeſti in coſtis vel neruis: *folis* inferioribus pediculi longi, ſuperioribus per caulem multò breuiores: *caules* ipſi dodrantales, infernâ parte rubentes, rotūdi, caui, hirſuti, in paucos ramos diuiſi: quorum extremis *flores* inſident ſingulares, ſatis magni, lutei & papposi. Nec in radice, nec in foliis ſaporem vllum inſignem animaduertimus.

In muro pontis Clareuallæ vrbis, nec alibi me obſeruaſſe recordor. Flores & ſemina decidunt Auguſti principio. Locus & tempus

PILOSELLÆ MAIORIS SIVE PVLMOnariæ luteæ ſpecies anguſtifolia.



PRæcedentibus nititur *radice* magis curtâ & longioribus fibris donatâ: *folio* donatur lōgo vt prior, ſed anguſtiori, piloſo, lanuginoſo, latè diſſecto, nec profundè laciniato, non duntaxat à radice orto, ſed & caulem ad ſummum vſque amplexo, in ſummitate ad alarum exortum integro, non laciniato. *Caulis* & *flos* prioribus reſpondent. Deſcriptio

Tabern. Hiſtor. & Icon. Buchkôl mit ſchmalen Blettern. Pulmonaria Gallica tenuifolia. *Pulmonaria gallica tenuifolia.*

C. Bauh. Phyt. Pulmonaria Gallica 3. ſiue oblōgo, anguſtoque folio.

PILOSELLA SIVE PVLMONARIA lutea anguſtiori folio valdè piloſa duplex.



PIloſellę maiori ſiue pulmonariæ luteæ ſimilis, cuius tamen *folia* acuminata ſunt, longis pilis valdè hirſuta, non tantùm à radice ſtatim orta, ſed etiam per caules pedales hirſutos: *flores* lutei, ſinguli vel bini, ac etiam terni, maiores quàm in vulgari, qui nondum palleſcentes, foliis obueſtiūtur, quæ caui longique pili Deſcriptio

pili ornant,& tandem in pappos euaneſcunt: *radices* toroſæ,nigræ,iu fibras craſſiuſculas deſmentes.

*Alia ſimilis* Huie ſimilis ſi non luſus cui folia per caules breuia & lata: folia longis pilis hirſuta, inferiora verò breuiores habere videntur pediculos: prior in icone notatur litera A. Altera verò litera B.

Locus. Piloſella alpina noſtra florebat menſe Iunio in monte *Saleue* prope Geneuam, vnde mihi allata quæ notatur B. Altera quæ A. inſignitur, reperta à nobis in peregrinatione Rhætica prope weſen in muris, quam Geſn. Piloſellæ ſpeciem faciebat. Similem habemus ex plantis ſiccis Agerianis Argentinæ datis cum flore vnico.

## APHACA OLVS VETERIBVS.

### Cap. VII.

*Aphaca olus Theoph.* APhacam olus, non legumen, appellat Theophraſt.lib.7.cap.7.propter foliorum ſimilitudinem: ea enim foliis Intubo quodammodò proximis cõditur. Inter Cichoracea autẽ c.11. Aphacam vocat inguſtabilem,& amaram, quæ feſtinanter floret: ſed flos celeriter ſeneſcit, atque lanugine pappo dicta marceſcit: tum alius iterũ prouenit, atque iterum alius: idque tota hyeme, veréque toto vſque ad Aeſtatem factitatur: flos Melini ſpeciem gerit. Alia tamen eſt Aphaca inter legumina, vt ſuo loco patet. *Mirari* ſubit Theophraſtum, cur Aphacam amaram & quidem inguſtabilem ſcribat, & tamen inter olera recenſeat. *Theoph. not..* Plinius Aphacem vocat: Aequinoctio, inquit, naſcens Aphace, ſubinde alio marceſcente flore emittit alium, totáque hyeme, tóque Vere vſque in Aeſtatem.

*Æquiuoca* Quænam porrò ſit hæc Aphaca Veterum aſſertu difficile fuerit. Fuchſius & poſt eum Matthiol. Amat. Cæſalp. Thalius, C. Bauh. Schvvẽkf. & alii, Dentem Leonis eſſe concludunt. Nos hanc Hedypnoidem ſiue Dentem Leonis Fuchſii inſcribimus.

*Hedypnois ſiue dens Leonis Fuchſii An Hierac. minus ſiue Cichorium luteum Senecio hirſutus grauiter olens* Hedypnois Plinii, Aphaca Theophraſti Lobelio, an Hieracium minus multis, aliis Cichorium luteum?

Aphacæ Theophraſti, non quidem legumini, ſed herbæ (inquit Dodon.) conuenit Erigeri ſiue Senecionis ſpecies, Cichorium fœtidum à pleriſque [à nobis Senetio hirſutus grauiter olens] appellata.

## HEDYPNOIS SIVE DENS LEONIS Fuchſii.

Deſcriptio E *radice* digiti ferè minimi aliquando craſſitudine, lac è plaga fundente, ſurgunt nudi & inanes *pediculi*, palmares & pluſquam dodrantales, aliquando hirſuti lanugine facilè cedente, quibus inſident ſingulis ſinguli *flores* pulchri, patuli, lutei, maiores quàm Hieracii, cuius floribus ſimiles ſunt: exterioribus foliis pronâ parte ex fuſco rubeſcentibus, calyce glabro, multifido, extra quem quatuor aut quinque folia viridantia reflexa: *flores* in pappos abeunt, calyce dehiſcẽte & circa pediculum reflexo, nudam florum ſedem poroſa pellicula caluitium ſenile imitante, obductum.

Synonyma Hermol. in Dioſcor. coroll. 663. Cichorium folio latiore, Edypnoida, & Leonis Dens vulgari voce dicta. Cordo, & Corn. in Dioſc. Hieracium paruum: de quo hic ait. Et hoc Hieracium priori non adeò diſſimile, ex Lactucæ aut potiùs Intybi generibus eſt, idcóque ab Autoribus per ſe præteritum, & ſub illis comprehenſum. Noſtri klein habichkraut dicunt. Alii Rörkraut. Quanquam ſint qui Hedypnoida Plinii, iſta Germanicà appellatione accipiant. Et ſanè videtur eadem herba eſſe. Apud illum (Cordum) annotatum eſt eſſe Hedypnoidem Fuchſii.

Generoſus Dominus Hermãnus Comes à Neuenare, tam ſplendidâ ſtirpe natus, non erubuit rei Medicæ dare operam, ſed ſummo ſtudio (vt cætera omnia) herbarum cognitionem eſt ſectatus: id quod Annotationes eius doctiſſimæ teſtantur, quas ſuo ſecundò Tomo Herbarii adiecit Brunfelſius. Ibidem herbã, quam cõmuni vocabulò & recepto Dentem leonis vocant, eã putat eſſe, quæ à Dioſcoride Lagopus in quarto herbarum hiſt. libro nominatur. *Dens leonis Lagopus Dioſc.*



Sunt, qui Cichorium & Dentem leonis pro eadem accipiant herbâ, inquit Brunfelſius. *Cichorium non eſt*

Tragus Hedypnoidem hanc pingit, & deſcribit Hieracii maioris titulo, dicens. Generoſus Comes de Neuenare putauit hanc plãtam ad Lagopoda (Dioſcoridis) referri poſſe. Ego tamen affirmo Lagopoda non eſſe appellandam. Quin conſtanter pronuncio eſſe Dioſcoridis lib. 3. ἱεράκιον τὸ μέγα, Sonchiten, Lactucam erraticam, & Sitheliam: Apulei cap. 30. θειδακίνην ἀγρίαν, Aſpidelon, vel Aſpideion, Picridem, Iobonſon, Lactucam ſiluaticam, Officinarum & vulgi Dentem Leonis, Roſtrum porcinum, & Apoſtematicam (vt Comiti iam commemorato placet) dici: Germanos etiam, ceu & Hieracium minus, propter Solem Sonnenwirbel (Heliotropium,) temporis ratione Mertzenblumen (Florem Martii,) ob colorem Otterblumen, ſeu Eierblumen (florem vitellinũ dixeris,) & quia raſis capitib. ſimilia ſunt ſcaporum cacumina pfaffenblatt/ Münchkópff (Caput Monachi,) & à foliorum forma, lewen zan, (Dentem leonis) & wiſen lattich (Lactucam pratenſem,) ſeu weglattich (Lactucam viarum,) quòd forma & lacteo ſucco ad ſiluaticas Lactucas pertinere videatur, vocare ſolere: poſſe & commodè Augenwurtzel (Ocularium radicem) dici &c. *Comes de Neuenare not. Lagopus non eſt Roſtrum porcinum Apoſtematica Heliotropiũ. Flos Martii. Flos Vitellinus Caput Monachi Lactuca pratenſis Lactuca Viarum Ocularia radix.*

Matth. in ſuis comm. Hiſt. germ. & Epit. cum addit. Camerarii, Dens Leonis, de quo ait. Quæ Theophraſti lib. 7. cap. 11. de plantarum hiſtoria Aphaca vocatur, inter Cichorii genera eſſe reponendam nemo eſt qui ambigat. Huic per omnia in vniuerſum reſpondet, quæ nonnullis Dẽs Leonis, aliis Dens caninus, quibuſdam Caput Monachi, aliquib⁹ Roſtrum porcinum, pleriſque verò Ambubeia vocatur. Tametſi Plinio Cichor. ipſum propriè Ambugia vel Ambubeia dicitur. *Aphaca Theoph. Dens caninus Ambubeia*

Lonicerus huius figuram habet lib. 5. cap.71. ſub titulo habichs kraut/ vnndt pfaffenrörlin/ dicitque vocari Hicracium minus, officinis etiam *Altaraxacon.* Altaraxacon, Gręcis Hedypnoin.

*Intyb. erraticus.* Fuchſius, inquit Anguillara, à quo Hedypnois (Plinio etiam Hedipnois dicitur eò quòd ſuauiter dormire faciat, vel quòd eius flos præter alias Serides ſuauiter admodum ſpiret: ] ſiue Dens leonis inſcribitur, Intybi erratici ſpeciem alteram facit.

*Intybū ſilu. Troximos Pauli.* Fuchſius cùm apud eum eſſem vocabat Intybum ſilueſtre latifolium, Hedypnoim maiorem Plinii, Aphacam Theophraſti, τρώξιμον Pauli & Dionyſii Vticenſis de re ruſtica.

Amat.in Dioſc.lib.2.enarr.126.Secunda ſpecies Cichorii agreſtis.

*Condrilla* Dodon.gall.Condrilla altera.

*Vrinaria. Piſſenlict Gallorum. Lectiminga* Lobel.in Adu. Vulgi Dens Leonis, ſiue Vrinaria. Vrinaria herba, piſſenlict Gallis pueris dicta, quaſi Lectiminga: aluum namque ſupprimendo, obſtructioneſque reſerando Meſeraicarum, plus lotii deriuat in veſicam, quàm quantùm pueruli retinendo ſint, præſertim inter dormiendum, eóque tunc imprudentes & inuiti ſtragula permingunt. Siquidem mulierculæ mendicæ & pueruli ruſtici in pratis, propè tumulos aggeruloſue Talparũ terra ſemiobruta (veluti Endiuiæ cõtingit) germina, eoq; ſuauiora minuſq; amara, candidiora effoſſa, in acetariis vorant, aut iuſculis indunt. *Corona Monachi.* In Obſ. Dens Leonis vulgi, Taraxacon, Corona & caput Monachi, Chondrilla Galeni Anguillaræ, Chondrilla altera Dodonæi: Idem antea quoque vocabat, Condrillam alteram Dioſcoridis, Dentem leonis Dodonæi, radice longâ non rotunda. In Icon. Plant. Dens leonis vulgi, ſiue Vrinaria.

*Herba Diaboli. Solſequium luteum* Geſn.hort. Hieracium minus, Hedypnois altera Plinii. In cat.pl. Hieracium alterum quod & minus, teuffels kraut [Herba Diaboli] Gael ſonnenwirbel (Solſequium luteum,) Intybum ſylueſtre.

*Aphaca Cæſalp.* Huius Cæſalpinus meminit, quando ait. Aphaca, cui innumera vulgò traduntur nomina, quæ lubens prætereo paſſim iuxta ſemitas, & circa oppida naſcitur: &c.

Cordus.de compoſ.medic. Seris altera agre- *Seris agreſtis.* ſtis, Plinii Hedypnois & eiuſdem vt Theophr. Apha, Vulgò Dens Leonis. Lac.in Dioſc. Dens leonis, Roſtrum porcinum, Officinis Taraxacon. Turn. Intubus ſilu. altera, Theophr. Aphaca, Plinio Hedipnois.

*Hedypnois Dalech.* H.Lugd Hedypnois Dalechampii.

*Flos canū.* Tabern.Icon. & hiſt. Dens Leonis, Roſtrum porcinum, pfaffen blatt/ ſauwrüſſel / hunds blum, Flos canum.

*C.Bauhini.* C.Bauh.phyt. Dens Leonis latiore folio: Item Dens Leonis anguſtiore folio. Habetur maior & minor. Quum Hedypnois foliis mirabiliter ludat & Cæſalpinus tantùm dicat reperiri anguſtioris folii: ego duas Dentes Leonis non facio: ſed varietatem exiſtimo.

Hedypnois ſiue Dens Leonis Fuchſij, vocatur germ. pfaffen rörlin / Rotkraut / pfaffenblatt/ pippaw, münchkopff. Belg. papenkruyt / hontsrooßen & ſchorfitbloemen Canker bloemen, Gallicè *Dent de chien, ou de Lion: ou piſſenlict.* Italicè *Gruani, Radice, Giraſole. Dent di cane & Piſcia al letto.* Patauii *Piſſo di can.* Hiſp. Dente de Lion. Angl. Den de Lion, aut priestes crowne. Boh. Ploſſka.

*Locus & tempus.* Hedypnoin Plinij ſiue dentem Leonis vidi Monſpelij, Lugduni florentem toto anno, Patauij Februario, vbi copioſè crudam in acetarijs edunt, Geneuæ florentem Februarij principio & Octobri, Baſileæ Maio, Iunio, Iulio, Auguſto, & Octobri inter portam ſtein & Eſchen. Biſantij vocant *des Pepes*: Quædam Saga in Burgundia vocabat *Craunulot*, & faſcinata aſſerebat eſum faſcinum tollere. Montelgardi frequens etiam in Horto E. C. ſpontè proueniens, florens Aprili. Cæterùm prouenit in hortis, in campis, propè ſepes, & in ruinoſis ædificiorum muris, quinetiam in vineis, pratis & viridarijs.

*Vires. Apoſtemata. Aqua deſtillata. Doſis. Collyria. Succus. Herba. Puſtulæ.* In apoſtematibus ac ardentibus febribus nihil ſanè vtilius ac efficaciùs vſurpari meo quidem (inquit Tragus) iudicio poteſt aqua huius (Dentis Leonis) deſtillata, ſi ea ſingulis vicibus menſura trium aut quatuor cochlearium bibatur: hoc enim remedio punctorij lateris dolores mitigantur, ſomnus accerſitur, tuſſis aufertur vnà cum inflammatione: optima collyria aduersùs maculas oculorum ex aqua eius deſtillata fiunt, quanquam ſuccus idem poſſit, ſed & vehementiùs & efficaciùs oculorum caliginem diſcutit: herba viridis extrinſecus impoſita (quod & de linteolis in aqua madefactis intelligendum eſt) omnem inflammationem nigrarum & adurentium puſtularum ſedat, ſiue illæ pedibus, mammis aut genitalibus oriantur: quin & inflammationi membrorum medetur aqua deſtillata, linteolis in ea madefactis ac impoſitis. Poſtremò ſolent & mulierculæ facies ſuas hac aqua abluere, vt maculas exterant, purúmq; & immaculatum vultum conſequantur. *Facies. Vires ex Matthiolo.* Adſtringit, roborat, atque abſtergit, authore Matthiolo; magis quàm vtrumque Cichorium. *Dyſenteria. Icterus.* Cocta, ſtomachum diſſolutum adſtringit, cruda verò aluum ſiſtit: Eadem dyſentericis auxiliatur, ſed magis cum lente decocta. Succus potus prodeſt, quibus genitura effluit: in aceto decocta, vrinæ tormina diſcutit. Vniuerſæ plantæ decoctum potum Icteritiam tollit.

## HEDIPNOIS MONSPESSVLANA, ſiue Dens leonis Monſpeſſ.



*Deſcriptio.* Ex *radice* craſſiuſcula *caulis* ſurgit palmatis, culturâ etiam cubitalis & bicubitalis, craſſiuſculus, concauus, paullò ſupra radicem in ramos tres, quatuor, aut quinque diuiſus; quorum vnuſquiſque *florem* gerit vnicum magnũ, odoratum, Hedypnoidis noſtratis flori ſimilem, calyce multò craſſiore, pulchiore, piloſo, è foliis multis compacto. floris folia extrinſecus rubeſcunt, cæteroqui lutea: tandem is in pappos euaneſcit.

Plant.Icon. Condrilla prior Dioſcor. Verrucaria

çaria Condrilla. Item poſt. Chondrilla altera Dioſc. Monſpelienſium Dens leonis Aſphodeli vel Leucacanthæ bulbulis.

*H. Lugd. not.*

Quatuor figuræ vujus (iſtius Hedypn. Monſpeſſ.) plantæ pro diuerſis & diſtinctis herbis exhibitæ apud Hiſtoriam habentur.

C. Bauhin. Phyt. Dens 15. Leonis Monſpelianus, Cichorium Conſtant. Matthiol. Chondrilla altera Dioſcor. Lob. Item Chondrilla 9. Verrucaria altera, Chondrilla prior Dioſcor. Lobel. & Cluſ. Eandem plãtam duobus locis tradit Frater.

*C. B. not.*

Quærit Lob. in Adu. Monſpelienſium Dens Leonis, Aſphodeli, vel Leucacanthæ bulbillis oblongis, an Condrilla altera Dioſcoridis? Item demonſtrare videtur minus conuenire Condrillæ alteri Dioſcor. lectores locum perpendant: Huius, addit, facilis prouentus in Hetruriæ, Galloprouinciæ, & Narbonæ marginibus ſatorum & pratorum. Vires quas dicemus alibi opportunius, latuêre noſtrum Commentatorem, qui hunc Dentem Leonis nouitatis & peregrinitatis titulo iactat Conſtantinopolitanum Cichorium, cùm tamen Sienæ illius patriæ, ínque Hetruriæ, Liguriæ, Galloprouinciæ & Narbonæ pratis non parum copioſum iſtud proueniat. Neque enim ſi flores ſunt huic duplò fermè maiores magíſque pallentes, quàm communis, propterea putandũ ſit fœliciùs prouenire aut frequentiùs Cõſtantinopoli, quàm Maſſiliæ, aut Monſpelii, vnde ſcimus tum Commentatori, tum aliis non paucis Scriptoribus hodiernis miſſas & obtruſas pleraſque plantas pro Aphricis, Syriacis, & Conſtantinopolitanis. Sic res cadit pigris & ambitioſis ingeniis, quos res nondum viſæ oblectant, vt pueros picturâ capiant & decipiant. An putarat peritos illicò iſtud Cichorium admiraturos, quia Cõſtantinopolitanum erat & à Cæſareo Oratore miſſum? An non pudet tantum rei Herbariæ ſcrutatorem nondum noſſe Cichorium patrium, & plus credere oratori occupato muneribus aulicis, quàm exercitato ad diſcendas varias ſpecies Seridis.

*An Condrilla altera Dioſcoridis?*

*Matth. taxatur*

Cluſ. Hiſp. Condrilla prior, Hiſt. poſt. Condrilla prior Dioſcoridis legitima, nonnullis Hiſpanis *Yerua di S. Guyteria* nuncupata, quo nomine & Phyllum ab illis vocatur.

*Yerua di S. Guyteria*

*Locus & tempus*

Prouenit Monſpelii in pratis, nec non etiam in locis ſiccis in ipſis muris vrbis, florens menſe Aprili & Maio, & Autumno vt Septembri. Habui in horto Geneuæ, vbi totam hiemem pertulit. Inuenit eam Cluſius Salmaticenſi agro locis incultis, & multis aliis Hiſpaniæ Auguſto florẽs, vel etiam ſeriùs.

---

## HIERACIVM MONTANVM LACINIATO folio lanuginoſo Cluſio.

Ex *radice* obliquâ & rugoſâ, minimíque digiti craſſitudine, multis etiam fibris donatâ, aliquot extuberant capita, vnde ſena aut plura enaſcuntur *folia*, vnius, duarum & trium vnciarũ longitudine, ſemunciam lata, craſſiore neruo per mediam longitudinem excurrente, mollia, breui incanáque lanugine prædita, infimâ parte valdè laciniata & anguſtiora, ſupernâ verò latiora, ſed dentata duntaxat, candido ſucco turgentia: è quorum medio, bini aut terni emergunt *cauliculi*, palmares, enodes, foris læues, intus concaui: ſuſtinentes *flores* luteos, floribus Hieracii 5. alpini hirſuto folio ſimiles, quibus tamen color paulò ſaturatior, *ſemen* maturum tenue, longiuſculum, nigrũ pappo inuolutum à vento abripitur.



*Deſcriptio*

Cluſ. Pannõ. Hieracium 7. montanum laciniato folio. Hiſt. poſt. Hieracium 8. folio Hedypnoidis: Hieracium mõtanum laciniato folio.

Tab. Icon. & Hiſt. Hieracium montanum anguſtifolium foliis Cichoraceceis. Berg habichkraut mit ſchmalen wegwarten bletern. Hieracium 17.

C. Bauh. Phyt. Hieracium 13. laciniato, lanuginoſo folio, quod valdè conuenire tradit cum Hieracio Lobelii foliis & floribus Dentis Leonis bulboſi. Sed Lobelius pingit ſuum differenti admodum radice & valdè hirſutum, cum profundis laciniis vel ſegmentis. Gerard. Hieracium 7. Cluſii, hancke weede.

Creſcit in leytenberg, florétque Iunio, Hieracium montanum laciniato folio Cluſii. Prouenit in altis Lotharingiæ montibus inter *Eſpinal* & Fonteneus, Tabern.

---

## HIERACIVM NARBONENSE ROTVNdifolium caule aphyllo, & Hieracium caule Aphyllo hirſutum.

Illud Monſpelio, ex rupibus illi vicinis euulſũ, habuimus. Quod ſtatim à radice alatis pediculis longiuſculis *folia* fundit octona aut dena, plùs minùs, rotundis, in ambitu exacutis, ſed innoxiis apicũlis, veluti aculeis, donata, læuia, ſapore manifeſto deſtituta. È quorum ſinu *cauliculi* iuncei bini excunt, palmâ vix lõgiores, nudi, quales in Dẽte Leonis vulgi dicto, quorum ſumma *florem* ſuſtinẽt luteum, minorem quàm dictæ plantę, ſed in elegantem pappum pallidulum fatiſcentes, qui multiplex ſingulos flocculos, ſed Lactucæ pedicello, ſuſtinet: *ſemen* exiguum, longum, ſed Lactucæ minus, ſubruffum, ſtriatum. Saporem nullum manifeſtum animaduertimus.



*Deſcript.*

Hoc autem *radice* nititur fibras multas demittente, foris fuſcâ, intus alba, quæ aliquádo ſingularis, aliquando iuxta terram in plura capita diuiditur, tandem in vnam radicem coëuntia: per terram ſparguntur *folia* ſemunciam lata, ſinuato, obtuſo mucrone, hirſuta, coliculi pedales, ſeſquipedales & cubitales, tenues, ſtriati, nõ ramoſi, hirſuti, inanes: *flos* Dentis Leonis ex hirſuto calyce.



C.B. Phyt. Hieracium 12. ſiue foliis Cichotaccis flore magno.

Locus & tempus. Geneuæ prouenit paſſim in pratis florens Maio, Montbelgardi copioſé maximũ quoque, floret Iunio & Iulio.

## HIERACIVM PARVVM HIRTVM caule aphyllo, criſpum vbi ſiccatum.



Deſeriptio. SImplicem ſpedali altitudine *caulem* tollit, tactu aſperum, & ſingularem, cuius cacumini *flos* impoſitus vnicus Hieracii quod Cichoreum ſyluestre luteum appellant, in pappos euaneſcens: *folia* ex *radice* gracili complura per terram ſparſa, déſa rigidaq; lanugine ſpinulas quodãmod. imitata, hirta & incana, ſeſcunciam aut vncias duas longa, ſatis lata, diuiſione Erucæ purpureę nobis dictę, ſiccata criſpa videntur, *radix* craſſa.

Locus. A multis annis habemus Monſpelii collectum Idem quoque attulit gener Cherlerus, & D.I.Iac. Mieg: diu durantem exiſtimo plantam.

## HIERACIVM MONTANVM 6. Cluſio anguſtifolium.

Deſcrip. RAdix, ita deſcribente Cluſio, digiti craſſitudinem interdum æquat, longa, nigricans, tenuibus fibris prædita, ſummâ parte in plura nonnunquam capita extuberans, quæ ſummâ tellure ſena aut plura oblonga *folia*, ſemunciam ferè lata, & nonnihil incana profetunt: è ſingulis radicis capitibus, prodeunt inter folia, ſingulares *caliculi*, duri, nudi, dodrantales aut palmares tantùm, vnicum *florem* ſuſtinentes, è multis oblongis extremo inſectis foliis, luteoque colore præditis, conſtãtem: quo defluente, *ſemen* oblongiuſculum cum pappo leui auræ flatu excutitur. Aliud eius genus inuenitur, cuius folia nonnihil in lateribus laciniata ſunt, fermè inſtar foliorum Leucoii marini, minùs incana: flos aureo colore magis rutilat, alioqui per omnia ſimile. Vtriuſque planta lacteo ſacco plena, & amariuſculo guſtu eſt.



Cluſ. Pann. & hiſt. poſt. Hieracium montanum 6. Tab. Icon. & hiſtor. Hieracium montanum 2. Berg habich kraut mit ſchmalen bletteren. Hieracium 16. Gerard. Hieracium 6. Cluſii, hauke weede.

C.Bauh. Phyt. Hieracium 20. folio oblongo nõ diſſecto. Huius & altera ſpecies, foliis nonnihil laciniatis, minuſque incanis habetur. Cam. hort. Hieracium Pannonicum 6. montanum. Synon.

In omnibus illis montibus à Calenberg Danubio imminenti ad Alpes excurrentibus naſcitur Hieracium hoc ſextum Cluſij. Floret Maio. Creſcit in montibus Alſatię non longè ab arce montana kónig ſtein/quà itur feldberg, Tabern. Locus Tempus.

## CICHORIVM BVLBOSVM.

Deſeriptio. VTrarum ita pulchrũ eſt Cichorij genus, innumeris *fibris* tenuibus longè latéq; perreptãs, quibus appenſi bulbi, Auellanæ circiter magnitudine, Alabaſtritis marmoris candore, ſolidi; *folia* ſeſcunciam aut vncias duas longa, ſemunciâ latiora, leuiter ſinuata, glabra, in obtuſum mucronem deſinentia, craſſiuſcula, rubeſcentia: inter hæc ſurgunt *coliculi* palmares hirſuti; quorum faſtigijs *flores* inſident Hieracij, lutei, in pappum euaneſcentes: hæc



Hæc planta amara eſt & lacteum ſuccum habet.

Hiſtor. Lugd. Cichorium ſtrumoſum Miconii: A foliorum forma vocatur Cichorium, ſtrumoſum verò ab effectu & forma radicis, quæ ſtrumas refert & ſanat. Quam ob cauſam Barcinone, vbi frequens oritur, *Porcellanes* vocant, quaſi dicas ſtrumoſam.

*Condrilla puſilla bulboſa.*

Lobel. in Adu. & Icon. Plant. Condrilla puſilla marina lutea bulboſa, an Dioſcor. radice rotundâ orbiculatâ Strongyle? & an Theophr. Cichorium, Perdictónue.

C. Bauh. Phyt. Chondrilla 10. ſiue bulboſa marina. Cichorium bulboſum Dalechamp. Hiſt. Lugdunenſi. Item Chondrilla 11. ſiue Cichoriũ ſtrumoſum Myconii, multùm ſimilitudinis habẽs cum prædicta, folio minimè per ambitum ſerrato. Hoc videtur, Caſt. Dur. Hæmorrhoidalis nomine velle exprimere.

*An Hæmorrhoidalis Caſt. Dur?*

Locus & tempus

Per arenam ſerpit, floret menſe Aprili prope montem Seti ad mare. Bulbuli Monſpelio à Genero Cherlero allati & Montbelgardi in horto Ill. E. C. ſati pulchrè quidem folia genuerũt, inſigniter repentes: in maritimis alioqui & Iuncetis, vnde maximo labore euulſit [cùm inter radices Iuncorum penitus ferè deliteſcant] obſeruauit.

Vires *Strumæ* *Radix* *Aqua ſtillatitia* Conditum. *Placentæ.*

Radicem iſtam globoſam ad ſtrumas curandas multùm cõferre ſe experimẽto didiciſſe Myconius apud Hiſtoriam Lugdunenſem aſſerit. Quinque aut ſex integræ cum melle ſumptæ multis diebus continuis mirum in modum proſunt. Eadem præſtat aqua earum ſtillatitia, vel decoctum, ſed inefficaciùs: item conditum ex iis cum melle paratum admodum iuuat. Quare, vti dictum, hanc plantam Myconius Cichoriũ ſtrumoſum à forma & effectu nuncupauit. Radices, quas ſcrophulis mederi ait Cæſalpinus, ſumuntur ex melle, vel cum farina Triticea in placentis, vt vinum vetus ſuperbibatur ieiuno ventriculo mane & veſperi: nam elicit ſudores, & ſtrumas in collo diſcutit.

## PILOSELLA MAIORI FLORE, SIVE vulgaris repens.

Deſcriptio



Paſſim ſecus vias obuia Piloſella haud facilè quenquam lateat, humi decumbens & repentibus *ſurculis* hirſutis, amarum lac fundentibus, nouam ſobolem per demiſſas fibras ſubinde propagans: *folia* pilis obſita murinis auribus ſimilia, ſuprà virentia, infrà incana, ſapore exſiccante: *flores* Dentis leonis minores, lutei, Matthiol. aurei, extimis foris purpuraſcentibus, calyce hirſuto, fuſco, qui matureſcentes in papposam lanuginem euolant. *Radices* numeroſæ, tenues, ſed humi pertinaciter hærentes.

Synonyma. *Piloſellæ Etymon.*

Huius notiſſimæ herbæ non meminiſſe nec nomen vllum ei indidiſſe Veteres aiunt Herbarii, quam Recentiores Piloſellam appellant à copioſis pilis, quibus tum cauliculi, tum folia veſtiuntur.

*Intybus minimus.*

Minima quædam Intybi ſpecies hæc eſt, inquit Cordus, quod ex floris formâ, colore, & lacteo foliorum liquore facilè colligitur, ſimiliter ab omnibus (vt Dioſcorid.) Auricula muris vocata, etiam Germanis quibuſdam & Italis Piloſella.

*Apollinaris error*

Nomina Meüßhor & Nagelkraut ſunt quidẽ Piloſellæ, quam picturâ exhibet Apollinaris: verùm vires, quas adſcribit, ſunt vtriuſque Anagallidis: caueant igitur Lectores, ne cum Apollinari has duas plantas confundant.

*Auricula muris Brunfelſ. not.*

Brunfelſ. Tom. 3. Rhapſ. 45. & in quarto p. 271. Auricula muris. Sed Auricula muris (teſte Hieron. Brunſch.) non eſt Latinorum Piloſella: quãuis tamen Tragus hanc lib. 1. cap. 93. deſcribat & depingat ſub nomine Auriculæ muris minoris.

*Dorſth. not.*

Sed & Theod. Dorſth. iconem Piloſellæ proponit hac inſcriptione. Auricula muris, μυὸς ὦας, Piloſella.

An Fuchſ. Hiſt. cap. 6. de hoc loquitur cùm ait. Auriculam muris pro Anagallide qui depictam oſtendunt Herbarii, errant. Vt & qui Piloſellam alio nomine Auriculam muris appellari tradunt.

*Piloſella*

Caſt. Dur. Cæſalp. Camer. in Epit. [cui in Hiſt. Matthiol. germ. Piloſella minor.] & Matth. in ſuis comm. *Piloſella.*

*Lapſus multorum.*

Quidam, inquit Lacuna, exiſtimant, Piloſellã eſſe Holoſtium, ſed non eſt: eſt enim Holoſtium legitimum incognitum: exiſtimo ſpeciem eſſe alicuius Graminis. Matthiolus idem ſtatuit, & poſtea in poſt. Comm. cum ann. C. Bauh. ſibi ipſimet contradicit, ô labilem viri memoriam!

*Lonic. not.*

Lonic. lib. 5. cap. 75. figuram bonam Piloſellæ maioris Fuchſii habet, titulo Klein Meüßohr/ Nagelkraut/ & præterea aliam paruam quæ nõ placet, nec etiam deſcriptio.

H. Lugd. Piloſella maior Matthioli.

Tabern. in Hiſt. Piloſellam primam: in Icon. Piloſellam & Auriculam muris cognominauit? C. Bauhin. Phyt. Piloſella 1. ſiue maior repens hirſuta. Thalio, Piloſella media, Auricula muris vulgi. H. Luſ. Piloſella vulgaris, Auricula muris.

Nomina linguarũ

Piloſella maiori flore, ſiue repens vulgaris vocatur Germ. Meüßöhrlin/ Nagelkraut. Gall. *Piloſella, Oreille de rat ou ſouris.* It. *Peloſina, Auricula di topo.* Belg. Nagel cruyt/ Muyſoor. Gallo-Belg. *Peluette & Veluette.* Hiſp. *Piloſelle* Boh. Chlupaček. Sclauon. Muſch Czermony a mudny. Hung. Egêr fil.

Locus & tempus.

Naſcitur extenuato & arido ſolo, in collibus & incultis locis, & agrorum herbidis limitibus. Maio & Iunio menſibus potiſſimùm floret.

Vires *ex Matthi. & aliis* *Gregi noxia.* *Dyſenteria* *Vulnera*

Amarum lac ſecta planta mittit: id quod extenuantis atque abſtergentis indicium eſt facultatis, inquit Matthiolus. Tota Piloſellæ planta vehementer adſtringit, glutinat, cohibet, refrigerat, ſiccat: quapropter huius rei non ignari paſtores maximè cauent, ne ouium greges in illis paſcuis immorentur, vbi huiuſce plurimùm gignitur: quandoquidem depaſcentes oues tantâ alui adſtrictione afficiuntur, vt inde facilè emoriantur. Hinc didicerunt Medici, eam mederi dyſentericis, & vteri profluuiis: quin & ex vino auſtero potam vulnera glutinare, tam ſcilicet exteriùs, quam interiùs, illatam, cœliacíſque magno eſſe auxilio, & bilioſis vomitionibus: cruentis item

ſputis, enterocelis, & omnibus in vniuerſum fra-
*Fractura.* cturis opem ferre, ſed præcipuè caluariæ. Non deſunt etiam è recentioribus qui eam maximè commendent ad ramicem, vuluæ relaxationem gargarizatu, ad iocinoris & ſplenis affectus, nempe ad
*Morbus regius.* regium morbum, incipientem hydropem, & lienis tumores, quòd viſcera hæc roboret. Additur quoque vtiliter in potionibus intrinſecorum vulnerum, & in vulnerarijs emplaſtris, atque vnguen-
*Foliorum ſuccus. Vlcera. Pulvis.* tis: foliorum ſuccus non ſolùm recentia vulnera glutinat, ſed vlcera quoque contumacia, phagædenáſque ſanat: & præſertim oris, & pudendorum. Succus decoctumque aciem ferri vel chalybis ſæpe merſam indurat.

Huic autem non abſimilis, ſed multò major Camerario alia Piloſella maior cauliculis non ramoſis flore magno, quam etiam deſcribit Frater.

## PILOSELLA MINOR FOLIO anguſtiore, minùs piloſo, repens.



INſigniter repit & hæc: *folijs* per terram ſparſis, anguſtioribus minoribus, tam infrà quá ſuprà glabris, ſi raros quoſdam pilos in aduerſo folio ſitos excipias, quorum inferiora ſubrotunda, ſuperiora longiora: *caules* proceriores, interdum cubitò altiores, non ſine folijs, in aliquot pediculos circa faſtigium diuaricati, vbi *flores* duo, tres, quatuor, lutei vt alterius ſed minores.

*Lactucellæ ſilu.* Camer. hort. Lactucella Sylu. repens, ambigens inter Hieracium & Sylu Lactucam: amara. C. Bau. Phyt. Lactuca 14. Lactucella Syluestris Camer. Item Piloſella 2. ſiue maior repens glabra: Auricula muris minor Tragi, ſecunda. Piloſella maior Camerarij. An Horto Luſ. Piloſella major altera, Groß Meußörlin.

Paſſim in ſyluis prouenit, florens menſe Maio & Iunio.

## PILOSELLA MINORI FLORE Hirſutior & elatior non repens.

*Deſcriptio* FIbroſa eſt huic *radix*, turgens lacteo ſucco acri & amaricante, reptatu fibrarum non ſe propagans, nec humi procumbens, ſed Hieraciorum more, nonnunquam ad bicubitalem altitudinem excreſcit in plures *caules* modicè hirſutos, interdum hirſutiſſimos, maximè verò parte inferiore, cui *folia* quædam adnata admodùm anguſta, vncialia, quadrantalia & palmaria: latiora verò ſunt & paulò longiora nonnunquam quæ à radice ſtatim oriuntur, ſapore ſubdulci, nullâ excellente adſtrictione, quæ lac manant ſicut & caules, qui



propè ſummum cacumen in aliquot ſurculos quadrantales & ſextantales diuiduntur, hique rurſum plures breues hirſutos pedicellos promunt, quorum ſingulis ſinguli inſident *floſculi*, Hieracij alicuius, lutei, pleni, calyce ambiti ſtriato, lanugine nigra obſito.

C. Bauh. phyt. Piloſella 3. ſiue maior erecta, quam ſi quis ad Hieracia referre malit, non cum eo contenderit. *Synon.* Taber. inquit, videtur eam voluiſſe exprimere in Hiſt. & Icon. nomine Piloſellæ maioris alterius. *C. Bauh. not.* Imò nobis non videtur voluiſſe, ſed expreſſit. Verum quidem eſt, quod ea meliùs pingi potuiſſet. An Hort. Luſ. piloſella maior altera Groß Mauß ohrlein.

Piloſella hæc prouenit in muris circa Montbelgardum. Baſileæ collegit Frater in ſyluis, Patauio etiam attulit. *Locus.*

## AVRICVLA MVRIS HISPANICA, alijs Hieracium Pannonicum flore ſaturatè croceo.



VIdimus anno 1608. in horto Stutgardiano Ill. Principis, & horto Fontis admirabilis, plantam à nobis hactenus nullibi obſeruatam, quæ ſanè ſpecioſa nobis videtur è genere pulmonariæ Gallorum, quæ quibuſdam piloſella dicitur. Hâc autem vocant Auriculam muris. Ei *radix* eſt fibroſa purpuraſcēs amara, manans ſucco lacteo, ex ſe emittit climata inſtar piloſellæ maioris Fuchſij & Conſolidæ mediæ, quæ radiculas albas in terram defigunt, ac ea ratione plurimùm ſe multiplicat & expandit: *Folia* ei primò vncias duas longa, poſtea palmo longiora, potiſſimùm quæ ex caule prodeunt, ea ſimilitudinem quandam habent cum quadam Scabioſa ſyluatica, maiora latitudine vncias duas excedunt, quædam habent in margine veluti denticulos longis ſpatijs diſpoſitos, *Locus. Pulmonaria. Piloſella. Auricula muris. Radix.*

poſitos,nõnihil ſunt aſpera, potiſſimùm ſuperiore parte, inferiore autem neruoſa, vtrinque copioſi pili: *Caules* ei cubitales & ſeſquicubitales, qui horrent pilis nigris longis, per caulem tria folia,inferiora maiora, ſuperiora minora, & in iis denticuli maiores,à principio caulium maiorum oriuntur minores palmares vel pedales, ſicuti etiam inter folia caulium,quæ rara: ramuli ſingulares: in extremitatibus copioſa *capitula florum* ex breuibus pediculis prædictæ Pulmonariæ ſimilibus: calyces ſiue foliola hirſuta pilis nigris: menſe Maio, in medio ſolus flos, qualis prædictæ herbæ vel Hieraciorum ſe expandit: Colore inſigni quaſi Arantiorum non benè maturorum, in medio apices plurimi lutei bifidi: folia floris in circuitu,qualia Calthæ, denticulata,ſiue crenata: Vbi flos vnicus euanuit in fine Maii multi ſimul florent, & veluti vmbellam exhibent: odor paruus ferè Hedypnoïdis ſiue Dentis Leonis: Excidunt flores remanentibus calycibus,in quibus pili & ſemina,tenuia,longiuſcula fuſca, ſemina matura vidi Iunio.

## CHONDRILLA FOLIO NON DISSECTO, caule nudo & foliato.





Deſcriptio

RAdice firmatur longâ, craſsâ, lacteo ſucco turgente, in capita aliquot diuisâ, *folia* emittente multa, palmaria & longiora, ſemũciã, plùs minùs lata, Plantaginis tenuifoliæ foliis ſimilia, acuminata, glabra, craſſa, Chondryllę cæruleæ inſtar, eiuſdem penè coloris: *caules* frequẽtes iuncei, dodrantales ſiue pedales, glabri, fũgoſi, foliis plærũque nudi, nõnunquam foliati, in binos ramos vt plurimùm diducuntur, quorũ ſingulis *flos* inſidet vnus, magnus, luteus, in *pappos* euaneſcens, quibus *ſemina* adhærent tenuia, longa, ſtriata, & ruffa, per maturitatem parũ mihi conſtat cuius coloris,ex ſicca hanc potiſſimùm deſcripſi.

*Locus & tempus.*

Condrillæ ſpeciem aliquando ſeui,herbam à me inuentam florẽtẽ Iunio circa Curiam Rhæthorum ad Rhenum. Valerandus Dourez hanc eandem aliquando mihi dedit pro Chondrilla ex Syria allata.

## SENECIO SIVE ERIGERON VETERIBVS.

### CAP. VIII.

SEnecio tametſi non fundat Lacteum ſuccum, tamen inter Lactarias ſtirpes eum recenſere placuit, propterea quòd ſemen non illius vt earundem in auras euaneſcat. Cúmque ſit vulgatiſſima herba,nihilominus diligentiùs eius hiſtoriam proſecutus eſt Dioſcorides,quàm vel Balſami, Cinnamomi,vel Garyophyllorum.Deſcriptio igitur Senecionis,apud eum ſic ſe habet.

*Herbulum: Erechthites*

*Eruca folio*

Senecio, qui Latinis aliter inter Dioſcoridis notha Herbulum, aliis Erechthites dicitur, *cauliculo* eſt cubitali, ſubrubicundo, *foliolis* crebris & Erucæ modo per extremitates diuiſis, ſed minoribus multò: *floribus* in luteum vergentibus, qui quidem citò dehiſcunt ac deflореſcentes in pappos abeunt. Atque inde etiam Erigerontis nomen Senecio apud Græcos inuenit quòd Vere flores capillorum ritu caneſcant. *Radix* eſt ſuperuacua. Naſcitur porrò maximè in maceriis & circum oppida.

*Erigeron Plinio Trixaginis ſpecie.*

*Acanthis Callimachi*

*Folii varietas*

*Genus aliud.*

Erigeron à Græcis,quæ à noſtris (inquit Plin. in cod.vet.) Senecio vocatur,herba eſt Trixaginis ſpecie & mollitia, cauliculis ſubrubicundis: naſcitur & in tegulis, & in muris. Nomen hoc Græci dederunt, quia Vere caneſcit. Caput eius numeroſá diuiditur lanugine (qualis eſt ſpinæ) inter diuiſuras exeunte.Quare eam Callimachus Acanthida appellat, alii pappum. Nec deinde Græcis de ea conſtat. Alii Erucæ foliis eſſe dixerunt,alii roboris minoribus multò. Nec defuere qui & alterum genus facerent, nec quale eſſet demonſtrarunt. ἠριγέρων Theophr. inter olera & Intubacea numeratur 7.hiſt.7.diutiùs florens,inter hyberna prorumpens poſt Aphacam.

*Synonyma*

*Senetio vulgaris ſiue Erigeron*

*Senetio hirſutus grauiter olens*

*Senetio folio non laciniato.*

*Senetio caruleus*

*Iacobæa.*

*Iacobæa marina.*

*Carduus benedictus.*

*Siſymbriũ cardamine ſiue Naſturtium aquaticum*

Cæterùm, Senecionis nomine ſequentes donauimus plantas. Primò quidem Senecionem vulgarem, quem Erygeronem verum ſiue Senecionem credimus. Senetionem alterum hirſutum, viſcidum, maiorem,odoratum. Senetionem folio non laciniato. Senetionem ſiue Erigeronem cæruleum, aliis Conyzam cæruleam. *De his mox ordine agemus hoc libro.* Senetio maior, inquit Tragus, verè appellari poteſt flos S. Iacobi & pro illo vſurpari tutò poteſt. Hic flos à nobis Iacobæa inſcribitur lib.25. De Senetione marino ſiue Iacobæa marina agemus libro iam dicto. Senetionis nomen tribui Carduo benedicto apparebit ex Trago lib.26.c. de Carduo benedicto. Recentiores,teſte Cordo, Siſymbrium Cardamine,ſiue Naſturtium aquaricũ, maximo errore Senetionem vocant, vt videre eſt lib.28.

## SENETIO VVLGARIS SIVE ERIGERON.

FIbroſâ partímque lignoſâ *radice* nititur Senecio,tenui, albâ,ſubpurpureáue, ſapore oleraceo,ex quâ attolluntur *caules* terni,quini,& plures,teretes, ſtriati, hirſuti, brachiati,& concaui, *foliis* donati vncialibus & longioribus, pediculo

viduis,hirſutis & veluti circumroſis,alterno poſitu naſcentibus: *flores* in ramulorum faſtigijs plures ſimul iuncti, pediculis breuibus lanuginoſis appenſi,tanquam ſtaminum luteorum complexus, qui in *pappos* celerrimè fatiſcentes cum ventis feruntur, *hoſce autem* ambiunt inuolucra calycum inſtar, ſtriata, baſi ſquammulis atro mucronatis compacta.

Synon.

Brunfelſ.Tom.2.in Dioſc.lib.4.p.124. Erigeron ſiue Senecion herba quâ hodiè in acetarijs vtuntur: alias Herba pertella.

*Petrell.a. Verbena fœmina.*

C. Bauh. apud Matth. & in Phyt. Senecio minor: Verbena fœmina Brunfelſ.

*Tragi error*

Trago dicitur Senecio, Senecio 1. vulgaris. Is malè, meo quidem iudicio, Erigeron Dioſcoridis & Aphacam Theophraſti ad vnum genus refert & omnia ea de Senecione intelligit quæ Theophraſtus de Aphaca prodidit. Nam & ipſe Theophraſt. Erigeri expreſsè meminit. Quod verò Simonem Ianuenſem Carduum benedictum Erigerum appellantem manifeſtè erraſſe ſcribat, ſicut & illos,qui Naſturtium hoc nomine vocent,à veritate minimè alienum eſt.

*Simonis Ianuenſ.error.*

*An Carduncellũ Ioh Agricolæ?*

An Io. Agricolæ Ammonio in Nicol. Alexand. in ſuis paralipomenis Carduncellum, quod vulgus Omnium menſium florem, Germ. Aller Monat blümlin vocare tradit.

Synon.

Dodon. gall. Erigeron ſecundum, Senecio minor (& hoc titulo etiam à Caſtore inſcribitur.) Lat. in fol. Erigerum minus: Erigeri ſpecies altera ſeu minor. Lob.in Adu. & Icon.plant. Geſnero de hort. Tabern. Ic. & Hiſt. Thalio & Hort.Luſ. Senetio ſiue Erigeron. Camer. hort. Senetio vulgaris. Apud Euſtachium. Roeſslin Senetionis figura malè adaptatur capiti de Caputia. Ponitur à Georg. Pict. in annot. in Æmil. Macrum cap.47. de Senetione figura Naſturtij aquatici non benè & præter Æmilij ſententiam. Senecio Matth. Lac. Fuſch. (cui omnes notæ Dioſcoridis reſpondere videntur:) Turn. Corn. in Dioſc. H. Lugd. Camer. ad Hiſt. germ. & Epit.Matth. & Cæſalpino.

*Euſtach. Roeſſl. not. Georg. Pict error.*

*Senecio.*

Senecio vulgaris ſiue Erigeron vocatur Græcè ἠριγέρων. Germ. Creützwurtz / Grindkraut. Belg. Cruyſcruit, Grimkcruyt. Gall. *Seneçon* aut *Seneſſon*. It. *Spelliciosa*, *Cardonell.*. Patau. *Verzolo*, alibi *Sucalazzon*. Hiſp. *Bon Varon*, *Cardo morto*, & *yerua cana*. Ang. Grounſell. Boh. Primetuc Fornuy. Hung. Aggo fiu/ Konto fiu. Nomencl. Pannonico. Ἠριγέρων quidem quaſi vernus ſenex, quòd flores capillorum ritu vere caneſcant & in lanuginem abeant: vnde Latinis Senetio.

*Erigerum vnde dictũ.*

Locus & Temper.

Naſcitur maximè in maceriis, parietibus,& circum oppida. Montbelgardi paſſim ſponte prouenit in hortis, veluti in horto E. C. tota hieme & Æſtate viret. Florentem vidi Vere & Autumno Monſpelij. Baſileæ in hortis & alibi Octobri & Maio, Geneuæ Nouembri & Ianuario. In monte Roſberg propè Maſmunſter florentem Octobri, Patauij Ianuario & Februario.

Vires *ex Dioſc.*

*Teſtium & ſedis inflãmationes. Vulnera. Dioſc. textus corruptus. Ex Plinio Superſtitio.*

Folia cum floribus, authore Dioſcoride; refrigerandi vim habent: proindéque illita cum vini modico aut etiam per ſeſe folia, teſtium & ſedis inflammationes ſanant: quin & ex manna thuris cùm reliquis medentur vulneribus, tum ijs quæ neruis inflicta ſunt. Illiti quoque pappi per ſe cum aceto, idem præſtant: verùm recentes epoti ſtrangulant: Totus [vet. hac poſtrema periodo caret:] autem caulis ſi ex aqua coctus cum muſto potui detur, ſtomachi dolores à bile contractos perſanat. Erigeronem, inquit Plinius, ſi ferro circumſcriptam effodiat aliquis, tangátque eâ dentem, & alternis ter deſpuat, ac reponat in eundem locum, ita vt viuat herba, aiunt dentem cum poſtea non doliturum. Doloribus Erigeron ex aceto illinitur. Cætera quæ habet ex Dioſcoride mutuatus eſt.

*Ex Galeno.*

Galenus contentus dixiſſe Senecionem vim mixtam, refrigerantem, ſimúlque moderatè diſcutientem habere, reliqua velut in herba nota omittit. Cùm autem herba euidenter ſit amara, vt ſiccet, abſtergat, aperiátque neceſſe eſt, quare nil mirum fuerit teſte Matthiolo, ſi fœminæ Epoto foliorum ſucco, aut totius plantæ decocto, remorantes menſes ſibi prouocent, ab aniculis edoctæ. Senecionem herbam ſuppurationem accelerare prodidit Fontanus: Cæſalpinus folia recipi in acetaria.

*Menſes. Suppuratio. acetaria.*

---

## SENECIO HIRSVTVS, VISCIDVS, maior, odoratus.



Deſcriptio

PErinde vt Senecio vulgaris, *radice* nititur fibroſâ: *foliis* donatus ſimilibus ſimilitérque inciſis, ſed lanugine vndique obſitis, ideóque nonnihil incanis, inſuper tactu viſcidis, mollioribus & fœtidis: *caulis* erectior, procerior, hirſutus, quemadmodũ & florum luteorũ in pappos abiturorũ calyculi ſtriati. Planta nonnihil ſapore aromatico, figura alioquin hic poſita minùs placet.

*Matricaria ſylu. An Senecio maior Tragi?*

Trago lib.1. cap. 50. Matricaria ſylueſtris, Matricariç ſilueſtre genus. An eidem dicto libro c.96. Senecio ſecunda maior?

*Senecio maior. Erigerum, Cichoreum, Intybum. Cichorium fœtidum. Erigeron tomentoſum Senecio fœtidus.*

Dodon. Gallico Senecio maior: at in fol. Erigerum tertium, in Cichoraceorum ac Intubaceorũ familiam reponendum, fœtens nonnihil, vnde Cichorij fœtidi à nonnullis appellationem adeptum eſt: ſed quod cum Aphace herbæ Theophraſti conuenire videtur.

Lob.in Obſ.& Icõ. Plant. ambotum meminit, pingens Erigerum 3. Dodonæi hoc titulo: Erigeron tomentoſum. Primum verò ſiue maius Dodonæi, in Icon. Erigerum tomentoſum alterum.

Cæſalp. Senetionis ſpecies altior, & in omnibus maior. Geſn.hort. Senetio fœtidus.

*Iacobæa Pann 1. Cluſij.*

Cluſ. Pannon. Iacobæa Pannonica 1. mollior. Hiſt.poſt. Iacobæa Pannonica prima, quibuſdam Senecio fœtidus dictus, ſine icone.

*Arthemiſia. Matricaria lutea. Sideritis 4. Plinij.*

Taber. Hiſt. inter nomina Arthemiſiæ 3.genus, Geeler wetterig / & wilder Metthram / Matricaria lutea, & Matricaria ſilueſtris.

*H. Lugdun. notatur.*

H. Lugd.l.5.cap.18. Senetio fœtidus Dalechampii, quibuſdam Arthemiſia fœtida, Sideritis quarta Plinii nonnullorum. Lectorum erit conſiderare an hic Senetio fœtidus non ſit idem cum Senecionis

necionis ſpecie Dodonæi, cuius figuram hoc eodẽ capite 18. Hiſtor. Lugdunenſis ponit, quaſi eſſet diuerſa planta, annon etiam Erigeron tomentoſum Lobelii.

*Senecio incanus pinguis.* C.Bauhin.Phyt.Senecio 2.ſiue incanus pinguis, Erigeron 1.Dod.gall. Erigeron alterum tomentoſum Lob.icon.

*Locus & tempus.* Creſcit Iacobæa Pannonica 1.Cluſii in Pannoniæ & Auſtriæ cæduis ſiluis. Floret Iunio & ſemine deciduo quotannis ſpontè renaſcitur, variis in locis obſeruaui, & habeo in Horto Ill.E. C.ſemine maturo Auguſto & Septembri. Fuchſius præceptor meus cùm apud illum eſſem vocabat Arthemiſiam monoclonon Germanicam.

*Vſus* Matricariæ ſilueſtris Tragi ligna in ſiluis cæduis ex ordine compoſita incenduntur, vt ignis calore terra ſationi frugum idonea reddatur.

## SENETIO FOLIO NON LACINIATO.



*Deſcriptio* Herba eſt cubitali altitudine, *radicibus* tenuibus, candidis, lignoſis, dulcibus: *caule* aliquantiſper piloſo, rotundo, cauo, medulla lanuginoſa farcto: in quo *folia* ſunt exigua, piloſa, in ambitu ſerrata, craſſa, aliquantulùm viridia, infernè rubeſcentia, quæ quandoque colore vinoſo manus inficiunt: In caulis ſummitate *flores* ſunt lutei, in pappos protinus abeuntes. Sapor totius plãtę aqueus eſt, vt vulgaris Senetionis. Naſcitur in quercetis, locíſque non admodum ſiccis, ſed humidis interdum & in pratis.

## SENETIO SIVE ERIGERON CÆRVLEVS, aliis Conyza cærulea.

*Deſcript.* Senecio hic ſubinde magnitudine, fœlicius aut infœlicius ſolum nactus, variat, aliàs ſeſquipalmaris, aliàs pluſquam dodrantalis: *radicibus* fibroſis, albicantibus, guſtu nonnihil aromaticis: ex quibus *caules* ſurgunt multi, tenues, ſtriati, rubentes, hirſuti, ramoſi, medulla alba pleni: *folia* integra, nec vſquam diſſecta crenatáue, lanuginoſa, inferiora quidẽ vncias ferè duas longa, ſemunciam lata: ſuperiora vt breuiora ita anguſtiora, vtraque ſapore acri & aromatico: *capitula* quàm in Senecione vulgari longè craſſiora, canaliculata, tomentoſa, nonnihil rubentia: *florum* foliola dilutiore purpura tincta ſunt, medium obtinente papposo tomento exalbido in luteum vergente.

*Tinctorius flos alter Trago* Trago lib.1.cap.49. Tinctorius flos alter (in Hiſtor. germ. das ander ſcharten blumen geſchlecht Scharten Germ.dicta,) Tinctorii floris genus alterum, primò (Aſteri attico purpureo) haud abſimile, ſed per omnia magis extenuatum, & nigricantius, flore lanuginoſo, inſtar florũ Hieraciorum in auras euaneſcente.



*Verum Erigeron & Senecio Theophr. Dod.* Dodon.gall. Erigerõ 3.Gall. tierce eſpece, de Seneſſon, verum Erigeron & Senecio Theophraſti. Lat. in fol. Erigerum 4. citò quoque caneſcens, cauliculis tenuib. dodrantalibus, parum hirſutis, ex obſcuriore rubore ſubnigricantibus: foliis anguſtis, paucis, mollibúſque: floſculis in ramulis eminentibus, pallidè luteis, citiſſimè ac non modò eodem die, ſed ſæpè intra horæ ſpatiũ in papposam lanuginem abeuntibus.

*Conyzoides cærulea Geſn. Dentellaria.* Geſn. in fine Hiſt.Cordi Conyzoides cærulea, heydniſch wundtkraut, (θεραπευτικὴ dixeris) Dentellaria quorundam. Eidem de hort. Dentellaria noſtra, Conyzoides quædam herba.

*Tab.not.* Tabern.Icon.Conyza cærulæa: Hiſtor. Blaw Dürtwurtz. Cur Tabern.non ampliùs Conyzam appellat?

Quum eſſem Tubingæ Fuchſius vocabat Conyzam minorem.

*Conyza cærulea.* C.Bauhin.Phyt.Conyza 14.ſiue cærulea.

*Locus & Tempus.* Flos tinctorius alter Tragi in tractu Rheni in quibuſdam pratis, Iuniperorúmque nonnullis colliculis ac montibus prouenit: Iulio & Auguſto menſibus colligitur, poſteáque venundatur, qui tinctoribus tantùm in vſu eſt. Erigerum 4. Dod.lat.ſiue 3. gall. in vliginoſis ericetis, quãdoque in ſiluis macro & ſterili ſolo naſcitur. Senecio ſiue Erigeron cæruleus, ſiue Conyza cærulea etiam multis in locis prouenit, circa Montbelgardum.

## ASTER EX VETERIBVS.

### Cap. IX.

*Aſter Atticus Dioſc.* Ἀστὴρ ἀττικὸς (qui apud Dioſcoridem ab aliquibus inter notha Aſteriſcon, ab aliis Bubonion, à nonnullis Hyophthalmon, à Dacis Rathybida, à Romanis Inguinalis herba vocatur) eſt virgultum lignoſum (ῥαβδίον ξυλῶδες, virga lignoſa ῥαβδία ξυλώδη vet. caulis lignoſus Marcell.)

*Dioſc. variè illuſtratur.* *florem* habens in cacumine purpureum, aut luteum, [πορφυροῦν ἢ μήλινον,] Anthemidis capituli modo diuiſuris inciſum per ambitum (σχιδὲς, vndique πολυσχιδὲς vet. Quidam περὶ χίον φυλλαρίων στῶν) foliolis ſtellæ modo radiatis. Quæ verò caulem circundant *folia*, oblonga ſunt ac hirſuta (vet. aliqui tota ſequenti periodo carent vſque ad *Prodeſt*, ἁρμόζει.) Exęſtuanti ſtomacho, oculorum & inguinum inflãmationibus, ſedíque prociduæ illitu auxiliatur. Aiunt & id quod in

flore purpuraſcit ex aqua potum, angina laborantibus, ac pleriſq; comitialib' opitulari. Prodeſt verò flos recens ac etiam dum humidus, inguinum inflammationi adhibitus. Si verò aridus ſiniſtra laborantis manu decerpatur, & inguini adalligetur, dolore liberat. Poſteriorum Græcorum reliqui addunt: Naſci inter petras, locisque aſperis, ac ſtellares huius radios noctu ſplendere &c. quæ cùm ſuperſtitioſi aliquid contineant, nec in antiquiſſimis optimiſque inueniantur, vt minimè Diſcoridea, reiicimus.

Aſter, inquit Plinius, ab aliquibus Bubonium appellatur, quoniam inguinum præſentaneum remedium eſt: cauliculus foliis oblongis duobus aut tribus: in cacumine capitula ſtellæ modo radiata. Bibitur aduerſus ſerpentes. Sed ad inguinum medicinâ ſiniſtra manu decerpi iubent, & & iuxta cinctum alligari. Prodeſt & coxendicis dolori adalligata. Sic Plin. lib. 26. cap. 5. euarians aliquantùm a Dioſcoride, qui de ſerpentibus & coxendicis dolore nihil habet: ſicut Plinius, de oculorum inflammatione, anginis, & comitiali morbo nihil tradit.

Περὶ ὧν autem ἢ μᾶλλον legunt Serapio, Oribaſius, Ruellius, Cornarius, & Anguillara. At Cordus, Marcellus, & Matthiolus, loco disiunctiuæ particulę, ἢ, copulatiuâ, καὶ, reponunt. Exiſtimant enim idẽ genus Aſteris hîc deſcribi, quòd floris foliola, quę quidem capitulũ ipſum ambiũt, habeat purpurea, medium verò capitulum luteum. At Sarrac. & rectè noſtro iudicio duo Aſteris genera floris colore diſtincta depingi exiſtimat, quorum vnum illa eadem floris foliola habeat purpurea, alterum lutea: nam in vtroque genere quod medium floris locum tenet, citra controuerſiam melinum ſeu luteum viſitur.

*Dioſc. Vera lectio.*

Foliorum in flore Inguinalis herbæ numerus, poſitura, & forma, quibus ſtellæ modo radiatur cognominem ſtellis, vulgarem alioquin & in ſepibus naſcentem herbam fecerunt. Vſus deinde medicorumque cætus vtilem inguinibus cognitam in grçcis Bubonion, in Latinis Inguinalem. Atticus autem Aſter, quòd ibi frequentior quàm alibi prouenire creditus ſit, appellatur. Huophtalmum etiam quidam vocauerunt hanc plantam, quaſi Suis oculum, quòd totus eius flos animalis illius oculum referre videatur.

*Inguinalis herba.*

Aſterem Atticum Herbarios hodie partim Aſpergulam vocare, Germ. verò Sternkraut/ autor eſt Cornarius. Nunc, quod monendum videtur, Aſterias ſiue Stellaria nomen eſt multis plantis commune. Hoc enim nomine donantur Bubonium, Coronopus, Alchymilla, Cardui genus Theophraſti, Myacantha (Carduus noſtras ſtellatus ſiue Calcitrapa, de qua lib. 26.) Perdiciis quoque alterum genus à Plinio Aſtericum quaſi ſtellare nominatum. Præter has omnes ſua eſt Monſpelienſibus Aſterias ſiue ſtellaria, quæ à nobis inſcribitur Rubia parua cæruleo flore, de qua lib. 36. H. n. g.

*Bubonion Huophtalmos.*

*Stellaria nomẽ æquiuocum Carduus ſtellatus.*

Aſterem Atticum eſſe cenſet Virgilianum Amellum Matthiolus, [de eo dubitat meritò Geſnerus, cùm adhuc ſub iudice lis ſit, aliis affirmantibus, aliis verò negantibus,] de quo ille ita Georg. 4.

*Æquiuoc.*

*Eſt etiam flos in pratis cui nomen Amello*
*Fecére Agricolæ, facilis quærentibus herba:*
*Namque vno ingentem tollit de ceſpite ſyluam*
*Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circum*
*Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.*

Præter noſtros Aſteres, quorum magnam conquiſiuimus varietatem, quoſque mox ordine recenſebimus, plantæ aliæ occurrunt non paucæ, quibus Aſteris nomen ab aliis inditum.

Conyza enim marina Dalechampii appellatur à Lobelio Obſ. & Ic. Plant. & Hiſt. Lugd. Aſter conyzoides Geſneri. *Conyza marina Dalech.*

Sic quoque Conyza media à Lobel. Obſeru. & Schvvenckfeldio Aſter Atticus luteus nominatur. *Conyza media.*

Apud Cord. in Hiſt pl. lib. 2. cap. 62. pro Aſtere Attico, & ſub eius titulo malè appoſita figura Chamæli aurei quorundam.

Apud Tragum Chamæmelũ eranthemum nominatur Aſter atticus flore medio luteo. *Chamæmelum aureũ quorundã. Chamæmelum eranthemũ.*

Crithmum tertium Matthioli Lobelius in Obſ. Aſterem Atticum marinum cognominat.

Sed & Tripolium, Turpetum Serapionis cognominatum, à Tabern. apud Vvirſung. Aſter marinus nuncupatur.

Eſt Aſter Hermol. Barb. lib. 4. coroll. 734. vulgò Stella dictus, hunc H. n. g. lib. 17. Pedem leonis & Alchimillam vocamus. *Pes leonis.*

Aſpergula Dodonæi, ſiue Hepatica Stellaris, multis vulgò cenſetur Aſter Atticus. De hac dicemus lib. 36. *Eringium.*

Aſterem Atticum vel etiam Aſteriſcum Arabum interpretes, & Pandectarum author Matthæus Sylvaticus cum Eryngio confundunt: alij Alibium etiam vocant. *Alibium.*

Theoph. Golius in Onom. Aſterem Atticum ab aliis Vuam lupinam vocari tradit. Sed Vuam lupinam ſiue Herbam Paris non eſſe Aſterem Atticum eſt manifeſtum. Aſterem quidam dicunt, ſed non Atticum multi. *Herbam Paris.*

Conſiderandum an Aſterion Pauſaniæ poſſit eſſe Marrubium album, inquit Tragus. Idem Tragus Aſterij nomen Cannabi etiam tribuit. *Marrubiũ*

Spondilium inter Spurias voces, Corn. Dodon. & Geſnero teſtibus, Aſterium cognominatur. *Spondilium Imperatoria.*

Aſtericum (Imperatoria) non eſt Meu, inquit Brunfelſ. Tom. 2. p. 18. in Corollarijs. De Imperatoria lib. 27. H. n. g.

Parietariam à nonnullis Aſtericum vocari patebit lib. 23. cap. de Parietaria.

Hermolaus eſt teſtis Coroll. 680. Capita Papaueris Aſteriſcos Græcis appellari. Vide lib. 30. caput de Papauere.

## ASTER ATTICVS PVRPVREO & albo flore.



Aſter Atticus qui creditur, *caules* habet cubitales & ſeſquicubitales, tenues, teretes, duros, hirſutos, ſubrubentes, *foliis* amictos oblõgis, acuminatis, aſperis & piloſis, interdum crenis paucis inciſis, ſapore ſubaromatico & ſubamaro ac ſiccante: *caules* circa faſtigiũ in ſur- *Deſcriptio*

in ſurculos diuiduntur quibus *flores* inſident amœni, radiato Bellidis maioris poſitu, ſed colore violaceo (Dod. cæruleo purpureo,) aut albo, diſco medio fuluo, in pappos faceſſente: *radix* tenuis tranſuerſa iacet, a qua multæ demittuntur fibræ, ſapore amaro nonnihil aromatico & calfaciente, quidam aiunt nonnihil Caryophylli reſipiente: *ſemen* paruum ſublongum, Intybo non multùm diſſimile. De hoc autem ait Tragus. Flos tinctorius primus, tinctoribus Spirenſibus Schartenkraut dicitur.

Hunc Florem tinctorum 1. vocat Tragus, & Chamæmelum tertium, & tinctoribus Spirenſibus Schartenkraut/ dici tradit.

*Aſter Att. Fuchſii. Inguinalis* — Matthiol. Lac. Caſtori, Fracaſt. Camer. ad Epitom. Matthiol. Schvvenckf. Lonic. Cordo. Dodon. gall. & Lat. Guilland. Euch. Rœſlin. & aliis paſſim Aſter Atticus. Fuchſ. Aſter Atticus purpureus. Geſn. de hort. Aſter Atticus Fuchſii. Bened. Aret. Aſter Atticus Fuchſii flore puniceo. Camer. hort. Aſter Atticus flore cæruleo: ad H Germ. Matthiol. Aſter Atticus 1. Bubonium, Inguinalis. Lacunæ Aſteris Attici 2. ſpecies. Thal. Aſter Atticus cæruleus. H. Lugd. Aſter Atticus Matthioli. Wirſung. Sternkraut, Aſter.

*Aſter purpureus* — Cluſio Aſter Italorum & Fuchſii: Is autem iconem habet quam Lobel. Obſ. & Icon. plant. ponit nomine Aſteris Italorum.

C.Bauh. Phyt. Aſter 3. (1. apud Matth.) ſiue cæruleus (flore cæruleo, Camer. hort.) vulgaris duplicis differentiæ, qui enim maturiùs floret, minùs altè aſſurgit, quàm qui ſeriùs: deinde habetur latifolius & anguſtifolius. Item: Aſter 4. ſiue montanus luteus. *Vna planta.*

Nomina linguarū — Aſter Atticus vocatur græcè Ἀστὴρ Ἀττικὸς καὶ βουβώνιον, καὶ ἀλίβιον, nonnullis Inguinalis, Aſteriō, Aſteriſcon. G. Megerkraut / Schartenkraut / Bruchkraut / & Sternkraut / wagſtrow. Belg. Sterrecruyt. Gall. *Petite Eſpargoutte*, ſeu *petit Muguet*. H. *Bobas*, & *Eſtrella-da*.

Locus & tempus — Naſcitur aſperis, incultis, collibus & conuallibus variis in locis, florens Auguſto: ſemine maturo Octobri.

## ASTER ATTICVS MONSPELIENSIS purpureus anguſtioribus folijs.



Deſcriptio — Cognatus eſt Aſteri Attico Fuchſii, *caulibus* rectis, cubitalibus, teretibus, hirſutis: per quos *folia* crebra glabra, neruoſa, Linariæ foliis magnitudine & formâ reſpondentia: *flores* in frequentibus pediculis, aliis palmaribus, aliis vncialibus vmbellam mentiuntur, Aſteris Fuchſiani ſimiles, paulò tamen minores, violaceis in ambitu foliis, diſco luteo, qui in pappos reſoluūtur. C.B. Phyt. Aſter 14. ſiue Tripolii (Tripolii flore etiam dicit Lobel. in icon.) variegato flore.

Locus & tempus. — Aſteris Attici Fuchſii ſpecies anguſtioribus foliis florens apud mare Monſpelii à me viſa menſe Septembri.

## ASTER ATTICVS LVTEVS, SVpinus, ſpinoſus.



Deſcriptio — Aſter hic ſupinus, eſt *cauliculis* multis ab vna *radice* prodeūtibus donatus, humi magnâ ex parte diffuſis; ſtriatis & hirſutis: *foliis* numeroſis, ſuperiori pænè ſimilibus, ſed paulò viridioribus: ſinguli rami durum & folioſum ſuſtinent cauliculum, in quo *flos* luteus circinatæ rotūditatis, Buphthalmi aut Chriſanthemi æmulus: quo euaneſcente, calyculi in adeò dura & lignoſa capitula euadunt, vt vngue vix frangi poſſint, atque *ſemen*, quod in iis continetur & firmiter inhæret; eximi.

*Aſter Att. ſup. Cluſ.* — Cluſ. Hiſp. Aſter Atticus ſupinus ſiue ſecūdus: Hiſt. poſt. Aſter 2. ſupinus. Dod. de purg. in append. ubi eadem icon quæ apud Cluſium, Aſter Atticus flore luteo: Eandem habet iconem Lat. *Aſter Att. fl. luteo Dodonæi.* in fol. pro Aſtere Attico ſupinò ſiue 3: Lob. Obſ. & Hiſt. Lugd. [cui & Aſter humi iacens,] Aſter Atticus ſupinus Cluſii. C.Bauhin. Phyt. Aſter 2. ſiue luteus ſupinus. Camer. hort. Aſter Atticus repens Cluſii.

In Germaniæ, Italiæ, Galliæ, & Bohemiæ aſperis & incultis reperitur locis, in ſyluis, in collibus, nec non etiam in pratis: florens Iunio, Iulio & Auguſto.

*Aſter auricomus glaber latifolius folio non rigido.*

Non penitùs omni pilo caret, verùm tam breue tâmque rarum, tam per folia, quàm per caulem habet, vt viſus vix capiat: adnaſcuntur autem alternatim *folia*, caulem pinnis complexa, vnciā circiter lata, tres longa, nonnihil in ambitu ſinuata: ex quorum vniuſcuiuſque ſinu palmaris circiter emicat *pediculus*, *florem* plerumque vnicum, aliquando binos ſuſtinens, aureo intenſo colore micantem, magnum, Tragopogonis lutei æmulum, diſco luteo, denſo extrinſecus agmine obuallatum foliorum viridantium, læuium, acuminatorum, tantæ longitudinis vt ipſum florem interdum ſuperent. Collegit in campeſtribus & ſquallidis quibuſdam prope Lupi montem Cherlerus Gener meus.

## ASTER PVRPVREVS MONTANVS.

Aſteri montano purpureo *radix* ſatis craſſa, longa, nigricans, fibrata, in plura diducitur capita, ac ſe propagat: ex quorum ſingulis



Deſcriptio

emergit *coliculus* vnus palmaris, rariùs dodrantalis, interdum etiam cubitalis, hirſutus, paucis *foliis* veſtitus, in ſummo *florem* geſtans, maiorē quàm vulgaris purpurei Aſteris, cæterà ſimilem, foliolis cæruleis purpureiſue luteum veluti oculū ſtellatim ambientibus, quem in pappis apperſum *ſemen* ſequitur: folia circa radicem multa, piloſa, vnciam vnam, duas, aut tres longa, ſemunciam lata, per extremum rotunda. Autore Camerario interdum globuli tumentes villoſi prope radicem adnaſcuntur foliolis, eſtque omninò minor vulgari Aſtere.

Synon. Camer. apud Matth. Germ. Aſter Atticus minor, hirſutâ veſiculâ quæ adnaſci ſolet, Flein Sternkraut: In epit. eiuſdem, Aſter Atticus cæruleus Alpinus.

*Deſcr Cluſ.* Cluſ. Pann. Aſter Atticus quintus: hiſt. poſt. ſeptimus, Auſtriacus quintus, Aſter Alpinus cæruleo flore, ſiue ſeptimus.

C.Bauh.phyt. Aſter 11. ſiue montanus cæruleus magno flore. H.Lugd. Aſter purpureus montanꝰ.

Locus & tempus. Oritur herboſis Auſtriacarum Alpium iugis. Floret Iulio. In hortos tranſlata ſub finem Maii & Iunio floruit Cluſio, ſubſequens deinde hiems abſtulit & corrupit: ex earum enim ſtirpium eſt genere, quæ cultura vix miteſcere volunt. Aſter purpureus montanus Dalechampii in ſabuloſis, aridis, & perflatis montium tumulis ac cliuis gignitur.

## ASTER MONTANVS FLORE luteo magno hirſutus, quibuſdam Oculus Chriſti.

Deſcriptio



GEniculatim veluti incedit obliquè acta *radix*, nigricans, craſſiuſcula & capitata, fibras ſatis longas & numeroſas demittens, ex pluribus diſparatis capitibus ſubinde in vnum coëuntibus conflata: *caules* complures ex ſupina radice pedales & maiores ſurgunt, nonnunquam palmares tantùm, pilis obſiti: *foliis* veſtiti ſuperiùs raris, frequentibus verò terram proximè, tomentoſis, albidis, vncias tres vel quatuor longis, ſemũ. latis, ex principio anguſto valdè viroſo: *flores* in ramulorum extremis eminent ſingulares, magni, aurei in ambitu comantes foliis, diſco concolori, foliis flori circumiectis albidis, euaneſcentes in *pappos*.

Synon. Lobel. Icon. plant. Aſter montanus hirſutus. Tabern. Icon & hiſt. iconem habet ex Lobelio nonnihil mutatam pro Aſtere montano luteo fœmina, Berg Sternkraut weiblein. Hiſt. Lugd. Aſter luteus, Oculus Chriſti minor. Item Aſter Atticus Penę. Noſtra icon facta eſt ſicuti & deſcriptio ad ſiccam plantam, in qua flores minùs patuli, quos expanſos eſſe oportebat: fortè Lobeliana facta ad plantam diligentiùs ſiccatam.

*An Conyza maior altera Thalio.* Caſp. Bauhin. Phyt. Aſter 11. ſiue luteus montanus hirſutus: An Conyza maior altera Thalio? Item: Aſter 12. ſiue luteus montanus hirſutus alter. Idem fortè cum præcedenti.

Aſter luteus, ſiue Oculus Chriſti minor Hiſt. Lugdunenſis in ſabuloſis tumulis & aridis naſcitur quà Lugduno itur Viennam. Aſteris Attici genus flore luteo magno, hirſutum reperi inter Nemauſum & Auenionem propè tres inſignes & antiquos pontes du Gab.

## ASTER ANGVSTIFOLIVS luteus.

Deſcriptio

PVlchrum eſt Aſteris genus, *caule* gracili, rigidulo, *foliis* æquabili graminea anguſtiâ palmaribus aut minoribus, acuminatis, neruoſis, & maxima ex parte glabris, viridibus, ſine pediculis vllis, denſè ſtipato: cuius ſurculis ſinguli impoſiti *flores* maiuſculi, lutei, Calthæ vel potiùs Conyzæ mediæ Monſpelienſium, cui congener videtur, aut Britannicæ Lugdunenſium, calyce ſquammato ex viridi incano, hirſuto.



Cluſio in Pannon. eſt Aſter anguſtifolius quartus, qui pingit & deſcribit.

C. Bauhin. Phyt. Aſter 7. ſiue luteus anguſtifolius.

In vmbroſis montium vrbi Viennæ vicinorũ pratis, in ipſis etiam collibus herboſis, atque in inſula ad Danubium ſita paulò ſupra Eberſtorf arcem Imperatoriam, primo cum ſemiſſe ab vrbe Vienna miliari, copioſè creſcit. Floret paulò ſeriùs poſteriore.

ASTER

ASTERI MONTANO HIRSVTO MAGNO flore, ſiue Oculo Chriſti ſimilis ſi non idem, ſiue Conyza tertia Cluſii.



Deſcriptio

Eſt nobis planta ex Agerianis ſtirpibus ſiccis prædictæ à nobis deſcriptæ plurimùm accedens, ſi non eadem, ſed fortè variãs ratione loci: *folia* priora ſunt pede longiora, ex anguſto longo pediculo vix vnciam lata, figurâ Scorzoneræ foliis accedentia, albicantia, villoſa, potiſſimùm infernâ parte, tactu læui: *folia* verò per caulem breuiora, & breuioribus pediculis, candidiora: *flores* ſimiles, quibus orbis ex foliolis luteis, in medio apices ex tomento emicantes, exteriùs calycis ſquammæ ſiue foliola albicãtia: flores tres in noſtra planta, vnus maior. Ex proportione partis quam habemus, videtur hæc plãta cubitalis. Icon autem eadem quæ Conizę Auſtriacæ Cluſii: vtrique bene conueniens.

Floret Iunio: ac in locis ſiccis & aridis, herbiferis tamen naſcitur: Cluſius.

C.Bauh.Phyt.dicitur Conyza 6. ſiue Pannonica.

ASTER TERTIVS PANNONICVS CLVSII luteus folio hirſuto Salicis.



Deſcrip.

*Caulibus* eſt villoſis teretibus, dodrãte altioribus, per quos alternatim naſcuntur *folia*, nullis ſubnixa pediculis, Salignâ circumſcriptione, venoſa, pilis obſita, ſemũcia latiora: nonnunquam anguſtiora, vnciam vnam aut tres longa, leuiter in acumẽ deſinentia: *flos* ſummo inſidet cauli, Calthæ par, luteis per ambitum foliis, concoloribus in vmbilici æquorum fibris, calyce eſt hirſuto, viridante, folioſo. Reſiccatis floribus, inquit Cluſius ſemen exiguum in capitulis remanet, quod maturum cum pappo à vento diſcutitur: *radix* fibroſa admodum.

Cluſio Pannon. Aſter Pannonicus tertius: In poſt. Hiſt. Aſter lanuginoſo folio ſiue quintus. C.Bauhin. Phyt. Aſter 6. ſiue luteus hirſuto Salicis folio: quandoquidem autem ſuſpicamur Camerarium apud Matth. in Hiſt. Germ. hunc quoque depingere ſub titulo Ein ander Sternkraut mit gelben blumen: Alius Aſter flore luteo: Et in Epit. eiuſdem, pro Aſtere luteo flore, aliorum Conyzæ ſpecies: nos aſſumpſimus iconem Camerarii: verùm ne quis fallatur lubet eius deſcriptionem addere quæ eiuſmodi eſt. Caules profert mediocres per quædam interualla radicis repentis & ſe propagantis ab inferiore parte demiſſis fibris rectis, quæ aliquantulùm odoratæ ſunt, ſapore aromatico modicè ad Cinnamomi ſaporem accedente, ſubacri. In ſummis caulibus duos vel tres ramulos habet, quibus flores lutei diſco in medio apicibus conferto inſident, qui tandem in pappos abeunt. Folia per caules alterna hirſuta nullo pediculo duab. quaſi alis eoſdem amplectuntur. Naſcitur in ſaltubus.

*Aſter luteus hirſuto Salicis folio C.B.*

*Aſter luteo flore Camerarii. Icon. Deſc. Caules.*

ASTERI MONTANO PVRPVREO SIMIlis vel Globulariæ.



Deſcriptio

Tota pulchella eſt planta ex Ageri ſtirpibus ſiccis: *radice* nigrâ, craſſâ, pro proportione puſillę herbæ, cuius *cauliculus* quatuor vnciarum foliis alternis veſtitus latiuſculis, vnciam & ſemis longis, inferioribus ex longioribus pediculis quibuſdam vncialibus, aliis duobus & ſemis culmo paulò latioribus, in obtuſam extremitatem deſinentibus: *flos* ſummo cauli inſidet vnicus, ſtaminib. multis glomeratus, ſimilis Globulariæ quæ Aphyllantes dicitur: *folia* accedunt ad folia Aſteris montani purpurei, ſed anguſtiora & delicatiora, nec ita hirſuta videntur, lectores rem poterunt diligentiùs perpẽdere ſi eis ſimilis occurrat planta.

BRITANNICA CONYZOIDES, QVIBVSdam Aſter Pannonicus Cluſio.

Deſcriptio

Britannicam Dioſcorid. voluit non nemo doctus, Conyis & Aſteribus cognatam plantã, cubitalem, *radice* obliquâ, repente, fibroſâ, acri, cum aliqua aromaticitate, *caule* incano villoſo, in alas aliquot circa ſummum diducto: *foliis* maximis quidem ſeſquipalmum longis, duas uncias latis aut amplioribus, reliquis palmum circiter longis aut breuioribus, ſemunciam latis: vtriſque longa, denſa, canáque lanugine ſubtus pubeſcentibus, ſapore amaro præditis, citra vllam adſtrictionem quantùm poſſum animaduertere: *flore* Helenii ſed minore multò, luteo diſco in *pappos* auolante.

Plant.Icon.Britannica Geſnero & Lugdun. Icon Lobeliana non placet,nec etiam Dalechampii,ceu nec deſcriptio quæ eſt in Hiſt.Lugd.lib.9. cap.67. ea enim potius facta eſt ad deſcriptionem Dioſcoridis quàm ad ipſam plantam, quod facilè agnoſcet, cui nota fuerit planta quam tradit Dalechampius,nec nos in ea agnoſcimus aſtrictionem: ac diſplicet tribui huic Britannicæ nouas vires non expertas ab ipſo Dalechampio, ſed ex perſuaſione vana.Conſiderandum an hæc tradatur à Cluſio Pannon.nomine Aſteris Pannonici primi,& in poſt.H.l.4.c.7.Aſteris 3.Auſtriaci 1.

An Aſter montanus prægrandi flore Helenii, Lobelii?

*Tab.not.* Tabern.Icon.& Hiſt. Aſter montanus luteus mas, berg Sternkraut Männlein. Deſcriptio illius deſumpta, vt ipſe fatetur, ex Lobel.interea mutata icon, pro more conſueto, licèt non demonſtret vbi viderit plantam, nec notam aut viſam cenſemus: Cæterùm Britannicam Conyzoidem fortè pingit Icon.& hiſt. pro Conyza, quæ non diſplicet pro hac,quamuis aliam plantam intelligat,nempe mediam ſiue tertiam de qua paulò poſt agemus.

C.Baun.phyt.Aſter.10.vel luteus magno flore.

*Locus.* Lobelius hanc magna copia naſci tradit Lugduni ad mœnia & intra pomeria peninſulæ herbidis amœnæ,quam alluunt & ditterminant duo flumina:hinc Rhodanus ab Oriente, illinc Arar (quæ vulgò Sone dicitur) ab Occidente: & vocant vernaculè *Aynez*. *Tempus.* Nos obſeruauimus prouenientem Lugduni à Ayno florentem Octobri. Montbelgardi etiam nobis viſa non longè à S.Suſanna pago & alibi,florens Auguſto.

## BACCHARIS VETERIBVS. Cap. X.

*Baccharis Dioſc.* Baccharis, vt eam deſcribit Dioſcorides, herba eſt fruticoſa (θαμνώδης, quæ vox in vulg. exempl.deeſt.) odorata & coronaria (ὀυϛεφανωτικὴ, vet.quidā,) cuius *folia* aſpera magnitudine inter violam & Verbaſcum (ἴου καὶ φλόμου, Ald. ἀμπέλου) media: *caulis* anguloſus, altitudine cubitali, propagines adnatas habens (παραφυάδας, Matth.ſuſpicatur legendum παραφυλλάδας) flores purpurei ſunt, ſubalbicantes, odorati, (Cat. addit λιπαρὰ) radices Veratro [Elleboro] nigro ſimiles, quibus odor (vet. quidam addit ἀσάρῳ ἤ) eſt cinnamomo proximus. Solum amat aſperum minimèque humidum. Radix in aqua decocta conuulſis, ruptis,euerſis, ſeu ex alto præcipitatis,ſpirandi difficultati, tuſſi veteri (Vet.addit, κεφαλαλγίαις) ac vrinæ difficili auxiliatur. Menſes quoque pellit,& contra ſerpentium morſus vtiliter ex vino propinatur. Subdita vnica è tenellis radicibus partus extrahit. Decoctum verò puerperis inſidentibus vtile. Vtiliter quoque in diapaſmata [diapaſmata ſunt,res in puluiſculum detritę vt commodè inſpergi poſſint] inſeritur,quippe quæ magnam habeat odoris gratiam. Folia vt potę quæ aſtringant (τὰ δὲ φύλλα ϛυπτικά. Sic Aegineta Baccharis folia aſtringendi vi prædita agnoſcit: at radici vim obſtructiones aperiendi,menſeſque & vrinas ciendi tribuit:) capitis doloribus adhibita proſunt,itemque aurium inflammationi,ægilopis incipientibus, & mammis à partu inflammatis atque etiam eryſipelatis. Cæterùm & ipſe odor ſomnum gignit.

Plinius præter ea quæ à Dioſc. mutuatus eſt dicit ad vnguenta olim commendatam fuiſſe: quoſdam errore craſſo Baccar ruſticum Nardum appellaſſe, cùm alia ſit herba ſic cognominata, quam Græci Aſaron vocauerint. Quoſdam etiam Perpenſam vocaſſe.

Galenus in Simplicibus Baccharim præteriit. *Baccharis Hipp.* Sed in gloſſis Hippocraticis βάκχαρις λυδιὸν τι μύρον exponit. Vſurpat Hipp.lib.de natura muliebri, καὶ προσθέσθω βάκχαριν ἢ ἔλαιον λευκὸν, inquit.

*Baccharis Pauli.* Paulus ex Dioſcoride tranſcripſit, Baccharim eſſe herbam odoratam, ſimilem Cinamomo,Coronariam, acrem. Cuius radix decocta ab obturatione liberet,& vrinas ac menſes moueat: folia verò adſtringendo fluxionibus proſint.

*Baccharis Virgilio.* Virgilius etiam nouit Baccharem, non ſolùm vt Coronariam, ſed etiam vt ἀλεξιφάρμακον faſcini ex nimia laude.Sic enim habet in Melibœo;

*Aut ſi vltra placitum laudarit,Bacchare frontem*
*Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

*Benedicti herba.* Baccharis ignota eſt Officinis, ſed Herbariorum vulgus,Benedicten kraut,id eſt herbā Benedicti, ſiue Benedictam vocat: aliqui etiam Hendſchuch, hoc eſt,Chirothecas noſtræ dominæ (eſt hæc Garyophyllata de qua lib.17.) appellant.

*Benedicta.* Anguill.exiſtimat caput de Bacchari ſpurium eſſe, & ideò eximendum ex Dioſcoride, Græcis enim nullam eſſe herbam ſub nomine Baccharis, ac caput de Bacchare in Dioſcoride idem eſſe cū capite de Aſaro: tranſpoſitum tamen,corruptum, diuulſum ab aliquo ſciolo, qui huic rei attendere debebat. Quod ad Baccharem attinet Latinorum, nihil ſe certi ſcribere poſſe: cùm Virgilius nihil de eius forma dixerit, Plinius autem deſcribens Combretum dixerit ſimile eſſe Bacchari: vnde patet Baccharim eius differre ab ea quæ Dioſc.Baccharis habetur.

Contrà ſic Lobel.& Pen. in Adu.Licentiùs abutuntur Lectoris patientia, qui iſtud caput è Dioſcoride quaſi ſpurium expūctum volunt &c. Labes hæc profectà è fragmentis Crateuæ, vbi Baccharis Dioſcoridis Aſarum vocatur & deſcribitur. Quod quidem nos monet, ſedulam appellationum perpenſionem neutiquam neglectui habendam eſſe accuratis viris, veri fidis venatoribus.

Monſpelij quę Baccharis vulgò creditur eſt nobis Conyza maior Marthioli. Ex Ruellio non poteſt intelligi, quam plantam lib.3. cap.37. pro *æquiuoca.* Bacchari herba fruticoſa intelligat per D. Mariæ Chirothecas, exiſtimamus tamen eādem eſſe cum ſequenti. Eorum opinionem, qui Baccharin dicebant Digitalem purpuream refellit odor putidiuſculus. Caryophillatam nonnulli ſuſpicantur eſſe Baccharem Dioſcoridis, verùm deſcriptio non conuenit plantæ. Baccharim Libani à Rauvvolffio traditam non probat Cluſius, de ea agemus poſt Gnaphalia.Baccharim Germanicam ac criſpā,Ocymum minus,ſiue Baſilicam vocat Tragus. Bacchatin Dioſcoridis affirmaret Maioranam ſilueſtrem ni ſtultę temeritatis argui ſe poſſe vereretur Tragus.Si Matthioli Baccharis eſt verbaſci ſpecies vt Aduerſaria volunt pag.245. perpendendum an poſſit eſſe Blattaria purpurea. Baccharim Lonicenus, & Braſſauolus ipſum ſecutus, eam plantam magno errore eſſe putarūt, quam quidam Sclateam appellant, & nos Gallitrichum inſcripſimus. Alteram Orualæ ſpeciem [Gallitrichum ſilu flore minore] Baccharim

rim eſſe non placet Dodonæo. Baccharis, vt teſtatur Turnerus in Herb. Angl. par. 1. pag. 74. *Pulmonaria ad Bugloſſum accedens* dicitur Officinis Pulmonaria, quam ad Bugloſſum accedere ſcribimus H.n.g.lib.35. Violam matronalem Fuchſii albam, purpuream, puniceámque (*Leucoium*) aliqui Baccharin eſſe putant. H.n.g.lib.21. Baccharis etiam dicitur *Aſarum*, quamuis appellatio Baccharis Aſaro minimè cõueniat.

## CONYZA MEDIA MONSPELIENSIS, quibuſdam Aſteris Attici genus folio glabro rigido.



*Deſcriptio* Conyzæ mediç nomine innotuit Monſpelienſibus herba, *caule* pedali & pluſquamcubitali, ſtriato, glabro, duro: *foliis* alternatim poſitis amicto, iiſque duris, rigidis, neruoſis glabris, pediculo deſtitutis, ſemunciam lata aut paullò latiora, tres vncias plùs minùs longa, acuminata, leuiter in ambitu crenata: *flores* Chryſanthemi, conſpicuæ magnitudinis, lutei, è capitulo ſquarroſo, ſuccedente cum *ſeminibus* papposa lanugine: atque hi quidem, non ſecundum caules & ramos naſcuntur, ſed Aſterum modo ſinguli ſingulorum ſurculorum extremis inſident: *radix* ſubeſt longa, fibrata. Icon noſtra facta nobis abſentibus non placet, erat pingenda ex planta virente, vti imperaueramus, ſed picta ex ſicca.

*Aſter Attic. Pann. Cluſii Salignis fol.* Exiſtimamus hanc à Cluſio traditam in Pannon. pro Aſtere Attico Pannonico ſecundo, & in poſt.hiſt.pro Aſtere quarto, ſeu Auſtriaco ſecundo, Aſtere Pann. ſalignis foliis quarto.

*An Tinctorius flos 3. Trago?* An Trago Tinctorii floris tertium genus, das dritt Schartenblumen geſchlecht.

An Geſn.in fine Hiſt. Cordi pag.216. Tinctorius flos luteus Tragi & κονυζοειδὴς flore luteo?

*Bellis lutea Oculus Chriſti.* H.Lugd. Aſteris lutei genus aliud, pratis vdíſque locis gaudens, quorundam ſententiâ Bellis lutea, aliis oculus Chriſti vocatus.

An Cæſalp. Aſteris Attici altera ſpecies in ruderibus ramoſa, altior: capitulis ac floribus minoribus luteis?

An C.Bauh.Phyt. Aſter 5. ſiue montanus luteus Salicis glabro folio: Aſter montanus Lobel. Icon.p.350.

Florentem reperi Iulio inter *Vauiaucourt* & *Dampierre* locis ſatis ſiccis ad ſepes tamen. Plantaui Montbelgardi in Horto Ill.E.C. reperi etiã inter Montbelgardum & iuxta vites montis *la Chau*, ſemine maturo Iulii fine. Obſeruauimus etiam florentem inter Colmariam & Polweiller florentem Iunio. Frater Caſp. Bauhinus miſit collectam Baſilienſibus montibus, nomine Aſteris Conyzoidis Geſneri.

## CONYZÆ MEDIÆ MONSPEL. affinis multiflora.



Est nobis inter noſtras plantas ſiccas vna cui manu Valerãdi Dourez aſcriptum eſt *Conyza Matthioli*: Hæc ſimilis eſt Conyzæ mediæ Mõſpel. dictæ: *folia* glabra rigida: verùm per caulem admodum crebra, breuiora & in extremis minùs lata denique ſunt, ſublonga, *flores* lutei quamplurimi veluti vmbellam repræſentantes, minores, duodecim ſupputaui, exiſtimamus *caulem* fuiſſe cubito altiorem, ſatis autem craſſus eſt: Sunt nobis ſimiles plantæ non recordamur vnde, minores & cum paucioribus floribus. *Conyza Matthiol. Valerandi*

## CONYZÆ SPECIES FOLIIS virgæ aureæ.



Est nobis Conyza quędam collecta anno 1595. Iunio menſe, Spiræ in horto Cl. & inſignis Iuriſconſ. D. Tengenagel Aſſeſſoris Cameræ Imperialis Spirenſis ſtirpium ſeduli indagatoris, ea non parum differt à cæteris plantis quæ Aſteres vel Conyzæ denominantur, *folia* enim per caules alternatim diſpoſita, ferè ſimilia Virgæ aureæ vulgaris foliis, quatuor vel quinque vncias longa, ex anguſto pediculo longo dilatantur ad vnciam vnam, dein paulatim tendunt in acumen, eo modo quo Virga aurea, in iis pilos non animaduertimus, folia in ſuperioribus partibus breuiora & anguſtiora: ſunt ex principio lato: *Caules* rotundi, cubitales & ſeſquicubitales, in aliquot ramos diuiſi, in quorum longis partibus ſupremis *capitula* magnitudinis circiter Chamæmeli lutei vulgò dicti, quæ cinguntur corona paruorum foliorum luteorum, vt cæteræ Conyzæ & Aſteres, qualis *Locus.* *Deſcriptio*

ſit *diſcus* non recordor : calix conſtat ex foliolis ſiue ſquammis cinereis vel albicantibus. Tiguri cùm eſſem anno 1561. apud Geſnerum obſeruaueram, ea ei dicebatur Conyzæ ſpecies, eandem reperi inter plantas ſiccas Valerandi Dourez cũ hac inſcriptione : Conyza media quædam.

## CONIZA MEDIA MATTH. FLORE magno luteo, humidis locis proueniens.



**Deſcriptio** Conyza media ad cubitum vnum aut alterum excreſcit, interdum altiùs, *caule* tereti, lanugine incana obducto, lento : *foliis* crebris nullo ordine accreſcentibus, alis vtrinque caulem amplectentibus, acuminatis, rugoſis, albicantibus, villoſis: *flores* ramis extremis inſident, Buphthalmi, circinata foliorum luteorum ſerie diſci medii orbitum concolorem radiatim ambiente, odore nullo excellente : *radix* ſubeſt caulem craſſitie æquans, obliquè ferè acta, paucis fibris donata.

**Synonyma** Trago, qui eam deſcribit lib.1. cap.54. vocatur Conyza maior ſeu mas.

Fuchſ. hiſt. Calaminthæ tertium genus, An Anguill. epiſt. p.230. Conyza tertia? Matth. hanc depingit in priorib. comm. in Dioſc. lib.3. cap.119. In poſt. cum mag. fig. Lat. & Ital. cap.130. ſub titulo Conyza media (vt & Lacuna, & Dodon.) ſed non deſcribit : in Hiſt. Germ. Camer. & Epit. eam exhibet pro Conyza 3. Mittel dürꝛwurtz. *Calamintha 3 Fuchſ.*

Lonic. lib.5. cap.100. Calamintha tertia, Geele Muntz. Item cap.127. Conyza media Mittel durꝛwurtz. Fruſtra duas figuras & duas hiſtorias vnius plantæ diuerſis locis ponit.

*Conyza vulg. Cluſ.* Geſn. de hort. Conyzæ ſpecies tertia aquatica.

Lob. & Penæ Aduerſ. & Obſeru. Conyza media, Dioſcoridis lineamentis affabrè congruens.

Cluſio Pann. p.526. Conyza tertia vulgaris frequentiſſima per Pannonias locis riguis, ab omnibus tertia Dioſcoridis aut media appellata, quæ duplex eſt maior & minor.

*An Conyza duplex Thalio* An Thalio Conyza aquatica duplicis differentiæ : alterius ſpeciei folia ſunt integra & latiora, alterius paulò ſtrictiora & profundiùs in ambitu ſerrata.

C.Bauh. phyt. Conyza 4. ſiue maior vulgaris, Conyza maior Trago ſine icone, Conyza Matth. & Baccharis Monſpelienſium. Item Conyza 5. ſiue media, Aſteris flore luteo, vel 3. Dioſcoridis: Cunilæ tertium genus apud Plinium lib.20. cap.16. quæ Cunilago: plura habet genera Cunilæ, vt, ſatiuam quæ Satureia eſt hortenſis : Cunilam montanam, quæ Satureia ſylueſtris : Cunilam gallicanam, quæ origanum ſilueſtre : & denique Cunilaginem quæ Conyza eſt. Hæc Frater, ego Conyzam maiorem Tragi ſeparo à Conyza Matthioli & Bacchari Monſpelienſium Lobelii.

**Nomina linguarum** Conyza media Matth. flore magno luteo, humidis locis proueniens, Germ. vulgò dicitur Dürꝛwurtz / aut Donderwurtz. Fuchſ. Geel Muntz. Gall. *Calament aquatic.* Hiſp. *yerua de las pulgas oloroſa.* Boh. ʒlaty kraut.

**Locus** Conyzæ duo genera in locis humectis ac graminoſis, cuiuſmodi ſunt margines fluuiorum, paludibus Sole exiccatis, humidioribus pratis, & ad nonnullas ſepes naſcuntur. Frequentiſſima in omnibus regionibus quas peragrauit Cluſius locis riguis. Baſileæ, Lugduni, Monſpelii, Geneuæ & Montbelgardi obſeruauimus.

**Vires** *Tab. not. Superſtitio* Eius facultates Cluſio non ſunt compertæ. Vires à Dioſc. Conyzæ attributas huic tribuit Tabern. atque alias : verùm quum ſatis appareat ei non benè notas has plantas & tribus diuerſis plãtis indiſcriminatim aſcribere vires nos eas omittimus, ne cuiquam illudamus. Solent hanc Aniculæ in die Aſſumptionis Mariæ, vt vulgò vocant, colligere, ſuiſque ſagminibus, & quas vocant Verbenis adiungere, ac conſecrare, aduerſus Diaboli præſtigias, tempeſtatumque iniurias, ſibi perſuadentes iis locis tonitrua, grandineſque minimè nocere poſſe, in quibus Conyza ſeruetur. Sed relictis his ſuperſtitionibus, ad alia Conyzæ genera tranſeamus.

## CONIZÆ MEDIÆ MINOR SPECIES flore vix radiato.

**Deſcriptio** Conyza media altera, *radice* ferè eſt vnica, palmari aut ſeſquipalmari, aliàs pauciſſimis fibris donata, aliâ plurimis, nunc rectâ, nunc capreolorum ritu tortili, lignoſa, alba, inſipida. *Caules* erigit plures, ſubrubentes, Conyzæ mediæ prioris breuiores, ſeſquipalmares & dodrantales, teretes, ſubhirſutos, & Gnaphalii vulgatiſſimi ritu cis faſtigium ramoſos, hoc eſt, vt ſoboles matrem ſuperet: *folia* ex interuallis alternatim oriuntur, quàm in dicta Conyza minora, Senecionis cærulei ferè paria, vndulata ac criſpa, odore remiſſiore, ſapore ingrato : *flores* minores quàm in Media prima Conyza. Noſtra icon parum placet, ita ſculptam emimus. An Trago Conyza fœmina Theophraſti? Inquit Geſn. apud Cordum in Hiſt. lib.2. cap.143. Conyza Tragi, quam hîc exhibeo, vt cum Cordi Conyzis conferatur, videtur Conyza minor Matthioli. An igitur Conyza Matthioli minor? Hanc frater C.Bauhinus ſibi perſuadet eſſe Conyzam Lobelii, quod facilè concedo.



*Matth. not.* Matth. ponit figuram ſine deſcriptione parum artificioſam. Lacuna figuram habet Matthioli Conyzæ minoris nomine. Lonic. Conyza minor ſeu fœmina, Flein Durwurtz.

A Dodon. gall. Conyza minor tantùm deſcribitur, ac ab eo exiſtimatur Conyza fœmina Theophraſti. Eadem in fol. lat. pingitur pro Conyza minima, & deſcribitur pro Conyza tertia vel minore, Theophraſt. fœmina: aliis Panion, vel Libanotis, vt inter nothas appellationes reperitur.

*Conyza minima ſiue Pulicaria Lob. Pſyllium Cordi. Lob. refellitur* Lobel. & Pena Adu. Conyza minima ſiue Pulicaria. Obſ. pag. 187. Conyza minima, minimè omnium glutinoſa: perperam Conyza minor Matthioli. Pſyllium Cordi. In Hiſt. lib. 2. c. 119. Ego exiſtimo errore Typographi ibi poſitam, nec hanc intellexiſſe Cordum vt putat Lobel. Pl. Icon. Conyza minima.

Camer. ad Matth. Germ. ſine icone: Parua Conyza Norimbergæ prouenieus locis humidis ſecus vias, depicta à Lobelio & Dodonæo.

H. Lugd. p. 1044. Conyza minor Matthioli. Item p. 1045. Conyza minima Lobelii. Hæc deſcribitur, illa non, vna verò planta. Cluſ. Pann. & Hiſt. poſt. Conyzæ mediæ minor ſpecies, vel Conyza tertia vulgaris minor. An Thalio Conyza minima. Tabern. Icon. & Hiſt. Conyza minor, Flein Durwurtz. C. Bauh. Conyza 7. ſiue minor flore globoſo.

*Locus & tempus.* Conyzæ mediæ minor ſpecies flore minùs radiato Montbelgardi abundat locis humidis, florens Iulio & Auguſto ante pontem è regione horti mei. Frater Caſparus Bauhinus obſeruauit Baſileæ frequentiſſimam, & Monſpelii vocari Herbam S. Rochi. Vbiuis Galliæ, Germaniæ & Angliæ locis lacuſtribus & humentibus aruis multa. In Benardgreyen ata & foſſis altero à Londino lapide fruticat Lobel.

## CONYZIS AFFINIS HERBA VVLNERARIA, ſiue Solidago Sarracenica tertia Trago, hirſuta.



*Deſcriptio* Dum Lugduni medicinam faceremus German⁹ quidam dedit nobis plantã iam ſunt quadraginta anni quam nos adhuc integram habemus, is autem eam curauerat deferendam ex locis ſupra Spiram Germaniæ vrbem celebrem, vt commendatã ad vlceta tibiarum: in ea ſicca obſeruauimus, *caulem* teretem villoſum *folia* rotundis pinnis amplecti, nullis nixa pediculis, acuminata, vnciam aut palmum longa, latitudine vnciali aut ſemunciã anguſtiora, non multùm diſſimilia à foliis Conyzæ veræ maioris, nonnihil hirſuta: ſummum caulis faſtigium in plures abit *pediculos*, quorum ſinguli *florem* geſtant aureum in pappos degenerantem, calyce imbricato. Hæc ex ſicca.

## CONYZA MAIOR MATTHIOLI Baccharis quibuſdam.

Ex *radicibus* multis ſparſis non altè depactis lignoſis, fragilibus, odoratis, amaris, & acribus, ſurgunt ad cubitos tres aut quatuor alti *caules*, ſtipati, atropurpurei, canâ lanugine hirſuti,



ſupra mediũ in multos ramos erectos diuiſi: *folia* Verbaſci nigri, minora, leuiter crenata, odorata, ſapore acri & nonnihil amaro: *flores* cõferti, grauiter olentes, lutei, papposi, è calyculis ſquarroſis, mollibus, viridi rubróque verſicolorib⁹. An Arctium ſiue Arcturus Dioſcoridis Cæſalpino? *Deſcript.*

*Conyza Helenitis Cordo* Cordus ni multùm fallor hanc deſcribit lib. 2. hiſt. cap. 145. nomine Conyzæ Helenitidis, vbi Geſnerus figuram appoſuit, cui hunc adſcripſit titulum, Conyza Helenitis: Eadem aut ſimilliſima videtur Matthioli Conyza maior.

*Conyza maior Matth. Pulicaria Italor. Baccharis Dioſcor. Matth.* Hanc Matthiolus l. 3. cap. 119. in Dioſcor. pingit, traditque in Hetruria paſſim prouenire ac vocari vulgò Pulicariam. Hanc eandem fortè aliter pingit lib. 3. c. 44. ex ſicca planta pro Bacchari Dioſcoridis Româ à Lacuna miſſa. In Hiſt. poſt. Italic. cap. 130. eandem pingit pro Conyza maiore, & l. 3. c. 46. eandem Baccharis nomine iterum pingit: Anguillaram exagitans, qui putarit Baccharis caput ſuperfluum apud Dioſcoridem. Idem Epit. cum addit. Camer. Conyza. Græcis κονύζα, Italis Coniza ſeu Pulicaria: Germ. Geelmuntz. Hiſp. *Attadegua*: Gall. *herbe aux Puces.* Item Hiſt. Germ. lib. 3. cap. 97. Groſſe Durwurtz Conyza maior ſeu mas. Item libro 3. cap. 43. Baccharis. *Matthiolus* nec Conyzam maiorem valdè vulgatem, nec ſuam Baccharim deſcribit: idque ſuo more, ego ſuſpicor Baccharim eius non differre ab eiuſdem Conyza maiore, niſi figurâ, quæ non placet: diſplicet in epit. addi nomen Geel müntz, diuerſæ plantæ, non magis conueniẽs quàm alia nomina: nec ea planta placet pro Conyza maiore, nec pro Bacchari, figuræ etiam non arrident. Cùm Mõſpelii eſſem vocabatur hæc planta à Monſpelianis Baccharis, & olim Tubingæ per præceptorem meum Fuchſium, Conyza maior. *Matth. cenſura.*

*Lacun. taxatur.* Lacuna l. 3. cap. 47. quamuis Baccharim ſiccam miſerit Mattthiolo, ab eo tamen reſũpſit figurã: & exhibet Baccharis nomine: ac iterum poſtea eandem cum Matthiolo pro Conyza maiore depingit.

Hanc, ait Geſnerus de hortis, Baccharin Mõ-

ſpelii exiſtimata falsò ab Aretio. Eſſe enim Conyzis cognatam herbam, vocatque Conyzam maiorem.

Synon. Planta noſtra à Lob. in Adu. βάκχαρις aut potiùs πάγχαρις nominatur. In Obſ. Baccharis Monſpel. Aduerſ. 245. perperàm Conyza maior Matth. & Dodonæo Conyza helenitis Cordi. In Icon. Plant. p. 574. Baccharis Monſpelienſium.

Dodon. gall. Conyza maior Theophr. mas, Pulicaria & Cunilago. Germ. dürwurtz & donnerwurtz. Lat. in ſol. Conyza altera, ab aliis pro prima ſpecie iudicata.

Incenſaria Cæſalp. Lonic. Conyza maior ſeu mas Groß dürwurtz.

Cæſalp. vulgò Incenſaria, quorundam Baccharis, aliorum Libanotis ſterilis apud Theoph. Mas Conyza Plinii.

Camer. hort. Baccharis Monſp. Conyza maior Matth. frequens ad Danubium circa Ratiſbonam.

Lugd. p. 917. Baccharis Monſpelienſium, Conyza maior Matthiolo. Item p. 1044. Conyza maior Matthioli. Eadem figura bis poſita.

H Lugd. not.

Caſt. lapſus. Caſtor. Dur. p. 144. Coniza, κόνυζα. Ital. *Conyza & Pulicaria*, Germ. Gechnüntz/ Conyza maior. Figura non placet, nec etiam nomen Germanicum quod conuenit tertiæ eius Conyzæ.

Thalio Conyza Helenitis Cordi.

Hort. Luſ. Baccharis Monſpelienſium, Conyza maior Matthioli.

Matth. sax. Quæ à Matthiolo Conyzæ maioris nomine exhibetur, minimè teſte Cluſio Conyza eſſe poteſt, ſed ad Dioſcoridis Baccharim accedere videtur: eam ſatis ineptè Salmanticenſes Heleniũ faciebant, cùm nullis cum Helenio notis conueniat.

Baccharis Tabern. Tab. not. Tabern. Icon. Baccharis Groß durwurtz quibuſdam. Hiſtor. Baccharis, quam Lonicerus deſcribit, cuiuſque Matth. meminit. Iconem habet Matthioli in qua ſummitas non reſpondet Conyzæ maiori, ſuſpicamur fictitiam.

Gerard. Angl. Baccharis Monſpelienſiũ plowmans Spiknard.

C. Bauh. Phyt. Conyza 4. ſiue maior vulgaris: Conyza maior Trago, Baccharis Monſpelienſium. Conyza maior Tragi eſt alia à Bacchari Monſpelienſium.

C. B. not.

Locus & tempus. Naſcitur ſponte pleriſque cæduis montanis ſiluis: muris, ſecus vias, & eiuſmodi locis, quemadmodum obſeruaui Florentiæ in Caſtello: circa Tubingam, Monſpelii [florentem menſe Septembri:] Baſileæ [menſe Octobri adhuc florentem:] Geneuæ, Lugduni, & Montbelgardi virentem totâ hieme, etiam menſis Februarii principio, ac Florentem Iulio & Auguſto.

Vires. Radicem ex vino decoctam propinabant quædam vetulæ ad profligandam ſcabiem, in quem vſum & nonnulli Monachi ex eius radice & foliis vnguentum parabant: Cluſius.

## CONYZA HELENITIS MELLITA incana Lobelii.

Deſcriptio. *Caulem* emittit ſeſquipedalem, tomentoſum, incanum, ex *radice* fibroſa, Baccharis vulgaris non abſimili; *folia* oblonga, Digitalis foliis affinia, inferiùs exalbida, ſeu cinericea, ſuperiùs purpurouirentia, foliorum Rhapontici inſtar: *flores* lutei, Conyzæ alterius ſimiles, multò maiores quàm Senecionis,



mellis virginei odore, ſapore acriuſculo, Lobel.

Synony. C. Bauh. phyt. Conyza octaua ſiue Helenitis mellita incana Lobelio Iconum pag. 547.

Naſcitur in ſyluis quibuſdam Artœſię, vnde propter raritatem in hortos aliquos tranſlata.

## CONYZA HELENITIS piloſa Lobelii



Deſcriptio. PRoximè ad Conyzam helenitem mellitam incanam accedit, *foliis*, *radice*, & *floribus*. In eo verò potiſſimùm differunt, quòd & *caules* & *folia* admodum aſpera & piloſa ſunt: Lob.

Synonyma. Piloſa alpina. C. Bauhin. Phyt. Conyza 10. ſiue alpina piloſiſſima. Hæc adeò piloſa eſt, vt quibuſdam Piloſa alpina dicatur.

## CONYZA VETERIBVS.

### Cap. XI.

ALiquor Conyzæ ſpeciebus traditis, ſupereſt vt ad ea eius genera veniamus, quæ ad Veterum Conyzas magis accedere videntur. Præmittemus tamen prius eorundem de iis ſententias.

*Præſtat enim exiguam circumluſtrare Conyzam.*

Conyza, inquit Theophr. alia quidẽ mas eſt, alia verò fœmina: fœmina quidẽ tenuiore folio eſt, & conſtrictiore, & in totũ minor. Mas autem maius & pinguius, habens præterea verò florem ſplendidiorem. Fructifera verò ambo. In vniuerſumque ſerò floret, circa arcturum aut poſt arcturum germinat: Grauis autem odor maris: Fœminæ verò acrior (ſc. odor) Quam ob rem contra venenata vtilis. Et hæc Theophraſtus, ex quibus ſua mutuatus eſt *Plinius*.

Conyza apud Dioſcoridem quædam parua vocatur, odore præſtantior: maior altera, quæ fruti-

*Olea folia. Maior. Flos. Radices. Contra venenata. Culices, pulices.*

frutice altior eſt, foliiſque latioribus atque graueolens. Vtriuſque *folia* Oleæ ſimilia, at hirſuta & pinguia. Et maioris quidem Conyzæ *caulis* in binûm cubitorum altitudinem aſſurgit, minoris verò pedem æquat. *Flos* ſqualidus (vel friabilis Sarrac.) eſt, lutei coloris, & ſubamarus, ac in pappos abit: *radices* autem ſuperuacuæ. Frutex cum foliis ſubſtratu ſuffitúque venenatas beſtias fugat, culices abigit, ac pulices quoque necat. Folia vtiliter imponuntur ſerpentium morſibus, tuberculis atque vulneribus. Flores etiam ac folia ad menſes partúſque pellendos in vino bibuntur: itémque contra ſtranguriam, tormina, morbúmque regium. Eadem ex aceto pota, comitiales adiuuant. Quin & decoctum inſeſſu vuluæ vitiis medetur, menſéſque purgat. Subditus autem ſuccus abortum infert. Sed & herba ex oleo peruncta, contra rigores eſt efficax. Tenuior verò, etiam capitis dolores impoſita ſanat: (nonnulli cod. carent ſequentibus ad capitis vſq; calcem.) Eſt & tertium Conyzæ genus, caule craſſiore molliore que, foliis mediæ inter maiorē & minorem amplitudinis. Minimè autem pinguis ea eſt, at odore longè grauior, atque adeò iniucundior ſimul & inefficacior. Locis aquoſis prouenit.

*Rigores. Dolores capitis. Conyza tertia.*

*Temperamentum.*

Galenus tria quoque vt Dioſcorides, Conyzę genera aſſignat. Conyzam maiorem, minorem & mediam. Maior & minor, inquit, ſimilis ſunt tum temperaturæ, tum facultatis, guſtui amaræ & acres. Eſt & tertium Conyzæ genus, in locis humidioribus proueniens, vtriſque illis tum graueolentius, tum imbecillius. Sed primæ memoratæ tertiæ ſunt ordinis excalfaciendo & exſiccando.

Duo, inquit Schol. Græcus, ſunt Conyzæ genera: alia quidem agreſtis: alia verò vrbana mitiſue. Verùm agreſtis acrior eſt ſatiua. Cæterùm inter nothas Dioſcoridis appellationes vocatur Conyza magna, aliis Cynozematites, aliis Danais, aliis Tanachion, aliis Phycos, aliis Iſchys, aliis Dinoſmos. Prophetis Brephoctonos, aliis Anubias, aliis Hedemias. Aegyptiis Ceti, Romanis Intybum, aut Militaris mina, aut Delliarium, aut Febrifuga. Aliis Phragmoſa, aliis Muſterum, aliis Piſla. De altera Conyza, alii Conyzam paruam vocant, alii Panion, alii Libanorida. Prophetis eſt Coronos.

*Æquiuoca*

Poſterior ætas circa Conyzarum à Veteribus traditarum notitiam nonnihil laborat. Præter alias enim Conyzę plantas, tradunt quandam aquaticam maximã ſerratifoliam Geſnerus, Thalius, Camer. & Hort. Luſitanus, quam Virgæ Aureæ ſiue Solidagini Sarracenicæ anguſtifoliæ affinem facimus, eſt Lingua auis Dalechampii.

*Virgæ aureæ ſiue ſolidaginis Sarracenicæ anguſtifoliæ affinis.*

*Aliſma Matth. ſiue plantago Alpina.*

An Conyzæ annumerandum ſit Aliſma Alpinum, Caltha Alpina Geſneri [Aliſma Matthioli ſiue Plantago Alpina,] dubitat Harcynia Saxonothuringica Thalii.

*An Senetio alius ſiue hirſutus?*

An Senetio alius ſiue hirſutus eſt Conyza fœtida Hippocratis de qua Geſnerus hort. ſub vocabulo Cotula, Thal. ſub titulo, Erigeron fœtidum ſeu maius.

*Senetio cæruleus. Ambroſia quibuſdam Alypum Monſp. ſiue Herba terribilis.*

Senetionem cæruleum Fuchſius cùm apud illum eſſem vocabat Conyzam minorem: Conyzoidem cæruleam ſiue Conyzam muralem Geſnerus.

Conyza Hippocratis aliquorũ, eſt quibuſdam Ambroſia, teſte Geſnero de hortis.

Conyza tertia quorundam, Alypum montis Ceti Lobelii, quam Herbam terribilem Narbonenſem Hiſt. Lugd. Hippogloſſum Valenticum Cluſius, Ptarmicã quidam cognominant, eſt Alypum Monſpelii ſiue herba terribilis.

*Atriplex fœtida.*

Vulgò Connina videretur Conyza tertia apud Dioſc. Cæſalpino, quam Atriplicem fœtidam inſcripſimus.

*Origanum.*

Confundit Plinius cum Origano & Cunila Conyzam, diuerſas naturâ plantas.

*Thymbra.*

Conyza non eſt Thymbra ſicut perperam ſentit Iacob. Manlius, teſtibus Io. Agric. & Eur. Cordo.

*Perſicaria.*

Perſicariæ duæ ſpecies ſunt, vt opinatur Tragus in diſſert. apud Brunfelſ. tom. 3. p. 277. Conyza Dioſcoridis.

*Pſyllium.*

Oliuer. de Serres in ſuo Theſ. agr. l. 6. c. 15. confundit Conyzam cum Pſyllio.

*Ruta ſylu.*

Errat Auerr. dum Harmel Offic. Rutam ſilueſtrem vocatam Conyzam Hippocr. appellat.

*Cicuta.*

Conyza dicitur Euſtachio Rœſlin. de Cicuta, de qua Hiſt. n. g. lib. 47.

## CONYZA MAIOR MONSPELIENSIS odorata.

*Deſcriptio*



Conyza maior *caule* fruticat ſeſquicubitali & bicubitali, multiplici, lignoſo, rigido, hirſuto, & tactu glutinoſo; Cluſio, obſoleti coloris, in multos ramos brachiato: *folia* germinatione primâ; inordinata, alternatim caulem amplectẽtia, tres vncias longitudine æquãt, non totã vnciam lata, obiter ſerrata, adulta vix vnciam vnã longa, mollia, piloſa & glutine quodam lento viſcida, ex viridi pallentia Cluſio: *flores* ſecundum extremos ramos ſpicatim frequentes exiliunt lutei, Cluſio rotundi. Senetioni ferè ſimiles, in pappos euaneſcentes, *ſemine* paruo, cineraceo: *Radix* ſubeſt craſſa fibroſa. Tota planta grauiter odorata eſt.

*Icon.*

Figura ex Fuchſianis non eſt integra & meliùs poſſet depingi, deſunt flores & ſerraturæ in foliis.

*Synon. Conyza minor Camer. Camer. notatur.*

Hanc appellat Camer. in horto Conyzã maiorem: ad Matthiol. Germ. Conyza minor ſiue fœmina, quam alii tradunt pro Conyza maiore odore grato, quam deſcribit Pena, quæ videtur à Cluſio tradita & Rauvvolfio. In Epit. Conyza minor. *Ego* ſeparo Rauvvolfii quia illi potuit eſſe nota Monſpeſſulana: quamuis in figura quędam reſpondeant figuræ Penæ & Lobelii in Aduerſ.

*Conyza maior Dod. Coniza maior vera Lob. An Coniza 2 Anguill. Coniza magna Penæ H. Lugd.*

Dod. Lat. in fol. Conyza maior.

Lobel. & Pena Aduerſ. Conyza maior vera; Dioſcoridis lineamentis affabrè congruens. Ic. Pl. Conyza maior vera. Figura Lobelii non omnibus abſoluta.

An Anguill. epiſt. p. 230. Conyza ſecunda?

H. Lugd. Conyza magna Penæ. Hæc figura, vt

iam dictum non in omnibus placet. Cum Conyza magna Penæ eandem tradit eſſe Conyzam Syriæ C.Bauh.in animadu. in hiſt. Lugd. quam propterea notat. Nos cum H.Lugd.diuerſas agnoſcimus.Nec Conyza magna Penæ ſpinas habet.

*C.B. not.* Cluſ.Hiſp.& Hiſt.poſt.Conyza maior, cuius radicem Plinius à quibuſdam Libanotim appellari tradit. Hanc Gaza Pulicariam vertit, propter eá fortè quam illi Dioſcorides in enecandis pulicibus tribuit facultatem: nam alia eſt Pulicaria dicta ob ſeminis cum pulicibus ſimilitudinem. Hiſpani quidem yerua pulgera, nimirum ob ſimiles quas dixi vires, vocant.

*Caſtor. not.* Figura quam habet Caſtor p.144.pro Conyza minore nullo modo eſt minoris Conyzæ veræ, imò à multis exiſtimatur maior vti à Matthiolo.

C.B.Phyt.Conyza 1.ſiue mas Theophraſti, maior Dioſcoridis.

Radix, autore Cluſio, viuax eſt, multis annis

Locus. perſtans, quotannis nouos pluresque caules proferens. Supra Olyſiponem frequentiſſima ad collium Trago flumini imminentium radices, Murciano itemValentinóque regno, atque etiam Narbonenſi agro iuxta vineas & vinearum margines. Aliquando in Belgica fictilibus ſata pro-

Tempus. uenit, & egregiè flores protulit. Solo maritimo, vt teſtatur Dodonæus, & auſtrino cælo gaudet, & circa Adriatici ſinus littora,& circa Romã & Florentiã reperitur. In Narbõenſi quoqueGallia, haud procul Monſpelio, ſecus vias, ac vinearum margines. Conyzam maiorem Monſpelii dictam florentem vidi menſe Septembri. Paſſim prouenit Monſpelii, Florentiæ etiam vidi in arce & circa arcem. Montbelgardi prouenit mihi in Horto Ill.E.C.& aliquot annis durauit.

## CONYZA MINOR VERA.



Deſcriptio Iam hæc maiorem refert, vt qui illam norit, & hanc quoque oblatam norit, odore ſimili, ſed vegetiore; ea minor eſt præcedenti, cubitũ ferè alta, vtplurimùm recta, quod in altera non temerè videas, ramoſa. *Folia* multò tenuiora, anguſtiora, breuiora, ſubhirſuta, viſcida: *flores* iidem, eodemque ſpicato ordine, ſed minores, numeroſiores.

*An Conyza 1.Anguil.* An Anguill.epit.230. Conyza prima, in Apuleia *Pecanale*,& aliis locis Pulicaria.

Cluſ.Hiſp.& Hiſt.poſt. Conyza 2.ſeu minor, Conyza fœmina Theophr. quam Gaza Pulicariam vertit, Hanc Cluſius non depingit. Geſn. hort.in append.Conyza vera minor.

*Conyza minor Cluſii* Dod.Lat in fol. Conyza præter maiorem mediam & minimam alia minor, iis etiam odoratior, ſine icone.

Lobel.Aduerſ.& Icon. plant. Conyza minor vera.

H.Lugd.Conyza minor vera Penæ.

C.Bauh.phyt.Conyza 2.ſiue fœmina Theoph. minor Dioſcoridis. Floret autem cum maiore, ſub Autumnum videlicet, & ſubinde ſemen profert, obſeruauimus ſpontè Monſpel.i (vbi etiam Cluſius) copioſè prouenientem & florentem menſe Septembri: reperi in Italia inter Saleul & Montem gilbi menſe Aprili, vt & Baſileæ florentem menſe Septembri.

## CONYZA SYRIÆ QVIBVSDAM.



Plures ex eadem radice profert *cauliculos*, circiter pedem aut paulò ampliùs altos, quorum nonnulli ſunt ſurrecti, potiſſima verò pars humi procumbit, nouaſque fibras agens, ſubinde alios cauliculos producit: longiuſcula habet oleæ *folia*, pinguia, ſubhirſuta, ſatis grauis odoris, cui tamen ſuauitas quædam admixta ſit: alioqui *floribus* & cæteris notis à Maiore non valdè diſſimilis. Deſcriptio

Rauvvolff.Itin. pag.54. Species minoris dürꝛ wurtzel, i.Conyzæ] Dioſc. Latinis & Græcis dicta Conyza: Hanc inter Icones parte 4. eodem titulo pingit. *Species minoris Conyza Dioſc. Rauvvolff*

H.Lugd. append.p.20. Conyza Syriæ. Huius plantæ authoris non meminit Hiſtoria, immeritò ſanè.

Cluſ. Hiſt.poſt. Conyza minor Rauvvolfii, fortè maioris genus.

Conyzam Syriacam C.Bauhin. in annot. in Hiſt. Lugd. non paruo errore eandem ſtatuit cũ Conyza magna Penæ. *C.B not.*

Circa Tripolim Syriæ obſeruauit deſcriptionis autor Rauvvolff. ſuum Conyzæ minoris genus. Locus

## CONYZA MONTANA MYCONI, folio Hyſſopi vulgaris, villoſo.

Radice eſt lignoſâ, ſolidâ, intùs candicante, foris nigreſcente, minimi digiti craſſitudine, guſtu aliquantùm adſtringente, exſuccâ, non minùs, quàm ſuberis cortex. Ex hac *ſtylones* multi prodeunt, teretes, villoſi, ſolidi, dodrantales: in quibus *folia* tenuia, Hyſſopi vulgaris, ſed glutinoſa Ledi modo, odore graui & viroſo, & hircinum quid olente. In ſummo cauliculorum ſunt *floſculi* Soncho ſimiles, luteoli, in pappos abeuntes. Guſtu ſubamara eſt cum leui acrimonia, caput tentans. Deſcriptio

Myco-

*Inſcriptionis ratio*



Myconus peritus Medicus & rei herbariæ ſtudioſus, plantam hîc pictam à foliorum florúmq; forma, odore & ſapore Conyzæ ſpeciem eſſe iudicauit, & à natalibus montanā cognominauit. Naſcitur enim in ſaxoſis, præruptis & montoſis, præſertim inter ſaxorum rimas, florens Auguſto maximè. Cæterùm, hæc planta fortè in Hiſpania perquirenda, vnde Myconus alias plantas miſit Dalechampio.

C.Bauh. Phyt. Conyza 11. ſiue montana glutinoſis piloſis foliis.

## CONYZA CAPITE NVTANTE.

*Deſcriptio*



CAules habet plures cubitales, hirſutos, qui in varios ramulos finduntur, quorum ſingulis appoſitum *folium* vnum, longum, ſatis latum, rariùs ſerratum, piloſum, Conyzis nonihil ſimile, ramuli ad florem vſque robuſti, rectique, per extrema in ceruicē rigidulam cōtorquētur, *florem* nutabundum terrámque verſus inclinatum ſuſtinentes, ex multis ſeu ſquammis compoſitum, quarum medium obſident multi apices lutei, eo ferè modo diſpoſiti, quo in Verbeſinis florem ambiunt quędam longiuſcula folia viridantia ſtellæ in morem radiata. *Radices* fibroſæ, Hellebori nigri ſimiles. Hanc Baſileæ inueni ante multos annos. Thalius in montibus apricis Soli Meridionali & Orientali obiectis.

*Hydropiper aliud Dal. H. Lugd.* H.Lugd. p.1040. Hydropiper aliud Dalechampii.

*Cannabina capitulis nutantibus Caſp. Bauh.* C.Bauhin. Phyt. p.642. Cannabina ſimilis capitulis nutantibus, quam nobis oſtendit frater Iohan. Bauhinus, Verbeſinæ ſimilem cum capitulis nutantibus nominans. An fortè Hydropiper alterum Dalechampii, Lugd.

## CONYZA MARINA.

*Deſcriptio*



PRolixas ſub terra agit *radices* non ſine fibris in tuberoſum veluti bulbum tandem deſinentes. *Caules* ſtatim cōpluſculi, dodrantales circiter, emergunt, hirſuti, *foliis* amicti frequentibus duarum triúmue vnciarum longitudine, vix culmum latis, rigidis, neruo vnico per longum donatis: caulis ſuperiùs diuiſus *flores* geſtat Conyzæ maioris, luteos, in pappum euaneſcentes.

*Conyz. marina Lugd. Aſter Conyzoides Geſn.* H. Lugd. p.1366. Conyza marina. Lob Obſ. & Ic. Plāt. Aſter Conizoydes Geſneri. Rauvvolff. Itiner. Chondrylla Dioſc. altera.

C.Bauh. Phyt. pag.216. Chondrilla 12. bulboſa anguſtifolia maior.

Gener Cherlerus in Gallia Narbonenſi copioſè obſeruauit & collegit in campeſtribus illis iuxta Montem Lupi. In Anglia, Belgio, & agro Louanienſi iuxta Academiæ pomœria. Iuxta Alepum in aruis reperitur.

## CONYZÆ MARINÆ AFFINIS CHONdrylla alia Rauvvolffii.

*Deſcriptio*



COnyzę marinæ ſimilis planè eſt *radice* & *floribus*, *folia* tamen latiora, piloſióraque, magíſque cinerea ſunt, perinde vt Holoſtii Monſpelienſis; Rauvvolff.

*Synonyma*

*Chondrylla Dioſcor. genuina Rauvvolff.* Rauvvolff. Hodæporici p. 117. Chondrylla alia. Hanc pingit parte 4. in Icon. numero 117. pro Chondryllæ Dioſcoridis genere alio. H. Lugd. app. p.27. Chondryllæ aliud genus Dioſcoridis.

*Chond. bulboſa Caſp. Bauh.* C.Bauh. Phyt. p.217. Chondrylla 13. bulboſa anguſtifolia minor.

*Locus.* Lapidoſis agris circa Alepum naſcitur Chondryllæ Dioſcoridis genus aliud Rauvvolffii.

## CONYZA ALPINA.

RAmis frequentibus fruticat, ſeſquicubitali rigido *caule*: folia alternata ferè, pediculis vncialibus & ſeſcuncialibus hærentia, ex rotundo

Deſcriptio



nonnihil oblóga, vncias circiter ternas lata, paulò lōgiora, modicè in acumen deſinentia, profundè in ambitu ſerrata, ſubtus incanâ lanugine pubeſcentia, ſuprà virentia: *flores* ramulorum extremis crebri inhærent, lutei, Chryſanthemi ſimiles, in pappos euaneſcentes.

Cluſ. Pannon.p.576. Iacobæa latifolia altera: & in Hiſtor. poſt. lib. 4. p. 23. Iacobæa Pannonica quarta, ſine icone.

An Geſnero in deſcriptione Montis fracti, Conyzæ alpinæ genus ſeſquicubiti aut ampliùs proceritate, corymbis florum luteis, fibris radicum albis pluribus & confertis, ſubamaris, quod à pecore non attingitur, paſtoribus Boni vocatum, aliquibus Goldkrut?

C. Bauh. phyt. Iacobæa 7. ſiue foliis rotundis, ſerratis.

Locus. Hanc cum Geſn. in peregrinatione noſtra obſeruauimus in monte propè weſen, non longè à lacu Tigurino, florentem menſe Iulio.

## IACOBÆA PANNONICA FOLIO non laciniato.

Deſcriptio



Terna, aut quaterna, aut plura habet *folia*, latiuſcula, in ambitu leuiter dentata, *caulem* cubitalé plerumque, angulosum, gracilem, per quem inordinata ſparſa ſunt *folia*, infimis paulò minora, at in ſupremo anguſtiora, lata baſi ipſum amplectentia: in ſummo caule quaterni aut quini, tanquam in vmbella naſcuntur *flores*, Iacobææ vulgaris floribus non multùm abſimiles, antè quàm explicentur ex atro rubeſcentes, ſed vbi aperti ſunt auri fulgore ſplendentes, quos in ambitu ſtipant quindena aut plura foliola per extremum inciſa, ſupernè phœnicea, ſubtus verò quodammodò rubentia: ii flores maturi in pappum abeunt, cui inuolutum eſt *ſemen* nigricans, oblongiuſculum, vulgaris Iacobææ ſemini non diſpar: *radix* non valdè magna, nigricans, tenuibus fibris candicantibus donata, ſub Autumnū noua denuò folia latiora, ad veteris caulis ſedem ſingulis annis producit. Tota planta mollicula, & quadam lanugine obſita conſpicitur: amaricantis eſt ſaporis.

Cluſ. Pannon. p. 573. Iacobæa ſecunda, p. 574. Iacobęa Pannon. folio non laciniato: Hiſt. poſt. lib. 4. p. 22. Iacobæa Pannon. 2.

C. Bauh. Phyt. Iacobæa 8. ſiue foliis nonnihil dentatis. *H. Lugdun. not.*

Locus. Iacobæa Pann. 2. Cluſii naſcitur apud Nemethuuyuuar Ill. Balthaſaris de Batthyan, aliiſque Pannoniæ & Auſtriæ inferioris montoſis & cæduis ſiluis. Floret Iunii initio, & ſub eiuſdem extremum finem, ſemen maturum eſt.

## IACOBÆA MARINA SIVE cineraria.

Deſcriptio



Vltus cōſimilis Iacobææ cognominem hanc reddidit, nataliſque locus maritimus differentiā adiunxit: prima *folia* Quernis ſimilia, rarioribus fiſſuris minuſque altis inciſa; quæ poſtmodum ad coſtam vſque profundiùs diuiduntur, digitali ferè intercapedine ſegmenta laciniata intercedente, craſſiuſcula, inferiùs cinereo molli tomento vnà cum pediculo obſita, ſuperiùs atrouirentia, nitida, & nonnulla quoque lanugine fortuita obiter reſperſa, ſapore prædita parum grato: flores multi coaceruati Iacobææ, Melini, in pappos tandem abeunt. Lob. Adu. & Ic. Pl. Cineraria, Iacobæa marina, Chryſanthemum marinum, & Artemiſia marina Neotericorum. Tabern. Icon. & Hiſt. Iacobæa marina, Cineraria, S. Jacobs blum. Dodon. Lat. in fol. Iacobea 3. Cineraria vulgò dicta, à ſubalbido cinerum quotundam colore, quem refert Cinerariæ nomen, quæ à nonnullis Erigeron marinum dicitur. C. Bauh. Phyt. Iacobæa 1. ſiue marina. Erucam cineream Lugdunenſis bis pingit biſque deſcribit p. 651. & p. 1383. quæ ſanè eadem cum præcedenti. *H. Lugdun. not.*

Hanc plantam olim vidi in horto di S. Saluatore ad Burgo di S. Catharina, Vidi etiam in horto Nicolai Ferrarienſis & à Innnocenti:

Ægyptii, autore Alpino, Artemiſiā albâ (quæ illi Achaouam, Cineraria, & Iacobæa marina vocatur,) ad multa vtuntur, quippe decoctum ex foliis paratum ad renum veſicæque calculos pollere aiunt, nec non ad ſanandas viſcerum antiquas obſtructiones, frigiditatem, ſtrangulationem, ſterilitatem, inflationem, atque ad menſes interceptos reuocandos, in inſeſſionibus.

IACO-

## IACOBÆA VVLGARIS.

Deſcriptio

LÆtius ſolum nacta trium cubitorum altitudinem aſſequitur, *caule* recto, rubente, ſtriato: *folia* alternatim poſita, Senecionis maiora, leui adſtrictione prædita: *flores* plures iuncti, Senecionis, maiores, lutei, vmbilico concolori in pappos tandem abeuntes: *radix* alba, fibroſa. Duas figuras ex Fuchſianis ponimus non vt ſpecie differentes, ſed tantùm variantes.





Synonyma *Senecio maior. Herba S. Iacobi. Flos S. Iacobi. Herba Iacobæa. Iacobæa Senecio. Artemiſia polyclonos Flos Iacobæus.*

Iacobæa vulgaris dicitur Senecio maior, Matthiol. Caſtor. Lugd. Camer. apud Matthiol. in Hiſt. & Epit. Herba S. Iacobi, Fuchſ. Cæſalpin. Flos S. Iacobi, Brunf. Trago. Lonic. Herba Iacobæa, Tab. Iacobæa, Dod. gall. & fol. Iacobæa, Senecio, Lob. Adu. Obſ. & Ic. Plant. Artemiſia polyclonos, ſeu Flos Iacobæus, Thal. Iacobæa vulgaris, Cluſio & C. Bauh. apud. Matthiol. & Phyt. vbi ei quarta eſt.

*Differentiæ*

Differentias habet, inquit, in foliis: alterius ſunt inſtar Erucæ laciniata: alterius ad Raphani folia accedunt, ſed minùs hirſuta.

Nomina linguarum

Iacobæã vulgarem Germ. vocant S. Jacobs blumen: quibuſdam S. Johans blumen/ & groß creutz blumen. Belg. Sint Jacobs cruyt aut bloemen: Gallis, *Herbe ou fleur de S. Iaques.* It. *Carduncello maggior.*

Locus & Tempus.

In Pannoniis, Auſtria, viciniſque regionibus naſcitur frequentiſſima, Iacobæa vulgaris Cluſii. Iacobæa abundat paſſim Montbelgardi florens adhuc Septembri & Octobri: Monſpelii obſeruaui cum flore menſe Aprili & Maio: Baſileæ quà itur Moutets Octobri, ab fluuium Birſe intra vrbem & quà itur Brentzack/ & verſus Gödeltinguen prope Molendinum. Geneuæ frequens eſt.

Vires

Flos S. Iacobi non ſolùm eandem formam, ſed eaſdem cum Senecione vires & facultates obtinet, vt pro illo iure vſurpari poſſit, inprimis autem vulneribus, inflammationibus, & fiſtulis medetur, Tragus.

## IACOBÆA LATIFOLIA.



Deſcriptio

IAcobæa latifolia caulem habet tricubitalem, teretem, rubentem, medullâ albâ farctum, in ramos alterius inſtar diuiſum, quorũ extremis *flores* inſident, magni, lutei, ſtellati, ceu vulgatæ, & tandem in pappoſum tomentum euaneſcentes: at *folia* plurimùm differũt, dodrantem ferè longa, duabus vnciis latiora, ſerrata, glabra, mollia, profundè circa principium ſecta, reliquâ & vltimâ laciniâ ad Bugulæ folium accedente: verùm enimuerò, quæ per ramos conſpiciuntur paullò magis ſunt laciniata, Artemiſiæ ferè diuiſurâ. Radix obliqua, multis fibris capillata: ſuſpicor annuam herbam.

In Sundcouia florentem Auguſto obſeruaui ad ripam fluuioli.

## IACOBÆA PANNONICA LATIFOLIA.



Deſcrip.

CVbitali interdum excreſcit *caule*, firmo, ſtriato, quem ambiunt *folia* lata, rugoſa, mucronata, per oras ſerrata, viridia, latiore baſi, & veluti appendicibus quibuſdam prædita, infimâ parte quà caulem amplectũtur, ingrati & nõnihil acris ſaporis: quæ verò à radice germinant, rotundiora ſunt & maiora, ſed nullos appendices habent, perinde tamen ſerrata atque ſuperiora: ſummus caulis diuiditur in aliquot ramulos, qui *flores* omninò luteos ſuſtinent, Iacobæç vulgari ſimiles, multò tamẽ maiores, & ad Buphthalmi amplitudinem accedentes, maturitate in pappum euaneſcentes: *ſemen* obſeruare non licuit: *radix* ſatis craſſa & candicans, ſubinde fibras, vulgaris Iacobææ inſtar, in latera expandit.

Cluſio Pann. p. 574. Iacobæa latifolia Pannonica tertia.

C. Bauhin. Phyt. Iacobæa 6. ſiue latifolia flore Buphthalmi.

Prouenit in Auſtriacis Stiriaciſque Alpibus:
Locus tempus. Floret Iunio & Iulio, in hortos tranſlata etiam Maio.

## CHRYSANTHEMVM ALPINVM Iudenbergenſe Iacobææ affine.



Deſcriptio. MVlta habet ſecundum radicem longiuſcula *folia*, Abſinthio vmbellifero, quod infrà deſcribetur, ſimilia, craſſa, pollicari longitudine, in lacinias aliquot diuiſa, viridia (in nouellis tamen quædam canicies conſpicitur) amari ſaporis: *caules* aliquot palmares, rarioribus & tenuib⁹ diſſectis foliis ornatos, ſtriatos, in quib⁹ veluti vmbellæ denûm aut duodenûm luteorum *florum*, Iacobeæ vulgaris floribus non multùm abſimilium, & eiuſdem odoris: *radix* craſſiuſcula eſt, multiſque candicantibus fibris capillata.

Cluſ. Pann. p. 565. Chryſanthemum Iudenbergenſe, ſiue [vt in poſt. n iſt.] alpinum 1. Ad Chryſanthemi genera referendum, aut Iacobæis adnumerandum.

C. Bauh. phyt. p. 225. Chryſanthemum 2. ſiue alpinum foliis laciniatis: Hoc attulit D.D. Theodorus Collado Nemauſanus nunc Medicus ex Heluetticis alpibus.

Locus. Chryſanthemum alpinum 1. Cluſii prouenit in Iudenburg, Spital, & aliis quibuſdam Stiriæ iugis, cum Leucanthemo mox deſcribendo: eodem tempore florens.

## CHRYSANTHEMVM ALPINVM Etſchetianum Iacobææ affine.



Deſcriptio. NVmeroſa proximè radicem naſcuntur *folia*. Abrotoni maris foliis reſpondentia, dilutiore viriditate nitentia, & odore, ſi terantur, haud ingrato, ſapore verò amaricante & minimè grato: ex his *caules* exeunt pedales, minoribus foliis onuſti, in aliquot interdum ramulos diuiſi, qui ſingulos aut geminos ſuſtinent *flores* Chamæmelo vulgari maiores, inodoros, omninò flauos, hoc eſt, medium orbem luteum cingentibus etiam luteis foliis, ſatis latis: *radix* fibroſa & nigricans eſt, pluresque à latere ſpargit ramos.

C. Bauh. phyt. Chryſanthemum 3. ſiue alpinum foliis Abrotani multifidis.

Inuenitur, inquit Cluſius, in Etſcher, Snealben, Veitzalben, & celſis aliis Alpium Stiriæ iugis. Floret Auguſto. Inibi etiam inuenitur Chryſanthemum Alpinum Snebergenſe, Cluſio 3. [C. Bauhin. 4.] Alpinum dictum. Locus & Tempus.

## TRAGOPOGON SIVE BARBA hirci Veteribus.

### CAP. XII.

TRagopogonis ſeu Tetrapogonis, quem alii Comen vocant, inquit Dioſcorides, *caulis* breuis eſt, *folia* habens Croco ſimilia, *radicem* lōgam, dulcem (ſupinam addit Hermol.) In ſummo caule calix eſt magnus [ἐπὶ δὲ τῷ καυλῷ κάλυξ μέγας,] & eius ſumma parte erumpit ſemen nigrum (καρπὸς μέλας) à quo etiam nomen accepit. Eſt autem herba, quæ in cibi vſum venit. Et ita Marcellus, Hermol. Cornar. Matthiolus. Tragopogō. Coma.

Hirci barbæ, inquit Theophraſtus, radix longa & dulcis, folia Croco ſimilia, niſi quòd longiora ſunt: caulis breuis, ſuper quem calix amplior, & è ſummo vertice pappus canus grandior, à quo ſcilicet Tragopogonis nomen accepit: [non igitur a ſemine nigro vt ſibi falsò nonnulli imaginantur.]

Cæterum, Tragopogon [Hirci barba] & Scādix à Plinio vocatur, niſi, quod ſuſpicatur Hermol. deprauata lectio ſit: is aliàs deſcriptionem Dioſcoridis mutuatus. Scandix Plinio.

Acetarium quidam olus hanc eſſe falsò volunt, quam vulgò Barbam petræ & in Gallia Ciſpadana Barbulam hircinam vocent: habetur & quæ Gerontopogonon, id eſt, Senis ſiue preſbyteri barba dicitur, Tragopogoni fere tota ſimilis, niſi quòd lacte manat & radice amara eſt, non dulci: à Nicandro Geros Pogon fortaſſe nuncupata. Tragopogona vocari, & in Trago piſce partem ſub gula eius nigricantem Athenæus autor eſt. Tragopogona, Galenus inter ſimplicia non recenſet, inquit Cornarius. Et officinæ oſtendunt falſam pro vera Hirci barba herbam. Tragopogon à Galeno cognominata eſt planta, quæ Ledum ſeu Ladanum dicitur, & Barba hircina Arabibus, vt Auicennæ & Serapioni, teſte Trago libro 1. cap. 95. inquit Geſnerus. Amatus quantùm videt Matthiolus, eam plantam Tragopogona putat, quæ Fuchſio Apios dicitur. De hac nos H. p. g. lib. 17. egimus ſub titulo Chamæbalanus.

## TRAGOPOGON FLORE luteo, purpureo, ac puniceo.

IN pratis obuius Trogapogon *radice* lacte turgente dulci, minimi digiti craſſitudine, longa: *caulis* cubitalis, foliis ab imo ad ſummum veſtitus, ferè porraceis, carinatis, caulem



lem amplectẽtibus : ex quorum ſinu rami pronaſcuntur : quorum ſummis inſident *flores* magni, denſo foliorum radiatorum agmine ſtipati, lutei : qui in pappos abeunt, *ſemine* appenſo.

Deſcript. Ab hoc non multùm differt atropurpureus, & puniceus, ſiue ſpontaneus cultus. Quælibet plantæ ferè pars vulnerata lac fundit album, emanãs, mox in luteum faceſſens, viſcidum, quod radici rectæ, digitali vel maiori craſſitudine, teneræ copioſum & dulce cùm ſit, culinis expetitur : *caules* inanes ramoſi, foliis multis ſtipantur Porraceis, quæ interdum valdè lata interdum tenuiſſima : *flores* foliis octo virentibus longis & acuminaris obuallati, trib⁹ vnciis, ſuperantes, qui colore ſunt vel atropurpureo vel puniceo : qui poſtea in pappos abeunt : quibus adhæret *ſemen* duas vncias longum, teres, ſtriatũ, aſperum, per maturitatem extremam nigricans.



Synonyma. *Saſſefrica.* Τραγοπώγων, Hirci barbulã, Hetruria vulgò appellat Saſſefrica, flore aureo: Neſciuerim [inquit Matthiol. in prior. comm.] qua ratione ductus negarit Hermolaus hanc Theophr. & Dioſcor. legitimã Hirci barbulam eſſe, cùm illa pulchrè huius noris reſpondeat. *Sed* Matthiolus iniuriam facit Hermolao, qui de Barba Capræ Fuchſii ſcribit. *Hermol. repreh. Hirci barbula.*

Camer. hort. Barba hirci flore luteo & purpureo.

C.Bauh. Phyt. & apud Matthiol. Tragopogon 1. ſiue pratenſe luteum. Itẽ Tragopogon 2. ſiue cęruleum.

Anguill. epiſt. 7. ſcribit Tragopogonem, i.e. Barbam hirci, in Tuſcana dici Saſſefricam & Barbam di prete : Pataui Herbam liſſam. Cord. Hiſt. Hirci barba. *Barba di prete. Herba liſſa.*

Hieron. Brunſch. magno errore Hypociſtida in hac herba naſci putauit, Ledum fortè intelligens, quod à Galeno Tragopogon nominari, iam ſuprà oſtendimus. *Hieronimi Brunſch. error.*

Tragopogonis & Gerontopogonis H. Lugd. tres ponit figuras, ſufficerent duæ ac etiam vna : ſi noſtra Fuchſiana placuiſſet, ſecundam non curaſſemus pingendam : non exiſtimarim à Tragopogone diſtinguendam Saſſificam Italorum.

Tragopogon alterum ( inquit C.Bauh. in animaduerſ. in Hiſt.) & Gerontopogon p. 1079. In omnibus conueniunt, præterquam in radicis ſapore, qui in illa amariuſculus, in hac dulcis ſtatuitur. Sed idcirco duabus figuris non erat opus.

Dodon. Lat. in fol. Tragopogon (vt Fuchſ. Lonic. & Cæſalp.) Item: Tragopogon cum pappo: *figura ſuperflua.* *Dod. not.*

Nomina linguarũ. Tragopogon flore luteo purpureo, ac puniceo vocatur Græcis, τραγοπώγων & κόμη. Item & πεπατώγων Hirci barba, Coma. Germ. Bockßbart/ Gauchſbrot. Belg. Boxbaert / Joſephs bloemẽ. Gall. *Barbe de Bouc.* Montbelg. *de la barbe au Loup.* It. *Barba de Becco.* Hiſp. *Barba cabruna & Barba de cabron.* Angl. Bockes bearde. *Boh.* Kozy bradka. Pueri, ait Tragus, qui radice tenera adhuc veſci ſolent, ſicut & alias herbas, præſertim Oxalida deuorare conſueuerunt, Gauch brot/ quaſi Coccycis panem, ob dulcedinem radicis vocãt, quæ ſi Apitiis perſpecta foret, nunquam non acetariis ſuis illam præ cęteris herbis & radicibus inſererent. *Panis Cuculi.*

Locus & tempus. Tragopogonem luteum obſeruaui Monſpelii cum flore Aprili & Maio & Auguſto in pratis, Geneuæ virẽtem in horto meo menſe Ianuario, cum flore Maio in pratis, etiã Iunio. Lugduni copioſum in pratis : Pataui vidi menſe Februario, & Montbelgardi abundat in pratis florens Maio. Notandum omnes flores ad Orientem cõuerti. Tragopogonon purpureum paſſim prouenit menſe Aprili & Maio.

Vires. *Facultas Condrillæ.* Barba capri tenella à Belgis holitoribus acetariis miſcetur, ac facultatib⁹ Condrillis adſtipulatur, lancinationibus æſtuantibus, iecori, ſtomacho, renibus & thoraci auxilio eſt. Eſtur Barbula hirci prior Matthioli, hyeme frequenter in acetariis, glutinat recentia vulnera, ſi foliorum ſuccus vel eius ſtillatitia aqua ſpleniis & attritis linteolis ſuperponatur : radix excalefacit, ac etiam primo ordine humectat : alterius radicis lacteus ſuccus adſtringit, cohibet, firmat, & modicè abſtergit, cſui tamen inidonea eſt. Radix cruda aut cocta eſa, vel ius bibitum, vrinæ ſtillicidio medetur, calculũ expellit. Pectoris vitiis ſuccurrit: tuſſi ſc. reſpirationi difficili, tabidis, & pleuriſi, cen & ſuccus eius, & aqua diſtillata. Sed & vulneribus vtiliter adhibentur, & lac eius, quæ breui temporis ſpatio ad cicatricem perducunt. Aquam ex herba & radice diſtillata Maio menſe, remedium eſſe præſentiſſimum aduerſus apoſtemata & dolores laterum legitur apud Tragum. Plura qui volet, legat Tab. *Vulnera. Vrinæ ſtillicidium. Pleuritis. Apoſtemata.*

## TRAGOPOGON FOLIO LACINIATO flore pallido, & Monſpelienſe flore luteo.

Deſcriptio. TRagopogoni *radix* ſimilis tenera lactiflua; *folia* priora tenuia, longa, quędam non laciniata, alia lacinias paruas habent, vbi primò prouenit ex ſemine deciduo & locis ſiccioribus cultis: in qua *caules* plures naſcuntur cubitales, amplexu foliorum liberi, quæ tamen ſatis tum per ramos frequentia, triplò quadruplóue vulgari Tragopogonis foliis latiora, in crebras profundas lacinias diſſecta, quæ aliquid commune habent cum Dente Leonis : *flos* luteus pallens



qualis vulgaris: at *ſemen* ad Scorzoneræ ſemina propiùs accedit.

Fabio Colũnæ de plant. nouis p. 21. & 22. Tragopogõ laciniatis foliis. Anguill. epiſt. p. 183. Acorum Theophraſt. & *Herba di venere*. C. Bauh. phyt. & apud Matth. Tragopogõ 3. ſiue laciniatũ primis foliis penitùs gramineis, integris nec laciniatis.

Locus & tempus

In horto Ill. C. Wirt. floret Maio, ſemen maturat Iunio & Iulio, quo tempore perit, nec vltra annum durat, ſemine deciduo quotannis ſe propagans. Baſileæ, Patauii, & Bononiæ etiam obſeruauimus.

## TRAGOPOGON FOLIO GRAMINEO flore albo & luteo cum tantilla purpura.

Deſcriptio



Foliis eſt minoribus, Garyophyllorum florum ſylu. alborum foliis ſimilibus, anguſtis & acutis: *radix* aliis Tragopogis ſimilis capite capillato: *caules* tenues rotũdi, in quorum ſupremitatibus capitula cyano ſimilia, ex quibus vbi aperiuntur prodeunt *floſculi* albi, aliis ſimiles niſi longiores & acutiores, ſimiles Belli maiori [Ioãnis bluſmen:] prouenit incultis locis humidis: floret Iunio & Iulio.

C. Bauh. phyt. p. 536. Tragopogon 5. gramineo folio, radice villoſa.

## TRAGOPOGON HISPANICVS SIVE Eſcorzonera aut Scorzonora.

Deſcriptio

PEdali longitudine eſt *radix*, craſſitudine pollicari, lacte dulciſſimo, non ſine aliqua adſtrictione, prægans, *caulis* ſeſquicubitalis, multis alis concauus, inanis, lanugine quadam raſili obſitus: quà eadem inferiùs pubeſcunt *folia*, latiore baſi caulem amplectentia, longa, Tragopogonis, ſeſquiunciam lata vel anguſtiora, in perquàm longum anguſtiſſimum mucronem deſinentia: *flores* inſident extremis ramulis ſinguli, Tragopogonis, lutei, ex calycibꝰ ſquãmatim compactilibus, læuibus: *ſemen* Tragopogonis pappoſum.



Matth. in poſter. comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Scorzoneræ Hiſpanicæ ac Bohemicę meminit, eaſque pingit ac Tragopogonis cõgeneres facit, aitque Hiſpanis Scurzoneram ſiue Scorzoneram, quòd à vipera demorſis, quam ii Scurzo vocant, præſentaneo remedio auxilietur, Viperinam eſſe. Is non putat eſſe quemquam qui de ea ante ipſum ſcripſerit: inuentam eſſe primùm in Catalonia Hiſpaniæ à quodam ſeruo Aphro: qui propinato radicis ſucco incolumes ſeruabat quotquot demorſi fuerant: primùm miſiſſe ſiccam Ioh. Odoricum Melchiorium Trid. Reginæ medicum, paulò pòſt viridem ex Hiſpaniis allatam: Non multo pòſt tempore copioſam quoque in Bohemia naſci compertum eſſe: &c. Non deeſſe autem, qui in Hiſpania hanc plantam Chondryllam eſſe cenſeant: ſed horum ſententiæ non eſſe ſubſcribendum.

*Scorzoni Hiſpanica & Bohemica Matth.*

*Chondrilla non eſt.*

Geſnero de hortis Tragopogon peregrinus vel Hiſpanicus dici poſſe videtur illa herba quæ Hiſpanis Eſcorzonera, hoc eſt, Serpentaria dicitur, quæque depicta eſt in fine iconum ſtirpium Fuchſii edit. Antuerpienſi. Tragopogonis autem genus eſſe monuit Coudenbergius. In Tarraconenſi Hiſpania [nunc vocant Cataloniam] Herba Mauri cuiuſdam induſtriâ cognita eſt quam vocant Eſcorzoneram. Exiſtimant eandem eſſe quâ olim Ptolomeus liberatus ſit, vt Cardanus lib. 6. de rerum variet. prodidit, qui Eſcorzoneram vocat.

*Tragopogon peregrinus vel Hiſpanicus.*

Lobel. Icon. Plant. p. 551. & Obſ. p. 298. Scorſonera, Viperaria.

Cæſalp. p. 518. Scorzonera de qua Nicolaus Monardes Hiſp. quam multi exiſtimant apud Dioſcoridem Condryllam eſſe, ſed magis videtur ad Tragopogoni genus reducenda.

Camer. hort. Scorzonera floribus ſimplicibus & plenis in multis locis Germaniæ, à qua Hiſpanica non alia ratione quàm ſoli & Climatis ratione videtur differre. Aliquot huius differentias Pannoniæ & Auſtriæ peculiares recenſet Cluſius.

Thal. Scorzonera tenuifolia lutea, de quo ſtirpis genere varia varii hactenus ſtatuerunt. Nã initiò planta Hiſpanica nonnullis dici cœpit, deinde Scorzoneræ nomen ei acceſſit: plurimis in Germaniæ locis reperitur. Differentias verò foliorum ratione & florum etiam euidentes obtinet, ita vt altera ſit latifolia, altera anguſtifolia. Eſt

etiam

etiam altera ſubdulci, altera amarâ radice, quã antidotaria vi magis præditam eſſe exiſtimo.

*C.B.not.* Hæc eadem verba Thalii pro ſuis recitat C. Bauh. Phyt. qui præterea malè ſeparare videtur ſuam Scorzoneram 1. ſiue latifoliam ſinuatam, ſeu Matthioli Hiſpanicam, ab eiuſdem Boëmica, ſeu ſua latifolia ſecunda. Matthiolus ſiquidem has non diſtinguit. Non malè quidem C. Bauh. Scorzoneram Serpentariã quoque, quòd contra venena ſerpentum efficax habeatur, cognominari poſſe diceret, ſed id ipſi non donandũ quod Scorzoneram & Serpentariam eandem ſtatuat. Serpentariæ nomen de pluribus dicitur plantis. Tragopogis porrò adnumerandas eſſe eas plantas, quas vulgò Scorzoneras vocant, nemo eſt, vt arbitratur Cluſius, qui dubitet. In eo ſolùm differre videntur quòd illorum radix minimè ſit viuax, contrà quàm Scorzoneræ.

*Tragopogi & Scorzonera differentia*

*Locus.* Tabern. Icon. & hiſt. Scorzonera Hiſp. Viperaria. Item Scorzonera Germanica. *Miror* tantam ſimilitudinem picturæ Scorzoneræ Hiſp. cum Scorzonera Germ. nſi diuerſarũ plantarum. Oritur montoſis locis, præcipuè humectis. Maius Scorzoneræ genus duntaxat in Hamburgenſi monte Pannoniæ inuenit Cluſius, quodã loco admodum herboſo, & arboribus circumſepto. Bohemicam naſci ſcribit Matth. in monte quodã ſiluoſo, vliginoſóque, nõ lõgè à Poggebrot. Scorſonera latifolia ſiue Hiſpanica ex ſemine mihi fœliciter Montbelgardi prouenit in Horto Ill. E. C. vbi caulem & ſemina pertulit, perit interdum tamen, plantæ non ferunt caulem ante tertium annum: eam etiam habui Lugduni & Geneuæ in hortis meis, primo anno non ferebat caulem: Lugduni florebat Maio, Geneuæ Iunio. Patauii obſeruaui mēſe Martio iu horto D. Cortuſii: Spiræ vidi florentem Iunio in cultiſſimo horto Clariſſimi viri D. Tengnadel Aſſeſſoris.

*Vires* Tota planta magni eſt vſus ad magnos morbos depellendos. Namque præſentaneo remedio aduerſus viperarum cæterorúmque venenatorum morſus ictúſue, ac peſtiferos morbos quoſcunque, tam è foliis, quàm è radice ſuccus deſumitur, præbetúrque potandus: Vtilis repoſita conſeruæ modo ad vertigines & capitis dolores, aliquoties ℥ß. in hebdomade ſumpta. Comitialibus item ingruente inſultu mirè affectis ſubuenit. Cardiacis item datur & vertiginoſis. Enimuero commanducata per ſe radix triſtitiam diſcutit, hilaritatémque conciliat. Quin etiam lacteus radicis ſuccus oculorum aciem acuit.

*Dolor capitis* *Comitiales* *Oculi.*

Tanta eius vis, inquit Manardus, aduerſus Scorzonem, vt ſi eius ſucco tangatur, torpeat confeſtim: ſi iniiciatur in os, pereat: manibus eo ſucco illitis contrectatur ſerpens prædictus ſine periculo: non enim mordet, atque adeò torpeſcit, vt ſemimortuus videatur: qui fuerit ictus, ſi comedat de eius radice, aut ſuccum foliorum bibat, confeſtim ſanatur, ſi inflatus iam fuerit, deſidet tumor: ſedantur dolores, & deliquia: ſi præſumatur antequam momorderit, non ſuperueniunt praua ſymptomata: bibitur eius ſuccus clarificatus, vel per ſe vel cum aliis roborantibus cor, aut veneno reſiſtentibus, non ſolũ ad Scorzonis ictum ſed & ad Viperę, aliorúmque ſerpẽtium: datur eius aqua diſtillata ad febres peſtilẽtes & malignas: prouocat enim ſudorem mirificè, vbi natura hunc motum tentat: confert ad melãcholias, triſtitias & deliquia: miſcetur quoque epithematibus cordi conferentibus: radices conditæ per multos dies aſſumptæ, & aqua prædicta obſtructiones Hepatis & Lienis tollunt: menſtruaſque purgationes moliuntur.

*Febres peſtilentes.*

An porrò ſimilibus facultatibus præditæ ſint Scorzonerę Pannonicæ quibus celebrem illam & adeò decantatam Hiſpanicam pollere aiunt, neminem adhuc periculum feciſſe arbitratur.

## TRAGOPOGONIS SPECIES, SIVE SCORſonera humilis latifolia.



*Deſcriptio* Latiora breuioráque habet *folia*, quã Scorzonera maior Pannonica 1. Cluſii, Bupleuro latifolio, ſiue Elaphoboſco Mõpelliano non valdè diſſimilia, craſſiora tamẽ & duriora, quinque neruis, ſeu venis per longitudinem excurrentibus, diſtincta, cærulei quodãmodò viridi permixti coloris, guſtu verò aliquantulùm amaro & feruido: *caulis* inter hæc aſſurgit gracilis, pedalis altitudinis, ſtriatus, raris foliis ſeptus, cui inſidet *flos* ſuperiori ſimilis, luteus, magnus: quo marcido naſcitur in calycibus *ſemen* oblõgum, aſperum, Tragopogo ſimile, ſed minus, in villos i materiã albã latens: *radix* pollicaris eſt craſſitudinis, interdum maior, longa, nigro, rugoſóque cortice tecta, intus alba, quæ confracta lacteo ſucco manat, ſucceſſu temporis flaueſcente, ſuperiore parte, hirſutã veluti cæſarie donata eſt, & in plura capita plerumque exuberat, ex quibus folia prodeunt.

C. Bauh. Phyt. Scorzonera 3. ſiue latifolia neruoſa, Cluſio humilis latifolia.

Hanc Cluſ. in monte Badenſibus thermis imminente, viciníſque aliis locis, obſeruauit in Auſtria.

## TRAGOPOGONIS SPECIES SIVE SCORzonera humilis anguſtifolia.



*Deſcriptio* Firmatur hæc craſsâ *radice* longâ, nigro, denſo, rugoſo corticeprædita, lacteo ſucco plenâ, quæ nõnunquam ſuperiore parte in plura capita, quemadmodum præcedens, exuberat, craſſitudine minimi digiti (nouellarum plãtarum inſtar) villoſâ: ex quibus multa

naſcuntur *folia* Tragopogo ſimilia, firmiora tamen, breuiora, & eiuſdem, cum præcedentis foliis coloris: inter ea excreſcit humilis, palmum vix excedens *caulis*, aliquot breuibus foliolis ſeptus, cauus, *florem* in ſummo faſtigio ferens flauum, alteri ferè ſimilem: *ſemen* deinde in longioribus caliculis, Scorſoneræ Hiſpanicæ ſemini par, minus tamen, quod maturitate, leuiſſimo auræ flatu excutitur, & eius arbitrio fertur.

C.Bauh. phyt. Scorzonera 4. ſiue anguſtifolia prima.

Locus & Tempus. Hæc & ſequens florent Aprili & Maio: ſemen interdum Maio, aut ſub Iunii initium matureſcit.

Meminit etiam Cluſius Scorzoneræ humilis fibroſa radice quæ illi 4. C.Bauhino verò quinta dicitur.

## TRAGOPOGONIS SPECIES SIVE Scorſonera maior anguſtifolia ſubcæruleo flore.



Deſcriptio. Frequentia huic ſunt *folia*; longa, Tragopogi foliis minora & anguſtiora, inter quæ cubitalis aſſurgit *caulis*, cauus quidem ille, ſed firmus, durus, viridis, aliquot oblongis foliis ſeptus, & ſupremâ parte in binos aut plures ramulos diuiſus, ferentes in lõgioribus calycibus *florem* Scorſoneræ Anguſtifoliæ floribus non diſſimilem, niſi quòd paulò minor ſit, & coloris ex cæruleo purpuraſcentis, iucundi odoris, paſtillorum è benzoino confectorum nidorem quodammodò æmulantis, ſed fugacis admodum: ſena deinde, octona, aut plura in ſingulis calycibus *ſemina*, Scorſoneræ ſeminum æmula, quæ matura, cum ſuo pappo à vento excutiuntur: *radix* ſingularis, minimi digiti craſſitudinem æquat, denſoque, foris nigricante, & rugoſo cortice obducta, ſupremâ parte hirſuta, & villoſa, quæ vulnerata, ſuccum exſtillat initiò lacteum, deinde fuluescentem, guſtu primùm gummoſo, poſtea aliquantulum acri: viuax eſt, vt reliquarum radices, vetuſtate craſſior euadens, & ſuperiore parte in plura capita ſubinde exuberans.

Cluſ. Pannon. p.639. Scorſonera Pannonica 5. Hiſt.poſt.lib.5.p.139. Scorſonera anguſtifolia elatior pannon.4. Scorſonera maior anguſtifolia cæruleo flore.

C.Bauh. Phyt. p.538. Scorzonera 6. ſiue anguſtifolia ſubcærulea.

## TRAGOPOGON SPICATVS tenuifolius



Tragopogon ſpicatus Hiſtor. Lugdunenſis, radice, foliis, caule geniculato, ſimilis eſt reliquis Tragopogi generibus, niſi gracilior *caulis* eſt, *radix* tenuis, *folium* anguſtius, *flos* autem luteus maximè diſcrepat, & qui ſpicatim coacervatus ſit. Deſcriptio.

C.Bauhin. phyt. pag.536. Tragopogum 4. ſiue ſpicatum luteum.

## VIRGA AVREA VVLGARIS latifolia.



Deſcriptio. Geniculatim huius incedit *radix*, obliquè per terram acta: fuſca, frequentes dimittens fibras albicantes, ſapore aromatico: *caules* recti & rigidi, duos aut tres circiter cubitos alti, ſtriati, ſubhirſuti, medulla fungoſa farcti: *folia* tum à radice, tum in caule, & hæc quidem alternatim, longis pediculis appenſa, interdum nullis aut perquàm breuibus donata, quorum quæ ima ſunt, palmum ferè lata exiſtunt, duos circiter longa, ſuperiora minora, atrouirentia, vtraque hirſuta & per ambitum ſerrata: *flores*, tum in ſummo caule tum pediculis peculiaribus ex foliorum alis exortis, frequentes inſident, Doriæ vocatæ floribus ſimiles, lutei, magnam partem ſtaminei, in pappos euaneſcentes.

Virgam auream vulgarem latifoliam multi Solidaginem Sarracenicam, heidniſch wundkraut / appellant. An autem hæc vera ſit Solidago Sarracenica aſſerere non vult Matthiolus. Is in poſt. comm. Ital. & Lat. cum magn.fig. quam vulgò Virgam auream vocant Herbam Iudaicam & Paganam cognominat, aitque eius flores non eſſe ſimiles Camomillæ, vt Fuchſius in ſuo herbario pinxerit. Negat præterea eſſe vllo modo Sideritin primam. *Non* exiſtimo ego Matthiolum nouiſſe diſcrimen inter Solidaginem Sarracenicam & Virgam auream: reprehendit figuram Fuchſii, quum tamen planta quam pingit, ei nota non ſit. præterea eius figura, quod folia attinet minùs probanda videtur: meritò dixit ſe Matthiol.

nolle

nolle aſſerere, an ſit vera Solidago Sarracenica.

*Fuchſ. not.* Virga aurea, inquit Geſn. de hortis, vulgò ab Italis dicta, nominatur a Fuchſio Solidago Sarracenica (latifolia, vt ab ipſo nobis præſentibus appellabatur:) Verùm præceptori Fuchſio hac in parte aſſentiri non poſſum, quum hæ duæ plantæ non parum differant.

Hiſt. Lugd. p. 1272. Virga aurea Matthioli. Itē: Virga aurea Dodonæi. Duæ figuræ eiuſdem plantæ.

C. Bauh. Phyt. Virga aurea 2. ſiue anguſtifolia. Hæc ſæpè ſine crenis vel ſaltem minùs cōſpicuis, aliquando folia circum minutiſſimè ſerrata: foliis oblongis, aliquando ſubrotundis.

**Nomina** Virgæ aureæ hæc planta nomen inde accepit, quòd ramuli floribus grauidi, auricolorem virgulam referant. Belg. Gulde ronde. Gall. *Verge d'or.* Sunt qui Leucographin Plinii autument. Solidago & Conſolida ab aliis à viribus denominatur.

**Locus & tempus** Copioſè prouenientem vidi Geneuæ. Baſileæ cùm eſſem obſeruaui copioſè florentem Octobri in monte Moutets, & in monte propè Krentzack, menſe etiam Auguſtó florentem in montè propè Leurach.

## VIRGA AVREA SIVE SOLIDAGO SARracenica latifolia ſerrata.



**Deſcriptio** Triplò latiora huic quàm iam dictæ *folia*, longiora, cæteroqui ſimilia, perinde vt *caules* ramíque: at verò *flores* lutei, papposi non ſecūdum ramulos ſpicati, ſed ſummis extremíſque vmbellam quodammodò effigiantes hærent.

*H. Lugd. not.* Hiſt. Lugd. p. 1271. Conſolida Sarracenica maior: item p. 1273. Virga aurea altera Lobelii. Duas figuras vnius ſtirpis exiſtimo duobus diuerſis capitibus deſcriptas.

*Differ. C. Bauh.* Caſp. Bauhin. Phyt. Virga aurea 3. ſiue latifolia ſerrata: Reperi in monte Roſberg propè Maßmünſter florentem Octobri: Frater Caſp. Bauh. in Baſileenſ monte Münchenſtein.

## VIRGA AVREA ANGVSTIFOLIA SERrata, ſiue Solidago Sarracenica.

Virgam auream anguſtifoliam hanc voco, ad alterius differentiam quæ foliis latioribus prædita eſt: quarum vtraque à Virga aurea vulgari diuerſa eſt. Hæc itaque, de qua nobis ſermo, bicubitalis & tricubitalis eſt; *caulibus* ſtriatis, glabris: ex quibus alternatim *folia* naſcuntur palmum & ſeſquipalmum longa, vnciam vnam aut duas lata, ſimilia ferè foliis Salicis auriculatæ, Doriæ inſtar per ambitum crenata, ſed tenuiora, glabra, non hirſuta vt in vulgari, ſapore quodam aromatico prædita, calidiuſculo: *flores* non ſecundum caulem, vt in Virga aurea vulgari, ſed extremis ſurculis vt in Doria, vt vmbellam quodammodò mentiantur, lutei, foliis longiuſculis, ternis vel quaternis conſtantes, ſtaminibus in pappos reſoluendis mediū obtinentibus. **Deſcriptio**



Trago, Dodon. & Fuchſio, Herba fortis, quibuſdam Herba fortis, quibuſdam etiam Cartafilago & Filago, cùm, inquit Fuchſius Cartaphylax dicēdum eſſet cuius nec deſcriptio iſti conuenit. *Herba fortis. Herba fortis.*

C. Bauhin. Phyt. eſt Virga aurea 4. ſiue anguſtifolia ſerrata cuius aliam adhuc ſpeciem eſſe aſſerit longioribus foliis. *Virga aurea anguſtifolia ſerrata, C. Bauh.*

H. Lugd. p. 1270. Conſolida ſiue Solidago Sarracenica à coniungendis vulnerum labris à Sarracenis & Turcis ita dicta: Herba fortis Gall. Conſoulde & Conſolide Sarrazine. Duas figuras habet, vni titulus Solidago Sarracenica Fuchſii, alteri Solidago Sarracenica Lobelii. *Herba fortis. H. Lugd. not.*

A me collecta eſt in monte Roſberg prope Maſmunſter, & plantata in Horto Ill. E. C. florens Septembri; ac etiam Octobri.

## VIRGÆ AVREÆ SIVE SOLIDAGINI anguſtifoliæ affinis Lingua auis Dalechampii.



**Deſcriptio** Lingua maior duorum aut trium eſt cubitorū, *caule* ſtriato, cauo, per quē ex longis interuallis alternata *folia* Solidaginis Sarracenicæ non multùm abſimilia, ſine pediculis adnata, palmum aut ſeſquipalmum longa, ſemunciam circiter lata: in ambitu ſerrata, in acutū mucronē deſinentia, & ſubtus veluti tomento obſita: ſupremus caulis in ſurculos crebros diducitur, atque hi rurſum in pediculos, in quibus *flores* lutei Solidaginis Sarracenicæ.

*Lingua maior H Lugd. Conyza max. ſerratifol. Cam.*

H.Lugd.p.1037.Lingua maior.Camerario inter icones Harcyniarum ſtirpium fol.3. Conyza maxima ſerratifolia.

An Lob.Icon.Plant.p.347. Conyza Helenitis foliis laciniatis ? Geſn.hort. Conyzę aquaticæ ſpecies. Thal.Conyza aquatica maxima ſerratifolia. C.Bauh.phyt. Conyza 12.ſiue paluſtris ſerratifolia.

Locus & Temper.

Non placet à Dalechampio reponi inter Ranunculi genera cū quibus nihil commune habet. Ante triginta annos plantæ caulem cum foliis non floridum repoſui, vbi collegerim non recordor. Siccam etiam habui à Richnero.

## ALISMA SIVE DAMASONIVM Veteribus.

*Ἀλκέα. Acyron. Lyron.*

Ἄλισμα, quod alii Ἀλκέαν, alii Δαμασώνιον, alii Ἄκυρον, alii λύρον vocant, teſte Dioſcoride, folia habet ἀρνογλώσσῳ ſimilia, anguſtiora tamen & ad terram deflexa: Caulis eſt cubito altior, habēs capitula thyrſi ſpecie, (quidam ϛτρογγυλοειδῆ,) flores ſunt tenues, albi, ſubpallidi, radices μέλανος ἑλλεβόρου, tenues, odoratæ, acres, ſubpingues: Amat locos aquoſos. Radix drachmæ vnius aut duarum pondere pota cum vino, commoda eſt his qui Leporem marinum vorarunt, & quos Rana rubeta momordit, & qui Opium hauſerūt. Item ad torſiones [ ϛρόφους ] & dyſenteriam, tum per ſe, tum cum pari Dauco pota. Conuenit etiam conuulſis & ad vteri affectiones. At ipſa herba aluum ſiſtit, & fœtus reducit, & impoſita tumores (οἰδήματα) mitigat.

Meminit & Plinius lib.25.cap.10.Aliſmatis & quidem duplicis: alterius laciniofis anguſtis foliis, alterius maioribus foliis, vtriuſque in ſyluis, cætera quæ habet ſunt Dioſcoridea. Eius in calculo expellendo vires ſe caſu expertum eſſe tradit Galenus, in dyſenteria autem minimè.

Æquiuoca

De Aliſmate ſiue Damoſonio, magna inter Auctores controuerſia: aliis Plantaginem: aliis Calceolum Mariæ; aliis Digitalem: aliis Mentham græcam: aliis Auriculam vrſi, aliis Primulam veris; aliis Bifolium maius & minus: aliis Plantaginem aquaticam: aliis Saponariam: aliis Lilium conuallium: aliis Halymum: aliis Elleborinen: aliis Coſtum hortenſem, aliis Aliſma Monſpelienſium, ſiue Doriam de qua iam: aliis aliam plantam ſtatuentibus.

## ALISMA MONSPELIENSIVM ſiue Doria.

Deſcriptio

OBliquè fertur *radix*, craſſitudine digitali, alba, multas longas ab inferiore parte fibras dimittens, concaua, vbi in *caulem* excreuit, ſapore aromatico & amaro, caulis trium aut quatuor cubitorum eſt altitudine, rectus, ſimplex, concauus: cui alternatim ſine pediculo *folia* adnaſcuntur, Lepidii foliis accedentia, non neruoſa vt ſunt Plantaginis aquaticæ, quibus etiam ſunt longiora, acuta, crenata, pinguia, priora folia habent aliquid ſimile cum plantagine aquatica, non tamen ſunt ita lata, nec neruos ſecundum longitudinem habent, cum pediculis ſunt cubitalia. Sunt ſapore Angelicæ aromatico, ſed remiſſiore, amaro: caulis faſtigium in aliquot diuiditur ſurculos, qui *flores* ſuſtinent Iacobææ luteos, ſed minùs folioſos, in pappos abeuntes. Sculptor noſter malè pro ſerraturis veluti pilos in icone noſtra demonſtrat.



Synonyma

Geſn. hort. p. 286. Virga aurea, fortè Panaces Chironium cui Lapathi folium tribuitur, niſi id potiùs Doria circa Monſpelium dicta ſit.

An Lobel. & Pena Aduerſ.p. 124. Norbonenſium Dorea quaſi aurea, quam perperam Doriá vocant: neutiquam Doriæ duci triremū, quaſi exoticæ huius repertæ laudem verè aſſerūt herbarii quidam. An Theophr.Panax Chironium & Plinii Pharnaceum. Figura Aduerſ. non placet. Lobel.Obſ.p.258. Ic.plant p.297.Herba Doria.Item Icon.plant.p.277. Herba Doria Narbonenſis.

Camer hort. Doreæ herba vtraque maior & minor ad Conſolidam auream accedens.

H.Lugd.p.1273.Dorea ſiue Herba aurea Narbonenſium Penæ, vulgò *L'herbe Dorée*.Item Limonium aliud.

C.Bauh.phyt. Virga aurea 1. ſiue maior, vel Doria, id eſt, aurea.

Locus & Tempus.

Aliſma ſiue Damaſonium quod quidam Monſpel.diiudicant, habeo in in horto Ill.E.C.viuaci radice quod floret Iulio & Auguſto, ſemen maturum Septembri; Vidi etiam Monſpelii Maio florentem ad fluuii ripam prope Caſtelneuf: vt & Patauii: Tiguri florentem Iunio in horto D.Geſneri qui Doriam appellabat. Ferrariæ in horto monaſterii S.Dominici.

## TRIPOLIVM MAIVS ET MINVS



Deſcriptio

TRipolium vocāt hodie quidam herbam maritimam, cubitalem & ſeſquicūbitalem, *radice* fibroſa hęrentem: *folia* ad Limonii maioris folia accedunt, ſtrictiora, lōgitudine ferè paria, neruis rectis Plantagineis donata, glabra, nullo ordine per ramos creſcentia: *caulis* faſtigium ramoſum *flores* gerit ſurculorum extremis hærentes, purpureos cæruleoſue, qui in pappos euaneſcunt. Tripolium, [ait Dioſc.] folia habet Iſatis, attamen

men craſſiora: caulem palmarem & ſuperna parte diuiſum. Eius flos ter die colorem mutare perhibetur, [Id fieri poſſe, inquiunt Lobel. & Pen. in Adu. lubet credere, cùm videamus è naturæ officina multò mirabiliora euenire:] ita vt manè candidus, meridie purpureus, veſperi puniceus aſpiciatur. Radix eſt alba, odorata, calidi guſtus.



Reperio (Matth. verba ſunt) in hiſtoria Tripolii non parùm hallucinatum eſſe Plinium libro 21. cap. 7. vbi turpiter Tripolium cũ polio herba confundit, adeò vt aſſerere non dubitauerit, polium ter in die foliorum mutare colorem. Id quod de Tripolii floribus tradidere tum Dioſcorides; tum Antiquorum reliqui. *Plin. hallucinatur.*

*Non eſt Turbith* τριπόλιον, inquit Dodon. gall. vocatur Latinè Tripolium, Arabicè Serapioni capite 330. Turbith, ſed non eſt Turbith Meſue aut Auicennæ, quidam vocant *Camomille bleue*, vel *Marguerite bleue*, quæ tamen nomina non conueniunt. *Dioſc. fabuloſus* Fabuloſum eſt [ait etiam quod à Dioſcor. adſcribitur, tradi nempe vno die ter colorem floris eius mutari: & manè album, meridie purpureum, veſperi φοινικοῦν, id eſt, phœniceum. Sed tamen tres florum colores vno die reperiri poſſe, veritati haud repugnat. Nam cùm flores omnes, non ſimul, ſed particulatim & ſeriſim perficiantur, tres facilè contingit florum colores obſeruari: incipientium nempe, completorum, & deficientium. Nondum patentes aut completi ſubpurpurei ſunt: perfecti patenteſque, quales ſcripſimus: deficientes papporum candidam oſtentant lanuginem.

Camer. hort. Tripolium à Lobelio depictum. C.Bauh. Phyt. Tripolium 1. ſiue maius. Item Tripolium 2. ſiue minus. Naſcitur, inquit Dioſcor. apud Dodonæũ, Tripolium locis maritimis, quæ vnda alluit, recedenſque demittit. Ac talibus quidem in Belgii quibuſdam maritimis noſtrum reperitur: vt in Zelandiæ inſulis. Neque videlicet in mari, neque in ſicco, ſed locis, quæ æſtuans mare allidit, recedens, refluens, rettóque commeans deſerit. Tranſlatum ad hortos diutinè viget, ſed luxurians grandeſcit, & in fibras radices commutat. Æſtiuis menſibus flores facit. Scatent hîc, teſte Lobelio, Narbonica & Anglica littora & fluminum crepidines, quas refluxus & maris æſtus inundant, vbi fermè nulla alia herba comparet. Frequens in littore Veneto.

*Temperã.* Tripolii radix, vti Galenus ait, guſtanti acris eſt, & facultate calida in tertio exceſſu. Dioſcorides radicem in vino potam duarum drachmarũ *Aquam & Vrinam ducit.* pondere per aluum aquam ducere refert: itémque vrinam. Conciditur etiam ad alexipharmaca, ſiue venenis reſiſtentia medicamenta.

Cæterùm Tripolium, Turbith Serapionis, radix aluum non ciet decocto & ſucco pota ait Lobelius. *Lob. redarguitur* Sed ego eum non intelligo, Si Tripolium quod exhibet, aluum non cit non erit Dioſcor. Tripolium quod κατὰ κοιλίας ὕδωρ ἄγει.

## EVPATORIVM ADVLTERINVM.
### Cap. XIII.



Aquarum ripas accolit adulterinum Eupatorium, inſigni proceritate duûm, trium, aut plurium cubitorum altitudine gliſcens, *caule* recto, tereti, tomentoſo & in viridi purpurante, medullâ albâ pleno; gratum & aromaticum odorem, cùm inciditur, ſpirante, multis alis concauo: *folia* per interualla diſponũtur, ſed ex eodem ceu genicula plura exeunt in vnum pediculum coëuntia, veluti in Cannabe, cuius foliis ſimilia ſunt ſatis, oblonga, acuminata, per ambitum ſerrata, piloſa, ſapore amaro: *flores* in muſcariis glomerati, meris ferè ſtaminulis conſtantes, ex albo purpuraſcunt, in pappos tandem faceſſentes. *Radix* ſubeſt fibroſa, alba, non abſimili cum foliis guſtu. *Deſcriptiõ*

Trago Herba S. Kunigundis dicitur, quam Officinæ hactenus pro Eupatorio non ſine errore vſurparunt. *Herba S. Kunigundis.*

Dodon. Gal. Pſeudohepatorium mas, *Eupatoire baſtard maſle*: in officinis non ſine magno errore pro Eupatorio vſurpatum: Doctis recentioribus Eupatorium aquaticum, aut adulterinum; Belg. Coningh hinnecruyt/herts claueren & Boleſenecruyt manneken. Dod. lat. in fol. Vulgare ſiue adulterinum Hepatorium vulgi, Eupatorium nonnullorum, Euparotium adulterinum Fuchſii, Cannabina plerorúmque à ſimilitudine foliorum Cannabis, Terzola Baptiſtæ Sardi exiſtimata. *Pſeudohepator.* *Eupator. aquat.* *Cannabina multis Terzola Sardo*

Lobel. Aduerſ. pag. 227. Aquatica Cannabina Eupatorium dicta mas, quod permulti Pharmacopœi, Belgæ præſertim, Eupatorium Auicennæ foliis Cannabinis præditum vocitant. Obſeru. pag. 284. & 285. Cannabina aquatica planta, Eupatorium dicta, Officinis Galliæ Eupatorium cannabinum. Officinis Belgii perperam Eupatorium Græcorum. Icon. Plant. p. 528. Cannabina aquatica, ſiue Eupatorium mas. *Cannab. aquatica.* *Eupat. cannabinum*

Amato in Dioſcor. lib. 3. enarr. 165. Cannabis ſilu. & non, vt multi tentur; Eupatorium. Item lib. 4. enarr. 44. Eupatorium Auicennæ; quod ait falsò Ruellium apud Dioſcoridem Hydropiper eſſe credere. *Cannabis ſilu amato: Ruell. err.*

Meritò Cord. in Dioſcor. lib. 2. cap. 191. Ruellium à veritate aberraſſe ſcribit, quòd falsò vocitatum Eupatorium Hydropiper eſſe iudicet. Adolph. Occo in pharm. Eupatorium Auicennæ

(ita quoque vocat Rob. Conſtant. apud Amat.) Kunigundis herba & Origanum aquaticum. Caſtor.Durant. p.177. Eupatorium vulgare & Auicennæ, iis in fine herbarii aliam habet figuram quæ meliùs placet. Anguill.epiſt.14. Eupatorium Auicennæ non verum.

*Eupat. Auic. Matth.* Matth.in prior.comm.Lat. Eupatorium Auicennæ inſcribit: Euchar.Roeſlin. Eupatorium. Harchio in Ono. pag.58. Eupatorium Auicennæ, foliis Cannabinis. Monach.in Meſ. diſt.6. cenſ. 189. Pſeudo ſeu Adulterinum Eupatorium.

*Eupat. Arabum.* Fuſch.hiſt. Eupatorium adulterinum, *Eupatoire des Arabes.* De compoſ.medic. Eupatorium alterum, Eupatorium Auicennæ, quod pro vero & Græcorum Eupatorio vſurpari non debet: ſed eo vtendum vbi Seplaſiarii Auicennæ medicamenta conſtruunt. Cæſalp. Eupatorium vulgò, Thalio pag.85. Pſeudohepatorium mas, ſeu Hepatorium Auicennæ quorundam: Camer.hort. Eupatorium Auicennæ ſiue aquaticum.

*Pſeudohepat. mas Eupator. Auic non videtur eſſe.* H.Lugd.p.1063. Eupatorium vulgare, quod vero Dioſcoridis Eupatorio ferè omnes ſubſtituunt, non rei ignoratione, ſed maiorum vitium obſeruatione, & experientia ducti, quas etiam ipſa aſpectu inſignis planta, foliorum amaritudine & odoris præſtantia, ſatis præ ſe fert. Igitur propter amicas hepati vires, fortè & ob folia Eupatorium vocauerunt, veriùs Pſeudo eupatorium dicendum.

C.Bauh.phyt. Eupatorium 1. (2.apud Matth.) ſiue cannabinum. Tabern. Herba S.Kunigundis. Schvv. Eupatorium adulterinum, Origanum paluſtre, Cannabina aquatica: Circa ſcrobium, tiuulorum, ac ſtagnantium aquarum margines, fluuiorum ripas, aliiſque vliginoſis, ſubinde & in veteribus ac humentibus muris naſcitur: Amat aquoſa & vicina aquis loca, non tamen rigari omninò poſtulat. Iulio & Auguſto floret ac viget: radix reſtibilis eſt; ſed caules foliáque hyeme intercidunt. Obſeruaui varijs in locis, vt Lugduni, Geneuæ, Monſpelij, Baſileæ, & Montbelgardi.

*Vires & Temper.* Herba viribus inſignis; quamuis ab Antiquis ſilentio fuerit prætermiſſa. Amaricantis quidem eſt guſtûs, odoris non minùs tamen ſuauis, quàm Agrimonia odorata, cui viribus proximè accedit, ac nonnullis in affectibus excellentior eſt. Obeſæ nimis naris erant, teſte Lobelio, qui fœtêre eam dictitabant. Radicū minorum ſeu fibrarum eius inciſarum pugillus in vino decoctus, colatus & potus, Geſnero per per horam pôſt, aluum ſemel mouit, poſtea verò vomitum duodecies ferè cum magno labore: ita vt Ellebori albi inſtar purget, ſed longè faciliùs & tutiùs, profuit ſanè plurimùm, magnâ pituitæ copiâ euacuata. Guſtu vehementer amara eſt, inquit Fuchſius, vt calidam & ſiccam eſſe in ſecundo ordine aut in medio tertii non ſit dubium. Haud dubiè hæc herba aſtergit, expurgatque, & quæ in venis eſt craſſitiem incidit: Poteſt obſtructiones iecoris & lienis aliarumque partium corporis ſoluere. Hic frutex, præſertim in flore, vulnera & vlcera ſanandi vires obtinet. Argentinæ, autore Trago, in pecoribus tantùm curandis vſurpatur. Certum eſt vino decoctam herbam aut aquam deſtillatam vitiis internorum membrorum vtiliſſimam: Suffitu herbæ ſiccatę venenata animalia fugantur. Aiunt ceruos telis læſos remedia ex hac herba petere. Pſeudo-Eupatorium, vt apud Matthiol.& H.Lugd. legitur, calido ſiccoque eſt temperamento: calfacit, tenuat, abſtergit, incidit, aperit. Ex recentibus foliis contuſis ſuccus exprimitur, & inſolatus cogitur in paſtillos, quorum frequens in medicamentis vſus. *Sucus.* Confert maximè eiuſdem decoctum, aut epotus ſuccus iocinoris doloribus & *Decoctum.* aliis eiuſdem affectibus ab oſtructione ortis. Quare vtiliter propinatur hydropicis ob- *Hydrops.* ſtructionibus vexatis. Datur quoque ſuccus ad ventriculi apoſtemata à frigiditate nata, quibus etiam prodeſt herba exteriùs illita. Foliorum decoctum auxiliatur diuternis, præſertim pitui- *Febres diuturna.* toſis, febribus ab oſtructione prouenientibus. Idem vrinas & menſes pellit: *Menſes.* ſcabiem pruritúmque ſanat cum fumaria decoctum ex caprino ſero: ſed ſuccus validior eſt, qui potus elephantiaſi *Elephantiaſis.* incipienti medetur. Flores illiti vulnera recentia & vlcera ſanant. *Vulnera. Vlcera.* Datur idem vtiliter pecoribus tuſſientibus & anheloſis equis, quorum etiã *Decora.* dolores finit. Succus binûm obolorum pondere in catapotiis deuoratus inteſtinorum vermes necat. Idem recens expreſſus illinitur commodè ex aceto & ſale aduerſus ſcabiem. Addi ſcribitur à Schvvenckfeldio balneis ad vteri affectus, & lixiuiis aduerſus inueteratos capitis dolores.

FINIS LIBRI VIGESIMI QVARTI.

*Appendix ad cap.2.libr.xxiii.*

## ALCEA TENVIFOLIA CRISPA.

Deſcriptio



A Vulgari Alcæa in eo potiſſimùm differt, quòd *folium* habeat tenuiſſimè in creberrimas lacinias tenues, criſpas diuiſũ; alioqui folio alterius Alceæ par. *Flos* purpureus magnꝰ, conuenit cum orbiculata *ſeminum* ſubſequentium placenta. An ſolius naturæ luſus: & an ex eodem ſemine proueniat præcedens & hæc conſiderandum?

Synon. *Malua querna Dens leonis*

Lonic. Malua querna, Dens Leoniis, Feltryß/ Lowenzan. Ryſt in Dioſc. Alcea altera, ſegmentis profundioribus laciniata. Camer. hort. & Hort. Luſit. Alcea tenuifolia folio criſpo.

An Cæſalp. Alcea quædam parua in ſyluis, quam ad Cannabin ſylueſtrem reduci poſſe putat? An Cordo in Sylu.obſ. Alcea tenuiſſimis foliis?

*C.B. not.*

C. Bauh. phyt. Alcea tenuifolia Camerario. Has ego non duas ſtatuo ſpecies, ſed tantùm vnam.

*Schvv. reprehen.*

Schvv. Malua ſylu. ſeu Querna, Dens Leonis, Augen pappeln/feltryß. Eodem cum priori loco natali, ſolummodò differens quòd ſub Quercubus naſcatur. Schvv. prauè iudicat, aliud diſcrimen in deſcriptione oſtendi.

Locus & Tempus.

Collectam eundo Beffordiam Montbelgardo, plantaui in horto Ill. E. C. obſeruaui etiam circa S. Coſmum in Suntgouia: Frequens etiam in Harcinia ſylua & apud Rhenum.

## ALCEA VILLOSA.

Deſcriptio



Alceæ villoſæ nomen dedit déſus ille villus rigidiuſculus & aſper quo tota planta horret. *Rami* palmares aut dodrantales, teretes, hirti, multi, ex *radice* ſimplice, gracili, palmari, ſtatim exoriũtur. *Folia* parua, plerumque profundè in tres lacinias ſerratas diſſecta, lanũginoſa. *Flores* tã ex foliorum ſinu quàm in ramorum extremis, medii inter Maluæ ſylueſtris repentis & erectæ flores, purpuraſcentes, è quinque foliis compoſiti, è calyce magno quem componit duplex foliorum acuminatorum aſperorum piloſorumque agmen, in quo ſuccedit orbiculata *ſeminum* nigricantium placenta.

Synon. *Alcea hirſuta*

Hiſt. Lugd. Alcea villoſa. C. Bauh. Phyt. Alcea 9. ſiue hirſuta.

Locus.

Valerandus Dourez à quo primùm habui plãtam vocabat Alceam montanam. Data mihi Argentinæ ab Ageτio 1593. vbi audio in vicinia prouenire. Copioſam obſeruauit & collegit Gener I. Henr. Cherlerus in vinetis circa Monſpelium, ſicciorihus præſertim & in collem ſubſqualidum elatis.

## ALCEA PANNONICA CAMERARIO.

Deſcriptio

ALcea Pannonica cuius ſemen communicauit Cluſius, minutius vulgari, planta ipſa *foliis* primùm exit nullam diuiſuram habentibus, rotundis, crenatis, poſtea in *caulem* aſſurgens magis laciniata profert. Hæc Camerarius.

An Alceæ genus tertium Cluſio?

Huius figuram non inuenio apud Camerarium, nec in poſtr. Hiſt. Cluſius meminit. C. Bauh. Phyt. Alcea 4. ſiue Pannonica.

## ALCEA AMPLISSIMO FOLIO laciniato.

Deſcriptio



MIſit nobis frater C. Bauhinus Alceam pulchram *folio* ampliſſimo manûs expanſæ ferè magnitudine, in magnas partes diuiſo, glabro, in pediculis tamen pili aliqui tenuiores quàm in vulgari, ſi benè iudicamus ex ſicca, *flos* etiam quem miſit ſeparatũ, ſi eiuſdem plantæ eſt, quod nobis perſuademus, pediculo eſt tenuiore quàm in vulgari, ac longiore vnciarum trium, folia floris qualia vulgari: calycis foliola minora, & minùs hirſuta.

## MALVÆ INDICÆ FORTE genus.

Locus. Deſcriptio

EX prima nauigatione in Iauam à Batauis allatus eſt Cluſio [Exot. lib. 2. cap. 15. decimus octauus] fructus ſubrotundæ in plano formæ, vncialis ferè, nigro aut ſubfuſco & læui cortice tectus, in quinque partes diuiſo, ſub quo latebat cartilaginoſus alius cortex, inæqualis & aſper, ex-



tuberans eâ parte quâ ſuperior cortex diuiſus, continens in ſingulis loculis tumeſcentibus quaterna aut quina grana Alceæ Ægyptiæ granorum magnitudine, lõgiora tamen, & infimâ parte quâ cortici adhęſerant anguſtiora, nucleum exalbidâ tunicâ tectum intus verò ſubuiridem, continentia, nullò manifeſto ſapore præditum. An Maluæ aliquod genus? nucleus certè manducatus, lentum & viſcoſum quidpiam pręebat.

## ALCÆA SOLISEQVA MVLTIS Veneta.

Deſcriptio



Candidiſſimam ſed tenuem, fibratam agit *radicē*: *caulibus* dodrante altioribus, teretibus, aſperis & hirſutis: cuiuſmodi ſunt & pediculi: quibus appenduntur *folia* Alceæ vulgaris æmula, in tria ſegmenta ſinuata ſubdiuiſa, ſuperiùs atrouirentia, inferiùs remiſſiùs colorata, ſed magis piloſa; guſtu viſcido & lento: *flores* quàm Alcææ vulgaris minores, ſed peregrina elegantiâ accepriores, ex luteo herbidi, vnguibus purpurantibus, quorum medium occupat cuneolus apicibus croceis & coccineis ſtipatus, quibus circumiicitur vtriculus membraneus hirſutus, ſtriatus, quinis thorulis à medio ſurſum-verſum radiatus.

Synon. *Alcea Veſicaria* *Alcea Veneta* *Malua Veneta* *Alcea peregrina* *Hypecoum Matth.* *Lonic. notatur* *Herba Hungarica*

C.Baub.Phyt. Alcea 8. ſiue veſicaria.

Conabantur nonnulli Trago perſuadere Maluam ſeu Alceam Venetam eam eſſe ſtirpem quæ Dioſc. Androſæmos dicitur, ſed errant. Exiſtimat is eam congenerem eſſe vel Althææ vel Alceæ.

Geſn. hort. Malua Veneta: Alcea peregrina. Hypecoum Matthioli, Maluæ & Alceæ ſpecies. Item in append. Alcea Bononienſis Volmari.

Cord. Obſ. ſylu. Alceæ ſpecies.

Lonic. ſtirpium ignarus duas habet figuras & deſcriptiones vnius plantæ. Harum prior eſt Malua Veneriana, Venediger oder Wetter röſzlin. Et Herba Hungarica. Unger kraut.

Noſtra quoque figura quæ erat iam ſculpta non placet. *Icon.*

Quamuis quidam hanc Italicam & Venetam dicant, tamen nuſpiam meminimus, aiunt Lob. & Pena in Adu. in Italia, nedum Venetiis, niſi hortis vidiſſe. Admodum rudis eſt Commentator, qui Rutæ folia huic eſſe contendit: imponit dum huic vires Opii aſſerit. Lobel. Obſ. & Ic. Plant. Alcea peregrina Soliſequa. Alcea veſicaria Dodonæo; perperam Hypecoũ Matth. Alcea Veneta Tragi. *Matth. not.* *Error quorundam*

Matth. in Dioſcor. Hypecoum. Græc. ὑπήκοον. Ital. *Hypecoo.*

Camer. ad Matth. Hypecoon Matthioli, alii Alceam Venetam vel peregrinam Soliſequam nominant. Sunt qui Gallicè vocent, *La gloire du Monde*, & Germanicè Watternblům. Hort. Luſ. Alcea peregrina. Veneta Soliſequa ſata in horto Ill. C. Vvirt. Montbelg. quotannis prouenit: dudum annotaui non mihi placere pro Hypecoo: habebam etiam Geneuæ in horto: floret Iunio, ſemen maturat Iulio. *Gloria mundi* *Locus.*

*Appendix ad cap. III. lib. XXIII.*

Synon.

Martell. Althæa Malua: ſilueſtris. Brunſch. Althæa & Malua Hiſpanica. Camer. hott. Thal. Cluſ. Hort Luſit. Althæa vulgaris. Lob. & Penæ Adu. Ic. Plant. Geſn. hort. Althæa & Ibiſcus. Trag. Germ. Ibiſcus & Maluæ genus. Geſn. hort. Maluæ agreſtis genus. Cæſalp. Malua ſilueſtris prima, & Biſmalua. Cordo in Dioſc. Althæa, ſylueſtris Malua genus. Et Hiſt. Althæa, ſeu Malua paluſtris. H. Lugd. Althæa Matthioli. C. Bauh Phyt. Althæa 1. ſeu Dioſc. & Plinii, floribus candidis, aut ex albido dilutè purpuraſcentibus.

Cæterùm notiſſima hæc eſt Althææ titulo paſſim autoribus, & omni Chirurgorum vulgo, ex vnguento maximè quod de Althæa appellatur. *Notiſſima*

Debuerat autem noſtrâ ætate in maiore nominis & vſus honore Althæa eſſe: Nec Maro quondam pecoris ſui greges viridi compellere Hibiſco, ex quo tam honeſtum Garcia illi appellationem fecerat: vt ſola hæc inter omnes naturæ plantas à toto Medicinæ vſu ndicaretur: Siquidem nihil Althæa Græcis aliud eſt, quàm ſi à medendo Medicam ſimpliciter dicas: Quibus ἀλθὸς in Medicina pharmacum remediumque: & ἀλθαίνειν verbum mederi eſt: ſic enim nominata eſt διὰ τὸ πολυαλθὲς ἢ πολὺ ὄχειν αὐτῆς autore Dioſcoride, id eſt, quòd inter primas ſit vtilis, & plurimis polleat remediis. Nec aliter in Theriacis ſuis Nicander ἀλθήεντα aliquid ſæpè appellat. Hanc Palladius in Octobri menſe Hibiſcum dici teſtatur his verbis: Althææ h.e. Hibiſci folia, vel radices, aut eius caulem tenerum decoctum, vt vinum ex molli fiat fortè, in dolium mitti afferunt. Nominatur tamen etiam Ibiſcus, teſte Dioſc. ſeu Ebiſcus & Euiſcus ἴβισκος & ἔβισκος. Item Malauiſcus, nomine ex Malua & Ibiſco compoſito: Officinis Biſmalua, ſeu Viſmalua, quaſi Malua viſcida, & ab excellentia effectus à quibuſdam Ariſtalthæa [ἀρισταλθαία] inquit Plinius, à Theophraſto etiam μαλάχη ἀγρία [Malua ſilueſtris:] Eſt enim, vt ait Dioſcorides; in ſilueſtrium Maluarum genere. Dicitur tandem quoque Dendromalache & Anadendromalache [δενδρομαλάχη ἢ ἀναδενδρομαλάχη] à Galeno, ceu arborea ſiue arboreſcens Malua. Quidam olus Iudaicum appellant. *Hibiſcum Maronis* *Althæa Græcè* *Ibiſcus Ebiſcus Euiſcus* *Malauiſcus* *Biſmalua* *Ariſtalthæa* *Dendromalache* *Anadendromalache* *Olus Iudaicum*

Præter Althæam Biſmalua dictam, nobis hæ quoque ſunt cognitæ. Althæa profundè ſerrato ſiue dentato folio. Althæa flore grandi Alceæ, Thurin-

*Althea flore Alcea. Arboreſcens Brioniæ folio. Sida. Abutilon. Abutilon. Indicum Malua arborea. Malua roſea Alcea. Alcea pentaphylli folio Ocimoides.*

Thuringiaca Camerarij. Althæa arboreſcens. Althææ ſpecies quibuſdam arborea altera, vel Bryoniæ folio. Althæa Sida dicta quibuſdam. Althæa flore luteo, quibuſdam Abutilon. Appellatur etiam Abutilon Indicum à C. Bauh. Althæa. Sed & Maluam arboream nonnulli Althæam vocant. Sic quoque Lobelius & Pena in Adu. Maluam roſeam Althæam faciunt. Maluam criſpam, Althæam criſpam & maiorem appellat Olling. apud Geſn. hort. Plurimi, inquit Braſſau. decepti ſunt, Alceam cum Altæa confundentes. Althæa Lobel. Cluſij mihi videtur Alcea pentaphylli folio, ſiue Cannabis ſilu. Cortuſi. Althæa demum dicitur de Ocimoide inter ſuppoſititia Dioſcoridis apud Cornarium de qua hiſtoriæ noſtræ generalis lib. 29.

*Appendix ad C. IX. LIB. XXIII.*

## DE RHA SIVE RHAPONTICO
### Veterum ſententiæ.

*Rha. Dioſc. Locus Delectus.*

RA, quod alij Ῥῆον vocant [alij ῥίαν, Romani ῥᾶ ποντικόν, inter ſpuria Dioſc.] Naſcitur in locis ſupra Boſphorum, vnde etiam adfertur, radix nigra, Centaurio magno ſimilis, minor tamen & rubicundior [ἐρυθροτέρα] quantùm leuis. Optimum eſt quod terendines non ſenſit, viſcoſúmque guſtu, cum remiſſa adſtrictione (ἀνειμένης στύψεως) & quod commanſum pallidum eſt, & Crocum quodammodò colore refert. Potum facit ad inflationes, ſtomachi debilitatem, omnis generis dolorem,

*Vires.*

conuulſa, ſplenicos, hepaticos, nephriticos, tormina, veſicæ & Thoracis vitia, præcordiorum diſtentiones, vteri affectiones, coxendicum morbum, ſanguinis ſputa, anhelationes, ſingultus, dyſenterias, cæliacas affectiones, circuitus febriles, & venenatorum morſus.

*Exhibendi ratio.*

Datur ad ſingulas affectiones ſimiliter vt Agaricum eodem pondere, & cum iiſdem liquoribus, non febrientibus cum vino mulſo: febrientibus cum aqua mulſa: tabidis cum paſſo: ſplenicis cum aceto mulſo: ſtomachicis ita vt eſt manditur ac deuoratur, nullo inſuper liquore abſorpto. Tollit etiam lurida & impetigines cum aceto illitum. Et inflammationes omnes diuturnas diffundit cum aqua illitum ac impoſitum. Summa verò ipſius vis eſt adſtringere cum aliquantula caliditate.

*Rhacoma Plinio. Radix Coſto ſimilis.*

Rhacoma (ita enim vocat Plinius) affertur ex his quæ ſupra Pontum ſunt regionibus. Radix Coſto nigro ſimilis, minor & ruffior paulò, ſine odore, calfaciens guſtu & adſtringens. Eadem trita vini colorem reddit, ad Crocum inclinantem.

*Vires.*

Illita collectiones inflammationeſque ſedat, vulnera ſanat, epiphoras oculorum ſedat ex paſſo illita. Infignita cum melle, & alia liuentia ex aceto. Farina eius inſpergitur contra Cacoethe & ſanguinem reiicientibus drachmæ pondere in aqua. Dyſentericis etiam & Cœliacis, ſi febri carent, in vino: ſin aliter, ex aqua. Faciliùs teritur, nocte antecedente madefacta. Datur & decoctum eius bibendum duplici menſura ad rupta, conuulſa, contuſis, ex ſublimi deuolutis. Si pectoris ſint dolores, additur piperis aliquid & myrrhæ: ſi diſſolutio ſtomachi, ex frigida aqua ſumitur, ſiue intus, ſiue extrà, purulentis execreationibus: item hepaticis, ſpleneticis, iſchiadicis: ad renum vitia, ſuſpiria, orthopnœas. Arteriç ſcabritias ſanat ex paſſo, tribus obolis potis trita, aut decoctum eius. Lychenas quoque ex aceto impoſita purgat: Bibitur contra inflationes & perfrictiones, febres frigidas, ſingultus, tormina, aſperitates, capitis grauitates, melancholicas vertigines, laſſitudinum dolores & conuulſiones.

*Rheum Galeno Adulterium*

In Rheo (teſte Galeno de Antid.) quoque fraus committitur. Nam quibus in locis naſcitur, ſimulátque euulſum eſt, ipſum elixant, quò ſuccum remittat, ac tam ſuccum vt ſyncerum & aquæ impermiſtum, quam Rheum exiccatum, vt non elixum ad nos poſteà mittunt. Quamobrem ſcientia opus eſt verum ab adulterino ſecernendi, quam facillimè conſequuntur, qui ſuæ ſpontis Rheum aliquando viderint. Nam elixi pars quæ ſub aſpectum venit, denſa per totum & compacta non eſt, ſed rarior: & guſtu tentatum ſaporem adſtringentem, vel nullum vel obſcurum remittit. Cùm tamen ſi adulteratum non ſit, vehementer adſtringat. Citò tamen & ipſum foraminoſũ efficitur.

*Facultates ex Galeno.*

Rheum [ait porrò Gal. ſimpl. 8.] quidam Rha nuncupant, miſtam habet tum temperaturam, tum facultatem: habet enim quiddam terreſtre frigidum, ceu indicio eſt adſtrictio: & adiuncta eſt quædam illi caliditas: ſiquidem ſi pluſculum mandatur, ſubacre conſpicitur. Quin etiã aëreę cuiuſdã ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps, quod indicat tum laxitas, tũ leuitas: verùm [adde minimè] & opera: ob id enim (Add. licet adſtringens tamen) non tantùm conuulſis, ſed & ruptis & orthopnoæ prodeſt: Sic quoque liuentia & lichenas ſanat illitum cum aceto. Porrò quod adſtrictionis opera haud inſtrenua ſũt, hinc diſcernere liceat, quòd ſanguinem expuentibus, cœliacis & dyſentericis conferat: nec enim reluctatur terreſtri frigido tenue aëreum, imò eò quòd deducat in altum valentioris effectus cauſa exiſtit.

*Rhapõticũ Aegineta. Pontica radix. Rha. Rheon.*

Meminit Rhapõtici Paul. Ægineta diuerſis in locis. Et primò quidem de cruditatibus & vomitu in mulieribus prægnantibus, vbi dicit, bibant Ponticam radicem, quæ vernacula lingua Rha vocatur. Idem eodem lib. cap. 45. Si magis ſubducere volumus, de Rheo paṙum ammiſcemus. Item lib. 7. in antid. ex corallio podagrica, & paulò pòſt in Antidoto podagrica Agapeti, dicit, Rhei barbarici. Et tandem l. 7. ſub litera ρ. Rheon alij Rha vocant, compoſitum eſt ex terrea frigida, & tenuium partium aërea ſubſtantia, calidáque ac leniter acri. Vnde conuulſa & rupta, & erecta ceruice ſpirationes iuuat. Item liuida, diſcutiendo. At aſtringendo, ſanguinis ſputationibus, & cœliacis & diſenteriacis prodeſt. Vtraque verò facultate, hepaticis.

*Rheum Barbar Subſtantia*

*Temperamentum:*

Nunc Meſuem de Rhapontico ſcribentem audiamus. Rhabarbarum etiam clemens, inquit, & excellens eſt medicamentum, multas dotes medicamento purganti maximè expetitas complexum. Calidum ſiccum ordine ſecundo potiùs quàm primo, ſubſtãtia duplici conſtat, vna aquea, terrea, adſtringente, corpus dante, profunda, altera aërea, & ignea (à qua rarum efficitur) ſuperficiaria, quæ ſuam terream, eſſentiam adurendo amarum effecit, & purgatorium, & obſtructa liberans. Has autem ſubſtantias macerando ſeparamus. Vt calida & purgatrix in humorem transferatur, terrea verò adſtringens remaneat.

*Amarum.*

*Euacuat bilem & pituitam.*

Bilem verò pituitámque illa vacuat, præcipuè à ventriculo & hepate, & inde ſanguinem purgat, obſtructiones liberat, & affectus malè natos ſanat, icterum, hydropem, ſplenis tumorem, febres putridas, etiam diuturnas, dolorem hypochondrio-

*Hæmorrhag. ſiſtit.*

rum punctorium. Hac verò Hæmorrhagiam pulmonum, vel aliarum partium ſiſtit: ex caſu quoque contuſa, rupta, fracta, interna, & externa ſanat, ſi eius drachma vna cum Mumiæ granis duobus, & rubiæ tinctorum grano vno & dimidio & vino auſtero bibatur. Oleum quoque eius contuſis & contractis muſculis, vtiliter illinitur: ſingultum item & Dyſenteriam ſanat, præcipuè aſſum, & cum ſucco plantaginis & pauco vino auſtero potum. Rhabarbarum quoddam eſt Indicum, alterum Barbarum, generis nomine appellatum, tertium Turchicum, omnium ignobiliſſimum: Vt Indicum eſt præſtantiſſimum, præſertim ſi recens eſt, & ſubnigrum, in rubrum inclinans: ſi rarum, tamen graue, ſi fractum ex ruſo & glauco, alternat: ſi manſum vel aliquo liquore ſolutum, croci modo tingit. Indigenæ ipſum dies quinque aqua macerant, qua ſiccata, trochiſcos fingunt regibus. Reliquum verò etiam ſiccatum, ſed iam exanimatum, & vi purgatrice tota, aut propè tota, priuatum, venale ad nos tranſmittunt. Hoc autem eſt denſum, valenter adſtringens, croci colore non inficit, confractum intus nigricat, amiſſa colorum dicta varietate. Innoxium eſt Rhabarbarum, omni tempore tutò datur, omni eſt ætati ſalubre, atque adeò pueris & prægnantibus. Efficacius autem agit ſumptum ex ſero lactis, præſertim Caprini: aqua quoque Intybi, & Apij vel plantaginis cocta, & colata maceratum, idque omninò cum Spica Nardi actionem eius in primis iuuante, expreſsúmque. Quod ſi ad liberandas obſtructiones propinandum eſt, vini albi puri & odori modicum macerando admiſceatur, expreſsúmque eius tum ſumatur, & cùm deterſione ac purgatione opus eſt. Quod ſi poſt purgationem viſcera adſtringendo roborare volumus puluis eius triti datur: ſi adſtrictio maior expetitur aſſum datur: ſi maxima vſtum. Rhabarbarum legitimum & integrum aliquandiu teri coquíque viribus integris poteſt, rariori autem & laxiori vehemens contritio virtutem reſoluit. Datur expreſſum à ſeſquidrachma ad drach. tres. Tritũ verò à drachma vna ad drach. 4. Annos tres aut quatuor integrũ incorruptúmque ſeruatur, ſi cera ſola, vel cera cum terebinthina liquata circumlinatur, aut melle albo, aut Pſyllio aut Milio mergatur. Scalig. exerc. 104. par. 8. Raued toti Ponto, atque vniuerſæ Europæ aduenam, Rha temerè vocant iſti Græculatores. Rhacoma verò cùm eorum quidam appellaſſet oſtentator, non potui quin excuteret riſum. Item exerc. 181. Malaca regnum eſt: cuius in agro Campæ longè optimè Raued oritur: quod ipſi vocant Calama. Hoc idem cum Rha Pontico exiſtimare extremæ dementiæ eſt.

*Rhabarb. Indicum. Rha Barbarum. Rha Turchicum. Rhabarbarum macerant indigenæ. Pueris & prægnantibus tutum. Spica Nardi. Ad obſtructiones. Vſtu. Datur. Conſeruatio. Raued. Rha. Rhacoma. Calama.*

### *Appendix ad Caput IX. Libri XXIII.*

*Rha. Rheon.*

Liquet ex Fuchſio poſterioribus Græcis, Actuario præſertim & Nicolao Myrepſo, duplex eſſe Rha, ſeu Rheum Ponticum, & Barbarum. De Rhabarbaro poſtea: Nunc de Pontico, quod Veteribus (vt Dioſcoridi) ῥᾶ, ἢ ῥῆον (vt etiam Galeno) dicitur. Idem interdum cum adiectione ῥέον ποντικόν (Rheum ponticum) appellatur. Vſus eſt iiſdem nomenclaturis Paulus. Interdum etiam, perinde atque Actuarius, ῥίζην ποντικήν (Radicem ponticam) vocans: Plin. Rhacoma: Celſus radicem Ponticam. Hoc Rha Veterum purgandi facultate deſtitutum fuit. Siquidem nemo veterum Græcorum aut Latinorum illi vnquam purgandi vim ineſſe literis mandauit. Imò inter Arabes Serapio & Auicenna Rheubarbari hiſtoriam tractantes, nullius prorſus purgandi facultatis, quæ illi ineſſet, meminerunt. Nullam verò fuiſſe purgandi facultatem in Rhapontico, Dioſc. omnium maximè oſtendit, qui diſertis verbis in Rhapontico ſupremam & maximam eſſe adſtrictoriam facultatem aſſerit. Porrò nullam prorſus habuiſſe Rha Veterum purgandi facultatem, ex eius quoque ſuccedaneo conſpicuum euadit. Pro eo namque (vt apud Galen. legitur) Centaurio Veteres vtebantur. Apud neminem autem Veterum legitur Centaurio purgatoriam ineſſe facultatem. Denique non habere purgatoriam facultatem Nicolaus etiam Myrepſus, qui pro eo non ſolùm Centaurio maiore, ſed & Symphiti radice vtendum eſſe docet, ſatis confirmat. His omnibus accedit, quod Rhaponticum illud, quod D. Gerardus Caroli Quinti Imperatoris apud Solymmannum Turcarum Imperatorem Orator, propriis manibus in Ponti regionibus eradicatum, in noſtras regiones inuexit, itidem purgandi facultate deſtitutum eſt. Nam experientia compertum eſt, duarum drachmarum pondus datum aluum haud mouere, ſed pectus adſtringere. Hæc Fuchſius, quem talia non experientiâ edoctum, ſed autoritate, ductum narrare credimus, ſiquidem vt mox dicemus, tres drachmas purgare experti ſumus.

*Rhеũ Ponticum. Radix Pontica. Rhacoma. Rha Veteribus, deſtituebatur purgandi facultate. Adſtringit ſummè. Centaurio ſubſtitutum. Symphiti ſuccedaneũ. Fuchſ. not.*

Qui volet, inquit Bellon. Obſ. habere Rhaponticum, Conſtantinopoli Rhabarbarum expetat: diſcrimen non norunt: eodem enim quo Rhabarbarum nomine vocant, eligat radices longas & nigras, externè & internè Centaurio ſimiles, manifeſtum eſt ſatis magnam eſſe differentiam inter Rhaponticum & Rhabarbarum. Hæc ille, qui an idem nobiſcum intelligat Rhaponticum aſſerere veremur, plura videant lectores, ex eius verbis quæ c. de Rhabarbaro citatur.

*Rhabarb. Conſtantinopolitanum Bellon.*

Rhaponticum Antiquorum (ita námque inſcribit Lob.) Rha è Ponti flumine, Rha Dioſcoridem, nunc poſtremò cognitum, à Rhabarbaro diuerſum, Sequinus Martinellus, fratri Alberto ad Angeli Symbolum Venetias miſit, quod Medici nulla reclamante notâ Theriacis addiderunt, & ad cæteros affectus inciſum deduxerunt: præſertim Lugduni in Gallia Dalechampius: neutiquam purgabat, ſed aſtringebat. *Sic* & Pharmacopœi nonnulli, vt Valerandus Dourez, huius non ſemel fecerũt & viderũt periculum factum: ſed vt dixi Fuſch. (quem Lob. ſequitur) autoritatibus, non acurata rerum obſeruatione nititur. Sæpiùs in officina Valerandi præſcripſi ad Dyſenteriam, & alios affectus, purgabat, ſed leuiùs quàm Rhabarbarum, vt expertus ſum exhibitis drachmis tribus. Cùm eſſem protector Theriacæ eiuſdem Valerandi, impoſita fuit pro Rha Pontico. Purgatio non videtur impedire quò minùs ſit Rha Ponticum. Dioſcorides ait δύναμιν δὲ ὁμοίως τῷ ἀγαρικῷ πρὸς ἕκαστον πάθος.

*Rhaponticum Antiquorum Rha Dioſcorideum. Lobel. notatur.*

Hoc Rhaponticum vidi Veronæ apud Io. Bellicorum inſignem Pharmacopœum anno 1563. non differebat ab eo quod antè videram apud Geſnerum & Fuchſium. Hic ſanè Pharmocopœus multa habebat pulchra Theriaces ſpecimina. An meritò reprehendantur Matthiolus ab Aduerſariis, annotatum de Rhabarbaro: videant lectores, & conſiderent an de noſtro hoc Rhapontico loquantur Fuchſius, Matthiolus, Dodonæus, Braſſauolus & Syluius.

*Locus.*

Quod verò Dioſcorides remiſſam eſſe adſtrictionem Rhapontici; Galenus autem vehementer adſtringere non adulteratum dicit: Quomodo hic nodus ſit ſoluendus non video, niſi dicamus

*Conciliatur Dioſc. & Gal.*

dicamus Dioſcoridem reſpicere genus aſtringentium, Galenum autem habere rationem eius quod adulteratum, ac cum eo conferre non adulteratum, quod ſi conferatur cum adulterato animaduertetur vehementer adſtringere, interea non reſpicere genus adſtringentium, nec cum omni adſtringente conferre: vel fortè in Dioſcoridis codice deprauatam quis dicat lectionem: dicit enim in fine capitis ſummam eius vim eſſe aſtringere: Meſuæus aliter ac Galenus, dicit illud quod maceratum & exanimatum valenter adſtringere & croci colore non inficere.

*Rhabarb. & Rha Ponticum diuerſum.*

*Appendix ad Caput X. Libri XXIII.*

Rhabarbarum inquit, Syluius in Meſuem, à Rhapôtico Veterum diuerſa res eſt, priſcis incognita. Hoc ex riguis ad Rha fluuium ſupra Pontum [vnde Rhaponticum Græcis & Latinis, & Radix Pontica Celſo dicitur] & Boſphorum Septentrionali tractu affertur: parum purgatorium experientiâ Poſteriorum, licèt inuentu ſit rariſſimum, & hodie propè ignotum: obſcuratum opinor à Rhabarbaro ſeu Indico, quod ex India Meridionali in totam propè Europam quæſtu maximo conuehitur, odoratum, grauitate inſigni commendabile, aſtringens, amarum, cholagogum magis, colore cùm manditur planè croceo. Quod ſiue idem ſit genere cum Pontico, ſiue omninò diuerſum, aliis diſquirendum relinquo, quibus plus eſt otii & facultatis: cùm præſertim etiam celebres hodie Medici in ea controuerſia ſibi non conſtent, & nunc idem, nunc diuerſum affirment. Manardus namque in Epiſtolis nunc idem, nunc diuerſum cenſet. Meſues & Serapio ſuo Rhabarbaro tribuunt omnia, quæ Dioſcor. & Gal. Rheo. Mihi ſatis fuerit admonêre, in locum Pontici iam propè deſiti Indicum viribus proximum, & vbique copioſum potiùs eſſe ſufficiendum: tantò tamen parciùs quantò efficaciùs, &c.

*Rhabarbarum.* *Manard. taxatur.* *Rha Indicum pro Pontico ſufficiendum.* *Rhabarbarum.*

Eadem ferè tradit Tagaultius quæ Syluius, Rhabarbarum, inquit, ſeu Rheon barbaricū vulgare, & quo hodie paſſim ad ſubducendam aluū nobilium præſertim & delicatorum, Medici vtūtur: radix eſt precioſiſſima, & ad multiplices medelarum vſus proficiens: Pœnis & Arabicæ familiæ Scriptoribus, & paſſim nunc in Officinis Raued Sceni & Rheubarbarum vocatur. Verùm ætate P. Æginetæ qui longè poſt Dioſcoridem, Galenum, & Plinium vixit, Rheon barbaricum appellari cœpit, quòd ex Barbarorum regionibus deportaretur. Ideoque *Raued Sceni* Arabes dixerunt, quòd ex Scenitarū agro deportaretur. Vnde Græca poſteritas Rheō Sceniticum vocauit, quòd apud Scenitas Arabes legatur. Quare & Arabicum iure dici poſſet. Auerrois Cordubenſ. Rheō hoc barbaricum inter cætera purgantia medicamina ponit præcellentiſſimum. Quem ſecutus Meſue, vbi medica pharmaca ſolutoria quæ benedicta vocat recenſet, eius honorificam mentionem facit. Non idem eſſe putatur multis Veterum Rhaponticum & vulgare noſtrum Rheūbarbarum. Hoc enim 1. Ex meridionalibus regionibus ad nos defertur, non autem ab Aquilonaribus vt Veterum Rhabarbarum. 2. Nigrum non eſt, ſed potiùs flauum, neque vllam, cum Coſto nigro ſimilitudinem habet, vt Rhachoma Plinii. 3. Vehementem habet odorem. 4. Quò grauius eò melius, Meſuæ, & noſtris Seplaſiariis omnibus ac Medicis. 5. Plurimùm valet purgando. 6. Tempore Pauli Æginetæ [qui inter Veteres non connumeratur] cœpit innoteſcere mundo, medicis qui ante illum fuerunt planè incognitum.

*Raued ſceni. Rheon Barbaricon. Rheon Sceniticum. Rha Arabicum. Rhaponticum & Rhab. differunt. Tempore Pauli cœpit innoteſcere Rhabarb. Rhabarb. Vet. incognitum*

Rheum hoc, Rha Recentiorum Fuchſio appellare placuit, quia Veteribus Græcis Dioſcoridi, Galeno, & Theophraſto, atque inter Arabes Serapioni & Auicennæ etiam incognitum fuit: Recentioribus autem Græcis, Paulo nimirum, Actuario, & Nicolao, quibus ſimpliciter ῥέον appellatur, celebratum. Eius duo faciunt faſtigia. Vnum ῥέον βαρβαρικὸν, hoc eſt, Rheum barbaricum, quòd ex Barbaria vocata deportetur, illis dicitur. Alterum ῥέον ἰνδικὸν, hoc eſt, Rheum Indicum, propterea quòd ex India, aut locis Indiæ proximis, nempe Scenitis populis, vt autor eſt Stephanus de vrbibus Perſidis, affertur, vnde Sceniticum etiam à quibuſdam nominatur. Vtriuſque Nicolaus in Droſato ſeptuageſimo meminit, & quidem ſeparatim, vt hinc diuerſa eſſe inter ſe liqueat. *Meſue* tria facit Rhei genera, vnum Indicum quod Raued Sceni appellat, omnium præſtantiſſimum. Alterum Barbarum generis nomine vocat. Tertium Turcicum omnium ignauiſſimum. Id quo hodie paſſim ad ſubducendam nobilium & delicatorum aluum medici vtuntur ex meridionalibus regionibus, præſertim ex eius parte, quæ Barbaria hodie nominatur, ad nos defertur, ideoque rectè Barbaricum appellatur: Hinc ſuperioribus annis, quum Tuniſam, vel vt nunc vocant Tunetum, Carolus Imperator expugnaſſet, milites eius magnam copiam ſecum in Germaniam attulerunt. Regio itaque vnde aſportatur, ſatis indicat à Veterum Rheo eſſe diuerſum, vtpote quod ab aquilonaribus regionibus delatum fuit. Accedit quòd nigrum non ſit, ſed potiùs flauum: vehementer quoque odoratum eſt, ac graue, & quò grauius eſt eò melius. Pliniū deniq; &c. Mercatores, addit, ex Alepo & Syria, aiunt Rhaponticum non differre à Rhabarbaro: ſed eandem eſſe radicem: Rhaponticum plantam eſſe iuuenem, ideò nullo præditam odore, nec ita efficaciter propterea purgare, vt faciunt aliæ radices, quæ ad veram peruenere perfectionem: ac vbi vnū colligitur ibid. &aliud.

*Rheon barbaricum duplex. Rheon Indicum. Scenitæ populi in Perſia. Rhei genera apud Meſ. Rheum Indicum. Raued Sceni Rheum barbarum. Rheum Turcicum. Rhabarbarum ex Tunis allatum. Rhaponticū & Rhab. idem*

Rheon Veterum & Recentiorum Rhabarbarum diuerſa eſſe etiam ſtatuit Manardus in Epiſt. Rheon, inquit, ſcribunt Plinius & Dioſcorides radicem eſſe abſque odore, Coſto nigro ſimilem: cùm id quod in vſu eſt cum Coſto nigro nullam ſimilitudinem gerat, magnumque longè odorem nec inſuauem iactet. Præterea Rheon barbarum à noſtris vocatum ex Meridionalibus regionibus ad nos affertur, non Aquilonaribus, vbi Boſphorus, Rha fluuius, & Stagna Mæotica &c.

Contrariam verò ſententiam amplectitur Anguil. Quod ad me attinet, ait, credo verū Rhabarbarum non eſſe plantam diuerſam à Rheupontico: quandoquidem videantur multæ plantæ, quæ iuuenes differentes radices habent ab iis quæ ad perfectionem peruenêre, id quod exiſtimo in hac planta fieri, ac id quantò magis videmus nec figurâ, nec ſubſtantiâ, nec colore diuerſam Rhapontici radicem à Rhabarbari. *Quod* Rhabarbarum purget & non Rhaponticum euenire poteſt ratione imperfectionis, vt iam dictum de radice. *Quod* odorem non habeat, in cauſa eſt iuuentus, vt apparet in vera Ariſtolochia longa, quæ odoratiſſima eſt; dum autem iuuenis eſt, nullum planè odorem habet. Eadem ætas efficit vt guſtu non ſit amara, non arida, non denſa: ſed rara & leuis: inueniuntur enim multæ radices, quibus idem euenit. Id expertus ſum in radicibus, quibus veſcimur, ita vt in eadem ſpecie iuuenis multùm à matura differret, qui ignoraſſet, exiſtimaſſet aliud eſſe. Huius etiam opinionis

*Rhaponticum quare non purget. Refutat Anguillaræ eorum rationes qui Rhabarbarum diuerſum ſtatuū à Rha Pontica*

fuit Meſues Rhaponticum & Rhabarbarum eandem eſſe rem, cùm Rhaponticum vocat Rhauet Turcicum, dicens, debilius reliquis omnibus prænominatis. Itaque ſi Meſues exiſtimat Rhapuntium eſſe Rauet Turcicum, & iungat cum Rhabarbaro: erit iuxta meam opinionem Rheubarbarum, ſed imperfectum comparatione facta cum reliquis Rhabarbaris. Quandoquidem ſi fuiſſent ſpecies differentes, duo feciſſet capita, non ſub vno complexus fuiſſet. Sed cùm ſciret eandem ſpeciem non diſtinxiſſet, niſi bonitate minore. *Quod* ad eos attinet qui dicunt naſci circa fluuium Rha, dico falſum eſſe, quandoquidem iis in locis non naſcitur Rheubarbarum: ſed Lapathi ſpecies, quæ ibi abundat, quæ ad nos adfertur, cùm autem neſcio quid ſimile habeat cum Rhabarbaro, vocatur eius radix Rhabarbarum monachorum & Rheon, vt etiam affirmat Iohannes Tzetze Heſiodi commentator, quem deinde noſtri ſequuti ſunt. Si verum eſſet ibi naſci, maior eius copia Conſtantinopoli videretur, quàm videatur: vbi minùs quàm alio in loco videtur. *Clima* poſſe efficere, cur Rheuponticum, hoc eſt Rhabarbarum non ſoluat, & inodorum ſit, credi poſſet, cùm multa ſint nobis exempla, vt in Perſea, quæ ex Perſia vbi venenata eſt in Ægyptum tranſlata, ſub eo climate venenum amittit, ac fit cibus idoneus. Galenus loquens de vino dicit vitem Pergamo tranſlatam ad vnum ſtadium qualitatem manifeſtè mutare. *His igitur de cauſſis non dicemus Rhaponticum plantam diuerſam eſſe à Rheubarbaro. Sed hoc illo perfectius & maturius eſſe:* Quæ Anguillaræ ſententia nobis non parum arridet.

*Lapathi ſpecies*

*Rhabarb. Monachorũ*

*Locus*

Sequentia, quæ ex Bellonio, Garcia & Acoſta ſubſcribentur, natales maximè concernunt. Maxima igitur pars Rhabarbari, vt ſcribit Bellon. quod in Europam defertur, emitur in Halepo, vbi interdum ſimul 12. cameli onuſti Rhabarbaro conſpiciuntur, id deferentes ex Aſamia vbi diligenter colitur: neminem reperimus qui plantam viderit Rhabarbari, cuius vires copioſè deſcripſit Meſues, qui non meminit Rhapontici, quod exiſtimauêre Græci: ipſe qui morabatur Damaſci aut Halepi dicit ſuo ſeculo Rhabarbarum delatum fuiſſe ex India & Seni, id eſt Aſamia aut Aſſyria, & tertiò ex Barbaria, quartò ex Turchia: dicit prætetea indigenas maceraſſe &c. fieri poteſt vt Meſues tempore id fecerint: nunc autem quum magnum videant ex Rhabarbaro emolumentum, tanta diligentia excolunt, vt abundet: cùm eſſemus Halepi venundabant decem libras pro duodecim ducatis: &c. vt verum fateamur Rhaponticum valdè ſimile eſt Rhabarbaro, non tamen idem dicimus, manifeſtum tamen vtriuſque facultates valdè ſimiles. Mirum quod ſcribit Bellonius, plantam neminem vidiſſe & coli in Meſopotamia ſemine ſatam. Annon quodlibet ſemen terre commiſſum radicem proferens, plantam quoque producit?

*Nemo plãtam vidit.*

Omne id Rhabarbarum addit Garcias, quod in Indiam, Perſiam, & Europam importatur, in Chinarum regione naſcitur: vnde per Tartariam Ormuz & Alepum defertur, inde & Alexandriã, & tandem Venetias, vnde reliqua Europæ regna petunt. Nos præter id quod nauigiis ex China infertur, eo etiam vtimur quod Perſæ Ormuz aduehunt, quod minùs teredinem & cariem ſentit: Nam Rhabarbarum ſub menſem Maium in Indię maritima illatum niſi antè Septembrem abſumatur, planè inutile eſt & in mare abiiciendum: corrumpitur enim vt pleraque alia aromata hibernis illis menſibus (ij noſtro auctori ſunt alio quodam loco Iunius, Iulius, Auguſtus) interea aliud præſtantius & recentius ex Ormuz importatur, cuius vſus. In montanis verò hieme adſeruati alia eſt ratio, putredini enim non eſt adeò obnoxium. Eam ob cauſam qui illud in India conſeruare volet, in Diſnager aut Balagate perferri curet. Referunt genus quoddam naſci in certa Tartariæ vrbe nomine Samarcandar: ſed quod improbum ſit, nec niſi iumentorum purgationibus vtile. Nullum autem eſt Rha barbaricum, aut Indicum: ſed ſolummodò Chinenſe, quod Rauam Chini Perſæ appellant, Mauritani tamen plerique ſolummodò *Rauam*. Aliquando in Couchin intellexi Rhabarbarum ab indigenis interdum decoqui aut deſtillari, & eius decocto aut ſtillatitiâ aquâ ſeſe purgare, eamque eſſe cauſam cur interdum tam facilè teredinem ſentiat & corrumpatur. Sed cùm neminem audiuerim, qui, an hæc ita ſeſe haberent, ſe vidiſſe diceret, affirmare non auſim.

*Vnde Rhabarbarum deferatur.*

*Tempus*

*Nullum Rha Barbaricũ aut Indicum ſed Chinenſe.*

Rhabarbarum, pergit Acoſta, in interiora Chinarum regione duntaxat prouenit, vnde in vrbem Cantam [illius Prouinciæ portum & emporium, vbi Luſitani habitant] exportatur & inde nauibus in Indiam aduehitur. Aliâ item viâ ex eadem Prouincia camelis deferunt per Tartariam, quod non adeò carioſum &c. Quod verò nonnulli ſcribunt eius regionis incolas Rhabarbarum macerare &c. fabula eſt, quam inde originem ſumpſiſſe arbitror, quòd nonnulli gentiles mercatores Rhabarbaro fungoſiori & vetuſtiori [vt faciliùs à corruptione liberent] aquam tepidam adfundant, deinde lineis pannis emundatum bacillis aut filo traiiciant vt exſiccent, & nonnulla foramina piperis tenuiſſimè triti polline & cera obturent: deinde probè ſiccatum in Pſyllii ſemine adſeruent. Hæc mihi retulit Mercator Canarinus.

Reubarbarum mittit China, regio vltra Calechut. montes Sirgui ciuitatis, & Prouinciæ Succhur magno Cham ſubiecti. Sed in Chorazami regione Perſidis inprimis mira eſt eius copia, Id eâ coniecturâ ſe adſequutum ſcribit Ludouicus Romanus nauig. quòd ſenæ Rheubarbari libræ noſtro more pondo vnciarum duodecim ſingulo aureo veniebant.

Plurimùm purgat Rhabarbarum, vt teſtis eſt apud Fuchſium, Actuarius, flauæ bilis impetus, potiſſimùm Indicum, potenter domat, ideóque verè cholagogum exiſtit. Quare Meſues ſententiam falſam eſſe oportet, qui Rheon hoc planè innoxium eſſe, ac tutò tum pueris, tum prægnantibus dari poſſe literis mandauit. Nam vt quotidiana multorum experientia comprobatum eſt, & idipſum tum Græci poſteriores, tum alii Medici teſtantur, humores in venis bilioſos attrahit & educit, id quod ſine grauiore agitatione fieri non poteſt. Quia vtique agitationem grauidis periculoſam ſemper, viris: autem interdum moleſtam eſſe abundè conſtat. Non igitur rectè faciunt noſtri temporis Medici, cùm imbecillioribus & grauidis idipſum exhibent. Nam & ipſe noui Medicum cui non ſatis feliciter ceſſit Rhei in muliere quadam teneriore exhibitio. Atque tum magis purgando lædere ſolet, quum maceratum exhibetur. Nam quum macerando eius ſubſtantia calida & purgatrix, quod Meſue etiam fatetur, in liquorem in quo maceratum eſt transfetatur, terrea verò & aſtringens, adeoque roborans, & purgandi vires nonnihil frangens in Rheo remanent, neceſſe eſt vt tum validiùs pur-

Vires & vſus

*Bilem purgat.*

*Meſues taxatur*

*Grauidis non dandũ*

*Hiſtoria*

*Prægnantibus præſtare dare integrũ quàm infuſum*

get,quàm ſi integrum exhiberetur. Præſtaret itaque imbecillioribus & delicatioribus integrum exhibere Rheum,quàm eius dilutum. Nam hoc modo illi adeſſet, quod vehementiam eius frangeret,adſtrictio ſcilicet minorum ipſa. Hinc eſt, quod Auerrhoes Rheum barbarum alius purgantibus medicamentis præfert, vt quod infrænans eius vehementiam ſecum habeat, cæteris ferè omnibus eo deſtitutis. Prægnantibus tamen & pueris præſtat Caſſiam & Mannam propinare, quæ maiori facilitate, citraque omnem noxam aluum ſubducere poſſunt,quàm Rhabarbarum.Si enim omni caret vitio & noxa, vt Meſue & Iuniores Medici affirmant, cur in eius ſumptione infrænantia,aut vt ipſi loquũtur corrigẽtia,illi eſſe adiicienda docent: nempe ſpicam,maſtichen,Cinnamomum,& Iuncum odoratum.

*Meſues ſibi contrarius*

*Rheum recentiorum nõ dandum dyſentericis*

Cæterùm quum purgandi facultate præditum ſit Rheum Recentiorum:reprehenſione non vacat,quod illud hodie plerique dyſenteria laborantibus exhibent. Erroris autem occaſio nulla alia fuit, niſi κακοζηλία, id eſt, peruerſa imitatio. Quum enim viderent Veteres,tum Græcos, tum etiam Arabes, in dyſenteria crebro fuiſſe vſos Rheo Pontico, voluerunt & ipſi Rhabarbaro, quod idem eſſe putauerunt, in eodem malo vti. Quod ſi verò eius quod nunc vocant Rheum Ponticum radice pro Veterum Rheo vſi fuiſſent: omnem reprehenſionem effugere potuiſſent, quòd eius, vt oſtendemus,legitimum ſit ſuccedaneum. Nam vt Veteres ſuum Rheum in dyſenteria & vulneribus ſanãdis eſſe efficax experti ſunt,ita etiam Centaurii radix,quam Officinæ Rhaponticum nominant, miram in iis malis vim obtinet.

Porrò Rheum hoc Recentiorum datur ex lactis ſero vel decocto Intybi ſatiui latifolii. Maceratur quoque in iiſdem liquoribus, aut in ſtillatio Intybi iam dicti liquore, idque æſtate potiſſimùm: aut vino albo & odorato, & id quidem hyeme. Propinatur per ſe tritum pondere drachmæ vnius cum dimidia [ſi trita eius ſubſtantia aſſa addit Aug.Ferr. ] Meſue auſus eſt ad drachmas quatuor progredi,quæ ſatis multa eſt quãtitas. Dilutum ſeu infuſum vnius, duarum, vel trium, aut quatuor [ſi purgans aliud addatur ] drachmarum pondere ſumitur. Hoc caſtigatione non eget, vt Aug.Ferrerius de vera M.M. de caſtig. prau. Med. docet, ſed Spica Nardi, Schoenantho,Cinamomo,vigorari creditur.

*Doſis in ſubſt.*

*Rhabarb. torref non probatur*

Improbat idem præterea & meritò præſertim in dyſenteria torrefactum Rhabarbarum. Quam enim morbus requirit, naturalem & efficacem habet adſtrictionem, & exſiccationem vi purgatrici coniunctam. Præterea in torrendo, ſi modum exceſſeris,non ſolùm remittes medicamentum, verùm etiam purgatoriâ facultate penitùs deſtitues. Cúmque porrò modum attigeris, vix efficies, quin medicamentum vſtione acrimoniam [propter quam & tenuitatem in alui fluxu Veteres purgantia non adhibebant, quòd & inteſtina roderent, & nouam materiam ad locum affectum traherent] acquirat, præſertim in partibus exterioribus, internis vix ignem ſentientibus.

Rhabarbari vſum in prægnantibus cum Meſueo probo conſideratis conſiderandis, vt qui multas fœliciter ſine vllo damno purgarim: infuſionem præfero ſubſtantiæ, quò enim citiùs ſine violentia medicamentum purgans euacuat eò mihi gratiùs, ideò Præceptorem Rondeletium ſecutus, non laudo correctionem purgantium per adſtringentia.

Non approbo eorum morem qui in dyſenteria à principio aſtringentia exhibent, ii augent morbum dum per ea retinent educenda, nempe acres malignos & putridos humores:quò natura vergit eò ducere oportet, ſi per conuenientia fiat loca: ſi igitur ſtatim à principio educantur, conuenientibus purgantibus ſubleuantur citò, & poſteà tutò aſtringentibus vti licet. Inter medicamenta purgantia magni facio Rhabarb.multiſolia experientia edoctus, nolim tamen aſſerere an torrere Rhabarb. ſit calidius toſturâ reddere.

Quia autem Rheum calidum & ſiccum hepatis calidioris mors eſt,niſi refrigerantibus tempetetur: Ideò illius extractum quod Spagyrici cum aquâ vitæ parant calorem noui caloris acceſſione adaugentes,non magni facio. Si quid laudandum in eo, eſt quod in pilulis poſſit commodè exhiberi, & fortè etiam meliùs conſeruari & circumferri.

*Appendix ad caput vltimum lib.XXIV.*

## VERBESINA, SIVE CANABINA AQVAtica,flore minùs pulchro elatior,ac magis frequens.

*Deſcriptio*

VErbeſina altera elatior, & crebtior priore, amplior etiam,extra aquas naſci ſolita, *caules* plerumque cubito maiores tollit, rariùs minores,rubentes,hirſutos,ſolidos: *folia* ad articulos bina aduerſa, tripartita, Cannabinorum vel potiùs Pſeudoeupatorii æmula. profundè ſerrata,piloſa, ſubinde per ramos quoque nullo modo laciniata: cæterùm ex foliorum ſinu proſiliunt ramuli, quorum extremis *flores* inſident luteoli,multi, ſquammis ſtriatis purpurantibus in ambitu, pulchritudine multùm ſequenti cedentes: *Semen* longum, latum, in duos ſtilos aſperos deſinit,qui veſtibus adhærent: totum verò florem obuallant folia, iis quæ in ſummis conſpiciuntur ramulis ſuppariа,radiatim diſpoſita:*radices* fibroſæ,inutiles.

*Verbena ſupina Trago*

Trago Verbena 3.ſiue ſupina dicitur, Verbenâque ſupina Dioſcoridis eſſe ab illo ſtatuitur,licèt,vt ipſemet fatetur,Verbena ſupina Dioſcoridis ipſi perſpecta ac cognita non ſit. Nec placet ipſum adſcribere nomenclationes ſpurias Verbenæ ſupinæ Dioſcoridis, ſiquidem ea non ſit:

*Pſeudohepat fœmina*

Dodon.gall. p.46. Pſeudohepatorium fœmina: Gall.*Eupatoire femelle baſtard*, Belg. Boelkeris cruyt wyfken, Eupatorium Auicennæ exiſtimatur,ideòque à quibuſdam Eupator. Auicennæ appellatum. Lat. in fol. Hepatorium aquatile, ad Hepatorium vulgare & adulterinum referendum,quod & Terzola dicitur,quia de cauſa etiam Terzola aquatica dici poteſt. Deſcriptio à Dodonæo poſita ſicuti & figura videntur demonſtrare Verbeſinam de qua agimus, id tamen aſſerere non auſim: in poſtremis nomen Belgicum huic non ampliùs tribuit,ſed Eupatorio Officinarum.

*Eupat. Auic.*

*Terzola aquat.*

*Dod. nos.*

*Hydropiper*

Thalio Pſeudo-Hepatorium alterum ſeu fœmina. H.Lugd.pag.1039. Hydropiper,Pſeudoeupatorium fœmina Dodonæi [Gall.] Chryſanthemum aquaticum quorundam. C.Bauh.Phyt. p. 641. Cannabina aquatica 2. ſiue folio tripartito diuiſo. Verbena ſupina vel 3.Trago. Pſeudohepatorium Dod. Huius folia communiter in tres partes,aliquando quinque,ſex diuiduntur.

*Cannab. aquat.fol. tripartito*

*Bidens Cæſalp.* Cæſalp.lib.12.cap.17. Quædam in aquis ferè naſcens, Eupatorio breuior, ramoſa: foliis tripartitò diuiſis, capitulis in cacuminibus paucis, ſtellatis, flore luteo: ſeminibus valdè compreſſis, oblongis, in duos aculeos deſinentibus, vnde Bidens vocetur.

*Eupat. Conyzoides. Coniza aquat.* C.Schvvenckf. Eupatorium Conyzoides primum Conyza aquatica maxima ſerratifolia, Eupatorium Cannabinum fœmina Septentrionalium ſtellato & odoro flore, Lobelio. *Nobis* non vna planta ſed tres diſtinctæ. Prima quidem Verbeſina præſens eſt: altera, Lingua auis maior Dalechampii: tertia, Verbeſina pulchriore flore luteo. Schvvenckf. confundit omnia.

Locus & tempus. Locis humidis, paluſtribus & foſſis prouenit circa oppida & pagos. Hepatorium aquatile Dodonæi, in riguis gignitur, quæ rarò & non niſi ſicciſſimis ac feruentiſſimis temporibus, aquis carent, prodit verò & intra fluuiorum quorundam latè patentes alueos: quod altius creſcit & flores profert, orbiculato ambitu, multis exiguis luteis foliolis ſtipatos, Buphthalmi æmulos. Non modò autem in Belgio, ſed & in Germania, ac Bohemia reperitur: nec deſtituuntur eo humida Britanniæ loca. Plurima æſtatis parte floret ac viget, ſemenque perficit,

Vires. *Venena. Vlcera.* Verbenaca ſupina ſerpentes, aliáque venenoſa animalia pellit veluti & Coniza. Poteſt etiam depaſcentibus, ac longè latéque ſerpentibus vlceribus adhiberi, autore Trago. Terzola aquatica Dodonæi amara herba eſt, proinde calida & ſicca, vſum tamen in medicina habere ignoratur, *Sternutamenta ciet.* niſi ſternutamenta ciet.

VERBESINA PVLCHRIORE FLORE luteo.



Deſcriptio. VErbeſina pulchriore flore mihi dicta, fibris radicatur multis, albis, tum ab imo caule, tum ab eius geniculis demiſſis, ſapore aromatico: caules cubitales, & maiores, aliàs minores, teretes, ſubhirſuti, & nonnihil ſubinde rubentes: folia ad nodos bina aduerſa, quatuor aut quinque vncias longa, vnam lata, acuta, ſerrata tantummodò, non in lacinias diuiſa, ſuperficie vtrinque læui, ſapore acriuſculo: ex foliorum alis duo ramuli diuerſi exeunt, quorum alter altero minor eſſe ſolet. Flores multò pulchriores quàm in Verbeſina elatiore, quorum extima folia ex luteo viridantia ſtriis nigricantibus picta, his proxima aureo fulgore nitent, magna, in orbem acta: medium occupant alternatim remiſſi floſculi luteoli quinquepartiti, apiculos nigros exferentes, ſquammulæque ſtriatæ, extimis quidem ſimiles ſed ſuppares: *ſemen* oblongum, compreſſum, fuſcum, breuiſſimis ceu ariſtis aſperiuſculis capiti adnatis ad veſtes adhæret.

Verbeſina [aliàs Forbeſina] Italis dicta, videtur Geſn.hort.in append. planta floribus Indicis vulgò dictis cognata.

*Forbeſina. Cannab. fœmina.* Lob.Adu.pag.227. Fœmina Canabina Septentrionalium ſtellato & odoro flore. Icon. plant. 529. Eupatorium Cannabinum fœmina Septentrionalium ſtellato & odorato flore. *Miror* in figura Lobelium flores pulchrè radiatos non demonſtrare, quaſi non norit diſcrimen inter Cannabinam minùs ſpecioſo flore; & eam quæ pulchriorem habet florem. Folia nonnihil reſpondent ei de qua hoc capite agitur.

*H. Lugd. lapſus.* Hiſt.Lugd.lib.9.cap.27. videtur pingere pro Hydropipere altero Dalechampii: quanquam non placeant figuræ: conuenit nomen Chryſanthemi aquatici, non tamen figura Dodonæi ſub titulo Hydropiperis Pſeudo-eupatorii fœminæ Dodonæi: licèt quædam reſpondeant, non tamen omnia.

*Bidens folio non diſſecto.* Cæſalp.lib.12.c.17. Bidens folio non diſſecto.

Taber.Icon.& Hiſt. Eupatorium Cannabinum Chryſanthemum waſſerwundkraut / kunigundkraut weible, waſſer ſternkraut / Geel feberkraut Belg. Boelkens cruyt wyfken. Eupatorium canabinum fœmina, *Virga aur. aquat. Stellaria aquat. Conſol. aquat.* Virga aurea aquatica, Stellaria aquatica, Conſolida aquatica, Vercellenſ. Italicè Terzola, quia vtilis ad tertianas. Non eſt Terzola Baptiſtæ Sardi, cui flos cæruleus, ideò vocamus Terzollam luteam, hoc eſt, Tertionariam luteam. Tabern. tribuit huic plantæ nomina Belgica, de quibus ſibi non conſtat Dodon.

C. Bauh.phyt. Cannabina aquatica 3. ſiue folio non diuiſo.

*Eupat. conyzoides.* Schvvenckfeld. Eupatorium Conyzoides ſecundum, Eupatorii Cannabini 2 ſpecies, Hydropiper 2. Lugd.

Locus & tempus. Semper obſeruaui in aquoſis locis, vbi aqua fluit vel reſidet, vt in ditione Phirtenſi propè *Haut mouſtier.* Montbelgardi circa vrbem florens Auguſto. In Lacunis & foſſarum ſtagnantibus aquis quà itur Oetlingen propè Baſileam reperitur. Borealibus magis & ipſis in vdis aut mediis riuulis cunctanter fluentibus viuit. In Angliâ vbique vdorum præſertim Londini & Auxonæ; Lobel.

Vulneribus, intrò ſumpta præſertim, plurimùm confert, & eadem ſuperior potis eſt: Tribuit, huic Lobelius facultates Pſeudoeupatorii vulgaris: ſiue Eupatorii Officinarum, ne Lectores fallantur priùs inueſtigent quàm vtantur, de qua Canabina hic loquantur, an de ea quæ pulchrum florem habet, an de ea quæ minùs pulchrum, & quæ elatior eſt.

*TOMI SECVNDI FINIS.*

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΩΝ.

# OMNIVM PRAECIPVORVM CAPITVM QVÆ IN SECVNDO VNIVERSALIS HISTORIÆ PLANTARVM TOMO CONTINENTVR

# INDEX.

## A


*ABſus foliis trifolij* pag.361.
*Abutilon Indicum* 959.
*Acetum* 95.
*Achanaca Indorum* 835.
*Aconitum Lycoctonum Dodonæi* 901.
*Acorus veteribus* 734.
*Ægilops quibuſdam ariſtis recuruis* 433.
*Ægilops Veteribus & in genere* 434.
*Ægilops Bromoides* 436.
*Ægilops Matthiolo fortè* 439.
*Ages* 793.
*Agrimonia ſeu Eupatorium* 398.
*Allium vulgare & ſatiuum* 554.
*Allij genus ophioſcorodon dictum quibuſdam* 559.
*Allium ſiue Mol[illegible] montanum latifolium* ibid.
*Allium bicorne [illegible] iferum flore intus albeſcente, cum ſtria purpu[illegible]ente externè* 560.
*Allium ſylueſt bicorne flore viridi* 561.
*Allium ſylueſt. bicorne purpureum proliferum* ibid.
*Allium ſylueſt. Monſpeſſulanum albinum Io. B.* ibid.
*Allium flore luteo ſiue pallido* 561.
*Allium quoddam ſylueſtre flore purpureo* 562.
*Allium Sphærocephalum purpureum ſylueſtre* ibid.
*Allium Sphærocephalum bifolium Italicum* 563.
*Allij genus fortè Scorodopraſſon alterum Lobelio* 564.
*Allium Petræum vmbelliferum* ibid.
*Allium vmbelliferum pratenſe* 564.
*Allium ſylueſtre propuſill. iuncifolium moſchatum* 565.
*Aliſma Monſpelienſium ſiue Doria* ibid.
*Aliſma ſiue Damaſonium Veteribus* 1064.
*Allijs affinis pſeudoorchis Monophyllos* ibid.
*Allium vrſinum bifolium vernum ſyluaticum* ibid.
*Allium alpinum* 566.
*Alopecuros Alpinus* 809.
*Alcine nodoſa Dalechampij* 851.
*Alliaria* 883.
*Alyſſum Veteribus & in genere* 933.
*Alyſſon ſiliqua lata aſpera, quibuſdam Lunaria flore luteo* 934.
*Alyſſon Anguillaræ* ibid.
*Anil ſiue Nil Indorum* 945.
*Alcea Veteribus* 953.
*Alcea vulgaris* ibid.
*Althea ſiue Biſmalua* 954.
*Althæa profundè ſerrato ſiue dentato folio* 955.
*Althæa flore grandi Alcea Thuringiaca* ibid.
*Althææ ſpecies vulgari ſimilis* ibid.
*Althæa arboreſcens* 956.
*Althea fida dicta quibuſdam* 957.
*Alcea arboreſcens glabra* ibid.
*Alcea Pentaphylli folio vel canabina* 958.
*Althea Theoph. flore luteo, quibuſdam Abubilon* ibid.
*Amaranthus purpureus* 968.
*Amaranthus Pannicula ſpecioſa criſtata* 969.
*Amomum in genere* 191.
*Amomum quorundam odore Cariophylli* 194.
*Amomum noſtrum ex ipſo fructu* ibid.
*Amomum Cluſij* ibid.
*Amomum nouum Cardamomi vulgaris facie, ſiue Indicus Racemus* 195.
*Amomum verum quorundam* 208.
*Amomis ſiue Pſeudamomum* ibid.
*Anacokaccedens Phaſeolus totus ruber* 265.
*Anonis, ſiue reſta bouis, vulgaris, & alba, ſpinoſa* 391.
*Anonis lutea non ſpinoſa, Dalechampio Natrix.* 393.
*Anonis non ſpinoſa purpureo flore* ibid.
*Amblatum Cordi, ſiue Aphyllon* 783.
*Anthyllis prima quibuſdam.* 351.
*Apocynon Veteribus* 133.
*Apocinum ſiue Periploca ſcandens, folio longo, flore purpurante* ibid.
*Apocyno affinis Secamone flore albo* 134.
*Apocynum folio rotundiore, flore ex albo palleſcente* ibid.
*Apocynum latifolium amplexicaule* 135.
*Apocyni fructus* 140.
*Aphyllon Indicum* 211.
*Aphace in genere* 310.
*Aphaca olus veteribus* 1035.
*Aqua vitæ* 94.
*Arbor Angelina* 173.
*Aracus fabaceus* 296.
*Aracus fabaceus ſerratus* 297.
*Aracus veteribus* 322.
*Arachidna Veteribus* 323.
*Arachidna, aut potius Aracoides Honorij Belli* ibid.
*Araci, vel Apios leguminoſæ ſpecies Carolo Toſſano* 326.
*Arbor Trifolia Indica* 369.
*Arundines ex Veterib.* 492.
*Arundo vulgaris paluſtris* 485.
*Arundo maxima & hortenſis* 486.
*Arundo Papyrus quibuſdam* ibid.
*Arundo Anglica C. Bauh.* 487.
*Arundo ſcriptoria* ibid.
*Arundinis ſcriptoriæ Indicæ genus ſpadiceo colore* ibid.
*Arundo Naſtos ſeu farcta toxica figurata* ibid.
*Arundo naſtos ſeu farcta ſiue Toxica, gracilis* 488.
*Arundo humilis, rara ac inuſitata* 489.
*Arundo Indica verſicolor* ibid.
*Arundo Indica verſicolor flexilis* ibid.

# INDEX.


Arundo Indica punicea mollis ibid.
Arundo Indica fluitans ibid.
Arundo Indica latifolia ibid.
Arundo Indica latifolia flore luteo punctato 490.
Arundo Saccharina, & Saccharum 531.
Arum 783.
Arum Bizantinum 785.
Ariſarum latifolium quibuſdam 786.
Ariſarum anguſtifolium 787.
Aſclepias Veteribus 138.
Aſclepias ſiue vincetoxicum multis, floribus albicantibus ibid.
Aſclepias flore nigro 140.
Aſclepias Cretica Cluſij ibid.
Aſclepias Indica ibid.
Aſtragalus quibuſdam 326.
Aſtragalus Veteribus 332.
Aſtragalus Romanus 333.
Aſtragalus Matthioli 333.
Aſtragalus maior Fuchſio 334.
Aſtragaloides, ſiue Aſtragalus ſyluaticus, Aſtragalo Fuchſij affinis planta ibid.
Aſtragalus recticaulis hirſuta ibid.
Aſtragalus Monſpeſſulanus 338.
Aſtragalus quidam Montanus 339.
Aſtragalus Monſpeſſulano candidior & Onobrichis quorundam ibid.
Aſtragalus Syriacus 340.
Aſtragalus fortè lanuginoſus Bœticus ibid.
Aſtragalus Dioſcorid. quibuſdam 340.
Aſphodelus maior 625.
Aſphodelus bulboſus Dodon. 627.
Aſphodelus minor folio fiſtuloſo 631.
Aſphodelus minimus albus 632.
Aſphodelus luteus ibid.
Aſphodelus minor radice lutea 633.
Aſter ex veteribus 1042.
Aſter Atticus purpureo & albo flore 1044.
Aſter Atticus Monſpelienſis purpureus anguſtioribus folijs 1045.
Aſter Atticus luteus, ſupinus, ſpinoſus ibid.
Aſter purpureus Montanus ibid.
Aſter Montanus flore magno hirſutus, quibuſdam Oculus Chriſti 1046.
Aſter anguſtifolius luteus ibid.
Aſter tertius Pannonicus Cluſij luteus folio hirſuto Salicis ibid.
Aſteri Montano Purpureo ſimilis vel Globularia ibid.
Athera, & ... ſiue Guten 412.
Atriplex rubra & alba hortenſis 97?.
Atriplex ſylueſtris 972.
Atriplex anguſtifolia laciniata minor ibid.
Atriplex ſylu. folijs integris racemoſa 973.
Atriplex vulgaris anguſtifolia cum folliculis ibid.
Atriplex ſylu. Monſpeſſulana cum pulchris inuolucris ibid.
Atriplex maritima 974.
Atriplex Halimoidis Lobelij ibid.
Atriplex arboreſcens ibid.
Atriplicis marinæ ſpecies Valerando ibid.
Atriplex fœtida ibid.
Atriplex, dictus pes anſerinus 975.
Atriplex dictus Pes anſerinus alter ſiue ramoſior 976.
Auricula Muris Camerarij 387.
Auena alba & nigra 432.
Auena nuda 433.
Auena piloſa ibid.
Auricula muris Hiſpanica 1042.
Auicularia Syluij quibuſdam 800.


B


BAlſamina Cucumeraria 251.
Batatas 792.
Batatis affinis Ingname ſiue Inhame 793.
Barbarca 868.
Barbarea muralis Ioh. Bauhini 869.
Balſamina fœmina Perſicifolia, vel Salicis folio 909.
Bamia 959.
Bamiæ aliquatenus affinis Sabdariſſa 960.
Baccharis veteribus 1048.
Beidelſar Alpini ſiue Apocynum Syriacum 136.
Bexucco del Peru. 151.
Bera ſiue cereuiſia 425.
Belmuſcus Ægyptia Honorio Bello 960.
Beta ibid.
Beta Cretica ſemine ſpinoſo 963.
Beta laticaulis monſtroſa ibid.
Bonus Henricus 965.
Bodaglam fructus exoticus Paludano 188.
Bulbus Eſculentus Veteribus 569.
Bulbus vomitorius veteribus 570.
Bulbocodium vulgatius 593.
Bubocodium Hiſpanicum 594.
Bulbocodium flore pleno ibid.
Bulbocodij pleno flore ſpecioſum genus Veneri 595.
Bulbocodij ſiue narciſſi floris lutei multiplicis varietas ibid.
Bulbocodium minus 596.
Bulbocodium minimum coronatum ibid.
Bulbocodium tenuifolium flore luteo ibid.
Bulbocodium Tenuifolium aliud flore luteo fimbriato ibid.
Bulbocodio fortè affinis bulbus flore luteo 598.
Bulbocodio fortè affinis bulbus alius flore luteo 598.
Bulbocodium minimum tenuifolium album ibid.
Bubus Eriophorus 221.
Bulbus Monophyllos flore albo, an ... Theoph. 612.
Bulbus ſylueſtris Fuchſij flore luteo, ſiue Ornithogalum luteum 923.
Burſa paſtoria, ſiue Piloſella ſiliquoſa 870.
Burſa paſtoria 936.
Burſa paſtoris parua 937.
Burſa paſtoria minima, oblongis ſiliquis, verna, loculo oblongo ibid.
Burſa paſtoria folijs perfoliata 938.
Burſæ paſtoriæ ſublongo loculo affinis pulchra planta ibid.
Blitum in genere 965.
Blitum pulchrum rectum magnum rubrum 966.
Blitum rubrum minus 967.
Blitum pulchrum magnum album ibid.
Blitum erectius ſiue 3. Tragi ibid.
Blitum maximum, ſiue Amaranthus maior ſemine albo 968.
Bryonia alba maculata 146.
Bryonia ſeu vitis nigris baccis ibid.
Bryonia leuis, ſiue nigra baccifera C. Bauh. 149.
Bryonia Mechoacanna nigreſcans 151.
Braſſica Marina ſiue Soldanella 166.
Braſſica Veteribus & in genere 819.
Braſſica capitata alba 826.
Braſſica Italica tenerrima glomeroſa flore albo 827.
Braſſica Sabaudica rugoſa 828.
Braſſica rugoſa longioribus folijs ibid.
Braſſica multiflora ibid.
Braſſica alba vulgaris 829.
Braſſica alba expanſa ibid.
Braſſica Colorapa, ibid.
Braſſica Monoſpermos Angelica 830.
Braſſica tophoſa ibid.
Braſſica Anglicana minima niuea ibid.
Braſſica nigra dicta 831.
Braſſica capitata rubra ibid.
Braſſica rubra vulgaris ibid.
Braſſica criſpa lacinioſa 832.


Braſſica

Braſſica laciniata rubra ibid.
Braſſica laciniata alba ibid.
Braſſica tenuiſſima laciniata ibid.
Braſſica Thyrſoides 833.
Braſſica rubra minor ibid.
Braſſica ſylueſtris ibid.
Braſſica ſpinoſa 835.
Braſſica ſylueſtris procera Thalio 837.
Britannica Conyzoides 1047.

## C

Capparis ſpinoſa & non ſpinoſa 61.
Capparis officinarum Cortex ibid.
Capparis arboreſcens 65.
Capparis fabaginea ſiue Peplios Lutetianorum 66.
Cappari ferè ſimilis Alhaut 66.
Campanula Indica 165.
Cacubalum quibuſdam vel Alſine Baccifera 175.
Cardamomum Veteribus & in genere. 300.
Cardamomi æquiuocationes 204.
Cardamomi genus Maximum, Grana Paradyſi, ſiue Melegeta 204.
Cardamomi ſpecies cum ſiliquis ſiue thecis longis & breuibus 205
Cardamomum maius meligethæ ſimile, ficus modo turbinatum Cordo 207.
Cardamomi facie fructus, triangularis malignus 208.
Cantabrica Veterib. 159.
Catanance in genere 308.
Catanance leguminoſa quorundam 309.
Calamus aromaticus in genere 525.
Calamus aromaticus verus quibuſdam 528.
Calamus aromaticus Cechini Martellini 530.
Cepe ſiue cepa rubra & alba, rotunda ac longa 547.
Cepa Aſcalonica ſiue fiſſilis 551.
Calamus Aromaticus vulgaris, multis Acorum 734.
Canna ſiue Arundo Indica, quibuſdam flos Cancri 752.
Campanula parua, Anguillaræ Cantabrica 796.
Campanula folio hederaceo, ſpecies Cantab. Anguillaræ 797.
Campanula rotundifolia minima ibid.
Campanula linifolia rara, flore cæruleo ibid.
Campanula lychnidea 803.
Campanula anguſtifolia cærulea & alba ibid.
Campanula Maior & aſperior folio vrticæ 805.
Campanula ſiue Ceruicaria Maior & læuior flore albo magno 804. & 806.
Campanula Alpina glabra, flore dilutiſſimo cæruleo ibid.
Campanula ſiue Ceruicaria Bononienſis paruo flore ibid.
Campanula repens flore minore cæruleo ibid.
Campanula ſiue Ceruicaria Media Thalio floribus cæruleis paruis 807.
Campanula pulchra à Toſſano Carolo miſſa ibid.
Campanula Serpylli folia Ioh. Bauhini 816.
Cakile quibuſdam, aliis Eruca marina, & Raphanus marinus 867.
Cakile ſiue Eruca marina latifolia 868.
Camelina Myagrum Aldroando 894.
Chamæciſtus Serpilli folio, nigricante, & hirſuto 17.
Chamæcyſtus anguſtifolius flore luteo Cluſij ibid.
Chamæciſtus foliis Myrti Tarentinæ, canis vel cinereis 18.
Chamæmorus 62.
Chamæmorus Noruegica ibid.
Chamæmorus altera Noruegica 63.
Chamæceraſus Geſneri, vel chamæpericlymenon quoddam Alpinum 107.
China radix 120.
China ſpuria pyriformis ſiue turbinata 122.
China ſpuria Acori effigie Lobelij 123.
Chamæbalanus leguminoſa 324.
Chondrus & halica ſiue alica 411.
Chondrile veteribus 1018.
Chondrile vel Chondrilla cærulea 1019.
Chondrylla lutea 1020.
Chondrylla viminea 1021.
Chondryllis affinis quædam laciniata, an Trinciatella? ibid.
Chondrylla hirſuta rubente flore 1022.
Chondryllæ Cretica nomine miſſa ſemine criſpo ibid.
Chondrilla folio non diſſecto, caule nudo & foliato 1041.
Chryſanth. Alpinum Iudenbergenſe Iacobeæ affine 1058.
Chryſanthemum Alpinum Etſchertanum Iacobeæ affine ibid.
Ciſtus & de eo veterum ſententia 1.
Ciſtus mas maior folio rotundiore 2.
Ciſtus mas 2. folio longiore ibid.
Ciſtus mas 3. folijs dilutiùs virentibus 3.
Ciſtus mas 4. Monſp. folio oblongo albido ibid.
Ciſt. mas 5. folijs criſpis, & quodammodò ſinuoſis ibid.
Ciſtus fœmina Monſpeliana flore albo, & Hiſpanica luteo 4.
Ciſti ſpecies quædam Hiſpanica flore albo ibid.
Ciſtus folio Halimi flore luteo 5.
Ciſtus folio Halimi longiore incano ibid.
Ciſtus folio Lauendulæ Cluſio fortè idem cum Helianthemo recto ibid.
Ciſtus folio Sampſuchi Cluſ. cui macula in flore 6.
Ciſtus folio Thymi Cluſ. cum maculis in flore ibid.
Ciſtus Ledon latiore folio 8.
Ciſtus Ledon flore macula nigricante notato ibid.
Ciſtus Ledon, Populi nigræ folijs Cluſij, maior & minor 9.
Ciſtus Ledon latifolium Creticum ibid.
Ciſtus Ledon 4. Cluſ. flore candido 10.
Ciſtus Ladanifera, ſiue Ledum Monſp. anguſto folio nigricans. ibid.
Ciſtus Ledon 6. minoribus anguſtioribuſque folijs Cluſii 11.
Ciſtus Ledon foliis colore cinereo ibid.
Ciſtus Ledon foliis Roſmarini Coronariæ Cluſii, flore luteo ibid.
Ciſtus Ledon 9. Cluſio 12.
Ciſtus Ledon Thymi foliis Cluſii ibid.
Ciſtus annuus 1. Cluſio folio rotundiore 13.
Ciſtus annuus 2. Cluſio, flore pallido, macula punicante inſignito ibid.
Ciſtus annuus flore guttato 14.
Ciſtus annuus folio Ledi flore luteo ibid.
Ciſtus minimus folio ſubrotundo ibid.
Ciſti ſpecies annua anguſtifolia 15.
Ciſtus humilis Cluſio, ſiue Helianthemum omninò candicans, flore nunc albo nunc pallido 16.
Ciſtus Helianthemos flore paruo luteo 17.
Ciſtus Helianthemos folio Polij montani 19.
Ciſtus puſillus folio candido flore luteo ibid.
Ciſtus pumilus montis Baldi, fortè Auſtriacus myrtifolius ibid.
Ciſti folio arbor exotica, capitulis Platani 21.
Citrulus folio Colocynthidis ſecto, ſemine nigro, quibuſdam Anguria 235.
Citrulo affinis melo Indicus, ſiue Patheca 237.
Citrulo vel Meloni Indico accedens Camolanga ibid.
Cicera antiquis 291.
Cicer in genere ibid.
Cicer arietinum 292.
Cicer ſylueſtre multifolium 294.
Cicer ſylueſtre maius Thalij ibid.
Cicer ſylu. trifolium 295.
Cichorium ſilueſtre & ſatiuum 1007.
Cichorium verrucoſum, ſiue Zacyntha, Hieracijs

adnumerandum 1023.
Cichorium ſpinoſum ibid.
Cichorium bulboſum 1038.
Clematis purpurea flore pleno ſcandens 129.
Clematis cœrulea ſerrato folio ibid.
Clematis Pannonica flore cæruleo ſurrecta ibid.
Clematis Daphnoides ſiue prima veterib. 130.
Clematis Daphnoides minor flore purpureo, violaceo, & albo, ſimplici, ac pleno ibid.
Clematis Daphnoides maior flore cœruleo & albo 132.
Clematitis acris veteribus 124.
Clematis latifolia ſiue Athragene quibuſdam 128.
Clematis Betica Cluſio 126.
Clematis ſiue Flammula ſcandens tenuifolia 127.
Clem. ſiue Flamm ſurrecta alba. ibid.
Clem. ſiue Flamm. flore cæruleo. 128.
Cochlearia. 942.
Colubrinum lignum primum: II. & III. pag. 169. 170. 171. 172. & 173.
Colocinthis Veteribus & in genere. 231. & 232.
Colchicum Veteribus 648.
Colchicum album cum purpur. lineis 651.
Colchicum vernum Cluſio 652.
Colchicum biflorum ibid.
Colchicum Polyanthes 653.
Colchicum vernum Camerarij ibid.
Colchicum candido flore Anglicum 654.
Colchicum pleno flore ibid.
Colchicum verſicolore flore 655.
Colchicum montanum 656.
Colchicum minimum tenuifolium 657.
Colchicum minus malignum, ſiue Hermodactylus Officinarum 658.
Colchicum Illyricum ſiue Græcum 660.
Colchicum paruum montanum Luteum, alijs Narciſſus 662.
Colchicum Orientale & Syriacum 679.
Colocaſia 790.
Conuolulus maior 154.
Conuolulus peregrinus pulcher 159.
Conuolulus Bona nox dictus 165.
Conuolulus peregrinus C. Bauhini 166.
Conuolulus marinus Soldanellæ affinis 168.
Conuolulus Ægyptiacus 169.
Conyza media 1050.
Conyzæ affinis herba vulneraria 1051.
Conyza maior Matthioli, Baccharis quibuſdam ibid.
Conyza Helenitis mellita incana 1052.
Coniza Helenitis piloſa Lobelij ibid.
Conyza veteribus ibid.
Conyza maior Monſpelienſis odorata 1053.
Conyza media Monſpel. 1049.
Conyza media Monſpel. affinis ibid.
Conyzæ ſpecies folijs virgæ aureæ ibid.
Conyza minor vera 1054.
Conyza marina 1055.
Conyza Alpina ibid.
Conyza Syriæ quibuſdam 1054.
Conyza montana Myconi ibid.
Conyza capite nutante 1055.
Coralloides prima quinquefolia 900.
Coralloides altera ſiue ſeptifolia 901.
Coralloides Enneaphyllos Cluſij 902.
Coralloides minor bulbifera ibid.
Corchorus 982.
Coronopus Ruellij ſiue Naſturtium verrucoſum 919.
Coſtus 748.
Coſtus Arabicus ZZ ſimilis 749.
Coſtus Indicus Cluſij 750.
Coſti Molucenſes duo 751.
Coſtus Helenij facie officinarum ibid.
Coſtus dulcis Offic. ibid.
Coſtus ingratus ſiue Thapſiæ ſpecies ibid.
Crocus 637.
Croci verni ſpecies variæ pag. 640. & ſequentibus
Crocus montanus Autumnalis 646.
Crocus ſilueſtris Bizantinus candidus tantillum ſubcæruleus 647.
Cropiot rugoſus fructus 188.
Cucurbita in genere, eiuſque ſpecies variæ 48. pag. 214. 215. & ſequentibus vſque ad pag. 231.
Cucurbitinus fructus magnitudine oui Struthij 238.
Cucumis vulgaris viridis & albus 245.
Cucumis minor pyriformis 247.
Cucumeres longiſſimi ibid.
Cucumis Ægyptius Chate 248.
Cucumis ſilueſtris ſiue Aſininus ibid.
Cucumeris ſilu. ſuccus Elaterium. 249.
Cynocrambe 979.
Cyclaminus 176. & 177.
Cynosbatus veteribus 33.
Cynorrhodon veteribus ibid.
Cyperus in genere 499
Cyperi ſpecies variæ pag. 501. & ſequentibus
Cynoſorchis prior Dodonæi 758.
Cynoſorchis Delphinia 760.
Cynoſorchis minimis maculoſis foliis ibid.


## D


DElphinium minus Cæſalp. 865.
Dentaria aphyllos minor Tabern. 783.
Dentaria quinquefolia 900.
Dentillaria Rondeletij 941.
Digitalis purpurea 812.
Digitalis flore magno candido 813.
Digitalis Lutea flore maiore ibid.
Digitalis ferruginea ibid.
Digitalis flore minore ſubluteo 814.
Draba lutea quibuſdam 870.
Drabæ luteæ ſimilis ibid.
Draba veteribus 939.
Draba multis flore albo ibid.
Drabæ ſpecies glabra 940.
Draba minor orbicularibus capit. ibid.
Drackena radix 740.
Drackenæ affinis radix 741.
Dracontium veteribus & in genere 787.
Dracunculus maior vulgaris 789.
Dracunculus aquaticus ibid.
Dryophonon Plinij 924.


## E


EPimedium quorundam 391.
Ephemeron non lethale veteribus 647.
Ephemeron Matthioli 905.
Erinos, Erineos, vel Echinos Veteribus & in genere 798.
Erinos maior rapunculo affinis 799.
Erinus Dalechampij 812.
Eruca maior ſatiua annua 859.
Eruca Romana ſeu Gentilis 860.
Eruca ſatiua Hiſpanica ibid.
Eruca tenuifolia perennis 861.
Eruca ſilu anguſtifolia flore luteo ibid.
Eruca minimo flore Monſpel. 862.
Eruca inodora ibid.
Eruca purpurea, alijs cærulea 865.
Eruca paluſtris maior fl. albo 867.
Eryſimon Tragi 863.
Eryſimum alterum Matthioli 864.
Eupatorium ſeu Agrimonia 398.
Eupatorium adulterinum 1065.

F

Faalim Theueti Helenio folijs ſimilis 792.
Faba vel Phaſeolus Indicus magnus 274.
Fabæ arboreſcentis ſpecies variæ 275.
Faba, cyanos leguminoſa in genere 378.
Far factitium ex Veteribus 415.
Feſtuca graminea glumis vacuis: effuſa iubæ: & nemoralis lat. folia 479.
Feſtuca iunceo folio C. Bauhini 480.
Feſtuca iunceo folio ſpica gemina C.B. 544.
Feſtuca ſexta Thalij ibid.
Feſtuca pratenſis Lanuginoſa C.B. ibid.
Feſtuca dumetorum Eiuſdem 545
Flos Perſicus Siſymbrio congener 70
Fœnumgræcum ſilueſtre, ſiue Glycyrriza ſilueſtris quibuſdam 330
Fœnugræco ſyl. Tragi affinis planta 331.
Fœnugræcum 363.
Fenugræcum ſilu. Dalechampij 365.
Fragaria ferens fraga rubra & alba 394.
Fragaria non fructifera 395.
Fragiæ Serapionis 191.
Fritillaria nigra 682.
Fructus ſquammoſus cum granis piperis nigri, an Brama Dioſc. 188.

G

GAlanga maior 738.
Galanga minor 739.
Galega 342.
Galega montana Dalechampij 343
Galega nemorenſis verna ibid.
Galega nemorenſi vernæ affinis flore albo 344.
item fl. purp. & albo 345.
Gladiolus ſiue Xyphion 701.
Glaſtifolia Cichoroides Bauhini & Turritis ſecunda Cluſio 836.
Glaux Hiſpanica 341
Glauce Veterum 352
Glaux leguminoſa Herbariorum ibid.
Granadilla Hederæ ſimilis 114
Glycypicros ſiue Amara dulcis 109
Glycyrrhiza 316.
Glycyrrhiza Dioſcor. echinata non repens 327.

H

HAbazelin ſiue Granum Alzelin veterib. 504.
Haermia Serapionis ſiue Piperella 189.
Halicacabum peregrinum ſiue Cor Indum 173.
Hedera veteribus & in genere 110.
Hedera communis maior & minor 111.
Hedera Dionyſias Dalechampij 113.
Hedera Lachryma 114.
Hedypnois ſiue dens Leonis Fuchſij. 1035.
Hedypnois Monſpeſſulana 1036.
Helianthemum vulgare flore luteo 15.
Helianthemum folijs maioribus flore albo 16.
Helianthemum flore albo folio anguſto, hirſuto 17.
Helianthemum tenuifolium glabrum luteo flore 18.
Helianthemum alpinum folio Piloſellæ minoris Fuchſij ibidem.
Helianthemum folio Thymi incano 19.
Helianthemum, ſiue Ciſtus humilis, folio ſampſuchi, capitulis valdè hirſutis 20.
Helianthemum ad numulariam accedens ibid.
Helianthes ſpecies rara coma inflexa vt in Heliotropio ibidem.
Helxine Ciſſampelos 156.
Helxine Ciſſampelos multis, ſiue Conuolulus minor 157.
Helxine ſemine triangulo 157.
Helenium Ægyptium ex genere fortè viciarum 314.
Herba mimoſa 387.
Hermodactyli veterib. 657.
Hemerocallis veterib. 688.
Hermodactyli veterib. 657.
Hemerocallis veterib. 688.
Heſperides flore purpureo albo & vario 877.
Heſperis Pannonica inodora 878.
Heſperis colore ineleganti 879.
Heſperis Syriaca ibid.
Heſperis Syriaca alia 880.
Heſperis Alpina muralis minor ſiue repens ibid.
Heſperidi Alpina ſiue murariæ affinis Draba ſucculenta. ibid.
Heſperidi Alpinæ muriariæue ſimilis ſurrecta & magna 881.
Hypecoon 799.
Hieracium ſtellatum 1014.
Hieracia Veterum 1023.
Hieracium multis, alijs Cichoreum luteum hirſutum & glabrum, vel minus hirſutum 1024.
Hieracij parua ſpecies hyoſeris anguſtifolia aſpera 1025.
Hieracium pulchrum ibid.
Hieracium Erucæfolium hirſutum 1025.
Hieracium pulchrum ramoſum Sprengerianum ibid.
Hieracium latifolium Geneuenſe folio Conyzæ maioris Monſpeſſ. 1026.
Hieracium Pannonicum latifolium Cluſio, Piloſellæ maiori ſiue Palmariæ luteæ accedens maculatum ibidem.
Hieracium capitulis Cardui benedicti, maximum Bugloſſum echioides quibuſdam 1028.
Hieracium aſperum maiori flore in agrorum limitibus 1029.
Hieracium rectum rigidum quibuſdam Sabaudum 1030.
Hieracij Sabaudi varietas duplex ibid.
Hieracium minus præmorſa radice ſiue Fuchſij 1031.
Hieracium Macrocaulon iunceum ſiue minus primum Dodonæo ibid.
Hieracium montanum maius latifolium ibid.
Hieracium latifolium glabrum ex valle Griesbachiana 1033.
Hieracium latifolium præmorſa radice, caule ſingulari, Piloſellæ maiori affine 1033.
Hieracium montanum laciniato folio lanuginoſo Cluſio 1037.
Hieracium Narbonenſe rotundifolium caule aphyllo, & hierarcium caule aphyllo hirſutum ibid.
Hieracium paruum hirtum caule aphyllo criſpum vti ſiccatum 1038.
Hieracium montanum 6. Cluſio anguſtifolium ibid.
Hordeum veterib. & neotericis in genere 419.
Hordeum diſtichum 429.
Hordeum Hexaſtichum pulchrum 429.
Hordeum Polyſtichum ibid.
Hordeum dictum Germanis Oriza 429.
Hordeum nudum ſiue Gymnocrithon 430.
Hordeum murinum 431.
Hordeum vrens vona Hiſpaniæ ibid.
Holoſtium Matthioli iunceum ibid.
Hyacinthi parui facie gramen Triglochin 508.
Hyacinthi hiſtoria ex veter. ſententia 571.
Hyacinthus vernus Botryoides minor cæruleus, anguſtioribus folijs, odoratus 571.
Hyacinthus Botryoides vernus minor, latifolius, cæruleus, inodorus 572.
Hyacinthus Botryoides albus 573.
Hyacinthus autumnalis minimus maior 574.
Hyacinthus maximus Botryoides coma cærulea 574.
Hyacinthus Orientalis quibuſdam Conſtantinopolitanus 575.
Hyacinthus brumalis albus 577.

Hyacinthus minimus ſerotinus floſculis hyacinthi Orientalis 578.
Hyacinthus odoratiſſimus dictus Tibcadi, & Muſcari 578.
Hyacinthus odoratiſſ. Tibcadi luteus 579.
Hyacinthi Tibcadi lutei varietas ſiue Muſcari lutei præcox ibid.
Hyacinthus ſtellatus bifolius, & trifolius vernus dumetorum flore cæruleo, & albo ibid.
Hyacinthus ſtellaris albicans ſerotinus 580.
Hyacinthus ſtellaris vernus paruulus, flore ex cæruleo cinereo 581.
Hyacinthus ſtellaris albicans ſerotinus 580.
Hyacinthus ſtellaris vernus paruulus, flore ex cæruleo cyreneo 587.
Hyacinthus ſtellaris maior. ibid.
Hyacinthus ſtellatus æſtiuus minor 581.
Hyacinthus varius ibid.
Hyacinthus ſtellatus Byzantinus 582.
Hyacinthus ſtellatus æſtiuus 583.
Hyacinthus trifolius Theophraſt. Lobel. ibid.
Hyacinthus comoſus Byzantinus Candicans cum ſtaminulis purpureis ibid.
Hyacinthus Comoſus albus cum cæruleis ſtaminib. 584.
Hyacinthis affinis Planta. ibid.
Hyacinthus Peruuianus 585.
Hyacinthus Angelicus ſiue Belg. ibid.
Hyacinthus Hiſpanicus 586.
Hyacinthus ſtellaris cinereus ibid.
Hyacinthus totus albus Campanilla ibid.
Hyacinthus flore rubro ibid.
Hyacinthus obſoletior Hiſp. Anglico ſimilis 587.
Hyacinthus minor Hiſpan. anguſtifolius cæruleus & albus ibid.
Hyacinthus minor Hiſpanicus obſoleto flore 588.
Hyacinthus Indicus tuberoſa radice ibid.
Hyacinthus Mauritanicus ibid.
Hyacinthus latifolius Dalechampij ibid.
Hyacinthus liliofolius ſtellatus 589.
Hyacinthus Tripolitanus ibid.
Hyacinthus ex Thracia ibid.
Hetich Theueti 791.

## I.

Iacobæa Pannonica folio non laciniato 1056.
Iacobæa Marina ſiue Cineraria ibid.
Iacobæa vulgaris 1057.
Iacobæa Pannonica latifolia ibid.
Iberis Fuchſij ſiue Naſturtium pratenſe ſylueſt. & flore pleno 879.
Iberidi Fuchſij affinis Trifolia Cardamine 890.
Iberidi Fuchſij aliquatenus ſimilis Cardamine Dalechampij odorata 891.
Iberidi Fuchſij vel Naſturtio aquatico affinis Cardamine Alpina media Cluſij ibid.
Iberis & Lepidium Veteribus & in genere 915.
Iberis 918.
Iaſminum ſiue Gelſeminum flore albo 107.
Iaſminum Hiſpanicum flore maiore 101.
Iaſminum ſiue Sambach Arabum Alpino 102.
Iaſminum ſiue Gelſeminum luteum & cæruleum ibid.
Iaſione veterib. 155.
Intyba, ſerides & Cichoria ex veteribus 1006.
Intybum Satiuum triplex 1011.
Iridis bulboſæ ſpecies variæ 703. & ſequentibus
Iridi bulboſæ affine ſiſyrinchium minus ibid.
Iris vulgaris violacea ſiue purpurea hortenſis & ſylueſtris 709
Iris ex Veterum ſententia ibid.
Iris Dalmatica maior 715
Iris Dalmatica minor 716.
Iris dilutè cærulea inuolucro albo fortè Dalmatica ibidem.
Iris Luſitanica verna violacea, Cluſ. Maior latif. nona cum venis purpureis 717.
Iris altiſſ. bicolor cæruleo obſoleto cinereóue mixta 718.
Iris flore albo 719.
Iris lutea, folijs florum repandis variegatis 720.
Iris latifolia maior Suſiana vel Chalcedonica flore maiore variegato Cluſio prima 721.
Iris biflora Luſitanica flore violaceo Cluſio 722.
Iris flore violaceo fuſco virente, an Cluſii 25. caule folijs nudo 723.
Iris humilis latifolia colore violaceo, & ſaxatilis eadem, nec valde ſimilis, Cluſ. primum genus. Chamæiris nitea 723.
Iris humilis latifolia maior acaulis: Cluſ. Chamæiridis latifoliæ genus alterum 724.
Iris humilis latifolia minor, & eius varietates quinque ibid.
Iris humilis latifol. minor elegantiſſ. variepicta, Cluſ. Chamæiris 725.
Iris anguſtifolia minor Cluſii quarta 726.
Iris graminea cui pereunt quotannis folia 727.
Iris tenuifolia maior flore cæruleo & ſtriato anguſt. ibid.
Iris anguſtifolia flore albo 728.
Iris tenuifolia flore violaceo an Cluſii 729.
Iris tenuifolia Michel Feldenſis ſpontanea, fortè Cluſii anguſtifolia maior ſiue prima 729.
Iris Tripolitana folijs longiſſimis flore aureo 730.
Iris Tuberoſa Belgarum ibid.
Iris Paluſtris lutea ſiue Acorus Adulterinus 732.
Irio, ſiue Eryſimum Veteribus 862.
Iſopyron veterib. 304.
Iſopyron Cæſalpini ibid.
Iuncus Alpinus cum cauda Leporina 514.
Iuncus Alpinus Bombycinus 515.
Iunci genus Euripice 519.
Iuncus panicula arundinacea 520.
Iuncus Matthioli ibid.
Iuncus pungens ibid.
Iuncus acutus maritimus C.Bauh. 521.
Iuncus foliaceus 511.
Iuncus foliaceus capſulis triangulis 521.
Iuncus trifidus ibid.
Iuncus maximus holoſchenos 522.
Iuncus paruus cum Pericarpijs rotundis ibid.
Iuncus humilis ibid.
Iuncus exiguus montanus Caſ. Bauh. ibid.
Iuncus foliatus minimus 523.
Iuncus minimus fortis admirabilis ibid.
Iuncus paruus montanus ibid.
Iuncus capitulis longis ibid.
Iuncellus Capitulis Equiſeti minor & fluitans C. Bauhini ibid.
Iuncus lanis, ſeu ſcirpus Indicus Caſp. Bauh. 524.
Iuncus Syluaticus Tabernamont. ibid.
Iunci genus medulla prorſus niuea Hiſt. Lugd. ibid.
Iuncus acumine reflexo maior ibid.
Iuncus acumine reflexo alter ibid.
Iuncus floridus ibid.
Iuncus floridus minor C. Bauh. 525.

## L

Lactuca, Thrydax veteribus 995.
Lactuca ſatiua vulgaris capitata & non capitata 997.
Lactuca rubra 998.
Lactuca Romana longa dulcis ibid.
Lactuca longo & valdè anguſto folio 999.
Lactuca criſpa laciniata ibid.

Lactuca

*Lactuca criſpa & tenuiter diſſecta* ibid.
*Lactuca ſilu. ſiue endiuia multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo* 1003.
*Lactuca ſilu. murorum flore luteo* 1004.
*Lactucæ murorum affinis Sonchus Dendroides Dalechā pij* ibid.
*Lactuca ſilu. purpurea* 1005.
*Lampſana veteribus* 1028.
*Lampſana Dodonæi* ibid.
*Lachryma Iobi multis, ſiue milium arundinaceum* 449.
*Lapathum, Oxylapathum, & Hippolapathum, ac de ijs Veterum ſententiæ, & in genere* 987.
*Lapathi ſpecies variæ* pag. 983. & ſequentibus
*Lathyrus ſiue cicercula in genere.* 302.
*Lathyri maioris ſpecies flore rubente, & albido, minore, dumetorum, ſiue Germanic.* ibid.
*Lathyrus maior latifolius, flore maiore purpureo ſpecioſior* 303.
*Lathyrus maior Narbonenſis anguſtifolius* 304.
*Lathyri ſpecies lutea* ibid.
*Lathyrus luteus ſylu. dumetorum* ibid.
*Lathyrus ſiliqua hirſuta* 305.
*Lathyri ſpecies quæ Eruilia ſilu. Dodonæi* 305.
*Lathyrus anguloſo ſemine* 306.
*Lathyrus flore rubro & alius albo* 307.
*Lathyrus quidam, quibuſdam Ægyptia Aracus* 308.
*Lathyrus folio tenuiore florib. rubris* ibid.
*Lagopus Trifolius quorundam* 177.
*Ledum, & Ladanum* 6.
*Lens* 317.
*Leporis auricula Cæſalpini* 309.
*Leucoium bulboſum Hexaphillon cum vnico flore, rariùs bino* 590.
*Leucoium bulboſum minus Triphyllon* 591.
*Leucoium bulboſum præcox Byzantinum* ibid.
*Leucoium bulboſum Polianthemum tardiùs florens floribus minoribus* 592.
*Leucoium Triphyllon flore cæruleo Someri* ibid.
*Leucoium bulboſum autumnale minus tenuif.* 593.
*Leucoio bulboſo ferè affinis Bulbus flore intus luteo, foris purpureo* ibid.
*Leucoio bulboſo ferè affinis Bulbus quidam* ibid.
*Leucoium ex veterum ſententia* 871.
*Leucoii ſpecies variæ* 872. & ſequentibus
*Leucoium cum ſiliquis rotundis flore luteo* 931.
*Leucoium ſpinoſum, ſiue Thlaſpi ſpinoſum aliis* 931.
*Leucoium luteum ſpinoſum* 931.
*Lepidium Pauli* 940.
*Lepidium non repens* 941.
*Libanotidis ſpecies Rondeletii* 25.
*Lilium Alexandrinum ſiue Ornithogalum magnum Syriacum* 629.
*Lilium album vulgare* 685.
*Lilium album Syriacum Rauvvolfii* 687.
*Lilium rubens vel croceum maius* 688.
*Lilium rubens vel croceum minus* 689.
*Lilium Phœniceum dilutum* 690.
*Lilium cruentum latifolium* ibid.
*Lilium Bulbiferum maius* ibid.
*Lilium bulbiferum incanum* 691.
*Lilium bulbiferum repens* ibid.
*Lilium Croceum flore pleno* 692.
*Lilium bulbiferum cruentum anguſtifolium* ibid.
*Lilium flore nutante ferrugineo duplex, maius & minus* ibid.
*Lilium flore nutante albo* 694.
*Lilium flore nutante maximum* ibid.
*Lilium flore miniato, ſiue Hemerocallis Chalcedonica aliquibus* 695.
*Lilium præcox nutante flore rubro* 696.
*Lilium nutante flore flauo* 697.
*Lilium Perſicum ſiue Suſianum* 699.
*Lilium Aſphodeli radice luteum, ſiue Lilio Aſphodelus quorundam flore luteo* 700.
*Lilium radice Aſphodeli phœniceum, ſiue Lirio Aſphodelus quibuſdam* 701.
*Lignum Colubrinum in genere* 169.
*Lobus cum ſeminibus conuoluulo maiori accedentibus* 166.
*Lobus Aethiopico piperi ſimilis, acris* 188.
*Lobus Cartilagineus ex Inſula Mauritii, Phaſeolo ſiue Fabâ nigra* 272.
*Lobus peregrinus cartilagineus, Phaſiolo ex puniceo nigro tanquam annulo cincto.* 273.
*Lobus quadrangularis* 278.
*Lobus membranaceus planus niger* ibid.
*Lotus in genere* 353.
*Lotus ſatiua veterbus* 354.
*Lotus ſatiua veterum* ibid.
*Lotus corniculata glabra & hirſuta minor* ibid.
*Loti Corniculatæ maior ſpecies* 355.
*Lotus Corniculata ſiliquis ſingularibus vel binis, tenuis* 356.
*Lotus ſil quoſa flore fuſco tetragonolobus* 358.
*Loto ſiliquoſæ aliquomodo ſimilis Coronopus, ex Cod. Cæſar* ibid.
*Lotus Ornithopodii ſiliquis* ibid.
*Lotus ſiliquoſa lutea Monſpelienſis* 359.
*Lotus ſatiua, odorata annua flore cæruleo* 359.
*Lotus ſilu. ex Cod. Cæſar.* 375.
*Lolium quintum Trago Hordei granis ariſtis non admodum multis* 436.
*Lilium gramineum ſpicatum* 437.
*Lopulus mas & fœmina* 151.
*Lupinus in genere eiuſque ſpecies variæ* 288. & ſequ.
*Lupinus ſilu. Italorum ruſticorum Cæſalp. dictus* 314.
*Lunaria maior ſiliqua rotundiore* 881.
*Lunaria maior ſiliqua longiore* 882.
*Lunaria biſcutata* 935.
*Lunaria peltata minima quibuſdam ad Thlaſpi referenda* ibid.
*Lyſimachion veteribus* 901.
*Lyſimachiæ ſpecies variæ* ibid. & pag. ſequentibus.

M

*Maleagris ſiue Fritillaria ſaturatior & delutior* 681. & 683.
*Malua Veteribus & in genere* 947.
*Maluæ ſpecies variæ* 949. & ſequentibus.
*Malinathalle Theophr. & Anthalium Plinio* 504.
*Martagon albicans pictum ad iconem cum coloribus* 694.
*Martagon flore luteo præcox* 697.
*Manihot Theueti Iucia & Caſeari* 794.
*Melones* 242. & ſequentibus
*Melilotus in genere eiuſque ſpecies variæ* pag. 349. & ſequentibus.
*Mel Stillitium* 620.
*Meleagris ſiue fritillaria Pyrenæa flore minore* 683.
*Meleagris ſiue fritillaria Aquitanica reflexis oris* ibid.
*Meleagris ſiue Fritillaria flaua* 684.
*Medium Dioſc. Rauvvolf.* 805.
*Medica in genere* 382.
*Medicæ ſpecies variæ* 387. & ſequentibus
*Mechoacan* 149.
*Melegueta* 208.
*Milium* 446. & 447.
*Miagri ſpecies variæ* 892. & ſequentibus
*Miagri ſpecies variæ* 892. & ſequentibus.
*Moly* 562. & ſequentibus.
*Muſtum* 87.
*Mungo* 189.
*Myrto Ciſtus Pennæi florib. luteis oblongis* 21.

mercurialis pag 977

*Myagrum Veteribus & in genere* 891.

N

*NAſturtium Indicum folio peltato ſcandens* 175.
*Naſturtium Indicum fol. anguloſo* 176.
*Naſturtij Indici putata ſiliqua Peruuiana* 176.
*Nachani Garciæ* 417.
*Narciſſus Cyprius luteus polyanthes flore pleno* 595.
*Narciſſus folijs floris albis, oblongo calice luteo* 597.
*Narciſſus Iuncifolius omnino albus calyce longo* 598.
*Narciſſus Iuncifolius albus calyce magno* 599.
*Narciſſus in genere* ibid.
*Narciſſus Medio purpureus flore pleno* 602.
*Narciſſi variæ aliæ ſpecies ibidem & ſequ. vſque ad pag.* 609.
*Narciſſus Perſicus croci flore melino, Colchicis affinis* 661.
*Narciſſus autumnalis minor & ſimiles plantæ* 662.
*Narciſſus Africanus bifolius ſiue exoticus* 679.
*Narciſſus Africanus folio rotundiore* ibid.
*Napus* 842.
*Napus ſylueſtris* 483.
*Naſturtium veteribus* 911.
*Naſturtium vulgare* 912.
*Naſturtium criſpum Ioh. Bauhini* 915.
*Naſturtium latifolium Dioſcorideum Ioh. Bauhino* ibid.
*Naſturtiolum Alpinum Capſ. Naſturtium vulgar. Ioh. Bauh.* 918.
*Naſturtiolum Alpinum tenuiſſimè diuiſum* ibid.
*Naſturtium ſylu. Valentinum Cluſio* 920.
*Naſturtium vel Thlaſpi maritimum* 927.
*Nerium Alpinum quibuſdam, alijs Ledum glabrum, & hirſutum* 21.
*Nerium ſiue Rhododendrum flore rubro & albo* 140.
*Nerij facie arbor* 142.
*Nerij ſiliquæ effigie Kaye Baka* ibid.
*Nil Arabum quibuſdã ſiue conuoluulus cæruleus* 164.
*Negundo arbor mas & fœmina* 188.
*Noli me tangere* 909.

O

*Ornithopodio affinis vel potius ſoleæ, vel ferro equino, herba* 343.
*Ornithopodium flore flaueſcente* 350.
*Ornithopodium tuberoſum Dalechampij* 351.
*Ornithogalum Cœruleum pallens, & ornithogalum Hiſpanicum minus* 621.
*Ornithogalum pallido flore* 624.
*Ornithogalum luteum minus* ibid.
*Ornithogalum veterib.* 627.
*Ornithogalum ſpicatum flore virente* 627.
*Ornithogalum ſpicatum albo flore Monſpeſſ.* 628
*Ornithogalon Creticum & Pannonicum albo flore* 629.
*Ornithogalum vulgare & verius maius & minus.* 630.
*Ornithogalum Neapolitanum* 631.
*Orobus ſiue Eruum in genere* 317.
*Orobus ſiue Eruum multis* 321.
*Orobæum cicer Lobelij* 322.
*Orobo ſimilis Lathyrus Cretenſis Honorij Belli* ibid.
*Orobo ſimilis Aracus Cretenſis eiuſdem* ibid.
*Ochros in genere* 295.
*Omphacium* 84.
*Onobrichis in genere* 336.
*Onobrichis purpureo flore* 337.
*Onobrichis ſubcæruleo flore* ibid.
*Onobrichis pallido flore* ibid.
*Onobrichis Cæſalp.* 342
*Oriza veteribus* 450.
*Oriza in genere* 451
*Oriza Indiæ orientali peculiaris* 453.
*Orchis ſiue Teſticulus in genere* 755.
*Orchis barbata fœtida* 756.
*Orchis galea & alis ferè cinereis* 757.
*Orchis ſtrateumatica maior* 758.
*Orchis ſtrateumatica minor* ibid.
*Orchis ornithophora folio maculoſo* 759.
*Orchis magna latis folijs, galea nigricante.* ibid.
*Orchis alius purpureus, alius ex roſeo candidus Tragi ſiue quartus* 760.
*Orchis maior tota purpurea non maculata* 760.
*Orchis Ornithophora flore colore herbaceo* 761.
*Orchis Ornithophora candida* ibid.
*Orchis minor purpurea & aliorum colorum* ibid.
*Orchis ſiue Cynoſorchis tertius Dodon.* 762.
*Orchis maior tota purpurea* 763.
*Orchidis genus paruum* ibid.
*Orchis paruo flore rubro ſiue phœniceo* 764.
*Orchis minor folijs tenuioribus reflexis flore punicante* ibid.
*Orchis Batauica* ibid.
*Orchidum quarundam Icones* ibid.
*Orchis minor anguſtifolius* 765.
*Orchis paruis floribus, multis punctis notatis,* ibid.
*Orchis rotundus Dalechampij* ibid.
*Orchis ſiue teſticulus maximo flore* 766.
*Orchis fuciflora* ibid.
*Orchis melittias* 767.
*Orchis ſiue teſticulus ſphegodes hirſuto flore* ibid.
*Orchis Myodes* ibid.
*Orchis Serapias tertius Dodon. & Myodes Lobelio* ibid.
*Orchis Myodes flore grandiuſculo* 768
*Orchis Myodes lutea* ibid.
*Orchis parua autumnalis lutea* ibid.
*Orchis Friſia hirſuta* 769.
*Orchis ſiue triorchis lutea tertia* ibid.
*Orchis ſpiralis alba odorata* ibid.
*Orchis radice repente* 770.
*Orchis Lilifolius minor* ibid.
*Orchis alba calcari longo* 771.
*Orchis hermaphroditica bifolia* 772.
*Orchidis genus quibuſdam ſatyrion caſtratum* 772.
*Orchides, Culices minores triphyllæ* ibid.
*Orchis Batrachites* ibid.
*Orobanche & Hæmodorum Veteribus & in genere* 779.
*Orobanche flore maiore* 780.
*Orobanche flore minore* 781.
*Orobanche minor purpureis floribus ſiue ramoſa* ibid.
*Orobanche magna purpurea Monſpeſſulana* 782.
*Orobanche affinis nidus auis* ibid.
*Orobanche & nido auis affine Pſeudo λιμόδωρον Auſtriacum violaceum* ibid.
*Oxalis vulgaris* 989.
*Oxalis criſpa* 990.
*Oxalis ſyluatica maxima* ibid.
*Oxalis folio ampliſſimo geniculis tuberoſis* 991.
*Oxalis Tuberoſa radice* ibid.
*Oxalis folio rotundiore repens* ibid.
*Oxalis minor aculeata Candiæ* ibid.
*Oxalis parua auriculata repens* 992.
*Oxalis Africana* ibid.
*Oxis ſiue Trifolium acidum* 387.
*Oxys lutea* 388.

P

*Palmata Satyria in genere* 773.
*Palmata non maculata.* 774.
*Palmata ſpecioſiore tyrſo, folio maculato* ibid.
*Palmata maculata* 775.
*Palmata alba.* ibid.
*Palmata ſiue Serapias paluſtris* ibid.

Palmata ſiue Orchis Pannonica ibid.
Palmata Serapias paluſtris leptophylla, violacea, maculata & non maculata 776.
Palmata anguſto folio paluſtris ibid.
Palmata Serapias montana. ibid.
Palmata floribus impensè rubris 777.
Palmata paluſtris Nephelodes ibid.
Palmata ſiue Cynoſorchis macrocaulos galericulata C. Gemmæ ibid.
Palmata Caryophyllata ibid.
Palmata anguſtifolia maculata purp. ibid.
Palmata rubella cum longis calcaribus 778.
Palmata minor odoratiſſima. ibid.
Panicum ſilueſtre dictum & dens Canis 443.
Panicum vulgare puniceum 440.
Panicum cæruleum ſiue Indicum 441.
Panici Americani ſeſquipedalis ſpica ibid.
Pentaphyllon Veteribus 396.
Pentaphyllum vulgare repens 397.
Pentaphyllum rectum 398.
Pentaphyllum Alpinum ſplendens ibid.
Pentaphyllum minus molli lanugine pubeſcens ibid.
Pentaphyllum paruum hirſutum ibid.
Pentaphyllum minus folio ſubtus albicante ibid.
Pentaphylli recti ſpecies variæ ibid.
Pancratium Veteribus 610.
Pancratium Monſpeſſulanum multis Scylla alba parua 611.
Pancratium Indicum 613.
Pancratium alterum Vernum Indicum 614.
Papyrus Nilotica 507.
Parietaria 976.
Pauate arbor folijs mali aureæ 102.
Pentaphyllum vel potiùs heptaphyllum flore rubro ibidem.
Pentaphylloides ſupinum ibid.
Pentaphylloides erectum ibid.
Pentaphyllum folijs infernè & ſupernè incanis ibidem
Pentaphyllum ſiue potiùs heptaphyllum flore muſcoſo ibid.
Pentaphyllum Indicum ibid.
Pentaphylli effigies Leucas quibuſdam ibid.
Periclymenum veteribus 103.
Periclymenum plurimis ſiue Caprifolium duplex perfoliatum & non perfoliatum 104.
Periclymenum rectum, fructu rubro & nigro 106.
Periclymeno ſimilis 107.
Periclymenum rectum folio ſerrato ibid.
Periclymenum rectum fructu cæruleo 108.
Periclymenum paruum Prutenicum Cluſii ibid.
Pepo indicus minor anguloſus 226.
Phaſelus, Phaſeolus, Phaſiolus, Dolichus, Smilax hortenſis in genere 253.
Phaſeli ſeu Phaſioli ſexaginta circiter ſpecies variæ pag. 258.259.260.
& ſequentibus vſque ad pag. 278.
Piper nigrum 181.
Piper nigrum Cluſii 182.
Piper nigrum Acoſtæ 183.
Piper abortiuum, Braſma 184.
Piper album ibid.
Piper Inſulæ Taprobane candidius Molaga 185.
Piper caudatum ibid.
Piper longum ibid.
Piper longum Monardis 186.
Piper longum Cluſii ibid.
Piper ex Florida 187.
Piper Æthiopicum ſiliquoſum ibid.
Piſum in genere ex veteribus & neotericis 295.
Piſa potiſſimum vulgaria, parua, alba, ſiue aruenſia 297.
Piſi pulchra ſpecies folio anguloſo ibid.
Piſi minora ex purpureo variegata, viciæ ſimilia 298.
Piſa parua viridia ibid.
Piſa minora rubra variegata ibid.
Piſa magna, rubra variegata ibid.
Piſa maiora, alba 299.
Piſum erectius comoſum ibid.
Piſa ſine tunicis durioribus in ſiliqua magna alba 300.
Piſum Guineæ album ſiue Cicer ibid.
Piſum Braſilianum flaueſcens area fuſca germen cingente 301.
Piſum Braſilianum phœniceum, & nigrum ibid.
Piſum Indicum variagatum ibid.
Piſum Indicum quoddam rotundum, fuſcum ibid.
Piſum Indicum maius nigrum ibid.
Piſum Indicum vmbilico eminente ibid.
Piſa Indica folijs longiuſculis ibid.
Piſum ſylueſtre
Polygalon veteribus 309
Polygalon Geſneri 335.
Polygalum minus ſaxatile ibid.
Polygalo Geſneri affine caput Gallinaceum ibid.
Polygalo Geſneri ſimilis planta 349.
Polygalon cortuſi 351
Polygala quibuſdam ibid.
Potentilla ſiue Argentina 398.
Porrum 551.
Porrum ſectiuum, & Schœnophraſſon quibuſdam 553.
Pſeudo china radix cluſ. 122.
Pſeudo Aſphodelus quibuſdam 634.
Pſeudo-narciſſus albo flore cluſii 597.
Pyramidalis Valerandi hirſuta 808.
Pyramidis læuis ibid.

Q

Quamoclit 177

R

Radix Quimbaya. 151.
Radix purgatiua Indica maltaliſta ibid.
Radix Caroli ſancti, folijs Lupuli 153.
Radix Malacæ quædam toxicis ſagittis reſiſtens 173.
Radix S. Helenæ Galangæ ſpecies: 740.
Rapunculus vulgaris campanulatus 795.
Rapunculi genus folio ſerrato rotundiore 798.
Rap. montanus, ſiue Franchelium montanum 808.
Rap. ſpicatus ſiue comoſus albus & cæruleus: itémque folio maculato 809.
Rap. flore globoſo purpureo 810.
Rap minimus folio tenui gramineo ibid.
Rap. Alpinus paruus comoſus 811.
Rap. comoſo ſpicato aliquatenus affinis ex Baldo ibid.
Rap. Sonchi facie vmbellatus ibid.
Rap. Creticus Petro-marula ibid.
Rapum ſatiuum rotundum & oblongum 838.
Rapum ſylueſtre γογγύλη ἀγρία veteribus 841.
Rapum ſylu. Matthioli ibid.
Rapiſtrum flore luteo 844.
Rapiſtrum Monoſpermon 845
Rapiſtri genus Auſtriacum 846
Rapiſtrum flore albo ſtriato, ſinapi agreſte album Trago 851.
Raphanus 846.
Raphanus Byzantinus 850.
Raphanus Ramula Cretenſibus dicta ibid.
Raphanus ſylu. veterum ibid.
Raphanus ſylu. Matthioli ibid.
Raphanus ſylu. ſiue Armoracia multis 851.
Raphanus aquaticus Tabern. 867.
Radicula ſylu. ſiue paluſtris 866.
Rhaponticum 986.
Rhabarbarum ibid.
Ribes vulgaris acidus rubens 97.
Ribes vulgaris acidus, albas baccas ferens 98.

Ribes flore rubente ibid.
Ribes monocarpos ibid.
Ribes Alpinus dulcis ibid.
Ribes nigrum dictum folio olente ibid.
Ribes verum Arabum 99.
Ribes Rauvvolfii, aut illi congener planta 100.
Roſmarinus ſylueſtris quorundam 23.
Roſmarinus ſylu. ἄοσμος Cluſio. 24.
Roſm. ſylu. minor Camerarij ibid.
Roſm. Coronarius fruticoſus 25.
Roſa. 27.
Roſa rubra, flore valdè pleno, & ſemipleno, & ſimplici ferè 34.
Roſa Hierico 209.
Roſa Achantos, flore pleno: coloris rubelli 35.
Roſa ſine ſpinis, colore penè fæcum vini rubri ibid.
Roſa pumila Pannonica flore rubello 35.
Roſa ſylu. rubella paruo frutice ibid.
Roſa rubello flore maiore multiplicato ſiue pleno, incarnata vulgò 36.
Roſa folio criſpo, flore rubello ſiue incarnato. 37.
Roſæ rubellæ ſiue incarnatæ ſimilis ibid.
Roſa Preneſtina alba verſicolor ibid.
Roſa Hollandica rubella, plena quibuſdam centifolia ſpinoſo frutice ibid.
Roſa centifolia Batauica altera 38.
Roſa pomo ſpinoſo, folio hirſuto ibid.
Roſa pomifera Venetijs, Sprengeri, folio hirſuto ibid.
Roſa ſpinoſiſſima hirſuta idid.
Roſa minor rubello multiplicato flore aſperis ſpinis armata ibid.
Roſa cinnamomea floribus ſubrubentibus ſpinoſa 39.
Roſa rubello flore paruo, ſimplici, non ſpinoſa ibid.
Roſa ſylu. pomifera Lobelio, flore rubello, ſine ſpinis pumila, eadem fortè cum præcedenti 40.
Roſa pumila ſpinoſiſſima foliis Pimpinellæ, glabri flore albo 40.
Roſa ſpinoſiſſima pumila flore rubro 41.
Raſa aruina Tabern. ſpinoſa ibid.
Roſa minima ibid.
Roſa foliis odoratis Eglentina dicta ibid.
Roſa Eglentina flore pleno 43.
Roſa ſylueſtris, folio Eglentinæ virente, albo flore & rubello ibid.
Roſa ſylu. alba cum rubore, folio glabro ibid.
Roſa ſylu. folio glabro, flore planè albo 44.
Roſa ſylu. alba, cum aliquo rubore, folio hirſuto ibidem
Roſa candida plena & ſemiplena ibidem.
Roſa lacteola 45.
Roſa humilis ibid.
Roſa moſchata maior ibid.
Roſa moſchata minor flore ſimplici ibidem.
Roſa moſchata minor flore pleno 47.
Roſa Succharina plena ibidem.
Roſa lutea ibidem.
Roſa lutea flore pleno 48.
Roſa ſubuiridis & cærulea ibidem.
Roſa ſemper virens Cluſ. ibidem.
Roſarum collectio, delectus, repoſitio, & ſubſtitutio ibid.
Roſarum vires & vſus 49.
Rubus maior fructu nigro 57.
Rubus minor fructu cæruleo 59.
Rubus Idæus ſpinoſus fructu rubro, & albo ibidem.
Rubus Idæus non ſpinoſus 60.
Rubus ſine ſpinis Valentinus 61.
Rubus Alpinus humilis ibidem.
Rubo Idæo minori affinis Chamæmorus 62.
Rubi facie ſenticoſa planta Lobelio 63.


S


SApa ſiue Hepſema 87.
De Sambach ſeu Zambach & Iaſmino quædam in genere 100.
Saccharum Candum 536.
Saccharum Candum violaceum 537.
Saccharum Penidium 538.
Saccharum candum roſaceum ibid.
Saccharum cinnamomeum ibid.
Saccharum Alheiſar ibidem.
Satyrium quorumdam Erythronium bifolium flore vnico radiato albo & purpureo 680.
Satyrium veteribus in genere 755.
Satyrium Erythronium Matth. 779.
Scammonea Monſpeliaca flore paruo 136.
Scammonea & Scammonium veterib. & in genere 160.
Scammonea Syriaca flore maiore conuolucli 163.
Scammonium, ſuccus Scammoneæ denſatus 164.
Scorpioides Leguminoſa 349.
Scorpioides leguminoſa altera 350.
Scopa Regia veterum 868.
Scorpioides ex ſententia veterum 898.
Scorpioides ſiliqua Campoide hiſpida ibid.
Scorpioides montanum 899.
Scorodothlaſpi Vliſſis Aldroandi 932.
Scorodopraſſum dictum 558.
Schœnanthos ſiue Iuncus odoratus 515.
Scilla veteribus 614.
Scilla rufa magna vulgaris 615.
Scillæ magna alba 618.
Scythice radix veteribus 328.
Securidaca flore luteo, ſiliqua lata oblonga 345.
Securidaca altera ſiue minor 347.
Securidacæ genus Triphyllon 373.
Secale 416.
Secale latifolia C. Baub. 417.
Secale luxurians C. Baub. quid? ibidem.
Senphium Germanicum ſiue Sophia quibuſdam 886.
Seſamum veteribus 895.
Seſamum 896.
Senecio ſiue Erigeron veteribus 1041
Senecio vulgaris ſiue Erigeron ibidem.
Senecio hirſutus, viſcidus, maior, odoratus 1042.
Senecio folio non laciniato 1043.
Senecio ſiue Erigeron cæruleus, aliis Conyza cerulea ibidem.
Sicyopepon compreſſus rotundus, Melonis effigie 226.
Σικυος, Σικυα, Σινυς, πέπων ϰ̀ Μελοπέπων, Cucumis Pepo, & Melopepon, veteribus & neotericis 238.
Siſyrinchium veteribus 707.
Sinapi veteribus & in genere 852.
Sinapi ſiliqua latiuſcula glabra ſemine rufo, ſiue vulgare 855.
Sinapi album ſiliqua hirſuta, ſemine albo & rufo 856.
Sinapi Eryſimo Tragi cognatum ſiue ſimile 857.
Sinapi ſylueſtre Monſpeſſulanum 858.
Sinapi Geneuenſe ſylueſtre ibid.
Sinapi Monſpeſſulanum ſiliquâ aſperâ hirſutâ ibid.
Sinapi Echinatum ibid.
Sinapi agreſte flore purpureo 866.
Sinapi aquaticum Patauinum 867.
Siſymbrium Cardamine, ſiue Naſturtium aquat. 884.
Siſymbrium Cardamine ſiue Naſturtium aquaticum flore maiore elatius 885.
Siſymbrij Cardaminis ſpecies quædam inſipida 886.
Sium ſeu Lauer Matth. ſiliquoſum 887.
Siſymb. cardamine hirſutum minus flore purpureo 888.
Smilax aſpera 115.
Smilax aſpera minùs ſpinoſa fructu nigro 116.
Smilaci affinis Salſaparilla 117.
Smilax aſpera Zacynthi Alpino ibid.
Smilax leuis veteribus 154.
Smilax hortenſis 255.
Smilax hortenſis, ſiue Phaſiolus Anagyridi ſimilis ferè, colore rubeſcente 261.
Sonchus cæruleus latifolius 1005.

Sonchus minus laciniosa mitior, ſiue minus ſpinoſa, & aſperior ſiue ſpinoſior 1014.
Sonchus laciniatus non ſpinoſus & ſpinoſus 1015.
Sonchus repens, multis Hieracium maius 1017.
Sonchus affinis Terracrepola 1018.
Sonchus lanatus Delechampij 1016
Sorghi 447.
Sorghi album, Milium Indicum, Dora, 448.
Soldanella montana quibuſdam 817.
Spartium ſpicatum, pungens, Oceanicum 511.
Spartum marinum, ſiue Oceanicum latifolium. 512.
Spartum paruum Lobelio 513.
Sparganium quibuſdam 541.
Sparganium alterum ibid.
Sparganium minimum Bauhin. ibid.
Sparganium Plācæ Narciſſo ſimile flore albo Lilij 663.
Spatula fœtida, plerifque Xyris 731.
Spinachia mas & fœmina 963.
Spinachia ſemine non pungente, folio maiore rotundiore 964.
Symphonie Dalech. quę Amaranthus tricolor 970.

T

Telephium veteribus 889.
Telephium Scorpioides ibid.
Tetragonolobo Loto ſimilis ſiliqua 359.
Thlaſpi anguſtif. Fuchſ. Naſturtium ſylu. Io. Bauh. 914.
Thlaſpi veterib. & in genere 920.
Thlaſpi vulgatius 921.
Thlaſpi capſulis hirſutis 922.
Thlaſpi cum ſiliquis latis 923.
Thlaſpi Creticum quibuſd. flore rubente & albo 924
Thlaſpi vmbellatum aruenſe amarum 925.
Thlaſpi paruum vmbella. o flore niueo odorato 925.
Thlaſpi vmbellatum tenuiter diuiſo folio amarum Narbonenſe ibid.
Thlaſpi folijs globulariæ 926.
Thlaſpi folijs globulariæ affine ſiue Alſinefolia cū Myagri folijs ibid.
Thlaſpi capſula cordata peregrinum 927.
Thlaſpi minus quibuſdam, alijs Alyſſon minus 928.
Thlaſpi montanum luteum ibid.
Thlaſpi montanum minimum Monſpelienſium folio laciniato 929.
Thlaſpi capſulis ſublongis incanum ibid.
Thlaſpi ſemper virenis ſpecies candida 930.
Thlaſpi fruticoſum alterum Lob. ibid.
Thlaſpi fruticoſum folio Leucoij marini minoris 931.
Thlaſpi folio Alliariæ 932.
Thlaſpi Alexandrinum Cortuſi Io. Bauh. 933.
Thlaſpi hederaceum ibid.
Tigridis flos 684.
Tormentilla 398.
Traſi 504.
Traſi minores 506.
Tragos 415.
Tragos duplex Cæſalp. 361.
Tragorchis minore flore fuliginoſo 764.
Trachelium minus multis 800.
Trachelium ramoſum florib. pleriſq; ſingularibus 801.
Trachelij minoris ſpecies duæ, ſiue Rapunculus ſylu. vmbellatus maior & minor Thalio ibid.
Trachelium minus album ibid.
Trachelium altiſſimum hirſutum aſperius, foliis anguſtis, floribus paruis ibid.
Trachelium maius petræum ibid.
Trachelio maiori, petræo Ponæ ſimile, ſi non idem 802.
Trach. Tragopogi folio montanum Fab. Columnæ ibid.
Trachelium ſiue Viola Calathiana Herb. Angl. ibid.
Trachelium candidum Anglicum maius, folijs ferè Digitalis vel Campanulæ 807.
Trachelium pumilum Alpinum, lanugine pudeſcens ſingulis florib. ex ſingulis ramulis ſatis magnis 809.
Tragopogon ſiue Barba hirci veteribus 1058.
Tragopogon flore luteo, purpureo, ac puniceo ibid.
Tragop. folio laciniato flore pallido, & Monſpelienſe flore luteo 1059.
Tragop. folio gramineo flore albo & luteo cum tantilla purpura 1060.
Tragop. Hiſp. ſiue Eſcorzonera aut Scorzonera ibid.
Tragopog. ſpecies, ſiue Scorzonera humilis latif. 1061.
Tragop. ſpecies, ſiue Scorzonera humilis anguſtif. ibid.
Tragop. ſpecies ſiue Scorzonera maior anguſtif. ſubcæruleo flore 1062.
Tragop. ſpicatus tenuif. ibid.
Trifolium maius & minus 1064.
Trif. capitulo Glomerato rigido 378.
Trifolium albo-incarnatum ſpicatum, Lagopus maximus 376.
Trif. anguſtif. Hiſpan. ſiue Lagopus anguſtifolius flore dilutè rubente 377.
Trif. glomerulis Perſonatæ Cherleri ibid.
Trifoliū paruum rectum flore glomerato cum vnguiculis 378.
Trif. cuius caules ex geniculis glomerulos oblongos proferunt ibid.
Trifolium glomerulis tomentoſis, per caulium longitudinem 379.
Trif. folliculaceum, veſicarium minus purpureum ibid.
Trifolium caule nudo glomerulis glabris: & aliud paruum cum glomerulis, lignoſum. ibid.
Trif. paruum quoddam ſiue lotus pratenſis purpureæ Dalech. ibid.
Trif. maius albo flore incanum Cluſ. 380.
Trif pratenſe flore albo minus, & fœm. glabrum ibid.
Trifolium paruum Monſpeſſulanum piloſum cū paucis floribus ibid.
Trifolium pratenſe luteum mas flore minore, ſemine multo ibid.
Trif. affine quadrif. Phaum Lob. ibid.
Trif. pratenſe album à Fuchſ. depictum, ſiue mas ibid.
Tribulus Terreſtris 352.
Trifolium argentatum florib. luteis 359.
Trifolium rectum Monſpeſſulanum 359.
Trif. album rectum hirſutum valdè 360.
Trif. Halicacabum, ſiue veſicarium 361.
Trifolium in genere 362.
Trifol. ſiue Lotus Hierazun, edulis, ſiliquoſa 365.
Trifol. Aſphaltites ſiue bituminoſum odoratum, & non odoratum 366.
Trifolium Americanum 368.
Trif. odoratum ſiue Melilotus vulg. flore luteo 370.
Trif. Italicum ſiue melilotus Italica Corniculis incuruis 372.
Trif. pratenſe, & Lotus prat. veterib. & in genere 374.
Trif. maculata & acria 374.
Trif. purpureum vulgare ibid.
Trif. purpureum maius, folio & ſpica longiore & breuiore 375.
Trif. maius Cluſ. ſecundum, non albū, ſed rubrū ibid.
Trif. maius tertium purpureum Cluſ. ibid.
Trif. montanum minus Thalio, purpureum ibid.
Trif. alpinum Rhaticum Aſtragaloides 376.
Trif. ſtellatum purpureum Monſp. ibid.
Trif. anguſtif. ſpicatum 376.
Trif. pratenſe luteum fœmina, flore pulchriore, ſiue Lupulino 381.
Trif. ſaxatile hirſutiſſimum ſiue argenteum ibid.
Trifolium peltatum Creticum 381.
Trif. cochleatum marinum, Medica marina 383.
Trif. aculeatum Creticum 388.
Trif. paluſtre 389.
Trif. hepaticum ſiue Trinitatis herba, flore cærul. ibid.

Trif. hepatic. ſiue Trinitatis herba flore rubro 390.
Trif. hepatic. flore pleno ibid.
Trif. Affinis Anonis puſilla glabra fruticans Cherl. 394
Trif. Affinis Anonis minima hirſuta Cherleri ibid.
Triticum veteribus & in genere 399.
Triticum vulgare, glumas triturando deponens 407.
Tritic. cum multiplici ſpica glumas facilè deponens ibid.
Tritic. rufum Hexaſtychon 408.
Tritic. dictum Far Cluſinum Dalech. 408.
Tritic. cinericeum maximis ariſtis donatum, triturando glumas deponens ibid.
Tritic. ſpecioſum grano longo 410.
Triticum ſylu. Agrioſtari Cretenſibus ibid.
Triticum Indicum 453.
Triticum Peruuianum album longum 454.
Tuberaria noſtras pag. 12.
Tuberaria maior Myconi ibid.
Tuberaria minor Myconi 13.
Tulipa ſiue Lilionarciſſus 663.
Tulipa præcox flaua 666.
Tulipa præcox rubra ibid.
Tulipa præcox alba. ibid.
Tulipa præcox purpurea 667.
Tulipæ præcoces variæ ibid.
Tulipa præcox lutea varia ibid.
Tulipa præcox rubra varia 668.
Tulipa præcox alba varia ibid.
Tulipa præcox purpurea varia 669.
Tulipa præcox Amethyſtina varia 670.
Tulipa ſerotina ibid.
Tulipa ſerotina flaua cui quatuor folia in Caule 671.
Tulipa ſerotina rubra ibid.
Tulipa dubia ibid.
Tulipa coccinea holoſericea ibid.
Tulipa dubia ſecunda media prima 672.
Tulipæ tertiæ mediæ ſecundum genus, flore præcocibus æquali ibid.
Tulipa bulbifera 674.
Tuliparum icones ex Lobelio, diuerſæ ab iis quæ Cluſ. habet in poſtrema hiſtoria ibid.
Tulipa luthea obtuſis foliolis florum ibid.
Tulipa Phœnicea luteis oris, flore ſpatulo 675.
Tulipa Coccinea Puniceave rutilans ibid.
Tulipa coccinea candidis oris 675.
Tulipa rubra oris & vaginulis albis ibid.
Tulipa niuea tota ibid.
Tulipa candore & rubore confuſa ibid.
Tulipa pumiles 676.
Tulipa minor lutea Narbon. 677.
Tulipa Hiſpanica Narbonenſis 678.
Tulipa lutea Bononienſis ibid.
Tulipa pumilio anguſtifolia alba ibid.
Tulipa pumilio alba altera Luſitanicæ 674.
Turritis pulchra noua 837.
Typha paluſtris maior 539.
Typha paluſtris media 540.
Typha minor ibid.

V

VElla Eruca foliis flore violaceo 865.
Vitis vinifera 67.
Vitis folio Apij 73.
Vini genera tria 87. & 88.
Vini genera varia : Vini natura : Vina factitia : Vina marina : Vinum melites 88.
Vitis ſylueſtris 123.
Vitis alba ſiue Bryonia 143.
Vitis nigra quibuſdam 147
Vicia vulgaris ſatiua 310.
Vicia albo ſemine 311.
Vicia vulgaris ſylu. ſemine paruo, & nigro frugum 312.
Vicia ſylu. quaſi incana flore albo ibid.
Vicia ſylu. flore albo alia ibid.
Vicia luteo flore ſylu. 313.
Viciæ ſepium perennis ibid.
Vicia lutea cum galea fuſca 314.
Vicia multifolia cum latis ſiliquis ibid.
Vicia multiflora perennis, nemorenſis, ſiue dumetorum ibid.
Vicia praua, ſiue Cracca minor, cum multis ſiliquis hirſutis 315.
Viciæ ſiue Craccæ minimæ ſpecies, cum ſiliquis glabris ibid.
Vicia ſylu. maxima piſo ſylueſtri ſimilis ibid.
Vicia aliqua 316.
Vicia ſylu. cum Lentis ſiliqua ibid.
Viciæ paruum genus, folio longo ibid.
Viciæ pulchrum genus multifolium, ſiue ſpecies quibuſdam ibid.
Vicia quæ pitinine Anguillaræ, lata ſiliqua, flore luteo ibid.
Vicia foliis Aracus Anguillaræ 317
Viola Mariana Dodonæi, quibuſdam medium. 804.
Virga aurea vulgaris latifolia 1062.
Virga aurea Solidago Sarracenica latif. ſerrata 1063.
Virga aurea anguſtif. ſiue ſolidago Sarracenica ibid.
Virga aurea ſiue ſolidaginis anguſtifoliæ affinis lingua auis Dalechampij ibid.
Volunlus terreſtris 160.
Vſtilago 418.
Vulneraria ruſtica 362.
Vua monſtroſa barbata 75
Vua paſſa 85

Z

ZEa in genere ex veteribus & neotericis 410.
Zea ſiue Spelta 412.
Zea verna Immer 413.
Zea monococcos, Briza quibuſdam 413.
Zedoaria 741.
Zingiber & eius Siliqua 743.
Zingiber Mechini, rara varietas 746.

RARE
FOLIO
QK
41
B34
1650 v.
Ir #
71